




BIBLIOTECA NAZ.
XII
H
8
NAPOLI

THEOLOGIA
DOGMATICA
ET MORALIS
SECUNDUM ORDINEM
CATECHISMI CONCILII TRIDENTINI
IN QUINQUE LIBROS TRIBUTA;

HAC NOVISSIMA EDITIONE OMNIUM ACCURATISSIMA, plurimis acceſſionibus, & Notis, variis Epiſtolis, & Monumentis, Appendice duplici comprehenſis, aucta, illuſtrata, confirmata, locupletata.

Opus non ſolùm Clericis & Theologis quibuſque, ſed & Parochis, Confeſſariis, & Concionatoribus perutile.

Auctore R. P. F. NATALI ALEXANDRO, Ordinis FF. Prædicatorum, Provinciæ Pariſienſis ejuſdem Ordinis Exprovincialis, in Sacra Facultate Pariſienſi Doctore, & emerito Theologiæ Profeſſore.

TOMUS SECUNDUS.

PARISIIS,
Sumptibus ANTONII DEZALLIER, in Vico San-Jacobæo, ſub ſigno Coronæ Aureæ.

M. DCCXIV.
Cum Approbatione, & Privilegio Regis Chriſtianiſſimi.

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ ET MORALIS

TOMUS SECUNDUS.

APPENDIX AD TRACTATUM DE ORDINE.

CAPUT VI.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS, illicitaque eorum Captatione, Possessione, Resignatione, Permutatione, & Beneficiariorum Officiis.

BENEFICIUM *Ecclesiasticum est Jus perpetuum percipiendi fructus ex Bonis Ecclesiasticis provenientes, Ecclesiæ autoritate constitutum, competens Clerico propter Sacrum Ministerium, seu Officium spirituale, quod exhibere debet Ecclesiæ, cujus ex bonis sustentatur.*

Ecclesiastici Beneficii definitio explicatur.

Dicitur *Jus perpetuum.* Pensiones enim quæ ad certum dumtaxat tempus sunt concessæ, & Pensionarii morte extinguuntur, non sunt Beneficia. Nec etiam Dignitates & Administrationes temporariæ, quales sunt Vicariorum Generalium, & Officialium Episcopi. Dicitur *Autoritate Ecclesiæ constitutum:* Quia Summi Pontificis, aut Episcopi approbatio & confirmatio necessaria est, ut proventus aliqui Ecclesiis sive Clericis ob Officium spirituale concessi, rationem Beneficiorum habeant. Unde Capellaniæ, seu reditus ob Missarum celebrationem in perpetuum fundati, quos vulgò *Obitus* nuncupamus, Beneficia Ecclesiastica non censentur, sed stipendia

Tom. II.

A dumtaxat, vel elemosynæ; nisi ab Episcopo, aut à Romano Pontifice in Beneficii Titulum accepti sint & instituti. Dicitur *Clerico competens:* Quia nemini conferri potest, qui non sit primâ saltem Tonsurâ initiatus. Dicitur denique *Propter Sacrum Ministerium:* Quia *Beneficia ad divinum cultum, atque Ecclesiastica Munia obeunda sunt constituta*, ut loquitur Concilium Tridentinom Sessione XXI. Cap. III. *De Reformatione.* Unde Beneficium, *Ecclesiasticum Ministerium* appellatur, Cap. *Quia nonnulli*, Ext. *De Clericis non residentibus:* Ut meritò *Beneficium propter Officium* dari dicatur, Cap. *Quia per ambitiosam*, Tit. *De Rescriptis*, in Sexto. Officium autem illud non sola Canonicarum Horarum seu Breviarii recitatio

B intelligenda, est, ad quam omnes Beneficiarii tenentur, sed Sacramentorum Administratio, Missarum celebratio, Evangelii prædicatio, aliæque functiones sacræ, quibus ex institutione & ordine Ecclesiæ Beneficiarii sunt obstricti, ut colligitur ex Cap. *Significatum*, Ext. *De Præbendis & Dignitatibus.* Cùm enim æquum sit, eos qui Altari serviunt de Altari vivere; à contrario senso sequitur, eos qui de Altari vivunt, Altari servire oportere. Unde Concilium Coloniense anno MDXLIX. celebratum Tit. IX. Cap. III. *Divini* (inquit) *Juris est, ut qui servit Altari, de Altari vivat: Nec bono jure is qui non servit Altari, de Altari vivit: Sicut stipendium non debetur nisi militanti.* Quamobrem, si nullum speciale munus Beneficiis sit annexum,

A

iis Ecclesiasticum aliquod Ministerium ut annectat Episcopus conveniens est Ecclesiæ Disciplinæ, ut statuit Concilium Mediolanense 5. Constitutionum P. II. Tit. XXVI. *Si* (inquit) *aliqua Dignitas, Personatus, aut Officium in Ecclesia fuerit, cui neque ab Institutione, neque à Jure communi, neque à propriis Constitutionibus, quæ probatæ sint, neque his Decretis proprium Munus in divinis Officiis sit attributum, aut quod sit non satis constet; Episcopi, duobus adhibitis de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter à Capitulo deligatur, assignent singulis Dignitatibus & Officiis proprium Munus, quemadmodum cum sententia sacrorum Canonum, & cum propria Ecclesiæ probatis Constitutionibus, & cum his Sanctionibus pro ratione loci magis congruere judicabunt. Cæteris etiam Beneficiis, quæcumque jam ab Ecclesiasticis Officiis immunia reperiuntur, sive Canonicatus, sive Clericatus, sive etiam simplicium nomine appellantur, iis Episcopus pristina Munera restituat: Ac, si non constat satis qualia essent, pro fructuum ratione Munera imponat, aut Missas, Divinaque Officia celebrandi, aut si Clericatus, simplicidve Beneficia sint, Minorum etiam Ordinum functiones obeundi ad divini cultûs propagationem.* Idem statuit Concilium Burdigalense anno MDCXXIV. celebratum, Cap. XVIII. Num. I.

Beneficia porrò nuncupata sunt, quòd actione beneficâ & spontaneâ conferantur Clericis Ecclesiæ militantibus, sicut & prædia quæ Militibus profanis & sæcularibus concedebantur, feuda & beneficia dicta sunt.

Quotuplex Beneficiorum genus?

Omissâ Beneficiorum divisione in ea quæ Dignitatem habent, & præeminentiam singularem, quæ & Personatus interdum appellantur; & ea quibus annexa est Cura Animarum; & ea quæ sunt absque Dignitate & Cura: Beneficiorum primaria & maximè vulgata divisio est in Sæcularia & Regularia. Sæcularia sunt, quæ Clericis Sæcularibus tantùm; Regularia, quæ Regularibus tantùm debentur, & conferri possunt; id est, qui Professionem in aliquo Ordine Religioso, Beneficiorum capace, secundùm Ecclesiæ Disciplinam emiserint; vel ei nomen dederint, profitendique intra annum conditionem subeant. Hinc tritum illud, & praxi receptum: *Sæcularia Sæcularibus, Regularia Regularibus*: Prout Concordatis à Concilio Lateranensi V. confirmatis, & Concilii Tridentini Sessione XIV. Capp. X. & XI. *De Reformatione* statutum est.

Quædam rursus Beneficia sunt cum Animarum Cura conjuncta, ut Episcopatus, Decanatus, Cura Parochialis, Abbatia, Prioratus Regularis, &c. Quædam sine Animarum cura, ut Canonicatus, Præbendæ, Capellaniæ, ac Prioratus simplices. Ad ordinem Beneficiorum curam Animarum habentium revocantur Ecclesiasticæ Dignitates & Beneficia, quibus Jurisdictio contentiosa, & Jus quoddam correctionis morum est adnexum, quales sunt Archidiaconatus, & quædam Ecclesiarum Collegiatarum Præfecturæ.

Beneficia rursus alia in Titulum, alia in Commendam collata sunt, Jure novo Ecclesiæ probato: Aliàs enim reciproca erant in Ecclesia Tituli Beneficiique nomina. Cæterùm commendata Beneficia dicuntur, quæ cùm Regularia sint, à Summo Pontifice Clericis Sæcularibus, eorum immutatâ naturâ, velut Administratoribus conferuntur, atque commendantur. Commendatarios porrò, si ætatem præscriptam à Jure ad suscipiendos Sacros Ordines attigerint, Concilium Rothomagense Tit. *De Monasteriis*, intra annum promoveri debere decrevit; aliàs Episcopum pro suo jure agere posse, usque ad declarationem vacantium omnium Beneficiorum. Promotos verò ad celebrandam Missam, iisdem legibus quibus omnes Presbyteri obligandos & compellendos esse ab Ordinariis, si fuerint contumaces aut contemptores. Tum de eorum vita & honestate subdit: *Commendatarii, quamvis ad Regularem observantiam non obligentur, ne tamen sint sine jugo, atque omni Regula, decet eos medium statum atque Ordinem sequi & ostendere inter Regulares & sæculares Clericos in vestitu, in victu, & in omni ornatu. Tonsura utantur ampliori, quàm Sacerdotali, habitu propiùs ad Regularem accedente: Nec existiment sibi commendatum Monasteriorum Regimen ad luxum, aut prodigalitatem, aut ad augendam rem suam, & consanguineorum familiam; sed ad piam & justam alienarum rerum dispensationem, & quarum non habent proprietatem, Deóque de omnibus reddendam esse rationem.*

Abbatum & Priorum Commendatariorum obligatio.

Ut autem præcipua vitia noscantur, quæ in Beneficiorum Collatione, Captatione, Possessione, Resignatione, & Permutatione contingunt, Regulas quasdam pro more statuemus.

REGULA I.

Ad Beneficia Ecclesiastica promoveri non debent, nisi legitimi, & qui sint moribus, scientiâ, ætate, Ordinéque idonei: Si verò sint Parochiales Ecclesiæ, requiritur insuper ut idioma loci intelligant, & expeditè loqui sciant.

Qui ad Beneficia Ecclesiastica possidenda idonei?

BEneficium enim *Ecclesiasticum non potest sine institutione Canonica obtineri*; secundùm Regulam I. Juris, in Sexto. Pertinet autem ad Institutionem Canonicam ut Beneficium conferatur ei, qui sit ad illud possidendum, ejúsque functiones obeundas idoneus, putà, qui non sit Irregularis, nec infra legitimam ætatem (inquit *S. Antoninus* III. P. Tit. XV. §. *De Beneficiis*) Hinc Cap. *Postulastis*, Ext. *De Clerico Excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante*, Innocentius III. respondet: *Cùm excommunicatis communicari non debeat, Clericis excommunicationis vinculo innodatis Ecclesiastica Beneficia conferri non possunt, nec illi valent ea licitè retinere, nisi forsitan eam eis fuerit misericorditer dispensatum: Cùm ea non fuerint canonicè consecuti.*

Excommunicatis conferri non possunt.

Idem confirmatur ex Cap. *Licet*, Tit. *De Electione*, in Sexto. *Licet Canon à felicis recordationis Alexandro Papa III. Prædecessore nostro editus, inter cetera statuerit, ut nullus Regimen Ecclesiæ Parochialis suscipiat, nisi vigesimum quintum annum ætatis attigerit, ac scientiâ & moribus commendandus existat: Quodque talis ad Regimen assumptus hujusmodi, si monitus non fuerit præfixo à Canonibus tempore in Presbyterum ordinatus, à Regiminis ejusdem amoveatur Officio, & alii conferatur: Quia tamen in observatione Canonis memorati se multi exhibent negligentes: Nos periculosam illorum negligentiam volentes Juris executione suppleri, præsenti Decreto statuimus, ut nullus ad Regimen Parochialis Ecclesiæ assumatur, nisi sit idoneus moribus, scientia, & ætate: Decernentes collationes de Parochialibus Ecclesiis, his qui non attigerint vigesimum quintum annum, de cetero faciendas, viribus omnino carere.*

Ætas 25. annorum inchoatorum ad regimen Parochialis Ecclesiæ necessaria.

Et ex Cap. *In Lateranensi*, Ext. *De Præbendis & Dignitatibus*, quo *Innocentius III.* ex sententia Concilii Lateranensis Quarti statuit ut Regulares ad Regimen Parochialium Ecclesiarum, quæ ad ipsos pleno jure non pertinent, Episcopis Presbyteros instituendos præsentent, *Quos vel*

conversatio notos reddit, vel commendat probabile testimonium Prælatorum.

Scientia & Morum integritas.

Et Clemens V. Clementina *Cum ei.* Tit. III. *De Concessione Præbendæ*, eum cui Beneficium confertur, esse vult *Scientiâ idoneum, vitâ laudabilis, & conversationis honestæ.*

Hanc Regulam confirmat Concilium Tridentinum, Sessione XXIV. Cap. XII. De Reformatione. *Nemo* (inquit) *deinceps ad Dignitates quascumque, quibus Animarum Cura subest, promoveatur, nisi qui saltem vigesimum quintum suæ ætatis annum attigerit; & in Clericali Ordine versatus, doctrinâ ad suum Munus exequendum necessariâ, ac Morum integritate commendetur, juxta Constitutionem Alexandri III. in Concilio Lateranensi* B *promulgatam, quæ incipit*: CUM IN CUNCTIS.

Archidiaconi oculi Episcopi.

Archidiaconi etiam, qui Oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit, Magistri in Theologia, seu Doctores aut Licentiati in Jure Canonico. Ad ceteras autem Dignitates, vel Personatus, quibus Animarum Cura nulla subest, Clerici alioquin idonei, & viginti duobus annis non minores adsciscantur.

Ætas ad ceteras Dignitates, Canonicatus, & simplicia Beneficia necessaria.

Quod de anno inchoato est intelligendum. Ad simplices autem Cathedralium Canonicatus, sufficit decimus quartus annus completus: Ad Canonicatos Collegiatarum, decennium completum in Galliis: Ad Beneficia simplicia C quæ dicuntur ad simplicem Tonsuram, septennium completum. At extra Galliam nullus ante XIV. ætatis annum Beneficium quodvis obtinere potest, juxta Tridentini Concilii Decretum Sessione XXIII. Cap. VI. *De Reformatione.*

Et infra: *Neminem etiam deinceps ad Dignitatem, Canonicatum, aut Portionem recipiant, nisi qui eo Ordine aut sit initiatus, quem illa Dignitas, Præbenda, aut Portio requirit; aut in tali ætate, ut infra tempus à Jure, & ab hac Sanctâ Synodo statutum initiari valeant.*

Gradus Academici quibus necessarii.

In Galliæ Regno, Oppidorum muratorum D Parochi Graduati esse debent, vel Artium Magistri, aut saltem triennium Studii Theologici, vel Juris Canonici in aliqua Academia complevisse, ut patet ex Concordatis, Tit. *De Collationibus.* Idemque statuitur de omnibus Ecclesiarum Cathedralium Dignitatibus, & Primariis Collegiatarum, Edicto *Henrici* Quarti, anni MDCVI. Art. XXXI. Ad Præbendam Theologalem, non tamen ad Præceptorialem exigitur Gradus Doctoris in Theologia, ex Edicto Aurelianensi *Caroli IX.* Art. VIII. & Blesensi *Henrici III.* Art. XXXIII.

Episcoporum scientia.

E Major autem scientia in Episcopis requiritur, quam in Parochialium Ecclesiarum Rectoribus; major in Parochis, quam in Presbyteris animarum curam non habentibus: major in Parochis urbium, quam Pagorum. Ad Episcopatum promovendi, *Scrutabiliter, & non transitoriè*, debent legisse *Sacros Canones, & omnem Divinam Scripturam. Substantia enim Summi Sacerdotii, sunt Eloquia divinitus tradita.* Quod si hujusmodi lectione & doctrinâ sint destituti, nullatenus ordinandi sunt. Verba sunt septimæ Synodi Oe- F cumenicæ, relata Canone *Omnes Psallentes*, Dist. XXXVIII. Sed & Curati in studio Scripturæ Sacræ, & Canonum mediocriter saltem versari esse debent, ut colligitur ex Canone *Ignorantia*, Dist. X. qui ex Concilio Toletano desumptus est: *Sciant ergo Sacerdotes Scripturas Sanctas, & Canones, & omne opus eorum in Prædicatione & Doctrina consistat; atque ædificent cunctos tam Fidei scientiâ quam Morum disciplinâ.* Et Canone *Nulli*, Dist. XXXVIII. *Celestinus I.* ait: *Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare: nec quicquam facere, quod*

A *Patrum possit Regulis obviare.* Eminentem litteraturam in iis qui ad Episcopatum, & Parochialium Ecclesiarum regimen promoventur optat Ecclesia, competentem requirit, ut constat ex *Innocentio III.* Cap. *Cùm nobis*, Ext. *De electione & electi potestate.* Eminentis scientiæ est, *Qui subtiles Quæstiones discutere & definire novit, & in promptu Responsiones habet.* Mediocris verò scientiæ est, *Qui scit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia nesciat respondere: & qui in Libris veritatem eorum quæ scire tenetur, scit quærere, et si inpromptu omnia non habeat*: ut explicat *Innocentius IV.* in Cap. *Cùm in cunctis*, *De electione & electi potestate.* Hinc Episcopos in lectione & B studio Scripturæ Sacræ, Sanctorum Patrum, Canonum, & Pastoralis Libri *S. Gregorii* assiduos esse jubent Concilia, Remense II. Canone XIV. Turonense III. Canone II. & III. Cabilonense secundum Canone I. Aquisgranense II. Canonibus II. III. & IV.

Eamdem Regulam mirè confirmat Concilii Toletani XI. Canon secundus. *Quantum* (inquit) *quis præcelsi culminis obtinet locum, tantò necesse est procedat ceteros gratiâ meritorum; ut in eo quod præsidet singulis, singulariter ornetur eminentiâ sanctitatis, habens semper in ore gladium ve-* C *ritatis, & in opere efficientiam luminis, ut juxta Paulum potens sit exhortari in doctrina sana, & contradicentes arguere. Nos proinde nostri Ordinis gradum, vel suscepti Regiminis modum magnopere cogitare debemus, ut qui officium prædicationis suscepimus, nullis curis à divina lectione privemur. Nam quorumdam mentes Pontificum ita corporis otio à lectionis gratiâ secluduntur, ut quid doctrinæ subditis exhibeat gregibus, non inveniat Præco mutus. Insistendum ergo semper erit Majoribus, ut quos sub Regiminis sui cura tuentur, fame verbi Dei perire non sinant. Sic Metropolitanis in confinitimos; con-* D *finitimis in commisso sibi Religiosorum numero vigilandum est, qualiter nescientia talium divinæ Legis traditionibus imbuatur: Ita ut indesinenti solicitudine Prælatus quisque subditos quærens, aut profectum eorum latabundus agnoscat, aut nescientiam sine arrogantia instruat. Placuit ergo de talibus juxta Instituta Toletani Concilii, ut aut sponte sumant intentionem necessariam perdiscendi, aut à Majoribus ad lectionis exercitia cogantur inviti.*

Hinc *S. Gregorius Magnus* P. I. *Pastoralis*, Cap. I. *Nulla ars* (inquit) *doceri præsumitur, nisi intentâ priùs meditatione discatur. Ab imperitis ergo Ma-* E *gisterium Pastorale suscipitur in magna temeritate: Quoniam Ars est artium Regimen animarum. Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen sæpe qui nequaquam spiritualia præcepta cognoverunt, cordis se Medicos profiteri non metuunt: Dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri Medici carnis erubescunt.*

Parochialibus Ecclesiis non præficiendi nisi qui loci idioma intelligant & loqui possint.

Quod verò promoveri ad Parochiales Ecclesias non debeant, nisi *Qui intelligant, & intelligibiliter loqui sciant idioma loci ubi Ecclesia aut Beneficium hujusmodi consistit*, aliasque provisio nullius sit ro- F boris, constat ex Regula XX. Cancellariæ Apostolicæ, *De Idiomate.* Cùm enim Parochos Confessiones Pœnitentium excipere, illisque verbum Dei prædicare, & doctrinâ Christianâ imbuere illos debeat, omnino necesse est ut eorum idiomate *intelligibiliter* loquatur. Quam Regulam confirmant verba Domini Ezechielis III. *Non enim ad populum profundi sermonis & ignotæ linguæ tu mitteris, ad domum Israël, quorum non possis audire sermones, &c.*

REGULA II.

Qui Beneficium impetravit Graduatis dumtaxat, vel Doctoribus secundùm Ecclesiæ Leges conferendum; aut illud vi Graduum obtinuit; illud tutâ conscientiâ possidere & retinere non potest, nisi præscriptum Studii tempus in aliqua Universitate perfecerit, ac scientiam adeptus sit competentem.

Quid in eis desideretur, qui vi graduum Beneficia obtinent?

HAnc Regulam firmant pacta inter *Leonem X.* Romanum Pontificem, & *Franciscum I.* Concordata, & Concilium Lateranense v. ea confirmans Sessione xi. & Regum Christianissimorum Constitutiones, Blesensis *Ludovici XII.* anno M. CCCCXCVIII. Articulo II. & Lugdunensis anni M. DX. Articulo VIII. necnon *Henrici III.* quibus sancitum est ut Beneficia Graduatis debita nonnisi illis conferantur, qui præscriptum ac legitimum Studiorum tempus impleverint. Quamobrem qui ad Gradus per saltum promoti fuerunt, Beneficia retinere non possunt Graduatis debita. Idem esto judicium de illis, qui cùm Legitimo tempore studuerint, scientiam tamen competentem non sunt adepti. Alioqui Ecclesiæ Legibus illuditur, quæ certa Beneficia nonnisi Doctoribus & Licentiatis in Theologia & Jure Canonico conferri decrevit, quia scientia quam postulant Gradus illi Academici necessaria est ad hujusmodi Beneficiorum functiones exercendas. Nam *Certum est, quod is committit in legem qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* Regula est Juris LXXXVIII. in Sexto.

REGULA III.

Beneficia Ecclesiastica, Curam præsertim Animarum annexam habentia, suscipere nemo debet, nisi qui ad illa vocatus à Deo est.

Legitima vocatio.

Quomodo exploranda?

NEc enim *quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron*: (inquit Apostolus Epistolæ ad *Hebræos*, Cap. v.) Censeri autem debet à Deo vocatus, qui morum integritate, scientiâ, ætate, Ordine, ceterisque dotibus ad Beneficium obtinendum ejúsque sacras functiones obeundas necessariis instructus, Ecclesiisque ad quas, aut in quibus promovetur, necessarius aut utilis ab Episcopo judicatur. Non solùm enim ad Beneficia, sed ne ad Ordines quidem ullus est promovendus, *Qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis*, ut statuit Concilium Tridentinum Sessione XXIII. Cap. XVI. *De Reformatione.* Necesse est præterea ut seipsum seriò examinet qui ad Beneficium promovetur, videátque ne fortè illud pro seipso postulaverit, suisque aut parentum vel amicorum precibus, aut favore illud impetraverit: Ne pactionibus aut conventionibus secretis atque simoniacis: Ne Pensionis absque legitima causa impositæ, aut tertiam partem redituum excedentis onus subierit, & conditionem acceperit ut Beneficium obtineret: Ne denique absque Institutione Canonica illud sit adeptus, aut pravâ intentione illud suscipiat. Explorare insuper debet voluntatem Dei, suis, piorúmque orationibus, exemplo Christi, qui *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei: & cum dies factus esset, vocavit Discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit*; (ut habetur *Luc.* VI.) Virorum denique sapientum & spiritualium consilium adhibere debet, sibique ipsi diffidere, ne cupiditate suâ decipiatur ac seducatur.

REGULA IV.

Qui in Beneficia Ecclesiastica Curam Animarum habentia se ingerunt, vel illa ambiunt, à Deo minimè sunt vocati.

Non sunt à Deo vocati, qui in Beneficia Curam animarum habentia se ingerunt, aut illa ambiunt.

NAm (ut scitè ait *Origenes* Homilia VI. in Isaiam) *Bonum est non prosilire ad eas, quæ à Deo sunt Dignitates, & Principatus, & Ministeria Ecclesiæ; sed imitari Moysen, & dicere cum eo*, PROVIDE alium quem mittas: *Neque ad Principatum Ecclesiæ venit, qui salvari vult, sed ad servitutem Ecclesiæ.*

Id confirmatur ex Canone, *Principatus*, qui est *S. Leonis*, & refertur Causa I. Quæstione I. *Principatus, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupavit, etiamsi moribus aut actibus non offendit, ipsius tamen initii sui est periculosus exemplo, & difficile est ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.*

Et ex Canone, *In Scripturis*, qui est *S. Gregorii*, & legitur Causa VIII. Quæstione I. *Sicut locus Regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus. Et sicut scriptum est*, NEC *quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron.* Desiderium quidem boni operis & laboris, Ecclesiastico Beneficio annexi, laudabile est, secundùm illud Apostoli, *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*; sed Principatus ac dominationis desiderium damnandum est. Illud caritatis est, adeoque divinæ vocationi congruum; illud ambitionis, ac proinde cœlesti vocationi adversum, ut explicant *S. Joannes Chrysostomus* Homilia x. in Epistolam I. ad *Timotheum*; & *Theodoretus* Commentario in Cap. III. ejusdem Epistolæ. Laudabile fuerit Episcopatum appetere tempore persecutionis, quia *Nihil aliud erat quàm optare quotidie millies pro Christo mori*; sed vix id absque vitio contingeret nostris temporibus, quibus non aliud intelligitur Episcopatûs appellatione, *Quàm fructus, & vectigalia, & honores*, (inquit) *S. Gaudentius Brixiensis*, in eumdem Apostoli locum.) Et quamvis laboris solius, bonique operis intuitu, optaret aliquis, aut postularet Beneficium Ecclesiasticum, cui annexa est animarum cura, ad idque esset idoneus, periculosum tamen esset hujusmodi desiderium, periculosa postulatio: Quia sibi inesse eam, quæ ad Sacras talis Beneficii functiones est necessaria, dispositionem, sine præsumptione vix quisquam de se ex propria animi sententia suspicatur: Præsertim quia *Sæpe sibi de se ipsa mens humana mentitur, & fingit se de bono opere amare quod non amat, de Mundi autem gloria non amare quod amat: Quæ principari appetens, fit ad hoc pavida, cùm quærit; audax cùm pervenerit.* Quamobrem *S. Augustinus* Libro XIX. *De Civitate Dei*, Cap. XIX. rectè ait: *Locus superior sine quo regi non potest, etsi ita teneatur atque administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur.* Et *S. Gregorius Magnus*, Pastoralis P. I. Cap. IX. inter Ecclesiastici Regiminis difficultates & bona medium illud tenendum docet, *Ut virtutibus pollens, coactus ad Regimen venias; virtutibus vacuus, nec coactus accedas.* Hinc *S. Isidorus Hispalensis*, Libro III. *Sententiarum*, Cap. XXXIV. Viro Ecclesiastico præcepit, ut *Ad dispensationem Ecclesiastici Ordinis, si ex Dei voluntate pervenerit, nolens quidem, sed humilis gubernandam suscipiat.* Id divinæ vocationis argumentum est.

Quando laudabile fuit Episcopatum appetere?

Locus superior indecenter appetitur.

Nolentes ad Ecclesiæ regimen promovendi.

Huc accedit, quod Libro VII. Capitularium, Cap. CCCCXLIX. scriptum est: *Ille in ovile ovium*

Quis intrat per ostium?

A *intrat per ostium, qui intrat per Christum, Ipsò autem per Christum ingreditur, qui de eodem Creatore ac Redemptore humani generis vera sentit & prædicat, & prædicata custodit; culmen Regiminis ad officium portandi oneris suscipit, non ad appetitum gloriæ transitorii honoris; cura quoque suscepti ovilis solerter invigilat, ne oves Dei aut perversi homines prava loquentes dilanient, aut maligni Spiritus oblectamenta vitiorum suadentes devastent.*

Qui pro se petit Curam Animarum, indignus est.

Denique S. *Thomas*, secunda Secundæ, Quæstione centesima, Articulo v. ad tertium, hanc B Moralis Christianæ quam stabilimus regulam his verbis confirmat: *Si aliquis pro se rogat ut obtineat Curam Animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus: & sic preces sunt pro indigno.*

Consonat ista Doctoris Angelici doctrina *S. Joannis Chrysostomi* Sententiæ, Homilia III. in Acta Apostolorum. *Quem enim* (inquit) *conscium adhibis, si procuraris vel per teipsum, vel per alium? Quibus oculis intueberis illum, qui tibi fuit auxilio? Quid habebis quod excuses? Etenim qui nolens & invitus compulsus est, habiturus est aliquam excusationem. Quamquam maximè & hic privatus est veniâ, nisi quòd ad hoc coactus, aliquid habet excusationis. Cogita quid acciderit Simoni.* C *Quid enim refert, si non das pecuniam, sed pecuniæ loco adularis, subornas, multáque machinaris? Pecunia tua sit tecum in perditionem, ad illum dictum est: & his dicitur, Ambitio tua sit tecum in perditionem, quoniam putasti ambitu humano parari Regnum Dei.*

REGULA V.

Qui Beneficia Ecclesiastica honoris & redituum temporalium intuitu principaliter suscipiunt, non solùm à Deo non sunt vocati, sed lethalis peccati rei sunt.

Beneficia Ecclesiastica ob honorem aut propria commoda non suscipienda.

HÆc Regula colligitur ex S. *Augustino*, Libro II. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. XIII. SÆPE (inquit) *cogitatio necessariarum rerum ad istam vitam pertinentium, sauciat & sordidat interiorem oculum nostrum, & plerumque cor duplicat, ut ea quæ videmur cum hominibus rectè facere, non eo corde faciamus, quo Dominus præcipit, id est, non quia eos diligimus, sed quia commodum ab eis aliquod propter necessitatem præsentis vitæ adipisci volumus. Debemus autem benefacere illis propter salutem ipsorum æternam, non propter temporale commodum nostrum. Inclinet* E *ergo Deus cor nostrum in testimonia sua, & non in emolumentum. Finis enim præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non fictâ. Qui autem propter suam in hac vita necessitatem fratri consulit, non utique charitati consulit: Quia non illi quem debet tamquam se ipsum diligere, sed sibi consulit; vel potiùs nec sibi: Quandoquidem hinc sibi facit duplex cor, quo impeditur ad videndum Deum: In qua sola visione beatitudo est vera atque perpetua.* Et infra: *Ergo si in terra erit cor, id est, si eo corde quisque operetur aliquid, ut terrenum commodum adipiscatur, quomodo erit mundum, quod in terra volutatur? Si autem in cœlo, mundum erit,* F *quia munda sunt quæcumque cœlestia. Sordescit enim aliquid cùm inferiori natura miscetur, quamvis in suo genere non sordida; quia etiam de puro argento sordidatur aurum, si misceatur: Ita & animus noster terrenorum cupiditate sordescit.*

Idem confirmat *Gaufridus* Claraevallensis Abbas, Declamatione in Evangelium *Ecce nos reliquimus omnia*, inter Opera S. Bernardi, § XI. *Petro dictum est*, Simon Joannis, amas me? — Joan. 21.

Pasce oves meas. *Idemque tertiò repetitum. Tertiò dictum*, Pasce, *nec Mulge seu Tonde vel semel additum est. Speret ergo Discipuli locum, gradum Ministri, qui dominicum pascere gregem satagit, quàm tondere: Pascere verò tripliciter, exemplo conversationis, verbo prædicationis, fructu orationis, & pascere ad mandatum Christi, ut Nemo sibi hunc sumat honorem, sed qui vocatus fuerit à Deo tamquam Aaron.* — Hebr. 5.

Quod de Episcopis dixit Tridentina Synodus Sessione XXV. *De Reformatione* Cap. I. reliquos B Beneficiarios etiam spectat. *Optandum est ut se non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, sed ad labores & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, & Fideles reliquos ad religionem innocentiámque facilius inflammandos, si præpositos suos viderint non ea quæ Mundi sunt, sed animarum salutem ac cœlestem patriam cogitantes.*

Puritas intentionis signum est legitimæ vocationis.

De divinæ vocationis ad Beneficia necessitate, ac rectâ intentione, quæ vocationis illius argumentum est, sic loquitur Concilium Bituricense anno Christi MDLXXXIV. Titulo XXXVI. Canone I. *Cùm Beneficium Ecclesiasticum non otiosis, sed Officium suum exequentibus sit constitutum; &* C *propter Officium detur Beneficium, denunciat hæc Synodus omnibus cujuscumque gradûs & conditionis, qui Beneficia Ecclesiastica solius temporalis proventûs gratiâ suscipiunt, eos non facere fructus suos, sed ad restitutionem teneri.*

Hanc Regulam confirmant S. *Thomas*, Quodliberto IX, Quæstione VII. Articulo II. *Si aliquis* (inquit) *hac intentione plura Beneficia habeat, ut sit ditior, ut lautiùs vivat, & ut faciliùs ad Episcopatum perveniat in aliqua Ecclesiarum ubi est præbendatus, non tolluntur prædicta deformitates, sed augentur; quia cum tali intentione & unum Beneficium habere, esset illicitum.*

D S. *Antoninus*, P. II. Summæ, Titulo III. Cap. V. §. 4. *Quærere* (inquit) *& appetere hujusmodi Curata* (sive Beneficia quibus adnexa Cura Animarum est) *principaliter propter honores & divitias, quæ inde sequuntur hominibus, videtur esse mortale: & ratio est, quia est contra ordinem charitatis. Nam non solùm dilectio Dei & proximi est in præcepto, sed etiam ipse ordo dilectionis. Est autem de ordine dilectionis, ut diligatur priùs salus animarum, quàm corporum: sed hunc ordinem talis pervertit, præferens temporalia, quæ ordinantur ad corpus, scilicet divitias & honorem saluti anima-* E *rum, quæ exercetur per curam.*

Qui à Deo non vocati?

Nemo igitur à Deo vocatos dixerit, qui malis artibus captant Beneficia, fraudulentæ verbi gratiâ permutationis commento, quales eæ sunt quæ imminente morte fieri solent; cùm scilicet Clericus morti proximus Beneficium suscipit, non ut illius impleat officium, sed ut Beneficium aliud lucupletius, commodius, aut illustrius in alterum transferat; atque hoc pacto Ordinarium Collatorem Jure non fraudet.

A Deo vocatus nemo dixerit Beneficiorum nundinatores, qui empti prædii reditum, seu quemlibet collocatæ pecuniæ proventum, à se vel pa- F rentibus suis hebdomadariæ Missarum celebrationi addictum, & Obitûs nomine titulóque Beneficii ornatum, cum vero Beneficio, verbi gratiâ Canonicatu, Ecclesiastica Dignitate, Parochiali Cura, vel simplici Prioratu permutant; Quod palliatæ Simoniæ genus est.

A Deo vocatus nemo dixerit, qui Beneficia cum aliis permutant, non ut Ecclesiæ necessitati, vel utilitati consulant, sed ut rem familiarem augeant, majúsve commodum consequantur.

A Deo vocatos nemo dixerit, qui adulterinas Resignationes & Permutationes causâ mortis supponunt; vel Resignationes per plores annos com detrimento Collatorum celant contra Legem Ecclesiæ, seu Regolam Cancellariæ Apostolicæ *De publicandis Resignationibus*: Aut Beneficiariorum mortem publicæ notitiæ subducunt, recondnis eorum cadaveribus, ut furtim in ipsorum Beneficia irrepant, aut Rescriptum de Resignatione in Romana Curia admissâ recipiant: Qoo pacto Regulis Cancellariæ Apostolicæ *De Infirmis Resignantibus, sive de viginti diebus, & de verisimili notitia*, fœdè illudunt. Gravius hac in specie Gallorum peccatum est, quia non Ecclesiastica tantùm, sed & Regia violare non dubitant Edicta. Jobet enim *Franciscus I.* Edicto dato anno 1539. Art. 54. domesticis defuncti Beneficiarii, sub pœna corpori infligenda, ut Ecclesiæ sineerè significent diem ac horam obitûs. In Laïcos verò qoi corpus celaverint, pœnam capitis decernit: In Clericos exclosinoem à quibuscumque Defuncti Beneficiis, prætet mulctam pecuniariam à Jodicibus infligendam.

A Deo vocatos nemo dixerit, Beneficiorum aucupes seu Devolotarios, qui pacificis per annom possessoribus iosidiantur, & ob commentitiam incapacitatem adversùs ipsos litem movent: Aot, si revera sint incapaces qui Beneficia illa possident, illos non ob Ecclesiæ amorem, Deíque gloriam, sed solius ambitionis, & avaritiæ impulsu, privatique commodi causâ in Jos vocaot, & è Beneficiorum possessione dejiciunt.

A Deo vocatos nemo dixerit eos qui Parochialem Ecclesiam seu Coratum Beneficiom postulant & suscipiunt cum proposito in illo non ministrandi: Idemque de Præbendis dicendum est.

Quicumque enim quinqoe illis modis proximè recensitis captant Ecclesiastica Beneficia, lethaliter peccant, Beneficiom absque vocatione, plerúmque & absque legitimo titulo suscipiont & retineot, fructus suos non faciunt, Beneficium sic impetratum inter manus Ordinarii Collatoris, sub æternæ damnationis periculo, ejurare tenentur.

REGULA VI.

Resignatio Beneficii in manus Collatoris fieri debet.

Beneficiorum resignationes.

SIc enim Renonciationem definit *S. Antoninus* II. P. Summæ, Tit. I. Cap. V. §. II. *Renunciatio est Juris proprii spontanea refutatio, qua fieri debet in manibus ejus à quo habetur institutio & confirmatio.*

Eadem Regula nititur auctoritate *Alexandri III.* Cap. *Admonet*; & *Innocentii III.* Cap. *Quod in dubiis*, Ext. *De Renunciatione.*

REGULA VII.

Beneficium Ecclesiasticum sine causa legitimâ & canonica resignari non potest, vel ejurari.

HAnc Regulam tradit *Innocentius III.* Cap. *Nisi cùm pridem*, Ext. *De Renuntiatione*; Causásqoe enumerat & explicat, ob quas hojusmodi Renuntiatio aot Resignatio fieri potest.

Causæ Canonicæ propter quas resignari possunt Beneficia.

Prima est, *Conscientia criminis, forsitan non cujuslibet, sed dumtaxat illius, propter quod ipsius officii executio, post peractam pœnitentiam impeditur.*

Secunda est, *Debilitas corporis, quæ vel ex infirmitate, vel ex senectute procedit: Nec tamen omnis, sed illa solummodo per quam impotens redditur* Beneficiarius *ad exequendum Officium.*

Tertia est, *Defectus scientiæ competentis, quæ circa spiritualium administrationem est potissimùm necessaria, & circa curam temporalium opportuna.*

Quarta est, *Malitia plebis: quando plebs adeo duræ cervicis existit, ut* Pastor *proficere nequeat apud ipsam. Non autem pro qualibet culpa Pastor debet gregem deserere, ne mercenario comparetur, qui videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: Sed de Superioris licentiâ, tunc demum potest non tam timidè fugere quàm providè declinare, cùm oves convertuntur in lupos; & qui debuerant humiliter obedire, jam irrevocabiliter contradicunt.*

Quinta est, *Grave scandalum, quod aliter sedari non potest.*

Sexta est, *Personæ Irregularitas, si fortè sit bigamus, vel viduæ maritus.*

Quas caosas boc Distichon complectitur:

Debilis, ignarus, male conscius, Irregularis:
Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit.

Subdit ibidem Innocentius III. *Si propter aliquam causam utilem & honestam in hujusmodi proposito perseveres, de licentiâ nostrâ cedas, alioquin cedendi licentiam Auctoritate Apostolica tibi sciat esse penitus interdictam.*

Hanc Regulam confirmat *S. Pius Quintus* Constitutione LVIII. qoæ incipit: *Quanta Ecclesia Dei*, cujus hæc suot verba: *Episcopi, & alii facultatem habentes, eorum dumtaxat Resignationes recipere & admittere possint, qui aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti vel vitiati, aut crimini obnoxii, Censuris Ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Ecclesiæ vel Beneficio inservire; sed qui unum aliud, vel plura Beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoveri; Religionem quoque ingressuri, vel matrimonium contracturi, si statim postea id re ipsa exequantur; denique si quis ex aliis casibus acciderit, qui Constitutione feliciæ recordationis Innocentii Papæ III. de dimittendis Cathedralibus Ecclesiis editâ continentur. Qui etiam ob capitales inimicias nequeunt vel non audent in loco Beneficii residere securi.*

Quamobrem gravitet peccant, qoi alias ob causas Beneficio Ecclesiastico renunciant, illúdve resignant, scilicet ad laborem declinandom, vitámque in otio traducendam; *Cùm otiositas & voluptas arma sint Hostis antiqui ad miseras animas captivandas*, (ut loquitur *Innocentius III.* Cap. supra citato) & *S. Martini* exemplum imitari Viros Ecclesiasticos deceat, qoi viribus corporis destitus dixit: *Domine, si adhuc Populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua*: Et exemplum Apostoli dicentis: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo: Manere autem in carne, necessarium propter vos.* *Philipp. 1. 24.*

REGULA VIII.

Resignatio in favorem, quâ Clericus Beneficio renunciat, ea lege ut illud certo cuipiam viro ab ipso Renunciante designato conferatur, Ecclesiastico Jure vetita est & illicita: Et à solo Pontifice Romano admitti potest: Alioquin nullius est roboris, & Simoniæ pœnis obnoxios facit Resignantem, & Collatorem.

Resignationes in favorem cur antiquis Canonibus prohibitæ?

IN *Beneficiis* enim *Ecclesiasticis, ea quæ hereditariæ successionis imaginem referunt, sacris Constitutionibus sunt odiosa, & Patrum Decretis con-*

traria ; (ut loquitur Concilium Tridentinum Sessione xxv. Cap. vii.) Quod autem Canones omnem in Beneficiis hereditariæ successioni spem adimant, ac damnent, evidens est ex Canone *Plerique*, Causa viii. Quæst. i. qui est Synodi Romanæ sub *Hilario* Papa Canon quintus : *Plerique Sacerdotes (inquit) in mortis confinio constituti, in locum suum feruntur alios designatis nominibus subrogare : Ut scilicet non legitima exspectetur electio, sed defuncti gratificatio pro populi habeatur assensu. Quod quàm grave sit, æstimate. Atque ideo, si placet, etiam hanc licentiam generaliter de Ecclesiis auferamus : Ne, quod turpe dictu est, homini putet quisquam deberi, quod Dei est : Ab universis acclamatum est : Hac præsumptio nunquam fiat : Quæ Dei sunt, ab homine dari non possunt.* Item ex Canone, *Apostolica*, qui est Concilii Lateranensis sub *Innocentio II.* decimus-sextus, & refertur Causa & Quæstione eisdem. Item ex Cap. *Ex transmissa*, quod Alexandri III. Responsum est, Ext. *De filiis Presbyterorum.* Et ex Cap. *Quia Clerici*, Ext. *De Jure Patronatus.*

Alia præterea ratio fuit, cur Resignationes in favorem antiqui Canones prohibuerint, quia *In spiritualibus omnis pactio vel conventio cessare debet, juxta Canonicas sanctiones*, (ut respondet *Innocentius III.* Cap. *Tua nos*, Ext. *De Simonia*) Resignatio autem in favorem, fit cum pacto quodam ut Beneficium illi conferatur, quem nominat Resignans, qui Beneficium suum non erat aliàs resignaturus. Hæc autem pactio, cùm ex naturâ suâ simoniaca non sit, modò temporalis alicujus commodi intuitu non fiat, quod in personam vel familiam Resignantis ex ipsa Resignatione, & collatione ei factâ, cujus in favorem est, redundet ; sed bona Ecclesiæ utilitas, & merita Resignatarii spectentur : consequens est illam non esse malam, nisi quia Canonibus prohibita est : Unde cùm Summus Pontifex de Canonibus dispensandi summam potestatem habeat, Resignationis in favorem approbatio illi uni reservata est, cùm tamen Collatores Ordinarii puras & simplices Resignationes admittere & approbare possint.

Accedit & tertia ratio, cur Resignationes in favorem veteribus Ecclesiæ Sanctionibus improbatæ fuerint, quia nimirum Collatorum Ordinariorum libertatem coarctant & oppugnant. Hanc ob causam Regum Christianissimorum ad Tridentinam Synodum Oratores in Mandatis habuere, ut Resignationum in favorem abrogationem postularent, ac diligenter urgerent. Id tamen obtinere non potuerunt. Potestas enim ipsas approbandi penes Summum Pontificem remansit : Episcopis autem, aliisque Collatoribus est adempta.

Solus Rom. Pontifex eas admittere potest.

Id confirmat Constitutio lviii. *S. Pii Quinti*, quæ incipit, *Quanta Ecclesia Dei*, cujus hæc sunt verba : *Caveant autem Episcopi, & alii prædicti, itémque omnes Electores, Præsentatores, & Patroni, tam Ecclesiastici, quàm Laici, quicumque sint, ne verbo quidem, aut nutu, vel signo futuri in hujusmodi Beneficiis & Officiis Successores, ab ipsis Resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat.*

REGULA IX.

Qui Beneficium resignant in manus Ordinarii Collatoris, cum pacto expresso vel tacito ut illud conferat certæ cuidam personæ ab ipsis Resignantibus designatæ, aut ab aliis, eorum significatione vel hortatu, rei sunt peccati mortalis, & in pœnas contra Simoniacos latas incurrunt.

Resignationes Simoniacæ.

HÆc Regula sequitur ex præcedenti, & iisdem argumentis nititur : Eamque confirmat *S. Raymundus* Lib. i. *Summæ*, Titulo i. *De Simonia*, § xxiii. *Quid* (inquit) *de quadam consuetudine, quæ in plerisque Ecclesiis inolevit, videlicet dum debent fieri multi Canonici, dicunt majores præcipuè ad invicem : Canonizemus Nepotulos nostros, fortè adhuc in cunabulis, vel quasi vagientes : Placeat tibi de meo, & mihi placebit de tuo : Sic paciscuntur per hæc verba, vel æquipollentia. Alius modus est etiam. Dicit aliquis : Consuetudo est, quod sicut fuisti exaudiens in una petitione, ego debeo exaudiri in aliâ. Item alius dicit : Numquam me vivente fiet aliquis Canonicus in Ecclesia ista, nisi ille pro quo rogavi, prius fiat Canonicus, vel admittat cum aliis. Numquid in talibus & similibus committitur Simonia ? Respondeo : In primo & ultimo casu committitur Simonia ; quia dicit Canon : ABSIT omnis pactio, cesset omnis conventio*, i. Quæst. ii. *QUAM PIO.* Licet tamen Resignanti rogare Collatorem, ut Beneficium, cui purè & simpliciter renunciat, alteri conferat, si ille sit idoneus : Quamquam non teneatur Ordinarius illi conferre pro quo rogatum est. (Cap. *Tua nos*, Ext. *De Simonia.*) Idemque docet S. Raymundus : *Si preces sunt spirituales*, (inquit) *non est Simonia.... Si sint carnales, vel ex pacto quodam facto, vel nunc faciendo, Simonia est.*

REGULA X.

Resignatio in favorem, in manus Summi Pontificis facta, ab Eoque approbata, Resignantem à Simonia immunem non præstat, si ea intentione eóque intuitu suum Beneficium alicui resignet, ut commodum aliquod temporale sibi aut familiæ suæ inde proveniat, non autem ob Ecclesiæ utilitatem, & merita personæ, cujus in favorem fit Resignatio.

Resignatio in favorem simoniaca est, nisi mere gratuita, & ob Ecclesiæ utilitatem ac merita personæ facta.

TUnc enim Renunciatio gratuita non est, sed contractum quemdam involvit ex parte Renunciantis, quem Jurisperiti his verbis exprimunt, *Facio ut des* : Adeóque Jure divino est prohibita, utpote per se & ex naturâ suâ Simoniaca. Quod ex meo sensu non assero, sed ex sententia *S. Thomæ* in iv. *Sententiarum*, Dist. xxv. Quæstione iii. Articulo iii. ad septimum : *Ille* (inquit) *qui dat ratione consanguinitatis Præbendam alicui principaliter, aut intendit temporale bonum illius cui datur, & non alterius ; & sic peccat graviter, sed Simoniam non committit, qui non vendit ; cùm nihil accipiat : Aut intendit aliquod bonum in se ipsum redundans, sic quod magnificetur per hoc & nobilitetur domus sua ; vel quod ipse in consanguineis sit fortior : Et sic ipse aliquid accipere sperat, pro quo spiritualia dat, & Simoniam committit ; & reducitur ad id munus, in quo continetur commodum quod ex tali datione sperat.* Pactio autem quæ naturâ suâ Simoniaca est, Romani Pontificis auctoritate non potest à labe Simoniæ purgari. Falsum namque est quod à quibusdam decantatur, *Simoniam coram Summo Pontifice non*

committi. Si enim quamcumque Simoniæ labem purgare posset, numquam ipse Simoniacus esse posset. At id asserentium *Opinio erronea est* (judice *S. Thoma* ibidem, ad secundum:) *Si enim Papa pro aliquo spirituali munus acciperet, Simoniam committeret, sicut & alius homo: quia sub Petro, cui Papa succedit, Simonia vitium damnationem incheavit in Novo Testamento. Et quamvis res Ecclesiæ sint aliquo modo Papæ, non sunt tamen ejus omnibus modis habendi, sicut illud quod ad manum habet. Non est autem dubium quòd Simoniam committeret, si quis aliquod spirituale debitori suo daret, ut quod suum est recuperaret: Et ita etiam in proposito Papa à Simonia non excusaretur, si (quod absit) spiritualia pro temporalibus rebus Ecclesiarum daret.*

REGULA XI.

Resignationes cum expressâ vel tacitâ conditione Regressûs in eadem Beneficia, illicitæ sunt: Et ita Resignantes rei sunt peccati mortalis; nec ad illa Beneficia redire possunt absque novâ Collatione, aut ea tutâ conscientiâ retinere, eorúmque fructus facere suos.

Hæc Regula nititur Decreto Concilii Tridentini Sessione xxv. Cap. vii. *De Reformatione*, cujus hæc sunt verba: *Cùm in Beneficiis Ecclesiasticis ea, quæ hereditariæ successionis imaginem referunt, sacris Constitutionibus sint odiosa, & Patrum Decretis contraria; nemini inposterum accessus aut regressus, etiam de consensu, ad Beneficium Ecclesiasticum cujuscumque qualitatis concedatur. Nec hactenus concessi suspendantur, extendantur, aut transferantur. Hócque Decretum in quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis, ac in quibuscumque Personis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, locum habeat.*

Resignationes cum regressûs conditione illicitæ.

Eamdem Regulam confirmat Constitutio *Pii V.* cxxxiv. quæ incipit, *Romani Pontificis*, cujus hæc sunt verba: *Volentes omnem hereditariam Beneficiorum Ecclesiasticorum successionem de Ecclesia Dei tollere, ac libertati Beneficiorum hujusmodi providere, & ut de persona magis utili & idonea, prout requiritur, faciliùs provideri valeat: Omnes & singulos regressus, accessus, & ingressus, etiam eventuales, aut pœnales, aut Coadjutorias etiam de consensu, aut alias quomodolibet, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis efficacissimis, etiam motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine, Clausulis irritantibus, & aliis Decretis quomodolibet per quosvis Romanos Pontifices Prædecessores nostros ad Beneficia Ecclesiastica, cum Cura & sine Cura, sæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia.... quibusvis Personis cujuscumque statûs, gradûs, Ordinis, & conditionis existentibus, etiam Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali dignitate, aut Cardinalatus honore pollentibus concessa.... Motu proprio, & ex certâ nostrâ scientiâ, ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium revocamus, cassamus, & abolemus.*

Tutâ tamen conscientiâ potest aliquis ad resignatum Beneficium regredi, si Resignatarius sponte & ultro illud ipsi offerat, & Episcopus hujusmodi regressum, ob majorem Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem judicio suo approbet: Hæc enim nova Collatio & Provisio censetur. Imò Gallicanæ Ecclesiæ Jurisprudentia & consuetudo, ei qui infirmitate gravi & mortis periculo constitutus, coram Ordinario resignaverit, permittit Regressum recuperatâ valetudine, aut cessante periculo, ut declaratur Edicto *Ludovici XIII.* Regis Christianissimi dato anno M. DC. XXXVIII. Articulo xx. Est etiam Regressui locus, si contingat unum ex compermutatis Beneficiis evinci: Certum enim pro incerto & caduco Beneficio permutare nemo velit; quamobrem Jus ipsi succurrit hac in specie, *Cap. Si Beneficia* 20. *De Præbendis, in Sexto.*

Gallicanæ Ecclesiæ jurisprudentia.

REGULA XII.

Qualibet Resignatio dolo, fraude, vi aut metu facta, illicita, & irrita judicanda est: Nec Beneficium ita sibi collatum tutâ conscientiâ retinere potest Resignatarius, aut illius fructus suos facere.

Hæc Regula colligitur ex Cap. *Super hoc*, quod *Clementis III.* Responsum est, Ext. *De Renuntiatione*, cujus hæc sunt verba: *Supervacuum esse non credimus, causam Resignationis diligenter inquiri: Quam si fortè probabilem, id est, non vi, nec metu, nec oppressione, nec interventu pecuniæ, nec promissione extortam Judex invenerit... admittere non postponat. Porrò licet negantis factum, per rerum naturam nulla sit probatio, ejus tamen qui spontaneam Renunciationem negat, probationes credimus admittendas.*

Quæ resignationes irritæ?

Eadem Regula confirmatur ex Cap. *Abbas*, quod est *Alexandri III.* & Cap. *Ad audientiam*, quod est *Innocentii III.* Responsum, Ext. *De iis quæ vi, metúsve causâ fiunt*; cujus hæc sunt verba: *Quia verò quæ vi, metúsve causâ fiunt, carere debent robore firmitatis: Mandamus, quatenus si eumdem ad Resignationem constiterit vobis per talem metum fuisse coactum, qui potuerit & debuerit cadere in virum constantem, non obstante juramento prædicto, quo non ad non repetendum, sed ad resignandum solummodo tenebatur, præfatam Ecclesiam ei restitui faciatis.* Unde si committatur alicui Resignationis receptio à Romano Pontifice, in Litteris adscribi solet hæc clausula: *Attentè quoque provideas, quod in Resignatione prædicta dolus, vis, metus, aut aliqua simoniaca labes non intervenerit*; (ut patet ex Regula Romanæ Cancellariæ xl.)

Idem rursus confirmatur ex Canone, *Si quandoque*, Causa xv. Quæst. vi. cujus hæc sunt verba: *Si quandoque à Sacerdotibus, & Auctoribus Ecclesiæ, quædam scriptura quoquomodo per metum, aut fraudem, aut per vim extorta fuerint.... ad nullum eis præjudicium vel nocumentum valere censemus.* Resignationes itaque dolo, vi, aut metu factæ, judicandæ sunt irritæ. Quamobrem ei qui in gravi infirmitate, aut mortis periculo quocumque constitutus resignavit, si Beneficium repetat, ipsúmque Resignationis pœniteat, tenetur Resignatarius Beneficium restituere, coram Ordinario resignatum: Cùm enim ægritudo periculosa valde minuat hominis libertatem, & adigat ad ea quæ numquam in animum induceret, ob idque votum Religionis, pavore mortis Deo nuncupatum remittatur, Cap. *Literaturam*, Ext. *De Voto*: Liberè omnino non resignare præsumitur, qui numquam resignasset, si ex illa infirmitate, seu mortis periculo se sospitem evasurum certò præscivisset. Ut enim respondet *Clemens III.* Cap. *Super hoc*, Ext. De Renuntiatione, *Nulla ratio hoc verisimile reddit, ut quisquam Beneficium multis fortè expensis & laboribus quæsitum, quo sustentari debet, facilè, sine magnâ causâ, suâ sponte resignet.*

REGULA XIII.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

REGULA XIII.

Qui Beneficium suum in favorem alterius resignavit, illud tutâ conscientiâ retinere non potest, nec fructus suos facere: Unde in statu peccati mortalis est si Provisiones Romanæ Curiæ, seu Literas Resignationem approbantes apud se retineat, etiam consentiente Resignatario; aut ab eo promissionem extorqueat, de possessione Beneficii non captanda, nisi post obitum ipsius Resignantis, aut certè morte ipsius imminente.

Beneficium resignatum tutâ conscientiâ retineri à resignante non potest, admissâ resignatione.

Fiducia enim hujusmodi in Resignationibus, teterrimum simoniæ genus est, ac Resignantem simul & Resignatarium, Excommunicationi Summo Pontifici reservatæ, aliisque Simoniacorum pœnis obnoxios facit. Præterea, eum qui Beneficio suo renunciavit, non posse illud retinere, aut repetere, absque nova Institutione Canonica, sive Collatione, confirmat *Alexander III.* Cap. *Ex transmissa*, Ext. *De Renunciatione.*

Regula Cancellariæ Rom. de publicandis Resignationibus.

Denique Regula Cancellariæ Apostolicæ, *De publicandis Resignationibus*, quæ in hoc Regno recepta est; statuit: *Ut quæcumque Beneficia Ecclesiastica, sive in Romana Curia, sive extra eam resignata, nisi de illis factæ Resignationes, si in eadem Curia, intra sex menses à data Supplicationis, & non à die præstiti consensus computandos: Si verò extra dictam Curiam factæ sint, intra mensem, ex tunc, ubi dicta Beneficia consistunt, publicatæ fuerint: Vel possessio illorum ab eis, quos id contingit, petita extiterit: Si Resignantes ista postmodum in eorumdem resignatorum Beneficiorum possessione decesserint, non per Resignationem, sed per Obitum hujusmodi vacare censeantur: Collationes quoque & quævis alia dispositiones de illis tamquam per Resignationem vacantibus factæ, & inde secuta, nullius sint roboris vel momenti.* In Gallia tamen tempus sex mensium, aut unius mensis, hâc Regula præstitutum, computatur à die admissæ Resignationis, & non à die præstiti à Resignante consensûs. Quæ autem ante diem mortis ejus qui resignavit, non est facta publicatio, nostris Moribus invalida est.

Gallicana jurisprudentia.

Favet *Rebuffus* vir Juris consultissimus in *Praxi Beneficiarum*, hanc Regulam Cancellariæ explicans. *Resignans* (inquit) *qui post Resignationem, quam scit expeditam, remanet in detentione Beneficii, & capit fructus, non est in conscientia tutus: Nec ille in cujus favorem resignavit, si permittat: Quia Resignans per Resignationem amisit Jus percipiendi fructus, cùm amiserit Beneficium, & possessionem illius*, C. Post translationem, §. Rursus. De Renuntiatione. C. Inter. De Præbendis. *Et sic est malæ fidei possessor, qui fructus non facit suos.* L. Bonæ fidei. ff. De acquir. Rerum domin. Gloss. in Cap. Gravis De Restit. spoliator. *Is etiam cui fuit resignatum, peccat, permittendo Resignantem uti Beneficio, cùm non sit Pastor: Et verus Pastor dimittit oves mercenario, qui non servit ut verus Pastor, vel prout teneretur: Publicique interest enim, qui Jus habet in Beneficio, possidere illud: Et ille qui non habet Jus, illud non teneat: Tum propter hospitalitatem, quam exerceret verus Curatus, ut tenetur, non verò mercenarius*, cap. *De Monachis*, Ext. de Præbendis: *Tum ut oves Pastorem suum agnoscant, ut est in Evangelio.* Si autem elapso triennio Resignatarius possessionem non inivetit, idem Beneficium ipsi ab eodem resignari legitimè ac validè non potest, & Provisiones in Romana Curia obtentæ censerentur subreptitiæ, nisi Summo Pontifici fuisset expositus prioris Resignationis, & retentionis Provisionum per triennium casus.

REGULA XIV.

Simoniæ reus est, qui Beneficium suum resignat alteri cum pactione expressâ vel tacitâ, ut ille vicissim suo renunciet in favorem nepotis, seu consanguinei ipsius Resignantis.

Quæ resignationes Simoniacæ?

Ibi enim intervenit contractus, *Do ut des.* Id confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione centesima, Articulo v. ad secundum scribens: *Si aliquis det Beneficium Ecclesiast cum alicui, hoc pacto vel intentione, ut exinde suis consanguineis provideat, est manifesta simonia.* Quamobrem simoniæ rei sunt Canonici, qui paciscuntur invicem de promovendis ad Canonicatum cognatis & proximis suis; aut mutuam à se in hoc genere officii gratiam exigunt, interposito etiam juramento.

REGULA XV.

Resignatio Beneficiorum Permutationis gratiâ, illicita & simoniaca est, si ex pacto fiat & conventione inter partes, Episcopi arbitrio & judicio non permissâ; aut commodi alicujus temporalis intuitu.

Resignationes permutationis gratiâ.

Ita respondet *Urbanus III.* Cap. *Quæsitum*, Ext. *De Rerum Permutatione*, cujus hæc sunt verba: *Generaliter itaque teneas quod commutationes Præbendarum de jure fieri non possunt: Præsertim pactione præmissâ, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ. Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licitè potest de uno loco ad alium transferre personas: Ut quæ uni loco minùs sunt utiles, alibi se valeant utiliùs exercere.* Id confirmat *Innocentius III.* Cap. *Cum olim*, sub eodem Titulo, quo duos Clericos, qui Archidiaconatum & Præposituram propriâ auctoritate compermutaverant, illis Dignitatibus spoliavit. Idem constat ex Cap. *Majoribus*, Ext. *De Præbendis & Dignitatibus*, quod Turonensis Concilii nomine inscribitur. Et ex Cap. *Pactiones*, Ext. *De Pactis*; quod est *Gregorii IX.* Responsum: *Pactiones* (inquit) *factæ à vobis pro quibusdam spiritualibus obtinendis: cùm in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti.*

Idem confirmat Glossa Clementinæ, *Ne concessione*, Tit. *De Rerum Permutatione*, his verbis: *Tractatus de permutandis Beneficiis est permissus, dummodo non fiat pactia arrestata inter partes, sed totum ponatur in arbitrio Superioris.* Non potest tamen Superior Beneficia causâ permutationis resignata aliis conferre quàm permutare volentibus: Alioquin Collationem irritam fore *Clemens V.* declarat, *Ne concessione Juris utentibus, præsertim circa spiritualia, illudatur.*

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum* Dist. XXV. Quæstione III. Articulo III. ad octavum: *In permutatione* (inquit) *est simonia, si pro aliquo terreno commodo utrinsque vel alterius, talis commutatio fiat: Si autem pro aliquo spirituali, utpote quia hic in illo loco meliùs possit Deo servire, non est simonia: Unde tunc potest fieri commutatio auctoritate Episcopi Diœcesani.* Et Secunda Secundæ, quæstione centesima Articulo I. ad quintum: *Nomine* (inquit) *emp-*

tionis & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus. Unde nec Permutatio Prabendarum, vel Ecclesiasticorum Beneficiorum fieri potest autoritate partium, absque periculo simoniæ, sicut nec transactio, ut Jura determinant. Potest tamen Prælatus ex officio suo Permutationes hujusmodi facere pro causa utili & necessaria.

Episcoporum vigilantia in Resignationibus examinandis & admittendis.

Episcopi autem est invigilare, 1. Ne simonia, fraus, aut aliud vitium, seu canonicum impedimentum in Permutationibus intercedat: 2. Ut, si Beneficia permutanda in diversis Diœcesibus sita sint, utriusque Episcopi interveniat auctoritas: 3. Ut illis ad quos spectat Electio vel Præsentatio ad hæc Beneficia, Resignatio causâ Permutationis significetur, eorùmque postuletur consensus: Qui, si Patroni Laici fuerint, ita necessarius est hoc in Regno, ut absque eo irrita foret Permutatio. 4. Ut Permutatio fiat rerum ejusdem generis, spiritualium scilicet cum spiritualibus, juris in re cum jure in re, & non cum jure ad rem: Nominationem enim ad Beneficium, seu jus ex Indulto, Gradibus, Apostolicóve Mandato, quæ solam spem obtinendi Beneficii, non autem jus proximum tribuunt, cum Beneficio jure quæsito, & cujus Provisiones præ manibus habentur, permutare non licet. Quod autem Permutatio spiritualium cum temporalibus jure improbetur ac damnetur, declarat *Gregorius IX.* Cap. *Exhibita*, Ext. *De Rerum Permutatione.* Quamobrem nec jus decimarum pro re temporali permutari potest. *Ex hac Decretali* (inquit Glossa) *solvitur Quæstio, quæ multùm occurrit de facto: Quandoque aliqui volunt certas possessiones tradere quoad proprietatem, vel usumfructum Ecclesiis, quibus tenentur solvere decimas possessionum suarum, ut sic aliæ possessiones liberæ remaneant ab exactione decimarum: Patet quod hoc fieri non potest: Et hoc idem habuimus in antiqua Compilatione*, Tit. *De Decimis*, Cap. Intellleximus, *quod non debuit removeri.* Cap. *Intelleximus*, est *Alexandri III.* Responsum, & habetur in antiqua Collectione 1. Decretalium, edita ab *Antonio Augustino.*

Quæ permutationes suspectæ.

In fraudis autem ac doli suspicionem meritò veniunt Permutationes Beneficiorum factæ in periculo mortis, aut in decrepita senectute; maximè si fiant cum consanguineo aut familiari. Item, si citra Beneficiorum inæqualitatem Pensio reservetur; uterque Compermutans sibi Pensionem reservet, aut si de Pensione in gratiam tertiæ personæ partes conveniant; Aut si Pensio super alio quàm compermutato Beneficio constituatur: Item si sit magna Beneficiorum, sine ulla compensatione, inæqualitas. Sed manifesta fraus est, si Permutatio fiat cum ficto Beneficio; aut pro Beneficio quod resignatur, aliud indefinitè Beneficium similis ac paris proventûs titulo Permutationis promittatur, aut Beneficium cujus nondum Provisiones habet compermutantium alter, ut constat ex Cap. *Quæsitum*, & Cap. *Universorum*, Ext. *De Rerum Permutatione.*

Simoniam quod spectat in Permutationibus contingentem, de illâ sermo erit Capite sequenti, in quo de Simonia agemus.

REGULA XVI.

Pensiones super Beneficiis resignatis constitui non possunt, nisi Romani Pontificis Auctoritate, & ex causa canonicâ. Qui verò Beneficiarias Pensiones aliter sibi reservant, aut sine causa canonica impetratas percipiunt, lethaliter peccant, & ad Restitutionem tenentur.

Pensionum super Beneficiis resignatis creatio.

QUod sine Summi Pontificis Auctoritate constitui non possint Beneficiariæ Pensiones, probat Caput *Ut nostrum*, quod *Innocentii III.* Responsum est, Ext. *Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.* Cùm ergo Pensio sit delibatio quædam Beneficii, & onus illi impositum; & Summo Pontifici concredita sit Canonum dispensatio, necessarius est ad constituendam super Ecclesiasticis Beneficiis Pensionem Summi Pontificis consensus. Deinde cùm Pactiones omnes circa Beneficia Canonibus vetitæ sint, requiritur ad purgandam Simoniæ suspicionem, ut illæ etiam quæ naturâ suâ & per se vitiosæ non sunt ac simoniacæ, Romani Pontificis Auctoritate ac Judicio approbentur. Nec Gallicana Jurisprudentia Pensiones super Beneficiis ratas habet, præter illas, quæ à Summo Pontifice constitutæ sunt. Tres dumtaxat casus excipiuntur. Primus est, cùm Beneficiario ob ægritudinem vel impotentiam, sive Censuram Ecclesiasticam, de Vicario providendum est, qui functiones ejus suppleat. Tunc enim Episcopus congruam redituum portionem ex Beneficio delibare potest ad sustentationem Vicarii, ut statuit Concilium Tridentinum Sessione XXI. Cap. VI. *De Reformatione*; idemque colligitur ex Sessione XXV. Cap. XIV. Secundus casus est, Seminarii fundatio, ad quam si necessarii aliunde sumptus non supetant, Episcopus ex Beneficiis suæ Diœcesis, suæque Collationis, certas contributiones seu pensiones annuas delibare ac reservare potest ad pium istud opus, ut sancitum est in Concilio Tridentino Sessione XXIII. *De Reformatione*, Cap. XVIII. & Regiis Constitutionibus confirmatum. Tertius casus est, bonum pacis inter Clericos de eodem Beneficio contendentes firmandæ, cùm Jus illorum obscurum est. Si enim coram Episcopo litigent, potest ille tamquam Judex vel Arbiter, Beneficium uni, pensionem alteri, pro bono pacis adjudicare: ut colligitur ex Cap. *De cætero*, Ext. *De Transactionibus*: Quæ tamen compositio toleratur potiùs, quàm laudetur ab *Innocentio III.* Cap. *Nisi essent*, Ext. *De Præbendis.*

Quæ Pensiones Canonicæ.

II. Pensio autem Canonica non est, nisi ob causas in Jure approbatas constituatur. Tres porrò assignari solent: Prima est, favor Resignationis, ne Resignans grave dispendium patiatur ejurato Beneficio, unde alimenta percipiebat vitæ fovendæ necessaria. Secunda est, æqualitatis ratio in Beneficiorum Permutatione: Quando enim locupletius Beneficium cum tenui & exiguo permutandum est, inæqualitas redituum adæquari potest constitutâ Pensione, ut colligitur ex Cap. *Ad quæstiones*, Ext. *De Rerum Permutatione.* Tertia causa est, quam jam innuimus, finiendæ litis occasio.

III. Atque ut Pensio his de causis constituta justè percipiatur, necesse est imprimis, ut Clericus cui est assignata, hoc egeat subsidio ad inopiam sublevendam, & ad vitam, honestati Status Clericalis congruentem, sustentandam. Solius enim eleemosynæ sive subventionis no-

fuine, ad necessaria vitæ subsidia, Pensiones antiquitus assignatas legimus Ecclesiasticis Viris. Quod ex Actis Chalcedonensis Concilii facilè probari potest, Actione x. xii. & xiv. & ex Concilio delectorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum sub *Paulo III.* ejusdem Pontificis jussu conscripto, anno MDXXXVII. Romæ anno sequenti typis edito, confirmatur. *Alius* (inquiunt) *abusus, cùm Beneficia conferuntur, seu cum ceduntur aliis, irrepsit in constituendis super eorum fructibus Pensionibus. Imò quandoque cedens Beneficio, omnes sibi fructus reservat. Qua in re illud est animadvertendum, nullâ aliâ de causâ, nullóque alio Jure Pensiones constitui posse, nisi ut quasdam eleemosynas, quæ in pios usus, & indigentibus concedi debent. Nam reditus sunt annexi Beneficio ut corpus anima: Ideo suâ naturâ pertinent ad eum, qui Beneficium habet, ut possit ex eis vivere honestè pro suo ordine, simúlque queat sustinere impensas pro divino cultu, & Templi, Sacrarúmque Ædium reparatione, ut quod reliquum est, impendat in pios usus. Hæc est enim natura eorum redituum. Verùm sicuti in rerum naturæ administratione, nonnulla fiunt à natura particulari præter inclinationem universalis naturæ: Sic in Pontifice, quoniam est universalis dispensator bonorum Ecclesiæ, si viderit eam fructuum portionem, quæ in pios usus expendi debet, aut ejus partem, in pium quempiam alium usum ut expendatur, magis expedire, potest procul dubio id facere. Ideo jure merito Pensionem ponere potest, ut subveniat egeno, præsertim Clerico, ut honestè queat vitam ducere pro ejusdem ordine. Ideo omnes fructus reservari, adimique id omne quod divino cultui, sustentationique habentis Beneficium tribui debet, magnus est abusus. Itémque Pensiones dari Clericis divitibus, qui commodè & honestè vivere queunt ex reditibus quos habent, magnus certè abusus, tollendus uterque.* Unde qui Beneficium Curatum, aut Præbendam suscipiunt, cum proposito illa non servandi, nec in iis Ecclesiæ inserviendi, sed captandæ tantùm ex eorum Resignatione Pensionis, graviter peccant, nec Pensionem hujusmodi tutâ conscientiâ percipere possunt.

Secundò, Pensio excedere non debet tertiam partem fructuum: quod Constitutione Caroli VI. Regis Christianissimi statutum est, Canonibus congruenter. Verùm si Resignationis aut Permutationis causâ Pensionis modus productus sit ultra metas, ad fructum verbi gratiâ medietatem, quod Romana Curia interdum approbat, reduci non solet, etiam conquerente Resignatario: Odiosum quippe judicatur, ut qui consensum præstitit certæ Pensionis annuæ super Beneficio creationi, ejúsque solvendæ sponte subiit onus, & hac lege fruitur resignato sibi Beneficio, mox adversùs pactum, & approbatam in Romana Curia stipulationem, Benefactorem suum eludere, & frustrare promissis non erubescat. Idque Juri consentaneum est: *Cùm illusio & variatio in Personis Ecclesiasticis maximè sint vitanda*; (ut ait Clementina unica *De Renuntiatione.*)

Tertiò requiritur, ut ex soluta Pensione, & persolutis Beneficii oneribus Resignatario supersit Congrua Portio trecentarum libellarum, præter oblationes, & quotidianas obventiones, & quæcunque interiorum Ecclesiæ fructuum & redituum nomine veniunt.

Quartò, necesse est ut ille cui Pensio assignata est, per plures annos Beneficii illius munia obiverit, vel in iis obeundis infirmitatem contraxerit, ex qua factus sit impotens ad hujusmodi functiones deinceps exercendas. Edicto autem *Ludovici Magni* Regis Christianissimi anno MDCLXX. mense Octobri dato, cautum est, ne quis Pensionem ex Præbendis Ecclesiarum Cathedralium, aut etiam Collegiatarum, vel Parochialium Curarum Beneficiis percipiat, nisi hujusmodi Beneficiorum sacras functiones solido quindecim annorum spatio exercuerit, officiaque impleverit. Quicunque Beneficiarias Pensiones, his conditionibus minimè concurrentibus percipiunt, furti sacrilegi rei sunt, & ad restitutionem tenentur; quamvis Pensio sit approbata ab Apostolica Sede, cui fœdè obrepserunt. His bellè convenit quod scribebat *S. Bernardus* ad *Adam* Monachum Epistola VII. *Remorsas ac remordentes conscientias Apostolicâ conati estis delinire licentiâ. O frivolum satis remedium, quod non est aliud nisi more Protoplastorum cauteriatis conscientiis texere perizomata, non ad medicamentum, sed ad velamentum!* Ibidem: *Apostolicam* (inquiunt) *licentiam quæsivimus, & impetravimus. Utinam licentiam non quæsissetis, sed consilium! Id est, non ut liceret, sed an liceret. Unde tamen quærebatis licentiam? Ut liceret, quod non licebat facere: Itaque volebatis quod non licebat: Sed quod non licebat, malum erat. Mala erat igitur intentio, quæ in malum tendebat.*

REGULA XVII.

Nec postulare licet, nec promittere Beneficium antè obitum possessoris. Qui secus fecerint, gravis peccati rei sunt.

HAnc Regulam tradit Concilium Oecumenicum Lateranense III. sub *Alexandro III.* Canone VIII. & refertur cap. *Nulla* Ext. *De concessione Præbendæ*, cujus hæc sunt verba: *Nulla Ecclesiastica Ministeria, seu etiam Beneficia, vel Ecclesiæ tribuantur alicui, seu promittantur, antequam vacent: Ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & Beneficium se crediderit successurum. Cùm enim in ipsis etiam Legibus Gentilium inveniatur inhibitum, turpe est, & divini plenum animadversione Judicii, si locum in Ecclesia Dei futuræ successionis exspectatio habeat, quam ipsi etiam Gentiles condemnare curarunt.*

REGULA XVIII.

Absque Institutione Diœcesani Episcopi Beneficium ordinariè obtineri tutâ conscientiâ non potest.

UT enim habet Regula I. Juris, in Sexto: *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine Institutione Canonica obtineri.* Et cap. *Quod autem*, Ext. *De Jure Patronatus*, quod est *Alexandri III.* Responsum, dicitur: *Antequam Præsentatio per Diœcesanum Episcopum approbetur, ratum non est quod à Patrono fuerat inchoatum. De cætero sua Prudentia respondemus, quòd si Laici Clericis vel Collegiis, de concessionibus vel donationibus Instrumenta confecerint in hæc verba, vel similia: Concessi, vel dedi Ecclesiam, & præsenti charta firmavi: Si consensus Episcopi non accesserit, nihil agi videtur: Quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de Jure donare.* Et cap. *Cùm Laici*, sub eodem Titulo: *Cùm Laici Episcopis nescientibus, aut non consentientibus Ecclesias Clericis concedunt, in quibus habent Jus Patronatus, & postea pœnitentiâ ducti alios ad easdem Episcopis repræsentant, & illi ad eorum præsentationem in eisdem Ecclesiis ab Episcopis instituuntur: Eorum debet Institutio stare, qui An-*

Quæ institutio Canonica in Beneficiis?

Diœcesani Episcopi in illis conferendis Auctoritas.

ctoritate sunt Episcopi instituti: Concessione priori qua nulla est, omnino evacuatâ. Non enim licet Laïcis Clericos in Ecclesiis præsumptione propriâ ordinare. Idem confirmatur ex cap. *Ex frequentibus*, Ext. *De Institutionibus*, quod est *Alexandri III.* Responsum: *Didicimus* (inquit) *in partibus vestris consuetudinem pravam à multis retroactis temporibus invaluisse, quod Clerici Ecclesiastica Beneficia sine consensu Episcopi Diœcesis, vel Officialium suorum* (*qui hoc de Jure possunt*) *recipiunt: minùs quàm deceat cogitantes, quomodo id à Sanctorum Patrum est institutionibus alienum, & Ecclesiasticæ contrarium honestati. Unde cùm tu, Frater Archiepiscope, ex Officio tibi commisso, tam iniquam consuetudinem de Provincia tua velis* (*sicut debes*) *radicitus extirpare, tam in illos qui Ecclesiastica Beneficia taliter occupata scienter detinent, quàm in eos qui de cætero occupare præsumpserint, Excommunicationis Sententiam protulisti. Nos itaque eandem Sententiam ratam habentes, & eam Auctoritate Apostolica confirmantes, mandamus quatenus Clericos ipsos, qui ipsam sententiam incurrerint, nisi congruè satisfecerint, absolvere minimè præsumatis.*

Provisiones Rom. Pont. in formâ dignum.

Quam ob rem Romanus Pontifex Provisiones Beneficii non concedit, nisi *In formâ dignum*, id est, ea lege ut Clericus cui de Beneficio provisum est, coram Episcopo se sistat, ab eoque examinetur de probitate, doctrina, & aliis dotibus, ad hujusmodi Beneficium possidendum, ejusque functiones dignè obeundas necessariis; atque approbationem & institutionem ab eo obtineat, quæ vulgò *Visa* dicitur. Quod si ab Episcopo repulsam passus fuerit, id justè ab illo factum credendum est, & in ejus acquiescendum judicio; nisi fortè manifesta esset injustitia; non ipsius Candidati, quem fortè cupiditas & ambitio in propriâ causâ obcæcarent, sed virorum pietate, prudentiâ, & experientiâ in negotiis Ecclesiasticis spectabilium, consilio discutienda. Quo casu ad Metropolitanum confugere potest, & apud ipsum de injustâ repulsa expostulare, causamque dicere, ac illius judicium expectare, nullâ commendatione, nullis precibus interpositis, ne ab ipso Institutionem extorsisse potiùs quàm promeruisse videatur. Ad alium verò Episcopum recurrere non licet, quemadmodum declaravit Clerus Gallicanus in Comitiis Generalibus anni MDCXLV.

An tutâ conscientia peti possint Rom. Pont. provisiones in formâ gratiosâ?

Ex his colligitur, Provisiones Beneficii *In formâ gratiosâ*, ad declinandum proprii Episcopi judicium, à Summo Pontifice tutâ conscientiâ postulari non posse.

Regula XIX.

Graviter peccant non solùm qui indignis quæcunque Beneficia Ecclesiastica conferunt, vel indignos ad ea nominant & præsentant; sed & qui ad Beneficia Curam Animarum annexam habentia non promovent digniores; aut iis postpositis, minùs dignorum institutioni quovis modo cooperantur.

Ad beneficia curam animarum habentia promovendi digniores.

Hanc Regulam quoad primam partem tradunt *Siricius* Pontifex Maximus Epistola III. *Ad Timotheum loquitur Apostolus:* Manus « citò nemini imposueris, neque communicave- « ris peccatis alienis. *Quod propterea memoratur, ut examine habito, & probitate morum, & Ecclesiasticæ labore sit commendatior qui vocatur in medium, & Summum Sacerdotium possit accipere, probatus judicio, non favore; susceptus veritate, non gratiâ; Apostolico ordine fretus, non præcipiti voluntate.*

S. *Leo* Epistola I. alias LXXXVII. ad Episcopos Africanos: *Miramur tantùm apud vos per occasionem temporis impacati, aut ambientium præsumptionem, aut tumultum valuisse Popularem, ut indignis quibusque, & longe extra Sacerdotale meritum constitutis Pastorale fastigium & gubernatio Ecclesiæ crederetur. Non est hoc consulere populis, sed nocere; nec præstare regimen, sed augere discrimen. Integritas enim Præsidentium, salus est subditorum: & ubi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ... Quod si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus providenter scienterque curandum est, ut in Domini domo nihil sit inordinatum, nihilque præposterum: quanto magis elaborandum est, ut in electione ejus qui supra omnes gradus constituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore non inveniatur in capite. Ubi est illa B. Pauli per Spiritum Dei emissa præceptio,* Manus citò « nemini imposueris, neque communicaveris pec- « catis alienis? *Quid est citò manus imponere, nisi* « *ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ; Sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici Ordinantem, qualis est ille qui ordinatur? Sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum sectatur in eligendo Sacerdote judicium: Ita gravi semetipsum afficit damno, qui ad suæ Dignitatis Collegium sublimat indignum.*

Quàm grave peccatum promoventium indignos.

Sancto Leoni in eadem doctrina tradenda præiverant S. *Augustinus*, Epistola CLXVII. alias XXIX. ubi explicans illud Apostoli *Jacobi* cap. II. arguentis eos, qui personas accipientes dicunt diviti, *Sede hic: Pauperi verò, Tu sta illic*, hæc habet: *Nec sanè, quantùm arbitror, putandum est levè peccatum in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi, si illam distantiam sedendi ac standi ad Honores Ecclesiasticos referamus. Quis enim ferat eligi divitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore atque sanctiore?*

Personarum acceptio in collatione Beneficiorum animarum curam habentium, grave peccatum.

S. *Hieronymus* in cap. I. Epistolæ ad *Titum*, ad illa verba, *Constituas per civitates Presbyteros*: & refertur Canone *Moyses*, Causa VIII. Quæst. I. *Moyses amicus Dei, cui facie ad faciem Deus locutus est, potuit utique Successores Principatûs filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem: Sed extraneus de alia Tribu eligitur Jesus, ut sciremus Principatum in populos non sanguini deferendum esse, sed vitæ. At nunc cernimus plures hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos in Ecclesia erigere columnas, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse: sed quos vel amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti: vel pro quibus Majorum quispiam rogaverit: & (ut deteriora taceam) qui ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt.*

Illis conferenda sunt, qui Ecclesiæ magis profuturi cognoscuntur.

Origenes Homilia VI. in *Leviticum*: ut refertur Canone *Licet*, Causa VIII. *Licet ergo Dominus de constituendo Principe præcepisset, & Dominus elegisset, tamen convocatur etiam Synagoga. Requiritur enim in ordinando Sacerdote & præsentia Populi, ut sciant omnes & certi sint, quia qui præstantior est ex omni Populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium.*

Doctior & sanctior eligendus.

Concilium Oecumenicum Lateranense IV. Canone XXVI. *Nihil est* (inquit) *quod Ecclesiæ Dei magis officiat, quàm quod indigni assumantur Prælati ad regimen Animarum. Volentes igitur huic morbo necessariam adhibere medicinam, irrefragabili Constitutione sancimus, quatenus cùm quisquam fuerit ad Regimen Animarum assumptus, is ad quem pertinet ejus Confirmatio diligenter examinet & ele-*

Deprehendus indignè promotus; indignè promoventes puniendi.

ctionis processum, & personam electi, ut cùm omnia ritè concurrerint, munus ei Confirmationis impendat: Quia si secus fuerit incautè præsumptum, non solùm dejiciendus est indignè promotus, verùm etiam indignè promovens puniendus.

Et Canone xxx. *Grave nimis est & absurdum, quòd quidam Prælati Ecclesiarum, cùm possint viros idoneos ad Ecclesiastica Beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec literarum scientia suffragatur, carnalitatis sequentes affectum, non judicium rationis. Unde quanta Ecclesiis damna proveniant, nemo sanæ mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi, præcipimus, ut prætermissis indignis assumant idoneos, qui Deo & Ecclesiis velint & valeant gratum impendere famulatum, fiatque de hoc in Provinciali Concilio diligens inquisitio annuatim; ita quòd qui post primam & secundam correptionem fuerit repertus culpabilis, à conferendis Beneficiis per ipsum Concilium suspendatur*, &c.

Concilium denique Tridentinum Sessione VII. cap. III. *De reformatione*, idem confirmat. *Inferiora Beneficia Ecclesiastica* (inquit) *præsertim Curam Animarum habentia, personis dignis & habilibus, & quæ in loco residere, ac per seipsos Curam ipsam exercere valeant, juxta Constitutionem Alexandri III. in Lateranensi, quæ incipit*, QUIA NONNULLI, *& aliam Gregorii X. in Generali Lugdunensi Concilio, quæ incipit*, LICET CANON, *editam conferantur: Aliter autem facta collatio, sive Provisio, omninò irritetur; & Ordinarius Collator pœnas Constitutionis Concilii Generalis, quæ incipit*, GRAVE NIMIS, *se noverit incursurum.*

Beneficia curam animarum habentia, magis idoneis conferenda.

Secundam partem Regulæ, scilicet quòd graviter peccent, qui ad Beneficia Curam Animarum annexam habentia non promovent digniores, aut illis postpositis, minùs dignorum institutioni quovis modo cooperantur, probat cap. *Constitutis*, Ext. *De Appellationibus*, quo *Innocentius III.* approbat laudatque factum Episcopi Metensis, qui vacante Præpositura die electioni præfixo, *Per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum in virtute obedientiæ, ac sub animæ periculo Canonicos adjuravit, ut secundùm Deum, & juxta conscientiam suam, unum eligerent de duobus, in quos partes videbantur oculos extendisse, quem Ecclesiæ magis utilem & idoneum reputarent.*

Non ex affectu carnali.

Et cap. *Ut nostrum*, Ext. *Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur*, Sic respondet Mediolanensi Archiepiscopo: *Non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum Officium & Beneficium in persona magis idonea dispensare.* Et cap. *Quoniam*, Ext. *De Jure Patronatus*, quod ex Concilio Generali Lateranensi III. sumptum est, statuitur, *ut si fortè in plures partes Fundatorum se vota diviserint, ille præficiatur Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum eligitur & approbatur assensu.*

Eandem veritatem declaratione sua confirmat Concilium Tridentinum Sessione XXIV. cap. I. De reformatione. *Si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus* (inquit) *providenter scienterque curandum est, ut in Domini domo nihil sit inordinatum, nihilque præposterum: Multò magis laborandum est, ut in electione ejus qui supra omnes gradus constituitur, non erretur. Nam totius familiæ Domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. Unde etsi aliàs Sancta Synodus de promovendis ad Cathedrales & Superiores Ecclesias nonnulla utiliter decrevit; hoc tamen Munus hujusmodi esse censet, ut si pro rei magnitudine expendatur, nunquam satis tantum de eo videri possit. Itaque statuit, ut cùm primum Ecclesia vacaverit, supplicationes ac preces publicè privatimque habeantur, atque à Capitulo per Civitatem & Diœcesim indicantur, quibus Clerus, Populusque bonum à Deo Pastorem valeat impetrare. Omnes verò & singulos, qui ad promotionem perficiendorum quodcunque jus quacunque ratione à Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant, nihil in iis pro præsenti temporum ratione innovando, hortatur & monet, ut inprimis meminerint, nihil se ad Dei gloriam & populorum salutem utilius posse facere, quàm si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promovere studeant:* EOSQUE ALIENIS PECCATIS COMMUNICANTES MORTALITER PECCARE, NISI QUOS DIGNIORES ET ECCLESIÆ MAGIS UTILES *judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.*

Alienis peccatis communicant qui digniores & Ecclesiæ magis utiles non præficiunt Beneficiis curam Animarum habentibus.

Et cap. XVIII. de Parochialium Ecclesiarum Provisionibus agens, examen fieri jubet per Examinatores in Diœcesana Synodo deputatos; & ex Beneficii candidatis atque competitoribus, qui fuerint judicati idonei, eum ab Episcopo eligi, quem cæteris judicaverit digniorem. *Peracto deinde examine, renuntientur quotquot ab his judicati fuerint ætate, moribus, doctrinâ, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis: Ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit.... Quod si sit Beneficium juris Patronatus Ecclesiastici, ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat; quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit, Episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituatur. Cùm verò Institutio ab alio quàm Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem quem Patronus ei præsentet ad quem Institutio spectat. Aliàs Provisiones omnes seu Institutiones præter suprà dictam formam factæ, subreptitiæ censeantur; Non obstantibus huic Decreto executionibus, Indultis, Privilegiis, Præventionibus, affectionibus, novis Provisionibus, Indultis concessis quibuscunque Universitatibus, etiam ad certam summam, & aliis impedimentis quibuscunque.*

Idem confirmat Beatus Pontifex *Pius V.* Constitutione quæ incipit, *In conferendis Beneficiis*, data XV. Cal. Aprilis MDLXVII. *Ut autem* (inquit) *non solùm dignis, sed magis idoneis repertis, juxta ejusdem Concilii Decretum, Parochiales Ecclesiæ conferantur, volumus, & eadem Auctoritate decernimus, quòd si Episcopus minùs habilem postbabitis magis idoneis elegerit, possint ii qui rejecti fuerint, à mala electione hujusmodi ad Metropolitanum; vel si ipse eligens Metropolitanus aut Exemptus fuerit, ad viciniorem Ordinarium, uti nostrum & Sedis hujusmodi Delegatum, aut aliàs ad ipsam Sedem Apostolicam appellare; ac prælectum ad novum examen coram ipso Appellationis Judice, & ejus Examinatoribus provocare.* Ubi tamen non est receptus concursus, non datur locus hujusmodi Actioni & Appellationi: Quamvis gravis peccati reos sit coram Deo Episcopus aliúsve Collator, qui minùs dignum postpositis magis idoneis eligit vel instituit.

Regulam quam exponimus, multis confirmat *Guillelmus Parisiensis*, Tractatu *De collatione Beneficiorum*. Prælatos Architectos esse ostendit, quorum officium est ædificare domum Domino, instar Salomonis, ex lapidibus grandibus, & pretiosis, & dolatis atque quadratis, non ex paleis, festucis, & luto; quod tamen faciunt, qui indignos ad Ecclesiastica Beneficia promovent. Nec excusant eos preces Magnatum: *Nam Architecto nemo auderet hujusmodi preces porrigere, ut pro eo-*

Dignitates & Beneficia curam Animarum habentia, dignioribus esse conferenda censent ac probant Guillelmus Parisiensis Episcopus.

lumna forti festucam fragilem in ædificio, cujus fabrica fidei ejus commissa est, poneret: Et si fortè eo usque aliquis insaniret ut præsumeret & diceret: Magister, ego diligo festucam istam ultra modum, charissima mihi est, rogo te, quantùm possum, honora eam, & pone in loco honorabili, videlicèt in loco columnæ fortis & altæ; numquid subsannari se ab illo non adverteret, & in faciem ejus spueret? Addit » Officium Prælatorum, non solùm esse ædificare Templum Domino, sed etiam corpus mysticum Christo. Membra igitur, quæ tanto Capiti congruant, in corpore Ecclesiæ ponenda sunt: Nemo autem dubitat, peccatores esse » membra Diaboli *Quare qui peccatores in Ecclesiis suis constituunt, non corpus mysticum Christo Domino; sed corpus utique quale decet Diabolum, Diabolo ædificant, ex membris videlicet putridis, omnique deformitate horribilibus.* Prælatus Dux est, cujus officium est eligere & colligere Bellatores ad præliandum contra Diabolum & exercitum ejus. Quapropter eligere debet fortes & doctos ad bella. *An igitur parvuli, an mortui, scilicet mortalibus peccatis extincti, ad prælianda prælia Domini eligendi sint, quis non judicet? Qui non noverunt gladium Spiritus, quod est verbum Dei, qui non noverunt arcum sacrarum disciplinarum, sacrorum eloquiorum sagittas, scutum fidei, galeam salutis, loricam justitiæ, & omnino ignaros armorum lucis, quis eligat ad bellandum, nisi damnabilissimus Domini sui proditor, quique hostibus ejus de eo quærit victoriam?* Prælatus Princeps Pastorum est: Debet igitur vocare electos Pastores, non qui pascant semetipsos, sed qui pascant populum scientiâ & doctrinâ: Non Pastores qui sint idola, deserentes gregem, quibus maledixit Zacharias; sed magis qui cum Jacob possint dicere Domino: *Oves & capræ tuæ non fuerunt steriles, arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi; ego omne damnum reddebam, quidquid furto peribat, à me exigebas, die ac nocte æstu urebar ac gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.*

Zachar. xi. Genes. xi.

Ostendit prætereà *Guillelmus Parisiensis*, collatores Beneficiorum dispensatores esse, non dominos, adeóque bona fide juxta mandatum illis à Domino traditum, nonnisi idoneis conferre illa debere, alioqui collationem à Deo ratam non haberi, & collatorem rapinæ & furti reum esse. *Pulchrè Episcopum habentem pyrum onustam fructibus, & volentem Archidiaconatum conferre Robinulo nepotulo suo quidam delusit. Cùm interrogaret Episcopus, cui pyrum illam committeret custodiendam, & responsum esset à quodam, ut illam memorato Robinulo committeret, Episcopus respondit: Absit, quia pyra illa omnia devoraret: Dicite Episcope, Domine, qualiter committetis Robinulo tot millia Animarum custodienda, cui tam pauca pyra committere non audetis?*

S. Thomas.

S. Thomas, Secunda Secundæ Quæstione LXIII. Articulo II. ad tertium, digniores ad Ecclesiasticas Dignitates, & Beneficia eligendos ac promovendos esse docet. *Quantum ad hoc (inquit) quod electio impugnari non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem: Quia sic omnis electio posset habere calumniam: Sed quantùm ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune: Quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam Dignitatem, & alius præferatur, oportet quod sit propter aliquam causam. Quæ quidem si pertineat ad negotium, quantùm ad hoc erit ille qui eligitur magis idoneus: Si verò non pertineat ad negotium, id quod consideratur ut causa, erit manifestè acceptio personæ.* Et Quæstione CLXXXV. Articulo III. *Circa assumptionem alicujus ad Episcopatum, aliquid considerandum est ex parte ejus qui assumitur, & aliquid ex parte ejus qui assumit. Ex parte enim ejus qui assumit vel eligendo vel providendo, requiritur quod talem eligat, qui fideliter divina Mysteria dispenset; quæ quidem dispensari debent ad utilitatem Ecclesiæ, secundùm illud* 1. *ad Corinthios* XIV. Ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut abundetis. *Non autem divina Mysteria hominibus committuntur propter eorum remunerationem, quam expectare debent in futuro. Et ideo ille qui debet aliquem eligere in Episcopum, vel de eo providere, non tenetur assumere meliorem simpliciter, quod est secundùm charitatem; sed meliorem quoad regimen Ecclesiæ, qui scilicet possit Ecclesiam & instruere, & defendere, & pacificè gubernare.* Non eligere autem eos, quos Ecclesiæ utiliores futuros noveris, *pertinet ad acceptionem personarum, quæ in talibus est grave peccatum. Ex parte autem ejus qui assumitur, non requiritur quod reputet se aliis meliorem, (hoc enim esset superbum & præsumptuosum;) sed sufficit quod nihil in se inveniat, per quod illicitum ei reddatur assumere Prælationis Officium. Unde licèt Petrus interrogatus esset an cæteris plus Dominum diligeret, in sua responsione non se prætulit cæteris, sed simpliciter respondit, quòd Christum amaret.*

Et Quodlibeto VIII. Quæstione IV. Articulo I. *Aliquis homo potest dici bonus vel melior altero dupliciter: Uno modo simpliciter; & sic melior est, qui est in charitate perfectior: Alio modo secundùm quid, & sic dicitur aliquis melior altero, vel ad Militiam, vel ad Magisterium, vel ad Prælationem, vel ad aliquid hujusmodi, qui non est melior simpliciter, eò quòd in singulis Officiis tam spiritualibus quàm corporalibus, requiruntur aliqua præter moralem bonitatem, ad hoc ut aliquis sit idoneus ad illud Officium exequendum. Dicendum est ergò quòd oportet eligere ad prælationem vel Ecclesiasticum Officium aliquem qui sit bonus simpliciter; quia per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet spirituale exequendum. Non tamen oportet quòd semper eligatur ille qui est melior simpliciter; possibile enim est, quòd illi qui est in charitate perfectior, deficiant multa quæ requiruntur ad hoc quod aliquis sit Prælatus idoneus, quæ in alio, qui est minoris charitatis, inveniuntur; ut sunt scientia, industria, potentia, & alia hujusmodi: Unde non oportet semper eligere meliorem simpliciter, sed eum qui sit melior ad hoc Officium. Si autem eligat quis eum quem reputat minus idoneum ad tale Officium, peccat. Non enim potest esse quod de duobus unus alteri præeligatur, nisi propter aliquod in ipso consideratum: Illud autem quod consideratur in eo qui est minùs idoneus, ad hoc quòd magis idoneo præferatur, est aliqua conditio indebitè movens, vel familiaritas, vel consanguinitas, vel aliquid hujusmodi: Non enim potest esse aliqua conditio pertinens ad Prælati idoneitatem, ex quo alter simpliciter magis idoneus reputatur, & sic indebitè movet: & sic in tali electione erit acceptio personarum, quæ sine peccato non fit.*

Venerabilis P. Ludovicus Granatensis.

Insignis Pietatis Magister *Ludovicus Granatensis*, in Concione *De Officio Pastoris*, habitâ in Consecratione Episcopi Mirandensis an. MDLXV. luculentissimis rationibus probat, quòd *Eligere minùs dignum digniore prætermisso, omnibus justitiæ legibus adversetur, tam ejus quæ distributiva, quàm quæ commutativa nominatur.* In quo quidem crimine multiplex reatus invenitur. *Præferens enim indignum, reus est omnium Animarum, quæ ob ejus indignitatem periclitantur: Reus est omnium flagitiorum, quæ ex hoc crimine consequuntur: Reus denique omnium aut eleemosynarum, aut aliorum bonorum quæ boni Rectoris studio perficerentur. Quemadmodum*

Multiplex crimen promoventium indignos, aut minus dignos præ magis dignioribus.

A *modum enim qui aut imperitum Medicum, aut Nauclerum, aut Ducem, aut Pastorem præficit, reus est omnium damnorum, quæ ex horum ignorantiâ consecuta sunt: Ita planè qui indignum elegit in Ecclesiæ Ministrum, omnium malorum consequentium reus est. Omnia enim hæc & nomina, & Officia cuilibet Ecclesiæ Ministro simili ratione conveniunt.*» *Cùm ad Davidem Abiathar Sacerdos amissis, injuriâ & crudelitate Saulis, parentibus ac fratribus in desertum profugus pervenisset, ait ad illum David:* EGO sum reus omnium animarum patris

1. Reg. 22. tui: *Nimirum quia neque volens, neque animadvertens, in causa fuerat, ut Saül præcipiti quodam furore percitus, invidiaque stimulatus, Sacerdotes Domini jugularet. Quid ergo dicet, qui & sciens, & volens, & affectibus suis aut amicorum serviens, contemptis dignioribus præficit indignos, ex qua indignitate tot pereuntium Animarum strages consequuntur? Quoniam verò abusus hic vehementissimè semper Ecclesiæ nocuit, Concilium Basileense tanto malo occurrere volens, Pragmatica Sanctione decrevit, ut electores Ministrorum Ecclesiæ, decantatâ priùs Missa Spiritus-Sancti, post Sacramentalem peccatorum Confessionem, & Venerabilis Eucharistiæ sumptionem, in manibus Præsidentium hujusmo-*

» *di se Religione Juramenti constringerent.* EGO juro
» & promitto omnipotenti Deo, & tali Sancto,
» vel Sanctæ, sub cujus vocabulo dedicata est
» Ecclesia, eum eligere, quem credam futurum
» Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus utiliorem:
» Nec illi vocem dare, quem verisimiliter
» scivero promissione aut datione alicujus rei
» temporalis, seu prece per se aut alium interpositâ,
» aut aliàs qualitercumque directè vel indirectè,
» pro se electionem procurare. *Et quamvis Decretum hoc non obliget, novum Jus inducendo, declarat tamen quid hoc nostro calamitosissimo sæculo, (quando fides nutat, & omnis justitia atque virtus exulat, solaque externa bona petuntur,) Pastoribus Ecclesiæ necessarium sit, ut tanto discrimini occurrant.*

Propositio damnata. Denique inter Propositiones ab *Innocentio XI.* Pontifice Maximo die secunda Martii anno MDCLXXIX. Romæ damnatas, hæc legitur 47. *Cùm dicit Concilium Tridentinum, Eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi, quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent: Concilium vel primò videtur per hoc, DIGNIORES, non aliud significare velle nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo: Vel secundò, locutione minùs propria ponit DIGNIORES, ut excludat indignos, non verò dignos: Vel tandem loquitur tertiò, quando fit concursus.* De eadem Propositione hoc judicium tulit Clerus Gallicanus anno MDCC. *Hæc Propositio Concilio Tridentino contraria est, Ecclesiæ utilitati, ac saluti Animarum, quæ à Pastorum delectu præcipuè pendet, adversatur.*

REGULA XX.

Absque peccato conferuntur Beneficia Curam Animarum annexam habentia, minùs sanctis & minùs doctis, si Ecclesiæ cui providendum est, utiliores futuri judicentur iis qui sanctiores sunt atque doctiores.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXIII. Articulo II. *Acceptio* (inquit) *personarum est peccatum, in quantum contrariatur justitiæ. Quantò autem in majoribus aliquis justitiam transgreditur, tantò graviùs peccat. Unde cum spiritualia sint temporalibus potiora, gravius peccatum est personas accipere in dispensatione spiritualium, quàm in dispensatione temporalium. Et quia personarum acceptio est, cùm aliquid personæ attribuitur præter proportionem dignitatis ipsius: considerare oportet, quod dignitas alicujus personæ potest attendi dupliciter. Uno modo simpliciter & secundùm se: Et sic majoris dignitatis est ille qui magis abundat in spiritualibus gratiæ donis. Alio modo per comparationem ad bonum commune. Contingit enim quandoque quòd ille qui est minùs sanctus & minùs sciens, potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel industriam sæcularem, vel prop-*

B *ter aliquid hujusmodi. Et quia dispensationes spiritualium principaliùs ordinantur ad utilitatem communem, secundùm illud 1. ad Corinth. XII.* Unicuique datur manifestatio Spiritûs ad utilitatem: *Ideò quandoque absque acceptione personarum, in dispensatione spiritualium illi qui sunt simpliciter minùs boni melioribus præferuntur. Sicut etiam & Deus gratias gratis datas quandoque concedit minùs bonis.*

Et Quodlibeto VI. Quæstione V. Articulo III. *Aliquis*, inquit, *potest dici melior dupliciter: Uno modo simpliciter qui est sanctior, vel plus habens de charitate; Alio modo dicitur aliquis melior quoad a-*

C *liquid: Contingit autem quandoque aliquem esse meliorem simpliciter, qui tamen non est melior quantùm ad hoc quod Beneficium percipiat; quia aliquis fortè potest Ecclesiam magis juvare vel per consilium sapientiæ vel per auxilium potentiæ, vel quia servivit in Ecclesia. Non ergo Episcopus tenetur semper dare meliori simpliciter; sed tenetur dare meliori quoad hoc.*

REGULA XXI.

Consanguineos suos in Collatione Beneficiorum Ecclesiasticorum, aliis præferre nemo potest absque gravi peccato, nisi sint æquè digni; & id absque scandalo fieri possit. Simplicia tamen Beneficia illis conferre potest, unde sustententur, si indigni non fuerint.

HAnc Regulam tradit *Petrus Cantor* Ecclesiæ Parisiensis, in *Verbo Abbreviato*, Cap. XLIII. *Cum* (inquit) *de intrantibus in Ecclesiam per ostium dicatur:* Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt: *De intrantibus per carnem & sanguinem dici potest: Qui ex sanguinibus, & ex voluntate carnis, non ex Deo nati sunt, in Ordinum & Beneficiorum Ecclesiasticorum perceptione. Tales nequeunt dicere,* In manibus tuis sortes meæ. *Non enim consideratur voluntas & beneplacitum Domini, cùm sors & hæreditas Christi eis confertur. De talibus ait Michæas:* Væ illis qui ædificant Sion, *scilicet Ecclesiam,* in sanguinibus, *in peccatis: In carnalibus etiam affectibus, dantes carni & sanguini, potiùs ad destructionem Ecclesiæ, quàm ad ædificationem..., Sic danti Ecclesiasticum Beneficium potest objici, Quia caro & sanguis revelat ei sic dare, non Pater meus qui in cœlis est. Item,* Qui non odit patrem & matrem propter me, *id est, non postposuerit carnales affectus, quod non illi in dando spirituale natura, & ideo non sunt digni Deo. Item Dominus:* Qui sunt pater, & mater mea, & fratres mei? Et extendens manum in Discipulos, ait, Hi sunt mater, & soror, & fratres mei. Omnis enim qui facit voluntatem Patris mei, ipse est & frater, & soror, &c. *Quasi diceret: Vir spiritualis carnales nescit: At si diceret patri & matri,* Nescio vos: *Insinuans nobis se esse imitandum, maximè in spiritualibus conferendis. Ob hoc etiam Petrum & de alia Tribu genitum Joanni præ-*

Joan. 1.

D, E, F

Psalm. 30. 16.

Mich. 3.

Consanguinei in collatione Beneficiorum curam habentium Animarum cæteris præferri sine gravi peccato non possunt, nisi sint æquè digni.

Luc. 14. 26.

Matth. 12. 49.

Can. Moyses, Causa 8. Q. 1.

posuit. Item Hieronymus : MOYSES AMICUS DEI, &c. *Nepotem ergo tuum in columnam Ecclesiæ non erigas : Tamen Ecclesiasticum Beneficium, unde sustenetur, ei assignare potes. Sed quid si æquè honestus est & dignus ut extraneus? Sed & hoc periculosum est, nisi probitas ejus exigat, & excludat omnem infamiam, scandalum, & malum exemplum, quod de facili non fit. Non enim exemplum à benè gestis nostris sumitur, sed à cortice, specie, & superficie illorum, non à veritate. Si enim dedi nepoti meo propter gratiam, alii meo utentur exemplo, ut dent suis propter naturam magis quàm propter gratiam, dicentes : Nonne meis, sicut & ille suis, dabo? Ego gratia, ille dat natura. Ex præmissis patet, quantùm recesserimus à cunabulis primitivæ Ecclesiæ in conferendo Administrationem, & Dispensationem rerum pauperum, consuetudinem potius quàm antiquos Sanctos sequentes, quasi præscriptione nos tuentes.*

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXIII. Articulo II. ad primum : *Circa consanguineos Prælati* (inquit) *distinguendum est. Quia quandoque sunt minùs digni, & simpliciter, & per respectum ad bonum commune. Et sic si dignioribus præferantur, est peccatum personarum acceptionis in dispensatione spiritualium, quarum Prælatus Ecclesiasticus non est dominus, ut possit ea dare pro libito, sed dispensator, secundùm illud* I. *ad Corinthios* IV. Sic nos » existimet homo ut Ministros Christi, & dis» pensatores Mysteriorum Dei. *Quandoque verò consanguinei Prælati Ecclesiastici sunt æquè digni, ut alii : Et sic licitè potest absque personarum acceptione consanguineos suos præferre : Quia saltem in hoc præeminent, quod de ipsis magis confidere potest, ut unanimiter secum Ecclesiæ negotia tractent. Esset tamen hoc propter scandalum dimittendum, si ex hoc aliqui exemplum sumerent, etiam præter dignitatem, bona Ecclesiæ consanguineis dandi.*

Et Quodlibeto IV. Quæst. VIII. Articulo IV. *Aliter* (ioquit) *est dicendum de consanguineo Prælati æquè idoneo, & aliter de minùs idoneo : Si enim sit æquè idoneus, potest Prælatus suum consanguineum præferre, nisi fortè ex hoc scandalum oriatur, vel aliqui exinde malum exemplum accipiant, ut probabiliter præsumi possit, quòd alii Prælati hoc exemplo inducantur ad dandum suis consanguineis etiam minùs dignis : Et hoc ideò, quia ex quo nihil deperit utilitati Ecclesiæ, cùm æquè idoneo providetur, licet circa hujusmodi provisionem etiam amori naturali satisfacere, qui non est contrarius charitati, sed magis charitate informatur : Et hoc significatur Genesis* XLVIII. *ubi Pharao dixit ad Jo*» *seph de fratribus suis :* Si nosti in eis viros in» dustrios, constitue eos magistros pecorum meorum. *Si vero sit minùs idoneus consanguineus Prælati, non debet eum præficere ad Curam Ecclesiæ, postposito meliori ; duplici ratione : Primò quidem, quia hoc videtur esse contra fidelitatem quam in bono dispensatore Dominus requirit. Non enim faceret fideliter negotium alicujus domini, qui posset rem ejus meliorare, si hoc prætermitteret ut suis consanguineis satisfaceret. Secundò, quia hoc videtur ad personarum acceptionem pertinere, quæ consistit in hoc quòd aliquis accipit pro causa conditionem personæ, quæ non facit ad negotium ; sicut si aliquis daret Sententiam pro aliquo, quia dives est, & non quia justitiam habet, quæ est conditio faciens ad negotium : Esse autem consanguineum, non est aliqua conditio pertinens ad Curam Ecclesiæ, quæ non obtinetur jure sanguinis, sed divino munere. Esset autem conditio faciens ad negotium circa dispensationem patrimonialium bonorum : Unde si Episcopus de patrimonialibus bonis magis provideat consanguineo suo minùs idoneo, non est acceptio personarum : Sed si rations consanguinitatis ei provideat in patrimonio Crucifixi, non caret vitio personarum acceptionis, quam Augustinus dicit esse in Ecclesiasticis gradibus dispensandis, exponens illud Jacobi II.* NOLITE *in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi.*

Ratio duplex cur consanguinei minus idonei non sint præferendi.

REGULA XXII.

Dignum ex Ecclesiæ gremio alteri aliàs digniori præferre licet.

ILle enim *qui de gremio Ecclesiæ assumitur, ut in pluribus consuevit esse utilior, quantùm ad bonum commune : Quia magis diligit Ecclesiam in qua est nutritus. Et propter hoc etiam mandatur Deuteronomii* XVII. *Non poteris alterius gentis hominem facere Regem, qui non sit frater tuus.* Ita *S. Thomas* ibidem in Responsione ad quartam Objectionem.

REGULA XXIII.

Quamvis graviter peccent Patroni, qui minùs dignum præsentant postpositis dignioribus ; non peccat Episcopus illum instituens.

LIberum enim non est Episcopo alium in Beneficio instituere, nisi quem Patronus præsentaverit, modò non sit incapax. Hinc *Innocentius III.* Ext. *De Electione*, Cap *Cùm dilectus*, de ipsa Episcopi electione loquens, illam improbandam non putat, licèt alii supponerentur digniores, nisi alia impedimenta essent. Verùm hæc Decretalis (ut explicat *S. Thomas*, Quodlibeto VIII. Quæstione IV. Articulo I.) *Non loquitur quantùm ad forum conscientiæ, sed quantùm ad forum contentiosum, in quo non reprobatur electio ex hoc quòd potest aliquis alius magis idoneus inveniri ; dummodo ille qui eligitur, idoneus sit ; aliàs omnis electio calumniam pateretur.* Sic Episcopus negare non potest Institutionem illi, quem Patroous præsentaverit, si revera dignus sit, quamvis alii digniores occurrant. Tenetur tamen Patronus eligere digniorem. At si duo plurésve Patroni diversas personas nominent, & sint æqualia horum suffragia, tenetur Episcopus instituere digniorem : Alioqui gravis peccati reus erit.

REGULA XXIV.

Plures Episcopatus, aut plures Parochiales Ecclesias, aut duas Dignitates, Personatus, vel Prabendas uniformes sub eodem tecto, possidere nemini licet.

HÆC enim Beneficia incompatibilia esse Theologi omnes & Juris Canonici Periti, summo consensu fatentur ; adeò ut qui plura hujusmodi Beneficia possident, nisi infra sex menses unico contenti, cætera dimittant, omnibus ipso Jure excidant, & ad fructuum omnium post dictum tempus perceptorum restitutionem teneantur. Ita declarat Concilium Tridentinum Sessione VII. *De Reformatione.* Cap. II. IV. & V. & Sessione XXIV. *De Reformatione*, Cap. XVII. *Illi verò* (inquit) *qui in præsenti plures Parochiales Ecclesias, aut unam Cathedralem, & aliam Parochialem obtinent, cogantur omninò, quibuscumque dispensationibus ac unionibus ad vitam non obstantibus, unâ tantùm Parochiali, vel solâ Cathedrali retentâ,*

Quæ beneficia incompatibilia.

alias

aliàs Parochiales infrà spatium sex mensium dimittere: Alioqui tam Parochiales, quàm Beneficia omnia quæ obtinent, ipso Jure vacare censeantur; ac tamquam vacantia liberè aliis idoneis conferantur, nec ipsi antea illa obtinentes, tutâ conscientiâ, fructus post dictum tempus retineant.

Eamdem Regulam anteà statuerant Oecumenica duo Concilia Lateranensia, Tertium scilicet sub Alexandro III. Canone XIII. *Quia* (inquit) *nonnulli modum avaritiæ non ponentes, Dignitates diversas Ecclesiasticas, & plures Ecclesias Parochiales contra Sacrorum Canonum instituta nituntur acquirere, ita ut cùm unum Officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vindicent plurimorum, ne id de cetero fiat, districtiùs inhibemus. Cùm igitur Ecclesia, vel Ecclesiasticum Ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per seipsum valeat exercere: Quòd si aliter fuerit factum, & qui receperit, quod contra Sanctos Canones accepit, amittat: & qui dederit largiendi potestate privetur.* Refertur Cap. *Quia nonnulli*, Ext. *De Clericis non Residentibus.*

Et Quartum sub *Innocentio III.* Canone XXIX. *Præsenti Decreto statuimus, ut quicumque receperit aliquod Beneficium habens Curam Animarum annexam, si prius tale obtinebat, eo sit Jure ipso privatus; & si fortè illud retinere contenderit, alio etiam spolietur. Is quoque ad quem prioris spectat collatio, illud post receptionem alterius liberè conferat, cui meritò viderit conferendum: & si ultra sex menses conferre distulerit, non solùm ad alium, secundùm Statutum Lateranensis Concilii ejus Collatio devolvatur, verùm etiam tantùm de suis cogantur proventibus in utilitatem Ecclesiæ, cujus est illud Beneficium assignare, quantùm à tempore vacationis ipsius constiterit ex eo esse perceptum. Hoc idem in Personatibus decernimus observandum, addentes, ut in eadem Ecclesia nullus plures Dignitates aut Personatus habere præsumat, etiamsi Curam non habeant Animarum.* Refertur Cap. *De multa providentia*, Ext. *De Præbendis.* Quam *Innocentii III.* Constitutionem confirmat disertis verbis Concilium Tridentinum Sessione VII. *De Reformatione*, Cap. IV.

REGULA XXV.

Parochialem Ecclesiam cum Annexa unus idemque Sacerdos regere potest, constituto in ista Vicario. Canonicatum item in Ecclesia Cathedrali cum Parochia annexa possidere quis potest, modò perpetuus in ea Vicarius constituatur cum Portione congrua.

HÆc Regula quoad primam partem nititur Cap. *Eam te decet*, Ext. *De Ætate & Qualitatibus Ordinandorum*, quod est *Alexandri III*, Responsum: *Habentes plures Ecclesias, quæ ex una non pendeant, tibi liceat, Appellatione postposita, cogere ad unam ipsarum, quam maluerint, dimittendum, nisi ita fuerint tenues in substantiâ, quòd proprios Sacerdotes non possint convenienter alere.* Quoad alteram verò partem nititur Cap. *Extirpanda*, Ext. *De Præbendis*, §. *Qui verò*, & Concilii Tridentini Decreto Sessione VII. Cap. VII. An tamen Vicarii Perpetui sint in hujusmodi Parochiis instituendi, judicium penes Episcopum Sacra Synodus esse voluit, his verbis: *Nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur.*

REGULA XXVI.

Plura Beneficia etiam diversi generis, Residentiam postulantia, in diversis Ecclesiis possidere, prorsus illicitum est.

Plura Beneficia residentiam postulantia in diversis Ecclesiis possidere non licet.

SAcris enim Canonibus constitutum est, Neminem licere in duabus simul Ecclesiis conscribi, scilicet Concilii Chalcedonensis Can. X. Niceni II. quod est Oecumenicum VII. Canone XV. Placentini sub *Urbano II.* Canone XV. sive Canone, *Sanctorum*, Dist. LXX. & III. Lateranensis Concilii Oecumenici sub *Alexandro III.* Canone XIV. qui refertur Cap. *Quia in tantum*, Ext. *de Præbendis* cujus hæc sunt verba: *Quia in tantùm quorundam processit ambitio, ut non duas vel tres, sed plures Ecclesias perhibeantur habere, cùm nec duabus possint debitam Provisionem impendere: per Fratres & Coepiscopos nostros hoc emendari præcipimus; & de multitudine Præbendarum Canonibus inimica, quæ dissolutionis materiam & evagationis inducit, certumque continet periculum animarum, eorum, qui Ecclesiis deservire valeant, indigentiam volumus sublevari.*

Et Cap. *Ad hæc licet*, sub eodem Titulo: *Illud est omni rationi contrarium, ut unus Clericus in una vel diversis Ecclesiis plures Dignitates vel personatus obtineat: Cùm singula Officia in Ecclesiis assiduitatem exigant Personarum.*

Innocentius III. Cap. *Cùm jamdudum*, sub eodem Titulo, quemdam Clericum pluribus Dignitatibus & Præbendis gravem, à nova Præpositura excludit: *Cùm multa per patientiam tolerentur, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitiâ non debent tolerari.*

Eamdem Regulam confirmat *Joannes XXII.* Extravaganti, *Execrabilis*, Tit. *De Præbendis*, non solùm plura Beneficia Curam animarum habentia retineri prohibens, sed & plures Dignitates, Personatus, Officia, seu Prioratus, dispensationes omnes revocans, & quas improbitas importuna petentium ab eo, & Prædecessoribus Romanis Pontificibus extorserat magis quàm obtinuerat. Iis quibuscum ab Apostolicâ Sede dispensatum fuerat, solummodo indulget, ut cum Beneficio Curam Animarum habente, simplex alterum, seu Curam non habens retinere ipsis liceat. Illos verò qui sine Dispensatione Canonica pluribus hujusmodi Beneficiis sunt adaucti, illa dimittere jubet, eo dumtaxat servato quod ultimò receperunt: Alioqui ipso Jure omnibus, & illo etiam postremo privatos, atque ad alia cujuscumque sint generis obtinenda penitus inhabiles declarat. Mala deplorat, quæ ex hac spirituali polygamia oriuntur: *Quod videlicet interdum unus, qui unicum quamvis modicum vix Officium implere sufficeret, plurimorum sibi vendicet stipendia, quæ multis literalis viris vitâ puritate ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abundè sufficere æquâ distributione collata: Habentibus ipsa paratur vagandi materia; divinus cultus minuitur, hospitalitas in ipsis Beneficiis debita non servatur: Et dum non sunt suis in unaquaque regione Rectores, Ecclesiarum detrahitur commodis & honori, quæ carentes defensorum auxilio, in Juribus suis & libertatibus multipliciter collabuntur: & ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia extruxerat Decessorum: &, (quod amariùs est dolendum) Animarum cura negligitur, & vitiorum sentibus fomentum periculosè præbetur.*

Hujusmodi Beneficiorum pluralitatem velut horrendum cupiditatis monstrum insectantur Pe-

trus Cantor Parisiensis Ecclesiæ in *Verbo Abbreviato*, Cap. XXXI. XXXII. XXXIII. & XXXIV. *Guillelmus Parisiensis*, Tractatu *De Vitiis & Peccatis*, Cap. IX. & Tractatu *De Collatione Beneficiorum* Cap. VI. *Thomas Cantipratanus* Tibru I. *Apum*, Cap. XIX. ubi refert, anno millesimo ducentesimu trigesimo-octavo, quo Parisiis versabatur: *Guillelmum* Parisiensem Episcopum Magistris omuibus Sacræ Facultatis in Capitulo FF. Prædicaturum, ad *S. Jacobi* congregatis, propositâ Quæstione de Pluralitate Beneficiorum, ipsis suffragantibus declarasse: *Duo Beneficia, dummodo unum valeret quindecim librat Parisienses, teneri cum salute animæ non posse.* Multò solenniorem ante triennium habitam Disputationem addit, in quo etiam umnes Magistri Theologiæ, exceptis duobus, idem pronuntiaverunt ac declaraverunt. Horum alter *Philippus* erat Parisiensis Ecclesiæ Cancellarius, qui post ubitum *Guillelmo* Parisiensi Episcupu apparuit, Deo ita volente, séque æternâ murte damnatum significavit triplicem ob causam: Primò quod crescentes fructus annuos reservasset, neque subvenisset paupetibus: Secundò, quòd contra Sententiam plurimorum, de pluralitate Beneficiurum, quasi licitè tenendurum sententiam propugnans, mortalis peccati periculo se commisisset: Tertiò, quòd vitiu carnis multo tempore se inquinasset. His adde *Dionysium Carthusianum* in Tractatu *De Beneficiorum Pluralitate*, *Guillelmum Peraldum* Ordinis Prædicatorum, in Summa *De virtutibus & vitiis*, (quod Opus magni fecit *S. Carolus Borromæus*) Tractatu *De avaritia*, Cap. XI. & alios benè multos, quos vel nominare longum foret.

Sacræ Facultatis Parisf. sententia contra Beneficiorum hujusmodi pluralitatem.

REGULA XXVII.

Plura Beneficia, cujuscumque naturæ sint, etiam simplicia, simul possidere non licet. Qui absque canonica & justa Dispensatione plura obtinuerit ac retinuerit, lethalis peccati reus est, si unum ad vitam ejus honestè sustentandam sufficiat.

HAnc Regulam colligimus ex Cap. *Cùm teneamur*, Ext. *De Præbendis*, quod *Alexandri III.* Responsum est: *Si Mandatum nostrum* (inquit) *pro alicujus Provisione receperis, qui aliud Beneficium habeat, de quo valeat commodè sustentari: Nisi fortè in litteris de hoc mentio habeatur: Aut si non potest ei sine scandalo provideri, æquanimiter sustinemus, si pro eo Mandatum nostrum non duxeris exequendum.*

Pluralitas Beneficiorum damnanda in eo qui unum possidet de quo potest commodè sustentari.

Nititur eadem Regula Cap. *Ad aures*, Ext. *De Rescriptis*, quod est *Lucii III.* Responsum: *Cùm non sit* (inquit) *intentionis nostræ, ut Personæ pluribus reditibus abundantes per literas nostras pauperes Clericos super minoribus Beneficiis inquietent; literas in quibus Actor sua nomen Dignitatis supprimit, vires nolumus obtinere.*

Hanc Regulam confirmat Concilium Tridentinum, Sessione XXIV. Cap. XVII. De Reformatione. *Cùm* (inquit) *Ecclesiasticus Ordo pervertatur, quando unus plurium Officia occupat Clericorum: sanctè sacris Canonibus cautum fuit, Neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi. Verùm quoniam multi improbæ cupiditatis affectu seipsos, non Deum decipientes, ea quæ benè constituta sunt, variis artibus eludere, & plura simul Beneficia obtinere non erubescunt, Sancta Synodus debitam regendis Ecclesiis Disciplinam restituere cupiens, quod in quibuscumque Personis, quocumque titulo, etiamsi Cardinalatûs honore fulgeant, mandat observari; statuit ut inposterum unum tantùm Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur: Quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem Residentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modò ad Cathedrales Ecclesias; sed etiam ad alia omnia Beneficia, tam sæcularia, quàm Regularia quæcumque, etiam Commendata, pertineant, cujuscumque tituli ac qualitatis existant.*

Inter Articulus Reformationis quos *Carolus IX.* Rex Christianissimus per Oratures suos à Sacra Synodu Tridentina postulaverat, hi leguntur: *Unum tantùm Beneficium uni conferatur, sublatâ, quod attinet ad pluralitatem, compatibilium & incompatibilium differentiâ. Quæ distinctio ut est nova, & antiquis Decretis incognita, ita Ecclesiæ Catholicæ magnam calamitatem attulit. Dentur autem Regularia Regularibus, Sæcularia Sæcularibus. Qui verò duo vel plura possident, aut illud tantùm retineant, quod intra breve tempus elegerint, aut in pœnas antiquorum Canonum incidant.*

Idem statuerunt Cuncilia Provincialia Tridentinum secuta. Mediolanense IV. P. II. Tit. De Beneficiurum Cullatiune: *Beneficium etiam simplex obtinenti* (inquit) *quod ad vitæ sustentationem satis est, si alterum simplex, aut Ecclesia etiam Parochialis, aliudve Beneficium cujusvis generis conferatur; ubi is alterius Beneficii, cujuscumque generis illud sit, possessionem pacificam adeptus est: aut si per eum steterit, quominus duobus mensibus, quos à die, quo alterum collatum est, præstituimus, illam adipiscatur; primum ipso Jure vacare censeatur: Cui vacanti provideatur; cùm ex Tridentini Concilii Sententiâ unum, & alterum item ab illo simul retineri nullo modo liceat.*

Beneficii quacumque Auctoritate deinceps collati, unde satis ad victum sumitur, possessionem pacificam quis adeptus, si nulla sibi facultate, dispensationevè legitimâ concessâ, Beneficii prioris, quod obtinebat, censum exegerit; ea pœna illi sit, ut quod egerit, illius duplum ad Ecclesiæ usum restituat: Tum alia ratione etiam mulctetur, plectaturvè Episcopi arbitratu.

Mediolanense V. P. III. Tit. Quæ ad Beneficiorum Collatiunem pertinent: *Quod Synodi Tridentinæ auctoritate, quarto Concilio nostro Provinciali permissum est, simplex Beneficium habenti alterum etiam ejusdem generis, quod personalis Residentiæ munus non requirat, ob honestam illius vitæ sustentationem conferri, id ita locum habeat, ut ne tamen eo prætextu, causavè vitæ honestè sustentandæ, plura quàm duo Beneficia simplicia uni eidemque conferri liceat sine concessu permissuvè Sedis Apostolicæ.*

Coucilium Aveniunense MDXCIV Tit. XXXIV. *Nemo audeat plura Beneficia incompatibilia tenere. Quòd si dispensationem se obtinuisse aliquis dicat, eam ostendere intra duorum mensium spatium post hujus Concilii publicationem compellatur. Juxta Decreti Concilii Tridentini tenorem, unum tantùm Beneficium Ecclesiasticum conferatur singulis. Quod quidem si ad vitam ejus honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominùs aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem Residentiam non requirat, eidem conferre.*

Concilium Mechliniense, annu MDCVII. Titulu XIX. Cap. V. *Pluralitas* (inquit) *Beneficiorum, & certum continet animarum periculum, & totius Ordinis Ecclesiastici perversio est: Ideóque mandat hæc Synodus exactè servari, quidquid de ea Cap.* DE MULTA, X. DE PRÆBENDIS, *ac in aliis sacris Canonibus, & præsertim in Sacro Concilio Tridentino, statutum & decretum est.*

REGULA XXVIII.

Plurimum Beneficiorum possessio plures in se deformitates continet.

ITa docet *S. Thomas*, Quodlibeto x. Quæstione vii. Articulo ii. *Quædam* (inquit) *sunt actiones, quæ de se indifferentes sunt ad bonum vel malum: Inter quarum numerum quidam computant* » *habere plures Præbendas, dicentes*; Ita licitum est » habere plures Præbendas, sicut habere plura » poma. *Sed hoc non videtur esse verum, cùm hoc quod est habere plures Præbendas, plurimas in se inordinationes contineat; utpotè quia non est possibile aliquem in pluribus Ecclesiis deservire, in quibus est Præbendatus, cùm Præbenda videantur esse ordinata quasi quædam stipendia Deo ibidem Ministrantium. Sequitur etiam diminutio cultûs divini, dum unus loco plurium instituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum, qui ad hoc aliqua bona Ecclesiis contulerunt, ut certus numerus Deo deservientium ibi esset. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus Beneficiis abundat, & alius nec unum habere potest: Et multa alia hujusmodi, quæ de facili patent: Unde non potest contineri inter indifferentes actiones; & multò minùs inter eas quæ sunt secundùm se bona: ut dare eleemosynam, & hujusmodi.* Hinc *S. Thomas* hanc velut *S. Bernardi* Sententiam citat: *Qui non unus sed plures est in Beneficiis, non unus sed plures erit in suppliciis.*

Multiplex deformitas in pluralitate Beneficiorum.

Intentionem fundatorum fraudari, cùm uni plura Beneficia conferuntur, pariter asserit *Guilelmus Parisiensis* Tractatu *De Collatione Beneficiorum*, cap. vi. *Quoniam sicut certum numerum voluerunt habere servitiorum, sic & servitorum.* Si quis verò dixerit Ministrum unum sufficere ad plura Ministeria obeunda: Id manifestè falsum esse respondet Episcopus Doctissimus: Quia *Ad majorem gloriam sunt ei multi præcones laudum ipsius, quàm unus: Alioquin ad quid instituta essent tot & tanta Ecclesia Collegiata, totque Chori canentium laudes ipsius?* Si autem dixerit, quòd hoc sufficit ipsis Ecclesiis: & hoc falsum esse quis dubitet? *Quæ enim Ecclesia est, nisi fortè malignantium, quam Deus odivit, quæ nolit habere integritatem corporis sui, & universitatem membrorum suorum? Quæ* (inquam) *quâ portione sui contenta velit esse pro toto, nisi quæ magis est Synagoga Satana, quàm Ecclesia?* Quod si quis dixerit quòd sufficit Prælato: Vel intelligit, sufficere ei ad meritum, quod est impossibile manifestò. *Sed revera sufficit ei ad gehennam. Defraudare enim Dominum præconibus gloriæ suæ atque præconiis, & ipsam etiam membris suis, & membrorum Officiis; Animas verò tam mortuorum quàm vivorum, patronis similiter & patrociniis, sive suffragantibus atque suffragiis, sufficiens meritum est & causa damnationis æternæ.* Et infrà: *Si Dux Exercitûs daret uni ex Bellatoribus decem bellatorum stipendia, numquid non fraudem faceret Domino, & victoriam Adversarii contra ipsum procuraret? Ubi enim deberet habere mille Bellatores, per hanc viam non haberet, nisi centum. Quantùm minuat Dei Exercitum ista pestis, quamque graviter plectendi sunt à Deo hujusmodi Proditores, manifestum est satis.*

Hinc Canone *Singula*, Dist. lxxxix. hæc *S. Gregorii* Sententia refertur: *Singula Ecclesiastici Juris officia singulis quibusque personis singulatim committi jubemus. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: Ita in Ecclesia corpore, secundùm veridicam Pauli Sententiam, uno eodemque Spiritu alii conferendum est hoc officium, alii committendum est illud: Neque uni, quantumlibet exercitata persona, uno tempore duarum rerum Officia committenda sunt: Quia si totum corpus est oculus, ubi auditus? Sicut enim varietas membrorum per diversa officia, & robur corporis servat, & pulchritudinem repræsentat: Ita varietas personarum per diversa nihilominus Officia distributa, & fortitudinem & venustatem Sanctæ Dei Ecclesiæ manifestat.* B *Et sicut, indecorum est, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio, ita nimirum noxium, simulque turpissimum, si singula rerum Ministeria personis totidem non fuerint distributa.* Auream illam sanctissimi Pontificis Sententiam refert *Joannes Diaconus* in ejus Vita, Libro ii.

Multiplex igitur deformitas est in Beneficiorum pluralitate secundùm se spectatâ. 1. Privatur Deus cultu suo: Magis enim & meliùs per plures Ministros, quàm per paucos, colitur. 2. Privatur Ecclesia suo Jure: Dum enim plura Beneficia unus usurpat, Ecclesia caret Ministris C sibi debitis. 3. Fit injuria aliis dignis, immò dignioribus, qui nullum Beneficium habent. 4. Id pugnat contra rationem naturalem, quæ docet unum membrum corporis unum in corpore officium habere debere. 5. Datur locus ambitioni & cupiditati. 6. Pereunt studia literarum, æmulatione laudabili sublatâ.

REGULA XXIX.

Plurium Beneficiorum possessio ex Dispensatione D *Canonica, & justis de causis à Summo Pontifice concessa, scilicet ob Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem, honesta & licita esse potest.*

HÆc Regula colligitur ex *S. Thoma*, Quodlibeto supra citato. *Sunt quædam actiones* (inquit) *quæ absolutè considerata deformitatem vel inordinationem quandam important, quæ tamen aliquibus circumstantiis advenientibus bona efficiantur: Sicut occidere hominem, vel percutere, in se deformitatem quandam importat: Sed si addatur, occidere malefactorem propter justitiam, vel percutere delin-* E *quentem causâ disciplinæ, non erit peccatum, sed virtuosum. In numero harum actionum videtur esse habere plures Præbendas: Quamvis enim aliquas inordinationes contineat, tamen aliæ circumstantiæ possunt supervenire, ita honestantes actum, quod prædictæ inordinationes totaliter evacuantur; ut puta si sit necessitas in pluribus Ecclesiis ejus obsequio, & possit plus servire Ecclesiæ, vel tantumdem absens quàm alius præsens; & si quæ alia sunt hujusmodi: Et tunc istis conditionibus supervenientibus cum recta intentione, non erit peccatum, etiam nulla dispensatione interveniente, si consideretur tantùm Jus na-* F *turale: quia dispensatio ad Jus naturale non pertinet, sed solum ad positivum: Si verò aliquis hac intentione plura Beneficia habeat, ut sit ditior, ut lautiùs vivat, & ut faciliùs ad Episcopatum perveniat in aliqua Ecclesiarum ubi est Præbendatus, non tolluntur prædicta deformitates, sed augentur; quia cum tali intentione & unum Beneficium habere, quod nullam inordinationem importat, esset illicitum. Et sic quidem esset dicendum secundùm Jus naturale, etiam nullo Jure positivo superveniente: Nunc autem certum est per antiqua Jura hoc esse prohibitum.... Si ergo antiqua Jura, quæ hoc prohibent, in suo robore maneant, contraria consuetudine non obstante,*

Circa Beneficiorum pluralitatem justis de causis dispensare Summus Pontifex potest.

Justæ causæ sunt Ecclesiæ necessitas vel utilitas.

Nemo potest plura Beneficia possidere tutâ conscientiâ, ut sit ditior, & lautiùs vivat.

certum est non posse aliquem plures Præbendas habere absque Dispensatione; etiam illis circumstantiis supervenientibus, quæ secundùm considerationem Juris naturalis actum poterant honestare.

Hanc Regulam acceperat *S. Thomas* ex cap. *De multa*, quod est Concilii Lateranensis sub *Alexandro III. XIII. In eadem Ecclesia* (inquit) *nullus plures Dignitates aut Personatus habere præsumat, etiamsi Curam non habeant Animorum. Circa sublimes tamen, & literatas Personas, quæ majoribus sunt Beneficiis honorandæ,* CUM RATIO POSTULAVERIT, *per Sedem Apostolicam poterit dispensari.*

Sola nobilitas vel eruditio, rationes non sunt legitimæ dispensationis.

Sola porrò nobilitas vel eruditio rationes non sunt legitimæ dispensationis, sed Ecclesiæ necessitas, cùm scilicet Ministri desunt, per quos plura Officia impleantur: Vel utilitas personæ erga Ecclesiam: Cùm scilicet viri nobilitate sublimes aut doctrina eximii, plus Ecclesiæ prosunt, quàm plures alii quibus Beneficia conferrentur, magisque laborant in verbo & doctrinâ: & cùm unum Beneficium sublimibus istis litteratisque viris non sufficit, ut ex eorum opera studiisque ac laboribus utilitatem maximam reportet Ecclesia. Aliàs nulla ratio postulat, ut cum sublimibus litteratisque viris circa pluralitatem Beneficiorum dispensetur, ut docet *S. Bernardus* Epistola CCLXXI. ad Principem *Theobaldum* Campaniæ Comitem, à quo rogatus fuerat, ut apud *Eugenium III.* Pontificem Maximum pro filio suo *Vuilhelmo* intercederet, & certum quoddam Beneficium in ejus gratiam, qui tamen jam unum habebat, impetraret. *Scitis* (inquit) *quia diligo vos: Sed quantùm, novit Deus meliùs quàm vos. Me quoque diligi à vobis non dubito, sed propter Deum. Quem si offendero, non erit quod me diligere debeatis, cùm jam non fuerit in causa Deus. Quis enim ego sum, ut de me tantillo tantùm Princeps curetis, nisi quandiu Deum in me esse creditis? Ergo ut offendam eum, fortassis nec vobis expedit. Offendo autem proculdubio, si facio quod requiritis. Nam Honores & dignitates Ecclesiasticas non ignoro deberi his qui eas dignè secundum Deum administrare & velint & possint. Porro eas acquiri parvulo filio vestro precibus meis, vel vestris, nec vobis justum, nec mihi tutum esse noveritis. Nam nec cuiquam vel adulto plures in pluribus Ecclesiis habere licet: Nisi dispensatoriè, quidem ob magnam vel Ecclesiæ necessitatem, vel personæ utilitatem. Quamobrem si vobis videtur hic durus sermo, & places quod cogitastis implere: Parcite mihi in hoc; nam vos satis (ni fallor) per vos & per alios amicos vestros istud obtinere potestis. Ita nec vos minùs quod vultis efficitis: Nec ego peccavi. Sanè Vuillelmulo vestro cupio bene per omnia, sed ante omnia Deum. Hinc est, quod contra Deum nolo aliquid habeat, ne non habeat Deum. Quòd si alius secus voluerit: Nolo per me habeat: Ne perdam & ego Deum.*

REGULA XXX.

Dispensatio Pontificia possidentem plura Beneficia cujuscunque sint generis, quorum alterum ad vitam honestè sustentandam sufficiat, à peccato mortali non præstat immunem, nisi justa sit causa dispensationis.

HÆc Regula firmatur I. auctoritate *Guilielmi Parisiensis* Episcopi, Libro *De collatione Beneficiorum*, cap. VI. *Si quis* (inquit) *objecerit nobis ex Ecclesiis in quibus non compellitur fieri Residentia: Dicimus, Quia non est libertas ex constitutione vel fundatione, sed magis ex longa consuetudine, & Clericorum malitia usurpata. Quòd si objeceris nobis de Dispensationibus Apostolicis: Respondemus, Quod illa supra nos sunt: & quod diligentiùs considerata, irrita sunt: & de omni Dispensatione facta idem sentimus, nec interpretari præsumimus. E contrario tamen indubitanter sciendum est, quòd Romanus Pontifex quantumcunque largam Dispensationis gratiam videatur facere in Beneficiis cum aliquibus personis; tamen non dispensat cum avaritia, cupiditate, vel ambitione earum: Non enim intendit pascere vel nutrire pestes vitiorum de bonis temporalibus Ecclesiasticis, quæ plenè novit ad sustentationem Servorum Dei in ejus servitio certificata esse Domino & oblata.*

Pontificia dispensatio plura Beneficia possidentem non excusat, nisi justa sit causa dispensationis.

Secundò, ex *S. Thoma*, Quodlibeto IX. Quæstione VII. Articulo II. *Si antiqua Jura* (inquit) *sunt per consuetudinem abrogata, tunc prædictis circumstantiis subvenientibus, etiam sine dispensatione licitum est plures Præbendas habere: Sine quibus circumstantiis licitum non est, quantumcunque dispensatio interveniat, eò quòd dispensatio humana non aufert ligamen Juris naturalis, sed solùm ligamen Juris positivi, quod per hominem statuitur, & per hominem dispensari potest.*

Tertiò, ex Cardinali *Cajetano*, in Summa, verbo *Beneficium*, Num. IX. *Nec excusatur* (inquit) *peccatum mortale propter dispensationem Papæ sine rationabili causa: Quoniam dispensatio Papæ cadit super Jus Positivum, & non super Jus Divinum aut Morale: Pluralitas autem Beneficiorum sine rationabili causa est contra Jus Divinum & Morale, quo communia Ecclesiæ bona distribui justè debent partibus Ecclesiæ.*

Beneficiatis in hoc casu continuantis neganda Sacramentalis absolutio.

Et infrà, in Beneficiorum pluralitate tria spectanda esse ait: *Primò damnum Ecclesiarum quoad divinum cultum, numerum Ministrorum & temporalia: Secundò, damnum Clericorum bene meritorum in illis partibus ubi sunt hæc Beneficia, qui deberent ex Beneficiis & honorari, & pasci. Tertiò, scandalum bonorum virorum, qui vident hujusmodi exorbitantes distributiones conservari ab his qui in formam gregis Christiani dati sunt: Inde enim alii similia audent; & sic in præcipe ruit Ecclesia Christi. Et propterea qui hæc parvi pendit, quia sic communiter à tot fit, & quia fortè Papa dissipando dispensavit, non esset absolvendus; ut absque alia probatione clarè patet. Qui verò hæc æstimat, provideat opere & veritate ut hæc mala non sint: Alioquin tepidus est, & evomendus.*

Quartò, ex Cardinali *Toleto*, Libro V. *De Instructione Sacerdotum*, cap. LXXXII. *Non obstante* (inquit) *illo Jure Concilii, qui cum Pontificis dispensatione plura quæcunque, & quomodocunque Beneficia habet, tutus est in conscientia. Sed adverto, ut in foro exteriori possit illa habere, satis est dispensatio; tamen ut in conscientia & coram Deo tutus sit, necessaria est causa dispensationis. Hæc autem causa debet esse in utilitatem Ecclesiæ, vel ob ipsius Ecclesiæ necessitatem. Quando causa non est in bonum Ecclesiæ, non est bona dispensatio, nec est homo securus coram Deo. Rursus quamvis ista causa sit, non potest sine dispensatione habere plura Beneficia pinguia, quia est contra Concilium: Sed utrumque est necessarium, dispensatio cum causa convenienti.*

Quintò, ex Cardinali *Bellarmino* in Admonitione ad Episcopum Theanensem, Nepotem suum: *Sed quia multi* (inquit) *multa Beneficia ex Dispensatione Pontificia possident: Sciendum est Pontificiam Dispensationem, quando non adest justa causa dispensandi, valere in foro fori, sed non in foro poli, ut apertè docet S. Thomas:* Id est,

in foro exteriori, non in foro conscientiæ, & coram Deo.

Sextò, ex *Panormitano*, in cap. *Dudum* 2. *De Electione*, cujus hæc verba refert ibidem Bellarminus: *Dispensatus etiam per Papam circa pluralitatem istorum Beneficiorum, sine causa, etiam si sit tutus quoad Ecclesiam Militantem, non tamen quoad Triumphantem, & sic non videtur dispensatio quoad Deum.*

Quæ dispensationes legitimæ.

Aliorum Theologorum ac Juris Canonici Peritorum suffragia hac in re concordantia adscribere minimè necesse est: Satis sit observare, illorum Assertionem *S. Bernardi* Sententiæ planè consentaneam esse, Lib. III. *De Consideratione* ad *Eugenium* Pontificem Maximum cap. IV. scribentis: *Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio: Ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: Utilitas, dico, communis, non propria: Nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* Et Epist. VII. ad *Adam* Monachum: *Apostolicam* (loquitur) *licentiam quæsivimus & impetravimus. Utinam non licentiam quæsissetis, sed consilium; id est, non ut liceret, sed an liceret. Unde tamen quærebatis licentiam? Ut liceret quod non licebat? Facere itaque volebatis, quod non licebat. Sed quod non licebat, malum erat. Mala igitur erat intentio, quæ in malum tendebat.* Et infrà: *Hujus patrandi mali quærendam putastis esse licentiam. Sed ad quid? An ut quantò licentiùs, tantò securiùs, & quò securiùs, eò & periculosiùs peccaretis? Mira cautela, & stupenda providentia! Malum quod jam corde conceperant, opere tamen cauti fuerunt non implere, nisi cum licentia. Conceperunt dolorem, sed non pepererunt iniquitatem, donec iniquo Papa conceptui præbuisset assensum. Quo lucro? Quove saltem compendio mali? Nunquid ideò aut malum esse desiit, aut vel minoratum est, quia Papa concessit? Quis verò malum esse neget, assensum præbere malo? Quod tamen Summum fecisse Pontificem, nequaquam crediderim, nisi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum.*

REGULA XXXI.

Intentio expendendi reditus Beneficiorum in bonos & pios usus, pluralitatem Beneficiorum non excusat.

Cum enim non sint facienda mala, ut eveniant bona, plurimùmque Beneficiorum possessio secundùm se sumpta, & his destituta circumstantiis, quas explicuimus, mala sit, non excusantur à peccato qui plura Beneficia possident, quorum unum ad honestam ipsorum sustentationem sufficiat habitâ ratione personæ, loci, & temporis, nisi ob Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem personarum in Ecclesiam, cum ipsis fuerit dispensatum; quamvis intentionem habeant expendendi reditus hujusmodi Beneficiorum in pios usus. Ita docet *Guillelmus Parisiensis*, Libro *De Collatione Beneficiorum*, cap. VI. *Quàm ridiculosum sit quod quidam dicunt, quod potest habere qualibet & quantumcunque pinguia temporaliter Beneficia quivis, dum ea bene expendat, ex his apparet. Licèt enim Medicus salarium in quantumcunque pios usus expendat, quod ab ægro pro eo medicando recepit, non omnino propter hoc satisfacit ægro, qui nec minùs ægrotat. Idem dicimus & de Bellatore, quantumcunque largè & magnificè expendat stipendium, non propter hoc minùs exhæredatur Rex, cujus bellum debuit agi. Similiter & de Vinitore, & de Advocato eis objici potest: Non enim solam dispensationem temporalium suscipiunt proventuum Clerici institutione vel vocatione sua, sed officium medicandi sauciatum, de quo loquitur Lucæ X. & officium agendi bellum Dei: similiter & officium allegandi causam Animarum, & officium operandi in vinea Domini.*

Intentio expendendi reditus Beneficiorum in pios usus non sufficit ad pluralitatem excusandam.

Idem docet *Dionysius Carthusianus* in Tractatu *Contra pluralitatem Beneficiorum*, Articulo XII. *At verò* (loquit) *hospitalitatem servare, & eleemosynas erogare, non est efficiens causa habendi hujusmodi Beneficia plura, cùm ex hoc aliunde proveniant multa inconvenientia graviora. Deus quoque non exigit ab aliquo hospitalitatem, & eleemosynarum largitionem ultra vires ipsius, seu ultra id quod sibi de uno competenti Beneficio superest.*

REGULA XXXII.

Beneficiorum pluralitatem non excusat quorumdam huic pluralitati favens opinio, vel exempla.

Non enim hominum opiniones Legi Dei, aut Sacris Canonibus & Ecclesiæ Decretis contrariæ; vel eorum exempla nos excusant, cùm id committimus quòd Lege Dei vel Ecclesiæ vetitum est.

Præterea, (ut rectè disserit *Guillelmus Parisiensis* loco supra citato) *Si dubium est utrum liceat vel non liceat, ipsa dubietas certitudo est, & determinatio quia procul dubio non licet. Nulli enim dubium est, quod non licet alicui committere se discrimini: Discrimini autem se committit, qui aliquod facere præsumit, de quo dubitat an peccatum mortale sit. Quare sicut dicimus, quod ipsa dubietas efficit hoc discriminosum, & propter hoc vitandum ex necessitate; quare & illicitum.*

Ampliùs, nullus dicit hoc, videlicet quòd liceat, nisi vel qui plurima habet hujusmodi Beneficia, vel qui ea habere intendit: Quare in causa sua, & pro se ipso dicit hujusmodi testimonium: Non ergò verum sive conveniens est testimonium ejus, & ideò non est credendum ei. Qui autem è contrario dicunt: quodammodo se obligant ut plurima in futuro non habeant, & non contenti sint tali Beneficio, sicut legitur Proverb. XIII. Qui detrahit alicui, in futurum se obligat: *Subaudi, ne illud faciat...*

Ampliùs quærimus ab hujusmodi avaris & ambitiosis, ut videtur, utrum ex charitate detineant multa ejusmodi Beneficia, an cupiditate vel ambitione? Quod si ex charitate respondeant; *non est qui eis credat: Non enim ex charitate Dei & proximi tanta damna suffragiorum, nec ipsi Ecclesiæ, quæ incomparabiliter magis diligenda est, quàm quivis proximus, tantam sui corporis vastationem facerent. Quod si ex cupiditate vel ambitione, ex ore suo judicentur: Manifestè enim confitentur quia malè.*

REGULA XXXIII.

Episcopi, & Parochialium Ecclesiarum Rectores Divino, Naturali, & Ecclesiastico Jure ad Mansionem sive Residentiam personalem in suis Ecclesiis tenentur.

Episcopalis enim dignitas non est instituta nisi propter Officium, & nunquam in sacris Literis nisi Officii nomine designatur. Ait Christus Petro Joannis XX. *Pasce oves meas*: Non ait, Sis Præsul, aut Episcopus, imò nec, Sis Pastor; nam & Pastores socordes & somnolenti esse possunt, sed, Pasce, id est, doce, institue, guberna exemplo meo oves meas. Hinc Apostolus ait: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*: Id est, si legitimum est desiderium, non ad di-

In Beneficiis curam Animarum habentibus residendi obligatio, ex jure divino positivo.

1. Tim. 3

gnitatem, sed ad opus referendum est. Quare statim subjungit, Episcopum *Doctorem* esse oportère, id est, necesse esse ut doceat. Unde Episcopo in ejus Consecratione dicitur: *Vade, prædica Populo Dei.* Episcopis igitur & inferioris Ordinis Pastoribus per se incumbit gregem pascere. Id porrò sine personali præsentia fieri non potest: Ex quo sequitur, Episcopos, & Parochialium Ecclesiarum Rectores, jure divino ad Residentiam obligari. Nam quo quisque jure obligatur ad finem, obligator etiam ad media quæ ad illios assecutionem sunt necessaria. Id confirmat Christus (*Joannis X.*) boni Pastoris indolem esplicans: *Ego sum,* (inquit) *Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, & qui non est Pastor, cujus non sunt oves propria, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit & dispergit oves: Mercenarius autem fugit, quia Mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus.* Certè nisi Residentia jure divino Episcopis, cæterisque Pastoribus præscripta esset, non tenerentur vitam potiùs exponere quàm à grege recedant, cùm gregi periculum imminet, in quo Pastoris præsentia illi opus est. Pergit Christus in explicanda boni Pastoris indole: *Ego sum Pastor bonus: Et cognosco meas, & cognoscunt me meæ.* Quomodo verò Pastor cognoscet oves, ut earum ingenium, mores, morbósque animi non ex aliorum relatione, sed propriâ observatione sciat; quomodo item oves Pastorem, ut eum diligere, vocantem ac præcipientem audire, ducentem sequi ac imitari valeant, absque assidua mansione & personali Residentia? *Qui intrat per ostium, Pastor est ovium. Huic ostiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas. Et cùm proprias oves emiserit, ante eas vadit: Et oves eum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.* Sacramentorum Administratio, verbi divini prædicatio, sacra Visitatio pauperum, viduarum, orphanorum, peregrinorum cura, morum reformatio atque correctio, Pastoralis partes sunt Officii Pastoris prædicantis, docentis, admonentis, in omni patientia & doctrina increpantis, vocem audiunt Oves Christi ejus curæ commissæ. Vocat eas nominatim, & educit eas in optima & saluberrima Christianæ Doctrinæ, & Sacramentorum pascua: Singulorum morbis medetur, & necessitatibus subvenit: Hunc consilio, illum solatio, istum correptione, illum eleemosynæ subsidio sublevat: Illos è vitiorum cœno educit, ex lupi tartarei faucibus eripit: Illorum lites sine judiciorum strepitu componit, dissidentes conciliat. Hæc verò Officia nonne mansionem assiduam, sive personalem Residentiam postulant? Ex Scriptura ergo Sacra colligitur evidenter, Episcopos, aliósque Pastores ad Residentiam esse obstrictos: adéoque divini juris est obligatio residendi. Quod argumentum contra *Catharinum* triumphali calamo tractarunt & exornarunt *Bartholomæus Caranza* Toletanus Archiepiscopus ex Ordine Prædicatorum assumptus, *Dominicus Soto* Libro x. *De Justitia & Jure*, Quæst. III. *Franciscus Torrensis* seu *Turrianus*, Societatis Jesu Theologus Doctissimus, *Thomas Campeggius*, Cardinalis, *Bellarminus* in Epistola ad Nepotem suum Theanensem Episcopum, & ante illos Cardinalis *Caietanus* in Secundam Secundæ *S. Thomæ* ad Quæstionis CLXXXV. Articulum V.

Ex jure naturali.

Quod verò naturali etiam Juri consentanea sit, facilè demonstratur ex Officio Pastorum. *Lux* enim *Mundi*, *Civitas supra Montem posita*, *Sal Terræ*, à Christo nuncupantur: Lux mundi, quia ignorantiæ tenebras à Populorum sibi commissorum mentibus dispellere tenentur: At lucem natura docet nisi præsentem lucere non posse. Civitas supra montem posita esse debent, ut ipsos aspiciens Populus, vitæque ipsorum sanctimoniam, & egregia virtutum exempla considerans, ad viam salutis redeat, si fortè ab eâ deflexerit: Oculis autem omnium patere non possunt Pastores, nisi præsentes sint. Sal terræ esse debent, ut pravos affectus divino quodam sacræ doctrinæ, sanctæque conversationis sapore condiant, quod præstare non possunt absentes. Medici sunt Animarum: Quod officium industriam personæ ac præsentiam desiderat. Nauclerii sunt, Duces, fideles servi ac Dispensatores Mysteriorum Dei. Sunt ad arcendum hostes, custodes & vigiles à Christo constituti. Eorum officium est parare Domino plebem perfectam, & uni viro virginem castam exhibere Christo: Quæ Officia personæ industriam ac præsentiam postulant.

Ex jure Ecclesiastico.

Quod denique Episcopi Ecclesiastico etiam jure ad mansionem assiduam seu Residentiam in suis Diœcesibus, & Parochi in suis Parochiis teneantur, constat ex cap. *Quia nonnulli*, Ext. *De Clericis non Residentibus*, quod est XIII. Lateranensis Concili sub Alexandro III. *Cùm* (inquit) *Ecclesia vel Ecclesiasticum Ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per se ipsam valeat exercere. Quòd si aliter actum fuerit, & qui receperit, quod contra Sacros Canones accepit, amittat: & qui dederit, largiendi potestate privetur.* Idem confirmatur ex cap. *Relatum*, quod est *Alexandri III.* Rescriptum ad Eboracensem Archiepiscopum, ex cap. *Qualiter*, quod est *Innocentii III.* & aliis Pontificum Decretis, sub eodem Titulo. Præterea Concilium Sardicense Canone XIV. vetat ne Episcopus ultra tres septimanas sive tres Dominicos dies sit absens ab Ecclesia sua. Diaconus, vel Presbyter, si per tres hebdomadas ab Ecclesia sua abfuerit, triennio à Communione suspenditur, Canone *Si quis*, Causa VII. Quæst. I. qui est Agathensis Concilii LXIV. Concilium Sardicense Canonibus Octavo, nono, & decimo, Episcoporum aditum ad Principum Aulas prohibet, nisi literis ipsorum invitati aut vocati fuerint: Si verò causa aliqua emerserit, in qua pauperibus, viduis, pupillis, oppressis, necessaria sit eorum intercessio, statuit ut Diaconum mittant cum precibus, ipsique in Ecclesiis suis maneant. Et Canone *Clericus*, Causa XXI. Quæst. I. Residentiæ gratiâ prohibetur: *Ne in duabus Ecclesiis Clericus connumeretur*: Qui Septimæ Synodi Canon XV. est: Idque divino testimonio confirmatur, quia scilicet, *Nemo potest duobus Dominis servire.* Canone *Placuit*, Causa VII. Quæst. I. prohibetur Episcopo, *Ne relictâ principali Cathedrâ, ad aliquam Ecclesiam in Diœcesi constitutam se conferat*; (nisi causa Visitationis, aut alia necessitas id postulet;) *vel in re propria diutiùs, quàm oporteat constitutus, curam vel frequentationem propriæ Ecclesiæ negligat.* Est Concilii Carthaginensis V. Canon V. Et Canone *Sciscitaris*, eadem Causa, & Quæstione, *Nicolaus I.* respondet non minùs juri naturali repugnare, ut Episcopus Ecclesiam sibi commissam persecutionis tempore deserat, quàm ut Proreta navim tempestate jactatam. *Sed præcipuè nos* (inquit) *qui tanquam arietes duca-*

Matth. 6. 24.

tam gregibus prabemus, imò qui & horum Pastores sumus, Deo autore cum eis in periculis pro viribus persistere pro certa conveniat: Et cùm tranquillitas reddita divinâ fuerit pietate, sopitáque furentium infestatio, mox gregem requirere, & in unum colligere, & ejus animos cœlestis patria pace, ac potissimum securitate pradicatâ sursum erigere debemus. Et Canon *Decrevimus*, Causâ x. Quæstione 1. qui est Concilii Tarraconensis octavus, statuit *Ut antiqua consuetudinis ordo servetur, & annuis vicibus ab Episcopo Diœceses visitentur.* Legi possunt & Epistolæ *Athanasii* Patriarchæ Constantinopolitani, *De Residentia Episcoporum*, quibus *Andronicum* Imperatorem adhortatur, ut Episcopos in Regia Urbe degentes Sacra Jussione in Diœceses suas remittat. Editæ sunt Tom. xxv. Bibliothecæ Patrum, Editionis Lugduoensis.

Antiquos illos Canones, adversùs Prælatos non residentes Tridentina Synodus innovat Sessione vi. Cap. 1 *De Reformatione*: Ipsos monet, *Ut attendentes sibi & universo gregi, in quo Spiritus-Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo, vigilent, sicut Apostolus pracipit, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant: Implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus à supremo Judice requirendus, custodia minimè incumbant. Cùm certissimum sit, non admitti Pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & Pastor nescit.* Statuit insuper, ut qui sex Mensibus continuis extra suam Diœcesim morando absuerint, pœnam privationis quartæ partis fructuum ipso Jure incurrant: Si per alios sex menses in hujusmodi absentiâ perseveraverint, aliam quartam partem fructuum amittant. Crescente verò contumaciâ, Metropolitanus Suffraganeos absentes, Metropolitanum absentem Suffraganeus Episcopus antiquior, sub pœna Interdicti ingressûs Ecclesiæ eo ipso incurrenda, *Infra tres menses Romano Pontifici denunciare teneatur: Qui in ipsos absentes, prout cujusque major aut minor contumacia exegerit, sua Suprema Sedis Auctoritate animadvertere, & Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire.* Et Sessione xxiii. Cap. 1. *De Reformatione*, assiduæ mansionis sive Residentiæ obligationem divino præcepto Episcopis omnibus impositam luculentiùs explicat, ut mox videbimus.

REGULA XXXIV.

Episcopi, Parochi, & alii quicumque Beneficia Curam Animarum habentia obtinentes, peccati mortalis reatum incurrunt, cùm sacram de Residentia legem violant: Fructus etiam suos non faciunt pro rata temporis absentia, nec tutâ conscientiâ illos retinere possunt.

Concilii Tridentini doctrina & Decretum de Pastorum residentia.

HÆc Regula nititur Decreto & declaratione Concilii Tridentini Sessione xviii. Cap. 1. De Reformatione. *Cùm* (inquit) *pracepto divino mandatum sit omnibus, quibus Animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre; verbique divini pradicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum, aliarúmque miserabilium personarum paternam curam gerere, & in catera munia Pastoralia incumbere: Qua omnia nequaquam ab eis prastari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: Sacrosancta Synodus eos admonet & hortatur, ut divinorum praceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate pascant & regant. Ne verò ea qua de Residentia sanctè & utiliter jam antea sub felicis recordationis Paulo III. sancita fuerunt, in sensus à Sacrosancta Synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius Decreti quinque mensibus continuis abesse liceat; illis inharendo declarat Sancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quocumque nomine & titulo prafectos, etiamsi Sancta Romana Ecclesia Cardinales sint, obligari ad personalem in suâ Ecclesiâ Diœcesive Residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur; neque abesse posse nisi ex causis & modis infra scriptis, &c. Si quis autem, (quod utinam numquam eveniat,) contra hujus Decreti dispositionem absuerit, statuit Sacrosancta Synodus, prater alias pœnas adversùs non residentes, sub Paulo III. impositas & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentia fructus suos non facere, nec tutâ conscientiâ, aliâ etiam declaratione non secutâ, illos sibi detinere posse; sed teneri, aut ipso cessante, per Superiorem Ecclesiasticum illos fabrica Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare, prohibitâ quacumque compositione vel conventione, qua pro fructibus male perceptis appellatur; ex qua etiam pradicti fructus in totum aut pro parte ei remitterentur.*

Eadem omninò, etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas, de Curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui Beneficium aliquod Ecclesiasticum, Curam Animarum habens obtinent, Sacrosancta Synodus declarat & decernit; Ita tamen ut quandocumque eos, causâ priùs per Episcopum cognitâ & probatâ, abesse contigerit, Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant. Quod si per Edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis, per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliáque Juris remedia, usque ad privationem compellere. His adde *Pii Quarti* Constitutionem contra non Residentes, quæ incipit: *In suprema.*

Ista Concilii Tridentini de Residentia Episcoporum, & Parochorum, Decreta promulgarunt, & observari jusserunt Synodi Provinciales & Diœcesanæ pleræque omnes postea celebratæ, Mediolanenses 1. & v. P. ii. Tit. *De Residentia*, Rothomagensis MDLXXXI. Bordigalensis anno MDLXXXII. Remensis & Turonensis MDLXXXIII. Aquensis MDLXXXV. Tolosana MDXC. Ebroicensis anno MDLXXVI. quæ Curatos omnes obtestatur, *Ut cogitent de gravioribus illis pœnis, qua juris divini & naturalis transgressoribus imminent; Cogitent (inquam) se vivere in perpetuo mortali peccato, quandiu praceptum divinum de Pastorum Residentia violant; Cogitent utroque jure non sibi deberi Beneficium, nisi propter Officium. Ideoque fructus suos non facere, si suum non obierint Ministerium, quemadmodum à Concilio Tridentino fuit declaratum.* Tridentini Concilii Decreto consentaneæ sunt Regiæ Constitutiones Blesenses, anno MDLXXIX. promulgatæ.

REGULA XXXV.

Episcopos, Parochos, aliósque Beneficia Curam Animarum habentia, aut alia quæcumque Residentiam postulantia obtinentes, à lethalis peccati reatu pœnisque à Jure statutis contra non Residentes, nulla Dispensatio excusat, nulláve ratio, nisi causa absentiæ legitima sit & canonica. Nulla porrò absentiæ causa legitima est & canonica, nisi Christiana Charitas, urgens necessitas, debita obedientia, & evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas.

Nulla dispensatio non residentes Beneficiatos excusat, nisi causa absentiæ legitima sit.

HAnc Regulam statuit sacra Synodus Tridentina Sessione VI. Cap. I. De Reformatione: *Episcopis inferiores* (inquit) *quævis Beneficia Ecclesiastica personalem Residentiam de Jure, vel consuetudine exigentia, in Titulum sive Commendam obtinentes, ab eorum Ordinariis, quemadmodum eis pro bono Ecclesiarum Regimine, & divini cultûs augmento, locorum & personarum qualitate pensatâ, expediens videtur, opportunis Juris remediis residere cogantur: Nullique Privilegia seu Indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis suffragentur. Indulgentiis verò & dispensationibus temporalibus, ex veris & rationalibus causis tantùm concessis, & coram Ordinario legitimè probandis, in suo robore permansuris: Quibus casibus nihilominus officium sit Episcoporum, tamquam in hac parte à Sede Apostolica delegatorum, providere, ut per deputationem idoneorum Vicariorum, & congruæ portionis fructuum assignationem, Cura Animarum nullatenus negligatur: Nemini quoad hoc Privilegio seu Exemptione quacunque suffragante.*

Quæ rationes legitimæ absentiæ.

Et Sessione 23. Cap. I. De Reformatione: *Cùm* (inquit) *Christiana Charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecolesiæ vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent & exigant; decernit eadem Sacrosancta Synodus, has legitimæ absentiæ causas à Beatissimo Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel eo absente, Suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas; nisi cùm absentia inciderit propter aliquod Munus & Reipublicæ Officium Episcopatibus adjunctum, cujus quoniam causæ sunt notoriæ, & interdum repentinæ, ne eas quidem significare Metropolitano necesse erit. Ad eumdem tamen cum Concilio Provinciali spectabit judicare de licentiis à se vel à Suffraganeis datis; & videre ne quis eo jure abutatur, ut pœnis canonicis errantes puniantur.*

Quoniam autem qui aliquantisper tantùm absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt; Sacrosancta Synodus vult illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum sive interruptum, extra prædictas causas, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere, & haberi rationem ut id ex æqua causa fiat, & absque ullo gregis detrimento: Quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit, quam sperat religiosam & timoratam fore, cùm Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere suo periculo tenentur. Eosdem interim admonet, & in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium, Dominici Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, & Corporis Christi diebus, quibus refici maximè & in Domino gaudere Pastoris præsentiâ oves debeant, ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali ullo pacto absint, nisi Episcopalia Munia in suâ Diœcesi eos aliò vocent.

Nullæ causæ absentiæ Episcoporum, aut Pastorum inferiorum ab Ecclesiis suis legitimæ sunt & canonicæ, nisi ad supra scriptas revocentur. Unde Concilium Rothomagense anno MDLXXXI. ita statuit: *Plerique ne resideant, prætexunt litigia, aut suscitant ipsimet Devoluta, ne videantur sua Beneficia pacificè possidere. Verùm quisquis Beneficio aut ejus fructibus gaudet, aut resideat, aut fructus non percipiat, quos suos sine Residentia facere non potest, & aliis Decreti pœnis subjaceat. Alii causantur Nobilium aut Parœcianorum vexationem & oppressionem. Sed si nihil ipsis de fructibus, aut saltem major portio non deperit, Residentiæ sunt obnoxii, aut ad fructuum restitutionem obligati. Obtestamur autem in Domino Nobilitatem, atque alios quoscumque, ut residentem Parœcum, sicut oves Pastorem, ament & sequantur, atque ut filii patrem honorent: Unde cum gaudio, & non gemens gregem pascat. Quisvis verò proprio Parœco injuriam fecerit, & ad Residentiam impedierit, sit ille maledictus sicut Cham, & ipso facto Anathema. Sit suspensus quoque à Divinis ipso facto, qui sciens & volens illi Communionem, aut aliud Sacramentum, nisi in mortis articulo subministraverit. Obsecramus Judices sæculares sub divini Judicii interminatione, ut in favorem Residentiæ contra oppressores Curatorum severiùs insurgant.* Idem statuunt Synodus Aquensis & Tolosana.

Mansionem & servitium in Curia Romana Canonicam absentiæ rationem non esse, declarat Synodus Ebroicensis ex Responsis Romanorum Pontificum. *Olim maximè* (inquit) *in nostrâ Diœcesi Ebroicensi diu multùmque quæsitum & litigatum, quosnam Episcopus pro dispensatis de Residentia judicare posset, ita ut non semel fuerit necessarium à nostris Antecessoribus ea de re Apostolicam Sedem Romanam consuli, quæ per felicis recordationis Papas Urbanum & Gregorium Decimum respondit, Solos ab illa Residentia eximendos esse, qui ipso facto universali Ecclesiæ in Curia Romana servirent.... Nostra ætate post Concilium Tridentinum ne quidem Sanctissimis Romanis Pontificibus Pio Quarto, Quinto, & Gregorio XIII. placuit illos excipi, sed Episcopos, etiam Cardinales, & Curatos, vel ad Residentiam de Curia & Ecclesia Romana expulerunt, vel coegerunt Beneficiis cedere, ac gravissimas pœnas non residentibus constituerunt, non obstante quocumque Privilegio vel consuetudine. Quæ omnia ad nostram conscientiam exonerandam singulis nostræ Diœcesis Curatis in præsenti Synodo significanda duximus, ne quærant excusationes in peccatis, aut existiment in nostra vel alterius potestate situm esse, illos à debito Residentiæ non solùm coram Deo, & in conscientia, sed vel in Ecclesiæ foro quocumque prætextu liberare.*

Concilium Mediolanense V. P. III. Titulo *De Residentia*, solas causas à Tridentina Synodo designatas à Residentia excusare declarat, cæteras ceu non legitimas excludit ac rejicit: *Personalis* (inquit) *Residentiæ munus, ut reverà per eos præstetur, qui illius generis Beneficia Ecclesiastica obtinent, omnem rationem Canonum Jure Tridentinisque Sanctionibus præscriptam Episcopus ineat.*

A quo munere non excusetur, neque qui Beneficium Ecclesiamve habet, de cujus titulo adhuc lis & controversia pendet: Nec verò item qui nondum Sacerdotio, aut eo Ordine quem Beneficium illud requirit, initiatus est: Nec prætereà qui justâ aliquâ causâ impedimentóve distinetur, quominus eo initietur.

Nec verò à Residentiæ munere liberi sint, qui tertiam partem fructuum, qui sibi ex Dignitatibus obve-

A *obveniebant, quas in Ecclesiis Cathedralibus obeunt, in distributiones contulerint. Imò verò ii cætera etiam, quæ Tridentino Decreto in Sessione* XXIV. *promulgato, ipsis præscripta sunt, præstare ab Episcopo cogantur.*

Ne ille quidem excusetur, cujus Ecclesia, aut Beneficium ejusmodi est, unde omnis aut certè magna pars fructuum, aliquo modo reservata ad alium pervenit.

Ne Episcopus propterea quòd sibi liberum integrúmque est, facultatem permittere, quâ liceat aliquem ab Ecclesia commissa, Beneficióve personalis B *Residentia abesse, ea potestate facultatéve deinceps ob cujusvis generis causam utatur: Sed in illa concedenda modum & rationes adhibeat, Concilii Tridentini Sanctione præscriptas.*

Ne vel ad Seminarii quidem Curam, vel ad Vicarii Munus, vel ad Sancta etiam Inquisitionis Officium, nec verò ad aliud quidquam operâ Sacerdotis, Curam Animarum generis, Episcopus ita utatur, ut ab Ecclesia, Beneficióve, in ejus Curam tradito, diutius absit, ac muneri debita Residentia personalis desit.

Ne Parochus, Animarúmve Curator ob senectutem, aut ob adversam valetudinem, cœlive gra- C *vitatem, ab eo Residentia munere excusetur. Si verò ejus invaletudo id generis est, quæ curari possit, atque eo loci ubi Ecclesia Parochialis sita est non datur, nec aliunde facultas Medici, & medicamentorum; tunc Parocho, ex infirma illa valetudine laboranti, Episcopus curationis causâ facultatem dare possit, quâ liceat ei tribus quatuórve mensibus ad summum, loco propinquiori in quo ejusmodi necessaria non desint, manere, ubi valetudinem curet. Interea ad illius Ecclesiæ Parochialis curam gerendam Vicarium Episcopus constituat, Parochi sumptu.*

Nec præterea simultatis, odiive solùm causâ Pa- D *rocham ab Ecclesiæ Parochialis Statione, locóve abesse permittat, ac ne inimicitiarum quidem quæ vel leves, vel ficta sint, causâ prætextúve. Si verò unquam graves illæ erunt, ac vera, ortæque posteaquam Parochialis Curæ munus obit, idque sine culpa Parochi; permittere Episcopus poterit illum inde abesse, locóve propinquo, ubi tuto sit, morari, eo solùm tempore inimicitiarum, non tamen ultra annum, etiamsi diuturniores anno sint inimicitiæ.*

REGULA XXXVI.

E *Summus Pontifex obligationem residendi Episcopis, aut Parochis, aliisve Curam Animarum habentibus, remittere non potest.*

IN iis enim quæ divino Jure constituta, & à Deo præcepta sunt, Pontifex Maximus, & Ecclesia, dispensare oon possunt: Sed in iis dumtaxat quæ humano Jure sunt posita. Si tamen dispensatio minùs strictè sumatur pro divini Juris interpretatione & declaratione, Summus Pontifex cum Episcopis & Parochis super F Residentia dispensare dicitur, quia declarare potest Jus divinum in certis casibus propter aliquam circumstantiam non obligare. Attamen ut declaratio illa coram Deo valeat, necesse est, ut veniam faciat discedendi ad tempus ab Ecclesiis intuitu boni publici, nimirum charitatis, aut urgentis necessitatis, aut debitæ obedientiæ, aut evidentis utilitatis Ecclesiæ vel Reipublicæ, ut explicat Cooeilium Tridentinum. Quas causas *Cajetanus*, & plerique Theologi recentiores ad tria capita revocant: Primum est necessitas impedimenti: Secundum, qualitas negotii: Ter-

A tium, coodirio personæ. Impedimentum duplicis generis distinguunt: Intrinsecum unum, ex infirmitate proveniens; quod quidem, si spes sit recuperandæ sanitatis, justam causam præbet abscedendi ad tempus ab Ecclesia, ut si mutare cœlum, aut ire ad balnea oporteat. Impedimentum extrinsecum est persecutio, in quâ non est commune ovium Pastorisque periculum, nec subditorum salus exigit Pastoris præsentiam. Unde *S. Augustinus* Epistola CCXXVIII. alias CLXXX. ad *Honoratum*, scribit: *Faciant ergo servi Christi,* B *Ministri verbi & Sacramenti ejus, quod præcepit sive permisit. Fugiant omninò de civitate in civitatem, quando eorum quisquam specialiter à persecutoribus quæritur, ut ab aliis qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia, sed præbeant cibaria conservis suis, quos aliter vivere non posse noverant. Cùm autem omnium, id est, Episcoporum, Clericorum, & Laicorum est commune periculum, hi qui aliis indigent, non deserantur ab his quibus indigent.* Si « enim perniciosum est nautam in tranquillitate « navem deserere, quantò magis in fluctibus? « (ut ait *Nicolaus* Papa Causa VII. Quæstione I. Canone *Scisitaris.*)

C Negotium autem excusans Episcopum à Residentia, vel propriam ipsius Ecclesiam spectat, vel alias Ecclesias, vel Ecclesiam universalem. *Quæ negotia Episcopos excusent à Residentia?* Nam si necessitas immineat Ecclesiam suam & Jura ipsius defendendi, ad Curiam Romanam, vel ad Aulam Regiam, aut aliò proficisci potest Episcopus, dummodo id per alios perficere non possit. Id confirmat Cap. *Ex parte*, Ext. *De Clericis non Residentibus*, cujus hæc sunt verba: *Præpositura tua Jura fideliter prosequeris, cùm per hoc censeri debeat residens.* Quamvis enim ab Ecclesia absit, adest tamen negotiis Ecclesiæ. Secundò, interdum abesse potest Episcopus ab Ec- D clesia sua ob aliarum Ecclesiarum necessitatem, aut utilitatem, ita jubente charitate, quâ *Sumus omnes unum corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Ad negotium igitur fidei vel pacis procurandum, ad alienam Ecclesiam divertere, in eaque per aliquod tempus morari Episcopus potest: & pacis etiam inter Principes Christianos componendæ causâ Legationem obire. Sed quod promiscuè ad Principum temporalia negotia gerenda ab Ecclesiis suis Episcopi discedant, abusum esse *Cajetanus* ait, quia *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Ex- E cipienda tamen sunt Regis, & Reipublicæ negotia, quæ in Comitiis Regni, & Provinciarum tractantur, in quibus suffragii Jus habent: Ipsósque interesse, est ex Ecclesiæ aut Reipublicæ bono. Ob negotium universalis Ecclesiæ multò æquiùs à suis ad tempus absunt Pastores, si negotium illud necessariò exigat Episcopum, ut profectio ad Concilium Generale, vel ad Synodum Provincialem: At si negotium non exigat necessariò Episcopum, non excusat à Residentia. Nec est quòd dicatur, Residentes in Ecclesia communi, qualis est Romana, censendos esse ubique reside- F re: Etsi enim id fortè verum sit fictione Juris positivi, non tamen verum est quoad Deum (inquit *Cajetans.*)

Conditio personæ excusans Episcopum à Residentia, unica est, secundùm eumdem *Cajetanum*; videlicet cùm persona talis est, ut meliùs, aut æquè bene regat Ecclesiam absens, ac alius præsens regeret. Hac ratione Cardinales Episcopi sex Diœcesum Urbi finitimarum, à mansione in illis Ecclesiis excusantur. Porrò cùm aliqua circa hujusmodi causas dubitatio subest, ad Romanum Pontificem pertinet, Auctoritate suâ

declarare, num Episcopus à Residentia in illo casu excusetur. Hoc sensu à Residentia dicitur dispensare.

REGULA XXXVII.

Episcopo qui longo annorum tractu in Ecclesiâ suâ assiduè mansit, & ne quidem ipsa vacatione quam ex causâ justâ Concilium per tres menses quotannis permittit, unquam usus est, concedi non potest licentia non residendi ad aliquod tempus, nisi aliqua ex causis à Concilio Tridentino approbatis ad id moveat.

ITa respondit Sacra Congregatio Concilii Interpres, die XVII. Julii MDCLVII. referente *Fagnano* in Cap. *Qualiter*, *De Clericis non Residentibus.*

REGULA XXXVIII.

Episcopus jungere non potest trimestrem absentiam unius anni cum absentia trimestri sequentis anni; adeò ut licitè abesse valeat à sua Ecclesia mensibus Octobri, Novembri, & Decembri anni currentis, & prorogare absentiam mensibus Januario, Februario, & Martio anni proximi.

ITa respondit Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres, (ut refert *Fagnanus* loco mox citato) his rationibus freta: Primò, quòd ejusmodi semestris absentia tempus Dominici Adventus & Quadragesimæ complectatur, quo ne à sua quidem Cathedrali, nedum à Diœcesi, Episcopo abesse licet, ut ex Concilio Tridentino Sessione XXIII, Cap. 1. *De Reformatione*, colligitur. Secundò, quia non *aliquantisper* tantùm abest, nec *statim* est reversurus, qui sex mensibus continuis præsentiam suam Ecclesiæ subtrahit: Adeòque peccat graviter contra Residentiæ legem veteribus Canonibus confirmatam, & à sacra Synodo Tridentina ampliùs explicatam his verbis: *Quoniam autem qui aliquantisper tantùm absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt: Sacrosancta Synodus vult illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas nullo pacto debere duos aut ad summum tres menses excedere.* Tertiò, quia semestris absentia non censetur brevis à Tridentini Concilii Patribus, ut patet ex his verbis Sessionis VI, Cap. 1. De Reformatione: *Si quis, legitimo impedimento, seu justis & rationalibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam Diœcesim morando abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni pœnam ipso Jure incurrat.* Quartò, quia magis relaxari potest nervus Ecclesiasticæ Disciplinæ, majúsque detrimentum in spiritualibus & temporalibus pati potest Ecclesia, si trimestre tempus absentiæ unius anni cum alterius anni trimestri conjungatur, quàm si trimestria sint interpolata.

REGULA XXXIX.

Adeo stricta est Residentiæ obligatio, ut ne duobus quidem mensibus, aut breviori temporis intervallo, Episcopi & inferiores Pastores ab Ecclesiis suis abesse possint, nisi id fiat ex justâ causâ, & absque gregis ipsis commissi detrimento.

ITa declarat Concilium Tridentinum Sessione XXIII. Cap. 1. *De Reformatione*; idque confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CLXXXV. Articulo V. *In qualibet* (inquit) *obli-* A *gatione præcipuè attendi debet obligationis finis. Obligant autem se Episcopi ad exequendum Pastorale officium propter subditorum salutem. Et ideo ubi subditorum salus exigit personæ Pastoris præsentiam, non debet Pastor personaliter gregem suum deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens, cùm bonus Pastor animam ponere teneatur pro ovibus suis. Si verò subditorum saluti possit sufficienter in absentia Pastoris per alium provideri, tunc licet Pastori vel propter aliquod Ecclesiæ commodum, vel pro-* B *pter personæ periculum, corporaliter gregem deserere.*

REGULA XL.

Curati Residentiæ officium non implent, nisi Parochialem Ecclesiam per seipsos regant, in eaque Pastorales functiones obeant, non per Vicarios aut conductitios Sacerdotes: Si tamen Parochialis Ecclesia Dignitati vel Præbendæ annexa sit, Curatus in Ecclesia Majori residens Officio suo satisfacit, modò Perpetuum in Parochia Vicarium canonicè institutum, & congruâ Portione de ipsius C *Parochiæ proventu donatum habeat.*

Parochi residentiæ legem violare censendi sunt, qui per Vicarium, non per se ipsos, functiones Pastorales obeunt.

HAnc Regulam statuit Concilium Lateranense sub *Innocentio III*, Canone XI. & refertur Cap. *Extirpanda*, Ext. *De Præbendis*, cujus hæc sunt verba: *Qui verò Parochialem habet Ecclesiam, non per Vicarium, sed per seipsum illi deserviat, nisi fortè Dignitati, vel Præbendæ Parochialis Ecclesia sit annexa: In quo casu concedimus, ut qui talem habet Præbendam vel Dignitatem, cùm oporteat eum in Majori Ecclesia deservire, in ipsa Parochiali Ecclesia idoneum & perpe-* D *tuum habeat Vicarium canonicè institutum, qui congruam habeat de ipsius Ecclesiæ proventibus Portionem: Alioqui illâ se sciat Auctoritate hujus Decreti privatum, liberè alii conferendâ, qui velit & possit, quod dictum est, adimplere.* Hujus Regulæ ratio est, quia omnes Animarum Rectores gregem sibi commissum pascere tenentur, secundùm præceptum à Christo *S. Petro* datum, ac subinde Pastoribus omnibus, quibus forma *S. Petri* proponitur, Joann. XX. *Pasce oves meas.* Pascendi autem officium personale est: Nam qui gregem alienum pascit, non est Pastor, sed Mer- E cenarius, ad quem non pertinet de ovibus. Certè qui per Vicarios commissas sibi Ecclesias regunt, videntur meretricibus esse similes, quæ statim ut pepererunt, infantes aliis nutricibus tradunt educandos, ut citiùs libidinem explere valeant: Sic & isti populos sibi commissos aliis instituendos & educandos tradunt, ut otio genióque liberiùs indulgeant, ut Urbes frequentent, ut Magnatum favorem consectentur, aut sæcularibus negotiis vacent. Sed est cur timeant illud *S. Bernardi* nomine ab Ostiensi in Cap. *Extirpanda* vulgatum: *Qui per Vicarium inservit, per Vicarium remunerabitur.* Præterea, publici Ma- F gistratus, illi potissimùm quibus ob personalem functionem justa stipendia decreta sunt, justè per Vicarios non administrantur. Quis enim Consulem, Prætorem, aut Ducem creari diceret, ut per alium rem administret? Immò verò in rebus privatis quis œconomum, medicum, nauclerum, aurigam conducit, qui non ejusdem personæ industriam requirat? Quod si Magistratus alii, & privata etiam officia personalem eorum operam & ministerium exigunt, qui ad ea sunt electi, & quibus constituta sunt stipendia ut iis fungantur: Id multò magis in Officiis Pastorum necessarium est, qui electi sunt

ut regant Animas Christi Sanguine redemptas, utque eas pascant verbo, doctrina, Sacramentis, exemplo; quo nomine proventus, decimas, oblationes recipiunt.

Regula XLI.

Fructuum tenuitas Parochum à Residentia personali non excusat.

ID constat ex cap. *Conquerente*, Ext. *De Clericis non Residentibus*, quod est *Alexandri III.* Responsum. Quin imò si Parochialis Ecclesia nullos habeat fructus, tenetur nihilominùs in ea residere, qui hujusmodi Curam volens suscepit. Unde proposito dubio in Sacra Congregatione Concilii, An Parochus à Residentia excuseture, quia fructus omnes reservati sunt, & nihil pro ipso Parocho residuum est: Vel quia Parochialem Ecclesiam parum à Civitate distantem obtinet: Vel quia dat operam litteris in eadem Civitate; ita tamen ut singulis diebus Dominicis in Ecclesia præsens sit, & sacras functiones obeat: Vel ob aëris intemperiem: Vel quia loco in quo mansurus est Parochus, opera ejus ad docendam Grammaticam necessaria est: Sacra Congregatio respondit, In nullo ex his casibus Parochum à Residentia excusari: Ejus tamen inopiæ ordinario vel extraordinario subsidio subveniendum, secundùm Caput *Licet*, Ext. *De Censibus*, & Concilii Tridentini Decretum cap. XIII. Sessionis XXIV. *De Reformatione*: Id est, aut Beneficiorum unione, aut Primitiarum vel Decimarum assignatione, aut Parochianorum symbolis & collectis, aut qua commodiori ratione Episcopo videbitur.

Hinc cùm Canonici Collegiatæ cujusdam Ecclesiæ, qui Canonicatus & Parochiales tenuis redditûs obtinebant, peterent ut Beneficiorum quorumdam unione ipsis provideretur; nec interim compellerentur ad residendum in Parochialibus, prout compellebantur vi Constitutionis *Pii V.* & Concilii Provincialis Mediolanensis: Sacra Congregatio censuit non posse suspendi Constitutionem *Pii V.* & Decretum Synodi Provincialis, sed scribendum ad Episcopum ut Beneficiorum unione tenuitatem redituum suppleat. Ita refert *Fagnanus* in cap. *Exstirpanda*, Ext. *De Præbendis*.

Regula LXII.

Quamvis paucissimi sint Parochiani, ad Residentiam nihilominus adstrictus est Parochus.

ITa declaravit Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres. Dubio si quidem proposito, An Parochus residere teneretur, cujus in Parochia tres tantùm vel quatuor essent incolæ? Respondit, Omninò teneri, ut refert *Fagnanus*.

Regula XLIII.

Non sufficit Parochum infra limites Parochiæ manere, sed in Ædibus Parochialibus ipsum commorari necesse est.

SIc multoties respondit eadem Congregatio. Qui tamen in propriis, aut paternis ædibus, infra Parochiæ fines suis manens, munia Curæ Parochialis per se ipsum exerceret, gravis peccati reus non esset, nisi ab Episcopo jussus in Domo Parochiali habitare renueret: Faceretque

A nihilominùs fructus suos. Quòd si Parochialem Ædem Ecclesia non habeat, vel commoda non sit ejus habitatio; aut ædificari non possit ob tenuitatem proventuum, & Parochianorum inopiam, insons erit Parochus, si in domo conductâ, vel aliâ, ubi Episcopus permiserit, intra Parochiæ fines commoretur; ex ejusdem Congregationis Sententia.

Ex his sequitur, in sacram Residentiæ legem peccare Parochos, qui totis Hebdomadibus a Parochiis suis absunt, Officio suo satis functos se B esse arbitrati, si Dominicis Festísque diebus Missam Parochialem celebraverint, Vesperásque decantaverint.

Regula XLIV.

Si quis ex Dispensatione Præbendam vel Dignitatem, simul cum Ecclesia Parochiali obtineat, in Ecclesia Parochiali residere tenetur, & Parochialia munia per seipsum obire, ad idque ab Episcopo compelli potest ac debet.

PRima enim & præcipua est Animarum Cura: Atque ita declaravit Sanctissimus Pontifex *Pius V.* Constitutione quæ incipit, *Cupien*-C *tes*, editâ VIII. Idus Julii MDLXVIII. Et meritò quidem, cùm Residentia in Parochialibus sit Juris Divini, in aliis verò Beneficiis Curam Animarum non habentibus, Juris sit duntaxat Ecclesiastici. Quamobrem Curatos, si qui Dignitatem aut Præbendam in Cathedralibus Ecclesiis obtineant, Dominicis Festísque diebus Ecclesia Parochiali relictâ Choro Cathedralis Ecclesiæ interesse, & Distributionum participes esse, pati non debent Episcopi, ut statuit Concilium Mediolanense V. P. III. Tit. VIII. Sed illos cogere Parochiali Ecclesiæ statis horis D operam, curam, muneráque suscepti Parochialis officii usque adeò præstent, ut ei nullâ statâ horâ desint, nullúmque Officium omnino prætermittant suæ curæ, solicitudinique commissum. Si tamen præstito Parochiali debito servitio, temporis aliquid superfuerit, tunc Canonicatus servitio vacare, & distributiones quotidianas jure lucrari poterunt, ut declarat Concilium Tolosanum anno MDXC. cap. VII. *De Residentia*, Decretum illud Mediolanensis Concilii V. suum faciens.

E

Regula XLV.

Divino Residentiæ præcepto non satisfaciunt Episcopi, & Clerici in Beneficiis Animarum Curam habentibus corpore duntaxat præsentes, nisi pro viribus omnes Pastoralis Officii partes impleant.

SAcra enim Synodus Tridentina Sessione XXIII. cap. I. *De Reformatione*, omnes quibus Animarum Cura commissa est, admonet & hortatur, *Ut Divinorum præceptorum memores, factique formâ gregis, in judicio & veritate pascant, & regant.*

F Id explicat magis Concilium Aquileiense anno MDXCVI. cap. V. *Quod verò de Episcoporum Residentia à Sacro Tridentino Concilio, & Summorum Pontificum Constitutionibus cautum est; hoc non est intelligendum ut præsentiâ assideant, nihil prætereà agant: Cum ex Sacris Canonibus Residentia sit accipienda in eum sensum, ut sit laboriosa, non otiosa: Id quod duobus præsertim Tridentinæ Synodi verbis egregiè exprimitur*, UT PASCANT ET REGANT: *Quorum primum ad vitæ innocentiam, ad salutaris verbi prædicationem, ad Sacramentorum Administrationem, & bonum exemplum pertinet: Secundum ad Disciplinam restituendam, ad Mores pur-*

Divino Residentiæ præcepto non satisfaciunt, qui omnes Pastorales officii partes pro viribus non implent.

gandos, & Juris Ecclesiastici dictionem, ad bonorum laudem, & vindictam malorum sustinendam spectas. Utrumque si præstiterint Episcopi, satis illa quæ sunt Episcopalis Muneris videbuntur præstitisse & implesse.

Et cap. VI. *Qui Curam Animarum ex officio susceptam habent, rei debent, quam sustinent, quæ singulis periclitatur momentis, præsentem operam dare: Atque hi quidem ut corporali insistunt Residentia, ita piis debent conatibus urgere, nequid propter illorum injuriam aut nequitiam pereat, & reddenda rationis obligatione malum custodem obstringat. Debent Curati meminisse, datos se Populis Mediatores inter Deum & homines, ut Sacra frequenter facere pro Ecclesia Sancta Dei, & Populo sibi commisso non omittant, ut verbum Dei, cujus dispensatores facti sunt, inculcare animis Fidelium non desinant, ut Sacramenta petentibus ministrare, vel proponere & suadere maximâ diligentiâ studeant; ut vita integritatem in exemplum aliis prætendant, & quasi lucernis ardentibus viam demonstrent, quâ per divinorum mandatorum observantiam in cœlum ascenditur.*

Et infrà: *Sint igitur Curati diligentiâ & fideli Ministerio commendabiles, ut opus, quod tenent diligenter sustineant. Dei, & Episcopi sui animadversionem subituri, si negligenter se gesserint.*

Idipsum confirmat Diœcesana Synodus Ebroïcensis anno MDLXXVI. *Scimus* (inquit) *in Residentia Curatorum potiùs requiri personæ industriam & diligentiam, quàm corporis in eodem loco Residentiam & inertiam: Atque inter residentes numerandos potiùs, qui absentes corpore, spiritu & assiduâ speculatione gregi invigilant, quàm qui præsentes corporaliter, se ipsos pascunt potiùs quàm gregem, cui scandalo sunt.*

Continuas igitur excubias agere debet Parochus super gregem sibi commissum, adeóque nec pernoctare debet absque necessariâ & legitimâ causâ extra Parochiales Ædes, quamvis nulli actu sint ægroti. Semper enim timenda sunt pericula, & repentini casus, quorum exempla tam frequentia sunt.

REGULA XLVI.

Parochi ad Residentiam tenentur tempore pestis, alteriúsve morbi contagiosi, & ad Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Unctionis Extremæ Parochianis per se administranda obligantur, si major pars infecta sit.

Parochi residere tenentur tempore pestis.

NAm *Qui sic fugit, ut gregi Christi ea quibus spiritualiter vivit alimenta subtrahantur, mercenarius est*, (inquit *S. Augustinus* Epistola ad *Honoratum*:) Idem constat ex Concilio Mediolanensi V. sub *S. Carolo Borromæo*. Si verò pauci, aut certè minor Parochianorum pars pestiferâ lue fuerit infecta, & Vicarius, seu alius Sacerdos ab Episcopo approbatus devovere se periculo ex caritate voluerit, poterit Parochus ipsius uti operâ ad Sacramenta peste laborantibus administranda, séque multitudini servare, interimque sedulò invigilare, ne cui salutis subsidia desint.

REGULA XLVII.

Qui Dignitates, Canonicatus, Præbendas aut Portiones in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis obtinent, Ecclesiastico Jure ad Residentiam tenentur, gravisque peccati rei sunt, si diutius quam tribus ad summum mensibus, sive continuis, sive interruptis, à Beneficiis suis absint.

Canonicorum residentia.

HAnc Regulam statuit Sacra Synodus Tridentina Sessione XXIV. *De Reformatione*, Cap. 1. *Præterea* (inquit) *obtinentibus in eisdem Cathedralibus, aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones, non liceat vigore cujuslibet Statuti aut consuetudinis, ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: Salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt: Alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ ac Residentiæ fecit suos. Quòd si iterum eadem fuerit usus negligentiâ, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit: Crescente verò contumaciâ, contra eos juxta Sacrorum Canonum Constitutiones procedatur*; id est, priventur Beneficio, juxta dispositionem Capitis, *Inter*, & Capitis *Clericos*, Ext. *De Clericis non Residentibus*: Quam privationis pœnam ante triennium elapsum infligi non posse, declaravit Sacra Congregatio Tridentini Concilii Interpres. Quòd vero spectat privationem fructuum, eam non incurrunt ipso Jure, quamvis ab Ordinario infligi ipsis possit & debeat. Quo Tridentini Concilii Decreto, omni consuetudini non residendi, aut diutius quam tribus mensibus vacandi, aut fructus in absentiâ percipiendi, derogatum est. Nec tamen Sacra Synodus Canonicis omnibus concessit, ut tres menses abesse possint: Ecclesiarum enim Statuta, quæ longius quam novem mensium servitium, diuturnioremque Residentiam exigunt, observari voluit: Unde illarum Ecclesiarum Beneficiati, si toto temporis, quod illis Statutis præscriptum est, intervallo in Beneficiis non manserint, pœnis à Concilio decretis subjacent, ut respondit Sacra Congregatio Concilii ejusdem Interpres.

Quòd autem minimè necesse sit absentiam esse continuam, ut Canonicus ultra tres menses abfuisse censeatur, sed satis esse ut dies absentiæ, licèt interpolati, trimestre superent, declaravit Concilium Burdigalense anno MDCXXIV. Canone VII. *Sed & illa fraus* (inquit) *longè amovenda, quâ quòd cuilibet Canonico per tres menses abesse conceditur, quidam sati, nullam fere Residentiam Ecclesiis exhibere dignoscuntur. Decernimus igitur tres illos absentiæ menses ita numerandos esse, ut in iisdem omnes, sive continui, sive non continui & interpolati, concludantur: Unde qui à Residentia ultra tres menses eo modo reductos abfuerit, pœnis eum à Sacris Canonibus contra absentes latis feriri, & Capitulum in hoc contra Sacros Canones dispensare non posse censemus.* Sed nec Episcopos posse contrarium statuere, declaravit Congregatio Concilii Interpres. Addiditque, tres absentiæ menses continuos esse posse: Non tamen omnibus Canonicis eodem tempore abesse licere, ne omni servitio destituatur Ecclesia; sed tantùm per vices.

REGULA XLVIII.

Ad Distributiones quotidianas illi soli Jus habent Canonici, aliive Cathedralium aut Collegiatarum Ecclesiarum Beneficiati, qui Divinis Officiis interfuerint: A qua lege sola infirmitas, seu justa & rationabilis corporis necessitas, & evidens Ecclesiæ utilitas excusant.

Illi soli Canonici ad distributiones quotidianas jus habent, qui divinis officiis intersunt.

HÆc Regula traditur cap. *Consuetudinem*, Tit. *De Clericis non Residentibus*, in Sexto. *Statuimus*, (inquit) *ut distributiones ipsæ quotidianæ, in quibuscunque rebus consistant, Canonicis, ac aliis Beneficiatis, & Clericis Ecclesiarum ipsarum, qui eisdem Officiis, in ipsis Ecclesiis adfuerint, tribuantur, juxta Ecclesiæ cujuslibet ordinationem ra-*

tionabilem jam factam, sed etiam faciendam. Qui verò aliter de Distributionibus ipsis quicquam exceperis (exceptis illis, quos infirmitas, seu justa & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret) rerum sic receptarum dominium non acquiras, nec facias eas suas, immò ad omnium restitutionem, quæ contra hujusmodi nostram Constitutionem receperit, teneatur. De distributionibus etiam pro Defunctorum Anniversariis largiendis, idem decernimus observandum.

Eandem Regulam confirmat Synodus Tridentina Sessione XXIV. *De Reformatione* cap. XII. *Distributiones verò* (inquit) *qui statis Horis interfuerint, recipiant: Reliqui, quavis collusione aut remissione exclusâ, his careant, & juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit,* CONSUETUDINEM: *Quod Sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscunque Statutis, & Consuetudinibus. Omnes verò Divina per se, & non per Substitutos, compellantur obire Officia; & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere & inservire, atque in Choro ad psallendum instituto, Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devotèque laudare.*

Servandam nihilominus consuetudinem, secundùm quam, qui non sunt Presbyteri, licèt inserviant, distributiones non lucrantur, Sacra Congregatio Concilii Interpres respondit. Item servandam consuetudinem, secundùm quam de mensa communi nullus Presbyter participat, nisi per annum gratis inservierit. 3. Absentes tribus mensibus à Concilio permissis, fructus Præbendæ, non tamen distributiones lucrari. 4. Absentes à loco Beneficii tempore pestis, fructus quidem Præbendæ, non tamen distributiones, percipere, nisi consuetudo obtinuerit, ut justa ex causa absentibus dentur. 5. Nec absentes studiorum causâ, nec duos Canonicos in servitio Episcopi constitutos, etiamsi Diœcesis Visitationem obeant, quotidianarum distributionum esse participes, nisi fortè fructus omnes in certis distributionibus consistant: Quo tamen casu tertiam illam partem quæ inservientibus accrescit, non lucrantur. 6. Nec Vicariis Episcoporum, nec Theologis, iis diebus quibus non docent, distributiones deberi. 7. Nec iis qui in Choro corpore quidem præsentes, Officium tamen privatim recitant, aut stant in sedibus suis otiosi, neque cum aliis psallunt: Nec etiam iis qui divini Officii tempore Missam celebrant, nisi fortè eâ horâ, ab eo ad quem pertinet, ad celebrandum sint notati. Has Sacræ Congregationis Declarationes refert *Fagnanus* in cap. *Licet*, Ext. *De Præbendis*.

Exceptiones.

Secundùm Exceptiones *Bonifacii VIII.* cap. *Consuetudinem*, à Tridentina Synodo confirmatas, & Declarationes Sacræ Congregationis ejusdem Concilii Interpretis, Distributiones Canonicis à Choro absentibus debentur. 1. Si sint infirmi, aut sine vitæ periculo Divinis Officiis interesse non possint. 2. Si cæci. 3. Si senio confecti. 4. Si sanguine minuti fuerint, aut medicinam sumpserint. 5. Si injustè in carcerem conjecti, aut ob causam criminalem in jus vocati, & illorum probata sit innocentia. 6. Si qualibet injusta vexatione impediti fuerint ne Divinis Officiis interessent. 7. Si absint ob evidentem Ecclesiæ cujus distributiones sunt, utilitatem, sive ob negotia Capituli. 8. Si absint ob functiones Curæ Animarum, suæ Dignitati vel Præbendæ incumbentis, ut rursus declarat Concilium Tridentinum Sessione XXIV. cap. XII. 9. Cum assistunt & inserviunt Episcopo Pontificalia celebranti. 10. Theologo debentur, iis diebus quibus docet vel Concionem habet: Nec non Canonico Pœnitentiario, quo tempore Confessiones audit, aliis in Choro Divina celebrantibus.

REGULA XLIX.

Theologiæ Professores, dum in Scholis docent, & Studentes, per quinquennium, à Residentia in Ecclesiis in quibus Dignitates, Præbendas, aut alia Beneficia obtinent, legitimè excusantur, absentésque Jure percipiunt fructus Beneficiorum suorum

Professorum Theologiæ & Studentium Privilegium.

HÆc Regula nititur Decretali *Honorii III.* cap. *Super specula*, Ext. *De Magistris*; quam *Clemens V.* anno MCCCVIII. *Joannes XXII.* anno MCCCXXXII. *Clemens VI.* annis MCCCXLII. & MCCCLVI. confirmarunt, & Concilium Tridentinum Sessione V. cap. 1. De Reformatione: *Docentes verò ipsam Sacram Scripturam* (inquit) *dum publicè in Scholis docuerint, & Scholares qui in ipsis Scholis studeant, Privilegiis omnibus de perceptione fructuum Præbendarum, & Beneficiorum suorum, in absentia à Jure communi concessis, plenè gaudeant, & fruantur.*

Parochorum exceptio.

Ad Professores & Studentes in Jure Canonico idem Privilegium pertinere, Sacra Congregatio declaravit: Parochis tamen Ordinarios indulgere non posse, ut absint ratione studiorum, teste *Fagnano* in 1. P. Libri V. Decretalium, cap. *Super Specula*. Tit. *De Magistris*. Num. 7.

Canonici abesse non possunt etiam ratione studiorum sine licentia Episcopi.

Canonicos ratione studiorum abesse non posse, absque licentia Episcopi, eadem Congregatio declaravit, posseque Episcopum revocare Canonicos & Præbendatos, qui absque ejus licentia se ad Studia Universitatis etiam Privilegiatæ contulerunt, præsertim si Ecclesia propter eorum absentiam Ministrorum defectum patiatur. Posse etiam Episcopum eos ad Residentiam revocare, qui manentes in Universitate cum suâ licentiâ, negligenter & inutiliter dant operam literis, Juris Canonici Periti summo consensu asserunt. Tales enim Viri ad studia se contulisse censentur in fraudem Legis, & ut fugiant Episcopi correctionem, vel ut liberiùs vivant. Quocirca Concilium Mediolanense I. P. II. cap. XXVII. statuit ut in facultatibus absentiæ, studiorum causâ concedendis, hæ conditiones necessariò exprimantur: *Ut verè in publico celebrique Gymnasio Theologiæ, vel Sacris Canonibus studeant. 2. Ut minores sint triginta annis, aut fuerint, cùm in publico Gymnasio iisdem studiis operam dare cœperunt, quæ nunc cupiunt absolvere. 3. Ut intra annum ad Ordinem saltem Subdiaconatus promoveantur. 4. Ut singulis sex mensibus Episcopo scriptum sui Doctoris exhibeant, quo ipsos in eo studii genere proficere testetur, quod etiam Episcopus secretò ab aliis cognoscere studeat.*

Conditiones in facultatibus absentiæ Canonicorum Studiorum causa observandæ.

Quòd si supra scriptæ conditiones omnes in licentiâ expressæ non fuerint; aut is qui impetrat, qualitates omnes requisitas non habeat; aut quæ ipsi servanda proponuntur, deinceps non præstiterit, *Facultates irritæ ac nullæ sint: Et qui impetrarit, sciat se fructus suos non fecisse, neque facere; ac pœnis, quæ non residentibus proposita sunt, teneri. Concedatur autem ad quinquennium tantùm, ab eo die numerandum, quo cum in publico Gymnasio Theologiæ aut Sacris Canonibus cœptes operam dare cœpisse.*

Idem edixit Concilium Turonense anno MDLXXXIII. cap. XIII. *Quod si qui in celebri Universitate Theologiæ aut Sacrorum Canonum Professioni studiam strenuámque operam navare desiderant: Hi licentiâ privilegióque percipiendi in absentiâ fructus Præbendarum ita demum potiantur, si minores triginta annis existentes, docibiles fuerint judicati; &*

postquam præsentes recepti & promoti fuerint saltem ad Subdiaconatum: Nec cuiquam tale indultum ultra quinquennium suffragetur. Quandiu autem in Universitatibus studiorum causâ manebunt, tandiu suorum Præceptorum testimonium literis authenticis confirmatum quotannis exhibere tenebuntur, se seriò graviterque prædictarum Facultatum studiis incumbere. Exactóque tandem justo studiorum tempore, ipsius Capituli studio revocati, ad Ecclesiam sua Munia obituri redire tenebuntur, assignatam Studiorum causâ portionem, nec quamvis aliam haud aliter consecuturi.

Idem decrevit Concilium Aqoense anno MDLXXXV. Prohibuitque insuper, *Ne similes facultates etiam prædictis requisitis concurrentibus, iis qui Parochiales Ecclesias obtinent, concedantur.*

Idem confirmavit Concilium Aquileiense anno MDXCVI. cap. VII. & obtinentes Ecclesias Parochiales à licentia hojusmodi proficiscendi ad publica Gymnasia pariter esse repellendos declaravit. *Qui enim* (inquit) *collationis tempore per concursum examinatus, & canonicè promotus fuit, & publico Examinatorum Synodalium testimonia ad Animarum Curam exercendam idoneus habitus, dimittendus non est ut discat, cùm ad docendos alios provectus fuerit.*

Denique Canonici, quibus studiorum gratiâ est indultum, ut absentes percipiant fructus Præbendarum suarum, illis privandi sunt, si acceptâ licentiâ se ad villas transferunt vel castella, in quibus nullum est, vel minùs competens Studiorum exercitium: *Cùm fraus & dolus nemini debeant patrocinari.* Sic respondet *Innocentius III.* Antisiodurensi Episcopo, cap. *Tua*, Ext. *De Clericis non Residentibus.*

REGULA L.

Duo Canonici Episcopo ad Ecclesiæ utilitatem servientes, à Residentia legitimè excusantur, fructúsque Beneficiorum suorum absentes jure percipiunt.

HAoc Regulam statuit *Honorius III.* cap. *Ad audientiam*, Ext. *De Clericis non Residentibus.* Potiori jure excusantur, qui Summo Pontifici serviunt ad Ecclesiæ universalis utilitatem, ut declarat *Innocentius III.* cap. *Cùm dilectus*, sub eodem Tit.

Regiæ Capellæ Clerici, à Residentia pariter dispensantur, Privilegiis Summorum Pontificum, quo tempore Christianissimis Regibus, aut Reginis, in sacris Ministeriis serviunt. Elapso autem servitii tempore ad Ecclesias in quibus Dignitates aut Præbendas obtinent, redire in iisque reliquo anni tempore residere tenentur, fructibus earum alioquin privandi, secundùm Edictum Melodunense *Henrici III.* Regis Christianissimi. Privilegium istud à *Clemente VI.* Pontifice Maximo ad Regis Christianissimi *Joannis* & Reginæ *Joannæ* illius conjugis Preces concessum est. Editum est Tom IV. *Spicilegii Acheriani*, pag. 295. Illud confirmavit *Pius II.* teste *Guimerio* in Glossa Pragmaticæ Sanctionis Tit. *Qualiter horæ sunt dicendæ extra Chorum.* Capellani domestici Principum cæterorum, etiam Regii Sanguinis, simili Privilegio non gaudent, nec fructus Beneficiorum suorum jure percipiunt quandiu absunt ut Principibus serviant. Sed ne ipsis quidem Regum aut Reginarum Capellanis, quos Beneficium Hebdomadarii titulo addicit Ministerio Altaris, tale Privilegium suffragatur, secundùm Jurisprudentiam Gallicanam, testibus *Chopino* Lib. III. *Monastícon*, cap. III. & *Fevreto*. Lib. III. *De Abusu*, cap. I. Reg XI. Neque etiam hoc Privilegio uti possunt Curiarum Supremarum Senatores, cùm non sint Capellani domestici Regis; nec tutâ conscientiâ retinere possunt Beneficia, in quibus residere nolunt Officii sui prætextu, aut fructus Præbendarum suarum vel Dignitatum absentes percipere, nisi forsan simile Privilegium ipsis à Sede Apostolica sit indultum.

REGULA LI.

Abbates & Priores Commendatarii mortaliter peccant qui Sacrum Presbyteratus Ordinem non suscipiunt intra annum, ex quo legitimam ætatem attigerunt; nisi à Summo Pontifice cum ipsis fuerit dispensatum ut illa Beneficia sine Presbyteratus Ordine retineant

VIolant enim legem Ecclesiasticam & Civilem in materia gravi: Siquidem utraque statuit ut intra annum pacificæ possessionis, ex quo legitimam ætatem attigerunt, ad Sacerdotium promoveantur. Ita Clementinâ *Ne in agro*, Tit. *De Statu Monachorum*, §. *Cæterùm*, decretum est: *Cæterum Prioratus Conventuales, nisi alicui, XXV. annum attigerit, alii verò Curam Animarum habentes, etsi Cura ipsa per sæculares habeat Presbyteros exerceri, cuiquam nisi XX. annum peregerit, conferri nequeant aut committi. Qui autem Prioratus istos vel illos habuerint, infra annum computandum à tempore collationis seu commissionis sibi factæ de eis, & possessionis eorum adeptæ, vel infra vigesimum quintum ætatis suæ annum, si ante annum ipsum non Conventuales Prioratus eis* COMMISSI FUERINT AUT COLLATI, *se faciant ad Sacerdotium promoveri. Quòd si (cessante rationabili causa) non fecerint; eo ipso nullâ etiam monitione præmissâ, prædictis Prioratibus sint privati, qui ipsis iterum eâ vice nullatenus conferantur.* Unde in Abbatiarum Commendatariarum Bullis Pontificiis hæc apponitur clausula, quod ætatem legitimam adepti Presbyteratus Ordinem suscipere teneantur. Regiis etiam Constitutionibus Blesensibus idem sancitum est, Articulo uuuo.

REGULA LII.

Lethaliter peccant, qui Parochialem Ecclesiam seu Beneficium Curatum suscipiunt cum deliberata voluntate illud non servandi, & in eo non inserviendi: & ad fructuum restitutionem tenentur.

HÆc Regula colligitur ex cap. *Commissa*, Tit. *De Electione*, in Sexto. *Cæterùm* (inquit) *si ad Sacerdotium promoveri non intendens Parochialem receperis Ecclesiam, ut fructus ex ea per annum percipias: Ipsam postmodum dimissurus (nisi voluntate mutatâ promotus fueris) teneberis ad restitutionem fructuum eorumdem: cùm eos receperis fraudulenter.*

REGULA LIII.

Qui Præbendam obtinet vel suscepit cum deliberatâ voluntate illam non servandi, nec in ea Ecclesia inserviendi, graviter peccat, nec eam pro alio Beneficio permutare potest.

NEque enim Beneficium legitimè confertur aut suscipitur, nisi propter Officium. Unde Concilium Lateranense III. sub *Alexandro III.* ex quo refertur cap. *Nulla*, Ext. *De concessione Præbendæ*, ait: *Cùm verò Præbendas Ecclesiasticas, seu quælibet Officia in aliqua Ecclesia vacare contigerit, non diu maneat in suspenso; sed intra sex menses, personis, quæ dignè administrare valeant, conferantur.* Quare si quis Præbendam impetrat ac suscipit cum deliberatâ voluntate illam non servandi, vel Ecclesiæ non in ea inserviendi, graviter peccat, nec in foro conscientiæ Beneficium illud canonicè ac legitimè possidet, proindéque illud cum alio permutare non potest.

CAPUT VII.

DE SIMONIA.

CUM in sacras Ordinationes, & Beneficiorum Ecclesiasticorum distributionem, vel captationem, atque in Sacramentorum dispensationem, quæ Ministris Ecclesiæ concredita est, Simonia potissimùm grassetur; ad complementum Tractatus de Sacramento Ordinis agendum superest de Simoniæ crimine.

ARTICULUS I.

Quid sit Simonia?

Definitio Simoniæ. *Simonia est studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale, aut spirituali annexum.*

Ita crimen illud *S. Thomas* definit, *Secunda Secundæ*, Quæstione c. Articulo I. Quæ definitio tria complectitur, scilicet actum voluntatis, quia omne peccatum in actu voluntatis consistit. Unde ille cui parentes Beneficium pecuniâ; aut qualibet aliâ re pecuniâ æstimabili obtinuerunt, Simoniæ reus non est, si id factum sit illo nesciente, & cùm primùm scivit, improbaverit ac detestatus fuerit sacrilegam nundinationem, D & Beneficium ejuraverit in manibus Collatoris. Dicitur autem studiosa voluntas, id est, deliberata. Complementum namque peccati & virtutis consistit in electione. Secundò, definitio exprimit materiam proximam hujus peccati, scilicet emptionem & venditionem. *Nomine autem emptionis & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus*; (inquit *Sanctus Thomas*) quales sunt permutatio, transactio, locatio, do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias. Tertiò, definitio exprimit materiam remotam, sive objectum sacrilegæ istius actionis, E scilicet rem spiritualem, aut spirituali annexam. Dicitur autem aliquid spirituale tripliciter: Primò per essentiam, ut gratia, virtutes, Jurisdictio Ecclesiastica: Secundò, ratione effectus, sicut Sacramenta, quæ gratiam, vel spiritualem potestatem conferunt: Tertiò, ratione causæ, ut Administratio Sacramentorum, quæ est à spirituali potestate, consecrationes personarum, locorum, vasorum, aut aliarum quarumcumque rerum, Ecclesiasticæ jurisdictionis usus, vel gratiarum datis datarum.

Spiritualibus annexa dicuntur, quæ ad usum Sacramentorum, aut Ministrorum Ecclesiæ deputata sunt, ut Calices, & Ecclesiastica Beneficia. Nam *sicut anima vivit secundùm seipsam, corpus autem vivit ex unione animæ: Ita etiam quædam sunt spiritualia secundùm seipsa, sicut Sacramenta, & alia hujusmodi; quædam autem dicuntur spiritualia ex hoc quod talibus adhærent. Unde Can.* Si quis objecerit, *Causa* I. *Quæst.* III. *dicitur, quod spiritualia sine corporalibus rebus non proficiunt, sicut nec anima sine corpore corporaliter vivit.* Ita *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione centesima, Articulo primo ad sextum.

Spiritualibus aliquid annexum est dupliciter, scilicet antecedenter, & consequenter. Annexum antecedenter est, quòd cùm naturâ suâ materiale sit, præcedit rem sacram ad quam refertur: Hujus generis sunt Calices, Altaria, sacra Vestimenta, quæ cùm primariò & ex se materialia sint, spiritualem formam induunt ex consecratione illis accedente. Ad hanc etiam classem pertinet Jus Patronatus, quod nominationem seu præsentationem ad Beneficia antecedit. Spiritualibus consequenter annexum est, quod rem spiritualem sequitur, & ab ea dependet, sicut Ecclesiastica Beneficia, quæ non competunt nisi habenti Officium Clericale. Ita rem explicat *S. Thomas*, Quæstione mox citatâ, Articulo IV.

ARTICULUS II.

Simonia crimen est gravissimum.

I. CRiminis istius gravitatem Sacra Scriptura docet, quæ illud execratur in *Balaam*, Qui *Mercedem iniquitatis amavit, correptionem verò habuit suæ insipientiæ subjugale mutum animal, quod in hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ insipientiam*: (ut loquitur *S. Petrus* Epistolæ II. Cap. II.) Et in *Giezi*, quem à *Naaman* Principe Assyriorum, quem *Elisæus* à lepra mundaverat, duo talenta accepisse refert, statimque *Elisæo* hoc divinitus cognoscente & sacrilegium istud ulciscente, leprâ fuisse infectum: (IV. *Regum* v.) Unde qui res sacras vendunt *Giezitæ*, nuncupantur. Et in *Simone Mago*, qui donum Spiritus-Sancti, sive potestatem spiritualem dandi Spiritum-Sanctum, & Miracula patrandi instar Apostolorum, emere voluit, ut eam postea venderet, & ex venditione signorum quæ per eum fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur. (*Actuum* Cap. VIII.) *Cùm vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus-Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum-Sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam Donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto. Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitiâ tuâ: & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Ab hoc parente Simoniaci nuncupati, qui res spirituales, aut spiritualibus annexas, pretio distrahere aut emere volunt, aut de illis paciscuntur: Simoniæque nomen illi vitio inditum.

II. Simonia lethale peccatum est, repugnans religioni, justitiæ, pietati & studio quo omnes Ecclesiæ Catholicæ filii ejus bonum prosequi debent. Simoniæ fœditas. Religioni quidem repugnat, quæ violatur, tum contemptu Dei, cùm non meliores, qui ei gratissimi sunt, sed pecuniosiores in Sacerdotes ac Ministros assumuntur; tum contemptu rerum spiritualium, quibus infertur injuria, cùm pecuniâ æstimantur: Nam *Quis non vile putat esse quod venditur?* (inquit *Hormisdas* Pontifex Maximus in Epistola ad Episcopos Hispaniæ) Vilia ergo dona Dei existimat, qui ea vendi putat. Ex hoc capite Simoniæ pravitatem ostendit *S. Petrus*, & secundùm ipsum *Gennadius* Constantinopolitanus Patriarcha in Epistola Encyclica: *Cælestia enim & spiritualia Dona* (inquit) *nulla est eum terrenis commutandi ratio.* Quæ enim commutantur, tantumdem valere exist-

mantur, quantùm ea quibuscum commutantur. At valoris spiritualium donorum, quæ pretium omne excedunt, cum pecunia nulla proportio est. Justitiæ quoque Simonia opponitur, tùm quòd turpi ista rerum spiritualium nundinatione doctiores ac sanctiores, qui Dignitatum & Beneficiorum Ecclesiasticorum minus cupidi esse solent, indoctioribus ac minùs probis in ea involantibus, in eorum distributione postponantur, immò prætermittantur: Tum quòd iniquum sit, & contra justitiæ commutativæ regulas, id pretio commutare, quod pretio commutari non potest; donum gratuitum vendere vel emere, quod gratis acceptum est à Deo, & ea conditione ut gratis detur, secundùm Christi Domini sententiam Matthæi x. *Gratis accepistis, gratis date.* Denique pietati Ecclesiæ debitæ, seu studio publici boni repugnat sibi vel alteri quovis pretio procurata ad Ecclesiasticos Gradus & Beneficia promotio. Ea siquidem labes Ecclesiæ sanctitatem obscurat, Canonicarum Institutionum ordinem pervertit, indignis ad Dignitatum apicem aditum aperit, contra præclaram illam *Tertulliani* Sententiam primævæ Ecclesiæ ordinem describentis, Apologetici Cap. xxxix. *Præsident probati quique Seniores, Honorem istum non pretio, sed testimonio adepti: Neque enim pretio ulla res Dei constat.*

At Simoniæ deformitatem *S. Thomæ* verbis lucolentiùs ac feliciùs exponam, quàm meis. Sic ille *Secunda Secundæ*, Quæstione centesima Articolo 1. *Actus aliquis* (inquit) *est malus ex genere, eò quòd cadit super materiam indebitam. Emptionis autem & venditionis est materia indebita res spiritualis, triplici ratione. Primò quidem, quia res spiritualis non potest aliquo terreno pretio compensari, ut de Sapientia dicitur Proverb.* III. Pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur huic non valent comparari. *Ideò etiam Petrus in ipsa sui radice Simonis pravitatem condemnans, dixit.*: Pecunia tua tecum sit in perditionem: Quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. *Secundò, quia id non potest esse debita venditionis materia, cujus venditor non est dominus: Prælatus autem Ecclesiæ non est dominus spiritualium rerum, sed dispensator, secundùm illud* I. *ad Corinthios* IV. Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei. *Tertiò, quia venditio repugnat spiritualium origini, quæ ex gratuita voluntate Dei proveniunt. Unde & Dominus dicit Matth.* x. Gratis accepistis, gratis date. *Et ideo aliquis emendo vel vendendo rem spiritualem, irreverentiam exhibet Deo & rebus divinis: Propter quod peccat peccato irreligiositatis.*

Simoniaca pravitas Hæresis appellata. III. Simoniacam pravitatem Hæresim vocant Pontifices & Concilia, *S. Gregorius Magnus* Libro IV. Regesti, Epistola LV. *Pervenit* (inquit) *ad Nos, quòd in illis partibus nullus ad Sacrum Ordinem sine commodi datione perveniat. Quòd si ita est, flens dico, gemens denuncio: Quia cùm Sacerdotalis Ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe ex Evangelio, quid Redemptor noster per semetipsum fecerit: Quia ingressus Templum cathedras vendentium columbas evertit. Columbas enim vendere, est de Sancto Spiritu, quem Deus omnipotens consubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo malo jam innuitur quid sequatur, quia qui in Templo Dei columbas vendere præsumpserunt, eorum Deo Judice Cathedræ ceciderunt. Qui videlicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam ipse quoque qui ad Sacrum Ordinem perducitur, jam in ipsa provectûs sui radice vitiatus, paratior est aliis venundare quod emit. Et ubi est quod scriptum est*: Gratis accepistis, gratis date? *Et cùm primò contra Ecclesiam* SIMONIACA HÆRESIS *sit exorta: Cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum quem quis cum pretio ordinat, provehendo agit ut hæreticus fiat.* Idem repetit Epistola LVI. ejusdem Libri, & Libri VII. Epistola CXI. CXIV. & CXV. Simoniam *Hæresim* pariter vocant *Gregorius VII.* Epistola XXXIV. Libri XI. *Paschalis II.* Canone *Altare*, Causa 1. Quæst. III. Concilium Turonense sub Carolo Magno, Canone XV. Remense Canone XXI. Moguntinum sub Rabano, Canone XII. & Caput *Quoties*, quod *Adeodato* Papæ tribuitur, Ext. *De Simonia*; & Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus, in Epistola ad *Adrianum I.* Pontificem Maximum, nec non *Goffridus Vindocinensis* in Opusculo quod *Calixto II.* nuncupavit, &c. Quamvis enim simoniaca pravitas per se non sit hæresis, cùm aliquis Simoniacus esse possit ex solâ depravatione voluntatis per avaritiam, remanente recto judicio intellectus circa ea quæ fides tradit: Potest tamen præsumptione Juris vel operis Simoniacus omnis in fide haberi suspectus, ut *Gersonius* loquitur in Tractatu *De Simonia*: Sive, ut ait *S. Thomas*, Secunda Secundæ Quæstione centesima, Articulo 1. ad primum, Simonia hæresis dicitur secundùm exteriorem protestationem. Nam *Sicut Religio consistit in quadam fidei protestatione, quam tamen aliquis interdum non habet in corde: Ita etiam vitia opposita Religioni habent quamdam protestationem infidelitatis, licèt quandoque non sit infidelitas in mente. Secundùm hoc ergo simonia hæresis dicitur secundùm exteriorem protestationem: Quia in hoc quòd aliquis vendit Donum Spiritus-Sancti, quodammodo protestatur se esse dominum spiritualis Doni, quod est hæreticum.* Paulò aliter id explicat in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXV. Quæstione III. Articolo 1. Quæstiuncula II. *Aliquid* (inquit) *attribuitur alteri dupliciter: Uno modo simpliciter: Alio modo propter similitudinem actûs, sicut dicit Philosophus* VII. *Ethicorum, quòd incontinentes quandoque dicuntur intemperati, quia faciunt quæ intemperati, sed non eodem modo, sicut etiam dicit quod Milesii stulti non sunt, sed operantur qualia stulti: Et secundùm hoc dicendum, quòd Simoniaci non sunt propriè & per se loquendo Hæretici, cùm non habeant aliquam falsam opinionem: sed dicuntur hæretici propter similitudinem actûs, quia ita operantur ac si æstimarent Donum Spiritus Sancti pecuniâ possideri, quæ æstimatio esset hæretica.* Unde *S. Gregorius* Libro IX. Epistolarum, Indictione IV. Epistola LIII. ex qua refertur Canone *Cùm omnis*, Causa 1. Quæstione 1. ait: *Cùm omnis avaritia sit Idolorum servitus, quisquis hanc in Ecclesiasticis Dignitatibus dandis non præcavet, infidelitatis perditioni subjicitur, etiamsi fidem quam negligit, tenere videatur.*

Quo sensu simonia hæresis vocetur, quid in Macedonii Hæresi. Hoc sensu *Tharasius* Patriarcha Constantinopolitanus in Epistola ad *Adrianum I.* ex qua refertur Canone *Eos*, Causa 1. Quæstione 1. Simoniacam Pravitatem hæresim esse Macedonianorum errore damnabiliorem asserit: *Illi enim* (inquit) *creaturam & servum Dei Patris & Filii Spiritum-Sanctum delirando fatentur: Isti verò* (scilicet Simoniaci) *eumdem Spiritum Sanctum efficiunt suum servum. Omnis enim dominus, quod habet, si vult, vendit, sive servum, sive aliquid aliud eorum quæ possidet: Similiter & qui emit, dominus ejus volens esse quod emerit, per pretium pecuniæ illud acquirit: Ita & qui hanc iniquam*

iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui-Sancto, æqualiter peccantes his qui blasphemaverunt dicentes, Christum in Beelsebud ejicere Dæmonia: Atque ut veriùs dicam, Judæ comparantur proditori, qui Judæis Christum vendidit. Quod sic explicat *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, loco suprà citato, ad secundum: *Ratione falsæ æstimationis quam Simoniacus in actu demonstrat, dicitur Simonia esse gravior quàm Macedonii Hæresis, qui posuit Spiritum-Sanctum esse Patris & Filii servum: Simoniaci autem in suo actu ostendunt se æstimare quòd sit servus hominis, si ab homine potest emi & vendi.*

Ethnicos, qui Deos suos vendebant Simoniacus imitatur.

Ethnicos Deorum quos se colere profitebantur, revera contemptores & illusores fuisse *Tertullianus* probat *Apologetici* Cap. XIII. quia nimirum illos vendebant. *Domesticos Deos* (inquit) *quos lares dicitis, domestica potestate tractatis, pignerando, venditando, demutando..... Publicos æquè publico Jure fœdatis, quos in hastario vectigales habetis. Sic Capitolium, sic olitorium forum petitur: Sub eadem voce Præconis, sub eadem annotatione Quæstoris Divinitas addicta conducitur. Sed enim agri tributo onusti, viliores: Hominum capita stipendio censa, ignobiliora. Nam hæ sunt notæ captivitatis. Dii verò qui magis tributarii, magis sancti; immò qui magis sancti, magis tributarii. Majestas quæstuaria efficitur, circuit cauponas Religio mendicans. Exigitis mercedem pro solo Templi, pro aditu Sacri. Non licet Deos nosse gratis: Venales sunt.* Quanti ergo contemptûs in Spiritum-Sanctum rei sunt, qui res spirituales vendunt, vel emunt?

Simoniæ crimen atrocissimum.

Simoniam crimen esse omnibus criminibus atrocius, sacri Canones disertè docent: *Omnia crimina* (inquit Paschalis II.) *ad comparationem Simoniacæ Hæresis quasi pro nihilo reputantur.* Refertur Causa I. Quæstione ultima, Canone ultimo. Idemque repetit *Innocentius III.* cap. *Per tuas*, Ext. *De Simonia*. SIMONIACA *pestis sui magnitudine alios morbos vincit:* (inquit *Lucius* Papa, cap. *Sicut*, Ext. *De Simonia*.) Quamobrem crimen illud sensu quodam inexpiabile *S. Ambrosius* dixit Libro IV. in Lucam: *Inexpiabilis est* (inquit) *venditi culpa Mysterii, & gratiæ vindicta cœlestis transit ad posteros. Denique Moabitæ, & cæteri, non intrabunt in Ecclesiam Dei usque ad tertiam & quartam generationem: Tamdiu videlicet donec culpam auctorum multiplicis successio generationis aboleret. Sed cùm illi qui in Deum idololatriæ errore deliquerunt, in quartam generationem videantur esse mulctati: profectò durior videtur esse sententia, quâ Giezi semen usque in æternum pro cupiditate habendi, Prophetica Auctoritate damnatur, præsertim cùm Dominus noster Jesus Christus per Lavacri Regenerationem omnibus remissionem dederit peccatorum; nisi ut vitiorum magis quàm generis semen intelligas. Sicut enim qui filii promissionis sunt, æstimantur in semen bonum: Ita etiam qui filii erroris sunt, æstimantur in semen malum. Nam & Judæ ex patre Diabolo, non utique carnis successione, sed criminis. Ergo omnes cupidi, omnes avari, Giezi lepram cum divitiis suis possident, & malè quæsitâ mercede, non tam patrimonium facultatum, quàm thesaurum criminum congregarunt æterno supplicio, & brevi fructu.* Hæc *Sanctus Ambrosius*, qui & paulò superiùs ait: *Habes Domini præceptum, Vatis exemplum, Gratis accipere, gratis dare: nec vendere Ministerium, sed offerre. Non enim pretio taxatur Dei gratia, nec in Sacramentis lucrum quæritur, sed obsequium Sacerdotis.*

V. Pecuniam igitur, vel quodlibet aliud pecuniâ æstimandum, dare vel accipere non licet, neque pro Sacramentis, quæ sunt causa gratiæ, quæ pretio æstimari non potest, & cui repugnat quòd gratuitò non detur: Neque pro spiritualibus actibus, quales sunt Administratio Sacramentorum, usus spiritualium donorum, ut Prophetiæ, divini verbi prædicatio, Ecclesiasticæ Jurisdictionis usus, laudes divinæ, Religiosa Professio, &c. Neque pro his quæ sunt spiritualibus annexa, ut Beneficia Ecclesiastica, Jus Patronatus, &c. Hæc enim omnia spectat sententia illa Christi Domini: *Gratis accepistis, gratis date:* Quam *Diligenter, accuratè, & ad literam observare* debemus; *nec in iis, quæ technas sophisticas non admittunt, uti sophistica calliditate, nec aleam periculosam jacere* (inquit *Gennadius* Patriarcha Constantinopolitanus cum sua Synodo.) Nihil ergo refert, an pecunia pro Beneficio aut quavis alia re spirituali offeratur *Tamquam pretium*, vel incitamentum, seu *Motivum*; & flagitiosa ac erronea illa opinio est, quæ *Simoniam Juris divini* esse negat, quando datur spirituale propter temporale, solùm tamquam *Propter motivum*, vel *titulo gratitudinis antidorali*, modò non detur ut rei spirituali, verbi gratiâ Ordinationi, vel Beneficio *æquale pretium*, nec spirituale pro temporali *tamquam pro æquali* commutare quis velit, ut temporale pluris vel tanti æstimet, quàm ipsum spirituale. Distinctiunculatum enim hujusmodi vanitas ex eo patet, quòd his admissis tam rarum esset Simoniæ vitium, ut ab illo possent facilè defendi & excusari vel *Balaam*, vel *Giezi*, vel ipse *Simon Magus*. Numquid enim *Balaam* confidenter asseverare non poterat, se munus à Rege Moabitarum accepisse non ut pretium, sed ut motivum? Neque enim vel Rex curabat quonam ille titulo munus acciperet, dum quoquo modo ad maledicendum Populo Israel ipsum permoveret: Nec *Balaam* admodum curabat quonam titulo oblatum munus sibi obveniret, modò suam inde avaritiam expleret. Numquid profanus *Giezi* cum magnâ confidentiâ non obtenderet se immeritò Simoniæ insimulari, ob idque leprâ percuti, cùm non alio quàm gratuitæ compensationis titulo munus à *Naaman* petierit & impetraverit; nec sub ratione pretii, quasi divinum miraculum compensaturus, ipsi duo talenta *Naaman* obtulerit, sed gratiam tantùm ei relaturus: *Obsecro* (inquit) *ut accipias benedictionem à servo tuo.* Unde nec *Eliseus* ipsum reprehendens ait: Accepisti argentum, accepisti vestes ut pretium miraculi: sed simpliciter, *Accepisti argentum, & accepisti vestes, ut emas olivêta & vineas, & oves & boves, & servos & ancillas.* Numquid tandem & ipse *Simon Magus* dicere non posset, Se obtulisse Apostolis pecuniam non sub formali ratione pretii, sed tamquam motivum quo eorum voluntatem incitaret ad conferendum sibi potestatem impertiendi Spiritum Sanctum per manuum impositionem? Neque enim ille curabat modum, dum tamen spiritualem illam potestatem quoquo modo consequeretur. Nec S. Petrus eum reprehendit quod voluerit pecuniam pro æquali commutare: sed, *Pecunia tua* (inquit) *tecum sit in perditionem, quoniam Donum Dei existimasti pecuniâ possideri?* Quod enim pecuniæ collatione per modum illecebræ permoventis, absque pretii cogitatione, vel expressâ comparatione rei spiritualis cum temporali obtinetur, nihilominus pecuniâ possidetur.

Error est asserere Simoniam non esse pecuniam offerre pro Beneficio aut quavis alia re spirituali, tamquam incitamentum, tametsi dicatur non esse ut tamquam pretium.

Præterea omnia Conciliorum Decreta, omnia Summorum Pontificum Statuta, omnes Patrum

Sententiæ, quibus Simonia proscribitur, ita generales sunt, ut nullâ earum excipiatur illa species, in qua datur pecunia, non ut pretium, sed ut motivum; licèt hoc genus dandæ pro Beneficiis pecuniæ semper frequentissimum fuerit: Quinimo his verbis concepta sunt multa Ecclesiæ Decreta, ut vanas illas argutias penitus elidant. Nunc enim generatim negant fas esse per pecuniam ad Ecclesiæ Dignitates pervenire. *Si quis* (inquit Canon Apostolicus XXX.) *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuit Dignitatem, dejiciatur.* Nunc generatim vetant ne quis ad Ecclesiæ Munia consequenda aliquid offerat: *Si quis* (inquit Concilium Toletanum VIII.) *pro percipienda dignitate* QUODLIBET PRÆMIUM *detectus fuerit obtulisse, ex eodem tempore Anathematis se noverit opprobrio condemnatum.* Nunc decernunt nullo prorsus modo in conferendis Ecclesiæ Honoribus utilitatis terrenæ rationem irrepere debere. *In nulla Ordinatione* (inquit *S. Gregorius* Libro IV. Epistola VIII.) *Fraternitati vestra commoda* QUOLIBET MODO *surrepant, ne lapsis Simoniaca* (*quod absit*) *Hæresis allegetur.* Concilium Tolosanum anno millesimo quinquagesimo-sexto, Canone I. *Si quis Episcoporum* (inquit) *accepta* QUOCUMQUE MODO *pecunia ordinaverit Episcopum, Abbatem, Presbyterum, Diaconum, aut quemcumque alium qui numeratur inter Clericos, ipse gradus sui subjaceat periculo: & qui sic ordinatur, nullum habeat fructum ex hujusmodi mercimonio, sed sit alienus ejus Dignitatis & Ordinis, quem per pecuniam acquisivit.*

Denique *Innocentius III.* detestandas illas astutias, quibus Simoniæ vitium palliatur, disertè damnavit in Epistola ad Archiepiscopum Cantuariensem. *In tantum* (inquit) *peccatis exigentibus corda quorumdam Simoniaca Pravitas depravavit, ut in exterminium Canonica Sanctionis, & in elusionem quodammodo divini Judicii, lucris turpibus inhiantes, ac dicentes in corde suo, Non est Deus, Simoniam sub honesto nomine pallient, quasi mutato nomine, culpa transferatur & pœna. Verùm nec Deus, secundum Apostolum, irridetur, nec tales Simonis Sectatores, etsi temporalem in præsenti forsan eludant, in futuro pœnam effugient sempiternam, cùm nec honestas nominis malitiam palliabit, nec vox poterit abolere reatum.*

Propositiones damnatæ.

Meritò itaque ab Academia Lovaniensi anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo-septimo, à Sacra Facultate Parisiensi die decimâ sextâ Julii anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi-octavi in Censura Apologiæ Casuistarum, à plerisque Galliarum Episcopis in Censuris perniciosi ejusdem Libri, & ab *Alexandro VII.* & *Innocentio XI.* Pontificibus Maximis damnatæ sunt Propositiones sequentes:

Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia Collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. Quæ Propositio vigesima secunda est inter eas quas damnavit *Alexander VII.* die XXIV. Septembris anno millesimo sexcentesimo, sexagesimo quinto.

Dare temporale pro spirituali, non est Simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

Et id quoque locum habet etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur quàm res spiritualis. Quæ Propositiones sunt quadragesima quinta & quadragesima-sexta inter eas quas damnavit *Innocentius Undecimus* die secunda Martii, anno millesimo sexcentesimo septuagesimo-nono.

De his Propositionibus ita judicavit Clerus Gallicanus in Generali Conventu anni MDCC. *Hæ Propositiones temerariæ sunt, scandalosæ, perniciosæ, erroneæ, Hæresim simoniacam, Sacrâ Scripturâ, Canonibus & Pontificiis Constitutionibus reprobatam, mutato tantùm nomine, per fallacem mentis sive intentionis Directionem inducunt.*

S. Thomas hac in materia Moralis Christianæ corruptoribus non favet.

Perperam verò *S. Thomæ* suffragio damnatas illas Propositiones defendere quidam moliti sunt, his illius verbis freti in IV. *Sententiarum* Distinctione XXV. Quæstione II. Articulo II. Quæstiuncula I. *Sacramenta non possunt licitè vendi aut emi, quia pretium emptionis ponitur quasi mensura adæquans illud quod emitur.* Qui enim totum loci hujus contextum expenderit statim agnoscet, secundùm *S. Thomæ* mentem verè vendi Sacramenta, seu quaslibet res alias spirituales, cùm gratis non dantur, quamvis pecuniam quam dat aliquis vel recipit, non spectet ut pretium rei spiritualis, nec ipsam cum re spirituali æquare velit. *Cùm* (inquit) *Sacramenta contineant & causent gratiam, non possunt licitè vendi aut emi propter tria: Primò, quia Dispensator Sacramenti non est dominus, sed minister; emptio autem debet fieri à domino rei. Secundò, quia pretium emptionis ponitur quasi mensura adæquans illud quod emitur: Gratia autem non potest commensurari alicui corporali bono. Unde injuriam gratiæ facit, qui Sacramenta gratiæ vendit, aut emit. Tertiò, quia gratia ex hoc nomen accepit, quod gratis datur; unde contra rationem gratiæ facit, qui Sacramenta gratiæ quasi venalia tractat.*

Præterea *S. Thomas* Quæstione III. Articulo III. rotundè asserit, *Quicumque pro aliquo temporali commodo dat aliquod spirituale vel annexum, Simoniam committit*: Nec discernendum innuit an detur tamquam pretium rei spiritualis, vel motivum seu incitamentum flectens alicujus animum ad conferendum rem spiritualem, vel spirituali annexam.

Tertiò, si ad Simoniam Juris Divini necesse esset ut quis rem temporalem rei spiritualis pretium esse crederet, aut pluris vel tanti valere ac rem spiritualem, Simonia esse non posset absque hæresi propriè dicta. Sed non ita se res habet secundùm *S. Thomam*, qui Simoniacos propriè & per se loquendo hæreticos esse negat, *Cùm non habeant falsam opinionem*: Sed hæreticos dici ait *propter similitudinem actus, quia ita operantur ac si æstimarent Donum Spiritus-Sancti pecuniâ possideri, quæ æstimatio esset hæretica.*

Nec illis patrocinatur Gersonius.

Perperam etiam Venerabili *Gersonio* Parisiensis Academiæ Cancellario damnatus error tribuitur in Tractatu *De Simonia*, cùm ibi duplex Simoniacæ pravitatis genus expressè distinguat, unum quo temporale bonum ut motivum principale spiritualis actionis spectatur; alterum quo consideratur ut pretium rei spiritualis. Sic enim habet: *Prima Propositio: Finis principaliter intentus recipiendi temporalia pro ministratione spiritualium, reddit hominem propriè simoniacum in foro conscientiæ, & ad Deum. Et si hanc intentionem apertis ad extra monstret indiciis, censendus est in Ecclesiastico foro Simoniacus, vel de Simonia vehementer suspectus.*

Secunda propositio: Finis principaliter intentus

accipiendi temporalia pro administratione spiritualium, tanquam ibi sit adaquatio vera pretii ad pretium, sicut est in commutatione temporalium ad invicem, reddit hominem propriè Simoniacum.

Et infra: *Resolvendo* (inquit) *materiam de Simonia, possumus invenire distinctionem quadruplicem de intuitu vel respectu commodi temporalis pro spirituali. Potest enim intuitus ferri ad temporale commodum, primò tanquam ad pretium rei spiritualis, quasi sit adaquatio valoris unius rei ad alteram, sicut inest in emptione & venditione civilibus. Potest secundò ferri intuitus ad commodum temporale, tanquam ad motivum principale dandi spiritualia, vel ad finem ultimum in quo consistit intuitus spirituale conferentis. Potest tertiò ferri intuitus commodi temporalis tanquam ad motivum minus principale, vel ad finem subordinatum sub ultimo fine. Potest quartò ferri intuitus commodi temporalis, tanquam ad rem debitam jure divino pro sustentatione illius qui spiritualia administrat...... Tunc ad propositum dicimus, quòd primus intuitus, & secundus, sunt verò simoniaci de Jure Divino & humano.* Tertium verò & quartum intuitum à Simoniæ labe puros esse docet, modò illud Apostoli observetur: *Ab omni specie mala abstinete vos.*

1. Thessal. 5. 22.

Datio vel acceptio munerum pro Beneficiorum collatione, simoniaca est, tametsi pactio expressa non intercedat.

Neque etiam necesse est ad Simoniæ pravitatem, ut pactio aliqua expressa intercedat; sed datio vel acceptio munerum, absque expressa pactione, simoniaca censetur. Unde Canone *Salvator*, Causâ 1. Quæstione III. *Urbanus II.* ait: *Quisquis res Ecclesiasticas (quæ dona Dei sunt, quoniam à Deo fidelibus, & à fidelibus Deo donantur, quæ ab eodem gratis accipiuntur, & ideò gratis dari debent) propter sua lucra vendit, vel emit, cum eodem Simone Donum Dei possideri pecuniâ existimat. Ideo qui easdem res non ad hoc ad quod instituta sunt, sed ad propria lucra munere linguæ, vel indebiti obsequii, vel pecunia largitur, vel adipiscitur, Simoniacus est; cùm principalis intentio Simonis fuerit sola pecuniæ avaritia.*

Idem confirmat *B. Petrus Damiani*, Opusculo XXXI. cap. V. *Et quia* (inquit) *sunt nonnulli, qui vel antequam Consecrationis exhibeant Ministerium, vel ante decisum causæ negotium, nullum pacti sunt commodum: postmodum verò tanquam à debitoribus exigunt, & extorquendis remunerationibus vehementer insistunt; hi se Giezi non dubitent crimen incurrere, qui postquam Naaman curatus est, jàmque revertens, de Dono Sancti Spiritus ausus est pecuniam postulare. Et sicut ille non aliâ quàm lepræ plagâ percussus est, quæ homines removebat à castris; sic iste non levi, sed illius labe perfunditur criminis, quod ab Ecclesiæ separat Sacramentis.*

ARTICULUS III.

Quotuplex Simoniæ genus?

Simonia triplex.

I. **S**Imonia triplex est, mentalis, conventionalis, & realis. Mentalis est, quæ solo animi consensu perficitur absque ulla conventione expressâ vel tacitâ. Conventionalis est, quâ expressè vel tacitè initur contractus super re spirituali vendendâ vel emendâ, sed ille contractus non est executioni mandatus ab utraque parte, ut si emptor recepit quidem Beneficium, sed pretium conventum non solvit; aut si vice versa pretium quidem solvit, sed Beneficium non recepit. Realis est in qua tria hæc concurrunt actu, scilicet pactio expressa vel tacita de re temporali pro spirituali, solutio pretii, & receptio rei sacræ. Nec tamen necesse est ad Simoniam realem, ut totum temporale, quod promissum est, sit solutum; vel totum spirituale, quod promissum est, sit traditum: sed sufficit ad completam Simoniæ realis rationem, quod utrinque aliquid sit traditum.

II. Dividunt alii Simoniam in eam quæ Divini, & eam quæ Ecclesiastici Juris est. Prima (inquiunt) prohibita est quia mala, ut emptiones aut venditiones Sacramentorum, Sacramentalium, Excommunicationis, Absolutionis, Prophetiæ, Prædicationis, Beneficiorum, Juris Patronatûs. Altera mala est, quia prohibita. Hujus generis Simoniam esse volunt in Permutatione Beneficiorum absque Superioris auctoritate: neque enim hîc datur spirituale pro temporali, ut fit in Simonia prioris generis; sed datur spirituale pro spirituali, quod non est ex se malum, si quidem auctoritate Superioris fieri potest; sed propterea malum est, quia per Ecclesiam est prohibitum cap. *Quæsitum*, & cap. *Cùm olim*, Ext. *De Rerum Permutatione*. Similem Simoniam esse aiunt, quando Beneficiorum præsentationes, collationes, possessiones, institutiones fiunt cum pacto, modo, vel conditione, per se forte non malis, sed tamen ab Ecclesia prohibitis, cap. *Accepimus*, & cap. *Pactiones*, Ext. *De Pactis*. Ad idem genus pertinere volunt venditionem & emptionem rerum aliquarum, quæ nihil spirituale continent, sed solùm sunt Officia ad temporalium Ecclesiæ Administrationem instituta, ut Oeconomatus, Vicedominatus, Advocatio, &c. Quorum venditionem velut Simoniacam prohibent Concilium Chalcedonense, & Canon *Salvator*, Causa 1. Quæstione III.

Divisio Simoniæ in eam quæ divini, & eam quæ in Ecclesiastici juris, Patribus, Conciliis, Pontificibus & S. Thomæ incognita.

Verùm hæc divisio Simoniæ veteribus Patribus, Conciliis, Pontificibus, ipsique *S. Thomæ* incognita, aut saltem ab iis non probata, mihi non placet. Cùm enim Simonia sit studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum, & res spirituales sint indebita venditionis materia, ob triplicem rationem ex jure naturali & divino petitam, quam exponit *S. Thomas*; fieri non potest Ecclesiæ Decreto ut res spiritualis, vel spirituali annexa, vendatur aut ematur absque violatione Divini Juris: Quamvis Ecclesia pactiones quasdam, permutationes, aut venditiones emptionésque, propter Simoniæ speciem, aut periculum prohibere possit, justéque prohibeat sub iisdem pœnis, quæ in Simoniacos latæ sunt. Unde rectè *Silvius* in secundam Secundæ, Quæstione centesima, Articulo I. Quæsito II. ubi hanc Simoniæ duplicis distinctionem explicuit: *Sunt quidem* (inquit) *Auctores qui divisionem allatam non approbant, existimantes nullam esse Simoniam quæ jure tantùm humano prohibeatur. Verùm discordia videtur esse de nomine: Non enim asseritur quod aliqua sit Simonia, in quam propriè & perfectè competat ratio Simoniæ: & tamen solùm prohibeatur jure humano; sed dicitur esse aliquod vitium habens similitudinem, & participans imperfectam rationem Simoniæ; Quod ideò vocatur Simonia, non naturali, sed positivo jure prohibita.*

Id Venerabilis *Gersonii* verbis Tractatu *De Simonia*, Consideratione 1. confirmatur. *Planè* (inquit) *nulla est propriè Simonia, nisi quia prohibita Jure Divino, ubi scilicet convenit contractus iste rerum spiritualium pro re commensurabili numismate, Do ut des, vel, do ut des. Nihilominùs apponitur in aliquibus contractibus non de se simoniacis pœna Simoniæ; ubi verum est, quòd hoc ideò dicitur simoniacum, quia lege humana prohibitum, sicut aliquis punitur tanquam Hæreticus præsumptione Juris positivi, vel operis, qui veraciter est Catholicus.* Sed de nomine litigare nolim, modò cû distinctione Simoniæ duplicis, unius quæ Divino, alterius quæ Ecclesiastico tantùm jure prohibita sit, ad laxio-

res hac in materia opiniones asserendas noo abutantur qui illam usurpant.

Simoniacum munus triplex, 1. à manu. 2. ob obsequio 3. à lingua.

III. Celebrior est divisio Simoniæ ratione simoniaci muneris quod pro re spirituali datur, scilicet muneris *A manu*, *Ab obsequio*, & *A linguâ*. Monus à manu est pecunia, vel res quæcunqoe pecuniâ æstimabilis. Munos ab obsequio est obsequium ab aliquo exhibitum, ea lege vel intentione ut Beneficium ipsi conferatur: ut si qois Episcopi sit Capellanus, seu (ut loquimur) Eleemosynarius, aut Notarius, aliâve ratione illi ministret absque stipendiis, eâ lege vel pactione expresso vel tacitâ, sive eâ spe & intentione ut ei Beneficium tribuatur; vel ipsi Beneficium detur eâ conditione ut absque stipendiis ministret: vel si Nobilis Patronus filiorum suorum præceptori, aut suorum negotiorum Procuratori stipendii loco Beneficium conferat vel promittat. Munos à linguâ est favor, adolatio, preces in gratiam alicujus, maximè indigni factæ.

Hæc divisio traditor Canone *Salvator*, Causa I. Quæstione III. ex *Urbano II.* eàmque antea exposuerat *Sanctus Gregorius* Homilia IV. in Evangelia, ex qua refertur Canone *Sunt nonnulli*, Causa I. Quæstione I. *Sunt nonnulli* (inquit) *qui quidem nummorum præmia ex Ordinatione non accipiunt, sed tamen sacros Ordines pro humana gratia largiuntur; atque de largitate eadem laudis solummodo retributionem quærunt. Hi nimirum quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt: Quia de impenso officio sanctitatis nummum expetunt favoris. Unde benè cùm justum virum describeret Propheta, ait:* Qui excutit manus suas ab omni munere. *Neque enim dicit: Qui excutit manus suas à munere; sed adjunxit*, ab omni; *quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua. Munus quippe ab obsequio, est subjectio indebitè impensa: Munus à manu, pecunia est: Munus à lingua, favor. Qui ergo Sacros Ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non solùm nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit.*

Isa. 33.

Totam hanc sententiam repetit Concilium Aquisgranense sub *Ludovico Pio* Imperatore Canone XXXVIII. sed & ante *S. Gregorium* eam divisionem non obscurè innuit *S. Hieronymus* in cap. 1. Epistolæ ad *Titum*, ex quo refertur Canone *Moyses*, Causa VIII. Quæstione I. Eandem divisionem tradit *Gregorius VII.* Libro VI. Regesti. Epistola XXXIV.

Et B. *Petrus Damiani* Epistola II. Libri secundi explicans eundem Isaiæ locum: *Munus à manu* (inquit) *pecunia: Munus ab obsequio, obedientia subjectionis: Munus à lingua, favor adulationis. Eo cùm ab unoquoque horum manus excutiendas Propheta denunciet, omnibus his manus implicasse convincitur, qui nanciscenda Dignitatis ambitu Potestatum sublimium castra sectatur. Nam dum in vehiculis acquirendis, diversorùmque sumptuum apparatibus, non modica summa profunditur, hic procul dubio data pecunia obnoxius invenitur: Qui etiam nulli dubium quin ei & obsequium præbeat, cui factus asseccla sub tanto laboris & itineris fasce desudat. Postremò dum Domino suo blandiri, ejúsque voluntati congruere per omnia nititur, sæpe sibi quibusdam adulatoris favoribus assentatur. Porrò autem quisquis in dandis accipiendisve Dignitatibus Ecclesiasticis unâ duntaxat earum, quæ prædicta sunt, peste corrumpitur, Simoniacæ Hæreseos teneri crimine judicatur. Quam ergo sui afferent excusationem, qui licèt verbis non contraxerint venalis pacta commercii, operatione tamen non uno, sed omnibus his probantur laqueis irretiti? Verumtamen jactant se, & eo gloriantur innoxios, quia nullam talenti summam pro suscipiendis honoribus se pepigere daturos. Sed dic mihi, ô Clerice! quisquis es, si redempto quolibet aureo vase, vel prædio, distractor exigeret, ut retenti apud te vice pretii hujusmodi sibi sedulitatis impendium exhiberet, nunquid non postmodum constanter assereret, se quod acceptum est, justo pretio comparasse? Non videlicet quia pecuniam persolvisti, sed quia servitium præbuisti..... Nequaquam ergo sibi innocentiam spondeant, & à Simoniacæ Hæreseos maculis se mundos esse confidant, qui licèt metalla vibrantia non appendunt, pretium tamen pro suscipiendis Honoribus subjectionis & obsequii quædam quasi talenta persolvunt.*

Eandem Simoniæ divisionem explicat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXV. Quæstione III. Articulo III. *Simonia* (inquit) *consistit in emptione & venditione spiritualium, vel eorum quæ sunt eis annexa. Emptio autem vel venditio consistit non solum in datione & acceptione pecuniæ, sed omnium eorum quorum potest pretium numismate mensurari. Omnis autem temporalis commodi pretium potest numismate mensurari: Et ideò quicunque pro aliquo temporali commodo dat aliquod spirituale, vel annexum, Simoniam committit. Bonum autem temporale quod potest aliquis ab alio exspectare, vel est ex parte animæ, sicut amicitia, aut favor alicuit, & quantum ad hoc est munus à lingua: vel ex parte corporis, sicut aliquis actus corporaliter exercitus; & quantum ad hoc est munus ab obsequio; sicut obsequium aliquod exhibitum: vel est aliquid exteriorum bonorum; & sic est munus à manu, quod consistit in exterioribus bonis. Quantùm ad primum, committitur Simonia per munus à lingua; quia lingua opinionem exprimit & gratiam conceptam: Quantùm ad secundum, per munus ab obsequio: Quantùm ad tertium, per munus à manu.*

Et Secunda Secundæ, Quæstione centesima, Articulo V. *Nomine* (inquit) *pecuniæ intelligitur cujuscunque pretium, quod pecunia mensurari potest. Manifestum est autem quod obsequium hominis ad aliquam utilitatem ordinatur, quæ potest pretio pecuniæ æstimari. Unde & pecuniaria mercede Ministri conducuntur. Et ideo idem est, quòd aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito vel exhibendo, ac si daret pro pecunia data vel promissa, quâ illud obsequium æstimari possit. Similiter etiam quòd aliquis satisfaciat precibus alicujus ad temporalem gratiam quærendam, ordinatur ad aliquam utilitatem, quæ potest pecuniæ pretio æstimari. Et ideò sicut contrahitur Simonia accipiendo pecuniam, vel quamlibet aliam rem exteriorem, quod pertinet ad munus à manu: ita etiam contrahitur per munus à lingua, vel ab obsequio.*

Frustra verò quis objiceret, Beneficium duo complecti, unum spirituale, aliud temporale: Hoc pecuniâ æstimari & commutari posse, non illud: Adeóque se pecuniâ, obsequio, vel precibus temporale duntaxat, non spirituale obtinere velle.

Spirituale & temporale in Beneficio individua, adeo ut unum sine altero vendi non posse.

Ista namque duo esse prorsus individua & inseparabilia, nec flexu mentis fieri posse ut unum vendatur alio non vendito, docet *Paschalis* Papa, Canone *Si quis objecerit*, Causa I. Quæstione III. *Si quis objecerit, non consecrationes emi, sed res ipsas quæ ex consecratione proveniunt, penitus desipere probatur: Nam cùm corporalis Ecclesia, aut Episcopus, aut Abbas, aut tale quid sine corporalibus rebus in nullo proficiat, sicut nec Anima sine corpore corporaliter vivit; quisquis alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum relinquit. Nullus igitur emat Ecclesiam, vel Præbendam, vel aliquid Ecclesiasticum: nec pastellum antea vel postea pro hujusmodi solvat.*

Hinc Remense Concilium anno MDLXXXIII. *Illi* (inquit) *imprimis & propriè habeantur, prout*

sunt, Simoniaci, qui Beneficia résque spirituales pecuniâ comparant, vel conferunt, vel certè rebus, quæ pecuniâ æstimari queant. Nam eorum impudentissimum prætextum detestamur, qui de solo proventu réque temporariâ se pacisci dicunt, cùm ea spirituali tam arcto sit annexa vinculo, ut non magis una ab altera divelli queat, quàm in homine vivo manente corpus à sua Anima.

Hinc *B. Petrus Damiani* in Epistola ad *Alexandrum II.* Clericos Schismaticos refellit, qui Simoniam committi negabant emptione Episcopatus, aut alterius Beneficii, quia *Non emi Sacerdotium, sed possessionem prædiorum obtendebant. Namque quemadmodum ille Pater dicitur ex cujus femore sola caro est egressa, non anima: sic ille proculdubio dicendus est mercator Ecclesiæ, qui per terrena, quæ redimit, ad honoris culmen ascendit, & per temporalis commercium lucri, emptor efficitur nihilominus Sacramenti.*

Verùm (inquies) Calix consecratus licitè venditur, modò pretium non augeatur propter consecrationem, ut colligitur ex Canone *Hoc Jus*, Causâ x. Quæstione II. & Jus Patronatus transfertur per venditionem feudi cum Juribus temporalibus, quibus est annexum, ut habetur cap. *Cùm seculum*, & cap. *De Jure*, Ext. *De Jure Patronatus*: Quidni ergo & fructus seu proventus Beneficii licitè vendi possunt, re spirituali minimè venditâ?

Respondetur, Id intercedere discriminis inter Calicem & Jus Patronatus ex una parte, & Beneficium ex altera, quòd venditio Calicis, aut feudi, non cadat super consecrationem, aut Jus Patronatûs feudo adhærens, sed super vas ipsum materiale, aut bona temporalia, quibus Jus Patronatûs adnexum est, & quorum Patronus dominium habet. At in venditione Beneficii, venditio non caderet in fructus, quorum collator non est dominus, sed merus dispensator: Nemo enim vendere potest id cujus dominium non habet: Caderet itaque pretium pro Beneficio datum & receptum in ipsam Beneficii collationem, sive institutionem ad divinum Ministerium, quæ planè spiritualis est. Prætereà, in temporalibus quæ antecedenter spiritualibus sunt annexa, ut Calix sacer, & feudum Jus Patronatûs conjunctum habens, res sacra est quid accessorium, res autem temporalis est ipsum principale: *Accessorium* autem *naturam sequitur principalis*, ut habet Regula Juris, in Sexto. In temporalibus verò consequenter adnexis rei spirituali, qualia sunt Beneficia, res sacra est ipsum principale, & res temporalis est accessorium; si quidem Beneficium non datur nisi propter Officium: Unde Beneficii proventus vendi non possunt, sicut nec ipsum Officium seu Ministerium sacrum. Ita rem explicat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione centesima, Articulo IV. *Aliquid* (inquit) *potest esse annexum spiritualibus dupliciter: Uno modo, sicut ex spiritualibus dependens: sicut habere Beneficia Ecclesiastica dicitur spiritualibus annexum: quia non competit nisi habenti Officium Clericale; unde hujusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus: & propter hoc ea nullo modo vendere licet: quia eis venditis, intelliguntur etiam spiritualia venditioni subjici. Quædam autem sunt annexa spiritualibus, in quantum ad spiritualia ordinantur, sicut Jus Patronatûs quod ordinatur ad præsentandum Clericos ad Ecclesiastica Beneficia: & vasa sacra, quæ ordinantur ad Sacramentorum usum: unde hujusmodi non præsupponunt spiritualia, sed magis ea ordine temporis præcedunt: & ideo aliquo modo vendi possunt, non autem in quantum sunt spiritualibus annexa.* Et in Responsione ad secundum: *Vasa sacra* (inquit) *sunt spiritualibus annexa sicut fini; & ideo eorum consecratio vendi non potest: Tamen pro necessitate Ecclesiæ & pauperum materia eorum vendi potest.* Et ad tertium: *Jus autem Patronatus per se vendi non potest, nec in feudum dari; sed transit cum villa quæ venditur, vel conceditur. Jus autem spirituale accipiendi decimas non conceditur Laicis, sed tantummodo res temporales, quæ nomine decimæ dantur.* Quod expressiùs dixerat Quæst. LXXXVII. Articulo III. *Jus accipiendi decimas spirituale est: Consequitur enim illud debitum quo Ministris Altaris debentur sumptus de Ministerio, & quo seminantibus spiritualia debentur temporalia.... Res autem quæ nomine decimarum dantur, corporales sunt.* Ita de Beneficiorum fructibus dicendum: Jus percipiendi fructus spirituale est, & ab Officio sacro, seu divino ministerio indivulsum: idcóque vendi non potest; Ipsi verò fructus corporales sunt, putà, certa quantitas frumenti, vini, olei, &c. Quamobrem licitè vendi possunt ab eo qui Beneficium jure possidet; quamvis promitti non possint vel toti, vel ex parte, ei qui Beneficium confert, aut collationem procurat, vel alteri quem indicaverint: aut ab ipso collatore reservari. *Si ab eo, cui Beneficium confert, requirat aliquid sibi exhiberi de fructibus illius Beneficii; idem est, ac si aliquod munus ab eo exigeret, & non caret vitio Simoniæ* (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione centesima, Articulo III. ad tertium.)

Nec est quod opponatur, Beneficiorum Curam Animarum non habentium, quæ simplicia vocantur, institutionem, seu Præbendarum assignationem esse Juris Ecclesiastici, non divini aut naturalis: adeóque divino Juri atque naturali non repugnare, Beneficiorum hujusmodi venalitatem, sed Juri tantùm Ecclesiastico, sicque approbante Romano Pontifice licitam evadere posse.

Scitè namque respondet Cardinalis *Cajetanus*, Tomo II. Opusculorum Tractatu IX.... Istud esse Sophisma non causæ ut causæ. Nam dependentia Beneficiorum simplicium à Jure Ecclesiastico non est causa cur licitè vendi non possint, sed ipsorum spiritualitas. Res enim spirituales quantumvis à Jure Ecclesiastico pendeant, sunt extra humanum commercium, sed vendi absque Simonia possunt. Tales sunt Consecrationes Altarium, Ecclesiarum, Calicum, Virginum, &c. quæ positivo quidem Jure sunt institutæ, sed tamen vendi non possunt sine violatione Divini Juris & Religionis, quia spirituales sunt. Ut igitur vim aliquam haberet objectio, necesse esset probare Titulum Beneficii rem profanam esse & merè temporalem; non verò esse quid Ecclesiastico Jure institutum. Ita quamvis Episcopalis Ordo sit à Deo institutus, numerus tamen Episcoporum, & Episcopatuum erectiones, & Diœcesium limites, sunt Ecclesiastici Juris. Nemo enim nescit Ecclesiam posse Diœceses multiplicare, dividere, unire, limites arctare vel proferre, novos Episcopatus inter barbaras Nationes erigere: Nec tamen Episcopatum ullum etiam novissimè erectum vendi posse quis dixerit.

Hinc *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXV. Quæstione I. Articulo III. hanc sibi secundo loco proponit Objectionem: *Papa potest munus à manu suscipere pro aliquo spirituali: Sed (ut quidam dicunt) Papa non potest committere Simoniam, maximè cum aliqua Persona Ecclesiastica, quia res Ecclesiæ sunt sua: Ergo non semper committetur Simonia per munus à manu.* Quam

objectionem sic diluit: *Ad secundum, dicendum quod opinio illa erronea est: Si enim Papa pro aliquo spirituali munus acciperet, Simoniam committeret, sicut & alius homo, quia sub Petro, cui Papa succedit, Simoniæ vitium damnationem inchoavit in Novo Testamento. Et quamvis res Ecclesiæ sint aliquo modo Papæ, non tamen sunt ejus omnibus modis habendi, sicut illud quod ad manum habet. Non est autem dubium quòd Simoniam committeret, si quis aliquod spirituale debitori suo daret, ut quod suum est recuperaret, & ita etiam in proposito Papa à Simonia non excusaretur, si (quod absit) spiritualia pro temporalibus rebus Ecclesiarum daret.*

Et *Secunda Secundæ*, Quæstione centesima, Articulo I. in Responsione ad septimam Objectionem: *Papa* (inquit) *potest incurrere vitium Simoniæ, sicut & quilibet alius homo: Peccatum enim tantò in aliqua persona est gravius, quantò majorem obtinet locum. Quamvis enim res Ecclesiæ sint ejus ut principalis dispensatoris, non tamen sunt ejus ut domini & possessoris. Et ideò si reciperet pro aliqua re spirituali pecuniam de reditibus Ecclesiæ alicujus, non careret vitio Simoniæ. Et similiter etiam posset Simoniam committere recipiendo pecuniam ab aliquo Laico non de bonis Ecclesiæ.*

ARTICULUS IV.

Quæ sint Simoniacorum pœnæ canonicæ?

I. EXcommunicationem latæ sententiæ, & Suspensionem ab Ordinum executione, & Beneficiorum administratione sacri Canones & Constitutiones Summorum Pontificum decernunt in eos qui Simoniam commiserunt in collatione aut susceptione Ordinum: Excommunicationem pariter latæ sententiæ in eos qui Beneficium Ecclesiasticum per Simoniam alicui conferunt vel procurant, vel ab alio recipiunt: cujus pœnæ remissio, sive Absolutio ab hujusmodi Censuris Sedi Apostolicæ reservata est, secundùm Constitutionem *Martini V.* in Concilio Constantiensi editam, quæ incipit, *Multa*, & *Pauli II.* quæ incipit, *Cùm detestabile*, inter Extravagantes communes, Tit. *De Simonia*, quam *Sixtus IV. Leo X.* in Concilio Lateranensi v. & *S. Pius V.* Constitutione quæ incipit, *Cùm primùm*, confirmarunt. In similem Excommunicationem incurrunt, quicunque Simoniam commiserunt in ingressu Religionis, tam dantes, quàm accipientes, secundum Extravag. *Sane*, Tit. *De Simonia*, quæ est *Urbani V.* Quin & ipsi sacrilegæ nundinationis in Ordinationibus, Collatione Beneficiorum, & receptione ad Religiosam professionem Mediatores & sequestri eadem Excommunicatione percelluntur Canone 21. Concilii Chalcedonensis, & Constitutionibus *Pauli II.* & *Martini V.*

Simoniaci excommunicationem incurrunt Sedi Apostolicæ reservatam.

II. Beneficii, aut Pensionis Ecclesiasticæ collatio simoniacè facta, penitus invalida est: ideóque tenetur qui Beneficium illud aut Pensionem ita suscepit, illis se absolutè abdicare: omnésque fructus à se perceptos restituere, sub animæ suæ periculo, secundùm Extravag. *Cùm detestabile* à *S. Pio V.* confirmatam. Idem docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione centesima, Articulo VI. *Nullus* (inquit) *potest licitè retinere id quod contra voluntatem Domini acquisivit: putà, si aliquis dispensator de rebus domini sui daret alicui contra voluntatem & ordinationem domini sui, ille qui acciperet, licitè retinere non posset. Dominus autem cujus Ecclesiarum Prælati sunt Dispensatores & Ministri, ordinavit ut spiritualia gratis darentur, secundùm illud Matth. x.* Gratis accepistis, gratis date. *Et ideò qui muneris interventu spiritualia quæcunque assequitur, ea licitè retinere non potest.*

Simoniacæ collationes invalidæ.

Et in Responsione ad tertium: *Quòd aliquis privetur eo quod accepit, non solùm est pœna peccati, sed etiam quandoque est effectus acquisitionis injustæ, putà, cùm aliquis emit rem aliquam ab eo qui vendere non potest. Et ideò si aliquis scienter & propria sponte simoniacè accipiat Ordinem, vel Ecclesiasticum Beneficium, non solùm privatur eo quod accepit, ut scilicet careat executione Ordinis, & Beneficium resignet cum fructibus inde perceptis: sed etiam ulterius punitur, quia notatur infamiâ.*

Concilium Rothomagense anno MDLXXXI. Tit. *De Episcoporum Officiis*, §. 13. Singulis diebus Dominicis in Pronao & in omnibus Concionibus declarari jubet, *Vivere in perpetuo statu damnationis, jure & ipso facto excommunicari, nec facere fructus suos, sed teneri ad restitutionem, & Tituli cessionem, quicunque pecuniâ, aut alterius rei temporaria pretio expresso vel tacito Beneficium Ecclesiasticum adipiscuntur, vel alteri procurant, & ab Ecclesiasticis Viris irregularitatem incurri, quoties in eodem statu celebrarint divinum Missæ Officium. In Confessionibus de Simonia diligenter inquirendum, ac confitenti se aliquod Beneficium pecuniâ aut alia re temporali sibi aut alteri comparasse, Absolutionem (sicut de casu Summo Pontifici reservato) nisi in mortis articulo denegari statuimus.*

Non solùm collatio simoniaca Beneficii, sed electiones, postulationes, confirmationes, provisiones, seu quævis aliæ dispositiones omninò irritæ sunt, si labe simoniaca sint infectæ, nec per illos actus Jus ullum ad Beneficia, Dignitates, & Officia Ecclesiastica acquiri potest. Unde si in aliquo illorum actuum Simonia intervenerit, in manibus Collatoris Beneficium ejurare tenetur, qui ad illud promotus est, & fructus Ecclesiæ restituere, secundùm *Pauli II.* Constitutionem supra laudatam.

[illegible]

III. Simoniaci præterea inhabiles redduntur ad alia Beneficia in Posterum obtinenda ex Concilio Tridentino Sessione XXIV. cap. XVIII. & *S. Pii V.* Constitutione: Quem tamen incapacitatis obicem removet Absolutio à Romano Pontifice impetrata.

Pœna Simoniæ inhabilitas ad alia Beneficia obtinenda.

IV. Denique Simoniacus tenetur ad restituendum pretium simoniacè acceptum, etiam ante Sententiam Judicis, secundùm probabiliorem opinionem, cùm pretium illud sit injustè quæsitum, nulloque Jure illud retinere possit qui accepit: Si quidem nec res spiritualis vendi poterat, nec illius rei dominus erat. Idque colligitur ex *Alexandro III.* cap. *De hoc*, & *Innocentio III.* cap. *Audivimus*, Ext. *De Simonia*: Quorum primum sic habet: *Regem autem, & Principes ejus debes inducere, ut si qua receperint à præfato Episcopo, ut ejus electioni præberent assensum, Ecclesiæ Oxomensi sine diminutione restituant: cùm ea sine gravi suæ salutis periculo retinere non possint.* Cui porrò fieri debeat Simoniaci pretii restitutio, postea dicemus.

Pretium simoniacum restituendum est, etiam ante sententiam Judicis.

ARTICULUS V.

Regula Morales ad solutionem Quaestionum circa Simoniam emergentium.

REGULA I.

Quamvis aliqua munera modici valoris sponte oblata post Ordinationem recipere non sit absolutè simoniacum, id tamen Episcopis & eorum Ministris non licet, gravisque peccati rei essent, si aliquid vel sponte oblatum reciperent.

ID absolutè simoniacum non esse, constat ex Canone *Sicut Episcopum*, Causa I. Quæstione III. qui ex Romana Synodo sub *Gregorio VII.* sumptus est, sive ex Libro IV. illius Regesti, Epistola XLIV. *Is autem* (inquit) *qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exactus, neque petitus post acceptas Chartas, & Pallium, aliquid cuilibet ex Clero, & gratia tantummodo causâ dare voluerit, accipi nullo modo prohibemus: Quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione processit.*

Idem confirmatur ex Cap. *Etsi quæstiones*, Ext. *De Simonia*, quod est *Alexandri III.* Rescriptum ad Archiepiscopum Strigoniensem.

Nihilominus *Pascalis II.* Canone *Si quis objecerit*, Causa I. Quæstione III. & *Innocentius II.* in Synodo Romana Canone secundo, aliquid dari sive ante, sive post Ordinationem, etiam consuetudinis prætextu prohibuerunt, eamque prohibitionem ad omnem Simoniæ speciem & occasionem penitus excidendam confirmavit Concilium Tridentinum Sessione XXI. Cap. I. De Reformatione: *Quoniam* (inquit) *ab Ecclesiastico Ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis Tonsuræ, nec pro literis dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam sponte oblatum, Episcopi & alii Ordinum Collatores, aut eorum Ministri, quovis prætextu accipiant:* Decretum istud salubertimum amplexa sunt & promulgarunt Concilia pleraque post Tridentinum celebrata, Mediolanense I. Tit. *De his quæ ad Ordinis administrationem pertinent*, Burdigalense I. Tit. *De Sacramento Ordinis*, Tolosanum anno MDXC. &c.

REGULA II.

Simoniæ vitium incurrunt Examinatores, si munus aliquod occasione examinis ad Ordines suscipiendos, aut ad Beneficia, ante vel post recipiant.

CUm enim in eos Episcopi circa sacros Ordines potissima cura transmittatur, & ex eorum integritate Clericorum optima designatio maximè pendeat, *Cavere debent, ne aut favoris gratia, aut cujuscumque muneris cupiditate illecti à vero devient, ac indignum & minus idoneum ad sacros gradus suscipiendos Episcopi manibus applicent; quod si fecerint, & illicitè qui indignè accessit, & illi qui Spiritus-Sancti donum vendere conati sunt, coram Deo condemnati Ecclesiastica Dignitate carebunt.* Verba sunt Concilii Nannetensis Canone XI. ex quo refertur hoc Decretum Canone *Quando*, Distinctione XXIV.

Id confirmat Sacra Synodus Tridentina Sessione XXIV. *De Reformatione*, Cap. XVIII. *Caveantque* (inquit) *ne quidquam prorsus occasione hujus Examinis, nec ante, nec post accipiant: alioquin Simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant, à qua absolvi nequeant, nisi dimissis Beneficiis, quæ quomodocumque antea obtinebant, & ad alia inposterum inhabiles reddantur.*

Et Concilium Mediolanense V. P. III. Tit. De Examinandi Ratione: *Nec verò item qui Examinatores adsciscuntur, Examinis occasione unquam quicquam, ac esculenta quidem, poculentave capiant: Qui contra fecerit, cum indignus deinceps censeatur qui id muneris gerat, tum aliâ pœnâ arbitrio Episcopi afficiatur.*

REGULA III.

Episcoporum Notarii pro Literis dimissoriis, aut testimonialibus Ordinum susceptorum, aut Beneficiorum Provisionibus, &c. nihil exigere possunt nisi fortè pro charta & labore moderatum stipendium ipsis ab Episcopo secundum Synodi Tridentinæ Decreta constitutam. Contraria si qua sit consuetudo, Simoniacæ Pravitati favet.

HAnc Regulam firmat *S. Gregorius*, in Synodo Romana, ex qua refertur Canone *Sicut*, Causa I. Quæstione II. *Antiquorum Patrum* (inquit) *Regulam sequens, nihil quicquam de Ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex traditione pallii, neque ex traditione chartarum, &c. Quia enim in ordinando Episcopo Pontifex manum imponit, Evangelicam verò lectionem Minister legit, Confirmationis autem ejus Epistolam Notarius scribit; sicut Pontificem non decet manum, quam imponit, vendere; ita Minister, vel Notarius ejus non debet in Ordinatione ejus vocem, vel calamum venundare. Ex quibus prædictis rebus si quis aliquid commodi appellatione exigere, vel petere fortè præsumpserit, in districto Dei omnipotentis examine reatui subjacebit.*

Eadem verba sub *Urbani II.* in Concilio Melphitano nomine referuntur Canone *Nullus*, Causa I. Quæstione II. nec multùm immutata leguntur in Synodo Romana sub *Gregorio VII.* ex qua referuntur Cap. *In ordinando*, Ext. *De Simonia*.

Concilium Palentinum auctoritate *Guillelmi* Sabinensis Episcopi Sedis Apostolicæ Legati in Hispania celebratum sub *Joannis XXII.* Pontificatu, Tit. *De Simonia*, ita ea de re decernit: *Ordinati, si post receptionem Ordines pro scriptura, labore, charta, & cera aliquid offerre voluerint, hoc accipi minimè prohibetur: Ita tamen quòd hæc gratuita oblatio summam quinque Marabetinorum usualis monetæ aliquatenus non excedat: A pauperibus autem aut nihil, aut minus accipiat pro prædictis.... Nec Notarius seu scriptor quicquam nisi moderatum exigat pro Collationis litera & sigillo.*

Concilium denique Tridentinum, Sessione XXI. *De Reformatione*, Cap. I. antiquorum Patrum exempla servari, & Decreta in usu esse optavit, laudabilem consuetudinem vocans eùm Notarii nihil acciperent, sed eis pro Officio exercendo salarium constitutum esset, vel è publico, vel ab Episcopo, nihilque supra decimam aurei partem, nequidem gratis oblatum pro literis dimissoriis aut testimonialibus accipere eis quovis prætextu permisit. *Notarii verò in iis tantùm locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis literis dimissoriis aut testimonialibus decimam tantùm unius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo: Nec Episcopo ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinum collationibus directè vel* Concilii Tridentini Decretum de Notariis Episcoporum.

indirectè provenire possit : Tunc enim gratis operam suam eos omninò præstare teneri decernit ; contrarias taxas, ac statuta, & consuetudines etiam immemorabiles quorumcumque locorum, quæ potiùs abusus & corruptela simoniacæ pravitati faventes nuncupari possunt, penitus cassando, & interdicendo : & qui secus fecerint, tam dantes, quàm accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas à Jure inflictas ipso facto incurrant.

Idem lege civili in Gallus constitutum est, Edicti Blesensis. Art, xx.

REGULA IV.

Nulla Statuta, aut Consuetudines à Simoniaca Pravitate purgant, quæ in Institutionibus, Collationibus, Confirmationibus vel aliis Provisionibus, aut admissionibus ad Possessionem Beneficiorum exiguntur.

HÆc Regula nititur Canone Concilii Lateranensis sub *Innocentio III.* ex quo refertur Cap. *Sicut*, Ext. *De Simonia*, cujus hæc sunt verba : *Sicut pro certo didicimus, in plerisque locis, à plerisque personis, quasi columbas templi vendentibus, fiunt exactiones & extorsiones turpes & pravæ pro Consecrationibus Episcoporum, Benedictionibus Abbatum, & Ordinibus Clericorum ; estque taxatum quantum sit isti vel illi, quantúmve alteri, vel alii persolvendum : & ad cumulum majoris damnationis quidam cupiditatem & pravitatem hujusmodi nituntur defendere per consuetudinem longo tempore observatam. Tantum igitur abolere volentes abusum, consuetudinem hujusmodi, quæ magis dicenda est corruptela, penitus reprobamus, similiter statuentes, ut pro his sive conferendis sive collatis, nemo aliquid quocumque prætextu exigere aut extorquere præsumat.*

Simile Decretum ediderat anterius Concilium Lateranense sub *Alexandro III.* ex quo refertur Cap. *Cùm in Ecclesia*, Ext. *De Simonia*, cujus hæc sunt verba : *Horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere: Ita ut pro Episcopis, vel Abbatibus, vel quibuscúmque Personis Ecclesiasticis in Sedem, seu introducendis Presbyteris in Ecclesiam..... seu aliis Sacramentis, aliquid requiratur. Putant autem plures ex hoc licere, quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine arbitrantur ; non attendentes quòd tantò graviora sunt crimina, quantò diutiùs infelicem animam tenuerunt alligatam : Ne igitur hæc de cætero fiant, vel pro Personis Ecclesiasticis deducendis in Sedem vel Sacerdotibus instituendis...... seu aliis Sacramentis conferendis, seu collatis aliquid exigatur, districtiùs prohibemus. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, portionem cum Giezi se noverit habiturum.*

Rursus *Innocentius III.* Cap. *In tantùm*, Ext. *De Simonia*, Cantuariensi Archiepiscopo scribit, ut *Pravam illam consuetudinem de sua Provincia studeas abolere, per quam pro Ecclesiarum Investitura Archidiaconi marcam argenti, minores verò Decani vaccam albam sibi dari postulant, vel certam solvi pecuniæ quantitatem.*

Eamdem Regulam confirmat Sacra Synodus Tridentina Sessione xxiv. *De Reformatione*, Cap. xiv. *In pluribus* (inquit) *Ecclesiis, tam Cathedralibus, quàm Collegiatis, & Parochialibus, ex earum Constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari intelligitur, ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus Cathedralis Ecclesiæ, vel Beneficii, Canonicatuum, aut Præbendarum, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas, certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compositionésve illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turnorum lucra, interponantur : Hæc cùm Sancta Synodus detestetur, mandat Episcopis, ut quæcumque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos qui simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant ; Ipsique diligenter de eorum Constitutionibus, sive Consuetudinibus super prædictis cognoscant, & illis tantùm, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas ut pravas ac scandalosas rejiciant, & aboleant. Eos verò qui adversùs hæc in præsenti Decreto comprehensa, quavis ratione commiserint, pœnis contra Simoniacos editis, Sacris Canonibus, & variis Summorum Pontificum Constitutionibus, quas omnes innovat, teneri decernit : Non obstantibus quibuscumque Statutis, Constitutionibus, Consuetudinibus etiam immemorabilibus, etiam Apostolica Auctoritate confirmatis : De quarum surreptione, obreptione, & intentionis defectu Episcopus tamquam Apostolicæ Sedis Delegatus, cognoscere possit.*

Et Concilium Remense anno MDLXXXIII. *Rerum exactio, quæ pro Canonicorum, & aliorum Beneficiariorum ingressu in plerisque locis suspicione Simoniæ, vel sordidæ avaritiæ non caret, fieri nullo modo permittatur : Quamvis laudabiles consuetudines in Concilio Tridentino non damnatas approbemus eorum, quæ in pios usus conferre solent.*

REGULA V.

Fundatio vel dotatio Canonicatûs ; alteriúsve Beneficii à Clerico, eo pacto ut illud sibi conferatur, vel ut illud cum altero Beneficio sibi permutare liceat, simoniaca est.

HÆc Regula nititur Cap. *Tua nos*, Extrà *De Simonia*, quod *Innocentii III.* Responsum est Decano Bellovacensi datum : *Si quis Clericus* (inquit) *cum conditione vel pacto largiatur aut offerat bona sua, ut illa postmodum pro Præbenda retineat, & in Canonicum admittatur : hujusmodi oblatio vel receptio fieri non poterit sine vitio Simoniæ : cùm in talibus omnis pactio aut conventio cessare debeat ; juxta Canonicas Sanctiones. Si verò purè ac sine pacto vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter ut in Canonicum admittatur, & bona sua retinere sibi liceat pro Præbenda, & Clerici ejusdem Ecclesiæ purè consentiant, hujusmodi receptio fieri poterit absque scrupulo simoniacæ pravitatis. Licèt autem taliter duximus respondendum, quia nobis datum est de manifestis tantummodo judicare : si tamen is qui talem donationem facit eâ intentione ducatur, ut per temporalia bona quæ offert, spiritualia valeat adipisci : & Clerici qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri : sine dubio tam ille, quam isti, apud districtum Judicem, qui scrutator est cordium & cognitor secretorum, culpabiles judicantur.*

REGULA VI.

Simoniæ reus est quisquis confert alteri Beneficium ea conditione vel pacto, ut ille sibi, aut alteri aliud Beneficium conferat.

HÆc Regula nititur Cap. *Quæsitum*, quod Responsum est *Urbani III.* Ext. *De Rerum Permutatione*, quo Beneficiorum, quæ privatâ auctoritate fiunt, permutationes pactione præmissâ, velut simoniacæ damnantur. *Generaliter itaque teneas* (inquit) *quòd commutationes Præbendarum de Jure fieri non possunt, præsertim pactione præmissâ,*

quæ

qua circa spiritualia vel connexa spiritualibus labem semper continet Simonia.

Et Cap. *Pactiones*, Ext. *De Pactis*, quod est Gregorii IX. *Pactiones facta à vobis pro quibusdam spiritualibus obtinendis: cùm in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omninò cessare, nullius penitus sunt momenti.*

Et Concilii Remensis à *Gregorio XIII.* approbati Decreto, cujus hæc sunt verba: *Si quis aliud Beneficium in compensationem collationis etiam alteri conferendum exigat, vel aliam quamlibet pactionem ab Sede Romana non approbatam fecerit, simoniacus esse censeatur.*

Hinc *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione centesima, Articolo I. ad quintum: *Nomine* (inquit) *emptionis & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus. Unde nec permutatio Præbendarum vel Ecclesiasticorum Beneficiorum fieri potest auctoritate partium absque periculo Simoniæ, sicut nec transactio, ut Jura determinant.* Et in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXV. Quæstione III. Art. III. ad octavum: *In permutatione* (inquit) *est Simonia, si pro aliquo terreno commodo utriusque vel alterius, talis commutatio fiat.*

REGULA VII.

Simoniæ rei sunt, qui dum Beneficium resignant sub annuæ Pensionis onere, de illa ipsa Pensione redimenda paciscuntur, vel eam extinguunt conferendo aut procurando Beneficium Ecclesiasticum.

CUm enim Pensiones rei cujusdam temporalis naturam induant, utpotè quæ cum licentià Summi Pontificis redimi possunt: & cùm Pensionis extinctio sit commodum temporale illius qoi ad ejus solutionem tenetur: pactio de Pensione redimenda in Beneficii Resignatione sub Pensionis onere interveniens, aut Conventio de Beneficio conferendo aut procurando cum pacto & conditione expressâ vel tacita ut Pensio extincta maneat, æquivalet pacto aut conventioni de re spirituali conferenda pro temporali.

Resignationes simoniacæ.

Quamobrem Concilium Rothomagense anno MDLXXXI. Tit. *De Episcoporum Officiis*, §. 17. ita statuit: *Resignationes quorumcumque Beneficiorum cum retentione fructuum, vel pensione, quæ posteà ab his qui Resignationes illas acceptaverint, præsertim pretio, sine Sedis Apostolicæ Auctoritate redimitur, pro simoniacis habendas judicamus. Præterquam enim quòd mentalem saltem Simoniam, aut etiam pactum illicitam antecessisse frequentiùs deprehenditur, experientia docet hoc unum esse velamen ad contegendum Simoniæ turpitudinem & malitiam.*

REGULA VIII.

Pensiones qualibet absque Sedis Apostolicæ Auctoritate super Beneficiis constituta ab iis qui ipsa resignant, simoniacæ censentur.

HAnc Regulam tradit Concilium Rothomagense mox laudatum: *Omnes* (inquit) *pensiones & pactiones super Beneficiis, in quibus non intervenit Sedis Apostolicæ approbatio, illicitas & simoniacas declaramus.*

Et Conciliom Remense anno MDLXXXIII. *Si quis Beneficium propter obsequium, vel impensa servitutis mercedem conferat, vel de retinenda pensione sibi vel alteri paciscatur... vel aliam quamlibet pactionem ob Sede Romana non approbatam fecerit, simoniacus esse censeatur.*

Solus aotem Resignationis titulus non est ratio legitima & canonica Pensionis imponendæ, ut superiùs à nobis probatum est: quia Beneficiarius post renunciationem nihil juris habet vel ad minimam partem fructuum Beneficii quod dimittit: ipsâ verò renuntiatione nullum jus ad fructus acquirit. Tenetur enim vel ritè ministrare, ut fructibus potiatur; vel si Beneficio cedere velit, gratis cedere tenetur, nisi titulum proferat aliquem, qoo portionem fructuum retinere possit, putà paupertatem, nimiùmque dispendium ex renunciatione proveniens, quia scilicet nec aliunde ex Ecclesiæ bonis, neque ex patrimonio proventum habet qui ad honestam sustentationem sufficiat. Si verò nullum hujusmodi titulum verè proferre possit, & tamen fructuum partem sibi securam velit, vel pro pretio Beneficii id deposcit, est Simoniacus coram Deo; etiamsi Pontificiam Dispensationem obreptitiè impetratam ostendat.

REGULA IX.

Resignationes incognitis & obscuris hominibus facta, de Simonia vehementer suspecta sunt, nec ab Ordinario facilè admitti debent.

HAnc Regolam tradit idem Concilium Rothomagense. *Resignationes* (inquit) *facta priùs incognitis, aut his quos nulla virtus, aut singularis eruditio, aut alia honesta causa commendat, suspecta de Simonia redduntur, præsertim si quid illicitè actum forma proclamet. Tales igitur Resignationes non debent ab Ordinario absque purgatione canonica, ex Decreto Innocentii III. renovato, cùm de Canonicis Cathedralium Ecclesiarum tractatum est, admitti.*

Innocentius III. Cap. Quoties, & Cap. Inter sollicitudines, Ext. De purgatione canonica.

REGULA X.

Resignationes simoniacæ.

S*Imoniæ reus est, qui Beneficium resignat ea conditione, ut Resignatarius emat bona vel immobilia vel mobilia, eo præsertim pretio quod ipse ultra legitimam æstimationem præfixerit: vel ea lege ut expensas restituat, quas ad instaurandas vel amplificandas Ædes Sacerdotales fecit. Ejusdem criminis reus est, qui ea pactione & conditione Beneficium obtinet.*

REGULA XI.

S*Imoniæ rei sunt, qui mutuò dant pecuniam, aut locant ædes, aut priùs mutuò datum, commodatum, locatum, aut quomodocùmque debitum remittunt aut relaxant, eâ conditione & pactione, tacitâ vel expressâ, vel eâ intentione, ut ipsis Beneficium conferatur: vel qui Beneficium accipiunt cum pacto expresso vel tacito debitum proprium vel alienum remittendi. Idemque judicium esto de illis qui simili conditione vel intentione Beneficium conferunt aut procurant.*

REGULA XII.

Simoniæ rei sunt Clerici, qui Clericalis Status pertæsi, ad nuptias convolant, & Beneficia sua futuræ conjugis fratri aut nepoti resignant, aut conferri procurant, eo pacto expresso aut tacito ut puellæ dos augeatur. Simoniacus pariter est, qui confert alicui Beneficium aut resignat, ut soror vel neptis ejus fratri vel nepoti Collatoris aut Resignantis nubat.

Resignationes Simoniacæ.

IN casibus enim qui proximis tribus Regulis exponuntur, vel pecunia, vel commodum aliquod temporale pretio æstimandum, pro re spirituali promittitur, datur, recipitur: nec gratis datur Beneficium, sed sub pacto oneroso quod cedit in temporalem Conferentis aut Resignantis utilitatem: quod ad Simoniacam nundinationem pertinere, minimè dubium est. Hinc Mediolanense Concilium 1. sub *S. Carolo*, in juramento ad purgandam Simoniam Beneficiatus præscripto, nonnullos ex istis casibus complectitur. *Neminem* (inquit) *vel præsentatum, vel nominatum, vel electum, vel ab inferioribus provisum priùs admittant aut instituant Episcopi, quam infrà scriptum jusjurandum ab eo exegerint: Ego Præsentatus vel Electus, &c. ad Beneficium N. juro per Sacro sancta Dei Evangelia quæ meis manibus tango; neque me Beneficio obtinendi causa, aut ut ad id præsentarer, vel nominarer, &c. neque quemquam alium meo nomine, aut consentiente vel sciente me, quidquam Collatori, Patrono, seu alii cuiquam ea de causa promisisse aut dedisse, aut compensasse, aut priùs datum confirmasse, vel apud quemquam deposuisse: neque mutuo dedisse, vel locasse; vel priùs mutuo datum, commodatum, locatum, aut quocumque modo debitum remisisse, aut relaxasse: nec de domibus, terris, prædiis, reditibus ejus Ecclesiæ, fructibusve, decimis, aut Oblationibus ejusdem præteritis, præsentibus, aut futuris, donationem, remissionem, locationemve fecisse, promisisse, aut iniisse, aut alium mandante vel consentiente me promisisse, fecisse, aut iniisse. Ita me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.*

REGULA XIII.

Simoniæ reus est Patronus, qui aliquem ad Beneficium præsentat eâ lege, ut Decimas à se vel ab alio non exigat.

Simonia Patronorum.

HÆc Regula nititur Cap. *Veniens*, quod est *Alexandri III.* Responsum, Ext. *De Testibus & Attestationibus*, quo Simoniæ damnatur Presbyter, *Qui promiserat unicuique Parochianorum quinque barillos vini remittere, qui Sacerdoti ibi pro tempore servienti consueverant pro Beneficio dari.*

REGULA XIV.

Simoniæ rei sunt, qui renunciant liti super Beneficio, aliquod temporale, etiam expensarum nomine exigentes: aut qui resignant Beneficium cum onere restituendi expensas, quas in eo acquirendo fecerunt.

Simonia liti dubiæ super Beneficio renunciantis.

NItitur hæc Regula Cap. *Cùm pridem*, Ext. *De pactis*, quod est *Alexandri III.* Responsum. *Cùm Clericus* (inquit) *& Monachi pro causa quæ inter eos vertebatur super Ecclesia & Capella ad nostram præsentiam accessissent, inter se convenerunt, quòd eidem Clerico pro expensis quas fecerat, tres marchæ argenti solverentur, & idem liti cederet. Cùmque compositionem ipsam Authoritate Apostolicâ peterent confirmari, Nos eam non duximus admittendam, pro eo quòd videbatur pravam illicitæ pactionis speciem continere.*

Certè *Simonia est pecuniâ parare sibi viam ad rem spiritualem obtinendam* (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione centesima Articulo 11. ad quintum.) Ille porrò cui resignator Beneficium cum onere restituendi expensas in ejus acquisitione factas, pecuniâ parat sibi viam ad Beneficium obtinendum; si quidem ipsi Beneficium non resignaretur, nisi pecuniam daret: Simoniæ itaque reus est.

REGULA XV.

Simoniam incurrunt, qui ex pacto ad finiendam litem dubiam ob aliquod Beneficium intentatam, dant vel accipiunt pecuniam aut aliquod pretio æstimandum. Ejusdem sunt criminis rei, qui de quocumque spirituali jure transigunt.

ITa declaravit *Alexander III.* Cap. *Super eo*, Ext. *De Transactionibus*, cujus hæc sunt verba: *Super eo quod quæsivisti, Utrum de Ecclesiastico Beneficio in litigium deducto possit fieri transactio: tale damus Responsum, Quòd transigi super re sacra & litigiosa non potest. Eorum res sacræ ut possideantur aliquo dato vel retento, sive promisso, speciem credimus habere Simoniæ.*

Idem confirmatur ex Cap. *Constitutus*, eodem Titulo, quod ejusdem Pontificis Responsum est. *Constitutus* (inquit) *in nostra præsentia G. Clericus sua nobis assertione monstravit, quòd cùm inter ipsum & A. Clericum super Capella de Stratis controversia emersisset, tandem per transactionem sopita fuit: & licet hinc inde fide præstitâ firmata fuisset, eam tamen præfatus A. servare recusat. Quia igitur hujusmodi transactiones speciem continent Simoniæ, mandamus; quatenus revocatâ transactione in irritum, causam audiatis.*

Idem confirmatur ex Cap. *Præterea*, eodem Decretalium Titulo. Monasterium quoddam seu Cella eximi voluit à subjectione quâ Ecclesiæ Matrici sive Principali Domui tenebatur. Oblato libello, & lite contestatâ, Fratres illius Monasterii confessi sunt se olim Ecclesiæ Matrici fuisse subjectos, & quæstionem de hac subjectione olim motam, & transactione sopitam fuisse, *Eatenus ut quemdam annuum censum Ecclesiæ Matrici reddendo, essent à subjectione Principis Domûs exempti.* Prior pro Majori Ecclesia proponebat; *Quod de spirituali subjectione transigere non liceret.* Respondet *Celestinus III.* ferendam contra Fratres Sententiam: & nullâ habitâ ratione transactionis, Cellam Ecclesiæ Matrici sive Principali Domui subjectam manere debere: *Cùm illa transactio iniquitatem simoniacam continuisse putetur.*

REGULA XVI.

Simonia est, redimendæ vexationis specie, pecuniam dare, ut removeantur impedimenta, quibus aliquis prohibetur aut retardatur à consecutione Beneficii, in quo nullum jus habet. Postquàm verò jus acquisitum est, licèt per pecuniam injusta impedimenta removere.

PRimam hujus Regulæ Propositionem firmavit autoritate sua *Lucius III.* cap. *Matthæus*, Ext. *De Simonia*, cujus hæc sunt verba: *Cùm fuisses ad Ecclesiæ tuæ regimen de voluntate majoris*

partis fratrum electus, paucis tibi contradicentibus: quidam amicus tuus de conscientia sua & voluntate turbata, ei qui Magister discordia videbatur, certa quantitatis munus exsolvit, & sic contradictio conquievit: Nunc autem dubitas quod non sis à labe Simonia prorsus immunis, donec in Administratione volueris remanere. Quia igitur consilium requisisti, quid tibi sit faciendum: Respondemus quòd tibi multum consulit, si Administrationem celeriter ac sponte dimittas, illius verbi memor existens: NIHIL *prodest homini, si universum Mundum lucretur, Anima verò sua detrimentum patiatur.* Neque verò merum consilium hîc dari putes, ut cedat Beneficio, vel Ecclesiasticæ Dignitati aut Muneri, qui pecuniam dedit aut dari consensit antequam per Institutionem Canonicam aut Confirmationem jus in eo haberet, quia Pontifex utitur eo verbo, *Consulit.* Ideo enim eo usus est (ut observat Glossa) *Quia peccatum occultum erat, unde illum expressè non poterat prohibere, nisi consulendo, Et licèt dicatur,* Consulis, *necessitatem tamen importat, si vult salvari, quia nisi renunciet, salvari non potest.*

Pecuniam dante vexationis redimendæ causâ non licet nisi illi qui jus acquisitum & immobile jam habet ad Beneficium.

Matth. 16. 27.

Aliàs specie redimendæ vexationis pecuniam dare vel offerre Simonia est.

Idem confirmat *S. Thomas*, simul & secundam Regulæ Propositionem, *Secunda Secundæ*, Quæstione centesima, Articulo secundo, ad quintum: *Antequam* (inquit) *alicui acquiratur jus in Episcopatu, vel quacunque Dignitate, vel Præbenda, per electionem, vel provisionem, seu collationem, Simoniacum esset adversantium obstacula pecuniâ redimere: sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. Sed postquam jus alicui jam acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere.* Quamobrem Jacob non peccasse respondet, cùm primogeniti jura emisse visus est ab Esaü, quamvis ille peccaverit vendens: Quia *Jus primogenituræ debebatur Jacob ex divina electione, & suam vexationem redemisse intelligitur.*

Et in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXV. Quæstione III. Articulo II. Quæstiuncula I. ad septimum: *Si* (inquit) *non est sibi acquisitum jus per electionem, nullo modo potest pecuniam dare adversario ut desistat: Si autem est ei acquisitum jus, potest aliquid dare, non ut pretium Prælationis, sed ut redemptionem vexationis propriæ.* Justam tamen vexationem redimere non licet, ut si justè accusaretur, (inquit *S. Antoninus* p. II. Tit. I. cap. IV. §. II.) Idem docet *S. Raymundus* Lib. I. Tit. I. *De Simonia*, §. 20.

Justam vexationem redimere non licet.

Quòd autem ad redimendam injustam vexationem pecuniam dare possit qui certum Jus habet in Beneficio, absque Simoniæ notâ, immo absque peccato: sed tamen injustè recipiat ille qui vexat, adeóque ad restitutionem teneatur, maximè si à vexatione non destiterit, etiam acceptâ pecuniâ, colligitur ex cap. *Dilectus filius*, I. Ext. *De Simonia*, quod est *Celestini III.* Responsum. *Dilectus filius R. Præpositus Nobis exposuit, quòd cùm Eboracensis Archidiaconus eum multis gravaminibus afficere non cessaret, promisit ei certam quantitatem pecuniæ se daturum, ut ab ipsius desisteret læsione: verùm dictus Archidiaconus post receptionem pecuniæ, super Dignitatibus & Beneficiis ejus, ab ejus molestia non quievit. Idcòque Discretioni vestræ mandamus, quatenus si res ita se habet, Archidiaconum restituere, quod accepit, (si eum contra promissionem suam venisse constiterit) compellatis.* Verba parenthesi inclusa sic Glossa exponit, ut supplendum sit, MAXIME: *Quia si constiterit quod injustè acceperit, compelleretur ad restituendum, & crimine concussionis puniretur.*

Ad restitutionem tenetur qui pecuniam accepit, ut ab injusta vexatione desisteret.

In hac denique redimendæ vexationis specie observare convenit Regulam a Concilio Mediolanensi I. sub *S. Carolo Borromæo* traditam, Tit. Quæ pertinent ad Collationem Beneficiorum: *Ne* (inquit) *redimendæ vexationis specie in causis Beneficiorum Simoniacæ pactiones intercedant, nemini licere volumus ad redimendam vexationem, ne in casibus quibus jure permissis, pecuniam dare, quicquamve pacisci, aut transigere, nisi Episcopi consensus accesserit, cujus partes erunt & perspicere diligenter an subsit aliqua fraus; & ubi rem fraude carere, & jure permissam cognoverit, non denegare ei, qui petierit, facultatem se à vexatione liberandi. Qui contra quàm decretum à Nobis est, fecerit, Episcopi arbitrio plectatur, & quod actum fuerit, irritum sit ac nullum.*

Ad justam vexationem hac in materia redimendam, obtinendus Episcopi consensus.

REGULA XVII.

Litigantes super alicujus Beneficii possessorio inter se convenire absque Simonia non possunt, ut pacis causâ Beneficium alter, Pensionem alter super Beneficio habeat.

Hujusmodi enim Pensiones sedandæ litis causâ tunc solùm tolerantur, & à Simoniæ labe sunt immunes, quando constituuntur, *Non ex pactione partium, sed ex jussione Judicum, pro bono pacis, & utilitatis,* (non privatorum, sed Ecclesiæ;) illisque non Beneficium, sed persona Beneficiarii manet onerata, ita ut defuncto Beneficiario, successor ipsius ad solutionem Pensionis minimè teneatur. Nec Judices quoscunque, sed arbitros duntaxat in quos compromissum est, id posse decernere, Jus Canonicum docet: alioquin enim judicare præter Jus non possunt, sed causâ diligenter discussâ, Beneficium adjudicare debent illi qui jus habet, absque ulla prorsus imminutione. Nec verò sic ab Arbitris constitutam Pensionem Sedes Apostolica simpliciter probat, quia per se *Valdè suspecta est propter exempli perniciem*; sed *tolerat*, (ut respondet *Innocentius III.* Ext. De Præbendis, cap. *Nisi essent.*)

Collitigantium super Beneficii possessorio Conventiones Simoniacæ.

Prætereà, jus illud quod litigantium alter collitiganti cedit, vel est certum, vel incertum aut nullum est: Si certum, ad hujusmodi Juris, quod spirituale est, siquidem per se Beneficii titulum respicit, cessionem promitti, darive non potest Pensio, quæ res temporalis est, absque Simoniæ nota: si Jus dubium aut nullum est, qui jure illo cedit, & pro illius cessione Pensionem percipit, furti reus est, & nihilominus simoniacus, quia rem spiritualem, scilicet Beneficium, aut præsumptitium Jus ad illud nundinatur.

Simoniæ pariter rei sunt collitigantes, quorum alter dubio, & quod in lite versatur jure ad Beneficium cedit, eâ conditione ut alterum Beneficium ipsi conferat collitigator.

REGULA XVIII.

Pessimum Simoniæ genus est Confidentia, seu fiduciaria conventio tacita vel expressa, ut qui Beneficium recipit, illud ipsum posthac in aliam certam personam transferat, aut Beneficii fructus, vel partem fructuum ab alio percipi sinat.

Ad illud Simoniæ genus extirpandum *Pius Quartus* Constitutionem edidit, quæ incipit, *Romanum Pontificem*, & *S. Pius Quintus* alteram, quæ incipit, *Intolerabilis:* qua decernit, *Ut si quis quacunque auctoritate, Ecclesiam vel Monasterium, aut aliud Beneficium Ecclesiasticum qualecunque ex resignatione vel cessione cujuscunque per-*

Fiduciariæ Conventionis seu Confidentiæ pœna.

fione, simpliciter aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu vel accessu, etiam solâ dimittentis intentione receperit, ut illa, vel illud etiam in eventum regressus vel accessus, eidem dimittantur, vel alteri postea conferantur; aut illius fructus, vel eorum pars alii vel aliis concedantur, vel Pensiones solvantur ex eisdem, hac Confidentia censeatur.

Item *Si Ordinarius vel alius Collator contulerit, antehac aut conferat in futurum Beneficium Ecclesiasticum quovis modo vacans, eâ conditione tacitâ vel expressâ, ut postea in alterum pro arbitrio Collatoris, seu alterius cujuscunque contra Juris communis ordinationem disponatur, sive ut de eo provisus, fructus illius vel partem ad utilitatem vel libitum conferentis, vel decedentis, aut alterius relinquat & remittat, seu pensionem illi vel illis, quem vel quos idem Collator, aut cedens, aut alius per se vel alium, scripto, aut verbo jusserit, seu significaverit, persolvat; & pariter si Patrono etiam Laïco, vel altero præsentatore seu electore contigerit aut contingat id fieri.*

Item, *Si Clericus post Resignationem alicujus extranei, de Ecclesia, Monasterio, vel alio Beneficio Ecclesiastico in se, Apostolica vel alia auctoritate factam & admissam, illam vel illud, etiam confectis Literis Apostolicis, & possessione apprehensâ, in eundem Resignantem vel Cedentem, modico spatio interjecto, veluti duorum vel trium mensium retrocesserit, aut retrocedat in futurum, & ex illa retrocessione fructus Ecclesiæ seu Monasterii, aut Beneficii, vel eorum pars seu pensio, seu quid aliud super his reservatum; aut regressus, seu accessus & ingressus ad illam vel illud, ipsi Clerico sit furtive concessus.*

Postremò, *Si quis crimine aliquo absolutus, aut cum quo super Irregularitate dispensatum est, denuo receperit quacunque auctoritate Ecclesiam, Monasterium, vel aliud Beneficium Ecclesiasticum, quod ante vel post commissum delictum, aut contractam Irregularitatem dimiserit.*

Præsumptiones & conjecturæ ex quibus probatur, in foro externo.

Plures autem præsumptiones & conjecturas profert *S. Pius Quintus*, ex quibus vult probatum haberi & judicari in externo foro fiduciariæ mancipationis Beneficiorum abusum. Videlicet:

Si quis post cessam ab se Ecclesiam, vel Monasterium, aut Beneficium, & publicatam Resignationem, seu Cessionem, captámque à Successore possessionem, sese in illa, vel illo, seu rebus illius, per se, vel alium, seu alios, de facto ingesserit, aut fructus perceperit; aut quicunque Successor illi, vel ejus propinquis, ipsos, aut partem aliquam remiserit eorumdem.

Si recipiens Beneficium constituerit dimittentem, vel ejus parentes, aut propinquos, procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus Beneficii dimissi, & illi, vel illis, de fructibus perceptis aut percipiendis donationem fecerit.

Si vel solâ Procuratoris dispositione, vel libris rationalibus Mensariorum, ex parte dimittentis, Expeditio, qua personam recipientis concernit, prosecuta sit, simúlque expensa pro ea necessaria ab illo facta fuerint.

Denique si quis pro concessione alicui factâ, quacunque auctoritate, de Beneficio Ecclesiastico, per se, vel alium, seu alios intercesserit, vel aliàs in negotia concessionis se immiscuerit quoquomodo, deinde aliquid de fructibus talis Beneficii de facto, etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illa postmodum ad voluntatem Intercessoris fuerit dispositum quandocunque.

Illæ porrò multiplicis Simoniæ fiduciariæ præsumptiones ad forum duntaxat exterius referuntur. Unde si quis Beneficium recipiat ab eo qui cum intentione atque conditione fiduciariâ, verbis expressâ, sibi resignat, neque tamen verbo nec animo, nec ipso facto annuat voluntati dimittentis, sed mentem gerat à simoniaca illâ fiduciâ omnino alienam, eoque duntaxat animo Beneficium suscipiat, nec resignans apertâ in contrarium declaratione repulsus, alium quærat, inveniatque qui pravæ illius voluntati præbeat assensum; reus ille non est Simoniæ fiduciariæ. Neque contrarium colligi potest ex his verbis *S. Pii V.* in Constitutione contra Confidentiam Beneficialem: *Etiamsi solâ dimittentis intentione receperit*; necnon ex illis, *Conscientiâ tantùm unius partis.* Id enim vult unum, ubi prava offerentis intentio perspecta fuerit, de pravo suscipientis affectu præsumendum esse in foro externo. Cæterùm in foro interiori Pœnitentiæ, præsumptione agendum non est & judicandum, sed secundùm Confessionem Pœnitentis, qui testis simul & reus, & actor adversùs seipsum est. Si tamen recipiens Beneficium fiduciarii mangonis pravitati assensum præbuit, aut se assentiri verbo, nutu, vel facto per se vel per Interpretem seu Mediatorem significavit, quamvis non intendat exequi nefaria promissa, fiduciariæ Simoniæ reus est, & in pœnas incurrit hâc *S. Pii V.* Constitutione decretas. *Omnes* scilicet *& singulos, qui Ecclesias, Monasteria, Beneficia, fructus, Pensiones, aliásve res, intercedente hoc confidentiæ vitio receperunt ac retinent, etiam omnibus & singulis aliis Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Administrationibus, Officiis, & Beneficiis obtentis, nec non fructibus, Pensionibus & aliis Rebus Ecclesiasticis privatos, & ad futura inhabiles decernit: & Excommunicationis Sententia percellit, à qua nullus, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio quàm à Romano Pontifice Absolutionis Beneficium valeat obtinere.*

Confidentiariorum pœnæ.

Collatio itaque fiduciaria Beneficii nulla est ipso jure, tenetúrque renunciare Beneficio, qui illud in confidentiam accepit, & fructus quoscunque de illo perceptos restituere. Sedi autem Apostolicæ reservatur sic vacantium Beneficiorum Collatio extra Galliam: in Galliis enim *S. Pii V.* Constitutio, quoad hoc caput non est usu recepta, Collationemque Ordinariis, etiam hoc in casu præscripta consuetudo vindicat; & alioqui *Sixtus V.* Constitutione LXI. quæ incipit, *Pastoralis*, Constitutiones *Pii IV.* & *S. Pii V.* quoad hoc caput in gratiam hujus Regni moderatus est, & Beneficia occasione confidentiæ vacantia seu vacatura, ab Ordinariis Collatoribus liberè conferri voluit, modò criminis participes non sint.

Quanquam verò omnes hujus criminis rei & conscii pœnis generalibus à Jure communi in Simoniacos latis obnoxii sint; privatio tamen Beneficiorum omnium, & Pensionum, etiam Simoniacâ fiduciâ non quæsitorum, & inhabilitas in futurum perpetua, soli recipienti, non autem resignanti aut conferenti infligitur: & id quidem nisi statim ad se reversus & resipiscens, celeri dimissione malè parti Beneficii sibi prospexerit, ut decernit Sanctus idem Pontifex *Pius V.*

Adversùs fiduciariam Beneficiorum mancipationem Concilium Rotomagense anno MDLXXXI. Tit. *De Episcoporum Officiis*, §. 21. 22. & 23. sic decernit: *Non levius malum nostris temporibus aut exortum, aut longiùs propagatum Ecclesiam affligit, ac perdit, per aliorum Beneficiorum clitellarios asinos & custodes, qui Confidentiarii vocantur, quorum nomine ac ministerio viri laici ac mulieres hereditato possident Sanctuarium Domini, ac profanant. Tam illos custodes, quàm eos quorum cupiditati deserviunt, denunciari quoque in Pronao & Concionibus pro Excommunicatis, & teneri ad Restitutionem fructuum,*

atque eorumdem hæredes, ex Bulla Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ Pii V. per omnes dies Dominicos jubemus. Quamvis autem ſicut Simoniaci vix detegi, ita Cuſtodes illi vix latere poſſint, attamen à Confeſſariis in foro conſcientiæ de his quoque volumus inquiri, & confitentibus laicis viris & mulieribus ſe hujus Sacrilegii participes eſſe, minimè Abſolutionem dari, nec ad Communionem admitti quocunque modo compertos, præterquàm in mortis articulo, niſi priùs reſtituerint pro viribus fructus perceptos pauperibus aut fabricis Eccleſiarum, à tanto crimine abſtinuerint, atque à Sanctiſſimo Romano Pontifice Abſolutionem obtinuerint.

Eodem crimine tenentur, & eiſdem pœnis ſubduntur omnes Patroni, ſive Eccleſiaſtici ſive Laici, qui colore Patronatûs Beneficia Eccleſiaſtica in ſervitutem redigunt, dum per ſuppoſitas Clericorum perſonas, aut ex pacto tacito vel expreſſo cum ipſis inito in Præſentatione ſuorum Beneficiorum, ſeu quacunque arte, aut quocunque quæſito colore, jura aut fructus eorumdem, aut partem ipſorum in uſus proprios convertunt: Alii verò ſine Jure Patronatûs atque etiam ſine ullo Titulario, aut per aliquem ſuppoſitum aliena Beneficia vi occupant, eorùmque jura aut fructus deprædantur: contra utroſque prædicto modo procedatur, qui etiam ex Decreto Concilii Tridentini dictis Patronatibus ipſo jure privati exiſtunt.

Quicunque verò Clerici tam nefandæ fraudis & uſurpationis fabricatores, ſeu conſentientes, atque alioni ſacrilegii fautores fuerint, eiſdem pœnis per Generalia Concilia & Decreta Pontificum ſubjacent, necnon quibuſcunque Beneficiis privantur, & ad quæcunque Beneficia inhabiles efficiuntur, atque à divinis Ordinibus ſuſpenſi, nec in foro conſcientiæ poſſunt abſolvi, aut ſuorum Ordinum executioni per Ordinarium reſtitui, niſi poſt integram ſatisfactionem & Abſolutionem prædictam, Celebrantes verò in eo ſtatu Irregularitatem ſuper incurrunt, & multiplicem damnationem, tam in præſenti quàm in futuro ſeculo ſibi acquirunt.

Concilium Remenſe anno MDLXXXIII. Tit. *De Simoniacis & Fiduciariis*, eaſdem pœnas contra Fiduciarios Beneficiorum Cuſtodes decernit, ſicque ſimoniacam fiduciam explicat. *Quiſquis* (inquit) *acceptat Beneficium, ut ei poſtea cedat in favorem cujuſcunque perſonæ capacis vel incapacis, Secularis vel Regularis, Laïca, vel alicujus ex Clericis, fiduciarius eſſe cenſeatur. Idemque eſto judicium de eo qui per Reſignationem ejus Beneficium recipit, cujus priùs erat illi facta promiſſio.*

Qui eandem confidentiam verbo vel facto juverit vel procuraverit, ejuſdem criminis particeps habeatur.

Qui Beneficium acceptat, non ut cedat, ſed ut alius fructibus vel eorum portione, ſub ipſius nomine gaudeat, fiduciarius eſſe judicetur.

Patroni etiam, ſeu Eccleſiaſtici ſeu Laici, qui Clericorum perſonas interponunt, ut ex pacto vel expreſſo vel tacito, fructus Beneficiorum quæ præſentant, vel eorum partem aliquam in proprios uſus convertant; vel qui aliquo ſuppoſito, vel etiam nullo Titulario exiſtente, fructus Beneficiorum occupant, non ſolùm hujus criminis rei, ſed etiam injuſtiſſimi raptores cenſeantur, & Jure Patronatûs ipſo facto privati exiſtant.

Ex his colligitur, Simoniacam ac fiduciariam eſſe conventionem, quâ Collator Beneficium inſigne & pingue confert Clerico, ob Gradus Academicos ipſi debitum, eâ lege ut eo cedat in manibus ejuſdem Collatoris, tertiæ perſonæ conferendo; ipſe verò Collator impletâ conditione, Beneficium aliud minoris proventûs illi Graduato conferat, qui Juribus ſuis ceſſit.

REGULA XIX.

Simoniacæ fiduciæ, reus non eſt, qui Beneficio renunciat ſimpliciter & abſolutè in manibus Collatoris, nullo pacto inito, nullâ promiſſione ab ipſo, per ſe, aut per Mediatorem exactâ & factâ: quamvis confidat & ſperet Collatorem idem Beneficium collaturum illi quem ad illud promoveri deſiderat, aut ſupplicat; vel Patronum illum præſentaturum.

Simonia enim fiduciaria, nulla eſt abſque conventione & pactione tacita vel expreſſa: quamobrem ſi pactio quæconque prorſus abſit, non eſt Confidentiæ crimen, quamvis abſque pactione committi poſſit Simonia mentalis.

REGULA XX.

Simoniæ reus eſt, qui preces pro indigno ad obtinendum illi Beneficium Eccleſiaſticum interpoſitas exaudit: vel qui preces pro digno quidem factas, ſed tamen favoris humani, non meritorum rationem habet: vel qui pro ſe ipſo rogat ut obtineat Curam Animarum: Vel qui ſpe alicujus commodi temporalis, aut favoris ad dignitatem aliquam Eccleſiaſticam, aut inſignius Beneficium obtinendum conducibilis, confert Beneficium ad alicujus Viri Principis aut Nobilis commendationem, ſi ſpes illius commodi at favoris magis moveat quàm Clerici commendati merita.

Hanc Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæſtione centeſima 1 Articulo v. ad tertium; *Munus* (inquit) *à lingua dicitur vel ipſa laus pertinens ad favorem humanum, qui ſub pretio cadit, vel etiam preces, ex quibus acquiritur favor humanus, vel contrarium evitatur. Et ideò ſi aliquis principaliter ad hoc intendit, Simoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit. Unde ipſum factum eſt ſimoniacum. Si autem preces pro digno porrigantur, ipſum factum non eſt ſimoniacum: quia ſubeſt debita cauſa, ex qua illi pro quo preces porriguntur, ſpirituale aliquid confertur. Tamen poteſt eſſe Simonia in intentione, ſi non attendatur ad dignitatem perſonæ, ſed ad favorem humanum. Si verò aliquis pro ſe rogat ut obtineat curam Animarum, ex ipſa præſumptione redditur indignus, & ſic preces ſunt pro indigno. Licitè tamen poteſt aliquis, ſi ſit indigens, pro ſe Beneficium Eccleſiaſticum petere ſine cura Animarum.*

Qui rei ſint Simoniæ ratione muneris à lingua.

Et in IV. *Sententiarum*, Diſt. XXV. Quæſtione III. Articulo III. ad quartum: *Quando* (inquit) *fiunt preces pro indigno, vel ab aliquo Potente qui periculum comminatur, quæ dicuntur preces armatæ, manifeſtè Simonia committitur, ſi propter hoc Beneficium Eccleſiaſticum datur: Si autem pro digno fiant, quantùm ad judicium hominum, probabile eſt, quòd dans magis moveatur intuitu dignitatis perſonæ, quàm favore precum; & ideò non reputatur Simonia: ſi tamen principaliter moveatur favore precum, vel timore rogantis, quantùm ad divinum judicium Simoniam committit & rogatus & rogans, ſi hoc intendat, ſive aliquis pro ſe roget, ſive pro alio.*

Et *S. Raymundus* Libro 1. Tit. 1. De Simonia, §. 7. *Aut eligitur quis, vel ordinatur ſuis precibus* (inquit) *aut alienis. In primo caſu, quantumcunque ſit dignus, eſt Simonia.* VIII. Quæſtione 1. Io Scripturis 1. Quæſtione 1. Ordinationes. *In ſecundo caſu, aut illæ preces ſunt carnales, aut ſpirituales. Si carnales, & ſunt pro indigno, Simonia eſt,* 1. Quæſtione 1. De Ordinationibus. *Tunc enim*

preces succedunt loco pretii 1. Quæstione 1. Sunt nonnulli. *Si verò sunt carnales, pro digno, non committitur Simonia, dummodo Ordinator vel Elector non habeat respectum ad preces, sed ad Deum, & ad merita personæ.* Extrà, de Ætate & Qualitate Ordin. *Tuam*, 1. Quæstione 1. *Legorem*.

REGULA XXI.

Simoniæ rei sunt, qui fœdis adulationibus Principum Nobiliumque Virorum gratiam ad obtinenda Beneficia aucupantur.

HInc *S. Joannes Chrysostomus*, Homilia III. in Acta Apostolorum, ait; *Cogita quid acciderit Simoni. Quid enim refert si non das pecuniam, sed pecuniæ loco adularis, subornas, multáque machinaris?*

REGULA XXII.

Simoniæ reus est, qui Beneficium alicui se collaturum aut procuraturum pollicetur, eâ lege ut commendationem vel preces Viri Principis, aut Potentis, cujus in gratiam vult irrepere, & cujus patrocinium ambit, apud se interponat.

PReces enim illæ sunt munus à linguâ, quo veluti pretio Beneficium emitur. Porrò *Quod aliquis satisfaciat precibus alicujus ad temporalem gratiam quærendam, ordinatur ad aliquam utilitatem, quæ potest pecuniæ pretio æstimari. Et ideò sicut contrahitur Simonia accipiendo pecuniam vel quamlibet aliam rem exteriorem, quod pertinet ad munus à manu: ita etiam contrahitur per munus à lingua* (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione c. Articulo 2.)

Et in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXV. Quæstione III. Articulo III. ad quartum: *Munus linguæ* (inquit) *duplex est; vel quod in ipso actu linguæ consistit, sicut laus; vel quod ex lingua initium sumit, sicut cùm quis ex hoc quòd precibus alicujus satisfacit favorem expectat: qui enim dat aliquod spirituale pro favore, vel laude acquirenda, non est dubium quin Simoniam committeret.*

REGULA XXIII.

Simoniæ rei sunt duo Monachi, qui sibi invicem sua suarumque partium suffragia pollicentur, ut alter ad Provincialis Munus, alter ad Prioratum, vel similem aliam Præfecturam Monasticam provehatur.

Monachorum Simonia.

HÆc Regula nititur cap. *De hoc autem*, Ext. *De Simonia*, quod est *Alexandri III.* Responsum Toletano Archiepiscopo datum. *De hoc autem* (inquit) *quòd Episcopus Oxomensis Archidiacono Beneficium, & cuidam Clerico ante Electionem suam Prioratum dicitur promisisse, ut uterque consentiret eidem: tuæ Prudentiæ respondemus, quòd si manifestum est eundem Archidiaconum, & Clericum, ob causam illam, promissa recepisse, aut exinde confessi fuerunt in Jure, vel legitimè convicti, ab Altaris Ministerio sunt perpetuò deponendi.*

Propositio damnata.

Meritò itaque Sacra Facultas Parisiensis hanc Propositionem ex Apologia Casuistarum exceptam XVI. Julii anno MDCLVIII. damnavit ut falsam & Juri Canonico contrariam: *Simoniæ rei non sunt viri duo Religiosi, qui hunc in modum paciscuntur: suffragare mihi ut sim Provincialis; & tibi suffragabor ut fias Prior.*

REGULA XXIV.

Si pecunia persoluta sit, aut pactio aliqua vel promissio facta fuerit de altero Beneficio Ecclesiastico, aut Monasticâ Præfecturâ, alicui procurandis, aut de suffragio in Electione ad hujusmodi Beneficium aut Præfecturam ferendo; simoniaca est, adeóque ipso jure nulla Collatio vel Præsentatio, Electio, Confirmatio, &c. Etiamsi is cui collatum est Beneficium, vel qui electus est aut confirmatus, pactionis hujus conscius non fuerit: nisi fortè à malevolis data pecunia, aut pactio vel promissio facta fuisset ad Collationem aut Electionem in irritum mittendam.

HÆc Regula nititur cap. *Nobis*, Ext. *De Simonia*, quod est *Cœlestini III.* Responsum: *Nobis* (inquit) *fuit ex parte tua intimatum, quòd cùm quatuor essent à Capitulo constituti, qui debebant quemdam eligere in Plebanum; amici ejus de cujus electione spes habebatur, uni vel omnibus Eligentium promiserunt se pecuniam soluturos, eo tamen ignorante, qui hujusmodi promissione interveniente postmodum est electus.... Quia igitur super hoc consulere Nos voluisti; consultationi tuæ breviter respondemus, Quod nisi constaret illos, qui promissum tale fecerunt, per fraudem in dispendium illius qui eligendus erat, id malitiosè fecisse: quamvis ipse promissionis conscius non fuerit, ejus tamen Electio, tanquam simoniaca pravitate præsumpta, est penitus reprobanda*

REGULA XXV.

Simoniæ rei sunt, qui pro obsequio temporali, vel sibi vel suis exhibito, vel exhibendo, nec ad Ecclesiæ utilitatem, aut Ministrorum ejus auxilium ordinato, Beneficia vel conferunt, vel promittunt.

ID constat ex cap. *Cùm essent*, Ext. *De Simonia*, quod est *Alexandri III.* Responsum: *Cùm* (inquit) *ab ore præfati R. intellexerimus, quòd memoratus Miles promiserat ei dare Ecclesiam, si quoddam negotium ejusdem in nostra posset præsentia promovere, ac per hoc promissionem ipsam continere simoniacam pravitatem: eidem R. super eadem Ecclesia silentium duximus imponendum.*

Qui rei sint simoniæ ratione muneris ab obsequio.

Idem confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione centesima, Articulo V. *Manifestum est*, (inquit) *quòd obsequium hominis ad aliquam utilitatem ordinatur, quæ potest pretio pecuniæ æstimari: Unde & pecuniaria mercede ministri conducuntur. Et ideo idem est, quòd aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito, vel exhibendo, ac si daret pro pecunia data vel promissa, qua illud obsequium æstimari posset.*

Et in Responsione ad primum, explicans verba illa ex *S. Gregorio* objecta, *Ecclesiasticis utilitatibus deservientes, Ecclesiasticâ dignum est remuneratione gaudere* ait: *Si aliquis Clericus alicui Prælato impendat obsequium honestum, & ad spiritualia ordinatum (puta, ad Ecclesiæ utilitatem, vel Ministrorum ejus auxilium,) ex ipsa devotione obsequii redditur dignus Ecclesiastico Beneficio, sicut & propter alia bona opera. Unde non intelligitur esse munus ab obsequio. Et in hoc casu loquitur Gregorius. Si verò sit inhonestum obsequium, vel ad carnalia ordinatum, (puta, quia servivit Prælato ad utilitatem consanguineorum suorum, vel Patrimonii sui, vel ad aliquid hujusmodi;) erit munus ab obsequio, & est simoniacum.*

Idem docet *S. Raymundus*, Libro I. Tit. I. §. 6. *In munere* (inquit) *ab obsequio, distingue, quia*

A *aut est corporale, aut spirituale. In primo casu, si obsequium est honestum, potest; ut si eat Romam pro Ecclesia, vel serviat alicui Episcopo, vel Ecclesiæ in licitis & honestis; dum tamen sine pactione. Si honestum, non potest, ut supra eod. prox. vers.* Munus *ab obsequio est servitus indebitè impensa: si spirituale, non debet facere tale obsequium pro Beneficio, vel alio sibi dando, nisi cùm tale obsequium fuerit impositum ipsi Beneficio: verbi gratiâ, alicui Præbendæ est impositum hoc onus, ut qui eam habuerit, cantet quotidie de B. Virgine Maria Missam*, Ext. De Præbendis, *significatum*.

B Quamobrem Concilium Mediolanense 1. Tit. *Quæ pertinent ad Collationem Beneficiorum*, ita decrevit: *Ut omnis ad Simoniam aditus intercludatur; monemus & obtestamur Episcopos, ad quosque quibus est jus conferendi Beneficia, ut familiaribus suis certam mercedem constituant, ne illi hoc subsidio destituti, Beneficia Ecclesiastica, tamquam sua operæ & laboris pretium præcipuè sibi proponant. Fraudari tamen Ecclesias nolumus probatorum hominum ministerio, si qui sint in eorum familia, quorum doctrinæ & pietati Sacrum Munus utiliter committi possit*.

C Et Concilium Remense anno MDLXXXIII. Tit. XXIII. *Si quis* (inquit) *Beneficium propter obsequium, vel impensæ servitutis mercedem conferat.... Simoniacus esse censeatur*.

REGULA XXVI.

Simoniæ rei sunt, qui se Principum Virorum, & Procerum obsequio mancipant, aut in eorum clientelam se conferunt, ut Ecclesiastica Beneficia sibi vel suis obtineant.

ITa docet *B. Petrus Damiani*, Opusculo XXII. Cap. II. *Nequaquam* (inquit) *diffiteantur se dedisse pecuniam, qui Prælationis ambitione Principibus* D *exhibent clientelam: qui nimirum dominationis desiderio serviunt; & ut divitiis affluant, eum facultatibus suis & semetipsos expendunt. Humiliantur, ut postmodum impunè superbiant; se pedissequos exhibent, ut præcedant; laboribus atteruntur, ut gaudeant; affliguntur inopiâ, ut nuptialis edulii continuâ postmodum epulatione turgescant; & velut propositâ venalitatis mensâ, fœnerando servitium, mercantur imperium.... Dent alii insensibilis metalli summam, trutinent stolidæ pecuniæ quantitatem, numerentur æra, vasa ponderentur anaglypha: Dent, inquam, alii nummos; isti dant pretium semetipsos.* E *An non est pretium sedulum subjectionis obsequium?... Sicut ergo Laban filias vendidit, pretiumque comedit, non quia recondidit pecuniæ lucrum, sed quia laboriosæ servitutis percepit impendium: & sicut Saul nuptura filia non auri vel argenti dona quæsivit, sed laborem belli vel insigne triumphi vice dotis accepit, sic ille necessario venditor esse convincitur, qui subjectionis obsequium de malè speratâ ejus largitione mercatur. Et cùm is qui pretium accipit, asseratur Ecclesiam vendere; iste congruentiùs dicitur venditare: quia venale commercium quod ille semel initt, hic longâ, ut ita loquar, & diuturnâ negotiatione protraxit: & infelix Clericus quot servitia fucata humilitatis exhibuit, quasi tot pecuniarum summas appendit.* F

REGULA XXVII.

Simoniæ rei non sunt, qui parva aliqua munera Beneficiorum Collatoribus, aut Ecclesiasticis Judicibus largiuntur, reverentiæ, aut amicitiæ colendæ causâ, aut in grati animi pignus.

HÆc Regula nititur Cap. *Etsi Quæstiones*, quod est *Alexandri III.* Responsum Strigoniensi Archiepiscopo datum; Ext. *De Simonia*. B Frater istius Archiepiscopi Legato Apostolico Pallium illi afferenti obviam profectus, ejúsque præsciens necessitatem, quoniam per Mare veniens nullas aut paucas secum equitaturas adduxit, equum transmisit ignorante Archiepiscopo fratre suo. Id ubi novit conscientiæ delicatioris Archipræsul, *Alexandrum III.* consuluit, metuens ne fortè Simoniæ labem contraxisset. Pontifex scrupulum ejus Responso suo discussit: *In accipiendis* (inquit) *vel dandis muneribus, tria sunt maximè attendenda: Persona scilicet dantis, accipientis qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus. Qualitas personarum, ut à quo, & cui, videlicet* C *an à paupere diviti, vel è converso, sive à divite locupleti datum fuerit: æstimatio muneris, & donationis tempus: si magni, vel minoris pretii res data existat, & an instante necessitate, seu alio tempore conferatur. Si ergo prædictorum Cardinalis, & fratris tui personam & qualitatem pensamus, non fuit magnum ab eodem fratre tuo Cardinali equum unum transmitti, quem etiam joculatori non petenti vir tantus & tam abundans fortè donaret: verùm si temporis necessitatem perpendimus, non aliâ necessitate hoc constat factum fuisse, quàm ut subveniretur Cardinali in articulo prænotato. Quod autem scriptum est:* Beatus « qui excutit manus suas ab omni munere: *de illis «* Isa. 33 D *donis dictum est, quæ accipientis animum allicere, vel pervertere soleat: quoniam si ipsa etiam persona Electi offerat Ordinatori vel Consecratori suo electuarium, aut de vino, sive de aliis hujusmodi, quæ modici pretii fuerint, & quæ voluntatem recipientis inclinare vel movere non debeant: non tamen Ecclesia Romana in his interpretari consuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem*.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXV. Quæstione III. Articulo III. ad primum. *Ecclesia Judicium*, inquit, *est quantùm ad exteriora: & quia non est probabile quòd animus Judicis spiritualis* E *flectatur ad aliquid faciendum pro parvo munere, ideo in parvis muneribus Judici datis non judicat Simoniam committi; sed apud Deum qui cor videt, Simonia est in parvis & in magnis muneribus, si animus Judicis ex eis flectatur*.

REGULA XXVIII.

Jus-Patronatus vendere, aut propter illud pluris vendere villam cui est annexum, simoniacum est.

F HAnc Regulam tradit *Alexander III.* Cap. *De Jure*, Ext. *De Jure-Patronatûs*, cujus Venditio Juris Patronatus Simoniaca. hæc sunt verba: *Mandamus, quatenus si R. illud comparavit, cùm inconveniens sit vendi Jus-Patronatûs, quod est spirituali annexum, contractum illum irritum esse decernas*.

Id confirmat Concilium Mediolanense 1. Tit. De iis quæ pertinent ad Collationem Beneficiorum: *Episcopi Munus*, inquit, *erit cavere, ne propter Juris Patronatus occasionem, pluris aliquantò res, cui illud Jus annexum est, vendatur aut transf-*

feratur : Si qui verò nihilominùs ita vendiderint, pœnas contra Simoniacos editas incurrant.

Idem confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXV. Quæstione III. Art. II. Quæstiuncula III. ad tertium : *Jus-Patronatus* (inquit) *per se vendi non potest, nec in feudum dari : Si autem villa vendatur, & in feudum detur, cui unnexum est Jus-Patronatûs, transit cum universitate ad illum cui villa datur, vel qui eam emit, non quasi Jus-Patronatûs sub venditione cadat.*

Et *Secunda Secundæ*, Quæstione centesima, Articulo IV ad tertium : *Jus-Patronatûs per se vendi non potest, nec in feudum dari, sed transit cum villa, quæ venditur, vel conceditur.*

REGULA XXIX.

Omnis conventio & pactio de contributione pecuniaria pro ingressu in Religionem, sive admissione ad Professionem Religiosam, tum in Monasteriis pauperibus quàm divitibus, Simoniaca est.

Simonia in receptione ad religiosam Professionem.

HÆc Regula nititur Concilii VII. generalis, scilicet Nicæni II. Canone XIX. *In tantùm* (inquit) *invaluit avaritia faciunt in Rectores Ecclesiarum, ut etiam quidam eorum qui dicuntur Religiosi Viri, atque Mulieres, obliti Mandatorum Domini decipiuntur, & per aurum introitus accedentium tam ad sacrum Ordinem, quàm ad Monasticum efficiant. Unde fit ut quorum initium improbabile est, omnia sint projicienda, ut magnus ait Basilius. Neque enim Deo per Mammona servire licet. Si quis ergo inventus fuerit hoc faciens, siquidem Episcopus vel Abbas extiterit, aut quilibet de sacrato Collegio, aut desinat, aut deponatur, juxta Regulam secundam Sancti Chalcedonensis Concilii : Abbatissa verò ejiciatur de Monasterio ad subjectionem : similiter & Abbas qui non habuerit Manûs impositionem Presbyterii.*

Concilii Oecumenici Lateranensis sub *Alexandro III.* Canone X. *Monachi non pretio recipiantur in Monasterio. Si quis autem exactus pro sua receptione aliquid dederit, ad sacros Ordines non ascendat. Is autem qui acceperit, Officii sui privatione mulctetur.* Et Canone XIX. *Putant plures ex hoc sibi licere, quia legem mortis longâ invaluisse consuetudine arbitrantur ; non satis, quia cupiditate excæcati sunt, attendentes quòd tanto graviora sunt crimina, quantò diutiùs animam infelicem tenuerint alligatam.*

Cap. *Non satis*, Ext. *De Simonia*, quod est *Alexandri III.* in Concilio Turonensi. *Quia*, inquit, *non satis utiliter avaritia in populo redarguitur, si ab his qui in Clero constituti videntur, & præcipuè qui contempto sæculo Religiosorum nomen profitentur & Regulas, modis omnibus non cavetur : prohibemus ne ab iis qui ad Religionem transire voluerint, aliqua pecunia requiratur, nève Prioratus vel Capellania qualibet, vel Monachorum, vel Clericorum, annuâ districtione vendatur ; neque ab eo cui Regimen ipsarum committitur, ex earum commissione pretium exigant. Hoc simoniacum esse Sanctorum Patrum Auctoritas manifestè declarat. Unde quisquis de cætero hoc attentare præsumpserit, tam qui dederit, quàm qui acceperit, partem se cum Simone non dubitet habiturum.... neque sub obtentu hujus Consuetudinis reatum suum aliquis tueatur : quia diuturnitas temporis non minuit peccatum, sed auget.*

Cap. *Veniens*, Ext. *De Simonia*, quod ejusdem Pontificis Responsum est : *Veniens*, inquit, *ad nos frater Presbyter proposuit quòd Abbas & Frater Sancti R. noluerunt eum in Monachum suscipere, quousque triginta solidos dare convenerit. Conventione autem factâ, sequenti die eum Monasticum habitum induerunt : & iidem Monachi triginta solidos, Abbas verò decem, & familia duodecim pro pastu, asserentes hoc esse de consuetudine Monasterii, postularunt. Quoniam ergo factum hujusmodi perniciosum videtur, mandamus quatenus, si ita esse invenias, Abbatem & Monachos ad restituendam pecuniam tam indignè acceptam compellas ; & Abbatem, & Majores Personas Monasterii pro tanto pravitatis excessu ab Officii executione suspendas..... Præcipias dicto Fratri, ut in alio Monasterio in habitu Monastico Domino studeat deservire.*

Cap. *De Regularibus*, Ext. *De Simonia*, quod est *Clementis III.* Responsum : *De Regularibus Canonicis, seu Monachis nos consulere voluisti, qui per Simoniam ingressum ipsis scientibus habuerunt. Unde cùm super hoc Auctoritates multæ reperiantur expressæ ; non aliud quàm statutum est respondemus, Ut locum, quem taliter adepti sunt, omninò dimittant, & Solitudines vel alia Monasteria districtiora adeant, in quibus, tam execrabilem excessum sine intermissione deplorent. Si autem ignorantibus illis pecunia data fuerit, cogas eos ad renunciandum loco eidem, & postmodum in ipsum reducere, si ibi absque scandalo fuerunt, vel in alio qui sit de Ordine ipso, ad serviendum Deo poteris collocare.*

Cap. *Quoniam simoniaca*, Ext. *De Simonia*, qui est Concilii Lateranensis sub *Innocentio III.* Canon sexagesimus quartus : *Quoniam simoniaca labes adeò pleràsque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in Sorores, paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare, ne id de cætero fiat, penitus prohibemus : Statuentes ut quæcumque de cætero talem commiserint pravitatem, tam recipient quàm recepta, sive sit subdita, sive Prælata, sine spe restitutionis de suo Monasterio expellatur, in locum arctioris Regulæ ad agendam perpetuam Pœnitentiam retrudenda.... Hoc etiam circa Monachos, & alios Regulares decernimus observandum. Verùm ne per simplicitatem, vel ignorantiam se valeant excusare : præcipimus ut Diœcesani Episcopi singulis annis hoc faciant per suas Diœcesis publicari.* Huic Decreto consonum est Cap. *Dilectus* 2. Ext. *De Simonia*, quod est *Innocentii III.* & Cap. *Mandato*, quod est ejusdem Pontificis.

Eadem Regula confirmatur ex Concilio Francofordiensi, Canone XVI. Londinensi tempore *Innocentii III.* celebrato per *Aubertum* Cantuariensem Archiepiscopum ; ex Conventu Aquisgranensi Abbatum anno DCCCXVII. Capite LXXV. & Concilio Oxoniensi anno MCCXXII. tempore *Honorii III.* sub *Stephano* Archiepiscopo Cantuariensi, ex Melfitano in Apulia sub *Urbano II.* anno MXC. Canone VII. Senonensi MDXXVIII. Tit. *De Decretis Morum*, Capite XXVIII. Treverensi MDXLIX. Tit. *De Religiosis, Monachis & Monialibus.* Mediolanensi I. P. I. *Constitutionum*, Cap. *De Novitiis ad Professionem recipiendis.* Mediolanensi II. Tit. III. P. I. Remensi anno MDLXXXIII. Tit. *De Simoniacis & Fiduciariis.* Turonensi, eodem anno, Cap. *De Monachis & Monasteriis.* Cameracensi anno MDLXIX. Tit. *De Monasteriis virorum ac mulierum*, Capite XII. Aquileiensi MDXCVI. Tit. *De Monialibus.*

Idem confirmat *Urbanus V.* Constitutione lata Romæ apud S. Petrum, secundo Nonas Aprilis, Pontificatûs anno primo, cujus hic est tenor : *Universis Prioribus, Abbatibus, Abbatissis, Priorissis, &c. tenore præsentium, Auctoritate Apostolica, quamvis sit eis à Jure prohibitum, districtiùs inhibemus, ne tam à maribus, quàm à mulieribus volentibus ingredi eorum Religionem, Monasteria,*

Prioratus

Prioratus, Domos, seu loca, in earumdem personarum receptione, vel ante vel post illam, quoscunque pastus seu prandia, seu cœnas, pecuniam, jocalia, aut res alias, etiam ad usum Ecclesiasticum, seu quemlibet alium pium usum deputatas, vel deputandas, directè vel indirectè petere vel exigere quoquo modo præsumunt, sed eas potiùs cum omnimoda pietate recipiant...., Illa dumtaxat quæ persona illa ingredientes plenè & sponte, & plena libertate, omnique pactione cessante, dare vel offerre Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, & locis hujusmodi voluerint, cum gratiarum actione licitè recepturi. Nos enim qui secus egerint, si fiat singulares personæ, tam dantes quàm accipientes hujusmodi Excommunicationis: si Capitulum vel Conventus fuerit, Suspensionis Sententiis eo ipso decernimus subjacere, à quibus præterquàm in mortis articulo absolvi nequeant absque Sedis Apostolica licentiâ speciali, &c.

REGULA XXX.

Pensiones vitalitia, & consuetu legitimaque eleemosynæ non solùm recipi, sed exigi possunt à Monasteriis inopibus & tenuibus.

ITa declarant Concilium Senonense anno MDXXVIII, Tit. *De Decretis Morum*, Cap. XXVIII. Si quæ enim Puella oltra numerum constitutum in Monasterium recipi petat, id permittit, *Dummodo congruam secum afferat Pensionem, quâ cum cæteris Religiosis numerariis alatur.* Mediolanense I. sub *S. Carolo*, qood præscriptum Monialium numerum augeri vetat, *Nisi factâ Monasterio annuâ, quæ satis sit, fructuum accessione.* Toronense MDLXXXIII. Tit. *De Monialibus*, Decretum illud Mediolanensis Concilii totidem verbis repetens, & suum faciens.

Pensiones vitalitiæ aut dotales eleemosynæ recipi & exigi possunt à Monasteriis inopibus & tenuibus, non ut gratis recipiantur postulantes, & novitis ac novitiæ.

Sententia S. Thomæ.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXIII. Quæstione III. Articulo III. Quæstiuncula III. ad septimum: *Cùm* (ioquit) *possessiones alicujus loci Religiosi non sufficiunt ad sustentandum plures, tunc potest exigi ab eo qui in loco illo vult Deo servire, non quasi pretium Religionis, sed ut habeat Monasterium unde ei possit providere: & ideò non committitur Simonia: Si autem sine gravamine Ecclesia potest recipi, Simoniacum est aliquid pro receptione exigere.*

Et *Secunda Secunda*, Quæstione centesima, Articulo III. ad quartum: *Pro ingressu* (inquit). *Monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium, Licet tamen, si Monasterium sit tenue, quòd non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum Monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ quæ in Monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant Monasterii opes. Similiter etiam licitum est, si propter devotionem quam aliquis ad Monasterium ostendit, largas eleemosynas faciendo, faciliùs in Monasterio recipiatur. Sicut etiam licitum est aliquem è converso provocare ad devotionem Monasterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad Monasterii ingressum: Licet non sit licitum ex pacto aliquid dare vel recipere pro ingressu Monasterii, ut habetur* I, Quæst. II. Can. *Quàm pio.*

Sententia S. Bonaventuræ.

S. Thomæ concordat *S. Bonaventura*, in Apologetico adversùs illos qui Ordini FF. Minorum adversantur, Quæstione XVIII. *Quadruplex est forma* (inquit) *recipiendi ad Ordinem qualemcumque. Prima, quando aliquis recipitur nec pro pecunia, nec cum pecunia, sed purè pro Deo: & ista est purissima coram Deo & hominibus. Secunda, quando aliquis recipitur non pro pecunia, sed cum pecunia; ita ut si nihil afferret, tamen reciperetur pro Deo: & similiter hoc purum est coram Deo, sed cautè agendum est coram hominibus, ne detur eis occasio scandali, & ne sit ibi affectus avaritiæ infectus ex spe lucri. Tertia, quando quis recipitur non pro pecunia, nec tamen reciperetur sine pecunia, eò quòd non habent aliter ei, qui eum recipiunt, providere, cùm tenues facultates domus vix sufficiant jam receptis, nec ad eas audeant plures recipere, & istos suis necessitatibus spoliare: ita quòd ista persona quæ sic recipitur, si abundaret locus, sine pecuniis reciperetur. Similiter aliquis duxit uxorem propter divitias & nobilitatem ejus, quæ habet nasum; nec tamen propter hoc ducit eam quia nasum habet, quam tamen si naso careret, nullatenus duxisset. Et hoc non est impurum, licèt non appareat forsitan pulchrum. Quarta, cùm aliquis recipitur amore pecuniæ, ita quòd si possent illam pecuniam habere sine persona, non reciperent personam; sed ut habeant pecuniam, personam recipiunt. Et hoc penitus impurum est & simoniacum, quia sic pecunia est causa receptionis personæ, & non è converso. Ubi ergo recipitur persona propter pecuniam, Simonia est; quia ibi venditur spirituale, id est, consortium spiritualis societatis, pro temporali, scilicet pecunia. Et hoc plerique faciunt etiam ex mera inopia, optantes aliquem venire cum pecunia, quem reciperent ut eorum inopia repararetur, vel debita contracta solverentur, vel bona concupita emerentur, vel ædificia construerentur. De talibus dicit Ecclesiasticus* cap. XXVII. Propter inopiam multi deliquerunt. *Ubi verò pecunia recipitur propter personam, quam aliàs libenter reciperent, si haberent unde eam pascerent, non videtur esse Simonia, dummodo forma cum intentione concordet. Et hoc modo sustinemus quòd Sorores Sanctæ Claræ recipiunt pecuniam cum personis, quando oportet eas plures personas recipere, quàm de facultatibus Monasterii congruè valeant sustentari.*

Sententia Petri Cantoris Paris.

Angelicus & Seraphicus Doctor cum *Petro Cantore* Parisiensis Ecclesiæ consentiunt, *Verbi Abbreviati* cap. XXXVIII. *Sit* (inquit) *quòd aliquis accedens ad Ecclesiam, vel Monasterium, dicat, Offero me & mea huic Ecclesiæ vel Monasterio ad serviendum in eo perpetuò, si sine distinctione recipitur, sanus erit ingressus ejus. Si autem plura quàm oblata ab eo exiguntur, vel si distinguatur inter sua & illum, ut sua scilicet sint causa cur recipiatur, vitiosus erit ingressus. Si autem inter sua & illum distinguatur, ut scilicet ille sit causa cur sua cum ipso recipiantur, sanus & licitus erit ingressus. Si autem Monasterium eguerit, ita quòd offerentem se illi sine pecunia recipere non possit vel sustentare, spiritualem fraternitatem ei concedat, non corporalem: vel in exceptionem paupertatis suæ, & sustentationem vitæ illius exigere potest ab eo, ut eum recipiat, & temporales reditus, quibus tantùm sustentetur dum vixerit. Quòd si perpetuos exegerit, jam manifesta cupiditas vitiosum facit ingressum.*

Sententia S. Raymundi.

Eamdem Regulam confirmat *S. Raymundus*, Libro I. Titulo I. §. 22. *Si Monasterium* (inquit) *esset adeò tenue, vel paupertate depressum, quòd redditus vel vix, vel non sufficerent personis præsentibus, non solùm intentionem possent habere, sed etiam credo quòd possunt dicere: Non sufficiunt nobis, libenter suscipimus te ad spiritualia, ad temporalia non possumus, nisi habeamus plures possessiones: & tunc ille offerat se & sua.* Ext. De Simonia. *Cap.* Tua. *Quod autem dicitur in Constitut.* Ext. *eod.* Quoniam. *Vers.* Paupertatis prætextu, *intelligitur, cùm hoc dicebant in fraudem: unde consulendum esset ingredientibus, quòd in hoc fundarent intentionem suam, aut principaliter darent propter Deum; & ne essent onerosi domui.* Arg. XVI. Quæstione IV. *De lapsis.*

S. Antonini sententia.

S. Antoninus hanc simul & superiorem Regulam approbat, II. P. Cap. V. §. 18. ubi recensitis

Juris Canoniei Peritorum seoteotiis, doas Conclusiones statuit. Prima est: *Nulla pactio de temporalibus debet intervenire pro ingressu Monasterii, etiamsi Monasterium sit tenue, secundum communiorem & tutiorem opinionem, & penè secundum omnes.*

Secunda est: *Si Monasterium sit abundant, nullus debet ibi esse tractatus de temporalibus in receptione. Et hoc est contra communem abusionem: quia quantò Monasterium est abundantius, tantò volunt majores dotes. Sponte tamen oblata possunt recipere. Et si quidem haberent intentionem ad temporalia principaliter, nullâ tamen interveniente pactione, vel conventione, seu exactione, erit secundùm Raymundum simonia mentalis, quæ per solam Pœnitentiam aboletur, nec incurrunt pœnas Ecclesiasticas.*

Quòd si gratis recepta est puella, & parentes ejus post receptionem nil volunt dare Monasterio, cùm tamen sit tenue, dicit Ostiensis quòd possunt Moniales agere contra patrem pro alimentis filiæ; vel, si est mortuus pater, agere possunt ad partem suæ hæreditatis, ut in Authentica De Sanctissimis Episcopis. NULLA. *Non enim privari potest legitimâ per ingressum Religionis, nisi ipsa sponte juri suo renunciasset.* XIX. *Quæst.* III. *Cap. penult.* Addenda est & alia exceptio, scilicet: nisi Principum Legibus Viri Religiosi, Monialesque solenni ritu professæ ab hereditate capessenda excludantur.

Cum his convenit Responsom Sacræ facultatis Parisiensis ea de re interrogatæ, quod refert *Dionysius Carthusianus* Libro II. De Simonia. *Dicimus* (inquiunt Theologi Parisienses) *quòd à femina recipienda in Monasterio, oblatis gratis spiritualibus, non licet exigere temporalia pro ipsis spiritualibus, tamquam pretium spiritualium, vel annexorum spiritualibus, faciendo commutationem unius pro altero.*

Sententia Sacræ Facultatis Paris.

Dicimus ulteriùs, quòd ubi Monasterium est ita tenue, quòd fœmina quæ recipi petit, non posset de bonis ipsius Monasterii sustentari sine penuria, oblatis gratis spiritualibus, & receptione personæ liberè factâ ad spiritualia; si persona illa sic recepta habeat bona temporalia, de quibus juxta consuetudinem Regionis potest disponere, & ea Monasterio conferre, tunc patet ab ea aliquid peti solùm pro necessitate sui victûs, sine fraude, ut habeat Monasterium unde ipsi providere possit, & hoc non intelligendo de exactione coactoria, ita quòd ejiciatur si non dederit. Solo igitur eleemosynæ nomine pecunia recipi potest ad alimenta Virginis quæ Professionem emittit; solo nomine alimentorum, aliorúmque onerum quæ hoc vocabulo pariter significantur, Pensio exigi. Dotalis verò Eleemosynæ somma, Pensionísque modus Episcopi judicio, publicisve Legibus definiuntur, habitâ ratione locorum, facultatum Monasterii, numerique Monialium. Ut verò Monasterii securitati & indemnitati consulatur absque pactione & conventione, decernere possont Episcopi & superiores, ot *Quod Professione factâ, eleemosyna gratiâ ad Professam sustentandam Monasterio datur, id quo tempore Puella Religionis habitum suscipiet, apud virum Monialibus & earum Superiori probatum deponatur; ut nullo impedimento Monialibus tum præsto esse possit*; ut statutum est in Concilio Mediolanensi I. sub *S. Carolo Borromæo*, P. III. cap. VI. & in Concilio Mediolanensi II. sub eodem, in Capitibus ad Moniales pertinentibus. Cap. II. Eleemosynam porrò dotalem, numeratâ pecuniâ Monasterio collatam à parentibus Virginis, operæ pretium est *super fundo statuere, cujus sors principalis non possit aut debitis solvendis, aut quotidianis usibus insumi*; ut decernit Concilium Avenionense anno MDXCIV. Cap. quinquagesimo. De hoc argumento copiosè tractat Juris Consultissimus *Fagnanus* in Cap. *Non ampliùs*, Extra, *De Institutionibus*, sive in I. P. III. Decretalium, P. 216.

Cautio S. Caroli Borromæi.

Dotalis eleemosyna in fundo solido constituenda.

REGULA XXXI.

Pro victu & vestitu Novitiorum & Novitiarum toto Probationis anno congrua pensio exigi & recipi potest.

NOn enim jus habent ut ex communibus Monasterii bonis alantur, nisi Professione solemni fiant Religiosæ Societatis membra. Unde Concilium Tridentinum, Sessione XXV. ita decernit: *Sed neque ante Professionem, excepto victu & vestitu Novitii vel Novitiæ, illius temporis, quo in Probatione est, quocumque prætextu, à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus ejus, Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur.*

REGULA XXXII.

In Monasteriis & domibus quibuscùmque Religiosis tam virorum quàm mulierum, is tantùm numerus ad Professionem Religiosam recipiendus est, qui vel ex redditibus ipsorum Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari.

ITa decernunt Concilium Moguntinum sub *Leone III.* anno DCCCXIII. Canone XIX. Arelatense VI. eodem anno celebratum, Canone VIII. Turonense, eodem anno, Canone XXXI. Remense, eodem anno, Canone XXVIII. Oxoniense, anno MCCXXI. Canone LXIV. *Bonifacius VIII.* Constitotione quæ incipit, *Periculoso.* Conciliom Senonense, anno MDXXVIII. Tit. *De Decretis Morum*, Cap. XXVIII. cujos hæc sunt verba: *Constituimus ut in Monasteriis Monialium tot instituantur Moniales, quot de facultatibus eorumdem Monasteriorum, reparationibus Ecclesiæ, clausuræ, & aliarum Regularium domorum, necnon & Processuum expensis deductis, commodè & sine penuria sustentari possint*, &c. Coloniense, anno MDXXXVI. P. X. Cap. XII.

Monachorum & Monialium numerus in suis Monasteriis definiendus.

Concilium Tridentinum, Sessione XXV. Cap. III. *In Monasteriis* (inquit) *& Domibus tam virorum, quàm mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantùm numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari.* Idem à *S. Pio V.* decretum est, Constitutione quæ incipit *Circa Pastoralis*, & à *Clemente VIII.* in Constitutione editâ de Reformatione Regolarium. Idemque *Paulus V. Urbanus VIII.* & *Innocentius X.* sanxerunt. *Innocentii X.* Constitotionem refert & explicat *Fagnanus* in I. P. Libri III. Decretalium, ad Cap. *Non ampliùs*, Ext. *De Institutionibus.*

Hîc Objectionem occupat *Fagnanus*, quæ adversùs Dotes Monialiom ex his Decretis peti potest. Sed dices: Si Mooasteria habent, prout « habere debent reditos sufficientes ad alendas « Moniales numeratas; ergo dotis delatio illi- « cita est & simoniaca, per textum in Cap. *Quo-* « *niam*, infra, *De Simonia*, ubi simoniaca labes « dicitur osqoe adeò plerásque Moniales infecisse, « ut vix aliquas sine pretio recipiant in Sorores, « paupertatis prætextu volentes hujusmodi vi- « tiom palliare. Et Sacra Congregatio Cardina- « lium Concilii Tridentini Interpretum olim con- « sulta, An Monasteriis Monialiom, in quibus « juxta Decretum Capitis III. Sessione XXV. *De Re-* « *gularibus*, Episcopos certum numerum consti- «

tuit, liceat Abbatissæ io locum Monialiom deficientium alias recipere, pactâ certâ eleemosynâ pro dote; & quatenus non liceat, quæ provisio sit per Episcopum adhibenda: Respondit: Si ex reditibus Monasterii vel ex consuetis eleemosynis tantum suppetat Monialibus, ut ad ipsarum vestitum, & ad fabricam Ecclesiæ, aliasque necessitates commodè sufficiat, minimè licere: Secus si Monialium numerus augeator. Cùm autem hojusmodi theoria ad praxim difficulter deduci possit, referendum visum est Sanctissimo, qui probavit Sententiam Coogregationis, confirmans, Augendum numerum, si dos augeatur. *Verùm* (inquit) *hanc difficultatem posteà sustulit Sacra Coagregatio super negotiis Episcoporum & Regularium; qua animadvertens Sanctimonialium Moaasteria sine dotium subsidio diu sustineri aon posse, & propter ingruentes aecessitates, & casus inopinatos, plerumque ad inopiam redigi: summis Pontificibus approbantibus prudenter sanxit, ut dotales eleemosina à Monialibus numerariis persolverentur, tametsi numeras esset taxatus ad mensuram redituum Monasterii. Ex penuria enim multa provemunt mala, præsertim ia Monasteriis Dominarum* (*inquit Hostieasis hic, in fine.*)

Subdit idem Auctor pag. 218. Num. 45. Cùm Placentiæ fere in omnibus Monasteriis, definitos esset numerus Monialium, qui ex reditibus & consuetis eleemosynis commodè sustentari valeret: cùmque multæ Puellæ instarent ot supra numerum reciperentor, dicentes se non fore onerosas Monasterio, tum quia solvent dotem solitam, quæ poterit converti io emptiooem alicojus annui redditûs; tum quia parentes se obligabunt ad solvendum pro qoalibet ipsarum, donec vixerit, aliquid pro sustentatione vitæ illius: & cùm difficile esset cohibere cives, ut exspectarent mortem multarum, quæ tunc erant, Monialium: Episcopus anceps quid agendom esset, consuluit Sacram Congregationem Concilii:

Dubia Sacræ Congregationi Concilii in materia proposita.

Primò, *An durante tempore Probationis satis consultum sit, si Puella alimenta à parentibus subministrentur?*

Secundò, *An adveniente tempore emittendæ Professionis, satis sit solvere dotem eâ pactione ut inde emantur annui reditus, vel res stabiles, vel ut redimatur aliquis ager Monasterii, ita ut augeantur reditus Monasterii, licèt inspectis omnibus Monialibus in communi, adhuc non possint commodè sustentari?*

Tertiò, *An satis consultum sit menti Legislatoris, si ultra dotem in solutum dandam certa promissio fiat à parentibus alicujus annuæ Peasionis, vita durante illius Puellæ, quæ sufficiat ad victum illius?*

Quartò, *An promissio facienda sit Monasterio, vel Puellæ?*

Responsa S. C.

Ad primum Sacra Congregatio respondit: *Satis esse consultum.*

Ad secundum: *Satis esse si pecunia quæ nomine dotis dabitur, convertatur verè in emptionem tanti annui reditus, vel ia redemptionem tot bonorum Monasterii oppigneratorum, ut sic reditus Monasterii tantùm augeantur, quantùm sufficiat victui Puellarum in Moniales recipiendarum: quod tamen augmentum non privatim vertatur in utilitatem ipsarum Puellarum, sed in totius Monasterii communem usum, ex quo & ipsæ Puellæ unà cum aliis ali poterunt.*

Ad tertium: *Debere Episcopum id curare omnino, ut propinqui publico validóque Instrumento se obligent ad certam annuam præstationem, quæ minor non sit duodecim aureis pro necessitatibus Puellarum, dum vixerint.*

Ad quartum respondit: *Promissionem hanc faciendam esse Monasterio, non autem Puellis ipsis. Minimè permittendum ut pecunia hæc detur eis, ne aloquin contra Votum suum solemne fiant proprietariæ, sed rectà deferatur ad Manus Abbatissæ, quæ inprimis ex ea subveniet arbitrio suo necessitatibus earum Monialium, pro quibus persoluta fuerit. Si quid reliquum erit, convertet in communem usum Monasterii.* Quæ omnia (inquit *Fagaanus*) Sanctissimus in Consistorio approbavit: non tamen ad eum finem ot fiat nova Bulla super hac Declaratione, sed ut siogulis Episcopis petentibus, prout nunc petit Placentinus, ita respondeatur.

Ex his id unum colligi velim, Dotalium eleemosynarum solutionem & receptionem, Pensionúmque vitalitiarum, a Simoniæ labe immonem esse in illis etiam Monasteriis, in quibus definitus est Monialium numeros, qoi ex reditibus & consuetis eleemosynis ali possit. Sed tamen Diœcesani Mores, Legésque Municipales, & Edicta in Dotium & Peosionum hujosmodi constitutione etiam servanda sunt.

REGULA XXXIII.

Pro Baptismo pecuniam solvere aon licet, etiam urgente aecessitate, & in vitæ discrimine.

Simonia in Sacramentorum administratione.

QUamobrem, si Sacerdos absque pretio baptizare nolit, ejus ministerio minimè otendum est, ut docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Qoæstione centesima, Articolo II. ad primum: *In casu necessitatis* (ait) *quilibet potest baptizare. Et quia nullo modo est peccandum, pro eodem est habendum si Sacerdos absque pretio baptizare non velit, ac si non esset qui baptizaret. Unde ille qui gerit curam pueri, in tali casu, licitè potest eum baptizare, vel à quocunque alio facere baptizari. Posset tamen licitè aquam à Sacerdote emere, quæ est purum elementum corporale. Si autem esset adultus qui Baptismum desideraret, & immineret mortis periculum, nec Sacerdos eum vellet sine pretio baptizare, deberet, si posset, per alium baptizari. Quod si noa posset ad alium habere recursum, nullo modo deberet pretium pro Baptismo dare, sed potiùs absque Baptismo decedere. Suppleretur enim ei ex Baptismo flaminis, quod ei ex Sacramento deesset.* Hinc Canone *Emendari*, Causa I. Quæstione I. qui est Illiberitani Concilii Canone XLVIII. decretum est, ot qui baptizarentor, non mitterent nummos in concham, id est, in vas aquæ baptismatis (ut antea fieri solebat) ne ex hac fidelium pietate Sacerdotes Spiritum Sanctum, quem gratis aeeeperant, pretio distrahere viderentur: *Emendari placuit, ut hi qui baptizantur (ut fieri solebat) nummos in concham non mittant, ne Sacerdos quod gratis accepit, pretio distrahere videatur.*

Eandem Regulam confirmat *Gelasius I.* Epistolâ ad Episcopos per Lucaniam & Brutios & Siciliam constitutos. *Baptizandis* (inqoit) *consignandisque fidelibus pretia nulla præfigant: nec illationibus quibuslibet impositis exagitare cupiant renascentes: quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur; & ideo nihil à prædictis prorsus exigere moliantur, quod vel paupertate cogente deterriti vel indignatione revocati, redemptionis suæ causam adire despiciant: certum habentes, quòd qui prohibita deprehensi fuerint admisisse, vel commissa non potiùs sua sponte correxerint, periculum subituri proprii sint honoris.*

Et Concilium Bracarense II. Canone VII. *Placuit ut unusquisque Episcopus per Ecclesias suas hoc præcipiat: ut hi qui infantes suos ad Baptismum offerunt, si quid voluntariè pro suo offerunt voto, suscipia-*

tur ab eis; si verò per necessitatem paupertatis aliquid non habeant quod offerant, nullum eis pignus violenter tollatur à Clericis. Nam multi pauperes hoc timentes, filios à Baptismo retrahunt: Qui si fortè dum differuntur, sine gratiâ Baptismi de hac vitâ recesserint, necesse est, ut ab illis eorum perditio requiratur, quorum spolia pertimescentes, à Baptismi gratiâ se retraxerunt.

Nec refert utrum ante vel post Baptismum aliquid à Sacerdotibus qui illud Sacramentum administrarunt, exigatur: utrumque enim Simoniacum est. Unde cùm pravâ consuetudine in Mediolanensi Provinciâ receptum esset, Baptizatos infantes in Altari collocare, ut muneribus compatrum inde redimerentur, Concilium Mediolanense I. Præside *S. Carolo Borromæo* hanc sustulit corruptelam.

REGULA XXXIV.

Pro Chrismate Sacro, vel Oleo Catechumenorum, aut infirmorum, pretium exigere citra Simoniæ crimen nemo potest.

HAnc Regulam tradit *Alexander III.* cap. *Ea quæ de Avaritia*, Extrà, *De Simonia*, cujus hæc sunt verba: *Audivimus quòd nummos pro Chrismate ab Ecclesiis extorquetis: quos nunc Cathedraticum, aliquando Paschalem præstationem, interdum Episcopalem Consuetudinem appellatis. Quia verò hoc Simoniacum esse cognoscitur: mandamus, quatenus prætextu alicujus consuetudinis, vel prælationis, præscriptos denarios nullatenus exigatis: pro certo scituri, quòd si hoc præsumpseritis, periculum Ordinis & Dignitatis poteritis non immeritò formidare.*

Idem confirmatur ex cap. *In tantum*, quod *Innocentii III.* Responsum est, eodem Tit. *Sanè* (inquit) *pervenit ad audientiam nostram, quòd cùm olim quidam suffraganei tui pro Chrismate certam consueverint accipere pecuniæ quantitatem, non metuentes pœnam canonicam, & correctionem tuam eludere cupientes, tempus faciendæ solutionis anticipant, recipientes in media quadragesima, quòd recipere consuevêre post Pascha: & ut causam recipiendi dissimulent, nomen denariorum variant, denarios, quos priùs Chrismales, secundò Paschales dicebant, consuetudinem mediæ quadragesimæ nuncupantes...... Cùm verò expressiùs exprimat venditionis speciem, qui priùs recipit pretium, quàm rem conferat pretiosam, & gratis sit gratia conferenda: mandamus, quatenus taliter excessus corrigas supradictos, suffraganeos tuos, & Officiales eorum à tam illicitâ exactione compescens, quò aliorum culpa tibi ob tuam negligentiam non imputetur ad pœnam.*

REGULA XXXV.

Pactio qualibet pro Missarum celebratione, illicita & Simoniaca est.

Pactiones qualibet pro celebratione Missarum illicitæ & simoniacæ.

QUamobrem Tridentina Synodus Sessione XXII. in Decreto *De observandis & vitandis in Celebratione Missæ*, monet Episcopos ut *Imprimis, quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedem, conditiones, pacta, & quicquid pro Missis novis celebrandis datur; necnon importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potiùs quàm postulationes, aliaque hujusmodi, quæ à Simoniaca labe, vel certè à turpi quæstu non longè absunt, omnino prohibeant.*

Et Concilium Remense anno MDLXXXV. *Sacerdotes, qui de pretio paciscuntur ut Missas celebrent, Parochi, qui pro Sacramentorum administratione, vel Funere, vel Sepulturis exigunt, præterea quæ de jure, vel consuetudine laudabili conferuntur, habeantur Simoniaci, non autem si sponte oblata recipiant.*

Id consonum est antiquioris Concilii, Toletani scilicet anno MCCCXXIV. celebrati Canoni sexto, quo Presbyteri perstringuntur, qui pro Missis pecunias exigunt, *Æstimantes, ut ex eorum facto perniciosè videtur, gratiam Dei, quæ in Missæ Sacramento confertur, vel veriùs ipsum Deum, qui nobis sub specie dicti Sacramenti se exhibet, pecuniâ posse vendi. Verùm* (inquit) *cùm dictum Sacramentum super omnia pretiosum sit liberaliter sicut cætera Sacramenta celebrandum, districtiùs prohibemus, ne aliquis Presbyter pro Missis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem, sed gratè accipiat, si aliquid per facientem Missas celebrari oblatum sibi caritative fuerit, absque pacto & conventione quacunque. Qui verò contrarium fecerit, à celebratione Missæ per annum noverit se suspensum, & alias pro tam gravi excessu ad arbitrium proprii Episcopi puniendum.*

Eandem Regulam confirmat *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXV. Quæstione III. Articulo II. Quæstiuncula I. ad quartum: *Facere* (inquit) *pactionem de Missa celebranda est Simoniacum semper: si tamen non habet alios sumptus, & non tenetur ex Officio Missam cantare, potest accipere denarios (sicut conducti Sacerdotes faciunt) non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ.*

Et *Secundâ Secundæ*, Quæstione centesima, Articulo II. ad secundum: *Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium Consecrationis Eucharistiæ, aut Missæ decantandæ (hoc enim esset Simoniacum:) sed quasi stipendium suæ sustentationis.*

Et rursus in IV. *Sententiarum*, Quæstione & Articulo mox indicatis, Quæstiuncula II. Actum aliquem spiritualem dici posse notat, vel quantùm ad suum principium, qui competit alicui ex aliquo spirituali dono vel officio; vel quantùm ad sui finem; ut quando per actum ad aliquod spirituale donum pervenitur. *In actibus* (inquit) *qui primo modo spirituales sunt, quia spirituale est ex parte agentis, nullo modo sine Simonia potest aliquis locare actus suos: sed potest aliquid accipere in sustentationem vitæ: In secundis autem actibus, quia spiritualitas non est ex parte agentis, potest etiam vendere operas suas; sed non vendere hoc spirituale quod ex ejus actu acquiritur.* Unde quia docere artes liberales est actus spiritualis secundo modo, licet Magistris artium vendere labores suos, sed non scientiam, sive veritatem, quæ spiritualis est. Sed quia *Anniversarium celebrare est spiritualis actus primo modo, nullo modo licet pacisci pro eo celebrando. Si tamen cum devotione aliquid detur Ecclesiæ, Ecclesia tenetur celebrare pro illis pro quibus rogatur*, (inquit *S. Thomas* in Responsione ad primum.)

Contra hoc Simoniæ genus scribit *Petrus Cantor* in *Verbo Abbreviato*, cap. XXVII. *Ut* (inquit) *insistamus radici, id est, cupiditati Simoniacæ extirpandæ*: Sic benedicam te in vita mea, *scilicet*: In nomine tuo, *non nummi, non cupiditatis*, Levabo manus meas; *quas in honore & gloria Domini levat, qui bonis insistens, non suam, vel Mundi, sed Domini gloriam quærit. Quasi diceret: à me incipio, qui me cum vitiis & concupiscentiis crucifigo: Crucifixum prædico, Crucifixum adoro; & quod plus est Crucifixum sincerè conficio, sumo, aliis manducandum distribuo. Quomodo ergo manus Mundo crucifixas, Te, Christe, conficientes, levabo ad alium, quàm ad Te, Pretium Mundi? Quomodo ad qua-* Psal. 61. 5.

stum, maxime ad peccatum? Simon Magus, qui Christianus esse, & miracula facere voluit propter quæstum, repulsam passus est à Simone Petro: ob quam ulciscendam quasi dixit ei: Tu repellis me, & ego triumphabo de te, immò de toto corpore Ecclesiæ. In ipsis etiam Altaribus ponam solium, & cubile, & thronum, & dominium meum; ut etiam præsentibus Angelis & quasi coadunatis in uno angulo Altaris conficere Corpus Domini, ego in alio cum Ministro Altaris, immò cùm mihi potiùs, illud pro pretio conficiam.

Hinc *Arnulfus* Lexoviensis Episcopus Epistola LIV. *Oportet* (inquit) *offerentem puras manus inferre, ne quod imprecabile est, omnique veneratione dignissimum, vel sub pretii recidat vilitatem, vel causis indignioribus expendatur.*

Et Robertus Cardinalis *Pullus*, P. VIII. cap. XVI. *Quid est* (inquit) *Missarum solemnia contuitu temporalis commodi celebrare, nisi cum Juda Christum vendere, tantò nequiùs quantò resurgendo est sublimatus?*

Certè cùm Missarum Honorarium in locum antiquatum oblationum panis & vini successerit, sicut Laici illud tanquam Deo acceptam oblationem Sacerdoti offerre debent, ita quoque illud Sacerdos, non tanquam pretium Missæ, sed ut voluntariam oblationem grato animo accipere tenetur, atque ostendere se velle Deo voluntariè sacrificare. Et si quando nihil, aut aliquid minùs liberali animo Honorarii loco ordinatum fuerit, non contristetur, nec aliquod indignationis det indicium; quin potiùs ut ostendat se magno liberalique animo gratis dare quod gratis accepit, ab omni cogitatione & desiderio muneris & honorarii se semper contineat; & si quando aliquid offeratur, illud quamvis exiguum lætiori lubentiorique animo accipiat, quàm paupercola illa vidua æra minuta duo, quæ sola habebat, in Gazophylacium mittebat. Cavendum denique & privatis Sacerdotibus & Communitatibus, ne Conventiones directè vel indirectè super hisce Honorariis ineant, ne & hisce temporibus locum habeat, quod deplorabat olim Ecclesiæ malum Alvarus Pelagius, Silvensis Episcopus ex Ordine S. Francisci assumptus, Libro II. de Planctu Ecclesiæ, Articulo V. *Tot hodie dicuntur Missæ quasi quæstuariè vel consuetudinariè, vel ad complacentiam, vel ad scelera cooperienda, vel propriam justificationem, quod apud Populum vel Clerum sacrosanctum Corpus Domini jam vilescit. Unde & almus Franciscus voluit, quòd in quocunque loco Fratres contenti essent una Missa, prasciens Fratres se velle justificare per Missas, & ad quæstum eas reducere, sicut videmus hodie fieri. Unde & dicebat, quòd una Missa cœlum & terram implebat.*

REGULA XXXVI.

Quamvis Pœnitentibus in utroque foro imperari possint eleemosynæ, & Excommunicatis indici possint mulctæ pecuniariæ cùm in foro externo absolvuntur, nihil tamen exigi pro Absolutione potest, citra Simoniæ crimen.

PRo Sacramentis enim, & pro Ministerio Ecclesiastico exercendo aliquid exigere, Simoniacum est. Hanc Regulam confirmat *Lucius III.* cap. *Ad aures*, Ext. *De Simonia*, scribens, *Indignum esse, & Ecclesiasticæ rationi contrarium, ut Absolutionis Beneficium redimatur.*

Eandem confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione centesima, Articulo II. ad tertium: *Pecunia* (inquit) *non exigitur ab eo qui absolvitur, quasi pretium Absolutionis: (hoc enim esset Simoniacum) sed quasi pœna culpæ præcedentis, pro qua fuit excommunicatus.*

REGULA XXXVII.

Simoniæ rei sunt Ecclesiastici Judices, qui pretio vel favore celant peccatorem; aut dignè Pœnitenti ac satisfactionem condignam offerenti, Absolutionis Beneficium negant. Item Confessarii, qui pretio pariter vel favore non pœnitentem absolvunt, leviorémve quàm par sit Pœnitentiam imponunt.

Simonia Ecclesiasticorum judicum & Confessariorum.

HÆc Regula nititur cap. *Nemo*, Ext. *De Simonia*, quod *Alexandri III.* Responsum est; *Nemo* (inquit) *Presbyterorum xenium, vel emolumentum quodlibet temporale, immò spirituale detrimentum, à quocunque publicè peccante accipiat, ut Episcopo, vel Ministris ejus peccatum illius celet: nec pro respectu cujusque personæ consanguinitatis, aut familiaritatis, alienis communicans peccatis hoc Episcopo innotescere detrectet: nec quemquam Pœnitentem, vel minùs dignè Pœnitentem, gratiâ vel favore ad Reconciliationem adducat, & testimonium Reconciliationis ferat eidem: Vel quocunque livore, dignè Pœnitentem à Reconciliatione removeat; quia Simoniacum est utrumque.*

Eandem Regulam confirmat *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXV. Quæstione III. Articulo II. Quæstiunculâ Secundâ, ad sextum: *Correctio*, inquit, *est spiritualis actus: unde Simoniam committit, qui pecuniam accipit, ut peccatum, quod tenetur revelare aut punire, non reveles, nec puniat.*

REGULA XXXVIII.

Pro Benedictionibus Nubentium, sicut & pro cæterorum Sacramentorum Administratione, pretium exigere, aut quovis modo pacisci, crimen Simoniæ est: cogi tamen possunt Fideles, quos paupertas non excusat, ad solvendum Ecclesiæ Ministris honorarium, quod piâ consuetudine constitutum est.

Honoraria Ecclesiæ Ministris piâ consuetudine debitas.

HAnc Regulam tradit Concilium Lateranense IV. sub *Innocentio III.* celebratum, Canone LXVI & refertur cap. *Ad Apostolicam*, Ext. *De Simonia*, cujus hæc sunt verba: *Quidam Clerici pro exequiis Mortuorum, & Benedictionibus Nubentium, & similibus pecuniam exigunt & extorquent, & si forte eorum cupiditati non fuerit satisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. E contra verò quidam Laïci laudabilem consuetudinem erga Sanctam Ecclesiam pia devotione Fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur infringere, sub prætextu canonicæ pietatis. Quapropter super his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari: statuentes ut liberè conferantur Ecclesiastica Sacramenta: Sed per Episcopum loci, veritate cognitâ compescantur, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem immutare.*

Idem anteà decreverat Concilium Oecumenicum *Lateranense* sub *Alexandro III.* ut refertur cap. *Cùm in Ecclesia*, Ext. *De Simonia*: cujus hæc sunt verba: *Ne vel pro personis Ecclesiasticis deducendis in Sedem, vel Sacerdotibus instituendis, aut sepeliendis Mortuis, seu benedicendis Nubentibus seu aliis Sacramentis aliquid exigatur, districtiùs prohibemus. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, portionem cum Giezi noveris habiturum.*

DE SIMONIA.

Idem confirmatur ex Concilio Turonensi anno MCCXXXVI. Canone IV. *Innovamus, ut Sacramenta Ecclesiastica gratis exhibeantur: inhibentes, ne pro eis, antequam fiant, aliquid petatur, seu etiam exigatur. Quibus gratis exhibitis, poterit peti, quod de pia consuetudine exigi consuevit, subditos ad hoc per Prælatos Censurâ Ecclesiasticâ compellendo.*

Præclarum est ea de re Concilii Rothomagensis anno MDLXXXI. Decretum, Tit. *De Curatorum, & aliorum Presbyterorum, Parœcianorum Officiis*, cap. XXVI. *Quamvis* (inquit) *nefaria sit simoniaca pro Sacramentorum administratione pactio & licitatio: nihilominus qui catechizatur, debet in omnibus ministrare ei qui catechizat, & rependere temporalia seminanti spiritualia. Proinde sicut damnamus Curatorum & Presbyterorum exactiones: Ita non tantum ingrati animi, sed contra naturæ debitum, & Jus divinum nitentis & corrupti esse judicamus, dispensanti Sacramenta ad salutem requisita non suppeditare victui necessaria, & operæ pretium, & salutis mercedem non reddere; scriptum est enim:*

1. Cor. 9. » Non alligabis os bovi trituranti. *Et*, Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? » Quis plantat vineam, & de genimine vitis non » bibit? Ita & his qui Altari deserviunt, de Altari vivere *constituit Deus. Proinde noverint omnes Christiani, non libertatis esse, sed debiti, ministranti Sacramenta atque alia spiritualia, stipendium aliquod solvere, unde vivat. Sed cum pretio nummario Sacramenta nequeant æstimari, nec quanti sit cuique necessarium ad victum, possit nisi ex ratione temporum, locorum, & personarum definiri: rectè Majores nostri ad laudabiles consuetudines, ad evitandum avaritiæ & sordium suspicionem, occurrendum duxerunt: quæ cùm hominum malitiâ intermittantur, obtestamur in Domino Curatos & Parœcianos de his amicè inter se convenire pro temporum varietate & difficultate. Quòd si Parœciani in contumacia contra Jus Naturæ & Divinum persistiterint, volumus eos vocari à Curatis coram Episcopis, & circumspectis omnibus, quod rationi videbitur constituatur, præsertim in civitatibus & oppidis, ubi refrigescit caritas, & abundat iniquitas, nec Curatis ulla Decima, aut alii suppetunt proventus.*

Eandem Regulam confirmat *S. Thomas*, Quæstione centesima, Articulo II. *Sacramenta*, (inquit) *Novæ Legis sunt maximè spiritualia, in quantum sunt causa spiritualis gratiæ, quæ pretio æstimari non potest, & ejus rationi repugnat quod non gratuitò detur. Dispensantur autem Sacramenta per Ecclesiæ Ministros, quos oportet à Populo sustentari, secundum illud Apostoli* 1. *ad Corinthios* IX. Nescitis quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de » Sacrario sunt edunt: & qui Altario deserviunt, » cum Altario participant? *Sic ergo dicendum est, quòd accipere pecuniam pro spirituali Sacramentorum gratiâ, est crimen Simoniæ, quod nullâ consuetudine potest excusari: quia consuetudo non præjudicat Juri Naturali vel Divino. Per pecuniam autem intelligitur omne illud cujus pretium potest æstimari. Accipere autem aliqua ad sustentationem eorum, qui Sacramenta Christi ministrant, secundum ordinationem Ecclesiæ, & consuetudines approbatas, non est Simonia, neque peccatum. Non enim sumitur tanquam pretium mercedis, sed tanquam stipendium necessitatis.* Unde *S. Augustinus* Lib. *De Pastoribus* ait: *Accipiant necessitatem sustentationis à Populo, mercedem dispensationis à Domino.*

Et in Responsione ad Quartum: *Consuetudo* (inquit) *non præjudicat Juri Naturali vel Divino, quo Simonia prohibetur. Et ideò si aliqua ex consuetudine exigantur quasi pretium rei spiritualis cum intentione emendi vel vendendi, est manifestè Simonia, & præcipuè si ab invito exigantur. Si verò exigantur quasi quædam stipendia per consuetudinem approbata, non est Simonia, si tamen desit intentio emendi & vendendi, sed intentio referatur ad solam consuetudinis observantiam, & præcipuè quando aliquis voluntariè solvit. In his tamen omnibus sollicitè cavendum est quod habet speciem Simoniæ vel cupiditatis secundùm illud Apostoli* 1. *ad Thessalon. ult. AB OMNI specie mala abstinete vos.*

Et ad Sextum: *Dare pecuniam pro Matrimonio in quantum est naturæ officium, licitum est: In quantum verò est Ecclesiæ Sacramentum, est illicitum: & ideò secundùm Jura prohibetur, ne pro Benedictione Nuptiarum aliquid exigatur.*

Item Articulo III. *Vendere quod spirituale est, aut emere, Simoniacum est: sed accipere aut dare aliquid pro sustentatione Ministrantium spiritualia, secundùm ordinem Ecclesiæ, & Consuetudinem approbatam, licitum est: ita tamen quòd desit intentio emptionis vel venditionis; & quòd ab invitis non exigantur per spiritualium subtractionem, quæ sunt exhibenda: hoc enim haberet quamdam venditionis speciem. Gratis tamen spiritualibus priùs exhibitis, licitè possunt statuta & consueta oblationes, & quicunque alii proventus exigi à nolentibus & valentibus solvere, auctoritate Superioris interveniente.*

REGULA XXXIX.

Statutum de Processione ad Funus non facienda, aut de Mortuorum Officio non canendo, nisi certa Pecuniæ summa solvatur, simoniacum est.

ID constat ex *S. Thoma*, Secunda Secundæ: Quæstione centesima, Articulo III. ad secundum: *Aliqua* (inquit) *temporalia dantur Deum laudantibus in celebratione Ecclesiastic Officii, sive pro vivis, sive pro mortuis, non quasi pretium, sed quasi sustentationis stipendium. Et eo etiam tenore pro Processionibus faciendis in aliquo funere aliqua eleemosyna recipiuntur. Si autem hujusmodi pacto interveniente fiant, aut etiam cum intentione emptionis vel venditionis, simoniacum esset. Unde illicita esset ordinatio, si in aliqua Ecclesia statueretur, quod non fieret Processio in Funere alicujus, nisi solveret certam pecuniæ quantitatem: quia per tale statutum præcluderetur via gratis officium pietatis aliquibus impendendi. Magis autem licita esset ordinatio, si statueretur, quòd omnibus certam eleemosynam dantibus talis honor exhiberetur, quia per hoc non præcluderetur via aliis exhibendi. Et præterea, prima ordinatio habet speciem exactionis: secunda autem habet speciem gratuitæ compensationis.*

REGULA XL.

Pro verbi divini Prædicatione pretium exigere, Simonia est: stipendia tamen sustentationis Concionatoribus Evangelicis debentur.

EVangelii namque Prædicatio, cùm sit Ministerium spirituale, pretio æstimari non potest: At stipendia sustentationis Concionatoribus Divino Jure debentur, ut docet Apostolus 1. ad Corinthios IX. *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Scriptum est in Lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt. Quoniam debet in spe qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Nescitis quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt: & qui Altari deserviunt,*

cum

cum Altari participant ? Ita & Dominus ordinavit iis qui Evangelium annunciant de Evangelio vivere.

Idem confirmat *S. Augustinus* Libro *De Opere Monachorum*, Cap. XXVI. *Qui propter hoc* (inquit) *Evangelium prædicat, ut habeat unde manducet, & unde vestiatur, simul se putet & Deo servire, quia Evangelium prædicat; & Mammonæ, quia propter ista necessaria prædicat; quod Dominus dicit fieri non posse. Ac per hoc ille qui propter ista Evangelium prædicat, non Deo, sed Mammonæ servire convincitur; etsi Deus illo ad aliorum provectum, quomodo ipse nescit, utatur.*

Et *S. Gregorius*, Libro XIX. *Moralium*, Cap. X. explicans hæc verba Capitis vigesimi-noni, *Quando lavabam pedes meos butyro*; pedes Domini Prædicatores Evangelii interpretatur; butyrum verò, sustentationem quæ ipsis à fidelibus debetur. *Butyro* (inquit) *pedes lavantur, dum Sanctis Prædicatoribus debita ab audientibus stipendia conferuntur: Et quos fatigat injunctus prædicationis labor, exhibita à discipulis pinguedo boni operis fovet: non quòd ideò prædicent ut alantur, sed ideo alantur ut prædicent, id est, ut prædicare subsistant: non ut intentionem sumendi victûs transeat actio Prædicatoris, sed ad utilitatem prædicationis deserviant ministeria sustentationis. Unde à bonis Prædicatoribus non causâ victûs prædicatio impenditur, sed causâ prædicationis accipitur victus. Et quoties Prædicantibus necessaria ab audientibus conferuntur, non solent de rerum munere, sed de conferentium gaudere mercede. Unde per Paulum dicitur:* Non quæro datum, sed requiro fructum. *Datum quippe est res ipsa quæ impenditur: fructus verò dati est, si benigna mente futuræ mercedis studio aliquid impendatur. Ergo datum intra accipimus, fructum in corde.* (Philipp. 4. 17.)

Idem docet *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXV. Quæstione III. Articulo II. Quæstiuncula II. ad quintum: *Stipendia* (inquit) *debentur Prædicantibus ad sustentationem victûs, ne cogantur relinquere verbum Dei, & circa procuranda sibi necessaria occupari: non autem debentur eis quasi pretium Prædicationis.*

Et *Secunda Secundæ*, Quæstione centesima, Articulo III. ad secundum: *Prædicantibus* (inquit) *temporalia debentur ad sustentationem prædicantium; non autem ad emendum prædicationis verbum. Unde super illud I. ad Timoth. V. Qui bene præsunt Presbyteri, &c. dicit Glossa* (ex S. Aug. sumpta Lib. De Pastoribus) *Necessitatis est accipere unde vivitur, Charitatis est præbere: non tamquam venale sit Evangelium, ut illud sit pretium ejus, quod sumunt qui annunciant unde vivant. Si enim sic vendunt, magnam rem vili vendunt. Accipiant sustentationem necessitatis à Populo, mercedem dispensationis à Domino.... Non exspectent illi mercedem, nisi unde & isti salutem.*

REGULA XLI.

Simoniæ rei sunt Canonici, qui Chorum frequentant propter Distributiones, tamquam propter finem præcipuum.

Hanc Regulam adstruit *S. Thomas*, Quodlibeto VIII. Quæstione VI. Articulo I. *Celebrare Divinum Officium in Ecclesia* (inquit) *est actus spiritualis ex parte principii: competit enim alicui ex hoc quòd est Clericus. Et ideo Simoniam committit, qui hujusmodi actum vendere intendit: in qualibet enim venditione pretium accipitur quasi finis. Et ideo in prædicto casu distinguendum est: si enim hujusmodi distributiones recipit quasi finem sui operis principaliter intentum, simoniam committit; & ita mortaliter peccat: si autem habet principalem finem Deum in tali actu, ad hujusmodi autem distributiones respicit secundariò, non quasi in finem, sed sicut in id quod est necessarium ad suam sustentationem, constat quòd non vendit actum spiritualem: & ita simoniam non committit, nec peccat: sic enim acceptio distributionum non erit causa quare ad Ecclesiam vadat, sed propriè hujusmodi determinationis, quare nunc vadat, & non alia vice.*

Triplici ex causa fiunt spiritualia (inquit *Petrus Cantor* in *Verbo Abbreviato*, cap. XXV.) *Causa propter quam, quæ debet esse solus Deus; & causa sine qua non possent fieri, & causa sine qua non fierent. Si spirituale fit ob temporale tantum, & non propter Deum, istud execrabile est & diabolicum. Si verò causâ Dei, & causâ terreni emolumenti, sine qua non fierent, cùm possent, jam causa sine qua vertitur in causam propter quam.* Pallium enim ᵃ meum breve est, *&c.* Et stratum meum angustum ᵃ est, *&c.* Non potestis Deo servire & Mammonæ. ᵃ Quousque claudicatis in duas partes? Non potestis ingredi terram duabus viis. *Tertiam verò causam necessitas humanæ fragilitatis excusat.* DIGNUS *est enim operarius cibo suo.*

(ᵃ Matth. 10. — 1. Reg. 18. — Eccl. 14)

REGULA XLII.

Simonia mentalis, & conventionalis Excommunicationem aliásque pœnas canonicas non inferunt, sed sola Simonia realis; cùm scilicet ita de pecunia sive re pretio æstimabili pro spirituali danda conventum est expressè vel tacitè, ut ex una saltem parte conditio impleta sit.

Ita docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione centesima, Articulo sexto, ad sextum: *Quoad Deum* (inquit) *sola voluntas facit simoniacum: Sed quoad pœnam Ecclesiasticam exteriorem non punitur ut simoniacus, ut abrenuntiare teneatur, sed debet de mala intentione pœnitere.*

Id consonum est Capiti *Mandato*, Ext. *De Simonia*, quo *Gregorius IX.* Legato quærenti, utrùm acceptum ab eo Mandatum dispensandi cum Monachis simoniacè receptis ad ipsos etiam Abbates pertineret, respondet: *Mandatum Apostolicum etiam ad Abbates extendi. Et ad Resignationes spiritualium & temporalium, quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente, utrinque taliter arquuntur (in quo casu delinquentibus sufficit per solam Pœnitentiam suo satisfacere Creatori) eos pro Simonia hujusmodi non teneri.*

REGULA XLIII.

Qui pro re spirituali aliquid pretio æstimabile dedit vel accepit, seu munus à manu, aut ab obsequio, aut à lingua, quamvis nullo pacto præcedente; ad renunciandum Beneficia, & ad restitutionem tenetur, si animo proposuerit rem temporalem pro spirituali dare vel accipere.

Nullus enim *potest licitè retinere id quod contra voluntatem Domini acquisivit:* (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione centesima, Articulo VI.) *Putà, si aliquis dispensator de rebus domini sui daret alicui contra voluntatem & ordinationem domini sui, ille qui acciperet, licitè retinere non posset. Dominus autem, cujus Ecclesiarum Prælati sunt Dispensatores & Ministri, ordinavit ut spiritualia gratis darentur, secundùm illud Matth. X.* Gratis accepistis, gratis date. *Et ideo qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licitè retinere non potest.*

Nititur eadem Regula Can. *Si quis neque*, Causa I. Quæstione I. qui *S. Gregorio* tribuitur: *Si quis*

frandalento munuſculo Epiſcopalem, ſeu Sacerdotalem, non lucro animarum, ſed inani gloria, avaritiâ fultas Dignitatem acceperit, & in vita ſua non ſponte reliquerit, eúmque inſperata mors Pœnitentem non invenerit, procul dubio in æternum peribit. Fraudulentum munuſculom intelligitur, quod nullà conventione prævia, quaſi ex mera gratuitaque liberalitate datum eſt: cùm tamen eo donatum vel acceptum ſit animo, ut per illud ad ſpiritualem dignitatem ſeo Beneficium Eccleſiaſticum perveniretur, ſive ut illius intuitu Beneficium conferretur.

Tandem qui luctom ſolo mutui oomine percepit, nullo eriam pacto intercedente, ad ejus reſtitutionem obligatur, ut colligitur, ex Cap. *Conſuluit*, Tit. *De Uſura*: Pati ergo jure ſimoniacus, qui turpe lucrum ex te ſpirituali vel ei annexa percepit, ad teſtitutionem tenetur, etiamſi nullum pactom interceſſerit, ſed ſolo animi propoſito pretium intenderit.

REGULA XLIV.

Qui per Simoniam ordinati ſunt, quamvis ipſi criminis iſtius conſcii non fuerint, ab executione tamen Ordinum ipſo Jure ſunt ſuſpenſi.

Simoniacè Ordinatorum irregularitas.

ID conſtat ex Cap. *Quoties*, & Cap. *De hoc*, quod eſt *Alexandri III.* Reſponſum, Ext. *De Simonia*: Ex *Paul II.* Conſtitutione, quæ incipit, *Cùm deteſtabile*: & ex *S. Thoma* Secunda Secundæ, Quæſtione centeſima, Articulo VI. ad primum: *Ille* (inquit) *qui ſimoniacè recipit ſacrum Ordinem, recipit quidem characterem Ordinis propter efficaciam Sacramenti: Non tamen recipit gratiam, neque Ordinis executionem, eò quòd quaſi furtivè ſuſcepit Characterem contra Principalis Domini voluntatem. Et ideo eſt ipſo jure ſuſpenſus, & quoad ſe, ut ſcilicet de executione ſui Ordinis ſe non intromittat; & quoad alios, ut ſcilicet nullus ei communicet in Ordinis executione.* Et ad tertium: *Si verò eo nec volente, nec ſciente, per alios alicujus Promotio ſimoniacè procuratur, caret Ordinis executione.*

REGULA XLV.

Cùm iis qui ſimoniacè ſunt ordinati, nec tamen Simoniæ conſcii fuerunt, diſpenſare poteſt Epiſcopus ut Ordinis ita ſuſcepti functiones obeant: ſi verò ipſi Simoniam commiſerint, aut hujuſmodi criminis participes fuerint, neceſſaria eſt Summi Pontificis Diſpenſatio. Idem eſto judicium de ſimoniaca Beneficiorum impetratione. Qui enim alienâ ſimoniâ, nec ſcientes, nec volentes, Beneficium Eccleſiaſticum conſecuti ſunt, illud retinere poſſunt cum Epiſcopi diſpenſatione: qui verò Simoniæ participes ſeu conſcii fuere, non poſſunt, niſi Summi Pontificis Diſpenſatione & indulgentiâ in integrum reſtituantur.

Quis diſpenſare poſſit cum iis qui ſimoniacè ſunt ordinati.

PRima pars conſtat ex Cap. *De ſimoniacè Ordinatis*, Ext. *De Simonia*, quod eſt *Lucii III.* Reſponſum: *Certum* (inquit) *tibi dare non poſſumus Reſponſum, niſi plenius cognoſcamus, qualiter fuerint ordinati: cùm quidam, licèt ſecundùm quamdam ſpeciem Simoniæ, utpotè ipſis ignorantibus, ſimoniacè ordinentur, poſſunt (quia ſimoniaci non ſunt) in ſuis Ordinibus remanere.* Idem confirmatur, ex Cap. *Poſt tranſlationem*, Ext. *De Renunciatione*, quod eſt *Innocentii III.* Archiepiſcopo Ravennati electo ſcribentis: *Si quis per cupiditatem parentum (eo tamen penitus ignorante) fuerit Epiſcopatum adeptus, & hoc comperto, Epiſcopatum ipſum de licentia Superioris dimittens, Obſervantiam elegerit Regularem: etſi ad Epiſcopatum eumdem redire poſtmodum nequeat, juxta canonicas Sanctiones, ad alium tamen poterit licitè reaſſumi.* Cujus Capitis Gloſſa hæc habet in rem noſtram: *Papa poteſt diſpenſare cum Simoniacis, qui characterem habent vitioſum, qui ſcienter ſimoniam commiſerunt*: Quod probat ex Cap. penultimo, *De Simonia*, quod Gregorii IX. Reſponſom eſt: *Si quis* (inquit) *ordinaverit, ſeu ad Ordinem præſentaverit aliquem, promiſſionem vel juramentum ab illo recipiens, quòd ſuper Proviſione ſua non inquietet eumdem: Ordinator à Collatione, Præſentator verò ab executione Ordinum per triennium, & Ordinatus ab Ordine ſic ſuſcepto, donec diſpenſationem ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam obtinere meruerint, noverint ſe ſuſpenſos.* Pergit Gloſſa: *Sed inferiores Prælati non poſſunt diſpenſare cum ſciente, ſed Papa: hoc ideo, quia bene purgatur vitium furti, re furtiva apud furem remanente de voluntate Domini.* ff. De Uſur. L. Si fur. & 1. Q. 1. C. Quòd quidam. ver. Si fortè militiæ characterem, &c. *Sed cùm Simonia commiſſa eſt ignorante illo cui acquiſitum eſt Beneficium, vel qui Ordinem vel Dignitatem adeptus eſt ignoranter, poſſunt Epiſcopi diſpenſare poſt liberam Reſignationem. Sed in hoc diſtingue: Si Beneficium etiam ſimplex eo modo eſt adeptus, ſtatim poſt Reſignationem poteſt reſumi ad illud diſpenſativè, ut ſupra*, De Electione, cap. Si alicujus. *In illo qui Dignitatem ſic eſt adeptus, diſtingue: ſi ſponte reſignet, petens humiliter Reſignationem admitti, ſtatim poteſt Epiſcopus diſpenſare cum illo, & ad eamdem Prælaturam.* Arg. 1. Q. 5. C. Præſentium. *Ubi diſpenſatur in Dignitate aſſumenda cum eo, qui ſponte renunciavit Ordini ignoranter recepto. Si verò de hoc contendit in judicio, & electio ſua reprobata fuerit, quia ſimoniacè fuit facta, licèt eo ignorante, tunc Epiſcopus illa vice cum eo non poterit diſpenſare, ſed poſtea ſic. Supra*, De Electione, Cap. Si alicujus. *Et ita tenent circa hujuſmodi diſpenſationem Simoniacorum.*

Secunda pars Regulæ noſtræ confirmatur ex *Gregorio IX.* Cap. *Si alicujus*, Ext. *De Electione*, mox laudato. *Si alicujus electionem* (inquit) *propter ſimoniam, eo ignorante ac ratum non habente commiſſam, contigerit reprobari; cùm eo ſuper Prælatione ad quam taliter fuerat electus, illa vice non poteſt Epiſcopus diſpenſare. Quamvis circa eum, qui ignoranter recipit ſimplex Beneficium per ſimoniacam pravitatem, poſt liberam Reſignationem, Epiſcopi diſpenſatio toleretur.*

Idem confirmatur ex *S. Thoma*, Secunda Secundæ, Quæſtione centeſima, Articulo ſexto, ad ſeptimum: *Diſpenſare*, inquit, *cum eo qui eſt Beneficiatus ſimoniacè ſcienter, ſolus Papa poteſt. In aliis autem caſibus poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare: Ita tamen quòd priùs abrenunciet quod ſimoniacè acquiſivit, & tunc diſpenſationem conſequatur: vel parvam, ut habeat laicam Communionem: vel magnam, ut poſt Pœnitentiam in alia Eccleſia in ſuo Ordine remaneat: vel majorem, ut remaneat in eadem, ſed in Minoribus Ordinibus: vel maximam, ut in eadem Eccleſia etiam Majores Ordines exequatur, non tamen Prælationem accipiat.*

REGULA

REGULA XLV.

Renuncians Beneficio simplici, ad quod per Simoniam ignoratam fuerat assumptus, si posteà ad illud ex indulgentia Capituli iterum assumatur, nihil ex prima electione sibi vendicare potest.

CAnonicus itaqoe sic pomotus, & post Renunciationem iterum admissus, prostremum locum in Choro, & in ahis obtinet, ut respondet *Clemens III.* cap. *Ex insinuatione*, Ext. *De Simonia.* Prima enim collatio seu receptio ipso Jore nulla erat: Actio autem semel extincta non ampliùs tevivi(s)cit.

REGULA XLVI.

In pœnas Canonicas non incurrit, nec ad Beneficium, Dignitatem, vel Officium Ecclesiasticum resignandum tenetur ille, quo non solùm ignorante, sed prohibente, pecunia vel aliquid aliud pretio æstimandum datum est, ut ei Beneficium illud, Dignitas vel Officium procuraretur: maximè si datum sit in ejus odium, & per insidias.

ITa declarat *Innocentius III.* cap. *Sicut*. Ext. *De Simonia*, cujus hæc sunt verba: *Quamvis autem secundùm sacrorum Canonum Instituta, etiam parvuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere teneantur, quia tamen longè diversum est non prabere consensum, & expresse aliquid prohibere: taliter duximus respondendum, quoniam ex eo, quòd contra prohibitionem & voluntatem tuam (à qua postmodum minimè recessisti) aliquis, te penitus ignorante, promisit pecuniam & exsolvit; præsertim cùm is nullâ sit tibi consanguinitate conjunctus, nihil tibi debet ad pœnam vel culpam (sicut credimus) imputari: nisi postea consenseris, pecuniam solvendo promissam, aut reddendo solutam: alioquin contingeret quòd alicujus factum, insidias inimico parantis, ei damnosum existeret, cui penitus displiceret: & sic aliquis de fraude sua commodum repertaret.*

REGULA XLVII.

Qui Beneficium per Simoniam sciens volens obtinuit, fructus omnes restituere tenetur, non solùm extantes, sed consumptos, illis dumtaxat exceptis qui in Ecclesiæ ipsius utilitatem sunt expensi: qui verò Simoniæ conscius non fuit, fructus consumptos restituere non tenetur.

Simoniacorum restitutio.

SIc respondet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione centesima Articulo 6. ad tertium: *Si aliquis (inquit) scienter & propria sponte simoniacè accipiat Ordinem, vel Ecclesiasticum Beneficium, non solùm privatur eo quod accepit, ut scilicet careat executione Ordinis, & Beneficium resignet cum fructibus inde perceptis: sed etiam ulteriùs punitur, quia notatur infamiâ. Et tenetur ad restituendos fructus non solùm perceptos, sed etiam eos qui percipi potuerunt à possessore diligenti. Quod tamen intelligendum est de fructibus qui supersunt deductis expensis factis causâ fructuum, exceptis fructibus illis qui aliàs expensi sunt in utilitatem Ecclesiæ. Si verò eo nec volente, nec sciente, per alios alicujus Promotio simoniacè procuretur, caret quidem Ordinis executione, & tenetur resignare Beneficium, quod est consecutus, cum fructibus extantibus: non autem tenetur restituere fructus consumptos, quia bona fide possedit: nisi fortè inimicus ejus fraudulenter pecuniam daret pro alicujus Promotione, vel nisi ipse expressè contradixerit. Tunc enim non tenetur ad renunciandum, nisi fortè postmodum pacto consenserit, solvendo quod fuit promissum.*

REGULA XLVIII.

Restitutio pecuniæ per simoniam acceptæ, fructuúmque ex Beneficiis simoniacè obtentis perceptorum, facienda est Ecclesiæ, vel pauperibus.

Cui facienda restitutio fructuum à Simoniacis?

ECclesiæ restitutionem faciendam respondet *Alexander III.* cap. *De hoc*, Ext. *De Simonia.* Ecclesiæ vel pauperibus faciendam, *S. Thomas* docet, *Secunda Secundæ*, Quæstione XXXII. Articulo VII. *Alio modo (inquit) est aliquid illicitè acquisitum, quia quidem ille qui acquisivit, retinere non potest, quia scilicet contra justitiam accepit, & alter contra justitiam dedit: sicut contingit in Simonia, in quadans, & accipiens, contra justitiam legis divinæ agit. Unde non debet fieri restitutio ei, qui dedit, sed debet in eleemosynas erogari.*

Et Quæstione centesima, Articulo VI. ad quartum: *Pecunia*, inquit, *vel possessio, vel fructus simoniacè accepti, debent restitui Ecclesiæ in cujus injuriam data fuerunt, non obstante quòd Prælatus, vel aliquis de Collegio illius Ecclesiæ fuit in culpa; quia eorum peccatum non debet aliis nocere: ita tamen quòd, quantùm fieri potest, ipsi qui peccaverunt, inde commodum non consequantur. Si verò Prælatus, & totum Collegium sunt in culpa, tunc debet cum auctoritate Superioris, vel pauperibus, vel alteri Ecclesiæ erogari.*

CAPUT VIII.

DE HORIS CANONICIS, ET OBLIGATIONE ILLAS RECITANDI.

ARTICULUS I.

De Horarum Canonicarum Antiquitate, & Numero.

CUm Oporteat Christianum *semper orare, & nunquam deficere*, ut docet Christus: multò magis Clerici, qui Deo singulari quadam & præcipua ratione consecrati & mancipati sunt, quasi quidam inter Deum & Populum sequestres ac Mediatores, & à rerum terrenarum curis ac solicitudinibus hujus sæculi magis liberi & expediti, assiduè in oratione versari tenentur, Apostolorum exemplo, qui sic orationi sese adstrictos esse sentiebant, ut relictâ Diaconis Viduarum & pauperum procuratione, totos se orationi & prædicationi verbi Dei addictos profiterentur: *Nos verò orationi & Ministerio verbi instantes erimus.* Sed cùm humana infirmitas, Luc. 18. 1. Act. 6.

& molriplex hojus vitæ necessitas non patiatur, ut homines continuâ mentis intentione in Dei laudibus & oratione occupentur; aliisque etiam Ordinis sui Officus pro salute proximorom incumbere Clerici debeant; ideò diversæ orandi Horæ ab initio Ecclesiæ constitutæ sunt. In Synagoga tres erant celebriores orandi Horæ, Tertia, Sexta, & Nona, ut ea Scriptura sacra colligitur, & ex *Tertulliano* Libro *De Jejuniis*, Cap. x. & at. qui & has Horas *Officiis Dei* consecratas, *exinde Apostolicas* vocat, id est, ab Ecclesia Christi Apostolorom tempore, & ex eorum præscripto observatas. *Sed nobis*, inquit *S. Cyprianus* Libro De Oratione Dominica, *prater Horas antiquitùs observatas, orandi nunc & spatia & sacramenta creverunt. Nam & mane orandum est, ut Resurrectio Domini matutina oratione celebretur... Recedente item sole ac die cessante necessariò rursus orandum est. Nam quia Christus Sol verus, & dies est verus, sole ac die sæculari recedente, quando oramus ac petimus ut supra nos lux denuò veniat, Christi precamur adventum, lucis æterna gratiam prabiturum.... Quòd si in Scripturis Sanctis Sol verus & dies verus est Christus; Hora nulla à Christianis excipitur, quominùs frequenter ac semper Deus debeat adorari; ut qui in Christo, hoc est, in Sole & in die vero sumus, insistamus per totum diem precibus & oremus: & quando mundi lege decurrens vicibus alternis nox revoluta succedit, nullum de nocturnis tenebris esse orantibus damnum potest, quia filiis lucis & in noctibus dies est.*

Diversæ orandi Horæ ab initio Ecclesiæ constitutæ.

S. Hieronymus Epistola *ad Eustochium*, *De Custodia Virginitatis*, diversas orandi Horas institutas docet, Ut si fortè aliquo fuerimus opere nimiùm detenti, *Ipsum nos ad Officium tempus admoneat*. Et in Epistola *Ad Demetriadem Virginem*, singularum Horarum distinctiùs meminit. *Præter Psalmorum & orationis ordinem* (inquit) *quod tibi Hora Tertia, Sexta, Nona, ad Vesperum, Media Nocte, & Mane semper est exercendum: statue quot horis Sanctam Scripturam discere debeas.*

Matutinas Laudes in *Ecclesia Catholica*, *Lucernales item Psalmos & Orationes*, id est, Vespertinom Officium celebrari *S. Epiphanius* testatur, in Expositione Fidei. *Lucernarum* alii è Veteribus appellarunt. *S. Hieronymus* in Epistola ad Lætam, *Sacrificium Vespertinum*, quod *accensâ lucernâ* reddebatur.

De Hymnis & Psalmis canendis ipsius Domini & Apostolorum habere nos *documenta & præcepta* scribit *S. Augustinus* Epistola LV. aliàs CXIX. ad *Januarium*. Et Epistola CXXX. aliàs CXXI. ad *Probam*, Cap. IX. ait, sine intermissione orare, nihil aliud esse, quàm beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderare. *Sed ideo ab aliis curis atque negotiis, quibus ipsum negotium quodammodo tepescit, certis Horis ad negotium orandi mentem revocamus, verbis orationis nos ipsos admonentes in id quod desideramus intendere, ne quod tepescere cœperat, omnino frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebriùs inflammetur.*

Concilium Carthaginense. IV. Canone XLIX. statuit ut *Clericus, qui absque corpusculi sui inæqualitate*, (id est, nisi morbo affectus,) *Vigiliis deest, stipendiis privetur*. Conciliom Veneticum in Britannia minori anno qoadringentesimo sexagesimo quinto celebratum Canone XV. *Unam Officiorum Regulam*, unum Sacrorum Ordinem, unamque psallendi consuetudinem in Provincia Turonensi teneri decernit. Idem Concilium Canone XIV. Clericum qui se *Matutinis Hymnis* subduxerit, septem diebus à Communione extraneum haberi sanxit: *Quia Ministrum Sacrorum eo tempore quo non potest ab Officio suo ulla honesta necessitas occupare, fas non est à salubri devotione cessare.* Plota de divinorum Officiorum Ritu & ordine in aliis Conciliis Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, Angliæ, Africæ, Italiæ leguntur, quæ vel indicare longum esset. Laïcos ipsos Fideles olim Officia divina frequentasse SS. Patres & Ecclesiasticæ Historiæ monomenta testantur. Monachos Officia divina, Horásque Canonicas psallere solitos testantor Regulæ *SS. Basilii, Pachomii, Benedicti, Cæsarii, Aureliani, Columbani, Ferreoli, Cassianus* Libro II. cap. V. & VI. & Libro III. qui *De Canonico Diurnarum Orationum & Psalmorum Modo* inscribitur. Clericos sacræ Psalmodiæ non minori studio, pietate ac fervore vacasse constat ex *S. Paulino* Epistola ad *Victricium* Rotomagensem Episcopum, ex *S. Gregorio Magno* Libro IV. Epistola XLIV. & Libro X. Epistola XXII. *Gregorio Turonensi* in variis Historiæ suæ locis, præsertim verò Lib. X. ubi *Injuriosum* Episcopum instituisse *Tertiam & Sextam* in Ecclesia Toronensi testatur; *Quod modo* (inquit) *in Dei nomine perseverat*. Item ea Concilio Turonensi II. anno quingentesimo sexagesimo-septimo Canone XVIII. Item ex *Venantio Fortunato* in Vita *S. Germani* Parisiensis Episcopi, & Carmine a. Libri secundi quo Parisiensis Ecclesiæ præclarum elogium continetur. Ex *Sidonio Apollinari* Libro IV. Epistola XI. ubi *Claudianum* S. Mamerti Viennensis Episcopi fratrem & Vicarium laudat, quòd Psalmos præcinuerit & Lectiones per annum ordinaverit. Ex *Cypriano* Episcopo Tolonensi in Vita *S. Cæsarii* Arelatensis Episcopi Libro I. & ex ipso *Cæsario* Sermone CCLXXXVIII. & CXL. Appendicis Augustinianæ, Editionis postremæ Parisiensis. Ex Collatione Episcoporum, quorum caput erat *S. Avitus Viennensis*, coram *Gundebado* Burgundiæ Rege adversùs Arianos anno quadringentesimo nonagesimo-nono habita; ea *Agobardo* Lugdunensi Episcopo in Libris *De Divina Psalmodia*, *De Correctione Antiphonarii*, & *Contra Amalarium*. Ex *S. Isidoro* Hispalensi Episcopo Libro VI. *Originum*, cap. XIX. & Libro I. *De Officiis Ecclesiasticis*, & ex Breviario Mozarabico, quod in Editione Cardinalis *Ximenes* inscribitur, *Officium Gothicum sive Mixtum secundùm Regulam B. Isidori*. Ex Capitulari *Hincmari* Archiepiscopi Remensis ad suæ Diœcesis Presbyteros. Ex *Reginone* Lib I. *De Ecclesiastica Disciplina*. Ex Regula *Crodegangi* Metensis Episcopi. Ea Capitulari *Attonis* Basileensis Antistitis; necnon ea aliis veteribus Monomentis.

Variis nominibos sacrum illud servitutis clericalis pensum insignitum est. Vocatum est *Officium Canonicum*; seu *Hora Canonica*, quòd Ecclesiasticâ Regulâ præscriptum ac ordinatum esset. Dictum est *Officium* à *S. Hieronymo* in Vita S. Hilarionis: *Oremus* (inquit) *psallamus, reddamus Domino Officium, & sic ad vineam properabitis*: & à Concilio Venetico Canone XV. *Unam* (inquit) *Officiorum Regulam teneamus*. Item à Concilio Agathensi Canone XXVII. *Ad celebranda divina Officia ordinem quem Metropolitani tenent, Provinciales observare debebunt*: à *Gregorio II.* Romano Pontifice in Capitulari; à Conciliis Toletanis, à *S. Isidoro Hispalensi*, &c. à *SS. Benedicto*, & *Cæsario*, à *S. Gregorio Magno* Libro VIII. Epistola XXXIV. In Regula *S. Donati* Vesontiensis Episcopi, &c. *Opus Dei* appellatur. *Cursum Ecclesiasticum* appellant *Gregorius Turonensis* Libro V. *Historiæ*, capite XXXII. & Libro I. *De Gloria Martyrum*, ubi se Librum unum *De Cursibus Eccle-*

Officii Ecclesiastici varia nomina.

siasticis scripsisse testatur: *Venantius Fortunatus* in Vita *S. Germani* Parisiensis Episcopi Capite LXXVI. *Leo IV.* Pontifex Maximus Homilia IV. ad Presbyteros, & *Ratherius* Veronensis Episcopus in Homilia Sydonica; Venerabilis *Beda* Libro IV. Historiæ, cap. XVIII. Concilium Celichetense in Anglia anno septingentesimo octogesimo septimo celebratum, cap. VII. acta *S. Walarici* Abbatis; & antiquus Autor Anonymus Libelli *De Cursuum Ecclesiasticorum Origine* editi à *Spelmanno* Tomo I. Conciliorum Angliæ. *Breviarium* denique à Divinorum Officiorum abbreviatione, cùm in gratiam Clericorum publicis Ecclesiæ negotiis occupatorum in Romana Curia, tum in gratiam Missionariorum Apostolicorum factâ, & in omnibus Urbis Ecclesiis recepta mandato *Nicolai III.* de genere *Ursinorum*, qui Pontificatum iniit anno millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, dictum ait *Radulphus* Tungrensis Decanus. Sed certè antiquius est *Breviarii* nomen: Statuta enim Abbatum Provinciæ Narbonensis anno millesimo ducentesimo vigesimo secundo condita, quæ leguntur Tomo VI. *Spicilegii*, jubent ut *Monachi in Sacris Ordinibus constituti, in longo itinere profecturi, sine Breviario vel Psalterio non mittantur*. Et Concilium Tolosanum anno millesimo ducentesimo vigesimo-nono, Canone XIV. prohibet *Ne Libros Veteris Testamenti aut Novi Laici permittantur habere, nisi fortè Psalterium, vel Breviarium pro Divinis Officiis, aut Horas Beatæ Mariæ aliquis ex devotione habere velit. Sed ne præmissos Libros habeant in vulgari translatos.* Breviarium itaque dictum est, quòd Lectiones breviores ex Scriptura Sacra, & Homiliis Patrum excerptas, & in dies anni singulos distributas pro ratione Temporis & Festorum, uno Libro complectatur, in commodum Clericorum & Religiosorum Virorum.

Breviarii nomen quando usurpari cœptum.

Septem sunt Horæ Canonici Officii, Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, & Completorium: Ut meritò cum Propheta dicamus, *Septies in die laudem dixi tibi.* Diversis Passionis Christi horis significandis sunt accommodatæ, ut Clerici quotidianum istud servitutis suæ Officium persolventes, ea quæ Redemptor noster pro nobis passus est in memoriam revocent ac meditentur. Quod indicant Versus in Glossa Capitis *Presbyter*, Extra, *De Celebratione Missarum*, relati:

Septem Horæ Canonici Officii, diversis Passionis Christi horis significandis accommodatæ.

Hæc sunt septenis propter quæ psallimus Horis:
Matutina ligat Christum qui crimina purgat:
Prima replet sputis, causam dat Tertia mortis:
Sexta Cruci nectit, latus ejus Nona bipertit:
Vespera deponit, tumulo Completa reponit.

His prænotatis, Regulæ Morales de Horarum Canonicarum recitatione tradendæ sunt & explicandæ.

ARTICULUS I.

REGULÆ MORALES

De Officii Divini seu Horarum Canonicarum recitatione.

REGULA I.

Clerici Sacris Ordinibus initiati, & Beneficiati, Divinum & Canonicum Officium etiam privatim recitare tenentur sub pœna peccati mortalis. Restitutioni verò obnoxii sunt Beneficiati, qui suâ culpâ Officii Divini recitationem omittunt, pro rata omissi Officii parte.

Ea Ecclesiæ Lex, sive Consuetudo, quâ Ministri Sacri ad recitandas Horas Canonicas tenentur, interpretatio quædam est Juris Divini, orta ex Clericorum conditione, qui toti divino cultui consecrati sunt ac mancipati, ut saltem aliquot horas divinis laudibus insumant, quorum omnis cogitatio in Deum & de Deo esse deberet. Unde Venerabilis *Beda* in Capite VIII. S. *Lucæ* ait, *Eum*, juxta præceptum Domini & Apostoli, *semper orare, & non deficere, qui Canonicis Horis quotidie juxta Ritum Ecclesiasticæ Traditionis Psalmodiis precibusque consuetis Dominum laudare & rogare non desistit.* Quàm antiqua porrò sit, quàm stricta illa obligatio, multa probant cum veteris tum novæ Historiæ & Disciplinæ Ecclesiasticæ monumenta.

Clerici in sacris Ordinibus constituti, vel Beneficiati, ad Breviarium etiam privatim recitandum tenentur.

S. Gregorius Nyssenus iter suum in Arabiam commemorans, *Vehiculum* (inquit) *nobis pro Ecclesia & Monasterio erat, omnibus per totam viam psallentibus.*

Palladius in Vita *S. Joannis Chrysostomi* loquens de quadraginta Episcopis propter caussæ ipsius defensionem ab Ecclesiis suis ejectis: *Reversi*, inquit, *Episcopi Vigilias intra sua diversoria celebrarunt.*

Venantius Fortunatus in Vita *S. Germani* Parisiensis Episcopi, cap. LXXVI. refert ipsum in itinere Divinum Officium nudo capite persolvisse. *Qui equitans in itinere*, inquit, *semper de Deo aliquid, aut verbo contulit, aut cantavit, cursum nudo capite dicens, etsi nix aut imber urgeret.*

Gregorius Turonensis in Officio recitando adeo religiosus erat & diligens, ut *Expergefactus circa medium noctis ad cursum reddendum surgeret*; ut ipse refert *Historiæ* Libro VIII. cap. XV. Et cùm Parisiis versaretur tempore Concilii, nocte quadam postquam Matutinum recitasset, ad ostium hospitii sui graviter pulsatum fuisse scribit Libro V. cap. XIX. *Ea verò nocte, decantatis Nocturnalibus Hymnis*, id est recitatis, *ostium mansionis nostræ gravibus audio verberibus cœdi.* Neque verò id peculiari religione faciebat, sed ex more Sacerdotum, seu ex Ecclesiæ Disciplina, ut colligitur ex Libro *De Gloria Confessorum*, cap. XXXI. ubi agit de quodam Presbytero, qui in itinere constitutus, cùm à paupere quodam hospitio receptus esset, *Juxta Morem Sacerdotum nocte à strato suo consurrexisse, & orationi adstitisse refertur.* Et rursus Libro V. *Historiæ*, cap. XXI. *Salonio & Sagittario* Episcopis vitio vertit quòd Cursum sacrum, seu Divinum Officium negligerent. *Nulla prorsus de Deo erat mentio: nullus omninò Cursus memoria habebatur.*

Concilium Toletanum IV. Canone X. Sacerdotibus & subjectis Clericis sub gravi interminatione præcipit, ut *Dominicam Orationem* quotidie *aut in publico, aut in privato Officio* recitent. Ex quo intelligitur, privatam divini Officii recitationem Clericis apud Hispanos ante septimum seculum præceptam fuisse.

Concilii Nannetensis Canon XIX. à *Reginone* in Collectione Canonum Libro I. cap. CCVIII. descriptus statuit, ut *Presbyter, mane Matutinali Officio expleto, pensum servitutis suæ canendo*, id est, privatim recitando, *Primam, Tertiam, Sextam, Nonámque persolvat: ita tamen ut postea, horis competentibus, juxta possibilitatem, aut à se, aut à Scholaribus publicè compleantur.* Verbum *canere* hîc nihil aliud significare quam privatim recitare, Canonis series ostendit: eaque significatione vocem illam interdum à Scriptoribus Ecclesiasticis usurpari Viri Eruditi norunt. Sic *Remigius* Monachus Autisiodorensis in Expositione Canonis Missæ, rationem reddens cur Canon tacitè recitetur: *Idcirco*, inquit, *venit consuetudo in Ecclesia, ut tacitè ipsa Obsecratio atque Consecratio à Sacerdote cantetur, ne verba tam Sacra vilescerent.* Ipsa Concilii Nannetensis verba *Hincmarus* Archiepiscopus Remensis sua facit in Capitulari ad suæ Diœcesis Presbyteros, cap. IX. Habetur etiam cap. *Presbyter*, Extra, *De Celebratione Missarum*, & tribuitur Concilio Agathensi, in quo tamen illud non inveniri notatur ad marginem. Sed non refert cujus sit Concilii, siquidem inter publicas Ecclesiæ Leges Decretalium Collectioni a Sede Apostolica approbatæ insertum est.

Crodegangus Metensis Episcopus, cap. XXVII. Regulæ Canonicis præscriptæ ait: *Si longè ab Ecclesia aliquis fuerit, ut ad Opus Dei per Horas Canonicas occurrere non possit, agat Opus Dei cum tremore divino ubi tunc fuerit.* Et infra, *Quicunque ex Clero in itinere cum Episcopo vel cum alio proficiscuntur, Ordinem suum, in quantum ratio vel iter permiserit, non negligant: & non eos debent præterire horæ constitutæ, tam de Officiis divinis, quàm aliunde.*

B. Petri Damiani Libro qui inscribitur, *Dominus vobiscum*, in eo totus est, ut ostendat hæc verba in privata divini Officii recitatione non esse omittenda, sicque ab omnibus Sacerdotibus recitari testatur, & à Solitariis: Nec *Dominus vobiscum, Venite exultemus Domino, Jube Domne benedicere*, & alia quæ ad plures diriguntur, immutari debere ab iis qui soli Divinum Officium recitant. *Si enim Doctores Ecclesiæ id expedire decernerent, in Ecclesiasticis Officiis alium singulis, alium multis Ordinem tradidissent. At Neque Apostolicæ Sedis Antistes, cùm privata Deo reddit obsequia, neque quisquam omnino Pontificum vel Catholicorum Sacerdotum his verbis ad alterum singulariter utitur.*

Recitatio Canonici Officii Clericis in Sacris Ordinibus constitutis ita præcepta censebatur, ut qui illam omisissent, se gravis peccati reos agnoscerent. Unde Formula Confessionis apud *Alcuinum* sic habet: *Peccavi quod negligens fui de meo Cursu, quem per Horas Canonicas exsolvere debui*, &c. In Statutis etiam *Eadgari* Anglorum Regis Formula Confessionis occurrit, in qua hæc leguntur: *Confiteor me Horas meas Canonicas neglexisse.* Inter accusationum capita quæ *Joanni XII.* Romano Pontifici objecta sunt, & quæ *Ottonem* Imperatorem ad agendum contra ipsum impulerunt, unum est, quòd *Matutinas & Canonicas Horas non celebrasset*, ut refert *Luitprandus* Libro VI. cap. VII. *Gregorius X.* inter varia delicta propter quæ *Henricum* Leodiensem Episcopum in Concilio Lugdunensi deposuit, Horarum Canonicarum omissionem recenset in Epistola ad ipsum scriptâ. *Quia plura*, inquit, *Horas Canonicas, maximè cùm eas nescias, & illiteratus existas, in Anima tua periculum prætermittens*, &c. Id quoque criminis objectum est *Joanni XXIII.* in Concilio Constantiensi Sessione XI. *Horas Canonicas dicere sprevit.* Et *Innocentius III.* Commissariis delegans Inquisitionem contra Neopatrensem Episcopum Epistola XCVIII. Libri XIV. inter cætera Capita de quibus a Capitulo suo fuerat accusatus, istud recenset: *Nec, ut tenetur, per seipsum Horas Canonicas Deo reddit.*

Jacobus de Vitriaco, Historiæ Occidentalis cap. XXXIV. obligationem illam strictissimam & gravissimam esse testatur. *Licet autem Sacerdos privatas orationes, & secretas deprecationes variis circa Curas Animarum occupationibus intentus possit aliquando dimittere; Horas tamen Canonicas non debet omittere. Aliæ enim orationes sunt voluntatis, hæ autem necessitatis.*

Concilium Dertusanum in Hispania anno millesimo quadringentesimo vigesimo nono celebratum Canone IV. ea de re ita statuit: *Ne divinæ servitutis census, quem de fructibus laborum suorum offerre tenetur quilibet Clericus, Ecclesiasticum Beneficium possidens, vel in Sacris Ordinibus constitutus, dum per occupationes alias conventui Ecclesiæ interesse non valet, ex defectu Breviarii omittatur, providè duximus statuendum, ut per locorum Ordinarios Beneficiarii prædicti, & in Sacris Ordinibus constituti, ad habendum propria Breviaria infra tempus ipsorum Ordinariorum arbitrio moderandum coërcitione districtâ cogantur, nullúsque de cætero in Diaconum ordinetur, qui non habeat Breviarium, & in practica & peritia Divinum Officium faciendi per examen reperiatur idoneus.* Legendum esse, *Nullúsque in Subdiaconum ordinetur*, verisimile est, cùm Clericos omnes ad Breviarii recitationem obligatos asserat, qui sunt in Sacris constituti.

Concilium Basileense Sessione XXI. Canone V. eandem obligationem supponit ac declarat: *Quoscúnque Beneficiatos*, inquit, *seu in Sacris constitutos, cùm ad Horas Canonicas teneantur, admonet hæc Synodus, ut sive soli, sive associati, diurnum nocturnúmque Officium reverenter verbísque distinctis peragant.*

Leo X. in Concilio Lateranensi V. Sessione IX. statuit, *Ut quilibet habens Beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento Beneficio Divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, Beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissione recitationis Officii, sed eos tanquam injustè perceptos, in fabricas hujusmodi Beneficiorum, vel in pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si verò ultrà dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima Monitione præcedente, Beneficio ipso privetur, cùm propter Officium detur Beneficium. Intelligatur autem Officium omittere quoad hoc ut Beneficio privari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit, Deo tamen ultra præmissa de dicta omissione redditurus rationem.* Idem statuit *S. Pius V.* Constitutione CXXXV. quæ incipit, *Ex proximo.*

Beneficiati pro rata omissi Officii parte ad restitutionem fructuum tenentur.

Secundùm has Constitutiones eandem obligationem declarant Concilia Mediolanensia I. III. & IV. sub *S. Carolo Borromæo.* Et primum quidem P. II. cap. XXI. addit.: *Qui verò Sacris initiati, Beneficium Ecclesiasticum non habent; si Divinum prætermiserint Officium, præter grave peccatum quod committunt, graviter etiam ab Episcopis in eos animadvertatur.*

Concilium Rotomagense anno 1581. cap. *De Cultu Divino in genere*, de Breviario loquens: *Ab omnibus* (inquit) *ad Sacros Ordines promovendis Libri ad divinum Officium necessarii habeantur. Promoti verò sciant se ad Breviarium obligari, ac Romanum trium quotidie Lectionum à Cardinali Sanctæ Crucis compositum à Sacrosancta Sede Apostolica sublatum sibi omnino prohiberi. Sciant insuper Beneficiati, qui Breviarium recitari neglexerint, absque legitima excusatione, graviter peccare, & suorum Beneficiorum fructus pro rata omissi Officii & temporis suos non facere, sed eos tanquam injustè perceptos, in fabricas hujusmodi Beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneri, ex proximi Lateranensis Concilii Decreto sanctæ memoriæ Pium V. declarato.*

Eandem obligationem cùm recitandi Breviarium, tum restituendi fructus pro rata portione omissionis Horarum temporisque, confirmant Concilium Remense anno 1583. Tit. *De Breviario*, Aquense 1585. *Qui Horas Canonicas legitimo cessante impedimento intermiserint, quicunque eas recitare tenentur, sciant ex Bulla Pii V. non solum gravi se peccato obstrictos, sed omnes etiam Beneficiorum suorum fructus, qui in singulos dies eis obtingerent, si quotidie in singulas Horas dividerentur, amittere, neque à Confessario ulla ratione absolvi posse, etiam Jubilæi cujuscunque gratia suffragante, nisi fructuum, quos indebitè perceperint, facta priùs ad dictæ Bullæ præscriptum restitutione.* Idem confirmant Burdigalense eodem anno Tit. III. *De Ecclesiasticis Precationibus*, Tolosanum 1590. P. I. cap. IV. Avenionense 1594. cap. XXXIV. Aquileiense anno 1596. cap. XI. cujus hæc sunt verba: *Non tamen existiment, quia ad Subdiaconatûs Ordinem & superiores provecti sunt, si Beneficio Ecclesiastico careant, Horis Canonicis ex Breviario Romano recitandis obstrictos non esse, omninò verò intelligant, quemadmodum qui Beneficium habent Ecclesiasticum, Horas Canonicas non recitantes, ultra peccati mortalis reatum amissione fructuum plectuntur: ita illos omittendo Horas Canonicas mortaliter peccare, nec se prætextu Beneficii non adepti excusare posse.*

Idem confirmat *S. Thomas*, Quodlibeto VI. Quæstione V. Articulo II. *Clericus* (inquit) *ex hoc ipso quòd est Clericus, & præcipuè in Sacris Ordinibus constitutus, tenetur dicere Horas Canonicas: videntur enim tales specialiter esse assumpti ad laudem divinam; secundùm illud Isaiæ* XLIII. Omnem qui invocat nomen meum, in laudem meam creavi illum: *Sed in quantum est Clericus Beneficiatus in hac Ecclesia, tenetur dicere Officium secundùm modum illius Ecclesiæ.* Lethalis igitur peccati reus est Clericus Sacris initiatus vel Beneficium Ecclesiasticum possidens, qui sine causa legitimâ seu necessitate urgentissima Officium Canonicum, aut notabilem Officii partem prætermittit.

Quæ pars Horæ notabilis?

Pars notabilis non solùm est Hora integra, seu dimidia, sed tertia pars [illegible]. Unde omissio unius nocturni, seu trium Psalmorum, vel Lectionum in Matutinis, omissio duorum Psalmorum in Vesperis, unius Psalmi in reliquis, mortale peccatum videtur.

Quæ causa legitima à [illegible] recitatione [illegible] prætermittitur?

Causa legitima, seu necessitas urgens, est Breviarii defectus, si quis in loco versetur ubi invenire non possit, comparare, aut commodato accipere, vel publicis Officiis interesse, & absque suâ culpâ libro careat. Si verò Breviarium suâ culpâ perdidisset, verbi gratiâ ludendo, aut illud vendidisset, vel donasset, projecisset, ex industria reliquisset, sive in itinere ferre neglexisset, toties mortale peccatum committeret, quoties non recitaret, donec illum pœniteret malitiæ suæ. Legitima item causa ab Officii recitandi obligatione liberans, est infirmitas ita gravis ut Officii recitatio illam probabiliter aggravaret, morbive curationem retardaret: qua in re Medici, aut superioris arbitrio, seu prudentis bonique viri judicio standum est: necnon cæcitas. Id constat ex Concilii Carthaginensis IV. Canone XLIX. & Venetici Canone XIV. Idem confirmat Concilium Marciacense Provinciæ Auscitanæ anno 1326. celebratum, Canone XIX. *Statuimus* (inquit) *quod omnes Clerici in Sacris Ordinibus constituti, & Beneficium Ecclesiasticum maximè cum Cura obtinentes, & omnes Religiosi Clerici, ad omnes septem Horas Canonicas omni die dicendas vigilent diligenter. Nam ad eas dicendas sunt ex Officio obligati, nisi eos infirmitatis gravitas excusaret.* Idem confirmat Concilium Mediolanense IV. Tit. *De Vita & Honestate Clericorum*, cujus hæc sunt verba: *Sacerdos, Clericusve Sacris initiatus, aut Ecclesiasticum Beneficium obtinens, Horarum Canonicarum Officio cùm adstrictus sit, meminerit se febri, morbove aliquo, vel adversa valetudine aliquando leviter laborantem, non justam proptereà excusationem habere, quamobrem illud intermittat, omittatve. Itaque si quando corporis infirmitate affectus est, ipse pro sua conscientiâ rectè videat quid præstare possit, ac ne omittendo graviter peccet, & Beneficii, si quod habet, fructus suos non faciat.*

Caritas etiam ab Officii recitatione excusat, ut cura infirmorum necessaria, si simul Officium persolvi non possit absque gravi illorum incommodo & detrimento: Item Administratio Sacramentorum, quæ moram pati non potest: Moribundorum procuratio, aliæque functiones sacræ, si tempus Officii recitationi necessarium fortè non reliquerint ei qui ad illas tenetur ratione Beneficii, aut Delegationis sive Mandati Episcopalis. Quæ enim ab Ecclesia pro caritate instituta sunt, pro charitate quoque, ubi expedire videbitur, omitti possunt, vel intermitti, vel in aliud fortè commodius sive Ecclesiæ utilius opus mutari (inquit *S. Bernardus*, Libro *De Præcepto & Dispensatione*, cap. II.) Et *iniquum foret si statuta pro sola caritate, contra caritatem tenerentur.* Cæterùm locum tantùm habet illa exceptio, cùm adhibitâ diligentiâ & cautione necessariâ nullum omnino temporis intervallum superest ad majora illa seu potiora caritatis opera exercenda, simul & ad persolvendum Canonicum Officium. Debet enim Clericos diutiùs vigilare, Solis ortum prævenire, noctu etiam surgere pro more antiquo Sacerdotum, ab omnibus sæcularibus negotiis, inutilibus confabulationibus, recreationibus, deambulationibus abstinere, ut Deo vacet, ut Breviarium integrum religiosè recitet. Denique si Conciones, aut lectiones simul habere non possint Ecclesiastici Viri, & recitandi Officii obligationi satisfacere, functiones illas potiùs dimittere debent, si id absque gravi scandalo fieri possit, quàm Divinum Officium, in tanta Concionatorum & Doctorum copiâ, qui utrumque Munus implere, & Canonicum Officium piè recitare possunt, & parati sunt. Si verò concionandi Munus ipsis ex Officio incombat: meminerint quod oportet istud facere, & illud non omittere.

Propositiones damnatæ.

Meritò itaque inter alias pravi dogmatis Propositiones hæ etiam ab *Alexandro VII.* Pontifice Maximo damnatæ sunt:

Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum

vacet, satisfacit sua obligationi, si Officium per alium recitet.

Propositiones damnatæ.

Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti & crastino.

Restitutio à Pio V. Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante Sententiam declaratoriam Judicis, eò quòd sit pœna.

Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas ante Beneficiatus de fructibus sui Beneficii fecerit.

REGULA II.

Tenuitas Ecclesiastici Beneficii ejus possessorem à Recitatione Breviarii non dispensat.

ECclesiæ enim leges Clericos omnes, qui Curatum, *aut quodvis aliud Ecclesiasticum Beneficium obtinent*, ad recitationem Divini Officii adstringunt. Ita loquitur Concilium Tolosanum anno 1590. celebratum, cap. IV. P. I. *De Presbyteris & Clericis.* Hanc Regulam tradit *S. Antoninus* III. P. Tit. XIII. cap. IV. §. I. *Ad Horas Canonicas*, (inquit) *tenentur ordinati in Sacris, scilicet in Subdiaconatu & supra, & hoc tam secundùm omnes Theologos quàm Canonistas*; (Extra De Celebratione Missarum, cap. Dolentes.) *Tenentur secundò ex præcepto quilibet Clerici Beneficiati, & non existentes in Sacris: nec excusare se possunt ratione exiguitatis Beneficii, si ex eo non percipiant sibi necessaria, sed imputent sibi, ex quo se fecerunt ad illud intitulari.*

Id confirmat Glossa Decreti in Can. *Clericus*, Dist. XCI. verbo *Vigiliis*, dicens: *Sicut vir tenetur ministrare necessariò uxori, quæ tamen est talis, quòd ei debitum reddere non valet*, (XXXII. Q. VII. C. Quod proposuisti, & C. Hi qui:) *Ita iste tenetur officiare Ecclesiam, licèt pauper sit, & dicere cum Apostolo, Scio & abundare, & esurire.*

Idem colligunt Canonici Juris Interpretes doctissimi ex cap. *Conquerente*, Extra, *De Clericis non Residentibus.* Ita inter alios *Prosper Fagnanus* in illud Caput: *Sicut non excusatur à Residentia, ex eo quòd ex Beneficio vita necessaria non percipiat: ita nec excusatur ab Horis dicendis. Imputet sibi si Beneficium non sit competens, quia nihilominus tenebitur ad Horas, ex quo se fecit ad hoc intitulari.*

REGULA III.

Qui totum Officium recitare non possunt propter infirmitatem, aliamve causam legitimam, & tamen aliquas Horas possunt persolvere, ad eas recitandas tenentur sub pœna peccati mortalis.

CUm enim Canonicum Officium pluribus Horis constet, & ad singulas recitandas Clerici in Sacris constituti & Beneficiati adstricti sint; sequitur illos qui totum Officium recitare non possunt, sed tamen partem aliquam persolvere valent, illam recitare debere, quemadmodum ille qui quadragesimam integram jejunare non potest, aliquot Hebdomadæ diebus jejunare tenetur, si possit. Meritò itaque inter alias pravi dogmatis Propositiones LXV. anno millesimo sexcentesimo septuagesimo nono ab *Innocentio XI.* Pontifice Maximo proscriptas, hæc etiam damnata est ordine 54. *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Hanc etiam ut *falsam, temerariam, cavillatoriam, & præcepta Ecclesiæ illudentem*, damnavit Clerus Gallicanus anno MDCC.

Propositio damnata.

REGULA IV.

Quicunque Pensionem, Fructus, aut Res Ecclesiasticas ut Clericus percipit, ad parvum Officium Beatæ Mariæ Virginis recitandum obligatur, cui si desit, Pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxius est, & mortalis peccati reus.

ITa statuit & declaravit *S. Pius V.* Constitutione quæ incipit, *Ex proximo*; idque confirmant Concilia Mediolanensia III. & IV. sub *S. Carolo Borromæo*, Concilium Burdigalense anno 1583. Avenionense 1594. & Aquileiense 1596. cujus hæc sunt verba cap. XI. *Pensionarios seriò monitos esse volumus, eos ad Officium Beatæ Mariæ Virginis quotidie recitandum teneri; præter peccatum mortale quod committunt, si omiserint, restitutionis onere obstrictos declaramus.*

REGULA V.

Monachi seu Religiosi Professi Choro deputati, quamvis non sint in Sacris Ordinibus constituti, ad Officium Divinum privatim etiam recitandum tenentur sub pœna peccati mortalis.

RAtione enim Professionis suæ instituti sunt ad orandum non solùm pro se, sed etiam pro Populo; & Ecclesiæ consuetudine, quæ sancta & inviolabilis esse debet, vimque habet legis, ad sacrum illud & canonicum pensum persolvendum tenentur, ut docet *S. Antoninus* P. III. Tit. XIII. cap. IV. §. I. *Tenentur* (inquit) *ad Horas Religiosi professi, quorum Religio ad actus vitæ contemplativæ est instituta & per Ecclesiam confirmata. Et hoc ratione suæ professionis, quia non solùm sunt instituta hujusmodi Religiones ad orandum particulariter pro se, sed etiam ad orandum pro universali utilitate Fidelium. Ad hujusmodi autem orationem faciendam in persona totius Populi Christiani pro utilitate omnium sunt instituta specialiter Horæ Canonicæ. Religio autem instituta ad opera vitæ contemplativæ est Status Monachalis. Religio verò Mendicantium utramque complectitur, scilicet activam & contemplativam.*

Monachorum & Religiosorum Professorum [illegible] ad Officium divinum privatim recitandum.

Monachorum & Religiosorum Virorum obligatio ad Officium Divinum privatim recitandum, cùm absentes sunt à Choro, confirmatur ex Regulis Monasticis, Conciliis, & Summorum Pontificum Decretis. Occurrit inprimis *S. Basilii* Regula, cap. CVII. *Unusquisque* (inquit) *totâ mente & devotione complere debet, id quod scriptum est:* Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. *Si enim corporaliter non occurat adesse cum cæteris ad orationis locum, in quocunque loco inventus fuerit, quod devotionis est expleat. Oportet tamen observare, ne fortè possit quis implere in tempore suo quod complendum est, & occurrere: Sed dum loqui vult, occasiones nectit, tanquam in ministerii opere occupatus. Quod qui facit, & offendiculum cæteris præstat, & ipse negligentiæ crimen incurrit.*

Ephes. 5.

2. Regula *S. Pachomii* cap. CXLII. *Et si in navi fuerit, & in Monasterio, & in agro, & in itinere, & in quolibet Ministerio, orandi & psallendi tempora non prætermittat.*

3. Et Regula *S. Benedicti*, cap. L. *Fratres qui omnino longè sunt in labore, & non possunt hora competenti occurrere ad Oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ita est, agant ibidem Opus Dei, ubi operantur, cum tremore divino flectentes genua. Similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant Horæ constitutæ: sed, ut possunt, agant sibi, & servitutis pensum non negligant reddere.*

4. Regula

4. Regula *SS. Pauli & Stephani* Abbatum cap. XII. *Opus Dei, quod per diem in quocumque loco operantes Fratres per Horas constitutas dicens, cum disciplina & timore Dei consona voce dicatur: non prout unusquisque operis excusatione aut occupatione voluerit obrutè.*

5. Regula *S. Ferreoli* Ucetiensis Episcopi, cap. XI. *Similiter etiam his, qui Pastores pecorum, ut est moris, de congregatione mittentur, cura erit vacare Psalmis, ut cæteri: ne in id quod majus est minores inveniantur, & in confusionem sui illud eis aptetur exemplum: ANIMALIS homo non percipit ea quæ sunt Spiritûs Dei.* Et cap. XII. *Ut omni tempore Psalmi usque ad finem Psalterii in ordine decantentur: sibi tamen secretiùs propter propriam mercedem, excepto publica psallendi Cursu Dominico, quantùm per singulos dies Deo tamen scienter laudes offerat occultâ ruminatione.*

1. Cor. 2.

6. Regula *Magistri*, cap. XVI. cujus titulus est, *Quomodo debeant Fratres in itinere Opus Dei complere?* hæc habet: *In nubilo verò die, cùm radios suos Sol mundo absconderit, sive in Monasterio, sive in via, sive in agro perpensatione Horarum transactâ Fratres æstiment, & quavis hora sit, consuetum tamen compleatur Officium: & sive ante, sive retro, à certa hora dictum sit, consuetum Horæ opus tamen non prætereat, sed agatur.*

7. Concilium Marcixcense Provinciæ Auxitanæ anno 1326. Canone XIX. *Statuimus* (inquit) *quòd omnes Clerici, in Sacris Ordinibus constituti, & Beneficium Ecclesiasticum, maximè cum Cura obtinentes, & omnes Religiosi Clerici ad omnes septem Horas Canonicas omni die dicendas sunt ex debito obligati, nisi eos infirmitatis gravitas excusarit.*

8. *S. Dominicus*, ut in ejus Vita apud *Surium* legimus, *Quando extra Monasterium erat, audito primo signo Nocturnarum Precum, surgebat, & Fratres excitans, cum multa devotione totum Divinum officium absolvebat horis & temporibus suis, tum nocturnis tum diurnis, nihil penitus omittens. Persoluto Completorio, etiam in itinere positus cum Sociis, silentium non minùs servabat, quàm si esset in Monasterio.*

9. *Gregorius IX.* de Monachis foras profectis statuit, *Ut ipsi Horas dicant in via, & de libris provideatur eisdem.*

10. Constitutio *Benedicti XII.* Pontificis Maximi ad restaurandam Disciplinam Regularem in Ordine Benedictino edita: *Cæterùm* (inquit) *qui ad Chorum vel Ecclesiam accedere nequiverint, prædicationi, lectioni, studio, seu administrationibus vel officiis suis, aut piis sive licitis operibus, de licentia illius, ad quem eam dare pertinuerit, occupati, in loco aliquo congruo & honesto, debitis horis, juxta possibilitatem plures simul conveniant, & debitè dicant Divinum Officium, & quotidianum pensum exolvant debitæ servitutis.*

11. Statuta *Hugonis V.* Cluniacensis Abbatis: *Universi ubicùmque constituti, suæ servitutis pensum non negligant reddere, maximè Horarum Regularium.*

REGULA VI.

Moniales professæ & Choro deputatæ, ad Officium Divinum recitandum tenentur, etiamcùm à Choro sunt absentes, sub pœna peccati mortalis.

Obligatio Monialium ad Officium divinum privatim recitandum.

CONsecrationis namque suæ & Professionis ratione ad specialem cultum Deo exhibendum, assiduámque magis orationem tenentur: Qui quidem cultus Horarum Canonicarum recitatione determinatus est ex Ecclesiæ Disciplina & consuetudine, cujus antiquitas ex *Epistola S. Hie-*

A *ronymi ad Demetriadem Virginem* probatur. *Præter Psalmorum & orationis ordinem* (inquit) *quod tibi Hora Tertia, Sexta, Nona, ad Vesperam, Media Nocte, & Mane semper est exercendum: statue quot horis sanctam Scripturam discere debeas.* Et in Epistola *Ad Lætam de Institutione Filiæ*, professioni virginitatis destinatæ: *Assuescat,* (inquit) *ad Orationes & Psalmos nocte consurgere, manè Hymnos canere, Tertia, Sexta, Nona Hora stare in acie, quasi bellatricem Christi, accensáque lucerna reddere Sacrificium Vespertinum.*

Regula *S. Cæsarii* Moniales quæ *ad opus Dei* tardiùs venerint, increpationi subjicit.

Regula *S. Aureliani* Monialibus Arelatensis
B Monasterii pariter data, sacræ Psalmodiæ ordinem illis præscribit. *Cursum diurnum vel nocturnum, id est, Matutinos, Vigilias, Nocturnos, Vesperam & Duodecimam in Basilica Domina Mariæ à Congregatione dici. Quòd si hyems aspera fuerit, Matutinos tantùm, Vesperam & duodecimam in prædicta Basilica dici: Secundam verò, Tertiam, Sextam, & Nonam in interiori Oratorio.* Fervorem in Opere Dei, psallendique disciplinam & ordinem Sacris Virginibus etiam præscribit *S. Donatus* Vesontionensis Episcopus in Regula. Cujusdam Patris Regula cap. VI. statuit ut *Sorores,*
C *quæ pro gravibus culpis in Pœnitentia detinentur, in Ecclesia cum cæteris quæ communicant, non stent: sed in alia Ecclesia secretò Cursum cantent: & expleto Cursu egredientes ante fores Ecclesiæ, in qua communicantes Cursum explent, stare præcipiantur: & egrediente Congregatione supra humum prostratæ, rogent pro se Dominum exorari, &c.*

S. Leander Hispalensis Episcopus in Regula sive Libro *De institutione Virginum*, ad *Florentinam* Sororem, cap. VI. *Lectio* (inquit) *sibi sit assidua, jugis oratio. Dividantur tibi opera & officia, ut postquam legeris ores, postquam oraveris legas. Sic alter-*
D *nes perpetim hæc duo bona, ut ab eisdem nullo sis tempore otiosa.*

B. Ælredus Rievallensis Abbas Ordinis Cisterciensis in Regula sive Institutione Reclusarum, ad Sororem: cap XIV. *Secundùm formam Regulæ Beati Benedicti,* (inquit) *Nocturnas Vigilias celebret: quibus mox succedat oratio. Post orationem in honore Virginis debitum solvat Officium, Sanctorum commemorationem adjiciens. . . . . Absente Aurora, Matutinas Laudes cum Hora Prima hymnis persolvat: & sic in alternatione lectionum, orationum, Psalmorum quoque, Tertiam expectet: quâ dictâ,*
E *in opere manuum usque ad Nonam occupetur. Cibo autem sumpto, & gratiarum actionibus Deo solutis, ad præscriptam mansuetudinem redeat spiritualibus exercitiis, opus corporale intermittens usque ad Vesperas. Facto autem parvo intervallo, aliquam lectionem de Vitis Patrum, vel institutis vel Miraculis eorum, sibi secretiùs legat: ut orta ex his aliqua compunctione, in quodam fervore spiritûs Completorium dicat.*

Sancta *Lutgardis sæpe reprehenderat Moniales in valetudinario manentes, quòd parum attentè persol-*
F *verent Horas Canonicas divinitus institutas... Cùm se infirmæ Sorores in valetudinario manentes in dicendis Precibus Canonicis correxissent, pestis penitus sopita est*; teste *Thoma Cantipratano* in ejus Vita, Libro III. cap. X.

REGULA VII.

Clerici in Sacris Ordinibus constituti, & Religiosi professi, ad recitandum Officium tenentur, quamvis sint excommunicati.

ITa declarat Synodus Nemausensis anno millesimo ducentesimo octogesimo-quarto celebrata, Tit. De Sententia Excommunicationis: *Debent tamen* (inquit) *extra Ecclesiam nihilominus dicere Officium sub silentio Clerici Excommunicati majori Excommunicatione, & Interdicti, si sunt in sacris Ordinibus constituti.* Et certè nemo suo delicto conditionem suam facit meliorem. Isti ergo tenentur ad ea quæ sunt oneris, licèt iis priventur quæ sunt honoris. Publicis tamen Officiis ingerere se non possunt Excommunicati, sed privatim Officium persolvere.

REGULA VIII.

Ad Divini Officii recitationem ita necessaria est mentis attentio, ut præcepto non satisfaciat, mortalisque sit peccati reus, qui per Officii partem notabilem ad alia sponte mentem distrahit.

CUm enim oratio sit pius mentis in Deum affectus, seu mentis ascensus in Deum, colloquium animæ cum Deo, Dei cultus; ad illam jure divino necessaria mentis attentio est: alioquin orantibus meritò dicet Dominus: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Nam *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Hinc Apostolus 1. ad Corinthios XIV. *Psallam spiritu* (inquit) *psallam & mente.* Et ad Ephesios V. *Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.*

Isai. 29. Matth. 15. Joan. 4.

Præceptum de officii divini recitatione non satisfit sine attentione.

Id confirmavit *S. Cyprianus*, Tractatu de Oratione Dominica: *Quando stamus ad orationem* (inquit) *vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & secularis abscedat, nec quidquam tunc animus quam id solum cogitet quod precatur, Ideò & Sacerdos ante orationem Præfatione præmissa, parat fratrum mentes, dicendo:* » Sursum corda, *ut dum respondet plebs*, Habemus » ad Dominum, *admoneatur nihil aliud se quàm Dominum cogitare debere. Claudatur contra Adversarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiatur: obrepit enim frequenter & penetrat, & subtiliter fallens, preces nostras à Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, & aliud in voce, quando intentione sincerâ Dominum debeat non vocis sonus, sed animus & sensus orare. Quæ autem segnitia est alienari & rapi ineptis cogitationibus & profanis, cùm Dominum deprecaris, quasi sit aliud quod magis debeas cogitare, quàm quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri à Deo postulas, cùm te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui, quando tu ipse memor tui non sis? Hoc est, ab hoste in totum non cavere: hoc est, quando oras Deum Majestatem Dei negligenti oratione offendere: hoc est, vigilare oculis, & corde dormire, cùm debeat Christianus & cùm dormit oculis corde vigilare: sicut scriptum est ex persona Ecclesiæ loquentis in Cantico Canticorum:* Ego dormio, & cor » meum vigilat. *Quapropter solicitè & cautè Apostolus admonet dicens:* Instate orationi vigilantes » in ea: *docens scilicet & ostendens, eos impetrare quod postulant de Deo posse, quos Deus videat in oratione vigilare.*

De attentione mentis ad orationem necessaria possent aliorum Patrum non minùs luculenta testimonia proferri, quæ in alium locum servantur. Satis hæc sunt ut jure divino imperata probetur attentionis illius necessitas. Cùm itaque præcepta Ecclesiæ, ut par est, impleri non possint iis actibus, quibus Dei præceptum violatur; & ipsa præcipiendo aliquem actum exteriorem, consequenter præcipiat & interiorem qui ejus veluti ratio & forma est: minimè dubium est, quin & ipsa præcipiat intentionem mentis ad Officium Divinum, cùm illius recitationem præcipit. Quod ex Concilio Lateranensi IV. sub *Innocentio III.* Canone XVII. confirmatur. *Dolentes* (inquit) *referimus, quòd non solùm quidam minores Clerici, verùm etiam aliqui Ecclesiarum Prælati circa comessationes superfluas & confabulationes illicitas, ut de aliis taceamus, fere medietatem noctis expendunt: & somno residuum relinquentes, vix ad diurnum concentum avium excitantur, transcurrendo undique continuatâ syncopâ Matutinum.* Et infra: *Hæc igitur & similia sub pœna Suspensionis penitus inhibemus; districtè præcipientes in virtute obedientiæ, ut Divinum Officium diurnum pariter & nocturnum, quantùm eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter ac devotè.* Refertur cap. *Dolentes*, Extra, *De Celebratione Missarum.* Preces igitur & Divina Officia *non cursim & festinanter*, sed *devotè, attentè & graviter* in Choro recitandæ sunt à Clericis, Monachis & Monialibus: Extra Chorum etiam *articulatè, distinctè, decorè, attentè, & devotè, deposità omni sollicitudine sæculari*, ne in Domini maledictionem à Propheta intentatam incurrant: *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Ita sanxerunt ac declararunt Concilium Treverense anno 1549. Canone VI. Mediolanense IV. P. 1. 15. cap. VII. Burdigalense anno 1583. Tit. XVII. Bituricense 1584. Tit. XII. Canone XI. Conventus Meloduneusis Episcoporum Galliæ, Tit. *De Canonicis*, Concilium Narbonense anno 1609. cap. XXX. Quamobrem Horarum Canonicarum recitationi nulla colloquia intermiscenda sunt, nullum opus externum agendum est cùm persolvuntur, in nullâ cogitatione profana & sæculari, & à Deo aliena immorandum, ab iis avertenda mens est, & in uno Deo colligenda & defigenda. Quod ut faciliùs fiat, secedendum est ad Officium recitandum in locum in quo à pietate & devotione non abducamur: nec deambulando recitandum est: ex deambulatione enim mentis evagatio nasci solet. Ita Concilium Treverense II. anno 1549. cap. VI. *Omnes qui Horis Canonicis persolvendis deputati sunt, dent operam ut collectis animis, quoad fieri potest, debitum pensum absolvant: nec ita se habeant, ut dum voce psallunt, quidvis potiùs quàm Deum animo cogitare videantur, semper caventes ne Propheticum illud audiant:* » Labiis quidem me honorant, cor autem eorum » longè est à me. *Quid autem est, voce quidem psallere, mente autem domum aut forum circumire, nisi homines fallere, & Deum irridere? Grave admodum est, quod Scriptura dicit:* Maledictus qui » facit opus Dei negligenter. *Statuimus proinde ut laudes divinæ per singulas Horas non cursim ac festinanter, sed tractim, servatis intervallis decentibus, ratione dierum festorum habita, reverenter & alacriter absolvantur, nequaquam sublato in altum clamore, ne vel insanire, vel animi lasciviâ gestire videantur potiùs, quàm fervore spiritûs exultare, semper Versiculum decantatissimum animo volventes: Nec clamans, sed amans cantat in aure Dei. Audit enim ille vocem cordis, sine qua sonum auris contemnit. Quare videndum est, ut qui spiritu psallunt, & mente psallant. Caveant item qui aliis occupati negotiis extra Chorum Horas privatim legunt, ne somnolentè aut*

Jerem. 48. 10.

Breviarium deambulando non recitandum.

Isai. 29.

Jerem. 48.

aut truncatis verbis, aut intra fauces compresso spiritu preces demurmurare, sed articulatè, distinctè, disertè, & cum attentione integrè omnia pronuntient. Ne qua item occasione in diversa rapti desint officio suo, districtiùs prohibemus, ne deambulando Horas dicant, sed in locum aliquem orationi aptum tantisper concedant, ne mentis evagatio, quæ ex tumultuaria deambulatione nasci solet, fructum orationis intercipiat. Huic Concilii Treverensis Decreto consona est admonitio *S. Caroli Borromæi* in quarta Synodo Diœcesana Decreto XXI.

Nec in lecto, nisi ab infirmum.

Debitam reverentiam pariter non servant, qui Horas Canonicas in lecto recitant, nisi cogente infirmitate gravi. Unde *B. Petrus Damiani* Opusculo XXXIV. cap. VI. refert Monachum quemdam, qui pridiano vespere lassus de via redierat, & fessa in lectulum membra projiciens, jacendo Canonicas Horas compleverat, ab Angelo sub Peregrini Hierosolymitani specie commonitum ac emendatum fuisse his verbis: *Completorium in lecto, nec salus est, nec profectus.* Ibidem commemorat, *Joannem* Priorem Eremi Fontis Avellani, qui lentis quibusdam infirmitatibus macilentus videbatur semper & gracilis; & sui corporis imbecilitatè tenuitate confisus, sæpe jacens in lecto Completorium decurtebat, à Dæmone per os Energumeni quem exorcizabat, ea de re fuisse cum exprobatione reprehensum. *Tune, ait, ille es, qui sub cotto quotidie Completorium insusurras? Et modò me quasi Sanctus ejicere, & juris mei vasculum de meo vis dominio liberare?*

Nec sedendo, nisi debilitatis ratione.

Sed neque decorum, ac religiosum est, ut sedendo Divinum Officium recitetur, nisi infirmitatis vel debilitatis ratione. Unde *Tertullianus* Libro *De Oratione*, cap. XIII. *Siquidem* (inquit) *irreverens est assidere sub conspectu contràque conspectum ejus, quem quàm maximè revereris ac venerreris: quantò magis sub conspectu Dei vivi, Angelo ad huc orationis adstante? Factum istud irreligiosum est, nisi exprobramus Deo quòd nos oratio fatigaverit. Atqui cum modestia & humilitate adorantes, magis commendabimus Deo preces nostras, &c.* Id confirmat *B. Petrus Damiani* Opusculo XXXIX. ad Bisuntinum Archiepiscopum. *Contra sedentes tempore Divini Officii.* Istud pravæ consuetudinis vitium correctione dignum, & de studio Militantis Ecclesiæ penitus eradendum scribit. *Nam cùm ubique nobis adversùs nequitia Spiritus immineat infœderabile bellum, ferventiùs ingruit in modulatione Psalmorum: & cùm oramus, tunc velut in acie contra malignorum hostium tentamenta confligimus, ut nobis omninò necesse sit aut superantibus enerviter cedere, aut cornuentibus in Domino plausibiliter insultare. Qui cùm corpora nostra marcida sessione contemplantur hebescere, de ruina quoque interioris hominis illico sperant se victoriam obtinere...... Si Regi, vel terreno cuilibet Optimati, suæ ditionis Officia reverenter adsistunt; cùm ante terribilem Majestatis divinæ conspectum laudum præconia jubilamus, qua præsumptionis audaciâ sedere præsumimus? Dicit Daniel,* Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia adsistebant ei. *Ecce dum innumerabilium Angelorum alii Deo ministrare, alii dicuntur adsistere, nullus eorum hic reperitur in subsellio residere. Cur ergo Virtutes Angelicæ trementes adsistunt, terreni & corruptibiles homines adstare despiciunt? & cùm Ecclesiasticis illis Officiis rite creditur Angelicam semper adesse præsentiam, dicente Scriptura:* In conspectu Angelorum psallam tibi: *nostràmque vigilantiam, sive desidiam non modò diligenter attendere, sed superno Judici cuncta per ordinem nunciare, quanto putamus adversùs nos zelo moventur, dum in conspectu illius nos irreverenter sedere conspiciunt, cui scilicet ipsi trementes adsistunt?*

Dan. 7.

Psalm. 137.

Quæ attentio requiritur in Officiis recitatione necessaria?

Moralis Christianæ Regulam, cujus in explicatione versamur, confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XV. Quæstione IV. Articulo II. Quæstiuncula IV. *Attentio actualis* (inquit) *requiritur ad orationem aliquo modo: vel ad evitandum transgressionem in illa oratione quæ est in præcepto; vel ad meritum illa quæ non est in præcepto: sed non omnibus modis.* Satis enim est quòd in orationis progressu maneat attentio secundùm virtutem, quod fit cùm aliquis ad orationem accessit cum intentione debitum obsequium Deo reddendi, etiamsi in prosecutione orationis mens ad alia rapiatur; *Nisi tanta fiat evagatio, quòd omnino depereat vis primæ intentionis: & ideo oportet quod frequenter homo cor revocet ad seipsum.* Hinc *Hugo de Sancto Victore*, Elucidatione in Psalmos, cap. XVII. quod inscribitur: *De tribus orantium generibus*, ait: *Si cùm orationem fundimus, aliud quodlibet in corde versamus, etiamsi illud bonum sit, à culpa liberi non sumus.* Quam *Hugonis* Sententiam intelligendam esse docet ibidem *S. Thomas* objectioni secundæ respondens: *Quando aliquis ex proposito mentem ad alia distrahit in orando; tunc enim sine culpa non est, & præcipuè si in aliis sponte se occupat, quæ mentem distrahunt, sicut sunt exteriora opera. Et, si ad contrarium mens evagetur, etiam culpa mortalis erit. Si autem sine hoc quòd percipiamus, mens ad alia evagetur, vel culpâ caret, vel parvissima culpa est; nisi præcedens cogitatio, ex qua contigit evagatio talis, in culpa esse dicatur.*

Et *Secunda Secundæ*, Quæstione LXXXIII. Articulo XIII. in Responsione ad tertium: *Si quis* (inquit) *ex proposito in oratione mente evagetur, hoc peccatum est, & impedit orationis fructum. Et contra hoc S. Augustinus dicit in Regula,* „Psalmis & Hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce. *Evagatio verò mentis, quæ fit præter propositum, orationis fructum non tollit.* Triplex autem attentio orationi vocali potest adhiberi (inquit *S. Thomas* in eodem Articulo:) *Una quidem quâ attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret: Secunda, quâ attenditur ad sensum verborum: Tertia, quâ attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, & ad rem pro qua oratur, quæ quidem est maximè necessaria. Et hanc etiam possunt habere idiotæ.* Et in IV. *Sententiarum* loco mox indicato: *Attentio* (inquit) *in oratione potest esse duplex: Primò enim est attentio ad verba quibus petimus: deinde ad petitionem ipsam, & ad ea quæ petitionem ipsam circumstant, sicut est necessitas pro qua petitur, & Deus qui rogatur, & alia hujusmodi: & quæcumque harum attentionum adsit, non est reputanda inattenta oratio: unde etiam illi qui non intelligunt orationis verba, ad orationem attenti esse possunt: sed tamen ultima attentio est laudabilior quàm secunda, & secunda quàm prima.*

Propositio damnata.

Quamobrem à Clero Gallicano meritò rejecta & improbata est hæc Propositio: *Præcepto satisfacit, qui voluntariè labiis tantùm, non autem mente orat.* Confixa est, inquam, ut *Absona, verbo Dei contraria, hypocrisim inducens à Prophetis & Christo damnatam his verbis: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Hinc sequitur, illum qui animo voluntariè distracto Horas recitat, ad eas repetendas teneri; non autem qui illas attento persolvens animo simul Missam audit. Quamquam melius, convenientius, ac religiosius magisque meritorium est, utrique illi pietatis officio seorsim & distinctis temporibus satisfacere, iis præsertim diebus, quibus audire Missam præceptum est.

REGULA IX.

Horas Canonicas temporibus congruis non persolvere, peccatum est, ni si justa causa legitimáque impedimentum obstet.

Horæ Canonicæ congruis temporibus recitandæ.

CUm enim in plures Horas diei Divinum Officium distributum sit ab Ecclesia, quæ Ministros suos identidem orationi vacare jubet, ut cum Propheta dicere possint, *Septies in die laudem dixi tibi*; Ecclesiæ certè intentioni sese non accommodant, qui congruis horis Officium non recitant, sed totius Breviarii recitationem in unam horam conjiciunt.

Hanc Regulam confirmat Auctor Libri *De Benedictione Dei*, qui nono sæculo florebat, à *Stevartio* editus, qui in Præfatione sua carpit nonnullos Sacerdotes & Episcopos, qui, ut liberiùs genio indulgere possint, serotinis Horis *Nocturnas Vigilias desidiosè persolventes, stratu mox decubant. Surgentes verò, dum se vestibus induunt, diurna peragunt Officia: putantes sibi sufficere posse, si saltem quoquo modo illa decantent*; (id est recitent.) *Ignari, quia Horæ sunt in Sancta Ecclesia constitutæ, quibus per diem & noctem divinæ servitutis Officia persolvuntur..... Quas si negligimus, Sanctorum Patrum institutis contraimus, quibus contraire periculosum est. Neque enim possunt communionem sanctam Ecclesiæ habere, qui ejus instituta, etsi non verbis, operibus verò impugnare nituntur: Dum quod permaximum est in Sancta Ecclesia, si cum caritate & pietatis studio peragatur, id est, laudis divinæ Psalmodia modulata, & Missarum solemnia, nec temporibus congruis, nec religiosis celebrant affectibus.*

Idem confirmat *B. Petrus Damiani*, Opusculo XXXIV. Cap. v. ubi *S. Severinum* Coloniensem Episcopum Purgatorii pœnis cruciatum refert, quòd Officii Divini recitationem in unam horam conjecisset. Clerico enim Coloniensis Ecclesiæ apparens: *Nihil, ait, aliud in me remansit ultione plectendum, præter hoc tantùm, quia dum in Aula Regia constitutus Imperialibus me Consiliis vehementer implicui, Canonicæ Synaxis Officia per distincta horarum spatia non persolvi. Mane quippe simul omnia coacervans tota die negotiis ingruentibus secura libertate vacabam. Ob hanc itaque negligentiam Horarum, ardoris hujus fero supplicium.* Subdit *B. Petrus Damiani* cap. VI. *Distinguenda sunt ergo per momenta temporum Ecclesiasticæ Institutionis Officia, & sub magna divini timoris ac reverentiæ dicenda sunt disciplina.*

Id confirmat *S. Antoninus* III. P. Tit. XIII. cap. IV. §. 4. Mortale tamen peccatum non esse docet, modò ante mediam noctem totum diei Officium persolvatur. Si quis autem Horarum ordinem intervertat, & post Primam verbi gratiâ, recitet Horam Sextam, sufficit ut suppleat quod omisit, & pœnitentiam agat de negligentia sua. Ordinem enim Horarum, sicut & tempus, absque ulla necessitate pervertere, veniale peccatum est.

Divini Officii tempus prævenire, vel tardare sine causa legitima peccatum est.

Ob causam nihilominus vel occupationem legitimam plures Horæ simul recitari possunt: Sed melius est Divinorum Officiorum tempus prævenire, quàm tardare, quia illud providentiæ, istud negligentiæ est; (inquiunt *Hugo* à *S. Victore* & *S. Antoninus*.) Observandum tamen ut Vesperæ & Completorium nonnisi pomeridianis horis dicantur, excepto Quadragesimali tempore, quo Vesperæ paulò ante meridiem hodierno Ecclesiæ more recitari possunt & debent; ita ut qui sine ulla causâ Vesperarum recitationem post prandium sacro Quadragesimæ tempore differret, venialis peccati reus esset. Matutinum sequentis diei post occasum diei antecedentis recitari potest, verbi gratiâ: Matutinum Officium Dominicæ die Sabbati serotinis horis, modò legitima causa subsit: At hujusmodi anticipatio culpâ non vacat, si absque justâ causâ fiat. Ita docet *S. Thomas*, Quodlibeto v. Quæstione XIV. Articulo I. *Consideranda est* (inquit) *intentio ejus qui prævenit tempus in Matutinis dicendis, vel in quibuscumque Horis Canonicis. Si enim hoc facit propter lasciviam, ut scilicet quietiùs somnolentiæ & voluptati vacet, non est absque peccato. Si verò hoc faciat propter necessitatem licitarum & honestarum occupationum, (putà, si Clericus, aut Magister debet videre lectiones suas de nocte, vel propter aliquid aliud hujusmodi;) licitè potest serò dicere Matutinas, & in aliis Horis Canonicis tempus prævenire; sicut etiam hoc in solemnibus Ecclesiis fit; quia melius est Deo utrumque reddere, scilicet & debitas laudes, & alia honesta officia, quàm quòd per unum aliud impediatur.* Angelico Doctori subscribit *S. Antoninus*. Idem censet *Jacobus à Vitriaco* S. R. E. Cardinalis, *Historia Occidentalis* cap. XXXIV. ubi de Parochis & Animarum Rectoribus hunc in modum loquitur: *Procuret in quantum commissi sibi gregis permittit frequens Ministerium, ut Nocturnum Officium noctu peragatur: Diurnum autem certis & determinatis horis de die perficiatur. Non enim debet Divinum Officium confundere, atque noctem in diem convertere... Conceditur tamen eis ratione frequentis Administrationis ad cautelam tempus determinatum quandoque prævenire, non tamen absque magna & urgente necessitate præterire.*

Idem confirmant Statuta *Stephani Poncherii* Parisiensis Episcopi. *Permittimus* (inquit) *necessitatis causâ, ut matutinas diei sequentis possitis dicere sero præcedente: aut manè totum Officium successivè dicere usque ad Vesperas, & sero Vesperas cum Completorio, si utilibus negotiis occupati estis, ut studio aut Processionibus; sed si ex somnolentia, aut deliciis facitis, sine peccato facere non potestis.*

REGULA X.

Recitationem Horarum Canonicarum aliis negotiis aut colloquiis interrumpere, irreligiosum est.

ID enim absque irreverentia fieri non potest. Si enim irreverentiæ erga Regem reus meritò censeretur, qui cum ejus Majestate colloquens, ei tergum verteret, ut cum alio confabularetur, aliúdve negotium ageret: multò magis reus est, qui cum Rege Regum in oratione colloquens, orationem debitam interrumpit, ut colloquia cum hominibus misceat, aut negotiis sæcularibus, seu externis quibusvis operibus vacet. Hinc *S. Augustinus*, Enarratione in Psalmum LXXXV. ait: *Quis est homo, cum quo si cœperit amicus ejus colloqui, & volueris ille respondere collocutioni ejus, & viderit eum averti à se, & aliud loqui ad illum, qui hoc ferat? aut si fortè interpellet Judicem, & constituas eum loco ut te audiat, & subitò cùm ad eum loqueris, dimittas eum, & incipias fabulari cum amico tuo, quando te tolerat? Et tolerat Deus tot corda precantium, & diversas res cogitantium: omitto dicere & noxiat; ipsa superflua cogitare, injuria est ejus cum quo loqui cœperas. Oratio tua locutio est ad Deum. Quando legis, Deus tibi loquitur: quando oras, Deo loqueris.* Hinc colloquia in Choro, aut aliàs recitando Divinum Officium intermisceri, Concilia districtiùs prohibent, Burdigalense an-

no 1583. cap. XVII. Remense eodem anno, Tit. *De Cultu Divino*, §. 4. Bituricense 1584. Tit. XII. cap. XII. Narbonense 1609. cap. XXX, &c.

REGULA XI.

Quibus incumbit obligatio Divinum Officium recitandi, illud recitare tenentur juxta Breviarium, & præscriptam formam, Ritumque, sive Romanæ Ecclesiæ, sive Ecclesiæ cujus sunt Clerici, sive Ordinis Religiosi quem professi sunt: nec Officii qualitatem ipsis mutare licet absque Superiorum facultate; alioqui peccati lethalis rei essent.

HAnc Regulam ex *S. Thoma* colligimus Quodlibeto 1. Quæstione VII. Articulo 1, *Supposito* (inquit) *quod aliquis licitè sit Præbendatus in duabus Ecclesiis, (scilicet ex dispensatione) considerandum est, quod ille qui in aliqua Ecclesia Præbendam accepit, duobus obligatur; scilicet Deo, ut ei debitas laudes exsolvat pro ejus beneficiis, & Ecclesiæ de qua accipit sumptus. Ea verò quæ ad Ecclesiam pertinent, subjacent dispositioni Prælatorum Ecclesiæ: & ideo hoc debitum debet exsolvere secundum quod statutum est; vel per se ipsum, si sit Præbenda quæ requirat Residentiam; vel per Vicarium, si hoc sufficiat secundum Ecclesiæ statum ac consuetudinem: sed debitum quod debet Deo, per se ipsum debet exsolvere. Nihil refert autem quantum ad Deum, quibus Psalmis & Hymnis Deum laudet; putà, utrum dicat in Vesperis*, Dixit Dominus, *vel*, Laudate pueri Dominum. (*nisi quantum ad hoc quod debet sequi Majorum traditiones.*) *Et quia laudes Deo debet quasi unus homo, sufficit quòd semel Officium dicat secundum consuetudinem alicujus Ecclesiarum quarum est Clericus. Sed de electione Officii rationabiliter videtur quod debeat dicere Officium illius Ecclesiæ, in qua majorem gradum habet; putà, si in una sit Decanus, & in alia simplex Canonicus, debet dicere Officium Ecclesiæ in qua est Decanus: quod si in utráque Ecclesia fuerit simplex Canonicus, debet dicere Officium dignioris Ecclesiæ.*

Hanc Regulam confirmat Beati Pontificis *Pii V.* Constitutio LXIV. quæ incipit, *Quòd à nobis*, quâ statuit & declarat, *Quoscunque, qui Horas Canonicas ex more & Ritu Romanæ Ecclesiæ, jure vel consuetudine dicere vel psallere debent, propositis pœnis per Canonicas Sanctiones constitutis in eos qui Divinum Officium quotidie non dixerint; ad dicendum & psallendum post hac in perpetuum Horas ipsas diurnas & nocturnas ex Romani Breviarii*, illius jussu emendati, *præscripto, & ratione omnino teneri; neminemque ex iis, quibus hoc dicendi psallendique munus necessariò impositum est, nisi hâc solâ formulâ satisfacere posse.* Excipit tamen Ecclesias & Monasteria, quæ ab ipsa prima Institutione à Sede Apostolica approbata, vel Consuetudine vel Statutis ante ducentos annos conditis vel observatis, aliis certis Breviariis uti constiterit. Quibus *inveteratum illud Jus dicendi & psallendi suum Officium non adimit.*

REGULA XII.

Qui Breviario proprio Diœcesis alicujus, vel Ordinis Religiosi utuntur, recitare tenentur Officium parvum Beatæ Virginis, & Officium Mortuorum, etiam extra Chorum, cùm id singulis præscriptum est Rituali vel Ordine, Rubricis, aut Statutis, aut Consuetudine illius Ecclesiæ vel Congregationis Monasticæ, sive cùm in Choro ab omnibus recitatur: Idque sub reatu peccati mortalis.

Qui ad parvum Officium B. Virginis, & ad Officium Defunctorum recitandum teneantur?

HÆc enim Officia illis in Ecclesiis vel Ordinibus Religiosis, scilicet, Benedictinorum, Cisterciensium, Carthusiensium, FF. Prædicatorum, &c. sive quolibet die, sive certis diebus præscripta sint, non Choro tantùm, sed singulis Clericis, aut Religiosis Viris ad Chorum Professis, partes sunt Officii Canonici, quod quisque recitare tenetur integrum secundùm Ritum Ecclesiæ suæ vel Ordinis, sub pœna peccati mortalis. Id colligitur ex Constitutione Beati Pontificis *Pii Quinti*, quâ illos duntaxat, qui Breviarium Romanum recitant, ex præcepto & sub periculo peccati non teneri ad Officia Beatæ Mariæ, & Defunctorum recitanda declarat, sine præjudicio sanctæ & laudabilis consuetudinis aliarum Ecclesiarum, quam servari jubet. *Quod verò* (inquit) *in Rubricis nostri hujus Officii præscribitur, quibus diebus Officium Beatæ semper virginis, & Defunctorum, item septem Psalmos Pœnitentiales, & Graduales dici ac psalli oporteat, Nos propter varia hujus vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione removendum duximus*, &c. Aliam verò partem ejusdem Constitutionis, quam tamen Romanum Bullarium non exhibet, ita habere *prosper Fagnanus* in cap. *Presbyter*, Extrà, *De Celebratione Missarum*, testatur: *Hoc autem concedimus sine præjudicio consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus Officium parvum B. Mariæ semper Virginis in Choro dici consueverat: ita ut in ipsis Ecclesiis servetur ipsa laudabilis & sancta consuetudo celebrandi more solito prædictum Officium.* Ut ut est, idem Pontifex alterâ Constitutione, quæ incipit, *Superni*, quâ Officium B. Mariæ nuper reformatum ubique suscipi jubet, & alia quæcunque, inprimis vulgari idiomate composita, atque etiam quod Venetiis anno 1570. apud Junctas editum erat, omniáque alia hujusmodi Officia, etiam latino sermone, quovis titulo vulgata prohibet, obligationem ad recitandum Officium Beatæ Mariæ arcessit ex *Jure, Consuetudine, Usu, Statuto, Institutione, ac Constitutionibus* Ecclesiarum seu Ordinum Regularium.

Fagnanus in III. Decretalium P. II. pag. 290. Quæstionem proponit, An Monachi *S. Bernardi* de Observantia Hispaniarum Cisterciensis Ordinis teneantur ex præcepto ad Recitationem Officii B. Mariæ Virginis, ac Defunctorum. Quamvis enim illud quotidie, istud ferialibus diebus, ab ipsius Congregationis fundatione recitare consuevissent, atque ad hoc lege seu consuetudine sub gravis peccati reatu obligati censerentur; nonnulli tamen ejusdem Congregationis Monachi se ab ea obligatione exemptos contendebant, si in privatis precibus uterentur Breviario Monastico *Pauli V.* Constitutione approbato, qua hujusmodi Breviarium recitantibus eadem Privilegia, gratias, Indulgentias ac peccatorum remissiones concedit, quas *S. Pius V.* recitantibus Romanum Breviarium concessit. Unum autem ex

his privilegiis (inquiebant) est ut ad recitationem Officii parvi B. Mariæ Virginis, & Officii Defunctorum non teneantur.

Hanc Quæstionem ut solvat *Fagnanus*, observat varias fuisse Doctorum sententias ante *S. Pii V.* Constitutionem de obligatione recitandi Officia Beatæ Virginis ac Defunctorum. Quidam enim ea non esse sub præcepto censebant: alii propugnabant omnes qui tenentur ad Horas Canonicas, teneri etiam ex præcepto ad Officium *B. Mariæ.* Hanc controversiam dirimere voluisse *S. Pium V.* Constitutione sua, non quidem concedendo privilegium, sed removendo periculum peccati ab his qui Romanum Breviarium recitantes, Officium B. Virginis non persolvunt secundùm Rubricarum præscriptum. Cæterùm hanc peccati & obligationis remotionem ad Monachos *S. Bernardi* non pertinere *Fagnanus* propugnat. Primò quia ipsi non tenentur solùm ad Officium Beatæ Virginis recitandum vi generalis consuetudinis, de qua priùs erat controversia an vim haberet præcepti, sed consuetudinis particularis & instituti sui Ordinis, quam obligationem non est verisimile ut Sanctissimus ille Pontifex abrogare voluerit. *Etenim de valore particularis consuetudinis olim nulla erat controversia inter Doctores, sed omnes unanimiter conveniebant in hoc, ut Recitatio Officii esset in præcepto, si ita se haberet Ecclesiæ aut Monasterii consuetudo,* (inquit Fagnanus.) Addit, rationem illam Constitutionis S. Pii V. *Nos propter varia hujus vitæ negotia multorum occupationibus indulgentes, &c.* non convenire Monachis, qui à negotiis & occupationibus mundanis prorsus segregati, faciliùs possunt orationi vacare. Can. *Placuit*, & Can. *Si cupis*, xvi. Quæstione 1.

Ad parvum Officium B. Virginis privatim recitandum Monachi S. Bernardi tenentur.

Ex hac Auctoris Juris Canonici Peritissimi Responsione, colligitur, Officium parvum Beatæ Virginis, in Ordine pariter FF. Prædicatorum esse ex præcepto recitandum ab omnibus & singulis Fratribus ad Chorum professis, quotiescunque recitatur in Choro ex præscripto Constitutionum ac Rubricarum, & ex consuetudine ab Ordinis exordiis religiosè observatâ; mortalisque peccati reos esse, qui illius Recitationi defuerint. Idem esto judicium de Officio Defunctorum singulis hebdomadibus semel recitando *tam in Choro quàm extra.*

Necnon Dominicani quotiescumque in Choro ex præscripto Constitutionum & Rubricarum Breviarii ipsis recitandum est.

Idem esto judicium de Officio Defunctorum singulis Hebdomadibus.

Hæc Responsio confirmatur ex auctoritate *S. Thomæ*, Quodlibeto v. Quæstione v. Articulo 11, ubi quærit, *Utrum Clericus Beneficiatus teneatur in Scholis existens dicere Officium Mortuorum?* Sic autem respondet: *Clericus ex hoc ipso quòd est Clericus, & præcipuè in Sacris Ordinibus constitutus, tenetur dicere Horas Canonicas: sed in quantum est Clericus Beneficiatus in hac Ecclesia, tenetur dicere Officium secundùm modum illius Ecclesiæ. Est ergo considerandum quod Officium Mortuorum quandóque in Ecclesia dicitur sicut ordinariè pertinens ad Ecclesiæ Officium; sicut in tota Ecclesia in die Animarum dicitur Officium pro Mortuis: & in qualibet Ecclesia est aliqua super hoc specialis consuetudo; putà, ut dicatur ordinariè Officium Mortuorum semel in septimana, vel qualitercunque aliter secundùm certum tempus: & ad hujusmodi Officium Mortuorum tenetur Clericus Beneficiatus in aliqua Ecclesia, etiam in Scholis existens, ut per hoc satisfaciat Mortuis quorum recipit bona. Aliquando verò dicitur Officium Mortuorum in Ecclesia extraordinariè, propter aliquam causam specialiter emergentem; putà, ad preces alicujus personæ, vel propter aliquid hujusmodi: & ad hujusmodi Officium Mortuorum non tenetur Clericus existens in Scholis.* Qua ratione Clericus Beneficiatus Officium recitare tenetur *secundùm modum illius Ecclesiæ* in qua Beneficium possidet; Ita Vir Religiosus Officium Divinum recitare tenetur secundùm modum ac Ritum Ordinis quem professus est: obligatur itaque ex præcepto ad recitandum Officium Beatæ Virginis Mariæ & Officium Mortuorum, quoties recitatur in Choro sicut ordinariè pertinens ad Ordinis Officium, sive ex Lege, Statutis, Constitutionibus, Rituali aut Rubricis; sive ex Consuetudine. Et quod spectat Officium Mortuorum, non minùs tenetur Vir Religiosus satisfacere Mortuis, ex quorum eleemosynis vivit, quàm Clericus Beneficiatus.

Frustrà verò aliquis objiceret, Constitutiones FF. Prædicatorum ad culpam non obligare, nisi ratione præcepti aut contemptûs. Obligatio enim ad recitandum Beatæ Virginis Officium certis diebus, & Officium Mortuorum semel qualibet hebdomada, non oritur ex Constitutionibus duntaxat, sed ex Ecclesiæ præcepto. Ex Constitutionibus quidem & peculiari Ordinis Consuetudine id habent hujusmodi Officia ut pertineant ad Canonicum & ordinarium Ordinis Officium certis diebus ac temporibus. Sed obligatio recitandi Canonicum Officium integrum secundùm modum ac Ritum suæ Ecclesiæ vel Ordinis, ea Ecclesiæ præcepto est. Quamobrem sicut Monachi Benedictini tenentur duodecim Psalmos ad Matutinas singulis diebus dicere secundùm Regulam S. Benedicti, & ordinem Ritúmque Breviarii Monastici, cujus usum ipsis permisit Ecclesia; & in mortalis peccati reatum incurrerent, si novem duntaxat Psalmos recitarent, ut cæteri, qui Romano, vel aliis Breviariis utuntur, quia duodecim Psalmorum ad Matutinas recitatio pertinet ad integritatem Officii Canonici secundùm Ritum Ordinis Benedictini: ita Dominicani, qui Beatæ Virginis parvum Officium omitterent, atque negligerent, vel etiam Officium Mortuorum, diebus ac temporibus præscriptis, quibus in Choro recitatur ex consuetudine Ordini coæva, necnon etiam ex Constitutionum, Statutorum, Ritualis & Rubricarum ejusdem Ordinis tenore, rei peccati mortalis essent.

Respondetur objectioni.

Id confirmat *Sylvester Prierat* in Summa verbo *Hora*, § 6. *Quæritur utrum Officium Beatæ Virginis sit in præcepto? Dicit Joannes de Lignano in Clementinam, de Celebratione Missarum, quod hoc Jure non probatur: tamen communis consuetudo est ut computetur inter Horas, & hoc verissimum putat Panormitanus, quia Ordo antiquus ab Ecclesia traditus est ut publicè dicatur in Ecclesia certis temporibus: quod non esset, si non esset in præcepto. Cardinalis etiam Zarabella, in dictam Clementinam, credit quòd ex quo uno & eodem modo Ecclesiæ alicujus Servitores consueverunt prædicta pro Horis dicere quilibet eorum ad hoc tenetur: secus si aliqui dicerent, etiam plures, alii verò non, & idem dicit Directorium Juris* Libro 1. *Igitur ad illud tenentur, qui tenentur ad Horas ratione generalis consuetudinis, quando & eo modo quo est in consuetudine Ecclesiæ cujus Officium dicunt.* Idem censet de Officio Mortuorum, idque confirmat ex Quodlibeto *S. Thomæ* superiùs indicato, sed intelligendum id esse monet de consuetudine *Quâ communiter tales se crediderunt hactenus obligatos: quia consuetudo non obligat nisi ex intentione Legislatoris, quam communis opinio manifestat. Unde non teneor dicere* Ave Maria, *quando ad hoc pulsatur, licèt sit consuetudo. Et consequenter videtur pari ratione dicendum, quòd in Ordine Prædicatorum omnes tenentur ad Officium Mortuorum semel in anno, & semel in Hebdomada,*

quando in Ecclesia est dicendum : tum quia ista est consuetudo communis, quâ etiam communiter Fratres se credunt obligatos : tum etiam quia quisque ad Officium tenetur secundum Ecclesiæ, cujus Officium dicit, ordinationem : quæ in proposito ab hoc Officio nullum excipit. Ad Vigilias autem quotidianas tenentur solùm Ministri Altaris cum Hebdomadario, & ee qui notatus est ad Missam pro Defunctis, secundùm quod tradit Rubrica : Ita tamen quod hoc onus non videtur personale : unde est in arbitrio Cantoris annotantis ad Officia onerare hunc vel illum : & consequenter qui ad hoc tenetur, potest illud alteri committere, qui illud pro eo dicat in Choro, & ipse immunis est. Quantùm autem ad Litanias in Ordine Prædicatorum, Fratres ex præcepto non tenentur : quia licet sint in consuetudine post Matutinas, illa tamen non creditur communiter obligatoria seu præceptiva : est signum quod ad hoc nunquam voluerunt Patres Ordinem obligare ; qui si sic voluissent, ad præsentes per priores gradatim tanquam obligatoria pervenisset, sicut est de Officio Beatæ Virginis. Hæc *Sylvestri Prieratis* Responsio consona est *S. Antonini* Responsioni 10 Summa P. III. Tit XIII. cap. IV. *De Horis Canonicis*, § 3. ubi illud Cardinalis *Zarabella* principium approbat : *Ex quo uno & eodem modo Ecclesiæ illius servitores* (id est Clerici illi Ecclesiæ addicti) *consueverunt prædicta pro Horis dicere, quilibet de ipsis ad hoc tenetur.*

Suffragatur & *Dominicus Soto* Libro x. *De Justitia & Jure*, Quæstione v. Articulo IV. *De Officio Beatæ Virginis* (inquit) *controvertitur inter Doctores, utrum etiam sit in Præcepto, eò quòd hac de re nullum extat jus, sed sola consuetudo.... Si conjecturis agere licet, hæc consuetudo non cœpit tanquam habens vim præcepti ; aliàs alicubi legeretur : sed ex pietate & devotione, quâ Sanctissima Virgo dignissima erat. Atque hujus nonnullum indicium est, quòd in Institutione nostri Ordinis jussum est ut surgentes Fratres illico in Dormitorio Officium Virginis Nocturnum recitando solvant : quod, si præceptum esset Ecclesiasticum, in Choro juberetur solvi. At verò de cursu temporis consuetudo adeo invaluit, ut nullus Doctorum negare audeat vim habere Præcepti.*

Circa Officium verò Mortuorum, monendi sunt qui ad illud semel hebdomada qualibet persolvendum tenentur, illos non satisfacere obligationi ac præcepto, qui illud recitant Dominica die pro hebdomada præcedente : cùm Dominica dies ad Hebdomadam alteram pertineat ut initium illius ac prima dies, onde & dies Lunæ Feria secunda dicitur. Qui ergo neglecto & omisso Mortuorum Officio per totius hebdomadæ decursum, illud Dominica sequenti recitat, præcepti violati, lethalisque omissionis reus est, quamvis ad satisfaciendum Deo pro negligentiâ suâ, si de peccato contritus sit, illúdque Sacramentali Confessione expiaverit, aut expiare decreverit, valeat hujusmodi recitatio.

Nec verò censentur quidam Regulares, severiorem illam esse sententiam, virísque studio & verbi Dei Prædicatione occupatis prorsus gravem : Viris enim verè Religiosis, piis, diligentibus, satis temporis superetit ad persolvendum Magnum Officium, etiam Feriale ; & parvum Officium Beatæ Virginis, ac Officium Mortuorum semel in hebdomada, cùm legamus sæculares viros, immò etiam Reges, qui strenuè Rempublicam per se ipsi administrabant, inter tot & tantorum negotiorum turbas, Canonicum Officium integrum, & Horas Beatæ Virginis, aliasque Preces recitasse. *Alfredus* Angliæ Rex sic totum diei cursum dividebat, *Ut octo horas in scribendo, legendo, & orando ; octo in cura corporis ; octo in expediendo Regni negotio transigeret*, ut scribit *Willelmus Malmesburiensis*. De eodem *Asserus* Vitæ illius Scriptor fidelis & accuratus : *Inter bella* (inquit) *& præsentis vitæ frequentia impedimenta, necnon Paganorum infestationes & quotidianas corporis infirmitates, inter Regni gubernacula, nihilominus Missam quotidie audire, Psalmos quasdam & orationes, & Horas diurnas & nocturnas celebrare, & Ecclesias nocturno tempore clam à suis adire solebat.*

Viris Religiosis etiam studio occupatis satis superest temporis ad persolvendum Officium B. Mariæ Virginis & Officium etiam Mortuorum, quibus præceptum est, ut supra dictum est. [marginal note; partly illegible]

De Sancto *Ludovico* scribit *Guillelmus de Nangiaco* in ejus gestis : *Omnes Horas Canonicas, & etiam de Beata Virgine, cum cantu quotidie audire volebat ; etiamsi eas in itinere equitando audire contingeret, nihilominus eas inter se & Capellanum suum tam de die quàm de Beata Virgine submissè dicebat. Insuper Officium Mortuorum quotidie cum novem lectionibus, etiam in Festis quantumcunque solemnibus dicebat cum Capellano suo. Rarè accidebat quin quotidie duas Missas audiret, & frequenter tres vel quatuor.*

Porrò si Regibus tot negotiorum mole, ac Reipublicæ administratione occupatis, tempus non defuit persolvendi multiplex Officium, multò minùs deerit Clericis ac Religiosis Viris, quantumvis studio & verbi Dei prædicatione sint occupati, modò ipsis pietatis studium Deique amor non desint : & breve temporis intervallum quod ex reliquo die suceident ut parvum Officium B. Virginis persolvant, quibus diebus in Choro recitatur, & Mortuorum Officium semel in hebdomada, Deus benedictione suâ compensabit, majorem in studiis & Concionibus parandis facilitatem, fœliciorémque donans exitum. Parum enim studia nostra, Concionésque proficiunt, nisi Dominus intùs nos docuerit, suóque lumine & gratia illustraverit, ac verbum dederit evangelizantibus virtute multâ : quod frequentibus ac ferventibus precibus ab ejus bonitate & misericordia postulandum est. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* (Psal. 126.) Et *Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* (1. Cor. 3.) Unde ipsis quoque ministris sanctis hominibus, vel etiam Sanctis Angelis operantibus, *Nemo rectè discit quæ pertinent ad vivendum cum Deo, nisi fiat à Deo docilis Deo, cui dicitur in Psalmo*, « Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. » (Psal. 142.) *Unde & ipsi Timotheo dicit Apostolus, loquens utique ad discipulum Doctor*, « Tu autem persevera in iis quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris. » (2. Tim. 3.) *Sicut enim corporis medicamenta, quæ hominibus ab hominibus adhibentur, nonnisi eis prosunt, quibus Deus operatur salutem, qui & sine illis mederi potest, cùm sine ipso illa non possint, & tamen adhibentur, & si hoc officiosè fiat, inter opera misericordiæ, vel beneficentiæ deputatur : ita & adjumenta doctrinæ tunc prosunt animæ adhibita per hominem, cùm Deus operatur ut prosint, qui potuit Evangelium dare homini, etiam non ab hominibus neque per hominem.* Agat igitur divini verbi Prædicator, quantùm potest, ut intelligenter, ut « libenter, ut obedienter audiatur : & hæc se « posse, si potuerit, & in quantum potuerit, *Pie* « *tate magis orationum quàm Oratorum facultate* non dubitet, ut orando pro se, ac pro illis quos « est allocuturus, *Sit orator antequam dictor.* Ipsâ « horâ jam ut dicat accedens, *Priusquam exserat* « *proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet quod biberit, vel quod impleverit fundat.* Verba sunt *S. Augustini* Libro IV. *De Doctrina Christiana* cap. XV. Nulli ergo Clerici ac Religiosi Viri lubentiùs ac ferventiùs orationi

vacare debent, quàm qui Studiis sacris ac verbi Dei Prædicationi magis ex Professione sua sont adstricti, ut cum Apostolis dicant, *Nos autem orationi & Ministerio verbi instantes erimus.*

Regula XIII.

In Divini Officii Recitatione congruitas temporis observanda est, adeo ut Officium pro uno die præscriptum vel notatum in Ordine aut Directorio, in aliud mutari absque gravi peccato non possit, verbi gratiâ, Officium Feriæ die Jovis, in Officium de Sanctissimo Sacramento.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Quodlibeto III. Quæstione XIII. Articulo II. *In omni divino Officio*, (inquit) *hoc est commune, quod pertinet ad laudem Dei, & ad suffragium Fidelium; sed distinguitur unum Officium ab alio secundùm diversitatem temporum & locorum. Rationabiliter enim institutum est, ut diversimodè Deus laudetur secundùm congruentiam temporum & locorum: Et ideo sicut in Officiis Divinis exsolvendis observanda est congruitas loci, ita etiam congruitas temporis: quæ quidem observari non posset, si oporteret injungere omittenti quòd Horas diceret quas omisit: Fortè enim in Completorio diceret*, Jam lucis orto sydere; *& in tempore Paschali diceret Officium Dominicæ Passionis; quod esset absurdum. Et ideo non videtur esse injungendum ei qui omisit dicere Divinum Officium, quòd Horas easdem repetat, sed aliquid ad divinam laudem pertinens, putà ut dicat septem Psalmos, vel unum Psalterium, vel aliquid ampliùs secundùm qualitatem delicti.*

Idem confirmat *S. Antoninus* P. II. Tit. IX. cap. XII. *Quando* (inqoit) *non dicit proprium & ordinatum Officium Ecclesiæ suæ vel Religionis suæ, sed ad placitum dicit nunc uno modo, nunc alio & de feria non facit, quando occurrit, causâ abbreviationis, sed facit de Sanctis; vel etiam dicens Officium Ecclesiæ suæ, quia non vult quærere Breviarium, dicit unam Antiphonam, vel Capitulum, vel Orationem pro alia, non est hoc absque gravi peccato.*

Propositio damnata.

Meritò itaque ab *Alexandro VII.* Pontifice Maximo inter alias pravi dogmatis Propositiones hæc etiam ordine 34. damnata est: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit Præcepto.*

Regula XIV.

Canonici qui Choro interesse debent, jus non habent distributiones percipiendi, sive cùm absunt absque causa legitima & canonica, sive cùm non adsunt modo convenienti ac religioso, sacrisque Canonibus præscripto.

HÆc Regula nititur cap. *Consuetudinem*, Tit. *De Clericis non Residentibus*, in Sexto, *Statuimus* (inquit Summus Pontifex) *ut distributiones ipsæ quotidianæ, in quibuscunque rebus consistant, Canonicis, ac aliis Beneficiatis, & Clericis Ecclesiarum ipsarum, qui eisdem Officiis, in ipsis Ecclesiis adfuerint, tribuantur juxta Ecclesiæ cujuslibet ordinationem rationabilem jam factam, seu etiam faciendam. Qui verò aliter de distributionibus ipsis quidquam exceperit, (exceptis illis, quos infirmitas, seu justa & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret,) Rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas, immò ad omnium Restitutionem, quæ contra hujusmodi nostram Constitutionem receperit, teneatur. De distributionibus etiam pro Defunctorum Anniversariis largiendis, idem decernimus observandum.*

Eandem Regulam confirmat Concilium Tridentinom Sessione XXIV. *De Reformatione*, cap. XII. eujus hæc sunt verba: *Distributiones verò qui statis Horis interfuerint, recipiant: Reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant, & juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit,* Consuetudinem, *quod Sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscunque Statutis & consuetudinibus. Omnes verò divina per se, & non per substitutos, compellantur obire Officia, & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti adsistere, & inservire, atque in Choro, ad psallendum instituto, hymnis & canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devotèque laudare.* Nisi ergo præsentes fuerint, aut legitimam & canonicam absentiæ caosam habeant, secundùm tenorem Bonifacianæ Constitutionis, distributionibus privantur, quas si receperint, tenentur ad restitutionem iis qoi adfueront faciendam. Qui si remiserint illis jus soum, remissio illa & condonatio nullam vim habet, atqoe ad restitotionem nihilominos obligantur. Nec paoperibus dare sufficit, nisi consenserint illi in quorum commodum hujusmodi distributiones cessissent, utpote qui Divinis Officiis interfuerunt.

Canonici qui modo convenienti religioso & sacris Canonibus præscripto, Divinis Officiis non intersunt, ad quotidianas distributiones jus non habent, atque perceptis ad restitutionem tenentur.

Nec verò sufficit adesse Choro quovis modo, ut distributiones justo titulo, tutàque conscientiâ recipiant; sed necesse est ot adsint modo convenienti religiosóqoe, reverenter distinctéque psallendo, ot decernit Sacra Synodus Tridentina. Oportet ot adsint eo modo quo præscribit *Clemens V.* in Concilio Viennensi; & habetur in Clementinis, cap. *Gravi*, Tit. *De Celebratione Missarum*, Gravi *nimirum turbatione movemur* (inqoit) *quòd.... plerique Ecclesiarum Ministri, modestiâ Ordinis Clericalis abjectâ, dum offerre Deo Sacrificium laudis, fructum labiorum suorum in puritate conscientiæ & animi devotione deberent, Horas Canonicas dicere, seu psallere transcurrendo, syncopando, extranea quidem & plerumque vana, profana & inhonesta intermiscendo colloquia, tardè ad Chorum conveniendo, seu Ecclesiam ipsam absque rationabili causâ ante finem Officii exeundo.... nimis indevotè præsumunt.... Ne igitur transgressiones invalescant hujusmodi, aliisque veniant in exemplum, Sacri Concilii approbatione hoc fieri prohibentes, sancimus, ut illi ad quos id pertinet, & in eorum, si utique Exempti non sint, negligentiam vel defectum locorum Ordinarii: si verò Exempti fuerit, Superiores ipsorum, omni negligentiâ vel incuriâ penitus relegatâ, circa reformanda præmissa, & eorum singula corrigenda: necnon ut in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Ecclesiis horis debitis devotè psallatur: in aliis verò convenienter & debitè celebretur divinum diurnum & nocturnum Officium, si Dei & Apostolicæ Sedis indignationem evitare voluerint, sollicitam curent diligentiam adhibere: Contradictores per Censuram Ecclesiasticam, aliisque opportunis remediis compescendo.*

Qui suis in sedibus otiosi sedent, vel dormiunt, vel confabulantur; vel in Ecclesia ambulant, nec psallunt cum cæteris, jus non habent ad distributiones.

Canonicos qoi suis in sedibus otiosi resident, com aliis non psallentes, distributiones justo titulo non percipere, confirmat Concilium Mediolanense I. sub *S. Carolo Borromæo*, Tit. XXXVIII. Partis II. *Qui Dignitates* (inquit) *aut Personatus in Ecclesiis obtinent, & Canonici nominis ac institutionis suæ memores, eâ pietate & assiduitate Divina Officia colere debent, ut alii eorum exemplo ad studium & amorem divini cultûs accendantur. Itaque auctoritate etiam Tridentini Concilii præcipimus ut cùm in Choro psallendum est, ipsi quoque quantùm honoris gradu cæteris præstant, tantò studiosiùs*

Psalmis

Psalmis, Hymnis, & Canticis unà cum aliis modulantes, Dei laudes concelebrent. Cui officio si defuerint, pro absentibus habeuntur; & earum Horarum quas ea ratione non obierint, distributionibus mulctentur.

Accedit Concilium Burdigalense anno 1583. celebratum, cap. XVII. *In Choro* (inquit) *colloquia nulla permittantur, sed omnes piè ac devotè divino cultui sint intenti. Qui contra fecerit, nisi monitus quiescat, privetur ejus Horæ distributione, vel graviore pœnâ mulctetur.*

Dum psallitur, Canonici omnes & Sacellani (nisi B *per invaletudinem aut aliam legitimam causam impediantur) psallant, nec maneant in suis sedibus otiosi: neve putent se officio functos, si vicariâ tantum operâ cultum divinum celebrari curent.*

Preces & Divina officia non cursim & festinanter, sed devotè, attentè, & graviter in Choro omnes recitent, perpetuò memores tremendæ illius Prophetæ sententiæ: MALEDICTUS *qui facit opus Dei negligenter.*

His consona sunt Concilii Turonensis eodem anno celebrati Decreta *De Capitulis, Dignitatibus, & Canonicis*, cap. XIII. *Cum in Choro fuerint* (inquit) *gravitatem servent, quam & locus & Of-* C *ficium exigunt, non inter se aut cum aliis confabulantes seu colloquentes, non dormientes, aut litteras seu scripturas alias legentes.*

Cùmque psallendi gratiâ ibidem consideant, muta aut clausa labia non teneant; sed omnes, præsertim qui majore funguntur honore, in Psalmis, Hymnis, & Canticis, Deo alacriter modulentur.

Qui in Matutinis ante finem Psalmi, Venite exultemus, *in aliis Horis ante finem primi Psalmi, in Missa ante ultimum* Kyrie eleison, *Chorum non fuerit ingressus, & usque in finem Divino Officio non interfuerit; (nisi fortè necessitate cogente, ac petita & obtenta à Præsidente Chori licentiâ discederet,) pro illa Hora absens censeatur, &c.*

Ut autem Canonici his diligentiùs intendant, qui Annotatores pungendi officio deputabuntur, Ecclesiasticorum actiones observent, ut si Decreta hujusmodi neglexerint, fructus illius Horæ, quâ Chorum exierint, perdant; & si in Ecclesia unâ Horâ divini Officii vagari per Ecclesiam, seu deambulare visi fuerint, totius diei fructibus priventur.

Remissiones & collusiones hac in causa vetitæ.

Idem confirmat Concilium Aquense anno 1585. celebratum, Tit. De Canonicis. *Tridentini Concilii* (inquit) *& Bonifacii VIII. auctoritate nisi decernimus, ut nulla Canonicorum, aut aliorum pacto, remissio, vel collusio fiat, aut facta vim habeat, nullùmve statutum aut Constitutio, quæcumque illa sit, valeat, quibus aut absenti quavis de causâ, vel ejus sacra Hora, in qua muneri suo defuerit, aut omninò cuiquam contra quàm Jure communi & ejusdem Tridentini Concilii definitum sit, distributiones quotidianæ dari possint: Quòd si datæ fuerint, qui acceperit, nec in conscientia, nec alio modo suas faciat, sed eas restituere teneatur, disponatúrque de illis juxta probatas illius Ecclesiæ Constitutiones. Volumus autem ab hoc Decreto excipi eos, qui infirmitate detinentur, vel aliâ justâ causâ à Sacris Canonibus permissâ.*

Justæ absentiæ causæ.

Inter justas absentiæ causas habeatur, si unum aut duos ex Dignitates habentibus, vel Canonicis, Episcopus mittat, aut secum pro Concilio deducat ad visitandam Diœcesim, vel ad Concilium Provinciale, aut ad aliud pro Religione vel Diœcesi urgens negotium: non tamen diutiùs excusabuntur, quàm duraverit negotii necessitas. Excusentur item qui pro negotiis Capituli, & de ejusdem licentiâ aberunt, nec numerentur in diebus absentiæ dies recessûs & reditûs.

Qui alicujus Horæ Canonicæ tempore Missam celebrant, à Choro absentes censentur, nec jus habent ad distributiones, ut à Sede Apostolica & Concilio Mediolanensi IV. P. II. cap. XIII. fuit declaratum: *Quicumque* (inquit) *dum alicujus statæ Horæ Officium in Choro peragitur, Missam celebrando tunc à Choro abfuerit; illius Horæ distributionis, tamquam absens, particeps ne sit, ut à Sancta Sede Apostolica declaratum est. Id verò nisi pro absentia Sacerdotum, qui in Ecclesia tunc Missæ Sacrificium faciant, necessitas aliquando inciderit, ut Præfectus Canonicum aliquem Sacerdotem è Choro* B *exire, à stataque Hora officio abesse, Missæ celebrandæ causâ jubeat, aut nisi à Sede Apostolica aliter concessum fuerit.*

Missam celebrantes tempore Horarum Canonicarum, censentur absentes à Choro.

REGULA XV.

Punctatores qui injuriâ aliquem notant, aut notandum prætermittunt, Thesaurarii etiam, seu qui distributiones solvunt iis qui notati sunt à Punctatore, ad Restitutionem tenentur.

Punctatoris & Thesaurarii obligationes.

Ita declaravit Concilium Mediolanense I. sub S. Carolo Borromeo, P. II. cap. XLII. *Pun-* C *ctator studiosè exploret, & in libro punctationum notet omnes, quicumque ii fuerint, qui sacras Horas & Divina Officia non obierint: quique contra quàm his, aliisve Constitutionibus præscriptum est, in Choro quidquam fecerint: qua in re ullius non odio, non amore, non spe, non metu moveatur. Si aliquem injuriâ notarit, de suo ei satisfaciet: si verò notandum prætermiserit, de suo item tantumdem det, quod in Ecclesiæ usum convertatur, & integras unius hebdomadæ distributiones amittat.*

Et cap. XLIII. *Thesaurarius Capituli, sive alio quocumque is nomine dicatur, qui quotidianas distri-* D *butiones partitur, curet ipsas unicuique distribuendas pro rata parte laboris & officii, ex Juris & harum Constitutionum præscripto, & ex ordine librorum punctatoris. Is distributiones, eorum, qui absentia, vel errati causâ notati fuerint, ne persolvat: si id fecerit, tantumdem de suo det, quod in Ecclesiæ usum conferatur: & ob eam causam etiam unius mensis distributiones amittat.*

REGULA XVI.

E *Peccant Canonici, cæterique Clerici tam sæculares quàm Regulares, qui Divinorum officiorum tempore libros legant, aut privatim Breviarium recitant. Idem esto de Sanctimonialibus judicium.*

Hanc Regulam Concilia tradunt, scilicet Basileense Sessione XXI. cap. III. *Nemo dum Hora in communi publicè cantantur, legat vel dicat privatim Officium: nam non solùm obsequium, quo obnoxius est Choro, subtrahit, sed alios psallentes perturbat.* Mediolanense I. P. II. cap. LIII. *Ne in Choro* (inquit) *ubi communi Officio opera datur,* F *privatim Officium dicant: neve litteras, libros, aliáve scripta legant.*

Canonicis cæterisque Clericis tam sæcularibus quàm Regularibus Choro Deputatis, necnon Monialibus Divinorum Officiorum tempore, libros, litteras, aut alia scripta legere non licet.

Concilium Remense anno 1583. Tit. *De Cultu Divino*, Num 6. *Clerici simul conveniant in Chorum, nec confabulentur, aut aliquid legant, ne privatum quidem Officium.*

Concilium Turonense eodem anno, cap. XIII. *Nemo dum Hora in communi cantantur, legat, vel dicat privatim Officium. Nam non solùm obsequium, cui obnoxius est, Choro subtrahit, sed alios psallentes perturbat.*

Concilium Bitoricense 1584. Tit. XII. Canone III. *Non confabulentur in Choro, neque quid-*

Nec Officium privatum in Choro recitando.

quam alienum a cultu & divino Officio legant, sed nec privatim Officium dicant, ne Choro subtrahant quod debent, aut per eos turbentur qui psallunt.

Concilium Avenionense 1594. cap. XXXIV. *Nullus Canonicus, nec Beneficiatus, neque alius Clericus inter canendum dormiat, nugetur, litteras aut libros legat, Officium privatim recitet, per Chorum vagetur, indecorè sedeat, quidquamve faciat aut loquatur, quod Chori disciplinam, & psallentium attentiones perturbet.*

Concilium Narbonense 1609. cap. XXX. *In Choro colloquia non permittantur: non dormiat aliquis: non nugetur: litteras aut libros non legat: Officium privatim non recitet.*

Hanc Regulam confirmat *S. Antoninus* P. II. Tit. IX. cap. XII. De Negligentia in Horis Canonicis. *Sexta* (inquit) *negligentia est, quando psallentibus aliis, qui velit illo tempore dicere alias Horas privatas submissè, plures Horas per se citius dicens: hi quodammodo furtum faciunt. Nam furtum committit, qui re alterius utitur contra voluntatem ipsius. Cùm autem voluntas Religiosi sit in manibus Prælati, & Prælatus velit subditum cum ceteris persolvere Horas, ut juvet alios & conveniat cum aliis, proprio arbitrio vocem subtrahens, ut suas orationes dicat, furtum committit, nec Deo placet.* » *Unde Bernardus*: Ingratum est Spiritui-Sancto » quicquid obtuleris, neglecto eo ad quod teneris. *Nec est sufficiens excusatio, si quis dicat se non habere vocem bonam ad adjuvandum Chorum: quia & in Templo Domini erant vasa non solùm aurea & argentea, sed etiam ænea: & omnia Domini opera suo modo benedicunt Dominum, & suis vocibus non solùm psittacus & cygnus, & philomela, sed & canis, & asellus, & cicada.*

TRACTATUS
DE
SACRAMENTO MATRIMONII.

QUoniam Pastoribus beata & perfecta Christiani Populi vita proposita esse debet (inquit Concilii Tridentini Catechismus) iis quidem maximè optandum esset, quod Apostolus se cupere ad Corinthios scribebat his verbis: *Volo omnes homines esse sicut meipsum*: (1. Cor. 7.) Nimirum ut omnes continentiæ virtutem sectarentur; nihil enim beatius in hac vita hominibus contingere potest, quam ut animus nullâ mundi curâ distractus, sedatâque & restinctâ omni carnis libidine, vitæ Angelicæ æmulator, in uno pietatis studio, & cœlestium rerum cogitatione conquiescat. Sed quoniam (ut idem Apostolus testatur) *Unusquisque proprium donum habet à Deo, alius quidem sic, alius verò sic*: & Matrimonium magnis & divinis bonis ornatum est, ita ut inter alia Catholicæ Ecclesiæ Sacramenta verè & propriè numeretur: ac Dominus Nuptiarum celebritatem præsentiâ suâ honestaverit: satis apparet ad Theologiam Ecclesiasticam Tractatum quoque de Matrimonio pertinere: Cùm præsertim Apostolorum Princeps, & S. Paulus pluribus locis accuratè scripta reliquerint quæ non solùm dignitatem, sed & Officia Matrimonii spectant. Divino enim Spiritu afflati,

optimè intelligebant, quanta & quàm multa commoda ad Christianam Societatem pervenire possent, si fideles Matrimonii sanctitatem cognitam haberent, & inviolatam servarent: contra verò, eâ ignoratâ vel neglectâ, plurimas maximasque calamitates, & detrimenta in Ecclesiam importari.

CAPUT I.
DE
NATURA,
ET
INSTITUTIONE MATRIMONII.

Varia Matrimonii nomina.

VARIA sunt Matrimonii nomina. Primò, *Matrimonium* dicitur, quia femina idcircò maximè nubere debet, *ut mater fiat*; (inquit *S. Augustinus* Lib. XIX. *contra Faustum Manichæum*, cap. XXVI.) Vel quia, prolem concipere, parere, educare, matris munus est: ipsique infans *Ante partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus esse noscitur*, (ut ait *Gregorius IX*. cap. *Ex literis*, Ext. *De Conversione Infidelium*.)

Conjugium dicitur à conjungendo; quod legitima mulier cum viro quasi uno jugo adstringatur. *Connubium* vocatur, quia vir & mulier simul nubunt. Interdum appellatur *Consortium* ut L. *Si donationum*, C. *De Nuptiis*.

Denique Matrimonium sæpè *Nuptias* Jurisconsulti & Theologi appellant, à nubendo, id est velando; quia mulieres, postquàm nuptæ sunt, velo caput quasi nube cooperire, & velatæ incedere debent, & hoc in signum subjectionis & obedientiæ viro debitæ, ut dicitur Canone *Femina*, qui ex *S. Isidoro*, Libro II. *De Officiis*, cap. XIX. sumptus est: *Feminæ dum maritantur, ideo velantur, ut noverint se semper maritis suis subditas esse & humiles.* Hinc Apostolus I. ad Corinthios cap. XI. *Non est* (inquit) *creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter Angelos.* Hinc *Rebecca* Isaac desponsata, statim atque ipsum venientem procul conspexit, flammeo se cooperuit, *Genes.* XXIV. 65. quem locum explicans *S. Ambrosius*, Lib. I. *De Abraham*, cap. IX. ex quo refertur Canone, *Nec illud*, Causa XXX. Quæstione V. ait: *Nec illud otiosum, quòd cùm veniret Rebecca, vidit Isaac deambulantem; & cùm interrogasset quis esset, cognito quòd ipse esset cui duceretur uxor, descendit, & caput suum obnubere cœpit, docens verecundiam Nuptiis præire debere: inde enim & nuptiæ dictæ, quòd pudoris gratiâ puellæ se obnuberent.* Vel quia honestas Nuptiarum quasi nubes cooperit turpitudinem naturæ corruptæ: & sicut nubes homines tuetur ab ardore Solis, ita nuptiæ ab ardore libidinis.

ARTI-

Matrimonii vinculum constringit; maximáque « inter se vir & uxor charitate & benevolentiâ « devincti sunt. Atque idcircò fit ut frequenter « Sacræ Literæ Nuptiarum similitudine divinam « hanc Christi & Ecclesiæ cupulationem nobis « ante oculos propooant.

ARTICULUS I.

Quid sit Matrimonium?

Definitio Matrimonii quatenus est officium naturæ.

MAtrimoniom Tridentini Concilii Catechismus ex communi Theologorum sententia sic defioit: *Matrimonium est viri & mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens.*

Dicitur *Conjunctio*: Cùm enim io perfecto Matrimooio plorima reperiantur, scilicet consensus interior, pactio externa verbis expressa, obligatio & vinculum, quod ex ea pactione efficitur, & conjugum copolatio quâ Matrimonium consommatur: nihil tamen horum Matrimonii vim & rationem propriè habet, nisi obligatio illa & nexus, qui conjunctionis vocabulo significatur.

Additur, *Maritalis*: Quooiam alia pactionom genera, quibus viri & mulieres obligantur, ut sibi mutuam operam præstent, vel pretii, vel alterius rei caosâ; prorsus aliena sunt à Matrimonii ratione.

Additur, *Inter legitimas personas*: Quoniam qui à Noptiarum conjunctione legibus omninò exclusi sont, seu naturali, ut pueri, eonuchi, frigidi, & in primo grado consangoinei; seo positivis, ut qui intra secuodum, tertium, vel quartum gradum propinquitate conjoncti sunt, aliudve impedimentum habent, Divina vel Ecclesiasticâ lege constitutum, ad Matrimonii justa fœdera ineonda apti esse non possunt.

Dicitur, *Viri & mulieris*, ad excludendam polygamiam, veteribus quidem Judæis permissam, Legis autem Evangelicæ tempore omninò prohibitam, ut soo loco ostendetur.

Dicitor, *Individuam vitæ societatem retinens*: Quibus verbis declaratur indissolubilis vinculi natura, quo vir & oxor conjunguntur. Qoo quidem in vinculo Matrimonii natura & ratio consistit. Nam quòd *Hugo à Sancto Victore*, aliique clarissimi Theologi, Matrimonium definiuot consensum vel contractum legitimum maris & feminæ, id ita intelligeodum est, ot consensus causa sit effectrix Matrimonii, ut docet *Eugenius IV.* in Decreto Unionis Armenorum post Concilium Florentinum edito. Consensus siquidem interous, & pactio externa sunt actus transitorii & momentanei: Matrimoniom autem permanet dum ambo conjoges supersunt. Quamobrem ratio ejus neqoe in consensu interno, neque in externa pactione, quæ motuum consensum verbis exprimit; sed in obligatione, vinculo & nexu mutuo, qui ex consensu interno, & pactione externa inter virum & mulierem oritor, collocanda est.

Cùm autem spectari dupliciter possit Matrimoniom, primò ut naturæ officium, sive ut oaturalis conjunctio: (non enim ab hominibus, sed à natura inventum est:) vel ut Sacramentom, cujus vis naturaliom rerom conditionem superat; ad ipsum priori modo consideratom hæc definitio pertinet. Ut Sacramentum verò sic definiri potest:

Definitio Matrimonii quatenus sacramentum est.

Matrimonium est signum sensibile conjunctionis Christi cum Ecclesia à Christo institutum, promissionem habens gratiæ, personas legitimè conjunctas ad individuam vitæ societatem unientis. Cùm enim » Dominus vellet arctissimæ illius necessitodinis, » quæ ei cum Ecclesia intercedit, soæque erga nos » immensæ charitatis certum aliqood signum da» re, tanti Mysterii divinitatem hâc potissimùm » maris & feminæ sanctâ conjonctione declara» vit: quod qoidem aptissimè factum esse intelli» gi ex eo potest; qoòd ex omnibus humanis ne» cessitatibus nolla inter se homines magis quàm

ARTICULUS II.

Quotuplex sit acceptio Matrimonii.

Matrimonii divisio.

MAtrimonium triplicitet dividitur. Aliud dicitur *Legitimum*, id est secundùm Leges Gentium legitimè contractum, non aotem in Fide Christi, quale est Matrimonium Judæorom, & Infidelium, de quo in cap. *Quanto*, & cap. *Gaudemus*, Extr. *De Divortiis*: quos ioter Matrimoniom consistie, ex mente *S. Thomæ*, ut ad naturæ officium pertinet, non autem ut Sacrameotum est. Quio & apud veteres Jodæos, etsi Matrimonia majori sanctitate prædita essent quàm apod Gentes, quia cùm promissionem accepissent, fore aliquando ot omnes Gentes io semine Abrahæ henedicetentur, magnæ apud eos pietatis officiom meritò esse videbatur filios procreare, electi populi sobolem, ex qoa Christus Dominos Salvator noster, quod ad humanam naturam pertinet, ortum habiturus esset, propagare: sed tamen illæ conjunctiones vera Sacramenti ratione caruerunt, ut docet Concilii Tridentini Catechismus.

Matrimonium legitimum.

Matrimonium ratum.

Aliud Matrimonium dicitur, *Ratum*, id est, ab Ecclesia approbatum, quod inter Christi Fideles legitimè contrahitor. De quo *S. Ambrosius* Canone, *Cave*, Causa XXVIII. Quæstione 1. relatus. *Cave, Christiane, Gentili aut Judæo filiam tuam tradere: Cave* (inquam) *Gentilem aut Judæam, atque alienigenam, hoc est hæreticam, & omnem alienam à fide tua uxorem accersas tibi*, &c.

Gen. 2. Matth. 19. Matrimonium consummatum.

Aliud Matrimoniom dicitur *Consummatum*, quod carnali copulâ interveniente facit ut *Duo sint in carne una*, & *Jam non sint duo, sed una caro.* Et hoc dicitur perfectum Matrimonium: perfectum intelligo quantùm ad significationem. Qoamvis enim Matrimonium ante copulam peefectum sit qoantùm ad vinculum, & sanctum sanctitate Sacrameoti, imò tantò sanctius, quantò magis à carnali conjunctione alienum; tamen perfectum non est quantùm ad significationem, quia non omnia illa significat, quæ significaree carnali copulâ consummatum. Matrimonium enim ante copulam significat quidem charitatem quæ consistit in conjonctione Dei cum Anima justi, secundùm illod Apostoli: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Post copolam verò significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ corpus ejos mysticum est, & quam sibi desponsavit per Incarnationis Mysteriom, ut docet *Innocentius III.* cap. *Debitum*, Ext. *De Bigamis non ordinandis*, quo *Metensi* Episcopo respondet: *Cùm duo sint in conjugio, videlicet consensus animorum, & commixtio corporum: quorum alterum significat charitatem, quæ consistit in spiritu inter Deum & justam animam: ad quod pertinet illud quod dicit Apostolus*: Qoi adhæret Deo, onus spiritus est cum eo: *Reliquum verò designat conformitatem, quæ consistit in carne inter Christum & Ecclesiam, ad quod pertinet illud quod Evangelista testatur*: Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. *Profectò conjugium illud, qaod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud conjugium designandum, quod inter Christum & Ecclesiam per Incarnationis Mysterium est contractum; juxta quod Paulus exponens illud qaod di-*

1. Cor. 6. 17.

Joan. 1.

Ephes. 5. » *xerat Protoplastus* : Hoc nunc os ex ossibus meis, » & caro de carne mea : & propter hoc relinquet » homo patrem & matrem & adhærebit uxori suæ, » & erunt duo in carne una : *statim subjungit* : Hoc » autem dico magnum Sacramentum in Christo & Ecclesia.

Matrimonii consummatio ad illius essentiam non pertinet.

Consummatio tamen Matrimonii ad illius essentiam non pertinet. Verum enim Matrimonium intercessisse inter Deiparam Virginem & S. Joseph, quem *Virum Mariæ* Evangelium vocat universi Theologi Catholici docent ; cùm tamen fidei dogma sit, Beatam Virginem nunquam virum cognovisse, & intemeratam ac illibatam virginitatem perpetuò servasse.

Verum Matrimonium inter S. Mariam Virginem & S. Joseph.

Id *S. Augustinus* constanter docet, præsertim Libro 1. *De Nuptiis & Concupiscentia*, cap. XI. *Quibus verò* (inquit) *placuerit ex consensu, ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit ut inter illos vinculum conjugale rumpatur : immò firmius erit, quò magis ea pacta secum inierint, quæ cariùs concordiùsque servanda sunt, non voluptariis nexibus corporum, sed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab Angelo dictum est* *Matth. 1.* » *ad Joseph*, Noli timere accipere Mariam con» jugem tuam, *Conjux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus. Nec perierat, nec mendax manserat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio. Erat quippe illa Virgo ideo & sanctiùs & mirabiliùs jucunda suo viro, quia etiam fœcunda sine viro, prole dispar, fide compar. Propter quod fidele conjugium parentes Christi vocari ambo meruerunt, & non solùm illa mater, verùm etiam ille pater ejus, sicut conjux matris ejus, utrumque mente, non carne.* Et infra : *Sed cùm illo non seminante illa peperisset, profectò nec ipsius formæ servi ambo parentes essent, nisi inter se etiam sine carnis commixtione conjuges essent.*

S. Maria Virgo Joseph viro suo prole dispar, fide compar.

Et cap. XII. *Omne itaque Nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum : fidem, quia nullum adulterium : Sacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine illa carnis pudenda concupiscentia, quæ accidit ex peccato, sine qua concipi voluit qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati...... Non est igitur hæc libido nuptiarum bonum, sed obscœnitas peccantium, necessitas generantium, lasciviarum ardor, Nuptiarum pudor. Cur ergo non conjuges maneant, qui ex consensu concumbere desinunt ; si manserunt conjuges Joseph & Maria, qui concumbere nec cœperunt?*

Per S. Joseph Christi Genealogia describitur.

Et Sermone LI. aliàs *De Diversis* LXIII. cap. XIII. *Non itaque* (inquit) *propterea non fuit pater Joseph, quia cum Matre Domini non concubuit, quasi uxorem libido faciat, & non charitas conjugalis.* Et Cap. XX. *Jam verò illud quia movere non debet, quare per Joseph & non per Mariam generationes numerentur, satis dictum est, quia sicut illa sine carnali concupiscentia mater, sic ille sine carnali commixtione pater. Per illum ergo descendant, & per illum ascendant generationes. Nec enim propterea separemus, quia defuit carnalis concupiscentia. Major puritas confirmet paternitatem : ne ipsa Sancta Maria nos reprehendat. Illa enim nomen suum* » *præponere noluit marito suo : sed dixit*, Pater tuus » & ego dolentes quærebamus te. *Numeremus ergo per Joseph : quia sicut castè maritus, sic castè pater est. Sed præponamus virum feminæ ordine naturæ & Legis Dei. Nam si remoto illo illam constituamus ; dicit ille, & rectè dicit, Quare me separasti? quare non per me generationes vel ascendunt, vel descendunt? An dicitur ei, Quia tu non genuisti opere carnis tuæ? Sed respondebit, Numquid & illa opere carnis suæ peperit? Quod Spiritus-Sanctus operatus* » *est, utrisque operatus est.* Cùm esset (*inquit*) homo » justus. *Justus ergo vir, justa femina. Spiritus-Sanctus in amborum justitia requiescens, ambobus filium dedit. Sed in eo sexu quem parere decebat, operatus est hoc, quod etiam marito nasceretur. Itaque ambobus dicit Angelus, ut puero nomen imponant : ubi parentum declaratur auctoritas. Dicitur etiam*, Et peperit ei Filium, *ubi omnino pater non carne, sed caritate firmatur.... Tantò firmiùs pater, quantò castiùs pater.*

Ejus castitas confirmat paternitatem.

Luc. 2.

Spiritus-Sanctus Mariæ & Joseph Filium dedit.

Idem confirmatur ex Canone, *Cum initiatur*, qui ex *S. Ambrosio* sumptus est Lib. *De Institutione Virginis*, & legitur Causa XXVII. Quæstione II. *Cum initiatur conjugium, tunc conjugii nomen asciscitur. Non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. Denique cùm jungitur puella, conjugium est, non cùm viri admistione cognoscitur.*

ARTICULUS III.

De Matrimonio quatenus naturæ officium est.

QUia gratia naturam perficit, neque prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale ; rei ordo postulat ut de Matrimonio priùs agamus ut ad naturæ officium pertinet : tum verò ut Sacramentum est.

PROPOSITIO I.

Matrimonium ut officium naturæ à Deo institutum est, tum naturæ Lege, tum positivâ.

Matrimonium ut naturæ officium à Deo institutum.

NAtura enim, etiam excluso peccato, inclinat hominem ad prolis generationem & educationem. Cùm igitur filii à parentibus curari foverique debeant, cùm adhuc sunt in utero, postea verò educari atque institui ; id autem rectè fieri non possit sine certis & perpetuæ societatis vinculo conjunctis parentibus ; constat ex hac parte institutionem Matrimonii ad legem naturæ referendam. Deinde, homo ex naturæ propensione mutuam societatem amat : præcipuorum autem operum quæ decent homines, quædam viris, quædam mulieribus competunt : unde & ex hac causa hominis etiam integri natura ad Matrimonium inclinat. Naturæ legem confirmat positiva Dei Lex, ut ostendunt Christi verba, *Matthæi* XIX. cum *Genesi* II. comparata ; scriptum est enim in Genesi : *Masculum & feminam creavit eos, benedixitque illis Deus, & ait : Crescite, & multiplicamini : &, Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* Ac paulò post : *Adæ verò non inveniebatur adjutor similis ejus : immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam : cùmque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea : & ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam : dixitque Adam : Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea ; hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Quæ verba Dominus *Matth.* XIX. de divina Matrimonii institutione intelligenda esse significat. ex iisque infert : *Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Ex quibus colligitur, matrimonium etiam quatenus naturæ est officium esse indissolubile. Et certè pro-

lis educandæ studio, & aliis Matrimonii bonis repugnat, ut vinculum ejus dissolvi possit.

Id confirmat Tridentina Synodus, Sessione XXIV. *Matrimonii* (inquit) *perpetuum indissolubilémque nexum primus humani generis Parens Divini* » *Spiritus instinctu pronuntiavit, cùm dixit:* Hoc » nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: » Quamobrem relinquet homo patrem suum & » matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo » in carne una. *Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari & conjungi, Christus Dominus apertiùs docuit, cùm postrema illa verba tan-* » *quàm à Deo prolata referens, dixit:* Itaque » non sunt duo, sed una caro: *statimque ejusdem nexûs firmitatem, ab Adamo tantò ante pro-* » *nuntiatam his verbis confirmavit:* Quod ergo » Deus conjunxit, homo non separet.

Hæretici Matrimonii impugnatores. Facessant igitur Hæretici, Encratitæ, Marcionitæ, Manichæi, similésque pestes, qui Nuptias malas esse ac illicitas docuerunt, quos & Dominus præsentiâ sua Nuptias cohonestans, & Matrimonium ad Sacramenti dignitatem evehens, & Apostolus I. *ad Corinthios* VII. refellit, dicens: *Iis autem qui Matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere.* Et infra: *Si acceperis uxorem, non peccasti; & si nupserit virgo, non peccavit.* Et I. ad Timotheum IV. *Spiritus autem manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinæ dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, prohibentium nubere.* Ad Hebræos denique XIII. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* In eum autem prolapsi sunt errorem, quòd obscœnam libidinem Nuptiis conjunctam animadvertentes, eam à bono conjugali, quod Deus instituit, non discreverunt. Hanc hæresim refellunt *Tertullianus* Libro I. *contra Marcionem*, Capite XXIX. *Clemens Alexandrinus* Libro III. *Stromatum*, & *S. Augustinus* Lib. *De Bono Conjugali*. Eundem errorem damnavit Synodus Gangrensis Canone I. *Si quis* (inquit) *vituperat Nuptias, & dormientem cum viro suo fidelem ac religiosam detestatur, aut culpabilem æstimat, velut quæ in Regnum Dei introire non possit; Anathema sit.*

Eorum objectionibus respondetur. Objiciebant veteres illi Hæretici, Matrimonium ab Apostolo concedi *secundùm indulgentiam, non secundùm imperium:* (I. ad Corinthios VII.) adeóque malum esse.

Respondet *S. Augustinus*, Libro *De Bono Conjugali*, cap. X. non ad Matrimonium, sed ad intemperantem illius usum hæc Apostoli verba referri. *Non Nuptias* (inquit) *secundùm veniam concedit Apostolus. Nam quis ambigat, absurdissimè dici, non eos peccasse quibus venia datur? Sed illum concubitum secundùm veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non solâ causâ procreandi, sed etiam aliquando nullâ causâ procreandi, quem Nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant: si tamen non ita sit nimius, ut impediat, quæ seposita esse debent, tempora orandi, nec immutetur in eum usum qui est contra naturam. Concubitus enim necessarius causâ generandi, inculpabilis, & solus ipse nuptialis est. Ille autem qui ultra istam necessitatem progreditur, non rationi, sed libidini obsequitur. Et hunc tamen non exigere, sed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conjugalem. Si autem ambo tali concupiscentiæ subjiguntur, rem faciunt non planè Nuptiarum. Verumtamen si magis in sua conjunctione diligunt quod honestum, quàm quod inhonestum est; id est, quod est Nuptiarum, quàm quod non est Nuptiarum: hoc iis, auctore Apostolo, secundùm veniam conceditur; cujus delicti non habent hortatrices Nuptias, sed deprecatrices, si Dei misericordiam non à se avertunt, &c.*

Et Libro I. *De Nuptiis & Concupiscentia*, cap. XIV. *Cùm* (inquit) *culpabilis non sit generandi intentione concubitus, qui propriè Nuptiis imputandus est; quid secundùm veniam concedit Apostolus, nisi quòd Conjuges, dum se non continent, debitum ab alterutro carnis exposcant, non voluntate propaginis, sed libidinis voluptate? Quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam. Quocirca etiam hinc sunt laudabiles Nuptiæ, quia & illud quod non pertinet ad se, ignosci faciunt propter se.*

Neque etiam veteribus illis Hæreticis favet hæc Apostoli sententia I. ad Corinthios VII. *Melius est nubere, quàm uri:* His enim verbis non innuit Apostolus, quòd Nuptiæ malæ sint cum continentia comparatæ; sed quòd minus bonum sint. Qua de re *S. Augustinus* Libro *De Bono Conjugali*, cap. VIII. præclarè ait: *Non ergo duo mala sunt connubium & fornicatio, quorum alterum pejus: sed duo bona sunt connubium & continentia, quorum alterum est melius. Sicut ista temporalis sanitas & imbecillitas non sunt duo mala, quorum alterum pejus: sed ista sanitas & immortalitas duo bona sunt, quorum alterum melius. Item scientia & vanitas non duo mala sunt, quorum vanitas pejus: sed scientia & caritas duo bona sunt, quorum caritas melius.*

PROPOSITIO II.

Matrimonii contrahendi non est omnibus posita lex.

Virginitas commendata. Immò Virginitas in sacris Novi Testamenti paginis maximè commendatur, ut quæ Matrimonii statu præstantior sit, majorémque in se perfectionem & sanctitatem contineat. Christus enim ita docuit, Matthæi XIX. *Sunt eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: & sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum cælorum. Qui potest capere capiat.* Et Apostolus I. ad Corinthios VII. scribit: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino ut sim fidelis.... Igitur & qui Matrimonio jungit virginem suam, benè facit: & qui non jungit, melius facit.*

Nubendi præceptum omnibus non impositum. Quod verò a Domino dictum est Genes. I. *Crescite, & multiplicamini*, id eò spectat, ut cujus rei causâ matrimonium institutum erat, declaret, non ut singulis hominibus nubendi necessitatem imponat: Fœcunditatis donatio est, & creaturæ ad sui propagationem benedictio, non præceptum: non enim hominibus tantùm, sed bestiis præcepti incapacibus dictum est, *crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Sed & post diluvium ad Noë & filios ejus dictum est, *Crescite, & multiplicamini*; cùm tamen constet ipsum Noë nullam postea prolem genuisse. *Genes. 9.* Non ergo præceptum aliquod his verbis exprimebatur, sed continua fœcunditatis largitio, & benedictio, ut ibidem sacer Textus innuit: *Benedixitque Deus Noë, & filiis ejus.*

In ipso tamen exordio generis humani naturæ lege tenebantur omnes conjugium inire, donec ad justam multitudinem genus humanum perductum esset. Sicut enim naturæ præceptum est, ut quisque saluti corporis consulat alimentorum sumptione, ita præceptum est, ut saluti generis consulatur filiorum generatione: quod præceptum singulos homines tum constringebat, nunc autem solam Rempublicam.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Præceptom rursus erat Matrimonium singulis ad Popolum Dei pertinentibus, cùm Popolus ille multiplicandus erat. Non enim, ut sempore Novi Testamenti fidelis Populi multrrodo procuranda erat conversione infideliom, sed procreationa filiorum. Cæterùm Populo illo satis moltiplicato, non ampliùs singuli ad contrahenda Mattimonia tenebantur: quod probant exempla Josuë, Eliæ, Elisæi, Jeremiæ, qui sine injuria legis divinæ & naturalis cœlibes castiqoa vixeront. Hinc Deus Isaiæ cap. LVI. *Eunuchis*, Legem suam servantibus promittit io domo sua locum, *& Nomen melias à filiis & filiabus, nomen sempiternum*, Eunuchorum porrò nomine homines cœlibes & continentes hîc significantur. Et Sapientiæ III. laudatur castitas tori conjugalis nescia: *Qua nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum: & spado qui non operatus est per manas suae iniquitatem.... Dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in Templo Dei acceptissima.* Et *Josephus* Essenos cœlibatum servasse testatur. Quod ergo legimus *Exodi* XXIII. & *Deuteronomii* VII. Sterilem non fore quemquam in terra Israël; non præcepti, sed promissionis sermo est, quo benedictio fœcunditatis promittitor conjugibus Dei mandata servantibos. Steriles enim non dicuntur, qui continentiæ studio conjugium noo inierunt, sed qui conjugio usi liberos babere non possont; quæ sterilitas opprobrio vertebatur. Uode Locæ I. ait S. Elisabeth: *Dominus respexit auferre opprobrium meum.* Denique si toto Veteris Testamenti tempora præceptum fuisset singulis hominibus connubiom, hanc accusationis occasionem adversus Apostolos Christi, qui vel uxores non habebant, vel eas reliquerant, Judæi noo prætermisissent.

Eadem Propositio confirmatur ex *S. Augustino*, Libro *De Bono Conjugali*, cap. IX. Ubi enim præmisit, Alia bona nobis Deum dare, quæ propter seipsa expetenda sunt, sicut est sapientia, salus, amicitia; alia quæ propter aliud sunt necessaria, sicut doctrina, cibus, potus, somnus, conjogiom, concobitos: his bonis qui oon ad hoc utitor, propter quod instituta suot, peccare, aliàs venaliter, aliàs damnabiliter: quisquis verò eis propter hoc utitur, propter quod data sunt, benè facere. Cui ergo non sunt necessaria, si non eis utitur, meliùs facere; ita colligit: *Ac per hoc bonum est nabere, matrem familias esse: sed melius est non nabere, quia melius est ad ipsam bumanam societatem hoc opere non egere. Ita enim jam se se habet bumanum genus, ut aliis qai se non continent, non solum per nuptias occupatis, sed multis etiam per illicitos concubitus luxuriantibus, bono Creatore de malis eorum faciente quod bonum est, non desit numerositas prolis & abundantia successionis, unde sanctæ amicitia coaqairantur. Ex quo colligitur, primis temporibus generis bumani, maximè propter Dei Populum propagandum, per quem & prophetaretur & nasceretur Princeps & Salvator omnium Populorum, uti debuisse Sanctos isto, non propter se expetendo, sed propter aliud necessario bono Nuptiarum: nunc verò cùm ad ineundam sanctam & sinceram societatem undique ex omnibus gentibus copia spiritalis cognationis exaberet, etiam propter solos filios connubia copulare cupientes, ut ampliore continentia bono potius utantur, admonendi sunt.*

Et Libro I. *De Nuptiis & concupiscentia*, cap. XIII. *Hac enim propagatio filiorum, qua in Sanctis Patribus propter generandum & conservandum Populum Dei, in quo prophetiam Christi pracedere oportuit, officiosissima fuit, nunc jam non babet illam necessitatem. Patet quippe jam ex omnibus gentibus spiritaliter gignendorum, undecunque carnaliter nati fuerint, copia filiorum. Et quod scriptum est*, Tempos amplectendi, & tempus continendi ab amplexu; *per illud atque hoc tempus agnoscitur distributum, Illud quippe fuit amplectendi, hoc autem continendi ab amplexu.* Ecclef. 3.

Cùm itaque ait Apostolus I. ad Timotheum V. *Volo igitur juniores nabere, filios procreare, matresfamilias esse:* Nuptiarum bonum Apostolica sobrietate & auctoritate commendat, non procreandi officium eis, quæ continentiæ bonum capiunt, tanquam ad obsequelam legis imponit. Denique cur hoc dixerit, pandit, cùm adjungit & dicit, *Nullam occasionem dare adversario maledicti gratiâ, jam enim quædam conversa sunt retro post Satanam:* Ut his verbis ejus intelligamus, eas, quas oubere voluit, meliùs potuisse continere, quàm nobare: sed meliùs nubere, quàm retro post Satanam ire, id est, ab illo excellenti virginalis vel vidualis castitatis proposito, in posteriora respiciendo, cadere & interire. *Proinde qua se non continent, nubant antequam continentiam profiteantur, antequam Deo voveant: quod nisi reddant, jure damnantur.* Sic explicat hunc locum Apostoli *S. Augustinus* Libro *De Bono Viduitatis*, cap. VIII.

ARTICULI CONSECTARIA

PRAXIM SPECTANTIA.

REGULA I.

Qui potestatem adbuc habent Nuptiarum & continentia consilium capere non possant, Matrimonium inire tenentur.

HAnc Regulam ab Apostolo traditam I. ad Corinthios VII. *S. Augustinus* confirmat Libro *De Bono Conjugali*, cap. X. *Mibi videtur* (inquit) *hoc tempore solos eos qui se non continent, conjugari oportere, secundùm illam ejusdem Apostoli sententiam; QUOD si se non continent, nubaat; melius est enim nubere quàm uri.* Conjugium enim quod ante lapsum hominis naturæ tantùm erat officium, post lapsum factum est incontinentiæ remedium. Hinc *S. Augustinus* cap. XVII. ejusdem Libri ait: *Homines qai se non continent, tanquam ascendunt in Nuptias gradu honestatis.*

Hanc Regulam confirmat *S. Gregorius P.* III. *Pastoralis*, cap. XXVIII. *Peritus* (inquit) *medicina cælestis Apostolus non tam sanos instituit, quàm infirmis medicamenta monstravit, dicens:* De quibus scripsisti mihi, Bonum est homini mulierem non tangere. Propter fornicationem, autem unusqoisque uxorem suam habeat, & unaquæque suum virum habeat. *Qui enim fornicationis metum præmisit, profectò non stantibus præceptum contulit; sed ne fortasse in terram ruerent, lectum cadentibus ostendit.* 1. Cor. 7.

REGULA II.

Qui continentia Voto sunt adstricti, sanctiora remedia quarere & adhibere debeat, ut continentia donum à Deo impetrent; cùm Votum necessariò servandum sit.

VOvere namque voluntatis est, reddere necessitatis. Id egregiè confirmat *S. Augustinus* Libro *De Bono Viduitatis*, cap. IX. *Sed quoniam* (inquit) *sicut ait Dominus*, Non omnes capiunt verbom hoc: *Qui potest ergo capere, capiat:* Votum continentiæ necessariò servandum.

& quæ se non continet, nubat: quæ non cœpit, deliberet; quæ aggressa est, perseveret: nulla adversario detur occasio, nulla Christo subtrahatur oblatio. In conjugali quippe vinculo si pudicitia conservatur, damnatio non timetur: sed in viduali & virginali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur; quâ expetitâ & electâ, & voti debito oblatâ, jam non solùm capessere Nuptias, sed etiamsi non nubatur nubere velle damnabile est. Nam ut hoc demonstraret Apostolus, non ait: Cùm in deliciis egerint, in Christo nubunt; *sed*, Nubere volunt: Habentes *(inquit)* damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt: *Et si non nubendo, tantùm volendo: non quia ipsæ Nuptiæ vel talium damnandæ judicantur, sed damnatur propositi fraus, damnatur fracta Voti fides, damnatur non susceptio à bono inferiore, sed ruina ex bono superiore: postremò damnantur tales, non quia conjugalem fidem posteriùs inierunt, sed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt.*

1. Tim. 5. 12.

Et cap. XI. *Planè non dubitaverim dicere, lapsus & ruinas à castitate sanctiore, quæ vovetur Domino, adulteriis esse pejores. Si enim quod nullo modo dubitandum est, ad offensionem Christi pertinet, cùm membrum ejus fidem non servat marito, quantò graviùs offenditur, cùm illi ipsi non servatur fides in eo quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum? Cum enim quisque non reddit, quod non imperio compulsus, sed consilio commonitus vovit: tantò magis fraudati voti auget iniquitatem, quantò minùs habuit vovendi necessitatem.* Lege & Caput XXIV. Libri secundi *De Conjugiis Adulterinis.*

Lapsus eorum qui castitatis voto sunt adstricti, sunt pejores adulterio.

Continentiam itaque fideli, assiduâ, ferventе, perseverante oratione à Deo petere debent, libidinem frænare, membra vigiliis, jejuniis, aliisque Pœnitentiæ laboribus, & bonorum operum exercitatione mortificare, consecrare, ut sint arma justitiæ Deo, ne sint arma iniquitatis peccato.

REGULA III.

Conjugibus, quos à mutuo consortio vel diuturnus morbus, vel absentiæ necessitas, vel justa divortii causa separat, nullum carnali commercio quærere licet incontinentiæ remedium, sed continentiam omninò servare tenentur.

Castitas conjugalis.

HAnc Regulam S. *Augustini* verbis explico, Libro II. *De Adulterinis Conjugiis* cap. XIX. *Quòd* (inquit) *facere deberent, si haberent conjuges diuturno languore marcescentes, vel loco sibi inaccessibili absentes, vel animositate illicita continentes, hoc faciant si habuerint conjuges adulterina inquinatione sordentes, & propter hoc à suo consortio divortiantes: non alia quærant conjugia, quia non erunt conjugia, sed adulteria.... Non eos terreat sarcina continentiæ: levis erit, si Christi erit: Christi erit, si fides aderit, quæ impetrat à jubente quod jusserit. Non eos frangat quod videtur eorum continentia necessitatis esse, non voluntatis: quia & illi qui eam voluntate delegerunt, fecerunt esse necessitatis; quoniam sine damnatione ab illa deviare non possunt: & qui in eam necessitate contrusi sunt, faciunt eam esse voluntatis, si non de se ipsis, sed de illo à quo est bonum omne confidunt. Illi ad eam conscenderant causâ majoris gloriæ, ut aliquid ampliùs invenirent, isti ad eam confugerunt curâ salutis novissimæ, ne perirent: utrique permaneant, utrique in quod pervenerunt ambulent usque in finem, ferveant studiis, supplicent votis: quia & illis salus cogitanda est, ne ab eo quod voluntas arripuit cadere timeant; & istis gloria desperanda non est, si in eo quod necessitas intulit, persistere deligant. Fieri enim potest, ut Deo terrente & hortante, convertente & implente, humanus in melius mutetur affectus: atque ita voveant sine conjugiis, & sine ullo concubitu atque immunda libidinis adtrectatione perseverantissimè vivere, ut etiamsi separata conjugia locum ducendi alias moriendo aperuerint, claudatur ex voto, quod pates ex finito, & quod erat necessitate cœptum, fiat charitate perfectum.*

REGULA IV.

Reges ac Principes, eorùmque filii & filiæ nubere debent, cùm ex eorum cœlibatu periculum imminet Religioni, aut Reipublicæ tranquillitati & paci.

REligionis enim amor, publicæque pacis studium hanc necessitatem imponit ipsâ naturæ lege, si vix aliter conservari Religio, paxve procurari non potest, nec voto sint obstricti. Sed etsi Voto simplici ligati essent, illud ob causas adeò necessarias ac justas bonumque publicum spectantes, Romanus Pontifex meritò relaxaret.

REGULA V.

Matrimonium contrahendo graviter peccant, qui ad contrahendum aliis rationibus finibúsque moventur, præter eas ob quas à Deo institutum est.

HAnc Regulam tradit Concilium Coloniense anno MDXXXVI. celebratum, cap XII. *Cùm* (inquit) *Matrimonium ante lapsum Adæ propter procreandos liberos institutum, ac benedictione Dei firmatum sit; nec ratio conjunctionis, seu benedictio post lapsum defecerit: sed tantùm quod sanis potuit esse officium, id ægrotis factum etiam sit remedium, dum utriúsque sexus infirmitas propendent in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honestate Nuptiarum: quemadmodum Divus Paulus ait,* Unusquisque uxorem suam habeat propter fornicationem, *nimirum vitandam: Monendi sunt qui Matrimonium contrahere affectant, ne alius affectus ipsos huc rapiat, ut sit honorabile conjugium, ac cubile impollutum. Nam si neque ob prolem suscitandam, neque ob fornicationem vitandam, sed potiùs divitiarum aut opum nanciscendarum, aut alterius rei gratiâ Matrimonium contrahatur, perperam agitur ac graviter in Sacramentum peccatur. Hic quæ Tobiæ VI. VII. & VIII. scribuntur, enarrari, proponi, ac doceri conveniet: ubi locus pulcherrimus est, exemplo commonstrans, quemadmodum bona uxor donum Dei sit debitum timenti Dominum: quomodo in timore Dei à parentibus, non luxuriæ causâ, sed solâ posteritatis dilectione, in quâ benedicatur nomen Dei in secula petenda. Quo pacto conjugii conscriptione factâ, tradenda: quemadmodum etiam convivium nuptiale cum laude & benedictione Dei agendum: denique quomodo precandus Deus per conjuges ut benedictionem suam in ipsos quos conjunxit, impleat. Hæc enim decent sanctorum filios, qui non debent, ita conjungi sicut Gentes quæ ignorant Deum. Eritque horrendum illud exemplum de septem Saræ viris à dæmonio occisis repetendum. His namque (ut Raphael Angelus apud Tobiam ait) qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente excludant, libidini vacent, sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus, Dæmonium malum dominatur.*

Qui affectus, quæ intentio contrahentium Matrimonium esse debent.

1. Cor. 7.

Hanc Regulam tradit & Concilii Tridentini Catechismus, cùm explicat quibus de causis vir & mulier conjungi debeant. Prima est ipsa di-

» versi sexûs naturæ instinctu expetita societas,
» motui auxilii spe conciliata, ut alter alterius
» ope adjutus vitæ incommoda faciliùs ferre, &
» senectutis imbecillitatem sustentare queat.
» Altera est procreationis appetitus, non tam
» quidem ob eam rem ut bonorum & divitia-
» rum hæredes relinquantur, quàm ut veræ fidei
» & religionis cultores educentur: quod qui-
» dem maximè Sanctis illis Patriarchis, cùm u-
» xores ducerent, propositum fuisse, ex Sacris
» Literis satis apparet. Quare Angelus, cùm *To-*
» *biam* admoneret, quo pacto mali Dæmonis
Tobiæ 6. » vim posset repellere; *Ostendam tibi* (inquit)
*qui sunt, quibus prævalere potest Dæmonium. Hi
namque qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se
& à sua mente excludant, & suæ libidini ita va-
cent sicut equus & mulus, quibus non est intellectus;
habet potestatem Dæmonium super eos.* Deinde sub-
jecit: *Accipies virginem cum timore Domini, amo-
re filiorum magis quàm libidine ductus, ut in semine*
» *Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.* Atque
» una etiam hæc causa fuit, cur Deus ab initio
» Matrimonium instituerit.
» Tertia est, quæ post primi parentis lapsum
» ad alias causas accessit: cùm propter justitiæ, in
» qua homo conditus erat, amissionem, appeti-
» tus rectæ rationi repugnare cœpit; ut scilicet,
» qui sibi imbecillitatis suæ conscius est, nec car-
» nis pugnam vult ferre, Matrimonii remedio ad
» vitanda libidinis peccata utatur, de quo ita A-
» postolus scribit 1. ad Corinthios VII. *Propter
fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, &*
» *unaquæque suum virum habeat.* At paulò post
» cùm docuisset, interdum orationis causâ à Ma-
» trimonii debito abstinendum esse, subjecit: *Et
iterum reverti unì in idipsum, ne tentet vos Satanas
propter incontinentiam vestram.*
» Hæ igitur sunt causæ, quarum aliquam sibi
» proponere quisque debet, qui piè & religiosè,
» ut Sanctorum filios decet, Nuptias velit con-
» trahere. Quòd si ad eas causas aliæ etiam acce-
» dant, quibus homines inducti Matrimonium
» ineant, atque in habendo uxoris delectu hanc
» illi præponant, ut hæredis relinquendi deside-
» rium, divitiæ, forma, generis splendor, mo-
» rum similitudo: hujusmodi sanè rationes
» damnandæ non sunt, cùm Matrimonii san-
» ctitati non repugnent. Neque enim in sacris
» Literis Jacob Patriarcha reprehenditur, quòd
Genes. 29 » *Rachelem*, ejus pulchritudine illectus, *Liæ*
» prætulerit.

Idem docet *S. Carolus* in Instructionibus *De Sacramento Matrimonii*, Tit. Quæ Parochus doceat, *Doceb t igitur* (inquit) *quo animi affectu, & quam ob causam Fideles Matrimonium ineant. Quo in genere demonstrabit, ad illud eos non explen-*
Psalm. 3. » *da libidinis causâ duci oportere*, Sicut equus &
» mulus quibus non est intellectus: *Neque præci-
puè efferri cupiditate divitiarum: sed cùm prolis sus-
cipiendæ gratiâ, quæ Sanctam Catholicam Religio-
nem colens, ad cœlestium præmiorum hereditatem, Christiana Vita præceptis, pièque agendi usu insti-
tuatur: tum etiam causâ vitandæ fornicationis; & ut conjuges alter alterius ope adjuti, vitæ incom-
moda faciliùs ferre, & senectutis imbecillitatem sustentare queant.*

Hæc ex *S. Augustino* Libro *De Bono Conjugali*, cap. III. accepta. *Bonum ergo conjugii* (inquit) *quod etiam Dominus in Evangelio confirmavit, non solùm quia prohibuit dimittere uxorem, nisi ex causa fornicationis, sed etiam quia venit invitatus ad Nuptias, cur sit bonum meritò quæritur. Quod mihi non videtur propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diverso sexu societatem. Alioquin non jam diceretur conjugium in senibus, præsertim si vel amisissent filios, vel minimè genuissent. Nunc verò in bono licèt annoso conjugio, etsi emarcuit ardor ætatis inter masculum & fœminam, viget tamen ordo caritatis inter maritum & uxorem: quia quantò meliores sunt, tantò maturiùs à commixtione carnis suæ pari consensu se continere cœperunt, non ut necessitatis esset posteà non posse quod vellent, sed ut laudis esset primùm noluisse quod possent. Si ergo servatur fides honoris & obsequiorum invicem debitorum ab alterutro sexu, etiamsi languescentibus & propè cadaverinis utriusque membris, animorum tamen ritè conjugatorum tantò sincerior, quantò probatior, & tantò securior, quantò placidior castitas perseverat. Habent etiam id bonum conjugia, quod carnalis vel juvenilis incontinentia, etiamsi vitiosa est, ad propagandæ prolis redigitur honestatem, ut ex malo libidinis aliquid boni faciat copulatio conjugalis. Denique quia reprimitur, & quodam modo verecundiùs æstuat concupiscentia carnis, quam temperat parentalis affectus. Intercedit enim quædam gravitas fervidæ voluptati, cùm in eo quòd sibi vir & mulier adhærescunt, pater & mater esse meditantur. Huc accedit, quia in eo ipso quod sibi invicem conjuges debitum solvunt, etiamsi id aliquantò intemperantiùs & incontinentiùs expetant, fidem tamen sibi pariter debent.*

Christiani itaque viri & mulieres, non jungantur Matrimonio, nisi priùs Dei voluntatem multis ac ferventissimis precibus exquisierint, *Non victi libidine, sed ducti pietate*; Veteris Testamenti Justos quantum ad intentionis puritatem in ducendis uxoribus imitentur, *Qui non propter hoc seculum, sed propter Christum conjuges, & propter Christum patres fuerunt*; (ut loquitur *S. Augustinus* Libro *De Bono Conjugali*, cap. ultimo.) Matrimonio copulentur, non solùm ut filios habeant, sed ut eos Christo lucrentur, & in disciplina & timore Domini eos instituant. Non enim jam felicitas est habere filios, sed habere bonos; eosque sic instituere ut *Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.*

ARTICULUS IV.

De Matrimonio ut Sacramentum est.

PROPOSITIO I.

Matrimonium est verum propriéque dictum Novæ Legis Sacramentum.

QUod enim ex institutione sua signum est rei sacræ, & gratiæ promissionem habet annexam, verum & propriè dictum Novæ Legis Sacramentum est: Matrimonium porrò ex institutione suâ signum est rei sacræ, & gratiæ promissionem annexam habet: Verum est igitur propriéque dictum Novæ Legis Sacramentum. Signum (inquam) est conjunctionis Christi cum Ecclesia, Sponsi cœlestis cum Sponsa, quam ut sibi desponsaret in fide, in justitia, & in sempiternum, è sinu Patris, à summo cælo, in terras descendit, eique per Incarnationis Mysterium copulatus ad spiritualem sobolem in perpetuum tempus propagandam & regenerandam, amore tam ardenti illam dilexit, ut seipsum morti traderet pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam aut aliquid hujusmodi; sed ut sit sancta & immaculata. Id constat ex Apostolo ad Ephesios

Matrimonium Novæ Legis Sacramentum est.

v. *Viri* (inquit) *debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Quod enim ait Apostolus, *Sacramentum hoc magnum est*, non ad ipsam Christi & Ecclesiæ conjonctionem est referendum, sed ad Matrimonium: quòd scilicet viri & mulieris conjunctio, cujus Deus autor est, sanctissimi illius vinculi, quo Christus Dominus cum Ecclesia conjungitur, Sacramentum, id est, sacrum signum sit. Pronomen quippe demonstrativum *Hoc*, non aliò referri potest, quàm ad id quod proximè præcesserat de humano conjugio, de quo & præcipuè agebat Apostolus eò loci. Deinde vis ea est Græci Textus, ut significet non *In Christo & in Ecclesia*, sed *in Christum & in Ecclesiam*: ex quo evidens est, Christum & Ecclesiam esse terminum significationis illius mysticæ, ac proinde Matrimonium esse Mysterium, cujus significatio ad Christum & Ecclesiam referatur.

Atque hanc esse eorum verborum veram & propriam sententiam, Veteres qui eum locum interpretati sunt, ostendunt, *Gregorius Nazianzenus*, *Joannes Chrysostomus* Homilia xx. in Epistolam ad Ephesios, *Hieronymus*, Autor Commentarii inter *S. Ambrosii* Opera editi.

Matrimonium verum Novæ Legis Sacramentum esse confirmant SS. Patres. *Ambrosius* Libro 1. *De Abraham*, cap. vii. *Cognoscimus* (inquit) *velut præsulem custodémque conjugii esse Deum, qui non patiatur alienum thorum pollui: & si qui fecerit, peccare eum in Deum, cujus legem violet, gratiam solvat. Et ideo quia in Deum peccat, Sacramenti cælestis amittat consortium.*

Idem significat *Siricius* Pontifex Maximus Epistola 1. cap. iv. Sacrilegium esse dicens violationem Benedictionis Nuptialis per adulterium. *Illa* (inquit) *Benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud Fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.* At si Matrimonium contractus dumtaxat civilis, non Religionis Sacramentum esset, illius violatio sacrilegium immeritò diceretur.

Sed Patrum nemo clariùs, frequentiùs, constantiùsque docuit *S. Augustino*, Matrimonium fidelium verè & propriè dictum Sacramentum esse. Libro *De Fide & Operibus*, cap. vii *In Civitate Dei nostri, in Monte sancto ejus, hoc est in Ecclesia, Nuptiarum non solùm vinculum, verùm etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere.*

Et Libro *De Bono Conjugali*, cap. xviii. *In nostrarum Nuptiis* (inquit) *plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas uteri.*

Cap. xxiv. *Bonum igitur Nuptiarum, per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis, quod autem ad Populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quem nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit.*

Interveniente divortio non abolетur confœderatio nuptialis.

Ex ratione verò Sacramenti indissolubilitatem Christiani Matrimonii probat cap. vii. ejusdem Libri. *Quem* (inquit) *non faciat intentum, quod sibi velit tanta firmitas vinculi conjugalis? Quod nequaquam puto tantùm valere potuisse, nisi alicujus rei majoris ex hac infirma mortalitate hominum quoddam Sacramentum adhiberetur, quod deserentibus hominibus atque id dissolvere cupientibus, inconcussum illis maneret ad pœnam. Siquidem interveniente divortio non aboletur illa confœderatio nuptialis: ita ut sibi conjuges sint, etiam separati; cum illis autem adulterium committant, quibus fuerint etiam post suum repudium copulati, vel illa viro, vel ille mulieri. Nec tamen in Civitate Dei nostri, in Monte sancto ejus, talis est caussa cum uxore. Ceterum aliter se habere Jura Gentilium, quis ignorat, ubi interposito repudio sine reatu aliquo ultionis humanæ, & illa cui voluerit nubit, & ille quam voluerit ducit?*

Et Libro *De Nuptiis & Concupiscentia*, cap. x. *Quoniam sanè non tantùm fecunditas, cujus fructus in prole est, nec tantùm pudicitia, cujus vinculum est fides; verùm etiam quoddam Sacramentum Nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis; unde dicit Apostolus*, Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam: *Hujus procul dubio Sacramenti res est, ut mas & fœmina connubio copulati, quamdiu vivunt inseparabiliter perseverent, nec liceat, exceptâ causâ fornicationis, à conjuge conjugem dirimi. Hoc enim custoditur in Christo & Ecclesia, ut vivens cum vivente in æternum nullo divortio separetur. Cujus Sacramenti tanta observatio est in Civitate Dei nostri in Monte sancto ejus, hoc est, in Ecclesia Christi, ut cùm filiorum procreandorum causâ vel nubant feminæ vel ducantur uxores, nec sterilem conjugem fas sit relinquere, ut alia fecunda ducatur.* Tum eodem modo loquitur de Matrimonio ac de Baptismo, quantùm ad Sacramenti rationem. *Usque adeo* (inquit) *manent inter viventes semel inita Jura Nuptiarum, ut potiùs sint inter se conjuges qui ab alterutro separati sunt, quam cum his quibus aliis adhæserunt. Cùm aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum conjuges permanerent. Denique mortuo viro cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium potest cum quo priùs adulterium fuit. Ita manet inter viventes quiddam conjugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis: sicut apostata anima velut de conjugio Christi recedens, etiam fide perditâ Sacramentum fidei non amittit, quod Lavacro regenerationis accepit. Redderetur enim proculdubio redeunti, si amisisset abscedens. Habet autem hoc qui recesserit ad cumulum supplicii, non ad meritum præmii.*

Matrimonium cum Baptismo in ratione Sacramenti comparat S. Augustinus.

Idem docet *S. Leo* Epistola ii. aliàs xcii. ad *Rusticum* Narbonensem Episcopum: *Cum* (inquit) *societas Nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum: dubium non est, eam mulierem non pertinere ad Matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium.*

Lucius III. cap. *Ad abolendam*. Ext. *De Hæreticis*, Matrimonium inter cætera Ecclesiæ Sacramenta enumerat, perpetuo Anathemate innodans eos, *Qui de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini Jesu-Christi, vel de Baptismate, seu de peccatorum Confessione, Matrimonio, vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis, aliter sentire aut docere non metuunt, quàm sacrosancta Romana Ecclesia prædicat & observat.*

Eugenius IV. in Decreto Unionis Armenorum post Concilium Florentinum edito, septem Novæ Legis Sacramenta recenset, quorum unum est Matrimonium.

Concilium denique Tridentinum Sessione xxiv. Canone 1. Matrimonium verè propriéque Sacramentum esse, & gratiam conferre declarat: *Si quis dixerit, Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis*

à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum; neque gratiam conferre; Anathema sit. Gratiæ itaque promissio Matrimonii Sacramento est annexa.

Propositio II.

Matrimonii Sacramentum gratiam conferre, dogma fidei est.

Hanc scilicet Quæstionem à veteribus quibusdam Theologis, præsertim à *Durando*, & nonnullis etiam Juris Canonici Commentatoribus ventilatam, Concilium Tridentinum finivit Canone primo Sessionis XXIV. & in Doctrina de Sacramento Matrimonii præmisit: *Gratiam verò, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugésque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium Sacramentorum Institutor atque Perfector, suâ nobis Passione promeruit; quod Paulus Apostolus innuit, dicens: Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea: mox subjungens:* Sacramentum *hoc magnum est: Ego autem dico, in Christo & in Ecclesia. Cùm igitur Matrimonium in Lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratiâ præstet; meritò inter Novæ Legis Sacramenta annumerandum, Sancti Patres nostri, Concilia, & universalis Ecclesiæ Traditio semper docuerunt.* Per hanc gratiam fit ut vir & uxor mutuæ caritatis vinculo conjuncti, alter in alterius benevolentia conquiescat, alienósque & illicitos amores, & concubitus non quærat; sed in omnibus sit honorabile connubium & thorus immaculatus. Per hanc gratiam fit ut Matrimonium, quod in remedium concupiscentiæ institutum est, ipsam refrænet atque coërceat. Nisi enim Matrimonio gratia conferretur, concupiscentiam potiùs augeret quàm moderaretur Matrimonii usus. Hinc *S. Augustinus*, Libro *De Bono Conjugali*, cap. v. *Ad hoc* (inquit) *Nuptiæ sunt, ut illa concupiscentia reducta ad legitimum vinculum, non deformis & dissoluta fluitaret, habens de seipsa irrefrænabilem carnis infirmitatem: de Nuptiis autem indissolubilem fidei societatem: de seipsa progressum immoderatè coëundi; de Nuptiis modum castè procreandi*, &c. Per hanc gratiam fit ut Christiani conjuges quærant prolem, non tantùm quæ nascatur mundo, sed quæ renascatur & consecretur Christo. Unde *S. Augustinus*, Libro 1. *De Nuptiis & concupiscentia*, cap. XVII. *In Nuptiis* (inquit) *bona Nuptialia diligantur, proles, fides, Sacramentum: sed proles non ut nascatur tantùm, verùm etiam ut renascatur: nascitur namque ad pœnam, nisi renascatur ad vitam.* Per hanc gratiam fit ut Christiani conjuges inviolatam ac individuam fidem sibi mutuò servent: *Fidem* (inquam) *non qualem habent inter se etiam Infideles zelantes carnem. Quis enim vir, quamlibet impius, vult adulteram uxorem? Aut quæ mulier, quamlibet impia, vult adulterum virum? Hoc in connubio bonum naturale est quidem, carnale tamen. Sed membrum Christi conjugis adulterium conjugi debet timere, non sibi; & à Christo sperare fidei præmium, quam exhibet conjugi:* inquit *S. Augustinus* ibidem.) Per hanc gratiam fit ut prolem parentes enutriant & instituant *In disciplina & correptione Domini*; ut monet Apostolus ad *Ephesios* VI. Per hanc gratiam fit ut Christiani conjuges onera & incommoda Matrimonii ferant, quæ Apostolus his verbis significavit: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.* Quam tribulationem experiuntur conjugati *In suspicionibus zeli conjugalis, in procreandis filiis atque nutriendis, in timoribus & mœroribus orbitatis. Quotus enim quisque, cùm se connubii vinculis alligaverit, non istis trahatur atque agitetur affectibus?* (inquit *S. Augustinus* Libro *De Sancta Virginitate*, Cap. XVI.) Ad hanc tribulationem tolerandam gratia Sacramentalis Christianos conjuges juvat. Quibus accommodari meritò possint hac occasione verba Psalmi XL. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.* Quem locum *S. Augustinus* sic interpretatur Enarratione in Psalmum XL. *Lectus doloris, infirmitas est carnis. Ne dicas, non possum tenere, & portare, & frænare carnem meam: adjuvaris ut possis. Dominus opem ferat tibi super lectum doloris tui. Portabat te lectus, non portabas lectum; sed paralyticus intus eras, adest qui dicat tibi: Tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.* Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus. *Et ad ipsum Dominum convertit se, tamquam quæreretur, Quare ergo cùm opem nobis ferat Deus, tanta mala patimur in ista vita, tanta scandala, tantos labores, tantam inquietudinem cordis & sæculi? Convertit se ad Deum, & tamquam consilium medicinæ ejus nobis exponens,* Totum stratum ejus (inquit) versasti in infirmitate ejus. *Per stratum intelligitur aliquid terrenum. Omnis anima infirma in hac vita quærit sibi aliquid terrenum ubi requiescat; quoniam intentionem laboris & mentis extenta in Deum difficilè potest perpetuò tolerare: aliquid sibi in terra conquirit ubi requiescat, & quodammodo pausatione quadam recumbat, veluti sunt ista quæ diligunt & innocentes..... Adquiescit in domo sua, in familia sua, in conjuge, in filiis.... Sed tamen Deus volens nos amorem non habere nisi vitæ æternæ, & istis velut innocentibus delectationibus miscet amaritudines, ut & in his patiamur tribulationes, & universum stratum nostrum vertit in infirmitate nostra.* Tribulationibus hujusmodi nullus magis obnoxius status est, quàm status conjugii. Quamobrem ad eas tolerandas singulari gratiâ opus est, quæ Matrimonio confertur. Quid matris in prolis gestatione pericula & fastidia, in partu labores, in nutritione tædia commemorem? Quid patris in educatione sollicitudines & anxietates? Quid indissolubilis adhæsionis necessitatem, officia, mutuam servitutem, infirmitatibus, vitiis, rixis, quæ frequenter suboriuntur, non obstantibus? Quæ cùm sine gratiâ tolerari non possint, eámque Deus conferat singularem iis quos ad aliquem statum vocat, in eóque collocat, ut difficultates vincant & æternæ salutis impedimenta eo in statu occurrentia; minimè dubitandum est, quin gratia singularis Matrimonii Sacramento conferatur. Per hanc gratiam fit ut vir diligat uxorem, sicut Christus Ecclesiam; & ut mulier hilariter subdita adhæreat viro suo, sicut Ecclesia Christo. Per hanc denique gratiam fit, ut spe prolis amissâ, perpetuò & concorditer conjuncti ad mortem usque permaneant: utque Christianus conjux etiam malum conjugem ferat, ut eum Christo lucrifaciat & sanctificet.

Gratia Sacramenti Matrimonii quid præstet conjugibus?

Tribulatio carnis in conjugatis.

1. Cor. 7. 28.

Ad hanc tribulationem tolerandam gratia Sacramenti juvat.

Vim porrò gratiæ operatricem Christus Matrimonio contulit, cùm illud ad Sacramenti dignitatem evexit Matth. XIX. his verbis: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*: & ad hujus rei significationem Nuptias benedixit, quas primo suorum Miraculorum illustravit. Hinc *S. Cyrillus* Libro II. in *Joannem*, Christum ad Nuptias profectum ait „*Ut nativitatis nostræ principium, quantùm ad carnem attinet, hoc est, Matrimonium*

Vim gratiæ operatricem quando Christus contulit Matrimonio?

monium sanctificaret. Oportebat certè, quoniam totam hominis naturam ad melius restaurabat; non solùm natis jam hominibus benedicere, verùm etiam nascituris gratiam praparare: & aditum illorum ad hanc vitam auctoritate miraculi, & præsentiâ suâ sanctum efficere. Præterea, in doloribus parere filios, ad mulierem propter peccatum dictum fuit: quomodo igitur aliter depellenda hæc maledictio erat, ne condemnata Nuptiarum sanctimonia videretur, quàm Salvatoris præsentiâ, qui cùm sit verum gaudium, priscum Nuptiarum mœrorem præsentiâ suâ depulit? Nascituris gratia præparatur, quando Matrimonium quod est aditus ad hanc vitam benedicitur.

Denique *Innocentius I.* Epistola IX. *De Fortunio* qui uxore in captivitatem abductâ, & superstite, alteram duxerat, sic respondet: *Statuimus, Fide Catholica suffragante, illud esse conjugium, quod primitus erat gratiâ divinâ fundatum: Conventúmque secunda mulieris priore superstite, nullo pacto esse posse legitimum.*

Objectiones diluuntur.

Quamvis porrò Matrimonium non consistat in aliqua re sacrâ quæ suscipientibus à Ministro, extrinsecùs applicetur, nihilominùs Sacramentum est. Christus enim civilem contractum ad Sacramenti dignitatem cùm evexerit, morem contractuum servari voluit: In contractibus autem nihil extrinsecùs applicatur, sed mutuo contrahentium consensu verbis significato, adhibitis solemnibus Juris, perficiuntur. Unde *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXVI. Quæstione III. ad secundum, ait: *Sacramentum Matrimonii perficitur per actum ejus qui Sacramento illo utitur, sicut Pœnitentia: & ideo sicut Pœnitentia non habet aliam materiam nisi ipsos actus sensui subjectos, qui sunt loco materialis elementi, ita est de Matrimonio.*

Nec etiam obest rationi Sacramenti verè ac propriè dicti, quòd conjunctionem Christi & Ecclesiæ, quam significat, non efficiat: Christi enim & Ecclesiæ conjunctio res est significata tantùm: rem autem hujusmodi nullum Sacramentum operatur: Sed Matrimonii Sacramento significata simul & virtute contenta res est, conjunctio non corporum solùm, sed & animorum per veram & divinam charitatem, ut uxor jungatur viro sicut Ecclesia Christo, & vir uxori sicut Christus Ecclesiæ. Sacramentum tantùm, actus externi, mutuum consensum & conjunctionem indissolubilem significantes. Res & Sacramentum est obligatio quæ innascitur viri ad mulierem, ex illis actibus, (ut loquitur *S. Thomas*) seu vinculum & confœderatio nuptialis, quæ nullo divortio potest aboleri, (ut loquitur *S. Augustinus.*)

Ecclesia non mutat essentialia Matrimonii.

Nemo autem dixerit, Ecclesiam essentialia Matrimonii mutare, quia Legibus suis efficit ut irrita sint conjugia certas inter personas contracta, quamvis ipsæ in Matrimonium consentiant: ideóque è numero Sacramentorum expungendum esse, cùm Ecclesia mutare non possit Sacramentorum substantiam. Materia enim sive subjectum hujus Sacramenti sunt personæ legitimæ; quæ autem personæ sint legitimæ, Christus non statuit, sed Ecclesiæ statuendum & declarandum reliquit. Quamobrem Ecclesia non facit ut personæ legitimæ non sint materia Matrimonii, adeóque materiæ substantiam non mutat; Decretis tamen suis ac legibus ex legitimis personis illegitimas facit. *Nam persona illegitima ad Matrimonium contrahendum dicuntur, ex eo quod sunt contra legem quâ Matrimonium constituitur*, (inquit *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XXXIV. Quæstione I. Articulo I. ad quartum.)

CONSECTARIUM I.

Matrimonium ante Christum, Sacramentum propriè dictum non fuit, sed naturæ officium, & concupiscentiæ remedium.

CONSECTARIUM II.

Matrimonium Infidelium non est propriè dictum Sacramentum.

Nullius enim Sacramenti sunt capaces, qui Baptisma, quæ janua est Sacramentorum, non susceperunt. Unde cùm *Innocentius III.* cap. *Gaudemus*, Ext. *De Divortiis*, ait, *Sacramentum conjugii apud fideles & infideles existere*, communi quadam & minùs propriâ significatione Sacramenti nomen usurpat, respectu infidelium. Nam cap. *Quantò*, sub eodem titulo *Matrimonium* quidem *verum, non tamen ratum*, inter Infideles existere respondet. Hinc *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXXIX. Quæstione I. Articulo II. ad primum, ait: *Quamvis Infidelibus non competat Matrimonium secundùm quod est Sacramentum in dispensatione Ministrorum Ecclesiæ consistens, competit tamen in quantum est in Officium naturæ: & tamen etiam Matrimonium tale est aliquo modo Sacramentum habitualiter, quamvis non actualiter; eò quod actu non contrahunt in fide Ecclesiæ.*

CONSECTARIUM III.

Dubium est an Matrimonium per Procuratores inter Fideles absentes contractum sit verè Sacramentum.

Matrimonium per Procuratores contractum inter Fideles absentes, sit ne sacramentum?

Ea enim de re variæ sunt Theologorum Sententiæ, & probabiles utrinque rationes. Quamobrem consultius erit ut qui Matrimonium ita contraxerunt, coram positi contractum ratum habeant, iterata etiam Benedictione Nuptiali, ne fortè consensus interrupti fuerint, vel Sacramenti ratio hujusmodi Matrimonio desit; maximè cùm fieri possit ut revocata fuerit procuratio ignorante Procuratore, & ea cum qua alterius nomine contraxit: quo casu Matrimonium non solùm Sacramentum non esset, sed omninò nullum & irritum existeret, ut constat ex cap. *Procurator*, Tit. *De Procuratoribus* in Sexto. *Procurator* (inquit) *non aliter censetur idoneus ad Matrimonium contrahendum, quàm si ad hoc Mandatum habuerit speciale...... Non poterit deputare alium, nisi hoc specialiter sit commissum. Sanè si Procurator, antequam contraxerit à Domino fuerit revocatus, contractum postmodum Matrimonium ab eodem, licet tam ipse quàm ea cum qua contraxit revocationem hujusmodi penitus ignorarent, nullius momenti existit, cùm illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequivit.*

ARTICULUS V.

De Materia, Forma & Ministro Sacramenti Matrimonii.

§. I.

De Materia & forma sacramenti Matrimonii variæ Theologorum sententiæ.

I. De Materia & Forma Sacramenti Matrimonii Theologi disputant, Ecclesia silet. Quidam personas ipsas contrahentes, materiam; verba verò consensum exprimentia, formam esse volunt. Alii verba ipsa, seu consensum mu-

tuum verbis vel signis expressum materiam & formam diversâ consideratione esse aiunt; materiam quatenus determinantur, formam quatenus determinant. Atque huic opinioni patrocinari videtur *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXVI. Quæstione II. Articulo I. ad primum: *Verba*, inquit, *quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti, non autem Benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam Sacramentale.* Et in Responsionem ad secundum: *Sacramentum Matrimonii perficitur per actum ejus qui Sacramento illo utitur, sicut Pœnitentia: & ideo sicut Pœnitentia non habet aliam materiam nisi ipsos actus sensui subjectos, qui sunt loco materialis elementi, ita est de Matrimonio.*

Cardinalis *Bellarminus* Matrimonii Sacramentum duobus modis considerari posse ait: Uno modo dum fit: Altero modo, dum permanet, postquam factum est. Si priori modo consideretur, totam ejus essentiam in signis mutuum consensum exprimentibus esse positam: Si posteriori, conjuges ipsos simul cohabitantes sive externam conjugum societatem & conjunctionem, esse materiale symbolum externum, Christi & Ecclesiæ indissolubilem conjunctionem repræsentans: Quemadmodum in Sacramento Eucharistiæ Consecratione peractâ remanent species consecratæ, quæ sunt symbolum sensibile atque externum interni alimenti spiritualis.

Verba conjugum mutuum consensum exprimentia, non humano dumtaxat, sed religioso modo, cum fide scilicet ac pietate in Deum Nuptiarum Conciliatorem, hujus Sacramenti formam esse, docet Concilii Coloniensis Catechismus. *Verbum* (inquit) *hujus Sacramenti, quo accedente ad elementum fit Sacramentum, id nimirum est, quo ambo, mas & fœmina (cum pietatis respectu quæ in Deum est, sibi mutuo fidem conjugalem dant, accipiuntque) non quovis modo, sed in Dei nomine conjunguntur ac copulantur..... Est autem tale verbum Christi verbis, uti validissimâ ac firmissimâ basi subnixum, cùm inquit: QUOD Deus conjunxit, homo non separet.* Et infrà: *Aliud ergo verbum quàm verbum meri consensus requirendum erit, quo conjugium Sacramentum efficiatur. Quod nos, ut in cæteris, ita & in hoc Sacramento tale verbum esse putamus, cui fides in Deum accedit, nempe quòd accedens ad elementum faciat Sacramentum, non quia pronuntiatur, sed quia creditur. Ut planè dicamus quod sentimus: non sufficit ut Matrimonium quod contrahitur sit Sacramentum, virum tantùm accipere mulierem, & vicissim mulierem accipere virum in conjugem: sed necesse est ad Sacramenti rationem, ut alter alteri religiosè ac in Domino jungantur: non tamquam auspicaturi rem humanam, sed magis divinam, quam non ipsi suis viribus, sed in ipsis sit operaturus ac effecturus Deus. Quod fit, si in verbum Dei, quo hoc Sacramentum firmatur ac stabilitur, respiciamus ac fide credamus ea bona in non indignè auspicantibus Matrimonii Sacramentum effecturum Deum, quæ ipse verbis suis pollicetur, aut certè in conjugibus requirit. Quod tam verum est, ut nec Patres Veteris Legis Matrimonio, quod apud eos etiam Sacramentum, sed illius Legis erat, ullam Sacramenti sanctitatem tribuendam putarent, nisi quod esset piè ac religiosè sub Dei testimonio, in fide ac timore Domini contractum.... Abraham accepturus filio suo uxorem vide quò spectavit. Non enim quærebat substantiam multam, non divitias, non servos, non multa agri jugera, non externæ venustatis formam (quæ mutuum consensum, sed fide vacuum in contrahendo Matrimonio conciliare potuissent) sed in unum illum Autorem & Conciliatorem casti Matrimonii Deum, & in caussam institutionis respiciens, mandatum servo dat ne filio suo Isaac de filiabus Chanaan idololatris uxorem ducat, sed profectus in Mesopotamiam de cognatione ipsius Abrahæ Deum agnoscente & timente accipiat, atque eam accipiat non quam humanus affectus elegerit, sed quam Deus filio suo præparaverit.... Eadem pietate Isaac quoque præditus, filio suo Jacob præcepit ne acciperet conjugem de genere Chanaan, sed magis de cognatione sua, adjectâ benedictione fiducia erga Deum plenissimâ.* Deus (*inquit*) omnipotens benedicat tibi, & crescere te faciat, atque multiplicet ut sis in turbas Populorum, & det tibi benedictiones Abrahæ, & semini tuo post te. *Ad hæc Liber Tobiæ (ut cetera Sanctorum Veteris Legis religiosorum Matrimoniorum exempla recitare omittamus, disertè secernit Matrimonia Sanctorum à Matrimoniis profanis. Sic enim loquitur Tobias ille junior:* Filii quippe Sanctorum sumus, & non possumus ita conjungi sicut Gentes quæ ignorant Deum. *Et rursus in verbum & finem Sacramenti respiciens, Deum appellans:* Domine Deus (*inquit*) Patrum nostrorum, Tu scis quia non luxuriæ causâ accipio sororem meam conjugem, sed solâ posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum. *Et capite proximo testatur Angelus, Conjugem bonam deberi viro timenti Deum. Raguel quoque Saræ pater, non ignarus unde Matrimonii vis penderet, plenâ erga Deum fiduciâ, dexteram filiæ suæ apprehendens, dexteræ Tobiæ tradidit dicens:* Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob vobiscum sit, & ipse conjungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis. *Sed quid hæc tam multis attinet commemorare, cùm possim Biblia Deum casti Matrimonii Conciliatorem pronuntient. Apud Salomonem Proverb.* XIX. *sic legimus:* Domus & divitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè uxor prudens. *Et Ecclesiastici* XXVI. Pars bona mulier bona timentium Deum, dabitur viro pro factis bonis. *Jam si hæc fuit apud Patres Veteris Legis Matrimonii ratio, ut non tantùm requirerent verbum mutui consensus, sed & fiduciæ erga Deum significativum, quantò magis id obtinet in Novo Testamento, in quo Christus non solum conjugium ad primam institutionem revocavit, pristinæque dignitati restituit, sed & amplioris gratiæ augmenta sacravit, cùm scilicet in Cruce obdormiscens, aquâ & sanguine ex aperto latere profusis sibi Ecclesiam uxorem conderet, ac præordinatas illas ab æterno Nuptias (quarum veluti nostras esse Sacramentum) consummaret. Itaque Apostolus Paulus, quòd Christiani ducunt, vel nubunt, non simpliciter nubere, sed in Domino nubere appellat, nimirum indicans Christianos Domino mediante jungi oportere, accedente fide, quæ in verba Christi (quibus hoc Sacramentum firmavit ac roboravit) respiciat.* Genes. 24. Genes. 28. Tob. 8. Tob. 7.

Melchior Cano, Estius, Silvius, aliique clarissimi Theologi, formam Sacramenti Matrimonii non verba conjugum, sed verba Sacerdotis Matrimonium celebrantis esse censent, in Romano Rituali præscripta, vel alia æquivalentia, secundùm uniuscujusque Ecclesiæ Ritum: De quibus Tridentina Synodus Sessione XXIV. cap. I. *De Reformatione Matrimonii*, ait: *Si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur, ubi Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat:* EGO vos in Matrimonium conjungo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: *vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciæ Ritum.* Mediolanense Sacramentarium ubi Spon-

sus & Sponsa sigillatim nominatimque interrogati consensum suum expresserunt, Parochum hæc verba Evangelii dicere jubet: *Quod Deus* » *conjunxit, homo non separet.* Interea Sponsi ge» nua flectunt, & Parochus dexterâ suâ Sponsi » dexteram prehendit, & ad significationem vin» culi fideique conjugalis imponit manui dexte» ræ Sponsæ; summitatésque Stolæ in modum » crucis imponit ambabus Sponsorum manibus, » & apertè dicit: *Ego Auctoritate Sanctæ Matris Ecclesiæ, quâ fungor, conjungo vos in Matrimonium:* ter signum Crucis super utrumque faciendo, *In Nomine Patris,* † *& Filii,* † *& Spiritus* † *Sancti. Amen.*

§. II.

> Variæ Theologorum opiniones de Ministro Sacramenti Matrimonii.

Ministros Sacramenti Matrimonii posteriorum Scholasticorum pars maxima ipsos esse contrahentes asserit, quòd verba mutuum exprimentia consensum formam esse hujus Sacramenti persuasum habeant: hæc autem ab ipsis conjugibus proferantur: Illique opinioni præsidium quærunt ex verbis *Eugenii* IV. in Decreto pro Instructione Armenorum post Synodum Florentinam edito: *Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Et ex verbis *S. Thomæ* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXVI. Quæstione II. Articulo I. ad primum respondentis, Verba quibus consensus Matrimonialis exprimitur esse formam hujus Sacramenti, non autem Benedictionem Sacerdotis, quæ est quoddam Sacramentale duntaxat, id est, Sacra Ceremonia ad Sacramenti solemnitatem ex Ecclesiæ Institutione accedens.

Quidam contra maximi nominis & eruditionis eximiæ Theologi, *Melchior Cano*, *Estius*, *Silvius*, &c. solum Sacerdotem proprium esse Sacramenti Matrimonii Ministrum propugnant; adeò ut sine Sacerdote verba proferente contractum Matrimonium, quamvis ratum sit, (si nihil desideretur eorum quæ ad ipsam contractûs substantiam pertinent, vel Ecclesiæ Legibus præscripta sunt;) Sacramentum tamen minimè censendum sit. Quin & veteres Theologos opinionis hujus patronos laudat *Cano*, scilicet *Guillelmum Parisiensem* Lib. *De Sacramentis*, Tractatu *De Matrimonio*, & *Petrum Paludanum* in IV. *Sententiarum*, Dist. V. Quæstione II. Nam cùm vir & femina civiliter contrahunt, etiamsi peccatores sint, nec Pœnitentiam agant, non credit eos esse reos sacrilegii: id quod nullo modo probabile esset, si ejusmodi Matrimonium esset verum Ecclesiæ Sacramentum. Omnes quippe sine controversia sacrilegi sunt, qui post peccatum mortale sine Pœnitentia Christi Sacramenta suscipiunt. Atque ipsum etiam Theologorum Principem *S. Thomam* huic opinioni subscripsisse probat, scilicet in IV. *Sententiarum*, Dist. I. Quæstione II. Articulo III. ad quintum: *Matrimonium* (inquit) *secundùm quòd est in officium, & Pœnitentia secundùm quòd est virtus, non habent aliquam formam verborum; sed secundùm quòd utrumque est Sacramentum in dispensatione Ministrorum Ecclesiæ consistens, utrúmque habet aliqua verba; sicut in Matrimonio sunt verba exprimentia consensum, & iterum Benedictiones ab Ecclesia institutæ; in Pœnitentia autem est Absolutio Sacerdotis verbo tenus facta.*

Et IV. *Contra Gentes*, cap. LXXVIII. *Matrimonium in quantum ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet quòd subjaceat Regimini Ecclesiastico. Ea autem quæ Populo per Ministros Ecclesiæ dispensantur, Sacramenta dicuntur. Matrimonium igitur secundùm quod consistit in conjunctione maris & feminæ intendentium prolem ad cultum Dei generare & educare, est Ecclesiæ Sacramentum. Unde & quædam Benedictio nubentibus per Ministros Ecclesiæ adhibetur.*

Et *Secunda Secundæ*, Quæstione centesima, Articulo II. ad sextum: *Dare pecuniam pro Matrimonio, in quantum est Ecclesiæ Sacramentum, illicitum est: & ideò secundùm Jura prohibetur, ne pro Benedictione Nuptiarum aliquid detur.*

Et in ipso Supplemento III. Partis ex IV. *Sententiarum* collecto, Quæstione VIII. Articulo I. *Gratia quæ in Sacramentis datur, à Capite in membra descendit: & ideò solus ille Minister est Sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet Ministerium super Corpus Christi verum, quod solius Sacerdotis est, qui consecrare Eucharistiam potest.*

Quæstione XXIX. Articulo II. *Respondeo, quòd Sacramenta in quibus gratia confertur, dispensare ad solos Sacerdotes pertinet.*

Quæstione XXXI. Articulo I. *Nullius Sacramenti dispensatio Laicis ex Officio competit.*

Sanè cùm Sacramenta sint sacri Religionis Ritus, eorum dispensatio ad Ecclesiæ Ministros, id est, Sacerdotes pertinet, nec Laicis, imò & mulieribus, tanquam ordinariis Ministris credita est.

Ac Patrum quidem memoriâ Matrimonium propriè esse Sacramentum, ita demum proditum est, si Sacerdotis Ministerium interveniat.

Sic *Tertullianus* Libro I. *Ad Uxorem*, cap. IX. *Unde sufficiamus ad enarrandum felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat Oblatio, obsignat Benedictio, Angeli renunciant, Pater ratò habet?*

Concilium Carthaginense IV. Canone XIII. *Sponsus & Sponsa, cùm benedicendi sunt à Sacerdote, à parentibus suis vel paranymphis offerantur. Qui cùm Benedictionem acceperint, eadem nocte, pro reverentia ipsius Benedictionis in virginitate permaneant.* Si Patres Africani Benedictionem Sacerdotis meram ceremoniam esse existimassent, non erat caussa cur tantam reverentiam novis conjugibus imperarent: cùm majorem vel æqualem Benedictionem Christiani quilibet singulis diebus accipiant in fine Sacrificii, tum a Sacerdotibus, tum ab Episcopis, neque tamen propterea moneantur ut ab usu conjugii abstineant.

Siricius Pontifex Maximus Epistola I. Ad *Himerium* Tarraconensem Episcopum, cap. IV. *Illa Benedictio quam nupturæ Sacerdos imponit, apud Fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ullâ transgressione violetur.*

Innocentius III. Epistola II. Ad *Victricium* Rothomagensem Episcopum. *In Paradiso cùm parentes humani generis conjungerentur, ab ipso Domino sunt benedicti, & Salomon dicit:* A Deo præparabitur viro uxor. *Quam formam etiam, Sacerdotes omnes servare, usus ipse demonstrat Ecclesiæ. Satis enim absurdum est aliquem crede e uxorem ante Baptismum acceptam, post Baptismum non computari: cùm Benedictio quæ per Sacerdotem super nubentes imponitur, non materiam delinquendi dedisse, sed formam tenuisse legis à Deo antiquitus institutæ doceatur.*

Alexander III. cap. *Cùm in Ecclesia*, Ext. *De Simonia*, Nubentium benedictionem à Sacerdote factam aliis Sacramentis adnumerat, strictiùs prohibens *Ne pro benedicendis Nubentibus, & aliis Sacramentis conferendis aliquid exigatur.*

Martinus V. in fine Concilii Constantiensis decernit interrogandum illum qui hæresis suspicione laboraverit, *An credat quod Christiani*

contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extrema-Unctionis, vel solemnizationis Matrimonii, peccet mortaliter? Solemnizationem Matrimonii non minùs Sacramentum vocat, quam confirmationem & Extremam Unctionem: Parochus itaque solemnizationis illius Minister non minùs Matrimonii Minister est, quàm Episcopus Confirmationis, & Presbyter Extremæ-Unctionis.

Eugenius IV. in decreto docet Sacramenta tribus perfici, rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ Ministri. Si verò contrahentes ipsi Ministri essent Sacramenti Matrimonii, Sacramentom sine verbis perfici posset, per literas nempe vel nutus mutuum consensum exprimentes: Sacramentum præterea sine intentione Ministri perfici posset, cùm conjoges suscipiendi quidem, non autem administrandi Sacramenti intentionem habeant, nec ea de re ab Ecclesia moneantur. Ad hæc, Ministris duobus opus esset, cùm *Eugenius IV.* & Synodus Tridentina unius duntaxat Ministri personam in cujusque Sacramenti dispensatione postolent. Mulier denique, cui in Ecclesia loqui, nedum Sacramenta dispensare, non permittit Apostolus, in facie Ecclesiæ Sacramentum administraret.

Concilium Tridentinum vult ut Parochus tanquam Ecclesiæ Minister dicat contrahentibus: *Ego vos in Matrimonium conjungo, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quæ verba id efficere quod significant, adeóque Sacramentalia esse contendunt Eruditi Sententiæ istius Vindices: alioquin dicendum potius esset, Ego vos conjunctos in Matrimonium declaro.

Concilium Coloniense cap. XL. docet *Sacramentum Matrimonii, si quis, sicut decet, acceperit, accedente Sacerdotali Precatione, conferre donum Spiritûs, quo vir diligat uxorem amore casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam. Mulier vicissim propter Christum amet, vereaturque virum suum uti Dominum: uterque liberos, si dentur, summâ curâ instituant ad Christianam pietatem.* Et in Enchiridio Christianæ Institutionis: *Videmus*, inquit, *& in Veteri Lege quosdam fuisse, qui Dei vice conjuges conjungerent: quantò ergo magis putandum est, in Nova Lege Sacerdotes, qui legatione pro Deo funguntur, legitimos hujus Sacramenti Ministros esse? In Lege quidem Veteri pater, aut defuncto patre, proximus puellæ agnatus, seu tutor, Dei loco conjuges jungebat. Sic Tobiæ* VII. *legis:* Et apprehen- » dens Raguel dexteram filiæ suæ, dexteræ To- » biæ tradidit, dicens: Deus Abraham, & » Deus Isaac, & Deus Jacob vobiscum sit; & » ipse conjungat vos, impleátque benedictionem » suam in vobis. *Ad eundem modum ab Apostolorum temporibus, Matrimonii Sacramentum in facie Ecclesiæ celebratum est, Ministris Sacerdotibus Christi.* Cæterùm varias illas Theologorum Opiniones circa materiam, formam, ac Ministrum Sacramenti Matrimonii proponimus tantùm ac referimus: quam libuerit, quisquis sequatur, cùm de his Quæstionibus nihil pronuntiaverit Ecclesia, illásque Theologorum disputationi permittat.

ARTICULUS VI.

De Polygamia.

PROPOSITIO I.

Polygamia à Matrimonii natura aliena est.

HAnc Propositionem Concilii Tridentini Catechismos probat ex illis Christi Domini verbis Matth. XIX. *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una:* Ac deinde subjungit: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Ex quibus verbis constat, Matrimonium ita à Deo institutum esse, ut duorum tantùm, non plurium conjunctione definiretur. Noo enim ait: Masculum & feminas fecit, sed *Masculum & feminam*: Nec *Adhærebit uxoribus suis*, sed, *uxori*: nec tres, vel plures erunt in carne una, sed, *duo in carne unâ.* Igitur unam uni perpetuò conjungendam edixit: quod ex his Domini verbis colligunt *S. Joannes Chrysostomus, S. Hieronymus, Venerabilis Beda, Theophylactus, Euthymius*, & *Innocentius III.* Pontifex Maximus cap. *Gaudemus*, Ext. *De Divertiis.*

Idem probant ista Salvatoris verba ab eodem Evangelista ibidem relata: *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam: & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Nam si viro liceret plures simul uxores ducere, nulla omninò causa esse videretur, cur magis adulterii reus dicendus esset, quòd præter eam uxorem quam domi haberet, aliam duceret, quàm quòd, priore dimissâ, cum aliâ conjungeretur. Ita colligit *Innocentius III.* loco mox indicato: *Si ergo* (inquit) *uxore dimissâ duci alia de jure non potest, fortiùs & ipsâ retentâ: per quod evidenter apparet, pluralitatem in utroque sexu, cùm non ad imparia judicentur circa Matrimonium, reprobandam.* Pares sunt in re Matrimonii vir & mulier, *Innocentio III.* Judice: Cùm ergo mulieri non liceat plures habere viros; nec viro licet plures habere uxores. Quæ ratio ex Apostolo sumpta est 1. ad Corinthios VII. scribente. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Uxori vir debitum reddat.* Quamvis igitur pluralitas uxorum fœcunditatem non tollat, primarióque fini Matrimonii, scilicet procreationi liberorum, eo nomine non repugnet, sicut repugnat pluralitas virorum respectu unius uxoris: id tamen adversatur honestati, juríque conjugali. Uxori namque fieret injuria, si corpus viri, cujus dominium in ipsam Matrimonii contractu translatum est, alteri traderetur.

Finem præterea secundarium Matrimonii, si non omninò tollit, certè multum impedit polygamia, cùm facile pax in familia conservari non possit, ubi plures uxores uni viro junguntur: siquidem plurium in uno officio communicatio invidiam parit, invidia verò lites, rixas, odia. Quamobrem *Pluralitas uxorum est quodammodo contra legem naturæ:* (inquit *S. Thomas*) Cæterùm Divino Juri prorsus repugnat, & institutioni Sacramenti, quod ita institutum à Christo est, ut esset unius cum una indissolubilis

conjunctio, ejusdem Salvatoris conjunctionem cum Ecclesia, unius Viri cum una Sponsa castissima significans. Ideo Lex Valentiniani Imperatoris, quâ pluralitatem uxorum licitam esse voluit, ut *Justinam* vivente adhuc *Severa* conjuge superducere posset, communi omnium consensu improbata est. *Possit enim homo dimittere sterilem uxorem*, (inquit *S. Augustinus* Libro *De Bono Conjugali*, cap. VII.) *& ducere de qua filios habeat: & tamen non licet; & nostris quidem jam temporibus ac more Romano, nec superducere, ut amplius habeat quàm unam vivam.* Idemque asse- B rit cap. XV. & rursus Libro XXII. *Contra Faustum*, cap. XLVII. & Libro III. *De Doctrina Christiana*, cap. XVIII.

Atque ob eam rem fieri intelligimus, ut si Infidelis quispiam, gentis suæ more & consuetudine, plures uxores duxisset, cùm ad veram Religionem conversus fuerit, jubeat eum Ecclesia cœteras omnes relinquere, ac priorem tantùm justæ & legitimæ uxoris loco habere; ut habetur cap. *Gaudemus*, Ext. *De Divortiis*. Meritò itaque Tridentinum Concilium Sessione XXIV. *De Matrimonio* pronuntiavit: *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul* C *habere uxores, & hoc nulla lege divina prohibitum: Anathema sit.*

PROPOSITIO II.

Accusandi non sunt prisci Patres, qui Veteris Legis tempore plures uxores duxerunt.

Hanc Propositionem Tridentini Catechismi ex Scriptura Sacra probare facile est, quæ veteribus illis Patriarchis singulare sanctitatis testimonium perhibet. Unde & Matthæi VIII. pro- D mittitur electis fore ut *Recumbant cum Abraham, Isaac, & Jacob in Regno cælorum.* Præterea si Polygamia illorum crimen fuisset, Deus *Davidem*, in ea hypothesi toties adulterum, non reliquisset impunitum, in quem ob vel unicum adulterium tam graviter animadvertit: nec *Joiada* Summus Sacerdos in Scriptura Sacra laudatus *Joaso* Regi Juda duas uxores tradidisset, si alteram sine crimine habere non potuisset.

At, inquies, Polygamia naturæ legi repugnat: quâ ergo ratione excusari possunt prisci Patres & E Reges polygami?

Quomodo excusentur Sancti Patriarchæ Polygami? Respondetur, Legem de unitate uxoris divinam quidem & naturalem esse, sed ex earum numero in quibus Deus dispensare potest, & revera dispensavit. Quædam enim ad legem naturæ primariò pertinent, qualia sunt hæc præcepta; Deus amandus est, parentes honorandi, vitandum homicidium, adulterium, furtum, mendacium. In his Deus ipse dispensare non potest: cædes enim hominis privatâ auctoritate, & injustè perpetrata, adulterium, furtum, mendacium, per se mala sunt, ideóque semper & ubique illicita. Quædam secundariò pertinent ad legem naturæ, quæ cùm per se mala non sint, F sed ideo tantùm mala, quia prohibita, Dei auctoritate & dispensatione licita fieri possunt, ut Polygamiæ prohibitio, Deus autem priscis illis Patribus concessit ut plures uxores ducerent ad propagationem Populi Dei, certorúmque Mysteriorum significationem. Mysterium namque in duabus *Abrahæ* uxoribus adumbratum explicat Apostolus ad Galatas IV. *Tunc ipsius pietatis erat operatio, etiam carnaliter filios propagare, quia illius Populi generatio nuntia futurorum erat, & ad dispensationem Propheticam pertinebat*; (inquit S. Augustinus Libro *De Bono Conjugali*, cap. XVII.)

Et prisci illi Patres *De suis Nuptiis filios propter Christum quærebant, ad genus ejus secundùm carnem distinguendum ab omnibus Gentibus: sicut Deo disponere placuit, ut hoc præ cæteris ad eum prophetandum valeret, quod prænuntiabatur ex quo etiam genere & ex qua gente esset in carne venturus*; (inquit idem S. Doctor cap. XIX.)

Quod autem divinâ concessione Sancti illi Patriarchæ plures uxores duxerint, etsi Scriptura Sacra non asserat, ex ea tamen colligitur, quia illorum sanctitati testimonium perhibet, neque illorum Polygamiam usquam reprehendit: quæ tamen inculpata non fuisset, nisi Deo inspirante ac dispensante fuisset usurpata. Hinc *S. Augustinus*, Libro XXII. *Contra Faustum*, cap. XLVII. *Quando*, inquit, *mos erat, crimen non erat: & nunc propterea crimen est, quia mos non est. Alia enim sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cùm ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus simul habitis uxoribus objicitur Sancto viro Jacob? Si naturam consulas, non lasciviendi, sed gignendi caussa illis mulieribus utebatur: Si morem, illo tempore, atque in illis terris hoc factitabatur: si præceptum, nulla lege prohibebatur. Nunc verò cur crimen est si quis hoc faciat, nisi quia & moribus & legibus hoc non licet?* Polygamiam non fuisse contra naturam *S. Augustinus* ait, non quòd naturæ legi consentanea esset, sed quòd fœcunditatis atque generationis naturæ minimè repugnaret. Contrariam præcepto non fuisse asserit, quia nullâ lege positivâ tunc prohibita erat, sicut nunc vetita est Christianis. Non fuisse contra mores, quia illo tempore & loco recepta erat, adeóque Patriarchis vitio verti non poterat, quibus divinâ dispensatione concessa erat. D Mos enim profanas Gentes eâ in re non excusabat. Sensus ergo *S. Augustini* hic est: Si quis mori apud Populum recepto divinâ dispensatione fretus obsequatur, non peccat: si verò apud alios, ubi id moribus receptum non est, id egerit, à scandali labe non erit immunis. Si ergo Patriarchæ quibuscum Deus in lege de unitate Matrimonii dispensaverat, eo loco plures uxores duxissent, ubi id moris non erat, scandali auctores extitissent, nisi docuissent id sibi à Deo singulares ob caussas concessum esse. Crimen ergo non erat, scandali scilicet, ubi mos erat, iis quibus Deus arcanâ id reve- E latione permiserat.

Hinc *Innocentius III.* cap. *Gaudemus* Ext. *De Divortiis*, ait: *Nec ulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divinâ revelatione concessum; quæ mos quandoque, interdum etiam fas censetur: per quam sicut Jacob à mendacio, Israëlitæ à furto, Samson ab homicidio; sic & Patriarchæ, & alii viri justi, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur.*

Idem confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXXIII. Quæstione I. Articulo II. *Lex*, inquit, *de unitate uxoris non est humanitus sed divinitus instituta, nec unquam verbo aut literis tradita, sed cordi impressa; sicut & alia quæ ad legem naturæ qualitercumque pertinent: &* F *ideo in hoc à solo Deo dispensatio fieri potuit per inspirationem internam: quæ quidem principaliter Sanctis Patribus facta est, & per eorum exemplum ad alios derivata est eo tempore quo oportuit prædictum naturæ præceptum prætermitti, ut major esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ: semper enim principalior finis magis conservandus est quàm secundarius: unde cùm bonum prolis sit principalis Matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio necessaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum quod posset in secundariis finibus evenire; ad quod removendum*

præceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinatur.

Et in Responsione ad tertium: *Qualis est Lex*, inquit, *talis debet esse dispensatio Legis: & quia Lex Naturæ non est literis scripta, sed cordibus impressa; propter hoc non oportuit dispensationem eorum quæ ad Legem Naturæ pertinent Lege scriptâ dari, sed per internam inspirationem fieri.*

Non est impar meritum continentiæ in Abraham & S. Joanne.

Non solùm igitur accusandi non sunt prisci Patres polygami, sed nec Monogamis nostris sive etiam continentibus postponendi. Quamvis enim continentiam Matrimonio excellentiorem esse minimè dubium sit, personam tamen Abrahæ polygami plurimis apud nos Continentiam solemni ritu professis, aut cœlibem vitam ducentibus anteferendam contendimus. Cùm enim personæ personis comparantur, non externum opus, sed animi propositum considerandum est, seu, ut *S. Augustinus* vocat, animi habitus spectandos, in quo virtus ipsa potiùs quàm in opere consistit. Habitus enim est, quo aliquid agitur cùm est opus; cùm autem non agitur, potest fieri, sed opus non est. In habitu ergo animi virtus semper esse debet: in opere autem pro rerum & temporum opportunitate. Jam si habitum continentiæ in Abraham licèt polygamo consideres, continentiæ virtutem in eo fuisse fateberis eximiam, quam & Nuptiis præposuisset, si ei talis optio data fuisset, qualis revelato Novo Testamento data est, dicente Domino: *Qui potest capere, capiat.* Sic virtus patientiæ Sanctorum Martyrum in opere apparuit, cæterorum verò æquè Sanctorum in habitu fuit. *Quocirca sicut non est impar meritum patientiæ in Petro qui passus est, & in Joanne qui passus non est: sic non est impar meritum continentiæ in Joanne qui nullas expertus est Nuptias, & in Abraham qui filios generavit. Et illius enim cœlibatus, & illius connubium pro temporum distributione Christo militarunt: sed continentiam Johannes & in opere, Abraham verò in solo habitu habebat*; inquit *S. Augustinus* Libro de *Bono Conjugali*, cap. xxi. Quòd autem potuerit, ac paratus fuerit *Abraham* continere se à Nuptiis propter Regnum cælorum, minimè dubitandum est, *Qui unicum prolis pignus, propter quod Nuptiæ caræ sunt, potuit intrepidus immolare propter Regnum Cælorum.* Verba sunt *S. Augustini* cap. xx. ejusdem Libri.

ARTICULUS VII.

De Indissolubilitate Matrimonii.

PROPOSITIO I.

Conjugii vinculum nullâ re nisi morte solvitur.

Matrimonium indissolubile.

CAtholicum istud Dogma luculentè probant Christi verba, Matthæi xix. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Et Marci x. *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam: & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Si conjugii vinculum aliquâ ex causâ Christianos inter conjuges solvi posset, liceret eis, facto justas ob caussas divortio, sine ullo adulterii crimine aliis nubere: atqui Dominus apertè denunciat, omnem qui dimiserit uxorem suam, & aliam ipsa superstite duxerit, adulterii reum fore, & pariter adulteram fore uxorem, quæ dimisso viro alteri nupserit: itaque conjugii vinculum nullâ re nisi conjugis morte solvi potest.

Id Apostolus confirmat 1. ad *Corinthios* cap. vii. *Iis autem*, inquit, *qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* Et *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est: Cui vult nubat, tantùm in Domino.* Ad Rom. 7. 2.

Hinc *S. Augustinus*, Libro *De Bono Conjugali*, cap. vii. *Quem* (inquit) *non faciat intentum quid sibi velit tanta firmitas vinculi conjugalis? Quod nequaquam puto tantùm valere potuisse, nisi alicujus rei majoris ex hac infirma mortalitate hominum quoddam Sacramentum adhiberetur, quod deserentibus hominibus atque id dissolvere cupientibus, inconcussum illis maneret ad pœnam. Si quidem interveniente divortio non abolетur illa Confœderatio Nuptialis: ita ut sibi conjuges sint, etiam separati; cum illis autem adulterium committant, quibus fuerint etiam post suum repudium copulati, vel illa viro, vel ille mulieri. Nec tamen nisi in Civitate Dei nostri, in Monte sancto ejus, talis est caussa cum uxore. Cæterùm aliter se habere Jura gentilium, quis ignorat, ubi interpositò repudio sine reatu alicujus ultionis humanæ, & illa cui voluerit nubit, & ille quam voluerit ducit? Cui consuetudini simile aliquid, propter Israelitarum duritiam, videtur permisisse Moyses de libello repudii, qua in re exprobatio quàm approbatio divortii magis apparet.*

Et cap. xv. *Semel autem initum connubium in Civitate Dei nostri, ubi etiam ex prima duorum hominum copulâ quoddam Sacramentum Nuptiæ gerunt, nullo modo potest nisi alicujus eorum morte dissolvi. Manet enim vinculum Nuptiarum, etiamsi proles, cujus causâ initum est, manifesta sterilitate non subsequatur: ita ut jam scientibus conjugibus non se filios habituros, separare se tamen vel ipsâ caussâ filiorum; atque aliis copulare non liceat. Quòd si fecerint, cum iis quibus copulaverint, adulterium committunt, ipsi autem conjuges manent.* Idem confirmat Libro 1. *De Nuptiis & Concupiscentia*, cap. x. & cap. xxi.

Meritò itaque sacra Synodus Tridentina Sessione xxiv. *De Matrimonio*, Canone v. ita statuit: *Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatum absentiam à conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum: Anathema sit.*

Objicitur Caput, *Quod proposuisti*, Caussa xxxii. Quæstione vii. quod est *Gregorii II.* ad *Bonifacium* Episcopum scribentis: *Si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum esset si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret: sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere nubat magis: non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, non detestabilis culpa excludit.*

Respondetur, *Gregorii II.* Responsum intelligendum esse de infirmitate Matrimonium præcedente, & quæ perpetuam impotentiam adjunctam habebat, sed tamen ante initum Matrimonium non innotuerat. Non enim ignorabat Pontifex Optimus Domini Sententiam: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

PROPOSITIO II.

PROPOSITIO II.

Ne Adulteris quidem caussâ Conjugii vinculum dissolvi potest.

Matrimonium solvi non potest, etiam adulterii caussâ.

SCripturæ Sacræ testimoniis superiùs prolatis Catholicum istud dogma, quod prioris Consectariom est, pariter probatur: illudque confirmat iterum Christus Luc xvi. 18. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* Et Matth. v. 31. 32. *Dictum est: Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis: Quia omnis qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat.* Quæ loca, necnon & illud Marci x. superiùs prolatum: *Quicumque dimittit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam*, &c. *S. Augustinus* expendens Libro I. *De Adulterinis Conjugiis*, cap. IX. *Qui ergo nos sumus* (inquit) *ut dicamus: Est qui mœchatur, uxore suâ dimissâ alteram ducens, & est qui hoc faciens non mœchatur? Cùm Evangelium dicat, omnem mœchari qui hoc facit. Proinde si quicumque id fecerit, id est, omnis qui hoc fecerit, ut uxore suâ dimissâ alteram ducat, mœchatur; sine dubitatione ibi sunt ambo, & qui præter caussam fornicationis, & qui propter caussam fornicationis dimittit uxorem. Hoc est enim*, QUICUMQUE DIMITTIT: *Hoc est*, OMNIS QUI DIMITTIT.

Matrimonii indissolubilitas.

Idem confirmat Apostolus ad Romanos VII. 2. *Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri; ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.* Quem locum Apostoli *S. Augustinus* expendens Libro II. *De Adulterinis Conjugiis*, cap. V. *Hæc* (inquit) *verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desiverit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur. Licitè itaque dimittitur conjux ob caussam fornicationis, nec carebit illo vinculo, etiamsi numquam reconcilietur viro; carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus. Reus verò excommunicatus ideò numquam carebit Regenerationis Sacramento, etiam non reconciliatus, quoniam numquam moritur Deus. Remanet itaque ut, si secundùm Apostolum sapere volumus, non dicamus virum adulterum pro mortuo deputandum, & ideò licere uxori ejus alteri nubere. Quamvis enim sit mors adulterium, non corporis, sed quod pejus est, animæ: non tamen & de ista morte loquebatur Apostolus, cùm dicebat*, Quòd si mortuus fuerit vir ejus, cui vult nubat: *Sed de illâ solâ, quâ de corpore exitur. Quoniam si per conjugis adulterium conjugale solvitur vinculum, sequitur illa perversitas, quam cavendam esse monstravi, ut & mulier per impudicitiam solvatur hoc vinculo: quæ si solvitur, libera erit à lege viri; & ideo, quòd insipientissimè dicitur, non erit adultera si fuerit cum alio viro, quia per adulterium liberata est à priore viro. Quod si ita est à veritate devium, ut nullus id, non dico Christianus, sed humanus sensus admittat; profectò* Mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit: *Quòd ut apertiùs dicam, quamdiu vir ejus in corpore est. Pari ergo formâ & vir alligatus est, quamdiu mulier ejus in corpore est. Unde si vult dimittere adulteram, non ducat alteram, ne quod in illa culpat, ipse committat. Similiter & mulier si dimittit adulterum, non sibi copulet alterum: alligata est enim quamdiu vir ejus vivit; nec à lege viri nisi mortui liberatur, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.*

Objectioni ex Christi verbis petitæ respondetur.

Difficultatem facessunt Christi verba, Matthæi XIX. 9. *Dico autem vobis, Quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Ex qua exceptiooe Græci, & Hæretici colligunt, illum non mœchari, qui uxorem dimittit ob fornicationem, & aliam ducit.

Verùm facilis & obvia responsio est, Exceptionem illam ad priorem dumtaxat Dominicæ Sententiæ partem spectare, ut scilicet Christianis solâ fornicationis caussâ dimittere liceat uxores; non autem ad secundam quasi non mœchetur qui dimissâ adulterâ, duxerit alteram. Utrumque enim mœchari Christus significat, & qui, uxore citra casum adulterii dimissâ, & qui dimissâ adultera, alteram duxerit: quamvis gravius sit crimen ejus qui dimissâ uxore innocente ducit aliam, quàm ejus qui dimissâ adulterâ conjungitur alteri. Sicut ex his *S. Jacobi* verbis cap. IV. *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi*; non rectè colligitur, peccatum non esse illi qui nescit bonum facere, & ideò non facit. Utrumque enim peccatum est: sed hoc gravius, si sciat, & noo faciat: nec illud ideò nullum, quia minus. Sunt quippe etiam peccata ignorantium, quamvis minora quàm scientium. *Ita nec illic rectè dici potest, Ergo si causâ fornicationis dimiserit, & aliam duxerit, non mœchatur: est enim mœchatio eorum etiam, qui alias ducunt, relictis propter fornicationem prioribus; sed utique minor quàm eorum qui non propter fornicationem dimittunt, & alteras ducunt. Potest quippe, sicut dictum est*, Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi; *eodem modo & illud dici, Dimittenti uxorem sine caussa fornicationis, & aliam ducenti, mœchatio est illi: quemadmodum igitur si dixerimus, Quicumque mulierem à marito præter caussam fornicationis dimissam duxerit, mœchatur, proculdubio verum dicimus; nec tamen ideo illum qui propter caussam fornicationis dimissam duxerit, ab hoc crimine absolvimus, sed utrosque mœchos esse minimè dubitamus; ita eum qui præter caussam fornicationis uxorem dimiserit, & aliam duxerit, mœchum pronuntiamus; nec ideo tamen eum qui propter caussam fornicationis dimiserit, & alteram duxerit, ab hujus peccati labe defendimus. Ambos enim, licèt alterum altero gravius, mœchos tamen esse cognoscimus...... Unde enim dicimus: Quicumque mulierem præter caussam fornicationis à viro dimissam duxerit, mœchatur: de uno quidem ipsorum dicimus, nec tamen ideo mœchari negamus eum qui eam duxerit, quam propter caussam fornicationis maritus dimiserit: ita cum ambo sint mœchi, & ille scilicet qui dimiserit uxorem suam præter caussam fornicationis & aliam duxerit, & ille qui propter caussam fornicationis uxore dimissâ se alteri copulaverit; profectò quando de uno eorum legimus, non ita intelligere debemus, quasi ex hoc alter mœchus negatus sit, quòd alter expressus sit.*

Marci 10. 11. Luc. 16. 18.

Deinde subobscurus *S. Matthæi* locus ab aliis Evangelistis ita explanatus est, nulla ut supersit difficultatis umbra. Ait enim Christus apud S. Marcum: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit.* Ait apud S. Lucam: *Omnis qui dimittit uxorem suam, & ducit alteram, mœchatur.* Quoniam igitur fas non est ut Evangelistas, quamvis diversis verbis de una re loquentes, ab uno sensu eadémque sententiâ dissentire dicamus; restat ut *Matthæum* intelligamus à parte totum significare voluisse, eamdem tamen tenuisse sententiam, ut dimit-

„ tens uxorem, & alteram ducens, non quidam „ mœchetur, id est, qui præter fornicationem „ dimiserit; quidam verò non mœchetur, id „ est, qui propter fornicationem dimiserit; „ sed omnis qui dimittit uxorem suam, & ducit „ alteram, mœchari minimè dubitetur. Nam „ & illud quod etiam secundùm Lucam sequi„ tur, *Qui dimissam à viro ducit, mœchatur*, quo„ modo est verum? *Quomodo mœchatur, nisi quia illa quam duxit, eo vivente à quo dimissa est, adhuc uxor aliena est? Si enim jam sua, non alienæ miscetur uxori, utique non mœchatur: mœchatur autem: Aliena est ergo, cui miscetur. Porrò si aliena est, hoc est, ejus à quo dimissa est; etiamsi propter fornicationis caussam dimissa est, nondum dimittentis uxor esse cessavit. Si autem illius esse cessavit, jam hujus est cui alteri nupsit: & si hujus est, non mœchus judicandus est, sed maritus. Sed quia non eum maritum dicit Scriptura, sed mœchum; adhuc illa illius est, à quo etiam caussâ fornicationis abjecta est. Et ideo quamcumque etiam ipse illâ dimissâ ducit uxorem, quia cum alieno marito concumbit, adultera est. Unde autem fieri potest, ut adulter etiam ipse non sit, cum constet adulterare quam duxit?* Ita respondet *S. Augustinus* Libro I. *De Conjugiis Adulterinis*, cap. VIII. IX. XI. & XII.

Matrimonii indissolubilitas.

Verùm (inquies) Multæ sunt præter fornicationem caussæ ob quas uxorem à thoro dimittere licet: cùm ergo uxorem dimitti non posse Christus ait, nisi ob fornicationem, loquitur de Matrimonii dissolutione quoad vinculum.

Respondetur, Id rectè non colligi: quamvis enim multæ sint aliæ causæ ob quas uxorem dimittere liceat ad tempus, nulla tamen est alia ob quam liceat in perpetuum à thoro eliminare, cùm enim aliis de causis dimittitur, non absolutè, non in perpetuum, sed ad tempus dimittitur, dum se dimissa & afflicta corrigit, dum insipiens resipiscit, ut ad maritum redeat, si ad mentem redierit. At propter fornicationem absolutè & in perpetuum uxor dimittitur, ita ut, etiamsi se dimissa correxerit, maritus, si nolit, resumere minimè teneatur. Non enim dimittitur ne faciat, sed quia fecit injuriam; non ut culpam corrigat, sed ut reliquo vitæ tempore criminis pœnam luat. Accedit quòd aliæ dimittendæ uxoris caussæ propriæ non sint Matrimonii, sed omnis communes consortii: Adulterium verò caussa est uxoris dimittendæ propria Matrimonii, quia conjugalem fidem violat, quæ Matrimonii quodammodo basis est.

Quid ergo (inquies) Christus addidit Legi? Multa omnino. Primùm quòd in Lege propter adulterium uxor non dimittebatur, sed lapidabatur, & è medio tollebatur. Id Christus sustulit: Non enim jussit adulteram morti addici, sed dimitti permisit. Addidit præterea, quòd noluit etiam adulterii caussâ dimissæ libellum repudii dare, quo minùs audaces & prompti in dimittendis uxoribus essent viri; si scirent nec sibi, nec uxori licere alias tentare Nuptias, sed solis, dum uterque viveret, esse vivendum. Addidit, quòd innumeras propè caussas, ob quas in Lege uxorem dimittere licebat, resecuit, solámque fornicationem excepit. Addidit, quòd cùm in Lege semel dimissam vir revocare non posset, in Evangelio revocari non quidem jussit, sed optavit, interprete Apostolo: *Maneat* (inquit) *innupta, aut viro suo reconcilietur.* Addidit denique, quòd cùm in Lege uxorem viro, non virum uxori dimittere liceret, in Evangelio parem viri & uxoris caussam esse voluit, ut idem Apostolus explicat.

Instabit aliquis: Pharisæi Christum Dominum interrogabant, an ex quacumque caussâ invisam & odiosam uxorem dimittere liceret, dimissione utique apud Judæos usitatâ, ita ut separati conjuges novum conjugium inire possent; Respondet autem Dominus: *Quicumque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*; de illa dimissione loquens de quâ fuerat interrogatus: Alioquin ad propositum non respondisset.

Matrimonii indissolubilitas.

Hanc objectionem ita diluimus. Quamvis Christus de dimissione à thoro dumtaxat, non de vinculi dissolutione, de qua fuerat interrogatus, responderit, ad propositum tamen respondit; quia docere voluit quid in Judaïcis Divortiis licitè, quid illicitè fieret. Cùm enim duo continerentur in repudio, nempe dimissio perpetua conjugis à thoro, & potestas alteram ducendi, Christus hæc duo distinxit: & illud quidem ob solam adulterii caussam concessit; istud autem omnino negavit & sustulit. Respondit itaque appositè, quæstionis propositæ duas partes distinguens & explicans.

S. Matthæi locum non alio sensu *S. Hieronymus* explicuit in Commentariis: *Sola* (inquit) *fornicatio est, quæ uxoris vincat affectum, imò cùm illa unam carnem in aliam diviserit, & se fornicatione separaverit à marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente Scripturâ:* Qui adulteram tenet, stultus & impius est. *Ubicumque igitur est fornicatio, & fornicationis suspicio, liberè uxor dimittitur. Et quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam Nuptiarum veteri crimen impingeret: sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam primâ vivente non habeat.* S. Hieronymi verba transcripsit Concilium Forojuliense anno 791. sub *Hadriano I.* Canone X. ea de re edito.

Invaluit quidem aliquando prava illa consuetudo, quæ viro repudiatâ ob adulterium uxore, nubere alteri permittebat, non item uxori à viro adultero separatæ, ut constat ex *S. Basilio* Epistolæ ad *Amphilochium*, Canone IX. & Autore Commentariorum in Epistolas *S. Pauli* inter Opera *S. Ambrosii* editorum, in cap. VII. Epistolæ I. ad Corinthios, necnon ex *Origene* Tractatu VII. in Matthæum. Quod & *Lactantius* Libro VI. cap. XXIII. Concilii Arelatensis primi Canon decimus. Concilium Veneticum Canone II. Synodus *S. Patricii* Canone XXVI. Concilii Bituricensis Sessione II. Synodi Lemovicensis secundi recitati Canon XV. *Leonis IV.* in Synodo Romana Canon XXVI. apud Autorem Libri *De Vitis Romanorum Pontificum* vulgò *Luitprando* attributi; Capitulum CXVI. *Theodori* Cantuariensis Archiepiscopi, Tom. IX. *Spicilegii*, innuere videntur.

Consuetudo quæ viros repudiata uxore adulterâ aliis nubere permittebat, Dei Legi contraria judicata est à Patribus Ecclesiæ, & Conciliis.

Verùm *Origenes* priscos illos Episcopos, contra Scripturam permisisse asserit, dimissis conjugibus adulteris, aliis nubere: vel permiserunt id est: impunitum reliquerunt, ob graviora mala vitanda: sed tamen non approbarunt. *Scio quosdam* (inquit) *qui præsunt Ecclesiis, extra Scripturam permisisse aliquam nubere viro priori vivente; & contra Scripturam quidem fecerunt, dicentem:* Mu„ lier ligata est quanto tempore vivit vir ejus. „ *Item*, Vivente viro vocabitur adultera, si facta „ fuerit alteri viro. *Non tamen omnino sine caussa „ hoc permiserunt: Forsitan enim propter hujusmodi infirmitatem incontinentium hominum, pejorum comparatione, quæ mala sunt, permiserunt, adversùs ea quæ ab initio fuerant scripta:* DICO AUTEM *vobis, quoniam quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob*

ob causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur.

Matrimonii indissolubilitas.

Lactantius Divinam Legem Civilibus Legibus, & forensi usui hac in re opponit. *Non enim* (inquit) *sicut publici Juris ratio est, sola mulier adultera est, quæ habet alium, maritus autem, etiamsi plures habeat, à crimine adulterii solutus est: sed Divina Lex ita duorum Matrimonium, quod est in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur quisquis compagem corporis in diversa distraxerit.*

S. Basilius consuetudinem illam verbo Dei contrariam fuisse asserit. *Domini autem dictum* (inquit) *secundùm Sententiæ consequentiam ex æquo & viris & mulieribus convenit, quòd non licet à Matrimonio discedere, præterquàm propter fornicationem. Consuetudo autem non ita habet: sed in mulieribus quidem multùm accuratè & diligenter observari invenimus..... Consuetudo verò etiam adulterantes viros, & in fornicationibus versantes, jubet à mulieribus retineri.... Quare, quæ relinquit, est adultera, si ad alium virum accessit. Qui autem relictus est, dignus est veniâ, & quæ ei cohabitat, non ideo condemnatur: sed si vir qui ab uxore discessit, accessit ad aliam, est & ipse adulter, quoniam facit eam adulterari; & quæ ei cohabitat est adultera, eò quod alienum virum ad se traduxit.* Cùm virum esse veniâ dignum, propter consuetudinem, ait *S. Basilius*, sensus est esse verum Matrimonium viri ab uxore dimissi cum altera, secundùm præjudicatam hominum opinionem; rem verò aliter se habere secundùm Sententiam Salvatoris nostri. Unde & peccatum in eo agnoscit, qui in ea hypothesi ducit alteram, siquidem ait: *Veniâ dignum:* Sed non ita grave, propter inolitam consuetudinem. Hanc autem non solùm Dei verbo, sed & rectæ rationi contrariam esse significat Canone XXI. *Istorum quidem ratio minimè est facilis* (inquit) *consuetudo autem sic invaluit.*

Autor Commentariorum in Epistolas *S. Pauli* inter *S. Ambrosii* Opera editorum, cùm ait: *Non permittitur mulieri ut nubat, si virum suum causâ fornicationis dimiserit; quia inferior non omnino hac lege utitur, quà potior:* Et rursus: *Viro licet ducere uxorem, si dimiserit uxorem peccantem: quia non ita lege constringitur vir, sicut mulier: Caput enim mulieris vir est:* Cùm (inquam) hæc ait, non spectat legem Evangelicam, secundùm quam par est causa viri adulteri & mulieris adulteræ; sed Legem Juliam Romanam, secundùm quam Mulier jus non habebat accusandi maritum adulterii, quemadmodum vir jus habebat accusandi mulierem, eàque dimissâ, alteram ducendi. L. *Publico*, C. Ad Legem Juliam de adulteriis & stupro: *Publico* (inquit) *judicio non habere mulieres adulterii accusationem, quamvis de Matrimonio suo violato queri velint, Lex Julia declarat: quæ cùm masculis jure mariti accusandi facultatem detulisset, non idem feminis privilegium detulit.* Cæterùm verus *Ambrosius* viro hâc in causâ non licere asserit, quod mulieri non licet.

Sic ille Libro I. *De Abraham*, cap. IV. *Nemo sibi blandiatur de Legibus hominum. Omne stuprum adulterium est, nec viro licet quod mulieri non licet. Eadem à viro, quæ ab uxore debetur castimonia. Quicquid in eam quæ non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterii damnatur crimine.* Et cap. VII. *Vinctus es uxori, noli quærere solutionem; quia non licet tibi, uxore vivente, uxorem ducere. Nam & aliam quærere, cùm habeas tuam, crimen est adulterii, hòc gravius, quòd putas peccato tuo auctoritatem Lege quærendam.*

Et Libro VIII. in *Lucam*, locum illum explicans, *Omnis qui dimittit uxorem suam, & ducit alteram, mœchatur;* ait: *Dimittis ergo uxorem quasi jure, sine crimine; & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet; sed divina prohibet. Qui hominibus obsequeris, Deum verere. Audi legem Domini, cui obsequuntur etiam qui leges ferunt, QUÆ Deus conjunxit, homo non separet. Sed non solùm hìc celeste præceptum; sed quoddam etiam opus Dei solvitur. Paterisne, ore liberos tuos, vivente te, esse sub vitrico; aut incolumi matre, degere sub noverca? Pone, si nubat. Necessitatis illius tuum crimen est: & conjugium quod putas, adulterium est. Quid enim refert, utrum id apertâ criminis confessione, an mariti specie adulter admittas? nisi quod gravius est legem criminis fecisse, quàm furtum.* Hoc est, gravius crimen est aliam palam duxisse, & Lege Romana facinus defendere, quàm adulterium furtivum commisisse.

Quòd aliqui Episcopi, privatæque Synodi, senserint contra Evangelicam Veritatem, Matrimonium ob fornicationem dissolvi posse quoad vinculum, fecit Quæstionis nondum eliquatæ ac finitæ obscuritas, de quâ *Sanctus Augustinus* Libro *De Fide & Operibus*, cap. XIX. *Quisquis* (inquit) *uxorem in adulterio deprehensam dimiserit, & aliam duxerit, non videtur æquandus eis, qui exceptâ causâ adulterii dimittunt & ducunt: & in ipsis Divinis Sententiis ita obscurum est, utrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur si alteram duxerit, ut, quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur.*

Matrimonii indissolubilitas.

Verumtamen, Patres primi ordinis, Pontifices, Generalia, & Nationalia Concilia senserunt atque propugnarunt, conjuges, facto ob adulterium divortio, aliud Matrimonium inire non posse.

Ita præter Patres jam laudatos *S. Hieronymus* in Epitaphio *Fabiolæ* ad *Oceanum*, Nobilis illius Matronæ commendans Pœnitentiam, quæ maritum adulterum dimiserat, alterique, eo superstite, nupserat. *Præcepit Dominus uxorem non debere dimitti, exceptâ causâ fornicationis, &, si dimissa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris jubetur, hoc consequenter redundat in feminas... Apud nos quod non licet feminis, æquè non licet viris..... Dimisit ergo, ut aiunt, vitiosum: dimisit illius & illius criminis noxium: dimisit, pene dixi, quod, clamante viciniâ, uxor sola non prodidit.... Fabiola, quia persuaserat sibi, & putabat à se virum jure dimissum, nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi universa causatio, viventibus viris, feminis amputatur, dum multa diaboli vitat vulnera, unum incauta vulnus accepit. Sed quid ego in abolitis & antiquis moror, quærens excusare culpam, cujus Pœnitentiam ipsa confessa est?*

Idem sanctus Doctor ab *Amando* Presbytero interrogatus, Utrum mulier relicto viro adultero, & sodomitâ, & alio per vim accepto possit absque Pœnitentia communicare Ecclesiæ, vivente adhuc eo, quem prius reliquerat, sic respondet Epistula CXLVII. *Omnes causationes Apostolus amputans, apertissimè definivit, Vivente viro adulteram esse mulierem, si alteri nupserit.* Rom. 7. *Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris persuasionem, patris auctoritatem, propinquorum catervam, servorum insidias atque contemptum, damna rei familiaris. Quamdiu vivit vir, licèt adulter sit, licèt sodomita, licèt flagitiis omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet. Nec Apostolus hæc propriâ auctoritate decernit, sed Christo in se loquente, Christi verba secutus est, qui ait in*

Matrimonii indissolubilitas. Matth. 5.

» *Evangelio* : Qui dimittit uxorem suam, exceptâ » caussa fornicationis, facit eam mœchari : & » qui dimissam acceperit, adulter est : *Animad-» verte quid dicat* : Qui dimissam acceperit, adulter est ; *sive ipsa dimiserit virum, sive à viro dimissa sit, adulter est qui eam acceperit...... Ergo & ista Soror, quæ (ut dicit) vim passa est ut alteri jungeretur, si vult Corpus Christi accipere, & non adultera reputari, agat Pœnitentiam ; ita duntaxat ut secundo viro, qui non appellatur vir, sed adulter, à tempore Pœnitentiæ non copuletur.*

Ita *Innocentius I.* Epistola III, quæ est ad *Exuperium* Tolosanum Episcopum cap. VI. *De his requisivit Dilectio tua, qui interveniente repudio alii se Matrimonio copularunt : quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui ergo, vel quæ, viro vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, in tantum ut etiam hæ personæ, quibus tales conjuncti sunt, etiam ipsæ adulterium commisisse videantur ; secundùm illud*

Matth. 19.

» *quod legimus in Evangelio* : QUI dimiserit uxo» rem suam, & duxerit aliam, mœchatur : Si» militer & qui dimissam duxerit, mœchatur. *Et ideo tales omnes à communione fidelium abstinendos.*

Ita Concilium Africanum, seu Milevitanum, cui *S. Augustinus* interfuit, Canone XVII. *Placuit ut secundùm Evangelicam & Apostolicam Disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito, alteri conjungantur. Sed ita maneant ; aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad Pœnitentiam redigantur. In qua causa Legem Imperialem petendam promulgari.* Idem antiquior Synodus Illiberritana, in Hispania decreverat, Canone IX.

Græcorum mos Matrimonia fornicationis causâ dissolventium, in communione reprehenditur ab Ecclesia Romana.

Eugenius IV. in Concilio Florentino Græcorum morem, Matrimonia fornicationis causâ dissolventium, reprehensione dignum esse, & correctione indigere declaravit. Ubi enim Definitio Fidei edita, & omnium utriusque Ecclesiæ Episcoporum subscriptionibus munita est, ita Græcos est allocutus : *Nos, fratres, Dei beneficio sumus fide conjuncti. Quoniam ergo arcano Dei judicio ego sum inter vos membra Caput, debeóque qualitercumque admonere, & consiliis instruere ad ea quæ videntur pietatem & Ecclesiam nostram constabilire ; propono vobis aliqua ut fratribus, ut Ecclesiarum Doctoribus. Et primo dico, Omnes conqueri de separatione Matrimoniorum, idque correctione indiget, &c.*

Et in Decreto pro Instructione Armenorum : *Quamvis ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est ; cùm Matrimonii vinculum legitimè contracti perpetuum sit.*

Sic temperatus est Concilii Tridentini Canon, instantibus Legatis Reipublicæ Venetæ, ... propter Græcos ... (Palavicinus in Historia Concilii Lib. ... Cap. 4 ...) ... Anathemate ferire eum qui diceret, Matrimonia consummata ob adulterium dissolvi.

Concilium denique Tridentinum Sessione XXIV. *De Sacramento Matrimonii*, Canonem VII. ea de re condidit : *Si quis dixerit ; Ecclesiam errare, cùm docuit, & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam Doctrinam propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere ; mœcharique eum qui, dimissâ adulterâ, aliam duxerit, & eam quæ, dimisso adultero, alii nupserit ; Anathema sit.*

Adulterii causâ Matrimonia solvere veterum Imperatorum, etiam Christianorum Legibus fas erat, L. *Consensu*, C. *De Repudiis*, & L. *Constante*, &c. Atque in Galliis olim morem illum obtinuisse constat ex *Formulis Marculfi* Monachi Libro II. Formula XXX. quæ inscribitur, *Libellus Repudii* : sed mos ille pravus erat, Legique Evangelicæ contrarius. *Alia sunt Leges Cæsarum, alia Christi : Aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcepit* ; (inquit *S. Hieronymus* Epistola XXX.) Et Veterum Imperatorum Leges, quæ Matrimoniorum solutionem permittebant, abrogavit *Justinianus* Novellâ CXVII. Quæ tamen & per se irritæ erant, cùm Divinæ & Ecclesiasticæ Legi repugnarent, nec ad res hujusmodi sanciendas vel permittendas potestas Principum se extendat, quæ merè temporalis est, rerum terrenarum, sæcularium, civilium sive politicarum finibus circumscripta.

Matrimonii indissolubilitas.

Objectio ex veteri Pœnitentiali Romano petita diluitur.

Difficultas suboritur aliqua ex veteri Pœnitentiali Romano, Titulo III. *De fornicatione & incestu diversi generis & ætatis*, cap. XX. cujus hæc sunt verba : *Contigit tibi ut uxor tua te conscio & hortante cum alio viro, illa autem nolente, adulterium perpetraret : si fecisti, quadraginta dies in pane & aqua pœniteas, & septem annos, unum ex his in pane & aqua, & numquam sis sine pœnitentia. Si autem uxor tua hoc probare potuerit, quòd tuâ culpâ, & tuo jussu, se renuente & inclamante adulterata sit, si se continere non potest, nubat cui voluerit, tantùm in Domino. Tu autem sine uxoria spe in perpetuo maneas. Illa autem si consentiens fuerat, eadem jejunet quæ tibi proposita sunt, & sine spe conjugii maneat.*

Respondetur, illo in casu permitti insonti ut nubat, cui voluerit, post obitum conjugis : ut discrimen constituatur inter innocentem uxorem aut minùs ream, & maritum auctorem criminis, in hoc quòd maritus, etiam post mortem uxoris, ad cœlibatum velut appendicem Pœnitentiæ teneretur : Uxor verò, marito defuncto, posset ad secundas Nuptias convolare. Olim scilicet hæc pœna in Ecclesia frequentissima fuit, ut qui atrox aliquod crimen commisissent, Nuptiis impedirentur, ne vel ipsi delicatiùs viverent, vel ex eorum stirpe infectâ filii ejusdem criminis suspicione notabiles procrearentur. Parricidis hanc pœnam imposuit Concilium Moguntinum sub Rabano, Canone XX. Eamdem adversùs Incestuosos decreverunt Concilium Vermeriense, Canone IV. & Triburiense Canone XLIV. Adversùs adulteros lex eadem olim ab Ecclesia lata est, Canone, *Hi verò*, Causa XXXII. Quæstione VII. Innocentibus autem conjugibus permissum est, ut post mortem ejus qui se aliquo hujusmodi crimine polluerat, ad secundas Nuptias transirent.

PROPOSITIO III.

Matrimonium ratum, non consummatum, Monasticâ Professione dissolvitur.

Religiosa Professione Matrimonium non consummatum solvitur.

HÆc Propositio nititur Summorum Pontificum, qui omnium Christianorum Patres sunt & Magistri, Responsis, scilicet *Alexandri III.* cap. *Verùm*, Ext. *De Conversione Conjugatorum*, ubi conjugum alteri licitum esse docet, *altero etiam repugnante, eligere Monasterium (sicut Sancti quidam de Nuptiis vocati fuerunt) dummodo carnalis commistio non intervenerit inter eos : & alteri remanenti (si commonitus continentiam servare noluerit, licitum esse ad secunda vota transire,)* id est, novum inire Matrimonium :) *Quia cùm non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, & alter in sæculo remanere.* Quæ circumferuntur Sanctorum exempla, qui de Nuptiis ad Deum vocati, conjuges ante Matrimonii consummationem reliquerunt, ut Deo se consecrarent, sunt *S. Thecla* ex *S. Epiphanio* Hæresi

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

LXXVIII. §. XVI. & *S. Ambrosio* Libro III. *De Virginibus* cap. III. *S. Alexii ex Metaphraste*, & Breviario Romano: *S. Macarii* Eremitæ, ex Vitis Patrum, Magistro Sententiarum Distinctione XXVII. litera G. & *Gratiano* Causa XXVII. Quæst. II. post Caput *Scripsit nobis*: Sacræ Virginis *Gregoriæ*, ex *S. Gregorio* Libro II. *Dialogorum*, cap. XIII. *S. Leobardi*, ex *Gregorio Turonensi* Libro *De Vitis Sanctorum Patrum*, cap. XX. *S. Odilbæ* Anglorum Reginæ, ex ejus Vita apud *Surium*, & *S. Edildridæ* etiam Reginæ, ex Venerabili *Beda* Libro IV. *Historiæ Anglorum*, cap. XIX.

Idem rursus docet *Alexander III.* cap. *Ex publico*, sub eodem titulo Decretalium. *Cæterùm* (inquit) *quia licèt à præfato viro desponsata fuerit, adhuc tamen (sicut asserit) ab ipso est incognita; Mandamus, quatenus si prædictus vir ipsam carnaliter non cognoverit, & eadem ad Religionem transire voluerit, receptâ ab ea sufficienti cautione, quòd vel ad Religionem transire, vel ad virum suum redire intra duorum mensium spatium debeat, ipsam à Sententiâ, quâ tenetur, absolvas: Ita quòd si ad Religionem transierit, uterque restituat alteri quod ab eo noscitur recepisse.... Sanè quod Dominus in Evangelio dicit, non licere viro, nisi ob caussam fornicationis uxorem suam dimittere, intelligendum est, secundùm interpretationem Sacri Eloquii, de his quorum Matrimonium carnali copulâ est consummatum, sine qua consummari non potest.* Hæc scilicet verba Genes. II. *Erunt duo in carne una*, ex quibos Christus Matth. XIX. omnimodam indissolubilitatem Matrimonii colligit, dicens: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro: Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*: ad Matrimonium consummatum dumtaxat pertinent: & in illa specie Deus separat, & non homo, ut dicitur Can. *Scripsit*, Causa XXVII. Quæstione II. ex *Nicolao I.* Eamque explicationem confirmat *Innocentius III.* cap. *Ad Apostolicam*, sub eodem Titulo: *Cùm autem* (inquit) *vir & uxor una caro sint per copulam conjugalem effecti; nec una pars converti possit ad Dominum, & altera in seculo remanere; profectè non est alter conjugum recipiendus ad Observantiam Regularem, nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat.*

Et cap. *Ex parte tua*, sub eodem Titulo: *Nos tamen* (inquit) *nolentes à prædecessorum nostrorum vestigiis declinare, qui responderè consulti, antequam Matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, reliquo inconsulto, ad Religionem transire, ita quòd reliquus ex tunc legitimè poterit alteri copulari: hoc ipsum tibi consulimus observandum.*

Id rursus confirmat *Alexander III.* cap. *Commissum*, Ext. *De Sponsalibus & Matrimonio.*

Hæc denique totius Ecclesiæ doctrina est, ut constat ex Concilio Tridentino Sessione XXIV. *De Matrimonio*, Canone VI. *Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis Professionem alterius conjugum non dirimi; Anathema sit.*

Leges quidem civiles ulteriùs progressæ, Matrimonium etiam consummatum professione Religiosa dissolvi declararunt, ut constat ex Novella XXIII. Justiniani, cap. XL. Sed hanc Legem tanquam Divinæ Legi contrariam rejecit Ecclesia, ut constat ex *S. Gregorio* Lib. IX. Epistolis XXXIX. & XXXXIV. Solum ergo Matrimonium ratum & non confirmatum Religiosa Professione solvitur.

Certè ante copulam relictæ conjugi nulla fit injuria: si quæ enim fieret, vel proli, vel sponsæ irrogaretur. At nulla fit proli, si quidem nullus præcessit congressus; nec sponsæ, cùm integra maneat, nihilque decoris aut honoris amiserit, quò minùs ab alio in conjugem assumi possit.

Objiciet quispiam, Conjugii vinculum nulla re nisi morte alterutrius conjugis dirimi: Quæ prima est hujus Articuli Propositio superiùs demonstrata.

Respondetur, duplex in Matrimonio vinculum inveniri: alterum spirituale, quod solo consensu; alterum carnale, quod copulâ stringitur. Carnale sola mors corporis dissolvit, ut docet Apostolus ad Romanos VII. *Quæ sub viro est mulier* (inquit) *vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri.* Spirituale verò vinculum spirituali morte solvitur, quâ nimirum aliquis mutatione status à civili conversatione ita removetur, ut ad eam redeundi spem & potestatem ultra non habeat. Id autem non fit nisi Professione Religiosa, quâ qui se Deo devovet, ita Mundo mortuus est, ut jam nec sui corporis potestatem habeat, quod Deo per votum castitatis consecravit, ac solemni ritu tradidit; nec voluntatem propriam habeat, nec jam ampliùs sit sui juris, cùm superiorum imperio se per obedientiæ votum mancipaverit: nec deinceps ullius dominii, seu proprietatis ullius sit capax, quibus se per votum paupertatis penitus abdicavit. Unde & Leges Civiles ingressu Religionis, seu Voto solemni Vitæ Monasticæ secundùm Regulam ab Ecclesia approbatam, tanquam morte testatoris, conditum antea testamentum confirmari declarant; adeo ut nec revocari possit, nec mutari; L. *Si qua mulier.* C. *De Sacrosanctis Ecclesiis.*

ARTICULI CONSECTARIA,

SEU REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA I.

Conjuges facto ob adulterium alterutrius divortio, continentiam servare tenentur, aut conjugibus adulteris reconciliari.

NAm si eligitur continentia ut bono Nuptiarum melius aliquid capessatur, quantò potius custodienda est ut adulterium caveatur? Cum enim dixisset Apostolus, Quòd si se non continet, nubat: Meliùs est enim (*inquit*) nubere quàm uri. *Non dixit, Melius est mœchari, quàm uri. Non est igitur ad quod exhortemur eos qui reconciliari timeant conjugibus adulteris pœnitendo sanatis, nisi ad custodiendam continentiam. Quoniam mulier alligata, quamdiu sive mœchus sive castus vir ejus vivit, mœchatur si alteri nupserit; & vir alligatus, quamdiu sive mœcha sive casta uxor ejus vivit, mœchatur si alteram duxerit.... Quapropter si recesserit mulier ab adultero viro, & ei reconciliari non vult, maneat innupta: & si dimiserit vir adulteram mulierem, & eam non vult recipere nec post Pœnitentiam, custodiat continentiam: & si non ex voluntate eligendi potioris boni, certè ex necessitate vitandi perniciosi mali. Ad hoc exhortarer etiamsi uxor esset in languore insanabili atque diuturno, etiamsi alicubi esset corpore separata, quò maritus non posset accedere: Postremo ad hoc exhortarer etiamsi mulier volens vivere continen-* 1. Cor. 7.

ter, quamvis contra disciplinam, quia non ex consensu, tamen pudicum pudica dimisteret. Puto enim Christianum neminem reluctari, adulterum esse, qui vel diu languente, vel diu absente, vel continenter vivere cupiente sua uxore, alteri commixtus est femina. Sic ergo & dimissâ adulterâ, adulter est cum alterâ: Quoniam non ille, aut ille; sed,

Luc. 16. 18. » Omnis qui dimittit uxorem suam, & ducit al» teram, mœchatur. *Quapropter si à conjugali vinculo immunis minùs appetitur vita sanctorum, exhorreatur pœna mœchorum: & timore saltem frænetur concupiscentia, si amore non eligitur continentia. Si enim ubi est timor, operetur labor; ubi erat labor, erit & amor. Non enim confidendum est de nostris viribus: sed oratio adjungenda conatibus, ut impleat bonis, qui deterret à malis.* Verba sunt *S. Augustini* Libro II. *De Conjugiis adulterinis*, cap. XIII.

Regula II.

Nec filiorum gignendorum caussâ licet alteram ducere dimissâ adulterâ.

NOn *enim propterea flagitiorum est permittenda licentia, aut verò tam cavendum sine posteris mori, quàm eligendum inposterum vivere: Quod non sinuntur adulteri, quos necesse est post primam mortem secundæ mortis æternitate damnari. Nam procreandorum filiorum ista causatio, etiam non adulteras, sed castissimas feminas, si fortè sint steriles, cogis dimitti, & alteras duci: quod tibi æstimo non placere. Quapropter si caussâ incontinentiæ non sunt excusanda adulteria, quantò minùs excusantur procreandorum caussâ filiorum?* (inquit *S. Augustinus* Libro II. *De Conjugiis Adulterinis*, cap. XI.)

Regula III.

Crimen geminat, qui uxorem adulteram occidit, vel mortem illi procurat, ut ducere alteram possit.

HAnc Regulam tradit S. *Augustinus*, cap. XIV. ejusdem Libri. Cùm enim objecisset *Pollentius*, Maritos ad puniendas adulteras sine ullâ miseratione compelli, cùm volunt eas mori, si eis viventibus non licet eis alteras ducere; atque ita sententiam de indissolubilitate Matrimonii, etiam caussa adulterii, excludere benignitatem & pietatem, huic objectioni Sanctus Doctor sic respondet: *Quin imnò propterea debent peccatricibus præbere misericordiam, ut & ipsi pro suis peccatis misericordiam consequantur. Et multò magis hoc eis faciendum est, qui dimissis uxoribus adulteris cupiunt vivere continenter. Tantò quippe debent esse misericordiores, quantò volunt esse sanctiores: ut & ad castitatem in se ipsis servandam divinitus adjuventur, dum castitatem ab uxoribus violatam nec ipsi humanitus ulciscuntur. Et maximè vox illa Dominica est eis in memoriam revocan-*

Joannis 8. » *da:* Qui sine peccato est, mittat in eam lapi» dem. *Non, qui sine ipso peccato est: quoniam lo-*

1. Joannis 1. 8. » *quimur de pudicis viris; sed,* Qui sine peccato est: *Quod si esse se dixerint, se ipsos seducunt, & veritas in eis non est. Porrò si non se seducunt, & est in eis veritas, non erit in eis cruenta severitas. Scientes enim se non esse sine peccato, dimittunt, ut dimittatur eis; nec ab eis benignitas & pietas excluditur. Magis enim hæc excluduntur, si peccatis conjugum ab eis impetret veniam licentia libidinis, non cura pietatis, id est, ut propterea parcant, quia licet*

A *eis alteras ducere, & non potius propterea quia volunt & sibi Dominum parcere.... Postremò quæro abs te, utrum Marito Christiano liceat, vel secundùm veterem Dei legem, vel Romanis Legibus adulteram occidere? Si licet, melius est ut ab utroque se temperet, id est, & à licito illa peccante supplicio, & ab illicito illa vivente conjugio. Quod si alterutrum eligere perseverat, satius est ei facere quod licet, ut adultera puniatur, quàm id quod non licet, ut ipsâ vivâ ille mœchetur. Si autem, quod verius dicitur, non licet homini Christiano adulteram conjugem occidere, sed tantùm dimittere; quis est*

B *tam demens qui ei dicat, Fac quod non licet, ut tibi liceat quod non licet? Cùm enim utrumque secundùm legem Christi illicitum sit, sive adulteram occidere, sive illa vivente alteram ducere, ab utroque abstinendum est, non illicitum pro illicito faciendum. Si enim facturus est quod non licet, jam faciat adulterium, & non faciat homicidium, ut vivente uxore alteram ducat, & non humanum sanguinem fundat. Quòd si est utrumque nefarium, non debet alterum pro altero perpetrare, vel utrumque vitare.*

C

Regula IV.

Nec Voto simplici continentiæ, nec Ordinis sacri susceptione, nec Professione Religionis à Sede Apostolica non approbata, nec Vita Eremiticâ, Matrimonium non consummatum solvitur.

HÆc enim mortem civilem non inferunt. Ordini enim sacro dominium & proprietas bonorum temporalium non repugnat, neque etiam per se repugnat ipsi conjugium, sed legi-

D bus duntaxat & Decretis Ecclesiæ. Qui verò Religionem non approbatam amplexus atque professus est, aut Vitam Eremiticam, jure ac voluntate propriâ se non abdicavit absque spe regressus: quamobrem Mundo penitus mortuus non censetur.

Regula V.

Novis conjugibus ante Matrimonii consummationem duo menses conceduntur ad deliberandum de ingressu Religionis, intra quod temporis intervallum,

E *is qui ea de re deliberat, consummare non tenetur, quantumvis altera pars urgeat.*

HÆc Regula nititur cap. *Ex publico*, Ext. *De Conversione Conjugatorum*, quod *Alexandri III.* Responsum est. Si tamen intra illud tempus vi compressa fuerit uxor à marito, ille quidem lethalis peccati reus erit, qui ipsam jure suo frui non permiserit, vimque illi fecerit ut id obtineret quod illi nondum debitum erat: sed tamen ita consummato Matrimonio, non est integrum mulieri in Monasterium migrare, *Regulæ de conversione conjugatorum.*

F Vitámque Religiosam absque mariti consensu profiteri.

Rationem affert *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXVII. Quæstione I. Articulo III. Quæstiuncula II. ad secundum: *Ante carnalem copulam,* (inquit) *non est omninò translatum corpus unius sub potestatem alterius, sed sub conditione, si interea alter conjugum ad frugem melioris vitæ non convolet: sed per carnalem copulam completur dicta translatio, quia tunc intrat uterque in corporalem possessionem traditæ sibi potestatis. Unde etiam ante carnalem copulam non statim tenetur reddere debitum post Matrimonium contractum per verba de præsen-*

ti, sed datur ei tempus duorum mensium, ut interim possit deliberare de transeundo ad Religionem.

REGULA VI.

Si conjugum alterum ante Matrimonii consummationem ingredi Monasterium, Habitumque Religiosum suscipere contingat, alter novum contrahere Matrimonium non potest, nisi post illius Professionem.

De conversione conjugatorum.

QUi enim superstes est in seculo, manet obligatus ei quæ Monasterium est ingressa, eique adhærere tenetur, & Matrimonium consummate, si ipsa mutato proposito revertatur, & debitum exigat: siquidem Voto duntaxat solemni in Ordine Religioso à Sede Apostolica approbato Mattimonium ratum solvitur. Unde *S. Thomas* loco mox indicato, Quæstiuncula III. ad secundum, ait: *Non intelligitur mortuus seculo per Religionis ingressum, nisi Professionem emiserit; & ideo usque ad tempus illud tenetur eum uxor sua exspectare.*

REGULA VII.

Si mulier, suscepto velo, in domo propria remanere velit, quasi propositum castitatis in seculo servatura; nihilominus consummandum est Matrimonium jam contractum: nisi se vota solemni adstrinxerit ad Observantiam Regularem, in quo casu compelli potest, ut relicto seculo Religionis propositum exequatur.

SIc respondet *Innocentius III.* cap. *Ex parte tua*, Ext. *De Conversione Conjugatorum.*

REGULA VIII.

Consummato Matrimonio, neutri conjugum licet, absque alterius consensu, Monasterium ingredi seu continentiam vovere: quòd si voverit, irritum ipso Jure votum est; potestque conjux repetere conjugem, qui matrimonii jugum, inconsultò excutere voluit. Si verò ex consensu voverint, continentiam servare tenentur.

De conversione conjugatorum.

NEmini enim vovere licet cum injuria alterius: neque omnino accepta Deo esse potest injusta promissio, quâ nimirum offert quis rem non suam, sed quæ in alterius est potestate. Quare cùm *Vir proprii corporis potestatem non habeat, sed mulier; nec mulier proprii corporis habeat potestatem, sed vir*, ut docet Apostolus I. ad *Corinthios* VII. non licet alteri continentiam vovere absque consensu alterius: & si voverit, votum ipso Jure irritum est. Id confirmat *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum CXLIX. *Quod plus est* (inquit) *si dicat, Continere jam volo, nolo jam uxorem. Non potes. Quid si tu vis, & illa non vult? Numquid per continentiam tuam debet illa fieri fornicaria? Si alii nupserit te vivo, adultera erit. Non vult tali lucro Deus compensare tale damnum. Redde debitum, etsi non exigis, redde. Pro sanctificatione perfectâ Deus tibi computabit, si non quod debet exigis, sed reddis quod debetur uxori.*

Idem confirmat Epistola CXXVII. aliàs XLV. ad *Armentarium & Paulinam* ita scribens: *Una sola caussa esse posset, qua te id quod vovisti non solùm non hortaremur, verùm prohiberemus implere: si fortè tua conjux hoc tecum suscipere animi seu carnis infirmitate recusaret. Nam & vovenda talia non sunt à conjugatis, nisi ex consensu & voluntate communi. Et si praproperè factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quàm persolvenda promissio. Neque enim Deus exigit si quis ex alieno aliquid voverit, sed potiùs usurpare vetat alienum.*

Et Epistola CCLXII. aliàs CXCIX. ad *Ecdiciam*, quæ nondum volente marito continentiam voverat, quamvis illi postmodum ad eadem continentiæ pacta consensisset. *Omitto* (inquit) *quòd ipsam continentiam, illo nondum volente, non secundùm sanam doctrinam te suscepisse cognovi. Neque enim corporis tui debita fraudandus fuit, priùs quàm ad illud bonum quod superat pudicitiam conjugalem, tuæ voluntati voluntas quoque ejus accederet: nisi fortè non legeras, nec audieras, vel non adtenderas Apostolum dicentem:* « Uxori vir debitum teddat, similiter autem & uxor viro. Uxor « non habet potestatem corporis sui, sed vir: « similiter autem & vir non habet potestatem « corporis sui, sed mulier: nolite fraudare invi- « cem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis « orationi. « I. Cor. 7. *Secundùm hæc verba Apostolica, etiamsi seipsum continere voluisset, & tu noluisses, debitum tibi reddere cogeretur, & illi Deus imputaret continentiam, si non sua, sed tua cedens infirmitati, ne in adulterii damnabile flagitium caderes, maritalem tibi concubitum non negaret: quantò magis te, quam magis subjectam esse decuerat, ut ipse quoque in adulterium diabolicâ tentatione traheretur, in reddendo hujusmodi debito voluntati ejus obtemperare convenerat, cùm tibi voluntatem continendi acceptaret Deus, quia propterea non faceres, ne periret maritus?* .... Et infra: *Quod Deo pari consensu ambo voveratis, perseveranter usque in finem reddere ambo debuistis: à quo proposito si lapsus est ille, tu saltem constantissime persevera. Quod te non exhortarer, nisi quia ad hoc ipse consenserat. Nam si nunquam tenuisses ejus assensum, nullus te numerus defendisset annorum, sed post quantumlibet tempus me consuluisses, nihil tibi aliud respondorem, nisi quod ait Apostolus:* « Uxor non habet potestatem « corporis sui, sed vir. «

Idem confirmat *S. Paulinus* in Epistola ad *Celanciam* Matronam. *Tu verò* (inquit) *quasi oblita fœderis nuptialis, pactique hujus ac juris immemor, inconsulto viro vovisti Domino castitatem. Sed periculosè promittitur, quod adhuc in alterius potestate est: & nescio quàm sit grata donatio, si unus offerat rem duorum. Multa jam per hujusmodi ignorantiam & audivimus & vidimus scissa conjugia: quodque recordari piget, occasione castitatis adulterium perpetratum: nam dum una pars se etiam à licitis abstinet, altera ad illicita delapsa est.*

Idem docent *S. Fulgentius*, Epistola I. cap. VII. & *S. Gregorius* Epistola XLIX. Libri V. Epistola XXXIX. & XLIV. Libri noni, ex quibus contexti sunt Canon, *Sunt qui dicunt*; & Canon, *Agathosa*, Caussâ XXVII. Quæstione II.

Verùm si quis conjugum, altero consentiente, Vitam Monasticam professus fuerit, aut perpetuam continentiam voverit, post illius mortem novum Matrimonium contrahere non potest: & si Votis in Ordine approbato nuncupatis contraxerit, absque dubitatione dirimendum est, ex cap. *Consuluit*, Extrà, *De Conversione Conjugatorum*, quod est *Clementis III.* Responsum.

REGULA IX.

Si conjuges à debito conjugali se mutuò absolverint, omnique juri quod in alterutrum habebant, renunciaverint, promissâ continentiâ, & uterque vel alteruter solemne Votum emiserit, alter alterum repetere & ad conjugale consortium revocare non potest.

SIc respondet *Gregorius IX.* cap. *Dudum*, Ext. *De Conversione Conjugatorum.*

REGULA X.

Uxor adulterii polluta, Maritum Monasterium absque illius consensu ingressum, & solemni Voto obstrictum, revocare non potest.

SIc respondet *Innocentius III.* cap. *Constitutus* Ext. *De Conversione Conjugatorum.*

REGULA XI.

Mulier quæ dolo & minis inducta est, ut marito liberum commeatum in Monasterium concederet, ipsum repetere non potest, si post ejus ingressum inhonestè amatores admiserit.

HAnc Regulam tradit idem Pontifex cap. *Veniens*, sub eodem Titulo.

REGULA XII.

Si conjugum alter à Fide Catholica defecerit ad Mahometanos, Judæos, vel etiam Hæreticos, & propterea Sententia Divortii inter eos lata sit ab Ecclesia, pars quæ in Fide perseveraverit ad Vitæ Monasticæ Professionem liberè convolare potest alterâ nolente, etiamsi ab infidelitate revertatur.

ID constat ex cap. *Mulier*, Ext. *De Conversione Conjugatorum*, quod *Innocentii III.* Responsum est.

REGULA XIII.

Conjux quæ continentiam vovit, cohabitare debet viro qui ejus voto ad tempus consensit, nec perpetuam vovit continentiam: séque invicem debent maritali affectione tractare.

De conversione conjugatorum.

REsponsum est *Celestini III.* cap. *Charissimus*, Ext. *De Conversione Conjugatorum.* Immò etsi perpetuam continentiam voverit consentiente marito, nec tamen similiter vovente, debitum illi petenti reddere tenetur, quamvis exigere ipsa non possit. Alterius enim voto consentiens juri suo non renunciavit, nisi votum pariter emiserit.

REGULA XIV.

Mulier quæ maritum mortuum credens, Habitum Religionis assumpsit, & Professionem emisit, viróque reverso de Monasterio educta, ac ipsi restituta est, debitum ipsi reddere tenetur, exigere non potest: mortuo verò marito, consilium illi dandum est ad salutem congruentiùs, ut ad Monasterium redeat, ubi bonâ ductâ intentione professionem fecit, sed tamen ad id minimè compellenda est.

CUm enim absque viri consensu Monasterium ingressa sit, ac Vota solemnia emiserit, Vota usquequaque rata non fuerunt. Sic respondet *Celestinus III.* cap. *Placet*, Ext. *De Conversione Conjugatorum.* Idem ante responderat *Alexander III.* cap. *Quidam*, sub eodem Titulo, Virum scilicet; qui Monasterium invitâ uxore ingressus fuerat, quâ ipsum repetente, ad conjugalem torum redire coactus fuerat, post ejus obitum compelli non posse ratione Voti, quod nullum fuit, ac irritum, ut ad Monasterium redeat; prohibendum tamen esse ne secundam uxorem accipiat: *Promisit enim se non exigere debitum, quod in ejus potestate erat, & ideo quoad hoc votum tenuit: non reddere autem, non erat in ejus, sed mulieris potestate. Unde Apostolus: VIR non habet potestatem sui corporis, sed mulier.*

REGULA XV.

Alter conjugum, altero in seculo remanente, ad Regularis Vitæ Professionem non est recipiendus; nisi fortè remanens sit ejus ætatis, ut sine suspicione incontinentiæ valeat in seculo remanere, aut perpetuam continentiam vovere voluerit: alioqui ad conjugalem torum revocandus est, quamvis cum licentiâ consortis Monasterium ingressus fuerit, & Professionem fecerit.

HÆc Regula Summorum Pontificum Decretis ac Responsis firmata est, scilicet *Alexandri III.* cap. *Præterea*, & cap. *Cùm sis*, Ext. *De Conversione Conjugatorum*, & *Innocentii III.* cap. *Ad Apostolicam*, & cap. *Significavit*, sub eodem Titulo.

REGULA XVI.

Matrimonium legitimè contractum, ratùmque etsi non consummatum, Romanus Pontifex dirimere non potest.

Utrum Romanus Pontifex Matrimonium ratum dirimere possit?

DIvino enim Jure est indissolubile, prætérquàm in causâ fidei, cum infidelium conjugum alter convertitur ad Religionem Christianam, alter verò ipsi cohabitare non vult sine contumelia Creatoris, quo casu & consummatum dissolvitur: & in causâ mortis civilis ac spiritualis, scilicet Professionis Monasticæ. Matrimonium quippe ratum, verum est Novæ Legis Sacramentum, eóque nomine dissolutionis incapax, nisi divino pariter jure magis universali dissolvatur. Summus autem Pontifex in iis quæ Divino Jure sunt constituta, dispensare non potest: quamvis in iis omnibus quæ Juris sunt Ecclesiastici duntaxat, justis de caussis dispensare possit. Opinio quidem est Jurisconsultorum plurimorum, scilicet Joannis Andreæ, Panormitani, Hostiensis, aliorum, quos sequitur Cardinalis *Cajetanus*, Summum Pontificem Matrimonia rata dirimere posse, ita ut uterque conjux Apostolica Dispensatione fretus ad alias Nuptias convolare possit: sed Theologi repugnant reliqui. *Martinum V.* & *Eugenium IV.* dispensationes concessisse ut Matrimonium ratum dissolveretur, legitiméque conjunctis conjugibus, ante copulam, ad alia vota transire liceret, *S. Antoninus* refert III. P. Tit. I. cap. XXI. §. 3. Qui Pontifices *Non sunt* quidem *condemnandi, sed nec consulendum est alicui ne procuret talem dissolutionem sive dispensationem, cùm Theologi videantur tenere quod non possit* dissolvi nisi per ingressum Religionis; (inquit idem Sanctus Archipræsul.) *Dominicus Soto* in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXVII. hoc ipsum argumentum tractans,

ctans, Quæstione I. Articulo IV. ait: *Auctoritas Martini & Eugenii, si ita verum est, quod similem dispensationem fecerunt, aullatenus tamquam Ecclesia determinatio movet: quia factum Pontificum non facit Fidei Articulum, sed opinionem Canonistarum sunt secuti. Et tamen alii Pontifices non leguntur talem fecisse Dispensationem, cùm tamen credibile sit creberrimè oblatos fuisse dispensandi casus. Imò Adrianus Sextus vir tum utriusque Juris peritissimus, tum & Rei Theologicæ non infimè doctus, cùm ab illo hujusmodi dispensatio fuisset postulata, oblataque fautrix sententia Cajetani, demiratus est Virum Theologum hoc sibi in animum inducere potuisse: & ideo improbis precibus succumbens respondit, Se dare quod posset, sed tamen credere nihil posse.*

ARTICULUS VII.

De Bonis Matrimonii.

Triplex Matrimonii bonum, Fides, Proles, Sacramentum.

TRia Matrimonii bona Theologi numerant post *S. Augustinum* Libro IX. *De Genesi ad literam*, cap. VII. Libro I. *De Nuptiis & Concupiscentia*, cap. X. XI. XVII. & XXI. Libro I. *Contra Julianum*, cap. XII. Libro *De Bono Conjugali*, cap. XXIV. & alibi, scilicet *Prolem*, *Fidem*, *Sacramentum*. Quibus excusari dicitur Matrimonium, quia eorum compensatione excusantur aut mitigantur ea mala quæ illi adhærent. Præstant enim illa bona ut & libido carnis sine culpa sit, & incontinentia conjugum venialis, & incommoda faciliùs tolerentur, quæ Apostolus indicavit his verbis: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.* Primum bonum est proles, id est, liberi ex legitimâ conjuge suscipiendi. Quod bonum ita commendat Apostolus I. ad Timotheum II. *Salvabitur mulier per filiorum generationem.* Quod non solùm de illorum procreatione, sed vel maximè de educatione, & religiosa ac pia institutione intelligendum est. Alterum bonum est fides; non illa quæ Theologica Virtus est, quâ Mysteria Religionis creduntur, sed ea quæ conjugalis vocatur, quâ fit ut conjuges sanctè & fideliter usque in finem servent pactum conjugale, quo mutuam sibi suorum corporum potestatem fecerunt, neque cum aliis commisceri unquam velint: & ut vir & uxor singulari quodam, sanctoque & puro amore conjuncti sint, neque ut adulteri invicem se ament, sed *Sicut Christus dilexit Ecclesiam*, (ut Apostolus monet) quàm certè immensâ illâ charitate, non sui commodi gratiâ, sed Sponsæ tantùm utilitatem sibi proponens, complexus est. Tertium bonum est Sacramentum, quo Deus indissolubilem Christi cum Ecclesia conjunctionem significat, & indissolubilem pariter conjugum conjunctionem efficit. *In fide* (inquit *S. Augustinus* Libro IX. *De Genesi ad literam*, cap. VII.) *attenditur ut præter vinculum conjugale, cum altera vel altero concumbetur. In prole ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In Sacramento autem, ut conjugium non separetur, & dimissus aut dimissa nec causâ prolis alteri conjungatur. Hæc est tamquam regula Nuptiarum, quâ vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas.*

Triplex bonum in prole.

In prole triplex bonum habent conjuges: Primò enim pariunt Deo servos fideles, qui eum reverentur & colunt. Unde *S. Ambrosius* Libro II. in Lucam: *Conjugii premium* (inquit) *& gratia Nuptiarum, partus est feminarum.* Secundò,

A quia patriæ pariunt cives, qui eam repleant, non tantùm terrenæ patriæ; sed magis ei, quæ sursum est Jerusalem, quæ est mater nostra, ut electorum numerus impleatur, & Angelorum ruinæ resarciantur. Tertiò, quia sibi pariunt heredes, secundùm naturale parentum desiderium, nominis familiæque suæ conservandæ. Eccli. XXX. *Mortuus est pater, & quasi non est mortuus: Similem enim reliquit sibi post se. In vita sua vidit & lætatus est illo: In obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis. Reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.*

B

S. Hieronymus in Cap. v. Epist. ad Ephesios. Triplex bonum in fide conjugali.

Fidem conjugalis bonum similiter triplex est: Animæ scilicet, corporis & honestatis. Animæ bonum est ob fornicationis fugam. Hinc Can. *Sicut*, qui ex *S. Hieronymi* verbis contextus est, Causa XXXII. Quæstione II. dicitur: *Sicut non omnis congregatio hæreticorum, Christi Ecclesia dici potest, nec caput eorum Christus: sic non omne Matrimonium, quo non viro suo secundum præcepta Christi uxor jungitur, rite conjugium appellari potest, sed magis adulterium.* Et Canone *Quidquid*, ex *S. Augustini* Libro *De Bono Conjugali*, cap.

C VI. *Debent sibi conjugati non solùm ipsius sexus sui commiscendi fidem, liberorum procreandorum causâ, quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas; verùm etiam infirmitatis invicem excipiendæ, ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodammodo servitutem, ut etsi alteri eorum perpetua continentia placeat, nisi ex alterius consensu non possit.* Et Lib. IX. *De Genesi ad literam*, cap. VII. *Motam* (inquit) *legis illius, quæ repugnat legi mentis in membris concepta meritis, Nuptiæ ordinant, continentia cohibet & refrænat, ut quemadmodum de peccato factum est supplicium, sic de supplicio fiat meritum.* Fidei bonum etiam corporis conjun-

D ctum est, ob mutuum officium & adjumentum quod sibi præstant conjuges in vitæ societate, & rei familiaris administratione. Unde Ecclesiastici cap. XXVI. dicitur: *Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex. Mulier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illius in pace implevit. Pars bona, mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis.* Bonum denique honestatis in fide conjugali invenitur, quia Nuptiis fit honestum, quod alias turpe esset.

Bonum Sacramenti in tribus positum.

Sacramenti bonum in tribus pariter positum est.

E Conjunctio namque animorum, significat conjunctionem animæ cum Deo. *Qui enim adhæret Domino, unus spiritus est.* 2. Conjunctio corporum, significat conjunctionem carnis cum Verbo Deo. 3. Unus vir & unica uxor, significant unicum Sponsum Christum unius Sponsæ Ecclesiæ.

1. Cor. 6.

Duo priora bona in omni conjugio non reperiuntur: nam proles non est, ubi uterque vel alter conjux sterilis est, aut ubi continentiam ex mutuo consensu ambo servant; vel ubi *Libidinis causâ propagationi prolis obsistitur, sive voto malo, sive opere malo.* Verùm nihilominus conju-

F gium est, quamvis officio, affectu, & intentione conjuges non sint, qui ita se gerunt; quod unum significant illa *S. Augustini* verba Libro I. *De Nuptiis & Concupiscentia*, cap. XV. *Qui hoc faciunt, quamvis vocentur conjuges, non sunt, nec ullam Nuptiarum retinent veritatem, sed honestum nomen velandæ turpidini obtendunt.* Tandem qui prolem ex conjugio susceptam, non, ut oportet, instituunt, bonum quidem prolis habent, non tamen bene habent, cùm totis viribus ac studiis non dant operam ut Christo regenerata in fide & pietate proficiat ac permaneat. Monet enim Scriptura Eccli. VII. 25. *Filii tibi sunt? Erudi illos, & curva illos à pueritia illorum.*

Hinc *S. Augustinus* Libro *De Bono Viduitatis*, cap. xiv. *Julianam* ita alloquitur : *Tibi sunt & filii, quot fortè Anna non habuit : nec ideo laudanda es, quia eos habes, sed quia piè nutrire atque educare studes. Ut enim tibi nascerentur, fœcunditatis ; ut vivant, felicitatis est ; ut autem sic instituantur, voluntatis & potestatis. In illis tibi homines gratulentur, in hoc te imitentur.*

Fides quoque conjugio deest, quoties vel adulterium committitur, vel debitum conjugale denegatur. Nam alia quæcumque peccata, ut furta, perjuria, latrocinia, hæreses, &c. licèt ejusmodi sint ut animam spiritualis adulterii, quo à Deo fornicatur, ream faciant ; fidei tamen conjugali non adversantur, ut nec aliæ conjugum adversùs se invicem injuriæ. *In eo ipso* (inquit *S. Augustinus* Libro *De Bono Conjugali*, cap. iv.) *quod sibi invicem conjuges debitum solvunt, etiamsi id aliquantò intemperantiùs & incontinentiùs expetant, fidem tamen sibi pariter debent. Cui fidei tantùm juris tribuit Apostolus, ut eam potestatem appellaret, dicens* : Mulier non habet » potestatem corporis sui, sed vir : Similiter » autem & vir non habet potestatem corporis » sui, sed mulier. *Hujus autem fidei violatio dicitur adulterium, cùm vel propria libidinis instinctu, vel alieno consensu, cum altero vel altera contra pactum conjugale concumbitur : atque ita frangitur fides : quæ in rebus etiam corporis & abjectis magnum animi bonum est ; & ideo eam saluti quoque corporali qua etiam vita nostra ista continetur, certum est debere præponi.*

1. Cor. 7.

Tertium verò bonum, quod est Sacramentum, & Sacramenti ratione conveniens Matrimonio indissolubilitas, in omni Christianorum Matrimonio reperitur, etiamsi violatâ fide conjugali, vel alias ob causas, conjuges separentur. *Manet* enim semper inter illos, quamdiu vivunt, *Aliquid conjugale, ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis* : Sicut in Apostatæ animâ velut de conjugio Christi recedente, etiam fide perditâ, manet *Sacramentum Fidei, quod lavacro regenerationis accepit*, (ut ex *S. Augustino* jam observavimus.)

S. Augustinus Lib. 1. De Nuptiis & Concupiscentia, Cap. 2.

CAPUT II.

DE

CAUSA EFFICIENTE MATRIMONII.

ARTICULUS I.

De Consensu Contrahentium.

PROPOSITIO I.

Mutuus contrahentium consensus per verba de præsenti expressus, est causa efficiens Matrimonii.

Legitimus contrahentium consensus Matrimonium efficit.

ID constat ex Canone, *Sufficit*, qui est *Nicolai I.* ad Consulta Bulgarorum respondentis : *Sufficit secundùm Leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur. Qui consensus in Nuptiis solus fortè defuerit, cetera omnia etiam cum ipso celebrata frustrantur.*

Idem confirmat *Innocentius III.* cap. *Cum apud Sedem Apostolicam*, Ext. *De Sponsalibus & Matrimonio*, cujus hæc sunt verba : *Consuluisti Nos, utrum mutus & surdus alicui possint matrimonialiter copulari : ad quod respondemus, Quòd cùm prohibitorium sit edictum de Matrimonio contrahendo, ut quicumque non prohibetur, per consequentiam admittatur, & sufficiat ad Matrimonium solus consensus illorum, de quorum, quarumque conjunctionibus agitur : videtur quod si talis velit contrahere, sibi non possit vel debeat denegari : cùm, quod verbis non potest, signis valeat declarare.*

Et cap. *Tua Fraternitati*, Brixiensi Episcopo hunc in modum respondet : *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris consensum : sed necessaria sunt quantùm ad Ecclesiam verba consensum exprimentia de præsenti. Nam surdi & muti possunt contrahere Matrimonium per consensum mutuum sine verbis : & pueri ante annos legitimos per verba sola non contrahunt cùm, intelligantur minimè consentire.*

Idem Pontifex interrogatus quid juris esset in caussa matrimoniali viri cujusdam, qui mulierem in propria quidem persona despunsaverat ; sed alienum nomen mentitus, dicendo nimirum, *Joannes te in uxorem accipit*, cum Joannes ipse non vocaretur, sed Petrus ; & postea cum ipsa copulam carnalem exercuerat, nec tamen propositum ullum habuerat ipsam ducendi in uxorem, aut ullatenus consenserat in conjugale fœdus : respondet, *Quòd si ita res se habuerit, videlicet quòd ille eam non proposuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in prædictam personam, non debet ex illo facto conjugium judicari, cùm in eo nec substantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri : Quoniam ex altera parte dolus solummodo adfuit, & defuit omninò consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale.* (cap. *Tua nos*, Ext. *De Sponsalibus & Matrimonio.*)

Id etiam confirmat *Eugenius IV.* in Decreto pro Instructione Armenorum post Concilium Florentinum edito, asserens, Mutuum consensum per verba de præsenti esse caussam efficientem Matrimonii, *Regulariter*. Quo adverbio usus est propter Sponsalia consensum per verba de futuro exprimentia, quæ, jure veteri, usque ad Concilii Tridentini promulgationem vigente, accedente copulâ, in Matrimonium transibant : Sed Tridentina Synodus Sessione xxiv. *De Reformatione Matrimonii* cap. 1. Jus illud antiquam abrogavit, ita decernens : *Qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentiâ, & duobus vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit : & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti Decreto irritos facit, & annullat.*

Denique quod est omnium, in alterius potestatem legitimè non transit, nisi vel auctoritate legis, vel consensu domini : In Matrimonio autem conjugibus mutuò traditur corporum suorum potestas : *Mulier* enim *non habet sui corporis potestatem, sed vir : similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* : (inquit Apostolus 1. ad *Corinthios* vii. 4.) Idque non fit lege aliqua ; fieri ergo non potest nisi mutuo consensu, eòque libero, & legitimo, seu legitimarum ad contrahendum inter se personarum.

Sed

» Sed illud maximè necessarium est, ut consensus verbis, quæ præsens tempus significent, exprimatur : (loquit Concilii Tridentini Catechismus.) Neque enim Matrimonium est simplex donatio, sed mutua pactio : atque ita fit ut consensus alterius tantùm ad Matrimonium conjungendum satis esse non possit ; sed duorum inter se mutuum esso oporteat ; atqoi ad declarandum mutuum animi consensum, verbis opus esse perspicuum est. Si enim ex interiori tantùm conseusu sine aliqua extetua significatione Matrimoniom constare posset, illud etiam sequi videretur, ut cùm duo, qui disjonctissimis & maximè diversis in locis essent, ad Nuptias consentitent, antequam alter alteri volontatem suam vel literis, vel nonciis declarasset, veri & stabilis Matrimonii lege conjungerentur : quod tameu à ratione, & Sanctæ Ecclesiæ consuetudine, & Decretit alienum est,

» Rectè autem dicitur, Oporiere ut consensus verbis exprimatur, quæ præseutis temporis significationem habeant : nam quæ futurum tempus indicant, Matrimonium non conjungunt, sed spondent. Deinde quæ futura sunt, nondom esse perspicuum est ; quæ verò non sunt, parum aut nihil firmi & stabilis babere, existimandom est. Qoare nondum connubii jus in eam mulierem quisquam habet, quam se in Matiimonium ducturom esse pollicetur : neque statim ab eo impletum est quod se facturum promisit : tametsi fidem præstare debet ; quod si non faciat, violatæ fidei reus esse convincitur. At verò qui Matrimonii fœdere alteri jungitot ; quamvis postea peniteat, tamen, quod factum est, mutare, irritúmve & infectum teddere non potest. Cùm itaque conjogii obligatio nuda promissio non fit ; sed hujusmodi abalienatio, quâ re ipsâ vir mulieri, & vicissim muliet viro corporis sui potestatem tradit : ideirco necesse est, verbis, quæ præsens tempus designant, Matrimonium contrahi : quoniam verbotom vis, postquam etiam enunciata sunt, permanet, virúmque & uxorem indissolubili vinculo constrictos tenet.

» Sed verborum loco tum nutus, & signa, quæ intimum consensum apertè indicent, satis ad Matrimonium esse possunt : tum ipsa etiam taciturnitas, cùm puella propter verecundiam non respondet, sed pro ea pareutes loquuntur.

ARTICULI CONSECTARIA,

SEU REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA I.

Cousensus fictus per verba de præsenti expressus, ad Matrimonium non sufficit, si desit cousensus interior.

De consensu ficto, sive simulato.

SIne consensu enim interiori nullum & irritum Matrimonium est, ut disettè respondet *Innocentius III.* cap. *Tua nos*, Ext. *De Sponsalibus & Matrimonio*, cujus verba suprà retulimus. Idque confirmat S. *Thomas* in IV. *Sententiarum*, Distioctione XXVII. Quæstione I. Articulo II. Quæstiuncula IV. *Sicut* (inquit) *se habet ablutio exterior ad baptismum, ita se habet expressio verborum ad hac Sacramentum. Unde sicut si aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens accipere Sacramentum, sed ludum & delum facere, non esset baptizatus ; ita expressio verborum sine interiori consensu Matrimonium non facit.*

Verùm (iuquies) Fraus &, dolus nemini debent patrocinari, ut habetur cap. *Si vir*, Ext. *De Cognatione spirituali* : At qui verbis conseusum exprimit, absque interiori consensu, dolum committit : uoo ergo absolvitur propterea ab obligatione Matrimonii.

Respondet *S. Thomas*, Ea in specie duo esse distinguenda. *Primum est defectus consensus, qui ei patrocinatur in fora conscientiæ, ut non adstringatur vinculo Matrimonii ; quamvis non in fora Ecclesiæ, in quo judicatur secundùm allegata* & probata : *Secundum est dolus verborum ; & hic non patrocinatur nec in foro conscientia, nec iu foro Ecclesia ; quia in utroque pro hoc punitur.*

REGULA II.

Qui fictè ac simulatè Matrimonium cum aliqua contraxit, eam ducere tenetur. Hanc tamen Regulam certis exceptionibus Theologi meritò temperant.

Qui fictè Matrimonium cuto aliqua fœmina contraxit, eam ducere tenetur.

SI enim is qui iu facie Ecclesiæ simulando consensum, verbisqoe exprimens quod in animo ooo habebat, mulieri illusit, eam ducere non teneretur uxorem, dolus illi suus patrocinaretur tum in foto conscientiæ, tum in foro Ecclesiæ ; Patrocioari autem illi non debere docet *S. Thomas*, loco mox indicato. Deinde cùm fictionem alterius probare oon posset pars decepta, Matrimonium alterum inire non permitteretur ; & quamvis alterius Matrimonii ineundi daretur illi facultas, tamen ob famam tali divortio gravitet læsam, non facilè conjugem inveniret.

Exceptiones.

Exceptiones tamen aliquas hæc Regula patitur, omoium Theologorum judicio ; certique sunt casus, quibus eam ducere non tenetur simulator.

Primò, si duxerit alteram legitimo consensu adhibito ; quo tamen casu ad compensandam injuriam priori illatam, Prudentum arbitrio teneretur. Sed casus ille vix occurret : Ecclesia enim ipsum compelleret ad manendum cum prima uxore, ut colligitur ex cap. *Ex parte*, Extra, *De Sponsalibus*, & cap. *Licet*, Ext. *De Sponsa duorum*. Nam *Judicat Ecclesia secundùm ea qua forit apparent : sed ille debet potiùs Excommunicationem sustinere, quàm ad primam uxorem accedat ; vel debet in aliat regiones remotas fugere*, ut respondet *S. Thomas* loco suprà laudato, ad tertium.

Secuodò, non tenetur eam ducere simulator, si maxima sit conditionis disparitas, vel evidentia signa ficti consensûs præbuerit. Tunc enim judicari potest mulierem verè deceptam non fuisse, aut verbis viri non credidisse, vel certè non debuisse eredere.

Tertiò, si mulier quæ videtur decepta, se virginem simulaverit, cùm non esset.

Quartò, si gravia mala, capitales inimicitiæ ac dissidia, cædes, &c. ex hujusmodi Matrimonio meritò timentur. Quo casu pecuniaria compensatio sufficiet.

REGULA III.

Qui post Matrimonium fictè contractum cum una, secundum sincere contraxit cum alterâ, non tenetur, nec potest tutâ conscientiâ, redire ad priorem, etiamsi Judicis Ecclesiastici Sententiâ, Censurisque compellatur.

De Matrimonio fictè contracto.

HÆc Regula nititur *Innocentii III.* Responso, cap. *Inquisitioni*, Ext. *De Sententia Excommunicationis*, cujus hæc sunt verba: *Debet potiùs Excommunicationis Sententiam humiliter sustinere quàm per carnale commercium peccatum operari mortale.* Peccatum autem mortale committeret, dimittendo illam cum qua legitimè contraxit, ut rediret ad priorem, quæ verè conjux non est, defectu consensûs; nec esse potest, consensu in Matrimonium cum alterâ præstito per verba de præsenti.

REGULA IV.

Proles ex Matrimonio fictè contracto suscepta, antequam fictio alteri conjugi innotescat, vel probetur, legitima censenda ac judicanda est.

FIlii namque geniti ex Matrimonio bonâ fide saltem alterius parentis inito in facie Ecclesiæ, legitimi censentur, modò concepti sint ante divortium Judicis Ecclesiastici Sententiâ decretum; quicumque defectus, seu quodcumque impedimentum occultum, vel uni dumtaxat conjugum notum, intercesserit. Id constat ex cap. *Cum inter*, & cap. *Perlatum*, quæ sunt *Alexandri III.* Responsa Ext. *Qui filii sint legitimi*: Ex cap. *Pervenit*, quod est *Celestini III.* & cap. *Ex tenore*, quod est *Innocentii III.* sub eodem Titulo, cujus hæc sunt verba: *Intelligentes quòd pater prædicti R. matrem ipsius in facie Ecclesiæ, ignaram quòd ipse aliam sibi matrimonialiter copulasset, duxerit in uxorem, & dum ipsa conjux ipsius legitima putaretur, dictum R. susceperit ex eadem, in favorem prolis potiùs declinamus, memoratum R. legitimum reputantes.* Id confirmat *S. Thomas* in IV. *Sententiarum* Dist. XLI. Quæstione I. Articulo III. Quæstiuncula I. ad secundum: *Ignorantia* (inquit) *excusat illicitum coitum à peccato, nisi sit affectata: unde illi qui conveniunt bonâ fide in facie Ecclesiæ, quamvis sit impedimentum, dum tamen ignorent, non peccant, nec filii sunt illegitimi.*

REGULA V.

Cùm unus conjugum affirmat sibi defuisse consensum, non statim licet alteri novum conjugium inire.

De Matrimonio fictè contracto.

SIcut enim Ecclesia non statim credit id asserenti, nec probanti; ita nec ille credere tenetur, sed jure suo uti potest, utpote bonæ fidei possessor, & existimare quod nunc fortè mentiatur, quæ priùs asserit se fuisse in facie Ecclesiæ mentitam. Nam (ut ait *Innocentius III.* cap. *Per tuas*, Ext. De Probationibus) *Nimis indignum est (juxta legitimas Sanctiones) ut quod suâ quisque voce dilucidè protestatus est, in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmare.*

Idem confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXVII. Quæstione I. Articulo II. Quæstiuncula IV. ad secundum. *Si* (inquit) *desit consensus mentalis ex parte unius, ex neutra parte est Matrimonium; quia Matrimonium consistit in mutua conjunctione: tamen probabiliter potest credi dolus non esse, nisi signa evidentia doli appareant; quia de quolibet est præsumendum bonum nisi probetur contrarium. Unde ille ex cujus parte dolus non est, à peccato excusatur per ignorantiam.*

REGULA VI.

Consensus ex metu gravi, & in virum constantem cadente, ad Matrimonii firmitatem non sufficit: sed ita contractum, nullum & irritum est.

De consensu ex metu gravi.

HÆc Regula traditur ab *Alexandro III.* cap. *Cùm locum*, Ext. *De Sponsalibus & Matrimonio*, cujus hæc sunt verba: *Cùm locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est, at ubi assensus cujusdam requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur: & ubi de ipso quæritur, plenâ debet securitate ille gaudere, cujus est animus indagandus: ne per timorem dicat sibi placere, quod odit, & sequatur exitus, qui de invitis solet Nuptiis provenire. Quocirca mandamus, quatenus puellam, de cujus Matrimonio quæstio ventilatur, in domo, in qua nihil eam timere oportet, facias honestè teneri, donec prædicta caussa terminata fuerit, & Sententia sine contradictione cujusquam valeat executioni mandari.*

Et Cap. *Veniens*, de quodam, qui fidem mulieribus duabus obstrinxerat, uni per verba de futuro, copulâ subsequente, ex qua proles suscepta fuerat; alteri per verba de præsenti, coactus à patre puellæ, qui simul eos in uno lecto invenerat; sic respondet: *Mandamus, quatenus si inveneris, quòd primam post fidem præstitum cognoverit, ipsum cum ea facias remanere: alioqui secunda (nisi metu coactus, qui posset in virum constantem cadere, eam desponsaverit) adhærere facias ut uxori.*

Idem confirmat *Innocentius III.* Cap. *Consultationi*, sub eodem titulo: *Mulieres* (inquit) *quæ veniunt ad valvas Ecclesiæ benedicendæ cum Sponsis, & ibi reclamantes affirmant se nunquam in eorum Matrimonium consensisse: audiri (Sponsis legitimè probantibus contrarium) non oportet: cum legitimis & idoneis testibus non debeat illarum simplex assertio prævalere. Sanè illis, quæ benedictione acceptâ, mox à Sponsis aufugiunt ante carnis copulam subsecutam, asserentes se nunquam in illos veraciter consensisse; sed metu illato compulsas, verba protulisse consensûs, licet animo dissentirent, non statim est audientia deneganda: sed de illato metu est cum diligentiâ inquirendum: & si talis metus inveniatur illatus, qui cadere potuit in constantem virum, erunt non immeritò audiendæ.*

Idem rursus confirmat *Alexander III.* Cap. *Significavit*, Ext. *De eo qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium.*

Idem docet *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXIX. Quæstione II. Articulo III. Quæstiuncula I. *Vinculum* (inquit) *Matrimonii perpetuum est: unde illud quod perpetuitati repugnat, tollit Matrimonium: metus autem qui cadit in constantem virum, perpetuitatem contractûs tollit; quia potest peti restitutio in integrum: & ideo talis coactio metûs, qui cadit in constantem virum, tollit Matrimonium, & non alia. Quidam autem dicunt, quòd si adsit consensus, quamvis coactus, interiùs est Matrimonium quantùm ad Deum, sed non quantùm ad statum Ecclesiæ, quæ præsumit ibi non fuisse consensum interiorem propter metum: sed hoc nihil est: quia Ecclesia non debet de aliquo præsumere peccatum, quousque probetur: Peccavit autem, si dixit se consentire, & non consensit. Unde Ecclesia præsumit*

eum consensisse; sed judicat illum consensum extortum non esse sufficientem ad faciendum Matrimonium.

Quis metus cadens in virum constantem.

Metus porrò cadens in virum constantem is dicitur, quo ad evadendum majus malum, quod verisimiliter imminet, cogitur aliquis amplecti minus malum; velut si timore mortis, mutilationis, acerbi cruciatus, servitutis, carceris, exilii, infamiæ quæ averti vel comprimi non possit, cogatur consensum præbere Matrimonio cum illâ, quam alioqui ducere nollet. Nam illa sano judicio æstimantur graviora mala, quam uxorem habere, quæ alioqui displicet. Si quis autem metu infamiæ, quæ facilè aboleri, aut repelli potest, vel metu amittendi nummos, vel ne excidat gratiâ domini sui, vel è familia dimittatur, uxorem ducat, levis & inconstantis hominis est ille metus; quemadmodum & si quis mortem quidem & tormenta metuat,* sed quæ verisimiliter non inferentur. Doctrina est *S. Thomæ* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXIX. Quæstione I. Articulo II.

Cùm autem metum gravis mali probabiliter imminentis, irritum facere Matrimonium dicimus, non est necesse ut personæ quæ ad contrahendum cogitur, sed sufficit ut illius patri, vel matri, filiis, fratribus, sororibus, nepotibus, aliisque consanguineis vel affinibus, domesticis etiam vel intimis amicis metuatur.

REGULA VII.

Consensus ex metu, quo vir constans affici, concutique possit, justè illato, sufficit ad Matrimonii firmitatem.

De consensu ex metu gravi, sed justè illato.

Cum enim metus justè incutitur, consensus per injuriam non extorquetur, nec invitus appellari meritò potest, qui cogitur ipso jure, cui si parere recusaverit, injustus & iniquus est. Unde ille sibi potiùs incutit metum, quàm ab alio patiatur incussum. Hinc Ecclesia sæpe sub gravissimis pœnis compellit eos qui à Sponsalibus absque legitimâ caussâ resilire volunt, ut Matrimonium contrahant. Quamobrem si quis justè detrusus in carcerem est, ut contrahat Matrimonium datâ fide promissum, vel, si Judex mortem, damnationem ad triremes, aut exilium justè comminetur, ut eam, quam constupravit, ducat uxorem, Matrimonium ex tali metu contractum validum ac ratum est. Sola enim via atrox, & ea quæ adversùs bonos mores stat, contractus irritos facit, *Non ea quam Magistratus infert, scilicet jure licito, & jure honoris quem sustinet*, ut habetur L. *Continet*, in Digestis, Tit. *De eo quod metùs causâ fit.* Idque confirmat cap. *Pervenit*, Ext. *De Adulteriis, & Stupro*, quod ex *S. Gregorii Magni* Epistola ad Sipontinum Episcopum XLII. Libri II. sumptum est: *Pervenit ad nos, quòd felix quandam Virginem stupro decepit: quod si verum est, quamvis esset de Lege pœnâ plectendus, Nos aliquatenus Legis duritiam mollientes, hoc modo disponimus: ut, aut quam stupravit, uxorem habeat; aut si renuendum putaverit, corporaliter castigatus, excommunicatúsque, in Monasterium, in quo agat Pœnitentiam retrudatur, de quo nulla sit egrediendi sine nostrâ præceptione licentiâ.*

Ratum pariter Matrimonium est, si quis ad mortem justè damnatus, & ab aliqua postulatus in conjugem, cum illa contrahit ut mortem evadat. In hoc namque casu metus non est propriè caussa Matrimonii, immò potiùs Matrimonium metu liberat hominem quo justè perculsus fuerat à Lege potiùs quàm à Judice, secundùm verba Canonis *Si homicidium*, Causâ XXIII. Quæstione V. *Cùm homo justè occiditur, Lex eum occidit, non tu.*

REGULA VIII.

Metus à causâ naturali vel internâ proveniens irritum non facit Matrimonium.

De metu à causa interna proveniente.

Neque enim consensus tali metu expressus obstat libertati electionis, neque Ecclesia contractum ex eo factum declarat irritum. Si quis igitur metu damnationis æternæ, vel mortis ex morbo, aut naufragio, imminentis ducat uxorem, quam aliàs non duceret, ratum Matrimonium est. Si Medicus ægro minetur se ipsum derelicturum, nisi filiæ suæ nubat, quamvis ita illi necessaria sit talis Medici opera, ut sine ea nulla ipsi supersit spes sanitatis, Matrimonium ex hujusmodi metu contractum validum ac ratum est. Non enim Medicus propriè autor metùs est, quo impulsus æger Matrimonio consentit, sed morbus gravis ac periculosus quo laborat. Nec mirum quod Matrimonium ex tali metu contractum Ecclesia ratum habeat, cùm & Religiosam Professionem approbet, ad quam aliquis metu mortis ex gravi ægritudine imminentis inductus est, ut constat ex cap. *Sicut nobis*: Ext. *De Regularibus.*

REGULA IX.

Metus injustè incussus irritum non facit Matrimonium ex eo contractum, si ad extorquendum consensum in Matrimonium illatus non sit.

De metu ad Matrimonium extorquendum non illato.

Tunc enim sponte Matrimonium eligitur ad periculum vel damnum evadendum. Quamobrem si parentes vel consanguinei puellæ hominem cum eâ in stupro interficere velint; ipse autem sponte offerat Matrimonium ad injuriæ compensationem, ut eorum placet animos, ratum est Matrimonium ex tali metu contractum, quia ipsi mortem inferre volebant in ultionem injuriæ & dedecoris familiæ suæ illati, non ad extorquendum consensum in Matrimonium, quod alias Judex justè decerneret. Si verò mortem stupratori minarentur, nisi puellam statim duceret, ipsámque verisimiliter essent illaturi, aut si ipsum mutilare vellent, vel gravi damno aut incommodo afficere, irritum esset Matrimonium, quia talis metus injustè incutitur, cùm parentes jus non habeant occidendi vel mutilandi stupratorem filiæ suæ, sed solùm in judicium vocandi; & ad consensum extorquendum hujusmodi metus infertur. Ratum etiam esset Matrimonium, si quis obsessus in aliqua civitate, metu expugnationis, vastationis, incendii, promiscuæ cædis omnium civium, dilapidationis omnium fortunarum, duceret filiam, sororem, aut consanguineam obsidentis ut mala illa averteret: quia non ad extorquendum consensum in Matrimonium, sed ob alias causas incussus illi est tantorum malorum metus.

REGULA X.

Nullus metus invirum constantem cadent compellere potest hominem ut debitum reddat mulieri cum qua Matrimonium contrahere coactus est, si Matrimonium istud nullum sit defectu consensus, aut propter canonicum impedimentum.

HÆc enim ipsius conjux non est; unde carnalis cum illa commixtio fornicatio esset, stuprum, incestus, vel adulterium. Nullo autem metu potest induci vir constans, ut lethale peccatum committat, cùm nullum sit malum peccato gravius. *Peccata sunt maxima malorum, & ideo ad hoc nullo modo potest homo constans cogi, imò magis debet homo mori quàm talia sustinere*, (inquit *Sanctus Thomas in* IV. *Sententiarum*, Dist. XXIX. Quæstione II. Articulo II. ad secundum.)

REGULA XI.

Ratum est Matrimonium ex metu reverentiæ contractum.

De metu ex reverentia.

MEtus enim reverentiæ non cogit voluntatis assensum, nec virum constantem concutit. Unde *Urbanus III.* cap. *ex literis*, Ext. *De Desponsatione impuberum*, Sponsalia de voluntate parentum inita non declarat irrita ob solum reverentiæ metum, sed propter minas puellæ à parentibus intentatas: *De voluntate* (inquit) *parentum potiùs quàm de sua* (*sicut asserit*) *ad domum patris pueri adducta; ubi nolens & invita, minis parentum impulsa, moram fecit per annum & ampliùs, &c.*

REGULA XII.

Matrimonium defectu consensus irritum, si inter personas aliequi legitimas, coram Parocho & testibus contractum sit, novo conjugum qui metu compulsi, vel fictè contraxerant, consensu privatim tacitèque præstito convalescit.

Qua ratione convalescere possit Matrimonium defectu consensûs irritum?

ID colligitur ex *S. Thoma*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XXIX. Quæstione II. Articulo III. ad secundum: *Ex consensu* (inquit) *libero illius qui priùs coactus est, non fit Matrimonium, nisi in quantum consensus præcedens in altero adhuc manet in suo vigore; unde si dissentiret, non fieret Matrimonium.*

Idem docet *S. Antoninus*, III. P. Tit. I. cap. VII. *Si postea* (inquit) *tacitè consentiat & liberè, persona ligata in consensu pristino persistente, verum efficitur Matrimonium, & tunc uterque ligatus est; quia quamvis tacitus consensus per se non sufficeret, tamen sufficeret cum expressione exteriori quæ præcessit.... Si autem utraque persona fuit coacta, tunc ad hoc quòd sit verum Matrimonium, requiritur novus consensus ex utraque parte, sed non nova exterior expressio.*

Id confirmatur ex cap. *Ad id*, Ext. *De Sponsalibus & Matrimonio*, quo *Clemens III.* respondet, Matrimonium mulieris cum quodam viro per vim contractum, sequenti cohabitatione spontanea per annum & dimidium convaluisse: *Quamvis* (inquit) *ab initio invita fuisset ei tradita & retinens; tamen quia postmodum per annum & dimidium sibi cohabitans consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire; nec de cætero recipiendi sunt testes, si quos memorata mulier ad probandum quòd non consenserit in eundem, nominaverit producendos: cum mora tanti temporis hujusmodi probationem excludat.*

Idem confirmatur ex cap. *Significavit*, Ext. *De eo qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium.* Quo *Alexander III.* respondet Abbati *De Fontibus*, hominem cui tanta vis illata fuit, ut non sponte in Matrimonium cum certa quadam muliere consenserit, posse reverti liberè ad secundam, quam postea duxit uxorem, nisi primam post præstitum juramentum *carnaliter cognoverit.* Copula namque coactionem subsecuta, ratihabitio quædam est Matrimonii, consensui libero æquivalens. Quod rursus confirmat idem Pontifex cap. *Proposuit*, Ext. *De Conjugio Servorum.*

Denique *S. Pius V.* declaravit Matrimonium contractum & consummatum per metum, si in facie Ecclesiæ, secundùm formam Tridentini Concilii contractum sit, & impedimentum sit occultum, postea mutuo conjugum consensu & spontanea cohabitatione convalescere, nec esse opus iterum contrahere repetitis solemnitatibus aliàs ritè adhibitis in primo contractu. Si autem impedimentum esset manifestum, Matrimonium de novo contrahendum esset servatâ formâ Concilii Tridentini, juxta Responsum Sacræ Congregationis Concilii, ad Declarationem *S. Pii V.* de qua *Navarrus* in Summa cap. XXII. Num. 70. & *Fagnanus* in cap. *Is qui fidem*, Ext. *De Sponsalibus.*

REGULA XIII.

Matrimonium contractum inter personas, quæ illegitimæ erant propter aliquod impedimentum dirimens, impetratâ Dispensatione convalescere non potest, nisi novus utriusque consensus accedat, verbis aut signis expressus.

Qua ratione convalescere possit Matrimonium inter personas illegitimas propter aliquod impedimentum dirimens contractum?

DIspensatio namque, quâ sublatum impedimentum est, non dat firmitatem Matrimonio priùs contracto, sed facit duntaxat personas idoneas & legitimas ad contrahendum inter se Matrimonium. Præterea, consensus antea expressus erat illegitimus, siquidem personæ ad contrahendum legitimæ non erant: irritus itaque erat. Quamobrem novo utriusque conjugis consensu, postquam impetrata fuerit Dispensatio, Matrimonium convalescat necesse est.

Idem colligitur ex *S. Thoma*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XLI. Quæstione I. Articulo IV. ad sextum: *Si* (inquit) *aliquis gradus concederetur, qui nunc est prohibitus, illa conjunctio non efficeretur matrimonialis ex Statuto Ecclesiæ ratione primi contractus, quia possent separari si vellent. Sed tamen possent de novo contrahere; & alia conjunctio esset.*

Verùm si priùs inter se contraxerunt coram Parocho & testibus secundùm formam à Concilio Tridentino præscriptam, licèt invalidè, propter impedimentum occultum, necesse non est ut contractus solemni ritu in facie Ecclesiæ renovetur: sed sufficit ut consensum mutuum privatim verbis vel signis renovent & exprimant. Et quia non rarò pericula sunt vel scandali, vel dissensionum, vel suspicionis adulterii, si conjux, cui ignotum impedimentum est, illud edisecat, maximâ prudentiâ opus est ad novum consensum eliciendum. Itaque satis erit si conscius impedimenti, inter conjugalis amoris blanditias, alteri dicat: Ita in te sum affectus, ut si non esses inter nos Matrimonium, nihilominus te acciperem in conjugem, & nunc revera te acci-

pio. Nonquid similiter in me affectum cor tuum est? Si verbis vel signis innuat, ita se affectum esse, aut affecto conjugali copulam ineant, Matrimonium convalescit. Commune id Theologorum placitum est, *S. Pii V.* Declaratione fultum, præcipuè *Navarri*, in Enchiridio, cap. XXII. Num. 70. & Lib. IV. Consilio XIV. Tit. De Sponsalibus; *Barbosa* P. II. *De Officio Episcopi*, Allegatione XXXII. Num. 157. & 158. *Zerola* in Praxi Episcopali, verbo *Dispensatio*, ad tertium, & ad quintum Dubium, & aliorum.

REGULA XIV.

Filii præcepto patris cogi non possunt ad Matrimonium contrahendum, vel ad hanc ducendam, aut illum accipiendum, regulariter, seu quibuscunque de causis patrem ad id moventibus.

De præcepto parentum respectu Matrimonii contrahendi.

PAterna enim potestas non extenditur ad ea præcipienda, in quibus par est filios patri, cujus modi sunt ea omnia, quæ ad universum vitæ cujusque statum pertinent.

Præterea, *Cùm in Matrimonio sit quædam quasi servitus perpetua, pater non potest cogere filium ad Matrimonium per præceptum, cùm sit libera conditionis;* (inquit *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum* Dist. XXIX. Quæstione II. Art. IV.)

Idem confirmat Canon *Si verum*, qui *Urbano* Papæ tribuitur, Causâ XXXI. Quæstione II. & Canon *De Neptis*, quod Responsum est *Urbani II.* Sanctio Regi Aragonum datum, cujus hæc sunt verba: *De Neptis tua conjugio, quam te cuidam Militi daturum necessitatis instante articulo sub fidei pollicitatione firmasti, hoc æquitate dictante decernimus; ut si illa etiam illum omnino (ut dicitur) renuit, & in eadem voluntatis auctoritate persistit, ut viro illi prorsus se deneget nupturam, nequaquam eam invitam & renitentem ejusdem viri cogas conjugio sociari. Quorum enim unum corpus est, unus debet esse & animus: ne fortè virgo, cùm fuerit alicui invita copulata, contra Domini, Apostolique præceptum, aut reatum dissidii, aut crimen fornicationis incurrat. Cujus videlicet peccati malum in eum redundare constat, qui eam conjunxit invitam. Quod pari tenore de viro etiam est sentiendum.*

Idem confirmat cap. *Tua Fraternitas*, Ext. *De Desponsatione impuberum*, quod *Hormisdæ* Pontifici Maximo tribuitur. *Tua* (inquit) *Fraternitas requisivit de filio adulto, quem pater Matrimonium vult contrahere, Si sine voluntate adulti filii facere potest? Ad quod dicimus, Si aliquo modo non consentit filius, fieri non posse.*

Neque verò hæc Regula repugnat Præcepto Decalogi de honorandis parentibus, aut Apostolico mandato Coloss. III. *Filii, obedite parentibus per omnia.* Nam obedientia in illis tantùm exigi potest, ad quæ se extendit præcipiendi potestas. Quod ergo dicitur *Per omnia*, intelligendum est accommodatè, ea scilicet omnia quæ parentes filiis præcipere possunt. Unde sicut illicita & inhonesta non complectitur hæc generalis exactio obedientiæ; ita nec ea, in quibus Leges, Naturæ, Divina, & Ecclesiastica filios suæ potestati ac libertati relinquendos esse sanxerunt.

REGULA XV.

Causæ quædam justæ ac legitimæ interdum occurrunt, ob quas pater filium consiliis, monitis, & quandoque præcepto inducere potest ut uxorem ducat, atque etiam ut hanc vel illam accipiat; & similiter filiam ut huic vel illi nubat.

ITa docet *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XXIX. Quæstione II. Articulo IV. *Pater* (inquit) *potest filium ad Matrimonium inducere ex rationabili causâ: & tunc, sicut se habet filius ad causam illam, ita se habet ad præceptum patris, ut si illa causa cogat de necessitate, vel de honestate, præceptum similiter cogat; aliàs non.* Itaque si causa talis sit ut filium omninò obliget, præcepto patris omnino atque absolutè parere debet: Exempli gratiâ, si pater præcipit filio ut ducat uxorem, quia novit eum scortatorem esse, & libidinosè vivere, neque vix aliud sperare liceat istius mali remedium, nisi conjugium, tenetur filius obedire præcepto patris, quia tenetur a fornicatione & impudicitiâ abstinere. Vel si virginem sedoxit sub spe conjugii, nec aliter compensari potest injuria, spectatâ conditione personarum: Filius tenetur parere patri præcipienti ut illam ducat, quia id necessariò postulat justitia. Similiter, si filiæ jam nubilis pudicitiam periclitari videat, præcipere illi potest, optione datâ ut nubat, vel Monasterium ingrediatur: & omnino tenebitur illa parere mandato patris, quia tenetur periculum & occasiones peccati, raptorúmque & seductorum insidias vitare. Idem judicium esto, si pater in vitæ periculo, aut in captivitate constitutus, aliter evadere non possit, nisi filio hanc aut illam uxorem ducente: vel si pater inopia pressus, aliter quàm locuplete dote, quam filii conjugium afferet, juvari non valeat, vel si graves inimicitiæ, litésque pertinaces, patris totiusque familiæ quietem perturbaturæ, bonáque omnia consumpturæ, aliter sedari, extingui & componi non possint: & multò magis si filius sit Regis aut Principis, nec aliter pax Regni obtineri firmarique possit quam fœdere Nuptiarum: tunc certè filius vel filia tenentur obedire patri Matrimonium præcipienti cum hoc vel cum illa. Id enim exigit pietas quam parentibus debemus.

De prohibitione idem omninò dicendum. Filius namque prorsus tenetur obedire patri prohibenti ne ducat uxorem hæreticam, maleficam, vel alias criminosam, malè moratam, aut infamem, vel disparis longè conditionis. Tenetur enim quisque Lege naturæ periculum suum vitare, honori suo consulere, familiæque suæ dignitatem vel honestatem sartam tectam tueri: Tenetur parentibus justa præcipientibus obedire: Justæ autem sunt prohibitiones illæ. Sic *Isaac* Patriarcha *Genes.* XXVIII. prohibuit *Jacob* filio suo, ne acciperet conjugem de genere Chanaan, simulque præcepit ut aliquam duceret de filiabus *Laban* avunculi sui: quo se præcepto jure meritóque obstrictum *Jacob* existimavit, illique religiosè paruit.

Si verò causa præcepti non omninò filium obligat, sed tamen honesta & conveniens est, filios non simpliciter teneri obedire patri Matrimonium præcipienti; quia non omne quod conveniens & honestum est, ex præcepto obligat. Itaque si Matrimonium futurum sit honestum & utile tam filio, quàm toti familiæ, aut si Sponsalia jurata erant à parentibus, suadere quidem

illud potest pater, præcipere non potest: & si præcipiat, honestum quidem est, ut filius voluntati patris morem gerat; id tamen minimè necessarium est.

Regula XVI.

Consensus conditionatus ad Matrimonium non sufficit; nec illud ratum est, nisi conditio evenerit, seu impleta fuerit, si possibilis ac honesta sit, & de futuro.

De consensu conditionato.

HÆc Regula nititur cap. *De illis*, quod est *Alexandri III.* Responsum, Eat. *De conditionibus appositis in Desponsatione*, &c. cujus hæc sunt verba: *Si verò aliquis sub hujusmodi verbis juramentum alicui mulieri præstiterit: Ego te in uxorem accipiam, si tantùm mihi donaverit: reus perjurii non habebitur, si eam nolentem sibi solvere, quod sibi dari petiit, non acceperit in uxorem, nisi consensus de præsenti, aut carnalis sit inter eos commixtio subsecuta.*

De conditionibus de futuro appositis in Matrimonio.

Idem confirmat *Urbanus III*, cap. *Super eo*, sub eodem Titulo. Interrogatus fuerat, Utrum ille qui in quandam mulierem consenserat, si pater ejus suum præstaret assensum, ad Matrimonium consummandum esset compellendus? Respondet: *Cùm consensus liber dici non possit, qui in alieno arbitrio reservatur, ac conditionem ipsam Canonica non improbent Instituta: nisi voluntas patris postmodum intercedat, nequaquam cogendus est ad Matrimonium contrahendum. Nam licèt Alexander Papa responderit; Quòd Sponsalia interpositâ conditione contracta, ipsâ non impletâ, si consensus de præsenti intercedat, vel carnalis copula subsequatur, dissolvi non debent, sed firmiter observari; nequaquam est nostra Diffinitioni adversum; cùm hujusmodi consensus non sit de præsenti habendus (licet per verba de præsenti evidentiùs exprimatur) qui in alieno arbitrio non habito, sed habendo, consistit.*

Idem confirmat *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXIX. Quæstione II. Articulo III. Quæstioncula, III. *Si* (inquit) *sit conditio de futuro, aut est necessaria, sicut Solem oriri cras: & tunc est Matrimonium, quia talia futura jam sunt præsentia in suis causis, aut est contingens, sicut datio pecuniæ, vel acceptatio parentum: & tunc idem est judicium de tali consensu, sicut de consensu qui fit per verba de futuro: Unde non facit Matrimonium:* Intellige, Nisi impletâ conditione.

Cum Matrimonium sub conditione contractum est, adveniente conditione non est necessarius novus consensus.

An autem adveniente conditione sit necessarius novus consensus, Quæstio est Theologos inter & Jurisperitos disceptata. Necessarium esse contendunt Theologorum plerique, Jurisconsulti negant. Horum Sententiam Romana Curia sequitur. Nam in Sacra Congregatione Concilii olim proposito dubio: An validum esset illorum Matrimonium, qui coram Parocho & testibus, per verba de præsenti, sub conditione licita & honesta, quæ postea impleta est, contraxerant; & se pro legitimis conjugibus, statim atque impleta est, sine alia solemnitate habentes, Matrimonium consummaverant, an verò cogendi essent conjuges ad Matrimonium iterum coram Parocho legitimè contrahendum: Sacra Congregatio in Sententiam quidem Theologorum se propendere significavit, uno excepto Cardinali *Alciato*, eamque videri Tridentino Concilio magis consonam; sed relatione facta coram Summo Pontifice, cui judicium istius Quæstionis Consultissimi Cardinales reservaverant, Sanctissimus Pontifex *Pius Quintus* secundùm sententiam Jurisconsultorum pronuntiavit, impletâ conditione, accedente verbi gratiâ consensu patris, Matrimonium quod ex illo consensu fuerat suspensum, statim ratum ac perfectum esse; nec opus ut esse coram Parocho iterum celebretur: atque hanc Sententiam in Judiciis omnino sequendam: neque Concilio Tridentino ullatenus repugnare. Idem sensit ac declaravit Congregatio altera sub *Clemente VIII.* ut refert *Fagnanus* in cap. *Super eo*, Tit. *De conditionibus appositis in Dispensatione, vel in aliis Contractibus*, in Lib. IV. Decretalium, paginâ 38.

Regula XVII.

Si conditio honesta, licita, & possibilis impleta non fuerit, sed tamen contrahentes à conditione per contrarium factum recesserint, ratum est & perfectum Matrimonium.

De conditionibus appositis in desponsatione.

ID constat ex cap. *Per tuas*, Eat. *De Conditionibus appositis in Desponsatione*, &c. quo *Innocentius III.* Matrimonium viri cujusdam, qui Sponsalia sub honesta conditione contraxerat, eo nomine ratum esse pronuntiat, quòd ante conditionis eventum desponsatam sibi carnaliter cognovisset, atque ita à conditione recessisset: *Cum liquidò constet, quòd, post contracta Sponsalia, carnalis est inter eos copula subsecuta, pro Matrimonio est præsumendum: quia videtur à conditione appositâ recessisse.*

Regula XVIII.

Matrimonium coram Parocho & testibus contractum sub conditione de præterito vel de præsenti, nullum est ab initio si conditio defuerit, nec subsecutâ copulâ convalescit ac perficitur.

De conditionibus de præterito vel præsenti.

EXempli gratiâ, si quis his verbis contrahat: Anna, si es legitima; vel si es virgo; vel si es nobilis, accipio te in meam uxorem; deinde Matrimonio consummato, compertum sit Annam non esse legitimam, sed natam ex concubina, vel non fuisse virginem tempore contractûs; vel nobilem non esse; sed plebeiam; Matrimonium ab initio nullum fuit, neque convaluit, copulâ subsecutâ. Id colligitur ex *S. Thoma* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXIX. Quæstione II. Articula III. Quæstiuncula II. *Conditio apposita* (inquit) *aut est de præsenti, aut de futuro: si de præsenti, & non est contraria Matrimonio, sive sit honesta, sive inhonesta, stat Matrimonium stante conditione; & ea non stante, non stat.* Idemque confirmat *S. Antoninus*, III. P. Tit. I. cap II. in fine. Cùm itaque nunquam extitit conditio honesta & possibilis, quæ Matrimonio, sive consensui alterius conjugis adjecta est, Matrimonium ab initio contractum nullum & irritum fuit.

Ex quo sequitur, illud non convalescere ac perfici per copulam subsecutam; quia tunc demum per copulam censetur quis recedere à conditione, si conditio sit de futuro, ut colligitur ex cap. *Per tuas*, supra citato: secùs verò si conditio sit de præterito vel præsenti. Ratio discriminis est, quia ubi conditio apposita est de futuro, actus non est irritus ab initio, sed suspenditur usque ad conditionis eventum, ut constat ex cap. *De illis*, & cap. *Super eo*, Eat. *De Conditionibus appositis in Desponsatione*, &c. Unde per copulam ideo videtur aliquis à conditione recessisse,

fisse,

fisse, quia Ecclesia, ut crimen fornicationis excludat, copulam factam præsumit affectu conjugali, purùmque & absolutum consensum intercessisse, ut explicat Glossa Capitis *Per tuas*, cujus hæc sunt verba: *Conditionalis consensus nullus est ante conditionem extantem.* ff. De Verb. signific. L. Cedere diem. *Si ergo nullus præcessit consensus, solus coitus Matrimonium non facit. Dicas ergo quòd consensus præcessit de futuro, quamvis per verba de præsenti expressus: & ita carnalis copula subsecuta inducit Matrimonium præsumptum: & favore Matrimonii inducta est hæc præsumptio, quia per carnalem copulam ipso facto videtur consensum exprimere de præsenti, & à conditione recedere, sicut per puram emptionem receditur à conditionali*, L. *Sed Celsus*, §. ultimo, ff. *De contrahenda Emptione.* At verò ubi conditio est de præsenti, vel de præterito, actus non est suspensus; imò si conditio non extat, nullus & irritus est ab initio, defectu consensûs; & copula sequens est fornicatio. Quamobrem cùm in specie propositâ mulier illegitima, vel corrupta, vel ignobilis esset, quo tempore Matrimonium contractum est, atque ita jam defecissent conditiones illæ: *Si et legitima, si virgo, si nobilis*: copula subsequens Matrimonium ratum non effecit. Ita censent *Innocentius IV.* & *Hostiensis* in Cap. *Per tuas*, aliique Canonici Juris Commentatores à *Fagnano* citati, & *Fagnanus* ipse in Cap. *Si conditiones*, Extrà, *De Conditionibus appositis in Desponsatione*, &c.

REGULA XIX.

Conditiones quæ Matrimonii substantiæ aut bonis adversantur, Matrimonium nullum & irritum reddunt.

De conditionibus turpibus & impossibilibus.

ITa declarat *Gregorius IX.* Cap. *Si conditiones*, Ext. *De conditionibus appositis in Desponsatione*, &c. cujus hæc sunt verba: *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur: Putà, si alter dicat alteri: Contraho tecum, si generationem prolis evites: vel, Donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem: aut, si pro quæstu adulterandam te tradas: Matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu.* Id confirmat *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXIX. Quæstione II. Articulo III. Quæstiuncula III.

REGULA XX.

Conditiones turpes aut impossibiles, sed Matrimonii bonis alioqui non contrariæ, non impediunt quin Matrimonium ratum, firmùmque sit.

COnditionum enim hujusmodi nullam habendam esse rationem, & pro non adjectis haberi debere, in favorem Matrimonii declaravit Ecclesia, Cap. *Quicumque*, Ext. *De conditionibus appositis in Desponsatione*, cujus hæc sunt verba: *Quicumque sub conditionis nomine aliquam desponsaverit, & eam relinquere voluerit: dicimus, quòd frangatur conditio, & desponsatio irrefragabiliter teneatur.* Quod de turpi conditione Glossa explicat, quæ tamen non sit contra naturam Matrimonii, putà, si furtum fecerit, si hominem interfecerit. Idque confirmat *Gregorius IX.* Cap. *Si conditiones*, sub eodem Titulo: *Licèt* (inquit) *aliæ conditiones appositæ in Matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.*

REGULA XXI.

Si quis sub conditione honesta de futuro contrahat, à Parocho monendus est, contractum suspensum manere, donec impleatur conditio, proindéque perficere non debet solemnitatem Matrimonii, dicendo, Ego conjungo vos in Matrimonium &c. *Sed prohibere ne Sponsa in Sponsi domum ducatur, & ne simul cohabitent, & ea de re Episcopum certiorem facere, ut judicet quid facto sit opus. Si verò quis contrahat sub conditione pariter honesta de præterito, vel de præsenti, Parochus monere debet contrahentes, nullum esse Matrimonium si conditio non extet, ac proinde Ecclesiam ipsos non habituram ut conjuges, nisi conditionis existentia probata fuerit, nec Matrimonii solemnia se perficere posse, nisi absolutè contrahant; caussámque referre debet ad Episcopum, ut Auctoritate suâ, & Censuris Ecclesiasticis, si opus sit, cohabitationem eorum, qui hoc modo contraxerunt, prohibeat.*

Quid agendum parocho, si quis sub conditione contrahat?

CUm enim sacra Synodus Tridentina Sessione XXIV. *De Reformatione Matrimonii*, Cap. I. statuit ut *Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat*, Ego vos in Matrimonium conjungo, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti; *vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciæ Ritum*, de consensu absoluto, non de consensu conditionato, qui actum suspendit, vel nullum facit defectu conditionis, intelligenda est.

Præterea, non est permittenda cohabitatio eorum qui desponsati sunt per verba duntaxat de futuro, quales sunt qui consensum exprimunt sub conditione quam postea implendam sperant: Nec eorum, quorum fortè nullum est Matrimonium, defectu legitimi consensûs, quales sunt qui consensum exprimunt sub conditione de præterito vel præsenti, quæ non extat: alioqui via scortationibus & concubinatui aperiretur. Unde in hujusmodi casibus Mulier sub custodia parentum vel tutorum permanere debet, vel in Monasterium se recipere, procul à contubernio viri, quicum ita contraxit, donec absolutum consensum verbis minimè ambiguis expresserint: alioqui deneganda illis sunt Sacramenta, utpotè in proximo peccandi periculo versari amantibus.

REGULA XXII.

Furiosi, & amentes contrahere Matrimonium non possunt.

IPsis quippe liberum deesse consensum, sine quo nullum est Matrimonium, certò constat, idque declarat *Innocentius III.* Cap. *Dilectus*, Ext. *De Sponsalibus & Matrimonio*, cujus hæc sunt verba: *Cùm eadem mulier cum ipso viro qui continuo furore laborat, morari non possit, & propter alienationem furoris legitimus non potuerit intervenire consensus: Mandamus, quatenus si rem noveris ita esse, præfatas personas cures ab invicem separare.*

Aliud tamen censendum est, si lucida haberet intervalla quando contraxit: Tunc enim ratum erit Matrimonium, ut explicat *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXXIV. Quæstione I. Articulo IV. *Furia* (inquit) *aut præcedit Matrimonium, aut sequitur. Si sequitur, nulla modo dirimit Matrimonium: si præcedit, aut furiosus habet lucida intervalla, aut non. Si habet, tunc quamvis dum est in illo intervallo non sit tutum quòd Ma-*

trimonium contrahat, quia nescis prolem educare: tamen, si contrahis, Matrimonium est: si autem non habet; vel si, quando non habet, contrahit, tunc quia non potest esse consensus ubi deest rationis usus, non erit verum Matrimonium.

ARTICULUS II.

De Consensu clandestino.

Quæ conjugia clandestina.

CLandestina Conjugia propriè dicuntur, quæ ita clanculùm & secretò fiunt, ut nulli omnino arbitri seu testes intersint, per quos ipsa in foro Ecclesiæ probari valeant: vel quæ præsentibus quidem arbitris & testibus fiunt, sed omissis solemnitatibus, quæ jure seu consuetudine Ecclesiæ debent adhiberi; cujusmodi sunt Denunciationes seu Proclamationes quæ contractum præcedere debent, & Sacerdotalis Benedictio, quæ ipsum comitatur.

PROPOSITIO I.

Ecclesia Matrimonia clandestina semper prohibuit; quamvis ante Concilium Tridentinum ea irrita non declaravit.

Matrimonia clandestina semper ab Ecclesia prohibita.

PRima pars Propositionis probatur ex *Tertulliano* Libro *De Pudicitia*, Cap. IV. *Penes nos quoque* (inquit) *occultæ quoque conjunctiones, id est, non prius apud Ecclesiam professæ, juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur.*

Item ex *S. Ambrosio* Epistola XIX. Novæ Editionis, ad *Vigilium* Episcopum datâ, scribente: *Conjugium velamine Sacerdotali, & Benedictione sanctificari oportere.*

Item ex Concilio Vernensi anno 755. ex Forojuliensi sub Hadriano I. Canone VIII. & ex Concilio Oecumenico Lateranensi IV. Canone LI. relato Cap. *Cùm inhibitio*, Ext. *De Clandestina Desponsatione*, cujus hæc sunt verba: *Cùm inhibitio copulæ conjugalis sit in tribus ultimis gradibus revocata, eam in aliis volumus districtè observari. Unde Prædecessorum nostrorum inhærendo vestigiis, clandestina conjugia penitus inhibemus: prohibentes etiam ne quis Sacerdos talibus interesse præsumat. Quare specialem quorumdam locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando, statuimus, ut cùm Matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per Presbyteros publicè proponantur, competenti termino præfinito, ut infra illum qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat. Et ipsi Presbyteri nihilominus investigent utrum aliquod impedimentum obsistat. Cùm autem probabilis apparuerit conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expressè, donec quid fieri debeat super eo manifestis constiterit documentis. Si qui verò hujusmodi clandestina vel interdicta conjugia inire præsumpserint in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantiâ nullum habitura subsidium, cùm illi taliter contrahendo, non experles scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur. Pari modo illegitima proles censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, præter omne interdictum in conspectu Ecclesiæ contrahere præsumpserint. Sanè si Parochialis Sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam Regularis qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab Officio suspendatur, graviùs puniendus, si culpæ qualitas postulaverit. Sed & iis qui taliter copulari præsumpserint, etiam in gradu concesso, condigna Pœnitentia injungatur.*

Clandestina ista Conjugia justissimis de causis prohibuit Ecclesia. Primò, quia clanculùm contracta Matrimonia probari non poterant: unde sæpe numero conjuges leves, inconstantes, libidinosi, prioris Matrimonii fide violatâ, nova conjugia inibant, atque in perpetuo deinceps vivebant adulterio, filiósque illegitimos & adulterinos procreabant: quibus malis occurrere non poterant Ecclesiastici Judices, probationum defectu. Sæpe etiam nonnulli Matrimoniis clandestinè contractis, ad Sacros Ordines adrepebant, & cum uxoribus Ecclesiastica retinebant Beneficia: quorum Matrimonia suscepta prolea progressu temporis revelabat in magnum Ecclesiæ dedecus, ut ait Concilium Londinense sub *Gregorio IX.* cap. XV. Ad hæc, Sacramentum absque Ministro Ecclesiæ, & præscriptis ab ea ceremoniis celebrabatur, quo vel contemptu, vel neglectu, violabatur religio. Denique incestæ conjunctiones, aliáque ob impedimenta illegitimæ, haud facilè impediri poterant. Has etiam ob rationes clandestina Matrimonia Libro VII. Capitularium, Cap. CXXVII. vetita sunt.

Irrita non erant clandestina Conjugia ante Concilium Tridentinum.

Secunda pars Propositionis, scilicet quòd Ecclesia Clandestina Matrimonia, ante Concilium Tridentinum contracta, irrita non declaraverit, constat ex Concilii Toletani I. Canone XVII. idemque confirmatur ex Canone *Sufficiat*, Canone *Matrimonium* & Canone *Omnes*, Causa XXVII. Quæstione II. quibus legitimarum personarum libero consensu Matrimonia perfici & rata esse asseritur. Item ex Lateranensis Concilii Canone suprà citato, quo prohibentur quidem, sed irrita non pronuntiantur Matrimonia clam contracta. Ac demum ex usu Ecclesiæ, quæ hujusmodi Matrimonia tamquam invalida & irrita dirimere numquam tentavit ante Concilii Tridentini Decretum editum & promulgatum: quo nihilominus utraque pars Propositionis nostræ confirmatur. *Tametsi* (inquit) *dubitandum non est, clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse Matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, & proinde jure damnandi sint illi, ut eos Sancta Synodus Anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant..... Nihilominus Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit.*

Illa quidem legitima conjugia esse negat Canon *Aliter*, qui *Evaristi* Papæ nomine à *Gratiano* refertur Causa XXX. Quæstione V. quia in iis Legum & Canonum præscripta non servantur. *Adulteria, stupra, fornicationes* vocantur, non absolutè, sed, *Nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima*: id est, nisi libero personarum legitimarum consensu contracta fuerint.

PROPOSITIO II.

Ecclesia Matrimonia clandestina non solùm prohibere potuit, sed irrita declarare.

Ecclesia potuit irrita facere Matrimonia clandestina.

ECclesiæ scilicet dispositioni Matrimonium subjacet, quatenus Contractus est ad Sacramenti dignitatem evectus. Nam sicut sæculi Principes de contractibus merè civilibus leges condere possunt, & iis contractibus ob justas causas impedimenta quædam objicere, personásque ad contrahendum, vel sic contrahendum illegitimas decla-

declarare: ita contractus ab illis initi, vel sic initi, nullius sint roboris ac firmitatis: ita Ecclesia contractui Matrimonii impedimenta justis de causis apponere potuit, ac potest, sive ex qualitate personarum, sive ex modo contrahendi petita, prout expedire judicaverit, secundùm potestatem sibi à Christo datam, & lumen a Spiritu-Sancto perenniter adsistente donatum. Quamobrem Sacra Synodus Tridentina Sessione XXIV. Canone IV. dixit anathema iis qui asseruerint, *Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia: vel in iis constituendis errasse.* Et Canone XII. anathemate pariter ferit eos qui dixerint, *Causas Matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos.*

Nec tamen Ecclesia circa substantiam Sacramenti aliquid immutare se posse censet, aut reipsa immutat. Nam contractus conjugalis legitimarum personarum ratus semper est Naturali Divinóque Jure, sicut lege naturæ ratus est contractus emptionis & venditionis inter homines ab emendo & vendendo nulla lege prohibitos; idque vel simpliciter, vel certo modo: sed sicut Lex Civilis quosdam prohibet, ac prohibendo impedit à tali contractu; ita & Lex Ecclesiastica quosdam prohibet à contractu Matrimonii. Qui autem sic prohibentur, jam non sunt legitimæ personæ, neque ad contrahendum idoneæ & habiles, vel certè *Ad sic contrahendum* (ut Concilii verbis utar.)

PROPOSITIO III.

Tridentina Synodus Matrimonia clandestina deinceps irrita declaravit: eáque irrita sunt ubicumque Concilii Decretum promulgatum est.

ITa nempe statuit Sessione XXIV. *De Reformatione Matrimonii*, Cap. I. *Qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentiâ, & duobus vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti Decreto irritos facit & annullat. Insuper Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero, & testes, qui sine Parocho vel Sacerdote hujusmodi Contractui interfuerint, necnon ipsos contrahentes, graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit. Præterea eadem Sancta Synodus hortatur, ut conjuges ante Benedictionem Sacerdotalem in Templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent; statuitque Benedictionem à proprio Parocho fieri, neque à quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario, licentiam ad prædictam Benedictionem faciendam, alii Sacerdoti concedi posse, quacumque consuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel Privilegio non obstante. Quòd si quis Parochus, vel alius Sacerdos, sive Regularis, sive Secularis, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochiæ sponsos, sine illorum Parochi licentiâ Matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus manebit, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu à quo Benedictio suscipienda erat, absolvatur.*

Idem Christianissimorum Regum Edictis, præsertim verò Edicti Blesensis Articulo quadragesimo sancitum est.

ARTICULI CONSECTARIA, SEU REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA I.

Ad Matrimonium rite celebrandum sufficit præsentia unius Parochi, etiamsi contrahentes sint ex diversis Parochiis.

COncilium enim Tridentinum præsentiam Parochi, non Parochorum postulat. Præterea, cùm Matrimonium sit duorum conjunctio, is qui jurisdictionem habet erga alteram partem, habet simul erga utramque; si quidem una conjungi sine altera non potest. Nec requiritur alterius Parochi assensus, dummodo intra fines Parochiæ ipsius Matrimonium non celebretur. De Præsentia Parochi.

REGULA II.

Sufficit Parochus viri, etiam in Parochia mulieris.

COncilium enim Tridentinum de loco nihil expressit, & præsentiam Parochi & testium solùm postulat ne clandestinum sit Matrimonium, ad quod sufficit unus Parochus, sive viri, sive mulieris, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres, teste *Fagnano* in Cap. *Quod nobis*, Ext. *De Clandestina Desponsatione.* De Præsentia Parochi.

REGULA III.

Validum est Matrimonium celebratum in Parochia mulieris coram Sacerdote habente licentiam à Parocho viri, etsi Parochia viri & mulieris non sint in eadem Diœcesi constituta.

ITa declaravit Sacra Congregatio Tridentini Concilii Interpres, 16. Februarii anno millesimo quingentesimo nonagesimo-quinto. Et certè Concilium Tridentinum ea tantùm Matrimonia irrita pronuntiat, quæ celebrata sunt aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ejus licentiâ, & duobus testibus: in hac autem specie Matrimonium celebratum est præsente Sacerdote de licentiâ Parochi: itaque celebratum est secundùm formam Tridentini Concilii. Præterea, Concilium nihil de loco expressit: ubicumque ergo celebretur Matrimonium præsente Parocho, vel alio Sacerdote de Parochi licentiâ, ratum ac validum est. Denique cùm Jurisdictio voluntaria possit exerceri extra territorium, ut probant Jurisconsulti ex *L. 2. ff. De Officio Procuratoris*, hoc celebrandi Matrimonii Ministerium exerceri poterit extra Parochiam, non solùm à Parocho, sed etiam ab alio Sacerdote, de Parochi licentiâ.

REGULA IV.

Ut Sacerdos, qui non est proprius contrahentium Parochus, ipsos Matrimonio conjungere possit, necessaria est specialis & expressa licentia, vel saltem generalis administrandi omnia Sacramenta.

SIc declaravit Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres die XXII. Junii anno mille- De Præsentia Parochi.

simo quingentesimo octogesimo primo. Immò & Vicarios Parochialis Ecclesiæ Matrimoniis tamquam Parochos interesse posse, & aliis dare licentiam ut intersint; atque sic celebrata Matrimonia esse valida. Refert *Fagnanus* loco supra citato. Eadem Congregatio respondit die xv. Junii anni millesimi quingentesimi octogesimi sexti, Licentiam contrahentibus nominatim designatis a Parocho in scriptis concessam, ut Matrimonio inter se celebrando quemvis Sacerdotem pro suo arbitrio eligere possint, sufficientem censeri, ut ratum sit Matrimonium, cui alius Sacerdos vi ejusdem licentiæ interfuit.

Actum autem ipsum præcedere debet licentia. Unde nullum & irritum esset Matrimonium cui Sacerdos aliquis Parochi nomine interfuisset, nullâ ab eo petitâ licentiâ, etiamsi post actum ratum haberet. Nam etsi ratihabitionem retrotrahi, & mandato æquiparari, habeat Regula Juris, in Sexto: tamen ubi lex vel statutum præsentiam corpoream exigit, ratihabitio sequens non sufficit ad robur & firmitatem actûs. Hinc Sacra Congregatio Concilii die 7. Septembris 1620. respondit: *Matrimonium contractum coram Sacerdote extraneo, qui revera non habuit à proprio Parocho licentiam veram, esse nullum*; & die 5. Decembris 1626. respondit: *Matrimonium contractum coram Sacerdote extraneo, qui habet licentiam à proprio Parocho unius ex contrahentibus, & ignorat se illam habere, prout ignorat unus ex contrahentibus, esse invalidum.*

REGULA V.

Cujuscumque Sacerdotis, licentiam ab Episcopo contrahentium habentis, præsentia sufficit, ut Matrimonium ratum ac validum sit, etiam absque consensu Parochi.

De Præsentia Parochi.

TRidentinum enim Concilium alterutrum dumtaxat necessarium esse decernit, præsentiam Parochi, vel alterius Sacerdotis, *De ipsius Parochi seu Ordinarii licentiâ*. Ordinarium autem tam Parochianorum, quàm ipsius Parochi, esse proprium illorum Episcopum certum est. Et de ejus licentia fieri dicitur, quod ipse, vel ejus Vicarii Generales fieri concesserint. Abbates verò Jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, personas Jurisdictioni suæ subditas Matrimonio conjungere non possunt, aut Sacerdoti hanc provinciam committere; & contracta coram ipsis, absque Parochi, vel Episcopi licentiâ, Matrimonia clandestina & irrita essent.

REGULA VI.

Qui in Parochia aliqua verè commoratur, quamvis decreverit ibi diu non manere, coram Parocho illius loci validè contrahit Matrimonium.

De Præsentia Parochi.

ITa declaravit non semel Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum. Cùm enim olim juvenis Nobilis, & meretrix Senensis, cujus amore captus erat, Matrimonio copulari cuperent, metueréntque ne, si Matrimonium Senis contraherent cum solemnitatibus a Concilio Tridentino præscriptis, Juvenis parentes impedimento essent, Romam se contulerunt, ibique aliquantisper commorati, coram Parocho S. *Anastasiæ*, in cujus Parochia habitabant, ac testibus, Matrimonium contraxerunt. De quo cùm dubitaretur, Sacra Congregatio ratum esse respondit, eâ ratione, quia is est proprius Parochus, in cujus Parochia habitabant contrahentes tempore contractûs. Aliàs etiam respondit Ratum esse Matrimonium Scholastici, qui Patavii quinque vel sex Menses moratus, timens impedimentum à parentibus, duxit ibi mulierem plebeiam coram Parocho loci, & testibus. Idémque respondit de Matrimonio alterius, qui ob eamdem causam se in Angliam contulit, & ibi aliquandiu moratus, coram domicilii Parocho Matrimonium cum meretrice contraxit. Quin imò cùm vir & mulier Trajectenses, timentes impedimentum à parentibus, ad vicinam Urbem Aquisgranum se contulissent, ibique aliquandiu morati, Matrimonium contraxissent: Sacra Congregatio respondit Ratum esse Matrimonium, si saltem unius mensis spatio Aquisgrani mansissent. Item, cùm mulier ex civitate in qua habitabat, ad scandala summovenda, ad oppidum suæ Diœcesis, jussu Principis translata fuisset, cum præcepto illinc non recedendi absque novo Mandato: & post quartum habitationis mensem, coram Parocho istius oppidi, cum viro incola ejusdem civitatis Matrimonium contraxisset: Sacra Congregatio respondit Ratum esse Matrimonium. Hæc refert *Prosper Fagnanus* in Cap. *Significavit*, Tit. *De Parochiis, & alienis Parochianis*, in 1. Partem Libri III. Decretalium.

Observari tamen oportet Statuta, Morésque Diœcesum, quoad tempus constituendo domicilio, seu domicilii juri acquirendo, ad effectum Matrimonii contrahendi præfixum. Eo certè tempore contrahentes in Parochia mansisse necesse est, quod sufficiat ut ibi noti sint.

REGULA VII.

Proprius vagorum hominum Parochus est quilibet Parochus locorum ad quæ divertunt, & ratum est illorum Matrimonium, cujuscumque loci, quà transeunt, Parocho præsente celebratum. Peccant tamen graviter Parochi, si temerè, & absque Ordinarii licentiâ hujusmodi vagos homines Matrimonio conjungant.

PRima pars Regulæ ex eo constat, quòd Parochos locorum per quæ transeunt, vel ad quæ divertunt peregrini aut vagi homines, eis administrare possit Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta, etiam tempore Paschatis; adeóque & ipsos Matrimonio conjugere, cùm major auctoritas & Jurisdictio ad Ministerium istod necessaria non sit, quam ad illa.

De vagorum hominum Matrimonio.

Secunda pars inde patet, quòd maximam cautionem in hujusmodi vagis hominibus conjungendis postulet Sacra Synodus Tridentina, quia contingit interdum ut alibi uxores habeant. *Multi sunt* (inquit Cap. VII. Sessionis XXIV. De Reformatione Matrimonii) *qui vagantur, & incertas habent sedes; & ut improbi sunt ingenii, primâ uxore relictâ, aliam, & plerumque plures illâ vivente, diversis in locis ducunt; cui morbo cupiens Sancta Synodus occurrere, omnes ad quos spectat, paternè monet, ne hoc genus hominum vagantium ad Matrimonium facilè recipiant: Magistratus etiam seculares hortatur, ut eos severe coërceant. Parochis autem præcipit ne illorum Matrimoniis intersint, nisi priùs diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delatâ, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* Decreti illius executionem imperant Synodi Provinciales in Galliis post Concilium Tridentinum celebratæ, Rothomagensis MDLXXXI. Burdigalensis MDLXXXII. Bituricensis MDLXXXIV. Aquensis MDLXXXV.

REGULA VIII.

Clandestinum est & irritum Matrimonium contractum coram Presbytero, qui neque sit alterutrius contrahentium Parochus, neque ab ipso Parochò vel ab Ordinario auctoritatem habeat, sive licentiam.

De Præsentia vel licentiâ Parochi.

ID evidens est ex Concilii Tridentini Decreto. An verò ratum sit Matrimonium, quod contrahitur coram Ministro Hæretico, vel laico Magistratu, iis in locis, in quibus Tridentini Concilii Decretum promulgatum est, Quæstio est non difficilis solutionis. Si enim solum Concilii Decretum spectaretur, Matrimonia hujusmodi irrita essent: sed si mores & usus Ecclesiæ spectentur, quæ Matrimonia Hæreticorum, publicè contracta secundùm Leges locorum in quibus Hæresis regnat, coram Hæretico Ministro, non rescindit, nec permittit alterutri conjugum ad Fidem Catholicam converso ut alterum Matrimonium ineat, rata illa esse asserendum est. Si verò coram Hæretico Ministro, aut laico Magistratu Matrimonium contraheretur iis in locis in quibus Hæreticarum Sectarum libera non est Professio, prorsus irritum esset. Calvinianorum in Galliis Matrimonia, antequam *Ludovici Magni* Edicto publica impiæ Sectæ Professio, Conventúsque ac Ritus prohibiti essent, rata fuisse notum est, modò in publico Sectæ Conventu juxta Regias Constitutiones contracta essent. Similiter in locis in quibus non sunt Episcopi, nec Parochi, aut ubi Matrimoniorum celebrationi interesse ipsis vetitum est sub pœna mortis, exilii, vel gravioris mulctæ, Christianorum Matrimonia coram Magistratu contracta, valida & rata esse, respondit Congregatio Concilii Tridentini Interpres, teste Cardinali *Bellarmino* in literis ad *Octavium* Tricariensem Episcopum per Germaniam & Belgium Nuntium Apostolicum, die trigesimâ Decembris, anno sexcentesimo supra millesimum datis. Idem respondit rursus Sacra Congregatio D. *Sasbolde* Philippensi Archiepiscopo, die XIX. Januarii, anno millesimo sexcentesimo tertio. Eademque fuit sententia *Guillelmi Esthi* eximii Theologi, ea de Quæstione rogati à D. *Mirao* Antuerpiensium Episcopo die XIX. Martii anno millesimo sexcentesimo septimo.

REGULA IX.

Matrimonium contractum coram Parocho, cui Ordinarius prohibuit ne illius celebrationi interesset, aut tales Matrimonio conjungeret, ratum ac validum est, quamvis graviter peccaverit Parochus, ac plectendus sit.

De præsentia vel licentia Parochi.

SUo enim Jure, non ex facultate sibi ab Episcopo datâ, Parochus Matrimonii celebrationi ut Ecclesiæ Minister interesse potest, ut patet ex Decreto Concilii Tridentini: At licet Parocho prohibuerit Episcopus ne Matrimonium celebraret, si tamen intersit, Matrimonium coram Parocho celebratur, prout Concilium decrevit, adeóque ratum ac validum est, modò nullum aliud obsit canonicum impedimentum.

Præterea, *Ecclesia in his quæ ad Matrimonium pertinent, tripliciter se habet:* (inquit *S. Thomas*, Quodlibeto V. Quæstione VIII. Articulo I. ad primum.) *Uno quidem modo per modum judicantis: alio modo per modum prohibentis vel punientis, & hoc quidem impedit Matrimonium contrahendum, sed non dirimit jam contractum: Tertio modo se habet per modum statuentis, quòd fit solùm auctoritate Summi Pontificis; & secundum hoc personæ aliquæ redduntur illegitimæ ad contrahendum, ita quòd si etiam contrahant, Matrimonium dirimitur.* Potestas autem quâ Ordinarius prohibuit Parocho ne tales Matrimonio conjungeret, ad secundum modum refertur: prohibitio itaque Ordinarii Matrimonium celebrandum impedit, sed contractum & celebratum non dirimit, si alia impedimenta non extent. Unde cùm Giennensis Episcopus ad sacram Congregationem Tridentini Concilii Interpretem dubium ea de re suum retulisset, An scilicet validum sit Matrimonium adhibito Parocho, cui ab Episcopo fuerat interdictum ne illi Matrimonio interesset? Sacra Congregatio respondit, Esse validum, teste *Fagnano*, in cap. *Littera*, Ext. *De Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiæ.*

REGULA X.

Matrimonium præsente & intelligente Parocho contractum, quamvis non consentiente, nec ullum aliud Ministerium obeunte, Ritúsve sacros in Matrimonii celebratione præscriptos non perficiente, ratum & validum est.

De præsentia Parochi non consentientis Matrimonio.

PRæsentiam enim duntaxat, non aliud Ministerium Parochi Concilium Tridentinum exigit, ne Matrimonium clandestinum & irritum sit, præsentiam (inquam) illius, tanquam testis præcipui & auctoritatem habentis. Nec credendum est Concilium, quod Matrimoniorum libertati maximè consuluit, Sessione XXIV. *De Reformatione Matrimonii*, cap. IX. adeo ut nec dissensu patris irrita effici voluerit (cap. I.) illa consensui Parochi subjecisse. Unde proposito dubio, An Matrimonium cum sola præsentia Parochi, absque ejus consensu, aut Ministerio, coram duobus vel tribus testibus celebratum, irritum sit ex Decreto Concilii? Sacra Congregatio die secunda Martii, anni millesimi quingentesimi-octogesimi, respondit: Illa verba cap. I. *Ubi Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat*, Ego *vos in Matrimonium conjungo*, &c. non pertinere ad substantiam Matrimonii; ideóque Matrimonium valere, etiamsi verba prolata sint tantùm à contrahentibus, & non à Parocho, dummodo adsit præsentia Parochi. Ita refert *Fagnanus* in cap. *Quod nobis*, Ext. *De Clandestina Desponsatione.* Necesse tamen est, ut Parochus sit à contrahentibus adhibitus. Unde si partes contraxerint Matrimonium, dum fortè Parochus confabulandi causâ, vel aliud negotium tractandi adesset, aliáque re occupatus audivit hujusmodi contractum fieri, & postea contrahentium alter velit hujusmodi contractum, ratione illius defectûs rescindere; Sacra Congregatio censuit; Posse, nisi alia intervenerint, quæ Parochum à contrahentibus adhibitum fuisse arguant, ut refert *Fagnanus* ibidem. Sed si ex aliâ etiam causâ vocatus, adhibitus tamen fuit ad illum actum, etiamsi nihil eorum quæ agebantur, vidit & intellexit, quia affectavit non intelligere, avertendo oculos, & obturando aures, ratum nihilominus est Matrimonium coram illo contractum, ut declaravit Congregatio Concilii, teste *Fagnano*, in cap. *Quoniam*, Ext. *De Constitutionibus.*

REGULA XI.

Gravis peccati rei sunt, gravique Pœnitentiâ plecti debent, & à Judicibus etiam Regiis mulctari, qui Matrimonia contrahunt præsente duntaxat, & non consentiente Parocho, vel altero Sacerdote ab eo, aut ab Episcopo facultatem habente; nec Benedictionem Nuptialem secundum Ecclesiæ Ritum recipere curant.

TEmerè namque violant Sacrosanctæ Ecclesiæ Decreta, & Constitutiones Principum, gravísque scandali sunt autores. Cum ipsis ergo ceu peccatoribus publicis est agendum.

REGULA XII.

Gravis etiam peccati rei sunt, & gravi Pœnitentiâ meritò plectendi, qui domicilium ex industria mutant, migrantque in Parochiam ubi sunt ignoti, ut ibi clanculum quæsito domicilio tempore Matrimonium contrahant, ubi noti sunt legitimè ac justè impediendum. Eorum longè gravius crimen est, qui consultò migrant in regiones, in quibus Tridentini Concilii recepta non est Disciplina.

ECclesiæ namque Leges dolo malo & fraude insigni eludunt.

REGULA XIII.

Parochus extra Parochiæ suæ fines Parochianos suos Matrimonio conjungere potest, modò Denunciationes factæ sint in Parochia. Validum est pariter Matrimonium cum Sacerdote, de licentiâ Parochi, extra illius Parochiam contractum.

De præsentia Parochi.

MAtrimonii enim celebratio, sive præsentia illius celebrationi à Parocho exhibenda, non est actus contentiosæ Jurisdictionis (ut loquuntur) adeòque non circumscribitur territorio.

REGULA XIV.

Matrimonium contractum coram Parocho non Sacerdote, ratum est, præsertim si sit intra annum ipsi à jure concessum ut Presbyteratûs Ordinem suscipiat.

ITa declaravit Congregatio Concilii Tridentini Interpres; immo satis esse ad hoc ut ratum habeatur, ut contractum sit coram Parocho Minoribus tantùm Ordinibus initiato. Refert *Fagnanus* in cap. *Quoniam*, Ext. *De Constitutionibus*.

REGULA XV.

Matrimonium coram Parocho suspenso vel excommunicato contractum, nihilominus ratum est.

De Matrimonio contracto coram Parocho excommunicato vel suspenso.

IN hoc enim Sacramento Parochum nullam exercere Jurisdictionem, sed meram exhibere præsentiam, & Ministerium facti, censuit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum: Porrò suspensio & Excommunicatio irritum non faciunt Sacramentum, nisi in his quæ sunt Jurisdictionis, sicut est Absolutio à peccatis. Ratum igitur est Matrimonium contractum coram Parocho suspenso, & excommunicato, etiam denunciato, ut respondit Sacra Congregatio Concilii, tempore Cardinalis *Matthæi*, re diligenter examinatâ, teste *Fagnano* in cap. *Litteræ quas*, Ext. *De Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiæ.* Graviter tamen peccant, qui coram Parocho excommunicato scientes volentes contrahunt, & in Excommunicationem incurrunt, si sit denunciatus, quia ipsius vitare communionem tenentur.

REGULA XVI.

Matrimonium coram Parocho intruso contractum, irritum est.

De Matrimonio contracto coram Parocho intruso.

ILle enim non est verus Parochus: Concilium autem Tridentinum declarat irrita Matrimonia, quæ aliter quam præsente Parocho, aut alio Sacerdote, de ipsius Parochi, aut Ordinarii licentiâ contrahuntur. Verùm si titulum habeat saltem coloratum (ut loquuntur) & errore communi vulgi Parochus habeatur, ratum est Matrimonium coram ipso contractum. Quamvis enim ipso Jure privatus sit Beneficio ob aliquod crimen, vel quia excommunicatus erat cùm ad illud promotus est, vel quia Beneficium habet alterum quod cum Parochiali Cura possideri non possit, vel quia intra annum Sacrum Presbyteratûs Ordinem non suscepit; nondum tamen possessione spoliatus est, & quamdiu non spoliatur, præsumitur habere justum retinendi causam, ut colligitur ex cap. *Licet Episcopus*, Tit. *De Præbendis & Dignitatibus*, in Sexto.

REGULA XVII.

Matrimonium contractum coram Clerico non Sacerdote, de licentia Parochi, vel Ordinarii, nullum & irritum est.

TRidentinum enim Concilium eos *Qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentiâ, & duobus vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentabunt, ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit*, prout eos Decreto suo *irritos facit & annullat*.

REGULA XVIII.

Clandestinum est & irritum Matrimonium sine duobus vel tribus testibus contractum.

De testibus necessariis ut ratum sit Matrimonium.

ID evidens est ex Concilii Tridentini Decreto. Quatuor testes fide dignos Regia Constitutio Blesis edita postulat: quod in hoc Regno observandum est. Attamen si duo tantùm testes intersint, ratum erit Matrimonium. Majorem enim numerum Lex divina non postulat ad aliquam veritatem comprobandam: *In ore* (inquit) *duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Quod verò ad testium qualitatem attinet, non sunt ad severam legum normam exigendi, sed sufficiunt quicunque rationis compotes, quamvis impuberes, consanguinei, domestici, feminæ, aut infames, quia moraliter præsentes esse possunt, & de re gesta testimonium ferre. Quales enim testes esse debeant, Concilium Tridentinum non præscribit. Curandum tamen est Parocho ut noti sint ac probi.

Deut. 19. 15. Matth. 18. 16.

REGULA XIX.

Tres futuri Matrimonii Denunciationes à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus Dominicis aut Festis, ejusdem celebrationi sunt præmittendæ.

De Denunciationibus bannis.

DEnunciationes illæ seu Proclamationes; quæ *Banna* vulgò nuncupantur, ab Ecclesia decretæ sunt, tum ne clandestina Matrimonia contraherentur; tum ut Impedimenta Matrimonii, si quæ forent inter Partes, Ecclesiæ innotescerent, nec personæ conjungerentur, nisi quas ad contrahendum inter se legitimas esse constaret. Harum denunciationum usus in aliquibus Ecclesiis Concilium Lateranense IV. præcessit, præsertimque in Ecclesia Gallicana, ut discimus ex Constitutionibus *Odonis de Soliaco* Parisiensis Episcopi, anno MCCVII. editis, & ex cap. *Cùm in tua*, Ext. *De Sponsalibus*, quod *Innocentii III.* Responsum est Episcopo Bellovacensi datum. Hanc aliquorum locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogavit Concilium Lateranense IV. sub eodem Pontifice, cap. 51. Eamque Legem confirmavit Concilium Tridentinum, Sessione XXIV. *De Reformatione Matrimonii*, cap. 1. *Sancta Synodus Sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo, præcipit ut inposterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia inter Missarum Solemnia publicè denuncietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum: Quibus Denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur Impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur*, &c. Idem sancitum est Regiâ Constitutione Blesis editâ, Articulo quadragesimo.

REGULA XX.

Denunciationes Matrimonii futuri non sunt necessaria necessitate Sacramenti, sed solum necessitate Præcepti, adeóque clandestinum & irritum non est Matrimonium, quod sine Denunciationibus contrahitur.

De Denunciationibus omissis.

DEnunciationum omissione irritum non fieri Matrimonium, ex Concilii Tridentini Decreto colligitur. Hæc enim verba, *Qui aliter quàm præsente Parocho*, &c. ad denunciationum solemnitatem non referuntur, sed ad Parochi, testiúmque præsentiam, sine qua initos contractus irritos declarat, & Partes ad sic contrahendum inhabiles reddit: Non obscurè innuens, alterum defectum, scilicet denunciationum, Matrimonium irritum non facere, nec Partes ad sic contrahendum inhabiles reddere. Exceptio namque hoc in casu, Legem in cæteris firmat. Præterea, si denunciationes ad Matrimonii substantiam pertinerent, post Matrimonium fieri non possent, sed in ipso actu deberent adhiberi, ut colligitur ex cap. *Auditis*, & cap. *Quia propter*, Ext. *De Electione*. Individuum enim est quicquid ad substantiam actus pertinet, ut separari vel disjungi ab illo non possit. Constat autem ex Concilii Tridentini Decreto, Matrimonium absque denonciationibus celebrari posse, cùm illas Episcopus remittit: Constat post Matrimonii celebrationem denunciationes differri posse si aliquando probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiosè impediri posse si præmittantur: ad substantiam itaque Matrimonii non pertinent; nec illarum omissio clandestinum & irritum facit Matrimonium. Ita respondit Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres: eaque est Theologorum omnium, & Jurisconsultorum pene universorum sententia.

Quod ergo Regia Constitutio Blesis edita, Articolo quadragesimo *Matrimonia sine Denunciationibus validè contrahi non posse* à subditis Regiis, cujuscunque status, & conditionis sint, decernit, intelligendum est, Matrimonia valida non esse quoad effectus civiles, quamvis ratione Contractûs & Sacramenti rata sint. Hanc Regiæ Constitutionis formulam sic explicant *Fevretus* Libro v. *De Abusu*, cap. 11. & Compilator Probationum Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ Tom. II. pag. 967. Sic explicuerunt Regiorum Sigillorum Custos, & Consistoriani Comites à Rege *Ludovico XIII.* triumphantis memoriæ deputati, cùm Gallicani Cleri querimoniis & supplicationi occasione Articuli XXXIX. Constitutionis à Justo Rege editæ anno MDCXXIX. quo Matrimonia inita contra tenorem Blesensis Constitutionis, *Invalidè contracta* censeri ac declarari decernebat, Regis nomine responderunt anno MDCXXX.

REGULA XXI.

Lethaliter peccarent contrahentes, qui absque Dispensatione, aut causâ legitimâ Matrimonio jungerentur nullis præmissis Denunciationibus. Similis peccati rei essent Parochus, & testes, qui scientes volentes hujusmodi Matrimonio interessent.

De Denunciationibus.

ECclesiæ enim præceptum violarent in re gravi. Id *S. Antonini* verba confirmant III. P. Tit. 1. cap. XVI. Quanquam moltò ante Concilium Tridentinum scripserit. *In aliquibus locis* (inquit) *non fiunt Banna.... Unde in talibus locis, ratione contrariæ consuetudinis, omissionem Bannorum puto non esse peccatum: sed ubi servantur, esset mortale omittere.* Atqui post Tridentinum Concilium servantur ubicunque illud promulgatum est, & in Galliis id prætereà servari jubent Regiæ Constitutiones. Omissio igitur Denunciationum absque dispensatione, aut legitimâ causâ, est peccatum mortale.

REGULA XXII.

Episcopi justis de causis unam vel duas, imò & omnes Denunciationes remittere possunt.

De remissione denunciationum.

ID constat ex Tridentinæ Synodi Decreto. *Quod si aliquando* (inquit) *probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint Denunciationes, tunc vel una tantùm Denunciatio fiat; vel saltem Parocho, & duobus vel tribus testibus præsentibus, Matrimonium celebretur: Deinde ante illius consummationem Denunciationes in Ecclesia fiant; ut, si aliqua subsunt impedimenta, faciliùs detegantur: nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ Denunciationes remittantur: quod illius prudentiæ & judicio Sancta Synodus relinquit.*

REGULA XXIII.

Soli Episcopi, & eorum Vicarii Generales, necnon Vicarii Capituli Sede vacante, non autem Abbates, aut alii Jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, Matrimonii Denunciationes remittere possunt.

De remissione denunciationum.

ID enim Juris penes solos Episcopos esse voluit Concilium Tridentinum: & Sacra Congregatio Concilii Interpres declaravit *Alexandrum* Cardinalem *Farnesium*, Commendatarium Abbatiæ Farfensis, Jurisdictionem quasi Episcopalem habentis, carere facultate duas Denunciationes remittendi, quam ei ex speciali gratiâ *Gregorius XIII.* concessit, quoad viveret, Responsúmque Congregationis approbavit, Ordinarii nomine cap. I. Sessionis XXIV. Concilii Tridentini *De Reformatione Matrimonii*, solum Episcopum intelligendum esse confirmans, ut refert *Fagnanus* in IV. Librum Decretalium, Tit. *De Clandestina Desponsatione*, cap. *Cùm inhibitio.*

Concilium Narbonense anno MDCIX. cap. XXII. Denunciationum prætermittendarum licentiam ab Officialibus concedi vetat. *Matrimoniales* (inquit) *Denunciationes solus Episcopus, vel ejus in spiritualibus Vicarius Generalis, ex causa bene notâ remittat; Officiales verò super illis dispensare non attentabunt, cùm illud illis prohibitum sit, prout præsenti Decreto prohibemus.*

REGULA XXIV.

Dispensationes seu remissiones Denunciationum Matrimonio præmittendarum, sine causa gravi ac justa concedi non debent; idque gratis. Unde redimendorum (ut vulgò loquuntur) Bannorum non probanda consuetudo.

De remissione & redemptione denunciationum sive bannorum.

CONcilii Parisiensis anno MCCCCXXIX. celebrati Canonem XXXIII. ea de re observari expedit. *Episcopis* (inquit) *Archidiaconis, & aliis, quibus id de jure vel consuetudine competit, injungimus, ne de cætero ita faciliter dispensent super Bannis in Matrimonio concedendis, etiam prætextu cujuscunque pecuniæ, sicut hactenus dispensare consueverunt.*

Regia Constitutio Blesis edita dispensationem super denunciationibus concedi vetat, nisi post primam denunciationem sive proclamationem, idque ex urgenti duntaxat & legitimâ causâ, & postulantibus præcipuis, proximisque parentibus contrahentium.... Urgente tamen gravi necessitate dispensationes omnes, hoc etiam in Regno, Episcoporum judicio remittuntur.

Quæ sint justæ causæ remittendi denunciationes.

Justæ autem hac in re dispensandi causæ hæ præcipuæ sunt: Prima, quam Tridentina Synodus exprimit. *Si probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denunciationes.*

Secunda, quando sine infamiâ contrahentium fieri denunciationes non possunt, cùm scilicet aliquo impedimento dirimente intercedente, nihilominus contraxerunt, quod Matrimonii tempore occultum, postea ad Ecclesiæ notitiam perlatum est: vel cùm in concubinatu vixerunt, & tamen pro veris conjugibus sunt habiti, legitimóque Matrimonio è peccato emergere volunt.

Tertia, quando sine gravi animæ, aut rerum etiam temporalium discrimine, differri Nuptiæ non possunt; ut si vir sit in periculo mortis constitutus, aut debeat subitò longum iter suscipere; & necesse sit contrahi connubium, ut ingenuæ mulieris honori consulatur, & proles jam nata vel concepta legitima fiat.

Quarta, cùm duobus, ad vitandum peccatum, scandalum, vel infamiam, vel periculosas lites & vexationes ex parte parentum, aut tutorum, expedit quamprimùm nuptias inire, & periculum est in mora, ne alterius animus ex levitate, infidelitate, aut aliorum suasionibus immutetur: quæ causa maximè urget, cùm ambæ simul partes in stupro deprehensæ, in Matrimonium consentiunt.

Quinta, quando virgo sub tutela iniqui tutoris est, qui eam viro ignobili & dispari tradere vult, aut sub potestate novercæ, quæ vult eam in Monasterium protrudere.

Sexta, quoties inter contrahere volentes disparitas est conditionis, ætatis, divitiarum; quando scilicet nobilis cum ignobili, pauper cum divite, honestæ vitæ cum meretrice, aut infami contrahere vellet Matrimonium. Viro enim, qui sui juris est, meretricem lupanari eductam ducere licet uxorem, ut eam à peccato revocet, idque inter opera caritatis non minimum, facientibus in remissionem peccatorum proficere, respondet *Clemens III.* cap. *Inter opera*, Ext. *De Sponsalibus & Matrimonio.*

Septima, quando Principes contrahunt Matrimonium, quod magnâ cum deliberatione fieri solet, ac impedimenta, si quæ intercedant, satis nota sunt. Quam causam, sicut & præcedentem, *S. Antoninus* approbat III. P. Tit. I. cap. XVI.

Octava, quando tempus urget quo Nuptiarum celebratio prohibita est, nec tamen differri possunt citra grave incommodum, aut animæ periculum, propter eorum, qui contrahere volunt, incontinentiam. Hanc causam approbavit Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres, teste *Zerola* in *praxi Episcopali*, verbo *Matrimonium*, Dubio nono. An verò his & illis personis concedenda sit ob eam rationem dispensatio, prudentiæ ac judicio Episcoporum relictum est. Passim concedendam non esse plerisque priscæ Disciplinæ amantibus videbitur, ut *S. Carolo Borromæo*, & Concilio Mediolanensi V. visum est P. III. Tit. *Quæ ad Matrimonium pertinent.* Sic autem statuit: *Matrimonii Denunciationes, quas aliquando ab Episcopo remitti, Constitutione Tridentinâ permissum est, is videat, ne ob aliam causam, quàm eâ ipsâ Constitutione cavetur, remittat; cùm scilicet Ordinarii judicio veri similis suspicio est, Matrimonium malitiosè impediri posse. At verò si hæc causa non subest quamobrem illas remittat, ea certè sola, quòd instat sacri Adventûs, Quadragesimave tempus, neque necessaria est, nec vero cum ratione consentient, cùm præsertim eo sacro tempore qui jam Matrimonio juncti sunt, ab illius usu abstinere potiùs conveniens sit, nedum Sponsos unà conjungi.*

Concilium Rothomagense anno MDLXXXI. celebratum Tit. *De Matrimonio*, Denunciationes absque causâ legitimâ remitti vetat. *Denunciationes* (inquit) *vel omnino, vel ex parte remitti possunt pro solius Ordinarii judicio, non tamen absque causâ legitima & rationi consentanea, præsertim si qua sit justarum oppositionum suspicio. Petitur verò frequentius Denunciationum remissio ad cavenda maleficia, quæ in celebratione Nuptiarum nonnunquam exercentur; vel ad declinandam populi insultantis diu noctúque, Nuptiis maximè secundò aut tertiò repetitis lasciviam.* Tum causas istas legitimas & rationi consentaneas non esse innuit, alia

Denunciationes sine causa legitima remitti non debent.

proponendo

proponendo remedia contra maleficia, illa media ad insultus avertendos.

Contra maleficia (inquit) *& ut dignè Sacramentum accipiant, hortamur conjuges, ut antequam contrahant, vel saltem triduò ante Matrimonii consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum accedant. Sacerdos verò ne ullum det maleficiis locum, cautius & circumspectiùs in Nuptiarum Benedictione se gerat. Nec omittant Parœchiarum Rectores, populi circa Nuptias petulantiam, sub interminatione Excommunicationis, advocato etiam (si opus fuerit) brachii sæcularis auxilio, compescere.*

Concilium Turonense MDLXXXIII, Cap. IX. *Matrimoniis* (inqoit) *clandestinis ut amplius via præcludatur, omnes Episcopos à dispensationibus de duabus proclamationibus, & extra tempora nubendi, omnino abstinere monemus, nisi ob causam legitimam, necessariam, eisque cognitam, existimaverint esse dispensandum: Omnibus aliis personis Ecclesiasticis non Episcopis à dispensationum hujusmodi concedendarum facultate exclusis.*

REGULA XXV.

Certis in casibus ubi gravis & aperta necessitas urget, nec per temporis angustias adiri Episcopus potest, quia citò elaberetur occasio, sine Proclamationibus contrahi potest Matrimonium, etiamsi non sint ab Episcopo remissæ.

Casus urgentes in quibus Matrimonium sine Denunciationibus contrahi potest.

ID ut fiat certis in casibos probat Ecclesia, ut si vir sit in præsenti mortis periculo, velitque ducere concubinam, quæ pro illius conjuge vulgò habebatur, & prolem ex ea susceptam legitimam reddere: vel si vir qui virgini stuprum intulit, Auctoritate publicâ, seu Judicis Sententiâ compellatur ad Matrimonium cum illa contrahendum statim post causæ cognitionem, ut illius aboleat infamiam.

REGULA XXVI.

Si contrahentes sint diversarum Parochiarum, Denunciationes in utriusque Parochia faciendæ sunt. Si diversarum sint Diœcesum, Parochus sive Episcopus eos Matrimonio jungere non potest, nisi proclamationes factæ sint in utraque Diœcesi in propriis Parochiis, ac de illis testimonium habeat authenticum, ab Episcopo recognitum & confirmatum: aut legitimam dispensationem in scriptis concessam.

Denunciationes ubi faciendæ?

ALiter enim Impedimenta cognosci facilè non possent, plurimæque ad contrahendum inter se illegitimæ personæ fallerent Ecclesiam, & Nuptialem Benedictionem surriperent. Id confirmat Concilii Aquensis anno MDLXXXV. celebrati, & à *Sixto V.* approbati Decretum, in Tridentini executionem editum, Tit. *De Matrimonio*, cujus hæc sunt verba: *Matrimonii Denuntiationes à Parochis tum demum fiant, cùm vir & mulier, eorúmve parentes, vel ii qui puellæ curam habent, id postularint. Quod si ambo diversis in Parochiis habitant, tum in unius & alterius item Parochia fiant. Eas autem denunciationes ne ullas quidem remittere eis liceat, nisi proprii Episcopi consensu, idque causis Jure permissis. Caveant autem Parochi ne alienæ Parochiæ Sponsum, Sponsámve ante Matrimonio jungant, quàm testimonium ab illius Parocho, si ejusdem, vel finitimæ, aut non nimis longinquæ Diœcesis ille sit, scriptum acceperit, cujus testimonii fide sibi testatum fiat, ex Tridentini Concilii præscripto, Denunciationes, quæ necessariæ sunt, aut Ordinarii sui voluntate omissas esse: aut factas quidem, nullúmque legitimum impedimentum ab ullo homine significatum, quo minùs tale Matrimonium contrahi liceat. Illud verò testimonium, si à Parocho alienæ Diœcesis fiat, ab Ordinario loci, aut ab eo cui hoc ille delegaverit, subscriptione ac sigillo comprobatum sit: si verò in Diœcesi, à Vicario foraneo.* Idem statuit Conciliom Narbonense anno MDCIX. Atque ita decrevisse *Paulum V.* in Rituali refert *Christophorus Marcellus.*

REGULA XXVII.

Testis unus ad Matrimonium impediendum sufficit, modo juxta formam Juris impedimentum testificetur.

De testimonio ad Matrimonium impediendum necessarium.

NItitur hæc Regula Cap. *Super eo*, Ext. *De Testibus & Attestationibus*, quod est *Alexandri III.* Responsum *Matthæo* Cardinali datum. *Super illa Quæstione*, (inquit) *An mulier conjungenda non sit viro, pro eo quod sola mater alterutrius eos esse consanguineos confitetur: Respondemus, quòd si non est firmatum Matrimonium inter eos, matre asseverante ipsos esse consanguineos, non debent conjungi, quia præsumptio est non modica, quòd se lineâ consanguinitatis attingant. Si verò Matrimonium est firmatum, non debet sine plurium Juramento dissolvi.*

Et Cap. *Præterea*, Ext. *De Sponsalibus & Matrimonio*, quod Responsum est ejusdem Pontificis Episcopo sanctæ Agathæ datum. *De Muliere* (inquit) *quæ à viro impetitur, cujus consanguineus cum ea se deliquisse proponit, sed hoc publicè confiteri recusat propter metum, & potentiam mulieris: taliter respondemus, ut Matrimonium ipsum fieri (nisi juramentum intervenisset) districtè prohibeatis, ne deterius inde contingat.* Itaque si Juramentum intervenerit, Matrimonium prohiberi non debet propter secretam unius de impedimento hujusmodi confessionem, nisi aliunde probetur legitimis documentis.

Idem confirmat *Innocentius III.* Episcopo Bellovacensi respondens, Cap. *Cùm in tua*, sub eodem Titulo.

Forma verò testificandi his in causis præscribitur Cap. *Tua nos*. Ext. *De Consanguinitate & Affinitate*: Testes scilicet qui consanguinitatem vel affinitatem testificantur, gradus assignare debere, nominibus propriis, vel æquipollentibus indiciis designando personas: & à stirpe, id est, à parentibus vel germanis incipere debere, ubi de consanguinitate agitur.

REGULA XXVIII.

Fama publica alicujus Impedimenti Matrimonium contrahendum impedit.

An fama Impedimenti Matrimonium impediat? ubi [illegible]

ITa declaravit *Urbanus III.* Burdigalensi Archiepiscopo respondens, Cap. *Super eo.* Ext. *De Consanguinitate & Affinitate*, cujus hæc sunt verba: *Super eo quod juvenem asseris puellam quamdam nondum nubilem fide interpositâ desponsasse: quæ jam facta nubilis eum repetit, & ille excipit dicens, se non debere eam ducere, pro eo quòd postquam puellam affidavit eamdem, carnaliter propinquam ipsius cognovit. Inquisitioni tuæ taliter respondemus, Quod si manifestum est juvenem cognovisse propinquam prædictæ puellæ: vel, si non est mani-*

festum, fama tamen loci hoc habet: Cùm esset sponsa tantummodo de futuro, idem ab ejus impetitione debet absolvi.

REGULA XXIX.

Testimonium de auditu ad Matrimonium impediendum, multò minùs ad dirimendum ratione consanguinitatis, vel affinitatis, non sufficit, nisi secundùm formam Juris feratur.

De testimonio ad Matrimonium impediendum necessario.

FOrma illa præscripta est à Concilio Generali Lateranensi IV. sub *Innocentio III.* Cap. LII. & habetur Cap. *Licet ex quadam*, Ext. *De Testibus*, cujus hæc sunt verba: *Statuimus, ne super hoc recipiantur de cætero testes de auditu, cùm jam quartum gradum prohibitio non excedat: nisi fortè personæ graves extiterint, quibus fides sit meritò adhibenda, & ante litem motam testificata didicerint ab antiquioribus quidem suis; non utique ab uno, cùm non sufficeret ille, si viveret; sed duobus ad minus; nec ab infamibus & suspectis, sed à fide dignis, & omni exceptione majoribus: cùm satis videretur absurdum illos admitti, quorum repellerentur autores. Nec tamen si unus à pluribus, vel infames ab hominibus bonæ famæ acceperint quod testantur, tamquam plures & idonei testes debent admitti; cùm secundùm ordinem solitum Judiciorum non sufficiat unius testis assertio, etiamsi Præsidiali refulgeat dignitate, & actus legitimi sint infamibus interdicti.*

Testes autem hujusmodi proprio Juramento firmantes, quòd ad ferendum testimonium in causâ ipsâ odio, amore, & timore, vel commodo non procedant, personas expressis nominibus, vel demonstratione, vel circumlocutione sufficienti designent, & ab utroque latere singulos gradus clarâ computatione distinguant: & in sui nihilominus Juramento concludant, se accepisse à suis Majoribus quod deponunt, & credere ita esse. Sed nec tales sufficiant, nisi jurati deponant se vidisse personas, vel saltem in uno prædictorum graduum constitutas pro consanguineis se habere. Tolerabilius est enim aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quàm conjunctos legitimè contra statuta hominum separare.

REGULA XXX.

Sponte oblata Juramenta Parentum, contra personæ gravis & fide dignæ denunciationem, quæ famam vel scandalum probat, prævalere non debent, in causis impedimentorum Matrimonii.

De Parentum juramentis in causis impedimentorum Matrimonii sponte oblatis.

HÆc Regula oritur Cap. *Cùm in tua*, Ext. *De Sponsalibus & Matrimonio*, quod est Innocentii *III.* Responsum Bellovacensi Episcopo datum: *Si persona gravis* (inquit) *cui fides sit adhibenda, tibi denunciet quod hi qui sunt Matrimonio copulandi, se propinquitate contingant, & de fama vel scandalo doceat: aut etiam per teipsum possis certificari de plano; non solùm debes Juramenta parentum sponte oblata non recipere, verùm etiam eos, qui sic contrahere nituntur, si moniti induci nequiverint, compellere ut à tali contractu desistant: vel contra famam hujusmodi, secundùm tuæ discretionis arbitrium, Juramenta exhibeant propinquorum. Alioquin si persona denuncians non extiterit talis, vel de fama, vel de scandalo non poteris edocere; ad desistendum monere poteris, non compellere contrahentes.*

REGULA XXXI.

Qui intra quatuor menses post peractas Denunciationes Matrimonium non contraxerant, postmodum non possunt contrahere, nisi novæ Denunciationes Episcopi arbitrio fiant.

Quando Denunciationes sint iterandæ.

SIc edixit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum. Immò si Denunciationibus factis, Matrimonium ultra duos menses differatur, *Ne idem antea Parochus celebret, quàm iterum Denunciationes ex Concilii Tridentini præscripto fecerit, edixeritve, si modo aliud Episcopus non concesserit*, statuit Concilium Mediolanense V. Tit. *Quæ ad Matrimonium pertinent.*

REGULA XXXII.

Matrimonium clandestinum vim Sponsaliorum non habet: Unde contrahentes nec publicâ auctoritate, neque à Confessariis cogi possunt ad contrahendum secundùm formam Concilii Tridentini.

An Matrimonium clandestinum vim sponsaliorum habeat?

NUlla enim obligatio nec civilis, nec naturalis oritur ex consensu præstito in Matrimonio clandestino, quia actus à principio nullus nullum producit effectum: actus autem gestus contra Legem, quæ substantiam actus prohibet, nullus est (ut Jurisconsulti loquuntur) ac proinde nullam obligationem infert.

Id confirmat Concilium *Mediolanense* V. P. III. Tit. De Matrimonio: *Qui testibus adhibitis* (inquit) *at sine Parocho, aliove Sacerdote, cui is vel Ordinarius facultatem dederit, Matrimonium de facto contraxerint, ne eos cogi liceat ut denuo inter se contrahant; nec rursus eo nomine impediri, quominus eorum unusquisque cum aliis liberè contrahat: cùm illud eorum factum, ne Sponsalium quidem, nedum Matrimonii vim habeat.* Atque ita judicavit Sacra Congregatio Concilii.

REGULA XXXIII.

Tridentini Concilii Decretum obligat iis omnibus in locis in quibus est promulgatum.

ID constat ex ipso Concilio Sessione XXIV. *De Reformatione Matrimonii*, Cap. I. *Hujusmodi Decretum* (inquit) *in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos.*

REGULA XXXIV.

Parochus librum habere debet, in quo conjugum & testium, nomina, diémque & locum contracti Matrimonii describat: quem diligenter apud se custodiat.

ITa sanxit Sacra Synodus Tridentina, ibidem; quod Synodi Provinciales postea celebratæ executioni mandari jusserunt.

ARTI-

ARTICULUS III.

De Consensu Parentum.

PROPOSITIO PRIMA.

Rata sunt Matrimonia filiorum-familiâs sine Parentum consensu contracta.

De Matrimoniis filiorum-familiâs sine parentum consensu.

ID enim postulat libertas Matrimonii, de qua Apostolus 1. ad Corinthios VII. *Cui vult* (inquit) *nubat, tantùm in Domino.* Quod etsi de vidua dictum est, pari tamen ratione de omnibus aliis utriúsque sexus nubentibus est intelligendum, ut ibidem innuit: *Dico* (inquit) *non nuptis, & viduis, Bonum est illis si sic permanserint, sicut & ego: quod si non se continent, nubant*, cui scilicet placuerit. Quod & Veteris Testamenti scriptura docet *Genes.* XXIV. ubi *Rebecca* parentes aiunt: *Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem.* Et *Numer.* ultimo, de filiabus *Salphaad* dicitur: *Nubant quibus volunt, tantùm ut sua Tribus hominibus.*

Rata sunt.

Id & recta ratio suadet. In iis enim eligendis & constituendis, quæ ad totius vitæ statum pertinent, cujusmodi sunt Matrimonium vel Continentia perpetua, Vitáque Monastica, liber quisque est, nec alicui subditus nisi Domino Deo. In disciplina scilicet domestica & moribus alter alteri præesse potest, non autem in his quæ ad naturam pertinent, aut eam consequuntur, ut est generatio prolis. Quamobrem mutuo contrahentium consensu inter personas legitimas perfici Matrimonium Canones statuunt, Cap. *Cùm locum*, Ext. *De Sponsalibus & Matrimonio*, Cap. *Licet*, & Cap. *Tua*, Ext. *De Sponsa duorum.*

Id confirmat *S. Ambrosius* Libro 1. *De Virginibus* Cap. X. *Si hominem vellent amare filiæ vestræ* (inquit) *per Leges possent eligere quem vellent. Quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet?* Et Libro *De Virginitate*, Cap. V. *An indignum videtur, ut sacratæ Virgines à sacrosanctis Altaribus non abducantur ad Nuptias? Et quibus licet Sponsum eligere, non licet Deum præferre?*

Idem confirmat *S. Augustinus*, Epistola CCLIV. aliàs CCXXIII. ad *Benenatum*, de puella quadam scribens nondum viro maturâ, de cujus Matrimonio jam agebatur. *Fortassis* (inquit) *quæ nunc non apparet, apparebit & mater, cujus voluntatem in tradenda filia, omnibus, ut arbitror, natura præponit: nisi eadem puella in ea jam ætate fuerit, ut jure licentiore sibi eligat ipsa quod velit.*

Idem docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione centesima quarta, Articulo sexto. *Tenetur* (inquit) *homo homini obedire in his quæ exterius per corpus sunt agenda: in quibus tamen secundùm ea quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solùm Deo: quia omnes homines naturâ sunt pares, putà, in his quæ pertinent ad corporis sustentationem, & prolis generationem. Unde non tenentur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire de Matrimonio contrahendo, vel Virginitate servanda, aut aliquo alio hujusmodi.* Conjugium certè servorum invitis dominis ratum esse, nemo diffitetur, ut habetur Cap. *Dignum est*, Ext. *De Conjugio Servorum.* Multò magis ergo Matrimonia filiorum familiâs invitis parentibus rata sunt: siquidem major est servorum subjectio respectu dominorum, quàm filiorum respectu parentum.

Itaque Sancta Synodus Tridentina, Sessione XXIV. *De Reformatione Matrimonii*, Cap. 1. jure damnandos illos censuit, *Ut eos Anathemate damnat, qui falsò affirmant, Matrimonia à filiis-familiâs sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse.*

Anathema illud Tridentini Concilii Lutheranos & Calvinianos Hæreticos ferit, qui pertinaciter asserebant, Matrimonia filiorum-familiâs solo parentum dissensu aut consensu irrita vel legitima esse Jure Naturali & Divino, nullóque habito respectu ad Leges Ecclesiæ.

Quid Leges Romanorum hac in causa p...ant.

Legibus quidem Romanis irrita fuisse conjugia filiorum-familiâs invitis parentibus contracta, pleræque Digesti, & Codicis Leges probant, Tit. *De Ritu Nuptiarum*, & *Justinianus* Libro I. *Institutionum*, Cap. X. *De Nuptiis*; sed irrita dumtaxat declarare potuerunt quoad civiles effectus, non autem quoad substantiam, & quoad rationem Contractûs & Sacramenti. Sanè Jus Romanum intellexit *Paulus* Jurisconsultus Lib. II. Sententiarum Tit. XIV. scribens: *Eorum qui in potestate patris sunt, sine voluntate ejus Matrimonia Jure non contrahuntur: sed contracta non solvuntur: contemplatio enim publicæ utilitatis privatorum commodis præfertur.* Idem confirmat Formula XVI. inter illas quas Illustris *Bignonius* sub hoc Titulo edidit, *Formulæ veteres secundùm Legem Romanam*, quæ sic habet: *Viventibus patribus, inter filios-familiâs, sine voluntate eorum, Matrimonia non legitimè copulantur, sed contracta non solvuntur.* Si ergo pater justam rationem habuit non probandarum hujusmodi Nuptiarum, injustæ Nuptiæ, injusta uxor, injusti liberi. *Nulla dos, nulla uxor*, ut *Justinianus* ait, in *Instit. De Nuptiis.* Non tamen dissolvitur Matrimonium, etiam Jure Civili Romano, ut explicant insignes & eruditi Jurisconsulti *Cujacius*, in *Lib. 25. Pauli ad Edictum. Ad L. 2. & 10. De Ritu Nuptiarum*, & *Dionysius Godefridus in L. Filius ff. De Ritu Nuptiarum.*

Regum Christianissimorum edicta.

Nec aliter intelligenda sunt Regum Christianissimorum Edicta, quæ Matrimonia filiorum-familiâs invitis parentibus *Invalidè contracta* declarant, invalidè (inquam) quoad effectus quosdam civiles, non quoad rationem Sacramenti, sive quoad substantiam Contractus qui materia Sacramenti proxima est, ut constat ex *Henrici I.* Constitutione Parisiis edita anno MDLVI. ex Constitutione *Henrici III.* Blesis editâ, anno MDLXXIX. Articulo XLI. Constitutionibus *Ludovici XIII.* editis anno MDCXXIX. & MDCXXXIX. quibus quidem ab omni hereditate repelluntur filii-familiâs, qui parentibus invitis Matrimonium contraxerint, omnibúsque juribus & commodis, vi matrimonialium contractuum, & testamentorum, Legúmve aut Consuetudinum Municipalium beneficio illis aliàs quærendis, cùm ipsi tum eorum filii & nepotes in perpetuum privantur: sed Matrimonii sic contracti substantiam, firmitatem, rationémque Sacramenti non attingunt; ut Regis nomine Clero Gallicano responderunt Illustrissimi Commissarii ab ejus Majestate Deputati anno MDCXXIX. ut que ostendit Doctissimus Præsul *Isaacus Habertus* Episcopus Vabrensis, in Libro *De Justitia Connubialis Edicti*, à Justo Rege *Ludovico XIII.* conditi, quo inauspicatum quemdam libellum, qui sub nomine OPTATI GALLI, *De cavendo Schismate*, in lucem prodierat, refellit, Edictique Regii æquitatem contra larvatum Autorem egregiè defendit. *Non multùm* (inquit) *laborandum est de conciliandis Regiis Edictis cum Ec-*

clesiæ Sententia; nullo siquidem unquam Edicto Matrimonia filiorum familiâs invalida ac nulla esse absque consensu parentum tutorúmve constitutum est, etsi hic error multis imposuerit: prohibita quidem sunt, sed invalida & nulla esse, haudquaquam definitum. Unde etiam Decessorum suorum vestigiis insistens Rex Christianissimus Ludovicus, ea iterum prohibuit, ac austeriùs interdixit: invalida tamen ac nulla esse contra Tridentinæ Synodi Decretum, ac Theologorum unanimem etiam in Regno suo sententiam minimè sanxit.

Et infrà, *Intelligendum est illud omne quod in Matrimonio Juris Divini positum est, Sacramentale esse, proindéque ad Ecclesiam spectare, quæ Divini Juris cognitionem interpretationémque absolutissimam sola in terris erroris culpæque expers, Columna & firmamentum veritatis exercet. Unde tamquam Divini Juris Interpretis ac Oraculi, de veritate, validitate, substantia, causis, partibus, contractu consensúque ut materia & forma, conditionibus, effectisque Sacramenti Matrimonii decernere, unius Ecclesiæ est. Id fidei caput esse, nemo dubitat Orthodoxus. Ex his omnibus Christianissimus Princeps, si quid in Edicto suo attigit, illud non ut ex sui, sed Divini vel Ecclesiastici Juris Constitutione præjudicatum, expressit. Verùm alia sunt ad Matrimonium pertinentia, quæ Sacramentum ipsum non componunt, aut efficiunt; sed antecedunt, comitantur, aut consequuntur, ut reverentia ac metus parentum, publicæ Legis & consuetudinis observantia, familiæ decus & ornamenta, honestatis & pudoris salus, famæque sollicitudo, pactorum integritas, rerum & fortunarum conservatio, hereditatum ac successionum jura, aliáque id genus quamplurima, quæ Principem tamquam boni publici inspectorem, arbitrum, vindicémque respiciunt. Ea verò sunt de quibus, non sub nullitate (ut inquiunt) aut Juris Divini Canonicique pœnâ, sed Civilis planè Juris tenendi forma, Rex Justissimus Edicto suo cavit, cavere potuit ac debuit.*

PROPOSITIO II.

Ecclesia Canonem condere potest, quo irrita reddantur Matrimonia filiorum-familiâs sine Parentum consensu contracta.

Potestas Ecclesiæ in Matrimonia.

CUm enim fide certum sit, Ecclesiam impedimenta Matrimonii constituere posse; cúmque clandestina antea rata, deinceps irrita fore declaravit; minimè dubitandum est, quin eodem jure potuerit Matrimonia filiorum-familiâs, repugnantibus parentibus contracta, irrita declarare. In Ecclesia Græca hæc olim Disciplina viguit, ut compertum est ex Epistola *S. Basilii* ad *Amphilochium*, Canone XLII. cujus hæc sunt verba: *Quæ sine iis qui habent potestatem, fiunt Matrimonia, sunt fornicationes. Nec ergo vivente patre, nec domino, ii qui conveniunt sunt ab accusatione liberi, donec conjugio domini annuerint. Tunc enim accipit firmitatem conjugium.* Ad tempus usque Schismatis & deinceps hanc Disciplinam in Ecclesia Græca viguisse, constat ex Nomocanone *Photii*, Tit. XIII. Cap. IX. ex *Balsamone* qui Nomocanonem commentatus est, & ex Jure Græco Romano Tom. 1. pag. 205. & Tom. II. pag. 101.

Verus Ecclesiæ Græcæ disciplina.

Diversa Ecclesiæ Latinæ Disciplina.

Cæterùm hanc in Ecclesiam Latinam admittendam non esse judicavit Sacra Synodus Tridentina, ne Matrimonii libertatem minueret; & quia contingit interdum ut filii parentibus sint prudentiores. Deinde, quia parentes quandoque sunt perversæ aut suspectæ Religionis, quos proinde verisimile est uxorem filio quæsituros, sive filiæ maritum, per quos à Catholica Religione avocentur. Tertiò: quia contingit parentes esse sordidè avaros, qui ne dotem numerare cogantur, filiarum Nuptias procrastinant, magno salutis earum detrimento; aut certè filiis uxores quærunt dote divites magis quàm bonis moribus ornatas; aut imparibus & indignis conjugiis filios & filias copulare volunt, aut iis dare quos non diligunt. Ex quibus omnibus quanta mala oriantur, nemo non videt. Quartò, quia contingit interdum ut liberos etiam invitos in Monasterium detrudere velint, numquam in eorum Nuptias consensuri. Postremò, quia multi sunt filii extra parentum potestatem constituti, ut vidui ac viduæ, vel quocumque modo emancipati, & qui in regionibus à parentibus longè dissitis degunt, vel qui ætate ac rerum peritiâ multùm sunt provecti, parentibus ipsis vel dudum mortuis, vel præ senio delirantibus. Quos omnes ea lege constringi, ut sine parentum vel propinquorum consensu Matrimonia illorum rata non essent, minùs æquum fore judicavit Sacra Synodus.

Ejus rationem.

PROPOSITIO II.

Lethaliter peccant filii-familiâs, qui parentibus inconsultis, vel justa ex causa repugnantibus & invitis, Matrimonium contrahunt.

Quam grave peccatum filiorum inconsultis aut invitis parentibus nubentium.

ID enim vetat Divina Lex de honore & observantia parentum lata. Hinc illi quos Scriptura Sacra commendat, ferè non leguntur inconsultis parentibus uxores accepisse. Nam de Isaac & Jacob Patriarchis clarè Scriptura testatur, quòd parentum consiliis & voluntati in ducendis uxoribus fuerint obsecuti, *Genes.* XXIV. & XXVIII. Samson sine consensu parentum mulierem, quam valdè amabat, ducere noluit. *Judicum* XIV. Tobias quidem uxorem duxit inconsulto patre: verùm id fecit longè remotus à parentibus, & ejus consilio, cui tamquam duci ac moderatori fuerat à patre commendatus, nec dubitans quin ratum habiturus esset pater, quod illius consilio à se factum esset. Id denique fecit Deo intus inspirante, qui exteriùs ipsi per Angelum suum loquebatur. Ad hæc, *Exodi* XXXIV. & *Deuteronomii* VII. præceptum de conjugio filiorum parentibus potiùs datur quàm filiis; ne videlicet cum Chananæis jungantur: *Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis.... Non inibis cum eis fœdus, neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo.* Israelitis Babyloniam translatis (*Jeremiæ* XXIX.) præcepit Deus: *Date filiis vestris uxores, & filias vestras date viris*, &c. Id confirmat *S. Paulus* I. ad Corinthios VII. *Igitur & qui Matrimonio jungit virginem suam, benè facit, & qui non jungit meliùs facit.*

Huic Propositioni robur addit Patrum auctoritas. *Tertulliani* Libro I. *Ad Uxorem*, scribentis: *Nam nec in terris filii sine consensu Patrum rectè & jure nubunt.*

S. Ambrosii Libro I. *De Abraham*, Capite ultimo, ubi de Rebecca loquens: *Consulitur* (inquit) *puella non de sponsalibus, nam illa judicium exspectat parentum; non est enim virginalis pudoris eligere maritum. Unde illud Euripideum, quod mirantur plerique, unde translatum sit, manifestum est:* Sponsalium quidem meorum pater meus curam subibit; hoc enim non est meum. *Ergo quod & ipsi Philosophi mirati sunt, servate Virgines. Sed etiam mulieres, si qua amisso cito marito, adolescen-*

Euripid. in Andromache.

tula laqueum infirmitatis sua timet incidere, ne si vult nubere nubat, tantum in Domino, ut electionem mariti parentibus deferat.

S. Leonis, Epistola ad *Rusticum* Narbonensem Episcopum: *Paterno* (inquit) *arbitrio viris juncta carent culpâ*, &c.

Idem confirmant Canones. Canon, *Aliter*, sub *Evaristi* Papæ nomine relatus Causa xxx. Quæstione v. & in Libro vii. Capitularium, Capite ccccLXIII. transcriptus: *Aliter* (inquit) *legitimum non fit conjugium, nisi ab his qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus & propinquioribus sponsetur, & legibus dotetur... Taliter enim & Domino placebunt, & filios non spurios, sed legitimos atque hæreditabiles generabunt.*

Canon, *Videbitur nobis*, sub *Celestini* Pontificis nomine relatus Causa xxxv. Quæstione vi. verius *Clementi III.* tribuendus, Ext. *Qui Matrimonium accusare possint*, parentes, fratres, & cognatas utriusque sexus in testificationem ad Matrimonium suorum conjungendum vel dirimendum admitti jubet, secundùm antiquam consuetudinem, & secundùm Leges. *Qui enim* (inquit) *melius recipi debent, quàm illi qui melius sciunt, & quorum est interesse, ita ut si non interfuerint, & consensum non adhibuerint, secundùm Leges nullum fiat Matrimonium?*

Hormisdas Pontifex, Canone *Tua sanctitas*, Causa xxxi. Quæstione ii. *Potest* (inquit) *de filio nondum adulto, voluntas cujus nondum discerni potest, pater eum, cui vult, in Matrimonium tradere: & postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, omnino observare & adimplere debet. Hoc ab omnibus orthodoxa fidei cultoribus, sancitum à nobis tenendum mandamus.*

Puellam, cujus pater servus erat, non illius, sed avi liberi, qui paternæ potestatis jura in ipsam conservabat, consensum ad ineundum Matrimonium obtinere debere, respondet *Pelagius* Papa, Canone *Patrem*, Causa xxxii. Quæstione iii. *Et ideo* (inquit) *Avi magis electionem de conjunctione Neptis, quàm Patris ejus, cujus nullo modo liberum potest esse arbitrium, decernimus attendi.*

Nicolaus I. in Responsis ad Consulta Bulgarorum, Matrimonia celebranda esse scribit, *Consensu eorum qui hac contrahunt, & eorum in quorum potestate sunt.*

Alexander II. apud *Ivonem Carnutensem* P. iii. Decreti, cap. xvii. Juvenem quemdam qui Juramento se obstrinxerat ad concubinam suam, eamdémque consanguineam, ducendam in uxorem, reum esse scribit adulterii, incestûs, perjurii. Probat autem reum esse perjurii, quia *Quod observare legaliter non potuit sine judicio parentum, vel Judicum, temerè jurare præsumpsit.*

Concilium Aurelianense iv. anno DXLI. celebratum, Canone xxii. Matrimonium contra Parentum voluntatem impiè contrahi asserit. Canone scilicet xxii. statuit: *Ut nullus per imperium Potestatis, filiam competere audeat alienam; ne conjugium quod contra parentum voluntatem impiè copulatur, velut captivitas judicetur. Sed sicut est prohibitum, non admittatur; & his qui perpetraverint, Excommunicationis severitas pro modo piaculi imponatur.*

Concilium Parisiense vi. anno DLVII. Canone iv. statuit, *Ut nullus viduam, neque filiam alterius, contra voluntatem Parentum, aut rapere præsumat, aut Regis beneficio æstimet postulandam. Quod si fecerit, similiter ab Ecclesiæ Communione remotus, Anathematis damnatione plectatur.*

Concilium Turonense ii. anno DLXVII. Canone xx. Virginum Deo sacratarum, & Viduarum quæ post mutatam vestem nupserint, inanes excusationes refellens; trium Franciæ Regum Edicta illis opponit, quibus vetitum erat, ne quis puellam sine parentum consensu in uxorem duceret. *Et excludatur* (inquit) *excusationis adinventio, quam modò aliqua dicere meditantur, quod propterea se veste mutaverint, ne eas inferiores persona macularent: cùm non solùm Domini gloriosæ memoriæ Childebertus & Clotharius Reges constitutionem Legum de hac re custodierint & servaverint, quam nunc Dominus Charibertus Rex successor eorum Præcepto suo roboravit, Ut nullus ullam puellam absque parentum voluntate trahere aut accipere præsumat. Quæcunque ergo timet violentiam, & non vult habere maritum, refugiat ad Ecclesiam, donec propinqui possint eam Principis imperio, aut Sacerdotis vel Ecclesiæ beneficio liberare & defensare, ac condigno sociare Marito.*

Et cap. ccccLV. Libri vii. Capitularium, *De qualitate virginis in conjugio*, inscriptum, ita statuit: *Sciscitandum est, si vult pater virginis, quia caput mulieris vir. Requirenda est à patre voluntas virginis, dum Deus relinquat hominem in manibus consilii sui.*

Concilium Coloniense anno MDXXXVI. celebratum Tit. *De Administratione Sacramentorum*, cap. XLIII. *Optandum* (inquit) *ut Canon Evaristi Pontificis Concilio Generali renovetur, tollanturque illa clandestina Matrimonia, quæ invitis parentibus ac propinquis, Veneris potiùs quàm Dei cautâ contrahuntur. Nam quanta ex his clandestinis Matrimoniis mala suboriantur, in aperto est. Interea verò donec Ecclesia de hoc prospiciat, si non irrita, prohibita saltem sint, & pœna canonica, hoc est, Excommunicationi, Contrahentes, & qui his ope aut consilio adfuerint, subjaceant: quam nec tam facilè, nisi Ecclesiæ satisfiat, tolli, admodum expedire nobis videtur. Quantùm fieri potest, cavebis Parochus ne liberos citra parentum auctoritatem conjungat. Quod si Parentes negligentes fuerint, aut in admittendo Matrimonio jam contracto rigidiores negatores, admonebit eos, ut liberos maturæ ætatis elocent, néve vinculo jam per Ecclesiam indissolubili pertinaciùs obluctentur.*

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA I.

Nullatenus in Galliis Parochi filios familias minores triginta annis, & puellas minores annis viginti quinque completis Matrimonio conjungere debent invitis parentibus, sed eorum consensum in scriptis exigere tenentur.

De consensu Parentum.

ITa sancitum est Regum Christianissimorum *Henrici II. Henrici III. Ludovici XIII.* Constitutionibus, quibus parere tenentur omnes & singuli Regis Galliæ subditi, siquidem justissimæ sunt, ad promovendam nempe pietatem & filiorum erga parentes observantiam, divinâ Lege præscriptam, ordinatæ. Quamobtem illis necessariò parendum est, *Non tantùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*, (ut Apostolus monet.) Nec movere debet, quòd posset quis causari incontinentiæ periculum, ut Leges illas conscientiam non ligare existimemus. Eadem enim ratione sequeretur Leges ab Ecclesia latas conscientiam non obligasse. Suis enim Legibus prohibuit olim Ecclesia publicè Pœnitentibus ne Matrimonium contraherent, ut constat ex Concilio Arelatensi ii. Canone xxi. Toletano vi. Canone viii. & aliis plerisque Synodis. Incestus reis spem omnem conjugii abstulerunt Concilium

Regum Christianissimorum constitutiones.

Vermeriense Canonibus secundo, decimo, undecimo, duodecimo, & decimo-octavo, Compendieose Canonibus octavo, decimo, decimo-quarto, & decimo-quinto; Moguntinum Canonone quinquagesimo-sexto, Triburiense Canonibus XLIII. XLIV. & XLV. qui Canones in Regum nostrorum Capitularibus promulgati, vim publicæ Legis in Judiciis etiam Civilibus habuerunt. Eum qui Episcopum occidisset, absque spe conjugii perpetuo manere decrevit Concilium apud *Theodonisvillam* cap. IV. Idem statutum est de illis qui Presbyterum, Diaconum, vel Monachum interfecissent, Libro VI. Capitularium, cap. nonagesimo octavo, quod in sua Collectione transcripsit *Isaac* Lingonensis Episcopus Tit. II. cap. IX. & Concilium Trosleianum Canoni suo XIII. contra homicidas edito, inseruit. Viduis Subdiaconorum, Exorcistarum, Acolythorum, secundis Nuptiis interdixit Concilium Matisconense secundum, Canone XVI. Viduis Presbyterorum & Diaconorum idem prohibet Concilium Antisiodorense, Canone XXII. Puellæ, quæ raptori consenserat, perpetuam continentiam indixerunt Regum nostrorum Capitularia, Episcoporum consilio edita, & ab Ecclesiis illorum Imperio subditis olim recepta & observata, Libro VI. cap. nonagesimo sexto: *Ipsa namque quæ rapitur, si aut primò, aut postmodum tam nefario sceleri libens consenserit, nunquam postea nubat, sed publicâ pœnitentiâ mulctetur, & sub tali custodiâ ponatur, ut ei nullatenus luxuriari cum quoquam liceat.* Quod Caput *Isaac* Lingonensis Episcopus Titulo Collectionis suæ undecimo refert. Quis dicere audeat has Ecclesiæ Principúmque concordantes Leges conscientias eorum, quibus latæ erant, non obligasse? Et tamen incontinentiæ periculum causari poterant. Sed hæc excusatio non movebat Ecclesiam, cui certum erat, Deum gratiam continentiæ illis non negare, qui illam à Deo postulant, ut oportet. Nam *Fidelis Deus est* (inquit Apostolus 1. Cor. X. 13.) *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Quâ Sententiâ innititur Concilii Tridentini Sessionis XXIV. Canon nonus: *Si quis dixerit posse omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, Anathema sit: cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari.*

Quod si quædam incommoda ex his Legibus sequantur in paucioribus, quæ Legum omnium humanarum conditio est, majori certè & publicâ utilitate compensantur, familiarum, adeóque & Reipublicæ commodis, & pace, clandestinorum conjugiorum, & quæ Veneris potiùs, quàm Dei causâ contrahuntur, extirpatione. Parentes tamen in filiorum & filiarum suarum collocatione sive Matrimoniis permittendis, quando convenientia sunt, difficiles & morosos monere & adhortari possunt & debent Episcopi & Parochi, ne paterna potestate, Legúmque beneficio abutantur.

Regula II.

Qui patre & matre sunt orbati, & præscriptam Regiis Constitutionibus ætatem nondum attigerunt, non sunt Matrimonio conjungendi, nisi Tutorum & Curatorum consensus appareat.

De consensu Tutorum vel curatorum.

SIc edixit *Henricus III.* Rex Christianissimus Constitutionis Blesensis Articulo XLI. quæ *Ludovici XIII.* Edicto confirmata est: Nec immeritò, cùm tutores & curatores vice parentum constituti, adolescentiam & primam juventutem pupillorum, consilii ut plurimùm inopem, ac præcipitem, ob ferventes cupiditates, & novitiorum cordium lubricam in laqueos amoris propensionem, dirigere debeant ac moderari. Quare peccati lethalis rei essent pupilli, qui absque tutorum & curatorum consensu Matrimonium contraherent.

Regula III.

Parochi filios & filias, qui præscriptam Regiis Constitutionibus ætatem attigerunt, conjungere Matrimonio non debent, nisi consilium parentum scripto illos rogasse constet.

ITa sancitum est Regia Constitutione Blesensi, & Edicto *Ludovici XIII.* Filii qui hæc erga parentes officia defuerint, ab hereditate excludi possunt parentum ipsorum arbitrio; ipsósque contra Legem divinam lethaliter peccare, minimè dubium est, cùm in re tanti momenti, ex qua totius vitæ status pendet, consilium parentum exquirere contemnant, quo in officio maximum est reverentiæ, & observantiæ in parentes à Deo præceptæ, argumentum.

Regula IV.

Matrum quæ ad secundas Nuptias convolarunt consilium satis est ut rogent filii, nec earum consensum tenentur exspectare.

ITa sancitum Regia Constitutione *Henrici II.* ab *Henrico III.* & *Ludovico XIII.* confirmatâ.

Regula V.

Quamvis parentes in Galliis filios, qui absque illorum consensu Matrimonium contraxerunt, exheredes Testamento declarare possint, Donationésque omnes in eorum favorem factas revocare; neque illis neganda sint Sacramenta, qui solo justitiæ studio, ad exemplum aliorum, & ut pœna ista filiis proficiat ad emendationem & salutem, id præstiterint; pietas tamen postulat ut Episcopi, Parochi & Confessarii parentes filiis placare & conciliare teneantur, illísque persuadere ne secundum Legum severitatem in ipsos agant.

De inflapenta filiorum invitis parentibus nubentium.

OMnia enim quæ licent, non semper expediunt: & S. *Ambrosii* modum agendi cum *Sisinnio*, quo invito filius uxorem duxerat, Sacerdotes imitari decet. Patrem filio jure iratum agnovit S. *Ambrosius*, filium ad officium revocavit, & ad veniam rogandam adduxit, patrem conciliavit filio, ejúsque ac nurûs benevolam susceptionem *Sisinnio* gratulatus est Epistola LXXXIII. *Quod* (inquit) *filio nostro remisisti meo rogatu, quia te inconsulto uxorem acceperat, pietati magis tribuo, quàm nostro amori; plus est enim pietatem ipsam de te impetravisse, quàm cujusque petitionem. Certè Sacerdos tunc magis impetrat, cùm virtus prævalet: Sacerdotis enim petitio doctrina pietatis est. Impetravit igitur natura, impetravit filius eo plenius, quia postulati contemplatio temporalis solet esse: virtutis autem diuturnus habitus, & jugis animorum industria. Pulcrè itaque gestum, ut te patrem recognosceres: simul quia justa indignatio fuit; malo enim culpam fateri, ut plus laudetur paterna indulgentia: sed & ipsa paterna offensio fuit, quoniam*

Parochorum & Confessariorum officium his in causis.

A *venturam in locum filia tuo debuisti eligere judicio, cui fieres pater. Namque aut naturâ filios suscipimus, aut electione; in natura casus est, in electione judicium: magisque in adoptatis offendimus, quàm in genitalibus filiis; quia genitales filios esse degeneres, ad naturam refertur: adscitos vel adoptione vel copulâ dedecores esse, nostro errori adscribitur. Fuit ergo quòd succenseres filio, sed fuit etiam quod remitteres, quia sibi uxorem elegit. Adquisisti filiam sine electionis periculo. Si bonam duxit, tibi acquisivit gratiam: Si erravit, recipiendo meliores facies, refutando deteriores. Maturiore quidem consilio puella filio à Patre traditur: sed majore obsequii proposito à* B *filio ad patrem ducitur, & à viro lecta ingreditur soceri domum; dum metuit & filius displicere judicium suum, & nurus Ministerium. Illam paterna electionis prærogativa adtollit atque erigit, istam offensionis humiliat metus, inclinat verecundia. Nam habebit filius quod in uxorem referat, quasi exsors culpa, si quid fortasse offensum sit, quod habet usus; immò ampliùs elaborabit, ut in utroque suum possit probari, & in uxore judicium, & in se obsequium. Fecisti igitur quod boni parentes, ut citè ignosceres, sed obsecratus; nam antequam rogareris, non erat ignoscere, sed factum probare. Deinde diutiùs differre veniam, &* C *tibi acerbum, & illis inutile; neque enim paterna viscera diutiùs tolerare possent.*

CAPUT III.

DE

SPONSALIBUS.

I. Sponsalia à spondendo dicta sunt. Veteres enim futuras sibi conjuges stipulabantur, & spondebant: Unde Sponsi & Sponsæ nomen derivatum est. Nam, (ut observat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXVII. Quæstione II. Articulo I. ad sextum) *In Matrimonio potest considerari ipsa conjunctio Matrimonialis, & actus ejus; & à sponsione primi in futurum dicitur Sponsus à Sponsalibus contractis per verba de futuro: & à Sponsione secundi dicitur aliquis* E *sponsus etiam quando contractum est Matrimonium per verba de præsenti. Quia ex hoc ipso spondet Matrimonii actum: tamen à prima sponsione dicuntur Sponsalia propriè, quæ sunt quædam Sacramentalia Matrimonii, sicut Exorcismus Baptismi.*

Sponsaliorum definitio.

II. *Sponsalia* definiuntur, *Promissio futurarum Nuptiarum.* Quæ promissio vera & sincera, non simulata, libera, reciproca, & signis exterioribus expressa esse debet. Sponsaliorum libertati adjectio pœnæ repugnat, ut declarat *Gregorius IX.* cap. *Gemma*, Ext. *De Sponsalibus.*

Quibus modis Sponsalia contrahuntur?

Variis autem modis Sponsalia contrahuntur, E scilicet re, verbis, literis, & consensu: Re, per nudam subarrhationem vel annuli immissionem: verbis, si inter virum & mulierem promissio futuri matrimonii intercesserit, veluti altero alteri vice mutuâ dicente: Ego te accipiam in meum maritum, & Ego te accipiam in meam uxorem, sive in hunc sensum verba similia protulerint. Literis, cùm absentes inter se de futuris Nuptiis paciscuntur per epistolam, per nuntium, vel procuratorem. Consensu denique contrahuntur Sponsalia, cùm pubes & impubes, vel duo impuberes, nuu proximi pubertati, & in quibus malitia non suppleat ætatem, Matrimonium per verba de præsenti contrahunt. Licèt enim verba Matrimonium in præsens significent, Juris tamen interpretatione in Sponsalia de futuro resolvuntur. Censuerunt enim Juris conditores, eos, qui cùm non possent, conjugium de facto contraxerunt, voluisse etiam, in casu quo possent contrahere: ideóque saltem conventionem vim habere Sponsaliorum; cap. *Si Infantes*, B Tit. *De Desponsatione impuberum*, in Sexto.

Rursus contrahuntur Sponsalia aut purè, aut adjecta die, aut sub conditione. Purè, cùm vir & mulier se invicem futuros conjuges profitentur: Adjecta die, cùm quis intra certum temporis spatium aliquam se ducturum in uxorem Spondet. Sub conditione, cùm quis, si quid fiet, vel contigerit, Nuptias se contracturum pollicetur.

Pauló aliter *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXVII. Quæstione II. Articulo I. *Consensus* (inquit) *in conjugalem copulam per verba de futuro, non facit Matrimonium, sed Matrimonii promissionem. Et hæc promissio dicitur Sponsalia, à* C *spondendo.... Fit autem dupliciter; scilicet absolutè & sub conditione. Absolute quatuor modis. Primò, nuda promissione, ut cùm dicitur*, Accipio te in meam, *& è contrario: Secundò, datis arrhis sponsalitiis, ut pecuniâ, vel hujusmodi: Tertiò, annuli subarrhatione. Quartò, interveniente juramento. Si autem fiat dicta promissio sub conditione, distinguendum est; quia aut est conditio honesta, cùm dicitur*, Accipiam te si parentibus placeat; *& tunc stante conditione stat promissio; & non stante non stat: aut est inhonesta: & hoc dupliciter: quia aut est contraria bonis Matrimonii: ut si dicam*, Accipiam te, si venena sterilitatis procures; *& tunc non contra*- D *huntur Sponsalia: aut non est contraria bonis Matrimonii; ut si dicam*, Accipiam te si furtis meis consentias; *& tune stat promissio, sed tollenda est conditio* (ut videre est Ext. *De Conditionibus appositis in Desponsatione, &c.* cap. *Quicunque*, cap. *De illis*, cap. *Super eo*, cap. *Per tuas*, & cap. *Si conditiones.*)

Alia Sponsaliorum divisio Jure Canonico recepta est, cap. *Duobus*, Ext. *De Sponsa duorum*, & cap. *Veniens*, necnon cap. *Si inter virum*, Ext. *De Sponsalibus, & Matrimonio.* Ea petitur ex diverso tempore quo Sponsalia implenda intelliguntur ex mente contrahentium. Prioris generis E Sponsalia ea sunt, quæ in futurum tempus conferuntur, in quibus dari dicitur *Fides Pactionis*, id est, promissio contrahendi Matrimonii: & verè & propriè dicta sponsalia sunt, ut jam innuimus. Posterioris generis sunt ea in quibus datur *Fides Consensûs*, qui scilicet jam tum reciprocè interponitur. Hoc posterius genus Jure Decretalium parem cum Matrimonio inducebat obligationem, quia mutuo contrahentium consensu, etiam privatim & clanculùm absque Sacerdote, & testibus significato, Matrimonium perficiebatur: sed nunc post Tridentinam Synodum, quamvis clandestina Sponsalia irrita non sint, Matrimo- E nium certè clandestinum irritum est, & ne sponsaliorum quidem vim habet, ut suprà observavi. Multò minùs Matrimonii vim habent Sponsalia per verba de futuro contracta, etiam sequutâ copulâ, ut Concilium *Mediolanense* V. sub *S. Carolo Borromæo*, Tit. *Quæ ad Matrimonium pertinent*, declarat. *Si qui* (inquit) *ætate etiam legitimâ, & Parocho præsente, testibus duobus adhibitis, & notario, jurati spoponderunt, se Matrimonium*

inituros, ac deinde non contracto legitimè per verba de præsenti Matrimonio, copulationem inter se inierunt: eorum Matrimonium nullum ab Episcopo declaretur ac decernatur. Id verò ne accidat, Parochus quam sæpissimè Populum, ut opus erit, moneat ad præscriptum Concilii Tridentini.

Cur Sponsalia Matrimonio præmittantur?

III. Sponsalia optimis de causis Matrimonio præmittuntur. Primò, *Ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiraverit Sponsus dilatam;* (inquit *S. Augustinus*, Libro VIII. *Confessionum*, cap. III.) Secundò, ut interim in contrahentium statum, conditionem, & mores diligentior fiat inquisitio. Tertiò, ut Sponsi ad Matrimonii Sacramentum eâ, quæ Christianos decet, pietate se præparent. Qua de re Sacra Synodus Tridentina Sessione XXIV. cap. I. *De Reformatione Matrimonii*, ita statuit: *Postremò Sancta Synodus conjuges hortatur, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante Matrimonii consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum piè accedant. Si quæ Provinciæ aliis ultra prædictas, laudabilibus consuetudinibus & ceremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri Sancta Synodus vehementer optat.*

Et *S. Carolus* in Instructionibus de Matrimonio: *Parochus aget omni cohortatione cum Sponsis, ut ad Matrimonii celebrationem ne accedant prius, quàm peccata diligenter confessi, Sacram Communionem sumpserint, saltem triduo ante Matrimonii consummationem: omnino autem & Jejunio, & aliis piis præparationibus ad hujusmodi Sacramentum para mente accedant.*

Quâ ætate Sponsalia contrahi possunt?

IV. Sponsalibus contrahendis septennii ætas à Jure constituta est, cap. *Literas*, & cap. *Accessit*, Ext. *De Sponsatione Impuberum*, ubi *Alexander III.* Eboracensi Archiepiscopo respondet, Matrimonium inter quemdam, & cujusdam puellæ, quæ desponsata ipsi fuerat, matrem celebratum, subsistere debere; omninòque ratum esse, *Si constiterit quòd puella non esset septennis quando desponsata fuit, nec posteà in eam consensit.* Idemque confirmat *Innocentius III.* cap. *Ad dissolvendum*, sub eodem Titulo. Si contrahentes nondum quidem septennium attigerunt, sed parum absunt ab ea ætate, contractus Sponsaliorum robur habet; (inquit *S. Thomas*) quæ propinquitas secundùm conditionem contrahentium determinanda est, quia in quibusdam magis acceleratur rationis usus, quàm in aliis.

» V. Si ante annos pubertatis fiat contractus » Sponsalium per alium, scilicet per parentes, vel » tutores, ambo vel alter reclamare possunt; un» de nihil tunc actum est; adeò ut nec affinitas » ulla ex hoc contrahatur: & ideo Sponsalia quæ » inter aliquos per alias personas contrahuntur, » robur habent, in quantum illi inter quos con» trahuntur, ad ætatem debitam venientes, non » reclamant, ex quo intelliguntur consentire his » quæ per alios facta sunt, (inquit *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*. Dist. XXVII. Quæstione II. Articulo II. ad primum.) Idque colligitur ex cap. *De illis*, Ext. *De Desponsatione Impuberum*, & ex cap. *Infantes*, in Sexto, sub eodem Titulo.

Quo modo Sponsalia dissolvi possunt?

VI. Dissolvuntur Sponsalia, aut ipso Jure, aut facto hominis. Ipso Jure, cùm nullâ habitâ ratione voluntatis & consensûs partium, certâ causâ emergente distrahuntur, scilicet Matrimonio cum alia persona inito, Regularis Vitæ Professione solemni; ortâ inter Sponsos ex unius cum alterius cognato vel cognata concubitu affinitate, & Sacri Ordinis à viro susceptione. Facto hominis dissolvuntur Sponsalia, vel utriusque contrahentis dissensu; vel cùm legitima interveniente causâ dissolutio alterius tantùm voluntati permittitur, veluti ex fornicatione defectione a vera Religione, absentiâ diuturnâ, membrorum amissione, incurabilis morbi interventu. Hæc autem sequentibus Regulis accuratiùs explicantur.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA I.

Sponsaliorum fidem frangere, lethale peccatum est, nisi legitimum impedimentum interveniat.

De fide Sponsaliorum servanda.

ITa docet *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum* Dist. XXVII. Quæstione II. Articulo I. ad secundum: *Ex tali* (inquit) *promissione obligatur unus alii ad Matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non solvens promissum, nisi legitimum impedimentum interveniat. Et secundùm hoc etiam Ecclesia cogit, injungendo Pænitentiam pro peccato: tamen in foro contentioso non compellitur; quia Matrimonia coacta consueverunt malos exitus habere: nisi fortè Juramentum intervenerit; quia tunc cogendus est (ut quidam dicunt) Quamvis aliis non videatur, propter causam prædictam; præcipuè si de uxoricidio timeretur.*

Hæc *S. Thomæ* Responsio Canonibus consona est. Ita enim statuit Illiberitana Synodus, Canone LIV. *Si qui parentes fidem fregerint Sponsaliorum, triennii tempore abstineant se à Communione: si tamen iidem sponsus & sponsa in illo gravi crimine fuerint deprehensi, excusati erunt parentes. Si verò in eodem fuerint vitio, & polluerint se consentiendo, superior sententia servatur.* Refertur Can. *Si qui*, Causa XXXI. Quæstione III. Excommunicationem pro peccato mortali solùm infligi, docet Concilium Meldense, Canone LIII. Quare fatendum est, Sponsaliorum fidem frangentes vel impedientes, crimen admittere capitale, cùm Illiberitanæ Synodo Triennii Excommunicatione puniendi visi sint. Quinimmò disertis verbis id significaverunt Synodi istius Patres, dum statim de ipsis Sponsis subdunt: *Si tamen idem sponsus & sponsa in illo gravi crimine fuerint deprehensi.* Grave crimen vocant, tamquam capitale & mortale.

REGULA II.

Eos qui Sponsalia legitimè contraxerunt, Judex Ecclesiasticus ad fidem implendam, contrahendúmque Matrimonium compellere potest, si nullum occurrat impedimentum: maximè si Sponsalia jurejurando firmata sint.

De fide Sponsaliorum servanda.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas* loco mox indicato, Juréque Canonico nititur, cap. *Ex literis*, Ext. *De Sponsalibus & Matrimonio*, quod *Alexandri III.* Responsum est, de quodam, qui se filiam alterius, consentiente patre, in uxorem ducturum juraverat, & tamen cum aliâ Matrimonium contrahere cupiebat, ita decernentis: *Quia prædicto viro periculosum est, contra suum juramentum venire: Fraternitati tuæ mandamus, quatenus eum Ecclesiasticâ Censurâ compellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet.*

Et cap. *Requisivit*, quod est *Lucii III.* Responsum sub eodem Titulo; ubi de muliere, quæ se alicui nupturam interposito Juramento firmaverat, & postmodum Jurisjurandi religione neglectâ, id exequi renuebat: *Cùm* (inquit) *libera debeant esse Matrimonia, monenda est potius*

quàm cogenda; cùm coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.

Quamvis autem acriùs compellendi sint, qui Sponsalia Juramento firmavere, propter majus vinculum, & juramenti religionem, sunt etiam urgendi ut datam fidem impleant, qui illam sine juramento obstrinxerunt. Ad fidem enim promissorum servandam quisque ex justitia tenetur. Sed tamen ita urgendi sunt à judice, ut ex nolentibus volentes fiant, quemadmodum de compellendis ad Fidem Catholicam Hæreticis dicitur Canone *Vides*, Causa XXIII. Quæstione VI. ex S. *Augustino.* Cæterùm si ex hujusmodi Nuptiis gravia scandala, implacabiles inimicitiæ, diuturnæ & periculosæ lites, & alia id genus mala probabiliter timeantur, & sponsorum alter sit in negando consensu pertinax, Sponsaliorum dissolutio permittenda vel toleranda est ceu minus malum, ad gravius malum avertendum Levius enim ac tolerabilius malum est Sponsaliorum fidem infringi, quàm Matrimonia cogi, duásque familias implacabilibus dissidiis, litibus, odiis perturbari.

REGULA III.

Solvuntur Sponsalia per Matrimonium, quod Sponsorum alter cum alia persona validè contraxerit.

De Sponsaliorum dissolutione.

Matrimonii enim vinculum indissolubile est; adeóque Sponsalia ante illud contracta observare est impossibile. Unde eorum obligatio per subsequens Matrimonium extinguitur. Nec tamen sponsus vel sponsa, qui Sponsaliorum fide violatâ, cum alio, vel alia contraxerunt, à peccato sunt immunes, ut declarat *Gregorius IX.* Cap. *Si inter virum*, Ext. *De sponsalibus & Matrimonio*, cujus hæc sunt verba: *Verùm si inter ipsos accessit tantummodo promissio de futuro, utroque dicente alteri: Ego te recipiam in meam: &, Ego te in meum: sive verba similia: si alius mulierem illam per verba de præsenti desponsaverit, etiamsi inter ipsam & primum juramentum intervenerit (sicut diximus) de futuro, hujusmodi Desponsationis intuitu secundum Matrimonium non poterit separari, sed eis est de violatione fidei Pœnitentia injungenda.*

REGULA IV.

Irrita essent ipso Jure Sponsalia, quæ Vota Solemnia in Professione Vitæ Religiosæ emitti solita, aut Vota etiam simplicia Religionis, Castitatis, aut suscipiendi Sacros Ordines, sequerentur.

De Sponsaliorum dissolutione.

Nemini enim promittere licet, quod præstare non potest, causis legitimis prohibentibus: qui autem hujusmodi Votis Deo se obstrinxit, Matrimonium contrahere non potest, Votis prohibentibus: Postrema enim tria contrahendum impediunt, priora etiam dirimunt contractum. Quare Matrimonium promittere non potest, qui hujusmodi Vota Deo nuncupavit.

Id confirmatur ex Cap. *Rursus*, Ext. *Qui Clerici vel voventes Matrimonium contrahere possunt*, Quod est *Celestini III.* Responsum. *Quidam* (inquit) *Votum castitatis emittens, juravit se quamdam ducturum postea in uxorem. Unde à Fraternitate tua requisiti arbitramur, Quòd cùm simplex Votum apud Deum non minùs obliget, quàm solemne: pro eo quod juravit temerè, Pœnitentiam agat, & Votum quod Deo fecit, studeat observare. Quòd si postquam hujusmodi præstitit Juramentum, ad Nuptias motu proprio convolasset: cùm Votum simplex Matrimonium impediat contrahendum; non tamen dirimat contractum, nihil ambiguitatis Quæstio tua continere videtur.*

At Votum simplex Sponsalia subsequens, illa non dirimit, ut docet S. *Antoninus* III. P. Tit. I. Cap. XVIII. §. 2. *Aut Votum simplex præcedit Sponsalia ipsa* (inquit) *aut sequitur: si præcedit, tunc impedit & dirimit Sponsalia etiam jurata: quia hoc casu Juramentum est illicitum, cùm juret facere contra id quod voveras: aut Sponsalia præcedunt Votum simplex, & tunc Votum non impedit vel dirimit Sponsalia; sed eo casu cogi debet vel Votum solemnizare, scilicet profitendo in Religione, & sic essent soluta Sponsalia: vel Sponsalia profiteri, & contrahere Matrimonium.*

REGULA V.

Sponsalia ipso Jure dissolvuntur per Professionem Monasticam.

De Sponsaliorum dissolutione.

Cum enim Matrimonium ratum & non consummatum, per solemnem Religionis Professionem alterius conjugum dirimatur, ut declarat Sacra Synodus Tridentina Sessione XXIV. Canone VI. multo magis, Sponsalia, quorum non tam arctum vinculum est, per eamdem dissolvuntur. Id confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XXVII. Quæstione II. Articulo III. *In duobus* (inquit) *casibus* (*scilicet cùm quis ad Religionem confugit, & cùm alter conjugum cum altero per verba de præsenti contrahit*) *ipso Jure Sponsalia dirimuntur: sed in aliis casibus dirimi debent secundùm Judicium Ecclesiæ.*

Qui tamen Monasterium simpliciter ingreditur, Sponsaliorum vinculo non solvitur antequam solemnibus Votis se Deo consecraverit, Mundóque penitus mortuus sit. Sed qui in sæculo relinquitur, sponsione suâ liberatus est statim atque Vestem Religiosam alter susceperit, & Matrimonium cum altero, vel altera contrahere potest. Qui enim Religiosam Vestem induit, causam dedit ut joco & serio, animo irato & pacato, possit improperari ei cuculli, aut veli assumptio & abjectio, levitas & inconstantia, & alia quæ rixarum materiam præstare possunt, si ad sæculum revertatur.

REGULA VI.

Qui Religionis ingressum vovit post Sponsalia Juramento firmata, Monasterium ingredi potest nulla Sponsalium habitâ ratione. Tutius tamen fecerit, si primùm nubat ob Juramenti religionem, deinde ante Matrimonii consummationem secedat in Monasterium, ut votum adimpleat.

De Sponsaliorum dissolutione.

Ita respondet *Alexander III.* Cap. *Commissum*, Ext. *De Sponsalibus & Matrimonio*, cujus hæc sunt verba: *Significavit nobis Fraternitas tua, quòd quidam cuidam Mulieri de contrahendo Matrimonio fidem dedit, & se cum ea intra biennium per verba de præsenti contracturum, præstito Juramento firmavit: nunc autem privatâ lege ductus, ad frugem melioris vitæ transire suspirat.... Fraternitati tuæ taliter respondemus, Quòd tutius est ei (religione Juramenti servatâ) priùs contrahere: & postea si elegerit, ad religionem migrare: si tamen post Desponsationem copula non dignoscitur intervenisse carnalis.* Tutiùs facturum Pontifex respondet, ne violati Juramenti reus apud homines habeatur, indéque

generetur offensio: & quia utrumque servare poterit, & Juramentum, & Votum, sive sanctum propositum: quamquam Juramentum violare non videtur, qui illud in melius commutat, ut colligitur ex cap. *Pervenit*, Ext. *De Jurejurando*, & cap. *Scriptura*, Ext. De Voto & Voti redemptione. *Potest ergo* (inquit Glossa) *servare utrumque, si vult: tamen sine peccato potest intrare Religionem, & non contrahere.*

REGULA VII.

Subsequens alterutrius Sponsi fornicatio Sponsalia dirimit, etiam jurata.

De Sponsaliorum dissolutione.

HÆc enim datæ fidei directè repugnat. *Quamvis enim nondum dederint sibi mutuò potestatem corporis Sponsalia contrahentes, tamen ex hoc efficiuntur sibi invicem suspecti de non servanda fide in futurum; & ideo potest sibi præcavere unus contra alium, Sponsalia dirimendo*; (inquit S. *Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XXVII. Quæstione II. Articulo III. ad sextum.) Eàque Responsio consona est Decretali *Innocentii III.* Cap. *Quemadmodum*, Ext. *De Jurejurando*, cujus hæc sunt verba: *Quemadmodum si vir mulieri jurasset, quando contraxit cum illa, quòd eam semper pro legitima uxore teneret, pro fornicatione quam mulier antea commisisset, non posset eam dimittere, sed pro fornicatione quam posteà perpetraret, eam dimittere posset, non obstante hujusmodi Juramento: quoniam in eo tacitè erat subintelligenda conditio, si videlicet in legem conjugii illa non peccaret: ita si quis juraverit se ducturum aliquam in uxorem, non potest ei fornicationem opponere præcedentem, sed subsequentem, ut illam non ducat in conjugem: quia in illo Juramento talis debet conditio subintelligi, si videlicet illa contra regulam Desponsationis non venerit. Alioquin si post hujusmodi Juramentum publica meretrix fieret, teneretur eam ducere in uxorem, quod est prorsus absurdum. Nam si post contractum conjugium vir propter fornicationem licitè potest uxorem à sua cohabitatione dimittere; longè fortiùs antè conjugium celebratum, propter eamdem causam licitè potest in suam cohabitationem non admittere Sponsam: quia turpius ejicitur quàm non admittitur hospes; non obstante in alterutro casu vinculo Juramenti, quod quidem propter subintelligendam conditionem est tale, ut is qui juravit ad utrumque sine transgressione possit se habere*: Id est, ut eam recipiat, vel non recipiat. Cæterùm fornicario non licet parte invitâ pactum rescindere; quippe cui sua malitia patrocinari non debet. Hæc Regula etiam in puella ab altero vi oppressâ locum habet; immò & in ea, quæ cùm crederetur esse virgo, posteà compertum fuit esse corruptam. Ad illam enim ducendam propter insignem in ea factam, vel cognitam in pejus mutationem, ad statum Matrimonii pertinentem, Sponsus non obligatur: maximè cùm bigamiæ vitium contrahere nemo cogatur. Quòd si propter fornicationem corporis Sponsalia dirimuntur, minimè dubitandum est, quin propter fornicationem spiritualem, scilicet hæresim, apostasiam, & quodcumque grave crimen & infamiam inducens, dissolvi possint.

REGULA VIII.

Dissolvuntur Sponsalia propter affinitatem ex illicitâ copulâ, vel cognationem spiritualem supervenientes, & propter famam cujusque impedimenti, si fama probetur.

SI quis ergo fide interposita desponsavit aliquam, & deinde consanguineam Sponsæ intra gradum prohibitum carnaliter cognovit, ipso jure Sponsalia inter eos inita dirimuntur, ut constat ex Cap. *Fraternitati*, cap. *Ex Literis*, & cap. *Veniens*, quæ sunt *Innocentii III.* Responsa, Ext. *De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ.*

De Sponsaliorum dissolutione.

Idem confirmat *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXVIII. Quæstione II. Articulo II. ad quartum respondens: *Si sponsus cognovit consanguineam sponsæ, vel è converso, tunc debent Sponsalia dirimi; & ad hoc probandum sola fama sufficit propter scandalum vitandum. Causæ enim quæ in futurum exspectant effectus suos, impediuntur à suis effectibus non solùm ex eo quod est, sed ex eo quod futurum est. Unde sicut affinitas, si esset tempore contractûs Sponsalium, impedivisset contractum illum, ita si interveniat ante Matrimonium, quod est effectus quidam Sponsalium, prior contractus ab effectu suo impeditur. Nec in hoc aliquid detrahitur alteri, imò ei confertur; quia absolvitur ab eo, qui per fornicationem Deo se odiosum reddidit.* Affinitatem porrò ex illicita copula provenientem Tridentina Synodus ad secundum gradum restrinxit: unde si quis sponsæ suæ consanguineam in secundo gradu cognoverit, irrita fiunt ipso jure Sponsalia, nullúmque inter se Matrimonium contrahere possunt: aliter tamen se res habet, si Sponsæ suæ consanguineam in remotiori gradu cognoverit.

Sponsalia pariter dirimit cognatio spiritualis superveniens, velut si alter alterius filium è sacro Fonte suscipiat, ut constat ex Cap. *Veniens*, Ext. *De Cognatione Spirituali*, quod *Innocentii III.* Responsum est.

Quod autem sola fama impedimenti probata sit sufficiens ratio Sponsalia dirimendi, constat ex cap. *Super*, quod *Urbani III.* Responsum est, Extra, *De Consanguinitate & affinitate.*

REGULA XI.

Sponsalia dirimi possunt propter ferociam & asperitatem morum alterutrius Sponsi, si certò perspecta sit & cognita: non verò si vulgi duntaxat rumore fama percrebuerit.

HÆc Regula colligitur ex cap. *Veniens*, quod *Alexandri III.* Responsum est, Ext. *Qui Clerici vel Voventes Matrimonium contrahere possunt.*

REGULA X.

Sponsalia dirimuntur propter paralysim, lepram, epilepsiam, aliúmve similem morbum, necnon propter magnam deformitatem vel debilitatem supervenientem.

HÆc Regula nititur Cap. *Litteras*, Ext. *De Conjugio Leprosorum*, quod est *Urbani III.* Responsum: *Quia* (inquit) *postulasti, utrum si post Sponsalia de futuro inter legitimas personas contracta, antequam à viro mulier traducatur, alter eorum lepra morbum incurrat, alius ad consummandam copulam maritalem compelli debeat? Respondemus*

De Sponsaliorum dissolutione.

mus, Quòd ad eam accipiendam cogi non debet, cùm nondum inter eos Matrimonium fuit consummatum.

Nititur & Cap. *Quemadmodum*, quod est *Innocentii III.* Ext. *De jurejurando*, ita respondentis: *Quòd si post hujusmodi juramentum mulier fieret non solùm leprosa, sed etiam paralytica, vel oculos, vel nasum amitteret, seu quicquam ei turpius eveniret, numquid vir teneretur eam ducere in uxorem? Profectò ductam non posset dimittere. Sed numquid non ductam admittere tenetur? Quamvis interdum contractum non dirimat, quod impedit contrahendum.*

Idem confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XXVII. Quæstione II. Articulo III. in Responsione ad tertium: *Si* (inquit) *ante contractum Matrimonium aliquam gravem infirmitatem incurrat alter eorum inter quos sunt contracta Sponsalia, quæ ipsum nimis debilitet, (ut epilepsia, vel paralysis:) aut eum deformet (ut abscissio nasi, vel orbitas oculorum, vel aliquid hujusmodi;) aut quæ sit contra bonum prolis (ut lepra quæ solet prolem inficere:) possunt Sponsalia dirimi, ne sibi invicem displiceant, & Matrimonium sic contractum malum exitum sortiatur: nec pro pœna punitur aliquis, sed ex pœna damnum reportat; quod non est inconveniens.*

REGULA XI.

Fraus commissa in solutione dotis, vel impotentia solvendi, seu aliam quamvis honestam conditionem pacto appositam adimplendi, causa legitima est dirimendi Sponsalia.

De Sponsaliorum dissolutione.

HÆc Regula colligitur ex Cap. *De illis*, Ext. *De conditionibus appositis in Desponsatione*, &c. quod est *Alexandri III.* Responsum Panormitano Archiepiscopo datum. *Si vero*, (inquit) *aliquis sub hujusmodi verbis juramentum alicui mulieri præstiterit: Ego te in uxorem accipiam, si tantùm mihi donaveris; reus perjurii non habebitur, si eam nolentem sibi solvere, quod sibi dari petiit, non acceperit in uxorem: nisi consensus de præsenti, aut carnalis inter eos sit commixtio subsecuta.*

REGULA XII.

Capitales inimicitiæ inter Sponsos vel eorum parentes suborta sufficientem rationem præbent dirimendi Sponsalia.

FUnesti enim exitus ex Nuptiis illorum timendi sunt: quare Ecclesiæ Judicio Sponsalia in ea hypothesi dirimuntur, juxta Cap. *Requisivit* Extra, *De Sponsalibus & Matrimonio.*

REGULA XIII.

Sponsalia dissolvi possunt, cùm quis ante pubertatis annos illa contraxit.

De Sponsaliorum dissolutione.

POstquam enim ad pubertatis annos pervenit, eorum dissolutionem ab Ecclesiastico Judice petere potest, nisi pubes factus illa expresso vel tacito consensu rata habuerit. Idem esto judicium, si ambo impuberes contraxerunt. Contractus enim dissolutionem petere non possunt antequam ad pubertatem pervenerint, sed solùm puberes facti. Id constat ex Cap. *De illis* Ext. *De Desponsatione impuberum*, & Cap. *A nobis*, sub eodem Titulo, quæ sunt *Alexandri III.* Responsa. Si tamen carnalis commixtio intervenisset, quæ interdum tempus anticipare solet pubertatis, Sponsalia dirimenda non essent, (inquit idem Pontifex.)

Idem confirmatur ex Epistola CXXXIV. *Yvonis* Carnotensis Episcopi ad *Daimbertum* Senonensem Archiepiscopum. *De pacto* (inquit) *conjugali quod factum est inter duos Nobiles, ita ut qui filiam habebat, juraverit se eam traditurum uni de filiis alterius nobilis cui vellet, cùm ad nubiles annos virgo pervenisset: hoc paternitati vestræ respondeo, quod & natura disposuit, & Lex tam Ecclesiastica, quàm mundana firmavit: quia quorum per conjugalem copulam unum debet fieri corpus, eorumdem pariter animorum debet esse consensus. Quicquid ergo pater nesciente virgine juraverit, cùm ad annos rationales perducta est, nisi ipsa virgo consentiat, etiam vivente patre, secundùm Leges irritum erit. Unde Papa Nicolaus Hincmaro scribit Episcopo:* Sufficiat per « Leges solus eorum consensus, de quorum con- « junctionibus agitur. *Qui consensus solus in Nuptiis* « *si fortè defuerit, cætera omnia, etiam cum ipso coitu frustrantur, Joanne Chrysostomo magno Doctore attestante, qui ait:* Matrimonium non facit coitus, sed voluntas. *Inde etiam in Legibus Romanis Justiniani Imperatoris ita habetur:* Sponsalia, sicut « Nuptiæ, consensu fiunt contrahentium. Et ideo « sicut in Nuptiis, ita Sponsalibus filias familiâs « consentire oportet. *Et alibi:* A primordio ætatis « effici Sponsalia possunt, si modò ab utraque per- « sona id fieri intelligatur, id est, si non minores « sint quàm duodecim annis. *Hoc de proposita Quæ-* « *stione sentio, & hujusmodi controversiam, si ad aures meas pervenerit, tali ratione definio.*

REGULA XIV.

Sponsalia dirimi possunt, cùm Sponsorum alter sine alterius consensu in longinquam regionem proficiscitur.

De Sponsaliorum dissolutione.

NAm per hujusmodi profectionem datam fidem retractare, & voluntatis mutationem declarare videtur. Jure quidem Civili triennii absentia constituta est, ut Sponsalia solvi possint, L. 2. Cod. *De Repudiis*: sed Jus Canonicum profectionem solam in longinquam regionem absque alterius consensu, legitimam esse caussam dissolvendi Sponsalia sanxit. Sic respondit Panormitano Archiepiscopo *Alexander III.* Cap. *De illis*, Extra, *De Sponsalibus & Matrimonio*, cujus hæc sunt verba: *De illis autem qui præstito juramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, & postea eis incognitis dimittunt terram, se ad partes alias transferentes: hoc tibi volumus innotescere, quòd liberum erit mulieribus ipsis (si non est ampliùs in facto processum) ad alia se vota transferre: receptâ tamen de perjurio pœnitentiâ, si per eas steterit quominus fuerit Matrimonium consummatum.*

Huic Pontificis oraculo consona est *S. Thomæ* Responsio, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXVII. Quæstione II. Articulo III. ad secundum. *Dubium illud* (inquit) *determinatur ex hoc quòd alter non comparet tempore statuto ad Matrimonium perficiendum: Unde si ex parte ejus non defuit quin Matrimonium compleret, potest licitè alteri nubere sine aliquo peccato. Si autem per eum stetit quod Matrimonium non est completum, debet agere Pœnitentiam de peccato fractæ promissionis, aut juramenti (si juramentum intervenit) & contrahere cum aliqua (si vult) judicio Ecclesiæ.* Cæterùm priùs quam solvantur, absentem tribus edictis citari in ipsa Ecclesia in qua Matrimonii futuri Denunciationes

A factæ sunt, statuunt Synodus Senonensis anno MOXXIV. & Parisiensis MDLVII.

REGULA XV.

Sponsalia dirimi possunt propter lapsum temporis ad tacundum Matrimonium ex conveatione partium constituti : ille camen per quem stetit ne Matr monium contraheretur pænitentiâ eluere debet violationem data fidei.

De Sponsalium dissolutione.

SIc respondet *Innocentius III.* Cap. *Sicut*, Ext. *De Sponsal bus & Matrimonio.* Idémque sanxere Synodus Senonensis anno MOXXIV. & Parisiensis anno MDLVII. Id tamen intelligendum, qoando terminus adjicitur Sponsalibus ad restringendum obligationem ; tunc enim obligatio extinguitur, vinculum solvitur : Aliter autem se res habet ubi dies adjicitur obligationi jam contractæ : tunc enim censetot potius adjecta ad solemnizandum effectom obligationis (ut loqooo-tur Jurisconsulti) quàm ad extinguendam ipsam obligationem. Quare si contractis puris Sponsalibus, postea tractetur de die Nuptiarum, lapsus illius diei Sponsum à sponsione Matrimonii non liberat, etian si per ipsum non steterit, quin illo die contraheret.

REGULA XVI.

Sponsal'a, etiam jurata, mutuo part um consensu, suam sponsionem remitteatium, dirimi possant.

De Sponsaliorum dissolutione.

SIc respondet *Innocentius III.* Cap. *Præterea*, 2. Extra, *De Sponsalibus & matrimonio*, cujus hæc sunt verba : *Qui de Matrimonio contrahendo purè & sine omni cond tione fidem dederunt, commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent. Si autem se ad invicem admittere noluerint : ne fortè deterius inde contingat, ut talem scilicet ducat, quam odio habet : videtur quòd ad instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eamdem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari.*

» Nec semper est levitatis retractare quæ priùs » firmata sunt (inquit *S. Thomas*) quia *incerta sunt providentia nostra*, ut dicitur *Sapientia* IX.

Utrum Sponsalia propter Deum jurata remissione partium solvi possint?

Dubitari potest, utrum Sponsalia propter Deom jorata, partium remissione solvantur : respondetur, Distinctione hoc in casu opus esse : aot enim promissio præcipuè facta fuit Deo, licet in favorem tertii, ut si quis dixerit, *Promitto Deo me talem accepturum in uxorem* : & tunc molier promissionem remittere non potest, licèt ad ejus utilitatem facta sit, quia mulieri primariò ac præcipuè non est facta, sed Deo, & sapis rationem voti. Aut promissio præcipuè facta est mulieri ; ut si quis dixerit, *Promitto tibi Matrimonium intuitu & amore Dei* : & tunc à muliere, cui & in F cujus utilitatem facta est, remitti & condonari potest obligatio. Hæc Responsio est *S. Thoma*, Secunda Secundæ, Qoæstione LXXXIX. Articulo IX. ad secundum. *Homo (inquit) potest alteri promittere aliquid sub juramento dupliciter. Uno modo, quando promitt'e al quid pertineat ad utilitatem ipsius : putà, si sub juramento promittat se serviturum ei, vel pecuniam datarum : & à tali promissione potest absolvere ille cui promissio facta est. Intelligitur enim jam ei solvisse promissum, quando facit de eo secundum ejus util tatem. Alio modo promittit aliquis alteri quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem aliorum : putà, si aliquis sub juramento pro-*

A *mittat alicui se intraturum Religionem, vel aliquod opus pietatis facturum : & tunc illi cui promittitur, non potest absolvere promittentem ; quia promissio non est facta ei principaliter, sed Deo : nisi fortè sit interposita conditio, ratione cujus possit, scilicet, si illi videbitur, cui promittitur, vel aliquid aliud tale.*

Cùm autem Sponsi mutuo consensu à promissis resilire volunt, absolvi tamen non possunt à promissione futurarum Nuptiarum, nisi auctoritate Episcopi, sive ab Officiali, causâ dissensus cognitâ, ut decrevit Synodus Carnotensis anno B MDXXVI. & Parisiensis anno MDLVII. sub pœna etiam Excommunicationis prohibens, ne quisquam è Diœcesanis contrarium attentare præsumat.

Sponsi absolvi non possunt à futuro Matrimonio promissione nisi auctoritate Episcopi, sive ab Officiali causâ cognitâ.

ARTICULUS XVII.

Ad Sponsalia dirimenda non est necessaria Judicis Ecclesiastici Sententia, cùm ipso Jure dissolvuntur.

Exceptio.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXVII. Quæstione II. Ar-C ticulo III. *In duobus (inquit) casibus, scilicet cùm quis ad Religionem confugit, & cùm alter conjugum cum altero per verba de præsenti contrahit, ipso jure Sponsalia dirimuntur.* (Tertium casum addit *S. Antoninus*, III. P. Tit. I. Cap. VII. scilicet fornicationem notoriam.) *Sed in aliis casibus dirimi debent secundum Judicium Ecclesiæ*, (inquit *S. Thomas*) quod tamen expectandum necessariò non esse *S. Antoninus* censet, si Sponsalia clandestina sunt, nec in facie Ecclesiæ, aut præsentibus testibus contracta. Veruntamen clandestina Sponsalia Ecclesia irrita non fecit, sed Matrimonia D dumtaxat clandestina, ut respondit Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres. Quamobrem quicumque Matrimonium alicui legitimè promisit, sive pura sit promissio, sive Juramento firmata ; seu verbo, seu scripto ; sive clam, sive coram testibus ; sive in facie Ecclesiæ, sive absque præsentia Sacerdotis, Matrimonium contrahere tenetur cum illo vel illa cui fidem suam obstrinxit.

REGULA XVIII.

E *Qui simpliciter vel cum juramento promisit se numquam Matrimonium contracturum cum alio vel cum alia, contrahere non tenetur, sed solùm obligatur ad contrahendum cum illo vel illa, si contrahere velit.*

De promissis negativis Matrimonii.

PRomissiones enim & pactiones negativæ aliam obligationem non pariunt : sicut si quis dicat, Non vendam rem meam nisi Sempronio, non propterea cogi à Sempronio potest ad vendendum, nisi velit eam vendere. Quare qui hoc modo promisere, Ego numquam alteram præter F te accipiam uxorem, Ego nulli unquam nubam alteri viro quam tibi, Matrimonium cum alio contrahere non possunt absque violatione fidei, & consequenter absque lethali peccato, nisi aliqua ex causis Sponsalia dirimentibus intervenerit ; sed tamen cœlibem vitam agere possunt & Nuptiis nuncium in perpetuum remittere.

REGULA XIX.

Curare debent Episcopi & Parochi, ne Sponsi, priusquàm Matrimonium in Ecclesia per verba de præsenti celebraverint, non modò simul habitent; sed ne ullo quidem modo mutua consuetudine commerciòve utantur.

Cautiones Parochorum necessariæ.

ITa statuit *S. Carolus* in Concilio Provinciali Mediolanensi VI. Tit. *Quæ ad Matrimonium pertinent*. Qui & carnalem copulam inter Sponsos, ante Matrimonii celebrationem coram Parocho & testibus, in eorum peccatorum numero esse voluit, quorum Absolutio Episcopo reservata est in Mediolanensi Provincia, illúsque peccati reis gravem Pœnitentiam imponi decrevit, in Synodo Provinciali II. Tit. I. Decreto XXVII. Idemque repetit in Instructionibus *De Sacramento Matrimonii*, & Sponsos ea de re diligenter ac vehementer à Parocho moneri jubet. Peccata enim carnis, sive opere consummata, sive per oscula & amplexus, tactúsve libidinosos inchoata, gratiæ Sacramentali, & benedictionibus, quas Deus in castos conjuges largâ manu effundit, obicem ponunt. Synodi Mediolanensis Secundæ & *S. Caroli* ea de re Decretum suum fecit Synodus Aquensis anno MDLXXXV. celebrata.

REGULA XX.

Matrimonio conjungendi non sunt, qui Christiana Fidei rudimenta ignorant.

ITa statuit *S. Carolus* in Concilio Provinciali Mediolanensi V. & in Instructionibus. Ita jubet Rituale Romanum.

REGULA XXI.

Graviter peccant, qui Sponsalia clandestina, sine præsentia scilicet Sacerdotis & testium, nec ritu ab Ecclesia præscripto contrahunt.

Sponsalia clandestina prohibita.

QUamvis enim hujusmodi Sponsalia Ecclesia irrita non fecerit, ea tamen prohibet; ac Sponsalia in facie Ecclesiæ celebrari Ritualia omnia jubent, eorúmque ritum præscribunt: & Sponsalia nonnisi coram Parocho vel ejus Vicario, idque in Ecclesia, & non alibi, nisi de licentia Ordinarii, præsentibus testibus, & sine aliquâ petulantiâ fieri, statuunt Synodus Senonensis anno MDXXIV. Carnotensis MDXXVI. & Concilium Remense anno MDLXXXIII.

CAPUT IV.

DE

IMPEDIMENTIS

MATRIMONII.

OBservandum est cum *S. Thoma*, in IV. *Sententiarum*, Distinct. XXXIV. Quæstione I. Articulo I. Personas illegitimas ad Matrimonium dici, ex eo quòd sint contra Legem quâ Matrimonium constituitur. *Matrimonium autem in quantum est in officium naturæ, statuitur Jure Naturæ: in quantum est in officium communitatis, statuitur Jure Civili: in quantum est Sacramentum, statuitur Jure Divino: & ideo ex qualibet dictarum Legum, Naturæ, Humanæ, & Divinæ, potest persona effici ad Matrimonium illegitima.* Hoc posito, sit.

ARTICULUS I.

Utrum Ecclesia possit constituere Impedimenta Matrimonium dirimentia?

PROPOSITIO UNICA.

Ecclesiam potuisse ac posse constituere Impedimenta Matrimonium dirimentia,
Dogma Fidei est.

Ecclesiæ potestas in constituendis impedimentis Matrimonii.

DUobus Canonibus illud expressit ac declaravit Sacra Synodus Tridentina, Sessione XXIV. scilicet Canone III. cujus hæc sunt verba: *Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum & dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis dispensare, aut constituere ut plures impediant & dirimant, Anathema sit.*

Et Canone IV. cujus hæc sunt verba: *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere Impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; Anathema sit.*

Sanè cùm Ecclesia Sacra quædam Respublica sit, cui à Christo tradita est, amplissima circa res spirituales Jurisdictio, Legúmque condendarum potestas; consequens est, ut sicut similes Respublicæ constituere possunt impedimenta civiles contractus prohibentia, vel dirimentia; ita ipsa contractui Matrimonii ad spiritualem ordinem, scilicet ad Sacramenti dignitatem evecto, & ad forum suum pertinenti, impedimenta quædam apponere possit, ipsum prohibentia, vel dirimentia: alioqui Christus Ecclesiæ suæ in necessariis defuisset, ipsique imperfectam in Matrimonium potestatem reliquisset. Hæc enim potestas illi necessaria est, ut Christianos ad bona spiritualia, quæ Matrimonii Sacramento Christus adjunxit, tutò perducere valeat.

Hanc potestatem à Christo Ecclesiæ traditam, ex Apostolo discimus I. ad Corinthios VII. ubi conjugi ad Fidem Christianam conversæ, cùm qua vir infidelis pacificè & citra Creatoris injuriam habitare non vult, permittit ut ab eo discedat, alterique nubat: adeóque infidelitatem ejus, seu cultûs disparitatem, hoc in casu impedimentum esse dirimens statuit ut Christi Apostolus ac Minister. *Iis* (inquit) *qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.... Nam cæteris ego dico, non Dominus.... Si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.... Quod si Infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.* Non præcipit Apostolus ut fidelis mulier in illo casu im-

nupta maneat, sed permittit ut si infidelis discedit, & ipsa discedat, diremto scilicet Matrimonio

Ecclesiæ potestas in Matrimonia ...

Ecclesiæ Jus illud vindicat Traditio, usúsque perpetuus à prioribus Nominis Christiani seculis. *Tertullianus* impedimentum disparitatis cultûs agnoscit Libro II. *ad Uxorem*, ubi illud duntaxat Christianorum Matrimonium omnimodis ratum esse docet, *Quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, obsignat benedictio, Angeli renunciant, Pater ratò habet.* Ex Libro *De Corona Militis*, cap. XIII. *Coronant* (inquit) *& Nuptiæ Sponsos: & ideo non nubimus Ethnicis, ne nos ad idololatriam usque deducant, à qua apud illos Nuptiæ incipiunt.*

Impedimentum Ordinis

Canon XXVI. ex iis qui Apostolici inscribuntur, Ordinem ceu impedimentum Matrimonii constituit, & minoribus tantùm Clericis Nuptias permittit. *Innuptis autem,* (inquit) *qui ad Clerum provecti sunt, præcipimus ut, si voluerint, uxores accipiant, sed Lectores Cantorésque tantummodo.* Quem Canonem Trullana Synodus innovat Canone VI.

Impedimentum disparitatis cultûs.

Impedimentum Disparitatis cultûs Synodus Illiberitana confirmat Canone XV. Virgines Christianas Gentilibus in Matrimonium dari prohibens. Et XVII. quo Christianis parentibus qui filias suas Sacerdotibus Idolorum collocaverint, nec in fine dandam esse communionem statuit. Eadem Synodus statuit impedimentum Voti Canone XIII. nec in fine dandam esse Communionem decernens Virginibus, quæ se Deo dicaverint, si pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini servierint. Impedimentum Affinitatis indicant Canones LXI. & LXVI. quorum primus his verbis conceptus est: *Si quis post obitum uxoris suæ sororem ejus duxerit, & ipsa fuerit fidelis: quinquennium placuit à Communione abstineri.* Posterior verò sic habet: *Si quis privignam suam duxerit uxorem, eò quod sit incestus, placuit nec in fine dandam esse Communionem.*

Impedimentum affinitatis.

Affinitatem velut impedimentum dirimens Neocæsariense Concilium Canone II. designat. *Mulier* (inquit) *si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem: verum tamen in exitu, si promiserit, quòd, ubi convaluerit, solvet Matrimonium, propter humanitatem Pœnitentiam habebit.*

Concilium Ancyranum impedimentum Raptûs ceu violentiæ designat Canone XI. *Desponsatas puellas* (inquit) *& postea ab aliis raptas, placuit erui, & his reddi, quibus fuerant ante desponsatæ, etiamsi à raptoribus florem pudoris sui amisisse constiterit.*

Ordinis & Voti.

Impedimenta Matrimonii plurima *S. Basilius* notat in Epistola ad *Amphilochium*, scilicet impedimenta Ordinis & Voti Canone VI. *Canonicarum,* inquit, *fornicatio pro Matrimonio non reputetur, sed eorum conjunctio cum ea divellatur.* Canonicos eos dicit, qui in Ecclesiæ Canone numerantur, scilicet Clericos, Monachos, Moniales, omnésque Virginitatem professas, ut *Balsamon* interpretatur. Et Canone XVIII. *Virgo,* inquit, *adultera judicio subjicitur.*

Raptus seu violentia.

Canon XXII. Raptum seu violentiam impedimentum esse dirimens declarat: *Eas,* inquit, *qui ex raptu habent mulieres, ab aliis quidem desponsas habuerint, non oportet priùs admittere quàm ab eis ablatæ sint, & sint in earum potestate, quibus desponsæ fuerant, eas velint accipere, an desistere. Si quis verò vacantem acceperit, auferre quidem oportet & suis restituere: illarum autem sententiæ permittere, sive sint parentes, sive fratres, sive quicunque alii virgini præsint.*

Canon XXIII. Affinitatis impedimentum attingit, irritum esse declarans Matrimonium ejus, qui Viduam fratris sui duxit uxorem, necnon illorum qui duas sorores ducunt, vel illarum quæ duobus fratribus nubunt; citátque *S. Basilius* Epistolam ea de re scriptam ad *Diodorum*, quæ est centesima nonagesima septima, cujus hæc sunt verba: *Principio igitur, quod in ejusmodi rebus maximi momenti est, Morem qui apud nos est, abjicere possumus, quod is legis vim habeat, propterea quòd Sanctiones istæ à Sanctis nobis sunt Viris traditæ, est autem hic Mos talis: Si quis affectu immundo correptus ad illicitam duarum sororum communicationem exorbitaverit, id neque conjugium esse censendum; neque tamen ad Ecclesiasticum cœtum admittendum, priusquam à se invicem dirimantur.*

Ecclesiæ potestas in Matrimonia ...

Siricius Pontifex Maximus Epistola I. ad *Himerium* Tarraconensem Episcopum, cap. IV. Desponsatam alteri puellam, ab altero in Matrimonium accipi prohibet: *Quia illa benedictio quam nupturæ Sacerdos imponit, apud Fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ullâ transgressione violetur.* En impedimentum justitiæ publicæ honestatis.

Impedimentum Voti.

Cap. VI. Monachorum & Monacharum sacrilega Matrimonia execratur, seu Ecclesiæ Jure, publicísque Legibus prohibita: *Quod publicæ Leges,* inquit, *& Ecclesiastica Jura condemnant.* Eos in ergastula detrudi jubet, ut Pœnitentiam agant; eísque in exitu duntaxat per Communionis gratiam subveniri. En impedimentum Voti.

Concilium Carthaginense secundum, anno CCCXC. sub *Genethlio* Episcopo, canone II. statuit, *Ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus se abstineant.* En impedimentum Ordinis.

Concilium Carthaginense quartum, Canone centesimo quarto, *Viduas quæ religiositatem mutaverunt,* notari ait *Adulterii crimine, si devotionem, quam Deo sponte, non coactæ obtulerunt, libidinosâ corruperint voluptate, atque ad secundas Nuptias transitum fecerint.* En impedimentum Voti.

Innocentius I. Epistola IX. ad *Probum,* Matrimonium *Fortunii,* cujus Uxor *Ursa* nomine à Barbaris rapta fuerat, ipsâ superstite contractum, *Nulla pacta posse esse legitimum* pronuntiat. En impedimentum Ligaminis.

Idem impedimentum confirmat *S. Leo* Epistola CXXIX. aliàs LXXIX. ad *Nicetam* Aquileiensem Episcopum, Mulieres, quæ viris in captivitatem abductis, aliis nupserant, & ad illos postea reversos redire nolebant, Ecclesiastica Communione privari decernit: *Quia de re excusabili contaminationem criminis elegerunt, ostendentes sibi pro suâ incontinentia placuisse, quod justa remissio poterat expiare.* Nam (ut præmiserat) *Omittendum est, & inculpabile judicandum quod necessitas intulit, & restituendum quod fides poscit.*

Ecclesiæ potestas in Matrimonia ...

Et Epistola XII. aliàs LXXXIV. ad *Anastasium* Thessalonicensem Episcopum, cap. IV. *Nec subdiaconis* (inquit) *carnale connubium conceditur: Ut & qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares.* En impedimentum Ordinis.

Impedimentum conditionis.

Epistola II. aliàs XCII. ad *Rusticum* Narbonensem Episcopum, cap. IV. de conditionis impedimento scribit: *Nuptiarum autem fœdera inter ingenuas sunt legitima, & inter æquales.* Et cap. VI. *Ancillam à thoro abjicere, & uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugii, sed profectus est honestatis.*

Concilium Chalcedonense Canone XVI. Monachis & sacris Virginibus *Non licere Matrimonio conjungi*, declarat; sin autem inventi fuerint hoc perpetrantes, excommunicari decernit. Ecce rursus impedimentum Voti.

Concilium Agathense anno quingentesimo-sexto, Canone LXI. consanguineorum & affinium Matrimonia irrita esse pronunciat. *De incestis* (inquit) *conjunctionibus nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cùm adulterium separatione sanaverint: Incestos verò nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam designare funestum est, hos esse censemus: si quis relictam fratris, quæ penè priùs soror extiterat, carnali conjunctione polluerit: si quis frater germanam uxoris acceperit, si quis novercam duxerit: si quis consobrinæ se sociaverit, si quis relictæ, vel filiæ avunculi misceatur, aut patrui filiæ, vel privignæ suæ: aut qui ex propria consanguinitate aliquam, aut quam consanguineus habuit, concubitu polluerit aut duxerit uxorem: quos omnes & olim, atque sub hac constitutione incestos esse non dubitamus: & inter Catechumenos usque ad legitimam satisfactionem manere & orare præcipimus: quod ita præsenti tempore prohibemus, ut ea quæ sunt hactenus constituta, non dissolvantur.*

Symmachus Pontifex Maximus Epistola ad *Cæsarium* Arelatensem Episcopum cap. V. Viduis *Quæ in religioso proposito diuturna observatione permanserunt: & Virginibus, quas annis plurimis in Monasteriis ætatem peregisse contigerit*, Nuptias prohibet.

Concilium Lugdunense I. anno DXVII. Sententiam tulit in *Stephanum* quemdam, qui cognatam suam *sibi illicitè sociaverat*.

Concilium Aurelianense II. anno DXXXIII. Canone XI. contracta Matrimonia ob supervenientem infirmitatem solvi vetat. Et Canone XVII. Matrimonia Diaconissarum irrita declarat.

Concilium Aurelianense III. anno MDXXXVIII. de Matrimonii impedimentis plurima superiorum Conciliorum, aut Summorum Pontificum Statuta renovat. Canone VII. Clericos legitima ætate, absque reclamatione, ordinatos, qui post sacram Ordinationem uxores duxerint, cum ipsis mulieribus, quas acceperint, Excommunicatione percellit. Canone X. priora Statuta circa Matrimonia consanguineorum vel affinium servari jubet, ita tamen ut cum illis qui ante Baptismum vel ignoranter hucúsque contraxerunt super hoc impedimento dispensetur. *De incestis* (inquit) *conjunctionibus ita quæ sunt statuta serventur, ut his qui aut modò ad Baptismum veniunt, aut quibus Patrum Statuta Sacerdotali prædicatione in notitiam antea non venerunt; ita pro novitate conversionis ac fidei suæ credimus consulendum, ut contracta hucúsque hujusmodi conjugia non solvantur, sed in futurum quod de incestis conjunctionibus in anterioribus Canonibus interdictum est, observetur, id est, ut ne quis sibi sub conjugii nomine sociare præsumat relictam Patris, filiam uxoris, relictam fratris, sororem uxoris, consobrinam aut sobrinam, relictam avunculi, aut patrui. Quòd si qui in hoc incesti adulterio potius quàm conjugio fuerint sociati, quamdiu se non sequestraverint, à Communione Ecclesiastica repellantur. Illud etiam adjiciendum esse credidimus, ut in Episcopi discussione consistat, de his qui in civitate sua ac territorio consistunt, & tali sunt ordine sociati, utrum ignoranter ad illicita conjugia venerint, an per contumaciam quæ sunt interdicta præsumpserint: quia sicut his qui per ignorantiam lapsi sunt subvenitur, ita illis, quibus prius Patrum Statuta in notitiam venerunt, quippe etiam contra Sacerdotum interdicta in tali permixtione versantur, priorum Canonum in omnibus Statuta serventur, ut non priùs ad Communionem recipiantur, quàm incesti adulterium sicut scriptum est, separatione sanaverint.*

Concilium Aurelianense IV. anno DXLI. Canone XXIV. Mancipiorum conjugia invitis dominis contracta, irrita declarat: *Quæcunque mancipia*, inquit, *sub specie conjugii ad Ecclesiæ septa confugerint, ut per hoc credant posse fieri conjugium, minimè eis licentia tribuatur, nec talis conjunctio à Clericis defensetur, quia probatum est, ut sine legitima traditione conjuncti, pro Religionis ordine, statuto tempore ab Ecclesiæ Communione suspendantur, ne in sacris locis turpi concubitu misceantur. De qua re decernimus, ut parentibus aut propriis dominis, prout ratio poscit personarum, acceptâ fide excusati sub separationis promissione reddantur*, &c. En impedimentum conditionis confirmatum. Eadem Synodus Canone XXVII. Concilii Aurelianensis III. & Concilii Epaonensis Statuta de incestis conjunctionibus renovat.

Superiorum Conciliorum, ac Pontificum Decreta de Matrimonii impedimentis confirmari & observari jubent Concilium Turonense II. Canonibus XV. & XX. Antisiodorense Canonibus XXII. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. Matisconense I. Canone XII. Matisconense II. Canonibus XVI. & XVIII. & Lugdunense III. Canone IV.

S. Gregorius Magnus Libro VI. Epistola I. ad *Fortunatum* Episcopum Neapolitanum, in causa impedimenti dirimentis Sententiam tulit, mulierem quandam, quam maritus dimiserat ob conditionem servitutis tempore conjugii (ut objiciebat) dissimulatam, marito restitui, ab eóque conjugali affectu tractari decernit, quia probata fuerat illius libertas, nulláque servilis in ea macula inventa.

Epistolâ CXIX. Libri VII. *Virgilium & Syagrium* Gallicanos Episcopos arguit, quod *Syagria* quæ Vitam Religiosam professa fuerat mutatis vestibus, posteaque marito violenter sociata, defensionem, ut bonos Pastores decebat, non suscepissent. *Quid enim dicturi*, inquit, *quamve rationem futuro estis Judici reddituri, quos stupri scortatio non commovit, quos ad defendendum favor nequaquam Religiosi habitûs excitavit, quos ad tutandum pudicitiæ integritatem Sacerdotalis congregatio non erexit? Vel nunc ergo neglectus ad memoriam redeat, hujus recordatio culpa sollicitet, & Officii vestri consideratio ad prædictæ mulieris vos adhortationem impellat. Et ne fortè per tempus transisset in voluntatem necessitas, lingua illi vestra medela sit, atque admonentibus vobis, orationibus operam det, de memoria lamenta pœnitentiæ non recedant, Redemptori nostro cor pœnitens exhibeat, & castitatis damna, quæ in corpore servare non licuit, sic ea resarciat.* Duplex impedimentum dirimens in ea conjunctione intercessisse *S. Gregorius* significat, Violentiæ scilicet atque Voti.

Epistola XXXI. Libri XII. ad *Augustinum* Episcopum & Apostolum Gentis Anglorum, plura circa Matrimonii impedimenta statuit, ac declarat, præsertim in Responsione ad sextam & septimam interrogationem. *Quædam*, inquit, *terrena Lex in Romana Republica permittit, ut sive fratris, sive sororis, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius & filia misceantur. Sed experimento didicimus, ex tali conjugio sobolem non posse succrescere. Et Sacra Lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde necesse est, ut jam tertia vel quarta generatio Fidelium licenter sibi jungi debeat. Nam secunda, quam diximus, à se omnimodo debet abstinere. Cum noverca autem misceri, grave*

Ecclesiæ potestas in Matrimonia.

est facinus.... Cum cognata quoque misceri prohibitum est, quia per conjunctionem priorem caro fratris effecta est. Terrena Lex, cujus meminit S. *Gregorius*, est Lex *Celebrandis*, XIX. Libri V. *Cod.* Tit. *De Nuptiis*, Theodosius Magnus consobrinorum conjugia Lege latâ prohibuerat, ut testantur S. *Ambrosius* Epistola LX. Novæ Editionis Parisiensis, S. *Augustinus* Libro XV. *De Civitate Dei*, & alii. Eam revocaverant Arcadius & Honorius Imperatores ejus filii, L. *Celebrandis*, mox indicatâ Ecclesia nihilominos Theodosii Magni Legem approbavit, suam fecit, retinuit, ot ex Summorum Pontificum Decretis, & Conciliorum Canonibus jam allatis constat. Adeóque non precariâ Auctoritate, id est, à Principibus acceptâ, Matrimonii impedimenta constituit, aut eorum concessione de Matrimonii impedimentis judicavit, sed Auctoritate propriâ, à Christo Sponso sibi traditâ.

Leges Ecclesiasticæ à S. Gregorio M. temperatæ in gratiam Anglorum recèns ad fidem conversorum.

Legom verò Ecclesiasticarum rigorem, in favorem Anglorum ad fidem recèns conversorum tempetat S. *Gregorius*, & Matrimonia ante Baptismum ab ipsis in gradibus prohibitis contracta tolerat. *Quia verò*, inqoit, *multi sunt in Anglorum Gente, qui dum adhuc in infidelitate essent, huic nefando conjugio dicuntur admixti; ad fidem venientes admonendi sunt ut se abstineant, & grave hoc peccatum esse cognoscant, Tremendum Dei Judicium pertimescant, ne pro carnali delectatione tormenta æterni cruciatûs incurrant. Non tamen pro hac re Corporis & sanguinis Domini Communione privandi sunt, ne in eis illa ulcisci videamur, in quibus se per ignorantiam ante lavacrum Baptismatis adstrinxerunt. In hoc enim tempore Sancta Ecclesia quædam per fervorem corrigit, quædam per mansuetudinem tolerat, quædam per considerationem dissimulat, atque portat, ut sæpè malum quod adversatur, portando & dissimulando compescat. Omnes autem qui ad fidem veniunt, admonendi sunt ne aliquid tale audeant perpetrare, &c.*

Ecclesiæ Gallicanæ disciplina.

Concilium Parisiense V. anno DCXV. doobus Canonibus totidem Matrimonii impedimenta dirimentia confirmat & declarat, scilicet impedimentum Voti Canone XIII. & impedimentum Consanguinitatis & Affinitatis, Canone XIV.

De Viduabus, & Puellis, quæ sibi vestes in habitu Religionis in domibus propriis, tam à parentibus, quam per se ipsas mutaverint, & se postea contra statuta Patrum, vel præcepta Canonum, conjugio crediderint copulandas, tamdiu utrique habeantur à Communione suspensi, quousque quod illicitè perpetraverunt, emendent: aut si emendare neglexerint, à Communione Ecclesiastica, vel omnium Christianorum convivio in perpetuum sint sequestrati.

Incestas verò conjunctiones ab omni Christianorum Populo censuimus specialiter resecari: ita ut si quis relictam fratris, sororem uxoris, privignam, consobrinam, sobrinam, vel relictam item patrui atque avunculi, vel in Religionis habitu dedicatam, conjugii crediderit consortio violandam, tamdiu à Communionis consortio segregetur, quamdiu ab illicitis conjunctionibus sequestratione manifestissimâ debeat abstinere.

Concilium Remense anno DCXXV. Canone Synodi Parisiensis, quam *Generalem* vocat, Ecclesiæ nimirum Gallicanæ Plenariam, omni firmitate custodiri jubet. Incestas conjunctiones Canone VIII. rursus prohibet, irritas declarat, atque ita conjunctos novis pœnis subjicit, nisi Pœnitentiam sceleris mutuâ separatione testentur. *De incestis*, (inquit) *conjunctionibus: si quis infra scriptum Canonibus gradum incestuoso ordine cum his personis, quibus à divinis Regulis prohibetur, se conjunxerit, nisi Pœnitentiam sequestratione testentur, Communione priventur; & neque in Palatio Militiam, neque agendarum causarum licentiam habeant. Et quando prædicti se incestuosi conjunxerint, Episcopi seu Presbyteri in quorum Diœcesi vel pago actum fuerit, Regi vel Judicibus scelus perpetratum annuncient; ut cùm ipsis denunciatum fuerit, se ab eorum Communione, aut cohabitatione sequestrent, & res eorum ad proprios parentes perveniant, sub eâ conditione, ut antequam sequestrentur, per nullum ingenium, neque per parentes, neque emptionem, neque per auctoritatem Regiam, ad proprias perveniant facultates, nisi præfati sceleris separatione Pœnitentiam fateantur.*

Hispaniensis Ecclesiæ Disciplina.

Conciliom Toletanum IV. anno DCXXXIII. Canone XLIV. irrita declarat conjugia Clericorum, qui Viduam, vel repudiatam, vel meretricem duxissent, & hujusmodi conjugia à proprio Episcopo dissolvi jubet. Canone LXIII. Christianas mulieres Judæis ante conversionem Matrimonio conjunctas, ab illis separari statuit, nisi Christiani fiant. Filios verò ex hojosmodi connubiis natos in Fide Christiana institui, matrisque religionem & conditionem sequi.

Conciliom Toletanum XIII. anno circiter DCLXXXIII. Canone V. vetat ne quis *Superstitem Reginam, post decedentis Principis mortem sibi in connubio copulet:* Quod si quisquam id facere præsumpserit, *sive sit Rex, sive quilibet hominum, sit ab omni Christianorum Communione seclusus, & sulphuris cum diabolo contradatur ignibus exurendus.* Honc, cæterósqoe Concilii Canones Rex *Ervigius* auctoritate suâ confirmavit, non auctoritatem tribuendo, sed executionem eorum imperando. Hæc autem Disciplina Hispaniensis licèt Ecclesiæ propria & singularis, luculenter probat Ecclesiæ Auctoritatem in Matrimonii impedimentis constituendis.

Impedimentum spiritualis affinitatis.

Ecclesia Orientalis in Trullana Synodo, Canone LIII. spiritualis affinitatis impedimentum adstruit. *Quoniam*, inquit, *spiritualis necessitudo seu affinitas, corporum conjunctione major est; in nonnullis autem locis cognovimus quosdam, qui ex sancto & salutari Baptismate infantes suscipiunt, postea quoque cum matribus illorum Viduis Matrimonium contrahere, statuimus ut in posterum nihil fiat ejusmodi. Si qui autem post præsentem Canonem hoc facere deprehensi fuerint, ii quidem primò ab hoc illicito Matrimonio desistant; deinde & fornicatorum pœnis subjiciantur.* Canone LIV. irrita Matrimonia declarat cum patrui filia, sive consobrina, vel patris & filii cum matre & filia, vel cum duabus sororibus, vel Matris & filiæ cum duabus fratribus; vel duorum fratrum cum duabos sororibus. Canone XCVIII. adulterii damnat eum, qui alteri desponsatam mulierem, eo adhuc vivo cui desponsa est, in Nuptiarum ducit societatem: Quod est impedimentum Justitiæ publicæ honestatis.

Ecclesiæ Romanæ disciplina.

Coocilium Romanum I. sob *Gregorio II.* Anathemate ferit eos, qoi Sanctimonialem, qui commatrem spiritualem, fratris oxorem, neptem, novercam aut nurum, consobrinam, aut aliquam de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, oxorem duxerit.

Idem Pontifex Epistola XIII. ad *Bonifacium* Episcopom cap. I. super impedimento consanguinitatis & affinitatis, quòd eo osque extendi responderat, quousque se cognoscerent affinitate propinquos, dispensat cum Germanis recèns ad fidem conversis, ut post qoartam generationem jungantur.

Gregorius III. Impedimentum consanguinitatis

Ecclesiæ potestas in Matrimonia.

ris ultra septimum gradum imposterum non extendi statuit.

Matrimonii impedimenta priorum Pontificum & Synodorum Decretis constitura confirmat *Zacharias* Pontifex Maximus Epistola VII. ad *Pipinum* Majorem Domûs, & ad Episcopos, Abbates, Proceréque Francorum, Capp. XVIII. XX. XXI. XXII. XXVI. & XXVII.

Concilium Romanum sub eodem Pontifice Matrimonia cum Sanctimoniali, aut spirituali commatre, cum consobrina, nepte, noverca, fratris uxore, vel aliqua etiam de propria cognatione, sub pœna Excommunicationis prohibet, irritaque declarat Canonibus V. & VI. Reges & Episcopos Germaniæ ad Summum Pontificem ante aliquot annos scripsisse, *Petentes Apostolica Præcepta, qualiter liceat eis conjugia copulare, & quomodo debeant observare*, testatur idem Concilium, seu Pontifex illi præsidens.

Concilium Romanum II. sub eodem Pontifice, *Clementem* quemdam Hæreticum damnavit, qui *Sanctorum Patrum Rescripta respueat, & omnia Synodalia Acta parvipendens*, Judaismum Christianis inferebat, prædicando, Fratrem uxorem fratris sui defuncti sibi Matrimonio jungere posse.

Ecclesiæ Anglicanæ.

Inter Capitula *Theodori Cantuariensis*, Tomo IX. *Spicilegii* edita, & in Exceptionibus *Egberti* Eboracensis Archiepiscopi, plurima leguntur Capitula quibus Ecclesiasticæ Leges de Matrimonii impedimentis continentur. Sæculo VII. floruit Theodorus, octavo *Egbertus*, Collectionémque suam anno circiter DCCLVII. edidit.

Et Germanicæ disciplinæ.

Concilium Moguntinum anno DCCCXIII. celebratum, *Carolo Magno* imperante, tres de Matrimonio Canones edidit, impedimenta dirimentia consanguinitatis & affinitatis, necnon cognitionis spiritualis spectantes, scilicet quinquagesimum-quartum, quinquagesimum-quintum, & quinquagesimum-sextum.

LIV. *Contradicimus quoque, ut in quarta generatione nullus amplius conjugio copuletur: ubi autem post interdictum factum inventum fuerit, separetur.*

LV. *Nullus proprium filium vel filiam de fonte Baptismatis suscipiat: nec filiolam, nec commatrem ducat uxorem, nec illam cujus filium, aut filiam ad Confirmationem duxerit. Ubi autem factum fuerit, separentur.*

Ecclesiæ potestas in Matrimonia.

LVI. *Si quis uxorem viduam duxerit, & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu duabus sororibus nupserit; aut si qua duobus fratribus nupserit, seu cum patre & filio, tales copulationes anathematizari & disjungi præcipimus, nec umquam amplius conjugio copulari.*

Ea est à Regum approbatione, & concessione independens.

Concilium quidem *Caroli Magni* Auctoritate firmari & emendari postulat quæ decreta sunt: Sed ex his verbis urbanitatis & reverentiæ erga Imperatorem testibus, perperam quis colligeret, Ecclesiam Regum dumtaxat concessione vel approbatione Matrimonii impedimenta constituere posse, ac de causis Matrimonialibus judicare. Non ea mens erat Patrum; nec Imperatoris Auctoritatem implorabant, nisi ut Canonum executionem imperaret, ac Ecclesiasticam Auctoritatem pro more tueretur. Sanè cùm in tres turmas seu Ordines Concilium divisum esset (ut constat ex præfatione Patrum) & in primâ turmâ Episcopi, in secunda Abbates, in tertiâ *Comites & Judices in mundanis Legibus decertantes sederent*: cognitionem eorum quæ Matrimonium spectant, non suscepere Laici illi Magistratus, Imperatoris Auctoritate *Vulgi Justitias perquirentes, omniúmque advenientium causas diligenter examinantes, sed Episcopi Sacra Dogmata diligenti studio perquirentes*, ut statum Ecclesiæ Dei & Christianæ Plebis perficerent & conservarent. Quod argumento est, Magistratus ipsos Jus Ecclesiæ in constituendis Matrimonii impedimentis agnovisse.

Ecclesiæ potestas in Matrimonia.

Nicolaus I. in Responsis ad Consulta Bulgarorum, Cap. II. Spiritualis Affinitatis impedimentum confirmat, Matrimonium patrini, vel filiorum ejus, cum eâ quam ex sacro Fonte suscepit, prohibens & irritum declarans. Caput XXXIX. Impedimentum consanguinitatis & affinitatis ex sacris Canonibus, & præcipuè *Zachariæ* Summi Pontificis Decretis judicandum respondet. *Sacri vero Canones, & præcipuè Zachariæ Summi Præsulis Decreta quid dicant promulgent, Episcopo vestro vobis explorandam relinquimus.* Cap. denique XLVIII. Nuptias Quadragesimali Tempore celebrari prohibet.

Ecclesiæ Germanicæ disciplina.

Concilium Triburiense anno DCCCXCV. celebratum, nonnullos edidit de Matrimonio Canones. XXXVIII. *Paternam (inquit) sequentes Auctoritatem, statuimus & liberè judicamus, ut quisquis liber libertam, hoc est, ex ancilla per manumissionem & regalem largitionem liberam factam, legitimè in Matrimonium duxerit, alterius habere debeat.... & quamdiu illa vivat, nullam aliam accipiat.*

Canone XXXIX. statuit ut matrimonia inter mulieres & viros diversarum Gentium, diversisque Legibus viventium contracta, non obstante Legum diversitate, quarum imperfectionem Ecclesiæ supplet Auctoritas, rata sint. Si quis verò Legum aut Consuetudinum diversitatem causatus, aliam, cujuscumque sit gentis, duxerit, ad priorem redire compellatur, & Pœnitentiæ subjiciatur. *Quicumque*, inquit, *alienigenam, hoc est, alienæ gentis feminam, verbi gratia, Francus mulierem bajoaricam, utrorumque consulta propinquorum, legitimè vel sua, vel mulieris Lege acquisitam, in conjugium duxerit; velit, nolit, tenenda erit, nec ultra ab eo separanda, exceptâ fornicationis causâ. Quamvis enim, ut ait Apostolus, Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma utrique communis sit Nationi, Legem tamen habens diversam, & quarum ad sæculum longè distinctam: quare si unus è duobus unam carnem in duas dividere & copulam Nuptialem machinetur disjungere, dicendo, Non secundum suæ gentis Legem jura Matrimonii contraxisse, & ideo separari posse: Canonica Institutione definimus, & nostro, Orthodoxorúmque omnium Judicio statuimus, ut quod Legis imperfectum sit perficiatur, & Jus Matrimonii nequaquam resolvatur.... Si quis post hæc hujus Sancti Concilii institutum parvipendens, aliam duxerit, cujuscumque gentis sit, canonicè arceatur, ut priori cum Pœnitentia copuletur.*

Impedimentum criminis.

Idem Concilium Canone XL. de impedimento criminis statuit hunc in modum: *Non licet, nec Christiana Religione oportet, ut ullus eâ utatur in Matrimonio, cum qua priùs pollutus est adulterio.*

Consanguinitatis.

Anno nongentesimo nonagesimo octavo *Gregorius V.* cum Synodo Romana *Roberti* Regis Francorum cum *Berta* consanguinea Matrimonium irritum declaravit, & *Erchembaldum* Turonensem Archiepiscopum, aliósque Episcopos, qui tali conjugio interfuerant, à Communione suspendit, donec ad Sedem Apostolicam satisfacturi venissent. Canone I. & II.

Ut Rex Robertus consanguineam suam Bertam, quam contra Leges in uxorem duxerat, derelinquat, & septem annorum Pœnitentiam agat, ut secundùm præfixos Ecclesiasticos gradus judicatum est: Quod si non fecerit, Anathema sit: Idémque de eadem Berta præceptum est.

Ecclesiæ potestas in Matrimonia.

Erchembaldum Turonensem Archiepiscopum, talis conjugii consecratorem, cum omnibus Episcopis, qui consentientes interfuerunt his incestis Nuptiis Regis & Bertæ consanguineæ suæ, à sacrosancta Communione suspendimus, donec ad hanc Sanctam Sedem Apostolicam veniant satisfacturi.

Leges, quarum mentionem facit Synodus, non aliæ sunt quàm Ecclesiasticæ. Putum enim putom delirium est, ad Magni *Theodosii* Legem hoc verbum referre, quam ejus filii *Honorius* & *Arcadius* Imperatores abrogaverant; & quæ Regem Francorum ligare non poterat.

Alexander II. Pontifex Maximus causam divortii inter *Radulfum* Comitem, ejusque uxorem, *Gervasio* Remensi, & Senonensi Archiepiscopis, eorumque Suffraganeis judicandam commisit, Epistola XXIV. Idem Pontifex Epistola XXVII. & XXVIII. modum computandi gradus consanguinitatis, secundùm Sacros Canones, & Ecclesiasticum Morem præscribit, ut Matrimonia consangoineorum ad septimam usque generationem prohibita & irrita esse confirmet. Idem *Guillelmo de Monstrolio* seu *Monosteriolo*, prohibet ne uxorem, quam prætextu consanguinitatis dimittere volebat, ullatenus dimittere præsumat, vel aliam ducere, *Donec Episcoporum religiosorum Concilium causam istam examinaverit.* Refertur Canone *Multorum*, Causa XXXV. Quæstione VI.

Ecclesiæ potestatem in Christianorum Matrimonia pariter probant sequentium Pontificum Epistolæ ac Decreta, Conciliorum Generalium Lateranensium, Primi, Secundi, Tertii, & Quarti Canones, præsertimque postremi sub *Innocentio III.* celebrati Cap. L. quo prohibitiones de conjugio in secundo & tertio affinitatis genere minimè contrahendo & de sobole suscepta ex secundis nuptiis cognationi viri non copulanda prioris, revocantur, decernitúrque ut sic contrahentes deinceps liberè copulentur. Impedimentum insuper consanguinitatis & affinitatis restringitur ad quartum gradum.

Accedit Auctoritas *S. Thomæ*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XLII. Quæstione I. Articulo I. *Sicut* (inquit) *carnalis cognatio impedit Matrimonium, ita spiritualis ex Ecclesiæ Statuto, &c.* Et Quæstione II. Articulo II. *Lex Divina* (inquit) *illas præcipuè personas à Matrimonio excludit, quas necesse erat cohabitare, ne si ad eas liceret uti carnali copulà, facilè pateret concupiscentiæ locus, ad quam reprimendam Matrimonium est ordinatum: & quia filius adoptatus conversatur in domo patris adoptantis, sicut filius naturalis, ideo Legibus humanis prohibitum est inter tales Matrimonium contrahi, & talis prohibitio est per Ecclesiam approbata, & inde habetur quòd legalis cognatio Matrimonium impediat.* Et in Responsione ad quartum: *Prohibitio* (inquit) *Legis humanæ non sufficeret ad impedimentum Matrimonii, nisi interveniret Auctoritas Ecclesiæ, quæ idem etiam interdicit.*

Idem, Distinctione XL. Quæstione I. Articulo III. *Sicut olim Matrimonia Gentilium dispensabantur per Leges Civiles, ita nunc per Statuta Ecclesiæ: sed olim Lex Civilis determinabat gradus consanguinitatis qui matrimonium impediunt, & qui non: ergo & modò potest hoc fieri per Ecclesiæ Statutum.*

Argumentum istud secundo loco sibi objecerat: Mottimonium est Sacramentum, sicut & Baptismus: sed non posset ex Statuto Ecclesiæ fieri ut ille qui ad Baptismum accedit, non reciperet characterem Baptismalem, si ex Jure Divino ejus capax sit: Ergo nec Ecclesiæ Statutum facere potest quod Matrimonium non sit inter illos, qui per jus divinum Matrimonio conjungi non prohibentur. Sic autem huic Objectioni respondet: *Matrimonium non tantùm est Sacramentum, sed etiam est in officium: & ideo magis subjacet ordinationi Ministrorum Ecclesiæ, quàm Baptismus, qui est Sacramentum tantùm; quia sicut contractus & officia humana determinantur Legibus humanis, ita contractus & officia spiritualia Lege Ecclesiæ.*

Ecclesiæ potestas in Matrimonia.

Ibidem in Responsione ad tertium: *Quamvis consanguinitatis vinculum sit naturale, non tamen est naturale quòd consanguinitas carnalem copulationem impediat nisi secundum aliquem gradum: & ideo Ecclesia suo Statuto non facit quòd aliqui sint aut non sint consanguinei, sed facit quòd carnalis copula sit licita vel illicita, secundùm diversa tempora in diversis gradibus consanguinitatis.*

Et Distinctione XXXVII. Quæstione I. Articulo I. *Ordo Sacer de sui ratione habet ex quadam congruentia quòd Matrimonium impedire debeat, quia in Sacris Ordinibus constituti sacra vasa & Sacramenta tractant, & ideò decens est, ut munditiam corporalem per continentiam servent. Sed quòd impediat Matrimonium, ex Constitutione Ecclesiæ habet. Tamen aliter apud Latinos quàm apud Græcos, quia apud Græcos impedit Matrimonium contrahendum solùm ex vi Ordinis, sed apud Latinos impedit ex vi Ordinis, & ulteriùs ex Voto continentiæ, quod est Ordinibus Sacris annexum, quod etiamsi quis verbo tenus non emittat, ex hoc ipso tamen quòd Ordinem suscipit secundùm Ritum Occidentalis Ecclesiæ, intelligitur emisisse.*

Denique Quodlibeto V. Quæstione VIII. Articulo I. in Responsione ad primam objectionem. *Ecclesia* (inquit) *in his quæ ad Matrimonium pertinent se habet tripliciter: uno quidem modo per modum judicantis, & quia homines vident ea quæ apparent, secundùm quod dicitur I. Regum XVI. Oportet quòd Judex Ecclesiasticus judicet secundùm ea quæ sibi apparent...... Alio modo se habet per modum prohibentis & punientis, & hoc quidem impedit Matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum...... Tertio modo se habet per modum statuentis, quod fit solùm Auctoritate Summi Pontificis: & secundum hoc personæ aliquæ redduntur illegitimæ, ut patet in quibusdam gradibus consanguinitatis & affinitatis, vel etiam de adultera, cùm quis dedit ei fidem de contrahendo, cùm machinatus est in mortem uxoris.*

Ex his omnibus perspicuum est, Ecclesiam potuisse semper ac posse constituere impedimenta Matrimonii, tam prohibentia, quàm dirimentia, non Auctoritate ab hominibus acceptâ, sed à Christo Sponso suo immediatè traditâ; Conciliique Tridentini de isto Fidei Dogmate Canones Traditione perpetuâ niti. Id unum ex his testimoniis colligi velim. Quæstiones enim vel inutiles vel invidiosas non moveo, Tridentini Concilii, & Cathechismi ejus Decreto editi finibus hoc in argumento, aliisque me continens.

ARTICULUS II.

Quæ sunt Impedimenta Matrimonii?

Matrimonii Impedimenta duplicis generis.

MAtrimonii Impedimenta sunt duplicia generis. Quædam Nuptias dirimunt, hoc est, invalidas irritásque reddunt: quædam celebratas Nuptias non dirimunt, sed earum celebrationem

probationem prohibent. Prima Matrimonium contrahendum impediunt, & dirimunt contractum: posteriora contrahendum impediunt, faciúntque ut illicitè contrahatur, sed contractum non dissolvunt.

Impedimenta dirimentia.

Impedimenta dirimentia quatuordecim omninò recensentur: scilicet, Error, conditio, Votum solemne castitatis & continentiæ, cognatio, affinitas; crimen, id est, homicidium & adulterium certis in casibus; disparitas cultûs, seu Religionis diversitas: vis, Ordo sacer, alterius Matrimonii vinculum subsistens justitia publicæ honestatis, impotentia. Quæ quidem duodecim impedimenta ante Concilium Tridentinum constituta erant. His verò clandestinitas & raptus, ejusdem Concilii Decretis accesserunt. Quæ his Versibus memoriæ juvandæ causâ exprimuntur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,
Affinis, raptor, si clandestinus & impos.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Impedimenta prohibentia

Impedimenta prohibentia dumtaxat, secundùm hodiernam disciplinam quinque numerantur, scilicet Interdictum Ecclesiæ, Feriæ, Catechismus, Sponsalia cum altera inita, & Votum simplex castitatis seu continentiæ perpetuæ, & Religionis: quæ tribus his Versiculis exprimuntur:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriarum,
Atque Catechismus, Sponsalia, jungito Votum,
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

Interdictum est, cùm Episcopus, seu Judex alius Ecclesiasticus, aut Parochus interdicit alicui ne contrahat Matrimonium cum aliqua, ob aliquod impedimentum, donec constet an verè subsit illud, necne. Ratum nihilominus est si contrahatur, quoties verè non aderat impedimentum, licèt peccent graviter contrahendo, ut constat ex cap. *Litteræ*, & cap. *Ex literis*, quæ sunt *Alexandri III.* Responsa, Extra, *De Matrimonio contracto, contra Interdictum Ecclesiæ.* Interimque, donec de impedimento cognoscatur, separari eos jubet idem Pontifex, cap. *De muliere*, sub eodem Titulo.

Feriarum tempus, quo Nuptiarum solemnitates prohibentur, olim erat ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam, à Septuagesima usque ad Octavam Paschæ, & à primo die Rogationum usque ad Octavam Pentecostes, ut constat ex cap. *Cùm oportet*, Causa XXXIII. Quæstione IV. & cap. *Cappellanus*, Ext. *De Feriis.* Hodie verò ex Concilii Tridentini Decreto Sessione XXIV. *De Reformatione Matrimonii*, cap. X. est tantùm ab Adventu Domini nostri Jesu-Christi usque in diem Epiphaniæ, & à Feria Quarta Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusivè.

Sponsalia cum aliqua inita, nisi ipso Jure, aut Ecclesiastici Judicis Sententiâ solvantur, impediunt ne Matrimonium cum altera contrahatur. Contractum tamen per verba de præsenti ratum est, ut docet cap. *Veniens*, & cap. *Sicut*, Extra, *De Sponsalibus & Matrimonio.*

Votum simplex castitatis, id est, quod Professio Religionis approbatæ, vel Sacri Ordinis susceptio solemne non fecit; Votum etiam Religionis, Matrimonium contrahendum impediunt, contractum non dirimunt: ut constat ex Canone *Quidam nubentes*, & Can. *Si vir*, Distinctione XXVII. Item ex cap. *Meminimus*, & cap. *Veniens*, quæ sunt *Alexandri III.* Responsa, Ext. *Qui Clerici vel Voventes Matrimonium contrahere possunt.* Necnon cap. *Quod Votum*, Tit. *De Voto & Voti Redemptione*, in Sexto. Peccant autem mortaliter, qui hujusmodi votis obstricti contrahunt, tum quia frangunt voti fidem, tum quia Sponsam decipiunt. Hæc dilucidè *S. Thomas* explicat, in IV. *Sententiarum*, Dist. XXXVIII. Quæstione I. Articulo II. Quæstiuncula II. *Per hoc* (inquit) *res aliqua desinit esse in potestate alicujus, per quod transit in dominium alterius: promissio autem alicujus rei non transfert eam in dominium ejus cui promittitur: & ideo non ex hoc ipso quòd aliquis rem promittit aliquam, desinit res illa esse in ejus potestate. Cùm ergo in Voto simplici non sit nisi simplex promissio proprii corporis ad continentiam servandam Deo facta, post Votum simplex adhuc remanet homo dominus corporis sui: & ideo potest ipsum dare alteri, scilicet uxori, qua datione Matrimonii Sacramentum consistit, quod indissolubile est. Et propter hoc Votum simplex, quamvis impediat contrahendum (quia peccat Matrimonium contrahens post votum simplex continentiæ) tamen quia verus contractus est, non potest Matrimonium per hoc dirimi.*

Et in Responsione ad primum: *Votum* (inquit) *est fortius vinculum quàm Matrimonium, quantum ad illud cui fit, & ad quod ligat; quia per Matrimonium ligatur homo uxori ad redditionem debiti, sed per Votum Deo ad continentiam: tamen quantum ad modum ligandi, Matrimonium est fortius vinculum quàm Votum simplex. Potior autem semper est conditio possidentis: sed quantùm ad hoc similis modo obligat Votum simplex, sicut Sponsalia: unde propter Votum simplex sunt Sponsalia dirimenda.*

Catechismus est Instructio baptizandi solemniter à Sacerdote, in Janua Ecclesiæ facta, antequam baptizetur, de Articulis Fidei Catholicæ credendis, ut constat ex Canone *Ante Baptismum*, Distinctione IV. *De Consecratione.* Ex eo spiritualis oritur cognatio, quæ Matrimonium impedit contrahendum, sed non dirimit contractum. cap. *Per Catechismum*, Tit. *De spirituali cognatione*, in Sexto. Sed probabilius est hoc impedimentum à Concilio Tridentino sublatum fuisse. Postquam enim Sessione XXIV. *De Reformatione Matrimonii*, cap. II. declaravit, spiritualem cognationem contrahi tantùm inter eos qui Baptizatum de Baptismo suscipiunt, & Baptizatum ipsum, illiúsque patrem ac matrem; nec non inter Baptizantem & Baptizatum, Baptizatique patrem ac matrem: eam quoque cognationem, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiúsque patrem ac matrem, ac tenentem non egredi, subdit: *Omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.* Atque ita etiam respondit olim Sacra Congregatio Concilii Interpres. Quamobrem cùm infans domi ob mortis periculum imminens baptizatus, postmodum ad Ecclesiam defertur, ut solemnes Baptismi Ceremoniæ suppleantur, quarum una dicitur Catechismus, si alii Patrini ad has Ceremonias, & ad nomen puero imponendum adhibeantur, quàm qui puerum in Baptismo domi collato tenuerunt, inter eos & puerum, ejúsque patrem & matrem non contrahitur cognatio spiritualis.

Superest ut sigillatim de Impedimentis dirimentibus agamus, certísque Regulis explicemus quid observandum sit secundùm eam, quæ nunc in Ecclesia viget, Disciplinam. Quoniam verò de impedimento violentiæ & metu in virum con-

ſtantem cadente, & à cauſa extranea incuſſo ad extorquendum conſenſum in Matrimonium, abundè diximus Quæſtione 11. in Articuli 1. Conſectariis; item de conſenſu clandeſtino, Articulu 11. ejuſdem Quæſtionis, Propoſitione 1. 11. & 111. & in Articuli Conſectariis, ſive Regulis Praxim ſpectantibus; nihil tractandum ſupereſt de impedimentis violentiæ, & clandeſtinitatis. Ad alia itaque explicanda aggrediamur.

ARTICULUS III.

De Impedimentis Erroris, & Conditionis.

ERror quadruplex eſt. Alius circa perſonam, quando contrahens putat aliam eſſe perſonam cum qua contrahit, quàm revera ſit; verbi gratiâ, ſi Petro volenti contrahere cum Maria, ſupponatur Margarita. Alius circa conditionem eſt, cùm quis putat ſe contrahere cum libera & ingenua muliere, quæ tamen ſervilis conditionis eſt. Error circa qualitatem eſt, cùm putatur virgo, quæ eſt corrupta; cùm exiſtimatur nobilis, quæ eſt plebeia; cùm formoſa creditur, quæ eſt deformis. Error circa fortunam eſt, cùm putatur dives, quæ eſt pauper.

REGULA I.

Error circa perſonam, Matrimonium Jure Naturæ irritum facit.

De Impedimento erroris.

Error circa perſonam dirimit Matrimonium, utcumque non ſit conjunctus cum ullo dolo particularitatis, idque ſive ſit antecedens & dans cauſam contractui, ſive ſolum concomitans & incidens in contractum.

TOllit enim conſenſûs libertatem: ſiquidem, ut dicitur in Digeſtis, Tit. *De Juriſdictione omnium Judicum*, L. Si per errorem, *Quid tam contrarium eſt conſenſui, quam error?* Cùm ergo conſenſus ad Matrimonium ſit omninò neceſſarius, error circa perſonam Matrimonium irritum facit. Unde ſicut qui ordinatur ab eo, quem putat Epiſcopum, cùm adhuc ſit Laicus, errat, nec verè Ordinem ſuſcipit: ſic errans circa perſonam, & eam cum qua contrahit, aliam eſſe putans quàm revera ſit, verum ac ratum Matrimonium non contrahit. Quare *Matrimonium quod fuit inter Liam & Jacob, non fuit perfectum ex ipſo concubitu qui ex errore contigit; ſed ex conſenſu qui poſtmodum acceſſit*; (ut reſpondet *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Diſtinctione XXX. Quæſtione 1. Articulo 1. ad quartum.) Uterque tamen à peccato excuſatur: Jacob quidem propter ignorantiam facti, quia putabat ipſam eſſe Rachel, quæ ipſi deſponſata erat: Lia verò propter ignorantiam Juris invincibilem, putans Jure primogenitarum, & paterna auctoritate, ſe legitimè ſponſatam, & conjunctam.

REGULA II.

Error circa qualitatem aut fortunam, Matrimonium contractum non dirimit.

De Impedimento erroris.

DIverſitas namque fortunæ *Non variat aliquid eorum quæ ſunt de eſſentia Matrimonii, nec diverſitas qualitatis, ſicut facit conditio ſervitutis* (inquit *S. Thomas*, in Reſponſione ad quartum) Sive (ut ait *Gratianus* Cauſa XXIX. Quæſtione 1.) « Error fortunæ & qualitatis non excludit conſenſum: Veluti ſi quis conſentiret in Prælaturam alicujus Eccleſiæ, quam putaret eſſe divitem, & illa eſſet minùs copioſa, quamvis hic deciperetur errore fortunæ, non tamen poſſet renunciare Prælaturæ acceptæ: ſimiliter quæ nubit pauperi, putans illum eſſe divitem, non poteſt renunciare priori conjugio, quamvis erraverit. Error qualitatis non excludit ſimiliter conſenſum: utpote ſi quis emerit agrum, vel vineam, quam putabat eſſe uberrimam. Quamvis iſte erraret in qualitate rerum, rem minùs fertilem emendo, non poteſt tamen emptionem reſcindere: ſimiliter, qui ducit uxorem meretricem vel corruptam, quam putat eſſe caſtam, vel virginem, non poteſt eam dimittere, & aliam « ducere.

REGULA III.

Error qualitatis vel fortunæ, qui tranſit in errorem perſonæ, irritum facit Matrimonium.

De Impedimento erroris.

ID fit quando qualitas circa quam erratur, determinat certam aliquam perſonam diſtinctam ab ea quæ præſens eſt; ut ſi Henricus contraxerit cum filia Ludovici, quæ ſe falsò dicebat filiam Præſidis Provinciæ, conſenſúmque ſuum ad illam determinabat: vel ſi mulier nubere vult Joanni, quem falsâ relatione ſive perſuaſione deluſa, credit eſſe primogenitum, præcipuúmque bonorum paternorum hæredem, cùm ſit natu minor, & ſola penſione vitalitia donandus, aut in quartam duntaxat bonorum partem ſucceſſurus. Irritum his in ſpeciebus Matrimonium eſt, ut docet *S. Thomas*, loco ſuperiùs indicato, in Reſponſione ad quintum. *Error* (inquit) *nobilitatis, in quantum hujuſmodi, non evacuat Matrimonium eadem ratione, quâ nec error qualitatis: ſed ſi error nobilitatis vel dignitatis redundat in errorem perſonæ, tunc impedit Matrimonium. Unde ſi conſenſus mulieris feratur in iſtam perſonam directè, error de nobilitate ipſius non impedit Matrimonium. Si autem directè intendit conſentire in filium Regis, quicumque ſit ille, tunc ſi alius præſentetur ei quam filius Regis, eſt error perſonæ, & impedit Matrimonium.*

REGULA IV.

Error conditionis Matrimonium dirimit.

De errore conditionis.

TAlis enim error accidit circa id quod pertinet ad eſſentiam Matrimonii. *Duo ſcilicet includit Matrimonium ipſum; Perſonas quæ conjunguntur, & mutuam poteſtatem in invicem, in qua Matrimonium conſiſtit: Primum tollitur per errorem perſonæ: ſecundum per errorem conditionis; quia ſervus non poteſt poteſtatem ſui corporis alteri tradere ſine conſenſu domini ſui*; (inquit *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Diſtinctione XXX. Quæſtione 1. Articulo 11.) Hac itaque ratione fit inter liberum & ſervum iniqua pactio, non conſentiente huic iniquitati eo, qui liber eſt, & ſervilem alterius conditionem ignorat.

Et Diſtinctione XXXVI. Quæſtione 1. Articulo 1. *In Matrimonii contractu obligatur unus conjugum alteri ad debitum reddendum; & ideo ſi ille qui ſe obligat, eſt impotens ad ſolvendum, ignorantia hujus impotentiæ in eo cui fit obligatio, tollit contractum: ſicut autem per impotentiam coeundi efficitur aliquis impotens ad ſolvendum debitum, ut omninò non poſſit ſolvere, ita per ſervitutem ut liberè reddere debitum non poſſit: & ideo ſicut impotentia coeundi ignorata impedit Matrimonium; ita conditio ſervitutis ignorata Matrimonium impedit.*

Id confirmatur ex Canone *Si quis*, Cauſa XXIX. Quæſtione 11. qui ex Concilio Vermerienſi deſumptus eſt, Canone IX. cujus quidem Canonis ipſa verba repræſento prout in Concilio legun-

tur: *Si quis ingenuus homo ancillam uxorem acceperit pro ingenua, si ipsa femina postea fuerit inservita,* * *si redimi non potest, si ita voluerit, liceat ei aliam accipere. Similiter & mulier ingenua si servum accipiat pro ingenuo, & postea pro quacunque causa inservitus fuerit; nisi pro inopia fame cogente se vendiderit, & ipsa hoc consenserit, & de pretio viri sui à fame liberata fuerit; si voluerit, potest eum dimittere, & si se continere non potest, alium ducere.*

* Inservitus, id est, in servitutem revocatus.

Idem rursus confirmatur ex cap. *Ad nostram*, Extra, *De conjugio servorum*, quod est *Innocentii III.* Responsum. *Mandamus* (inquit) *quatenus si constiterit, quòd Miles ignoranter contraxit cum ancilla, ita quòd postquam intellexit conditionem ipsius, nec facto, nec verbo consenserit in eandem, propter quod per Cardinalem eundem ab ejus fuerit consortio separatus, contrahendi cum alia liberam ipsi concedas Auctoritate Apostolica facultatem.*

REGULA V.

Servitus cognita non impedit Matrimonium, adeò ut homo liber cum ancilla, cujus conditionis non ignorat, validè contrahere possit: sicut & servus cum libera, quam credit ancillam.

De conditionis impedimento.

ID constat ex Canone *Si quis liber*, Causa XXIX. Quæstione II. qui est *Zachariæ* Pontificis Maximi, & Can. *Si femina*, qui est Concilii Vermeriensis; ex cap. *Proposuit*, quod *Alexandri III.* & cap. *Ad nostram*, quod *Innocentii III.* Responsum est, Extra, *De conjugio servorum.*

Idem confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXXVI. Quæstione I. Articulo I. in Responsione ad primum. *Servitus* (inquit) *contrariatur Matrimonio quantùm ad actum, ad quem quis per Matrimonium alteri obligatur, quem non potest liberè exequi; & quantùm ad bonum prolis, quæ pejoris conditionis efficitur ex servitute parentis. Sed quia quilibet potest in eo quod sibi debetur, sponte detrimentum aliquod subire, ideo si alter conjugum scit alterius servitutem, nihilominus Matrimonium tenet. Similiter etiam, quia in Matrimonio est æqualis obligatio ex utraque parte ad debitum reddendum, non potest aliquis requirere majorem obligationem ex parte alterius, quàm ipse possit facere, & propter hoc servus, etiamsi contrahit cum ancilla, quam credit liberam, non propter hoc impeditur Matrimonium. Et sic patet quòd servitus non impedit Matrimonium, nisi quando ignorata est ab alio conjuge, qui sit liberæ conditionis. Et ideò nihil prohibet inter servos esse conjugia, vel etiam inter liberum & ancillam.*

REGULA VI.

Servorum Matrimonia, inconsultis etiam & invitis dominis contracta, rata sunt.

L. 14. ff. De ritu Nuptiarum. De Servorum Matrimonio.

OLim quidem, secundùm Jus Civile, servorum conjunctiones vera Matrimonia non dicebantur, sed mera contubernia; eodémque Jure irrita censebantur liberorum hominum connubia cum ancillis, vel ingenuarum mulierum cum servis. His Legibus Disciplinam suam diu accommodavit Ecclesia; ut constat ex Epistola II. aliàs XCII. *S. Leonis* ad *Rusticum* Narbonensem Episcopum, ex qua refertur Canone *Non omnis*, & Canone *Ancillam*, Causa XXXII. Quæstione II. *Non omnis mulier* (inquit) *juncta viro, uxor est viri; quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales, multò prius hoc ipsum Domino constituente, quàm initium Romani Juris existeret. Itaque aliud est uxor, aliud concubina: sicut aliud ancilla, aliud libera.... Igitur cujuslibet loci Clericus, si filiam suam viro habenti concubinam in Matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam conjugato dederit, nisi fortè illa mulier & ingenua facta, & dotata legitimè, & publicis Nuptiis honestata videatur.*

Ancillam à thoro abjicere, & uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugii, sed profectus est honestatis.

Verùm Ecclesia servorum Matrimonia, invitis etiam dominis contracta, tandem rata esse voluit, ut constat ex cap. *Dignum est*, Extra, *De conjugio servorum*, quod est *Adriani* Papæ; eâ tamen lege ut nihilominus debita & consueta servitia propriis dominis exhiberent. Atque huic Ecclesiæ Disciplinæ Civiles Leges cedere oportuit.

Adriani quarti responsum est ad consultationem Eberardi Salisburgensis Episcopi. Impedimentum igitur servitutis durasse videtur usque ad sæculum circiter 12.

Idem docet *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXXVI. Quæstione I. *Cùm* (inquit) *Jus positivum progrediatur à Jure naturali, ideo servitus quæ est de Jure positivo, non potest præjudicare his quæ sunt de lege naturali. Sicut autem appetitus naturæ est ad conservationem individui, ita est ad conservationem speciei per generationem: Unde sicut servus non subditur domino quin possit liberè comedere & dormire; ita non subditur ei quantùm ad hoc quod non possit liberè Matrimonium contrahere, etiam domino nesciente aut contradicente.* Præterea, *In Christo Jesu non est servus, neque liber* (inquit Apostolus ad *Galat.* IV.) Ad Matrimonium igitur contrahendum in fide Christi Jesu eadem est libertas servis & liberis. *Et ideò si Dominus præcipiat servo ne contrahat Matrimonium, servus non tenetur ei obedire*, (inquit Angelicus Doctor in Responsione ad secundum.)

REGULA VII.

Servus qui domino consentiente Matrimonium contraxit, uxori debitum potiùs reddere debet, quàm obsequi domino, si utrumque officium simul impleri non possit: At aliter se res habet, si inconsulto & invito domino contraxerit.

De Servorum Matrimonio.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, loco mox indicato, in Responsione ad tertium: *Si servus* (inquit) *volente domino Matrimonium contraxit, tunc debet prætermittere servitium domini imperantis, & reddere debitum uxori; quia per hoc quòd dominus concessit ut Matrimonium servus contraheret, intelligitur ei concessisse omnia quæ Matrimonium requirit. Si autem Matrimonium ignorante vel contradicente domino est contractum, non tenetur reddere debitum, sed potiùs domino obedire, si utrumque simul esse non possit. Sed tamen in his multa particularia considerari debent, sicut etiam in omnibus humanis actibus; scilicet periculum castitatis imminens uxori, & impedimentum quod ex redditione debiti servitio imperato generatur, & alia hujusmodi: quibus omnibus ritè pensatis judicari poterit cui magis servus obedire teneatur: domino, vel uxori.*

REGULA VIII.

Servitus Matrimonio superveniens, illud non dirimit, nec virum à debito uxori reddendo absolvit.

De Servorum Matrimonio.

ID constat ex Canone, *Perlatum est*, Causa XXIX. Quæstione II. qui Concilii Triburiensis nomine profertur. Idémque confirmat *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXXI. Quæstione I. Articulo III. hac ratione fretus: *Quia nullum impedimentum Matrimonio superveniens po-*

test dissolvere ipsum. Et in Responsione ad primom: *Fraus* (inquit) *bene potest nocere ei qui fraudem fecit, sed non potest alteri prajudicium generare: & ideo si vir in fraudem uxoris alteri det se in servum, ipse damnum reportat, inestimabile libertatis bonum amittens: sed uxori nullum potest ex hoc prajudicium generari, quin teneatur debitum reddere petenti, & ad omnia qua Matrimonium requirit: non enim potest ab his retrahi domini sui pracepto.*

REGULA IX.

Proles in libertate & servitute sequitur matrem; quamvis in his qua ad dignitatem pertinent, scilicet in honoribus, municipiis, hereditate, & aliis, patrem sequuntur.

De Servorum Matrimonio & prole.

SErvitus enim corporalis conditio est: Mater autem substantiam corporis subministrat: quare natus ex patre libero & matre ancilla servos est; natus ex patre servo & matre libera ingenous ac liber est. Hinc illud Juris Civilis effatum: *Partus sequitur ventrem.* Quod Mosaïcæ Legi consonum est *Exodi* xxi. ubi de servo emptitio dicitur: *Si emeris servum Hebraum, sex annis serviet tibi: in septimo egredietur liber gratis... Si Dominus dederit illi uxorem, & pepererit filios & filias: mulier & liberi ejus erunt domini sui, ipse verò exibit cum vestitu suo.*

Eadem Regula confirmatur ex Canone, *Liberi*, Caosa xxxii. Qoæstione iv. qui est *Sancti Isidori Hispalensis* Libro ix. *Originum* cap. v. & cap. *Indecens*, Extra, *De natis ex libero ventre*, quod ex *S. Gregorio* Libro i. Epistola liii. sumptum est. Hac tamen de re secundùm Leges & Consuetudines muoicipales judicandum, in iis locis quæ Romano Jure non reguntur, *Urbanus III.* Respondit cap. *Licet*, Extra, *De Conjugio servorum*, idemque docet *S. Thomas*, in iv. *Sententiarum*, Distinctione xxxvi. Quæstione i. Articulo iv.

REGULA X.

Cùm Matrimonium irritum est ob Impedimentum erroris vel conditionis, ratum fieri non potest nisi accedente novo partium consensu, & nisi secundùm formam Tridentini Concilii contrahant.

Quomodo rata ueri possint Matrimonia ob Impedimentum erroris vel conditionis irrita.

HÆc Regula colligitur, quantùm ad primam partem, ex *S. Thoma* in iv. *Sententiarum* Distinctione xxx. Quæstione i. Articulo ii. in Responsione ad octavum, ubi loquens de viro, qui errore personæ deceptus, multos annos cum muliere mansit, filiósque ex ea procreavit: *Quantumcunque* (inqoit) *fuerit cum ea, nisi de novo consentire velit, non est Matrimonium.* Veteri qoidem Jore cohabitatio post agnitum personæ vel conditionis errorem subsecuta Matrimonio conferebat firmitatem, ut liquet ex cap. *Propofuit*, & cap. *Ad nostram*, Extra, *De Conjugio servorum*: Sed Jure novo Concilii Tridentini, ubi promulgatum est, iterum contrahere debent coram Parocho & testibus.

ARTICULUS IV.

De Impedimentis Voti, & Ordinis.

a Eadistinctio Voti simplicis & solemnis Veteribus incognita, seculo xii. vulgò recepta.

Voti simplicis & solemnis discrimen.

I. VOtum aliud simplex, aliod solemoe. *a* Simplex est nuda promissio Deo facta absque sui traditione. Solemne est promissio conjuncta cum sui traditione ad ea quæ promittuntur; quando nimirum homo seipsum consecrat & tradit Deo ad obedientiam, paopertatem, & continentiam perpetuam. Unde qui Votum simplex emittunt, similes sunt contrahentibus Sponsalia: qui verò solemne, similes contrahentibus Matrimonium, in quo fit traditio hinc & inde potestatis corporum; cùm in Sponsalibus fiat duntaxat promissio id aliquaodo faciendi. Votum autem solemne castitatis dupliciter celebrator; scilicet Sacri Ordinis susceptione, & Professione expressâ vel tacitâ Religionis alicujus à Sede Apostolica approbatæ, ut ait *Bonifacius VIII.* cap. *Quod votum*, Tit. *De Voto & Voti Redemptione*, in Sexto. Idem docet *S. Thomas Secunda Secunda* Quæstione lxxxviii. Articulo vii. *Voti solemnitas adhibetur* (inquit) *quando aliquis per susceptionem sacri Ordinis divino Ministerio applicatur: & in Professione certa Regula, quando per abrenuntiationem seculi, & propria voluntatis, aliquis statum perfectionis assumit.*

Votum simplex continentia perpetua Matrimonium impedit contrahendum, non dirimit contractum.

II. Votum simplex continentiæ perpetuæ Matrimonium impedire contrahendum, non verò dirimere contractum, superiùs jam probavimos: de solemni quæstio est impræsentiarum. Nec verò scrutari modò necesse est, quænam fuerit circa hoc caput vetos Ecclesiæ disciplina, & an solemne continentiæ votum fuerit olim impedimentum dirimens Matrimonii prioribus Ecclesiæ seculis, quæ quæstio plus curiositatis quàm utilitatis habet. *a* Stupra certè, adulteria, & adulteriis pejora crimina, Virginum Deo sacrarum, & Monachorum Matrimonia SS. Patres appellarunt, execrata est Ecclesia, diuturnâque & publicâ Pœnitentiâ castigavit, ut constat ex *S. Cypriano*, Epistolâ ad Pomponium, *S. Basilio* Libro *De Virginitate*, & in Epistola ad *Amphilochium*; S. Ambrosio Epistola ad *Virginem lapsam*, Siricio Pontifice Maximo Epistola i. ad *Himerium* Tarraconensem Episcopum, cap. vi. *Innocentio I.* Epistola ad *Victricium* Rotomagensem Episcopum, cap. xi. & xii. *S. Hieronymo* Libro ii. *Contra Jovinianum*, cap. ultimo, Concilio Chalcedonensi Canonibus xiv. & xv. *Gelasio I.* Epistola i. capp. xxii. & xxiii. Concilio Carthaginensi quarto, Canone ultimo, *S. Gregorio* Libro i. Epistola xl. ad *Anthemium* Sobdiaconum, &c.

a Videsis S. Augustinum De Bono viduitatis c. x. Innocentium I. Epist. ad Victricium Rotom. I. Leonem Epistola ad Rusticum Narbonensem, S. Gregorium Epist. xxxix. Lib. i. S. Bernard. Lib. De Pracepto & Dispensatione cap. xvii.

Ecclesia continentia ac cœlibatus legem sacris Ministris imponere potuit.

III. Quod spectat Sacrorum Ecclesiæ Ministrorom continentiam ac cœlibatum, seu Votum solemne continentiæ Ordinis Sacro Annexom, certum est Ecclesiam continentiæ legem sacris hominibus imponere potuisse, cùm auctoritatem acceperit à Christo condendi leges spirituali regimini, & fini vitæ æternæ congruentes: illamque audiri, utpotè *Columnam & firmamentum veritatis*; illi obedientiam ab omnibus fidelibos exhiberi Christus Dominus jusserit. Matth. xviii. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Luc. x. 16. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* *1. Tim. 3. 15.*

De Impedimentis Voti & Ordinis.

Continentiæ Votum Sacris Ordinibus Ecclesiæ Lege annexum.

IV. Certum est secundo, continentiæ Votum ab antiquis temporibus Ecclesiastica Lege, aut Consuetudine, Sacris Ordinibus annexum fuisse, cùm in Ecclesia Orientali, *S. Epiphanio* teste Hæresi LIX. quæ est Catharorum, seu Novatianorum, tum in Expositione Fide Catholicæ, cap. XXI. quod & Canon XXVII. ex iis qui Apostolis tribuuntur, disertè confirmat: tum in Ecclesia Latina, teste *S. Hieronymo* Epistola L. *Apostoli* (inquit) *vel virgines, vel post nuptias continentes Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium in æternum pudici.* Et Libro adversùs Vigilantium, *Quid facient Orientis Ecclesiæ? Quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes; aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt?* Sacris Ordinibus initiatos perpetuam continentiam servare debuisse ex Ecclesiæ Disciplina, diuturno usu, & ab Apostolicis temporibus firmata, hæc satis probant. Quanquam Græci in ea retinenda non fuerunt ita constantes ac Latini. *Siricius* Pontifex Maximus hanc Disciplinam latâ Lege firmavit, ab omnique Ecclesiastico honore dejectos pronuntiavit ac decrevit Episcopos, Presbyteros, Diaconos, qui rei uxoriæ vacarent, *Nec unquam posse veneranda attrectare Mysteria*; (Epistola ad *Himerium* Tarraconensem Episcopum.) *Siricii* Decretum confirmavit *Innocentius I.* Epistola II. ad *Victricium* Rotomagensem Episcopum cap. IX. & Epistola III. ad *Exuperium* Episcopum Tolosanum, cap. I. confirmavit *S. Leo*, & ad *Subdiaconos* extendit, Epistola LI. aliàs XCII. ad *Rusticum Narbonensem* Episcopum cap. III. *Lex continentiæ* (inquit) *eadem est Ministris Altaris, quæ Episcopis atque Presbyteris: qui cùm essent Laici sive Lectores, licitò & uxores ducere, & filios procreare potuerunt, Sed cùm ad prædictos pervenerunt gradus, cœpit eis non licere, quod licuit. Unde ut de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, & quasi non habeant, sic habere: quo & salva sit caritas connubiorum, & cesset opera nuptiarum.* Refertur & Distinctione XXXI. Can. *Lex Continentiæ.* Idem Pontifex Epistolâ XII. aliàs LXXXIV. ad *Anastasium* Thessalonicensem Episcopum, cap. IV. *Cùm* (inquit) *extra Clericorum ordinem constitutis, Nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum arbitrium: ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur: Ut & qui habent, sint tanquam non habentes; & qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc Ordine, qui quartus à Capite est, dignum est custodiri: quantò magis in primo, aut secundo, vel tertio servandum est, ne aut Levitico, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus æstimetur, qui se à voluptate uxoria necdum frenasse detegitur.*

1. Cor. 7.

Ecclesia optimis ducta rationibus continentiæ Legem Sacris Ministris imposuit.

V. Certum est tertiò, Ecclesiam optimis ductam rationibus continentiæ perpetuæ Legem Sacris Ministris imposuisse. Nam conjugii vinculum, & conjugales amplexus Sacri Ministerii functiones plurimùm impediunt, quod in Sacrificii Oblatione, Sacramentorum administratione, jugi oratione, verbi Dei prædicatione, & Pastorali cura positum est. Quare, si Sacerdos Veteris Testamenti Sacrificiorum tempore vicis suæ oblaturus ab uxore & domo sua tantisper secedebat: si Panes Propositionis edere non poterant nisi mundi à mulieribus: Quantò major ab iis exigenda puritas est, quorum munus est Agnum immaculatum Christum Jesum in Sacrificium offerre, vel Sacrum facienti ministrare, Panem illum qui de cœlo descendit, ipsam videlicet carnem Christi Filii Dei, cujus vetera illa Sacrificia, & Panes Propositionis figuræ tantùm & umbræ fuerunt, edere, aliisque edendum distribuere? Si conjuges *ex consensu ad tempus* abstinere debent ab opere conjugali, *ut vacent orationi*: Congruum est, ut Sacri Ministri, quibus semper orandum est, à conjugio semper & penitus abstineant. Sic ratiocinatur *S. Hieronymus*, Libro I. *adversùs Jovinianum*, cap. XIX. *Si Laicus & quicunque Fidelis orare non potest, nisi careat officio conjugali: Sacerdoti, cui semper pro Populo offerenda sunt Sacrificia, semper orandum est. Si semper orandum est; ergo semper carendum Matrimonio. Nam & in Veteri Lege, qui pro Populo hostias offerebant, non solùm in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus, ab uxoribus separati, & vinum & siceram non bibebant, quæ solent libidinem provocare.* Quòd autem Levitis tempus aliquod utendi conjugii concessum esset, id postulabat divini cultûs necessitas, eò quod in una illa Tribu ejúsque una Stirpe Aaronica Sacerdotium illud vetus contineretur, ad cujus propagationem connubio opus erat. Nunc verò cùm cessante Privilegio Patrum, & familiarum ordine prætermisso, eos Sacerdotes, Rectores, ac Ministros Ecclesia accipiat, quos Spiritus Sanctus præparavit, nec prærogativa terrenæ originis obtineat unctionem, sed dignatio cœlestis gratiæ gignat Sacerdotem, minimè necesse est, ut Sacerdotes Matrimonio copulentur: immò conveniens est, ut Matrimonii vinculis & impedimentis liberi sint, Deóque ac divinis Altaribus penitus mancipati, Sacrificiis, Orationi, rerum divinarum meditationi, Ministerio verbi, fidelium ædificationi totos se dedant: quas sacri Ministerii functiones res conjugalis, uxorisque ac filiorum cura, & rei familiaris solicitudo plurimùm interturbant & impediunt. *Qui* enim *cum uxore est, sollicitus est quæ sunt Mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est*; (inquit Apostolus 1. *Corinth.* VII.) Deinde quâ ratione Fideles ad perpetuam continentiam adhortari posset Sacerdos rei uxoriæ vacans? Quomodo cum Apostolo dicere posset? *Volo vos omnes esse sicut meipsum?* Quî totum se Curæ Pastorali dabit, uxoris & filiorum curâ distractus? Quomodo pauperum singularem curam geret, omnem impendens operam ad thesaurizandum filiis? *Siricium* Pontificem Maximum Epistola IV. ad Africanos ea de re iterum audiamus, cujus verba & Decretum sua facit *Innocentius I.* in Epistolis ad *Victricium*, & *Exuperium* Episcopos. *Quod dignum* (inquit) *& pudicum & honestum est, suademus ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus suis non coeant: quia in Ministerio Divino quotidianis necessitatibus occupantur. Ad Corinthios namque sic Paulus scribit:* Abstinete vos ut vacetis orationi. *Si ergo Laicis abstinentia imperatur, ut possint deprecantes audiri: quantò magis Sacerdos utique omni momento paratus esse debet, munditiæ puritate securus, ne aut Sacrificium offerat, aut baptizare cogatur? Qui si contaminatus est carnali concupiscentia, quid faciet? Excusabit? Quo pudore, qua mente usurpabit? Qua conscientiâ? quo merito hic exaudiri se credit, cùm dictum sit:* Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum? *Qua de re hortor, moneo, rogo, tollatur hoc opprobrium, quod potest etiam jure Gentilitas accusare. Fortè creditur quia scriptum est:* Unius uxoris virum. *Non permanentem in concupiscentiâ generandi dixit, sed propter continentiam futuram.* Vult enim Apostolos, Episcopum, Presbyterum, Diaconum ordinari, non Bigamum: sed qui unicam uxorem habuerit, vel

1. Cor. 7.

1. Tim. 3.

Tit. 1.

Luc. 1.

1. Reg. 21.

nullam; aut si adhuc habeat, continentiam profiteatur ac servet. Nec putandum est, quod mulierosi Hæretici objiciunt, Apostolum sacrorum etiam hominum, & eorum qui castitatem Deo voverunt conjugia probare, his verbis ad Hebræos XIII. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Hujus enim Sententiæ, quam aliis ad mores informandos præceptis interseruit, is omnino sensus est: Conjugium in omnibus legitimè conjunctis sit honorabile, & immaculatum, nec illud stupris & adulteriis dedecorent & inquinent: *Fornicatores enim* (inquit) *& adulteros judicabit Deus:* Vel, Honorabile connubium est ratione bonorum omnium, quæ complectitur, prolis, fidei, Sacramenti. Cùm etiam ait alibi; *Si acceperis uxorem, non peccasti:* de eo loquitur qui Voto non est adstrictus: nam de iis qui continentiæ jugum sponte susceperunt, I. ad *Timotheum* V. scribit: *Nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*

1. Cor 7.

Solemne continentiæ votū solâ Ecclesiæ Lege Sacri Ordinis susceptioni annexum est.

VI. Certum est quartò, Solemne Continentiæ Votum solâ Ecclesiæ Lege Sacri Ordinis susceptioni annexum esse. Hinc Ecclesiæ Græcæ Disciplinam, seu potiùs prioris & primævæ disciplinæ remissionem Ecclesia Latina toleravit, permisitque ut, non quidem post Sacram Ordinationem uxores ducerent, quod nunquam licuit; sed ut conjugio ante Ordinationem inito uterentur. Atque ita intelligendus est Canon *Aliter* Distinctione XXXI. *Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter hujus Sanctæ Romana Ecclesia. Nam eorum Sacerdotes, Diaconi, atque Subdiaconi Matrimonio copulantur: istius autem Ecclesia, vel Occidentalium nullus Sacerdotum à Subdiacono usque ad Episcopum, licentiam habet conjugium sortiendi.* Hæc enim verba: *Matrimonio copulantur*, sic explicant Glossa & Romani Correctores, *Id est, copulâ utuntur*, nec ab uxoris legitimæ, quam ante Ordinationem duxerunt, cohabitatione prohibentur in tempore opportuno, cùm scilicet Altari non ministrant, ut constat ex Trullana Synodo, quæ veterem disciplinam edito Canone XIII. remisit & convulsit. Cæterùm eadem Synodus Clericis prohibitum esse in Ecclesia etiam Orientali declarat, ne uxores ducant post susceptum Subdiaconatûs Ordinem. Sic enim statuit Canone VI. *Quoniam in Apostolicis Canonibus dictum est, eorum qui non ducta uxore in Clerum promoventur, solos Lectores & Cantores uxorem posse ducere: & nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero post sui Ordinationem contrahere liceat. Si autem fuerit hoc ausus facere, deponatur. Si quis autem eorum, qui in Clerum accedunt, velit lege Matrimonii mulieri conjungi, antequam Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, hoc faciat.* Refertur ex parte Canone *Si quis*, Distinctione XXXII.

An votum continentiæ solâ Ecclesiæ Lege religiosæ Professioni pariter sit annexum, non ita certum est.

VII. Non ita inter omnes Theologos & Canonici Juris Peritos convenit, Continentiæ Votum solemne professioni Religionis approbatæ, seu Vitæ Monasticæ secundùm Regulam à Sede Apostolica confirmatam, solâ Ecclesiæ Lege esse annexum, quamvis *Bonifacius VIII.* cap. *Quod Votum*, Tit. *De Voto & Voti Redemptione*, in Sexto, asserat *Quòd Voti solemnitas ex solâ Constitutione Ecclesiæ est inventa.* Nam *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXVIII. Articulo XI. docet, *Debitum continentiæ essentiale esse Statui Religionis, per quem homo abrenuntiat seculo, totaliter Dei servitio mancipatus: quod non potest simul stare cum Matrimonio, in quo incumbit necessitas procurandæ uxoris, & prolis, & familiæ, & rerum quæ ad hoc requiruntur.* Unde nec Summum Pontificem in solemni continentiæ Voto dispensare posse censet. Nititur Decretali, *Cùm ad Monasterium*, quæ est *Innocentii III.* Extra, *De Statu Monachorum* scribentis: *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Addit rationem minimè spernendam S. Thomas. *Illud* (inquit) *quod semel sanctificatum est Domino, non potest in alios usus commutari*, ut habetur Levitici ultimo. *Non autem potest facere aliquis Ecclesiæ Prælatus, ut id quod est sanctificatum, sanctificationem amittat, etiam in rebus inanimatis, putà, quòd Calix desinat esse consecratus, si maneat integer. Unde multò minùs potest facere aliquis Prælatus, ut homo Deo consecratus, quandiu vivit, consecratus esse desistat. Solemnitas autem Voti consistit in quadam consecratione seu benedictione voventis: & ideo non potest fieri per aliquem Prælatum Ecclesiæ, quòd ille qui Votum solemne emisit, desistat ab eo quod est consecratus, putà, quòd ille qui est Sacerdos, non sit Sacerdos: licèt possit Prælatus ob aliquam causam justam Ordinis executionem inhibere. Et simili ratione Papa non potest facere, quòd ille qui est professus Religionem, non sit Religiosus: licèt quidam Juristæ ignoranter contrarium dicant.*

S. Thomæ sententia posterior.

Verùm à *S. Thoma* dissentiunt plerique magni nominis Theologi & Juris Canonici Periti, Innocentius IV. Joannes Andreas, Hostiensis, Cardinales Cajetanus, & De Turrecremata, S. Antoninus II. P. Tit. XI. cap. II. *S. Thomas* priorem Sententiam posteriori anteponendam censens. Asserit enim in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXXVIII. Quæstione I. Articolo IV. velut *Probabilius, quòd si communis utilitas totius Ecclesiæ, aut unius Regni, vel Provinciæ exposceret, posset convenienter & in Voto continentiæ, & in Voto Religionis dispensari, quantumcunque esset solemnizatum. Non enim per Votum potest homo se deobligare ab eo in quo tenetur alteri. Unde talis posset imminere necessitas, quòd posset alicui justè prohiberi ne continentiam aut Religionem voveret: & eadem necessitate manente, potest etiam in Voto dispensari jam facto.* Idem censent Toletus, Navarrus, Covarruvias, alii, & *Fagnanus* in II. P. Lib. III. Decretalium, ad cap. *Cum ad Monasterium*, ubi ait, *Hodie hanc Sententiam esse communem Theologorum ac ferè omnium Canonistarum, quam etiam tacitè approbavit Ecclesia Romana, dum super hoc dispensavit cum multis Religiosis.*

Contraria multorum Theologorum & Jurisperitorum opinio.

Prior S. Thomæ sententia posteriori anteponitur in praxi.

Votum continentiæ statui Religioso intrinsecum & essentiale est.

Sed hac Quæstione de Voti solemnis dispensatione, Theologorum & Jurisperitorum disputationi relictâ, certum nihilominus est, Votum solemne continentiæ adeò esse intrinsecum & essentiale Statui Religioso, ut Summus Pontifex efficere non possit ut quis remaneat Monachus & uxorem habeat, quo sensu *Innocentii III.* Decretalem Autores laudati explicant: quamvis Dispensatione suâ efficere possit ut ex Monacho fiat non Monachus, adeòque solemnibus Votis solutus & consecrationem tollere, quæ Sacramentalis non est, sed Ritualis, nec Divini Juris, sed Ecclesiastici, ut aiunt. At Votum solemne continentiæ non est essentialiter annexum Ordini Sacro, sed ex Statuto duntaxat Ecclesiæ. Quamobrem Ecclesia, & qui ipsi præsidet Romanus Pontifex, indulgere potest ut idem simul sit Ordine Sacro initiatus, & maritus.

Non semper irrita, quamvis semper illicita fuerunt Sacerdotum & Sacrorum Ministrorum Matrimonia.

VIII. Certum est denique, irritum semper non fuisse Sacerdotum & Sacrorum Ministrorum Matrimonium, quamvis illicitum esset, ac depositione plecteretur, ut constat ex Canone

Presbyter

Presbyter Distinctione xxv. qui Neocæsariensis Concilii primus est ; ex Concilio Carthaginensi v. Canone iii. Arausicano i. Canonibus xxiii. & xxiv. Turonensi i. Canone ii. & aliis : nec prisci Pontifices *Siricius* & *Innocentius I.* irrita esse hujusmodi Matrimonia prononciarunt. His observatis, stabiliendæ sunt Regulæ Praxim spectantes, ex hodierna Ecclesiæ Disciplina.

Regula I.

Votum solemne in Religione ab Ecclesia approbatu non solum impedit Matrimonium contrahendum, sed dirimit contractum.

De Voti solemnis Impedimento

ID constat ex cap. *Meminimus*, quod *Alexandri III.* & cap. *Insinuante*, quod *Innocentii III* Responsum est, Extra, *Qui Clerici vel voventes Matrimonium contrahere possunt* : & ex Concilio Tridentino Sessione xxiv. Canone ix. cujus hæc sunt verba : *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractúmque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica vel Voto ; & oppositum nihil aliud esse, quàm damnare Matrimonium, postéque omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt castitatis, etiamsi eam voverint, se habere donum ; Anathema sit : cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos, supra id quod possumus, tentari.* Idem docet *S. Thomas*, in iv. *Sententiarum*, Distinctione xxxviii. Quæstione i. Articulo ii. Quæstiuncula iii.

Hîc etiam observandum est, votum simplex Fratrum Clericorum Societatis Jesu, ad effectum dirimendi Matrimonii solemnis voti vim habere, ex Pontificio Diplomate *Gregorii XIII.* quod incipit, *Ascendente Domino.*

Regula II.

Ordo Sacer est impedimentum dirimens Matrimonium.

De Impedimento Ordinis.

ID constat ex cap. *De Diacono*, & cap. *Ex literarum*, Extra, *Qui Clerici vel voventes Matrimonium contrahere possunt*, Quæ sunt *Alexandri III.* Responsa, & ex Canone Concilii Tridentini mox laudato ; necnon ex *S. Thoma* in iv. *Sententiarum*, Distinctione xxvii. Quæstione i. Articulo i.

Regula III.

Matrimonium contrahere non licet Monachis vel Monialibus Professis, qui per vim & metum Religionem sunt ingressi, vel Professi, aut ante legitimam ætatem ; aut in Conventibus ad recipiendos & probandos Novitios designatis, ut præscriptum est Constitutionibus Clementis VIII. & Urbani VIII. Probationis annum non expleverunt ; nisi intra quinquennium reclamaverint, ac eorum Professio irrita declarata sit secundùm formam à Concilio Tridentino præscriptam. Eorúmque Professio qualiscúmque Matrimonium dirimit.

An Professio præsumptum Matrimonium dirimat, quamvis in foro conscientiæ irrita sit ?

EOrum enim Professio, licèt in foro conscientiæ, & quoad Deum fortè irrita sit, in foro tamen Ecclesiæ post elapsum quinquennium rata habetur, cùm Sacra Synodus Tridentina Sessione xxv. cap. xix prohibeat Regulares elapso quinquennio admitti ad allegandum causas nullitatis Professionis, & tanquam Apostatas puniri decernat, si Religiosum, quem professi fuot, Ordinem reliquerint, vel Religiosum Habitum abjecerint. Unde hujusmodi Professio præsumpta in foro Ecclesiæ Matrimonium impedit contrahendum, & dirimit contractum. Verba Concilii subjicio. *Quicumque Regularis prætendat se per vim & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile; velitque habitum dimittere quacumque de causâ, aut etiam cum habitu discedere sine licentiâ Superiorum ; non audiatur nisi intra quinquennium tantùm à die Professionis, & tunc non aliter, nisi causas quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quòd si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur ; sed ad Monasterium redire cogatur, & tamquam Apostata puniatur : interim verò nullo Privilegio suæ Religionis juvetur.*

Quòd autem Professio præsumpta Matrimonium dirimat, quamvis in foro conscientiæ nulla & irrita sit, colligitur ex Can. *Neque Viduas*, Causa xxvii. Quæstione i. qui est *Gelasii* Papæ scribentis : *Neque Viduas ad Nuptias transire patimur, quæ in religioso proposito diuturna observatione permanserunt. Similiter Virgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in Monasteriis ætatem peregisse contigerit.*

Item ex Canone *Viduas*, qui est Concilii Triburiensis vigesimus-quintus (ibidem) *Nos autem Auctoritate Patrum suffulti in hoc Sancto Concilio sancimus, & liberè judicamus, si sponte Velamen, quamvis non consecratum sibi imposuerit, & in Ecclesia inter velatas Deo oblationem obtulerit, velit, nolit, Sanctimoniæ Habitum ulteriùs habere debet : licèt Sacramento confirmare velit, eo tenore & ratione sibi Velamen imposuisse, ut iterum posset deponere.*

Et Canone *Quod interrogasti*, Distinctione xxvii. *Nicolaus I.* statuit ut *Femina, quæ post obitum mariti sui sacrum Velamen super caput suam imposuit, & finxit se sub eodem Velamine Sanctimonialem esse, postea verò ad Nuptias rediit ; quia per hypocrisim Ecclesiasticam Regulam conturbare voluit, & non legitimè in Voto suo permansit, ut pœnitentiam agat de illusione nefanda, & revertatur ad id quod spopondit, & in sacro Ministerio permaneat, quod inchoavit.* Mulieres illæ quæ Professionem simulaverant, & animum non habuerant se obligandi, verè coram Deo non erant reæ Voti cùm Deus cor potiùs quàm vocem consideret, nullúmque sit Votum sine consensu : sed nihilominus quia exceptio simulationis & dissensûs non admittitur ab Ecclesia, quæ non judicat de occultis, solemne illarum Votum ratum præsumitur in foro Ecclesiæ, & Matrimonium postea contractum dirimit. Idem esto judicium de illis qui intra quinquennium non reclamant.

Quamobrem si, qui intra quinquennium non reclamarunt, Professionis, quam irritam esse certò noverant, obligatione ac vinculo in foro Ecclesiæ solvi velint ad finem contrahendi Matrimonium, necesse est ut à Summo Pontifice, aut Congregatione Concilii, vel Regularium, Rescriptum impetrent, quo restituantur in integrum adversùs lapsum quinquennii, causam exponentes legitimam cur non potuerint reclamare, aut ignorantiam nullitatis suæ Professionis, sive fuerit ignorantia Juris, sive facti ; vel continuationem & permansionem violentiæ sive metûs toto quinquennio : impetrato verò Rescripto, causam Reclamationis agant coram Episcopo Diœcesano, & Superiore Regulari Monasterii in quo Professionem emiserunt, ut præscribit Tridentina Synodus. Verùm si quis post quinquennium exi-

vit absque licentiâ, & uxorem duxit ante Sententiam de nullitate Professionis suæ latam, indignum se præbuit restitutione in integrum: & pessimi sanè esset exempli, ut qui pœnam meretur ob violatas Ecclesiæ Leges, ob Apostasiæ crimen, ob infractum continentiæ Votum, quod servare tenebatur, donec Ecclesiæ Judicio Professio ejus irrita declarata esset, præmium & gratiam consequeretur. *Navarrus* tamen & *Fagnanus*, eum posse justè restitui in integrum censent, postquam carcere & Pœnitentiâ diu fuerit maceratus, & admitti ad causas nullitatis Votorum exponendas & probandas, si se legitimè impeditum fuisse ostenderit, ne intra quinquennium reclamaret.

Navarrus Consilio XXIII. Fagnanus in Lib. IV. Decret. Tit. Qui Clerici vel Voventes, &c. ad Cap. Consuluit, Num. 25.

REGULA IV.

Qui contraxit Matrimonium post Votum simplex, illud consummare non potest absque peccato mortali, nisi Dispensationem obtinuerit: postquam autem consummatum est, debitum reddere potest & tenetur conjugi exigenti, sed exigere ipse non potest sine lethali peccato, donec obtenta dispensatione fuerit Voti vinculo solutus.

De Impedimento Voti simplicis.

HAnc Regulam non aliis quam *S. Thomæ* verbis explico in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXXVIII. Quæstione I. Articolo II. Quæstiuncula II. ad tertium. *Ille* (inquit) *qui contrahit Matrimonium per verba de præsenti, post Votum simplex non potest cognoscere uxorem carnaliter sine peccato mortali, quia restat adhuc facultas implendi continentiæ votum ante Matrimonium consummatum. Sed postquam jam Matrimonium consummatum est, est ei factum illicitum non reddere debitum uxori exigenti, tamen ex culpâ suâ: & ideo ad hoc obligatio Voti non se extendit: Tamen debet lamentum Pœnitentia recompensare pro continentia non servatâ.*

Et in Responsione ad quartum: *Quantùm ad ea in quibus non est factus impotens Votum continentiæ servare, adhuc post contractum Matrimonium obligatur ad servandum; propter quod mortua uxore tenetur totaliter continere. Et quia ex Matrimonii vinculo non obligatur ad debitum petendum, ideò non potest debitum petere sine peccato, quamvis possit sine peccato reddere debitum exigenti, postquam obligatus est ad hoc per carnalem copulam præcedentem. Hoc autem intelligendum est, sive mulier petat expressè, sive interpretativè, ut quando mulier verecunda est, & vir sentit ejus voluntatem de redditione debiti: tunc enim sine peccato reddere potest, & præcipuè si ei timet de periculo castitatis.*

Qui autem castitatem expressè non vovit, sed Religionem, quamvis lethaliter peccaverit contrahendo Matrimonium, eo tamen contracto conjugale debitum non solùm reddere, sed exigere potest: licèt enim castitatem quoque implicitè voverit, quæ in Voto Religionis virtute includitur; eam tamen non vovit nisi in solo Statu Religionis servandam.

REGULA V.

Qui Votum simplex Castitatis, non verò Religionis ante Matrimonium emisit, non tenetur ingredi Monasterium ante Matrimonii consummationem.

De Impedimento Voti simplicis.

ID enim non vovit, ut supponitur, nec medium tam durum & extraordinarium eligere tenetur, cùm alia suppetant ad vitandum Voti violationem: Dispensationem enim obtinere potest, vel alteri conjugi persuadere ut continentiam voveat, aut Jure suo cedat. Id confirmatur ex Extravaganti, *Antiqua*, Joannis XXII. *De Voto & Voti Redemptione*, ubi conjugatum, qui ante Matrimonii consummationem Sacrum aliquem Ordinem absque uxoris assensu susceperit, *Ad ingressum Religionis, si Matrimonium consummatum non fuerit, per Diœcesanum instanter moneri* præcepit *& induci: quod si forsan renuerit adimplere, ipsum si Sponsa ejus institerit, per Censuram Ecclesiasticam compellendum* esse *contractum Matrimonium consummare.* Hæc autem coactio ad consommandum esset illicita, nec Ecclesia Censuris Ecclesiasticis hunc in finem uteretur, si is qui Votum simplex, aut etiam solemne castitatis in sacri Ordinis susceptione absque uxoris assensu emisit, non posset Matrimonium consummare conjuge exigente & urgente.

REGULA VI.

Simplicis Voti continentiæ ante Matrimonium emissi reus, tenetur mortuâ uxore continentiam omnino servare: si verò Voto Religionis sit obstrictus, Religionem ingredi tenetur.

De Impedimento Voti simplicis.

ITa censet *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXVIII. Quæstione I. Articulo II. Quæstiuncula II. ad quartum. *Quantùm ad ea* (inquit) *in quibus non est factus impotens votum continentiæ servare, adhuc post contractum Matrimonium obligatur ad servandum; propter quod mortua uxore tenetur totaliter continere.*

Hanc Regulam confirmat *S. Augustinus*, Epistola CCXX. aliàs LXX. *Ad Bonifacium Comitem*, qui concepto Vitæ Monasticæ Voto uxorem duxerat. *Si conjugem* (inquit) *non haberet, diceremus tibi quod & Tubunis diximus, ut in sanctitate continentiæ viveres: adderem, quod tunc fieri prohibuimus, ut jam te, quantùm rerum humanarum salva pace potuisses, ab istis rebus bellicis abstraheres, & ei vitæ vacares in Societate Sanctorum, cui tunc vacare cupiebas, ubi in silentio pugnant Milites Christi, non ut occidant homines, sed ut expugnent Principes & Potestates, & spiritalia nequitiæ, id est, Diabolum & Angelos ejus...... Sed ut te ad istam vitam non exhorter, conjux impedimento est, sine cujus consensione continenter tibi non licet vivere: quia etsi tu eam post illa tua verba Tubunensia ducere non debebas, illa tibi tamen nihil eorum scitus innocenter & simpliciter nupsit. Atque utinam posses ei persuadere continentiam, ut impedimento redderes Deo, quod te debere cognoscis. Sed si cum illa agere non potes, serva saltem pudicitiam conjugalem, & roga Deum, qui te de necessitatibus eruet, ut quod non potes modò, possis aliquando.*

REGULA VII.

Conjuges qui continentiam, vel ad tempus, vel in perpetuum mutuo consensu voverunt, quandiu Voto sunt adstricti, conjugale debitum nec exigere possunt, nec reddere: immo si alter violato Voto debitum exigat, reddere alter non potest.

De Impedimento Voti simplicis.

JUri enim suo renunciavit uterque. Hinc *S. Augustinus* Epistola CCLXII. aliàs CXCIX. ad *Ecdiciam*, quæ nesciente marito vidualem habitum primùm induerat, ipsúmque postea ad continentiam pariter vovendam adduxerat: *Quod Deo* (inquit) *pari consensu ambo voveratis, perseveranter usque in finem reddere ambo debuistis: à quo proposito si lapsus est ille, tu saltem constantissimè persevera.*

REGULA

REGULA VIII.

Si conjugum alter post contractum Matrimonium absque alterius consensu continentiam voveat, & gravis peccati reus est, & Voto nihilominus obstrictus: quare debitum exigere non potest, sed reddere tenetur exigenti.

De Voto simplici Matrimonio superveniente.

HÆc Regola nititur Canone, *Secundùm verba*, Causa XXXIII. Quæstione V. sompto ex Epistola *S. Augustini* ad *Ecdiciam* mox citata. B *Secundùm verba Apostolica* (inquit) *etiamsi se ipse continere voluisset, & tu noluisses, debitum tibi reddere cogeretur, & illi Deus imputaret continentiam, si non sua, sed tua cedens infirmitati, ne in adulterii damnabile flagitium caderes, maritalem tibi concubitum non negaret; quantò magis te, quam magis subjectam esse decuerat, ne ipse quoque in adulterium diabolica tentatione traheretur, in reddendo hujusmodi debito voluntati ejus obtemperare convenerat, cùm tibi voluntatem continendi acceptaret Deus, quia propterea non faceres, ne periret maritus.*

C Hanc & duas præcedentes Regulas confirmat *S. Fulgentius*, Epistulæ I. *De Conjugali Debito*, cap. VII. *Non solùm* (inquit) *à virginibus integritas, verùm etiam à viduis atque conjugibus debet Deo dicata continentia cum timore & tremore servari: quia priusquam sit aliquis voti reus, non condemnatur: sive ergo licitè nubat, sive maritus & uxor conjugale sibi debitum reddant. Postquam verò quisquam meliora consectans, Professione seipsum continentiæ sive integritatis obstrinxerit, gravissimè delinquit, si sibi deinceps licere putat, quod ante licitum fuerat. In talibus quippe rebus, quod vovent Deo sibi adimit voluntas, nulla deinceps impunè per-* D *mittitur usurpare necessitas: nec temerator voti excusationem justam suæ prævaricationis inveniet, quem nemo compulit ut voveret. Est planè aliquid discernendum inter votum virginis, aut viduæ, & inter votum eorum qui tenentur vinculo conjugali: nec enim tanta est vovendi licentia viro sive mulieri potestatem sui corporis non habenti, quanta est vidua cuilibet, aut virgini: conjugato enim vel corporis continentia vovenda facultas plena non suppetit, cujus corpus non in sua, sed in conjugis potestate consistit, secundùm illud Apostoli dictum, quod supra posuimus:* E » Mulier sui corporis potestatem non habet, sed » vir, *&c. Non itaque finitur absque conjugis voluntate continentiam affirmare, cujus corpus non est in propria potestate: hoc enim quisque rectâ & firmâ devotione solus promittit, quod sui tantùm juris esse cognoverit. Tale est enim ut velit quisque corporis sui, quod est in conjugis potestate, continentiam profiteri; quale si quis de alterius substantia aut eleemosynam facere, aut sacrificium conetur offerre. Deus autem noster diligit justitiam, & odio habet rapinam in holocausto. Illa itaque inter conjuges est continentia certa promissio, quæ fuerit utriusque confessione firmata: quam cùm vir & mulier sibi consentientes cordis voluntate tamquam Sacrificium in odo-* F *rem suavitatis super altare fidei Deo vero ac summo in templo sui cordis obtulerint; nec mulier ulteriùs in viri, nec vir in mulieris corpore, ad reposcendum debitum conjugale potest habere legitimam potestatem. Sicut enim priusquam Deo simul voverent, reprehensibilis fuit unius oblatio, quia legitimi consortis deerat assensus: ita cùm pari obtulerit uterque consensu, quod est inseparabiliter utriusque commune, non erit impunitus, si quis munus Deo voluntaria devotione oblatum, illicito crediderit opere temerandum.*

Isai 61.

Et cap. VIII. *Quòd si fortè quis non toto animo vovisse causetur, eò magis damnabilis erit, quòd non* A *simplex ad Deum, sed fictus accessit...... Quàm sit autem malum, quàmque sollicitè effugiendum, si quis de hoc quod Deo voverit, aut retinere, aut repetere aliquid mortiferâ prævaricatione pertentet, exemplo sunt Ananias & Saphira, quos de pretio agri quamdam partem infideliter subtrahentes, non solùm vox Apostolica tamquam divini juris pervasores increpuit, sed etiam severitas Justitiæ cœlestis occidit...... Si quis igitur rem Domino jam devotam, carnali victus illecebrâ crediderit denuo reposcendam, non est legitimus rei suæ possessor, sed divini juris pronunciatur invasor.* B *Nec immeritò continentiæ jam devotæ violator immundus audit, quod avarus pecuniæ fraudator audivit.*

Cap. denique IX. ita hoc argumentum concludit: *Siquidem continentiam pari vovistis consensu, tenorem vestræ dilectionis cum Dei timore servate: & si quando carnalis infirmitas mentem pulsat, animus ad auxilium divinæ miserationis accurrat, nec cedat libidini, sed Deum totâ humilitate fidelis exoret, & desiderio militanti adversùs animam non consentiat, sed repugnet. Si verò continentiam unus vestrûm sine alterius vovit assensu, temerariè se vovisse cognoscat, & debitum conjugi castâ sinceritate redhibeat.*

C Eamdem Regolam confirmat *Celestinus III.* cap. *Charissimus*, Extra: *De Conversione Conjugatorum*, cujus hæc sunt verba: *Fraternitati vestræ mandamus, Quatenus si inveneritis uxorem Regis Sueviæ, gravi infirmitate depressam, continentiam vovisse, & virum ejus ad tempus præbuisse consensum, moneatis si non idem vir continentiam vovit perpetuam, eamdem viro cohabitare faciatis, & utrumque invicem maritali affectione tractare.*

REGULA IX.

D *Vota continentiæ perpetuæ conjugibus, mutuo etiam consensu facienda, suadere numquam, vix ac ne vix quidem permittere debent Confessarii, nisi ambo, aut alter Monasterium ingrediatur cum alterius consensu in scriptis concesso coram Episcopo aut ejus Vicario Generali; aut certè habitatione sint ita disjuncti, & eâ ætate, ac virtute, ut nullum incontinentiæ periculum metuendum sit.*

De cautione Continentiæ in permittendis conjugibus perpetuæ continentiæ votis.

HUjusmodi enim Vota infaustus alioquin exitus sæpius habere compertum est. Nota *Genebaldi* Laudunensis Episcopi historia, quem E cùm uxor, (quâ consentiente Vitam Monasticam amplexus fuerat, ac deinde Episcopus erectus) frequentiùs visitaret, duos ex ea filios suscepit, ob idque à *S. Remigio* Pœnitentiæ addictus est, ut refert *Hincmarus* Archiepiscopus Remensis in *S. Remigii* Vita. Quamobrem etsi vota illa sancta sint & optanda, spectatis tamen moribus hominum, illa suadere, aut facilè permittere non expedit. Conjugibus enim simul habitantibus, aut se mutuò visitantibus valdè arduum ac difficile est continere, præsertim iis qui aliquando commixti fuerunt, & Diabolus occasione datâ pristinos amores, & concupiscentiæ so- F pitos ignes excitat. Ideòque excellenti virtute præditos esse conjuges oportet, qui continentiam voveant in perpetuum, vel etiam in diuturnum tempus. Hinc Apostolus incontinentiæ periculum attendens: *Nolite* (inquit) *fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium.* 1. Cor. 7.

Non expedit etiam permittere ut conjugum alter continentiam voveat altero non vovente, quamvis non repugnante: quia si unus cum alterius consensu voverit, continentiam tamen pec-

petuam servare vix poterit, quia potest alter exigere debitum, cùm non renunciet juri suo. Non expedit denique ut conjugum alter voveat se numquam petiturum debitum: quia id grave esset alteri, qui petere semper cogeretur. Nihilominus qui ita imprudenter voverit, tenetur Votum servare quantùm potest, sic tamen ut Matrimonium non reddat onerosum, putà, reddendo debitum conjugi non solùm expressè, sed interpretativè exigenti; (inquit *S. Antoninus* III. P. Tit. I. cap. XXII. §. II.) *Ad tollendum tamen omne dubium* (inquit) *bonum esset petere super hujusmodi Voto dispensationem. Et posset Episcopus dispensare, ut apertè trahi potest ex his quæ dicit Joannes Andreas in Cap.* Rursus, *Ext.* Qui Clerici vel Voventes.

Et infra: *Omnes in hoc concordant, quòd ex hoc quòd unus vovit simpliciter de licentiâ alterius, non impeditur quin ipse possit ad placitum exigere debitum à vovente, dum ipse simpliciter non voverit.*

Regula X.

Probabilius est conjugem qui alteri conjugi licentiam dedit vovendi continentiam, ipsam revocare non posse postquam Votum emisit.

De Votis Conjugatorum.

Quamquam enim *Petrus De Palude* censeat, eum qui licentiam hujusmodi dedit, posse illam revocare, si in periculo incontinentiæ versetur: *Tamen Doctores multi, & præcipuè S. Thomas in Quartum, & Joannes de Neapoli Quodlibeto VIII. dicunt, quòd Votum continentiæ emissum ab uno conjugum de licentiâ alterius, seu sine licentia, sed postea ratificatum, licentians non potest revocare. Unde si ille qui sic vovet, peteret debitum, non solùm licentians non tenetur reddere, immò nec debet, aliàs peccaret mortaliter, secundùm Joannem Neapolitanum, quia cooperaretur ei in crimine mortali. Nec communiter tenetur quod dictum est à quibusdam, quod ita possit revocari votum continentiæ semel concessum ab altero, sicut Votum abstinentiæ*; (inquit *S. Antoninus*, loco suprà citato §. III.)

Regula XI.

Nemo conjugatus absque consensu uxoris, & nisi illa continentiam voveat, legitimè potest ad Sacrum Ordinem promoveri.

Hæc Regula nititur cap. *Conjugatus*, Extra, *De Conversione Conjugatorum*, quod *Alexandri III.* Responsum est *Nullus* (inquit) *conjugatorum est ad Sacros Ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus.* Idemque confirmat cap. *Sanè*, sub eodem Titulo. Qui autem uxore non consentiente, neque divortii causam per adulterium dante, Sacrum recipit Ordinem, mortaliter peccat: & nisi Religionem profiteatur, actum Ordinis exercere numquam potest, neque ad superiores ascendere, neque Beneficium aut Officium Ecclesiasticum obtinere, ut decernit Joannes XXII. Extravag. *Antiquæ.*

Regula XII.

Uxorem quæ viri Ordinationi non præbuisset assensum, continentiam perpetuam servare deceret; sed eam vovere aut servare non teneretur.

De Votis Conjugatorum.

Hanc Regulam tradit *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXXVII. Quæstione I. Articulo II. *Vinculum Ordinis* (inquit) *solvit vinculum Matrimonii ratione redditionis debiti, ex qua parte habet repugnantiam ad Matrimonium ex parte ejus qui Ordinem suscipit; quia non potest petere debitum, nec uxor tenetur ei reddere: sed tamen non solvit ex parte alterius; quia ipse uxori tenetur debitum reddere, si non possit eam inducere ad continentiam.* Idque confirmat Joannes XXII. in Extravag. *Antiqua.*

Et in Responsione ad secundum: *Si uxor sciat, & de ejus consensu vir Ordinem Sacrum susceperit, tenetur continentiam perpetuam vovere: non tamen tenetur Religionem intrare, si sibi non timeat de periculo castitatis, propter hoc quòd vir ejus solemne votum emisit: si autem sine ejus consensu susceperit, non tenetur, quia ex hoc nullum ei præjudicium generatur.*

Si quis autem uxore invitâ, sed causam divortii per adulterium dante, Sacrum Ordinem suscipit, jure suo utitur, ut colligitur ex cap. *Constitutus*, Extra, *De Conversione Conjugatorum.*

At uxor propter adulterium dimissa non potest intrare Monasterium contradicente viro; & si ingressa fuerit contra voluntatem viri, poterit revocari; (inquit *S. Antoninus*, III. P. Tit. I. cap. XXI. §. 6.)

Articulus V.

De Impedimento Cognationis.

Quotuplex cognationis genus?

Cognatio triplex distinguitur, spiritualis scilicet, legalis, & naturalis.

I. *Cognatio spiritualis, est proximitas sive necessitudo quædam personarum, quæ ex Statuto Ecclesiæ oritur per Baptismi & Confirmationis administrationem, vel susceptionem baptizati aut confirmati*: de qua extat in Jure Canonico integer Titulus *De Cognatione Spirituali.* Hæc olim triplex erat, paternitas, compaternitas, & fraternitas. Paternitas est, quæ contrahitur inter Baptizantem & Baptizatum, & inter Suscipientem & Susceptum. Compaternitas est, quæ contrahitur inter patrem & matrem Baptizati, ex una parte; & ex altera inter Baptizantem & Patrinum; vel patrinos, qui ex sacro Fonte suscipiunt. Fraternitas est, quæ contrahebatur olim inter Baptizatum, & filios naturales Baptizantis & Patrinorum, etiam non legitimos, & etiam genitos post Baptismum. De spiritualis cognationis impedimento respectu Matrimonii contrahendi & contracti, præclarus est *Nicolai I.* locus in Responsis ad Consulta Bulgarorum, cap. II. *Ita diligere debet homo eum qui se suscipit ex sacro Fonte, sicut patrem; quin immò quantò præstantior est spiritus carne, quòd illud spiritale est patrocinium, & secundùm Deum adoptio, tantò magis spiritalis pater in omnibus est à spiritali filio diligendus. . . . Est tamen alia inter eos gratuita & sancta communio, quæ non est dicenda consanguinitas, sed potius habenda spiritalis proximitas. Unde inter eos non arbitramur esse quodlibet posse conjugale connubium; quandoquidem nec inter eos qui naturâ, & eos qui adoptione filii sunt, veneranda Romana Leges Matrimonium contrahi permittunt. . . . Si ergo inter eos non contrahitur Matrimonium, quos adoptio jungit; quantò potiùs à carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per cœleste Sacramentum Regeneratio Sancti Spiritûs vincit? Longè igitur congruentiùs filius patris mei, vel frater meus appellatur is, quem gratia di-*

De Cognationis impedimento.

Cognatio spiritualis.

Cognationem spiritualem & ex ea vetustam impedimentum Matrimonii, agnovit Ecclesia Græca, ut constat ex Synodo Trullana, can. 53. Hujus impedimenti meminit etiam Justinianus l. 26. Cod. de Nuptiis.

vina, quàm quem humana voluntas, ut filius ejus, vel frater meus esset, elegit; prudentiúsque ab alterna corporis commixtione secernimur, quoniam Spiritus Sanctus sua nos charitate coadunavit, quàm si vel carnalis necessitudo, vel invicem nos mutabile cujusdam corruptibilis hominis arbitrium copulasset.

De cognationis impedimento.

Verùm hodie spiritualis cognatio contrahitur tantùm ioter Suscipientem & Susceptum, & illius patrem & matrem: necnon inter Baptizatum & Baptizantem, sive sit Clericus, sive Laicus, qui baptizat, sive vir, sive femina, Baptizatique patrem & matrem. Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, Confirmantem & Confirmatum, illiúsque patrem & matrem, ac tenentem non egreditur: *Omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omninò sublatis*: Secundùm Tridentinam Synodum Sessione XXIV. *De Reformatione Matrimonii*, cap. II.

» II. *Cognatio legalis est propinquitas personarum » ex adoptione consurgens.* (Canone *Per adoptio- » nem*, Causa XXX. Quæstione III. & cap. unico *De Cognatione Legali.*)

» III. *Consanguinitas est vinculum personarum ab » eodem stipite propinquo descendentium, vel quarum » una descendit ab alia, carnali propagatione contra- » ctum.* Dicitur, *Ab eodem stipite propinquo*, quia descendentes ab eodem stipite, remoto tamen, non sunt consanguinei; aliàs omnes homines consanguinei forent, cùm ab Adamo descendant. Dicitur, *vel quarum una descendit ab alia*, ne patris & filii conjunctio excludatur. Pater enim & filius sunt consanguinei, quia unus ab alio descendit. Consanguinitas dicitur, quasi sanguinis unitas: hinc consanguinei seu cognati vocantur, quasi de uno & communi sanguine nati. Nec refert quoad prohibitionem conjugii, an progeniti sint ex uxorio coitu, an ex fornicario, ut respondet *Innocentius III*, cap. *Per tuas*, Extra, *De Probationibus.*

Tria in consanguinitate consideranda.

» IV. Tria in Consanguinitate consideranda » sunt, scilicet stipes, linea, & gradus. Stipes est » illa persona, à qua aliæ omnes, de quarum con- » junctione quæritur, descendunt, & originem » ducunt: nec in computationem personarum ad » constituendum gradum æqualis vel inæqualis » lineæ venit.

Quid linea consanguinitatis?

» Linea est collectio personarum ab eodem sti- » pite descendentium, diversos gradus continens, » & numeros distinguens.

Linea quotuplex?

Linea triplex est, Ascendentium, Descendentium, & Collateralium. Ascendentium dicitur illa, in qua continentur personæ, à quibus nos originem duximus, ut pater, avus, proavus, abavus, atavus, &c. Descendentium, in quâ continentur personæ quæ à nobis originem duxerunt, ut sunt filii, nepotes, pronepotes, trinepotes, &c. Collateralium, seu transversalium linea est, in qua continentur personæ, quæ ex latere & transverso junctæ sunt, à quibus nos non ducimus originem, neque ipsæ à nobis, & tamen ab una stirpe & sanguine propagati sumus, ut fratres, & eorum filii, patruus & amita, consobrini, consobrinorum filii, & consobrinorum filiis nati. Ista collateralium linea rursus duplex est, æqualis, & inæqualis. Æqualis linea dicitur, quando gradus illorum, de quorum consanguinitate quæritur, æqualiter & pariter distant à communi stipite; veluti, duo fratres sunt in linea æquali: uterque enim pariter distat à stipite, scilicet patre, uno gradu. Inæqualis dicitur, quando una persona aliam in gradu præcedit, & personæ, de quarum consanguinitate quæritur, non pariter distant à communi stipite, ut frater & fratris filius: qui frater distat à stipite, patre scilicet, uno gradu; filius verò fratris distat secundo gradu. Ista constant ex Can. *Series*, & Can. *Parentela*, Causa XXXV. Quæstione IV. & toto Titulo Digestorum, *De Gradibus*. Item linea alia est paterna, cujus Caput est pater, alia materna, cujus Caput est mater.

Quid gradus?

Gradus consanguinitatis, est intervallum per- » sonarum, quo cognoscitur quotâ generationis » distantiâ una persona ab alia distat. Dicuntur » Gradus ad similitudinem graduum scalarum, seu locorum proclivium, quos ita ingredimur, ut à proximo in proximum, id est, in eum qui quasi ex eo nascitur, transeamus.

Varia ratio computandi gradus consanguinitatis in jure Canonico & Civili.

V. In linea collateralium Jus Canonicum discrepat à computatione Juris Civilis. Jus namque Civile tot computat gradus, quot sunt ex utroque latere personæ; & ideò fratres & sorores, cùm duæ sint personæ, collocat in secundo gradu: deinde patrueles in quarto, quia patrueles eorúmque parentes ab uno stipite prodeuntes constituunt quatuor simul personas. Tum in linea inæquali transversa nepotem & pronepotem constituit in quinto gradu, ob parem utrinque personarum seu generationum numerum. At Jus Canonicum tantùm connumerat lateris unius generationes à communi stipite deductas, ideóque duas personas in uno gradu constituit, scilicet fratres & sorores in primo gradu, patrueles sive consobrinos in secundo, consobrinorum filios in tertio, consobrinorum nepotes in quarto. Ratio diversitatis inter Jus Civile & Canonicum, quoad hanc computationem graduum, ex utriusque fine percipi potest. *In Legibus siquidem ob nihil aliud ipsorum Graduum mentio facta est, nisi ut hereditas vel successio ab una ad alteram personam inter consanguineos deferatur. In Canonibus verò ob hoc progenies computatur, ut apertè monstretur, usque ad quotam generationem à consanguineorum sit Nuptiis abstinendum. Ibi præscribitur ut hereditas propinquis modo legitimo conferatur: hic verò ut rectè & canonicè inter Fideles Nuptiæ celebrentur. In Legibus distinctè non numerantur gradus, nisi usque ad sextam: in Canonibus autem usque ad septimam distinguuntur generationem. Hac igitur de causa, quia hereditates nequeunt deferri nisi de una ad alteram personam, idcirco curavit secularis Imperator in singulis personis singulos præfigere gradus. Quia verò Nuptiæ sine duabus non valent fieri personis, ideo sacri Canones duas in uno gradu constituêre personas.* Hæc *Alexander II.* Pontifex Maximus, Canone *Ad Sedem Apostolicam*, Causa XXXV. Quæstione IV. ubi ait se in Synodo habitâ in Lateranensi Consistorio, convocatis ad hoc Episcopis & Clericis, atque Judicibus diversarum Provinciarum, errorem illorum, qui confisi Legibus, quas *Justinianus* Imperator de successionibus consanguineorum promulgavit, antiquam Ecclesiæ computationem disturbare nitebantur, sustulisse, certúmque modum dinumerationi graduum consanguinitatis præfixisse.

Impedimentum Consanguinitatis. Rationes prohibitionis Matrimonii inter consanguineos.

VI. Matrimonia inter consanguineos justis certè de causis prohibita sunt, & quæ certis in gradibus contraherentur, irrita declarata. Prima ratio petitur ex reverentiâ quæ parentibus & aliis consanguineis debetur. Altera ex charitate, quæ necessitudinum multiplicatione latiùs diffunditur & corroboratur. Tertia ex concupiscentiæ compressione, cui frænum laxari videretur, si Matrimonium inter illas personas contrahi posset: quas simul habitare & conversari necesse est. Has rationes explicat *S. Thomas*, *Secunda Secundæ*,

Quæstione CLIV. Articulo IX. Primam rationem ex verecunda reverentiâ petitam Scriptura sacra suggerit Levitici XVIII. *Omnis homo* (inquit) *ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus. Turpitudinem Patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies: Mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies: turpitudo enim patris tui est. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, sive ex matre, quæ domi vel foris genita est, non revelabis*, &c. Has omnes rationes *S. Ambrosius* attingit Epistola LX. Novæ Editionis, ad *Paternum* datâ, qui filio neptem ex filia uxorem tradere cogitabat. Hunc verò à proposito deterret Ambrosius. *Tu* (inquit) *copulare paras filium tuum, & neptem ex filia, hoc est, ut accipiat sororis suæ filiam, diversa licet matre quàm fuerit editus. Interroga nominum religionem: Nempe avunculus iste illius, illa hujus neptis vocatur. Nec ipse te revocat sonus nominum; cùm hic avum resonet, illa hoc nomen ad avunculum, quod ad avum referat? Quanta deinde etiam reliquorum confusio vocabulorum? Idem avus & socer vocabere, ea quoque tibi neptis & nurus diverso nomine nuncupabitur. Mutuabuntur etiam fratres diversa vocabula, ut ille socrus fratris sit, iste gener sororis. Nubat avunculo suo neptis, & immaculatorum pignorum charitas illecebroso amori mutetur. Super hoc igitur meam à sancto viro Episcopo vestro exspectari Sententiam dicis. Non opinor, neque arbitror. Nam si ita esset, & ipse scribendum putasset: non scribendo autem significavit quòd nequaquam hinc dubitandum arbitraretur. Quid enim est quod dubitari queat, cùm Lex Divina patrueles fratres prohibeat convenire in conjugalem copulam, qui sibi quarto sociantur gradu? Hic autem gradu tertius est, qui etiam Civili Jure à consortio conjugii exceptus videtur. Sed priùs Sacræ Legis scita interrogemus; prætendis enim in tuis litteris, quod permissum hoc Divino Jure connubium hujusmodi pignoribus existimetur, eò quòd non sit prohibitum. Ego autem & prohibitum assero; quia cùm levius interdictum sit de patruelibus fratribus, multò magis hoc quod arctioris plenum est necessitudinis, interdictum arbitror. Qui enim leviora adstringit, graviora non solvit, sed alligat. Quòd si ideò permissum putas, quia specialiter non est prohibitum; nec illud prohibitum sermone Legis reperies, ne pater filiam suam accipiat uxorem: nunquid ideò licet, quia non est prohibitum? Minimè; interdictum est enim naturæ jure, interdictum est lege quæ est in cordibus singulorum: interdictum est inviolabili præscriptione pietatis, titulo necessitudinis.*

Et infra: *Quid tam solemne quàm osculum inter avunculum & neptem, quod ista quasi filia debet, hic quasi parenti? Hoc igitur inoffensæ pietatis osculum suspectum facies de talibus cogitanda Nuptiis, & religiosissimum Sacramentum caris pignoribus eripies. Si divina te prætereunt, saltem Imperatorum præcepta, à quibus amplissimum accepisti honorem, haudquaquam præterire te debuerunt. Nam Theodosius Imperator etiam patrueles fratres & consobrinos vetuit inter se conjugii convenire nomine, & severissimam pœnam statuit, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora; & tamen illi invicem sibi æquales sunt: tantummodo quia propinquitatis necessitudine, & fraternæ societatis ligantur vinculo, pietati eos voluit debere, quod nati sunt.*

Consobrinorum Matrimonia à Theodosio Imp. prohibita Lege lata.

Secundam præsertim rationem ex necessitudinum multiplicatione petitam *S. Augustinus* exaggerat, Libro XV. *De Civitate Dei*, cap. XVI. nec tamen primam ex reverentiâ & verecundiâ arcessitam, & tertiam ex libidinis compressione prætermittit. *Cùm* (inquit) *genus humanum post primam copulam viri facti ex pulvere, & conjugis ejus ex viri latere, marium feminarúmque conjunctione opus haberet, ut gignendo multiplicaretur, nec essent ulli homines nisi qui ex illis duobus nati fuissent; viri sorores suas conjuges acceperunt: quod profectò quantò est antiquius compellente necessitate, tantò postea factum est damnabilius Religione prohibente. Habita est enim ratio rectissima charitatis, ut homines quibus esset utilis atque honesta concordia, diversarum necessitudinum vinculis necterentur, nec unus in uno multas haberet, sed singulæ spargerentur in singulos; ac sic ad socialem vitam diligentius colligandam plurimæ plurimos obtinerent.*

Et infra: *Quod humano genere crescente & multiplicato, etiam inter impios Deorum multorum falsorúmque cultores sic observari cernimus, ut etiamsi perversis Legibus permittantur fraterna conjugia, melior tamen consuetudo ipsâ malit exhorrere licentiam; & cùm sorores accipere in Matrimonium primis humani generis temporibus omnino licuerit, sic aversetur, quasi nunquam licere potuerit. Ad humanum enim sensum vel alliciendum vel offendendum mos valet plurimum. Qui cùm in hac causa immoderationem concupiscentiæ coërcent, eum dissignari atque corrumpi meritò esse nefarium judicatur. Si enim iniquum est, aviditate possidendi transgredi limitem agrorum, quantò est iniquius libidine concumbendi subvertere limitem Morum? Experti autem sumus in connubiis consobrinarum, etiam nostris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quàm rarò per Mores fiebat, quod fieri per Leges licebat, quia id nec divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana. Verum tamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti, & quod fiebat cum consobrina, penè cum sorore fieri videbatur: quia & ipsi inter se propter tam propinquam consanguinitatem fratres vocantur, & penè germani sunt. Fuit autem antiquis Patribus religiosa curæ, ne ipsa propinquitas se paulatim propaginum ordinibus dirimens longiùs abiret & propinquitas esse desisteret, eam nondum longè positam rursus Matrimonii vinculo colligare, & quodammodo revocare fugientem. Unde jam pleno hominibus orbe terrarum, non quidem sorores ex patre vel matre, vel ex ambobus suis parentibus natas, sed tamen amabant de suo genere ducere uxores. Verùm quis dubitet honestiùs hoc tempore etiam consobrinorum prohibita esse conjugia? Non solùm secundùm ea quæ disputavimus, propter multiplicandas affinitates, ne habeat duas necessitudines una persona, cùm duæ possint eas habere, & numerus propinquitatis augeri; sed etiam quia nescio quomodo inest humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile, ut cui debet causâ propinquitatis reverendum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere videmus & ipsam pudicitiam conjugalem.*

VII. Consanguinitas impedit Matrimonium partim Lege naturæ, partim Lege positiva; eaque vel Divina, ut tempore Testamenti Veteris; vel Ecclesiastica, ut tempore Novi. Idemque de affinitate esto judicium. Naturæ lege vetitum est, Matrimonium filii cum matre, patris cum filia, privigni cum noverca, qualem nec inter Gentes auditam Apostolus testatur (1. *Cor.* V.) Item vitrici cum privigna, socerique cum nuru. Connubia quoque fratrum & sororum, sive germani sint, sive uterini, lege naturæ prohibita, probabilior opinio est. Pudori namque ac reverentiæ naturali Matrimonia hujusmodi adeo repugnant, ut nullæ gentes nisi incultæ & barbaræ illa permiscerint. Connubia consanguineorum & affinium in cæteris gradibus lineæ collateralis, ut amitæ cum fratris filio, & patrui cum fratris filia, aliàque simili, Lege positiva Dei prohibita

Matrimonia inter consanguineos quibus legibus vetitum.

erant Israëlitis, (*Levitici* XVIII.) Cùm autem Præcepta illa Judicialia Veteris Legis Christi Passione & Resurrectione, Novæque Legis promulgatione abrogata sint, Matrimonia io illis gradibus consanguinitatis illicita sunt, & dirimontur, in quibus impedimentum dirimens constituit Ecclesia. Unde Sacra Synodus Tridentina Sessione XXIV. Canone III. *Si quis* (inquit) *dixerit, eos tantùm consanguinitatis & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere ut plures impediant & dirimant, Anathema sit.*

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA I.

In linea rectâ ascendentium & descendentium tot sunt gradus, quot sunt personæ unâ demptâ, videlicet dempto stipite, à quo computatio initium habet.

De Consanguinitatis Impedimento

EXemplum esto in hoc Schemate:

DAVID.
Salomon. 1.
Roboam. 2.
Abias. 3.
Asa. 4.

Si quæratur in quo gradu differit inter se *David & Asa*: numera personas, quinque reperies, *Davidem, Salomonem, Roboamum, Abiam, Asam*: Dempto stipite, scilicet Davide, supersunt quatuor. Igitur *David & Asa*, in quarto gradu sunt conjuncti; *Abias & David* in tertio; *Roboam & David* in secundo, *Salomon & David* in primo: sicque filios primum gradum constituit, nepos secundum, pronepos tertium, abnepos quartum. Hæc Regula Jori Civili & Canonico communis est.

REGULA II.

In linea collateralium æquali, quoto gradu duæ personæ distant à communi stipite, eodem gradu à se mutuò distant.

De Consanguinitatis Impedimento

EXemplum esto in sequenti Schemate:

	ÆACUS.	
Peleus. 1.		*Telamon.* 1.
Achilles. 2.		*Ajax.* 2.
Pyrrhus. 3.		*Filius Ajax.* 3.

Peleus distat à stipite, scilicet *Æaco* primo gradu; ergo & *Peleus & Telamon* distant inter se primo gradu. *Achilles* distat à stipite secondo grado; ergo *Achilles & Ajax* à se mutuò distant secundo gradu. *Pyrrhus* distat à stipite tertio gradu; ergo *Pyrrhus* & filius *Ajacis* tertio gradu à se mutuò distant. Et sic semper duo grados legales unum Canonicum constituunt. Sic ergo fratrum filii, qui fratres patrueles, consobrini, seu cognati germani dicuntur, in secundo gradu se contingunt, quia duobus gradibus ab avo distant, qui est communis ipsorum stipes: filii consobrinorum seu cognatorum germanorum, in tertio gradu:
B geniti ex filiis consobrinorum, in quarto grado. Hanc Regulam confirmat cap. *Parentelæ*, & cap. *Ad Sedem*, Causa XXXV. Quæstione V.

REGULA III.

In linea collateralium inæquali, eo gradu à se mutuò distant personæ, quo gradu distat remotior à communi stipite.

C EXemplum esto in Schemate sequenti:

	NOE.	
	Sem. 1.	*Arphaxad.* 2.
Chus. 3.	*Cham.* 1.	*Sale.* 3.

Vis scire quot gradibus à se mutuò distent *Sale & Chus*? Distant tribus gradibus, quia *Sale* collateralis remotior tribus distat gradibus à communi amborum stipite, qui est Noë, ex quo tres istæ personæ propagantur, *Sem, Arphaxad, Sale*. Sic fratris filios ob amita duobus
D gradibus distat, quia totidem inter ipsum, qui remotior est, avúmque, communem utriusque stipitem, generationes intercedunt: Hinc persona distans à stipite quarto grado vel citeriori, cum ea quæ distat quinto vel ulteriori contrahere potest. Exempli gratiâ, *Petrus* duos filios suscepit, *Martinum & Bertam*, qui sunt consanguinei in primo gradu, frater scilicet ac soror. Ex *Martino* natus est *Joannes*; de *Berta* ex alio latere natus est *Robertus*: Hi consanguinei sunt in secundo gradu, æqualiter distantes à *Petro* communi stipite, utpote patrueles seu cognati germani (ut loquuntur.)
E Ex *Joanne* natus est *Stephanus*, ex *Roberto* propagatus est *Albertus*: Hi consanguinei sunt in tertio gradu, consobrinorum nempe filii, distantes à *Petro*, communi stipite, tertio gradu. Ex *Stephano* natus est *Jacobus*, ex *Alberto Franciscus*, quarto grado à *Petro*, adeóque & à se mutuò distantes. Ex *Francisco* natus est *Genovefa*. Hic distat quinto grado à stipite, scilicet *Petro*: Eodem itaque gradu distat à quolibet alio collaterali alterius lineæ.

De Consanguinitatis Impedimento

F

	PETRUS.	
Martinus. 1.		*Berta.* 1.
Joannes. 2.		*Robertus.* 2.
Stephanus. 3.		*Albertus.* 3.
Jacobus. 4.		*Franciscus.* 4.
		Genovefa. 5.

De Consanguinitatis Impedimento

Genovefa, ut patet, distat quinto gradu à *Petro* communi stipite: igitur quinto etiam gradu distat à quolibet alio descendente per aliam lineam, & sic distat quinto gradu à *Martino*, *Joanne*, *Stephano*, *Jacobo*: quam ob rem illi nubere potest, & cuilibet alteri a *Petro* per aliam lineam descendenti: quia in linea collateralium inæquali eo gradu à se mutuo distant personæ, quo distat remotior à communi stipite. Hanc Regulam confirmat *Gregorius IX.* cap. *Vir qui*, Extra, *De Consanguinitate & affinitate*, cujus hæc sunt verba: *Vir qui à stipite quarto gradu, mulier quæ ex alio latere distat quinto, secundùm Regulam approbatam, quâ dicitur: Quoto gradu remotior distat à stipite, & à quolibet per aliam lineam descendentium ex eodem: licitè possunt matrimonialiter copulari.*

REGULA IV.

Secundùm hodiernam Ecclesiæ Disciplinam, consanguinitas collateralium Matrimonium impedit, usque ad quartum gradum inclusivè. Idémque de Affinitate judicium esto.

NUptiarum inter consanguineos & affines prohibitio usque ad septimum gradum olim producta fuit, ut constat ex *S. Gregorio* Lib. XIII. Epistola XXXII. & in Responsione ad sextam interrogationem Augustini Anglorum Episcopi; ex Canone *De Consanguinitate*, qui est *Nicolai II.* ex Canone *Nulli*, qui est Concilii III. Lugdunensis, Causa XXXV. Quæstione III. & Canone *Ad Sedem*, qui est *Alexandri II.* Quæstione IV. Verùm hanc prohibitionem Concilium Lateranense sub *Innocentio III.* ad quartum gradum consanguinitatis & affinitatis restrinxit. Cujus Concilii Decretum refertur cap. *Non debet*, Extra, *De Consanguinitate & Affinitate*, cujus hæc sunt verba: *Prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum consanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari.* In ea Disciplina nihil à Concilio Tridentino mutatum est, immo illam confirmavit Sessione XXIV. Canone IV. *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; Anathema sit.*

REGULA V.

Contracta in gradibus prohibitis Matrimonia adeo sunt irrita, ut nullo annorum numero defendi possint & convalescere.

ID constat ex cap. *Non debet*, mox citato, qui est Concilii Lateranensis Quarti Canon quinquagesimus. *Cùm ergo* (inquit) *jam usque ad quartum gradum prohibitio copulæ conjugalis sit restricta, eam ita volumus esse perpetuam, non obstantibus Constitutionibus super hoc dudum editis, vel ab aliis, vel à nobis, ut si quis contra prohibitionem hujusmodi præsumpserit copulari, nullâ longinquitate defendatur annorum: cùm diuturnitas temporum non minuit peccatum, sed auget: tantóque sunt graviora crimina, quantò diutiùs infelicem animum detinent alligatum.* Id confirmat Regula Juris XVIII. in Sexto: *Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit.* Separandi sunt ergo qui in gradibus prohibitis contraxerunt, donec impetratâ Dispensatione, si obtineri possit, iterum contraxerint. Idem confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XLI. Quæstione I. Articulo V. ad secundùm: *Illa* (inquit) *quæ sine peccato esse non possunt, nulla præscriptione firmantur.*

REGULA VI.

Infideles in secundo, tertio, vel quarto consanguinitatis gradu conjuncti, si convertantur ad fidem, non sunt separandi, & eorum proles est legitima.

De Consanguinitatis Impedimento

SIc respondet *Innocentius III.* cap. *De Infidelibus*, Extra, *De Consanguinitate & Affinitate*, & cap. *Gaudemus*, Extra, *De Divortiis.* Ratio est, Quia *Infideles Constitutionibus Canonicis non arctantur* (*Quid enim ad nos, secundùm Apostolum, de his qui foris sunt, judicare?* Unde *In favorem præsertim Christianæ Religionis & fidei, à cujus perceptione per uxores se deseri timentes viri possunt facilè revocari: fideles hujusmodi matrimonialiter copulari liberè possunt, & licitè remanere conjuncti, cùm per Sacramentum Baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur.* Aliud esto de Hæreticis Judicium: cùm enim Ecclesiæ Jurisdictioni subditi sint, ex quo Baptismum susceperunt, Legibus Ecclesiasticis obligantur: ideóque separandi sunt, si Matrimonium in gradibus prohibitis contraxerint, donec impetratâ Dispensatione, iterum contraxerint.

REGULA VII.

Legalis Cognatio Matrimonium impedit contrahendum; & contractum dirimit inter adoptantem & filiam adoptivam, aut filii adoptivi posteros usque ad quartum gradum; necnon inter uxorem filii adoptivi, & adoptantem: sive inter uxorem adoptantis & filium adoptivum. Idque impedimenti genus solutâ etiam adoptione durat.

De cognatione Legalis Impedimento

ITa Legibus Civilibus sancitum est, quas Ecclesia probavit. Idque confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XLII. Quæstione II. Articulo III.

Idem docet *S. Raymundus* Libro IV. *Summæ*, pag. 543. & 544.

REGULA VIII.

Matrimonium inter adoptatum & filiam naturalem atque legitimam adoptantis contractum adoptione manente, sive priusquam alteruter emancipatione exeat è communi patris potestate, irritum est.

L. Adoptivus, & L. Quin etiam, in Digestis, Tit. De Ritu Nuptiarum.

HÆc Regula nititur canone *Ita diligere*, & Canone *Post susceptum*, necnon L. *Per Adoptionem*, in Corpus Juris Canonici relata, Causa XXX. Quæstione III. & ex cap. unico *De Cognatione Legali*, quod est *Nicolai III.* ad Consulta Bulgarorum respondentis. *Si qua* (inquit) *per adoptionem mihi soror esse cœperit, quandiu durat adoptio, inter me & ipsam Nuptiæ consistere non possunt.*

Id confirmat *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Distinctione XLII. Quæstione II. Articulo III. *Triplex est* (inquit) *Legalis Cognatio: Prima quasi descendentium quæ contrahitur inter patrem adoptantem, & filium adoptatum, & filium filii adoptivi, & nepotem, & sic deinceps: secunda quæ est inter filium adoptatum, & filium naturalem. tertia per modum cujusdam affinitatis, quæ est inter patrem adoptantem & uxorem filii adoptati; vel è converso inter filium adoptatum, & uxorem patris adoptantis. Prima ergo cognatio & tertia perpetuò Matrimonium impediunt: Secunda autem non, nisi quamdiu*

quandiu in potestate manet patris adoptantis: unde mortuo patre vel filio emancipato, potest contrahi inter eos Matrimonium. At inter filios & filias adoptivat, vel inter filiam illegitimam & filium adoptivom, seu filium illegitimum & filiam adoptivam Matrimonium ratum esset, cùm nullis Canonibus aut Legibus prohibeatur.

Raguia IX.

Matrimonio conjungi possunt vir & mulier, qui simul puerum aliquem de sacro Fonte susceperunt: Potest etiam susceptus uxorem aut filiam patrini sui ducere; & similiter suscepta marito aut filio sua matrina nubere potest. Item uxor patrini patri filiastri, & maritus matrina matri filiastra Matrimonio copulari possunt.

De cognationis spiritualis impedimento

NUlla enim est inter bujusmodi personas spiritualit cognatio post Concilii Tridentini Decretum, quod spiritualem cognationem inter Susceptores sive Patrinos dumtaxat & Baptizatom ipsum, & illiut patrem ac matrem, necnon inter Baptizantem & Baptizatum, Baptizatique patrem ac matrem contrahi declaravit Sessione XXIV. *De Reformatione Matrimonii*, Cap. II. Quod autem nihil intersit ac unos eorum, de quorum conjugio agitur, ab alterios patre vel matre susceptus sit in Sacramento Baptismi vel Confirmationis, constat etiam ex Cap. *Super eo*, quod est *Alexandri III.* Responsum, Extra, *De Cognatione Spirituali.* Hanc denique Regulam confirmat Constitutio *S. Pii V.* quæ incipit, *Cum illius vicem*, anno MDLXVI. edita. *Nos* (inquit) *piarum mentium quieti, & Matrimoniorum favori (quantum ex alto nobis permittitur) consulere volentes, à præcisis verbis Concilii minimè discedendum in præmissis esse censuimus. Et propterea nullum ampliùs impedimentum ratione cognationis hujusmodi subesse decernimus, & declaramus, quominus inter dictos maritum vel uxorem Suscipientis, & Baptizatum, Baptizatique patrem & matrem, & quascumque alias personas tam ex parte Suscipientis, quàm Baptizantis & Baptizati, in dicto Concilio nominatim non expressas, Matrimonium licitè & liberè contrahi possit: & ita ab hominibus judicari debere, mandamus atque statuimus.*

Regula X.

Si vir aut mulier proprium filium de sacro Fonte ex ignorantia vel dolo susceperint, propter hoc separari non debent, nec alter alteri debitum subtrahere; sed illis Pœnitentia imponenda est.

De cognationis spiritualis impedimento

DE separandis conjugibus, quorum alter vel communem, vel alterius ex alio connubio filium, sive casu aut ex necessitate, sive dolo baptizassent, aut coram Episcopo confirmandum tenuissent, Canones variarunt, ut patebit legenti Canonem I. & sequentes, Causa XXX. Quæst. I. Sed *Alexander III.* Cap. *Si vir*, Ext. *De Cognatione Spirituali*, secundùm *Nicolai I.* & Concilii Cabilonensis II. definitionem pronunciavit, minimè distrahendum esse hac de causa conjugium, ejúsque Jure uti conjugibus permittendum, nisi ambo induci ad continentiam possint. *Quamvis* (inquit) *generaliter sit institutum, ut debeant separari: quidam tamen humaniùs sentientes, aliter statuerunt. Idéoque nobis videtur, quòd sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi: nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci: quia si ex ignorantia id factum, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari, vel dolus.* Debent tamen, qui fraudulenter id egerint, Pœnitentiâ peccatum suum diluere, secundùm Canonem *Dictum est*, qui est Concilii Cabilonensis II. trigesimus-primus, & Canonem *De his*, quod est *Nicolai I.* Responsum *Rodulfo* Bituricensi Episcopo datum, Causa XXX. Quæst. I.

De Cognationis spiritualis impedimento

Rsgula XI.

Si quis infantem ad Baptismum per Procuratorem offerat, & ex Baptismo suscipiat, ipse, non Procurator, spiritualis cognationis vinculo ligatur.

UT enim Susceptor cognationem contrahat spiritualem, necesse est ut à parentibus baptizandi, vel iis ad quos spectabit, electus sit, & à Parocho admissus ad Baptizatum de sacro Fonte suscipiendum: *Quòd si alii ultra designatos Baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant.* Ita statuit sacra Synodus Tridentina Sessione XXIV. *De Reformatione*, Cap. II. Atqui Procurator non legitur nec designatur à parentibus, sed ille solùm qui Procuratorem constituit, ut inter Principes ac Magnates fieri videmus. Item qui Procuratorem constituit, agit ut causa princeps: Procurator verò ut causa instrumentaria; nec proprio nomine, sed mandantis agit. Unde Sacra Congregatio Concilii Interpres judicavit, Eum qui nomine alterius infantem de sacro Fonte suscipit, non contrahere sibi cognationem spiritualem, sed mandanti, ut referunt *Navarrus* Lib. V. Consiliorum, & *Fagnanus* in IV. Lib. Decretalium, ad Cap. *Veniens*, Tit. *De Cognatione spirituali.* Frustra verò quis opponeret, ad contrahendam spiritualem cognationem requiri contractum Baptizati, secundùm Canones: absentem verò non tangere Baptizatum, nec eum de sacro Fonte suscipere. Respondetur enim, Sufficere ut tangat & suscipiat per alium, qui ejus nomine & mandato id præstat. Si quis objiciat, Eum qui pro se baptizandi munus alteri demandat, nullam contrahere cognationem spiritualem, sed eum solum qui suâ manu baptizat: Respondetur, Magnum inter utramque speciem intercedere discrimen: Qui enim baptizat, quamvis a Parocho sit ad id muneris delegatus, non tamen ejus nomine baptizat, nec illius personam sustinet, sed unius Christi Domini, cujus Minister est immediatus: At Procurator personam ejus gerit, qui ad suscipiendum Baptizatum à parentibus electus & designatus est, & eorum nomine ipsum suscipit.

Regula XII.

Quamvis Jure communi vetitum sit ne plures Baptizatum de sacro Fonte suscipiant, sed unus tantùm & una suscipere debeant, secundùm Tridentini Concilii Decretum: Si tamen plures designati susceperint & tetigerint, nec appareat quis prior sit designatus, contrahunt omnes cognationem spiritualem, quæ Matrimonium impedit ac dirimit.

De cognationis spiritualis impedimento

ISTud constat ex Cap. *Quamvis*, Tit. *De Cognatione spirituali*, in Sexto. Atque ita respondit Congregatio Concilii Tridentini interpres, referente *Fagnano*, in Cap. *Ex Literis*, Ext. *De Cognatione spirituali.*

REGULA XIII.

Si quis proprium filium ex legitimâ uxore susceptum, in extremo vitæ periculo constitutum baptizaverit, cùm non esset alius qui baptizare posset, spiritualis cognatio Matrimonium non dirimit, aut usum ejus impedit: At si susceptus sit ex concubina, est impedimentum prohibens Matrimonium cum illa, diriménsque contractum.

HÆc Regula quoad primam partem nititur Canone *Ad limina*, qood est *Joannis VIII.* Responsum, *Anselmo* Lemovicensi Episcopo datum, quem reprehendit, quòd *Stephanum* quemdam, qoi filium suum morti proximom baptizaverat, à sua conjuge propterea separandom judicasset. Verùm baptizando vel suscipiendo filium suum ex concubioa genitum, spiritoalem cognationem cum illa contrahit, quæ Matrimonium impedit contrahendum, & contractum dirimeret, ut respondent *Navarrus* Consilio v. *De Cognatione spirituali*, & *Fagnanus* in Cap. *Si vir*, eodem Tit. Lib. IV. Decretalium. Rationem discriminis hanc afferunt, qoòd in prima specie cognatio spiritualis Matrimooio legitimè contracto accidat: in secunda verò matrimonium præveniat contrahendum: in primâ, legitimus usus conjugii interturbari non debeat, ne uxori fiat injuria: in altera, illicitum commercium impediatur, nullóque jure privetur concubina, quia nullum habet.

Fornicator propriam prolem suscipiens contrahere non potest cum fornicaria matre.

ARTICULUS VI.

De Impedimento Affinitatis.

Quid est affinitas?

„ AFfinitas est vinculum seu propinquitas ex „ carnali copulâ procedens, omni carens pa„ rentela.

Dicitur, *ex carnali copulâ*, non ex Nuptiis: Quia affinitas secundùm Canones oritur ex copula tam licita, quam illicitâ, etiamsi sit coacta, ut colligitur ex Cap. *Discretionem*, Ext. *De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ.* Necesse aotem est ad inducendam affinitatem, ut copula completa sit, cum seminis scilicet virilis effusione intra vas debitum. Unde non sofficit violatio virginitatis, & quòd claustra pudoris qois invadat, ore qoælibet alia turpitudo, sive præposterus aot sodomiticus congressus ad eam indueeodam; ot constat ex Canone *Extraordinaria*, Causa XXXV. Quæst. III. & ex Glossa illius Canonis, necoon ex *S. Thoma.* Neque eriam consurgit ex Matrionio rato & noo consummato, sed tantùm impedimentum publicæ bonestatis.

Dicitur, *Omni carens parentela*, non quòd affinitas concurrere non possit cum consanguinitate, sed qùia id per se non convenit affinitati, & à diversa radice oriuntor.

Dicitor affinitas, quasi duorum ad onum finem unitas, eò quòd duæ cognationes, quæ diversæ in se sunt, per Nuptias, secuodùm Leges; vel etiam per eoitum, secundùm Canones, copulantot, & altera ad alterius cognationis finem accedit.

Quotuplex affinitas?

Affinitas duplex est, legitima, & illegitima. Legitima dicitur, quæ per Nuptias legitimas contrahitur: Illegitima, quæ per copulam illicitam inducitur.

Tria sunt affinitatis genera, quæ olim in usu erant. Primum est, quod per primam carnis copulam, sive mediante unâ personâ contrahitur. Regula enim est, quòd *Persona addita per carnis copulam, non gradum, sed genus attinentiæ mutet.* Quod hoc Versiculo significatur:

Mutat nupta genus, sed generata gradum.

Exempli gratiâ: Ego & soror mea jongimur io primo gradu consanguinitatis; soror legitimè vel illegitimè à Petro cognoscitur, & sic persona Petri per copulam carnalem additur sorori meæ. Hæc igitur copola mutat genus attinentiæ: quia alio genere attinet mihi soror mea, scilicet genere consanguinitatis; alio Petrus, videlicet genere affinitatis: Sed non motat gradum, quia quo gradu consanguinitatis mihi jungitor soror, eodem affinitatis grado jungitur mihi Petrus, scilicet primo.

Secundum genos affinitatis constituit persona primo generi addita, copulâ carnali intervenieute. Petrus scilicet maritus sororis meæ, qui mihi in primo genere & gradu affinitatis conjunctus est, sorore meâ defunctâ contrahit cum Maria; Hæc Petro sororio meo per carnis copulam juncta mutat geous; quia cùm Petrus attineret mihi primo genere, hæc nunc mihi & omnibus consanguineis sororis meæ secuodo genere affinitatis attinet.

Tertium genus affinitatis est, quod per tertiam carnis copulam, sive tribus personis mediantibus contrahitur. Exemplâ gratiâ, mortuo Petro sororio qoondam meo, Maria ejos Vidua alteri, scilicet Jacobo nubit: Hic Jacobus erit mihi & omnibus consanguineis meis tertio genere affinitatis conjunctus, qoia persona personæ secundi generis per matrimonialem copulam adjecta, tertiom genus affinitatis constituit. In his tribus affinitatis geoeribus Matrimonium olim intra certos grados prohibitum erat, ot patet ex variis Canonibus relatis Caosa XXXV. Quæsto x. Verùm secundnm & tertium genus affinitatis hodie sublatum est, nec Matrimonium impedit, sed solommodo primom, ex Decreto Concilii Lateranensis IV. sub *Innocentio III.* quod refertur Cap. *Non debet*, Ext. *De Consanguinitate & Affinitate*: quo etiam sublata est antiqua prohibitio, ne soboles ex secundis Nuptiis suscepta cum prioris viri cognatioue Matrimonium contrahere posset.

Affinitas propriè gradus noo habet, sed gradus affinitatis nomerantur secundùm grados consanguinitatis. Titius verbi gratiâ ducit oxorem, vel alicui molieri carnaliter copulatur: Omnes consanguinei uxoris, vel mulieris illius, sunt affines Petro in eo gradu, in quo sunt consaoguinei uxoris ejus, vel illius mulieris, secundùm Regulam superiùs indicatam: *Persona addita personæ per carnis copulam, non mutat gradum, sed genus attinentiæ.*

Affinitatis ordo.

Affinitatis ordo ita constituendus est, ot duæ personæ quæ copulam habuerunt, sint communis stipes ac principiom affioitatis, quæ in duas lineas dividitur, rectam, & traosversam sive collateralem. In linea rectâ locantur Ascendentes & Descendentes: Ascendentes sunt, Socer & Socrus, id est, mariti vel uxoris pater & mater: Vitricos, id est, præsens maritus matris meæ, à quo tamen genitus non som, sed à priori marito, cujus post obitum isti nupsit: & Noverca, id est, præsens patris mei uxor, quæ mo non peperit, cùm sim ex priore connubio genitus. Descen-

De impedimento affinitatis.

Descendentes, sunt Gener, id est, filiæ maritus; & Nurus, id est, filii uxor: Privignus vel Privigna, id est, uxoris vel mariti filius vel filia, ex alio marito, vel alia uxore suscepti, & ulteriores. In linea transversa seu collaterali sunt Levir, id est, frater mariti vel uxoris; Sororius, sive Sororinus, id est, sororis maritus. Cæteri eo consanguinitatis nomine appellari solent, quo nomine vel gradu ab eo nuncupantur, cujus causâ affinitatem contraxerunt: Veluti qui uxoris avunculus est, nepos aut consobrinus, is & mariti avunculus, nepos, aut consobrinus appellatur.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

Regula I.

Affinitas, sicut & consanguinitas, Matrimonium inter ascendentes & descendentes in quocumque gradu lineâ rectâ impedit ac dirimit.

HI enim loco parentum & liberorum habentur: *Æquè autem (ut Canones dicunt) abstinendum est à consanguineis uxoris, ut propriis.* Verba sunt *Alexandri III.* Cap. *Ex literis*, Ext. *De Consanguinitate & affinitate.*

Affinitatis impedimentum in rectâ lineâ ipso Naturæ Jure constitutum est, omnesque gentes benè moratæ incestas illas conjunctiones velut immania scelera execratæ sunt Hinc Apostolus I. ad Corinthios v. *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Levitici xx. *Qui supra uxorem filiam, duxerit matrem ejus, scelus operatus est, vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri.* Amos v. *Filius ac pater ejus iverunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum.*

Regula II.

Affinitas in linea collaterali Matrimonium impedit ac dirimit usque ad quartum gradum inclusivè.

ITa statutum est Canone *Non debet*, Extra, *De Consanguinitate & Affinitate.* Quare vir uxoris defunctæ consanguineam in quarto gradu aut superioribus, uxorem ducere absque Dispensatione non potest; nec mulier mariti defuncti consanguineo in quarto gradu aut superiori nubere.

Regula III.

Quoto gradu consanguinitatis attinet mihi vir, eodem gradu affinitatis attinet mihi uxor.

HÆc Regola generalis est ad inveniendum gradus affinitatis certissima, ut constat ex Canone *Porrò*, sub Gregorii Papæ nomine vulgato, Causa xxxv. Quæstione v. *Porrò de affinitate, quam dicitis parentelam esse, quæ ad virum ex parte uxoris, seu quæ ex parte viri ad uxorem pertinet, manifestissima ratio est: Quia si secundum Divinam Sententiam, ego & uxor mea sumus una caro, profectò mihi & illi mea suáque parentela propinquitas una efficitur. Quocirca ego & soror uxoris meæ in uno & primo gradu erimus: filius verò ejus in secundo gradu erit à me: neptis verò in tertio: Idque utrinque in cæteris agendum est successionibus. Uxorem verò propinqui mei, cujuscumque gradus sit, ita me oportet attendere, quemadmodum ipsius quoque gradus aliqua femina propria propinquitatis sit. Quod nimirum uxori de propinquitate viri sui in eunctis cognationis gradibus convenit observari. Qui verò aliorsum sentiunt, Antichristi sunt: A quibus tantò fortiùs vos oportet cavere, quantò apertius deprehenditis illos Divinis Legibus repugnare.*

De impedimento affinitatis.

Regula IV.

Inter consanguineos uxoris & viri nulla intercedit affinitas, propter quam inter eos Matrimonium debeat impediri. Quare, pater & filius cum matre & filia, & duo fratres cum duabus sororibus Matrimonium legitimè contrahere possunt.

ITa declarat *Innocentius III.* Cap. *Quod super his*, Extra, *De consanguinitate & Affinitate*, scribens: *Super eo igitur, quod pater & filius cum matre & filia, & duo cognati cum duabus cognatis, avunculus & nepos cum duabus sororibus contrahunt Matrimonia: taliter tibi duximus respondendum, Quòd licèt omnes consanguinei uxoris sint viri affines, inter consanguineos tamen uxoris & viri, ex eorumdem, scilicet viri & uxoris conjugio, nulla prorsus affinitas est contracta, propter quam inter eos Matrimonium debeat impediri.* Secundùm hanc Regulam, Mariti filius ex alia uxore, & uxoris filia ex alio marito, vel contra, Matrimonium rite contrahunt, licèt habeant fratrem, sororémve ex Matrimonio postea contracto natos. Græci affinitatem longiùs extenderunt. Extant enim in Jure Græco-Romano Synodales Sententiæ Imperatorum Legibus firmatæ, quibus Nuptiæ duorum fratrum cum duabus sororibus vel consobrinis, & vice versâ, aliæve ejus generis illicitæ pronunciatur, ob nominum (ut aiunt) confusionem. Sed ad nos nihil attinet hæc Disciplina.

Regula V.

Affinitas ex illicitâ copulâ Matrimonium infra secundum gradum contractum non dirimit; nec impedit.

ID constat ex Decreto Concilii Tridentini Sessione xxiv. *De Reformatione Matrimonii*, Cap. iv. *Præterea* (inquit) *Sancta Synodus eisdem, & aliis gravissimis de causis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, & Matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantùm qui in primo & secundo gradu conjunguntur, restringit: In ulterioribus verò gradibus statuit hujusmodi affinitatem Matrimonium postea contractum non dirimere.* Sed nec hujusmodi impedimentum dirimit Matrimonium eorum, qui in secundo simul & tertio gradu affinitatis ex illicita copula provenientis conjunguntur. In secundo namque & tertio gradu conjuncti, in tertio tantùm conjuncti censentur, secundùm Regolam ab omnibus receptam: *Quoto gradu quis remotior distat à stipite, eodem gradu distat à quolibet per aliam lineam descendente ab eodem stipite:* Et secundùm Responsum *Gregorii IX.* Cap. *Vir qui*, Extra, *De Consanguinitate & Affinitate.*

Quòd verò affinitas ex illicita copula proveniens in primo tantùm & secundo, non in ulterioribus gradibus Matrimonium contrahendum impediat, cùm de sensu Tridentini Decreti dubium exortum esset, declaravit Beatus Pontifex *Pius V.* Constitutione quæ incipit, *Ad Romanum Pontificem*, edita anno MDLXVI.

REGULA VI.

Qui cognovit Consanguineam uxoris suæ in primo vel secundo gradu, debitum petere non potest, reddere tamen tenetur.

De Impedimento affinitatis.

ITa respondet *Innocentius III.* Cap. *Discretionem*, & Cap. *Tua Fraternitatis*, Extra, *De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ*. Postremi Capitis hæc verba sunt: *Tua fraternitatis devotio postulavit, utrum is qui cum sorore legitimæ conjugis fornicatur, cum uxore possit postmodum commorari, & exigere debitum, ac solvere requisitus. Nos igitur respondemus, Ut à commixtione viri abstineat propter publicam honestatem, & in continentia maneat, donec vir viam universæ carnis ingressus fuerit, diligentius est monenda. Quòd si fortè commonitioni parere recusans talis fuerit, ut de lapsu timeatur ipsius, vir ejus poterit & debebit cum Dei timore debitum ei solvere conjugale: cùm affinitas post Matrimonium iniquè contracta illi nocere non debeat, quæ iniquitatis particeps non existit.* Idem confirmat *Gregorius IX.* Cap. *Jordana* sub eodem Titulo.

Idem docet *S. Antoninus* III. P. Tit. I. Cap. XI. *Qui cognovit consanguineam uxoris suæ adhuc sponsæ, soluta sunt sponsalia, nec potest hujusmodi sponsam habere in uxorem, obstante sibi affinitate contracta: nec è converso illam quam fornicariè cognovit, obstante sibi publicæ honestatis justitia, & hoc nisi Papa dispensante. Qui autem cognovit consanguineam uxoris, cum qua contraxerit per verba de præsenti, sed nondum consummavit Matrimonium, cùm non possit debitum negare nisi intrando Religionem, videtur quòd ad hoc teneatur, ne incestum committat cognoscendo affinem; & cùm hoc valeat facere, quia nondum consummavit. Quòd si vult remanere in sæculo, necessaria est sibi dispensatio ad reddendum debitum, si hoc vult sine peccato facere; & potest Episcopus dispensare. Qui autem cognovit consanguineam uxoris, sed consummavit Matrimonium, tenetur quidem debitum reddere: sed petere non potest absque dispensatione (ut dictum est) per Episcopum.*

REGULA VII.

Subsequens Affinitas non dirimit Matrimonium, sed nec præcedens, nisi legitimè probata. Unde quamvis uterque conjugum asserat, acclamante etiam vicinia quod vir ante contractum Matrimonium uxoris suæ consanguineam cognoverit, propterea conjuges separari non debent.

HÆc Regula nititur Cap. *De illo*, Extra, *De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ*, quod *Alexandri III.* Responsum est. *De illo* (inquit) *qui uxorem fratris, antequam ei Matrimonio jungeretur, se proposuit cognovisse: Respondemus, Quod nisi hoc publicum & notorium fuerit, aut idoneis testibus comprobatum, prædictum Matrimonium occasione illa ipsum impetere non permittas.*

Et Cap. *Super eo*, quod est *Cœlestini III.* Responsum eodem Titulo. *Super eo* (inquit) *quod postulas, Utrum conjugatus, qui ante contractum Matrimonium, uxoris suæ consanguineam carnali commixtione cognovit, cùm id fateatur uterque, & aliqua pars viciniæ hoc acclamare dicatur, sit ab uxore sua Judicio Ecclesiæ separandus: Tuæ Fraternitati respondemus, quod propter eorum confessionem tantum, vel rumorem viciniæ, separari non debent: cùm & quandoque nonnulli inter se contra Matrimonium velint colludere, & ad confessionem incestûs facilè prosilirent, si suo judicio crederent per judicium Ecclesiæ concurrendum. Rumor autem viciniæ non adeo est judicandus validus, quòd nisi rationabiles & fide dignæ probationes accedant, possit benè contractum Matrimonium irritari.*

De Impedimento affinitatis.

REGULA VIII.

Ex hoc quòd unus frater ab una sororum, quam in Matrimonium duxit, jure separetur propter impedimentum consanguinitatis vel affinitatis, alterum fratrem ab altera sorore, quam pariter duxit uxorem, propterea separari, minimè necesse est.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum* Dist. XLI. Quæst. I. Articulo V. ad tertium. *Res* (inquit) *inter alios acta, alii non præjudicat in foro contentioso: Unde quamvis unus frater repellatur à Matrimonio unius sororum ex causa consanguinitatis, non propter hoc separat Ecclesia aliud Matrimonium, quod non accusatur: Sed in foro conscientiæ non oportet quòd semper obligetur ex hoc alius frater ad dimittendum uxorem suam; quia frequenter tales accusationes ex malevolentia procedunt, & per falsos testes probantur: Unde non oportet quòd conscientiam suam formet ex his quæ sunt circa aliud Matrimonium facta. Sed distinguendum videtur in hoc: Quia aut habet certam scientiam de impedimento Matrimonii, aut opinionem, aut neutrum: Si primo modo, nec exigere, nec reddere debitum debet; Si secundo, debet reddere, sed non exigere: Si tertio, potest & reddere & exigere.*

REGULA IX.

Qui bona fide in facie Ecclesiæ Matrimonium contraxerunt, eo durante non peccant si affectu conjugali cohabitent & Matrimonii jure utantur: Verùm cognito Impedimento, continere debent, donec Dispensationem impetraverint: eósque Ecclesia separare debet, cùm ad ejus notitiam Impedimentum pervenerit, donec fuerit cum ipsis dispensatum, si fieri possit, & expediat.

De Impedimento ante Matrimonium incognito.

HAnc Regulam tradit rursus *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XLI. Quæst. I. Articulo III. ad secundum. *Ignorantia* (inquit) *excusat illicitum coitum à peccato, nisi sit affectata: unde illi qui conveniunt bona fide in facie Ecclesiæ, quamvis sit impedimentum, si tamen ignorent, non peccant, nec filii sunt illegitimi: si autem sciant, quamvis Ecclesia sustineat, quæ ignorat impedimentum, non excusantur à peccato, nec filii ab illegitimitate; si autem nesciant, & in occulto contrahant; non excusantur, quia talis ignorantia videtur affectata.*

Et Articulo V. Quæstiuncula I. in Responsione ad primum; *Quamvis* (inquit) *Ecclesia dono & auctoritate divinâ fulciatur, tamen in quantum est hominum congregatio, aliquid ex defectu humano in actibus ejus provenit, quod non est divinum: Et ideo illa conjunctio quæ fit in facie Ecclesiæ impedimentum ignorantis, non habet inseparabilitatem ex Auctoritate divina, sed est contra Auctoritatem Divinam errore humano inducta, qui excusat à peccato (cùm sit error facti) quandiu manet: & propter hoc quando impedimentum ad notitiam Ecclesiæ venit, debet prædictam conjunctionem separare.*

REGULA X.

Non facilè sunt audiendi, qui Matrimonium in facie Ecclesiæ, secundùm formam Tridentini Concilii contractum accusare, seu Impedimenta dirimentia conjugatis objicere volunt.

De Matrimonii accusatione, seu de oppositione impedimentorum adversùs conjuges.

IN hac enim specie Judex Ecclesiasticus *Innocentiat III.* Responso adhærere debet, Cap. *Cùm in tua*, Extra, *Qui Matrimonium accusare possint*, cujus hæc sunt verba: *Si post contractum Matri-* B *monium aliquis apparet accusator, cùm non prodierit in publicum quando Banna secundùm consuetudinem Ecclesiæ edebantur, utrum vox sua debeat accusationis admitti, meritò quæri potest: Super quo respondemus, Quòd si tempore Denuntiationis præmissæ is qui jam conjunctos impetit, extra Diœcesim existebat, vel aliàs Denunciatio ad ejus non potuit notitiam pervenire; ut puta si nimia infirmitatis fervore laborans sanæ mentis patiebatur exilium; vel in annis erat tam teneris constitutus, quòd ad comprehensionem talium ejus ætas sufficere non valebat; seu aliâ* C *causâ legitimâ fuerit impeditus, ejus accusatio debet audiri: Alioqui tanquam suspectus est procul dubio repellendus; nisi juramento firmaverit, quòd post didicerit ea quæ objecerit, & ad hoc ex malitia non procedat.*

REGULA XI.

Qui scientes volentes contrahunt in gradu prohibito consanguinitatis vel affinitatis, in Excommunicationem latæ Sententiæ incurrunt.

Pœna contrahentium non obstante impedimento cognationis vel affinitatis.

ID constat ex Clementina, *Eos qui*, Tit. *De Consanguinitate & Affinitate*, cujus hæc sunt verba: *Eos qui, divino timore postposito, in suarum periculum Animarum, scienter in gradibus consanguinitatis & affinitatis Constitutione canonicâ interdictis, aut cum Monialibus contrahere matrimonialiter non reverentur: necnon Religiosos, & Moniales, ac Clericos in Sacris Ordinibus constitutos Matrimonia contrahentes, refrenare, metu pœnæ ab hujusmodi eorum temeritatis audacia cupientes: ipsos Excommunicationis Sententia ipso facto decernimus sub-* E *jacere: Præcipientes Ecclesiarum Prælatis, ut illos, quos eis constiterit taliter contraxisse, excommunicatos publicè tamdiu nuntient, seu à suis subditis faciant nuntiari, donec suum humiliter recognoscentes errorem separentur ab invicem, & Absolutionis obtinere Beneficium mereantur. Per prædicta quoque Juribus, quæ sic contrahentibus alias pœnas imponunt, in nullo volumus derogari.*

Ex his colligitur, Ab hac Censura immunes esse, qui laborant ignorantia facti, quamvis non omnino inculpabili; imò & qui laborant ignorantiâ Juris non affectatâ. 2. Si contraxerint ignorantes impedimentum, non incurrere in Excommunicationem per hoc quòd, impe- F dimento agnito, simul cohabitent, sive Matrimonio utantur: (Tametsi mortalis peccati rei sint, si absque dispensatione id faciant:) Excommunicatio enim à *Clemente V.* lata non est in eos qui incestum perpetraverint, sed in eos qui contrahere matrimonialiter non dubitaverint in gradibus consanguinitatis & affinitatis Constitutione Canonica interdictis. 3. Hac Censura non constringendos, qui clam convenirent absque Parocho & testibus, in locis ubi Concilium Tridentinum promulgatum est; quia clandestina conventio non est matrimonialis Contractus. 4. Huic pœnæ non subjici, qui contrahunt existimantes intercedere consanguinitatem vel affinitatem, cùm revera non intercedat: nec qui contrahunt justo metu & in virum constantem cadente compulsi.

REGULA XII.

Parochi, vel Confessarii, qui occulta inter conjuges vel sponsos Impedimenta noverunt, magnâ prudentiâ his in casibus gerere se debent, ad salutem animarum procurandam, & scandalum avertendum.

Quomodo se gerere debeant Parochi vel Confessarii, qui occulta inter conjuges aut sponsos impedimenta noverunt?

SI enim aliter quàm ex Confessione id noverint, gravia autem damna immineant ex divortio, nec obtineri possit dispensatio, vel aliud remedium adhiberi, & conjuges bona fide contraxerint, impedimentum ignorantes, & bona fides nulla opinione vel suspicione contrariâ interturbetur: Parochi vel Confessarii tacere debent, & conjuges in bona fide relinquere, modò tale sit impedimentum quod ipso Naturæ Jure Matrimonium non dirimat. Rationem affert *Francis-* C *cus Silvius* Theologus eximius: Præceptum enim fraternæ correptionis non obligat, cùm fructus nullus speratur, ut docet *S. Thomas*. Deinde nulli debemus laqueum injicere; quod faceret is qui conjuges in his rerum circumstantiis de occulto Matrimonii ab ipsis initi impedimento admoneret. Sed quod longè majoris ponderis est, prudentem hâc in specie Pastoris dissimulationem Jus probare videtur, Cap. *Quia circa*, Extra, *De Consanguinitate & Affinitate*, quod D est *Innocentii III.* Responsum, his verbis: *Dissimulare poteris ut remaneant in copula sic contracta, cùm ex separatione, sicut asseris, grave videas scandalum imminere.* Si verò impedimentum tale sit ut ipso Naturæ Jure Matrimonium dirimat, Parochi, vel Confessarii quibus illud aliter quàm ex Confessione Sacramentali notum est, monere de illo debent conjugatos, ac docere, ipsos ad dissolvendum nefariam conjunctionem teneri sub æternæ damnationis periculo. Cùm enim Ecclesia in impedimentis ipso Jure Naturæ Matrimonium dirimentibus dispensare non pos- E sit, nullus est hac in specie dissimulationi locus. Monitis autem conjugibus suadendum est, ut continentiam voveant, simúlque ut frater & soror habitent, si nullum sit incontinentiæ periculum: Si verò incontinentia timeatur, in Monasteria secedant; aut maritus in remotas regiones abeat. Si nullum fructum pariat Parochi Monitio, res prudenter denuntianda est Episcopo, vel alteri qui prodesse possit, obesse nolit.

In Quæst. Liv. suppl. S. Thomæ, Art. 1.

Si Parochus impedimentum aliter quàm ex Confessione noverit, & Matrimonium nondum sit contractum, de impedimento admonere debet sponsos, eísque privatim significare ut Sponsalia mutuo consensu dissolvant: Nec eos Matrimonio de- F bet conjungere, quamvis impedimentum negent, sed rem Episcopo tempestivè denunciare: si jubeat Episcopus ut eos Matrimonio conjungat, ad Matrimonii celebrationem tutâ conscientiâ procedere poterit.

At si ex solâ Confessione impedimentum noverit, in ea solâ Pœnitentem moneat, & divini judicii metu à contrahendo hujusmodi Matrimonio deterreat: Si in voluntate contrahendi absque dispensatione perseveret, absolutionem illi neget: si extra Confessionem Parochum urgeat, postulétque ut illum Matrimonio conjungat, nec moram ulteriorem injicere possit, Matrimonii solemnitatem peragere non dubitet, ne scientiâ

A

per Sacramentalem dumtaxat Confessionem quæsitâ, in sacri sigilli detrimentum uti videatur.

ARTICULUS VII.

De Impedimento Criminis.

De Impedimento criminis.

IMpedimentum illud Ecclesiastico dumtaxat jure institutum est. Duo autem sunt in genere crimina, quæ Matrimonium impediunt ac diri- B munt, scilicet homicidium & adulterium certis eumitata circumstantiis, quas Canones exprimunt, & quæ sequentibus Regulis explicantur.

REGULA I.

Homicidium cum adulterio conjunctum, Matrimonium cum adultera, vel adultero contrahendum impedit, contractum dirimit, etiamsi alteruter contrahentium non sit homicidii conscius.

OCcisio, inquam, unius conjugum ab aliquo, C seu viro, seu muliere perpetrata eo fine, ut cum altero conjuge superstite Matrimonium contrahat, si adulterio polluti sint, qui mortem intentarunt, seu intulerunt, antequam homicidium patraretur, est impedimentum dirimens. Idque locum habet sive conjux conjugem per se occiderit, sive per alium: sive alia persona soluta virum aut uxorem occiderit eo fine ut cum superstite conjuge contraheret; & ante illius mortem commiserit adulterium cum illo vel illa, cujus expetebat Matrimonium. Sufficitque ad hoc impedimentum inducendum, si una pars alterâ etiam D non consentiente, aut ignorante, conjugem occiderit illius quîcum adulterio se polluit, ad hunc mutui Matrimonii finem. Hæc Regula nititur *Alexandri III.* Responso, Cap. *Super hoc*, Extra, *De eo qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium*; cujus hæc sunt verba: *Respondemus, Quòd si adultera est in mortem uxoris aliquid machinata, sive fidem dederit, sive non, quòd eâ defunctâ hanc esset ducturus: secundùm Canones ab ejus consortio prohibetur: & hæc prohibitio perpetuò est servanda.*

REGULA II.

Occisio unius conjugum ex alterius cum tertia persona Matrimonium ejus ambiente conspiratione, nullo etiam interveniente adulterio, est impedimentum dirimens Matrimonium inter ejusmodi personas.

E

HAnc Regulam tradit *Celestinus III.* cap. *Laudabilem*, Ext. *De Conversione Infidelium*, cujus hæc sunt verba: *Interrogasti de Saracenis, qui dum in captivitate essent, quarumdam Christianarum viros, earum insidiis & machinationibus occiderunt: Utrum quia postea per ipsas ad Fidem Christianam* F *conversi sunt, eas de jure possint accipere in uxores: vel si duxerint, conjugium teneat eorumdem. Hic Triburiensis Concilii Regula obviare videtur* [Hic Triburiensis Concilii Regula contenti famas, asserentis], *Quòd si in mortem ipsorum malitiosè fuerint machinata, licet earum studio ad fidem accesserint, tamen nec eis adhærere debent, nec sunt, si adhæserint, etiam tolerandi, cùm tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit.* Mulier igitur illi nubere non potest, qui maritum ejus interfecit, si mortem ejus machinata fuerit. Triburiensis Concilii Regula, quam citat Pontifex, habetur Causa xxxi. Quæstione 1. Canone *Si quis vivente*.

REGULA III.

Si mors alteri Conjugi fuerit illata, non causâ contrahendi cum ejus conjuge, sed alio fine, vel ob aliam causam, nempe in bello justo, vel casu, vel ex odio & libidine ultionis, homicidium hujusmodi Matrimonium conjugis superstitis cum occisore non dirimit.

HÆc Regula nititur Cap. *Laudabilem*, mox laudato: *Ad hoc (inquit) Saraceni quidam in bello sunt Christianos interfecisse notati, & Christiani similiter Saracenos: posteà verò Saraceni ad fidem conversi uxores eorum, quos in belli certamine occiderunt, sibi matrimonialiter copularunt: & idipsum Christiani de Saracenis mulieribus conversis ad fidem fecisse noscuntur; quæ postquam de priorum virorum morte compererint veritatem, divortium instanter exposcunt. In his igitur respondemus, quòd cùm tales non procuraverint virorum interitum defunctorum, Matrimonium inter hujusmodi personas licitè potest contrahi: & taliter copulati divortium nequeunt postulare.*

De Impedimento criminis.

REGULA IV.

Ratihabitio occisionis ab alio factæ, etiam ab adultero, absque conjugis superstitis mandato, aut consilio, Matrimonium ab illis contractum non dirimit.

CUm enim impedimenta odiosa sint, ultra verba Canonum induci non debent; siquidem *Odia restringi, favores convenit ampliari*, secundùm Regulam Juris. Canones autem homicidium quidem, seu machinationem mortis conjugis vel sui, vel alterius, Matrimonii contrahendi gratiâ, si nefariam illam molitionem mors reverà secuta sit, impedimentum dirimens esse statuunt: non autem ratihabitionem, quæ homicidio non est cooperata, sed illud subsecuta est. Talis itaque ratihabitio non est impedimentum dirimens Matrimonium contractum inter occisorem & conjugem superstitem, qui conjugis cædem ratam habuit. Id confirmat Glossa Canonis: *Si quis vivente*, Causa xxxi. Quæstione 1. & Capitis *Laudabilem*, Extra, *De Conversione Infidelium*: Quamvis aliàs in maleficiis Ratihabitio retrotrahatur, & mandato æquiparetur.

REGULA V.

Impedimentum dirimens non oritur, si quis suam vel alterius conjugem occidit, ut possit contrahere Matrimonium cum alia, quæ homicidii particeps non fuit, & quam adulterio non polluit.

CAnones enim quibus hoc impedimentum inductum est, requirunt ut altera quoque pars vel homicidii, vel adulterii conscia sit. Canon *Si quis vivente*, Causa xxxi. Quæstione 1. *Si quis vivente marito conjugem illius adulterasse accusatur, & eo in proximo defuncto, eamdem sumpsisse dignoscitur, omnimodis publicæ Pœnitentiæ subjiciatur. De quo etiam post Pœnitentiam præfatam, si expedierit, servabitur Regula: nisi fortè vir aut mulier virum qui mortuus fuerat, occidisse notetur, aut propinquitas, vel alia qualibet actio criminalis impediat. Quod si probatum fuerit, sine ulla spe conjugii maneat perpetuò cum Pœnitentia.* Idem confirmant, Cap. *Super hoc*, & Cap. *Significasti*, Extra, *De eo qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium*.

De impedimento criminis.

Id confirmat & *S. Thomas*, in IV. *Sententiorum*, Distinctione XXXVIII. Quæstione I. Articulo II. *Uxoricidium* (inquit) *ex Statuto Ecclesiæ Matrimonium impedit; sed quandoque impedit contrahendum, & non dirimit contractum, quando scilicet vir propter adulterium, aut propter odium occidit uxorem.....* (Et id quidem veteri Jure.) *Quandoque etiam dirimit contractum, ut quando aliquis interficit uxorem suam, ut ducat eam cum qua mœchatur: tunc enim efficitur illegitima persona simpliciter ad contrahendum cum illa; ita quòd si de facto cum ea contraxerit, Matrimonium dirimitur: sed ex hoc non efficitur persona simpliciter illegitima respectu aliarum mulierum: unde si cum alia contraxerit, quamvis peccet contra Statutum Ecclesiæ faciens, tamen Matrimonium contractum non dirimitur propter hoc.*

REGULA VI.

Adulterium, ad quod accedit Matrimonium vivente adhuc alterius conjuge de facto contractum, impedit ac dirimit Matrimonium cum adultero vel adultera, etiam post mortem prioris conjugis.

Itaque si Petrus uxore suâ vivente Joannam adulterio polluit, & cum ea Matrimonium contraxit, quòd certè ipso Jute irritum est: non potest post obitum legitimæ uxoris Matrimonium contrahere cum Joanna: & si contrahat, irritum est, ac dirimitur, ut respondet *Clemens III.* Cap. *Ex literarum*, Ext. *De eo qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium.* & Cap. *Cùm haberet*, sub eodem titulo, cujus hæc sunt verba: *Cùm haberet uxorem legitimam A. nomine J. lator præsentium, cum M. adulterium perpetravit. Cúmque super hoc fuisset in Jus vocatus, abjuravit adulteram, & postmodum Juramento contempto, vivente legitima, cum ea Matrimonium contrahere, & ipsi diu cohabitare præsumpsit: Demum prædicta A. de præsenti luce subtractâ, memoratus Joannes cum adultera per decennium est moratus, de qua decem filios procreavit. Tale ergo damus consultationi tuæ Responsum, Ut separentur omnino, & eis perpetua Pœnitentia indicatur, præsertim cùm in dies suos ambo processerint, & tamdiu publicè in adulterio & perjurio ex certâ scientiâ perdurantes, Ecclesiam in gravi scandalo perturbaverint. Nosti enim quòd Leo Papa statuit, Ut nullus ducat in Matrimonium, quam adulterio polluit, & quòd hic plus processum fuit, quàm si fides præstita dumtaxat fuisset adulteræ, ut defunctâ legitimâ, eam duceret in uxorem, cùm eadem, etiam primâ vivente, quasi matrimonialiter mœcha mœchus adhærere præsumpsit, & Sacramentum suum temerè violare: quod utique Connubium (ubi etiam nulla intercessit religio Juramenti) tam Gregorius Papa, quàm Triburiensis Synodus detestatur, & utrumque hoc modo conjunctum præcipit publicæ Pœnitentiæ subjici, ac perpetuè sine ulla spe conjugii permanere. Nec aliquod eisdem J. & M. adminiculum afferunt, ut simul maneant, quòd decennio cohabitaverùnt ad invicem, ac decem filios susceperunt: cùm multiplicitas prolis ita suscepta magis eorum crimen exaggeret, & diuturnitas temporis peccatum non minuat, sed augmentet.*

REGULA VII.

Matrimonium cum fœmina conjugata, vivente adhuc & superstite primo conjuge contractum, tunc tantum impedit ac dirimit Matrimonium post primi conjugis mortem inter adulteros initum, cum uterque vir scilicet ac mulier sciunt se verum adulterium committere.

De impedimento criminis.

Si enim alteruter bona fide Matrimonium contrahat, existimans alterum solutum esse ac liberum, sive suum aut alterius conjugem obiisse, qui posteà superstes invenitur; priore mortuo, cum posteriori contrahere potest, ratúmque Matrimonium erit, nisi innocens divortium petat, ut constat ex Cap. *Propositum*, Extra, *De eo qui duxit in Matrimonium, quàm polluit per adulterium*, quod est *Alexandri III.* Responsum, *Propositum est nobis* (inquit) *quòd vir quidam uxorem habens, sibi aliam hujusmodi rei insciam copulavit: sed primâ mortuâ nititur discedere à secunda.... Licèt autem in Canonibus habeatur, ut nullus copulet Matrimonio, quam priùs polluerat adulterio, & illam maximè cui fidem dederat uxore sua vivente, vel quæ machinata est in mortem uxoris: quia tamen præfata mulier erat inscia, quòd ille aliam haberet uxorem viventem: nec dignum est ut prædictus vir, qui scienter contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportet: Consultationi tuæ taliter respondemus, Quòd nisi mulier divortium petat, ad petitionem viri non sunt aliquatenus separandi.*

Idem confirmat *Innocentius III.* Cap. *Veniens*, sub eodem Titulo. *Veniens* (inquit) *ad præsentiam nostram G. latcus humili insinuatione monstravit, quòd cùm in Civitate Lemovicensi quamdam sibi matrimonialiter copulasset, ab ea recedens Messanam advenit, ubi M. mulierem insciam, quòd aliam haberet uxorem sibi solemniter copulavit. Verùm cùm eidem Pœnitentia fuisset injuncta ut ad legitimam rediret uxorem, & ipse propter hoc in suam patriam redisset, uxorem suam inveniens carnis debita persolvisse, ad Messanam rediit Civitatem, & supradictæ M. tanquam legitimæ cohabitavit uxori.... Licèt autem vivente uxore legitima, prædictam M. sibi copulare nequiverit in uxorem: quia tamen uxore defunctâ, utpotè à lege ipsius solutus, in eamdem M. de novo potuit matrimonialiter consentire: dummodo non præstiterit fidem adulteræ, vel machinatus fuerit in mortem uxoris: mandamus, quatenus si est ita, eidem G. ut supradictæ M. affectu adhæreat conjugali, licentiam concedatis.*

Idem docet *S. Raymundus*: Libro IV. *Summæ*, pag. 546.

REGULA VIII.

Si primum Matrimonium ipso jure irritum erat; alterum, ante illius dissolutionem contractum, ratum est.

Hæc Regula nititur Cap. *Significavit*, Extra, *De eo qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium*, quod *Alexandri III.* Responsum est. *Mandamus* (inquit) *quatenus si constiterit, quòd eidem O. tanta vis illata fuerit, quòd non sponte in primam consenserit, nec post præstitum Juramentum ipsam carnaliter cognoverit, propter hoc non dimittas, quin ad aliam, quam postea in uxorem accipit, revertendi liberam tribuas facultatem. Alioquin sibi, ne ad secundam revertatur, sub interminatione Anathematis inhibens, des ei licentiam ducendi aliam in uxorem.*

Idem docet *S. Raymundus*, loco mox indicato.

REGULA IX.

Adulterium cum fide data de contrahendo Matrimonio cum adultera, vel adultero, postquam alter conjux obierit, est impedimentum dirimens Matrimonium inter virum & mulierem adulteram postea contractum.

De impedimento criminis.

HÆc Regula nititur Cap. *Propositum*, & Cap. *Super hoc*, quæ sunt *Alexandri III.* Responsa, Extra, *De eo qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium*, & Cap. *Significasti*, quod est *Innocentii III.* Responsum sub eodem Titulo: *Cùm* (inqoit) *P. Civis Spoletanus, quamdam mulierem duxisset legitimè in uxorem, eâ relictâ cuidam meretrici adhæsit. Verùm cùm uxor ipsius esset viam universæ carnis ingressa, meretricem, cui adhæserat, desponsavit. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, Quòd nisi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel ea vivente sibi fidem dederit de Matrimonio contrahendo, legitimum judicet Matrimonium supra dictum.* Idem constat ex Canone *Relatum est*, Causa XXXI. Quæstione I. qui Concilii Triburiensis est: *Relatum est auribus Sanctorum Sacerdotum, quemdam alterius uxorem stupro violasse, & insuper mœcha vivente viro juramentum dedisse, ut post legitimi mariti mortem, si supervixisset, duceret uxorem: quod & factum est. Tale ergo connubium prohibemus & anathematizamus. Non licet ergo, nec Christianæ Religioni oportet, ut ullus eâ utatur in Matrimonio, cum qua priùs pollutus est adulterio.* Quòd si promissio de Matrimonio contrahendo facta non fuerit vivente primo conjuge, sed post ejus mortem, quamvis adulterium intervenerit illo adhuc superstite, nullum inde oritur impedimentum dirimens.

Sufficit autem nuda promissio, antecedens, concomitans, aut subsequens adulterium, vivente conjuge, nec requiritur ut sit Juramento firmata: sed tamen necesse est, ut ab altera parte criminis participe sit accepta, seu verbo, seu signo; aliàs impedimentum istud non orietur.

Denique si fidem non dedit de Matrimonio cum illa, quâ abusus est, contrahendo; sed tamen fidem dedit de contrahendo cum illâ, quam ipsa, vel amica ejus aut amicus indicabunt, ipsáque post conjugis mortem nullam aliam indicet, aut designari curet quam seipsam: si cum ea contrahat qui illam adulterio polluit, *Ex eo quòd illa consuluit, & sic ille promiserat, nullum est Matrimonium, sed dirimendum, quia in fraudem factum; & fraus & dolus nemini debet patrocinari: secùs si aliâ intentione faceret*; (inquit *S. Antoninus* III. P. Tit. I. Cap. V.)

REGULA X.

Qui conjuge vivente dedit fidem alteri de Matrimonio cum ipsa contrahendo, nec tamen ipsam ante vel post fidem datam carnaliter cognovit, gravis quidem peccati reus est: non tamen irritum est Matrimonium cum ea contractum, cui fidem superstite priori conjuge obstrinxerat.

ID constat ex Cap. *Si quis*, Extra, *De eo qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium*, quod *Gregorii IX.* Responsum est. *Si quis* (inquit) *uxore vivente, fide datâ promisit aliam se ducturum, vel cum ipsa de facto contraxit; si nec ante, nec post (legitimâ ejus superstite) cognovit eam, dem: quamvis utrique ipsorum, pro eo quòd in hoc graviter deliquerit, sit Pœnitentia injungenda: Non est tamen Matrimonium quod cum ea contraxit post uxoris obitum dirimendum. Cæterùm tolerari non debet, si priùs, vel postea, dum duxerit uxor ipsius, illam adulterio polluisset.* Idem docet *S. Raymundus* Libro IV. pag. 546. §. III.

De impedimento criminis.

REGULA XI.

Qui Muliere aliqua fœdè abutitur, nec tamen semen effundit intra vas; & ei dat fidem de Matrimonio cum ipsa contrahendo post mortem conjugis, vel cum ipsa de facto contrahit, quamvis gravissimorum peccatorum sit reus: si tamen illam ducat uxorem post obitum conjugis, Matrimonium nequaquam irritum censendum est.

CAnones enim hoc impedimentum oriri declarant ex adulterio quod cum fide data, aut Matrimonio de facto contracto uxore superstite, aut cum machinatione in ejus mortem conjunctum sit: in hac portò specie non est verum adulterium. Ad verum enim adulterium requiritur, quòd primum Matrimonium sit legitimum; 2. ut adulter & adultera noverint superstitem esse conjugem; 3. ut semen intra vas naturale fundatur, aliter enim non fiunt una caro.

REGULA XII.

Solum Adulterium non est Impedimentum dirimens Matrimonium post mortem conjugis contractum.

PRimâ quidem fronte contrarium innuere videtur Canon *Nullus*, sub *Leonis* Papæ nomine vulgatus Causa XXXI. Quæstione I. *Nullus* (inquit) *ducat in Matrimonium, quam priùs polluit adulterio.* Et Canon *Illud verò*, ibidem, Concilio *Apud Altheum* sub *Conrado* Rege tributus: *Illud verò* (inquit) *communi Decreto secundùm Canonum Instituta definimus & præjudicamus, si quis cum uxore alterius eo vivente fornicatus fuerit, moriente marito, Synodali Judicio aditus ei claudatur illicitus, ne ulteriùs ei conjungatur Matrimonio, quam priùs polluit adulterio. Nolumus enim, nec Christianæ Religioni convenit, ut ullus ducat in conjugium, quam priùs polluit per adulterium.* Sed hanc prohibitionem ad tres casus esse restringendam rectè monet Glossa; nempe, *Si vivente marito dederit ei fidem quòd si maritus præmoreretur, eam duceret: vel si alter in mortem mariti cum effectu machinatus est; vel si publicè eam duxit*: Quod confirmant Canones supra citati, ex IV. Decretalium Tit. *De eo qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium.* Rursus Glossa Canonis *Nullus*, ait: *Hæc verba latiùs patent, quam eorum sententia; deberet enim potiùs dici è converso, scilicet, Quilibet, ducat, nisi in tribus casibus tantùm exceptis. Restringuntur enim hæc verba ad duos casus, vel tres tantùm.* Nostram Regulam disertis verbis confirmat Cap. *Significasti*, quod est, *Innocentii III.* Responsum, Tit. *De eo qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium.*

Sed & *S. Augustinus* expressè docet, contrahi posse verum connubium cum ea, quæ priori conjuge vivente adulterio polluta est. Libro I. *De Nuptiis & Concupiscentia*, Cap. X. *Mortuo* (inquit) *viro cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium potest cum quo priùs adulterium fuit.* Et Libro *De Bono conjugali*, Cap. XIV. *Posse sanè fieri Nuptias ex male conjunctis, honesto postea placito consequento, manifestum*

manifestum est. Refertur Canone *Denique*, Causa I. Quæstione I.

Idem docet S. *Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XLI. Quæstione I. Articulo IV. Quæstiuncula III. ad secundum: *Quamvis* (inquit) *non possit dispensari quod aliquis ducat in uxorem illam cum qua commisit adulterium, vivente viro; tamen aliquo casu contingente potest eam in uxorem ducere absque dispensatione, scilicet post mortem viri; quia adulterium primum non dirimit Matrimonium contractum, nisi in aliquo casu.*

ARTICULUS VIII.

De Cultûs Disparitate.

I. CONjugia Fidelium cum Infidelibus ipsâ naturæ & positivâ Dei Lege illicita esse certum est, ubi periculum subversionis & æternæ salutis imminet sive conjugi, sive proli nascituræ. Propter hanc rationem Deus Israelitis prohibuit, ne connubia miscerent cum Gentibus, quarum Terram erant possessuri. *Exodi* XXXIV. & *Deuteronomii* VIII. Vers. 4. *Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo. Quia seducet filium tuum ne sequatur me, & ut magis serviat Diis alienis.*

Conjugia fidelium cum infidelibus Dei Lege prohibita, propter periculum subversionis.

Idem confirmat Spiritus-Sanctus per Apostolum I. ad *Corinthios* VII. scribentem: *Cui vult nubat, tantùm in Domino*: Id est, tantùm viro Christiano, ut explicant *Tertullianus* Libro II. *Ad Uxorem*, Cap. II. Libro *De Monogamia*, Cap. VII. & Libro V. *Contra Marcionem*, Cap. XIII. *S. Cyprianus* Libro III. *Testimoniorum ad Quirinum*, Cap. LXII. *S. Hieronymus* Libro I. *Contra Jovinianum*, Cap. V. & Epistola XI. *Ad Ageruchiam*, S. Joannes Chrysostomus, *Theodoretus*, Autor Commentariorum in Epistolas S. Pauli inter Opera *S. Ambrosii* editorum, *Primasius*, *Sedulius*, & *S. Thomas*.

Idem rursus confirmat Apostolus, II. ad Corinthios Cap. VI. Vers. 14. *Nolite jugum ducere cum Infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi.* Quem locum in eum sensum explicant *SS. Cyprianus* & *Hieronymus* locis indicatis.

Idem docet *S. Ambrosius* Epistola XIX. ad *Vigilium* Tridentinum Episcopum. *Sed propè* (inquit) *nihil gravius quàm copulari alienigenæ, ubi & libidinis & discordiæ incentiva, & sacrilegii flagitia conflantur. Nam cùm ipsum conjugium velamine Sacerdotali, & benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest conjugium dici, ubi non est fidei concordia? Cùm oratio communis esse debeat, quomodo inter dispares devotione potest esse conjugii communis caritas? Sæpe plerique capti amore fœminarum fidem suam prodiderunt, ut Patrum Populus in Beelphegor.* Nec tantùm hâc Epistola, sed & Libro II. *De Abraham*, Cap. IX. Expositione in Psalmum CXVIII. Sermone XX. & Libro VIII. in Lucam, num. 2. conjugia Christianorum cum alterius Sectæ personis *S. Ambrosius* damnat.

Olim ab Ecclesia tolerata seclusio periculo.

II. Certum est secundò, Matrimonia fidelium cum infidelibus secluso periculo subversionis conjugis, & pravæ educationis atque institutionis filiorum in falsa Religione, ab Ecclesia tolerata fuisse, maximè si spes conversionis conjugis infidelis cum fideli affulgeret, ut Sanctarum Cæcilia, *Monica*, Clotildis, aliaque plurima exempla probant in Historia Ecclesiastica relata. Sed nec evidenter hujusmodi connubia in utroque Testamento prohiberi, S. *Augustinus* censuit, quamvis S. *Cyprianum* contraria in sententia fuisse agnoscat. Sic enim habet Libro *De Fide & Operibus*, Cap. XIX. *Beatus Cyprianus in Epistola de Lapsis, cùm deplorando & arguendo multa commemoraret, quibus meritis dicit in indignationem Dei fuisse commotam, ut intolerabili persecutione Ecclesiam suam sineret flagellari, ad eosdem mores malos pertinere confirmat, jungere cum infidelibus vinculum Matrimonii, nihil aliud esse asserens, quàm prostituere Gentilibus membra Christi: Quæ nostris temporibus jam non putantur esse peccata; quoniam revera in Novo Testamento nihil inde præceptum est, & ideo aut licere creditum est, aut velut dubium derelictum.*

Et Libro I. *De Adulterinis Conjugiis*, Cap. XXV. *Mulier* (inquit) *mortuo viro suo in potestate habet cui vult nubere*, Tantùm in Domino. *Quod duobus modis accipi potest, aut Christiana permanens, aut Christiano nubens. Non enim tempore revelati Testamenti Novi in Evangelio, vel ullis Apostolicis Litteris sine ambiguitate declaratum esse recolo, utrum Dominus prohibuerit fideles cum infidelibus jungi. Quamvis Beatissimus Cyprianus inde non dubitet, nec in levibus peccatis constituat, jungere cum infidelibus vinculum Matrimonii, atque id esse dicat prostituere Gentilibus membra Christi.*

Certum est tertiò, quamvis illicita semper fuerint in dispari cultu Matrimonia, ubi periculum salutis imminebat Christianæ conjugi, aut proli suscipiendæ; non tamen lege naturæ, aut divina positivâ semper irrita fuisse. Nullibi enim Scriptura Sacra illa irrita pronunciat: nec Sanctos, qui cum infidelibus contraxerunt, naturæ legem, jusque divinum violasse, & in perpetua fornicatione vixisse putandum est. Sed neque priscorum Pontificum & Conciliorum Decreta cultûs disparitatem Matrimonium dirimere statuerunt, quamvis Matrimonia Fidelium cum Infidelibus prohibuerint, ut constat ex Concilii Illiberitani Canone XV. Laodiceni Canonibus X. & XIII. Carthaginensis III. Canone XII. Chalcedonensis Canone XIII. Toletani quidem Concilii quarti Canon LXIII. Concilii Aurelianensis II. Canon XVIII. & Aurelianensis III. Canon III. irrita Christianorum cum Judæis connubia declarant; sed hæc particularium Ecclesiarum de solis Judæis Decreta Legem universalis Ecclesiæ non constituunt de omnibus Infidelibus intelligendam. Ut id porrò de Judæis statueretur, peculiaris fuit ratio, quòd illi post Evangelii promulgationem semper in sua perfidia fuerint cæteris pertinaciores: *Pervenit enim ira Dei super illos usque in finem*; (inquit Apostolus I. ad Thessalonicenses II.) De quorum proinde conversione multò minor spes erat & expectatio. Sed & *Theodosii Magni* Constitutione Christianorum cum Judæis conjugia pro adulteriis haberi jubentur. L. *Ne quis*, C. *De Judæis*.

Irrita semper non fuerunt, … cùm … disparitate … una fuisse.

Veruntamen certum est quartò, Matrimonia Fidelium cum Infidelibus, id est, hominum baptizatorum cum non baptizatis, hodie irrita esse, & jam olim irrita fuisse in Ecclesia Dei; idque (inquit *Estius* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXXIX. §. III.) non tam ex Canone aliquo Ecclesiastico, quàm ex more Populi Christiani, & praxi totius Ecclesiæ, vim legis habente; tametsi consuetudo & praxis illa & originem incertam habeat, & sensim fuerit introducta; sed ita demum obtinuit, ut jam ante *Gratiani* & *Magistri* Sen-

Matrimonia fidelium cum infidelibus, id est cum Infidelibus non baptizatis, irrita.

Causa XXVIII. *Quæst.* I.

De impedimento disparitatis cultûs.

tentiarum tempora hujusmodi Matrimonia in Ecclesia Christi irrita haberentur. Idque deinceps Theologi omnes duce *S. Thoma*, & omnes pariter Canonici Juris Interpretes asseruerunt, secundùm Majorum doctrinam, & consuetudinem Populi Dei.

Justissimæ porrò fuerunt rationes cur hujusmodi conjugia irrita censerentur; tum quòd prorsus indignum videretur membra Christi commisceri cum idolorum cultoribus: tum quòd Matrimonium à Christianis non aliter suscipi debeat, quàm ut est Novæ Legis Sacramentum, cujus capaces *non* sunt qui Baptismum nondum perceperunt: tum denique ut Fidelium Matrimonia omnino revocarentur ad Ecclesiasticum Tribunal: quod fieri non poterat si conjugum alter Infidelis existeret. Nam Ecclesia de iis qui foris sunt, & intus numquam fuerunt, judicandi potestatem non habet.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA I.

Cùm infidelium Conjugum alter ad Fidem Christianam convertitur, & Baptismum suscipit, non dirimitur propterea Matrimonium.

Certissima enim Juris Canonici Sententia est, Causa XXVIII. Quæstione II. Canone *Si quis*, ex Concilio Meldensi, & Cap. *Gaudemus*, Extra, De Divortiis, *Crimina in Baptismo solvi, non conjugia.* Id confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXXIX. Quæstione I. Articulo III. *Fides* (inquit) *ejus qui est in Matrimonio, non solvit, sed perficit Matrimonium: unde cùm inter Infideles sit verum Matrimonium, per hoc quòd alter eorum convertitur ad fidem, non ex hoc ipso vinculum Matrimonii solvitur.*

REGULA II.

Conjux ad Fidem Christianam conversus & Baptismo initiatus, dimittere potest Infidelem in infidelitate pertinacem, quamvis cum ipso pacificè cohabitare velit: dimittere tamen non tenetur.

Dimittere (inquam) potest Ecclesiastici Judicis Sententiâ, quoad thorum, & debiti conjugalis solutionem; non tamen quoad vinculum, quod integrum manet, si infidelis pacificè cum fideli cohabitare velit, ut docet *S. Thomas* loco mox indicato. *Aliquando* (inquit) *vinculo Matrimonii manente solvitur Matrimonium quantùm ad cohabitationem & debiti solutionem: in quo pari passu currunt infidelitas & adulterium, quia utrumque est contra bonum prolis: unde sicut se habet in potestate dimittendi adulteram, vel commanendi cum ea, ita se habet in potestate dimittendi infidelem vel commanendi cum ea. Potest enim vir innocens liberè cum adultera commanere spe correctionis; non autem si in adulterii peccato fuerit obstinata; ne videatur patronus turpitudinis, quamvis etiam cum spe correctionis possit eam liberè dimittere. Similiter Fidelis conversus potest cum infideli manere cum spe conversionis, si eam in infidelitate obstinatam non viderit, & benè facit commanendo: tamen non tenetur: & de hoc est consilium Apostoli:* I. scilicet ad Corinthios scribentis; *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Hæc enim verba: *Non dimittat illam*, esse consilii, non præcepti, *S. Augustinus* censet Libro I. *De Adulterinis Conjugiis*, Cap. XIII. XVII. XVIII. XX. XXI. XXV. Et Libro I. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. XVI.

Id rursus confirmat *S. Thomas*, Articulo IV. *Homini* (inquit) *secundùm aliam & aliam vitam diversa competunt & expediunt: & ideo qui moritur priori vitæ, non tenetur ad alia, ad quæ in priori vita tenebatur: & inde est, quòd ille qui in vita sæculari existens aliqua vovit, non tenetur illa, quando mundo moritur Vitam Religiosam assumens, perficere. Ille autem qui ad Baptismum accedit, regeneratur in Christo, & priori vitæ moritur: & ideo liberatur ab obligatione quâ uxori tenebatur reddere debitum, & ei cohabitare non tenetur, quando converti non vult; quamvis in aliquo casu id posset liberè facere: sicut & Religiosus liberè perficere potest vota quæ in sæculo fecit, si non sunt contra Religionem suam, quamvis ad ea non teneatur.* Si quod autem præjudicium uxor infidelis patitur, id sibi imputet, quæ converti contemnit.

Non solvitur conjugale vinculum, si infidelis cum fideli pacificè cohabitare velit.

Non tamen solvitur Matrimonii vinculum, si pacificè cohabitare velit Infidelis: *Quia si infidelis vult cohabitare sine contumelia Creatoris, vel sine hoc quòd ad infidelitatem inducat, potest fidelis liberè discedere, sed discedens non potest alteri nubere:* (inquit *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXXIX. Quæstione I. Articulo V.) Cui præivit in ea assertione *S. Augustinus* Libro I. *De Conjugiis Adulterinis*, Cap. XXV. *Propter quodlibet tamen fornicationis genus* (inquit) *sive carnis, sive spiritus, ubi & infidelitas intelligitur, & dimisso viro non licet alteri nubere, & dimissa uxore non licet alteram ducere: quoniam Dominus nullâ exceptione factâ dicit,* « Si uxor dimiserit virum suum, & alii « nupserit, mœchatur. *Et*, Omnis qui dimittit uxo- « rem suam, & ducit alteram, mœchatur. (*Marci* « X. 12. *Lucæ* XVI. 18.)

Id confirmat *Alexander III.* Cap. *Quæsivit*, Extra, *De Divortiis*, cujus hæc sunt verba: *Verùm si conjugem suam ad infidelitatis maleficium traxerit, à viro poterit separari, ita quòd ei nubere alii non licebit: quia licet separentur, semper tamen conjuges erunt. In viris quoque præsentis Sententia forma servetur.*

REGULA III.

Non expedit discessio Fidelis Conjugis ab Infidele pacificè cohabitare volente.

Hanc Regulam tradit *S. Augustinus*, Libro I. *De Conjugiis Adulterinis*, Cap. XVIII. *Aliud est* (inquit) *Domini jubentis imperium, aliud conservi secundùm misericordiam caritatis, quæ est illi à Domino inspirata atque donata, fidele consilium. Ibi aliud facere non licet, hic autem licet: ita sanè ut ipsum licitum partim quidem expediat, partim verò non expediat. Expedit nunc quando non solùm per justitiam, quæ coram Domino est, permittitur, sed etiam hominibus nullum ex hoc impedimentum salutis infertur: velut cùm das consilium non nubendi Apostolus virgini, unde præceptum Domini se non habere testatur, licet aliud facere, id est nubere, & minus quàm continentiæ, bonum tamen tenere Nuptiarum. Ipsùmque licitum etiam expedit: quoniam in vetita & illicita ruituram carnis infirmitatem sic excipit honestate nubendi, ut nemini eam impediat ad salutem; quamvis magis expediret, magisque honestum esset, si virgo consilium, quò præceptum eam non impellit, arriperet. Tunc autem non expedit id quod licitum est, quando permittitur quidem, sed usus ipsius potestatis aliis affert impedimentum salutis. Sicut est, unde jam diu*

De impedimento disparis cultus.

din loquimur, discessio fidelis conjugis ab infideli, quam non prohibet Dominus praecepto legis, quia coram illo injusta non est; sed prohibet Apostolus consilio caritatis, quia infidelibus affert impedimentum salutis: non solùm quia perniciosissimè scandalizantur offensi; verùm etiam quia in alia conjugia cùm eciderint viventibus eis à quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati difficillimè resolvuntur.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXXIX. Quæstione I. Articulo V. in Responsione ad quartum. *Si* (inquit) *post conversionem viri sit aliqua probabilis spes de conversione uxoris, non debet votum continentiæ vir emittere, nec ad aliud Matrimonium transire; quia difficiliùs converteretur uxor, viro suo sciens se privatam. Si autem non sit spes de conversione, potest ad Sacros Ordines vel ad Religionem accedere, priùs requisitâ uxore quòd convertatur: Et tunc si postquam vir Sacros Ordines accepit, uxor convertatur, non est ei vir suus reddendus, sed debet sibi imputare in pœnam tardæ conversionis, quòd viro suo privatur.*

REGULA IV.

Si Conjux Infidelis vel nullo modo cum Fideli cohabitare velit, vel non sine contumelia Creatoris; vel nonnisi eo animo & ea conditione ut ipsum pertrahat ad mortale peccatum, Fidelis non solùm deserere potest Infidelem, sed etiam alterum Matrimonium contrahere.

HÆc Regula colligitur ex Apostolo I. ad Corinthios VII. *Quod si* (inquit) *infidelis discedit, discedat: Non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* Quibus verbis significat Apostolus, fratrem aut sororem, id est, Christianum aut Christianam, non esse subjectos servituti, quâ tenentur abstinere ab usu conjugii, si conjux infidelis odio Christiani Nominis sponte discesserit, aut conjugem reliquerit, aut si dimissus fuerit eò quòd sine Christi contumelia cohabitare nollet.

Id confirmat *S. Augustinus*, Libro *De Fide & Operibus*, Cap. XVI. *Quamobrem* (inquit) *& illud quod dicunt, veluti probare cupientes quantùm valeat » sola fides, ubi Apostolus dicit*, Quòd si infidelis » discedit, discedat; non est enim servituti sub- » jectus frater vel soror in hujusmodi; *Id est, ut » propter fidem Christi etiam ipsa uxor legitimâ societate conjuncta, sine ulla culpa relinquatur, si cum viro Christiano propter hoc quia Christianus est, permanere noluerit: Non attendunt eo modo illam rectissimè dimitti, si viro suo dicat, Non ero uxor tua, nisi mihi vel de latrocinio divitias congeras, aut nisi solita lenocinia quibus domum nostram transigebas, etiam Christianus exerceas; aut si quid aliud vel facinorosum vel flagitiosum in viro noverat; quo delectata vel libidinem explebat, vel facilem victum habebat, vel etiam incedebat ornatior. Tum enim ille cui hoc uxor dicit, si veraciter egit Pœnitentiam ab operibus mortuis, quando accessit ad Baptismum, habètque in fundamento fidem quæ per dilectionem operatur, proculdubio plus tenebitur amore divinæ gratiæ, quàm carnis uxoriæ, & membrum quod eum scandalizat, fortiter amputat.*

Idem confirmatur ex Canone, *Si infidelis*, Causa XXVIII. Quæst. II. qui *S. Gregorio* perperam tribuitur, & ex Autore Commentariorum in Epistolas Pauli inter *S. Ambrosii* Opera editorum desumptus est. *Si infidelis discedit odio Christianæ Fidei, discedat. Non est enim frater aut soror subjectus servituti in hujusmodi. Non est enim dimisso peccatum propter Deum, si alii se copulaverit. Contumelia quippe Creatoris solvit jus Matrimonii circa eum qui relinquitur. Infidelis autem discedens, & in Deum peccat, & in Matrimonium: nec est ei fides servanda conjugii, quia propterea discedit, ne audiret Christum Deum esse Christianorum Conjugiorum.*

Eamdem Regulam confirmat *Innocentius III.* Cap. *Quantò*, Extra, *De Divortiis*, cujus hæc sunt verba: *Si alter infidelium conjugum ad Fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia Divini Nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: Qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit: Et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus: » Si infidelis discedit, discedat: frater » enim vel soror non est servituti subjectus in hujus- » modi.*

Et Cap. *Gaudemus*, sub eodem Titulo: *Qui autem secundùm Ritum suum legitimam repudiavit uxorem; cùm tale repudium veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente licitè poterit aliam, etiam ad fidem Christi conversus, habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso: aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris; vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum: In quo casu restitutionem petenti, quamvis de injusta spoliatione constaret, restitutio negaretur: Quia, secundùm Apostolum, Frater aut soror non est in hujusmodi subjectus servituti.* Idem docet *S. Raymundus* Libro IV. Summæ 547.

REGULA V.

Matrimonii vinculum non solvitur, nisi cùm fidelis conjux aliud Matrimonium contrahit, infideli ob causas mox expositas dimisso. Unde si infidelis ad Christianam Religionem convertatur antequam conjux priùs conversus aliud Matrimonium contraxerit, illum recipere tenetur.

SIc respondet *Innocentius III.* Cap. *Gaudemus*, supra citato: *Quòd si conversum ad fidem & illa conversa sequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur.*

Suffragatur *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXXIX. Quæstione I. Articulo V. in Responsione ad secundum: *Crimen* (inquit) *uxoris nolentis cohabitare sine contumelia Creatoris, absolvit virum à servitute qua tenebatur uxori, ut non posset eâ vivente aliam ducere: sed nondum solvit Matrimonium, quia si blasphema illa converteretur antequam ille aliud Matrimonium contraheret, redderetur ei vir suus: Sed solvitur per Matrimonium sequens, ad quod pervenire non posset vir fidelis non solutus à servitute uxoris per culpam ejus.* Idem docet *S. Raymundus* Libro IV. Summæ, pag. 549. *Solvitur statim Matrimonium* (inquit) *quoad servitutem, sed non quoad substantiam, nisi tunc demum cùm contrahit cum alia Matrimonium: Et ideo dicit Apostolus:* Frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi. *Et Canon:* Contumelia Creatoris solvit jus » Matrimonii, *circa eum qui relinquitur. Non dicit, » Solvit Matrimonium, sed jus, id est, vinculum, obligationem, sive servitutem Matrimonii.*

REGULA VI.

Si conjux infidelis tandem convertatur, postquam fidelis aliud Matrimonium contraxit, illi concedi potest ut alteri nubat.

ITa docet, *S. Thomas*, loco mox indicato, in Responsione ad tertium: *Postquam* (inquit)

De Impedimento cultus disparitatis.

Fidelis contraxit, solutum est vinculum Matrimonii ex utraque parte; quia Matrimonium non claudicat quantum ad vinculum. Unde in pœnam uxoris infidelis ei indicitur quòd non possit cum alio contrahere, magis quàm ex virtute Matrimonii præcedentis; Sed si postea convertatur, potest ei concedi dispensativè ut alteri nubat, si vir ejus aliam uxorem duxit.

REGULA VII.

Conjugum altero in infidelitate pertinaci, filii minorennes conjugi fideli dari debent.

Nititur hæc Regula Canone *Judæi*, & Canone *Judæorum*, Causa XXVIII. Quæstione 1. qui sunt Concilii Toletani Quarti sexagesimus-secundus, & quinquagesimus nonus; & *Gregorii IX.* Responso, Cap. *Ex litteris*, Extra, *De Conversione Infidelium*, quo Judæo cuidam ad Fidem Christianam converso filium quadriennem assignari jubet, quamvis mater in Judaica superstitione pertinax vehementer contradiceret ob eam causam, quòd infans materno magis indigeret solatio, quam paterno. *Cùm* (inquit) *filius in patris potestate consistat, cujus familiam sequitur, & non matris; & in ætate tali quis non debeat apud eas remanere personas, de quibus posset esse suspicio, quòd saluti vel vitæ insidientur illius, & pueri post triennium apud patrem non suspectum ali debeant, & morari; materque pueri, si eum remanere contingeret apud eam, posset illum adducere ad infidelitatis errorem; in favorem maximè Fidei Christianæ respondemus, Patri eumdem puerum assignandum.*

Id confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXXIX. Quæstione 1. Articulo IV. in Responsione ad quartum. *Proles* (inquit) *aut pervenit ad perfectam ætatem, & tunc poterit liberè sequi patrem fidelem, vel matrem infidelem; vel est in minori ætate constituta; & tunc debet dari fideli, non obstante quòd indiget matris obsequio ad educationem.*

REGULA VIII.

Catholicorum cum Hæreticis conjugia illicita sunt, nec possunt absque gravi peccato contrahi.

De Catholicorum Matrimonio cum Hæreticis.

Matth. 18.
Tit. 3. 10.
2. Joan. 10

Si enim Hæreticus Ecclesiam non audiens haberi debet *sicut ethnicus & publicanus*; Si devitandus est, secundùm Apostoli Sententiam, *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita*: Si nec in domum admittendus, nec salutandus est, secundùm Dilecti Discipuli mandatum, *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis; qui enim dicit illi, Ave, communicat operibus ejus malignis*: Si jugum cum infidelibus ducere *non licet*; Hæresis verò pessimum est infidelitatis genus, non licet cum Hæreticis contrahere Matrimonia.

Connubia Catholicorum cum Hæreticis illicita.

Ad hæc, Hæreticos omnes excommunicatos esse certum est, quibuscum proinde Catholici Communionem inire non debent, in iis potissimùm quæ Sacramenta spectant, occasionem præbendo ut eorum sanctitas ab ipsis violetur. Porrò Matrimonium Sacramentum est, quod si recipiat vel ministret Hæreticus, violabit ejus sanctitatem. Quæ autem cum Hæretico, vel qui cum hæretica muliere contrahit, vel Sacramentum administrat infideli & publico peccatori, & ab eo recipit volens sciens, vel occasionem præbet ut ipsi administretur in Ecclesia, adeóque Sacramenti sanctitati violandæ ansam præbet, vel eam ipse violare non veretur. Periculum prætereà subversionis, pravæ liberorum educationis, & domesticorum ob Religionis diversitatem dissidiorum & rixarum, ab illis conjugiis imminet. Hinc Patres, & Concilia hujusmodi Matrimonia proscribunt, & Catholicis prohibent.

S. Ambrosius Libro 1. *De Abraham*, Cap. IX. *Cum sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris. Si hoc in aliis, quantò magis in conjugio, ubi una caro, & unus spiritus est? Quomodo autem potest congruere caritas, si discrepet fides? Et ideo cave, Christiane, Gentili aut Judæo filiam tuam tradere. Cave* (inquam) *Gentilem, aut Judæam, atque alienigenam, hoc est Hæreticam, & omnem alienam à fide tua uxorem arcessas tibi. Ratio docet, sed ampliùs exempla movent: tales illecebra mulieris decepit, etiam fortiores maritos, & à Religione fecit exortes.*

Concilium Illiberritanum.

Concilium Illiberritanum Canone XVI. *Hæretici, si se transferre noluerint ad Ecclesiam Catholicam, nec ipsis Catholicas dandas puellas; sed neque Judæis, neque Hæreticis dari placuit, eò quòd nulla possit esse societas fideli cum infideli: si contra interdictum fecerint parentes, abstinere per quinquennium placet*: id est, Communione privari.

Concilium Laodicenum Canone X. *Quòd non oporteat indifferenter Ecclesiasticos fœdere Nuptiarum Hæreticis suos filios filiásque conjungere.*

Concilium Carthaginense III. Canone XII. *Item placuit, ut filii vel filiæ Episcoporum, vel quorumlibet Clericorum, Gentilibus, vel Hæreticis, aut Schismaticis Matrimonio non jungantur.*

Concilium Chalcedonense Canone XIV. *Sed neque copulari debet Nuptura Hæretico, aut Judæo, vel Pagano; nisi fortè persona Orthodoxa copulanda promittat se ad Orthodoxam Fidem transferre. Si quis hanc definitionem Sanctæ Synodi transgressus fuerit, correptioni canonicæ subjacebit.* Solam promissionem amplectendi Fidem Catholicam ab Hæreticis non postulare Chalcedonenses Patres, sed ut promissio impleatur ab Hæretica persona, ejuratione hæreseos, Fideique Catholicæ professione solemni, antequam Matrimonium cum illa contrahere Catholico permittatur, intelligunt Interpretes Græci. *Quòd si fidem amplecti se velle Hæreticorum quispiam aut Infidelium polliceatur, cum eo paciscì de Nuptiis, non tamen eas, antequam promissa impleverit, celebrari licere decernitur.* (inquit Zonaras.) *Tunc enim si ad Orthodoxam Fidem accesserint, consequentur quoque Nuptiæ;* (inquit Balsamon.)

Concilium Agathense Canone LXVII. *Quoniam non oportet cum omnibus Hæreticis miscere connubia, & vel filios vel filias dare, sed potiùs accipere, si tamen profiteantur Christianos futuros esse se & Catholicos.* Refertur Canone *Non oportet*, Causa XXVIII. Quæstione 1.

Concilium Burdigalense anno MDLXXXIII. *Moneantur quàm sæpissimè fideles Christiani à suis Parochis, ne Hæreticis, & hominibus à fide & Religione Catholica alienis, filios & filias in Matrimonium collocent: Talibus enim conjugiis, quod dolentes referimus, permulti naufragium fidei fecerunt.*

Concilium Toronense anno MDLXXXIII. *Monente Apostolo, cùm non sit ducendum jugum cum Infidelibus, nullàque debeat esse pars fidelis cum infideli, sitque Matrimonium non tantùm corporum, sed magis animarum conjunctio, & divini humanique Juris societas, eâque causa cavere debeant maximè, qui Matrimonium contrahere desiderant, ne inter conjuges perpetua rixa vel etiam divortii relinquatur occasio, idcique Catholici cum Hæreticis, quorum vix aut numquam possunt esse pares animi, Matrimonio jungi non debeant, Ecclesiarum Parochialium Recto-*

ret hortamur, eisque injungimus suos Parœcianos Catholicos à Matrimoniis cum Hæreticis ineundis quantâ poterunt diligentiâ avocare: Catholicis permittentes, ut à Sponsalibus impunè resilire possint, quæ per verba de futuro cum Hæreticis ignoranter contraxerint.

Regis Christianissimi Constitutio hac in causa.

Ludovicus Magnus Rex Christianissimus Constitutione edita anno MDCLXXX. Gallis & Ditionum suarum hominibus quibuscumque, Religionis Catholicæ Apostolicæ & Romanæ Professoribus prohibuit, ne quovis prætextu Matrimonia cum Hæreticis contraherent, hujusmodi connubia haud validè contracta, & filios illegitimos, ac hereditariæ Successionis in bona parentum mobilia vel immobilia incapaces declarans, ea ductus ratione: Quòd *Concilia variis temporibus in Ecclesia celebrata editis Canonibus Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis damnaverint ut scandalum publicum, & violationem manifestâ Sacramenti, cui Deus gratias adnexuit, quo hominibus extra Communionem Fidelium positis communicari non possunt: & quòd Matrimoniorum Catholicæ Ecclesiæ disciplinæ adeò repugnantium tolerantia Catholicos perpetuæ tentationi subversionis & defectionis à Fide & Communione Catholica exponat.* Haud validè contracta declaravit hujusmodi Matrimonia Rex Maximus & Religiosissimus, quoad effectus duntaxat civiles, non quoad substantiam & firmitatem Contractûs.

De Matrimoniis Catholicorum cum Hæreticis.

REGULA IX.

Catholicorum cum Hæreticis Matrimonia non sunt irrita.

Non sunt irrita.

Matrimonii namque vinculum propter Hæresim non dissolvi, Sacra Synodus Tridentina declaravit Canone V. *Si quis dixerit, propter Hæresim.... dissolvi posse Matrimonii vinculum, Anathema sit.*

Idem constat ex cap. *Quantò*, Extra, *De Divortiis*, quod est *Innocentii III.* Responsum: *Si verò* (inquit) *alter Fidelium conjugum vel labatur in Hæresim, vel transeat ad Gentilitatis errorem, non credimus quod in hoc casu is qui relinquitur, vivente altero possit ad secundas Nuptias convolare, licèt in hoc casu major appareat contumelia Creatoris. Nam etsi Matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum; inter Fideles autem verum & ratum existit: quia Sacramentum Fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret.... Per hanc responsionem quorumdam malitia obviatur, qui in odium conjugum, vel quando sibi invicem displicerent, si eas possent in tali casu dimittere, simularent hæresim, ut ab ipsa (nubentibus conjugibus) resilirent.*

Idem confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXXIX. Quæstione I. Articulo I. in Responsione ad quartum. *Matrimonium* (inquit) *Sacramentum est, & ideò quantùm pertinet ad necessitatem Sacramenti, requirit paritatem quantùm ad Sacramentum fidei, scilicet Baptismum, magis quàm quantùm ad interiorem fidem: unde etiam hoc impedimentum non dicitur disparitas fidei, sed disparitas cultûs, qui respicit exterius servitium. Et propter hoc si aliquis Fidelis cum Hæretica baptizata Matrimonium contrahit, verum est Matrimonium; quamvis peccet contrahendo, si sciat eam hæreticam, sicut peccaret si cum excommunicata contraheret; non tamen propter hoc Matrimonium dirimeretur.* Idem docet *S. Raymundus* Libro IV. Summæ, pag. 510.

Trullana quidem Synodus Canone LXXII. Catholicorum cum Hæreticis Matrimonia irrita pronunciat; sed alia est Romanæ, & totius Occidentalis Ecclesiæ, quæ Canones illos non approbavit, Disciplina. Femina tamen quæ erroris viri conscia Hæretico nubit, dotis privatione multatur Constitutione *Bonifacii VIII.* cap. *Decrevit*, Tit. *De Hæreticis*, in Sexto.

Orientalis Ecclesia Catholicorum cum Hæreticis Matrimonia irrita declaravit.

REGULA X.

Consuetudo Regionum in quibus Catholici cum Hæreticis permixti sunt, & passim cum illis Matrimonio junguntur, ita contrahentes à peccato gravi non excusat, nisi Dispensationem à Summo Pontifice justis de causis obtinuerint, omnique subversionis absit periculum, & Catholicæ liberorum Institutioni provideatur.

De Matrimoniis Catholicorum cum Hæreticis.

Esto enim, cùm perversionis periculum abest, cùm nullum inde scandalum oritur, cùm educationi liberorum in Catholica Fide prospicitur, Matrimonia hujusmodi Lege naturæ ac divinâ positivâ prohibita non sint, Legibus tamen Ecclesiasticis vetita sunt, quarum relaxatio pertinet ad Summum Pontificem iis in casibus, in quibus de universali Disciplina & Conciliorum Generalium Canonibus aut Populi Dei consenso firmata agitur, & dispensandi potestatem sibi reservarunt Sedis Apostolicæ Pontifices. Non videtur autem quòd Canones, in promiscuis illis connubiis Catholicorum cum Hæreticis violari probet, quamvis istud malum gemens toleret Ecclesia, nec puniat his in regionibus ob peccantium multitudinem. Neque enim consuetudo hac in re à peccato excusat, cùm salutis periculum ex hujusmodi connubiis ut plurimùm oriatur, & absque sacrarum Ecclesiæ Legum violatione, & Religionis Catholicæ dedecore non contrahantur. Ut enim ait *Gregorius IX.* cap. *Cùm tantò*, Extra, *De Consuetudine*, Lib. I. Decretalium, *Cùm tantò sint graviora peccata, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam, nemo sanæ mentis intelligit, naturali Juri, cujus transgressio periculum salutis inducit, quacunque consuetudine, (quæ dicenda est veriùs in hac parte corruptela) posse aliquatenus derogari. Licet etiam longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas: non tamen est usque adeo valitura, ut vel Juri Positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè præscripta.* Quis porrò dixerit consuetudinem, qua in quibusdam regionibus Catholici Hæreticis promiscuè nubunt, esse rationabilem? Quis legitimè præscriptam asserat? Siquidem (ut *Tertullianus* ait, Libro *De Virginibus Velandis*, cap. I.) *Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum. Ex his enim ferè consuetudo initium ab aliqua ignorantia vel simplicitate sortita, in usum per successionem corroboratur, & ita adversùs veritatem vindicatur. Sed Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominavit.* De consuetudine igitur quâ Catholici quibusdam in regionibus Matrimonia cum Hæreticis contrahere non dubitant, *S. Cypriani* verba usurpamus Epistola I. *Consenserunt jura peccatis, & cœpit jam licitum esse, quod publicum est.*

An liceant cum dispensatione Summi Pontificis.

ARTICULUS IX.

De Impedimento Ligaminis.

Quid sit ligamen?

Ligamen est indissolubile Matrimonii vinculum, quo conjuges ita sibi invicem sunt alligati, ut utroque superstite neuter cum altero Matrimonium contrahere valeat. Impedimentum istud Divino Jure institutum est, quo & Polygamia prohibita. Unde Tridentina Synodus Sessione XXIV. Canone II. *Si quis dixerit licere Christiano plures simul habere uxores, & hoc nulla Lege Divina esse prohibitum; Anathema sit.*

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA I.

Si quis Vir cum aliena Uxore, legitimo ejus Marito superstite; vel Mulier cum alieno Viro, legitima ejus Uxore vivente Matrimonium contraxerit, ad priores conjuges redire compellendi sunt; posteriusque illud Matrimonium irritum est, quamvis sit carnali copula consummatum, & prior uxor cognita non fuerit.

De Impedimento ligaminis.

SIc respondent *Alexander III.* cap. *Licet*, & *Innocentius III.* cap. *Tuas*, Extra, *De Sponsa duorum.* Contrariàmque Mutinensiom consuetudinem postremus ille Pontifex proscribit. *Si personæ* (inquit) *junctæ legitimè cùm aliis postea de facto contrahant, quod prius de Jure factum fuerat, non poterit irritari.*

REGULA II.

Appellans in causa nullitatis Matrimonii, aliud Matrimonium contrahere non potest, donec Judex Ecclesiasticus causâ cognitâ, latâque Sententiâ Matrimonium irritum pronunciaverit: alioquin Matrimonium lite pendente contractum irritum est.

HÆc Regula nititor cap. *Tua fraternitas*, Extra, *De Sponsa duorum*, quod est *Alexandri III.* Responsum. *De his* (inquit) *qui coram te super Desponsatione facta per consensum mutuum de præsenti controversiam movent, & Appellatione pendente, quam ante Sententiam vel cognitionem causæ ad Sedem Apostolicam interponunt, accipiunt alias in uxores; hoc arbitramur agendum, ut si amodo in tali casu duxerint appellandum, eis in Ecclesia publicè interdicas, ne ante decisionem causæ aliud contrahant Matrimonium. Et si contra Interdictum Ecclesiæ publicè factum venire præsumpserint, Matrimonium tam præsumptuosè contractum poterit irritare.*

REGULA III.

Mulier cujus Maritus septennio, decennio, aut etiam longiori quovis tempore absens fuerit, nubere alteri non potest, donec de illius morte certis documentis constet.

SIc respondit Cæsaraogustano Episcopo *Clemens III.* cap. *In præsentia*, Extra, *De Sponsalibus & Matrimonio*, cujus hæc sunt verba: *In præsentia nostra quæsivisti, quid agendum sit de mulieribus, quæ viros suos causâ captivitatis, vel pere-*

A *grinationis absentes, ultra septennium præstolatæ fuerint: nec certificari possunt de vita vel de morte ipsorum, licèt super hoc solicitudinem adhibuerint diligentem, & pro juvenili ætate, seu fragilitate carnis nequeunt continere, petentes aliis Matrimonio copulari. Consultationi ergo tuæ taliter respondemus: Quòd quantocunque annorum numero ita remaneant viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium canonicè convolare: nec auctoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum recipiant nuncium de morte virorum.* Pontificis responsum doctrinæ *S. Basilii*

De Impedimento ligaminis.

B consonum est, Epistolâ ad Amphilochium, Canone XXXVI. *Militum uxores* (inquit) *quæ cùm mariti ipsorum non appareant, nupserunt, eidem rationi subjiciuntur, cui eæ quæ propter maritorum peregrinationem ac absentiam, reditu non expectato, nupserint. Sed res nonnullam hic veniam admittit, quod major sit militis suspicio.* Quinquennio duntaxat viros absentes expectari ab uxoribus debere, Civili Jure constitotum erat. *L. Uxores. ff. De Divortiis.* Sed Legem illam emendavit *Justinianus* Imperator Aothenticâ, *Hodie* cap. *De Repudiis*, cujuc hæc sunt verba: *Hodie quantiscunque annis maritus in*

C *expeditione remanserit, mulier sustinere debet, licèt neque literas, neque responsum ab eo acceperit. Sed si mortuum audierit, non priùs nubat, quàm per se, vel per alium, eum sub quo militabat adiens, interrogaverit, si pro veritate mortuus est: ut apud Gesta deponatur cum Jurejurando, si mortuus sit: quo subsecuto, post annum nubat. Si verò præter hæc nupserit, tam ipsa, quàm qui eam duxerit, veluti adulteri puniantur.*

REGULA IV.

Qui de morte prioris Conjugis dubitans alterum Matrimonium contraxerit, aut postea in eam

D *dubitationem inciderit, novo quidem Conjugi debitum exigenti reddere tenetur, sed exigere ipse non potest.*

SIc respondet *Lucius III.* cap. *Dominus* Extra, *De Secundis Nuptiis*, cujus hæc sont verba: *Sanè super Matrimoniis, quæ ex vobis, nondum habitâ obeuntis conjugis certitudine contraxerunt, id vobis respondemus, Ut nullus amodo ad secundas Nuptias migrare præsumat, donec ei constet quod ab hac vita migraverit conjux ejus. Si verò aliquis, vel*

E *aliqua id hactenus non servavit, & de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei quæ sibi nupsit, debitum non deneget postulanti: quod à se tamen noverit nullatenus exigendum.*

REGULA V.

Si de prioris conjugis vita constiterit, secundum Matrimonium, licèt bonâ fide contractum, dirimitur, & Mulier Censuris Ecclesiasticis cogenda est ut ad priorem Maritum revertatur.

ITa decrevit *S. Leo*, Epistola CXXIX. aliàs LXXIX. ad *Nicetam* Episcopum Aquileiensem. *Cùm ergo* (inquit) *per bellicam cladem, & per gra-*

F *vissimos hostilitatis incursus, ita quædam dicatis divisa esse conjugia, ut abductis in captivitatem viris feminæ eorum remanserint destitutæ: Quæ cùm viros proprios aut interemptos putarent, aut nunquam à dominatione crederent liberandos, ad aliorum conjugium solitudine cogente, transierint. Cúmque nunc statu rerum, auxiliante Domino, in meliora converso, nonnulli eorum qui putabantur periisse, remeaverint, meritò Caritas tua videtur ambigere, quid de mulieribus, quæ aliis junctæ sunt viris, à nobis debeat ordinari. Sed quia novimus scriptum, quod* A Deo jungitur,

mulier viro; *& iterum preceptum agnovimus*, Quod « Deus junxit, homo non separet: *Necesse est ut « legitimarum fœdera Nuptiarum redintegranda credamus, & remotis malis, quæ hostilitas intulit, unicuique hoc quod legitime habuit, reformetur: omnique studio procurandum est, ut recipiat unusquisque quod proprium est..... Et ideo, si viri post longam captivitatem reversi, ita in dilectione suarum conjugum perseverët, ut eas cupiant in suum redigere consortium: amittendum est, & inculpabile judicandum, quod necessitas intulit; & restituendum quod fides poscit. Si autem aliquæ mulieres ita posteriorum virorum amore sunt captæ, ut malint cohærere, quam ad legitimum redire consortium, meritò sunt notandæ; ita ut etiam Ecclesiastica Communione priventur: quæ de re excusabili contaminationem criminis elegerunt, ostendentes sibimet pro sua incontinentia placuisse quod justa remissio poterat expiare. Redeant ergo in suum statum voluntaria redintegratione conjugia, neque ullo modo ad opprobrium malæ voluntatis trahatur, quod conditio necessitatis extorsit: Quia sicut hæ mulieres, quæ reverti ad viros suos nolunt, impiè habendæ sunt; ita illæ, quæ in affectum ex Deo initum redeunt, meritò sunt laudandæ.*

Matth. 19. 6
De Impedimento ligaminis.

Id confirmat *Lucius III.* cap. *Dominus*, Extra, *De Secundis Nuptiis*, cujus hæc sunt verba: *Quòd si post hoc de prioris conjugis vita constiterit, relictis adulterinis complexibus ad priorem conjugem revertatur.* Adulterinos complexus vocat, si postquam intellexerit pro certo priorem maritum superstitem esse, cum secundo remaneat, antea enim adulterium non est, si bona fide contraxerit.

REGULA VI.

Culpabilis non est vir, qui duxit mulierem, cujus maritus defunctus credebatur, & tamen superstes erat: sed priori marito, locum cedere debet. Filii autem ex secundo Matrimonio suscepti, sunt nihilominus legitimi.

ITa docet *S. Leo* Epistola mox indicata, cap. II. *Nec tamen* (inquit) *culpabilis judicetur, & tanquam alieni juris pervasor habeatur, qui personam ejus mariti, qui jam non esse existimatur, assumpsit. Sic enim multa, quæ ad eos qui in captivitatem ducti sunt, pertinebant, in jus alienum transire potuerunt, & tamen plenum justitia est, ut eisdem reversis propria reformentur. Quod si in mancipiis, vel in agris, aut in domibus ac possessionibus ritè servatur, quantò magis in conjugiorum redintegratione faciendum est; ut quod bellica necessitate turbatum est, pacis remedio reformetur.*

Filios porrò ex secundo Matrimonio susceptos, nihilominus legitimos esse, docet *S. Raymundus* Lib. IV. Summæ, pag. 553. *Pone* (inquit) *quòd uxor credit virum mortuum, & contrahit cum alio. Dic quod quandiu ita credit, nec ille revertitur, excusatur ab adulterio & fornicatione, propter ignorantiam facti. At filii, si quos ex secundo suscepit, judicantur legitimi.*

ARTICULUS X.

De Justitia publica Honestatis.

Quid est justitia publicæ honestatis?

JUstitia publica honestatis, *est propinquitas ex Sponsalibus, aut Matrimonio non consummato proveniens, roburque trahens ex Institutione Ecclesiæ, propter ejusdem Ecclesiæ honestatem.* Ex qua definitione patet, hoc impedimentum institutum esse ab Ecclesia ad tuendam publicæ honestatis justitiam, quæ procul dubio violaretur, si filius mulierem per verba de futuro patri suo desponsatam duceret uxorem; aut si sponsus de facto contraheret cum sorore sponsæ suæ. Impedimentum illud apud Romanos observatum fuisse, constat ex Libro XXIII. *Digestorum*, Tit. II. *De Ritu Nuptiarum*, L. XII. §. I. & 2. Justitia publicæ honestatis olim Matrimonium impediebat usque ad illos gradus, ad quos affinitas ipsa porrigitur, etiamsi Sponsalia nulla fuissent, modo consensus præstitus fuisset: ut constat ex cap. *Ad audientiam*, Extra, *De Sponsalibus & Matrimoniis*, quod est *Alexandri III.* Responsum, & cap. *Ex Sponsalibus*, sub eodem Titulo, in Sexto, quod est *Bonifacii VIII.*

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA I.

Impedimentum Justitiæ publicæ honestatis ex Sponsalibus invalidis non hodie oritur: neque ultra primum gradum hodie porrigitur.

ITa decrevit Sacra Synodus Tridentina, Sessione XXIV. *De Reformatione Matrimonii*, cap. III. *Justitiæ* (inquit) *publicæ honestatis impedimentum, ubi Sponsalia quacunque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsus tollit. Ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedat: Quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.* Ad hoc autem ut Sponsalia valida sint, & consequenter impedimentum istud in primo grado inducat, requiritur primò, ut à majoribus septennio contracta sint; vel si ante, post septennium tamen consentiant & perseverent in voluntate contrahendi. Secundò, ut non sint conditionata, nam ante conditionis eventum nulla sunt. Tertiò, ut sint certa, quia in incertam personam non fertur consensus. Quartò, ut consensus non defuerit. Unde consanguineus furiosi mulierem, quam in amentia desponsavit, ducere potest uxorem. Ista constant ex cap. *Ex Sponsalibus*, Tit. *De Sponsalibus & Matrimoniis*, in Sexto.

De Impedimento justitiæ publicæ honestatis.

REGULA II.

Publicæ honestatis Impedimentum morte non tollitur.

QUam ob rem si Maria desponsata fuerit Joanni per verba de futuro, & ille obierit antequam Matrimonium contraherent, Petrus frater Joannis ducere non potest Mariam, prohibente publicæ honestatis justitiâ; & si duxerit, irritum est Matrimonium. Id constat ex Canone, *Si quis desponsaverit*, Causa XXVII. Quæstione II.

Dein a ... [illegible] publicæ honestatis.

REGULA III.

Ex Sponsalibus ab initio validis, sed postea mutuo consensu dissolutis, oritur impedimentum Justitiæ publicæ honestatis.

De Impedimento justitiæ publicæ honestatis.

HOc enim impedimentum semel contractum non pendet a contrahentium voluntate, sed ab Ecclesiæ, quæ illud constituit, & perpetuum esse volunt, Decreto. Atque ita censuit non semel Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres, quæ rursus proposito dubio, An Sponsalibus validè ab initio contractis, deinde mutuo consensu dissolutis, sit sublatum impedimentum justitiæ publicæ honestatis, post maturum Quæstionis examen, respondit, Non esse sublatum. Quam Declarationem approbavit *Alexander VIII.* Pontifex Maximus, eamque deinceps in dubium revocari prohibuit.

B

REGULA IV.

Impedimentum Justitiæ publicæ honestatis oritur ex Matrimonio rato, non consummato: & in ea hypothesi ad quartum gradum extenditur.

C

ID constat ex Constitutione *S. Pii V.* quæ incipit, *Ad Romanum*, cujus hæc sunt verba: *Ad aures nostras pervenit, multos esse qui dubitent an Decretum Oecumenici Concilii Tridentini*, Sessione XXIV, *De Reformatione Matrimonii*, cap. III. *quo cavetur Impedimentum publicæ honestatis, ubi Sponsalia valida non fuerint, prorsùs tolli; ubi verò valida fuerint, non excedere primum gradum, cùm in ulterioribus non possit hujusmodi prohibitio servari: de Sponsalibus per verba (ut aiunt) de futuro tantùm conceptis intelligatur: vel etiam Matrimonia per verba de præsenti contracta, non tamen consummata, quæ interdum Sponsalia appellantur, comprehendat; ita ut etiam eo casu impedimentum inde proveniens sublatum fuerit. Nos itaque ut omnis difficultas dubitatióque tollatur, attendentes quòd Sponsaliorum appellatione, quâ dictum Concilium utitur, nonnisi impropriè Matrimonium verbis de præsenti conceptis contractum continetur, quodque agitur de correctione Juris Veteris, quo casu secundùm proprietatem verborum duntaxat procedendum est: præsertim cùm longè majorem rationem prohibitionis in Matrimonio per verba de præsenti contracto, quam in Sponsalibus de futuro vigere à nemine dubitetur. Idcirco motu proprio, Auctoritate Apostolicâ, tenore Concilii hujusmodi omnino intelligendum esse, & procedere in Sponsalibus de futuro duntaxat, Non autem in Matrimonio sic, ut præfertur, contracto: sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus, qui de Jure Veteri ante prædictum Concilii Decretum introductum erat.* Portò ante Concilii Tridentini Decretum Impedimentum Justitiæ publicæ honestatis ex Matrimonio rato proveniens extendebatur ad quartum usque gradum: Igitur & nunc ad quartum gradum pertingit, cùm Tridentina Synodus Juris Veteris dispositionem quoad hoc Caput non reformaverit.

D

E

F

REGULA V.

Impedimentum Justitiæ publicæ honestatis non oritur ex Matrimonio irrito defectu consensûs, aut ex clandestina conventione.

EX Matrimonio irrito defectu consensûs nullum hujusmodi oriri impedimentum colligitur ex cap. *Accessit*, Tit. *De Desponsatione impuberum*, in Sexto. Idémque docet *Hostiensis*, in Summa, Tit. *De Sponsalibus*, §. *Quis sit effectus.* Ex Matrimonio verò clandestino etiam non oriri, inde patet, quòd Sponsaliorum etiam vim non habeat, ut sopetiùs probavimus; & quòd Concilium Tridentinum eos qui clandestinum Matrimonium inire voluerint, *omnino inhabiles* reddat *ad sic contrahendum*: adeóque ex eorum contractu nedum civilis, sed nec naturalis obligatio oriatur; ac proinde consensus ita contrahentium irritus sit.

De Impedimento justitiæ publicæ honestatis.

REGULA VI.

Ex Matrimonio irrito ratione consanguinitatis, affinitatis, impotentiæ, voti, &c. sed tamen secundum formam Concilii Tridentini contracto, oritur impedimentum Justitiæ publicæ honestatis.

ID colligitur ex cap. *Juvenis*, Ext. *De Sponsalibus & Matrimoniis*, quod est *Eugenii* Papæ Responsum. *Juvenis* (inquit) *qui puellam nondum septennem duxit, quamvis ætas repugnet, ex humana tamen fragilitate forsan tentavit, quod complere non potuit. Quia igitur in his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus: tum propter honestatem Ecclesiæ, quia ipsa conjux ipsius fuisse dicitur, tum propter prædictam dubitationem: mandamus quatenus consobrinam ipsius puellæ, quam postmodum duxit, dividas ab eodem.* Matrimonium primum nullum fuerat, utpote cum impubere contractum, & tamen impedimentum justitiæ publicæ honestatis induxit.

Idem colligit *Faguanus* ex cap. *Ad audientiam*, Extra, *De Sponsalibus & Matrimoniis*, cujus hæc sunt verba: *Ad audientiam nostri Apostolatus pervenit, quod cùm H. Papiensis civis filiam suam cuidam filiorum L. dare vellet uxorem; juravit, quòd si ille eam habere casu aliquò interveniente non posset, alteri filio, quem de alia uxore genuerat, eandem Matrimonio copularet. Contractis autem à filio priore Sponsalibus, quidam consanguinitatem inter eos esse, juramentis interpositis firmaverunt. Ideóque Præfatus H. eandem dare alteri filio nititur, ut juravit. Sed quoniam scriptum est, Quod Sponsam fratris frater habere non potest: mandamus, quatenus eum suum implere propositum non permittas.* Probabile est (loquit *Faguanus*) inter filiam H. & « filiam L. contractum fuisse Matrimonium, « dum dicitur, post Sponsalia, seu promissiones « parentum filios posteà Sponsalia contraxisse « Hæc namque secunda Sponsalia debent intelli- « gi de Sponsalibus de præsenti, non autem de « Sponsalibus de futuro, quæ antea per parentes « contracta erant; sufficiebatque filiis ea rata ha- « bere absque eo quòd eadem de novo contrahe- « rent, actum superfluum faciendo: & tamen « dicitur ex illis, licèt propter propinquitatem « nulla essent, impedimentum Justitiæ publicæ « honestatis provenisse. Præterea, Pontifex, ad « probandum ex his Sponsalibus, quæ nulla « erant, oriri impedimentum Justitiæ publicæ « honestatis,

De Impedimento justitiæ publicæ honestatis.

» honestatis, Scripturæ locum profert, quo di- » citur, Fratrem non posse habere sponsam fra- » tris sui : hic autem locus spectat Matrimonium » de præsenti, cùm uxor nominetur : Matth. xiv. *Herodes tenuit Joannem, & posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui. Dicebat enim illi Joannes : Non licet tibi habere eam.* Igitur de Matrimonio Pontifex loquitur, non de meris Sponsalibus. Tertiò, Jus Vetus immutatum non est quoad impedimentum Justitiæ publicæ honestatis ex Matrimonio rato proveniens, ut declaravit *S. Pius V.* At illud impedimentum ex Matrimonio etiam irrito oriebatur olim, potiori jure quàm ex Sponsalibus puris, etiamsi consanguinitatis, affinitatis, & frigiditatis, Regionis, aut quavis alia ratione nulla essent, dummodo non essent nulla deffectu consensûs, ut constat ex Cap. unico *De Sponsalibus & Matrimonio*, in Sexto : Igitur & hodie simile impedimentum oritur ex Matrimonio secundùm formam Concilii Tridentini contracto, quamvis irrito. Ut enim Glossa Capitis *Ad audientiam*, ait : *Matrimonium plerumque attenditur considerato facto, non in re.* De Bigamis, Cap. Nuper. & C. De Adulterio, L. Eum qui. *Plus enim in talibus consideratur quandoque opinio, quàm veritas.* Sic Presbyter, qui secundam uxorem post Ordinationem duxit, quamvis Matrimonium illud sit irritum, Bigamus censetur, & cum ipso tamquam cum Bigamo non licet dispensari, licèt revera Bigamus non existat : *Non propter Sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto. Quia in Matrimoniis contrahendis non juris effectus, sed animi destinatio attenditur : unde illum comitatur infamia, qui duas simul habet uxores, quod partim ad factum convenit retorqueri, sicut in Canone habetur de Presbytero qui non legalibus Nuptiis detinetur.* Verba sunt *Innocentii III.* Cap. *Nuper*, Extra, *De Bigamis non ordinandis.* Denique nostra ætate Regina Lusitaniæ soluto Matrimonio cum *Alfonso* Rege contracto ob ejusdem Regis impotentiam, Dispensationem à Sede Apostolica obtinuit super Impedimento justitiæ publicæ honestatis, ut *Petro* Principi tunc Regni Regenti, Regisque fratri nuberet.

ARTICULUS XI.

De Impedimento Impotentiæ.

Quotuplex impotentiæ genus?

IMpotentia quæ sexuum copulam impedit, per quam duæ personæ fiunt una caro, unum est ex præcipuis Matrimonii impedimentis. Nam sicut in aliis contractibus non est conveniens obligatio, si quis se obliget ad id quod dare vel facere non potest : ita in contractu Matrimonii, quo unus obligatur alteri ad debitum carnale solvendum, non est conveniens contractus, si fiat ab aliquo, qui debitum carnale solvere non possit.

Impotentia quædam est naturalis & ex causa intrinseca ; alia accidentalis & ex causa extrinseca. Naturalis contingit, vel ratione ætatis, ut est in impubere, in quo adveniente pubertate desinit, cùm naturæ qualitates, quæ immaturæ & nimiâ humiditate oppressæ erant, incalescere & vigere incipiont : vel ratione debilis frigidiorisque naturæ, quâ fit ut etiam adultus ad carnalem copulam ineptus fit. Unde vitium illud corporis vulgò frigiditas nuncupatur, tametsi ex nimio etiam calore proficisci valeat. In muliere verò naturalis impotentia contingit ex vulvæ arctioris dispositione, vasisque angustiâ, quæ semen viri suscipere non potest. Accidentalis impotentia contingit vel ex abscissione aut attritione partium quibus viri patres fiunt, vel ex maleficio ; tùm scilicet dæmon uni conjugum alterius horrorem incutit, aut medium corpus interponit, ut copulam impediat ; aut membra subitò immutat, & ad officium conjugale inepta reddit.

Duplex rursus est impotentia : quædam perpetua, quæ tolli non potest citra miraculum, aut citra B mortis periculum, aut citra peccatum ; altera temporalis, quæ arte humanâ, aut remediis Ecclesiæ auferri potest.

Denique alia est impotentia absoluta, id est, respectu omnium fœminarum ; alia respectiva, cùm aliquis respectu quarumdam est impotens, sed potens respectu aliarum.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA I.

C *Impotentia perpetua ipso naturæ jure impedimentum est Matrimonium dirimens.*

De Impedimento impotentiæ.

CUm enim procreandæ prolis causâ comparatæ sint Nuptiæ, si ea sit ab initio viri aut mulieris imbecillitas ut Matrimonium consummare non possint, irritum est Matrimonium, ut *Alexander III.* respondet Ambianensi Episcopo, Cap. *Quod Sedem*, Extra, *De frigidis & maleficiatis*, cujus hæc sunt verba : *Sicut puer qui non potest reddere debitum, non est aptus conjugio ; sic qui* D *impotentes sunt, minimè apti ad contrahenda Matrimonia reputantur.*

Idem confirmat Cap. *Ex litteris*, sub eodem Tit. *Ex litteris* (inquit) *tuis accepimus, quòd quidam sexdecim annorum quamdam annorum tredecim accepit uxorem : qui cùm debitum reddere non posset, mulier tam gravem infirmitatem contraxit, ut omnino viro facta sit inutilis, & instrumentum ejus impeditum, ita quòd vir ei commisceri non potest : Respondemus igitur, Quòd si vitium illud mulier à natura contraxit, nec ope medicorum poterit adjuvari, viro aliam accipiendi liberam tribuas facultatem.*

Irrita Eunuchorum Matrimonia.

E Hinc *Sixtus V.* Eunuchorum Matrimonia irrita, & eos ad Matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles declaravit, edita Constitutione. Singularem *Michaelis à Medina*, & *Ildefonsi de Veracruz* opinionem, asserentium hujusmodi homines Matrimonium valide contrahere posse, luculenter refellit *Navarrus* Concilio II. *De frigidis & maleficiatis.* Et tamen in specie de qua fuerat sententiam rogatus, respondet Matrimonium cujusdam spadonis Hispani cum Muliere quam constupraverat, ex quo Matrimonio plures nati erant filii, quos uterque conjux agnoverat, & educaverat tamquam suos, esse validum. Sed ut ut se res F habuerit in illa specie quæ Consilio *Navarri* argumentum præbuit, Juri communi & Constitutioni *Sixti V.* omninò standum est.

REGULA II.

Qui perpetuâ laborat impotentiâ, manet absque spe conjugii ; alius nubere potest cui vult, in Domino.

ID constat ex Cap. *Accepisti*, Extra, *De frigidis & maleficiatis*, & ex *S. Thoma* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXXIV. Quæstione I. Articulo II.

REGULA III.

Impotentia perpetua Matrimonium dirimit, sive alteri conjugi cognita sit, sive incognita.

De impedimento impotentiæ.

QUamvis enim utrique conjugi nota sit alterutrius impotentia, semper contraria est substantiæ Matrimonii: siquidem tradere non potest alteri corpus suum ad actum conjugalem, qui perpetuâ laborat impotentia; sicut oon potest emere, qui solvendo non est, nec unqoam esse potest. Qui autem impotens est temporariâ dumtaxat impotentiâ, quæ scilicet sanari potest, aut spes est fore ut sanetur aliquando, Matrimonium ratum contrahit, si pars altera ooverit impotentiam: ita ut dirimi non possit, quamvis eam temporis progressu, vique remediorum amoveri non contingat. Non alius est sensos verborum *S. Thomæ*, loco mox indicato in Responsione ad quartum, *In quolibet* (inquit) *contractu hoc universaliter tenetur, quòd ille qui est impotens ad solvendum aliquid, non reputatur idoneus ad contractum illum quo se obligat ad ejus solutionem: Tamen impotens potest esse dupliciter: Uno modo quia non potest solvere de jure; & sic talis impotentia omnibus modis facit contractum esse nullum, sive sciat ille cum quo facit talem contractum, hanc impotentiam, sive non: Alio modo, quia non sit solvendo de facto: Et tunc si sciat ille cum quo contrahit, hunc impotentiam, & nihilominus contrahit, ostenditur quòd alium finem ex contractu quærit; & ideo contractus stat. Si autem nescit, tunc contractus nullus est. Et ideo frigiditas, quæ causat talem impotentiam, ut homo non possit de facto solvere debitum, & conditio servitutis per quam homo non potest de facto liberè reddere, impediunt Matrimonium, quando alter conjugum ignorat hoc quòd alius non potest reddere debitum. Impedimentum autem per quod aliquis non potest de jure reddere debitum, ut consanguinitas, annullat contractum Matrimonium, sive sciat alter, sive non.* Sic intelligendum *S. Thomam*, docet *Dominicus Soto* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXXIV. Quæstione I. Articulo II. Et certè quamvis copula carnalis ad Matrimonii substantiam non pertineat; tamen potestas & obligatio ad illam ita oecessaria est, ut absque illa Matrimonium stare non possit. Quare si frigiditas viri, cujus mulier erat conscia, sit perpetua, oullum contrahitur Matrimonium; sed si velint, manere simul possunt ut frater & soror, ut respondet *Lucius III.* Cap. *Consultationi*, Extra, *De frigidis & maleficiatis*, cujus hæc sunt verba: *Consultationi tua, quâ nos consuluisti, Utrum femina clausa, impotenter commisceri maribus, Matrimonium possint contrahere, & si contraxerint, an debeat rescindi? taliter respondemus, Quòd licèt incredibile videatur, quòd aliquis cum talibus contrahat Matrimonium: Romana tamen Ecclesia consuevit in consimilibus judicare, ut quas tamquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores.* Unde sese impodicè amplecti, osculari, tangere illis non licet, sed ea planè castitate versari simul debent, qoa fratres & sorores. Observandum tamen hæc verba Canonis, *habeant ut sorores*, consilii esse, non præcepti, nec ratum ullatenus esse Matrimoniom, ut constat ex illis verbis, *Quas tamquam uxores habere non possunt.* Ideo si potenti periculum incontinentiæ timeatur, potest Ecclesia illi subvenire, dando licentiam cum alia contrahendi. Durum enim esset potentem, quamvis sciens cum impoteote contraxerit, cogi ut in peccato cum ea maneat. Quinimo si potens eom secunda contraxerit, secundum Matrimonium ratum est, ut docent *Innocentius IV.* & alii Canonici Juris Interpretes in Commentariis Capitis *Consultationi*.

REGULA IV.

Senum ac vetularum frigiditas, seu caloris defectus ex ætate senili proveniens, non est impedimentum Matrimonii.

ITa docet *S. Thomas* loco superiùs indicato, in Responsione ad tertium. *Vetuli* (inqoit) *quamvis quandoque non habeant caliditatem sufficientem ad generandum, tamen habent caliditatem sufficientem ad carnalem copulam: & ideo conceditur eis Matrimonium secundùm quòd est in remedium, quamvis non competat eis secundùm quòd est in officium naturæ.* Si tamen, dom contrahunt, ita sint confecti senio & exhausti, ut oullatenus seminare valeant, Matrimonium nullum est; (inquit *Dominicus Soto.*)

REGULA V.

Impotentia Matrimonium secuta, ipsum non dirimit.

De impedimento impotentiæ supervenientis.

NUllom enim impedimentum Matrimonio jam contracto soperveniens, illud dirimit. Præterea hæc Regula confirmatur ex Canooe *Hi qui*, Caosa XXXII. Quæstione VII. qui est *Nicolai* Papæ ad *Carolum* Moguntinom Episcopum. *Hi qui Matrimonium sani contraxerint* (inquit) *& uni ex duobus amentia aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem conjugia talium solvi non possunt. Similiter sentiendum de his, qui ab adversariis excæcantur, aut membris truncantur, aut à Barbaris exsecti fuerint.* Nec obstat qood de periculo incontinentiæ objici posset: *Quoniam in conjugio multi casus occurrunt, in quibus conjuges sine culpa, sed non sine causa continere coguntur*; (ut ait *Innocentius III.* Cap. *Quoniam frequenter*, Extra, *Ut lite non contestata*, &c.) Idem docet *S. Raymundus* Libro IV. Summæ pag. 560.

REGULA VI.

Nullam impotentiam respectivam ex causa naturali procedentem, Matrimonium dirimere censent S. Thomas, aliique Theologi nonnulli. Opinio tamen contraria in Foro Ecclesiastico prævaluit.

Utrum impotentia respectiva Matrimonium dirimat.

ILlam impotentiam perpetuam non esse, censet *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXXIV. Quæstione I. Articulo II. ad quintum. *Non potest* (inquit) *esse perpetuum impedimentum naturale in viro respectu alterius: sed si non possit implere carnalem actum cum virgine, & possit cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo instrumento posset claustra pudoris frangere, & ei conjungi: nec esset hoc contra Matrimonium, quia non fieret ad delectationem, sed ad medicamentum.*

At in Tribunalibus Ecclesiasticis judicari quotidie videmus, nullum esse Matrimonium propter disproportionem membrorum, aot quia cum virgine consummare Matrimonium vir non potest, qood tamen consummare potest cum corrupta, secundùm Medicorum judiciom: & in hac specie datus illi viro facultas contrahendi cum vidua.

REGULA VII.

Impotentia perpetua judicari non debet, quæ per opus humanum, absque gravi corporis periculo removeri potest.

De impedimento impotentia.

ID confirmat ex Cap. *Fraternitatis*, Extra, *De frigidis & maleficiatis*, quod est *Innocentii III.* Responsum Antisiodorensi Episcopo datum. *Nos tamen* (inquit) *perspicaciter attendentes, quod impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter divinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo potuit removeri: Sententiam divortii per errorem, licèt probabilem, novimus esse prolatam: Cùm pateat ex post facto, quod ipsa cognoscibilis erat illi, cujus simili commiscetur: Et ideo inter ipsam & primum virum dicimus Matrimonium extitisse: quare inter eam & præfatum G. Matrimonium non esse censemus, eósque præcipimus ab invicem separari.*

REGULA VIII.

Mulier quæ adeo arcta est, ut nulli possit carnaliter commisceri, nisi per incisionem aut alio modo violentia inferatur, non solummodo levis, sed ita gravis, ut ex ea mortis periculum timeatur, perpetuâ impotentiâ laborare censenda est.

ID constat ex eodem Cap. *Fraternitatis* §. *Per hoc*, & ex Glossa. Si autem levi incisione, vel cauterio mulier apta viro fieri possit; impotentia temporaria judicanda est; illámque incisionem, aut aliud remedium, quod absque gravi periculo adhiberi potest, pati tenetur, vel adhibere vir aut mulier quæ vitio illo corporis impeditur; alioqui graviter peccat, cùm exponat alterum peccandi periculo, si continere non possit. Nam cùm Ecclesia in illa hypothesi Matrimonium non dirimat, quia temporaria dumtaxat impotentia est, & grave sit etiam alium conjugem cogere ad celibatum servandum ob impedimentum Matrimonium præcedens, & quod sine gravi periculo potest removeri: tenetur ille qui impeditus est molestiam aliquam & dolorem, etiam gravem pati, maximè cùm suâ culpâ in tales angustias se conjecerit: sibi quippe prospicere debuisset, antequam Matrimonium contraheret. At verò si gravis diuturnique Morbi periculum ex incisione immineat, Medicorum, aut peritorum Chirurgorum judicio, incisionem pati non tenentur vir aut mulier. Neque nimiùm grave censeri debet, ut propter morbum unius conjugis alter sit usu Matrimonii privatus; cùm hoc sæpe contingere soleat, nec tamen Matrimonium dirimatur.

REGULA IX.

Si perpetuitas naturalis impotentiæ signis evidentibus, aut legitimis documentis certò constet, statim vir & mulier separandi sunt: At si certa probatio extempore non suppetat, triennii tempus ad experientiam statuit Ecclesia, quo elapso si Matrimonium consummari non potuerit, indicitur separatio, & ei qui filios procreare potest, datur facultas Matrimonium aliud contrahendi.

De probationibus impotentiæ perpetuæ.

JUstinianus Quidem L. *In causis*, C. *De Repudiis*, biennium experiundæ viri impotentiæ præscripserat; sed ratus deinde prorogandum esse hoc tempus, ad triennium extendit Authentica *De Nuptiis*, §. *Per occasionem*. Quod & Jure Canonico sancitum est, Cap. *Laudabilem*, Extra, *De frigidis & maleficiatis*, quod est *Celestini III.* Responsum. *Nos verò* (inquit) *in præsenti consultatione sentimus, ut à tempore celebrati conjugii, si frigiditas priùs probari non possit, cohabitent per triennium; quo elapso, si nec tunc cohabitare valuerint, & juxta Decretum Gregorii mulier per justum Judicium de viro probare potuerit, quòd cum ea coire non possit, accipiat alium: si autem ille aliam acceperit, separentur. Quòd si ambo consentiant simul esse, vir eam, etsi non ut uxorem, saltem habeat ut sororem. Si autem quòd nunquam in vicem se cognoverint, ambo fatentur, cum septima manu propinquorum, vel vicinorum bonæ famæ (Si propinqui defuerint) tactis sacro-sanctis Evangeliis, uterque Jurejurando dicat, quòd numquam per carnis copulam una caro effecti fuissent: & tunc videtur quòd mulier valeat ad secundas Nuptias convolare.* Septima manus est septem propinquorum, aut vicinorum testimonium, jurantium quòd credant virum & mulierem verum jurasse; quòd scilicet bona fide copulæ carnali operam dare frustra conati fuerint per triennium. Idem confirmat *Honorius III.* Cap. *Littera*, sub eodem Titulo: *Mandamus* (inquit) *quatenus, si ita est, & constiterit vobis præfatum virum & mulierem, intra prædictos octo annos, per continuum triennium insimul habitasse, ipsis cum septima propinquorum manu firmantibus Juramento, se commisceri carnaliter nequivisse, proferatis Divortii Sententiam inter eos.*

De probatione impotentiæ.

REGULA X.

Congressus & inspectio media sunt ad probandum impotentiam minùs convenientia, & plerumque incerta.

CUm enim congressus partim pudore, partim formidine, sæpius odio prohibente, in his angustiis, ubi vir impotentiæ accusatur, à fine proposito ut plurimum deficiat, nec actus hujusmodi omnino pendeat ex libertate, nonnisi fallax & incerta probatio ex eo peti potest. Præterea, cùm certum sit perpetuam dumtaxat, non temporariam impotentiam Matrimonia dirimere; nemo non fatebitur, ex uno, alteróve congressu certam impotentiæ Matrimonium dirimentis experientiam ac probationem haberi non posse. Quamobrem nec Jure Canonico, nec Civili tam pudendum medium probatum est. idque prohibitum etiam est Supremæ Curiæ Parisiensis Senatusconsulto die decima-octava Februarii anno millesimo sexcentesimo septuagesimo-septimo.

Non minùs incertum, fallax, & grave pudori, inspectionis experimentum. Nam in explorandâ puellarum virginitate *& manus obstetricum & oculus sæpe falluntur*; (inquit, *S. Cyprianus* Epistola LXII.) *Hujusmodi ludibria & visu, & auditu, horrori & pudori sunt.* Obstetricum testimonium *plerumque quæritur pretio. Ipsi Archiatri dicunt, Non satis liquidò comprehendi inspectionis fidem, & ipsis Medicinæ vetustis Doctoribus id sententiæ fuisse... Sæpe inter obstetrices oborta varietas & quæstio excitata.... Erit inter plures vel malevola, vel imperita, quam pudoris claustra prætereant, & per imperitiam integra nota n effugiat pudori.* Verba sunt *S. Ambrosii* Epistola v. Novæ Editionis ad *Syagrium* datâ *Obstetrix virginis cujusdam integritatem manu velut explorans, sive malevolentiâ, sive inscitiâ, sive casu, dum inspicit, perdidit*; (ut refert *S. Augustinus* Libro I. *De Civitate Dei*, Cap. XVIII.) Experimentum tamen inspectionis, cùm Jus Canonicum probet Cap. *Fraternitatis*, & Cap. *Littera*, Extra, *De frigidis & maleficiatis*, & Cap. *Proposuisti*, Extra, *De Pro-*

bationibus; illúdque interdum Judices Ecclesiastici decernant; id eorum prudentiæ relinquendum est.

REGULA XI.

Cùm Matrimonium ob impotentiam accusatur, si vir à se cognitam uxorem suam contendat, mulier neget, viro affirmanti ac juranti credendum est, & secundùm eum pronunciandum.

De Probationibus impotentiæ.

VIr enim caput est Mulieris: & hæc Regula Canonibus firmatur, scilicet Canone *Si quis acceperit*, Causâ XXXIII. Quæstione I. ex Concilio Compendiensi: *Si quis* (inquit) *accepit uxorem, & habuit eam aliquo tempore, & ipsa fœmina dicit quòd numquam coisset cum ea, & ille vir dicit quòd sic fecit; in veritate viri consistat: quia vir caput est mulieris.*

Et Cap. *Continebatur*, Extra, *De Desponsatione impuberum*, quod *Alexandri III.* Responsum est: *Consultationi tuæ* (inquit) *taliter respondemus, quòd cùm in Decretis habeatur expressum, quòd si vir dixerit, quod uxorem suam cognoverit, & mulier negaverit, viri standum est veritati: præfato viro qui dicit se mulierem ipsam cognovisse, fides est adhibenda, si id firmaverit juramento.* Idem confirmatur ex Cap. *Accepisti*, Extra, *De frigidis & maleficiatis.*

REGULA XII.

Si mulier virum arguat mendacii ac perjurii, seque virginem per experimentum juratarum Matronarum probare velit, inspectio decerni potest.

ID colligitur ex Canone *Nec aliqua*, & Canone *Quod si Pœnitentiam*, Causa XXVII. Quæstione I. ubi *S. Cyprianus* ait: *Inspiciantur iterum Virgines ab obstetricibus diligenter*, &c. quæ scilicet à viris, quibuscum dormierant, se cognitas & corruptas fuisse negabant, suæque virginitatis integritatem inspectione Matronarum probari postulabant.

Idem confirmatur Cap. *Proposuisti*, Extra, *De Probationibus*, quod est *Gregorii VIII.* Responsum. *Cùm partes* (inquit) *essent in tua præsentia constitutæ, mulier proposuit, se nec à viro cognitam, nec potuisse cognosci: quod tam proprio juramento, quàm testimonio septem mulierum probavit, quæ per aspectum corporis eam esse virginem asseverant, viro per juramentum suum contrarium asserente..... Videtur igitur nobis quòd juramento puellæ, & testimonio illarum septem mulierum fides est potiùs adhibenda.*

Idem confirmat *S. Raymundus* Libro IV. Summæ, Tit. *De impotentia coëundi*, §. 6. pag. 563. *Standum est* (inquit) *juramento viri, nisi mulier velit replicare contra eum, quia dicit eum mentitum, & ostendit se virginem per aspectum corporis: tunc enim standum est probationi mulieris; & ex quo ita probavit, separari possunt. Cautela tamen magna est adhibenda in hujusmodi inspectione, ut fiat per duas vel plures Matronas honestas, & peritas in opere maritali: & hoc, quia res illa occulta est, & non pervia visui; propter quod dicit Canon, Quòd manus obstetricum, & oculus sæpe fallitur.*

REGULA XIII.

Si vir litem de Matrimonio moveat, & coram Judice affirmet se non posse cognoscere uxorem, mulier verò se cognitam fuisse contestetur, si alia probationes pro viro non suppetunt, mulieri asserenti fides potiùs adhibenda est, & in ejus favorem, sive potiùs in favorem Matrimonii ferenda Sententia.

De probationibus impotentiæ.

NOn enim præsumitur fœminam cum viro impotente habitare voluisse. Aliam rationem addit *S. Raymundus*, quia scilicet vir in alia hypothesi *Actor est, & si non probat quod asseruerat; mulier, cùm sit rea, etsi nihil præstiterit, absolvi debet ab impetitione viri.* Id confirmat ex Canone, *Accusator*, Causa VI. Quæstione V. cujus hæc sunt verba, ex Cod. *Justiniani*, Tit. *De Probationibus*, L. *Accusator*, desumpta: *Accusator, quod asseverat, probare se non posse profitendo, reum necessitate monstrandi contrarium non adstringit: cùm per rerum naturam factum negantis probatio nulla sit.* Item ex Cap. *Cùm Ecclesia*, Extra, *De causa possessionis & proprietatis*, ubi *Innocentius III.* ait: *Actore non probante, qui convenitur, etsi nihil præstiterit, obtinebit.* Idem confirmat *Gregorius IX.* Cap. *Juramentum*, Extra, *De Jurejurando.* Denique si in illa hypothesi crederetur verbo viri, *Multi non formidarent incurrere perjurium, & possent dividi ab uxoribus*; (inquit *S. Raymundus.*)

REGULA XIV.

Impotentia ex maleficio proveniens non priùs Matrimonium dirimit, quàm post triennii cohabitationem juraverint conjuges cum septima propinquorum manu Matrimonium consummari non potuisse.

De impotentia proveniente ex maleficio.

ISta Regula nititur Cap. *Litera*, Extra, *De frigidis & maleficiatis*, quod est *Honorii III.* Responsum. Idem docet *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXIV. Quæstione I. Articulo III. *Impotentia* (inquit) *coeundi ex maleficio, aut est perpetua, & tunc Matrimonium dirimit; aut non est perpetua, & tunc non dirimit. Et ad hoc experiendum eodem modo Ecclesia tempus præfixit, triennium scilicet, sicut de frigiditate dictum est.*

REGULA XV.

Maleficium quod humano opere & Ecclesiæ Precibus ac Exorcismis removeri non potest, perpetuum censetur: quod ubi compertum fuerit, Matrimonium solvitur.

De impotentia ex maleficio.

HAnc Regulam tradit *Hincmarus* Archiepiscopus Remensis, cujus verba referuntur Canone *Si per Sortiarias*, Causâ XXXIII. Quæstione I. *Si per Sortiarias*, inquit, *vel Maleficas occulto, sed numquam injusto Dei judicio permittente, & Diabolo præparante, concubitus non sequitur, hortandi sunt quibus ista eveniunt, ut puram Confessionem Deo & Sacerdoti, corde contrito & spiritu humiliato de omnibus peccatis suis faciant, & profusis lacrymis, & largioribus eleemosynis, & orationibus atque jejuniis Domino satisfaciant, & per Exorcismos, ac cætera Ecclesiastica Medicinæ munia, Ministri Ecclesiæ, tales, quantùm Dominus annuerit, qui Abimelech ac domum ejus Abrahæ orationibus sanavit, sanare procurent. Quòd si fortè sanari non potuerint, separari valebunt.*

De impotentia ex maleficio.

Idem docet *S. Thomas*, loco mox indicato, in Responsione ad tertiom. *Maleficium* (inquit) *est ita perpetuum, quòd non potest habere remedium ex humano opere; Quamvis Deus posset remedium præstare Dæmonem cogendo; vel etiam Dæmon desistendo: non enim oportet semper ut id quod per maleficium factum est, possit per maleficium aliud destrui, ut ipsi malefici confitentur: & tamen si posset per maleficium remedium adhiberi, nihilominus perpetuum reputaretur, quia nullo modo debet aliquis Dæmonis auxilium per maleficia invocare. Similiter non oportet, si propter peccatum aliquod data est Diabolo potestas in aliquem, quòd cessante peccato cesset potestas; quia pœna interdum remanet culpâ transeunte: Similiter etiam Exorcismi Ecclesiæ non valent ad reprimendum Dæmones semper quantùm ad omnes molestias corporales, judicio divino hoc exigente. Semper tamen valent contra illas infestationes Dæmonum, contra quas principaliter instituti sunt:* Nimirum contra illas quæ ad spirituale nocumentum, vel ad salotis damnom tendunt.

Idem docet *S. Raymundus* Libro IV. Tit. *De Impotentia coëundi*, §. IV.

REGULA XVI.

Cùm Matrimonium Ecclesiastico judicio ob Maleficium perpetuum dirimitur, utrique parti licet novum inire conjugium.

ITa docet *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione, Quæstione, & Articulo supra laudatis. *Hæc* (inquit) *differentia inter maleficium & frigiditatem; quia qui est impotens ex frigiditate, sicut est impotens ad unam, ita ad aliam; & ideò quando Matrimonium dirimitur, non datur ei licentia ut alteri conjungatur; sed ex Maleficio homo potest esse impotens ad unam, & non ad aliam: & ideo quando judicio Ecclesiæ Matrimonium dirimitur, utrique datur licentia quòd alteram copulam quærat.* Idem docet *S. Raymundus* loco mox indicato, §. 5. & *S. Antoninus* III. P. Tit. 1. cap. 12.

REGULA XVII.

Soluto Judicis Ecclesiastici Sententiâ Matrimonio ob frigiditatem, si conjugium alterum contraxerit qui copulæ aptus erat, & interim alter qui judicatus est impotens, ex post facto potens deprehendatur, prius Matrimonium redintegrandum est, posterius dissolvendum.

De Frigidis.

CEssante namque impotentiâ, quæ temporaria erat, prius conjugium ratum fuisse probatur, posterios verò irritum & nullum, propter impedimentum ligaminis. Ad priorem itaque virum, à quo ob præsumptam impotentiam separata fuerat, & alteri nupserat, Mulier redire debet, ut declarant *Celestinus III.* cap. *Laudabilem*, & *Innocentius III.* cap. *Fraternitatis*, Extra, *De Frigidis & Maleficiatis.*

Idem docet S. *Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXXIV. Quæstione I. Articulo II. *Ad cognoscendum* (inquit) *utrum sit impedimentum perpetuum, vel non perpetuum, Ecclesia tempus determinatum adhibuit, in quo hujus rei posset esse experimentum, scilicet triennium; ita quòd si post triennium, in quo fideliter ex utraque parte dederunt operam carnali copulæ implendo, inveniatur Matrimonium non esse consummatum, Judicio Ecclesiæ dissolvitur: & tamen in hoc Ecclesia quandoque errat, quia per triennium quandoque non sufficienter experiri potest perpetuitas impotentiæ: unde si Ecclesia se deceptam inveniat per hoc quòd ille in quo erat impedimentum, invenitur carnalem copulam cum eadem, vel cum alia perfecisse, redintegrat præcedens Matrimonium, & dirimit secundum, quamvis de ejus licentia factum.*

REGULA XVIII.

Soluto Matrimonio ob impotentiam ex Maleficio provenientem, si Maleficium universale fuerit, & absolutam impotentiam Judex Ecclesiasticus pronunciaverit; postea vero probet eventus Maleficium perpetuum non fuisse, prius Matrimonium redintegrandum est. Si autem particulare Maleficium fuerit, & impotentia respectiva duntaxat, conjugium posteriùs initum subsistit, nec ad primum datur regressus.

De Maleficiatis.

HÆc Regula colligitur ex *S. Thoma*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione & Quæstione supra citatis, Articulo III. ad quartum. *Maleficium* (inquit) *quando potest præstare impedimentum ad omnes, quandoque ad unam tantùm; quia Diabolus causa voluntaria est; non ex necessitate naturæ agens. Et præterea impedimentum Maleficii potest esse ex impressione Dæmonis in imaginatione hominis, ex qua tollitur viro concupiscentia movens ad talem mulierem, & non ad aliam.*

Idem docet *S. Antoninus*, III. P. Tit. 1. cap. XII. *Si post triennium* (inquit) *celebrata diversio, redeat potentia se cognoscendi, licèt de hoc sint variæ opiniones, tenendum tamen, quod sentire videtur S. Thomas*, in IV. Distinctione XXXIV. Quæstione I. Articulo III. *scilicet, quòd si Maleficium fuit universale respectu cujuslibet personæ, tunc si alteri nupserit, ostenditur impedimentum non fuisse perpetuum; unde debet redire ad primum. Si autem Maleficium fuit particulare, scilicet respectu specialis personæ, tunc cùm utrique datur licentia contrahendi cum aliis, non potest ad pristinum Matrimonium redire, cùm primum Matrimonium nullum fuerit, & secundum verum.* Quod confirmat Canon *Si per Sortiarias*, his verbis: *Sed, postquam alias Nuptias expetierint, illis in carne viventibus, quibus juncti fuerant, prioribus, quos reliquerant, etiamsi possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt.*

REGULA XIX.

Matrimonia impuberum, pueri scilicet ante decimum-quartum, puellæ ante duodecimum annum completum, irrita sunt, nisi in illis malitia fortè suppleat ætatem.

De Matrimonio impuberum.

HÆc Regula nititur cap. *De illis*, 2. Extra, *De Dispensatione Impuberum*, quod *Alexandri III.* & cap. *Tua*, quod *Innocentii III.* Responsum est, sub eodem Titulo. Ratum est tamen Matrimonium post annos pubertatis contractum, tametsi ob ætatis imbecillitatem conjuges operi conjugali adhuc inepti sint. Quòd si contracto Matrimonio in ea ætatis, quamvis legitimæ, imbecillitate, dubitatur an inde, an aliunde proveniat impotentia, illud experientiæ destinatum triennium non erit computandum nisi à tempore quo perfectam ad pubertatem pervenerint: quod contingit in femina anno decimo quarto completo, & in viro anno decimo-octavo, secundùm Leges.

ARTICULUS XII.

De Raptu.

De Impedimento raptûs.

DE Raptûs crimine, illiúsque gravitate, ac pœnis alias agemus, ubi de luxuriæ speciebus tractabimus: nunc de eodem paucis agendum, quatenus Matrimonii impedimentum dirimens est.

Raptus hac ratione spectatus est, *Abductio puellæ invitæ aut seductæ Matrimonii contrahendi causâ.*

Quid & quotuplex?

Duas species Raptûs agnoscunt Jus Canonicum & Civile: Raptum scilicet in feminam, quæ invita vel seducta abducitur; & Raptum in parentes puellæ, quibus invitis abducitur, quamvis puella ipsa consentiat. Canone *De Raptoribus*, Causâ XXXVI. Quæstione I. qui est Aurelianensis Concilii I. Canon secundus. *De Raptoribus autem*, inquit, *id constituendum esse censuimus, ut si ad Ecclesiam Raptor cum rapta confugerit, & feminam ipsam violentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate Raptoris, & Raptor mortis aut pœnarum impunitate concessâ, aut ad serviendum subjectus sit, aut redimendi se liberam habeant facultatem. Si verò quæ rapitur, patrem habere constiterit, & puella Raptori consenserit, potestati patris excusata reddatur, & Raptor patri superioris conditionis satisfactione teneatur obnoxius.* Ubi *Gratianus* notat aliquando vim inferri parentibus, & non puellæ, aliquando utrisque. Idem docet *S. Thomas*, *Secunda Secundæ*, Quæstione CLIV. Articolo VI. *Violentia* (inquit) *quandoque infertur tam ipsi virgini, quàm patri: quandoque autem infertur patri; sed non virgini: putà, cùm ipsa consentit ut per violentiam de domo patris abstrahatur.... Qualitercunque violentia adsit, salvatur ratio Raptûs.*

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA I.

Raptus est Impedimentum dirimens Matrimonium contractum, dum puella in potestate Raptoris est.

ITa pridem statuerunt Concilium Romanum sub *Gregorio II.* & Concilium Meldense anno octingentesimo quadragesimo quinto celebratum, Canone LXVI.

De Impedimento raptûs.

Quicunque (inquit) *deinceps rapere Virgines vel Viduas præsumpserint, secundùm Synodalem Beati Gregorii Diffinitionem, ipsi & complices eorum anathematizentur, & Raptores sine spe conjugii perpetuò maneant.*

Synodus Regiaticina sive Ticinensis, anno DCCCL. Canone X. decernit, ut *Puellæ ipsis à quibus raptæ sunt, legitimæ demum uxores nullatenus esse possint.*

Et Libro VII. Capitularium, cap. CCCXCV. *Sancitum est, ut hi qui rapiunt feminas, vel furantur, aut seducunt, eas nullatenus habeant uxores.*

Raptûs seductionis.

Reus Raptûs censetur, cùm femina, aut violenter, aut precibus importunis, lenociniis, promissionibus, dolosis persuasionibus, fraudibus, & malis artibus seducta, abducitur ex ædibus parentum, vel tutorum, vel ex Monasterio in quo educatur.

Denique Sacra Synodus Tridentina Sessione XXIV. *De Reformatione Matrimonii*, cap. VI. decernit, *Inter Raptorem & raptam, quandiu ipsa in potestate Raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quod si rapta à raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam Raptor in uxorem habeat. Et nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces: & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea Raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.*

REGULA II.

Inter Mulierem raptam & Raptorem, si sint aliàs personæ ad contrahendum legitimæ, & puella in loco tuto & libero constituta sit, & parentibus restituta, si nondum sit sui Juris, Matrimonium contrahi potest, si ipsa consenserit, Conciliique Tridentini forma servetur.

De Impedimento Raptûs.

QUòd si rapta (inquit) *à Raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam Raptor in uxorem habeat.* Quod Sacræ Synodi Decretum consonum est *Innocentii III.* Responso, cap. *Accedens*, Extra, *De Raptoribus*, cujus hæc sunt verba: *Rapta puella legitimè contrahet cum Raptore, si prior dissensio transeat postmodum in consensum: & quod antè displicuit, tandem incipiat complacere: dummodo ad contrahendum legitimæ sint personæ.*

ARTICULUS XIII.

De Dispensatione circa Impedimenta Matrimonii.

DIspensatio generatim accepta, est *Relaxatio Juris, cum cognitione causæ facta ab eo, penes quem est legitima relaxandi facultas.* Unde circa impedimenta Matrimonii Jure duntaxat Ecclesiastico constituta, Summum Pontificem dispensare, posse certum est, eúmque solum *regulariter* (ut loquuntur;) cùm hujusmodi impedimenta sint vel à Conciliis Generalibus, vel à Summis Pontificibus instituta, in quorum Decreta potestatem non habent Episcopi, cùm eorum Auctoritas & Jurisdictio Conciliorum Generalium, & Romani Pontificis Auctoritate & Jurisdictione sit inferior, illísque subdita.

Certum insuper est, circa Matrimonii impedimenta Naturæ jure introducta, neminem hominem, ne Summum quidem Pontificem dispensare posse, verbi gratiâ, ut inter fratres & sorores Matrimonium contrahatur. Hanc enim Ecclesiæ suæ potestatem Christus Dominus non reliquit.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA I.

Dispensationes absque legitima causa postulari vel concedi non debent: alioqui graviter peccant & qui postulat, & qui concedit.

UT enim ait *S. Bernardus* Libro III. *De Consideratione ad Eugenium*, cap. X. *Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est: ubi utili-*

tas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas dico communis, non propria. Nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.

(De Dispensationibus.)

Eandem Regulam tradit Sacra Synodus Tridentina, Sessione XXIV. *De Reformatione Matrimonii*, cap. V. *In contrahendis* (inquit) *Matrimoniis, vel nulla omnino detur dispensatio, vel rarò, idque ex causa, & gratis concedatur.*

Et Sessione XXV. *De Reformatione*, cap. XVIII. *Sicuti publicè expedit Legis vinculum quandoque relaxare, ut pleniùs evenientibus casibus & necessitatibus, pro communi utilitate satisfaciat: sic frequentiùs Legem solvere, exemploque potiùs quàm certo personarum rerum delectu, petentibus indulgere, nihil aliud est quàm unicuique ad Leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi, sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistinctè observandos. Quòd si urgens, justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverit cum aliquibus dispensandum esse, id causâ cognitâ, ac summâ maturitate, atque gratis, à quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum: aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.*

Stylo quidem Romanæ Curiæ Dispensationes *Sine causa* concedi a Summo Pontifice dicuntur: sed revera nullam concedit Christi Vicarius sine causa legitima, quamvis interdum non exprimatur. Se enim dispensatorem super universam Domini familiam jure Divino constitutum novit; omnino autem requiri, ut Fidelis sit dispensator: Fidelem porrò non censeri, qui bona domini sine causa, id est, sine necessitate, vel utilitate dispensaret, imò potiùs dissiparet, ac prodigeret.

(Quæ dispensationum causæ legitimæ?)

Causæ autem legitimæ Dispensationum quæ à Summo Pontifice postulantur ad contrahendum Matrimonium in gradibus prohibitis, sunt, 1. Incompetentia dotis. 2. Extinctio magnæ litis. 3. Angustia loci, sive quia major pars incolarum consanguinitate, vel affinitate juncta est supplicanti, & alios non inveniret ita facilè paris secum conditionis, vel quia si vellet extra locum illum nubere puella, non haberet dotem sufficientem. 4. Sedatio discordiarum, sive præsentium, sive quæ futuræ prævidentur inter consanguineos vel affines. 5. Quando vir dives vult ducere cognatam vel affinem, constituendo illi dotem, vel augendo usque ad quantitatem dotis competentis. 6. Conservatio divitiarum in eadem cognatione amplissimarum. 7. Illustris familiæ conservatio in eodem sanguine. 8. Matrimonium bona fide & ex Juris ignorantiâ contractum. 9. Copula cum consanguinea vel affine vesana libidine inita, & non nisi faciliùs obtineretur Dispensatio. 10. Matrimonii malè contracti diuturnitas. 11. Scandalum grave aut peccatum præcavendum. 12. Mortis aut periculi ejus evitatio. 13. Indotatæ puellæ miseria, quæ vel ex pudicitiæ periculo, vel ex rei familiaris inopiâ spectatur, vel quia vigesimum quartum annum excedens, hactenus viros paris conditionis, quibus nubere posset, non invenit vel propter infamiam sine copula, vel quia mulier defectu viri litibus super successione bonorum magni momenti excitatis caderet; vel quia oratrix filiis gravata, ope ac solatio viri indiget. 14. Excellentia meritorum. 15. Copiosior pecuniarum compositio, quæ Romæ in pia opera impenditur Summi Pontificis Mandato, præsertimque ad dotem pauperibus puellis constituendam. Quo nomine petita Dispensatio, Stylo Curiæ vulgò dicitur, *Sine causa*; sive etiam *Dispensatio ex certis & rationabilibus causis.*

(Navarrus, Consil. 13. De Consang. & Affinit. Zerola in Praxi Episc. [illegible] verbo, Dispensatio. Pyrrhus Corradus Praxi Dispensat. Apostol. Lib. 7. c. 1. 2. & 3.)

In dispensationibus Matrimonialibus dotis non competentis causâ concessis, si modo eo loci ubi mulier, de cujus Matrimonio agitur, habitat virum pari æqualique conditione non inveniri verè constet, qui sibi cognationis affinitatisve vinculo conjunctus non sit; progrediatur Episcopus ad exequendam ejus generis dispensationem, etiamsi in locis finitimis aliqui essent, qui nullo gradu cognationis affinitatisve juncti, eam cum exigua dote in Matrimonium ducerent. Satis enim est, in eo municipio locòve, ubi mulier est, diligentiam Matrimonii contrahendi adhibitam esse. Hanc Regulam tradit Synodus Piovincialis Mediolanensis quinta sub *S. Carolo Borromeo.*

(De Dispensationibus.)

REGULA II.

Optat Ecclesia ne nunquam dispensetur in secundo gradu, nisi inter Magnos Principes, & ob publicam causam.

Verba sunt Tridentini Concilii Sessione XXIV. *De Reformatione Matrimonii*, cap. V. *In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.* Verùm cùm eadem Sacra Synodus Sessione XXV. *De Reformatione*, cap. XXI. *Omnia & singula sub quibuscunque clausulis & verbis, quæ de Morum reformatione atque Ecclesiastica Disciplina sub Paulo III. Julio III. ac Pio IV. Pontificibus Maximis in ea statuta sunt*, declaret, *ita decreta fuisse, ut in his salva semper Auctoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur*; & Summi Pontifices in Secundo etiam gradu dispensent frequenter inter personas Principibus inferiores, imò inter plebeios, & privatas ob causas, Dispensationes illas validas esse censendum est, modò suppressione veri, aut expositione falsi obreptum Christi Vicario non fuerit: & Matrimonia cum illis Dispensationibus contracta esse rata.

REGULA III.

In gradibus prohibitis affinitatis faciliùs dispensatur, quàm in gradibus consanguinitatis.

Rationem affert *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XLI. Quæstione I. Articulo II. Quæstiuncula III. *Quia affinitas est minus vinculum, quàm consanguinitas.* Quamobrem & in primo gradu lineæ collateralis Summus Pontifex dispensare potest, ut scilicet frater uxorem fratris sui defuncti ducat, aut soror Marito sororis suæ defunctæ nubat: quamvis rarò, & nonnisi inter magnos Principes, & propter publicas & gravissimas causas id fieri expediat. Sic cum *Henrico VIII.* Angliæ Rege *Julius II.* dispensavit, ut *Catharinam Arturi* fratris sui Viduam uxorem duceret. Sic nostra ætate *Innocentius X.* dispensavit cum *Casimiro* Poloniæ Rege, ut uxorem defuncti fratris acciperet in suam, cùm in Regnum procerum suffragiis suffectus est.

REGULA IV.

Qui Matrimonium intra gradus prohibitos scienter contraxerit, vel solemnitates requisitas neglexerit, Dispensatione indignus est: & Dispensatio absque circumstantiarum illarum expositione impetrata, nullius est roboris, atque irritum & nullum Matrimonium, quod ex vi illius contrahitur. Idem esto judicium de iis qui copulam carnalem consummaverint spe Dispensationis facilius obtinendæ.

Quæ Dispensationes nullius sint roboris.

HAnc Regulam tradit Sacra Synodus Tridentina Sessione XXIV. *De Reformatione Matrimonii*, cap. V. *Si quis* (inquit) *intra gradus prohibitos scienter Matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe Dispensationis consequendæ careat: idque in eo multò magis locum habeat, qui non tantùm Matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quòd si ignoranter fecerit, si quidem solemnitates requisitas in contrahendo Matrimonio neglexerit, iisdem subjiciatur pœnis: non enim dignus est qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salutaria Præcepta temerè contempsit. Si verò solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod posteà subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cùm eo, & gratis dispensari poterit.* Idem esto Judicium de illis omnibus, qui quocunque alio impedimento dirimente devincti, Matrimonium scientes contraxerint, vel consummaverint bona fide contractum, cùm impedimentum perspectum, & exploratum haberent ante consummationem. Qui enim scientes volentes Matrimonium irritum ita contraxerint, aut consummaverint spe Dispensationis faciliùs obtinendæ, nec istas circumstantias contracti Matrimonii, aut consummatæ copulæ ob hunc dispensationis faciliùs obtinendæ finem Summo Pontifici exposuerint, eorum subreptitia Dispensatio est, irritúmque ac nullum, quod ex vi illius contrahitur Matrimonium.

REGULA V.

Dispensatio super impedimento consanguinitatis vel affinitatis, nullâ factâ mentione copulæ priùs ab impetrantibus consummatæ, quamvis non eo animo ut Dispensationem faciliùs obtinerent, nulla est, irritúmque quod ex vi illius contrahitur Matrimonium.

De Dispensationibus irritis.

ITa respondit Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres, ut refert *Zerola* in *Praxi Episcopali*, verbo, *Dispensatio*. Unde *Navarrus*, qui copulæ carnalis Matrimonium præcedentis mentionem non esse necessariò faciendam ab iis qui Dispensationem postulant, olim senserat Consilio VIII. & IX. *De Consanguinitate & Affinitate*, sententiam mutavit in quarta Manualis sui Editione, cap. XXII. Num. 86. Et in fine Consilii IX. hæc nota addita est in Romana Editione anni MDXCII. *Adverto, quia refertur Congregationem censuisse consanguineos & affines, qui tacitâ copula obtinuerunt Dispensationem super impedimento consanguinitatis vel affinitatis, esse subreptitios, & Matrimonium postea contractum esse nullum. Et ita observat Praxis.*

REGULA VI.

Si consanguinei vel affines in gradibus prohibitis, missâ Romam supplicatione, & impetrato dispensandi Mandato copulam carnalem interim consummaverint, antequam Officialis Inquisitione factâ, & causâ cognitâ Mandatum Pontificium cum illis dispensandi executioni mandaverit, rata est nihilominus Dispensatio, neque Romam iterum mittendum est, sed petenda Dispensatio sive Absolutio ab Episcopo de illo Incestu.

B IN Dispensationis enim Pontificiæ impetratione nulla subreptio intervenit: siquidem nondum incestum commiserant, ut illum in Supplicatione exponere necesse esset. Deinde licèt incestus impediat Matrimonium contrahendum, non tamen dirimit contractum. At in nostra hypothesi impedimentum dirimens consanguinitatis vel affinitatis Pontificia Dispensatione sublatum est: solum itaque remanet impedimentum incestus, prohibens, non verò dirimens Matrimonium. Ac proinde sufficit ut Dispensationem seu Absolutionem petant ab Episcopo, ut eo impedimento soluti C Matrimonium secundùm tenorem Pontificiæ Dispensationis contrahere & consummare possint; vel, si jam contractum & consummatum est, debitum sibi mutuò reddere valeant. Denique *Thomas* Corrector Pœnitentiariæ, & postea Episcopus Ilerdensis, quosdam qui Mandatum ad dispensandum impetraverant, interimque ante Dispensationem commiserant incestum, non fuisse obligatos ad illum confitendum Episcopo, vel ejus Vicario Generali, aut Officiali in foro externo interroganti, quia occultus erat & secretus, & ejus manifestatio non erat ad substantiam Dispensationis necessaria, sensit ac respon- D dit, ut refert *Navarrus* Consilio X. *De Consanguinitate & Affinitate.* Qui tamen monet, Sacram Congregationem in eam Sententiam propendisse, quòd in hac hypothesi partes ad Sedem Apostolicam pro certis litteris obtinendis remittendæ sint à Judicibus, antequam in vim privatarum litterarum dispensent. Eandem Regulam confirmat *Zerola* in *Praxi Episcopali*, verbo, *Dispensatio*, hac ratione fretus, quòd tempore datæ Gratiæ in Curia, quamvis nondum confectis litteris valere incipiat, Dispensatio in foro interiori, & quòd Episcopus, vel ejus Vicarius aut Officialis sint potiùs executores Pontificii Man- E dati, quàm dispensatores. Quamobrem & filios ex incesto copula genitos in illa specie, legitimos esse censent Autores laudati, modò tamen bonâ fide partes convenerint, non spe Dispensationis faciliùs obtinendæ.

REGULA VII.

Si qui cum impedimento dirimente Matrimonium contraxerunt, & Supplicatione Romam præmissâ, interim carnaliter commiscentur, etiam si nondum Roma sit admissa Supplicatio, concessáque Gratia, valida est Dispensatio.

E NOn enim censeri potest subreptitia, quando preces veritate nituntur: atqui in illa hypothesi preces veritate nituntur; si quidem tempore supplicationis nondum intervenerat copula carnalis inter Supplicantes.

Verumtamen cùm impetratis Litteris Dispensationis *in forma pauperum*, quibus Commissario Executori mandatur ut Oratores *inprimis ab invicem*

cem separet, si durante indicta separatione, in illius contemptum sese denuo carnaliter cognoverint, novâ Dispensatione opus habent, novæque Litteræ illis a Summo Pontifice obtinendæ sunt, in forma *Perinde valere*, ut declaravit *Paulus V.* Refert *Pyrrhus Corradus* Lib. VIII. Cap. V.

REGULA VIII.

Dispensatio subreptitia, ad quam scilicet obtinendam Supplicantes falsum exposuerunt, aut aliquid quod in Supplicatione exprimendum erat, etiam ex ignorantia tacuerunt, penitus invalida est; ac omnino irritum, quod ex vi illius contrahitur, Matrimonium.

De dispensationibus subreptitiis.

HÆc Regula nititur Cap. *Super litteris*, Extra, *De Rescriptis*, quod est *Innocentii III.* Responsum: *Super Litteris* (inquit) *quæ ab aliquibus ex malitia, & à nonnullis ex ignorantia, tacitâ veritate, vel suggesta falsitate impetrantur à Nobis, diversos intelleximus diversa sentire, aliis asserentibus eos debere prorsus carere omni commodo Litterarum, cùm mendax precator carere debeat penitus impetratis: aliis verò dicentibus, quòd etsi formâ carere debeant in Litteris nostris expressa, nihilominus juxta rigorem Juris sic à Delegato Judice in negotio procedendum.... Si per hujusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem etiam veritatis Litteræ fuerint impetratæ, quâ tacitâ vel expressâ, nos nullas prorsus Litteras dedissemus, à Delegato non est aliquatenus procedendum.* Ubi Glossa hæc habet: *Ex hoc patet, quòd ignorantia vel simplicitas non prodest circa hujusmodi Litteras impetrandas; immò ad hoc ut Rescriptum teneat, nihil debet supprimi ex iis, quæ movere possunt animum Principis ad dandum Rescriptum, vel ad denegandum.*

Idem confirmatur ex Cap. *Si motu*, Tit. *De Præbendis*, in Sexto. *Si* (inquit) *ad petitionem illius, vel alterius pro eodem oblatam gratiam hujusmodi faciamus, quantumcumque modicum Beneficium taceatur in ea, ipsam veluti subreptitiam vires nolumus obtinere.*

P. 1. Cap. 11. Hinc Dispensationes inspici & examinari statuit Concilium Coloniense anno MDXXXVI. *Quàm impudenter* (inquit) *plerique Diplomatis ac Dispensationibus apud Sedem Apostolicam extortis, præter Summi Pontificis mentem (qui vult & debet potestate sibi concessa non ad destructionem, sed ad ædificationem uti) abutantur, nullus est qui ignoret. Non prohibeo* (inquit quidam Vir Pius) *dispensare, sed dissipare. Dispensatio quidem credita est, sed hîc jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur. Quamquam apud illos maxima culpæ pars resideat, qui vel nullâ, vel minus legitima, vel etiam fictâ causâ, supplicatoris precibus insertâ, Dispensationis testimonium tandem eliciunt; quos apud Deum, qui renes & corda scrutatur, omnémque hypocrisim ac fraudem execratur, securos quis dixerit? Nemo sibi de Dispensatione Apostolica blandiatur, cujus conscientiam Divina Sententia tenet alligatam. Sed quia pauci sunt in quorum conspectu est Deus, plerique verò qui sacra Auctoritate pro sua libidine passim abutuntur, fit ut Lugdunensis Concilii sub Gregorio X. celebrati non insalubre Decretum adversus insolentiam ejuscemodi hominum in usum revocare cogamur: quo subnixi, cunctis qui talibus Diplomatis sibi blandiuntur, necessitatem imponimus Literas suas nobis exhibendi, visuris num verè impetraverint, ac rectè impetratis utantur.*

Hinc Tridentinum Concilium Sessione XXII. *De Reformatione*, Cap. V. Dispensationes extra Curiam Episcopo committi, & ab eo examinari jubet. *Dispensationes* (inquit) *quacumque Auctoritate concedendæ, si extra Romanam Curiam committendæ erunt, committantur Ordinariis illorum qui eas impetraverint: eæ verò quæ gratiosè concedentur suum non sortiantur effectum, nisi priùs ab eisdem, tamquam Delegatis Apostolicis, summariè tantùm & extrajudicialiter cognoscatur, expressas preces subreptionis vel obreptionis vitio non subjacere.*

Cæterùm inter Theologos convenit, quòd si ad obtinendam Dispensationem exponitur unica causa, eáque falsa, Dispensatio irrita est. Idem judicium esto, si plures exponantur, eæque falsæ. Si autem exprimantur plures quarum nulla per se sufficit; sed omnes simul junctæ vim sufficientis rationis habent, si omnes veræ sint, valet dispensatio: si una sit falsa, dispensatio nullius roboris est. At si plures exprimantur, quarum una sola sufficit, eâ existente verâ, etiamsi aliæ falsæ sint, legitima dispensatio est: illâ autem existente falsâ, nulla est & caduca dispensatio, nisi aliquæ aliæ, quæ per se sufficiant, sint veræ.

Exprimi autem necessariò debet in Desponsationibus quoto consanguinitatis vel affinitatis gradu conjuncti sint supplicantes. Honestas item publica, aliáque impedimenta clarè & districtè exprimi debent, qualiacumque sint. Incesta item copula pariter exponi debet, si fortè præcesserit: explicandum etiam utrum illam consummaverint spe dispensationis faciliùs obtinendæ. Mentio pariter facienda est raptûs, si hujus criminis reus sit Orator, tametsi persona rapta à Raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta sit. Exponi præterea necesse est an istud falsi nominis Matrimonium contraxerint, & consummaverint Oratores insuperhabito impedimento dirimente, cujus erant conscii, aut si probabilem illius impedimenti ignorantiam habuerint: si contraxerint Matrimonium sine Denunciationibus, aliísve solemnitatibus requisitis. Circa impedimentum Voti, qualitas illius exponenda est, qua occasione emissum, quâ de causâ, quâ ætate. Accuratissima denique fide exponendæ sunt veræ rationes, quibus moveantur Orator vel Oratrix ad Dispensationem postulandam; eorúmque veritas & justitia priùs in tribunali conscientiæ discutienda est, adhibito consilio prudentis, pii, & eruditi Conscientiæ Moderatoris.

REGULA IX.

Cùm vir & mulier in secundo & tertio, vel in tertio & quarto consanguinitatis aut affinitatis gradu sunt conjuncti, ad legitimam Dispensationem obtinendam, remotiorem gradum exponere sufficit.

De dispensationibus consanguineorum vel affinium.

Constitutio illa S. Pii V. ... quæ est ... in Bullar. Rom.

ITa declaravit S. *Pius V.* edita Constitutione anno MDLXVI. quâ *Pii IV.* Decessoris sui altera Constitutione revocatâ, & instauratis *Gregorii XI.* & *Clementis VI.* Decretis, Sacramento & libertati Matrimonii favere volens, *Statuit & ordinavit, quod de cetero in quibuscumque Dispensationibus, quas pro Matrimoniis contractis aut contrahendis inter viros & mulieres, invicem diversis prohibitis consanguinitatis & affinitatis, aut mixtis, ex communi seu ab eodem stipite surgentibus, quicumque illi sint, dummodo primum quoquo modo non attingant, (cum in eo Sanctitas sua numquam dispensare intendat,) gradibus conjunctos, ab eadem Sanctitate sua, & pro tempore existente Romano Pontifice, aut Sede Apostolica, impetrari, vel alias concedi contigerit, ac litteris commissionibusque desuper etiam locorum*

Ordinariis faciendis, gradus remotior attendatur, trahátque secum propinquiorem, ac ob id sufficiat remotiorem tantùm gradum exprimere, obtentis tamen postea super propinquiore Litteris declaratoriis, juxta Gregorii XI. & Clementis VI. Constitutiones: Dispensationésque seu dispensandi commissiones, ac desuper confectas Litteras, & Processus habitos, per easdem dispensatis, seu his cum quibus dispensari mandatur, propter proximioris gradus hujusmodi non expressionem, de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis defectu notari non posse, sed in omnibus & per omnia suffragari, perinde ac si in Litteris seu Commissionibus hujusmodi, de proximiore seu utroque gradu specialis & expressa mentio facta fuisset.

REGULA X.

Episcopi certis in casibus dispensare possunt in Impedimentis Matrimonium dirimentibus.

De potestate Episcoporum in Dispensationibus super impedimentis consanguinitatis, vel affinitatis.

INcredibile enim est Summum Pontificem velle sibi reservare Dispensationes super impedimentis dirimentibus in summis angustiis, & cum animarum, graviúmque damnorum periculo: siquidem reservatio dispensationis est propter caritatem, bonámque Christianæ Reipublicæ gubernationem: repugnaret autem caritati & optimo Ecclesiæ Regimini, Fideles, qui Matrimonium cum aliquo impedimento dirimente, bona fide, ex Juris aut facti ignorantiâ in facie Ecclesiæ contraxerunt, in angustiis constitutos relinquere opportuno destitutos remedio, cùm occultum præsertim impedimentum est, nec Prima Sedes adiri potest ob conjugum paupertatem, aut locorum distantiam, aliásve similes causas, neque possunt citra scandalum conjuges separari, aut etiam iminet peccati periculum. Deinde præscripta consuetudo, Summorúmque Pontificum consensus Episcopis Auctoritatem vindicant certis in casibus dispensandi. Tertiò, ita censet omnis Theologorum, & Canonici Juris Interpretum Natio. Denique *Zerola* Minorensis Episcopus in *Praxi Episcopali*, verbo, *Dispensatio*, testatur sibi ex Romana Curia fuisse responsum, Dispensationum illarum potestatem esse penes Episcopos, concurrentibus sex circonstantiis sequentibus. 1. Ut Matrimonium jam sit contractum. 2. Ut sit contractum ignoranter quoad impedimentum. 3. Ut sit consummatum. 4. Ut impedimentum sit occultum. Censetur autem occultum si publicâ famâ vulgatum non est, vel ad forum contentiosum perlatum; aut si perlatum quidem fuit, sed non potuerit probari, ideóque lis dirempta, & pars rea sine nota dimissa fuerit. 5. Ut partes sint adeo pauperes, ut mittere non possint ad Summum Pontificem, vel ad Legatum. 6. Ut si fieret separatio, verisimiliter scandalum oriretur. Si verò aliqua ex his circunstantiis non adsit, & personæ sint revera pauperes, rudes, rusticæ, Episcopalis Caritatis erit prosequi hanc Dispensationem in forma pauperum apud Sedem Apostolicam, ut planè gratis, & sine compositione obtineatur.

Circa Matrimonia contrahenda multò arctior est Episcoporum potestas; & rarò admodum contingit ut in impedimentis dirimentibus, re adhuc integrâ, dispensare possint. Causam tamen vulgò proponunt Autores probati, in quo dispensare possit Episcopus in impedimento dirimente, nondum contracto, sed proximè contrahendo Matrimonio. Sponsalibus solemni Ritu contractis, præmissis Denonciationibus, Parocho ex Confessione viri, aut puellæ proximè nupturæ dirimens aliquod impedimentum innotescit, exempli gratiâ, contractæ affinitatis ex illicitâ copulâ occultâ. Omnia sunt ad solemnitatem Nuptiarum ipsâ die celebrandam parata. Omnibus discussis, nulla patet via publici scandali devitandi, infamiæque, aut certè gravissimarum inimicitiarum avertendarum, si Matrimonii celebratio differatur. In his rerum angustiis, ad Episcopum confugiendum est, ut dispenset pro conscientiæ foro. Tamen poterit fortassis hoc effugium adhiberi, ut suadeatur puellæ aut viro Votum castitatis emittere ad duos menses, ut probabilem differendarum Nuptiarum causam parentibus afferre possint, dicendo, Se à Confessario monitos, necessariò sibi petendam à Sede Apostolica Dispensationem super Voto castitatis, nullâ tamen factâ præfiniti temporis mentione, quia Votum castitatis ad tempus servandæ, ab Episcopo remitti potest. Matrimonium interim differetur, & dum in Romana Curia res apertè geretur pro Dispensatione Voti castitatis, clam procurabitur Dispensatio veri alterius impedimenti pro foro interiori. At si cautio ista spectatis rerum, aut personarum circonstantiis judicetur difficilis aut impossibilis executionis, impetranda est ab Episcopo Dispensatio, quam in his angustiis concedere poterit.

REGULA XI.

Cùm de contrahendo Matrimonio agitur, vel publicum Impedimentum est, dispensare non possunt Episcopi, nisi potestatem dispensandi urgente necessitate à Summo Pontifice obtinuerint.

De dispensationibus, & de potestate Episcoporum his in casibus.

HOdierna scilicet Ecclesiæ Disciplina, secundùm quam Dispensationes in gradibus prohibitis consanguinitatis vel affinitatis, aliisve Impedimentis dirimentibus, Romano Pontifici reservatæ sunt, cùm publicum impedimentum est, & de Matrimonio contrahendo agitur, non permittit ut Episcopi his in circunstantiis dispensent. Cùm enim ab Ecclesia universali, sive illius Capite Romano Pontifice sint instituta impedimenta Matrimonium dirimentia, Dispensatio super eis communi Jure ad caput universalis Ecclesiæ Romanum Pontificem, non ad Episcopum pertinet, ut colligitur ex Cap. *Cùm inferior*, Extra, *De Majoritate & obedientia*, Conciliáque Provincialia plurima, Ritualia Ecclesiarum, Autores omnes id confirmant, & Auctoritatem dispensandi competere negant Episcopis, cùm publicum impedimentum est, vel de contrahendo Matrimonio agitur. Si tamen à Sede Apostolica facultatem obtinuerint dispensandi etiam de contrahendo, & de publico impedimento, urgente necessitate, dubium non est quin legitimè dispensent, cùm id faciant ut Sedis Apostolicæ Delegati.

REGULA XII.

Episcopos numquam posse dispensare in tertio consanguinitatis vel affinitatis gradu, imò nec in quarto, de contrahendo, probabilius videtur.

HAnc enim Concilia ipsa Gallicana tum antiqua, cùm recentiora Episcopis adimunt facultatem. Concilium Vermeriense, anno DCCLII. Canone 1. *In tertio gradu conjuncti separantur, & post Pœnitentiam actam, si ita voluerint, licentiam habeant aliis se conjungere. In quarta autem conjunctione si inventi fuerint, eos non separamus, sed Pœnitentiam eis indicamus. Attamen si factum non fuerit, nullam facultatem conjungendi in quarta generatione damus.*

Concilium

A Concilium Compendiense Canone I. *Si in quarta progenie reperti fuerint conjuncti, non separamus: In tertia verò si reperti fuerint, separentur. Et eos qui unus in quarta, alius in tertia sibi pertinent, & conjuncti inveniuntur, separemus.*

Concilium Turonense anno MDLXXXIII. Cap. IX. *Quibus* (inquit) *in quarto consanguinitatis & affinitatis, necnon cognationis spiritualis prohibitis gradibus supra expressis, Episcopis dispensare non licere, declaramus.*

Concilium Tolosanum MDXC. Cap. VIII. *Quos cognationis gradus impedit, licèt jam legibus solutos* **B** *& dispensatos, nisi visâ prius Summi Pontificis Dispensatione, in Matrimonii conjunctionem Parochi non recipiant.*

Synodus Lingonensis: *Gradus Consanguinitatis sic ponuntur. Fratres aut sorores sunt in primo gradu. Filii duorum fratrum aut sororum, sunt in secundo gradu. Filii cognatorum germanorum, dicti secundi cognati, sunt in tertio gradu. Horum filii, dicti tertii cognati germani, sunt in quarto gradu. Inter istos non est legitimum Matrimonium, nisi cum eis sit per Sedem Apostolicam dispensatum.*

C Idem sancitum est ac declaratum Synodalibus Constitutionibus Ecclesiæ Trecensis.

Si tamen antiqua sit & legitimè præscripta Diœcesis consuetudo, ut Episcopus in quarto gradu, etiam de contrahendo, certis in casibus dispenset, quia ejus Decessores hac usi sunt ab antiquo ad hanc usque diem facultate, quæ à Sede Apostolica concessa creditur (quod in quibusdam Galliarum Diœcesibus fieri novimus) de his Dispensationibus haud movenda lis est: **D** Siquidem consuetudo legitimè præscripta Juri positivo præjudicat, usúsque longævi non levis est auctoritas, ut dicitur Cap. *Cum Consuetudinis*, & Cap. *Cum tantò*, Extra, *De Consuetudine.* At si dubitet, vel meritò dubitare debeat Episcopus, an Dispensationes à suis Decessoribus concessæ sint ex Privilegio reali & perpetuo, an ex Privilegio personali, dispensare non potest, nisi & ipse dispensandi Privilegium a Summo Pontifice obtineat. In re enim Sacramenta spectante non licet minùs probabilem ac minùs tutam opinionem sequi, relictâ probabiliore atque tutiore. **E**

REGULA XIII.

Dispensatio Matrimonialis ab illo impetrata qui dispensandi facultatem haberi vulgò existimabatur, valida est.

SIc in Rota Romana fuisse judicatum, referunt *Ancharanus* Consilio 409. Addit. ad Decisiones Rotæ 2. *De filiis Presbyterorum*, Num. 2. & *Zerola* in *Praxi Episcopi*, verbo, *Dispensatio*: Et tam concedentes, quàm impetrantes Dispensationem bona fides hac in specie excusat.

REGULA XIV.

In Impedimentis non dirimentibus dispensare possunt Episcopi, exceptis Votis Castitatis & Religionis. Dispensare pariter possunt in Impedimentis omnibus Matrimonio jam contracto supervenientibus.

[Cap. Cum multa, Extra, De Voto & Voti Redemptione & Sixtus IV. Constit. quæ incipit Etsi, Extravag. commun. Tit.]

SIc Ecclesiæ Disciplina, usúsque ferunt. Quia verò excipiuntur Vota Castitatis & Religionis, quæ Summo Pontifici tam strictè sunt reservata, ut nec in Jubilæis universalibus concedat facultatem super illis dispensandi: Observandum est, Vota de non nubendo, de non petendo con-**A**jugali debito, de susceptione Sacrorum Ordinum, de castitate ad tempus servanda, sub Voto Castitatis perpetuæ, vel Religionis non comprehendi: quia non sunt absoluta Vota Castitatis, ideóque in illis dispensare potest Episcopus. Potest etiam dispensare circa Impedimenta, quæ priùs contracto Matrimonio superveniunt, & debiti conjugalis petitionem prohibent, qualis est affinitas ex incesta copula. *[De Pa[…] & Promissionibus.]*

REGULA XV.

B *Si pars utraque aliquo devincta sit impedimento quod solvere possit Episcopus, & è diversis Diœcesibus sint qui Matrimonium contrahere volunt, unius Episcopi Dispensatio non sufficit, sed ab Episcopis utriusque Diœcesis petenda & obtinenda est, vel certè à Summo Pontifice, alioqui nulla esset ac irrita Dispensatio, nullúmque proinde quod ex vi illius contraheretur Matrimonium.*

CUm enim Dispensatio sit actus Jurisdictionis; **C** & Episcopus nullam Jurisdictionem habeat in eum qui Diœcesanus illius non est neque ratione domicilii, neque ratione originis, dispensare cum illo non potest: quamobrem ad proprium remittendus est Episcopum.

REGULA XVI.

Dispensare numquam possunt Episcopi in cognationis spiritualis impedimento.

D FIeri enim vix potest ut Matrimonium inter compatrem & commatrem, vel matrem & filium spiritualem, aut patrem & filiam spiritualem, sit bona fide contractum, utque impedimentum istud prorsus occultum sit: nec scandalum ullum oritur, si Matrimonium contra sacras Ecclesiæ Leges ita contractum dirimatur. Adde, quòd Ecclesia non solet in primo Cognationis spiritualis gradu facilè dispensare: immò Summi Pontifices denegarunt aliquando Dispensationem his, qui impedimentum ignorantes bona fide Matrimonium contraxerant. Sacra Con-**E**gregatio Concilii Tridentini Interpretes olim rogata, An puella novennis de Sacro Fonte suscipiens infantem, contrahat cum eo cognationem spiritualem: & si cognationis istius spiritualis immemor, cum eo contrahat Matrimonium, an sit concedenda Dispensatio? Respondit, Cognationem spiritualem esse contractam, & dispensationem concedendam esse; At *Gregorius XIII.* ad quem relata est Sacræ Congregationis Sententia, dispensare noluit. Et quamvis nonnumquam post tempora *Gregorii XIII.* dispensatum fuerit ob dotis incompetentiam, cum illius augmento sufficienti, non tamen est judicandum exemplis, nec quod aliquando factum est, sed quod fieri debet **F** est spectandum; (inquit *Prosper Fagnanus*, qui hæc refert in Cap. *Ex literis*, Extra, *De cognatione spirituali*) Quod si Summi Pontifices, qui super hoc impedimento dispensare possunt, cùm Jure duntaxat Ecclesiastico sit institutum, adeo tamen se præbent in dispensando difficiles, quia expedire non putant ut dispensetur: hinc certo colligitur, Episcopos in eo impedimenti genere dispensare non posse, sive contrahendum sit, sive jam contractum Matrimonium. *[De dispensationibus.]*

Regula XVII.

Cùm Matrimonium coram Parocho & testibus bona fide contractum est, non est necesse denuò solemni ritu in facie Ecclesiæ contrahi ab his quos inter nullum erat Matrimonium ob Impedimentum aliquod dirimens, cum impetrata fuerit dispensatio: sed tamen necessario est renovatio mutui consensûs.

De dispensationibus.

NEcesse non esse ut Matrimonium rursus in facie Ecclesiæ contrahatur, *S. Pius V.* Pontifex Sanctissimus declaravit, ut referunt *Navarrus* & *Zerola*. Necessariam verò esse mutui consensus renovationem, ratio, Jùsque suadent. Causa enim efficiens Matrimonii est mutuus consensus personarum ad contrahendum legitimarum. Cùm porrò consenserunt in Matrimonium impedimento manente, non erant personæ legitimæ ad contrahendum: non erat igitur consensus sufficiens ad Matrimonii firmitatem. *Quod autem de Jure ab initio non subsistit, tractu temporis non convalescit*, ut habet Regula Juris. Quamobrem consensum utriusque partis oportet renovari. Non est tamen necesse hunc in specie defectum parti alteri quæ id ignorat, aperiri, dummodo novus ab illa consensus simul eliciatur.

Regula XVIII.

Officiales ad quos Mandatum Apostolicum de dispensando dirigitur, cujusvis consuetudinis prætextu aliquid exigere aut recipere tutâ conscientiâ non possunt ab iis quibuscum Sedis Apostolicæ nomine dispensant.

DIspensationes enim *gratis* concedi Concilium Tridentinum statuit; & in Mandatis de dispensando hæc inseritur clausula: *Mandamus, quatenus depositâ per te omni spe cujuscumque muneris aut præmii, etiam sponte oblati, à quo te omninò abstinere debere mandamus*, &c. *Volumus autem quòd si spretâ Monitione nostrâ ejusmodi aliquid muneris aut præmii occasione dictæ Dispensationis exigere, aut oblatum recipere temerè præsumpseris, Excommunicationis latæ Sententiæ pœnam incurras.* Hanc verò clausulam ita esse intelligendam, ut Officiali nequidem stipendii vel honorarii nomine aliquid exigere vel recipere liceat pro Matrimonialium Dispensationum à Summo Pontifice concessarum executione, censet *Navarrus*, cujus opinio probabilior videtur, quàm aliorum qui Officialium quorumdam cupiditati favent, sententia. Quis enim stipendii vel honorarii nomine munus quodlibet aut præmium, præsertim sponte oblatum non cohonestabit, ut cupiditati suæ velamen excusationis obtendat? Id verò quid aliud est, quàm Pontificis Mandatis illudere? Certè re in dubio posita, manus a pecuniâ, vel quocumque munere quod pecuniâ possit æstimari, continere debent, ne Excommunicationis latæ Sententiæ periculo temerè se committant.

Adde Concilii v. Mediolanensis sub *S. Carolo Borromæo* Decretum: *Pro Dispensationum* (inquit) *Matrimonialium executione nihil quidquam prorsus muneris præmiive, etiam sponte oblati, ac ne pro labore quidem qui in testibus ea causâ examinandis, aliisve testificationibus excipiendis ponitur, Episcopus aut Vicarius ejus capiat. Notarii verò pro examine testium quartam duntaxat partem aurei ad summum capiant.*

CAPUT V.

DE CONJUGUM OFFICIIS, USUQUE MATRIMONII.

§ I.

De Conjugum Christianorum Officiis.

Christianorum conjugum Officia.

QUomodo in Matrimonio sit vivendum ac moriendum, *S. Carolus Borromæus* in Instructionibus explicat his verbis:

Docebit opportuno tempore Parochus officia viri erga uxorem, rursúsque uxoris officia erga virum monebit, ut incommoda Matrimonii patienter ferant, contenti ea in qua vocati sunt vocatione.

Quàm diligenter etiam fidem, quam sibi mutuò præstiterint, inviolatam servent usque ad mortem. Quam se ipsos inter se unicè diligant sancto cordis affectu, ita ut nefariis aliorum amoribus non capiantur, nec thorum maritalem inquinent.

Purum Matrimonium sit, & ab obscœnarum cupiditatum contagione liberum (inquit *S. Gregorius Nazianzenus.*) Cùm enim Matrimonium a Deo institutum sit, præcipuè ad sobolem procreandam, quæ sanctè educetur, sanctè illo uti debent. *Unusquisque sciat* (ut Apostolus monet) *vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut & Gentes quæ ignorant Deum. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.* (1. Thessal. 4.)

Ut illud meminerint Apostoli, Quòd *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* (1. Cor. 7.)

Ut in magnis anni Solemnitatibus, diebúsque Dominicis, ex Nicolai I. Rescripto; diebus Jejuniorum, & certo tempore orationi assignato, & quibus diebus Eucharistiam sumpturi sunt, sumpserintve, à copulatione, actúque Matrimonii, quantùm possunt, de communi consensu abstineant.

Ut cùm uxor gravida est, frequentiùs ambo in oratione precibúsque versentur, quibus à Deo prolem optimam impetrent. Filios non sibi, sed Deo nascituros, illi offerant ante nativitatem, & quamprimùm filios Dei fieri per Baptismum procurent. *Annam* imitentur, quæ *Samuelem*, non sibi, sed Tabernaculo peperit: illos Deo per Baptismum consecratos, velut depositum ab illo sibi traditum integrum servent ejus divinæ Majestati reddendum, cùm reposcet. Ubi liberos susceperint, nihil potiùs curent, quàm ut in timore Dei, & Disciplinæ Christianæ institutis educent, & conforment ad præscriptum Instructionum eo nomine editarum; (inquit *S. Carolus.*)

Christianorum Conjugum officia.

Ut rem familiarem modis nefariis nullo modo augeant; neque studeant locupletiores fieri cum offensione Dei, & injuria proximi.

Ut Patrum-familiâs Instituta exequantur Libro Instructionum explicata.

II. In ægrotatione, sicut in omni alia re necessaria, sibi mutuam opem ferant, atque succurrant omnibus officiis, quæ cùm ad corporis curationem, tum inprimis ad Animæ salutem pertinent.

Ut propterea in ægrotatione nullum alter alteri præstet impedimentum, quominus continuam habeant Dei memoriam; immò verò potiùs sese mutuò consolentur salutaribus consiliis; hócque cohortentur, aliósque item hortatores adhibeant, ut Sanctissima Sacramenta, Pœnitentiam scilicet, Eucharistiam & Extremam-Unctionem in tempore suscipere ægrotus curet.

Ut liberos etiam suos piè ardentísque caritatis studio parens admoneat, instruátque ad Vitæ Christianæ rationes. Et verò vitia, quibus potissimùm illos deditos esse animadverterit, vehementer objurget. Demum benedicat exemplo Sanctissimorum Patrum.

Ut domui suæ bene disponat, & Testamentum ritè conficiat, præsente etiam Patre spirituali; de cujus consilio in Testamenti etiam factione remedium quærat Animæ suæ.

Ut in extremo illo etiam spiritu sese alacriter in Domino confirmet ad mortem suscipiendam, expectans post separationem vitæ hujus mortalis conjunctionem perpetuam in vita sempiterna.

Act. Ecclesiæ Mediolanensis P. IV. pag. 603. & seq.

III. Sanctus idem Archiepiscopus Patribus Matribúsque familiâs, quibuscunque aliis domorum capitibus has Regulas tradit rectè gubernandæ & instituendæ familiæ.

Hos tantùm domi famulos habeas, & familiæ tuæ adscribas, quorum operâ indigueris, quosque commodè pro facultatum ratione, æris alieni nihil contrahendo, nec à debitis illis stipendiis quidquam auferendo, poteris alere. Idque inprimis cures, ne inter domesticos, blasphemiis addicti, concubinarii, aut depravati moribus, vitiisque dediti, aut famâ notati ulli inveniantur.

Omnium actionibus sedulò invigiles, ita ut quæ singulorum sit morum ratio ex eorum colloquiis, consuetudine, & commercio rescias. Tibi ideò sit è domesticis aliquis, aut vicinis, si familia tua pusilla sit numero, cui credas, quique censor secretus omnia observet: cúmque in vitiis, aut eorum aliquo periculo versari quemquam acceperit, tibi referat.

Si quid mali tibi narratum sit, facilè illud, nisi priùs discusseris, & de eo certior fias, non credas; sed ubi in vitio aliquis revera reprehenditur, delinquentem priùs moneas, adhibitâ postea debitâ correptione. Qui jam sæpiùs de gravis momenti re admoniti, ad meliorem frugem se non receperint, si famuli sint, hísque similes, domo eliminentur; si verò filii, debitâ pœnâ plectantur.

Blasphemias, furtum, concubinatus, & quasvis morum corruptelas non impunè feras: Item nec qui Paschatis tempore confessus Communionem non acceperit; vel qui non tenet Doctrinam Christianam, nec curat in ea, quoad res saltem magis necessarias institui.

Id inprimis cures, ut filii & domestici masculi à feminis distincti ita & separati dormiant, ut nullius periculi occasio sit: singuli quoque sua lecto separatim donentur; conjuges in lectum non admittant filios, aut filias, imò nec in eodem cubiculo sinant decumbere, sed in alio in loco securo & separato, si valeant.

Christianorum Conjugum officia.

Libros obscœnos, aut picturas in domo non patiaris, nec cantilenas vel odas minùs honestas cantari, sed nonnisi spirituale quid & devotum ibi videatur aut audiatur: ideo domum ter aut quater per annum ex improviso juvat perlustrasse: imò & domesticorum thecas & arculas investigasse, quidquid vanitati usui erit amovendo.

Nec etiam è domesticis, sive domi, sive foris quemquam patiaris malorum inire consortium, sed ut quamvis peccati occasionem fugiant, sedulus sis. Nullum item otiosum & desidem, sed aliquo exercitio honesto occupatum detineas.

Feminas monebis ne stent ad januas, aut ad fenestras, nec minùs adhuc fucum & pigmenta, speciei suæ ut consulant, adhibeant.

Noli in alendis canibus aut equis minimè necessariis illud impendere, unde plurimorum Christi pauperum refectioni posset subveniri. A quibuscunque impensis immodicis & inutilibus abstineas: quibus etenim facultatibus & opibus vales, earum, utpote dispensator tantùm apud Deum, habiturus es rationem.

Pauperibus eleemosynam lubens largiaris, in eáque virtute filios cures ab infantia institui, data eis facultate & mandato id munus exercendi.

Caritate & prudentiâ cum universa familia te geras, omnia ei necessaria curans impartiri, & in stipendiis detrimenti quidquam nemo patiatur.

Verbis asperioribus aut conviciis, nec filios, nec quemcunque alium habeas: nitaris idcirco gratiam à Deo obtinere, quâ iram in occurrentibus adversis, sive domi sive foris, unde sis morosior, coërceas.

Dum è domesticis quis infirmitate laborabit, ad patientiam, quâ morum emendationem à Deo obtineat, adhortaberis, & ut intra tres dies nullo habito respectu Confessionem agat, curabis. Infirmos famulos invisas, quibus in ædibus tuis jubeas necessaria ex caritate ministrari: nec enim decet eos ad Xenodochia mittere, quorum operâ, dum valerent, usus es.

Fovendæ in domo paci & unioni, ut caritas fraterna observetur, studeas, nec alterutri favere videaris, sed omnes cum patientia audias. Neminem è tuis sinas cuiquam negotium facessere, aut inimicitiâ odióve quemquam prosequi; sed ubi aliquid dissidii subortum deprehenderis, altercantes subitò componas, sive domesticos, sive externos.

Arma à tuis unquam gestari, nisi pro defensione, aut ratione eorum officii, aliáque manifesta ex necessitate prohibeas.

Omnes è familiâ sæpiùs adhorteris, in quo verbis, conviciis, aut factis læsi sunt, id condonent, nec unquam ulciscantur, nec pro sæculi honore altercentur.

Verbis & in operibus sis in exemplum domesticis, nec quicquam in eorum conspectu agas aut loquaris, quod dedeceat.

Recta monita & documenta tuis semper tradas, nec ab his monendis, ne scilicet contristentur, aut quacunque simili ex causa unquam abstineas.

Inter alia de quibus filios, aliósve monuisse juvat, horum in primis recorderis. Ne ullum

Christianorum conjugum officia.

» scilicet unquam dolo decipiant, vel defraudent, aut quidquam mala arte sibi vindicent. Ne sua nobilitate aut dignitate, sed Christianis tantùm suis moribus & virtutibus nitantur, nec dignitates humanámque auram aucupentur, rerum temporalium superflua ne sectentur, immo illa potiùs aspernentur.

» Omni modo cures omnes è familia Doctrinæ Christianæ saltem essentialia capita teneant, eos ideo mittas ducasve ad Scholas, sive mares, sive feminas, adultos aut pueros.

» Sanctissimum Confessionis usum, juxta quæ B generaliter monuimus, frequentiùs observent; nec abs re erit Communionem saltem per mensem, & solemnibus diebus in Parochiali Ecclesia ab universa familia celebrari.

» Maximæ utilitatis foret, si uni Confessori omnes è familia confiterentur, ut animæ omnium infirmitates illi meliùs innotescerent, eósque tutiùs in via Domini dirigeret. Peritiores saltem Confessores adeant.

» Indicta à Sancta Matre Ecclesia, Quadragesimæ scilicet, Quatuor temporum, Vigiliarum, aliaque ex voto & consuetudine Jejunia obser- C vati omnino facias.

» Omnes item pro Oratione & Conscientiæ Examine agendis pro capacitate cures institui, & Matutinam, Serotinámve, priusquàm lectum petant, conscientiæ discussione prævià, ab his haberi. Ideo manè & serò ad campanæ signum, aut saltem alia hora illis commodiori universa familia cogatur, aut in Ecclesia, aut domi coram Imagine omnes simul habeant.

» Neminem patiaris ad mensam accedere, qui non antè fuerit bene precatus; nec ab ea discedere, nisi actis Deo gratiis. Librum aliquem spiritualem filiis, aut aliis legi, si possit, aliquo D saltem, si non omni refectionis tempore curabis, isque Liber à Parocho aut Confessore priùs comprobabitur. Librum item spiritualem aliquandiu post cœnam legi facias, colloquiorum vice, aut Sancti Vitam, cujus ea die sit Memoria, & eam in rem simul colloquantur, ut nonnihil utilitatis inde sibi concilient, & ex tot Sanctorum exemplis virtutem aliquam sibi comparandi studio accendantur.

IV. Concilii Tridentini Catechismus viri erga uxorem, & uxoris erga virum officia explicat P. II. Tit. *De Matrimonii Sacramento*, §. XXXI. & XXXII. *Viri* (inquit) *munus est, uxorem liberaliter & honorificè tractare. Qua in re meminisse oportet, Evam ab Adamo sociam appel-* E *latam esse, cùm inquit,* Mulier quam dedisti mihi sociam: *Cujus rei causâ alii Patres factum esse docent, ut ea non ex pedibus, sed ex latere viri formaretur: Quemadmodum etiam ex capite condita non est, ut viri se dominam non intelligeret, sed viro potiùs subjectam.*

Decet præterea virum in alicujus honestæ rei studio semper occupatum esse, tum ut ea suppeditet quæ ad familiam sustentandam necessaria sunt: tum ne inerti otio torpescat, à quo vitia ferè omnia fluxerunt.

Deinde verò familiam ritè constituere, omnium mores corrigere, singulos in officio continere. F

Rursus autem uxoris partes sunt, quas Apostolorum Princeps enumerat, cùm inquit, Mulieres subditæ sint viris suis: Ut & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore sanctam conversationem vestram: Quarum non sit extrinsecus capillatura, nec circumdatio auri, aut argenti, & vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando & Sanctæ Mulieres sperantes in Deo ornabant se, subjectæ propriis viris sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans. (1. *Petri* cap. 3.)

Christianarum conjugum officia.

Earum quoque proprium studium sit, filios in Religionis cultu educare, domesticas res diligenter curare. Domi verò libenter se contineant, nisi necessitas exigere cogat: Idque sine viri permissu facere nunquam audeant.

Deinde, in quo maximè maritalis conjunctio sita B *est, meminerint semper secundùm Deum, nisi quàm virum, neminem diligendum, eóve pluris faciendum neminem: Cui etiam omnibus in rebus, quæ Christianæ pietati non adversantur, morem gerere & obtemperare summa cum alacritate animi oporteat.*

V. Christianis Mulieribus proponendum & Sanctæ *Monicæ* exemplum à *S. Augustino* Libro IX. *Confessionum*, cap. IX. ob laudabiles mores & reverentiam castámque amorem erga virum, & benevolentiam erga socrum, eandémque caritatem commendatæ. *Educata* (inquit) *pudicè ac sobriè potiúsque à te subdita parentibus quàm à parentibus tibi,* C *ubi plenis annis nubilis facta est, tradita viro servivit veluti domino, & satagit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus illam pulchram faciebas, & reverenter amabilem atque mirabilem viro. Ita autem toleravit cubilis injurias, ut nullam de hac re cum marito haberet unquam simultatem. Exspectabat enim super eum misericordiam tuam, ut in te credens castificaretur. Erat verò ille sicut benevolentia præcipuus, ita irâ fervidus. Sed noverat hæc non resistere irato viro, non tantùm facto, sed ne verbo quidem. Jam verò refractum & quietum, cùm opportunum videret, rationem facti sui reddebat, si fortè ille inconsideratiùs commotus fuerat. Denique cùm Matronæ mul-* D *tæ, quarum viri mansuetiores erant, plagarum vestigia etiam dehonestatâ facie gererent, inter amica colloquia illæ arguebant maritorum vitam; hæc earum linguam, veluti per jocum graviter admonens, ex quo illas Tabulas quæ Matrimoniales vocantur, recitari audissent, tanquam instrumenta quibus ancillæ factæ essent, deputare debuisse; proinde memores conditionis, superbire adversùs dominos non oportere. Cùmque mirarentur illæ, scientes quàm ferocem conjugem sustineret, nunquam fuisse auditum, aut aliquo indicio claruisse, quòd Patricius ceciderit uxorem, aut* E *quòd à se invicem vel unum diem domesticâ lite dissenserint, & causam familiariter quærerent, docebat illa institutum suum, quod supra memoravi. Quæ observabant, expertæ gratulabantur; quæ non observabant, subjectæ vexabantur.*

Socrum etiam suam primò susurris malarum ancillarum adversùs se irritatam, sic vicit obsequiis, perseverans tolerantiâ & mansuetudine, ut illa ultrò filio suo medias linguas famularum proderet, quibus inter se & nurum pax domestica turbabatur, expeterétque vindictam. Itaque posteaquàm ille & matri obtemperans, & curans familiæ disciplinam & concordiam suorum consulens, proditas ad prodentis arbitrium verberibus coërcuit, promisit illa talia de F *se præmia sperare debere, quæcunque de sua nuru sibi, quò placeret, mali aliquid loqueretur; nullâque jam audente, memorabili inter se benevolentiæ suavitate vixerunt.*

VI. Christianos conjuges *S. Gregorius* ad virtutem Matrimonii statui convenientem præclaris monitis informat, *Pastoralis Curæ* P. III. Admonitione XXVIII. *Admonendi sunt conjugiis obligati, ut cùm vicissim quæ sunt alterius cogitant, sic eorum quisque placere studeat conjugi, ut non displiceat Conditori: sic ea quæ hujus mundi sunt agant, ut tamen appetere quæ Dei sunt non omittant: sic de bo-*

nis præsentibus gaudeant, ut tamen sollicita intentione mala æterna pertimescant: sic de malis temporalibus lugeant, ut tamen consolatione integra spem in bonis perennibus figant: Quatenus dum in transitu cognoscunt esse quod agunt, in mansione sciant quod appetunt: nec mala mundi cor frangant, cùm spes cœlestium roborat: nec bona præsentis vitæ decipiant, cùm suscepta subsequentis Judicii mala contristant. Itaque animus Christianorum Conjugum & infirmus & fidelis, qui & plenè cuncta temporalia despicere non valet, & tamen æternis se conjungere per desiderium valet, quamvis in delectatione carnis interim jaceat, superna spei refectione convalescat. Et si habet quæ mundi sunt in usu itineris, speret quæ Dei sunt in fructu perventionis: nec totum se ad hoc quod agit conferat, ne ab eo quod robustè sperare debuit, funditus cadat. Quod bene ac breviter Paulus expri- » mit, dicens: Qui habent uxores, tanquam non

1. Cor 7. » habentes sint: & qui flent, tanquam non » flentes: & qui gaudent, tanquam non » gaudentes. Uxorem quippe quasi non habendo habet, qui sic per illam carnali consolatione utitur, ut tamen nunquam ad prava opera à melioris intentionis rectitudine amore ejus flectatur. Uxorem quasi non habendo habet, qui transitoria esse cuncta conspiciens curam carnis ex necessitate tolerat, sed æterna gaudia spiritus ex desiderio exspectat. Non flendo autem flere, est sic exteriora adversa plangere, ut tamen noverit æterna spei consolatione gaudere. Et rursum, non gaudendo gaudere, est sic de infimis animum attollere, ut tamen nunquam desinat summa formidare. Ubi aptè quoque paulò post subdidit, dicens: Præte- » rit enim figura hujus Mundi. Ac si apertè diceret: Nolite constanter Mundum diligere, quando & ipse non potest, quem diligitis, stare. Incassum cor quasi manentes figitis, dum fugit ipse quem amatis.

Admonendi sunt conjuges, ut ea in quibus sibi aliquando displicent, & patientes invicem tolerent, & exhortantes invicem salvent. Scriptum namque est:

Gal. 6. » Invicem onera vestra portate, & sic adimple- » bitis Legem Christi. Lex quippe Christi caritas est: quia ille nobis & largiter sua bona contulit, & æquanimiter mala nostra portavit. Tunc ergo Legem Christi imitando copulemus, quando & nostra bona benignè conferimus, & nostrorum mala piè sustinemus. Admonendi quoque sunt, ut eorum quisque non tam quæ ab altero tolerat, quàm quæ ab ipso tolerantur attendat. Si enim sua quæ portantur, considerat, ea quæ ab altero sustinet, leviùs portat.

Denique, ut paucis mutua Christianorum Conjugum Officia complectar, vir uxorem suam diligere, mulier virum suum revereri eique parere tenetur; quod luculentis verbis explicat Apostolus ad Ephesios scribens, cap. v. Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino: Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ: Ipse salvator corporis ejus. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata. Ita & viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit: sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam: Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ: Et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, Ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Verumtamen & vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: Uxor autem timeat virum suum. Et ad Collossenses III. Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet in Domino. Viri, diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas. Mutua Christianorum Conjugum officia. Viri diligere debent uxores suas ut Christus Ecclesiam. Non igitur amore turpi, sed casto, spirituali, & cum vera pietate conjuncto. Mulieres subditæ esse debent viris, ut Ecclesia Christo, in omnibus, eisque non timore, sed cum reverentia & amore obsequi; non dominari, non docere, sed blandâ obsecratione monere; non cùm irati sunt, aut ebrii, sed more prudentissimæ Abigail, dum est opportunum, si quo modo tandem viros suos salvos faciant.

Apostoli, imò verò Domini per Apostolum inculcata præcepta de mutuis conjugum officiis egregiè explicat S. Joannes Chrysostomus Homilia xx. in Epistolam ad Ephesios: Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino. Quamobrem? Quoniam si hi sint in concordia, & rectè aluntur filii, molestique sunt famuli, & ordinem non deserunt, & bono eorum odore fruuntur vicini, amicique, & cognati. Sin autem contra, evertuntur & confunduntur omnia. Et quomodo cùm Duces Exercitûs inter se pacem agunt, omnia suam servant consequentiam; & si rursus illi turbentur, sursum & deorsum aguntur omnia: ita nunc quoque.

VIRI, diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. Vidisti mensuram obedientiæ? Audi etiam mensuram dilectionis. Vis tibi obedire uxorem, sicut Christo Ecclesiam? Ipse quoque ejus curam gere, sicut Christus Ecclesiæ. Etiamsi animam pro ipsa dare oporteat: etiamsi millies conscindi, etiamsi quodvis sustinere & pati, non recusabis: & si hæc passus fueris, nihil adhuc tale fecisti quale Christus. Nam tu quidem jam conjunctus hæc facis; Ille autem pro ipsum aversante & eum habente odio. Quomodo ergo Ipse eam quæ ipsum aversabatur oderatque & contemptui habebat, ac conspuebat, & per lasciviam ei insultabat, magnâ suâ curâ suis subjecit pedibus, non minis, nec contumeliis, neque metu, neque ullo alio ejusmodi: Ita tu quoque te gere in tuam uxorem. Etiamsi eam videris despicientem, etiamsi per lasciviam insultantem, poteris multâ ejus curâ & providentiâ, dilectione & amicitiâ eam tuis pedibus subjicere. Nihil est his vinculis magis tyrannicum, & maximè marito & uxori. Nam famulum quidem poterit quispiam metu alligare, imò verò ne illum quidem, fortasse enim resiliet & abibit: vitæ autem sociam, liberorum matrem, & quæ est causa & occasio omnis lætitiæ, non oportet metu & minis ligare, sed dilectione & affectione. Quænam enim est conjunctio, quando uxor exhorrescit maritum? Quânam autem voluptate fruetur ipse maritus, cum uxore habitans tanquam cum ancilla, & non tanquam cum libera? Et si quid pro eâ passus fueris, ne exprobres. Neque enim Christus hoc fecit. Et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.

Uxor autem timeat virum. Mulier est secundus principatus, neque enim ipsa exigat æqualitatem honoris, est enim sub capite: neque ille eam despiciat tanquam subjectam; est enim corpus. Si caput corpus despiciat, ipsumque quoque peribit... Mulier cui videtur afferri damnum, quod jubeatur timere, lucratur. Vero enim est præceptum id quod est præcipuum, scilicet diligere. Quid verò si non timeat uxor? Tu dilige, imple quod tuum est... Sed quando audis timorem, exige timorem qui convenit liberæ, non tanquam ab ancilla. Est enim corpus tuum. Nam si hoc feceris, te ipsum probro afficis, tuum corpus afficitus ignominiâ. Quis est autem timor? Ut non contradicat, ne non insurgat, ut primas partes non amet. Ad hæc usque satis est timorem consistere. Sin autem diligis; ut est præceptum, etiam majora faciet.

A Tum rursus maritum compellans: *Ostende te magni facere cum ipsa consuetudinem, & malle te domi esse propter ipsam, quàm in foro: & eam præpone omnibus amicis & liberis, quos ex ea suscepisti: & ipsi quoque à te propter ipsam diligantur. Si boni quid fecerit, & lauda & admirare. Si quid contingat absurdi, & tanquam juvenile, suade & admone... Sint preces vobis communes. Unusquisque eat ad Ecclesiam, & eorum quæ illic dicuntur & leguntur, & maritus ab uxore partem domi exigat, & illa à marito. Si premit paupertas, produc in medium sanctos viros Petrum & Paulum, qui in majori fuerunt existimatione quàm omnes Reges & divites, & quomodo vitam egerunt in fame & siti. Erudi eam. Nihil in vita esse terribile præterquàm Deum offendere.*

Officia tandem Christianæ uxoris sunt, *Honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem exhibere*; ut habetur *Tobiæ* x.

§. II.

De Usu Matrimonii.

De usu Matrimonii.

VII. Usum conjugii quod spectat, sic explicare oportet quæ ad illum Christianè exercendum pertinent, ut nec eorum necessariorum cognitio hac in materia Pastoribus, Confessariisque desit; nec inutilium, & quas curiosiùs scrutari, aut in iis particulatim expendendis morari periculosum est, lectio superflua ipsos inquinet. Id autem pro more nostro certis Regulis exequemur.

REGULA I.

Matrimonii usus non solùm peccati expers est secundùm se: sed meritorius esse potest.

QUi enim fecit hominem ab initio, mulieremque illi in sociam & adjutorium dedit, dixit: *Propter hoc dimittet homo patrem &* (Matth. 19.) *matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Non aliter autem duo fiunt in carne una, quàm usu conjugii. Hinc Apostolus ad *Hebræos* cap. XIII. ait: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Thorus porrò immaculatus non esset, si conjugalis concubitus absque peccato esse non posset. Hinc *S. Augustinus* Libro *De Bono Conjugali*, cap. VI. *Conjugalis* (inquit) *concubitus generandi gratiâ non habet culpam: Concupiscentiæ verò satiandæ, sed tamen cum conjuge propter thori fidem, venialem habet culpam: Adulterium verò sive fornicatio lethalem habet culpam.*

Idem docet *Sanctus Thomas in* IV. *Sententiarum*, Distinctione XXVI. Quæstione I. Articulo IV. *Si* (inquit) *ad actum Matrimonialem virtus inducat, vel Justitiæ, ut debitum reddat; vel Religionis, ut proles ad cultum Dei procreetur, est meritorius.*

REGULA II.

Usus Matrimonii non est inculpabilis, nisi fiat causâ prolis procreandæ, vel debiti reddendi.

ALiàs enim concupiscentiæ quodammodo serviunt conjuges, quamvis intra Matrimonii fines redigatur; unde id nonnisi *Secundùm veniam* Apostolus concedit. Hinc *S. Augustinus*, Libro *De Bono Conjugali*, cap. VI. *In ipsa* (inquit) *immoderatiore exactione debiti carnalis, quam eis non secundùm imperium præcipit, sed secundùm veniam concedit Apostolus, ut etiam propter causam procreandi sibi misceantur; & si eos pravi mores ad talem concubitum impellunt, Nuptiæ tamen ab adulterio seu fornicatione defendunt. Neque enim illud propter Nuptias admittitur, sed propter Nuptias ignoscitur. Debent ergo sibi conjugati non solùm ipsius sexûs sui commiscendi fidem liberorum procreandorum causâ, quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas; verùm etiam infirmitatis invicem excipiendæ, ad illicitos concubitus evitandos, mutuam* B *quodammodo servitutem.* Et infra: *Melior est quidem ab omni concubitu continentia, quàm vel ipse matrimonialis concubitus, qui fit causâ gignendi: sed quia illa continentia meriti amplioris est; reddere verò debitum conjugale, nullius est criminis: exigere autem ultra generandi necessitatem, culpæ venialis, fornicari verò vel mœchari, puniendi criminis, cavere debet caritas conjugalis: ne dum sibi quærit unde amplius honoretur, conjugi faciat unde damnetur.*

Exigere debitum à conjuge per incontinentiam, non liberorum procreandorum causa, veniale peccatum est.

Et cap. X. *Concubitus necessarius, causâ generandi, inculpabilis, & solus ipse nuptialis est. Ille autem qui ultra istam necessitatem progreditur; jam non rationi, sed libidini obsequitur. Et hunc tamen* C *non exigere, sed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conjugalem. Si autem ambo tali concupiscentiæ subjiciuntur, rem faciunt non planè Nuptiarum.* Et rursùs: *Non itaque Nuptias secundùm veniam concedit Apostolus: nam quis ambigat absurdissimè dici, non eos peccasse, quibus venia datur? Sed illum concubitum secundùm veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non solâ causâ procreandi, & aliquando nullâ causâ procreandi, quem Nuptiæ fieri non cogunt, sed ignosci impetrant.*

Et *Enchiridii* cap. LXXVIII. *Putari posset non esse* D *peccatum misceri conjugi non filiorum procreandorum causâ, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis; ut fornicationis, sive adulterii, sive cujusquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quò potest tentante Satana libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset* Apostolus: *Hoc autem dico secundùm veniam, non secundùm imperium. QUIS AUTEM JAM ESSE PECCATUM NEGET, cùm dari veniam facientibus Apostolica auctoritate fateatur?*

E Et Sermone LI. aliàs *De Diversis* LXIII. cap. XIII. *Qui uxoris carnem ampliùs appetit, quàm præscribit limes ille, liberorum procreandorum causâ, contra ipsas tabulas facit, quibus eam duxit uxorem. Recitantur tabulæ, & recitantur in conspectu omnium adtestantium; & recitatur, Liberorum procreandorum causâ; & vocantur Tabulæ Matrimoniales. Nisi ad hoc dentur, ad hoc accipiantur uxores, quis sana fronte dat filiam suam libidini alienæ? Sed ut non erubescant parentes, cùm dant, recitantur tabulæ, ut sint soceri non lenones.... Erubescat maritus, aliter accipere, si erubescit pater aliter dare. Sed* F *si non possunt, exigant debitum; non progrediantur ultra debitores suos.... Et si egrediantur metas Matrimonialis Pacti, non egrediantur metas conjugalis thori. Numquid hoc non est peccatum, ampliùs quàm liberorum procreandorum necessitas cogit, exigere à conjuge debitum? Est quidem peccatum, sed veniale. Apostolus dicit, Hoc autem dico secundùm veniam.*

Et cap. XIV. *Duo sunt opera carnalia, quibus constat genus humanum: in quæ duo opera prudentes & sancti ex officio descendunt: imprudentes autem in ea per cupiditatem ruunt. Aliud est enim ad aliquid officio descendere, aliud in aliquid per cupiditatem*

De usu Matrimonii.

A ditatem cadere. Quæ sunt ista, quibus constat genus humanum? In rebus ipsis primum est, quod pertinet ad sumenda alimenta, manducare & bibere: si non feceris, morieris. Hoc ergo uno sustentaculo stat genus humanum, pro modo naturæ suæ, manducandi & bibendi. Sed per hoc sustentaculum sustentantur homines quod ad seipsos attinet: successioni autem non consulunt manducando & bibendo, sed uxores ducendo.... Ad utrumque sapiens & prudens & fidelis officio descendit, non libidine cadit. Ad manducandum & bibendum quàm multi voraciter irruunt, ibi ponentes totam vitam, quasi ipsam caussam vivendi? Nam cùm ideo manducent ut vivant, ideo se putant vivere, ut manducent. Istos omnis sapiens reprehendit, & maximè Divina Scriptura, edaces, ebriosos, helluones, quorum Deus venter est. Illos ad mensam non ducit nisi concupiscentia carnis, non indulgentia refectionis. Itaque isti cadunt in escam & potum. Illi autem qui descendunt ex officio vivendi, non ideo vivunt ut comedant: sed ideo comedunt ut vivant. Itaque istis prudentibus & temperantibus si offerretur ut sine cibo & potu viverent, quanto gaudio amplecterentur hoc beneficium, ut quò cadere non consueverunt, nec descendere cogerentur; sed semper B suspenderentur in Domino, non deponeret eorum intentiones necessitas fulciendarum corporis ruinarum? Quomodo putatis Eliam Sanctum accepisse, quando accepit calicem aquæ & collyridam panis, ut satis ei esset in alimentum quadraginta dierum? Cum magna utique lætitia: quia propter officium vitæ, non propter servitutem concupiscentiæ, manducabat & bibebat. Tenta hoc præstare, si possis, homini qui beatitudinem totam & felicitatem in epulis, tamquam pecus in præsepi, constituit. Odit beneficium tuum, repellit à se, pœnam putat. Sic & in illo officio conjugali, libidinosi homines uxores non propter aliud quærunt: & ideo vix tandem ipsis uxoribus contenti sunt. Atque utinam si auferre non possunt aut nolunt libidinem, non ultra eam progredi sinant, quàm præscribit debitum uxorium, etiam quod infirmitati conceditur. Sed planè tali homini si diceres, Quare ducis uxorem? responderet tibi fortasse verecundatus, Propter filios. Si quis ei diceret, cui sine ullà dubitatione crederet: Potens est dare tibi, & omnino dabit tibi Deus filios, etiam non operanti opus illud cum uxore: ibi certè concluderetur atque fateretur quod non propter filios quærebat uxorem. Confiteatur ergo infirmitatem.

Lege & Cap. VIII. Libri *De Nuptiis & Concupiscentia*, & Cap. XVIII. Libri III. *De Doctrina Christiana*.

Illud *S. Hieronymi* in Cap. V. Epistolæ ad Ephesios non omittam: *Liberorum in Matrimonio opera concessa sunt. Voluptates autem, quæ de meretricum capiuntur amplexibus, in uxore damnatæ.*

Eamdem Regulam pluribus in locis confirmat *S. Gregorius Magnus*, sed maximè III. Parte *Pastoralis Curæ*, Admonitione XXVIII. *Admonendi sunt conjuges* (inquit) *ut suscipiendæ prolis se meminerint causâ conjunctos; & cùm immoderatè admixtioni servientes, propagationis articulum in usum transferunt voluptatis, perpendant quòd licèt extra non exeunt, in ipso tamen conjugio conjugii jura transcendunt. Unde necesse est, ut crebris exorationibus deleant, quòd pulcram copulæ speciem admixtis voluptatibus fœdant.* Hinc Apostolus *Dum in magna honestate conjugii aliquid de voluptate largiretur, adjunxit*: Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium. *CULPA quippe esse innuitur quod indulgeri perhibetur: sed quæ tantò citiùs relaxatur, quantò non per hanc illicitum quid agitur sed hoc quod est licitum, sub moderamine non tenetur. Quod bene Loth in semetipso exprimit, qui ardentem Sodomam fugit: sed tamen Segor inveniens, nequaquam mox montana conscendit. Ardentem quippe Sodomam fugere, est illicita carnis incendia declinare. Altitudo verò montium, est munditia continentium. Vel certè quasi in monte sunt, qui etiam carnali copulæ inhærent, sed tamen extra suscipiendæ prolis admixtionem debitam, nullâ carnis voluptate solvuntur. In monte quippe stare quid est, nisi fructum propaginis in carne non quærere? In monte stare, est carni non carnaliter adhærere. Sed quia multi sunt, qui scelera quidem carnis deserunt, nec tamen in conjugio positi, usus solummodo debiti jura conservant: Exiit quidem Loth Sodomam, sed tamen mox ad montana non pervenit: quia jam damnabilis vita relinquitur, sed adhuc celsitudo conjugalis continentiæ subtiliter non tenetur. Est verò in medio Segor civitas, quæ fugientem salvet infirmum: quia videlicet cùm sibi per incontinentiam miscentur conjuges, & lapsus scelerum fugiunt, & tamen venia salvantur. Quasi parvam quippe civitatem inveniunt in qua ab ignibus defendantur: quia conjugalis hæc vita non quidem in virtutibus mira est, sed tamen à suppliciis secura.*

De usu Matrimonii.

Eamdem Regulam confirmat *Jonas* Aurelianensis Episcopus, Libro II. *De Institutione Laicali*, Cap. VI. cujus hic titulus est: *Quòd cum uxoribus C carnis commixtio, gratiâ fieri debeat prolis, non voluptatis: Qui autem* (inquit) *thori conjugalis pudicitiam hujusmodi incontinentiæ nævis fuscaverint, id necesse est, quotidianis Eleëmosynarum largitionibus, jugibus precibus, pœnitentiæ Lacrymis, & cæteris bonis operibus diluere satagant.*

Idem docet *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXXI. Quæstione II. Articulo II. *Quando* (inquit) *conjuges conveniunt causâ prolis procreandæ, vel ut sibi invicem debitum reddant, quod ad fidem pertinet, totaliter excusantur à peccato.* Et infra: *Et ideo duobus solis modis conjuges absque omni D peccato conveniunt; scilicet causâ prolis procreandæ, & debiti reddendi, aliàs autem semper est ibi peccatum, ad minùs veniale.*

REGULA III.

Conjugalis concubitus vitandæ solùm fornicationis causâ, non immunis est à peccato veniali.

ITa docet *S. Thomas* loco mox indicato in Responsione ad secundum. *Si aliquis* (inquit) *per actum Matrimonii intendat vitare fornicationem in E conjuge, non est aliquod peccatum, quia hoc est quædam redditio, quæ ad bonum fidei pertinet. Sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas: & secundùm hoc est peccatum veniale; nec ad hoc est Matrimonium institutum nisi secundùm indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus.* Aliis nempe modis convenientioribus, scilicet per orationem, jejunia, aliáque pia opera vitare quis fornicationem, & continentiam a Deo impetrare potest. Conjugis autem intemperantiæ, cui ex fide matrimoniali obviare tenetur, aliter mederi non potest, cùm aliena voluntas non sit in nostra F potestate.

REGULA IV.

Opus conjugale sanitatis dumtaxat causâ, veniale peccatum est.

NOn enim ob sanitatem, sed ob liberorum procreationem Matrimonium institutum est. Unde *S. Thomas* in Responsione ad quartum: *Quamvis* (inquit) *intendere sanitatis conservationem non sit per se malum, tamen hæc intentio efficitur mala, si ex aliquo sanitas intendatur, quod non est ad*

De usu Matrimonii.

hoc de se ordinatum; sicut qui ex Sacramento Baptismi tantùm salutem corporalem quæreret. Et similiter est in proposito de actu Matrimoniali.

REGULA V.

Opus conjugale culpâ non caret, si partim generationis causâ, partim ob voluptatem fiat.

SOla enim liberorum procreandorum causa, vel debiti reddendi, hoc opus a peccato excusat, secundùm illam Tobiæ Junioris sententiam: *Et nunc Domine: Tu scis quia non luxuriæ causâ accipio sororem meam conjugem, sed solâ posteritatis dilectione, in qua benedicatur Nomen tuum in sæcula sæculorum.* Hinc *S. Thomas* Articulo III. Quæstionis citatæ: *Si quæratur* (inquit) *delectatio infra limites Matrimonii, ut scilicet talis delectatio in alia non quæreretur quàm in conjuge, sic est veniale peccatum.*

REGULA VI.

Opus conjugale ita frequenter & intempestivè exerceri, ut impediat tempora orationi debita, gravius quidem peccatum est, quàm si aliis temporibus ob solam delectationem carnale debitum exigeretur: Non tamen est mortale peccatum.

PRima pars ex ista *S. Pauli* Sententia colligitur, I. Cor. VII. *Nolite fraudare invicem nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi:* Quam *S. Augustinus* sic interpretatur Libro *De Bono Conjugali*, Cap. X. *Illum concubitum secundùm veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non solâ causâ procreandi, & aliquando nullâ causâ procreandi, quem Nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant, si tamen non ita sit nimius ut impediat quæ seposita esse debent tempora orandi*, &c. Quibus verbis significatur quidem gravius esse peccatum, nec ita facilè excusari concubitum conjugum adeo nimium ut impediat tempora quæ orationi debentur, quam si quolibet alio tempore, solius etiam voluptatis causâ huic operi vacarent: Sed tamen ad malitiam peccati mortalis pertingere propter hanc sacri temporis circumstantiam, disertè non asserit *S. Augustinus.* Severiore igitur *Estii* opinione relictâ, partem alteramque Regulæ Moralis, in qua versamur, *S. Thomæ* testimonio fulcimus in IV. *Sententiarum*, Dist. XXXII. Quæstione I. Articulo V. Quæstiuncula I. *Actus* (inquit) *Matrimonialis quamvis culpâ careat, tamen quia rationem deprimit propter carnalem delectationem, hominem reddit ineptum ad spiritualia. Et ideo in diebus in quibus præcipuè spiritualibus est vacandum, non licet petere debitum... Quamvis* enim quis non *teneatur omnibus horis orare, tamen tenetur totâ die se conservare idoneum ad orandum.*

Secundam Regulæ nostræ partem disertis verbis confirmat Quæstiuncula II. *Petere debitum in die festivo* (inquit) *non est circumstantia trahens ad aliam speciem peccati; unde non potest in infinitum aggravare. Et ideo non peccat mortaliter uxor, vel vir, si in die festivo debitum petat. Sed tamen gravius est peccatum si solâ delectationis causâ petatur, quàm si propter timorem quo quis sibi timet de lubrico carnis, debitum petat.* Narrat *S. Gregorius* Libro I. *Dialogorum* Cap. X. Mulierem quamdam, quæ *Voluptate devicta*, commixta viro fuerat nocte præcedente, publicæ Supplicationi ad Oratorii *S. Sebastiani* Dedicationem adfuisse, quia *Processionem verecundia imperavit*: ob idque à Diabolo fuisse arreptam: Sed respondet *S. Thomas*, non fuisse punitam mulierem illam propter hoc quòd debitum reddidit; *Sed quia postmodum se temerè ad Divina ingessit contra conscientiam.* Judæis quidem Legem accepturis præcepit Deus ut ab uxoribus abstinerent, *Exodi* XIX. Sed inde non potest probari, *Quod sit peccatum mortale* conjugale opus exercere temporibus sacris, *Sed quòd sit incongruum. Multa enim ad munditiam carnis pertinentia exigebantur de necessitate præcepti in Veteri Lege, quæ carnalibus dabatur, quæ non exiguntur in Novo Lege, quæ est lex Spiritus*; (inquit *S. Thomas.*)

De usu Matrimonii.

Quàm autem incongruum sit uxori copulari sacris diebus, quibus orationi præcipuè vacandum est, confirmatur ex Canone *Proposuisti*, Dist. XXXII. desumpto ex *Innocentii I.* Epistola ad *Exuperium* Tolosanum Episcopum... *Si Beatus Paulus ad Corinthios scribit: Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi: & hoc utique Laicis præcepit: multò magis Sacerdotes, quibus & orandi & sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere.* Idipsum varii Canones confirmant Causa XXXIII. Quæstione IV. scilicet Canon *Si nihil*, S. Hieronymo adscriptus: *Si panes* (inquit) *propositionis non poterant ab iis, qui uxores suas tetigerant comedi, quantò magis Panis ille qui de cœlo descendit, non potest ab his qui conjugalibus paulò ante hæsere complexibus, violari atque contingi? Non quò Nuptias condemnemus, sed quòd eo tempore quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare operibus carnis non debeamus.*

Canon, *Quotiescumque*, S. Augustino tributus: *Quotiescumque aut dies Natalis Domini, aut reliquæ Festivitates adveniunt, ante plures dies non solum ab infidelium concubinarum consortio, sed etiam à propriis uxoribus abstinete.*

Canon, *Fratres*, sub *S. Ambrosii* nomine citatus: *Nullus omnino uxori suæ Jejuniorum diebus conjungatur.*

Canon, *Si causa*, ex Commentario in Epistolam S. Pauli ad Corinthios sub *S. Ambrosii* nomine edito: *Si causa procreandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus concessum videtur ad ipsum usum: Quia & Dies Festi, & dies Processionis, & ipsa ratio conceptûs & partûs juxta Legem cessari temporibus his debere demonstrant.*

Verus Ambrosius Epistola LXIII. ad Vercellensem Ecclesiam, Editionis novissimæ Parisiensis: *Paulus etiam in ipsis conjugiis temperantiam docet; est enim velut quidam adulter incontinens in Matrimonio, qui Legem Apostolicam prævaricatur.*

Nicolaus I. in Responsis ad Consulta Bulgarorum, Cap. LXIII. *Si Dominico die* (inquit) *ab opere mundano cessandum est, quantò potiùs à voluptate carnali, & omnimoda corporis pollutione cavendum? Præsertim cùm Dominici dici nomen, quòd nihil eodem die, præter quæ Domini sunt, Christianus agere debeat, liquidò manifestet. Porro ipsum est de nocturno ipsius diei, quod de diurno tempore sentiendum. Unus est enim dies.* Quadragesimæ tempore ab uxoribus abstinendum, Capite quinquagesimo idem Pontifex docet.

Concilii denique Tridentini Catechismus P. II. *De Matrimonii Sacramento*, Num. XXXVIII. *Sed quoniam* (inquit) *bona omnia sanctis precationibus à Deo impetranda sunt, Fideles docere oportet, Deum orandi & obsecrandi causâ Matrimonii officio interdum abstineant: inprimisque id sibi observandum sciant tribus saltem diebus antequam Sacram Eucharistiam percipiant, sæpiùs verò cùm solemnia Quadragesima Jejunia celebrantur, quemadmodum Patres nostri rectè & sanctè præceperunt. Ita enim fiet ut ipsa Matrimonii bona majori in dies divina gratia cumulo augeri sentiant.*

REGULA

REGULA VII.

Lethalis peccati reus est, qui conjuge ita intemperanter utitur, ut intra conjugalem affectum non se contineat, paratus etiam cum alia non conjuge, aut cum eadem, quamvis conjux non esset, libidinem suam explere, atque omnino voluptatem illam sic amans, ut eam Dei timori anteponat.

De usu Matrimonii.

DE his enim *Tobiæ* VI. dicitur: *Qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent sicut equus & mulus quibus non est intellectus, habet potestatem Dæmonium super eos.* Et Dominus in Evangelio: *Qui amat uxorem suam plusquam me, non est me dignus.*

Idem confirmat *S. Hieronymus*, Libro I. *adversùs Jovinianum*, versùs finem: *Refert Seneca* (inquit) *cognovisse se quemdam ornatum hominem, qui exiturus in publicum fasciâ uxoris pectus colligabat, & ne puncto quidem horæ præsentiâ ejus carere poterat: potionémque nullam nisi alterius tactam labris vir & uxor hauriebant; alia deinceps non minùs inepta facientes in qua improvida vis ardentis affectus erumpebat. Origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis. Nihil autem interest quàm ex honesta causa quis insaniat. Unde & Xistus in Sententiis:* Adulter est (*inquit*) in suam uxorem amator ardentior. *In aliena quippe uxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir judicio debet amare conjugem, non affectu. Reget impetus voluptatis, nec præceps feretur in coitum. Nihil est fœdius quàm uxorem amare quasi adulteram.*

Idem confirmat *S. Ambrosius* Epistola XXXIII. ad Vercellensem Ecclesiam: *Est enim* (inquit) *velut quidam adulter incontinens in Matrimonio, qui legem Apostolicam prævaricatur.*

Idem docet *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XXXI. Quæstione II. Articulo III. *Si* (inquit) *delectatio quæratur ultra honestatem Matrimonii, ut scilicet aliquis in conjuge non attendat quòd conjux est, sed solum quòd mulier est, idem paratus facere cum ea ac si non esset conjux, est peccatum mortale: & talis dicitur ardentior amator uxoris, quia scilicet ardor ille extra bona Matrimonii fertur.* Et in Responsione ad primum: *Tunc voluptates meretricias vir in uxore quærit, quando nihil aliud in ea attendit, quàm quòd in meretrice attenderet.*

REGULA VIII.

Congressus cum uxore gravida peccatum est, & mortale quidem, si periculum sit perdendi fœtum, tametsi nondum animatum. Aliàs verò veniale.

QUicumque enim se lethalis peccati periculo exponit, lethaliter peccat. Hinc *S. Clemens Alexandrinus* Libro II. *Pædagogi*, Cap. X. *Moyses* (inquit) *nullum unquam veterum Hebræorum inducit coeuntem cum sua uxore prægnante. Sola enim voluptas, si quis eâ etiam utatur in conjugio, est præter leges & injusta, & à ratione aliena. Rursus autem Moyses abducit viros à prægnantibus, quousque pepererint.... Matrix itaque sitiens filiorum procreationem, semen suscipit, probrosúmque & vituperandum negat coitum, post sationem ore clauso omnino jam libidinem excludens. Ejus autem appetitiones quæ priùs in amicis versabantur complexibus, intrò conversæ, in procreatione sobolis occupatæ, operantur unà cùm Opifice. Nefas est erga operantem jam naturam adhuc molestiâ afficere, superfluè ad petulantem prorumpendo libidinem.*

Idem docet S. *Ambrosius* Libro I. in Lucam. *Pecudes quoque* (inquit) *muto quodam opere loquuntur generandi sibi studium, non desiderium esse coëundi. Siquidem ubi semel gravem alvum sibi senserint, & genitali arvo semen receptum, jam nec concubitui indulgent, nec lasciviam amantis, sed curam parentis adsumunt. At verò homines nec conceptis, nec Deo parcunt: illos contaminant, hunc exasperant. Priùs quàm te* (inquit) *formarem in utero novi te,* &c. *Ad cohibendam petulantiam tuam, manus quasdam tui Auctoris in utero hominem formantis adverte. Ille operatur, & tu sacri uteri secretum incestas libidine? Vel pecudem imitare, vel Deum verere. Et quid de pecudibus loquor? Terra ipsa à generandi opere sæpe requiescit: & si impatienti hominum studio jactis frequenter seminibus occupetur, impatientiam mulctat agricolæ, & fœcunditatem sterilitate commutat.*

De usu Matrimonii.

Idem docet *S. Hieronymus* Libro I. adversùs Jovinianum: *Certe* (inquit) *qui dicunt se causa Reipublicæ & generis humani uxoribus jungi, & liberos tollere, imitentur saltem pecudes, & postquam uxorum venter intumuerit, non perdant filios, nec amatores uxoribus se exhibeant, sed maritos.* Et in Cap. V. Epistolæ ad Ephesios: *Omnis vir & uxor intelligant, sibi post conceptum magis orationi quàm connubio serviendum: & quod in animalibus & bestiis ipso naturæ jure præscriptum est, ut prægnantes ad partum usque non coëant, hoc in omnibus sciant arbitrio derelictum; ut merces esset ea abstinentia voluptatum.*

Idem *S. Augustinus*, Libro *De Bono conjugali*, Cap. VI. *Sunt viri usque adeo incontinentes, ut conjugibus nec gravidis parcant. Quicquid ergo inter se conjugati immodestum, inverecundum, sordidúmque gerunt, vitium est hominum, non culpa Nuptiarum.*

Jonas Aurelianensis Episcopus Libro II. *De Institutione Laicali*, Cap. VII. *Si causâ prolis* (inquit) *uxor dicitur, & commixtio maris & feminæ amore filiorum, non ardore libidinis debet exerceri, postquam fructum oriundæ prolis tumefactus uxoris uterus indicaverit, quid coitus cum uxore, jam nisi æstum libidinis demonstrat? Nonne ab hujuscemodi coitu abstinere nolenti quodammodo dicit Dominus: Si causâ liberorum uxorem duxisti, jam me operante adeptus es quod voluisti; ut quid operi meo morbidæ libidinis quicquam superaddere præsumpsisti?* Et infrà: *Liquidò igitur patet, quoniam sicut clarissimorum Doctorum dicta sanciunt, & antiqui conjugati Patres in exemplum sunt, prorsus à coitu uxorum prægnantium sit abstinendum.*

Idem confirmatur ex Romano Pœnitentiali Tit. VII. Capp. IX. & X. & ex Pœnitentiali *Bedæ*, Capp. II. & X.

Idem confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XXXI. in expositione Textûs. *Ex hoc* (inquit) *imminet periculum abortûs. Et ideo Hieronymus vituperat accessum viri ad uxorem impregnatam: non tamen ita quòd semper sit peccatum mortale, nisi fortè quando probabiliter timetur de periculo abortûs.*

REGULA IX.

Illicita est petitio conjugalis debiti tempore infirmitatis menstruæ, non tamen ita certum est an reddere sit illicitum, si conjux alter pertinaciter petat, & periculum peccati gravioris illi ex repulsa timeatur.

De usu Matrimonii.

PRior pars Regulæ nititur verbis illis *Levitici*, Cap. xx. *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, interficientur ambo de medio Populi sui.* Quod præceptum figuratè accipiendum *S. Augustinus* negat *Libro* III. *Quæstionum in Leviticum*, Cap. LXIV. Quia *Hic positum est, ubi talia prohibita sunt, quæ etiam tempore Novi Testamenti, remotâ umbrarum veterum observatione, sine dubio custodienda sunt. Quod videtur etiam per Prophetam Ezechielem significasse, qui inter illa peccata, quæ non figurata, sed manifesta iniquitatis sunt, etiam hoc commemorat, ad mulierem menstruatam si quis accedat, & inter justitiæ merita si non accedat. Quæ jure non natura damnatur, sed concipiendæ proli noxium perhibetur.*

Idem confirmat *S. Hieronymus*, in Cap. XVIII. Ezechielis. *Per singulos menses* (inquit) *gravia atque torpentia mulierum corpora immundi sanguinis effusione relevantur: quo tempore si vir cum muliere coierit, dicuntur concepti fœtus vitium seminis trahere, ita ut leprosi & elephantiaci ex hac conceptione nascantur. Præcipitur ergo viris, ut non solùm in alienis mulieribus, sed in suis quoque certa concubitûs noverint tempora, quando coeundum, quando ab uxoribus abstinendum sit. Quod quidem & Apostolus & Ecclesiastes sonant:* Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus. *Caveat ergo & uxor, ne fortè victa desiderio coeundi, illiciat virum: & maritus ne vim faciat uxori; putans omni tempore subjectam sibi esse debere conjugii voluptatem.*

Jonas Aurelianensis, Libro II. *De Institutione Laïcali*, Cap. X. *Cum Apostolus dicat*, Quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt: *& Lex spiritualis sit, & spiritaliter intelligi debeat, in hoc loco, sicut præmissa Sanctorum Patrum documenta declarant, & superficies litteræ demonstrat, salvo spiritali intellectu, viris omnino ab uxoribus menstruum patientibus est abstinendum.* Idem docet *Haymo Halberstatensis* Episcopus in Cap. LXIV. *Isaiæ.*

S. Thomas, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXXII. Quæstione I. Articulo II. Quæstiuncula II. priorem Regulæ hujusce Moralis partem confirmat. *Accedere* (inquit) *ad menstruatam, in Lege prohibitum erat duplici ratione; tum propter immunditiam, tum propter nocumentum quod in prole ex hujusmodi commistione frequenter sequebatur: & quoad primam, præceptum erat ceremoniale; sed quantum ad secundum, erat morale: quia cùm Matrimonium sit ad bonum prolis principaliter ordinatum, ordinatus est omnis Matrimonii usus quo bonum prolis intenditur: & ideo hoc præceptum obligat etiam in Nova Lege propter secundam rationem, etsi non propter primam.* Et infra: *Quando naturaliter mulier patitur fluxus menstruorum, potest concipere; & iterùm talis fluxus non durat nisi ad modicum tempus: unde prohibitum est ad talem accedere; & similiter prohibitum est mulieri in tali fluxu debitum petere.*

In Pœnitentiali *Venerabilis Bedæ*, Cap. II. *De Fornicatione*, triginta dierum Pœnitentia illi imponitur, qui ad uxorem tempore menstrui fluxûs accesserit.

Regulæ partem alteram adstruit *S. Thomas*, Quæstiuncula III. *Dixerunt quidam* (inquit) *quòd mulier menstruata sicut non debet petere debitum, ita nec reddere: sicut enim non teneretur reddere, si haberet infirmitatem in propria persona, ex qua periculum ei immineret, ita non tenetur reddere, ad vitandum periculum prolis: quia si mulier infirmatur, certissimum est quod ex carnali actu periculum ei imminet; non autem ita certum est de prole, quæ fortè nulla sequetur. Et ideo alii dicunt, quòd mulieri menstruatæ numquam licet petere debitum: si tamen vir ejus petat, aut petit scienter, aut ignoranter: si petit scienter, tunc debet eum avertere precibus & monitis, tamen non ita efficaciter ut possit ei esse occasio in alias damnabiles corruptelas incidendi, si ad id pronus credatur. Si autem petit ignoranter, tunc mulier potest aliquam occasionem prætendere, vel infirmitatem allegare, ne debitum reddat, nisi periculum viro timeatur: tamen finaliter si vir non desistit à petitione, debet debitum reddere poscenti.* Nec propterea mulier consentire peccato viri censenda est, *Nisi voluntariè debitum reddat: quando enim est involuntaria, magis patitur quàm consentiat.* Redditionem, non minùs quàm exactionem debiti tempore infirmitatis menstruæ peccatum esse mortale nihilominus sentiunt *Scotus*, *Richardus à Media villa*, *Lyranus* in Cap. XV. Levitici, Glossâ Capitis *Ad ejus*, Distinctione V. *Petrus Soto* Lectione XVI. De Matrimonio, *Estius* in IV. Sententiarum, Distinctione XXXII. §. IX. *Hesselius* II. P. Catechismi, Cap. CXXXV. At veniale dumtaxat peccatum in reddente debitum agnoscunt *S. Bonaventura*, & *Silvester Prierias*. Alii denique tam exigentem, quàm reddentem venialis tantùm peccati reos esse censent, scilicet *Petrus à Palude*, Distinctione XXXII. Quæstione I. *Cajetanus* in Summa, verbo, Matrimonium, *Franciscus à Victoria*, *Dominicus Soto*, *Navarrus* Enchiridii Cap. XVI. *Alfonsus à Castro* Libro I. *De Potestate Legis Pœnalis*, Cap. ultimo: In eámque opinionem inclinare videtur *S. Thomas* loco mox laudato, & eam propugnat *S. Antoninus* III. P. Tit. I. Cap. XX.

De usu Matrimonii.

REGULA X.

Usus Matrimonii tempore puerperii illicitus est.

TUnc enim mulier minùs apta est ad concipiendam prolem, & si concipiat, in pessimo statu nascetur, propter immunditiam matris, naturæque debilitatem. Unde *S. Gregorius* Libro XII. Epistola XXXI. respondens interrogationi X. *Augustini* Anglorum Episcopi: *Ad ejus* (inquit) *concubitum vir ejus accedere non debet, quousque qui gignitur ablactetur. Prava autem in conjugatorum moribus consuetudo surrexit, ut mulieres filios quos gignunt, nutrire contemnant, eósque aliis mulieribus ad nutriendum tradant. Quòd videlicet ex solâ causâ incontinentiæ videtur inventum; quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt. Hæ itaque quæ filios suos ex prava consuetudine aliis ad nutriendum tradunt, nisi purgationis tempus transierit, viris suis non debent admisceri: quippe quia & sine partûs causa, cum consuetis menstruis detinentur, viris suis misceri prohibeantur, ita ut morte Lex sacra feriat, si quis vir ad menstruatam mulierem accedat.* S. Gregorii verba refert *Gratianus* in Decreto Distinctione V. Canone *Ad ejus*, ubi tamen Glossa rectè admonet tempus ablactationis hîc à *S. Gregorio* intelligi tempus post partum, quo mulier minùs abundat lacte.

REGULA XI.

Ad conjugale debitum sibi mutuò reddendum conjuges obligantur.

De usu Matrimonii.

ITa docet Apostolus 1. ad Corinthios VII. *Uxori* (inquit) *vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.*

Idem confirmat *S. Augustinus*, Libro *De Bono Conjugali*, cap. VI. *Debent sibi conjugati non solum ipsius sexûs sui commiscendi fidem, liberorum procreandorum causâ, verùm etiam infirmitatis invicem excipienda, ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodammodo servitutem.* Idem docent *S. Fulgentius*, Epistola 1. hoc argumentum tractans, & *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXX. Quæstione 1. Articulo III. *Sicut* (inquit) *tenetur vir uxori in actu conjugali & dispensatione domûs ad id quod viri est, ita uxor viro ad id quod uxoris est.* Unde *sunt aquales in reddendo & petendo debitum.*

REGULA XII.

Conjugale debitum petenti negare absque justa causa, lethale peccatum est.

VIolatur enim justitia in re gravi; quia is qui negat, subtrahendo corporis usum, cujus potestatem in alterum per Matrimonium transtulit, jure illum suo defraudat, dicente Apostolo 1. ad Corinthios VII. *Nolite fraudare invicem:* adeóque peccatum injustitiæ committit, & quidem gravius, quam si rem alienam inviso domino detineret. Præterea ex debiti conjugalis negatione conjux alter in periculum incontinentiæ conjicitur, aliaque inde oriuntur mala, dissensiones, odia, rixæ, divortia, quamvis aliæ sæpe causæ propter verecundiam prætexantur.

Id confirmat Christi Sententia, Matth. V. *Qui dimiserit uxorem suam, exceptâ causâ fornicationis, facit eam mœchari.* Qui autem debitum negat, similis est dimittenti, & proinde uxorem suam pariter mœchari facit, id est, occasionem adulterii illi præbet, alteriúsve immunditiæ. Hinc *S. Augustinus*, Libro *De Bono Conjugali*, cap. VI. *Ad hoc* (inquit) *uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir, similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier: ut & quod non filiorum procreandorum, sed infirmitatis & incontinentia causâ expetit, vel ille de Matrimonio, vel illa de marito, non sibi alterutrum negent: ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas, tentante Satana, propter incontinentiam vel amborum, vel cujusquam eorum.*

Verumtamen ratione circumstantiarum fieri potest, ac sæpe fit, ut negatio debiti venialis tantùm culpa sit, cùm scilicèt probabile est non esse periculum incontinentiæ, vel negatio nimiùm diuturna aut proterva non est; aut contra, si petitio multùm intempestiva sit vel immoderata; aut denique si conjux alter non adeo anxiè & importunè petat, neque ex negatione mœrorem, iramve concipiat.

Quoniam verò dixi, negationem debiti conjugalis absque justa causa, lethale peccatum esse, explicandæ sunt sequentibus Regulis legitimæ negandi causæ.

REGULA XIII.

Adultero conjugi debitum reddere conjux alter non tenetur.

De usu Matrimonii.

HAnc exceptionem colligere licet ex verbis Christi, Matth. XIX. *Quicunque dimiserit, uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Jure quippe exigendi debitum excidit, & quoad hoc conjux esse desiit, qui fi- B dem conjugalem non servavit.

REGULA XIV.

Reddere debitum conjux non tenetur cum detrimento sua valetudinis.

CAritatis enim ratio postulat ut suæ priùs incolumitati quisque consulat, quàm alterius corporali bono, & filiorum propagationi. Hinc *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXXII. Quæstione 1. Articulo 1. ait: *Vir* C *tenetur uxori reddere debitum in his qua ad generationem prolis spectant; salva tamen priùs persona incolumitate.*

Et in Responsione ad secundum: *Uxor* (inquit) *non habet potestatem in corpus viri, nisi salvâ personâ ipsius: Unde si ultra exigat, non est petitio debiti, sed injusta exactio: & propter hoc vir non tenetur ei satisfacere.*

REGULA XV.

Conjux debitum reddere non tenetur quolibet loco.

D VErecundia enim & honestas prohibet, ne loco publico, aut quasi publico reddatur: Religio, ne in loco Sacro. Hinc *Clemens Alexandrinus*, Lib. II. *Stromatum*, cap. X. *Caterùm* (inquit) *quibus uxores ducere concessum est, iis Pædagogo opus fuerit, ut non interdiu mystica natura celebrentur orgia, nec ex Ecclesia, verbi gratiâ, aut ex foro manè rediens galli more coëat, quando orationis, & lectionis, & efficacium, qua interdiu fiunt, operum tempus est. Non semper autem concedit tempus natura ut peragatur congressus Matrimonii: est* E *enim eo desiderabilior conjunctio, quòd nocturnior: neque verò noctu, tanquam in tenebris, immodestè sese ac intemperanter gerere oportet; sed verecundia, tanquam lux rationis, in animo est includenda..... Si enim honestatem exercere oportet, multò magis tuæ uxori honestas est ostendenda, inhonestas vitando conjunctiones: & quod castè cum proximis verseris, fide dignum è domo adsit testimonium. Non enim potest aliquid honestum ab ea existimari, apud quam honestas in acribus illis non probatur certo quasi testimonio voluptatibus.*

Idem confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXXII. Quæstione 1. Articulo F V. Quæstioncula III. *Cùm* (inquit) *mulier habeat potestatem in corpore viri, quantùm ad actum generationis spectat, & è converso, tenetur unus alteri debitum reddere quocunque tempore, & quacunque horâ, salvâ debitâ honestate qua in talibus exigitur, quia non oportet quòd statim in publico debitum reddat,*

REGULA XVI.

Verecundia mulieris in redditione debiti vir consulere debet.

De usu Matrimonii.

HAnc Regulam explicat *S. Thomas*, loco mox indicato, Articulo 11. Quæstiuncula 1. *Petitur debitum dupliciter* (inquit) *Uno modo expresso, ut quando verbis invicem petunt: alio modo est petitio debiti interpretata, quando scilicet vir percipit aliqua signa quod uxor vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet: & etiamsi non expressè verbis debitum petat, tamen vir tenetur reddere, quando expressa signa in uxore apparent voluntatis debitum petendi.*

REGULA XVII.

Christianas mulieres adhortari opera pretium est, ut filios suos propriis lactent uberibus, non alienis nutricibus tradant.

Matrum Officium in filiis nutriendis.

ID enim postulare videtur natura, quæ ipsarum ubera lacte auget, ut quos pepererunt, suo ipsæ lacte nutriant. Quæ huic officio desunt, ex parte tantùm sunt matres, ut ait *Favorinus* Philosophus apud *Aulum Gellium*, Libro XII. *Noctium Atticarum*, cap. 1. Hinc S. Paulus: *Facti sumus* (inquit) *parvuli in medio vestrûm, tanquam si nutrix foveat filios suos.* Non alienos filios (inquit) sed suos: Filios certè non ita amant, nec eas vicissim filii, quæ ipsos non lactarunt. Hinc Sara, Anna, Mater Machabæorum, Maria, sanctæ aliæ feminæ filios suos propriis uberibus nutriverunt, nec facilè in Scripturis Sacris reperias, quod aliquæ filios suos alienis nutricibus tradiderint. Hinc *S. Ambrosius*, Libro 1. *De Abraham* cap. VII. explicans hæc verba Genesis XXI. *Quis annunt abit Abraha quoniam lactet infantem Sara?* ait: *Moralis locus. Provocantur feminæ meminisse dignitatis suæ, & lactare filios suos. Hæc enim matrum gratia, hic honos, quo filios propriis commendent viris. Denique eos plus amare filios solent, quos ipsæ matres lactaverint uberibus suis.*

Hinc *S. Gregorius*, Interrogationibus *S. Augustini* Anglorum Episcopi respondens, ait: *Prava in conjugatorum moribus consuetudo surrexit, ut Mulieres filios quos gignunt, nutrire contemnant, eósque aliis mulieribus ad nutriendum tradant, quod videlicet ex sola causa incontinentiæ videtur inventum: quia dum continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt.*

REGULA XVIII.

Religiosè servanda consuetudo est quam Fidelium pietas introduxit, ut Mulieres post partum Ecclesiæ se sistant, solemnibus precibus Deo commendandæ & gratias actura.

Purificatio post partum.

DE hoc Ritu *Innocentius III.* cap. *Volens*, Extra, *De Purificatione post partum*, Armachano Archiepiscopo sic respondet: *Licèt secundùm Legem Mosaicam certi dies determinati fuissent, quibus mulieres post partum à Templi cessarent ingressu: quia tamen Lex per Moysen data est, Gratia & veritas per Jesum Christum facta est: inquisitioni tuæ taliter respondemus, Quod postquam umbra Legis evanuit, & illuxit veritas Evangelii, si mulieres post prolem emissam actura gratias Ecclesiam intrare voluerint, nullâ proinde peccati mole gravantur: nec est Ecclesiarum eis aditus denegandus, ne pœna illis converti videatur in culpam. Si tamen ex veneratione voluerint aliquandiu abstinere, devotionem earum non credimus improbandam.*

In Veteri Lege Mulier à Templi sive Tabernaculi aditu abstinere debebat triginta diebus, si masculum peperisset, & sexaginta sex si feminam, ut legitur *Levitici* cap. XII. sed lex illa ceremonialis abrogata est cum cæteris Mosaicæ Legis Ritibus, nullamque legem tulit Ecclesia, quâ mulier post partum ab ingressu Templi abstinere debeat. Lex tamen naturæ jubet ut valetudinis suæ curam gerat, nec citiùs domo egrediatur, ne periculum vitæ, aut certè gravis infirmitatis incurrat. Pietas verò postulat, ut secundùm Ecclesiæ Morem, ut primùm prodit in publicum, ad Templum se conferat, séque sistat Sacerdoti, Deo gratias actura sui partûs autori & sanctificatori. Candelam sive cereum accensum manu gestant, cùm illis benedicit Sacerdos, ut hoc Ritu contestentur, se prolem susceptam in Fide Christiana & Catholica, Virtutúmque Christianarum operibus instituere, eíque exemplo prælucere velle. Ritus hic Purificatio dicitur, quia Ecclesiæ precibus, & humilitate quâ se Templi aditu indignas censent, à culpis expiantur, quas in usu Matrimonii fortè commiserunt. Hæc autem Benedictio meretricibus, concubinis, sive aliis quæ ex illicito concubitu pepererunt, meritò negatur.

Ritus hic Purificationis post partum in Ecclesia Parochiali, & à proprio mulierum Parocho, vel Presbytero ab eo delegato fieri debet, ut decretum est à Sacra Congregatione DD. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum die 18. Novembris 1662. in causa Parochorum Regularium Antuerpiensium.

CAPUT VI.

DE DIVORTIO.

Quid sit Divortium?

DIVORTIUM est legitima conjugum separatio, quæ fit vinculo conjugii salvo manente.

Triplex conjugum separatio.

Triplex est conjugum separatio: prima quoad vinculum, quæ fit solemni Professione alterutrius in Religione per Sedem Apostolicam approbatâ. Altera quoad torum seu copulam duntaxat. Tertia quoad torum simul & habitationem.

Ecclesiæ judicio Divortium inter conjuges fieri potest.

Fide porrò certum est, Ecclesiæ Judicio ob multas causas divortium inter conjuges fieri posse, quamvis consummatum sit Matrimonium, ut constat ex Rescriptis *Alexandri III.* & *Innocentii III.* Extra, *De Divortiis*, & ex Concilio Tridentino Sessione XXIV. Canone VIII. cujus hæc sunt verba: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter conjuges quoad torum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertúmve tempus fieri posse decernit; Anathema sit.* Quibus autem de causis legitima conjugum separatio fieri possit, subjectis Regulis explicabimus.

REGULA I.

Alterius conjugum Adulterium est legitima Divortii causa.

De Divortio. Adulterium causa legitima Divortii.

ID constat ex verbis Christi Matth. v. *Omnis qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari.*

Id confirmat *S. Augustinus* Libris duobus *De conjugiis adulterinis*, qui quasi principium certissimum supponunt, Adulterium legitimam esse divortii causam. Atque inter alia hæc habet Libro II. cap. v. *Licitè itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob causam fornicationis. Sicut enim manente in se Sacramento Regenerationis, excommunicatur cujusquam reus criminis, nec illo Sacramento caret etiamsi nunquam reconcilietur Deo: Ita manente in se vinculo fœderis conjugalis, uxor dimittitur ob causam fornicationis, nec carebit illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro.*

Idem confirmat *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Distinctione xxxv. Quæstione I. Articulo I. *Dominus* (inquit) *dimittere uxorem concessit propter fornicationem, in pœnam illius qui fidem fregit, & in favorem illius qui servavit: ut non sit adstrictus ad reddendum debitum ei qui non servavit fidem.* Requiritur autem ad divortium faciendum adulterii certitudo saltem moralis, tantàque, quantâ opus esset ad condemnandum in criminali foro: qualis est, si conjux se ream fateatur, aut si nuda cum nudo, sola cum solo, in uno lecto accubantes deprehendantur, aut multis secretis locis & latebris ad fornicationem commodis, & horis electis, ut colligitur ex cap. *Litteris*, Extra, *De Præsumptionibus.*

REGULA II.

Uxorem adulteram viro dimittere non licet, si reus ipse sit adulterii.

HAc enim in causâ compensationi locus est. Id constat ex cap. *Significasti*, Extra, *De Divortiis*, quod est *Alexandri III.* Responsum. *Si notorium est* (inquit) *mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet: nisi constaret ipsum cum alia adulterium commisisse.* Idemque confirmat cap. *Intelleximus*, & cap. *Tua Fraternitas*, quæ Responsa sunt *Innocentii III.*

Idem docet *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Distinctione xxxv. Quæstione I. Articulo I. in Responsione ad secundum: *Divortium* (inquit) *ex causa fornicationis fit uno accusante alium: & quia nullus potest accusare, qui in simili crimine existit; quando uterque fornicatur, divortium celebrari non potest.* Hinc *S. Augustinus* Libro *De Sermone Domini in Monte*, cap. XXVIII. ex quo sumptus est Canon, *Nihil*, Causa XXXII. Quæstione VI. ait: *Nihil iniquius, quàm fornicationis causâ dimittere uxorem, si & ipse convincitur fornicari. Occurrit enim illud:* In quo enim alterum judicas, teipsum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas. *Quapropter quisquis fornicationis causâ vult abjicere uxorem, prior debet esse à fornicatione purgatus. Quod similiter etiam de femina dixerim.*

Rom. 2.

REGULA III.

Propter adulterium vir dimittere non potest uxorem, quam prostituit.

De Divortio

HAnc Regulam tradit, & superiorem confirmat *Innocentius III.* cap. *Discretionem*, Extra, *De Divortiis*, cujus hæc sunt verba: *Vir prior redire cogatur ad ipsam, & maritali eam affectione tractare: cùm adulterium ei non possit objicere, qui eam adulterandam tradidit, præsertim invitam. Nam etsi secundum Evangelicam Veritatem, nunquam nisi propter fornicationis causam aut vir uxorem, aut uxor possit dimittere virum, non tamen semper propter causam eandem, vel uxor virum, vel vir dimittere potest uxorem, cùm possit exceptione, vel replicatione legitimâ impediri.*

Idem confirmat cap. *Intelleximus*, Extra, *De Adulteriis*, Turonensi Archiepiscopo respondens. *Mandamus* (inquit) *quatenus (nisi tibi constiterit vel per evidentiam rei, vel per confessionem legitimam mulieris, quòd adulterata sponte fuisset) adulterii etiam, quod vir dicitur commisisse, probatione cessante, ipsum recipere compellas eandem. Quod si prædicto modo de mulieris fornicatione constiterit, (nisi testes per quos viri adulterium est probatum fuerint reprobati) cùm Matrimonii Jus in utroque læsum consistat, & paria delicta mutuâ compensatione tollantur: nihilominus eum cogas, ut eam recipiat, & maritali affectione pertractet: alioquin mulieri silentium imponere non postponas.*

Et cap. *Tua fraternitas*, sub eodem Titulo, cujus hæc sunt verba: *Tua fraternitas requisivit, utrum aliquo denegante uxori sua in adulterio deprehensa debitum conjugale, si postmodum ipse cum alia perpetret adulterium, manifestè cogi debeat, ut eandem maritali affectione pertractet: Super quo tibi respondemus quòd cùm paria crimina compensatione mutuâ deleantur, vir hujusmodi fornicationis obtentu, suæ uxoris nequit consortium declinare.*

REGULA IV.

Vir uxorem suam dimittere non potest, quæ ipsum mortuum probabiliter credens propter longam ejus absentiam, nupsit alteri, & de ejus vitâ certior facta, rebellis adulterinis complexibus ad eum reverti voluit.

HÆc Regulæ colligitur ex Canone, *Cùm per bellicam*, qui est *S. Leonis*, & Canone, *Cùm in captivitate*, qui est *Innocentii I.* Causa XXXIV. Quæstione I. necnon ex cap. *Dominus*, Extra, *De Secundis Nuptiis*, quod est *Lucii III.* Responsum.

REGULA V.

Uxorem quæ fraudulenter cognita est ab aliquo sub specie viri lectum subintrante, viro dimittere non licet.

HÆc Regula colligitur ex Canone *In lectum*, Causa XXXIV Quæstione I. qui Triburiensi Concilio tribuitur.

REGULA VI.

Uxorem dimittere vir non potest, si vi oppressa fuerit.

ILla enim à crimine immunis est, *Cùm omne peccatum ex voluntate nascatur, & potuerit corruptione carnis mens invita non pollui*; ut dicitur Canone

De Divortio. *Illa autem*, qui est *S. Leonis*, Causa xxxii. Quæstione v. Atque in illa hypothesi dici potest: * *Duo errant, & unus adulterium commisit.* Idem confirmant *Gratianus* in Appendice Canonis *Puto*, eadem Causa & Quæstione, & *S. Thomas*, in iv. *Sententiarum*, Distinctione xxxv. Quæstione i.

* Can. Propofuisti, Causa xxxii. Quæstione v.

Regula VII.

Uxorem adulteram viro dimittere non licet, si eam post adulterium perpetratum receperit, carnaliterque cognoverit.

HAnc Regulam colligit *S. Thomas* ex Canone *De Benedicto*, Causa xxxii. Quæstione i. qui *Pelagio* Papæ tribuitur.

Regula VIII.

Vir uxorem adulteram ex livore & ultionis libidine dimittens, proculdubio peccat.

ITa docet *S. Thomas* in iv. *Sententiarum*, Distinctione xxxv. Quæstione i. Articulo i. ad primum. *Vir* (inquit) *si dimittat uxorem fornicantem livore vindictæ, peccat: si autem ad infamiam propriam cavendam, ne videatur particeps criminis, vel ad vitium uxoris corrigendum, vel ad evitandum prolis incertitudinem, non peccat.*

Regula IX.

Vir uxorem adulteram dimittere tenetur, si Pœnitentiam non egerit.

HÆc Regula nititur Canone *Sicut*, Causa xxxii. Quæstione i. *Sicut* (inquit) *crudelis est & iniquus qui castam dimittit: sic fatuus est & injustus, qui retinet meretricem. Nam patronus turpitudinis ejus est, qui crimen celat uxoris.* Et Canone *Si quis*, biennii Pœnitentia indicitur viro, qui uxorem adulteram, Pœnitentiâ non expiatam ac emendatam in thalamum receperit: eadémque pœna infligitur uxori, quæ virum adulterum, non Pœnitentem admiserit. Canone, *Si qui*, ex Pœnitentiali *Theodori sumpto*, ad triennium prorogatur Pœnitentia illius qui uxorem adulteram dimittere noluerit. Et Canone, *Dixit Dominus*, qui ex *S. Hieronymi* verbis in cap. xix. *S. Matthæi* contextus est: *Sola fornicatio est, quæ uxoris vincit affectum: immò cùm illa unam carnem in aliam diviserit, & se fornicatione separaverit à marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente Scripturâ:* Qui adulteram tenet, stultus & impius est. *Ubicumque est igitur fornicatio, vel fornicationis suspicio, liberè uxor dimittitur.*

Prov. 17.

Eadem Regula confirmatur ex cap. *Si vir*, Extra, *de Adulteriis*, quod Arelatensi Concilio tribuitur, Aurelianensi verò in prima Collectione antiqua ab *Antonio Augustino* edita: *Si vir* (inquit) *sciens uxorem suam deliquisse, quæ non egerit Pœnitentiam, sed permansit in fornicatione, vixerit cum illa, Reus erit, & ejus peccati particeps.* Idem docet *S. Thomas*, in iv. *Sententiarum*, Distinctione xxxv. Quæstione i. Articulo ii. ad Secundum: *Uxor* (inquit) *non tantùm peccat in virum: sed etiam in seipsam, & in Deum: & ideo vir non totaliter potest pœnam dimittere, nisi emendatio sequatur.*

Regula X.

Vir uxorem adulteram, Pœnitentem & emendatam recipere potest, Christianæque pietati conveniens est ut recipiat; sed non tenetur.

HÆc Regula nititur cap. *Si vir*, mox citato: *Quod si mulier dimissa egerit Pœnitentiam, & voluerit ad virum suum reverti, debet, sed non sæpè recipere peccatricem.* Debet (inquam) debito convenientiæ & honestatis, non debito conscientiæ & necessitatis, ut explicat Glossa, quia etiam post Pœnitentiam posset eam accusare de adulterio, ut colligitur ex Canone *Admonere*, Causa xxxiii. Quæstione ii. Itaque si conjux innocens hanc injuriam sponte non condonet, liber in perpetuum à conjugali debito manet, adeóque re juridicè probatâ, non modò dimittere potest consortem invitum: sed Religiosam vitam (si lubet) profiteri, vel Sacros Ordines suscipere, ut constat ex Canone *Agathosa*, Causa xxvii. Quæstione ii. ex cap. *Constitutus*, & cap. *Veniens*, Extra, *De Conversione Conjugatorum.* Sic Sanctus *Paulus* cognomento *Simplex* uxorem in adulterio deprehensam dimisit, Vitamque Monasticam sub *S. Antonii* disciplina professus est, ut refertur *Historia Lausiaca*, cap. xxviii.

De Divortio.

Hanc Regulam confirmat *S. Thomas*, in iv. *Sententiarum*, Distinctione xxxv. Quæstione i. Articulo ii. *Dimissio* (inquit) *uxoris fornicantis introducta est ad corrigendum uxoris crimen per talem pœnam: Pœna autem corrigens non requiritur, ubi emendatio jam præcessit: & ideo si mulier de peccato pœniteat, vir non tenetur eam dimittere.*

Quàm sit autem conveniens Christiano reconciliatio cum conjuge post adulterium pœnitente, docet *S. Augustinus* Libro ii. *De Conjugiis Adulterinis*, cap. vi. *Quod autem tibi durum videtur, ut post adulterium reconcilietur conjugi conjux, si fides adsit, non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos vel Baptismate ablutos, vel Pœnitentiâ credimus esse sanatos? Hæc crimina in vetere Dei Lege nullis sacrificiis mundabantur, quæ Novi Testamenti Sanguine sine dubitatione mundantur: & ideo tunc omni modo prohibitum est ab alio contaminatam viro recipere uxorem.... Nunc autem posteà quàm* » *Christus ait adulteræ*, Nec ego te damnabo, vade, deinceps noli peccare: *quis non intelligat debere ignoscere maritum, quod videt ignovisse Dominum amborum, nec jam se debere adulteram dicere, cujus pœnitentis crimen divinâ credit miseratione deletum?* Joan. 8.

Et cap. ix. *Si communis conditio, commune malum, commune periculum, commune vulnus, communis salus fideliter & humiliter cogitetur, non erit turpis neque difficilis, etiam post perpetrata atque purgata adulteria reconciliatio conjugum, ubi per claves Regni cælorum non dubitatur fieri remissio peccatorum: non ut post viri divortium adultera revocetur, sed ut post Christi consortium adultera non vocetur. Verùm ecce non fiat, nemo compellit, quia fortè Lex aliqua hujus seculi vetat secundùm terrenæ civitatis modum, ubi cogitata non est abolitio criminum per Sanguinem sanctum. Suscipiatur ergo continentia, quam nulla Lex prohibet: in alia non eatur adulteria. Et quid ad nos, si nec saltem divinâ miseratione mundata marito reconciliatur adultera, dum tamen non reconciliatis adulteris, non alia fiunt quasi connubia, quæ conveniuntur esse adulteria?* Hujusmodi autem reconciliatio cum adultera conjuge proprio judicio fieri potest, quamvis Divortii Sententia ab Ecclesia lata fuerit: *Cum quilibet ad renunciandum juri suo liberam habeat facultatem*, ut dicitur cap. *Ex Consititutia*, Extra, *De crimine falsi.*

REGULA

claustris cum Religiosis Mulieribus studeat collocare, ut perpetuam Pœnitentiam ibi agat. De Divortio.

REGULA XI.

Vir proprio judicio uxorem adulteram dimittere non potest; sed Ecclesiastici Judicis Sententiâ Divortium decerni debet.

De Divortio. NUllus enim in eodem causâ Actor est & Judex: Vir autem in causâ adulterii adversùs uxorem Actor est, ut constat ex Cap. *Maritis*, Extra, *De Adulteriis*, quod Concilio Parisiensi tribuitur: Proprio itaque judicio illam dimittere non potest, sed expectari debet Judicis Ecclesiastici Sententia, ut sancitum est Canone *Sa-* B *culares*, Causa XXXIII. Quæstione II. qui Carthagioensi Concilio à *Gratiano* tribuitur, cùm sit Agathensis Canon XXV. *Sæculares* (inquit) *qui conjugale consortium nullâ graviori culpâ dimittunt, vel etiam dimiserant, & nullas causas dissidii probabiliter proponentes, propterea sua Matrimonia dimittunt, ut aut illicita, aut aliena præsumant; si antequam apud Episcopos Comprovinciales dissidii causas dixerint, & priùs quàm in Judicio damnentur, uxores suas abjecerint, à Communione Sanctæ Ecclesiæ, & populi cœtu, pro eo quòd fidem & conjugia maculant, excludantur.*

Et Canone *Multorum*, Causa XXXV. Quæstio- C ne VI. *Alexander II.* Gulielmo de Monasteriolo rescribit: *Multorum relatione cognovimus, te propriam velle abjicere uxorem, & adhærere alteri, prætexentem consanguinitatis occasionem. Unde Apostolica Auctoritate interdicendo mandamus tibi, ut hanc, quam nunc habes uxorem, nullatenus præsumas dimittere, donec Episcoporum religiosorum Concilium causam istam examinaverit.*

Et Cap. *Porrò*, Extra, *De Divortiis*, Alexander III Ambianensi Episcopo sic respondet: *De Comite Pontivi, qui B. uxorem suam absque Judicio Ecclesiæ dimisit, quia eam cognatam fuisse uxoris defunctæ pro-* D *ponit, prudentia tua cognoscat, quòd si etiam parentela esset publica & notoria, absque Judicio Ecclesiæ ab ea separari non potuit: quare ipsum ad eam recipiendam, quæ petit restitutionem ipsius, districtè compellas: quam si recipere noluerit, eum & superinductam vinculo Excommunicationis adstringas.*

Idem confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXXV. Quæstione I. Articulo III. *Vir* (inquit) *potest dimittere uxorem dupliciter: Uno modo quantùm ad thorum tantùm: & sic potest eam dimittere, quàm citò sibi constat de fornicatione uxoris, proprio arbitrio; nec tenetur reddere debitum* E *exigenti, nisi per Ecclesiam compellatur, & taliter reddens nullum sibi præjudicium facit; alio modo quantùm ad thorum & cohabitationem: & hoc modo non potest dimitti nisi Judicio Ecclesiæ, aliàs si dimissa fuerit, debet cogi ad cohabitandum, nisi possit ei vir incontinenti fornicationem probare. Hæc autem dimissio divortium dicitur: & ideo concedendum est quòd divortium non potest celebrari nisi Judicio Ecclesiæ.*

REGULA XII.

Mulieres adulteræ, quas Mariti ad meliorem frugem conversas recipere noluerint, in Monasteriis ad perpetuam Pœnitentiam agendam sunt collocandæ.

HAnc Regulam Canone *De Benedicto*, Causa XXXII. Quæstione II, traditam *Gregorius XI.* Cap. *Gaudemus*, Extra, *De Conversione Conjugatorum*, confirmat. *Mulieres verò* (inquit) *quæ relicto maritali toro, lapsu carnis ceciderunt, si mariti earum à te diligenter commoniti eas ad frugem melioris vitæ conversas noluerint recipere propter Deum: in*

REGULA XIII.

Par jus est viri & uxoris in causa Divortii; adeò ut uxor non minùs dimittere possit virum adulterum, quàm vir uxorem.

HÆc Regula nititur Canone *Præcipit*, Causa XXXII. Quæstione V. qui ex *S. Hieronymi* Epistola ad *Oceanum* de morte *Fabiolæ* sumptus est. *Præcepit Dominus uxorem non debere dimitti, exceptâ causâ fornicationis, & si dimissa fuerit, manere innuptam. Quicquid viris jubetur, hoc consequenter redundat in feminas. Neque enim adultera uxor dimittenda est; & vir mœchus retinendus... Apud nos quod non licet feminis, æquè non licet viris, & eadem servitus pari conditione censetur.*

Et Canone *Si quis uxorem*, eadem Causa, & Quæstione: Si *quis uxorem suam invenerit adulteram, & postea deinceps placuerit habere eam in Matrimonio, duobus annis pœniteat, ideo quia cum adulterâ commistus sit, quæ adhuc crimine suo non est purgata..... Similiter si virum suum uxor invenerit adulteram, non ad imparia judicatur.*

C Et Canone, *Christiana*, qui ex Epistola *Innocentii I.* ad *Exuperium* excerptus est. *Christiana* (inquit) *Religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat. Sed viros suos mulieres non facilè de adulterio accusant, & non habent latentia peccata vindictam: Viri autem liberiùs uxores adulteras apud Sacerdotes deferre consueverunt.*

Idem docet *S. Augustinus*, Sermone CCCXCII. aliàs XLIX. ex Homiliis quinquaginta. *Nec eam feminam* (inquit) *quæ per repudium discessit à marito, licet vobis ducere vivo marito. Solius fornicationis causâ licet uxorem adulteram dimittere: sed illâ* D *vivente non licet adulteram ducere. Et vobis, feminæ, nec illos viros, à quibus per repudium discesserunt uxores eorum, maritos habere conceditur, non licet; adulteria sunt non conjugia. Contemnitur Augustinus, timeatur vel Christus. Commendo vos custodiendos etiam uxoribus vestris. Filiæ meæ sunt, sicut & vos filii mei estis. Audiant me: zelent viros suos; non sibi servent vanam gloriam, quâ solent à maritis impudicis Matronæ laudari, quæ impudicitiam virorum suorum æquo animo ferunt. Nolo tamen patientiam habeant Christianæ Mulieres: Prorsus zelent viros suos, non propter carnem suam, sed propter ani-* E *mas illorum. Omninò ego moneo, ego præcipio, ego jubeo: Episcopus jubet, Christus in me jubet... Nolite viros vestros permittere fornicari. Interpellate contra illos Ecclesiam. Non dico, Judices publicos, non Proconsulem, non Vicarium, non Comitem, non Imperatorem, sed Christum. In cæteris omnibus ancillæ estote virorum vestrorum, subditæ ad obsequium. Nulla sit in vobis protervitas, nulla superbia, nec contumeliosa cervix, non aliqua inobedientia: prorsus tamquam ancillæ servite. Sed ubi ventum fuerit ad illud negotium, ubi vos Beatus Apostolus æquavit, dicens:*
F Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro: « 1. Cor. 7.
subintulit, Uxor non habet potestatem corporis «
sui, sed vir. *Quid te extollis? Audi quod sequitur:* « 3 & 4.
Similiter & vir non habet corporis sui potesta- «
tem, sed mulier. *Ubi ad hoc ventum fuerit, clamate* « In divortio par jus viri & uxoris.
pro re vestra. Aurum tuum vendit maritus pro necessitate sua: ferto femina, ferto ancilla; noli litigare, noli contradicere. Contemptus auri tui, dilectio est viri tui. Si villam tuam pro necessitate sua vendat..... ferto patienter: & si dubitat, tu offer: Contemne omnia propter amorem viri tui. Sed castum opta, pro castitate litiga. Patienter pereat villa tua, non ani-

De Divortio.

ma ipsius te patiente pereat. Non dico viris ut in hac causâ zelent uxores suas. Scio quia faciunt, novi. Quis ferat uxorem adulteram? Et imperatur feminæ ut ferat adulterum virum. O justitia! Quare, rogo te, Quare? Quia ego sum vir? Vir es? In fortitudine tua probemus, quia vir es. Vir es, vince libidinem. Quæ quidem licet à *S. Augustino* eo animo non dicantur ut Christianæ Mulieres viros suos in adulterium lapsos dimittant, sed ut eos corrigere studeant, & Ecclesiæ denoncient Pœnitentiæ addicendos: supponit tamen ab uxoribus eodem jure posse dimitti, quo ipsi uxores adulteras dimittere possunt.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XXXV. Quæstione I. Articulo IV. *In causâ* (inquit) *divortii vir & uxor ad paria judicantur; ut idem sit licitum & illicitum uni, quod alteri: Non tamen pariter judicantur ad illa; quia causa divortii est major in uno, quàm in alio; cùm tamen in utroque sit causa sufficiens ad divortium; Divortium enim est pœna adulterii, in quantum est contra Matrimonii bona: Quantùm autem ad bonum fidei, ad quam conjuges æqualiter sibi invicem tenentur, tantum peccat contra Matrimonium adulterium unius, sicut adulterium alterius; & hæc causa in utroque sufficit ad divortium; Sed quantùm ad bonum prolis plus peccat adulterium uxoris quàm viri, & ideo major causa divortii est in uxore, quàm in viro: Et sic ad æqualia, sed non ex æquali causa obligantur; nec tamen injustè, quia in utroque est causa sufficiens ad hanc pœnam.*

REGULA XIV.

Uxor à viro dimissa propter adulterium, ad eum redire tenetur, si revocata fuerit.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXXV. Quæst. I. Articulo VI. ad tertium. *Illud* (inquit) *quod inducitur in favorem alicujus, non facit ei præjudicium; unde cùm divortium sit inductum in favorem viri, non aufert ei jus petendi debitum, vel revocandi uxorem: Unde uxor tenetur ei reddere, & ad eum redire, si fuerit revocata; nisi de licentia ejus votum continentiæ emiserit.* Hinc Regula Juris LXI. in Sexto: *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.*

REGULA XV.

Vir cogi non potest ad recipiendam uxorem adulteram, quamvis ipse adulterium post Divortii Sententiam ab Ecclesiastico Judice latam, commiserit.

ITa docet *S. Thomas* ibidem in Responsione ad quartum. *Propter adulterium* (inquit) *quod vir priùs innocens post divortium committit, secundùm rigorem juris non debet cogi ad recipiendum uxorem adulteram: Priùs tamen secundùm æquitatem Juris Judex ex officio suo debet eum monere, ut caveat periculo animæ ejus, & scandalo aliorum, quamvis uxor non possit reconciliationem petere.*

REGULA XVI.

Vir occultè adulterii reus divortium ab uxore, cujus publicum adulterium est sine peccato petere non potest: & dimissam, Judicio licèt Ecclesiastici Sententiâ, recipere tenetur, ac maritali affectu tractare.

ITa docet *S. Thomas*, loco mox indicato, in Responsione ad quintum. *Si adulterium viri sit occultum* (inquit) *per hoc non aufertur jus excipiendi contra accusationem viri uxori adulteræ, quamvis desit ei probatio: Et ideo peccat vir divortium petens: & si post Sententiam de Divortio uxor petat debitum vel reconciliationem, vir tenetur ad utrumque.*

De Divortio.

Idem docet *S. Antoninus*, III. P. Tit. I. Cap. XXI. §. 6. *Si vir* (inquit) *est adulteratus occultè, uxor manifestè, non potest vir sine peccato uxorem dimittere; quia uxori non deficit excipiendi jus, sed probatio. Si tamen vir egisset Pœnitentiam, & uxor nollet agere, sed perseveraret in adulterio, posset sine peccato accusare, & dimittere.*

REGULA XVII.

Divortium peti, decerni, ac fieri potest ob lapsum alterius conjugum in Hæresim vel Apostasiam.

Hæresis vel apostasia, causa est legitima divortii.

HÆc Regula nititur Cap. *De illa*, quod *Urbani III.* & Cap. *Quanto*, Quod *Innocentii III.* Responsum est, Extra *De Divortiis*. Et Canone *Idololatria* supra citato, seu verbis *S. Augustini* Lib. I. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. XVI. *Idololatria* (inquit) *quam sequuntur Infideles, & qualibet noxia superstitio, fornicatio est. Dominus autem permisit causâ fornicationis uxorem dimitti.* Et infra: *Si aliquem cogat uxor sacrificare idolis, qui talem dimittit, causâ fornicationis dimittit, non tantùm illius, sed & sua: illius, quia fornicatur; sua, ne fornicetur.*

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XXXV. Quæstione I. Articulo I. in Responsione ad tertium. *Quia* (inquit) *infidelitas, quæ dicitur spiritualis fornicatio, etiam est contra Matrimonii bonum, quod est proles educanda ad cultum Dei, etiam ipsa facit divortium: Sed tamen aliter quàm corporalis fornicatio; quia propter unum actum fornicationis carnalis potest procedi ad divortium, non autem propter unum actum infidelitatis, sed propter consuetudinem quæ pertinaciam ostendit, in qua infidelitas perficitur.*

REGULA XVIII.

Justa Divortii causa est, si conjugum alter alterum instigat ad mortale peccatum, nec admonitus desistit.

Pervicax instigatio ad mortale peccatum, justa est divortii causa.

JUsta enim divortii causa est, si conjugum unus alterum *ad infidelitatis maleficium traxerit*, seu Fidei illius *religionem corrumpere velit*; (inquit *Alexander III.* Cap. *Quæsivit*, Extra. *De Divortiis.*) At Religio non solum in Fidei sinceritate, sed in morum Fidei respondentium integritate posita est: nec omnimodis fideles sunt, qui Deum se nosse ore tenus confitentur, factis autem negant. Igitur justa pariter divortii causa est, si conjugum alter alterum instigat ad mortale peccatum, nec admonitus desistit.

Id confirmat *S. Antoninus*, III. P. Tit. I. Cap. XXI. §. 7. divortium faciendum esse asserens, *Quando unus conjugum trahit alterum ad crimen: Ita quod licèt non cogatur peccare, tamen propter periculum suæ fragilitatis, ne conjugalis societas ipsum pertrahat ad peccatum, teneatur ad illud*: Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te, &c. *Si enim cum periculo corporis non tenetur manere, multò minùs cum periculo animæ: & sicut non tenetur propter periculum infidelitatis cohabitare cum infideli; ita nec propter periculum aliorum criminum, licèt ad nullum possit cogi. Et istud sit gravius quàm alia, tamen minimum periculum mortalis peccati præponderat maximo periculo corporis: licèt in hoc sit dissimile, quod invito auferatur vita corporis, non animæ.*

Matth. 5.

REGULA XIX.

Ob unius conjugum crimina, ex quibus alteri nullum probabiliter imminet animæ, corporisve periculum, Divortium fieri non potest.

De divortio.

HÆc Regula nititur Cap. *Quæsivit*, mox indicato, cujus hæc sunt verba: *Respondemus, quod mulier pro furto, vel alio crimine viri sui, ab eo separari non debet.* Eámque confirmat *S. Antoninus.*

REGULA XX.

Sævitia conjugis justa Divortii causa est; necnon furor ita vehemens ut conjux alter cohabitando vitæ discrimen subeat.

Sævitia conjugis justa est divortii causa.

HÆc Regula nititur Cap. *Literas*, Extra, *De Restitutione spoliatorum*, quod *Innocentii III.* Responsum est: *Si tanta sit* (inquit) *viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri; non solum non debet illi restitui, sed ab eo potiùs amoveri.*

REGULA XXI.

Si Divortii Sententiam per errorem latam compertum fuerit, conjux qui illam obtinuit, reconciliari tenetur conjugi, & affectu conjugali cohabitare.

ITa decernit *Alexander III.* Cap. *Lator*, Extra, *De Sententia & Re judicata*: cujus hæc sunt verba: *Mandamus, quatenus si vobis constiterit, eos per Judicium Ecclesiæ non fuisse legitimè separatos, Ecclesiámque deceptam, ipsos faciatis sicut virum & uxorem insimul permanere.*

Idem confirmat *S. Thomas*, in IV *Sententiarum*, Dist. XXXV Quæst. I. Articulo V. in Responsione ad tertium, ubi de uxore a viro adultero per Judicis Ecclesiastici Sententiam separata: *Tacest* (inquit) *continentiam vovere viro invito, nisi videntur Ecclesiam deceptam fuisse per falsos testes sententiando de divortio: quia in tali casu, etiamsi Votum Professionis emisisset, restitueretur viro, & teneretur debitum reddere, sed non liceret ei exigere.*

CAPUT VII.

DE SECUNDIS NUPTIIS.

Secundæ Nuptiæ ab Hæreticis damnatæ.

SEcundas Nuptias damnarunt olim Montanistæ, & Novatiani Hæretici, quorum error his Apostoli verbis I. ad *Corinthios* VII. refellitur: *Dico autem non nuptis, & viduis, Bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego. Quod si non se continent, nubant.* Et I. ad *Timotheum* V. De Viduis junioribus loquens: *Volo ergo* (inquit) *juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratiâ.*

Secundæ Nuptiæ Christianis indulgentur.

Secundas etiam, imò & ulteriores Nuptias Christianis indulgeri testantur Sancti Patres, *Chrysostomus* Homiliis XIX. & XX. in Epistolam S. Pauli ad Ephesios; *Epiphanius* Hæresibus XLVIII. & LIX. *Theodoretus* Libro V. *Hæreticarum Fabularum*, Cap. XXVI. *Hieronymus* Epistola ad *Ageruchiam*, & in Apologia ad *Pammachium* pro Libris adversùs Jovinianum; *Ambrosius* Libro De Viduis, *Augustinus* Libro *De Bono Viduitatis* Capp. XI. & XII. aliique Patres istus sequuti. Et Sacra Synodus Nicæna, Oecumenica prima, inter *Catholica & Apostolica Ecclesiæ Dogmata*, quæ scriptis profiteri debent Cathari sive Novatiani ad Ecclesiam redeuntes, Canone VIII. id primo loco numerat, *Bigamis communicare.*

De secundis Nuptiis.

Quamquam omnes qui ad secundas & ulteriores Nuptias convolabant, quædam olim Ecclesiæ Pœnitentiæ publicæ addicerentur, ut constat ex Concilio Neocæsariensi, Canone III. ex Laodiceno Canone I. & ex S. Basilii Epistolæ ad *Amphilochium* Canone IV. Quæ Disciplina non ideo instituta & usurpata fuit, quòd secundæ & ulteriores Nuptiæ malæ censerentur, sed ut frenum injiceretur incontinentiæ, quæ ad secundas & ulteriores Nuptias ut plurimùm impellit. Hinc secundum Matrimonium non esse bonum Patres quidam dixere, *Non quia sit illicitum, sed quia caret illo honore significationis, qui est in primis Nuptiis, ut sit unus unius, sicut est in Christo & Ecclesia: spectatúrque causam, quæ aliquando solet ad secundas Nuptias incitare, scilicet concupiscentiam,* (inquit S. Thomas in IV. *Sententiarum*, Distinctione XLII. Quæstione III. Articulo I. in Responsione ad primum, & secundum.)

Pœnitentiæ subjecti olim, qui ad secundas Nuptias convolabant. Qua de causa.

Hanc ob causam Bigamos ab Ordinibus arcet Ecclesia, quia licèt secundum Matrimonium sit verum sacramentum, à primi tamen mystica significatione deficit, cùm non sit una unius, sicut est in Matrimonio Christi & Ecclesiæ. Et ratione etiam hujus defectûs benedictio secundis Nuptiis subtrahitur. Hinc Neocæsariense Concilium, ut refertur Canone *De his qui frequenter*, Causa XXXI. Quæstione I. prohibuit ne Presbyteri convivio secundarum Nuptiarum intersint. *Homines enim Divinis dediti non solum ab illicitis, sed etiam ab iis quæ habent aliquam turpitudinis speciem arcentur; & ideo etiam arcentur à secundis Nuptiis, quæ carent honestate quæ erat in primis* (inquit S. Thomas loco mox indicato, in Responsione ad tertium.)

Presbyteris prohibitum e convivio secundarum Nuptiarum interesse.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA I.

Sacerdos secundas Nuptias benedicens, ubi præsertim mulier secundo nubit, ipso Jure ab Officio & Beneficio est suspensus.

Pœna Sacerdotis Secundas Nuptias benedicentis.

ITa decrevit *Alexander III.* cap. *Capellanum*, Extra, *De Secundis Nuptiis.* Benedictionem secundis Nuptiis impertiri prohibet etiam *Urbanus III.* cap. *Vir autem*, sub eodem Titulo: *Cùm*, inquit, *alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet.* Idem vetant Synodus Lingonensis anno MCCCCIV. & Parisiensis anno MDLVII. Quarumdam tamen Ecclesiarum Ritu secundæ Nuptiæ benedicuntur, cùm vir secundam uxorem virginem ducit, ut notant Glossa Canonis *Vir autem*, & *S. Carolus* in Instructionibus De Sacramento Matrimonii. *Caveat*, inquit, *ne quando conjuges in primis Nuptiis Benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat; sive mulier, sive etiam vir ad secundas Nuptias transeat. Si verò ea consuetudo usquam est, ut si mulier nemini unquam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem habuerit, Nuptiæ benedicantur, eâ utendum est. Sed Viduæ Nuptias non benedicat, etiamsi ejus vir numquam uxorem duxerit.*

Regula II.

Vidua intra annum luctûs ad secundas Nuptias convolans nullâ notatur infamiâ.

De Secundis Nuptiis. Hanc quidem pœnam Leges Civiles Viduis intra annum luctûs nubentibus irrogarunt *L.* 1. Cod. *De secundis Nuptiis*, *Nov.* xxii. cap. xl. Sed illi Legum asperitati indulgentia Ecclesiastica prævaluit ex Apostoli mente ut docet *Urbanus III.* Cap. *Super illa*, Extra, *De Secundis Nuptiis*, scri-
B bens, *Cum Apostolus dicat*, Mulier viro suo mor-
Rom. 7. » tuo, soluta est à lege viri sui : in Domino nubat » cui voluerit : *Per licentiam & authoritatem Apostoli ejus infamia aboletur*. Idem confirmat *Innocentius III.* Cap. *Cum secundum*, sub eodem Titulo : *Non debet*, inquit, *legalis infamia substinere jacturam, quia licèt post viri obitum intra tempus luctûs, scilicet unius anni spatium nubat, concessâ sibi tamen ab Apostolo utitur potestate : cùm in his præsertim sæculares Leges non dedignentur Sacros Canones imitari.*

Nec tantùm pœna infamiæ, sed eadem ratione omnes aliæ pœnæ contra viduas intra annum luctûs nubentes Legibus civilibus decretæ hodie sublatæ sunt & antiquatæ ; nec est deterior conditio Viduæ intra annum & post annum nubentis.

Regula III.

Graviter peccant, qui publicis ludibriis, Charivary *vulgò nuncupatis, secundò nubentibus insultant.*

Hic enim ludus turpis, insolens, noxius, bonis moribus contrarius, Nuptiis secundis detrahit, & Sacramentum quod Dominus noster Jesus-Christus honoravit, & honorari præcipit, vertere videtur in derisum. Quapropter Excommunicationem & mulctam in illius ludi actores & complices decreverunt Concilium Andegavense anno millesimo quadringentesimo quadragesimo-octavo, Tit. *De Ludis prohibitis*, Synodi Lingonenses annis MCCCCXXI. & MCCCCLV. & Synodi Trecenses, necnon Statuta Remensis Ecclesiæ, apud L. *Bochellum*, Lib. III. *Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ* ; Tit. VI. *De Secundis Nuptiis*.

Concilium Provinciale Narbonense an. MDCIX. Cap. XXII. *Prohibeant*, inquit, *Episcopi ludos, qui impudenter in contemptum secundarum Nuptiarum à permultis fieri solent, Carivarios vulgò appellatos: contumaces & inobedientes pœnâ Excommunicationis coërceant.*

CAPUT VIII.

DE COMPARATIONE MATRIMONII CUM VIRGINUM, ET CONTINENTIUM STATU.

Hæretici sunt, qui statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis aut cœlibatûs propugnant.

C Statum virginitatis & cœlibatûs non esse anteponendum statui Matrimonii, nec majoris esse apud Deum meriti Virgines, aut Viduas, quæ continentiam perpetuam Deo vovissent, quàm conjugatas, Hæresis est olim à *Joviniano* propugnata, à *S. Hieronymo* Libris duobus, *S. Ambrosio* Epistola XLII. & *S. Augustino* Libro *De Sancta Virginitate* confutata ; à *Siricio* Romano Pontifice, universàque Ecclesia damnata, ut ex illius Epistola ad Mediolanensem Ecclesiam, & ex *S. Ambrosii*, Synodíque Mediolanensis gratulatoriâ ad eumdem Pontificem Epistolâ compertum est. *Joviniani* errorem à *Bucero*, *Brentio*, *Calvino*, aliísque pestibus suscitatum, Sacra Synodus Tridentina confixit Sessio-
D ne XXIV. *De Matrimonio*, Canone X. cujus hæc sunt verba : *Si quis dixerit, Statum conjugalem anteponendum esse statui Virginitatis, vel Cœlibatûs, & non esse melius ac beatius manere in Virginitate aut Cœlibatu, quàm in Matrimonio ; Anathema sit*. Statum scilicet virginitatis viduarum conjugúmque statui disertis verbis anteponit Apostolus I. ad *Corinthios* cap. VII. *Qui jungit Matrimonio virginem suam*, inquit, *bene facit, & qui non jungit, meliùs facit*. Et rursus : *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt Mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt ; ut sit sancta corpore &
E spiritu: Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt Mundi, quomodo placeat viro. Porrò hoc ad utilitatem vestram dico: non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi*. Et paulò post de Vidua loquens, ait : *Beatior autem erit, si sic permanserit, secundùm meum consilium : puto autem quòd & ego Spiritum Dei habeam*. Hanc doctrinam Apostolis, & per eos Ecclesiæ Christus tradidit, *Matth.* XIX. cùm ait: *Sunt Eunuchi qui se ipsos castraverunt propter Regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.*

De Mysticis illis Eunuchis loquitur *Isaias*, Cap.
F LVI. *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quòd non peribit*. Cùm dicit, *Dabo eis lo-* « *cum multò meliorem*, ostendit & conjugatis dari, « sed multò inferiorem ; (inquit *S. Augustinus* Li- « bro *De Sancta Virginitate*, Cap. XXIV.) Nomen « æternum se eis daturum promittit. Æternum hoc « nomen, quicquid illud est, gloriam quamdam « propriam excellentémque significat, quæ non erit « communis cum multis, quamvis in eodem Re- « gno, & in eadem Domo constitutis. Nam ideo « fortassis & nomen dictum est, quod eos quibus « datur, distinguit à ceteris. Virgines, & cœlibes, «

» mares ac feminæ, Dominum cogitant uberiùs, » sperant feliciùs, illi serviunt imitantiùs, amant » ardentiùs, illi placent attentiùs: afferent ad » Nuptias Agni Canticum novum, quod cantabunt » in cytharis suis, quod nemo præter ipsos cantare » poterit. Hi sequuntur Agnum quocunque ierit, » in saltus & prata, ubi gramina sunt gaudia; non » gaudia hujus seculi vana, insaniæ mendaces, nec » gaudia qualia in ipso Regno Dei cæteris non vir» ginibus erunt, sed à cæterorum omnium gaudio» rum sorte distincta. *Gaudia Virginum Christi, de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Gaudia propria Virginum Christi, non sunt eadem non Virginum, quamvis Christi. Nam sunt aliis alia, sed nullis talia.* Chri» stum in eo quisque sequitur, in quo imitatur: » non in quantum Ille Filius Dei est unus, per quem » facta sunt omnia, sed in quantum filius hominis, » quæ oportebat, in se præbuit imitanda: & mul» ta in illo ad imitandum omnibus proponuntur: » virginitas autem carnis non omnibus; non enim » habent quid faciant ut virgines sint. Sequantur » itaque Agnum cæteri Fideles, qui virginitatem » corporis amiserunt, non quocunque ille ierit, » sed quousque ipsi potuerint. Possunt autem ubi» que, præter cùm in decore virginitatis incedit.

Virgines Christi.

Viduitatis bonum quod spectat, illud conjugio esse præstantiùs probat idem Sanctus Doctor Libro *De Bono Viduitatis*, ex quo hæc excerpta est Sententia: *Et bonum est quod etiam conjugale, sed melius bonum est continentia Vidualis. Hoc ergo melius illius boni submissione honoratur: non illud bonum melioris hujus laude damnatur.* Idipsum probat *S. Ambrosius* Libro *De Viduis*.

Viduitatis bonum conjugio præstantius.

His adde præclarum S. Epiphanii testimonium in Expositione Catholicæ Fidei adversùs Hæreses, cap. XXI. *Fundamentum* (inquit) *ac velut crepido quædam in Ecclesia Virginitas est; quæ à plerisque colitur & observatur, & in illustri quadam gloria ac prædicatione versatur. Virginitatem Solitaria Vita proximè sequitur: quam in plerisque sexûs utriusque Monachis videmus. Secundùm hanc Continentia ad idem pietatis curriculum fundata est ac stabilita. Deinde Viduitas cum diligenti attentione ac cautione, & casta sincerâque vitæ ratione conjuncta. Post gradus illos & ordines suum quoque locum obtinent honesta Nuptiæ; quæ magno in honore sunt: præsertim singulares & minimè repetitæ, quæ præceptorum observationi student.*

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA I.

Viduis suadendum est ut in Statu Viduitatis maneant: A secundis tamen Nuptiis non sunt prohibendæ.

VIdualis enim castitas, sicut & virginalis, consilii est, non præcepti, ut post Apostolum docet *S. Ambrosius* Libro *De Viduis*, cap. XI. Dicimus (inquit) nec sumptibus egere Viduas, quæ donare consueverint, ut Evangelicæ Viduæ probat exemplum, quæ in gazophylacium plus omnibus misit: nec subsidio, a quibus sæpè in periculis maximis defensæ copiæ sunt virorum, ut *Judith* & *Debbora* egregia facinora demonstrant: maritalia iis quoque officia vel à generis, vel à proximis faciè solere repetari, ut ex Historia *Ruth* compertum est, ubi *Noëmi* Vidua apud piam Nurum & solatium mœroris, & subsidium paupertatis invenit: & exemplo Socrûs Simonis cui *Petrus* ipse & *Andreas* impetrarunt à Domino sanitatem. Promptior ergo in Viduas divina misericordia: & ideo cùm suppetere non videatur causa nubendi, studium abesse debet. *Quod tamen*, inquit S. Ambrosius, *pro consilio dicimus, non pro præcepto imperamus, provocantes potiùs Viduam, quàm ligantes; neque enim prohibemus secundas Nuptias, sed non suademus. Alia est enim infirmitatis contemplatio, alia gratia castitatis. Licet ergo nubere, sed pulchrius est abstinere.* Vidualis itaque Castitatis Status *non imponitur, sed proponitur*. Id enim discriminis est Præceptum inter & consilium. *Præceptum in subditos fertur, consilium amicis datur. Ubi præceptum est, ibi lex est: ubi consilium, ibi gratia est. Præceptum ut ad naturam revocet: Consilium, ut ad gratiam provocet... En tibi distantia præcepti atque consilii, si illum recorderis, cui in Evangelio antè præscribitur ne homicidium faciat, ne adulterium admittat ne falsum testimonium dicat: præceptum etenim ibi est, ubi est pœna peccati. At verò cùm se præcepta Legis memorasset implesse, consilium eidem datur ut vendat omnia, & sequatur Dominum: hæc enim non pro præcepto imperantur, sed pro consilio deferuntur. Duplex namque forma mandati est: una præceptiva, altera voluntaria. Unde & Dominus in alia dicit,* Non occides, *ubi præcepit, in alia:* Si vis perfectus esse, vende omnia tua. *Ergo hic liber est à præcepto, cui defertur arbitrium.* Præceptum itaque Viduis non datur eo in Statu manendi; consilium datur. Discrimen istud præcepti atque consilii *S. Augustinus* confirmat Libro *De Sancta Virginitate*, cap. XXX. *Tollite* (inquit) *hostias vestras & introite in atria Domini, non ex necessitate potestatem habentes vestræ voluntatis. Neque enim sicut*, Non mœchaberis, Non occides, *ita dici potest*, Non nubes. *Illa exiguntur, ista offeruntur. Si fiunt ista, laudantur: si fiant illa, damnantur. In illis Dominus debitum imperat vobis; in his autem si quid ampliùs erogaveritis, reddet vobis.* Meritò itaque *S. Ambrosius* Libro *De Viduis*, cap. XI. rursùs scribit: *Mensura oneris pro mensura debet esse gestantis, alioquin impositi oneris fit ruina, ubi vectoris infirmitas est, nam & infantiam fortes strangulat esca robustior. Et ideò sicut multitudo vectorum non paucorum viribus æstimatur; nec tamen fortioribus de aliorum infirmitate præscribitur, sed unicuique quantùm oneris subire cupiat relaxatur, manente mercedis cumulo in virtutis augmento: ita etiam feminis non lagenas injiciendas, non supra vires abstinentiæ gravioris vecturam subeunda est: sed velut nequendum ut unaquæque se pendat, non auctoritate aliquà coacta præcepti, sed incrementi gratiâ provocata.*

Vidualis castitas suadenda, non imponenda.

Discrimen inter præceptum & consilium.

Deuteron. c. 17. Matth. 5. 21. Matth. 19. 21.

Plurimæ sunt autem rationes, quibus à secundis Nuptiis deterreri possint Viduæ, præsertim illæ quæ filias habent jam penè nubiles, aut filios ex priori marito susceptos. Primò indecentia: Unde *S. Ambrosius* Libro *De Viduis*, cap. X. *Cur* (inquit) *materna parantur Nuptiæ inter Nuptias filiarum, & plerumque post Nuptias? Cur adulta filia discit priùs sponsum matris, quam suum erubescere? Quid sibi vult nova nupta post generos? Quàm indecorum est juniores habere liberos, quàm nepotes?*

Rationes quibus Viduæ à secundis Nuptiis deterreri possunt.

Secundò, liberorum amor: onde idem *Ambrosius*, cap. XV. *Cur hæredes quæris extraneos, cùm habeas tuos? Non filios desideras, quos habes; sed servitutem quam non habes... Molesta pietas, ut amare liberos metuas, adspicere liberos erubescas; atque inde oriatur causa discordiæ, unde solet mutuus amor mulcere affectus parentum. Generare liberos vis non fratres futuros tuorum, sed adversarios filiorum. Quid est ergo generare alios liberos, nisi spoliare quos habes liberos, quibus pariter auferuntur & pietatis officia, & compendia facultatum?*

Eandem rationem urget *S. Hieronymus* Epistola X. ad *Furiam*, De Viduitate servanda. *Solent*, (inquit) *adolescentulæ Viduæ, quarum nonnullæ abierunt retrò post Satanam, cùm luxuriatæ fuerint in-*

Christo jubentes dicere: Patrimoniolum meum quotidie perit: majorum hereditas dissipatur: Servus contumeliosè locutus est, imperium ancilla neglexit. Quis procedet ad publicum? Quis respondebit pro agrorum tributis, parvulos meos quis erudiet, & vernulas quis educabit? Et hanc, proh nefas! causam opponunt Matrimonii, quæ vel sola debuit Nuptias impedire. Superducit mater filiis non nutritium, sed hostem; non parentem, sed tyrannum. Inflammata libidine, obliviscitur uteri sui: & inter parvulos suas miserias nescientes, lugens dudum nova nupta componitur. Quid obtendis Matrimonium? Quid superbiam servulorum? Confitere turpitudinem. Nulla idcirco maritum ducit, ut cum marito non dormiat. Aut si certè libido non stimulat, quæ tanta insania est, in morem scortorum prostituere castitatem, ut augeantur divitiæ, & propter rem vilem atque perituram, pudicitia, quæ pretiosa & æterna est, polluatur? Si habes liberos, Nuptias quid requiris? Si non habes, quare expertam non metuis sterilitatem? Rem incertam certo præfers pudori? Scribuntur tibi nunc sponsales tabulæ, ut post paululum testamentum facere compellaris. Simulabitur mariti infirmitas; & quod te morituram facere voles, ipse victurus faciet: aut si evenerit ut ex secundo marito habeas filios, domestica oritur pugna, intestinum prælium. Non licebit tibi amare liberos, nec æquis aspicere oculis quos genuisti. Clam porriges cibos, invidebit mortuo, & nisi oderis filios, adhuc eorum amare videberis patrem. Quod si de priore uxore sobolem habens, domum te introduxerit; etiamsi clementissima fueris, omnes Comœdi, & Mimographi, & omnes Rhetorum loci in Novercam sævissimam declamabunt. Si privignus languerit, & condoluerit caput, infamaberis ut malefica. Si non dederis cibos, crudelis; si dederis, venefica dicêris. Oro te, quid habent tantùm boni secundæ Nuptiæ, ut hæc mala valeant compensare?

Tertiò deterrendæ sunt Viduæ à secundis Nuptiis, Sanctarum mulierum exemplo; sed maximè Vidualis Statûs excellentiâ, in quo beatiorem esse perseverantiam; non tantùm suo consilio, sed etiam Dei Spiritu Apostolus definivit. Legantur *S. Ambrosius* Libro *De Viduis*, cap. XIV. *S. Hieronymus* Epistolâ laudatâ, & *S. Augustinus*, Libro *De Viduitatis Bono*.

REGULA III.

Non sola Castitas corporis, sed magna & uberrima Disciplina virtutis, Viduam Christianam commendare debet.

[Viduarum Christianarum officia.] HAnc Regulam tradit S. Paulus 1. ad *Timotheum* cap. V. *Si qua Vidua filios, aut nepotes habet, discat primùm domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo. Quæ autem verè vidua est ac desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte ac die. Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est. Et hoc præcipe ut irreprehensibiles sint... Vidua eligatur... Quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.* Vides (inquit *S. Ambrosius*
» Lib. *De Viduis*, cap. II.) quàm multas vir-
» tutum comprehenderit disciplinas: Primum pie-
» tatis officium: secundum hospitalitatis studium,
» & humilitatis obsequium: tertium misericor-
» diæ ministerium, liberalitatisque subsidium: ad
» summam omnis executionem boni operis fla-
» gitavit.

Viduarum exemplar, *Anna Prophetissa*, quæ *vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua.* [Luc. 2. 36.] *Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor: Quæ non discedebat de Templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die.* Vides qualis Vidua prædicetur, *cui diversorium in Templo, colloquium in prece, vita in jejunio*; (inquit *S. Ambrosius* cap. IV.) Orandi studium diligentiùs Viduis in Scriptura Sacra commendatum. *Hinc Dominus cùm* [Luc. 18.] *semper ad orandum, & non deficiendum nos hortaretur, Viduam commemoravit, quæ licèt iniquum & impium Judicem, ac Dei & hominum contemptorem ad audiendam causam suam assiduè interpellando convertit. Quàm ergo præ cæteris Viduæ debent vacare orationibus, satis hinc intelligi potest, quòd omnibus ad suscipiendum orandi studium de Viduis propositum est exhortationis exemplum*, (ut observat S. *Augustinus* Epistola CXXX. aliàs CXXI. ad *Probam*.)

[Temperantia & jejunia.] Orationi comes adjungi debet temperantia, jejuniùmque. Temperantia virtus est feminarum. *Esto igitur Vidua temperans: Casta primum à vino, ut casta possis esse ab adulterio*; inquit *S. Ambrosius* cap. VII. Libri *De Viduis*.) Hinc S. Hieronymus, *Furiam* nobilem Viduam instituens: *Quicquid facit seminarium voluptatum* (inquit) *venenum puta. Parcus cibus, & venter semper esuriens triduanis jejuniis præfertur. Et multò meliùs est quotidie parum, quàm rarò satis sumere. Quando comedis cogita quòd statim tibi orandum, illico & legendum sit. De Scripturis Sanctis habeto fixum versuum numerum; istud pensum Domino tuo redde.* Et *S. Augustinus* Epistolâ mox indicatâ: *Pertinet ad vidualem curam, deliciæ si affluant, ne appenas cor, ne in eis putrescendo moriatur, quod sursum debet esse ut vivat... Debes præ amore veræ vitæ, etiam desolatam te putare in hoc seculo, in quantalibet ejus felicitate verseris.* Et rursus: *Deliciæ spiritales deliciis carnalibus in sancta castitate succedant lectio, oratio, Psalmus, bona cogitatio, bonorum operum frequentatio, spes futuri seculi & cor sursum: Atque in his omnibus gratiarum actio Patri luminum, à quo sine ulla dubitatione omne datum optimum & omne donum perfectum, Scripturâ teste descendit. Nam quando pro deliciis nuptarum, quas in carne virorum habent, aliarum carnalium deliciarum tanquam in solatium usus assumitur, quid ego dicam quæ sequantur mala, cùm breviter Apostolus dixerit, Viventem mortuam esse Viduam, quæ in deliciis vivit?*

[Eleemosynæ.] Eleemosyna Jejunio & Orationi à Vidua Christiana jungi debet. Hinc *S. Augustinus* Lib. *De Bono Viduitatis*, cap. XXI. *In vobis* (inquit) *amor divitiarum simul frigescat cum amore Nuptiarum, & pius usus rerum quas possidetis, ad spiritales delicias conferatur, ut liberalitas vestra magis ferveat adjuvandis egenis, quàm ditandis avaris. In thesaurum quippe cœlestem non mittuntur dona cupiderum, sed eleemosynæ pauperum, quæ in immensum modum orationes adjuvant Viduarum.* Viduæ locupletes uberes eleemosynas erogent: quibus angusta res est, laborent, ut sibi, filiis, pauperibúsque necessaria comparent. *Bona & illa planè laboriosa stipendia castitatis quæ de suo opere quotidianóque penso conferat Vidua, nocturnis pariter ac diurnis jugi exercens labore pensa temporibus, & pudicitiæ quæstuosa pervigil opere mercedem congregans; ut intemeratum defuncti conjugis cubile custodiat, alere dulces liberos possit, ministrare pauperibus. Hæc est præferenda divitibus: Hæc est quæ Christi Judicium non timebit*, (inquit *S. Ambrosius* Libro *De Viduis*, cap. V.) Dominica voce illa Vidua omnibus antefertur, de qua dictum est, *Vidua hæc plus omnibus misit:* In quo moraliter Dominus instituit uni- « [Luc. 21. 1.]
versos, ne quis à collatione ministerii pauper- «

Viduarum Christianarum officia

» tatis pudore revocetur; nec sibi divites blandiantur, quod plus videantur conferre quam pauperes. *Uberior est enim nummus è parva, quàm Thesaurus è maximo; quia non quantum detur, sed quantùm resideat, expenditur. Nemo plus tribuit, quàm quæ nihil sibi reliquit.... Denique nulla plus tribuit, quàm illa, quæ de filiorum alimentis pavit Prophetam. Et ideo quia nulla plus contulit, nulla plus meruit.*

REGULA III.

Vidua Christiana bonæ famæ curam gerere debent, nec liberiori conversatione pravis suspicionibus, & ignominiosis rumoribus occasionem præbere.

ITa Furiam instituit S. Hieronymus Epistola x. *Juvenum fuge consortia. Comatulos, comptos, atque lascivos, domus tua tecta non videant. Cantor pellatur ut noxius. Fidicinas, & psaltrias, & istiusmodi chorum Diaboli, quasi mortifera Syrenarum carmina, proturba ex ædibus tuis. Noli in publicum subinde procedere, & viduarum circumferri libertate. Pessimæ consuetudinis est, cùm fragilis sexus, & imbecilla ætas suo arbitrio abutitur, & putat licere quod libet. Omnia quidem licent, sed non omnia expediunt... Interdum animus dominarum ex ancillarum habitu judicatur. Sanctarum Virginum, & Viduarum societatem appete. Et si sermocinandi cum viris incubuerit necessitas, arbitros ne devites: tantáque confabulandi fiducia sit, ut intrante alio nec paveas, nec erubescas.* Et Epistola ad *Salvinam*, De servanda Viduitate, *Tenera res* (inquit) *in feminis fama pudicitiæ est, quasi flos pulcherrimus citò ad levem marcescit auram, levique flatu corrumpitur, maximè ubi & ætas consentit ad vitium, & maritalis deest auctoritas, cujus umbra tutamen uxoris est. Quid facit Vidua inter familiæ multitudinem, inter ministrorum greges? Quos nolo contemnat ut famulos, sed ut viros erubescat, &c. Habeto tecum viduarum & virginum choros, habeto tui sexûs solatia.*

Eandem Regulam confirmat *S. Augustinus*, Libro *De Bono Viduitatis*, cap. xxii. *In omnibus sanè spiritualibus deliciis* (inquit) *quibus fruuntur innuptæ, sancta earum conversatio cauta etiam debet esse, ne fortè cùm mala vita non sit per lasciviam, mala sit fama per negligentiam. Nec audiendi sunt sive viri sancti, sive feminæ, quando reprehensâ in aliqua negligentiâ suâ, per quam fit ut in malam veniant suspicionem, unde suam vitam longè abesse sciunt, dicunt sibi coram Deo sufficere conscientiam, existimationem hominum non imprudenter solùm, verùm etiam crudeliter contemnentes; cùm occidunt animas aliorum, sive blasphemantium viam Dei, quibus secundùm suam suspicionem quasi turpis quæ casta est displicet vita sanctorum, sive etiam cum excusatione imitantium, non quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi benefacit: quisquis autem etiam famam, & in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra, & utique etiam quod aliis ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoque redundat utilitatem. Unde non frustra Apostolus*, Providemus, *inquit*, bona, non solùm co » ram Deo, verùm etiam coram hominibus. *Item* » dicit, Placete omnibus per omnia. sicut & ego » omnibus per omnia placeo, non quærens quod » mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. *In* » *quadam etiam exhortatione dicit*, De cætero, fratres, » quæcunque sunt vera, quæcunque sancta, quæ » cunque justa, quæcunque casta, quæcunque » amabilia, quæcunque bonæ famæ; si qua vir- » tus, si qua laus, hæc cogitate, quæ & didici- » stis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me. » *Cernis quemadmodum inter multa, quæ exhortando commonuit, non neglexerit ponere*, Quæcunque bonæ famæ; *duobúsque verbis cuncta concluserit, ubi ait*, Si qua virtus, si qua laus. *Ad virtutem namque pertinent quæ anteà memoravit bona; Fama verò ad laudem. Puto quòd non laudem hominum pro magno sumebat Apostolus... Sed illorum duorum, id est, bona vita, & bona fama, vel quod breviùs dicitur, virtutis & laudis, unum propter se ipsum sapientissimè retinebat, alterum propter alios misericordissimè providebat.*

2. Cor. 8.
1. Cor. 10.
Philipp. 4.

B

C

FINIS LIBRI II.

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ ET MORALIS.

LIBER TERTIUS.

DE PECCATIS ET VIRTUTIBUS.

TRACTATUS I. A

DE PECCATIS.

Psalm. 18. DELICTA *quis intelligit?* (inquit Propheta) Difficilis sanè Peccatorum tractatio & explicatio; & tamen Ecclesiasticis Viris maximè necessaria, cùm Sacramentorum, quorum Ministri sunt ac dispensatores, quædam ad remissionem peccatorum per se sint instituta, scilicet Baptismus, Pœnitentia, Extrema-Unctio; & Legi Dei cujus sunt Interpretes, æternæque hominum saluti, cujus adjutores sunt ac procuratores, hæc Monstra capitaliter adversentur. Cùm verò Sacerdotibus omnibus necessaria sit accurata Peccatorum cognitio; tum maximè Rectoribus Animarum, & conscientiarum Moderatoribus, qui in Administratione Sacramenti Pœnitentiæ frequentes sunt; quod Ministerium exercere, ut par est nequeunt, nisi crimina noverint, quorum Judices in Sacro Tribunali sedent, Christi nomine ac auctoritate: nisi C morborum naturam & qualitates perspectas habeant, quos ex divinæ Medicinæ Regulis, Christique præscripto curare debent. In iis præsertim explicandis Theologia Moralis versatur, cujus institutum sequemur, sepositis Scholasticis Quæstionibus. Nonnulla tamen quæ Dogma spectant, & quæ Sacerdotibus ignorare non licet, de originali peccato, de peccati causâ, effectibus, pœnis, de venialis à mortali peccato discrimine, breviter delibabimus, sine quibus peccati definitio & divisio plenè intelligi non possit.

DE PECCATIS.

CAPUT I.

DE

PECCATI

B DEFINITIONE ET DIVISIONE.

ARTICULUS I.

Peccati divisio in originale & actuale; & originalis definitio, ac propagatio explicatur.

I. PECCATUM est Dei offensa, sive injuria Deo irrogata. Aliud est originale, aliud actuale. Originale dicimus, quod per originem contrahitur; actuale, quod actu proprio, ac propria voluntate committitur. Hæc notio nominum, sed res ipsa diligentiùs & accuratiùs explicanda est. Quid peccatum, & quotuplex?

Peccatum originale est privatio justitiæ originalis, per communem originem seu propagationem in omnes homines, ab uno homine, scilicet Adamo totius humani generis capite ac primo parente derivata. Definitio peccati originalis.

Dicitur *Privatio*, quod ipsi cum actuali peccato commune est; peccatum enim naturam & essentiam subsistentem non esse, sed boni privationem, constans est Patrum doctrina; *SS. Dyonisii*, Lib. *De Divinis Nominibus*, Cap. iv. *Athanasii Oratione* contra Gentes, *Basilii* Ho-

milliâ IX. Gregorii Nazianzeni Oratione XL. *Ambrosii* Libro De Fuga sæculi, Cap. IV. *Augustini* Libro VII. *Confessionum*, Cap. XII. ubi ait: *Quæcumque sunt, bona sunt: Malumque illud quod quærebam unde esset, non est substantia, quia si substantia esset, bonum esset.* Et Cap. XVI. *Quæsivi quid esset iniquitas, & non inveni substantiam: sed à summa substantia Te Deo detortæ in infimam voluntatis perversitatem.* Ac passim contra Manichæos docet, Nullam esse mali naturam. Illud Catholicæ Fidei dogma esse *S. Leo* tradit Epistola alias XCIII. nunc XV. ad *Turribium* Asturicensem Episcopum, Cap. VI. *Fides vera, quæ est Catholica (inquit) omnium creaturarum, sive spiritualium, sive corporalium bonam confitetur substantiam, & mali nullam esse naturam: Quia Deus, qui universitatis est conditor, nihil non bonum fecit.* In hoc igitur peccatum originale cum omni genere peccatorum convenit, quòd sit privatio.

Dicitur *Privatio justitiæ originalis*, quo veluti charactere differt à cæteris peccatis. Erat autem justitia originalis eximium quoddam donum, quod gratiam virtutésque complectebatur omnes: & quod primo homini statim in ipsa origine à Deo infusum, mentem ejus Deo, vires inferiores animæ rationi, corpus animæ subjiciebat, ita ut anima nullis perturbationibus repugnantibus Deo obediret, nullâque in membris adversùs legem mentis concupiscentiæ lex insurgeret. Donum illud, velut effectus causam, sequebatur impassibilitas corporis & immortalitas. Donum illud supernaturale, quo Primus homo in semetipso rectus dicebatur, ob præclarum facultatum ejus ordinem inter se & ad Deum, non sibi uni, sed universo hominum generi Adamus acceperat, ita decernente Deo, qui in eo, velut hominum cæterorum ab ipso propagandorum primo parente & capite, posterorum omnium voluntates constituit: adeò ut si in gratiâ perseverasset, justitiam eamdem, ejusque appendices, largiente Deo, omnes homines cum anima ipsa in prima sui origine accepissent. Verùm in peccatum prolapsus, præclaro illo dono, cœlestíque indumento à latronibus Angelis scilicet noctis ac tenebrarum expoliatus, plagisque gravissimis, ignorantiâ scilicet veri, difficultate boni operandi, ex voluntatis infirmitate, & perduellis adversùs legem mentis concupiscentiâ consurgente, ac insuper moriendi necessitate, affectus, ac vulneratus, in via semivivus relictus est. Justitiam porrò originalem non sibi solùm, sed posteris omnibus amisit, profligavit. *In illo* enim omnes *peccaverunt*, quia *omnes ille unus fuerunt*, ut loquitur *S. Augustinus*. In Adamo quippe ut omnium hominum primo parente & capite natura illa insita erat, in qua eos gignere poterat, quamvis nondum agerent vitas proprias.

Luca. 10.

Lib. 1. De Peccatorum Meritis, Cap. 10. Lib. 1. c. 7. lib. 11 De Nupt. & Concupisc. cap. 1. & alibi.

Quam dicimus justitiæ originalis privationem, *S. Augustinus* sæpe vocat *Concupiscentiæ reatum*: Non enim concupiscentia ipsa originale peccatum est, quia manet in baptizatis ad agonem, cùm tamen nihil sit damnationis iis qui sunt in Christo Jesu: sed reatus concupiscentiæ. Concupiscentia enim *Manet actu, transit reatu*: cùm per Baptismum reatus ille, seu labes originalis, quæ nos reos efficit, Deíque inimicos, dimittatur, ac deleatur.

II. Privationem illam justitiæ originalis, Peccatum illud originale, per communem originem seu propagationem in omnes homines ab uno homine, scilicet Adamo, derivari & transfundi, dogma Fidei est, à Summis Pontificibus *Innocentio I.* & *Zosimo*, à Synodis Diospolitana, Africanis, Arausicana II. & Tridentina definitum, Sessione V. Canonibus secundo & quarto, quorum hæc sunt verba.

Si quis Adæ prævaricationem sibi soli & non ejus propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem & justitiam, quam perdidit, sibi soli, & non etiam nobis perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod est mors animæ, Anathema sit: Cùm contradicat Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

Rom. 5. Peccatum originale in omnes transfundi, dogma Fidei est.

Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint à baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod Regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam.... Anathema sit.

III. Non *Imitatione* porrò, sed *propagatione* in omnes homines transfundi labem illam originalis peccati, dogma pariter Fidei est. Et certè Apostolus Cap. V. Epistolæ ad *Romanos*, mox indicato antithesim instituens inter Christum & Adamum, sic per primum hominem invectum peccatum asserit, sicut per Christum collata justitia est. *Igitur* (inquit) *sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem* v. 18. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: Ita & per unius obeditionem justi constituentur multi.* Justitiam autem à Christo imitatione solâ acceptam non esse, manifestum est; cùm & Veteres Sancti qui Christum præcesserunt, ideóque non potuerunt eum imitari, justitiam tamen suam ipsi acceptam referant: & parvuli, qui Christum cognoscere, adeóque imitari non possunt, per ipsum tamen justificentur. Itaque nec per primum Hominem peccatum in cæteros aditum habuit imitatione solâ. Sed sicut Christus occultâ gratiæ suæ inspiratione justos nos efficit, ita & Adamus occultâ naturæ depravatione, corruptelâ, tabe nos constituit peccatores.

Sed & aliis Scripturæ locis nititur Ecclesiæ Catholicæ fides de peccato originali, scilicet Davidis oraculo, Psalmo L. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* S. Hieronymus vertit, *in iniquitate*, secundùm vim Hebraicæ vocis. Nec verò iniquitatum, in quibus conceptus est, nomine, parentum peccata intellexit David: cùm ex sancto conjugio, non ex adulterio aut fornicatione fuerit progenitus. Fulcitur dogma Catholicum & Joannis Baptistæ Christum indigitantis oraculo (Joannis 1.) *Ecce Agnus Dei: Ecce qui tollit peccatum Mundi.* Peccatum à Sancto Præcursore expressum, commune Mundo, id est, hominibus omnibus, peccatum est; ad quod præcipuè tollendum & remittendum Filius Dei carnem assumpsit. Idem confirmatur ex Epistolâ II. S. Pauli ad *Corinthios*, Cap. V. *Si unus* (inquit) *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus: Ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.* Ex hoc enim Apostoli ratiocinio certissimè colligitur, omnes & singulos homines, etiam ipsos infantes, mortuos esse morte peccati: siquidem Christus, qui pro mortuis dumtaxat, id est pro peccatoribus mortuus est, pro parvulis etiam est mortuus. Item ex Epi-

stolæ

stolæ ad *Ephesios* Cap. II. *Eramus*, inquit Apostolus, *naturâ filii iræ, sicut & cæteri.* Id est, à primâ naturæ nostræ origine, sive ex nativitate, non ex consuetudine & imitatione; iræ Dei ac vindictæ obnoxii eramus. Iræ porrò ac vindictæ Dei obnoxius nemo est nisi ob peccatum. nascuntur igitur omnes homines cum peccato. Hæc loca Ecclesia Catholica ubique diffusa ita semper intellexit, ut ea Patrum omnium consentientibus testimoniis compertum est, quibus etiam originale peccatum *S. Augustinus* probavit in Libris adversùs Pelagianos editis. Plura de hoc Fidei Dogmate ea doctrina Patrum suppeditabit Dissertatio nostra *De Peccato Originali contra Pelagianos*, quæ prima est in Panoplia adversùs Hæreses Sæculi V. *Historiæ Ecclesiasticæ* ejusdem Sæculi P. II.

Rationes peccati originalis in omnes homines transfusionem probantes.

IV. Idem confirmant rationes gravissimæ, quibus Pelagianum errorem *S. Augustinus* impugnavit, elisit. Prima sumitur ex forma Baptismi, & sacris Ritibus ab Ecclesia in eo jam ab antiquo usurpatis ante Pelagianorum ortum. Cur enim in remissionem peccatorum confertur, semperque collatus est Baptismus, etiam infantibus, si nullo peccato sunt obstricti? Quorsum Exorcismi, & Exsufflationes, & Abrenuntiatio Satanæ, si diabolus eis non dominatur? Qua verò ratione ipsis dominatur, si à peccato sint immunes?

Ratio altera sumitur ex parentum Christianorum sollicitudine, ut Baptismum filiis suis procurent; & ex Ecclesiæ Traditione ab Apostolis derivata, quæ ipsis, etsi à partu recentibus conferendum illum semper docuit, ne ab æterna vita & Regno cœlorum excluderentur, secundùm illam Salvatoris nostri Sententiam: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum cœlorum.* Optimus porrò justissimusque Deus homines ad imaginem suam conditos, & propter æternam Beatitudinem, quæ Regnum cœlorum est, ab ea non excluderet immeritos & insontes. Essent autem insontes, etiam cùm è vita rapiuntur non suscepto Baptismo, si peccatum originis in eis nullum esset: siquidem nulla peccata proprii operis commiserunt.

Rom. 3. 5.

Tertia ratio petitur ex miseriis corporis. Grave enim illud jugum, quod est super filios Adam à die exitùs de ventre matris eorum, injustum prorsus esset si nullius peccati rei essent infantes. Injustus (inquam) videretur *Deus*, si tot miseriis creaturas innocentes addixisset. Quod argumentum Ethnicos ipsos ita permovit, ut quamvis primi parentis peccatum ignoraverint, ex humanæ tamen naturæ conditione judicaverint insontem non esse hominem, qui tot ærumnis esset addictus. Hinc admissa in superiore aliqua vita commenti sunt peccata ab eo, qui ab ipsis vitæ initiis ad labores & molestias damnatus videretur. Hinc *S. Augustinus* Lib. IV. *Contra Julianum*, Cap. XV. veteres illos Ethnicorum Vates & Philosophos, qui errores miseriasque humanæ vitæ ad æquum Dei judicium retulerunt, ad Christianum Dogma accedere ait: profertque insigne ex *Ciceronis Hortensio* testimonium, quo probat Ethnicos illos Philosophos grave jugum super filios Adam, & Dei potentiam justitiamque vidisse, etiamsi gratiam, quæ per Mediatorem liberandis hominibus concessa est, non viderunt. Nos enim ob aliqua scelera suscepta in vitâ superiore, pœnarum luendarum causâ natos esse dixerunt, verùmque esse illud Aristotelis dictum, Sic animos nostros cum corporibus esse conjunctos, ut a prædonibus Etruscis corpora viva cum mortuis conjungebantur. Et Cap. XII. cùm *Ciceronem* dicentem induxisset. Non ut a matre, sed ut à noverca natura editum esse hominem in vitam, corpore nudo, fragili, & infirmo; animo anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines. in quo tamen inesset tamquam obrutus quidam divinus ignis ingenii & mentis: tum subjungit S. Augustinus: *Non hoc Auctor iste malè viventium moribus dixit effectum sed naturam potius accusavit. Rem vidit, causam nescivit. Latebat enim eum cur esset grave jugum super filios Adam à die exitùs de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium: quia sacris litteris non eruditus, ignorabat originale peccatum.*

Pelagianorum argumentis respondetur.

V. Quamvis porrò filium non portare iniquitatem patris Dominus asserat *Ezechielis* XVIII. non sequitur quòd peccatum originale ex Adamo non contrahant omnes homines. Non portat quidem filius iniquitatem patris, quæ nullatenus sua fit, sed tamen portat iniquitatem patris quæ facta est sua vel imitatione, vel nativitate. Peccatum autem Adami alienum est *Proprietate actionis*, nostrum est autem *Contagione propaginis*, ut loquitur *S. Augustinus* Libro VI. *Contra Julianum* Cap. IX.

VI. Ex his Apostoli verbis ad *Romanos* Cap. V. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obeditionem justi constituentur multi*; perperam colligebant Pelagiani, Adami peccatum omnibus hominibus non imputari, sed illis tantùm qui ipsum peccantem imitantur. Vocabulum enim istud, *multi*, eo loci idem significat quod omnes, ut ex Versu præcedenti liquet: *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Sic respondet *S. Augustinus* Libro VI. *contra Julianum*, Cap. XXIV.

VII. Frustra verò quis objiceret. Sine voluntate nullum esse posse peccatum: Nullum ergo esse in parvulis, qui propriæ voluntatis, liberique arbitrii usum non habent. In promptu enim Responsio est, Sine voluntate propria nullum esse peccatum propriæ actionis: sine voluntate aliena nullum esse peccatum originis. Peccatum itaque originale non est sine voluntate primi hominis, quâ seminatum est, ut & in illo esset, & in omnes transiret, ut loquitur *S. Augustinus* Libro II. *De Nuptiis & Concupiscentia*, Cap. XXVIII. Nam *Fuit Adam, & in illo fuimus omnes: Periit Adam, & in illo omnes perierunt*; (inquit idem Pater Lib. I. *Operis imperfecti Contra Julianum*, Cap. XLVI. Quæ *S. Ambrosii* verba sunt, ut ibidem monet. Sicut ergo Israël erat in lumbis Abraham patris sui, quando est decimatus, id est, quando decimas dedit Melchisedech de præcipuis, & ideo etiam in illo decimatus fuit, sive decimas dedit, ut ratiocinatur Apostolus ad *Hebræos* Cap. VII. Ita in lumbis Adam fuerunt omnes qui ex illo fuerant per concupiscentiam carnis oriundi; adeòque Adamo peccante, & ipsi ejus voluntate peccaverunt. Hinc *S. Augustinus*, Libro I. *Retractationum* Cap. XIII. ait: *Et illud quod in parvulis dicitur originale peccatum, cùm adhuc non utantur arbitrio voluntatis, non absurdè vocatur etiam voluntarium, quia ex prima hominis mala voluntate contractum, factum est quodammodo hereditarium.*

VIII. Verùm, inquies, quâ ratione fieri potest ut parentes baptizati peccatum originale, quod ipsis dimissum est, transfundant in filios?

Illud enim transfundere non possunt quod non habent.

Explicatur qua ratione fieri possit, ut parentes baptizati peccatum originale transfundant in filios.

Respondetur, Etsi id humana ratione comprehendi non possit, non minùs verum esse, nec minùs credendum; cùm à Deo qui summa Veritas est, nec fallere potest aut falli, sit in Scripturis Sacris & traditione revelatum. Nam & in ipsâ naturâ multa Deus occultare voluit, quorum rationem assequi non potest humana mens. Utcumque tamen id explicari potest obviis exemplis. Si enim palea, quæ tantâ diligentiâ separatur à tritico, manet in fructu qui de purgato tritico nascitur; si de olea nascitur oleaster; si præputium quod per circumcisionem aufertur, manet in eis quos generant circumcisi homines; si ex Christianis non Christiani generantur: quid mirum, si peccatum quod mundatur per Baptismum, in eos transfundatur, quos gignunt baptizati, vi quadam tabifica concupiscentiæ? *Renovati namque parentes, non ex primitiis novitatis, sed ex reliquiis vetustatis carnaliter gignunt: & filii ex parentum reliqua vetustate toti vetusti, & in peccati carne propagati, damnationem veteri homini debitam Sacramento spiritualis Regenerationis & renovationis evadunt*; (inquit S. *Augustinus* Libro II. *De Peccatorum Meritis & Remissione*, Cap. XXVII.) Qui & prolatis mox exemplis traductionem originalis peccati à parentibus quibus in Baptismo dimissum est, explicat Libro III. Cap. VIII. & Libro VI. *Contra Julianum*, Capp. VI. & VII. Ex concupiscentiâ (inquam) carnis *Gignitur peccator adhuc actu nullus, & origo novus, sed reatu vetus: Homo à Creatore, captivus à deceptore, indigens à Redemptore.* Ex hac *concupiscentia quod nascitur, utique Mundo, non Deo nascitur: Deo autem nascitur, cùm ex aqua & Spiritu Sancto renascitur: Hujus concupiscentiæ reatum Regeneratio sola dimittit, quem generatio trahit*; (inquit idem Doctor Libro I. *De Nuptiis & Concupiscentia*, Cap. XIX.)

IX. Anima quidem pura & innocens à Deo creatur, & creando corpori infunditur; sed ut primùm infusa est, in eo tamquam in vitiato vase corrumpitur: sicut si flos in loco fœdo feratur, quantumvis naturâ suâ pulcher sit & elegans, vitium quoddam atque labem inde contrahit. Et sicut anima, si corpori vulnerato, vel flammis circumdato & ardenti conjungeretur, mox doleret: ita cùm infundatur corpori, in quo peccati quoddam germen est, quia ab Adamo propagatum fuit, & fiat pars hominis ex Adamo progeniti, in quo ut in capite, ut in radice, ut in fonte vitiata natura est, peccati labem statim contrahit. Quamvis igitur concupiscentia in baptizatis remanens non sit peccatum, quia reatus ejus Baptismo remissus est, germen tamen est peccati, & per ipsam peccatum originale traducitur. Unde S. *Augustinus* Libro V. *Contra Julianum*, Cap. XVIII. ait: *Qualitas affectionalis mali de substantia ad substantiam non emigrando transit, sed quodam operante contagio, id est, concupiscentiæ affectu, sicut de parentibus morbidis morbida soboles procreatur.* Non enim continuò sanatur in Baptismo concupiscentiæ carnis infirmitas, sicut continuò reatus ejus aboletur.

Christus sine peccato conceptus.

X. Cùm peccatum originale in omnes homines derivari ab Adamo Catholica Fide credamus, Christum, qui *Sanctus Sanctorum est, impollutus, segregatus à peccatoribus*, exceptum, eadem fide credimus; quia sine concupiscentia conceptus est, non ex virili semine, sed de Spiritu-Sancto. Unde S. *Augustinus* Libro I. *De Nuptiis & Concupiscentia*, Cap. XXIV. scribit: *Ex hac concupiscentia carnis, tamquam filia peccati, & quando illi ad turpia consentitur, etiam peccatorum matre multorum, quæcumque nascitur proles originali est obligata peccato, nisi in illo renascatur, quem sine ista concupiscentia Virgo concepit. Propterea quando nasci est in carne dignatus, sine peccato solus est natus.* Et Cap. XII. ejusdem Libri de Christi secundùm carnem conceptu disputans: *Solus* (inquit) *ibi nuptialis concubitus non fuit: quia in carne peccati fieri non poterat sine illa carnis pudendâ concupiscentiâ quæ accidit ex peccato; sine qua concipi voluit qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati: ut hinc etiam doceret, omnem quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati: Quandoquidem sola quæ non inde nata est, non fuit caro peccati.*

Beata Virgo Maria immunis ab originali peccato, secundùm piam & animæ pacis fidelium opinionem, ut favet Ecclesia.

XI. Excipitur etiam Beatissima Dei Mater Virgo Maria, non quidem à lege & debito contrahendi originalis peccati, quia & parentis utriusque commixtione genita, & à Christo redempta est; adeòque peccati originalis labe contaminanda erat, nisi ejus animam uberiori gratiâ præventam, munitam, ornatam corpori Deus infudisset: sed excipitur à peccati originalis adhæsione: id est, spectatâ communi hominum ex Adamo per sexus utriusque commixtionem propagatorum sorte, contrahere vitium originale debuit; sed illud revera non contraxit, Christi Redemptoris gratiâ servante. Unde hæc verba cœlestis Sponsi in Canticis illi accommodat Ecclesia: *Tota pulchra es, & macula non est in te.* Cant. 4. Et certè cùm Beata Virgo peccatum actuale nullum omnino commiserit, etiam veniale, ut tenet Ecclesiæ Fides in Tridentina Synodo Sessione sexta, Canone vigesimo-tertio expressa, atque docet *Sanctus Augustinus*, Libro *De Natura & Gratia*, Cap. XXXVI. Pelagii dictum approbans, asserentis, *Necesse esse pietati confiteri Domini ac Salvatoris nostri Matrem sine peccato*: ac subjungens: *De Sancta Virgine Maria propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem.* Cùm (inquam) Beata Virgo nullo peccato actuali, etiam veniali, fuerit contaminata; rectè colligitur illam ab originalis quoque peccati labe fuisse exemptam. Ex originalis enim peccati maculâ semel contracta consequens est peccatum actuale, ut docet S. *Augustinus* Libro V. *Contra Julianum*, Cap. XV. de Christo sic loquens: *Profectò peccatum etiam major fecisset, si parvulus habuisset. Nam propterea nullus est hominum præter ipsum qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* Cùm itaque Virgo Deipara peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, ut credit Ecclesia; sequitur illam peccatum non habuisse infantilis ætatis exortu, & originali maculâ penitus caruisse.

Immaculata B. Virginis conceptio ad fidem non spectat.

Id quidem ad fidem non spectat, variæque sunt ea de re Theologorum Catholicorum opiniones: sed in eam propensior est Ecclesia, quæ Dei Matrem sine peccato conceptam asserit. Unde diem Conceptioni ejusdem Beatissimæ Virginis Sacrum publico & solemni Ritu ubique celebrandum constituit sexto Idus Decembris, cui *Sixtus Quartus* Missam & Officium Canonicum proprium decrevit, iisdem attributis Indulgentiis, quas *Urbanus Quartus* instituto abs se solemni Festo Corporis Christi, & ejus Officio Ecclesiastico concesserat. Quod ex illius Constitutione constat edita anno millesimo quadringen-

tesimo septuagesimo-sexto, quâ universos Christi Fideles invitat, ut *De ipsius Immaculata Virginis mira Conceptione Deo gratias & laudes referant.* Cùm vero postea vehemens ea de re orta esset contentio, ac mutuis altercationibus turbata pax & tranquillitas videretur, quibusdam temerè prædicantibus aut scribentibus, omnes illos qui tenerent aut assererent gloriosam & immaculatam Dei Genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos; idem Pontifex huic dissidio intercessit anno millesimo quadringentesimo octogesimo tertio, editâ Constitutione alterâ, quæ incipit, *Grave nimis*, quâ hujusmodi assertiones ut *falsas, erroneas, & à veritate penitus alienas* damnat; & Prædicatores verbi Dei, & quoscunque alios, qui hæc prædicare vel affirmare præsumpserint, Excommunicationis Sententiam eo ipso incursuros declarat, à qua ab alio, quàm à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequeant Absolutionis Beneficium obtinere. Simili etiam pœnæ ac censuræ subjicit eos, qui ausi fuerint asserere, contrariam opinionem tenentes, videlicet *Gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cùm nondum sit à Romana Ecclesia & Apostolica Sede decisum.* Utramque *Sixti Quarti* Constitutionem confirmavit Tridentina Synodus Sessione v. piæ opinioni de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione nihilominus favens: *Declarat tamen* (inquit) *hæc ipsa Sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem; sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ Quarti sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat.* Statutum *Sixti Quarti* renovavit & confirmavit pariter *S. Pius Quintus* anno millesimo quingentesimo septuagesimo, editâ Constitutione quæ incipit, *Super speculam*, quâ mandat insuper, *Quatenus nemo cujuscunque ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis existat, in popularibus Concionibus, vel ubicunque promiscua virorum & mulierum multitudo convenire solet, de hujus controversia alterutra parte disputare, rationibus vel Doctorum auctoritate asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo aut impugnando, vel de hac ipsa quæstione, cujusvis pietatis aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere vel dictare præsumat. Qui contra fecerit, Suspensionis pœnam à Divinis ipso facto absque nova declaratione incurrat, si modo fuerit in Sacris constitutus, & quocunque præterea gradu, sive dignitate vel administratione fungatur, illis omnibus sit ipso jure privatus, & ad eadem vel similia munera obtinenda perpetuæ inhabilitatis censura ipso facto sit obnoxius, super quibus nisi à Romano Pontifice pro tempore existente dispensari sive absolvi non possit.* Cæterùm graviter illos perstringit *Pius V.* qui *Cùm de gloriosa Virginis Mariæ Conceptione sermo inciderit, tam pertinaciter pro alterutrâ parte contendunt, ac si de illis Dogmatibus esset, quæ corde credere ad justitiam, ore confiteri ad salutem necessarium est. Quibus illud Prophetæ convenire videtur: Dicunt, ait Dominus, cùm Ego non sim locutus.* Addit Sanctissimus Pontifex: *Cùm Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Magistra, & Doctrix disciplinæ de ea re hucusque non definierit, nemo absque temeritate præjudicare vel alterius partis sententiam damnare potest.* Quamobrem liberam cuique facultatem relinquit opinandi hujus controversiæ quamlibet partem, prout vel magis pium, vel magis probabile esse judicaverit, salvis Decessorum suorum Decretis

In Quæstione de B. Virginis Conceptione neutri opinioni nota hæresis, aut peccati mortalis inurenda.

Censuræ ac pœnæ in contra facientes.

Ezech. 13. 7.

à Sacro Sancta Synodo Tridentina confirmatis.

Sixti Quarti & *S. Pii Quinti* Decessorum suorum Constitutiones de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis *Paulus V.* anno millesimo sexcentesimo decimo-sexto, edito Diplomate quod incipit, *Regis Pacifici*, approbavit, confirmavit, innovavit; ac præter supra dictarum Constitutionum pœnas respectivè ipso facto incurrendas, etiam concionandi, publicè legendi, seu docendi & interpretandi facultate, ac voce activâ, & passivâ in quibuscunque electionibus, eo ipso, absque aliâ declaratione privatum existere statuit ac decrevit, qui Pontificias illas Constitutiones violaverit, necnon perpetuæ inhabilitatis ad concionandum & publicè docendum pœnas incurrere, à quibus solus Pontifex absolvere seu dispensare possit.

Gregorius XV. anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, die xxiv. Maij decrevit ac præcepit, ut in posterum, donec articulus hujusmodi à Sancta Sede Apostolica fuerit definitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, nullus audeat in publicis Concionibus, Lectionibus, Conclusionibus, & aliis quibuscunque Actibus publicis asserere, quòd Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, alioquin obnoxium fore Censuris & pœnis in Constitutionibus Decessorum suorum expressis. Alteram tamen opinionem se propterea non reprobare, nec ullum ei præjudicium inferre velle declaravit. Ulteriùs sub eisdem Censuris & pœnis mandavit, ut negativam opinionem, videlicet quòd non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis Actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant seu tractent. Prohibuit pariter ne in sermonibus etiam privatis & colloquiis, Scriptisque aliquis audeat asserere quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere seu tractare, iis tamen exceptis, quibus id à Sede Apostolica fuerit concessum. Omnibus denique & singulis personis Ecclesiasticis, tam secularibus, quàm cujusvis Ordinis & Instituti Regularibus mandavit ac præcepit, ut in Sacrosancto Missæ Sacrificio ac divino Officio celebrandis, tam publicè, quam privatim, non alio quam *Conceptionis* nomine utantur, sub iisdem Censuris & pœnis.

Alexander Septimus, Constitutione edita anno millesimo sexcentesimo sexagesimo primo, Constitutiones & Decreta Decessorum suorum, & præcipuè *Sixti Quarti*, *Pauli Quinti*, & *Gregorii XV. edita in favorem Sententiæ asserentis Animam Beatæ Mariæ Virginis in sui creatione & in corpus infusione Spiritus Sancti gratiâ donatam, & à peccato originali præservatam fuisse, necnon & in favorem Festi & cultûs Conceptioni ejusdem Virginis Deiparæ secundùm piam istam sententiam exhibiti*, innovat, & sub pœnis & Censuris in eisdem Constitutionibus contentis observari mandat, & insuper omnes & singulos, qui præfatas Constitutiones & Decreta *ita pergent interpretari, ut favores per illas dictæ sententiæ & festo seu cultui secundùm illam exhibito frustrentur; vel qui hanc eandem sententiam, Festum, seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directè vel indirectè, quovis prætextu seu occasione, scripto seu voce loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quidquam determinando aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo & insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo differendo ausi fuerint*, præter pœnas & Censuras in Constitutionibus

Sixti Quarti contentas, concionandi & publicè docendi facultate, necnon voce activa & passiva in quibusvis electionibus ipso facto privet. Contrariam tamen opinionem: videlicet, Gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, tenentes, *Hæresis, aut peccati mortalis, aut impietatis* damnari vetat sub pœnis in *Sixti Quarti*, aliorúmque Pontificum Constitutionibus, suáque istâ expressis & inflictis; cùm à Romana Ecclesia & Apostolica Sede Quæstio illa nondum finita fuerit. Nihil in favorem piæ opinionis de Conceptione Immaculata Virginis Deiparæ ex S. Petri Cathedra magnificentius ac luculentius pronuntiatum est iis quæ hujus Constitutionis initio, quæ incipit, *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, Alexander VII. habet. *Vetus est* (inquit) *Christi Fidelium erga ejus Beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas, sentientium ejus Animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratiâ & privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi ejus filii, humani generis Redemptoris, à macula peccati originalis preservatam, immunem, atque in hoc sensu ejus Conceptionis Festivitatem solemni ritu colentium & celebrantium; crevitque horum numerus, atque hujusmodi cultus post editas à felicis recordationis Sixto IV. P. Prædecessore nostro in ejus commendationem Apostolicas Constitutiones, quas Sacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque observari mandavit. Aucta rursus & propagata fuit pietas hæc & cultus erga Deiparam post erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, Monasteria Religiosorum Ordinum, & Confraternitates, ac Indulgentias, ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc sententiam, jam ferè omnes Catholici eam complectantur.*

Hominem per originale peccatum, etiam in naturalibus vulneratum, esse fidei est.

XI. Homo per peccatum originis non solùm spoliatus est gratuitis, sed etiam in naturalibus vulneratus, ut contra Pelagianos & Semipelagianos definivit Ecclesia in Concilio Arausicano secundo, Canone 1. *Si quis* (inquit) *per offensam prævaricationis Adæ non totum, id est, secundùm corpus & animam in deterius dicit hominem commutatum, sed animi libertate illæsa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus, adversatur Scripturis.*

Idem fidei dogma confirmat Sacra Synodus Tridentina Sessione VI. cap. 1. ubi declarat, *Ad justificationis doctrinam probè & sincerè intelligendam oportere ut unusquisque agnoscat & fateatur, quòd cùm omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidissent, facti immundi, & ut Apostolus inquit, naturâ filii iræ*, (Ephes. 2.) *usque adeo servi erant peccati, & sub potestate Diaboli ac mortis, ut non modò Gentes per vim naturæ, sed ne Judæi quidem per ipsam etiam Litteram Legis Moysi, inde liberari aut surgere possent, tametsi liberum arbitrium minimè in eis extinctum esset, viribus licet attenuatum & inclinatum.*

Vulnera per primi hominis peccatum naturæ inflicta.

Id significat parabola, à Christo proposita, Hominis descendentis ab Jerusalem in Jericho, qui *incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt, semivivo relicto.* Spoliatus est dono justitiæ originalis & ejus appendicibus per peccatum, & quatuor vulnera gravissima excepit, scilicet ignorantiam in mente, malitiam in voluntate, infirmitatem & concupiscentiam in appetitu sentiente. Ignorantia, prava dispositio est in mente, qua falsa pro veris facilè approbat. Malitia, propensio est depravatæ voluntatis ad malum. *Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* (Genes. 8. 21.) Infirmitas, est difficultas vitandi peccatum, & boni agendi, etiam illius quod viribus naturæ integræ proportionatum fuisset. Concupiscentia est inordinatio sentientis appetitus, quâ repugnat Legi mentis. Hæc vulnera duobus verbis exprimit *S. Augustinus*, ignorantiæ scilicet atque difficultatis. Nam difficultas malitiam, infirmitatem, & concupiscentiam complectitur. *Sunt revera* (inquit) *omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia & difficultas: ex ignorantia dehonestat error; ex difficultate cruciatus affligit: sed approbare falsa pro veris ut erret invitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* (Lib. III. de Libero arbitrio c. 18. & Lib. de Dono perseverantiæ c. 11. & Lib. 1. Retract. c. 9.) Et Libro XXII. De Civitate Dei, cap. XXII. *Nam quod ad primam originem pertinet, omnium mortalium* (inquit) *originem fuisse damnatam, hæc ipsa vita, si vita dicenda est, tot & tantis malis plena testatur. Quid enim aliud indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non possit? Quid amor ipse rerum vanarum atque noxiarum, & inde mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, insana gaudia? .... Quid est, quod cum labore meminimus, sine labore obliviscimur; cum labore discimus, sine labore nescimus; cùm labore strenui, sine labore inertes sumus? Nonne hinc apparet velut pondere suo proclivis & prona sit vitiosa natura, & quanta ope ut hinc liberetur indigeat?* Nonne verò lex illa, quam in membris nostris sentimus repugnantem Legi mentis nostræ, & ita captivantem nos in lege peccati, ut verè dicamus cum Apostolo: *Non quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum id facio*, (Rom. 7. 15.) grave vulnus est naturæ lapsæ, à quo sanari & liberari per Christi gratiam quotidie postulamus, cum Apostolo dicentes: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum.* Hinc *S. Fulgentius* Libro De Incarnatione & Gratia Christi ait: *Ille primus homo, & in ipso humanum genus, spoliatum fuit vestimento fidei, carnalium que concupiscentiarum vulneribus sauciatus.*

Infantes cum originali peccato decedentes non solùm naturali felicitate, sed etiam cœlesti regno privari, damnarique, fidei est.

XII. Parvulos cum originali peccato decedentes, non suscepto scilicet baptismo, non solùm cœlesti regno, sed beatitudine quavis naturali in perpetuum privatos, æternúmque miseros & damnatos esse, & in infernum detrudi, Fides docet. Concilium scilicet Lugdunense secundum sub *Gregorio X.* & Florentinum sub *Eugenio IV.* definiunt, *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Vitam æternam & secundam quandam felicitatem, extra regnum Cælorum, in medio quodam loco, Pelagiani parvulis sine Baptismo decedentibus promittebant, & à Deo retribui pertinaciter asserebant, quem errorem & Africana Concilia, & *Innocentius I.* Pontifex Maximus damnarunt, & S. Augustinus passim confutavit, præsertim verò Lib. 1. de Peccatorum meritis & Remissione cap. XXVIII. *Nec est ullus* (inquit) *ulli medius locus, ut possit esse nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo. Hinc & ipse Dominus volens auferre de cordibus male credentium istam nescio quam medietatem, quam conantur quidem parvulis non baptizatis tribuere, ut quasi merito innocentiæ sint in vita æterna, sed quia non sunt baptizati, non sint cum Christo in Regno ejus, definitivam protulit ad hæc ora obstruenda sententiam, ubi ait: Qui mecum non est, adversùs me est.* Et Sermone CCXCIV. aliàs XIV de Verbis Apostoli, duas partes tantùm facturum esse Dominum observat, cùm venturus est & judicaturus vivos & mortuos, dexteram & sini-

ſtram, ſiniſtris dicturum: *Ite maledicti in ignem æternum*: dextris, *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum*: Nullum eſſe relictum medium locum ubi poni queant infantes; qui non erunt in dextera, in ſiniſtra fore; *Ergo qui non in regno, proculdubio in ignem æternum.*

Epiſtola denique CCXVII. aliàs CVII. ad Vitalem, inter duodecim Sententias quas *ad Catholicam Fidem pertinere* docet, octavam his verbis ſtatuit: *Scimus etiam parvulos ſecundùm ea quæ per corpus geſſerunt, recepturos vel bonum vel malum. Geſſerunt autem non per ſe ipſos, ſed per eos quibus pro illis reſpondentibus & renuntiare Diabolo dicuntur & credere in Deum; unde & in numero fidelium computantur, pertinentes ad ſententiam Domini dicentis, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Propter quod & illis qui hoc Sacramentum non accipiunt, contingit quod ſequitur: Qui autem non crediderit, condemnabitur.* In damnatione quidem omnium leviſſima & mitiſſima erunt, qui cum ſolo originali peccato decedunt: ut *S. Auguſtinus* docet, ſed miſeros tamen æternúmque damnatos, ſub diaboli poteſtate, in ejus domo & atrio perpetuò manſuros fides docet. Unde nullatenus tolerari poteſt quorumdam Theologorum error, qui ſcribere auſi ſunt, pueros ſine Baptiſmo decedentes meliorem in naturalibus vitam in perpetuas æternitates ducturos, quàm ullus unquam mortalium duxerit. Hic enim error & à Conciliis Generalibus Lugdunenſi ſecundo & Florentino damnatus eſt, & jam olim ab univerſali Concilio totius Africæ, Sedis Apoſtolicæ auctoritate & totius Eccleſiæ Catholicæ conſenſu roborato, confixus his verbis: *Si quis dicit ideo* » *dixiſſe Dominum*, In domo Patris mei manſio» nes multæ ſunt, *ut intelligatur quia in regno cælorum erit aliquis medius, aut ullus alicubi locus,* » *ubi beatè vivant parvuli, qui ſine Baptiſmo ex hoc vita migrarunt, ſine quo in regnum cælorum, quod eſt vita æterna, intrare non poſſunt, Anathema ſit.* » *Nam cùm Dominus dicat*: Niſi quis renatus fue» rit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in » regnum cælorum, *quis Catholicus dubitet participem fieri diaboli, qui cohæres eſſe non meruit Chriſti?*

Lib. 1. contra Julian. c. 11. Lib. de peccat. Merit. & remiſſ. c. 28. Enchirid. c. 93.

De peccato originali hæc ſcire ut neceſſe eſt, ita ſufficiet Clericis, qui in Seminariis inſtituuntur, & Rectoribus Animarum, cæteriſque Sacerdotibus.

ARTICULUS II.

Quid ſit Peccatum Actuale?

Actualis peccati Definitio.

PEccatum actuale eſt *Voluntas retinendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere.* Ita definit *S. Auguſtinus* Libro *De duabus Animabus contra Manichæos*, cap. XI. & Lib. I. *Retractationum*, cap. V. Sive

Peccatum eſt, factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem.

Lex verò *æterna eſt Ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans.*

Naturalis ordo in eo poſitus eſt, ut ſicut anima corpori, ita ipſius animæ ratio cæteris ejus partibus præponatur, Deóque obtemperet: *Ut homo ſubdat ſibi quod habet commune cum beſtiis, ſubdat Deo quod habet commune cum Angelis.* Pro modulo itaque infirmitatis noſtræ, *Secundùm naturalem legem, quâ naturalis ordo ſervatur, juſtè vivimus, ſi vivamus ex fide non fictâ, quæ per dilectionem operatur: habentes in conſcientia bona ſpem repoſitam in cælis immortalitatis & incorruptionis, & ipſius perficiendæ juſtitiæ, uſque ad quandam ineffabiliter ſuaviſſimam ſaturitatem, quam in iſta peregrinatione oportet eſuriri ac ſitiri, quandiu per fidem ambulamus, non per ſpeciem. Quapropter homini actio ſerviens fidei ſervienti Deo, refrenat omnes mortales delectationes, & eas coercet ad naturalem modum, meliora inferioribus ordinatâ dilectione præponens. Si enim nihil delectaret illicitum, nemo peccaret. Peccat ergo qui delectationem illiciti relaxat potiùs quàm refrenat. Eſt autem illicitum, quod lex illa prohibet, quâ naturalis ordo ſervatur.* Ita *S. Auguſtinus* Lib. XXII. *Contra Fauſtum*, cap. XXVII. & XXVIII.

Peccatum definitur *Factum, dictum, vel concupitum*, id eſt, actus humanus, deliberatus, quo fit, vel dicitur, vel concupiſcitur aliquid: quibus verbis peccati materia deſignatur, quæ vel opus externum eſt, aut verbum, aut interni animi motus. Additur *contra legem æternam*; quibus verbis forma, ut ita loquar, ſeu potiùs deformitas peccati, quæ averſio a Deo eſt, & defectio ab illius lege, deſignatur.

Ruſsùs definiri poteſt peccatum *Perverſa Dei imitatio.* Quæ definitio colligitur ex *S. Auguſtino* Libro II. *Confeſſionum*, cap. VI. ita Deum alloquente: *Perversè te imitantur omnes, qui longè ſe à te faciunt, & extollunt ſe adverſum te. Sed etiam ſic te imitando, indicant Creatorem te eſſe omnis naturæ; & ideo non eſſe quod à te omni modo recedatur.* Id egregiè explicat ibidem: *Nam & ſuperbia* (inquit) *celſitudinem imitatur, cùm tu ſis unus ſuper omnia Deus excelſus. Et ambitio quid niſi honores quærit & gloriam; cùm tu ſis præ cunctis honorandus unus & glorioſus in æternum? Et ſævitia poteſtatum timeri vult: quis autem timendus niſi unus Deus, cujus poteſtati eripi aut ſubtrahi quid poteſt? Quando, aut ubi, aut quò, vel à quo poteſt? Et blanditiæ laſcivientium amori volunt; ſed neque blandius eſt aliquid tua caritate, nec amatur quidquam ſalubrius quàm illa præ cunctis formoſa & luminoſa veritas tua. Et curioſitas affectare videtur ſtudium ſcientiæ: cùm tu omnia ſummè noveris. Ignorantia quoque ipſa atque ſtultitia ſimplicitatis & innocentiæ nomine tegitur: quia te ſimplicius quidquam non reperitur. Quid autem innocentius, quia opera tua malis inimica ſunt? Et ignavia quaſi quietem appetit: quæ verò quies certa præter Dominum? Luxuria ſatietatem atque abundantiam ſe cupit vocari: tu autem es plenitudo & indeficiens copia incorruptibilis ſuavitatis. Effuſio liberalitatis oſtendit umbram: ſed bonorum omnium largitor affluentiſſimus tu es. Avaritia multo poſſidere vult: & tu poſſides omnia. Invidentia de excellentiâ litigat: quid te excellentius? Ira vindictam quærit: te juſtiùs quis vindicat? Timor inſolita & repentina exhorreſcit, rebus quæ amantur adverſantia, dum prǽcavet ſecuritati: tibi enim quid inſolitum, quid repentinum? Aut quis à te ſeparat quod diligis? Aut ubi niſi apud te firma ſecuritas? Triſtitia rebus amiſſis contabeſcit, quibus ſe oblectabat cupiditas, quia ita ſibi nollet, ſicut tibi auferri nihil poteſt. Ita fornicatur Anima cùm avertitur abs te, & quærit extra te ea, quæ pura & liquida non invenit, niſi cùm redit ad te.*

ARTICULUS III.

Deum non esse Auctorem Peccati, Dogma Fidei est.

De causa peccati.

EX peccati definitione liquet, Deum peccati non esse autorem, si quidem justitiæ & æternæ legi, quæ Deus est, adversatur, & aversio est atque defectio ab ultimo fine: Deus autem voluntates hominum a se non avertit, cùm ad se ipsum omnia convertat & ordinet. Scripturæ Sacræ testimoniis hæc veritas nititur: scilicet Deuteronomii xxxii. *Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ ejus judicia: Deus fidelis, & absque ulla iniquitate, justus & rectus.* Psalmo v. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Sapientiæ xi. *Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.* Odio autem habet Deus peccatum (Sapientiæ xiv.) *Odio sunt Deo impius & impietas ejus.* Non est igitur auctor peccati. Ecclesiastici xv. *Non dixeris, Per Deum abest; quæ enim odit, ne feceris.... Non dicas, Ille me implanavit.... Nemini mandavit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi;* id est, nemini vitam prorogavit ea intentione ut peccet. Habacuch I. *Mundi sunt oculi tui ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Ad Romanos v. *Numquid iniquitas apud Deum? Absit.* Jacobi I. *Nemo cùm tentatur dicat, Quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: Ipse autem neminem tentat.* Hinc S. *Augustinus* Libro *De Spiritu & Littera*, cap. xxxi. observat, nusquam legi in Sanctis Scripturis, *Non est voluntas nisi à Deo: Et rectè* (inquit) *non scriptum est, quia verum non est: Alioquin etiam peccatorum, quod absit, auctor est Deus, si non est voluntas nisi ab illo: Quoniam mala voluntas jam sola peccatum est, etiamsi desit effectus, id est, si non habeat potestatem.* Et Libro v. *De Civitate Dei*, cap. ix. *Sicut* (inquit) *omnium naturarum Creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est.*

Item Libro xi. *De Libero arbitrio*, cap. xx. *Omne bonum ex Deo: Nulla ergo natura est quæ non sit ex Deo. Motus ergo ille aversionis, quod fatemur esse peccatum, quoniam defectivus motus est, omnis autem defectus ex nihilo est, vide quò pertineat, & ad Deum non pertinere ne dubites. Qui tamen defectus, quoniam est voluntarius, in nostra est positus potestate.*

Et Tractatu I. in *Joannem*, ad illa verba: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, ait: *Peccatum quidem non per ipsum factum est: & manifestum est, quia peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cùm peccant.*

Idem confirmat *S. Prosper* in Responsione ad Objectiones Vincentianas, cap. x. *Detestanda* (inquit) *& abominanda opinio, quæ Deum cujusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit autorem.... Non ergo casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium Prædestinatio Dei aut excitavit, aut suasit, aut impulit.*

Et *S. Fulgentius*, Libro I. *Ad Monimum*, cap. vi. *Sicut* (inquit) *peccatum in Deo non est, ita peccatum ex eo non est. Quod autem ex eo non est, opus ejus utique non est. Quod autem nunquam est in opere ejus, nunquam fuit in Prædestinatione ejus.* Et cap. xiii. *Quos prædestinavit ad gloriam, prædestinavit ad justitiam: Quos autem prædestinavit ad pœnam, non prædestinavit ad culpam.... Iniquos condemnabit pro impietate vel injustitia, quam in eis Ipse non fecit.*

De causa peccati.

Quamobrem Concilium Arausicanum II. Canone xxv. & Valentinum Canone III. errorem illorum detestantur, illósque Anathemate feriunt, qui dixerint, Deum aliquos ad malum prædestinare. Concilium denique Tridentinum Sessione vi. Canone sexto, dogma Catholicum, cujus in explicatione versamur, luculenter confirmat his verbis: *Si quis dixerit, Non esse in potestate hominis vias suas malas facere; sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissivè solùm, sed etiam propriè & per se: adeo ut sit proprium ejus opus non minùs proditio Judæ quàm vocatio Pauli; Anathema sit.*

Deus peccata permittit non operatur.

Ex hoc Canone colligitur explicatio locorum illorum Scripturæ Sacræ II. Regum xvi. *Dominus præcepit Semei ut malediceret David.* Et cap. xxiv. *Et addidit furor Domini irasci contra Israel & Judam, commovitque David in eis dicentem: Vade, numera Israel & Judam.* Et Joannis XIII. Christus Judæ proditori dixit: *Quod facis, fac citius.* Hæc enim peccata non propriè & per se operatum esse Deum Scriptura significat; sed solùm permisisse. Verbum *Præcepit* priori loco jussionem ac mandatum propriè dictum non significat, sed opportunitatem loci, fugæ, calamitatisque *Davidis*, à Deo procuratam: Quorum occasione *Semei* proprio vitio depravatus, Regi maledicere ausus est. Significat deinde ordinationem maledicentiæ & injuriæ Semei in Regis castigationem & pœnam, quia Deus malâ iniqui illius hominis voluntate usus est ad humiliandum Davidem, quamvis malam illam voluntatem non fecerit. Significat denique Deum permisisse ut Semei malediceret Davidi, non verò id operatum esse; dedisse ei potestatem, non pravam voluntatem. Atque ita etiam *S. Augustinus* intelligendus est, Libro *De gratia & Libero Arbitrio*, cap. xx. *Quomodo* (inquit) *dixerit Dominus huic homini maledicere David, quis sapiens & intelliget? Non enim jubendo dixit, ubi obedientia laudaretur; sed quod ejus voluntatem propria vitio suo malam in hoc peccatum judicio suo justo & occulto inclinavit, ideo dictum est*, Dixit ei Dominus. *Nam si jubenti obtemperasset Deo, laudandus potiùs quàm puniendus esset, sicut ex hoc peccato postea novimus esse punitum.* Præterea, Deus voluntatem Semeï inclinavit ad substantiam actionis, non ad ejus pravitatem: motum voluntatis ejus operatus est, non malitiam: sicut natura causa est oculi, non cæcitatis; & anima, facultásque motrix causa est motûs tibiæ atque incessûs, non claudicationis. Ad aliquid inclinavit quod per se malum non erat, sed quo mala ejus voluntas abusa est ad peccatum externo opere complendum: & id permisit Deus ad probandum & exercendum Davidem. *Nec causa tacita est* (inquit S. Augustinus) *cur ei Dominus isto modo dixerit maledicere David, hoc est, cor ejus malum in hoc peccatum miserit vel dimiserit:* Ut videat, *inquit*, Dominus humilitatem meam, & retribuat mihi mala pro maledicto ejus in die isto. *Ecce quomodo probatur Deum uti cordibus etiam malorum ad laudem atque adjumentum bonorum. Sic usus est Juda tradente Christum, sic usus est Judæis crucifigentibus Christum.* Et infrà cap. xxi. *Agit omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit, qui omnino injustè aliquid velle non novit.* Hoc sensu dicitur Psalmo civ.

Explicantur Scripturæ sacræ loci difficiles.

Convertit

Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, & dolos facerent in servos ejus. Et ad Romanos I. *Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam.... Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ... Sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt.* Et II. ad Thessalonicenses II. *Eo quòd caritatem veritatis non receperunt ut salvi fierent: ideo mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* His enim locis Apostolus significat, Deum permittere ut homines impii & mali, in graviora subinde peccata ruant, gratiam illis subtrahendo suam, justóque judicio ordinare ut peccata subsequentia pœnæ sint præcedentium: Cùm tamen nec illorum, nec istorum autor sit. *His & talibus testimoniis divinorum Eloquiorum* (inquit S. Augustinus) *manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, judicio utique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper tamen justo. Fixum enim debet esse & immobile in corde vestro, quia non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc quando legitis in Litteris Veritatis à Deo seduci homines, aut obtundi, vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præcessisse mala merita eorum, ut justè ista paterentur.... Si autem potens est sive per Angelos vel bonos vel malos, sive quocumque alio modo operari etiam in cordibus malorum, pro meritis eorum, quorum malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab Adam, aut crevit per propriam voluntatem: quid mirum est si per Spiritum-Sanctum operatur in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est ut ipsa corda essent ex malis bona?*

Idem est alterius loci sensus, Deum scilicet adversùs Populum Israël indignatione commotum permisisse ut David incitaretur à Satana ad numerandum Populum, ut dicitur I. *Paralipomenon*, Cap. XXI. *Consurrexit autem Satan contra Israël; & concitavit David ut numeraret Israel.*

Non absimilis est sensus tertii loci: quod enim Christus ait Judæ Proditori, *Quod facis, fac citiùs*; *vox non jubentis est, sed sinentis; nec trepidi, sed parati: qui habens omnium temporum potestatem, ostendit se & moram non facere Traditori; & sic ad redemptionem Mundi paternam exequi voluntatem, ut facinus, quod à persequentibus parabatur, nec impelleret, nec timeret*; (inquit S. Leo Sermone VII. *De Passione Domini.*)

Joan. 13. 27.

Permissivè quoque accipiendum est quod dicitur III. Regum XXII. *Dedit Dominus Spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum Achab.* Et Ezechielis XIV. *Propheta cùm erraverit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum.* Et Isaiæ LXIII. *Quare errare nos fecisti Domine, de viis tuis?* Ut enim ait S. *Augustinus* Libro *De Spiritu & Littera*, Cap. XXXI. *Cùm voluntas mala potestatem accipit implere quod intenditur, ex judicio Dei venit, apud quem non est iniquitas: punit enim etiam isto modo, nec ideo injustè, quia occultè.* Sicut ergo venator, qui canem currendi & mordendi cupidum tenet ligatum, si visâ ferâ solvat, rectè dicitur immisisse in feram, quia permisit ut illam insequeretur: Ita Deus dicitur decipere Pseudoprophetas, & Spiritum mendacii in ore eorum dare, & facere ut errent peccatores à viis ejus; quia permittit ut diabolus illos decipiat, & à recto tramite abducat, quem tamen ligatum tenere, & impedire potest ne noceat. *Nec enim intelligendum est, ex Dei potentiâ vel in malum, vel in bonum aliquem cogi; sed Deo deserente pro meritis ire in malum, & Deo adjuvante sine meritis converti ad bonum*; (inquit S. *Augustinus* Libro I. *Ad Bonifacium*, Cap. XVIII.)

Id confirmat S. *Thomas*, Quæstione III. *De Malo*, Articulo I. *Deus* (inquit) *dicitur tradere aliquos in reprobum sensum, vel inclinare voluntates in malum, non quidem agendo vel movendo, sed potius deserendo, vel non impediendo. Sicut si aliquis non daret manum cadenti, diceretur esse causa casus illius*: Quamvis revera causa non esset, si manum illi porrigere non teneretur, sed justam causam haberet subtrahendi manum, & casum illius permittendi.

Quomodo Deus peccatores excæcat & indurat?

Quamquam verò Deus excæcet oculos, & obduret cor peccatoris, ut dicitur Joannis XII. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum*: Et ad Romanos IX. *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat*: Non propterea peccati autor est, quia *Non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur: Ac potius ut non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur*, inquit S. *Augustinus* Epistolâ CXCIV. alias CV. ad *Sixtum*.

Id præclarè omnino S. *Thomas* explicat Prima Secundæ, Quæstione LXXIX. Articulo III. *Excæcatio* (inquit) *& obduratio duo important. Quorum unum est motus animi humani inhærentis malo, & aversi à divino lumine. Et quantùm ad hoc Deus non est causa excæcationis & obdurationis sicut non est causa peccati. Aliud autem est subtractio gratiæ, ex qua sequitur quòd mens divinitùs non illuminatur ad rectè videndum, & cor hominis non emollitur ad rectè vivendum. Et quantùm ad hoc Deus est causa excæcationis & obdurationis. Est autem considerandum, quòd Deus est causa universalis illuminationis animarum, secundùm illud Joannis I.* Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, *sicut Sol est universalis causa illuminationis corporum, aliter tamen & aliter. Nam Sol agit illuminando per necessitatem naturæ. Deus autem agit voluntariè per ordinem suæ sapientiæ. Sol autem, licèt quantùm est de se omnia corpora illuminet; si quod tamen impedimentum inveniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebrosum, sicut patet de domo cujus fenestræ sunt clausæ: Sed tamen illius obscurationis nullo modo causa est Sol; non enim suo judicio agit ut lumen interiùs non immittat, sed causa ejus est solùm ille qui claudit fenestram. Deus autem proprio judicio lumen gratiæ non immittit illis, in quibus obstaculum invenit. Unde causa subtractionis gratiæ est non solùm ille qui ponit obstaculum gratiæ, sed etiam Deus, qui suo judicio gratiam non apponit. Et per hunc modum Deus est causa excæcationis, & aggravationis aurium, & obdurationis cordis.* Sic autem sumpta excæcatio & obduratio pœna est, non culpa.

Denique cùm Deus dicitur *Creans malum* (Isaiæ XLV.) Et, *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit*; (Amos III.) non peccatum, sed pœnam fecisse intelligendus est, ut explicant S. *Augustinus* Libro *Contra Adimantum*, Cap. XXVI. S. *Gregorius* Libro III. *Moralium*, Cap. VI. & S. *Thomas* I. P. Quæst. XLIX. A. II. Idem est sensus horum verborum Domini Davidi comminantis II. Regum XII. *Suscitabo super te malum de domo tua*, &c. Eodem etiam sensu Isaiæ XIII. dicitur, Deum suscitasse Medos contra Babylonem, ipsísque mandasse ut illam disperderent ac vastarent.

Hunc Articulum absolvat præclara S. *Augustini* Sententia XIV. Libro *De Civitate Dei*, Cap.

XIII. *Ut natura sit, ex eo habet quòd à Deo facta est; ut autem ab eo quod est deficiat, ex hoc quòd de nihilo facta est.* Cui consonat *S. Fulgentius* Libro *De Fide ad Petrum*, Cap. III. *Ideo natura à Deo facta proficere possunt, quia esse cœperunt: Ideo deficere, quia ex nihilo facta sunt: ad defectum eas ducit conditio originis: ad profectum verò provehit potentia Creatoris.*

Quo sensu aliquos ad interitum prædestinatos S. Augustinus dixerit?

Neminem moveat locus ille *S. Augustini*, Libro *De Perfectione Justitiæ*, Cap. XIII. *Hoc bonum quod est requirere Deum, non erat qui faceret, non erat usque ad unum, sed in eo genere hominum quod prædestinatum est ad interitum.* Nihil enim aliud *S. Augustinus* significat, cùm ad interitum quosdam prædestinatos affirmat, *Nisi ad interitum supplicii, non delicti: neque ad malum quod injustè admittunt, sed ad cruciatum quem justissimè patientur; nec ad peccatum quo primæ resurrectionis beneficium amittunt, sed ad tormentum quod illis propria iniquitas malè parit, & æquitas divina benè retribuit.* Ita hanc *S. Augustini* locutionem explicat *S. Fulgentius* Libro I. ad *Monimum*, Cap. V.

ARTICULUS IV.

Explicatur divisio peccati actualis in mortale & veniale.

Definitio peccati mortalis.

PEccatum actuale aliud *Mortale*, aliud *Veniale* est. Id inter utrumque discriminis intercedit, quod mortale sit *Aversio à Deo tamquam ab ultimo fine, & conversio ad creaturam*; sive, *Adhæsio creaturæ tamquam ultimo fini.* Quod tunc fit, cùm homo creaturis fruitur, quibus uti dumtaxat debet.

Quid frui? Quid uti?

Frui est amore alicui rei inhærere propter seipsam. Uti verò est, quod in usum venerit, ad id quod amas obtinendum referre, si tamen amandum est. Res illæ quibus fruendum est, beatos nos faciunt. Istis quibus utendum est, tendentes ad beatitudinem adjuvamur, & quasi adminiculamur, ut ad illas, quæ nos beatos faciunt, pervenire, atque his inhærere possimus. Nos igitur qui fruimur & utimur inter utrasque constituti, *Si eis quibus utendum est, frui voluerimus, impeditur cursus noster, & aliquando etiam deflectitur, ut ab his rebus, quibus fruendum est, obtinendis vel retardemur, vel etiam revocemur, inferiorum amore præpediti.*

Solo Deo fruendum, Creaturis utendum.

Solo Deo fruendum est, utendum creaturis. *Quomodo ergo si essemus peregrini, qui beatè vivere nisi in patria non possemus, eâque peregrinatione utique miseri, & miseriam finire cupientes, in patriam redire vellemus, opus esset vel terrestribus vel marinis vehiculis quibus utendum esset ut ad patriam quâ fruendum erat, pervenire valeremus; quòd si amœnitates itineris, & ipsa gestatio vehiculorum nos delectaret, & conversi ad fruendum his quibus uti debuimus, nollemus citò viam finire, & perversâ suavitate implicati, alienaremur à patria, cujus suavitas faceret beatos: Sic in hujus mortalitatis vitâ peregrinantes à Domino, si redire in patriam volumus, ubi beati esse possimus, utendum est hoc Mundo, non fruendum, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur, hoc est, ut de corporalibus temporalibúsque rebus æterna & spiritualia capiamus.* Ita *S. Augustinus* Libro I. *De Doctrina Christiana*, Capp. III. & IV.

Definitio peccati venialis.

Veniale autem peccatum est *Inordinatus ad creaturam affectus, servato ordine ultimi finis.* Quod tunc fit, cùm homo ita comparatus est ut creaturam Deo præponere nolit, & à Deo velut ab ultimo fine averti, atque in re temporali velut in ultimo fine quiescere, Dei amicitiam violare, & legem ejus transgredi in re gravi, divinamque amicitiam solvente seu caritatem exstinguente.

Peccati venialis à mortali multiplex discrimen.

Peccatum igitur mortale penitus evertit ordinem hominis ad Deum ut ad finem ultimum, seu conjunctionem illius cum Deo ut ultimo fine, quæ fit per caritatem: Peccatum autem veniale hunc ordinem non evertit, adeóque caritatem non exstinguit, sed minuit dumtaxat ejus fervorem: & ordine ad finem ultimum servato, perturbat ordinem eorum quibus ad finem obtinendum utendum est. Plus scilicet rebus creatis afficitur quam par sit, in illísque nimiùm hæret: Extra viam non aberrat, nec à via penitus deflectit, sed in ipsa via per aliquas ambages & circuitus tendens, à finis consecutione retardatur. Hinc peccatum mortale *Contra legem* esse, veniale *Præter legem*, ait *S. Thomas*: Non quòd veniale non sit etiam divinâ lege prohibitum; sed quòd non ita repugnet legi, ut ordinem ac finem ejus evertat, scilicet caritatem: quia tamen in aliquo recedit ab ordine legis, præter legem esse dicitur. Cùm autem Deus vita sit animæ, ipsíque per caritatem conjungatur, secundùm illud I. Joannis IV. *Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in illo*: Mortale peccatum, quod hominem penitus à Deo separat, & caritatem exstinguit, dicitur *Mors animæ*: Non autem veniale. Hinc *S. Augustinus* Libro *De Perfectione Justitiæ*, Cap. VI. *Peccatum est*, inquit, *cùm vel non est caritas quæ esse debet, vel minor est quàm debet; sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit: quia si potest, præsens voluntas hoc facit: si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit; & tamen vitari potest, non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adjuvatur.*

Discrimen alterum inter mortale & veniale peccatum est, quòd peccatum mortale sit irreparabile habitâ ratione statûs in quo constituit peccatorem; cùm in eo penitus exstinguat vitæ spiritualis principium: Sicut mors dicitur malum irreparabile, quia nullum in natura principium est, quo mortuus ad vitam revocari valeat, quamvis Deus mortuos suscitare possit. Veniale autem peccatum reparabile est, quia principium interius vitæ spiritualis, scilicet caritas, manet in homine justo venialiter peccante, quâ peccatum illud curari ac deleri potest. Unde vel in hoc sæculo, vel in futuro, nimirum in Purgatorio dimittitur: Mortale verò nusquam in futuro, si in hoc sæculo dimissum non fuerit.

Tertium discrimen est, quòd peccatum mortale hominem pœnæ æternæ, quæ *Secunda mors* in Scripturis vocatur, obnoxium faciat: Veniale verò pœnæ dumtaxat temporali.

ARTICULUS V.

Veniale peccatum à mortali suapte natura, non ex sola relatione ad misericordiam Dei illud facile condonantis, distingui ostenditur.

INtrinsecum venialis mortalisque peccati discrimen ex Scriptura Sacra & Traditione demonstratur. Nam *Matthæi* Cap. VII. quædam peccata comparantur *festucæ*, quædam *trabi*; & Cap. XXII.

Cap. XXII. quædam *culici*, quædam *camelo*: & I. ad *Corinthios III.* quædam *ligno*, *fœno*, *stipulæ*, quæ facilè absumuntur, ut significetur illa facilè remitti, qoia super fondamentum superstruuntur; id est, caritate, quæ spiritualis ædificii fundamentum est, manente in anima, committuntur. Unde Apostolus ibidem ait; eorum autorem salvum fore: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*: cùm è contrario de aliis, qui graviora committunt, ibidem dicat: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Et ad Galatas V. *Qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.*

Justi quotidie peccant.

Præterea, Justi ipsi qootidie peccant, nec tamen in peccata mortalia quotidie labuntur, cùm nihilominùs justi, sancti, mundi, immaculati in Sacra Scriptura dicantur. Justos ipsos quotidie peccare, constat ex sequentibus testimoniis. Proverbiorum XXIV. *Septies cadet Justus, & resurget.* Ecclesiastis VII. 21. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Jacobi III. 2. *In multis offendimus omnes.* I. Joannis I. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quòd autem justi oihilominus permaneant, sequentia testimonia perspicuè probant. *Genesis* VI. *Noë vir justus atque perfectus fuit.* Job I. *Erat vir ille simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Psalmo CXVIII. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Danielis VI. *Coram eo justitia inventa est in me.* Lucæ I. de Zacharia & Elizabeth: *Erant justi ambo ante Deum.* Joannis XIII. de Apostolis: *Vos mundi estis, sed non omnes.* Mundi autem, justi, & immaculati dici non possunt, qui mortalibus peccatis animam suam inquinant; de qoibus dicitur Osee IX. *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt*; Ezechielis 14. *Qui posuerit immunditias suas in corde suo*; & ad Titum I. *Inquinata sunt eorum & mens & conscientia.*

Lutherus & Calvinus.

Procul ergo Hæretici; qui omnia Fidelium ac Justorum peccata venialia esse propugnant, non suapte naturâ, sed quia ex Dei misericordia veniam consequuntur. Eorum error Sanctorum Patrum testimoniis etiam refellitur. Ex multis *Hieronymum*, *Ambrosium*, *Augustinum*, *Cæsarium Arelatensem* seligo.

S. Hieronymus in Cap. II. Jeremiæ: *Qui levi peccatorum sorde maculatus est, levioribus purgatur monitis. Porrò peccata graviora, quæ ad mortem trahunt, nec nitro, nec herbâ borith dilui possunt, sed gravioribus tormentis indigent.*

S. Ambrosius Libro II. *De Pœnitentia*, Cap. X. *Quotidiani nos debet pœnitere peccati, sed hæc* (quotidiana scilicet Pœnitentia) *delictorum leviorum: Illa graviorum*:) quæ scilicet publicè agitur.) Et Enarratione in Psalmum XLIII. explicans hunc Versum: *Et non fuit multitudo in commutationibus eorum*: ait: *Est etiam illud, ut non sit multitudo in commutationibus gravium peccatorum, secundùm quod scriptum est, quia* Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia in judicium: quosdam autem & subsequuntur. *Quæ gravia sunt atque manifesta, præcedunt, & sine ulla dubitatione merguntur: quæ autem leviora sunt, bonis operibus sæpe relevantur.... Ubi autem iniquitas prepondet, nullâ bonorum operum commutatione revocatur.*

I. ad Timoth. 5. 24.

Non omne peccatum crimen est.

S. Augustinus in *Enchiridio*, Cap. LXIV. *Interest* (inquit) *quantùm peccent. Neque enim quia peccatum est omne crimen, ideo crimen est etiam omne peccatum. Itaque Sanctorum hominum vitam inveniri posse dicimus sine crimine: peccatum autem si dixerimus quia non habemus, nos seducimus.* Et Cap. LXX. *Sanè cavendum est, ne quisquam existimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, Regnum Dei non possidebunt, quotidie perpetranda, & eleemosynis quotidie redimenda. In melius quippe est vita mutanda, & per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodo, ut ea semper liceat impunè committere.... De quotidianis autem brevibus levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana Fidelium oratio satisfacit... Delet omninò hæc oratio minima & quotidiana peccata.*

Deus non est, ut eternaliter quodam modo eleemosynis, ut semper liceat impunè peccare.

Idem Sermone III. in Psalmum CXVIII. *Quoniam* (inquit) *Tentatio est vita humana super terram; etiamsi à criminibus longè simus, non tamen deest ubi desideriis peccati, vel facto, vel dicto, vel cogitatu obediamus; quando adversùs majora vigilantibus, quædam incautis minuta subrepunt: quæ si adversùs nos colliguntur, etsi non singula suis molibus corruunt, omnia tamen acervo nos obruunt. Et propter hæc, etiam hi qui ambulant in viis Domini, dicunt,* Dimitte nobis debita nostra: *Quoniam ad vias Domini ipsa oratio pertinet, quamvis non ad eas peccata pertineant.*

Quædam incautis minuta subrepunt.

Quæ leviora quotidiana que peccata?

Et Sermone CCCLI. aliàs I. inter Homilias quinquaginta, quotidianam Pœnitentiam agendam esse docet ob leviora illa quotidianaque peccata, qualia sunt habere inter se jodicia & lites de secolaribus rebos, quod Apostolus *delictum* esse dicit, quamvis ferendum, si ad infidelium tribunalia non deferantur: conjugii usus voluptatis solius causâ, non generandæ prolis; quem tamen Apostolus ut peccatum esse demonstraret, sed infirmitati concessum, *Secundùm veniale permitti, non secundùm imperium* fieri ait; & alia hujusmodi, de quibus idem *S. Augustinus* subjungit: *Quam multa sunt alia peccata, sive in loquendo de rebus & negotiis alienis, quæ non ad te pertinent; sive in vanis cachinnationibus, cùm scriptum sit,* Stoltus in risu exaltat vocem soam, sopiens autem vix tacitè ridebit: *Sive in ipsis escis, quæ ad necessitatem sustentandæ hujus vitæ præparantur, avidior atque immoderatior appetitus, sæpè excessum modum pestridiana cruditate contestans: sive in vendendis & emendis rebus caritatis & vilitatis vota perversa. Piget cuncta colligere, quæ quisque in se ipso certiùs comprehendit, si divinarum Scripturarum speculum non negligenter attendat. Quæ quamvis singula non lethali vulnere ferire sentiatur, sicuti homicidium & adulterium: tamen omnia simul congregata, velut scabies, quò plura sunt, necant, aut nostrum decus ita exterminant, ut ab illius Sponsi speciosi formâ præ filiis hominum castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ Pœnitentiæ desiccentur.* Omnia simul congregata necare, aut animæ decorem ita exterminare, ut illam à cœlestis Sponsi castis amplexibus separent, *S. Augustinus* ait, non quòd plura peccata venialia mortem animæ per se inferant, aut in ea gratiam & caritatem, in quibus posita est ejos pulchritudo, exterminent; sed quòd ad mortale peccatum disponant, cùm eorum frequentatione cupiditas augeatur, caritas minuatur & refrigescat; animus violationi Legis Dei in minoribus rebos assuescens sensim propensionem contrahat ad lapsum etiam in majoribus; & divinæ gratiæ ad graves tentationes vincendas necessariis auxiliis, in pœnam venialium peccatorum, quæ vitare negligit, interdum privetur. Hinc illod Ecclesiastici XIX. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Hinc *S. Gregorius* Libro X. *Moralium*, Cap. IX. *Ex vanitate* (inquit) *ad iniquitatem ducitur, cùm priùs per levia delicta deflectimus, ut usu cuncta levigante, nequaquam post commitere etiam graviora*

I. Cor. 6.

I. Cor. 7.

Eccli. XXI.

Plura peccata venialia simul sumpta mortem animæ non inferunt.

timeamus. Nam dum moderari lingua otiosa verba negligit, more insolita remissionis capta, audax ad noxia prorumpit... Si enim curare parva negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam majora perpetramus.

Atque juxta hunc sensum intelligenda sunt similia S. *Augustini* loca, scilicet Tractatu XII. in Johannem. *Evigilate* (inquit) *cùm dies est: Christus est dies. In dilectione & misericordia sine qui ambulas, etiam liberatus ab illis lethalibus & grandibus peccatis, qualia sunt facinora, homicidia, furta, adulteria, propter illa quæ minuta videntur esse peccata linguæ, aut cogitationum, aut immoderantiæ in rebus concessis, facis veritatem confessionis, & venit ad lucem in operibus bonis: quoniam minuta plura peccata, si negligantur, occidunt. Minutæ sunt guttæ, quæ flumina implent; minuta sunt grana arenæ, sed si multa arena imponatur, premit, atque opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens: paulatim per sentinam intrat, sed diu intrando, & non exhauriendo mergit navim. Quid est autem exhaurire, nisi bonis operibus agere ne obruant peccata, gemendo, jejunando, tribuendo, ignoscendo?*

Quæ sint mortalia, quæ minuta & venialia peccata? Ita etiam intelligendus est S. *Cesarius* Arelatensis Episcopus Homilia VII. aliàs S. *Augustino* adscriptâ, & inter Sermones illius *De Sanctis* XLI. ubi mortalium & venialium peccatorum distinctionem confirmat, & quænam illa sint exemplis ostendit. *Quamvis* (inquit) *Apostolus capitalia plura commemoravit, nos tamen ne desperationem facere videamur, breviter dicimus quæ sint illa: Sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapina, superbia, invidia, avaritia; & si longo tempore teneatur, iracundia; & ebrietas, si assidua sit, in eorum numero computatur. Quicumque enim aliqua de istis peccatis in se dominari cognoverit, nisi dignè se emendaverit, si habuerit spatium, longo tempore Pœnitentiam egerit, & largas eleemosynas erogaverit, & à peccatis ipsis abstinuerit; illo transitorio igne, de quo ait Apostolus, purgari non poterit, sed æterna illum flamma sine ullo remedio cruciabit.*

Quæ autem sint minuta peccata, licèt omnibus nota sint, tamen quia longum est ut omnia replicentur, opus est, ut ex eis vel aliqua nominemus. Quoties aliquis aut in cibo aut in potu plus accipit quàm necesse sit, ad minuta peccata noverit pertinere. Quoties plus loquitur quàm expedit. Quoties pauperem importunè petentem exasperat. Quoties cùm corpore sit sanus, aliis jejunantibus prandere voluerit; aut somno deditus tardiùs ad Ecclesiam surgit. Quoties excepto desiderio filiorum, uxorem suam cognoverit. Quoties in carcere clausos & in vinculis positos tardiùs requisierit. Quoties infirmos tardiùs visitaverit. Si discordes ad concordiam revocare neglexerit. Si plus aut proximum, aut uxorem, aut filium, aut servum exasperavit quàm oportet: si ampliùs fuerit blanditus quàm expedit. Si cuicumque majori personæ aut ex voluntate, aut ex necessitate adulari voluerit. Si pauperibus esurientibus cibum non dederit, aut si nimium deliciosa aut sumptuosa sibi convivia præparaverit. Si se in Ecclesia, aut extra Ecclesiam, fabulis otiosis, de quibus in die judicii ratio reddenda est, occupaverit. Si dum incautè juramus, & cùm hoc per aliquam necessitatem implere non poterimus, utique perjuramus. Et cum omni facilitate vel temeritate maledicimus, cùm scriptum sit: « Neque maledici Regnum Dei possidebunt. *Et cùm aliquid suspicamur temerè, quod tamen plerumque non ita, ut credimus, comprobatur, sine ulla dubitatione delinquimus. Hæc enim & his similia ad minuta peccata pertinere non dubium est, quæ, sicut jam dixi, numerari vix possunt, & à quibus non solùm Populus Christianus, sed etiam nullus Sanctorum immunis esse potuit aliquando aut poterit. Quibus peccatis licèt occidi animam non credamus; ita tamen eam velut quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie replentia, deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius Sponsi cœlestis aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant: de quo scriptum est,* « Aptavit sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. *Et ideo* « *continuis orationibus, & frequentibus jejuniis & largioribus eleemosynis, & præcipuè per indulgentiam eorum qui in nos peccant, assiduè redimantur, ne fortè simul collecta cumulum faciant, & demergant animam.*

a 1. Cor. 6. 10.

Nullus Sanctorum à peccatis venialibus immunis.

Ephes. 5.

Denique, *Nullum esse peccatum ex natura suâ veniale, sed omne peccatum mereri mortem æternam*; vigesimus est inter Articulos *Michaëlis Baii* à *Pio Quinto* & *Gregorio XIII.* damnatos.

Baii damnatus error.

Huic nihilominus Assertioni favere quispiam objiciet S. *Basilium* in Regulis Brevioribus, ad Interrogationem CCXIII. scribentem: *Primò scire illud convenit, differentiam hanc majorum & minorum peccatorum nusquam in Novo Testamento reperiri.*

SS. Basilii & Augustini testimonia contra venialis à mortali peccato discrimen explicantur.

Favere videtur & illud S. *Augustini* Libro II. *De Peccatorum Meritis & Remissione*, Cap. III. scribentis: *Quis cum aliqua spe adipiscendæ salutis æternæ ex hac vita migraret, manente illa Sententiâ, quòd quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, nisi post paululum sequeretur, Superexaltat autem misericordia judicio.* Item illud ejusdem S. Doctoris Libro IX. *Confessionum*, Cap. XIII. *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ misericordiâ discutiat eam.*

Jacobi 2.

Verùm facilis est ad hæc testimonia Responsio. Ad primum enim respondetur, Mentem S. *Basilii* hanc esse, quòd non reperitur differentia majorum & minorum peccatorum in eo posita, quòd minora contemni debeant, aut libenter committi, graviora dumtaxat caveri: non autem quòd nullum prorsus inter illa discrimen reperiatur. Id constat ex Interrogatione cui respondet, his verbis conceptâ: *Quomodo agi par est cum iis, qui cum majora peccata declinent, minora perinde ac si nihil referret, committunt?* Quo sensu ad Interrogationem IV. dixerat, *Nihil omnino tanquam minutum contemni debere.* Et in Psalmum LXI. *Dum exigui sunt momenti, & eamdem in pauco numero quæ admittimus peccata, leviter ac sensim aliquo usque movemur... Mox ubi plura accesserint graviorâque peccata, juxta proportionem coalescentis peccati intendi solet anima agitatio.*

Ad primum S. *Augustini* locum respondetur, illum ita scripsisse, non quòd existimaret peccatum veniale pœnam æternam mereri, sed quòd nemo certò sciat an peccati alicujus lethalis non sit reus, quòd peccata venialia sensim ad mortale disponant. Nam S. *Augustinum* laudatam Apostoli Jacobi Sententiam, *Quicumque totam legem servaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus*, de peccato mortali dumtaxat intellexisse, quo à caritate excidit homo, constat ex Epistolâ illius CLXVII. aliàs XXIX. ad S. *Hieronymum* scripta. Necesse tamen est, ut superexaltet misericordia judicio, quia Regnum cœlorum adipisci non possumus, nisi Christi sanguine à peccatis etiam venialibus emundati. Quam misericordiam justus misericordiæ & pietatis operibus quodammodo debitam sibi fecit. En integrum S. *Augustini* locum. *Acutè sibi videatur dicere, quasi nostrùm hoc nullus ignoret: quòd si nolumus, non peccamus, nec præciperet Deus homini, quod humanæ esset impossibile voluntati. Sed hoc non vident, quòd ad nonnulla superanda vel quæ malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur, magnis aliquando & totis viribus opus est*

Deus non præcipit homini, quod impossibile est humanæ voluntati.

voluntatis, quas nos non perfectè in omnibus adhibituros prævidit, qui per Prophetam veridicè dici voluit,
Psal. 142. 2. Non justificatur in conspectu tuo omnis vivens. *Tales itaque nos Dominus futuros prævidens, quædam salubria remedia contra reatum & vincula peccatorum etiam post Baptismum dare ac valere dignatus est, opera scilicet misericordiæ, cùm ait*: Di-
Matth. 6. 14. mittite, & dimittetur vobis; date, & dabitur vobis. *Quis enim cum aliqua spe adipiscendæ salutis æternæ ex hac vitâ migraret*, &c.

Respondetur secundò, *S. Augustinum*, cùm ait: *Quis cum aliqua spe adipiscendæ salutis æternæ ex hac vitâ migraret?* &c. non loqui de Justis tantùm, qui solis peccatis venialibus obstricti sunt, sed de omnibus omninò hominibus, quatenus in graviora peccata ruere possunt præcipites, nisi gratiæ divinæ præsidio servarentur. Quæ nisi ex divinæ misericordiæ inexhaustis fontibus ubertim manaret, nemo cum aliqua spe adipiscendæ salutis æternæ ex hac vitâ migraret: quia tentationibus, quæ non solùm ad venialia, sed etiam ad lethalia peccata alliciunt & abripiunt, facilè vinceretur. Eam esse *S. Augustini* mentem, evidens est ex errore quem sibi proponit eo in Libro oppugnandum. *Sunt enim quidam* (inquit) *tantùm præsumentes de libero humanæ voluntatis arbitrio, ut ad non peccandum nec adjuvandos nos divinitus opinentur, semel ipsi naturæ nostræ concesso liberæ voluntatis arbitrio. Unde fit consequens ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem, hoc est, ne in tentatione vincamur, vel cùm fallit & præoccupat nescientes, vel cùm premit atque urget infirmos. Quàm sit autem noxium, & saluti nostræ, quæ in Christo est, perniciosum atque contrarium, ipsique Religioni quâ imbuti sumus, & pietati quâ Deum colimus, quàm vehementer adversum, ut pro tali accipiendo beneficio Deum non rogemus, atque in ipsa Oratione Dominica*, Ne nos nos inferas in tentationem, *frustra positum existimemus, verbis explicare non possumus.* Id itaque probandum sibi sumpsit contra Pelagianos hoc in Libro *S. Augustinus*, Nullum in hoc seculo vivere aut vixisse, aut victurum esse sine ullo omnino peccato, excepto uno Mediatore Dei & hominum homine Jesu Christo: (Deiparam Virginem cum ipso pariter excipimus) & hujus quæstionis solutionem de hominis vita sine ulla subreptione peccati, propter quotidianas etiam orationes nostras maximè necessariam esse notat. Unde fit, ut cùm ait interrogando, *Quis enim cum aliqua spe adipiscendæ salutis æternæ ex hac vitâ migraret?* &c. non spectet justorum duntaxat statum quatenus peccatis venialibus obnoxii sunt; sed omnium hominum, quatenus tentationum periculis sunt expositi, quibus concuti possunt & abripi in peccatum lethale.

Ad alterum *S. Augustini* locum respondetur, His verbis non significari, quòd vitæ laudabilis homines pœnas æternas mereantur propter venialia peccata, quæ committunt; sed quod acerbis & prolixis Purgatorii pœnis plerumque digni sint, quas reipsa experirentur nisi Deus propter Christum eas remitteret, vel temperaret. Unde ipsi Sancti divinâ misericordiâ maximè indigent, præsertim cùm plurima quæ hominum judicio levia censentur, Dei judicio graviora sint. Unde pro omnibus Fidelibus defunctis, etiam illis qui laudabiliter vixerunt, orandum est, ut Deus illis ignoscat, & ut suam erga illos misericordiam magis quàm judicium exerceat. Id occasione Matris suæ Piissimæ Monicæ dictum à *S. Augustino*, cujus sensum aperit loci series. *Fundo tibi* (inquit) *Deus noster, pro illa Famula tua longè aliud lacrymarum genus, quod manat de concusso spiritu considerations periculorum omnis Animæ, quæ in Adam moritur. Quanquam illa in Christo vivificata, etiam nondum à carne resoluta sic vixerit, ut laudetur nomen tuum in fide moribúsque ejus, non tamen audeo dicere, ex quo eam per Baptismum regenerasti, nullum verbum exisse ab ore ejus contra præceptum tuum, & dictum est à Veritate filio tuo*:
Matth. 5. Si quis dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis. *Et væ etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ misericordiâ discutias eam. Quia verò non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus aliquem apud te locum invenire indulgentiæ.* Hominis vera merita, Dei munera. *Quisquis autem tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua? ... Ego itaque laus mea, & vita mea Deus cordis mei, sepositis paulisper bonis ejus actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis Matris meæ deprecor te, exaudi me per Medicinam vulnerum nostrorum quæ pependit in ligno, & sedens ad dexteram tuam te interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatam, & ex corde dimisisse debita debitoribus suis, dimitte illi & tu debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos post Aquam salutis. Dimitte Domine, dimitte obsecro, ne intres cum ea in judicium. Superexaltet misericordia judicium, quoniam eloquia tua vera sunt, & promisisti misericordiam misericordibus.*

ARTICULUS VI.

Peccatum Actuale aliud commissionis, aliud omissionis.

PEccatum commissionis est actio prava, quâ id facit homo, quod lex prohibet, sicut cùm occidit, mœchatur, mentitur, &c. (Quid est peccatum commissionis?)

Peccatum omissionis est prætermissio boni quod lex præcipit, ut cùm rem alienam non restituit, eleemosynam non erogat, statas preces non recitat, Sacrum non audit, &c. (Quid peccatum omissionis?)

Prius nomine *peccati* simpliciter, posterius nomine *delicti*, in Scriptura Sacra interdum significatur, Levitici VII. 7. *Sicut pro peccato offertur hostia, ita & pro delicto.* Et cap. XIV. 13. *Sicut pro peccato, ita & pro delicto ad Sacerdotem pertinet hostia.* Qua de re *S. Augustinus*, Quæstione XX. in Leviticum.: *Fortassis* (inquit) *peccatum est perpetratio mali: delictum autem desertio boni. Nam ipsum vocabulum si discutiatur, quid aliud erit delictum, quàm derelictum: & qui delinquit, quid derelinquit nisi bonum?* Quamvis aliàs promiscuè usurpentur in Scripturis peccati & delicti nomina, vel etiam aliud inter utrumque discrimen Patres assignent.

Peccatum omissionis est contra præcepta affirmantia, peccatum commissionis contra præcepta negantia. Præcepta negantia sunt ea quæ malum prohibent, verbi gratiâ, *Non occides: Non mœchaberis; Non furtum facies.* Affirmantia sunt ea quæ bonum præcipiunt, verbi gratiâ, *Memento ut diem Sabbati sanctifices: Honora Patrem tuum & Matrem tuam*: Præcepta negativa obligant semper, & pro semper, ut loquuntur Theologi post *Sanctum Thomam*: Affirmativa obligant semper sed non pro semper: *Et ideò solùm pro tempore illo aliquis cessando ab actu peccat, pro quo præceptum affirmativum obligat*; (inquit *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione LXXI. Articulo V. ad III.) Sive, cùm implendi præcepti tempus adest, & facultas, & tamen non (Præcepta affirmativa & negativa.)

impletur deliberatâ voluntate. Si enim præcepti implendi facultas non adsit, verbi gratiâ, si quis propter gravem infirmitatem Sacro non adsit die festo, aut non jejunet die quæ jejunio consecrata est ex præcepto Ecclesiæ, omissio illa non est peccatum. Similiter, si omissio sit omnino involuntaria, tum in se, tum in sua causâ, nullum peccatum est. Si verò in se quidem sit involuntaria, sed tamen volita sit in sua causâ; verbi gratiâ, si quis ebrietate sepultus; aut operi ex objecto, vel ex circumstantia illicito vacans; aut somno indulgens, quia noctem totam ludendo, aut aliquod aliud opus ad caritatem non pertinens agendo consumpsit, non cogitat de præcepto implendo, reus est omissionis. Si enim actus ex quo sequitur peccatum sit illicitus, *Non taliter aliquis excusatur à peccato sequenti, quod scilicet redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus, in quantum aliquis dans operam rei illicitæ incidit in sequens peccatum. Diminuitur autem peccatum sequens, sicut & diminuitur ratio voluntarii.* Unde *S. Augustinus* Lib. xx. *Contra Faustum*, cap. XLIV. *dicit quod Loth culpandus est, non quantum ille incestus, sed quantum ebrietas meruit.* Ita *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CL. Articulo IV. Ex quo sequitur illum peccare, qui rationis usu suâ culpâ destitutus, aut facit quod non licet, aut non facit quod debet; si id prævidetur, aut prævidere debuerit.

ARTICULUS VII.

Peccata quædam spiritualia sunt, alia carnalia.

PEccatum ratione objecti, à quo speciem & distinctionem habet, dividitur in spirituale & carnale. Peccata spiritualia sunt illa quæ perficiuntur in delectatione spirituali: Carnalia, quæ consummantur in delectatione carnali. Superbia, verbi gratiâ, peccatum spirituale est quâ nimirum propriâ excellentiâ homo delectatur: Gula verò quæ consummatur in delectatione ciborum, & luxuria quæ consummatur in delectatione venereorum, carnalia peccata sunt. Septem capitalium vitiorum quinque spiritualia esse, scilicet superbiam, avaritiam, invidiam, iram, acediam; duo carnalia, scilicet luxuriam & gulam, *S. Gregorius* docet Lib. XXXI. *Moralium*, cap. XVII. In Scriptura Sacra fundamentum habet ista peccatorum divisio, dicente Apostolo II. ad Corinthios VII. 1. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Carnis enim inquinamentum est peccatum, quod carnali voluptate consummatur: Inquinamentum verò spiritûs est peccatum, cujus consummatio sine sensuum voluptate consistit.

Peccati carnalis multiplex acceptio.

Alio modo peccata carnalia dicuntur generali quadam ratione, quæ ab homine carnali, sive secundùm carnem vivente perpetrantur, quamvis in carnis voluptate non consummentur. Vivit autem homo secundùm carnem, cùm vivit secundùm seipsum, quia Scriptura hominem nomine carnis appellat. Et vivendo secundùm seipsum peccat, cui secundùm Deum vivendum est. Homo enim ita à Deo factus est rectus, *Ut non secundùm seipsum, sed secundùm eum à quo factus est, viveret: id est illius potiùs, quàm suam faceret voluntatem: Non autem ita vivere, quemadmodum est factus ut viveret, hoc est mendacium. Beatus quippe vult esse, etiam non sic vivendo ut possit esse. Quid est ista voluntate mendacius? .... Ergo mendacium est, quod cùm fiat ut benè sit nobis, hinc potiùs male est nobis; vel cùm fiat ut meliùs sit nobis, hinc potiùs pejus est nobis. Unde hoc, nisi quia de Deo potest bene esse homini, quem delinquendo deserit; non de seipso, secundùm quem vivendo delinquit?* Verba sunt *S. Augustini* Lib. XIV. *De Civitate Dei*, cap. IV. Hoc sensu vitia carnis dicuntur, quæ recenset Apostolus, ad Galatas V. *Manifesta sunt opera carnis; quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitia, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, Quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.* Et ad Romanos VIII. *Non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum. Qui enim secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt: Qui verò secundùm spiritum sunt, quæ sunt spiritus sentiunt.... Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis.... Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

De Deo bene potest esse homini, non de seipso.

Alio sensu paulò minùs communi dicuntur peccata carnis, quæ circa res corporeas & externas versantur. Sic avaritiam inter peccata carnalia recenset Apostolus ad Ephesios V. 3. *Fornicatio, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet.*

Strictiori tandem acceptione peccatum carnis luxuria dicitur, vel quia in delectatione carnis omnium maximâ consummatur, vel quia in hujusmodi peccato ita servit anima corpori, ut nihil aliud homini tunc cogitare liceat, cùm in fœdam illam voluptatem immersus est.

ARTICULUS VIII.

Peccatum aliud est in Deum, aliud in seipsum, aliud in proximum.

CUm enim peccatum omne sit defectio ab ordine, triplex autem ordo in homine esse debeat, scilicet ordo ad Deum, ad seipsum, & ad proximum; rectè dividitur peccatum ex parte eorum in quos peccatur, in peccata contra Deum, contra nos ipsos, & contra proximum.

Peccata in Deum.

Quanquam verò omnia peccata generali quadam ratione sint contra Deum, quia sunt transgressiones legis æternæ: illa tamen peccata propriè dicuntur contra Deum, quæ directè & immediatè contra divinam illius Majestatem pugnant, aut defectiones sunt ab ordine illo humanâ ratione superiori, quo homo speciatim in Deum ordinatur; sive quæ prævaricationes sunt divinæ legis in his quæ debentur soli Deo. Hujus generis sunt idololatria, hæresis, desperatio vel præsumptio de misericordia divina, odium Dei, blasphemia, sacrilegium, impœnitentia: & generatim quæcunque Theologicis Virtutibus, Religioni, & Pœnitentiæ, quæ justitia quædam est

hominis ad Deum retarciens injuriam ejus irrogatam Majestati, repugnant.

Peccata in nos ipsos.

Peccata contra nos ipsos sunt ea quibus violatur ordo rationis, quem quisque servare debet erga se ipsum, ut ebrietas, fornicatio, prodigentia.

Peccata in proximum.

Peccata in proximum sunt ea quibus violatur ordo rationis erga cæteros homines servandus, sive superiores nobis sint, sive æquales, sive inferiores; sive nobis conjuncti, sive alieni; sive domestici, sive extranei; ut furtum, homicidium, perduellio, inobedientia, contumelia, calumnia, detractio, & quæcunque verbis aut factis alteri fit injuria.

Triplicem illum ordinem hominis, ad Deum scilicet, ad seipsum, & ad proximum hac Sententiâ complexus est Apostolus, ad Titum II. 11. 12. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc seculo.* Hinc *S. Fulgentius*, Lib. I. *De Remissione peccatorum*, cap. XXVIII. hunc locum explicans, ait: *Sobrietatem custodit, quisquis mores suos vitámque componit. Et ille justè vivit, qui proximo nec mali aliquid ingerit, & in quantum potest, adjutorium bonæ operationis impendit. Ille etiam piè vivit, qui perversum aliquid nec credit de Deo, nec dicit. Quisquis ergo vult ad Regnum pervenire cælorum, vivat sobrius in semet, justitiam servet proximo, pius perseveret in Deo.*

Et *S. Bernardus*, Declamatione in Evangelium, *Ecce nos reliquimus omnia*, §. XXXVIII. ait: *Exhibeatur ergo sobrietas nobis, justitia proximis, pietas Deo. Pietas enim cultus Dei est.*

Hanc peccati divisionem tradit *Venerabilis Beda*, Lib. I. in Epistolam ad Corinthios, cap. VI. *Duo sunt* (inquit) *genera peccatorum; aut enim in Deum peccat homo, aut in hominem.* Et infra: *Peccatur in Deum etiam corrumpendo templum ejus quod est in nobis.*

ARTICULUS IX.

Peccatum aliud cordis, aliud oris, aliud operis est.

Peccata cordis.

PEccatum secundùm diversos gradus, intra eandem speciem, dividitur in peccatum cordis, oris, & operis: quia inchoatio peccati est in corde, *Quæ enim procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem* (inquit Christus Matt. XV. 18. 19.) Secundus itaque gradus peccati est in ore, secundùm quòd homo facilè prorumpit ad manifestandum conceptum cordis.

Oris.

Operis.

Tertius gradus est in consummatione operis. Sic iracundus ex appetitu vindictæ primùm quidem perturbatur in corde; secundò, in verba contumeliosa prorumpit; tertiò ad facta injuriosa procedit. Idemque in luxuria, & aliis peccatis perspicuum est.

Hæc divisio peccati colligitur ex Psalmo XXIII. 3. 4. *Quis ascendet in Montem Domini; aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.*

Sanctus etiam *Hieronymus* in cap. XLIII. *Ezechielis* tria generalia delicta distinguit, quibus humanum subjacet genus: *Aut enim cogitatione, aut sermone, aut opere peccamus:* Et hæc tria delictorum genera significari dicit hirco, vitulo, & ariete, quos offerri pro peccato Lex jubet. *Cogitatio* (inquit) *refertur ad arietem, quæ prima est omnium peccatorum, & ex qua duo alia peccata nascuntur: Hædus autem sive hircus ad eloquium sive sermonem qui semper de excelsioribus disputat: Opera vitulo deputantur, quoniam vomeri, & labori, & terrenis operibus mancipatus est.*

Tres gradus peccati: suggestio, delectatio, consensus.

Peccatum cordis tribus gradibus perficitur, suggestione, delectatione, consensu. *Sicut enim in illo manifesto conjugio duorum hominum qui primi facti sunt, non manducavit serpens de arbore vetita, sed tantummodo manducandum persuasit: Mulier autem non manducavit sola, sed viro suo dedit, & simul manducaverunt; quamvis cum serpente sola locuta, & ab eo sola seducta sit: Ita & in hoc quod etiam in homine uno geritur & dignoscitur, occulto quodam secretóque conjugio, carnalis, (vel ut ita dicam) qui in corporis sensus intenditur, sensualis animæ motus, quæ nobis pecoribusque communis est, seclusus est à ratione sapientiæ.... Cùm ergo huic intentioni mentis, quæ in rebus temporalibus & corporalibus propter actionis officium ratiocinandi vivacitate versatur, carnalis ille sensus vel animalis ingerit quamdam illecebram fruendi se, id est, tanquam bono quodam privato & proprio, non tanquam publico atque communi quod est incommutabile bonum, tunc velut serpens alloquitur feminam. Huic autem illecebræ consentire, de ligno prohibito manducare est. Sed iste consensus si sola cogitationis delectatione contentus est, superioris verò auctoritate ita membra retinentur, ut non exhibeantur iniquitatis arma peccato: Sic habendum existimo velut cibum vetitum mulier sola comederit. Si autem in consensione malè utendi rebus quæ per sensum corporis sentiuntur, ita decernitur quodcunque peccatum, ut si potestas sit, etiam corpore compleatur: Intelligenda est illa mulier dedisse viro suo secum simul edendum illicitum cibum. Neque enim potest peccatum non solum cogitandum suaviter; verùm etiam efficaciter perpetrandum mente decerni, nisi & illa mentis intentio, penes quam summa potestas est, membra in opus movendi, vel ab opere cohibendi, malæ actioni accedat & serviat.* Verba sunt *S. Augustini*, Libro XII. *De Trinitate*, cap. XII.

Et Lib. I. *De Sermone Domini in Monte*, cap. XII. *Tria sunt quibus impletur peccatum: suggestione, delectatione, consensione. Suggestio sive per memoriam fit, sive per corporis sensus, cùm aliquid videmus, vel audimus, vel olfacimus, vel gustamus, vel tangimus. Quod si frui delectaverit, delectatio illicita refrenanda est. Velut cum jejunamus, & visis cibis palati appetitus assurgit, non fit nisi delectatione: Sed huic tamen non consentimus, & eam dominantis rationis jure cohibemus. Si autem consensio facta fuerit, plenum peccatum erit, notum Deo in corde nostro, etiamsi facto non innotescat hominibus. Ita ergo sunt isti gradus, quasi à serpente suggestio fiat, id est, lubrico & volubili, hoc est, temporali corporum motu.... In appetitu autem carnali tanquam in Eva delectatio: In ratione verò tanquam in viro consensio: Quibus peractis, tanquam de Paradiso, hoc est, de beatissima luce justitiæ in mortem homo expellitur; justissimè omnino. Non enim cogit, qui suadet.... Verumtamen delectatio ante consuetudinem vel nulla est, vel tam tenuis, ut prope nulla sit: Cui consentire magnum peccatum est, cùm illicita est. Cùm autem quisque consenserit, committit peccatum in corde: Si autem etiam in factum processerit, videtur satiari & extingui cupiditas: Sed postea cùm suggestio repetitur, major accenditur delectatio: quæ tamen adhuc*

multo minor est quàm illa quæ assiduis factis in consuetudinem vertit. Hanc enim vincere difficillimum est.... Sicut ergo tribus gradibus ad peccatum pervenitur, suggestione, delectatione, consensione: ita ipsius peccati tres sunt differentiæ, in corde, in facto, in consuetudine, tanquam tres mortes: Una quasi in domo, id est, cùm in corde consentitur libidini; altera jam prolata quasi extra portam, cùm in factum procedit assensio; tertia, cùm vi consuetudinis malæ tanquam mole terrena premitur animus, quasi in sepulchro jam putens. Quatria genera Mortuorum Dominum resuscitasse, quisquis Evangelium legit, agnoscit. Et fortasse consideras quas differentias habeat ipsa vox resuscitantis, cùm alibi dicit, Puel- »la surge: *Alibi*, Juvenis tibi dico, Surge: »*alibi* Infremuit spiritu, & flevit, & rursùs »fremuit, & post deinde voce magna clama- »vit, LAXARE VENI FORAS.

Tres mortu à Christo suscitati tria peccatorum genera significant.

Matth. 9. 25. Luc. 7. 14. Joan. 11. 33.

Et Sermone XCVIII. aliàs XLIV. *De Verbis Domini*, cap. V. *Ista tria genera Mortuorum, sunt tria genera peccatorum, quos hodièque suscitat Christus. Illa enim mortua filia Archisynagogi intus erat in domo; nondum erat de secretis parietibus elata in publicum. Ibi intus suscitata est, viva parentibus reddita. Iste autem jam quidem non in domo, sed tamen nondum in sepulchro, parietibus elatus erat, terra mandatus non erat. Qui suscitavit mortuam nondum elatam, suscitavit mortuum jam elatum, nondum sepultum. Tertium restabat, ut & sepultum suscitaret: & hoc fecit in Lazaro. Sunt ergo qui peccatum intus in corde habent, in facto nondum habent. Nescio quis commotus est aliquâ concupiscentiâ. Dicit enim ipse Do-* »*minus*, Qui viderit mulierem ad concupiscendum »eam, jam mœchatus est eam in corde suo. *Nondum accessit corpore, consensit in corde: Mortuum intus habet, nondum extulit. Et fit, ut novimus, ut quotidie homines in se experiuntur, aliquando audito verbo Dei tanquam Domino dicente*, Surge: *condemnatur consensus ad iniquitatem, respiratur in salutem atque justitiam. Surgit mortuus in domo, reviviscit cor in cogitationis secreto.... Alii post consensum eunt in factum, tanquam efferentes mortuum, ut quod latebat in secreto, appareat in publico. Nunquid jam isti, qui in factum processerunt, desperati sunt? Nonne & illi Juveni dictum est*, Tibi dico, Surge: *Nonne & ille redditus est matri suæ? Sic ergo & qui jam fecerit, si fortè commonitus & commotus verbo veritatis, ad Christi vocem resurgit, vivus redditur, potuit progredi, in æternum perire non potuit. Qui autem faciendo quod malum est, etiam malâ consuetudine se implicant, ut ipsa consuetudo mali non eos sinat videre quia malum est, fiunt defensores malorum factorum suorum: irascuntur cùm reprehenduntur.... Tali consuetudine malignâ pressi, tanquam sepulti sunt. Sed quid dicam, Fratres? ita sepulti, ut de Lazaro dictum est, Jam putet. Moles illa imposita sepulchro, ipsa est vis dura consuetudinis, quâ premitur anima, nec surgere, nec respirare permittitur. Dictum est autem*, Quatriduanus est. *Revera ad istam consuetudinem, de qua loquor, quarto quodam progressu pervenit anima. Prima est enim quasi titillatio delectationis in corde, secunda consensio, tertia factum, quarta consuetudo.* Lege & *S. Gregorium* Libro IV. *Moralium*, cap. XXV.

Matth. 5. 28.

ARTICULUS X.

Peccata quædam sunt ex ignorantia; quædam ex cupiditate, sive infirmitate; alia ex malitia.

PEccatum ratione causarum interiorum dividitur in peccata ex ignorantia; ex cupiditate sive infirmitate; & ex malitia. Ignorantia namqoe est causa peccati ex parte rationis; cupiditas ex parte appetitus sentientis; malitia ex parte voluntatis.

Ignorantia notio.

I. *Ignorantia est privatio scientiæ perficientis rationem, quæ prohibet actum peccati, in quantum dirigit actus humanos.* Ratio porò secundùm duplicem scientiam actuum humanorum directrix est, scilicet secundùm scientiam universalem, & secundùm scientiam particularem. Peccatum igitur esse potest vel ex ignorantia alicujus universalis principii, quod est quædam regula rationis; vel ex ignorantia singularis circumstantiæ. Cæterùm non quælibet ignorantia peccantis est causa peccati, sed illa duntaxat quæ tollit scientiam prohibentem actum peccati. Unde si quis ita sit affectus, ut à parricidio non prohiberetur, etiam si cognosceret hominem quem interficit esse patrem, ignorantia patris non est illi causa peccati, sed concomitanter se habet ad peccatum; & ideo non peccat propter ignorantiam, sed peccat ignorans; (inquit *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione LXXVI. Articulo 1.)

Ignorantia multiplex.

Ignorantia multiplex est; Vel enim spectari potest ex parte mentis; vel ex parte objecti; vel ex parte hominis ignorantis; vel ex parte voluntatis actui pravo consentientis.

Ex parte mentis qoam afficit, dividitur à Theologis in ignorantiam negativam, privativam, & pravæ dispositionis.

Ignorantia negativa est simplex scientiæ negatio, sive nescientia rerum qoas scire aliquis non potest, nec debet. Sic pueri, & amentes ignari dicuntur. Sic etiam ignarus aliquo sensu dici potest, quicunque nescit ea quæ ad statum suum non pertinent. Et hæc quidem minùs propria est ignorantiæ acceptio.

Ignorantia privativa est privatio scientiæ rerum illarum, quas aliquis scire potest, & debet, sine quarum scilicet notitia debitum actum rectè exercere non potest; (ut loquitur *S. Thomas*.)

Ignorantia pravæ dispositionis est habitus vel dispositio scientiæ contraria; cùm videlicet homo falsis principiis, & falsis opinionibus imbutus est.

Ignorantia ex parte objecti quod ignoratur, alia est facti, alia juris.

Ignorantia facti est, respectu alicujus particularis contingentis circa materiam vel circumstantiam actûs quæ facilè potest ignorari. Talis fuit ignorantia Jacob Liam pro Rachele cognoscentis. (*Genes.* XXIX. 23. 24.)

Ignorantia juris est privatio scientiæ rerum illarum, quæ lege, vel legitima consuetudine vim legis obtinente sunt constitutæ.

Alia est juris divini, alia juris humani. Ignorantia juris divini, alia est juris divini naturalis, alia juris divini positivi. Ignorantia juris humani, alia est juris ecclesiastici, alia civilis.

Ex parte hominis, dividitur ignorantia in eam

quæ

quæ vincibilis, & eam quæ invincibilis est.

Ignorantia vincibilis est ea quæ humano studio & diligentiâ vinci potest. Talis est ignorantia rerum quas homo scire tenetur, sive quia necessariæ sont absolutè ad salutem æternam consequendam, sive ad officium, ad quod eum divina Providentia vocavit, incorruptè & integrè gerendum, & tamen illas discere non curat.

Ignorantia invincibilis, est ea quæ nullâ industria, nollâ diligentiâ superari potest. Hanc proinde nolla negligentia, nulla malitia volontariam reddit. Talis est ignorantia Mysteriorum Fidei in iis qui nihil uoquam de Evangelio audierunt, quos Theologi vocant Infideles negativè. *Quomodo* enim *credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* (inquit Apostolus ad *Rom.* x. 14.) De quibus ait Christus Joann. xv. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent:* Magnum illud scilicet peccatum infidelitatis, quo tenentur cuncta peccata; (ut *S. Augustinus* loqoitur.)

Ex parte voluntatis, ignorantia dividitur in antecedentem, concomitantem, & consequentem.

Ignorantia antecedens illa est: quæ licèt non sit volita, causa tamen est volendi aliquid, quod aliàs nollet homo qui ex ejusmodi ignorantiâ agit: Verbi gratiâ, cùm ignorat aliquam circumstantiam actûs, quam scire minimè tenebatur, & inde aliquid agit, quod cognitâ illâ circumstantiâ non ageret: Ut cùm aliquis diligentiâ adhibitâ, nesciens aliquem transire per viam, vibrat sagittam quâ interficit transeuntem. Quod fit ex illâ ignorantiâ, penitus involuntarium est.

Ignorantia concomitans est ea quæ ita conjuncta est consensui voluntatis, ut, etiamsi abesset, nihilominus voluntas operi pravo consentiret, ut cùm aliquis odio sic accensus est in hostem, ut illum occidere velit, atque ignorans occidit, cervum se occidere putans. Quod fit ex ignorantia concomitante non est involuntarium, cùm illud non repugnet voluntati aliàs ad illud agendum propensæ: sed est non voluntarium; quia non potest esse actu volitum, quod ignoratum est.

Ignorantia consequens est ea quæ judicium rationis, & motum voluntatis sequitur, adeóque est voluntaria.

Duplicis hæc generis: Quædam directè, quædam indirectè volita est.

Directè volita est illa, in quam fertur voluntas, & quam ultrò amplectitur: sicut cùm aliquis vult ignorare quæ salutem æternam spectant, ut liberiùs peccet, nullisque conscientiæ stimulis à peccato deterreatur, vel ut ignorantiæ suffragio peccatum excuset, secundùm illud Job. xxi. 13. 14. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Qui dixerunt Deo: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* Quæ verba *S. Gregorius* sic explicat Lib. xv. *Moralium*, Cap. xxv. *Hæc verbis dicere, vel stulti minimè præsumunt: sed tamen perversi omnes Deo, Recede, non verbis, sed moribus dicunt... Qui ei ad se aditum præbere recusant, eumque pravis actibus impugnant, etiamsi* » *verbis laudare videantur. Dicunt etiam,* Scien- » tiam viarum tuarum nolumus; *eò ipso quò ajunt scientiam apprehendere contemnunt. Sunt namque* » *nonnulli, qui ex eo quòd Veritas dicit:* Servus qui » non cognovit voluntatem Domini sui, & facit » digna plagis, vapolabit paucis: & servus sciens » voluntatem Domini sui, & non faciens juxta eam, vapulabit multis: *Nolunt scire quod faciant, & quasi minus se vapulaturos existimant, si nesciant quod operari debuerunt. Sed aliud est nescisse, aliud scire noluisse. Nescit namque qui apprehendere vult, & non valet. Qui autem ut nesciat, aurem à voce veritatis avertit, iste non nesciens, sed contemptor addicitur.* De hujusmodi ignorantiæ reis dicitur in eodem Cap. Job. Vers. 13. *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus.* De his dicitur Psalm. xxxv. *Noluit intelligere ut bene ageret.* Hæc etiam ignorantia dicitur affectata.

Luc. 12.

Ignorantia indirectè volita est illa, quæ licèt non sit in se volita, ratione tamen negligentiæ in illis rebus ediscendis & considerandis, quas ediscere & considerare homo potest & debet, voluntaria censetur. Hæc ignorantia dicitur etiam crassa & supina, sive ignorantia malæ electionis, vel ex animi perturbatione, vel ex habitu proveniens: sive cùm aliquis notitiam, quam debet habere, non curat acquirere. Hujus generis est ignorantia universalium juris naturæ principiorum, & præceptorum Decalogi, quæ ex illis facilè colliguntur: & ignorantia Symboli Apostolorum, ac præcipuorum Mysteriorum Fidei, Orationisque Dominicæ in Christianis hominibus. De his *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæst. vi. A. viii.

Plurima ignorantiæ peccata.

Plurima esse ignorantiæ peccata, constat ex Sacris Litteris, in quibus Sacrificia pro peccatis ex ignorantia commissis præscribuntur, vel Pœnitentia exigitur. *Levitici IV.* 2. & 13. & Cap. v. 17. *Numerorum* xv. 22. Psalmo xxiv. 7. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Ecclesiastici xiii. 3. *Ne accrescant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundent.* Actuum iii. 17. *Scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri... Pœnitemini igitur & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* I. ad Timotheum, 1. 13. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.*

Peccatum ex passione.

II. Peccatum ex cupiditate, sive animi perturbatione, illud est ad quod voluntas inclinatur & allicitur à concupiscentia, mentis considerationem distrahente vel impediente, juxta illud Danielis xiii. 56. *Species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum.* Et Jacobi 1. 14. 15. *Unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum; peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Istius generis peccatum dicitur etiam *ex infirmitate*, quia perturbationes sive cupiditates, animæ ægritudines meritò nuncupantur. Hinc illud Davidis Psalm. vi. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* Talia fuere Davidis, & S. Petri peccata: talia sunt quæcumque ex metu, irâ, concupiscentia, vel alia animi perturbatione committuntur.

Quotuplex cupiditas?

Animi autem perturbatio sive cupiditas, vel antecedens est, vel consequens. Antecedens illa est quæ judicium rationis & motum voluntatis antevertit, eamque trahit vel inclinat ad consensum. Consequens illa est, quæ motum voluntatis sequitur; sicut libido vel ira sponte excitatæ, ut quis alienâ muliere fruatur, vel ut inimicum ulciscatur. Passio antecedens, libertatem minuit: Rationem enim perturbat: Ratio perturbata singulas operis circumstantias minùs accuratè cognoscere & expendere potest: quod tamen ad perfectam libertatem est necessarium. Passio consequens auget voluntarium, aut certè signum est voluntatis vehementioris, & ad peccatum propensioris. Nemo autem existimet, concupiscentiam reddere

peccatum, quod ex illa ortum habet, prorsus involuntarium, quia scribit Apostolus ad Galatas v. 17. *Caro concupiscit adversus spiritum: spiritus autem adversùs carnem: hæc enim sibi invicem adversantur: ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Vel enim postrema illa verba referenda non sunt ad externum actum, quasi concupiscentia sit causa quòd fiat contra voluntatem. Sed referenda sunt ad primum concupiscentiæ motum: Vellet enim homo justus motus illos non experiri, & tamen velit nolit, eos patitur. Quo sensu ab eodem Apostolo dictum est ad Romanos vii. 15. *Quod odi malum, illud facio.* Vel referri possunt ad voluntatem, quæ passionis impetum præcedit. Plerumque enim facit homo passione incitatus & abstractus, quod antea se minimè facturum proposuerat, & quod restinctâ vel defervescente cupiditate agere nollet. Sic explicat *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæst. lxxvii. A. vii. ad 1. Quamobrem totis viribus eniti debemus, ut *Non regnet peccatum in mortali nostro corpore ad obediendum desideriis ejus. Et si sunt desideria, non eis obediatur, ne iniquitas dominetur* (inquit *S. Augustinus* Sermone xxx. alias xii. De Verbis Apostoli.) *Non quod volo ago, carnalis dicit: Non legem, sed se accusans. Nam lex spiritalis non habet culpam: Carnalis venumdatus incurrit in culpam. Non agit quod vult, cùm vult non potest, quia quando poterat noluit.* (Cupiditati resistendum) *Per malum velle perdidit bonum posse, & captivus jam loquitur, & dicit*, Non quod volo ago....... *Tu non vis ut concupiscentia illa quæ resistit menti tuæ omnino non sit in te? Mali vori homo es, si tali adversario non vis carere. Ego fateor tibi, quicquid in me rebellat adversùs mentem meam, & litigat mecum delectatione contraria, quicquid in me tale est, omnino interficere volo. Et si ei forte adjuvante Domino non consentio; nolo habere cum quo litigem. Multò est mihi optabilius inimicum non habere, quàm vincere. Neque enim illud ipsum quod caro concupiscit adversùs spiritum, non est meum: ait vero ex contraria natura compactus sum. Et illud meum est, & quod ei non consentio, meum est. Pars aliquantum libera resistit reliquiis servitutis. Totum sanum fit volo, quia totus sum ego. Nolo ut à me caro mea, tamquam extranea in æternum separetur, sed ut mecum tota sanetur...... Mentis & carnis unus est Artifex. Ipse quando hominem creavit: utrumque fecit, utrumque conjunxit: Carnem animæ subdidit, animam sibi. Si semper illa staret sub Domino suo, semper & ista obediret domina sua. Noli ergo mirari, si ea qua deseruis Superiorem, pœnas » patiaris per inferiorem.* Caro enim concupiscit ad» versùs spiritum, spiritus autem adversùs car» nem. Hæc enim, *inquit*, invicem adversan» tur, ut non ea quæ vultis faciatis. *Inde & » iste*, Non quod volo ago. *Concupiscit enim caro adversùs spiritum, & nolo concupiscat: Pro magno habeo, si non consentiam, opto tamen ut caream. Ergo*, Non quod volo ago. *Volo enim ut non concupiscat caro adversus spiritum, & non possum. Quid mihi hic calumniaris? Ingrate Medico, quid calumniaris infirmo? Sine ut Medicum rogem.* Redime (Psalm. 118. 134.) » me à calumniis hominum, & custodibo legem » tuam. *Custodibo per redemptionem tuam, non per potestatem meam. Ideo mihi sanitatem, quam nondum habeo, non arrogo, quia Medicum rogo. Tu autem naturæ defensor, vel potius oppugnator, dum, quasi de natura sana laudas Creatorem, excludis à languida Salvatorem. Qui creavit, sanat; ruentem per se ipsum, levat per se ipsum. Ipsa fides est, ipsa veritas, hoc est Christiana Fidei fundamentum, Unus & unus: Unus homo per quem ruina, alius homo per quem structura: Per illum ruina, per hunc structura. Cecidit qui non mansit; erigit qui non cecidit. Ruit ille quia dimisit Manentem: Manens ille descendit ad jacentem. Si ergo concupiscit caro adversùs spiritum, ut in hoc ipso non quod vis agas, quia vis ut non concupiscat, & non potes, tene saltem in gratiâ Domini voluntatem, & in ejus adjutoria persevera: Dic ei*, Gressus meos dirige secun- » (Psal. 118.) dùm verbum tuum, & ne dominetur mihi om- » nis iniquitas. *Quid est*, Ne dominetur mihi om- » nis iniquitas? *Audi Apostolum:* Non regnet » peccatum in vestro mortali corpore. *Quid est*, » B Non regnet? Ad obediendum desideriis ejus. » Non dixit, *Noli habere desideria mala, Quomo- » do enim in hac carne mortali, ubi caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem, non habeo desideria mala? Illud ergo fac*, Non regnet » peccatum in vestro mortali corpore, ad obe- » diendum desideriis ejus. *Et si sunt desideria, non » eis obediatur, ne iniquitas dominetur. Non fiant membra tua arma iniquitatis, & non dominetur tibi omnis iniquitas...... Cùm enim non fiunt membra tua arma iniquitatis, est quidem iniquitas in membris tuis, in desideriis illicitis, sed non regnat. Quomodo regnat, qui arma non habet? Pars tua, caro tua, concupiscentia carnis tua languore rebellat adversùs te. Languor iste tyrannus est: Si vis te tyranni esse victorem, Christum invoca Imperatorem.* Hæc *S. Augustinus.* Ex quibus patet quis sit sensus Apostolicæ illius Sententiæ, *Quod odi malum illud facio:* & quomodo peccata ex concupiscentia & animi perturbatione commissa, nihilominus volita sint, quia desideriis illicitis homo non cogitur, sed liberè obedit: & quomodo ipsa cupiditas est infirmitas naturæ nostræ, adeóque peccata ex cupiditate profecta peccata sunt infirmitatis.

Infirmitas illa & difficultas operandi bonum, (Naturæ peccatricis vulnera.) sicut & ignorantia, naturæ peccatricis vulnera sunt, per peccatum primi hominis, qui & scientiâ suâ, & summâ ad bonum agendum facilitate infeliciter abusus est, hominum generi universo inflicta. *Illa est enim peccati pœna justissima, ut amittat quisque quo bene uti noluit, cùm sine ullâ posset difficultate, si vellet. Id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire quid rectum sit: & qui rectè facere cùm posset noluit, amittat posse cùm velit. Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia & difficultas. Ex ignorantia dehonestat error; ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Verba sunt *S. Augustini*, Lib. iii. *De Libero Arbitrio*, Cap. xviii.

Triplicem cupiditatem, seu triplicem omnis (Triplex cupiditas fons omnis peccati.) peccati fontem *S. Joannes* indigitat Epist. 1. Cap. ii. *Omne* (inquit) *quod est in Mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Ad ista enim tria revocantur omnes animi perturbationes, omnisque inordinatus boni appetitus. Ad concupiscentiam quidem carnis, & concupiscentiam oculorum, passiones omnes appetitus concupiscentis: Ad superbiam vitæ, passiones appetitus irascentis revocantur. Per carnis enim concupiscentiam intelligitur perversus appetitus rerum quæ carnem delectant, ut cibi, potus, & venereorum. Per oculorum concupiscentiam intelligitur tum curiositas, quâ concupiscitur quicquid aspectu delectabile est, quæ in spectaculis, in theatris, magicis artibus, in ipso etiam miraculosorum desiderio interdum se prodit: tum cupiditas strictè sumpta, sive avaritia, quâ opes, aliæque res externæ

externæ inordinatè appetuntur; ita tamen ut in eis non quæratur delectatio carnis, quæ tactum afficit, sed potiùs possessio, aut oculorum, seu cujuscumque facultatis cognoscentis delectatio. Ad hanc concupiscentiam pertinet, quod de avaro dicitur Ecclesiastis IV. 8. *Unus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis.* Et Proverb. XXVII. *Infernus & perditio nunquam implentur: similiter & oculi hominum insatiabiles.* Et Ecclesiastici XIV. *Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis: non satiabitur donec consumat arefaciens animam suam.* Per vitæ denique superbiam intelligitur honoris, propriæque excellentiæ inordinatus appetitus. Tres illæ lanceæ sunt, quibus diabolus hominum corda petit, sicut Joab tribus lanceis cor Absalon * confixit. Tribus illis usus fuit ad seducendam Evam, ut observat *Julianus Pomerius* Lib. II. *De Vita Contemplativa*, Cap. XIX. Concupiscentiâ quidem carnis, cùm persuasit ut de fructu vetito comederet; concupiscentiâ oculorum, cùm ait, *Aperientur oculi vestri*; superbiâ vitæ, cùm dixit: *Eritis sicut Dii.* His etiam tribus Christum Dominum nostrum aggressus Tentator est: Concupiscentiâ carnis, cùm ait, *Dic ut lapides isti panes fiant*: concupiscentiâ oculorum, cùm *Ostendit ei omnia Regna Mundi, & dixit: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*: Superbia vitæ, cùm ait: *Mitte te deorsum: scriptum est enim, quia Angelis suis mandavit de te.* Quæ tamen tentationes Christo merè extrinsecæ fuerunt, nullâ intus concupiscentiâ ipsum impellente aut alliciente, quippe qui nec peccatum, neque concupiscentiam, aut ignorantiam habuit, ejus dignitati & Incarnationis fini repugnantes. *Tentatus* igitur fuit *per omnia absque peccato*, ut loquitur Apostolus, adeóque per solam externam suggestionem Dæmonis, non eâ tentatione quæ à carne est, *Quæ non potest esse sine peccato, quia fit per delectationem & concupiscentiam*, (inquit *S. Thomas* III. P. Quæstione XLI. Articulo I. ad III.)

Margin: 2. Reg. 18. — Hebr. 4. 15.

De his *S. Gregorius*, Homiliâ XVI. in Evangelia: *Quibus modis* (inquit) *primum Hominem stravit, eisdem modis secundo Homini tentato succubuit. Per gulam quippe tentat, cùm dicit:* Dic ut lapides isti panes fiant; *Per vanam gloriam tentat, cùm dicit:* Si filius Dei es, mitte te deorsum. *Per sublimitatis avaritiam tentat, cùm Regna Mundi ostendit dicens:* Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me. *Sed eisdem modis à secundo Homine vincitur, quibus primum Hominem se vicisse gloriabatur: ut à nostris cordibus ipso aditu captus exeat, quo nos aditu intromissus tenebat.* Hinc Luc. IV. 13. dicitur: *Et consummata omni tentatione, Diabolus recessit ab illo usque ad tempus.* Quem locum *S. Ambrosius* expendens *Lib. IV. in Lucam*, ait: *Propè omnium criminum fontes hæc tria genera demonstrantur esse vitiorum. Neque enim consummatam omnem tentationem Scriptura dixisset; nisi in his tribus esset omnium materia delictorum, quorum semina in ipsa origine sunt cavenda. Finis ergo tentationum, finis est cupiditatum, quia causæ tentationum causa cupiditatum sunt. Causa autem cupiditatum sunt carnis oblectatio, species gloriæ, aviditas potentiæ.*

Margin: Omnium peccatorum radix, perversus amor sui.

Triplicis hujus cupiditatis, adeóque omnium peccatorum radix est perversus amor sui. Omne namque peccatum procedit ex inordinato appetitu alicujus temporalis boni: quòd autem inordinatè appetat homo temporale aliquod bonum, procedit ex hoc quòd inordinatè amat seipsum, (inquit *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione LXXVII. Articulo IV.) Hinc *S. Augustinus*, Libro XIV. *De Civitate Dei*, Cap. XXVIII. ait: *Fecerunt Civitates duas amores duo, terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei, cælestem verò amor Dei usque ad contemptum sui.* Et Enarratione in Psalm. LXIV. *Duas istas Civitates faciunt duo amores: Jerusalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor sæculi. Interroget ergo se quisque quid amet, & inveniet unde sit civis: & si se invenerit civem Babyloniæ, extirpet cupiditatem, plantet caritatem: si autem se invenerit civem Jerusalem, toleret captivitatem, speret libertatem.* Unde autem sæculi amor, nisi ex perverso amore sui? *Nec enim essent homines amatores pecuniæ, nisi eò se putarent excellentiores, quo ditiores;* (inquit idem *Augustinus*, Libro XI. *De Genesi ad literam*, Cap. XV.) Ubi rectum amorem à perverso similiter distinguens, addit: *Hi duo amores, quorum alter sanctus est, alter immundus; alter socialis, alter privatus; alter communi utilitati consulens propter supernam societatem, alter etiam rem communem in potestatem propriam redigens propter arrogantem dominationem; alter subditus, alter æmulus Deo, alter tranquillus, alter turbulentus, alter pacificus, alter seditiosus; alter veritatem laudibus errantium præferens, alter quoquo modo laudis avidus; alter amicalis, alter invidus, alter hoc volens proximo quod sibi, alter subjicere proximum sibi; alter propter proximi utilitatem regens proximum, alter propter suam; præcesserunt in Angelis, alter in bonis, alter in malis, & distinxerunt conditas in genere humano Civitates duas, sub admirabili & ineffabili providentiâ Dei, cuncta quæ creata sunt administrantis & ordinantis, alteram justorum, alteram iniquorum. Quarum etiam quadam temporali commixtione peragitur sæculum, donec ultimo judicio separentur, & altera conjuncta Angelis bonis in Rege suo vitam consequatur æternam, altera conjuncta Angelis malis in ignem cum Rege suo mittatur æternum.*

Margin: Duo amores, duæ civitates. — Recti & perversi amoris discrimen.

Perversus hic amor excidendus, ut radix peccatorum evellatur. Unde Christus ait: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum.* Ratio humana dicit, *Quomodo negat se, qui amat se? Sed dicit Deus homini, Neget se, si amat se. Amando enim se, perdit se: Negando se, invenit se.* Qui amat (inquit) animam suam, perdet eam... *Nemo est qui non se amet; sed rectus amor est quærendus, perversus cavendus. Quisquis enim dimisso Deo amaverit se, Deumque dimiserit amando se, non remanet nec in se, sed exit à se. Exit exul pectoris sui, contemnendo interiora, amando exteriora..... Ergo quia contempsit Deum, ut amaret se, amando foris quod non est ipse, contempsit & se..... Quid est ergo, Nega te? Noli tu ipse vivere in te. Quid est, Noli tu ipse vivere in te? Noli facere voluntatem tuam, sed illius qui habitat in te.... Redi ad te, sed iterum sursum versus cùm redieris ad te, noli remanere in te. Priùs ab his quæ foris sunt redi ad te, & deinde redde te ei qui fecit te, & perditum quæsivit te, & fugitivum invenit te, & aversum convertit te ad se.* S. Augustini verba sunt, Sermone CCCXXX. aliàs XXIX. ex editis à Sirmondo.

Margin: Perversus amor sui excidendus. — Joann. 12. 25.

Et Sermone XCVI. aliàs De Diversis XLVII. *Cùm tales* (inquit) *sint homines plures, quales sunt amores, nihilque aliud cura esse debeat quomodo vivatur, nisi ut quod amandum est eligatur: quid miraris, si ille qui diligit Christum, & qui vult sequi Christum, amando negat seipsum? Si enim perit homo amando se, profectò invenitur negando se. Prima hominis perditio fuit amor sui. Si enim se non amaret, & Deum sibi præponeret, Deo esse semper subditus vellet: non autem converteretur ad negligendam voluntatem illius, & faciendam voluntatem suam. Hoc enim est amare se, velle facere voluntatem suam.*

Margin: Qui diligit Christum, amando negat seipsum.

Prepone his voluntatem Dei : disce amare te , non amando te. Nam ut sciatis vitium esse se amare , sic *2. Tim. 3.* » *Apostolus dicit :* Erunt enim homines seipsos a- » mantes. *Et nunquid qui amat se , fidit in se ? Incipit enim deserto Deo amare se , & ad ea diligenda quæ sunt extra se , pellitur à se ; Usque adeò ut cùm* » *dixisset idem Apostolus ,* Erunt homines seipsos » amantes , *continuò subjiceret ,* amatores pecuniæ. *Jam vides quia foris es. Amare te cœpisti : sta in te , si potes. Quid is foras ? Cœpisti diligere quod est extra te , perdidisti te. Cùm ergo pergit amor hominis etiam à seipso ad ea quæ foris sunt , incipit cum vanis evanescere , & vires suas quodammodo prodigus erogare. Exinanitur , effunditur , inops redditur , porcos pascit : & laborans in pastione porcorum , aliquando* » *recordatur & dicit :* Quanti mercenarii patris mei » panem manducant , & ego fame hic pereo ? *Sed quando hoc dicit , quid narratum est de ipso filio , qui omnia effudit in meretricibus , qui habere voluit in potestate quæ bene illi apud patrem servabantur ; habere illa voluit in arbitrio suo , factus est inops. Quid de illo dicitur ? Et reversus ad semetipsum. Si reversus est ad se , exierat à se. Quia ceciderat à se , & exierat à se , redit prius ad se , ut redeat in illo unde ceciderat à se. Sicut enim cadendo à se , remansit in se : sic redeundo ad se , non debet remanere in se , ne iterum exeat à se. Reversus ad semetipsum , ut non remaneret in se-* » *metipso , quid dixit ?* Surgam , & ibo ad patrem » meum. *Ecce unde ceciderat à se , ceciderat à patre suo. Redit ad se , & pergit ad patrem , ubi tutissimè servet se. Si ergo exierat à se , & à quo exierat , redeundo ad se , ut eat ad patrem , neget se. Quid est , neget se ? Non præsumat de se , sentiat se hominem , &* *Jerem. 17.* » *respiciat dictum Propheticum ,* Maledictus omnis » qui spem suam ponit in homine. *Subducat se sibi , sed non deorsum versùs. Subducat se sibi , ut hæreat Deo. Quicquid boni habet , illi tribuat à quo factus est : quicquid mali habet , ipse sibi fecit. Deus quod in illo malum est , non fecit : perdat quod fecit , qui in te defecit.*

Peccatum ex malitia. Peccatum ex malitia est illud quod solà perversitate voluntatis , bonum temporale præ rationis ordine , Lege Dei , caritate , adeóque præ ipso Deo amantis , committitur : tunc enim homo , qui sciens elegit detrimentum pati in aliquo spiritualium bonorum , ut potiatur temporali bono , neque ex ignorantiâ peccat , neque ex animi perturbatione : peccat igitur ex malitia. Istud peccati genus notatur Job. XXXIV. 27. *Qui quasi de industria recesserunt ab eo , & omnes vias ejus intelligere noluerunt.* Psalm. LI. *Quid gloriaris in malitia , qui potens es in iniquitate ?* Proverb. II. 14. *Qui relinquunt iter rectum , & ambulant per vias tenebrosas : qui lætantur cùm malè fecerint , & exultant in rebus pessimis.* Luc. XII. 47. *Servus qui cognovit voluntatem domini sui , & non fecit secundùm voluntatem ejus , vapulabit multis ;* & ad Hebræos X. 26. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis , jam non relinquitur pro peccatis hostia ; terribilis autem quædam exspectatio judicii , & ignis æmulatio , quæ consumptura est adversarios.* Locum illum Job modo laudatum expendens *S. Gregorius* Lib. XXV. *Moralium* , Cap. XI. triplex peccati genus , quo de agimus sic expli- *Peccatum tribus modis committitur.* cat. *Peccatum tribus modis committitur. Nam aut ignorantiâ , aut infirmitate , aut studio perpetratur , & gravius quidem infirmitate quàm ignorantiâ : sed multò gravius studio quàm infirmitate peccatur. Ignorantiâ Paulus peccaverat.... Petrus verò infirmitate peccavit , quando in eo omne robur fidei , quod Domino perhibuit , una vox puellæ concussit , & Deum quem corde tenuit , voce denegavit. Sed quia infirmitatis culpa vel ignorantia eò faciliùs tergitur , quò non studio perpetratur , Paulus quæ ignoravit sciendo correxit : & Petrus motum & quasi arescentem jam radicem fidei lacrymis rigando solidavit. Ex industria verò peccaverunt ii , de quibus ipse per se Magister dicebat ,* Si non venissem , & locutus » *Joan. 15.* fuissem eis , peccatum non haberent : nunc au- » tem excusationem non habent de peccato suo. » *Aliud est enim bona non facere , aliud bonorum odisse Doctorem : sicut aliud est præcipitatione , aliud deliberatione peccare : sæpè enim peccatum præcipitatione committitur , quod tamen consilio & deliberatione damnatur. Ex infirmitate enim plerumque solet accidere amare bonum , sed implere non posse. Ex studio verò peccare , est bonum nec facere , nec amare. Sicut ergo nonnunquam gravius est peccatum diligere quàm perpetrare : ita nequius est odisse justitiam , quàm non fecisse. Sunt ergo nonnulli in Ecclesia , qui non solum bona non faciunt , sed etiam persequuntur ; & quæ ipsi facere negligunt , etiam in aliis detestantur. Horum peccatum scilicet non ex infirmitate vel ignorantia , sed ex solo studio perpetratur : quia videlicet si vellent implere bona , nec tamen possent , ea quæ in se negligunt , saltem in aliis amarent. Si enim ea ipsi vel solo voto appeterent , facta ob aliis non odissent : sed quia bona eadem audiendo cognoscunt , vivendo despiciunt , animadvertendo persequuntur , rectè dicitur :* Qui ex industria recesserunt ab eo. *Unde* » *& aptè subjungitur :* Et omnes vias ejus intellige- » re noluerunt. *Non enim ait , Infirmitate non intelligunt : sed , intelligere noluerunt : quia sæpe quæ facere despiciunt , etiam scire contemnunt.*

Hujus generis fuisse furtum pomorum , à se adolescente cum sodalibus perpetratum testatur *S. Augustinus* Libro II. *Confessionum* , Cap. IV. *Furtum* (inquit) *facere volui : & feci , nullâ compulsus egestate nec penuriâ , sed fastidio justitiæ , & saginâ iniquitatis. Nam id furatus sum quod mihi abundabat , & multò melius. Nec ea re volebam frui quam appetebam ; sed ipso furto & peccato. .... Dicat tibi nunc ecce cor meum quid ibi quærebat , ut essem gratis malus , & malitiæ meæ causa nulla esset nisi malitia. Fœda erat , & amavi eam : amavi perire ; amavi defectum meum ; non illud ad quod deficiebam ; sed defectum meum ipsum amavi. Turpis anima & dissiliens à firmamento tuo in exterminium , non dedecore aliquid , sed dedecus appetens !*

Peccatum omne ex pravo habitu , est peccatum ex certa malitiâ , ut docet *S. Thomas* , Prima Secundæ , Quæstione LXXVIII. Articulo II. Cùm enim habitus , seu inveterata peccandi consuetudo in alteram prope naturam conversa sit , conversio & proclivitas voluntatis ad malum eligendum ipsi quodammodo connaturalis evadit.

ARTICULUS XI.

Peccati divisio in septem vitia Capitalia.

PRæter istas peccati divisiones , solemnis est peccati mortalis divisio in septem vitia capitalia , quæ sunt veluti fontes & principia ceterorum , eorúmque execranda & Deo inimica agmina quodam modo dirigunt , ac docent. Septem vulgò recensentur , scilicet superbia , avaritia , luxuria , invidia , gula , ira , acedia. De qua divisione legi possunt *S. Gregorius* Lib. XXXI. *Moralium* , Cap. XVII. & *S. Thomas* Prima Secundæ , Quæstione LXXXIV. Articulo V. Sanctus

DE PECCATIS.

A Septem vitia capitalia. *Gregorius* Superbiam extra numerum ponit: velut reliquorum vitiorum Reginam, inanem autem gloriam vitiorum capitalium primum recenset. Expendens enim verba illa Capitis XXXIX. Libri Job, *Procul odoratur bellum, exhortationem Ducum, & ululatum exercitus*, hæc habet: *Quia spiritalis Militis cogitatione omne vitium prius quàm subrepere possit aspicitur, rectè de equo Dei dicitur*, Procul odoratur bellum. *Perpendit etiam qua turba iniquitatum prorumpat, si mala ad se ingredi vel pauca permittat. Unde sequitur*, Exhortationem Ducum, & ululatum Exercitus. *Tentantia quippe* B *vitia, quæ invisibili contra nos prælio regnanti super se superbia militant, alia more ducum præeunt, alia more exercitus subsequuntur. Neque enim culpæ omnes pari accessu cor occupant. Sed dum majores & pauca neglectam mentem præveniunt, minores & innumera ad illam se catervatim fundunt. Ipsa namque vitiorum Regina superbia, cùm devictum plenè cor ceperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis Ducibus devastandum tradit. Quos videlicet duces exercitus sequitur; quia ex eis proculdubio importuna vitiorum multitudines oriuntur. Quod melius ostendimus, si ipsos duces atque exercitum specialiter,* C *ut possumus, enumerando proferamus. Radix quippe cuncti mali superbia, de qua, Scriptura attestante,* Eccl. 10. 15. *dicitur*, Initium omnis peccati est superbia. *Prima autem ejus soboles, septem nimirum principalia vitia, de hac virulenta radice proferuntur: scilicet inanis gloria, invidia, ira, tristitia*, (sive acedia) *avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Nam quia his septem superbia vitiis nos captos doluit, idcirco Redemptor noster ad spiritale liberationis prælium Spiritu septiformis gratia plenus venit. Sed habent contra nos hæc singula exercitum suum. Nam de inani gloria inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinacia, discordia, & novitatum præsumptiones oriuntur.* D *De invidia, odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur. De ira, rixæ, tumor mentis, contumeliæ, indignatio, blasphemiæ proferuntur. De tristitia, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita nascitur. De avaritia, proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentia, & contra misericordiam obdurationes cordis oriuntur. De ventris ingluvie, inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagantur. De luxuria, cæcitas* E *mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror autem vel desperatio futuri generantur. Quia ergo septem principalia vitia tantam de se vitiorum multitudinem proferunt, cùm ad cor veniunt, quasi subsequentis exercitus catervas trahunt. Ex quibus videlicet septem, quinque spiritualia, duóque carnalia sunt. Sed unumquodque eorum tantâ sibi cognatione jungitur, ut nonnisi unum de altero proferatur. Prima namque superbiæ soboles inanis gloria est, quæ dum oppressam mentem corruperit, mox invidiam gignit: quia nimirum dum vani nominis potentiam appetit,* F *ne quis hanc alius adipisci valeat, tabescit. Invidia quoque iram generat: quia quantò interno livoris vulnere animus sauciatur, tantò etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur: & quia quasi dolens membrum tangitur, idcircò opposita actionis manus velut gravius pressu sentitur. Ex ira quoque tristitia oritur; quia turbata mens, quò se inordinatè concutit, eò addicendo confundit: & cùm dulcedinem tranquillitatis amiserit, nihil hanc nisi ex perturbatione subsequens mœror pascit. Tristitia quoque ad avaritiam derivatur: quia dum confusum cor bonum lætitiæ in semetipso intus amiserit, unde consolari debeat, foris quærit: & tantò magis exteriora bona adipisci desiderat, quantò gaudium non habet ad quod intrinsecùs recurrat. Post hæc verò duo carnalia vitia, id est,* Septem vitia capitalia. *ventris ingluvies, & luxuria supersunt. Sed cunctis liquet quod de ventris ingluvie luxuria nascitur, dum in ipsa distributione membrorum ventri genitalia subnexa videantur. Unde dum unum inordinatè reficitur, aliud proculdubio ad contumelias excitatur. Bene autem duces exhortari dicti sunt, exercitus ululare: quia prima vitia deceptæ menti quasi sub quadam ratione se inserunt; sed innumera quæ sequuntur, dum hanc ad omnem insaniam pertrahunt, quasi bestiali clamore confundunt. Inanis namque gloria devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cùm dicit: Debes majora appetere, ut quò potestate videris multos excedere, eò etiam valeas & multis prodesse. Invidia quoque devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cùm dicit: In quo illo vel illo minor es? Cur ergo eis vel æqualis, vel superior non es? Quanta vales, quæ illi non valent? Non ergo tibi aut superiores esse, aut æquales debent. Ira etiam devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cùm dicit: Quæ erga te aguntur, æquanimiter ferri non possunt, immò hæc patienter tolerare peccatum est, quia si non eis cum magna exasperatione resistitur, contra te deinceps sine mensura cumulantur. Tristitia quoque devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cùm dicit: Quid habes unde gaudeas, cùm tanta mala de proximis portas? Perpende cum quo mœrore omnes intuendi sunt, qui in tanto contra te amaritudinis felle vertuntur. Avaritia quoque devictum animum quasi ex ratione solet exhortari, cùm dicit: Valde sine culpa est, quod quædam habenda concupiscis: quia non multiplicari appetis, sed egere pertimescis: & quod malè alius retinet, ipse melius expendis. Ventris quoque ingluvies devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cùm dicit: Ad esum Deus omnia munda condidit; & qui satiari cibo respuit, quid aliud quàm muneri concesso contradicit? Luxuria quoque devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cùm dicit: Cur te in voluptate tua modo non dilatas, cùm quid te sequatur, ignoras? Acceptum tempus in desideriis perdere non debes: quia quàm citius pertranseat, nescis. Si enim misceri Deus hominem in voluptate coitus nollet, in ipso humani generis exordio masculum & feminam non fecisset. Hæc est ducum exhortatio, quæ dum incautè ad secretum cordis admittitur, familiariùs iniqua persuadet. Quam videlicet exercitùs ululatus sequitur, quia infelix anima semel à principalibus vitiis capta, dum multiplicatis iniquitatibus in insaniam vertitur, ferali jam immanitate vastatur. Sed Miles Dei, quia solerter prævidere vitiorum certamina nititur, bellum procul odoratur: quia mala præsumptia quid menti persuadere valeant, dum cogitatione sollicitâ respicit, exhortationem ducum naris sagacitate reprehendit. Et quia longè prasciendo, subsequentium iniquitatum confusionem conspicit, quasi ululatum exercitùs odorando cognoscit.*

Sanctum Gregorium sequitur *S. Thomas*, & superbiam pariter omnium vitiorum matrem ac reginam statuit, inanem autem gloriam vitium capitale, *Prima Secunda*, Quæstione CXXXII. Articulo IV.

ARTICULUS XII.

De Peccatis in Spiritum-Sanctum.

Quid sit peccatum in Spiritum Sanctum?

IN lethalium peccatorum classe gravissimum quoddam criminum genus est, quod *Peccatum in Spiritum-Sanctum* vocatur, quo oblata Dei gratia, quæ Spiritui-Sancto ceu fonti bonorum tribui peculiariter solet, ex malitia contemtim abjicitur. De quo Christus Matthæi XII. *Ideo dico vobis: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spiritûs autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: Qui autem dixerit contra Spiritum-Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Et Marci III. *Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blasphemiæ quibus blasphemaverint: Qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti: Quoniam dicebant, Spiritum immundum habet.*

Peccatum porrò in Spiritum Sanctum Patres antiqui variè intellexerunt ac exposuerunt. Quidam intellexere blasphemiam propriè dictam, quâ quis divinæ bonitatis opera, quæ Spiritui-Sancto peculiari quadam ratione tribuuntur, ex destinata malitia diabulo impiè tribuit, ad instar Pharisæorum. Illi namque blasphemiam primùm, id est, contumeliosa verba in Filium hominis dixerant, Christum voracem, potatorem vini, Publicanorum amatorem appellantes: Deinde verò blasphemiam dixerunt in Spiritum-Sanctum, cùm divina ejus opera Principi Dæmoniorum tribuere ausi sunt. Sic explicant *SS. Athanasius, Hilarius, Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius.* Alii peccatum in Spiritum-Sanctum impœnitentiam usque in finem intellexere, ut *S. Augustinus*, quod istud dumtaxat peccatum non remittatur umquam, cætera verò Pœnitentibus condonentur. Alii peccatum in Spiritum-Sanctum esse dixerunt crimen omne, quod ex destinata malitia perpetratur, id enim singulari quâdam ratione divinæ adversatur bonitati, quia per contemptum abjiciuntur ac removentur oblata miserentis Dei munera, quæ peccati electionem impediunt, ut explicat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XIV. Articulo 1.

Quotuplex peccatum in Spiritum Sanctum?

Sex vulgò peccata in Spiritum Sanctum recensentur, scilicet Præsumptio de misericordia Dei, vel de impunitate peccati, Desperatio, Agnitæ veritatis impugnatio, Fraternæ caritatis invidentia, Obstinatio, & Impœnitentia.

Peccant igitur in Spiritum Sanctum qui divinæ misericordiæ fiduciâ ad peccandum audaciores fiunt, abjectâ omni justitiæ timorisque divini ratione: Qui animo, sin minùs ore dicunt: *Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur*: Qui *Divitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis contemnunt, ignorantes quoniam benignitas Dei ad Pœnitentiam illos adducit*; solâ fide in Christum sibi blandientes, æternámque felicitatem sibi promittentes quamvis in peccatorum sordibus computrescant: Cum metu ac tremore salutem suam operari & per bona opera certam facere nullatenus curantes. (Eccli. 5. Rom. 2.)

Secundò, peccant in Spiritum-Sanctum, qui spem omnem abjiciunt vel impetrandæ à Deo veniæ, vel salutis æternæ consequendæ, adinstar Caini dicentis, *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear*: (Genes. 4.) Adinstar Judæ Proditoris, qui salutis desperatione commotus, vitam laqueo sibi infelix abrupit. Hi à Deo, cui proprium est misereri semper & parcere, cujus miserationum non est numerus, qui peccatorem quoties ex animo ingemuerit & ad ipsum sincere fuerit conversus, ut amantissimus & indulgentissimus pater filium recipit: A Christi Sanguine pro omnibus fuso, à divinis promissionibus oculos mentis avertentes, alienati a vita Dei, propter cæcitatem cordis ipsorum, semetipsos desperantes in omne vitiorum genus effundunt. (Ephes. 4.)

Tertiò, peccant in Spiritum Sanctum, qui Fidei & Religionis Christianæ & Catholicæ veritatem, non ex ignorantiâ, sed malitiâ studiosè oppugnant, *Magistri mendaces, qui introducunt sectas perditionis: Homines corrupti mente, reprobi circa fidem: Attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium: subversi, & proprio judicio condemnati.* (II. Petr. 2. II. Tim. 3. I. Tim. 4. Tit. 3.) Talis erat Elymas Magus, quem S. Paulus repletus Spiritu-Sancto hunc in modum objurgavit: *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas.* (Act. 13.) Tales Arius, Macedonius, Nestorius, Eutyches, & Joannes VVicleff, Joannes Hus, Lutherus, Calvinus, Servetus, Socinus uterque, cæterique Heresiarchæ. Sed & illi rei sunt blasphemiæ in Spiritum Sanctum, *Qui contra Sacros Canones, non necessitate compulsi, sed libenter aliquid aut protervè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim præsumptio manifestè unum genus est blasphemantium Spiritum-Sanctum: Quia contra eum agit, cujus nutu & gratiâ Sancti Canones conditi sunt*; (ut habet Canon, *Violatores*, Damaso Papæ adscriptus, Causa XXV. Quæst. 1.)

Quartò, peccant in Spiritum-Sanctum, qui fraternæ gratiæ invident, doléntque graviter de splendore vel augmento virtutum donorúmque Dei, quibus proximus conspicuus est. Tales erant homines illi ex Judæis ad Christianam Religionem Apostolorum prædicatione conversi, qui nascentem Evangelii gratiam omnino Gentibus invidebant. Talis *Alexander* ille *ærarius*, qui multa mala intulit Apostolo Paulo, & sermonibus illius valde restitit. (Act. 11. & 15. 2. Tim. 4.) Hanc fraternæ caritatis invidentiam peccatum esse ad mortem, de quo S. Joannes ait *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis*; (1. Joann. 5.) censet *S. August.* Lib. 1. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. XXII. *Peccatum fratris ad mortem puto esse*, (inquit) *cùm post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Jesu Christi quisque oppugnat fraternitatem, & adversus ipsam gratiam, quâ reconciliatus est Deo, invidentiæ facibus agitatur.* Peccatum (inquam) istud ad mortem est, cujus rei ab Ecclesiæ orationibus excluduntur, si in hac perversitate finierint hanc vitam, ut explicat idem Sanctus Doctor Lib. 1. *Retractationum*, Cap. XIX. *Peccatum autem non ad mortem est, si quisquam non amorem à fratre alienaverit, sed officia fraternitatis debita per aliquam infirmitatem animi non exhibuerit. Quapropter & Dominus in Cruce ait*, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt: (Lucæ 23.) *Nondum enim gratiâ Spiritûs-Sancti participes facti societatem sanctæ fraternitatis inierant. Et S. Stephanus orat pro eis à quibus lapidabatur; quia nondum Christo crediderant, neque adversus illam communem gratiam dimicabant.* (Act. 7.) *Et Apostolus Paulus propterea credo non orat pro Alexandro, quia jam frater erat, & ad mortem, id*

est, invident à fraternitatem oppugnando, peccaverat. Pro his autem qui non abruperant amorem, sed timore succubuerant, orat ut eis ignoscatur.

Quintò, peccant in Spiritum Sanctum, qui obfirmato planè animo in peccatis perseverant, nec ullis admonitionibus, suasionibus, adhortationibus, increpationibus, aut Dei flagellis à pravo instituto se deflecti patiuntur. Talis fuit Rex *Pharao*, cujus cor induratum erat & in malitia obstinatum ne Populum Dei dimitteret, quamvis toties à *Moyse* monitus, subindéque flagellis Dei gravissimis attritus. Tales Judæi, quorum invictam pertinaciam Protomartyr *S. Stephanus* his verbis perstringebat:
Act. 7. *Dura cervice, & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Tales illi omnes, qui falsas Religiones professi, & ab Ecclesia Catholica separati, Catholicos Doctores & Prædicatores audire nolunt. Tales quicumque in criminibus suis obdurati & obstinati, sin minùs voce, animo certè factisque Deo dicunt:
Job. 21. *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.*
Proverb. 29. De hujusmodi hominum genere Sapiens ait: *Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus: & eum sanitas non sequetur.* Tales sunt qui peccata sua non solùm non plangunt, sed defendunt; non solùm non confitentur, sed in illis impudenter gloriantur: Qui potentes in iniquitate, & contemnentes cùm in profundum
Rom. 2. peccatorum venerint, secundùm duritiam suam & impœnitens cor thesaurizant sibi iram in die iræ & revelationis justi Judicii Dei.

Sextò, peccant in Spiritum-Sanctum, qui peccatorum suorum finem modúmque nullum faciunt, ac proponunt insuper se nolle unquam
Ephes. 4. Pœnitentiam agere. Horum ut vita, ita & *Mors pessima* est, qui extinguentes in seipsis Spiritum
Hebr. 3. Dei, & *obdurati fallaciâ peccati*, sin minùs ver-
Isai. 28. bis, at re ipsa dicere videntur: *Percussimus fœdus cum morte & cum inferno fecimus pactum.* Horum propriè *Peccatum ad mortem est.* Perseverans illa cordis impœnitentis duritia illud propriè peccatum est quod *Non habet remissionem neque in hoc sæculo, neque in futuro: quia Pœnitentia impetrat remissionem in hoc sæculo, quæ valeat in futuro. Sed ista impœnitentia vel cor impœnitens, quandiu quisque in hac carne vivit, non potest judicari. De nullo enim desperandum est quandiu patientia Dei ad Pœnitentiam adducit; nec de hac vita rapit impium, qui non mortem vult impii, quantùm ut revertatur & vivat. Paganus est hodie: Unde scis utrum sit futurus crastino Christianus? Judæus infidelis est hodie: quid si cras credat in Christum? Hæreticus est hodie: quid si cras sequatur Catholicam Veritatem? Schismaticus est hodie: quid si cras amplectatur Catholicam Pacem? Quid si isti quos in quocumque genere erroris notas, & tamquam desperatissimos damnas, ante quàm finiant istam vitam, agant Pœnitentiam, & inveniant veram vitam, in futuro?* De nemine igitur ante tempus judicandum est, quia perseverans illa duritia cordis impœnitentis non potest in quoquam, dum adhuc in hac vita est, deprehendi; (inquit *S. Augustinus* Sermone LXXI. aliàs XI. *De Verbis Domini*, Cap. XIII.)

CAPUT II.

DE PECCATORUM GRAVITATE.

I. OMNIA peccata esse paria, post Stoïcos docuit *Jovinianus* Hæreticus, à *S. Hieronymo* Libris duobus confutatus, de quo *S. Augustinus*, Epistolâ CLXVII. aliàs XXIX. ad ipsum *Hieronymum* datâ, Cap. II. *Hoc* (inquit) *de paritate peccatorum, soli Stoici ausi sunt disputare, contra omnem sensum generis humani: Quam eorum vanitatem in Joviniano illo, qui in hac sententia Stoicus erat, in aucupandis autem & defensandis voluptatibus Epicureus, de Scripturis Sanctis dilucidissimè convicisti. In qua tua suavissima & præclarissima disputatione satis evidenter apparuit, non placuisse Auctoribus nostris, vel ipsi potiùs, quæ per eos locuta est Veritati, omnia paria esse peccata.* Hinc Christus Joannis XIX. sic *Pilatum* compellat: *Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet.* Quæ verba *S. Augustinus* sic interpretatur Tractatu CXVI. in Joannem: *Plus peccat ille qui Potestati innocentem occidendum livore tradit, quàm Potestas ipsa, si eum timore alterius majoris Potestatis occidit. Et ideo non ait verax Magister, Ipse habet peccatum, tanquam ille non haberet; sed,* Majus peccatum habet, *ut etiam se habere intelligeret. Non enim propterea illud nullum est, quia hoc majus est.* Præterea, *Peccatum ad mortem* à peccato *non ad mortem* distinguitur *I. Joann. V.* Et peccata quædam *trabi*, quædam *festucæ* comparantur: *Luc. VI.* Et faciliùs remitti significatur peccatum *in Filium hominis*, quàm *in Spiritum-Sanctum*, Matt. XII. Et Matt. XI. Christus ait: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida... Tyro & Sydoni remissius erit in die Judicii, quàm vobis.* Præter illud Matthæi XVIII. de servo debitore decem millium talentorum, ad quod alludens *S. Hieronymus* Lib. II *Contra Jovinianum*, Cap. XVI. *Sunt peccata levia* (inquit) *sunt gravia. Aliud est decem millia talenta debere, aliud quadrantem.* Idem colligitur ex Veteri Testamento, Genes. IV. *Septies ultio dabitur de Cain, de Lamech autem septuagies septies.* Jerem. VII. *Pejus operati sunt quàm patres eorum.* Thren. IV. *Major facta est iniquitas Populi mei peccato Sodomorum.* Quin & illud Ezech. IX. *Iniquitas domus Israël magna est nimis valde*, sic intelligit *S. Hieronymus*, ut pro iniquitatis magnitudine sit magnitudo supplicii. *Ex quo*, inquit, *discimus, non, ut plerique æstimant, & maximè Stoici, paria esse peccata, sed vel magna, vel parva: & pro diversitate mensuráque peccantium diversitatem esse judicii punientis.* Hinc *S. Gregorius*, Lib. XXI. *Moralium*, Cap. IX. Peccatum à crimine distinguit, quia *Peccatum quidem animam polluit, crimen verò extinguit; & non solùm usque ad inquinationem maculat, sed usque ad perditionem vorat.* Idem confirmat *S. Augustinus* Epist. CIV. alias CCLIV. ad *Nectarium*, ubi præter alia refellit, quod ille ex Stoicorum placito dixerat, *Omnia peccata esse paria.* Peccatorum inæqualitas.

Unum peccatum alio gravius multiplici ratione.

II. Gravitas autem peccatorum sumitur ex objecto, fine, & circumstantiis, ut docet *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæst. LXXIII. Art. III. VI. & VII. Ratione objecti gravius est peccatum quod immediatè contra Deum committitur, sicut infidelitas, blasphemia, & alia hujusmodi. Rursùs peccatum quod est circa ipsam substantiam hominis, sicut homicidium, gravius est peccato quod est circa res exteriores, sicut furtum: & in ordine quorumlibet horum peccatorum, unum peccatum est gravius altero, secundùm quòd est circa aliud principalius, vel minùs principale. Hinc etiam gravius peccatum est, quod majori virtuti repugnat: Quamobrem odium Dei gravissimum peccatorum est, quia directè opponitur caritati, quæ maxima virtutum est, secundùm illud Apostoli I. ad Corinthios XIII. *Nunc autem manent fides, spes, caritas: Tria hæc: Major autem horum est caritas.*

Ratione finis, gravius peccatum est, quod fit propter pejorem finem. *Gravius peccat* (inquit *S. Thomas* A. VI.) *cujus voluntas ex intentione finis inclinatur ad peccandum.* Sic gravius furtum est quo quis rem alienam accipit ut fornicetur, illo quo quis rem alienam accipit ut suæ inopiæ subveniat.

Humanorum actuum circumstantiæ.

Ratione circumstantiæ gravius peccatum est, cui circumstantia magis aggravans adjungitur. Sunt autem hæ actuum humanorum circumstantiæ: Quis fecerit? Quibus auxiliis vel instrumentis fecerit? Quid fecerit? Ubi fecerit? Cur fecerit? Et quando fecerit? Quæ hoc Versu continentur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Quis, significat conditionem sive statum personæ peccantis, circa quam considerandum est, an laica sit, vel sacra sive religiosa; an matrimonio juncta, vel soluta; an privata, vel publica, sive aliqua Dignitate aut Munere Ecclesiastico vel Civili ornata, &c. *Quid*, significat conditionem aliquam materiæ, vel objecti; quantitatem, verbi gratiâ, vel qualitatem. Sic in furto spectandum utrùm res aliena magni fuerit pretii vel levis; utrum pauperi vel diviti ablata fuerit. Sic in quolibet peccato consideranda est dignitas personæ in quam peccatur, ut de peccati gravitate judicetur. *Ubi*, significat conditionem loci, circa quem spectandum est maximè an sit sacer vel profanus: Sic graviora peccata sunt percussio, homicidium, furtum & fornicatio in templo commissa, quam in prostibulo, vel in privatis ædibus. *Quibus auxiliis*, designat media & instrumenta quibus aliquis ad patrandum facinus usus est, veluti an falsa clavi, an violatâ quibusdam instrumentis vel apertâ serâ, an corruptis famulis, vel ancillis domum ingressus sit ad furtum committendum, quod gravius peccatum est, quam si patenter, aut per murum non obstructum ingressus esset: An manu nuda, vel armata percusserit; an veneno, vel gladio occiderit: An opera dæmonis vel aliquo maleficio, an blanditiis dumtaxat & promissis, an vi apertâ pudicitiam alienam tentaverit aut expugnaverit. *Cur*, significat finem, non illum quidem primarium & proximum, qui dat speciem actioni, sed adjunctum & remotum. Ejusmodi circumstantia est ebrietas, cùm aliquis furatur ut se inebriet: Item vana gloria, cùm eleemosynam erogat ostentationis causâ. *Quomodo*, significat conditionem pertinentem ad qualitatem actûs, qualis est, fieri per insidias, vel apertè; ex proposito deliberato, vel subito motu; intensè vel remissè; naturaliter, vel contra naturam. *Quando*, exprimit circumstantiam temporis, sive temporis conditionem & qualitatem, cujus ratio habenda sit in morali negotio, aut dies festus, cùm agitur de Missa non audita; dies jejunii, cùm agitur de pluribus refectionibus; tempus pacis aut belli cùm agitur de spoliatione hostium à militibus. Ad eamdem circumstantiam pertinet occasio, quæ tempus est rei gerendæ opportunum.

Tripliciter autem contingit aggravari peccatum ratione circumstantiæ: Primò quatenus circumstantia transfert actum in aliud genus peccati; sicut peccatum fornicationis in eo positum est, quòd homo accedit ad non suam: Si autem addatur hæc circumstantia, ut illa ad quam accedit sit alterius uxor, transfertur in aliud genus peccati, scilicet injustitiam, in quantum homo rem alterius usurpat: Quâ ratione adulterium gravius fornicatione peccatum est. Secundò, circumstantia peccatum aggravat quando, etsi non transferat actum in aliud genus peccati, multiplicat tamen rationes peccati, sicut si prodigus det quando non debet, & cui non debet, gravius peccat eodem genere peccati, quàm si det solùm cui non debet: sicut etiam ægritudo gravior est, quæ plures partes corporis inficit. Tertio modo circumstantia aggravat peccatum, non secundùm se spectata, sed aliâ circumstantiâ præsuppositâ, sicut accipere multùm, auget peccatum, ex hypothesi quod sit res aliena, & contra voluntatem domini accipiatur. Ita *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione LXXIII. A. VII.

CAPUT III.

DE EFFECTIBUS PECCATI.

I. Duo sunt effectus præcipui peccati, macula, & reatus pœnæ. Macula est privatio nitoris ex rerum terrenarum amore & adhæsione, contra lumen rationis, & divinæ legis proveniens: sicut macula corporis est detrimentum nitoris, ex alieni corporis contacto procedens. Habet autem Anima duplicem nitorem. Unum quidem ex lumine naturalis rationis, per quam in suis actibus dirigitur: alterum ex divino lumine sapientiæ & gratiæ, quibus perficitur homo ut benè & convenienter agat. Hujus utriusque nitoris privatio est macula peccati, manens in anima, etiam postquam actus peccati transierit, donec Pœnitentiæ virtute abstergatur: Eáque macula distincta est à reatu pœnæ. Unde *S. Pius V.* & *Gregorius XIII.* hanc *Michaelis Baii* Propositionem 54. damnarunt inter alias: *In peccato duo sunt, actus, & reatus: Transeunte autem actu, nihil remanet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.* Hujus maculæ frequens in Sacra Scriptura fit mentio. Josue XXII. *An parum est vobis quòd peccastis in Beelphegor, & usque in præsentem diem macula hujus sceleris in vobis permanet?* Psalm. XIV. *Qui ingreditur sine macula.* Macula peccati.

Eccle-

Ecclesiastici xxxi. *Beatus dives qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia & thesauris.* Ad Ephes. v. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet Ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* Ex quo S. Hieronymus colligit, quòd *Qui peccator, & aliqua sorde maculatus est, de Ecclesia non est,* (merito scilicet, quamvis de illâ sit numero) & quòd *Sicut omne studium feminarum est, ut quod fœdare videtur, abstergant, sic & Animæ omni peccatorum sorde purganda sunt.* Idem probant omnia loca Scripturæ, quæ peccata nomine immunditiæ & sordium vel inquinamentorum significant, ipsósque peccatores immundos & inquinatos appellant. Isai. iv. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion.* Et Cap. lxiv. *Facti sumus ut immundus omnes nos.* Ezech. xiv. *Qui posuerit immunditias suas in corde suo.* Et Cap. xxxvi. *Salvabo vos ex universis inquinamentis vestris.* Jerem. ii. *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus.* Ad Tit. i. *Inquinata sunt eorum & mens & conscientia.* Jacob. i. *Abjicientes omnem immunditiam.* Eodem spectant, quæ justificationem impii nomine ablutionis significant, ut Psalmo l. *Lavabis me & super nivem dealbabor.* Ezechielis xxxvi. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Zachariæ xiii. *Erit fons patens domui David & habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Jerem. xxxiii. *Emundabo illos ab omni iniquitate sua.* i. ad Corinthios vi. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis.* i. Joannis i. *Sanguis Jesu-Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Hujus maculæ ratione peccator Deo exosus est, secundùm illud Osee ix. *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.* Sapientiæ xiv. *Similiter odio sunt Deo impius & impietas ejus.*

Quid verò mirum si nitorem animæ peccatum depascatur, cùm vitam ejus supernaturalem, quæ ex caritate est, extinguat? Hinc Dominus ait Ezechielis xviii. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Hinc S. Augustinus Tractatu xlix. in Joannem ait: *Omnis qui peccat moritur. Sed mortem carnis omnis homo timet, mortem animæ pauci. Pro morte carnis, quæ sine dubio quandoque ventura est, curant omnes ne veniat: inde est quòd laborant. Laborat ne moriatur homo moriturus, & non laborat ne peccet homo in æternum victurus. Et cùm laborat ne moriatur, sine causa laborat; id enim agit ut mulùm mors differatur, non ut evadatur: Si autem peccare nolit, non laborabit, & vivet in æternum. O si possemus excitare homines, & cum ipsis pariter excitari, ut tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sunt homines amatores vitæ fugientis! Quid non facit homo sub mortis periculo constitutus? Gladio impendente cervicibus, prodiderunt homines quicquid sibi unde viverent, reservabant. Quis non continuò prodidit ne percuteretur? Et post proditionem fortassè percussus est. Quis non ut viveret, continuò perdere voluit unde viveret, eligens vitam mendicantem, quàm celerem mortem? Cui dictum est, Naviga ne moriaris; & distulit? Cui dictum est: Labora ne moriaris, & piger fuit? Levia Deus jubet, ut in æternum vivamus: & obedire negligimus. Non tibi Deus dicit, Perde quicquid habes, ut vivas exiguo tempore in labore sollicitus: Sed, Da pauperi unde habes, ut vivas semper sine labore securus. Accusant nos amatores vitæ temporalis, quam nec cùm volunt, nec quamdiu volunt habent: & nos invicem non accusamus, tam pigri, tam tepidi ad capessendam vitam æternam, quam si voluerimus, habebimus; cùm habuerimus, non amittemus: Hanc autem mortem quam timemus, etiamsi noluerimus, habebimus.*

Peccatum mors Animæ.

Hinc S. Petrus Chrysologus Sermone xix. hæc verba Christi explicans, Joann. xiv. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, ait: *Quod est anima corpori, hoc est animæ Christus. Sine anima corpus non vivit: Non vivit anima sine Christo. Recedente anima, mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, & omnia visu detestanda succedunt: Discedente Deo, confestim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conscientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror: & fit in corporis sepulchro vivo funus Animæ jam sepultæ.*

Mortem ergo animæ, separationem ejus à Deo intellige. Isai. lix. *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum: & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret.* Deus quantùm est ex se, omnibus per gratiam suam præsens est, ut Sol ille syderum princeps omnibus hominibus affulget, sed peccatores magis diligunt tenebras quam lucem. Non deserit Deus, nisi deseratur, ut justè semper, piéque vivatur. Longè ergo recedimus a Deo per peccatum in regionem dissimilitudinis, in regionem umbræ mortis. Qua de re S. Ambrosius, Lib. *De Nabuthe* Cap. xvi. *Vos reddite munera, qui à Domino non receditis, qui estis in circuitu, quoniam qui eratis longè, facti estis propè. Qui autem propè sibi videntur esse per divitias ac potentiam, longè facti sunt propter avaritiam. Nemo enim foris est, nisi quem culpa excluserit, ut ejecit Adam de Paradiso, & exclusit Evam. Nemo longè, nisi quem flagitia propria relegaverint.* Hinc Psalm. cxviii. dicitur: *Longè à peccatoribus salus, quoniam justificationes tuas non exquisierunt.* Sed, inquit S. Ambrosius, *Ipsi sunt sui autores periculi, qui Domino non appropinquarunt. Ideo facti sunt longè, quia voluntate suâ à salutis se gratiâ separaverunt. Non refugit eos salus, sed ipsi salutem, qui se elongaverunt.* Hinc rursus Psalm. xciii. *Quia non repellet Dominus plebem suam, & hereditatem suam non derelinquet.* EST ENIM misericordia divina (inquit S. Ambrosius) *ut nulli causa sit mortis, & omnes putet esse redimendos. Sed vide ne ille repellatur, qui se elongat à Domino, sicut dicit David:* Quoniam ecce qui elongant se à te peribunt, perdidisti omnes qui fornicantur abs te. *Quid est*, abs te fornicantur? *Quia turpitudinis suæ ludibriis te relinquunt, & à te recedunt, & à præceptis tuis devii sunt. Denique alibi habes scriptum:* Adulteros autem judicat Deus; *disperdent eos à se. Repulisti ergo, hoc est, alienando abs te perdidisti eos. Ergo qui se à Domino separat, ipse à Domino separatur; & qui non cognoscit Dominum, à Domino non cognoscitur: & qui ignorat, ignoratur; sicut ipse Dominus dixit:* Discedite a me omnes operarii iniquitatis, nescio vos. *Non enim scire dignatur injustitiæ ministros & iniquitatis autores. Peccator ergo non repellitur, quia ipse se repellit.* Se (inquam) repellit a sinu Patris, ab amplexibus Sponsi, a disciplina Magistri, cui proinde jure meritò dicit Dominus: *Tu verò odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum*; &, *Vos ex patre diabolo estis*: Ab imperio denique Regis optimi & beneficentissimi, dicens in corde suo: *Nolumus hunc regnare super nos.* Peccator proinde suave Domini jugum abjiciens, in peccati servitutem, Diabolique tyrannidem incidit, qui *Rex est super universos filios superbiæ.* Nam *Qui facit peccatum, servus est peccati*: &, *A*

Animæ separatio à Deo per peccatum.

Psal. 72.

Ibid. 82.

Matth. 7.

Psalm. 49. 17.

Luc. 19. 14.

Job. 41.

Joan. 8.

DE PECCATIS.

2. Pet. 2. *quo quis superatus est, ejus & servus est.* Amissâ (inquam) libertate gloriæ filiorum Dei, fit *Servus corruptionis*; nec unum jam dominum habet, sed tot dominos, *tot Reges, quot vitia* (inquit *Sanctus Ambrosius* Sermone xx. in Psalm. cxviii.)

Peccatum mortale omnes Animæ divitias deprædatur.

Non solùm animæ decorem mortale peccatum corrumpit, sed & divitias ejus deprædatur; merita scilicet ac bona opera præterita mortificat, & obliterat, ut nullam eorum rationem habeat Deus, quamdiu illa in peccato permanserit. Id significat *Jeremias* Threnorum 1. sub typo cladis Jerusalem: *Egressus est à filia Sion omnis decor ejus.... Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est.... Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui.... Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus.* Quem locum S. *Hieronymus* sic interpretatur: *Mysticè filia Sion reliquit decorem suum, quando Anima per incuriam cogitationum, virtutum perdidit ornamentum: nec ei subveniebant Principes sui, hoc est, rationabiles tractatus, cum quibus resistere debuit inimicis persequentibus, sed defecto robore fortitudinis coram hoste persequente, propulsa est in foveam deceptionis.... Sordes gestat in pedibus, qui gressum conversationis suæ malis polluit operibus: nec recordatur finis sui, & temporis justi judicii Dei. Unde depressa vehementer, & hostium manibus tradita, nullam consolatorem habet: quia tempore opportuno, cultu pietatis honorare noluit suum Autorem. Solus in ea dominatur Inimicus, quoniam » Deus verus eam deseruit amens.* Manum suam » misit hostis ad omnia desiderabilia ejus. *Propter peccata populi hostilis exercitus devastat Templum Domini, & omnem ornatum ejus dejicit. Repulit enim Dominus Tabernaculum suum, in quo habitavit inter homines: & tradidit in captivitatem virtutes eorum, & pulchritudines eorum sprevit. Sed & nos, si non observaverimus diligenter claustra cordis nostri, & per aliquem sensuum nostrum Hostis antiquus patentem invenerit introitum, ingreditur per suggestiones pravas, & illicitas concupiscentias in sacrarium Animæ nostræ, ubi Sancta Trinitas per fidem veram habitare consuevit, & spoliat illud decore Sapientiæ, & ornatu Virtutum: eritmúsque miserabiles, & omni confusione digaissimi.* Hinc nomine peccatricis animæ, sub typo Jerusalem à diabolo vastatæ, subdit Propheta: *Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei; vocavit adversùm me tempus ut contereret electos meos.* Abstulit Dominus magnificos plebis Judaicæ in tempore captivitatis suæ, quando Prophetas & Sacerdotes, quorum ope & doctrina Judæi maximè sustentati sunt propter malitiam eorum, & scelerum multitudinem apud illos habitare non permisit, sicut Daniel testatur, dicens: *Domine, non est in tempore hoc Princeps, nec Propheta, & Dux, neque holocaustum, neque sacrificium, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam.* Sic (inquit S. Hieronymus) & *Ab Anima diabolica fraude decepta, postquam eam inimicus intus captivam à statu rectæ fidei & bonæ conversationis in confusionem erroris abduxerit, sanctorum prædicatorum doctrinam & exempla ab aspectu cordis ejus per oblivionem aufert: quatenus eam spoliatam virtutibus faciliùs in terra aliena possideat, ne per recordationem sani dogmatis, & meliorationem vitæ ad statum pristinum revertatur.*

Dan. 3.

Reatus pœnæ.

II. Alter effectus peccati, est reatus pœnæ, sive debitum pœnæ propter peccatum admissum luendæ, *Manens, donec remittatur, in occultis Legibus Dei, quæ conscripta sunt quodammodo in mentibus Angelorum, ut nulla sit iniquitas impunita, nisi quam sanguis Mediatoris expiaverit*; ut loquitur *S. Augustinus* Libro vi. contra *Julianum Pelagianum*, Cap. xix. Id certè in omnibus ex naturali inclinatione invenitur, ut unusquisque deprimat eum qui contra ipsum insurgit. Unde quicquid contra ordinem insurgit, æquum est ut ab eo ordine & ordinis principe deprimatur. Cùm autem peccatum sit actus inordinatus, manifestum est, quòd quicumque peccat, contra aliquem ordinem agit; & ideo æquum est, ut ab eo ordine deprimatur; quæ quidem depressio pœna est. Unde secundùm tres ordines quibus subditur humana voluntas, triplici pœnâ potest homo puniri. Primò enim subditur ordini propriæ rationis: Secundò, ordini exterioris hominis gubernantis, vel spiritualiter vel temporaliter, politicè seu œcumenicè: Tertiò subditur universali ordini Divini Regiminis. Quilibet autem horum ordinum per peccatum pervertitur; dum ille qui peccat agit & contra rationem, & contra legem humanam, & contra legem divinam: unde triplicem pœnam incurrit: unam quidem à seipso, quæ est conscientiæ stimulus; aliam ab homine; tertiam a Deo. Ita disserit *S. Thomas* Prima Secundæ Quæstione lxxxvii. Articulo 1. De secundo pœnæ genere hîc non agimus, scilicet de pœnis ab homine infligendis: sed quæstio est præsertim de reatu pœnæ à Deo infligendæ, de qua Exodi xxxii. dicitur: *Percussit Dominus Populum pro reatu vituli.* Deuteron. xxi. *Auferetur ab eis reatus sanguinis.* Psalm. x. *Pluet super peccatores laqueos, ignis & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Psalm. xxxi. *Multa flagella peccatoris.* Matth. xxv. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Ad Romanos ii. *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum.*

Peccator igitur qui se ab ordine legis divinæ subduxit per culpam, in ordinem divinæ justitiæ revocatur per pœnam. Ut enim disserit *S. Augustinus* Epistola cxl. aliàs cxx. ad *Honoratum*, Cap. ii. *Inest homini Anima rationalis, sed interest ejusdem rationis usu quonam potiùs voluntatem convertat, utrum ad bona exterioris & inferioris, an ad bona interioris superiorisque naturæ, id est, utrum ut fruatur corpore & tempore, an ut fruatur Divinitate atque æternitate. In quadam quippe medietate posita est, infra se habens corporalem creaturam, supra se autem sui & corporis Creatorem. Potest igitur Anima rationalis etiam temporali & corporali felicitate bene uti, si non se dederit creaturæ Creatore neglecto, sed eam potiùs felicitatem fecerit servire Creatori, qui & ipsam suæ bonitatis abundantissima largitate donavit. Sicut enim bona sunt omnia quæ creavit Deus ab ipsa rationali creatura usque ad infimum corpus: ita benè agit in his Anima rationalis si ordinem servet, & distinguendo, eligendo, pendendo subdat minora majoribus, corporalia spiritalibus, inferiora superioribus, temporalia sempiternis, ne superiorum neglectu, & appetitu inferiorum, (quoniam hinc fit ipsa deterior) & se & corpus suum mittat in pejus, sed potiùs ordinata caritate se & corpus suum convertat in melius. Cùm enim sint omnes substantiæ naturaliter bonæ, ordo in eis laudatus honoratur, perversitas culpata damnatur. Nec efficit Anima perversè utens creaturis, ut ordinationem effugiat Creatoris; quoniam si illa malè utitur bonis, ille bene utitur etiam malis. ac per hoc illa perversè bonis utendo fit mala; ille ordinatè etiam malis utendo permanet bonus. Qui enim injustè se ordinat in peccatis, justè ordinatur in pœnis.*

III. Duplex est reatus pœnæ, scilicet pœnæ æternæ, & pœnæ temporalis. Pœnæ æternæ reatum inducit peccatum mortale, quod irreparabiliter

Pœna æterna peccato mortali debita.

A

Pœna æterna mortali peccato debita.

liter pervertit ordinem hominis ad Deum ut ultimum finem, & caritatem extinguit, per quam Deo inhæret. Unde Matth. XXV. Christus de Sententia adversùs reprobos ferenda ait: *Discedite à me maledicti in ignem æternum*; subditque S. Evangelista: *Ibunt hi in supplicium æternum.* Et Marci III. dicitur: *Qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti*; id est, obnoxius æternæ damnationi. Hinc etiam II. ad Thessalonicenses I. dicitur de impiis & infidelibus, qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi, quòd *Pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, cùm venerit glorificari in Sanctis suis.* Adde illud Apocalypsis XIV. *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt bestiam, & imaginem ejus, & si quis acceperit caracterem nominis ejus.*

Origenis Error.

Nonnulli quidem, & inter alios Origenes, Origenistæ, & alii quidam injustum putaverunt, ut pro peccatis quamlibet magnis, brevi scilicet tempore perpetratis, pœnâ quisque damnetur æternâ: *Quasi ullius id unquam justitia legis attendat, ut tantâ morâ temporis quisque puniatur, quantâ morâ temporis unde puniretur admisit. . . . . Damnum* enim, *ignominia, exilium, servitus, cùm plerùmque sic infliguntur, ut nullâ veniâ relaxentur, nonne pro hujus vitæ modo similia pœnis videntur æternis? Ideo quippe æterna esse non possunt, quia nec ipsa vita quæ his plectitur, porrigitur in æternum: & tamen peccata, quæ vindicantur longissimi temporis pœnis, brevissimo tempore perpetrantur; nec quisquam exstitit qui censeret tam citò nocentium finienda esse tormenta, quàm citò factum est homicidium, vel sacrilegium, vel quodlibet aliud scelus, non temporis longitudine, sed iniquitatis & impietatis magnitudine metiendum. Qui verò pro aliquo grandi crimine morte mulctatur, nunquid morâ quâ occiditur, quæ perbrevis est, ejus supplicium leges æstimant, & non quod eum in sempiternum auferunt de societate viventium? Quod est autem de ista Civitate mortali homines supplicio primæ mortis, hoc est de Civitate illa immortali homines supplicio secundæ mortis auferre. Sicut enim non efficiunt leges hujus Civitatis, ut in eam quisque revocetur occisus; sic nec illius, ut in vitam revocetur æternum, secunda morte damnatus.* Ita disserit *S. Augustinus*, Lib. XXI. *De Civitate Dei*, Cap. XI.

Matth. 25.

Præterea, *Si quibus dicitur*, DISCEDITE à » me maledicti in ignem æternum, qui paratus » est Diabolo & Angelis ejus, *vel universi, vel aliqui eorum non semper ibi erunt; quid causæ est cur Diabolus & Angeli semper ibi futuri esse credantur? An fortè Dei Sententia, quæ in malos & Angelos & homines proferetur, in Angelos vera erit, in homines falsa? Ita planè hoc erit; si non quod Deus dixit, sed quod suspicantur homines plus valebit. Quod fieri quia non potest, non argumentari adversùs Deum, sed divino potiùs, dum tempus est, debent parere præcepto, qui sempiterno cupiunt carere supplicio. Deinde quale est æternum supplicium pro igne diuturni temporis existimare, & vitam æternam credere sine fine, cùm Christus eodem ipso loco, in una eadémque Sententiâ dixerit utrumque complexus,* Sic ibunt isti in suppli» cium æternum, Justi autem in vitam æternam? *Si utrumque æternum, profectò aut utrumque cum fine diuturnum, aut utrumque sine fine perpetuum debet intelligi. Par pari enim relata sunt, hinc supplicium æternum, inde vita æterna. Dicere autem in hoc uno eodémque sensu, Vita æterna sine fine erit, Supplicium æternum finem habebit, multùm absurdum est. Unde quia Vita æterna Sanctorum sine fine erit, supplicium quoque æternum quibus erit, finem procul dubio non habebit* (inquit S. *Augustinus*, Cap. XXIII. ejusdem Libri.)

Sancti quoque *Gregorii* præclarus est locus de pœnarum impiis debitarum æternitate, Libro XXXIV. *Moralium*, Cap. XVI. *Si quandoque finienda sunt supplicia reproborum, quandoque finienda sunt ergo & gaudia Beatorum. Per semetipsam namque Veritas dicit*: Ibunt hi in supplicium æternum, « Justi autem in vitam æternam. *Si igitur hoc verum non est quod minatus est, neque illud verum est quod*

B *promisit. At, inquiunt, Ideo æternam pœnam peccantibus minatus est, ut eos à peccatorum perpetratione compesceret: quia creaturæ suæ æterna supplicia minari debuit, non inferre. Quibus citiùs respondemus: si falsa minatus est, ut ab injustitia corrigeret, etiam falsa pollicitus est, ut ad justitiam provocaret. Et quis hanc eorum vesaniam ferret, qui conantur adstruere verum non esse, quod Veritas de æterno igne minata est; & dum satagunt Deum perhibere misericordem, non verentur prædicare fallacem? At, inquiunt, sine fine puniri non debet culpa cum fine. Justus nimirum est omnipotens Deus, & quod non æterno peccato com-*

C *missum est, æterno non debet puniri tormento. Quibus citiùs respondemus, Quòd rectè dicerent, si Judex justus districtusque veniens, non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. Nam magis appetunt peccare quàm vivere: & ideo hic semper vivere cupiunt, ut nunquam desinant peccare cùm vivunt. Ad districti ergo Judicis justitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, quorum mens*

D *in hac vitâ nunquam voluit carere peccato: & nullus detur iniquo terminus ultionis, quia quamdiu valuit, habere voluit terminum criminis.*

At, inquiunt, Nullus justus crudelitatibus pascitur, & delinquens servus à justo Domino ideo cædi præcipitur, ut à nequitia corrigatur. Ad aliquid ergo cæditur, cùm non ejus Dominus cruciatibus delectatur. Iniqui autem gehennæ ignibus traditi, quo fine semper ardebunt? Et quia certum est quod pius atque omnipotens Deus non pascitur cruciatibus iniquorum, cur cruciantur miseri, si non expiantur? Quibus citiùs respondemus, Quod omnipotens Deus,

E *quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur: quia autem justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes æterno supplicio, & quidem sua iniquitate puniuntur; & tamen ad aliquid concremantur, scilicet ut Justi omnes & in Deo videant gaudia quæ percipiunt, & in istis respiciant supplicia quæ evaserunt: ut tantò in æternum magis divinæ gratiæ debitores se esse cognoscant, quantò in æternum mala puniri conspiciunt, quæ ejus adjutorio vincere potuerunt.* Ut enim ait *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione LXXXVII. Articulo III. ad secundum. Pœna ipsa, quæ secundùm leges humanas infligitur, non semper est medicinalis ei qui punitur, sed solùm aliis: sicut cùm latro sus-

F penditur, non ut ipse emendetur, sed propter alios, ut saltem metu pœnæ à peccato cohibeantur, secundùm illud Proverb. X. *Pest lue flagellato, stultus sapientior erit.* Sic igitur & æternæ pœnæ reproborum à Deo inflictæ, sunt medicinales his qui consideratione pœnarum abstinent à peccatis, secundùm illud Psalm. LVI. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus, ut liberentur dilecti tui.*

Pœna damnatorum duplex.

IV. Pœna damnatorum duplex est, pœna damni, & pœna sensûs. Pœna enim respondet peccato. In peccato autem duo sunt, scilicet aversio ab incommutabili bono, quod est infinitum, & conversio ad commutabile bonum. Unde *S.*

Augustinus, Lib. II. *De Libero Arbitrio*, Cap. XIX. *Voluntas* (inquit) *aversa ab incommutabili & communi bono, & conversa ad proprium bonum, aut ad exterius, aut ad inferius, peccat. Ad proprium convertitur, cùm suæ potestatis vult esse; ad exterius, cùm aliorum propria, vel quæcumque ad se non pertinent, cognoscere studet; ad inferius, cùm voluptatem corporis diligit: atque ita homo superbus, & curiosus, & lascivus effectus, excipitur ab aliâ vitâ, quæ in comparatione superioris vitæ mors est: quæ tamen regitur administratione Divinæ Providentiæ, quæ congruis sedibus ordinat omnia, & pro meritis sua cuique distribuit. Ita fit ut neque illa bona quæ à peccantibus appetuntur, ullo modo mala sint, neque ipsa voluntas libera, quam in bonis quibusdam mediis numerandam esse comperimus; sed malum sit aversio ejus ab incommutabili bono, & conversio ad mutabilia bona: quæ tamen aversio atque conversio, quoniam non cogitur, sed est voluntaria, digna & justa eam miseriæ pœna subsequitur.* Et Libro II. *Confessionum*, Cap. XX. *Hoc enim peccabam, quòd non in ipso, sed in creaturis ejus, me atque cæteris, voluptates, sublimitates, veritates quærebam; atque ita irruebam in dolores, confusiones, errores.* Ratione aversionis à Deo, peccatum plectitur pœnâ damni, quæ ex parte objecti est infinita, siquidem amissio est infiniti boni, scilicet Dei. Ratione conversionis ad creaturam, plectitur pœnâ sensûs. Unde Apocalypsis XVIII. dicitur: *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum & luctum.* Pœnam damni exprimunt illa Christi Judicis verba: *Discedite à me maledicti*: Pœnam sensûs ista: *In ignem æternum.* De qua & Marci IX. Christus ait: *Si scandalizaverit te manus tua, abscide illam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Quod ter ibidem repetit, subditque: *Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur.* Ignem autem corporeum esse, nemo Christianus & Catholicus dubitaverit.

At (inquies) quomodo corporeus ignis Dæmones, & Animas hominum impiorum incorporeas cruciare potest?

Igne corporeo torquentur dæmones & damnatorum hominum animæ, miris & ineffabilibus modis.

Respondet S. *Augustinus*, Libro XXI. *De Civitate Dei*, Cap. X. *Cur non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis, etiam Spiritus incorporeos posse pœnâ corporalis ignis affligi, si Spiritus hominum, etiam ipsi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhærebunt ergo Spiritus Dæmonum... Immò Spiritus Dæmones, licèt incorporei, corporeis ignibus cruciandi; non ut ignes ipsi, quibus adhærebunt, eorum juncturâ inspirentur, & animalia fiant, quæ constent spiritu & corpore; sed, ut dixi, miris & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam. Quia & iste alius modus, quo corporibus adhærent spiritus, & animalia fiunt, omninò mirus est, nec comprehendi ab homine potest, & hoc ipse homo est.* Æternus doloris in redivivis corporibus damnatorum sensus, *Secunda mors* dicitur à S. *Joanne* in Apocalypsi. Etiamsi enim caro nunc talis nulla est, quæ sensum doloris perpeti possit, mortémque non possit: erit tamen tunc talis caro, qualis nunc non est; sicut talis erit & mors, qualis nunc non est. *Non enim nulla, sed sempiterna mors erit, quando nec vivere anima poterit Deum non habendo, nec doloribus corporis carere moriendo. Prima mors animam nolentem pellit è corpore; secunda mors animam nolentem tenet in corpore: ab utraque*

Secunda mors. Apoc. XX. 6

morte communiter id habetur, ut quod non vult Anima, de suo corpore patiatur; (inquit S. *Augustinus* Libro XXI. *De Civitate Dei*, Cap. III.) Et Libro XIII. Cap. II. *In damnatione novissima quamvis homo sentire non desinat, tamen quia sensus ipse nec voluptate suavis, nec quiete salubris, sed dolore pœnalis est, non immeritò mors est potiùs appellata quàm vita. Ideo autem secunda, quia post illam primam est, quâ fit cohærentium diremtio naturarum, sive Dei & animæ, sive animæ & corporis.*

Accedunt ad supplicii cumulum pœnæ interiores gravissimæ, & pariter æternæ, scilicet *Vermis qui non moritur*, (ut ait Christus, *Marci* IX.) id est, conscientiæ peccatricis stimuli miseram animam in sempiternum pungentes ac discerpentes; æternus pavor, perturbationes animi perpetuæ, jugis criminum suorum conspectus; continuum odium Dei, cujus vindices manus effugere numquam poterit; æterna felicitatis Beatorum invidia; cognitio certa æternitatis pœnarum suarum, firmaque persuasio nusquam illas minuendas, temperandas, levandas fore ullius boni, ulliúsve solatii admixtione; addictio æterna servituti dæmonis, qui *Rex est super omnes filios superbiæ*: Animæ denique infelicis attentio sempiterna ad hæc omnia, scilicet ad Deum quem offendit, quem contempsit, quem odit, a quo punitur; ad causas damnationis suæ, quas sibi uni imputare potest; ad peccata omnia & singula, ad supplicii locum profundissimum, arctissimum, tenebrosissimum, igne ac sulphure flagrantem, fœtidissimum; ad pœnas interiores & exteriores, ad horrendam dæmonum, damnatorúmque hominum cæterorum societatem, tormenta sunt ipso igne tartareo graviora. Quid dicam de pugna contrariorum desideriorum, quibus anima desperata æternùm cruciabitur? Semper vivere desiderabit; id enim naturale desiderium est: destrui nihilominus optabit, ut miseriæ ipsius finem habeant: sed inane erit desiderium. Deum desiderabit naturali quadam propensione: Deum odio habebit perversa voluntate. Pœnitebit illam peccatorum, quæ damnationis ejus causæ sunt: amabit nihilominus peccata, obfirmatâ in malo voluntate, & conversionis incapace. *Væ oppositis voluntatibus* (inquit Sanctus Bernardus) *solam suæ profectò aversionis referentibus pœnam! Quid tam pœnale, quàm semper velle quod numquam erit? Quid tam damnatum, quàm voluntas addicta huic necessitati volendi nolendique, ut ad utrumlibet jam sicut nonnisi perversè, ita nonnisi miserè moveatur? In æternum non obtinebit quod vult, & quod non vult in æternum nihilominus sustinebit.*

Aliæ damnatorum pœnæ.

Contrariæ damnatorum voluntates.

Lib. V. De Consid. cap. XII.

Dogma autem fidei est, *Illorum Animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas*; ut Concilium Florentinum docet ac declarat in Definitione Fidei.

V. Pœnæ temporalis reatum, vel in hac vitâ, vel in altera luendæ, inducit peccatum veniale, quod non pervertit ordinem ad ultimum finem, scilicet ad Deum, sed ordinem dumtaxat eorum quæ ad finem referuntur; ut cùm homo nimis ad aliquam rem temporalem afficitur, non tamen pro ea Deum offendere vellet, aliquid contra præceptum ejus faciendo (inquit *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione LXXXVII. Art. V.) Si nimirum fundamentum Christus est, id est, *Si primum locum in corde Christus obtinuit, sæcularia verò sic amantur, ut non Christo præponantur, sed eis De-*

Pœna temporalis a peccato veniali debita, vel hic vel in purgatorio luenda.

mittus Christus: Etiamsi soper divinum illud fundamentum homo superædificet *Lignum, fœnum, stipulam*, id est, peccata leviora, *Detrimentum patietur: Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* (Inquit Apostolos I. ad Corinthios III.) Quem locum sic explicat *S. Augustinus* Sermone CCCLXII. alias *De Diversis* III. & Lib. XXI. *De Civitate Dei*, cap. XXVI. ubi hæc habet: *Quisquis sic habet in corde Christum, ut ei terrena & temporalia, nec ea quæ licita sunt, atque concessa præponat, fundamentum habet Christum: Si autem præponit, & si videatur habere fidem Christi, non est tamen in eo fundamentum Christus, cui talia præponuntur.* Et paulò post subdit, Esse quosdam qui super hoc fundamentom soperædificant ligna, fœnum, stipulam, id est, leviora peccata; & qui terrenas *Necessitudines sic amant carnaliter, ut tamen eas Christo Domino non præponant, malintque ipsis carere, quàm Christo:* Hos porrò *per ignem salvos* fore. Nomine autem ignis intelligitur tum hujus temporis tribulatio: *Quia earum rerum amissione tantùm necesse est urat dolor, quantùm hæserat amor:* tum pœna Purgatorii. [Quæ Purgatorii pœnæ?] Illa enim duplex est: Privatio scilicet, seu potius dilatio beatitudinis; id est, divinæ visionis, & pœna sensûs. Et privatio quidem ipsa Dei, vel ad tempus, gravissima pœna est animæ non jam in viâ, sed in termino constitutæ. Amanti enim patriam, exilium a Patria magna est pœna. Unde cùm Animæ Justorum corporibus solutæ, & tamen venialium peccatorum maculis, seu pœnæ temporalis reatu à Dei visione retardatæ, Deum & cœlestem Patriam summè ament, & inquietæ sint, donec in Deo requiescant; gravissimum ex hac dilatione dolorem patiuntur, dum sibi ipsis per singula momenta dicunt, *Ubi est Deus tuus?* [Psalm. 41. 14. Proverb. 13. 12.] Si enim *Spes quæ differtur, affligit animam:* quantò magis spes summi boni affligit animam non jam terrenæ cupiditatis pondere depressam, sed toto amoris impetu in Deum tendentem? Ignis etiam Purgatorii, sive pœna sensûs in illo purgationis loco luenda, qualibet hujus seculi pœnâ gravior erit, ut docet *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum XVII.

De hoc pœnæ purgatoriæ reatu, *S. Gregorius*, Lib. IV. *Dialogorum*, cap. XXXIX. sic loquitur: *De quibusdam levibus culpis esse ante Judicium Purgatorius Ignis credendus est, pro eo quod Veritas dicit*, [Matth. 12.] *Quia si quis in Sanctum Spiritum blasphemiam dixerit, neque in hoc seculo remittetur ei, neque in futuro. In qua Sententia datur intelligi, Quasdam culpas in hoc seculo, quasdam verò in futuro posse laxari. Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. Sed tamen, ut prædixi, hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpa vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, sciunt; aut in non gravibus rebus error ignorantiæ: Quæ cuncta etiam post mortem gravant, si adhuc in hac vita positis minimè fuerint relaxata.*

[Conscientiæ stimuli.] VI. Inter peccati pœnas non levis sanè est conscientia peccati, seu conscientiæ peccatorem ipsum accusantis stimulus, vermis instar peccatricem animam corrodens. Quâ de re *S. Ambrosius*, Enarratione in Psalmum XXXVII. *Gravior* (inquit) *Adversarius nobis culpa est nostra, quæ sollicitat otiosos, affligit sanos, contristat lætos, inquietat placidos, exagitat mites, excitat dormientes. Rei sumus sine accusante, sine tortore cruciamur, sine vinculis astringimur, sine venditore vendimur. Unde & Scriptura dicit:* [Isaiæ 50.] Peccatis vestris venditi estis. *Hæc igitur peccata sunt, quæ contra nos semper sunt, ut dicit Propheta:* Vendiderunt nos, & [Isaiæ 3.] dominantur nobis. *Servus qui venditur, superiore servitio exit, ut ad Dominum alterum migret: Nos nec superiorum jugum deponimus, & ad nova peccata curvamur.* Et in Psalm. XXXV. *Quæ pœna major, quàm timere quod vitare non possis, nec quod timueris evadere? Unde præclarè David exprimens conventionem gravissimam conscientiæ peccatricis ait:* Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & [Psalm. 50.] delictum meum contra me est semper. *Offenditur enim nobis ultrix nostri imago peccati; nec quietum usum suum esse permittit, inferens miseram servitutem:* [Ultrix imago peccati.] *Atque in sua vincula trahit, ut enodare se non queat; quoniam volens ipse se vendidit, cui liberum erat delictorum æra non capere, & libertatem innocentiæ reservare. Itaque dum oramus, peccatum offenditur: ubi somno sensus se corporis relaxaverit, peccatum recurrit, semper nobis error noster tanquam malus exactor occurrit, vel tanquam improbus fœnerator conveniens debitorem.*

Quanta sit malæ conscientiæ pœna, explicat [Malæ conscientiæ pœna.] disertè *S. Augustinus*, Enarratione in Psalmum XLV. *Inter omnes tribulationes humana anima* (inquit) *nulla est major tribulatio, quàm conscientia delictorum. Namque si ibi vulnus non sit, sanúmque sit intus hominis quod conscientia vocatur; ubicunque alibi passus fuerit tribulationes, illuc confugiet, & ibi inveniet Deum. Si autem ibi requies non est propter abundantiam iniquitatis, quoniam & ibi Deus non est; quid facturus est homo? Quò confugiet, cùm cœperit pati tribulationes? Fugiet ab agro ad civitatem, à publico ad domum, à domo ad cubiculum, & sequitur tribulatio. A cubiculo jam quò fugiat non habet, nisi in interius cubiculum. Porrò si ibi tumultus est, si fumus iniquitatis, si flamma sceleris, non illuc potest confugere: pellitur inde, & cùm inde pellitur, à seipso pellitur. Et ecce hostem suum invenit, quò confugerat: seipsum quò fugiturus est? Quocunque fugerit, se trahit post se; & quocunque talem traxerit se, cruciat se de se. Ipsæ sunt tribulationes quæ inveniunt hominem nimis: Acerbiores enim non sunt: tantò non sunt acerbiores, quantò non sunt interiores. Videte Carissimi, cùm ligna dejiciuntur & probantur à fabris, aliquando in superficie videntur quasi læsa & putria: faber autem inspicit quasi medullam interiorem ligni; & si sana interiùs ligna cognoverit, promittit ea in ædificio duratura; nec valde erit de superficie læsa sollicitus, quando id quod interius est sanum renuntiat. Porrò homini interius conscientia non invenitur: quid igitur prodest, si quod est exterius, sanum est, & putrefacta est medulla conscientiæ? Arcta ista, & vehementes omnino, & sicut Psalmus ipse ait, nimia tribulationes sunt: tamen & in his adjutor factus est Dominus dimittendo peccata. Iniquorum enim conscientias non sanat nisi indulgentia. Si enim magnas tribulationes habere se dicit debitor fisci confessus, & intuens angustias rei familiaris suæ, cùm se videt non posse esse solvendo, propter imminentes omni anno compulsores, tribulationes magnas se pati dicit, nec usquam respirat nisi in spe indulgentiæ rerum terrenarum: quantò magis debitor pœnarum de abundantia delictorum, quando reddet quod debet de mala conscientia, quando si reddiderit ipse perit? Hoc enim debitum reddere, unos luere est.*

Et Enarratione in Psalmum XXXIII. *Quomodo* (inquit) *nolunt intrare domos suas, qui habent malas uxores, quomodo exeunt ad forum, & gaudent; cœpit hora esse, quâ intrent in domum suam, contristantur: Intraturi sunt enim ad tædia, ad murmura, ad amaritudines, ad aversiones; quia non est domus composita, ubi inter virum & uxorem pax nulla*

est: & melius illi est foras circuire. Si ergo miseri sunt, qui cùm redeunt ad parietes suos, timent ne aliquibus suorum perturbationibus evertantur; quantò sunt miseriores, qui ad conscientiam suam redire nolunt, ne ibi litibus peccatorum evertantur? Ergo ut possis libens redire ad cor tuum, munda illud.

Et Epistolâ CLI. aliàs CCLIX. *Horrendis* (inquit) *& pœnalibus tenebris, omnes non tantùm carceres, sed etiam inferos vincit scelerati hominis conscientia.*

De malæ conscientiæ pœna intelligenda sunt illa Dei verba primo fratricidæ Caino dicta: *Sin autem malè* (egeris) *statim in foribus peccatum aderit.* (*Genes.* 4. 7.) De hac peccati pœna S. Joannes Chrysostomus Concione 1. De Lazaro. *Antequam* (inquit) *illic puniantur, jam nunc qui improbè agunt, atque in peccatis vivunt, puniuntur. Nec enim mihi dixeris illum mensâ sumptuosâ frui, vestibus circumdari sericis, mancipiorum greges circumferre, alios submovere in foro: sed explica mihi istius conscientiam, & videbis intus gravem peccatorum tumultum, jugem metum; tempestatem, turbationem: videbis velut in judicio mentem ad thronum conscientiæ conscendisse regalem, & tanquam judicem quempiam sedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem; in equuleo suspendentem, lateráque conscientiæ radentem ungulis, pro commissis vehementer inclamantem, cùm nemo sciat, nisi quòd solus Deus hæc videre noverit. Etenim qui committit adulterium, etiamsi millies fuerit dives, etiamsi nullum habeat accusatorem, non desinit tamen intus seipsum accusare: & voluptas quidem temporaria est, dolor verò perpetuus, timor undique ac tremor, suspicio & anxietas, angiportus metuit, umbras ipsas formidat, suos ipsius famulos, conscios, inscios; illam ipsam quam corrupit, & virum quem affecit contumeliâ; obambulat amarum accusatorem circumferens conscientiam, cùm sit suo ipsius judicio damnatus, nec vel ad breve tempus possit respirare. Nam & in lecto, & in mensa, & in foro, & in domo, & interdiu, & noctu, & in ipsis frequenter somniis hæc iniquitatis simulacra videt, ipsiúsque Cain vitam vivit, gemens ac tremens super terram, & cùm nemo sciat, intus tamen habet ignem semper implicitum.* Isaias cap 66 & Christus Dominus Matth. 9. *Vermem* appellant: *Vermis eorum non moritur.* Rationem affert S. *Ambrosius* Libro 7. in Lucam cap. 14. *Eò quod irrationabilia animæ peccata mentem Rei sensúsque compungunt, & quodam exedunt viscera conscientiæ, quæ tanquam vermes ex unoquoque nascuntur, tanquam ex corpore peccatoris.* Denique *Infernus quidam & carcer animæ rea conscientia* (inquit S. Bernardus Serm. 4. De Assumptione B. Virginis.) Et Libro 5. de Consideratione, cap. 12. *Nullus est molestior oculus suo cujusque. Non est aspectus sive in cœlo, sive in terra, quem tenebrosa conscientia suffugere magis velit, minus possit. Non latent tenebræ vel se ipsas. Se vident, quæ aliud non vident.*

Unum Peccatum pœna alterius pœnæ.

VII. Peccatum unum alterius pœna peccati est tripliciter. Primò, ratione causæ peccatum impedientis, quam removet. Causæ namque ad peccatum inclinantes, sunt cupiditates, & tentationes diaboli, quæ quidem divinæ gratiæ auxilio impediuntur vel comprimuntur. Cùm igitur subtractio gratiæ pœna sit à Deo inflicta; quod inde sequitur peccatum, alterius peccati pœna est. Hinc Apostolus ad Romanos 1. *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Secundò, unum peccatum alterius pœna est ratione actus cui adjuncta est afflictio, sive sit actus interior, ut in ira & invidia compertum est, sive actus exterior, ut patet in iis, qui gravi labore & damno opprimuntur, ut prava sua desideria expleant, secundùm illud Sapientiæ v. *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles.* Tertiò, unum peccatum alterius peccati pœna est, ratione effectus consequentis, ut sunt infamia, paupertas, morbi. Quâ ratione peccatum non solùm est pœna præcedentis peccati, sed etiam sui (inquit S. *Thomas*, Prima Secundæ, Quæst. LXXXVII. A. 2.)

Idem simul peccatum est & pœna peccati, & causa peccati.

Idem simul esse peccatum & pœnam peccati, docet *S. Augustinus*, Enarratione in Psalmum LVII. & Lib. V. *Contra Julianum*, cap. III. ubi ait: *Cæcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur: & pœna peccati, cùm cor superbum dignâ animadversione punitur: & causa peccati, cùm aliquod malum cæci cordis errore committitur.* Ita tamen intelligere debemus, *Unicuique homini supplicium fieri de peccato suo, & ejus iniquitatem in pœnam converti. Ne putemus illam tranquillitatem & ineffabile lumen Dei, de se proferre unde peccata puniantur; sed ipsa peccata sic ordinare, ut quæ fuerunt delectamenta homini peccanti, sint instrumenta Domino punienti;* (inquit S. *Augustinus*, Enarratione in Psalmum VII.)

Peccatum quod pœnitentia non diluit, suo pondere ad aliud trahit.

Idem confirmat *S. Gregorius* Lib. XXV. *Moralium*, cap. IX. exponens hæc verba Job XXXIV. *Novit enim opera eorum, & idcirco inducet noctem, & conterentur.* In nocte (inquit) iniquus conteritur, cùm peccatorum præcedentium confusione damnatus, veritatis lumen non invenit, & quid deinceps agere debeat, non agnoscit. *Omne quippe peccatum, quod tamen citiùs pœnitendo non tergitur, aut peccatum est & causa peccati; aut peccatum & pœna peccati. Peccatum namque quod Pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit. Unde fit, ut non solùm peccatum sit, sed peccatum & causa peccati. De illo quippe vitio culpa subsequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur, ut pejus ex alio ligetur. Sed peccatum quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo, sed peccatum est, & pœna peccati: quia justo judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito etiam in aliis cadat. Quem enim liberare noluit, deserendo percussit. Quod videlicet agitur dispositione superius ordinatâ, sed inferius iniquitate confusâ; ut & præcedens culpa sit causa subsequentis, & rursum culpa subsequens pœna sit præcedentis.* Quod probat Apostoli testimonio suprà laudato, ad Romanos 1. *Prioris ergo peccati merito* (inquit) *peccatorum subsequentium fovea tegitur; ut qui malum sciens perpetrat, deinceps justè in aliis etiam nesciens cadat. Hoc quippe agitur, ut culpa culpis feriantur; quatenus supplicia fiant peccantium ipsa incrementa vitiorum.*

CAPUT IV.

DE REGULIS GENERALIBUS AD PECCATA COGNOSCENDA ET DIJUDICANDA NECESSARIIS.

ARTICULUS UNICUS.

REGULÆ MORUM,

Quibus velut Principiis nititur Moralis Christiana.

REGULA I.

Ad Divinam Legem imprimis attendendum est, ut rectum de peccatis judicium feratur.

Secundùm Dei legem judicium de peccatis ferendum.

PECCATUM enim est dictum, factum, vel concupitom contra Legem Dei, cui se accommodare, & morem gerere debet homo, ut sit immaculatus & beatus, secondùm illud Psal. 1. *Beatus vir qui non abiit in consilio* D *impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit, Sed in Lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Et Psal. CXVIII. *Beati immaculati in via, qui ambulant in Lege Domini.* Vox ista divina est, tanquam dicens: *Quò itis? Peritis & nescitis. Non illàc itur quà pergitis, quò pervenire desideratis: Nam utique beati esse cupitis, sed misera sunt, & ad majorem miseriam ducunt itinera ista quà curritis. Tam magnum bonum quærere per mala nolite. Si ad illud pervenire vultis, huc venite, hàc ite. Via perversa relinquite malignitatem, qui non potestis relinquere beatitudinis voluntatem. Frustra tendendo fa-* E *tigamini, quò pervenienda inquinamini. Non autem beati inquinati in errore, qui ambulant in perversitate seculi; sed* BEATI *immaculati in via, qui ambulant in Lege Domini.* Verba sont *S. Augustini*, Sermone 1. in hunc Psalmum.

Idem demonstrat Natura virtutis & bonæ voluntatis, quam non aliud esse docet *S. Augustinus* nisi æternæ legis, æternæ veritatis, æternæ justitiæ cognitionem & amorem. *Fit enim* (inquit ille Lib. II. *De Libero Arbitrio*, cap. II.) *homo justus, fortis, prudens, coaptando animum illis in-* F *commutabilibus Regulis luminibúsque virtutum.* Et in Psalm. LXI. *Cum sis injustus, esse non potes justus, nisi convertendo te ad quandam Justitiam, à qua si recedis, injustus es; ad quam si accedis, justus es.*

Et Sermone IV. aliàs XLIV. *De Diversis*, cap. VI. *Justitia præsto est justè viventi. Secundùm ejus Regulam vident quemadmodum justè vivant & illi: sicut justi bene vivendo eam vident, ita injusti malè vivendo non eam vident. Nam & ille justè vivit eùm eam videt; & ille ipsam videt, ut secundùm eam actus suos dirigat: Quia nisi secundùm Justitiæ Regulam direxeris actus tuos, in errorem iniquitatis impingitur.*

REGULA II.

In Rebus Moralibus standum est judicio Conscientiæ ad Divinam Legem composita.

ID colligitur ex Ecclesiastici XXXII. *In omni opere tuo crede ex fide Animæ tuæ. Hoc est enim* B *observatio Mandotarum Dei.* Conscientiæ itaque jodicium sequendum est, quam recta in Deum, Divinámque Legem fides dirigit ac moderatur. *Judicium conscientiæ.* Id confirmat Apostolus ad Romanos cap. XIV. scribens: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Quod sic interpretatur *S. Thomas*, ut omne quod est contra veritatem fidei, vel contra conscientiam facientis, peccatum sit, quamvis ex genere suo bonum esse videatur: Puta, si Paganus in honorem falsorum Numinum virginitatem servet, aut eleemosynam eroget. Unde ad *Tit. I.* dicitur: *Coinquinatis & infidelibus nihil est* C *mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia.* Et II. ad Corinthios I. *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc Mundo: Abundantiùs autem ad vos.* Et I. Joannis III. *Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quidquid petierimus, accipiemus ab eo: Quoniam mandata ejus custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.*

Est autem Conscientia, *Applicatio scientiæ ad ea quæ agenda sunt.* A S. Basilio *Rationale judi-* D *catorium*, à S. Joanne Damasceno, *Lex intellectus nostri*, definitur. Ab aliis, *Habitus mentis, boni & mali discretivus.* Ab aliis, *Credulitas intentionis ad aliquid faciendum vel non faciendum, animi deliberatione firmata. Conscientia*, inquit Origenes in cap. 2. Epistolæ ad Romanos, *est velut pædagogus animæ quidam sociatus & rector, ut eam de melioribus moneat, vel de culpis castiget & arguat.* Conscientia est *verum & domesticum tribunal*, ait S. Gregorius Nazianz. Orat. 15. *Hoc tribunal non pecuniâ corrumpitur, non adulationibus acquiescit, eo quòd divinum est*; (ait *S.* Joannes Chrysostomus, Hom. 3. de verbis Isaiæ.)

REGULA III.

Quisquis agit contra conscientiam, etiam erroneam vel dubiam, peccat.

Peccat qui [illegible] tra conscientiam, quæ [illegible] vel dubiam.

SIcut enim oculum simplicem, quo totum corpus fit lucidum, duo ista faciunt bona, amor boni, & cognitio veri; Sic nequam oculum, quo totum corpus fit tenebrosum, duo è regione mala constituunt, cæcitas quâ fit ut veritatem non agnoscat: & perversitas, quâ fit ut F diligat iniquitatem. Quamobrem *Is verè oculus nequam est, qui perversus pariter & cæcus bonum agit, & malum credit, utique rectè operando, sed opinando iniquè, bonum sibi in malum vertit: & tantum malum, quantum crediderit: Quandoquidem juxta Sententiam Domini, Totum corpus tenebrosum reddit oculus nequam. Quid enim luci relinquitur, ubi nec pia intentio, nec vera opinio invenitur? At non ideo sequitur, ut qui econtrario malum facit, & bonum putat, juxta suam fidem similiter & ipse inveniat. Quare? Non est quippe simplex oculus ille, qui ex judicio veritatis totum corpus lucidum reddat. Neque enim ex toto adhuc*

tenebræ desunt, ubi ignorantia veritatis lucem obscurat bonæ voluntatis.... Et quidem laude dignam duxerim vel solam intentionem piam: nec planè condignâ remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas. Attamen sine malo quocunque non erit decepta simplicitas. Cur, inquis? Nunquid non ex fide? Prorsus ex fide: sed falsa; vel certè potiùs non ex fide, quia fides falsa fides non est: Denique de fide » *vera, non falsâ, puto dixisse Apostolum*, Omne » quod non est ex fide, peccatum est. *Non autem ex fide vera bonum creditur quod malum est: Est enim falsum: Peccatum igitur est. Utrumque proinde com*» *plectitur præsens capitulum*, Omne quod non est ex » fide, peccatum est, *& cæcam videlicet malitiam, & deceptam innocentiam; Quia quod à nesciente fit & bonum prorsus condemnat intentio prava, & malum non penitus excusat recta. Sive itaque malum putes bonum quod fortè agis, sive bonum malum quod operaris, utrumque peccatum est, quia neutrum ex fide: licet sanè leviùs admodum peccetur, ubi sana intentione sola reprehensibilis actio foris apparet, quàm ubi maligna latet etiam in non mala actione intentio.* Doctrina est *S. Bernardi* Lib. *De Præcepto & Dispensatione*, cap. XIV.

Rom. 14. 23

Id confirmat *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæst. XIX. A. V. ubi docet, voluntatem cum ratione vel conscientia errante concordem esse malam aliquo modo propter objectum: Quod cùm à ratione proponatur ut malum, quæ in illud fertur sub ea ratione voluntas perversa est. Exempli causâ: bonum est abstinere à fornicatione: at si voluntati proponatur ut malum à ratione errante, in id fertur voluntas sub ratione mali, adeóque mala est & perversa. Similiter credere in Christum est per se bonum & necessarium ad salutem, sed si a ratione proponatur ut malum, voluntas in illud feretur ut malum. *Unde dicendum, quòd simpliciter omnis voluntas discordans à ratione, sive recta, sive errante, semper est mala.* Quamvis enim judicium rationis errantis non derivetur à Deo, *Tamen ratio errans judicium suum proponit ut verum, & per consequens ut à Deo derivatum, à quo est omnis veritas.* Equidem si cui perspectum esset ac exploratum rationem humanam dictare aliquid contra præceptum Dei, *Non teneretur rationem sequi. Sed tunc ratio non totaliter esset errans: Sed quando ratio errans proponit aliquid ut præceptum Dei, tunc idem est contemnere dictamen rationis, & Dei præceptum.*

Idem confirmat Quodlibeto VIII. Articulo XIII. *Duobus modis* (inquit) *aliquis ad peccatum obligatur: Uno modo faciendo contra legem, ut cùm aliquis fornicatur: Alio modo faciendo contra conscientiam, etiamsi non sit contra legem; sicut si conscientia dictat alicui quòd levare festucam de terra sit peccatum mortale. Ex conscientia autem obligatur quis ad peccatum, sive habeat certam fidem de contrario ejus quod agit, sive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione. Illud autem quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam: & similiter quod est contra conscientiam est malum, quamvis non sit contra legem. Quod autem nec contra conscientiam, nec contra legem est, non est peccatum. Dicendum est ergo, quòd quando sunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet esse alteram veram, & alteram falsam. Aut ergo ille qui facit contra opinionem Magistrorum, utpote habendo plures Præbendas, facit contra veram opinionem; & sic cùm faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato quamvis non faciat contra conscientiam. Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam iste sequitur; ita quòd verè liceat habere plures Præbendas; & tunc distinguendum est: Quia aut talis habet conscientiam de contrario; & sic iterum peccat contra conscientiam faciendo, quamvis non contra legem: Aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem: sed tamen in quandam dubitationem inducitur pro varietate opinionum. Et manente dubitatione, qui plures Præbendas habet, periculo se committit; & sic proculdubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale quàm propriam salutem: Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur; & sic non committit se discrimini, nec peccat.*

REGULA IV.

Cùm error discuti ac vinci potest, Conscientiam erroneam deponere oportet, & contrarium ejus, quod ipsa dictabat, operari.

Error enim qui vinci potest, non excusat, sed peccatum est, & pœna peccati, & causa peccati. Si quis ergo ex errore conscientiæ obligari se putet ad mendacium, furtum, fornicationem, error deponendus est: mendacium, furtum, fornicatio fugienda. Favet *Gersonius* in Tractatu *De Natura & Qualitate Conscientiæ*, ita scribens: *Quando Conscientia dictat ea quæ sunt contra legem Dei, ipsa etiam ligat & obligat, non quidem ad faciendum, sed ad deponendum. Quia cùm talis conscientia erronea errore repugnante legi divinæ, quandiu ipsa manet, ponit & tenet hominem extra statum salutis, & ideo necesse est eam deponere, quia sive tunc homo faciat quod ipsa conscientia dictat, sive ejus oppositum, peccat mortaliter. Faciendo enim quod conscientia dictat in isto casu, facit contra legem Dei, quod clarum est peccatum mortale esse: Faciendo verò oppositum, mortaliter etiam peccat, non ratione operis, quod ex se malum non est, sed quia illud facit in contemptum Dei, cùm faciat illud quod sua conscientia sibi Deo displicere dictat.*

De conscientia erronea.

REGULA V.

Cùm error conscientiæ est invincibilis, non peccat agens secundùm conscientiam erroneam, imò secundùm illam agendum est.

Non peccat (inquam) qui secundùm conscientiam errantem in ea hypothesi agit, quia ipsum excusat omnino error insuperabilis. Exempli gratiâ, Mulier quæ rogatur debitum conjugale à viro, quem ex errore invincibili conjugem suum esse existimat, non peccat illud reddendo. Tenetur verò ad agendum secundùm conscientiam errore insuperabili delusam ac deceptam; Quia ratio proponit id ut præceptum divinum, cui absque hæsitatione parendum est.

De conscientia erronea.

REGULA VI.

Si Conscientia errans opus aliquod lethale peccatum esse dictet, quod nullum, aut veniale duntaxat peccatum est; reus erit peccati mortalis qui contra illam aget.

Ita enim affectus est, ut mortale peccatum committere velit. Voluntas autem peccandi, peccatum est. *Voluntas quippe est quâ peccatur, & rectè vivitur;* (inquit *S. Augustinus* Lib. I. *Retractationum*, cap. IX.) *Et homo videt ea quæ parent: Dominus autem intuetur cor.* Hinc *S. Thomas* Quodlibeto IX. Articulo V. *Error* (inquit) *quo creditur esse mortale, quod non est mortale,*

De conscien. tia erronea. *tale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale.* Idem docet *Gersonius* Tractatu *De cognitione peccatorum venialium & mortalium*, Consideratione xvi.

REGULA VII.

Errantis Conscientia judicium pracepto Superioris anteponendum est, si error dispelli, superari, ac deponi non possit: verbi gratiâ, si ex errore conscientia existimet subditus id quod à Superiore pracipitur, Divina Legi, aut Ecclesiastica, aut etiam Civili, in iis qua Politicum Regimen spectant; aut Majoris Pralati Pracepto esse contrarium.

NOn est enim obediendum homini, cùm Deo contraria præcipit, secundùm *S. Petri* Sententiam Act. iv. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus:* Nec igitur Superiori parendum est, quamdiu errore invincibili existimat subditus ejus præceptum Legi divinæ, vel Superioris in eodem ordine Potestatis præcepto esse contrarium. Hinc *S. Bernardus*, Lib. *De Pracepto & Dispensatione*, Cap. ix. ait: *Sive Deus, sive homo Vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obsequendum est curâ, pari reverentiâ deferendum, ubi tamen Deo contraria non pracipit homo. Quod si contigerit, pergendum indubitanter consulo in Petri Apostoli sententiam:* Quia Obedire oportet *Deo magis quàm hominibus. Aut enim hoc respondendum cum Apostolis, aut cum Pharisais*
Mat. 15. 3. *certè audiendum:* Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras? *Ego igitur si me angi hoc articulo sentiam, ut aut Deum, aut hominem offendere necesse sit. Deum potius libenter eligo non offendere, & quidem tutiùs justiùsque.* Et infra: *Quicquid vice Dei pracipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quàm si pracipiat Deus.* Igitur è contrario si ex judicio conscientiæ, quamvis erroneæ, persuasum sit alicui id quod præcipit Superior displicere Deo, tenetur non obedire. Et Cap. vii. ejusdem Libri: *Jam verò de eo qui pracipit, & item de eo quod pracipitur, hujuscemodi attendenda erit secundùm rationem distinctio, ut cujus inter Praceptores reverentior nobis imminebit auctoritas, ejus gravior formidetur offensio; ac majoris cujusque mandati transgressio damnabilior astimetur.* Si ergo errore conscientiæ invincibili subditus existimet præceptum Superioris Ecclesiæ legi, aut majoris Potestatis præcepto esse contrarium, præceptum Superioris postponere debet errantis conscientiæ judicio.

REGULA VIII.

Ut Conscientia erronea legitimè deponatur, proindéque obligare cesset, necesse est, ut ratione vel auctoritate convictus homo contrarium judicet ejus quod anteà judicaverat: aut certè rationes quibus in tale judicium inductus est, leves esse ac invalidas animadvertat: adeòque à priori illo judicio recedat.

AD errorem autem legitimè deponendum plurimùm valebunt humilis & frequens oratio animæ ad Deum clamantis: *Deus meus, illu-*
Psalm. 17. 29. *mina tenebras meas;* Accurata negotii discussio, bonorum librorum, de re, quæ in quæstionem venit, attenta lectio; consilii à viris doctis, probis, & prudentibus petitio; & docilitas atque summissio ut consilium hujusmodi sequatur. *Ne innitaris prudentia tua.... Ne sis sapiens apud temetipsum*, (inquit Spiritus-Sanctus Proverb. iii.) Et Ecclesiastici vi. *In multitudine Presbyterorum prudentium sta, & sapientia illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire, & proverbia laudis non effugiant à te. Et si videris sensatum, evigila ad eum.* Et Cap. viii. *Ne despicias narrationem Presbyterorum sapientium.... Non te pratereat narratio Seniorum; ipsi enim didicerunt à patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum.* Hinc Apostolus *captivari* jubet *omnem intellectum in obsequium Christi:* Hoc est, (inquit *Gersonius* in Tractatu De Natura & Qualitate Conscientiæ) *Qui habet in credendis plus debet consentire fidei, quàm sibi: & in agendis plus credere aliis quàm sibi.* 2. Cor. 10. 5.

REGULA IX.

Quamvis sperni debeant scrupuli, quando meros scrupulos esse compertum est, id est, inanes suspiciones timoréque malos, ubi nulla est timendi ratio, nec ulla mali species: contra conscientiam tamen ex scrupulis ortam agere non licet, nisi priùs error deponatur.

HÆc Regula colligitur ex Cap. *Per tuas*, 2. quod est *Innocentii III.* Extra, *De Simonia*. Facti species, de quo Sententiam rogatus fuit Pontifex, hæc erat. Monachus quidam Carthusiensis ex relatione quorumdam didicerat, Episcopum Diœcesanum, à quo fuerat Subdiaconus ordinatus, Simoniæ vitium multoties commisisse: quapropter idem Monachus in Ordine suscepto ministrare formidabat, nolens ab eodem Episcopo ad Superiores Ordines promoveri. Respondet Pontifex: *In Ordine suscepto securè ministret: sed contra conscientiam ad superiores Ordines non ascendas, ne fortè adificet ad gehennam: licèt ex eo quod conscientiam habuerit nimis scrupulosam, in difficultatem hujusmodi sit collapsus: quam utique non evadet, nisi deponat errorem.* De conscientia scrupulosa.

REGULA X.

Septem sunt Regula quarum adminiculo Conscientia scrupulosa deponi potest & debet, ex S. Antonino I. P. Tit. iii. Cap. x. §. x.

PRima est debita ad gratiam præparatio. Secunda, sollicita Scripturæ Sacræ indagatio. Tertia, orationis devotæ continuatio. Quarta, opinionis alicujus tutæ electio. Quinta, obedientiæ humilis imitatio. Sexta, scrupulorum animosa abjectio. Septima, præceptorum prudens interpretatio. Hinc *Proverb.* ii. dicitur: *Si sapientiam invocaveris, & inclinaveris cor tuum prudentia: si quasieris eam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam: tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei invenies.* Et ii. Paralipom. xx. Rex *Josaphat* ait: *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui ut oculos nostros dirigamus ad te.* Et Tobiæ iv. *Consilium semper à sapiente perquire. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.* Quòd autem scrupuli sperni debeant, accedente prudentis, pii, doctique Directoris judicio, & contra illos sit agendum, constat ex Cap. *Inquisitioni*, Extra, *De Sententia Excommunicationis*, cujus hæc sunt verba: *Si quis habet conscientiam ex credulitate levi & temeraria; conscientiâ levi & temeraria credulitatis explosâ, ad sui Pastoris consilium licitè potest agere.* De conscientia scrupulosa. Septem scrupulorum remedia. Scrupuli ex Superiorum & piorum consilio deponendi.

Id confirmant *S. Antoninus* ex Venerabili *Gersonio* Cancellario Parisiensi, in Tractatu *De Praparatione ad Missam & pollutione nocturna*, scribente: *Qui renuunt credere Superiorum & Pruden-*

cum consilio ad tales scrupulos deponendum, & agendum contra eos, errant multipliciter: Primò per superbiam & arrogantiam, præponendo judicium suum & prudentiam aliorum judicio. Rursus talis vix aut nunquam habebit devotionem solidam, & pacem conscientiæ à talibus: ac proinde carebit locus Animæ suæ Hospite illo, de quo Propheta dicit: In pace factus est locus ejus. *Decipiuntur in hoc multi ex simplicibus, distinguere nescientes inter ea, quæ portio animæ superior agit per consensum, & ea quæ portio animæ inferior patitur absque superioris assensu. Darent idcirco sæpè aliis salubre consilium, qui nesciunt illud præstare sibi. Quocirca memorandum est B. Bernardi super hac re consilium. Erat ex Discipulis ejus quidam tantis inquietatus scrupulis, ut ad celebrandum nullo pacto auderet accedere. Dixit ei devotus & circumspectus Bernardus, postquam hoc accepit: Vade Frater, & in fide mea celebres. Obedivit Discipulus, & scrupulus ille omnis perpetuò discessit.*

Psal. 75. 3.

At dicet aliquis, Utinam talis mihi esset Abbas aut Prior, qualis *S. Bernardus!* facilè crederem imperanti. Nunc verò dum Superioris mei mediocrem sapientiam inspicio, non audeo conscientiam meam & salutem illius fidei committere. *Quisquis ita dicis, & sapis* (inquiunt Gersonius & S. Antoninus) *erras & desipis. Non enim commisisti te & salutem tuam in manus hominis, quia prudens est, & plurimùm litteratus, & devotus, sed quia tibi est secundum Regularem Institutionem Præpositus, & Prælatus. Quamobrem obedias sibi, non ut homini, sed ut Deo jubente, si tamen non contra Deum. Et sæpè tantò erit obedientia tua placentior Deo, ubique fructuosior, quanto est indignior illi cui propter Deum subjici non refugis. Caveat ad extremum, ne dum quæris securitatem, nec illam adipiscaris, & in gravem ruas præsumptionis foveam.*

Scrupulosis quâ ratione contra scrupulum sit agendum?

Idem *Gersonius* Consideratione VI. *Scrupulosis* (inquit) *contra scrupulos agendum est, & fixo opere pede certandum. Hac arte usus est ille, qui turbato cuidam jugiter super repetitione Horarum suarum, si non assiduè & actualiter attenderet ad eas, injunxit pœnitentiam hanc ad tempus, ne quomodolibet Horas semel dictas iteraret... Mille surgunt apud aliquos tales scrupuli, more canum oblatrantes, & lacerare minantes ipsos ambulantes per viam mandatorum Dei, quos evincere & compescere meliùs quàm per contemptum nequimus. Tantummodo sit contemptus ille timoratus, & regulariter non absque alterius, præsertim Superioris consilio, alioquin timor immoderatus facit casum, aut præcipitat inconsulta præsumptio.*

Discrimen inter conscientiam & scrupulum conscientiæ.

Notat idem *Gersonius* in Tractatu *De Natura & Qualitate Conscientiæ*, magnum esse discrimen inter conscientiam, & scrupulum conscientiæ. *Conscientia etenim formata est, quando finaliter, id est, post discussionem & deliberationem ex definitiva sententia rationis judicatur & firmatur aliquid esse faciendum, aut prosequendum, vel non faciendum, aut vitandum: & contra talem conscientiam formatam facere, etiamsi erronea sit, est peccatum. Timor verò conscientiæ, seu scrupulus est, quando non sic finaliter, id est, post discussionem & deliberationem ex definitiva sententia judicatur & firmatur aliquid esse faciendum aut prosequendum, vel non faciendum aut vitandum, sed mens inter dubia vacillat, nesciens quid sit melius, nec ad quid potius teneatur. Non tamen quoquo modo vellet omittere, quod sciret esse placitum divinæ voluntati. Et contra istum timorem seu scrupulum conscientiæ facere, non semper est peccatum, licèt periculosus valde sit, & quantum fieri potest, abjiciendus & extinguendus.*

Pius idem & eruditus Cancellarius Parisiensis, Lib. *De vita spirituali Animæ*, Lectione IV. Corollario VIII. ad medendum scrupulis hoc generale documentum tradit: *Credere scilicet faciliter sapientum & bonorum judicio, & contra communes eorum Sententias non leviter sibimet formare scrupulos anxios & timidos*, secundùm illud Sapientis monitum: *Fili, ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et rursus: *Noli transgredi terminos quos posuerunt patres tui.* Quam Regulam *S. Antoninus* laudat.

Proverb. 3. 5.
Proverb. 22. 28.

Præceptorum prudens interpretatio, quam *S. Antoninus* inter scrupulorum remedia septimum tradit, ad epikeiam, id est, æquitatem pertinet. Est autem æquitas *Justitia, pensatis omnibus circumstantiis particularibus, misericordiâ temperata.* Septuplex autem documentum ex hujusmodi virtute depromptum scrupulosis tradit *S. Antoninus.*

Quid Epikeia?

Primum: Inter duram & benignam circa præcepta sententiam, benigna interpretatio, ceteris paribus, potiùs facienda est. Ratio est, quia præcepta Dei & Ecclesiæ non sunt ad tollendam omnem spiritualem dulcedinem imposita, quæ certè tollitur nimis scrupulosâ & timidâ præceptorum interpretatione.

Præceptorum prudens interpretatio, ad conscientiam scrupulosorum hominum eingendas utilis.

Secundum: Nec Deus nec Ecclesia intendunt obligare ad impossibile. Nam, secundùm Regulam Juris, *Nemo potest ad impossibile obligari*: In Lege autem Nova impossibile interpretandum videtur, quod vix est possibile, utpote nimiam habens difficultatem. Aliàs, quomodo staret illud, *Onus meum leve?* (Matth. XI.)

Tertium: Nec Deus, nec Ecclesia intendunt suis præceptis hominem amentem efficere: id est, hujusmodi præcepta eo tempore & loco non obligant, quibus eorum observantiâ fieret ridiculus apud viros probos & prudentes, non prudentiâ carnis & sæculi, sed spiritûs. Sicut vota Deo nuncupata reddere tenemur divino præcepto: quæ tamen non obligant, si stulta sint.

Quartum: In dubiis, bonorum vita aliorum regula esse debet, & tantò magis quantò meliores sunt. Unde Cap. *Sic vive*, Causa XVI. Quæstione I. dicitur: *Inter bonos semper sectare meliores.* Propter quod & Christus Discipulos suos vocat *Sal terræ*, quia ex ipsorum moribus populi sunt condiendi. Ratio hujus Regulæ est, quia æquum est existimare viros probos habere rectum judicium, cùm habeant rectum affectum: sicut de saporibus rectè judicat homo sanus, quia gustum infectum non habet.

Quintum: In his quæ solùm sunt mala quia prohibita, ut vulgò sunt positiva præcepta, multùm excusat, vel in toto, vel in tantum, consuetudo, si sit præscripta: immò aliquando legi positivæ derogat, ut colligitur ex Cap. *Statuimus*, & ex Glossa Canonis *In istis*, Distinctione IV. Sicut enim epikeia seu æquitas est interpres legum, sic & consuetudo, ut docet Cap. *Cum dilectus*, Extra, *De Consuetudine.*

Sextum: Sententiam Excommunicationis à Jure nunquam incurrit homo absque peccato mortali. Cùm enim per Excommunicationem ab homine nullus ejici debeat ab Ecclesia nisi ob peccatum mortale, quia maxima pœna est: ita cùm Sententia Juris non sit injusta, potest homo formare sibi conscientiam, quòd ubi non peccat mortaliter, non incurrit Sententiam Juris.

Septimum: Legis humanæ observantiam in aliquo casu prætermittens, ratione gravis periculi, quod vitari non potest si serventur verba Legis, potest per virtutem æquitatis a peccato excusari: quia Legislator cum tali periculo obligasse non censetur.

REGULA

REGULA XI.

Scrupuli plerùmque ex temperamento ad timorem proclivi, aut ex melancholia, aut ex abstinentia, jejuniorum, vigiliarum, orationum immoderatione; aliquando ex diaboli tentatione oriuntur. Quamobrem non spiritualibus solùm, sed corporalibus interdum remediis scrupulosorum hominum quies & tranquillitas procuranda est.

Scrupulorum ægritudini curandæ corporalia interdum necessaria remedia.

ILli scrupulosorum generi, quos nimia abstinentia, vel proliziorea & crebriores meditationes, aut vigiliæ in hanc ægritudinem impellunt, verba Canonis *Mediocriter*, Distinctione v. *De Consecratione*, conveniunt: *Nonne rationabilis homo dignitatem amittit, qui vel jejunium caritati, aut vigilias præfert sensûs integritati, ut propter abstinentiam immoderatam, atque indiscretam Psalmorum vel Officiorum decantationem aut amentia, aut tristitia notam incurrat.* Grave autem ac molestum hujusmodi hominibus esse non debet, si Confessarii ipsorum, seu conscientiæ Moderatores, aut Superiores, corporalia remedia de consilio Medici ipsis imperent. Dicitur enim Ecclesiastici XXXIII. *Altissimus de terra creavit medicinam, & vir prudens non abhorrebit eam.* Denique cùm scrupulosorum infirmitas ea similium societate & frequentatione augeatur, ab illis sejungendi sunt, & fortioribus, quorum nota sit pietas & prudentia, adjungendi.

REGULA XII.

Trepidare ne fortè Deo displiceat, quòd à nobis rectum existimatur, non est scrupulositatis indicium, sed justa cautionis officium.

BEatus enim homo, *qui hac ratione semper est pavidus* (inquit Spiritus-Sanctus *Proverb.* XXVIII.) Et ut *S. Gregorius* docet Lib. v. *Moralium*, Cap. VI. *Sæpe opus nostrum causa damnationis est, quod profectus putatur esse virtutis. Sæpe unde placari Judex creditur, inde ad irascendum placidus*

Proverb. 14. 12.

» *instigatur, Salomone attestante, qui ait:* Est via » quæ videtur homini recta, & novissima illius » ducunt ad mortem. *Unde Sancti Viri cùm mala superant, sua etiam bene gesta formidant, ne cùm bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur; ne pestifera tabes putredinis, sub boni specie lateat coloris: sciunt enim quia corruptionis adhuc pondere gravati, dijudicare bona subtiliter nesciunt, & cùm ante oculos extremi examinis regulam deducant, hæc ipsa in se nonnunquam & quæ approbant metuunt: & tota quidem mente interna desiderant, sed tamen de incertitudine operum trepidi quò gradiuntur ignorant.* Hinc *Job* IX. dicitur: *Verebar omnia opera mea:* Id est, interprete *S. Gregorio* Lib. IX. *Moralium*, Cap. XVII. *Quæ apertè egerim video; sed quid in his latenter pertulerim, ignoro. Sæpè enim bona nostra latrocinanti fraude depereunt, quia rectis se nostris actibus concupiscentia terrena subjungunt. Sæpè desidiâ interveniente deficiunt, quia à fervore quo cœpta sunt, frigescente amore tabescunt. Quia ergo culpa subreptia vel in ipso virtutis actu vix vincitur: quid ad securitatem superest, nisi ut studiosè semper & in virtute timeatur?*

Sancti viri sua etiam bene gesta formidant.

REGULA XIII.

Cùm duæ opiniones probabiles concurrunt in materia Morum, quarum altera favet legi contra libertatem, altera libertati contra legem, nefas est & illicitum eam amplecti, & secundùm illam agere, quæ stat pro libertate, rejectâ alterâ quæ legi consona est, ac proinde probabilior.

De probabilium opinionum usu.

COlligitur hæc Regula ex Scripturis Sacris, & primo quidem ex præcepto caritatis, ex quo tota Lex pendet & Prophetæ. *Diliges Dominum tuum ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus tuis:* Atqui non diligitur Deus ex toto corde, cùm eligitur opinio minùs probabilis favens libertati contra legem, relictâ probabiliori. Quis enim sincerus amicus habeatur, qui ut suo commodo indulgeat, nullatenus ea curat agere ex quibus amicum suum probabiliter offensum iri prævidet? Repugnat igitur legi caritatis vagus probabilitatis usus.

Vagus probabilitatis usus à scriptura Sacra damnatur.

Secundò ex Apostolo I. ad Thessalonicenses v. *Omnia probate: quod bonum est tenete. Ab omni specie mali abstinete vos.* At speciem mali præ se fert opinio minùs probabilis, quæ favet libertati contra legem: quia ejus objectum probabiliter inhonestum est & prohibitum. Nefas igitur est sequi opinionem minùs probabilem relictâ probabiliori.

Tertiò, *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Vox Domini est. Ille cæcus est, qui falsam opinionem sequitur, cùm verum lumen non cernat. Qui ergo tenue illud minùs probabilis opinionis lumen secutus fuerit, quæ re ipsa falsa est; corruet dubio procul in foveam, atque alios in eandem pertrahet abyssum, qui erraticum illud lumen secuti fuerint.

Matth. 15. 14.

Quartò, Christus de se in Evangelio pronuntiat: *Ego sum via, veritas, & vita.* Quibus verbis, ut omnes exponunt Interpretes, ad vitam nullum patere significat aditum, nisi per veritatem; sed opinio minùs probabilis, quæ favet libertati contra legem, veritate destituta est: non ducit igitur ad vitam. Hinc illud *Davidis* ad Deum: *Omnes viæ tuæ veritas.* Non ait, Omnes viæ tuæ probabilitas. Hinc cum eo pii omnes veritatis cognitionem votis ferventissimis à Deo postulant: *Veritatem tuam doce me. Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua.* Non ait, Probabilitatem doce me: Deduc me in veritate tua, & ingrediar in probabilitate hominum.

Joann. 14. 6.

Psalm. 118. 15.

Quintò, Hominum actus in extremo Judicio secundùm Dei legem judicabuntur, & ex ipsius Christi sermone: *Sermo* (inquit) *quem locutus sum vobis, ipse judicabit vos in novissimo die.* Non igitur ad normam opinionis probabilis opera nostra discutientur. Adeòque nefas est amplecti opinionem minùs probabilem, quæ libertati & cupiditati favet contra legem, rejectâ probabiliori, quæ stat à lege contra cupiditatem & libertatem.

Joann. 12. 48.

Sextò, vagus probabilitatis usus in materia morum repugnat illi Spiritûs-Sancti monito, Ecclesiastici XXXVII. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.* At consilium ex opinione minùs probabili non est stabile, cùm insit illi formido ne fortè, quod agendum suggerit, sit lege divinâ prohibitum.

Septimò, Spiritus-Sanctus ait Proverbiorum XIV. *Est via quæ videtur homini justa: novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Quid est autem aliud via, quæ videtur recta, & non est, nisi falsa probabilitas? Conscientia enim probabilis ab erro-

nea nihil differt, cùm falsum amplectitur. Errat enim qui falsum probabile censet: errat, qui ex falsâ Regula mores dirigit.

Vagus probabilitatis usus à Patribus damnatus.

Eamdem Regulam confirmant Patres, cùm opinionem secundùm se falsam, æternæque legi contrariam peccatum nusquam excusare docent. Ita *Tertullianus* Lib. *De Spectaculis*, Cap. xx. *Erramus, nusquam & nunquam excusatur, quod Deus damnat. Nusquam & nunquam licet, quod semper & ubique non licet. Hæc est veritatis integritas, & quæ ei debetur disciplina plenitudo, & æqualitas timoris, & fides obsequii: non immutare sententiam, nec variare judicium. Non potest aliud esse, quod verè quidem est bonum seu malum. Omnia autem penes veritatem Dei fixa sunt. Ethnici quos penes nulla est veritatis plenitudo, quia nec doctor veritatis Deus, malum ac bonum pro arbitrio ac libidine interpretantur, alibi bonum, quod alibi malum, & alibi malum, quod alibi bonum.*

Vagus probabilitatis usus omnibus flagitiis viam aperit.

S. Augustinus, Libro III. *Contra Academicos*, Cap. xvi. istud illorum dogma refellit: *Cùm agit quisque quod ei probabile videtur non peccat, nec errat.* Ostendit doctrinam hanc omnibus criminibus patrocinari, quia nullus est cui probabile esse non possit, illud quod perpetrat crimen licitum esse. *Id igitur* (inquit) *audiens adolescens, insidiabitur pudicitiæ uxoris alienæ: Te te consulo M. Tulli, de adolescentium moribus vitâque tractamus, cui educanda atque instituenda omnes litteræ tuæ vigilaverunt. Quid aliud dicturus es, quàm non tibi esse probabile ut id faciat adolescens? At illi probabile est. Nam si ex alieno probabili vivimus, nec tu debuisti administrare Rempublicam; quia Epicuro visum est, non esse faciendum. Adulterabit igitur ille Juvenis conjugem alienam: qui deprehensus si fuerit, ubi te inveniet à quo defendatur: quamquam etiam si inveniat, quid dicturus es? Negabis profectò. Quid si tam clarum est ut frustra inficiere? Persuadebis nimirum, tanquam in Cumano Gymnasio atque adeo Neapolitano, nihil eum peccasse, immò etiam nec errasse quidem. Non enim faciendum esse adulterium pro vero sibi persuasit, probabile occurrit, secutus est, fecit.... Sed vos me jocari arbitramini: liquet dejerare per omne divinum, nescire me prorsus quomodo iste peccaverit, si quisquis id egerit quod probabile videtur, non peccat..... Taceo de homicidiis, parricidiis, sacrilegiis, omnibusque omnino, quæ fieri aut cogitari possunt flagitiis, aut facinoribus, quæ paucis verbis, & quod est gravius, apud sapientissimos Judices defenduntur: nihil consensi, & ideo non erravi. Quomodo autem non facerem, quod probabile visum est?... Jam illud quis non videt? Ipsi dicant, Nihil se in agendo sequi nisi probabile, & quærunt magnopere veritatem, cùm eis sit probabile non posse inveniri. O mirum monstrum! Sed hoc omittamus, minùs id ad nos, minùs ad vitæ nostræ discrimen, minùs ad fortunarum periculum pertinet. Illud est capitale, illud formidolosum, illud optimo cuique metuendum, quòd nefas omne, si hæc ratio probabilis erit, cùm probabile cuiquam visum fuerit faciendum, non solum sine sceleris, sed etiam sine erroris vituperatione committat.*

Confirmatur ex eodem *S. Augustino*, Libro I. *De Baptismo contra Donatistas*, Cap. III. ubi eos à peccato non eximit, qui dubitantes an vera sit apud Donatistas Ecclesia, ibique rectè suscipiatur Baptismus, certum autem habentes in Ecclesia Catholica rectè suscipi, nihilominus illum in Secta Donatistarum suscipiunt. *Quamquam* (inquit) *etiam si dubium haberes, non illic rectè accipi, quod in Catholica rectè accipi certum haberes, graviter peccaret, in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo quod certis incerta præponeret.* Et Cap. v. *Accipere itaque in parte Donati, si incertum est esse pecca-*

Id agendum, quod secundum omnium opiniones certum est, non esse peccatum.

tum, quis dubitet certum esse peccatum, non ibi potiùs accipere, ubi certum est non esse peccatum? Illi verò qui per ignorantiam ibi baptizantur, arbitrantes ipsam esse Ecclesiam Christi, in istorum quidem comparatione minùs peccant: Sacrilegio tamen schismatis vulnerantur: non ideo non graviter, quòd alii graviùs. Cùm enim dictum est quibusdam, Tolerabilius erit « Sodomis in die Judicii quàm vobis: *Non ideo dictum est, quia Sodomitæ non torquebuntur, sed quia illi graviùs torquebuntur.* Cùm itaque minùs probabilis opinio, quæ libertati & cupiditati favet contra legem, in concursu probabilioris, quæ legi favet contra libertatem & cupiditatem, incerta sit, & oppositi formidine quatiatur, ne fortè sit illicitum quod ipsa licere docet, graviter peccat qui minùs probabilem probabiliori præponit, & secundùm illam agit, quia in rebus ad salutem animæ pertinentibus certis incerta præponit.

Matt. 10. 15.

S. Bernardus, actiones ex falsa opinione, quamlibet probabili profectas, vitiosis annumerat, dum ad bonam actionem utrumque requiri docet, *Caritatem in intentione, & in electione veritatem*, quorum alterutrum si defuerit, vitiosam illam esse pronuntiat, Libro *De Præcepto & Dispensatione*, Cap. xiv. *Ut interior oculus verè sit simplex* (inquit) *duo illi esse arbitror necessaria, caritatem in intentione, & in electione veritatem. Nam si bonum quidem diligat, sed verum non eligat, habet quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam: & nescio quemadmodum judicio veritatis vera esse possit cum falsitate simplicitas. Volens denique ad veram Discipulos instruere simplicitatem Magistra Veritas:* Estote, inquit, « prudentes sicut serpentes, & simplices sicut co- « lumbæ. *Præmisit ergo prudentiam, sine qua neminem satis esse posse simplicem sciret. Quomodo denique verè simplex erit oculus cum ignorantia veritatis? Aut verò vera potest dici simplicitas, quam simplex ignorat veritas? Scriptum est enim:* Ignorans ignorabitur. *Patet ergo laudabilem illam & à Domino laudatam simplicitatem absque his duobus non esse bonis, benevolentiâ atque prudentiâ, ut oculus videlicet cordis, non solum pius, qui fallere nolit; sed & cautus sit, qui falli non possit.*

Vitiosa est actio si aut veritas in electione, aut in intentione caritas desit.

Matth. 10. 16.

1. Cor. 14. 38.

S. Thomas, Quodlibeto VIII. Quæstione VI. Articulo III. eamdem Regulam confirmat, ubi expendit, An liceat habere plures Præbendas, dissentientibus opinionibus Magistrorum. *Aut ille* (inquit) *qui facit contra opinionem Magistrorum, habendo plures Præbendas, facit contra veram opinionem; & sic cùm faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato. Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria: & tunc distinguendum est: quia aut talis habet conscientiam de contrario, & sic iterum peccat contra conscientiam faciens, quamvis non contra legem: aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem; sed tamen in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum: & sic si manente tali dubitatione plures Præbendas habet, periculo se committit; & sic procul dubio peccat: utpotè magis amans beneficium temporale quàm propriam salutem*, &c. Qui porrò sequitur opinionem minùs probabilem, quæ libertati & cupiditati favet contra legem; relictâ probabiliori, quæ favet legi contra libertatem & cupiditatem, facit contra veram opinionem, & contra legem Dei, aut certè periculo se committit, cùm fieri non possit quin inducatur in aliquam dubitationem, quia minùs probabili datus assensus cum erroris formidine est: & minùs probabilis opinio probabilius est peccandi periculum. Non excusatur itaque à peccato, qui minùs probabilem opinionem sequitur relictâ probabiliori.

Vagus probabilitatis usus à S. Thoma damnatus.

Et Quodlibeto IX. Quæst. VII. A II. obi quærit utrum habere plures Præbendas sine cura Animarum, absque dispensatione, sit peccatum mortale: *Qua in Quæstione* (inquit) *inveniuntur Theologi Theologis, & Juristæ Juristis contraria sentire.* Præmittit autem illius solutioni hoc velut inconcussum principium: *Omnis Quæstio in qua de mortali peccato quæritur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur: quia error quo non creditur esse peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licet fortè à tanto. Error verò quo creditur esse mortale quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale: Præcipuè autem periculosum est, ubi veritas ambigua est.* Cùm itaque falsa est opinio, quâ censet aliquis non esse peccatum mortale, quod revera mortale est, non excusatur à peccato mortali qui illam sequitur, & secundùm illam agit. Rectè igitur a plerisque Galliarum Episcopis, qui Casuitarum Apologiam damnarunt, necnon ab Academiis Parisiensi & Lovaniensi damnata hæc Propositio est: *In Quæstionibus de bono vel malo, licito vel illicito, jure divino vel humano, potest sequi opinionem minùs probabilem minùsque tutam, relictâ probabiliore & magis tutâ, etiam sibi notâ ut tali.*

Error quo non creditur esse peccatum mortale, non excusat.

Objiciunt varia Scripturæ Sacræ testimonia, in quibus habetur, Christi *Jugum suave* esse, & *onus* ejus *leve*, Matth. 11. &, *Mandata ejus gravia non esse*, ut Joann. V. Sed, inquiunt, si teneremur sequi opinionem magis probabilem, posthabitâ probabiliori, jugum Dei suave non esset, sed difficilis admodum divinorum mandatorum observantia.

Præterea, prudenter operatur, qui probabili opinioni adhæret, quamvis illa sit minùs probabilis: Igitur honestè agit: ac proinde à peccato immunis est.

Respondetur, Jugum Christi suave esse, & mandata ejus non esse gravia, ratione gratiæ & caritatis, quas nobis copiosè infundit, vel infundere paratus est; non verò ratione liberæ potestatis eligendi eas Morum Regulas, quæ libertati faveant & cupiditati contra præceptum. Hunc Scripturæ sensum aperit *S. Augustinus* Lib. *De Perfectione Justitiæ*, cap. X. *Quis autem nesciat* (inquit) *cùm præceptum sit generale caritas, quia Finis præcepti est caritas, & plenitudo legis est caritas, non esse grave quod diligendo fit, non timendo. Laborant autem in Dei Præceptis, qui ea timendo adimplere conantur: Sed perfecta caritas foras mittit timorem, & facit præcepti sarcinam non solùm non opprimentem onere ponderum, verùm etiam sublevantem vice pennarum.* Cæterùm mores non esse informandos secundùm opiniones laxiores, quibus Dei jugum nimis emollitur, & Christiana Disciplina solvitur, significat Deus *Ezechielis* cap. XIII. *Et tu fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde suo, & vaticinare super eas, & dic, Hæc dicit Dominus Deus: Væ quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus: & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas, & cùm caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, & vivificarent animas quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.* Et Jeremiæ V. *Circuite vias Jerusalem, & aspicite & considerate, & quærite in plateis ejus an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem... Ego autem dixi: Forsitan pauperes sunt & stulti, ignorantes viam Domini, Judicium Dei sui. Et ecce magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula.... Propheta prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in novissimo ejus?* Hinc David aiebat: *Propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras.* Quod oraculum præclaris *Guigonis Carthusiani* verbis in rem nostram illustrari potest: *O Apostolorum tempora infælicissima! O viros illos ignorantiæ tenebris involutos, & omni miseratione dignissimos, qui ut ad vitam pertingerent, propter verba labiorum Dei tam duras vias custodiebant, & hæc nostra compendia nesciebant!* Denique Christus ait Matt. VII. *Intrate per angustam portam: Quia lata porta & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui inveniunt eam!* Et Matt. XI. *A diebus Joannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et cap. XVI. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.*

Jugum Christi suave est ratione caritatis, non ratione liberæ eligendi minùs probabiles opiniones facultatis.

Pseudo-prophetæ sunt, qui conscientias dirigunt secundum opiniones laxiores & minus tutas.

Psalm. 16. 4.

Ad secundum respondetur, Prudentiæ non esse, certis incerta præponere in negotio æternæ salutis, adeóque non esse prudentiæ minùs probabilem opinionem sequi relictâ probabiliore. Omne sane judicium falsum ac æternæ veritati contrarium, imprudentia est, cùm vera Christianaque Prudentia nihil aliud sit quam rectum de rebus agendis judicium, ex æternæ justitiæ luce derivatum. Jam verò quisquis falso & æternæ legi contrario dogmati, quamlibet probabili ratione permotus assentitur, tamen fallitur: Eaque judicii imprudentia ex aliâ morum imprudentiâ semper existit, minùs diligenter quæsitæ veritatis, minùs studiosè expurgati cordis. Præterea, imprudens est, qui ex varietate probabilium sententiarum, & Scriptorum super illis dissensione, unâ ex parte clariùs & probabiliùs quàm ex alia affulgente veritate, vel in nullam dubitationem adducitur; vel dubitatione jactatus, minùs probabilem amplectitur. Quis enim hunc non imprudentiæ modò, sed stuporis & insaniæ non damnet, qui affirmantibus aliis aliquam escam veneno infectam, aliis negantibus, spretâ probabiliùs id asserentium sententiâ, minùs probabiliter negantium opinioni adhæreat, eamque escam, quasi sinceram & innoxiam, securus sumat? Quid est enim aliud imprudentia fere in rebus humanis, quàm minùs probabilibus magis probabilia postponere? Si quis Dux Exercitûs eo tempore prælium committat quo se putat probabiliùs victum iri, quam victorem futurum: Si negotiator iis conditionibus societatem contrahat, quas sibi videat probabiliùs fore damnosas, quàm utiles: Ii non modò imprudentes habebuntur, sed in exemplum stoltitiæ ab omnibus proponentur. Quâ igitur ratione prudens in vitâ agendâ videri potest, qui minùs probabilem opinionem, faventem libertati & cupiditati, probabiliori præponere non veretur, quæ favet legi?

Prudentia regulas prudenter minus probabiles opiniones delectus in conscientia probabiliorum.

De probabilium opinionum usu.

REGULA XIV.

Extrinseca Probabilitas ex unius vel plurium Scriptorum auctoritate petita, opinioni morali securitatem conciliare non potest.

ID ex eo constat, quod etiam nonnunquam necesse sit privati alicujus è *Sanctis Patribus* deserere Sententiam, cùm Scripturæ Sacræ aut Traditionis auctoritate falsa esse deprehenditur: Quantò potiori jure id de recentioribus Scriptoribus asserendum est? *Præstat hanc Regulam S.*

Augustini verbis exprimere, Epistolâ LXXXI. alias XVIII. ad *S. Hieronymum* datâ: *Solis eis Scripturarum Libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum Auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam.... Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque prepolleant, non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos Auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Et Epist. CXLVIII. alias CXI. ad *Fortunatianum*, cap. IV. *Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salvâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte invenerimus, quod aliter senserint, quàm veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.*

De probabilium opinionum usu.

Confirmatur hæc Regula ex *S. Basilio*, Sermone *De Abdicatione rerum*, cujus hæc sunt verba: *Contendit Adversarius noster, ut nobis persuadeat, ut alieni nos credamus, propria vitia simulatâ quadam lenitatis specie commendanti, ut hoc modo tanquam nos pravis libidinibus irretiat. Si ergo cum corpore tuo mittit ungere volunt, Magistrum tibi quæsieris tecum se ut vitia tua demittentem, vel (ut verius dicam) tecum una in eandem perniciem corruentem, frustra mandantis rebus nuncium remisisti, qui cæcum tibi ducem asciveris, cujus ductum securo in foveam tibi sit procedendum.* Ecce *S. Basilio* teste, mollis ille Magister, cujus certè probabiles opiniones existimant, qui moralem illius doctrinam & institutionem sequuntur, nihilominus ipsos in foveam & in certam perniciem secum abripit, qualibet probabilitatis specie deceptos.

Laxiores & indulgentiores Doctores in moribus eligendi.

Item ex *S. Augustino*, Sermone XL. aliàs XI. inter Homilias quinquaginta. *Fœdum est*, (inquit) *turpe est, nolo dicere malum, nolo dicere periculosum, nolo dicere exitiosum: Turpe est ut vos fallam, si Deus me non fallit.... Quid volunt ut ego promittam quod ille non promisit? Ecce dat tibi securitatem Procurator: Quid tibi prodest, si paterfamilias non acceptet? Procurator sum, servus sum: Vis dicam tibi, Vive quomodo vis, Dominus te non perdet? Securitatem tibi Procurator dedit: nihil valet securitas Procuratoris. Utinam Dominus tibi daret, & ego te sollicitum facerem. Domini enim securitas valet, etiamsi nolim. Mea vero nihil valet, si ille noluerit. Quæ est autem securitas, Fratres, vel mea, vel vestra, nisi ut Domini jussa intentè & diligenter audiamus, & promissa fideliter exspectemus?*

Securitas à Directore data nihil prodest, si in Dei Tribunali non acceptetur.

De probabilium opinionum usu.

Unius vel plurium Scriptorum aut Doctorum opinionem à peccato non liberare, nisi sit divinæ legi consentanea, confirmat *Felix III.* Pontifex Maximus Epistola VII. *Sciat* (inquit) *quod se decipit ipse qui fallit, nihilque per nostrum facilitatem Tribunalis Excelsi judicio deregari, cui illa sunt rata, quæ pia, quæ vera, quæ justa sunt.*

Eandem Regulam confirmat *S. Thomas*, Quodlibeto III. Quæst. IV. Articulo II. ubi illos qui opinionem errantis Magistri, vel errantium Magistrorum sequuntur, in foveam erroris cadere docet. *Sed contra est* (inquit) *quod dicitur* Matt. « XV. Si cæcus ducatum cæco præstet, ambo in « foveam cadunt: *Sed quicunque errat, cæcus est in quantum errat: Ergo quicunque sequitur opinionem errantis Magistri, in foveam peccati cadit.* Tum in corpore Articuli: *Respondeo dicendum, Quod diversa opiniones Doctorum Sacræ Scripturæ, siquidem non pertineant ad fidem & bonos mores, absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt: Tunc enim habet locum quod Apostolus dicit, ad Romanos* XIV. Unusquisque in suo sensu a- « bundet: *In his verò quæ pertinent ad fidem, & bonos mores nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri. In talibus enim ignorantia non excusat. Alioquin immunes à peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arii, Nestorii, & aliorum Hæresiarcharum. Nec potest excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequantur: In rebus enim dubiis non est de facili præstandus assensus: Quia imò, ut Augustinus dicit* Lib. III. *De Doctrina Christiana*, Consulere debet quis Regu- « lam Fidei, quam de Scripturarum planioribus « locis, & Ecclesiæ Auctoritate percepit. *Quia ergo assentit opinioni alicujus Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, sive contra id quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ Auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.*

In his quæ pertinent ad fidem aut bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam alicujus Auctoris opinionem.

Denique Summus Pontifex *Innocentius XI.* anno Christi MDCLXXIX. die quarta Martii, has Propositiones inter alias damnavit: *Generatim dum probabilitate, sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

Propositiones damnatæ.

Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.

Episcopi etiam plerique Gallicani in Censuris Apologiæ Casuistarum, & Academiæ celeberrimæ, Parisiensis præsertim & Lovaniensis, has Propositiones confixerunt.

Omnem Probabilitatem, sive extrinsecam, sive intrinsecam, in conscientia satisfacere putamus, nec exemplis urgebimur: Ubique enim eodem omnino modo philosophamur.

Auctoritas unius probi & docti reddit opinionem probabilem.

Hæc Propositio, Sexdecim ad probabilitatem requiruntur, *non est probabilis. Si sufficiunt sexdecim, sufficiunt quatuor. Si sufficiunt quatuor, sufficit unus.*

Ad probabilitatem sufficiunt quatuor. Sed quatuor, imò & viginti & supra, testantur unum sufficere: Ergo sufficit unus.

Ex auctoritate unius tantùm potest quis opinionem amplecti, licèt à principiis intrinsecis falsam & improbabilem existimet.

Clerus etiam Gallicanus anno MDCC de his propositionibus ita judicavit: Hæ propositiones falsæ sunt, scandalosæ, perniciosæ, certa veritate quæstiones morum ad nutum Auctorum exagitat, & incorruptam morum opinionem.

In dubiis de bono vel malo, licito vel illicito, Jure divino vel humano, nullo præponderante argumento quo dubitare cessemus, licet utramlibet partem amplecti, nec tenemur auferre eam in qua constet nullum esse peccatum.

Omnes opiniones probabiles sunt per se æquè tutæ ac securæ: Benigniores etsi aliquando sint minùs probabiles, per accidens sunt semper utiliores & securiores.

Homo non est suarum opinionum mancipium, ideòque probabiles quasvis sententias potest ad libitum mutare.

Si Liber sit alicujus junioris ac Moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem. Hanc Propositionem damnavit *Alexander VII.* Pontifex Maximus.

Clerus Gallicanus huic postremæ propositioni istam subnectens, *Non sunt scandalosa aut erronea opiniones, quas Ecclesia non corrigit*, utramque his verbis confixit: *Hæ Propositiones quatenus silentium, & tolerantiam pro Ecclesia vel Sedis*

Apostolica approbatione statuunt falsa sunt, scandalosa, saluti animarum noxia, patrocinantur pessimis opinationibus quæ identidem temerè obtruduntur, atque ad Evangelicam veritatem iniquis præjudiciis opprimendam viam parant.

Sic verò judicavit de prima propositione his verbis concepta, *Generatim dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

Hæc propositio falsa est, temeraria, scandalosa, perniciosa, novam morum regulam, novúmque prudentiæ genus nullo Scripturarum, aut Traditionis fundamento, cum magno animarum periculo statuit.

REGULA XV.

Morum Regulæ ex Scriptura & Traditione, non ex solis hominum opinionibus depromendæ sunt.

De probabilium opinionum usu.

EX ipsamet Scriptura Sacra hæc Regula depromitur. Ait enim Apostolus II. ad Timotheum III. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Et ad Hebræos XIII. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Qui sacros illos fontes consulit, ex iisque unis Regulas morum depromit, Christum imitatur, qui *Joannis VII.* se id tantùm docuisse testatur, quod à Patre acceperat: *Mea doctrina* (loquit) *non est mea, sed ejus qui misit me Patris.* Et Joann. XII. *Ego ex me ipso nihil sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar. Et scio quod mandatum ejus vita æterna est. Quæ ergo loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* Idem colligitur ex Apostolo ad Ephesios IV. dicente: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus Ministerii, in ædificationem corporis Christi.... Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem erroris.* De illis proinde qui ad mores dirigendos unâ humanarum opinionum probabilitate utuntur, divinis illis Regulis posthabitis, meritò dici potest, quod Dominus de Pseudoprophetis ait, Ezechielis XIII. *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Quasi vulpes in desertis Prophetæ tui, Israël, erant. Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro Domo Israël, ut staretis in prælio in die Domini. Vident vana, & divinant mendacium, dicentes: Ait Dominus, cùm Dominus non miserit eos: & perseveraverunt confirmare sermonem. Nunquid non visionem cassam vidistis, & divinationem mendacem locuti estis? & dicitis, Ait Dominus; cùm Ego non sim locutus. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Et erit manus mea super Prophetas qui vident vana, & divinant mendacium: In consilio Populi mei non erunt, & in Scriptura Domûs Israël non scribentur, nec in terram Israël ingredientur: & scietis quia ego Dominus Deus: Eò quòd deceperint Populum meum, dicentes: Pax, & non est pax: & ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis.* Fideles sunt ædificatio Dei, juxta illud, *Dei ædificatio estis.* Pseudoprophetæ, tum Hæretici, tum Pseudo-Theologi, laxioresque conscientiarum Moderatores, qui parietem liniunt luto absque paleis, cùm figmenta & opiniones hominum, *Quæ Spiritùs Sancti non habent condimentum*, utpote in Scripturis Divinis & Traditione Apostolica non fundatæ, ædificant. Unde totum ædificium corruat necesse est, & usque ad fundamenta & pulverem dissolvatur. Consumentur autem & Populus & Prophetæ, quia sunt Animæ, per Jerusalem significatæ, *Causa peccati, & ruina, & stultæ securitatis* (ut explicat *S. Hieronymus.*)

Laxiorum casuistarum effigies à Spiritu Sancto delineata.

1. Cor. 3. 9.

Sanioris verò Moralis Doctores describit Spiritus Sanctus Ecclesiastis XII. *Verba Sapientium sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi, quæ per Magistrorum consilium data sunt à Pastore uno. His ampliùs, fili mi, ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis.* Verba Sapientium stimulis comparantur, interprete *S. Hieronymo*, quia pungunt, non palpant, vel molli manu attrahunt lasciviam, sed errantibus & tardis pœnitentiæ dolores & vulnus infligunt. *Si cujus igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste non est sermo Sapientis. Verba quippe Sapientum ut stimuli. Quæ quoniam ad conversionem provocant delinquentem, & firma sunt, & à Concilio Sanctorum data, & ab uno Pastore concessa, & solida radice fundata sunt. Nec auctoritate unius, sed consilio atque consensu Magistrorum omnium proferuntur.* Ab uno Pastore, *Quia licèt plurimi doceant, tamen doctrinæ Auctor unus est Dominus. Exceptis his, nihil facias, nihil tibi vendices, Majorum sequere vestigia, ab eorum Auctoritate non discrepes. Alioqui quærenti multa, infinitus librorum numerus occurret, qui te protrahat ad errorem. Moris est Scripturarum, quamvis plures libros, si inter se non discrepent, & de eadem re scribantur, unum Volumen dicere: Siquidem & Evangelium, & Lex Domini immaculata convertens animas, singulariter appellantur, cùm plura Evangelia, & multa sint mandata Legis.* Juxta hunc igitur sensum dictum est: *Faciendi plures libros nullus est finis:* Quidquid enim dixeris, si ad eum referatur, qui *In principio erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, unum Volumen est, *& innumerabiles libri una Lex, unum Evangelium nominantur. Quòd si diversa & discrepantia disputaveris, & curiositate nimia huc atque illuc animum deduxeris: etiam in uno libro multi libri sunt. Talibus igitur libris non est finis. Bonum enim omne & veritas certo fine concluditur: Malitia verò atque mendacium sine fine sunt. Et quantò plus requiruntur, tantò major eorum series nascitur.* Hinc *S. Augustinus*, expendens illud Jacobi III. *Nolite plures Magistri fieri*, in Prologo *Retractationum* ait: *Restat ut me ipse judicem sub Magistro uno, cujus de offensionibus meis, judicium evadere cupio. Magistros autem plures tunc fieri ex stimo, cùm diversa, atque inter se adversa sentiunt. Cùm verò idipsum dicunt omnes, & verum dicunt, ab unius veri Magistri magisterio non recedunt. Offendunt autem, non cùm illius multa dicunt, sed cùm addunt sua. Sic quippe incidunt ex multiloquio etiam in falsiloquium.*

Doctorum sanioris Moralis characteres.

Confirmatur statuta Regula ex *S. Irenæo*, Lib. III. *Adversus Hæreses*, cap. V. *Quid enim* (inquit) *ad inventionem missi erant errantium Apostoli, & ad visionem eorum qui non videbant, & ad medicinam languentium, utique non secundum præsentem opinionem colloquebantur eis, sed secundùm veritatis manifestationem. Nec enim quilibet homines rectè facient, si cæcos, jamjamque per præcipitium ferri incipientes, adhortentur insistere illi periculosissimæ viæ, quasi verè rectæ, & quasi bene perventuri sint. Quis autem Medicus volens curare ægrotum, faciet secundùm concupiscentias ægrotantis, & non secundùm quod aptum est Medicinæ? Quoniam autem Dominus Medicus venit eorum qui se malè ha-*

Vagus probabilitatis usus, præcipitandi via.

» *bent, ipse testificatur, dicens:* Non est opus sanis » Medicos, sed malè habentibus. Non veni vo» care justos, sed peccatores ad Pœnitentiam. *Quomodo ergo qui malè habent confirmabuntur, & quomodo peccatores Pœnitentiam agent? Utrum perseverantes in eisdem ipsis, an è contrario magnam commutationem & transgressionem prioris conversationis accipientes, per quam & ægritudinem non modicam, & multa peccata sibimet ipsis importaverunt? Ignorantia autem mater horum omnium per agnitionem vacuatur. Agnitionem verò faciebat Dominus suis Discipulis, per quam & curabat laborantes, & peccatores à peccato coercebat. Non igitur jam secundum pristinam opinionem loquebatur eis, neque secundùm suspicionem interrogantium respondebat eis; sed secundùm doctrinam salutarem & sine hypocrisi, & sine personarum acceptione.*

Marth. 9. 12.

Item ex *Tertulliano* Lib. *De Anima*, cap. I. *Si quid de Anima examinandum est* (addiderim, & de Animæ Salute) *ad Dei Regulas dirigat. Certè nullum alium potiorem* salutis *demonstratorem, quàm Autorem reperiet. A Deo discat, quod à Deo habeat: aut nec ab alio, si nec à Deo. Quis enim revelabit quod Deus texit? Inde sciscitandum est, unde & ignorare tutissimum est. Præstat per Deum nescire, quia non revelaverit, quàm per hominem scire, quia ipse præsumpserit.*

Res conscientiæ ad Dei regulas dirigenda.

Item ex *Clemente Alexandrino*, Lib. VII. Stromatum. *Maximum est* (inquit) *deponere opinionem, consistendo in medio accurata perfectaque scientia, & temeraria sapientia opinionis, & nosse, quòd qui æternum sperat quietem, cognoscit etiam ejus introitum esse laboriosum & arctum.* Et infra: *Voce Domini erudimur ad cognitionem veritatis. Non enim absolutè enuntiantibus hominibus fidem habebimus, quibus licet etiam enuntiare contrarium. Si autem non satis est solùm absolutè dicere quod videtur, sed oportet etiam probare quod dictum est, non expectamus testimonium quod datur ab hominibus, sed voce Domini probamus quod quæritur, quæ est magis fide digna, quàm quævis demonstratio: Vel potiùs, quæ est sola demonstratio, per quam scientiam qui solum gustavere Scripturas, sunt fideles.* Et post plura: *Magis declinamus ad ea quæ sunt opinabilia, quàm ad veritatem: Est enim austera, gravisque ac severa. Atque cùm sint quidem tres animæ affectiones, ignoratio, opinio, scientia: Qui in ignoratione quidem versantur, sunt Gentes: qui autem in scientia, vera Ecclesia: qui verò in opinione, ii qui sectantur Hæreses.* Denique post nonnulla subdit: *Qui paret Domino, & per eum datam sequitur Prophetiam, efficitur ad Magistri imaginem Deus qui in carne versatur. Hanc ergo altitudinem minimè assequuntur, qui non sequuntur Deum eos ducentem: Ducit autem per Scripturas divinitus inspiratas. Et cùm sint innumerabilia quæ fiunt ab hominibus, sunt utique duo cujusvis peccati principia, ignoratio & imbecillitas: Est autem utrumque in nostra potestate, cùm nec velimus discere, nec cupiditatem continere. Ex his autem unum quidem est per quod non rectè judicant, alterum verò per quod non possint exequi quæ rectè sunt judicata.... Consequenter ergo duæ quoque disciplinæ traduntur utrique peccato utiles: Illi quidem cognitio, & ex Scripturarum testimonio evidens demonstratio: Huic verò quæ est ex Verbo exercitatio, quæ à fide & timore tanquam pædagogis ducitur. Crescunt autem ambo in perfectam charitatem.*

Æternæ beatitudinis laboriosus & arctus introitus.

Quàm periculosum est opinionibus hominum in rebus salutis duci?

Item ex S. Joanne Chrysostomo, Homilia XIII. in cap. VII. Epistolæ II. ad Corinthios. *Vulgi* (inquit) *opiniones ne circumferamus, sed vel ipsas expendamus. An non enim, absurdum ac præposterum fuerit, nos, cùm de pecuniis agitur, aliis fidem non habere, sed numero & calculo id committere; cùm autem de rebus judicandum est, in aliorum opiniones temerè ac velut obtorto collo trahi: idque cùm exactam rerum omnium lancem ac normam & amussim habeamus, nempe divinarum Legum sententiam?*

Item ex *S. Augustino*, Lib. II. *De Doctrina Christiana*, cap. IX ubi recensitis Scripturæ Sacræ libris, ait: *In his omnibus libris timentes Deum & pietate mansueti, quærunt voluntatem Dei. Cujus operis & laboris prima observatio est, nosse istos libros, & si nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos non habere. Deinde illa quæ in eis apertè posita sunt, vel præcepta vivendi, vel regulæ credendi, solertiùs diligentiùsque investiganda sunt, quæ tantò quisque plura invenit, quantò est intelligentia capacior. In iis enim quæ apertè in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia quæ continent Fidem Moresque vivendi, Spem scilicet atque Caritatem.* Et Lib. III. cap. X. *Non præcipit Scriptura nisi caritatem, nec culpat nisi cupiditatem: & eo modo informat Mores hominum.*

Morum regulæ ex Scripturis Sacris eruendæ.

Constans etiam Ecclesiæ Sententia est, non minùs Evangelicam vivendi Normam, quàm ipsam Fidem, ex Traditione petendam. Ita docet *Innocentius I.* Epistola I. ad *Victricium* Rothomagensem Episcopum. *Non nostra* (inquit) *præcepta imperantur, sed ea quæ per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus observari cupimus, quæ tamen Apostolica & Patrum Traditione sunt constituta. Scriptum est namque ad Thessalonicenses, Paulo monente:* STATE *& tenete Traditiones nostras, quas tradidimus vobis, sive per verbum, sive per Epistolam.*

Ita *Sanctus Leo*, Epistolâ XXIV. aliàs X. Ad *Flavianum* Constantinopolitanum Episcopum. *Quid iniquius, quàm impia sapere, & sapientioribus, doctioribúsque non cedere? Sed in hanc insipientiam cadunt, qui cùm ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad Propheticas voces, non ad Apostolicas Litteras, nec ad Evangelicas Auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt: & ideo Magistri erroris existunt, quia Veritatis discipuli non fuere.*

Et Epistolâ CXXXV. Ad *Neonam* Ravennatem Episcopum, aliàs XXVII. ad *Leonem* Ravennensem: *Frequenter quidem in diversarum ambiguo quæstionum titubantia fratrum corda Spiritu Dei instruente solidavimus, responsionis formam vel ex Sanctarum Scripturarum Disciplinis, vel ex Patrum Regulis colligentes.*

Ita *Gelasius I.* Epistolâ V. ad *Honorium* Dalmatiæ Episcopum. *Ubi est quod scriptum est:* Terminos Patrum tuorum non transgredieris: « *&*, Interroga patres tuos, & annuntiabunt « tibi: & Seniores tuos, & dicent tibi? *Quid* « *ergo tendimus ultra definita Majorum, aut cur nobis non sufficit, si quid ignorantes discere cupiamus, qualiter ab orthodoxis Patribus & Senioribus singula quæque vel vitanda præcepta sunt, vel aptanda Catholicæ Veritati; cur non his probantur esse decreta? Nunquid aut sapientiores illis sumus, aut poterimus firmâ stabilitate consistere, si ea quæ ab illis constituta sunt subruamus?*

Deuter. 32.

Ita Concilium Trullanum, Canone XIX. *Oportet eos qui præsunt Ecclesiis, in omnibus quidem diebus, sed præcipuè Dominicis, omnem Clerum & Populum docere pietatis & rectæ Religionis Eloquia, ex Divina Scriptura colligentes intelligentias & judicia veritatis: & non transgredientes*

dientes jam positos terminos, vel divinorum Patrum Traditionem. Sed & si ad Scripturam pertinens controversia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quàm quomodo Ecclesiæ luminaria & Doctores suis scriptis exposuerunt: & majorem ex iis laudem assequentur, quàm si quæ à se dicuntur componant, ne dum quandoque ad id hæsitant, ab eo quod convenit, excidant. Per prædictorum enim Patrum doctrinam, Populi ad eorum quæ sunt bona & expetenda, & inutilia ac rejicienda, cognitionem venientes, vitam in melius componunt, nec in ignorantia vitium delabuntur: sed doctrinæ mentem adhibentes, seipsos B *ad id, ne mali quid eis accidat, excitant; & imminentium suppliciorum metu sibi salutem operantur.*

Ita Concilium Constantinopolitanum Quartum, Oecumenicum Octavum, Canone 1. cujus hæc sunt verba: *Ut rectam regiámque divinæ justitiæ viam sine erroris offensa teneamus, Sanctorum Patrum Decreta, velut inextincta quadam sempérque lucentes faces, sequenda sunt. Quapropter Sanctionet Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ per traditionem, tum à Sanctis omnique laudis præconio celebrandis Apostolis, tum ab orthodoxis Oecumenicisque & Provincialibus Conciliis, aut à quovis deiloquo Patre & Ecclesiæ Doctore acceptas, servandas custodiendásque profitemur. Traditiones enim sive per sermonem,* C *sive per Epistolam Majorum nostrorum, qui vitæ sanctitate nobis præluxerunt, acceptas, disertè magnus Apostolus Paulus tenendas monet.*

Ita *Adrianus II.* Pontifex Maximus in Libello per Legatos lecto in Synodo VIII. Oecumenica. *Prima salus est rectæ Fidei Regulam custodire: deinde à Constitutis Dei & Patrum nullatenus deviare. Unum quippe horum ad fidem pertinet; alterum ad opus* Hebr. 11. 6. *bonum: sicut enim scriptum est, Sine fide impossibile* Jacob. 2. 26. *est placere Deo: sic rursus legitur, Fides sine operibus mortua est.*

Ita Concilium Lemovicense II. anno MCXXXIV. D *Observandum quidem magnopere est nobis ante omnia & super omnia, uti Mandatum Dei, & non nostras Traditiones Populo observandas tradamus, & nihil nisi Scripturarum Divinarum Auctoritate fultum statuamus agendum: nihilque de cordibus, nihil extra Præceptum Domini & Sanctorum Patrum (quod absit) constituere, docere, vel jubere præsumamus.*

Ita *S. Petrus Damiani*, Epistolâ XVIII. Libro I. seu Opusculo XXIV. Cap. I. *Nos autem quia Magistros habemus Sanctos Apostolos & Apostolicos Viros, non debemus quod nobis videtur eligere; neque quod semel electum est, obstinatè & pervicaciter defensare; sed his dumtaxat quæ à probatis Ecclesiæ* E *Doctoribus definita sunt, fidem irretractabiliter adhibere.* Et alibi: *Quoniam ab Apostolis fidem, ab Apostolicis autem Viris conversandi in Ecclesia percepimus ordinem; ita propemodum non mutamus Disciplinæ modum à Majoribus traditum: sicut illibatum tenemus ipsum quoque fidei fundamentum. Unde ad Timotheum dicit Apostolus: Ut scias quomodo oporteat in domo Dei conversari.*

Ita *S. Bernardus* Epistolâ CLXXIV. *Nunquid Pa-* 1. Tim. 3. 15. *tribus doctiores aut devotiores sumus? Periculosè præsumimus quicquid ipsorum in talibus prudentia præterivit. Nec verò id tale est, quod nisi prætereundum* F *fuerit, Patrum quiverit omnino diligentiam præterisse.*

Et Tractatu ad *Huganem De S. Victore*, Cap. II. *Ab his duabus columnis (Augustinum loquor & Ambrosium) crede mihi, difficilè avellor. Cum his (inquam) me aut errare, aut sapere fateor*, &c.

Ita *Gregorius VII.* Lib. III. Epistolâ X. ad *Henricum* Germaniæ Regem. *Videntes* (inquit) *ordinem Christianæ Religionis multis jam labefactatum temporibus, & principales ac proprias lucrandarum animarum causas diu prolapsas, & suadente diabolo* A *conculcatas, concussi periculo & manifesta perditione Dominici gregis, ad Sanctorum Patrum Decreta doctrinámque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione nostrâ statuentes, sed primam & unicam Ecclesiasticæ Disciplinæ Regulam, & tritam Sanctorum viam relicto errore petendam & sectandam esse censuimus. Neque enim alium nostræ salutis & æternæ vitæ introitum Christi ovibus, eorúmque Pastoribus patere cognoscimus, nisi quem ab ipso monstratum, qui dicit:* Ego sum ostium; per me si quis introierit, sal- a Joan. 10. 9. vabitur, & pascua inveniet: *Et ab Apostolis præ-* a B *dicatum, & à Sanctis Patribus observatum in Evangelica & in omni Divinarum Scripturarum pagina didicimus.*

Ex his colligitur....

REGULA XVI.

Doctrina Morum à Veteribus, & Sanctis, magis quàm à Recentioribus Auctoribus petenda est.

Elicitur hæc Regula ex Job XII. *In Antiquis est Sapientia, & in multo tempore Prudentia.* Et Ecclesiastici XXXIX. *Sapientiam omnium Anti-* C *quorum exquiret Sapiens.* Et Ecclesiast. VIII. *Non te prætereat narratio Seniorum, ipsi enim didicerunt à patribus suis.* Et ex verbis *Jeremiæ* Cap. VI. *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea.* Et ex Apostoli verbis ad *Timotheum* scribentis: *O Timothee, depositum custodi, devita profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes.... circa fidem naufragaverunt.* Quem locum *Vincentius Lirinensis* in Commoni- De prob. M... torio I. Cap. XXVII. sic explicat: *Quis est hodie Timotheus, nisi vel generaliter Ecclesia universa, vel specialiter totum corpus Præpositorum, qui integram* D *divini cultus scientiam & habere ipsi debent, & aliis infundere. Depositum,* (inquit) *custodi. Quid est depositum? Id est, quod tibi creditum est, non quod à te inventum: quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenii, sed doctrinæ: non usurpationis privatæ, sed publicæ Traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam: in qua non auctor debes esse, sed custos: non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens.* Hinc *Hormisdas* Pontifex Maximus Epistola XXII. *Quid* (inquit) *recentia capitis, & prisca deseritis?* Et alibi: *Prima salus est, rectæ Fidei Regulam custodire, & à constitutis Patrum* E *nullatenus deviare.* Hinc ante ipsum *S. Celestinus* I. Epistola I. *Desinat incessere novitas vetustatem.* Hinc Zosimus: *Apud nos,* (inquit) *inconvulsis radicibus vivit Antiquitas, cui Decreta Patrum sanxere reverentiam.* Hinc *Silvester II.* scribit: *Sit lex communis Ecclesiæ, Evangelium, Apostoli, Prophetæ, Canones Spiritu Dei constituti & totius Mundi reverentiâ consecrati, & Decreta Sedis Apostolicæ ab his non discordantia.* Et ante illos omnes *Tertullianus*, Libro *De Præscriptionibus*, Cap. VI. *Nobis* (inquit) *nihil ex nostro arbitrio inducere licet; sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus Autores, qui nec* F *ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; sed acceptam à Christo Disciplinam fideliter Nationibus assignaverunt. Itaque etiamsi Angelus de cælis aliter evangelizaret, Anathema diceretur à nobis.* Sanè Recentiorum opiniones, quæ nec Scripturæ, nec Traditionis auctoritate, nec solidis & utrique consentaneis rationibus, sed verisimilibus duntaxat, aut extrinseca probabilitate, id est, recentiorum pariter Doctorum testimonio nituntur, à fallacia & errore nullatenus distinguuntur.

Veteres & Sancti præ recentioribus Auctoribus in rebus Moralibus sequendi.

De probabilium opinionum usu. Atque ita intelligenda est *S. Augustini* Sententia, Libro *De Utilitate credendi*, Cap. XI. *Tria sunt* (inquit) *velut finitima sibimet in animis hominum distinctione dignissima, intelligere, credere, opinari. Quæ si per se ipsa considerentur, primum semper sine vitio est, secundum aliquando cum vitio, tertium nunquam sine vitio..... Quod intelligimus, debemus rationi: quod credimus, auctoritati: quod opinamur, errori.* Quamobrem ab Episcopis plerisque Gallicanis, & a celeberrimis Academiis, Parisiensi præsertim & Lovaniensi, meritò confixæ sunt & improbatæ sequentes Propositiones:

Propositiones damnatæ. *Doctrina Fidei à Veteribus; doctrina Morum magis à junioribus petenda.*

Puto omnia esse hodie melius examinata; & hanc ob rem in omni materia, & præcipuè in Morali, Juniores quàm Antiquiores lego & sequor.

Non ergo opinio improbanda, eo quòd ab Antiquioribus non fuerit tradita.

De Sententia Doctorum Antiquorum verum sciri non poterit, nisi ipse Thomas, aut Augustinus, aut alii excitentur à mortuis. Præstat igitur adire vivos, quàm recurrere ad mortuos, qui nequeunt mentem suam explicare.

Hæc objectio, Opinio nova videtur, *Doctum urgere nequit. Nam tota Moralis Theologia nova est.*

Liceat ex solo rationis lumine dijudicare quando quis privatus possit pro tuenda vita, vel bonis, vel honore, aliquem occidere.

Secundam ex istis Propositionibus hâc censurâ confixit generalis Conventus Cleri Gallicani anno MDCC. *Hæc Propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, erronea, Sanctis Patribus & antiquis Doctoribus contumeliosa; spretâ in moribus Christianorum componendis necessariâ Scripturarum ac Traditionis auctoritate & Interpretatione, Moralem Theologiam arbitrariam facit, viamque parat ad humanas Traditiones & doctrinas, Christo prohibente, stabiliendas.*

REGULA XVII.

In Dubiis tutior pars est eligenda.

Tutior Sententia quando eligenda? HÆc Regula fundatur in jure naturali, quo prohibetur omnibus ne se periculo peccati exponant, aut salutem suam in discrimen adducant, secundùm illud Eccles. III. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Hanc utriusque Juris Regulam consilium duntaxat, non præceptum continere, quidam falsò asseruerunt. Nam ibi præceptum includi censendum est, ubi verba sunt absoluta, & imperium exprimentia, & pœnæ decernuntur contra transgressores. Illud porrò Juris Axioma verbis imperium designantibus exprimitur: non enim dicunt Summi Pontifices, Melius est eligere tutiorem partem: sed *In dubiis tutior pars est eligenda.* Referuntur Canones huic Regulæ innixi.

Tutior Sententia in dubiis eligenda. 1. In Cap. *Ad audientiam*, Extra, *De Homicidio*, proponitur iste casus. Homo quidam vulneratus est à Sacerdote, & subinde mortuus, dubium tamen est an mors secuta fuerit ex vulnere. 2. In Cap. *Significasti*, eodem titulo, ubi proponitur similis fere casus de homine mortuo ex vulnere; sed dubium est an vulnus illud à Sacerdote inflictum sit: quid facto est opus? Respondent Canones, Abstinere debere Sacerdotem a Sacris Ministeriis, quia cùm aliquâ sit aspersus homicidii suspicione, dubium est an fortè Irregularis evaserit. Unde tutius est, ut se à Ministeriis Altarium summoveat, quàm ut iisdem temerè se ingerat, & cum periculo peccati, quia *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem*: & illam partem potiùs eligere, *In quâ nullum*, quam illam *In qua magnum periculum timetur.* Idem colligitur ex Canone *Si quis positus*, Distinctione VII. *De Pœnitentia*, ubi ex *S. Augustino* hæc referuntur: *Vis ergo à dubio liberari? Vis quod incertum est evadere? Age Pœnitentiam dum sanus es.* Et Canone *Si quis autem*, eadem Dist. *Ergo tene certum, dimitte incertum.* *Tutior Sententia in dubiis eligenda.*

3. In Cap. *Illud*, Extra, *De Clerico Excommunicato*, &c. quo deponi jubetur Episcopus, qui non abstinuerit à Sacris Ministeriis in dubio Juris, an Sententia lata à Delegato non præmissâ Monitione, & ante significationem, liget: *Quia in dubiis via est tutior eligenda.*

4. In Clementina, *Exivi*, Tit. *De Verborum significatione*, Summus Pontifex Fratribus Minoribus rogantibus Apostolicam Sedem, an sub mortalis peccati periculo ad eorum observantiam teneantur, quæ in Regula *S. Francisci* verbis imperativis exprimuntur, respondet: *In his quæ Animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda:* Ideòque licèt *Fratres non ad omnium, quæ sub verbis imperativi modi ponuntur in Regula, sicut ad præceptorum seu præceptis æquipollentium observantiam teneantur: expedit tamen ipsis Fratribus ad observandam puritatem Regulæ & rigorem, quòd ad ea, sicut ad æquipollentia præceptis, se noverint obligatos, quæ inferius annotantur.* Ex quibus constat, Regulam illam Juris Canonici non esse merum consilium, sed præceptum; eámque non solius facti (ut quidam perperam interpretantur) sed Juris etiam quæstiones spectare.

Confirmatur hæc Regula ex Authore Operis Imperfecti in Evangelium *S. Matthæi*, inter Opera *S. Joannis Chrysostomi* editi, Homiliâ XLIV. *Si vestimentum empturus* (inquit) *unum gyras negotiatorem & alterum, & ubi meliores vestes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas: quando non oportet Populum circuire omnes Doctores, & inquirere ubi sinceré veritas Christi venundatur, & ubi corrupta, & veriorem eligere plusquam vestimentum?* Ex quibus constat, sanioti semper & tutiori doctrinæ standum esse, eámque ceteris præponendam, quæ Regulis Æternæ Veritatis, Scripturæ Sacræ, Traditioni, Sacris Canonibus & Ecclesiæ menti, communi Theologorum sententiæ, magis consona est.

Cardinalis Bellarmini prudens consilium. Hinc *Bellarminus* Cardinalis Piissimus & Doctissimus in Admonitione ad Episcopum Theanum Nepotem suum scribit; *Si quis velit in tuto salutem suam collocare, is omnino debet certam veritatem inquirere, & non respicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant; & si rei certitudo non possit ad aliquidum apparere, debet omnino tutiorem partem sequi, & nullâ ratione, nullius imperio, nullâ utilitate temporali propositâ, ad minus tutam partem declinare. Agitur enim de summa rei, cùm de salute æterna tractatur; & facillimum est conscientiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo, conscientiâ non remordente, ad eum locum descendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.*

Propositio damnata. Denique à plerisque Galliarum Episcopis & celeberrimis Academiis hæc Propositio reprobata est: *Hæc Regula Juris,* IN DUBIIS TUTIUS ELIGENDUM, *perfectionis est, non obligationis; seu consilii, non præcepti.* Et illa: *Omnes opiniones probabiles sunt per se æquè tutæ & securæ: benigniores, etsi aliquando sint minùs probabiles per accidens, sunt semper utiliores & securiores.*

Occupatio. Frustra verò quidam objiciunt celebrem illam Juris Civilis Regulam: *In Dubiis tutior est conditio possidentis.* A pluribus autem annis comparatum esse jus possessionis circa delectum minùs probabilis Sententiæ Respon-

Tutior Sententia quando eligenda.

Respondetur enim huic objectioni: Primò, nullum jus comparari a possessione, quæ non est pacifica: hæc autem possessio quam obtendunt effreni probabilitatis defensores, pacifica non fuit, cùm plures Doctores intercesserint.

Respondetur secundò, illud Axioma in materia justitiæ commutativæ dumtaxat, & in foro exteriori valere, non in foro conscientiæ, & in materia aliarum virtutum: quæ in hoc differunt à justitia commutativa, quòd illæ nobis provideant: illa verò alienum jus procuret. Cùm igitur nemo à sua possessione seipsum dejiciat, aut sibi ipsi litem intentet, jus istius possessionis ineptè ad materiam aliarum virtutum traducitur. Longè quippe diversæ sunt utriusque fori leges. Forum judiciale pœnam irrogat, quæ cùm ex se odiosa sit, dubia, si quæ emergunt, explicari debent in Rei favorem. At forum conscientiæ respicit emendationem Pœnitentis: unde si dubium subsit, debet sequi tutiorem partem, & Sententiam faventem legi, non sibi. Quæ Responsio confirmatur ex Cap. *Juvenis*, Extra, *De Sponsalibus*, cujus hæc sunt verba: *Juvenis qui puellam nondum septennem duxit, quamvis ætas repugnet, ex humana tamen fragilitate forsan tentavit, quod complere non potuit. Quia igitur in his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus: tum propter honestatem Ecclesiæ, quia ipsa conjux ipsius fuisse dicitur; tum propter prædictam dubitationem: mandamus quatenus consobrinam ipsius puellæ, quam postmodum duxit, dividat ab eodem.* Idem confirmatur ex Cap. *Dominus*, Extra, *De Secundis Nuptiis*, quo sancitum est, mulierem de morte prioris conjugis dubitantem non posse pergere in possessione debitum exigendi à secundo marito. Item ex Cap. *Inquisitioni*, Extra, *De sententia Excommunicationis*, quo prohibetur conjugi de impedimento dirimente probabiliter dubitanti, ne debitum exigat, non obstante exigendi possessione.

REGULA XVIII.

Tutiorem opinionem sequi non tenemur, cùm opposita Sententia verior & probabilior est.

TUnc enim nullo modo versamur in dubio, sed propendemus in illam Sententiam quam probabiliorem judicamus, & sumus moraliter certi. Nam *Opinio & Præsumptio vehemens pro certitudine habenda est*, ut colligitur ex Cap. *Veniens*, Extra, *De Presbytero non baptizato*, & ex Canone *Dixit Dominus*, Causa XXXII. Quæstione I. & ex Cap. *Afferte*, Extra, *De Præsumptionibus*.

Confirmatur ex Cap. *Placet*, Tit. *De conversione conjugatorum*, quo hæc proponitur & solvitur Quæstio: Mulier quædam credens mortuum maritum, Religionis habitum sumserat, eóque reverso, de Monasterio educta fuerat. A Summo Pontifice quæsitum est, an post obitum viri ad Regularem observantiam compellenda esset. Respondit Pontifex: *Quòd licet Votum ejus usquequaque non tenuerit, eatenus tamen fuit obligatorium, quatenus se poterat obligare. Promisit enim intrando Monasterium, se non exacturam carnis debitum, quod erat in potestate ipsius: Redire verò ad sæculum in ejus potestate non erat, sed in potestate mariti; & ideo quantùm ad ipsam tenuit votum, quod post viri obitum tenere non desiit, cùm ad eum casum à quo efficax poterat habere principium, pervenisse noscatur. Consultius itaque esse respondet, eidémque mulieri congruentius ad salutem, ut ad Monasterium redeat, ubi bonâ ductâ intentione Professionem fecit, & habitum Religionis accepit. Si verò ad hoc induci non poterit, ipsam invitam non cogendam.* Tutius erat ut illa Mulier ad Monasterium rediret atque religiosè viveret: quia tamen probabilius erat Votum ipsius irritum fuisse, quatenùs mariti Juribus repugnat, ut potè quæ esset sub potestate viri; cogi non poterat ut ad Monasterium rediret. Tutiorem igitur opinionem sequi non tenemur, cùm opposita Sententia verior & probabilior est.

Tutior Sententia quando eligenda?

Hanc Regulam confirmat *S. Antoninus*, P. I. Tit. III. *De Conscientia*, Cap. X. §. 10. *Eligere* (inquit) *viam tutiorem, consilii est, non præcepti: aliàs oporteret multos ingredi Religionem, in qua tutiùs vivitur quàm in sæculo. Non ergo de necessitate oportet tutiorem eligere, quando etiam alia via potest eligi tuta. Sicut enim diversæ viæ tendunt ad unam civitatem, licèt una tutior aliâ sit: sic ad civitatem istam alius sic, alius sic vadit, & tutè, licèt aliquis tutiori modo.*

REGULA XIX.

Cùm utraque opinio judicatur æquè probabilis, tutior necessariò eligenda est.

QUi enim judicat duas opiniones oppositas esse æqualiter probabiles, vel quasi æqualiter, non est certus moraliter de illarum veritate, sed dubius. Siquidem opinari nihil aliud est, quàm ex probabilibus conjecturis credere seu judicare rem veram esse, illique assentiri, non quidem adhæsione firmissimâ & certissimâ, sed cum formidine partis oppositæ; id est, formidando ne pars opposita vera sit. Unde *S. Bernardus*, Libro V. *De Consideratione*, Cap. III. ait: *Opinio certi nihil habens, verum per verisimilia quærit potiùs quàm apprehendit... Multi suam opinionem intellectum putaverunt, & erraverunt. Et quidem opinio potest putari intellectus, intellectus opinio non potest. Unde hoc accidit? Profectò quia hæc falli potest, ille non potest. Aut si falli potuit, intellectus non fuit, sed opinio: verus enim intellectus certam habet non modo veritatem, sed notitiam veritatis.... Opinio est quasi pro vero habere aliquid, quod falsum esse nescias.* Cùm igitur homo qui dubius est in Quæstione Mores spectante, in qua salutis periculum vertitur, tutiorem opinionem sequi teneatur ex præcepto: rectè colligitur, in ea hypothesi quâ utraque opinio judicatur æquè probabilis, tutiorem esse necessariò eligendam.

Quod autem inter opiniones æquè probabiles animus anceps fluctuet, dubiáque sit & perplexa sententia, constat ex Canone *Nervi*, Distinctione III. desumpto ex *S. Gregorio* Libro XXXII. *Moralium*, Capp. XVIII. XIX. & XX. verba illa *Job* explicante: *Nervi testiculorum Leviathan perplexi sunt.* Perplexitatem enim illam ex diaboli malis artibus oriri docet, *Quia suggestionum illius argumentis implicatis inventis illigantur, ut plerósque ita peccare faciant, quatenus si fortasse fugere peccatum appetant, hoc sine aliquo peccati laqueo non evadant, & culpam faciant, dum vitant, ac nequaquam se ab una valeant solvere, nisi in aliâ consentiant se ligari.* Quod diversis exemplis animi contrariis opinionibus agitati, & in utramque partem impulsi probat. *Ecce quidam* (inquit) *dum Mundi hujus amicitias appetit, cuilibet alteri similem sibi viam ducenti, quòd secretum illius omni silentio contegat, se jurejurando constringit. Sed is cui juratum est, adulterium perpetrare cognoscitur; ita ut etiam maritum adulteræ occidere conetur. Is autem qui jusjurandum præbuit, ad mentem revertitur, & diversis hinc inde cogitationibus impugnatur, atque hoc silere formidat, ne silentio adulterii simul & homicidii particeps fiat,*

Tutior Sententia quando eligenda?

& prodere trepidat, ne reatu se perjurii obstringat. Perplexis ergo testiculorum nervis ligatus est, quia in quamlibet partem declinet, metuit ne à transgressionis contagione liber non sit..... Alius cuncta quæ Mundi sunt deserens, atque per omnia frangere proprias voluntates quærens, alieno se subdere regimini appetit: sed eum qui sibi præsit apud Deum debeat, minùs tantâ inquisitione discernit: cui fortasse is, qui sine judicio eligitur, cùm præesse jam cœperit, agere quæ Dei sunt prohibet; quæ Mundi sunt jubet. Pensans itaque subditus, vel quæ sit culpa inobedientiæ, vel quod contagium sæcularis vitæ, & obedire trepidat, & non obedire formidat, ne aut obediens Deum in suis præceptis deserat, aut rursùs non obediens, Deum in electo Priore contemnat.... Alius pensare pondus Honoris Ecclesiastici negligens, ad locum Regiminis præmiis ascendit. Sed quia omne quod hic eminet, plus mœroribus afficitur, quàm honoribus gaudet, dum cor tribulationibus premitur, ad memoriam culpa revocatur, doletque se ad laborem cum culpa pervenisse, & quàm sit iniquum quod admiserit, ex ipsa fractus difficultate cognoscit. Reum igitur se cum impensis præmiis agnoscens, vult adepta sublimitatis locum deserere: sed timet ne gravius delictum sit susceptì gregis custodiam reliquisse: vult suscepti gregis curam relinquere; sed formidat ne deterior culpa sit, regimina Pastoralis Gratiæ empta possidere. Per honoris ergo ambitum, ligatum culpâ hinc inde se conspicit. Esse quippe sine reatu criminis neutrum videt, si aut susceptus semel grex relinquatur; aut rursum sacra actio sæculariter empta teneatur. Undique metuit, & suspectus latus omne pertimescit; ne aut stans in empto regimine non dignè lugeat, quod non etiam deserens emendat; aut certè regimen deserens, dum aliud flere nititur, rursùs aliud de ipsa gregis destitutione committat. Adeo verum est eum, qui variis opinionibus agitatur, & per rationes utrimque probabiles aut verisimiles in utramque partem impellitur, dubium esse atque perplexum.

Idem probatur ex Cap. *Fraternitatis*, Extra, *De Frigidis & Maleficiatis*. Lata fuerat Sententia separationis thori ex errore probabili, ut constat ex his verbis, *Sententiam divortii per errorem licèt probabilem novimus esse prolatam.* Et tamen *Innocentius III.* Pontifex Maximus ait rem tunc temporis fuisse dubiam: *Quamdiu* (inquit) *articulus iste dubitabilis erat.*

Idem colligitur ex Cap. *Illud*, Tit. *De Præsumptionibus*, ubi in Quæstione utrum inter liberam & servum fuisset contractum Matrimonium, necne, expenduntur rationes pro utraque parte probabiles, & tamen res dubia æstimatur, ut patet ex his verbis: *In hujusmodi dubitatione.*

Idem colligitur ex Cap. *Veniens*, Extra, *De Presbytero baptizato*. Quæstio erat an ordinatus ante Baptismum recepisset Ordinis characterem. Pro parte negante hæc afferebatur ratio: quòd cùm Baptismus sit fundamentum omnium Sacramentorum, ante illius susceptionem nullum aliud Sacramentum recipiatur. Pars affirmans hâc ratione nitebatur, quòd non solùm per Sacramentum fidei, sed per fidem etiam Sacramenti homo Christi membrum fiat; & qui Christum habet in corde per fidem, habeat fundamentum quod est Christus Jesus. Utraque pars probabilis erat, & tamen Summus Pontifex respondit: *In hoc dubitabili casu, quod tutius est sequentes: mandamus, quatenus ipsum per singulas Ordines usque ad Sacerdotium promovere procures.* Constat ergo ex eo Capite, Quæstionem effici dubiam ex probabilium opinionum & rationum conflictu; & in eo dubio non utramlibet opinionem probabilem, sed tutiorem tantùm esse eligendam.

REGULA XX.

Cùm ex duabus opinionibus oppositis, æquè probabilibus, certum & exploratum non est quæ sit tutior, servandæ sunt Regulæ à Jure præscriptæ.

Tutior sententia quando eligenda?

QUasdam enim Regulas Jus præscribit, quas in dubiis sequi oporteat, quæ habentur Tit. *De Regulis Juris*, *De rebus dubiis*, *De Legibus*, & alibi passim, quales sunt: *In dubio judicandum ut actus valeat potiùs quàm pereat.* (L. *Quoties*, & L. 2. ff. *De rebus dubiis.*) Item: *In dubiis id sequendum, quod in regione, in quâ actum est, frequentatur.* (L. *Semper in stipulationibus*, ff. *De Regulis Juris.*) Et: *Minimè mutanda sunt, quæ certam sententiam semper habuerunt.* (L. *Minimè*, ff. *De Legibus.*) Item; *Ubi contrariæ existunt sententiæ, pronuntiandum est pro possessore.* (L. *Res alienas*, C. *De Rei vendicatione.*) Et potiùs pro reo quàm pro Actore, nisi *In causâ favorabili* (ut loquuntur) ut *Matrimonii*, *libertatis*, *dotis*, *testamenti*, ut legitur Cap. *Duobus*, Extra, *De Sententia & re judicata.* Hinc Versus illi apud Jurisconsultos vulgati:

Stat testamentum, libertas, conjugium, dos:
Si sint æquales qui producuntur utrimque.

Aliàs ubi sunt opiniones discordes, Judex tenetur sequi communem, ut colligitur ex Cap. *Novimus*, Tit. *De Verborum Significatione*: & Can. *De Judiciis*, Causâ III. Quæstione III. Canone *In Canonicis*, Distinctione XIX. & L. 1. *De Officio Quæstoris.* Rursus, in dubiis præferendum quod *Benignius* est, quod *verisimilius*, *quod plerumque fieri solet*, ut colligitur ex L. *Semper in dubiis*, ex L. *In obscuris*, & L. *Quoties idem*, ff. *De Regulis Juris.*

REGULA XXI.

In Moralium Quæstionum solutione, maxima sacrorum Canonum habenda est ratio.

Sacrorum Canonum in moribus dirigendis auctoritas.

ITa docent *Julius I.* Epistola 1. ad Orientales: *Nolite errare, Fratres mei dilectissimi. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. En instituta Apostolorum, & Apostolicorum virorum, Canonésque habetis. His fruimini, his circumdamini, ut his freti, circumdati, delectati, armati, contra cuncta inimicorum jacula persistere valeatis.*

Celestinus I. Pontifex Maximus, Epistolâ ad Episcopos Illyrici: *Dominentur nobis Regulæ, non Regulis dominemur: Simus subjecti Canonibus, cùm Canonum præcepta servamus.*

Leo Quartus, Epistolâ II. ad Episcopos Britanniæ, Cap. VI. *De Libellis* (inquit) *& Commentariis aliorum non convenit aliquem judicare, & Sanctorum Conciliorum Canones relinquere, vel Decretalium Regulas, id est, quæ habentur apud nos simul cum illis in Canone, & quibus in omnibus Ecclesiasticis utimur Judiciis; id est, Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsariensium, Gangrensium, Antiochensium, Laodicensium, Chalcedonensium, Sardicensium, Carthaginensium, Africanensium: & cum illis Regulæ Præsulum Romanorum, Silvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Cælestini, Leonis, Gelasii, Hilarii, Symmachi, Simplicii. Isti omnino sunt, per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi simul &*

DE PECCATIS.

Sacrorum Canonum in moribus dirigendis auctoritas.

Clerici judicantur. Nam si tale emerserit vel contigerit inasitatum negotium, quod minimè posset per istos finiri, tunc si illorum, quorum meministi, dicta Hironymi, Augustini, Isidori, vel caterorum similiter Sanctorum Doctorum similium reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda ac promulganda: vel ad Apostolicam Sedem referatur de casibus. Quam ob causam luculentius & magnâ voce pronuntiare non timeo, quia qui illa Sanctorum Patrum Statuta, qua apud nos Canones prætitulantur, sive sit Episcopus, sive Clericus, sive Laicus, non indifferenter receperit, ipse convincit nec Catholicam & Apostosticam Fidem, nec Sancta vera Christi Evangelia quatuor utiliter & efficaciter, & ad effectum suum, retinere vel credere.

Ante *Leonem IV.* Septima Synodus Oecomenica, Canone 1. *His qui Sacram sortiti sunt Dignitatem, testimonia & directiones Canonicarum Præceptionem forma constituunt. Quas libenter suscipientes, cum deiloquo David canimus ad Dominum:*

Psal. 118.

» In via testimoniorum tuorum delectatus sum, » sicut in omnibus divitiis. Et Mandasti justi» tiam testimonia tua in æternum...... *His ita se habentibus, exultantes in eis, sicut qui invenit spolia multa, divinos Canones amplectibiliter in pectore recondimus, & integram illorum præceptionem ac immobilem tenemus: tam scilicet illorum qui ab almis Apostolis Sancti Spiritûs tubis editi sunt, quàm eorum qui à sex Sanctis & Universalibus Synodis, atque his Conciliis qua localiter collecta sunt, in expositionem hujusmodi Decretorum promulgati sunt: necnon & eorum qui à Sanctis Patribus nostris prolati fuisse probantur. Ab uno enim eodemque Spiritu illustrati, definerunt qua expediunt.* Confer cum Trullanæ Synodi Canone 11.

Canon *Violatores*, sub *Damasi* Papæ nomine prolatus, Causâ xxv. Quæst. 1. *Violatores* (inquit) *Canonum voluntarii graviter à Sanctis Patribus judicantur: & à Sancto Spiritu, instinctu cujus ac dono dictati sunt, damnantur: Quoniam blasphemare Spiritum Sanctum non incongruè videntur, qui contra eosdem Sacros Canones non necessitate compulsi, sed libenter aliquid aut protervè agunt, aut præsumunt, aut facere volentibus consentiunt. Talis enim præsumptio manifestè unum genus est blasphemantium Spiritum Sanctum: Quia contra eum agit, cujus nutu & gratiâ Sancti Canones conditi sunt.*

REGULA XXII.

Sacrosancti Canones qualibet desuetudine abrogari non possunt universi & singuli.

Sacrorum Canonum in moribus dirigendis auctoritas.

Qui enim juris naturalis & divini aliquid admixtum habent, semper & immobiliter obligant, ut docet S. *Thomas*, Quodlibeto IX. Articulo XV. ubi loquens de Canonibus plurium Præbendarum sive Beneficiorum possessionem prohibentibus, ait: *Quantùm ad hoc quod Jura illa antiqua continent jus naturale, abrogari non possunt per contrariam consuetudinem, utpote irrationalem. Quantùm autem ad hoc quod solum de Jure positivo continent, possunt esse abrogata, præcipuè si dissimulantes hanc contrariam consuetudinem, a quorum potestate est jus positivum mutare, intendunt per talem dissimulationem antiqua jura mutare.* Ita autem se res habet, ut pleræque Ecclesiæ Leges quæ ad Mores pertinent, non novum aliquod jus invehant, sed jus tantùm naturale & divinum, præscriptàmque in Evangelio vitæ institutionem interpretentur, firment, & ad particulares causas applicent. Sic, exempli gratia, Canonicæ Pœnitentiæ pro variis criminum generibus præscriptæ, tametsi modum suum ex solâ Ecclesiæ institutione repetant, ex divinâ institutione eatenus pendent, quatenus Sacramentum pœnitentiæ Christus instituit, ut per illud non ita facilè ac per Baptismum, sed multis laboribus & congruis satisfactionibus gravia peccata expientur. Itaque licèt in hoc mutari possit Ecclesiæ Disciplina, ut modò graviores, modò remissiores pœnæ peccatis infligantur; effici tamen non potest quin Pœnitentia laboriosus sit Baptismus, quin pro modo criminum congruæ Pœnitentiæ imponendæ à Sacerdotibus, a Pœnitentibus obeundæ sint. Nunquam ergo ullâ desuetudine abrogari poterit illa Concilii Tridentini Sanctio Sessione XIV. cap. VIII. *Debent Sacerdotes Domini, quantùm Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & Pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere, ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum Pœnitentibus agant, levissima quadam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

Qui ratione non abrogantur?

Similiter quamvis simonia, ambitus, concursationes ad obtinenda Beneficia, lucri ex mutuo captatio passim tolerarentur, perpetuò tamen viget illorum Canonum auctoritas, quibus ista damnantur, & debitis pœnis afficiuntur. Non igitur ut quæque Ecclesiæ Lex incuriâ hominum in desuetudinem abiit, continuò prorsùs extincta censenda est. Vivit enim adhuc quicquid in ea divini ac naturalis est juris.

Canonum in moribus dirigendis auctoritas.

Quod verò in Sacris Canonibus positivi juris est, solâ etiam desuetudine, aut consuetudine contrariâ non abrogatur, si desuetudo illa sit recens, nec ab Ecclesia tolerata, si contraria illa consuetudo non sit præscripta; si Ecclesia abusum Canonibus contrarium plectat, quoties ad ipsam defertur. Hinc Parisiense Concilium VI. cap. 1. *Quorumdam* (inquit) *perversissima consuetudines, propriaque voluntates multimoda adinventione contumaciter, quod valdo periculosum est, efficiunt ut opera fidei magna ex parte negligantur. Qui dum legis divina transgressores existunt, easdem consuetudines sibi legem faciunt, & secundùm eas se vivere absque sui discrimine & posse & debere contendunt, sua quærentes, non quæ Jesu Christi. Quod quantùm autoritati divina contrarium sit, aut non advertunt, aut certè animadvertere detrectant. Quantùm etiam ob hoc Religio Christiana in eis periclitetur, facilè qui sapit, advertit. Quapropter unusquisque fidelis, si salvus esse vult, oportet ut remotis perversis consuetudinibus, quæ periculum animarum generant, fidem Christi, quam percepit, bonis operibus exornare non negligat.*

Qui ratione abrogentur?

Et Concilium Suessionense III. *Mala* (inquit) *consuetudo, qua non minùs quàm perniciosa corruptela vitanda est, nisi citiùs radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis assumitur; & incipiunt prævaricationes & varia præsumptiones celerrimè non compressa, pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuò celebrari.* Abusus igitur adversùs Canones invalescens, improbè & ab improbis tantùm jus putatur: A probis autem corruptelæ prævaricationis, præsumptionis loco habetur, præsertim si legis utilitas ac ratio maneat: tunc enim, secundùm *S. Thomam*, Prima Secundæ, Quæst. XCVII. Articulo V. consuetudini semper præponenda est. *Si* (inquit) *maneat ratio eadem propter quam lex primo utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit.*

REGULA XXIII.

Si gravis aliqua Quæstio emergat circa Morum Disciplinam, quæ ob sui novitatem, obscuritatem, difficultatem, solvi à Theologis non possit, roganda est Episcoporum, præsertimque Romani Pontificis Sententia.

Episcoporum vel Romani Pontificis sententia aliquando roganda in quæstionibus morum difficilibus vel ambiguis.

NItitur hæc Regula verbis *Deuteronomii*, cap. XVII. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, & Judicum inter portas videris verba variari, venies ad Sacerdotes, & ad Judicem qui fuerit illo tempore, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quæcunque dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Ex quo loco *Innocentius III.* cap. *Per venerabilem*, Extra, *Qui filii sint legitimi*, probat ad Judicium Sedis Apostolicæ in causis & quæstionibus difficilibus vel ambiguis esse recurrendum: cujus Sententiam qui superbiens contempserit observare, mori præcipitur, id est, per Excommunicationem velut mortuus a Communione Fidelium separari.

Hinc antiqua consuetudo Concilia Provincialia bis in anno celebrandi, secundùm Nicænos Canones, in quibus Conciliis nihil ante proponeretur, quàm *Ea quæ ad emendationem vitæ, ad severitatem regulæ, ad animæ remedia pertinebant, finirentur* (ut loquitur Concilium Arvernense I. Canone I.)

Hinc etiam solemnis consuetudo ab antiquis temporibus in Ecclesia semper observata, ut in Causis majoribus & difficilibus, seu Fidem, seu Morum Disciplinam spectantibus, Sedis Apostolicæ Sententia rogaretur, ejúsque Responsum instar legis haberetur. Cujus consuetudinis testis est *Innocentius I.* Epistolâ ad *Exuperium* Tolosanum Episcopum. *Consulenti tibi, Frater carissime, quid de proposita specie unaquaque sentirem, pro captu intelligentiæ meæ quæ sunt visa respondi, quod sequendum vel docilis ratio persuaderet, vel auctoritas lectionis ostenderet, vel custodita series temporum demonstraret: & quidem Dilectio tua institutum secuta Prudentium ad Sedem Apostolicam referre maluit quid de rebus dubiis custodire deberet, potiùs quàm usurpatione præsumptâ, quæ sibi viderentur de singulis, obtinere.*

Et Epistolâ IV. ad *Felicem* Nucerianum Episcopum: *Mirari non possumus Dilectionem tuam sequi instituta Majorum, omniáque quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quasi ad caput atque ad apicem Episcopatûs referre, ut consulta videlicet Sedes Apostolica ex ipsis rebus dubiis certum aliquid faciendum pronuntiet. Quod & nos libenter accipimus, & Dilectionem tuam memorem Canonum approbamus.*

Testis *S. Leo* Epistolâ LXXXII. aliàs XCI. ad *Theodorum* Forojuliensem Episcopum: *Solicitudinis quidem tuæ* (inquit) *hic ordo esse debuerat, ut cum Metropolitano tuo primitus de eo quod quærendum videbatur esse, conferres: Ac si id, quod ignorabat Dilectio tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis: Quia in causis quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini Sacerdotum, nihil sine Primatibus oportet inquiri. Sed ut quoquomodo instruatur ambiguitas consulentis, quid de Pœnitentium statu Ecclesiastica habeat Regula, non tacebo.* Sic *Rusticus* Narbonensis Episcopus eundem Sanctum Pontificem variis de Quæstionibus Disciplinam spectantibus per litteras interrogavit, ejúsque Responsa Regularum instar suscepit. Sic ad *Innocentium I. Victricius* Rothomagensis Episcopus; sic ad *Siricium Himerius* Tarraconensis, dubia Disciplinæ capita retulerant. Sic rursus *Nicetas* Aquileiensis ad *S. Leonem*, cui respondit Sanctus Pontifex Epistolâ CXXIX. aliàs LXXIX. *Regressus* (inquit) *ad nos filius meus Adeodatus Diaconus Sedis nostræ, Dilectionem tuam poposcisse memoravit, ut de his à nobis Autoritatem Apostolicæ Sedis acciperes, quæ quidem magnam difficultatem dijudicationis videntur adferre.*

Testis *Pelagius II.* Epist. VIII. relatâ Can. *Multis*, Dist. XVII. *Majores & difficiles Quæstiones* (inquit) *ut Sancta Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, ad Sedem Apostolicam semper referantur.*

Testis *Alexander III.* cap. *Sicut*, Extra, *De Rescriptis*, Archiepiscopi Senonensis consultationi respondens: *Sicut* (inquit) *Romana Ecclesia omnium, disponente Domino, Mater est & Magistra, ita & nos, qui eidem Ecclesiæ, licèt immeriti, supernæ dispositionis providentiâ præsidemus, prout Dominus nobis ministraverit, consultationibus respondere cogimur singulorum; & quæ sunt dubia, Apostolicæ circumspectionis providentiâ declarare.*

Juris denique Canonici pars maxima constat, Romanorum Pontificum Responsis ad Quæstiones difficiles, quas orbis totius Christiani Episcopi ad Sedem Apostolicam referebant.

REGULA XXIV.

Cùm Scriptura Sacra, Patrum, Sacrorum Canonum auctoritate, Quæstiones Morales solvi non possunt, ea sequenda est opinio, quæ melioribus rationibus nititur, & à Theologis numero, doctrinâ, pietate præstantioribus asseritur.

De probabilium opinionum usu.

NAm, ut ait *S. Augustinus*, Lib. III. *Contra Academicos*, cap. XX. *Nulli dubium est gemino pondere nos impelli ad discendum, auctoritatis atque rationis. Mihi autem certum est nusquam prorsus à Christi Auctoritate discedere: Non enim reperio valentiorem.* Quòd autem ei potiùs adhærendum sit Sententiæ quam plures, doctiores, sanctioréſque Theologi sequuntur, colligitur à pari ex Canone *In Canonicis*, Dist. XIX. qui ex *S. Augustino* Lib. II. *De Doctrina Christiana* sumptus est. *In Canonicis* (inquit) *Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium Auctoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sint, quæ Apostolicas Sedes habere & Epistolas accipere meruerunt. Tenebis igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis quas quidam non accipiunt: In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures gravioréſque accipiunt, eis quas pauciores, minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi, æqualis auctoritatis eas habendas puto.*

Et infrà: *In his omnibus Libris timentes Deum & pietate mansueti quærunt voluntatem Dei; cujus operis & laboris prima observatio, est nosse istos libros: deinde quæ in eis apertè posita sunt vel præcepta vivendi, vel regulæ credendi, solertiùs diligentiúsque investiganda sunt, quæ quantò quisque plura invenit, tantò est intelligentiâ capacior. In iis enim, quæ in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia quæ continent, Fidem Moréſque vivendi.* Non modò igitur, in Fidei sed etiam in morum

controversiis probabilior opinio sequenda est; & cùm Scripturæ Sacræ, SS. Patrum, Sacrorum Canonum auctoritas expressa illas non dirimit, ea sequenda est sententia quæ melioribus rationibus nititur, & Legi Dei convenientior asseritur a Theologis numero, doctrinâ, pietate præstantioribus.

De probabilium opinionum usu.

Eadem Regula confirmatur ex probabilitatis notione ab Aristotele tradita in Topicis: *Probabilia* (inquit) *ea sunt, quæ omnibus videntur, aut plurimis, aut certè sapientibus: Iisque rursum aut omnibus, aut pluribus, aut præstantioribus.* Hinc *Theodosius* Imperator edixit, ut *Ubi diversæ Sententiæ proferuntur, potior numerus vincat Autorum: vel si numerus æqualis sit, ejus partis præcedat auctoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus emineat, qui ut singulos vincit, ita cedit duobus.* Refert *Baronius* ad annum 435. Magis tamen ponderandas rationes, quàm numerandos Autores, qui sæpè more pecudum sequuntur antecedentem gregem, euntes non quò eundum est, sed quò itur, colligitur ex Institutionibus *Justiniani* Lib. III. Tit. XXIV. *Sed Proculi Sententia* (inquit) *dicentis permutationem esse propriam speciem contractus à venditione separatam, meritò prævaluit: Cùm & ipse aliis homericis Versibus adjuvabatur, & validioribus rationibus argumentabatur.* Et L. 1. §. *Sed neque*, C. *De Veteri Jure enucleando*, idem *Justinianus* ait: *Sed neque ex multitudine Autorum quod melius aut æquius est judicatote, cùm possit unius forsan & deterioris sententia & multos & majores aliqua in parte superare.* Hinc cap. *Cùm in cunctis*, Extra, *De iis quæ fiunt à majori parte Capituli*, quod ex Concilio Lateranensi III. sub *Alexandro III.* cap. XVI. sumptum est, decernitur, *Ut nisi à paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit & ostensum, appellatione remotâ prævaleat semper, & suum consequatur effectum, quod à majori & saniori parte Capituli fuerit constitutum.* Et Canone *Sana*, Dist. XX. dicitur: *Sana quippe Ratio etiam exemplis anteponenda est, cui quidem & exempla concordant; sed illa quæ tantò digniora sunt imitatione, quantò excellentiora pietate.* Quod ex *S. Augustino*, Lib. I. *De Civitate Dei*, cap. XXIII. sumptum est. Quamobrem communis opinio tunc solùm sequenda est, quando firmioribus nititur argumentis. Ratio est, quia communis opinio ad summum vim habet consuetudinis: At consuetudo rationem non vincit. Denique hanc Regulam servant tam Rota Romana, quæ communem opinionem non sequitur, quando exploratum est contrariam esse veriorem & firmioribus rationibus fultam, quàm Sacra Congregatio Concilii, quæ propterea in casibus emergentibus sæpiùs mandavit ut expenderetur opinio communis, referente *Fagnano*, in 1. Decretal. in cap. *Ne innitaris*, Tit. *De Constitutionibus*, N. 347.

Quæ verè probandi opinio?

Ponderandæ magis rationes, quàm numerandi Auctores.

REGULA XXV.

Non licet Medico in Medicina praxi minùs probabilem opinionem sequi, præbendo medicamenta quæ probabiliùs nocitura sunt ægroto quàm profutura.

ITa Innocentius IV. Joannes Andreas, & alii in cap. *Tua nos*, Extra, *De Homicidio.* Ille enim homicidia esset, juxta Canonem *Absit*, Dist. I. *Hoc non est curare, sed, si dicere verum volumus, occidere.* Quanquam enim non est in Medico semper releveturut æger, tamen nihil debet omittere, ut quantùm in ipso est sanitatem procuret. Ut enim ait *Boëtius*, Libro De Trinitate: *Neque enim* (inquit) *Medicus semper ægris affert sanitatem, sed nulla culpa erit medentis, si nihil eorum, quæ fieri oportebat, omiserit.* Quod nisi præstet, officio suo deest, adeóque peccat non solùm contra caritatem, sed etiam contra justitiam. Hinc L. *Illicitas*, §. *Sicuti*, Tit. *De Officio Præsidis*, Lib. 1. Digest. *Sicuti Medico imputari eventus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam commisit, imputari ei debet. Prætextu humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo homines innoxium esse non debet.* Et L. *Idem Juris*, ff. Ad *Legem Aquiliam*, Lib. IX. Digest. *Idem Juris est, si medicamento perperam usus fuerit.* Et L. *Medicus*, ff. *De variis & extraordin. cognitionibus*, Lib. 1. Digest. *Si Medicus, cui curandos suos oculos, qui eis laborabat, commiserat, periculum amittendorum eorum per adversa medicamenta inferendo, compulit ut ei possessiones suas contra fidem bonam æger venderet, incivile factum præses Provinciæ coërceat, remque restitui jubeat.*

An liceat Medicis opinionem minùs probabilem [sequi?]

REGULA XXVI.

Non licet Judici minùs probabilem opinionem sequi, postbabitâ probabiliori; ac ferre Sententiam in favorem partis pro quâ militent levioris momenti rationes, adversùs illam pro qua validiores proferuntur.

SEntentia enim judicium intellectus sequi debet, quod minimè flecti potest in illam partem pro qua militant levioris momenti rationes. Quamobrem si feratur pro parte debiliori, fertur contra judicium rationis, adeóque iniqua est. Secundò, talis Sententia contra *Potiora Jura* alterius ex litigatoribus, & ideo injusta, ut colligitur ex L. *Edicto*, C. *De Edicto D. Adriani tollendo.* Tertiò, cùm Judex sit Dei Minister in terris, necesse est ut ipsius Judicium *prodeat de vultu Dei*, qui est *via, veritas, & vita.* Quamobrem Judicium suum cum veritate conformare debet, & ipsam totis studiis juvare & ad lucem perducere. Item debet sequi Legum & Justitiæ vestigia, non exemplis, aut præjudiciis niti, ut constat ex L. *Nemo*, C. *De Sententiis & Interlocut. omnium Judicum*, cujus hæc sunt verba: *Nemo Judex vel Arbiter existimet neque consultationes, quas non ritè judicatas esse putaverit, sequendum, & multò magis Sententias eminentissimorum Præfectorum, vel aliorum Procerum. (Non enim si quia bene non dirimatur, hoc & in aliorum Judicum vitium extendi oportet, cùm non exemplis, sed Legibus judicandum sit: ....) Sed omnes Judices nostros veritatem, & leges, & justitiæ sequi vestigia sancimus.*

An liceat Judicibus ... probabilem opinionem sequi?

Confirmatur ex Canone *Judicantem*, Causâ XXX. Quæstione V. cujus hæc sunt verba: *Judicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, interrogandi, respondendi, objiciendique prabitâ patientiâ ab eo, ut ibi actio ambarum partium illuminata sit pleniter: Nec litigantibus Judex priùs velit suâ Sententiâ obviare, nisi quando ipsi jam peractis omnibus nihil habeant in quæstione, quod proponant: & tamdiu actio ventiletur, quousque ad rei veritatem perveniatur.*

Accedit, quòd Judex unicuique Jus suum reddere teneatur secundùm causæ merita, & neminem lædere, maximè cùm sit à Rege, aut à Republica constitutus ad lites dirimendas, secundùm quòd ei melius videbitur. Denique

personarum acceptio justitiæ repugnat: Esset autem acceptio personarum manifesta, si ferret Sententiam Judex in gratiam partis pro qua militant levioris momenti rationes, adversùs illam pro qua validiores proferuntur. Hinc *S. Ambrosius* Sermone xx. in Psalmum cxviii. Num. 36. *Bonus Judex*, (inquit) *nihil ex arbitrio suo facit, & domestica proposito voluntatis: sed juxta Leges & jura pronuntiat, scitis juris obtemperat, non indulget propria voluntati: nihil paratum & meditatum domo defert: sed sicut audit, ita judicat; & sicut se habet negotii natura, decernit. Obsequitur legibus, non adversatur: examinat causa merita, non mutat.* Et Num. 39. *Audite quid verus*

Joan. 5. 30. *Judex loquatur:* Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. *Quasi homo loquitur, quasi judex docet: quoniam qui judicat, non voluntati suæ obtemperare debet, sed tenere quod Legum est. Constitue judicem de hoc seculo: Numquid potest adversùm imperialis formam venire Rescripti? Numquid potest normam Augustæ Definitionis excedere? Quantò magis divini formam debemus servare judicii? Christus dicit:* Non quæro voluntatem meam, *hoc est, hominis, quæ vel odio dirigitur, vel studio intenditur, vel gratiâ inflectitur, vel aliorum mendacio depravatur;* Omnis enim homo mendax. Sed voluntatem, *inquit*, ejus qui misit me; *hoc est, divinæ cognitionis formam veni docere; ut in judicando magis cordi sit veritatis custodia, quàm obedientia voluntatis.* Hinc *Nicolaus I.* Hincmaro Archiepiscopo Remensi respondens, ut refertur Canone *Necesse*, Causa III. Quæst. IX. ait: *Necesse est secundùm Sacrarum Scripturarum documenta, ac secundùm justitiæ tramitem, & accusatum, & accusatorem simul adesse, & unam partem quantacunque & qualicunque prædita sit auctoritate, sic prorsus audiri, ut alteri parti nullum præjudicium irrogetur.* Meritò itaque

Propositiones damnatæ. damnata est inter alias hæc Propositio ab *Alexandro Septimo* Pontifice Maximo: *Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda Sententia in favorem unius præ alio.* Et *Innocentius Undecimus* hanc etiam inter alias damnavit: *Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.*

REGULA XXVII.

Princeps & Respublica minùs probabilem opinionem licitè sequi non possunt in bello indicendo.

An minus probabilem opinionem in bello indicendo sequi liceat? IN eo enim casu funguntur officio Judicis, vel ut publicam vindicent injuriam, vel bona recuperent in quæ jus obtendunt: Sicut ergo non licet Judici minùs probabilem opinionem sequi in ferendo Judicio; ita nec Principi aut Reipublicæ in bello indicendo ac gerendo. Præterea cùm in pari causa melior sit conditio possidentis, iniquum est ut Rex qui pacificè Regnum aut Ditionem aliquam possidet, in paritate opinionum utrimque probabilium, & longè magis si jus ipsius probabilioribus momentis oritur, ex sua possessione vi dejiciatur.

REGULA XXVIII.

In Sacramentorum Administratione sequi non licet minùs probabilem opinionem relictâ probabiliori.

MInister namque se exponeret periculo irritum faciendi Sacramentum. In re verò tanti momenti exponere se periculo errandi, gravissimum peccatum est. Non solùm enim contra caritatem, sed maximè contra reverentiam Sacramento debitam peccatur. Unde hæc Propositio ab *Innocentio XI.* Pontifice Maximo inter alias damnata est: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc Sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis aut Episcopalis.* De opinione minus probabili in Sacramentorum administratione non sequenda. Propositio damnata.

REGULA XXIX.

In Administratione Sacramenti Pœnitentiæ, non licet Sacerdoti minùs probabilem opinionem sequi relictâ probabiliore & tutiore: Nec tenetur judicium suum accommodare opinioni minùs probabili Pœnitentis: Imò graviter peccaret, ac Ministerium suum proderet, si absolveret Pœnitentem minùs probabilem opinionem secutum, & in ea perseverantem.

SAcerdos enim Pœnitentiæ Sacramentum administrans, Judex est, & Sacramentalis Absolutio est *Actus Judicialis*, ut à Tridentina Synodo definitum est: & ad Sacerdotem Pœnitentiæ Ministrum spectat discernere inter lepram & lepram, & Pœnitentem solvere vel ligare, eique pro modo culpæ Pœnitentiam injungere. Judex autem probabiliorem opinionem sequi tenetur. Ac si accommodare se deberet Sententiæ Pœnitentis, & absolvere minùs probabilem opinionem secutum, non fungeretur ampliùs Judicis officio: sed Pœnitens ipse conscientiæ suæ Judex esset in Pœnitentiæ tribunali; & eligeret pro arbitrio suo Sententiam ligantem vel solventem. Nam cum Sacerdos judicat esse restituendum, negotiationem dimittendam, votum adimplendum, occasionem peccati relinquendam, aut quid simile, statim objiciet Pœnitens, favere sibi opinionem probabilem secundùm quam id præstare minimè tenetur. Unde in foro animæ Judex non errans sequi cogetur errantis Rei Judicium, non Reus Judicium Sacerdotis; & in terra solvere, quem ligatum novit in cœlo, (quod absurdum est.) Et Pœnitens propterea erit Absolutione dignus, quia præter peccati maculam habet etiam erroris contumaciam, & peccandi propositum cum isto semper errore conjunctum: Quod rursùs absurdum. Sess. XIV. cap. VI.

Præterea, Medicus opinionem minùs probabilem, relictâ probabiliore secutus, graviter peccat; nec se accommodare tutâ conscientiâ potest opinioni infirmi volentis uti remedio probabiliùs nocituro, quàm profuturo. Sacerdos porrò Minister Pœnitentiæ Medicus est spiritualis animæ, secundùm illud S. Gregorii Nazianzeni: *Divinæ Animarum Medicinæ nos Ministri & adjutores sumus, quicunque aliis præsidemus.* Ipsi ergo non licet minùs probabilem opinionem sequi, nec tenetur Judicium suum accommodare opinioni

opinioni minùs probabili Pœnitentis : cùm salutis animæ major habenda sit cura, quàm salutis corporis : adeóque magis sit reus, qui occidit animam indulgendo cupiditati peccatoris, quàm qui occidit corpus indulgendo voluntati ægroti : Siquidem mors æterna longè magis timenda est quàm temporalis, dicente Christo Matth. x. *Nolite timere eos qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere; sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.*

REGULA XXX.

Non licet Theologo consilium dare secundùm opinionem quæ ipsi minùs probabilis, minúsque tuta videtur.

An consilium dare liceat secundùm opinionem minùs probabilem?

PEccaret enim contra charitatem, & concupiscentiæ faveret contra Legem Dei. Unde sicut illicitum est in rebus temporalibus, ubi vel de vita tuenda, vel de bonis fortunæ agitur, præbere proximo consilium ipsius sanitati, aut rebus probabiliùs nociturum quam profuturum : ita, & multò magis illicitum est Theologo in rebus animæ, & salutis æternæ, consilium dare secundùm opinionem minùs probabilem minúsque tutam. A quo enim petitur consilium? A Theologo, ab Animarum Rectore, qui Christi hac in parte personam gerit : Quia *Magister noster unus est Christus.* Qui loqui cum hominibus debet, *Tanquam Deo per ipsum exhortante, & per exhortationem quâ exhortatur & ipse à Deo*, ut loquitur S. Paulus, Cui unus esse scopus debet, ut homines à noxiis cupiditatibus abstrahat, *Ne configurentur prioribus ignorantiæ suæ desideriis; sed vivant secundùm eum qui vocavit eos Sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti sint*, ut ait S. Petrus : unum lumen Verbum divinum, *Cui attendere debet tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco*, ut ait idem Apostolus: una fiducia in Summo Pastore, cui rationem villicationis suæ redditurus est, nisi possit cum S. Paulo dicere : *Non subterfugi quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei.* Quis petit consilium? Christianus, *Jam non sibi vivens, sed ei qui pro ipso mortuus est* : Qui *carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigere* debet : Qui Pastoris sui Christi vocem audire unicè vult, & non alieni : qui unius Christi vestigiis debet insistere, & *sicut ille ambulavit, ita ambulare* : Qui unam cupit inire *Viam, arctam* illam scilicet, quæ *ducit ad vitam* : Qui *Non ea quæ videntur contemplari* debet, *sed quæ non videntur* : Denique qui *imprudens* esse non vult, sed intelligere *quæ sit voluntas Dei*, ut ei suam voluntatem accommodet. His verò Theologi, & hominis Christiani dotibus repugnat, ut ex opinione minùs probabili & minùs tutâ consilium detur : maximè cùm agatur illius, qui consulit, æterna salus, quem pravum fortè consilium in æternum exitium aget præcipitem; nec modò consulentis, sed ejus qui consulitur, qui si alium in foveam impulerit, haud dubiè in eamdem ipse corruet. Nec enim mendax esse potest Veritatis oraculum : *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*

Matth. 23. 10.
2. Cor. 5.
1. Petr. 1.
Act. 20.
2. Cor. 5.
Galat. 5.
Joann. 10.
1. Joann. 2.
Matt. 7.
2. Cor. 4.

Hanc Regulam confirmat præclara *S. Ambrosii* Sententia Epistolâ LXXII. ad Vercellensem Ecclesiam. *Hoc est* (inquit) *consilium Dei habere, explorare diligenter omnia, & quæ meliora sunt, suadere: quæ tutiora, demonstrare.*

Propositiones damnandæ

Ex his patet quàm damnandæ sint illæ Propositiones, à Cleto etiam Gallicano reprobatæ & notatæ : *Licet consultori consilium dare secundùm eam opinionem, quæ ipsi minùs probabilis minúsque tuta videatur.*

Si quis sibi vult consuli secundùm eam opinionem, quæ sit faventissima; peccat qui non secundùm eam consulit.

Potest etiam ad libitum consulere, modò secundùm unam, modò secundùm aliam Sententiam, dummodo caveat ne incurrat levitatis notam.

Qui illas probant, & ad praxim revocant pru-dentiam carnis sequuntur.

Quæ postrema Propositio iis tantùm probari potest, ab iisque ad praxim revocari qui sapientiam carnis, non sapientiam Christi sectantur, ut docet Apostolus II. ad Corinthios I. *Nunquid levitate usus sum? Aut quæ cogito, secundùm carnem cogito, ut sit apud me* EST *&* NON? *Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo* EST *&* NON. *Dei enim Filius Jesus-Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & Silvanum, & Timotheum, non fuit* EST *&* NON, *sed* EST *in illo fuit.*

At plerisque secùs videtur, dicet aliquis : *Quid verò mea interest, qui Christi veritatem magis curo? Hoc enim vel me condemnaverit, vel absolverit; hoc miserum vel beatum reddiderit. At quid aliis videatur, nihil ad nos, quemadmodum neque alienum somnium*, (inquit *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione XXVI.)

REGULA XXXI.

Non licet varios adire Doctores seu Casuum Arbitros ea intentione ut ex eorum opinionibus ea eligatur, non quæ probabilior & tutior, sed quæ commodior visa fuerit.

De Probabilium quæsitoribus.

QUid enim aliud est tenebrosus ille oculus cordis, qui totum corpus tenebrosum facit, quàm illa intentio animi non veritatem & voluntatem Dei inquirentis, sed cupiditatis suæ securitatem? Hujus exemplum insigne in *Balaam* exhibet Scriptura Sacra, *Numer.* XXII. *Balac* Rex Moabitarum miserat viros, qui *Balaam* ad maledicendum Populo Dei conducerent. Monetur ille divinitus ne impio Regi obtemperet : Oratores redeunt re infectâ. At Rex qui magni referre censebat ut veniret *Balaam*, ac Populo Dei imprecaretur, plures mittit, & cum amplioribus muneribus. Quibus id responsi dedit Balaam : *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus loquar vel minùs loquar.* Recta videri poterat *Balaami* intentio, si verborum ipsius superficies consideretur, cùm se nulla re ab officio dimoveri posse significet. Et tamen quia occultâ quadam avaritiâ Dei mandatum ad suam cupiditatem inflectere voluit, iteratis ad eum precibus : *Ibi se victum cupiditate monstravit, ubi loqui sibi Dominum de hac re iterum voluit; de qua ejus jam cognoverat voluntatem. Proinde Dominus videns ejus cupiditatem captam devictámque muneribus, permisit eum ire, hoc ipso confundens illius dementiam, quod prohibitionem Dei transgredi asina non auderet, quam ille cupiditate transgredi conaretur, quamvis eamdem cupiditatem timore supprimeret... Cur post illum permissionem Dominum iterum non consulit, & post illam prohibitionem iterum consulendum putavit, nisi quia ejus maligna cupiditas apparebat, quamvis timore Domini premeretur?* Verba sunt *S. Augustini*, Quæstione XLVIII. in *Numeros*. Qui novos subinde Casuum Arbitros adeunt, donec aliquem inveniant, qui ipsis ad libitum respondeat, & cujus doctrina illorum faveat cupiditati, in viam Balaam abeunt, & in errorem non minùs inducuntur quàm ille. *Pluit enim & pluet semper Deus*

Psal. 10. Lib. 1. Confess. C. 10.

super peccatores laqueos, ut ait Propheta: & *Lege infatigabili spargit pœnales cœcitates super illicitas cupiditates*; (ait S. *Augustinus*.) De hujusmodi hominibus veritatem & legem Dei non exquirentibus, sed suæ fomenta cupiditatis, & excusationes in peccatis, jure merito dici potest, quod *Isaias* de Judæis ait Cap. XXX. *Populus ad iracundiam provocans est, & filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus: Nolite videre; & aspicientibus: Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie nostra Sanctus Israël.* Hi *Coacervant sibi Magistros prurientes auribus, & à veritate auditum avertunt*, ut loquitur Apostolus.

Plures Doctores adire, plures casuum arbitros consulere laudabile fuerit, si id fiat studio cognoscendæ veritatis, & vitandi erroris, exquirendæque Sententiæ quæ Legi Dei ac voluntati consentanea sit. Ut enim ait *Lactantius* Libro III. *Institutionum*, Cap. VII. *Quoniam in disponendo vitæ statu, formandisque Moribus, periculo majori peccatur; majorem diligentiam adhiberi necesse est, ut sciamus quomodo oporteat nos vivere. Illic enim potest venia concedi; quia sive aliquid dicunt, nihil prosunt; sive delirant, nihil nocent: hic verò nullus dissidio, nullus est errori locus. Omnes unum sentire oportet, ipsámque Philosophiam uno quasi ore præcipere; quia si quid fuerit erratum, vita omnis evertitur.* Studiis omnibus enitendum est, ut veritatem Mandatorum Dei cognoscamos, quia Cives sumus aut esse debemus illius Civitatis, *cujus Rex veritas, cujus lex caritas, cujus modus æternitas*; (inquit *S. Augustinus* Epistola CXXXVIII. aliàs V. ad Marcellinum.) Quamobrem solicitè *Excubandum* esse monet idem S. Doctor Libro XXII. *De Civitate Dei*, Cap. XXIII. *Ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebræ alicujus erroris offundant, ne quod bonum est malum, aut quod malum est bonum esse credatur, ne ab his quæ agenda sunt metus revocet, ne in ea quæ agenda non sunt, cupido præcipitet.*

REGULA XXXII.

Peccatum ex genere veniale, fieri potest mortale ex affectu & dispositione peccantis, & similiter mortale ex genere interdum veniale esse potest.

Quo modo peccatum ex genere suo veniale possit fieri mortale, vel mortale veniale?

VEniale peccatum tripliciter dici notat *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione LXXXVIII. Articulo II. Primò dicitur veniale ab eventu, quia veniam est consecutum: quo sensu *S. Ambrosius* Libro *De Paradiso*, Cap. XIV. ait: *Veniabilis culpa, quam sequitur professio delictorum.* Alio modo dicitur veniale ex causa, quia non habet in se unde veniam non consequatur vel ex toto, vel ex parte: ex toto, cùm non tollit ordinem ad ultimum finem; ex parte cùm aliquid in se habet minuens culpam, ut cùm fit ex infirmitate vel ignorantiâ. Tertio modo dicitur veniale ex genere, id est, ex objecto. *Cùm enim voluntas fertur in aliquid, quod secundùm se repugnat charitati, per quam homo ordinatur in ultimum finem, illud peccatum ex suo objecto habet quòd sit mortale: unde est mortale ex genere, sive sit contra dilectionem Dei, sicut blasphemia, perjurium, & hujusmodi; sive contra dilectionem proximi, sicut homicidium, adulterium & similia. Unde hujusmodi sunt peccata mortalia ex suo genere. Quandoque verò voluntas peccantis fertur in id quod in se continet quamdam inordinationem, non tamen contrariatur dilectioni Dei & proximi: sicut verbum otiosum, risus superfluus, & alia hujusmodi; & talia sunt peccata venialia ex suo genere.* Sed quia morales actus non solùm ex objecto, sed etiam ex dispositione agentis, ex fine, & circumstantiis, boni vel mali sunt & censentur; *Contingit quandoque, id quod est peccatum veniale ex genere, ratione sui objecti, esse mortale ex parte agentis, vel quia in eo finem ultimum constituit, vel quia ordinat ipsum ad aliquid quod est peccatum mortale ex genere, putà, cùm aliquis ordinat verbum otiosum ad adulterium committendum, similiter etiam ex parte agentis contingit, quòd aliquod peccatum ex suo genere mortale, fit veniale, propter hoc quòd actus est imperfectus, id est, non deliberatur ratione.*

Tria venialium peccatorum genera.

Hinc tria peccatorum venialium genera vulgò distinguuntur. Quædam venialia sunt ex genere, illa scilicet quæ secundùm se spectata habent pro objecto rem levem, ut verbum otiosum, mendacium jocosum, risus solutior.

Alia sunt venialia ex levitate materiæ, quæ scilicet mortalia revera essent, nisi in re aliqua parvi momenti committerentur, ut furtum rei exigui pretii, detractio levis, & similia. Nullum tamen in materia infidelitatis, aut impudicitiæ leve peccatum est, seu veniale, si ratione plenè deliberatâ committatur.

Alia sunt venialia ex imperfectione actûs, ut motus vel actus repentini circa objectum mortaliter malum, quibus vel in se, vel in suâ causâ præcedente, voluntas aliquo modo consentit, sed imperfectè, sive propter considerationem & animadversionem rationis non satis plenam, sive propter imperfectum libertatis usum actualem, sicut semidormientibus, seu non plenè à somno excitatis accidit, ac interdum etiam vigilantibus, dum ex improviso moventur ad infidelitatem, ad odium, ad invidiam, ad libidinem, aut ad alia peccata mortalia, quibus deliberatâ ratione non consentiunt. *Primus enim motus sensualitatis non habet quòd sit peccatum, nisi in quantùm judicio rationis reprimi potest*: (inquit S. Thomas Secunda Secundæ, Quæstione CLIV. Articulo V.) *& ideo sublato judicio rationis, tollitur ratio peccati.* Porrò ut idem docet Quæstione VII. *De Malo*, Articulo VI. ad sextum: *Quando motus illicitus est in sensualitate, tripliciter se potest ad ipsum habere ratio. Uno modo sicut resistens, & tunc nullum est peccatum, sed est meritum coronæ. Aliquando autem se habet ut imperans, putà, cùm ex proposito motum concupiscentiæ illicitum excitat: tunc si sit illicitum in genere peccati mortalis, erit peccatum mortale. Aliquando autem se habet ut neque prohibens, neque imperans, seu consentiens: & tunc est peccatum veniale*: si tamen non sit probabile periculum consensûs, nec illud ratio advertat. Potest itaque id quod est *ex genere mortale*, esse veniale *propter imperfectionem actus, quia non perfectè pertingit ad rationem actus moralis, cùm non sit deliberatus, sed subitus* (inquit idem S. Thomas Prima Secundæ, Quæstione LXXXVIII. Articulo VI.)

Cùm ergo aliquis ut primùm advertit pravum aliquem motum vel appetitum, statim eum repellere conatur, statim improbat, execratur, aut se ita sentit affectum, ut mori mallet quam peccato consentire, vel illud opere perpetrare, indicium est ipsum deliberatâ omnino ratione hujusmodi motui vel actui non consensisse: sicut & cùm dubitat an turpem delectationem dormiens passus sit, an vigilans. Verùm cùm attendit ratio, nec positivè resistit, sed quasi negativè se habet, consentire censenda est, ut docet *S. Thomas*, Quæstione XV. *De Veritate*, Articulo IV. ad decimum: *Antequam* (inquit) *ratio delectationem*

tionem perpendat, vel nocumentum ipsius, non habet interpretativum consensum, etiamsi non resistat. Sed quando jam perpendit ratin de delectatione insurgente, & de nocumento consequente, nepotè cùm percipit homo se totaliter per hujusmodi delectationem in peccatum inclinari, & in pracept ruere, nisi expressè resistat, videtur consentire.

REGULA XXXIII.

Peccata qua in Scriptura Sacra d'enutur execranda, Deo exosa, excludere à Regno Dei, esse digna morte, aut quibus dicitur VÆ, mortalia sunt: qua verò verbis mitioribus notantur vel reprehenuntur, sunt venialia.

Quo modo mortalia & venialia peccata dignosci possint?

PRioris generix habemus exempla, Levitici XXIV. *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Proverb. VI. *Sex sunt qua odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus: oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias.* Isaiæ V. *Va qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, usque ad terminum loci.... Va qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandum, & potandum, usque ad vesperam, ut vino astuetis... Va qui dicitis malum bonum, & bonum malum: Ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: Ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Va qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Va qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Qui justificas impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo.* Ezechielis XVIII. de homine contristante egenum & pauperem, uxorem proximi sui polluente, aut bona rapiente, pignus non reddente, ad idola oculos suos levante, abominationem faciente, ad usuram dante, & ampliùs accipiente, id est, aliqoid ultra sortem ratione mutui exigente, dicit Deus: *Non vivet. Cùm universa hac detestanda fecerit, morte morietur.*

Ad Romanos I. *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum: in immunditiam; ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis...., Nam femina eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem & masculi relicto naturali usu femina, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea qua non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Qui cùm justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

1. Ad Corinthios VI. *An nescitis quia iniqui Regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei possidebunt.*

Ad Galatas V. *Manifesta sunt opera carnis; qua sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitia, contentiones, amulationes, ira, rixa, dissensiones, secta, invidia, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, qua pradico vobis, sicut pradixi: Quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.*

Ad Ephesios V. *Hoc scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in Regno Christi & Dei.*

Apocalypsis XXI. *Timidis, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure: quod est mors secunda.*

Posterioris generis exempla habemus Proverbiorum X. *In multiloquio non deerit peccatum.* Matt. XII. *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicii.* 1. ad Corinthios VII. *Revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Ex quibus locis constat, multiloquium, verbum otiosum, accessum ad propriam uxorem solâ delectationis causâ, non verò intentione suscipiendæ prolis, esse quidem peccata, sed leviora, & venialia; quoniam Scriptura Sacra de illis mitiùs loquitur quàm de moralibus.

REGULA XXXIV.

Peccata mortalia censenda sunt, qua vel à Sanctis Patribus, vel à Theologis doctrinâ & pietate insignibus, unanimi consensu, mortalia censentur & asseruntur: venialia verò, qua ab eisdem venialium numero & loco habentur.

Quo modo mortalia & venialia peccata dignosci possint?

TAntum enim pondus est auctoritatis Patrum in aliquo dogmate consentientium, sive illud fidem, sive morum disciplinam spectet, ut qui ab illis dissenserit, erroris, profanæque novitatis, convincatur. Testes enim sunt Traditionis, quæ verbum Dei est non scriptum, ac proinde Regula Morum altera post Scripturam Sacram. Patribus ergo *Hac lege credendum est* (inquit *Vincentius Lirinensis* in Commonitorio) *ut quicquid vel omnes, vel plures, uno eodémque sensu, manifestè, frequenter, perseveranter; velut quodam consentiente sibi Magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratóque habeatur.* Atque in Quæstionibus Moralibus, non minùs quàm in Fidei controversiis, operam dare debet Theologus, *Ut collatas inter se Majorum consulat interrogétque sententias, eorum dumtaxat, qui diversis licèt temporibus & locis, in unius tamen Ecclesia Catholica communione & fide permanentes, Magistri probabiles extiterunt: & quicquid non unus aut duo tantùm, sed omnes pariter uno eodémque consensu, apertè, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum* (ait idem *Vincentius Lirinensis* in Commonitorio.)

Theologorum verò omnium, aut certè plurimorum, sanctiorum & doctiorum consensus in alicujus assertione dogmatis, etsi longè minoris ponderis sit quàm auctoritas Patrum aliquid conspirante magisterio asserentium, tanti nihilominus est momenti, ut qui ab iis dissenserit, notam temeritatis non effugiat. Unde *Clemens V.* in Concilio Viennensi, ut habetur in Clementina *De Summa Trinitate & Fide Catholica*, opinionem

Dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologia magis consonam & concordem, tamquam probabiliorem, Sacro approbante Concilio duxit eligendam. Quamobrem mortale peccatum aut veniale duntaxat nemo esse dubitet, quod Theologi omnes, aut certè plurimi, sanctiores, atque doctiores inter peccata mortalia, aut venialia numerant. Sic violationem Jejunii Ecclesiastici, & omissionem Sacri Dominicis ac Festis diebus peccata esse mortalia; diebus autem jejunii comestionis horam paululum anticipare, id est, paulò ante meridiem comedere, & diebus Festis modicam partem Sacri omittere, peccata venialia censent Theologi: quorum in sententia est acquiescendum.

REGULA XXXV.

Naturalis etiam ratio plurimùm conducit ad judicandum quæ mortalia, quæ venialia peccata sint.

De mortalibus & venialibus peccatis dignoscendis.

HÆc enim mentis lumen est à Deo super nos signatum, quo in agendis non minùs quàm in cognoscendis rebus dirigimur: sed cùm obnoxia sit errori, nisi divino lumine & adjutorio illustretur ipsa & dirigatur, certas Regulas sequi debet à Christianæ Moralis Interpretibus, docente intus Veritate, traditas, quibus cognoscitur quæ mortalia tantùm, quæ venialia peccata sint. Attendendum est inprimis quæ peccata graviter lædant caritatem Dei vel proximi, quæ leviter solùm: illa quippe mortalia, hæc venialia peccata sunt. *Omnes enim offendimus, sed unus graviùs, alius leviùs, quantò quisque graviùs leviùsve peccaverit: tantò in peccato committendo major, quantò in diligendo Deo & proximo minor: & rursus tantò minor in peccati perpetratione, quantò major in Dei & proximi dilectione. Tantò itaque plenior iniquitatis, quantò inanior caritatis;* (inquit S. Augustinus Epistola CLXVII. alias XXIX.) Deinde materiæ quantitas expendenda, sit ne magna vel parva, gravioris aut minoris momenti. Tertiò, considerandum an peccatum ex genere suo mortale sit, aut veniale. Quartò ponderenda verba legis vel præcepti, an severè præcipiat, an gravem pœnam statuat in transgressores; an legislatoris vel præcipientis intentio fuerit in hoc vel illo casu graviter obligare. Sic enim grave peccatum esse judicandum est, dicere proximo *Fatue*, animo contemnendi & conviciandi, quia Christus *Reum gehennæ ignis* pronuntiavit, *qui dixerit fratri suo, Fatue.* Sic peccata mortalia judicantur violationes Præceptorum Ecclesiasticorum, quibus Excommunicationis, aut alterius Censuræ pœna adjuncta est. Examinandum est quintò an peccatum sit commissum deliberatè, vel indeliberatè: cùm enim *Adeo peccatum voluntarium sit malum, ut nullomodo sit peccatum, si non sit voluntarium*, & hoc ita manifestum sit *ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat; aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi.* (inquit S. Augustinus, Libro *De Vera Religione*, Cap. XIV.) Et Libro III. *De Libero Arbitrio*, Cap. XVIII. *Quæcunque* (inquit) *ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur: si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergo caveat ne fallatur. An tanta fallacia est ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem, caveri igitur potest.* Quod igitur plena deliberatione non committitur peccatum, quamvis ex genere suo mortale sit, veniale tantùm est; nullum verò peccatum, cùm nulla est omnino deliberatio, nullus voluntatis consensus, aut negligentia.

REGULA XXXVI.

Quædam sunt peccata, de quibus accuratè & certè judicari non potest an mortalia, an verò alia tantùm peccata sint. Unde prudens Theologus, & conscientiarum Moderator judicium de his suum suspendet, nec audacter dicet: Hoc mortale, istud veniale tantùm peccatum est, nisi Scriptura Sacra, vel Sanctorum, aut Ecclesiæ Auctoritate fulciatur.

De mortalibus & venialibus peccata dignoscenda.

NAm, ut scribit *S. Augustinus*, Enchiridii Cap. LXXVIII. *Quæ sint levia, quæ gravia peccata, non humana, sed divino sunt pensanda judicio. Videmus enim quædam ab ipsis quoque Apostolis ignoscendo fuisse concessa: quale illud est, quod venerabilis Paulus conjugibus ait:* « Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; & iterum ad idipsum estote, ne vos tentet Satanas propter incontinentiam vestram. » 1. Cor. 7. *Quod putari posset non esse peccatum, misceri scilicet conjugi non filiorum procreandorum causâ, quod bonum est nuptiale; sed carnalis etiam voluptatis, ut fornicationis, sive adulterii, sive cujuscunque alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quo potest tentante Satana libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset*, « Hoc autem dico secundùm veniam, non secundùm imperium. » 1. Cor. 6. *Quis autem jam esse peccatum neget, cùm dari veniam facientibus Apostolica auctoritate, fateatur? Tale quiddam est ubi dicit*, « Audet quisquam vestrûm adversùs alterum negotium habens judicari apud iniquos, & non apud Sanctos? » *Et paulo post*: « Sæcularia igitur judicia si habueritis, *inquit*, eos qui contemtibiles sunt in Ecclesia hos collocate. Ad reverentiam vobis dico: sic non est inter vos quisquam Sapiens qui possit inter fratrem suum judicare; sed frater cum fratre judicatur, & hoc apud Infideles. » *Nam & hic posset putari judicium habere adversùs alterum non esse peccatum, sed tantummodo id extra Ecclesiam velle judicari, nisi adjungeret*, « Jam quidem omnino delictum est, quia judicia habetis vobiscum. » *Et ne quisquam hoc ita excusaret, ut diceret justum se habere negotium, sed iniquitatem se pati, quam vellet à se Judicum Sententiâ removeri; continuò talibus cogitationibus vel excusationibus occurrit, atque ait*: « Quare non magis iniquitatem patimini? Quare non potiùs fraudamini? » *Ut ad illud redeatur, quod Dominus ait*, « Si quis voluerit tunicam tuam tollere, & judicio tecum contendere, dimitte illi & pallium. » Matt. 5. *Et alio loco*: « Qui abstulerit, *inquit*, tua, noli repetere. » Lucæ 6. *Prohibuit itaque suos de sæcularibus rebus cum aliis hominibus habere judicium: ex qua doctrina Apostolus dicit esse delictum. Tamen cùm finit in Ecclesia talia Judicia finiri inter fratres fratribus judicantibus; extra Ecclesiam verò terribiliter vetat; manifestum est etiam hic quid secundùm veniam concedatur infirmis. Propter hæc atque hujusmodi peccata, & alia, licèt iis minora, quæ fiunt verborum & cogitationum offensionibus, Apostolo Jacobo confitente ac dicente*, « In multis enim offendimus omnes, » Jacobi 3. *oportet ut quotidie crebròque oremus Dominum, atque dicamus*: Dimitte nobis debita nostra. *Sunt autem quædam quæ*

levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo, Fatue, reum gehenna putaret, n si Veritas diceret? .... Aut quis æstimaret quàm magnum peccatum sit, dies observare, & menses, & annos, & tempora, sicut observant qui certis diebus sive mensibus sive annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, eò quod secundum vanas doctrinas hominum fausta vel infausta existiment tempora; nisi hujus mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait, TIMEO *vos, ne fortè sine causa laboraverim in vobis.*

Et Libro XXI. *De Civitate Dei*, cap. XXVII. *Quæ sint ipsa peccata, quæ ita impediunt perventionem ad Regnum Dei, ut tamen sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum est invenire, periculosissimum definire. Ego certè usque ad hoc tempus, cùm inde satagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui. Et fortassis propterea latent, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat. Quoniam si scirentur quæ vel qualia sint delicta, pro quibus etiam permanentibus nec profectu melioris vitæ absumptis intercessio sit inquirenda & speranda justorum, eis secura se obvolveret humana segnities, nec evolvi talibus implicamentis ullius virtutis expeditione curaret, sed tantummodo curaret aliorum meritis liberari, quos amicos sibi de mammona iniquitatis eleemosynarum largitione fecisset.* Et Lib. II. *De Baptismo contra Donatistas*, cap. VI. *Non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio nostro dicentes: Hoc grave est, & illud leve: Sed afferamus divinam stateram de Scripturis Sanctis, & in illis appendamus, immò appensa à Domino cognoscamus.*

Docet denique *S. Thomas* Quodlibeto IX. A. XV. *Quòd omnis quæstio in qua de peccato mortali quæritur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur: Quia error quo non creditur esse peccatum mortale quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licèt forsè à tanto. Error verò quo creditur esse mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale. Præcipuè autem periculosum est, ubi veritas ambigua est.*

Hinc Vaurense Concilium, Anno MCCCLXVIII. ait: *Neque enim Confessor debet esse promptus ad facile judicandum de aliquo, quod sit mortale peccatum, nisi sit in dictis Scriptura, vel Sanctorum Patrum expressum.*

REGULA XXXVII.

In Judicio de mortalibus & venialibus peccatis ferendo, non est habenda ratio consuetudinis, sed Legis Dei, adversus quam nihil præscribere potest; vel Legum Ecclesiasticarum quæ non suâ diuturnâ & præscriptâ consuetudine, Ecclesiæque tacito quodam consensu abrogatæ.

De mortalibus & venialibus peccatis dignoscendis.

NAm *Peccata quædam*, (inquit *S. Augustinus*, cap. LXXX. Enchiridii) *Quamvis magna & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur; usque adeo ut non solùm non occultanda, verùm etiam prædicanda ac diffamanda videantur, quando, sicut scriptum est,* Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit, benedicitur.... *Ita multa mala in apertam consuetudinem jam venerunt, ut pro his non solùm excommunicare aliquem Laïcum non audeamus, sed nec Clericum degradare. Unde cùm exponerem ante aliquos annos Epistolam ad Galatas, in eo ipso loco ubi dicit Apostolus,* Timeo vos

Psalm. 10. 3.

ne fortè sine causa laboraverim in vobis, *exclamare compulsus sum:* VÆ PECCATIS *hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus: usitata verò, pro quibus abluendis Filii Dei sanguis effusus est, quamvis tam magna sint, ut omnino claudi contra se faciant Regnum Dei, sæpe videndo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur. Atque utinam, ò Domine, non omnia quæ non potuerimus prohibere, faciamus.*

Et Lib. III. *Contra Epistolam Parmeniani*, cap. II. *An forte* (inquit) *parva sunt ista crimina, & parvi æstimanda? Solent enim isti etiam hoc dicere, pensantes ea non in statera aqua divinarum Scripturarum, sed in statera dolosa consuetudinum suarum. Quidquid enim sceleris & iniquitatis inebriat multitudinem, amittit examinis veritatem. Sed ideo sunt tanquam sincerissimum speculum proposita hominibus oracula cœlestium Paginarum, ut ibi quisque videat quodlibet peccatum quantum sit, quod fortè magnum est, & malè viventium cæco more contemnitur.*

Confirmatur ex Canone VII. Concilii Lateranensis III. sub Alexandro III. *Cùm* (inquit) *in Ecclesiæ corpore omnia debeant ex caritate tractari, & quod gratis receptum est, gratis impendi: Horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut pro Episcopis, vel Abbatibus, seu quibuscunque Personis Ecclesiasticis ponendis in Sede, seu introducendis Presbyteris in Ecclesiam, necnon pro Sepulturis & Exequiis Mortuorum, & Benedictionibus Nubentium: seu aliis Sacramentis aliquid exigatur: & ille qui indiget, non possit ista percipere, nisi manum implere curaverit largitoris. Putant plures ex hoc sibi licere, quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine arbitrantur: Non satis, quia cupiditate excæcati sunt, attendentes, quòd tantò graviora sunt crimina, quantò diutius animam infelicem tenuerint alligatam.*

Denique, ut ait *S. Bonaventura* in Opusculo *De Processu Religionis* cap. XXVIII. *Cum Deo disputare velle, stultum est, & quasi velle convincere eum, ut non debeat judicare hoc esse peccatum mortale, quod nostra opinio non vult pro mortali habere. Sua ex stimat e est Regula justitiæ infallibilis, non nostra angulosa opinio, quam nostram conscientiam appellamus. Solis radius nunquam facit angulum, semper directè in opposita sibi ferit, sive in nobis appareat, sive aliter existimemus.*

REGULA XXXVIII.

Peccatum quod ex genere suo veniale est, potest fieri mortale, in quantum constituitur in eo finis, vel in quantum refertur ad mortale peccatum, sicut ad finem.

ITa docet *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæst. LXXXVIII. A. IV.

REGULA XXXIX.

Nulla circumstantia peccatum ex genere suo veniale ad mortalis peccati genus transferre potest, si maneat in circumstantiarum ordine.

ITa docet *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæst. LXXXIII. A. V. Cùm enim circumstantia sit accidens actûs humani, ipsum ad aliud genus trahere non potest, nisi circumstantiæ rationem amittat, alteriúsque generis addat deformitatem.

Quo modo peccatum ex genere veniale, ad genus peccati mortalis transferri possit?

Sicut cùm aliquis accedit ad non suam, est actus deformis deformitate opposità castitati: Sed si accedat ad non suam, quæ est alterius uxor, additur deformitas opposita justitiæ contra quam est ut aliquis usurpet rem alterius; quâ ratione hujusmodi circumstantia constituit novam speciem peccati, quæ dicitur adulterium. Peccati porro venialis deformitas posita est in perversione ordinis mediorum, seu in nimia adhæsione ad res quibus utendum est, ita tamen ut fini ultimo, scilicet Deo, nunquam præponantur; Mortalis autem peccati perversitas posita est in eversione ordinis ad ipsum ultimum finem: seu in fruitione rerum quibus utendum est, quasi finis ultimus essent. Quamobrem circumstantia ex veniali peccato facere mortale non potest, quandiu circumstantia manet: sed solùm cùm actum mortalem transfert in aliam speciem, & alterius generis deformitatem afferens, fit quodammodo specifica differentia moralis actûs.

REGULA XL.

Diuturnitas non est circumstantia trahens actum moralem ad aliud genus peccati, similiter nec frequentia vel assiduitas, nisi ex accidenti, & ratione alicujus deformitatis adventitiæ.

» NOn enim, (inquit *S. Thomas*) actus acquirit novam speciem ex hoc quòd multiplicatur, vel protelatur, nisi fortè in actu protelato vel multiplicato superveniat aliquid quod variet speciem, ut *Inobedientia, vel contemptus, vel aliquid hujusmodi.*

Nec aliud colligi potest ex *S. Cæsario*, Sermone XXXVII. ubi peccata mortalia recensens, ait: *Et si longo tempore teneatur iracundia. & ebrietas si assidua sit, in eorum numero computatur.* Cùm enim ira sit motus animi ad nocendum proximo, *Si sit tale nocumentum in quod tendit motus iræ, quod ex genere suo sit peccatum mortale, sicut homicidium vel furtum: talis ira ex genere suo est peccatum mortale: Sed quòd sit peccatum veniale, habet ex imperfectione actûs, in quantum est motus subitus sensualitatis. Si verò sit diuturna, redit ad naturam sui generis per consensum rationis. Si verò nocumentum in quod tendit motus iræ, esset veniale ex genere suo, putà, cùm aliquis in hoc irascitur contra aliquem, quod vult ei dicere aliquod verbum leve & jocosum quod modicum ipsum contristet, non erit ira peccatum mortale, quantumcunque sit diuturna, nisi fortè per accidens, si ex hoc grave scandalum oriatur, vel propter aliquid hujusmodi.*

Quod ebrietatem spectat, mortale etiam ex genere suo peccatum est. *Quod enim homo absque necessitate reddat se impotentem ad utendum ratione, per quam in Deum ordinatur, & multa peccata occurrentia vitat, ex sola voluptate vini, expressè contrariatur virtuti. Sed quod sit peccatum veniale, contingit propter ignorantiam quandam vel infirmitatem, putà, cùm homo nescit virtutem vini, aut propriam debilitatem, unde non putat se inebriari: Tunc enim non imputatur ei ebrietas ad peccatum, sed solùm superabundantia potûs. Sed quando frequenter inebriatur, non potest per hanc ignorantiam excusari quin videatur voluntas ejus eligere magis pati ebrietatem, quàm abstinere à vino superfluo: Unde redit peccatum ad suam naturam.* Sic respondet *S. Thomas*, Quæstione & Articulo supra laudatis.

REGULA XLI.

Quæcunque peccata contra diversa Præcepta committuntur, non ideo diversa sunt genere.

PLura namque præcepta, vel idem sæpius repetitum, unam eandémque rem interdum præcipiunt aut prohibent sub una & eadem ratione. Sic furtum unum genere peccatum est, quamvis lege naturali & positiva, tam divinâ quàm humanâ sit prohibitum. Furtum rursùs & voluntas furandi, adulterium & voluntas illud committendi, non sunt peccata diversi generis: quamvis hæc Decalogi præcepta diversa sint, *Non furtum facies*; & *non concupisces uxorem proximi tui, non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa quæ illius sunt.* Diversa etiam præcepta Clericos Beneficia Ecclesiastica possidentes, & alios in Sacro aliquo Ordine constitutos ad Horarum Canonicarum recitationem obligant: nec tamen Sacerdos Beneficiarius peccata specie distincta committere censetur, si eas omittat. Sic qui violat Jejunium Sabbato quatuor Temporum coincidente cum Vigilia S. Matthæi, aut cum aliquo die Quadragesimali, non committit diversa peccata; quia licèt diversis præceptis ad jejunandum eâ die obligetur, illa tamen præcepta rem eandem jubent sub eadem ratione, & ad eandem virtutem pertinent. Idem esto judicium de illo qui Sacrum non audit die Dominica in quam alia Solemnitas cadit: Itemque de eo qui frangit votum eadem de re repetitum.

Unde oriatur diversitas peccatorum?

REGULA LXII.

Quando plura præcepta specialem ac distinctam habent cum recta ratione convenientiam, ita ut actum, qui præcipitur, ad virtutem specie diversam transferant, peccata quæ præceptis illis opponuntur, diversæ sunt speciei: Aut certè, si sit unicum, alterius speciei malitiam continet.

SIc adulterium à Viro Religioso commissum ad tres species pertinet, seu triplicis peccati maliciam includit, luxuriæ scilicet, quia mulierem cognoscit, quæ non est sua; injustitiæ, quia alienam; & sacrilegii, quia peccat contra votum quo Deo se consecravit, ac violatæ Religionis reus est. Ita furtum à Monacho commissum duplicis speciei malitiam habet; unam injustitiæ, quia rem alienam accipit ac retinet invito Domino; alteram violationis voti, quia contra paupertatem peccat, quam se perpetuò servaturum solemni voto promisit. Sic homicidium aut percussio Clerici duplicis generis deformitatem habet, injustitiæ nimirum, quia gravis injuria est proximo illata; & Religionis violatæ, cùm persona Deo sacra violetur. Quamobrem diversas illas deformitates in Sacramentali Confessione explicare omnino necesse est.

Unde oriatur diversitas peccatorum?

Diversæ ejusdem operis deformitates in Confessione explicandæ.

REGULA XLIII.

In iis qua non sunt mala, nisi quia prohibita lege aliquâ positivâ, peccata qaa contra diversa pracepta committuntar, specie diversa sunt.

RAtio enim cur decimas noo solvere sit peccatom iojustitiæ, cur intemperantiæ peccatum sit vesci carnibus diebus Jejunii, cur violenta sanguinis effusio in Ecclesia sit species sacrilegii, petenda est ex præceptis positivis, quorum unom jubet solvi decimas; aliud abstinentiam à carnibus; alterum reverentiam erga locum sacrum. Hinc Monachus qui speciale præceptum Superioris sui violaverit, duplicis peccati reus est: non solùm enim contra votum peccavit, sed etiam contra virtutem singularem ad quam pertinet præceptum Superioris. Idem esto judicium de illo qui non jejunat statâ per Ecclesiæ Constitutionem die, ac insuper à Confessario indictâ; quia primum præceptum ad virtutem temperantiæ, alterum ad Pœnitentiæ virtutem pertinet.

REGULA XLIV.

Distiacta sunt numero peccata, qaa circa objecta numero distiacta versaatur: nisi objecta illa se habeant ad modum unius, ita scilicet ut auam sit pars alterius, aut omnia unum aliquod totum ut partes constituant.

Quando in uno a3u plura sint numero peccata?

SI quis, exempli gratiâ, uno eodemque actu odio habeat, vel occidere velit tres homines; si unâ volontate velit non aodire Sacrum tribus Dominicis aut Festis diebus; vel tribos diebus Jejunio ex Ecclesiæ instituto dicatis non jejunate, trium peccatorum reos est, aut onius certè malitia triplici deformis. Similiter qui uno ictu plures percutit, aut conviciis appetit, qui unâ calomniâ, vel maledicto, pluriom honori vel famæ detrahit, tot reus peccatorum est, quot sunt personæ læsæ. Cùm enim peccata specie distinguantur ex objectis specie distinctis, numero etiam distingui ex objectis numero distinctis consequens est. Qaamobrem nomerum personatum, qoas aliquis percussit, aut probris, contumeliis, calumniis, maledictis affecit, exprimere in Confessione tenetur. Similiter qui mortem alicui, & toti ejus familiæ inferre meditatur, aut molitur, vel conceptum scelus opere perpetrat; tot teos homicidiorum est, quot sunt homines in ista familia. Quamvis enim Juris fictione una familia censeatur una persona, revera tamen plures personas complectitur. Unde sicut diversa specie peccata committeret, qui familiam unam estinguere vellet, ad quam pertinerent pater ejus & mater, & aliqui homines Laïci, alii Clerici: (Parricidii enim reus esset propter parentes; homicidii simplicis propter Laïcos; sacrilegii propter Clericos occisos;) Ita tot numero peccatorum reus est, quot homines ocidit, vel occidere voluit; percussit, aot percutere decrevit, sive conatus est; quot hominibus contumelias, calumnias, maledicta impegit vel irrogavit. Quia verò multæ partes domum unam constituunt, oves multæ gregem unum, variæ species aut partes pecuoiæ summam onam, variæ mensuræ tritici acervom unum, multi libri Bibliothecam unam: Combustio domûs onom numero peccatum est, deprædatio seu rapina gregis unum similiter peccatum, idemque censendum de furto unius sommæ pecuniæ, aut unius Bibliothecæ: Neqoe numerum partium domûs, ovium, singulas tritici mensuras, species singulas pecuniæ, numerum librorum, in Confessione exprimere necesse est, sed solùm damni illati quantitatem, pecuoiæ summam, gregis, tritici, vel Bibliothecæ pretium.

REGULA XLV.

Voluntas peccati cam acta exteriori conjancta, unum aamero peccatam est: Volantas autem ab acta exteriori separata est distinctum namero peccatum.

Quando voluntas & opus sunt unum numero peccatum, vel distincta peccata?

CUm enim nullo modo sit peccatum, nisi sit voluntarium, & malitia ex actu ioteriori voluntatis in actum externum refundatur, actus interior & exterior unum nomero peccatum censendi sunt, cùm simul sunt conjoncti, ut si quis occasione datâ furari velit, & furetur. Si verò voluntatis actus ab opere externo sejunctus sit, ut si quis mœchari volens, non statim mœchetur occasione deficiente, sed opportunitate datâ die sequenti libidinem expleat, duplex nomero peccatum est: *Quia volnatatis actas multiplicatur: Quando oaim actum explet exteriorem, etiam actam voluntatis iterat: & ideo oportet qaod fiat duo peccata, nea propter diversitatem actus interioris & exterioris, sed propter diversitatem daorum actuum interiorum.* Ita docet *S. Thomas*, in II. *Sententiarum*, Dist. XLII. Quæst. I. A. I.

Quando voluntas a tu... censetur est unus moraliter?

Unos autem moraliter voluntatis actos censetur, quando non est moraliter interruptus. Unde si qois priorem furandi vel fornicandi voluntatem retractavit, vel à priori molitione distractus & aversus, ad alia cogitanda vel agenda se convertit, & novâ deliberatinne, etiam post modicum tempus, ad idem objectum illicitè prosequeodum revertitur, distinctum numero peccatum est: verbi gratiâ, si quis visâ feminâ morosè delectetur, eamque delectationem sponte deserens, & ad alia intendens animum, eadem vel altera mox occurrente in peccati cogitatione rursùs delectetur, duplex peccatum est. Item si inter unum & alterum actum tantum temporis intercessit, aut impedimentum tale, ut nullam invicem connexionem vel ordinem habere Prudentis arbitrio censeantur, duplex numero peccatum est, sive cessatio à priori acto voluntaria fuerit, sive non. Ita si quis morosam delectationem, vel odium fraternum in animo gerens, somno corripiatur, à somno verò excitatus eamdem delectationem vel odium animo concipiat, duo morosæ delectationis, vel odii peccata committit.

Sed quid de illo censendum, qui manè ad occidendum inimicum, vel ad fornicandum profectus in itinere sæpius eam voluntatem iterat, nunc de peccato, quod animo concepit, nunc de aliis rebus cogitans, an plura peccata numero distincta committit? Minimè; Quia prima ejus volontas moraliter interrupta non fuit, sed virtute perseveravit in actione itinerandi eo fine susceptâ.

Similiter qui vult furari, & ea volontate conceptâ, statim iter conficit, scalam admovet, eam conscendit, domum ingreditur, arcam scrutatur, quod invenit furatur, unum nomero peccatum censetur commisisse, etiamsi voluntatem furandi io tota illa actionum serie sæpius iteraverit, quia volitiones illæ singulæ unus moraliter actus

existimantur, cùm prima furti voluntas non sit moraliter interrupta, sed in omnibus illis actionibus virtute perseveret.

Sic etiam plures actus ex ejusdem peccati voluntate profecti, atque ad illius consummationem ordinati, ad illud proximè disponentes, & cum eo connexi, unum peccatum non specie duntaxat, sed numero constituunt. Qui, verbi gratiâ, cum aliqua muliere fornicari constituit, utque ad eum explendæ libidinis suæ finem perveniat, blandè cum ea colloquitur, ipsam tangit, osculatur, amplectitur, tandémque fornicatur: unum numero peccatum fornicationis commisisse censetur, illudque unum in Confessione exprimere necesse est, non verò illa copulæ præludia. Alia ratio est de verbis obscœnis, osculis, aliisque tactibus impudicis fornicationem subsecutis: Cùm enim illa ad peccatum jam consummatum per se non sequantur, sintque magis novæ fornicationis inchoationes quædam quàm præcedentis appendices, plura sunt numero peccata, necessariò in Confessione exprimenda.

REGULA XLVI.

Voluntas perfecta & efficax peccatum aliquod committendi, quæ scilicet tota propensione fertur in opus, illud exequi parata, nisi facultas, aut opportunitas deesset, non minus peccatum est, quàm si cum opere externo conjuncta esset.

Peccata solius voluntatis interdum æquè gravia ac peccata operis.

TOta enim actus exterioris malitia derivatur à voluntate: Si ergo voluntas plenè deliberata sit & efficax, per eamque non stet quin sequatur opus externum quo peccatum consummatur, non minùs reum coram Deo constituit hominem: quamvis majora damna ex opere externo sequantur. Nam & damna hujusmodi ex peccato proditura velle censetur, quia ita est affectus ut peccatum opere consummare deliberato proposito velit. Tunc enim voluntas operi non deest, sed opus, sive illius exequendi potestas & opportunitas, voluntati. Opere quidem externo minimè secuto, non incurritur infamia, non restitutionis onus, non pœnæ Ecclesiasticæ, vel Civiles: Sed tamen coram Deo æquè reus est, qui sola voluntate sic affectâ peccat, æqualique supplicio damnandus, ac si opere externo peccatum consummasset. *Omnis* enim *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (inquit Christus *Matth.* v.)

Id confirmat *S. Augustinus* Lib. 1. *De Libero Arbitrio*, cap. III. *Ut intelligas* (inquit) *libidinem in adulterio malum esse, si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo sit id eum cupere, & si potestas detur, facturum esse, non minùs reus est, quàm si in ipso facto deprehenderetur.* Et Epistolâ CII. aliàs XLIX. *Ad Deo-gratias* Quæstione IV. *Appetitus* (inquit) *voluntatis humanorum omnium est mensura factorum.*

Et Lib. *De Continentia*, capp. I. & II. *Multa* (inquit) *corporis ore non dicimus, & corde clamamus: nullum autem procedit rei alicujus ex ore corporis verbum, cujus est in corde silentium. Inde igitur quod non emanat, foris non sonat: Quod verò emanat inde, si malum est, etsi non moveat linguam, inquinat animam. Ibi ergo ponenda est continentia, ubi & tacentium loquitur conscientia. Fit enim per ostium continentia, ut non inde exeat quod etiam clausis labiis carnis vitam polluat cogitantis. Denique ut apertiùs os interius ostenderet, cùm dixisset,* Pone Domine custodiam ori meo, & ostium continentiæ circum labia mea: *continuò subdidit* Ne declines cor meum in verba maligna. Psal. 140. *Declinatio cordis, quid est nisi consensio? Nondum enim dixit, quisquis in corde occurrentibus suggestionibus quorumque visorum nulla cordis declinatione consensit. Si autem consensit, jam corde dixit, etiamsi ore non sonuit; etiamsi manu vel qualibet corporis parte non fecit, fecit tamen quod cogitatione faciendum sibi esse jam statuit; divinis legibus reus, quamvis humanis sensibus absconditus, verbo in corde dicto, nullo facto per corpus admisso. Nequaquam verò membrum foris movisset in facto, cujus facti initium non intus præcessisset in verbo. Neque enim mendaciter scriptum est,* Initium omnis operis, verbum. *Multa quippe homines faciunt ore clauso, quietâ linguâ, voce frenatâ: Sed tamen nihil agunt corporis opere, quod non priùs dixerint corde. Ac per hoc quoniam multa sunt peccata in interioribus dictis, quæ non sunt in exterioribus factis: nulla sunt autem in exterioribus factis, quæ non præcedant in interioribus dictis; erit ab utrisque puritas innocentiæ, si circum interiora labia ponatur ostium continentiæ. Propter quod etiam ipse ore proprio Dominus ait,* Mundate quæ intus sunt, & quæ foris sunt munda erunt. Matth. 23. *Itemque alio loco cum Judæorum stultiloquia refutaret, quia calumniabantur Discipulis ejus non lotis manibus manducantibus:* Non quod intrat in os, *inquit*, coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Matth. 15. *Quæ sententia si tota de ore corporis accipiatur, absurda est. Neque enim quem non coinquinat cibus, coinquinat vomitus. Cibus quippe in os intrat, vomitus ex ore procedit. Sed proculdubio priora verba pertinent ad os carnis, ubi ait,* Non quod intrat in os coinquinat hominem: *Posteriora verò ad os cordis, ubi ait,* Sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.... Quæ autem procedunt ex ore, de corde exeunt: *Tanquam diceret, Cùm audis de ore, de corde intellige. Utrumque dico; sed alterum ex altero expono. Habet os interius homo interior, & hoc discernit auris interior: De hoc ore quæ procedunt, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. Deinde jam relicto oris nomine, quod potest & de corpore intelligi, apertiùs quid dicat ostendit:* De corde enim exeunt, *inquit*, cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ: Hæc sunt quæ coinquinant hominem. *Nihil est certè istorum malorum, quæ perpetrare etiam membris corporis possunt, quod cogitatio non antecedat mala, & coinquinat hominem, etiamsi aliquid impediat ne subsequantur opera flagitiosa & facinorosa membrorum. Si enim quia potestas non datur, vacat manus ab hominis interfectione, nunquid ideo mundum est ab scelere cor homicidæ? Aut si rem subripere alienam non ut quis vult potest, nunquid in eo ipsa voluntate fur non est? Aut si casta est, quam vult adulterare non castus, ideo eam non est in corde mœchatus? aut si meretrix non invenitur in fornice, ideo qui eam quærit non fornicatur in mente? Aut si cupienti per mendacium lædere proximum, tempus vel locus desit, ideo falsum testimonium non ore interiore jam dixit? Aut si quisquam homines timens, non audeat linguâ carnis sonare blasphemiam, ideo non est hujus criminis reus, qui dicit in corde suo, Non est Deus? Ita cætera mala facta hominum, quæ nullus agit corporis motus, quæ nescit ullus corporis sensus, reos suos occultos habent; quos etiam solus inquinat in cogitatione consensus, id*

est.

Psalm. 140. *est, oris interioris verbum malignum. In quo timens ille declinari cor suum, ostium continentiæ circum labia oris hujus poni poscit à Domino, quod contineat cor, ne declinetur in verba maligna: contineat autem non sinendo cogitationem procedere in consensionem; sic enim secundum Præceptum Apostolicum, non regnat peccatum in nostro mortali corpore, neque exhibemus membra nostra arma iniquitatis peccato. A quo præcepto implendo atque alieni sunt, qui ob hoc ad peccandum membra non movent, quia potestas nulla permittitur: quæ si adsit, protinus ex membrorum velut armorum motibus, quis in eis intus regnet, ostendunt. Proinde quantùm in ipsis est, membra sua exhibent arma iniquitatis peccato: quia hoc volunt, quod præterea non exhibent, quia non possunt.*

Idem confirmat *S. Bernardus*, Epistola LXXVII. seu Tractatu ad *Hugonem De Sancto Victore*, Cap. II. *Quid planius* (inquit) *quòd voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit necessitas?*

Malitia peccati non est consummata sine opere externo, cum adest opportunitas.

Si tamen adsit opportunitas actus exterioris exercendi, malitia peccati non est consummata absque opere externo. Ut enim ait *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione XX. Articulo IV. *Non est perfecta voluntas, nisi sit talis quæ opportunitate datâ operetur. Si verò possibilitas desit, voluntate existente perfectâ, ut operaretur si posset, defectus perfectionis quæ est ex actu exteriori, est simpliciter involuntarius. Involuntarium autem sicut non meretur pœnam vel præmium operando bonum vel malum: ita non tollit aliquid de præmio vel de pœna, si homo involuntariè simpliciter deficiat ad faciendum bonum vel malum.*

Major interdum graviórque malitia voluntatis cum opere externo conjunctæ.

Major etiam est interdum graviórque malitia voluntatis cum actu externo conjunctæ, sive quia diuturnior est, sive quia externi operis delectatione intentior ac vehementior evadit voluntatis ad peccatum affectus. *Constat autem quòd quantò voluntas intensius tendit in bonum vel malum, tantò est melior vel pejor*, (inquit *S. Thomas* loco mox laudato) Sicut ergo genuflexione, manuum extensione, prostratione, aliisque externis actionibus supplicanti congruis, *Magis seipsum excitat homo ad orandum gemendúmque humilius atque ferventius. Et nescio quomodo, cùm hi motus corporis fieri nisi motu animi præcedente non possint, eisdem rursus exteriùs visibiliter factis, ille interior invisibilis qui eos fecit augetur: ac per hoc cordis affectus, qui ut fierent ista præcessit, quia facta sunt crescit*; (ut loquitur *S. Augustinus*, Libro *De Cura gerenda pro Mortuis*, Cap. V.) Ita opere externo peccati crescit interior voluntatis malitia, & ad peccatum affectus, qui ut fieret opus præcessit.

Actum externum peccati in Confessione semper exprimere necesse est.

Quamvis porrò externum opus malitiam actûs interioris interdum non augeat, cùm nimirum æqualis est voluntatis affectus ad peccatum, & æquè vehemens ac diuturnus sine opere externo & cum illo: tamen actum exteriorem peccati in Confessione Sacramentali exprimere omnino necesse est quatuor ob causas. Primò, quia Confessio integra esse debet: non esset autem integra si Pœnitens de actu externo Confessarium celaret; quia unum & integrum cum interiore peccatum constituit. Secundò, quia occasione externi operis, & delectatione ipsi adjunctâ voluntas sæpius exardescit, intensiúsque ac vehementiùs fertur in peccatum: *Vix enim fieri potest, ut voluntas opere suo non augeatur* (inquit *Hugo à S. Victore*: Lib. II. *De Sacramentis*, P. XIV. Cap. VI.) Crescente verò cordis affectu, peccati malitia gravior est. Quamobrem actum externum celando sæpe non exprimeretur tota peccati malitia; nunquam verò integrum peccatum. Tertiò, quia actus externi expresso præcepto prohibentur tanquam mali ex objecto vel circumstantiis: & *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem*; (inquit Christus Dominus Matth. XV.) Quartò, quia ex operibus externis gravia interdum sequuntur incommoda, pravi habitus ingenerantur, detrimenta proximo inferuntur, dè quibus judex est Sacerdos qui Sacro Pœnitentiæ Tribunali præsidet.

REGULA XLVII.

Eventus sequens præcogitatus, verbi gratiâ, scandalum, aut damnum proximi, aut ipsius peccantis, si in pluribus & per se sequatur, operis externi malitiam auget.

Quando eventus ex peccato sequens malitiam operis augeat?

CUm enim aliquis cogitat quòd ex opere suo multa mala possunt sequi, nec propterea hoc dimittit, ex hoc apparet voluntatem ejus esse magis inordinatam; (inquit *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione XX. Articulo V.) Si autem eventus sequens non sit præcogitatus, sed tamen per se & in pluribus sequatur ex tali actu, malitiam ejus pariter auget. Manifestum est enim meliorem actum esse ex suo genere, ex quo possunt plura bona sequi, & pejorem ex quo nata sunt plura mala sequi; (inquit idem S. Doctor.) Si verò per accidens & in paucioribus, eventus sequens malitiam actus non auget: quia judicium de re non fertur secundùm id quod est per accidens, sed solùm secundùm illud quod est per se. Sicut nec peccatum excusatur, si aliquod bonum ex ipso sequi contingat, secundùm illud *S. Augustini* in *Enchiridio* Cap. XXII. *Nec mendacium ideo putandum est non esse peccatum, quia possumus alicui prodesse mentiendo. Possumus enim & furando aliquando prodesse alicui, si pauper cui palam datur, sentit commodum, & dives cui clam tollitur non sentit incommodum; nec ideo tale furtum quisque dixerit non esse peccatum. Possumus & adulterando prodesse, si aliqua, nisi ad hoc ei consentiatur, appareat amando moritura; & si vixerit, pœnitendo purganda: nec ideo peccatum tale negabitur adulterium.* Tale scilicet bonum ex peccato per se non sequitur, sed per accidens.

Eventus porrò ex peccato sequens, præcogitatus, id est, prævisus & volitus censetur, interpretativè saltem, (ut loquuntur Theologi) cum impediri debuit, nec tamen est impeditus. Si ergo hujusmodi eventum non præviderit peccator, si tamen per se & in pluribus sequatur ex actu externo peccati, in quod volens prorupit, illum in sua causa voluisse censetur.

Nocumentum tripliciter se habere potest ad peccatum.

Hæc Regula confirmatur & explicatur magis à *S. Thoma*, Quæstione LXXI. Articulo VIII. *Nocumentum* (inquit) *tripliciter se habere potest ad peccatum. Quandoque enim nocumentum quod provenit ex peccato, est prævisum & intentum: sicut cùm aliquis aliquid operatur animo nocendi alteri, ut homicida vel fur: & tunc directè quantitas nocumenti adauget gravitatem peccati, quia tunc nocumentum est per se objectum peccati. Quandoque autem nocumentum est prævisum, sed non intentum; sicut cùm aliquis transiens per agrum, ut compendiosiùs vadat ad fornicandum, infert nocumentum his quæ sunt seminata in agro scienter, licèt non animo nocendi, & sic etiam quantitas nocumenti aggravat peccatum, sed indirectè, in quantùm scilicet ex voluntate multùm inclinata ad peccatum procedit quod aliquis non prætermittat facere damnum sibi vel alii, quod sim-*

plicìter non vellet. Quandoque autem nocumentum nec est prævisum, nec intentum: & tunc si per accidens se habeat ad peccatum, non aggravat peccatum directè: sed propter negligentiam considerandi nocumenta quæ consequi possent, imputantur homini ad pœnam mala quæ eveniunt præter ejus intentionem, si det operam rei illicitæ. Si verò nocumentum per se sequatur ex actu peccati, licèt non sit intentum nec prævisum, directè peccatum aggravat: quia quæcumque per se consequuntur ad peccatum, pertinent quodammodo ad ipsam peccati speciem. Putà, si aliquis publicè fornicetur, sequitur scandalum plurimorum; quod quamvis ipse non intendat, nec fortè prævideat, directè per hoc aggravatur peccatum.

Ex solo nocumento gravius peccatum non censetur.

Observandum tamen cum eodem Angelico Doctore quòd etsi gravius nocumentum aggravet peccatum, non sequitur quòd ex solò nocumento gravius peccatum censeri debeat: quinimò peccatum per se gravius est propter inordinationem. Unde non sequitur, si nocumentum maximè locum habet in peccatis contra proximum, quòd illa sint gravissima. Multò major enim inordinatio invenitur in peccatis contra Deum, & in quibusdam eorum quæ ab homine contra seipsum committuntur. Adde quòd, etsi Deo nullus possit nocere quantùm ad ejus substantiam; potest tamen nocumentum intentare in his quæ Dei sunt, sicut exstirpando Fidem, & violando Sacra; quæ sunt peccata gravissima.

Graviùs peccat homicida quàm fornicator.

Observandum secundò cum eodem S. Doctore, graviùs nihilominus peccare homicidam, qui vitam corporis eripit, quàm fornicatorem, qui mulieri peccatum suadet; quamvis spirituale nocumentum sit gravius corporali: & mors animæ ab isto procurata sit gravior morte corporis ab illo illata. Ratio hujus exceptionis duplex affertur. Prima, quia homicida intendit directè nocumentum proximi: fornicator autem qui provocat mulierem, non intendit nocumentum, sed delectationem. Secunda, quia homicida est caussa per se & sufficiens corporalis mortis: spiritualis autem mortis nullus potest esse alteri causa per se sufficiens: *Quia nullus spiritualiter moritur, nisi propriâ voluntate peccando.*

Duplex ratio.

REGULA XLVIII.

Sola cogitatio morosa, seu complacentia & delectatio de re quæ mortale peccatum est, ut cogitatâ, etiam sine animo perficiendi opus externum peccati, mortale peccatum est, nisi delectatio comprimatur, & prava cogitatio repellatur statim atque ratio periculum animadvertit vel animadvertere potest.

De peccatis cogitationis.

A delectationibus illicitis statim avertenda cogitatio, cùm eadem lucet mentis se ingerunt.

HAnc Regulam ex S. *Augustino* eruimus Lib. XII. *De Trinitate*, Cap. XII. *Nec sanè* (inquit) *cùm sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen & volvens libenter, quæ statim ut attigerunt animum respui debuerunt, negandum est esse peccatum, sed longè minus, quàm si & opere statuatur implendum. Et ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda est, pectùsque percutiendum, atque dicendum*, Dimitte nobis debita nostra: *Faciendúmque quod sequitur, atque in Oratione jungendum*, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Neque enim sicut in illis duobus primis hominibus personam suam quisque portabat, & ideo si sola mulier cibum edisset illicitum, sola utique mortis supplicio plecteretur, ita dici potest in homine uno, si delectationibus illicitis, à quibus se continuò deberet avertere cogitatio, libenter sola pascatur, nec facienda decernantur mala, sed tantùm suaviter in recordatione teneantur; quasi mulierem sine viro posse damnari: absit hoc credere. Hæc quippe una persona est, unus homo est, totúsque damnabitur, nisi hæc quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.* Quamvis S. *Augustinus* dicat pro illis cogitationis peccatis Orationem Dominicam recitandam, non sequitur quòd venialia dumtaxat illa existimaverit, ut patet ex eo loco. Nam pro mortalium etiam remissione, de quibus Pœnitentiam egimus, & quæ Clavibus Ecclesiæ subjecimus, Dominicam Orationem dici testatur idem S. *Augustinus*, Enchiridii Cap. LXXI.

Eamdem Regulam S. *Isidorus* tradit Libro II. *De Summo Bono*, Cap. XXV. *Bipartita est* (inquit) *causa peccandi, id est, operis & cogitationis, quorum unum iniquitas dicitur, quod opere geritur: aliud injustitia, quod cogitatione admittitur. Priùs autem actio resecanda est, postea cogitatio; priùs prava opera, postmodum desideria. Vicissim autem & à cogitatione opera procedunt, & ab opere cogitatio nascitur. Quamvis etsi ab opere malo quisque vacet, pro solius tamen pravæ cogitationis malitia non erit innocens. Unde & Dominus per Isaiam:* Auferte (*inquit*) malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Isai. I. 16. *Non enim solùm factis, sed cogitationibus delinquimus, si eis illicitè occurrentibus delectemur.*

Id explicat S. *Thomas*, Prima Secundæ Quæstione LXXIV. Articulo VIII. distinguens delectationem ex cogitatione peccati à delectatione ex ipso peccato cogitato profectâ; verbi gratiâ, delectationem de cogitatione fornicationis, & delectationem de ipsa fornicatione cogitata. *Cogitatio ipsa secundum se, non est peccatum mortale, immò quandoque est veniale tantùm, putà, cùm aliquis inutiliter cogitat de ea; quandoque autem sine peccato omnino, putà, cùm aliquis utiliter de ea cogitat, sicut cùm vult de ea prædicare vel disputare. Et ideo consequens affectio & delectatio quæ sic est de cogitatione fornicationis, non est de genere peccati mortalis, sed quandoque est peccatum veniale, quandoque nullum: unde nec consensus in talem delectationem est peccatum mortale. Quod autem aliquis cogitans de fornicatione, delectetur de ipso actu cogitato, contingit ex hoc quòd affectio ejus est inclinata in hunc actum. Unde quod aliquis consentiat in talem delectationem, hoc nihil aliud est, quàm quod ipse consentiat quòd affectus suus sit inclinatus in fornicationem: nullus enim delectatur nisi in eo quod est conforme appetitui ejus. Quod autem aliquis ex deliberatione eligat quòd affectus suus conformetur his quæ secundùm se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale. Unde talis consensus in delectationem peccati mortalis, est peccatum mortale.*

Et in Responsione ad quintum: *Etiam consensus in delectationem, quæ procedit ex complacentia actus homicidii cogitati, est peccatum mortale: non autem consensus in delectationem quæ procedit ex complacentia cogitationis de homicidio.*

Pertinent autem hujusmodi cogitationes & delectationes ad idem genus peccati, ad quod pertinet actus de quo habetur delectatio.

Ex his perspicuum est, hanc Propositionem à Clero Gallicano in generalibus Comitiis anno MDCC. esse jure damnatam: *Hinc inferre debemus, eum consensum qui præbetur suggestionibus pravis, cùm tendit ad delectationem cogitandi tantùm de re illicita, putà de ulciscenda injuria, secundùm S. Augustinum non esse aliud quàm veniale peccatum, licèt ipse ultionis actus, cujus cogitatione animus delectatur, sit pessimus & certissimum mortale peccatum.*

Hàc

A Hæc autem censurâ inusta est : *Hæc Propositio quaslibet cogitationes & delectationes, quas morosas vocant, regulariter imputans peccato veniali tantum, falsa est, temeraria, scandalosa, in praxi perniciosa, concupiscentiam fovet, in tentationem & in gravius peccatum inducit, contraria & injuriosa est Sancto Augustino.*

REGULA XLIX.

Qui peccati mortalis à se vel ab alio committendi aut commissi cogitatione aut recordatione animum cum voluptate pascit, mortalis peccati reus est.

De peccati cogitatione.

CUm enim delectatio de aliqua operatione, & ipsa operatio ad idem genus pertineant, ut docet S. *Thomas*; si opus de quo quispiam delectatur, & cujus cogitatione vel recordatione, vel narratione animum cum voluptate pascit, mortale peccatum est, ipsa quoque delectatio mortale peccatum erit, sive opus illud ab ipsomet, sive ab alio commissum fuerit, aut committendum. Aliud est nihilominus delectari de modo actus, aliud de ipso actu cogitato. Licèt enim delectatio de actu cogitato peccatum mortale censeri debeat; non tamen delectatio de modo actus, putà, de industria furis vel homicidæ, aut de ingenio & artibus hominis mulierem impudicè amantis ut ea fruatur, per se mortale semper peccatum est, si furtum ipsum, homicidium, fornicatio vel adulterium, similiave peccata, cum horrore ac detestatione cogitentur, narrentur, vel ab aliis narrata audiantur.

REGULA L.

Qui delectatur cogitatione operis quod licitum olim ipsi fuit, aut aliquando licitum erit : sed tamen habitâ præsentis status ratione illicitum est & mortale; peccatum lethale committit.

CUm enim delectatio sequatur operationem, cujus veluti condimentum est; & opus de quo cogitatur sit in præsentia illicitum & lege prohibitum, atque mortale, cogitatio de ipso opere ut præsenti pariter mortale peccatum est : præsertim si cogitatio hujusmodi cogitantem exponat periculo peccati nunc committendi. Sic Sponsus & Sponsa opus conjugale futurum, viduus & vidua præteritum mente volventes, & ejus quasi præsentis delectatione animum pascentes, mortalis peccati rei sunt : maximè cùm hujusmodi voluptatis recordatione, aut prægustatione quadam, licèt cogitatione & affectu tenus, nefarios in se libidinis motus excitant, & periculo pollutionis se exponunt. Idem esto judicium de marito cujus uxor, aut de uxore cujus maritus est absens : cùm delectationes illæ ad opus conjugale non disponant, & in simile periculum conjiciant cogitantes.

REGULA LI.

Consensus in actum peccati procedit à Ratione superiori deliberante & judicante.

De consensu in actum peccati.

HOc ipso enim *quòd Ratio superior non dirigit actus humanos secundùm legem divinam, impediens actum peccati, dicitur ipsa consentire, sive cogitet de lege æterna, sive non. Cùm enim cogitat de lege Dei actu, eam contemnit : cùm verò non cogitat, eam negligit per modum omissionis cujusdam*, (inquit S. *Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione LXXIV. Articulo VII.) Unde S. *Augustinus*, Libro XII. *De Trinitate*, Cap. XII. ait : *Cùm huic intentioni mentis, quæ in rebus temporalibus & corporalibus propter rationis officium ratiocinandi vivacitate versatur, carnalis ille sensus vel animalis ingerit quamdam illecebram fruendi se, id est, tanquam bono quodam privato & proprio, non tanquam publico atque communi, quod est incommutabile bonum, tunc velut serpens alloquitur feminam. Huic autem illecebræ consentire, de ligno prohibito manducare est. Sed iste consensus, si sola cogitationis delectatione contentus est, superioris verò auctoritate consilii ita membra retinentur, ut non exhibeantur arma iniquitatis peccato : sic habendum existimo velut cibum vetitum* B *mulier sola comederit. Si autem in consensione malè utendi rebus quæ per sensum corporis sentiuntur, ita decernitur quodcumque peccatum, ut si potestas sit, etiam corpore compleatur : intelligenda est illa mulier dedisse viro suo secum simul edendum illicitum cibum. Neque enim potest peccatum non solùm cogitandum suaviter, verùm etiam efficaciter perpetrandum mente decerni, nisi & illa mentis intentio, penes quam summa potestas est membra in actum movendi, vel ab opere cohibendi, malæ actioni cedat & serviat.* Rationem superiorem intellige mentem hominis, quatenus æternis rationibus conspiciendis vel consulendis, seu Legi æternæ adhærescit : rationem verò C inferiorem, eamdem quatenus ad temporalia gubernanda deflectitur. Ratio superior, quæ in specula consilii præsidet quasi virili portione, per virum; inferior per mulierem significatur, ut explicat S. *Augustinus* Cap. VIII. ejusdem Libri.

De consensu in actum peccati.

REGULA LII.

Ratio superior semper mortaliter peccat, si actus inferiorum virium quibus consensum præbet, sint peccata mortalia.

D ITa docet S. *Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione LXXIV. Articulo X. hac ratione fretus, quòd *Deliberatus consensus in his quæ ex genere suo sunt mortalia, est mortale peccatum.*

REGULA LIII.

Propositum perficiendi opus externum peccati sub iis conditionibus, quibus positis nihilominus adhuc mortale peccatum esset, mortale peccatum est.

E SIc mortaliter peccat Sacerdos, qui ex rationis deliberatione & judicio ait : Nisi rationem status mei haberem, ego te occiderem. Nisi essem Presbyter, inebriari non vererer. Peccat mortaliter Monachus apud se ista statuens, Nisi professionis habitúsque mei rationem haberem, fornicarer. Mortaliter peccat Vir Nobilis, qui ita est affectus, ut in singulare certamen descenderet provocatus, aut eum à quo læsum se putat, provocaret, nisi Lex Principis vetaret. Mortaliter peccat quilibet Christianus, cui propositum est genio & libidini indulgere, inimicum occidere, aut quodvis aliud F opus per se malum patrare, nisi mortale peccatum æterno supplicio plecteretur. Affectus enim ad peccatum mortale in hujusmodi hominum animis vivit ac dominatur : siquidem ebrietas, fornicatio, duellum, homicidium, mortalia nihilominus essent peccata, Sacerdotio, Monachatu, Lege & Edicto Principis, pœnis ipsis tartareis sublatis.

Regula LIV.

Mortalis peccati reus est, qui optat ut furtum, fornicatio, vindicta, aut alia quæ sunt per se mala, Divina Lege prohibita non sint, sive ut illa impunè committere liceat.

De malitia voluntatis optantis ut peccatum impunè committere liceret.

OPtare enim ut liceat ea committere, quæ Lex ipsa naturæ humanis pectoribus à Deo inscripta prohibet, est velle ordinis ac legis naturalis eversionem: id autem velle deterius est, quam naturæ legem solùm violare: sicut minùs peccat in Principem, qui præceptum ejus violat, quam si Principatu suo illum deturbari, & legum ferendarum auctoritate spoliari cupiat. Deum ipsum legis naturæ Conditorem non esse vellet, qui optat ut licita sint quæ per se mala sunt: quia Deus non esset, si summè Sanctus non esset: nec esset summè Sanctus, si quæ per se mala sunt, approbare posset, vel eorum licentiam concedere.

Regula LV.

Sola malitia intentionis sufficit ad malitiam voluntatis; & ideo quantùm mala est intentio, tantùm etiam mala est voluntas.

De malitia intentionis.

SEntentia est *S. Thomæ*, ipsis ejus verbis expressa, *Prima secundæ*, Quæstione xix. Articulo viii. ad quartum. Et in ii. *Sententiarum*, Distinctione xl. Quæstione i. Articulo ii. *Malitia* (inquit) *voluntatis sufficit ad hoc quòd actus malus esse dicatur, quia quod malo fine agitur, malum est: non autem bonitas voluntatis intendentis sufficit ad bonitatem actus; quia actus potest esse de se malus, qui nullo modo bene fieri potest.* Et rursùs *Prima Secundæ*, Quæstione xix. Articulo vii. ad secundum: *voluntas non potest dici bona, si sit intentio mala causa volendi. Qui enim vult dare eleemosynam propter inanem gloriam consequendam, vult id quod de se est bonum sub ratione mali, & ideo prout est volitum ab ipso, est malum: unde voluntas ejus est mala.*

Luc. 11. 34.

Hanc Regulam Christus ipse tradidit, dicens: *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Quia (inquit S. Gregorius M.) *Cùm perversa intentione quid vel rectum agitur, etsi splendere coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni Judicis obscuratur.*

Regula LVI.

In his quæ per se mala sunt, bona intentio peccatum non excusat ex toto, quamvis interdum in eodem genere levius efficiat.

De Malitia intentionis.

An bona intentio malum opus excuset.

UT enim ait *S. Augustinus*, Libro *Contra Mendacium*, Cap. vii. *Interest quidem plurimùm, qua caussa, quo fine, quâ intentione quid fiat: sed ea quæ constat esse peccata, nullo bonæ caussæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt. Ea quippe opera hominum, sicut caussas habuerint bonas seu malas, nunc sunt bona, nunc mala, quæ non sunt per se ipsa peccata: sicut victum præbere pauperibus, bonum opus est, si fit caussâ misericordiæ cum rectâ fide, sicut concubitus conjugalis quando fit caussâ generandi, si ea fide fiat, ut gignantur regenerandi. Hæc atque hujusmodi secundùm suas caussas opera sunt bona vel mala: quia eadem ipsa, si habeant malas caussas, in peccata vertuntur: velut si jactantiæ caussâ pauper pascitur; aut lasciviæ caussâ cum uxore concumbitur; aut filii generantur, non ut Deo, sed ut diabolo nutriantur.*

A *Cùm verò jam opera ipsa peccata sunt, sicut furta, stupra, blasphemiæ, vel cetera talia: quis est qui dicat, caussis bonis esse facienda, ut vel peccata non sint, vel quod est absurdius, justa peccata sint? Quis est qui dicat, Ut habeamus quod demus pauperibus, faciamus furta divitibus; aut testimonia falsa vendamus, maximè si non inde innocentes læduntur, sed nocentes potiùs damnaturis Judicibus eruuntur? Duo enim bona fiunt hujus venditione mendacii, ut & pecunia sumatur unde inops alatur, & Judex fallatur ne homo puniatur. Testamenta etiam, si possumus,* B *cur non vera supprimimus, & falsa supponimus, ut hereditates vel legata non habeant indigni, qui nihil ex eis operantur boni; sed hi potiùs à quibus esurientes pascuntur, nudi vestiuntur, peregrini suscipiuntur, captivi redimuntur, Ecclesiæ construuntur? Cur enim non fiant illa mala propter hæc bona, si propter hæc bona nec illa sunt mala? Jam verò si aliqua immunda & divites feminæ videantur amatores & stupratores suos insuper ditatura, cur non & has partes atque artes suscipiat vir misericors, quibus pro tam bona caussa utatur, ut habeat unde indigentibus largiatur? Siquidem non solùm ipsum furtum, verùm etiam falsum testimonium, & adulterium, omne* C *opus malum non erit malum, sed bonum, si eâ caussâ perpetretur, ut sit unde fiat bonum. Quis ista dicat, nisi qui res humanas, omnésque conatur mores legésque subvertere? Quod enim sceleratissimum facinus, quod turpissimum flagitium, quod impiissimum sacrilegium non dicatur posse fieri rectè atque justè, nec impunè tantùm, verùm etiam gloriosè, ut in eo perpetrando non solùm supplicia nulla timeantur, sed sperentur & præmia; si semel concesserimus in omnibus malis operibus hominum ideo non quid fiat, sed quare fiat esse quærendum, ut quæcumque propter bonas caussas facta inveniuntur, nec ipsa mala esse judicentur?*

De malitia intentionis.

D Et Cap. viii. *In suo quippe genere* (inquit) *aliis ejusdem generis peccatis leviora fiunt, quæ bono animo videntur admitti; cùm tamen & ipsa alterius generis peccatis ipso suo genere levioribus inveniantur esse graviora. Gravius est enim avaritiâ, quàm misericordiâ furtum facere: itemque stuprum gravius est luxuriâ, quàm misericordiâ perpetrare: & tamen gravius est adulterare misericordiâ, quàm furari avaritiâ.*

Regula LVII.

Omne opus, quod virtuali saltem intentione ad Deum non fertur, malum est.

Præceptum omnia opera nostra ad Deum referendi.

E HUjus enim intentionis & relationis defectu sive omissione violatur præceptum, quo omnia nostra opera ad Deum ut ad finem ultimum referre tenemur. Illud autem est præceptum caritatis, quo Deum *ex toto corde* diligere debemus, *Ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum; & ideo præceptum caritatis impleri non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum*, (inquit *S. Thomas*, Prima Secundæ Quæstione centesimâ, Articulo x. ad secundum.) Et Quæstione cii. Articulo vi. ad septimum: *Cælestis intentio* (inquit) *omnibus operibus nostris debet adjungi.*

De omnibus nostris ad Deum referendis.

F Illud ipsum præceptum omnia opera nostra ad Deum referendi colligitur ex Apostolicis Epistolis: i. ad Corinthios x. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et Cap. ultimo: *Omnia vestra* (inquit) *in caritate fiant.* Ad Colossenses iii. *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu-Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.* Quibus verbis non merum consilium, sed præceptum omnia opera nostra, ex deliberatione facta, ad Deum virtute saltem referendi contineri, multis in locis docet *S. Thomas*.

Idem confirmat *S. Augustinus*, Lib. XI. *De Trinitate*, cap. V. *Nisi pars maxima voluntatis*, (inquit) *in superioribus atque interioribus habitet, eáque ipsa quæ commodatur, sive foris corporibus, sive intus imaginibus eorum, nisi quicquid in eis capit ad meliorem verioremque vitam referat, atque in eo fine cujus intuitu hæc agenda judicat, adquiescat, quid aliud facimus, nisi quod nos Apostolus facere prohibet, dicens*, NOLITE *conformari huic sæculo?*

Rom. 12.

Et Lib. XII. *De Trinitate*, cap. XIII. *Apparet cùm secundùm Deum vivimus, mentem nostram in invisibilia ejus intentam, ex ejus æternitate, veritate, caritate, proficienter debere formari: Quiddam verò rationalis intentionis nostræ, hoc est ejusdem mentis, in usum mutabilium corporaliùmque rerum, sine quo hæc vita non agitur, dirigendum; non ut conformemur huic sæculo, finem constituendo in bonis talibus, & in ea detorquendo beatitudinis appetitum; sed ut quicquid in usu temporalium rationabiliter facimus, æternorum adipiscendorum contemplatione faciamus, per ista transeuntes, illis inhærentes.*

Quicquid in usu rerum temporalium rationabiliter facimus, æternorum contemplatione faciendum est.

Æternis inhærendum, per temporalia transeundum.

Et Lib. *De Catechizandis Rudibus*, cap. XI. *Tunc est verè opus bonum, cùm à caritate jaculatur agentis intentio; & tanquam ad locum suum rediens rursus in caritate requiescit.*

Boni operis character.

Ejusdem speciei opera à diversis hominibus edita, pro intentionis bonitate vel pravitate bona esse vel mala, præmio digna vel supplicio, docet idem S. Doctor Epistolâ XCIII. alias XLVIII. ad *Vincentium Rogatistam*, cap. II. *Cùm boni & mali eadem faciunt*, (inquit) *eademque patiuntur non factis & pœnis, sed caussis utique discernendi sunt. Pharao Populum Dei durit laboribus atterebat: Moyses eundem Populum impiè agentem duris coercitionibus affligebat: Similia fecerunt, sed non similiter prodesse voluerunt: Ille dominatione inflatus, iste dilectione inflammatus est. Jezabel occidit Prophetas, Elias occidit Pseudoprophetas. Puto quòd diversa sint merita facientium, diversa passorum. Adspice etiam tempora Novi Testamenti, quando jam ipsa mansuetudo caritatis non solùm in corde erat servanda, verùm etiam in luce monstranda, quando Petri gladius in vaginam revocatur à Christo, & ostenditur non debuisse de vagina eximi nec pro Christo. Legimus tamen non solùm quòd ceciderunt Judæi Paulum Apostolum, verùm etiam quòd ceciderunt & Græci pro Paulo Apostolo Sosthenem Judæum: Nonne similitudo facti quasi utrosque conjungit, & tamen eos caussa dissimilitudo discernit? Nempe Deus proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: Nempe de Filio ipso dicitur*, Qui me dilexit, & tradidit semetipsum pro me: *Nempe & de Juda dicitur, quòd introivit in eum Satanas, ut traderet Christum. Cùm ergo & Pater tradiderit Filium suum, & ipse Christus corpus suum, & Judas Dominum suum, cur in hac traditione Deus est pius, & homo reus, nisi quia in re una quam fecerunt, caussa non una est, ob quam fecerunt? Tres cruces in uno loco erant: in una Latro liberandus; in alia Latro damnandus; in media Christus, alterum liberaturus, alterum damnaturus: Quid similius istis crucibus? Quid dissimilius istis Pendentibus? Traditus est Paulus includendus & colligandus, sed quolibet Custode carceris pejor est utique Satanas, cui tamen ipse Paulus tradidit hominem in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu. Et hic quid dicimus? Ecce mitiori tradidit crudelis traditor, crudeliori tradidit misericors traditor. Discamus, frater, in similitudine operum discernere animos operantium.*

Ejusdem speciei opera pro intentionis bonitate vel pravitate bona tunc vel mala.

Gal. 2.

REGULA LVIII.

Omne opus deliberatum, quatenus in individuo spectatur, sive quatenus exercetur, bonum vel malum est, nullum omnino indifferens.

I. HÆc Regula consectarium est præcedentis. Cum enim rationis sit ordinare (inquit *S. Thomas* Prima Secundæ, Quæst. XVIII. A. IX.) *Actus à ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali: Si verò ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis; unde habet rationem boni. Nec est autem quòd vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem. Unde necesse est omnem actum hominis à deliberativa ratione procedentem, in individuo consideratum, bonum esse vel malum.*

Humana opera indifferentia nulla sunt in individuo spectata.

Hanc Doctrinam ex *S. Augustino*, Libro II. *De Peccatorum Meritis & Remissione*, cap. XVIII. hausit Doctor Angelicus, dicente: *Quamquam voluntas mirum si potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit: Aut enim justitiam diligimus, & bona est; & si magis diligimus, magis bona; si minùs, minùs bona est: Aut si omnino non diligimus, non bona est. Quis verò dubitet dicere voluntatem nullo modo justitiam diligentem, non modò esse malam, sed etiam pessimam voluntatem?* Et Lib. IX. *De Trinitate*, cap. VII. *Nemo volens aliquid facit, quod non in corde suo priùs dixerit: Quod verbum amore concipitur, sive creaturæ, sive Creatoris, id est, aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis Veritatis: Ergo aut cupiditate, aut caritate. Non quòd non sit amanda creatura, sed si ad Creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas, sed caritas erit. Tunc enim est cupiditas, cùm propter se amatur creatura; tunc non utentem adjuvat, sed corrumpit fruentem.*

Tunc cupiditas est cùm propter se amatur creatura.

II. Confirmatur: omne verbum deliberatè prolatum vel bonum, vel malum est, nullum omnino indifferens. Vel enim otiosum est, vel fructuosum, utile, honestum: Si otiosum sit: peccatum est, quia *De eo reddent homines rationem in die Judicii* (ut ait Christus Matth. XII.) Si utile & honestum, moraliter bonum est. Multò magis igitur omne opus deliberatum est bonum vel malum, nullum prorsus indifferens. Verbum enim utile & honestum est, quod propter bonum finem profertur: Otiosum verò quod non refertur ad bonum finem, ut explicant SS. Patres: S. Basilius in *Regulis Brevioribus*, ad Interrogationem XXIII. *Omne verbum quod ad propositum in Domino usum non facit, otiosum est: & tantum est illius periculum, ut licèt ex genere bonum sit, nisi ad ædificationem dirigatur, immunem non faciat.* S. Ambrosius in Psalmum XXXVIII. *Quomodo* (inquit) *propo[s]uerit S. Propheta David, aut propter quid custodire vias suas, audiamus*: Ut non, inquit, delinquam in lingua mea. *Si hoc cavet Propheta, tu non caves? ... Tu non reformidas, cui scriptum est in Evangelio, Quia pro omni otioso verbo rationem es redditurus? Si pro otioso verbo periculum est, quantò magis pro criminoso? Non omne quod otiosum, est criminosum: Sed omne quod non fructuosum, periculosum atque eradicabile: Omnis enim arbor non faciens fructum, excidetur, & in ignem mittetur.* S. Hieronymus in cap. XII. S. Matthæi: *Otiosum verbum est* (inquit) *quod sine utilitate & audientis dicitur, & loquentis: Si omissis seriis, de rebus frivolis loquamur, & fabulas narremus antiquas. Cæterùm qui scurrilia replicat, & cachinnis ora dissolvit, & aliquid profert turpitudi-*

Otiosa verba peccata sunt; multò magis opera quæ propter Deum non fiunt.

nis; hic non otiosi verbi, sed criminosi tenebitur reus. S. Gregorius Magnus, Lib. VII. *Moralium*, cap. XVII. *Otiosum verbum est, quod aut ratione justa necessitatis, aut intentione pia utilitatis caret. Si ergo ratio de otioso sermone exigitur, pensandum valde est, quæ pœna illud multiloquium sequatur, in quo etiam per superbiæ verba peccatur.* Item repetit *Pastoralis Curæ* P. III Admonitione XV. Quamobrem cùm opera majoris sint momenti quam verba, si ob rectum finem non fiant, otiosa & ipsa sunt, quamvis & genere suo bona sint.

Omnia opera nostra Deo debemus.

III. Prætetea, opera nostra omnia Deo debemus, cui debemus & nos ipsos totos quanti sumus, & titulo creationis, & titulo redemptionis. *Quid igitur retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Quod si totum me debeo pro me facto, quid addam jam & pro refecto, & refecto hoc modo? Nec enim tam facilè refectus, quàm factus: Si quidem non solùm de me, sed de omni quoque quod factum est, scriptum est: Dixit & facta sunt. At verò qui me tantùm & semel dicendo fecit, in reficiendo profectò & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, nec tantùm dura, sed & indigna. In primo opere me mihi dedit, in secundo se: Et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiam si me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum?* Verba sunt *S. Bernardi* in Tractatu *De diligendo Deo*, cap. V. Nonne servus Domino debet, quicquid operis facit? Servi Christi sumus, non sumus nostri, sed empti sumus pretioso Sanguine Agni immaculati: Quicquid ergo facimus, Christo debemus, & in nomine ipsius, ad ejúsque gloriam facere debemus.

Rectæ intentionis in omnibus operibus nostris necessitas.

IV. Ex his perspicuum est, quàm sit operæ pretium omnes actiones nostras rectâ intentione exercere ac perficere: atque actionibus, passionibus, & meritis Christi per affectum pietatis conjunctas Deo offerre, si quidem non solùm nullum earum meritum est absque recta intentione; sed nec absolutè & ex omni parte bonæ sunt, nisi ad Deum virtute saltem referantur, id est, vi prioris intentionis, ante operis initium elicitæ, nec revocatæ aut interruptæ, adeóque in ipsius actionis decursu perseverantis. Unde *S. Gregorius* Lib. XXVIII. *Moralium*, cap. VI. ait: *Vigilanti curâ per cuncta opera intentio nobis nostra pensanda est, ut nihil temporale in his quæ agit appetat, totam se in soliditate æternitatis figat, ne si extra fundamentum actionis nostræ fabrica ponitur, terrâ deficiente solvatur. Unde hic quoque aptè subjungitur:* Super quo bases illius solidatæ sunt? *Bases quippe uniuscujusque sunt animæ intentiones suæ. Nam sicut fabrica columnis, columnæ autem basibus innituntur: ita vita nostra in virtutibus, virtutes verò in intima intentione subsistunt. Et*

1. Cor. 3.

» *quia scriptum est:* Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus: *Tunc bases in fundamento sunt, cùm intentiones nostræ in Christo roborantur. Incassum verò super se bases ædificia erigunt, si non ipsæ in fundamento solidatæ consistunt: Quia nimirum quamlibet summa opera inaniter faciunt, si intentiones cordium extra æternitatis certitudinem deflectuntur, & vitæ vera præmia non requirunt.* Non sufficit ergo, ut opus virtute in Deum referre censeatur, si quis ineunte anno, vel mense, vel etiam die, omnia quæ editurus est opera generali quadam intentione referat ad Deum, sed necesse est ut illud ipsum opus particulare quod suscipit, propter Deum aggrediatur, illúdque ipsi offerat, & ad ejus gloriam perficere velit; ut docent *S. Bonaventura* in II. *Sententiarum* Dist. XLI. Quæst. III. Art. I. & post ipsum Cardinalis *Bellarminus* Lib. V. *De Justificatione*, cap. XV. Vir Christianus qui ita se gerit, implet illud Davidis, Psalm. XXXIV. *Et lingua mea* (inquit) *meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam.* Quid enim est totâ die Deum laudare? Omnia opera sua propter Deum facere. *Quicquid egeris, bene ago* (inquit S. Augustinus) *& laudasti Deum.* Ad omnes itaque Christianos spectat, quod scribit ille ad *Eudoxium* Abbatem & ejus Monachos, Epistolâ XLVIII. alias LXXXI. *Omnia in gloriam Dei facite, qui operatur omnia in omnibus; atque ita fervete spiritu, ut in Domino laudetur anima vestra. Ipsa est enim actio recti itineris, quæ oculos semper habet ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes. Talis actio nec frangitur negotio, nec frigida est otio, nec turbulenta, nec marcida est; nec audax, nec fugax; nec præceps, nec jacens.*

Objectiones occupantur.

V. Ab hac regula non aberrat *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione III. contra *Julianum*, cap. XCIV. scribens: *Quemadmodum quisquis supplicio haud dignus est, non idem statim laudem & prædicationem meretur, eodem modo, nec quisquis laude & prædicatione dignus est, idem confestim pœnam quoque meretur: sed Philosophia nostra vitiumque humanarum finibus nec ipsos continere, sicque id quod rectè & ex virtute geritur, exigere debemus.* His enim verbis non significat *S. Gregorius Nazianzenus*, opera plenâ cum deliberatione edita indifferentia esse posse, id est, nec bona nec mala moraliter; sed solùm discrimen intercedere inter consilia Evangelica & præcepta, quod negabat Julianus. *Ad hæc* (inquit) *quomodo illud non advertis, quòd in legibus nostris alia parendi necessitatem imponunt, nec sine periculo prætermitti possunt; alia non necessitate constringunt, sed in arbitrio & voluntate posita sunt, ac proinde hanc rationem habent, ut qui ea custodierint, honore & præmiis afficiantur, qui autem minùs ea expleverint, nihil periculi pertimescant.*

VI. Neque etiam hanc Regulam concutiunt *S. Hieronymi* verba, Epistolâ LXXXIX. ad *S. Augustinum*, scribentis: *Bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens ambulare, capitis naribus purgamenta projicere, &c. Hoc nec bonum, nec malum. sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam.* His enim verbis id unum significat *S. Hieronymus*, aliqua esse opera quæ nullius momenti sunt ad salutem, & quæ ut sine merito fieri, ita sine salutis æternæ pericolo possunt omitti. Istius porrò generis non fuisse Veteris Legis ceremonias post mortem Christi, sed observantibus perniciosas fuisse. *Id quid velis dicere, sine ulla salutis necessitate, non satis intelligo. Si enim salutem non afferunt, cur observantur? Si autem observanda sunt, utique salutem afferunt, maximéque observata Martyres faciunt. Non enim observarentur nisi afferrent salutem. Neque enim indifferentia sunt inter bonum & malum, sicut Philosophi disputant. Bonum est continentia, malum est luxuria. Inter utrumque indifferens ambulare, &c.* Hoc duntaxat sensu opera quædam indifferentia *S. Hieronymus* agnoscit quòd nullius momenti sint ad salutem, quia & sine merito fieri, & sine peccato atque periculo salutis possunt omitti: Sed non asserit hujusmoddi opera, cùm deliberatè fiunt, si ad finem honestum & rectæ rationi convenientem, & ad finem ultimum virtute saltem non referantur, sed propter solam voluptatem fiant, à peccato prorsus immunia esse. Sanctus autem *Augustinus* Hieronymo respondens fatetur quidem ceremo-

nias illas nec bonas fuisse, nec malas, sed eo sensu indifferentes, quòd nec hominem justificarent, nec tamen reum facerent, quia erant a Deo præceptæ. *Cur autem non dicam, præcepta illa veterum Sacramentorum nec bona esse, quia non eis homines justificantur; umbra enim sunt prænunciantes gratiam quâ justificamur: Nec tamen mala, quia divinitus præcepta sunt?* Verùm non patitur *S. Augustinus* ut opera quædam Philosophorum sensu indifferentia dicantur, ita ut nec bona sint, nec mala. *Sed cavendum est* (inquit) *in hac disputatione, ne sicut Philosophi, quædam facta hominum media dicamus inter rectè factum & peccatum, quæ neque in rectè factis, neque in peccatis numerentur.* Sic ille Epistola LXXXII. aliàs XIX. ad *Sanctum Hieronymum.*

REGULA LIX.

Peccata spiritualia, cæteris paribus, graviora sunt peccatis carnalibus, quamvis ista sint majoris infamiæ.

Peccatorum spiritualium & carnalium comparatio.

HÆc Regula colligitur ex *S. Gregorio*, Lib. XIII. *Moralium*, cap. XXVI. cujus triplicem rationem assignat *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæst. LXXIII. Art. V. Prima petitur ex parte subjecti: Nam peccata spiritualia pertinent ad spiritum, cujus est ad Deum converti, & ab eo averti: Peccata verò carnalia consummantur in delectatione carnalis appetitus, ad quem imprimis pertinet conversio ad bonum corporale. Et ideo peccatum carnale majorem conversionem ad creaturam includit: Propter quod etiam *est majoris adhæsionis*: Sed peccatum spirituale majorem aversionem à Deo involvit, ex qua culpæ gravitas æstimatur: Quamobrem peccatum spirituale gravius est. Ratio altera sumitur ex parte ejus in quem peccatur. Nam peccatum carnale est in corpus proprium, juxta illud Apostoli I. ad Corinthios VI. *Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*: Corpus autem proprium minùs diligendum & secundùm ordinem caritatis quàm Deus & proximus, in quos peccatur per peccata spiritualia; & ideo peccata spiritualia graviora sunt & *majoris culpæ*. Tertia ratio petitur ex parte propensionis & impulsûs ad peccandum. Quia quantò gravius est pondus & major impulsus ad peccandum, tantò minus peccatum est: Ad peccata autem carnalia gravius est pondus, & vehementior impulsus, ipsa nempe concupiscentia carnis nobis ingenita. Quamobrem spiritualia peccata, cæteris paribus graviora sunt. De peccato tamen luxuriæ magis gaudere diabolus dicitur, quia *est majoris adhærentiæ & difficilè ab eo homo potest eripi*; (inquit S. Thomas.)

1. Cor. 6. 17. » Nemo tamen dicat in corde suo, *Peccata carnis non curat Deus.* Nescitis, *inquit Apostolus*, » quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Quisquis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. *Nemo se fallat. Sed forte ait aliquis, Templum Dei animus meus est, non corpus meum: adjecit etiam testimonium*,

Cautio eorum qui peccata carnalia contemnunt.

Isaiæ 40. 6. » Omnis caro fœnum, & omnis claritas carnis » ut flos fœni. *Infælix interpretatio, punienda cogitatio. Fœnum dicta est caro, quia moritur: sed quod ad tempus moritur, non resurgat cum crimine.* » *Vis nosse apertam etiam inde sententiam?* Nesci-

1. Cor. 6. » tis, *inquit idem Apostolus*, quia corpora vestra » templum in vobis est Spiritus Sancti, quem » habetis à Deo? *Jam non contemnatis corporalia*

A

DE PECCATIS.

peccata. Contemnebas corporale peccatum, contemnis quod peccas in templum? Ipsum corpus tuum templum in te est Spiritus Dei. Jam vide quid facias de templo Dei. Si eligeres in Ecclesia facere adulterium intra istos parietes, quid te esset sceleratius? Modo autem tu ipse es templum Dei. Templum intras, templum exis, templum in domo tua manet, templum surgis. Vide quod agas, vide ne offendas templi Habitatorem, ne deserat te, & in ruinam verteris. »Nescitis, inquit, quia corpora vestra; » (*& hoc de fornicatione loquebatur Apostolus, ne contemnerent corporalia peccata*) templum in vobis

B est Spiritûs Sancti, quem habetis à Deo, & non » estis vestri? Empti enim estis pretio magno. » *Si contemnis corpus tuum, considera pretium tuum.* Verba sunt *S. Augustini* Sermone LXXXII. alias XVI. *De Verbis Domini*, cap. IX.

REGULA LX.

Peccatum fit gravius ex conditione personæ in quam peccatur.

C HÆc Regula est *S. Thomæ*, Prima Secundæ, Quæst. LXXIII. Art. IX. Ratio est, quia persona in quam peccatur, est quodammodo objectum peccati: At gravitas peccati ex objecto æstimatur. Persona porrò in quam peccari potest, triplex est: Deus, nos ipsi, & proximus. Quamobrem.

Major peccatorum gravitas unde repetatur?

Gravius est peccatum, non solùm quod directè in Deum committitur, iis quæ in nos ipsos, vel in alios perpetramus: verùm & eò gravius est quo in personam Deo magis conjunctam peccatur, sive ratione virtutis & pietatis, ut in homines Sanctos & Justos: sive ratione officii, &

D status, ut in Sacerdotes, & Viros Religiosos. Injuria nempe his personis illata magis in Deum redundat, secundùm illud Zachariæ II. *Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei.* Et III. *Regum* XIX. *Altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio.*

Ex parte sui ipsius, tantò aliquis graviùs peccat, quantò in personam magis conjunctam, seu naturali necessitudine, ut in parentes, consanguineos, affines, seu beneficiis, seu quocunque alio vinculo: Sic enim in se ipsum graviùs peccat, secundùm illud Ecclesiastici XIV. *Qui sibi*

E *nequam est, cui bonus erit?* Hinc Scriptura Sacra speciatim damnat peccata in personas propinquas perpetrata. Michææ VII. *Filius contumeliam facit patri, & filia consurgit adversùs matrem suam, nurus adversùs socrum suam: & inimici hominis domestici ejus.*

Ex parte verò proximi tantò graviùs peccatur, quantò peccatum plures tangit: Et ideo peccatum quod fit in personam publicam, verbi gratiâ, Regem aut Principem, qui gerit personam totius Reipublicæ, gravius est peccato quod committitur contra personam privatam.

F Unde Exod. XXII. dicitur: *Principi Populi tui non maledices.* Et similiter injuria, quæ fit alicui personæ insigni & celebri, gravior esse videtur, quia *In scandalum & in tribulationem plurimorum redundat.*

REGULA LXI.

Alienorum peccatorum pluribus modis participes esse possumus, scilicet cooperatione & auxilio, consilio, consensu, jussione, favore, suasione, adulatione, silentio, pravâ doctrinâ, & malo exemplo.

APostolus enim recensitis gravissimis peccatis ad *Romanos* I. ait: *Qui talia agunt, digni sunt morte: & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Ad Ephesios v. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum,* B *magis autem redarguite.* Matt. v. ait Christus: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum Maris. Væ mundo à scandalis.* Isaiæ LVI. *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi: canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia.* Ezech. XIII. *Et tu fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde suo, & vaticinare super eas, & dic: Hæc dicit Dominus Deus: Væ quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas, & cùm caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, & vivificarent animas quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.* Matt. XV. *Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*

Quinam sint alienorum peccatorum participes?

Quamobrem alienorum sunt peccatorum participes, qui ipsis cooperantur, & auxilium præbent, verbi gratiâ, qui in singulari certamine amicis comites & adjutores se adjungunt, aut eorum nomine provocant adversarium: Qui suam D aliis operam locant vel dant gratis ad homicidium perpetrandum, vel ad verberandum proximum, seu ad damnum quodlibet corpori, honis, famæ, ac imprimis animæ cujuspiam inferendum: Qui ad expugnandam mulieris alicujus pudicitiam, ad litem injustam prosequendam, caussamque vincendam, auxilium, patrocinium, favorem præbent: Qui fures recipiunt; vel cùm possint ac debeant, non deferunt ad Magistratus: Qui res alienas cum ipsis dividunt, consumunt, servant vel celant: Qui peccata quælibet non impediunt, non prohibent, pro viribus non arguunt, cùm ex officio tenentur, ut E Prælati, Principes, Magistratus, Patres-familiàs, sed conniventiâ suâ & ignaviâ peccatores fovent in crimine. Alienorum sunt participes peccatorum quicunque filiis, aut servis autores suot imperio, consilio, vel consensu, ut peccatum aliquod committant. Idémque judicium esto de Ducibus respectu Militum. Nam *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum,* ut habet Regola Juris. Item quicunque dolo, vi, metu, lenocinio, adulatione alios ad peccatum impellunt vel alliciunt, aut occasionem F peccandi subministrant: Qui à statu Religioso, à Clericatu, à Sanctæ Virginitatis Professione, absque legitima causa, alios avocant: Qui à frequentatione Sacramentorum, à quolibet pietatis opere, quempiam deterrent, aut abducunt: Qui Monachos aut Moniales, ab Ordine, Provincia, Monasterio, in quibus strictior observantia viget, ad laxioris & mollioris vitæ institutum transferunt, vel transferri curant, absque justa causa. Item qui à Deo non vocatos, aut ferendis vitæ religiosæ oneribus impares, in Monasteria protrudunt invitos, aut recipiunt. Qui Dignitatem aliquam aut Officium procurant iis, quos scientia, industriâ, probitate aliisve dotibus ad illud rectè gerendum & exercendum necessariis instructos non esse norunt: & præsertim qui ad Ecclesiastica Beneficia indignos nominant, eligunt, aut confirmant, immò non nominant, eligunt, instituunt, vel confirmant digniores. Idem esto de Monasticis Præfecturis judicium. Alienorum etiam peccatorum sunt participes, qui falsam, erroneam, periculosam, aut scandalosam doctrinam, in materia fidei, aut B morum disseminaverint, vel docuerint. Item Confessarii, qui pro gravioribus peccatis leves Pœnitentias injungunt, aut Absolutionem Sacramentalem non rectè dispositis impertiunt. Denique alienorum sunt participes peccatorum mulieres, quæ fucis & pigmentis, vanique ornatûs luxu & pompa hominum oculos & animos in se convertere gestiunt: & quicunque pravo exemplo alios ad suorum peccatorum imitationem pertrahunt vel alliciunt, ii præsertim qui majoris sunt autoritatis, & qui aliis probitatis, virtutis & sanctimoniæ exempla præbere debent ratione sui status, ordinis vel officii: vel qui probitatis C famam obtinuerunt: Hi enim pravis exemplis tribuunt similiter peccantibus autoritatem; & quamdam, licèt inanem & injustam excusationis occasionem. Inanem dico, quia debemus attendere ad legem Dei, non ad exempla hominum: nec in Majorum peccatis quærere debemus nobis patrocinia peccandi: Hinc *S. Augustinus*, Enarratione in Psalmum L. de lapsu Davidis agens: *Multi* (inquit) *cadere volunt cum David, & nolunt surgere cum David. Non ergo cadendi exemplum proditum est, sed si cecideris, resurgendi. Adtende ne cadas: Non sit delectatio minorum lapsus* D *majorum, sed sit casus majorum tremor minorum. Ab hoc propositum est, ad hoc scriptum est, ad hoc in Ecclesia sæpe lectum atque cantatum: Audiant qui non ceciderunt, ne cadant: Audiant qui ceciderunt, ut resurgant. Tanti viri peccatum non tacetur, prædicatur in Ecclesia. Audiunt malè audientes, & quærunt sibi patrocinia peccandi; adtendunt unde defendant quod committere paraverunt, non unde caveant quod non commiserunt, & dicunt sibi, Si David, cur non ego? Inde anima iniquior, quæ cùm propterea fecerit, quia David fecit, ideo pejus quàm David fecit. David nullum sibi ita ad exem-* E *plum proposuerat, ut tu: Ceciderat lapsu cupiditatis, non patrocinio sanctitatis: Tu tibi tanquam sanctum proponis ut pecces, non imitaris ejus sanctitatem, sed imitaris ruinam. Hoc amas in David, quod in se odit David...., Libram Dei ut pecces inspicis: Scripturas Dei ad hoc audis, ut facias quod displicet Deo: Hoc non fecit David; correptus est per Prophetam, non lapsus est in Propheta.*

In Majorum peccatis quærere non debemus patrocinia peccandi.

Observandum tamen non ita nos participes dici alienorum peccatorum, quòd nobis extrinsecùs duntaxat imputentur, ut pro illis puniamur; *Sed* quia his, quos explicui, modis nostra fiunt. *Quisquis enim consenserit peccatori, non alienis, sed* F *suis gravatur. Consensio enim ad peccatum alterius tuum fit peccatum; & non est quare quæraris quòd peccata aliena te premant. Dicitur enim tibi: Premunt te, sed tua. Vidisti furem, cucurristi cum eo. Quid est hoc? Pedibus ambulasti ad furem: Immò mente conjunxisti te furi. Quod ipsius solum erat, factum est & tuum; quia placuit tibi.* Verba sunt *S. Augustini* Enarratione in Psalmum CXXIX.

Hujus explicationem Regulæ concludant præclaræ ejusdem S. Doctoris Sententiæ. I. Lib. *De Moribus Manichæorum*, cap. XVII. *Nihil integer.*

rest, utrum ipse scelus admittas, an propter te ab illo admitti velis.

Altera ex Libro III. *De Libero Arbitrio*, Cap. x. *Cùm duæ sint origines peccatorum, una spontaneâ cogitatione, alia persuasione alterius, quò pertinere arbitror quod Propheta dicit:* Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo: *Utrumque voluntarium est quidem; nam sicut propria cogitatione non peccat invitus, ita dum consentit male suadenti, non utique nisi voluntate consentit: sed tamen gravius est, non solùm nullo suadente propria cogitatione peccare, sed etiam peccandum alteri per invidentiam dolùmque suadere, quàm ad peccandum alterius suasione traduci.*

Psalm. 18. 13.

REGULA LXII.

Peccata ex subreptione provenientia propter infirmitatem humanæ naturæ, minùs imputantur illis qui virtute sunt præstantiores.

Peccata subreptionis quibus minùs imputantur?

Minùs enim negligunt hujusmodi peccata reprimere, quæ tamen omnino vitare infirmitas humana non sinit; (inquit *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione LXXIII. Artieulo x.) quod de peccatis præsertim venialibus intelligendum est. Hinc *Ezechias* Rex orans pro subditis post celebrationem Paschæ, ad quam eos ex universis Regni partibus convocaverat, II. Paralipom. XXX. *Dominus bonus* (inquit) *propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum Patrum suorum; & non imputabitur eis quòd minùs sanctificati sunt.*

REGULA LXIII.

Peccata ex deliberatione commissa tantò graviora sunt, quantò persona peccans major est.

Unde major gravitas peccatorum ex deliberatione commissorum repetatur?

Primò, quia faciliùs possunt resistere peccato Majores, qui nimirum scientiâ & virtute ceteris antecellunt. Unde Dominus ait Luc. XII. *Servus qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.*

Quantò major persona peccat, tantò gravius peccatum est.

Secundò, propter ingrati animi vitium; quia omne bonum & meritum quo insignis & ceteris excellentior fit homo, Dei beneficium est, in quem ingratus est peccando. Unde quælibet excellentia & magnitudo, etiam in temporalibus bonis, peccatum aggravat, secundùm illud Sap. VI. *Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.*

Tertiò, propter singularem repugnantiam actus peccati cum magnitudine personæ peccantis: sicut si Princeps justitiam violet, qui justitiæ custos & vindex à Deo constitutus est: & si Sacerdos fornicetur, qui castitatem vovit.

Osee 9. 8.

Quartò, propter pravum exemplum sive scandalum. *Hinc scriptum est per Prophetam:* Laqueus ruinæ Populi mei Sacerdotes mali. *Nemo quippe ampliùs in Ecclesia nocet, quàm qui perversè agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit; & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Indigni autem quique tanti reatus pondera fugerent, si Veritatis sententiam sollicitâ cordis aure pensarent, quæ ait:*

Matth. 18. 6.

" Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in " me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asi" naria in collo ejus, & demergatur in profundum " maris. *Per molam quippe asinariam, secularis vita circuitus ac labor exprimitur: & per profundum maris extrema damnatio designatur. Qui ergo ad sanctitatis speciem deductus, vel verbo ceteros destruit vel exemplo; meliùs profectò fuerat, ut hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quàm sacra Officia in culpa ceteris imitabilem demonstrarent: quia nimirum si solus caderet, utcumque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret;* (inquit *S. Gregorius Magnus* Parte I. *Pastoralis* Cap. II.) Hanc Regulam quadruplici ratione firmatam tradit *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione LXXIII. Artieulo x.

Hanc confirmat *S. Isidorus Hispalensis* Libro II. *Sententiarum*, sive *De Summo Bono*, Cap. XVIII. *Tantò majus* (inquit) *cognoscitur peccatum esse, quantò major, qui peccat, habetur. Crescit enim delicti cumulus juxta ordinem meritorum: & sæpè quod minoribus ignoscitur, majoribus imputatur.* Hinc ad peccati filii sui *Rubèn*, qui paternum cubile violaverat, gravitatem ostendendam, *Genes.* XLIX. præmittit Jacob, *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, major imperio.* Quod propterea facit, *Ut graviùs notetur in crimine, qui virtus patris habebatur*; ut observat *Origenes* Homiliâ XVII. in Genesim. Hinc Ducem de Tribu Simeonis eum filia Principis Madianitarum fornicationi indulgentem *Phinees* interfecit, ut refertur Numer. XXV. *Ut ostenderet carnales illecebras in eminentioribus personis acriùs persequendas*; inquit *B. Petrus Damiani* Epistola VI. Libri I. similem etiam rationem reddens cur propter fornicationis crimen omnibus commune jussum fuerit Moysi cunctos Principes populi contra solem patibulo suspendere; quia scilicet *Reatus adulterii in personis clarioribus debet duriùs vindicari.* Hinc Levitici IV. pro peccato solius Sacerdotis idem Sacrificium quod pro totius populi peccato præscribitur, quia *Quò major auctoritas, eo majus est eorum, qui peccant, supplicium*; (inquit *S. Joannes Chrysostomus* in Psalm. VI.) Hinc *S. Bernardus* Libro II. *De Consideratione*, Cap. XIII. *Inter seculares, nugæ* (inquit) *nugæ sunt; in ore Sacerdotis, blasphemiæ.... Consecrasti os tuum Evangelio: talibus jam aperire illicitum, assuescere sacrilegum est.*

Hæc denique Morum Regula profanis ipsis Autoribus solo rationis lumine nota fuit, ut ostendunt Versus illi *Juvenalis* Satyra VIII.

Omne animi vitium tantò conspectius in se
Crimen habet, quantò qui peccat major habetur.

REGULA LXIV.

Graviora sunt peccata quæ à Christianis post Baptismum committuntur, quàm quæ à Paganis, Turcis, Judæis, vel etiam Catechumenis perpetrantur.

Sess. XIV. Cap. VIII.

Triplex ratio cur peccata post Baptismum commissa graviora sint.

Hanc Regulam tradit Concilium Tridentinum, triplici ratione firmatam. Prima est, quòd per ignorantiam facta sint peccata, quæ Baptismum præcedunt, & ab infidelibus committuntur: quæ verò post Baptismum à Christianis, mentem supponunt cognitione Dei, & Filii ejus Jesu Christi imbutam & illuminatam. Unde solenne fuit Patribus vocare tempus Baptismum præcedens tempus ignorantiæ, & non baptizatos Dei ignaros: atque eâ de causâ longo tempore eos in Catechumenatu fidei mysteria diligenter edocebant. Quod quidem acceperant ab Apostolis. Sanctus enim Paulus Actuum XVII. ait: *Tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc*

annuntiat hominibus ut omnes ubique Pœnitententiam agant. Et ad Ephesios III. scribit sibi datam esse gratiam, *Illuminare omnes quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à seculis in Deo.* Quamobrem Baptisma *Illuminationem*, Baptizatos *Illuminatos* Græci Patres vocarunt: idque rursùs hauserunt ex Apostolo ad *Hebræos* VI. Hinc *Tertullianus*, Libro *De Pœnitentia*, Capp. V. & VI. *Nullum ignorantiæ prætextum tibi patrocinatur, quòd Domino agnito, præceptisque ejus admissis, denique Pœnitentiâ delictorum functus,* (quæ fit ante Baptismum) *rursus te in delicta restituis. Ita, in quantum ignorantiæ segregaris, in tantum contumaciæ adglutinaris. Nam si ideircò te deliquisse pœnituerat, quia Dominum cœperas timere, cur quod metûs gratiâ gessisti, rescindere maluisti, nisi quia metuere desiisti? Neque enim timorem alia res quàm contumacia subvertit. Cùm etiam ignorantes Dominum nulla exceptio tuetur à pœna (quia Deum in aperto constitutum; & vel ex ipsis cœlestibus bonis comprehensibilem ignorari non licet) quantò cognitum despici periculosum est? Despicit porrò qui bonorum ac malorum intellectum ab illo consecutus, quod intelligit fugiendum, quodque jam fugit, jam resumens, intellectui suo, id est, Dei dono contumeliam facit: respuit datorem, cùm datum deserit; negat beneficum, cùm beneficium non honorat. Quemadmodum ei potest placere, cujus munus sibi displicet? Ita in Dominum non modò contumax, sed etiam ingratus apparet.*

Hinc Veteres peccata omnia ante Baptismum commissa Catechumenis vel Infidelibus ad Baptismum accedentibus faciliùs condonari asserunt, eo quòd *In veteri homine deliquisse videantur.* Hunc loquendi modum usurpant Synodi Illiberritanæ Patres, Canone XLV. & *Innocentius I.* Epistola XXII. eùmque à *S. Paulo* acceperant ad Romanos VI. ad Ephesios IV. ad Colossenses III. *Nolite* (inquit) *mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum eum qui renovatur in agnitionem.* Igitur vetus ille homo ignarus, novus cognitione præditus: & propterea faciliùs remittuntur peccata in veteri homine commissa. Hinc *Richardus à S. Victore*, Lib. *De Potestate ligandi & solvendi*, Cap. XXII. ait: *Quicquid ab infideli committitur, inter peccatum ignorantiæ deputatur. Nam etsi sciat se peccasse cùm peccat, nescit tamen examinare pondus peccati: nescit enim illud non posse expiari nisi per mortem Hominis Dei. Caligo itaque hujusmodi ignorantiæ supra modum levigat immanitatem culpæ. Christiani verò qui se cognoscunt redemptos à morte per mortem Christi, proculdubio non possunt per hujusmodi ignorantiam excusari. Ad plenam itaque Satisfactionem pro peccato illis hostia conceditur; istis omnino non relinquitur.... Infideli itaque converso, & in Christi fide baptizato nulla satisfactio, nulla carnis afflictio injungitur, cui propter priorem ignorantiam ad expiationem peccati hostia conceditur. Nam per Passionem & Mortem Christi ab omni reatu ad plenum purgatur. Criminosus autem Christianus quoniam per infidelitatis ignorantiam de suis criminibus nullatenus excusatur, in propria carne punitur, & quasi voluntariò peccanti post acceptam veritatis notitiam voluntaria satisfactio injungitur.*

Secunda ratio cur peccata post Baptismum commissa graviora sint, inde petitur quòd per Baptismum Dei templum, Spiritûs-Sancti habitaculum facti, Christo consecrati sumus: quæ sanctitatis, consecrationis & dignitatis pignora peccato mortali post Baptismum perpetrato violantur, non ante, cùm iis peccator nondum instructus & ornatus sit.

Tertia ratio, quòd Christiani peccantes injuriosi sint & contumeliosi Spiritui-Sancto. Gratiam enim ab eo per Baptismum acceptam, imò ipsum Spiritum-Sanctum ludibrio habent, cùm eum à se tam levi de causa projiciunt; Sanguinem Christi, quo redempti sunt, & Spiritu-Sancto operante sanctificati, conculcant; pactúmque & fœdus in Baptismo initum, quo Mundo ejúsque pompis solemniter renuntiarunt, temerant & polluunt.

Pactum cum Deo initum in Baptismo.

Duas illas posteriores rationes Patres pariter afferunt. *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione XL. *Nihil aliud* (inquit) *esse vim & facultatem Baptismi existimare debemus, quàm secundæ vitæ, ac purioris vivendi rationis pactum & fœdus cum Deo initum. Ac proinde vel maximè in metu omnes esse, atque omni custodia nostras animas servare debemus, ne hoc pactum violasse comperiamur. Nam cùm ad mutua hominum pacta firmanda Deus medius adhiberi soleat, quantum quæso periculum est, ne fœdera cum Deo ipso contracta perfregisse reperiamur; idque cùm nulla jam posthac altera regeneratio sit, nec instauratio, nec in veterem statum restitutio, quamlibet maximè eam cum multis gemitibus & lacrymis requiramus, quibus quidem cicatrix ægrè tandem obducatur... Grave enim est facilioris medicinæ loco, quæ sine labore est, difficiliorem, & multi laboris adhibere, ac projectâ misericordiæ gratiâ, suppliciis se ipsum obnoxium reddere.... Quantam enim lacrymarum vim impendemus, ut ea cum Baptismi fonte exæquari possit?*

Violatio Sacramenti.

S. Augustinus Sermone CCCCXIII. aliàs XLI. inter Homilias quinquaginta: *Qui nondum accepit Baptismum* (inquit) *nondum violavit Sacramentum: qui autem violavit Sacramentum malè & perditè vivendo, & ideo remotus est ab Altari, ne judicium sibi manducet & bibat, mutet vitam, corrigat se, & reconcilietur dum vivit, dum sanus est.*

Pactum Baptismi.

Concilium Parisiense VI. Cap. IX. *Pactum quod cum Deo in Baptismate fit, à multis ex toto, à multis ex parte transgreditur. Ex toto quippe transgreditur, quando quis post acceptam Baptismatis gratiam, aut ad infidelitatem, aut ad hæresim, aut certè ad schisma prolabitur. Ex parte verò, quando quis aut ad superbiam, aut ad invidiam, aut ad cætera vitia spiritualia, quæ ex radice superbiæ prodeunt, labitur. Unde Dominus in Evangelio,* Qui autem (*inquit*) « super petrosa seminatus est, hic est qui verbum « audit, & continuò cum gaudio accipit illud: « non habet autem in se radicem sed est tempo- « ralis. Factâ autem tribulatione & persecutione « propter verbum, continuò scandalizatur. *Con-* « *stat igitur unumquemque Fidelem Deo in Baptismate duarum pactionum nexibus se obligare; alterâ, quâ abrenuntiare diabolo, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus; alterâ vero quâ se in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum credere profitetur... Cum ergo post hujuscemodi abrenuntiationem quibuslibet illecebris vitiorum illectus, ad ea quibus renuntiavit redit; necnon & post tantæ fidei perceptionem in apostasiam aut hæreticæ pravitatis, aut fraterni schismatis prolabitur, proculdubio utriusque pactionis transgressor efficitur. Quarum altera, quia Baptismi iteratione nequit, Pœnitentiæ lamentis, eleemosynarum largitionibus, cæterisque bonorum operum exhibitionibus dilui potest. Altera verò, quæ prædictæ contagionis leprâ commaculata fuerit, nisi hîc primùm per Christi caruerit gratiam, & ad unitatem Ecclesiæ redierit, mundari, & pristinæ fidei colorem, sanitatisque vigorem recuperare non poterit... Omnibus fidelibus studendum est, ut pactionis, & sponsionis, quam cum Deo in Baptismate fecerunt, semper memores existant, caveántque ne quibuslibet vitiorum sordibus se maculantes, non solùm eumdem sibi reac-*

Matt. 13.

cendant

A *cendant ignem, verùm etiam immundum spiritum à se tempore Baptismatis expulsum, cum septenario dæmonum numero sibi addito, ad se quoque modo redire faciant, fiántque illis, ut Dominus ait,* Novissima pejora prioribus, *& impletur in eis, quod B. Petrus Apostolus ait :* Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod traditum est illis, sancto mandato; *apteturque eis illud quod idem ait :* Canis reversus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti.

2. Pet. 2. 21.

Tres illas rationes majoris gravitatis peccatorum quæ post Baptismum fiunt, complectitur *S. Pauli* Sententia ad Hebræos VI. *Impossibile est* (inquit) *eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritûs-Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutésque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursùs renovari ad Pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes. Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem à Deo : Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima : cujus consummatio in combustionem.*

C Hinc *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione 2. Articulo III. ad tertium, *Ceteris paribus* (inquit) *gravius peccat Fidelis, quàm infidelis; tum propter notitiam veritatis ex fide; tum propter Sacramenta fidei quibus est imbutus, quibus peccando contumeliam facit.*

Concilium denique Tridentinum, Sessione XIV. Cap. VIII. has rationes paucis complectitur. *Divina* (inquit) *justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter verò qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati, &* D *accepto Spiritûs-Sancti dono, scienter templum Dei violare, & Spiritum-Sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione acceptâ peccata leviora putantes, velut injurii & contumeliosi Spiritui Sancto in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.*

REGULA LXV.

Ignorantia invincibilis non est peccatum : neque etiam imputantur ad culpam quæ ex ignorantiâ hujusmodi fiunt.

De Peccatis ignorantiæ.

E ITa *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione LXXVI. Articulo II. *Non imputatur* (inquit) *homini ad negligentiam, si nesciat ea quæ scire non potest : unde horum ignorantia invincibilis dicitur, quia studio superari non potest : & propter hoc talis ignorantia, cùm non sit voluntaria, eò quòd non est in potestate nostra eam repellere, non est peccatum.* Et Quæstione XC. Articulo IV. docet legem non habere vim obligandi, nisi quatenus applicatur hominibus, & ad eorum notitiam pervenit promulgatione. Ex quo sequitur, illam non obligare si F sit penitus ignota, & eâ quidem ignorantiâ, quæ nullo studio superari possit. Et Quodlibeto I. Articulo XIX. ubi quærit, utrum peccet qui, propter ignorantiam, Constitutionem Summi Pontificis non servat : *Ignorantia* (inquit) *est peccatum, quando ignorat quis quod potest scire, & tenetur. Constitutionem autem Papæ omnes suo modo scire tenentur. Si ergo aliquis nesciat propter negligentiam, non excusatur à culpa, si contra Constitutionem agat. Si verò sufficiens habeat impedimentum propter*

A *quod scire non potuerit, puta, si fuit in carcere vel in terris extraneis, ad quas Constitutio non pervenit, vel propter aliquod impedimentum simile, talis ignorantia excusat ut non peccet contra Constitutionem Papæ agens.* Et certè nullum peccatum est nisi voluntarium : ignorantia autem invincibilis tollit voluntarium : voluntarium enim dicitur, quod est à principio intrinseco cum cognitione finis. Manifestum igitur est, ignorantiam invincibilem, & quæ ex ea fiunt, non esse peccata. Hinc illud à *S. Augustino* toties repetitum : *Nemo peccat in eo* B *quod vitare non potest.* At qui præceptum vel prohibitionem ignorat eâ ignorantiâ quæ nullo studio vinci valeat, non potest id agere quod præcipitur, aut id vitare quod prohibetur : vitio itaque ipsi non est vertendum si omittat quod præceptum est, vel agat quod vetitum.

Ignorantiam invincibilem non esse peccatum, S. Scriptura docet, S. Augustinus confirmat.

Verùm Scripturæ Sacræ auctoritate firmata in primis est hæc Regula, Joannis XV. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Quibus significat, eos à peccato infidelitatis excusatum iri, quibus non est annuntiatum Evangelium. Hos porrò ignorantiâ insuperabili labora- C re perspicuum est. Hinc *S. Augustinus* Tractatu LXXXIX. *In Joannem*, hunc locum explicans, *Numquid* (inquit) *sine peccato erant Judæi, antequam Christus ad eos in carne venisset? Quis hoc vel stultissimus dixerit? Sed quoddam magnum peccatum, non omne peccatum quasi sub generali nomine vult intelligi. Hoc est enim peccatum, quo tenentur cuncta peccata, quod unusquisque si non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata. Hoc est autem, quia non crediderunt in Christum, qui propterea venit ut credatur in eum. Hoc peccatum, si non venisset, non utique haberent.* Et Epistola CXCIV. aliàs CV. ad *Sixtum* Romanum D Presbyterum : *Non utique*, inquit, *peccatum ullum haberent, qui pleni erant aliis magnis multisque peccatis : sed hoc peccatum vult intelligi non eos habituros fuisse, si non venisset, quo, cùm audissent eum, non crediderunt in eum. Hanc eos excusationem non habere asseris, quâ possint dicere, Non audivimus, ideo non credidimus. Humana quippe superbia tanquam præsumens de viribus liberi arbitrii excusationem se putat; quando ignorantiæ, non voluntatis videtur esse quod peccat. Secundùm hanc excusationem, inexcusabiles dicit Scriptura divina quoscumque scientes peccare convincit. Dei tamen justum judicium nec illis parcit* E *qui non audierunt.* (Non quòd illis imputetur ignorantia invincibilis, aut peccatum ex illa commissum; sed quòd propter peccatum originale, cujus pœna est ipsa ignorantia, & propter alia peccata, quæ scientes volentes commiserunt, à Deo puniantur.) *Quicumque enim sine Lege peccaverunt, sine lege peribunt. Et quamvis se ipsi excusare videantur, non admittit hanc excusationem, qui scit se fecisse hominem rectum, eique obedientiæ dedisse præceptum, nec nisi ejus, quo malè usus est, libero voluntatis arbitrio, etiam quod transiret in posteros, manasse peccatum. Neque enim damnantur qui non peccaverunt, quandoquidem illud ex uno in omnes pertran-* F *siit, in quo ante propria in singulis quibusque peccata omnes communiter peccaverunt. Ac per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis : sive qui novit, sive qui ignorat, sive qui judicat, sive qui non judicat. Quia & ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio. Ideo autem divina Eloquia eos inexcusabiles dicunt, qui non ignorantes sed scientes peccant, ut secundùm judicium superbiæ suæ, quo multum confidunt de viribus propriæ*

Rom. 2.

voluntatis, se inexcusabiles videant; quia de ignorantia jam non habent excusationem suam, & nondum est justitia, cui præsumebant sufficere voluntatem.

Si autem interdum à Veteribus appellentur peccata, quæ ex ignorantia insuperabili fiunt, id latiori quadam & minùs propriâ significatione intelligendum est. *Nam* (inquit *S. Augustinus* Libro III. *De Libero Arbitrio*, Cap. XIX.) *illud quod ignorans quisque non rectè facit, & quod rectè volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt, illud enim præcedens meruit ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solùm membrum, quod movemus in ore dum loquimur, sed etiam illud quod hujus membri motum consequitur, id est, formam tenorémque verborum, secundùm quem modum alia dicitur lingua Græca, alia Latina: sic non solùm peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, liberâ enim voluntate & ab sciente committitur, sed etiam illud quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est.*

Jansenii Yprensis Episc. oppositæ objectioni respondetur. Frustra verò objicit *Jansenius Yprensis* Episcopus, dogma Pelagianorum asserentium, *Oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundùm voluntatem eveniunt, sed secundùm necessitatem*, fuisse damnatum in Synodo Palæstina, ut refert *S. Augustinus* Libro *De Gestis Pelagii*, Cap. XVIII. Hanc autem ignorantiam quæ secundùm necessitatem evenit, esse ignorantiam invincibilem.

Ex illo enim erroneæ opinionis suæ præsidio facilè deturbatur *Jansenius*. Siquidem Pelagiani ignorantiam tam Juris positivi, quàm naturalis: quin etiam facti, tam superabilem quam insuperabilem, peccato subjacere negarunt; ut constat ex exemplis quibus ipsos urgent *SS. Hieronymus & Augustinus*. Primum est Regis *Abimelech*, qui ignorantiâ facti alienam sibi despondere voluit uxorem. Secundum est Apostoli, qui Christianos persecutus, misericordiam consecutus est, quoniam ignorans fecerat in incredulitate. Tertium est illorum qui non sponte, sed per ignorantiam, vel jactu lapidis, vel impulsione manus, vel joco, vel lascivâ infelicitate magis quam voluntate hominem occiderunt, & tamen non sunt puri criminis: unde perpetuo damnantur exilio. *Numer.* XXXV. Quartum est *Davidis* Deum orantis ut sibi peccata ex
Psal. 24. 7. ignorantia commissa condonet: *Delicta*, inquit, *juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.*
1. Reg. 14. Quintum est *Jonathæ* in periculum mortis adducti, quod paululùm mellis extremo sceptro degustasset, ignorans à patre præceptum ne quisquam comederet donec victoria compleretur. Hæc autem exempla ad ignorantiam juris positivi, aut ad ignorantiam facti, vel ad ignorantiam quæ superari humano studio possit, manifestum est pertinere. Id confirmat ratio quâ Palæstinæ Synodi Patres, & *SS. Hieronymus & Augustinus* Pelagianos refellunt: *Cùm in Lege*, inquiunt, *Sacrificia pro ignorantia sicut pro peccato offerantur.* At pro ignorantia facti & Juris positivi præscripta Sacrificia constat ex *Levitici* Capp. V. & XXII.

Nec obstant illa verba, quæ in *Celestii* Propositione vim rationis habent, *Quoniam non secundùm voluntatem eveniunt, sed secundùm necessitatem.* His enim postremis verbis illam quidem excludit ignorantiam, cujus voluntas ipsa caussa est, quam Theologi directè volitam appellant, quia secundùm voluntatem evenit, illam affectantem & procorantem: sed eam non excludit, quæ indirectè duntaxat volita nuncupatur, quia scilicet ad eam propulsandam voluntas nullam, aut certè non omnem diligentiam adhibet, quam tenetur & potest. Unde secundùm necessitatem dicuntur potiùs evenire quæ ex ea fiunt, quam secundùm voluntatem. Hanc autem ignorantiam non subjacere peccato negabant Pelagiani, & in eo errabant. Sed & *Jansenius* erravit, asserens ignorantiam insuperabilem subjacere peccato, sive peccatum non excusare.

REGULA LXVI.

Nulla in homine esse potest Legis naturæ insuperabilis ignorantia, quantùm ad præcepta universalia, & primaria, qualia sunt, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Deum cole & ama: Honora patrem & matrem: Non occides: Non furtum facies: Non mœchaberis: Non loqueris contra proximum falsum testimonium, &c.

HÆc Regula firmatur Apostoli testimonio, ad *Romanos* Cap. I. *Revelatur*, inquit, *ira Dei de cœlo super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: ita ut sint inexcusabiles. Quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Et Cap. II. *Cùm enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Naturaliter ea, quæ legis sunt, facere dicuntur, non quòd sine gratiâ legem implere possint, (quæ fuit Pelagianorum hæresis,) sed quòd lex naturalis eis ostendat quid sit agendum, & id ipso lumine rationis cognoscant, & naturalia præcepta in tabulis cordis carnalibus habeant insculpta: quamvis eam legem non habeant, quam in tabulis lapideis scriptam Judæis per Moysen Deus tradidit. *Natura enim per seipsam discendo, Factore annuente, recipit omnes boni scientiam;* (inquit) *Sanctus Cyrillus Alexandrinus* Libro III. Contra Julianum Apostatam.) *Et per insitas leges Deus bene commonstratur, quas omnium cordibus insculpsit opifex.*

De ignorantia invincibili.

Primaria Legis naturæ præcepta invincibiliter non ignorantur.

De peccatis ignorantiæ.

Hinc ante ipsum *Tertullianus*, Libro *De Corona Militis*, Cap. VI. *Omne*, inquit, *quod contra naturam est, monstri meretur notam penes omnes; penes nos verò etiam elogium sacrilegii in Deum naturæ Dominum & Auctorem. Quæris igitur Dei legem? Habes communem istam in publica Mundi, in naturalibus tabulis, ad quas & Apostolus solet provocare, ut cùm in velamine fœmina: Nec natura vos*, inquit, *docet? Ut cùm ad Romanos, Naturâ facere dicens Nationes ea quæ sunt legis, & legem naturalem suggerit, & naturam legalem.* Et Libro V. *Contra Marcionem*, Cap. XIII. *Si judicabit Deus occulta hominum, tam eorum qui in lege deliquerunt, quàm eorum qui sine lege; quia & hi legem ignorant, & naturâ faciunt quæ sunt legis, utique is Deus judicabit, cujus sunt & lex, & ipsa natura, quæ legis est instar ignorantibus legem.*

Lex naturæ in cordibus omnium insculpta.

Hinc *S. Ambrosius* Epistola XLI. quæ est ad *Irenæum*, scribit: *Si naturalem legem, quam Deus Creator infudit singulorum pectoribus, homines servare potuissent, non fuerat opus ea lege, quæ in tabulis scripta lapideis implicavit atque innodavit magis humani generis infirmitatem, quàm elaqueavit atque absolvit. Esse autem legem naturalem*

in cordibus nostris, etiam Apostolus docet, qui scribit, Quia plerumque & Gentes naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, & cùm legem non legerint, opus tamen legis scriptum habent in cordibus suis. Ea igitur lex non scribitur, sed innascitur; nec aliquâ percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur. Quam debemus vel futuri Judicii metu servare; cujus testis conscientia nostra tacitis cogitationibus apud Deum ipsa se prodit, quibus vel redarguitur improbitas, vel defenditur innocentia. Itaque cùm semper pateat Domino, tum maximè in die Judicii manifestabitur, quando occulta cordis in examen venient, quæ putabantur latere. Quorum tamen proditio occultorum sibi nequaquam noceret, si lex naturalis inesset pectoribus humanis: (id est, si ad eam homioes attenderent:) *Est enim sancta, sine versutia, sine fraude, consors justitiæ, expers iniquitatis.*

His concinit *S. Augustinus*, Lib. *De Spiritu & Littera*, cap. XXVIII. *Non usque adeo* (inqoit) *in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut extrema lineamenta remanserint. Unde meritò dici potest, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis vel » sapere, si hoc est quod dictum est,* Gentes qoæ » legem oon habent, naturalitet quæ sunt le» gis faciunt, & scriptum habent opus legis in » cordibus suis: *Id est, non omnino deletum est, quod ibi per imaginem Dei, cùm crearetur, impressum est.*

Et Lib. II. *De Sermone Domini in Monte*, cap. IX. *Quando illi valent intelligere* (inquit) *nullam esse Animam quamvis perversam, quæ tamen ullo modo ratiocinari potest, in cujus conscientiâ non loquatur Deus? Quis enim scripsit in cordibus hominum naturalem legem, nisi Deus? De qua lege Apostolus ait,* Cùm *enim Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, hi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, contestante conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam excusantium, in die qua judicabit Dominus occulta hominum.*

Denique Lib. II. *Confessionum*, cap. IV. de lege contra furtum speciatim agens, occasione illius furti quod cum sociis poma diripiendo adolescens commiserat: *Furtum certè* (inquit) *punit lex tua, Domine, & lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur?*

Idem confirmat *S. Gregorius Magnus*, Lib. XXVII. *Moralium*; cap. XVI. *Creator* (inquit) *omnipotens à cunctis insensibilibus irrationabilibusque distinctam rationabilem creaturam hominem condidit; quatenus quod egerit, ignorare non possit. Natura enim lege scire compellitur, seu pravum sive rectum sit quod operatur. Nam ad judicium pro actione cur venit, si potuit nescire quod egit? Et ipsi ergo qui præceptis dominicis erudiri contemnunt, utrum bona an mala sint quæ faciunt, sciunt. Nam si bona se facere nesciunt, cur de aliquibus factis in ostentatione gloriantur? Rursum si mala se agere ignorant, cur in eisdem factis alienos oculos declinant? Ipsi enim sibi testes sunt: Quia sciunt malum esse quod agunt, quod videri ab aliis verentur. Si enim veraciter malum esse non crederent, nequaquam hoc ab aliis videri formidarent. Unde & bene per quemdam Sapientem dici» tur:* Cùm sit timida nequitia, dat testimonium » condemnationi: *Quia dum facto suo conscientiam pulsans timor redarguit, ipsa sibi testimonium perhibet damnabile esse quod agit. Quò contra per Joan» nem dicitur:* Si cor nostrom non reprehenderit » nos, fiduciam habemus apud Deum. *Fugiant ergo iniqui humanos oculos, semetipsos certè fugere non possunt. Quia enim malum quod faciunt norunt, habent testem conscientiam, habent judicem rationem suam.*

Sap. 17.

1. Joan. 3.

REGULA XLVII.

Præcepta secundaria & minùs principalia legis naturæ ignorari à quibusdam insuperabiliter possunt.

De ignorantia invincibili.

HUjos generis sunt: Omnium bonorum jactura potiùs subeunda est, quàm vel leve mendacium proferendum. Falsom testimonium dicere non licet ad servandam hominis vitam, utque vel à patibulo, vel etiam ab æterna morte liberetur.

Quamvis portò deleri posset ex quorumdam hominum cordibus lex naturæ quantùm ad præcepta Decalogi, (quæ secundaria *S. Thomas* alio sensu vocat, quia ex universalissimis pleraqoe derivantur, cùm tamen sint in soo genere prima, ex iisque velut fontibus alia etiam profluant:) Non sequitur tamen quòd hujusmodi præceptorum ignorantia iosuperabilis dari possit: Quia obliteratio legis natoralis quoad hæc præcepta fit vel malis persuasionibus, vel pravis consuetudinibos, vel habitibus corruptis, ot ait *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæst. XCIV. A. VI. Malas autem persuasiones, pravas coosuetudines, & habitus corruptos, insuperabiles non esse constat, cùm oriantur ex vitio voluntatis ad legem naturæ non attendentis, & illius vocem extingoentis. *Ad legem naturalem* (inquit) *pertinent primò quidem quædam præcepta communissima, quæ sunt omnibus nota: secundariò autem quædam præcepta magis propria, quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principiis. Quantùm ergo ad illa principia communia, lex naturalis nullo modo potest à cordibus hominum deleri in universali: Deletur tamen in particulari operabili, secundùm quòd ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile, propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem. Quantùm verò ad alia præcepta secundaria, potest lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas persuasiones, vel etiam propter pravas consuetudines, & habitus corruptos: sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apostolus dicit ad Rom.* I.

Et Quæstione centesima Articulo I. *Cùm* (inqoit) *Moralia Præcepta sint de his quæ pertinent ad bonos mores; hæc autem sunt quæ rationi conveniunt; omne autem rationis humanæ judicium aliqualiter à naturali lege derivatur: Necesse est quòd omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ, sed diversimodè. Quædam enim sunt, quæ statim per se ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat esse facienda, vel non facienda, sicut,* Honora patrem tuum « & matrem tuam, Non occides, Non furtum « facies: *Et hujusmodi sunt absolutè de lege naturæ. Quædam verò sunt, quæ subtiliori consideratione rationis à Sapientibus judicantur esse observanda: & ista sic sunt de lege naturæ, ut tamen indigeant disciplinâ, quâ minores à majoribus instruantur, sicut illud,* Coram cano capite consurge, *&* « Honora personam senis, *& alia hujusmodi. Quæ* « *verò sunt ad quæ judicanda ratio humana indiget instructione divina per quam erudimur de divinis; sicut & illud, Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem. Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Hæc *S. Thomas.*

REGULA LXVIII.

Ignorantia quæ causa est actus peccati, si sit omnino voluntaria, excusat peccatum.

ESt autem ignorantia illius actus caussa, quem scientia opposita prohiberet: Unde talis actus, si scientia adesset, contrarius esset voluntati. Cùm igitur nullum sit peccatum, nisi sit voluntarium, ignorantia illa excusat peccatum, quia facit actum involuntarium, ut docet *S. Thomas* Prima Secundæ, Quæstione LXXVI. Articulo III. Talis fuit ignorantia *Noe* sese vino inebriantis, cujus vim nesciebat: Talis ignorantia *Jacob Liam* cognoscentis, quam putabat uxorem, nesciens soceri dolo sibi substitutam, pro *Rachele*. Unde & *Noe* à peccato ebrietatis, & *Jacob* à peccato adulterii omnino excusantur.

REGULA LXIX.

Ignorantia quæ non est causa actus peccati, sed illum consequitur, vel concomitatur, non excusat peccatum.

De peccatis ignorantiæ.

QUamvis enim hujusmodi ignorantia abesset, nihilominus opus fieret: Unde opus peccati illi conjunctum non fit involuntarium. Talis est illius ignorantia, qui feram se occidere putans, & adhibens necessariam diligentiam ne hominem occidat, hostem interficit, de quo nequidem cogitabat: Ita tamen animo erat affectus, ut si scivisset esse inimicum, nihilominus ipsum interfecisset. Hanc Regulam tradit ibidem *S. Thomas*. Sed nec hujusmodi ignorantia peccatum auget vel minuit, cùm non sit illius caussa, nec minuat augeatve voluntarium; ut docet *S. Thomas* Articulo IV.

REGULA LXX.

Ignorantia solius circumstantiæ peccatum aggravantis aut ad aliam speciem transferentis, non excusat omnino peccatum, cujus malitia nota est, sed illud solum quod est ex ignorantia circumstantiæ; idque vel ex toto, cùm ignorantia circumstantiæ insuperabilis est; ex parte verò, si vinci potuerit.

De peccatis ignorantiæ.

IGnorantia enim, eatenus excusat peccatum quatenus ignoratur aliquid esse peccatum. Potest autem contingere quòd aliquis ignoret quidem aliquam circumstantiam peccati, quam si nosset, deterreretur à peccato: & tamen adhuc cognoscit illud opus quod aggreditur esse peccatum: exempli gratiâ, si quis alterum percutiens, sciat quidem esse hominem, (quod sufficit ad peccatum,) nesciat autem esse patrem, quæ circumstantia est constituens novam speciem peccati; reus quidem ille non est parricidii, nisi vinci potuerit ignorantia illius circumstantiæ; sed tamen homicidii reus est. Talis fuit ignorantia *Judæ* cum *Thamare* se commiscentis. Reus enim fornicationis fuit, accedens ad mulierem, quam sciebat non esse suam, imò potiùs meretricem esse putabat: Sed reus non fuit incestûs, quia nurum suam esse ignorabat, & quidem ignorantiâ insuperabili, cùm *Thamar* faciem suam velasset, ne posset agnosci. Hinc *S. Augustinus* Lib. XXII. *Contra Faustum*, cap. LXI. *Etsi graviùs peccasset* (inquit) *si nurum sciens, concumbere cum ea voluisset, tamen eum* (*quantùm in ipso erat*) *deformiter cum meretrice cubasse non dubium est.*

REGULA LXXI.

Ignorantia rerum, quas aliquis scire tenetur, & potest, sive directè, sive indirectè tantùm volita sit, illius peccatum omnino non excusat.

CUm enim ignorantia illa voluntaria sit, & eorum esse supponatur, quæ homo scire tenetur, & potest; tantùm abest ut peccatum B excuset, ipsa grave peccatum est. Nam, ut ait *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæst. LXXVI. Art. II. *Quicumque negligit habere vel facere id quod tenetur habere vel facere, peccat peccato omissionis. Unde, propter negligentiam, ignorantia eorum quæ aliquis scire tenetur, est peccatum.* Ea porrò triplicis sunt generis: primi, sunt Mysteria Fidei, Symboli Apostolici duodecim Articulis comprehensa. Secundi, quæ pertinent ad mores bene informandos, ut Dei, & Ecclesiæ Præcepta generalia. Tertii, quæ spectant uniuscujusque Statum. Alia enim tenetur scire Parochus, quàm C Parochiani; alia Episcopus quàm Parochus; alia Medicus, vel Judex, aut Advocatus, quàm artifex. *Aliquis scire tenetur illa* (inquit S. Thomas) *sine quorum scientia non potest debitum actum rectè exercere: Unde omnes tenentur scire communiter ea quæ sunt Fidei; & universalia Juris præcepta: Singuli autem ea quæ ad eorum statum vel officium spectant.*

De peccatis ignorantiæ.

Confirmatur hæc Regula ex *S. Augustino*, Lib. III. *De Libero Arbitrio*, cap. XIX. *Cùm ubique* (inquit) *sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet,* D *doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam quòd invitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras; neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis. Ista tua propria peccata sunt. Nulli enim homini ablatum est scire utiliter quæri, quòd inutiliter ignoratur, & humiliter confitendum esse imbecillitatem, ut quærenti & confitenti Ille subveniat, qui nec errat dum subvenit, nec laborat.*

Et cap. XXII. *Ignorantia & difficultas, si naturalis est,* E *inde incipit anima proficere, & ad cognitionem & requiem, donec in ea perficiatur vita beata, promoveri. Quem profectum in studiis optimis atque pietate, quorum facultas ei non negata est, si propria voluntate neglexerit, justè in graviorem, quæ jam pœnalis est, ignorantiam difficultatémque præcipitatur, decentissimo & convenientissimo rerum moderamine in inferioribus ordinata. Non enim quod naturaliter nescit, & naturaliter non potest, hoc animæ deputatur in reatum: Sed quòd scire non studuit, & quod dignam facilitati comparandæ ad rectè faciendum operam non dedit. Loqui enim non nosse at-* F *que non posse infanti naturale est: Quæ ignorantia difficultásque sermonis non modò inculpabilis sub Grammaticorum legibus, sed etiam humanis affectibus blanda & grata est; non enim ullo vitio illam facultatem comparare neglexit, aut ullo vitio quam comparaverat amisit. Itaque si nobis in eloquentia esset beatitudo constituta, atque ita crimini duceretur, cùm peccatur in linguæ sonis, quemadmodum cùm peccatur in actibus vitæ, nullus utique argueretur infantiæ, quòd ab ea esse exorsus ad consequendam eloquentiam: sed planè meritò damnaretur, si sua voluntatis perversitate vel ad eam recidisset, vel in ea remansisset. Sic etiam nunc, si ignorantia veri &*

difficultas recti naturalis est homini, unde incipiat in sapientia quietisque beatitudinem surgere, nullas hanc ex initio naturali rectè arguit. Sed si proficere noluerit, aut à profectu retrorsum relabi voluerit, jure meritòque pœnas luet.

Et Epistolâ CXCIV. alias CV. *Ignorantia* (inquit) *in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est.*

Confirmatur ex *Innocentio III.* cap. *Per tuas*, III. Extra, *De Simonia*, pronuntiante, reum esse simoniæ Subdiaconum, qui certum titulum non habens, quemdam Presbyterum rogavit, ut ipsum ad Ecclesiæ suæ titulum præsentaret: Quod cùm ille facere recusaret, ipse promisit se nullam portionem in ejus Ecclesia unquam petiturum post præsentationem: sub cujus promissi fide præsentatus, Sacrum Ordinem suscepit: *Nec se in hoc illicitum aliquid egisse intellexit.* Hunc (inquam) nihilominus velut Simoniæ reum, ad superiores Ordines ascendere, vel in Ordine suscepto ministrare Pontifex prohibet, *Nisi cum eo fuerit misericorditer dispensatum.* Scire quippe tenebatur hujusmodi pactum esse simoniacum, illudque scire poterat interrogando peritiores.

Confirmatur secundò ex *S. Thoma*, Prima Secundæ, Quæst. XIX. A. VI. *Si ratio* (inquit) *vel conscientia erret errore voluntario, vel directè, vel propter negligentiam, quia est error circa id quod quis scire tenetur; tunc talis error rationis vel conscientia non excusat quin voluntas concordans rationi vel conscientia sic erranti sit mala. Si autem sit error qui causet involuntarium, proveniens ex ignorantia alicujus circumstantia absque omni negligentia, tunc talis error rationis vel conscientia excusat, ut voluntas concordans rationi erranti non sit mala: Putà, si ratio errans dicebat, quòd homo teneatur ad uxorem alterius accedere, voluntas concordans huic rationi erranti est mala, eò quòd error iste provenit ex ignorantia legis Dei, quam scire tenetur. Si autem ratio errec in hoc quod credat aliquam mulierem summissam esse suam uxorem, & ea petente debitum, velit eam cognoscere, excusatur voluntas ejus ut non sit mala: Quia error iste ex ignorantia circumstantia provenit, qua excusat, & involuntarium causat.*

REGULA LXXII.

Sicut in aliis peccatis omissionis tunc solùm homo actu peccat, cùm praceptum affirmans obligat: ita non continuò ignorans actu peccat; sed solùm cùm tempus est acquirendi scientiam, quam habere tenetur.

HAnc Regulam iisdem verbis tradit S. *Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione LXXVI. Articulo II. ad quintum.

REGULA LXXIII.

Ignorantia directè & per se volita peccatum auget; tantùm abest ut minuat.

Quæ ignorantia peccatum auget?

TAlia est ignorantia ejus, qui sua sponte nescit aliquid, ut liberiùs peccet. Hæc enim auget voluntarium; Siquidem *ex intentione* & affectu vehementi, seu ardore *voluntatis ad peccandum provenit, quòd aliquis vult subire ignorantia damnum propter libertatem peccandi*, (inquit *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæst. LXXVI. A. IV.) Et Quæst. III. *De Malo*, Articulo VIII. Cùm (inquit) *aliquis directè vult ignorare ut à peccato per scientiam non retrahatur, talis ignorantia non excusat peccatum, nec in toto, nec in parte, sed magis auget. Ex magno enim amore peccandi videtur contingere quòd aliquis detrimentum scientia pati velit, ad hoc quòd liberè peccato inhareat.* Talis *Iniquus* (Psalm. XXXV.) qui dixit ut *delinquat in semetipso*, id est, apud se proposuit peccare, adeóque *Noluit intelligere ut bene ageret*: Quem locum *S. Augustinus* sic explicat: *Non unum hominem, sed genus hominum iniquorum dicit, qui sibi adversantur, non intelligendo ut bene vivant, non quia non possunt, sed quia nolunt. Aliud est enim quando quisque conatur aliquid intelligere, & per infirmitatem carnis non potest, quia Corpus quod corrumpitur, aggravat animam... Aliud autem quando perniciosius agit adversùs se ipsum cor humanum, ut quod posset intelligere, si bona voluntas accederet, non intelligat, non quia difficile est, sed quia voluntas adversa est. Hoc autem fit dum amant peccata sua, & oderunt pracepta Dei. Sermo enim Dei adversarius tuus est, si tu amicus sis iniquitatis: Si autem tu adversarius sis iniquitatis tua, sermo Dei amicus tuus est, & adversarius iniquitatis tua. Si ergo odisti iniquitatem tuam, jungis te sermoni Dei; & eritis duo adversùs illam perimendam, tu & sermo Dei. Tu enim per te ex viribus tuis nihil potes: Adjuvat te ille qui tibi sermonem misit, & vincitur iniquitas. Si tu illam odisti: & Deus dimisit, & eris liber: si autem ipsam diligas; contrarium est tibi intelligere quicquid contra illam dicitur.*

REGULA LXXIV.

Ignorantia indirectè volita minuit peccatum.

Quæ ignorantia peccatum minuit?

TAlis est ignorantia illius, qui studio incumbere negligit; vel qui vinum largiùs bibit, ex quo sequitur ebrietas. Hæc (inquam) ignorantia minuit peccatum, quia minuit voluntarium, ut docet *S. Thomas*. *Cùm enim aliquid non cognoscitur esse peccatum, non potest dici quòd voluntas directè & per se feratur in peccatum, sed per accidens: Unde ibi est minor contemptus, & per consequens minus peccatum.* De hujusmodi ignorantià, quam Theologi simplicem vocant, *S. Augustinus*, Libro *De Gratia & Libero Arbitrio*, cap. 3. ait: *Aliud est nescisse, aliud facere noluisse. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur*, Noluit intelligere ut bene ageret. *Sed & illa ignorantia, qua non est eorum qui scire nolunt, sed eorum qui simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit quia non audivit omninò quod crederet, sed fortasse, ut minùs ardeat. Non enim sine causa dictum est*, Effunde iram tuam in Gentes quæ te non noverunt.

Psal. 35. 4.

Psalm. 78. 6.

Et Lib. I. *De Adulterinis Conjugiis*, cap. IX. tractans illud S. Jacobi, *Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi*; eandem veritatem confirmat: *Nunquid* (inquit) *ideo non peccatum est illi etiam, qui nescit bonum facere, & ideo non facit? Utique peccatum est; sed hoc gravius, si etiam sciat & non faciat: Nec illud ideo nullum, quia minus. Ut ergo eodem modo utrumque dicamus, sicut quicunque dimiserit uxorem, exceptâ causâ fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur: ita quicunque scit bonum facere, & non facit, peccat. Sed quemadmodum hic rectè dici non potest, Ergo si nescit, non peccat; sunt enim etiam peccata ignorantium, quamvis minora quàm scientium: ita nec illic rectè dici potest. Ergo si causâ fornicationis dimiserit, & aliam duxerit,*

non mœchatur: est enim mœchatio eorum etiam qui alias ducunt, relictis propter fornicationem prioribus, sed utique minor quàm eorum qui non propter fornicationem dimittunt, & alteras ducunt.

Et Lib. I. *De Baptismo*, cap. v. *Accipere itaque* (Baptismum) *in Parte Donati, si incertum est esse peccatum: Quis dubitet certum esse peccatum, non ibi potiùs accipere, ubi certum est non esse peccatum? Illi verò qui per ignorantiam ibi baptizantur, arbitrantes ipsam esse Ecclesiam Christi, in istorum quidem comparatione minùs peccant: Sacrilegio tamen Schismatis vulnerantur: Non ideo non graviter, quòd alii graviùs? Cùm enim dictum est quibusdam*, « Tolerabilius erit Sodomis in » die Judicii, quàm vobis: *Non ideo dictum est, quia Sodomitæ non torquebuntur, sed quia illi graviùs torquebuntur.*

Denique Lib. VI. *Contra Julianum*, cap. XVI. *Ex hoc* (inquit) *concupiscentia pejor est quàm ignorantia, quia ignorantia sine concupiscentia minùs peccat: Concupiscentia verò sine ignorantia graviùs peccat.*

REGULA LXXV.

Attentio animi ad actionis pravitatem non est necessaria ut peccatum imputetur: Unde falsum est, Nunquam peccari, nisi prava peccati cognitione animus illustretur, ejúsque vitandi desiderio exstimuletur.

Erroneum peccati Philosophici figmentum refellitur.

HÆc Regula firmissimis argumentis è Scriptura Sacra depromptis fulcitur. Absurdum enim est à peccato excusare persecutores Apostolorum; qui tamen præviam mentis illustrationem circa illius peccati malitiam non habebant, nec illud vitandi desiderio stimulabantur: cùm potiùs hâc in persecutione obsequium se præstare Deo arbitrarentur, juxta illud Christi Discipulos alloquentis oraculum; *Venit hora ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo: & hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque Me.* (Joan. 16. 2.)

Secundò, Apostolus, dum persequebatur Ecclesiam, proculdubio graviter peccabat, ut ipse fatetur 1. ad Timotheum 1. *Fui blasphemus*, inquit, *& persecutor, & contumeliosus.* Sed præviam illam animi illustrationem & attentionem ad actionis pravitatem non habebat, imò potiùs se laude dignum ob illud facinus existimabat, dum se abundantiùs supra coætaneos suos paternarum traditionum æmulatorem agnoscebat, juxta illud Epistolæ ad *Galatas*, cap. I. *Audistis conversationem meam aliquando in Judaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantiùs æmulator existens paternarum mearum traditionum.* Non ergo necesse est ad peccatum ut attendat peccator ad actionis pravitatem.

Tertiò idem probat Christi Domini pro suis crucifixoribus oratio, Luc. XXIII. *Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* At tantùm abest ut se pravè agere arbitrarentur: imò justitiam se adimplere existimabant, cùm Christum seductorem & malefactorem haberent, non Dominum gloriæ cognoscerent.

Quartò, illos peccare certum est, quos Deus dimisit vias suas ingredi, quosque tradidit in desideria cordis eorum: At illi non modò ad actionis pravitatem non attendunt, nec desiderii ab ea abstinendi stimulis agitantur: quin potiùs cum gaudio & ostentatione quadam nefaria perpetrant facinora. Non est igitur necesse ad imputationem peccati, ut homo ad ejus pravitatem attendat, ejusque vitandi desiderio moveatur. His omnibus exemplis *S. Bernardus* in Tractatu ad *Hugonem à S. Victore*, probat in magnis ignorantiæ tenebris eos versari, qui peccari posse per ignorantiam non agnoscunt.

Adde illa Psalmorum Oracula: Psalm. IX. *Exacerbavit Dominum peccator, secundùm multitudinem iræ suæ non quæret. Non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur judicia tua à facie ejus.* Psal. XLIX. *Intelligite hæc qui obliviscimini Deum, nequando rapiat, & non sit qui eripiat.* Psal. LXXI. *Effunde iram tuam in Gentes quæ te non noverunt.*

Confirmatur ex *S. Augustino*, Lib. I. *Retractationum*, cap. XV. *Nam & qui nesciens peccavit*, (inquit) *non incongruenter nolens peccasse dici potest, quamvis & ipso quod nesciens fecit, volens tamē fecit, ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum. Quæ voluntas utique sicut definita est, animi motus fuit, nullo cogente, ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum. Quod enim si noluisset non fecisset, non coactus est facere. Quia voluit ergo fecit, etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit: Ita nec peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati, quod tamen factum peccatum non fuit: Hoc enim factum est quod fieri non debuit.* At si necessaria esset attentio ad actionis pravitatem, nunquam peccaret qui nescit peccatum esse quod facit, neque solâ facti voluntate, sed etiam voluntate peccati, quodlibet peccatum esset voluntarium.

Peccatum imputatur ei qui volens facit voluntate facti, etsi non voluntate peccati.

Manichæis affingebat Julianus Pelagianus errorem illum, quòd à peccato immunem esse dicerent eum, qui flagitium aliquod perpetraverit ad malitiam ejus non attendens, nec repugnante conscientiâ illud committens, immo exsultante id perpetrans audaciâ, & quasi se bene agere existimans. Quid ad hæc S. Augustinus? De Manichæis ipsis id credere refugit, cæterùm assertionem horret ut Catholicæ Fidei repugnantem, Libro IV. contra Julianum Pelagianum, cap. VIII. *Quid autem ad nos pertinet, quia Manichæos dicere affirmas*, « Si quis homicidium conscientia « formidante commiserit, reus est, quia timuit: « Si autem aliquod facinus exsultante perpetravit « audacia, velut credens se ex fide facere quod malè « fecit, evasit culpam? *Quod quidem nunquam* « *audivi dicere Manichæos. Sed quid ad nos, sive dicant, sive etiam ipsis calumnieris: cùm hoc Catholica Fides non dicat, quam tenemus, & cujus te pondere urgemus?* Et ego id erroris monstrum à Christianis & Religiosis viris hoc sæculo fuisse renovatum ægrè mihi persuaderem, nisi eorum libri, scripta publicis in Scholis dictata, Theses loquerentur & clamarent. Auctorum nominibus parco lubens ex veritate caritatis; quorum errorem oppugno ex caritate veritatis. Satis nobis est, quod *Hoc Catholica Fides non dicat, quam tenemus, & cujus pondere eos urgemus.*

Præterea, hanc Propositionem: *Nunquam peccatur, nisi prævia peccati cognitione animus illustretur, ejúsque vitandi desiderio exstimuletur*, plerique Galliarum Episcopi, & Parisiensis Academia, *Falsam esse, & viam aperire ad excusandas excusationes in peccatis*, olim pronuntiarunt.

Propositio damnata.

Non minùs erronea est illa Propositio: *Peccatum Philosophicum seu Morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi, Theologicum verò & mortale est transgressio libera divinæ Legis. Philosophicum quantumvis grave, in eo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non*

Erroneum peccati Philosophici commentum.

non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum. Quæ Propositio Atheos, & Infideles omnes, & peccata quantumvis gravia perpetrantes, necnon Christianos excæcatos & obduratos, à peccato absolvit, à pœna immones facit: ut felicior illorum conditio hac ex parte videatur, quàm Fideliom qui Deum noverunt, & nondum in illam cæcitatis abyssum prolapsi suot. Paganos in ignorantiæ tenebris sedentes, peccata nihilominus æternâ pœnâ digna commisisse, testatur Apostolus ad Ephesios IV. *Hos igitur dico, & testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.* Et Cap. V. *Nemo vos seducat inanibus verbis; Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Et I. ad Thessalonicenses IV. *Ut sciat unusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione & honore; non in passione desiderii, sicut & Gentes, quæ ignorant Deum: & nemo supergrediatur neque circumveniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, & testificati sumus.* Ad Romanos denique Cap. II. *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primùm & Græci... Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.*

Superflua certè diceretur paterna Dei erga nos sollicitudo, inutilis caritatis divinæ Filium Unigenitum pro salute hominum dantis commendatio censeretur, labores Apostolici pro revocandis ab errore hominibus ut vani abjicerentur, si prava illa opinio recepta esset. Ad quid enim verbi divini Prædicatores in Regiones remotissimas proficiscuntur, si Gentes Christianorum dogmatum insciæ nullatenus Deum offendant, nec peccata mortalia & æternâ pœnâ digna committant; immò in salutis discrimen vocentur documentis & adhortationibus Concionatorum, qui illos ad cogitandum de Deo & de Lege Divina excitant, quam aliàs sine mortalis peccati & æternæ pœnæ reatu violarent, ut peccati Philosophici inventoribus aut propugnatoribus visum est? Non esset cur parentes de sua filiorumque salute solliciti, tam sedulam in illorum institutione operam collocarent; cur Pastores è sacris pulpitis verbum Legémque Dei tam accuratè exponerent: siquidem homines in ignorantia Dei Legúmque divinarum relicti voluptatibus tranquillo servirent animo, & absque peccati formidine. Denique tam exiguus non esset Electorum numerus, tam *Arcta non esset via quæ ducit ad vitam.* Non diceret Propheta, *Longè à peccatoribus salus, quia justificationes tuas non exquisierunt.* Quæ verba S. *Hilarius* expendens Tractatu in Psalmum CXVIII. Litterâ XX. *Non habet veniam*, inquit, *ignoratio voluntatis, quia sub scientia facultate nescire, repudiata magis quàm non reperta scientia est reatus. Ob id enim longè à peccatoribus salus est, quia non exquisierunt justificationes Dei: cùm non utique ob aliud consignata litteris maneant, quàm ut ad universorum scientiam notionémque defluerent.*

Peccati Philosophici commentum ab Ecclesia damnatum.

Meritò itaque *Alexander VIII.* Pontifex Maximus distinctiunculam illam Peccati Philosophici & Theologici; & opinionem quæ hoc veluti cardine nitebatur, damnavit ut *scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam.* Excommunicationem ipso facto incurrendam, Sedique Apostolicæ reservatam tulit in eos omnes, qui hanc Propositionem atque opinionem docuerint, defenderint, ediderint, aut de ea etiam disputaverint, publicè seu privatim (nisi forsan impugnando) tractaverint. In virtute denique sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini Judicii omnibus Christi Fidelibus prohibuit, ne damnatam Propositionem ad praxim deducant, Decreto edito die vigesima quarta Augusti, anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo.

Clerus etiam Gallicanus hanc Propositionem anno MDCC. damnavit: *Si peccatores consummata malitia, cùm blasphemant & flagitiis se immergunt, non habent conscientiæ stimulos, nec mali quod agunt notitiam, cum omnibus Theologis propugno eos hisce actionibus non peccare.* His autem verbis ab illustrissimo & Reverendissimo Clero confixa est:

Hæc Propositio falsa est, temeraria, perniciosa, bonos mores corrumpit, blasphemias aliáque peccata excusat, & ut talis à Clero Gallicano jam damnata est.

REGULA LXXVI.

Ignorantia facti à culpa excusat, si sit insuperabilis, non verò ignorantia legis debito modo promulgatæ, & cujus notitia ad eum qui contra ipsam agit pervenire potuerit.

Quæ ignorantia culpam excusat?

EST Regula Juris 13. in Sexto, IGNORANTIA FACTI, NON JURIS EXCUSAT. Si verò lex debito modo non fuerit promulgata, vel ejus notitia pervenire non potuerit ad eum, qui contra ipsam agit, seu illam non observat, à culpâ excusatur, quia & Juris ignorantia tunc insuperabilis censenda est, ut colligitur ex Cap. *Cùm in tua*, Extra, *De his qui Matrimonium accusare possunt.* Pronuntiat scilicet *Innocentius III.* Ab accusatione Matrimonii repellendum esse, qui solemnium Denuntiationum tempore tacuit, nisi probet Denuntiationem ad ipsum non potuisse pervenire. *Si tempore*, inquit, *Denuntiationis præmissæ, is qui jam cunctos impetit, extra Diœcesim existebat, vel aliàs Denuntiatio non potuit ad ejus notitiam pervenire, ut putà, si nimiæ infirmitatis fervore laborans sanæ mentis patiebatur exilium; vel in annis tam teneris constitutus, quòd ad comprehensionem talium ejus ætas sufficere non valebat; seu aliâ causâ legitimâ fuerit impeditus, ejus excusatio debet audiri. Alioquin cùm rationabiliter præsumatur, quòd Denuntiationem publicè factam idem existens in ipsa Diœcesi minimè ignoravit, tanquam suspectus est proculdubio repellendus*, &c.

Cæterùm statim atque discussa est vel discuti potuit ignorantia etiam facti, reus est qui contra Legem agit. *Si enim conscientia propterea lædi non potuit quia nescivit; nunc incipit lædi, quia scivit: velut si tunicâ de latrocinio nesciens vestiretur, ex illo fit iniquitatis vestis illa, ex quo cognoverit, & ipse iniquus nisi abjecerit: & qui nesciens uxorem duxerit alienam, ex illo fit adulter, ex quo didicerit, nisi discesserit.* Verba sunt S. *Augustini* Libro II. *Contra Cresconium Donatistam*, Cap. XXVI.

REGULA LXXVII.

Insuperabilis ignorantia Juris Censuras illo Jure statutas avertit ab eorum capite, qui contra illud ignorantes agunt.

Quæ ignorantia excuset?

ID colligitur ex Cap. *Ut Animarum*, Tit. *De Constitutionibus*, in Sexto. *Ut Animarum periculis obvietur* (inquit) *Sententiis per Statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes.* Eadémque omnino ratio est de Juris communis ignorantia, cùm nulla pœna infligatur nisi propter peccatum, & ignorantia insuperabilis à peccato penitus excuset: nec Censuræ ferantur nisi in contumaces; & censeri contumax non possit, qui laborat ignorantiâ quæ humano studio vinci non potest.

REGULA LXXVIII.

Animi perturbatio antecedens minuit peccatum, consequens aggravat.

Quæ animi [illegible]

PAssio enim sive animi perturbatio antecedens dicitur, quæ præcedit judicium rationis, & motum voluntatis, eamque trahit vel inclinat. Quod autem ratio & voluntas operantur ex passionis impulsu, minùs liberum est quàm id quod omnino ex se agunt. Ratio namque perturbata minùs accuratè singulas operis circumstantias cognoscere & expendere potest. Quicquid porrò minuit libertatem, minuit peccatum. Contra verò passio consequens, ita nuncupata quòd motum & imperium voluntatis sequatur, ut dum aliquis ultionem de inimico suo experens & meditatus, iram excitat ut vehementiùs agat: peccatum auget, graviúsque facit, quia voluntatis ardorem & propensionem ad peccandum auget, aut illius certè indicium est.

Hanc Regulam confirmat *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione LXXVII. Articulo VI. *Passio*, (inquit) *secundum quòd præcedit actum peccati, sic necesse est quòd diminuat peccatum: actus enim in tantum est peccatum, in quantum est voluntarius & in nobis existens: esse autem aliquid in nobis dicitur per rationem & voluntatem: unde quantò ratio & voluntas ex se aliquid agunt, non ex impulsu passionis, magis est voluntarium & in nobis existens: & secundum hoc passio minuit peccatum, in quantum minuit voluntarium. Passio autem consequens non diminuit peccatum, sed magis auget, vel potiùs est signum magnitudinis ejus, in quantum demonstrat intentionem*, seu vehementem affectum & ardorem *voluntatis ad actum peccati: & sic verum est, quòd quantò aliquis majori libidine vel concupiscentiâ peccat, tantò magis peccat.*

Præterea, quantò major tentatio est, tantò minus est peccatum, quia præceptum faciliùs observari potest nullâ ex adverso tentatione urgente. Unde *S. Augustinus* Libro XIV. *De Civitate Dei*, Cap. XII. de præcepto *Adamo* primo parenti imposito ait: *Tam leve præceptum ad observandum, tam breve ad memoriâ tenendum, ubi præsertim nondum voluntati cupiditas resistebat, (quod de pœna transgressionis postea subsecutum est,) tantò majore injustitiâ violatum est, quantò faciliore posset observantiâ custodiri.* Eò porrò gravior tentatio est, quò vehementior concupiscentia. *Unusquisque enim tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus & illectus*, ut dicitur Jacobi I.

REGULA LXXIX.

Animi perturbationes, quæ usum rationis prorsus tollunt, ab omni culpa excusant, nisi fortè fuerint volita: tunc enim peccata ex illis secuta imputantur homini ut volita in suâ causâ.

De Peccatis ex animi perturbatione commissis.

ITa *S. Thomas* Prima Secundæ, Quæstione LXXVII. Articulo VII. *Passio*, inquit, *quandoque est tanta, quòd totaliter aufert usum rationis, sicut patet in his qui propter amorem vel iram insaniunt; & tunc si talis passio à principio fuerit voluntaria, imputatur actus ad peccatum: quia est voluntarius in suâ causâ, sicut de ebrietate dictum est*, (ei qui sponte inebriatur, imputari tanquam voluntarium quod per ebrietatem committit.) *Si verò causa non fuerit voluntaria, sed naturalis, putà, cùm aliquis ex ægritudine, vel aliquâ hujusmodi causâ incidit in passionem, quæ totaliter aufert usum rationis, actus omnino redditur involuntarius, & per consequens totaliter à peccato excusatur.* Sic phreneticus patrem vel matrem percutiens à peccato excusatur; qui præ violentiâ febris in phrenesim incidit. *Quandoque verò passio non est tanta quod totaliter intercipiat usum rationis, & tunc ratio potest passionem excludere, divertendo ad alias cogitationes, vel impedire ne suum consequatur affectum: quia membra non applicantur operi nisi per consensum rationis. Unde talis passio non totaliter excusat à peccato.*

Et secunda Secundæ, Quæstione CL. Articulo IV. ad tertium: *Concupiscentia*, inquit, *non totaliter ligat rationem sicut ebrietas: nisi fortè sit tanta quòd faciat hominem insanire, & tamen passio concupiscentiæ diminuit peccatum, quia levius est ex infirmitate quàm ex malitiâ peccare.*

Denique Regula generalis esto, secundùm *S. Thomam* Prima Secundæ, Quæstione & Articulo suprà laudatis: *Secundùm hoc solum actus de genere suo malus totaliter à peccato excusatur, quòd totaliter involuntarius redditur: unde si sit talis passio quæ totaliter involuntarium reddat actum sequentem, totaliter à peccato excusat, alioquin non totaliter.*

REGULA LXXX.

Peccatum ex animi perturbatione commissum si ex genere suo mortale sit, nunquam ita minuitur ut veniale fiat, exceptis subitis motibus.

De peccatis ex animi perturbatione commissis.

PEccatum enim mortale positum est in aversione ab ultimo fine, qui est Deus: quæ quidem aversio pertinet ad rationem deliberantem. Hinc ergò solummodò contingere potest, ut inclinatio animæ in aliquid contrarium ultimo fini non sit peccatum mortale, *Quia ratio deliberans non potest occurrere: quod contingit in subditis motibus*, (inquit *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione LXXVII. Articulo VIII.) *Cùm autem ex passione aliquis procedit ad actum peccati, vel ad consensum deliberatum, hoc non subitò: unde ratio deliberans potest hic occurrere: potest enim excludere, vel saltem impedire passionem. Unde si non occurrat, est peccatum mortale: sicut videmus quòd multa homicidia & multa adulteria per passionem committuntur.* Hinc Apostolus ad Romanos VII. ait: *Passiones peccatorum operantur in membris nostris ad fructificandum morti.* Fructum autem mortis afferre, proprium peccati mortalis est: Peccatum igitur ex passione commissum potest esse mortale.

Subiti motus.

Com[illegible] [illegible] cupiditates.

Quamobrem passiones & cupiditates pravæ frenandæ sunt, iisque ratio pervigil occurrere debet, ne limites transgrediantur, ac motus earum coercere

Ad Deum confugiendum. cere & frangere; sicut Deus præcepto suo fluctus maris erumpentes in littore comprimit frangitque ne terram absorbeant: *Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* (Job. 38. 11.) Et sæviente passionum tempestate, naufragiúmque spirituale minitante, ad Deum confugere debemus, & cum Apostolis orando clamare: *Domine, salva nos, perimus.* (Matth. 8. 25.) Ita Jesus in corde nostro dormiens excitabitur, imperabitque ventis & mari, passionum tempestatem sedabit, & fiet tranquillitas magna. Elidendæ sunt pravæ cupiditates & præfocandæ, ubi primùm nascuntur. *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram:* (Psalm. 136. 9.) (inquit Propheta, de Babylonia loquens.) *Quid sunt parvuli Babyloniæ? Nascentes malæ cupiditates,* inquit *S. Augustinus* Enarratione in illum Psalmum. *Quando nascitur cupiditas, antequam robur faciat adversùm te mala consuetudo, cùm parvula est cupiditas, elide illam: sed times ne elisa non moriatur, ad petram elide. Petra autem erat Christus.*

Adversùs cupiditates pugnandum. De pugna rationis cum concupiscentiâ, gratiâ Christi adjuvante, præclarè disserit *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum CXLIII. *Trahis*, inquit, *concupiscentiæ propaginem & traducem mortis: habes contra quod pugnes in te, habes quod expugnes in te. Sed habes quem invoces, ut pugnantem adjuvet te, & vincentem coronet te, qui existentem fecit te..... Cùm confligis, aliud est opus; cùm vincis, aliud opus est; cum pacem & requiem habet, aliud opus est. Suggeritur aliquod lucrum, delectat; habet fraudem, sed magnum est lucrum; delectat, non consentis: pugnam vide; adhuc suadetur, adhuc instatur, adhuc deliberatur: ergo qui pugnat periclitatur. Vidimus pugnam, cetera videamus. Contempsit justitiam ut fraudem faceret, victus est: contemsit lucrum ut justitia serviret; vicit. In his tribus, victum doleo, pugnanti metuo, victori congaudeo. Sed etiam ille qui vicit, numquid omnino egit in se, ut prorsus eum pecunia non admoveat, aut nihil in eo excitet delectationis, quamvis superabilis, quamvis contemtibilis, quamvis non solùm cui non consentiat, sed cum qua nec pugnare dignetur? Inest tamen aliqua delectationis titillatio. Ista titillatio, & ille hostis jam nec pugnat, nec regnat: inest tamen, & quasi moratur in carne mortali, quod non erit. Dicetur enim totum in victoriam, sed posteà: Modo autem Corpus quidem mortuum est propter peccatum,* (Rom. 8.) *& ideo eidem corpori inest peccatum, etsi non regnat peccatum: Spiritus autem vita est propter justitiam. Si autem qui suscitavit Christum à mortuis, habitat in vobis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. Ibi jam nec quod pugnet erit, nec quod titillet: totum cedet in pace. Non enim contraria natura contra aliam naturam pugnat, sed tamquam in domo maritus & uxor. Si adversùs se dissentiant, molestus & periculosus labor; si maritus vincatur, & uxor dominetur, pax perversa; si autem uxor marito dominanti subjiciatur, pax recta: non tamen aliud ex alia natura, quia ex homine facta mulier viro. Caro tua, conjux tua, famula tua; quodlibet deputa, opus est ut subjicias: & si pugnas, ut prosit pugna. Hoc enim expedit, inferius subjici superiori; ut & ille qui sibi subjici vult quod est inferius se, subjiciatur superiori se. Agnosce ordinem, quære pacem. Tu Deo, tibi caro. Quid justius? Quid pulcrius? Tu majori, minor tibi: servi tu ei qui fecit te, ut tibi serviat quod factum est propter te. Non enim hunc ordinem novimus, neque hunc ordinem commendamus, Tibi caro, & tu Deo: sed, Tu Deo, & tibi caro. Qui non obtemperas Domino, torqueris à servo. Nanquid si non priùs tu Deo, ut deinde tibi caro, poteris dicere hæc verba,* Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas in prælium, & digitos meos ad bellum? (Psalm. 143.) *Præliari vis indoctus, damnaberis victus. Primò ergo subdas te Deo, deinde illo docente te & adjuvante te prælieris, & dicas,* Qui docet manus meas in prælium, & digitos meos ad bellum. *Et enim præliaris, quia dum præliaris, periclitaris, dic quæ sequuntur, in præliandi periculo constitutus,* Misericordia mea. *Non vincar.*

Ex his patet sequentium Propositionum damnanda falsitas: *Pleraque peccata, de quibus ait* B Apostolus, *quod qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt, & quæ expressè adversantur præceptis Decalogi, mortalia dici possunt, quoniam horum facinorum rei aut amittere omnem caritatis sensum, aut exiguum retinent, ita ut ipsis omnino dominetur cupiditas.*

Id tamen intelligi posset adhibito eo temperamento, ut qui planè repugnantes ac velut inviti ista perpetrassent, aut gravis mali impendentis metu; aut æstu libidinis abrepti, ita ut ab istis angustiis liberati acri dolore tangerentur ob commissum peccatum; tam certò affirmari non potest excidisse illos gratiâ, aut incurrisse C *pœnam damnationis; quamquam enim hoc momento dominata sit cupiditas, brevis & transitoria potuit esse hujusmodi dominatio, quâ voluntatis intima dispositio non mutatur. Hoc temperamentum naturaliter consequitur ex doctrina S. Augustini.*

Meritò itaque generalis Cleri Gallicani Conventus anno MDCC. has Propositiones damnavit ut *falsas, erroneas, verbo Dei contrarias, ad excusanda & imminuenda cujusvis generis peccata viam aperientes, & imponentes S. Augustino.*

REGULA LXXXI.

D *Peccatum ex malitia gravius est peccato quod ex animi perturbatione sive passione committitur.*

Peccata ex malitia graviora sunt. HAnc Reglam triplici ratione firmat *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione LXXVIII. Articulo IV. Primò, Quantò motus ad peccatum est magis proprius voluntati, tantò peccatum est gravius, ceteris paribus: Cùm autem ex certa malitia peccatur, motus ad peccatum est magis proprius voluntati; quæ ex seipsa in malum movetur, quàm cùm ex passione peccatur, quasi ex quodam intrinseco impulsu ad peccandum. Unde peccatum hoc ipso E quod est ex malitia, aggravatur, & tantò magis, quantò fuerit vehementior malitia: Ex eo verò quod est ex passione, diminuitur tantò magis, quantò passio fuerit magis vehemens.

Secundò, quia passio voluntatem inclinans ad peccandum, citò transit, & sic homo citò redit ad bonum propositum, pœnitens peccati: sed habitus quo homo ex malitia peccat, est qualitas permanens: & ideo qui ex malitia peccat, diuturniùs peccat.

Tertiò, quia peccans ex certa malitia, est F malè dispositus quantùm ad ipsum finem, qui est principium in Moralibus: & sic ejus defectus est periculosior quàm ejus qui ex passione peccat, cujus propositum, secundùm habitum spectatum, tendit in bonum finem, licèt ad horam interrumpatur propter passionem. Defectus autem principii semper est pessimus.

Denique gravius peccatum est, quod graviorem pœnam meretur: at peccatum ex industria seu ex malitia commissum graviorem pœnam meretur, secundùm illud, Job. XXXIV. *Quasi impios percussit eos in loco videntium, qui quasi de*

industria recesserunt ab eo. Quem locum explicans *Sanctus Gregorius* Libro XXV. *Moralium*, Cap. XI. *Gravius quidem*, inquit, *infirmitate quàm ignorantiâ, sed multò gravius studio quàm infirmitate peccatur.*

REGULA LXXXII.

Peccata ex pravo habitu & consuetudine commissa, graviora sunt peccatis ex infirmitate commissis.

De Peccatis ex habitu & consuetudine.

QUi enim utitur habitu vitioso, (inquit *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione LXXVIII.) *necesse est quod ex certâ malitia peccet.* Peccatum autem ex certâ malitiâ gravius est peccato ex infirmitate. Id autem de illis habitibus intelligendum est, quibus non repugnat peccator, nec illis destruendis & extirpandis per Pœnitentiam & bonorum operum frequentationem adlaborat.

Præterea, via absque contemptu peccat, qui in prava peccandi consuetudine perseverat, ut *S. Thomas* docet Secunda Secundæ, Quæstione CLXXXVI. Articulo IX. ad tertium.

Confirmatur hæc Regula ex *S. Isidoro*, Libro II. *De Summo Bono*, Cap. XXIII. *Peccatum*, inquit, *admittere, cadere est in puteum: consuetudinem verò peccandi facere, os putei est coangustare ne is qui cecidit, valeat exire.* Et Paulo post: *Malum est peccare, pejus est peccandi consuetudinem facere. Ab illo facilè, ab hoc magno cum labore resurgitur, dum mala consuetudini repugnatur. Malè agendi consuetudinem recessum esse Propheta asserit in profundum, cujus usu, quasi quadam lege homo tenetur adstrictus, ut etiam quando non vult, peccatum admittat.* Et rursùs: *Iteratio peccati gravior est, sicut si morbus super morbum veniat: sicut si imber super imbrem occurrat.*

Hinc Cap. *Tantò*, Extra, *De Consuetudine*, Gregorius IX. ait: *Tanto sunt graviora peccata, quantò diutius infelicem animam detinent alligatam.*

Hinc etiam Canone *Diaconi sunt*, Distinctione XCIII. dicitur: *Assiduè peccanti Deus non miseretur*; id est, iteratò non miseretur faciliè, ut explicat Glossa. *Nam vulnus iteratum sanatur tardiùs: frequenter peccans & lugens vix veniam meretur*; ut habetur Canone *Inanis*, Distinctione III. *De Pœnitentia.*

Miserabilis status hominis peccandi consuetudine irretiti.

Hominis pravo habitu & diuturna consuetudine peccandi irretiti miserabilem statum sub *Lazari* in monumento quatriduani, jamque fœtentis typo adumbratum non semel docet *Sanctus Augustinus*; ejúsque conversionem otii & Lazari resurrectionem, difficiliorem esse. Ita Sermone XCVIII. aliàs XLIV. *De Verbis Domini*, Cap. V. *Qui faciendo quod malum est*, inquit, *etiam malâ consuetudine se implicant, ut ipsa consuetudo mali non eos sinat videre quia malum est, fiunt defensores malorum factorum suorum irascuntur cùm reprehenduntur; in tantùm ut Sodomitæ quondam dicerent viro justo reprehendenti nequissimam voluntatem, Habitare venisti, non leges dare. Tanta ibi nefandæ turpitudinis consuetudo erat, ut jam nequitia esset justitia, & prohibitor potiùs reprehenderetur quàm factor.* Genes. 19.

Tales consuetudine malignâ pressi, tanquam sepulti sunt. Sed quid dicam, Fratres? Ita sepulti, ut de Lazaro dictum est, Jam putet. Moles illa imposita sepulcro, ipsa est vis dura consuetudinis, quâ premitur anima, nec surgere, nec respirare permittitur. Dictum est autem, Quatriduanus est. *Revera ad istam consuetudinem quarto quodam progressu pervenit anima. Prima est enim quasi titillatio delectationis in corde, se-*

Gradus quibus ad pravam consuetudinem perveniunt anima.

cunda consensio, tertium factum, quarta consuetudo. Sunt enim qui res illicitas obvias cogitationibus suis prorsus ita abjiciunt, ut nec delectentur. Sunt qui delectantur, & non consentiunt: nondum perfecta mors est, sed quodam modo inchoata. Delectationi accedit consensio, jam est illa damnatio. Post consensionem in factum proceditur: factum in consuetudinem vertitur: & fit quadam desperatio, ut dicatur, Quatriduanus est, jam putet. *Venit ergo Dominus cui utique facilia erant omnia; & difficultatem quamdam ostendit ibi. Infremuit spiritu, ostendit multo clamore objurgationis opus esse ad eos qui consuetudine duruerunt. Tamen ad vocem clamantis Domini, rupta sunt vincula necessitatis. Tremuit inferni dominatio, redditus est Lazarus vivus. Liberat enim & de mala consuetudine Dominus quadriduanos mortuos: nam & ipse quadriduanus Christo resuscitare volenti dormiebat. Sed quid ait? Videte genus resuscitantis. Processit de monumento vivus, & ambulare non poterat. Et Dominus ad Discipulos*; Solvite eum, & sinite abire. *Ille suscitavit mortuum, illi solverunt ligatum. Aliquid pertinere videte ad propriam Majestatem Dei suscitantis. Increpatur aliquis in mala consuetudine positus, verbo veritatis. Quàm multi increpantur, & non audiunt? Quis ergo agit intus cum illo qui audit? Quis vitam inspirat intrinsecus? Quis est qui secretam pellit mortem, secretam dat vitam? Nonne post objurgationes, post increpationes, dimittuntur homines cogitationibus suis, & incipiunt secum volvere quàm malam vitam gerant, quàm pessimâ consuetudine premantur? Deinde displicentes sibi, mutare vitam instituunt. Resurrexerunt, isti revixerunt, quibus displicet quod fuerunt: sed revivіscentes ambulare non possunt. Hæc sunt vincula ipsius reatus. Opus est ergo, ut qui revixit, solvatur, & ire permittatur. Hoc officium Discipulis dedit, quibus ait*, QUÆ *solveritis in terra, soluta sunt & in cœlo.*

Ex prava consuetudine moralis quædam peccandi necessitas emergit.

Ex prava consuetudine moralis quædam peccandi necessitas emergit, libertatem non minuens, sed augens, quia in illam homo voluntate prolapsus est. De qua *S. Augustinus*, Libro VIII. *Confessionum*, Cap. V. *Suspirabam*, inquit, *ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido. Et dum servitur libidini, facta est consuetudo. Et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis sibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obstrictum dura servitus.* Et infra: *Lex*, inquit, *peccati, est violentia consuetudinis, quâ trahitur & tenetur etiam invitus animus, eo merito quo in eam volens illabitur.*

Peccandi consuetudo ad duritiem cordis sensim perducit.

Pravus habitus & peccati consuetudo ad duritiem cordis sensim perducit. *Primùm sibi importabile videtur aliquid*; (inquit *S. Bernardus* Libro I. *De Consideratione*, Cap. II.) *Processu temporis, si assuescas, judicabis non adeo grave, paulo post & leve senties, paulo post nec senties, paulo post etiam delectabit. Ita paulatim in cordis duritiam itur, & ex illa in aversionem. Sic gravis & continuus dolor citum habiturus est exitum, aut sanitatem profectò, aut insensibilitatem. Vereor ne in mediis occupationibus, dum diffidis finem, frontem dures, & ita sensim te ipsum quodammodo prives sensu justi utilisque doloris. Multo prudentiùs te illis subtrahas vel ad tempus, quàm patiare trahi ab ipsis, & duci certè paulatim quo tu non vis. Quæris quò? Ad cor durum. Nec pergas quærere quod illud sit, si non expavisti, tum hoc est. Solum est cor durum, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit. Quid me interrogas? Interroga Pharaonem. Nemo duri cordis salutem unquam adeptus est, nisi quem fortè miserans Deus, abstulit ab eo, juxta Prophe-*

DE PECCATIS.

Ezech. 16. *tam, cor lapideum, & dedie cor carneum. Quid
ergo cor durum? ipsum est quod nec compunctione
scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur preci-
bus: Minis non cedit, flagellis duratur. Ingra-
tum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judi-
cia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum
ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium
ad divina, præteritorum obliviscens, præsentia ne-
gligens, futura non prævidens. Ipsum est cui præ-
teritorum, præter solas injurias nihil omnino non
præterit, præsentium nihil non perit, futurorum
nulla, nisi fortè ad ulciscendum, prospectio seu præ-
paratio est. Et ut brevi cuncta horribilis mali mala
complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec
hominem reveretur.*

Et Sermone LXXXI. in Cantica: *Quod surgere*
Necessitas voluntaria. (inquit) *anima per se jam non potest, quæ per se
cadere potuit, voluntas in causa est, quæ corrupti
corporis vitiato ac vitioso amore languescens & ja-
cens, amorem pariter justitiæ non admittit. Ita nes-
cio quo pravo & miro modo ipsa sibi voluntas, pec-
cato quidem in deterius mutata, necessitatem facit,
ut nec necessitas cùm voluntaria sit, excusare valeat
voluntatem: Nec voluntas cùm sit illecta, excludere
necessitatem. Est enim necessitas hæc quodammodo
voluntaria. Est favorabilis vis quadam premen-
do blandiens; & blandiendo premens: Unde sese rea
voluntas, ubi semel peccato consenserit, nec excutere
jam per se, nec excusare tamen ulla tenus, de ratione
queat. Inde querula illa vox veluti gementis sub
» onere necessitatis hujus:* Domine, inquit, vim pa-
Isaiæ 38. » tior, responde pro me. *Sed rursus sciens quod
non justè causaretur adversus Dominum, cùm vo-
luntas sua ipsius potiùs in causa foret, attende quid
» intulerit:* Quid dicam, aut quid respondebit
» mihi: cùm ipse fecerim? *Premebatur jugo, non
alio tamen quàm voluntariæ cujusdam servitutis? Et
erat pro servitute quidem miserabilis, sed pro volun-
tate inexcusabilis. Voluntas enim est quæ se, cùm li-
bera esset, servam fecit peccati, peccato assentiendo:
Voluntas nihilominus est, quæ se sub peccato tenet,
voluntariè serviendo...... Ita anima miro quo-
dam & malo modo sub hac voluntaria quadam ac
malè libera necessitate & ancilla tenetur & li-
bera: Ancilla propter necessitatem, libera prop-
ter voluntatem: & quod magis mirum magisque
miserum est, eò rea quò libera, eòque ancilla quò
rea, ac per hoc eò ancilla quò libera. Miser ego
homo, quis me liberabit à calumnia hujus pudendæ
servitutis? Miser, sed liber. Liber, quia homo:
Miser, quia servus. Liber, quia similis Deo: Mi-*
Job. 7. 20. » *ser, quia contrarius Deo.* O Custos hominum,
» quare posoisti me contrarium tibi? *Posuisti enim
cùm non prohibuisti. Alioquin enim ipse me posui,*
» & factus sum mihimetipsi gravis. *Justissimè
quidem, ut hostis tuus, hostis sit & meus, & qui
tibi repugnat, repugnet & mihi. Ego verò qui tibi,
ego qui mihimet contrarius factus sum; atque in mem-
bris meis invenio quod contradicat & menti meæ, &
legi tuæ. Quis me liberabit de manibus meis? Non
enim quod volo, hoc ago; sed me, non alio prohi-
bente. Et quod odi, illud facio; sed me, non alio
compellente. Atque utinam prohibitio hæc & hæc
compulsio, ita esset violenta, ut non esset voluntaria,
forsitan enim sic possem excusari: Aut certè ita esset
voluntaria, ut non violenta, profectò enim sic possem
corrigi. Nunc verò nusquam exitus misero patet,
quem & voluntas (ut dixi) inexcusabilem, &*
» *incorrigibilem necessitas facit.* Quis me eripiet
Psalm. 70. 4. » de manu peccatoris, & de manu contra le-
» gem agentis, & iniqui? *Quærit quis de quo
querar? De me. Ego ille peccator, ille exlex,
ille iniquus.*

A DE PECCATIS.

Hoc in statu obdorationis positus peccator,
Divitias bonitatis & longanimitatis Dei contem- Rom. 2.
*nit, ignorans quoniam patientia Dei ad pœnitentiam
illum adducit:* Ille autem *secundùm duritiam suam,
& impœnitens cor, thesaurizat sibi iram in die iræ
& justi judicii Dei.* (ut ait Apostolus.) Hæc
enim obstinatio cordisque durities ad impœni- Matth. 12.
tentiam perducit, quod peccatum est in Spiri-
tum Saoctum, in hoc & in futuro seculo
irremissibile. Est enim *Frigus Dei*, qui *dese-
rit peccatorem, non vocat, non aperit sensum, non*
B *infundit gratiam*: (ut docet *S. Augustinus* Enar-
ratione in Psalm. CXLVII.)

REGULA LXXXIII.

Violentia omnino excusat à peccato.

NUllum enim esse potest absque voluntate Violentia excusat à peccato.
peccatum. At violentia involuntarium cau-
sat, ut docet *S. Thomas*, Prima Secundæ,
Quæst. VI. Articulo V.

Confirmatur ex Concilio Ancyrano, Canone
C III. cujus hæc sunt verba: *Qui fugientes com-
prehensi sunt, vel à domesticis traditi, vel ademptis
facultatibus sustinuere tormenta, aut in custodiam tru-
si proclamaverunt se Christianos esse, & eò usque
adstricti sunt, ut manus eorum comprehendentes vio-
lenter attraherent, & funestis sacrificiis admoverent,
aut aliquid polluti cibi per necessitatem sumere coge-
rentur; confitentes jugiter se Christianos esse, & lu-
ctum rei, quæ contigit, incessabiliter ostendentes omni
dejectione & habitu, & humilitate vitæ: Hos velut
extra delictum consistentes, à Communionis gratiâ
non vetamus.* Refertur Canone *Presbyteros*, Dist.
D L. Idémque docet *Innocentius III.* cap. *Majores*,
Extra, *De Baptismo & ejus effectu*, cujus hæc sunt
verba: *Ille verò qui nunquam consentit, sed peni-
tus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit
Sacramenti.... Sicut nec ille notam alicujus reatus
incurrit, qui contradicens penitus & reclamans,
thurificare Idolis cogitur violenter.*

Hinc etiam virgo vi oppressa insons est. Un-
de *B. Luciа* dicebat Tyranno: *Si invitam jusse-
ris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.*
Hinc *S. Augustinus* Epistolâ CCXXVIII. aliàs
CLXXX. ad *Honoratum*, ait: *Violentiâ non viola-* Violentiâ non violatur pudicitia, si mente servetur.
tur pudicitia, si mente servatur: Quoniam nec in
E *carne violatur, quando voluntas patientis suâ tur-
piter carne non utitur, sed sine consensione tolerat
quod alius operatur.* Et Lib. 1. *De Civitate Dei*,
cap. XVIII. *At enim* (inquit) *ne vel aliena pol-
luat libido metuitur? Non polluet, si aliena erit:
Si autem polluet, aliena non erit. Sed cùm pudici-
tia virtus sit animi, comitémque habeat fortitudi-
nem, quâ potiùs quælibet mala tolerare, quàm malo
consentire decernit; nullus autem magnanimus & pu-
dicus in potestate habeat quid de suâ carne fiat, sed
tantùm quid annuat mente vel renuat; quis eâdem
sanâ mente putaverit se perdere pudicitiam, si fortè*
F *in apprehensâ & oppressâ carne suâ exerceatur &
expleatur libido non sua? Si enim hoc modo pudici-
tia perit, profectò pudicitia virtus animi non erit;
nec pertinebit ad ea bona, quibus bene vivitur, sed
in bonis corporis numerabitur: Qualia sunt, vires,
pulchritudo, sana integráque valetudo, ac si quid
hujusmodi est: Quæ bona, etiamsi numerantur, bo-
nam justámque vitam omnino non minuunt. Quòd si
tale aliquid est pudicitia, ut quid pro illa ne amit-
tatur, etiam cum periculo corporis laboratur? Si
autem animi bonum est, etiam oppresso corpore non
amittitur. Quin etiam sanctæ continentiæ bonum,
cùm immunditiæ carnalium concupiscentiarum non*

cedit, & ipsum corpus sanctificatur, & ideò cum eis non cedere inconcussâ intentione persistit, nec de ipso corpore perit sanctitas, quia eo sanctè utendi perseverat voluntas, & quantùm in ipso est, etiam facultas. Neque enim eò corpus sanctum est, quòd ejus membra sunt integra, aut eò quòd nullo contrectantur adtactu; cùm possint diversis etiam casibus vulneratu vim perpeti, & Medici aliquando saluti opitulantes hæc ibi faciant, quæ horret adspectus. Obstetrix virginis cujusdam integritatem manu velut explorans, sive malevolentiâ, sive inscitia, sive casu, dum inspicit, perdidit. Non opinor quemquam tam stultè sapere, ut huic periisse aliquid existimet, etiam de ipsius corporis sanctitate, quamvis membri illius integritate jam perditâ. Quocirca proposito animi permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatem violentia libidinis alienæ, quam servat perseverantia continentia sua. An verò si aliqua femina mente corrupta, violatóque proposito quod Deo voverat, pergat vitianda ad deceptorem suum, adhuc eam pergentem sanctam vel corpore dicimus, eâ sanctitate animi, per quam corpus sanctificabatur, amissâ atque destructâ? Absit hic error, & hinc potiùs admoneamur, ita non amitti corporis sanctitatem, manente animi sanctitate, etiam corpore oppresso; sicut amittitur corporis sanctitas violatâ animi sanctitate, etiam corpore intacto.

Hinc *S. Leo* Epistolâ I. aliàs LXXXVII. ad Episcopos Africanos Provinciæ Mauritaniæ Cæsariensis, cap. VIII. de Virginibus vi barbarica oppressis respondet: *Illa autem Famula Dei, quæ integritatem pudoris oppressione barbarica perdiderunt, laudabiliores erunt in humilitate ac verecundia, si se incontaminatis non audeant comparare Virginibus. Quamvis enim omne peccatum ex voluntate nascatur; & potuerit corruptione carnis mens invita non pollui: Minùs tamen hoc illis oberit, si quod potuerunt animo non amittere, doleant se vel corpore perdidisse*, Refertur Canone *Illa autem*, 14. Causâ XXXII. Quæst. V.

Non sufficit ad perfectam violentiam quæ à peccato excuset, ut mens repugnet facinori, nisi vir etiam aliter opere etiam externo renitatur quantum potest.

Noo sufficit tamen ad perfectam violentiam, quæ involuntarium facit, & à peccato penitus excusat, ot meos repugnet facinori, sed necesse est ut homo etiam opere externo renitatur quantùm potest. Unde si virgo per vim opprimatur, animo quidem repugnans facinori, sed vel clamore, vel totis etiam viribus non resistens stupratori, perfectam violentiam passa non censetur, nec à peccato est immunis. *Voluntarium enim potest aliquid dupliciter dici;* (inquit *S. Thomas* loco supra laudato, ad secondum.) *Uno modo secundùm actionem, putà cùm aliquis vult aliquid agere: Alio modo secundùm passionem, scilicet cùm aliquis vult pati ab alio. Unde cùm actio infertur ab aliquo exteriori, manente in eo qui patitur voluntate patiendi, non est simpliciter violentum: Quia licèt ille qui patitur, non conferat agendo, confert tamen volendo pati. Unde non potest dici involuntarium.*

Quamvis autem oon omnino insoutes siot, quibus infertur violentia, si mente solà, non aotem opere exteriori, vel toto conatu, viribúsque facinori reluctantur, tamen minùs rei sunt iis qui nec mente repugnant, sed plenè consentiunt. Tales erant, qui ad profana & sacrilega Ethnicorum sacrificia ducti, vel compulsi, totis quidem viribus non reluctabantur, sed repugnantem voluntatem externis mœroris signis, & externo habitu obtendebant. Unde mitiorem illis Pœnitentiam Concilium Ancyranum imponendam decrevit Canone IV. *De his* (inquit) *qui sacrificare coacti sunt, insuper & cœnaverunt in idolio, quicunque eorum, cùm ducerentur, latiore habitu fuerunt, & vestimentis pretiosioribus usi sunt, & præparata cœna indifferenter participes extiterunt: Placuit eos inter Audientes uno anno consistere; succumbere verò,* (sive prosterni) *tribus annis; in oratione autem communicare biennio: & tunc ad Perfectionis gratiam* (id est ad Eucharistiæ communionem,) *pervenire. Quotquot autem ascenderunt Templa veste lugubri, & recumbentes per omne tempus flevere discubitùs, si compleverint Pœnitentiam triennii temporis, sine oblatione suscipiantur. Si autem non manducaverunt, biennio subjecti Pœnitentiæ, tertio anno sine oblatione communicent, ut perfectionem quadriennio consequantur.*

REGULA LXXXIV.

Metus ita gravis & vehemens ut hominem sui compotem non relinquat, à peccato penitus excusat.

NOn enim vitio vertuntur, quæ ex mentis deliberatione non processerunt, cùm sint penitus involuntaria. An metus peccatum excuset vel minuat?

REGULA LXXXV.

Metus etiam gravis non excusat omnino à peccato hominem, quem sui compotem relinquit, in iis quæ sunt per se & intrinsecè mala.

MEtus vulgò dividitur in levem & justum. Levis dicitur, quo leve malum timetur, aut grave quidem, sed ex causa levi nec probabili. Quo metu personæ leves & meticulosæ percelli solent. Justus vocatur, quo ex causa probabili grave malum timetur, vel futurum, vel imminens. Et quia hujusmodi metu etiam graves & constantes viros percelli contingit, dicitur metus cadens in constantem virum. Mala autem gravia, quæ, dum verisimiliter imminent, metum justum incutiunt, sunt mors, mutilatio membrorum, enormia verbera, carcer, exilium, servitus, damnatio ad triremes, proscriptio vel gravis jactura bonorum, ablatio instrumentorum artis ex qua homo victum quærit, infamia gravis nec facilè abolenda, Excommunicatio injusta.

Quòd aotem metus gravis non excuset omnino à peccato hominem sui compotem, in iis quæ sunt per se & iotrinsecè mala, inde probatur, qoòd ea quæ per se mala sont, nollo evento desinant esse mala: & volontarium sit simpliciter quod fit ex metu, quatenus spectatur secundùm accidentia circomfusa, sive secundùm circumstantias; quamvis secundùm se, & seclusis illis circomstantiis involuntarium sit: Sic projectio mercium in mare ad navim & vitam servandam, imminente naufragio, voluntaria est, quæ aliàs voluntati repognaret. *Illud ergo quod per metum agitur, absque conditione est voluntarium, id est, secundùm quòd actu agitur: sed involuntarium est sub conditione, id est, si talis metus non immineret:* (inquit *S. Thomas* Prima Secundæ, Quæst. VI. Art. VI.) Et Secunda Secundæ, Quæst. CXXV. Articulo III. *Si aliquis,* (inquit) *propter timorem quo refugit periculum mortis, vel quodcunque aliud temporale malum, sic dispositus est ut faciat aliquid prohibitum, vel prætermittat aliquid quod est præceptum in lege divina: talis timor est peccatum mortale.* Et certè, soli peccato mortali debetur pœna inferni, quæ tamen debetur timi-

dis, secundùm illud Apocalypsis xxi. *Timidis & incredulis... pars erit in stagno ignis & sulphuris, quod est mors secunda.*

Et Articulo iv. *Si aliquis per timorem fugiens mala, quæ secundùm rationem sunt minùs fugienda, incurrat mala quæ secundùm rationem sunt magis fugienda: non posset totaliter à peccato excusari, quia timor talis inordinatus esset. Sunt autem magis timenda mala animæ, quàm mala corporis; corporis autem magis quàm mala exteriorum rerum. Et ideo si quis incurrat mala animæ, id est, peccata, fugiens mala corporis, putà, flagella vel mortem; aut mala exteriorum rerum, putà, damnum pecuniæ; aut si sustineat mala corporis ut vitet damnum pecuniæ, non excusatur totaliter à peccato.* At quæ sunt per se & intrinsecè mala, semper peccata sont: Igitur sunt magis timenda ipsa morte corporis, quæ *Omnium terribilium terribilissimum* in Scriptura Sacra vocatur. Quamobrem in his quæ suot per se mala, metus non excusat ex toto à peccato.

Confirmatur ex *S. Augustino*, Lib. *De Agone Christiano*, cap. xxxiii. obi docet, Diabolum per timorem & cupiditatem tanqoam per duas jannas intrare. *Perfecta caritas*, (inquit) *nec cupiditatem habet sæculi, nec timorem sæculi, id est, nec cupiditatem ut acquirat res temporales, nec timorem ut amittat res temporales. Per quas duas januas intrat & regnat Inimicus, qui primò Dei timore, deinde caritate pellendus est.* At per timorem non intraret & regnaret Inimicus, si timor à peccato omnino excusaret.

REGULA LXXXVI.

Metus gravis aliquatenus excusat minuitque peccatum, etiam in iis quæ sunt intrinsecè mala.

An metus peccatum excuset vel minuat?

Minuit enim voluntarium, ac libertatem ejus, qui metu id agit, quod alioquin facturus non erat, ut docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. cxxv. A. iv. *Diminuitur tamen* (inquit) *secundùm aliquid ejus peccatum, quia minùs voluntarium est quod ex timore agitur. Imponitur enim homini quadam necessitas aliquid faciendi propter timorem imminentem.*

Confirmatur ex Concilio Ancyrano, Canone v. Pœnitentiam quidem publicam, sed breviorem, minúsque gravem imponente *His qui minis tantùm cessere pœnarum, aut privatione facultatum territi, aut demigratione, sacrificaverunt.*

Confirmatur secundò ex *S. Leone*, Epistolâ cxxix. aliàs lxxix. ad *Nicetam* Episcopom Aquileiensem, cap. v. ubi respondet, His qoi captivi cùm essent, idolothyta fame vel meto compellente comederant, leviorem imponendam esse Pœnitentiam. *De his autem Christianis* (inquit) *qui inter eos, à quibus fuerant captivati immolatitiis cibis asseruntur esse polluti, consultationi Caritatis tuæ hoc etiam respondendum esse credidimus, ut Pœnitentiæ satisfactione purgentur, quæ non tam temporis longitudine, quàm cordis compunctione pensandæ est. Et sive hoc terror extorserit, sive fames suaserit, non dubitetur abolendum, cùm hujusmodi cibus pro metu aut indigentiâ, non pro Religionis veneratione sit sumptus.*

Et cap. vi. Cùm his etiam humaniùs agendum esse respondet, qui meto vel errore sont rebaptizati. *His verò* (inqoit) *de quibus Dilectio tua similiter Nos credidit consulendos, qui ad iterandum Baptismum vel metu coacti sunt, vel errore traducti, & nunc se contra Catholicæ Fidei Sacramentum egisse cognoscunt, ea custodienda est moderatio, quâ in societatem nostram nonnisi per Pœnitentiæ remedium, & per impositionem Episcopalis manûs, Communionis recipiant unitatem, tempora pœnitudinis tuo constituente judicio, prout conversorum animos perspexeris esse devotos.*

An metus peccatum excuset vel minuat?

Confirmatur tertiò ex Canone *Imprimis*, Causâ ii. Quæst. i. ubi *S. Gregorius* jubet, ot Episcopis, qui alterius Episcopi depositioni metu Judicis consenserant, levior imponatur Pœnitentia: *Si autem* (inquit) *Episcopi in præjudicium condemnationis, vel depositionis memorati Stephani, se metu Judicis consensisse, & talia fecisse non sua sponte professi fuerint, tempus eis abbreviandum est, & modus Pœnitentiæ temperandus.* Sumptum est ex Epistola 4. Libri xi. ad *Joannem Defensorem* data.

Confirmatur quartò ex cap. *Sacris*, Extra, *De his quæ vi metúsve causâ fiunt*, obi *Innocentius III.* aliter censendum respondet de eo, qui cum excommunicato coactione adstrictus communicat, & de eo qui metu adductus hujusmodi communione polloitur. *In primo casu* (inquit) *talem non credimus Excommunicatione teneri, cùm magis pati, quàm agere convincatur. In secundo, licèt metus attenuet culpam; quia tamen non eam prorsus excludit, cùm pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, Excommunicationis labe credimus inquinari.*

Metom aliquatenus minuere culpam dixi, quia non ita minuit ut de mortali venialem faciat; sed quòd relinqoendo peccatum intra limites mortalis, si sit ex se mortale, faciat ut sit levius quàm aliàs esset secluso metu. Unde nusquam à mortali peccato excusantur qui metu tormentorum quantumcunque gravium, aut etiam mortis pejerant, Christum negant, falsam Religionem simulant, Sacramenta violant, furta, aot homicidia committunt, fornicantur, aot hujosmodi peccatis cooperantur, vel consentiont. Quævis enim atrocissima supplicia potiùs toleranda sunt, & mors ipsa perferenda, quam ut Deum offendamos. Atque in eo maximè Christianam fortitudinem exercere debemus, quæ *Usque ad mortem certat pro justitia*, ut præcipit Deus *Ecclesiastici* iv. Hæc fortitudo Martyrom nostrorum animos io bono virtutis confirmavit, ut fidem & justitiam propter metum persecutionum, soppliciorum quæ intentabat, ioferebátqoe exqoisitissima crudelitas, & mortis ipsius, non desererent. Primo scilicet homini dictum est, *In quacunque die comederis, morte morieris.* Christiano homini dicitur, *Morere ne pecces.* Quod ille accepit in pœna, hoc contemnunt homines pro victoria. Primis parentibus *Mortem comminatus est Deus, ne peccarent: Mortem Martyribus inimicus comminatus est, ut peccarent. Illi ut morerentur, peccaverunt: Martyres mortui sunt, ne peccarent. Unde illic pœna inflicta, inde istic gloria suscitata.* (inquit *S. Augustinus*, Sermone cccxviii. aliàs xxv. inter editos à *P. Sirmondo.*)

Ex his patet quàm meritò damnata sit inter alias ab *Innocentio XI.* Pontifice Maximo hæc Propositio: *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum Administrationem simulandi.*

Propositiones damnatæ.

Item ista: *Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, putà, ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.*

Ex iisdem principiis damnata est & ista ab *Alexandro VII.* inter alias: *Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

REGULA LXXXVII.

Gravius illorum peccatum est, qui futurorum malorum, quàm eorum qui præsentium metu peccant.

An metus peccatum excuset vel minuat?

MInùs enim terrent futura mala, quàm præsentia: minùs itaque rationem perturbant, libertatémque minuunt. Insignis est hanc in rem *S. Cyprian* locus, Tractatu *De Lapsis*, ubi de illis qui metu exilii, aut proscriptionis bonorum, & de illis qui vi tormentorum Christum negaverant, & idolis immolaverant, sic loquitur. *Nec est, proh dolor! justa aliqua, & gravis causa, quæ tantum facinus excuset: Relinquenda erat patria, & patrimonii facienda jactura. Cui enim nascenti atque morienti non relinquenda quandoque patria, & patrimonii sui facienda jactura? Ut Christus non relinquatur, salutis ac sedis æternæ jactura timeatur.... Sed tormenta postmodum ventura erant, & cruciatus graves reluctantibus minitabant. Queri de tormentis potest, qui per tormenta superatus est: Excusationem doloris obtendere, qui victus est in dolore, potest rogare talis & dicere: Certare quidem fortiter volui, & sacramenti mei memor, devotionis ac fidei arma suscepi, sed me in congressione pugnantem cruciamenta varia & supplicia longa vicerant. Stetit mens stabilis, & fides fortis, & cum torquentibus pœnis immobilis diu anima luctata est: sed cum durissimi Judicis recrudescente sævitiâ, jam fatigatum, jam lassum corpus nunc flagella scinderent, nunc fustes contunderent, nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret, caro me in colluctatione deseruit, infirmitas viscerum cessit, nec animus, sed corpus in dolore defecit. Potest citò proficere ad veniam causa talis: potest ejusmodi excusatio esse miserabilis. Sic Casto & Æmilio aliquando Dominus ignovit: sic in prima congressione devictos, victores in secundo prælio reddidit, ut fortiores ignibus fierent, qui ignibus antè cessissent: & unde superati essent, inde superarent. Manabat pro fletibus sanguis, & pro lacrymis cruor semiustulatis visceribus destillebat. Nunc verò quæ vulnera ostendere victi possunt? Quas plagas hiantium viscerum? Quæ tormenta membrorum, ubi non fides congressa cecidit, sed congressionem perfidia prævenit? Nec excusat oppressum necessitas criminis, ubi crimen est voluntarium.*

REGULA LXXXVIII.

In iis quæ non sunt per se & intrinsecè mala, sed ideo tantùm mala quia prohibita, metus gravis ut plurimum à peccato penitus excusat.

An metus peccatum excuset vel minuat?

LEx enim sive naturalis, sive divina, secundùm præcepta positiva spectatæ, non semper obligant cum vitæ aut gravis mali periculo: Multò minùs verò ita obligant semper vel utplurimum humanæ leges: in his igitur interdum, imò sæpe à peccato penitus excusat metus gravis.

De præceptis positivis Legis naturalis perspicua propositio est: Lex enim de reddendo deposito non obligat eum, cui ex redditione depositi mors imminet. Lex de eleemosyna eroganda graviter indigenti, non obligat eum qui fame moriturus est, si panem, quem unicum habet, alteri tribuat. Lex de secreto servando non obligat eum, cui mortem, membrorum mutilationem, gravissima verbera, durum carcerem, perpetuam infamiam allatura esset ejus observatio, nisi sit ejusmodi arcanum, cujus observantia sit majoris momenti, quàm vita, fama, libertas cujuslibet privati, qualia sunt arcana Religionem spectantia, ut secretum Confessionis sacramentalis; vel ea quibus Ecclesiæ, aut Reipublicæ commune bonum, Regisve salus & vita consistunt, & quorum revelatione in discrimen adducerentur.

De Præceptis Legis divinæ positivæ res non minùs explorata est. Nam David urgente necessitate comedit Panes Propositionis, ut refertur 1. *Reg.* XXI. Quos alioquin comedere iis qui ex familia Sacerdotali non essent, Lex vetabat, *Levit.* XXIV. Davidísque factum Christus approbat *Matth.* XII. eadem ratione excusans Discipulos, quòd Sabbato spicas vellerent. Et Sabbatis Sacerdotes in Templo Sabbatum violabant sine crimine, ut ibidem Salvator ait. *Nam Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter Sabbatum*, ut idem rursùs ait *Marci II.*

De Legibus humanis, tam Ecclesiasticis, quàm Civilibus, idem communi suffragio Theologi censent: excusari, verbi gratiâ, à Jejunio, à Missa diebus Festis audienda, ab Horis Canonicis recitandis, à vitandis Excommunicatis, aliisque similibus, eos qui sine vitæ, aut alterius gravis incommodi periculo præcepta illa servare non possunt. Hinc *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. CXLVII. Art. IV. ad primum: *Præcepta* (inquit) *Dei, sunt præcepta juris naturalis, quæ secundùm se sunt de necessitate salutis: Sed præcepta Ecclesiæ sunt de his quæ non per se sunt de necessitate salutis, sed solùm ex institutione Ecclesiæ. Et ideo possunt esse aliqua impedimenta, propter quæ aliqui ad observanda jejunia hujusmodi non tenentur.* Idem esto de legibus civilibus judicium. Cùm enim legum ferendarum potestas data sit hominibus propter bonum commune, quod nec semper, nec utplurimum postulat ut subditi ad ea, quæ præcipiunt, exequenda cum periculo vitæ obligentur, certum est leges ab ipsis conditas cum periculo tam gravi non obligare; adeóque justum gravis periculi metum ab earum observantiâ sæpiùs excusare.

In his metum gravem à peccato utplurimum excusare dixi: Certi enim sunt casus quibus etiam humanæ leges cum vitæ periculo obligant, ubi de Ecclesiæ vel Reipublicæ communi bono agitur, quod procurari non potest, nisi privatorum vita, qui corporis Ecclesiastici aut Politici membra sunt, periculo exponatur. Quamobrem Episcopus & Parochus sæviente in universum gregem Christianum persecutione, aut grassante peste, vel obsidionis aut excidii imminente periculo, manere in Diœcesi vel Parochia, & fidem confiteri, prædicare, Fideles in ea confirmare, Sacramenta administrare tenentur, ut docet *S. Augustinus*, Epistolâ CCXXVIII. aliàs CLXXX. ad *Honoratum*. Si enim fugiant, Christiana Plebe manente, ministeriúmque subtrahatur, non bono Pastori, sed mercenario similes sunt, qui videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, quia non est illi cura de ovibus. *Quod enim ad eos attinet, qui in hac re non falluntur errore, sed formidine superantur, quare non potiùs contra suum timorem Domino miserante atque adjuvante fortiter dimicant, ne mala sine comparatione graviora, quæ multò ampliùs sunt tremenda, contingant? Fit hoc ubi Dei caritas flagrat, non ubi Mundi cupiditas fumat. Sed caritas ex Deo est. Oremus ergo*

Casus in quibus humanæ leges etiam cum vitæ periculo obligant.

ut

ut ab illo detur, a quo habetur. Et per hanc magis timeamus ne oves Christi spiritalis nequitia gladio in corde, quàm ne ferro in corpore trucidentur, ubi quandocumque quocumque mortis genere morituri sunt. Magis timeamus ne sensu interiori corrupto pereat castitas fidei, quàm ne feminæ violenter constuprentur in carne. Quia violentiâ non violatur pudicitia, si mente servatur..... Magis timeamus ne lapides vivi extinguantur deserentibus nobis, quàm ne lapides & ligna terrenorum ædificiorum incendantur præsentibus nobis. Magis timeamus ne membra Corporis Christi destituta spiritali victu necentur, quàm ne membra corporis nostri oppressa hostili impetu torqueantur. Non quia ista non sunt vitanda cùm possunt, sed quia potius ferenda sunt, quando vitari sine impietate non possunt. Nisi fortè quisquam contenderit non esse Ministrum impium, qui tunc subtrahit ministerium pietati necessarium, quando magis est necessarium. An non cogitamus, cùm ad istorum periculorum perveniatur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis Reconciliationem, aliis etiam Pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem & Sacramentorum confectionem, & erogationem? Ubi si Ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vita æterna requie non habebunt? Quanti denique gemitus omnium, & quorumdam quanta blasphemia de absentia Ministeriorum & Ministrorum? Vide quid faciat malorum temporalium timor; & quanta in eo sit acquisitio malorum æternorum.

Episcopos quidem, & quosdam alios Ministros ipsis autoribus, rectè aliquando fugere talibus imminentibus malis, ut se pro utilitate Ecclesiæ temporibus tranquillioribus servent, cum *S. Augustino* fatemur: sed tunc tantùm *Rectè hoc fit à quibusdam, quando non desunt alii, per quos suppleatur Ecclesiasticum Ministerium, ne ab omnibus deseratur*: Quod à S. *Athanasio* factum est, cùm eum apprehendere *Constantius* cuperet Imperator, nequaquam à ceteris Ministris deserta Plebe Catholica, quæ Alexandriæ commanebat. *Sed quando est commune periculum, magisque timendum est, ne quisquam id facere credatur, non consulendi voluntate, sed timore moriendi, magisque fugiendi obsit exemplo, quàm vivendi prosit officio, nulla ratione faciendum est. Denique Sanctus David, ne se committeret periculis præliorum, & fortassis extingueretur, sicut ibi dictum est,* lucerna Israël, *à suis hoc petentibus sumsit, non ipse præsumpsit: alioquin multos imitatores fecisset ignaviæ, qui eum crederent hoc fecisse non consideratione utilitatis aliorum, sed sua perturbatione formidinis.*

Sive autem secedat Episcopus, Ecclesiæ utilitate exigente, sive maneat postulante necessitate, & officio caritatis urgente, Parochi, & alii Sacerdotes ab Episcopo constituti ut Ecclesiastica Ministeria suppleant, cum periculo vitæ parere tenentur Episcopi præcepto: sicut & Milites Duci præcipienti ut in statione maneant, ut excubias agant, ut hostiles muros ascendant, ut cum hoste congrediantur, ut per mare navigent, etiam cum vitæ periculo. Nullus itaque metus, quantumvis justus & gravis, utriusque Militiæ viros excusat à peccato, si officio suo desint, & Superiorum præceptis his in casibus non pareant.

Sed & alia exceptio adhibenda est circa legum homanarum observationem cum periculo vitæ, aut gravissimi cujusque incommodi. In iis enim casibus & circumstantiis, in quibus legis violatio vergeret in contemtum Fidei, aut Religionis, vel Ecclesiasticæ aut Regiæ Potestatis, lex humana obligat cum periculo vitæ: quia pluris refert Fidem, Religionem, & Ecclesiasticam vel Regiam Potestatem non contemni, quàm vitam corporis conservari. Quamobrem si cui metus mortis incutiatur, nisi carnes die Jejunii comedat, nisi Missam audire prætermittat, nisi sacrum coram Excommunicatis celebret, nisi Regis Edictum palam violet; idque fieri constet aut verisimile sit in contemtum Fidei, Religionis Ecclesiasticæ vel Regiæ Potestatis; sive ad ostendendum Fidem & Religionem Christianam Catholicam veram non esse, aut talem à nobis non credi, constantérque teneri: aut Leges Ecclesiasticas vel Civiles esse flocci faciendas, nec Ecclesiæ, aut Regi parendum esse: sive ad hujusmodi leges sugillandas, & autoritatem quâ conditæ sunt ludibrio exponendam: vel si grave scandalum ex hujusmodi legum violatione aliàs oriatur, mortem potiùs oppetere necesse est, quàm leges illas violare. Unde nullus metus quantumcumque gravis & justus, in his casibus & circumstantiis, excusat penitus à peccato legum illarum violatores.

CAPUT V.

DE SUPERBIA ET INANI GLORIA.

ARTICULUS I.

Quid sit Superbia?

SUPERBIA *est excellentiæ propriæ inordinatus amor*; seu *Perversæ celsitudinis appetitus*. Definitio Superbiæ.
Sic ipsam *S. Augustinus* definit Libro XIV. *De Civitate Dei*, Cap. XIII. *Perversa autem celsitudo est, deserto eo, cui debet animus inhærere principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium. Hoc fit, cùm sibi nimis placet. Sibi verò ita placet, cùm ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quàm ipse sibi. Spontaneus est autem iste defectus: quoniam si voluntas in amore superioris immutabilis boni, à quo illustrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur, & ex hoc tenebresceret, & frigesceret*: Ex Libro XIX. Cap XII. *Superbia*, inquit, *perversè imitatur Deum. Odit namque cum sociis æqualitatem sub illo: sed imponere vult sociis dominationem suam pro illa. Odit ergo justam pacem Dei, & amat iniquam pacem suam.*

ARTICULUS II.

Superbia speciale peccatum est.

De superbia QUamvis enim quodam sensu sit generale peccatum, quatenus ex ea omnia vitia oriri possunt, sive per se quatenus ad finem superbiæ, scilicet ad propriam excellentiam ordinantur, sive indirectè & quasi per accidens, scilicet removendo prohibens, quatenus superbus divinam legem contemnit, quâ prohibetur ne peccet, secundùm illud Jeremiæ II. *Confregisti jugum, rupisti vincula, dixisti; Non serviam:* Speciale tamen peccatum est ratione objecti, propriæ scilicet excellentiæ, cujus perversus est appetitus. Unde *S. Augustinus*, Libro *De Natura & Gratia*, Cap. XXIX. contra *Pelagium* propugnat, secundùm legem Dei *Multùm discretum esse à ceteris peccatis peccatum superbiæ. Multa namque peccata per superbiam committuntur; sed non omnia superbè fiunt, quæ perperam fiunt; certè à nescientibus, certè ab infirmis, certè plerumque à gementibus & flentibus.* Id est, ut explicat *S. Thomas*, non semper ex contemtu divina præcepta violantur; sed quandoque ex igoorantia, quandoque ex infirmitate.

ARTICULUS III.

Superbia ex genere suo mortale peccatum est.

VItium enim illud opponitur humilitati, quæ hominem Deo subjicit, atque in istius subjectionis defectu positum est, quatenus homo se extollit supra regulam vel mensuram à Deo constitutam, contra Sententiam Apostoli II. ad *Corinthios* X. scribentis; *Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram quâ mensus est nobis Deus.* Et ideo dicitur Ecclesiastici X. *Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo: quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus.* Radix ergo superbiæ hæc est, quòd homo *subjici Deo, & regulo ipsius dedignatur. At hoc ipsum quod est non subjici Deo, habet rationem peccati mortalis. Hoc enim est averti à Deo.* Hinc *Superbi* ab Apostolo (*Rom.* I.) inter eos numerantur qui *Digni sunt morte.* Hinc *S. Gregorius* Libro XXXIV. *Moralium*, Cap. XVIII. ait *Evidentissimum reproborum signum superbia est.* Hinc de Leviathan Diaboli typo dicitur Job. XLI. *Ipse Rex super universos filios superbiæ.*

Sicut tamen in aliis, quæ ex suo genere sunt peccata mortalia, putà, in fornicatione & adulterio, sunt aliqui motus qui sunt peccata venialia propter eorum imperfectionem, quia præveniunt rationis judicium, & sunt præter ejus consensum; ita etiam & circa superbiam accidit, quòd aliqui motus superbiæ sunt peccata venialia, dum eis ratio non consentit. Ita docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CLXII. Articulo V. Verùm & alia Scripturæ Sacræ testimonia confirmant superbiam esse mortale peccatum; Numer. XV. *Anima quæ per superbiam aliquid commiserit, quoniam adversùs Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo.* Psalm. XVII. *Oculos superborum humiliabis.* Et, *Dominus concidet cervices peccatorum.* Psalm. XXX. *Retribuet abundanter facientibus superbiam.* Proverb. XVI. *Abominatio Domini est omnis arrogans.* Et Lucæ XVI. *Quod altum est hominibus, abominatio est apud Deum.* Isai. II. *Dies Domini exercituum super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur.* *De superbia.* Isai. 28. *Væ coronæ superbiæ!* Jerem. L. *Ecce ego ad te superbe, dicit Dominus Deus Exercituum: quia venit dies tua, tempus visitationis tuæ. Et cadet superbus, & corruet, & non erit qui suscitet eum.*

ARTICULUS IV.

Superbia vulgò capitale vitium, aliàs Regina vitiorum censetur.

SI enim spectetur quatenus speciale peccatum est, ex quo alia multa peccatorum genera derivantur, capitalibus vitiis rectè connumeratur à *Cassiano* Lib. V. *De Institutis Renuntiantium*, Cap. I. Si verò spectetur secundùm generalem influxum quem exercet in cetera peccata, non vitium capitale, sed *Vitiorum regina* dicitur à *S. Gregorio* Libro XXXI. *Moralium*, Cap. XVII. Qui & vitiorum radicem vocat Libro XXXIV. Cap. XVIII. Quia *Sicut interiùs radix tegitur, sed ab illa rami extrinsecus expanduntur: ita se superbia intrinsecùs celat, sed ab illa protinus aperta vitia pullulant. Nulla quippe mala ad publicum prodirent, nisi hæc mentem in occulto constringeret.*

ARTICULUS V.

Superbia primum, gravissimumque omnium peccatorum est.

PRimum quidem ratione aversionis à Deo, quæ per se ad superbiam, ad alia autem peccata ex consequenti pertinet. *Superbia primum peccatum ratione aversionis à Deo* Primum insuper, quia cetera vitia ex ea oriri possunt. Primum tandem, quia superbiâ tum Angeli, tùm primus homo ceciderunt. Angeli (inquam) superbiâ Dæmones facti sunt, ut colligitur ex *Isaia* Cap. XIV. *Superbia primum Angelorum peccatum.* ubi sub typo primi Angeli ruina Regis Babylonis describitur: *Quomodo*, inquit, *cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? Corruisti in terram qui vulnerabas gentes: qui dicebas in corde tuo, In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Veruntamen ad infernum detraheris, in profundum laci.* Hinc *S. Augustinus* Libro XII. *De Civitate Dei*, Cap. I. *Angelorum*, inquit, *bonorum & malorum inter se contrarios appetitus non naturis principiisque diversis, cùm Deus omnium substantiarum bonus autor & conditor utrosque creaverit, sed voluntatibus & cupiditatibus extitisse, dubitare fas non est, dum alii constanter in communi omnibus bono, quod ipse illis Deus est, atque in ejus æternitate, veritate, caritate persistunt. Alii suâ potestate potiùs delectati, velut bonum suum sibi ipsi essent, à superiore communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt; & habentes elationis fastum pro excelsissima æternitate, vanitatis astutiam pro certissima veritate, studia partium pro individua caritate, superbi, fallaces, invidi effecti sunt.* Et Cap. VI. *Proinde caussa beatitudinis Angelorum ea verissima reperitur, quòd ei adhærent qui summè est. Cùm verò caussa miseriæ malorum Angelorum quæritur, ea meritò occurrit, quòd ab illo qui summè est aversi, ad seipsos conversi sunt, qui non summè sunt: & hoc vitium quid aliud quàm superbia nuncupatur?*

Initium

DE PECCATIS.

De Superbia. Eccli. 10.

Initium quippe omnis peccati, superbia. *Noluerunt ergo ad illum custodire fortitudinem suam: & qui magis essent, si ei qui summè est adhærerent, se illi præferenda, id quod minus est prætulerunt. Hic primus defectus & prima inopia primùmque vitium illius Naturæ, quæ ita creata est, ut nec summè esset, & tamen ad Beatitudinem habendam eo qui summè est frui posset, à quo aversa, non quidem nulla, sed tamen minus esset, atque ob hoc misera fieret.*

Superbia primum primorum hominum peccatum.

Primum etiam primi hominis primæque mulieris peccatum superbia fuit. Unde *Tob.* IV. dicitur, *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumsit omnis perditio.* Hinc *S. Augustinus* Libro XIV. *De Civitate Dei*, Cap. XIII. de Primis Parentibus loquens: *In occulto*, inquit, *mali esse cœperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perveniretur, nisi præcessisset mala voluntas. Porrò malæ voluntatis initium quod potuit esse nisi superbia?* Initium *enim* omnis peccati superbia est.... *Non malum ergo opus factum est, id est, illa transgressio, ut cibo prohibito vescerentur, nisi ab eis qui jam mali erant: neque enim fieret ille fructus malus nisi ab arbore mala. Ut autem esset arbor mala, contra naturam factum est; quia nisi vitio voluntatis, quod contra naturam est, non utique fieret. Sed vitio depravari, nisi ex nihilo facta natura non posset. Ac per hoc ut natura sit, ex eo habet quòd à Deo facta est; ut autem ab eo quod est deficiat, ex hoc quòd ex nihilo facta est. Nec sic defecit homo, ut omninò nihil esset: sed ut inclinatus ad seipsum minùs esset, quàm erat, cùm ei qui summè est inhærebat. Relicto itaque Deo, esse in semetipso, hoc est, sibi placere, non jam nihil esse est, sed nihilo propinquare. Unde superbi secundum Scripturas sanctas alio nomine appellantur sibi placentes.... Manifesto ergo apertóque peccato, ubi factum est quod Deus fieri prohibuerat, Diabolus hominem non cepisset, nisi jam ille sibi ipsi placere cœpisset. Hinc enim & delectavit quod dictum est*, Eritis

Genes. 3.

sicut Dii. *Quod melius esse possent, summo veróque Principio cohærendo per obedientiam, non suum sibi existendo principium per superbiam. Dii enim creati, non sua veritate, sed Dei veri participatione sunt Dii. Plus autem appetendo, minus est, qui dum sibi sufficere diligit, ab illo qui ei verè sufficit, deficit. Illud itaque malum, quo cùm sibi homo placet, tanquam sit & ipse lumen, avertitur ab eo Lumine, quod ei si placeat & ipse fit lumen: illud, inquam, malum præcessit in abdito, ut sequeretur hoc malum quod perpetratum est in aperto. Verum est enim quod*

Proverb. 16.

scriptum est: Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur. *Illa prorsus ruina quæ fit in occulto, præcedit ruinam quæ fit in manifesto, dum illa ruina esse non putatur.* Ex his evidens est, Superbiam esse primum omnium peccatum.

Superbia peccatorum gravissimum.

Jam verò quòd gravissimum & maximum omnium, non quidem ratione conversionis ad bonum creatum, (quia celsitudo, quam superbus inordinatè appetit, non habet maximam repugnantiam cum bono virtutis;) sed ratione aversionis à Deo, inde probat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CLXII. Articulo VI. *Quia in aliis peccatis homo à Deo avertitur, vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, sive propter desiderium cujuscumque alterius boni. Sed superbia habet aversionem à Deo, ex hoc ipso quòd non vult Deo & ejus regulæ subjici.* Unde *Boetius* ait: *Cùm omnia vitia fugiant à Deo, sola superbia se Deo opponit.* Hinc *Deus superbis resistit*, ut dicitur *Jacobi* IV. Quamobrem *Averti à Deo & ejus præceptis, quod est quasi consequens in aliis peccatis, per se ad superbiam pertinet, cujus actus est Dei contemptus*; (inquit S. Thomas.) Unde & alia peccata graviora facit

DE PECCATIS.

De Superbia.

A superbia. Nam infidelitatis peccatum gravius est, si ex superbia & contemptu procedat, quam si ex ignorantiâ vel infirmitate. Idemque de desperatione, & aliis dicendum est cum *S. Thoma* in Responsione ad secundum.

Alia peccata graviora facit.

Hæc doctrina ex *S. Augustino* sumpta est Libro *De Sancta Virginitate*, Cap. L. *Quoniam* (inquit) *etiam satagentibus vigilantibus, que ne peccent, surrepunt quodammodo ex humana fragilitate peccata, quamvis parva, quamvis pauca, non tamen nulla; eadem ipsa fiunt magna & gravia, si eis superbia incrementum & pondus adjecerit: A Sacerdote autem quem habemus in cœlis, si pia humilitate*

B *perimantur, tota facilitate purgantur.*

Hinc *Sanctus Ambrosius* Sermone in Psalmum CXVIII. in illa verba, *Superbi iniquè agebant usquequaque*, ait; *Maximum peccatum in homine superbia est; quandoquidem inde manavit nostri origo delicti. Hoc telo nos primùm diabolus vulneravit, & percussit. Nam ni si homo serpentis persuasione deceptus, sicut Deus esse voluisset.... nunquam feralis culpa ad nos transisset hereditas. Et quid de homine dicam? Ipse Diabolus per superbiam naturæ suæ amisit gratiam. Denique dum dicit:* Ponam thronum

Isai. 14. 13.

meum super nubes, & ero similis Altissimo, *consortiis excidit Angelorum: Cujus criminis digna*

Unus singulare velut certamen contra superbiam suscipit, tanquam injuriæ suæ propulsator.

C *mercede damnatus hominem sibi participem requisivit, in quem consortium suæ transfuderet offensæ. Quid igitur hoc peccato potest esse deterius, quod à Dei cœpit injuriâ? Ideóque Scriptura dicit:* Dominus superbis resistit. *Tanquam suæ contumeliæ propulsator, veluti quoddam suscepit adversùs superbiam speciale certamen; tanquam dicat, Meus iste adversarius est, qui me lacessit, mihi debetur ista congressio. Unde & Apostolus multiplicis culpæ materiam esse superbiam declaravit, dicens de Heretico:* Non " acquiescit ei, quæ secundùm pietatem est, do- " ctrinæ: Superbus est, nihil sciens, sed languens "

1. ad Tim. 6.

D circa quæstiones & pugnas verborum: ex qui- " bus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphe- " miæ, suspiciones malæ, conflictationes homi- " num mente corruptorum, & qui veritate pri- " vati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. " *Quantorum itaque expressit causam esse delictorum superbiam? Unde David commendare volens devotionem suam nulla superborum iniquitate attentatam, ait:* Superbi iniquè agebant nimis. *Non solùm* " *iniquitatem agentium, sed etiam nimiam iniquitatem pariter declaravit, quæ conveniret superbis: quorum ne aliquo tentaretur contagio, audi alibi dicentem:*

Psal. 118. 51.

E SUPERBO *oculo & insatiabili corde, cum hoc non edebam.* Quod ait *S. Ambrosius*, Deum tanquam suæ contumeliæ propulsatorem superbis resistere, confirmant verba illa Job. XV. *Tetendit adversùs Deum manum suam, & contra Omnipotentem roboratus est. Cucurrit adversùs eum erecto collo, & pingui cervice armatus est.*

Superbia delictum maximum.

Hinc *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum XVIII. explicans hunc Versum: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo*, ait: *Delictum magnum arbitror esse*

F *superbiam. Quæritis quàm magnum sit hoc delictum, quod dejecit Angelum, quod ex Angelo fecit diabolum, eique in æternum interclusit Regnum cœlorum? Magnum hoc delictum est, & caput atque causa omnium delictorum. Scriptum est enim*, Initium om- " nis peccati superbia. *Et ne quasi leve aliquid con-* " *temnas*, Initium, *inquit*, superbiæ hominis apo- " statare à Deo. *Non leve malum est hoc vitium, Fra-* " *tres mei. Huic vitio in his personis, quas videtis amplas, displicet Humilitas Christiana. Propter hoc vitium dedignantur colla subdere jugo Christi, obligati arctiùs jugo peccati. Non enim servire non eis con-*

Eccli. 10.

De Superbia.

cinget: nam nolunt servire, sed eis expedit servire. Nolendo servire, nihil aliud agunt, quàm ut bono Domino non serviant, non ut omnino non serviant: quia qui noluerit servire caritati, necesse est ut serviat iniquitati. Ab hoc vitio, quod est caput omnium vitiorum, quia inde cetera vitia nata sunt, facta est apostasiu à Deo, eunte anima in tenebras, & malè utente libero arbitrio, peccatis etiam ceteris consecutis: ut & substantiam suam dissiparet cum meretricibus vivens prodigè, & per egestatem fieret pastor porcorum, qui erat socius Angelorum. Propter hoc vitium, propter hoc magnum superbia peccatum, Deus humilis venit. Hac caussa, hoc peccatum magnum, iste ingens morbus animarum, omnipotentem Medicum de cœlo deduxit, usque ad formam servi humiliavit, contumeliis egit, ligno suspendit: ut per salutem tantæ Medicinæ curetur hic tumor.

Luc. 15.

Ad curandum Superbiæ tumorem Deus humilis venit.

Morbi magnitudo ex vi pretioque medicinæ æstimanda

Porrò ex vi pretióque medicinæ, morbi magnitudo æstimanda est. *Quia nos superbia vulneraverat, humilitas fecit sanos. Venit humilis Deus, ut à tanto superbiæ vulnere curaret hominem... Comprehensus est à Judæis, insultatum est ei. Audistis cùm Evangelium legeretur, quid dixerunt, & cui dixerunt,* Dæmonium habes: *& ille non dixit, Dæmonium habetis vos, quia vos in peccatis vestris estis, & diabolus possidet corda vestra. Non hoc dixit, quod si diceret, verum diceret: sed non erat tempus ut hoc diceret, ne non veritatem prædicare, sed maledictum reddere videretur. Dim sit quod audivit, quasi non audisset. Medicus enim erat, & phreneticum curare venerat. Quomodo Medicus non curat quicquid audiat à phrenetico, sed quomodo convalescat & fiat sanus phreneticus; nec si & pugnum ab illo accipiat curat: sic & Dominus ad ægrotum venit, ad phreneticum venit, ut quicquid audiret, quicquid passus esset, contemneret, hoc ipso eos docens humilitatem, ut humilitate docti sanarentur à superbiâ;* (inquit *S. Augustinus*, Enarratione in Psalmum xxxv.) *Inter omnes igitur lapsus hominum, inter omnia commissa peccantium, nulla est gravior quàm superborum ruina: maximè cùm ipsa elatio in Dei tendat injuriam,* (inquit Autor Epistolæ ad *Demetriadem*, inter Opera *S. Prosperi* editæ.)

Ad sanandam superbiam Deus permittit interdum ut superbi ruant in peccata carnalia

Superbiæ gravitas hinc etiam demonstratur, quòd ad convincendam & sanandam hominum superbiam, Deus permittit interdum ut superbi ruant in peccata carnalia, quæ majoris turpitudinis sunt & infamiæ, ut *S. Isidorus Hispalensis* observat Libro II. *Sententiarum*, Cap. LVIII. *S. Augustino* præeunte Libro XIV. *De Civitate Dei*, Cap. XIII. *Audeo dicere*, inquit, *superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestùmque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salubriùs enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quàm sibi placuit quando præsumpsit. Hoc » dicit & sacer Psalmus:* Imple facies eorum igno» miniâ, & quærent nomen tuum Domine: *Id est, ut in eis placeas quærentibus nomen tuum, qui sibi placuerunt quærendo suum.* Hinc (inquam) demonstratur superbiæ gravitas. Sicut enim Medicus sapiens in remedium majoris morbi patitur infirmum in leviorem morbum incidere; ita etiam Deus in remedium superbiæ permittit ut homines in alia peccata labantur (inquit *S. Thomas.*) Hinc *S. Gregorius* Libro XXXIII. *Moralium*, Cap. XI. *Qui de virtute se extollit, per vitium ad humilitatem redit.... Quia ergo nos de medicamento vulnus fecimus, facit ille de vulnere medicamentum, ut qui virtute percutimur, vitio curemur: ut qui humilitatem currentes fugimus, ei saltem cadentes hæreamus.*

Psalm. 82.

DE PECCATIS.

ARTICULUS VI.

Superbia vitiorum omnium periculosissimum.

De Superbia.

PRimò, quia in virtutes omnes grassatur, & data ex bonis operibus occasione nascitur. Secondò, quia Justis maximè insidiatur ut eos dejiciat. Tertiò, quia ultima destruitur in hominis animo. In virtutes omnes grassari superbiam, docet *Sanctus Gregorius* Librò XXXIV. *Moralium* Cap. XVIII. *Alia vitia*, inquit, *eas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur, ut videlicet ira patientiam, gastrimargia* (sive gula) *abstinentiam, libido continentiam expugnet. Superbia autem nequaquam unius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit. & quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit: ut quicquid illa invadente agitur, etiamsi esse virtus ostenditur, non per hoc Deo, sed soli vanæ gloriæ servi atur. Quasi enim Tyrannus quidam obsessam civitatem intercipit, cùm mentem superbia irrumpit; & quò ditiorem quemque ceperit, eò in dominio durior exsurgit: quia quò ampliùs res virtutis sine humilitate agitur, eò latiùs ista dominatur.* Hinc *S. Isidorus* Libro II. *Sententiarum*, Cap. XXXVIII. superbiam vocat *Ruinam omnium virtutum.* Quòd autem datâ ex bonis operibus occasione nascatur, & res perspicua est, & à *S. Augustino* confirmata Epistolâ CCXI. aliàs CIX. *Alia*, inquit, *quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur ut fiant: superbia verò etiam bonis operibus insidiatur ut pereant.* Et Epist. CXVIII. aliàs LVI. *Vitia quippe cetera in peccatis, superbia verò etiam in rectè factis timenda est, ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.*

Superbia in virtutes omnes grassatur.

Superbia justis maximè insidiatur.

Justis maximè superbiam insidiari, ut eos dejiciat, agnoscebat David Psalmo XXXV. Deum in hunc modum orans: *Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me.* Quem locum *S. Augustinus* sic explicat: *Certe jam dixit, Sub umbraculo alarum tuarum sperabunt filii hominum, & inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. Cùm cœperit quisque isto fonte uberiùs irrigari, caveat ne superbiat.... Si enim venerit pes superbiæ, movet manus peccatoris. Quæ est manus peccatoris? Malè suadentis operatio. Factus es superbus? Citò te corrumpit, qui malè suadet. Humilis figere in Deo, & non valde cures quid tibi dicatur.... Serva quod intus est, & non timebis foris. Quare autem valde hoc times, quasi diceretur,* Ibi, *inquit*, ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem, *ut venirent ad illum abyssum, de qua dictum est,* Judicia tua sicut abyssus multa: *Ut ad illud profundum pervenirent, ubi peccatores qui contemnunt, ceciderunt.... Ubi primò ceciderunt? In pede superbiæ. Audis pedem superbiæ: Qui cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt. Venit ergo illis pes superbiæ, unde venerunt in profundum. Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum, facere quæ non conveniunt. Radicem peccati, & caput peccati timuit, qui dixit,* Non veniat mihi pes superbiæ. *Quare illum pedem dixit? Quia superbiendo Deum deseruit, & discessit: pedem ipsius, affectum ipsius dixit.* Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me: *Id est, opera peccatoris non me dimoveant à te, ut imitari illa velim. Quare autem contra superbiam hoc dicit,* Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem? *Quia qui modo iniqui sunt, in superbiâ ceciderunt. Ideo cùm cautam faceret*

Proverb. 18.

Rom. 1.

Dominus Ecclesiam, ait, Illa tuum, *inquit*, observabit caput, & tu ejus calcaneum. *Serpens observat quando sibi veniat pes superbia, quando labaris, ut dejiciat; Tu autem caput ejus observa:* INITIUM OMNIS PECCATI SUPERBIA. Superbia scilicet dupliciter spectari potest; primò ut a Dæmone inspirata, quâ ratione caput est corporis peccati, cùm vitiorum omnium malitiam contineat, sicut totum serpentis venenum in capite includitur. Secundò, ut ab homine concepta, quâ ratione infamis illius corporis pes est; cùm superbus inferiores conculcet, æquales spernat, superiores dejicere conetur.

De Superbia. Genes. 3.

Justi perpetuò vigilare debent ne superbia subrepat.

Justi itaque perpetuò vigilare debent, ne obrepat superbia; ut enim docet *S. Augustinus*, Lib. *De Natura & Gratia*, cap. XXVII. Deus superbiæ malum non citò sanat, ne de ipsa superbia devicta infelix homo superbiat. *Ipsam* (inquit) *superbiam, qua & in rectè factis animo insidiatur humano, non citò Deus sanat, pro qua sananda illi pia anima cum lacrymis & magnis gemitibus supplicant, ut ad eam superandam & quodammodo calcandam & obterendam, dexteram conantibus porrigat. Ubi enim lætatus homo fuerit, in aliquo bono opere se etiam superasse superbiam, ex ipsa lætitia caput erigit, & dicit: Ecce ego vivo, quid triumphas? Et ideo vivo quia triumphas. Ante tempus enim fortasse de illa quasi triumphare delectat, cum extrema ejus umbra de illo Meridie absorbebitur, qui Scripturâ dicente promittitur,* Et educet quasi lumen justitiam tuam, & judicium tuum sicut Meridiem. Hinc Justis semper timendum Apostolus ait: *Cum timore* (inquit) *& tremore vestram salutem operamini.* Et Psalm. II. dicitur: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa, cùm exarserit in brevi ira ejus. Non ait, Nequando irascatur Dominus, & non vobis ostendat viam justam: Sed jam illic ambulantes sic terrere potuit ut diceret, Ne pereatis de via justa. Unde? Nisi quia superbia etiam in ipsis rectè factis cavenda est, id est, in ipsâ viâ justâ, ne homo dum quod Dei est deputat suum, amittat quod Dei est, & redeat ad suum.*

Psalm. 36. 6.

Tandem, (inquit *S. Augustinus*, Enarratione I. in Psalmum XVIII.) *Verè ille immaculatus est, qui etiam hoc delicto caret: quia hoc est ultimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit.*

Superbia in hominibus non ultimo destruitur.

Concinit S. *Prosper* Epigrammate LXXXIV.

Quâ primum in mortem est homo pulsus fraude Maligni,
Hanc illi extremam bella peracta movent,
Sublimes ut cùm palmas clarasque coronas
Sumpserit, atque hostem subdiderit pedibus;
Virtuti propriæ velit assignare triumphum,
Non Domino, cujus munus opusque fuit.

ARTICULUS VII.

Quot superbiæ species? & quando sit peccatum mortale?

QUatuor superbiæ species sive modos explicat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. CLXII. A. IV. Prima est, cùm aliquis existimat se à seipso habere bona sive corporis, sive animæ, sive naturalia, sive supernaturalia. Psalm. XI.

Qui dixerunt, Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Job XI. *Vir vanus erigitur in superbiam, & quasi pullum onagri se liberum putat.* Altera, cùm aliquis agnoscit quidem se à Deo accepisse bona quæ habet, sed ea meritis suis tribuit, vel ita apud se existimando, aut volendo ut alii ita sentiant; vel opere externo ita se gerendo, ac si meritis suis illa consecutus esset; vel illa sic habere desiderans, aut dolens quod ita non habeat. Tertia est, arrogare sibi ea bona quæ verè non habet, cujuscunque sint generis, idque sive in sua, sive in aliorum opinione, seu opere, seu desiderio. Quarta est, cùm aliquis despectis cæteris videri satagit aut peroptat singulariter habere quod habet, aut aliis scientiâ, virtute, aliisque sive corporis, sive animi dotibus, sive naturæ, sive gratiæ, sive fortunæ, (ut ita loquar) muneribus antecellere.

De Superbia.

Ut autem aliquis peccet primâ vel secundâ specie superbiæ, minimè necesse est ut persuasum habeat, judicétque, *Aliquod bonum esse quod non est à Deo, vel gratiam hominibus pro meritis dari; quod pertinet ad infidelitatem: Sed quod ex inordinato appetitu propriæ excellentiæ ita de bonis suis gloriatur, ac si ea à se haberet, vel ex meritis propriis.* Ita respondet *S. Thomas* ad primum.

Divisionem illam superbiæ sumpsit *S. Thomas* ex *S. Gregorio* Lib. XXIII. *Moralium*, cap. IV. cujus hæc sunt verba: *Quatuor sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur: Cum bonum aut à semetipsis habere se æstimant: Aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant: Aut certè cùm jactant se habere quod non habent: Aut despectis cæteris singulariter videri appetunt habere quod habent. A semetipso enim bonum se habere jactabat, cui per Apostolum dicitur:* "Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? *Rursum ne dari nobis bonum gratia pro nostris præcedentibus meritis crederemus, idem Apostolus admonet dicens:* "Gratiâ estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. *Qui etiam de seipso ait:* "Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum. *Quibus verbis apertè declarat, quòd gratia non pro meritis tribuatur, dum ex se ipso docuit & quid de malitia meruit, & quid de benevolentia accepit. Rursum nonnulli jactant se habere quod non habent, sicut divina voce per Prophetam de Moab dicitur:* "Superbiam ejus & arrogantiam ejus ego novi, & quòd non sit juxta eum virtus ejus. *Et sicut Angelo Ecclesiæ Laodiceæ dicitur:* "Quia dicis, Quòd dives sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. *Rursum nonnulli despectis cæteris, videri appetunt singulariter bonum habere quod habent. Unde & Pharisæus idcirco de Templo absque justificatione descendit, quia bonorum operum merita sibi quasi singulariter tribuens, oranti Publicano se prætulit. Sancti quoque Apostoli ab hoc elationis vitio revocantur, qui de prædicatione redeuntes, cùm elati dicerent:* "Domine, in Nomine tuo etiam dæmonia nobis subjecta sunt: *ne de hac miraculorum singularitate gauderent, illico eis respondit Dominus:* "Videbam Satanam velut fulgur de cælo cadentem. *Et mirè Dominus, ut in Discipulorum cordibus elationem premeret, mox judicium ruinæ retulit, quod ipse Magister elationis accepit: Ut in Autore superbiæ discerent, quid de elationis*

Quatuor superbiæ species. *1. Cor. 4.* *Ephes. 2.* *1. ad Timot. 1. 13.* *Jerem. 48.* *Apoc. 3.* *Luc. 18.* *Luc. 10.*

De Superbia. *vitio formidarent. In hac itaque arrogantia quartâ specie crebro humanus animus labitur, Ut id quod habet, habere se singulariter glorietur. In qua tamen similitudini diabolica vicinius appropinquat: Quia* Isai. 14. *quisquis bonum se habere singulariter gaudet, quisquis videri sublimior cæteris quærit, illum imitatur, qui despecto bono societatis Angelorum, sedem suam ad Aquilonem ponens, & Altissimi similitudinem superbè appetens, per iniquum desiderium quasi ad quoddam culmen conatus est singularitatis erumpere.*

Species superbiæ quando sunt peccata mortalia? Quatuor illæ superbiæ species sunt peccata mortalia, si ex deliberatâ voluntate procedat superbiæ motus. Tertiam tamen & quartam ob levitatem materiæ quandoque à peccati mortalis labe excusari non ignobiles Theologi censent. Nam si cum gravi Dei irreverentia, vel gravi damno aut contemptu proximi conjunctæ sint, lethalia esse peccata minimè dubium est: Verbi gratiâ, si quis de dotibus ad Ecclesiæ regimen, vel ad gerendos Magistratus necessariis, quibus tamen destitutus est, ad Ecclesiasticas Dignitates, vel publica Muneri capessenda glorietur. Si quis se locupletissimum simulet, ac talem haberi malis artibus curet, ut in amplissimam ac ditissimam familiam nubat, cùm revera sit inops. Si quis ne a familiæ suæ claritate degenerare videatur, ingentia debita contrahat, quibus solvendis se non satis futurum prævidet. Si quis ita fortunæ bonis, aut potentiâ, scientiâ, vel aliis Dei donis insolescat, ut ad excellentiam propriam velut ad finem ultimum actiones suas dirigat, divinam legem transgredi, proximósque conculcare paratus, ut excellentiam suam, vel conceptam de illius singularitate opinionem tueatur. Hinc Salomon, Proverb. xxx. Deum ita precatur: *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi: Tribue tantùm victui meo necessaria: Ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam, Quis est Dominus?*

Ad illas superbiæ species pertinent, quæ S. *Augustinus* scribit Lib. 11. *Confessionum*, cap. xxxix. *Etiam itent est aliud in eodem genere tentationis malum, quo vanescunt qui placent sibi de se, quamvis aliis vel non placeant, vel displiceant, nec placere affectent cæteris. Sed sibi placentes multùm tibi displicent, non tantùm de non bonis quasi bonis, verùm etiam de bonis tuis quasi suis: Aut etiam sicut de tuis, sed tanquam ex meritis suis: Aut etiam sicut ex tua gratia, non tamen socialiter gaudentes, sed aliis invidentes ea.*

Plures alias superbiæ species seu modos alii Patres assignant: *S. Hieronymus*, ingrati animi vitium: *S. Augustinus*, Lib. xiv. *De Civitate Dei*, cap. xiv. excusationem peccati commissi:
Duodecim superbiæ gradus. *S. Bernardus* duodecim gradus superbiæ totidem humilitatis gradibus oppositos, scilicet curiositatem, mentis levitatem, ineptam lætitiam, jactantiam, singularitatem, arrogantiam, præsumptionem, defensionem peccatorum, simulatam confessionem, rebellionem, libertatem, peccandi consuetudinem. Verùm ingrati animi vitium ad primam speciem revocatur. Ingratus enim est, qui sibi tribuit quod alteri debet. Excusatio peccati pertinet ad tertiam speciem: Qui enim peccatum excusat, falsò sibi tribuit innocentiæ bonum. Duodecim denique gradus *S. Bernardi*, non solùm superbiæ species, sed etiam quædam antecedentia & consequentia complectuntur, ut respondent *S. Thomas*, ad quartum, & *Gersonius* in Compendio Theologiæ, Tractatu *De Septem Vitiis Capitalibus*. Si quia præsumptionem quâ tendit homo ad assequendum quod supra se est, alteram superbiæ speciem esse dixeris, hanc objectionem occupavit *S. Thomas*, illam ad quartam speciem revocans, secundùm quam aliquis vult cæteris anteponi. Denique si quis superbiam in voluntate, in sermone, in opere distinxerit cum *S. Anselmo*, seu potiùs *Eadmero* in Libro *Similitudinum S. Anselmi*, respondet *S. Thomas*, non tam species esse, quam progressum cuilibet peccato communem, quod scilicet primò corde concipitur, deinde ore profertur, tertiò opere perficitur. De superbia.

Superborum hominum characteres. Superbiæ materiam, hominúmque superborum characteres præclarè describit *S. Gregorius*, Lib. xxxiv. *Moralium*, cap. xviii. *Elatio* (inquit) *alios ex rebus secularibus, alios verò ex spiritualibus possidet. Alter namque intumescit auro, alter eloquio, alter infimis & terrenis rebus, alter summis cœlestibúsque virtutibus: Una tamen eademque res ante oculos Dei agitur, quamvis ad humana corda veniens, in eorum obtutibus diverso amictu pallietur. Nam cùm is qui de terrenâ priùs gloriâ superbiebat, postmodum de sanctitate extollitur, nequaquam cor ejus elatio deserit, sed ad eum consueta veniens, ut cognosci nequeat, vestem mutavit. Sciendum quoque est, quòd aliter hæc Præpositos, atque aliter subditos tentat. Prælato namque in cogitationibus suggerit, quia solo vitæ merito super cæteros excrevit.... Ejúsque mox mentem erigit, viles atque inutiles eos, qui subjecti sunt, ostendit: ita ut nullum jam quasi dignum respiciat cui æquanimiter loquatur. Unde & mox mentis tranquillitas in iram vertitur: Quia dum cunctos despicit, dum sensum vitámque omnium sine moderatione reprehendit, tantò effrenatiùs se in iracundiam dilatat, quantò eos qui sibi commissi sunt, esse sibimet indignos putat. At contra cùm subjectorum cor superbia instigat, hoc summopere nititur agere, ut sua acta considerare funditus negligant, & semper tacitis cogitationibus Rectoris sui judices fiant: Qui dum in eo quod reprehendere debeant, importunè respiciunt, in semetipsis quod corrigant nunquam vident. Unde & tantò atrociùs pereunt, quantò à se oculos avertunt: quia in hujus vitæ itinere offendentes corruunt, dum alibi intendunt. Et quidem peccatores se asserunt, nec tamen tantùm, ut tam noxia in regimine personæ traderentur. Et dum ejus facta despiciunt, dum præcepta contemnunt, ad tantam usque insaniam devolvuntur, ut Deum res humanas curare non æstiment: quia ei qui quasi jure reprehenditur esse se commissos dolent.... Sæpe autem Rectoris sui dictis protervè obviant, & eamdem vocis superbiam libertatem vocant. Sic quippe elatio se quasi pro libertatis rectitudine objicit, sicut sæpe se & timor pro humilitate supponit. Nam sicut plerique reticent ex timore, & tamen tacere se æstimant ex humilitate: ita nonnulli loquuntur per impatientiam elationis, & tamen loqui se credunt per libertatem rectitudinis. Aliquando autem subditi proterva quæ sentiunt, nequaquam produnt: & hi quorum loquacitas vix compescitur, nonnunquam ex sola amaritudine intimi rancoris obmutescunt. Qui per dolorem mentis, procacitatis sua verba subtrahentes, cùm male loqui soleant, pejus tacent: quia cùm peccantes aliquid de correctione audiunt, indignantes etiam responsionis verba suspendunt. Cum his quando asperè agitur, sæpe ad querelæ vocem de hac ipsa asperitate prosiliunt. Cùm verò eos Magistri sui blandè præveniunt, de hac ipsa humilitate quâ præventi sunt, graviùs indignantur: & tantò eorum mens vastiùs accenditur, quantò consideratiùs infirma judicatur. Hi nimirum, quia humilitatem, quæ virtutum mater est, nesciunt, usum laboris sui perdunt, etiam si quæ bona sunt, quæ operari videantur: quia surgentis fabricæ robusta celsitudo non figitur, quæ nequaquam per fundamenti fortitudinem in petra solidatur. Soli ergo ruinæ crescit quod ædificant, quia ante molem fabricæ, humilitatis fundamina non*

procurant. Quos bene ab intimis prodimus, si pauois in exterioribus ostendamus.

Cunctis namque superba apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imagine, erectio in incessu, rancor in responsione. Horum mens semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessendos alios importuna, ad ea quæ facere & debet, & prævalet, ignava; ad ea autem quæ facere nec debet, nec prævalet, parata. Hæc in eo quod sponte non appetit, nullâ exhortatione flectitur; ad hoc autem quod latenter desiderat, quærit ut cogatur: quia dum metuit ex desiderio suo vilescere, optat vim in ipsa sua voluntate tolerare.

ARTICULUS VIII.

Expugnatrix Superbiæ Humilitas. Ejus necessitas, & excellentia.

In Tract. De Gradibus Humilitatis.

ADversùs superbiam pugnat Humilitas, quæ à S. Bernardo definitur, *Virtus quâ homo verissimâ sui cognitione sibi ipsi vilescit.* A S. Thoma, Secunda Secundæ, Quæst. CLXI. A. 1. *Virtus temperans & refrænans animum ne immoderatè tendat in excelsa.* Magnanimitati non est opposita. *Humilitas enim reprimit appetitum, ne tendat in magna præter rationem rectam. Magnanimitas autem animum ad magna impellit secundùm rationem rectam,* animúmque firmat contra desperationem in rerum arduarum persecutione, ut docet S. Thomas. Humilitas est *Tutissimus omnium virtutum thesaurus,* (inquit S. Basilius, *Monasticarum Constitutionum* cap. VII.) *In humilitate docuit Christus omnia fidei nomina & præmia contineri,* (inquit S. Hilarius in Psalm. CXVIII.) Humilitas compendium est omnium Religionis Christianæ præceptorum, ut docet S. Augustinus, Epistolâ CXVIII. alias LVI. ad *Dioscorum,* ubi cùm præmisit, ipsos quoque Platonicæ Gentis Philosophos paucis mutatis, quæ Christiana improbat Disciplina, *Invictissimo uni Regi Christo pias cervices oportere submittere, & intelligere Verbum Dei homine indutum, qui jussit, & creditum est, quod illi vel proferre metuebant;* subdit: *Huic te, mi Dioscore, ut tota pietate subdas velim, ne aliam tibi ad capessendam & obtinendam veritatem viam munias, quàm quæ munita est ab illo qui gressuum nostrorum tanquam Deus vidit infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogares, hoc dicerem: Non quò alia non sint præcepta, quæ dicantur; sed nisi humilitas omnia quæcunque benefacimus, & præcesserit, & comitetur, & secuta fuerit, & proposita quam intueamur, & apposita cui adhæreamus, & imposita quâ reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia. Itaque sicut Rhetor* ille Nobilissimus cùm interrogatus esset, quid ei primùm videretur in eloquentiæ præceptis observari oportere, pronuntiationem dicitur respondisse, cùm quæreretur quid secundò, eamdem pronuntiationem; quid tertiò, nihil aliud quàm pronuntiationem dixisse: ita si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianæ Religionis, nihil me aliud respondere nisi humilitatem liberet, etsi fortè alia dicere necessitas cogeret.* Humilitas est *Tota Christianæ Sapientiæ Disciplina;* (inquit S. Leo Sermone VII. de Epiphania. *Tota victoria Salvatoris, quæ & Diabolum superavit, & Mundum, humilitate est concepta, humilitate est confecta.* Hoc *Virtutis caput est:* Ab ea Christus beatitudines suas auspicatur: *Beati* (inquit) *pauperes spiritu.* Ipsum ad se Deum allicit: *Ad quem enim* (inquit) *inspiciam, nisi ad mitem, & quietum, & humilem, & trementem sermones meos?* Est *Altare aureum, & Ara spiritualis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, & cor contritum. Sapientia mater est, quam qui possederit, cætera reliquarum virtutum membra proculdubio possidebit* (inquit S. Joannes Chrysostomus, Homiliâ XLVIII. in Matthæum.) *Humilitas est omnium Magistra virtutum, cœlestis ædificii firmissimum fundamentum, donum proprium atque magnificum Salvatoris,* (inquit *Cassianus,* Collatione XV. cap. XVII.) Humilitas est *Primus Religionis introitus, sicut in Mundum primus Christi ingressus, ut quicunque piè vult vivere, humiliter de se sentiat;* (inquit *Arnoldus* Bonævallis Abbas Sermone *De Nativitate Christi,* inter S. Cypriani Opera edito.) Humilitas est *Ædificii spiritualis fundamentum,* (inquit S. *Thomas,* Secunda Secundæ, Quæst. CLXI. Art. V. ad secundum.) *Ordinata* (inquit) *virtutum congregatio per quamdam similitudinem ædificio comparatur: & illud quod est primum in acquisitione virtutum, fundamento quod primum in ædificio jacitur. Virtutes autem verè infunduntur à Deo. Unde primum in acquisitione virtutum potest accipi dupliciter. Uno modo per modum removentis prohibens: & sic humilitas primum locum tenet: In quantum scilicet expellit superbiam cui Deus resistit: & præbet hominem subditum & patulum ad suscipiendum influxum divinæ gratiæ, in quantum evacuat inflationem superbiæ. Unde dicitur* Jacob. IV. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Et secundùm hoc humilitas dicitur spiritualis ædificii fundamentum. Alio modo est aliquid primum in virtutibus directè, per quod scilicet jam ad Deum acceditur. Primus autem accessus ad Deum est per fidem, secundùm illud Hebr. XI.* Accedentem ad Deum oportet credere. *Et secundùm hoc fides ponitur fundamentum nobiliori modo quàm humilitas.* Ex S. *Bernardo* potissimum hæc sumpsit S. *Thomas.* Is enim Lib. V. *De Consideratione* cap. XIV. ait: *Virtutum bonum quoddam ac stabile fundamentum humilitas. Nempe si nutet illa, virtutum aggregatio nonnisi ruina est.*

Matth. 5.

Isaia. 66.

Psalm. 50.

Humilitas primum spiritualis ædificii fundamentum.

Humilitatis necessitas ad salutem æternam.

* Demosthenem.

Humilitatis necessitatem ad salutem æternam Christus non semel ostendit, cùm hanc virtutem Discipulis suis commendavit: Matth. XI. *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Non ait, *Discite à me Mundum fabricare, aut mortuos suscitare; sed quia mitis sum, & humilis corde. O doctrinam salutarem! O Magistrum Dominúmque mortalium, quibus mors poculo superbiæ propinata atque transfusa est!* (inquit S. *Augustinus,* Lib. *De Sancta Virginitate,* cap. XXXV.) *Noluit docere quod ipse non esset, noluit jubere quod ipse non faceret. Video te, bene Jesu, oculis fidei, quos aperuisti mihi, tanquam in concione generis humani clamantem ac dicentem,* Venite ad me, & discite à me. *Quid obsecro te, per quem facta sunt omnia, Fili Dei, & idem qui factus es inter omnia, Fili hominis, quid ut discamus à te, venimus ad te?* Quoniam mitis sum, inquit, & humilis corde. *Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi in te, ut hoc pro magno discamus à te, quoniam mitis es, & humilis corde? Itane magnum est esse parvum, ut nisi à te qui tam magnus es, fieret, disci omnino non posset? Ita planè. Non enim aliter invenitur requies animæ, nisi in-*

Ita magnum est esse humilem, ut disci non posset nisi à Filio Dei.

quieto tumore digesto, quo magnus sibi erat, quando tibi sanus non erat. Audiant te, & veniunt ad te, & mites atque humiles esse discant à te, qui misericordiam & veritatem tuam requirunt, tibi vivendo, tibi, non sibi.

Virtutis ejusdem necessitatem docet Salvator Matth. XVIII. *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cælorum. Quicunque ergo humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic major est in Regno cælorum.* Magnorum est ista pusillitas, superbia verò fallax est infirmorum magnitudo; quæ ubi mentem possederit, erigendo dejicit, inflando evacuat, distendendo dissipat. *Humilis esse non potest nocens, superbus non potest esse innocens. Humilitatem illam loquor, quæ non vult perituris rebus excellere, sed æternum aliquid veraciter cogitat, quò non suis viribus, sed adjuta perveniat. Piâ itaque humilitate servatâ, quæ in Scripturis Sanctis sancta probatur infantia, securi eritis de immortalitate Beatorum: Talium est enim Regnum cælorum.* Verba sunt S. *Augustini* Sermone CCCLIII. aliàs XX. inter Homilias quinquaginta.

Humilitas sancta infantia.

Matth. 19.

Idem docet Dominus & Magister noster Matth. XXIII. & Luc. XVIII. *Omnis* (inquit) *qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* Quam Salvatoris nostri sententiam *S. Augustini* verba præclarè explicant, Lib. XIV. *De Civitate Dei*, cap. XIII. *Bonum est* (inquit) *sursum habere cor, non tamen ad se ipsum, quod est superbia, sed ad Dominum quod est obedientia, quæ nisi humilium non potest esse. Est igitur aliquid humilitatis miro modo quod sursum faciat cor, & est aliquid elationis quod deorsum faciat. Hoc quidem contrarium videtur, ut elatio sit deorsum, & humilitas sursum. Sed pia humilitas facit subditum superiori, nihil est autem superius Deo: & ideo exaltat humilitas, quæ facit subditum Deo. Elatio autem, quæ in vitio est, eo ipso quo respuit subjectionem, & cadit ab illo quo non est quidquam superius, & ex hoc erit inferius, & fit quod scriptum est*, Dejecisti eos dum allevarentur. *Non enim ait, cùm elati fuissent, ut priùs extollerentur, & postea dejicerentur, sed cùm extollerentur, tunc dejecti sunt. Ipsum quippe extolli, jam dejici est. Quapropter quod nunc in Civitate Dei, & Civitati Dei in hoc sæculo peregrinanti maximè commendatur humilitas, & in ejus Rege, qui est Christus, maximè prædicatur; contrariúmque huic virtuti elationis vitium, in ejus adversario, qui est Diabolus, maximè dominari, Sacris Litteris edocetur, profectò ista est magna differentia, quâ Civitas utraque discernitur, una scilicet societas piorum hominum, altera impiorum, singula quæque cum Angelis ad se pertinentibus, in quibus processit hàc amor Dei, hàc amor sui.*

Humilitas facit sursum cor.

Psalm. 72.

Et Sermone XCVI. aliàs *De Diversis* XLVII. *Omnes* (inquit) *delectat celsitudo: sed humilitas gradus est. Quid tendis pedem ultra te? Cadere vis, non ascendere. A gradu incipe, & ascendisti. Istum gradum humilitatis nolebant attendere duo illi Discipuli, qui dicebant*, Domine, jube ut unus nostrûm in Regno tuo sedeat ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam. *Sublimitatem quærebant, gradum non videbant. Dominus autem ostendit gradum. Quid enim respondit?* Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? *Qui quæritis apicem sublimitatis, potestis bibere calicem humilitatis?*

Humilitas gradus ad celsitudinem.

Marc. 10.

Immensus sim, si cuncta testimonia recensere velim, quæ Christi doctrinam & præcepta de humilitate exprimunt. Fidem Centurionis præcipuè laudavit, nec se invenisse in Israel dixit tantam fidem, quia ille tam humiliter credidit, ut diceret, *Non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Unde nec Matthæus ob aliud eum dixit accessisse ad Jesum, cùm Lucas innuat eum non venisse, sed amicos suos misisse, nisi quia fidelissima humilitate magis ipse accessit, quam illi quos misit. Unde Psalmo CXXXVII. dicitur, *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit*, utique tanquam non accedentia. Hinc & mulieri Chananeæ dicit, *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis:* Quam superiùs canem appellaverat, & pane filiorum indignam? Quod illa humiliter accipiens dixerat, *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Unde quod assiduo clamore non impetrabat, humili confessione promeruit. Hinc & illi duo proponuntur orantes in Templo, unus Pharisæus, & alter Publicanus, propter eos qui sibi justi videntur, & spernunt cæteros; & enumerationi meritorum præfertur confessio peccatorum. Jam verò quod exiturus ad Passionem lavit pedes Discipulis, monuitque apertissimè ut hoc facerent condiscipulis atque conserv[illegible] quod eis fecisset Magister & Dominus, qu[illegible] tùm commendavit humilitatem? Cui commendandæ etiam tempus illud elegit, quo eum [illegible]ximè moriturum cum magno desiderio co[illegible]bantur, hoc utique præcipuè memoriâ retin[illegible]ri, quod Magister imitandus ultimum demonstrasset. *Denique humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Matth. 8.

Matth. 15.

Luc. 18.

[illegible]

Cùm ergo Christianis omnibus custodienda sit humilitas, quandoquidem à Christo Christiani appellantur, *Cujus Evangelium nemo intuetur, qui non eum doctorem humilitatis inveniat: tum maximè virtutis hujus sectatores & conservatores esse convenit, qui magno aliquo bono cæteris eminent*, secundùm illud: *Quantò major es, tantò humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Ita disserit *S. Augustinus*, Lib. *De Sancta Virginitate*, cap. XXXIII. indeque colligit, Virgines cæteris humiliores esse debere, quia sancta virginitas magnum bonum est. *Quod bonum quanto magnum video*, (inquit idem Doctor cap. LI.) *tantò ei, ne pereat, furem superbiam pertimesco. Non ergo custodit bonum virginale, nisi Deus ipse qui dedit: & Deus caritas est. Custos ergo virginitatis caritas: locus autem hujus custodis humilitas. Ibi quippe habitat, qui dixit, Super humilem & quietum & trementem verba sua requiescere Spiritum suum.*

Eccli. 3.

Virginitas sine humilitate nullius apud Deum meriti.

1. Joann. 4.

Humilitatis excellentiam præclarè ostendit Autor elegantis Epistolæ ad *Demetriadem* Virginem, inter Opera *S. Prosperi*, cap. XXI. *Prima ergo humilitatis ratio*, (inquit) *in communis vitæ versatur officiis, quibus & divina clementia conciliatur, & societas humana constituitur. Multum enim ad roborandum dilectionem valet, cùm secundùm doctrinam Apostolicam, invicem se homines honore præveniunt, & alteri alterum superiorem existimantes, amant servire subjecti, & nesciunt tumere Prælati, cùm & pauper divitem non sibi dubitat anteferre, & dives pauperem sibi gaudet æquare: cùm & sublimes non superbiunt de claritate prosapiæ, & pauperes non extolluntur de communione naturæ: cùm denique non plus tribuitur magnis opibus, quàm bonis moribus; nec major ducitur phalerata iniquorum potentia, quàm rectorum inhonorata justitia. Ab hoc æquo & modesto jure concordia, in quo nullum de gradu superiore certamen, nec felicitas aut inflat propria, aut urit aliena, pulcrè & mirabiliter à plerisque proficitur ad illam humilitatis*

Humilitatis excellentia.

Rom. 12.

militatis fortitudinem, qua & se extra omnem constituit dignitatem, & mavult apta esse injuriis accipiendis, quàm idonea repellendis.

Et Cap. VI. *Cùm Ecclesia Dei, qua est corpus Christi, seu sit multimoda varietate contexta, ut in unum decorem etiam qua non sunt paria concurrant; & de omni genere hominum, de omni gradu officiorum, de omni mensura operum, de omni qualitate virtutum fiat totius ædificationis inseparabilis connexio & indifferens pulchritudo, nec desit soliditati, quod non defuerit portioni: tantáque ibi sit pax tantáque concordia, ut non possit esse nisi omnium, quod est etiam singulorum: indubitanter apparet, copulatricem quamdam esse virtutem, qua sibi confœderatur & concinit multiplex Sanctorum unitas & speciosa diversitas. Hæc autem virtus vera humilitas est; qua inter quoslibet meritorum gradus nunquam sui patest esse dissimilis.*

ARTICULUS IX.

Christiana Humilitatis Officia.

Humilitas hominem Deo subjicit.

DUo sunt præcipua Christianæ humilitatis officia: primum est, hominem Deo subjicere; secundum, infra ceteros homines deprimere. De primo ait *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CLXI. Articulo II. *Humilitas præcipuè videtur importare subjectionem hominis ad Deum.* Et certè nihil æquius quàm ei subditum esse, ac ejus magnitudinem humillima summissione revereri, cujus respectu nihil sumus, & si quid sumus, ab ipso, in ipso, & per ipsum sumus. Isai. XL. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputata sunt ei. In ipso vivimus, movemur & sumus* (inquit Apostolus.) Nihil boni ex nobis ipsis possumus, nec facere, nec velle, nam *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate* (inquit *S. Paulus*) Nec loqui: *Nemo enim potest dicere, Dominus Jesus nisi in Spiritu Sancto.* Nec saltem cogitare, quia *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.* De nostro non habemus nisi mendacium & peccatum: Quidquid autem boni in nobis est, ab illo est, in quo nisi manserimus, & ille in nobis, nullum omnino fructum salutis ferre possumus. Unde Salvator ipse ait: *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Qui se fructum à semetipso ferre existimat, in vite non est, id est in Christo, adeóque non est Christianus (inquit *S. Augustinus* Tractatu LXXXI. in Joannem.) Ut justificemur, Misericordia ejus nos prævenit; ut in justitiâ maneamus ac perseveremus, misericordia ejus nos subsequitur, idque omnibus diebus vitæ nostræ. Ad Deum igitur toto voluntatis affectu clamemus: *Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es, Deus meus misericordia mea. Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina. Deus meus in auxilium meum respice. Deus auxilii mei & spes mea in Deo est. Nonne Deo subjecta erit anima mea? Ab ipsa enim salutare meum.*

Philipp. 2. 13.

1. Cor. 12. 3.

2. Cor. 3. 5.

Joan. 15. 4.

De hac subjectione *Sanctus Augustinus* Homiliâ CCCL. aliàs L. inter Homilias quinquaginta: *In rebus, inquit, visibilibus ut excelsa quisque contingat, in excelsum erigitur: Deus autem cùm sit omnium excellentissimus, non elatione, sed humilitate contingitur. Unde Propheta dicit,* Prope est Dominus omnibus qui obtriverunt cor. *Et iterum,* Excelsus Dominus, & humilia respicit, & excelsa à longè cognoscit. *Excelsa posuit pro superbis. Illa ergo respicit ut attollat: ista cognoscit, ut dejiciat.... Quisquis itaque pœnitentia recusat humilitatem, Deo propinquare non cogitat. Aliud est enim levare se ad Deum; aliud est levare se contra Deum. Qui ante illum se projicit, ab illo erigitur: qui adversùs illum se erigit, ab illo projicitur. Alia est enim soliditas magnitudinis, alia est inanitas inflationis. Qui foris tumescit, intus tabescit.* Qui eligit abjici in domo Dei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum; *eligit illum Deus ut inhabitet in atriis ejus, & nihil sibi assumentem Ille in sedem beatitatis assumit.*

Psalm. 33.

Psalm. 83.

Humilitas Christiana facit ut homo ceteris omnibus hominibus se postponat.

Aliud Christianæ humilitatis officium est hominem ceteris omnibus subjicere, secundùm illud Apostoli ad Philippenses Cap. II. *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.* Nam quia iniquus quisque inferiorem se omnem quem cognovit, putat; è diverso justus studet, ut superiorem quemlibet proximum attendat, (inquit *S. Gregorius* Libro XXXIV. *Moralium*, Cap. XVII.) Ac ne dum se alii alter humiliat, iret alter in elationem, bene utramque partem admonuit, dicens, SUPERIORES SIBI INVICEM ARBITRANTES; *ut in cogitationibus cordis & ego mihi illum præferam, & vicissim ille me sibi: ut cùm ab utraque parte cor inferius premitur, nullus ex impenso honore sublevetur.*

Cùm autem *Humilitas in parte veritatis, non in parte falsitatis* collocanda sit, ut docet *S. Augustinus* Libro *De Natura & Gratia*, Cap. XXXIV. operæ pretium est explicare cum *S. Thoma*, quâ ratione humilitas infra ceteros homines in propriâ opinione deprimere nos debeat. Observat autem Doctor Angelicus, *Secunda Secundæ*, Quæstione CLXI. Articulo III. duo in homine posse considerari, scilicet, *Id quod est Dei, & id quod est hominis. Hominis autem est quicquid pertinet ad defectum, Dei est quicquid pertinet ad salutem & perfectionem*, secundùm illud Oseæ XIII. *Perditio tua, Israël: tantummodo in me auxilium tuum.* Cùm igitur humilitas propriè respiciat reverentiam quâ homo Deo subjicitur, quilibet homo *Secundum id quod suum est*, id est, secundùm defectus quos in se cognoscit, si verè sit humilis, *debet se cuilibet proximo subjicere quantùm ad id quod est Dei in ipso*: Id est, ipsum secundùm Dei dona quæ in illo agnoscit & veneratur, sibi ipsi anteponere. *Non autem hoc requirit humilitas, ut aliquis id quod est Dei in se ipso, subjiciat ei quod apparet esse Dei in altero*: Id est, ut dona Dei sibi collata existimet esse minora iis quæ alteri collata sunt. Qui enim dona Dei participant, cognoscunt ea se habere, secundùm illud I. ad Corinthios II. *Ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Et ideo *Absque præjudicio humilitatis, possunt dona, quæ ipsi acceperunt, præferri donis Dei quæ aliis collata videntur.* Unde Apostolus ad Ephesios III. ait: *Aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc revelatum est Sanctis Apostolis ejus.*

Similiter *Non hoc requirit humilitas ut aliquis id quod est suum in seipso, subjiciat ei quod est hominis in proximo*: Id est, ut peccata sua, vel defectus, cum manifestis aliorum peccatis ac defectibus comparans, *se magis peccatorem quolibet alio existimet*: cùm Apostolus *Absque præjudicio humilitatis* dicat, ad Galatas II. *Nos naturà Judæi, &*

non ex Gentibus peccatores, Potest tamen, immò debet existimare quisquis verè humilis est, *Aliquid boni esse in proximo, quod ipse non habet, vel aliquid mali in se esse, quod in alio non est, ex quo se possit ei subjicere per humilitatem.* Quod ex *S. Augustino* confirmatur, Libro Quæstionum octoginta trium, Quæstione LXXI. *Illud*, inquit, *cogitandum, nullum esse hominem qui non possit habere aliquod bonum, quod tu nondum habes, etiamsi lateat, in quo sine dubio possit te esse superior. Quæ cogitatio ad contundendam edomandámque superbiam valet, ne arbitreris quoniam tua quædam bona eminent & apparent, ideo alterum nulla habere quæ lateant, & fortasse majoris ponderis bona, quibus te superat nescientem. Non enim falli nos, aut adulatione poscit* (Philipp. 2.) *» uti, Apostolus jubet, cùm dicit,* » Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in » humilitate mentis alter alterum existimantes su» periorem sibi, *Non hoc ita debemus existimare, ut non existimemus, sed nos existimare fingamus; sed verè existimemus aliquid occultum esse posse in alio, quo nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum, quo illo videmur superiores esse non sit occultum. Istæ cogitationes deprimentes superbiam, & acuentes caritatem, faciunt onera fraterna invicem, non solum æquo animo, sed etiam libentissimè sustineri.*

Hac etiam ratione Virgines hortatur Libro *De Sancta Virginitate*, Cap. XLIV. & XLVII. ne se mulieribus non tantùm viduis, sed etiam conjugatis, quæ Dei præceptis pariter obediunt, anteponere audeant. Quamvis enim virginitas etiam castis nuptiis, continentia connubio, fructus centenos triceno sit absque hæsitatione præponendos: Virgo tamen obediens & Deum timens, illi vel illi mulieri obedienti & Deum timenti se anteferre non audeat; *Alioquin non erit humilis, & Deus superbis resistit.* Quid ergo cogitabit? *Occulta scilicet dona Dei, quæ nonnisi interrogatio tentationis, etiam in semetipso unicuique declarat. Ut enim cætera taceam, unde scit Virgo, quamvis sollicita quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino, ne fortè propter aliquam sibi incognitam mentis infirmitatem, nondum sit matura martyrio, illa verò mulier cui se præferre gestiebat, jam possit bibere calicem dominicæ humilitatis, quem priùs bibendum Discipulis amatoribus sublimitatis opposuit?... Certè nisi adsit tentatio, nulla doni hujus fit demonstratio.... Ut ergo quisque non infletur, ex eo quod se pervidet posse, humiliter cogitet quòd ignorat aliquid præstantius se fortasse non posse: aliquos autem qui illud quo sibi gloriosè notus est, nec habent, nec profitentur, hoc quod ipse non potest, posse. Ita servabitur non fallaci,* (Rom. 12. Philipp. 2.) sed *veraci humilitate*, HONORE *mutuo prævenientes*, & ALTER *alterum existimantes superiorem sibi.*

Accedit ratio altera, quâ se homo magis Dei donis auctos infra alios deprimere veraci humilitate possit. (*Neque enim simulare debet humilitatem, sed exhibere: nam simulatio humilitatis major superbia est.*) Ea autem est cauta & vera cogitatio, *Omnia peccata sic habenda tanquam dimittantur, à quibus Deus custodit ne committantur;* (inquit *S. Augustinus* Cap. XLI. ejusdem Libri.) Qui & Cap. LI. converso ad Virgines sermone ait: *Quicquid mali Deo custodiente non committitis, tanquam remissum ab illo deputate: ne modicum vobis existimantes dimissum, modicùm diligatis, & tundentes pectora Publicanos ruinosâ jactantiâ contemnatis. De viribus vestris expertis cavete, ne quia ferre aliquid potuistis inflemini: de inexpertis orate, ne suprà quàm potestis ferre tentemini. Existimate aliquos in occulto superiores, quibus estis in manifesto meliores. Cùm aliorum bona fortè ignota vobis, benignè creduntur à vobis, vestra vobis nota non comparatione minuuntur, sed dilectione firmantur: & quæ fortè adhuc desunt, tantò dantur faciliùs, quantò desiderantur humiliùs. Perseverantes in numero vestro præbeant vobis exemplum, cadentes autem augeant timorem vestrum. Illud amate, ut imitemini; hoc lugete, ne inflemini.*

Et Sermone XCIX. aliàs XXIII. ex Homiliis quinquaginta, duos homines statuit ac inter se comparat, unum qui plurima gravissimaque peccata commisit, alterum qui pauca & leviora. Tum ex sententiâ Salvatoris, *Cui minùs dimittuntur, minùs diligit*, uberiorem fuisse illi objicit multitudinem & gravitatem peccatorum, ut illius caritas major esset ac ferventior. Objectionem autem solvit respondendo, Inter debita dimissa numerari debere, quæ ille non commisit peccata, Deo regente: ac proinde istum non minùs diligere debere Deum, quàm illum. *Hic multa commisit, & multorum debitor factus est: ille gubernante Deo pauca commisit. Cui deputat ille quod dimisit, huic & iste deputat quod non commisit. Adulter non fuisti in illa tua vita præterita plena ignorantia, nondum illuminatus, nondum bonum malúmque discernens, nondum credens in illum, qui te nescientem regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, servabam te mihi. Ut adulterium non committeres, suasor defuit: ut suasor deesset, ego feci. Locus & tempus defuit; & ut hæc deessent, ego feci. Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes & quod non admisisti. Mihi debet iste quod factum est, & dimissum vidisti: Mihi debes & tu quod non fecisti. Nullum est enim peccatum quod facit homo, quod non possit facere & alter homo, si desit Rector à quo factus est homo.* Hinc Libro II. *Confessionum*, Cap. VII. *Gratiæ tuæ deputo*, inquit, *& quæcumque non feci mala.... Et omnia mihi dimissa esse fateor; & quæ mea sponte feci mala, & quæ te duce non feci.*

(Deo debentur fuisse in ... peccatorum quæ non commisimus. Luc. 7.)

Ut primum Christianæ humilitatis officium impleat homo, necessaria illi est notitia Dei; ut alterum, necessaria est cognitio sui. In duplici illa cogitatione summa salutis posita est. *Nam quomodo non verè humiliabitur anima in hac vera cognitione sui, cùm se perceperit oneratam peccatis, mole hujus mortalis corporis aggravatam, terrenis intricatam curis, carnalium desideriorum fæce infectam, cæcam, curvam, infirmam, implicitam multis erroribus, expositam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille suspicionibus obnoxiam, mille necessitatibus ærumnosam, proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes? Unde huic jam extollentia oculorum, unde levare caput? Nonne magis convertetur in ærumna sua, dum configitur spina? Convertetur, inquam, ad lachrymas, convertetur ad planctus & gemitus, convertetur ad Dominum, & in humilitate clamabit: Sana animam meam, quia peccavi tibi. Porrò conversa ad Dominum recipiet consolationem, quia Pater est misericordiarum, & Deus totius consolationis... Tali experimento & tali ordine salubriter innotescit Deus, cùm prius se homo noverit in necessitate positum, & clamabit ad Dominum, & exaudiet eum, & dicet:* Eruam te, & honorificabis me: *Atque hoc modo erit gradus ad notitiam Dei, cognitio tui.* Verba sunt *S. Bernardi* Sermone XXXVI. in Cantica. (Psalm. 49. 15)

(Duo Christianæ humilitatis cardines, cognitio Dei, & cognitio sui.)

Quamvis autem in externis humilitatis actibus, sicut in actibus virtutum cæterarum servanda sit moderatio; & ideo cavere debeant qui alios regunt, ne se nimiùm dejiciant exteriùs, ut ordinémque suum illos servare sit necessarium, *Ne apud eos, quos oportet esse subjectos, dum nimiùm servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas:*

(Non cogitatione solum, sed affectu cæteris omnibus hominibus se postponere Christianus homo debet.)

ut

A ut docet *S. Augustinus* in Regula : Tamen in affectu animi, & propriâ opinione, debent se omnibus postponere, & subditorum pedibus coram Deo substernere etiam illi qui præsunt. Nec periculum est ullum si se interiori animi sensu nimis depriment ; grande verò malum, & horrendum periculum est, si vel modicè plus vero se extollant, si vel uni in sua cogitatione se præponant, quem fortè illis parem veritas judicat, aut etiam superiorem. *Quamobrem* (inquit *S. Bernardus* Sermone XXXVII. in Cantica,) *Noli te homo comparare majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni. Quid scis enim, si unus ille quem fortè omnium vilissimum atque miserrimum reputas, cujus vitam sceleratissimam ac singulariter fœdissimam horres, & propterea illum putas spernendum, non modò præ te, qui fortè jam sobriè, & justè, & piè vivere te confidis, sed etiam præ ceteris omnibus sceleratis tanquam sceleratissimum : quid scis, inquam, si melior & te & illis, mutatione dexteræ Excelsi, in se quidem futurus sit, in Deo verò jam sit? Et propterea non mediocrem, non vel penultimum, non ipsum saltem inter novissimos eligere locum nos voluit : Sed*, Recumbe, *inquit*, in novissimo loco : *Ut solus videlicet omnium novissimus sedeas, teque enim non dico præponas, sed nec comparare præsumas.*

Nec solùm cognitione, sed & affectu nos omnibus postponere necesse est. *Est enim humilitas, quam nobis veritas parit, & non habet calorem : & est humilitas quam caritas format & inflammat. Atque hæc quidem in affectu, illa in cognitione consistit* (inquit *S. Bernardus* Sermone XLII. in Cantica.) *Etenim tu, si temetipsum intus ad lumen veritatis & sine dissimulatione inspicias, & sine palpatione dijudices, non dubito quin humilieris & tu in oculis tuis, factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui, quamvis necdum fortasse idem patiaris in oculis aliorum. Eris igitur humilis, sed opere interim veritatis, & minimè adhuc de amoris infusione. Nam si veritatis ipsius, quæ te tibi veraciter atque salubriter demonstravit, sicut splendore illuminatus, ita affectus amore fuisses : voluisses procul dubio, quod in te est, eamdem de te omnes tenere sententiam, quam ipsam apud te veritatem habere cognoscis. Sanè, quod in te est, dixerim ; quoniam plerumque non expedit innotescere omnibus omnia quæ nos scimus de nobis ; atque ipsa veritatis caritate, & caritatis veritate vetamur palam fieri velle quod noceat agnoscenti. Alioquin si privato amore tui sententiam detines pariter intra te judicium veritatis inclusum, cui dubium est minùs te veritatem diligere, cui proprium præfers vel commodum, vel honorem? Vides igitur non esse id ipsum, hominem de se ipso non altum jam sapere veritatis lumine redargutum, & humilibus sponte consentire, munere caritatis adjutum : illud enim necessitatis est, hoc voluntatis.* Christus *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, & formam humilitatis tradens : Ipse se exinanivit, ipse se humiliavit, non necessitate judicii, sed nostri caritate..... Time Deum, & noli hanc rem pessimam facere, ut quem humiliat veritas, extollat voluntas : hoc enim resistere est veritati, hoc pugnare contra Deum. Magis autem acquiesce Deo, & sit voluntas subdita veritati, nec tantùm subdita, sed & devota.* Nonne Deo, *inquit*, subjecta erit anima mea? *At parum est esse subjectum Deo, nisi & omni humanæ creaturæ propter Deum.* Concinit S. Bernardo *S. Thomas* Secunda Secundæ, Quæstione CLXI. Articulo II. *Cognitio*, inquit, *proprii defectus pertinet ad humilitatem, sicut regula quædam directiva appetitûs : sed in ipso appetitu consistit humilitas essentialiter.* Quamobrem, ut ait *Richardus à S. Victore*, Libro II. [Psalm. 61. 2.]

De eruditione interioris hominis, Cap. XXXII. *Humilis est, qui seipsum apud semetipsum veraciter contemnit : humilior autem, qui se contemni ab aliis non refugit : humillimus verò, qui contemtum sui non solùm contemnit, sed & admodum concupiscit.*

ARTICULUS X.

Christianæ Humilitatis Gradus.

B DUodecim Humilitatis gradus *S. Benedictus* in Regula, Cap. VII. *S. Bernardus* Tractato singulari *De Gradibus Humilitatis* inscripto, & *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CLXI. Articulo VI. recensent.

Primus est, Timor Dei, & perennis præceptorum ejus memoria, necnon consideratio æterni supplicii, Deum contemnentibus destinati, & vitæ æternæ Deum timentibus præparatæ. Psalm. XVII. *Custodivi vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo, quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo, & justitias ejus non repuli à me. Et ero immaculatus cum eo, & observabo me ab iniquitate mea.* [1. Timor Dei.]

C Secundus est abdicatio propriæ voluntatis, ejúsque ad divinam accommodatio, ut Christianus dicere possit cum Christo Domino : *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* [2. Propriæ voluntatis abdicatio.] [Joan. 6.]

Tertius est, Ut Christianus divini amoris impulsu omni obedientiâ se subdat majori, ac præcipuè Præpositis, qui pervigilant quasi rationem pro anima illius reddituri, sicque Christum imitetur, qui *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* [3. Omni obedientiâ subdere se majoribus.] [Philipp. 2.]

D Quartus, Ut in ipsa obedientiâ duris & contrariis rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis injuriis, tacitâ conscientiâ patientiam amplectatur, nec deficiat, sed in finem usque perseveret. Nam Præceptum Domini in adversis & injuriis adimplentes, percussi in maxilla præbent & aliam ; auferenti tunicam dimittunt & pallium ; angariati milliario, vadunt & duo ; cum Paulo Apostolo falsos fratres, & persecutiones sustinent, & maledicentes se benedicunt. [4. Patientia in adversis & injuriis.]

Quintus est, Ut pravas cogitationes in animum irrepentes, & mala clam commissa, humili confessione conscientiæ suæ Moderatori aperiat, ut illud E Psalmi XXXI. in ipso impleatur : *Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi : dixi, Pronuntiabo adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Et illud Jacobi V. *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini.* [5. Pravarum cogitationum & malorum clam commissorum confessio.]

Sextus est, Ut abjectionem omnem, contemtúmque sui æquo & lubenti animo ferat, & in omnibus operibus sibi vocationis suæ statúsque vi ac nomine injunctis, se operarium malum & inutilem existimet, secundùm præceptum Salvatoris, Luc. XVII. *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus, quod debuimus* F *facere, fecimus.* [6. Contemptum sui, & abjectionem æquo & lubenti animo ferre.]

Septimus est, Ut omnibus se viliorem & inferiorem non solùm linguâ pronuntiet, sed etiam intimo cordis credat affectu, dicens cum Propheta, *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.* [7. Omnibus se viliorem credere.] [Psalm. 21.]

Octavus est, Ut nihil agat, Monachus quidem contra Regulam, & majorum exempla ; Christianus verò quilibet præter id quod docet Evangelium, & quod Ecclesia proponit vel approbat. Nam Christiani omnes Religiosi Crucis sumus, secundùm illud Tertulliani, *Apologetici* [8. Nihil agere contra Evangelium, contra Ecclesiæ disciplinam, aut contra Regulam.]

Cap. XVI. *Qui crucis nos Religiosos putat, consecraneus erit nostro*. Evangelium, & Ecclesiæ Doctrina, Regula nostra est, quam nos observaturos, in Baptismo solemniter vovimus, cùm in Sacramenti verba respondimus. Ad Philippenses III. *Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, & in eadem permaneamus Regula.* Ad Galatas VI. *Et quicumque hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia, & super Israel Dei.* Hæc est *Via Dei, Via salutis, Via pacis, Via recta, Via Sanctorum, Via veritatis, Via justitia, Via immaculata, Via mandatorum & justificationum Dei, Via æterna*, in quâ ambulare debemus, nec declinare ad dexteram, aut sinistram.

9. Coërcere linguam.

Nonus est, ut linguam coërceat, nec loquatur nisi Dei gloria, rerúmque suarum & proximi necessitas silentium abrumpere jubeat, persuasus *In multiloquio non deesse peccatum*, & quòd *Vir linguosus non dirigetur in terra.* Atque ita apud se statuens: *Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: posui ori meo custodiam.*

Proverb. 10. Psalm. 139. Psalm. 38.

10. In risum non facilè solvi.

Decimus est, Ut non facilè solvatur in risum & ineptam lætitiam, divinæ illius sententiæ memor: *Fatuus in risu exaltat vocem suam: Vir autem sapiens vix tacitè ridebit.* Christum humilitatis doctorem flevisse legimus, non risisse.

Eccli 21.

11. Pauca verba leniter, humiliter & cum gravitate loqui.

Undecimus est, Ut cùm loquitur, leniter, sine risu, humiliter & cum gravitate pauca verba, & prudentiæ sale condita, non clamosâ, sed submissâ voce proferat, sacrorum illorum oraculorum memor: *Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cælo, & tu super terram: Idcirco sint pauci sermones tui..... Verba oris sapientis gratia, & labia insipientis præcipitabunt eum.... Stultus verba multiplicat..., Sapiens in verbis producet seipsum... Labia imprudentium stulta narrabunt: verba autem prudentium staterâ ponderabuntur.*

Ecclesiast. 5. & 10. Eccle. 20. 21. Psalm. 130.

12. Toto corporis habitu humilitatem præ se ferre.

Duodecimus humilitatis gradus est, ut non solùm animo, sed toto corporis habitu, in omni loco humilitatem præ se ferat, ut verè dicere possit cum Davide: *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* Et Apostoli monitum impleat, ad Philippenses IV. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.*

ARTICULUS XI.

Rationes ad humilitatem moventes.

MUlta sunt quæ ad humilitatem nos movent: tum maximè originis nostræ, ac multiplicis miseriæ, tum corporis, cùm animæ consideratio; novissimorum deinde nostrorum memoria; Christi denique propter nos humiliatio. *Humiliatio tua in medio tui*, (inquit Propheta.) Humiliationis nostræ causas non est necesse ut extra nos ipsos quæramus, siquidem illas intra nos gerimus. Pulvis enim & cinis sumus Genes. III. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Genes. XVIII. *Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis.* Job. XVII. *Putredini dixi, Pater meus es; mater mea & soror mea, vermibus.* Ecclesiastici X. *Quid superbit terra & cinis?* Quæ superbiæ causa homini, qui secundùm corpus in ortu suo sperma fœtidum est, in vita saccus stercorum, post mortem cibus vermium? Quantum verò excitare debent humilitatis affectum miseriæ & ægritudines animæ, ignorantia, difficultas ad bonum agendum, & ad domandam concupiscentiam quæ ad peccatum semper inclinat & illicit: peccata præterita, quotidiana, occulta; ob quæ consumti essemus, nisi Misericordia Dei magna nos prævenisset. Thren. III. *Misericordia Domini quod non sumus consumpti.* Denique Dei judicia peccatoribus omnibus, ac præsertim superbis imminentia, & æternæ sortis nostræ ignoratio, magna nobis ad humilitatem incitamenta esse debent. Non solùm enim *Nescit homo utrum* in præsenti, sed utrum in futuro *amore vel odio dignus sit*; nescit utrum in area Domini triticum sit, an palea; nescit utrum permaneat ad coronam, vel ad flammam. Quamobrem Apostolorum Principi obtemperare debet, scribenti: *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Quid est homo? *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletus multis miseriis.* Natus de muliere, *& ob hoc cum reatu*: Brevi vivens tempore, *idcòque cum metu*: Repletus multis miseriis, *& propterea cum fletu.* Et verè multis, quia corporis & animæ simul. *Quid enim calamitate vacat nascenti in peccato, fragili corpore, & mente sterili? Verè ergo repletur, cui infirmitas corporis, & fatuitas cordis cumulatur traducе sordis, mortis addictione.* Verba sunt *S. Bernardi* Libro II. *De Consideratione ad Eugenium*, Cap. IX. Quid est homo? *Cujus conceptus culpa, nasci miseria, vivere pœna, mori angustia.* Ad Humilitatem fovendam consideret homo primordia, media, & novissima sua. *Cogita unde veneris, & erubesce; Ubi sis, & ingemisce; Quò vadis & contremisce;* (inquit *S. Bernardus* Sermone XII. *De Diversis*) Agnosce primordia tua, & erubesce comparatum te esse jumentis: memorare novissima tua, & time ne abeas etiam post jumenta. Erubesce quòd pro consortio Angelorum, consortium sortitus es pecorum, non modò in necessitatibus corporis, sed etiam in affectibus cordis... Eras aliquando gloria & honore coronatus, constitutus super opera manuum Domini, incola Paradisi, Angelorum civis, & domesticus Domini Sabaoth. Hinc dejecisti te ipsum in has interiores tenebras, unde ad exteriores quoque & palpabiles tenebras ejiciendus eris aliquando, si non caves. Ecce unde venisti: vis nosse quò devenisti? In locum utique afflictionis. Siquidem vita tua inferno appropinquavit. Quid enim hic nisi labor, & dolor, & afflictio spiritûs?.... Sed novissima quæ sunt? Mors, judicium, gehenna. Quid horribilius morte? Quid judicio terribilius? Nam gehenna nihil potest intolerabilius cogitari. Quid metuet, si quis ad ista non trepidat, non expavescit, non timore concutitur?

Micheæ 6. 14.

Originis nostræ, ac multiplicis miseriæ consideratio.

Eccles. 9. 1. 1. Petr. 5. Job. 14.

De cælo cecidit ista Sententia, NOSCE TE IPSUM HOMO; (inquit *S. Bernardus* Sermone XL. *De Diversis.*) Vide si non & Sponsus in amoris Cantico Sponsæ idem loquatur: *Si ignoras te, ô pulcra inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum:* Cognitio porrò sui stat in tribus; *Ut cognoscat homo quid fecit, quid meruit, quid admisit.* Quid vilius, ô nobilis creatura, imago Dei, Creatoris similitudo, quàm carnem tuam illecebris carnalibus deturbare, & pro brevi voluptate torrentem perdere voluptatis? Quid furiosius, quàm rapi mentem irâ, superbiâ extolli, vexari invidiâ, anxietate torqueri? Recordare etiam quid merueris. Subeat memoriam tuam gehennalis olla, fornax ferrea magnæ Babylonis, domus mortis, anxietatis domicilium, flammarum globos, acerbitas frigoris, tenebræ sempiternæ. Considera ordinem tormentorum, tortorum facies, mutationem pœnarum, miseriarum infini-

Cant. 1. 7.

tatem, & poteris dicere: *Melius erat mihi, si natus non fuissem.* Reflecte oculos, & quid amiseris animadverte. Reminiscere qualis sit civitas gloriosa, cœlestis habitatio, locus vitæ, suavitatis palatium, splendor gloriæ, gratiæ magnitudo, claritas infinita. Attende ordinem gaudiorum, gaudentium vultus, præmiorum vicissitudinem, multitudinem deliciarum, & poteris exclamare: *Qui te perdidit, totum perdidit, Domine Deus.*

Exemplum Christi humilitatis Magister.

Verùm nihil efficaciùs movet ad humilitatem exemplo Christi, qui ad hoc natus est, vixit, passus & mortuus est, ut humilitatem doceret. *Ad hoc* (inquit *S. Gregorius*, Lib. XXXIV. *Moralium*, cap. XVIII.) *Unigenitus Dei Filius formam infirmitatis nostræ suscepit; ad hoc invisibilis, non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit; ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum opprobria, passionumque tormenta toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus. Quanta ergo humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam is, qui sine æstimatione magnus est, usque ad Passionem factus est parvus? Quia enim originem perditioni nostræ superbia præbuit diaboli, instrumentum redemptionis nostræ inventa est humilitas Dei. Hostis quippe noster magnus inter omnia conditus, videri super omnia voluit elatus. Redemptor autem noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est parvus. Sed melius & elationis causam detegimus, & fundamenta humilitatis aperimus, si brevi commemoratione perstringimus quid mortis Auctor, quid vitæ Conditor dicat. Ille namque* ait: In Cælum ascendam: *Iste autem per Prophetam dicit:* Repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit. *Ille dicit:* Super astra cæli exaltabo solium meum: *Iste humano generi à Paradisi sedibus expulso dicit:* Ecce venio citò, & habitabo in medio tui. *Ille dicit,* Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: *Iste dicit,* Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & objectio plebis. *Ille dicit,* Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo: *Iste,* Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens; *& per membra sua loquitur dicens,* Domine quis similis tibi? *Ille per membra sua loquitur dicens,* Nescio Dominum, & Israël non dimittam: *Iste per semetipsum dicit:* Si dixero quia non novi eum, ero similis vobis mendax: Sed novi eum, & sermonem ejus servo. *Ille dicit,* Mea sunt flumina, & ego feci ea: *Iste dicit,* Non possum a me facere quidquam. *Et rursum,* Pater meus in me manens, ipse facit opera. *Ille regna omnia ostendens dicit,* Tibi dabo potestatem hanc universam & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cui voluero do illa: *Iste dicit,* Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram vel ad sinistram meam, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. *Ille dicit,* Eritis sicut Dii scientes bonum & malum: *Iste dicit,* Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate. *Ille ut voluntas divina despici, & ut possit propria suaderi, dicit,* Cur præcepit vobis Deus ut non comederetis ex omni ligno Paradisi? Scit enim Deus quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: *Iste dicit,* Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. *Ille per membra sua loquitur dicens,* Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra, coronemus nos rosis antequam marcescant, ubique relinquamus signa lætitiæ nostræ: *Iste membris suis prænuntiat dicens,* Plorabitis & flebitis vos, Mundus autem gaudebit. *Ille nihil aliud mentes sibi subditas docet, quàm celsitudinis culmen appetere, cuncta æqualia mentis tumore transcendere, societatem omnium hominum altâ elatione transire, ac sese contra potentiam Conditoris erigere, sicut de eisdem per Psalmistam dicitur:* Transierunt in dispositionem cordis, cogitaverunt & locuti sunt nequitias, iniquitatem in excelso locuti sunt: *Iste ad sputa, ad palmas, ad colaphos, ad spineam coronam, ad crucem, ad lanceam, atque ad mortem veniens, membra sua admonet dicens:* Si quis mihi ministrat, me sequatur.

(Marginal references: Isaiæ 14. Psal. 87. Zachar. 2. Psalm. 21. Psalm. 24. Philipp. 2. Psalm. 14. Exod. 5. Joann. 8. Ezech. 29. Joannis 5. Joan. 14. Luc. 4. Matth. 20. Genes. 3. Act. 1. Joannis 5. Sap. 2. Joannis 16. Matth. 20. 23. Genes. 3. 5. Act. 1. 7. Genes. 3. Joan. 5. 30. Sap. 2. 2. Joan. 16. 20. Psal. 72. Joann. 12. 26.)

Concludamus cum *S. Augustino* Enarratione in Psalmum XVIII. *Jam tandem erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus.*

Multi humiliantur, pauci verè sunt humiles.

Verùm ut Christum imitetur, non sufficit humiliatio seu à Deo immediatè, seu ab ipso per homines operante proveniens. *Quanti enim humiliantur, qui humiles non sunt* (inquit *S. Bernardus* Sermone XXXIV. in Cantica.) *Alii cum rancore humiliantur, alii patienter, alii & libenter. Primi rei sunt, sequentes innoxii, ultimi justi. Quanquam & innocentia portio justitiæ est, sed consummatio ejus apud humilem. Qui autem dicere potest,* Bonum mihi quia humiliasti me, *is verè humilis est. Non potest hoc dicere qui invitus tolerat; minùs qui murmurat. Neutri horum promittimus gratiam, quod humiliatur: etsi sanè hi duo longè à se differant, & alter quidem in patientia sua possideat animam suam, alter in suo murmure pereat. Sed enim etsi unus iram, neuter tamen gratiam promeretur. Quoniam non humiliatis, sed humilibus Deus dat gratiam. Est autem humilis, qui humiliationem convertit in humilitatem, & ipse est qui dicit Deo,* Bonum mihi quòd humiliasti me. *Nemini prorsus quod patienter fert bonum est, sed planè molestum:* Scimus autem quòd Hilarem datorem diligit Deus.... *Sola gratiam, quam præfert, meretur læta & absoluta humilitas. Quæ enim coacta fuerit vel extorta, qualis utique est in viro patiente illo qui possidet animam suam: Hæc, inquam, humilitas etsi vitam obtinet propter patientiam, propter tristitiam tamen gratiam non habebit. Non enim congruit ei qui ejusmodi est illud Scripturæ,* Glorietur humilis in exaltatione sua: *Quoniam non sponte humiliatur, neque libenter. Vis autem videre humilem rectè gloriantem, & verè dignum gloriâ?* Libenter, *inquit,* gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. *Non dicit, patienter se ferre infirmitates suas, sed & gloriari, & libenter gloriari in illis, probans etiam sibi bonum esse quod humiliatur: Nec sufficere omnino ut possideat animam suam tanquam patienter humilians; nisi & gratiam accipiat tanquam sponte humiliatus.*

(Marginal references: Psalm. 118. 2. Cor. 9. 7. Jacob. 1. 2. Cor. 12. 9.)

Multi humiliati, pauci humiles.

Et Sermone XX. De Diversis: *Quantos,* (inquit) *videmus humiliatos, sed non humiles; percussos, sed non dolentes; curatos quidem à Domino, sed non ipsa curatione sanatos? Hi sunt qui sub sentibus esse delicias computant, dissimulantes peccata quæ agitant, lubricum in quo titubant, tenebras quibus caligant, laqueos inter quos ambulant, locum afflictionis quem inhabitant, corpus mortis quod gestant, jugum grave quod tolerant, graviorem conscientiam quam occultant, gravissimam sententiam quam exspectant. Talis ille erat, cui Joannes in Apocalypsi scribere jubebatur:* Dicis, Quia dives sum, & nullius egeo; & nescis quia tu es pauper, & miser, & miserabilis, & cæcus, & nudus. *Nec mirum si sit vana & mendax exalta-*

(Marginal reference: Apocal. 3.)

De inani gloria.

tie filiorum hominum, si quidem vani sunt & mendaces. Humiliat eos veritas, exaltat vanitas. Et dilexerunt magis tenebras quàm lucem, amplectentes exaltantem se vanitatem & quærentes mendacium.

ARTICULUS XII.

De inani Gloria.

Quid sit: & quàm grave peccatum?

Inanis gloriæ definitio.

I*Nanis gloria est perversus & inordinatus gloriæ appetitus.* Est autem gloria *Frequens de aliquo fama cum laude;* sive, *Clara cum laude notitia.* Appetitus gloriæ non est ex se vitiosus. *Quòd enim aliquis bonum suum cognoscat & approbet, non » est peccatum,* (inquit *S. Thomas:*) Hinc 1. *ad » Corinthios* II. *dicitur:* Nos autem non spiritum » hujus Mundi accepimus, sed spiritum qui ex » Deo est: ut sciamus quæ à Deo donata sunt » nobis. *Similiter etiam non est peccatum quòd aliquis velit bona sua approbari:* Dicitur enim Matt. v. *Luceat lux vestra coram hominibus.* Sed inanis seu vanæ gloriæ appetitus vitium est. Nam *Quodlibet vanum appetere, vitiosum est,* secundùm illud Psalm. IV. *Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Potest autem gloria dici vana tripliciter, (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. CXXXII. Articulo 1.) scilicet, *Ex parte rei de qua quis gloriam quærit, putà, cùm quis gloriam quærit de eo quod non est:* sive de bono quo caret, quo tamen se præditum falsò existimat, aut existimari cupit: *Vel de eo quod non est gloriâ dignum, nempe de re fragili & caduca,* qualia sunt bona corporis & fortunæ. *Alio modo ex parte ejus à quo quis gloriam quærit, putà hominis, cujus judicium non est certum. Tertio modo, ex parte ipsius qui gloriam appetit, & appetitum gloriæ suæ non refert in debitum finem, putà, ad honorem Dei, vel proximi salutem.* Quos ob fines gloriam suam laudabiliter desiderare homo potest, inquit *S. Thomas;* favétque Christi Salvatoris Oraculum Matthæi v. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Hinc Ecclesiastici XLI. Spiritus Sanctus ait: *Curam habe de bono nomine.* Et ad Romanos XII. *Providentes bona non solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.*

Inanem gloriam esse peccatum, luculentiùs probatur ex Scriptura Sacra ad Galatas v. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi;* Et ad Philippenses II. *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.* Hinc *S. Augustinus*, Lib. v. *De Civitate Dei*, cap. XIII. ait: *Saniùs videt, qui & amorem laudis vitium esse cognoscit: Quod nec Poëtam fugit Horatium, qui ait:*

Laudis amore tumes, sunt certa piacula quæ te,
Ter purè lecto poterunt recreare libello.

Inanis gloria opponitur magnanimitati.

Opponitur magnanimitati. Repugnat scilicet magnitudini animi, ut quis de his quæ non sunt glorietur; aut res fragiles, caducas, modicas tanti faciat ut ex illis gloriam captet, aut testimonio laudis humanæ nimiùm delectetur. Idque profanis etiam Philosophis & Oratoribus notum fuit. *Aristoteles* enim Lib. IV. Ethicorum, Magnanimum ait: *Magis curare veritatem, quàm opinionem.* Et Cicero Lib. 1. De Officiis: *Cavenda est,* (inquit) *gloriæ cupiditas. Eripit enim animi libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio.*

De inani gloria.

REGULÆ MORALES.

Regula I.

Q*Uamvis vana gloria non sit ex genere suo peccatum mortale,* cùm non repugnet ex se caritati, quâ Deus & proximus diliguntur: Dilectioni tamen Dei quibusdam in casibus contraria est, proindéque *Mortale peccatum esse potest,* ut docet *S. Thomas*, Art. III. Quæstionis laudatæ. Primò, *Ratione materiæ de qua quis gloriatur,* cùm scilicet *gloriatur de aliquo falso, quod contrariatur divinæ reverentiæ:* Sic Rex Tyri gloriabatur Ezechielis XXVIII. dicens, *Deus ego sum, & in Cathedra Dei sedi in corde Maris,* Sic peccant, qui de Dei donis gloriantur, quasi ea non accepissent, contra illud Apostoli 1. ad Corinthios IV. *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Inanis gloriæ lethali peccato se devinciunt, qui ex falsis, & novis opinionibus contra fidem aut bonos mores gloriam capiant: Aut gloriæ desiderio aliquid docent ad Fidem Catholicam pertinere, quod Ecclesiæ autoritas dogma esse Fidei nondum declaravit. Item qui de peccato mortali, verbi gratiâ, fornicatione, duello, &c. gloriantur, sive illud revera commiserint, sive non commiserint. Cui hominum generi convenit illud Isaiæ III. *Peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt.* Item qui de peccatis lethalibus laudari amant: de quibus dicitur Psalm. 12. *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.* Sic peccabat adolescens *Augustinus*, ut ipse testatur Lib. II. *Confessionum*, cap. III. *Præceps ibam* (inquit) *tanta cæcitate, ut inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, quoniam audiebam eos jactantes flagitia sua, & tantò gloriantes magis, quantò magis turpes essent, & libebat facere non solùm libidine facti, verùm etiam laudis. Quid dignum est vituperatione nisi vitium? Ego ne vituperarer, vitiosior fiebam, & ubi non suberat quo admisso æquarer perditis, fingebam me fecisse quod non feceram, ne viderer abjectior quò eram innocentior, & ne vilior haberer quò eram castior.* Et cap. IX. de furto pomorum cum sodalibus commisso loquens: *O nimis* (inquit) *inimica amicitia! seductio mentis investigabilis, ex ludo & joco nocendi aviditas, & alieni damni appetitus: nullâ lucri mei, nullâ ulciscendi libidine: sed cùm dicitur, Eamus, faciamus, & pudet non esse impudentem.*

Quibus in casibus vana gloria sit peccatum mortale?

Regula II.

S*Ecundò, Inanis gloriæ peccatum mortale committit, ex S. Thoma, Qui bonum temporale, de quo gloriatur, præfert Deo:* Quod prohibetur Jerem. 12. *Non glorietur sapiens in sapientia sua* (inquit Deus) *& non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me.*

REGULA III.

[De inani gloria.] TErtiò, in hoc genere mortaliter peccat, *Qui prafert testimonium hominum testimonio Dei.* Sic peccant Hæretici, & quilibet pravarum opinionum Autores, Doctores, vel Prædicatores, qui Propositiones hæreticas, vel hæresi proximas, erroneas, scandalosas, aut piarum aurium offensivas, Ecclesiæ vel Episcoporum, ac præcipuè Romani Pontificis jussu ejurare nolunt & retractare, ne partæ famæ ac gloriæ jacturam faciant, aut imminutionem patiantur. Item qui necessarium virtutis officium prætermittunt; aut Deo ad perfectioris vitæ genus internùs vocanti non obediunt, varios hominum rumores & judicia, aut vituperium metuentes, exemplo Principum qui crediderunt quidem in Jesum: *Sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è Synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm Dei.* [Joannis 12]

RAGULA IV.

QUartò, lethali vanæ gloriæ peccato se implicat, *Qui intentionem suam refert ad gloriam tanquam ad ultimum finem, ad quem scilicet ordinat etiam virtutis opera, & pro quo consequendo non prætermittit facere etiam ea quæ sunt contra Deum*: Verbi gratiâ, qui metu infamiæ à libidinosa muliercula tentatæ, fornicationem, adulterium, aut aliud mortale peccatum, committit, præclaris *Joseph* & *Susanna* exemplis non absterritus. Item, qui ob lethale peccatum, aut finem cum lethali peccato conjunctum, gloriam vel humanam laudem aucupantur, verbi gratiâ, ut mulieris alicujus pudicitiam expugnent, vel ut ad Dignitatem aut Officium Ecclesiasticum, aut Civilem Præfecturam seu Magistratum perveniant, quibus tamen sunt indigni. Item, qui cùm ad hujusmodi Dignitates, Beneficia, Officia, Præfecturas, vel Magistratus pervenerint immeriti, popularem auram & inanes famæ rumusculos emendicant aut emunt, conductis hominibus, qui egregia de ipsis prædicent, & officiosè mentiantur, ut Dignitatibus hujusmodi vel muneribus publicis gerendis non impares existimentur. Item, quicunque grave damnum inferre mavult proximo, quàm famæ suæ discrimen subire: Verbi gratiâ, si Medicus inanis gloriæ studio recuset accersere Medicum alterum ipso fortè doctiorem, & majoris experientiæ, ut communi consilio ægrum periculosè laborantem procurent. Vel, si Theologus imperitus aut semidoctus ad difficiles Moralis Christianæ Quæstiones seu Casus conscientiæ respondeat doctioribus inconsultis, ne imperitus aut minùs doctus videatur.

Confirmatur ex *S. Augustino*, Lib. x. *Confessionum* cap. XXXVI. *Timeri* (inquit) *& amari velle ab hominibus, non propter aliud, sed ut inde sit gaudium quod non est gaudium, misera vita est, & fœda jactantia. Hinc fit vel maximè non amare te, nec castè timere te. Ideòque tu superbis resistis, humilibus autem das gratiam.... Itaque nobis quoniam propter quadam humana societatis officia necessarium est amari & timeri ab hominibus, instat Adversarius veræ beatitudinis nostræ, ubique spargens in laqueis, Euge, euge: Ut dum avidè colligimus, incautè capiamur, & à veritate tua gaudium nostrum deponamus, atque in hominum fallacia ponamus; libeatque nos amari & timeri, non propter te, sed pro te; atque isto modo sui similes factos secum habeat, non ad concordiam caritatis, sed ad consortium supplicii, qui statuit sedem suam ponere in Aquilone, ut te perversâ & distortâ viâ imitanti tenebrosi frigidique servirent.* [De inani gloria.] Et paulò post: *Qui laudari vult ab hominibus vituperante te, non defendetur ab hominibus judicante te, nec eripietur damnante te. Cùm autem non peccator laudatur in desideriis animæ suæ, nec qui iniqua gerit benedicitur, sed laudatur homo propter aliquod bonum quod dedisti ei, at ille plus gaudet sibi laudari se, quàm ipsum donum habere unde laudatur; etiam iste te vituperante laudatur; & melior jam ille qui laudavit, quàm iste qui laudatus est. Illi enim placuit in homine donum Dei, huic ampliùs placuit donum hominis quàm Dei.*

Et Lib. v. *De Civitate Dei*, cap. XIV. De cupiditate gloriæ sic loquitur: *Huic igitur cupiditati melius resistitur sine dubitatione quàm creditur. Tantò enim quisque est Deo similior, quantò est ab hac immunditia mundior. Quæ in hac vita etsi non funditus eradicatur ex corde, quia etiam bene proficientes animos tentare non cessat; saltem cupiditas gloriæ superetur dilectione justitiæ: Ut si alicubi jaceant, quæ apud quosque improbantur, si bona, si recta sunt, etiam ipse amor humanæ laudis erubescat, & cedat amori veritatis. Tam enim est hoc vitium inimicum piæ fidei, si major in corde sit cupiditas gloriæ quàm Dei timor vel amor, ut Dominus diceret*, « Quomodo potestis credere, gloriam ab invicem exspectantes, & gloriam quæ à solo Deo est, non quærentes? » [Joannis 12] *Item de quibusdam qui in eum crediderant, & verebantur palam confiteri, ait Evangelista*, « Dilexerunt gloriam hominum magis quàm Dei, » [Joannis 12] *quod Sancti Apostoli non fecerant*: Qui divina facientes atque dicentes, divinèque viventes, debellatis quodam modo cordibus duris, atque introductâ pace justitiæ, licèt ingens in Ecclesia Christi gloria consecuta sit; *Non in ea tanquam in sua virtutis fine quieverunt: Sed eam quoque ipsam ad Dei gloriam referentes, cujus gratia tales erant, isto quoque fomite eos quibus consulebant, ad amorem illius à quo & ipsi tales fierent, accendebant. Namque ne propter humanam gloriam boni essent, docuerat eos Magister illorum dicens*, « Cavete faciatis justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est. » [Math. 6] *Non ergo ut videamini ab eis, id est, hac intentione ut eos ad vos converti velitis, quia non per vos aliquid estis: sed ut glorificent Patrem vestrum qui in cælis est, ad quem conversi fiant quod estis.* Et cap. XIX. illud constare ait inter omnes veraciter pios, *Neminem sine vera pietate, id est, veri Dei vero cultu veram posse habere virtutem, nec eam veram esse, quando gloria servit humana.* Et Enarratione in Psalmum CXVIII. Sermone XXIX. *Multi sunt qui dicta Sapientiæ studiosissimè inquirunt, eámque in doctrina, non in vita volunt habere; ut non per mores quos jubet Sapientia perveniant ad Dei lucem; sed per sermones quos habet Sapientia, perveniant ad hominum laudem, quod est vana gloria. Non ergo Sapientiam quærunt, alioqui viverent secundùm ipsam; sed volunt verbis ejus inflari; & quantò magis inflantur, tantò magis efficiuntur extra ipsam.*

Regula V.

De inani gloria.

Extra casus propositos, inanis gloria veniale tantùm peccatum est, ut docet S. Thomas. *Si amor* (inquit) *humana gloria, quamvis sit inanis, non tamen repugnet caritati, neque quantùm ad id de quo est gloria, neque quantùm ad intentionem gloriam quærentis, non est peccatum mortale, sed veniale.* Sed tamen periculosissimum, proindéque omni studio fugiendum: Tum quia bonum opus amittit vim merendi vitam æternam, si propter inanem gloriam fiat: Nullus enim peccando, etiam venialiter, meretur vitam æternam: Tum quia *Inanis gloria est dispositio ad gravia peccata, in quantum scilicet per inanem gloriam redditur homo præsumptuosus, & nimis de se ipso confidens. Et sic etiam paulatim disponit ad hoc quòd privatur interioribus bonis* (inquit *S. Thomas* ad III.)

Inanis gloriæ periculum.

Eò autem periculosior est hic morbus, quò occultior. Nam plerumque ob aliorum utilitatem spiritalem se gloriâ & laude humanâ delectari putant homines justi, & tamen gloriam & laudem propter se ipsos amant, ut docet *S. Augustinus*, arcanos animi sui sensus ac motus circa gloriæ cupiditatem, post conversionem suam exponens Lib. X. *Confessionum*, cap. XXXVII. *Nollem* (inquit) *ut vel augeret mihi gaudium cujuslibet boni mei suffragatio oris alieni. Sed auget, fateor, non solùm, sed & vituperatio minuit. Et cùm istâ miseriâ meâ perturbor, subintrat mihi excusatio; qualis sit, tu scis Deus, nam me incertum facit. Quia enim nobis imperasti non tantùm continentiam, id est, à quibus rebus amorem cohibeamus, verùm etiam justitiam, id est, quò eum conferamus: Nec te tantùm voluisti à nobis, verùm etiam proximum diligi, sæpe mihi videor de profectu aut spe proximi delectari, cùm bene intelligentis laude delector, & rursus ejus malo contristari, cùm eum audio vituperare quod aut ignorat, aut bonum est. Nam & contristor aliquando laudibus meis, cùm vel ea laudantur in me, in quibus ipse mihi displiceo; vel etiam bona minora & leviora pluris æstimantur quàm æstimanda sunt. Sed rursus unde scio, an propterea sic afficior, quia nolo de me ipso à me dissentire laudatorem meum; non quia illius utilitate moveor, sed quia eadem bona quæ mihi in me placent, jucundiora sunt cùm & alteri placent? Quodammodo enim non ego laudor, cùm de me sententia mea non laudatur; quando quidem aut illa laudantur quæ mihi displicent, aut illa ampliùs quæ mihi minùs placent. Ergo ne de hoc incertus sum mei? Ecce in te veritas, video non me laudibus meis propter me, sed propter proximi utilitatem moveri oportere. Et utrum ita sit nescio. Minùs mihi in hac re notus sum ipse quàm tu. Obsecro te, Deus meus, & me ipsum mihi indica.... Si utilitate proximi moveor in laudibus meis, cur minùs moveor, si quisquam alius injustè vituperetur, quàm si ego? Cur ea contumeliâ magis mordeor quæ in me, quàm quæ in alium eadem iniquitate coram me jacitur? An & hoc nescio? Etiamne id restat ut ipse me seducam, & verum non faciam coram te in corde & linguâ meâ? Insaniam istam, Domine, longè fac à me.*

Et cap. XXXVIII. *Egenus & pauper ego sum, & melior in occulto gemitu displicens mihi, & quærens misericordiam tuam donec reficiatur defectus meus, & perficiatur usque in pacem quam nescit arrogantis oculus. Sermone autem ore procedens, & facta quæ innotescunt hominibus, habent tentationem periculosissimam ab amore laudis, qui ad privatam quamdam excellentiam contrahit emendicata suffragia: tentat & cùm à me in me arguitur, & sæpe homo de ipso vanæ gloriæ contemptu vaniùs gloriatur.*

De inani gloria.

Ejusdem morbi periculum ostendit, Lib. II. *De Sermone Domini in Monte*, cap. I. *Oculo cordis magna ex parte mundato* (inquit) *difficile est non subrepere sordes aliquas de his rebus quæ ipsas bonas nostras actiones comitari solent, veluti est laus humana. Si quidem non rectè vivere perniciosum est: Rectè autem vivere & nolle laudari, quid est aliud quàm inimicum esse rebus humanis, quæ utique tantò sunt miseriores, quantò minùs placet recta vita hominum? Si ergo inter quos vivis, te rectè viventem non laudaverint, illi in errore sunt; si autem laudaverint, tu in periculo: Nisi tam simplex cor habueris & mundum, ut ea quæ rectè facis, non propter laudem hominum facias, magisque illis recta laudantibus gratuleris, quibus id quod bonum est placet, quàm tibi ipsi; qui rectè viveres etiamsi nemo laudaret: Ipsámque laudem tuam tunc intelligas esse utilem laudantibus, si non te ipsum in tua vita bona, sed Deum honorent, cujus sanctissimum templum est quisquis vivit bene.*

Et Sermone XII. in Psalmum CXVIII. explicans hunc Versum, *Averte oculos meos ne videant vanitatem*, illúmque conferens cum hac Domini Sententia, *Si oculus tuus fuerit simplex, &c.* ait: *Proinde magni interest, cùm aliquid boni facimus, cujus rei contemplatione faciamus. Officium quippe nostrum non officio, sed fine pensandum est: ut scilicet non tantùm si bonum est quod facimus, sed præcipuè si bonum est propter quod facimus, cogitemus. Hos oculos, quibus contemplamur quare faciamus quod facimus, averti possit ne videant vanitatem, id est, ne hanc attendat, propter quam faciat, cùm boni aliquid facit. In qua vanitate præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ, propter quam multa magna fecerunt, qui magni in hoc Sæculo nominati sunt, multúmque laudati in civitatibus Gentium, quærentes non apud Deum, sed apud homines gloriam, & propter hanc velut prudenter, fortiter, temperanter, justèque viventes, ad quam pervenientes perceperunt mercedem suam, vani vanam. Ab hac vanitate volens Dominum avertere oculos suorum,* « Attendite (*inquit*) ne justitiam ve- « stram faciatis coram hominibus, ut videamini « ab eis, alioqui mercedem non habebitis apud « Patrem vestrum qui in cælis est. *Matth. 6.* *Deinde cùm ipsius justitiæ partes quasdam exsequeretur, præcipiens de eleemosynis, de oratione, de jejunio, ubique id admonuit, ne aliquid eorum propter gloriam hominum fiat, & ubique dicit eos qui propterea faciunt, percepisse mercedem suam, id est, non æternam, quæ Sanctis reposita est, apud Patrem, sed temporalem, quam quærunt qui contemplantur in suis operibus vanitatem: Non quia ipsa laus humana culpanda est, nam quid tam optandum est hominibus, quàm ut eis placeant quæ debeant imitari? Sed propter ipsam laudem bene operari, hoc est vanitatem in suis operibus intueri. Quandoquidem & ipsa ab hominibus laus homini justo quantacunque provenerit, non ibi esse debet ejus finis boni, sed etiam ipsa referenda est ad laudem Dei, propter quem bona faciunt verè boni: Quoniam non à se ipsis, sed ab illo, fiunt boni. Denique in eodem Sermone Dominus jam dixerat eis,* « Luceat lumen vestrum coram homi- « nibus, ut videant opera vestra bona, & glo- « rificent Patrem vestrum qui in cælis est. *Ubi finem posuit, hoc est, in gloria Dei, hoc debemus quando aliquid boni facimus, intueri, si avertantur à vanitate oculi nostri. Non ergo sit finis operis boni in laudibus hominum, sed ipsas laudes*

hominum

De inani gloria.

hominum corrigamus, & ad Dei laudes omnia referamus, à quo nobis datur, quicquid nobis sine laudantis errore laudatur.

ARTICULUS XIII.

Remedia contra Vanam Gloriam.

I. AD inanem gloriam expugnandam, consideranda est illius vanitas. Joann. VIII. *Si ego gloriam meam qaero, gloria mea nihil est.*

Operum nostrorum defectus consideranda.

Secundò, Considerandi sunt operum nostrorum defectus plurimi, frequentissimi, sæpe nobis ignoti. Isai. LXIV. *Facti sumus ut immundi omnes nos, & quasi pannus menstruata universa justitia nostra* Sæpe scilicet quod nobis justitia videtur & meritum, ubi ad examen divinum vocatur, injustitia est; & *Sordet in conspectu Judicis, quod fulget in æstimatione operantis*; (inquit *S. Gregorius.*) Hinc *Job.* IV. dicitur: *Nunquid homo Dei comparatione justificabitur? Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem: quantò magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea?*

Quicquid boni in operibus nostris est, Dei munus est.

Tertiò, Considerandum est, quicquid boni in operibus nostris est, Dei munus esse, proindéque totum illi acceptum referri debere. Isaiæ XXVI. *Omnia opera nostra operatus es nobis.* Ad Philipp. II. *Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Vult esse nostra merita, quæ sunt sua dona, & cum merita nostra remunerat, coronat dona sua in nobis. *Absit* ergo (inquit Sacra Syoodus Tridentina) *ut Christianus homo in se ipso vel confidat, vel glorietur, & non in Domino: cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, qua sunt ipsius dona. Et quia in multis offendimus omnes, unusquisque sicut misericordiam & bonitatem, ita severitatem & judicium ante oculos habere debet, neque seipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscius fuerit, judicare: quoniam omnis hominum vita non humano judicio examinanda & judicanda est, sed Dei: qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo, qui, ut scriptum est, reddet unicuique secundùm opera sua.* Quamobrem *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.*

Rom. 9. 16.

Quam *S. Cypriani* Sententiam contra Pelagianos non semel laodat *S. Augustinus.* Et propterea rectè dictum ab Apostolo intelligitur, *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*; (inquit idem S. Doctor *Enchiridii* Cap. XXXII.) *Ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & praparat adjuvandam, & adjuvat praparatam.* Et *S. Hieronymus* adversùs Pelagium, ad Ctesiphontem: *Velle & currere meum est, sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum. Semper largitor, sempérque donator est. Non mihi sufficit quòd semel donavit, nisi semper donaverit.... Cùm me putavero ad calcem pervenisse virtutum, tunc habebo principium.... Hac hominibus sola perfectio, si imperfectos esse se noverint,* &c. Dicamus igitur Deo cum Davide I. Paralip. XXIX. *Tua sunt omnia; & qua de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Et Psalmo CXIII. *Noa aobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.* Ne Deo surripiamus, quod ipsius est, sed fidelitatem *Joab* strenui Ducis erga *Davidem* Regem Dominum suum imitemur, qui expugnans Rabbath urbem regiam Ammonitarum, gloriam omnem victoriæ illi tribui voluit, sic ad illum scribens: *Dimicavi adversùm Rabbath, & capienda est Urbs aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside civitatem, & cape eam: ne cùm à me vastata fuerit Urbs, nomini meo adscribatur victoria.*

De inani gloria.
2. Reg. 12. 27.

Audiamus præceptum Domini, Lucæ XVII. *Et vos, cùm omnia feceritis, dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Si inutilis est qui fecit omnia, quid de illo dicendum, qui officia sua non explevit? Dicamus cum Propheta, Psalmo 84. *Deus tu conversus vivificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.* Hoc est, Non quasi nos ipsi nostrâ sponte sine misericordia tua convertimur ad te, & tu vivificabis nos: sed *Tu conversus vivificabis nos*; ut non solùm vivificatio nostra à te sit, sed etiam ipsa conversio ut vivificemur. *Et plebs tua lætabitur in te.* Nam *Malo suo lætabitur in se, bono suo lætabitur in te. Quando enim voluit habere gaudia de se, invenit planctum in se. Nunc verò quia totum gaudium nostrum Deus est, qui vult securus gaudere, in illo gaudeat qui non potest perire.* Ostende nobis Domine misericordiam tuam. *Felix est cui ostendit Deus misericordiam suam. Ostendendo enim illi misericordiam suam, persuadet illi quia quicquid boni habet ipse homo, non habet nisi ab illo, qui omne bonum nostrum est. Et cùm viderit homo quicquid boni habet, non se habere à se, sed à Deo suo; videt quia totum quod in illo laudatur de Dei misericordia est, non de meritis ipsius, & videndo ista non superbit, non superbiendo non extollitur, non se extollendo non cadit, non cadendo stat, stando inhæret, inhærendo manet, manendo perfruitur, & lætatur in Domino Deo suo*; (inquit *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum LXXXIV.)

Æternæ gloriæ præmio nos vana gloria frustratur.

Quartò, Considerandum est æternæ gloriæ præmium, quo nos frustratur vana gloria. Unde *Si cor veraciter humile est, bona qua de se audit aut minimè recognoscit, & quia falsa dicuntur, metuit: aut certè si adesse ea sibi veraciter scit, eo ipso formidat ne ab æterna Dei retributione sint perdita, quò hoc considerat hominibus divulgata: pavétque vehementer ne spes futuri muneris in mercedem permutetur transitorii favoris*; (inquit *S. Gregorius* Libro XXII. *Moralium*, Cap. V.)

Christi exemplum nos à vana gloria deterrere debet.

Quintò, Considerandum est Christi Salvatoris nostri exemplum, qui vanam gloriam fugiendam, verbis, factisque docuit, Miracula sua celari jubens. *Math.* VIII. Leproso à se mundato ait: *Vide, nemini dixeris.* Matth. IX. duobus cæcis, quibus visum restituerat, comminatus est, dicens: *Videte ne quis sciat.* Matth. XVII. tribus Discipulis gloriosæ Transfigurationis suæ testibus præcepit, dicens: *Nemini dixeritis Visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.* Luc. X. Septuaginta duobus Discipulis cum gaudio dicentibus, *Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo*, casum Angelorum reproborum de cœlo ob oculos posuit, ut elationis motum in ipsis reprimeret: *Videbam*, inquit, *Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem Inimici: & nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia Spiritus vobis subjiciuntur.* Joannis VIII. *Ego non quaro gloriam meam; est qui quarat & judicet.* Denique *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemtâ*, (ut ait Apostolus ad *Hebraos* XII.)

Job. 31.

Sextò, avertendi sunt oculi à bonis operibus nostris, & in defectus nostros ac peccata reflectendi, ut cum Sancto *Job* verè dicere possimus: *Si vidi Solem cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè, & osculatus sum manum meam ore meo, qua est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altis-*

Oculi nostri à bonis operibus nostris avertendi, & in peccata nostra reflectenda.

simum. Quasi diceret, *Opus meum etiam cum aliis exemplorum lucem tribueret, ad præsumptionis gratiam non attendi: qui dum de eo extolli timui, ab intuendo eo oculos averti.* (inquit *S. Gregorius* Libro XXII. *Moralium*, Cap. V.) *Post præmissum Solem, apte quoque incedentem clarè Lunam subdidit:*

De inani gloria.

Remedia adversus eam.

quia post opus bonum fama laudabilis sequitur, per quam celebre nomen in hac præsentis vita noscte possidetur... Quia igitur sanctum virum magnitudo operis non inflavit, Solem fulgentem non vidit. Quia autem illum nec fama laudis extulit, clarè incidentem Lunam minimè attendit.... Sic autem profectus B *est hominum, sicut incrementa esse conspicimus arbustorum. Vis quippe futura arboris priùs in semine est, postmodum in ortu, atque ad extremum producetur in ramis. Sic nimirum, sic uniuscujusque virtus succrescit operantis. Seminatur namque in intelligentia, oritur in operatione, atque ad ultimum convalescit usque ad profectus magni latitudinem. Sed cùm quemlibet sua intelligentia extollit, arbor quæ oriri poterat in semine putrescit. Cùm verò post operationem bonam elationis peste corrumpitur, quasi jam orta siccatur. Cùm autem neque intelligentia, neque operatio corrumpit,* C *sed excrescente magnitudine, dum favor laudantium sequitur, atque ab statu suo bene operantis animum avertit; linguarum ventos arbor pertulit, & omne quod in ea robustum creverat, tempestas famæ radicitus evulsit..... Sæpe enim laus bene agentis auribus insolenter admota, dum foris sermonibus perstrepit, intus quamdam menti tacitam elationis tempestatem gignit: Fitque ut hoc quod animus de humanis favoribus gaudet, non facilè exteriùs ostendat, sed tamen corruptionis vim non tenuiter interiùs sentiat. Et sunt nonnulli quos ita laus inflat, ut usque* D *ad verba elationis pertrahat. Unde Beatus Job, quia noverat arrogantem se non solum nullo modo in verbis, sed etiam in cogitatione quoque tacita minimè » fuisse, postquam dixit:* Si vidi Solem cùm ful» geret, & Lunam incedentem clarè: *Illico sub» didit:* Et lætatum est in abscondito cor meum. *Quâ videlicet attestatione quid nobis innuitur, nisi quòd magno metu & circonspectione opus est, ne mens nostra unquam de suis laudibus vel tacita lætetur? Quisquis enim quasi claritatem Lunæ, famæ suæ magnitudinem conspicit, sibique in occulto mentis gaudium facit; cui iste nisi Autori se prætulit, cu-* E *jus dono ut bene operaretur percepit; & tamen in ejus munere de gratia suæ laudis hilarescit? Despecto enim honore Conditoris, semetipsum plus amare convincitur, cujus præconiis lætatur.... Et quia plerumque inconsiderata mens, dum transitorio favori non renititur, ad hoc usque pertrahitur, ut laudet ipsa quod » facit, congruè subinfertur:* Et osculatus sum ma» num meam ore meo. *Per manum quippe operatio, per os locutio designatur.... Manum ergo suam osculatur ore suo, qui laudat quod facit, & testimonio propriæ locutionis sibi virtutem tribuit operis. Quâ in re quis despicitur, nisi is qui ipsa operandi munera largitur? Unde benè per egregium Prædica-*

1. Cor. 4.

» torem dicitur: Quid autem habes quod non ac» cepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, F » quasi non acceperis? *Sancti autem viri sciunt post primi Parentis lapsum de corruptibili stirpe se editos, & non virtute propria, sed præveniente supernâ gratiâ, ad meliora se vota vel opera commutatos: & quicquid sibi mali inesse cognoscunt, de mortali propagine sentiunt meritum: Quicquid verò in se boni inspiciunt, immortalis gratiæ cognoscunt donum, eique de accepto munere debitores fiunt, qui & præveniendo dedit eis bonum velle quod noluerant, & subsequendo concessit bonum posse quod volunt. Unde » benè per Joannem dicitur:* Adoraverunt Viven» tem in sæcula sæculorum, mittentes coronas

A suas ante thronum Domini. *Coronas namque »* suas ante thronum Domini mittere, est certaminum suorum victorias non sibi tribuere, sed Autori, ut ad illam referant gloriam laudis, à quo se sciunt vires accepisse certaminis. Beatus ergo Job, quia sic bona quæ operatus est, narrat, ut tamen hæc suæ operationi non tribuat, sed ad Autoris laudem recurrat, manum suam ore suo osculatum se fuisse denegat. Ac si patenter dicat: Ego mea opera tanquam mea non præfero: quia Autoris sui gratiam negare convincitur, quisquis sibi tribuit quod operatur. Unde protinus sub-* B *dit:* Quæ est iniquitas maxima, & negatio con» tra Deum altissimum. *Liquet etenim, quia illum » negat, cujus despectâ gratiâ, sibi vires boni operis arrogat. Quod rectè quoque & iniquitas maxima vocatur; quoniam omne peccatum quod ex infirmitate est, spem nequaquam perdit, quia à superno Judice veniam requirit. Præsumtio autem virtutis propriæ tantò graviùs in desperatione est, quantò longiùs ab humilitate. Cùmque vires sibi tribuit operis, ad adjutorium non recurrit Autoris; Fitque ut eò graviùs peccator pereat, quo & ipsum hoc, quia est peccator, ignorat.*

Apocal. 4.

Remedia contra vanam gloriam.

C Hinc ante *Gregorium* scripsit *S. Augustinus* Libro V. *De Civitate Dei*, Cap. XX. *Qui vera pietate in Deum, quem diligit, credit & sperat, plus intendit in ea in quibus sibi displicet: quàm in ea, si qua in illo sunt, quæ non tam ipsi quàm veritati placent: neque id tribuit unde jam potest placere, nisi ejus misericordiæ cui metuit displicere; de his sanatis gratias agens; de illis sanandis preces fundens.*

Septimò, ad divini Judicii considerationem recurrendum est, ut vanæ gloriæ morbus sane- D tur. Nam dum vir justus bona quæ egit, ab hominibus laudari cognoscit, subtile contra se extremi Judicii examen metuit, ac trepidus ad conscientiam recurrit, & quicquid illic inest reprehensibile, corrigit. *Dum enim bona sua innotuisse formidat, subtilitatem secuturi examinis pertimescens, si quæ in se mala occulta sunt, amputat. Pavet namque si saltem talis Deo non ostenditur, quasi ab hominibus putatur: & neque contentus est, ut in quo potuit innotescere, in hoc debeat remanere. Jam enim de bonis suis quasi retributionem sibi factam æstimat, nisi eis & alia, quæ ab hominibus* E *nesciuntur, adjuvat. Unde benè per Salomonem dicitur:* Sicut probatur in conflatorio argentum, » & in fornace aurum, ita probatur homo ore » laudantis. *Argentum quippe vel aurum, si repro» bum est, igne consumitur: si probum verò igne declaratur. Sic nimirum est & sensus operantis. Nam qualis sit, in eo quod laudatur ostenditur. Si enim se auditis suis laudibus extollit, quid iste aliud quàm aurum vel argentum reprobum fuit, quem videlicet fornax linguæ consumsit? Si autem favores suos audiens, ad superni Judicii considerationem redit, ac ne de his apud occultum Arbitrum gravetur, metuit; quasi expurgationis igne ad magnitudinem claritatis excrescit; & unde incendium trepidationis sustinet, inde clariùs fulget;* (inquit ibidem *S. Gregorius*.)

Divini judicii consideratio.

Proverb. 27.

F Consideremus ergo quid nobis desit ad Christianæ spiritualisque vitæ perfectionem, non quid egerimus, si quid boni egimus: & cum Davide dicamus: *Notum fac mihi Domine finem meum.... Ut sciam quid desit mihi.* Et cum Apostolo: *Ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Et quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus.* Nec illos imitemur, qui cùm bona aliqua faciunt, iniquitatum suarum protinus obliviscuntur, & cordis oculum in consideratione bonorum operum,

Considerandum quæ nobis desint.

Psalm. 38.

Philipp. 3.

quæ

A

De inani gloria.

quæ exhibent, fingunt; atque eò se jam Sanctos existimant, quò inter bona quæ agunt, malorum suorum, in quibus & fortasse adhuc implicati sunt, memoriam declinant. *Qui scilicet si districtionem Judicis vigilanter attenderent, plus de malis suis metuerent, quàm de imperfectis bonis exultarent: plus inspicerent quod de his, quæ adhuc eis agenda sunt, debiteres tenentur, quàm quod operantes quædam, jam debiti partem solvunt. Neque enim absolutus est debitor qui multa reddit, sed qui omnia: nec ad bravium victoria pervenit, qui in magna parte spectaculi velociter currit, si juxta metas veniens, in hoc quod reliquum est, defecit. Nec ad qualibet destinata loca pergentibus inchoando prodest longum* B *iter carpere, si non etiam valeant consummare. Qui ergo æternam vitam quærimus, quid aliud quàm quædam itinera agimus, per quæ ad patriam festinamus? Sed quid prodest quod carpimus multa, si ea quæ ad perveniendum restant, negligimus reliqua? More itaque viatorum, nequaquam debemus aspicere quantum jam iter egimus, sed quantum superest ut peragamus. Amplius debemus inspicere quæ bona necdum fecimus, quàm ea quæ jam nos fecisse gaudemus.*

Hinc *S. Augustinus*, Enarratione in Psalmum XXXVIII. *In comparatione*, inquit, *illius quod est, attendent ista quæ non ita sunt, & plus mihi videns* C *deesse quàm adesse, ero humilior ex eo quod deest, quàm elatior ex eo quod adest. Nam qui putant se aliquid habere cum hîc vivunt, superbiendo non accipiunt quod deest: quia magnum putant esse quod adest. Qui enim putat se esse aliquid, cùm nihil sit, semetipsum seducit. Nec isti ex hoc magni sunt. Nam & inflatio & tumor imitatur magnitudinem, sed non habet sanitatem.*

Ceterùm Christianus *In laudatoribus suis quamvis parvipendat quòd eum laudant, non tamen parvipendit quòd eum amant; nec eos vult fallere laudantes, ne despiciat diligentes: ideòque instat ardenter ut po-* D *tiùs ille laudetur, à quo habet homo quicquid in eo jure laudatur*, (inquit *S. Augustinus* Libro V. *De Civitate Dei*, Cap. XIX.)

Præclara moralis Christianæ Regula.

Denique observanda est præclara illa Moralis Christianæ Regula, quam *S. Augustinus* tradit Epistolâ XXII. aliàs LXIV. ad *Aurelium* Carthaginensem Episcopum, ubi sic loquitur de Prælato: *Seipsum præbeat patientiæ atque humilitatis exemplum, minus sibi assumendo quàm offertur; sed tamen ab eis qui se honorant nec totum, nec nihil accipiendo, & id quod accipitur laudis aut honoris, non propter se qui totus coram Deo esse debet & hu-* E *mana contemnere, sed propter illos accipiatur, quibus consulere non potest, si nimia dejectione vilescat. Magnum est de honoribus & laudibus hominum non lætari, sed & omnem pompam inanem præcidere, & si quid inde necessarium retinetur, id totum ad utilitatem honorantium salutémque conferre. Non enim frustra dictum est:* Deus confringet ossa hominum placere volentium. *Quid enim languidius, quid tam sine stabilitate ac fortitudine, quod ossa significant, quàm homo quem malè loquentium lingua debilitat, cùm sciat falsa esse quæ dicuntur? Cujus rei dolor nullo modo animæ viscera dilaniaret, si non amor laudis ossa ejus confringeret.... Non hujus hostis vires sentit, nisi qui ei bellum indixerit; quia si cuiquam facile est laude carere dum denegatur, difficile est eâ non delectari cùm offertur. Et tamen tanta mentis in Deum debet esse suspensio, ut si non meritò laudemur, corrigamus eos quos possumus: ne arbitrentur aut in nobis esse quod non est, aut nostrum esse quod Dei est; aut ea laudent, quæ quamvis non desint nobis, aut etiam supersint, nequaquam tamen sint laudabilia; velut sunt bona omnia, quæ vel cum* *pecoribus habemus communia, vel cum impiis hominibus. Si autem meritò laudamur propter Deum, gratulamur eis quibus placet verum bonum; non tamen nobis quia placemus hominibus: sed si coram Deo tales sumus, quales nos esse credunt, & non tribuitur nobis, sed Deo, cujus dona sunt omnia, quæ verè meritòque laudantur. Hæc mihi ipse canto quotidie, vel potiùs ille cujus salutaria præcepta sunt, quæcumque sive in divinis lectionibus inveniuntur, sive quæ intrinsecùs animo suggeruntur; & tamen vehementer cum adversario dimicans, sæpe ab eo vulnera capio, cùm delectationem oblatæ laudis mihi auferre non possum.*

Psalm. 52.

De inani gloria.

ARTICULUS XIV.

De vanæ gloriæ filiabus.

Inanem gloriam vitium esse capitale, post *S. Gregorium* docet *S. Thomas*, quia ex illius inordinato appetitu multa vitia oriuntur. Nec verò necesse est ut vitium capitale semper sit peccatum mortale: *Quia etiam ex veniali peccato potest mortale oriri, in quantum scilicet veniale disponit ad* C *mortale.*

Secunda Secundæ, Quæst. CXXXII. Art. IV.

Septem inanis gloriæ filiæ.

Septem porrò inanis gloriæ filias *S. Gregorius* Libro XXX. *Moralium*, Cap. XXXI. recenset, *Inobedientiam, jactantiam, hypocrisim, contentionem, pertinaciam, discordiam, & novitatum præsumtionem.* « Vitia enim quæ ad finem alicujus vitii capitalis ordinantur, dicuntur filiæ ejus. (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CXXXII. Articulo V.) Finis autem inanis gloriæ, est manifestatio propriæ excellentiæ. Ad quod potest homo tendere dupliciter. Uno modo directè, sive per verba, & sic est *Jactantia*; D sive per facta, quæ si sint vera, & aliquam admirationem parientia, est *Præsumtio novitatum*, quas homines solent magis admirari: si autem falsa sint, est *Hypocrisis*. Alio modo nititur aliquis manifestare suam excellentiam indirectè, ostendendo se non esse alio minorem: idque quadrupliciter. Primò quidem quantùm ad intellectum, & est *Pertinacia*, per quam homo nimis innititur suæ sententiæ, nolens credere sententiæ meliori. Secundò, quantùm ad voluntatem, & est *Discordia*, dum non vult à propria voluntate discedere, ut aliis concordet. Tertiò, E quantùm ad locutionem, & est *Contentio*, cùm aliquis verbis clamosè contra alium litigat. Quartò, quantùm ad factum, & est *Inobedientia*, dum scilicet aliquis non vult exequi Superioris præceptum. »

ARTICULUS XV.

F *De Inobedientia inanis gloriæ filia primogenita.*

Quid est Inobedientia?

Inobedientia est peccatum quo violatur præceptum Superioris ex contemtu; ut docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CV. Articulo I.

REGULA I.

Quando inobedientia est mortale peccatum?

Mortale autem peccatum est, etiam in rebus minimis, si sit perfectus contemtus, id est, si quis ita sit affectus ut nullo modo parere velit Superiori, quicquid præcipiat, & ideo tenuis

aliquid agere vel pati, quia præceptum est. Peccatum enim mortale est, quod repugnat caritati, quâ diliguntur Deus & Proximus. Exigit autem caritas Dei, ut ejus mandatis obediatur. Et ideo *Inobedientem esse divinis præceptis, est peccatum mortale, quasi divinæ dilectioni contrarium.*

In præceptis autem divinis continetur ut etiam Superioribus obediatur. Et ideo etiam *Inobedientia quâ quis inobediens est præceptis Superiorum, est peccatum mortale, quasi divinæ dilectioni contrarium:* secundùm illud ad Romanos XIII. *Qui Potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Unde etiam ad *Romanos* I. & II. ad *Timotheum* III. inter mortalium peccatorum reos, numerantur *Parentibus non obedientes.* Repugnat etiam dilectioni proximi, quatenus *Superiori proximo subtrahit obedientiam quam ei debet.*

Saulis Regis reprobatio propter inobedientiam.

Peccatis inobedientiæ gravitatem testatur *Saulis* Regis reprobatio propter inobedientiam. Missus enim à Deo ad delendos funditus Amalecitas, *Agag* eorum Regi pepercit, multamque prædam, & greges ovium, armentáque boum, specie pietatis, quasi ad sacrificia Deo offerenda, contra ejus mandatum servavit. Quamobrem à Samuele Propheta his verbis reprehensus est, ut habetur I. Regum XV. *Numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potiùs ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quàm victimæ: & auscultare magis quàm offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare: & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Pro eo ergo quòd abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis Rex.* Quem locum egregiè *S. Bernardus* explicat, Libro *De Præcepto & Dispensatione*, Cap. XI. *Elatio*, inquit, *contemnentis, atque impœnitentis obstinatio, in minimis quoque peccatis culpam facit non minimam, & convertit in crimen gravis rebellionis nævum satis levis & simplicis transgressionis. Denique in quo inobedientia crimen & absque dubio sit, apud Samuelem advertite.* Quasi, *inquit*, peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. *Non ait*, Non acquiescere: *Sed*, Nolle acquiescere: *Ut non jussionis simplex ipsa transgressio, sed voluntatis superba contentio scelus idololatriæ reputetur. Non est enim ipsum nolle obedire, & non obedire. Hoc quippe interdum erroris est, nonnunquam & infirmitatis: illud verò aut odiosa pertinacia, aut contumacia non ferenda. Quod & ipsum repugnare est & resistere Spiritui-Sancto; & si ad mortem usque perduraverit, blasphemia est non remittenda sive in hoc sæculo, sive in futuro. Non ergo qualiscumque mandati præteritio criminalem facit inobedientiam, sed repugnare, sed nolle obedire.*

1. Reg. 15.

Ragula II.

Act. 5. 29.

Tantò gravior est inobedientia, quantò superior est qui præcipit. Quamobrem gravius peccatum est inobedientem esse Deo, quàm homini. Siquidem *Oportet magis obedire Deo, quàm hominibus.*

Ragula III.

Inobedientia quâ divinum mandatum contemnitur, eò gravior est, quò melius est majorisque momenti quod Deus præcipit: Quia cùm voluntas Dei per se feratur ad bonum: *Quantò aliquid est melius, tantò Deus vult illud magis impleri. Unde qui inobediens est præcepto de dilectione Dei, graviùs peccat, quàm qui inobediens est præcepto de dilectione proximi;* (inquit *S. Thomas.*)

Ragula IV.

A *In iis quæ præcipiuntur ab homine, eò gravior est inobedientia, quò Superior magis vult servari suum præceptum.* Voluntas enim hominis non semper in id magis fertur quod melius est, *& ideo ubi obligamur ex solo hominis præcepto, non est gravius peccatum ex eo quòd majus bonum prætermittitur, sed ex eo quòd præteritur illud quod est magis de intentione præcipientis* (inquit *S. Thomas*, Articulo
B II. ejusdem Quæstionis.)

Regula V.

Inobedientia quâ contemnitur præceptum hominis, levior est peccato quo contemnitur ipse præcipiens: quia ex reverentia præcipientis procedere debet reverentia præcepti; (ait idem Angelicus Doctor.)

Raoula VI.

Pari ratione *Peccatum quod directè pertinet ad contemptum Dei*, sicut blasphemia, & idololatria, *gravius est eo in quo contemnitur solùm Dei præ-*
C *ceptum.* Ita *S. Thomas*, ibidem.

Raoula VII.

Quænam inobedientia est peccatum in Spiritum-Sanctum?

Non omnis inobedientia est peccatum in Spiritum-Sanctum, sed solùm illa cui obstinatio adhibetur. Non enim contemptus cujuscumque quod peccatum impedit, constituit peccatum in Spiritum Sanctum: alioquin cujuslibet boni contemptus esset peccatum in Spiritum-Sanctum, quia per quodlibet bonum potest homo impediri à peccato. Sed bonorum illorum contemptus facit peccatum in Spiritum-Sanctum, quæ directè ducunt ad Pœnitentiam & Remissionem pecca-
D *torum.* Verba sunt *S. Thomæ*, Quæstione & Articulo superiùs laudatis, in Responsione ad secundam objectionem.

Articulus XVI.

De Jactantia, filia inanis gloriæ altera.

Quid est Jactantia?

Jactantia est peccatum quo homo verbis se extollit supra id quod in se est secundùm rei veritatem, aut
E *secundùm aliorum opinionem.* Ita docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CXII. Articulo I. A *S. Augustino* Lib. XXV. *De Civitate Dei*, Cap. XV. definitur *Libido gloriandi.* Et Lib. XII. Cap. VIII. *Vitium animæ perversè amantis laudari ab hominibus, spreto testimonio conscientiæ.* Quamvis autem ex superbiâ frequentiùs oriatur, & ad inanem gloriam ut ad finem tendat; quandoque tamen ex mera vanitate procedit, & solam delectationem jactatoris pro fine habet; (inquit *S. Thomas.*) Alii tandem seipsos jactant non solùm propter gloriam, vel propter delectationem, sed propter lucrum, qui de
F se fingunt, & apud vulgus prædicant ea, quibus pecunias emungere & corrogare possunt, verbi gratiâ, quòd Medicinæ, vel divinationis periti sint.

Quàm fugienda Jactantia.

A jactantiæ peccato nos deterret Spiritus-Sanctus per os Salomonis Proverb. XXVII. *Laudet te*, inquit, *alienus, & non os tuum; extraneus, & non labia tua.* Et per *S. Paulum* II. ad Corinthios XII. ubi cùm laudes suas ad Pseudo-Apostolos confundendos paulò magnificentiùs prædicasset: *Factus sum* (inquit) *insipiens, vos me coëgistis: Ego enim à vobis debui commendari.* Unde *S. Joannes*

Chrysostomus Homilâ v. *De Laudibus S. Pauli*, ait: *Extrema dementia est, nullâ imminente necessitate, & necessitate violentâ, propriis laudibus velle decorari.* Fugiendæ jactantiæ dat exemplum idem Apostolus cùm subdit: *Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me.* Quæ verba *S. Bernardus*, Epist. LXXXVII. sibi ipsi accommodans, ait: *Prodest mihi meam insipientiam sciri, & à scientibus jure confundi, qui sæpe contingit à nescientibus injustè laudari. Terret me Apostolus, qui & ipse territus dicit:* Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt aut quod audit. *Quàm pulchrè dixit*, Parco! *Non parcit sibi arrogans, non parcit sibi superbus, non cupidus vanæ gloriæ & jactator actuum suorum, qui vel sibi arrogat quod est, vel mentitur de se quod non est. Solus qui verè humilis est, parcit animæ suæ, qui ne putetur quod non est, semper, (quantùm in se est) vult nesciri quod est.*

S. Augustinus, Lib. I. *De Ordine*, cap. XI. *Inanis jactantia ultimam, sed nocentiorem omnibus pestem* vocat.

Et Lib. v. *De Civitate Dei*, cap. XVI. Jactantiæ inanitatem paucis ostendit. *Tolle* (inquit) *jactantiam, & omnes homines quid sunt nisi homines? Quòd si perversitas seculi admitteret, ut honoratiores essent quique meliores: nec sic pro magno haberi debuit honor humanus, quia nullius est ponderis fumus.*

S. Ambrosius, Lib. v. *In Lucam*, ordinem tentationis Christi explicans, ad illa verba, *Si Filius Dei es, mitte te deorsum*, ait: *Sequitur jactantiæ telum, quo proclive delinquitur, quia dum homines gloriam virtutis suæ jactare desiderant, de loco meritorum suorum & statione decedunt. Ista est enim jactantia, ut dum se putat unusquisque ad altiora conscendere, sublimium usurpatione factorum ad inferiora trudatur.... Diabolus cognovit aliquem addictum religioni, virtutibus clarum, signis & operibus præpotentem: jactantiæ tendit laqueum, ut hujusmodi virum inflet tumore; quo pietati se non credat, sed credat jactantiæ; nec Deo deputet, sed sibi arroget.... Ergo & hic diabolus, quoniam fortem sensit, jactantiam prætendit, quia etiam fortes decipit.*

Quàm periculosus jactantiæ laqueus?

Idem in Psalm. XXXVII. *Jactantia* (inquit) *insolens etiam in integro, deprecatio autem in peccatore laudabilis.*

Et Lib. II. *De Abraham*, cap. VI. *Deflectentibus à vero amica jactantia est. Virtus se humiliat, extollit autem se iniquitas.*

Lib. I. *De Cain & Abel*, cap. VI. *Jactantia laqueus etiam bonam mentem prosperis currentem semitis solet strangulare.... Si ergo verè jactantia declinanda est, quantò magis nemo debet falsa jactare pro veris?*

Denique Sermone XX. in Psalmum CXVIII. *Justus nulla licèt fractus labore, nullius certaminis dubius eventu, hujusmodi omnibus affectum exhibet, nec sua extollere studet: sed magis minuere operibus suis pretium, & meriti sui gratiam. Audi Justum humiliantem se:* Ego sum, inquit, minimus Apostolorum. *Ille Vas electionis divinæ, ille Gentium Doctor minimum esse se dicit, indignum ejus Officii nomine, quod suis operibus præferebat; nihil ipso sibi arrogat, sed totum gratiæ Dei deputat. Hoc utique decet Justum.*

I. Cor. 15.

S. Isidorus Hispalensis, Lib. III. Sententiarum, cap. XXIII. *Boni* (inquit) *operis inchoatio non debet citò palam ad hominum cognitionem venire: ne dum humanis oculis refertur, à virtute perfectionis inanescat intentio sanctitatis. Ante maturitatis enim tempus messes florentes citò pereunt, germinaque inutilia fiunt.*

Jactantia virtutes inanes, bona opera infructuosa reddit.

Ibidem: *Virtutes Sanctorum per ostentationis appetitum dominio dæmonum subjiciuntur immundorum, sicut Ezechias Rex, qui divitias suas Chaldæis per jactantiam prodidit, & propterea perituras per Prophetam audivit: ut significaret Dei servum suas, dum vanæ gloriæ studio prodiderit, perdere, & statim dæmones suorum operum dominos facere, sicut ille per ostentationem Chaldæos rerum suarum Dominos fecit.*

4. Reg. 20.

REGULA I.

JActantia mortale peccatum est, *cùm aliquis jactanter de se profert, quod est contra gloriam Dei.* Talis erat jactantia Regis Tyri, de quo dicitur Ezechielis XXVIII. *Elevatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum.* Talis erat jactantia *Sennacherib* Regis Assyriorum IV. *Reg.* III, cap. XVII. *Quinam illi sunt in universis Diis terrarum, qui eruerunt regionem suam de manu mea, ut possit eruere Dominus Jerusalem de manu mea?* Talis Moabitarum jactantia, Jeremiæ XLVIII. *Audivimus* (inquit) *superbiam Moab: superbus est valde, sublimitatem ejus, & arrogantiam, & superbiam, & altitudinem cordis ejus ego scio, ait Dominus: jactantiam ejus; & quòd non sit juxta eam virtus ejus.*

Quando jactantia mortale peccatum est?

Jactantia Sennacherib.

REGULA II.

J*Actantia mortale peccatum est, cùm proximo debitam caritatem extinguit;* scilicet *cùm aliquis jactando seipsum, prorumpit in contumelias aliorum:* Sicut superbus ille Pharisæus Lucæ XVIII. Publicano insultans: *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus.* Quæ verba *S. Joannes Chrysostomus* expendens, Homiliâ *De Publicano & Pharisæo*, ait: *Tu ne igitur judicio tuo justior es omnibus?* Non sum sicut cæteri hominum, inquit. *Quid agis Pharisæe? Noli nomen naturæ communæ spectare. Immutabilis enim ille atque hominum Amator factus est homo. Saltem cùm illud cogitaveris, à verbis illis jactatoriis abstine: Dic potiùs,* Ut nonnulli hominum; *Non autem,* Ut cæteri hominum. *Omnésne, præter te unum, Pharisæe, raptores? ... Quid insultas jacenti. Quid accusas & criminaris illum sine remissione verberantem conscientiam suam? Intueris speciem commiserationis ac subsidio dignam: Jacet enim demisso ac prostrato in terram vultu, pectus velut malorum officinam torquet, oculos ad cælum attollere non audet, ac fortassè ab ipsis astris accusari se putat. Non te ille inflectis contremiscens? Non ad condolendum emollit?*

Jactantia Pharisæi.

REGULA III.

J*Actantia de peccato mortali est mortale peccatum,* Proverb. II. *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.*

REGULA IV.

J*Actantia procedens à superbia vel inani gloria, quæ sit peccatum mortale, peccatum & ipsa lethale est.* Talis est jactantia quâ quis se extollit ut alterius merita obumbret, illiúsque minuat existimationem. Quâ de re *S. Ambrosius*, Lib. II. *De Officiis*, cap. XXV. *Si quis* (inquit) *non obediat Episcopo, extollere atque exaltare se desiderans, obumbrare merita Episcopi simulatâ affecta-*

tione doctrina, aut humilitatis, aut misericordia, is à vero devius superbit: Quoniam veritatis ea est regula, ut nihil facias commendandi tui causâ, quò minor alius fiat: neque si quid boni habeat, id ad reformationem alterius & vituperationem exerceas.

REGULA V.

JActantia propter lucrum aliquod illicitum, & cum gravi proximi damno conjunctum, est peccatum lethale. Idem esto judicium de jactantia, quâ quis commentitias dotes suas magnificis verbis prædicat, ut Ecclesiasticum Beneficium, B vel quamlibet Præfecturam obtineat, quâ indignus est.

REGULA VI.

QUi se jactat causâ lucri non semper mortalis peccati reus est: Quia potest esse tale lucrum quod proximo nullum damnum inferat. Hinc S. Thomas: *Videtur* (inquit) *ad mendacium officiosum pertinere, cùm aliquis ad hoc se jactat, ut gloriam vel lucrum acquirat: dummodo hoc sit sine damno aliorum.* Quicùm si conjuncta esset jactan- C tia, *jam pertineret ad mendacium perniciosum.*

REGULA VII.

QUi aliqua de se jactat, quæ neque sunt contra Deum, neque contra proximum, venialis duntaxat peccati labem contrahit.

REGULA VIII.

QUi delectationis causâ se jactat, venialis duntaxat peccati fit reus, idque ad mendacium jocosum pertinet: *Nisi fortè hoc divinæ dilectioni* D *præferret, ut propter hoc Dei præcepta contemneret. Sic enim esset contra caritatem Dei, in quo solo mens nostra debet quiescere sicut in ultimo fine.* Hoc igitur casu lethale peccatum esset.

REGULA IX.

QUi se jactat ut jurgia concitet, secundùm illud Proverb. XXVIII. *Qui se jactat & dilatat, jurgia concitat:* peccat mortaliter: Cùm Deus eos detestetur, *Qui seminant discordias*, ut habetur *Proverb.* VI. Sed quandoque contingit, jactantiam esse causam jurgiorum, non per se, sed E per accidens; quo casu non est peccatum mortale.

REGULA X.

Ironia seu dissimulatio quæ etiam oppositum jactantiæ vitium.

IRonia seu dissimulatio, oppositum jactantiæ vitium est, quo quispiam asserit de se ipso aliquid vile, quod in se non agnoscit; aut negat de se aliquid magnum, quod tamen in se ipso esse percipit. Hinc Ecclesiastici XIX. dicitur: *Est qui nequiter se humiliat, & interiora ejus plena sunt dolo.* Hinc S. *Augustinus* Sermone CLXXXI. aliàs XXIX. De Verbis Apostoli: *Cùm* (inquit) *humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod evitaveras. Veritas in te non est, nisi te ita dixeris peccatorem, ut etiam esse cognoscas. Veritas autem ipsa est, ut quod es dicas. Nam quomodo est humilitas, ubi regnat falsitas?* Non est igitur mentiendum ut superbia vitetur. Unde rursùs S. *Augustinus*, Tractatu XLIII. in Joannem: *Non ita caveatur arrogantia* (inquit) *ut veritas relinquatur.* Et S. *Gregorius*, Lib. XXVI. *Moralium*, cap. III. *In-* F

A *cautè* (inquit) *sunt humiles, qui se mentiendo illaqueant.*

Huic Regulæ non repugnant verba Sapientis, *Proverb.* XXX. dicentis: *Stultissimus sum virorum:* nec verba *Amos* Prophetæ cap. VII. dicentis, *Non sum Propheta:* nec denique verba S. *Gregorii*. Lib. XI. Epistolarum, Indict. VI. Epist. XXXI. decimæ Quæstioni ab *Augustino* Anglorum Episcopo propositæ respondentis: *Bonarum mentium est, etiam ibi suas culpas agnoscere, ubi culpa non est.* Nam Sapiens spectat quod sibi convenit ex fundo suo. Præterea duplex est sapientia, dupléxque stultitia. Est enim quædam Sa- B pientia secundùm Deum, quæ Mundo, id est, hominibus diligentibus Mundum stultitia est, secundùm illud 1. ad Corinthios III. *Si quis inter vos sapiens videtur esse in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* Alia est Sapientia hujus Mundi, quæ (ut ibidem ait Apostolus) *Stultitia est apud Deum.* Sapiens itaque se stultissimum esse secundùm opinionem hominum verè confitetur; quia scilicet humana contemnit, quæ hominum Sapientia quærit: Unde continuò subdit. *Et Sapientia hominum non est mecum.*

C *Amos* autem verè negat se esse Prophetam origine, quia non erat de genere Prophetarum. Unde ibidem subdit: *Nec filius Propheta.*

Denique S. *Gregorius* non tribuit Justis, quod culpam dicant, quod pro culpa non agnoscunt; sed quòd culpas agnoscant, ubi non sunt. Ad bonitatem scilicet mentis pertinet, ut homo ad justitiæ perfectionem tendat: Et ideo culpam existimat non solùm si deficiat à communi justitia; sed etiamsi deficiat à justitiæ perfectione, quod quandoque culpa non est.

REGULA XI.

D QUi verbis, vel signis externis, ut vili abjectaque veste aut aliqua re simili, defectum quidem in exterioribus rebus præ se fert, sed excellentiam aliquam spiritualem mentitur, quales sunt illi de quibus Dominus ait: *Exterminant* Matth. 6. 16. *facies suas, ut appareant hominibus jejunantes*, ironiæ seu dissimulationis simul & jactantiæ vitium incurrit, & propterea graviùs peccat. Nam *Simulatio humilitatis major superbia est*; (inquit S. *Augustinus*, Lib. *De Sancta Virginitate*, cap. XLIII.) *Idcirco Scriptura volens ostendere* E *veracem humilitatem esse oportere, cùm dixisset,* « Quantò magnus es, tantò humilia te in om- Eccles. 3. « nibus: *mox quoque subdidit:* Et coram Deo « invenies gratiam, *utique ubi se fallaciter humiliare non posset.* Hinc idem Sanctus Doctor, ut utrumque vitium illud extremum vitaret, simulationis & jactantiæ, *Vestes, calceamenta, & lectualia ex moderato & competenti habitu* sibi comparabat, *nec nitido nimiùm, nec abjecto plurimùm: quia his plerumque vel jactare se insolenter homines solent, vel abjicere:* ut refert *Possidius* in ejus Vita, cap. XXII.

REGULA XII.

F JActantia gravius ut plurimùm ironiâ seu dissimulatione peccatum est. *Jactantia enim ut plurimùm ex turpiori motivo procedit, scilicet ex appetitu lucri vel honoris: Ironia verò ex hoc quod aliquis fugit, (licèt inordinatè) per elationem aliis gravis esse. Contingit tamen quandoque quòd aliquis minora de se fingit ex aliquo alio motivo, putà, ad dolosè decipiendum, & tunc ironia est gravior,*

(inquit *S. Thomas*, ex quo duodecim illæ Regulæ excerptæ sunt, *Secunda Secundæ*, Quæst. CXII. Art. II. & Quæst. CXIII. Art. I. & II.)

ARTICULUS XVII.

De Hypocrisi, tertia inanis gloriæ filia.

Quid sit hypocrisis?

Hypocrisis est peccatum quo quis alienam personam simulans, adumbratam sanctitatis imaginem hominum oculis objicit, vel occultando vitia quibus scatet, vel præ se ferendo speciem virtutis quâ caret. Nam, ut ait S. *Isidorus Hispalensis* Lib. X. *Originum*, Tit. XI. Hypocrita ille est, *Qui cùm intus malus sit, ut bonum se palam ostendit. Nomen* scilicet *Hypocrita tractum est*, (inquit) *à specie eorum qui in spectaculis contecta facie incedunt, distinguentes vultum vario colore, ut ad personæ, quam simulant, colorem perveniant: modò in specie viri, modò in specie feminæ, ut in ludis populum fallant.* Hinc S. *Augustinus* Lib. II. *De Sermone Domini in Monte*, cap. II. *Manifestum est* (inquit) *hypocritas non quod oculis prætendunt hominum, id etiam corde gestare. Sunt enim hypocritæ simulatores, tanquam pronuntiatores personarum alienarum, sicut in theatricis fabulis. Non enim qui agit partes Agamemnonis in Tragœdia, verbi gratiâ, sive alicujus alterius ad historiam vel fabulam quæ agitur pertinentis, verè ipse est, sed simulat eum, & hypocrita dicitur. Sic in Ecclesia, vel in omni vita humana, quisquis se vult videri quod non est, hypocrita est. Simulat enim justum, non exhibet; quia totum fructum in laude hominum ponit, quam possunt etiam simulantes percipere, dum fallunt eos quibus videntur boni, ab eisque laudantur. Sed tales ab inspectore cordis Deo mercedem non accipiunt, nisi fallaciæ supplicium: ab » hominibus autem*, inquit, Perceperunt mercedem suam: *Rectissimique his dicetur*, Recedite » à me operarii dolosi: Nomen meum habuistis, » sed opera mea non fecistis. *Illi ergo perceperunt mercedem suam, qui non ob aliud eleemosynam faciunt, nisi ut glorificentur ab hominibus: Non si glorificentur ab hominibus, sed si ideo faciant ut glorificentur. Laus enim humana non appeti à rectè faciente, sed subsequi debet rectè facientem: ut illi proficiant, qui etiam imitari possunt quod laudant; non ut hic putet aliquid eos sibi prodesse, quem laudant.*

Hypocritarum justitia simulata.

Matth. 7.

Luc. 13. 27.

Quamvis hypocrisis sit simulatio, non tamen omnis simulatio est hypocrisis, sed solùm illa quâ quis simulat personam alterius, sicut cùm peccator simulat personam Justi. Virtuti Veritatis directè opponitur: Siquidem omnis simulatio mendacium est: Nihil enim refert utrum quis mentiatur verbo vel facto. Cuilibet autem virtuti indirectè opponitur, quam hypocrita simulare potest, cujusque speciem ludificandis hominibus exhibere.

Hypocrisis quàm grave peccatum?

Quàm grave sit peccatum hypocrisis, & quàm Deo exosum, constat ex Sacris Litteris, quæ hypocrisim prohibent ac damnant. Ecclesiastici I. *Ne fueris hypocrita in conspectu hominum.* Sapientiæ I. *Spiritus-Sanctus disciplinæ effugiet fictum*, id est hypocritam. Job. XIII. *Ipse erit Salvator meus: non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita.* Quæ verba S. *Gregorius* expendens, Lib. XI. *Moralium*, cap. XVIII. observat nos duobus modis in conspectum Domini venire. Primò, cùm hîc peccata nostra perpendentes, in ejus nos conspectu punimus, & flendo dijudicamus. Secundò, cùm in extremo judicio ante tribunal ejus sistemur. *Hypocrita igitur per examen ultimum ante conspectum Judicis venit: Sed quia modò culpas suas considerare ac deflere dissimulat, in conspectu Domini venire recusat. Sicut enim justi viri, cùm districtionem venturi Judicis contemplantur, peccata sua ad memoriam reducunt, deflent quod commiserunt, & districtè se judicant, ne judicentur: ita hypocritæ quò exteriùs hominibus placent, eò se interius inspicere negligunt: totósque se in verbis proximorum fundant; & Sanctos se esse æstimant, quia sic haberi ab hominibus pensant. Cùmque mentem per verba sua laudis sparserint, nunquam hanc ad cognitionem reducunt culpæ, nunquam considerant ubi internum Judicem offendant: nihil de ejus districtione metuunt, quia sic se placuisse ei, sicut hominibus credunt. Qui si terrorem ejus ad mentem reducerent, hoc ipsum quòd in mala intentione positi placent hominibus, plus timerent. Bene itaque dicitur:* Non enim veniet in conspectu » ejus omnis hypocryta: *Quia districtionem Dei » ante oculos non ponit, dum placere humanis oculis concupiscit. Qui si mentem suam discutiens, semet ipsum in conspectu Dei poneret, profectò jam hypocrita non esset.*

Hypocrysis exitiale Christianæ vitæ malum.

Hypocrisim omnino fugiendam ut exitiale Christianæ vitæ malum, docet Christus, Matthæi cap. VI. *Attendite* (inquit) *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est. Cùm ergo facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis & in vicis, ut honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit eleemosina tua in abscondito, & Pater tuus qui videt, in abscondito reddet tibi. Et cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis, & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: Amen dico vobis, Receperunt mercedem suam.... Cùm autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, Quia receperunt mercedem suam.*

Convenienter hos nominat hypocritas, qui eleemosynam erogant ut videantur & laudentur ab hominibus. Est quippe facies ipsa miserentium, mens verò inhumanorum atque crudelium (inquit S. *Joannes Chrysostomus* Homiliâ XIX. in Matthæum,) Non enim erogant ut miseriæ proximorum succurrant, sed ut ipsi delectatione gloriæ pascantur. *Non ergo tantummodo dedisse eleemosynam, sed quemadmodum oportet dedisse, & propter hoc dedisse, virtus est.* Quænam » verò dementia est, eum qui à Deo mercedem » operis efflagitet, Deo etiam vidente ad spec- » tandum ipsum opus homines advocare? Si e- » nim ostentare nos volumus, Patri ante omnia » nos studeamus ostendere, qui & coronandi » nos habet potestatem, & multandi. *Et certè » etiam si futuri præmii damna non essent, tamen gloriæ cupidos non decebat divinum spectaculum relinquentes, malle oculis placere mortalium. Cujus enim stoliditatis est, ut ad spectandas virtutes ejus Rege properante, illum quidem relinquat ac negligat, ob egenis verò atque mendicis spectari velit, ab eisque potiùs laudem requirat?* Convenienter etiam hypocritas vocat qui orant ut ab hominibus videantur. Non enim orantium, sed ridiculorum prorsus hominum personam gerunt. *Qui enim ad sup-*

plicandum paratur, omnibus relictis illum intuetur unum, qui habet donandi quod petitur, potestatem. Si verò istum relinquens, per diversa errabundus vageris, & ubique oculos mentémque circumferas, post longissimas preces vacuis profectò manibus abscedes: Hoc quippe ipse voluisti. Propterea non dixit, Tales non recipient mercedem suam: Sed Receperunt, inquit, ab his tamen duntaxat à quibus etiam concupiscunt. Neque enim hoc voluit Deus, qui certè eam, quæ ab ipso est, vult tribuere mercedem: Illi verò eam quæ est ab hominibus requirentes, nequaquam jam ab illo merentur accipere, propter quem nihil omnino fecerunt. Hypocritas denique vocat, B qui exterminant facies suas, ut videantur hominibus jejunantes, quia id quod sunt non exhibent hominum oculis, sed sub aliena latentes personâ, velut in theatro ipsis imponunt. Hoc igitur in virtutis ratione considerandum (inquit S. Joannes Chrysostomus) Ut eam neque propter alios appetas, neque propter homines obedias Deo, sed propter Deum pot ius hominibus. Alioqui si virtutem etiam videaris sequi, nib hominus similis non sequeris, Deum in iracundiam concitasti. Sicut enim ille non faciendo inobediens fuit, ita tu non rectè faciendo.

Jubet Christus, ut Te faciente eleemosynam vel aliud quodvis bonum opus, Nesciat sinistra C tua, quid faciat dextera tua: Id est, ne facias sicut hypocritæ, qui ita faciunt, ut laudes hominum quærant. Sinistra igitur significat Ipsam delectationem laudis: Dextera autem Intentionem implendi præcepta divina. Cùm itaque conscientia facientis eleemosynam miscet se appetitio laudis humanæ, fit sinistra conscia operis dexteræ... Sit ergo eleemosyna tua in ipsa conscientia tua, ubi multi eleemosynam faciunt bonâ voluntate, etiamsi pecuniam, vel si quid aliud quod inopi largiendum est, non habent. Multi autem foris faciunt, & intus non faciunt, qui vel ambitione, vel alicujus rei temporalis gratiâ volunt misericordes videri, in quibus sola sinistra operari existimanda est. Item alii quasi medium inter utrosque locum tenent, ut & intentione quæ in Deum est eleemosynam faciant, & tamen inserat se huic optimo voluntati nonnulla etiam laudis vel cujusque rei fragilis & temporalis cupiditas. Sed D Dominus noster multò vehementiùs prohibet solam sinistram in nobis operari, quando etiam misceri eam vetat operibus dexteræ: ut scilicet non modò solâ temporalium rerum cupiditate caveamus eleemosynam facere; sed nec ita in hoc opere attendamus Deum; ut se se misceat vel adjungat exteriorum appetitio commodorum. Agitur enim de corde mundando, quod nisi fuerit simplex, mundum non erit. Simplex au- E tem quomodo erit, si duobus dominis servit, nec una intentione rerum æternarum purificat aciem suam, sed eam mortalium quoque fragiliúmque rerum amore obnubilat? Ita S. Augustinus Lib. II. De Sermone Domini in Monte, cap. II.

Perriant ergo ad oculum mundum non intueri in rectè faciendo laudes hominum, & ad eam referre quod rectè facis, id est, propterea rectè facere aliquid, ut hominibus placeas. *Sic enim etiam simulare bonum libebit, si non attenditur nisi ut laudet, qui quoniam videre cor non potest, potest etiam falsa laudare. Quod qui faciunt, id est, qui bonitatem simulant, du- F plici corde sunt. Non ergo habet simplex, id est, mundum cor, nisi qui transcendit humanas laudes, & illum solum intuetur cùm rectè vivit, & ei placere nititur, qui conscientiæ solus inspector est. De cujus conscientia pur tote quicquid procedit, tantò est laudabilius, quantò humanas laudes minùs desiderat...

Qui bonitatem simulant, duplici corde sunt.

Eum solum intueri debet Christianus cùm rectè vivit, qui conscientiæ inspector est.

» Cavete ergo, inquit, facere justitiam vestram » coram hominibus, ut videamini ab eis: Id est, Cavete hoc animo justè vivere, & ibi constituere bonum vestrum, ut vos videant homines. Cùm enim antea dixerit, Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est, non hîc putandus est prohibuisse ne rectè fiat coram hominibus, sed ne ob id fortè rectè fiat coram hominibus ut videamur ab eis, id est, ut hoc intueamur, & ibi finem nostri propositi collocemus. Sic & Apostolus dicit: Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem: cùm alio loco dicat, Placete omnibus per omnia, sicut & ego omnibus per omnia placeo. Quod qui non intelligunt, contrarium putant: cùm ille se dixerit non placere hominibus, Quia non ideo rectè faciebat ut placeret hominibus, sed ut Deo ad cujus amorem corda hominum volebat convertere, eo ipso quo placebat hominibus. Itaque & non se placere hominibus rectè dicebat, quia in eo ipso ut Deo placeret intuebatur: & placendum esse hominibus rectè præcipiebat, non ut hoc appeteretur tanquam merces rectè factorum; sed quia Deo placere non posset, qui non se iis quos salvos fieri vellet præberet imitandum: Imitari autem illum qui sibi non placuerit, nullo pacto quisquam potest. Sicut ergo non absurdè loqueretur, qui diceret, In hac opera quâ navem quæro, non navem quæro, sed patriam: Sic & Apostolus convenienter diceret: In hac opera quâ hominibus placeo, non hominibus, sed Deo placeo: quia non appeto, sed ad id refero ut me imitentur, quos salvos fieri volo. Sicut dicit de oblatione quæ fit in Sanctos: Non quia quæro datum, sed inquiro fructum: Id est, Quod quæro datum vestrum, non hoc quæro, sed fructum vestrum. Hoc enim indicio apparere poterat, quantùm profecissent in Deum, cùm id libenter offerrent, quod non propter gaudium de muneribus, sed propter communionem caritatis ab eis quærebatur.

Gal. 1.

1. Cor. 10.

Philipp. 4.

Ab hypocrisi cavere jubet iterum Christus, Lucæ XII. Attendite (inquit) à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Sicut enim fermentum totam cui injicitur farinæ massam corrumpit: ita Simulatio, cujus semel animum imbuerit, tota virtutum sinceritate & veritate fraudabit; (inquit Venerabilis Beda.)

Denique Matthæi XXIII. Hypocritas octuplici maledictione ferit Salvator: Væ vobis, (inquit) Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia clauditis Regnum cælorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: Propter hoc amplius accipietis judicium. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: qui circuitis mare & aridam, ut faciatis unum Proselytum: & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos. Væ vobis, duces cæci, qui dicitis: Quicunque juraverit per Templum, nihil est: quicunque autem juraverit in auro Templi, debet.... Væ vobis, Scribæ & Pharisæi hypocritæ: Qui decimatis mentham & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, & misericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: quia mundatis quod deforis est calicis, & paropsidis: intus autem pleni estis rapinâ & immunditiâ. Pharisæe cæce, munda priùs quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ aforis parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia: sic & vos aforis quidem paretis hominibus justi: intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.

Hypocritas octuplici maledictione Christus percellit.

Væ

Væ vobis, Scribæ & Pharisæi hypocritæ: qui ædificatis sepulchra Prophetarum; & ornatis monumenta Justorum, & dicitis, Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum.... Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ? Ex omni peccatorum genere nullos vehementiùs & acriùs objurgavit Salvator noster, quàm hypocrytas. *Omnes enim qui perperam agunt, supplicio digni sunt: qui verò simulatione bonitatis ad improbitatem tendit, multò graviori pœna omnino afficiendus;* (inquit *S. Joannes Chrysostomus*, Homiliâ LXXIV. in B *Matthæum.*)

Hypocrisis characteres.

S. Petrus Chrysologus, Sermone VII. Hypocrisis malitiam sic describit: *Hypocrisis subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis. Adversa omnia nituntur viribus suis, armis suis pugnant: impugnant palam: unde & caventur tam facilè, quàm videntur. Hypocrisis secura simulat, fallit prospera, curiosa mentitur, & crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum: Jejunio jejunium perimit, oratione orationem evacuat, misericordiam miseratione posternit.... Fratres, fugiendum est virus, pestilentia cavenda, quæ de remediis creat morbos, conficit de* C *medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiatione discrimen. Hypocrisim qui fugerit, vincit; qui incurrerit, cadit... Thesaurum qui non abscondit, prodit. Virtutes proditæ non manebunt.... Ergo jejunium quod contra vitia prima virtus est nobis, in arce pectoris collocetur.... Facies mœrore dejecta invitat famam, non jejunium voluntarium profitetur. Si vult, quare tristis? Si non vult, jejunus quare? Meritò tali pœna vivit, qui sibi facit de virtute vitium, mendacium de veritate, de mercede stipendium, de remissione peccatum. Agricola si non impresserit cultrum, si falcem non defoderit, si non exciderit sentes, si gramina non evulserit, si in tuto semina non locarit, sibi mentitur, non terræ; nec terra facit damnum, sed sibi non facit fructum: & ita se vacat, ita decipit, impugnat ita, qui terra manu fallaci mentitur. Quid faciet, quid habebit, quid inveniet, qui Deo, esuriente turba, hypocrisi luxuriante mentitur?* D

REGULA I.

HYpocrisis mortale peccatum est, cùm aliquis *Non curat sanctitatem habere, sed solùm sanctus apparere;* (inquit *S. Thomas*, Secunda secundæ, Quæstione CXI. Articulo IV.) E

Hypocritæ Christianæ Religionis spiritum moribus suis evertunt.

His convenit illud Davidis Oraculum, Psalm. LII. *Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Et illud Apostoli II. ad Timotheum III. *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Hi Christianæ Religionis spiritum, verùmque Dei cultum, quantùm in ipsis est, moribus suis evertunt. Cùm enim Christus Joannis IV. dicat: *Spiritus est Deus, & eos qui adorant, in* F *spiritu & veritate oportet adorare:* Hypocritæ non spiritu, sed solo corporis habitu Deum colunt & adorant. Cùm nos *Renovari spiritu mentis nostræ*, Deus per Apostolum suum jubeat, *& induere novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis:* Hypocritæ de internâ illâ & spirituali renovatione nihil omnino curant, sed adumbratæ sanctitatis & justitiæ fuco hominibus imponere gestiunt. Solâ specie externâ Christiani sunt, seu quod idem est, Sancti, *Vocatis Sanctis.* Non vivit in illis *Absconditus cordis homo, in incorruptibilitate modesti & quieti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.* Non habent, *Viscera misericordiæ*, non *Illuminatos oculos cordis*, non *Aures audiendi*, quibus Dei verbum percipiant. Mortui sunt, & vivere videntur, secundùm illud Apocal. III. *Nomen habes quòd vivas, & mortuus es.* De his prophetavit Isaias: *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me,* ut Christus interpretatur. Similitudinem templi exteriùs hominum oculis objiciunt: cùm interiùs crocodilum, canem, felem, vitulum, aut aliud brutum animal, Ægyptiorum Templorum instar, abscondant, id est, vitia & cupiditates pravas illorum animalium symbolis significatas. Dei autem vivi templa esse non curant: cùm tamen interior cultus sit Christianæ Religionis anima, ut præclarè *Minutius Felix*, in *Octavio*, edisserit. *Nonne meliùs*, inquit, *in nostra dedicandus est mente? In nostro imo consecrandus est pectore?... Cùm sit litabilis hostia bonus animus, & pura mens, & sincera sententia. Igitur qui innocentiam colit, Domino supplicat: qui justitiam, Deo libat: qui fraudibus abstinet, propitiat Deum: qui hominem periculo surripit, opimam victimam cædit. Hæc nostra Sacrificia, hæc Dei Sacra sunt. Sic apud nos religiosior est ille, qui justior.* Et infrà: *Nos non habitu sapientiam, sed mente præferimus: non eloquimur magna, sed vivimus.* Quanta sit hypocritarum cæcitas, *S. Augustinus* ostendit in Expositione Epistolæ ad Galatas, Cap. VI. *Quid*, inquit, *ista cæcitate tenebrosius, ab obtinendam inanissimam gloriam errorem hominis aucupari, & Deum testem in corde contemnere? Quasi verò ullo modo comparandus sit error illius qui te bonum putat, errori tuo qui homini de falso bono placere studes, de vero malo displicet Deo.*

1. Petr. 3.
Coloss. 3.
Ephes. 4.
Ephes. 4.
Isai. 29.
Matt. 15.

Cultus internus, Christianæ Religionis anima.

REGULA II.

Hypocrisis mortale peccatum est, cùm quis simulat sanctitatem propter finem repugnantem caritati Dei vel Proximi.

Quando est peccatum mortale peccatum est.

VErbi gratiâ, ut falsam doctrinam disseminet, vel ut adipiscatur Ecclesiasticam Dignitatem indignus, vel quæcumque alia temporalia bona, in quibus finem constituit, Ita *S. Thomas* loco suprà laudato. De his qui personam sanctitatis assumunt ut errores spargant, aut schisma faciant, ait Christus (Matth. VII.) *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.* Et *S. Paulus* (1. ad Timotheum IV.) *Spiritus manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium*, &c.

REGULA III.

Qui simulat sanctitatem ob finem non repugnantem sanctitati, veniale dumtaxat hypocrisis peccatum committit.

De hypocrisi.

TAles sunt hypocritæ, qui sanctitatem simulant, quia fictione ipsâ delectantur. *Contingit etiam quandoque ut aliquis simulet perfectionem sanctitatis, quæ non est de necessitate salutis, & talis simulatio nec semper est peccatum mortale, nec semper est cum peccato mortali;* (inquit *S. Thomas* ibidem.)

REGULA IV.

Mortale peccatum hypocrisis committunt, qui in minimis anxie religiosi sunt, de gravioribus autem nequaquam solliciti.

De hypocrisi. TAles erant Pharisæi, qui decimas vilissimorum etiam olerom studiosissimè persolvebant, ot Legis obseevatores religiosissime viderentur, & graviora Legis præcepta, scilicet judicium sive justitiam, misericordiam, fidem, citra ullum conscientiæ stimulum violabant. Tales sunt Pharisaicis hisce temporibus Christiani plerique, qui certa pietatis exercitia omittere ducerent religioni, verbi gratiâ, gestationem Scapularis, recitationem Rosarii, auditionem Missæ profestis diebus, &c. & religioni non ducuot detrahere famæ peoximi, mendacia & perjuria in venditionibus & emptionibus ex habitu committere, divitiis congerendis toto studio ineodere, viscera sua, crumenasque pauperibus claudere. Hi sensibus, non malitiâ parvuli sunt, cùm Apostolus dicat (1. Cor. 14.): *Nolite pueri effici sensibus, sed malitiâ parvuli estote: sensibus autem perfecti estote.* Illi autem pueros imitantur, non innocentiâ & simplicitate, sed sensibos; siqoidem minimis inhærent, rebus autem magnis non æquè afficiuntur. Tales sunt Ecclesiastici qoidam viri, qui modestiam habitus & capillorum secundùm Canones accoratè observant: & plora Beneficia sine ullo conscientiæ stimulo congerunt, Mansionis seu Residentiæ in iisdem leges non curant, Bonorum Ecclesiasticorum reditus sibi attributos, heredibos servant, ditandisve propinqois impeoduot, pauperibus, quorom sunt patrimonia, ingemiscenribus: & Canonom tameo religiosi observatores videri volunt. Tales sunt Monachi oonnulli, qui Regularium observantiarum minutias prætermittere religioni ducerent, & Christianam hoomilitatem, fraternam caritatem, obedientiam, pacem violare ac perturbare non verentur. De quibus *S. Bernardus* in Apologiâ ad *Guillelmum* Abbatem, Cap. v. (Luc. 17.) *Regnum Dei*, inquit, *intra vos est: Hoc est, non exterius in vestimentis aut alimentis corporis, sed in virtutibus interioris hominis. Unde* (Rom. 14.) » *Apostolus*: Regnum Dei non est esca & potus, » sed justitia & pax, & gaudium io Spiritu Sancto. *Et rursus* (1. Cor. 4.): Regnom Dei non est in sermone, sed in virtute. *De corporalibus itaque Observantiis Fratribus calumniam struitis: & quæ majora sunt Regula, spiritualia scilicet instituta relinquitis, camelum aquæ glutientes, culicem liquatis. Magna abusio! Maxima cura est, ut corpus regulariter induatur, & contra Regulam suis vestibus anima nuda deseritur. Cùm tanto studio & tunica & cuculla corpori procurentur, quatenus cui deerunt, Monachus non putetur; cur similiter spiritui pietas & humilitas, quæ profectò spiritualia indumenta sunt, non providentur? Tunicati & elati abhorremus pellicias, tanquam non melior sit pellibus involuta humilitas, quàm tunicata superbia.... Repleti deinde ventrem fabâ, mentem superbiâ, cibis damnamus saginatos, quasi non melius sit exiguo sagimine ad usum vesci, quàm ventoso legumine usque ad ructum exsaturari.... Sed & satius est modico vino uti propter infirmitatem, quàm multâ aquâ ingurgitari propter aviditatem.... Jam verò de labore manuum quid gloriamini, cum & Martha laborans increpata, & Maria quiescens laudata sit, & Paulus apertè dicat* (1. Tim. 4.): Labor corporis » ad modicum valet, pietas autem ad omnia .... *Neque hoc dico, quia hæc exteriora negligenda sint* (inquit ille Cap. vi.) *aut qui se illis non exercuerit, mox spiritualis efficiatur, cùm potiùs spiritualia, (quamquam meliora) nisi per ista aut vix, aut nullatenus vel acquirantur vel obtineantur.... Optimus autem ille qui discretè & congruè & hæc operatur & illa.* (De hypocrisi.)

REGULA V.

Hypocrisis lethale peccatum committunt, qui omnia sua, & præsertim pietatis opera ad hominum gratiam laudemque captandam, & ad inanem gloriam referunt.

UT enim ait *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione cxi. Articulo ii. *Opus exterius naturaliter significat intentionem. Quando ergo aliquis per bona opera quæ facit ex suo genere ad Dei servitium pertinentia, non quærit Deo placere, sed hominibus, simulat rectam intentionem quam non habet. Unde S. Gregorius dicit* Libro xxxi. *Moralium*, Cap. viii. *Hypocritæ per causas Dei deserviunt intentioni sæculi: quia per ipsa quoque quæ se agere sancta ostendunt, non conversionem quærunt hominum, sed auras favorum.* Et ita *simulant mendaciter intentionem rectam quam non habent* (inquit S. Thomas) *quamvis non simulent aliquod rectum opus, quod non agunt.*

REGULA VI.

QUi habitum sanctitatis assumit, intendens se ad statum perfectionis transferre, si per infirmitatem deficiat, non est simulator vel hypocrita: quia non tenetur manifestare suum peccatum, sanctitatis habitum deponendo, (Vestem scilicet Clericalem, aut Monasticam.) *Si autem ad hoc sanctitatis habitum assumeret, ut se justum ostentaret, esset hypocrita & simulator.*

Ita *S. Thomas* ibidem ad secundom.

REGULA VII.

Hypocrisis gravius peccatum est, ceteris paribus, iis quæ palam committuntur.

ITa docent, *S. Hieronymus* Commentario in *Isaia* Cap. vi. *Si præbeo* (inquit) *eleemosynam ut glorificer ab hominibus, recepi mercedem meam, & mercenarius appellandus sum. Si castum esse me simulo, & aliud est in conscientia mea: habeo non gloriam mercenarii, sed supplicia peccatoris. Et in comparatione duorum malorum, levius est apertè peccare, quàm simulare & fingere sanctitatem.*

S. Augustinus, Enarratione in Psalmum lxiii. *Simulata*, inquit, *innocentia non est innocentia: simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas; quia & iniquitas est, & simulatio.* Et Sermone ccclv. aliàs *De Diversis* xlix. *Nolo habere hypocritas. Malum est cadere à proposito, sed pejus est simulare propositum.*

S. Leo, Sermone v. *De Passione Domini*, ubi de Juda sic loquitur: *Meritò, sicut & Propheta prædixerat, Oratio ejus facta est in peccatum; quoniam consummato scelere tam perversa impii conversio fuit, ut etiam pœnitendo peccaret.*

S. Bernardus, in Apologia ad *Guillelmum Abbatem*, Cap. i. *Quis*, inquit, *magis impius, an profitens impietatem, an mentiens sanctitatem? Nonne is qui etiam mendacium addens, geminat impietatem?*

DE PECCATIS.

REGULA VIII.

Christiana pietas interior simul & exterior esse debet.

Christianæ pietatis character.

UT enim Psalmo XLIV. dicitur, *Omnis gloria ejus filia Regis ab intus: in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Quæ verba expendens Autor commentarii in Libros *Regum*, inter Opera *S. Gregorii* editi, Libro VI. Cap. XV. *Quid est*, inquit, *quod omnis gloria intus esse perhibetur, nisi quia & illa quæ foris est gloria cum aliis innumeris intus esse cognoscitur? Aurea enim virginitas non est, si foris est, & intus non est. Quia ergo intus & foris est, quia eadem splendet in corpore, eadem fulget in mente; omnis gloria filiæ Regum intus esse sentiri convenienter potest. Omnis gloria ejus intus est, quia foris sola, intus sola non est. Quia enim multa sunt virtutum claritates in mente Virginis, sic virgineus splendor asseritur, ut intus omnis gloria prædicetur.* Idem docet Apostolus ad Romanos XI. *Providentes bona*, inquit, *non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Hinc S. Gregorius *Nazianzenus*, Oratione in Funere Sororis suæ *Gorgoniæ*, veram illius virtutem his verbis prædicat: *Quod præclarissimum est, non magis optima videri, quàm revera esse studebat: quin potiùs in abscondito, apud eum qui abscondita intuetur, pietatem luculenter excolebat.* Hinc *Tertullianus*, Libro *De Pallio*, ait: *Etsi eloquium quiescat, nam & elinguis Philosophia vitâ contenta est, ipse habitus sonat. Sic denique auditur Philosophus dum videtur. De occursu meo vitia suffundo... Grande Pallii beneficium est, sub cujus recogitatu improbi mores vel erubescunt.*

DE PECCATIS.

Cap. XXV. *Nemo*, inquit, *mihi jam molestus sit dicendo mihi, Non hoc sensit Moyses quod tu dicis; sed hoc sensit quod ego dico.... O vita pauperum Deus meus! in cujus sinu non est contradictio, plue mihi mitigationes in cor, ut patienter tales feram, qui non mihi hoc dicunt, quia divini sunt, & in corde famuli tui viderunt quod dicunt, sed quia superbi sunt; nec noverunt Moysi sententiam, sed amant suam, non quia vera est, sed quia sua est. Alioquin & aliam veram pariter amarent, sicut ego amo quod dicunt, quando verum dicunt, non quia ipsorum est, sed quia verum est. Si autem ideo amant illud quia verum est, jam & ipsorum est, & meum est: quoniam in commune omnium est veritatis amatorum. Illud autem quod contendunt non hoc sensisse Moysen quod ego dico, sed quod ipsi dicunt, nolo, non amo: quia & si ita est, tamen ista temeritas non scientiæ sed audaciæ est, nec visus sed typhus eam peperit.*

Quàm periculosæ contentiones?

REGULA I.

Quàm grave contentionis peccatum?

COntentio lethale peccatum est, *Secundùm quod importat impugnationem veritatis, & inordinatum modum*, nec *personis scilicet*, nec *negotiis* convenientem, ut docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. XXXVIII. Art. I. Peccat, inquam, mortaliter quisquis veritatem fidei, vel Moralis ac Disciplinæ Christianæ contentionis animo impugnat, sive perspecta sit illi & explorata; sive falsitatem esse existimet levibus & fallacibus argumentis ductus. Tales sunt Hæretici omnes, qui Catholicæ fidei inconcussa dogmata, quorum veritatem cognoscere possunt & debent, totis viribus impugnant. Tales & Catholici quidam, qui nonnulla sanioris Moralis capita, suis cupiditatibus contraria, de industria impugnant.

REGULA II.

QUi in re gravi, putà, in Quæstione Fidei, vel Moralis Christianæ, verbi gratiâ, an simplex fornicatio sit naturæ lege prohibita, an fœnerari divitibus sit peccatum; vel pietatem spectante, qualis est Quæstio de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione, de Confraternitatum utilitate, de Indulgentiarum usu, ita verbis contendit, ut ex ejus contentione audientium subversio probabiliter consequi possit, aut revera consequatur, & quod certum est in dubium veniat: aut audientes scandalum patiantur; lethaliter peccat. Ita *S. Thomas*, Lectione III. in Cap. II. Epistolæ II. ad *Timotheum*, & Secunda Secundæ, Quæstione & Articulo supra laudatis. Idque probat ex Apostolo dicente: *Noli contendere verbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.*

Hinc idem Apostolus I. ad *Timotheum* VI. scribit: *Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini Jesu-Christi, & ei quæ secundùm pietatem est, doctrinæ: superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem.* Et *S. Jacobus* Epistolæ suæ Catholicæ, Cap. III. *Quòd si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris: nolite gloriari & mendaces esse adversùs veritatem. Non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica: ubi enim zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus pravum.* Hinc *Tertullianus*, Libro *De Præscriptionibus Hæreticorum*, Cap. XVII. ostendens quàm periculosa sit,

ARTICULUS XVIII.

DE CONTENTIONE,

IV. *Inanis gloriæ filia.*

Quid est contentio?

COntentio est *impugnatio veritatis cum confidentia clamoris*. Ex genere suo mortale peccatum est. Ab Apostolo enim inter peccata à Regno Dei excludentia non semel recensetur. Ad *Romanos* I. loquens de Philosophis, quos *tradidit* Deus *in reprobum sensum*, ait illos fuisse *Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitiâ, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate.* Et Cap. II. *Iis autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.* Et II. ad Corinthios XII. *Ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos.* Et ad Galatas V. *Contentiones* numerat inter *opera carnis*, quæ qui agunt *Regnum Dei non consequentur.* Et ad Philippenses II. Contentionem & inanem gloriam Christianis prohibet: *Nihil*, inquit, *per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.* Item I. ad Corinthios XI. *Si quis videtur inter vos contentiosus esse, nos non habemus talem consuetudinem, neque Ecclesia Dei.* Et Cap. III. ejusdem Epistolæ: *Cùm sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?* Denique II. ad Timotheum V. *Noli contendere verbis: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.*

Superbia fons contentionum.

Contentionis fontem, scilicet superbiam, indigitat *S. Augustinus*, & quàm perniciosæ sint contentiones declarat, Libro XII. *Confessionum*,

nedum infructuosa contra Hæreticos Scripturas Sacras non recipientes, vel adulterantes, disputatio eorum infirmis, ait: *Necessario nolunt agnoscere ea per quæ revincuntur; his nituntur quæ ex falso composuerunt, & quæ de ambiguitate ceperunt. Quid promovebis, Exercitatissime Scripturarum, cùm si quid defendreis, negetur: ex adverso si quid negaveris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes nisi vocem in contentione; nihil consequeris nisi bilem de blasphematione. Ille verò, si quis est cujus causâ in congressum descendis Scripturarum, ut eum dubitantem confirmes, ad veritatem, an magis ad hæreses deverget? Hoc ipso motus, quòd te videat nihil promovisse, æquo gradu negandi & defendendi adversa parte, statu certè pari, altercatione incertior discedet, nesciens quam hæresim judicet.*

Regula III.

Lethalis contentionis peccatum incurrunt improbi litigatores, Causidici, Procuratores, qui causam injustam dolis, clamoribus, tergiversationibus obtinere, imò potiùs extorquere nituntur.

HÆc Regula colligitur ex *S. Thoma* loco supra laudato, in Responsione ad tertium, dicente: *Secundùm completam rationem contentionis, prout est peccatum mortale, ille in judicio contendit, qui impugnat veritatem justitiæ: & in disputatione contendit, qui intendit impugnare veritatem doctrinæ. Et secundùm hoc Catholici non contendunt contra Hæreticos, sed potiùs è converso.*

Regula IV.

LEthali contentionis peccato se inficiunt, qui in disputatione quavis, aut lite prosecutione, VERBIS IMPROPERII DISCEPTANT, *quibus caritas proximo debita graviter læditur, ejúsque fama proscinditur*: Cùm optimis tantùm rationibus veritatem aut causæ merita in lucem proferre, ac tueri deberent. Hæc Regula colligitur ex *S. Thoma*, Lectione III. in Cap. II. Epistolæ II. ad *Timotheum*.

Regula V.

Contentio, quæ est impugnatio falsitatis cum debito modo acrimoniæ, est laudabilis. Si autem accipiatur contentio secundùm quod importat impugnationem falsitatis cum inordinato modo, sic potest esse peccatum veniale; nisi fortè tanta inordinatio fiat in contendendo, quòd ex hoc generetur scandalum aliorum.

Contentio laudabilis.

HÆc Regula ipsis *S. Thomæ* verbis concepta est, *Secunda Secundæ*, Quæstione & Articulo supra laudatis. Et confirmatur ex Responsione ad tertium: *Si accipiatur*, inquit, *contentio in judicio vel disputatione secundùm imperfectam rationem, scilicet secundùm quod importat quamdam acrimoniam locutionis, sic non semper est peccatum mortale.* Imò nullum quandoque peccatum est, secundùm illud *S. Augustini* Tractatu VII. in Epistolam I. S. Joannis: *Dilige, & quod vis fac: sive taceas, dilectione taceas; sive clames, dilectione clames; sive emendes, dilectione emendes; sive parcas, dilectione parcas. Radix sit intus dilectionis, non potest de ista radice nisi bonum existere.*

Regula VI.

Contentio de re de qua non est contendendum, veniale saltem peccatum est.

Contentio venialis.

COntentio enim hujusmodi est inordinata & perversa. Talis fuit Apostolorum contentio, Luc XXII. *Facta est & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* In Discipulis autem Christi, ut observat *S. Thomas*, Quæstione & Articulo supra laudatis, in Responsione ad primum, *Non erat contentio cum intentione impugnandi veritatem; quia unusquisque defendebat, quod sibi verum videbatur. Erat tamen in eorum contentione inordinatio, quia contendebant de quo non erat contendendum, scilicet de primatu honoris. Nondum enim erant spirituales. Unde & Dominus consequenter eos compescuit.* Graviùs certè peccabant Prædicatores illi, qui *S. Paulo* in vinculis propter Evangelii veritatem detento, æmulationis & contentionis animo Christum & ipsi prædicabant, existimantes se majus periculum Apostolo creare, ut ipse testatur ad Philippenses I. *Quidam autem* (inquit) *ex contentione Christum annuntiant, non sincerè, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim? Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.* Hi certè *Reprehensibiles erant*, (inquit S. Thomas) *quia quamvis non impugnarent veritatem fidei, sed eam prædicarent, impugnabant tamen veritatem quantùm ad hoc, quod putabant se suscitare pressuram Apostolo veritatem fidei prædicanti. Unde Apostolus non gaudebat de eorum contentione, sed de fructu qui ex hoc proveniebat, scilicet quòd Christus annuntiabatur: quia ex malis etiam occasionaliter subsequuntur bona.*

Regula VII.

Disputationes ad illustrandam & explicandam veritatem minimè susceptæ & peractæ, sed solo studio vincendi adversarios, & gloriæ captandæ, contentiones sunt & peccata.

Contentio vitanda.

HInc Apostolus II. ad *Timotheum* II scribit: *Stultas & sine disciplina Quæstiones devita: sciens quia generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, & cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati.* Hinc Dialecticam, quatenus ea Sophistæ abutuntur, *Tertullianus*, Libro *De Præscriptionibus Hæreticorum*, Cap. VII. *In argumentis operariam contentionum* vocat. Et Libro *De Anima*, Cap. XVIII. *Philosophicas argutias vocat tormenta crucianda simplicitatis, & suspendenda veritatis.* Hinc *Sanctus Augustinus*, Libro IV. *De Doctrina Christiana*, Cap. XXVIII. *Verbis*, inquit, *contendere, non est curare quomodo error veritate vincatur, sed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius. Porrò qui non verbis contendit, id agit verbis ut veritas pateat, veritas placeat, veritas moveat: quoniam nec ipsa quæ præcepti finis & plenitudo legis est caritas, ullo modo recta esse potest, si ea quæ diliguntur, non vera, sed falsa sunt.*

REGULA VIII.

Molesta & plena contentionis negotia vir Christianus declinare debet quantum potest.

HAnc Regulam tradit *S. Ambrosius*, Epistolà LXIII. ad Vercellensem Ecclesiam. *Quoniam* (inquit) *nemo potest esse sine aliquibus adversis, id agamus, ne nobis nostro vitio adversa accidant. Nemo enim graviùs alieno condemnatur judicio, quàm insipiens suo, qui sibi auctor est malorum. Unde molesta & plena contentionis declinemus negotia, quæ neque fructum habent, & impedimentum afferunt. Quanquam id agere debemus, ne nos arbitrii nostri pœniteat, aut falli. Prudentis est enim prospicere, ne frequenter eum pœniteat sui: Nunquam enim pœnitere solius est Dei. Quis verò justitia fruitur, nisi mentis tranquillitas? Aut quid est justè vivere, nisi cum tranquillitate vivere?*

ARTICULUS XIX.

DE PERTINACIA,

v. Inanis gloriæ filia.

Quid est Pertinacia?

PErtinacia vitium est ex inani gloria ortum, quo quis repudiatâ meliore & æquiore sententiâ, de sua, licèt falsa & iniqua nulla ratione dimoveri potest. Hic proprius est Hæreticorum character, de quibus *S. Hieronymus* in fine Dialogi *Adversus Luciferanos* ait: *Faciliùs eos vinci posse, quàm persuaderi.* Hinc *S. Augustinus* Lib. III. *De Anima & ejus Origine*, cap. XV. *Hæc* (inquit) *si pertinaciter singula defendantur, tot Hæreses facere possunt, quot opiniones esse numerantur.* Et Lib. II. *Contra Cresconium Grammaticum*, cap. III. *Sicut laudabile est à vera sententia non moveri, ita culpabile persistere in falsa: Quam nunquam tenere prima laus sit, secunda mutare: ut aut ex initio vera permaneat, aut mutatâ falsâ vera succedat.*

Pertinacia perseverantiæ opponitur. *Pertinaces enim perseverant in propria sententia plus quàm oportet: Perseverans secundum quòd oportet:* (inquit *S. Thomas*, Seconda Secundæ, Quæstione CXXXVIII. Articulo II.) *Ideo autem aliquis nimis persistit in propria sententia, quia per hoc vult excellentiam suam manifestare.* Unde oritur *ex inani gloria, sicut ex causa.*

REGULA I.

Pertinacia lethale peccatum est, cùm aliquis manifestatâ sibi Doctrinâ Catholicæ Fidei resistere maluerit, & illud quod tenebat elegerit.

Pertinacia quàm grave peccatum.

HIc enim propriè Hæreticus est, ut docet *S. Augustinus*, Lib. IV. *De Baptismo contra Donatistas*, cap. XVI. Et Lib. II. cap. V. *Ideo* (inquit) *plerùmque Doctioribus minùs aliquid revelatur, ut eorum patiens & humilis caritas, in qua fructus major est, comprobetur, vel quomodo teneant unitatem, cùm in rebus obscuris diversa sentiunt, vel quomodo accipiant veritatem, cùm contra id quod sentiebant, declaratam esse cognoscunt...* Et infrà: *Homines sumus. Undè aliquid aliter sapere quàm res se habet, humana tentatio est. Nimis autem amando sententiam suam, vel invidendo melioribus, usque ad præcidendæ Communionis & condendi Schismatis vel Hæresis sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est. In nullo autem aliter sapere quàm res se habet, angelica perfectio est. Quia itaque homines sumus, sed spe Angeli sumus, quibus æquales in Resurrectione futuri sumus, quandiu perfectionem Angeli non habemus, præsumptionem Diaboli non habeamus.*

De Pertinacia quàm grave peccatum.

REGULA II.

Pertinacia lethale peccatum est, cùm aliquis Ecclesiæ, Summi Pontificis, aut Episcopi cujuslibet Catholici, in sua Diœcesi, Judicio & Mandato, Propositiones Catholicæ Fidei, vel Christianæ Morum Disciplinæ, pietati, Ecclesiasticæ Hierarchiæ, aut paci contrarias, vel piarum aurium quovis modo offensivas, aut scandalum moventes; seu verbis tenus assertas in Scholis, Concionibus, publicis Disputationibus, privatisve congressibus, seu litteris consignatas, ejurare, retractare, ac emendare noluerit.

HAc enim pertinaciâ caritas Dei, qui prima veritas est, & caritas proximi graviter læduntur. *Nam nimis perversè se ipsum amat, qui & alios vult errare, ut error suus lateat. Quanto enim melius & utilius, ut ubi ipse erravit, alii non errent, quorum admonitu errore careat? Quod si noluerit, saltem comites erroris non habeat;* (inquit *S. Augustinus* Epistolà CXLIII. aliàs VII. ad *Marcellinum.*) Et infrà: *Illius Scripta summâ sunt autoritate dignissima, qui nullum verbum, non quod revocare vellet, sed quod revocare deberet, emisit. Hoc quisquis nondum est assecutus, secundas habeat partes modestiæ, quia primas non potuit habere sapientiæ: Quia non valuit omnia non pœnitenda diligenter dixisse, pœniteat quæ cognoverit dicenda non fuisse.*

REGULA III.

Pertinacia lethale peccatum est, cùm quispiam Scripturarum Divinarum Autoritati rationes quascumque non summittit; aut certè ac evidenti rationi Scripturæ Sacræ præter Ecclesiæ sensum intellectæ Autoritatem studiosè opponit.

UT enim ait *S. Augustinus* Epistolà mox laudatà, *Si ratio contra Divinarum Scripturarum autoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine: nam vera esse non potest. Rursus si manifestissimæ certæque rationi velut Scripturarum Sanctarum objicitur autoritas; non intelligit qui hoc facit, & non Scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius objicit veritati: Nec quod in eis, sed quod in se ipso velut pro eis invenit, opponit.*

REGULA IV.

Pertinacia lethale peccatum est, cùm aliquis Propositiones in materia Fidei & Morum, à Conciliis, vel ab Episcopis, & inprimis à Romano Pontifice damnatas propugnat.

HIs siquidem examen & judicium Doctrinarum divinitus commissum est. Unde qui aliquam ex damnatis *Jansenii* aut *Baii* Propositionibus, vel ex Propositionibus laxiorum Casuitarum ab *Alexandro VII.* & *Innocentio XI.*

De Pertinacia

Romanáque & Catholica Ecclesia confixis propugnaret, aut veram esse ac sequendam nihilominus sentiret, lethalis peccati reus esset. Hinc *Majores Ecclesiæ Causas*, & *difficiles Quæstiones*, Fidem scilicet vel dubiam Disciplinam spectantes, *Ad Sedem Apostolicam quasi ad caput atque ad apicem Episcopatus referri*, ejusque Judicium exspectare, & velut Oraculum suscipi, vetus mos obtinuit. Hinc *S. Hieronymus* Patrum doctissimus, *Damasi* Pontificis Sententiam de una vel tribus hypostasibus dicendis rogavit, Epistolâ LVII. *Obtestor Beatitudinem tuam* (inquit) *per Crucifixum, Mundi salutem, per homousion Trinitatem, ut mihi Epistolis tuis sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas.* Hinc *S. Augustinus* de Pelagiana Hæresi non solùm in Synodis Africæ, verùm etiam Romanæ à Summis Pontificibus *Innocentio I.* & *Zosimo* damnata, ait: *Sedis Apostolicæ Rescripta venerunt, Causa finita est; Utinam & error finiatur.* Hinc *S. Anselmus*, Librum *De Fide Trinitatis* offerens & dicans *Urbano II.* Pontifici Maximo, scribit: *Quoniam Divina Providentia vestram elegit Sanctitatem, cui vitam & Fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret; ad nullum alium rectius refertur, si quid contra Catholicam Fidem oritur in Ecclesia, ut ejus Auctoritate corrigatur: Nec ulli alii tutius, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, ut ejus Prudentia examinetur.* Hinc *S. Bernardus*, Epistolâ CXC. *Oportet* (inquit) *ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim quæ de Fide contingunt. Dignum enim arbitror ibi potissimùm resarciri damna Fidei, ubi non possit Fides sentire defectum: Hæc quippe ejus prærogativa Sedis.* Quamobrem *Hincmarus* Archiepiscopus Remensis in Præfatione Opusculi *De Divortio Lotharii Regis & Tetbergæ Reginæ*, scribit: *De omnibus dubiis vel obscuris, quæ ad rectam Fidei tenorem, vel Pietatis Dogmata pertinent, Sancta Romana Ecclesia, ut omnium Ecclesiarum Mater & Magistra, nutrix & doctrix, est consulenda, & ejus salubria Monita sunt tenenda: maximè ab his qui in illis regionibus habitant, in quibus divina gratia per ejus prædicationem omnes in fide genuit, & catholico lacte nutrivit, quos ad vitam prædestinavit æternam.* Hinc *Ivo* Carnotensis Episcopus Epistolâ VIII. *Sedis* (inquit) *Apostolicæ Decretis & Constitutionibus obviare, planè est hæreticæ pravitatis notam incurrere.* Hinc denique Conventus Melodunensis Ecclesiæ Gallicanæ, Tit. I. *De Fidei Professione*, ita decrevit, *Operam dabunt ii quibus hæc cura demandata est, Episcopi scilicet & eorum Vicarii, ut in omnibus Synodis tum Diœcesanis quàm Provincialibus, omnes & singuli tum Clerici tum Laici, amplectantur & aperta Professione eam Fidem pronuntient, quam Sancta Romana Ecclesia, Magistra, columna, & firmamentum veritatis profitetur & colit. Ad hanc enim propter suam principalitatem necesse est omnes convenire Ecclesias.*

Cap. multi, Dist. XVII. Innocentius I. Epist. IV.

DE PECCATIS.

REGULA V.

De pertinacia

Lethalis pertinaciæ reus est, quisquis damnationi Propositionum aliquarum in materia Fidei, & in sensu etiam Autoris è cujus Libris excerptæ sunt, secundùm Formulam ab Apostolica Sede & Episcopis præscriptam, subscribere superbè recusat.

IS enim Sententiam suam nimis amat, eamque præponit & veritati fidei, quam subscriptione suâ apertè profiteri tenuit; & obedientiæ quam debet Summo Pontifici & Episcopis subscriptionem jure impetrantibus ut omnis hæreseos suspicio eluatur; & ædificationi quam toti debet Ecclesiæ summittendo privatum lumen suum atque opinionem judicio Pastorum ipsius, & præsertim Romani Pontificis Pastorum omnium unius summique Pastoris. Hinc *S. Hieronymus* Epistolâ LXV. adversùs Origenistas hæc habet: *Subscriptionem tergiversantur, quærunt que suffugia. Alius; Non possum, inquit, damnare quod nemo damnavit. Alius; nihil super hoc à Patribus statutum est: ut dum totius Orbis provocatur autoritatem, subscribendi necessitas differatur. Qui tum constantius; Quomodo damnabimus, quos Nicæna Synodus non tetigit?* Et in Proœmio Dialogi adversùs Pelagianos: *Si quis*, (inquit) *falso se infamari clamitat, & gloriatur nostra sentire, tunc veræ fidei probabit assensum, cùm apertè & absque dolo adversa damnaverit.* Hinc *S. Leo* Epistolâ VI. aliàs LXXXVI. ad Aquileiensem Episcopum de Pelagianis scribit: *Damnent apertis Professionibus sui superbi erroris Autores, & quicquid in doctrina eorum universalis Ecclesia exhorruit, detestentur: omniaque Decreta Synodalia, quæ ad excisionem hujus Hæreseos Apostolicæ Sedis confirmavit Autoritas, amplecti se, & in omnibus approbare, plenis & apertis, ac propriâ manu subscriptis Protestationibus eloquantur. Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inveniatur ambiguum. Quoniam novimus hanc istorum esse versutiam, ut in quacunque particula dogmatis execrandi, quàm à damnandorum soliditate discreverint, nihil sibi sensuum suorum æstiment esse non salvum.* Et infrà: *Qui correctos se videri volunt, ab omni suspicione se purgent, & obediendo nobis, probent se esse nostros. Quorum si quispiam salubribus præceptis satisfacere detrectaverit, sive ille Clericus, sive Laicus, ab Ecclesiæ societate pellatur, ne perditor animæ suæ, salutis insidietur alienæ.* Sic actum cum *Anatolio*, qui Eutychianæ Hæreseos in suspicionem venerat, ut constat ex ejusdem Pontificis Epistolâ XXXVIII. aliàs LII. *Sinceram* (inquit) *communis Fidei Professionem absolutissima subscriptione, coram omni Clero, & universa plebe declaret, Apostolicæ Sedi, & universis Domini Sacerdotibus atque Ecclesiis publicandam.* Sic actum cum *Attico* Presbytero, ut constat ex ejusdem Sancti Pontificis Epistolâ LXXVII. aliàs CXXVIII. ad *Anatolium* datâ. His exemplis *Alexander VII.* Pontifex Maximus Formulam præscripsit damnationis *Quinque Propositionum ex Cornelii Jansenii Libro, cui nomen Augustinus, excerptarum & in sensu ab eodem Autore intento, prout illas per suas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit*: Cui Formulæ ab omnibus Archiepiscopis, Episcopis, necnon aliis quibuscunque Ecclesiastici Ordinis, tam Regularibus quam Sæcularibus, etiam Monialibus, Doctoribus, & Licentiatis, Collegiorum Rectoribus atque Magistris subscribi distinctè mandavit, sub pœnis Canonicis. Quam subscriptionem absque

De Pertinacia. lethalis pertinaciæ crimine superbè recusare nemo potuit, aut potest.

REGULA VI.

Lethalis pertinaciæ reus est, quisquis opinionem erroneam aut minùs probabilem in materia Morum, veræ & probabiliori anteponit, & secundum illam agit.

TUnc enim *Innititur suæ sententiæ, nolens credere sententiæ saniori* (inquit *S. Thomas* Quæstione IX. *De Malo*, Articulo II.) idque in re maximi momenti, & ubi de æterna salute agitur: Consulit cupiditatem suam, non docentem intus veritatem, aut certè Doctores prurientes auribus, à veritate recedentes, & cupiditati blandientes. At veritas quæ Christus est, non cupiditas est consulenda, ut docet *S. Augustinus*, Lib. *De Magistro*, cap. XI. *De universis quæ intelligimus* (inquit) *non loquentem qui personat foris, sed intus ipsi menti præsidentem consulimus Veritatem, verbis fortasse ut consulamus admoniti. Ille autem qui consulitur, docet, qui in interiore homine habitare dictus est Christus, id est, incommutabilis Dei Virtus, atque æterna Sapientia: Quam quidem omnis rationalis anima consulit, sed tantùm cuique panditur, quantùm capere propter propriam sive malam, sive bonam voluntatem potest. Etsi quando fallitur, non fit vitio consultæ Veritatis, ut neque hujus, quæ foris est, lucis vitium est quòd corporei oculi sæpe falluntur: Quam lucem de rebus visibilibus consuli fatemur, ut eas nobis quantùm cernere valemus ostendat.*

REGULA VII.

Lethalis pertinaciæ reus est, quisquis in Comitiis, Conventibus, Capitulis, Consiliis, ubi de bono Ecclesiæ, Reipublicæ, aut societatis cujuslibet, spirituali vel temporali deliberatur, & inprimis de eligendo Summo Pontifice, Episcopo, vel Superiore quocunque Ecclesiastico; aut Principe, vel Magistratu, de condendis Legibus & Statutis, de gratiis concedendis, aut pœnis irrogandis, æquiorem & saniorem Sententiam, studio partium, minùs justâ postponit.

HIc enim sententiam suam nimis amare convincitur, qui bono communi, & saniori sententiæ in illud tendenti ipsam præponere non veretur.

REGULA VIII.

VEniale tantùm peccatum committit, qui in materia levi, nec sibi, alterive perniciosa, pertinax est; nisi fortè ratione scandali quod pareret propriæ sententiæ nimius amor, & immobilis in ea permansio.

ARTICULUS XX.

DE DISCORDIA,

VI, Inanis gloriæ filia.

Quid est discordia? *DIscordia est dissensio & discrepantia voluntatum circa bonum Dei vel proximi, in quod homo consentire tenetur ex præcepto quo Deum & proximum diligere debet.*

A

Dissensio voluntatum dicitur, non opinionum duntaxat. Possunt enim homines inter se dissentire, & varias in opiniones abire salvo caritatis & concordiæ vinculo, nisi hæc dissensio sit circa ea quæ necessaria sunt ad salutem, nempe circa Fidem vel Christianam morum Disciplinam, vel cum nimiâ pertinaciâ conjuncta sit. Dicitur, circa bonum, quia in malo dissentire bonum est. Dicitur Dei vel proximi, quia discordia repugnat caritati, quâ utrumque bonum diligitur. Additur, in quod homo consentire tenetur, quia B non tenetur quilibet amplecti quodlibet bonum, sed illud tantùm quod necessarium est ad salutem, non quod est meræ supererogationis, ut Theologi loquuntur. Unde si quis dissentiat ab amico Monasticæ Vitæ professionem suadente, discordiæ peccatum non committit. (De Discordia.)

Discordia ex genere suo mortale peccatum est. Apostolus enim ad Galatas V. *dissensiones* numerat inter *opera carnis*, de quibus subdit: *Qui talia agunt, Regnum Dei non consequuntur.* Nihil autem excludit à Regno Dei nisi peccatum mortale. Et Proverbiorum VI. *Sex sunt* C (inquit Sapiens) *quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus, oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias.* Id confirmat *S. Augustinus*, Enarratione in Psalmum CXLIX. *Si tu*, inquit, *laudas Dominum, & ego laudo Dominum, quare in discordia sumus? Caritas laudat Dominum, discordia blasphemat Dominum.* Et Sermone *De Utilitate Jejunii*, cap. VIII. explicans cur diabolus discordiam in- D ter Christianos serat, dum concordes sunt inter se Pagani, hæc habet: *Non præferant nobis quasi concordiam suam, non sibi tanquam de unitate sua placeant. Hostem quippe quem patimur, illi non patiuntur; Illos & non ista agentes ipse possidet. Vides eos adoratores falsorum Deorum; vides eos servos, & servos Dæmoniorum: quid illi lucri est, quia litigant, aut quid damni est quia non litigant? Et unum quamvis falsum & vanum sentientes, sibique consentientes, sic eos possidet. At verò cùm desereretur, & multi ad unum Deum concurrerent, ejus sacrilega sacramenta desererent, Templa everterent, Idola frangerent, Sacrificia prohiberent, vidit* E *se perdidisse quos tenebat, vidit à sua familia recessisse, verum Deum cognovisse. Quid faceret? Quomodo insidiaretur? Concordes nos scit quod possidere non possit, unum Deum nobis dividere non potest, falsos Deos nobis supponere non potest, sensit esse vitam nostram caritatem, mortem nostrum dissensionem: lites immisit inter Christianos, quia multos Deos non potuit fabricare Christianis; Sectas multiplicavit, errores seminavit, hæreses instituit.* Et cap. præcedenti Paganorum concordiam Christianis pudorem suffundere debere ostendit. *Pagani* (inquit) *admonent te aliquid de unitate Chri-* F *sti tui. Ecce nos unum verum ideo invenimus, ut sub uno in unitate non simus? Multos illi & falsos, nos unum & verum: & illi sub multis non habent divisionem, nos sub uno vero non tenemus unitatem. Non doles, non gemis, non erubescis? .... Audi Dominum tuum Mandatum dantem, ut nos invicem diligamus. Cùm ex nobis omnibus tanquam membris corpus sibi faciat, quod corpus habeat unum caput ipsum Dominum & Salvatorem: tu contra divellis te à membris Christi, non amas unitatem. Non hoc expavesceres in membris tuis? Si distortum digitum haberes, non ad correctorem digiti tui Medicum curreres? Certè tunc se habet bene corpus tuum* (Ex genere lethale peccatum est.)

De Discordia. *quando sibi concordant membra tua: Tunc diceris sanus, tunc bene vales. Si autem aliquid in tuo corpore dissentiat ab aliis partibus, quæris qui emendet. Cur ergo non quæris emendari, ut compagini membrorum Christi revoceris, & congruas in ipso corpore & tuo? Certè viliores sunt cæteris membris capilli tui. Quid vilius in corpore tuo capillis tuis? Quid contemptius? Quid abjectius? Et tamen si malè te tondeat, irasceris tonsori, quia in capillis tuis non servat æqualitatem: & tu in membris Christi non tenes unitatem.*

REGULA I.

Per se discordat aliquis à proximo, cùm sciens, & ex intentione dissentit à bono divino, & bono Proximi, in quo debet consentire: & hoc est peccatum mortale ex suo genere, propter contrarietatem ad caritatem: Licèt primi motus hujus discordiæ, propter imperfectionem actus, sint peccata venialia.

HÆc Regula ipsius *S. Thomæ* verbis concepta est, *Secunda Secundæ*, Quæstione XXXVII. Articulo I.

REGULA II.

Cùm intentio aliquorum fertur in aliquod bonum, quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem proximi; sed unus æstimat hoc esse bonum, alius autem habet contrariam opinionem, discordia tunc est per accidens, id est, *præter intentionem, contra bonum divinum, vel proximi. Et talis discordia non est peccatum, nec repugnat caritati; nisi* conjoncta *sit cum errore circa ea quæ sunt de necessitate salutis, vel pertinacia indebitè adhibeatur.*

Discordia innocens. ITa *S. Thomas* ibidem. Talis discordia fuit inter Sanctos *Paulum & Barnabam*, de qua Actuum XV. *S. Lucas* scribit: *Post aliquos dies dixit ad Barnabam Paulus: Revertentes visitemus fratres per universas civitates, in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodo se habeant. Barnabas autem volebat secum assumere & Joannem, qui cognominabatur Marcus. Paulus autem rogabat eum, (ut qui discessisset ab eis de Pamphilia, & non esset cum eis in opus,) non debere recipi. Facta est autem dissensio, ita ut discederent ab invicem.* Hæc, (inquam) discordia peccatum non fuit: *uterque enim intendebat bonum; sed uni videbatur hoc esse bonum, alii illud: quod ad defectum humanum pertinebat. Non enim erat talis controversia in his quæ sunt de necessitate salutis: quamvis hoc ipsum fuerit ex divina Providentia ordinatum propter utilitatem inde consequentem*; (inquit *S. Thomas*, ibidem in Responsione ad tertiam objectionem.) Hæc scilicet dissensio consiliorum fuit, ex tenebris humanæ mentis profecta, noo animorum. De quâ dissensione *S. Joannes Chrysostomus*, Homiliâ XXXIV. in Acta: *Exacerbatio* (inquit) *non fuerit mala, quando pro talibus unusquisque contendis, idque justa cum ratione. Itaque si quis illorum exacerbatus, quod suum, & quod in suam gloriam quæsivisset, bene: si autem uterque volebat docere & instituere, & hic quidem hanc, ille autem aliam viam ingressus est: quale hoc fuerit crimen? Multa etiam humana ratione faciebant*, &c. Et pauló post: *Uter igitur melius consuluerit, non est nostrum pronuntiare, sed quod magna fuerit Dei ordinatio*, &c. Et infrà: *In hac Quæstione audiendum, non quòd diversi fuerint in sententiis, sed quòd alter alteri morem gessit: unde ex discessione majus bonum fuit, & res hinc occasionem sumpsit. Quid igitur? Inimicine inter se discesserunt? Absit. Vides enim quòd Barnabas postea multùm à Paulo in Epistolis celebratur.* *De Discordia.*

REGULA III.

Discordia quandoque est cum peccato unius tantùm, putà, cùm unus vult bonum, cui alius sciens resistit: quandoque autem est cum peccato utrinsque, putà, cùm uterque dissentit à bono alterius, & uterque diligit bonum proprium.

ITa *S. Thomas*, Quæstione & Articulo suprà laodatis. Sic discordia inter Hæreticos, sive Schismaticos & Catholicos est cum illorum duntaxat peccato; Volumus enim ut ad Fidei Catholicæ professionem & unitatem redeant; cui illi resistunt. Hinc *S. Augustinus*, Sermone CCCLIX. aliàs *De Diversis* XCI. *Ecce* (inquit) *quale consilium Dominus fratribus dedit dissidentibus, quo concordes essent, carerent cupiditate, & continuò implerentur veritate. Inveniamus ergo talem hereditatem. Quandiu loquimur de concordia terrenorum fratrum, quæ rara est, quæ difficilis est? Loquamur de illa fratrum concordia, quæ vera esse debet & potest. Fratres sint Christiani omnes nati ex Deo & ex visceribus matris Ecclesiæ per Spiritum Sanctum: habeant & ipsi hereditatem dandam, & non dividendam. Hereditas eorum Deus ipse est.... In hac hereditate concordia custoditur: pro hac hereditate non litigatur. Alia hereditas litigando adquiritur: ista litigando amittitur. Nolentes homines hanc hereditatem perdere, vitant litigare. Et quando fortè videntur litigare, non litigant, Sed fortè videntur litigare, aut putantur litigare, cùm volunt fratribus consulere. Videte quàm concors sit eorum litigatio, quàm pacifica, quàm benigna, quàm justa, quàm fidelis. Nam nos litigare videmur cum Donatistis: sed non litigamus. Ille enim litigat, qui adversario suo malè vult; litigat ille qui adversarium suum vult detrimentum pati, se augmentum; illi aliquid decedere, sibi accedere. Non sic sumus nos.... Volebamus enim eos cum quibus litigare videbamur, vel adhuc videmur, adquirere nobiscum, non perdere, ut nos adquiramur. Denique alia vox nostra est, quàm fuit fratris illius, qui interpellavit Christum in terra ambulantem. Nam & nos interpellamus eum in hac caussa in cælo sedentem: & non dicimus*, Domine, dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem; *sed Dic fratri meo ut teneat mecum hereditatem.... Hoc non est litigare, sed amare.* Sic Concionator vel Confessarius, vel quilibet Christianus proximom a peccato revocare & liberare satagens, ab ipso peccatore dissentit: sic Medicus ab ægroto lethargico vel phrenetico, ut explicat disertè *S. Augustinus*, Sermone *De Utilitate Jejunii*, cap. X. *Si Pater ægrotet senex* (inquit) *jam vicinus morti, & adsit illi piè filius ejus, & videat eum Medicus lethali & noxia somno premi, patiens est in senem morturum propter ipsos paucos dies quibus hic potest vivere; stat filius & adest patri sollicitus: & cùm audierit Medicum dicentem, Iste homo lethargicus potest esse, & inde mori, si permittatur dormire; Si vultis eum vivere, non dormiat: illum somnus ille noxius premit, qui & noxius, & dulcis est. Filius autem ejus admonitus à Medico stat sollicitus, patri*

Discordia quandoque unius duntaxat, quandoque duorum vel plurium peccatum est.

De di'co dia. *tri molestus, pulsat ; & si pulsatio ejus vincitur, vellicat ; & si vellicatio nihil agit, pungit. Certè molestus est patri : & esset impius, nisi molestus esset. At ille quem delectat mori, molestum sibi filium tristi adspectu & voce reverberat : Quiesce mihi, quid mihi molestus es? Sed Medicus ait, quia si dormieris, morieris. Et ille, Dimitte me, mori volo. Senex dicit, Mori volo. Et puer impius est, si non dicat, Ego nolo. Et illa vita utique temporalis est, nec ille in ea perpetuus erit, cui filius est molestus ut excitet ; nec ille qui abeunti patri & decedenti succedit. Ambo per eam transeunt, ambo per illam temporaliter transvolant : & tamen impii sunt, nisi ad ipsam sibi temporalem : etiam cùm invicem molesti sunt, consulant. Ergone video fratrem meum somno noxia consuetudinis premi, & non excito, dum timeo molestus esse dormienti atque pereunti? Absit à me ut hoc facerem, nec si illo vivo nostra angustaretur hereditas. Nunc verò cùm illud quod accepturi sumus dividi non possit ; cùm possessore multiplicato angustari non possit ; non eum erigam vel molestiis ut vigilet, & carens somno vetustissimi erroris, mecum in hereditate gaudeat unitatis? Prorsus faciam ; si vigilo, faciam : si non facio, & ego dormio.*

Et rursùs Sermone, CCCLIX. suprà laudato, de lite & concordia Catholicorum cum Donatistis loquens : *Medicus*, inquit, *non contendit cum ægrota ; & si ægrotus facit cum Medico, vincitur febris, & sanatur ægrotus. Nam hoc intendit Medicus, vincere : hoc intendit & febris, vincere. Positus est quasi in media ægrotus. Si vicerit Medicus, salvus est ægrotus : Si vicerit febris, morietur ægrotus. In contentione ergo nostra contendebat Medicus pro salute, pro febre contendebat ægrotus. Qui animadverterunt Medici consilium, vicerunt, febrem superaverunt. Habemus eos sanos & gaudentes nobiscum in Ecclesia. Blasphemabant nos antea, quia fratres nos non agnoscebant : febris enim mentem turbaverat. Nos tamen illos & detestantes nos, & sævientes in nos amabamus, & sævientibus ægrotis serviebamus. Resistebamus, contendebamus, & quasi litigabamus, & tamen amabamus. Molesti enim sunt omnes qui talibus languentibus serviunt ; sed ad salutem molesti sunt.*

REGULA IV.

A proximo discordare in malo, est laudabile, tantùm abest ut sit peccatum.

Quæ discordia laudabilis? NUsquam enim peccato consentire licet ; nec solùm rei sunt qui malum agunt, sed & qui consentiunt facientibus. Id egregiè confirmat *S. Augustinus* Sermone XLIX, aliàs *De Tempore*, CCXXXVII. Cap. VI. *Aliquando*, inquit, *amico tuo carissimo inimicus est aliquis, qui erat amborum. Incipiunt esse de tribus amicis inter se inimici : Quid faciat medicus qui remansit? vult, exigit, flagitat à te ut odetis cum illo quem odisse cœpit, & hæc verba tibi dicit, Non es amicus meus, quia es amicus inimici mei. Quæ vox hujus est ad te, ipsa est & illius ad te. Tres enim eratis, duo cœperunt esse discordes, remansisti tu. Si huic te junxeris, illum habebis inimicum : Si illi, istum : si ambobus, ambo murmurabunt. Ecce tentatio, ecce spina in vinea quò conducti sumus. Exspectat fortè à me audire quid facias. Permane amicus amborum. Qui discordant inter se, concordent per te. Mala si qua audis ab altero, noli prodere alteri : ne fortè sint postea amici, qui modo sunt inimici, & proditores suos prodant sibi..... Ecce nemo te prodit : Deus qui videt, ipse te judicat. Audisti ab irato verbum, à dolente, à succensente, moriatur in te. Dic sanè amico tuo, qui vult te facere inimicum amici tui : alloquere, & tanquam ægrotantem animum medicina lenitate pertracta. Dic illi, Quare vis ut sim inimicus illius? Respondet, Quia inimicus meus est. Vis ergo ut sim inimicus inimici tui? Inimicus esse debeo vitii ejus. Iste cui me vis facere inimicum, homo est. est alius inimicus tuus, cui debeo esse inimicus, si amicus tuus sum. Respondebit, Quis est alius inimicus meus? Vitium tuum. Respondebit, Quod vitium meum? Odium quo odisti amicum tuum. Esto ergo similis Medico. Medicus non amat ægrotantem, si non odit ægritudinem. Ut liberet ægrotum, persequitur febrem. Nolite amare vitia amicorum vestrorum, si amatis amicos vestros.*

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, Quæstione & Articulo supra laudatis, in Responsione ad secundum. *Sicut*, inquit, *voluntas hominis adhærens Deo est quædam regula recta, à qua peccatum est discordare : ita etiam voluntas hominis Deo contraria, est quædam perversa regula, à qua bonum est discordare. Facere ergo discordiam, per quam tollitur bona concordia, quam caritas facit, est grave peccatum. Sed causare discordiam, per quam tollitur mala concordia, scilicet in mala voluntate, est laudabile. Et hoc modo laudabile fuit, quòd S. Paulus posuit dissensionem inter eos qui erant concordes in malo*, scilicet inter Sadducæus & Pharisæos, ut refertur Actuum XXIII. *Sciens autem Paulus quia una pars esset Sadducæorum, & altera Pharisæorum, exclamavit in Concilio : Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe & resurrectione mortuorum ego judicor. Et cùm hoc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos.*

ARTICULUS XXI.

DE PRÆSUMTIONE NOVITATUM,

VII. *Inanis gloriæ filia.*

Quid est præsumptio novitatum. P*Ræsumtio novitatum vitium est, quo quis inanis gloriæ studio, ut scilicet nomen sibi faciat, hominúmque admirationem sibi concilìet, nova excogitare præsumit.* Quàm periculosa sit hujusmodi præsumtio, probant mala inde manantia. Hinc enim hæreses, & sententiæ quævis erroneæ contra Fidei Catholicæ veritatem, aut Morum integritatem adinventæ : Hinc superstitiones innumeræ, perniciosæque artes : Hinc vestium variæ formæ fovendo luxui ; novæ choreæ ac saltationes nutriendæ voluptati, excitandæ libidini ; novi ludi in animæ corporisve perniciem, reíve familiaris eversionem. Novi ciborum apparatus irritandæ gulæ ; nova spectacula pascendæ curiositati, pravisque cupiditatibus accendendis, atque inprimis amori profano, excogitata. Hinc veterum consuetudinum innoxiarum, aut optimarum etiam legum eversiones, haud absque scandalo & perturbatione factæ.

REGULA I.

Præsumptio novitatum lethale peccatum est, cùm nova doctrina contra Fidei veritatem aut Morum integritatem excogitatur & asseritur.

De Præsumptione novitatum. Quàm grave crimen?

HInc Apostolus ad *Timotheum* scribit: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.* Quid est depositum? (inquit *Vicentius Lirinensis*, Commonitorii I. Cap. XXVII.) *Id est, quod tibi creditum est, non quod à te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenii, sed doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed publicæ Traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam; in qua non autor debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens.* Depositum, inquit, custodi. *Catholicæ Fidei talentum inviolatum illibatúmque conserva. Quod tibi creditum est, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepisti, aurum redde: nolo mihi pro aliis alia subjicias: nolo pro auro impudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta supponas: nolo auri speciem, sed naturam planè. O Timothee, ô Sacerdos, ô Doctor, si te divinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina esto spiritalis Tabernaculi Beseleel, pretiosas divini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur te exponente illustriùs, quod antea obscuriùs credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod antè vetustas non intellectum venerabatur: eadem tamen quæ didicisti doce, ut cùm dicas novè, non dicas nova.* Et Cap. IX. *Mos iste*, inquit, *semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque foret religiosior, eò promptiùs novellis adinventionibus contrairet.*

Hinc *Tertullianus* Libro *De Præscriptionibus Hæreticorum*, Cap. XLII. ita de Hæreticis loquitur: *Mentior si non etiam à Regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suæ morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare.*

His apprimè convenit illud Psalmi CXLIV. *Quorum filii sicut novellæ plantationes in juventute sua. Filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi.* Quem locum S. *Hieronymus*, seu potiùs alius Autor Commentarii in Psalmos inter ejus Opera editi sic interpretatur: *Plantatio eorum non est vetus, sed novella est. Non est enim de Veteri Lege, non est de Prophetis, non est de Apostolis, sed de novis Magistris est. In juventute sua: semper juvenes sunt. Licèt multæ sint hæreses veteres, tamen quotidie mutantur, & novæ quotidie inveniuntur. Nova sunt ipsa hæreses, licèt veteres sint: tamen cùm quotidie doctrinas suas innovant, nova sunt. Non enim sunt veterum Magistrorum errore contenti; sed quotidie ipsi nova reperiunt... Filiæ eorum compositæ. Sermo compositus, & sensus sordidus. In Scripturis Sanctis cogitationes semper filiæ dicuntur, verbo filio. Vide ergo quid dicit: Cogitationes eorum, hoc est, filii novi sunt. Verba verò eorum, quæ habent de sapientia sæculari, composita sunt.* Filiæ eorum compositæ. *Videntur quidem compositæ, sed quia filiæ sunt, & non filii, vires non habent.* Circumamictæ ut similitudo templi. *Non habent veram Ecclesiam, sed similitudinem Ecclesiæ.*

REGULA II.

Præsumptio novitatum in Ritibus & Disciplina Ecclesiæ, cùm scilicet in rebus magni momenti fit innovatio absque causa, & Auctoritate Episcoporum, ac primis Romani Pontificis, grave peccatum est.

B HÆc Regula colligitur ex *S. Bernardo* Epistola CLXXIV. *Contra Ecclesiæ Ritum* (inquit) *præsumpta novitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis.* Hinc *Radulfus Tungrensis*, Libro *De Observantiis Canonicis*, Propositione VI. ait: *In Divino Officio est à novitatibus omnimodè abstinendum.* Et Propositione VII. *Officium Divinum Majorum auctoritate, non diversorum arbitrio regi debet.* Hinc *Nicolaus de Clemangis*, Archidiaconus Bajocensis, Tractatu *De Novis Celebritatibus non instituendis*, hæc habet: *Pariunt novitates discordias, partas nutriunt, nutritas augent, auctas roborant.* "Per novitates Dominus graviter irritari solet, de quibus in Psalmo scriptum est: Et irritaverunt eum in adinventionibus suis, & multiplicata est in eis ruina. [a] Nonne satis in omnibus Ecclesiis Festa multiplicata sunt? Vix temporali Officio inchoandique semel in mense Historiis propter quotidiana Sanctorum solemnia locus relinquitur. Dies consultò à Patribus Deo relictos, Sanctorúmque Natalitiis absolutos, novi assiduè Sancti occupant, & pulsus cogitur Deus suo loco cedere. Et infrà: Improbanda valde videtur illa consuetudo, quâ in omnibus ferè Ecclesiis Canonicalibus ad cujuslibet etiam Laici petitionem nova quotidie Sanctorum Celebritates instituuntur, modò temporalis inde emolumenti aliquid proveniat. Nam ultra ea quæ præmissa sunt de Dei expulsione, sacræque Historiæ abolitione, corrumpuntur antiqua Ecclesiarum observationes, priscus Ritus, vetera Statuta violantur, corrumpuntur Libri ordinarii, & nova in dies abrasiones in illis fiunt, detractiones, additiones, lituræ, abolitiones. Et quid tam leve, tam inconstans, tam turpe & ridiculosum, quàm suum quotidiè Ordinem pervertere, suum morem mutare, suam formam deformare, suam regulam nova regulâ, imò novâ irregularitate variare? Quid magis fixum, magis stabile, magis immobile in Ecclesia debet esse, quàm Ordo & Ritus Officii, quibus Ecclesiæ ab invicem maximè discernuntur? Quis ibi potest servari ordo, ubi à suscepto ordine tam sæpe disceditur? Non potest ordo esse ordinis corruptio; non est regula quæ regulam aufert, nec forma quæ formam destruit.* Hinc Concilium Coloniense anno MDXXXVI. P. II. Cap. VII. *Sunt*, inquit, *in Clero zelum quidem Dei habentes, sed non secundum scientiam, qui privatis quibusdam affectibus ducti, vel testamento, vel (ut vocant) fundationibus efficiunt, ut nova Festa præter Ecclesiæ auctoritatem subinde celebrentur. Quo interim fit, ut preces Horariæ, ac reliqua publicè recepta pro affectu cujuslibet facilè noventur, id quod nobis non satis probatur. Neque enim errarunt Patres, à quorum institutis in dicendis Precibus utinam tam longè discessum non fuisset. Quòd si hîc singulorum affectibus indulgebitur, tandem antiquus Ritus penitus evanescet.*

[a] Psalm. 105. 29.

De præsumptione novitatum.

A

REGULA III.

Præsumtio novitatum, quâ antiqua consuetudines caritati Dei & proximi non repugnantes absque justa causa & spe majoris boni immutantur & evertuntur, non est absque peccato.

De Præsumtione novitatum.

COlligitur hæc Regula ex *S. Augustino*, Epistolâ LIV. alias CXVIII. ad *Januarium*, Cap. V. ubi triplicis generis observantias distinguit, quasdam Scripturæ Sacræ auctoritate præscriptas; **B** alias totius Ecclesiæ usu consecratas; nonnullas quæ per loca regionésque variantur. De primis ita respondet: *Quid horum sit faciendum, si Divina Scripturæ præscribit auctoritas non est dubitandum quin ita facere debeamus ut legimus, ut jam non quomodo faciendum, sed quomodo Sacramentum intelligendum sit, disputemus.* De secundis ita sentit: *Si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissima insania est.* De postremis dat consilium ut *Faciat quisque quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit. Non enim quidquam eorum contra fidem fit, aut contra mores, hinc vel inde meliores. His enim caussis, id est, aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet quod perperam fiebat, vel institui quod non fiebat. Ipsa quippe mutatio consuetudinis, etiam qua adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter qua utilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est.* Tandem consuetudinis mutatio, nota est levitatis, & irreverentiæ erga Majores argumentum. Quo nomine *Tertullianus*, Apologetici Cap. VI. Ethnicos sugillat. *Ubi* (inquit) *Religio? Ubi veneratio Majoribus debita à vobis? Habitu, victu, instructu, censu, ipso denique sermone proavis renuntiastis. Laudatis semper Antiquos: sed novè de die vivitis. Per quod ostenditur, dum à bonis Majorum Institutis deceditis, ea vos retinere & custodire quæ non debuistis, cùm quæ debuistis non custoditis.*

ARTICULUS XXII.

DE AMBITIONE.

Quid sit? & quàm grave peccatum?

Ambitionis Definitio.

CUpiditas eminendi vel stirpi sua innixa, vel sobolis, nunc prolem habet superbiam; nunc parentem, (inquit *Sanctus Leo*, Sermone XII. De Quadragesima.) De ambitione igitur agendum superest.

Ambitio est inordinatus appetitus honoris. Semper peccatum est, Scripturæ Sacræ & Traditionis auctoritate damnatum. Ecclesiastici VII. *Noli quærere à Domino ducatum, neque à Rege cathedram honoris.* Discipulos de ambitione arguit Christus, Matthæi XVIII. *Accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in Regno cœlorum? Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœlorum.* Marci IX. *Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, & omnium minister.* Lucæ IX. *Qui minor est inter vos omnes, hic major est.* Lucæ XXII. *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. Dixit autem eis: Reges Gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam qui major est, quis recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.* Filios Zebedæi ambitionis arguit Matth. XX. *Accessit ad eum Mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei, Quid vis? Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in Regno tuo. Respondens autem Jesus dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ait illis, Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Cùm autem duorum fratrum ambitiosa petitio aliorum Apostolorum indignationem commovisset, Jesus ad eos conversus ait: *Scitis quia Principes gentium dominantur eorum: & qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* **C** Ambitionis Pharisæos damnavit Matth. XXIII. *Amant* (inquit) *primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Idem vitium damnant Apostoli; inprimis S. Paulus ad Philippenses II. cùm jubet Christianis, ut *In humilitate superiores sibi invicem* arbitrentur. At ambitiosi, qui Honores & Dignitates sive Ecclesiasticas, sive sæculares consectantur, sibi superiorem arbitrantur neminem, **D** cùm se omnibus anteponi velint. Ibidem Fideles hortatur ut Christi Salvatoris nostri humilitatem & exinanitionem imitentur. *Hoc* (inquit) *sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Quàm autem longè sint à Christo qui dominari & præesse desiderant hominibus, res ipsa loquitur. Item I. ad Corinthios XIII. Caritatis describens characteres, ait: *Caritas non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt.* Quamquam ambitio *Simia caritatis* à *Petro Blesensi* **E** meritò nuncupetur. *Caritas enim*, inquit, *patiens est pro æternis, ambitio patitur omnia pro caducis. Caritas benigna est pauperibus, ambitio divitibus. Caritas omnia suffert pro veritate, ambitio pro vanitate. Utraque omnia credit, omnia sperat, sed longè dissimili modo: hæc ad gloriam hujus vitæ; illa ad gloriam sine fine. Nam in igne alter se habet aurum rutilans, aliter palea fumans.* Neminem denique sine divina vocatione ad honores & dignitates, præsertim Ecclesiasticas, ascendere debere, docet idem Apostolus ad Hebræos V. *Nec quisquam*, inquit, *sumit sibi honorem sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret: sed* **F** *qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* At ambitiosi sine divina vocatione ad Honores & Dignitates ascendunt, in easque se intrudunt. *S. Joannes*, Epistola III. ambitionem pariter damnat in *Diotrephe*, his verbis: *Is qui amat primatum gerere in eis Diotrephes, non recipit nos.*

Ambitio Simia caritatis.

Ambitiosus ad fidem ejurandam proclivis.

Hujus peccati gravitatem æquè demonstrant gravissima Patrum testimonia. *Tertullianus*, Libro Adversùs *Valentinianos*, Cap. IV. ambitiosum ad ejurandam fidem proclivem esse innuit, si aliter optatis honoribus frui non valeat. *Speraverat* (inquit) *Episcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat & eloquio: sed alium ex Martyrii prærogativa loci potitum indignatus, de Ecclesia authentica*

DE PECCATIS.

De Ambitione.

regula abrupit, (ut solent animi pro prioratu exciti præsumtione ultionis accendi,) ad expugnandam conversas veritatem. Testatur etiam *Hegesippus*, apud *Eusebium*, Libro IV. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. XXII. Ecclesiam ad suam usque ætatem *Virginem* vocatam fuisse, quia vanis sermonibus nondum corrupta fuerat. *Primus Thebutis indignè ferens quòd minime creatus esset Episcopus, eam occultè vitiare est aggressus.*

Ecclesiasticarum dignitatum ambitio

S. Gregorius Nazianzenus, Oratione I. sic in eos invehitur, qui ambitionis impulsu ad Ecclesiasticas Dignitates prosiliunt. *Ita projecta & confusa res est, tamque malè afficimur, ut priùs ferè quàm primam comam objecerimus, puerilique more balbutire desierimus, priùs quàm in divina atria introierimus, priùs quàm Sacrorum Librorum vel nomina ipsa noverimus; priùs quàm Novi Veterisque Testamenti characterem & Autores eorum cognitos habuerimus, (Nondum enim dico, priùs quàm cœnum & animæ labes, quas peccatum nobis impressit, eluerimus) si duo aut tria pia verba didicerimus, eáque non ex lectione, sed auditione solâ hausta, aut Davidi paulùm opera dederimus, aut pallium scitè contraxerimus, aut zona tenus philosophati fuerimus, pietatis speciem quamdam nobis illinentes: pape! quàm & dignitate & prudentia reliquis antecellere, & aliis præesse, & admirationi continuò esse volumus. Samuelis in modum jam inde ab incunabulis consecrati nobis videmur; & mox Sapientes & Doctores, divinorum Mysteriorum notitia sublimes, inter Legis Scribas & Interpretes sedere volumus, & nosmetipsos quadam quasi inauguratione in Cœlitum numerum adscribimus, expetimus vocari ab hominibus Rabbi, nec unquam Scripturas ad literam interpretamur, sed cùm eas in insulsas quasdam allegorias inanibus somniis simillimas detorserimus, indignamur nisi magnis præconiis & laudibus efferamur.*

S. Joannes Chrysostomus, Homiliâ III. in Acta Apostolorum: *Si quis*, inquit, *ad Summum Sacerdotium accesserit velut ad sollicitudinem & curam, nullus illud facilè susceperit. Nunc autem non aliter quàm profanos Magistratus & hanc affectamus Dignitatem, nimirum ut glorificemur & honoremur apud homines, perdimur apud Deum. Quid lucri fert hic Honos?..... Quem conscium adhibes, si procuraveris vel per te ipsum, vel per alium? Quibus oculis obtueberis illum, qui tibi fuit auxilio? Quid habebis quod excuses? Etenim qui nolens & invitus compulsus est, habiturus est aliquam excusationem.... Cogita quid acciderit Simoni. Quid enim refert si non das pecuniam, sed pecuniæ loco adularis, subornas,*

Act. 8. 20.

multáque machinaris? Pecunia tua tecum sit in perditionem, *illi dictum est. Et hic dicitur, Ambitio tua sit tecum in perditionem, quoniam putasti ambitu humano parari donum Dei.*

Ambitiosam Episcopatus desiderium damnatur à S. Joanne Chrysostomo

Et Libro III. *De Sacerdotio*, Cap. X. *Sacerdotis*, inquit, *animum honoris illius desiderio vacare undique oportet. Nam si ad eum Principatum adipiscendum vehementi animi affectu rapiatur, eo adepto impotentiorem sanè ambitionis flammam incendet, & ut sibi adeptum honorem stabiliat, nulli peccato non serviet, seu adulandum, seu servile quid atque indignum sustinendum, seu res magno pecuniæ sumptu tentanda.... Oportere autem puto tanta cum religione ac cautione ad rem ipsam accedere, ut illius molem magnitudinemque prorsus detrectes: deinde adepto honore aliorum judicia sententiásque non exspectare, si quod fortè commissum deprehendatur propter quod oporteat te honorem illum deponere, quin potiùs illud antevertens, te ipse Munere abdices. Sic enim par est ut divinam concilies impetrésque Misericordiam: qui si tibi honorem illum præter decorum mordicùs retinere studueris, indignus es qui*

A *veniam consequaris: tum verò divinam iram magis ac magis accendis, altero peccato, & eo graviore per te addito. At verò constantiam hanc præstare nullus valeat: tam pestilens tamque lethale est appetentiæ istius virus. Neque id dico cum Beato Paulo pugnare volens, quin imò ut maximè cum illius verbis consentiam.* Si quis Episcopi Munus appetit, honestum opus desiderat. *At ego non operis ipsius, sed dominationis ac potentiæ desiderium pestilens esse dixi. Atque hoc ego desiderium sic toto studio ab animo abjiciendum esse censeo, ut*

De Ambitione.

1. Tim. 3.

B *ne animum quidem ipsum prorsus permittat ab illo occupari, ut is rerum omnium liberè agendarum potestatem habeat.*

Episcopatus bonum opus, non dignitatem desiderari oportet.

Sanctus Hieronymus, Epistolâ LXXXIII. ad Oceanum datâ: *Si quis*, inquit, *Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: Opus*, inquit, *non Dignitatem; laborem, non delicias; opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio.* Et Commentario in Cap. III. Sophoniæ: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Videte quòd dixerit bonum opus desiderat, non Dignitatem. Si autem despecto opere solam aspexerit Dignitatem, citò corruit*

C *turris in Siloa, & excelsæ cedri fulmine feriuntur, & erecta cervix frangitur, & cygnus extento collo & in sublime se tendens inter immundas volucres computatur.*

Ambitionis crimen.

Sanctus Ambrosius, Libro IV. in Lucam, explicans ordinem tentationis Christi, ad illa verba, *Duxit illum diabolus iterum in montem altissimum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis*, ait: *Bene in momento temporis sæcularia & terrena monstrantur. Non enim tam conspectûs celeritas indicatur, quàm caducæ fragilitas potestatis exprimitur; in momento enim cuncta illa prætereunt, & sæpe honor sæculi abit an-*

Terrenæ potestatis fragilitas.

D *tequam venerit. Quid enim sæculi potest esse diuturnum, cùm ipsa diuturna non sint sæcula? Docemur hic inanis ambitionis flabra despicere, quòd omnis dignitas sæcularis diabolicæ subjaceat potestati: ad usum fragilis, & inanis ad fructum. Sed quomodo hic dat Diabolus potestatem, & alibi legitur, quia* Omnis potestas à Deo est? *Numquid potest quis duobus dominis servire, aut à duobus accipere potestatem? Numquid ergo contrarium est? Minimè. Sed vide quia omnia à Deo; neque enim sine Deo mundus; quia* Et mundus per ipsum factus est: *Sed licet à Deo fa-*

Rom. 13.

Joan. 1.

E *ctus sit; tamen opera ejus mala, quia* Sæculum in maligno positum est; *& ordinatio Mundi à Deo, opera Mundi à Malo. Ita etiam à Deo Potestatum ordinatio: A malo ambitio potestatis.... Atque hoc ipso perniciosior ambitio, quòd blanda quadam est conciliatricula dignitatum; & sæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subvertere, facit ambitio criminosos. Habet enim forensem gratiam, domesticum scelus: & ut dominetur aliis, priùs servit. Curvatur obsequio, ut honore donetur: & dum vult esse sublimior simulata humilitate, fit vilior, &*

1. Joan. 5.

F *fit remissior; cùm in ipsa Potestate, quod præcellit, alienum sit; legibus enim imperat, sibi servit.*

Mundanæ celsitudinis vanitas.

Sanctus Augustinus, Enarratione in Psalmum XXXVI Sermone II. Versum illum, *Inimici Domini mox ut honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient*, de ambitiosis interpretatur. *Ex ipsa*, inquit, *similitudine rem quam insinuavit, agnoscite. Fumus à loco ignis erumpens in altum extollitur, & ipsa elatione in globum magnum intumescit: sed quantò fuerit globus ille grandior, tantò fit vanior: ab illa enim magnitudine non fundata & solidata, sed pendente*

Psal. 36.

[Margin: De Ambitione.]

& inflata, it in auras atque elabitur, ut videas ipsum ei obfuisse magnitudinem. Quanto enim plus erectus est, quanto extentus, quanto diffusus undique in majorem ambitum, tanto fit exilior, & deficiens, & non apparens.

[Margin: Honor & locus Ecclesiasticus Regiminis à Christiano innoxie non appetitur.]

Idem Lib. XIX. *De Civitate Dei*, cap. XIX. honorem & locum regiminis à Christiano innoxiè non appeti docet. Ubi enim distinxit triplex vitæ genus, otiosum, actuosum, & ex utroque mixtum, subdit: *Quamvis salva fide quisque possit in quolibet eorum vitam ducere, & ad sempiterna præmia pervenire; interest tamen quid amore teneat veritatis, quid officio caritatis impendat. Nec sic quisque debet esse otiosus, ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi; nec sic actuosus, ut contemplationem non requirat Dei. In otio non iners vacatio delectare debet; sed aut inquisitio aut inventio veritatis, ut in ea quisque proficiat, & quod invenerit teneat, & alteri non invideat. In actione verò non amandus est honor in hac vita, sive potentia; quoniam omnia vana sub sole: sed opus ipsum, quod per eundem honorem vel potentiam fit, si rectè atque utiliter fit, id est, ut valeat ad eam salutem subditorum, quæ secundùm Deum est. Propter quod ait » Apostolus:* Qui Episcopatum desiderat, bonum » opus desiderat. *[Margin: 1. Tim. 3.]* *Exponere voluit quid sit Episcopatus, quia nomen est operis, non honoris. Græcum est enim, atque inde ductum vocabulum, quòd ille qui præficitur, eis quibus præficitur superintendit, curam eorum scilicet gerens.... Ut intelligat non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse.* *[Margin: Non est bonus Episcopus qui præesse diligit, non prodesse.]* *Itaque à studio cognoscendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium: Locus verò superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur atque administretur ut decet, tamen indecenter appetitur.*

Sanctus Petrus Chrysologus, Sermone XXIII. expendens hæc Christi verba Luc. XII. *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum*, opus fuisse ait ut Dominus Discipulorum animos confirmaret, ad solam Regni vocem meritò trepidantium: *Promissionem* (inquit) *Regni sine timore servilis status audire non sufficit. Dominus ergo servorum mentes tali voce confirmat, ne eos repentinus promissi Regni prosternat auditus. Regnum velle servum, crimen est; adire, periculum; temeritas, non timere.*

[Margin: Qui Episcopatum aut alias Ecclesiæ dignitates ambiunt, ad humilitatis magisterium sola elatione perveniunt.]

Sanctus Gregorius Magnus, in Pastorali P. I. cap. 1. *Sunt nonnulli* (inquit) *qui intra sanctam Ecclesiam per speciem regiminis gloriam affectant honoris, videri Doctores appetunt, transcendere cæteros concupiscunt, atque attestante Veritate, primas salutationes in foro, primos in cœnis recubitus, primas in conventibus cathedras quærunt: Qui susceptum Curæ Pastoralis officium ministrare dignè tantò magis nequeunt, quantò ad humilitatis magisterium ex sola elatione pervenerunt. Ipsa quippe in magisterio lingua confunditur, quando aliud discitur, & aliud docetur. Contra quos Dominus per Prophetam » queritur dicens:* Ipsi regnaverunt, & non ex » me: Principes extiterunt, & non cognovi. *[Margin: Osee 7.]* *Ex se namque & non ex arbitrio Summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed sua cupidine accensi, culmen regiminis rapiunt potiùs quàm assequuntur. Quos tamen internus judex & provehit, & non cognoscit: quia quos permittendo tolerat, profectò per judicium reprobationis ignorat.*

[Margin: Apostoli testimonio ... [illegible] ... Episcopatus desiderio.]

Et cap. VIII. *Plerumque qui præesse concupiscunt, ad usum suæ libidinis instrumentum Apostolici Sermonis arripiunt, quo ait:* Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: *Qui tamen laudans desiderium, in pavorem vertit præ-*

[Margin: [illegible] 1. Tim. 3. De Ambitione.]

tinus quod laudavit, cùm repente subjungit: Oportet autem Episcopum irreprehensibilem » esse... *Quamvis notandum, quòd illo tempore hoc » dicitur, quo quisquis plebibus præerat, primus ad Martyrii tormenta ducebatur. Tunc ergo laudabile fuit Episcopatum quærere, quando per hunc quemque dubium non erat ad supplicia graviora pervenire. Unde ipsum quoque Episcopatûs officium boni operis expressione definitur, cùm dicitur:* Si quis » Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. » *Ipse ergo sibi testis est, quia Episcopatum non appetit, qui non per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quærit. Sacrum quippe officium non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans in occulta meditatione cogitationis cæterorum subjectione pascitur, laude propria lætatur, ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantiâ exultat. Mundi ergo lucrum quæritur sub ejus honoris specie, quo Mundi destrui lucra debuerunt.*

Et cap. IX. *Sed plerumque hi qui subire Magisterium Pastorale cupiunt, nonnulla quoque bona opera animo proponunt, & quamvis hoc elationis intentione appetant, operaturos tamen se magna pertractant: Fitque ut aliud in imis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat. Nam sæpe sibi de se mens ipsa mentitur, & fingit de se bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat: quæ principari appetens, fit ad hoc pavida cùm quærit, audax cùm pervenerit. Timens enim ne non perveniat, trepidat: sed repente perveniens, jure sibi debitum ad quod pervenerit putat. Cùmque percepti Principatus officio perfrui sæculariter cœperit, libenter obliviscitur quicquid religiosè cogitavit. Unde necesse est, ut cùm cogitatio extra usum ducitur, protinus mentis oculus ad opera transacta revocetur: ac penset quisque quid subjectus egerit, & repente cognoscit, si Prælatus bona agere quæ proposuerit, possit: qui nequaquam valet in culmine humilitatem discere, qui in imis positus non desiit superbire.*

[Margin: Non potest in culmine honoris humilitatem discere, qui in imis positus non desiit superbire.]

Sanctus Bernardus, Sermone VI. in Psalm. *Qui habitat*, cap. IV. *Ambitio* (inquit) *subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminis fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem.* Et infrà, sic deflet Ecclesiæ mala: *[Margin: Cap. VI.]* *Nunc quidem pax à Paganis, pax ab Hæreticis, sed non est pax à falsis filiis... Omnes Christiani, & omnes ferè quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. Ipsa quoque Ecclesiastica Dignitatis Officia in turpem quæstum & tenebrarum negotium transiere: Nec in his salus animarum, sed luxus quæritur divitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant, Psalmos decantant. Pro Episcopatibus & Archidiaconatibus impudenter hodie decertatur, ut Ecclesiarum reditus in superfluitatis & vanitatis usus dissipentur.*

[Margin: Male ... qui in Ecclesia dignitatibus non salutem animarum, sed luxum quærunt divitiarum.]

Ibidem Capite V. tres tentationes explicans quibus Diabolus Christum aggressus est: *Tertia* (inquit) *de ambitione fuit, quando omnia Regna Mundi promisit, si cadens adoraret eum. Videtne quòd ambitionis via adoratio Diaboli sit, quia videlicet ad honores & gloriam Mundi perveniendum suis ille adoratoribus pollicetur?*

[Margin: Ambitio via est ad diaboli adorationem.]

Et Sermone IV. *De Ascensione Domini*, varios modos explicans ascendendi cum Christo vel cum Dæmone: *Cupidi quidem sumus ascensionis*, inquit, *exaltationem concupiscimus omnes. Nobiles enim creatura sumus, & magni cujusdam animi, ideóque altitudinem naturali appetimus desiderio. Sed væ nobis, si voluerimus eum sequi, qui ait:* Sede- » *[Margin: Isaiæ 14.]*

[Margin: Omnes exaltationem concupiscimus.]

De Ambitione.

bo in montem testamenti, in lateribus Aquilonis. *Heu miser, in lateribus Aquilonis? Frigidus est mons ille, non te sequimur. Potestatis habes concupiscentiam, altitudinem præsumis potentiæ. Quanti tamen usque hodie fœda sequuntur infelicidque vestigia, imo verò quàm pauci evaserunt, quibus non dominandi libido dominetur?*

Ambitio inordinatus appetitus honoris triplicitér.

S. Thomas, Secunda Secundæ, Quæst. cxxxi. Art. i. probat ambitionem esse peccatum, quia est inordinatus appetitus honoris quem homo non meretur, vel quem non in Deum, sed ad propriam duntaxat utilitatem refert. *Honor*, (inquit) *importat quamdam reverentiam alicui exhibitam in testimonium excellentiæ ejus. Circa excellentiam autem hominis duo sunt attendenda. Primò quidem, quòd illud secundùm quod homo excellit, non habet homo à seipso, sed est quasi quiddam divinum in eo. Et ideo ex hoc non debetur ei principaliter honor, sed Deo. Secundò considerandum est, quòd illud in quo homo excellit, datur homini à Deo, ut ex eo aliis prosit. Unde intantùm debet homini placere testimonium suæ excellentiæ quod ab aliis exhibetur, in quantum ex hoc paratur sibi via ad hoc quod aliis prosit. Tripliciter autem appetitum honoris contingit esse inordinatum. Uno modo, per hoc quòd aliquis appetit testimonium de excellentia quam non habet, quod est appetere honorem supra suam proportionem. Alio modo, per hoc quòd honorem sibi cupit, non referendo in Deum. Tertio, per hoc quòd appetitus ejus in ipso honore quiescit, non referens honorem ad utilitatem aliorum. Ambitio autem importat inordinatum appetitum honoris: Unde manifestum est quòd ambitio semper est peccatum.*

ARTICULUS XXIII.

Quæ nos ab ambitione deterrere debeant?

Exemplum Christi honores fugientis.

AB Ambitione deterrere nos imprimis debet exemplum Christi, qui honores fugit, fugiendosque docuit, Joann. vi. *Jesus ergo cùm cognovisset, quia venturi essent ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Ubi imprimis notandum verbum illud, *raperent*, quod vim quamdam significat. Erat enim Christus Dominus honoribus tam contrarius, ut ad illos nonnisi vi trahendus ac rapiendus videretur. Itaque turbæ ipsæ non ignorantes, venire decreverunt, non ut ei volenti ac libenti Regnum offerrent, sed potiùs ut renuentem ac repugnantem Regem inaugurarent. Deinde notandum verbum illud *fugit*, quod vehementem significat ab honoribus aversionem. Neque enim solùm dicitur honores repudiasse, sed planè illos fugisse tantâ contentione, quantâ hostis hostem infensissimum fugit. Quamobrem *Tertullianus* ad hunc locum alludens, Libro *De Idololatria*, cap. xviii. ait: *Tu nullius servus, in quantum solius Christi, qui te etiam captivitate seculi liberavit, ex forma Dominica agere debebis. Ille Dominus si potestatis jus nullum ne in suos quidem exercuit, quibus sordido ministerio functus est: si Regem denique fieri, conscius sui Regni, refugit, plenissimè dedit formam suis, dirigendo omni fastigio & suggestu tam dignitatis quàm potestatis. Quis enim magis iis usus fuisset quàm Dei Filius? Quales & quanti eum fasces producerent? Qualis purpura de humeris ejus floreret? Quale aurum de capite radiaret, nisi gloriam seculi alienam & sibi & suis judicasset? Igitur quam noluit rejecit, quam rejecit damnavit, quam damnavit in partem diaboli deputavit. Non enim damnasset, nisi non sua: alterius autem esse non possunt, nisi diaboli, quæ Dei non sunt.*

Christi etiam exemplo proposito homines ab ambitione deterret *S. Bernardus*, Homiliâ i. super *Missus est*, cap. viii. *Erubesce* (inquit) *superbe cinis: Deus se humiliat, & tu te exaltas. Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis Autori. Utinam mihi aliquando tale aliquid cogitanti Deus respondere dignetur, quod & suo increpando respondit Apostolo:* Vade, *inquit*, post me Satana, quia non sapis ea quæ Dei sunt! *Quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo; & tunc verè non sapio ea quæ Dei sunt.*

Matth. 16.

Ambitionis vilitas.

Secundo ab ambitione deterrere debet ejus vilitas. Nihil enim ambitioso homine vilius, & ignavius. Ambitionis vilitatem duo illi Apostoli *Joannes* & *Jacobus* non ignorarunt, qui primas Cathedras petituri, tempus illud observarunt, quo Christus assumpsit duodecim Discipulos secretò (*Matth.* xx.) imò seorsim à reliquis Discipulis Christum Dominum convenerunt. Quod expendens *S. Joannes Chrysostomus*, Homiliâ lxv. in Matthæum: *Illi* (inquit) *cùm humano more id facerent, coram omnibus erubescentes dicere, seorsum ab aliis Discipulis Christum accipientes interrogaverunt. Præcesserunt enim* (inquit) *ut remotè occultiùs loquerentur.* Et fortasse ne in recessu quidem ac solitudine suam aperire ambitionem ausi sunt, sed matrem præmiserunt quæ aperiret. *Accessit ad eum Mater filiorum Zebedæi.* Ab ipsis hæc excogitata petitio, inquit S. Chrysostomus. *Sed pudore victi, matris patrocinium assumpserant.* Quin etiam ipsa Mater accedens erubuit postulare, & fortasse penitus obmutesceret, nisi ad loquendum excitaretur à Christo dicente, *Quid vis?* Hinc *S. Bernardus*, Epistolâ ad Episcopos Aquitaniæ: *Ambitio* (inquit) *latebras amat, lucis impatiens est... Quid tam inglorium, quàm gloriæ cupidum deprehendi?*

Nihil magis inglorium quàm gloriæ cupidum.

Curæ & labores ambitionis comites.

Tertiò, ab ambitione deterrere debent curæ ac labores cum ipsa conjuncti. Ambitiosorum pœna ipsa ambitio est. Quod egregiè *Tertullianus* explicat, Libro *De Pœnitentia*, cap. xi. *Sed enim* (inquit) *illos qui ambitus obeunt capessendi Magistratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ & corporis, nec incommodis tantùm, verùm & contumeliis omnibus eniti in causa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant? Quæ non atria nocturnis & crudis salutationibus occupant? Ad omnem occursum majoris cujusque personæ decrescentes, nullis conviviis celebres, nullis comessationibus congreges, sed exules à libertatis & lætitiæ felicitate: idque totum propter unius anni volaticum gaudium. Nos quod securium virgarúmve petitio sustinet, in periculo æternitatis tolerare dubitamus?*

Magistro concinit *S. Cyprianus*, Epistolâ i. *An tu* (inquit) *vel illos putas tutos, illos saltem inter honorum infulas, & opes largas stabili firmitate securos; quos Regalis Aulæ splendore fulgentes armorum excubantium tutela circumstat? Major illis quàm cæteris metus est: tam ille timere cogitur, quàm timetur. Exigit pœnas pariter de Potentiore sublimitas, sit licet satellitum manu septus, & clausum ac protectum latus numeroso stipatore tueatur. Quàm securos non sinit subjectos, tam necesse est ut non sit & ipse securus. Ante ipsos terret potestas sua, quos facit esse terribiles. Arridet ut sæviat; blanditur ut fallat; illicit ut occidat; extollit ut deprimat. Fœnore quodam nocendi quàm fuerit amplior summa dignitatis & honorum, tam major exi-*

De Ambitione.

gitur usura pœnarum. Una igitur placida & fida tranquillitas: una solida, & firma, & perpetua securitas, si quis ab his inquietantis Seculi turbinibus extractus, salutaris portûs statione fundetur, ad cælum oculos tollat à terris, & ad Domini munus admissus, ac Deo suo jam proximus, quicquid apud cæteros in rebus humanis sublime ac magnum videtur, intra suam jacere conscientiam glorietur. Nihil appetere jam, nihil desiderare de Seculo potest, qui Seculo major est.

Idem confirmat præclara illa *S. Augustini* Sententia, Lib. VIII. *Confessionum*, cap. VI. *In Palatio Imperatorum quid non fragile plenúmque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum?*

Idem confirmat *S. Bernardus* Lib. III. *De Consideratione*, cap. 1. exclamans: *O ambitio, ambientium crux! Quomodo omnes torquens, omnibus places? Nil acerbiùs cruciat, nil molestiùs inquietat; nil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis ejus.*

Honorum vanitas.

Quartò, deterrere nos debet ab ambitione honorum vanitas, his verbis descripta Sapientiæ v. *Spes impii tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur: & tanquam fumus qui à vento diffusus est: & tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis.* Honores etiam per somnium visi multoties in Sacris Litteris memorantur. Joseph in somnio suam in Ægypto exaltationem vidit. *Esther* omnis ejus felicitas per somnium ostensa. Per somnium Deus *Gedeoni* futuras ejus victorias ostendit. *Nabuchodonosor* quatuor illas adeo celebres in Mondo Monarchias per somnium vidit. Regis Ægypti Pincerna se in dignitatem & gradum pristinum restituendum per somnium vidit. Quamobrem scitè *S. Ambrosius*, Libro *De Joseph Patriarcha*, Capite VI. ait: *Omnis potentia seculi somnium, non veritas est.* Quid firmius in speciem ac diuturnius Romano Imperio, cui fingitur Jupiter non diuturnitatem, sed æternitatem promisisse, juxta illud Virgilii?

His ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium sine fine dedi.

Quot tamen obnoxium fuit mutationibus, & distractionibus, tanquam aliquando periturum? Unde *S. Augustinus* turpem hanc adulationem execratus, ait: *Qui hoc terrenis Regnis promiserunt, non veritate ducti sunt, sed adulatione mentiti sunt.* Et introducit Poëtam ab hac se se adulatione excusantem hunc in modum: *Quid facerem, qui Romanis verba vendebam, nisi hac adulatione aliquid promitterem quod falsum erat? Et tamen & in hoc cautus fui, quando dixi,* Imperium sine fine dedi; *Jovem ipsorum induxi, qui hoc diceret. Non ex persona mea dixi rem falsam, sed Jovi imposui falsitatis personam: sicut Deus falsus erat, ita mendax Vates erat. Nam vultis nosse quia ista noveram? Alio loco, quando non Jovem lapidem induxi loquentem, sed ex persona mea locutus sum, dixi:* Non res Romanæ perituráque Regna.... *Peritura veritate non tacui, semper mansura adulatione promisi.* Hæc *S. Augustinus* Sermone CV. aliàs XXIX. *De Verbis Domini*, cap. VII. At Christus Regnum promisit, de quo dictum est: *Et Regni ejus non erit finis.* (Luc. 1.) Figamus spem in Deum, æterna concupiscamus, æterna exspectemus. *Non frustra audimus, Sursum cor. Quid ponimus cor in terra, cum videamus quia evertitur terra?*

Ambitionis crudelitas. De Ambitione.

Quintò, ab ambitione deterrere nos debet ejus crudelitas innumeris exemplis comprobata, præcipuè *Abimelech* filii *Jeroboal*, qui septuaginta fratribus suis occisis super lapidem unum, Regnum Sichimorum usurpavit. *Judicum* IX. cap. *Absalonis* adversus *Davidem* patrem suum conjurantis, eúmque Regno spoliare conati, II. *Regum* cap. XV. *Athaliæ* matris *Ochoziæ*, quæ semen omne Regium extinxit, ut Regnum Juda usurparet; IV. *Regum* XI. Ambitiosi sensum omnem pietatis exuunt, ut ad optatos honores & dignitates perveniant: & ambitiosæ illius Mulieris Romanæ crudelitatem imitari, quæ super cadaver patris à Marito ejus Regnum ambiente occisi & in via jacentis currum agitari jubens, ad Capitolium perrexit Regni possessionem initura: Christum Crucifixum conculcare non verentur, ut ambitionem suam expleant.

ARTICULUS XXIV.

REGULÆ MORALES.

De Ambitione.

REGULA I.

Ambitio lethale peccatum est, si quis in honore finem ultimum constituat.

ID est, ita sit affectus, ut per fas & nefas ad aliquam Dignitatem Ecclesiasticam vel Civilem ascendere paratus sit, nec mortale peccatum committere vereatur ut ad illam perveniat, verbi gratiâ, simoniam exercere.

REGULA II.

AMbitio lethale peccatum est, cùm quis ex aliquo peccato mortali honorem quærit.

REGULA III.

Ambitio lethale peccatum est, cùm appetitur vel quæritur aliqua Dignitas Ecclesiastica vel Civilis ob finem alienum nefarium, sive cum peccato mortali conjunctum.

VErbi gratiâ, si quis Beneficium seu Dignitatem Ecclesiasticam quærat ut divitiis affluat, ut ingenio indulgeat, ut colatur ab hominibus: *Dominandi cupiditate*, non *officio consulendi; principandi superbiâ*, non *providendi misericordiâ*, (ut loquitur *S. Augustinus* Lib. XIX. *De Civitate Dei*, cap. XIV.)

REGULA IV.

Ambitio lethale peccatum est, si quis honorem quærat cum alterius damno vel injuria.

VErbi gratiâ, si minùs dignus Beneficium Curam animarum annexam habens, aut quamlibet Præfecturam Ecclesiasticam, sive in Clero Sæculari, sive Regulari ambiat, & studiis omnibus obtinere nitatur, etiamsi adsint competitores digniores: multò magis si Dignitatem Ecclesiasticam vel sæcularem Magistratum am-

De Ambitione.

biat indignus. Injuriam enim infert competitoribus qui digni sunt: & si de Beneficio vel Dignitate Ecclesiastica agatur, fit injuria dignioribus, qui debent anteponi, secundùm Concilium Tridentinum Sessione XXIV. cap. I. & XVIII. *De Reformatione*, & *S. Thomam*, *Secunda Secundæ*, Quæst. LXIV. A. II. & Quæst. CLXXV. A. III.

REGULA V.

Ambitio lethale peccatum est, si quis absque Vocatione solius honoris aut commodorum temporalium intuitu, Ecclesiastica Beneficia captat, petit, concupiscit.

HÆc Regula colligitur ex Apostolo ad Hebræos V. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.*

Ex *S. Gregorio*, Epistolâ XX. Libri IV. scribente: *Licèt cætera cujuspiam talia vita sint merita, ut nihil sit quod ex his Sacerdotalibus valeat Ordinationibus obviare: tamen solius nefas ambitûs severissima Canonum districtione damnatur.*

Ex *S. Bernardo*, Tractatu *De Conversione ad Clericos*, cap. XIX. *Væ vobis* (inquit) *qui clavem tollitis non solùm scientiæ, sed & autoritatis: nec ipsi introitis, & multipliciter impeditis quos introducere debuistis. Tollitis enim & non accipitis Claves. De quibus Dominus queritur per Prophetam:*

Osee. 8.

» Ipsi regnaverunt, & non ex me: Principes » extiterunt, & ego non vocavi eos. *Unde tantus Prælationis ardor? Unde ambitionis impudentia tanta? Unde vesania tanta præsumptionis humanæ? Auderet aliquis vestrûm terreni cujuslibet Reguli, non præcipiente aut etiam prohibente eo, occupare Ministeria, præripere Beneficia, negotia dispensare? Nec tu Deum putes quæ in magna domo sua à vasis iræ aptis in interitum sustinet, approbare. Multi quidem veniunt, sed considera quis vocetur. Ordinem ipsum dominici sermonis attende:* "Beati, inquit, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Mundicordes utique vocat Pater Cœlestis, qui non quærunt quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi; nec* » *quod sibi utile, sed quod multis.* Petre, *inquit*, » amas me? Domine, tu scis quia amo te. Pasce, » *ait*, oves meas. *Quando enim sic amatas oves committeret non amanti?*

Ambitionis impudentia.

Matth. 5.

Joannis 21.

Ex *S. Thoma*, Secunda Secundæ, Quæstione CLXXXV. A. I. *In Episcopatu*, inquit, *tria possunt considerari. Quorum unum est principale & finale, scilicet Episcopalis operatio, per quam utilitati proximorum intenditur, secundùm illud Joannis ultimo*, Pasce oves meas. *Aliud autem est altitudo gradus; quia Episcopus super alios constituitur, secundùm illud Matthæi* XXV. Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. *Tertium autem est quod consequenter se habet ad ista, scilicet reverentia, & honor, & sufficientia temporalium, secundùm illud* I. *ad Timotheum* V. » Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore di» gni habentur. *Appetere ergo Episcopatum ratione hujusmodi circumstantium bonorum, manifestum est quòd est illicitum, & pertinet ad cupiditatem vel ambitionem. Unde contra Pharisæos Dominus dicit:* » Amant primos recubitus in cœnis, & primas » cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, » & vocari ab hominibus Rabbi. *Quantum autem ad secundum, scilicet ad celsitudinem gradus, appetere Episcopatum est præsumptuosum. Unde Dominus*, (Matth. XX) *arguit Discipulos primatum quærentes, dicens:* Scitis quia Principes Gentium dominantur eorum. *Ubi Chrysostomus dicit*, » (Homiliâ scilicet LXXVI. in Matthæum) quòd

Tria in Episcopatu spectanda. An sub aliquo respectu appeti possit?

» *per hoc ostendit, quòd Gentile est Primatus cu-* » *pere; & sic Gentium comparatione eorum animum* » *æstuantem convertit.* Sed *Appetere proximis pro-* » *desse, est secundùm se laudabile & virtuosum. Verùm quia prout est Episcopalis actus, habet annexam gradus celsitudinem, præsumptuosum videtur quòd aliquis præesse appetat ad hoc quod subditis prosit, nisi manifestâ necessitate imminente.*

Appetere Episcopatum, etiam ut prosis, præsumptuosum est, nisi manifesta necessitas immineat.

Et Quodlibeto XII. Quæstione X. Articulo II. *Contingit* (inquit) *appetere Prælationem dupliciter: aut propter necessitatem urgentem, aut non urgentem: Primo modo dupliciter; vel quando imponitur à Superiore, vel quando non invenitur aliquis qui velit onus Prælationis subire: tali necessitate existente, meritorium est appetere: unde Isaia* VI. Quem mittam, & quis ibit nobis? Respondit: Ecce ego, mitte me: *Tamen antè dixit se indignum. Secundo modo* (*scilicet quando non urget necessitas,*) *sic non licet: quia non potest carere aut vitio injustitiæ, si velit se minorem præferri majoribus; aut vitio præsumptionis, si reputet se sufficientem præferri aliis. Unde Chrysostomus super illud*, Reges Gentium dominantur eorum, *&c.* (Lucæ 22.) *Primatus*, inquit, *Ecclesiasticos concupiscere, nec justum, nec utile.*

REGULA VI.

Lethalis Ambitionis reus est, qui Episcopatum, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum Curam Animarum habens, aut Monasticam Præfecturam pro se postulat, aut sibi ipsi in Electione Canonica suffragatur.

COlligitur hæc Regula ex *S. Bernardo*, Libro IV. *De Consideratione*, cap. IV. *Alius* (inquit) *pro alio, alius fortè & pro se rogat: Pro quo rogaris, sit suspectus: qui ipse rogat pro se, jam judicatus est: nec interest per se an per alium quis roget.*

Qui pro se rogat, jam judicatus est.

Item ex *S. Thoma*, Secunda Secundæ, Quæstione centesima Art. V. ad secundum, ubi postquam præmisit, preces pro indigno porrectas ad simoniam pertinere, subdit: *Si verò aliquis pro se rogat ut obtineat Curam Animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus, & sic preces sunt pro indigno.* Hinc Patres, & Christiani Principes, eos maximè dignos Episcopatu censuerunt, qui ad ipsum repugnantes, & quodammodo inviti promoti fuerint. Unde *S. Cyprianus*, Epistolâ LII. de *Cornelio* scribit: *Episcopatum ipsum nec postulavit, nec voluit, nec, ut cæteri, quos arrogantia ac superbiæ tumor inflat, invasit; sed quietus & modestus, & quales esse consueverunt qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ, ac pro humilitate ingenita sibi & custodita verecundia, non vim fecit ut Episcopus fieret, sed ipse vim passus est ut Episcopatum coactus acciperet.* Hinc *S. Hieronymus*, Epistolâ ad *Heliodorum*, loquens de *Nepotiano* Sacerdotium recusante, ait: *Quantò magis repugnabat, tantò magis in se studia omnium concitabat; & merebatur negando, quod esse nolebat; eòque dignior erat, quò magis se clamabat indignum.* Hinc *S. Isidorus Pelusiota*, Lib. II. Epistolâ CXXV. de *Hierache* Presbytero scribit: *Velutì mentem habens, Episcopatum ut gravissimum morbum fugit.* Hinc *Leo & Anthemius* Imperatores, L. *Si quemquam* 31. Cod. Tit. *De Episcopis & Clericis*, de Episcopo eligendo ita statuunt: *Castus & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus: ut quocunque locorum pervenerit, omnia vitæ integritate purificet. Nec pretio, sed precibus ordinetur Antistes. Tantùm ab ambitu debet esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur*

Episcopatu digniores censentur, qui ad illum quodammodo repugnantes promoventur.

Indignum Episcopatu [illegible]

De Ambitione.

suffragetur necessitas excusandi. Profectò enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus. Hine denique *Athalaricus* Rex, apud *Cassiodorum* Libro ix. *Variarum*, Epistolà xv. sic Patriarchas alloquitur: *Iniquum est ut locum apud vos habeat ambitus, quem nos Laïcis divinà consideratione præclusimus. Quapropter si quis Apostolicæ Præsulem Ecclesiæ, vel Patriarcharum Episcopum, sive per se, sive per parentes, aut servientium quascumque personas, aliqua suffragii crediderit ambitione promovendum, & ipsum reddere accepta definimus, & quod est Canonibus statutum, eum modis omnibus esse passurum.*

Meritò itaque Concilium Mediolanense I. sub *S. Carolo Borromæo* statuit, ut *Qui Beneficium Ecclesiasticum vacans multis & ambitiosis precibus per se vel per alios petierit, eo facto ita reddatur indignus, ut per biennium in eum, neque illud, neque aliud Beneficium conferri possit.*

Regula VII.

Qui pro se Beneficium Ecclesiasticum sine Cura Animarum petit, ad inopiam suam sublevandam, non est reus ambitûs.

HÆc Regula *S. Thomæ* testimonio nititur, Secunda Secundæ, Quæstione centesima, Articulo v. ad tertium: *Licitè tamen*, inquit, *potest aliquis, si sit indigens, pro se Beneficium Ecclesiasticum petere, sine Cura Animarum.* Idem asserit *S. Raymundus* in Summa, Libro I. Tit. I. §. vii. & ex Cap. *Ad aures*, Extra, *De Rescriptis*, confirmat.

Regula VIII.

Lethalis ambitionis reus est, qui eo præcipuè consilio & ea intentione Monasticum Habitum induit, ut Abbatiam obtineat.

HIc enim finem in honore constituere convincitur. Hinc Monasticum Habitum suscipere spe abbatiæ Sacri Canones prohibent. *S. Basilius* Præfecturarum ambitum à Monachis alienum esse debere tam luculenter ostendit, ut nemini dubium sit ipsum luculentiùs asserturum, nefas esse Vitam Monasticam profiteri Abbatiæ, aut cujusvis Præfecturæ intuitu. Sic autem loquiquitur in Constitutionibus Monasticis, Cap. ix. *Ceterùm Clerum, aut inter Fratres Principatum nullo modo appetere Monachus debet: siquidem diabolica ista pestis est, & libidinis dominandi labes; quæ res insigne est primæ illius diaboli pravitatis indicium.* Legatur totum caput, necnon xxiv.

Concilium Romanum sub *Nicolao II.* Pontifice Maximo Canone vii. decernit: *Ut nullus habitum Monachi suscipiat, spem aut permissionem habens ut Abbas fiat.* Qui Canon repetitur & confirmatur in Synodo Romana sub *Alexandro II.* anno millesimo sexagesimo-tertio. Idem prohibet Concilium Tolosanum sub *Victoris Secundi* Pontificatu. Canone v. *Statuit autem Sancta Synodus, ut si quis Clericorum adipiscendæ Abbatiæ causâ Monachus effectus fuerit, in Abbatia quidem Monachus permaneat, sed ad ipsum honorem, ad quem aspirabat, nullatenus accedat. Quòd si præsumpserit, excommunicetur.*

Regula IX.

Lethalis ambitionis rei sunt Concionatores, qui majorum & nobiliorum Ecclesiarum Pulpita suis aut amicorum precibus obtinere nituntur, aut revera obtinent eo fine ut nominis claritatem consequantur, atque ad Episcopatum, aliáve Beneficia Ecclesiastica promoveantur.

De Ambitione.

ILli enim absque divina vocatione Sacrum Ministerium exercent. Hi plausum quærunt, non fructum spiritualem Auditorum; *Voluptatem quærunt, non prolem, adulterantes verbum Dei*, (inquit S. Gregorius.) Hanc Regulam confirmat *S. Carolus Borromeus*, in *Instructione Prædicatorum verbi Dei*, Tit. De Præparatione quam Concionator adhibere debet ad concionandi munus salutariter exequendum. *Fugiet autem*, inquit, *tanquam pestem, omnem ambitionem, omnemque illius suspicionem. Ne loca insigniora, ubi prædicationis suæ semen spargeat, ambiat, affectétve: memor Christi Domini, quem à Patre è cœlo demissum ad erudiendum genus humanum, pagos & vicos, & castella obiisse legimus. Nunquam in opinionem inducet, majori atque nobiliori suggesto se dignum esse. Fuit hæc quondam incredibilis ambitio Ethnicorum Oratorum. Christianus autem Concionator ab istius ambitionis suspicione alienus esset, qui ad prædicandam Christum crucifixum, non ad sui ingenii ostentationem vocatus est.*

Regula X.

Sicut ambitionis reus est qui Episcopatum aliámve Dignitatem, aut Præfecturam Ecclesiasticam appetit, quærit, postulat; ita reus est pusillanimitatis & desidiæ, qui à Deo vocatus, & Superioris auctoritate ac mandatis sacro Regimini admotus, impositum onus suscipere pertinaciter recusat.

Ecclesiæ dignitates & præfecturæ quando recusari non debent?

HAnc Regulam tradunt SS. Patres, imprimis *S. Gregorius Nazianzenus*, Oratione I. *Ac videte*, inquit, *quàm rectè quámque justè inter utrumque timorem negotium transigam, nimirum ut nec minimè oblatam Præfecturam appetam, nec oblatam repudiem. Illud enim temerariorum hominum est, hoc inobedientium, utrumque autem imperitorum. Atque ipse inter nimis audaces, & nimis timidos quodammodo interjectus sum, nempe & his, qui ad Præfecturas omnes prosiliunt, timidior; & iis rursùs qui omnes fugiunt, audacior. Hæc de his rebus mea est sententia.*

S. Augustinus, Epistolà xlviii. aliàs lxxxi. ad *Eudoxium* Abbatem, & Monachos Insulæ Capratiæ. *Vos autem Fratres*, inquit, *exhortamur in Domino, ut propositum vestrum custodiatis, & usque in finem perseveretis: ac si quam operam vestram Mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidiâ respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo; cum mansuetudine portantes eum qui vos regit, qui dirigit mites in judicio, qui docet mansuetos vias suas. Nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiæ præponatis; cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini non inveniretis. Sicut autem inter ignem & aquam tenenda est via, ut nec exuratur homo, nec demergatur; sic inter apicem superbiæ & voraginem desidiæ iter nostrum temperare debemus, sicut scriptum est*, Non declinantes neque ad dexteram, neque ad sinistram. (*Deuter.* 17.) *Sunt enim qui dum nimis timent, ne quasi in dexteram rapti extollantur,*

De Ambitione. *in sinistrum lapsi demerguntur. Et sunt rursus qui dum nimis se auferunt à sinistra, ne torpida vocationis mollitie sorbeantur, ex altera parte jactantia fastu corrupti atque consumpti, in favillam fumumque vanescunt. Sic ergo Dilectissimi, diligite otium, ut vos ab omni terrena delectatione refrenetis, & meminetitis nullum locum esse, ubi non possit laqueos tendere, qui timet ne revolemus ad Deum.*

Et Lib. XIX. *De Civitate Dei*, Cap. XIX. *Otium sanctum*, inquit, *quærit caritas veritatis: negotium justum suscipit necessitas caritatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipienda atque intuenda vacandum est veritati: si autem imponitur, suscipienda est propter caritatis necessitatem: sed nec sic omni modo veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, & opprimat ista necessitas.*

S. Gregorius I. P. *Pastoralis*, Cap. V. *Sunt nonnulli*, inquit, *qui eximia virtutum dona percipiunt, & pro exercitatione cæterorum magnis muneribus exaltantur; qui studia caritatis mundi, abstinentiæ rabore validi, doctrinæ dapibus referti, patientiæ longanimitate humiles, auctoritatis fortitudine erecti, pietatis gratiâ benigni, justitiæ severitate districti sunt. Qui nimirum culmen regiminum si vocati suscipere renuunt, ipsa sibi plerumque dona adimunt, quæ non pro se tantummodo, sed etiam pro aliis acceperunt. Cùmque sua & non aliorum lucra cogitant, ipsi se, quæ privata habere appetunt, bonis privant. Hinc namque ad Discipulos Veritas di-*

Matth. 5. » *cit:* Non potest civitas abscondi supra montem » posita: neque accendunt lucernam, & ponunt » eam sub modio, sed super candelabrum, ut » luceat omnibus qui in domo sunt. *Hinc Petro*

Joann. 21. » *ait:* Simon Joannis, amas me? *Qui cùm se amare protinus respondisset, audivit:* Si diligis me, pasce oves meas. *Si ergo dilectionis est testimonium cura pastionis: quisquis virtutibus pollens gregem Dei renuit pascere, Pastorem summum convincitur non*

2. Cor. 5. » *amare. Hinc Paulus dicit:* Si Christus pro om» nibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. » Et si pro omnibus mortuus est, superest ut qui » vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro » ipsis mortuus est & resurrexit. *Hinc Moyses ait, Ut uxorem fratris sine filiis defuncti superstes frater accipiat, atque ad nomen fratris filium gignat: quam si accipere fortè renuerit, huic in faciem mulier exspuat, unùmque ei pedem propinquus discalciet, ejusque habitaculum Domus discalciati vocetur. Frater quippe defunctus ille est, qui post Resurrectionis*

Matth. 28. *gloriam apparens dixit:* Ite, nuntiate fratribus meis. *Qui quasi sine filiis obiit, quia adhuc electorum suorum numerum non implevit. Hujus scilicet uxorem superstes frater sortiri præcipitur: quia dignum profectò est, ut cura Sanctæ Ecclesiæ ei qui hanc benè regere prævalet, imponatur. Cui nolenti in faciem mulier exspuit: quia quisquis ex muneribus quæ perceperit, prodesse aliis non curat, bonis quoque ejus Sancta Ecclesia exprobrans, ei quasi in faciem salivam jactat. Cui ex uno pede calceamentum tollitur, ut discalceati domus vocetur. Scriptum quippe est:*

Ephes. 6. Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis. *Si ergo ut nostram, sic curam proximi gerimus, utrumque pedem per calceamentum munimus. Qui verò suam cogitans utilitatem, proximorum negligit, quasi unius pedis calceamentum cum dedecore amittit. Sunt itaque nonnulli, qui magnis, ut diximus, muneribus ditati, dum solius contemplationis studiis inardescunt parere utilitati proximorum in prædicatione refugiunt, secretum quietis diligunt, secessum speculationis petunt. De quo si districtè judicentur, ex tantis proculdubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt. Quâ enim mente is qui proximis profuturus enitesceret, utilitati cæterorum se-*

cretum præponit suum, quando ipse Summi Patris Unigenitus, ut multis prodesset, de sinu Patris egressus est ad publicum nostrum? De Ambitione.

Idem persequitur argumentum Cap. VI. *Et sunt nonnulli*, inquit, *qui ex solâ humilitate refugiunt, ne eis quibus se impares æstimant, præferantur. Quorum profectò humilitas, si cæteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante Dei oculos vera est, cùm ad respuendum hoc quod utiliter subire præcipitur, pertinax non est. Neque enim verè humilis est, qui superni nutus arbitrium ut debeat præesse intelligit, & tamen præesse contemnit. Sed divinis dispositionibus subditus, atque à vitio obstinationis alienus, cùm sibi Regiminis culmen imperatur, si jam donis præventus est, quibus & aliis prosit, & ex corde debet fugere, & invitus obedire.*

S. Thomas, Secunda Secundæ, Quæstione CLXXXV. Articolo II. *In assumtione*, inquit, *Episcopatus duo sunt consideranda. Primò quidem quid deceat hominem appetere secundùm propriam voluntatem. Secundò, quid hominem deceat facere ad voluntatem alterius. Quantùm ergo ad propriam voluntatem, convenit homini principaliter insistere propriæ saluti: sed quòd aliorum saluti intendat, hoc convenit homini ex dispositione alterius potestatem habentis. Unde sicut ad inordinationem voluntatis pertinet, quòd aliquis proprio motu feratur in hoc quòd aliorum gubernationi præficiatur: ita etiam ad inordinationem voluntatis pertinet, quòd aliquis omninò contra Superioris injunctionem, prædictum gubernationis officium finaliter recuset, propter duo: Primò quidem quia hoc repugnat caritati proximorum, quorum utilitati se aliquis debet exponere pro loco & tempore. Secundò, quia hoc repugnat humilitati, per quam aliquis Superiorum mandatis se subjicit.*

REGULA XI.

Obedire Superiori Beneficium, Dignitatem, aut Præfecturam Ecclesiasticam imponenti non tenetur, qui aliquod in se impedimentum agnoscit, quod nec ejus studio, nec Superioris auctoritate removeri potest.

HÆc Regula colligitur ex *S. Thoma*, Secunda Secundæ, Quæstione CLXXXV. Articulo II. ad secundum. *Nullus*, inquit, *tenetur obedire Prælato ad aliquod illicitum. Potest ergò contingere quod ille cui injungitur Prælationis officium, in se aliquid sentiat, propter quod non liceat ei Prælationem accipere. Hoc autem impedimentum quandoque quidem removeri potest per ipsummet cui Pastoralis cura injungitur: putà, si habeat peccandi propositum, quod potest deserere. Et propter hoc non excusatur, quin finaliter teneatur obedire Prælato injungenti. Quandoque verò impedimentum ex quo fit ei illicitum Pastorale Officium, non potest ipse removere, sed Prælatus qui injungit; putà, si sit irregularis vel excommunicatus. Et tunc debet defectum suum Prælato injungenti ostendere, qui si impedimentum removere voluerit, tenetur humiliter obedire. Unde Exodi IV. cùm Moyses dixisset,* Obsecro Domine, non « sum eloquens ab heri & nudius tertius: *Dominus* « *respondit ad eum*, Ego ero in ore tuo, docebóque te quid loquaris. *Quandoque verò non potest* « *removeri impedimentum nec per injungentem, nec per eum cui injungitur; sicut si Archiepiscopus non possit super Irregularitate dispensare. Unde subditus non tenetur ei obedire ad suscipiendum Episcopatum, vel Sacros Ordines, si sit irregularis.*

Regula

REGULA XII.

Lethalis Ambitionis reus est, qui Beneficium, Dignitatem, seu Præfecturam Ecclesiasticam retinet absque legitimo titulo; aut eum dotibus omninò necessariis ad illius functiones obeundas non est praditus, nec eas vult aut potest comparare.

De Ambitione.

QUi enim absque legitimo titulo Beneficium, Dignitatem, vel præfecturam Ecclesiasticam retinet, *Non intravit per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde*, adeòque *fur est & latro*. Quamobrem abdicare se tenetur inter manus Collatoris. Nam *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè absque institutione canonica obtineri*; (ut habet Regula Juris 1. in Sexto.) Qui ergo per Simoniam, sive simplicem, sive fiduciariam, Ecclesiasticum Beneficium obtinuerit; aut expuncto in Provisionis Litteris ejus, cui collatum est, nomine, suóque inscripto, aliave fraude surripuerit; illud restituere tenetur, in primo quidem caso legitimo Collatori; in secundo verò, ei qui canonicè collatum erat. Si verò retineat, non solùm gravis injustitiæ, sed & lethalis ambitionis reus est. Idem esto judicium de illo, quem arguit conscientia criminis, ab Ordinis vel Officii executione, peractâ etiam pœnitentiâ, impedientis, quale est homicidium; vel cum gravi scandalo conjuncti. Pro gravi namque scandalo vitando, cùm aliter sedari non potest, Dignitate & Beneficio cedere debet, *Ne plus temporalem honorem, quàm æternam videatur affectare salutem.* Idem censendum de illo quem Irregularitatis vinculum adstringit, ut si fortè sit bigamus, vel viduæ maritus. Idem de imperito; quia *Scientia circa spiritualium administrationem est potissimùm necessaria, & circa curam temporalium opportuna.* Unde si Præsul & Pastor scientiâ necessariâ sit destitutus, nec eam comparare possit, Dignitate seu Beneficio cedere debet: *Quia tu scientiam repulisti;* (inquit Dominus) *repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Hæc colliguntur ex Rescripto *Innocentii III.* ad Calaritanum Archiepiscopum, Cap. *Nisi cùm pridem*, Extra, *De Renunciatione.*

Joan. 10. 1.

Osee 4.

REGULA XIII.

Lethalis Ambitionis reus est, qui Dignitatem vel Beneficium Ecclesiasticum retinet, cujus cessione unitatem & pacem Ecclesiæ procurare potest, aut grave quodvis malum ab ea depellere.

Propter bonum & pacem Ecclesiæ, dimittendus, si necesse fuerit, Episcopatus.

COlligitur hæc Regula ex doctrina & facto *S. Augustini* & Catholicorum Africæ Episcoporum in Collatione cum Donatistis; qui se ad cessionem Episcopatuum teneri senserunt, & paratos exhibuerunt, si hoc medio Donatistarum conversio & nefarii schismatis exstinctio procurari posset. Quæ de re *S. Augustinus*, Epistolâ cxxviii, postremæ Editionis Parisiensis ita scribit: *Quid enim dubitemus Redemptori nostro Sacrificium istius humilitatis offerre? An verò ille de cœlis in membra humana descendit, ut membra ejus essemus; & nos, ne ipsa ejus membra crudeli divisione laniantur, de Cathedris descendere formidamus? Propter nos nihil sufficientius quàm Christiani fideles & obedientes sumus: hoc ergo semper simus. Episcopi autem propter Christianos Populos ordinamur. Quod ergo Christianis Populis ad Christianam pacem prodest; hoc de nostro Episcopatu faciamus. Si servi utiles sumus, cur Domini æternis lucris pro nostris temporalibus sublimitatibus invidamus? Episcopalis Dignitas fructuosior nobis erit, si gregem Christi magis deposita collegerit, quàm retenta disperserit. Nam qua fronte in futuro sæculo promissum à Christo sperabimus honorem, si Christianam in hoc sæculo noster honor impedit unitatem?*

De Ambitione.

Et Libro 1. *De Gestis cum Emerito Donatistarum Episcopo*, Catholicorum Episcoporum ea de re Sententiam referens: *Cùm*, inquit, *ante ipsam Collationem inter nos aliqui Fratres de hac re colloqueremur, quia pro pace Christi Episcopi debent esse, aut debent non esse; quod vobis fatendum est, circumspicientes omnes Fratres & Coëpiscopos nostros, non facilè nobis occurrebant, qui hoc vellent suscipere, & hoc humilitate Domino sacrificare. Dicebamus, fieri solet, ille potest, ille non potest; ille consentit hoc, ille non tolerat; loquentes magis pro suspicionibus nostris, qui corda illorum videre minimè poteramus. Quando autem ventum est ut hoc palam fieret, in Concilio universorum tam frequenti pene trecentorum Episcoporum, sic placuit omnibus, sic exarserunt omnes, ut parati essent Episcopatum pro Christi unitate deponere, & non perdere, sed Deo tutius commendare.*

Et infra: *Si Dominum cogitamus, locus iste altior, specula vinitoris est, non fastigium superbientis. Si cum volo retinere Episcopatum meum, dispergo gregem Christi, quomodo est damnum gregis honor Pastoris?*

REGULA XIV.

Lethalis ambitionis reus est Episcopus, qui à minori Episcopatu ad majorem & celebriorem, absque necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, migrat, aut transferri postulat.

De migrationibus à minori Episcopatu ad majorem vel ditiorem.

IN re enim gravis momenti violator est Canonum Spiritu Dei conditorum, totiúsque Mundi reverentiâ consecratorum, quibus hujusmodi migrationes prohibentur, pœnâ Excommunicationis in transgressores constitutâ. Et *Cùm nemo ad minorem transeat ex majore, ex cupiditate & ambitione dominandi moventur;* (inquit Concilium Sardicense Canone 1. & 11.) Id, inquam, prohibent Nicæna Synodus Canone xv. *S. Damasus* Pontifex Maximus in Epistolâ ad *Paulinum*, apud *Theodoretum* Libro v. Cap. xi. Concilium Carthaginense iv. Canone xxvii. *S. Leo* Epistolâ xii. alias lxxxiv. ad *Anastasium* Thessalonicensem Episcopum, Cap. viii. Concilium Calcedonense Canone v. *Hilarius* Romanus Pontifex in Epistolâ ad Episcopos Provinciæ Tarraconensis. *Pelagius* ii. Epistolâ ii. Concilium Ravennatense sub *Joanne* ix. Canonibus iii. & v. Nannetense Canone xvi. cujus hæc sunt verba: *De Episcopo canonica decrevit autoritas, ut si per ambitionem majorem civitatem appetierit, & illam perdat, quam tenuit, & illam nequaquam obtineat, quam usurpare tentavit.* Et *Innocentius III.* Cap. *Quantò*, & Cap. *Licet*, Extra, *De Translatione Episcopi.* Idem esto judicium de Presbyteris à minori titulo ad majorem migrantibus, secundùm Canonem xiv. Concilii Turonensis iii. Carolo Magno Imperante celebrati, cujus hæc sunt verba: *De Titulo minori ad majorem migrare, nulli Presbytero licitum sit: sed in eo permaneat, ad quem ordinatus est. Quòd si inventus fuerit contra Statuta id facere, eadem feriatur sententiâ, quâ Episcopus, si de minore ad majorem transmigraverit sedem.* Parochus igitur, qui absque necessitate, aut utilitate Ecclesiæ, à minori Parochia transit ad majorem & insigniorem, lethalis ambitionis reus est: non autem qui propter necessitatem, vel

De Ambitione.

utilitatem Ecclesiæ, ab Episcopo transfertur: Sicut nec Episcopus, qui vel Electione, vel Regis Nominatione, ab ipso non petitâ, nec procuratâ, sed Romani Pontificis Auctoritate confirmatâ, (penes quem unum est hujusmodi Translationum potestas secundùm præsentem disciplinam,) à minori ad majorem Ecclesiam transfertur.

REGULA XV.

Non semper Ambitionis reus est, qui ordinem suum ac locum tuetur. Quandoque ignavus est & pœnâ dignus qui suo jure cedit.

HÆc Regula colligitur ex *S. Leone* Epistolâ XVIII. alias V. ad *Dorum* Beneventanum Episcopum, quem de perturbato Presbyterii ordine, primósque Presbyteros jure suo cedentes redarguit: ac suum cuique ordinem vindicat pro Ordinationis tempore; primis, qui cesserant, ad infimum locum detrusis. *Omnis*, inquit, *laborum fructus aufertur, omnis meritorum mensura vacuatur, si tantam quis assequitur dignitatis, quantum adulationis obtinuit, ut cupiditas emendi non solùm superbientem minuat, sed etiam conniventem. Si verò, ut asseritur, primi secundique Presbyteri, circa Epicarpium sibimet præponendum, tanta huic assentatio fuit, ut illum cum sui dedecore poscerent honorari, nec hoc quidem illis proprio se judicio dejicientibus tribui debuit, quod volebant, cui tam miseræ voluntati te dignius fuerat obviare, quàm cedere. Deformis autem & ignava subjectio benè sibi consciis, & non irritam facientibus gratiam Dei præjudicare non potuit, ut primatus suos quocumque commercio in alteratrum transferentes, subsequentium suorum minuerent dignitatem, & qui ultimum sibi antepo[s]uerant, ceteris præmineret. Prædicti igitur Presbyteri, qui indignos se honoris sui ordine sunt professi, licèt privari etiam Sacerdotio mererentur; tamen ut eis pro Apostolicæ Sedis pietate parcatur, ultimi inter omnes Ecclesiæ Presbyteros habeantur; & ut judicio sui sententiam ferant, inferiores etiam illo erunt quem propriâ sententiâ sibimet prætulere: ceteris omnibus Presbyteris in eo ordine permanentibus, quem unicuique Ordinationis suæ tempus adscripsit.... Paulus verò Presbyter ordinem suum, de quo laudabili firmitate non cessit, obtineat.*

CAPUT VI.

DE

AVARITIA.

ARTICULUS I.

Quid sit Avaritia, & quàm grave peccatum?

Avaritiæ definitio.

I. AVARITIA *est libido habendi pecuniam*, (inquit *S. Augustinus* Libro XIV. *De Civitate Dei*, Cap. XV.) sive, *immoderatus amor habendi*; ut definit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CXVIII. Articulo 1. sive, *Immoderatus amor divitiarum.*

II. Singulare peccatum est, sæpe mortale, capitale: De quo Apostolus ad Romanos I. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ*, &c. Et I. ad Timotheum x. *Radix omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem ô homo Dei, hæc fuge.* Ad Hebræos XIII. *Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus: Ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam.* I. ad Corinthios V. *Nunc autem scripsi vobis non commisceri: si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere.* Et Cap. VI. *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri.... neque fures, neque avari.... Regnum Dei possidebunt.*

O Avaritia.

Avaritia peccatum est in Deum.

III. Hujus gravitatem peccati Scriptura Sacra ostendit, Ecclesiastici X. *Avaro*, inquit, *nihil est scelestius.* Peccatum est in Deum, in se ipsum, & in proximum. In Deum, in quantùm homo propter bonum temporale contemnit æternum. Hinc avaritiam idolorum servitutem vocat Apostolus. (Ephes. V.) *Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in Regno Christi & Dei.* Numquid enim non est idololatriæ reus, qui divitiis servit, Dei imperium excutit? Cùm Dominus dixerit (Matth. VI.) *Non potestis Deo servire & mammonæ.* Numquid divitias pro Deo non habet, qui *Sperat in pecunia & thesauris?* Deum non colit avarus, sed loco Dei divitias. *Hoc enim colitur quod diligitur*, (inquit *S. Augustinus*:) Divitias autem præ Deo diligit: pro nihilo siquidem ducit perdere Deum, ut acquirat nummum. *Ut lucrum faceres, Deum offendisti*, (inquit *S. Augustinus* Enarratione in Psal. CXXIII.) *Ut augeres pecuniam, fides diminuta est, & aurum crevit. Quid perdidisti, & quid adquisisti? Quod acquisisti, aurum vocatur; quod perdidisti, fides vocatur: compara fidem auro... Lucra tua cogitas, damna tua non cogitas; De arca gaudes, de corde non plangis.... Adquisisti aurum, perdidisti fidem; post paucos dies exis de hac vita. Aurum quod adquisisti perditâ fide, auferre tecum non potes: cor tuum inane fidei ad pœnas exit, quod plenum fide ad coronam exiret.* Deo non obedit avarus, sed pecuniæ. Unde Eccl. X. Salomon ait: *Pecuniæ obediunt omnia.* Clamat Deus, *Ego possideam. Quid vis ab avaritia possideri? Dura jubet, levia jubeo: Onus ejus grave, sarcina mea levis est: jugum ejus asperum est, jugum meum leve est. Noli velle ab avaritia possideri, Jubet avaritia ut mare transeas, & obtemperas: jubet ut te ventis procellisque committas: jubeo ego ut ante ostium tuum ex eo quod habes des pauperi: piger es ad faciendum ante te opus bonum, & strenuus es ad transeundum mare. Quia avaritia imperat, servis; quia Deus jubet, odisti;* (inquit Sanctus Augustinus Enarratione in Psalmum CXXVIII.) Deum non invocat avarus, sed lucrum. *Invocas Deum, quando in te vocas Deum. Hoc est enim illum invocare, illum in te vocare, quodammodo eum in domum cordis tui invitare. Non autem auderes tantum Patrem familiàs invitare, nisi nosses ei habitaculum præparare. Si enim tibi dicat Deus, Ecce invocasti me, venio ad te, quò intrabo? Tantas sordes conscientiæ tuæ sustinebo? Si servum meum in domum tuam invitares, nonne priùs eam mundare curares? Invocas me in cor tuum, & plenum est rapinis, plenum est fraudibus, plenum est malis concupiscentiis.... De talibus denique quid ait in alio loco Psalmus?*

Cor avari ... fidem.

Deo non obedit avarus, sed pecuniæ.

Avarus Deum non invocat, sed lucrum.

De Avaritia.

Dominum non invocaverunt. Et utique invocaverunt, nec tamen invocaverunt... Dico homini avaro, Invocas Deum? Quare invocas Deum? Ut det mihi lucrum. Lucrum ergo invocas, non Deum. Quia hoc lucrum quod concupiscis, non potes habere per servum tuum, non potes habere per colonum tuum, per clientem tuum, per amicum tuum, per satellitem tuum, invocas Deum, ministrum lucri tui facis Deum: Viluit tibi Deus. Vis invocare Deum? Gratis invoca: Avare, an parum est tibi, si te impleat ipse Deus? Deus si ad te veniat sine auro & argento, non vis illum? Quid ergo tibi de his quæ fecit Deus sufficit, cui Deus ipse non sufficit? (inquit *S. Augustinus* Enarratione IV. in Psalmum XXX.) Pecuniam in Dearum numero apud veteres Romanos consecratam, *S. Augustinus* testatur Lib. IV. *De Civitate Dei*, cap XXI. Templum tamen habuisse nullum testis est Juvenalis: *Et si funesta pecunia Templo nondum habitas, nullas nummorum extruximus Aras.* Templum scilicet Aramque in corde suo illi dedicarunt avari; nullum aliud voluerunt, ut impensis parcerent. Hinc *Judas* pretium ex sacrilega Magistri sui venditione comparatum *Non projecit in sterquilinium, sed in Templum: nimirum talibus semper Diis Templum suum devoverat*; (inquit *Diogo Ostiensis*, Sermone *De Passione Domini.*) Huc spectat illud Osee x. *Vitis frondosa Israël, fructus adæquatus est ei: secundum multitudinem fructus sui multiplicavit Altaria, juxta ubertatem terræ suæ exuberavit simulacris.* Deo dicere non potest dives avarus, *Tuus sum ego, salvum me fac, quoniam justificationes tuas exquisivi.* Ille dicit, *Tuus sum*, qui potest dicere: *Ecce omnia reliquimus, & secuti sumus te.* Apostolorum itaque vox ista est, non omnium tamen. Nam & Judas Apostolus fuit, & in convivio Christi inter Apostolos recumbebat. Dicebat & ipse, *Tuus sum*, sed voce, non corde. *Venit, & introivit in eum Satanas, & cœpit dicere: Non est tuus, sed meus est. Denique ea quæ mea sunt cogitat; quæ mea sunt in pectore suo volvit? tecum epulatur, & mecum pascitur: à te panem accipit, à me pecuniam; tecum bibit, & mihi tuum Sanguinem vendit: tuus est Apostolus, & meus est mercenarius.* Verba sunt *S. Ambrosii*, Sermone XII. in Psalmum CXVIII.

Pecuniæ templum in corde suo dedicant avari.

Avari Deo renunciant.

Matth. 19.

Avaritia quàm grave malum.

Avaritiæ malum idem Pater disertè explicat, Lib. II. *De Officiis*, cap. XXVI. *Vetus* (inquit) *avaritia est, quæ cum ipsis divinæ legis cœpit oraculis, immo propter ipsam reprimendam lex Dei lata est. Propter avaritiam Balac putavit Balaam præmiis posse tentari, ut malediceret Populum Patrum: & vicisset avaritia, nisi Dominus à maledicto eum abstinere vetuisset. Propter avaritiam præcipitatus Achan in exitium deduxerat totam plebem parentum. Itaque Jesus Nave, qui potuit solem sistere ne procederet, avaritiam hominum non potuit sistere ne serperet. Ad vocem ejus Sol stetit, Avaritia non stetit, Sole itaque stante confecit Jesus triumphum, Avaritiâ autem procedente pene amisit victoriam. Quid fortissimum omnium Samsonem, nonne Dalila mulieris avaritia decepit? .... Influxit pecunia in gremium mulieris, & à viro discessit gratia. Feralis igitur avaritia, illecebrosa pecunia, quæ habentes contaminat, non habentes non juvat.*

Avaritia peccatum hominis in se ipsum.

S. Augustinus ... 36.

IV. Avaritia est peccatum hominis in se ipsum quatenus inordinato divitiarum amore, aut desiderio, vel delectatione in eis, pervertitur hominis affectus, ut ait S. Thomas. *Cupiditas* quippe *venenum est caritatis*; (inquit *S. Augustinus.*) Avaritia hominem duræ & indecoræ mancipiat servituti. Divitias non possidet, imò ab illis possidetur. *Ille enim habet aurum, qui novit uti auro; qui autem uti auro non novit, habetur, non habet; possidetur, non possidet. Estote domini auri, & non servi auri: quia & aurum Deus fecit, & te super aurum ipse fecit: Aurum fecit ad subsidium tuum, & te ad imaginem suam. Vide quod supra te est, & calcas quod infra te est*; (inquit *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum CXXIII.) Hinc etiam *S. Ambrosius* Lib. *De Nabuthe*, cap. XV. Avaros meritò *Viros divitiarum* à *Davide* nuncupatos observat Psalmo LXXV. *Dormierunt*, inquit, *somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Viros divitiarum appellavit, non divitias virorum, *Ut ostenderet eos non possessores divitiarum esse, sed à suis divitiis possideri. Possessio enim possessoris debet esse, non possessor possessionis. Quicunque igitur patrimonio suo tanquam possessione non utitur, qui largiri pauperi & dispensare non novit, is suarum servulus est, non dominus facultatum, qui alienas custodit ut famulus, non tanquam Dominus ut suis utitur. In hujusmodi ergo affectu dicimus quod vir divitiarum sit, non divitiæ virorum.* Et cap. XII. *Captiva est opulentia, paupertas libera. Servitis, divites, et miseram quidem servitutem, qui servitis errori, servitis cupiditati, servitis avaritiæ, quæ expleri non potest.* Et cap. V. *Tolerabilior conditio servulorum: illi enim hominibus serviunt, iste peccato. Semper in laqueis, semper in vinculis est: Nunquam liber compedibus, quia semper in criminibus.*

De Avaritia.

Avarorum dura & pudenda servitus.

Miserum avarorum statum, quia non solùm duram servitutem serviant, sed similes sint dæmoniacis, describit egregiè *S. Joannes Chrysostomus*, Homiliâ XXIX. in Matthæum. *Quid enim*, inquit, *miserius avaro? Nam dæmoniacus etsi homines contempserit, verbo tamen Christi abactis Dæmonibus liberatus est: Pecunia autem servus Christo non auscultat. Nam etsi quotidie Christum audit prædicantem*, Non potestis Deo servire & mammonæ: *Etsi gehennæ terror incutitur, ac inferni pœnæ imminere dicuntur, non credit tamen Christi verbo... Quis mentis compos cum hujusmodi hominibus conversabitur? Nam meâ quidem sententiâ, cum mille dæmoniacis habitandum potiùs esset, quàm cum uno qui hoc morbo laboraret. Nam aris quidem avidi etiam innocuos, nisi utiles sibi fiant, inimicos ducunt: & liberum hominem, si possent, libenter in servitutem suam redigerent, cùmque mille implicarent malis: dæmoniaci verò nihil hujusmodi faciunt, sed ipsi soli suo malo laborant. Et illi quidem multas domos evertunt, noménque Dei propter ipsas blasphemare faciunt: communis ærumna civitatum, atque orbis totius sunt: dæmonibus autem exagitati, lachrymas nobis ita movent, ut eorum facilè misereamur: & isti non sentiunt plerumque quod agunt; illi præmeditati omnia faciunt, in mediis urbibus bacchantes, ac novam insanientes insaniam. Quando enim omnes simul dæmoniaci tantùm facinoris commisere, quantùm Judas solùm commisit, qui ad extremam cupiditatem turpi pecuniarum ardore devectus est, pariterque omnes qui avaritiam illius imitantur? .... Et vincula quidem etiam his undique injecta sunt: judicii timor, legum terror, multorum odia: sed hic ruptis omnia perturbant: quòd si quis hos nexus omnino ab iis auferret, tunc videres pejore hoc Dæmone quàm dæmoniacos, ac fortiore vexari.*

Avari dæmoniacis similes.

Matth. 6. 24.

Curationem suam adeo refugiunt, ut etiam cœlestem Medicum irrideant. Luc. XVI. Cùm Christus propositâ Parabolâ de villico iniquitatis auditores suos ad erogandas eleemosynas hortatus esset, dixissétque neminem Deo & Mammonæ servire posse, notat Evangelista,

Penè insanabile avaritiæ malum.

De Avaritia.

quòd *Audiebant omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, & deridebant illum.* Quapropter difficillimam esse divitum salutem, Christus Dominus asseruit (Matth. XIX.) *Amen dico vobis, Quia dives difficilè intrabit in Regnum cœlorum. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in Regnum cœlorum. Auditis autem his Discipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit salvus esse? Aspiciens autem Jesus dixit illis: Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Et Matth. XIII. Parabolam sementis explicans: *Sollicitudo* (inquit) *seculi istius, & fallacia divitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur.*

Divitum salus difficilis.

Hinc *S. Petrus Chrysologus* Sermone XXIX. *Aurum* (inquit) *natura grave, gravius fit avaritiâ, plus habentem deprimit, quàm ferentem, & vehementius aggravat corda, quàm corpora. Nascitur in terræ profunda, sectatur ipsa mentium fundamenta, perque ima venarum cæcis discurrit anfractibus: & dum suam semper repetat ad naturam, cœlestes animos ad inferna deponit.* Et infrà: *Auri furor ardentius humano fervet in pectore, quàm caminus totus igneis incendiis: & acrius homines dissolvit, quàm solvitur in calore flammarum. Crudelitatis dominus, sævus hostis, amando lædit, nudat ditando, ipsum etiam captivat aspectum, fidem frangit, violat affectum, vulnerat caritatem, turbat quietem, adimit innocentiam, docet furtum, suadet fraudem, imperat latrocinium.* Ex quibus colligit quòd, *Aurum erogare, bonum; repetere, malum; contemnere validum: fugere perfecturum: quod sicut vincere virtutis, ita felicitatis est evasisse.*

Hinc *Salvianus* Lib. II. Ad Ecclesiam Catholicam: *Non est* (inquit) *quòd competere quisquam aut non obesse divitias Religioni putet. Impedimenta hæc sunt, non adjumenta; onera, non subsidia: Possessione enim & usu opum non suffulcitur Religio, sed evertitur.* Hinc denique *S. Bernardus* Epistolâ III. *Si sapis,* (inquit) *si habes cor, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine jam ea sequi, quæ & assequi miserum est. Beatus qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant.*

Quæ tamen non eo dicuntur animo, ut divitiæ secundùm se malæ existimentur, sed perversus earum amor, & pravus usus. Ait namque Deus per *Aggæum* Prophetam; *Meum est aurum, & meum est argentum.* Quem locum expendens *S. Augustinus*, Sermone L. aliàs *De Diversis* XV. necnon trigesima inter Homilias quinquaginta, cap. II. ait: *Vis videre quàm justo judicio res est aurum & argentum? Avarus inde torquetur, unde misericors adjuvatur. Rem etiam divinâ distribuente justitiâ, & rectè facta inde manifestantur, & peccata inde puniuntur. Namque aurum & argentum atque omnis terrena possessio & exercitatio humanitatis est, & supplicium cupiditatis. Cùm talia Deus bonis hominibus tribuit, ostendit in eis quanta contemnat animus, cujus divitiæ sunt ipse qui tribuit. Non enim potest quisque apparere contemptor, nisi hujus rei cujus possessor effectus est. Nam & qui non habent, possunt ista contemnere: sed utrum fingant, an verè contemnant, Deus videt qui cordis inspector est: hominibus autem, ut imitari possint, cogitatio contemnentis non nisi in manibus erogantis inspicitur. Cùm autem malis hominibus Deus ista concedit, ostendit in eis quomodo & in ipsis bonis quæ Deus largitur, cruciatur animus, cui vilavit qui tanta largitur. Bonis enim subministrat occasiones beneficiorum: malos torquet, timore damnorum. Et ideo si amittant utrique aurum & argentum, isti cœlestes divitias late corde retinebunt; illis autem & bonis temporalibus inanis domus, & bonis æternis inanior conscientia remanebit. Illius est ergo aurum & argentum, qui novit uti auro & argento: nam etiam inter ipsos homines tunc quisque habere aliquid dicendus est, quando bene utitur. Nam quod justè non tractas, jure non tenet. Quod autem jure non tenet, si suum esse dixerit, non erit vox justi possessoris, sed impudentis incubatoris improbitas. Quapropter si homo non importunè dicit aliquid suum, non quod iniquâ & stultâ cupiditate occupaverit, sed quod prudentissima potestate & justissima moderatione retractaverit; quantò magis Deus verè ac propriè suum dicit esse aurum & argentum, quod & largissima bonitate condidit, & justissima administrat imperio; ut sine ipsius nutu atque dominatu, nec mali ad avaritiæ supplicium, nec boni ad usum misericordiæ possint habere aurum & argentum. Si autem solis malis in potestatem daretur aurum & argentum, rectè putaretur malum: si solis bonis, rectè putaretur magnum aliquid bonum. Rursùs si solis malis deesset, videretur magna pœna paupertas: si autem solis bonis deesset, videretur summa beatitudo paupertas. Nunc verò si scire vis aurum posse bene haberi, habent & boni: si scire vis non eos per aurum bonos esse, habent & mali. Item si scire vis quàm non sit miseria paupertas, sunt quidam pauperes beati: si scire vis quàm non sit beatitudo paupertas, sunt quidam pauperes miseri. Ita ergo aurum & argentum distribuit hominibus conditor rerum & administrator Deus, ut ipsum per se naturâ & genere suo bonum sit, quamvis non summum & magnum bonum, & pro gradu sui ordinis laudabilem Conditorem universitatis ostendat; copia verò ejus non extollat bonos, nec elidat inopia; malos autem & cùm offertur excæcet, & cùm aufertur exurat.* Quamobrem Spiritus Sanctus per os Siracidis ait: Ecclesiastici X. *Nihil est iniquius quàm amare pecuniam. Hic enim & animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua.*

Avarus in seipsum iniquus.

Iniquus revera in seipsum est avarus, qui se veris bonis defraudat, & in summa divitiarum affluentia inops & indigus est. Unde Psalm. XXXIII. dicitur: *Divites eguerunt, & esurierunt.* Et Luc. I. *Divites dimisit inanes.* Eandem avari in seipsum iniquitatem Sapiens expressit, *Ecclesiastis*, cap. IV. *Considerans reperi & aliam vanitatem sub Sole: unus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis: nec recogitat, dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis?* Et cap. V. *Avarus non implebitur pecunia: & qui amat divitias, fructum non capiet ex eis: & hoc ergo vanitas. Ubi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis? Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multùm comedat: saturitas autem divitis non sinit eum dormire. Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub Sole: divitiæ conservatæ in malum Domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima: generavit filium, qui in summa egestate erit. Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur, & nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsùs infirmitas: Quomodo venit, sic revertetur. Quid ergo prodest ei quòd laboravit in ventum? Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna atque tristitia.* Temporales divitiæ animam non satiant, quia finitæ sunt, corporeæ, transitoriæ; Anima verò incorporea est secundùm substantiam, sempiterna secundùm durationem; infinita secundùm capacitatem. *Animum Dei capacem quicquid Deo minus est non implebit.* (inquit Sanctus Augustinus.)

Non malæ per se divitiæ, sed perversus earum amor, & pravus usus.

Aggæi 2.

DE PECCATIS.

S. Ambrosius Lib. *De Nabuthe*, cap. IV. expendens cur de *Achab* Rege dicatur, *Et non manducavit panem suum*, III. Regum cap. XXI. *Divites* (inquit) *magis alienum panem, quàm suum manducant, qui rapto vivunt, & rapinis sumptum exercent suum. Aut certè non manducavit panem suum, volens se morte multare quod ei aliquid negaretur. Compara nunc affectum pauperis. Nihil habet, & jejunare voluntarius nisi Deo nescit, jejunare nisi ex necessitate non novit. Divites, eripitis quidem pauperibus universa, aufertis omnia, nihil relinquitis: pœnam tamen pauperum vos potius, divites, sustinetis. Illi jejunant, si non habeant, vos cùm habetis. A vobis igitur prius pœnam exigitis, quàm pauperibus irrogatis. Vos igitur vestro affectu luitis miseræ paupertatis ærumnas: & pauperes quidem non habent quo utantur; vos autem nec ipsi utimini, nec alios uti sinitis. Eruitis aurum de metalli venis, sed rursum abscondistis illud. Quantarum vitas in illo infoditis auro!*

Divitis avari egestas.

Et cap. VI. locum illum Evangelii explicans, Luc. XII. *Quid faciam? Destruam horrea mea*, &c. ait: *In ubertate fructuum vocem egentis mittit.* Quid faciam? inquit. *Nonne hæc pauperis vox est, non habentis subsidia vivendi? Clamas se dives non habere. Paupertatis hic sermo est... Miserior iste fœcunditatibus suis, quàm pauper, cui periculum de egestate est. Habet ille unde excuset ærumnam, habet certè injuriam, non habet culpam: iste non habet quem præter se arguat.* Et cap. II. *O dives, nescis quàm pauper sis, quàm inops tibi ipse videaris, qui te divitem dicis! Quantò plus habueris, plus requiris, & quicquid acquisieris, tamen tibi adhuc indiges. Inflammatur lucro avaritia, non restinguitur. Quasi quosdam gradus cupiditas habet: quò plures ascenderit, eò ad altiora festinat; unde sit gravior ruina lapsuro. Tolerabilior tamen iste cùm minus haberet: census sui contemplatione mediocria requirebat; accessione patrimonii accessit cupiditatis augmentum. Non vult esse degener votis, pauper in desideriis. Ita duo intolerabilia simul jungit, ut ambitiosam spem divitiis augeat, & non deponat mendicitatis affectum. Denique docet nos Scriptura Divina quàm miserè egeat, mendicet abjectè. Rex Achab in Israel erat, & pauper Nabuthe. Ille Regni opibus affluebat: iste angusti soli cespitem possidebat. Nihil pauper de possessionibus divitis concupivit: Rex sibi egere visus est, quia vineam habebat pauper vicinus. Quis igitur tibi pauper videtur, qui contentus est suo, an qui concupiscit alienum? Alter certè pauper censu videtur, alter est pauper affectu.* Et cap. II. *Pauperiorem se judicat omnis abundans; quia sibi deesse arbitratur, quicquid ab aliis possidetur. Toto Mundo eget, cujus non capit Mundus cupiditatem: ejus autem qui fidelis est, totus Mundus divitiarum est.*

Fideli totus mundus divitiarum est.

Perituras illas divitias egestatem non auferre, *S. Augustinus* pariter ostendit, Sermone 5. *Cùm* (inquit) *hoc genus rerum Dominus in Evangelio Mammona iniquitatis appellat, significat alterum esse Mammona, id est, alias divitias, quas nisi justi & boni possidere non possunt, ut ideo Mammona iniquitatis vocetur, quia iniquitas eas vocat divitias. Justitia verò novit esse alias divitias, quibus homo adornatur interior: sicut Beatus Petrus dicit,* Qui est ante Deum dives. *Illæ justæ dicuntur divitiæ, quia bonis meritis justisque tribuuntur. Illæ veræ dicuntur divitiæ, quia quisquis eas habuerit, non egebit. Istæ verò injustæ divitiæ, non quia injustum est aurum & argentum, sed quia injustum est eas putare divitias, quæ non auferunt egestatem. Tantò enim magis quisque ardebit egestate, quantò magis eas diligens majores habuerit. Quomodo ergo sunt divitiæ, quibus crescentibus crescit inopia; quæ amatoribus suis quando fuerint ampliores, non afferunt satietatem, sed inflammant cupiditatem? Divitem tu putas, qui minus egeret, si [illegible] haberet? ... Major pecunia fauces avaritiæ non claudit, sed extendit: non irrigat, sed accendit. Poculum respuunt, quia fluvium sitiunt. Utrùm ergo ditior an egentior dicendus est, qui cùm ideo velint habere aliquid ne indigeret, ideo plus habet ac minus indigeat?*

Perituræ divitiæ non auferunt egestatem.

1. Petri 3.

De Avaritia.

Idem Sermone LXI. aliàs V. *De Verbis Domini*, cap. III. *Habes aurum* (inquit) *habes argentum: & concupiscis aurum, & concupiscis argentum. Et habes, & concupiscis; & plenus es, & sitis. Morbus est, & non opulentia. Sunt homines in morbo, humore pleni sunt, & semper sitiunt. Quomodo ergo delectas opulentiam, qui habes hydropem concupiscentiam?*

Avaritia spiritualis hydropisis.

Libido & Avaritia dicuntur à Sapiente Proverb. IV. *Sanguisugæ duæ filiæ, dicentes, affer, affer.* Insatiabilis quidem utraque est, sed magis, avaritia, quæ nec in ipsa hominis senectute expleri potest. Communes sanguisugæ concidunt satietate, & pondere ipso sanguinis detractæ, aut sale aspersæ, ut referunt Naturalis Historiæ Scriptores. Avari autem qui se in terrenas opes ingurgitant, nec earum copiâ & pondere concidunt: nec divinis monitis, & Concionatorum piorúmque virorum sapientiâ salutaribúsque verbis tanquam sale aspersi, ab avaritiæ ardore ullo modo refrigescunt vel revocantur.

Avaritia sanguisuga.

V. Avaritia denique peccatum est in proximum, quia exterioribus divitiis non potest unus homo superabundare, nisi alteri deficiant; quia bona temporalia simul à multis possideri non possunt; (inquit *S. Thomas.*) Quàm immanis sit in proximum avaritia, Propheticis Oraculis ostenditur, Jerem. II. *In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum & innocentium.* Et Michææ VI. *Ignis in domo impii, thesauri iniquitatis.* Instar enim ignis vicina quæque consumit, devastat, evertit. Avaritia crudelis est illa *Jezobel* quæ *Nabuthem* falsis testimoniis opprimit, perditque, ut ejus vineam Regi *Achab* tradat possidendam (III. *Regum* cap. XXI.) Quâ de re *S. Ambrosius*, Lib. *De Nabuthe*, cap. I. ita scribit: *Nabuthe Historia tempore vetus est, usu quotidiana. Quis enim divitum non quotidie concupiscit aliena? Quis opulentissimorum non exturbare contendit agellulo suo pauperem, atque inopem aviti ruris eliminare finibus; quis contentus est suo? Cujus non inflammat divitis animum vicina possessio? Non igitur unus Achab natus est: sed, quod pejus est, quotidie Achab nascitur, & nunquam huic sæculo moritur. Si unus occidit, assurgunt plurimi: plures qui rapiant, quàm qui amittant. Non unus Nabuthe pauper occisus est, quotidie Nabuthe sternitur, quotidie pauper occiditur.*

Avaritia peccatum est in proximum.

Crudelitas avaritiæ.

Plures qui rapiant, quàm qui amittant.

S. Joannis Chrysostomi cùm ubique triumphet eloquentia, tum maximè in avari crudelitate describenda, Homiliâ XXIX. in Matthæum. *Fingite* (inquit) *videre tetrum quemdam hominem, qui ab oculis ignem emittat, cui ex utroque humero dracones pro manibus dependeant, cujus os caverna instar magnitudine sit, in quo pro dentibus acuti enses stent, ex lingua venenosus fons scaturiat: venter omni fornace sit voracior, cuncta quæ immittuntur subitò consumens, pedes alati, quavis etiam flamma vehementiores: facies canis ac lupi simul, nec hominis vocem emittat, sed insuave quiddam ac terribile mugiat; faces præterea in manibus teneat. Imaginemur illud obvios quosque jugulare, carnes eorum lacerare, ac devorare: multò truculentior est avarus, in omnes ut mors insiliens,*

Avari vera effigies.

De Avaritia.

omnes ut infernus deglutiens, communis generis humani hostis, quippe qui vellet nullum hominem esse, ut omnia possideret. Neque hic sistit gradum; sed cùm omnes perdiderit cupiditate sua, etiam terra substantiam cupit abolere, ac ipsam in aurum conversam vellet aspicere. Verùm ut videatis nondum « nos insaniam illorum oratione assecutos, fingamus à nemine ipsum accusari, nullum ipsi terrorem imminere, non à judiciis, non à consuetudine hominum, non à legibus, & tunc videbis ipsum arrepto ense, omnes interimere, « nulli parcere, non amico, non cognato, non « fratri, non ipsis parentibus. Interrogate avarum, « si non hæc secum quotidie versat, si non omnes cogitatione invadat amicos, cognatos, parentes. Ac nec interrogare quidem ipsum opus est. Scitis enim quod *Qui hoc morbo premuntur, & vitam parentum suorum graviter ferunt, & dulce illud ac natura suavissimum liberorum donum grave ac molestum esse censent. Unde factum est ut multi sterilitatem uxorum herbis procuraverint, & naturam orbam effecerint, qui etsi filios natos non interfecerunt, attamen ne omnino nascerentur, effecerunt.*

Denique quàm exitialis proximo sit avaritia, manifestum est ex latrociniis, rapinis, usuris, contractibus injustis, litibus improbis, monopoliis, iniquis exactionibus, quibus pauperes vexantur, opprimuntur, spoliantur. Idémque probat divitum avarorum in pauperes ferreum pectus, quorum miseriis non moventur; quos dum non pascunt, occidunt. Unde Concilia eos qui res pauperum inopiæ sublevandæ destinatas retinent; (Eadem autem est ratio eorum qui eleemosynam non erogant extremam necessitatem patientibus:) *Necatores pauperum* appellant. Ita Concilium Carthaginense iv. Canone xcv. & Aurelianense v. Canone xv.

Avaritiæ effigies à S. Cypriano adumbrata.

Præclarum *S. Cypriani* locum de avaritia, Epistolâ 1. ad *Donatum*, temperare mihi non possum quin referam. *Sed & quos divites opinaru* (inquit) *continuantes saltibus saltus, & de confinio pauperibus exclusis infinita ac sine terminis rura latius porrigentes, quibus argenti & auri maximum pondus, & pecuniarum ingentium vel exstructi aggeres, vel defossi strues; hos etiam inter divitias suas trepidos cogitationis incerta sollicitudo discruciat, ne prædo vastet, ne percussor infestet, ne inimica cujusque locupletioris invidia calumniosis litibus inquietet. Non cibus securo, somnúsve contingit. Suspirat ille in convivio, bibat licet gemmas, & cùm epulis marcidum corpus torus mollior alto sinu condiderit, vigilat tamen in pluma: nec intelligit miser speciosa sibi esse supplicia, auro se alligatum teneri, & possideri magis quàm possidere divitias atque opes. O detestabilis cæcitas mentium, & cupiditatis insanæ profunda caligo! Cùm exonerare se possit, & levare ponderibus, pergit magis fortunis augentibus incubare, pergit pœnalibus cumulis pertinaciter adhærere. Nulla in clientes inde largitio est, cum indigentibus nulla partitio, & pecuniam suam dicunt, quam velut alienam domi clausam sollicito labore custodiunt, ex qua non amicis, non liberis quidquam, non sibi denique impertiunt. Possident ad hoc tantùm, ne possidere alteri liceat... Et ò nominum quanta diversitas! Bona appellant, ex quibus nulla illis nisi ad res malas usus est.*

ARTICULUS II.

De Avaritia.

Rationes explicantur propter quas Christiani ab Avaritia deterreri debent.

CHristianos ab avaritiâ deterrere debet opum vanitas & fallacia, spiritualium excellentia bonorum; Vitæ Christianæ conditio, quæ via est ad meliorem & cœlestem, æternamque Patriam; Christi verba, divites avaros damnantis, pauperes spiritu commendantis, & *Beatos* prædicantis, *quoniam ipsorum est Regnum cælorum*, Discipulis tandem suis jubentis ut avaritiam omnem fugiant. Luc. 12. *Videte, & cavete ab omni avaritia: quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet.* Ejusdem Salvatoris exemplum, qui *propter nos egenus factus est, cùm dives esset, ut illius inopia divites essemus:* Et qui *Non habuit ubi reclinaret caput suum.* Qui ex paupere matre in stabulo natus, & in præsepi exceptus, pauperes Discipulos elegit, pauperem cum pauperibus vitam duxit, nudus in cruce mori voluit. *Turpe est, & nimis pudendum & dolendum;* (inquit *S. Augustinus* Sermone CLXXVII.) *si cultores idolorum inventi sunt avaritiæ domitores, & cultor Dei unius ab avaritia subjugetur, & fiat avaritiæ mancipium, cujus Sanguis sit pretium..... Hujus familia facti sumus, in hujus familiam adoptati sumus, hujus filii non nostris meritis, sed ipsius gratiâ sumus. Nimis grave est, & nimis horribile, ut avaritia nos teneat in terris; cùm illi dicamus,* Pater noster, qui es in cælis, *cujus desiderio vilescunt omnia, nec nata nobis sunt inter quæ nati sumus, quia propter illum renati sumus. Sint hæc ad necessitatis usum, non ad caritatis affectum: sint tanquam stabulum viatoris, non tanquam prædium possessoris. Refice, & transi. Iter agis, attende ad quem venisti; quia magnus est qui ad te venit. Discedendo de hac vita, locum facis venienti: stabuli est ista conditio: cedes, ut alius accedat. Sed si vis ad locum tutissimum pervenire, Deus à te non recedat, cui dicimus,* Deduxisti me per « semitas justitiæ tuæ, propter nomen tuum: « *Non propter meritum meum. Aliud est ergo iter mortalitatis, aliud iter pietatis. Iter mortalitatis commune est, illuc enim ambulant omnes nati: Illuc non nisi renati. Ad illud pertinet nasci, crescere, senescere, mori. Propter hoc necessarius est victus & tegumentum, sufficientes sint hujus itineris sumptus. Quare te gravas, quare tantùm portas in via brevi, non unde ad hanc viam finiendam juveris, sed unde potiùs graviùs onereris? Nimium quippe mirabile est, quod tibi vis ut contingat: Oneras te, multùm portas, premit te in hac via pecunia, & per hanc viam premit te avaritia. Avaritia enim cordis est immunditia. Nihil tollis de hoc mundo, quem amasti, sed tollis vitium, quod amasti. Si perseveranter amas Mundum; qui fecit Mundum, non te invenit mundum. Si ergo in usum temporalem moderata pecunia sit viatici, in eo fine constituto qui scriptus est: Sine amore* (inquit) *pecunia, modus sufficiens est præsentibus. Vide ante omnia quid præstruxit: Sine amore* (inquit) *ita manum mitte, ut cor inde solvas. Nam si pecunia per amorem cor alligare volueris, inseris te doloribus multis: & ubi erit,* Tu autem homo Dei hæc fuge? *Non enim ait: Relinque, & desere: Sed, Fuge, quasi hostem. Quærebas fugere cum auro, fuge aurum: Cor tuum fugiat, & servus est tuus*

2. Cor. 8.

Matth. 8. 20.

Desiderio Dei omnia vilescunt.

Bona temporalia stabula sint viatoris, non prædia possessoris.

Psal. 22.

Avaritia cordis immunditia.

Hebr. 13. 5.

1. Tim. 6.

De Avaritia. *suus. Cupiditas non sit, pietas tamen non desit; est quod facias de auro, si dominus es auri, non servus. Si dominus auri es, facis de illo quod bonum est: si* Servum facit cupiditas, liberum caritas. *servus, facis de te quod malum est. Si dominus auri es, vestitus de te Dominum laudat: Si servus auri es, spoliatus de te blasphemat. Servum autem te facit cupiditas, liberum caritas. Inde servus, si non fugeris.* Tu autem ô homo Dei, hæc fuge. *In hac caussa si non vis esse servus, esto fugitivus. Audisti quid fugias, habes & quod sectaris. Non enim inaniter fugis, aut sic relinquis ut non apprehendas. Sectare ergo justitiam, fidem, pietatem, caritatem.* Veræ divitiæ. *Hæ te divitem faciant. Hæ divitiæ tutæ sunt: fur ad eas non accedit, nisi mala voluntas ei dederit locum. Muni arcam interiorem, hoc est, conscientiam. Has divitias non tibi latro, non quilibet potentissimus inimicus, non irruens hostis aut barbarus, non denique naufragium poterit auferre, unde si nudus exeas, plenus exis. Neque enim verè inanis erat, quamvis forinsecus nihil habere videretur, qui dice-* Job. 1. *» bat:* Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut » Domino placuit, ita factum est: Sit nomen » Domini benedictum. *Laudabilis ista plenitudo, ingentes divitiæ: inanis auro, plenus Deo: inanis omni transitoria facultate, plenus sui Domini voluntate. Quid quæritis aurum tantis laboribus & peregrinationibus? Amate has divitias, & modò impleminis: fons earum non latet, si cor patet: aperit cor clavis fidei, & aperit & mundat ubi ponas. Noli tibi angustus videri: divitiæ tuæ Deus tuus, quando intravit, ipse dilatavit. Ergo, sine amore pecuniæ, modus sufficiens est præsentibus: Quare præsentibus?* 1. Tim. 6. *» quia,* Nihil intulimus in hunc mundum, nec » auferre aliquid possumus: *Ideo præsentibus, non futuris. Sed quæ res decipit hominem ad avaritiam compulsum? Quid si diu vivo? Qui das vitam, dat unde vita sustentetur. Postremò sint reditus, quare quæritur & thesaurum? Redit aliquid de negotio, redit aliquid de artificio, redit aliquid de pretio: sufficiat, non thesaurizetur, ne ubi pones thesaurum tuum, ibi remaneat & cor tuum, & ut sursum sic frustra audias, falsumque respondeas. Quando enim respondes ad illum sacratissimum verbum, * & verè subsisti-* * Sursum corda. Habemus ad Dominum. *bis, ab ipso corde intus non accusaris? Quamvis pressum & oppressum cor tuum, non tibi intus dicit, Sub terra me posuisti, quare mentiris? Ergone tibi non dicit, Nonne ibi sum ubi thesaurus tuus? Ergo mentiris. An verò ille mentitur, qui dixit,* Ubi Matth. 6. enim fuerit thesaurus tuus, illic erit & cor tuum? *Tu dicis, Non illic erit. Veritas dicit, Illic erit. Sed non illic erit, quia non amo, fac & proba.* Ad cœlorum Regnum festinamus, hujus itaque Mundi impedimenta relinquere debemus. In cujus rei figuram *Elias* igneo curru in cœlum raptus, pallium *Elisæo* Discipulo dimisit, ut *Sanctus Hieronymus* observat. *Elias ad cœlorum Regnum festinans, ire non potest cum pallio, sed mundi in Mundo vestimenta dimisit.* Christianorum igitur gloria & divitiæ, Evangelica paupertas, juxta illud *S. Ambrosii*: *Meum ergo paupertas Christi patrimonium est.* Et Epistolà LXIII. ad Ecclesiam Non census divitem facit, sed animus. Vercellensem: *Ille est dives in Ecclesia, qui fide dives est: fideli enim totus Mundus divitiarum est.... Non census divitem, sed animus facit.... Non naturam paupertas, sed opinio facit, ideòque cito invenitur dives natura, difficile cupiditas. Quid quasi necessarium quæritis cumulum divitiarum? Nihil tam necessarium, quàm cognoscere quod non sit necessarium.*

Nemo potest [illegible] Hinc *Minucius Felix*, in Octavio: *Ceterùm (inquit) quòd plerique pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria. Animus enim, ut luxu solvitur, ita frugalitate firmatur. Et tamen quis potest pauper esse, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo dives est? Magis pauper ille est, qui cùm multa habeat, plura desiderat. Dicam tamen quemadmodum sentio: Nemo tam pauper potest esse, quàm natus est. Aves sine patrimonio vivunt, & in diem pascua pascuntur: & hæc tamen nobis nata sunt: quæ omnia si non concupiscimus, possidemus. Igitur qui viam terit, eò felicior, quo levior incedit: ita beatior in hoc itinere vivendi qui paupertate se sublevat, non sub divitiarum onere suspirat. Et tamen facultates, si utiles putaremus, à Deo posceremus. Utique indulgere posset aliquantum, cujus est totum. Sed nos contemnere malumus opes, quàm continere. Innocentiam magis cupimus, magis patientiam flagitamus: malumus nos bonos esse, quàm prodigos.* Ita Christianorum omnium nomine loquitur, quorum agit causam apud Ethnicos.

Hinc *S. Cyprianus*, Epistolà 1. *Quem Deus divitem fecerit, nemo pauperem faciet. Penuria esse nulla jam poterit, cui semel pectus cœlestis sagina saturavit. Jam tibi auro distincta laquearia, & pretiosi marmoris crustis vestita domicilia sordebunt, cùm scieris te excolendum magis, te potiùs ornandum, domum tibi hanc esse potiorem, quam Dominus insedit templi vice, in qua Spiritus-Sanctus cœpit habitare. Pingamus hanc domum pigmentis innocentiæ, illuminemus luce justitiæ. Non hæc unquam procumbet in lapsum senio vetustatis, nec pigmento parietis, aut auro exolescente fœdabitur. Caduca sunt, quæcumque fucata sunt; nec fiduciam præbent possidentibus stabilem, quæ possessionis non habent firmitatem. Hæc manet cultu jugiter vivido, honore integro, splendore diuturno, aboleri non potest, nec extingui; potest tantùm in melius corpore redeunte formari.*

ARTICULUS III.

REGULÆ MORUM

Circa Avaritiam.

REGULA I.

Avaritia quatenus opponitur justitiæ, ex genere suo mortale peccatum est, quamvis interdum esse veniale peccatum contingat propter imperfectionem actus, aut materiæ levitatem.

AVaritia scilicet immoderationem quamdam circa divitias importat dupliciter: (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CXVIII. Articulo III.) *Uno modo, immediatè circa ipsam acceptionem & conservationem divitiarum, in quantum aliquis acquirit pecuniam ultra debitum, aliena surripiendo, vel retinendo: & sic opponitur justitiæ.* Et hoc modo accipitur avaritia *Ezechielis* XXII. ubi dicitur: *Principes ejus in medio ejus quasi lupi rapientes prædam, ad effundendum sanguinem, & avarè lucra sectanda.* Alio modo importat immoderationem *circa interiores affectiones divitiarum: putà, cùm quis nimis amat divitias, aut nimis delectatur in eis, etiamsi nolit rapere aliena.* Et hoc *modo avaritia opponitur liberalitati, quæ moderatur hujusmodi affectiones.* Et sic accipitur avaritia II. ad Corinthios IX. *Necessarium existimavi rogare fratres ut præveniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, non tanquam avaritiam.* Avaritia igitur quatenus opponitur justitiæ, *Ex ge-*

De Avaritia.

nere suo est peccatum mortale. Si enim ad avaritiam pertinet quòd aliquis injustè accipiat, vel retineat res alienas, pertinet ad rapinam, vel furtum, quæ sunt peccata mortalia; (inquit S. Thomas Articulo IV.) Hominibus hâc avaritiæ labe infectis convenit illud *Sapientiæ* XV. Cap. *Æstimaverunt lusum esse vitam nostram, & conversationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere undecumque, etiam ex malo acquirere.*

Sacræ Scripturæ maledictiones adversùs avaros.

Hanc Regulam firmant maledictiones adversùs avaros in Sacris Litteris exaratæ. Isaiæ V. *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci: numquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Et Cap. XXXIII. *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis?* Habacuc II. *Væ ei qui multiplicat non sua! Usquequo & aggravat contra se densum lutum?* AVARO *quippe contra se densum lutum aggravare, est terrena lucra cum pondere peccati cumulare,* (inquit *S. Gregorius*, III. P. *Pastoralis*, Admonitione XXI.) Syriacus vertit, *Nubem luti*, quia nimirum opes sordidarum affectionum & scelerum nubes exhalant quibus involuta mens & oppressa, in somma cœlestium rerum caligine & ignoratione versatur. Idem Propheta, ibidem: *Væ*, inquit, *qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, & liberari se putat de manu mali. Cogitasti confusionem domui tuæ, concidisti populos multos, & peccavit anima tua. Quia lapis de pariete clamabit: & lignum quod inter juncturas est ædificiorum respondebit. Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, & præparat urbem in iniquitate.* Amos VI. *Væ qui opulenti estis in Sion!.... Qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterii.... Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti: & nihil patiebatur super contritione Joseph.* Lucæ VI. *Væ vobis divitibus,* (inquit Christus) *quia habetis consolationem vestram.* Jacobi V. *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt: & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginavit: & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Hinc Proverb. XXVIII. scriptum est: *Qui festinat ditari, non erit innocens.* Ut enim ait *S. Gregorius* loco supra laudato: *Qui augere opes ambit, vitare peccatum negligit: & more avium captus, cùm escam terrenarum rerum avidè conspicit, quo stranguletur peccati laqueo non agnoscit. Cum quælibet præsentis Mundi lucra desiderant, & ea quæ de futuro damna patiantur, ignorant, audiant quod scriptum est:* Hereditas ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit. *Ex hac quippe vita initium ducimus, ut ad benedictionis sortem in novissimo veniamus. Qui itaque in principio hereditari festinant, sortem sibi in novissimo benedictionis amputant: quia dum per avaritiæ nequitiam hic multiplicari appetunt, illic ab æterno patrimonio exheredes fiunt. Cùmque plurima ambiunt, vel obtinere cuncta quæ ambierint, possunt, audiant quod scriptum est:* Quid prodest homini si totum Mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum faciat? *Ac si apertè Veritas dicat: Quid prodest homini si totum quod extra se est congregat, si hoc ipsum solum quod ipse est, damnat?*

Proverb. 20.

Matt. 6.

REGULA II.

Avaritia, quatenus opponitur liberalitati, veniale peccatum est, nisi caritati adversetur: tunc enim est lethale peccatum.

De Avaritia.

AVaritia enim sic accepta, est inordinatus amor divitiarum. *Si ergo in tantum amor divitiarum crescat, quòd præferatur caritati, ut scilicet propter amorem divitiarum aliquis non vereatur facere contra amorem Dei & proximi; sic avaritia est peccatum mortale. Si autem inordinatio amoris intra hoc sistat, ut homo, quamvis superflue divitias amet, non tamen præferat earum amorem amori divino: ut si propter divitias non velit aliquid facere contra Deum & proximum; sic avaritia est peccatum veniale;* (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CXVIII. Articulo IV.) Quod ex S. *Augustino* confirmatur Lib. *De Fide & Operibus*, Cap. XVI. explicante locum Apostoli I. ad Corinthios III. *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc*, &c. ubi præmisit fundamentum esse Christum, & fidem Christi, quæ per dilectionem operatur, ait: *Porrò si circa divitias suas carnali quodam teneretur affectu, quamvis ex eis multas eleemosynas faceret, nec ad eas augendas fraudis aliquid rapinæque moliretur, aut earum minuendarum vel amittendarum metu in aliquod facinus flagitiúmve laberetur; (alioquin jam se isto modo ab illius fundamenti stabilitate subtraheret:) sed propter carnalem, ut dixi, quem in eis haberet affectum, quo talibus bonis sine dolore carere non posset, ædificaret super fundamentum illud ligna, fœnum, stipulam: maximè si & uxorem sic haberet, ut etiam propter ipsam cogitaret ea quæ sunt Mundi, quomodo placeret uxori. Hæc igitur quoniam affectu dilecta carnali non sine dolore amittuntur, propterea quia ea sic habent, ut habeant in fundamento fidem, quæ per dilectionem operatur, neque huic ista ulla ratione vel cupiditate præponant, in eorum amissione passi detrimentum per ignem quemdam doloris perveniunt ad salutem. A quo dolore atque detrimento tantò est quisque securior, quantò ea vel minùs amaverit, vel tanquam non habens habuerit. Qui verò propter illa vel tenenda vel adipiscenda, homicidium, adulterium, fornicationem, idololatriam, & similia quæque commiserit, non propter fundamentum per ignem salvabitur, sed amisso fundamento æterno igne torquebitur.* Si quis igitur ex cupiditate lucri aliquod Dei vel Ecclesiæ mandatum violare malit, quàm non adipisci divitias, aut amittere; verbi gratià, si Missam non audire diebus festis, vel ab opere servili cessare, lethale peccatum avaritiæ committit.

REGULA III.

Avaritia peccatum lethale est, si ex alio peccato mortali ducat originem, verbi gratiâ, si quis totus sit in congregandis divitiis ex errore circa divinam providentiam, aut ex diffidentia benignitatis Dei: vel si in divitiis felicitatem aut spem collocet.

HInc avaritia non semel ab Apostolo vocatur *Idolorum servitus*; (ad *Ephes.* V. & ad *Coloss.* III.) Quemadmodum enim idololatra creaturæ exteriori se subjicit ad cultum illi exhibendum; sic avarus ad eâ fruendum: & sicut ille in idolo, ita avarus in materia idoli, auro & argento, quæ *principes materiæ* à Tertulliano vocantur, fiduciam collocat, & propter ea velut finem

DE PECCATIS.

De Avaritia.

finem operatur. De hoc hominum genere dicitur Psalm. XLVIII. *Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur.* Hinc Psal. LXI. scriptum est: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Et Proverb. XXI. *Qui confidit in divitiis suis, corruet.* Nolite cor apponere, id est, *Ne in divitiis confidatis, non præsumatis, non speretis;* (inquit *S. Augustinus* hunc Psalmum exponens.) *Ne dicatur,* Ecce *homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prævaluit in vanitate sua.* (Psalm. 51.) Non divitiæ, sed spes in divitiis, & divitiarum cupiditas damnatur. Unde non solùm divites, sed & pauperes spectat illud oraculum. *Nam quid tibi prodest, si eges facultate, & ardes cupiditate?* Unde cùm Dominus dixisset, *Facilius est camelum transire per foramen acûs, quam divitem intrare in Regnum cœlorum:* (Matt. 19. 24.) Apostoli apud se dicentes, *Quis poterit salvari?* quid attenderunt? *Non facultates, sed cupiditates. Viderunt enim etiam ipsos pauperes, etsi non habentes pecuniam, tamen habere avaritiam.* Et ut noveris non pecuniam in divite, sed avaritiam damnari, respice pauper divitem stantem juxta te: Fortè in illo est pecunia, & non est avaritia; in te non est pecunia, & est avaritia. Pauper ulcerosus, ærumnosus, linctus à canibus, non habens opem, non habens escam, non habens fortè ipsam vestem, ablatus est ab Angelis in sinum Abrahæ. Eia tu pauper, gaudes modò, numquid tibi ulcera optanda sunt? Nonne patrimonium tuum sanitas est? *Non est in hoc Lazaro meritum paupertatis, sed pietatis. Nam vides quò sublatus est, non vides quò sublatus est. Quis est sublatus ab Angelis? Pauper, ærumnosus, ulcerosus. Quò sublatus est? In sinum Abrahæ. Lege Scripturas, & invenies divitem Abraham. Ut noveris, quia non divitiæ culpantur: habebat Abraham multum auri, argenti, pecorum, familiæ, dives erat, & in ejus sinum Lazarus pauper sublatus est. In sinum divitis pauper: an potius ambo Deo divites, ambo à cupiditate pauperes?* Non igitur qui habuit divitias, sed quia in ipsis speravit, & non in Deo, damnatur, punitur, movetur de tabernaculo, sicut pulvis quem projicit ventus à facie terræ. Dixit nimirum in corde suo. *Beatus populus cui hæc sunt;* (Psalm. 143.) id est, ista terrena. cùm sit *Beatus populus cujus est Dominus Deus ejus.* Ita *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum 51.

Nec divitiæ in divite, sed avaritia damnatur, nec paupertas in paupere, sed pietas laudatur.

Idem confirmatur ex Apostolo 1. ad *Timotheum* VI. scribente: *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum) bene agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Quem locum *Sanctus Augustinus* egregiâ paraphrasi illustrat Sermone CLXXVII. aliàs X. inter editos ex Majoris Carthusiæ Mss. *Præcipe,* inquit, *divitibus hujus mundi:* Quia *sunt & divites Dei, & veri divites non sunt nisi divites Dei.* Non superbè sapere. *Habentur divitiæ multùmque amantur. Nidus colligitur superbiæ, ubi nutriatur & crescat: quod pejus est, non volet, sed maneat. Ergo ante omnia,* Non superbè sapere. *Ut intelligat, sapiat, cogitet se mortalem, & mortales pauperes pares.* Neque sperare in incerto divitiarum. *Amas aurum: fac, si potes, certum, ut non timeat amittere. Congregasti facultatem; da tibi, si potes, securitatem. Tolle inde spem, ubi fixisti.* Sed in Deo vivo. *Ibi fige spem, ibi ancoram cordis tui, ne tempestas sæculi non inde te abrumpat.* In Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum. *Si omnia, quantò magis se? Et verè ad fruendum ipse erit nobis omnia. Nam non mihi videtur dictum,* Qui dedit nobis omnia abundanter ad fruendum, *nisi seipsum. Videtur enim aliud esse uti, aliud frui. Utimur enim pro necessitate, fruimur pro jucunditate. Ergo ista temporalia dedit ad utendum, se ad fruendum. Si ergo se, quare dictum est,* omnia, *nisi quia scriptum est,* Ut sit Deus omnia in omnibus? (1. Cor. 15.) *Ergo ibi cor ad fruendum, ut sit sursum cor. Solve te hinc, sed alliga ibi: Periculosum est tibi in his tentationibus sine vinculo remanere.... Quid tam omnia, quàm qui fecit omnia? Habet intus, quod operatur foris. Ibi ergo sunt omnia præcipua, immortalia, indeficientia, permanentia, & ipse Deus omnia in omnibus, sed Sanctis suis. Ipse ergo solus sufficit, de quo dictum est,* Ostende nobis Patrem, & sufficit. (Joan. 14.) *Si avari sumus, ipsam amemus. Si opes desideramus, solus nos satiare poterit, de quo dictum est,* Qui implet in bonis desiderium tuum. (Psalm. 102.) *Hoc tantum, tam magnum bonum peccatori non sufficit? Volendo habere omnia, plus perdidit omnia. quia radix est omnium malorum avaritia.* Divites sint in operibus bonis. *Ad hoc dives esto, ut facilè tribuas. Pauper enim vult tribuere, & non potest: apud illum difficultas, apud te facilitas. Hoc tibi prosit quòd dives es, quia cùm volueris facere, statim facis.* Facilè tribuant, communicent. *Numquid perdunt?* Thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum. *Et ne ipsum aurum & argentum & prædia, & ea quæ pulcra videntur in facultatibus hominum, etiam ibi desideremus, cùm dicitur nobis, Illuc migrate, thesaurum vestrum ibi ponite: admonuit nos contra carnales cogitationes, & subjecit,* Ut apprehendant veram vitam: *Non aurum quod in terra remansit, non facultates putredinis, non bona transeuntia, sed* veram vitam. *Quodam modo ergo migramus, quando hoc illuc transit, neque hoc ibi habebimus, quod hinc transferimus. Quodam modo Dominus Deus noster mercatores nos vult esse, mutationem nobiscum facit: quod hic abundat, damus; quod ibi abundat, accipimus: quemadmodum plerique trajectitias merces faciunt, aliud dant alibi, & quò veniunt aliud accipiunt. Talis est ista mutatio, qualis nostra mercatio. Quid damus, & quid accipimus? Hoc damus, quod nobiscum auferre non possumus, etsi vellemus. Quare ergo perit? Id quod minus est detur, ut quod est majus ibi inveniatur. Damus terram, & accipimus cœlum; damus temporalia, & accipimus æterna; damus putrescentia, & accipimus immortalia: damus quod dedit Deus, & accipimus ipsum Deum. Non ergo simus pigri in ista mutatione rerum, in ista mercatura optima & ineffabili. Prosit quia hic sumus, prosit quia nati sumus, prosit quia peregrinamur. Non inopes remaneamus. Non intret arcam cordis tinea mala cogitationis: non dicatur, Non dabo, ne cras non habeam. Noli multùm cogitare de futuris: immò multùm cogita de futuris, sed de longè futuris.* Thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. *Habe: tantùm noli amare, servare, thesaurizare, incubare reconditis, hoc est de incertis sperare.*

Veri divites, sunt divites Dei.

Divitiæ nidus superbiæ.

Bonus usus divitiarum.

Sacrum commercium cum divitibus Deus præcipit, mutationem cum illis facit.

Et Sermone LXXXV. aliàs *De Tempore* CCV. *Avaritia est velle esse divitem, non jam esse divitem. Mergi non times in interitum & perditionem? Non times radicem omnium malorum avaritiam? De agro tuo extirpas radicem spinarum, & non extirpas de corde tuo radicem malarum cupiditatum? Purgas agrum tuum unde fructum capiat venter tuus, & non purgas cor tuum ubi habitet Deus tuus?*

Hanc denique Regulam confirmat *Sanctus Thomas*, Quæstione XIII. *De Peccatis*, inter Quæstiones Disputatas, Articulo II. *Si loquamur* (inquit) *de amore & desiderio strictè, sic Ava-*

De Avaritia.

ritia semper est peccatum mortale. Cùm enim amor & desiderium sit boni, bonum autem propriè & principaliter sit finis, id autem quod ad finem ordinatur, non habeat per se rationem boni, nisi propter ordinem finis: inde est quod amor & desiderium propriè & principaliter est finis, secundariò autem eorum quæ sunt ad finem. Si ergo avaritia dicatur amor & desiderium temporalium bonorum, ita quòd in eis finis constituatur, avaritia semper erit peccatum mortale. Converti enim ad bonum creatum sicut ad finem, facit aversionem ab incommutabili bono, quod debet esse ultimus finis; eò quòd non possunt esse plures ultimi fines.

REGULA IV.

Lethalis Avaritiæ rei sunt, quicumque plura concupiscunt, quàm hujus vitæ necessitas, statûsque sui decentia & decorum exigant; & necessaria habentes, novas opes congregare non cessant.

HAnc Regulam tradit Apostolus I. ad Timotheum VI. *Est autem*, inquit, *quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quòd nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus; nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Illis autem verbis, *His contenti sumus*, enuntiari præceptum ad omnes pertinens, utpote ex ipsa naturæ lege profectum, minimè dubium est. Nam superflua quærere & desiderare, contra naturam est. Porrò, ut ait Tertullianus Libro De Corona Militis, *Omne quod contra naturam est, monstri meretur notam penes omnes; penes nos verò etiam elogium sacrilegii in Deum naturæ Autorem.* Non ait autem Apostolus, Qui dives sunt; sed *Qui volunt divites fieri*. Inter divitem esse, & velle esse, justa discretio negari non potest. *Ibi facultas est, hic cupiditas*. (inquit *Sanctus Augustinus* Sermone CLXXVII.)

Cum Propheta convenit Apostolus: *Baruch* enim Cap. III. scriptum est: *Ubi sunt Principes gentium... qui argentum thesaurizant, & aurum in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum? Qui argentum fabricant & solliciti sunt, nec est inventio operum illorum? Exterminati sunt; & ad inferos descenderunt, & alii loco eorum surrexerunt.* Et Isaiæ V. *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci! Numquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Deficiente scilicet terrâ, non satiatur avaritia. *Quæ rabies* (inquit S. Hieronymus) *cùm tecta & agri ad depellendos imbres, & ad ferendas fruges haberi debeant, ea habere cupere, in quibus cunctis habitare non possis, & quæ colere non sufficias; aliorumque necessitatem tuam facere voluptatem?*

Id denique confirmat Parabola, quam proposuit Christus, Lucæ XII. *Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit: & cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: destruam horrea mea, & majora faciam: & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hâc nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cujus erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.* Numquid verò Dives ille aliena quærebat? Fructus suos colligere disponebat, ubi poneret consulebat, *Non de cujusquam vicini agris, non limite perturbato, non spoliato paupere, non circumvento simplice; sed tantummodo de suis colligendis cogitabat.... Ait illi Deus*, Stulte, *Ubi tibi sapiens videris, ibi stulte.* Stulte, *inquit*, hac nocte repetunt à te animam tuam, hæc quæ præparasti, cujus erunt? *Si servaveris, tua non erunt. Si erogaveris, tua erunt. Quid*, inquit, *reponis quod relicturus es? Ecce increpatus est stultus malè recondens. Si stultus est, qui recondit sua, vos invenite nomen ei qui tollit aliena... Fortassis aliquis respondeat, & dicat, Non valde magna pœna erat illi homini, cui dixit Deus, Stulte. Non sic dicit Deus, Stulte, quomodo homo dicit. Tale in quemquam Dei verbum, judicium est. Numquid enim Deus stultis daturus est Regnum cœlorum? Quibus autem non est daturus Regnum cœlorum, quid eis restat, nisi pœna gehennarum?* Verba sunt *S. Augustini* Sermone CLXXVIII. aliàs XIX. *De Verbis Apostoli*, Cap. II. Hinc *S. Cyprianus* Libro *De Lapsis*, inter gravia peccata, quibus iratus Deus Ecclesiæ persecutionem permisit, nimium augendi patrimonii studium recenset: *Studebant*, inquit, *augendo patrimonio singuli; & obliti quid credentes aut sub Apostolis ante fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant.*

REGULA V.

Non solùm lethalis avaritiæ reus est qui rapit aliena, sed & ille qui cupidè servat sua; si tanta sit cupiditas, ut illa non sit paratus amittere ne Deum lethaliter offendat.

HAnc Regulam tradit *S. Augustinus*, Sermone CVII. aliàs *De Tempore* CXCVI. & *De Diversis* XXVIII. eámque colligit ex Christi verbis, Luc. XII. *Videte, & cavete ab omni avaritia: quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet.* Præceptum illud à Christo datum observat occasione hominis, qui ipsum interpellavit contra fratrem suum, qui totum patrimonium abstulerat, & fratri suo partem non reddebat. Caussa justa erat, breviter & clarè exposita justissimo Judici, & æquitatem causæ, antequam illi exponeretur, cognoscenti. *Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem.* Respondit Dominus: *Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos? Dixitque ad illos: Videte, & cavete ab omni avaritia.* Fortè (inquit) *Tu avarum & cupidum diceres si quæreret aliena: ego autem dico, Cupidè & avarè non appetas nec tua. Hoc est* Ab omni. Cavete, *inquit*, ab omni avaritia. *Meum servo, non alienum tollo.* Cavete ab omni avaritia. *Non solùm avarus est, qui rapit aliena: sed & ille avarus est, qui cupidè servat sua.... Multa qui recondit, quantùm inde tollit ut vivat? Cùm tulerit inde, & quodammodo cogitatione separaverit quod sufficiat unde vivat, videat cetera cui remaneant: ne forte cùm servas unde vivas, colligas unde moriaris. Ecce Christus, ecce veritas, ecce severitas.* Cavete, *dicit veritas.* Cavete, *dicit severitas. Si non amas veritatem, time severitatem:* Non in abundantia hominis vita ejus est ex his quæ habet. *Crede illi, non te fallit. Contra tu dicis, Immo in abundantia hominis est vita ejus ex his quæ habet. Ille te non fallit: tu te fallis.... Ecce amas tua, non tollis aliena: de labore habes, de justitia habes,*

Avarus est qui cupidè servat sua.

De Avaritia

heres relictus es, donavit tibi quem promeruisti: navigasti, periclitatus es, fraudem non fecisti, mendacium non jurasti, quod Deus voluit adquisisti: & servas cupidè tanquam in bona conscientia, quia non habes de malo, & non quæris aliena. Si non audieris illum qui dixit, Cavete ab omni avaritia, *audi quanta mala facturus es propter tua. Ecce contigit, verbi gratiâ, ut fieres judex. Non corrumperis, quia non quæris aliena. Nemo tibi dat præmium, & dicit, Judica contra adversarium meum. Absit, homo qui non quæris aliena, quando tibi hoc persuaderi potest? Vide quid mali facturus sis propter tua. Ille qui vult ut malè judices, & pro ipso feras sententiam contra adversarium ipsius, fortè potens homo est, & potest tibi calumniam facere, ut perdas tua. Attendis potentiam ipsius, cogitas illam, cogitas tua quæ servas, quæ amas: non quæ possedisti, sed quibus malè inhæsisti. Attendis viscum tuum, propter quod liberas virtutis non habes pennas: & dicis apud te ipsum, Offendo hominem istum, multùm potest ad tempus: suggeret de me mala, & proscribor, & perdo quod habeo. Judicaturus es malè, non cùm quæris aliena, sed cùm servas tua. Da mihi hominem qui audivit Christum, da mihi hominem qui cum timore audivit,* Cavete ab omni cupiditate: *Et non mihi dicat, Ego homo pauper sum, plebeius, mediocris, gregalis, quando spero me judicem futurum? Non timeo istam tentationem, cujus periculum ante oculos posuisti. Ecce dico & pauperi quid timere debeat. Vocat te dives & potens ut pro illo dicas falsum testimonium. Quid facturus es modo? Dic mihi. Habes bonum peculium: laborasti, adquisisti, servasti. Exigit ille, Dic pro me falsum testimonium, & tantum & tantum dono tibi. Tu qui non quæris aliena, Absit à me, inquis: non quæro quod mihi noluit Deus dare, non accipio, recede à me. Non vis accipere quod do? Quod habes tollo. Ecce modò te proba, modò te interroga. Quid me attendis? Intus te attende, intus te vide, intus te examina: sede ad te, & constitue ante te, & in eculeum præcepti Dei extende te, & timore torque te, & noli te palpare: Respondo tibi. Ecce si hoc quisquam minetur, quid facies? Tollo tibi, quod cum tanto labore adquisisti, nisi pro me falsum testimonium dixeris. Da illum:* Cavete ab omni avaritia. *O serve meus, dicit tibi, quem redemi & salvum feci, quem de serva fratrem adoptavi, quem in corpore meo membrum posui, audi me: tollat quod adquisisti, me tibi non tollet. Ne perdas, servas tua? Nonne tibi dixi,* Cavete ab omni cupiditate? *Ecce turbaris, ecce fluctuas: cor tuum quasi navis tempestatibus quatitur. Dormit Christus, Excita dormientem, & non timebis tempestatem sævientem. Ipsum excita, qui nihil hic habere voluit, & totum habes, Qui usque ad Crucem pro te pervenit, cujus nudi atque pendentis ossa ab insultantibus numerata sunt: & cave ab omni avaritia.*

REGULA VI.

Gravis impatientia in rei familiaris amissione, animum prodit lethalis Avaritiæ reum.

HÆc Regula colligitur *ex Tertulliano*, Lib. *De Patientia*, cap. VII. *Si Detrimento (* inquit *) rei familiaris animus concitatur, omni penè in loco de contemnendo seculo Scripturis Dominicis commonetur: nec major ad pecuniæ contemptum exhortatio subjacet, quàm quòd ipse Dominus in nullis divitiis invenitur, semper pauperes justificat, divites prædamnat. Ita detrimentum patientiæ fastidium opulentia præministravit, demonstrans per abjectionem divitiarum læsuras quoque earum computandas non esse. Quod ergo nobis appetere minimè opus est, quia nec Dominus appetivit, detruncatum vel etiam ademptum non ægrè sustinere debemus. Cupiditatem omnium malorum radicem Spiritus Domini per Apostolum pronuntiavit. Eam non in concupiscentia alieni tantùm constitutam interpretemur: nam & quod nostrum videtur, alienum est. Nihil enim nostrum, quoniam Dei omnia, cujus ipsi quoque nos. Itaque si damno affecti, impatienter senserimus, de non nostro amissum dolentes, adfines cupiditatis deprehendemur. Alienum quærimus cùm alienum amissum ægrè sustinemus. Qui damni impatientiâ concitatur, terrena cælestibus anteponendo, de proximo in Deum peccat. Spiritum enim quem à Domino sumpsit, sæcularis rei gratiâ concutit. Libentes igitur terrena amittamus, cælestia tueamur. Totum licèt seculum pereat, dum patientiam lucrifaciam. Jam qui minutum sibi aliquid aut furto, aut vi, aut etiam ignaviâ, non constanter sustinere constituit, nescio an facilè, vel ex animo ipse rei suæ manum inferre posset in causa eleemosynæ. Quis enim ab alio secari omnino non sustinens, ipse ferrum corpori suo ducit? Patientia in detrimentis exercitatio est largiendi & communicandi. Non piget donare, qui non timet perdere... Gentilium est omnibus detrimentis impatientiam adhibere, qui rem pecuniariam fortasse animæ antepenant... Nos verò secundum diversitatem, quâ cum illis sumus, non animam pro pecunia, sed pecuniam pro anima deponere convenit; seu sponte in largiendo, seu patienter in amittendo ipsam animam, ipsúmque corpus in seculo isto expositum omnibus ad injuriam gerimus, ejúsque injuriæ patientiam subimus: Minorum deliberatione lædemur? Absit à servo Christi tale inquinamentum, ut patientia majoribus tentationibus præparata in frivolis excidat.*

Nihil nostrum, quoniam Dei omnia.

Qui damni impatientia concitatur, terrena cælestibus anteponit.

Non piget donare, qui non timet perdere.

Hinc *S. Cyprianus*, amittendarum opum timorem inter impedimenta Martyrii, & causas defectionis plurimorum à Christianæ Fidei confessione commemorat, Libro de Lapsis. *Dissimulanda (* inquit *) veritas non est, nec vulneris nostri materia & causa reticenda. Decepit multos patrimonii sui amor cæcus, nec ad recedendum parati aut expediti esse potuerunt, quos facultates suæ velut compedes ligaverunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illa catenæ; quibus & virtus retardata est, & fides pressa, & mens vincta, & anima præclusa, ut serpenti terram secundùm Dei sententiam devoranti præda & cibus fierent, qui terrestribus cupiditatibus inhærerent. Et idcirco Dominus bonorum Magister, & præmonens & consulens in futurum;* "Si vis, *inquit*, perfectus esse, vade, vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni sequere me. *Si hoc divites facerent, per divitias suas non perirent; thesaurum in cælo reponentes, hostem nunc expugnatorem domesticum non haberent, esset in cælo cor & animus & sensus, si thesaurus esset in cælo. Nec vinci à seculo posset, qui unde vinceretur in sæculo non haberet, sequeretur Dominum solutus & liber, ut Apostoli, & sub Apostolis multi; & nonnulli sæpè fecerunt, qui & rebus suis & parentibus derelictis, Christo individuis nexibus adhæserunt. Sequi autem Christum quomodo possunt, qui patrimonii vinculo detinentur? Aut quomodo cælum petunt, & ad sublimia & alta conscendunt, qui terrenis cupiditatibus degravantur? Possidere se credant qui potiùs possidentur; census sui servi, nec ad pecuniam suam Domini, sed magis pecuniæ mancipati.*

Timor amittendarum opum, martyrii impedimentum est.

Matth 19. 21.

Sequi Christum non possunt, qui patrimonii vinculo detinentur.

REGULA VII.

De Avaritia.

Quamvis recta ratio & Christiana Caritas postulent, ut Patres familiâs, qui liberos habent, facultates illis comparent vitæ ac statui convenientes: Avaritiæ tamen lethalis rei sunt, si nullum congerendis filiorum gratiâ opibus modum statuant; eâque ratione ab erogandis eleemosynis se excusent urgente præcepto.

HAnc Regulam tradunt SS. Patres; è quibus duos impræsentiarum proferam, *Cyprianum* scilicet ac *Augustinum.* Audiatur *S. Cyprianus*, Tractatu *De Opere & Eleemosynis*, ubi hæc habet: *Sed nec illa res, Fratres carissimi, à bonis operibus & justis refrenet & revocet Christianum, quòd excusari se posse aliquis existimet beneficio filiorum, quando in impensis spiritualibus Christum cogitare, qui accipere se professus est, debeamus; nec conservos liberis nostris, sed Dominum » præferamus, ipso instruente & monente.* Qui di-

Matth. 10. 37.

» ligit, *inquit*, patrem aut matrem super me, non » est me dignus: & qui diligit filium aut filiam » super me, non est me dignus. *Item in Deuteronomio ad corroborationem fidei, & dilectionem Dei » paria scripta sunt:* Qui dicunt patri aut matri,

Deuteron. 33. 9.

» Non novi te, & filios suos non agnoverunt, hi » custodierunt præcepta tua, & testamentum tuum » servaverunt. *Nam si Deum toto corde diligimus, nec parentes, nec filios Deo præferre debemus. Quod & Joannes in Epistola sua ponit, Caritatem Dei apud eos non esse, quos videamus operari in pauperem » nolle:* Qui habuerit, *inquit*, substantiam Mun-

1. Joan. 3. 17.

» di, & viderit fratrem suum desiderantem, & » clauserit viscera sua, quomodo Caritas Dei ma- » net in illo? *Si enim Deus eleemosynis pauperum fœneratur, & cùm datur minimis Christo datur, non est quod quis terrena cœlestibus præferat, nec divinis humana præponat. Sic vidua illa in tertio Regum Libro, cùm in siccitate & fame consumptis omnibus de modico farre & oleo quod superfuerat, fecisset subcinericium panem, quo assumpto moritura cum liberis esset; supervenit Helias, & petiit sibi priùs ad edendum dari; tunc quod superfuisset, inde illam cum filiis suis vesci; nec obtemperare illa dubitavit, aut Heliæ filios Mater in fame & egestate præposuit. Fit immò in conspectu Dei quod Deo placeat: promptè ac libenter quod petebatur, offertur: nec de abundantia portio, sed de modico totum datur, & esurientibus liberis alter priùs pascitur; neque in penuria & fame cibus, antequam misericordia cogitatur; ut dum in opere salutari carnaliter contemnitur, spiritaliter anima servetur. Helias itaque typum Christi gerens, & quòd ille pro misericordia vicem singulis reddat, » ostendens, respondit & dixit:* Hæc dicit Domi-

3. Reg. 17.

» nus: Fidelia farris non deficiet, & capsaces » olei non minuetur usque in diem quo dabit » Dominus imbrem super terram. *Secundum divinæ pollicitationis fidem multiplicata sunt Viduæ & cumulata quæ præstitit, & operibus justis ac misericordiæ meritis augmenta & incrementa sumentibus, farris & olei vasa completa sunt. Nec filiis abstulit Mater, quod Heliæ dedit; sed magis contulit filiis quod benignè & piè fecit. Et illa nondum Christum sciebat, nondum præcepta ejus audierat: non Cruce & Passione ejus redempta, cibum & potum pro Sanguine rependebat; ut ex hoc appareat quantùm in Ecclesia peccet, qui se & filios Christo anteponens, divitias suas servat, nec patrimonium copiosum cum indigentium paupertate communicat. Sed enim multi sunt in domo liberi, & retardat te numerositas filiorum, quò minùs largiter bonis operibus insistas:*

Divites ab eleemosynis, pro filiorum facultatum, & necessitate pauperum in ratione erogandis, filiorum nomine non excusat.

atquin hoc ipso operari ampliùs debes, quò multorum pignorum pater es. Plures sunt pro quibus Dominum depreceris: multorum delicta redimenda sunt, multorum purganda conscientiæ, multorum animæ liberandæ. Ut in hac vita sæculari alendis sustinendisque pignoribus, quò major est numerus, hoc major & sumptus est: ita & in vita spiritali atque cœlesti, quò amplior fuerit pignorum copia, esse & operum debet major impensa. Sic & Job Sacrificia numerosa pro liberis offerebat: quantusque erat in domo pignorum numerus, tantus dabatur Deo & numerus hostiarum. Et quoniam quotidie deesse non potest quod peccetur in conspectu Dei, Sacrificia quotidiana non deerant, quibus possent peccata tergi.... Si ergo verè filios tuos diligis, si eis exhibes plenam & paternam dulcedinem caritatis; operari magis debes ut filios tuos Deo justa operatione commendes. Nec eum liberis tuis cogites patrem, qui & temporarius & infirmus est, sed illum Patrem pares, qui æternus & firmus filiorum spiritualium Pater est. Illi assigna facultates tuas, quas heredibus servas: ille sit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes injurias sæculares divina majestate protector. Patrimonium Deo creditum nec Respublica eripit, nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit. In tuto hereditas ponitur, quæ Deo custode servatur. Hoc est caris pignoribus imposterum providere; hoc est futuris heredibus paterna pietate consulere secundùm fidem Scripturæ Sanctæ dicentis: Junior fui, & » senui, & non vidi justum derelictum, neque » semen ejus egens pane. Totâ die miseretur & » fœnerat: & semen ejus in benedictione est. » *Et iterum:* Qui conversatur sine vituperatione » in justitia, beatos post se filios relinquet. *Pro- » varicator itaque & proditor pater es, nisi filiis tuis fideliter consulas, nisi conservandis eis religiosâ & verâ pietate prospicias. Qui studes terreno magis quàm cœlesti patrimonio, filios tuos diabolo magis commendare quàm Christo, bis delinquis, & geminum ac duplex crimen admittis: & quòd non præparas filiis tuis Dei Patris auxilium, & quòd doces filios patrimonium plus amare quàm Christum.*

De Avaritia.

Pater qui largas eleemosynas facit, melius filiis consulit.

Psalm. 36. 25.

Prævaricatur & proditor pater.

Idem confirmat *Sanctus Augustinus*, Sermone LXXXVI. aliàs De Diversis XLIII. *Dicit avaritia, Consule in posterum, homini fortassis victuro nec in crastinum. Sed ecce vivat quantum putat avaritia, non quantum ostendit, non quantum docet, non quantùm fidit, sed quantùm putat vixerit, senuerit, finierit, adhuc senex incurvus, baculo innixus lucrum quærit, & audit avaritiam dicentem, Consule in posterum. In quod posterum? Jam expirans loquitur. Propter filios, inquit. Utinam vel illos senes non avaros haberemus, qui filios non habent! Etiam ipsis, etiam talibus, etiam iniquitatem suam nullâ pietatis imagine excusantibus non cessat dicere, Consule imposterum. Sed fortè ipsi citò erubescunt: illos videamus qui filios habent, utrum certi sint filios suos possessuros esse quæ reliquerint. Intendant, cùm vivunt, filios aliorum, alios alienis improbitatibus quod habuerant amittentes, alios propriâ nequitiâ quod possederant consumentes: & remanent inopes sibi divitum. Parcite nescio servi avaritiæ. Sed possidebunt hoc, inquit, filii mei. Incertum est: postremò, fac certum: Quid eis vis relinquere? Quod adquisisti tibi. Certè quod adquisisti relictum non erat, & habes. Si tu habere potuisti quod tibi relictum non est, poterunt ergo habere & illi quod tu non reliqueris.... Serva & filiis tuis: sed audi me. Si de filiis quisque suis aliquem amiserit, intendite Fratres mei, quia avaritia excusationem non habet, neque hic, neque in futuro sæculo: Christianum filium amisisti: non ergo amisisti, sed præmisisti. Neque enim ille decessit, sed præcessit. Interroga fidem*

Uno filio præmisso, parte eius pauperibus eroganda.

De Avaritia.

suam: certè & tu illò iturus es, quo ille antecessit. Vivit filius tuus. Si ergo vivis, quare invaditur pars ejus à fratribus ejus? Sed dices, Nunquid rediturus est & possessurus? Mittatur ergo illi quò processit ille: ad rem suam venire non potest: res ejus ad eum ire potest: vide cum quo sit. Si in Palatio militaret filius tuus, & amicus Imperatoris fieret, & diceret tibi, Vende ibi portem meam, & mitte mihi: nunquid inveniret quid responderet? Modò cum Imperatore omnium Imperatorum, & cum Rege omnium Regum, & cum Domino omnium Dominorum est filius tuus: mitte illi. Non dico, Necessarium habet ipse: Dominus ipsius, apud quem est filius tuus, eget in terra. Hic vult accipere quod das in cælo. Quod facere nonnulli avari solent, fac trajectitium: da in peregrinos, quod recipias in Patria tua. Postremò jam de te nihil, de filio tuo loquor. Dubitas dare tuum, dubitas & reddere alienum: certè convinceris, quia non filiis tuis servabas. Ecce non das filiis tuis, quia tolles filiis tuis. Hinc certè tolles. Quare indignus est accipere, quia cum digniore vivit? Absit ergo ut tibi dicam, da quod habet: sed dico tibi, Redde quod debes. Sed habebunt illud, ais, fratres illius. O mala doctrina, doces filios tuos mortem optare fratribus suis. Si de re fratris sui mortui ditiores erunt, vide quemadmodum se adtendant in domo tua. Quid ergo facies? Patrimonium dividis, & parricidia doces? Sed nolo dicere de uno amisso, ne casus humanos videar minari. Meliùs quodam modo prosperiùsque loquamur. Non dico, unum minus habebis, computa quia unum plus habes. Fac locum Christo cum filiis tuis, accedat familiæ tuæ Dominus tuus, accedat ad prolem Creator tuus, accedat ad numerum filiorum tuorum frater tuus. Cùm enim tantùm intersit, & frater esse dignatus est. Et cùm sit Patri Unicus, voluit habere coheredes. Ecce ille quàm largiter! Tu quare tam steriliter? Duos filios habes, tertium illum computa, tres habes, quartus numeretur: quintum habes, sextus dicatur: decem habes, undecimus sit. Nolo ampliùs dicere: unius filii tui serva locum Domino tuo. Quod enim dabis Domino tuo, & tibi proderit, & filiis tuis: quod autem malè servas filiis tuis, & tibi oberit, & filiis. Dabis autem portionem unam, quam unius filii deputasti. Deputa te unum ampliùs genuisse. Quid magnum, Fratres mei? Consilium do, nunquid guttur ligo? sicut ait Apostolus: Hæc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam. *Puto, Fratres, quia parva & facilis cogitatio est, putare patrem filiorum habere unum filium ampliùs, & comparare tali pretio, quæ possideas in æternum, & ipse & filii tui. Quid dicat avaritia, non habet. Non vos vincat, non plus valeat in cordibus vestris quàm Redemptor vester. Non plus valeat in corde vestro quàm ille qui monet sursum corda habere.*

Trajectitium ex eleemosynis in æternum.

Christus ad filiorum numerum addendus.

1. Cor. 7.

Patres qui filiis ingentes opes congregant, peccatorum materiam illis cumulant.

Denique Patres qui filiis suis ingentes opes congregant, cumulant illis *Peccatorum materiam & irritamentum*; adeòque metuere debent ne duplici pœnâ plectantur, tam propter sua scilicet quàm illorum peccata. Ille nimirùm filiorum inordinatus amor *& illis gravis est qui perniciosas pariunt hereditates, & illis qui inter improbissimum quæstum improbi educantur heredes. Et hinc est quòd penè omnes parentibus suis filii non magis in patrimonia quàm in vitia succedunt: nec magis facultates paternas sumunt, quàm pravitates: ac sic transeuntes semper in morem patrum, antè eorum incipiunt nequitiam quàm substantiam possidere. Bona enim parentum nonnisi mortuis eis possident; viventibus autem adhuc & valentibus, mores. Ac sic priùs quàm in dominio sua habere incipiant res paternas, habent in animis ipsos patres, & antequam habeant illa quæ falsò dicuntur bona, habent illa quæ verè probantur mala. Quid ergo, cùm hæc ita sint, interdicere forsan parentibus, filiorum videor affectum? Minimè.... Non solum enim amandos filios dicimus, sed præcipuè ac super omnia amandos; nec quemquam his omnino anteponendum, nisi Deum solum. Nam & hoc est præcipuè amore illum, filiis anteponere, quem non expediet omnino postponere. Quid est ergo, aut quomodo amandos dicimus filios? Quo obsequi dubio, nisi quo Deus ipse constituit? Neque enim est ullus melior filiorum amor, quàm quem ille docuit, qui ipsos filios dedit? Quomodo igitur Deus amari filios jusserit, non dico ego, dicat sermo divinus: Ut tradant Mandato Dei filiis suis, ut ponant in Deo spem suam, & Mandata ejus exquirant...... Non necesse est ergo ut filio tuo terrenos thesauros recondas, nulla re eum facies ditiorem, quàm si ipsum filium tuum thesaurum Dei feceris. Quanquam hæc licèt ita se habeant, & sint vera ac saluberrima; tamen non ita dicam, quasi filios bonis & facultatibus paternis penitus excludam.* Verba sunt *Salviani*, Lib. 3. *Ad Ecclesiam Catholicam.*

Psalm. 77.

Filios divites facit, qui thesaurum Dei illos fecerit.

Ad hæc, avari illi homines, qui filiis immodicas opes congregant, nec succurrunt necessitati pauperum. Animam suam, quæ liberis propior, & conjunctior est, adeòque præ illis diligenda, negligunt. Neque verò Deus liberos eâ conditione dedit, ut prohibeat eorum amor quo minùs parentes Dei mandatis pareant; & ut parentibus Regni cœlestis aditum intercludant; (inquit *S. Basilius*, Homilia *In Ditescentes.*) Quod autem pater avarus in sua filiorùmque persona puniendus sit, cùm intuitu filiorum à sublevanda pauperum inopia manum abstinet, docet Psalmus CVIII. *Cum judicatur* (inquit) *exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum. Fiant filii ejus orphani, & uxor ejus vidua. Nutantes transferantur filii ejus & mendicent: & ejiciantur de habitationibus suis. Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus, & diripiant alieni labores ejus. Non sit illi adjutor, nec sit qui misereatur pupillis ejus. Fiant nati ejus in interitum: in generatione una deleatur nomen ejus... Fiant contra Dominum semper, & dispereat de terra memoria eorum: pro eo quòd non est recordatus facere misericordiam. Et persecutus est hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare.*

Pater Avarus in sua filiorumque persona à Deo punietur.

REGULA VIII.

Lethalis Avaritiæ rei sunt Clerici, qui ex Ecclesiasticis reditibus thesauros congregant, aut villas, agros, vel domos emunt, quibus res eorum familiaris, sive patrimonium augeatur.

Clericorum Avaritia.

BOnorum enim Ecclesiasticorum, *Quæ Dei sunt*, ut Sacra Synodus Tridentina loquitur; quæ sunt *Oblationes fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum*: ut loquuntur antiqua Concilia, Viri Ecclesiastici dispensatores sunt duntaxat, non domini, (ut alias probavimus) Quicquid igitur ex eis præter victum & vestitum, sive præter necessaria vitæ & decoro status reliquum fuerit, pauperum est, ac proinde pauperibus erogari debet, non servari ad rei familiaris sive patrimonii incrementum, non ad heredes transmitti. Præclarè *Salvianus*, Libro II. *Ad Ecclesiam Catholicam*, ait: *Licèt Decretum vetus largam cunctis amplandarum*

De Avaritia. *opum dederit facultatem, omnes tamen Levitas & Sacerdotes intra certum habendi limitem coarctavit, quos scilicet neque segetem, neque vineam, neque ullum omnino fundum habere permisit. Ex quo intelligi potest, an ea nunc Deus noster velit in Evangelio viventes Clericos suos mundanis post se heredibus derelinquere, quæ adhuc in Lege positos ne ipsos quidem voluit possidere.* Et infrà: *Parum est Levitis ac Sacerdotibus si ipsi tantùm divites fuerint, nisi etiam heredes divites relinquant. Erubescamus hac infidelitate. Sufficiat nobis quòd videmur usque ad vitæ terminos Dominum spernere: cur id agimus ut contemptum ipsius etiam post mortem extendamus?*

Confirmatur ex *S. Hieronymo*, Epistolâ II. ad *Nepotianum* datâ, in quâ de Clerico sic loquitur: *Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit*, Pars mea Dominus, *nihil extra Dominum habere potest. Quòd si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus, verbi gratiâ, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem; cum istis partibus pars ejus fieri Dominus non dignabitur. Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hereditatis ejus, nec accipio partem inter cæteras Tribus, sed quasi Levita & Sacerdos vivo de Decimis, & Altari serviens, Altaris oblatione sustentor; habens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. Obsecro te ne Officium Clericatus genus antiquæ Militiæ putes, id est, ne lucra seculi in Christi quæras Militia; ne plus habeas, quàm quando Clericus esse cœpisti, & dicatur tibi:* Cleri eorum non proderunt eis. *Nonnulli sunt Clerici qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace Diabolo non habuerant; ut suspiret eos Ecclesia divites, quos Mundus tenuit ante mendicos.*

Lucra seculi in Christi militia non quærenda.

Et Lib. II. Commentatiorum in *Isaiam*, illa verba Capitis III. *Rapina pauperum in domo vestra*, inflectit contra Principes Ecclesiæ, id est, contra Sacerdotes. *Rapina* (inquit) *pauperum in domibus eorum est, quando thesauros suos replent, & Ecclesiæ opibus abutuntur in delicias publicasque stipes quæ ad sustentationem pauperum datæ sunt, vel sibi reservant, vel propinquis distribuunt, & alienam inopiam suam suorùmque faciunt esse divitias.*

Non est tamen avaritiæ, sed prudentiæ, si modicam pecuniæ summam reservent Clerici, quibus nullum vel tenue patrimonium est, nec ampli Beneficii reditus, ut sibi ipsis in gravi & diuturna, quæ contingere potest, infirmitate subveniant; vel ut calamitosâ tempestate, quâ villicis & agricolis debitorum aliquid remittendum est, habeant unde vivant, & pauperibus subministrent. Sed cavendum ne ingeniosa cupiditas, & prudentia seculi captent excusationes quibus à faciendis eleemosynis revocentur, ut monet *S. Augustinus*, Sermone CLXXVII. ubi observat, Apostolum ad Hebræos XIII. scripsisse, *Sint mores sine avaritiâ, contenti præsentibus*, propter malas cogitationes, quæ dicunt, *Si thesaurum non habuero, quis mihi dabit, cùm egere cœpero? Deinde, Abundat unde vivam, sufficit mihi unde vivam, sed quid si impingatur mihi calumnia, unde me redimam? Quid si mihi necesse sit litigare, unde sumptus impendam? Quando omnia mala quæ possunt evenire generi humano narrare & computare non potens, plerumque una calamitas turbat computum numerantis, & totum quod numerabatur non solùm perit, sed nec in digitis remanebit? Ideo contra istum cogitationis vermiculum, contra malignam tineam apposuit Deus in Scriptura sua, quomodo solent apponi vestibus odoramenta quædam, ne tineent.*

Prudens cautio.

Prava excusatio.

A *Quid cogitabat-ne sibi calamitates? Non timebos unam grandem? Attende quod sequitur*, Sine amore modus pecuniæ sufficiens est præsentibus. Ipse enim dixit, Non te derelinquam, non te deseram. *Timebos mala nescia quæ, propterea pecuniam servabas: tene fidejussorem; hos Deus tibi dicit*, Non te derelinquam, non te deseram. *Homo si promitteret, crederes; Deus promittit, & dubitas? Promisit, scripsit, cautionem fecit: esto securus. Lege quod tenes, cautionem tenes, ipsum debitorem tenuisti, à quo tua debita relaxari petisti.*

De Avaritia.

Fidejussor Deus.

B Avaritiam ac tenacitatem longè gravius esse peccatum in Clericis, quàm in Laicis hominibus, ex Sacris Canonibus & Ecclesiæ Decretis adversùs hanc labem compertum est. Avarum & tenacem Clericum ad Episcopatum promovendum non esse, *S. Gregorius Magnus*, Lib. XII. Epistolâ VI. scripsit. *Indicatum nobis est* (inquit) *Florentinum Archidiaconum Ecclesiæ Anconitanæ, qui ad Episcopatum fuerat electus, Scriptura quidem Sacra scientiam habere; sed ita ætatis senio jam confectum, ut ad Regiminis Officium non possit assurgere: adjicientes etiam, ita illum tenacem existere, ut in domum ejus amicus ad caritatem nunquam introëat....* C *Requirendum est, si hoc quod de præfato Archidiacono dictum est, quia nunquam amicus domum ejus ingressus est, si ita se veritas habet; & utrum ex necessitate, an ex tenacitate talis sit.*

Avaritia longè gravius peccatum in Clericis quàm in Laicis hominibus.

Concilium Aquisgranense I. cap. XI. adversùs Clericorum avaritiam hæc habet ex S. Hieronymi ad Oceanum Epistola. *Avaritiam* (inquit) *in Sacerdote vitandam & Samuel docet, nihil eorum populo eripuisse se cuiquam probans: & Apostolorum paupertas, qui refrigeria sumptuum à fratribus accipiebant, & præter victum atque vestitum, nihil se aliud nec habere, nec velle gloriabantur.* D *Quam ad Timotheum avaritiam, ad Titum turpis lucri cupiditatem apertissimè notat.* Domum suam bene regentem. *Non ut opes augeat*, &c.

1 Reg. 12.

Tit. 1.

Concilium Parisiense VI. cap. XIII. *Quia verò* (inquit) *nonnullos Ordinis nostri socios avaritiam turpiter sectari, & meritò à multis reprehendi, & ob id innoxios cum noxiis hac occasione infamari comperimus, ab hinc in commune nos & socios nostros mutua exhortatione corrigendos esse dijudicamus, ita videlicet, ut nec nos in hujuscemodi peste avaritiæ coram Deo peccaremus, nec aliis per nostrum malum exemplum detrahendi & in nobis peccandi* E *locum daremus. Verùm cùm nullus Christianus thesauros in terra, sed potiùs secundùm Domini sententiam, in cœlo recondere debeat, cavendum summopere Sacerdotibus est, ut ab avaritia peste, quæ est idolorum servitus, & cupiditate quæ radix omnium malorum est, suósque sectatores è Regno Dei excludunt, se compescant. Quoniam digne non possunt subditis prædicare ut ab his se abstineant, cùm ipsi his, quod valde dedecens, immò periculosum est, se mancipaverint. Graviùs quippe atrociùsque hæ pestiferæ lues in illis damnantur, quàm in his qui eorum dictis & exemplis ab his coërceri debuerunt.* F *Solent namque à nonnullis multifariæ occasiones obtendi, quæ necessitatis nomine palliantur. Et revera dum exteriùs necessitas prætenditur, interiùs avaritia tegitur..... In vita Beati Ambrosii legitur: Ingemiscebat vehementer, cùm videret radicem omnium malorum avaritiam, quæ neque copiâ, neque inopiâ minui potest, magis magisque succrescere in hominibus, & maximè in his qui in Potestatibus erant constituti, ita ut interveniendi apud illos gravissimus labor esset, quia omnia pretio distrahebant.... Et quid dicam, si in hujusmodi personis ita rabiem suo exerceant, qui solent aut filiorum aut propinquorum causas prætendere ad excusandas excusationes in peccatis*

Clericorum avaritia gravius punienda.

Clericorum avaritia gravius [illegible]

tatis, quandoquidem plerósque coperit etiam caca labes Sacerdotes & Levitas, quibus portio Deus est, ut illam etiam ipsi appetant? Et væ mihi misero, quia nec sine mundi provocamur, ut tam gravi jugo servitutis liberari velimus, quod demergit usque ad profundum inferni, ut faciamus nobis amicos de mammona iniquitatis, qui nos recipiant in aterna tabernacula. His itaque præmissis, oportet Sacerdotes Domini, ut appetitu avaritia & cupiditatis se cohibentes, sibi subjectis in omnium virtutum profectibus imitabiles exhibeant, quibus pro omnibus divitiis solus Christus abundat, juxta illud Apostoli; MIHI *vivere Christus est, & mori lucrum.*

Eccli. 12

Et Cap. XXV. *Non solum rumore, sed etiam evidentibus factis comperimus, quorumdam Episcoporum Ministros, non solum in Presbyteris, sed etiam in plebibus Parochia sua, avaritiam potiùs exercere, quàm utilitati Ecclesiastica Dignitatis inservire, populique saluti consulere. Quam negligentiam, imò & execrabile ac damnabile cupiditatis vitium, omnibus in commune deinceps vitandum statuimus. Pertimescenda porrò & vigilanter cavenda est Domini Sacerdotibus Heli Sacerdotis ruina, qui filios suos indignè agentes, Dominúmque in suis pravis actibus ad iracundiam provocantes, Sacrificiòque Domini injuriam irrogantes, quia verbis tantùm & non verberibus corripuit, cit divina justáque ultione ruentibus ruit. Ac si fortè, quod absit, ullus Episcoporum deinceps sectatores avaritia Ministros in Parochia sua constituerit, & eorum cognitam pravitatem Auctoritate Pastorali acriter ferire detrectaverit, exemplum negligentia Heli Sacerdotis imitari se cognoscat, sciátque quia quicquid pravitatis vel avaritia hujusmodi subjecti in plebibus Christi egerint, si eos corrigere juxta facti qualitatem neglexerit, in eum procuìdubio, à quo constituti sunt, ea qua admiserint, redundabunt, & Synodali correptioni modis omnibus subjiciendum. Nam & communi consensu statuimus, ut unusquisque Episcoporum super Archidiaconis suis deinceps vigilantiorem curam adhibeat, quoniam propter eorum avaritiam & morum improbitatem multi scandalizantur, & Ministerium Sacerdotale vituperatur, & in Ecclesiis à Sacerdotibus multa propter eas negliguntur.* Eadem pene repetit Concilium Aquisgranense II. P. III. Cap. IV.

Instrumenta passionis Christi in foena e avaritiæ conflata.

S. Bernardus, Sermone x. in Cantica luculenter ostendit quàm execranda sit Clericorum avaritia. *Christi*, inquit, *approbria, sputa, flagella, clavos, lanceam, crucem, & mortem, hæc omnia in fornace avaritia conflant, & profligant in acquisitionem turpis quastus; & pretium universitatis suis marsupiis includere festinant: hoc solo sanè à Juda Iscariote differentes, quòd ille horum omne emolumentum paucorum denariorum numero compensavit: isti voraciori ingluvie lucrorum infinitas exigunt pecunias. His insatiabili desiderio inhiant, pro his ne amittant, timent: & cùm amittunt, dolent: harum in amore quiescunt, quantùm duntaxat eis liberum est à servandi vel augmentandi cura. Animarum nec casus reputatur, nec salus. Non sunt profectò matres, qui cùm sint de Crucifixi patrimonio nimiùm incrassati, impinguati, dilatati, non compatiuntur super contritione Joseph.*

REGULA IX.

Lethalis Avaritia rei sunt, qui mediocres eleemosynas erogant, ut ampliùs accipiant, ditioresque fiant ex depositis pietatis, qua, ad distribuendum pauperibus, ipsis creduntur.

Avaritia species pietate palliata.

HÆc enim est turpis lucri cupiditas, hæc sordida & fraudulenta negotiatio, hæc pauperum defraudatio: de qua *S. Hieronymus*, Epistolâ II. *Sunt qui pauperibus paululum tribuunt, ut ampliùs accipiant, & sub prætextu eleemosyna quarunt divitias: qua magis venatio appellanda est, quàm eleemosyna genus. Sic bestia, sic aves, sic capiuntur & pisces. Modica in hamo esca ponitur, ut Matronarum in eo sacculi protrahantur. Sciat Episcopus, cui commissa est Ecclesia, quem dispensationi pauperum curaque præficiat. Melius est non habere quod tribuam, quàm imprudenter petere quod recondam.* Et rursùs: *Amico quidpiam rapere, furtum est: Ecclesiam fraudare, sacrilegium est; accepisse quod pauperibus erogandum sit, & esurientibus plurimis; aut quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat.*

REGULA X.

Quamvis interdum necessarium sit, laudabile, & pium res suas judicio repetere vel tueri: sæpius tamen Avaritia saltem venialis rei sunt, qui lites forenses suscipiunt bonorum temporalium causâ.

Luc. 12. 14

HInc Christus homini ipsum interpellanti ut Judex esset causæ, quæ ipsi erat adversùs fratrem totum patrimonium retinentem, nec volentem dividere cum fratre (quæ quidem causa ex parte supplicantis justa erat,) respondit: *Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos?* Eaque occasione dixit: *Videte & cavete ab omni avaritia:* Quia scilicet præcipuas in hujusmodi litibus ut plurimùm partes habet avaritia.

Lites rerum temporalium causa [illegible] periculosæ.

Hinc etiam S. Paulus I. ad *Corinthios* VI. non solùm eos arguit, quòd apud Judices Infideles judicio agerent adversùs fratres, id est, adversùs Christianæ consortes Religionis, sed quòd rerum temporalium causâ inter se litigarent; idque delictum esse asserit. *Jam quidem* (inquit) *omnino delictum est in vobis, quòd judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus.* Quamvis enim quidam Interpretes hic non intelligant peccatum, sed imperfectionem, quasi dicat Apostolus: Hoc ad vestram imperfectionem pertinet, quòd vestra judicia repetitis: cùm sit Evangelicæ perfectionis, *Non resistere malo*, dicente Domino, (Matth. V.) *Et ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Et Lucæ VI. *Omni petenti te tribue: & qui aufert qua tua sunt, ne repetas.* Tamen sciendum est, (inquit *Estius* Theologus doctissimus in hunc S. Pauli locum,) ea ipsa jam recitata Domini verba præceptum continere, sic ut saltem ad venialem culpam obligent, si non præstentur secundùm *Præparationem cordis*, ut loquitur *S. Augustinus*, Libro I. *De Sermone Domini in Monte.* Qui verus est ejusmodi præceptorum intellectus. Quare & hic S. Pauli locus sic accipiendus est, ut verè propriéque delictum sit, Christianos habere judicia inter se: quatenus scilicet hoc contrarium sit memora-

A litibus non abstinere secundum præparationem cordis, peccatum est.

De Avaritia.

» tis Christi præceptis. Et ita locum hunc acce- » perunt Veteres.

Litium mo tum.

Ita *S. Joannes Chrysostomus*, Homilia XVI. in Epistolam 1. ad Corinthios. *Duplex est crimen*, (inquit) *& quòd judicio contendit, & quod apud Infideles. Si enim per se est peccatum cum fratre judicio contendere; etiam apud exteros contendere,* » *quamnam habet veniam?* Jam quidem omnino » delictum est in vobis, quod judicia habetis in- » ter vos. *An autem justè, aut injustè judicio contendat, hoc est alterius disputationis. Ne dicas ergo, Quis fecit injuriam? Hinc enim te condemno, nempe quòd judicio contendas. Si est autem crimen quòd ferre non possit eum qui fecit injuriam: etiam injuriam facere, quanta dignum est accusatione?* Qua- » re non magis injuriam accipitis? quare non » magis fraudem patimini? &c. *Rursus crimen est duplum: fortasse autem & triplum, & quadruplum. Unum quidem nescire ferre cùm injuriâ sit affectus. Secundùm autem, etiam injuriam facere. Tertium, in quis de his permittere cognitionem. Quartum, hoc facere fratrem.*

Ita S. *Augustinus in Enchiridio*, Cap. LXXVIII. hunc Apostoli locum expendens *Hic posset putari*, inquit, *judicium habere adversùs alterum non esse peccatum, sed tantummodo id extra Ecclesiam velle judicari, nisi secutus adjungeret*, Jam quidem » omnino delictum est, quia judicia habetis vobiscum. *Et ne quisquam hoc ita excusaret, ut diceret justum se habere negotium, sed iniquitatem se pati, quam vellet à se judicum sententiâ removeri: continuò talibus cognitionibus vel excusationibus oc-* » *currit, atque ait*: Quare non magis iniquitatem » patimini? Quare non potiùs fraudamini? *Ut ad* » *illud rediatur quod Dominus ait*; Si quis volue- » rit tunicam tuam tollere, & judicio tecum con- » tendere, dimitte illi & pallium. *Et alio loco*, » Qui abstulerit, *inquit*, tua noli repetere. *Prohibuit itaque suos de sæcularibus rebus cum aliis hominibus habere judicium: ex qua doctrina Apostolus dicit esse delictum. Tamen cùm sinit in Ecclesia talia judicia fieri inter fratres fratribus judicantibus, extra Ecclesiam verò terribiliter vetat; manifestum est etiam hic quid secundùm veniam concedatur infirmis. Propter hæc atque hujusmodi peccata, & alia, licèt eis minora, quæ fiunt verborum & cogitationum offensionibus, Apostolo Jacobo confitente ac dicente*, In multis offendimus omnes: *oportet ut quotidie crebròque oremus ad Dominum, atque dicamus*, » Dimitte nobis debita nostra; *Nec in eo quod* » *sequitur mentiamur*, Sicut & nos dimittimus » debitoribus nostris.

Math. 5.

Luc. 6.

Jacob. 3.

Sua ex cupiditate in judicio repetere, venale saltem peccatum est.

Et Ennaratione in Psalmum LXXX. Christianum sua repetentem, & pro illis habentem cum fratre judicium, numerat inter eos, qui supra fundamentum, quod est Christus, ædificant lignum, fœnum, stipulam. *Sicut autem alii* (inquit) *qui rebus infirmitati concessis inhærent aliquantum dilectione. Non rapis villam alienam, sed sic amat suam, ut si perdiderit, contristetur.... Non tollit aliena, sed repetit sua, & habet cum fratre suo* » *judicium. Talibus enim dicitur*: Jam quidem om- » nino delictum est in vobis, quia judicia habe- » tis vobiscum. *Verùm ipsa judicia in Ecclesia jubet agi, non ad forum trahi, tamen delicta esse dicit. Contendit enim Christianus pro rebus terrenis ampliùs quàm decet eum cui promissum est Regnum cœlorum. Non totum cor sursum levas, sed aliquam partem ejus trahit in terra..... Dico enim fratres, Possides fundamentum, haere cœlo, calca terram. Si talis es, non ædificas nisi aurum, argentum, & lapides pretiosos. Cùm autem dixeris, Amo possessionem istam, timeo ne pereat; & imminet damnum, & tu contristaris, non quidem præponis eam Christo; nam sic amas possessionem istam, ut si dicatur tibi, Ipsam vis an Christum? Et si tristis eam perdis, plus tamen amplecteris Christum quem posuisti in fundamento: salvus eris tanquam per ignem.*

1. Cor. 6.

Et Sermone XXIV. in Psalmum CXVIII. explicans hunc versum, *Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei*, sic litigantes vitiosis & negotiosis cupiditatibus implicari asserit: conditionem Episcoporum deplorans, qui litibus Christianorum judicandis meliores horas impendere tenebantur. *Maligni*, (inquit) *exercent ad facienda mandata, à scrutandis autem avocant, non solùm cùm persequuntur, aut litigare nobiscum volunt; verùm etiam cùm obsequuntur & honorant, & tamen suis vitiosis & negotiosis cupiditatibus adjuvandis ut occupemur, & eis nostra tempora impendamus, affligitant; aut certè infirmos premunt, & caussas suas ad nos deferre compellunt: Quibus dicere non audemus*, Dic homo, quis me constituit judicem aut divisorem inter vos? *Constituit enim talibus caussis Ecclesiasticos Apostolus cognitores, in foro prohibens jurgare Christianos. Ne illis quidem qui non aliena rapiunt, sed sua cupidè repetunt, dicimus*, Cavete ab omni cupiditate, *constituentes eis ante oculos hominem cui dictum est*, Stulte, hâc nocte auferetur à te anima tua, quæ « præparasti cujus erunt? *Quia & quando dicimus*, « *non recedunt nec declinant à nobis; sed instant, urgent, precantur, tumultuantur, extorquent, ut ipsis potiùs ad ista quæ diligunt, quàm scrutandis Dei mandatis quæ diligimus, occupemur.*

Litigantes vitiosis & negotiosis cupiditatibus implicantur.

1. Cor. 6.

Luc. 12.

Ita *S. Thomas* Commentario in Cap. VI. Epistolæ 1. ad *Corinthios*, Lectione 11. *Judicium* « (inquit) *adversùs aliquem est illicitum omnibus* « *quantùm ad tria. Primò quidem quantùm ad causam ex qua aliquis judicium habet, putà, ex cupiditate & avaritia. Unde Lucæ* XII. *cùm quidam de turba Domino dixisset*, Dic fratri meo ut divi- « dat mecum hæreditatem: *Dominus dixit*, Quis « me constituit Judicem ad dividendum inter vos? « *Postea subdit*, Videte & cavete ab omni avaritia. « *Secundò, quantùm ad modum judicii, quia scilicet cum contentione & detrimento pacis judicium prosequuntur; ut enim dicitur Jacobi III.* Ubi zelus « & contentio, ibi inconstantia & omne opus pra- « vum. *Et hoc videtur Apostolus in eis reprehendere*, « *ut patet ex hoc quod supra dixit*: Frater cum fra- « tre in judicio contendit. *Tertiò ex perversitate* « *judicii, putà, cùm aliquis injustè & fraudulenter in judicio procedit, secundùm illud Isaiæ* X. Ut op- « primerent pauperem, & vim facerent causæ « humilium Populi mei. *Et hoc etiam Apostolus* « *in eis reprehendit, ut patet per id quod subdit*, Sed vos injuriam facitis. *Quartò, propter scan-* « *dalum quod sequitur: unde & Dominus mandat* Matt. V. *Qui vult tecum in judicio contendere*, « *& tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* « Ait ergo Apostolus, *Omnino delictum est in vobis*, id est, *ad delictum vobis reputatur*, quòd Judicia habetis inter vos; *inter quos scilicet debet esse pax*, *quia*, ut dicitur II. ad Timotheum II. *Servum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.*

Litem adversùs proximum habere, quadruplici modo illicitum.

Ex Caritate *verò sua in judicio repetere, licitum est*: cùm scilicet caventur pericula plurimarum offensionum quæ ex litibus nascuntur, quales sunt pravæ de fratre suspiciones & judicia, obtrectationes, odia &c. & pacis ac tranquillitatis internæ detrimentum majori aliquo bono compensatur; scilicet cùm quis non suum, sed publicum alicujus communitatis agit negotium, ut Ecclesiæ, Monasterii, Collegii, maximè si ex obedientia aut ex officio id faciat: cùm

Sua ex caritate in judicio repetere licitum & laudabile.

Litium malum.

cùm bona pauperum, pupillorum, viduarum, vel ablata, seu malè alienata repetit, vel ne tollantur obsistit: cùm sua repetit quæ conjugi & liberis alendis, fovendis, collocandis sunt necessaria: cùm quis in judicio vitam suam defendit, præsertim multis profuturam; quemadmodum S. Paulus fecit Cæsarem appellans. (*Act.* xxv.) Denique cùm adversarius videtur futurus ad nocendum audacior, ac plures alios injuriis affecturus, si auctoritate Judicis non reprimatur. Ceterùm ita debent esse affecti, qui rerum temporalium causâ litigant, ut potiùs injurias & damna quælibet pati ex animo parati sint, quàm fraternam charitatem violare. Ea enim animi præparatio non est meri consilii, sed præcepti.

Quomodo affecti esse debeant, qui pro temporalibus bonis litigant?

Hinc rursùs *S. Augustinus* Libro II. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. VIII. ait: *Pecuniam dimittere illo potiùs jubemur præcepto, quod superiùs dictum est,* « Si quis tibi tunicam tollere « voluerit, & judicio tecum contendere, remitte ei & vestimentum: *Nec ibi necesse est omni pecuniario debitori dimittere debitum, sed ei qui reddere noluerit, in tantum ut velit etiam litigare:* Servum autem Domini, *ut ait Apostolus*, non oportet litigare. *Qui ergo vel sponte, vel conventus pecuniam debitam reddere noluerit, dimittenda illi est. Duas enim ob res nollet reddere, vel quod non habeat, vel quòd avarus sit, reique alienæ cupidus: utrumque autem pertinet ad inopiam: nam illa inopia est rei familiaris, hæc animi. Quisque itaque tali dimittit debitum, inopi dimittit, opúsque christianum operatur, manente illâ regulâ, ut in animo paratus sit amittere quod sibi debetur. Nam si modestè ac leniter omni modo egerit, ut sibi restituatur, non tam intendens fructum pecuniæ, quàm ut hominem corrigat, cui sine dubio perniciosum est habere unde reddat, & non reddere, non solùm non peccabit, sed proderit etiam plurimùm, ne ille dum alienam pecuniam lucrum facere vult, damnum fidei patiatur, quod tantò est gravius, ut nulla sit comparatio.*

Matth. 5.

1. Tim. 2.

Plus raptoribus metuere debemus, quàm rebus temporalibus defendendis inhiare.

Hinc *Gregorius Magnus*, Libro XXXI. *Moralium*, Cap. VIII. *Perfectus igitur Christianus* (inquit) *quomodo debet res terrenas jurgando defendere, quas nunc præcipitur non possidere? Itaque cùm res proprias amittimus, si perfectè Deum sequimur, in hujus vitæ itinere à magno onere levigati sumus. Cùm verò curam rerum ejusdem nobis itineris necessitas imponit, quidam dum eas rapiunt, solummodo tolerandi sunt: quidam verò conservatâ caritate prohibendi, non tamen solâ curâ ne nostra subtrahant; sed ne rapientes non sua, semetipsos perdant. Plus quippe ipsis raptoribus debemus metuere, quàm rebus irrationabilibus defendendis inhiare. Ista namque etiam non rapta morientes amittimus: cùm illa verò & nunc conditionis ordine, & si corrigi studeant, post perceptionem muneris unum sumus. Quis ... tem nesciat, quia minùs ea quibus utimur, & plus debemus amare quod sumus? Si ergo & pro sua utilitate raptoribus loquimur, non jam solùm nobis quæ temporalia, sed ipsis etiam quæ sunt æterna vindicamus. Quâ in re illud est solerter intuendum, ne per necessitatis metum, cupiditas subrepat verum: & zelo succensa prohibitio, impetûs immoderatione distensa, usque ad odiosa verba, & turpitudinem intentionis erumpat. Dumque pro terrenâ re pax à corde cum proximo scinditur, liquidò apparet, quia plus res quàm proximus amatur. Si enim caritatis viscera etiam circa raptorem proximum non habemus, nosmetipsos pejus ipso raptore persequimur, graviúsque nos, quàm alter poterat, devastamus: quia dilectionis bonum sponte deserentes, à nobis ipsis intus est quod amittimus, qui ab illo sola exteriora perdebamus. Sed hanc hypocrita formam caritatis ignorat: quia plus terrena quàm cælestia diligens, contra eum qui temporalia diripit, sese in intimis immani odio inflammat.*

Litigatores peccant, qui charitatem à patentu cum illis à quibus injuria sunt affecti, non servant.

Quamquam verò Christianis omnibus admodum periculosæ sint lites rerum temporalium causâ susceptæ, ad quas nimirum suscipiendas sola plerumque cupiditas impellit, & quarum prosecutione sæpius, heu! fraterna caritas perit & extinguitur in litigantium animis: adeóque nihil agere non debeant ut lites vitent, causarum suarum judicium communibus amicis, aut electis Arbitris permittendo, quantùm in ipsis est: magis tamen à litibus alieni esse debent Ecclesiastici Religiosique Viri, qui vel perfecti esse debent, vel ad perfectionem ex sui statûs obligatione tendere. Omnem enim avaritiæ suspicionem illos vitare oportet, atque caritatis exemplo cæteris omnibus prælucere. Hinc Concilii Carthaginensis IV. Canone XIX. sancitum est, *Ut Episcopus pro rebus transitoriis non litiget provocatus.* Hinc *S. Ambrosius* Libro II. *De Officiis*, Cap. XXI. *Decet*, inquit, *esse benignum, non alieni cupidum, immò de suo jure cedentem potiùs aliqua, si fuerit lacessitus, quàm aliena jura pulsantem, fugitantem litium, abhorrentem à jurgiis, redimentem concordiam, & tranquillitatis gratiam. Siquidem de suo jure virum bonum aliquid relaxare, non solùm liberalitatis, sed plerumque etiam commoditatis est. Primùm dispendio litis carere, non mediocre est lucrum. Deinde accedit ad fructum, quòd augetur amicitia*, &c.

Ecclesiastici præsertim Religiosique viri alieni à litibus animo esse debent.

Et Epistolâ XLIX. ad *Marcellum* Episcopum, scribens de compositione litis, quæ ipsi cum fratre & sorore intercesserat, & quam ipse *Ambrosius* à partibus Judex electus, finire maluerat ut Arbiter, omnes causam vicisse ostendit, sed præcipuè *Marcellum*, qui caritate vicit. *Cum*, inquit, *accepi judicium, jus controversum, multiplices ab utraque parte actiones cernerem, invidia plenas supplicationes, Rescriptorum quoque obreptiones obtexerent; adverterem etiam gravi conditione illum, si vicisset, actarum de duplis fructibus, & de sumtibus annosæ litis: tuo autem officio non convenire, ut expensas jurgii posceres, nec competere ut quidquam de fructibus possessor ageret, quos percepisset? malui jurgium compositione sedare, quàm pronuntiatione acerbare. Alia enim habebant excitari jurgia. Tum, quod est gravissimum, etsi jurgia sublata forent, erant tamen odia mansura: quæ apud bonos mores dispendia sunt. Inter hos æstus positus, cùm me persona Sacerdotis, femina sexus, Viduæ gravitas, amici quoque contemplatio trino quodam non perfunctorio conveniret nomine, illud sequendum putavi, ut neminem vinci vellem, & omnes vincere. Nec fefellit sententia. Vicistis enim omnes germanitati, vicistis naturæ, vicistis Scripturæ dicenti;* Quare non magis injuriam accepistis? « Quare non magis fraudem patimini? *Sed putas te gravatum jacturâ juris, damno pecuniæ. Meliora utique Sacerdotibus damna, quàm lucra sæculi sunt.* Beatius est enim dare, quàm accipere. « *Sed fortè dicas: Fraudem non debui pati, injuriam non debui perpeti, damnum subire. Quis ergo? Inferre velles? Sed etsi tu non inferres, ille se passum diceret. Itaque vide quid dicat Apostolus:* Quare non magis fraudem patimini? *Ut propè « videatur, qui non patitur, fecisse. Tolerare enim debet qui fortior est. Verùm quid ego ita tecum ago, quasi hoc meum, & non tuum sit? Tu enim obtulisti quasi arbiter litis, ut soror in diem vitæ suæ possideret partem prædii, post obitum ejus fratri cederet omnis possessio: neque quisquam cum tuo vel Ecclesia conveniret nomine; sed sibi haberet, si ita mallet, ut nihil dispensaret*

Epist. 82. editionis postremæ Paris.

Act. 20.

DE PECCATIS.

Litium malum.

Ecclesia.... Vicistis ergo omnes: Lætus, quia jus loci adeptus est, quod non tenebat: Soror, quia annuis potietur fructibus, jam sine lite, sine jurgio: nemo tamen plenius, nemo gloriosius quàm tu vicisti, qui dum erga sororem confirmari vis liberalitatem tuam, in utrumque eam fraternæ consortem necessitudini contulisti. Nam & fratri concessisti proprietatem, & sorori usumfructum. Nihil autem admittitur Ecclesia, quod pietati acquiritur. Caritas enim non damnum, sed lucrum Christi est. Denique caritas fructus Spiritus Sancti est.... Profuit jurgium, ut formam nasceret Apostolica vita & præceptionis. Illud Sacerdotio non congruebat, hæc transactio & Apostolicam decet normam. Nec vereare ne immunis sit atque exsors Ecclesia liberalitatis tuæ. Habet & illa fructus tuos, & quidem uberiores, habet fructus doctrinæ tuæ, habet tua vita stipendium; habet fœcunditatem, quam tuis institutis rigasti. His dives reditibus non quæris temporalia, quia æterna possidet. Tu interea confirmatus in Apostolum Christi, assumens Propheticam auctoritatem, dices ad Dominum: Pusillum sedisti senes meos. *Hæc melius Christum possessio decet, ut virtutes Sacerdotis possideat suis; hos fructus capiat, qui sunt integritatis & continentiæ, & quod est amplius, caritatis & tranquillitatis.*

Hinc *S. Gregorius* Epistolâ LVIII. Libri VIII. ad *Bonifacium* Regiensem Episcopum scribit: *Sacerdotali proculdubio convenit gravitati, ut si quis Ecclesiæ suæ causas habuerit, aut pacificâ eas ordinatione, si fieri potest; aut certè judicio interveniente, sine mora definiat, ut sublatâ è medio contentionis materiâ, sola illis cum filiis suis pacis possit concordia permanere.* Et tamen sanctus idem Pontifex lites aliquando suscipiendas docet pro tuendis Ecclesiæ bonis, quæ sont patrimonia pauperum, cùm alia media Christiana mansuetudo frustra adhibuit. Sic enim scribit ad *Italicam* Patriciam, Epistolâ LVIII. Libri II. Indictione XI. *Illud quod revocare in memoriam nostram Excellentia vestra studiosè contendit, scriptum vobis sciat nihil cum scandalo, nihil cum foralis strepitu vobiscum nos velle de causis pauperum definire. Hoc & nos scripsisse meminimus, & scimus nosmetipsos juvante Domino, à causarum litigiis Ecclesiasticâ moderatione compescere, atque secundùm Apostolicum illum sensum, rapinam bonorum nostrorum cum gaudio sustinere. Sed illud scire Vos volumus, taciturnitatem atque patientiam nostram futuris post me Pontificibus in rebus pauperum præjudicium non facturam.* Hanc formam sanctus Pontifex Viris Ecclesiasticis dedit; immò a Christo, & à S. Paulo traditam docuit, Libro XXXI. *Moralium*, Cap. VIII. *Ecce (inquit) divinâ voce præcipitur:* Si quis tibi

Matth. 5. Luc. 6.

» tulerit tunicam, & voluerit tecum judicio contendere, dimitte illi & pallium. *Et rursum:* » Si quis quod tuum est tulerit, ne repetas. *Paulus quoque Apostolus Discipulos suos cupiens exteriora despicere, ut valeant interna servare, admonet dicens:* Jam quidem omnino delictum est in » vobis, quòd Judicia habetis inter vos: quare » non magis injuriam accipitis, quare non magis fraudem patimini? *Et tamen hypocrita assumto sanctæ conversationis habitu, filiorum custodiam eligerit, & temporalia quoque defendere etiam jurgiis quærit. Exemplo suo eorum perdere corda non trepidat, & quasi per negligentiam amittere patrimonia terrena formidat. In errorem discipulus labitur, & tamen cor hypocritæ nullo dolore sauciatur. Ire in iniquitatis voraginem commissos sibi conspicit, & hæc quasi inaudita pertransit: at si quod sibi leviter inferri temporale damnum senserit, in ultionis iram repente ab imis inardescit. Mox patientia rumpitur, mox dolor cordis in vocibus effrena-*

1. Cor. 6.

tur: quia dum animarum damna æquanimiter tolerat, jacturam verò rerum temporalium repellere etiam cum spiritûs commotione festinat, cunctis veraciter indicat, teste mentis perturbatione, quid amat. Ibi quippe est grande studium defensionis, ubi & gravior vis amoris. Nam quantò magis terrena diligit, tantò privari eis vehementiùs pertimescit. Quia enim mente aliquid in hoc mundo possidemus, non docemur, nisi cùm amittimus. Sine dolore quippe amittitur, quidquid sine amore possidetur. Quæ verò ardenter diligimus habita, graviter suspiramus ablata. Quis autem nesciat, quia nostris usibus res terrenas Dominus condidit, suas autem animas hominum creavit? Plus ergo Deo se amare convincitur, qui neglectis his quæ ejus sunt, propria tuetur. Perdere namque hypocritæ ea quæ Dei sunt, id est, animas hominum, non timent; & ea quæ sua sunt, amittere, videlicet res cum Mundo transeuntes, quasi districto Judici posituri rationem timent, ac si placatum inveniant, cui desideratis rebus, id est, rationabilibus perditis, insensibilia & non quæsita conservant.

Litium malum.

Sine dolore amittitur quicquid sine amore possidetur.

Ea de re & *Sanctum Bernardum* audiamus, Epistolâ CCCI. ad *Sanciam* Regis Hispaniæ Sororem, quam rogat ut litem inter duo Monasteria ortam operâ suâ sopire & componere conetur, aut certè à duobus Episcopis finiri curet. *Et quoniam* (inquit) *Servos Dei non oportet litigare, consilii nobis fuit ad vestrum potissimùm consilium causam remittere, ut vestrâ auctoritate & operâ omnis inepta & injusta (ut aiunt) calumnia conquiescat, & ordo in domo Dei receptus ad ejus gloriam & vestram ipsius salutem deinceps in pace permaneat..... Si autem vestris (quod non credimus) salutaribus monitis, aut consiliis contradictores illi acquiescere nolunt: tunc duorum judicio Episcoporum, ad quos duo illa loca jure Parochiali pertinere noscuntur, omnis inter eos controversia terminetur. Quodque ab eis judicatum aut constitutum concorditer fuerit, vestrum erit ratum habere, & de cetero firmiter ratum tenere.... Si timetis Deum, non patiemini impediri tantum bonum..... Nec Fratres illos suæ devotionis privari fructu, nec Deum denique tam accepto sibi reformati Ordinis sacrificio defraudari.*

2. Tim. 2.

Sacri quoque Canones Clericos & Monachos à litibus ex cupiditate suscipiendis ac persequendis abstinere jubent, ut constat ex Cap. *Multa sunt*, Extra. *Ne Clerici vel Monachi secularibus negotiis se immisceant*, qui Moguntini Concilii sub Carolo Magno Canon decimus quartus est. *Multa sunt*, inquit, *negotia secularia, ad quæ pertinet omnis concupiscentia .... Contentiones, vel lites, vel rixas amare: in Placitis secularibus disputare, exceptâ defensione orphanorum, aut viduarum ... & omnibus quibuslibet causis superstitis interesse. Ecce talia, & his similia Ministris Altaris Domini, necnon & Monachis omnino contradicimus, de quibus ait Apostolus:* NEMO militans Deo, implicat se negotiis secularibus.

2. Tim. 2. 4.

DE PECCATIS.

REGULA XI.

Lethalis avaritiæ rei sunt Monachi & Moniales, & quicumque Paupertatis Evangelicæ voto se obstrinxerunt, si peculium habeant; vel pecunias, aut aliquid pretio æstimandum, absque Superiorum licentiâ, ad usum retineant.

De avaritia Monachorū.

HÆc Regula SS. Patrum, & sacrorum Canonum autoritate firmatur. *S. Basilius*, in *Constitutionibus Monasticis* Cap. XXXIV. *Etenim qui proprium habere aliquid studet, in sine dubio nihil aliud quàm distinctionem ac defectionem à ceteris meditatur. Nam cui hoc in animo non est, quid est tandem quod ipse possidere seorsum velit; cùm ipse sciat, Christi beneficio servos ipsius in necessariorum copia assiduè versari? Proinde perspicuum est, qui talis sit, eum de præcidenda ac morte afficienda anima sua meditari, qui exiguis obolis salutem suam addicere aut prodere paratus sit, & alter Judas efficiatur, nempe qui à furto exordiatur; (Furtum enim est privata possessio;) & in proditionem desinat: quando ut ille Dominum, sic iste etiam veritatis verbum prodit.* Et infrà: *Societatis expilatio est rei cujuscumque & undecumque in privatum usum sevocatio.* Idem in Epistola ad *Chilonem* Monachum. *Aurum*, inquit, *maximopere ut animæ tuæ blandissimum insidiatorem, ut parentem peccati, ut Diaboli administrum modis omnibus fuge. Prætextu sublevandæ pauperum inopiæ provide ne fias inexplebili congerendæ pecuniæ cupiditati obnoxius: adeo ut si quis pecunias offerat in inopum usum erogandas, ipse autem certo cognoveris indigos, is cujus sunt pecuniæ fac consilio tuo secum ut eas auferat, egenis fratribus erogaturus: ne contingat ut cùm dispertiendas ipse acceperis, earum affrictu conscientia tua iterum sitim ducat avaritiæ, & inquinetur.*

Privata possessio Religiosorum furtum est.

Exemplum terribile.

S. Hieronymus Epistolâ XX. ad *Eustochium*, *De Custodia Virginitatis* inscriptâ, refert quid gestum sit aliquando Nitriæ circa Monachum vitio proprietatis maculatum. *Quidam*, inquit, *ex Fratribus parcior magis quàm avarior, & nesciens triginta argenteos Dominum venditum, centum solidos, quos lina texendo adquisierat, moriens dereliquit. Initum est inter Monachos consilium, (Nam in eodem loco circiter quinque millia divisis cellulis habitabant,) quid facto opus esset. Alii pauperibus distribuendos esse dicebant, alii dandos Ecclesiæ, nonnulli parentibus remittendos. Macarius verò & Pambo & Isidorus, & ceteri, quos Patres vocant, Sancto in eis loquente Spiritu, decreverunt infodiendos esse cum eo dicentes:* (Act. 8. 20.) *Pecunia tua tecum sit in perditionem. Nec hoc crudeliter quisquam putet factum. Tantus cunctos per totam Ægyptum terror invasit, ut unum solidum dimisisse sit criminis.*

S. Augustinus Epistolâ CCXI. aliàs CIX. quæ est Regula Monialibus scripta: *Non dicatis aliquid proprium* (inquit) *sed sint vobis omnia communia.... Caritas enim de qua scriptum est, quòd* Non quærit quæ sua sunt, *sic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit. Et ideo quantò ampliùs rem communem quàm propriam curaveritis, tantò ampliùs vos fecisse noveritis: ut in omnibus quibus utitur transitura necessitas, superemineat quæ permanet caritas. Consequens ergo est, ut etiam illud quod suis vel filiabus, vel aliqua necessitudine ad se pertinentibus in Monasterio constitutis aliquis vel aliqua contulerit, sive vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositæ, ut in commune redactum, cui necesse fuerit, præbeatur. Quòd si aliqua rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur.*

1. Cor. 13. 5.

A Idem confirmat *Cassianus* Lib. IV. *De Institutis Renuntiantium* Capp. III. IV. XIII. & XV. Idem omnes Regulæ Monasticæ.

De Monachorum avaritia aut proprietate.

S. Gregorius Magnus Lib. IV. *Dialogorum*, Cap. LV. *Neque hoc silendum puto, quod actum in meo Monasterio ante hoc triennium reminiscor. Quidam enim Monachus Justus nomine medicinali arte fuerat imbutus, qui mihi in eodem ministerio constituto sedulè obsequi, atque in assiduis ægritudinibus meis excubare consueverat. Hic itaque languore corporis præventus, ad extremum deductus est. Cui in ipsa sua molestia frater germanus nomine Copiosus serviebat, qui ipse quoque nunc in hac Urbe per eamdem*

Religiosi proprietarii, qui nec in morte peculium abdicarunt, & in manus Superiorum deposuerunt, sacrâ sepulturâ privandi.

B *Medicinæ artem temporalis vitæ stipendia sectatur. Sed prædictus Justus, cùm jam se ad extremum pervenisse cognovisset, eidem Copioso fratri suo, quia tres aureos occultatos haberet, innotuit. Quod nimirum Fratribus non potuit celari, sed subtiliter indagantes, atque illius omnia medicamenta perscrutantes, eosdem tres aureos invenerunt absconsos in medicamine. Quod mox ut mihi nuntiatum est tantum malum de Fratre, qui nobiscum communiter vixerat, æquanimiter ferre non valui: quippe quia ejusdem mei Monasterii Regula fuerat, ut cuncti Fratres ita communiter viverent, quatenus eis singulis nulla propria habere liceret. Tunc nimio mœrore percussus, cogitare cœpi vel*

C *quid ad purgationem morientis facerem, vel ad exemplum viventibus Fratribus providerem. Pretioso igitur ejusdem Monasterii Præposito ad me accersito dixi: Vide ut nullus ex Fratribus se ad eum morientem jungat, nec sermonem consolationis ex cujuslibet eorum ore percipiat: sed cùm in morte constitutus Fratres exquisierit, ei suus carnalis frater dicat: Quia propter aureos quos occultatos habuit, à cunctis Fratribus abominatus sit: ut saltem in morte de culpa sua mentem ipsius amaritudo transverberet, atque à peccato quod perpetravit, purget. Cùm verò mortuus fuerit, corpus illius cum Fratrum corporibus non ponatur: sed qualibet in sterquilinio fossam facite, & in ea*

D *corpus ejus projicite: ibique super eum tres aureos, quos reliquit, jactate, omnes simul clamantes:* Pecunia tua tecum sit in perditione: *& sic eum terrâ operite. In quibus utrisque rebus, unam morienti, alteram verò viventibus volui prodesse Fratribus: ut & illum amaritudo mortis à culpa solubilem faceret, & istos avaritiæ tanta damnatio terreret, atque à culpa prohiberet, quod ita factum est. Nam cùm idem Monachus pervenisset ad mortem, atque anxiè se quæreret commendari Fratribus, & nullus è Fratribus ei applicari & loqui dignaretur, ei carnalis frater cur ab omnibus Fratribus esset abominatus, indicavit. Qui protinus de reatu suo vehementer ingemuit, atque ipsâ*

Act. 8. 20.

E *suâ tristitiâ e corpore exivit: qui ita est sepultus, ut dixeram. Sed Fratres omnes ex eadem ejus sententia conturbati cœperunt singuli extrema quæque & vilia, & quæ eis habere regulariter semper licuerat, ad medium proferre, vehementerque formidare, ne quid apud eos esset, unde reprehendi potuissent.*

Idem Epistolâ XXII. Libri X. *Venientes Monachi Monasterii quondam Abbatis Claudii petiverunt sibi Constantinum Monachum Abbatem debere constitui. Quos valde ego in sua petitione detestatus sum, quia mihi terrenæ mentis esse omnimodè apparuerant, quia terrenum nimis hominem Abbatem quæsiverunt habere. Cognovi quòd Constantius peculiaritati studeat: quæ res omnino testatur eum cor Monachi non*

F *habere.* Et infrà: *Hæc autem prædicto Fratri & Coëpiscopo nostro omnino dicere stude, ut peculiaritatem à quatuor aut quinque Monasterii Monachis, in quibus corrigi hactenus minimè potuit, studiosissime compescat. & hoc ipsum Monasterium à tali peste mundare festinet: quia si illic peculiaritas à Monachis habetur, neque concordia, neque caritas in Congregatione eadem poterit permanere. Quid est autem ha-*

De Monachorum avaritia & proprietate. Habitus Monachi despectus est mundi.

bitus Monachi, nisi despectus Mundi? Quomodo igitur Mundum despiciunt, qui in Monasterio positi nummum quarunt?

Idem confirmat & *B. Petrus Damiani*, Opusculo XII. quod inscribitur *Apologeticus De Contemptu sæculi*, Cap III. ubi úsque gravitatem peccati ostendit proposito *Anania & Sapphira* exemplo, *Alnum* Cap. v. *Hugo de sancto Victore* in Expositione Regulæ S. Augustini: *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. CLXXXVI. A. III. & VII. & *Tractatus Contra* Proprietarios Regulæ *S. Augustini*, inter *Gersonis* Opera, Tom. I.

Concilium Aurelianense, anno Christi DVII. Canone XXI *Monachi* (inquit) *Abbatibus omni obedientia & devotione subjaceant. Quòd si quis per contumaciam extiterit indevotus, aut per aliqua loca vagari, aut peculiare aliquid habere præsumpserit; omnia qua acquisierit, ab Abbatibus auferantur, secundùm Regulam Monasterio profutura.*

Religiosis proprietatis negam is communio.

Concilium Augustodunense sub *S. Leodegario*, circa annum Christi DCLXX. Canone I. statuit, *Ut Abbas, vel Monachi peculiare non habeant, & Monachi ab Abbate victum & vestitum consuetum accipiant.... Nemo suum aliquid esse dicat, sed sint eis omnia communia*, &c *Quisquis autem hac à nobis Deo pracipiente dictata in confirmationem regularem Monachorum tentaverit aliquâ transgressione cassare; si Abbas est, anno uno Communionis ei potestas suspendatur; si Prapositus, annos duos; si Monachus, aut fustibus verberetur, aut à Communione, & Missa, & tavitate tres annos suspendatur.*

Pro Religiosis qui proprietarii moriuntur, sacrificium non offerendum.

Concilium Oecumenicum Lateranense sub *Alexandro III.* Cap. X. De Monachis: *Si verò peculium habuerit, nisi ei ab Abbate pro injuncta fuerit administratione permissum, à Communione removeatur Altaris: & qui in extremis cum peculio inventus fuerit, nec Oblatio pro eo fiat, nec inter Fratres recipiat sepulturam: quod etiam de universis Religiosis pracipimus observari.*

Innocentius III. Cap. *Cùm ad Monasterium*, Extra, *De Statu Monachorum*, prohibet in virtute obedientiæ & sub obtestatione divini Judicii, *Ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat, sed si quis aliquid habeat proprii, totum incontinenti resignet.* Alioquin *Regulari monitione pramissâ, de Monasterio expellatur, nec recipiatur ulterius, nisi pœniteat secundùm Monasticam disciplinam. Quod si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis, extra Monasterium in sterquilinio subterretur. Unde si quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, non prasumat illud accipere: sed Abbati, vel Priori, vel Cellerario assignetur.*

Concilium Salisburgense anno MCCLXXXI. Cap. IV. *Item statuimus, ut Monachi vel Regulares, nisi à notitia prasentium, infra dies quindecim vel ante, ad manus suorum efferunt Prælatorum, usque ad restitutionem debitam ab Officio sint suspensi: & nihilominus si manifesta sit proprietas, carcerali custodia mancipentur.*

Concilium Oxoniense sub *Stephano* Cantuariensi Archiepiscopo anno MCCXXII. *Quoniam non licet Viris Religiosis aliquid proprium possidere, qui se & sua pariter in Religionis ingressu Domino dedicarunt, præsenti autoritate definimus, ut nulla persona in Regulari Ordine constituta condere testamentum præsumat, cùm nihil habeat suum temporale, quod transferre valeat in dominium alienum.* Idem Concilium ut vitium proprietatis in Monachis & Monialibus penitus eradicet, prohibet, *Ne singulis eorum denarii pro vestibus tribuantur, sed talia per certas personas ad hoc deputatas, putà Camerarios vel Camerarias diligenter expediantur: qui, ut quilibet indiguerit, & facultas domûs sustinuerit, eis indumenta ministrent. Et cùm eis nova tradita sunt, vetera ab eis recipiantur, qua in usus pauperum vel alias necessitates, de consilio Abbatis, vel Prioris, vel Abbatissa, vel Priorissa convertantur.* Id & alia Concilia sanxerunt, inter alia Cameracense anno MDLXV. Tit. XVIII. Cap. X.

Pecunia pro vestibus variis Religiosis non tribuenda.

Proprietatis vitium in Religiosis eradicare conata est sua Decreto sancta Synodus Tridentina.

Concilium Tridentinum Sessione XXV. *De Reformatione*, Cap. II. *Nemini igitur Regularium, tam virorum, quàm mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventûs possidere, vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem vel commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorum seu Conventuum ad solos Officiales eorumdem, ad nutum Superiorum amovibiles pertineat. Mobilium verò usum ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur. Quod si aliquis quidquam tenere deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activa & passiva voce privatus sit, atque etiam juxta sua Regula & Ordinis Constitutiones puniatur.*

Secunda Secunda, Quæst. CLXXXVI. A. III.

Lib. X Confess. cap. 19.

Ad perfectionem caritatis acquirendam primum fundamentum est voluntaria paupertas.

Denique *Status Religionis*, (inquit S. Thomas) *est quoddam exercitium & disciplina, per quam pervenitur ad perfectionem caritatis. Ad quod quidem necessarium est, quòd aliquis affectum suum totaliter abstrahat à rebus mundanis. Dicit enim S. Augustinus ad Deum loquens:* « Minùs te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. » *Et Lib. Quæstionum octoginta trium, Quæst.* XXXVI. *ait quòd* « Nutrimentum caritatis est imminutio cupiditatis; perfectio nulla cupiditas. » *Ex hoc autem quòd aliquis res mundanas possidet, allicitur animus ad earum amorem. Unde S. Augustinus dicit in Epistola ad Paulinum & Therasium) Epist.* XXXI. *alias* XXXIV. *quòd* « Terrena diliguntur arctiùs adepta quam concupita. Nam unde juvenis ille tristis discessit, nisi quia magnas divitias habebat? Aliud est enim nolle incorporare quæ desunt, aliud jam incorporata divellere. Illi velut cibi repudiantur, illa verò velut membra præciduntur. » *Et inde est quòd ad perfectionem caritatis acquirendam primum fundamentum est voluntaria paupertas, ut aliquis absque proprio vivat, dicente Domino: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia qua habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me.*

Excommunicatio Religiosorum proprietariorum.

Concilium Provinciale Coloniense sub *Conrado* Archiepiscopo, Sedis Apostolicæ Legato, anno MCCLX. Cap. XI. *Statuimus, quòd Abbates Excommunicationis sententiam in proprietarios semel in anno, scilicet Sabbato proxime ante Dominicam* LÆTARE, *solemniter in Capitulo publicent; & si pòst aliquis inventus fuerit habere proprium, secundùm Regulam punietur.* Quod in altera Synodo Coloniensi sub *Henrico* Archiepiscopo, anno MCCCX. consummatum est, addito Statuto sequenti.

Si qui Monachi vel Sanctimoniales Beatorum Benedicti & Augustini Ordinum, prater Superioris licentiam, bona mobilia apud se vel apud alios in deposito negotiationis, aut alia de causa habuerint, illa Superiori & Conventui resignent, & eisdem ad cautelam quolibet anno, intra quindenam ante Festum Pascha, intiment, specificent, revelent & demonstrent, & ad manus ejusdem Superioris Abbatis in præsentia Conventûs, resignent penitus atque dent Monachi & Moniales ejusdem. Contrarium facientes, seu qui bona hujusmodi dolo non desierint possidere, excommunicentur & puniantur secundùm inde Statuta. Et quicumque alii utriusque sexus bo-

De Avaritia

minet, præfata bona sub quovis nomine sub se habue- A
rint, tales, nisi eadem bona intra mensem simili mo-
do ad manus Superioris ejusdem Monachi, vel Mo-
nialis reportent & resignent, Excommunicationis Sen-
tentiam volumus incurrere eo facto.

REGULA XII.

Lethalis Avaritia rei sunt parentes, qui filios aut fi-
lias in Monasteria detrudunt, seu ad Vitæ Religiosæ
Professionem cogunt, vel inducunt, ut eorum fratri-
bus aut sororibus ampliores opes relinquant. B

Lethalis avaritiæ parentum filios ad Vitam Religiosam cogentium.

HAnc Regulam confirmat Decretum Concilii
Remensis anno MDLXXXIII. Tit. *De Regula-*
ribus, Num. III. *Quoniam* (inquit) *arma hujus*
sanctæ Militiæ non debent esse carnalia, (ut verbis
Apostoli utamur) adulti Monasterium ingressuri, vel
puerorum parentes, qui illos offerunt, moneantur ne
alia non subeat ipsorum animos cogitatio, quàm sem-
piternorum bonorum. Quisquis igitur otium, honores,
Beneficia, vel alia temporalia, quasi scopum sibi pro-
ponit, Vitam Monasticam suscepturus, vereatur ne
mittatur in tenebras exteriores, non afferens vestem
nuptialem: cui periculo se etiam obnoxios parentes no- C
verint, qui liberis ingressum Religionis procurant, vel
quòd naturâ sint ad res gerendas inepti, animo hebe-
tes, vel corpore vitiosi, aut valde deformes: vel certe ut
aliis liberis istorum quasi ablegatione ampliores opes re-
linquant.

Avaritia parentum filios Religiosos negligentium & ex bonis suis non juvantium.

Parentum avaritiam filios Religiosos velut ex-
hæredantium graviter perstringit *Salvianus* Li-
bro III. ad Ecclesiam Catholicam: *Nullus* (in-
quit) *omnino à suis minùs relinquitur, quàm qui-*
bus ob Dei reverentiam plus debetur: nullos pietas
minùs respicit, quàm quos Religio præcipuè com-
mendat. Denique si qui à parentibus filiis offerun-
tur Deo, omnibus filiis postponuntur oblati; indi- D
gni judicantur hæreditate, quia digni fuerint conse-
cratione: ac per hoc unâ tantùm re parentibus vi-
les fiunt, quia cœperint Deo esse pretiosi. Ex quo
intelligi potest, quòd nullus penè apud homines vi-
lior est quàm Deus: cujus utique sic despectione,
ut eos præcipuè parentes filios spernant, qui ad Deum
cœperint pertinere. Sed præclaram videlicet qui hæc
faciunt, rationem consilii sui reddunt, dicentes: Quid
opus est ut filiis jam Religiosis æqua hæreditatis por-
tio relinquatur? Nihil ergo justius, nihil dignius
quàm ut quia cœperunt Religiosi esse, mendicent?
Non quidem quòd eos hæc res mendicitate oppressu- E
ra sit, quòd à terrenis facultatibus abdicantur, cæ-
lum spe possidentes, citò etiam re possessuros, regen-
te illos Deo suo ac protegente, qui eos cum im-
mortali spe æternorum, etiam sufficientiâ tempora-
lium munerabit. Sed tamen quantùm ad inhuma-
nitatem parentum pertinet, egent, à quibus sic re-
licti sunt, ut egerent. Certè etiam si qui non peni-
tus domo eliminantur, & quibus non omnino extor-
ribus, quasi igne & aquâ interdicitur, (cùm aut
tenues, aut certè usufructuarii relinquuntur.) Ta-
men tantò inferiores fratribus relinquuntur, ut etiamsi
paupertate non egeant, comparatione tamen egere vi-
deantur, &c.

A

DE PECCATIS.

Avaritia Judicum.

ARTICULUS XIII.

Lethalis avaritia & rapina rei sunt Judices, qui
munera accipiunt, vel ut jus dicant, vel ut alicui
partium faveant, vel ut crimina impunita relin-
quant: & quamvis eâ intentione non accipiant ut
violent justitiam; ratione tamen scandali, & peri-
culi in quod se conjiciunt, à lethalis avaritiæ labe
B *non sunt immunes, si dominatrix cupiditas eos ad*
munerum receptionem impellat.

Munerum acceptio divino Jure vetita judicibus.

HInc munerum acceptione Scriptura sacra
Judicibus interdicit, graviàque mala ex ea
oriri declarat. Exodi XXIII. *Nec accipies munera,*
quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba
justorum. Deuteronomii XVI. *Non accipies perso-*
nam nec munera: quia munera excæcant oculos sapien-
tum, & mutant verba justorum. Et cap. XXVII.
Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam
sanguinis innocentis. Isaiæ I. *Principes tui infideles,*
socii furum: omnes diligunt munera, sequuntur re-
C *tributiones. Pupillo non judicant, & causa viduæ*
non ingreditur ad illos. Et cap. V. *Væ qui justificatis*
impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab
eo. Cap. XXXIII. *Qui ambulat in justitiis, & loqui-*
tur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, &
excutit manus suas ab omni munere, . . . , iste in ex-
celsis habitabit. Psalmo XXV. *Ne perdas cum impiis*
Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam
meam. In quorum manibus iniquitates sunt, dextera
eorum repleta est muneribus. Proverb. XV. *Conturbat*
domum suam qui sectatur avaritiam; qui autem odit
munera, vivet. Proverb. XVII. *Munera de sinu im-*
pius accipit, ut pervertat semitas judicii. Ecclesia-
D stici XX. *Xenia & dona excæcant oculos Judicum,*
& quasi mutus in ore avertit correptiones eorum.
Job. XV. *Ignis devorabit tabernacula eorum qui*
munera libenter accipiunt. Jure etiam Civili pro-
hibetur munerum acceptio, scilicet l. *Plebiscito,*
ff. De Officio Præsidis. l. *Solet, ff. De Officio*
Proconsulis. Authentica, *Novo jure, C. De pœ-*
na Jud. Authent. *De Judicibus*, ff. *Nullo quoque.*
Idémque Judicibus Ecclesiasticis speciatim pro-
hibetur, Cap. *Cùm ab omni*, Extra, *De Vita &*
Honestate Clericorum; & Cap. *Statuimus*, Tit. *De*
Rescriptis, in Sexto. Hinc adversùs Judices mu-
E nera accipientes gravissimæ pœnæ statutæ sunt
Jure Civili. In causa pecuniaria pro promisso
duplum imponitur, pro dato triplum: in cri-
minali, omnium bonorum proscriptio & exilium.
Apud Romanos capitale quondam crimen fuit ex
Lege XII. Tabularum. Munerum denique quam-
vis exiguorum acceptio à partibus litigantibus,
sub pœna criminis concussionis & repetundarum
prohibita est Regum Christianissimorum Edictis,
Aurelianensi, Art. 43. Molinensi Art. 19. Blesen-
si Art. 114. Venditionem justitiæ gravius esse
peccatum venditione Beneficii Ecclesiastici, cen-
set *Petrus Blesensis*, Epistolâ CXV. *Quidam sunt*
F (inquit) *qui super exhibitione, aut executione ju-*
stitiæ litteras non indulgent, nisi sub certa promissio-
ne pecuniæ. Sed sciat, quisquis hujusmodi litteras
vendidit, quod Dei justitiam, cujus debitor est, &
quam gratis exhibere tenetur, venalem exponit. . . .
Certè acceptior est apud Deum Justitia, quàm Præ-
benda. Ideóque, cùm in utraque possit simonia com-
mitti, damnabilior tamen est omnis venalitas in exhi-
bitione Justitiæ, quàm in venditione Decimæ, vel
Præbendæ.

Jure etiam Canonico & Civili.

Venditio Justitiæ quàm grave peccatum.

Si tamen non sint ejusmodi munera, quæ in-
tegritatem Judicis corrumpere valeant, & offi-

Avaritia Judicum. cii atque humanitatis, potiùs quàm lucri & cupiditatis motu recipiuntur, potest Judex illa recipere absque peccato ab amicis, sed nunquam à partibus litigantibus, aut earum nomine. Id enim non solùm mali speciem semper habet, à qua Christianos omnes abstinere jubet Apostolus, sed legibus prohibitum, & scandalo obnoxium est. Eâ de re *S. Hilarium* audire non ingratum erit, ea Psalmi XIV. verba, *Et munera super innocentem non accepit*, exponentem. *Est quadam* (inquit) *munerum consuetudo, qua honorem offerat largientis, ita ut majoris doloris sit oblata contemni, quàm dona donasse, qua sumta sunt. Igitur ea munera, qua in alterius operarentur injuriam, inhibuit. Nam si usum omnino munerum abstulisset, satis fuerat dixisse*, Et munera non accepit: *sed quia simplex donorum usus ex homine, aut etiam Dei reverentiâ venit, ea vetuit munera, qua integritatem Judicii corrumperent, qua innocentis injuriam emerent, qua nullum in se caritatis mutua officium continerent. Etenim qua Deo offerimus, his quidem ille non eget, sed per nos debita reverentia explentur officio. Ita tam in muneribus docet servandam esse rationem, ut ea sumantur à nobis, qua sint grata & utilia offerentibus, non qua nos faciant venales, nec insidiæ innocentibus sint, nec munerantibus sumtuosa, officii potiùs quàm cupiditate sumta; honore ingesta quàm metu, caritate magis suscepta quàm lucro.*

Judices nulla prorsus munera recipere possunt à litigantibus.

Propositio damnanda. Ex his patet quàm meritò damnanda sit hæc recentiorum quorumdam Casuitarum Propositio: *Possunt Judices accipere munera à litigantibus, nec tenentur restituere qua acceperint ad pronuntiandam Sententiam.* Clerus etiam Gallicanus anno 1700. judicavit hanc propositionem *falsam, perniciosam, verbo Dei contrariam, & Judicum corruptelas inducentem.*

REGULA XIV.

Quamvis lethalis avaritia rei sint Judices qui vendant justum judicium, & testes qui verum testimonium: Possunt tamen Advocati absque avaritia labe vendere justum patrocinium, vel consilium.

Justum Advocatorum stipendium. HAnc Regulam tradit *S. Augustinus*, Epistolâ CLIII. aliàs LIV. *Ad Macedonium*, Cap VI. *Non ideo* (inquit) *debet Judex vendere justum judicium, aut testis verum testimonium, quia vendit Advocatus justum patrocinium, & Jurisperitus verum consilium. Illi enim inter utramque partem ad examen adhibentur: isti ex una parte consistunt. Cùm autem judicia & testimonia, qua nec justa & vera vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur, multò sceleratiùs utique pecunia sumitur, quia sceleratè etiam quamvis à volentibus datur. Ille tamen solet tanquam malè sibi ablatam pecuniam repetere, qui justum judicium emit, quoniam venale esse non debuit. Qui verò pro iniquo judicio dedit, vellet quidem repetere, nisi timeret vel puderet emisse.* Refertur in Decretis, Causâ XIV. Quæst. III. Can. *Non sanè.* Idem docet *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæst. LXX. Art. IV. ad tertium. *Judex* (inquit) *& testis communes sunt utrique parti: quia Judex tenetur justam Sententiam dare, & testis verum testimonium dicere. Justitia enim & veritas non declinant in unam partem magis quàm in aliam. Et ideo Judicibus de publico sunt stipendia laboris statuta, & testes accipiunt, non quasi pretium testimonii, sed quasi stipendium laboris, expensas, vel ab utraque parte, vel ab eâ à qua inducuntur, quia* Nemo militat suis stipendiis unquam. *Sed Advocatus alteram partem tantùm defendit: & ideo licitè potest pretium accipere à parte quam adjuvat.* Eadémque ratio est de Procuratoribus, Notariis, & aliis inferioris loci & officii hominibus; *Dum tamen moderatè accipiant, consideratâ ratione personarum, & negotiorum, & laboris, & consuetudine patriâ*, & Regiorum Edictorum verbis. *Si autem per improbitatem aliquid immoderate extorqueant, peccant contra justitiam* (inquit S. Thomas.) Unde *S. Augustinus* ibidem ait: *Ab his extorta per immoderatam improbitatem, repeti solent; data per tolerabilem consuetudinem, non solent; magisque reprehendimus, qui talia insitatè repetiverunt, quàm qui ea de more sumserunt: quoniam multa necessaria personæ rebus humanis vel invitantur hujusmodi commodis, vel tenentur.* 1. Cor. 9.

REGULA XV.

Lethalis avaritia reus est Advocatus, conveniens de quota parte litis, aut pactum iniens ut obtentâ causâ tantum sibi solvatur.

Advocatorum vitium. ID enim Jura vetant, ne præbeatur Advocatis occasio volendi per fas aut nefas causam obtinere. Id confirmat S. *Antoninus*, III. P. Tit. VI. Cap. 2. §. quinto, ubi vitia Advocatorum percensens: Quartò (inquit) peccant; *recipiendo nimis magnum salarium, vel paciscendo de certa parte litis cum gravi damno litigatoris, quod prohibetur 3. q. 7. c. Infamis, §. Tria.*

REGULA XVI.

Lethalis avaritia rei sunt Mercatores, qui lucrum tanquam finem ultimum expetunt.

Avaritia Mercatorum. NItitur hæc morum Regula Canone *Quicumque*, Causâ XIV. Quæst. IV. qui ex Lib. I. Capitularium Cap. 131 sumtus est. *Quicumque tempore messis vel vindemia, non necessitate, sed propter cupiditatem comparat annonam, vel vinum, verbi gratiâ, de duobus denariis comparat modium unum, & servat usque dum vendatur denariis quatuor, aut sex, aut ampliùs, hoc turpe lucrum dicimus.*

Hanc Regulam confirmat *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæst. LXXVII. Art. IV. ad primum. Censetur autem finem ultimum in lucro constituere, si Dei legem violare lucri gratiâ paratus sit: Item *Quando rem non immutatam cariùs vendit.* At *Cùm aliquis lucrum moderatum, quod negotiando quærit, ordinat ad domûs sua sustentationem, vel etiam ad subveniendum indigentibus: vel etiam cùm aliquis negotiationi intendit propter publicam utilitatem, ne scilicet res necessaria ad vitam patria desint; & lucrum expetit non quasi finem, sed quasi stipendium laboris*, non peccat.

DE

REGULA XVII.

Avaritia Mercatorum.

Lucrum tanquam finem ultimum expetunt, qui alienis incommodis compendium suum quærunt, & honesti rationem solâ utilitate metiuntur.

Nihil judicandum utile, nisi quod in commune prosit.

ID hominum genus omni exsecratione dignum *Tullius* ipse judicavit, Libro III. *De Officiis* demonstrans, Nihil esse utile, nisi quod honestum. Sed *S. Ambrosium* audire præstat, Libro pariter III. *De Officiis*, Cap. IV. *Liquet*, inquit, *id expetendum & tenendum omnibus, quòd eadem singulorum sit utilitas, quæ sit universorum. Nihilque judicandum utile, nisi quod in commune prosit. Quomodo enim potest uni prodesse, quod inutile sit omnibus? Mihi certè non videtur qui inutilis est omnibus, sibi utilis esse posse. Etenim si una lex naturæ omnibus, una utique utilitas universorum. Quòd si una utilitas universorum, ad consulendum itaque omnibus naturæ lege constringimur. Non est ergo ejus qui consultum velit alteri secundùm naturam, nocere ei adversùs legem naturæ. Etenim si hi qui in stadio currunt, ita feruntur præceptis informari atque instrui, ut unusquisque celeritate non fraude contendat, cursùque quantùm potest ad victoriam properet, supplantare autem alterum, aut manu dejicere non ausit: quantò magis in hoc cursu vitæ istius, sine fraude alterius & circumscriptione quærenda nobis victoria est?*

Humilitas, specialis & domestica virtus hominis.

Et Cap. III. *Hoc est*, inquit, *conformari Christo, alienum non quærere, nihil alteri detrahere, ut acquirat sibi. Christus enim Dominus cùm esset in forma Dei, exinanivit se ut formam susciperet hominis, quam operum suorum locupletaret virtutibus. Tu ergo exspolias, quem Christus induit? Tu exuis quem vestivit Christus? Hoc enim agis, quando alterius detrimento tua commoda augere expetis. Considera, ò homo, unde nomen sumseris; ab humo utique, quæ nihil cuiquam eripit, sed omnia largitur omnibus, & diversos in usum omnium animantium fructus ministrat. Inde appellata humilitas, specialis & domestica virtus hominis, quia consortem adjuvet. Ipsa te doceat forma tui corporis membrorùmque usus. Numquid membrum tuum alterius membri officio sibi vendicat, ut oculus officium oris, aut os oculi officium sibi vindicet, aut manus pedum ministerium, aut pes manuum? Quin etiam ipsæ manus dextera ac sinistra dispertita habent officia pleraque, ut si usum commutes utriusque, adversum naturam sit, priùsque totum hominem exuas, quàm membrorum suorum ministeria convertas. . . . . Finge hanc & da oculo virtutem, ut possit detrahere sensum capiti, auditum auribus, menti cogitationes, odoratum naribus, ori saporem, & sibi conferat, nonne omnem statum dissolvet naturæ? Unde pulcrè Apostolus ait: Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Omnes ergo unum corpus sumus, & diversa membra, sed omnia corpori necessaria. Non enim potest membrum membro dicere, Non es mihi necessarium. Quin etiam ipsa quæ videntur infirmiora membra esse, multò magis necessaria sunt, & majorem plerùmque tuendi se requirunt sollicitudinem. Et si quid dolet membrum unum, compatiuntur ei membra omnia. Unde quàm grave est ut detrahamus aliquid ei, cui nos compati oportet; & cui debemus consortium ministerii, ei fraudi & noxæ simus? Hæc utique lex naturæ est, quæ nos ad omnem stringit humanitatem, ut alter alteri tanquam unius partes corporis invicem deferamus; nec detrahendum quidquam putemus, cùm contra naturæ legem sit non juvare. Sic enim nascimur, ut consentiant membra membris, & alterum alteri adhæreat, & obsequantur sibi mutuo ministerio. Quòd si unum desit officio suo, impediantur & cætera: ut si eruat oculum manus, nonne sibi operis sui usum negavit? Si pedem vulneret, quantorum sibi actuum profectum inviderit? Et quantò gravius est totum hominem, quam unum membrum detrahi? Jam si in uno membro totum corpus violatur, utique in uno homine communio totius humanitatis solvitur, violatur natura generis humani, & Sancta Ecclesiæ Congregatio, quæ in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei & caritatis assurgit. Christus quoque Dominus, qui pro universis mortuus est, mercedem Sanguinis sui evacuatam dolebit. Quid quod etiam ipsa lex Domini hanc formam tenendam edocet, ut nihil alteri detrahas tui commodi servandi gratiâ.* Nihil ergo spectat vir justus, nisi quod constans & honestum est (inquit idem Pater Cap. I.) *Et ideo etiamsi aliis videatur pauper, sibi dives est, qui non eorum quæ caduca, sed eorum quæ æterna sunt, æstimatione censetur.*

1. Cor. 12.

Contra legem naturæ est proximû non juvare.

Ephes. 4.

ARTICULUS III.

De filiabus Avaritiæ.

R*Adix omnium malorum cupiditas*, (inquit Apostolus I. ad *Timotheum* IV.) qoia sicut ex radice rami, folia, flores, fructus progerminant & sobolescunt, ita ex avaritia omne genus vitiorum. Id sigoificavit *Amos* Propheta, Vaticiniorum suorum Cap. IX. *Vidi* (inquit) *Dominum stantem super Altare, & dixit: Percute cardinem, & commoveantur superliminaria: Avaritia enim in capite omnium.* Præmiserat sanctissimus Vates: *In illa die deficient Virgines pulchræ*: Quas *S. Hieronymus* istud Oraculum exponens, virtutes interpretatur. Septem sunt autem avaritiæ filiæ, secundùm *S. Gregorium*, Libro XXXI. *Moralium*, Cap. XXXI. scilicet *Proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo, violentia, & contra misericordiam obduratio.* Ex avaritia enim præcipuâ quadam ratione oriuntur, ad eamque ceu ad finem ordinantur.

Proditio.

Proditio est manifestatio illicita rei alicujus vel personæ, in proximi detrimentum vergens, & explendæ avaritiæ causâ. Quadrupliciter exerceri potest; primò respectu personarum, secundò respectu locorum, scilicet Urbium, Castrorum, &c. tertiò respectu rerum mobilium, quartò respectu arcanorum.

Fraus peccatum est, quo quis media astutè ad proximi deceptionem excogitata adhibet ad assequendum avaritiæ finem.

Istud autem discrimen intercedit inter astutiam, dolum & fraudem, quòd astutia sit excogitatio viarum falsarum, simulatarum & obliquarum ad finem aliquem consequendum: dolus sit executio astutiæ, seu verbis, seu factis. Verbis: unde Psalm. 9 dicitur, *Cujus maledictione os plenum est, & amaritudine & dolo.* Psalm. XI. *Labia dolosa in corde & corde locuti sunt. Disperdat Dominus universa labia dolosa.* Psalm. XIII. *Linguis suis dolosè agebant.* Psal. XIV. *Non egit dolum in lingua sua.* Psalm. XLIX. *Et lingua tua concinnabat dolos.* Psalm. LI. *Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa.* Psalm. CVIII. *Locuti sunt adversùm me linguâ dolosâ.* Psalm. CXIX. *Libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.* Factis verò: unde Psalmo CV. dicitur, *Et dolum fecerunt in servos ejus.* Quamvis & in corde sit dolus, secundùm illud Ecclesiastici XIX. *Inte-*

S. Thomas Secundâ Secundæ Q. 55 Art. 3. ad 2.

teriora ejus plena sunt dolo. Et Psalm. XXXVII. *Dolos tota die meditabantur.* At fraus ad astutiæ executionem spectat, quatenus ejus opus factis consummatur. Marci XIX. *Ne fraudem feceris.* Astutia porro ita viro Christiano indigna est, ut ne ob bonum quidem finem liceat. *Nec enim oportet ad finem bonum falsis viis pervenire & simulatis, sed veris. Unde etiam astutia, si ordinetur ad bonum finem, est peccatum*; ad falsam prudentiam pertinens. De qua *S. Gregorius*, Libro X. *Moralium*, Cap. XVI. exponens illud Job XII. *Deridetur justi simplicitas*, ait: *Sapientia hujus Mundi est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare; quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia usu à juvenibus scitur, hæc à pueris pretio discitur.*

Fallacia. *Fallacia est verborum mendacium, aut æquivocorum dolosa usurpatio ad decipiendum proximum.*

Perjurium. *Perjurium est hujusmodi verborum usurpatio in eumdem finem juramento confirmata.*

Inquietudo. *Inquietudo sive sollicitudo, est nimia anxiáque animi occupatio circa temporalia vitæ subsidia ne fortè in futurum desint.*

Violentia. *Violentia est peccatum quo quis ditior & potentior aliena usurpat, suam ut expleat cupiditatem: Seu, Tyrannus pauperes opprimens oneribus, rapinis, injuriis, verberibus, iniquis pecuniarum vel operum exactionibus.*

Obduratio contra misericordiam. *Obduratio contra misericordiam est pravus animi affectus, quo divites ita rerum suarum sunt tenaces, ut cor eorum miseriis proximorum emolliri non possit ad eorum inopiam suis opibus sublevandam.*

De plerisque Avaritiæ filiabus *S. Augustinus*, Sermone CCCLXVII. aliàs XXV. *De Verbis Domini*, hunc in modum disserit: *Inexplebilis est sola avaritia divitum. Semper rapit, & nunquam satiatur: nec Deum timet, nec hominem reveretur: nec patri parcit, nec matrem agnoscit: nec fratri obtemperat, nec amico fidem servat: viduam opprimit, pupilli rem invadit: libertos in servitium revocat, testamentum falsum profert. Res mortui occupantur, quasi non & ipsi qui hoc faciunt, moriantur. Quæ est ergo ista animarum insania, amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere cælum?*

Et *Sanctus Leo*, Sermone IX. *De Passione Domini*, Cap. IV. *Videte, dilectissimi, quæ germina & quales fructus de avaritiæ stirpe nascantur, quàm meritò Apostolus radicem omnium malorum esse definivit: quia nullum peccatum sine cupiditate committitur, & omnis illicitus appetitus istius aviditatis est morbus. Amore pecuniæ vilis est omnis affectio, & anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit; nullúmque est in illo corde justitiæ vestigium, ubi avaritia sibi fecit habitaculum. Hoc perfidus Judas veneno, dum sitit lucrum, pervenit ad laqueum: & tam stultè impius fuit, ut triginta argenteis & Dominum vendidit & Magistrum.*

REGULA IV.

REGULÆ MORUM

Filias Avaritiæ spectantes: ac imprimis — De Avaritiæ filiabus.

PRODITIONEM.

REGULA I.

Proditio lethale crimen est, cum quis proximum simulatâ specie amicitiæ occidit, vel in hostium manus tradit; aut factum aliquod manifestat, cujus denuntiatione grave damnum proximo procuratur.

De Proditione. Sic *Cain* deambulationis specie invitatum in agrum fratrem interficiens, *Genes.* IV. homicidii crimen proditione cumulavit. Sic *Dalila* meretrix *Samsonem* in sinu suo recumbentem, ablatis septem crinibus, fractum & debilitatum, Philistæis tradidit, à quibus pecuniam acceperat: qui statim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molæ admoverunt. (*Judicum* XVI.) Sic *Doeg* proditionis scelus commisit, cùm *Sauli* denuntiavit *Davidem* Nobe ab *Achimelech* Sacerdote receptum, quo audito, *Saul* omnes Sacerdotes Domini trucidari jussit, & Nobe civitatis Sacerdotalis incolas universos gladio exterminari. (I. *Regum* 21. & 22.) Sic *Joab* occurrens *Amasa* Regii Exercitûs æmulo Duci dixit, *Salve mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amasa, quasi osculatus eum.* Et gladio *percussit eum in latere, & effudit intestina ejus in terram*; (ut refertur II. *Regum* 20.) Sic *Judas Iscariotes* triginta argenteos pactus, Dominum nostrum Jesum Christum Judæis tradidit. *Matth.* XXVI. cùm *Vim sceleris per speciem pacis incipiens, signum traditionis sæviore omnibus telis osculo præbuisset*; ut loquitur *S. Leo* Sermone I. *De Passione Domini.*

REGULA II.

Traditio perduellium legitimo Principi, contra quem conjurarunt, sive seditionem moverunt, non est peccatum, sed officium.

Sic mulier sapiens de Abela *Sebam* filium *Bochri* perduellem adversùs *David* Regem, tradendum suasit *Joab* civitatem nomine *Davidis* obsidenti. Cúmque populus abscissum perduellis hominis caput per murum ad *Joab* projecisset, ille obsidionem solvit. (II. *Regum* XX.)

REGULA III.

Lethalis criminis reus est quisquis Regnum, Provinciam, Urbem, Castrum, aut aliquem locum seu fide sua, seu aliena commissum, & à legitimo Domino possessum tradit hostibus.

De Proditoribus civitatum. Hinc Andegavense Concilium, Canone VI. *Qui in tradendis*, inquit, *vel capiendis Civitatibus interfuisse fuerint detecti, non solùm à Communione habeantur alieni, sed ne conviviarum quidem admittantur esse participes.* Et meritò, fides enim & justitia ejusmodi proditione violantur; grave detrimentum Principi aut Domino locorum

De Proditionis crimine.

rum infertur. Hoc scelere se obstrinxerunt Angli, qui Regnum Aransiaco Principi tradiderunt, in Deum, Regémque legi imum Magnæ Britanniæ *Jacobum* perfidi: & qui nefaria conjuratione Regnum Neopolitanum Philippo V. Regi Catholico, legitimóque Domino nuper eripere conati sunt. Sed cruenta & bonis omnibus exe. cranda consilia, Deus Christianissimi Regis, Nepotisque Catholici, & Gallicæ Hispanæque Monarchiæ protector patefecit, confudit, evertit, dissipavit.

REGULA IV.

Lethalis Proditionis reus est, qui fidem non solum amico, sed hosti datam violat in re gravi.

HAnc Regulam tradit *S. Augustinus*, Epistolâ CLXXXIX. alias CCV. *Fides* (inquit) *quando promittitur, etiam hosti servanda est, contra quem bellum geritur, quantò magis amico pro quo pugnatur?* Et *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XL. Articulo III. *Illicitum semper esse* docet fallere hostes, vel dicendo falsum, vel non servando promissum. *Sunt enim quædam jura bellorum & fœdera, etiam inter ipsos hostes servanda.* Hinc *S. Ambrosius*, Libro I. *De Officiis*, Cap. XXIX. *Quanta*, inquit, *justitia sit, ex hoc intelligi potest, quod etiam hostibus reservatur; ut si constitutus sit cum hoste aut locus aut dies prælio, adversùs justitiam putetur prævenire.*

REGULA V.

Lethalis Proditionis rei sunt, qui adversùs legitimum Principem suum quocumque modo conjurant, aut ab eo deficiunt, & juratam ipsi vel debitam fidem violant.

DIvini enim præcepti per Apostolos Petrum & Paulum, in eorum Epistolis promulgati, quo nos *Regi subjectos* esse jubet; & *Qui resistunt*
Rom. 13. *Potestati, ordinationi Dei resistere, & damnationem sibi acquirere* docet, sunt prævaricatores manifesti. Ipsorum ideo perfidiam Excommunicatione ulciscitur Ecclesia, Concilii Toletani IV. Canone LXXIV. Toletani V. Canone II. & IV. Toletani VII. Canone I. Toletani XII. Canone I. Aquisgranensis II. P. II. Cap. XII. Moguntini sub *Rabano* Archiepiscopo, Canone V. Meldensis Canonibus XIV. & XV. Vuormatiensis Canone XLIII.

REGULA VI.

Lethalis Proditionis reus est, quicumque subditos sollicitat ut à legitimo suo Principe deficiant, & per occultas machinationes ad Regni fastigium arrepit.

TAlis fuit *Absalomi* proditio II. Regum Cap. XV. Contra hujusmodi sceleris reos Synodus Toletana VIII. Excommunicationem decrevit. *Quemcumque*, inquit, *aut per tumultuosas plebes, aut per absconsa Dignitatis publicæ machinamenta adeptum esse constiterit Regni fastigia, mox idem cum omnibus temerariè sibi consentientibus, & Anathema fiat, & Christianorum Communionem amittat.*

REGULA VII.

Lethalis proditionis rei sunt, qui casus Principum exquirunt, & vivente Principe de Successore eligendo consilia agitant, & alios in partes trahunt.

HUjus sceleris reos Excommunicatione percellit Concilium Toletanum V. Canone IV. *Quia*, inquit, *& Religioni inimicum, & hominibus constat esse perniciosum futura illicita cogitare, & casus Principum exquirere, ac sibi inposterum providere.... Censemus ut quisquis inventus fuerit talia perquisisse, & vivente Principe in alium attendisse pro futura Regni spe; aut alios in se propter id attraxisse, à conventu Catholicorum Excommunicationis Sententiâ expellatur.*

De Proditionis crimine.

REGULA VIII.

Lethalis proditionis rei sunt Clerici & Laïci adversùs Episcopos suos conjurantes, & consilia ineuntes, & chartas conscribentes.

CLericos quidem hujus sceleris reos è Cleri Matricula expungendos, omníque gradu privandos, & Curiæ sæculari tradendos, Laïcos verò Excommunicatione plectendos, Canones decernunt; Canon, *Conjurationum*, &, *Si qui Clerici*, Causa XI. Quæst. I. qui Concilii Chalcedonensis Canon decimus octavus est. Et Canon, *Conspirationum*, qui *Calixto* Papæ tribuitur, ibidem. Et Canon *Si qui Clericorum*, 2. qui Concilii Aurelianensis III. Canon vigesimus primus est. Item Canon *Clericus*, Causa III. Quæstione IV. Et Canon *Clericus*, Distinctione XLVI. qui Concilii Carthaginensis IV. Canon quinquagesimus sextus est.

REGULA IX.

Lethalis proditionis reus est, qui absconditas alicujus pecunias, vestes, aut quamlibet supellectilem, chartas, titulos, contractus, apochas, codices magni momenti & similia indicat latroni ut ea rapiat.

IS enim furti particeps & conscius est: unde & Restitutionis lege tenetur. Sic proditionis, & quidem sacrilegæ, reus fuit *Simon* de Tribu Benjamin, Templi Hierosolymitani Præpositus, qui *Apollonio* Duci thesauros ejusdem Templi manifestos fecit, ad quos rapiendos missus est a *Seleuco* Rege *Heliodorus*. (II. *Machabæorum* Cap. III.)

REGULA X.

Lethalis proditionis reus est, quisquis alterius arcanum in ejus detrimentum aperit & divulgat.

ID scilicet naturæ legi, fidei, amicitiæ, justitiæ repugnat. Sic proditionis rei sunt Consiliarii & Ministri Principum vel Rerumpublicarum, qui ipsorum arcana revelant. Secreti fidem ita servandam existimavit *S. Ambrosius*, ut neque cum amantissimo fratre Satyro communium amicorum secreta communicare sibi integrum esse duceret, ut ipse testatur Libro I. *De excessu fratris sui Satyri*, Num. 39. *Cum omnia nobis essent nostra communia*, inquit, *individuus spiritus, individuus affectus, solum tamen commune non erat secretum amicorum; non quo conferendi periculum vereremur, sed tenendi servaremus fidem. Sanè si consilio pendenda res esset, erat semper commune consilium, nec semper commune secretum. Nam etsi amici ita alteri nostrûm dicerent, ut dicta sua ad alterum pervenirent; tamen scio plerumque ita fidem secreti esse servatam, ut nec fratri committeretur. Erat enim fidele indicium, & extraneo non esse proditum, quod non esset cum fratre collatum.*

Proditionis rei sunt, quicumque Societatis alicujus arcana consilia & negotia in ejus damnum patefaciunt. Proditionis rei sunt Procura-

De Proditionis crimine.

tores & Advocati, qui clientum arcana revelant adversæ parti; Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, qui morbos pudendos, sed occultos, eorum qui se ipsorum fidei curæque crediderunt, ad ipsorum infamiam divulgant. Sacrilegæ proditionis rei sunt Confessarii Sacramentalis Confessionis arcanum revelantes. Proditionis lethale crimen incurrunt quicumque arcanum amici ipsis creditum, quod gravis sit momenti, & ex cujus revelatione malum ipsi probabiliter immineat, alteri præter ipsius voluntatem revelant. Iis enim quos nobis amicos existimamus arcana nostra libenter committimus, non extraneis, & ignotis, vel quibus diffidimus, ne inde insultandi nobis nocendique occasionem arripiant, secundùm illam *Salomonis* Sententiam, Proverb. xxv. *Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reveles: ne fortè insultet tibi cùm audierit, & exprobrare non cesset.* Qui autem amici revelat arcanum, violat amicitiæ jura & fraudulenter nocet amico suo: quare nec imprudentia vel inconsideratio ipsum à peccato lethali excusat, si res sit gravis momenti. Unde Proverb. xxvi. scriptum est: *Sicut noxius est qui mittit sagittas, & lanceas in mortem: ita vir qui fraudulenter nocet amico suo; & cùm fuerit deprehensus, dicit: Ludens feci.* Hinc rursùs Proverb. xi. *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana: qui autem fidelis est animi, celat amici commissum.* Et Eccli. xxii. *Ad amicum si aperueris os triste, ne timeas. Est enim concordatio; excepto convitio, & improperio, & superbia, & mysterii revelatione, & plagâ dolosâ: in his omnibus effugiet amicus.* Et Cap. xxvii. *Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non inveniet amicum ad animum suum. Dilige proximum, & conjungere fide cum illo: quòd si denudaveris abscondita illius, non persequeris post eum.* Et infra: *Denudare amici mysteria, desperatio est animæ infelicis.*

Alienarum litterarum resignatio, grave peccatum.

Proditionis denique lethale crimen est alienarum litterarum resignatio Juri gentium contraria, & publicæ fidei, cui sigilla litterarum credita intelliguntur, debitamque mittenti & ei ad quem mittuntur velut inanimati legati, justitiam violans. Cùm enim jus habeat homo cogitationes suas abscondendi, & cui voluerit patefaciendi; ita ut ne ipsi quidem Angeli cogitationes nostras certò cognoscere possint, nisi revelantibus nobis, aut aliquo signo externo animi nostri affectum pandentibus; idque unius Dei proprium sit, cujus supremum est in mentes nostras atque voluntates dominium: nullum jus habet homo cogitationes, & arcana consilia, vel negotia alterius literis commissa & sigillo munita cognoscendi. Unde non solùm injustæ curiositatis, verùm etiam proditionis crimen incurrit, quisquis obsignatas aliorum litteras invitis dominis resignat.

Exceptiones.

Exceptiones tamen habet hæc Regula. Si enim alienis litteris res levis duntaxat momenti contineri certus sit, venialis tantùm peccati reus est. Nullius verò, si ejusmodi litteras vel in proprium, vel in tertii cujuspiam, præsertim communitatis damnum conscriptas esse non temerè, sed probabiliter judicet. Jure namque suo excidit, qui in alterius damnum eo abutitur. Publicâ etiam autoritate alienæ litteræ licitè reserantur, scilicet Regis, Proregis, aut Præfecti Provinciæ, vel Urbis, aut Ducis Exercitus mandato, tempore belli; item jussu Magistratuum, cùm ad eos scriptæ sunt, qui criminis alicujus in suspicionem veniunt. Licet etiam patri & matri reserare litteras filiorum & filiarum, qui sub eorum curâ adhuc versantur. Idemque judicium esto de iis qui patris & matris loco sunt post eorum mortem. Vir pariter potestatem habet resignandi litteras uxoris, cùm sit caput & rector illius: non uxor, viri, cui subdita esse debet, ipso invito & repugnante. Hinc Illiberitana Synodus, Canone ultimo sanxit: *Ne feminæ suo potius quam maritorum nominibus, laicis scribere audeant, qui fideles sunt, vel litteras alicujus pacificas ad suum nomen scriptas accipiant.* Quo Decreto maritorum honori & auctoritati, feminarum castitati & pudori consultum, audaciæ solicitatorum obviam itum est. Licet etiam Superioribus Religiosorum hominum, & Abbatissis aut Priorissis Monialium, quibus litterarum scriptione ac receptione clandestinâ Regula vel Constitutiones Monasticæ interdicunt, subditorum vel subditarum litteras aperire & legere. Qua de re *S. Augustinus* Epistolâ ccxi. aliàs cix. quæ Regula est Sanctimonialibus præscripta, ita statuit: *Quæcumque in tantum progressa fuerit malum, ut occultè ab aliquo litteras vel quælibet munuscula accipiat, si hoc ultro confitetur, parcatur illi, & oretur pro ea. Si autem deprehenditur atque convincitur, secundùm arbitrium Præpositæ, vel Presbyteri, vel etiam Episcopi, gravius emendetur.* Et *Sanctus Benedictus*, in Regula Cap. liv. *Nullatenus liceat Monacho, nec à parentibus suis, nec à quoquam hominum, nec sibi invicem litteras, eulogias, vel quælibet munuscula accipere, aut dare, sine præcepto Abbatis.*

Exceptiones a regula de arcanis aliorum non revelandis.

Exceptiones pariter habet Regula de arcanis aliorum non revelandis. Tantùm enim abest ut proditionis reus sit, mortalique peccato se obstringat, qui arcanum à quopiam, etsi amicissimo, sibi creditum revelat, cùm vergit in grave damnum tertii, præsertim Ecclesiæ, Regis, Reipublicæ, aut cujuslibet Communitatis; ut è contrario lethale crimen incurreret, nisi arcanum hujusmodi revelaret iis quorum interest, ut damnum caveant, vel prohibeant; nefariique consilii executionem impediant. Sic laude dignus *Chusai* amicus *Davidis* Regis, qui dissipavit consilium *Achitophel*, arcanáque consilia perduellis *Absalom* & Seniorum Israël, *Davidi* Domino suo revelavit, ut refertur II *Regum* xvii. Si quis igitur Hæreses, aut prava quævis dogmata contra Morum Disciplinam, contra fidem, reverentiam, & obedientiam Principi debitam occultè disseminet, aut meditetur; si quid moliatur contra sacram Regis Majestatem vel Jura, contra Regni tranquillitatem & pacem: si alicujus etiam privati vitæ, famæ, bonis insidietur: omnino tenetur hæc arcana denuntiare & revelare iis quorum interest, quisquis ille sit cui credita sunt, si humano modo illa noverit & exceperit, etiamsi dixerit vir nequam, Hoc tibi arcanum credo sub sigillo Confessionis, (modò extra Confessionem Sacramentalem id faciat.) Quia Juramentum præstitum contra bonos mores non obligat; nullúmque secretum recipiendum ac celandum est contra bonum commune. Hinc *Sanct. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione lxviii. Articulo 1. ad tertium, ait: *Revelare secreta in malum personæ, est contra fidelitatem: non autem si revelentur propter bonum commune, quod semper præferendum est bono privato. Et ideo contra bonum commune nullum secretum licet suscipere.* Et Quæst. lxx. Art. 1. ad secundum: *De illis quæ homini sunt commissa in secreto per Confessionem, nullo modo debet testimonium ferre: quia hujusmodi non scit ut homo, sed tanquam Dei minister, & majus est vinculum Sacramenti quolibet hominis præcepto. Circa verò ea quæ aliter homini sub secreto committuntur, distin-*

gerendum est. Quandoque enim sunt talia, quæ statim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare tenetur, putà, si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ, vel si quid aliud est hujusmodi quod aliquis propalare tenetur, vel testificando, vel denuntiando. Et contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum; quia in hoc frangeret fidem quam alteri debet. Quandoque verò sunt talia, quæ quis prodere non tenetur. Unde potest obligari ex hoc quod sibi sub secreto committuntur: & tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex præcepto Superioris, quia servare fidem est de jure naturali. Nihil autem potest præcipi homini contra id quod est de jure naturali.

An Religiosus teneatur revelare Superiori suo arcanum fidei suæ commissum?

Et Quodlibeto I. Quæstione VIII. Art. I. ubi quærit, *Utrum Religiosus teneatur revelare Prælato præcipienti secretum suæ fidei commissum?* istud principium *S. Bernardi*, Lib. *De Dispensatione & Præcepto* Cap. IV. statuit: *Sufficiens obedientia est, ut Religiosus obediat suo Prælato in his quæ ad Regulam pertinent; vel directè, sicut ea quæ scripta sunt in Regula: vel indirectè, sicut ea quæ ad hæc reduci possunt; sicut ministeria exhibenda Fratribus, & pœna pro culpis inflicta, & hujusmodi: perfecta autem obedientia est, ut simpliciter in omnibus obediat, quæ non sunt contra Regulam, vel contra Deum: sed quòd aliquis obediat Prælato in his quæ sunt contra Deum, vel contra Regulam, est obedientia indiscreta & illicita.* Quo posito, respondet Quæstioni distinctione præmissâ. *Est enim,* (inquit) *aliquod secretum, quod illicitum est celare; sicut quod in periculum vergit aliorum, quibus aliquis cavere tenetur: unde & in Juramento fidelitatis continetur quod hujusmodi servi secreta debeant dominis revelare. Ad præceptum ergo Prælati tenetur Religiosus tale secretum pandere, etiamsi promisit se non revelare; dicente S. Isidoro,* In malis promissis rescinde fidem: *nisi fortè in Confessione audierit; quia tunc nullo modo esset revelandum. Est autem secretum, quod de se celari potest sine peccato: & tale secretum Religiosus nullo modo Prælato præcipienti pandere debet, si sit fidei suæ commissum; peccaret enim frangendo fidem commissi.*

Lib. II. Synonymorum, ex quo relatum in decreto Causa XXII. Quæst. IV. Cap. In malis.

ARTICULUS V.

DE FRAUDE

Alterâ Avaritiæ filiâ,

REGULA I.

Lethalis Fraudis reus est, qui rem pluris justo pretio vendit, aut minoris justo emit.

JUstum autem pretium illud est, quod vel à publica Potestate præfinitum, vel communi hominum prudentum æstimatione determinatum est. Quod Principis vel Magistratûs auctoritate sancitum est, vulgò dicitur *Pretium legitimum*: quod communi hominum peritorum æstimatione constitutum est, dicitur *Pretium naturale & vulgare.* Primum in indivisibili positum est, ita ut qui pretium à Principe vel Magistratu præfixum prætergressus fuerit, mortaliter peccet, & quod ultra accepit, restituere teneatur. Secundum verò non consistit in indivisibili, sed pro circumstantiarum varietate mutatur. Pro mercium scilicet inopiâ, & emtorum multitudine augetur: pro mercium copia & ementium paucitate minuitur. Unde tres justi pretii gradus distingui solent: summum seu rigidum, medium & infimum. Verbi gratiâ, si ulna panni ad summum æstimetur sex libellis Monetæ Gallicæ, ut minimum verò quinque; justum pretium erit quinque libellarum, & quod excurrit ad summam usque sex libellarum inclusivè. Justo itaque pretio rem vendet mercator, qui summum seu rigidum pretium sex libellarum non excedet, quamvis uni pluris vendat quàm alteri. Justo pretio comparabit emtor, qui libellas quinque solvet, modò infra pretium illud infimum non descendat. Hinc *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXVII. Art. I. ad primum, ait: *Pretium rerum non est punctualiter determinatum, sed magis in quadam æstimatione consistit; ita quòd modica additio vel minutio non videtur tollere æqualitatem justitiæ.* Hoc posito,

De fraude in emtionibus & venditionibus.

Regulæ statutæ veritas probatur ex lege naturali, & divina, *Matthæi* VII. à Christo expressa: *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Cùm igitur nullus velit sibi rem cariùs vendi quàm valeat, nullus debet alteri rem pluris vendere, justúmque pretium excedere.

Præterea, emtio & venditio sunt introductæ pro communi utilitate contrahentium. *Quod autem pro communi utilitate inductum est, non debet esse magis in gravamen unius quàm alterius: & ideo debet secundùm æqualitatem rei inter eos contractus institui. Quantitas autem rei, quæ in usum hominis venit, mensuratur secundùm pretium datum. Et ideo si vel pretium excedat quantitatem valoris rei, vel res excedat pretium tolletur justitiæ æqualitas.* Quamobrem *Cariùs vendere, vel vilius emere rem quàm valeat, est secundùm se injustum & illicitum.* Ita ratiocinatur *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXVII. Art. I. Et Quodlibeto II. Quæst. V. Art. II. *Est* (inquit) *justa venditio, quando pretium acceptum ab habente æquatur rei venditæ; injusta autem si non æquetur, sed plus accipiat.*

REGULA II.

Cùm quis rem alterius admodum sibi necessariam vult emere, quâ si careat alter, damnum patietur, pluris quàm valeat venundari absque fraude vel injustitia potest.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione & articolo supra laudatis. *Alio modo* (inquit) *possumus loqui de emtione & venditione, secundùm quod per accidens cedit in utilitatem unius & detrimentum alterius, putà, cùm aliquis multùm indiget habere rem aliquam, & alius læditur si eâ careat. Et in tali casu justum pretium erit, ut non solùm respiciatur ad rem quæ venditur, sed ad damnum quod venditor ex venditione incurrit. Et sic licitè poterit aliquid vendi plus quàm valeat secundùm se, quamvis non vendatur plus quàm valeat habenti.* Si tamen venditor non rogante & urgente emtore, sed sponte, ac rerum suarum necessitate compulsus quidpiam vendat, pretium ejus ob damnumquod patitur nullatenus augere potest, ut docet *S. Thomas*, Quæstione XIII. *De Malo*, inter Quæstiones dis-

putatas, A. IV. ad decimum-quartum. *Qui emit rem aliquam (inquit) tantum pro ea justè dat, quantùm valet: non autem quantùm ille qui vendit ex ejus carentiâ damnificatur.* Ratione igitur damni emergentis, & lucri cessantis, modò fraus & dolus absint, & vera sit, efficax, propinqua, non simulata damni emergentis lucrique cessantis causa, res cariùs, quàm valeat, vendi potest.

De fraude & injustitia emptionum & venditionum.

REGULA III.

Pretium rei augeri absque fraude & injustitiâ non potest ob necessitatem emtoris, & commoda quæ ex illa percipit, si venditor illam distrahendo nullum damnum patiatur.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, ibidem, eâque ratione firmat, quòd *Utilitas quæ alteri accrescit, non est ex vendente, sed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri quod non est suum, licèt possit ei vendere damnum quod patitur. Ille tamen qui ex re alterius acceptâ multum juvatur, potest propriâ sponte aliquid vendenti supererogare, quod pertinet ad ejus honestatem.*

REGULA IV.

Emtiones & venditiones citra dimidium justi pretii manifestè fraudulentæ sunt & injustæ.

IN iis enim non conservatur æqualitas pretii ad rem & rei ad pretium, adeóque justitia manifestè violatur. Et quamquam Leges Civiles declarent, ad rescindendam venditionem non sufficere quòd comparatus magno pretio fundus distrahatur minori quàm emtus sit. L. *Ad restituendam*, Lib. IV. *Cod.* Tit. XLIV. & IV *Digest.* Tit. IV. L. XVI. & Lib. XIX. Tit. II. L. XXII. vulgatúmque sit effatum, *Res tantùm valet, quantùm vendi potest*: Id tamen intelligendum cum hac restrictione, ut res ultra summum pretium aut infra infimum non vendatur. Nam *Pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur*; ut habetur L. *Pretia rerum*, ff. *Ad Legem Falcidiam.* Hinc Legibus Impp. sancitum est, ut si venditor læsus fuerit infra dimidium justi pretii, emtor cujus in utilitatem cessit, rem ipsam restituere teneatur, aut quod justo pretio deest, supplere. Sic enim L. *Rem majoris*, C. Lib. IV. Tit. XLIV. De rescindenda Venditione: *Rem majoris pretii, si tu vel pater tuus minoris distraxerit; humanum est ut vel pretium te restituente emtoribus, fundum venundatum recipias auctoritate Judicis intercedente: vel si emtor elegerit, quod deest justo recipias pretio. Minus autem pretium esse videtur, si nec dimidia pars veri pretii soluta sit.* Idem confirmatur ex Cap. *Cùm causa*, Extra *De emtione & venditione*, ubi *Innocentius III.* in causa Monasterii *S. Martini de Monte* ea una parte, & civium Viterbiensium ea altera, sic respondet: *Cum constitisset nobis Monasterium in venditione ultra dimidiam justi pretii fuisse deceptum, sententiando decrevimus, ut præfati cives aut recepto pretio possessiones restituerent memoratas, aut supplerent, quantum constaret legitimæ venditionis tempore justo pretio defuisse.* Idem antea responderat *Alexander III.* in causa Monachorum *Carloci* ex una parte & Bellovacensium Canonicorum ex altera, ut constat ex Cap. *Cùm Dilecti*, sub eodem Titulo. *Quia verò* (inquit) *in arbitrio emtoris est, si velit, supplere justum pretium, aut venditionem rescindere, cùm res minùs dimidiâ justi pretii comparatur: Sententiam ipsam tanquam Juri contrariam irritantes, possessionem Monachis judicavimus esse reddendam.* Res igitur tantùm valet quantùm vendi potest absque fraude, & intra limites justi pretii, non quantùm vendi potest absolutè, pro arbitrio & cupiditate venditoris.

De fraude & injustitia emtionum & venditionum.

Confirmatur hæc Regula ex *S. Thoma* Secunda Secundæ, Quæstione LXXVII. A. I. ad primum. *Lex humana* (inquit) *populo datur, in quo sunt multi à virtute deficientes. Et ideo lex humana non potuit prohibere quidquid est contra virtutem, sed ei sufficit ut prohibeat ea quæ destruunt hominum convictum, alia verò habeat quasi licita, non quia ea approbet, sed quia ea non punit. Sic ergo habet quasi licitum, pœnam non inducens, si absque fraude venditor rem suam supervendat, aut emtor viliùs emat; nisi sit nimius excessus, quia tunc etiam lex humana cogit ad restituendum, putà si aliquis sit deceptus ultra dimidiam justi pretii quantitatem. Sed lex divina nihil impunitum relinquit, quod sit virtuti contrarium; unde secundùm divinam legem illicitum putatur, si in emtione & venditione non sit æqualitas justitiæ observata. Et tenetur ille qui plus habet, recompensare ei qui damnificatus est, si sit notabile damnum.*

At (inquies) scienti & volenti non fit injuria: igitur emtori pluris rem ementi quàm valeat, nulla fit injuria.

Occupatur objectio.

Falsa consecutio. Nam justum pretium ignorat contrahentium alter; vel si sciat, vult tantùm solvere pretium æquale rei; & si plus offerat, hoc velut invitus facit, compellente necessitate, sicut qui solvit usuras, aut pecunias dat latroni. Hinc *S. Thomas*, Quæstione XIII. *De Malo*, Articulo IV. ad septimum respondet, Eum qui solvit usuram, injustitiam pati, non à seipso, sed ab usurario: *Qui licèt non inferat ei violentiam absolutam, infert tamen ei quandam violentiam mixtam, quia necessitatem habenti accipere mutuum, gravem conditionem imponit, ut scilicet plus reddat quàm ei præstetur. Et est simile si quis alicui in necessitate constituto venderet rem aliquam multò ampliùs quàm valeret: esset enim injusta venditio, sicut & usurarii mutuatio est injusta.* Injustum itaq; prorsùs est lucrum negotiatorum, qui duplò cariùs merces vendunt quàm emerint, nisi res ipsorum arte & industria meliores factæ sint; aut ratione expensarum & periculi, quod in earum transvectione subierunt; aut quia mercium pretium secundùm diversitatem loci vel temporis mutatum est; ut docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst LXXVII. A. IV. ad secundum.

Ex his colligitur, non rerum duntaxat ad humanos usos necessariarum, sed & earum quæ ad curiositatem, splendorem, voluptatem conducunt, verbi gratiâ, gemmarum, florum, avium, canum, picturarum antiquarum, veterum Numismatum, ac Manuscriptorum Codicum valorem & pretium virorum peritorum judicio æstimandum, non verò pro venditoris arbitrio & cupiditate augeri posse.

DE PECCATIS.

REGULA V.

De fraude & injustitia emptionum & venditionum.

Non est reus Fraudis aut injustitiæ, qui vendit merces certo pretio majori quàm tunc valeant, cùm distrahuntur, quia non intendebat eas vendere, sed servare usque ad tempus, quo probabiliter pluris erant valituræ: nunc autem vendit rogante & urgente emtore, ut ejus commodis serviat. Si verò illas quantocyus vendere statuerat, vel probabile seu verisimile non sit eo tempore, quo eas distrahere decreverat, tanti valituras quanti tunc vendit, eas ultra vulgare pretium nunc vendere non potest, quia nullum habet rationem consulendi indemnitati suæ, cùm nullum damnum probabiliter sit passurus.

HAnc Regulam tradit *S. Antoninus*, P. II. Tit. I. Cap. VIII. §. I. eámque probat ex Cap. *In Civitate*, Extra *De Usuris*, quo *Alexander III.* Genuensi Archiepiscopo respondet. *In Civitate tua* (inquit) *dicis sæpe contingere, quòd quidam piper seu cinnamomum, seu alias merces comparant, quæ tunc ultra quinque libras non valent, & promittunt se illis, à quibus illas merces accipiunt, sex libras statuto termino soluturos: licet autem contractus hujusmodi ex tali forma non possit censeri nomine usurarum, nihilominus tamen venditores peccatum incurrunt, nisi dubium sit merces illas plus minúsve solutionis tempore valituras.* Idem esto de emtore judicium. Si enim numeratâ pecuniâ solvit pretium mercium ante tempus quo eas recepturus est, & minoris emit quàm tunc valeant solutionis tempore, quia probabile est minoris valituras cùm eas est recepturus, aut saltem dubium est utrum pluris an minoris tunc valituræ sint; justo pretio emere censetur. Verbi gratiâ, si mense Martio emit sextarium frumenti, tunc sex libellis Monetæ Gallicæ æstimatum, quem Julio Mense recepturus est, quo tempore probabile est quinque duntaxat libellis vulgò vendendum; vel dubium est an minoris tunc pretii futurus sit; emtio fraudulenta non est vel injusta. Bona igitur fides desideratur, sine qua venditio & emtio in hujusmodi casu justæ non essent ac immunes à fraude. Quamobrem cùm sæpè mentiatur iniquitas sibi, & dubitare se fingat cupiditas, ubi nulla est dubitandi ratio, consultius est ac tutius ab augendo pretio abstinere, cùm solùm dubium est an pluris vel minùs valituræ sint merces quo tempore mercator illas vendere proposuerat. Id constat ex *Alexandri III.* Decretali mox laudata. *Et ideo* (inquit) *cives tui saluti suæ bene consulerent, si à tali contractu cessarent; cùm cogitationes hominum omnipotenti Deo nequeunt occultari.*

REGULA VI.

Lethalis Fraudis reus est venditor, qui supposititios emtores interponit & subornat, qui mercium pretium augeant, dum pretium justo majus illi offerunt ut fallatur emtor. Fraudis pariter reus est emtor, si aliquos subornet, qui pretium offerant justò longè minus, ad cogendum venditorem ut ab ipso emtore pretium quod obtulerit majus, sed tamen infrà vulgare & infimum, accipiat.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. LXXVII. Art. I. & solo rationis naturalis lumine ipsis Ethnicis cognitam fuisse, testimonio *Ciceronis* ostendit. *Fraudem* (inquit) *adhibere ad hoc quòd aliquid plus justo pretio vendatur, omnino peccatum est, in quantum aliquis decipit proximum in damnum ipsius.* *Unde Tullius dicit*, Lib. III. De Officiis: TOLLENDUM *est ex rebus contrahendis omne mendacium; non licitatorem venditor, nec qui contra se licitetur, emtor apponat.* Istius generis fuit « fraus illa Siculi hominis, qui cùm peregrinum « aliquem reperisset, cognito quòd cupidus es- « set hortorum venalium, ad cœnam in hortos « rogavit. Promisit invitatus postridie se veni- « re. Veniens ostendit illic magnam piscatorum « multitudinem, exquisitis copiis adornatum « convivium, in prospectu cœnaculum, ante « hortulos, compositos piscatores, ubi nun- « quam ante jaciebant retia: unusquisque, quod « ceperat, certatim offerebat epulantibus; supra « mensam pisces ingerebantur, oculos recum- « bentium resilientes verberabant. Mirari hospes « cœpit tantam copiam piscium, tantúmque nu- « merum cymbarum. Responsum quærenti, A- « quationem illic esse, dulcis aquæ gratiâ innu- « merabiles eò pisces convenire. Quid multa? « Pellexit hospitem, ut sibi extorqueret hortos: « vendere volens cogitur, pretium gravatim sus- « cipit. Sequenti die ad hortos emtor cum ami- « cis venit, navigium nullum invenit. Percon- « tanti num aliqua piscatoribus eo esset die fe- « riarum solemnitas, respondetur, Nulla, nec « unquam illic præter hesternum diem piscari « solitos. Ita refert *S. Ambrosius*, Lib. III. *De* « *Officiis* Cap. XI post *Ciceronem*, Lib. pariter « III. *De Officiis* Sectione XIV.

REGULA VII.

Lethalis Fraudis & injustitiæ rei sunt Monopoliorum auctores & participes.

Monopolia.

MOnopolium est clandestina machinatio mercatorum, ex compacto inter se conspirantium, ut ipsi soli certo quod ipsi constituerint pretio, merces emant aut vendant: quod ut faciliùs assequantur, servant illas in tempus inopiæ: aut vi vel fraude impediunt ne merces aliundè advehantur: vel falsis rationibus expositis, & per subreptionem, Privilegium impetrant à Principe ut ipsi soli merces hujusmodi vendant, legitimo pretio his mercibus ab ipso Principe vel Magistratu, minimè constituto. Si tamen ob graviores impensas, vel probabilia damni pericula, vel cum onere solvendi certam pecuniæ summam, quâ ad Regni necessitates utatur, hujusmodi Privilegium Princeps concesserit, rei non sunt Monopolii qui illud obtinent, modò res ultra justum pretium non vendant. Monopolium etiam a Mercatoribus exercetur, cùm annonæ, vel aliarum mercium ad humanos usus necessariarum, pretium imminutum iri prævidentes, quia naves ejusmodi mercibus onustæ mox ad Portum sunt appellendæ, supposititias litteras, aut falsum rumorem spargunt in vulgus, naves illas periisse, aut ab hostibus captas fuisse, ut hujusmodi commento annonæ vel mercium pretium incendatur. Exercetur etiam ab Artificibus Monopolium, cùm inter se conveniunt, & conspirant, ut si quis aliquod opus inchoaverit, nemo illud perficiat. His positis,

Regulæ statutæ veritas ostenditur. Monopolium enim in Reipublicæ & privatorum grave detrimentum vergit; ad communem inopiam in-

Monopolia.

vehendam, contra negotiationis & commerciorum finem exercetur; publicæ fidei, Juri Gentium, Civilique repugnat, ut constat ex L. *Jubemus*, Lib IV. *Cod.* Tit LIX. *De Monopoliis*, cujus hæc sunt verba: *Jubemus, ne quis cujuscunque vestis, vel piscis, vel pectinum fortè aut echini, vel cujuslibet alterius ad victum, vel ad quemcumque usum pertinentis speciei, vel cujuslibet materia, pro sua autoritate, vel sacro jam elicito, aut inposterum eliciendo Rescripto, aut Pragmatica Sanctione, vel Sacrâ nostra pietatis Adnotatione, Monopolium audeat exercere: neve quis illicitis habitis conventionibus conjuret, aut paciscatur, ut species diversorum corporum negotiationis non minoris quàm inter se statuerint venundentur. Ædificiorum quoque artifices, vel ergolabi, aliorùmque diversorum operum professores, & balneatores penitus arceantur pacta inter se componere, ut ne quis, quod alteri commissum sit, opus impleat, aut injunctam alteri necessitudinem alter intercipiat: datâ licentiâ unicuique ab altero inchoatum & derelictum opus, per alterum sine aliquo timore dispendii implere, omniáque hujusmodi facinora denunciandi sine ulla formidine, & sine judiciariis sumtibus. Si quis autem Monopolium ausus fuerit exercere, bonis propriis expoliatus, perpetuitate damnetur exilii. Caterarum praterea professionum primates, si inposterum aut super taxandis rerum pretiis, aut super quibuslibet illicitis placitis ausi fuerint convenientes hujusmodi se se pactis constringere, quadraginta librarum auri solutione percelli decernimus.*

Quæ cùm ita sint, Monopoliorum autores & participes, & quicumque ultra justum pretium merces aut res alias vendiderunt, restitutionis lege tenentur: vel iis ipsis quos læserunt, si illos noverint; vel si sint ignoti, pauperibus faciendæ. Quòd si ingruente caritate nondum vendidere merces, quas Monopolio coacervarunt, tenentur eas illo ipso pretio vendere, quo probabiliter erant valituræ, si eas majoris lucri gratiâ non congregassent.

Regula VIII.

Vili velle emere, & carè vendere, non natura desiderium, sed prava cupiditatis est.

Mercatorum avaritia.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ Quæst LXXVII. A. I. Cùm enim » hanc objectionem secundo loco præmisisset: » Quod est omnibus commune, videtur esse na» turale, & non peccatum: sed ut *S. Augu*» *stinus* refert Lib. XIII. *De Trinitate*, Cap. » III. dictum cujusdam Mimi fuit ab omni» bus approbatum, *Vili vultis emere, & carò ven*» *dere*, Cui etiam consonat illud Proverbiorum XX. *Malum est, malum est, dicit omnis emtor: & cum recesserit, gloriatur*: Ergo licitum est cariùs vendere, & viliùs emere quàm valeat. Huic objectioni respondet, *Illud desiderium non esse natura, sed vitii: & ideo commune esse multis, qui per latam viam vitiorum incedunt.* Unde *S. Augustinus* ibidem ait: *Et minus quidem ille vel seipsum intuendo, vel alios quoque experiendo, vili velle emere, & carò vendere, omnibus id credit esse commune. Sed quoniam revera vitium est, potest quisque adipisci ejusmodi justitiam... quâ huic resistat, & vincat. Nam scio ipse hominem, cùm venalis codex ei fuisset oblatus, pretiique ejus ignarum, & ideo quiddam exiguum poscentem cerneret venditorem, justum pretium quod multò amplius erat, nec opinanti dedisse... Largitionis etiam gratiâ novimus quosdam emisse frumenta cariùs, & viliùs vendidisse suis civibus.*

De fraude & injustis. a concessionibus de venditionibus.

Regula IX.

Lethalis Fraudis & injustitia reus est, qui vendit rem aliquam vel in substantia, vel in quantitate, seu mensurâ, vel in qualitate notabiliter deficientem: adeóque restitutionis lege tenetur.

HInc enim divinum mandatum violat ab Apostolo promulgatum, ut *Nemo circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus.* *1. Thess. 4.*

Hanc Regulam ipsis *S. Thomæ* verbis, Secunda Secundæ, Quæstione LXXVII. Art II. explico & confirmo. *Circa rem quæ venditur, triplex defectus considerari potest unus secundum speciem rei. Et hunc quidem defectum si venditor cognoscat in re quam vendit, fraudem committit in venditione: unde venditio illicita redditur. Et hoc est quod dicitur contra quosdam, Isai 1.* Argentum tuum « versum est in scoriam, vinum tuum mixtum « est aquâ. *Quod enim permixtum est, patitur defectum quantum ad speciem.*

Triplex mercium defectus.

Alius defectus est secundùm quantitatem, quæ per mensuram cognoscitur. Et ideo si quis scienter utatur deficienti mensura in vendendo, fraudem committit, & illicita venditio est. Unde dicitur Deuteronom. XXV. *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus, nec erit in domo tua modius major & minor. Pondus habebis justum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi; ut multo vivas tempore super terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. Abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam.*

Huic Scripturæ loco, quem profert *S. Thomas*, adde sequentia testimonia. Levitici XIX. *Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera justa & æqua sint pondera, justus modius, æquúsque sextarius: Ego Dominus Deus vester.* Psalm. LXI. *Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Ad quæ verba *S. Augustinus* ait: *Decipere vultis, fraudem vultis facere, quid affertis ut decipiatis? Stateras dolosas... Falso examine fallitis intuentes: nescitis alium esse qui appendit, alium qui de pondere judicat? Nec vides cui tu appendis, sed vides qui te & ipsum appendit.* Proverb. XI. *Statera dolosa, abominatio est apud Dominum: & pondus æquum, voluntas ejus.* Et Cap. XX. *Pondus & pondus, mensura & mensura: utrumque abominabile est apud Deum.* Et infra: *Abominatio est apud Dominum pondus & pondus: Statera dolosa non est bona.* Michææ VI. *Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, & mensura minor ira plena. Numquid justificabo stateram impiam, & sacculi pondera dolosa? In quibus divites ejus repleti sunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum. Et ego ergo cœpi percutere te perditione super peccatis tuis. Tu comedes, & non saturaberis.... Tu seminabis & non metes: tu calcabis olivam, & non ungêris oleo; & mustum, & non bibes vinum.*

Tertius rerum venalium defectus est *Ex parte qualitatis*, puta, si quis *aliquod animal infirmum vendat quasi sanum. Quod si quis sciens fecerit, fraudem committit in venditione: unde est illicita venditio.* Et in his omnibus non solùm aliquis peccat injustâ venditione, *sed etiam ad restitutionem tenetur*: (inquit S. Thomas.)

De injustis emptionibus & venditionibus.

Confirmatur hæc Regula ex *S. Ambrosio*, Libro III. *De Officiis*, Cap. XXI. *Regula* (inquit) *justitiæ manifesta est, quòd à vero declinare virum non liceat bonum, nec damno injusto afficere quemquam, nec doli aliquid annectere.*

REGULA X.

Si venditor rei venditæ notabilem defectum absque sua culpa ignoret, fraudis aut injustitiæ reatum non incurrit: cùm tamen ad ejus notitiam pervenerit, damnum illatum emptori resarcire tenetur. Idémque de emptore judicium ferendum est, si venditorem pretiosas merces pro vilibus vendidisse, aut in rerum venalium qualitate & pretio cum suo damno fuisse deceptum animadvertit.

Rerum venalium defectus.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, loco supra laudato. Et certè bona fides alienæ rei possessorem non excusat, nisi quamdiu duraverit: *Et jure naturæ æquum est, Neminem cum alterius detrimento & injuriâ fieri locupletiorem*, ut habetur L. 206. *De Diversis Regulis Juris*. Cùm igitur aliquis rei venalis defectum ignorans, ipsam bona fide quasi integram vendidit, & postea defectu notabili affectam fuisse compertum habet, ideóque se ex alterius detrimento commodum reportasse, *Tenetur damnum recompensare emtori*, ut loquitur *S. Thomas*. Tunc enim venditor desiit esse bonæ fidei; ipsúmque arguit conscientia damni proximo illati. Idémque de emtore ferendum judicium est. *Contingit enim quandoque venditorem credere rem suam esse minùs pretiosam quantùm ad speciem, sicut si aliquis vendat aurum loco aurichalchi, emtor si cognoscat, injustè emit, & ad restitutionem tenetur: & eadem est ratio de defectu qualitatis & quantitatis;* (inquit *S. Thomas* ibidem.)

REGULA XI.

Pondera & Mensuras publica auctoritate vel consuetudine institutas adulterare aut præterire non licet: idque ne fiat, invigilare tenentur Principes & Magistratus sub reatu peccati mortalis.

De justis ponderibus & mensuris.

HAnc Regulam conceptis verbis tradit *S. Thomas*, ibidem in Responsione ad secundum. *Mensuras*, inquit, *rerum venalium necesse est in diversis locis esse diversas, propter diversitatem copiæ & inopiæ rerum: quia ubi res magis abundant, consueverunt esse majores mensuræ. In unoquoque tamen loco ad Rectores civitatis pertinet determinare quæ sint justæ mensuræ rerum venalium, pensatis conditionibus locorum vel rerum. Et ideo has mensuras publica autoritate & consuetudine institutas præterire non licet.* Quâ de re Concilium Parisiense VI. P. I. Cap. LI. sic loquitur: *Illud ex toto à Divina Auctoritate dissentit, & afflictionem atque oppressionem ingentem pauperibus irrogat, quòd quidam non solùm Clerici, sed & Laïci, dominici præcepti transgressores effecti, minorem modium atque sextarium in vendendo atque commodando, majorémque in recipiendo habent; simúlque stateras minores atque dolosas in mutuando atque vendendo, majorésque in recipiendo habentes: & ob hoc dum suæ intolerabili cupiditati satisfacere æstuant, heu! proh dolor! miseros quosque paupertati addicunt, & mendicos efficiunt.... Quanquam ergo consuetudines perversæ non facilè corrigantur, hæc tamen consuetudo inæqualium modiorum, & injustorum sextariorum, atque ponderum dolosorum, necesse est ut principali motu ocyùs corrigatur, & ad præceptum divinum tanta fortitudo reflectatur: quia verendum est ne inter cætera mala hoc quoque non solùm facientibus & consentientibus, sed etiam non corrigentibus (quod absit) proveniat in damnationem.*

Confirmatur ex Cap. *Ut Mensura*, Extra, *De Emptione & Venditione*, quod ex Moguntino Concilio sumptum indicatur: *Si quis*, inquit, *justas mensuras, & justa pondera, causâ lucri mutare præsumpserit, triginta dies in pane & aqua pœniteat;* præter restitutionis obligationem, quâ fungi inprimis debet.

REGULA XII.

Lethalis fraudis rei sunt, non solùm qui merces, sed etiam qui monetam quovis modo adulterant, vel adulterinam, aut inæqualis ponderis scientes volentes tradunt pro sincera; quamvis ipsi priùs decepti fuerint, & velut sinceram receperint: adeóque restitutionis lege tenentur.

De Monetæ defectu.

HÆc Regula colligitur ex Cap. *Quantò*, Extra, *De Jurejurando*, quo *Innocentius III.* Aragonum Regi respondet, qui imprudenter juraverat, se ad certum usque tempus conservaturum monetam patris sui, *Quæ tamen circa mortem ejus fuerat legitimo pondere defraudata*, & adeo *diminuta* erat *& minoris valoris effecta*, ut grave propter hoc scandalum in populo ortum esset. Quocirca Princeps Absolutionem à juramento rogaverat. Respondit Pontifex, Juramentum fuisse illicitum & nullatenus observandum, si monetam falsam seu legitimo pondere destitutam esse crediderit, quando Juramentum edidit: *Cùm Juramentum non ut esset iniquitatis vinculum fuerit institutum.* Si autem legitimam & sinceram esse crediderit, juramentum licitum fuisse, & usquequaque servandum. Unde consulit & mandat, *Ut reprobatâ Monetâ, quæ à legitimo pondere fuerat defraudata*, alia sub nomine patris ejus moneta cudatur, *Quam ad legitimum pondus reducat, secundùm eum statum, quem tempore patris ejus habuit meliorem.*

Confirmatur ex Concilio Lateranensi I. sub *Calisto II.* Canone XV. *Quicunque monetam falsam scienter fecerit, aut studiosè expenderit, tanquam maledictus, & pauperum virorum oppressor, & civitatis turbator, à Fidelium consortio separetur.* Monetarum falsarios & earum receptores Excommunicatione ferit Synodus Coloniensis anno circiter MCCC. celebrata, Cap. XVIII. & Interdicti pœnam decernit in loca in quibus falsæ monetæ cuduntur, quandiu falsarii ibi steterint.

Denique Synodus Turonensis, apud *Bochellum*, Libro VIII. Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ, Tit. LIX. ita statuit: *Pecuniam si quis adulterinam aut minùs probatam receperit, quamvis ignoranter, utróque sibi sit incognitus, alteri tradere non præsumat; cùm id fieri nequeat sine specie mali; (à qua Apostolus vult omnes abstinere Christianos,) ac sine magnâ furti suspicione.* Quidni verò dixerimus, sine furto evidenti? Jus Canonicum Civili concordat, ad L. *Corneliam*, ff. *De Falsis*.

Quærit *Heccato* Lib. VI. De Officiis, *Si Sapiens adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis; cùm id resciverit, soluturus ne sit eos, si cui debeat, pro bonis. Diogenes ait, Antipater negat, cui potiùs assentior* (inquit *Tullius*, Libro III. *De Officiis*.) Adulterari autem potest moneta tribus modis, videlicet circa substantiam, circa pondus, & circa formam. Quoad substantiam, cùm substituitur aut permiscetur unum metallum pro alio; quoad pondus quando minus pro majori ponitur. Quoad formam, cùm quis bonam monetam cu-

De fraude & injustitia emptionum & venditionum. dit, justique ponderis, sed sine auctoritate faciendi, aut imprimendo characterem vel formam alienam, absque ejus consensu, cujus erat.

REGULA XIII.

Lethalis fraudis & injustitiæ reus est venditor, qui occultum rei venalis vitium, & emtori noxium vel periculosum, ipsi ante venditionem non aperit.

De injusta dissimulatione vitii rerum venalium. HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXVII. Articulo III. eaque ratione firmat. *Dare alicui occasionem periculi vel damni, semper est illicitum. Venditor autem qui rem vendendam proponit, ex hoc ipso dat emtori damni vel periculi occasionem, quòd rem vitiosam ei offert, si ex ejus vitio damnum vel periculum incurrere possit. Damnum quidem, si propter hujusmodi vitium res quæ vendenda proponitur minoris sit pretii, ipse verò nihil de pretio subtrahat. Periculum autem, si propter hujusmodi vitium usus rei reddatur impeditus:* sive inutilis, & noxius: ut si vendat equum claudicantem aut debilem pro veloci, & valido; pannum adustum, frumentum corruptum, vinum acidum, aut adeo debile ut diu servari non possit, oves morbidas, cibum vel pharmacum noxium aut veneno infectum pro salubri. *Unde si hujusmodi vitia sint occulta, & ipse non detegat, erit illicita & dolosa venditio, & tenetur venditor ad damni compensationem:* (inquit *S. Thomas*.) Tenetur (inquam) non modò detrahere tantùm de pretio, quantùm ad rem vitiatam, non pluris quàm valet, emendam detrahere oporteret, ut rursùs confirmat *S. Thomas*, Quodlibeto II. Quæstione V. Articulo II. Sed etiam obligatur ad resarciendum damna quæcumque ex hujusmodi venditione consecuta; verbi gratiâ, si quis ovem morbidam, non indicato, quo laborabat morbo, vendiderit, & illa ceteras oves infecerit, tenetur etiam restituere omnia damna, quæ ovili per ipsam illata sunt. *Qui enim occasionem damni dat, damnum dedisse videtur*: ut dicitur Cap. *Si culpa*, Extra, *De Pœnis*. Quin etiam ad rescindendum contractum tenetur pro emptoris voluntate, quia nemini fraus sua patrocinari debet.

Confirmatur ex *S. Ambrosio*, Libro III. *De Officiis*, Cap. X. *Ubique*, inquit, *honestatis præponderat consideratio, quæ dolum excludit, fraudem ejicit. Unde rectè generalem David Propheta promsit sententiam dicens*, Nec fecit proximo suo malum. *Non* Psal. 14. *solùm itaque in contractibus, (in quibus etiam vitia eorum quæ veneunt, prodi jubentur, ac nisi intimaverit venditor, quamvis in jus emptoris transcripserit, doli actione vacuantur,) sed etiam generaliter in omnibus dolus abesse debet: aperienda simplicitas, intimanda veritas est. Veterem autem istam de dolo non Jurisperitorum formulam, sed Patriarcharum sententiam Scriptura divina evidenter expressit*, &c. Contractum venditionis, si vitium rei venditæ celaverit venditor emptorem, doli actione vacuari, id est, rescindi, *S. Ambrosius* asserit. Actio enim doli appellatur, quæ permittitur alicui coram Judice ad querelam de dolo sibi facto instituendam contra eum à quo deceptus est, & ad indemnitatem suam postulandam.

Hanc sanioris Moralis Regulam solo rationis lumine cognovit ac explicuit profanus Orator *Cicero*, Libro III. *Officiorum*, Sectione XIII. *Vendat*, inquit, *ædes vir bonus propter aliqua vitia, quæ ipse norit, cæteri ignorent: Pestilentes sint, & habeantur salubres: ignoretur in omnibus cubiculis apparere serpentes: male materiatæ, ruinosæ: sed hoc præter dominum nemo sciat: quæro, si hoc emtoribus venditor non dixerit, ædesque vendiderit pluris multò quàm se venditurum putarit, num id injustè an improbè fecerit.* ILLE verò (inquit Antipater) *Quid enim est aliud erranti viam non monstrare (quod Athenis exsecrationibus publicis sancitum est) si hoc non est emptorem pati ruere, & per errorem in maximam fraudem incurrere? Plus etiam est, quàm viam non monstrare: nam est scientem in errorem alterum inducere. .... Ac de jure quidem prædiorum sancitum est apud nos Jure Civili, ut in his vendendis vitia dicerentur, quæ nota essent venditori. Nam cùm* B *ex XII. Tabulis satis esset ea præstari quæ essent linguâ nuncupata, quæ qui inficiatus esset, dupli pœnam subiret: à Jureconsultis etiam reticentiæ pœna est constituta. Quicquid enim esset in prædio vitii, id statuerunt, si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset, præstari oportere.* Quod & Romanis Senatus « Consultis confirmat. *Raguel* propinquus *Tobiæ* « contemplatione honestatis, cùm rogaretur ut « filiam suam in conjugium daret, vitia quoque « filiæ non tacebat, ne circumvenire petitorem « videretur tacendo. Itaque cùm *Tobias* filius « *Tobiæ* posceret ut sibi daret Puellam, respondit, « Lege quidem ipsi eam deberi tanquam propin- « C quo, sed dedisse se eam jam sex viris, & omnes « eos esse mortuos. Justus itaque vir plus alienis « timebat, & malebat innuptam sibi manere fi- « liam, quàm propter Nuptias ejus extraneos « periclitari. Quàm breviter absolvit omnes Quæ- « stiones Philosophorum! *Illi de vitiis tractant* « *domorum, tegenda an prodenda à venditore videantur: hic noster nec filiæ vitia celanda arbitratus est, & certè non ipse affectabat ut eam traderet, sed rogabatur. Quantò utique iste honestior sit illis, dubitare non possumus, si conferamus, quantò præstantior sit filiæ causa, quam rei venalis pecunia*; (Inquit *S. Ambrosius* Cap. XVI.)

D

REGULA XIV.

Vitium rei venalis manifestum non semper tenetur venditor emptori aperire, modò propter illud subtrahat de pretio quantùm oportet.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXVII. Articulo III. De fraude emptionum & venditionum. *Si vitium*, inquit, *sit manifestum, puta, cùm equus est monoculus; vel cùm usus rei etsi non competat venditori, potest tamen esse conveniens aliis; & si ipse propter hujusmodi vitium, subtrahat quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vi-* E *tium rei: quia fortè propter hujusmodi vitium emtor vellet plus subtrahi de pretio, quàm esset subtrahendum. Unde potest licitè venditor indemnitati suæ consulere, vitium rei reticendo.* Refert *Tullius* Libro III. De Officiis, *M. Marium Gratianum* propinquum suum *C. Sergio Oratæ* vendidisse ædes « eas, quas ab eodem ipse paucis antè annis eme- « rat: Hæ *Sergio* serviebant: sed hoc in mancipio « *Marius* non dixerat. Adducta res in judicium « est. *Oratam* Crassus, *Gratidianum* defendebat « Antonius: Jus Crassus urgebat: *Quòd vitii ven-* « *ditor non dixisset sciens, oportere præstari*: Æqui- « F tatem Antonius: *Quoniam id vitium ignotum Ser-* « *gio non fuisset, qui illas ædes vendidisset, nihil fuisse necesse dici: nec eum deceptum, qui id, quod emerat, quo jure esset, teneret.*

Si tamen subsit aliqua fraus, verbi gratiâ, si vitium rei venalis, etsi manifestum, non ita facilè ab emptore deprehendi possit, vel si emptor se rem vitiatam emere nolle sit contestatus, aut venditor interrogatus de rei venalis vitio illud

vel

De fraude & injustitia emptorum & venditorum.

vel tacuerit, vel negaverit, vel eam quasi vitio carentem, etiam non interrogatus laudaverit, aut inter res integras omnisque vitii expertes venalem exposuerit; tenetur ad emptoris arbitrium contractum rescindere, si res vendita tunc temporis integra maneat.

REGULA XV.

Non videtur esse reus fraudis aut injustitiæ mercator, qui frumentorum, aut aliarum rerum ad humanos usus necessariarum copiam brevi advehendam certò sciens, id celat emptores, & sua frumenta, vel res alias vendit currente pretio. Majoris tamen honestatis & virtutis est, animique ab avaritia & dolo magis alieni, id non celare.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXVII. Articulo III. ad tertium, ubi respondet, Non sequi quòd venditor vitia rei venalis celare possit emptorem absque fraude & injustitia, si triticum deferens ad locum ubi fervet frumenti caritas, dissimulare possit frumenti copiam à multis aliis mercantibus brevi advehendam. Rationem affert discriminis, quia *Vitium rei facit rem in præsenti esse minoris valoris, quàm videatur. Sed in casu præmisso, in futurum res exspectatur esse minoris valoris per superventum negotiatorum, qui ab ementibus ignoratur. Unde venditor qui vendit rem secundum pretium quod invenit, non videtur contra justitiam facere, si quid futurum est, non exponat. Si tamen exponeret, vel de pretio subtraheret, abundantioris esset virtutis, quamvis ad hoc non videatur teneri ex justitiæ debito.*

Angelico Doctori simpliciter docenti, quàm Tullio exaggeranti potiùs adhæreo. Quæstionem proponit ille Libro III. *Officiorum*, Sectione XII. *Si vir bonus Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia, & fame, summàque annonæ caritate. Si idem sciat complures mercatores Alexandria solvisse, navésque in cursu frumento onustas, petentes Rhodum viderit; dicturúsne sit id Rhodiis, an silentio suum quamplurimo venditurus? Sapientem & bonum virum fingimus, de ejus deliberatione & consultatione quærimus; qui celaturus Rhodios non sit, si id turpe judicet: sed dubitet an turpe non sit. In hujusmodi causis aliud Diogeni Babylonio videri solet, magno & gravi Stoico: aliud Antipatro, discipulo ejus, homini acutissimo. Antipatro, Omnia patefacienda, ut ne quid omninò quod venditor nôrit, emptor ignoret. Diogeni, Venditorem, quatenus Jure Civili constitutum sit, dicere vitia oportere, cetera sine insidiis agere: & quoniam vendat, velle quamoptimè vendere: advexi, exposui, vendo meum, non pluris quàm ceteri; fortasse etiam minoris, cùm major est copia: cui fit injuria? Exoritur Antipatri ratio ex altera parte: Quid ais? Tu cùm hominibus consulere debeas, & servire humanæ societati, eâque lege natus sis, & ea habeas principia naturæ, quibus parere, & quæ sequi debeas, ut utilitas tua communis utilitas sit, vicissímque communis utilitas tua sit, celabis homines quid iis sit commoditatis & copiæ?* Et infra: *Non igitur videtur nec frumentarius ille Rhodiis, nec hic ædium venditor, celare emptores debuisse. Neque enim id est celare, quicquid reticeas: sed cum quod tu scias, id ignorare emolumenti tui causâ velis eos, quorum intersit id scire. Hoc autem celandi genus, quale sit, & cujus hominis, quis non videt? Certè non aperti, non simplicis, non ingenui, non justi, non viri boni: versuti potiùs, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri,*

REGULA XVI.

Proxeneta, vel factor, aut alius quispiam, cui aliquid certo pretio vendendum commissum est, si pluris vendat, non potest id quod accedit lucri, absque fraude & injustitia retinere, si laboris sui mercedem acceperit, aut accepturus sit.

De fraude emptorum & venditorum.

NUllo enim legitimo modo retinere potest quod accedit lucri ad summam quâ rem suam vendi constituit dominus. Res quippe vendita non est proxenetæ, aut factoris, seu alterius cui commissa est ejus venditio; industriæ autem vel laboris sui merces ei constituta est. Tenetur itaque reddere domino quicquid lucri ex venditione provenit. Idem esto judicium de eo, qui rem alterius vendendam gratis susceperit, ut enim L. *Obligatio*, ff. *Mandati*, habetur: *Mandatum nisi gratuitum nullum est. Nam originem ex officio atque amicitia trahit: contrarium porrò est officio merces.* Quòd verò dominus pretium rei venalis præfixerit, non est argumento quòd retinere possit venditor id quod accedit amplioris lucri, aut quòd id permittat dominus: sed pretium eâ conditione præfixum esse intelligitur, ut minoris vendere non possit, non autem ut pluris non vendat, si valeat, in commodum ejus cujus res est. At si dominus rem vendendam proxenetæ commiserit certo pretio, nullâ ipsi assignatâ laboris mercede, sed eum pacto ut ipsi proxenetæ seu factori cedat, si quid lucri proveniat amplioris: illud legitimo titulo retinebit.

REGULA XVII.

Famuli aut artifices in aliqua officina emere soliti minori pretio, retinere sibi non possunt absque fraude quod in eorum gratiam detrahere mercator videtur de majori pretio, quo res similis in alia officina venundatur.

CUm enim mandatum acceperint à domino, cujus obsequiis sunt addicti, aut cujus res gerunt, ipsius commoda fideliter procurare debent, non sua: maximè cùm nec verisimile sit, aut facilè credi debeat, mercatores in gratiam hujusmodi hominum aliquid de mercium suarum pretio condonare, sed ipsis blandiantur sæpiùs ac mentiantur; & ea sit dominorum voluntas, ut quo poterunt æquiori ac minori pretio comparent, quorum ipsis emptionem commiserunt. Unde *Tullius*, in Oratione pro Sexto Roscio Amerino: *In privatis (inquit) rebus, si qui rem mandatam non modo malitiosius gessisset, sui quæstûs aut commodi causâ, verum etiam negligentiùs: eum majores summum admisisse dedecus existimabant. Itaque mandati constitutum est judicium, non minùs turpe, quàm furti. Credo propterea quòd, quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his opera nostra vicaria fides amicorum supponitur; quam qui lædit, oppugnat omnium commune præsidium; &, quantùm in ipso est, disturbat vitæ societatem. Non enim possumus omnia per nos agere. Alius in ea re est magis utilis.... Quid recipis mandatum, si aut neglecturus, aut ad tuum commodum conversurus es? Cur mihi te offers, ac meis commodis officio simulato officis & obstas? Recede de medio, per alium transigam.... Ergo idcirco turpis hæc culpa est, quòd duas res sanctissimas violat, amicitiam & fidem. Nam neque mandat quisquam fere nisi amico: neque credit nisi ei quem fidelem putat. Perditissimi igitur est hominis, simul & amicitiam dissolvere, & fallere eum, qui læsus non esset, nisi credidisset.*

REGULA XVIII.

Lethalis fraudis reus est quicumque in quovis ludi genere summam notabilem malis artibus lucratur fallendo scilicet, ac receptas ludi leges violando.

De fraude in ludis.

PEccat enim in re gravi adversùs justitiam, bonam fidem & caritatem, necnon adversùs sextum præceptum Decalogi, *Non furtum facies.* Unde & ad restitutionem tenetur, ut docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione xxxii. Articulo vii. ad secundum. Idem esto judicium de illo, qui se victorem in ludo futurum certò novit, ob collusorum inæqualitatem. Decipiuntur enim qui sperant se tantumdem lucrari posse quantùm ipsi periculo exponunt. Idem censendum est de illis qui in olæ ludo, quem vulgò Lotteriam vocant, permutant vel imminuunt præmia, vel schedulas alterant quibus fit sortitio, vel præmia proponunt non extantia, vel distractis præmiis ludum protogant. Hi (inquam) lethalis fraudis rei sunt; & restitutionis lege tenentur. Quasdam præterea conditiones postulant Theologi, ut ludus ille sit licitus, nempe ut qui in privatum commodum lotteriam instituit, non plus inde lucretur, quàm si quovis alio contractu licito suas merces distraheret. Si verò in publicam utilitatem, auctoritate Principis, aliquid amplius lucrari possit, prout arbitrio prudentum, ad publicam necessitatem sublevandam, vel ad causam piam promovendam, visum fuerit decernere quantùm quisque sortientium inferre debeat. Deinde conditiones, si quæ sint à Principe aut Magistratu statutæ, observare oportet. In ipsis enim ludis leges civiles obligare conscientiam, docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione & Articulo suprà laudatis.

De conditionibus in ludo, vulgò Lotteria, servandis.

REGULA XXI.

Lethalis Fraudis reus est, qui de aliquo eventu seu futuro, seu præterito spondet opposito pignore aut pretio notabili, si sit de eventu certus.

De fraude & injustitia in Sponsionibus vulgò gageures.

ID enim contra naturam sponsionis est, quæ est concertatio plurium de eodem eventu incerto, sub spe certi pretii à victore obtinendi. Si ergo spondentium alter de eventis certus sit, injusta sponsio est ob inæqualitatem, & restituere tenetur quod ita certando lucratus est: nisi fortè se eâ de re certum esse ante sponsionem professus sit, & alter nihilominus certare voluerit. Scienti enim & volenti non fit injuria. Non posset etiam absque fraude pretium sponsionis sibi vindicare, si alter eodem sensu non accepisset id de quo facta sponsio est. Hæc enim conditio ad legitimam sponsionem est etiam necessaria. Certæ nihilominus sponsiones Jure Civili ac municipali Regnorum aut Provinciarum aliquarum vetitæ sunt. Quædam jure ipso naturali sunt illicitæ, & invalidæ, quæ nimirum criminibus viam aperiunt: aut occasionem præbent spondentibus aliquid agendi aut optandi contra Dei legem, contra jus, contra officium, ut si sponsio fiat cum illo qui crimen aliquod meditatur, quod illud non audebat facere; hujusmodi enim sponsione & spe mercedis victori constitutæ, ad crimen perficiendum inflammatur. Aut si de morte hominum, itineribus, navigationibus, felici vel infelici mulieris partu sponsiones fiant; quibus datur occasio mortem proximi optandi, aut infaustum iter, naufragium, infelicem partum, vel necem, abortum, insidias, alia nocumenta procurandi, struendi, inferendi, optandi; aut si quis Rege bellum gerente, & Urbem aliquam hostilem obsidente, spondeat victorem non futurum, non expugnaturum. Qui enim ea de re spondet, ipsum videtur optare, quod certè contra officium boni subditi erga Principem est.

Sponsiones illicitæ.

ARTICULUS I.

De Fallacia & Perjurio, Avaritiæ filiabus.

DE Mendacio, quod idem videtur cum Fallacia, necnon de Perjurio, erit alibi opportunior dicendi locus, cùm scilicet in Decalogi explicatione versabimur. Hîc igitur unam aut alteram dumtaxat Regulam statuemus.

REGULA I.

Differenda est Absolutio Sacramentalis Mercatoribus, qui mendaciis & perjuriis assueverunt, nec aliter vendere & emere se posse aiunt, donec pravum habitum emendaverint.

De fallacia & perjurio mercatorum.

HI namque in occasione continua & affectu lethalis peccati versantur. Quamvis enim mendacium veniale sit, cùm grave damnum proximo non infert, lethale tamen est semper, cùm ad proximum in negotio graviter circumveniendum ac fallendum adhibetur, aut perjurio confirmatur. Unde Ecclesiastici xx. *Potior fur quàm assiduitas viri mendacis: perditionem autem ambo hereditabunt.* In Mercatoribus sanè plerisque impleri videmus, quod *Apocalypsis* xiii. prædictum est: *Ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus.* Bestia, Diabolus est: character illius, mendacium. *Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia mendax est, & pater ejus,* (inquit Christus, *Joannis* viii.) Absque isto charactere emere aut vendere non posse, mercatores plerique profitentur: nec attendunt ad illud oraculum, Apocal. xiv. *Si quis adoraverit bestiam & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, & hic bibet de vino iræ Dei, & cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni: & fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* Fallacia tamen & perjuria non sunt vitia negotiationis, quasi per se illis occasionem præbeat, aut sine illis exerceri non possit, sed hominum lucri cupiditate æstuantium. Quod *S. Augustinus* testatur, Enarratione in Psalmum lxx. explicans hunc versum, *Quoniam non cognovi litteraturam*, seu (ut ipse legit) *Negotiationes, introibo in potentias Domini.* Sic enim habet: *Audiant Negotiatores & mutent vitam; & si fuerunt, non sint; non cognoscant quid fuerunt, obliviscantur: postremò non approbent, non laudent; improbent, damnent, mutentur, si peccatum est negotiatio. Hinc enim aviditate nescio quâ adquirendi, o Negotiator, quando damnum passus fueris, blasphemabis, & non erit in te quod dictum est,* Tota die laudem tuam. *Quando autem pro pretiis rerum quas vendis, non solùm mentiris, verùm etiam falsum juras; quomodo in ore tuo totâ die laus Dei? Quando, si Christianus es, etiam ex ore tuo blasphematur nomen Dei, ut dicatur, Ecce quales sunt Christiani. Ergo si propterea iste totâ die laudem*

Concione i.

Negotiationis pericula.

Dei dicit, quia non cognovit negotiationes; corrigant se Christiani, non negotientur. Sed ait mihi Negotiator, Ecce ego affero quidem ex longinquo merces ad ea loca in quibus non sunt ea quæ attulero; unde vivam, tanquam mercedem laboris mei peto, ut carius vendam quàm emerim: unde enim vivam, cùm scriptum sit, Dignus est operarius mercede sua; *sed agitur de mendacio, de perjurio. Hoc vitium meum est, non negotiationis: neque enim non, si vellem, possem agere sine isto vitio. Non ergo meam culpam ultor ad negotium transfero: sed si mentior, ego mentior, non negotium. Possem enim dicere, Tantò emi, sed tantò vendam: si placet, eme. Non enim istam veritatem audiens emtor repelletur, & non potiùs omnes accurrerent: quia plus fidem quàm mercem diligerent. Hoc ergo, inquit, me mone, ne mentiar, ne perjurem; non ut abjiciam negotium unde me transigo. ... Mone quemadmodum vivam: si bene, bene mihi erit: unum tamen scio, quia si malus fuero, non negotiatio mihi facit, sed iniquitas mea. Quando verum dicitur, non est quod contradicatur.* Attamen spectatâ hominum cupiditate, & ad vitium propensione periculosa negotiatio est. Hinc *Tertullianus*, Lib. *De Idololatria*. Cap. x *De negotiationibus cætera delictorum recogitemus, in primis cupiditatem, radicem omnium malorum. Tum mendacium cupiditatis ministrum. Taceo de perjurio, quando ne jurare quidem liceat. Negotiatio servo Dei apta est?* Et *S. Leo*. Epistolâ II. alias XCII. ad *Rusticum* Narbonensem Episcopum, inquisitione XI. *Qualitas lucri (*inquit*) negotiantem aut excusat, aut arguit: quia est & honestus quæstus, & turpis. Verumtamen Pœnitenti utilius est dispendia pati, quàm periculis negotiationis obstringi: quia difficile est, inter ementis vendentisque commercium, non intervenire peccatum* Nam Ecclesiastici XXVI. dicitur: *Duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerunt: difficile eruitur negotiator à negligentia* (bonorum scilicet spiritualium, & propriæ salutis) *& non justificabitur caupo à peccatis labiorum.* Et Cap. XXVII. *Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur: sic & inter medium venditionis & emtionis angustiabitur peccatum.* Et Deus Tyriorum peccata prodiisse ex negotiatione significat, Ezechielis XXVIII. *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti, & ejeci te.* Et rursùm: *Iniquitate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam.*

REGULA II.

De fallacia in promissis & pactis.

Lethalis Fallaciæ reus est, qui promissa & pacta non servat in re gravi; aut sincerè ac sponte promisit rem licitam & possibilem, ubique voluntate solvendi promissum.

JUs enim naturæ ac gentium violat, frangendo fidem, quæ humanæ societatis fundamentum ac vinculum est: & adversùs justitiam peccat, cùm se promissione obligaverit. Hinc Cap. *Qualiter*, Extra, *De Pactis*, dicitur: *Studiose agendum est, ut ea quæ promittuntur, opere compleantur.* Et quid mirum si homo promissis suis debitor fiat, cùm *Deus* ipse *debitor* nobis factus sit, *non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo? Aliter enim dicimus homini, Debes mihi quia dedi tibi: & aliter dicimus, Debes mihi quia promisisti mihi... Quando dicis, Debes mihi quia promisisti mihi: tu nihil dedisti, & tamen exigis. Bonitas enim ejus qui promisit, debit, ne in malitiam fides convertatur. Qui enim fallit,*

Adversùs justitiam peccat qui promissum non implet in re gravi.

Deus ipse debitor noster factus est promittendo.

malus est (inquit *S. Augustinus* Sermone CLVIII. alias XVI. *De* Verbis Apostoli) Hinc *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. LXXXVIII. A. III. *Ad fidelitatem hominis* (inquit) *pertinet ut solvat id quod promisit. Unde secundum Augustinum, fides dicitur ex eo quòd fiunt dicta.* Et in Responsione ad primum: *Secundùm honestatem* (inquit) *ex qualibet promissione homo homini obligatur: & hæc est obligatio juris naturalis. Sed ad hoc quòd aliquis obligetur ex aliqua promissione obligatione civili, quædam alia requiruntur.* Verùm si promissione sit de re illicita, reus non erit fallaciæ, qui ipsam non servaverit, secundùm Regulam Juris, in Sexto: *In malis promissis fidem non expedit observari.* Et Can. *In malis*, Causa XXII. Quæst. IV. *In malis promissis rescinde fidem.* Et Cap. *Pactiones*, Extra. *De Pactis*, Gregorius Nonus respondet: *Pactiones factæ pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cùm in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti. Quod etiam de aliis est attendum, quæ observata vergunt in animæ detrimentum. Nam etiam juxta legitimas Sanctiones, pactum turpe, vel rei turpis aut impossibili de jure vel de facto, nullam obligationem inducit.* Et L. *Pacta*, C. Tit. *De Pactis*, Lib. II. *Pacta quæ contra Leges Constitutionésque, vel contra bonos mores fiant, nullam vim habere, indubitati juris est.*

Si promissio fuerit illicita, non est fallaciæ reus qui illam non servat.

Nec etiam fallaciæ reus est, qui promissa non servat, quæ exsolvere non potest. Nemo enim ad impossibile tenetur. L. *Si stipulor*, Tit. *De Verborum obligationibus*, *Digest.* Lib. XLV. *Si stipulor ut id fiat, quod natura fieri non concedit, non magis obligatio consistit, quàm cùm stipulor ut detur quod dari non potest: nisi per quem stetit, quo minus facere id possit.* Et L. *Impossibilium*, ff. *De Regulis Juris*, 185. *Impossibilium nulla obligatio est.* Qamobrem si quod tempore promissionis erat possibile, postea impossibile fiat; vel propter aliquam rerum aut personarum mutationem ita fiat arduum, ut si promissor hos casus vel eventus prævidisset, non fuisset promissuros, vel casus illos excepisset, ut si quis ensem alteri promiserit, & ille insanus fiat; si puellam ducere, & hæc postea fornicetur; si merces aliquas mittere, & Regis vel magistratus prohibitio superveniat, cessat obligatio promissi. Ita docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. CX. Art. III. ad quintum respondens: *Ille qui aliquid promittit, si habeat animum faciendi quod promittit, non mentitur, quia non loquitur contra id quod gerit in mente. Si verò non faciat quod promisit, videtur infideliter agere per hoc quod animum mutat. Potest tamen excusari ex duobus. Uno modo si promisit id quod manifestè est illicitum, quia promittendo peccavit, mutando autem propositum, bene facit. Alio modo, si sint mutatæ conditiones personarum & negotiorum. Ut enim Seneca dicit, Lib.* IV. De Beneficiis, *Cap.* III. *Ad hoc quod homo teneatur facere quod promisit, requiritur quod omnia immutata permaneant: alioquin nec fuit mendax in promittendo, quia promisit quod habebat in mente, subintellectis debitis conditionibus: nec etiam est infidelis non implendo quod promisit: quia eadem conditiones non extant. Unde & Apostolus non est mentitus, qui non ivit Corinthum, quò se iturum promiserat, ut dicitur* II. *ad Corinthios* I. *& hoc propter impedimenta quæ supervenerant.*

Non est fallaciæ reus, qui promissa non servat, quæ implere non potest.

Non est etiam fallaciæ reus qui promissum vi, metu, aut dolo extortum non servat. Cùm enim promissio sit liberalis meréque gratuita pollicitatio, ab ea debent abesse vis, metus & do-

Non est fallaciæ reus, qui promissum vi, metu aut dolo extortum non implet.

lus. Unde Cap. *Abbas*, Extra, *De his quæ vi metusve causa fiunt*, ait Alexander III. *Quæ metu & vi fiunt, de Jure debent in irritum revocari.* Et *Innocentius III.* Cap. *Ad audientiam*, sub eodem Titulo: *Quæ vi metusve causa fiunt, carere debent robore firmitatis.* Id confirmatur testimonio *S. Thomæ*, Secunda Secundæ, Quæst. LXXXIX. A. VII. ad tertium respondentis: Obligatio *Qua quis obligatur homini cui aliquid promiserit, tollitur per coactionem: quia ille qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur.*

Qui voluntatem se obligandi verbis aut instrumentis expressit, rem honestam, possibilem, magni momenti, & gratam ei cui spondetur promittens, lethaliter peccat si promissum non impleat, quamvis non habeat voluntatem se obligandi.

Non est denique fallaciæ reus qui promissum non solvit ei, cui promissio grata non est, nec B accepta: sed lethalis fallaciæ reus est etiam si non habuerit voluntatem se obligandi, cùm sponte promisit rem honestam, possibilem, gratam & acceptam ei cui facta promissio est, & magni momenti, si voluntatem se obligandi verbis aut instrumentis expresserit, neque tamen promissionem impleat. Promissione enim sua delusit proximum in re gravi. Et si causam indicaverit ob quam promisit, vel sine causa promisisse non censetus, ut cùm aliquid promisit loco pio, vel Civitati, aut Reipublicæ, non solùm in foro conscientiæ, sed etiam in foro exteriori tenetur exsolvere promissum, secundùm Jurisperitos. Quanquam verò promissum aut *Pactum nudum* (ut vocant) non pariat actionem, secundùm Leges Civiles: nec aliquis in Jus vocari possit, quandò non intervenit stipulatio, nec contractus aliquis actualis nominatus, nec chirographum, aut litterarum solemnitas, quæ *Pactum vestitum*, (ut loquuntur) C efficiunt: tamen ex nudo pacto & promisso actionem et am oriri, secundùm Canones, communis est & verior Juris Canonici Peritorum opinio. Qua de re legi potest *Prosper Fagnanus* in II. P. primi Decretalium, ad Cap. *Antigonus*, Tit. *De Pactis*. Ut ut est, non servans pa- D ctum legitimum in re gravi, peccati lethalis reus est, quia violans pactum potest excommunicari, ut constat ex Cap. *Antigonus*. Extra, *De Pactis*, quod ex Concilio Carthaginensi 2. sumtum est. *Antigonus Episcopus dixit... Aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus (si se non cohibuerit) Ecclesiasticam sentiat Disciplinam. Universi dixerunt: Pax servetur, pacta custodiantur.* Porrò Excommunicatio Jure non infligitur nisi ob mortale peccatum, ut colligitur ex Canone *Nemo Episcoporum*, Causa XI. Quæst. III.

REOULA III.

Lethalis Fallaciæ reus est qui pro altero fidejussorem se obligat, cùm nec ipse solvendo sit, nec principalem debitorem solvendo futurum existimet.

FAllaciâ enim suâ occasionem præbet creditori gravis damni. *Dare porrò alicui occasionem periculi vel damni, semper est illicitum,* (inquit *S. Thomas.*, Secunda Secundæ, Quæst. LXXVIII. Articulo III.) Hinc Ecclesiastici VIII. Spiritus-Sanctus ait: *Non spondeas super virtutem tuam: quod si spoponderis, quasi restituens cogita.*

ARTICULUS VII.

De Sollicitudine.

REGULA I.

Sollicitudo lethale peccatum est, cùm finem ultimum in rebus temporalibus quis constituit, & terrenis curis ita se immergit, ut æternæ salutis suæ curam abjiciat: vel cùm Divinæ Providentiæ diffidit.

Nimia de rebus temporalibus sollicitudo à Christo damnata.

HÆc scilicet Sollicitudinis genera, ut Gentium incredulorum vitia damnat Christus Dominus (Matth. VI.) *Non potestis* (inquit) *Deo servire & Mammonæ. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum? Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? ... Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quantò magis vos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia Gentes inquirunt. Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm Regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.* Quam postremam Christi Salvatoris sententiam *S. Augustinus*, Lib. II. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. XVI. sic exponit: *Quid intersit inter bonum quod appetendum est, & necessarium quod sumendum est, hâc sententiâ declaravit. Regnum ergo & Justitia Dei bonum nostrum est, & hoc appetendum, & ibi finis constituendus, propter quod omnia faciamus quæcumque facimus. Sed quia in hac vita militamus, ut ad illud Regnum pervenire possimus, quæ vita sine his necessariis agi non potest*, Apponentur vobis hæc (*inquit*) *Sed vos Regnum Dei & justitiam ejus primùm quærite. Cùm enim dixit illud primum, significavit quia hoc posteriùs quærendum est, non tempore, sed dignitate: illud tanquam bonum nostrum, istud tanquam necessarium nostrum; necessarium autem propter illud bonum.*

Regnum & Justitia Dei bonum nostrum est, & hoc appetendum ut finis, cætera, propter illud, ut necessarium nostrum.

Sollicitudo temporalium rerum, tripliciter illicita.

Confirmatur hæc Regula ex *S. Thoma*, Secunda Secundæ, Quæstione LV. Art. VI. *Sollicitudo* (inquit) *temporalium rerum tripliciter potest esse illicita. Uno quidem modo ex parte ejus de quo sollicitamur, si scilicet temporalia tanquam finem quæramus*: unde *S. Augustinus* dicit Lib. *De Opere Monachorum*, Cap. XXVI. *Dominus ait*, « Nolite solliciti esse animæ quid manducetis, « neque corpori quid vestiamini. *Rectè, quoniam* « *supra dixerat*, Non potestis Deo servire & « Mammonæ. *Qui enim propter hoc Evangelium* « *prædicat, ut habeat unde manducet, & unde vestiatur, simul se putat & Deo servire, quia Evangelium prædicat; & Mammonæ, quia propter ista necessaria prædicat: quod Dominus dicit fieri non posse. Ac per hoc ille qui propter ista Evangelium prædicat; non Deo, sed Mammonæ servire convincitur; etsi Deus illo ad aliorum profectum, quomodo ipse nescit, utatur. Nam huic sententiæ subjungit*: Ideo dico vobis, Nolite solliciti esse ani- «

» mæ quid manducetis, neque corpori quid ve» stiamini: *non ut isti non procurent, quantum necessitati satis est, undè honestè potuerint; sed ut non ista intueantur, & propter ista faciant quicquid in Evangelii prædicatione facere jubentur.*

Pergit S. Thomas: *Alio modo potest esse temporalium solicitudo illicita propter superfluum studium quod apponitur ad temporalia procuranda; propter quod homo à spiritualibus, quibus principaliùs inservire debet, retrahitur: & ideo dicitur* (Marc. XIII.) *Solicitudo sæculi istius, & fallacia divitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur.* Hinc vetus Autor Operis Imperfecti in Matthæum inter *S. Chrysostomi* Opera editi, Homiliâ XXXI. *Sollicitudo divitiarum*, inquit, *Ecclesiam te frequentare non permittit, ut nutriatur verbum quod accepisti: & si venis corpore, non venis mente: si audis auribus, non audis corde: totus animus tuus in illis est, de quibus sollicitus es.*

S. Thomas ibid.

Tertio modo solicitudo temporalium est illicita *ex parte timoris superflui, quando scilicet aliquis timet, ne faciendo quod debet, necessaria sibi deficiant: quod Dominus tripliciter excludit. Primò, propter majora beneficia homini præstita divinitus præter suam solicitudinem, scilicet corpus & animam. Secundò, propter subventionem, qua Deus animalibus & plantis subvenit, absque opere humano, secundùm proportionem suæ naturæ. Tertiò, ex divina providentia, propter cujus ignorantiam Gentiles circa temporalia bona quærenda principaliùs sollicitantur. Et ideo concludit, quod principaliter nostra sollicitudo esse debet de spiritualibus bonis, sperantes quòd temporalia nobis provenient ad necessitatem, si fecerimus quod debemus.* Labor ergo exercendus est: unde Apostolus ait, II. Ad Thessalon. III. *Si quis non vult operari, nec manducet:* Solicitudo tollenda, meticulosa scilicet, animum discrucians, divinæ providentiæ diffidens. Hinc *S. Augustinus*, Lib supra laudato *De Opere Monachorum* Cap. XXVII. ait: *Si & nos per aliquam vel infirmitatem vel occupationem, non possumus operari, sic ille nos pascet & vestiet, quemadmodum aves & lilia, quæ nihil operantur hujuscemodi: cùm autem possumus, non debemus tentare Deum nostrum; quia & hoc quod possumus, ejus munere possumus: & cùm hinc vivimus, illo largiente vivimus; qui largitus est ut possimus. Et ideo de istis necessariis solliciti non sumus; quia cùm hæc possumus agere, ille nos pascit & vestit à quo pascuntur homines & vestiuntur: cum verò hæc non possumus agere, Idem ipse nos pascit & vestit à quo aves pascuntur, & lilia vestiuntur; quoniam nos pluris sumus illis. Quapropter in ista militia nostra, nec in crastinum cogitamus: quia non propter ista temporalia, quò pertinet crastinum, sed propter illa sempiterna ubi semper hodiernus est, nos illi probavimus, ut ei nullis negotiis sæcularibus implicati placeamus.*

Labor exercendus, solicitudo tollenda.

REGULA II.

Sollicitudo temporalium, etiam ea quæ non repugnat fini caritatis, veniale peccatum est si superflua sit & anticipata.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LV. Art. V. ad tertium: *Sollicitudo*, inquit, *temporalium in operibus misericordiæ ordinatur ad finem caritatis. Et ideo non est illicita, nisi sit superflua.* Et Articulo VII. Nullum opus bonum esse posse ait, nisi debitis circumstantiis comitatum, quarum una est *Debitum tempus*, secundùm illud Ecclesiastis VIII. *Omni negotio tempus est & opportunitas.* Quod non solùm in exterioribus operibus, sed etiam in interiori solicitudine locum habet: *Unicuique enim tempori competit propria solicitudo:* sicut tempori Æstatis competit solicitudo metendi; tempori autem Autumni solicitudo vindemiæ. *Si quis ergo tempore æstatis de vindemia jam esset sollicitus, superfluè præoccuparet futuri temporis solicitudinem. Unde hujusmodi solicitudinem tanquam superfluam Dominus prohibet dicens,* (Matth VI.) *Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi,* id est, propriam solicitudinem suam afferet, quæ sufficit ad animum affligendum. Unde subdit: *Sufficit diei malitia sua*, id est sufficit quòd ista sumere urgebit ipsa necessitas; sive, sufficit afflictio ipsa solicitudinis. Verum tamen (inquit *S. Augustinus*, Lib. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. XVII.) *Vehementer cavendum est, ne fortè cùm viderimus aliquem servum Dei providere ne ista necessaria desint, vel sibi vel eis quorum sibi cura commissa est, judicemus eum contra præceptum Domini facere & de crastino esse sollicitum. Nam & ipse Dominus, cui ministrabant Angeli, tamen propter exemplum, nequis postea scandalum pateretur, cùm aliquem servorum ejus animadvertisset ista necessaria procurare, loculos habere dignatus est cum pecunia, unde usibus necessariis quicquid opus fuisset præberetur.* Item *in Actibus Apostolorum scriptum est, Ea quæ ad victum sunt necessaria, procurata esse in futurum propter imminentem famem.* Quibus, & similibus Scripturarum locis, *satis apparet Dominum nostrum non hoc improbare, si quis humano more ista procuret: sed si quis propter ista Deo militet ut in operibus suis non Regnum Dei sed istorum adquisitionem intueatur. Ad hanc ergo Regulam hoc totum præceptum redigitur, ut etiam in istorum provisione Regnum Dei cogitemus, in Militia verò Regni Dei ista non cogitemus. Ita enim etiam si aliquando defuerint, quod plerumque propter exercitationem nostram Deus sinit, non solùm non debilitant propositum nostrum, sed etiam examinatum probatùmque confirmant... Quandoquidem ista sicut adjutoria novit ille Medicus, cui semel nos totos commisimus, & à quo habemus promissionem vitæ præsentis & futuræ, quando apponat, quando detrahat, sicut nobis judicat expedire, quos & consolandos & exercendos in hac vita, & post hanc vitam in perpetua requie stabiliendos atque firmandos gubernat, ac dirigit. Non enim & homo, cùm plerumque jumento suo cibaria detrahit, deserit illud curâ suâ, ac non potiùs curando hæc facit.*

Joan. 12. Act. 11.

Hinc idem *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum XXXIX. explicans hunc versum, *Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus sollicitus est mei*, ait: *Et quid facturus es, ô egene & pauper? Mendica ante januam Dei, pulsa & aperietur tibi. Jacta in Dominum curam tuam & spera in eum, & ipse faciet. Quid tibi curaturus es? Quid tibi provisurus? Habeat tui curam qui fecit te. Qui habuit tui curam antequam esses, quomodo non habebit curam cùm jam hoc es quod voluit ut esses? Jam enim fidelis es, jam ambulas in via justitiæ. Curam tui non habebit qui facit Solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos: te jam justum ex fide viventem negliget, deseret, dimittet? Immo verò & hic fovet & hic adjuvat, & hic necessaria subministrat, & noxia resecat. Dando consolatur, ut permaneas; auferendo corripit, ne pereas. Dominus curam habet tui, securus esto. Ille portat qui te fecit: ab Artificis tui manu noli cadere: si cecideris à manu Artificis, frangeris. Ut autem permaneas in manu Artificis, bona voluntas facit. Dic, Deus meus voluit, & portabit ipse, & tenebit ipse. Jacta te in illum, noli putare inane esse, ut quasi præcipiteris: non ita tibi videatur. Ille dixit,* Cælum & terram ego impleo.

Fiducia in providentia Dei. Matth. 5. Jerem. 23.

Sollicitudo temporalium ordinata.

Nusquam tibi deest : tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse. Dominus *sollicitus est mei.*

ARTICULUS VIII.

De Violentia.

REGULA I.

Lethalis Violentiæ rei sunt Divites, qui pauperes opprimunt rapinis, oneribus, injuriis, verberibus, iniquis vectigalibus.

De violentia.

HI scilicet justitiæ, caritatis, imò humanitati, quam natura docet; & quæ alios pro viribus nos juvare jubet ut ejusdem corporis membra, leges palam violant & evertunt. Quæ flagitia quantum Deus execretur, Scriptura Sacra testis est. Ecclesiastis IV. *Verti me ad alia, & vidi calumnias, quæ sub Sole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem consolatorem : nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos. Et laudavi magis mortuos quàm viventes : & feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt.* Proverb. XXI. *Qui calumniatur pauperem ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori, & egebit.... Non facias violentiam pauperi, quia pauper est, neque conteras egenum in porta: quia judicabit Dominus causam ejus, & configet eos qui confixerunt animam ejus.* Proverb. XXX. *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet & commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.* Ecclesiastici XIII. *Quæ pars diviti ad pauperem? Venatio leonis, onager in eremo: sic & pascua divitum sunt pauperes.* Isaiæ III. *Vos depasti estis vineam; & rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis, dicit Dominus Deus exercituum?* Michææ III. *Audite Principes Jacob & Duces domus Israel : numquid non vestrum est scire judicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum: qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum? Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriaverunt : & ossa eorum confregerunt, & conciderunt sicut in lebete, & quasi carnem in medio ollæ. Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos : & abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis.* Habacuc I. *Usquequo Domine, clamabo, & non exaudies? Vociferabor ad te vim patiens, & non salvabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem & laborem, videre prædam & injustitiam contra me?... Quare respicis super inique agentes, & taces devorante impio justiorem se? Et facies homines quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem. Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua, & congregavit in rete suum. Super hoc lætabitur & exultabit. Propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo : quia in ipsis incrassata est pars ejus, & cibus ejus electus.* Amos VIII. *Audite hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes: Quando transibit messis, & venundabimus merces : & sabbatum, & aperiemus frumentum: ut imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas ut possideamus in argento egenos & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendamus? Juravit Dominus in superbiam Jacob : Si oblitus fuero usque ad finem omnia opera eorum.*

Quod spectat iniqua vectigalia, quibus pauperes à Potentibus opprimuntur, de his præclarè *Salvianus :* Lib. V. De Gubernatione Dei : *Illud*, inquit, *gravius est, quod plurimi proscribuntur à paucis, quibus exactio publica peculiaris est præda, qui fiscalis debiti titulos faciunt esse quæstus privatos: & hoc non summi tantùm, sed pene infimi; non Judices solùm, sed Judicibus obsequentes. Quæ enim sunt non modo urbes, sed etiam municipia atque vici, ubi non quot Curiales fuerint, tot Tyranni sint? Quanquam fortè hoc nomine sibi gratulentur, quia potens & honoratus esse videatur. Nam & latrones fermè omnes gaudent & gloriantur, si atrociores admodum quam sunt esse dicantur.* Et infrà : *Exactionis publicæ nomen in quæstus proprii emolumenta verterunt; & indictiones tributarias prædas suas esse fecerunt : qui in similitudinem immanium bestiarum non rexerunt traditos sibi, sed devorarunt : nec spoliis tantùm hominum, ut plerique latrones solent, sed laceratione etiam, & ut ita dicam, sanguine pascebantur. Miseri, qui assiduum, imò continuum exactionis publicæ patiuntur excidium! Quibus imminet semper gravis & indefessa proscriptio: qui domos deserunt, ne in ipsis domibus torqueantur : exilia petunt, ne supplicia sustineant. Leviores his hostes, quam exactores sunt : & res ipsa hoc indicat, ad hostes fugiunt, ut vim exactionis evadant.*

Iniqua vectigalia quibus pauperes à potentibus opprimuntur.

REGULA II.

Lethalis Violentiæ rei sunt Consules, Collectores, & quicumque indictiones publicas, tributa, seu tallias (ut loquuntur) imponunt, facultatum proportione minimè servata, & pauperum aggravant onera, ut ditiores sublevent, aut ipsi præstationes suas minuant. Lethalis etiam Violentiæ rei sunt Nobiles, qui ex agris non nobilibus indictiones seu tallias non solvunt, iis in Provinciis, in quibus hujusmodi indictiones seu tallia reales sunt, & eas solvere tenentur : quò fit ut hujusmodi onera Consules, aut Communia oppidorum vel pagorum, in cæteros incolas refundere cogantur.

ADversùs tam crudele Violentiæ genus *Salvianus*, loco suprà laudato hunc in modum invehitur. *Illud indignius ac pœnalius, quòd omnium onus non omnes sustinent : imò quod pauperculos homines tributa divitum premunt, & infirmiores ferunt sarcinas fortiorum : nec alia causa est quòd sustinere non possunt, nisi quia major est miserorum sarcina quàm facultas. Res diversissimas dissimillimásque patiuntur, invidiam & egestatem. Invidia est enim in solutione, egestas in facultate. Si respicias quod dependunt, abundare arbitreris : si respicias quod habent, egere reperies. Quis æstimare rem hujus iniquitatis potest? Solutionem sustinent divitum, & indigentiam mendicorum. Plus multò est quod dicturus sum. Adjectiones tributarias ipsi interdum divites faciunt, pro quibus pauperes solvunt.... Veniunt plerumque novi Nuntii, novi Epistolarii à summis Sublimitatibus missi, qui commendantur Illustribus paucis ad exitia plurimorum : decernuntur his nova munera, decernuntur novæ indictiones : decernunt Potentes, quod solvant pauperes; decernit gratia Divitum, quod perdat turba miserorum. Ipsi enim in nullo sentiunt, quod decernunt.*

De violentia Consulum, Collectorum, [illegible], &c.

Confirmatur ex L. *Fundos*, C. *De Fundis Patrim.* qua sancitum est, *Ut relevato onere rei, quod imminet fatigatis, translatio in eos qui integris viribus florent, & adscriptio tributorum æqua lance dividatur.*

REGULA III.

Lethalis Violentiæ rei sunt, qui indictionem, sive talliarum, aut tributorum quorumcumque remissionem à Principe aut Republica concessam, secundùm æquitatis leges non distribuunt, spectatis locorum & hominum facultatibus, & oneribus.

De violentia in talliarum aut tributorum distributione.

HUjus immanitatem flagitii verbis gravissimis perstringit *Salvianus*, loco suprà laudato. *Sicut*, inquit, *sunt in aggravatione pauperes primi, ita in relevatione postremi. Si quando enim defectis urbibus minuendas in aliqua tributarias functiones Potestates summa existimaverint, illicò remedium cunctis datum soli inter se divites partiuntur. Quis tunc pauperum meminit? Quis ad communionem beneficii humiles & egestosos vocat? Quis eum qui primus est semper in sarcina, vel ultimo esse loco patitur in medela? Et quid plura? Tributarii omnino pauperes non putantur, nisi cùm his tributi cumulus imponitur. Extra numerum autem tributariorum sunt, cùm remedia dividuntur. Et putamus quòd pœna divinæ severitatis indigni sumus, cùm sic nos semper pauperes puniamus? Aut credimus, cùm iniqui nos jugiter simus, quod Deus justus in nos omnino esse non debeat?*

REGULA IV.

Lethalis violentiæ rei sunt Toparchæ, Magnates, Divites & Potentes quicumque homines, qui pauperibus patrocinium suum vendunt, & ab eis munera, obsequia, servitutes indebitas, & operas exigunt clientelæ prætextu; vexatione quæ graviores redimere cogunt minorum vexationem tolerantiâ.

De violentia Magnatum & divitum.

HI scilicet concussionis pauperum rei manifesto probantur, divinis humanisque legibus ut tales damnandi. Horum crimen sinceris coloribus pingit *Salvianus*, eodem Libro. *Tradunt se*, inquit, *pauperes ad tuendum protegendumque Majoribus, deditiitas se divitum faciunt, & quasi in jus eorum, ditionemque transcendunt. Nec tamen grave hoc aut indignum arbitrarer, immò potiùs gratularer hanc potentum magnitudinem, quibus sese pauperes dedunt, si patrocinia ista non venderent; si quòd se dicunt humiles defensare, humanitati tribuerent, non cupiditati. Illud grave ac peracerbum est, quod hac lege tueri pauperes videntur, ut spolient: hac lege defendunt miseros, ut miseriores faciant defendendo. Omnes enim hi, qui defendi videntur, defensoribus suis omnem ferè substantiam suam, priùs quàm defendantur, addicunt: ac sic, ut patres habeant defensionem, perdunt filii hereditatem. Tuitio parentum, mendicitate pignorum comparatur. Ecce quæ sunt auxilia ac patrocinia Majorum. Nihil susceptis tribuunt, sed sibi. Hoc enim pacto aliquid parentibus temporariè attribuitur, ut in futuro totum filiis auferatur. Vendunt itaque, & quidem gravissimo pretio, Majores quidam quæ cuncta præstant. Et quod dixi, vendunt; utinam venderent usitato more atque communi! Aliquid forsitan remaneret emptoribus. Novum quippe hoc genus venditionis & emptionis est. Venditor nihil tradit, & totum accipit. Emptor nihil accipit, & totum penitus amittit. Cùmque omnis ferme contractus hoc in se habeat, ut invidia penes emptorem, inopia penes venditorem esse videatur: quia emptor ad hoc emit ut substantiam suam augeat, venditor ad hoc vendit ut minuat: inauditum hoc commercii genus est; venditoribus crescit facultas, emptoribus nihil remanet nisi sola mendicitas. Nam illud quale? quam non ferendum atque monstrigerum, & quod non dicam pati humanæ mentes, sed quod audire vix possunt! Quòd plerique pauperculorum atque miserorum spoliati resculis suis, & exterminati agellis suis, cùm rem amiserint, amissarum tamen rerum tributa patiuntur: cùm possessio ab his recesserit, capitatio non recedit. Proprietatibus carent, & vectigalibus obruuntur. Quis æstimare hoc malum possit? Rebus eorum incubant pervasores, & tributa miseri pervasoribus solvunt. Post mortem patris nati obsequio jure suo agellos non habent, & agrorum munere enecantur. Ac per hoc nihil aliud sceleribus tantis agitur, nisi ut qui privata pervasione nudati sunt, publica afflictione moriantur: & quibus rem deprædatio tulit, vitam tollat exactio.*

REGULA V.

Lethalis violentiæ rei sunt Toparchæ seu Domini, qui Tenentes suas seu Vassallos cogunt ut ad suum molendinum frumenta sua molenda deferant, quamvis molendinum bannale non sit. Item qui ad molendinum bannale venire cogunt homines ab ea servitute liberos; aut molitores suos haud æquâ mensurâ uti patiuntur.

De violentia Toparcharū, seu Dominorum.

JUstitiam namque simul & caritatem violant, dum servitutem & onus imponunt liberis hominibus præter Jus & Consuetudinem Municipalem: faventque molitorum rapacitati. Contra hujusmodi injuriam ac violentiam graviter expostulat *Fulbertus* Carnotensis Episcopus apud *Richardum* Normanniæ Ducem, Epistolâ xiv. *Nuper ad nos venit inspirata legatio, quòd Baidricus Minister noster hominibus novam angariam induxerit, bannendo scilicet ut irent ad molendinum S. Audoeni quinque leucis, ut fertur, ab eorum hospitiis remotum. Si hæc, optime Princeps, vestro jussu, quod minimè credimus, facta sunt, plurimùm vestri causâ dolemus, & ut corrigantur, suppliciter postulamus.* Paris violentiæ rei sunt, qui compellunt homines absque legitimo titulo, aut præscriptâ consuetudine, ut ad furnum suum coquendum panem, aut ad torcular premendas uvas, aut poma vel olivas deferant: Jus enim molendini, furni, aut torcularis bannalis seu bannerii nemini competit, nisi Municipali jure aut præscriptâ & immemoriali consuetudine, aut concessione Principis, aut liberâ pactione ab incolis inita cum Domino. Ceterùm *longi temporis consuetudinem vicem servitutis obtinere*, si possessor *nec vi, nec clam, nec precariò* possideat, constat ex L. 1. *Si quis*, C. Tit. *De Servitutibus & Aqua*.

Quod molitores spectat, tenentur bannalium Molendinorum domini invigilare & curare ut æquâ mensurâ utantur, eorúmque rapacitatem cohibere. Conniventia eorum vel negligentia ipsos, (ut dixi) lethalis peccati reos, & restitutioni obnoxios facit, in molitorum ipsorum supplementum, si huic justitiæ officio illi defuerint.

REGULA VI.

Lethalis violentiæ rei sunt Nobiles, qui minis & terroribus prohibent ne ipsorum Vasalli Decimas Capitulis, Monasteriis, aut Parochis debitas conducant, ut ipsis vili pretio elocentur. Et multò magis qui Decimarum solutionem impediunt, vel recusant.

De violentia Nobilium.

GRavem enim injuriam ac detrimentum inferunt Ecclesiæ libertati ac bonis; & Edicta *Caroli IX.* 1571. & *Henrici III.* 158.. Regum Christianissimorum violant, quibus prohibetur Viris quibuscumque Nobilibus, sub pœna excidendi à Privilegiis Nobilitatis, ne directè vel indirectè, per se vel per interpositas personas, Decimas, aliáve Jura, aut reditus Ecclesiasticos conducant. Hinc Sacri Canones Excommunicationem in eos decreverunt, qui Decimarum collectionem, perceptionem, elocationem ab Ecclesiasticis Viris liberè fieri impedirent. Ita Concilium Turonense anno MCCLXXXII. *Omnes illos cujuscumque statûs, & conditionis existant, qui personas Ecclesiasticas, aut Ecclesiarum Ministros, quò minùs possint Decimas ad ipsos seu eorum Ecclesias pertinentes colligere, percipere, ad firmam tradere, cui aut quibus expedire viderint, & impedire præsumpserint quoquo modo, post inhibitiones & monitiones eis in generali competenter factas, præcipimus Excommunicationis vinculo generaliter innodari.* Concilium Bituricense anno MDLXXXIV. *Inquirant Episcopi, Archidiaconi, aut alii eorum nomine Visitantes in eos, qui Decimas, quas debent, aut in rem suam vertunt, aut quoquo modo non solvunt, aut solvere volentes impediunt; hi autem cujuscumque sint gradûs, aut conditionis, auctoritate Episcopi excommunicentur. Contumaces Judici sæculari denuntientur.* Concilium Burdigalense anno MDLXXXII. *Ne per inscitiam aut oblivionem aliquis pœnas à sacris Canonibus adversùs eos decretas qui Decimas Ecclesiis & Religiosis locis, vel ex parte tantùm vel omnino non solvunt, incurrat, Parochis omnibus & verbi divini Prædicatoribus mandamus, ut primo quoque die Dominico Adventûs & Quadragesimæ in suis Pronis & Concionibus denuntient, eos omnes qui Decimas subtrahunt, vel impediunt, excommunicatos esse, nec ab hoc crimine, nisi plenè restitutione subsecuta, absolvi posse.* Concilium Tridentinum, Sessione XXV. de Reformatione, Cap. XII. *Non sunt ferendi, qui variis artibus Decimas Ecclesiis obvenientes subtrahere moliuntur; aut qui ab aliis solvendas temerè occupant, & in rem suam vertunt, cùm Decimarum solutio debita sit Deo: & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Præcipit igitur sancta Synodus omnibus, cujuscumque gradûs & conditionis sint, ad quos Decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de jure tenentur, Cathedrali, aut quibuscumque aliis Ecclesiis, vel personis, quibus legitimè debentur, integrè persolvant. Qui verò eas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur: nec ab hoc crimine, nisi plenâ restitutione secutâ, absolvantur.* Idem Decretum repetit Concilium Rothomagense anno MDLXXXI.

REGULA VII.

Lethalis violentiæ rei sunt Nobiles, qui colonos cogunt ut censualia prædialiáque Jura sibi solvant, eáque colligi & in sua horrea transferri jubent, ante collectionem & solutionem Decimarum.*

* Vulgò Les Champarts.

De violentia Nobilium.

ID enim vergit in Ecclesiæ injuriam & Decimatorum detrimentum, Juréque Canonico prohibitum est, Cap. *Cùm non sit in homine*, Extra, *De Decimis*, quod est *Innocentii III.* & Concilii Lateranensis. *Cùm*, inquit, *non sit in homine quod semen serenti respondeat, quoniam juxta verbum Apostoli*, Neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus: *Ipsum qui de mortificato semine plurimum fructum affert, nimis avarè quidam in Decimis defraudare nituntur: censûs & tributa, quæ interdum indecimata prætereunt, de frugibus primitùs deducentes. Cùm autem in signum universalis dominii quasi quodam titulo speciali sibi Dominus Decimas reservaverit; nos & Ecclesiarum dispendiis, & animarum periculis obviare volentes, statuimus, ut in prærogativam dominii generalis, exactionem tributorum & censuum præcedat solutio Decimarum: vel saltem hi, ad quos census, vel tributa indecimata pervenerint (quoniam res cum onere suo transit,) ea per Censuram Ecclesiasticam decimare cogantur Ecclesiis, quibus de Jure debentur.* Pluribus tandem Senatusconsultis decretum est, ut priùs Decimæ quam prædialia censualiáque Jura solverentur.

1. Cor. 3. 7.

REGULA VIII.

Lethalis violentiæ rei sunt Nobiles, quorum Toparchiis annexa est summa Jurisdictio, seu jus gladii, si maleficos ac sceleratos pœnis Legum sanctionis constitutis plecti non curent, sive ut sumptibus parcant, sive ut commodum aliquod ex patrocinio flagitiosis illis hominibus impenso consequantur. Idemque de Judicibus censendum est, qui criminosos coercere ac punire negligunt, aut pœnas legibus constitutas relaxant; (quod ad solos Principes, nec citra causam legitimam, pertinet) aut pœnas corporales in mulctas pecuniarias convertunt.

VIm scilicet inferunt Legibus, Reipublicæ, privatis, quibus jus denegant, & in quos ex improborum impunitate gravissima in dies incommoda derivantur. Divinum enim Mandatum violant, Exodi XX. scriptum: *Maleficos non patieris vivere.* Et Levitici XIX. *Auferes malum de medio tui: non parcet oculus tuus ut miserearis.* Et Proverb. XVII. *Qui justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.* Præterea, *Non frustra instituta sunt potestas Regis, jus gladii Cognitoris, ungulæ carnificis, arma militis, disciplina dominantis, severitas etiam boni patris. Habent ista omnia modos suos, caussas, rationes, utilitates. Hæc cùm timentur, & coërcentur mali, & quietiùs inter malos vivunt boni: non quia boni pronuntiandi sunt, qui talia metuendo non peccant; non enim bonus est quispiam timore pœnæ, sed amore justitiæ: verumtamen non inutiliter etiam metu legum humana coërcetur audacia, ut & tuta sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis dum formidato supplicio frenatur facultas, invocato Deo sanetur voluntas;* (inquit S. *Augustinus*, Epistolâ CLIII. aliàs LIV.) Hæc autem inania reddunt, quantùm in ipsis est, Toparchæ jus gladii habentes, cùm maleficos pœnis Legum sanctione constitutis

constitutis plecti non curant; & Judices qui sceleratos comprimere ac punire negligunt; aut pœnas legibus constitutas relaxant; aut pœnas corporales in mulctas pecuniarias convertunt. Denique *Sicut non est beneficentia adjuvando efficere, ut bonum quod majus est amittatur; ita non est innocentia parcendo sinere, ut in malum gravius incidatur. Pertinet ergo ad innocentis officium, non solum nemini malum inferre, verùm etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum, ut aut ipse qui plectitur, corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo.* (inquit *S. Augustinus*, Libro XIX. *De Civitate Dei*, Cap. XVI.)

Furti & cujuslibet damni proximo illati conscios esse, & restitutionis lege teneri, qui non obstant, non reprehendunt, non puniunt. *Quando incumbit illis ex officio, sicut Principibus terræ, qui propter hoc potestate publica potiuntur, ut sint justitiæ custodes*, docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ. Quæstione LXII. Articulo VII. ad tertium. Edicti etiam Blesensis Articulo CXCVI. Toparchis Jurisdictiones summas, seu jus gladii habentibus præceptum est, ut in maleficos inquiri, ipsósque in carcerem detrudi, & secundùm leges plecti curent; sub pœna Jurisdictionis amittendæ.

REGULA IX.

Lethalis violentiæ conscii sunt Judices, qui pauperes, pupillos, viduas, quibus succurrere possunt, & tenentur ex officio, à Magnatibus opprimi patiuntur.

Violentia Judicum.

Istud violentiæ genus Dominus detestatur, Isaiæ I. *Pupillo non judicant, & causa Viduæ non ingreditur ad illos. Propter hoc, ait Dominus Deus Exercituum: heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Et Jeremiæ V. *Causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, & judicium pauperum non judicaverunt. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus; aut super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea?* Hinc Ecclesiastici IV. præcipit Deus: *Libera eum, qui injuriam patitur, de manu superbi: & non acide feras in anima tua. In judicando esto pupillis misericors ut pater, & pro viro matri illorum: & eris tu velut filius Altissimi obediens, & miserebitur tui magis quàm mater.* Scilicet, *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum:* (inquit *S. Jacobus*, Epistolæ suæ Catholicæ Cap. I.) Pupillorum preces, & viduarum gemitus ad Dominum clamant; non solùm contra Magnates & Potentes qui ipsos opprimunt, sed etiam contra Judices, qui ipsis non succurrunt legum præsidio, cùm possint, & ex officio teneantur. Ecclesiastici XXXV. *Non accipiet Dominus personam in pauperem, & deprecationem læsi exaudiet. Non despiciet preces pupilli; nec viduam si effundat loquelam gemitûs. Nonne lacrymæ Viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio ejus super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad cœlum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis?*

REGULA X.

Lethalis Violentiæ rei sunt Judices, qui Recusationem, aut Appellationem, quam debent, non admittunt. Ejusdem criminis rei sunt iniquè Appellantes.

Violentia iniquè appellantium.

Hæc Regula colligitur & firmatur ex Cap. *Super eo*, & ex Cap. *Consuluit*, 18. Extra, *De Appellationibus*; Item ex Cap. *Proposuit*, 24. Ibidem, Cap. *Postremò*, 36. sub eodem Titulo. Item Cap. *Secundo requiris*, 5. *Consultationi*; & aliis Decretalibus, quibus, sub eodem Titulo, casus declarantur in quibus Judicem recusare, vel ab eo appellare liceat. Item ex *L. Apertissimi*, C. Tit. *De Judiciis*; Item ex *L. Appellatione*, *L. Litigatoribus*, *L. Judicibus*, aliisque C. Tit. *De Appellationibus & Consultationibus*. Verùm & lethalis sæpe violentiæ rei sunt iniquè appellantes, conscii verò supremi Judices, qui malè appellantes non plectunt, ut Appellationum abusum resecent. Hinc *S. Bernardus*, Libro *De Consideratione*, Cap. II. sic *Eugenium* Pontificem alloquitur: *Formulam hanc justitiæ præfigit tibi & divina incommutabilis ratio æquitatis, & ni fallor, ipsa Appellationum lex, ut illicitè usurpata Appellatio nec prosit appellanti, nec appellato obsit. Ut quid enim frustra fatigatus sit homo? Quàm plenum justitiæ, ut sese potiùs læserit, qui voluit proximum? Appellasse iniquè, iniquum est: Iniquè & impunè, iniquarum appellationum fomes. Iniqua autem omnis appellatio, ad quam justitiæ inopia non coegit. Appellare, non ut graves, sed si graveris, licet. Appellandum à Sententia. Ante Sententiam improbè omnino, nisi ob manifestum gravamen, præsumitur appellatio. Qui igitur non gravatus appellat, liquet quia aut gravare intendit, aut tempus redimere. Non est autem suffugium appellatio, sed refugium. Quantos novimus appellasse pulsatos, quò interim liceret, quod nunquam licet. Nonnullis etiam, quoad vixerunt, licuisse appellationis suffragio nefaria scimus, verbi gratiâ incestum, adulterium. Quale est hoc, turpitudini patrocinari, quod vel maximè formidari à turpibus oportebat? Quousque murmur universæ terræ aut dissimulas, aut non advertis? Quousque dormitas? Quousque non evigilat consideratio tua ad tantam appellationum confusionem atque abusionem? Præter jus & fas, præter morem & ordinem fiunt. Non locus, non modus, non tempus, non causa discernitur aut persona. Præsumuntur leviter passim, plerumque & nequiter. Volentes malignari, nonne his potissimùm terreri solebant? Nunc terrores ipsi ex his magis fiunt, atque id bonis. Antidotum versum in venenum, non mutatio dexteræ Excelsi hæc. Appellantur boni à malis, ut non faciant bona, & supersedent à voce tonitrui tui formidantes: denique appellantur Episcopi ne illicita audeant Matrimonia solvere vel prohibere. Appellantur, ne rapinas, ne furta, ne sacrilegia, & quæ ejusmodi sunt, punire ullatenus vel cohibere præsumant. Appellantur, ne indignas & infames personas à sacris Officiis Beneficiisve repellere seu amovere queant. Quod tu invenis remedium morbo huic, ne quod repertum ad remedium fuit, reperiatur ad mortem? Zelatus est Dominus Domum orationis factam speluncam latronum: tu ejus Minister dissimulas miserorum refugium datum armis iniquitati. Videas præripi passim partes oppressorum, & prorumpere ad appellandum non tam gravatos, quàm gravare volentes.*

Hinc *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXIX. Articulo III. *Duplici de causa* (inquit) *contingit aliquem appellare. Uno quidem mo-*

de confidentiâ justæ causæ, quia videlicet injustè à Judice gravatur: & sic licitum est appellare: hoc enim est prudenter evadere. Alio modo aliquis appellat tantâ afferenda mora, ne contra eum justa sententia proferatur: & hoc est calumniosè se defendere. Facit enim injuriam & Judici, cujus officium impedit: & adversario suo, cujus justitiam, quantum potest, perturbat. Et ideo sicut dicitur Causa II. Quæstione VI. Canone, *Omnino*, ex Legibus *Theodosii* accepto, *Omnimodè puniendus est, cujus Appellatio injusta pronuntiatur.*

REGULA XI.

Lethalis Violentiæ & rapinæ rei sunt Publicani, qui aliquid exigunt & extorquent, præter id quod ipsis à Rege vel à Republica constitutum est.

De violentia Publicanorum.

VIolant enim divinum mandatum ipsis à S. Joanne Baptista significatum, cùm ex illis quidam ad Baptismum accederent, *Nihil amplius quam quod constitutum est vobis, faciatis.* Hinc

Luc. 3. 13.

pœnæ in ipsos, si quid ultra exegerint, vel extorserint Jure Civili decretæ L. *Locatio*, Digest. Libro XXXIX. Tit. IV. *De Publicanis & Vectigalibus*, Paulus Jurisconsultus ait: *Quod illicitè publicè privatìmque exactum est, cum altero tanto passis injuriam exsolvitur: per vim verò extortum, cum pœna tripli restituitur. Ampliùs extra ordinem plectuntur: alterum enim utilitas privatorum, alterum vigor disciplinæ postulat.* Et L. *Si Provincialium*, Tit. *De Vectigalibus & Commissis*, C. Libro IV. *Si Provincialium nostrorum querela de conductorum aviditate extiterit, & probatum fuerit ultra antiquam consuetudinem, & nostra serenitatis Jussionis aliquid eos profligasse, rei tanti criminis perpetuo exilio puniantur.*

REGULA XII.

Lethalis Violentiæ rei sunt, qui pauperibus suas domos, vel agros adhibita vi adimunt, aut vendere cogunt, etiam justo pretio.

De violentia variorum potentium.

PRimam hujus Regulæ partem, quamvis per se manifestam, probat illud *Michææ* Prophetæ Oraculum, Cap. II. *Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus vestris: in luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorum. Et concupierunt agros, & violenter tulerunt, & rapuerunt domos: & calumniabantur virum, & domum ejus: virum, & hereditatem ejus. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito super familiam istam malum: unde non auferetis colla vestra, & non ambulabitis superbi, quoniam tempus pessimum est.* Et Proverb. XXIII. *Ne attingas parvulorum terminos, & agrum pupillorum ne introeas: propinquus enim illorum fortis est: & ipse judicabit contra te causam illorum.*

Secundam verò partem nostræ Regulæ confirmat Historia Regis *Achab*, qui *Nabuthis* vineam concupiscens, hortis suis amplificandis opportunam, & Regiæ conjunctam, ipsum cogere voluit ut eam venderet justo pretio, ac negantem crudelis Jezabel uxor ejus oppressit III. *Regum*, Cap. XXI. *Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum, quia vicina est, & prope domum meam, dabóque tibi pro ea vineam meliorem: aut, si commodius tibi putas, argenti pretium, quantò digna est. Cui respondit Naboth: Propitius sit mihi Dominus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi. Venit ergo Achab in domum suam indignans & fremens super verbo quod locutus fuerat ad eum Naboth.... Dixit ergo ad eum Jezabel uxor ejus: Grandis auctoritatis es, & bene regis Regnum Israël. Surge & comede panem, & æquo animo esto, ego dabo tibi vineam Naboth.* Mox crudelis *Jezabel* Nabuthem falsis testimoniis oppressum lapidari jussit, necisque illius accepto nuntio, dixit Regi: *Surge & posside vineam Naboth, qui noluit tibi acquiescere, & dare eam tibi acceptâ pecuniâ.* Statim surrexit *Achab*, vineæ possessionem ut iniret, cui, Deo jubente, occurrit *Elias* Propheta, dicens: *Hæc dicit Dominus: Occidisti, insuper & possedisti.* Quam Historiam expendens *Sanctus Ambrosius*, Libro *De Nabuthe*, Cap. IX. ait: *Utinam non appropires rapinam: utinam quod concupieris, non extorqueas: utinam alienum non petas, negatum prætermittas, excusatum patienter feras, non audias illam Jezabel, quæ est avaritia, quodam profluvio vanitatis dicentem: Ego tibi dabo possessionem quam desideras. Tu tristis es, quia vis mensuram considerare justitiæ, ut alienum non eripias: Ego habeo mea jura, habeo meas leges; calumniabor ut spoliem: & ut possessio pauperis eripiatur, vita pulsabitur. Quid enim aliud in illa Historia, nisi divitum avaritia describitur, quæ est venum profluvium, quo omnia fluvio molo rapiat, & nullis usus profutura transducat? Hæc est Jezabel non una, sed multiplex, non unius temporis, sed temporum plurimorum: hæc omnibus dicit, sicut illa dixit viro suo Achab: Surge, manduca panem, & redi ad te: ego tibi dabo vineam Nabuthe Jezraëlitæ.*

Idem confirmat *S. Joannes Chrysostomus*, Homiliâ LXXXVII. in Matthæum. *Noli*, inquit, *dicere, Quid est si rem proximi desiderabo? Hoc enim Achab Regem perdidit. Nam quamvis pretium dederit, verumtamen quia à nolente accepit, pœnas luit. Emtor enim non cogere, sed persuadere debet. Quòd si verò æquum pretium persolvens tanto supplicio affectus est; qui nullo pretio dato aliena rapit, præsertim cùm gratia documentis sit roboratus, quam punitionem non meretur?*

Denique Concilium Arelatense VI. Canone XXIII. vetat *Ne Comites, vel Vicarii, seu Judices vel Centenarii sub mala occasione vel ingenio res pauperum emant, nec per vim tollant, aut quolibet argumento subripiant: sed si cui aliquid possessionum emendum & vendendum sit, id in publico coram Comite, & Judicibus, & Nobilibus Civitatis facere debebit.*

REGULA XIII.

Lethalis Violentiæ rei sunt, qui proximo de usu luminis in domibus suis lites injustas intentant, eosque demoliri cogunt.

HÆc Regula colligitur ex *Sancto Augustino*, Sermone L. aliàs De Diversis XV. *Plerumque*, inquit, *homines de usu Solis & luminis in ædificiis suis lites injustissimas concitant; & ut fenestris suis radii liberiores aliquantò largiùs infundantur, domos alienas dejicere sæpe moliuntur; & eos qui contradixerint, etiamsi jure certissimo contradicant, inimicitiis acerbissimis insectantur. Si quem igitur infirmorum potentior aliquis injustè ac nefariè propter usum Solis oppresserit, diripuerit, in exilium etiam mortémve compulerit, Solis est crimen; quo ille abundantiùs uti desiderat, an potiùs malè utentis iniquitas, qui dum*

De violentia

cupit corporis oculis temporale lumen largiùs requirere, cubiculum cordis luci non aperit æquitatis?

REGULA XIV.

Lethalis Violentiæ rei sunt, qui alicujus Ecclesiæ, seu Beneficii Sæcularis vel Regularis, aut cujuslibet pii loci Jurisdictiones, bona, census, ac jura etiam feudalia & emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quæscumque obventiones, quæ in Ministrorum & pauperum necessitates converti debent, per se vel alios vi vel timore incusso, seu quacunque arte, aut quocumque quæsito colore in proprios usus convertere, & usurpare præsumserint, seu impedire ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur. Ejusdem criminis rei sunt, qui Defunctorum Oblationes & pia legata intervertunt, retinent, vel Ecclesiis aut aliis piis locis tradere differunt.

De violentia erga Ecclesias & pia loca.

ADversùs hos omnes Excommunicationis pœnam Sacri Canones decernunt, donec restitutis rebus, Ecclesiam vel ejus Administratorem aut Beneficiatum, indemnem reddiderint. Ita Concilium Aurelianense v. Canone XIII. hujusmodi homines *Necatores pauperum* appellans; Vasense I. Canone IV. Turonense II. Canone XXV. Moguntinum sub *Leone IV.* Canonibus VI. & XI. Arvernense Canone IV. Meldense, Canone XI. Nicænum II. Oecumenicum Canone XIII. Troslejanum Canone IV. cujus hæc sunt verba: *Res & facultates Ecclesiæ sunt vota Fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum: si quis illas rapuerit, damnationis Ananiæ & Saphiræ particeps erit: & oportet hujusmodi tradere Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini...... Ergo & nos congregati cum Spiritu-Sancto, sicut Jeremias peccatorem populum quadruplici planxit Alphabeto, sic & nos sacrilegos Dei & Ecclesiæ contemtores percutiamus quadruplici Anathematis maledicto. Sit eis clausa porta cœli, aperta janua inferni, cum nullo Christiano partem habeant omnino vel societatem: sed & de reliquiis ciborum illorum nihil detur pauperibus, quin potius projiciatur canibus donec per dignam & humilem Pœnitentiam & congruam emendationem, lætificent Ecclesiam, quam per sacrilegia & nefanda scelera exacerbaverunt.* Concilium Lateranense III. Oecumenicum Canone II. & Concilium Tridentinum, cujus penè verbis Regula concepta est, pœnam Excommunicationis in violentos illos rerum Ecclesiasticarum invasores & detentores pariter decernunt. Ejusmodi violentiæ casus est Romano Pontifici reservatus, secundùm Tridentinam Synodum. Si Ecclesiæ Patronus hoc in crimen incurrat, etiam Jure Patronatus prætereà privatus ipso facto existet. Clericus verò nefandæ fraudis & usorpationis autor vel conscius eisdem etiam pœnis subjacebit, omnibúsque Beneficiis insuper excidet, atque ad alia Beneficia perpetuò fiet inhabilis, & ab Ordinum suorum executione, etiam post integram Satisfactionem & Absolutionem, sui Ordinarii arbitrio suspendetur.

REGULA XV.

Lethalis Violentiæ rei sunt divites, qui suis opibus & auctoritate freti, pauperes ad tribunalia Judicum trahunt, corruptisque pecuniâ vel favore judiciis, opprimunt & spoliant: aut lites pauperibus intentatas malis artibus ita protrahunt, ut ab iis persequendis omnino desistere cogantur: aut minis & incusso terrore impediunt ne à pauperibus sua repetentibus in Jus ipsi vocentur.

De violentia divitum malis artibus pauperes opprimentium.

HÆc violentiæ genera verbo Dei damnantur, Ecclesiastis v. *Si videris calumnias egenorum, & violenta judicia & subverti justitiam in Provincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alii, & insuper universæ terræ Rex imperat servienti.* Job XXXI. *Si contemsi subire Judicium cum servo meo, & ancilla mea, cùm disceptarent adversùm me. Quid enim faciam, cùm surrexerit ad judicandum Deus? Et cùm quæsierit, quid respondebo illi? Numquid non in utero fecit me qui & illum operatus est: & formavit me in vulva unus?* Quem locum expendens *S. Gregorius*, Libro XXI. *Moralium*, Cap. X. ait: *Quis dignè considerare valeat hujus viri tam sublimia virtutum moderamina? In quo tanta est auctoritas regiminis, ut ad silentium restringantur Duces; tanta humilitas cordis, ut ex æquo ad judicium venire permittantur ancillæ. Ex quo apparet miro modo in potestate Principibus potentior, in certamine servis æqualis: in cœtu Principum memor regiminis, in certamine famulorum memor conditionis. Sese quippe sub vero Domino famulum conspicit, idcircò cordis altitudine se super famulos non extollit. Qui venturum Judicem cogitat, indesinenter quotidie rationum suarum in melius causas parat: quia dum æternum Dominum tremore cordis intuetur, jura temporalis dominii super subjectos moderari compellitur. Perpendit enim nil esse quòd temporaliter præest cæteris, quando illi ad reddendam rationem subest, qui sine fine dominatur... Unde Beatus Job, quia ejus judicium, qui super omnia est, metuit, hic ad temporale Judicium famulis æqualis venit. Qui ut semper cor in humilitate deprimat, nequaquam in eisdem famulis conspicit, quòd sibi status est dispar, sed quòd natura communis.* Numquid non in utero fecit me, qui & illum operatus est, & formavit in vulva unus? *Ac si apertè dicat: Cur non æque debeamus in cujuslibet negotii judicio discerni, qui per Conditoris potentiam sumus æqualiter facti?* Id confirmat *S. Jacobus*, Epistolæ Catholicæ, Cap. II. *Vos autem exhonorastis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad judicia?*

REGULA XVI.

Lethalis Violentiæ rei sunt Magnates, Nobiles & Potentes quilibet Viri, ac Magistratus, qui subditos suos, vel alios collocare cogunt in Matrimonium filias suas, neptes, aut pupillas, liberis, amicis, aut servis suis; aut quovis modo directè vel indirectè aliquem vel aliquam cogunt quo minùs Matrimonium liberè contrahat.

De violentia Magnatum, Nobilium, & potentium virorum circa Matrimonia.

VIolentia enim hujusmodi Juri naturali adversatur, quod Matrimonii libertatem vindicat; quam qui violaverint, Excommunicatione secundùm sacros Canones percellentur, etiamsi Regiam Autoritatem ad obtinendam puellam adhibuerint, ut constat ex Canone *Nullus*,

Causa XXXVI. Quæst. II. qui Concilii Parisiensis III. Canon sextus est, & ex Concilii Aurelianensis IV. Canone XXII. Contra hoc violentiæ genus Decretum edidit Sacra Synodus Tridentina, Sessione XXIV. *De Reformatione Matrimonii*, Cap. IX. his verbis : *Ita plerumque temporalium Dominorum & Magistratuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excæcant, ut viros & mulieres sub eorum Jurisdictione degentes, maximè divites, vel spem magnæ hereditatis habentes, minis & pœnis adigant cum iis Matrimonium invitos contrahere, quos ipsi Domini vel Magistratus illis præscripserint. Quare cùm maximè nefarium sit Matrimonii libertatem violare, & ab eis injurias nasci, à quibus jura expectantur, præcipit Sancta Synodus omnibus, cujuscumque gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub Anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directè vel indirectè subditos suos, vel quoscumque alios cogant; quo minùs liberè Matrimonia contrahant.* Idem sanxerunt Concilium Rothomagense anno MDLXXXI. Tit. *De Matrimonio* Cap. XIII. Remense MDLXXXIII, eodem Titulo, Cap. VI. Turonense eodem anno Cap. IX. Aquense MDLXXXV, sub eodem Titulo *Carolus IX.* Rex Christianissimus Edicto Aurelianensi, & *Henricus III.* Edicto Blesensi contra hujusmodi violentiæ Autores ceu contra Raptores in Judicio agi, atque illos è Nobilium albo expungi sanxerunt, etiamsi ad Puellas rapiendas & sequestrandas Regias Litteras aut Mandata importunis precibus, vel per obreptionem impetraverint.

Ceterùm quod pœnam Excommunicationis spectat, Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres illam à Concilio latam non esse declaravit in privatas personas, quæ directè vel indirectè cogerent aliquem quò minùs Matrimonium liberè contrahat, sed tantùm in Dominos temporales & Magistratus cujoscumque gradus & conditionis, ut refert *Fagnanus* in IV. Decretalium, in Cap. *Insinuante*, Tit. *Qui Clerici vel Voventes*, &c.

REGULA XVII.

Lethalis Violentiæ rei sunt parentes, & alii quicumque, qui suos liberos, vel alios, ad Monasticum Habitum suscipiendum, & ad Religiosam Professionem emittendam, vel adhibita vi, vel incussa metu adigunt.

De violentia parentum liberos ad vitam Monasticam cogentium.

LIbertatem enim ipsis adimunt, in quam jus non habent, præsertim cùm agitur de vitæ statu diligendo, in quo ad mortem usque perseverare necesse est. Hinc *S. Gaudentius* Brixiensis Episcopus, Sermone VIII. parentes *Imperare perpetuam continentiam* non posse ait, *Quia res esse noscitur voluntatis:* Et hæc Apostoli verba, *Qui dat Virginem suam bene facit, & qui non dat melius facit*, non parentibus Virginum, *quos constat alienæ voluntatis arbitrio dominari non posse*, sed unicuique hominum dicta interpretatur, cui optio data sit, *Ut virginem suam, hoc est, carnem suam, virginem natam aut integritati conservet, meliorem partem liberamque eligens: aut agnitâ conditione, nuptui eam (si se non continet) tradat.* Hinc *Carolus Magnus*, in Capitulari secundo Anni DCCCXI. Cap. X. quærit : *In quo Canonum, vel in cujus Sancti Patris Regula constitutum sit, ut invitus quislibet aut Clericus aut Monachus fiat; aut ubi Christus præcepisset, aut quis Apostolus prædicasset, ut de nolentibus & invitis & vilibus personis congregatio fieret in Ecclesia vel Canonicorum*

1. Cor. 7. 38.

vel Monachorum; Quamobrem Concilium Tridentinum, Sessione XXV. *De Regularibus & Monialibus*, Cap. XVIII. *Anathemati subjicit omnes & singulas personas, cujuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam Clericos quàm Laicos, Sæculares vel Regulares, atque etiam qualibet Dignitate fulgentes, si quomodocumque coegerint aliquam Virginem, vel Viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, præterquam in casibus à Jure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum, cujuscumque Religionis, vel ad emittendam Professionem: quique consilium, auxilium, vel favorem dederint; quique scientes eam non sponte ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut Professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint.*

REGULA XVIII.

Lethalis Violentiæ rei sunt, qui ab Habitus Religiosi susceptione, vel solemni Votorum nuncupatione, absque justa causâ, aliquem impedierint.

Violentia impedientium aliquem ab ingressu Religionis.

HAnc Regulam Sacri Canones pariter confirmant, cùm in hujosmodi violentiæ reos Excommunicationem decernunt. Ita Concilium Toletanum III. Canone X. *Pro consultu castitatis, quod maximè hortamento Concilii proficere debet, annuente Domino nostro gloriosissimo Reccaredo Rege hoc Sanctum affirmat Concilium, ut Viduæ, quibus placuerit tenere castitatem, nulla vi ad Nuptias iterandas venire cogantur. Quod si priusquam profiteantur continentiam, nubere elegerint, illis nubant, quos propria voluntate elegerint habere maritos. Similis conditio & de Virginibus habeatur, ne citra voluntatem parentum vel suam cogantur maritos accipere. Si quis verò propositum castitatis Viduæ vel Virginis impedierit, à Sancta Communione, & à liminibus Ecclesiæ habeatur extraneus.* Puellam vel adolescentem, ætate Religiosæ Professionis legitima, quæ olim duodecim annorum fuit, ex hodiernâ verò Disciplinâ sexdecim, parentes vel tutores à Religiosa Professione impedire jure non posse, statutum est, Canone *Puella*, Causa XX. Quæst. I. qui Concilii Triburiensis Canon vigesimus quartus est. *Puella, si ante duodecim annos ætatis sponte sua sacrum sibi velamen assumserit, possunt statim parentes ejus vel tutores id factum irritum facere, si voluerint. At si annum & diem id dissimulando consenserint: ulteriùs nec ipsi, nec ipsa mutare hoc poterunt. Si verò in fortiori ætate adolescentula vel adolescens servire Deo elegerit, non est potestas parentum prohibendi.* Denique Concilium Tridentinum loco suprà laudato, *Anathemati subjicit eos, qui sanctarum Virginum, vel aliarum Mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo, sine justa causa, impedierint.*

Cæterùm quàm graviter à Deo puniendi sint homines violenti, Spiritus-Sanctus docet, Job XXVII. *Hoc est pars hominis impii apud Deum, & hereditas violentorum, quam ab Omnipotente suscipient. Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt, & nepotes ejus non saturabuntur pane. Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu, & viduæ illius non plorabunt. Si comportaverit quasi terram argentum, & sicut lutum præparaverit vestimenta: præparabit quidem, sed justus vestietur illis: & argentum innocens dividet. Ædificavit sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit umbraculum. Dives cùm dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inveniet. Apprehendet eum quasi*

Ultio divina in homines violentos.

æqua inopia, nocte opprimet eam tempestas. Tollet eum ventus urens, & auferet, & velut turbo rapiet eum de loco suo. Et mittet super eum, & non parcet: de manu ejus fugiens fugiet. Stringet super eum manus suas, & sibilabit super illum, intuens locum ejus. Et Sapientiæ VI. *Audite Reges, & intelligite; discite Judices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis Nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis Ministri illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio.*

ARTICULUS IX.

De Obduratione contra Misericordiam.

REGULA I.

Lethalis Obdurationis contra Misericordiam rei sunt, qui pauperibus pecuniam mutuò dare, nisi sub fœnoris sive usurarum conditione, renuunt: vel in extrema necessitate constitutis dare mutuum nolunt, quòd nulla spes recuperandæ sortis affulgeat.

ILli enim Dei mandatum prohibentis usurarum exactionem, præsertim à pauperibus, violare non verentur: Expressum illud est Exodi XXII. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.* Et Levitici XXV. *Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, & susceperis eum quasi advenam & peregrinum, & vixerit tecum, ne accipias usuras ab eo, nec ampliùs quàm dedisti.* Deuteronomii XV. *Si unus de fratribus tuis, qui non morantur intra portas civitatis tuæ, in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit: non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris. Cave ne fortè subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo: Appropinquat septimus Annus Remissionis: & avertas oculos tuos à paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare: ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum. Sed dabis ei: nec ages quippiam callidè in ejus necessitatibus sublevandis: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, & in cunctis ad quæ manum miseris.* Quòd si Judæis præceptum erat popularibus suis indigentibus dare mutuum gratis, etiam desperata sorte ob Annum Sabbathicum imminentem; multò magis Christianis, quos Novi Testamenti gratia ad majorem, quàm Judæos, obligat perfectionem, præceptum est ut proximo ad extremam inopiam redacto, mutuum dando gratis, desperatâ etiam sortis recuperatione, succurrant.

Mutuum gratis dandum.

Quod quidem ex Ecclesiastici Cap. XXIX. confirmatur: *Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo: & qui prævalet manu, mandata servat. Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius.... Multi non causâ nequitiæ non fœnerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt. Veruntamen super humilem animo fortior esto, & pro eleemosyna non trahas illum. Propter Mandatum assume pauperem: & propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum. Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum: & non abscondas illam sub lapide in perditionem. Pone thesaurum in præceptis: & proderit tibi magis quàm aurum.*

De obduratione adversùs misericordiam.

Denique Christus Lucæ VI. Evangelica Præcepta tradens: *Et si* (inquit) *mutuum dederitis his, à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia... Benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes: & erit merces vestra multa, & eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos.* Quem locum explicans S. Ambrosius, Lib. *De Tobia*, ait: *Date mutuum iis à quibus non speratis vos, quod datum fuerit, recepturos. Nullum hîc damnum est, sed compendium. Minimùm datis, multùm recipietis: in terra datis, & id vobis solvetur in cœlo: fœnus amittitis, mercedem magnam habebitis: fœneratores esse desinitis, filii eritis Altissimi: eritis misericordes, qui vos Patris æterni probetis heredes. Sed fœneratorum vos delectat & usurarum vocabulum. Id quoque non invideo. Docebo quomodo boni fœneratores esse possitis, quomodo bonas quæratis usuras. Dicit Salomon:* Fœneratur Domino, qui miseretur pauperi: secundùm datum autem ejus retribuet ei. *Ecce bonum fœnus de malo factum est: ecce irreprehensibilis fœnerator, usura laudabilis. Nolite ergo jam invidentem me vestris commodis æstimare. Putatis quòd hominem subtraham vobis debitorem; Deum provideo, Christum subrogo, illum demonstro qui vos fraudare non possit. Fœnerate ergo Domino pecuniam vestram in manu pauperis. Ille adstringitur & tenetur: ille scribit quicquid egenus acceperit: Evangelium ejus cautio est: ille promittit pro omnibus indigentibus, ille dicit fidem, quid dubitatis dare? Si quis vobis dives hujus sæculi offeratur, qui fide promittat suâ pro aliquo debitore, statim numeratis pecuniam: pauper est vobis Dominus cœli & Conditor mundi hujus; & adhuc deliberatis quem ditiorem quæratis fidejussorem.* Verùm de usuris uberiùs agemus Capite sequenti.

Proverb. 19.

Deo fœneratur.

Deus fidejussor, cum mutuum vel eleemosyna datur pauperi.

REGULA II.

Lethalis Obdurationis contra Misericordiam rei sunt qui rem pauperum usibus necessariam ab illis in pignus accipiunt, ac diu retinent.

PEccant enim contra divinum mandatum, Deuteronomii XXIV. *Non accipies loco pignoris inferiorem, & superiorem molam; quia animam suam opposuit tibi... Cùm repetes à proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas: sed stabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante Solis occasum: ut dormiens in vestimento suo benedicat tibi, & habeat justitiam coram Domino Deo tuo.... Nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum.* Et Exodi XXII. *Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei. Ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud in quo dormiat: si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.* L. EXECUTORES, C. Lib. VIII. Tit. *Quæ res pignori obligari possunt*, Constantinus Imperator prohibet sub gravi pœna, ne boves aratorii, aut aratorium instrumentum pignoris causâ à creditoribus abstrahantur. L. *Pignorum*, ibidem, *Honorius & Theodosius*

De obdurAtione adversus misericordiam.

Impp. ita decernunt: *Pignorum causâ aliquid, quod ad culturam agri pertinet, auferri non convenit.*

Regula III.

Lethalis Obdurationis contra Misericordiam rei sunt, qui frumenta necessitatis tempore comprimunt, faciuntque ut suâ culpâ carior ac durior sit annona.

Peccant enim gravissimè contra caritatem & justitiam. Hinc Proverbiorum Cap. xi. Spiritus Sanctus ait: *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium.* Populi autem adversùs hujusmodi homines imprecatio, divinam in eorum capita maledictionem trahit, secundùm illud Ecclesiastici iv. *Ab inope ne avertas oculos tuos propter iram; & non relinquas quarentibus tibi retrò maledicere: maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum qui fecit illum.* Temporali simul & æterna maledictione immanes illos annonæ flagellatores, ex calamitate publicâ lucra captantes, à Deo confligi, testis est *S. Joannes Chrysostomus*, Homiliâ xxxix. in Epistolam 1. ad Corinthios. *Sicut* (inquit) *isti à curculione exesum frumentum, & inutile redditum, projiciunt in amnes: ita eos à quibus id est factitatum, propter hoc ipsum inutiles factos Deus in stagnum ignis projiciet. Sicut enim frumentum arrodit curculio & vermis; ita impiorum animas exedit crudelitas & immanitas.* Hujus criminis gravitatem ostendit *S. Ambrosius*, Lib. iii. *De Officiis*, Cap. vi. *Non vincat* (inquit) *honestatem utilitas, sed honestas utilitatem. Hanc dico utilitatem, quæ æstimatur secundùm vulgi opinionem. Mortificetur avaritia, moriatur concupiscentia. Sanctus in negotiationem introisse se negat; quia pretiorum captare incrementa, non simplicitatis, sed versutiæ est. Et alius ait:* Captans pretia frumenti, maledictus in plebe est. *Definita est sententia, nihil disputationi relinquens.* Mox inanes eorum qui frumenta comprimunt excusationes refellit. *Aravi*, inquiunt, *studiosius, uberius seminavi, diligentiùs excolui, bonos collegi proventus, sollicitus recondidi, servavi fideliter, providè custodivi. Nunc in tempore famis subvenio esurientibus; vendo frumentum non alienum, sed meum, non pluris quàm ceteri, immo etiam minori pretio. Quid hîc fraudis est, cum multi possent periclitari, si non haberent quod emerent? Num industria in crimen vocatur? Num diligentia reprehenditur? Num providentia vituperatur? Fortasse dicat, Et Joseph frumenta in abundantia collegit, in caritate vendidit. Num cariùs aliquis emere compellitur? Num vis adhibetur emtori? Omnibus defertur emendi copia, nulli irrogatur injuria.* Quas avarorum hominum ratiunculas nullius esse momenti ad eorum duritiem excusandam sic ostendit. *Cur ad fraudem convertis naturæ indulgentiam? Cur invides usibus hominum publicos partus? Cur populis minuis abundantiam? Cur affectas inopiam? Cur optari facis à pauperibus sterilitatem? Cùm enim non sentiant beneficia fœcunditatis, te auctionante pretium, recondente frumentum, optant potiùs nihil nasci, quàm te de fame publicâ negotiari. Ambis frumentorum indigentiam, alimentorum penuriam, uberes soli partus ingemiscis, fles publicam fertilitatem, horrea frugum plena deploras, exploras quando sterilior proventus sit, quando exilior partus. Votis tuis gaudes arrisisse maledictum, ut nihil usquam nasceretur. Tunc messem tuam venisse lætaris, tunc tibi de omnium miseria congeris opes: & hanc tu industriam vocas, hanc diligentiam nominas, quæ calliditatis versutia, quæ astutia fraudis est? Et hoc tu remedium vocas, quod est commentum nequitiæ? Latrocinium hoc an fœnus appellem? Captantur tanquam latrocinii tempora, quibus in viscera hominum durus insidiator obrepas. Augetur pretium tanquam forte cumulatum fœnoris, quo periculum capitis acervatur. Tibi condita frugis multiplicatur usura, tu frumentum quasi fœnerator occultas, quasi venditor auctionaris. Quid imprecaris male omnibus, quia major futura sit fames, quasi nihil frugum supersit, quasi infœcundior annus sequatur? Lucrum tuum damnum publicum est. Joseph sanctus omnibus aperuit horrea, non clausit, nec pretia captavit annonæ, sed perenne subsidium collocavit: nihil sibi acquisivit; sed quemadmodum fames etiam in posterum vinceretur, provida ordinatione disposuit.*

Eorum qui comprimunt annonam immanitas.

Psalm. 70. Proverb. 11.

De obduratione adversus misericordiam.

Leges adversus eos qui annonam comprimunt.

Denique Legibus etiam Civilibus pœnæ decretæ sunt adversùs immanem avaritiam hominum vexantium & comprimentium annonam, quos *Dardanarios* vocant. His scilicet negotiatione interdicitur, interdum & relegandos esse pronuntiatur, humiliores verò ad opus publicum damnandos, L. *Annonam*, Tit. *De extraordinariis criminibus*, Lib. xlvii. *Digestorum*. Cùm verò in omnibus gravissimum sit id crimen, tum maximè in Clericis execrandum est. Quamobrem consultissimè statutum est à Concilii Cabilonensis ii. Patribus, Canone viii. *Ut si quando Sacerdotes fruges vel quosdam reditus terræ congregant, & protelant; non ideo hoc faciant ut cariùs vendant, & thesauros congregent, sed ut pauperibus tempore necessitatis subveniant.*

Sed & *Carolus Magnus* in Capitulari Noviomagensi Anni 806. Cap. xviii. ea de re ita statuit: *Quicumque tempore Messis vel Vindemiæ, non necessitate, sed propter cupiditatem, comparat annonam aut vinum, verbi gratia, de duobus denariis comparat modium unum, & servat usque dum iterum venumdari possit contra denarios quatuor aut sex, seu amplius, hoc turpe lucrum dicimus. Si autem propter necessitatem comparat, ut sibi habeat, & aliis tribuat, negotium dicimus.*

Regula IV.

Lethalis Obdurationis contra Misericordiam rei sunt, qui peregrinos tempore famis Urbe expellunt, si satis annona suppetat, vel comparari possit, ut iis simul & indigenis subveniatur.

Hanc Regulam tradit *S. Ambrosius*, Lib. iii. *De Officiis*, Cap. vii. *Sed & illi* (inquit) *qui peregrinos Urbe prohibent, nequaquam probandi: expellere eo tempore quo deberent juvare, separare commerciis communis parentis, fusos omnibus partus negare, inita jam consortia vivendi averruncare; cum quibus fuerint communia jura, cum his nolle in tempore necessitatis subsidia partiri. Feræ non expellunt feras, & homo excludit hominem? Feræ ac bestiæ communem putant omnibus victum, quem terra ministrat. Illæ etiam conformem sui generis adjuvant; homo impugnat, qui nihil à se alienum debet credere quidquid humani est. Quantò ille rectiùs, qui cùm jam provectâ processisset ætate, & famem toleraret civitas, atque (ut in talibus solet) peterent vulgò ut peregrini Urbe pellerentur, Præfecturæ urbanæ curam ceteris majorem sustinens, convocavit honoratos & locupletiores viros, poposcit ut in medium consulerent, dicens: Quàm immane esset peregrinos ejici, quàm homi-*

De obduratione adversùs misericordiam.

nem exuere, cui cibum morienti negaret? Canes ante mensam impastos esse non patimur, & homines extrudimus? Quàm inutile quoque tot populos mundo perire, quos dira conficeret tabes? Quantos Urbi suæ perire, qui solerent adjumento esse vel in conferendis subsidiis, vel in celebrandis commerciis? Neminem sine aliena juvari: protrahere ac plurimùm diem posse, non inopiam repellere: immò tot cultoribus extinctis, occasura in perpetuum subsidia frumentaria. Hos igitur excludimus, qui victum nobis inferre consueverunt? Hos nolumus in tempore necessitatis pascere, qui nos omni ætate paverunt. Quanta sunt quæ ab ipsis nobis hoc tempore ministrantur? Non in solo pane vivit homo. Nostra illic familia, plerique etiam nostri parentes sunt. Reddamus quod accepimus. Sed veremur ne cumulemus inopiam. Primùm omnium misericordia nunquam destituitur, sed adjuvatur. Deinde subsidia annonæ, quæ hic impartienda sunt, collatione redimamus, reparemus auro. Numquid his deficientibus, non alii nobis redimendi cultores videntur? Quanto vilius est pascere, quàm emere cultores? . . . . Quid plura? Collato auro, coacta frumenta sunt. Ita nec abundantiam Urbis minuit, & peregrinis alimoniam subministravit. Quanta hoc commendationis apud Deum fuit sanctissimi ac Senis? Quanta apud homines gloria? Hic magnus verè probatur, qui verè potuit Imperatori dicere, demonstrans Provinciæ totius populos: Hos tibi omnes reservavi, hi vivunt beneficio tui Senatus, hos tua Curia jam morti abstulit. Quantò hoc utilius, quàm illud quod proximè Romæ factum est, ejectos esse Urbe amplissima, qui jam plurimam illic ætatem transegerant, flentes cum filiis abiisse, quibus velut civibus amoliendum exilium deplorarent, interruptas complurium necessitudines, diremtas affinitates? Et certè arriserat anni fœcunditas, invectitio Urbs sola egebat frumento: potuissent juvari, si peterent ab Italis frumentum, quorum filii expellebantur. Nihil hoc turpius, excludere quasi alienum, & exigere quasi suum. Quid illum ejicis, qui de suo pascitur? Quid illum ejicis, qui te pascit? Servum retines, trudis parentem? Frumentum suscipis, nec affectum impertis? Victum extorques, nec rependis gratiam? Quàm deforme hoc, quam inutile? Quomodo enim potest utile esse, quod non decet? Quantis corporatorum subsidiis dudum Roma fraudata est? Potuit & illos non amittere, & evadere famem, expectatis ventorum opportunis flatibus, ac speratarum commeatu navium. Quàm verò illud superius honestum atque utile? Quid enim tam decorum atque honestum, quàm collatione locupletum juvare egentes, ministrare victum esurientibus, nulli cibum deesse?

REGULA V.

Lethalis Obdurationis adversùs Misericordiam reus est, qui pauperibus in extrema necessitate constitutis non erogat eleemosynam, tum ex superfluis naturæ, id est, ex iis sine quibus se suamque familiam sustentare potest; tum ex necessario personæ seu status, id est, sine quo retinere ac servare non potest decorum ac decentiam suæ conditionis sive dignitatis.

Hæc & sequentibus regulis eleemosynæ præceptum explicatur.

EXtremam necessitatem dicimus, ad quam qui redactus est, in manifestum mortis periculum adducitur, vel probabiliter & ex prudentum judicio creditur moriturus, nisi quis illi subveniat. Id ubi cognoverit Christianus sive per se, sive ex testium fide dignorum relatione tenetur ipsi subvenire. Peccat alioqui contra præceptum caritatis, ab Apostolo *Joanne* Epistolâ 1. Cap. III. promulgatum: *Qui habuerit substantiam*

Quæ necessitas extrema censeatur?

hujus Mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? Ordo certè caritatis postulat, ut proximi vitam magis quam status nostri decorum diligamus. Si enim decentiam Sacris Mysteriis debitam imminuendam censuerunt SS. Patres, & aurea argenteaque vasa in quibus conficiuntur Christi Corpus & Sanguis, frangenda, conflanda & distribuenda pauperibus in extrema necessitate constitutis, vel captivis redimendis impendenda: quâ de re egregius extat apud *S. Ambrosium* locus Libro II. *De Officiis*, Cap. XXVIII. minimè dubium est quin Christiani quilibet status sui decentiam imminuere teneantur, & ad tempus abdicare, ut pauperibus in extrema necessitate constitutis subveniant. Hinc *S. Gregorius*, Homiliâ XX in Evangelia, explicans illa S. Joannis Baptistæ verba, *Qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet escas, similiter faciat*: ait: *Per hoc quod tunica plus est necessaria usui nostro quàm pallium, ad fructum dignum Pœnitentiæ pertinet, ut non solum exteriora quæque & minus necessaria, sed ipsa valde nobis necessaria dividere cum proximis debeamus, scilicet vel escam qua carnaliter vivimus, vel tunicam qua vestimur. Quia enim in Lege scriptum est*, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, *minùs proximum amare convincitur, qui non cum eo in necessitate illius etiam ea quæ sibi sunt necessaria partitur.* Homicidii certè reus est, qui pauperi ad eas angustias redacto non succurrit, secundùm illud *Lactantii*, Libro VI. *Divinarum Institutionum*, Cap. XI. *Largire cæcis, debilibus, claudis, destitutis, quibus nisi largiare, moriendum est: inutiles sunt hominibus, sed utiles Deo, qui eos vitâ, qui spiritu donat, qui luce dignatur. Fove quantum in te est, & animas hominum, ne extinguantur, humanitate sustenta. Qui succurrere perituro potest, si non succurrerit, occidit.* Hinc illud sub *S. Ambrosii* nomine laudari solitum: *Quisquis pascendo hominem servare poteras, si non pavisti, occidisti.* Hinc verus *Ambrosius*, Libro *De Bono Mortis*, Cap. VIII. *Si quem viderimus pauperem moriturum, sumtu juvemus; & dicat unusquisque nostrûm*, Benedictio morituri in me veniat. *Si quem viderimus debilem, non deseramus: si quem in extremis positum, non relinquamus: occurrat & nobis dicere*, Benedictio morituri in me veniat. *Laudet & te unusquisque moriturus, unusquisque depositus in ævo, unusquisque confectus vulnere gravi, unusquisque morbo absumtus, & jam morti proximus. Hic versiculus quantos benedici fecit? Quoties mihi pudorem incussit, si moriturum præterii, si non visitavi graviter ægrum, si fastidivi inopem, si captivum non redemi, si senem sprevi? Sit ergo in corde id semper, ut stimulet duriores, ut admoneat promptiores. Resonent te postrema verba morituri, & benedictionem tibi egrediens corpore anima secum vehat. Eripe etiam eum qui ad Mortem ducitur, qui periturus erat, nisi tu subvenisses, ut dicas: Benedictio perituri in me veniat.*

De obduratione adversùs misericordiam.

Luc. 3.

Homicidii reus est, qui pauperi in extrema necessitate constituto, etiam ex necessario sui status non succurrit.

Refertur a P. Thomassino Discipl. Eccl. Par. ...

Job. 29.

Id ipsum docet *S. Joannes Chrysostomus*, Homiliâ XI. in Epistolam ad Romanos. *Hic ipse* (inquit) *quantam gehennam meretur, cum fratrem tuum, qui bonorum arcanorum tecum particeps factus, atque eousque à Domino honoratus est tuo, in infinitas calamitates præcipitem agit, ut lapides, ac domus tuæ pavimentum, ut animantium ratione carentium, ornatûmque hujusmodi minimè sentientium corpora exornes. Tene tam sollicitam alendi canis curam gerere, hominem autem, seu (ut verius dicam) Christum ipsum, propter canem, & ob (quæ modò diximus omnia) ad summam famem adigi? Quid hac confusione pestilentius? Quid hac*

De obduratione adversus misericordiam.

Dives Epulo.

A

iniquitate lethalius? Quot tandem ignei fluvii ad hujusmodi animam depascendam satis esse possunt? Hem! Qui ad Dei similitudinem conditus est, pannosus indecorúsque jacet per tuam inhumanitatem, muli autem uxorem tuam portantes, tum pelles, & ligna quibus tectum illud texitur, multo auro splendescunt: Christi autem membrum, & is propter quem è cælo ad nos Deus descendit, Sanguinemque pretiosum effudit, avaritiâ tuâ nequidem necessarium cibum habet. Et lectuli quidem argento undique cincti, undique ornati sunt: sanctorum verò corpora vel necessario operculo carent, ac tibi minoris sit ipse Christus quàm famulorum grex, quàm muli, quàm lectus, quàm sedile, quàm scabellum. Omitto enim vasa his etiam viliora. . . . . Brutis inhumanior es effectus, qui cùm erga ea quæ sensu omnino carent, studium impendas, Dei templa fame ac nuditate perire sinas.

B

Idem sensit *S. Gregorius Magnus*, qui dum » quemdam pauperem in angustiis nodtonarum » recessibus à vespillonibus inveniri mortuum » contigisset, æstimans eum stipis inopiâ periisse, » ita per aliquot dies a Missarum celebratione » vacando tristatus est, *Tanquam si eum propriis manibus, quod dictu nefas est, peremisset*; ut refert » *Joannes Diaconus* in ejus Vita Libro II. Cap. XXIX. Quod opere docuit, scriptis tradidit Sanctissimus Pontifex. Ait enim *Pastoralis Curæ* III. P. Admonitione XXI. *Admonendi sunt, qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur, ut sciant sollicitè quod ea, de qua sumpti sunt, cunctis hominibus terra communis est, & idcirco alimenta quoque omnibus communiter profert. Incassum ergo se innocentes putant, qui commune Dei munus sibi privatim vindicant: qui cùm accepta non tribuunt, in proximorum nece grassantur: quia tot pene quotidie perimunt, quot morientium pauperum apud se subsidia abscondunt.*

C

Hanc verò sententiam SS. Patres ex Scripturis Sacris hauserunt. Dicitur enim Proverbiorum XXIV. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. Si dixeris, Vires non suppetunt: qui inspector est cordis, ipse intelligit, & Servatorem animæ tuæ nihil fallit, redditque homini juxta opera sua.* Et Ecclesiastici XXXIV. *Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est.*

D

Hinc Divitis illius Epulonis damnationem in ejus duritiem, quam extrema Lazari mendici necessitas non commovit, SS. Patres post Evangelium refundunt. *S. Petrum Chrysologum* inter alios audiamus, Sermone CXXI. *Iste Dives*, inquit, *immò divitiarum captivus, servus opum, & ipsis*

E

Luc. 16.

Duritia erga pauperes ... divitum

censibus compeditus, tantùm pompa immobile sepulcrum, in quo pietatis totus ut quis & visus defecerat & auditus, non jam personam, non pauperem, sed ipsam Misericordiam despicit ad januam suam Lazaro sic jacente. Purpura, bysso, delicatis vestibus, epulis blandis ferrea viscera crudelis anima nutriebat, quem Deus humanæ salutis avidus inquisitor emollire cupiens, non tam Lazarum, quàm ipsum pietatis conflatorium ejus projecit ad januam: Conflatorium dixi, propter ferrea viscera. Impiis ergo oculis mendicans Lazarus ingeritur, admovetur, & ut Dives dare possit, magis magisque Divitis census cumulatur: sed Dives adamante durior, quicquid Deus pauperis propter alimoniam, Divitis conferebat ad censum, illa aut effundebat turpiter, aut crudeliter reponebat. Item Deus ut non taceret, ut clamaret, ut admoneret Divitem, ut panem se quærere tantum jejuniis pauper ostendat, ut vel ad minima largienda abundantis impellat animum, augetur » pauperi fames. Cupiebat, inquit, de micis saturati, quæ cadebant de mensa Divitis. *At Di- » ves variis crapulatus ferculis indigeriem suam ructabat ad cœlum, ut vocem pauperis humi & taliter jacentis audiret. Itemque Deus, quia obturuit auribus unius oris nil erat vox clamantis, ad aperiendum cor Divitis, totum corpus pauperis vulneribus operit, ut in admonendo Divite tot essent pauperis ora, quot vulnera; Solvuntur viscera, ulcera producuntur, hiatus vulnerum dilatatur, sanies effunditur, & tota pauperis caro componitur in scenam pietatis: ut quem vox esurientis non moverat, vel suspiria, vel dolores, vel gemitus, & tota ærumnarum congeries commoveret: sed Dives superbo oculo & insatiabili corde, hæc omnia & audire, & videre, & sentire contemnit. Quærit adhuc Deus quemadmodum Dives à sua obstinatione solvatur. Solvit pauperi manus à suis artubus, uti nec abigeret canes divitis, quos vulneribus suis Divitis erat pastorus in valuus: & novo modo, Fratres, humanitatis ordo mutatur? Fit humana mendicitas, ut cupiditas prodatur inhumana. Dives pauperem nec cadentibus de mensa micis pascit: & Lazarus pauper, quia aliud non habebat, etiam de carnibus suis canibus humanus extitit. Miser Dives, si panem non dedisti, quare vel canes abigere noluisti? Sed mitiores te canes tui, imò tu sævior canibus tuis: namque sævienti illi parcunt, qui non ad morsum dentes, sed linguas ad obsequium sic producunt, ut in modum spongiæ non vexent vulnera, sed detergant. Dives, in canibus tuis famem pietas vicit: in te impietatem saturitas non evicit.* Idcirco Dives *Sepultus est in inferno*, & clamabat ad Abraham, *Pater Abraham, miserere mei*. Stultè petit à Patre misericor- » diam, quam negaverat fratri. *Miserere mei.* Quid » illi cum misericordia, cui jam totum in pœ- » nam? Aut quæ illi supplicatio apud Patrem » poterit subvenire, cui in sinu Patris residet ac- » cusator? *Pectus Patris Lazarus tenet, & totam » sancti cordis pulsat æquitatem, quatenus se filii » patrem boni, mali judicem servet.* Mitte Lazarum » ut intingat extremum digiti sui in aqua, & re- » frigeret linguam meam. *Sitit itaque guttam, qui » vini lacus, cum pauper sitiret, effudit: & stillà digiti extremi credit gehennæ flammas extinguere, qui mensuris per totam diem ebrietatis non extinxit incendia. Sed hanc sibi guttam ad refrigerium dari petit: ad ardorem pauperis quam negarat. Ista gutta est, Dives, quæ te facit crudelem; ista gutta est, quæ os Lazari à te negata siccavit: quia ad refrigerium pauperis & gutta sufficit, & mica.* Cupiens, *inquit*, saturari de micis quæ cadebant de mensa. *Spargebatur panis, fundebatur vinum, & quod ad extremam vitam pauperis negabatur, hoc totum divitis peribat ad pompam.* Et mitte Lazarum ut » intingat extremum digiti sui in aqua, & re- » frigeret linguam meam. *Lingua nequitiæ, caput » mali, ipsa deregit egeno, insultat pauperi, pietatem latrat, misericordiam carpit: & meritò prima sit in gehenna, in cruciatu prævia, dux pœnarum, quia ipsa interdixit misericordiam, cui datum fuerat ut juberet.* Dives ille (inquit *Sanctus Augustinus* Sermone CLXXVIII. alias IX. *De Verbis Apostoli*) non est dictus raptor rerum alienarum. *Erat quidem Dives*, inquit, *qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidiè splendidè.* Dives, *inquit*, erat. *Non dixit, calumniator; non dixit, pauperum oppressor; non dixit, rerum alienarum raptor, aut delator, aut receptor; non dixit, pupillorum spoliator; non dixit, viduarum prosecutor; nihil horum. Sed,* Erat quidam Dives. *Quid magnum est? Dives erat, de suo dives erat. Cui aliquid tulerat? Aut fortè auferret, & Dominus de illo reticeret, & personam ejus acciperet, si crimina*

De obduratione adversus misericordiam.

Dives Epulo.

A B C D E F

ejus

Roman. 7. 14. » *ejus absconderet, qui nobis dicit*, Nolite persona- » liter judicare? *Si vis ergo audire crimen Divitis illius, noli ampliùs quærere quàm audis à Veritate.* Dives erat, induebatur purpurâ & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. *Quod ergo ejus crimen? Jacens ante januam ulcerosus, & non adjutus. Hoc enim apertè de illo dictum est, quòd immisericors erat. Numquid enim si Pauper ante januam jacens sufficientem panem à Divite acciperet, diceretur de illo quia cupiebat saturari de micis quæ cadebant de mensa Divitis? Propter hanc solam inhumanitatem, qua contemnebat pauperem ante januam suam jacentem, nec congruè dignéque pascebat, mortuus est & sepultus; & cùm apud inferos in tormentis esset, levavit oculos suos, & vidit pauperem in sinu Abrahæ. Et quid pluribus immoror? Desideravit guttam, qui non dedit micam: non recepit justâ sententiâ, qui non dedit crudeli avaritiâ.*

De obduratione adversus misericordiam.

Eleemosynæ præceptum explicatur ex S. Thoma

Sta totam superiùs Regulam confirmat *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione XXXII. Articulo V. *Dare*, inquit, *eleemosynam de superfluo, est de præcepto, & dare eleemosynam ei qui est in extrema necessitate.* Et Articulo VI. Necessarium dupliciter dici observat: uno modo, sine quo aliquid esse non potest; & de tali necessario omnino eleemosyna dari non debet. Putà, si aliquis in articulo necessitatis constitutus, haberet solùm unde ipse & ejus familia sustentari posset. *De hoc enim necessario eleemosynam dare, est sibi & suis vitam subtrahere.* Casum excipit S. Thomas, in quo *subtrahendo sibi, daret alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia vel Respublica sustentaretur: quia pro talis personæ liberatione seipsum & suos laudabiliter periculo mortis exponeret, cùm bonum commune sit proprio præferendum.* Alio modo aliquid necessarium esse dicitur, sine quo non potest convenienter vita transigi secundùm conditionem & statum propriæ personæ, & aliarum, quarum ei cura incumbit. De hujusmodi eleemosyna, inquit sanctus Thomas, eleemosynam dare, *non cadit sub præcepto, sed sub consilio*: illis nimirum pauperibus, qui communem tantùm necessitatem patiuntur. *Inordinatum enim esset, si aliquis tantùm sibi de bonis propriis subtraheret, ut aliis largiretur, quòd de residuo non posset vitam transigere convenienter secundùm proprium statum, & negotia occurrentia. Nullus enim inconvenienter vivere debet.* Atque hanc esse Doctoris Angelici mentem, probant exceptiones quas affert. *Sed ab hoc*, inquit, *tria sunt excipienda. Primum est, quando aliquis statum mutat, putà, per Religionis ingressum. Tunc enim omnia sua propter Christum largiens, opus perfectionis facit, se in alio statu ponendo. Secundò, quando ea quæ sibi subtrahit, etsi sint necessaria ad convenientiam vitæ, tamen de facili resarciri possunt, ut non sequatur maximum inconveniens. Tertiò, quando occurreret extrema necessitas alicujus privatæ personæ, vel etiam aliqua magna necessitas Reipublicæ. In his etiam casibus laudabiliter prætermitteret aliquis id quod ad decentiam sui status pertinere videretur, ut majori necessitati subveniret.* Laudabile dixit *S. Thomas*, non quòd meri consilii esse censeret eleemosynam de necessariis ad decentiam statûs dare pauperi necessitatem extremam patienti: sed quòd ratio laudabilis ad illud moveat, scilicet divini præcepti executio, & fraternæ miseriæ alleviatio: tantùm abest ut ea quæ ad statûs decorum necessaria sunt, imminuere vel resecare, in tali casu sit inordinatum vel indecens. Ipse sui sit interpres *S. Thomas*, in IV. Sententiarum Distinctione XV. Quæstione II. Articulo I. Quæstiunculâ IV. *Cùm*, inquit, *usus divitiarum sit ordinatus ad subveniendum necessitatibus præsentis vitæ*, Qui

divitiis in eum finem non utitur, *vel inordinatè utitur, à virtute recedit. Ordo autem subventionis talis debet attendi quantùm ad duo: Primò ex parte eorum, quibus subvenitur, ut primò sibi, postea sibi conjunctis subveniat, deinde extraneis. Secundò, ex parte necessitatis talis debet esse ordo, ut priùs absolutæ necessitati subveniatur, quàm necessitati conditionatæ: quæ est cum quis indiget aliquo ad sui status decentem conservationem. Et ideo præceptum legis ad hoc obligat, ut illud quod superest alicui post subventionem perfectam, & sibi conjunctis (putà, familiæ quam gubernare debet) respectu utriusque necessitatis, in eleemosynas expendat ad subveniendam aliis respectu utriusque dictarum necessitatum.... Et similiter præceptum legis obligat quòd etiam necessitati extraneorum absolutæ primò subveniatur, quàm necessitati propriæ vel propinquorum conditionatæ. Et ideo dicitur communiter, quòd dare eleemosynam de superfluo, cadit in præcepto: & sic dare eleemosynam ei qui est in extrema necessitate, dare autem de eo quod est necessarium necessitate secundâ; non autem de eo quod est necessarium necessitate primâ; quia hoc esset contra ordinem caritatis.* Legis igitur divinæ præcepto tenetur dives eleemosynam dare pauperi ad extremæ necessitatis angustias vel periculum redacto, ex eo quod necessarium sibi vel suis est necessitate dumtaxat conditionatâ, scilicet ad decentem sui statûs conservationem: & nisi det, lethalis obdurationis adversùs misericordiam reus est. *Præterea, quando alius est in statu extremæ necessitatis, efficiuntur ei omnia communia: unde etsi per violentiam vel furtum acciperet, non peccaret* (inquit *S. Thomas* in Responsione ad secundum.) Rem igitur alienam retinet, qui pauperi ad extremæ necessitatis angustias redacto, ex eis quæ ad sui statûs decorum necessaria videntur, non subvenit. Et in Responsione ad quartum ait, Præceptum de eleemosyna eroganda obligare ex parte accipientis, *Quando apparent signa probabilia extremæ necessitatis futuræ, nisi ei subveniatur; ut cùm aliquis videt alios impotentes vel pigros ad subveniendum, & pauperem indigentem cibo & potu, & aliis vitæ necessariis, nec sibi satisfacere posse. Non enim expectanda est ultima necessitas, quia tunc fortè non posset juvari natura jam fame vel siti consumpta.* *Dicit enim Chrysostomus* Homiliâ LXXVI. in Joannem: *Non oportet pauperem alulantem deceptorem vocare. Quid dicis, ô homo, propter unum panem deceptionem quis complicat? Utique dicis: quocirca maximè misericordiam consequatur, aut maxima necessitati eripiatur.*

De obduratione adversus misericordiam.

REGULA VI.

Lethalis obdurationis adversùs misericordiam reus est, qui pauperibus in gravi necessitate constitutis eleemosynas non erogat ex iis quæ suæ suorumque sustentationi superflua sunt, tametsi ad statûs sed conditionis suæ decentiam sint necessaria.

GRavis necessitas dicitur, ex qua mors si non evidenter imminere judicatur, probabili certè conjecturâ metuitur. Item cùm quis versatur in evidenti periculo patiendi grave aliquod detrimentum, ut gravem morbum, carcerem, infamiam, amentiam, cùm ingenuas mulieres in periculum prostitutionis egestas adducit, &c. Tunc (inquam) lethalis adversùs misericordiam obdurationis reus est, qui eleemosynam non erogat etiam ex iis quæ ad decorum sui statûs aut dignitatis conservandum sunt necessaria. Non solùm enim extremam, sed gravem necessitatem expressit Domini Discipulos, Epistolæ I Capite

Quæ necessitas gravis censetur.

Obligatio divitû ad subveniendum pauperibus in ea constitutis.

De obduratione adversus misericordiam.

scribens : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in illo?* Quæ verba explicans *S. Augustinus*, Tractatu v. in illam Epistolam, Num. XII. ait : *Ecce unde incipit caritas. Si nondum es idoneus mori pro fratre, jam idoneus esto dare de tuis facultatibus fratri. Jam percutiat viscera tua caritas, ut non de jactantia facias, sed de intimo adipe misericordiæ, ut consideres illum in egestate positum. Si enim superflua non potes dare fratri tuo, animam tuam potes ponere pro fratre? jacet pecunia in sinu tuo, quam tibi fures possunt auferre; & si illam non auferent fures, moriendo illam deseres, etiamsi te illa viventem non deserit : quid inde facturus es? Esurit frater tuus, in necessitate positus est : forsassis suspenditur, à creditore angustatur : non habet ipse, habes tu : Frater tuus est, simul empti estis, unum est pretium vestrum, ambo Sanguine Christi redempti estis : vide si misereris, si habes facultates Mundi. Quid ad me pertinet, fortè dicis? Ego daturus sum pecuniam meam, ne ille molestiam patiatur? Si hoc tibi responderit cor tuum, Dilectio Patris non in te manet. Si dilectio Patris non in te manet, non es natus ex Deo. Quomodo te gloriaris esse Christianum? Nomen habes, & facta non habes. Quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur?*

Eamdem Regulam confirmat *sanctus Ambrosius*, Libro primo *De Officiis*, Cap. XXX. *Grandis culpa* (inquit) *si sciente te fidelis egeat, si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, ærumnam perpeti, qui præsertim egere erubescat : si in causam ceciderit, aut captivitatis suorum, aut calumniæ, & non adjuves : si sit in carcere, & pœnis & suppliciis propter debitum aliquod justus excrucietur : si tempore afflictionis suæ nihil à te impetret : si tempore periculi quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia tua valeat, quàm vita morituri.*

Explicatur S. Thomas.

Non diffiteor *sanctum Thomam*, Secundâ Secundæ, Quæstione XXXII. Articulo v. duos tantùm statuere casus, quibus præceptum eleemosynæ obligat, scilicet ratione extremæ necessitatis, & ratione superflui ; aliàs autem rem esse meri consilii. *Sic ergo* (inquit) *dare eleemosynam de superfluo, est in præcepto, & dare eleemosynam ei qui est in extrema necessitate. Aliàs autem eleemosynam dare est in consilio ; sicut & de quolibet meliori bono dantur consilia.* Verùm necessitatis extremæ nomine *S. Thomam* gravem quoque necessitatem significasse, constat evidenter ex ipsius responsione ad tertium. *Est* (inquit) *aliquod tempus, in quo mortaliter peccat, si eleemosynam dare omittat. Ex parte quidem recipientis, cum apparet evidens & urgens necessitas ; nec apparet in promptu qui subveniat. Ex parte verò dantis, cùm habet superflua, quæ secundùm statum præsentem non sunt sibi necessaria.*

Regula VII.

Lethalis obdurationis adversùs misericordiam rei sunt, qui pauperibus communem necessitatem patientibus superflua non erogant, id est, ea quæ sua ac suorum sustentationi, atque statûs sui, ac dignitatis decentia conservanda non sunt necessaria.

De obduratione adversùs misericordiam.

ID probat primò divina hæc Sententia, Ezechielis XVI. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, & saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarum ejus : & manum egeno & pauperi non porrigebant.*

De obligatione divitum erga pauperes necessitatem communem patientes.

Id deinde probant S. Joannis Baptistæ verba, Lucæ III. *Qui habet duas tunicas, det non habenti ; & qui habet escas, similiter faciat.* Quæ verba *S. Hieronymus* explicans, Epistolâ CL. ad *Hedibiam*, unius tunicæ nomine significari asserit *Quicquid corpori nostro sufficere potest, & humanæ succurrere imbecillitati :* Escarum verò seu victûs unius diei nomine, *Quicquid in præsentibus alimentis necessarium est. Unde præceptum est, Non cogitetis de crastino, hoc est, de futuro tempore. Et Apostolus, Habentes*, inquit, *alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Si plus habes, quam tibi ad victum vestitúmque necessarium est, illud eroga, & in illo debitricem esse te noveris.*

Idem probant Christi verba, Lucæ XI. *Verumtamen quod superest, date eleemosynam.* Quæ verba *S. Gregorius* Lib. XII. Epistolâ XXX. ad *Augustinum* Episcopum, ad Interrogationem II. respondens, hoc brevi commentario illustrat : *Omne quod superest necessitatibus, in causis piis ac religiosis erogandum est, Domino ac Magistro omnibus dicente :* Quod *superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

Idem probant Christi Judicis Sententiam extremam in reprobos pronuntiantis verba terribilia : *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum : Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare. Sitivi, & non dedistis mihi potum*, &c. Quibus verbis non extremam, neque gravem & urgentem, sed quamcumque necessitatem exprimit, cui sublevandæ superflua pauperibus non erogarunt. Hinc *sanctus Augustinus* Libro primo *Contra Adversarium Legis & Prophetarum*, Cap. XVI. *Ecce* (inquit) *pro esca temporali, non oblata, sed non data, æternum & horrendum supplicium comminatur. Et rectè, si consulas veritatem. Perparvum est enim quòd in eleemosynis datur : sed cùm piè datur, æternum inde meritum comparatur. Et ideo potiùs quia parvum est quod datur, magna impietate non datur. Unde non mirum est quòd tanta sterilitati velut infructuosarum arborum, ignis æterni supplicium præparatur.* Matth. 25.

Et Sermone LX. aliàs *De Tempore* L. Cap. X. *Illis quos damnaturus est, immò plus illis quos coronaturus est, solas eleemosynas imputabit, tanquam dicens : Difficile est, ut si examinem vos, & appendam vos, & scruter diligentissimè facta vestra, non inveniam unde vos damnem : sed, Ite in Regnum, esurivi enim, & dedistis mihi manducare. Non ergo itis in Regnum, quia non peccastis : sed quia vestra peccata eleemosynis redemistis. Rursus & illis, Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Et illi tanquam noxii, olim rei, serò trementes, attendentes peccata sua, quando auderent dicere, immeritò se damnari, immeritò in se hanc depromi à Judice tam justo sententiam? Sine dubio videbunt se justè damnari pro sceleribus & criminibus suis : & quasi eis diceret, Non, non inde unde putatis ;*

Christus reprobis in judicio solas eleemosynas pauperibus negatas exprobrabit.

A *sed quia esurivi, & non dedistis mihi manducare. Si enim ab illis omnibus vestris factis aversi, & ad me conversi, illa omnia crimina atque peccata eleemosynis redemissetis, illa eleemosyna modò liberarent vos, & à reatu tantorum criminum absolverent. Beati enim misericordes, quoniam ipsis misericordia præstabitur. Modò autem, Ite in ignem æternum. Judicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam.*

Jacobi 2.

Caritatem non habet, qui necessitatibus pauperum, etiam communibus de superfluis suis non subvenit.

Idem probat S. Joannis locus suprà laudatus Epist. 1. Cap. III. *Qui habuerit substantiam hujus* B *mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Christianus quisque tenetur caritatem Dei in animo habere; siquidem, ut ait idem Apostolus: *Qui non diligit, manet in morte.* Caritatem autem Dei non habet, qui necessitati proximi non solùm gravi, sed communi succurrere negligit. Nullum enim excipit dilectus Christi Apostolos. Unde ibidem ait: *Filioli mei, non diligamus verbo neque linguâ, sed opere & veritate.* Quem locum expendens *S. Augustinus*, Tractatu VI. in hanc Epistolam, ait: *Hinc incipit ista caritas, ut de suis superfluis tribuat egenti.* C Et Tractatu L. in Evangelium S. Joannis: *Unge pedes Jesu: bene vivendo dominica sectare vestigia. Capillis terge: si habes superflua, da pauperibus, & Domini pedes tersisti. Habes quid agas de superfluis tuis: tibi superflua sunt, sed Domini pedibus necessaria.*

Hanc Regulam confirmat S. Paulus, cùm ipsis infimæ sortis hominibus & artificibus præcipit ut laborent, non solùm ad victum comparandum: sed ut aliquid seponere possint ex quo pauperibus subveniant: *Ad Ephesios*, Cap. IV. *Qui furabatur, jam non furetur, magis autem la-* D *boret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.* Et I. *Ad Timotheum* VI. ipsum docens quomodo erga divites gerere se debeat: *Divitibus* (inquit) *hujus sæculi præcipe..... divites fieri in operibus bonis, facilè tribuere, communicare, the saurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Non paucas eleemosynas erogare jubet, sed plurimas & uberrimas, ex quibus thesaurus in futuram vitam cumuletur: non interdum, sed frequenter; non ex consilio, sed ex præcepto ad illas erogandas teneri, docet, *Præcipe*, adeóque non tantùm pauperibus ad extremam necessita- E tem redactis, qui rarò admodum occurrunt, sed quamcumque necessitatem patientibus, sive publicè & ostiatim, sive clanculum & privatim mendicent, sive in Xenodochiis & Ptochiis Fidelium misericordiâ communiter sustententur: De quibus ait Christus Matth. XXVI. *Semper pauperes habetis vobiscum.*

Superflua divitum pauperibus debentur.

Confirmatur hæc Regula SS. Patrum suffragio, asserentium superflua divitum pauperibus deberi, atque adeo non solùm ex caritate, sed ex justitia, non quidem in foro sæculi, sed in foro Dei teneri ad superflua, cùm naturæ, tum personæ sive statûs, pauperibus eroganda. Ita *S. Ba-* F *silius*, Homiliâ in illud S. Lucæ, *Destruam horrea mea*, &c. Quis (inquit) peculator? Ille qui ad se unum transfert quæ sunt singulorum. *Tu ergo nonne peculator, qui ea quæ dispensanda distribuendáque acceperis, tibi uni propria facias? Nonne qui vestem diripuerit, spoliator appellabitur? Qui autem nudum non vestierit, modò potuerit, an alio quàm spoliatoris nomine donandus erit? Esurientis est panis, quem tu retines: nudi est vestis quam in arca servas, discalceati calceus qui apud te marcescit; indigentis argentum quod possides defossum. Quocirca tam multis injuriam facis, quàm multis opem conferre potuisti.*

Ita S. *Joannes Chrysostomus*, Concione II. *De Lazaro*, Tom. V. *Rapina est* (inquit) *de suis facultatibus non impartiri. Quapropter Deus accusans Judæos per Prophetam, ait:* Produ- « xit terra proventum suum, & non intulistis « decimas, sed rapina pauperis est in domibus « vestris. *Quoniam* (inquit) *oblationes solitas non dedistis, rapuistis ea quæ sunt pauperis. Ita divites affatur per Malachiam Prophetam, ut intelligant* B *divites, sese res pauperum possidere, etiamsi ex paterna hereditate eis obvenerint, etiamsi aliunde pecunias ex æquo & bono conflaverint. Et alibi:* Ne spolies (*inquit*) vitam pauperis. *Qui autem spolias, intervertis aliena. Nam spoliatio quædam admittitur à nobis, cùm aliena rapimus & detinemus. Unde discimus nos, si eleemosynæ præceptum infregerimus, eodem supplicio affectum iri, quo raptores & spoliatores affici solent. Nostræ facultates, undecumque obvenerint, illius sunt Domini, cujus obsequio mancipati sumus. Quòd si eas egentibus erogaverimus, maximas opes procul dubio inde capiemus. Ideo* C *enim uberiores divitias nobis indulsit Deus, non ut eas in scortationes, in temulentiam, in ingluviem superbásque vestes, fœdámque mollitiem effunderemus, sed egenis & calamitosis earum largitione succurreremus. Quemadmodum enim regalis ærarii Custos, si commissas sibi pecunias illis ipsis, quibus est jussus distribuere, impartiri neglexerit, sed in suas contulerit voluptates & delicias, plectitur & exauctoratur: ita vir dives sese gerere debet ad instar Quæstoris cujuspiam, qui ab ipso Deo pecunias pauperibus erogandas acceperit. Quapropter si majorem ejusmodi pecuniarum copiam, quam poscat sua ipsius ne-* D *cessitas, suos in usus converterit, se gravissimè plectendum esse noverit. Non enim ejus sunt quæ possidet, sed conservorum, quos egestas afflixerit. Parcamus igitur nostris opibus ut alienis, ut verè in nostram possessionem transeant. Quomodo autem illis parcemus? Si eas non contulerimus in sumtus supervacaneos, nec in nostros dumtaxat usus converterimus, sed in manus pauperum effuderimus. Nam quantumvis opulentus fueris, creditarum tibi pecuniarum redditurus es rationem, si ex eis impenderis plus quàm tua necessitas postularet. Hoc ipsum factitatur in Magnatum ædibus. Multi quippe suos reditus, suas apothecas committunt famulis; famuli illi commissa* E *studiosissimè tuentur & servant, nec iis abutuntur, at distribuunt prout herus edixerit. Hoc ipsum, quisquis es dives, facito. Non enim plura cæteris accepisti bona, ut solus ea consumeres, sed ut ea indigentibus proximis impartiendo, boni dispensatoris gloriam tibi comparares.*

Divites qui superflua sua pauperibus non erogant, ut raptores in judicio Dei punientur.

Isaiæ. 3. 14.

Ita *S. Ambrosius*, Libro de *Nabuthe*, Cap. XII. Ne dixeris, *inquit Deus*, Cras dabo. *Qui non patitur dicere*, Cras dabo, *quomodo patietur dicere, Non dabo? Non de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis. Quod enim commune est in omnium usum datum, tu solus usurpas. Omnium est terra, non divitum: sed pauciores qui non utuntur* F *suo, quàm qui utuntur. Debitum igitur reddis, non largiris indebitum.* Ideo ait Scriptura: *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & responde illi pacifica in mansuetudine.* Et Sermone VIII. in Psalmum CXVIII. *Misericordia quidem justitiæ portio est; ut si velis donare pauperibus, hæc misericordia justitia est, secundum illud,* Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in æternum. *Deinde quia conformis tuus injustum est ut non adjuvetur à socio: cùm præsertim Dominus Deus noster terram hanc possessionem omnium hominum voluerit esse communem, & fructus omni-*

Proverb. 3.

Ecclesiastici 4.

Psalm. 111. 9.

bus ministrare; sed avaritia possessionum jura distribuit. Justum est igitur, ut si aliquid tibi privatum vindicas, quod generi humano, immò omnibus animantibus in commune collatum est, saltem aliquid inde pauperibus aspergas; ut quibus juris tui consortium debes, his alimenta non deneges.

Idem Lib. II. in Lucam Num. LXXVII. *Singulis* (inquit) *generibus hominum convenient tribuit S. Joannes Baptista responsum, unum omnibus: ita Publicanis, ne ultra præscriptum exigant: Militibus, ne calumniam faciant, ne prædam requirant; docens idcirco stipendia constituta militiæ; ne dum sumptus quæritur, prædo grassetur. Sed hæc & alia officiorum præcepta propria singulorum; misericordia communis est usus, ideo commune præceptum, omnibus officiis, omnibus ætatibus necessaria, & ab omnibus deferenda. Non Publicanus, non miles excipitur, non agricola vel urbanus, dives & pauper, omnes in commune admonemur, ut conferant non habenti. Misericordia enim plenitudo virtutum est. Et ideo omnibus est proposita forma virtutis, ne vestimentis alimentisque suis parcant. Misericordiæ tamen ipsius pro possibilitate conditionis humanæ mensura servatur, ut non sibi unusquisque totum eripiat: sed quod habet, cum paupere partiatur.*

Misericordia plenitudo virtutum.

Ita *S. Augustinus*, Sermone L. aliàs de Diversis XV. *Cur non miseri intelligant, quod apud Aggæum loquens Dominus, propterea dicit:* Meum est aurum, & meum est argentum, *ut & ille qui non vult cum indigentibus communicare quod habet, cùm audit præcipi faciendam misericordiam, intelligat Deum non de re illius cui jubet, sed de re sua jubere donari: & ille qui aliquid porrigit pauperi, non se arbitretur de suo facere, ne forte non tam confirmetur misericordia nominis, quàm ustetur superbia vanitate?* Meum est, *inquit*, aurum, & meum est argentum, *non vestrum, ô divites terræ. Quid ergo dubitatis pauperi dare de meo, aut quid extollimini cùm datis de meo?*

Aggæi 2.

Dives non de suo, sed de rebus Dei donat pauperi, cùm eleemosynam erogat.

Idem Sermone CCVI. aliàs de Diversis LXX. *Hinc* (inquit) *intelligit animus Christianus, quantùm remotus esse debet à fraude alienæ rei, quando sentit simile esse fraudi, si superflua sua non tribuerit indigenti.* Sed, ô cœca hominum corda! Dant necessaria ut hic diutiùs vel miserè vivant, nolunt dare superflua, ut in æternum cum Christo regnent. *Quàm multos invenimus qui dicant, Tollat fiscus res meas, ut serviùs moriar. Et tamen, ô amator temporalis vitæ, si tollat fiscus, te spoliat in hoc sæculo; si tollat Christus, tibi servat in cælo. Propter hanc vitam volunt habere homines unde vivant, & propter hanc volunt dare unde vivant. Quod tibi servat unde vivas, hoc das ut vivat fortè fame defecturus. Et tamen dicis, Tollat, quid ad me? Mendicare volo. Das unde vivas, mendicare paratus ut vivas. Paratus es, datis etiam necessariis, mendicare in hoc Mundo: & non es paratus, erogatis superfluis regnare cum Christo.* Verba sunt *sancti Augustini* Sermone CCCII. alias *De Diversis*, CXI. Cap. VI.

Idem Sermone LXI. aliàs V. *De Verbis Domini*, Cap. VII. *Attendite*, inquit. *Dei sumus: ut agnoscat ille mendicos suos, agnoscamus & nos nostros. Sed & ibi etiam cogitemus, quando petitur à nobis, qui petunt, à quibus petunt, quid petunt. Qui petunt? Homines. A quibus petunt? Ab hominibus. Qui petunt? Mortales. A quibus petunt? A mortalibus. Qui petunt? Fragiles. A quibus petunt? A fragilibus. Qui petunt? Miseri. A quibus petunt? A miseris. Exceptâ substantiâ facultatum, tales sunt qui petunt, quales sunt à quibus petunt. Quam frontem habes petendo ad Dominum tuum, qui non agnoscis parem tuum? Non sum, inquit, talis, absit à me ne talis sim. Inflatus obsericatus ista loquitur de pannoso, sed ego nudos interrogo. Non interrogo in vestibus quales sitis, sed quales nati fueritis. Ambo nudi, ambo infirmi, miseram vitam inchoantes, ideo ambo plorantes. Recole dives primordia tua, vide utrum huc aliquid attuleris, jam venisti, & tanta invenisti. Dic quid attuleris, aut si dicere erubescis, Apostolum audi:* Nihil, *inquit*, intulimus in hunc mundum, sed nec auferre aliquid possumus. *Quid ergo sequitur?* Victum & tegumentum habentes, his contenti simus. *Nihil dives habet de divitiis suis, nisi quod ab illo postulat pauper, victum & tegumentum. Hinc tu quid plus habes ex omnibus quæ habes? Accepisti victum, accepisti necessarium tegumentum. Necessarium dico, non inane, non superfluum. Quid plus de divitiis tuis capis? Certè omnia tua superflua erunt. Quæ sunt tua superflua, sint pauperibus necessaria.* Et infrà: Non cogam, inquit, divites cibis pauperum vilibus & inconditis vesci. *Utantur divites consuetudine infirmitatis suæ: sed doleant aliter se non posse. Meliùs enim possent, si aliter possent. Si ergo non extollitur pauper de mendicitate, tu quare extolleris de infirmitate? Conceditur tibi, utere superfluis, da pauperibus necessaria: utere pretiosis, da pauperibus vilia. Exspectat à te; exspectas à Deo: exspectat ille manum quæ facta est secum, exspectas tu manum quæ fecit te. Sed non solùm te fecit, sed & pauperem tecum. Dedit vobis unam viam istam vitam: invenistis vos comites, unam viam ambulatis: ille nihil portat, tu nimium oneratus es: ille nihil secum portat, tu tecum plus portas, quàm opus est. Oneratus es: da illi de eo quod habes; & illum pascis, & onus minuis.*

Mendici Dei sumus.

Ut à Deo impetremus ejus dona, necesse est ut demus pauperibus.

1. Tim. 6. 7.

Idem Sermone LXXXV. aliàs *De Tempore*, CCV. *Decimas dabant Scribæ & Pharisæi, pro quibus Christus nondum Sanguinem fuderat: ne fortè aliquid magnum facere te putes, quia frangis panem pauperi; & vix est millesima ista facultatum tuarum. Et tamen non reprehendo; vel hoc fac. Sic sitio, sic esurio, ut ad micas istas gaudeam. Sed tamen quid dixerit Vivus, qui pro nobis mortuus est, non tacebo.* Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum. *Ille nos non palpat, Medicus est, usque ad vivum pervenit: Scribæ & Pharisæi Decimas dabant. Quid est? interrogate vos ipsos. Videte quid faciatis, de quanto faciatis; quid detis, quid vobis relinquatis; quid misericordiæ impendatis, quid luxuriæ reservetis. Ergo, Facilè tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.*

Justitia Christianorum ex eleemosyna, ... charitatum.

Matth. 5.

Ita *S. Gregorius Magnus*, P. III. *Pastoralis Curæ*, Admonitione XXII. *Cùm qualibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur; justitiæ debitum potiùs solvimus, quàm misericordiæ opus implemus. Unde & ipsa Veritas cùm de misericordia cautè exhibenda loqueretur, ait:* Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus. *Cui sententiæ Propheta concinens dicit:* Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum. *Cùm enim largitatem impensam pauperibus præmisisset, non hanc vocare misericordiam, sed justitiam maluit: quia quod à communi Domino tribuitur, justum profectò est, ut quicumque accipiunt, eo communiter utantur. Hinc etiam Salomon ait:* Qui justus est, tribuet, & non cessabit. *Admonendi sunt quoque ut sollicitè attendant quòd ficulnea quæ fructum non habuit, contra hanc districtus Agricola queritur, quòd etiam terram occupavit. Terram quippe ficulnea sine fructu occupat, quando mens tenacium hoc quod prodesse multis poterat, inutiliter servat.*

Eleemosyna justitiæ actio tum.

Matth. 6.

Psalm. 111.

Proverb. 21.

Eleemosynæ præceptum ex S. Thoma lectorum explicatur.

Ita *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione XXXII. Art. V. *Cùm* (inquit) *dilectio proximi sit in præcepto; necesse est omnia illa cadere sub præcepto, sine quibus dilectio proximi non conservatur. Ad dilectionem autem proximi pertinet, ut proximo non solùm velimus bonum, sed etiam operemur, secundùm illud* I. *Joannis* III. Non diligamus verbo neque linguâ, sed opere & veritate. *Ad hoc autem quòd velimus & operemur bonum alicujus, requiritur quòd ejus necessitati subveniamus, quod fit per eleemosynarum largitionem: & ideo eleemosynarum largitio est in præcepto. Sed quia præcepta dantur de actibus virtutum, necesse est quòd hoc modo donum eleemosynæ cadat sub præcepto, secundùm quòd actus est de necessitate virtutis: scilicet secundùm quòd recta ratio requirit, secundùm quam est aliquid considerandum ex parte dantis, & aliquid ex parte ejus cui est eleemosyna danda. Ex parte quidem dantis, considerandum est ut id quod est in eleemosynas erogandum, sit ei superfluum, secundùm illud Lucæ* XI. Quod superest, date eleemosynam. *Et dico superfluum, non solùm respectu sui ipsius, quod est supra id quod est necessarium individuo, sed etiam respectu aliorum quorum cura sibi incumbit, respectu quorum dicitur necessarium personæ; secundùm quòd persona dignitatem importat: quia prius oportet quòd unusquisque sibi provideat, & his quorum cura ei incumbit, & postea de residuo necessitatibus aliorum subveniat. Ex parte autem recipientis, requiritur quòd necessitatem habeat, alioquin non esset ratio cur ei eleemosyna daretur.*

Necessitas, etiam communis, ex parte recipientis, superfluum ex parte dantis, sufficientes rationes sunt quibus Christianus ad eleemosynam erogandam obligatur.

Necessitatem, etiam communem, ex parte recipientis; superfluum ex parte dantis, legitimas ac sufficientes rationes esse, quibus aliquis ad erogandam eleemosynam obligatur, *S. Thomas* docet: quamvis extremam duntaxat vel gravem necessitatem rationem esse asserat, cur huic potiùs pauperi determinatè, quam aliis subvenire quis ex præcepto teneatur, cùm omnibus subvenire non possit. *Sed cùm* (inquit) *non possit ab aliquo uno omnibus necessitatem habentibus subveniri: non omnis necessitas obligat ad præceptum, sed illa sola, sine qua is, qui necessitatem patitur, sustentari non potest.* Hanc autem esse *S. Thomæ* mentem facilè ostenditur ex aliis ejusdem locis; nempe Quæstione LXVI. Art. VII. ubi ait: *Res quas aliqui superabundanter habent, ex naturali lege debentur pauperum sustentationi. Sed quia multi sunt necessitatem patientes, & non potest ex eadem re omnibus subveniri, committitur arbitrio uniuscujusque dispensatio propriarum rerum, ut ex eis subveniat necessitatem patientibus.* Et Quæstione LXXXVII. Art. I. ad quartum: *Secunda Decima, quæ reservabantur ad sacrificia offerenda, locum in Nova Lege non habent, cessantibus legalibus victimis. Tertia verò Decima, quas cum pauperibus comedere debebant, in Nova Lege augentur, per hoc quòd Dominus non solùm decimam partem, sed etiam omnia superflua pauperibus jubet exhiberi, secundùm illud Lucæ* XI. Quod superest, date eleemosynam. *Ipsa etiam Decimæ, quæ Ministris Ecclesiæ dantur, per eos debent in usus pauperum dispensari.* Et in IV. *Sententiarum*, Dist. XV. Quæstione II. Art. I. Quæstiuncula IV. ad quartum, asserit præceptum de eleemosynis erogandis obligare *ex parte dantis, quando habet homo multa quibus non indiget, neque ad sustentationem vitæ sui & suorum, neque ad decentem status sui conservationem; etsi pauperes extremæ necessitatis non compareant.*

Sed, ut jam innui, cùm omnibus pauperibus communem patientibus necessitatem eleemosynam erogare dives quisque non possit, satis erit ut satisfaciat divino præcepto, si quantùm in ipso erit, pauperibus ex superfluo suo succurrat. Unde *Tobiæ* IV. dicitur: *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multùm tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Cum prudentia quoque, & servato caritatis ordine, superflua sua pauperibus erogare debet, ut scilicet parentes & propinquos extraneis, indigenas advenis, domesticos fidei infidelibus & hæreticis, inter fideles eos qui sanctiores sunt, utpote Deo propinquiores, si sit æqualis eorum necessitas, cæteris anteponat. Nam absolutè loquendo, priùs ei subveniendum qui extremam, illi deinde qui gravem, postremò illi qui communem necessitatem patitur. Caritatis ordinem commendavit Apostolus I. ad *Timotheum* V. scribens: *Qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Canonibus etiam sancitum est, ut unaquæque Civitas pauperes suos alat: & *Carolus Magnus*, in Capitulari quinto Anni DCCCVI. sive in Capitulari Noviomagensi statuit: *Ut unusquisque suum pauperem de Beneficio aut de propria familia nutriat, & non permittat alibi ire mendicando.* Verùm de prudentia in eleemosynarum erogatione servanda alius erit dicendi locus.

REGULA VIII.

De obduratione adversùs misericordiam.

Lethalis obdurationis adversùs misericordiam rei sunt, qui præsenti statui superflua servant & recondunt, ut ad altiorem statum ascendant, aut censum augeant, si avaritiâ aut ambitionis impulsu illa reservent: vel graves pauperum necessitates postulent ne iis impræsentiarum succurrant: vel ascensus ille ad celsiorem statum probabilis non sit: vel si probabiliter sit futurus, frequentes & sufficientes eleemosynas pauperibus communem etiam necessitatem patientibus non erogent.

Multa superflua habemus, quæ non nisi necessaria tenemus.

HAnc Regulam *S. Augustinus* fulcit, Enarratione in Psalmum CXLVII. Num. XII. *Nos*, inquit, *consolatur Scriptura, quæ hortatur ad misericordiam faciendam, ut omnino crebrescamus in erogando quod amplius habemus. Multa autem superflua habemus, si nonnisi necessaria teneamus: si inania quæramus, nihil sufficit. Fratres, quærite quod sufficit operi Dei, non quod sufficit cupiditati vestræ. Cupiditas vestra non est opus Dei. Forma vestra, corpus vestrum, anima vestra, hoc totum opus Dei. Quærite quæ sufficiant, & videbis quàm pauca sint . . . . Videte quia non solùm pauca sunt quæ vobis sufficiant; sed nec ipse Deus multa à vobis quærit. Quære quantùm tibi dederit, & ex eo tolle quod sufficit: cætera quæ superflua jacent, aliorum sunt necessaria. Superflua divitum, necessaria sunt pauperum. Res alienæ possidentur, cùm superflua possidentur.*

Duritia divitum.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, Secundâ Secundæ. Quæstione XXXII. Art. V. ad tertium respondens: *Est* (inquit) *aliquod tempus, in quo mortaliter peccat, si eleemosynam dare omittat. Ex parte quidem recipientis, cùm apparet evidens & urgens necessitas, nec apparet in promptu qui ei subveniat: ex parte verò dantis, cùm habet superflua, quæ secundùm præsentem statum non sunt sibi necessaria, prout probabiliter æstimari potest. Nec oportet quòd consideret omnes ca-*

sus qui possunt contingere in futurum. Hoc enim esset de crastino cogitare, quod Dominus prohibet, Matth. VI. Sed debent dijudicari superfluum & necessarium, secundum ea quæ probabiliter ut in pluribus occurrunt.

Propositio damnata.

Hisce Lovaniensis Academia Propositionem illam ut falsam, & obligationem eleemosynæ, à Scriptura Sacra crebrò inculcatam, elidentem, Censurâ suâ confixit anno MDCLVII. *Superfluum non est, quod homines servant pro statu suo vel parentum qualitate habitâ vel adipiscendâ; ideòque vix poterunt inter seculares inveniri qui superfluum habeant.* Damnata est eadem Propositio a Sacra Facultate Parisiensi, a plerisque Galliarum Episcopis, & tandem ab Innocentio XI. die secundâ Martii MDCLXXIX inter Propositiones scilicet quas ut minimum tanquam scandalosas & in praxi perniciosas damnavit & prohibuit, hæc 12. legitur: *Vix in Sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.*

Hanc etiam propositionem Clerus Gallicanus anno 1700. hac censurâ confixit: *Hæc propositio est temeraria, scandalosa, perniciosa, erronea, & Evangelicum de eleemosyna præceptum pessumdat.*

Divitum salus difficilis.

Si quis objiciat, Divitum partem maximam damnationem æternam incurrere, si res ita se habeat, & in magno periculo versari Sacerdotes qui eorum confessiones excipiunt: id totum concedemus. Firmum enim Christi Oraculum est, Lucæ XVIII. *Quàm difficile, qui pecunias habent, in Regnum Dei intrabunt. Facilius est enim camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in Regnum Dei.* Quod oraculum expendens S. *Hilarius*, Canone XIX. in Matthæum, ait: *Periculosa cura est, velle ditescere; & grave onus innocentia subit, incrementis opum occupata: rem enim sæculi, famulatus Dei non sine sæculi istius vitiis assequetur. Hinc difficile est divitem Regnum cælorum adire. Atque etiam quia nti plures his quæ haberi rectè possint, ea in Sermone Domini ratio servata est, ut non absolutè Regnum cælorum non intraire posse, sed intelligi posse futurorum raritas ex difficultate.*

Non absolvendi, qui superflua sua pauperibus non erogant.

Quod spectat divitum Confessarios, in maximo certè salutis suæ periculo versantur, si absolvant eos qui superflua sua pauperibus non erogant. *Si enim cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt.* Illud itaque divitibus, quorum Confessiones excipiunt, non suadere tantùm, sed præcipere; & à Deo præceptum significare tenentur, ut superflua sua pauperibus etiam communem dumtaxat necessitatem patientibus erogent, juxta illud Dan:eiis IV. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Et illud Apostoli ad Timotheum VI. *Præcipe divitibus hujus sæculi non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, bene agere, divites fieri in operibus bonis, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Pastoribus in Timothei persona præscribit non solùm ut hæc divitibus persuadeant, sed ut *præcipiant*; non modò tribuere, sed *facilè tribuere, communicare*; nec illis vult permitti ut neglectis pauperibus thesauros cumulent, quibus ad sublimiorem in terris statum conscendant, sed jubet *thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam.* Qui non ita sunt affecti divites, absolvi sacramentaliter non debent: siquidem Dei mandatum violare non solùm non verentur, sed nec audire volunt, ut liberiùs peccent. Merum consilium esse licèt Recentiores quidam inhumanæ cupiditatis adulato-

Quid divitibus præcipere debeant qui conscientias eorum moderantur.

Superflua pauperibus erogare, non est merè consilium, sed præceptum.

res effutierint, Christus, Prophetæ, Apostoli, SS. Patres præcipiunt, aut præceptum à Deo divitibus esse docent, ut superflua sua pauperibus erogent vel communem patientibus necessitatem. Temperare mihi non possum quin egregium S. *Gregorii Nazianzeni* locum ad hujus confirmationem veritatis proferam, Oratione XVI. *De Pauperum Amore* inscripta. *Cæterùm* (inquit) *omnium maximè divino mandato & exemplo moveamur. Quodnam porrò hoc mandatum est? Videte quàm constans sit atque sincerum. Neque enim hominibus Spiritu Sancto afflatis sat fuit semel atque iterum de pauperibus sermonem habuisse, nec quidam dumtaxat de his rebus verba fecerunt, reliqui minimè; aut alii parciùs, velut de re non ita magna, nec admodum necessaria: verùm & omnes in universum, & seduld quisque, vel primùm, vel imprimis ad eam rem nos cohortantur, nunc admonentes, nunc comminantes, nunc exprobrantes, nonnunquam etiam eos qui virtutis hujusce munere funguntur, laudibus efferentes: nimirum ut per admonitionis assiduitatem eò nos adducant, ut hoc mandatum exequamur.* Et infrà: *An tu benignitatem non necessariam, sed tibi liberam esse putas, ac non legem, sed consilium? Hoc quoque magnopere vellem & existimarem; sed me sinistra illa manus terret, & hædi, & probra, quæ ab eo, à quo illic collocati sunt, conjiciuntur, non quia manus alienis bonis attulerunt, nec quia templa diripuerunt, aut adulterium perpetrarunt, aut aliud quiddam ex aliis, quæ interdicta sunt, admiserunt, hoc ordine mulctati, sed quia Christum in pauperibus minimè curarunt. Quocirca, si quid mihi auscultandum putatis, servi Christi, & fratres, & coheredes, Christum, quamdiu licet, visitemus, Christum curemus, Christum alamus, Christum induamus, Christum colligamus, Christum honoremus, non mensâ solùm, ut quidam, nec unguentis, ut Maria, nec sepulcro duntaxat, ut Joseph Arimathæus; nec rebus ad sepulturam accommodatis, ut ille dimidia tantùm ex parte Christum amans Nicodemus: nec denique auro, thure & myrrha, ut Magi: sed quoniam omnium Dominus misericordiam vult, non sacrificium, ac pinguium agnorum myriades commiseratio superat, hanc in pauperibus humi provolutis ipsi conferamus; ut cùm hinc excesserimus, in æterna tabernacula nos accipiant. Enimverò* (inquit idem Doctor) *duorum alterum faciendum est, ut vel omnia propter Christum deponamus, quò verè atque sincerè ipsum sublatâ humeris cruce sequamur, ac leves & expediti, nec ab ulla re in diversum tracti, ad supernum Mundum convolemus, Christúmque loco omnium rerum lucremur: propter humilitatem elati, propter egestatem locupletati: vel certè cum Christo opes nostras partiamur, ut ipsa honestè possessa, & cum iis qui paupertate constricti sunt, communicata, sanctitate quadam imbuantur.*

DE PECCATIS.

REGULA IX.

Obduratio divitum adversus misericordiam.

Lethalis obdurationis adversùs misericordiam rei sunt Divites, qui Christianæ frugalitatis & moderationis regulas prætergressi, ea quæ familiæ sustentationi, & statûs sui atque dignitatis decentiæ minimè necessaria sunt, in frequentes & splendidas epulas, in ædium magnificentiam, in pretiosiorem, quàm par sit supellectilem, in vestium luxum, in ludos, in curiositatis lenocinia, aut voluptates profundunt.

Luxus immanis.

HI nempe pauperibus subtrahunt superflua, quæ illorum usibus à Deo sunt destinata. *Bona* enim *temporalia, quæ homini divinitùs conferuntur, ejus quidem sunt quantum ad proprietatem; sed quantum ad usum non solùm debent esse ejus, sed etiam aliorum, qui eis sustentari possunt ex eo quod ei superfluit* (loquit *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione XXXIII. Articulo V. in Responsione ad secundam objectionem.) Hinc *Sanctus Gregorius Nyssenus*, Oratione primâ *De Pauperibus amandis*, ait: *Usui vitæ modum imponite, ne omnia vestra existimate, sit pars etiam pauperum & amicorum Dei. Illius enim verè sunt omnia, quem habemus Patrem, nos autem fratres sumus. Quapropter ut genere conjunctos ac fratres melius quidem & justius erat, æquis partibus cernere hereditatem. Verùm quando id factum non est, sed unus aut alter plus intervertit, reliqui partem unam saltem accipiant. Quòd si quis omnium prorsus esse Dominus, & universam vult hereditatem avertere, & sexta aut quinta parte fratres excludere, ille frater non est, sed acerbus tyrannus, immitis, barbarus, imò verò inexplebilis fera, quæ hianti ore sola suaves devoret dapes, vel potiùs ipsis etiam feris sævior & agrestior. Siquidem & lupus ad devorandum prædam lupum sibi socium adjungit, & canes multi nonnunquam simul idem dilaniant corpus. At iste divitiarum suarum nullum ejusdem generis hominem participem facit. Moderata mensa sufficit tibi. Ne te in illud luxuriæ pelagus demittas, ut convivia omni genere ciborum instructa velis. .. Utere igitur, ne abutaris. Sic enim Paulus etiam edocuit.* Et infrà: *Qui molliter & delicate vivere instituerunt, necessariò ad excogitandos magnificos ædificiorum apparatus allicinatur. In his construendis & exornandis maxima vis pecuniarum profunditur. Ad hos cœtus hominum libenter convocant & invitant, splendidam & variam supellectilem studiosè comparant, innumerabilia poculorum genera, scurras, mimos, cytharistas, cantores, cantatrices, saltatores, saltatrices, totum denique petulantiæ ludum. Atque dum hæc intus geruntur, assident ad vestibuli fores innumerabiles Lazari, partim gravibus ulceribus pleni, partim oculis orbati, partim pedibus mutili. Conclamant, nec tamen exaudiuntur. Si Deus hæc aspicit, ut profectò aspicit, quam vitæ commutationem, quem exitum fore cogitatis, ò pauperum inimici? An nescitis horum causâ in sacro Evangelio poni & commemorari exempla omnia horrenda & terribilia? Nonne graves illius cruciatus & gemitus recensentur, qui in bysso fuerat enutritus? An non in malorum abysso describitur coerceri? Quid huic alter similis, nonne cùm vesperè de matutinis deliciis cogitaret, tàm inexspectata & repentina damnatus est morte, ut ne orientis quidem Solis radium potuerit intueri? Proinde cùm mortales simus, fidem ne abjiciamus, neve fruamur voluptatibus ut immortales.*

1. Cor. 7. Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.

Adversùs Divites illos, quibus nihil superfluum videtur, cùm in luxum ac voluptatem profundant, quicquid præter necessaria naturæ ac statui superest, terribilis maledictio exarata est Amos VI. *Væ qui opulenti estis ex Sion, & confiditis in Monte Samariæ: Optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israël. Qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti: qui canitis ad vocem psalterii. . . . Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Joseph.* Id est, calamitati & inopiæ fratris nullatenus compatiebantur, nec illi succurrebant.

De obduratione adversus misericordiam.

REGULA X.

Lethalis obdurationis adversùs Misericordiam reus est, qui pauperi omnibus omnino bonis temporalibus & vitæ præsidiis, viribus, arte, & industriâ destituto, per mutuum quidem, commodatum, aut venditionem credito factam subvenire paratus est, non verò eleemosynam simpliciter erogare.

IS enim indigentiam proximi non sublevat eo modo quo lex divina præscribit, gratis scilicet ac sine onere; sed præceptum eleemosynæ eludit. Mutuum nempe ab eleemosyna distingui nemo nescit. Quanquam enim & eleemosyna mutuum sit sive fœnus, non tamen respectu pauperis, sed Dei, secundùm illud Proverb. XIX. *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis.* Quæ verba *S. Basilius* in Psalm. XIV. expendens ait: *Intellige dicti efficaciam, & Legislatoris humanitatem admiraberis. Quando pauperi das in Domini gratiam, idem ipsum & donum est, & mutuum: Donum quidem, quòd à paupere non speres accepturum; mutuum verò sive fœnus, ob Domini munificam liberalitatem pro illo reddentis; qui parva quidem in paupere cùm acceperit, maxima pro ipso retribuet.* Hinc *S. Augustinus*, Libro I. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. XX. *Mutuatur* (inquit) *omnis qui accipit, etiamsi non ipse soluturus est: cùm enim misericordibus Deus plura restituat, omnis qui beneficium præstat, fœneratur.*

Eleemosyna & donum est, & mutuum.

REGULA XI.

Lethalis obdurationis adversùs Misericordiam rei sunt qui salutaris scientiæ, sive Prædicationis talento donati, illud in proximorum salutem, & ædificationem Ecclesiæ impendere renuunt.

NOn minùs enim tenentur ex officio caritatis spiritale illud talentum in proximorum utilitatem conferre, & divinis illis opibus spiritalem fratrum inopiam sublevare, quàm teneantur divites eleemosynam ex terrenis opibus pauperibus erogare. Id probat Evangelica talentorum Parabola, *Matth.* XXV. Terribilis enim illa increpatio servi, qui talentum defoderat, *Serve male & piger*; & illa verba, *Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis*, præceptum indicant à servo inutili violatum, hoc ipso quòd nullum ex talento sibi dato lucrum Domino peperit. Peccati verò gravitatem ostendit privatio talenti, & æternæ damnationis pœna. *Tollite itaque ab eo talentum* (inquit) *Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium.* Non diligit proximum sicut seipsum, qui salutem plurimorum, cùm possit, non procurat. Non diligit Ecclesiam, pro qua Christus seipsum tradidit, qui eam sanæ doctrinæ verbo ædificare recusat: non diligit Christum, qui ejus oves & membra pascere negligit & curare.

Obligatio erogandi spiritalia talenta in proximorum utilitatem.

Unicuique, (inquit S. Paulus 1. ad Corinthios XII.) *datur manifestatio Spiritûs ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ, secundum eumdem Spiritum.* Ad utilitatem (inquit) non ad otium. Id confirmat *S. Petrus*, Epistolæ 1. Cap. IV. *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.*

Huic Regulæ solus addit Admonitio XXVI. *S. Gregorii*, III. P. *Pastoralis Curæ* scribentis: *Admonendi sunt, qui cùm utiliter prædicare possunt, immoderatâ tamen humilitate refugiunt, ut ex minori consideratione colligant, quantùm in majoribus rebus delinquant. Si enim indigentibus proximis, ipsi quas habent pecunias absconderent, adjutores proculdubio calamitatis extitissent. Quo ergo reatu constringantur, aspiciant, qui dum peccantibus fratribus verbum prædicationis subtrahunt, morientibus mentibus vitæ remedia abscondunt. Si populum fames attereret, & occulta frumenta ipsi servarent, auctores proculdubio mortis existerent. Quâ itaque plectendi sunt pœnâ consideret, qui cùm fame verbi Dei animæ pereant, ipsi panem perceptæ gratiæ non ministrant? Unde & bene per Salomonem dicitur:* Qui

Proverb. 11. 26. » abscondit frumenta, maledictus in populis. *Frumenta quippe abscondere, est Prædicationis sancta verba apud se retinere. In populis autem talis quisque maledicitur, qui in solius culpâ silentii pro multorum, quos corrigere poterat, pœnâ damnatur. Si medicinalis artis minimè ignari secandum vulnus cernerent, & tamen secare recusarent, profectò peccatum fraternæ mortis ex solo torpore committerent. Quantâ ergo culpâ involvantur, aspiciant, qui dum cognoscant vulnera mentium, curare negligunt ea sectione verborum? Unde & bene per Prophetam di-*

Jerem. 48. *citur:* Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine. *Gladium quippe à sanguine prohibere, est prædicationis verbum à carnalis vitæ interfectione retinere,.... Hi itaque cùm apud se Sermonem Prædicationis occultant, divinas contra se sententias terribiliter audiant, quatenus ab eorum cordibus timorem timor expellat. Audiant quòd talentum qui erogare noluit, cum sententia damnationis amisit. Audiant quòd Paulus eò se à proximorum sanguine mundum credidit, quòd feriendis eorum vitiis non pepercit, di-*

Matth. 25. Act. 20. » *cens:* Contestor vos hodiernâ die, quia mundus » sum à sanguine omnium: non enim subterfugi » quò minùs annuntiarem omne consilium Dei » vobis. *Audiant quod voce Angelicâ Joannes ad-*

Apoc. 22. » *monetur, cùm dicitur:* Qui audit, dicat, Veni. *Ut nimirùm cui se vox interna insinuat, illuc etiam clamando alios, quò ipse rapitur, trahat; ne clausas fores etiam vocatus inveniat, si vocanti vacuus appropinquat. Audiant quòd Isaias, quia à verbi ministerio tacuit, illustratus superno lumine, magnâ voce Pœnitentiæ seipse reprehendit, dicens:* VÆ MIHI QUIA TACUI.

REGULA XII.

Lethalis obdurationis adversùs misericordiam reus est Advocatus, qui causæ pauperum in extrema vel gravi necessitate constitutorum gratis patrocinari renuit.

Advocatorū erga pauperes officium. HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione LXXI. Articulo 1. *Cùm enim præstare patrocinium causæ pauperum ad opus misericordiæ pertineat*, idem de eo judicium esse debet ac de aliis misericordiæ operibus. *Nullus autem sufficit omnibus indigentibus misericordiæ opus impendere.* Et ideo, sicut *Sanctus Augustinus* ait, Libro 1. *De Doctrina Christiana*, Cap. XXVIII. *Cùm omnibus prodesse non possis, his potissimùm consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictiùs tibi quadam sorte junguntur.* Dicit, *Pro locorum opportunitatibus*, quia *Non tenetur homo per Mundum quærere indigentes, quibus subveniat, sed sufficit si eis, qui sibi occurrunt, misericordiæ opus impendat.* Unde dicitur Exodi XXI. *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum.* Addit, *& temporum:* quia *Non tenetur homo futuræ necessitati alterius providere; sed sufficit si præsenti necessitati succurrat.* Unde dicitur 1. Joannis III. *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Subdit, *Vel quarumlibet rerum*, quia homo *sibi conjunctis quacumque necessitate maximè debet curam impendere*, secundùm illud 1. ad Timoth. V. *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit.* Quibus tamen concurrentibus, *Considerandum restat, utrùm aliquis tantam necessitatem patiatur, quòd non in promptu appareat quomodo possit ei aliter subveniri; & in tali casu tenetur ei opus misericordiæ impendere. Si autem in promptu appareat quomodo aliter ei subveniri possit, vel per seipsum, vel per aliam personam magis conjunctam, aut majorem facultatem habentem, non tenetur ex necessitate indigenti subvenire, ita quòd non faciendo peccet: quamvis, si subvenerit absque tali necessitate, laudabiliter faciat. Unde Advocatus non tenetur semper causæ pauperum patrocinium præstare, sed solùm concurrentibus conditionibus prædictis: alioquin oporteret eum omnia alia negotia prætermittere, & solis causis pauperum juvandis intendere.*

Cùm igitur pauper sic eget patrocinio, ad quod tamen sibi procurandum pecuniâ & similibus auxiliis destitutus est, ut nisi adjuvetus, causâ sit casurus, & vel injustâ morte plectendus, vel suis, quantulæcumque sint, rebus omnibus spoliandus; aut certè gravem bonorum jacturam passurus, aratris suæ instrumentis, equis quibus arabat, vaccis quibus vivebat, privandus, aut ad triremes durumve carcerem damnandus, aut ad mendicitatem redigendus, qui antea vitam utcumque tolerabat tenui negotio vel artificiolo, tenetur Advocatus ipsi gratis præstare patrocinium, si verisimile sit neminem ipsius causam citò suscepturum ac defensurum. Id ni faciat, obdurationis adversùs misericordiam reus est, secundùm divinam illam S. Joannis sententiam: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* 1. Joan. 3.

Quamvis porrò duplicem dumtaxat necessitatis gradum, extremæ scilicet ac gravis, Regula nostra exprimat, Pauperibus tamen communem duntaxat necessitatem passis nisi gratis patrocinentur Advocati, lethalis aliquando adversùs misericordiam obdurationis rei sunt: cùm nempe id præstare possunt absque sui statûs imminutione: alioqui proximum sicut seipsum non diligere convincuntur.

Judicum ... pauperum ... Ejusdem adversùs misericordiam obdurationis reus erit Judex, nisi pauperibus designet Advocatum, qui causas ipsorum gratis agat. Hinc Tolosanum Concilium anno MCCXXIX. sancit, ut *Qui per egestatem litigantes sibi Advocatum comparare non possunt, illis Curia de Advocato, si res postulet, provideat.* Idem multò antè statuerat Concilium apud Campinacum à *Gerardo* Archiepiscopo Burdegalensi & Comprovincialibus Episcopis celebratum anno MCCXXXVIII. immò antiquo Jure statutum declaraverat, Canone XIV. *Prisci Juris*

Juris recolentes censuram, mandamus, ut si aliqui pauperes sint, qui pro paupertate Advocatum habere non possint, det ipsis Cur a Advocatum, si causa indiget Advocato.

REGULA XIII.

Medici, Chirurgi, Pharmacopola, pauperibus, ægrotis, qui ab omnibus deserti sunt, aut probabiliter deserendi, succurrere tenentur, & eorum curationem gratis procurare. Id nisi faciant, lethalis obdurationis adversùs misericordiam rei sunt.

Medicorum, Chirurgorum, Pharmacopolarum erga pauperes officium.

PRæceptum enim divinum de proximi dilectione alioqnin violabunt, quod Spiritus-Sanctus Proverbiorum XXIV. sic explicuit, ut ad Regulam istam confirmandam nihil sit Oraculo illo accommodatius: *Erue eos* (inqoit) *qui deducuntur ad mortem; & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Si dixeris, Vires non suppetunt; qui inspector est cordis ipse intelligit, & Servatorem animæ tuæ nihil fallit, redditque homini juxta opera sua.* Qui locus non solùm de illis intelligendus est, qui iniquâ Judicis sententiâ, falsisve testimoniis circumventi & oppressi rapiuntur ad mortem, sed etiam de omnibus quorom salus & vita præ alimentorum, vestimentorum, remediorum, aut aliarum id genus rerum, in extremo vel gravi periculo versatur.

Hanc Regulam confirmat *S. Thoma* auctoritas, Secunda Secundæ, Quæstione LXXI. Articulo I. ubi postquam Advocati obligationem in causis pauperum agendis & defendendis eo, quo diximus, modo exposuit: mox subdit: *Et idem dicendum est de Medico quantùm ad curationem pauperum.*

REGULA XIV.

Lethalis Obdurationis adversùs Misericordiam rei sunt, qui volentes subvenire pauperibus & calamitosis hominibus, aut Religiosorum Virorum, vel sacrarum Virginum ex eleemosynis victitantium Cœnobiis, aut pauperum Clericorum Seminariis benefacere, à pio illo proposito quocumque modo deterrent, aut impediunt, vel fundationes aut pia legata in eorum favorem facta revocare cogunt aut suadent absque causâ justâ, & officium conscientiæ spectante.

Quàm grave peccatum eorum, qui alios à misericordiæ operibus avertunt?

NItitur hæc Regula Spiritûs-Sancti per Salomonem loquentis Oraculo, Proverbiorum III. *Noli prohibere benefacere eum, qui potest: si vales, & ipse benefac.* Quod non solùm respectu sæcularium hominum pauperum & calamitosorum intelligendum esse, sed etiam respectu pauperum Clericorum, Religiosorum Virorum, aut Sacrarum Virginum ex eleemosynis victitantium, probat egregius *S. Augustini* locus, Concione III. in Psalmum CIII. *Sic pascis* (inquit) *bovem Dei, quomodo transeuntem Mendicum? Illi petenti das, quia scriptum est,* Omni petenti te da. *De isto quid scriptum est?* Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. *Quare cui des. Beatus enim qui intelligit super egenum & pauperem, qui præoccupat vocem petituri. Si sic inter vos indigent Milites Christi, ut etiam petant, videto ne vos judicent antequam petant..... Al ut ad te venit ut petat, alium præveni ne petat. Sicut enim de illo qui te quærit dictum est,* Omni petenti te da: *sic de illo quem tu debes quærere dictum est,* Sudet eleemosyna in manu tua, donec invenias Justum cui eam tradas. *Cùm enim dandum sit & istis pauperibus petentibus.... Voca & ipsos, pasce & ipsos, epulare, cùm illi epulantur; delectare, cùm illi saginantur; illi enim pane tuo, tu justitiâ Dei. Nemo vobis dicat, Præceptum est à Christo, ut servo Dei detur, mendico non detur. Absit: prorsùs impius ista loquitur. Da illi, sed multò magis illi. Ille enim petit, & in voce petentis agnoscis cui des: ille autem quantò minùs petit, tantò magis tibi vigilandum est ut præoccupes petiturum; aut fortè modo non petiturum, & aliquando damnaturum..... Non indiget cibo, fortè veste indiget. Non indiget veste, fortè tecto indiget, fortè Ecclesiam fabricat, fortè aliquid utile in Domo Dei molitur; exspectat ut attendas, exspectat ut intelligas super egentem & pauperem. Tu contra, terra dura, lapidea, non irrigata, servas tibi dicere, Non sciebam, non noveram, nemo mihi dixit: nemo tibi dixit? Christus non cessat dicere, Propheta non cessat dicere,* Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. *Non vides arcam inanem Præpositi tui? Vides certè vel surgentem fabricam, quò intraturus & oraturus es. Nonne admovetur oculis tuis? Nisi fortè putatis, Fratres, quia Præpositi vestri thesaurizant: & novimus multos non thesaurisare, & ad quotidiana egere, de quibus omnino non creditur: quos & vos inveniretis, si velletis, si circumspiceretis, si ad hoc vigilaretis ut fructum daretis.* Lethalis ergo Obdurationis adversùs Misericordiam rei sunt, qui volentes benefacere Præpositis suis, Parochialibus Ecclesiis, pauperum Clericorum Seminariis, Religiosorum Virorum, aut Sacrarum Virginum Monasteriis, à pio proposito quocumque modo deterrent vel impediunt: aut fundationes, vel pia legata in eorum favorem facta revocare compellunt aut suadent absque justa causa & officium conscientiæ spectante. Quam exceptionem Regulæ consultò apposui, quia tenetur quandoque Conscientiarum Moderator suadere, immò præcipere Pœnitentibus, ut donationes, legata, fundationes in favorem Capitulorum, Parochialium Ecclesiarum, Seminariorum, pauperum Clericorum, Cœnobiorum aut Parthenonum inopum factas rescindant & commutent: cùm scilicet ipsorum bona restitutioni sunt obnoxia: cùm debitis onerati sunt; cùm parentes vel propinquos habent egenos, aut à sui status honestate & decentiâ mox casuros, nisi ipsis succurrant; cùm pauperes alios noverunt in Parochia, in vicinia, in Urbe magis indigentes, & quibus minùs subvenitur, & præsertim invalidos, ægros, orphanos, puellas ingenuas, quas dura egestas in prostitutionis periculum conjicit: familias honestas, quas pudor mendicare prohibet. His enim prudens & pius Conscientiarum Moderator priùs potiùsque subveniendum esse docebit, quàm Parochiis, Seminariis, Cœnobiis & Monasteriis, quibus vel reditus aliqui, vel oblationes & eleemosynæ suppetunt ad vitam, tenuiter licèt ac frugaliter sustentandam. Sed restitutionem rerum malè partarum inprimis fieri; tum debita solvi necesse est: nec fundationes ullas, aut impia potiùs quàm pia legata fieri permittet à Pœnitente prudens & pius Conscientiæ Moderator, nisi his officiis perfunctus fuerit: nec hæredes pauperes aut, illos quos enumeravimus, calamitosorum hominum ordines, graviori necessitate afflictos & oppressos, necessariis subsidiis frustrari patietur, ut Capitulis, Parochiis, Seminariis, Cœnobiis, Monasteriis non ita gravem passis inopiam subveniatur. Reus erit alioquin & ipse lethalis adversùs Misericordiam Obdurationis.

Luc. 6.

Psalm. 40.

REGULA XV.

Lethalis Obdurationis adversùs Misericordiam reus est, qui opus aliquod misericordiæ, sive corporalis, sive spiritualis prætermittit ac negligit, cùm illud exercere potest, & tenetur, quando nimirum extrema est vel urgens proximi eâ misericordiâ indigentis necessitas.

PRæceptum enim de proximi dilectione naturali & positiva Dei lege homini datum violat, & videns fratrem suum ad necessitatem redactum, quam sublevare ille potest, *Claudit viscera sua ab eo*: Igitur *Caritas Dei non manet in illo.* Hinc *S. Gregorius*, Homiliâ IX. in Evangelia ait: *Nullus est qui veraciter dicat: Talentum minimè accepi, non est unde rationes ponere cogar. Talenti enim nomine cuilibet pauperi etiam hoc ipsum reputabitur, quod vel minimum accepit. Alius namque accepit intelligentiam, Prædicationis ministerium debet ex talento. Alius terrenam substantiam accepit, erogationem talenti debet ex rebus. Alius nec internorum intelligentiam, nec rerum affluentiam accepit, sed tamen didicit artem quâ pascitur, ipsa ars ei in talenti acceptionem reputatur. Alius nihil horum assecutus est, sed tamen fortasse familiaritatis locum apud divitem meruit, talentum profectò familiaritatis accepit. Si ergo nihil ei pro indigentibus loquitur, pro talenti retentione damnatur. Habens ergo intellectum, curet omnino ne taceat: habens rerum affluentiam, vigilet ne à misericordia largitate torpescat: habens artem quâ regitur, magnopere studeat ut usum atque utilitatem illius cum proximo partiatur: habens loquendi locum apud divitem, damnationem pro retento talento timeat, si cùm valet, non apud eum pro pauperibus intercedit.*

1. Joann. 3.

Septem misericordiæ corporalis opera.

Septem porrò misericordiæ corporalis opera numerantur, scilicet pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, excipere hospitem, visitare infirmum, redimere captivum vel in carcere detentum, & sepelire mortuum: Quæ hoc Versu exprimuntur:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

De illis divina extant in Sacris Litteris præcepta: Isaiæ LVIII. *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Proverbiorum XXV. & ad Romanos XII. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi.* Item posteriori isto loco: *Necessitatibus Sanctorum communicantes: hospitalitatem sectantes.* Epistolæ S. Jacobi Cap. I. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione ipsorum.* Priora sex misericordiæ corporalis opera Christus commendat Matthæi XXV. *Tunc dicet Rex his qui à dextris erunt. Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum ab origine mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei Justi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pavimus te; sitientem, & dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te? Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens Rex, dicet illis: Amen dico vobis, Quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Quòd verò in æternam damnationem incurrant, qui opera illa misericordiæ neglexerunt, ostendit Sententia ibidem adversùs reprobos lata: *Tunc dicet his qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus: esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me: infirmus, & in carcere; & non visitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut infirmum, aut in carcere, & non ministravimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis; Quandiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.*

Mortuorum sepultura inter opera misericordiæ meritò recensetur.

Mortuorum sepulturam Christus ibi non commemorat, quia illa dumtaxat misericordiæ opera recenset, quæ sunt evidentioris necessitatis: sepultura porrò nihil confert mortuo quantum ad sensum, ut loquitur *S. Thomas.* Ceterùm & illam inter opera misericordiæ meritò recenseri, constat ex Libro *Tobiæ*, Cap. XII. ubi *Raphaël* Archangelus ait: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Quam ob rem & qui Christum Dominum sepelierunt, in Evangelio commendantur. Et quamvis nullus insit cadaveribus sensus, defunctorum tamen honori consulitur sepeliendo eorum corpora, quibus ignominiosum est, quatenus in memoria hominum vivunt, ut maneant insepulta. Unde privatio sepulturæ pœna est gravissimum includens infamiam. Satisfit etiam sepeliendo mortuos legitimo desiderio quod habuere dum viverent, ut eorum corpora honorificè tractarentur; ut ait *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XXXII. Articulo II.

Visitatio infirmorum.

Cùm autem visitationem infirmorum inter opera misericordiæ recenseri audis, ne existimes eo nomine visitationem illam dumtaxat intelligi, quæ fit ad levandum infirmi tædium & mœrorem, sed maximè obsequium & ministerium infirmo exhibitum ad pellendam ægritudinem, & recuperandam sanitatem. Qua de re egregius est apud *S. Gregorium Nazianzenum* locus Oratione XV. De Pauperibus amandis. *Curemus*, inquit, *non minùs aliorum corpora, quàm suum quisque corpus, seu commoda valetudine sit, seu eodem modo consumatur. Omnes enim in Domino sumus, sive dives, sive pauper, sive servus, sive liber; sive sanus, sive æger: atque unum omnium caput, ex quo omnia, Christus. Quodque membra inter se sunt, hoc unum alteri, atque omnibus omnes. Ac proinde minimè committendum est, ut eos qui priùs in communem infirmitatem inciderunt, contemnamus & negligamus: nec magis gaudendum nobis est, quòd commoda valetudine utimur, quàm lugendum, quod fratres miserâ & afflictâ. Quin potiùs ita existimare debemus, corporum & animarum nostrarum salutem in hoc uno positam esse, ut eos misericordiâ prosequamur. ... O serve Christi ac Dei, & hominum amore prædite, ne degenerem atque ignavum animum geras, verùm fide subnitere. Misericordia timiditatem, Dei metus mollitiem vincat; rationes eas quæ carni favens, pietas superet. Ne fratrem despicias, ne prætereas, ne ut scelus, ut piaculum, ut aliud quiddam fugiendum & execrandum averseris. Membrum tuum est, tametsi calamitate curvatur. Tibi, licèt animo admodum forti prætereas, pauper relictus est ut Deo.... Quisquis navigat, naufragio propinquus est, eòque magis, quò audaciùs navigat: & quisquis corpus gerit, corporis malis propinquus est, eòque magis, quò erectior incedit,*

nec tot qui ante se jacent, intuetur. Dum secundo vento navigat, ei qui naufragium facit, manum porrige: dum sanus es & locuples, afflicto fer opem. Ne exspectes, dum, quantum malum sit inhumanitas, in te ipso discas, quantumque bonum viscera egentibus aperire. Ne experiri velis Deum adversari eos qui cervicem attollunt, ac pauperes prætereunt, manum extendentem. In alienis calamitatibus hæc disce, egenti parum aliquid tribue, neque enim parvum est ei, qui omnibus rebus caret, imo ne ipsi quidem Deo, si viribus par sit. Summi muneris loco animi promtitudinem dona: si nihil habes, illacryma. Magnum calamitoso remedium est miseratio ex animo collata: ac verè & sincerè condolere, calamitatem magna ex parte levat. Homo apud te jumento vilior non est, quod cùm in foveam incidit, aut aberravit, erigere ac reducere tibi Lex præscribit.

Proximo adversùs quamcumque vim & injuriam extrinsecùs illatam, subveniendum.

Ad redemtionem captivorum, seu detentorum in carcere ob debita quibus solvendis non sunt, revocatur misericordia, quâ proximo adversùs quamcomque vim & injuriam extrinsecùs illatam subvenitur, (inquit *S. Thomas.*) Qua de re *S. Ambrosius*, Lib. II. *De Officiis*, Cap. XV. scribit: *Summa liberalitas captivos redimere, eripere ex hostium manibus, subtrahere neci homines, & maximè feminas turpitudini, reddere parentibus liberos, parentes liberis, cives patriæ restituere.... Præcipua est igitur liberalitas redimere captivos, & maximè ab hoste barbaro, qui nihil deferat humanitatis ad misericordiam, nisi quod avaritia reservaverit; Æs alienum subire, si debitor solvendo non sit, atque arctetur ad solutionem, quæ sit jure debita, & inopia destituta; enutrire parvulos, pupillos tueri. Sunt etiam qui virgines orbatas parentibus, tuendæ pudicitiæ gratiâ, connubio locent, nec solùm studio, sed etiam sumtu adjuvent.* Ad redemtionem captivorum, ad sepulturam Fidelium, ad alimoniam pauperum, vasa etiam sacra frangi posse, & quandoque debere conflari, vendi, *S. Ambrosius* docet Cap. XXVIII. *Aurum* (inquit) *Sacramenta non quærunt; neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus Sacramentorum, redemtio captivorum est. Et verè illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte. Ille verus thesaurus est Domini, qui operatur quod Sanguis ejus operatus est. Tunc vas Dominici Sanguinis agnosco, cùm in utroque video redemptionem; ut Calix ab hoste redimat, quos Sanguis ab hoste redemit.* Id *S. Laurentii* Martyris exemplo se præstitisse *S. Ambrosius* testatur, & Arianorum invidiam propterea subiisse. Et infrà subdit: *Sanè si in sua quis derivat emolumenta, crimen est: sin verò pauperibus erogat, captivum redimit, misericordia est. Nemo enim potest dicere, Cur pauper vivit? Nemo potest queri, quia captivi redemti sunt. Nemo potest accusare, quia templum Dei ædificatum est: nemo potest indignari quia humandis Fidelium reliquiis spatia laxata sunt: nemo potest dolere, quia in sepulturis Christianorum requies defunctorum est. In his tribus generibus vasa Ecclesiæ etiam initiata refringere, conflare, vendere licet.* Concilium quoque Remense anno circiter DCXXX, Canone XXII. *Ministeria Sancta*, seu vasa sacra, *frangere* permittit Episcopo, *si evenerit ardua necessitas pro redemptione captivorum.*

Vasa sacra ad redemptionem captivorum, & alimoniam pauperum, in extrema necessitate frangi, conflari, & vendi possunt, Episcoporum auctoritate & mandato.

Hospitalitas.

Inter opera Misericordiæ corporalis plurimùm etiam commendatur hospitalitas. Unde *Abraham pro hospitalitatis mercede fructum posteritatis recipit. Lot propter hospitalitatis affectum Sodomitana à se suisque supplicia detorsit. In officiis autem hospitalibus omnibus quidem humanitas impar-*

S. Ambros. Lib. I. de Officiis, c. 21.

tienda est: justis autem uberior deferendus honorificentia. Quicumque enim justum receperit in nomine justi, mercedem justi accipiet, ut *Dominus pronuntiavit. Vides quia Abraham Deum recepit hospitio, dum hospites quærit? Vides quia Lot Angelos suscepit? Qui scis an & tu, cùm suscipis hospitem, suscipias Christum? Cùm in hospite sit Christus, quia Christus in paupere est.* Hinc Episcopum *hospitalem* esse oportere *S. Paulus* scribit: & inter bona opera quibus Viduam Christianam commendari optat, hospitalitatis officium recenset: *Si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit.*

Matth. 10.

1. Tim. 3. 5.

Opera Misericordiæ spiritualis septem pariter numerantur, scilicet ignorantes docere, consilium præbere dubitantibus, afflictos consolari, peccantes corrigere, offensas remittere iis qui læserunt, aliorum defectus & infirmitates tolerare, pro omnibus orare: quæ hic Versus complectitur:

Opera misericordiæ spiritualia.

Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

Variis Scripturæ Sacræ testimoniis commendantur. Ecclesiastici XVIII. *Qui misericordiam habet, docet, & erudit quasi pastor gregem suum.* Ad Galatas VI. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Matthæi XVIII. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum.* II. ad Thessalonicenses III. *Si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, & non commisceamini cum illo, ut confundatur: & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.* I. ad Thessalonicenses IV. *Consolamini invicem in verbis istis.* Lucæ VI. *Estote ergo misericordes sicut & Pater vester misericors est. Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini.* Matthæi VI. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Matth. XVIII. *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Ad Romanos XV. *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere.* Ad Galatas VI. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Matthæi V. *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Jacobi V. *Orate pro invicem, ut salvemini... Fratres mei: si quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum, scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Correptio peccantium inter opera misericordiæ meritò numeratur. Quamvis enim in executione actus severitatem justitiæ continere videatur: quantùm ad intentionem tamen corripientis, qui vult hominem à malo culpæ liberare, pertinet ad misericordiam & dilectionis effectum; secundùm illud Proverbiorum XXVII. *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula blandientis.*

De utroque Misericordiæ genere, & obligatione illum exercendi, hæc habet *S. Gregorius Nazianzenus*, Oratione XVI. *De Pauperibus amandis*, inscriptâ: *Tu verò, siquidem major quoque potes,*

& quibus anima beneficio afficitur: ne his quoque de indigenis bene mereri absiste; immò primùm ac potissimum hæc ei, qui abs te petit, dona, priùsque etiam quàm postulet, totâ die miserans ac sermonem commodans, sortemque cum fœnore sedulo exigens, hoc est, ejus cui utilitas affertur, incrementum, quod quidem doctrina semper adjungit, quisquis pietatis semina in seipso paulatim auget. Sin hæc largiri nequis: hæc secunda & minora, & quæ sub facultatem tuam cadunt, præsta: subveni, cibum præbe, detritum pannum porrige, medicamentum adhibe, vulnus alliga, de calamitate aliquid percontare, de patientia orationem habe.

B

Salubris consilii suggestio, misericordiæ opus est.

De misericordia spirituali, quæ in salubris consilii suggestione posita est, hæc *S. Ambrosius* Lib. II. *De Officiis*, Cap. XV. *Sunt* (inquit) *plerique etiam viri boni, qui tenues sunt censu, contenti quidem exiguo ad sui usum, sed non idonei ad subsidium levandæ paupertatis alienæ. Tamen suppetit aliud beneficentiæ genus, quo juvare possint inferiorem. Est enim duplex liberalitas, una quæ subsidio rei adjuvat, id est, usu pecuniæ: altera quæ operarum collatione impenditur, multò frequenter splendidior, multòque clarior.... Quantò utilius Regem Pharaonem Sanctus Joseph consilio providentiæ*

C

juvit; quàm si contulisset pecuniam? Pecunia enim unius civitatis non redemit ubertatem, prospicienti totius Ægypti per septennium famem repulit. Facilè autem pecunia consumitur, consilia exhauriri nesciunt. Hæc usu augentur, pecunia minuitur, & citò deficit, atque ipsam destituit benignitatem: ut quò pluribus largiri volueris, eò paucioris adjuves, & sæpe tibi desit, quod aliis conferendum putaveris. Consilii autem collatio quò in plures diffunditur, eò redundantior manet, & in suum fontem recurrit.

Eleemosyna, sacrificium Christiani.

De Misericordia quæ in condonatione injuriarum versatur, dicemus alias opportuniùs. Illud interim ex *S. Augustino* accipe Sermone XLII.

D

alias XXIX. ex Homiliis quinquaginta. *Sacrificium* (inquit) *Christiani, est eleemosyna in pauperem. Hinc enim fit Deus peccatis propitius. Nisi autem peccatis propitius fiat Deus, quis remanet, nisi reus? Ab iis peccatis & delictis, sine quibus vita ista non ducitur, mundantur homines per eleemosynas: quæ sunt duorum generum, erogando, & remittendo; erogando quod habes bonum; remittendo quod pateris malum. Hoc duo genera eleemosynarum Dominus Magister bonus quàm breviter fuerit complexus, audite:* Remittite, *inquit*, & remittetur vobis; date, & dabitur vobis. *Remittite, & remittetur vobis, pertinet ad ignoscendum: Date & dabitur vobis, pertinet ad erogandum. Ex illa eleemosyna, qua ignoscis homini, nihil perdis. Ecce statim veniam præstitisti, ignovisti, nihil amisisti. Caritate amplior domum redisti.*

Hic duobus modis, erogando, & remittendo.

Luc. 6. 37.

E

De peccantium fraterna correptione aliàs etiam agemus. Sufficiat impræsentiarum illa *S. Augustini* Sententia Sermone V. alias primo ex iis quos edidit Sirmondus: *Sicut* (inquit) *Deus diligit, & tamen corripit: sic & tu si habes aliquem in potestate, quamvis serves affectum dilectionis, noli tamen negare flagellum correptionis. Quia si negaveris, non tenebis dilectionem; quia ille moritur in peccatis, qui fortè correptus ea relinqueret; & magis tibi imputatur verum odium.*

Servato affectu dilectionis, adhibendum flagellum correptionis.

F

REGULA XVI.

Lethalis Obdurationis adversùs Misericordiam reus est creditor, qui debitorem, quem solvendo non esse constat, urget opprimitque ut solvat, nec inducias ipsi concedit.

HAnc Regulam Deus per Isaiam tradit, Judæis declarans, Jejunium illorum Deo gratum non esse ob vitia ipsum contaminantia, præsertim verò quòd à debitoribus suis, qui solvendo non erant, debita exigerent acerbiùs. *Ecce* (inquit) *in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis.... Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester.*

De obduratione adversus misericordiam.

Isa. 58.

Eamdem Regulam tradit Christus Dominus propositâ Parabolâ de Rege rationem à servis suis exigente, quorum unus decem millium talentorum debitor non habebat unde redderet: cui debitum omne dimisit. Ille verò unum è conservis, qui debebat ipsi centum denarios, rogantem inducias ad solvendum, oppressit, & in carcerem misit. Quem vocavit Dominus, & his verbis increpuit: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?* &c.

Matth. 18.

Hoc Moralis Christianæ caput confirmat *Sanctus Augustinus*, Sermone CCXXXIX. aliàs De Tempore, CXLVI. *Noli* (inquit) *te avertere ab eo qui mutuum petit, sed tantùm accipe, quantùm dedisti. Non ploret cui dedisti, nam beneficium perdidisti. Et si hoc ipsum quod datum est, vel quod accepit, exigitur, fortè ad manum nondum habet; pertulisti petentem, exspecta non habentem: cùm habuerit, reddet tibi. Noli clamare & dicere, Numquid fœnus quæro? Tantum peto quantum dedi: quod dedi, hoc accipiam. Bene facis, sed nondum habet. Non es fœnerator, & vis cui præstitisti, ut quærat fœneratorem ut tibi reddat. Si propterea fœnus non exigis, ne te feneratorem patiatur, quare vis ut propter te alium fœneratorem patiatur? Premis, suffocas. Etsi tantum exigis quantum dedisti; suffocando tamen & angustias faciendo, non beneficium dedisti, sed potiùs majores angustias intulisti. Sed fortè dicis, Habet unde reddat: habet domum, vendat; habet possessionem, vendat. Quando à te petivit, ideo petivit ne venderet: propter te non faciat, qui subvenisti, ut fieret. Hoc fiat ita circa homines, hoc jubet Deus, hoc vult Deus.*

Qui creditoribus solvere non valentibus, debita exigunt acerbius contra caritatem & justitiam peccant.

Non solùm verò contra caritatem, sed & contra naturalem ipsam æquitatem peccant, qui à debitoribus suis, quos solvendo non esse constat, debita exigunt acerbiùs, nec ipsis inducias concedere volunt. Unde Judices, qui medii sunt inter instantiam seu persecutionem creditorum, & moram debitorum, suâ Sententiâ interdum statuunt solutionis terminum, & debitori dilationem concedunt pro personarum, summæque ratione. Inducias autem illas invito quandoque creditore debitoribus concessas Jus Civile disertis verbis approbat L. *Si debitori*, Tit. *De Judiciis*, Digest. V. & L. *Promissor*, 21. Tit *De Pecunia constituta*, Digest. XIII. Item Legibus 1. & 2. C. Tit. *De Usuris rei judicatæ*. Lex *Si bene collata*, 33. *De Usuris*, Libro XXII. Digest. Tit. I. ait, Creditorem præbere se non debere *Acerbum exactorem, nec contumeliosum, sed moderatum, & cum efficacia benignum, & cum in-*

A *stantia humanum.* Sic loquitur *Ulpianus*, ex Christiana ferè Disciplina. *Theodericus* Gothorum Rex Sipontinis Negotiatoribus, qui se dicebant hostium populatione vastatos, concedit privilegium ne per annos duos continuos à creditoribus possint fatigari: quatenus his induciis & datam possint reparare pecuniam creditores ipsi, & aliquatenus debitorum valeat respirare substantia. *Quid enim* (inquit) *proficit creditorem urgere, quando incassum nititur nudatos exigere? Quibus magis prospicimus, si ad mutuata substinendo pervenire faciamus.* Refert *Cassiodorus* Libro II. *Variarum*, Epistolâ XXXVIII.

REGULA XVII.

Lethalis Obdurationis adversùs Misericordiam reus est, qui agrorum suorum aut vinearum colono sive conductori, pensionem non remittit pro rata gravis incommodi sive damni ex sterilitate, aut alio casu fortuito, absque ipsius coloni seu conductoris culpa, aut vitio rei contingente.

C NEc solùm adversùs Misericordiam, verùm & adversùs Justitiam peccat. Utroque enim Jure sancitum est, ut in hujusmodi casibus remissio fiat annuæ pensionis pro rata damni & incommodi: nisi fortè sterilitas anni præcedentis vel subsequentis valeat ubertate compensari. Ita *Gregorius Nonus* respondet, Cap. *Propter*, Extra, *De Locato, & Conducto*, cujus hæc sont verba: *Propter sterilitatem afficientem magno incommodo conductores, vitio rei, sine culpâ coloni, seu casu fortuito contingentem, colonis Ecclesia tua pro rata est pensionis remissio facienda: nisi cum ubertate præcedentis vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari.*

Idem confirmatur ex L. *Licet certie*, Libro IV. Cod. Tit. LXV. & L. *Ex conducto*, Libro XIX. Digest. Tit. II.

ARTICULUS X.

De Prodigalitate.

PRodigalitas peccatum est Avaritiæ oppositum, & cum liberalitatis virtute pariter pugnans. *Differunt autem Avaritia & Prodigalitas secundùm superabundantiam & defectum diversimodè*, (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CXIX. Art. I.) *Nam in affectione divitiarum avarus superabundat, plus debito eas diligens; prodigus autem deficit, minùs debito earum sollicitudinem gerens. Circa exteriora verò ad prodigalitatem pertinet excedere quidem in dando, deficere autem in retinendo & acquirendo: ad avaritiam autem pertinet è contrario deficere quidem in dando, superabundare autem in accipiendo & retinendo.* Prodigalitatem peccatum esse, ex eo confirmatur, quòd divites, quamvis bonorum suorum temporalium domini sint, Dominum tamen superiorem habent, cujus est terra & plenitudo ejus, qui per Prophetam ait: *Meum est aurum, & meum est argentum*; qui hominibus temporalia dedit ad utendum, se ipsum ad fruendum. Non ergo divitiis uti possunt homines prout libet; sed secundùm voluntatem Dei, & leges ab ipso positas. Alioqui illas jure non possident. *Nam tunc quisque habere aliquid dicendus* Aggai 2.

est, quando bene utitur. Et *Quod justè non tractat, jure non tenet*; (inquit *S. Augustinus* Sermone L. alias *De Diversis* XV.) Hinc Christus Discipulos, & in iis Fideles omnes propositis parabolis erudiens, similitudinem Villici inter alias proposuit, *Ut exemplo hujus personæ nihil esse nostrum in sæculo isto signaret: sed nobis creditam esse dispensationem facultatum Domini nostri, vel ad utendum ex eis sufficienter cum gratiarum actione, vel ad distribuendum conservis, prout cuique opus est: nec licere nobis passim facultatibus abusi commissis,* B *aut in expensas usurpare superfluas, cùm sit erogationis ratio Domino venienti reddenda.* Verba sunt *S. Gaudentii*, Sermone XVIII. De prodigalitate. Luc. 16.

Hinc *S. Ambrosius*, Libro II. *De Officiis*, Cap. XXI. *Non prodigos* (inquit) *nos docet esse Scriptura, sed liberales. Largitatis enim duo sunt genera; unum liberalitatis, alterum prodigæ effusionis. Liberale est hospitio suscipere, nudum vestire, redimere captivos, non habentes sumtum juvare: prodigum est sumtuosis effluere conviviis, & vino plurimo. Unde legisti:* Prodigum est vinum, & contumeliosa ebrietas. *Prodigum est, popularis favoris gratiâ exinanire proprias opes. Quod faciunt, qui ludis circensibus, vel etiam theatralibus, & muneribus gladiatoriis, vel etiam venationibus patrimonium dilapidant suum, ut vincant superiorum celebritates, cùm totum illud sit inane quod agunt. Quandoquidem etiam bonorum operum sumtibus immoderatum esse non deceat. Pulcra liberalitas, erga ipsos quoque pauperes mensuram tenere, ut abundes pluribus, non conciliandi favoris gratiâ ultra modum fluere. Quicquid ex affectu puro ac sincero promitur, hoc est decorum: non superfluas ædificationes aggredi, nec prætermittere necessarias. Et maximè Sacerdoti hoc convenit, ornare Templum Dei decore* D *congruo, ut etiam hoc cultu Aula Domini resplendeat; impensas misericordiæ convenientes frequentare, quantùm oporteat largiri peregrinis, non superflua, sed competentia; non redundantia, sed congrua humanitati; ne sumtu pauperum alienam sibi quærat gratiam; ne restrictiorem erga Clericos, aut indulgentiorem se præbeat. Alterum enim inhumanum, alterum prodigum: si aut sumtu desit necessitati eorum, quos à sordidis negotiationis aucupiis retrahere debeat; aut voluptati superfluat.* Proverb. 20.

REGULA I.

E *Quamvis Prodigalitas veniale tantùm peccatum sit ex genere suo, quatenus cum sola liberalitate pugnat; lethale tamen peccatum est, cùm aliquis res suas prodigit contra Regulas Caritatis & Justitiæ, seu ob finem utrique illi Virtuti oppositum.*

SIc lethalis peccati rei sunt, qui bona sua profundunt & decoquunt in comessationibus, & ebrietate, in scortationibus, alea, luxu, & quovis illicitarum voluptatum genere: ut Filius ille Prodigus, qui *Dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè*, ut dicitur *Lucæ* XV. Quod expendens F *S. Augustinus*, Libro II. Quæstionum Evangelicarum, Quæstione XXXIII. ait: *Hanc vitam prodigam vocat, amantem fundere atque spatiari pompis exterioribus, intus inanescentem, cùm ea quisque sequitur quæ ab illo procedunt, & relinquit eum qui sibi est interior.*

Lethalis prodigalitatis rei sunt, quicumque cum gravi aliorum damno vel scandalo bona sua profundunt.

Item tutores & curatores, qui bona pupillorum; Dispensatores, Oeconomi, Administri, Qui lethalis prodigalitatis rei.

De prodigalitate.

qui bona suæ fidei commissa; Nobiles, Mercatores, & quicumque bona creditorum decoquere non verentur, Patres familiâs, qui suarum pecuniarum profusione uxori & liberis graviter nocent, eis non providendo necessaria: & mulieres quæ in mundo muliebri, & superfluo vestium ornatu sumtus immodicos faciunt. De quibus *Tertullianus*, Libro *De Cultu Fœminarum*, Cap. VIII. scribit: *De brevissimis loculis patrimonium grande proferetur. Uno lino decies sestertium inseritur. Saltus & insulas tenera cervix circumfert. Graciles aurium mentes calendarium expendunt, & sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit. Hæ sunt vires ambitionis, tantarum usurarum substantiam uno & muliebri corpusculo bajulare.*

Lethalis tandem prodigalitatis rei sunt, quos sumtus inutiles, vani, immoderati impediunt ab erogandis eleemosynis ex illis quæ sunt ipsis habitâ status & dignitatis ratione superflua. Immodicos & inutiles sumtus, servi aut Oeconomi sui, rerúmque profusionem suarum ab ipsis factam nemo probaret. Qua igitur fronte homines, quibus rerum temporalium possessionem quidem, sed tamen ad rectum usum & dispensationem Deus supremus omnium rerum hominúmque Dominus concessit, rationes suas ipsi probandas sperant, nisi fideliter illas administrent & dispensent? *Places tibi, homo, servus tuus fidelis, & tu non vis esse Deo servus fidelis? Attendis quia habes servum, adtende quia habes Dominum. Servum tuum potuisti comparare, non creare: Dominus tuus & verbo suo creavit te, & Sanguine suo redemit te. Si viluisti tibi, recole pretium: si & hoc oblitus es, lege Evangelium, instrumentum tuum. Fidem amas in servo tuo, & Dominus tuus non quærit eam in suo? Redde quod exigit. Quod tibi gaudes reddi ab inferiore, redde Superiori. Amas servum, qui fideliter custodit aurum tuum: noli contemnere Dominum, qui misericorditer custodit cor tuum.* Verba sunt *S. Augustini*, Sermone XXXVI alias *De Tempore* CCXII.

REGULA II.

Lethalis est ut plurimùm Clericorum Prodigalitas qui Reditus Ecclesiasticos in sumtus inanes profundunt.

Prodigalitas Clericorum quam grave Peccatum?

HÆc Regula colligitur ex *S. Thoma*, Secunda Secundæ, Quæstione CXIX. Art. II. in Responsione ad primum. *Prodigus* (inquit) *peccat in se ipsum, dum bona sua consumit, unde vivere deberet: peccat etiam in alterum consumendo bona ex quibus deberet aliis providere. Et præcipuè hoc apparet in Clericis, qui sunt dispensatores bonorum Ecclesiæ, quæ sunt pauperum, quos defraudant, prodigè expendendo.* Quò spectat & illud *S. Bernardi*, Tractatu *De Moribus & Officio Episcoporum*, sive Epistola ad *Henricum Senonensem* Archiepiscopum, Cap. II. *Dicite Pontifices, non quidem in sancto, sed in freno quid facit aurum: Quam tolerabilius cernitur in sancto quàm in freno! Hoc me etiam tacente, etsi non Curia Regum, tamen penuria pauperum clamat. Sileat licet fama, sed non fames. Fama quidem silet, quia non potest mundus odisse vos. Nam quomodo arguet mundus peccatum, à quo potius laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur? Clamant verò nudi, clamant famelici, conqueruntur & dicunt...... Nobis frigore & fame miserabiliter laborantibus quid conferunt tot mutatoria vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? Nostrum est quod effunditis: nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis. Et nos enim Dei plasmatio, & nos Christi Sanguine redemti sumus. Nos ergo fratres vestri, videte quale sit de fraterna portione pascere oculos vestros: vita nostra cedit vobis in superfluas copias. Nostris necessitatibus detrahitur, quicquid accedit vanitatibus vestris. Duo denique mala de una prodeunt radice cupiditatis, dum & vos vanitando peritis, & nos spoliando perimitis.*

Hinc rursus *S. Thomas*, Quodlibeto VI. Quæstione VIII. Articulo I. ad quartum: *Dicendum* (inquit) *quòd neque moderatus usus divitiarum, neque bona fides dispensatorum salvari videtur in eo qui scienter superfluas expensas facit in voluptuosis conviviis, & aliis hujusmodi superfluitatibus; & ideo non est dubium quod in talibus peccat mortaliter..... Si autem aliquis non multùm in talibus excedat, potest bona fide fieri ab aliquo, qui vult secundùm decentiam sui statûs morem gerere his quibus convivit.*

CAPUT VII.

DE

USURA,

IMMANI AVARITIÆ SOBOLE.

ARTICULUS I.

Quid sit Usura?

Usuræ definitio explicatur.

C USURA *est lucrum ex mutuo exactum aut speratum.*

Lucri nomine accessio quævis ad sortem intelligitur, sive pecuniæ, sive rei alterius pecunia æstimabilis, ut explicat Concilii Tridentini Catechismus. *Est autem usura* (inquit) *quicquid præter sortem, & caput illud quod datum est, accipitur, sive pecunia sit, sive quidvis aliud, quod emi aut æstimari possit pecuniâ: sic enim apud* Ezech. 18. *Ezechielem scriptum est:* USURAM *& superabundantiam non acceperis.* Et Dominus apud Lucam: Luc. 6. MUTUUM *date, nihil inde sperantes.* Quibus verbis fontes indigitat ex quibus illa Usuræ definitio D est derivata. Sors hic dicitur summa principalis seu capitalis, quam aliquis mutuò dat. Exigere aliquid ultra sortem, est exigere aliquid ultra summam principalem, quæ mutuo tradita est ratione ipsius mutui: verbi gratiâ, si mille aureos des alteri ea lege, ut intra tale temporis spatium totidem aureos tibi reddat, & supra illam summam triginta, plus vel minus.

Sola etiam voluntate & intentione usura committitur.

Dicitur lucrum *ex mutuo exactum, vel speratum*; quoniam solâ etiam voluntate & intentione usura committitur. Cùm enim alia sit realis, mentalis altera: utramque complectitur definitio. E Exactio lucri ex mutuo, spectat usuram realem; spes verò lucri ex mutuo, usuram mentalem. Prima externo opere completur: secunda in voluntate sistit. In prima pactum intervenit, seu expressum, seu tacitum reddendi aliquid ultra sortem: in secundâ nullum pactum intercedit vi cujus fœnerantium lucrum à mutuante percipiatur. Exempli gratiâ, Joannes, qui probitatis & honestatis laudem ambit, Jacobo dat mutuo centum aureos, post semestre reddendos, nullâ de quovis lucro aut accessione ad sortem intercedente pactione: sed tamen sperat Jacobum summæ capitali inter solutionem, aliquot aureos, ut à plerisque F fieri solet, additurum. Elapso semestri Jacobus reddit summam capitalem, adjicit sex aureos, plus minùs: Joannes & sortem, & sortis accessionem lubens accipit, quam speraverat: quapropter mentalis usuræ reus est.

Si quid accipitur à mutuatario, non ratione mutui, sed alio justo titulo, vel ut munus gratuitum, nec speratum, non est usura.

Si tamen aliquid mutuans accipiat à mutuatario, non ratione mutui, sive ob pecuniam mutuò datam, sed alio titulo, sive ob aliam causam, damni scilicet verè emergentis, aut lucri cessantis, aut quovis alio justo titulo, servatis servandis, omnique malitiæ velamine remoto, ab usuræ labe immunis est; sicut si accipiat ut gratuitum omnino munus, nec speratum, ut docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXVIII. Articulo II. *Si verò* (inquit) *accipiat aliquid hujusmodi, non quasi exigens, nec quasi ex aliqua obligatione tacita vel expressa, sed sicut gratuitum donum, non peccat: quia etiam antequam pecuniam mutuasset, licitè poterat aliquod donum gratis accipere: nec pejoris conditionis efficitur per hoc quòd mutuavit. Recompensationem verò eorum quæ pecuniâ non mensurantur, licet pro mutuo exigere, putà, benevolentiam & amorem ejus, cui mutuatur, vel* B *aliquid hujusmodi.* Et in Responsione ad tertiam objectionem: *Si aliquis ex pecuniâ mutuatâ expectet vel exigat, quasi per obligationem pacti taciti vel expressi compensationem muneris ab obsequio vel à lingua; perinde est ac si exspectaret, vel exigeret munus à manu; quia utrumque pecuniâ æstimari potest, ut patet in his qui locant operas suas, quas manu vel lingua exercent. Si verò munus ab obsequio vel à lingua non quasi ex obligatione rei exhibeatur, sed ex benevolentia, quæ sub æstimationem pecuniæ non cadit, licet hoc accipere, & exigere, & exspectare.*

Qualibet ad sortem accessio, usura dicitur.

C Hæc Usuræ definitio, Patrum & Theologorum Illustriorum calculis approbatur. *Usura est mutui redundantia*; (inquit *Tertullianus*, Libro IV. contra Marcionem.) *Usura est, si plus quàm sortem acceperis*; (inquit *S. Basilius* in Psalmum XIV.) *Usura est quodcumque sorti accedit*; (inquit *S. Ambrosius*, Libro *de Tobia*, Cap. XIV.) *Usura est, si plus acceperis quàm dederis* (inquit *S. Hieronymus*, in Cap. XVIII. Ezechielis.) *Usura est, si plus quàm dedisti exspectes accipere*; (inquit *S. Augustinus*, in Psalmum XXXVI.) *Usura est, ubi amplius requiritur quàm datur*; (inquit Concilium D Agathense.) *Usura est, cùm quis plus exigit in pecunia, aut in aliqua alia re, quàm dederit*; (inquit Magister Sententiarum Libro III. Distinctione XXXVII.) *Usura est pretium pro usu rei mutuo datæ, quæ usum non habet*; (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXVIII. Articulo I.) Quoniam autem pretium illud, quod pro usu pecuniæ, vel rei cujusque mutuò datæ exigitur, in creditoris emolumentum ac lucrum transit, & iniquè ad sortem accedit: idcirco idem valet pretium usûs rei mutuò datæ exigere aut sperare, quòd lucrum ex mutuo, sive E accessionem ad sortem exigere aut sperare; licèt verba ipsa differre videantur: cùm res mutuo data usum non habeat, qui locari ac pretio æstimari possit, siquidem ipso usu consumitur. *Usura* (inquit S. *Antoninus*, P. II. Tit. I. Cap. VII. §. I.) *est lucrum ex mutuo principaliter intentum.*

Usuræ d[...] [...] principaliter explicatur.

Quam vocem, *Principaliter*, scrupulosiores quidam Autores immeritò reprehendunt, cùm innoxia sit, si sano sensu accipiatur, prout accipit Sanctus Archipræsul definitionem illam explicans. *Principaliter dicitur, propter secundariam intentionem, quæ non inducit usuram. Dicitur autem intentio principalis hæc, cùm scilicet magis movetur ad mutuan-* F *dum propter lucrum quod sperat sibi evenire, quàm propter aliud. Sed intentio secundaria dicitur, quando etsi sperat aliquid sibi dari ab eo cui mutuavit ex liberalitate, tamen non illud eum movet, sed magis benevolentia; ita quòd etiamsi non crederet sibi aliquid dari ultra sortem, adhuc tamen mutuaret. Sicut enim principalis spes & intentio ad temporale inducit simoniam, & non secundaria, in collatione spiritualium, ut habetur expressè* Distinct. LXXXIII. Quid enim prodest, *in Glossa*, & Distinctione LIX. Si officia: *Ita & in mutuo principalis intentio ad lucrum inducit usuram, non secundaria.... Et nota quòd intentio principalis ad lucrum, non solùm*

De usuris

in principio mutuationis, sed etiam habita postea, etsi à principio non habuerit, inducit usuram. Putà, mutuat quis proximo merè en caritate, post mensem subintrat cogitatio mentem ejus de lucro sibi dando ab eo cui mutuavit; & ita inficitur, quòd si non speraret aliquid recipere ultra sortem, repeteret mutuatum, sed propter illud lucrum speratum, dimittit. Certè talis usurarius est, Quæstione 1. Ferrur. §. Vulnerato. *Et si quid ultra sortem recipit, quamvis ille daret non exactus, sed propria sponte, tenetur restituere.*

ARTICULUS II.

Quid sit Mutuum?

M*Utuum est contractus re initus, quo res quæ pondere, numero & mensurâ constant, ea lege alteri dantur ad abusum, ut non eadem quidem specie, sed eadem genere reddantur, servatâ pari quantitate ac simili qualitate.*

Mutui definitio explicatur

Dicitur *Contractus re initus*, quod mutuo commune est cum deposito, commodato, & pignore. Subditur, *Quo res quæ pondere & mensurâ constant*, quibus verbis mutui materia explicatur. Mutuum enim in iis rebus consistit, quæ facilem comparationem ac promiscuum usum habent, & quæ solâ quantitate & qualitate intra idem genus spectatâ ac servatâ, æquabiliter inter se dando & reddendo mutuantur. Unde quantitate magis quàm corpore constare ac valere dicuntur; quia solâ quantitate servatâ, inter se comparantur & exæquantur; cùm una æquè utilis sit, & æquè prosit ac altera; modò par quantitas intra idem genus servetur. Quod in ceteris rebus, quæ suo usu non consumuntur, adeóque mutui materia non sunt, non reperitur. Nam equus ab equo usu plurimùm differt, vixque evenit ut usu & commoditate similis sit alteri. Unde fit ut in iis rebus corpus magis spectetur quàm quantitas, nec una pro alia, etiam intra idem genus reddi possit, ut equus pro equo, bos pro bove. Hinc *Justinianus*, Libro III. *Institutionum*, Tit. XV. ait: *Re contrahitur obligatio, veluti Mutui datione. Mutui autem datio in iis rebus consistit, quæ pondere, numero, mensurâ constant: veluti vino, oleo, frumento, pecuniâ numeratâ, ære, argento, auro: quas res aut numerando, aut metiendo, aut appendendo in hoc damus, ut accipientium fiant.*

Subditur, *dantur ad abusum*, ad quem scilicet naturâ suâ ordinantur: earum enim rerum usus, ad quem per se referuntur, abusus earum est. Dicitur autem hîc abusus Jurisconsultorum more ac sensu, non usus ille perversus ac pravus, quo res ipsæ, quibus abutimur, à proprio fine abducuntur ad quem factæ aut institutæ sunt; sed usus ipse, quo res illas, quibus utimur, consumimus, aut distrahimus utendo. Quo sensu *Boetius*, in Topica *Ciceronis*, ait: *Utimur iis, quæ nobis utentibus permanent; iis verò abutimur, quæ nobis utentibus pereunt.* Hac autem in re mutuum differt à commodato, deposito, & pignore. Quamvis enim hæ ipsæ res quæ mutuo dantur, deponi, pignori dari, ac etiam ad pompam & ostentationem commodari possint, revera tamen neque deposito, neque pignore, neque commodato dantur ad abusum; sed deposito dantur ad custodiam; pignore verò ad securitatem; commodato demum ad pompam & ostentationem. Ex quo efficitur, ut eædem ipsæ res, quæ deponuntur, commodantur, aut pignori dantur, reddi debeant, non aliæ; cùm tamen eæ ipsæ res mutuo datæ non debeant reddi, sed æquales & intra idem genus: cùm ad abusum dentur, suóque ipso usu consummantur. Unde Paulus Jurisconsultus L. II. D. Tit. *De Rebus Creditis*, ait: *Mutuum damus recepturi non eamdem speciem, quam dedimus, alioquin commodatum erit, aut depositum, sed idem genus: nam si aliud genus, veluti ut pro tritico vinum recipiamus, non erit mutuum.*

De Usura.

Dicitur, *eâ lege ut non eâdem quidem specie, sed eadem genere reddantur*, quibus verbis mutuum & à donatione, & à permutatione differt: a donatione quidem; quâ aliquid ita datur, ut nihil reddi debeat: à permutatione verò in qua res unius generis pro re alterius generis redditur, verbi gratiâ, frumentum pro vino. Differt etiam hac in re Mutuum à commodato, deposito, pignore, precario: quibus in contractibus interponitur fides reddendæ ejusdem rei. Hinc sequitur, Mutuum alienationem continere. Unde *Justinianus* Libro III. *Institutionum*, Tit. XV. ait: *Quoniam nobis non eadem res; sed aliæ ejusdem naturæ & qualitatis redduntur: inde etiam Mutuum appellatum est; quia ita à me tibi datur, ut ex meo tuum fiat. Et ex eo Contractu nascitur actio, quæ vocatur Condictio.* Et *Paulus* Jurisconsultus L. 2. Dig. Tit. *De Rebus Creditis*, ait: *Appellata est Mutui datio ab eo quòd de meo tuum fit: & ideo si non fiat tuum, non nascitur obligatio.* Quamobrem in Mutuo necesse est, ut ille qui dat, dominus sit, ut rei dominium in alterum transferre possit, ut observat idem Jurisconsultus: *In Mutui datione* (inquit) *oportet dominum esse dantem.* Quamobrem si fur nummos tibi credendi animo dedit, quia eos accipientis non facit, Mutuum non contrahitur, neque inde obligatio aut condictio, seu actio in personam nascitur, ut tradit *Ulpianus*, L. 13. Dig. Tit. *De Rebus creditis.* Sive autem inde Mutuum dictum sit, quòd ex meo tuum fiat, sive quòd mutationem quandam complectatur ac designet; quia nimirum eædem ipsæ res quæ mutuò dantur, suóque usu consumuntur, reddi nequeunt; & præterea vicissitudo quædam dandi & accipiendi inter creditorem & debitorem interveniat, certum est Mutuo dominium rei in accipientem transferri; si dans Mutuum dominus sit, & voluntatem habeat alienandi ac transferendi dominii rei, quam dat, in illum qui ab ipso mutuatur. Unde pupillus Mutuum dare sine tutoris auctoritate non potest, quia ei sine tutoris auctoritate alienare non licet, ut tradit *Justinianus*, Lib. II. *Institutionum*, Tit. VIII. Traditione autem rei mutuò datæ non solùm fit ejus alienatio, sed simul paritur obligatio in debitore; quia non quidem eam ipsam rem quam accipit teneatur reddere, sed similem intra idem genus.

Additur dènique in definitione, *Servatâ pari quantitate ac simili qualitate*: ut perfecta æqualitas in Mutuo servanda indicetur. Unde *Pomponius* Jurisconsultus L. 3. Dig. Tit. *De Rebus creditis*, ait: *Cùm quid Mutuum dederimus, etsi non cavimus ut æquè bonum nobis redderetur; non licet debitori deteriorem rem, quæ ex eodem genere sit, reddere: veluti vinum novum pro vetere: nam in contrahendo quod agitur, pro cauto habendum est: id autem agi intelligitur, ut ejusdem generis, & eadem bonitate solvatur, quod datum sit.*

ARTICULUS III.

An Usura prohibita sit omnis?

Erga omnes? Et quo Jure?

De Usuris. Calvinus, Molinæus, & Salmasius usurarum patroni.

CAlvinus pluribus in locis, præsertim verò in Commentariis *Ezechielis*, ad Cap. XVIII. & in Expositione Decalogi, Usuram aut fœnus tuetur, si à divitibus, non à pauperibus exigatur, modúmque legibus definitum servet, asseritque Usurarum ac fœnoris prohibitionem, quæ in Veteri Testamento legitur, ad ordinem politicum pertinuisse, ac proinde cum ipsa Lege Veteri obsolevisse; cùm inter judicialia, non inter moralia præcepta numeranda sit: nisi quatenus legem naturalem continet, quâ vetatur ne aliis faciamus, quod nobis fieri nolumus. *Carolus Molinæus*, in suo *De Usuris* Tractatu *Calvini* sententiam sequutus, Usuram, si moderata sit, modúmque à legibus definitum servet, honestam ac justam esse contendit, asseritque ipsam neque cum Lege Divina, neque cum Naturali pugnare, nisi gravis sit & mordax, vel à pauperibus aut indigentibus exigatur, non verò si levis ac moderata sit, & à divitibus ac negotiatoribus, qui res suas ex pecunia Mutuo accepta amplificant, exigatur ac percipiatur. *Salmasius* Libro *De Usuris*, asserit Usuram per se honestam & justam esse, eo nomine quòd locatæ pecuniæ merces esse videatur: illámque Evangelicæ Legi contrariam non esse, quamvis Judæis erga Judæos Veteri lege vetita fuerit; non quidem tanquam per se mala, sed tanquam politico illorum regimini, civilique societati parum consentanea. Alii Hæreticorum illorum hominum vestigiis insistentes, lucrum illud quod ultra sortem à mercatoribus, aliísve hominibus, qui res familiares amplificant, exigitur, non solùm honestum ac justum, divinæque legi ac naturali consentaneum esse, sed ne usuram quidem ac fœnus nominandum esse pertinaciter contendunt: id enim solùm usuram ac fœnus esse dicendum, quod a pauperibus aut indigentibus exigitur. Quocirca duplex Mutui genus excogitarunt ac distinxerunt: unum quo res ad consumptionem datur; alterum quo datur ad negotiationem: asserúntque Usuram in Mutuo consumptionis, quod plerúmque cum pauperibus & indigentibus contrahitur, versari solùm, non in mutuo negotiationis, quòd cum mercatoribus contrahitur, iísve hominibus qui res familiares augent. Has Sententias Hæreticas esse nemo Catholicus dubitaverit, secundum Concilii Viennensis sub *Clemente V.* Definitionem: *Si quis*, inquit, *in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere Usuras non esse peccatum, decernimus velut Hæreticum puniendum. Locorum nihilominus Ordinariis & Hæreticæ Pravitatis Inquisitoribus districtius injungentes, ut contra eos, quos de errore hujusmodi diffamatos invenerint, aut suspectos, tanquam contra diffamatos vel suspectos de hæresi procedere non omittant.*

PROPOSITIO I.

Usura omnis, sive lucrum, aut accessio, quando ultra sortem mutuo datam exigitur, sive à pauperibus & indigentibus, sive à divitibus, Mercatoribus, iisve hominibus qui res suas amplificant, quantumvis moderata sit, per se turpis ac injusta est, Legique Naturæ contraria.

B ID ipsorum Philosophorum Ethnicorum testimonio probatur, qui solum Animæ nullis præjudiciis occupatæ judicium sequuti, usuram omnem fugiendam esse docuerunt, & velut naturæ repugnantem damnarunt. Sic *Plato* Libro V. *De Legibus*; sic *Aristoteles* Libro I. *Politicorum*, Cap. VII. *Optima ratione*, inquit, *omnibus odio est ars fœneratrix, quòd ab ipso nummo quæstus fiat, & non ad quam rem paratus est, usurpetur: permutationis enim gratiâ institutus est; fœnus autem nummum auget ac multiplicat, unde & nomen habet, & τόκος dicitur, quasi partus: similia enim* C *sunt ea quæ gignuntur, iis quæ gignunt ac procreant; in fœnore autem pecuniâ pecunia partus ac fœtus est. Quamobrem hoc ipsa quærenda pecuniæ ratio maximè omnium abhorret à natura.* Et Libro IV. Ethicorum, *Fœneratores* non minùs quàm *Lenones* inter illos numerat, qui illiberales operas præstant, sordidásque artes exercent, qui *Accipiunt unde non oportet, & quantùm non oportet.* Legi potest & *Plutarchus* in Opusculo ea de re edito. Hinc *Seneca* Libro VII. *De Beneficiis*, ait: *Quid fœnus, & kalendarium, & usura, nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina?* Et Suidas ex *Aristophane* in *Nubibus*, ait: *Usuram esse* D *feram quamdam belluam, quæ per menses & dies ampliùs argenti semper gignit serpente tempore.* Hinc illud Catonis, *Quid fœnerari? Quid hominem occidere?* Gravissimum ergo semper fuisse hoc facinus, etiam apud Gentes, & maximè odiosum, meritò asserit Concilii Tridentini Catechismus.

De usuris. Ethnici ipsi usuram omnem fugiendam docent.

Quod *Aristoteles* scitè dixit, Usuram eo nomine contra naturam esse, quòd pecuniam per se sterilem, & quæ nullam vim pariendi à naturâ aut à lege accepit, sed ad res vitæ necessarias, utiles, aut commodas comparandas instituta est, ordinatáque ut sit medium commutationis, præsidium indigentiæ, Usurarius ad quæstum ex ipsis nummis immediatè faciendum refert, quasi idem medium & finis esse possit: Hanc (inquam) rationem Sancti Patres approbant, ipsáque utuntur ad Usuræ perversitatem ac iniquitatem ostendendam: scilicet *S. Gregorius Nyssenus*, Homiliâ IV. in Ecclesiasten. *O acerbas nuptias*, inquit, *ò improbam conjunctionem! Quam natura quidem non cognovit, avarorum autem moribus inter inanimata innovavit. O graves & molestos conceptus, è quibus hujusmodi fœtus, id est, fœnus enascitur! In rebus solùm quæ sunt, vivunt, ac sentiunt, discrimen invenitur sexûs maris & feminæ: Eis enim dixit Creator Deus*, Crescite, & multiplicamini, *at per mutuam inter se generationem augerentur ac multiplicarentur, quo gignuntur animantia. nummi autem fœtus seu fœnus, ex quonam consistit matrimonio? ex quanam perficitur conceptione? Ceterùm ex Propheta didici, quæ sit hujus fœtus conceptio:* Ecce parturiit *injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Hic est ille partus quem parturit quidem avaritia, parit autem iniquitas, & obstetricatur inhumanitas.*

Usura omnis naturæ juri adversatur.

Psalm. 7. 15.

Et *Sanctus Basilius* in Psalmum XIV. *Genus hoc avaritiæ* (inquit) *partus appellatur ob multiplex*

De usuris

in principio mutuationis, sed etiam habita postea, etsi à principio non habuerit, inducit usuram. Putà, mutuat quis proximo merè ex caritate, post mensem subintrat cogitatio mentem ejus de lucro sibi dando ab eo cui mutuavit; & ita inficitur, quòd si non speraret aliquid recipere ultra sortem, repeteret mutuatum, sed propter illud lucrum speratum, dimittit. Certè talis usurarius est. Quæstione 1. Ferìur. §. Vulnerato. *Et si quid ultra sortem recipit, quamvis ille daret non exactus, sed propria sponte, tenetur restituere.*

ARTICULUS II.

Quid sit Mutuum?

M*Utuum est contractus re initus, quo res quæ pondere, numero & mensurâ constant, ea lege alteri dantur ad abusum, ut non eadem quidem specie, sed eadem genere reddantur, servatâ pari quantitate ac simili qualitate.*

Mutui definitio explicatur

Dicitur *Contractus re initus*, quod mutuo commune est cum deposito, commodato, & pignore. Subditur, *Quo res quæ pondere & mensurâ constant*, quibus verbis mutui materia explicatur. Motuum enim in iis rebus consistit, quæ facilem comparationem ac promiscuum usum habeot, & quæ solâ quantitate & qualitate iotra idem genus spectatâ ac servatâ, æquabilitei inter se dando & reddendo mutumtur. Unde qoantitate magis quàm corpore cnostare ac valere dicuotur; quia solâ quantitate servatâ, inter se comparantur & exæquantur: cùm una æquè utilis sit, & æquè prosit ac altera; modò par quantitas intra idem genus servetur. Quod in ceteris rebus, quæ suo usu non consumuntur, adeóque motui materia non sunt, non tepetitur. Nam equus ab equo usu plorimùm differt, vixque evenit ut osu & commoditate similis sit alteri. Unde fit ut in iis rebus corpus magis spectetur quàm quantitas, nec una pro alia, etiam intra idem genus reddi possit, ut equus pro eqoo, bos pro bove. Hinc *Justinianus*, Libro III. *Institutionum*, Tit. XV. ait: *Re contrahitur obligatio, veluti Mutui datione. Mutui autem datio in iis rebus consistit, quæ pondere, numero, mensurâ constant: veluti vino, oleo, frumento, pecuniâ numeratâ, ære, argento, auro: quas res aut numerando, aut metiendo, aut appendendo in hoc damus, ut accipientium fiant.*

Sobditur, *dantur ad abusum*, ad quem scilicet naturâ suâ ordinantor: earum enim rerum usus, ad quem per se referuntor, abusus earum est. Dicitur autem hîc abusus Jurisconsultorum more ac senso, non usus ille perversus ac pravus, quo res ipsæ, quibus abutimur, à proprio fine abducuntur ad quem factæ aut institutæ suot; sed usus ipse, qoos res illas, qoibus utimur, consumimus, ant distrahimus utendo. Quo senso *Boetius*, in Topica *Ciceronis*, ait: *Utimur iis, quæ nobis utentibus permanent: iis verò abutimur, quæ nobis utentibus pereunt.* Hac autem in re motuum differt à commodato, deposito, & pignore. Quamvis enim hæ ipsæ res quæ mutuo dantur, deponi, pignori dari, ac etiam ad pompam & ostentationem commodari possint, revera tamen neque deposito, neque pignore, neqoe commodato dantor ad abusum; sed deposito dantor ad custodiam; pignore verò ad secoritatem; commodato demum ad pompam & ostentationem. Ex quo efficitur, ut eædem ipsæ res, quæ deponuntur, commodantur, aut pignori dantur, reddi debeant, non aliæ; cùm tamen ex ipsæ res mutuo datæ non debeant reddi, sed æquales & intra idem genus; cùm ad abusum dentur, subque ipso usu consummantur. Unde Paulus Jurisconsultus L. 11. D. Tit. *De Rebus Creditis*, ait: *Mutuum damus recepturi non eamdem speciem, quam dedimus, alioquin commodatum erit, aut depositum, sed idem genus: nam si aliud genus, veluti ut pro tritico vinum recipiamus, non erit mutuum.*

De Usuris

Dicitur, *eâ lege ut non eadem quidem specie, sed eadem genere reddantur*, quibus verbis mutuum & à donatione, & à permutatione differt: à donatione quidem; quia aliquid ita datur, ut nihil reddi debeat: à permutatione verò in qua res unius generis pro re alterius generis redditur, verbi gratiâ, frumentum pro vino. Differt etiam hac in re Mutuum à commodato, deposito, pignore, precario: quibus in contractibus interponitur fides reddeodæ ejusdem rei. Hinc sequitur, Motuum alienationem continere. Uude *Justinianus* Libro III. *Institutionum*, Tit. XV. ait: *Quoniam nobis non eadem res; sed aliæ ejusdem naturæ & qualitatis redduntur: inde etiam Mutuum appellatum est; quia ita à me tibi datur, ut ex meo tuum fiat. Et ex eo Contractu nascitur actio, quæ vocatur Condictio.* Et *Paulus* Jurisconsultus L. 2. Dig. Tit. *De Rebus Creditis*, ait: *Appellata est Mutui datio ab eo quòd de meo tuum fit: & ideo si non fiat tuum, non nascitur obligatio.* Quamobrem in Mutuo necesse est, ut ille qui dat, dominus sit, ut rei dominium in alterum transferre possit, ut observat idem Jurisconsultus: *In Mutui datione* (inquit) *oportet dominum esse dantem.* Quamobrem si fur nummos tibi credendi animo dedit, quia eos accipientis noo facit, Mutuum non contrahitur, neque inde obligatio aut condictio, seu actio in personam nascitur, ut tradit *Ulpianus*, L. 13. Dig. Tit. *De Rebus creditis.* Sive autem inde Mutuum dictom sit, quòd ex meo toom fiat, sive quòd mutationem quandam complectatur ac designet; quia nimirum eædem ipsæ res quæ mutuò dantur, subque osu consumuntur, reddi neqoeunt; & prætereà vicissitudo quædam dandi & accipiendi inter creditorem & debitorem interveniat, certum est Mutuo dominiom rei in accipientem transferri; si dans Mutuum dominus sit, & voluntatem habeat alienandi ac transferendi dominii rei, quam dat, in illum qui ab ipso mutuatur. Unde pupillus Mutuum dare sine tutoris auctoritate non potest, quia ei sine tutoris auctoritate alienare oon licet, ut tradit *Justinianus*, Lib. II. *Institutionum*, Tit. VIII. Traditione autem rei mutuò datæ oon solùm fit ejus alienatio, sed simol paritor obligatio in debitore; quia non quidem eam ipsam rem quam accipit teneatur reddere, sed similem intra idem genus.

Additur denique in definitione, *Servatâ pari quantitate ac simili qualitate*: ut perfecta æqualitas io Mutuo servanda indicetur. Uode *Pomponius* Jurisconsultus L. 3. Dig. Tit. *De Rebus creditis*, ait: *Cùm quid Mutuum dederimus, etsi non cavimus ut æquè bonum nobis redderetur; non licet debitori deteriorem rem, quæ ex eadem genere sit, reddere: veluti vinum novum pro vetere: nam in contrahendo quod agitur, pro cauto habendum est: id autem agi intelligitur, ut ejusdem generis, & eadem bonitate solvatur, quod datum sit.*

ARTICULUS III.

An Usura prohibita sit omnis?

Erga omnes? Et quo Jure?

De Usuris. Calvinus, Molinæus, & Salmasius usurarum patroni.

CAlvinus pluribus in locis, præsertim verò in Commentariis *Ezechielis*, ad Cap. XVIII. & in Expositione Decalogi, Usuram aut fœnus tuetur, si à divitibus, non à pauperibus exigatur, modúmque legibus definitum servet, asseritque Usurarum ac fœnoris prohibitionem, quæ in Veteri Testamento legitur, ad ordinem politicum pertinuisse, ac proinde cum ipsa Lege Veteri obsolevisse; cùm inter judicialia, non inter moralia præcepta numeranda sit: nisi quatenus legem naturalem continet, quâ vetatur ne aliis faciamus, quod nobis fieri nolumus. *Carolus Molinæus*, in suo *De Usuris* Tractatu *Calvini* sententiam sequutus, Usuram, si moderata sit, modúmque a legibus definitum servet, honestam ac justam esse contendit, asseritque ipsam neque cum Lege Divina, neque cum Naturali pugnare, nisi gravis sit & mordax, vel à pauperibus aut indigentibus exigatur, non verò si levis ac moderata sit, & à divitibus ac negotiatoribus, qui res suas ex pecunia Mutuo accepta amplificant, exigatur ac percipiatur. *Salmasius* Libro *De Usuris*, asserit Usuram per se honestam & justam esse, eo nomine quòd locatæ pecuniæ merces esse videatur: illámque Evangelicæ Legi contrariam non esse, quamvis Judæis erga Judæos Veteri lege vetita fuerit; non quidem tanquam per se mala, sed tanquam politico illorum regimini, civilique societati parum consentanea. Alii Hæreticorum illorum hominum vestigiis insistentes, lucrum illud quod ultra sortem à mercatoribus, aliisve hominibus, qui res familiares amplificant, exigitur, non solùm honestum ac justum, divinæque legi ac naturali consentaneum esse, sed ne usuram quidem ac fœnus nominandum esse pertinaciter contendunt: id enim solùm usuram ac fœnus esse dicendum, quod a pauperibus aut indigentibus exigitur. Quocirca duplex Mutui genus excogitarunt ac distinxerunt: unum quo res ad consumptiónem datur; alterum quo datur ad negotiationem: asserúntque Usuram in Mutuo consumptionis, quod plerúmque cum pauperibus & indigentibus contrahitur, versari solùm, non in mutuo negotiationis, quod cum mercatoribus contrahitur, iisve hominibus qui res familiares augent. Has Sententias Hæreticas esse nemo Catholicus dubitaverit, secundum Concilii Viennensis sub *Clemente V.* Definitionem: *Si quis*, inquit, *in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere Usuras non esse peccatum, decernimus velut Hæreticum puniendum. Locorum nihilominus Ordinariis & Hæreticæ Pravitatis Inquisitoribus districtiùs injungentes, ut contra eos, quos de errore hujusmodi diffamatos invenerint, aut suspectos, tanquam contra diffamatos vel suspectos de hæresi procedere non omittant.*

PROPOSITIO I.

Usura omnis, sive lucrum, aut accessio, quando ultra sortem mutuo datam exigitur, sive à pauperibus & indigentibus, sive à divitibus, Mercatoribus, iisve hominibus qui res suas amplificant, quantumvis moderata sit, per se turpis ac injusta est, Legique Naturæ contraria.

De usuris. Ethnici ipsi usuram omnem fugiendam docent.

B ID ipsorum Philosophorum Ethnicorum testimonio probatur, qui solum Animæ nullis præjudiciis occupatæ judicium sequuti, usuram omnem fugiendam esse docuerunt, & velut naturæ repugnantem damnarunt. Sic *Plato* Libro v. *De Legibus*; sic *Aristoteles* Libro I. *Politicorum*, Cap. VII. *Optima ratione*, inquit, *omnibus odio est ars fœneratrix, quòd ab ipso nummo quæstus fiat, & non ad quam rem paratus est, usurpetur: permutationis enim gratiâ institutus est; fœnus autem nummum auget ac multiplicat, unde & nomen habet, & hinc dicitur, quasi partus: similia enim* C *sunt ea quæ gignuntur, iis quæ gignunt ac procreant; in fœnore autem pecuniâ pecunia partus ac fœtus est. Quamobrem hæc ipsa quærendæ pecuniæ ratiò maximè omnium abhorret à natura.* Et Libro IV. Ethicorum, *Fœneratores* non minùs quàm *Lenones* inter illos numerat, qui illiberales operas præstant, sordidásque artes exercent, qui *Accipiunt unde non oportet, & quantùm non oportet.* Legi potest & *Plutarchus* in Opusculo ea de re edito. Hinc *Seneca* Libro VII. *De Beneficiis*, ait: *Quid fœnus, & kalendarium, & usura, nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina?* Et Sui- D das ex *Aristophane* in *Nubibus*, ait: *Usuram esse feram quamdam belluam, quæ per menses & dies amplius argenti semper gignit serpente tempore.* Hinc illud Catonis, *Quid fœnerari? Quid hominem occidere?* Gravissimum ergo semper fuisse hoc facinus, etiam apud Gentes, & maximè odiosum, meritò asserit Concilii Tridentini Catechismus.

Usura omnis naturæ juri adversatur.

Quod *Aristoteles* scitè dixit, Usuram eo nomine contra naturam esse, quòd pecuniam per se sterilem, & quæ nullam vim pariendi à naturâ aut à lege accepit, sed ad res vitæ necessarias, utiles, aut commodas comparandas insti- E tuta est, ordinatáque ut sit medium commutationis, præsidium indigentiæ, Usurarius ad quæstum ex ipsis nummis immediatè faciendum referat, quasi idem medium & finis esse possit: Hanc (inquam) rationem Sancti Patres approbant, ipsáque utuntur ad Usuræ perversitatem ac iniquitatem ostendendam: scilicet *S. Gregorius Nyssenus*, Homiliâ IV. in Ecclesiasten. *O acerbas nuptias*, inquit, *ò improbam conjunctionem! Quam natura quidem non cognovit, avarorum autem morbus inter inanimata innovavit. O graves & molestos conceptus, è quibus hujusmodi fœtus, id est, fœnus enascitur! In rebus solùm quæ sunt, vivunt, ac sentiunt,* F *discrimen invenitur sexûs maris & feminæ: Eis enim dixit Creator Deus*, Crescite, & multiplicamini, *ut per mutuam inter se generationem augerentur ac multiplicarentur, quæ gignuntur animantia: nummi autem fœtus seu fœnus, ex quonam consistit matrimonio? ex quanam perficitur conceptione? Ceterùm ex Propheta didici, quæ sit hujus fœtus conceptio:* ECCE *parturiit injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Hic est ille partus quem parturit quidem avaritia, parit autem iniquitas, & obstetricatur inhumanitas.* Psalm. 7. 15.

Et *Sanctus Basilius* in Psalmum XIV. *Genus hoc avaritiæ* (inquit) *partus appellatur ob multiplex*

De Usuris.

mali germen atque fœcunditatem. Semina omnia suo tempore nascuntur; animalia quoque præstituto tempore fœtus edunt suos: fœnus hodie nascitur, hodie parere incipit. Animalia quæ citò pariunt, citò etiam à partu desistunt: pecunia verò statim pariunt, & accessionem cum tempore recipiunt infinitam. Quæ crescendi vim habent, ubi ad convenientem sibi justamque staturæ magnitudinem pervenêre, augeri desinunt: pecunia verò avari omni tempore augescit, accretionis nullus est finis. Animalia ubi pariendi vices cesserunt soboli suæ, non jam ulterius impregnantur: fœneratorum pecunia, etiam quæ succreverunt, statim pariunt, & veteres renovantur. Hunc *Basilii* locum imitatur & amplificat *S. Ambrosius*, Libro *De Tobia*, Cap. XIII.

Leo denique *Decimus* in Concilio Lateranensi Sessione X. *Prompta est* (inquit) *Usurarum interpretatio, quando videlicet ex usu rei quæ non germinat, nullo labore, nullo sumptu nullóve periculo lucrum fœtusque conquiri studetur.*

Præterea, Contra jus naturæ pugnat duplicem compensationem pro una eademque re exigere, sive rem eamdem bis vendere, aut id vendere quod non est: sed qui fœnerantur bis idem vendunt, aut certè id vendunt quod non est: naturæ itaque jus evertunt.

Prior Propositio nota est: violatur enim æqualitas, dum plus exigitur quam fuerit datum, contra illud Juris Principium L. IX. *Cod.* Tit. De non numerata Pecunia, *Ultra id quod accepit, re obligari neminem posse constat.* Et L. XVII. *Digest.* Tit. De Pactis; *Re non potest obligatio contrahi, nisi quatenus datum sit.*

Secunda Propositio sic probatur: Qui ex mutuo aliquam accessionem ad sortem exigit, vel exigit aliam percipitque ratione sortis sive pecuniæ mutuo datæ, aut ratione usus ipsius: si ratione sortis mutuo datæ percipiatur, duplicem pro una eadémque re compensationem recipit, siquidem & totam sortem seu summam capitalem mutuo datam exigit ac percipit, & præterea accessionem seu usuras. Bis itaque rem eamdem vendit, ut ait Concilii Tridentini Cathechismus. Si verò pro usu pecuniæ, seu rei alterius pecuniâ æstimabilis mutuo datæ exigit aliquid ultra sortem, id vendit quod non est: nam usus pecuniæ seu rei alterius mutuo datæ ab ipsa pecunia sive re ac proprietate ejus separari non potest, neque separatam ab illa æstimationem habet. Siquidem in rebus quæ usu consumuntur, usus rei seorsim à re ipsa æstimari non potest, verbi gratiâ, usus frumenti seorsim à frumento. Unde *Joannes* XXII. in Extravag. *Ad conditorem*, ait: *Dicere quòd in rebus quæ usu consumuntur, usus juris vel facti separatus à proprietate rei seu dominio possit constitui, repugnat juri, & obviat rationi.* Et paulò post: *In rebus usu consumptibilibus nec jus utendi, nec usus facti separata à rei proprietate seu dominio possunt constitui vel haberi.* Et rationem statim subjicit: *quoniam scilicet usufructus & usus, jus quoddam est rebus alienis utendi fruendi-ve salvâ earum substantiâ; quod quidem in rebus quæ usu consumuntur, fieri non potest.* In rebus igitur illis quæ suo usu consumuntur, neque jus illis utendi in alteram transferri potest, retentâ earum ipsarum rerum proprietate, neque in illis ipsis rebus jus utendi fruendi constitui potest salvâ earum ipsarum substantiâ, ut tradit *Justinianus* Libro II. *Institutionum*, Tit. IV. *Constituitur* (inquit) *ususfructus non tantùm in fundo & ædibus, verùm etiam in servis & jumentis, & cæteris rebus, exceptis iis quæ ipso usu consumuntur. Nam hæ res neque naturali ratione, neque civili recipiunt usumfructum: quo in numero sunt vinum, oleum, frumentum, vestimenta, quibus proxima est pecunia numerata: namque ipso usu assiduâ permutatione quodammodo extinguitur.* Quamobrem sicut is qui seorsim vellet vendere triticum, & seorsim usum illius tritici, facinus attentaret rationi jurique naturali planè repugnans, quia rem eamdem bis vendere vellet, aut certè vendere rem quæ non est; ita qui pro pecunia mutuo data tantumdem pecuniæ percipit, & insuper aliquid pretio æstimabile pro ipsius pecuniæ usu, jus naturæ apertè violat & evertit.

Confirmatur: Iniquissimum est, pretium exigere ac percipere pro re quæ non est sua: usus porro rei mutuo datæ non est creditoris, sed debitoris, in quem per Mutuum transfertur dominium pecuniæ seu rei alterius mutuo datæ, & quæ usu consumi potest, simul cum rei ipsius usu. Siquidem Mutuum inde appellatum, *Quia ita à me tibi datur ut ex meo tuum fiat*: adeò ut, *si non fiat tuum, nulla nascatur obligatio*, Paulus Jurisconsultus L. II. *Digest.* Tit. *De Rebus Creditis*, & *Justinianus* Libro III. *Institutionum*, Tit. XIV. tradunt. Unde si res mutuo data pereat, non perit creditori sed debitori, ut *Justinianus* docet, Libro III. *Institutionum*, Tit. XV. *Is* (inquit) *cui res aliquando utenda datur, id est, commodatur, re obligatur, re tenetur commodati actione. Sed is ab eo qui mutuum accepit, longè distat: namque non ita res datur ut ejus fiat; & ob id de eâ re ipsâ restituenda tenetur. Et is quidem qui Mutuum accepit, si quolibet fortassis casu amiserit quod accepit, veluti ruinâ, incendio, naufragio, aut latronum hostiúmve incursu, nihilominus obligatus remanet. At is qui utendum accepit, sanè quidem exactam diligentiam custodiendæ rei præstare jubetur; nec sufficit ei tantam diligentiam adhibuisse, quantam suis rebus adhibere solitus est, si modò alius diligentior poterat eam rem custodire: sed propter majorem vim majorésve casus non tenetur, si modò non ipsius culpâ is casus intervenit.*

Idem rursùs confirmatur ex discrimine quod intercedit inter pecuniam & res cæteras. Quædam enim sunt, quorum usus non est ipsa rei consumptio; sicut usus domûs est inhabitatio, non dissipatio: & ideo in his dominium seorsim ab usu, vel usus seorsim à dominio concedi potest: sic aliquis transfert dominium domûs in alterum, reservato sibi usu ad tempus; vel contra concedit alteri usum domûs, reservato sibi ejus dominio: & propterea licet exigere pretium pro usu domûs, & repetere domum commodatam, sicut patet in conductione & locatione domûs. Pecunia verò in eum præcipuè finem instituta est ut commutationibus serviat, rebúsque necessariis & utilibus comparandis: unde proprius & præcipuus pecuniæ usus est ipsius consumptio, sive distractio, quatenus in commutationes expenditur. Quamobrem illicitum est pro usu pecuniæ mutuo datæ accipere pretium, quod dicitur Usura.

Hæ rationes, quæ Usuram omnem illicitam ac per se malam esse probant, tam moderatam quàm gravem ac mordacem, tam eam quæ à divitibus & negotiatoribus, quàm quæ à pauperibus exigitur & percipitur, ex *S. Thoma* deprompta sunt in III. *Sententiarum* Distinctione XXXVII. Quæstione I. Articulo VI. in Quæstionibus Disputatis, Quæstione XIII. *De Malo*, Articulo IV. Quodlibeto III. Quæstione VII. Articulo II. & *Secunda Secundæ*, Quæstione LXXVIII. Articulo I. In his autem omnibus locis Usuram omnem

DE PECCATIS.

De Usuris.

Secundùm se injustam, quia venditur id quod non est; per quod manifestè inæqualitas constituitur, quæ justitiæ contrariatur; asserit Angelicus Doctor: vel *Dare pecuniam mutuo ad Usuram, esse peccatum mortale. Nec ideo esse peccatum quia est prohibitum: sed potiùs ideo esse prohibitum, quia est secundùm se peccatum; est enim contra justitiam naturalem.*

PROPOSITIO II.

Usura omnis, sive lucrum & accessio, quæ ultra sortem mutuo datam exigitur & percipitur, sive à pauperibus, sive à divitibus, Divinæ Legi repugnat.

Usura omnis divina lege damnatur, sive à divitibus, sive à pauperibus exigatur.

Scriptum est enim Deuteronomii XXIII. *Non fœneraberis fratri ad Usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno: fratri autem tuo absque Usura id quo indiget commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo.* Frater est omni homo: à quocumque igitur homine Usuram pecuniæ, & fœnus frugum, ac etiam cujuscumque alterius rei exigere lex vetat, non solùm gravem, sed etiam quicquid sorti accedit; non solùm à pauperibus, sed etiam à divitibus, & à mercatoribus, qui pecuniâ Mutuo acceptâ & Negotiationi expositâ, res suas amplificant. Hæc porrò prohibitio non ad Præcepta Judicialia seu Politica, sed ad Moralia referenda est: siquidem eo loco utuntur SS. Patres, ut probent usuram tam Veteri quàm Nova Lege vetitam esse Christianis hominibus; cùm per se turpis & injusta sit: scilicet *Clemens Alexandrinus* Libro II. Stromatum, *S. Ambrosius*, Lib. *De Tobia*, Capp. XIV. & XV. & alii.

Quâ ratione exactio Usurarum ab alienigena Judæis permissa.

Frustrà verò opponunt Usuræ ac fœnoris Patroni, exactionem Usurarum ab alienigena Judæis hac lege permitti; adeóque Usuram non esse per se malam ac injustam. Responsio enim in promptu est, id vel ad duritiam cordis Judæorum permitti, quamvis iniquum sit; vel idcirco quòd Deus in alienigenarum bona, quæ fœnore percipiebantur, jus aliquod Judæis concederet: vel denique quòd de Amalecitis, Amorrhæis, aliisque viciniorìbus populis, cum quibus jus erat belli, & quorum sedes Deus Populo suo tradiderat, ageretur. Nam & fœnus belli genus est. Hæc Responsio *SS. Ambrosium* & *Thomam* autores habet. Ita *S. Ambrosius*, Lib. *De Tobia*, Cap. XV. *Sed fortè dicet quia scriptum est, Alienigenæ non fœnerabis; & non considerat quid Evangelium dicat, quod est plenius. Sed hoc interim sequestremus, legis ipsius verba considera:* » Fratri tuo (*inquit*) non fœnerabis ad Usu» ram, sed ab alienigena exiges. *Quis erat tunc alienigena, nisi Amalech, nisi Amorrhæus, nisi hostes? ibi, inquit, Usuram exige. Cui meritò nocere desideras, cui jure inferuntur arma, huic legitimè inducuntur Usuræ. Quem bello non potes facilè vincere, de hoc citò potes centesimâ vindicare te. Ab hoc Usuram exige, quem non sit crimen occidere. Sine ferro dimicat, qui Usuram flagitat: sine gladio se de hoste ulciscitur, qui fuerit Usurarius exactor inimici. Ergo ubi jus belli, ibi etiam jus Usuræ. Frater autem tuus omnis, Fidei pri»mùm, deinde Romani Juris est populus:* Narrabo

Psalm. 21.

» nomen tuum fratribus meis, in medio Eccle» siæ laudabo te. *Denique etiam in Levitico præs-*

Levit. 25. 36.

cribit lex Usuram à fratre non esse poscendam. Sic » enim habes: Et vivet frater tuus tecum, pe» cuniam tuam non dabis illi in Usuram, & in» amplius recipiendum non dabis illi escas tuas.

DE PECCATIS.

Generaliter hac Sententia Dei omne sortis exclusit augmentum.

De Usuris.

Ita verò *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXVIII. Articulo 1. in Responsione ad secundam Objectionem. *Judæis prohibitum fuit accipere Usuram à fratribus suis, scilicet Judæis: per quod datur intelligi, quòd accipere Usuram à quocumque homine est simpliciter malum. Debemus enim omnem hominem habere quasi proximum & fratrem, præcipuè in statu Evangelii, ad quod omnes vocantur... Quòd autem ab extraneis Usuram acciperent, non fuit eis concessum quasi licitum, sed permissum ad majus malum vitandum, ne scilicet à Judæis Deum colentibus Usuras acciperent, propter avaritiam cui dediti erant; ut habetur Isaiæ LVI.*

Verùm (inquies) hæc verba Legis, *Fratri tuo absque Usura id quo indiget commodabis*, locum istum de pauperibus aut indigentibus intelligendum esse probant.

Respondetur, Mutui originem & occasionem his verbis exprimi: nemo enim Mutuum sumit nisi indigeat: neque enim Mutuum peteret, si apud se haberet quod petit. At indigentia ista, de qua lex loquitur, neque extrema, neque gravis solùm intelligenda est, sed etiam communis, quæ ad Mutuum etiam divites & mercatores impellit. Et certè Lex Usuram à fratribus exigere penitùs vetat Judæis: sed inter fratres erant non solùm pauperes & indigentes, sed etiam divites & mercatores; igitur Lex Judæis penitùs vetat Usuram etiam à divitibus & mercatoribus exigere, quantumvis moderata sit. Præterea, eam Usuram Lex Judæis à fratribus exigere vetat, quam videtur erga alienigenas permittere: sed Lex erga alienigenas non videtur permittere nisi Usuram moderatam, & quidem eam quæ exigitur à divitibus & mercatoribus, non verò eam quæ à pauperibus vel egenis exigitur: quæ enim gravior est, modúmque non servat, humanitatem omnem ac æquitatem violat, fatentibus etiam Usuræ ac fœnoris patronis: Lex igitur Judæis prohibuit etiam moderatam Usuram exigere à fratribus divitibus & mercatoribus. Quod si non licuit Judæis, multò minùs Christianis licet: alioquin à Judæo Christianus caritate & beneficentiâ superaretur, nec abundaret justitia nostra plusquam Scribarum & Pharisæorum: cùm tamen magna justitia, magna caritas; & perfecta justitia perfecta caritas sit, ut loquitur *Sanctus Augustinus*. Hæc itaque Lex Moralis est, non Judicialis, & Politica dumtaxat, adeóque Christianos etiam spectat.

Judæis Lex usuram etiam moderatam exigere à fratribus divitibus & mercatoribus prohibet.

Id rursùs probatur ex Psalmo XIV. *Domine quis habitabit in Tabernaculo tuo, aut quis requiescet in Monte Sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam... Qui pecuniam suam non dedit ad Usuram, & munera super innocentem non accepit.* Quem locum *S. Ambrosius* expendens, Libro *De Tobia*, Cap. XV. ait: *David benedictum æstimavit, & dignum habitatione cælesti, qui pecuniam non dedit ad Usuram: si ergo, qui non dedit, benedictus; sine dubio maledictus qui ad Usuram dedit. Cur ergo maledictionem potiùs eligit, quàm benedictionem?*

Lex ista Moralis est, adeóque Christianos etiam spectat.

Idem probat locus insignis *Ezechielis*, Cap. XVIII. Vers. 5. *Vir si fuerit justus, & fecerit judicium & justitiam.... ad usuram non commodaverit, & amplius non acceperit.... Hic justus est, vitâ vivet, ait Dominus.* Et infrà, Vers. 10. & 13. *Quòd si genuerit filium latronem effundentem sanguinem.... ad usuram dantem, & amplius accipientem: numquid vivet? Non vivet, cùm universa hæc detestanda feceris, morte morietur.* Denique

De Usuris.

Verſ. 14. & 17. *Quod ſi genuerit filium, qui videns omnia peccata patris ſui quæ fecit, timuerit, & non fecerit ſimile eis..... Uſuram & ſuperabundantiam non acceperit, judicia mea fecerit, in præceptis meis ambulaverit: hic non morietur in iniquitate patris ſui, ſed vitâ vivet.* Uſura pro acceſſione pecuniæ creditæ, fœnus pro frugum ſuperabundantiâ ſumitur. Utrumque Deus per Prophetam prohibet, nullâ pauperis & divitis, nullâ fratris & indigenæ diſtinctione, nullâ immoderatæ aut gravis Uſuræ mentione factâ: nihil ultra ſortem exigere permittit: immò verò mortem minatur iis, qui aliquid ultra ſortem exegerint à quocumque, aut perceperint. In Lege dicitur, *Non fœnerabēris fratri, ſed alieno.* Sed vide profectum (inquit *S. Hieronymus* hunc locum exponens) *In principio Legis à fratribus tantùm fœnus tollitur: in Propheta ab omnibus uſura prohibetur: porrò in Evangelio virtutis augmentum eſt præcipiente Domino,* FOENERAMINI *eis à quibus non ſperatis recipere.*

Idem confirmant Chriſti Legiſlatoris noſtri verba Lucæ VI. *Si mutuum dederitis his à quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia..... Mutuum date, nihil inde ſperantes, & erit merces veſtra multa, & eritis filii Altiſſimi: quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos.* Triplicem ſenſum hæc Domini Sententia complectitur. Vult enim ut illis etiam benefaciamus & mutuum demus, qui ingrati futuri ſunt, nec ſimilem gratiam repenſuri; quoniam & ipſi peccatores ſpe ſimilis beneficii rependendi ad mutuum dandum invitantur. Secundò, vult ut mutuum demus, etiamſi ſortem ipſam recepturi non ſimus, ſed ejus amittendæ ſubeamus periculum. Tertiò, vult mutuum dari ſine ſpe lucri & acceſſionis, ſeu fœnoris ſupra ſortem. Cùm enim Chriſtus ad excellentiſſimam benevolentiam & beneficentiam Fideles obſtrinxerit, ut ſcilicet inimicos diligerent, ingratis benefacerent, & mutuum darent, nec gratiam, nec ſortem etiam ipſam ſperantes: quâ ratione lucrum, aut fœnus etiam moderatum ex mutuo exigere permitteret? Qui Legem non venit ſolvere, ſed adimplere; qui juſtitiam noſtram abundare jubet plus quàm Scribarum & Phariſæorum; qui ad ipſam etiam ſortem non repetendam nos invitat, ut benignitatem noſtram juſtitiámque perfectam faciat; is certè lucrum ex mutuo exigere aut ſperare non permittit, immo verò id multò magis prohibet, cùm non ſolùm caritati, ſed etiam juſtitiæ & æquitati omnino repugnet. Unde *Tertullianus*, Libro IV. *Contra Marcionem*, iſtud Chriſti Oraculum cum loco Ezechielis ſuperiùs prolato componens, fœnus in Veteri Teſtamento vetitum eſſe docet, ac proinde multò magis in Novo, ubi ad mutuum etiam non repetendum invitamur; ad quam quidem benignitatis formam ac perfectionem, rudia adhoc Veteris Legis præcepta uſuram & fœnus ſolùm prohibendo, nos inſtituebant. *Hic nunc* (inquit) *de fœnore cùm interponit: Et ſi fœneraveritis à quibus ſperatis vos recipere, quæ gratia eſt vobis? Percurre ſequentia Ezechielis de eodem viro juſto: Pecuniam, inquit, ſuam fœnori non dedit, & quod abundaverit non ſumet: Fœnoris ſcilicet redundantiam, quod eſt uſura. Prius igitur fuit, ut fructum fœnoris eradicaret, quo facilius aſſuefaceret hominem ipſi quoque fœnori* (id eſt mutuo) *ſi fortè perdendo, cujus fructum didiciſſet amittere. Hanc enim dicimus operam fuiſſe Legis procurantis Evangelio. Quorumdam tunc fidem paulatim ad perfectum Diſciplinæ Chriſtianæ nitorem primis quibuſque præceptis balbutientis adhuc benignitatis informabat.*

Itaque cùm tria quis ſperare poſſit ex mutuo, uſuram, gratiam, ſortem, ſuadet Chriſtus ut mutuum demus, gratiam aut ſortem non recepturi: vetat autem ne ex mutuo uſuram exigamus aut ſperemus. Qui enim ſpe rependendæ gratiæ benefacit, avarus eſt; qui metu amittendæ ſortis mutuum indigenti non tribuit, inhumanus, ſed qui ſpe lucri & incrementi dat mutuum, injuſtus eſt: unde *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæſtione LXXVIII. Articulo I. conſilium & præceptum in verbis Chriſti diſtinguit; conſilium quidem quod ad beneficentiam pertineat, præceptum verò quod ad juſtitiam referatur. Cùm enim hanc ſibi objectionem quartam ordine propoſuiſſet: *Prætermittere conſilia non obligat ad peccatum: ſed Lucæ VI. inter alia conſilia ponitur;* DATE mutuum, nihil inde ſperantes: *Ergo accipere uſuram non eſt peccatum:* Sic reſpondet: *Dare mutuum*, inquit, *non ſemper tenetur homo: & ideo quantùm ad hoc ponitur inter conſilia: ſed quod homo lucrum de mutuo non quærat, hoc cadit ſub ratione præcepti.* Atque ita hanc Domini Sententiam intelligendam eſſe docent Summi Pontifices & Concilia, cùm illius auctoritate uſuram omnem ac fœnus prohibent & damnant, ſcilicet Concilium Carthaginenſe I. Canone XIII. Lateranenſe II. ſub *Innocentio II.* Canone XIII. Lateranenſe III. ſub *Alexandro III.* Canone XXV. *Alexander III.* Cap. *Super eo*, Extra, *De Uſuris*; & *Urbanus III.* Cap. *Conſuluit*, ſub eodem Titulo; *Innocentius III.* Cap. *Quàm perniciosum*, & Concilium Lateranenſe V. ſub *Leone X.* Seſſione X.

Objiciunt Uſuræ fœnoriſque patroni hæc verba Exodi XXII. quibus Deus gravem dumtaxat ac mordacem uſuram, eámque à pauperibus exigi vetat, non moderatam, & à divitibus: *Si pecuniam mutuam dederis Populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quaſi exactor, nec uſuris opprimes.* Item illud Levitici XXV. *Si attenuatus fuerit frater tuus & infirmus manu, & ſuſceperis eum quaſi advenam & peregrinum, & vixerit tecum, ne accipias uſuras ab eo, ampliùs quàm dediſti.*

Reſpondetur, Voces illas, *Pauperi, attenuatus, infirmus*, Legem non reſtringere, ſed exempli gratiâ poſitas eſſe, quia frequentiſſimum eſt ut pauperes opis alienæ magis egeant, & ad fœneratores ſublevandæ ſuæ inopiæ causâ confugere cogantur: unde harum Sententiarum ſenſus eſt, Si pecuniam mutuam dederis populo meo, præſertim pauperi, & contribuli tuo, præſertim attenuato & infirmo, Uſuras ab eo ne accipias, & ampliùs quàm dediſti. Præterea, cùm ejuſdem ſit Legem interpretari, cujus eſt illam condere, & Deus aliis Scripturæ Sacræ locis Uſuram omnem, & erga omnes tam divites, quam pauperes injuſtam eſſe doceat, in eáque damnanda Lex, Prophetæ, & Evangelium conſentiant; priores illæ Sententiæ per poſteriores ſunt explicandæ, ſcilicet per loca ex Deuteronomii XXIII. Cap. Pſalmo XIV. Ezechielis XVIII. & Lucæ VI. petita.

Objiciunt deinde verba illa Deuter. XXVIII. quibus Deus quaſi in præmium ſervatæ Legis Judæis promittit fœnus ex Gentibus percipiendum & colligendum: *Fœnerabis gentibus multis; ipſe à nullo fœnus accipies.*

Reſpondetur, Fœnus ibi accipi pro mutuo, & fœnerare pro mutuum dare. Promittitur enim abundantia divitiarum Judæis; quâ fiet ut aliis

De Usuris. mutuum dare possint, ut explicat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXVIII. Articulo 1. in Responsione ad Secondam Objectionem. Sic fœnerandi verbom sumitur Ecclesiastici XXIX. *Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo.* Item, *Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius.*

Objiciont tertiò, Christos Usuram moderatam probare videtur propositâ Parabolâ talentorum, Matth. XXV. & Lucæ XIX. *Quare* (inqoit) *non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam?* Omnis igitur usura non est prohibita.

Respondetur, Usuram esse duplicem, unam pecuniæ, aliam gratiæ: Usura pecuoiæ prohibita est à Lege: Usora gratiæ à Lege & Evangelio præcepta est. Illa ideo prohibita est, quia plos exigitur quàm datum sit: cùm fœneratot ditescat, debitor contra æquitatem spolietur: Ista divitem facit accipientem, nec aliquid imminuit fœneranti. Quamobrem præcipit Christus, ut bona spiritualia, quæ commisit nobis, booo usu augeamus: prohibet verò osuram exigere ea pecunia mutuo data; quamvis similitudinem ex nummulariis & trapezitis ducat, ot ex osura pecuniæ mano ducat ad usuram gratiæ, non probaodo iniqoitatem fœnoris, sed provocando ad augmentum virtutis. Neque eoim undecumque datur similitudo in Scripturis, laudatur ipsa res unde similitudo illa trahitur: oon enim laudat Domious iniqoom Judicem, qui nec Deum timens, nec homines veritus, Viduam audire nolebat: non illum laudat pigrum, qui tres panes non propter amicitiam dedit petenti, sed tædio victus: non laodat villicum iniquitatis quòd fraudem fecerit domino, remittendo partem debitoribus domini sui: & tameo inde similitudines traxit ad instituendos, formandósqoe mores hominom opportunas: ita noo probat usuram pecuoiæ, quamvis ex ea similitodinem docat ut homines ad osuram gratiæ, & ad spiritualium talentorum incrementom hortetur. Hæc Respoosio colligitot ex *S. Ambrosio*, Enarratione in Psalmom XXXVI. & Libro *De Tobia*, Cap. XIX. necnon ex *S. Thoma*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXVIII. Articulo 1. in Responsione ad primam Objectionem. *Usura* (inquit) *ibi metaphoricè accipitur pro superexcrescentia bonorum spiritualium, quam exigit Deus, volens ut in bonis acceptis ab eo semper proficiamus, quod est ad utilitatem nostram, non ejus.*

PROPOSITIO III.

Usuram omnem, & erga omnes, divinâ Lege prohibitam esse Patres Divinæ Legis interpretes, Traditionisque testes summo consensu confirmant: & usuram esse docent quicquid ultra sortem exigitur aut percipitur, sive pecuniam, sive quidvis aliud.

PRodit primùm *Tertullianus*, cujus locus ex Libro IV. *Contra Marcionem* suprà descriptus est.

Secundò, *Clemens Alexandrinus*, Libro secundo *Stromatum*, ubi de Lege Mosaica sic loqoitur: *Lex prohibet fratri fœnerari: fratrem nominans non eum solùm qui ex iisdem parentibus natus est, sed etiam qui ejusdem Tribus, ejusdemque verbi particeps fuerit; non æquum putans ex usuris pecunias colligere.... Jam verò qui libenter largitur, satis magnas accipit usuras, quæ sunt apud homines pretiosissima; nempe mansuetudinem, benignitatem, magnificentiam, bonam famam, laudémque & gloriam:* noo solam erga pauperes usuram vetitam esse *Clemens Alexandrinus* docet: sed etiam erga divites & negotiatores: siquidem iniquum esse asserit usuram ex pecuniis colligere: Justitiam autem erga omnes servare debemus. De Usuris.

Tertiò, *S. Cyprianus* Libro *De Lapsis*, ubi peccata enumerans, ob quæ persecutionem in Ecclesiam suam excitari Deus permisit, fœnus inter cætera collocat: *Episcopi plurimi* (inquit) *quos & hortamento oportet esse cæteris & exemplo, divinâ procuratione contemptâ, Procuratores rerum secularium fieri; derelictâ Cathedrâ, plebe desertâ, per alienas Provincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari, esurientibus in Ecclesia fratribus non subvenire, habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, usuris multiplicantibus fœnus augere: quid non perpeti tales pro peccatis ejusmodi meremur? cùm jampridem præmonuerit ac dixerit Censura Divina:* Si dereliqoerint legem meam, & in judiciis « meis noo ambulaverint, si justificationes meas « profanaverint, & præcepta mea non obser- « vaveriot, visitabo in virga facinora eorum, « & io flagellis delicta eorum. *Prænunciata sunt ista nobis, & antè prædicta: sed nos datæ legis & observationis immemores, id egimus per nostra peccata, ut dum Domini mandata contempsimus, ad correctionem delicti & probationem fidei remediis severioribus veniremus.*

Usura severiora Dei flagella in homines provocat.

Psalm. 88. 31

Quartò, *Lactantius*, Libro VI. *Divinarum Institutionum*, Cap. XVIII. *Pecuniæ* (inquit) *si quam crediderit, non accipiat usuram; ut & beneficium sit incolume, quod succurrat necessitati, & abstineat se prorsus alieno: in hoc enim genere officii debet suo esse contentus: quem oporteat aliàs ne proprio quidem parcere ut bonum faciat. Plus autem accipere quàm dederit, injustum est: quod qui facit, insidiatur quodammodo, ut ex alterius necessitate prædetur.* Injustom esse asserit *Lactantius* ex Mutuo plus accipere quam datum sit: cùm igitur erga divites & mercatores oon minùs servari justitia debeat quàm erga pauperes, quamvis erga istos major sit exercenda caritas; tam ab illis quàm ab istis aliquid oltra sortem ob Mutuum accipere illicitum est.

Plus accipere quàm datum sit, injustum est.

Ex alterius necessitate prædatur fœnerator.

Quintò, *S. Hilarius* in Psalm. XIV. ad illa verba, *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, ubi de Mutuo fœnebri loquens; *Fallax*, inquit, *hoc beneficium, & humanitas fraudulenta, damnosa hæc benevolentia docetur.*

Sextò, *S. Basilius*, in Psalmum XIV. *Ezechiel* (inquit) *in maximis malis ponit fœnus, & plus quàm sortem accipere, & Lex illud luculenter prohibet.* Et infrà: *Iniqua* (inqnit) *prorsus mutui datio utrique, danti pariter & accipienti; huic quidem in pecunias, illi verò in ipsam animam damnum pœnámque afferens........ Igitur à volente accipere Mutua ne vultum avertas, nec pecuniam tuam dederis ad usuram; ut tam ex Veteri quàm Nova Lege edoctus quæ conducibilia sunt, cum spe bona ad Dominum hinc emigres, bonorum factorum usuras recepturus.* Usoræ iniquitatem *S. Basilius* indicat, eamque Veteri ac Novâ Lege prohibitam esse docet: non ergo ad judicialia & politica Veteris Legis præcepta pertinet, ut *Calvinus* & *Salmasius*, aliique Hæretici contendunt.

Septimò, *S. Gregorius Nyssenus*, Homiliâ IV. in Ecclesiastem: *Improbum* (inquit) *fœnoris inventum, qui latrocinium & parricidium nominave-*

Usura latrocinium est.

De Usuris.

rit, non procul à vero aberraverit. Quid enim refert an clanculum perfossis muris prædonis more aliena habeas, & prætereuntis cæde te eorum quæ habeat Dominum constituas; an fœnoris necessitate acquirat ea quæ ad te non pertinent? O malum vocabulum! Fœnus fit nomen latrocinii. Et infrà: *Si quispiam viaticum cuipiam vi abstulerit, aut clam surripuerit, raptor & fur dicitur: qui autem etiam adhibitis testibus injuste se ac acerbè gerit, & pactis conventis suam confirmat iniquitatem, benignus dicitur, & beneficus, & servator.*

Et Oratione *contra Usurarios*, Fœnus injustum & iniquum lucrum esse ait, ac proinde restituendum ei à quo acceptum est: quamplurimos inopes efficere, ut unum ditet, in Lege, Prophetis, & Evangelio damnari: frustra honestis nominibus à fœneratoribus appellari, quibus certa & inevitabilis pœna imminet: inanes eorum excusationes, stultasque minas, quòd Mutuum egentibus non dabunt, si usuras percipere prohibeantur. *Insona* (inquit) *Usuris vocem illam Joannis Baptistæ: Genimina viperarum, abite à me, perniciei estis iis qui vos retinent & accipiunt: paululum oblectatis offertis, sed temporis progressione virus à vobis sparsum in acerbam animæ maleficium convertitur: viam vitæ obsepitis, Regni cælestis fores clauditis: modicam quidem oculos aspectu, tinnituque vestro aures recreatis; interim vero æterni doloris causa estis & origo.* Et infrà: *Segnis & insatiabilis est vita usurarii, nescit laborem agrorum colendorum, mercaturam non exercet; sed uno in loco consident, immanes domi suæ feras nutrit. Vult omnia sibi sine satu & inarata progigni; cui quidem aratrum est calamus; ager, charta; semen, atramentum; pluvia, tempus, quod illi pecuniæ fructus occultis incrementis adauget & educat; falx illi est repetitio, area, domus. Dolet fœnerator ob argentum domi repositum, quod otiosum est & infructuosum; imitatur colonos, qui ex acervo frumenti semper semen petunt. Videas plerumque opibus divitiisque abundantem, sæpè domi ne unum quidem nummum habere; sed omnes spes ejus in charta positas esse, omnesque fortunas in pactis conventis versari. Hic nihil habet, & omnia possidet, contrario sanè modo Apostolicis Mandatis institutionis, qui omnia petentibus non humanitatis, sed cupiditatis gratiâ largitur...... Quapropter Divina quoque Scriptura, quæ nos ad omnem pietatem informat, ubique usuras prohibet...... Redde fratri tuo, à quo injustè surripuisti. Quid utilitatis affers, dum multos efficis inopes, & unum consolaris? Si non esset tanta multitudo usurariorum, non esset tanta copia pauperum.... Omnes accusant fœneratores; nec malo huic mederi queunt Lex, Propheta, Evangelista........ Patres tantopere non lætantur generatione filiorum, quantùm fœneratores fiunt mensium. Quin & scelus suum pulchris obvelant nominibus, humanum censum seu quæstum appellantes, Ethnicorum instar, qui Deas profanas odio in cunctos inflammatas, hominumque interfectrices, non vero, sed mitiori nomine vocant Eumenides. Istane vero humanas censes? An non exactio usura est, quæ domos evertit, divitias dissipat, efficitque ut qui honesto & nobili loco nati sunt, deteriorem vitam vivant quam servi, quæ quidem initio nonnihil delectat, posteriores verò vitæ partes acerbo dolore complet?* Et infrà: *Minantur se pauperibus non daturos Mutuum, minantur egenis venientibus se occlusuros januam..... Ego quidem primam dandum esse prædico. Deinde ad Mutuum quoque exhortor: altera enim donationis species est Mutuum. Sed addo hoc dandum esse sine fœnore & exactione usuraria, eóque modo quo id Divina Oracula præcipiunt. Æquè enim obnoxius est pœnæ, qui non dat Mutuum, & qui dat sub conditione usuræ. Illius namque inhumanitas, hujus verò cauponarius quæstus meritò condemnatus est. At isti ultrò ad alterum extremum se conferunt, omnique modo à dando abstinere volunt, quod sanè impudens est propositum, & contra jus fasque furiosa contentio, lisque & bellum contra Deum. Vel enim non dabo, inquit, vel Mutuum dans, contractum faciam fœneratitium.*

Regnum cælestis fores claudit usura.

Usurariorum vita.

De Usuris.

Octavò, *S. Ambrosius* Lib. *De Tobia*, Cap. XIV. Usuram etiam illam, quæ à Mercatoribus exigitur, Divina Lege vetitam esse docet, & quicquid sorti accedit, tamquam turpe & injustum lucrum damnat. *In Deuteronomio*, inquit) *scriptum est:* Non exiges à fratre tuo usuram « pecuniæ, & usuram escarum, & usuram om- « nium rerum, quascumque fœneraveris fratri « tuo. *Vides quantum pondus in verbis sit: Noli, inquit, exigere usuram à fratre tuo, hoc est, cum quo habere debes omnia communia, ab eo tu usuram exigis? Frater tuus consors naturæ, & coheres gratiæ: noli ab eo exigere amplius, à quo durum est repetere quod dederis, nisi cùm habuerit unde solvat. Et quia plerique refugientes præcepta Legis, cùm dederint pecuniam negotiatoribus, non pecunia usuras exigunt; sed de mercibus eorum tanquam usurarum emolumenta percipiunt, ideo audiant quid Lex dicat:* Neque usuram, *inquit*, escarum acci- « pies, neque omnium rerum quascumque, fœ- « neraveris fratri tuo: *Fraus enim ista & circum- « scriptio legis est, non custodia. Et putas te piè facere, quia à Negotiatore velut Mutuum suscipis? Inde ipse fraudem facit in mercium pretio, unde tibi solvat usuram: fraudis illius tu autor, tu particeps, tibi proficit quicquid ille fraudaverit. Et esca usura est, & vestis usura est, & quodcumque sorti accedit, usura est: quod velis ei nomen imponas, usura est. Si licitum est, cur vocabulum refugis? Cur velamen obtexis? Si illicitum est, cur incrementum requiris?*

Usura omnis, etiam quæ à mercatoribus exigitur divinà lege vetita est.

Omnis ad sortem accessio, usura est.

Legenda quæ toto Libro eo de argumento habet. Cap. III. *Numeratur pecunia* (inquit) *adscribitur libertas, absolvitur miser minore debito, majore ligatur. Talia sunt vestra, divites, beneficia. Minus datis, & plus exigitis. Talis humanitas, ut spolietis etiam cùm subvenitis. Fœcundus etiam pauper est vobis ad quæstum. Usurarius est egenus, cogentibus vobis, habet quod reddat: quod impendat, non habet. Misericordes planè viri, quem alii absolvitis, vobis addicitis. Usuras solvit, qui victu indiget. An quidquam gravius? Ille medicamentum quærit, vos offertis venenum: panem implorat, gladium porrigitis: libertatem obsecrat, servitutem irrogatis: absolutionem precatur, informis laquei nodum stringitis. Hanc præcipuè injustitiam deplorat Sanctus David dicens:* VIDI *iniquitatem & contradictionem in civitate, & non defecit de plateis ejus usura & dolus.*

Crudelia fœneratorum beneficia.

Psalm. 54.

Cap. VI. *Quod proscriptio tyrannorum, aut latronum manus operari solet, hoc sola fœneratoris nequitia consuevit inferre. Doctiores autem ipsum fœneratori putant Diabolum comparatum, qui res animæ & pretiosa mentis patrimonium fœnore quodam usuraria iniquitatis evertit, sic sumptu capit, sic auro illicit, sic reatu involvit, sic caput pro thesauro reposcit.*

Cap. VII. *Nihil nequius fœneratoribus, qui aliena damna lucra sua arbitrantur, & dispendio suo deputant quicquid ab aliis possidetur. Aucupantur heredes novos, adolescentulos divites explorant per suos, adjungunt se simulantes paternam & avitam amicitiam, volunt domestica eorum cognoscere necessitates. Si quam causam invenerint, accusant verecundiam, pudorem arguunt, quòd non ante* de

Malæ fœneratorum artes.

DE PECCATIS.

de se speratum fuerit atque præsumptum. Sin verò nullos laqueos alicujus necessitatis offenderint, intexunt fabulas, aiunt nobile prædium esse venale, amplam domum: accumulant proventus fructuum, annuos reditus exaggerant, hortantur ut coemant. Similiter faciunt pretiosas vestes & mobilia nobilia prædicantes. Negant se habere pecuniam, ingerunt suam dicentes: Utere ut suâ: de fructibus empta possessionis pretium multiplicabis, debitum reddet. Prætendunt alienos fundos adolescenti, ut eum suis expolient. Vides *S. Ambrosium* usurarum exactionem, non solùm à pauperibus, sed etiam à divitibus, qui ex mutuo res suas augent, velut nequitiam immanem, velut proscriptionem tyrannorum, velut prædam latronum damnare, & Fœneratores Diabolo simillimos asserere?

De Usuris.

Fœnus, funus.

Cap. x. *Nihil interest inter funus & Fœnus, nihil inter mortem distat & sortem.*

Eccli. 10.

Cap. XII. *Quid tetrius eo qui hodie fœnerat, & cras expetit? Et odibilis* (inquit) *homo hujusmodi. Oblatio quidem blanda, sed immanis exactio... Quanta sibi fecerunt vocabula? Nummus datur, fœnus appellatur: sors dicitur, caput vocatur: æs alienum scribitur; multorum hoc capitum immane prodigium numerosam exactionem efficit: Syngrapham nuncupat, chirographum nominat, hypothecat flagitat, pignus usurpat, fiduciam vocat, obligationem asserit, usuras prædicat, centesimas laudat.*

Exod. 22. 25.

Rursus Cap. XIV. *Non novum nec perfunctorium hoc malum est, quod Veteris atque Divinæ præscripto Legis inhibetur. Populus qui despoliaverat Ægyptum, qui pede transierat Mare, monetur à fœnoris pecuniâ cavere naufragia. Et cùm de aliis peccatis semel aut multùm iteratâ admonitione præscripserit, de fœnore sæpiùs intimavit. Habes in* » *Exodo*: Quòd si pecuniam fœneraveris pupil- » lo, orphano, pauperi, apud te non suffoca- » bis eum, non impones illi usuram. *Ostendit quid sit suffocare, id est, Usuram imponere; strangulat enim & quod pejus est animam laqueus creditoris; quo sermone & prædonis violentiam, & deformis nodum mortis expressit.*

Usuram exigere, idem est quod fratrem suffocare.

* Et Epistolâ XXIV. ad *Vigilium* Tridentinum Episcopum: *Ille* (inquit) *supplantatur, qui usurarum captat emolumenta. Itaque Vir Christianus si habet, det pecuniam quasi non recepturus: aut certè sortem, quam dedit, recepturus. Habet in ea non mediocrem gratiæ usuram. Alioquin decipere istud est, non subvenire. Quid enim durius, quàm ut des pecuniam tuam non habenti, & ipse duplum exigas? Qui simplum non habuit unde solveret, quemadmodum duplum solvet...... Populi sæpe conciderunt fœnore, & ea publici exitii causa exstitit. Unde nobis Sacerdotibus id præcipuè curæ sit, ut ea vitia resecemus, quæ in plurimos videntur serpere.*

Usura dei tenti & creditori exitiabilis.

Nonò, *S. Joannes Chrysostomus*, Homiliâ XLI. in Genesim: *Vide* (inquit) *misericordiam Domini, in his sensibilibus pecuniis prohibuit ne quis usuram acciperet. Quare & ob quam causam? Quia uterque magno damno afficitur. Nam debitor quidem inopiâ atteritur: Creditor autem augens divitias, & peccatorum accumulat sibi multitudinem. Proinde ab initio olim Judæis crassioribus tale dedit præceptum dicens:* Non fœneraberis fratri & proximo tuo. *Qua igitur excusatione digni erunt, qui Judæis sunt inhumaniores, & post gratiam & tantam à Domino misericordiam, inveniuntur iis, qui sub Lege fuerunt inferiores, immò pejores?*

Et Homiliâ v. in Matthæum: *Fœnerare* (inquit) *unde possis non mortem fructificare, sed vitam; ista namque usura Regnum, illa autem acquirunt gehennam. Illa enim avaritiæ sunt, ista Philosophiæ: & illa quidem crudelitatis, ista verò pietatis...*

Nihil præsenti usurâ turpius, nihilque crudelius: siquidem hujusmodi fœnerator negotiatur aliena discrimina; & uberiores, ut putat, quæstus de alterius infelicitate consequitur. Lege & Homiliam LVI.

De Usuris.

Decimò, *S. Hieronymus* in Cap. XVIII. *Ezechielis*, Usuram esse docet Divinâ Lege prohibitam quicquid ultra sortem sive rei mutuo datæ caput exigitur aut percipitur; sive pecuniæ sit accessio, sive rei cujuslibet alterius superabundantia, sive munuscula quælibet. *Putant quidam* (inquit) *usuram tantùm esse in pecuniâ, quod prævidens Scriptura Divina, omnis rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias quàm dedisti. Solent in agris frumenti, & milii, vini, & olei, cæterarúmque specierum usuræ exigi; sive, ut appellat sermo divinus, superabundantia: verbi gratiâ, ut hyemis tempore demus decem modios, & in messe recipiamus quindecim, hoc est, amplius partem mediam: qui justissimum se putaverit, quartam plus accipiet portionem. Et solent argumentari ac dicere: Dedi unum modium, qui satus fecit decem modios, non justum est ut unum modium de meo plus accipiam; cum ille meâ liberalitate novem & semis de meo habeat?* Nolite errare, *inquit Apostolus*, Deus non irridetur. *Respondeat enim nobis breviter fœnerator misericors, Utrum habenti dederit, aut non habenti. Si habenti utique dare non debuerat, sed dedit quasi non habenti. Ergo quare plus exigit quasi ab habente? Alii pro pecunia fœnerata solent munuscula accipere diversi generis, & non intelligunt usuram appellari, & superabundantiam, quicquid illud est, si ab eo quod dederint, plus acceperint.*

Quicquid ultra sortem exigitur, sive ut accessio pecuniæ, sive rei cujuslibet superabundantia, aut munera, usura est Dei Lege prohibita.

Inanis fœneratorum excusatio.

Galat. 6. 7.

Undecimò, *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum XXXVI. Sermone III. *Nolo sitis fœneratores* (inquit) *& ideo nolo, quia Deus non vult. Nam si ego nolo, & Deus vult, agito: si autem Deus non vult, etiamsi ego vellem, malo suo ageret qui ageret. Unde apparet Deum hoc nolle? Dictum est alio loco,* Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. *Et quàm detestabile sit, quàm odiosum, quàm exsecrandum, puto quia & ipsi fœneratores noverunt. ..... Si fœneraveris homini, id est, mutuam pecuniam tuam dederis, à quo aliquid plus quàm dedisti exspectes accipere; non pecuniam solam, sed aliquid plus quàm dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud: si plus quàm dedisti expectas accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus, non laudandus.*

Psalm. 14.

Et Enarratione in Psalmum CXXVIII. *Noli* (inquit) *fœnerare. Tu accusas Scripturam dicentem, Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. Non ego illud scripsi, non de ore meo primò exiit; Deum audi..... Audent etiam fœneratores dicere, Non habeo aliud unde vivam. Hoc mihi & latro diceret, deprehensus in fauce; hoc & effractor diceret, deprehensus circa parietem alienam; hoc mihi & leno diceret, emens puellas ad prostitutionem; hoc & maleficus incantans mala, & vendens nequitiam suam: quicquid tale prohibere conaremur, responderent omnes, quia non haberent unde viverent; quia inde se pascerent; quasi non hoc ipsum in illis maximè puniendum est, quia artem nequitiæ delegerunt, unde vitam transigant, & inde se volunt pascere, unde offendant eum à quo omnes pascuntur.*

S. Leo, Sermone VI. De Jejunio decimi Mensis: *Injusta*, inquit, *& impudens avaritia, quæ beneficium se dicit præstare cum decipit, non credit Deo veraciter promittenti, & credit homini trepidè paciscenti: dumque certiora existimat præsentia quàm futura, meritò in hoc frequenter incurrit, ut ei cupiditas injusti lucri non injusti causa sit damni. Undè quilibet sequatur eventus, mala semper est ratio fœnerantis, cui pecuniam & minuisse, & auxisse pec-*

Fœnus pecuniæ, funus est animæ.

De Usuris. *catum est: ut aut miser sit amittendo quod dedit, aut miserior accipiendo quod non dedit. Fugienda prorsus est iniquitas fœnoris, & lucrum, quod omni caret humanitate, vitandum est. Multiplicatur quidem facultas injustis & tristibus incrementis, sed mentis substantia contabescit: quoniam fœnus pecunia, funus est Animæ.*

PROPOSITIO IV.

Usura omnis & erga omnes utroque Jure, cùm Canonico, tum Civili prohibita; gravísque pœna in Fœneratores constituta.

Usura jure Canonico vetita.

I. Atque ut à Jure Canonico incipiam: Concilium Illiberritanum, Canone xx. Clericis usurariis pœnam depositionis & excommunicationis infligendam decrevit; Laicos verò in ea iniquitate post monitionem perseverantes, à Fidelium Commonione pelli decrevit. Clericos fœneratores à Communione abstineri *Juxta formam divinitus datam*, Concilium Arelatense I. Canone XII. pariter jubet. Clericos, *Qui divina Scriptura obliti, dicentis, QUI pecuniam suam non dedit ad usuram*, Usuras exigunt, *à Clero dejici*, statuit Concilium Nicænum, Canone XVII. vetatque ne aliquis *ex adinventione aliqua vel quolibet modo negotium transigens*, turpe lucrum sectetur. Concilium Carthaginense I. Canone XIII. Fœneratitiam Artem Clericis prohibet eo nomine, quòd in Laïcis ipsis à Scriptura Sacra manifestè reprehendatur ac damnetur. *De quibus* (inquit) *apertissimè Divina Scriptura sanxit, non differenda sententia est, sed potiùs exequenda: proinde quod in Laicis reprehenditur, id multò magis in Clericis oportet prædamnari. Universi dixerunt: Nemo contra Prophetas, nemo contra Evangelia facit sine periculo.* Concilium Carthaginense III. Canone XVI. Nihil ultra sortem mutuo datam licitè exigi posse declarat, & hanc regulam in mutuo servandam esse decernit, ut *Quantum quis dederit, tantùm accipiat.* Concilium Carthaginense IV. Canone LXVII. Usurarios omnes ad Ordines promoveri vetat. Nullam hæc Concilia, & alia quam plurima quæ proferri vel recenseri possent, distinctionem faciunt eorum qui à pauperibus, & eorum qui à divitibus usuras exigunt ac percipiunt. Concilium Lateranense II. sub *Innocentio II.* Canone XIII. *Detestabilem & probrosam divinis & humanis Legibus, per Scripturam in Veteri & in Novo Testamento abdicatam, insatiabilem fœneratorum rapacitatem* damnet, *& ab omni Ecclesiastica consolatione sequestrat*, illos ad Sacramentorum participationem recipi vetat, *totâ vitâ infames* haberi præcipit, & nisi resipuerint, *Christianâ Sepulturâ* privari. Concilium Lateranense III. sub *Alexandro III.* Canone XXV. Usuram declarat *Utriusque Testamenti paginâ* condemnari: statuitque ut *Usurarii manifesti nec ad Communionem admittantur Altaris, nec Christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant Sepulturam. Sed nec eorum oblationes quisquam accipiat, qui autem acceperit, aut eos Christianæ tradiderit sepulturæ, & ea, quæ acceperit, reddere compellatur, & donec ad arbitrium sui Episcopi satisfaciat, ab Officii sui maneat executione suspensus.* Alexander III. Cap. *Cùm tu*, Extra, *De Usuris*, declarat fœneratores constitutis pœnis ad usuras etiam illas restituendas cogendos esse, quas ante Concilium Lateranense perceperant; & jure quidem meritò, cùm hac in re non tam Juris Canonici Constitutio, quàm Lex Divina spectanda sit. Et Cap. *Super eo*, declarat Ecclesiam in recipienda pecunia ad usuram dispensare non posse, ut pauperes

A qui à Saracenis captivi detinentur, ex pecuniis inde provenientibus redimantur: *Cùm usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur.* Et *Cùm Scriptura Sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multò magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vitâ captivi usurarum crimine involvatur.* De Usuris.

Pluribus Rescriptis usurariam pravitatem, tanquam Divinæ Legi contrariam, *Innocentius III.* repressit & coërcuit: & manifestos Usurarios ita ad restitutionem cogendos esse statuit, ut ne ipsis quidem appellare permittat, Cap. *Quàm perni-*

B *ciosum*, Extra, *De Usuris.* Cap. *Post miserabilem*, Judæos ad remittendas Christianis usuras, per Principes & Potestates seculares compelli præcipit, & donec illis remiserint, ullum cum ipsis commercium à Christianis haberi vetat sub pœna Excommunicationis. Cap. *Cùm in Diœcesi*, Usurarios manifestos, contra quos, propter timorem potentum, qui tuentur eosdem, nullus accusator apparet, nihilominus pœnæ à Lateranensi Concilio in eos constitutæ obnoxios esse declarat. *Gregorius X.* & Concilium Lugdunense secundum Canone XXVI. & XXVII. renovant Constitutionem Lateranensis Concilii adversùs Usu-

C rarios editam, omnibúsque Dominis & Communitatibus prohibent, ne domos trapezitis & fœneratoribus locent, aut conductas habere in sua ditione permittant, sed eos infra tres menses de terris suis expellant. Qui verò contrarium fecerint, si personæ fuerint Ecclesiasticæ, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Suspensionis; minores verò personæ singulares Excommunicationis; Collegium autem seu alia Universitas Interdicti Sententiam ipso facto incurrunt. Statuit etiam idem Concilium, ut quamvis Usurarii manifesti de Usuris, quas receperant, satisfieri expressâ quantitate, vel indistinctè ultimæ

D voluntatis tabulis mandaverint, nihilominus eis Sepultura Ecclesiastica denegetur, donec de usuris ipsis plenariè satisfecerint, prout patiuntur facultates eorum. Sepelientes etiam manifestos Usurarios contra formam hujus Constitutionis, pœnis Lateranensi Concilio constitutis subjacere decernit; prohibétque ne quis manifestorum Usurariorum Testamento intersit, aut eos ad Confessionem admittat vel absolvat, nisi usuras restituerint, aut idoneam de iis ipsis restituendis cautionem præstiterint. Denique ipsa manifestorum Usurariorum Testamenta aliter facta ipso jure ir-

E rita fore decernit. Concilium Viennense usurariam pravitatem Juri divino pariter & humano contrariam esse declarat: illúmque hæreticum esse, ac velut hæreticum puniendum, qui pertinaciter affirmaverit, exercere usuras non esse peccatum. Rectores præterea Communitatum, aut Judices, qui per Statuta aut Decreta sua usurarum exactionem approbant, eùm scilicet aut usuras creditoribus solvendas esse decernunt, aut debitores à repetendis usuris impediunt, graviter peccare, & in Sententiam Excommunicationis incurrere declarat. Denique creditores ipsos Censurâ Ecclesiasticâ compellendos esse ad exhiben-

F dus rationum suarum codices, cùm de usuris agetur, ut de usuraria pravitate convinci possint. Concilium denique Lateranense sub *Leone X.* Sessione X. Usuras Domini præcepto prohibitas perspicuè declarat. *Dominus noster*, inquit, *Luca Evangelista attestante, aperto nos præcepto obstrinxit, ne ex dato mutuo quidquam ultra sortem sperare debeamus: ea enim est propria usurarum interpretatio, quando videlicet ex usu rei quæ non germinat, nullo labore, nullo sumptu, nullove periculo, lucrum fœnúsque conquiri studetur.*

Quam-

DE PECCATIS.

De Usuris. Propositiones damnatæ.

Quamobrem jure optimo inter alias Propositiones pravi dogmatis, hanc etiam ordine quadragesimam secundam *Alexander VII.* Pontifex Maximus damnavit anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo-septimo : *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Et *Innocentius Undecimus* anno millesimo sexcentesimo septuagesimo nono, hanc Propositionem ordine pariter quadragesimam-secundam confixit : *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.*

Easdem Propositiones Conventus generalis Cleri Gallicani anno MDCC. damnavit, ut continentes *Doctrinam falsam, scandalosam, cavillatoriam, in praxi perniciosam, palliativam usurarum, verbo Dei scripto ac non scripto contrariam; Conciliorum ac Pontificum Decretis sæpe damnatam.*

Usura jure etiam civili, & Regiis Constitutionibus prohibita.

II. Jure etiam Civili, Regiisque Constitutionibus prohibita Usura est. Testis *Marcus Cato* Libro *De Re Rustica*, in Proœmio : *Majores nostri*, inquit, *sic habuerunt, & ita in Legibus posuerunt, Furem dupli condemnari; Fœneratorem quadrupli oportere : quantò pejorem civem existimaverint fœneratorem, quàm furem, hinc licet existimare.* Testis *Cornelius Tacitus* Libro V. Annalium : *Sanè vetus Urbi fœnebre malum, & seditionum ac discordiarum causa creberrima, eòque cohibebatur antiquis quoque & minùs corruptis Moribus. Nam primo duodecim Tabulis sancitum est, ne quis unciario fœnore ampliùs exerceret, cùm anteà ex libidine locupletum agitaretur : dein rogatione Tribunitiâ ad semiuncias redacta : postremo vetita usura, multisque Plebiscitis obviam itum fraudibus, quæ toties repressæ miras per artes rursus oriebantur.* Legem ad populum tulit *Genucius* Tribunus Plebis, ne omnino fœnerari liceret : paulatim verò deinde succrescens iterum fœnus Cæsar succîdit. Itaque Romani variis temporibus fœnus prohibuerunt, & cùm fœnebre malum è Republica tollere omnino non possent, illud quantum fieri potuit, latis Legibus coërcuerunt. Veterum Francorum Legibus, Cap. CXLII. Usurarum iniquitas damnatur his verbis : *Fœnus est injustum, si quis aliquid præstat, & requirit ampliùs.* Libro I. Capitularium Cap. CXXV. Libro V. Cap. XXXVI. Libro VI. Cap. CCI. *S. Ludovici* Constitutione anno millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto edita, item *Philippi Quarti* Constitutionibus anno millesimo tercentesimo undecimo, & duodecimo editis, usurarum genus omne proscriptum est, omnésque ficti contractus, qui colore quæsito usuram fovent, prohibiti. *Philippus Sextus* anno millesimo tercentesimo quadragesimo-nono, *Ludovicus Duodecimus* anno millesimo quingentesimo decimo; *Franciscus I. Carolus Nonus; Henricus Tertius* anno millesimo quingentesimo septuagesimo-sexto, & in Comitiis Blesensibus, Articulo ducentesimo secundo, usuram omnem ac fœnus prohibuerunt, pœnísque gravissimis fœneratores coërcuerunt, fœnus non solùm juri naturali, sed etiam divino & canonico contrarium, ipsíque Reipublicæ ac privatis hominibus perniciosum agnoscentes.

Jus quidem Romanum usuras aliquatenus permisit ac toleravit, sed non probavit. Cùm enim Imperatores Christiani fœnus & usuram omnino tollere non possent, usuræ fœnorisque modum, & fœneratorum cupiditati frenum, quantùm quidem tempora illa pati poterant, injecerunt. *Basilius Macedo* usuram omnem è finibus Imperii eliminare Constitutione sua tentaverat; sed *Leo* Imperator publicis necessitatibus cedens, quòd homines spe lucri ex mutuo percipiendi destituti ad pecuniam mutuo dandam indigentibus immites atque difficiles se præberent, usuram moderatam permittere coactus est, declarans nihilominus usuram, utpote divinæ legi contrariam, à Parente suo meritò prohibitam atque damnatam, ut constat ex Novella LXXXIII. ejusdem *Leonis* Imperatoris. Hinc *S. Augustinus*, Epistolâ CLIII. aliàs LIV. ad *Macedonium* ait : *Quid dicam de usuris, quas etiam ipsæ Leges & Judices reddi jubent? An crudelior est, qui subtrahit aliquid vel eripit diviti, quàm qui trucidat pauperem fœnore? Hæc atque hujusmodi malè utique possidentur, & vellem restituerentur, sed non est quo Judice repetantur.*

De Usura.

Et *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXVIII. Articulo I. in Responsione ad III. *Leges humanæ*, inquit, *dimittunt aliqua peccata impunita, propter conditiones hominum imperfectorum, in quibus multæ utilitates impedirentur, si omnia peccata districtè prohiberentur pœnis adhibitis. Et ideo usuras lex humana concessit, non quasi æstimans eas esse secundùm justitiam, sed ne impedirentur utilitates multorum. Unde in ipso Jure Civili dicitur;* (nempe Libro II. *Institutionum*, Tit. IV. *De Usufructu*, §. *Constituitur*) quòd *Res quæ usu consumuntur, neque ratione naturali, neque civili, recipiunt usumfructum* : & quòd *Senatus non fecit earum rerum usumfructum : nec enim poterat; sed quasi usumfructum constituit*, concedens scilicet usuras. Jus igitur Civile moderatum fœnus & moderatam usuram permisit tanquam minus malum, ut gravius incommodum vitaretur, non verò ut aliquid honestum ac justum.

Inter-usurium seu successivus usus pecuniæ, Molinæi figmentum est.

Frustra verò *Molinæus* objicit, ad compensandum usum successivum pecuniæ, quem *Inter-usurium* vocat, & quo privatur creditor, illum jure à debitore exigere aliquid ultra sortem. Inter-usurium enim illud seu successivus usus pecuniæ, merum figmentum est. Cùm enim pecunia instituta sit ad commutationes, suóque statim usu distrahatur, & permutatione quodammodo extinguatur, ut loquitur *Justinianus* Libro II. *Institutionum*, Tit. IV. *De Usufructu*, usus pecuniæ unicus ac momentaneus est. Præterea, finis pecuniæ est ut sit mensura pretiúmque rerum venalium : non est autem rerum venalium mensura pretiúmque, nisi distrahatur; quod quidem non successivè, sed simul & semel, ac unico actu fit. Quemadmodum ergo ususfructus constitui non potest in ipsa pecunia, cæterísve rebus quæ usu consumuntur, cùm id neque naturalis nec civilis ratio patiatur, ut ait *Justinianus* : ita nec inter-usurii seu successivi usus pecuniæ exigi aut percipi compensatio potest, cùm id contra naturam sit.

Nec refert, quod Jus Civile *Inter-usurium*, sive usum successivum pecuniæ agnoscere videatur. Dupliciter enim usum pecuniæ Jus Civile spectat, primò quidem per se ac ut separatum ab industria utentis pecuniâ : Secundò, ut conjunctum & quasi commixtum cum industria ejus qui pecuniâ utitur. Primo modo spectatum usum pecuniæ momentaneum esse Jus Civile declarat, cùm pecunia suo statim usu distrahatur & consumatur. Secundo modo spectatum, quasi successivum esse significat, ratione industriæ hominum, qui ad lucrum & quæstum faciendum illâ utuntur. Porrò cùm industriæ & operæ usus in solidum pertineat ad debitorem, ipsíque soli industria sua fructuosa esse debeat, non potest creditor justè ab eo exigere aliquid ultra sortem

De Usuris. eo nomine, quòd pecuniam Mutuo acceptam in prædia fructuosa aut in negotiationem convertit; siquidem pecuniæ Mutuo acceptæ dominus est, ejúsque periculum ac damnum omne suscepit: adeóque æquum est ut totum lucrum impensis suis, periculo, operâ, industriâ factum percipiat, nulla ejus parte ad creditorem ex pacto derivatâ.

ARTICULUS IV.

Objectiones ab Usuræ fœnerisque Patronis factæ diluuntur.

OBjiciunt primò, Rationem prohibendæ usuræ, seu lucri ex Mutuo percipiendi, ex sterilitate pecuniæ sumptam, futilem esse: siquidem nec ex ipso rerum frugiferarum, verbi gratiâ, granorum Mutuo aliquid ultra sortem percipere liceat.

Respondetur, Quamvis pecunia & grana seu semina in hoc distinguantur, quòd pecunia suaptè naturâ sit sterilis, non ita semina sive grana, in hoc tamen conveniunt cùm mutuò dantur, quòd sterilia evadant. Cùm enim transeant in dominium debitoris, in illius dumtaxat commodum & emolumentum cedere debet fructus omnis seu lucrum ex illis partum, secundùm illam Juris Regulam: *Res fructificat domino*.

Objiciunt secundò, Falsam esse rationem contra fœnus proferri solitam, quòd *In mutuo venditur quod non est*. Prædium enim, verbi gratiâ, ex pecunia mutuo accepta comparatum, est aliquid solidum ac subsistens. Quamvis igitur pecunia non subsistat in specie, certè subsistit in prædio æquivalente, ut fert natura commercii: falsò itaque dicitur id vendi quod esse desiit, quamdiu emptum prædium subsistit.

Respondetur, Pecuniam mutuo datam esse desiisse creditoris, & quoad dominium, & quoad usum. Sive enim penes debitorem in specie remaneat, sive in rem alteram eámque solidam & consistentem fuerit commutata, respectu creditoris se habet quasi esse desiisset, siquidem ejus ampliùs non est: ideóque cùm lucrum ex pecunia mutuo data percipit, rem quæ habitu ad eum respectu esse desiit, revera vendit.

Objiciunt tertiò, Quemadmodum usus domus, supellectilis, equi, imò & pecuniæ ad ostensionem, vel ad oppignerationem concessæ vendi potest: ita & usus pecuniæ mutuo datæ.

Discrimen inter res locatas & pecuniam mutuo datam. Respondetur, falsum esse consequens, ob discrimen quod res inter locatas, & pecuniam mutuo datam intercedit. In locatione enim usus à dominio distinguitur: unde quamvis rei locatæ dominium retineatur, ejus tamen usus justè vendi potest: verùm aliter se res habet in Mutuo, in quo rei mutuo datæ dominium ad debitorem cum usu transfertur: nihil ergo percipere licet creditori ex usu rei cujus non est ampliùs dominus. Cùm ergo signata pecunia locatur, suam quodammodo naturam ac proprietatem exuit: siquidem tunc non spectatur velut nummus ad commutationes faciendas institutus, sed veluti quoddam mobile, cujus usus ab ipsa re distinguitur: cujus proinde dominium ad conducentem non transit, sed penes locantem remanet. Ideóque lucrum aliquod propter operas in eo dando & recipiendo subeundas; vel etiam ob amissionis periculum percipere justè potest. Si enim pecuniæ conductor debitam adhibeat conductitiæ pecuniæ custodiendæ curam, & nihilominus improviso casu

A pereat, locanti perit, siquidem ejus dominium retinuit, secundùm illud Jurisperitorum effatum, *Res perit domino*. Quòd si pecuniam locaret suam qui mutuo dat, sequeretur debitorem non posse distrahere & consumere pecuniam mutuo acceptam, cujus nempe non esset dominus; sicut nemo diruere potest domum sibi locatam. Sequeretur secundò, pecuniam mutuo acceptam creditori perire, non debitori: siquidem *Res domino perit*. Hanc Responsionem confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXVIII. ad sextum: *Usus* De Usu le.

B *principalis vasorum argenteorum*, inquit, *non est ipsa eorum consumptio: & ideo usus eorum potest vendi licitè: servato dominio rei. Usus autem principalis pecuniæ argenteæ est distractio pecuniæ in commutationes. Unde non licet usum ejus vendere; cum hoc quod aliquis velit ejus restitutionem quod mutuo dedit. Sciendum tamen quòd secundarius usus argenteorum vasorum posset esse commutatio: & talem usum non liceret vendere. Et similiter potest esse aliquis secundarius usus pecuniæ argenteæ, utpote si quis concederet pecuniam signatam ad ostentationem, vel ad ponendum loco pignoris: & talem usum pecuniæ licitè homo vendere potest.*

Contractus constitutionis censûs annui ab usura immunes. Objiciunt quartò; Contractus in constituendis

C censibus annuis celebrari solitus est merum mutuum: nec tamen illicitus est: licèt igitur contractum inire quo ex mutuo aliquid ultra sortem percipiatur.

Respondetur, falsam esse primam Propositionem. Constitutio enim annui census non est mutuum fœneratitium, sed verus venditionis & emptionis contractus, quô magnâ pecuniæ summâ semel numeratâ & solutâ, jus emitur percipiendæ annuæ pensionis seu annui reditûs. Qui autem hunc censum emit, (sive super re frugifera, sive super persona quæ operâ & industriâ suâ fructum facere possit, aut bona habeat, vel proximè habitura sit

D ad censum solvendum sufficentia; sive super re simul & persona constituatur, ita ut re pereunte, persona nihilominus obligata maneat ad censum solvendum,) Qui, inquam, hunc censum emit, sortem in perpetuum alienat, eámque sic in alterum transfert, ut ipsi non liceat illam repetere, neque compellere possit venditorem ad eam refundendam, sed solùm ad solvendum annuas pensiones ad quas percipiendas emptor jus acquisivit numerato pretio. Ea porrò mutui natura est, ut sors sive summa capitalis repeti possit, cùm creditor illius dominium in debitorem non transferat nisi ea

E lege ut sibi reddatur. Quamobrem in censûs annui constitutione mutuum omnino nullum, ne virtuale quidem intercedit. Contractus igitur illi constitutionis censûs, ab usuræ fœnorísque labe sunt prorsùs immunes, si debitis conditionibus comitentur. Nec refert quòd emptor post longam annorum seriem tandem plus accipiat quàm dederit: quod enim recepit ultra sortem, non recepit ex mutuo, sed ex emptione. Alioquin agrorum vel prædiorum emptio fœneratitia esset, siquidem fructus ab emptore tractu temporis percepti sortem seu pretium, quo prædium emptum

F est, superant. Hujusmodi contractuum æquitatem *Martinus V.* & *Calixtus III.* Pontifices Maximi approbarunt editis Constitutionibus, quæ inter Extravagantes communes leguntur Cap. *Regimini*, primo & secundo, Tit. *De Emptione & Venditione*. Nec istorum tamen Pontificum tempore primò invaluerunt; sed in Polonia & Germania recepti erant ex omni hominum memoria, ut iidem Pontifices testantur. Certæ tamen conditiones concurrant necesse est, ut illi contractus ab omni usuræ labe ac suspicione immunes sunt, ac justi-

Certæ conditiones ad legitimum census annui contractum requisitæ.

Prima & præcipua est; ut pretium sit justum, quale censetur illud quod Lege seu Regiis Constitutionibus definitum est. Secunda conditio est, ut venditor rem unam aut plures designare possit, super quibus census constituatur, quæ quidem sint fructiferæ, tantique valoris, ut ad censum hujusmodi quotannis solvendum sufficiant; nec aliis censibus aut oneribus sint impeditæ: alioquin venderetur id quod non est, aut quod non potest vendi. Sicut enim ille qui emit prædia aut pecora ab his qui non habent, aut plura quàm habent, eaque sic empta eisdem locat, usurarius est: ita qui emit censum super prædio quod non est, aut cujus proventus censum non adæquant, constitutum; emit quod non est. Quod cùm nemo emptor sincerè & considerato faciat, fictus est emptionis contractus, usuráque palliata. Tertia conditio est, ut res super qua census constituitur, sit in libera dispositione constituentis, *Nemo enim plus juris in alterum transferre potest, quàm ipse habeat*, ut dicitur Cap. *Nemo potest*, Tit. *De Juris Regulis*, in Sexto. Ideóque non potest maritus sine uxoris consensu constituere censum in fundo dotali. Quarta conditio in censu merè reali necessaria est, ut si res, super qua census est constitutus, péreat, aut sterilis evadat sine culpa censuarii, sive in totum, sive pro parte, cesset vel in totum, vel pro rata parte obligatio census. At verò si census sit personalis, aut mixtus, ita ut res locum habeat pignoris seu hypothecæ, census non extinguitur pereunte re super quâ constitutus est: cùm ea sit natura pignoris & hypothecæ, ut etiam si perierint, debitor tamen ad solvendum maneat obligatus. Quinta conditio est, ut venditor census possit eum redimere & extinguere cùm libuerit, sed ab emptore cogi non possit ad redimendum, seu ad refundendum summam capitalem, singulis pensionibus in sortem non computatis. Pacto enim isto intercedente, fictus esset emptionis, verus Mutui contractus: & qui emptoris nomen sibi sumeret, de recipienda sorte, & annuis insuper pensionibus securus, lucrum ex mutuo revera perciperet, adeóque in usuræ crimen incurreret. Sexta conditio est, ut solutiones anticipatæ pensionum ex pacto non fiant, vel exigantur, id est, ne pensio sive census exigatur nisi ratione temporis elapsi. Si enim emptor, dum pretium numerat, detraheret ex eo pensionem primi anni, quæ non debetur nisi anno expleto, Usuram committeret. Et hæ quidem conditiones jure naturæ necessariæ sunt. Alias conditiones addunt *Martinus V. Calixtus III.* & *Pius V.* non eodem jure necessarias, nec ubique nisi receptas. In iis denique Constitutionibus censuum, servandæ sunt conditiones Legibus, seu Regiis Edictis, vel Municipalibus Consuetudinibus præscriptæ: alioquin contractus irriti erunt. In Galliis jure optimo cautum est ut census creetur numeratâ pecuniâ, solutóque justo & integro pretio coram Notario, ipso tempore quo fit contractus: quæ & una est è conditionibus à *Pio V.* præscriptis, ad fraudes usurariorum præcavendas.

In emptione census vitalitii amplior pensio exigi non potest quam sit Regiis Constitutionibus [illegible].

Cæterum quamvis emptio census temporalis & vitalitii non minùs licita sit quam census perpetui, easdem tamen conditiones postulat, nec amplior pensio exigi potest, quàm sit Regiis Constitutionibus definitum, alioqui nulli sunt contractus & irriti, atque etiam in conscientiæ foro illiciti: & ad sortem refundendam emptori vel ejus heredibus, (deductis tamen pensionibus, quæ secundùm Regiarum Constitutionum tenorem percipi debuerunt, ac revera perceptæ sunt) venditor obligatur, etiamsi pactum intercesserit ut sors sive fundus extinguatur ac pereat moriente emptore. Nec Religiosa Sodalitia, vel Communitates quælibet, aut Collegia, vitalitios contractus hoc pacto constituere possunt absque iniquitate, nisi id Privilegiis à Rege ipsis concessum esset, ut Xenodochiis quibusdam sive Hospitalibus in gratiam pauperum concessum est: quia Regiis Constitutionibus parere tenemur, *Non tantùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*; ut ait Apostolus: & *Per Jura Regum* possessiones habentur, ut loquitur *Sanctus Augustinus*; adeóque census constitui, vendi, emi, possideri non possunt, nisi conditionibus quas Regiæ præscribunt Constitutiones. Præterea, Communitates vel Sodalitia, quæ vitalitios hujusmodi census constituunt, fundo (ut loquuntur) extincto, sortem se recepisse tantam simulant ac mentiuntur, quanta ad constituendum censum necessaria est secundùm Regiarum Constitutionum præscriptum: numeratáque coram Notario pecuniâ, scribitur in Instrumento talem summam receptam fuisse à Censuariis seu venditoribus census: & tamen pars magna subtrahitur ex compacto ab emptore: utque fraus Regiis Constitutionibus facta tegatur, fundus post mortem Censitoris seu emptoris relinquitur Communitati, sive Sodalitio censuario, fictò donationis, vel fundationis contractu. Quâ in re cùm fraus, falsitas, injustitia manifestæ sint, graviter peccant qui communis utilitatis prætextu censos vitalitios eo pacto vendunt & constituunt.

De Usuris.

Objiciunt quintò Usurarum patroni: *Montes Pietatis*, in Italia & in Belgio institutos fœneratitios esse; adeóque fœnus omne non esse prohibitum. Est autem *Mons pietatis* summa quædam pecuniæ, aut aliarum rerum usu consumendarum, ex publico ærario, vel aliunde conflata, ut ex ea Mutuum detur pauperibus, ea lege ut modicum quid ultra sortem solvant pro Montis indemnitate, nisi aliter illi indemnitati prospectum fuerit. His autem Montibus certæ conditiones sunt præstitutæ: Prima, ut Mutuum detur ad certam summam, determinatúmque tempus, verbi gratiâ, ad medium aut integrum annum: ne, si ad longum tempus daretur, pauperibus omnibus Mutuum petentibus subveniri non posset. Secundò, ut Mutuum non detur sine pignore: quia periculum foret ne plures debitum non redderent, atque ita Montem suis facultatibus exhaurirent. Tertiò, ut evoluto solutionis termino vendantur non repetita pignora, & si pretium illorum superaverit id quod Monti debetur ab illis quorum erant, residuum ipsis restituatur. Quartò, ut ab iis qui Mutuum accipiunt, modicum aliquid recipiatur ultra sortem. Sic institutos Montes Pietatis Summi Pontifices *Paulus II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Leo Decimus* in Concilio Lateranensi Sessione x. approbarunt, necnon Sacrum Concilium Tridentinum Sessione xxii. Usuram itaque moderatam approbare videtur Ecclesia.

Montes pietatis non sunt fœneratitii.

Respondetur, Falsò asserit quòd Montes Pietatis sint fœneratitii. Quod enim in iis exigitur ultra sortem, non exigitur & percipitur ratione Mutui, sed pro expensis, ut Montium indemnitati consulatur, ut declaravit *Leo Decimus*, Sacro approbante Concilio Lateranensi. *Declaramus*, (inquit) *& definimus, Montes Pietatis per Respublicas institutos, & Auctoritate Sedis Apostolicæ hactenus approbatos & confirmatos, in qui-*

De Usuris.

bus pro eorum impensis & indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illorum conservationem pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, ultra sortem, absque lucro eorumdem Montium recipitur, nec speciem mali praeferre, nec peccandi incentivum praestare; nec ullo pacto improbari, quin imò meritorium esse, ac laudari & probari debere, & tale Mutuum minimè usurarium esse.

Objiciunt sextò, In Cambio exigere licet aliquid ultra sortem ob onera quæ incumbunt campsori sive nummulario: quid-ni igitur & in Mutuo exigi & percipi aliquid poterit ob onera quæ incumbunt Mutuum dantibus, ob periculum sortis, ob molestiam in recuperanda sorte, ob carentiam pecuniæ, propter obligationem non repetendi sortem usque ad certum tempus, pro labore numerandi pecuniam, pro labore & sumptu mittendi pecuniam absenti Mutuatario?

Lucrum ex cambio licitum, non ex mutuo.

Respondetur, Falsum esse consequens: magnum quippe discrimen est inter lucrum quod ex Mutuo, & quod ex Cambio percipitur. Qui enim in Mutuo solvit incrementum sortis seu usuras, ille ipse est qui Mutuum sumit: in Cambio verò qui pecuniam tradit permutandam vel transmittendam, mercedem aliquam solvit campsori sive nummulario ob onera quæ ipsi incumbunt, pretio certè æstimanda; quippe qui pecuniæ varias species paratas semper habere debeat, collybisticas litteras scribere, damnum interdum pati ob minorem valorem specierum in variis regionibus; curam, laborem, periculum suscipere transmittendi pecuniam, asservandique campsario ubi habet opus; ministris, quorum indiget operâ, mercedem solvere. At onera quæ Mutuum danti incumbunt, ipsi Mutuo ita cohærent ut ab eo sint inseparabilia. Quapropter sicut Mutuum gratuitum omnino esse debet, secundùm Christi Domini Mandatum: *Mutuum date, nihil inde sperantes*: ita onera omnia cum Mutuo conjuncta gratis suscipi debent. Et cùm usura sit per se mala, idcóque prohibita Divinâ Lege, cujus perspicua verba sunt Levitici xxv. *Ne accipias ampliùs quàm dedisti.... Superabundantiam non exiges.* Ezechielis XVIII. *Usuram dantem: & ampliùs accipientem...... Usuram & superabundantiam non acceperit:* Eáque verba Concilia, Summi Pontifices, Patres usurpaverint, ut externam Usuræ actionem per se vetitam esse demonstrarent, nulla subtilitas, nulla præcisio mentalis, nulla intentionis directio efficere potest ut exactio seu perceptio, vel spes & exspectatio lucri alicujus aut accessionis, quantumvis moderatæ, extra sortem, ab usuræ labe immunis sit.

Cambium siccum ac simulatum, usurarium est, ac damnatum.

Cambii tamen genus aliquod usurarium est ac meritò damnatum, scilicet *Cambium siccum*, (ut vocant) ac simulatum. Cùm enim Cambium sit permutatio negotiatoria pecuniæ pro pecunia; aliud *verum & reale* est, quæ est vera & legitima pecuniarum permutatio; sive sit permutatio pecuniarum diversæ rationis de manu ad manum, ut aureæ cum argentea, majoris cum minutiori, vetitæ cum legitima, antiquæ cum nova, exteræ cum vernacula: quod *Cambium minutum* seu *manuale* vocant: sive sit permutatio pecuniæ præsentis cum absente: quod *Cambium locale* sive *per litteras* appellatur. Aliud Cambium est simulatum, quod *Siccum* dicitur; idque verum Mutuum est, Cambii realis velamine obtectum, quo scilicet campsor alicui hîc pecuniis indigenti dat summam pecuniæ confictis litteris ad locum distantem, ad quem tamen non mittuntur, cùm certum habeat nullum ibi campsoris agentem residere, nec pecuniam illic numerandam postulet, sed hîc numeratam mutuetur. Quin Cambium illud falsi nominis usurarium sit, negari non potest, cùm in eo detur summa quædam pecuniæ, ut postmodum tota recipiatur cum lucro, cujus exigendi aut recipiendi nullum titulum habet campsor ille fraudulentus, qui ob solam temporis moram aliquid ultra sortem exigit. Quamobrem Beatissimus Pontifex *Pius Quintus*, Constitutione quæ incipit, *In eam*, Cambia sicca damnat, quæ ita confinguntur, *Ut contrahentes ad certas nundinas, seu alia loca cambia celebrare simulent, ad quæ loca ii, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas cambii tradunt, sed non mittuntur; vel ita mittuntur, ut transacto tempore, unde processerunt, inanes referantur; aut etiam nullis hujusmodi litteris traditis pecunia ibi denique cum interesse reponitur, ubi contractus fuerat celebratus. Nam inter dantes & recipientes usque à principio ita convenerat, vel certè talis intentio erat: neque quisquam est qui in nundinis aut locis supradictis, hujusmodi litteris receptis solutionem faciat. Cui malo simile etiam illud est, cùm pecuniæ, sive depositi, sive alio nomine ficti cambii traduntur, ut postea eodem in loco, vel alibi cum lucro restituantur.* Et Concilium Mediolanense primum *S. Carolo Borromæo* Præside celebratum sexennio circiter ante quam *Pius V.* hanc de Cambiis Constitutionem ederet, P. II. Tit. *De Usuris*, vetat, *Ne fiant cambia, cùm litteræ ad destinatum locum verè non mittuntur, & ibi non fit solutio, sed uno & eodem loco pecunia datur & recipitur: vel quando dantur & accipiuntur pecuniæ cum eo pacto, ut habeatur recursus ad domum vel ad Respondentem dantis, aut accipientis (quod pactum vulgò vocant* La Ricorsa*) Atque ita impensa, aut alterius rei onus imponitur.*

Objiciunt septimò, Lege Dei vetitum non esse recipere aliquid in compensationem seu potiùs recognitionem beneficii, gratique animi signum: accessionem itaque ad sortem ex mutuo percipi posse, modò non recipiatur ratione mutui, & tanquam debitum ex justitia.

Respondetur, Accessionem omnem ad sortem ex mutuo perceptam, aut speratam Divinâ Lege prohiberi: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Quod ultra sortem percipitur aut speratur, non esse, vel certè non sperari ut gratuitum munus, si exigatur, vel ita exspectetur, ut avarus creditor mutuum non daret, spe muneris illius percipiendi destitutus. Unde *S. Hieronymus* in Cap. XVIII. Ezechielis ait: *Alii pro pecunia fœneratâ solent munuscula accipere diversi generis: & non intelligunt usuram appellari & superabundantiam quicquid illud est, si ab eo quod dederint plus acceperint.*

Objiciunt octavò: Usura moderata, seu mutuum cum honesta sortis accessione inter homines divites & negotiatores exerci solitum, proximo est utile, Reipublicæ commodum: iis qui mutuum accipiunt datur opportunitas rem suam familiarem amplificandi; Negotiatoribus adminiculum præbetur ad continuandum augendúmque commercium, quo Regna & Respublicæ maximè efflorescunt.

Respondetur, Non solùm caritatis, sed & justitiæ, virtutúmque ceterarum habendam esse rationem. Cùm autem in mutuo aliquid accipitur ultra sortem, ampliúsque exigitur quàm datum sit, manifestè violatur justitia, quia vio-

De Usuris.

latur æqualitas. Sed & in caritatem peccatur, quia (ut ait *S. Joannes Chrysostomus*, Homiliâ XLIII. in Epistolam primam ad Corinthios) *In pecuniis nequit fieri ut quispiam evadat dives, nisi alius prius factus sit pauper.* Quamobrem si Mutuum Negotiationis (ut vocant) aliquibus utile, aliis certè incommodum est. Præterea, non ad utilitates nostras commodaque temporalia, Lex Dei inflectenda est: sed secundùm illam judicandum an justum sit, quod nobis utile commodùmque videtur. Prohibet Deus in mutuo *amplius* accipere quàm datum sit, *superabundantiam* exigere: jubet Christus ut mutuum gratis detur, *Mutuum date nihil inde sperantes*: nulla pauperum ac divitum, nulla mutui caritatis & mutui negotiationis distinctione facta. Sileat Deo jubente cupiditas. *Quid revolvis? Deus præcipit*: (inquit Tertullianus) *Ad exhibitionem obsequii prior est Majestas Divinæ Potestatis: prior est auctoritas imperantis, quàm utilitas servientis.* Factitando & augendo commercio quærantur præbeantúrque adminicula, sed non per malas artes, per cupiditatem, fraudes, mendacia, usuras, quæ negotiationem polluunt, negotiatores Deo exosos faciunt; adeo ut Patres mercaturam animarum saluti periculosissimam judicaverint, quanquam id non ipsius mercaturæ, sed hominum vitium sit. *Ignoro si hoc faciens, (id est, maria navigans) justè patrimonium possit augere*; (inquit *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ XXIV. in Matthæum.) *Ecclesia Negotiatores non admodum probat, sed in omnium infimo loco constituit*; (inquit *S. Epiphanius*, in Expositione Fidei Catholicæ, quæ coronis est Librorum adversùs Hæreses, Cap. XXIV.) Denique si in recipienda pecuniâ ad usuram dispensatio fieri non potest, ut pauperes, qui in Saracenorum captivitate detinentur, per eamdem possint pecuniam liberari, quia *Usurarum crimen utriusque Testamenti paginâ detestatur*: ut respondet *Alexander III.* Cap. *Super eo*, Extra, *De Usuris*: multò minùs licet in mutuo negotiationis & commercii (ut vocant) aliquid ultra sortem exigere ac percipere, quantumvis id utile sit ad commercium continuandum & augendum.

Lex Dei ad utilitates nostras non est inflectenda, sed secundùm illam judicandum an justum sit quod nobis commodum videtur.

Lib. De pœnitentia, cap. v.

Quod autem asserunt usuræ fœnorisque patroni, usuram esse Reipublicæ utilem, falsissimum est: quinimo Reipublicæ perniciosissima censeri debet, cùm ab utilibus ac necessariis artibus & negotiis homines abducat negotium fœneratitium, quo nullum facilius est, certiorisque lucri. Præterea, negotio fœneratitio Reipublicæ status perturbatur; cùm æqualitatem dati & accepti non servet; ut necesse sit creditores crescere, debitores minui, omniúmque facultates tractu temporis à fœneratoribus exhauriantur. Unde Gallicani Præsules in Conventu Melodunensi congregati aiunt; *Usuram lienis instar inflari, & totum corpus macidum efficientis, omnem Rempublicam enervare.* Et Concilium Lugdunense II. sub Gregorio X. *Usurarum voraginem, quæ animas devorat, & facultates exhaurit*, compescere cupiens, Constitutionem Lateranensis Concilii contra usurarios præcipit inviolabiliter observari. Tertiò, grave onus in cives redundat ex negotio fœneratitio; causa siquidem est cur res ad vitam necessariæ majori pretio vendantur, quàm venderentur, propter paucorum fœneratorum cupiditatem. Denique, ut multa paucis complectar, privatis quibusque Reipublicæ membris, qui mutuo indigent, fœneratitium negotium incommodum & perniciosum est, solis fœneratoribus utile.

Usura reipublicæ perniciosa.

Quod egregiè *S. Ambrosius* ostendit Libro *De Tobia*, Cap. IV. *Non novit pecunia fœneratoris uno diutius loco stare*, inquit, *solita transire per plurimos. Uno teneri sacculo nescit, versari ac numerari expetit: usum requirit, ut acquirat usuram. Fluctus quidem est maris, non fructus. Pecunia numquam quiescit. Labitur, velut scopulo illisa, ita gremium debitoris percutit, & continuò relabitur eò unde processit. Cum murmure venit, cum gemitu revertitur. Frequenter tamen placidum stat ventis mare, semper fœnoris unda jactatur. Mergit naufragos, exspuit nudos, vestitos exuit, insepultos relinquit. Nummum ergo petis, & naufragium suscipis.* Et Cap. XIII. *Pecunia fœnebris hodie seminatur, crat fructificat: semper parit, & numquam interit: semper plantatur, vix evellitur. Vult semper fœnerator acquirere, numquam perdere: numquam custodire pecuniam suam, semper expellere: numquam sanare, semper occidere... Crescit semper pecunia, otium nescit avaritia, nescit usura ferias. Omnes torrentes vadunt in mare, & mare non adimpletur: mare istud fœnerator est; omnium patrimonia tanquam fluctus absorbet, & ipse nescit expleri. Mare tamen plerique utuntur ad quæstum, fœneratore nemo utitur nisi ad dispendium: illic multorum commodum est, hic universorum naufragium.*

De Usuris.

Eccles. 1. 7.

Objiciunt nonò, Lucrum ex pecunia mercatori commissa licitè sperari ac percipi: quidni ergo (inquiunt) & de pecunia eidem mutuo datâ; cùm mutuum illud speciem quamdam societatis habeat.

Respondet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXVIII. Art. II. ad Quintum, Discrimen in eo esse positum, quòd *Ille qui mutuat pecuniam, transfert dominium pecuniæ in eum cui mutuat: unde ille cui pecunia mutuatur, sub suo periculo tenetur eam restituere integrè. Unde non debet amplius exigere ille qui mutuavit. Sed ille qui committit pecuniam suam vel mercatori, vel artifici per modum societatis cujusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum, sed remanet ejus: ita quòd cum periculo ipsius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur: & ideo sic licitè potest partem lucri inde provenientis expetere, tanquam de re sua.*

Objiciunt decimò, Licet pauperi mutuum fœneratitium accipere ad inopiam suam sublevandam; licet igitur & mutuum fœneratitium dare ut fœnerator imminentem penuriam à familia sua avertat.

Respondetur, Falsum esse consequens: usuram enim seu aliquid ultra sortem ex mutuo exigere vel percipere, lex naturalis & divina vetat, ac per se malum, mortaléque peccatum est, quod nulla necessitas licitum facit vel excusat; cùm mori potiùs Christianus debeat, quam Deum offendere. Unde *Tertullianus* Libro *De Corona Militis*, Cap. XI. ait: *Non admittit status fidei necessitates. Nulla est necessitas delinquendi, quibus una est necessitas non delinquendi. Nam & ad sacrificandum & directò negandum, necessitate quis premitur tormentorum sive pœnarum: tamen nec illi necessitati Disciplina connivet: quia potior est necessitas timendæ negationis & obeundi Martyrii, quàm evadendæ passionis & implendi officii. Ceterum subvertit totam substantiam Sacramenti causatio ejusmodi, ut etiam voluntariis delictis fibulam laxet.* Verùm uti alterius peccato ad bonum licet, modò ad peccandum non incitetur, ipsúmque peccatum displiceat. Unde mutuum fœneratitium accipere licet indigenti ad necessitatem suam sublevandam, ut docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXVIII. Art. IV. *Inducere hominem ad peccandum* (inquit) *nullo modo licet: uti tamen peccato alte-*

Nulla necessitas licitum facit vel excusat quod per se malum est.

Mutuum fœneratitium accipere licet indigenti ab eo qui paratus est ad fœnerandum.

De Usuris.

vint ad bonum licitum est : quia & Deus utitur omnibus peccatis ad aliquod bonum: ex quolibet enim malo elicit aliquod bonum. Et ideo S. Augustinus Publicolæ quærenti, utrum liceret uti juramento ejus qui per falsos Deos jurat, in quo manifestè peccat, eis divinam reverentiam adhibens, respondet, quod » Qui utitur fide illius qui per falsos Deos jurat » non ad malum, sed ad bonum, non peccato » illius se sociat, quo per Dæmonia juravit, sed » pacto ejus bono quo fidem servavit : *Si tamen induceret eum ad jurandum per falsos Deos, peccaret, ita etiam in proposito dicendum est, quod nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris : licet tamen ab eo qui hoc paratus est facere, & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris, propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis, vel alterius. Sicut etiam licet ei qui incidit in latrones, manifestare bona quæ habet, (quæ latrones peccant diripiendo) ad hoc quòd non occidatur.* Et in Responsione ad primum : *Qui accipit pecuniam mutuo sub usuris, non consentit in peccatum usurarii, sed utitur eo : nec placet ei usurarum acceptio, sed mutuatio, quæ est bona.* Et ad secundum, *Qui accipit pecuniam mutuo sub usuris, non dat occasionem usurario usuras accipiendi, sed mutuandi. Ipse autem usurarius sumit occasionem peccandi ex malitia cordis sui : unde scandalum passivum ex parte sua est, non autem activum ex parte petentis mutuum. Nec tamen propter hujusmodi scandalum passivum debet alius à mutuo petendo desistere, si indigeat : quia hujusmodi passivum scandalum non provenit ex infirmitate vel ignorantia, sed ex malitia.* Necessitas tamen quælibet à peccato non excusat eos qui mutuum accipiunt sub usura, sed gravis dumtaxat ; nec etiam excusantur à peccato mortali, qui mutuum fœneratitium accipiunt ab eo qui paratus non est ad peccatum illud committendum, & Usuras velut ex professione non exercet.

ARTICULUS II.

Quo Moralis Christiana Regula circa Usuram explicantur.

REGULA I.

Damnum acceptum, & lucrum interceptum, seu (ut vulgò loquuntur Theologi) damnum emergens & lucrum cessans, duo sunt dumtaxat legitimi tituli ut aliquid ultra sortem à debitoribus exigatur absque usuræ vitio, fœnerisque labe.

Quicquid enim creditor ultra sortem exigit aut sperat præter indemnitatem & compensationem ejus quod suâ interest, lucrum est. Porrò lucrum ex mutuo exigere aut sperare, usura & fœnus est ; ut compertum est ex ipsa usuræ notione, Christique Domini præcepto : quicquid igitur creditor præter indemnitatem & compensationem ejus, quod suâ interest, sperat, aut exigit, usura & fœnus est. Quemadmodum enim *Lucrum non intelligitur, nisi omni damno deducto*, ut ait *Paulus* Jurisconsultus, Libro XVII. *Digestorum*, Tit. *Pro Socio*, L. 30. sic quicquid ultra sortem omni damno deducto exigitur aut speratur, lucrum est, quod citra usuram ex mutuo exigere aut sperare non licet. Id autem quod interest rectè definitur, Commodum quod haberet creditor, si damnum illi datum, aut lucrum interceptum non fuisset. Unde idem Jurisconsultus, Digestorum XLVI. Tit. VIII. *Ratam rem haberi, & de Ratihabitione*, L. 13. ait : *Si commissa est stipulatio, Ratam rem dominum habiturum, in tantum competit, in quantum ea interfuit : id est, quantùm mihi abest, quantùmque lucrari potui.* Et *Justinianus* Imperator Lib. VII. *Cod.* Tit. XLVII. *De Sententiis, quæ pro eo quod interest, proferuntur*, L. unica, ubi certum modum constituit, quo id quod interest definiatur à Judicibus, subdit : *Et hoc non solùm in damno, sed etiam in lucro nostra amplectitur Constitutio : quia & ex eo Veteres, id quod interest, statuerunt.* Ex his perspicuum est, id quod interest duplex caput continere, nempe *damnum emergens*, & *lucrum cessans* ; & utriusque compensationem sine usuræ vitio exigi posse a creditore, cùm id non tam ad captandum lucrum, quàm ad vitandum damnum referatur. Id de damno accepto *S. Thomas* confirmat, Secunda Secundæ, Quæstione LXXVIII. Articulo II. in Responsione ad primam objectionem : *Ille*, inquit, *qui mutuum dat, potest absque peccato in pactum deducere cum eo qui mutuum accipit, compensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid quod debet habere. Hoc enim non est vendere usum pecuniæ, sed damnum vitare. Et potest esse quòd accipiens mutuum majus damnum evitet, quàm dans incurrat. Unde accipiens mutuum cum sua utilitate damnum alterius compensat.*

Conditiones requisitæ ne damni emergentis specie usura pallietur.

Verùm ne damni accepti sive emergentis specie usura pallietur, plures conditiones concurrant necesse est, ut ratione damni emergentis aliquid ultra sortem à debitore titulo compensationis justè exigi, percipique possit. Primò, ut damnum acceptum verum, sit, reale certúmque, non dubium ac fictitium : *Ut hoc, quod revera inducitur damnum, hoc reddatur ; & non ex quibusdam machinationibus & immodicis perversionibus in circuitus inextricabiles redigatur ; ne dum in infinitum computatio reducitur, pro sua impossibilitate cadat* (ut loquitur *Justinianus* Lege unicâ C. *De Sententiis, quæ pro eo, quod interest, proferuntur.*) Secundò, necesse est ut damnum proficiscatur ex mutuo, idque proximè ac immediatè. Nulla enim ratio habenda est damni aliunde quàm ex mutuo accepti vel imminentis. Quemadmodum enim creditori debitor cum proprio damno beneficium præstare non cogitur ; sic debitor ad aliud damnum resarciendum & compensandum non obstringuitur præter illud, quod ipsius causâ creditor accepit propter datum mutuum. Tertiò, requiritur ut damnum proponatur debitori, & in stipulationem pactionémque conferatur, cùm mutuum accepit à creditore, ne invitus onus illud resarciendi damni subeat : alioquin plerumque accideret, ut plus detrimenti quàm commodi ex mutuo perciperet, magisque deciperetur quàm juvaretur beneficio ; cùm tamen *Juvari nos, non decipi beneficio oporteat*, ut ait Jurisconsultus. Quartò, requiritur, ut damnum æquale sit compensationi, quæ à debitore exigitur vel percipitur, ne de incerti damni compensatione transigere cogatur debitor. Quintò, necesse est ut pactio & stipulatio de futuro damno compensando in casum moræ concipiatur ac referatur. Constitutiones enim Pontificiæ ac Regiæ pactiones omnes, quibus aliquid ultra sortem exigitur aut percipitur, citra moram debitoris, prohibent, quia in fraudem legis mutuo adjici præsumuntur ; nisi de vero, certo, ac perspicuo damno

accepto

De Usuris.

accepto vel imminente invictissimis probationibus constare possit. Sextò, necesse est ut damni compensatio non antè exigatur ac percipiatur à debitore, quàm damnum acceptum sit, alioquin commodum ex mutuo perciperet, plusque peteret quàm deberetur. *Qua enim ratione qui tardius solvit, quàm solvere deberet, minùs solvere intelligitur; eadem ratione qui præmaturè petit, plus petere videtur*; (inquit *Justinianus* Libro IV. *Institutionum*, Tit. VI. §. 33.) Necesse tandem est, ut in compensando eo quod interest, tam in lucro cessante, quàm in damno emergente, modus Regiis Constitutionibus definitus servetur: leges enim Principum, *Non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam* servari debent ab omnibus subditis. Nihil ergo ultra sortem exigi potest ad compensandum id quod interest, nisi quod Principum Constitutionibus est definitum: quamvis damnum ex mutuo emergens modum iisdem Constitutionibus præscriptum interdum superet atque excedat.

Conditiones lucri cessantis, ut justa sit ratio exigendi aliquid ultra sortem.

Lucrum cessans, titulus est alter, & quidem legitimus, ut aliquid ultra sortem sine usuræ vitio fœnorisque labe exigatur; modò verum, certum, aut verisimile, proximéque futurum sit, ab ipsóque mutuo proficiscatur; nec secundùm æqualitatem rei, sed secundùm verisimilitudinem spei æstimetur, ut docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXVIII. Articulo secundo ad primum. *Ille* (inquit) *qui mutuum dat, compensationem damni quod consideratur in hoc quòd pecunia non lucratur, non potest in pactum ducere: quia non debet vendere id quod nondum habet, & potest impediri multipliciter ab habendo.* Quod explicat luculentiùs & clariùs Quæstione LXII. Articulo IV. *Quicumque* (inquit) *damnificat aliquem, videtur auferre id in quo ipsum damnificat. Damnum enim dicitur ex eo quòd aliquis minùs habet quàm debet habere. Et ideo homo tenetur ad restitutionem ejus in quo aliquem damnificavit. Sed aliquis damnificatur dupliciter. Uno modo, quia aufertur ei id quod actu habebat, & tale damnum est semper restituendum secundùm recompensationem æqualis, putà, si aliquis damnificat aliquem diruens domum ejus, ad tantum tenetur quantum valet domus. Alio modo, si damnificet aliquem impediendo ne adipiscatur quod erat in via habendi; & tale damnum non oportet recompensare ex æquo: quia minus est habere aliquid in virtute: quàm habere actu: qui autem est in via adipiscendi aliquid, habet illud solùm secundùm virtutem vel potestatem: & ideo si redderetur ei ut haberet hoc in actu, restitueretur ei quod est ablatum, non simplum, sed multiplicatum: quod non est de necessitate restitutionis. Tenetur tamen aliquam recompensationem facere secundùm conditionem personarum & negotiorum.* Et in Responsione ad primam & secundam Objectionem, exemplum profert ejus qui sparsa semina effodit, aut qui in mora solvendi est; docétque futuram messem, lucrúmve futurum, non secundùm æqualitatem rei, sed secundùm æstimationem spei restituenda esse, quia messis futura, lucrúmve speratum, non actu, sed virtute habentur. *Et per hoc* (inquit) *patet Responsio ad primum & secundum. Nam ille qui semen sparsit in agro, nondum habet messem in actu, sed solùm in virtute. Et similiter ille qui habet pecuniam, nondum habet lucrum in actu, sed solùm in virtute, & utrumque potest multipliciter impediri.*

Verùm ut lucri intercepti sive cessantis titulo aliquid justè possit exigi ultra sortem absque usuræ fœnorisve labe ac suspicione, necesse est ut eædem penè conditiones concurrant, quæ accessionem ad sortem ob damnum emergens debent comitari. Necesse est (inquam) ut lucrum illud verè aut verisimiliter perceptum fuisset à creditore, nisi mutuum datum esset: utque propter mutuum, non aliis ex caussis extraneis interceptum fuerit. Deinde requiritur ut creditor debitorem de hoc ipso lucro cessante moneat, deque ipso lucro paciscatur secundùm æstimationem spei, quemadmodum de jactu retis, aliisque futuris commodis, quæ spe magis quàm re tenentur, pacta iniri possunt, ut habetur in Digestis Tit. *De actionibus empti & venditi*, Lege XII. Sed & pactum istud in casum moræ concipi ac referri oportet: citra moram enim pactum omne mutuo adjectum, ut aliqua sorti accessio fiat, usurarium esse censetur. Requiritur insuper ut lucrum cessans non ante resarciatur, quàm ex ipsa negotiatione interceptâ; deductis periculis, laboribus, impensis, percipiendum fuisset. Modus etiam Constitutionibus Regiis definitus necessariò servandus est in Ditionibus Regis Christianissimi. In aliis verò regionibus Principum aut Rerumpublicarum Leges, vel Consuetudines Municipales servandæ sunt, Jurísque Regula, in ipsa æquitate naturali fundata, quæ rationem magis habendam esse docet damni accepti, quam lucri cessantis, *Cod.* Libro VI. Tit. *De Codicillis*, Lege ultima: *Non par eadémque ratio videtur amittere debita, & lucra non capere*; (inquit *Theodosius* Imperator.)

De Usuris.

Cùm porrò Jura omnia plus faveant iis qui damnum patiuntur, quàm iis qui lucrum non faciunt, ideo singulares quædam conditiones ulteriùs requiruntur, ut exigi possit ex mutuo aliquid ultra sortem titulo lucri intercepti seu cessantis, absque usuræ vitio. Prima conditio est, ut res mutuo data negotiationi exposita sit, aut proximè ad negotiationem, vel emptionem rei alicujus frugiferæ parata sit destinatione quadam animi verâ, sincerâ & efficaci: indéque ad debitoris preces, non ad arbitrium creditoris avertatur, & mutuo detur. Non sufficit ergo ut pecunia negotiationi potuerit exponi, aut ad rem frugiferam emendam conferri; quoniam illa potentia remota est, cujus nulla ratio habetur ut lucrum interceptum propter mutuum censeatur. Secunda conditio est, ut nullam aliam pecuniam otiosam habeat creditor, quæ in locum ejus quæ mutuo data est substitui possit ad negotiationem, aut emptionem rei frugiferæ, cujus adest opportunitas, & sincera voluntas, faciendam. Aliam porrò pecuniam otiosam habere non censetur, quamvis habeat sepositam ad alimenta & provisionem familiæ, ad filiarum dotem, ad emendum Officium, ad casus fortuitos, ut sunt morbi, incendia, lites emergentes, damna, longæque profectiones. Tertia conditio est, ut nihil exigatur aut percipiatur à debitore ad lucrum cessans compensandum, ante tempus quo creditor lucrum ex negotiatione, aut re frugifera ad cujus emptionem pecunia mutuo data destinata erat, percepisset. Quarta conditio est, ut pericula, damna, labores impensæ deducantur, antequam lucri cessantis compensatio exigatur ac percipiatur à debitore. *Neque* enim *lucrum intelligitur, nisi omni damno deducto, neque damnum nisi omni lucro deducto*; (inquit *Paulus* Jurisconsultus in Digestis, Lege XXX. Tit. *Pro Socio.*) Quinta denique conditio est ut creditor ex humanitatis aut caritatis voluntate, non ex lucri cupiditate, aut commodi cujuspiam percipiendi spe ac desiderio ad mutuum dandum impellatur. Si quæ conditionum istarum deficiat, lucrum non tam ex mutuo, quàm ex creditoris cupiditate intercipi ac impediri intelligitur, qui

A De Usuris. lucrum interceptum esse conquiritor, sive ademptam sibi ea mutuo lucraodi occasionem, ut ex eo lucrum faciat, & alterius damno locupletetur.

Cæterùm creditor subrogatos in locum ejus qui damni emergentis, aut lucri cessantis interesse patiebatur, easdem Usuras exigere non potest, quas prior creditor licitè exigebat, nisi novus iste creditor similiter patiatur damnum, aut lucrum amittat. Cùm enim jus illud, quod pristino competebat creditori, sit penitus extinctom per solutionem ejus qui suâ pecuniâ jus & nomen B prioris creditoris redemit, transmitti non potest in subrogatum creditorem, quia *Nemo plus juris in alienum transferre potest, quàm ipse habet*; ut dicitur Cap. *Nemo potest*, Tit. *De Regulis Juris*, in Sexto, & L. *Nemo plus juris*, D. eodem Titulo.

REGULA II.

Obligationes promissorias accessionis aut lucri alicujus ultra sortem à debitoribus exigere, sive schedulas & chirographa, quibus fateantur se plus accepisse quàm revera ipsis Mutuo datum sit, Usurarium est; etiamsi in Platea vel Nundinis pecunia C *mutuo detur ac numeretur à Mercatoribus.*

NUllum enim ibi damnum acceptum, nullum lucrum interceptum occurrit, ex mutuo profectum, ac necessariis conditionibus comitatum, cujus ratione exigi aut percipi possit id quod interest. Numquam enim Mercatores pecuniam suam Mutuo dare solent in Platea aut Nundinis, cùm opportunitas adest illam ad negotiationem conferendi: immò tunc ipsi mutuum accipiunt, ut majus lucrum ea negotiatione captent. Tunc ergo mutuum dant in Platea, aut in D Nundinis, cùm pecuniam inutilem & otiosam habent in arca, quam negotiationi proximè non destinant: proindéque lucrum ex mutuo captant; & absque justo titulo accipiunt aliquid ultra sortem: siquidem id quod exigunt aut percipiunt non est justa compensatio damni emergentis, aut lucri cessantis. Unde Sacra Facultas Parisiensis anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo octavo, die decima-sexta Julii, inter alias

Propositio damnata.

Apologiæ Casuistarum damnandas propositiones damnavit eam quæ asserit: *Majori cum animositate quàm ratione condemnari promissiones obliga-* E *torias ad solvendum lucrum supra capitale*, tanquam *Falsam, scandalosam, & manifestè usurariam.*

Mutuum usurarium & fœneratitios contractus consuetudo non excusat.

Nec verò Contractus fœneratitios mutuúmque usurarium excusat consuetudo, quod omnium ita fiat Lugduni, Parisiis, aut in aliis Civitatibus, Provinciis & Regionibus. *Christus* enim *Veritatem se, non consuetudinem cognominavit*; (inquit *Tertullianus*, Libro *De Velandis Virginibus*, Cap. I.) Et *Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum.* Notum & illud S. Cypria- F ni: *Consensere Jura peccatis, & cœpit licitum esse, quod publicum est.* Item illud ejus Patris pronuntiatum: *Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est.* Non minùs certum est illud *S. Augustini* in *Enchiridio*, Cap. LXXX. *Peccata quamvis magna & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parva aut nulla esse creduntur.* Consuetudines igitur, quibus mutuum fœneratitium, & contractus usurarii, aut de usuraria pravitate suspecti in quibusdam Civitatibus, Provinciis, aut Regionibus invaluerunt, non sunt sequendæ, sed examinan-

A dæ, Divinæque Legi, & Sacris Canonibus adhærendum est, secundùm illam *S. Isidori Hispalensis* Sententiam, quæ refertur Canone *Usus*, Dist. XI. *Usus auctoritati cedat, pravum usum lex & ratio vincat.* Et secundùm verba illa *Constantini Magni* ex Codice transcripta, Canone *Consuetudinis*, ibidem, *Consuetudinis ususque longævi non vilis auctoritas est: verùm non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut legem.* Quibus consonum est illud *Gregorii Noni*, Cap. *Cùm tantò*, Extra, De Consuetudine: *Cùm* B *tantò sint graviora peccata, quantò diutiùs infelicem Animam detinent alligatam, nemo sanæ mentis intelligit, Naturali Juri, cujus transgressio periculum salutis inducit, quacumque consuetudine, quæ dicenda est veriùs hâc in parte corruptela, posse aliquatenus derogari. Licèt etiam longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas: non tamen est usque adeo valitura, ut vel Juri Positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè præscripta.* Verùm adversùs Legem Divinam nulla præscriptio dari potest. De Civitatibus igitur, & Provinciis, in quibus consuetudo Contractibus usurariâ pravitate infectis, mutuóque fœnerari- C tio, & schedulis atque promissionibus obligatoriis, quibus aliquid ultra sortem exigitur, auctoritatem dedit, illud Psalmi LIV. dici potest. *Vidi iniquitatem & contradictionem in civitate; die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus; & injustitia: & non defecit de plateis ejus Usura & dolus.* Quem Psalmistæ locum *S. Augustinus* tractans Enarratione in Psalmum LIV. ait *Usura & dolus non absconduntur saltem quia mala sunt, sed publicè sæviunt. Etenim qui in domo aliquid mali facit, vel de malo suo erubescit. In Plateis ejus Usura & dolus. Fœnus & professionem habet, fœnus & ars vocatur; corpus di-* D *citur, corpus quasi necessarium civitati, & de professione sua vectigal impendit: usque adeo in Plateis est quod saltem abscondendum erat.*

REGULA III.

Usura est aliquid ultra sortem exigere vel accipere ob periculum facti, cui rem suam creditor exponit dando mutuum. Sed accessio aliqua ad sortem exigi potest ob periculum juris à creditore susceptum.

E DUplex periculum à creditore suscipi potest; unum facti, mutuo intrinsecum atque insitum, cùm rem suam mutuo dando dubiis incertisque rerum humanarum casibus exponit, non tamen debitorem ipsum obligatione solvendi liberat; vel, cùm dat mutuum eâ lege ut periculum in se suscipiat, aliter mutuum non daturus, eóque nomine aliquid exigit ultra sortem.

Periculum duplex, unum facti, aliud juris.

Periculum aliud juris & mutuo extrinsecum est, cùm creditor periculum sortis pacto quodam mutuo adjuncto suscipit, ac debitorem obligatione solvendi liberat. Propter periculum facti aliquid ultra sortem exigere, usura est. Cùm enim mu- F tuum per seipsum gratuitum sit; quicquid mutuo cohæret gratuitum etiam esse debet. Periculum portò facti mutuo ipsi cohæret atque insitum est. siquidem res mutuo data, & in dominium debitoris transiens, variis fortunæ casibus est exposita, fierique potest ut ipse debitor ad inopiam redactus æri alieno solvendo impar fiat: igitur periculum illud facti in mutuo æstimandum non est, nec ratione illius aliquid ultra sortem exigere aut recipere licet. Et certè si propter periculum facti, quod mutuo intrinsecum

est

De Usuris.

est, liceret aliquid pacisci aut recipere ultra sortem, liceret plus exigere à pauperibus quam à divitibus & mercatoribus, quia res mutuo data minùs secura est apud pauperes, quàm apud divites & mercatores: id autem nec ipsi usurarum patroni dixerunt. Tertiò, cùm debitor in quemcumque statum deveniat, aut quocumque casu res pereat, nihilominus maneat obligatus ad solvendam sortem integram creditori, manifestum est id quod ultra sortem exigitur ac percipitur, exigi ac percipi ratione mutui. Vult enim & paciscitur ut sortis periculum ad se omnino pertineat, alias mutuum non daturus, sicque ex mutuo vult consequi lucrum, non mediatè, sed mediante susceptione periculi, quod usurarium esse constat ex Cap. *Naviganti*, Extra, *De Usuris*, quod *Gregorii Noni* Responsum est. *Naviganti* (inquit) *vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo, quòd suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.* Denique tam incerta est compensatio periculi, quam ipsum capitale quod versatur in periculo, cùm utrumque ab eodem debitore solvi debeat: igitur pactum quod fit de accessione aliqua ad sortem ratione periculi, non ad securitatem capitalis, nec ad periculi compensationem, sed ad cupiditatem pertinet, quâ creditor lucrum ex mutuo vult captare.

Propter periculum verò juris, quod mutuo penitus extrinsecum est, creditor aliquid ultrà sortem sine usuræ vitio exigere ac percipere potest à debitore; siquidem onus aliquod pretio æstimandum præter officia ac jura mutui suscipit, ipsúmque debitorem omni periculo & obligatione solvendi liberat, si res mutuo data casu pereat; cùm tamen periculum rei mutuo datæ debitorem sequatur, in cujus dominium translata est. Sed in isto casu necesse est ut periculum illud, quod creditor suscipit, non sit vanum, illusorium & in fraudem legis excogitatum; ipséque debitor ad pactum illud mutuo adjiciendum non cogatur à creditore; sed illud ipsum potiùs postulet: cùm mutuum sumit, tanquam rebus suis opportunum. Alioquin pactum illud usurarium esset.

Hanc Regulam confirmat *S. Antoninus*, P. II. Tit. I. Cap. VII. §. 21. *Quid* (inquit) *de eo, qui mutuavit naviganti, vel eunti ad nundinas, recepturus aliquid ultra sortem pro eo quod suscipit in se periculum, id est, si periculum vel merces inde emptas portaverit salvas, aliàs nihil recepturus etiam de sorte? Respondeo quòd, aut illud ultra sortem recipit ratione mutui tantùm, & sic est usura, non obstante quòd periculum ipse suscipiet: & iste est casus Capitis*, Naviganti. *Aut recipit illud ultra sortem præcisè ratione periculi, ut pretium periculi, & sic non est usura, sed licitum. Nam etiamsi non mutuaret, & periculum navigantis in se vellet recipere, licitè posset recipere pretium periculi; nec propter hoc quòd ei servitium faciat in mutuando, efficitur deterioris conditionis. Aut aliquid ultra sortem recipit partim ratione periculi, & partim ratione mutui: & tunc usura est quantùm ad id quod plus percipit respectu mutui, & illud tenetur restituere.* Si quis porrò dixerit, Se non recipere aliquid ultra sortem ratione mutui, sed ratione periculi, nihilominus in foro Ecclesiæ judicabitur usurarius: quia Ecclesia de externa dumtaxat actione, non de intentione judicat. Suæ enim intentionis cùm nemo homo testis sit præter ipsum, semper diceret creditor intentionem suam rectam fuisse, seque mutuum fuisse daturum, quamvis hujusmodi pactio non intercessisset. Sicut ergo ubi pecunia promissa vel data est pro electione ad Ecclesiasticam Dignitatem aut Munus, non audiuntur electores, si dicant se ad eligendum invitatos non fuisse propter pecuniam, quia aliàs eumdem elegissent; sed qualiscumque fuerit eorum intentio, nihilominus electio censetur simoniaca: ita non est audiendus creditor asserens se non moveri ad exigendum aliquid ultra sortem ratione mutui, quia aliàs mutuum erat daturus, sed nihilominus *Usurarius est censendus*, ut dicitur Cap. *Naviganti*. In foro autem conscientiæ, si creditor dicat se non recepisse aliquid ultra sortem ratione mutui, seu eâ intentione ut lucraretur ex mutuo, sed velut pretium periculi quod suscepit, ipsi fides adhibenda est.

REGULA IV.

Licitum est, & ab usura vitio fœnorisque labe purum Commercium Maritimum in Cameris Assecurationum institutum, in quibus minori vel majori pretio merces navibus vectæ emuntur pro majori vel minori periculo cui naves illæ sunt expositæ.

Maritimum commercium.

Cum enim merces illæ justo pretio, secundùm communem æstimationem, spectatis periculis emantur, & minus lucrum, idque certum, assecurari possit pro majori, sed incerto, nihil in hujusmodi contractu esse videtur quod justitiæ repugnet. Id confirmat *S. Antoninus* III. P. Tit. VII. Cap. III. §. I. hunc Casum proponens: *Petrus habet mille florenorum valorem in mercimoniis in Navi de Anglia, Flandria, vel Hispania Pisas deferendis: dubitat vel timet de submersione Navis, vel captura à Piratis: dat vel offert Martino quinque vel decem pro centenario plus vel minus, secundùm quòd plus vel minùs timetur de periculo, pro securitate super his fienda, cùm assensit sumens in se periculum dicti lucri. Ille igitur Martinus acceptis illis quinque vel decem pro centenario, si merces salvæ conducuntur, sibi remanet illud lucrum ratione dictæ securitatis. Sed si navis periret vel caperetur ab hostibus, Martinus teneretur de mille florenis pro securitate facta; licitum reputatur tale lucrum ratione periculi quod subiit; Nec enim potest dici esse mutuum, cùm nil mutuetur; nec lucrum turpe, cùm nec inveniatur prohibitum, & utilitati deserviat hominum; nec ob* Cap. NAVIGANTI, De Usuris, *quia illud habet locum; scilicet suscipiens in se periculum mercimonii; si aliquid percipit de mercibus, dicitur usura, quando videlicet illud petit non ratione periculi, sed ratione mutui facti ei cujus sunt merces. Et idem dicendum de mercibus deferendis per terram, per loca periculosa.*

REGULA V.

Sola debitoris mora non est legitimus titulus ut aliquid ultra sortem exigatur, nisi damnum acceptum, aut lucrum interceptum concurrant.

Lucrum enim ex mutuo exigere ac percipere non potest creditor absque usuræ vitio, sed solam compensationem ejus quod suâ interest: unde si aliquid ultra sortem exigat vel percipiat, etiam post moram debitoris, nullo interveniente damno, nullóque lucro cessante, usuram committit. Idque leges confirmant. Ait enim *Paulus* Jurisconsultus Libro XXXII. Digestorum, Tit. *De Usuris*, L. 17. §. 3. *Usuræ non propter lucrum petentium, sed propter moram solventium infliguntur.* Et *Pomponius* Jurisconsultus Libro XVII. D. Tit. *Pro Socio*, Lege 60. *Socium* (inquit) *qui in eo, quod ex societate lucri faceret, reddendo moram adhibuit, cùm eâ pecuniâ ipse usus sit, usuras*

De Usuris.

quoque eum præstare debere Labeo ait; sed non quasi usuras, sed quod socii intersit, moram eum non adhibuisse: sed si aut usus eâ pecuniâ non sit, aut moram non fecerit, contra esse.

Sed nec compensatio ejus quod interest creditoris, sufficit ut aliquid ultra sortem percipere justè possit, nisi debitor in mora solvendi sit constitutus. Si enim creditor compensationem ejus quod interest ante moram debitoris exigeret, in fraudem Legis fœnus & usuram prohibentis facere censeretur.

Mora triplici modo fieri potest: vel ex persona, vel ex die adjectâ, vel ex re ipsa: ex persona quidem, cùm creditor convenienti loco & tempore debitorem interpellat, admonétque ut solvat quod debet: ex die adjectâ, cùm dies solutioni dicta est; dies enim interpellat pro homine, secundùm Legem *Trajectitia*, 23. Tit. *De Obligationibus & Actionibus*, Libro XLIV. *Digestorum*. Denique mora fit ex reipsa, cùm lex debitorem in mora constituit, ut in minorum causis, L. *In minorum*, C. Tit. *In quibus causis in integrum restitutio necessaria non est*. Verùm quamvis in aliis regionibus sufficiat quælibet ex his tribus interpellationibus à creditore facta, ut debitor in mora esse censeatur culpâ suâ, adeóque ab ipso justè possit exigi id quod interest, ad idque teneatur; in Galliis tamen ubi secundùm Regias Constitutiones judicatur, sola interpellatio juridica morosum debitorem obligat ad solvendum id quod interest creditoris ratione moræ, ob damnum scilicet emergens, lucrúmve cessans. Et à die duntaxat denuntiati vadimonii, vel petitionis apud Judicem declaratæ, interveniente Sententia Judicis pœnam moroso debitori imponentis, & legitimas usuras creditori damnum passo adjudicantis, potest creditor compensationem damnorum, & ejus quod interest, exigere & percipere, ut Aurelianensi Constitutione *Caroli Noni* Regis Christianissimi Articulo LX. sancitum est: alioqui in fraudem Legis facere censebitur, lethalisque peccati reus erit, & restitutioni obnoxius.

REGULA VI.

Omnis pœna conventione partium mutuo adjecta, usuraria censenda est, nisi debitis conditionibus ab usura labe ac suspicione hujusmodi conventio purgetur.

CUm enim Lex Divina, Canones Spiritu Dei conditi, Regiæque Constitutiones, accessionem omnem sorti adjectam prohibeant, profectò quicquid mutuo adjicitur, in fraudem Legis Divinæ, sacrorum Canonum, Regiarúmque Constitutionum adjectum censetur, & tanquam iniquum & usurarium rejicitur; nisi ad compensationem ejus, quod creditoris interest, revocari possit. Cùm autem eo nomine pœna mutuo adjicitur pacto & transactione creditoris ac debitoris, ut si debitor in solvendo præstitutâ die fuerit negligens, aliquid solvere cogatur ultra sortem, Sententiâ Judicis ad pœnam damnatus ob solutionis dilationem: certæ conditiones conventionem illam comitari debent, quarum defectu usuraria esset. Prima est, ut pœna illa simplici animo ac sine fraude adjecta censeatur, id est, eo solùm animo, ut debitum præstituta die recipiat, propter verum aut verisimile damnum, non verò ut ex mutuo lucretur. Secunda conditio est, ut pœna mutuo adjiciatur pro æstimatione veri aut verisimilis damni emergentis, vel lucri cessantis, nec modum Constitutionibus Regiis definitum excedat ac superet. Quod & Romano Juri consonum est Tit. D. *De Usuris*, L. 44. cujus hæc sunt verba: *Pœnam pro usuris stipulari nemo supra modum usurarum licitum potest.* Et *Cod.* eodem Tit. L. 15. *Cùm allegas uxorem tuam ea conditione mille aureorum numero quantitatem sumsisse, ut si intra diem certum debito satis non fecisset, cum pœna quadrupli redderet quod accepit: juris forma non patitur legem contractûs istius ultra pœnam legitimarum usurarum posse procedere.* Juri nimirum publico privatorum pacta derogare non possunt. Tertia conditio est, ut creditor certus non sit, neque probabiliter judicet, debitorem præfinito tempore imparem futurum ad solvendum debitum: tunc enim pœna usurario animo mutuo adjici censetur, cùm nulla futura culpa prævidetur. Quarta conditio est, ut pœnæ nomine nihil ultra sortem exigatur, si nulla debitoris culpa interveniat. Igitur pœna conventionalis justè exigi non potest a debitore, qui absque culpa sua non solvit, quia nimirum non habet unde præstituto tempore solvere valeat, nec culpâ suâ in talem impotentiam incidit. Iniquè enim exigitur pœna, ubi nulla intercedit culpa.

Simplici autem animo & absque fraude pœnam conventionalem mutuo adjecisse creditor non censetur, qui pene invito debitori pœnam illam imposuit, aut pecunias mutuo dedit eâ conditione ut aliquot post dies debitor sistat se coram Judice, séque ad id quod interest condemnari consentiat. Cùm enim id fiat in usurarum fraudem, eam conventionem usurariam esse manifestum est.

REGULA VII.

Constitutio Regia, & Sententia Judicis, non sunt legitimi per se tituli ut aliquid ultra sortem à debitoribus sine usuræ vitio exigatur.

COnstitutio namque Regia & Sententia Judicis solâ præsumptione nituntur damni accepti vel lucri amissi à creditore, ad cujus compensationem definiunt vel adjudicant id quod interest: quamobrem si creditor nullum damnum patiatur, nullo lucro privetur, nihil ultra sortem exigere potest aut percipere; cùm Jus Divinum & Naturale mutare ac evertere Constitutio Regia & Sententia Judicis non possint, nec id Christianissimi Reges intendant, qui usuram & fœnus omne Edictis suis damnaverunt ac proscripserunt, pœnis gravissimis in fœneratores constitutis. Itaque si debitoris mora nullum damnum intulerit, nullum lucrum interceperit creditori, nihil ultra sortem sine usuræ vitio fœnorisque labe exigere potest. Si autem creditoris intersit, debitorem in mora solvendi fuisse, exigere ac percipere aliquid potest, non tamen ultra modum Constitutione Regia, Judicisque Sententiâ definitum, quamvis fortè creditoris pluris intersit, quàm Constitutio Regia aut Sententia Judicis definierit. Tenemur enim in hisce rebus parere Legibus Civilibus, & Constitutionibus Principum, qui jus ipsum exigendæ compensationis ob damnum emergens aut lucrum cessans ex mora creditoris, propter utilitatem publicam moderati sunt, ne in infinitum progrederetur; sive (ut loquitur *Justinianus*, L. unica C. *De Sententiis quæ pro eo quod interest proferuntur*) Ne in circuitus inextricabiles redigatur, ac dum in infinitum computatio reducitur, pro sua impossibilitate cadat. *Cùm sciamus*, inquit, *esse naturæ congruum eas tantummodo pœnas exigi, quæ vel competenti moderamine proferuntur, vel à legibus certo fine conclusa statuuntur.* Denique si damnum emergens aut lucrum cessans minus est, quàm id quod Constitutione Regia

De Usuris.

aut Sententiâ Judicis definitum est, id totum creditor exigere & percipere oon potest à debitore sine osuræ vitio. Falluur ergu quisquis putat Constitutionem Regiam & Sententiam Judicis jus tribuere creditori, ut quinque ultra sortem in centenos singulos nummos accipiat, etiamsi nullum damnum passus sit, nullóque sit lucro frustratus; aut certè licèt minùs æstimandum sit damnum acceptum, lucrúmve interceptum, quàm compensatio adjudicata creditori de mora debitoris conquerenti.

REGULA VIII.

Pactum Legis Commissoria in eo positum ut creditor pignus accipiat pro mutuo, vel alio debito, eâ conditione ut si debitor præfinito tempore non solvot, pignus illud fiat ipsius creditoris, sive venditione, sive in feudum out in solutum datione, usurarium est.

ULtra sortem enim aliquid exigere vel accipere iniquum est, Juri Naturæ, Divino, Ecclesiastico, Civili contrarium, usurarium. Hanc Regulam confirmat *Innocentius III.* Cap. *Significante*, Extra, *De Pignoribus*. Civis quidam Pisanus domum suam concivi cuidam suo pro ducentis quinquaginta libris pignori obligaverat, promiseratque præstito juramento, quòd nisi domum ipsam præfinito tempore redimeret, eam non repeteret à creditore. Debitor infra statutum tempus per certum & fidelem (ut videbatur) nuntium pecuniam nomeratam creditori remisit; quam tameo idem nuntius infideliter agens nun persolvit. Postmudum verù idem debitor qui domum suam oppignaverat, ab Imperatore detentos, dicto creditori satisfacere non potuit ut debebat. Causâ ad *Innocentium III.* declaratâ, respondit Summus Pontifex: Pactum Legis Commissoriæ in pignoribus illicitum esse & jure improbatum, ideóque creditorem Censuris Ecclesiasticis cogendum esse, ut sorte contentus, fructibúsqoe seu pensionibus in eam computatis, domum oppigneratam restituat debitori. *Cùm igitur*, inquit, *Pactum Legis Commissoria sit in pignoribus improbatum: & prodictus R. quoutum in eo fuit, juramenti debitum adimplevit: cùm per eum, quem certum nuncium esse sperabat, pecuniam remiserit termino statuto, sed in captione detentus satisfacere non potuit creditori: mandamus quatenus si est ita, prædictum creditorem, ut forte contentus, pension bus pignoris computatis in eam, illam præfato R. omni dilatione postpositâ resignet, Pacto tali vel Juramento nequaquàm obstante, Censurâ Ecclesiasticâ cogatis.*

Pactum Legis commissoriæ.

Idem confirmat Concilium Mediolanense primum sub *S. Carolo Borromæo*, P. II. Tit. *De Usuris*, vetans *Ne res modico pretio pignori detur vel vendatur pacto redimendi intra certum tempus, ut si ad dictum tempus res redempta non sit, res libera sit emptoris, vel ejus qui pignori accepit.* Idem confirmant iisdem verbis Concilium Burdigalense anno millesimo quingentesimo octogesimo tertio, Tit. XXXI. *De Usuris & illicitis Contractibus*, & Conventus Melodunensis Ecclesiæ Gallicanæ, Tit. XXXIV. *De Usuris.*

Hæc denique Regula *Constantini* Imperatoris Lege confirmatur, C. Tit. *De Pactis pignorum, & Lege Commissoria in pignoribus rescindenda*, cujus hæc verba sunt: *Quoniam inter alias captiones præcipuè commissoria pignorum legis crescit asperitas, placet infirmari eam, & inposterum omnem ejus memoriam aboleri. Si quis igitur tali Contractu laborat, hac Sanctione respiret, quæ cum præteritis præsentia quoque repellit, & futura prohibet. Creditores enim re amissa jubemus recuperare quod dederunt.*

De Usuris.

REGULA IX.

Usurarius est quicumque creditor pro securitate debiti ex mutuo contracti recipit à debitore pignus frugiferum, & fructus interim perceptos, vel quos, adhibitâ diligentiâ, in rebus gerendis à viris prudentibus adhiberi solitâ, percipere potuit, in sortem non computat: tenetúrque ad omnium hujusmodi fructuum restitutionem.

HÆc Regula nititur Cap. *Plures*, Extra, *De Usuris*, quod est *Alexandri III.* in Concilio Turonensi Decretum. *Nullus* (inquit) *constitutus in Clero, vel hoc vel aliud genus usuræ exercere præsumat. Et si quis alicujus possessionem datâ pecuniâ sub hac specie vel conditione in pignus acceperit, si sortem suam, deductis expensis, de fructibus jam perceperit, absolutè possessionem restituat debitori. Si autem aliquid minus habet, eo recepto, possessio liberè ad dominum revertatur.*

Et Cap. *Conquestus*, idem Pontifex Abbati & Monachis S. Laurentii hunc in modum respondet: *Discretioni vestræ mandamus, quatenus si terram ipsam titulo pignoris detinetis, & de fructibus ejus sortem percepistis, prædictam terram Clerico memorato reddatis; nisi terra ipsa de feudo sit Monasterii vestri.*

Idem confirmat *Innocentius III.* Cap. *Cùm contra*, Extra, *De Pignoribus*, cujus hæc sunt verba: *Nos igitur attendentes, quòd in talibus perceptio fructuum in solutione sortis accedat: cùm secundùm Canonicas Sanctiones fructus restitui, & in sortem debeant computari: considerantes etiam quòd possessiones ipsæ jam extenuassent penitus totum onus, & debitum annullassent: ipsas tibi restituendas esse decrevimus.*

Nititor etiam hæc Regula L. I. *Codicis*, Tit. *De Distractione Pignorum*, cujus hæc sunt verba: *Fundum pignori obligatum, si creditor ex fructibus debitum consecutus est, cùm ipso jure pignus ab obligatione liberatum sit, distrahere minimè potest.* Cùm igitur fructus ex pignore percepti, vel culpâ creditoris non percepti, computati sunt in sortem, ipsámque adæquant, tenetur creditur pignus reddere debitori; nec potest absque usuræ crimine summam capitalem repetere. Quemadmudum enim omne incommodum, quod fortuitò advenit pignori, ad debitorem dominum ejus pertinet, non ad creditorem possessorem: sic æquum est & omne commodum ot rei suæ ei reddere. Nam *Secundùm naturam est, ut quem sequuntur incommoda, sequantur & commoda*, L. *Secundùm naturam*, Tit. D. *De Regulis Juris*, & Cap. *Qui sentit*, eodem Tit. in *Sexto*. Quare & fructus modici etiam restituendi sunt debitori, vel in extenuationem sortis principalis computandi; quia quicquid ultra sortem mutui recipitur, usura est. Unde Concilium Parisiense VI. Cap. XIII. istud etiam Usuræ genus execratur & damnat, *Sunt etiam*, inquit, *alii crudelissimi fœneratores, qui tempore necessitatis nihil commodare pauperibus volunt, nisi messellas suas, & vineolas, & pratella, eâ ratione in pignus dederint, ut quicquid frugum in ipse colligi poterat, pro parvo quod mutuum acceperint, ex asse amittant.*

Præterea; *Cùm quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti*, ut habet Regula

De Usuris.

Juris 74. in Sexto. Cùm igitur usuræ directè vetitæ sint, ex fructibus occasione pignoris percipi obliquè non debent. Et sicut directè prohibitum est uti pactis Legis Commissoriæ in ipso pignore, sic & in fructibus ejus. Emendatum ergo Jus est, quod olim obtinuerat, licere creditoribus sibi retinere pignora, non solutâ à debitore statâ die pecuniâ, & nihilominus petere debitum, ut refert *Dio Cassius*, Lib. XLI. Quod innuit & *Plutarchus* Lib. *Quòd non sit fœnerandum*, dum ait, Advenientibus Calendis, nec solventibus debitoribus, nec ipsum Jovem de manu creditorum pignora salvare posse. Statuit autem *Julius Cæsar*, ut refert *Dio*, oppignerata quidem in solutum cedere, sed æstimatione factâ, delectis etiam Judicibus sorte, qui ea æstimarent. Quemadmodum *Alexander* quoque Cæsar cavit L. 1. C. *De Pactis Pignorum*, nihil ampliùs juris dari creditori per cessionem pignoris, quàm Jus commune statuerit in venditione. Non improbatur tamen pactum in traditione pignoris appositum, ut si intra constitutum tempus pecunia debita non fuerit soluta, creditor possideat rem jure emptionis justo pretio tunc æstimandam, quo casu venditionem conditionalem esse Jure receptum est, Lib. XX. D. Tit. 1. *De Pignoribus & Hypothecis* L. *Si fundus*, §. 9. *Potest ita fieri pignoris datio hypothecave, ut si intra certum tempus non sit soluta pecunia jure emptoris possideat rem, justo pretio tunc æstimandam: hoc enim casu videtur quodammodo conditionalis esse venditio. Et ita Severus & Antoninus rescripserunt.* Idem confirmatur ex L. *Titius*. D. *De Contrahenda Emptione & Venditione*, Lib. XVIII. Tit. 1.

Fructus ex pignore sive fundo percepti, in sortem computandi sunt.

Fructus autem in sortem computandi sunt, pignusque reddendum adæquatâ sorte, deductis tamen expensis necessariis. Necessariæ autem impensæ dicuntur, quibus non factis res oppigneratæ erant perituræ, vel deteriores futuræ, veluti ædificia ruentia reficere, oliveta rejecta restaurare, arbores curare, aggeres facere, flumina avertere, stipendia & tributa ob rem oppigneratam solvere. Utiles etiam impensas deducere juris est, quæ meliorem rem faciunt, & ex quibus reditus domino acquiritur; non verò voluptarias, quæ speciem dumtaxat exornant, non etiam fructum augent, *L. Impensa*. 79. D. Tit. *De Verborum significatione*.

Hanc Regulam confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. LXXVIII. Articulo II. ad sextum. *Si quis* (inquit) *pro pecunia sibi mutuata obliget rem aliquam cujus usus pretio æstimari potest, debet usum illius rei ille qui mutuavit computare in restitutionem ejus quod mutuavit: alioquin si usum illius rei quasi gratis sibi superaddi velit, idem est ac si pecuniam reciperet pro mutuo, quod est usurarium.*

REGULA X.

Creditor qui pro mutui securitate feudum suum in pignus accipit à Vassallo suo, fructus ejus percipere potest, & nihilominus sortem integram repetere absque usuræ crimine, modo interim vassallum debitorem suum absolvat à servitio ratione possessionis feudi debito.

Exceptio creditoris feudum suum in pignus accipientis à Vassallo suo.

CUm enim creditor in eo casu directum habeat rei oppigneratæ dominium, fructus non tanquam ex pignore, sed tanquam ex re propria percipit: fructus autem ex re propria percepti computandi non sunt ad extenuationem sortis. Hæc porrò exceptio fundata est in natura & conditione feudorum, quæ cùm pignoris loco ad verum & directum dominum redierint, dominium utile seu potestas legitima percipiendi fructus, cum dominio directo consolidatur, & propterea fructus ad dominum feudi pertinent, modo vassallum absolvat ab omni servitute & onere, quo propter fructuum possessionem adstringebatur. Hanc Regulam confirmat *Alexander III.* Cap. *Conquestus*, Extra, *De Usuris*. Verùm si dominus vassallum à servitute feudi non absolvat, fructus in sortem computare tenetur: alioquin vi mutui aliquid acciperet ultra sortem, adeòque usurarius esset, ut colligitur ex Cap. *Insinuatione*, Extra, *De Feudis*, quod *Innocentius III.* Responsum est. *Declaramus*, inquit, *quòd gageria, quam de feudo Ecclesiæ tuæ ab M. dignosceris recepisse, à te potest liberè detineri, fructibus non computatis in sortem: ita videlicet ut quamdiu fructus illos perceperis in sortem minimè computandos, idem M. à servitio in quo tibi & Ecclesiæ tuæ pro feudo ipso tenetur, interim sit immunis.*

Gageria, pignus est.

REGULA XI.

Gener non tenetur computare in sortem fructus possessionum sibi in pignus traditarum, donec dotem in pecunia socer numeraverit.

NUllum enim ibi mutuum intercedit, sed pactum secundùm Leges licitum, ut quamdiu dos soluta non fuerit, fundus sit loco pignoris, interimque fructus percipiantur, qui censentur eadem potestate & voluntate concessi quâ ipsa dos: nulla igitur ibi usura est quæ ex mutuo procedit. Præterea, maritus fructus percipit ex re à socero in pignus data, non tanquam usuram, sed tanquam compensationem damni emergentis ex eo quòd onera matrimonii ferat dote non solutâ. Sic respondet *Innocentius III.* Cap. *Salubriter*, Extra, *De Usuris*: SANE (inquit) *generum ad fructus possessionum, quæ sibi à socero sunt pro numerata dote pignori obligatæ, computandos in sortem, non credimus compellendum: cùm frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera Matrimonii supportanda.* At maritus qui fructus illos percipit, nec tamen onera matrimonii sustinet, ipsos tenetur in sortem computare, alioquin usuram committeret. Ideo fructus rei dotalis ante matrimonium percepti, aut post, sine onerum susceptione, dotem augent, fiuntque uxoris, non mariti. Quamobrem heres mariti possidens pignus datum pro dote, fructus in debitum computare debet, nec illos lucratur, quia non sustinet onera, aut saltem potest se liberare ab onere alendi viduam, restituendo ei pignus. Contra si post mortem mariti res in pignus viduæ detur ab heredibus pro restitutione dotis, illa debet imputare fructus, quos perceperit, in solutionem dotis, quia non sustinet onera matrimonii soluto matrimonio. Sibi itaque prospiciat, curétque ut res oppignerata vendatur, vel detur sibi in solutum pro dote. Ita docet *Panormitanus* ad Cap. *Salubriter*, Extra, *De Usuris*. Si tamen ob dotem non solutam damnum passa sit, aut lucrum amiserit, potest accessionem aliquam ad dotem exigere ac percipere ad damnum compensandum.

Denique si generum inter & socerum conventum sit ut dos non statim solvatur, sed intra certum tempus data sit socero dilatio solvendi: fructus ex pignore dotis percepti pendentibus in-

De Usuris.

duclis computandi suot in sortem, quia socer uondum est in mora solvendi. Nee refert quòd onera matrimonii ferat, quia etsi uxorem duxisset indotatam, oihilominus ooera subire teneretur. Hæc omnia confirmat *S. Antoninus* P. II. Tit. I. Cap. VII. *De Usura & Mutuo*, §. 27. 28. & 29.

REGULA XII.

Venditio cum pacto retrovendendi usuraria est, si venditio simulata sit, contractusque venditionis & emptionis in pignoratitium degeneret: aut venditionis pretium tenue sit & exiguum, nec rei cum ista redemptionis facultate valori respondeat: aut venditor & emptor paciscantur de re majori pretio redimenda, quàm empta sit; vel ut res venditoris, non emptoris periculo pereat.

QUamvis enim vera & justa venditio cum pacto retrovendendi licita sit, usuræque expers, reique sic venditæ dominium transferatur in emptorem, qui proinde fructus ut rei suæ jure percipit, donec redemptio facta sit a venditore: si tamen venditio cum pacto retrovendendi simulata sit, modicumque sit pretium, aut pactum de re majori pretio redimenda quàm empta sis; vel ut res venditoris non emptoris periculo pereas: Usura palliata est. Vult enim fictus emptor simulato venditionis & emptionis contractu aliquid ex mutuo virtuali, quod in hoc contractu intercedere manifestum est, ultra sortem accipere; cùm rem sibi remanere nolit, sed redimi: ut fructus interim sorti accedentes de pignore percipiat, fucato acquisitionis titulo. Unde contractus ille revera pignoratitius est; & cùm pignoris fructus interim ab emptore percepti in sortem non computantur, contractus usurarius est. Es certè pactum quod de redemptionis quàm de emptionis majori pretio, initur, justitiam commutativam apertè violat, quæ in emptione & venditione parem vendentis & ementis conditionem præcipit, efficitque.

Venditio cum pacto retrovendendi simulata.

Hanc Regulam confirmat *Innocentius III.* Cap. *Ad nostram*, Extra, *De Emptione & Venditione*, cujus hæc sunt verba: *Ad nostram noveris audientiam pervenisse, quòd cùm R. Laicus ab M. mutuum recipere voluisset, creditor ne per Canonem contra usurarios editum posset inposterum conveniri, domos & olivas recepit ab eodem titulo emptionis, cùm revera Contractus usurarius ageretur: quod patet ex eo quod creditor debitori promisit, quod quandocumque à septennio usque ad novennium daret quadraginta uncias tarenorum, quæ vix dimidiam justi pretii contingebant, domos ejus restitueret & olivas. QUIA igitur fraus & dolus cuiquam patrocinari non debent: mandamus, quatenus si res ita se habet, instrumento venditionis confecto in fraudem Canonis contra usurarios non obstante, prædictum M. ad restituendas domos & olivas ei, ad quem debent hereditario jure devolvi, (cùm debitor sit viam universæ carnis ingressus) per pœnam in Lateranensi Concilio contra usurarios promulgatam, Appellatione remotâ compellas.*

Idem confirmat Cap. *Illo vos*, Extra, *De Pignoribus*. Henricus & Basilius ejus frater viginti tres libras mutuo acceperant à quadam Muliere, pro qua pecunia quasdam et terras obligaverant: sed cùm mulier terras illas restituere nollet, causâ ad Judices delatâ restitutionem illi postularunt. Respondebat Mulier, Se ad restitutionem non teneri, cùm terræ pignori obligatæ non essent, sed venditæ, ut probabat instrumento. Contrà contendebant actores prædia illa fuisse pignori obligata, quia in venditionis instrumento hæc adjecta erat conditio, ut si à tempore celebrati contractus usque ad duos annos proximos patri mulieris emptio displiceret, pater Henrici actoris exinde usque ad annum solveret viginti tres libras, perceptis fructibus computatis. Judices dubitantes an pura & absoluta esset venditio, an contractus pignoratitius, dubiam quæstionem ad Sedem Apostolicam retulerunt. Respondit *Innocentius III.* Pontifex Maximus; *Qualiscumque fuerit intentio contrahentium, & ex forma contractus venditio non appareat conditionalis, sed pura, quamvis per conditionem possit resolvi: ex duobus tamen quæ in pacto fuerant expressa, videlicet quòd fructus percepti deberent in solvenda pecunia numerari, & quòd ultra summam receptam sexaginta solidi deberent persolvi; contra ipsum emptorem præsumitur vehementer, præsertim cùm usuras consueverit exercere.*

De Usuris.

Concilium denique Mediolanense I. sub *S. Carolo Borromæo*, Tit. *De Usuris*, reprobat contractum venditionis simulatæ quo pignoratitius contractus obvelatur; necnon contractum quo venditor redimere cogatur; vel quo imponatur ipsi onus non redimendi nisi post certum tempus: *Ne fiant*, inquit, *Contractus, qui libellarii seu ficti libellarii dicuntur, ubi non antecedat emptio certa rei immobilis pretio justo; vel ubi venditor redimere cogatur; vel ubi non possit redimere nisi post certum tempus.* Eosdem contractus reprobant Concilium Burdigalense anno millesimo quingentesimo octogesimo tertio, Tit. XXXI. *De Usuris & illicitis Contractibus*, & Conventus Melodunensis Ecclesiæ Gallicanæ anno millesimo quingentesimo septuagesimo nono, Tit. XXXIV.

REGULA XIII.

Usurarium est cum altero ita contrahere, ut is totam pecuniæ summam ei, qui dederit, solvat, cùm ille partim pecuniâ dederit, partim nominibus, quæ difficilè exigi possunt, vel in rebus pluris quàm valeant æstimatis.

MUtuum enim implicitum seu virtuale in ejusmodi Contractu intercedit, & de aliquo lucro pecuniâ æstimabili ultra sortem accipiendo pactum initur. Unde Concilium Mediolanense primum sub *S. Carolo Borromæo*, P. II. T. *De Usuris*; & Concilium Burdigalense anno Christi millesimo, quingentesimo, octogesimo tertio, Tit. XXXI. *De Usuris & illicitis Contractibus*, hanc Regulam iisdem verbis tradunt, necnon Conventus Melodunensis totius Ecclesiæ Gallicanæ anno millesimo quingentesimo septuagesimo nono, Tit. XXXIV.

Nominibus id est crebitis, ... obligationibus.

REGULA XIV.

Usura est alicui præsentem pecuniam quærenti quidquam carius vendere, ut statim à venditore per se vel per interpositam personam vilius ematur.

IN hujusmodi nempe Contractu mutuum virtuale seu interpretativum delitescit, ex quo aliquid pretio æstimabile ultra sortem exigitur & percipitur. Hunc Contractum *Mohatra* recentiores quidam Casuum Arbitri nominarunt, hisque verbis definierunt: Contractus vulgarites

Contractus Mohatra.

De Usuris.

Mohatra, est quando quis egens pecuniâ emit pecuniâ creditâ à Mercatore merces summo pretio, & statim ei pecuniâ numeratâ pretio infimo revendit. Verbi gratiâ, aliquis indigens quinquaginta aureis pannos emit à Mercatore pretio sexaginta aureorum post annum solvendo: mox eidem numeratâ pecuniâ aureis quinquaginta revendit. Hunc Contractum velut Usurarium reprobat Concilium Mediolanense I. sub *S. Carolo Borromæo*, Tit. *De Usuris*. Illius enim verbis expressa Regula est in cujus explicatione versamur; quam iisdem quoque verbis repetit & confirmat Concilium Burdigalense anno millesimo quingentesimo octogesimo tertio, Tit. XXXI. De Usuris & illicitis Contractibus: *Ne cui* (inquit) *præsenti pecuniâ indigenti quidquam cariùs vendatur, ut statim à venditore per se vel per interpositam personam viliùs ematur.* Denique *Innocentius Undecimus* Pontifex Maximus anno millesimo sexcentesimo septuagesimo-nono hanc, inter alias depravatæ Moralis opiniones, Propositionem damnavit ordine quadragesimam: *Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis præviè inito cum intentione lucri.*

Propositio damnata.

Addiderim, eumdem Contractum ab Academia Lovaniensi, a Sacra Facultate Parisiensi, & à plerisque Galliarum Episcopis, in Censuris Apologiæ Casuistarum damnatam fuisse: & novissimè in Conventu generali Cleri Gallicani anno 1700.

REGULA XV.

Usura est rem aliquam ob dilatam solutionem cariùs vendere justo pretio.

HÆc Regula nititur Cap. *Consuluit*, Extra, *De Usuris*. Tres Quæstiones *Urbano III.* propositæ fuerant, quarum tertia erat, an *Negotiator* usurarius sit, *qui merces suas longè majori pretio distrahit, si ad solutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quàm si ei incontinenti pretium persolvatur?* Respondet Summus Pontifex: *Quia quid in his casibus tenendum sit, ex Evangelio Lucæ manifestè cognoscitur, in quo dicitur:* DATE Mutuum, nihil inde sperantes: *Hujusmodi homines pro intentione lucri quam habent, (cùm omnis usura & superabundantia prohibeatur in Lege;) judicandi sunt malè agere: & ad ea quæ taliter sunt accepta, restituenda in Animarum judicio efficaciter inducendi.*

Hanc Regulam confirmant Concilium Mediolanense I. sub *S. Carolo Borromæo*, P. II. Tit. De Usuris: *Ne quis* (inquit) *rem aliquam ob dilatam solutionem cariùs vendat justo pretio.*

Concilium Burdigalense anno millesimo quingentesimo octogesimo tertio, Cap. XXXI. De Usuris & illicitis Contractibus: *Ne quis ob dilatum solutionis diem, cariùs vendat, quàm justi pretii ratio ferat.*

Conventus Melodunensis Ecclesiæ Gallicanæ Tit. XXXI. *Curandum etiam*, inquit, *ne quis rem aliquam ob dilatam solutionem, justo vendat cariùs pretio.*

Ne res vendatur dilatâ in tempus solutione: ita ut pretium, quod rei accreverit, venditori solvatur, nisi ejusdem venditoris periculo fiat pretii diminutio.

S. Thomas, Secunda Secundæ, Quæstione LXXVIII. Articulo secundo, in Responsione ad septimam Objectionem; *Si aliquis*, inquit, *cariùs velit vendere res suas quàm sit justum pretium, aut de pecunia solvenda emptorem exspectet, manifestè Usura committitur: quia hujusmodi exspectatio pretii solvendi habet rationem mutui. Unde quicquid ultra justum pretium pro hujusmodi exspectatione exigitur, est quasi pretium Mutui, quod pertinet ad rationem Usuræ.*

De Usuris.

Qui tamen res suas, verbi gratiâ, triticum, vinum, aut alia id genus, quæ servaturus erat in tempus illud, quo verisimiliter pluris quam nunc erant valitura, vendit nunc urgente emptore, potest eas vendere cariùs ob dilatam solutionem, modò ultra limitem justi pretii non vendat; & probabiliter æstimet eo tempore, in quod earum venditionem differebat, tantùm vel plus valituras, quanti nunc vendit; & sincerum propositum haberet non vendendi in præsenti, sed servandi. Ita docet *S. Antoninus*, P. II. Tit. I. Cap. VIII. §. I. *Aliquis*, inquit, *non habens denarios unde præsentaliter solvat, dilationem solutionis poscit: si igitur venditor tunc non statim solvendus propter hujusmodi pretii exspectationem pretium augeat, non tamen ultra ultimum limitem justi pretii: ita quòd quantamcumque solutionem ampliori tempore gratis seu ex pacto exspectaret, numquam ob hoc ultra illum limitem justi pretii aliquid acciperet, non est ibi ex vi Contractus Usura, secundùm Sententiam magnorum Doctorum. Ratio est, quia talis non vendit terminum, nec propter exspectationem recipit aliquid ultra justum pretium rei quam vendit, quamvis non faciat gratiam remissionis pretii, quod libenter faceret, si ille solveret statim. Stat igitur talis in limite rigidi gradus, qui extra justitiam esse minimè potest dici. Sed si iste solveret statim, condescenderet usque ad limitem gradus pii*; id est, usque ad infimum pretium quo nunc venditur. *Notandum insuper, quòd cùm quis vendit merces quascumque, lanam, linum, pannos, victualia, & hujusmodi pretio majori quàm sit illud quod tunc valent cùm venduntur, ex eo quia non intendebat eas vendere, sed servare usque ad tempus quo probabiliter æstimabat tantum valituras vel plus quanti nunc vendit, sed ad instantiam alterius vendit, istud est pretium justificatum & licitum, ut expressè dicitur Cap.* In CIVITATE, De Usuris. *Secus autem si non intendebat eas servare, sed tunc vendere: vel etiam si non est probabile seu verisimile, quòd eo tempore, quo volebat in futurum vendere, tantùm debeant valere quanti nunc vendit, quia tunc haberetur respectus ad terminum, non ad indemnitatem suam: unde esset Usura.*

Capitis *In Civitate*, à *S. Antonino* citati, quod *Alexandri III.* Responsum est, hæc verba sunt: *In Civitate tua dicis sæpe contingere, quòd quidam piper seu cinnamomum, seu alias merces comparant, quæ tunc ultra quinque libras non valent, & promittunt se illis à quibus illas merces accipiunt, sex libras statuto termino soluturos: licèt autem contractus hujusmodi ex tali forma non possit censeri nomine usurarum; nihilominus tamen venditores peccatum incurrunt, nisi dubium sit merces illas plus minùsve solutionis tempore valituras. Et ideo cives tui saluti suæ bene consulerent, si à tali contractu cessarent: cùm cogitationes hominum omnipotenti Deo nequeant occultari.*

Id etiam confirmatur ex Cap. *Naviganti*, Ext. *De Usuris*, cujus hæc sunt verba: *Ille quoque qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini vel olei mensuræ reddantur: quia licèt tunc plus valeant, utrum plus vel minùs solutionis tempore fuerint valitura verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc usurarius deputari.*

Multiplices excusationes afferunt Mercatores avari

De Usuris

Ioanes Mercatorum excusationes, qui merces vendendo ad terminum, pretium augent ultra debitum justitiæ.

avari, ut vendendo merces ad terminum (ut loquuntur) pretium augeant ultra debitum justitiæ. Primò quidem aiunt, Lucrari licere Mercatoribus, cùm pro communi utilitate laboribus & expensis, plurimísque periculis se exponant; ut autem locrentur decem, verbi gratiâ, vel quindecim pro centenario, augendum esse pretium pro expectatione solutionis.

Respondet *S. Antoninus*, Falsum esse quòd in omni casu liceat Mercatori plus vendere quàm emerit: sed moderandum est definiendúmque pretium secundùm communem æstimationem mercium tempore quo vendit: pretium autem augetur vel minuitur secundùm copiam vel penuriam. Deinde licèt Mercator propter labores, expensas, pericula lucrari possit, *Non tamen modo illicito, sicut contingit vendendo ad terminum.* Et certè si quovis modo lucrari posset Mercator, sequeretur quòd si in terra vel tempore magnæ penuriæ merces magno pretio emisset, illas propterea loco & tempore quo viles essent, vendere cariùs posset, quàm emisset, saltem propter exspectationem solutionis, *Quod absurdissimum manifestè apparet atque injustum.*

Aiunt præterea Mercatores, Se merces suas cariùs non vendere propter tempus, sed ad recoperandum damnum quod ex dilatione solutionis incurrunt; quia si præsenti pecunia solverentur, possent interim lucrari, quod facere non possunt ob dilatam solutionem.

Huic excusationi triplicem Responsionem affert S. Antoninus. *Primò* (inquit) *dicendum, quòd si talis venditor inde lucrari possit, possibile etiam foret non lucrari, insuper & perdere capitale: nunc autem quia non stat in periculo talis damni, non potest stare in certitudine talis lucri. Secundò, haberet lucrum de re non sua, id est, de mutuo dato in emptione. Tertiò, Mercator non potest in pactum deducere compensationem damni quod consideratur ex hoc quia sua pecunia non lucratur, ut possit vendere quod nondum est, & potest ab habendo multipliciter impediri, secundùm S. Thomam*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXVIII. Articulo II.

Aiunt insuper Mercatores, Se merces suas cariùs vendere credito, quàm præsente pecuniâ, quia frequenter evenit ut debitores non solvant tempore constituto; & ad debita sua exigenda & recipienda magnæ interdum expensæ faciendæ sint; aliqui etiam numquam solvant, quia recedunt, vel fallunt.

Respondet *S. Antoninus*, Primò, *Si multi quibus terminus concessus est, in termino non solvant, multi etiam solvunt: & tamen pretium, quod propter tempus mercibus additum est, non minuitur his qui in dato termino solvunt. Quare æquè utrisque vendere terminum, inæqualitas & injustitia est, quia justus non debet ferre pœnam iniqui seu mali debitoris. Verum est quòd, Extra*, De Fidejussoribus, *Cap.* Pervenit, *conceditur, Ratione interesse, si debitor non solvit in termino sibi dato, creditor servari debet indemnis: nec tunc est ibi usura, cùm usura sit quia ratione mutui speratur lucrum: hæc autem talis excrescentia non recipitur nisi ratione damni vitandi, non lucri habendi. Ab illis ergo qui in termino non solvunt, exigat compensationem sui damni, non ab aliis. Quantùm ad aliam partem excusationis, scilicet de his qui nunquam solvunt, unde damnificantur, talibus respondendum est, Quòd eorum conscientia potest stare meritò inquieta, cùm & de tali termino dato culpam habeant, & animam cum substantia perdant. Nam non coguntur talibus vendere; nec illis venderent, si crederent illos non soluturos; & ratione dubii in mutuo, quod est ibi implicitum, non licet sperare lucrum.* Extra De Usuris, *Cap.* Naviganti. *Nec est justum quòd in termino solventes patiantur pœnam pro non solventibus.*

De Usuris

Plus accipere non licet propter dilationem temporis, minus accipere licet ut sibi citiùs solvatur.

Verùm (inquit) quid remedii dabitur lanificibus, & aliis mercatoribus, qui ob pretii justi imminutionem nequeunt vendere pannos, vel alias merces, quin multùm amittant de capitali, si ad terminum vendere nolunt; quandoque etiam non reperiunt emptorem? Insuper talis est quandoque consuetudo pro communi bono in civitatem jam à longo tempore introducta.

Hæc difficultas olim proposita fuit *S. Thomæ* à Lectore Florentino. Interrogatus nempe fuit, Utrum si in exspectatione temporis de solvendo pretio plus petatur, quàm si tunc solvatur pretium cùm res venditur, sit usurarius contractus? Angelicus Doctor collatione habitâ cum Hostiensi Cardinali & quodam Lectore Capuano, sic per litteras respondit: *Supposito quòd consuetudo de dilatione solutionis, sit ad spatium trium Mensium, sicut proponitur, sit ad commune bonum Mercatorum, scilicet pro expediendis mercationibus, & non in fraudem usurarum introducta, videtur esse distinguendum: quia aut venditor vendit suas merces ad terminum prædictum ultra quantitatem justi pretii propter exspectationem, aut secundùm justi pretii quantitatem. Si primo modo, non est dubium esse usurarium contractum, cùm exspectatio temporis sub pretio cadat. Si autem secundo modo, non est usura. Nec obstat si pro minori daret, si statim sibi pecunia solveretur, quod per simile potest probari in aliis debitis, quia si alicui debeatur aliquid usque ad certum terminum, quantumcumque de eo quod est sibi debitum dimitteret si citiùs sibi solveretur, constat eum, cui debetur, à peccato usuræ esse immunem. Licèt enim plus debito accipere propter dilationem temporis usuram sapiat, minus tamen accipere ut citiùs sibi solvatur, usuram non sapit, maximè ex parte ejus qui minùs recepit: quamvis ex parte ejus qui minùs dat videatur esse aliquis modus usuræ, cùm spatium temporis vendat.* Refert *Sanctus Antoninus* P. II. Tit. I. Cap. VIII. §. VI.

Propositio damnata.

Denique *Innocentius Undecimus* Pontifex Maximus anno millesimo sexcentesimo septuagesimo nono, inter alias pravi dogmatis Propositiones hanc damnavit ordine quadragesimam primam: *Cùm numerata pecunia pretiosior sit numerandâ, & nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

Cleros etiam Gallicanus anno MDCC. hanc Propositionem continere judicavit doctrinam *falsam, scandalosam, cavillatoriam, in praxi perniciosam, palliativam usurarum, verbo Dei scripto & non scripto contrariam, Conciliorum ac Pontificum Decretis sæpe damnatam.*

REGULA XVI.

Usura est ob anticipatam solutionem rem minoris emere justo pretio, vel solvere minùs quàm debeatur.

HAnc Regulam tradunt Concilium Mediolanense I. sub *Sancto Carolo Borromæo*, P. II. Tit. *De Usuris*, & Concilium Burdigalense anno millesimo quingentesimo, octogesimo tertio, Tit. *De Usuris & illicitis Contractibus.*

Idem docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ; Quæstione LXXVIII. Articulo II. in Responsione ad septimam objectionem. *Si quis emptor* (inquit) *velit rem emere vilius quàm sit justum pretium, eo quòd pecuniam ante solvit quàm possit ei res tradi, est peccatum usuræ. Quia etiam ista anticipatio solutionis pecuniæ habet mutui rationem, cujus quoddam pretium est quod diminuitur de justo pretio rei emptæ. Si verò aliquis de justo pretio velit diminuere, ut pecuniam prius habeat, non peccat peccato usuræ.* (De Usura)

Idem confirmat *S. Antoninus*, P. II. Tit. I. Cap. VIII. §. I. *Si emptor* (inquit) *dat pretium mercium antequam recipiat merces, & minus dat quàm tunc valent cùm emit, quia quo tempore recepturus est merces, verisimiliter æstimatur quòd minus debeant valere quàm tunc cùm emit, vel saltem dubium est utrum plus vel minus sint valitura quàm sit pretium datum, pretium est justificatum, & licitum. Putà, mense Martii emit sextarium frumenti valentem tunc medium florenum, dandum sibi mense Julii, quando æstimatur valiturum triginta solidos: vel est dubium si valebit triginta solidos, aut etiam viginti quinque vel plus, & probabile dubium, emendo triginta solidis non reputatur illicitum*; ut colligitur ex Cap. IN CIVITATE, & Cap. NAVIGANTI. *Secùs si ratione anticipationis solutionis pretii ante receptionem mercium diminueret pretium tunc currens; vel si verisimiliter æstimaret minori pretio non posse valere merces illas emptas, quàm sit illud quod dat, sed majori pretio, quia tunc esset usura.*

Et §. IV. *Ille qui ad certum terminum dare debet, si ante terminum solvat, ut ei aliquid de debito dimittatur, usuram committere videtur; quia manifestè tempus solutionis pecuniæ vendit: unde ad restitutionem tenetur. Nec excusatur propter hoc quòd, solvendo ante terminum, gravatur; vel quòd ad hoc à creditore inducitur, quia eadem ratione possent omnes alii usurarii excusari.*

REGULA XVII.

Si quis oblatas re ipsa loco & tempore pecunias, etiam dotales, sibi debitas, accipere recusaverit, nihil præter sortem, etiam ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, vel ex quacumque alia causâ accipere potest absque usuræ vitio.

IN hac enim hypothesi damnum acceptum vel lucrum interceptum non est propter mutuum; adeòque nullus est titulus legitimus quo exigi aut percipi aliquid possit ultra sortem. Unde hanc Regulam iisdem verbis tradunt Concilium Mediolanense I. sub *S. Carolo Borromæo*, Tit. *De Usuris*, & Concilium Burdigalense anno millesimo quingentesimo octogesimo tertio, Tit. XXXI. *De Usuris & illicitis Contractibus.*

REGULA XVIII.

Usurarius est contractus, quo decem aut plures vel pauciores frumenti sextarii Mense Novembri, verbi gratiâ, mutuo dantur eâ conditione, ut summo quo per annum valebunt pretio solvantur.

FOeneratitiam illam negotiationem damnat Concilium Parisiense sextum anno octingentesimo vigesimo-nono, Cap. LIII. Libri I. *Famis*, inquit, *tempore cùm quispiam pauper omnium rerum penuriâ attenuatus ad aliquem fœneratorem venit, utpote frater ad fratrem, quos constat uno pretioso Christi Sanguine redemptos, petens ab eo suas miserabiles necessitates sublevari, sibique id quo indiget commodari; taliter sibi ab eo solet responderi: Non est mihi frumentum, aut aliud quid, quod in cibum tibi sumere vis, ad mutuandum, sed magis ad vendendum. Si vis emere, fer pretium, & tolle. Cui pauper: non est mihi*, inquit, *quidquam pretii, quo emere id quo indigeo, valeam. Sed peto obsecro ut miserearis mei, & quomodocumque vis, mihi quod peto, ne fame peream, mutuum porrige. Fœnerator è contra: Quot modò denariis possum modium frumenti mihi vendere, aut tot denariis tempore fructus novi mihi reddo, aut certè eorum pretium in frumento & vino, & ceteris quibuslibet aliis frugibus ad plenum supple. Unde evenire solet, ut pro uno frumenti modio taliter mutuato, tres aut certè quatuor modii à pauperibus tempore messis violenter exigantur. Quod & de modio vini similiter fieri solet.* (De Usuris [illegible])

Idem Usuræ genus damnatur Cap. *In Civitate*, & Cap. *Consuluit*, Extra, *De usuris*, & in Concilio Mediolanensi I. sub *S. Carolo Borromæo*, Tit. *De Usuris*, prohibente, *Ne frumentum, vinum, oleum, aliudve detur, ut eo quod datum est, aliquid amplius exigatur, sive ejusdem generis, sive alterius quomodocumque, etiamsi opere fiat.* (P. II.)

Ne quis mutuo det frumentum, vel id genus aliud corruptum, ut tantumdem integri carioris reddatur; etiamsi restitutio differatur in quodcumque tempus debitori commodum.

Idem damnat iisdem pene verbis Concilium Burdigalense anno millesimo quingentesimo octogesimo-tertio, Tit. XXXI. *De Usuris & illicitis Contractibus.* Et Conventus Melodunensis Ecclesiæ Gallicanæ, Tit. XXXIV. *Ne vinum, frumentum, oleum, vel aliquid rerum earum quæ usu consumuntur, detur sub conditione recipiendi plus quàm datum fuerit.*

REGULA XIX.

Tutores & Curatores ex pecuniis Pupillorum mutuo datis exigere aut percipere non possunt aliquid ultra sortem, eo solum nomine quòd Pupillorum sint, & quod Pupillorum intersit, resarcire atque compensare Tutores ipsi secundùm Leges teneantur, nisi hujusmodi pecunias in illorum utilitatem collocaverint.

QUod enim secundùm se malum, Naturalique ac Divinâ Lege prohibitum est, nusquam licitum fieri potest quocumque caritatis prætextu: aliquid porrò ex mutuo ultra sortem, sive usuram & superabundantiam exigere, secundùm se malum est, Naturalique & Divinâ Lege vetitum: nullo igitur caritatis prætextu potest excusari, licitúmque fieri, nequidem ad redimendam vitam captivi, ut respondit *Alexander III.* Cap. *Super eo*, Extra, *De Usuris*: multò minùs ergo id licet ut Pupillorum utilitatibus consulatur.

Id confirmant Concilium Mediolanense I. sub *S. Carolo Borromæo*, Tit. *De Usuris*, statuens ut *ex mutuo vel depositis etiam apud Judæum factis, nihil præter sortem à quovis homine percipi ex conventio, vel principaliter sperare possis, tametsi pecunia ipsa sint Pupillorum aut viduarum, aut locorum piorum, vel etiam dotales, nisi quatenus id Jure nominatim permittitur.*

Concilium Mechliniense anno millesimo quingentesimo septuagesimo, Tit. *De Usuris*, ita decernens: *Quoniam usura Jure Divino & Canonico omnibus Christianis sub pœna peccati mortalis interdicitur, neque facienda sunt mala ut eveniant bona; Synodus statuit & ordinat, ne quis Tutor aut Curator*

De Usuris augustum.

Curator sub prætextu augmentandi patrimonii Pupillorum, aut sub eorum curatela existentium, pecunias illorum sub certo lucro singulis annis ultra sortem recipiendo mutuo dent, retenta facultate repetendæ sortis, quando ad majorem ætatem pervenerint, aut Matrimonium contraxerint, aut aliàs ad illorum voluntatem & arbitrium, declarando omnes hujusmodi Contractus usurarios, & contra (ut præmittitur) mutuantes, tanquam contra usurarios, ad pœnas Juris procedendum.

Ecclesiæ Gallicanæ doctrina de usuris pecuniarum pupillarium

Conventus Melodunensis Ecclesiæ Gallicanæ, Tit. XXXIV. De Usuris: *Curandum* (inquit) *ne quid ex Mutuo, vel depositis apud Judæum factis aliquid præter sortem à quovis homine percipi ex convento, vel principaliter sperari possit; tametsi pecunia sint Pupillorum aut Viduarum. Omnes enim tenentur audire illud Christi:* MUTUUM *date, nihil inde sperantes.*

Concilium Burdigalense anno quingentesimo octogesimo-tertio supra millesimum, Tit. XXXI. De Usuris & illicitis Contractibus: *Ne qui igitur ex Mutuo, præter sortem ex convento, vel eo quod datum est, aliquid ampliùs accipere, aut principaliter sperare, sive ejusdem generis, sive alterius quomodocumque, etiamsi opera sint, liceat: etsi pecunia ipsa sint Pupillorum, aut Viduarum, aut locorum piorum, vel etiam dotales, nisi quatenus id Jure nominatim permittitur. Mutuum enim ex præcepto divino debet esse gratuitum.*

Ita censet Sacra Facultas Parisiensis, idémque respondent quotquot in ea sunt Doctores, in Scripturis Sacris, Traditione, & Sacris Canonibus instituti, ac recentioris cujusdam ex Aremorica Theologi inane & absonum commentum de donatione usurarum hoc in casu à Republica facta, meritò rejiciunt, & ut cavillatorium, atque ad usuram palliandam ab Auctore malè feriato adinventum, & sine fundamento vulgatum, rejiciunt & reprobant.

Verùm (inquies) Tutor aut Curator à Judicibus condemnabitur ad solvendum Pupillis quod interest, sive legitimas usuras, si pecuniam illorum otiosam servaverit.

Respondetur, Tutores & Curatores ad solvendum Pupillis quod interest non teneri ob eam rationem quòd pupillares pecunias fœnerati non fuerint; sed ob negligentiam, quòd nimirum eas non converterint in emptionem prædiorum, vel censûs annui constitutionem: vel ex illis negotiati non fuerint, si sint negotiatores, aut mercatoribus non dederint ad societatem, ut honestum lucrum parerent Pupillis. Id enim si Tutores præstiterint consanguineorum consilio, & adhibitâ etiam, si necesse sit, Magistratûs auctoritate, nulliúsque negligentiæ se reos esse probent, ad Usuras propter rem Pupillorum malè gestam seu administratam solvendas nullius æqui Judicis Sententiâ damnabuntur; siquidem Regiæ *Caroli IX.* Constitutioni Aurelianensi Articulo centesimo secundo ipsos paruisse compertum erit. Cæterùm nec Jus ipsum Romanum permittit ut pupillares pecuniæ fœnori dentur. Sic enim sancit *Justinianus* Novella LXXII. Cap. VI. *Quoniam videmus Curatores, quicumque Dei memoriam habent, ad curam difficulter accedere, videmus autem præcipuè difficilem esse Curatorum causam propter fœneratorum necessitatem: sancimus nullam necessitatem ex Legibus esse Curatoribus minorum pecunias fœnerare, sed cautè reponere & reservare.* Regiæ Constitutiones antiquo Juri consonæ sunt, l. *Tutor*, 7. D. Tit. *De Administratione & periculo Tutorum*, cujus hæc sunt verba: *Tutor, qui repertorium non fecit, quod vulgò inventarium appellatur, dolo fecisse videtur: nisi fortè aliqua necessaria & justissima causa allegari possit cur id factum non sit. Si quis igitur dolo inventarium non fecerit, in ea conditione est, ut teneatur in id quod Pupilli interest.... Si post depositionem pecuniæ comparare prædia Tutores neglexerunt, incipient in usuras conveniri. Quamquam enim à Prætore cogi eos oportet ad comparandum, tamen si cessent, etiam usuris plectendi sunt tarditatis gratiâ, nisi si per eos factum non est quominus compararent. Pecunia, quam in usus suos converterunt Tutores, legitimas usuras præstent.*

De Usuris augustum.

Hanc Regulam confirmat *S. Thomas*, seu suppar Auctor Opusculi LXXIII. *De Usuris*, Cap. XII. *Si tutores Pupillorum*, inquit, *scienter pecuniam pupillorum dederint ad usuram per se vel alios, hujusmodi superabundantia rei est aliena, injustè possidetur etiam pupillis, quandocumque sciverint.*

Eadem est *S. Raymundi* Sententia Libro II. Tit. *De Usuris*, §. 18. *Sicut*, inquit, *prohibetur aliquis recipere usuras nomine suo, ita & alieno; & si accepit alieno nomine, sive sit Tutor, sive curator, vel quicumque alius, tenetur ad restitutionem, si ille cujus nomine accepit, vel non est solvendo, vel non vult restituere: quia facientes & consentientes par pœna constringit.* Hæc doctrina conformis est Canoni, *Sicut non suo*, qui ex *S. Leone* refertur apud Gratianum Dist. XLVI. *Sicut* (inquit) *non suo, ita nec alieno nomine aliquis Clericorum exercere fœnus attendat. Indecens est enim crimen suum alienis commodis impendere.*

Quem Canonem Glossa sic interpretatur: *Si aliquis tutor à me recipit usuras nomine pupilli, finito officio possum petere usuras à tutore, quia pro alio peccare non debuit.*

Istius explicationem Regulæ S. *Antoninus* concludat P. II. Tit. I. Cap. VII. §. XI. ubi de pœnis agens in Contractu mutui appositis, ait: *Ultra prædictas pœnas positas, scilicet judicialem, quæ infertur à Judice, & conventionalem, quæ ponitur in Contractu de consensu partium, est & tertia pœna quæ dicitur legalis vel canonica, de qua habetur* Causa XIV. Quæstione IV. Can. In Legibus, *Et in diversis civitatibus ponuntur certæ pœnæ pecuniariæ, sicut, verbi gratiâ, cùm statutum est alicubi quòd Tutor de Pupilli pecuniis, quæ perveniunt ad manus ejus, teneatur emere possessionem, vel respondere ei ad rationem quinque pro centenario. Si igitur Tutor pecuniam Pupilli exponat pro factis suis, vel faciat negotiationes pro se, tenetur utique dare Pupillo quinque pro centenario, etiamsi cum illis nihil est lucratus, ex quo nomine suo, non Pupilli est negotiatus cum eis. Justè enim hoc statutum est, ut Tutores ex malitia vel negligentia sint invidi Pupillis, & malè tractent substantias eorum, sicut frequenter fit. Nec potest conqueri Tutor, si inde non est lucratus, quia potuit emere de illis pecuniis possessiones, vel nomine Pupillorum exponere in justis & licitis mercantiis, & tunc lucrum & damnum esset Pupillorum fideliter agendo. Sed si nomine Pupillorum pecuniam eorum exponant, vel deponant ad usuram, Pupilli tenentur illas restituere, & Tutores insuper tenentur in casu quo Pupilli non vellent, vel non possent.*

REGULA XX.

Usura mentalis reus est, qui dat Mutuo pecuniam ea intentione ut recipiat aliquid ultra sortem: & si receperit, ad restitutionem tenetur.

Usura mentalis.

NItitur hæc Regula, Cap. *Consuluit*, Extra *De Usuris*, quod *Urbani III.* Responsum est. *Qui non aliàs mutuo traditurus, eo proposito mutuam pecuniam credit, ut licèt omni conventione cessante, plus tamen sorte recipiat, hujusmodi lucri intentione quam habet, inde redus est malè agere, & ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda, in Animarum judicio efficaciter inducendus.*

B Hanc Regulam confirmant *S. Raymundus*, Libro II. Summæ, Tit. *De Usuris*, §. IV. *Innocentius Quartus*, *Hostiensis*, *Joannes Andreas*, & alii. *S. Raymundi* verba subjicio: *Sed nunquid* (inquit) *voluntas, vel intentio vel spes inducunt usuram, ubi nullum pactum fuit appositum in Contracta mutui? Ad hoc quidam volentes favere usurariis, dicunt, quòd nunquam committitur usura, nisi ex pacto solvantur. Alii dicunt, quibus assentio, quod sola spes sive intentio facit hominem usurarium: unde qui sub tali spe mutuavit pecuniam, quicquid postea, etiam gratis, id est, sine sui exactione* C *oblatum ultra sortem acceperit, Usura est, sive illud sit pecunia numerata, sive quicquid excogitari possit & dici lucrum, sive illud consistat in dando, sive in faciendo.*

REGULA XXI.

Aliquid pretio æstimabile ex mutuo pacisci, percipere, sperare ultra sortem, sive illud sit pecunia, aut munus aliud, sive opera, sive officia, preces, commendationes ad obtinendum quodvis emolumentum temporale, usura est.

D ITa docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXVIII. Articulo II. in Responsione ad tertiam Objectionem. *Si aliquis* (inquit) *ex pecunia mutuata expectet vel exigat, quasi per obligationem pacti taciti vel expressi, recompensationem muneris ab obsequio vel à lingua; perinde est ac si expectaret vel exigeret munus à manu; quia utrumque pecuniâ æstimari potest, ut patet in his qui locant operas suas, quas manu vel linguâ exercent. Si verò munus ab obsequio vel à linguâ non quasi ex obligatione rei exhibeatur, sed ex benevolentiâ, quæ* E *sub æstimationem pecuniæ non cadit, licet hoc accipere, & exigere, & exspectare.*

Sed nec obligatio mutuum dandi alterâ vice propter mutuum datum debitori, potest imponi à creditore absque usuræ vitio, ut docet ibidem *S. Thomas*, in Responsione ad quartam Objectionem. *Pecunia* (inquit) *non potest vendi pro pecunia ampliori, quam sit quantitas pecuniæ mutuatæ, quæ restituenda est: nec ibi aliquid est exigendum aut exspectandum, nisi benevolentiæ affectus, qui sub æstimationem pecuniæ non cadit, ex quo potest procedere spontanea mutuatio: repugnat autem ei obligatio ad mutuum faciendum in posterum, quia* F *etiam talis obligatio pecuniâ æstimari posset. Et ideò licet mutuanti unum, simul aliquid aliud mutuum recipere, non autem licet eum obligare ad mutuum in posterum faciendum.*

Idem confirmat *S. Antoninus*, P. II. Tit. I. Cap. VII. §. 5. & § 8. additque: *Si quis mutuat alteri ea intentione vel pacto ut vadat ad molendinum suum, vel furnum, vel apothecam suam ad emendum, vel ut intret scholas sub eo, & hujusmodi, a-*

A *liàs non mutuaturus, usuram committit, etiamsi non majori pretio sibi vendit propter hoc, seu plus ab eo quàm ab aliis petit. Ratio est, quia commoditatem seu utilitatem inde recipit, quæ pretio æstimari potest.* XIII. Quæstione III. Cap. Si fœneraveris, & Ext. *eodem Tit. Cap.* Consuluit; *& tenetur restituere.* — De Usuris.

Similiter usurarius est, qui alteri justam litem adversùm se persequenti dat mutuum ut ab intentatâ lite abstineat, atque ita sumptus & mulctam declinet.

Item qui mutuum dat ut debitor, vel alius fidejubeat vel spondeat pro eo in aliquo negotio.

Item qui mutuum dat eâ conditione & pacto tacito vel expresso, ut debitor ipsi aut ejus filius Beneficium Ecclesiasticum conferat vel procuret, aut Dignitatem aliquam vel Officium.

Usurarius etiam est, quicumque dat mutuum cum pacto ut creditor totum mutuum vel ejus partem exigat à debitoribus creditoris, qui sunt difficilis solutionis.

Usurarius pariter est, qui mutuum dat cum pacto ut debitor totum mutuum vel ejus partem accipiat in mercibus, quamvis justo pretio vendere illas velit.

REGULA XXII.

Usuras legitimas, nondum persolutas, in sortem convertere, novásque ex illis usuras exigere ac percipere, illicitum est.

ID enim utroque Jure, Ecclesiastico & Civili est prohibitum, scilicet L. *Ut nullo modo*, C. Lib. IV. Tit. De Usuris: *Ut nullo modo usuræ usurarum à debitoribus exigantur, & Veteribus quidem Legibus constitutum fuerat, sed non perfectissimè cautum.... Quapropter hâc apertissimâ Lege definimus, Nullo modo licere cuiquam usuras præteriti temporis vel futuri in sortem redigere, & earum iterum usuras stipulari. Sed etsi hoc fuerit subsecutum, usuras quidem semper usuras manere, & nullum usurarum aliarum incrementum sentire: sorti autem antiquæ tantummodo incrementum usurarum accedere.*

Et *Pii Quinti* Pontificis Sanctissimi Constitutione de Censibus, prohibetur ne census antea constitutus augeatur ex pensionibus debitis quidem, sed non solutis, quamvis ex jam solutis augeri possit. Denique idem prohibitum est Constitutione *Philippi Quarti*, cui *Pulcro* cognomen, anno Christi millesimo ter-centesimo undecimo adversùs usuras editâ. *Prohibemus*, inquit, *ne creditor literas obligatorias mutui, vel alterius crediti, ut lucrum ex tempore convertatur in sortem, faciat renovari, vel alias usuras vel interesse quomodolibet in sortem convertat: quod si fecerit, ipso facto pœnam incurret.*

REGULA XXIII.

Usurarius est, qui pecuniam in Societatem confert cum pacto ut sors illi salva sit, fructus verò communiter dividantur: vel ea conditione, ut damnum commune non sit, lucrum verò inæqualiter dividatur: vel ut aliquid ultra quotas partes recipiat, sive pecunia sit, sive aliud pretio æstimabile.

HAnc Regulam tradit Concilium Mediolanense I. sub *Sancto Carolo Borromæo*, Tit. *De Usuris*, prohibens *Ne in Societate, in qua alter pecuniam confert, alter operas, lucri distributio constituatur nisi per quotas partes. Nec ultra eas certa pecuniarum summa, vel quid aliud conferenti pecuniam persolvatur. Neque fiat pactio ut sors salva sit; fructus verò communiter dividantur.* — Qui Societatis contractum injuste

Societatis contractus licitus.

Idem prohibent Meladunensis Ecclesiæ Gallicanæ Conventus, Tit. xxxiv. *De Usuris*, & Concilium Burdigalense anno millesimo quingentesimo octogesimo-tertio celebratum, Tit. *De Usuris & illicitis Contractibus.* Et certè quòd legitima justáque Societas eâ pactione coire non possit ut capitale salvum sit ei qui pecuniam in societatem confert, liquidò probat discrimen quod mutuum inter & societatem intercedit. In mutuo enim dominium pecuniæ mutuo datæ totum in debitorem translatum est, totúmque lucrum ad ipsum pertinet; cùm nihil ab eo exigere vel sperare jure possit creditor ratione mutui: quamobrem debitor totam & integram pecuniæ mutuo acceptæ summam ipsi reddere tenetur, ipsiúsque unius periculo exponitur negotiationi, ipsúmque unum pecuniæ sive rei alterius creditæ damna spectant, si fortuitis casibus pereat. Verùm è contrario se res habet in contractu societatis: qui enim pecuniam confert, illius dominium non transfert in socios, *Quia nemo societatem contrahendo, rei suæ dominus esse desinit*; ut dicitur L. *Si tibi*, Lib. xix. Digestorum, Tit. *De præscriptis verbis, & in factum actionibus.* Quamobrem lucri fructuúmque ex rebus in societatem collatis provenientium particeps est; adeóque si capitale pereat, ipsi perire debet uni, modò pereat absque dolo culpáque sociorum, qui tantam diligentiam communibus rebus adhibere tenentur, quantam suis adhibere solent, ut ait *Justinianus* Lib. iii. *Institut.* Cap. xxvi. Hinc *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione lxxviii. Articulo ii. ad quintum ait: *Ille qui mutuat pecuniam, transfert dominium pecuniæ in eum, cui mutuat: unde ille cui pecunia mutuatur, sub suo periculo tenet eam, & tenetur eam restituere integrè: unde non debet ampliùs exigere ille qui mutuavit. Sed ille qui committit pecuniam suam vel mercatori, vel artifici, per modum societatis cujusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum, sed remanet ejus; ita quòd cum periculo ipsius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur; & ideo sic licitè potest partem lucri inde provenientis expetere, tanquam de re sua.* Usurarius igitur contractus est, si pecunia in societatem conferatur eâ pactione, ut si fortuitis casibus pereat, non pereat conferenti, sed nihilominus sors illi salva sit. Sic enim societas in mutuum degenerat, ex quo lucrum captatur.

Neque enim coire justè societas potest eâ conditione ut damnum quidem commune sit, lucrum verò inæqualiter dividatur. Cùm enim societas jus quoddam *fraternitatis* in se habeat, ut ait Ulpianus, L. *Verum*, in Digestis, Tit. *Pro Socio*; rectéque definiatur *Contractus solo consensu initus, quo duo pluresve inter se conjunguntur, ut aliquid in commune conferentes, uberioris utilitatis & quæstûs, aut certè commodioris usûs participes sint*; damnum rerum & operarum, quæ in societatem conferunt, pro ratâ pertinere debet ad conferentes. Verbi gratiâ, si alter socius centum nummos, alter ducentos in societatem contulit, ex iisque pecuniis collatis cumulus unus factus sit, periculum & damnum pro tertia parte ad unum sociorum pertinet: periculum autem & damnum pro duabus reliquis partibus spectat ad alterum. Similiter si socii æquales operas in commune contulerint, damnum operarum ad utrumque spectat pro rata parte. Lucrum etiam commune esse debet, & pro quantitate partium collatarum dividi. Unde *Ulpianus* in Digestis, Tit. *Pro Socio*, Lege xxix. ait: *Ita coiri societatem posse, ut nullius partem damni alter sentiat, lucrum verò commune sit, Cassius putat, quod ita demum valebit, ut & Sabinus scribit, si tanti sit opera, quanti damnum est: plerúmque enim tanta est industria socii, ut plus societati conferat quàm pecunia: item si solus naviget, si solus peregrinetur, pericula subeat solus.* Et Lege lii. *Sicuti lucrum, ita damnum quoque sociis commune esse oportet, quod non culpâ socii contingit.* Item *Paulus* Jurisconsultus Lege lxvii. ait: *Æquum est ut cujus participavit lucrum, participet & damnum.* Aliter contracta societas usuraria est & *leonina* vocatur L. *Si non fuerint*, Tit. *Pro Socio*, in Digestis, ubi sic habetur: *Aristo refert Cassium respondisse, Societatem talem coiri non posse, ut alter lucrum tantùm, alter damnum sentiret: & hanc societatem leoninam solitum appellare: & nos consentimus talem societatem nullam esse, ut alter lucrum sentiret, alter vero nullum lucrum, sed damnum sentiret. Iniquissimum enim genus societatis est, ex qua quis damnum, non etiam lucrum expectet.*

De Usuris.

Nec denique justa societas est, & ab usuræ labe vitióque pura, in qua is qui pecuniam confert aliquid paciscitur ultra quotas partes lucri, sive illud sit pecunia, sive res alia pretio æstimabilis. Aliquid enim ultra sortem ex mutuo reliquis sociis dato acciperet, nullo alio quàm mutui titulo. Unde Concilium Burdigalense suprà laudatum vetat, *Ne in societate, in qua alter pecuniam confert, alter operam, lucrum aliter quàm ex æquis partibus dividatur.* Conferendæ sunt igitur pecuniæ pecuniis, operæ operis, lucrum lucro, & tandem unicuique fructus pro rata parte pecuniæ, industriæ, vel operarum in societatem collatarum ex æquo & bono dividendi sunt inter socios.

REGULA XXIV.

Tres contractus famosos simul & semel cum socio inire, sive societatem cum duplici securitatis pactione, & de securitate sortis, & lucri pacisci, Usura est.

Trium contractuum Usura.

Tres illi contractus ad velandam Usuram à fœneratoribus adinventi, propriis nominibus ac notionibus distinguuntur. Primus dicitur *Societatis*, in quem unus pecuniam, alter operam & industriam confert, ita ut ambo lucri damníque communionem ineant. Secundus dicitur *Assecurationis sortis* sive capitalis, quo is qui pecuniam confert, cum socio paciscitur de securitate capitalis, ne pereat, & pro tali securitate dat ei aliquod pretium, vel tantumdem ex lucro remittit. Tertius dicitur *Venditione lucri majoris, quod speratur, pro lucro minori, sed certo*; quo is qui pecuniam contulit, ac de capitalis sui securitate pactus est, cum socio rursus paciscitur de certo lucro probabili pro incerto lucro sperato; atque ita socium ab onere rationum reddendarum, tam quoad lucrum, quàm quoad damnum eximit. Confert, verbi gratia, Titius Sempronio Mercatori mille nummos aureos in societatem, spe lucrandi centum triginta. Ex summa ista lucri sperati Titius illi remittit sexaginta nummos, ut de securitate capitalis, nempe mille aureorum ipsi caveat, qualiscumque sit negotiationis exitus: rursus eidem socio remittit viginti alios nummos, ut sine ullo prorsus periculo damni ex fortuitis casibus interdum contingentis quinquaginta nummos residuos lucretur. Obstringitur itaque illis contractibus Sempronius ad reddendam Titio intra certum tempus sortem integram, id

De Usuris.

est, summam mille aureorum salvam, & quinquaginta insuper aureorum incrementum ac lucrum.

Ex nuda trium illorum contractuum expositione perspicuum est, trium illorum conjunctionem in Mutuum fœneratitium degenerare, duplicisque securitatis pactionem societatis jura legésque evertere, scilicet lucri damnique communionem & æqualitatem. Totum namque damnum, si quod ex fortuitis casibus contingat, in sociorum alterum refunditur. Qui ergo sic tradit Mercatori mille aureos, eidemque pro illorum securitate veluti numerat sexaginta, rursumque de lucro quinquaginta paciscitur, quid aliud facit, quam mutuo dare mille sexaginta, ut quinquaginta supra sortem recipiat ac lucretur? Quocirca cùm *Martinus Navarrus* tres istos contractus cum eadem persona simul initi jure tutaque conscientiâ posse propugnaret, & ab usuraria pravitate immunes esse, illique *Dominicus Soto* Dominicani Ordinis Professor insignis toto ingenii studiorúmque conatu resisteret, caussa ab ipso *Navarro* ad *Sixtum Quintum* Pontificem Maximum delata est, qui diligenter examinatâ Quæstione, duplicis securitatis pactionem societati adjectam prorsus usurariam esse pronunciavit ac declaravit, triúmque Contractuum artem velut fœneratitiam damnavit edita Constitutione XLV. quæ incipit, DETESTABILIS, cujus hæc sunt verba: *Irrepit versutè & callidè antiquus humani generis Hostis per varios dolos & fallacias, & incautos homines quæstûs dulcedine captos & delinitos opprimit, atque eò perducit, ut se ipsos in usurarum voraginem Deo hominibúsque odiosam, sacris Canonibus damnatam, & Christianæ Caritati contrariam fœdè immergant, & dum vanas & terrenas divitias quærant, veras & cœlestes amittant: sicut nuper cum magno dolore audivimus hoc malum in quasdam Provincias pervasisse. Nam multi speciosum & honestum Societatis nomen suis fœneratitiis Contractibus prætexendo, hoc quasi colore & fuco mercatoribus, opificibus, negotiatoribus, & aliis personis, super eorum mercibus, officinis, & tabernis pannariis, aliisque rebus ac bonis, pecunias suas aut alias res societatis nomine conferunt: vel greges, armenta, aut certa animalia agricolis, seu terrarum cultoribus, pastoribus, aliisque rusticis, seu quibusvis personis dant in societatem sive ad socidam (ut vocant) ea conditione ut sors ipsa seu caput, quod vulgò dicitur capitale, tam pecuniarum, quàm animalium & rerum, salvum semper & integrum existat pro eo, qui non industriam aut operas, sed pecunias, animalia, aut res hujusmodi in societatem confert; neque omne periculum & damnum ab altero socio recipiente sustineatur, contra æquitatem & societatis justitiam diversimodè paciscuntur.... Simúlque etiam certam lucri quantitatem & summam, velut tot pro quolibet centenario in singulos annos aut menses, per alterum socium durante societate solvendam præfiniunt ac præscribunt, eámque summam & quantitatem, non sub ullis rationibus accepti & expensi, quod in codices sub tabulas societatis referri solet, neque, facto calculo vel computo, pro ipsius lucri vel damni modo variabilem; sed laborem & curam computandi & calculandi se invicem remittere & renunciare asserentes, quovis tempore certam constituunt.* Quam mali contagionem, antequam latiùs serpat in communem Fidelium perniciem, tollere volens Pontifex Apostolica Auctoritate, & perpetuò valitura Constitutione hos omnes Contractus velut Usurarios damnat.

In Commentario suo De Usuris.

Anno 1586. 11. Kal. Novemb.

Damnamus (inquit) *& reprobamus omnes & quoscumque Contractus, conventiones, & pactiones posthàc ineundos seu ineundas, per quos seu quas cavebitur personis pecunias, animalia, aut quaslibet alias res societatis nomine tradentibus, ut etiam si fortuito casu quamlibet jacturam, damnum, aut amissionem sequi contingat, sors ipsa seu capitale semper salvum sit, & integrum à socio recipiente restituatur: sive ut de certa quantitate vel summa in singulos annos vel menses durante societate respondeatur. Statuimúsque hujusmodi Contractus, conventiones & pactiones usurarios & illicitos posthàc censeri debere; atque inposterum non licere iis, qui pecunias vel animalia, aut alias res in societatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendo inter se pacisci & concordare. Neque etiam sive ad certum, sive ad incertum lucrum convenerint, socios qui ea recipient, ad sortem seu capitale salvum & integrum ubi illud casu fortuito perierit vel amissum erit, reddendum quovis pacto aut promissione sibi obligare. Ac ne de cætero societates ineantur sub hujusmodi pactis & conditionibus, quæ usurariam pravitatem sapiant; districtè interdicimus & prohibemus. Sed potiùs cuncti noverint, societates hujusmodi, cùm imposterum unus pecuniam, animalia, aut alias res & bona; alter verò operam vel industriam confert; purè, sincerè, & bona fide, sicut decet, justis & æquis conditionibus & pactis, secundùm Juris dispositionem, ac sine ulla prorsùs fraude, palliatione, aut usurariæ pravitatis labe aut suspicione ineundas seu contrahendas esse: ita ut non ad certam summam aut quantitatem ab omni periculo & damno, ut præfertur, immunem lucri nomine persolvendam; neque ad capitale, si casu fortuito perit, restituendum socius accipiens teneatur. Si verò finita societate ipsum capitale extat, ei qui illud in societatem contulerit, restituatur; nisi socio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter ipsos contrahentes legitimè conventum sit: ac præterea iidem contrahentes fructus, expensas, & damna in commune conferant, & prout æquum & justum fuerit, sibi communicent atque dividant.* Illos tandem, qui sub prædictis conditionibus & pactis contrahere temerè præsumserint, aut prætexto similium contractuum, conventionum & pactionum societatis nomine initorum, ad exactionem sortis sive capitalis, sive illius pretii aut valoris, postquam illud in toto vel in parte casu fortuito perierit, aut amissum sit; aut certæ summæ vel quantitatis annuæ, aut menstruæ sibi promissæ in futurum procedere ausi fuerint; eos universos & singulos in pœnas contra manifestè usurarios & fœneratores à Sacris Canonibus & Conciliis Generalibus latas & promulgatas eo ipso incurrere; & contra illos, uti manifestos usurarios & fœneratores, viâ Juris, & aliis opportunis remediis, procedi posse & debere declarat. Quam Summi Pontificis Declarationem & Constitutionem nonnulli, malè feriati homines, Metaphysicis subtilitatibus & argutiis eludere frustra conantur.

Idem docet *S. Antoninus*, P. II. Tit. I. Cap. VII. §. 37. Quæstionem scilicet proponit, Utrum dans pecuniam Mercatori ad mercandum, vel artifici ad emendum materias, ut ex eis artefacta conficiat, cum pacto vel etiam sine pacto, sed eâ intentione principali ut capitale sit salvum, & partem lucri habeat, sit usurarius? Respondet, secundùm Glossam Canonis *Plerique*, Caussâ XIV. Quæst. III. *Quòd talis contractus non sit licitus, ex quo periculum spectat ad recipientem; sed si periculum capitalis spectaret ad utrumque, licitus esset: licitum est enim quòd unus socius ponat pecuniam, & alius operam, & sic suppleat labore quod deest in pecunia. In aliis quidem Contractibus* (inquit Sanctus Archipræsul) *valeat pactum ap-*

De Usuris.

positum prater naturam Contractus, ut damnum spectet ad suscipientem, ut in commodato & similibus. At aliter se res habet in societate, *Quia talis non est vera societas, cùm sit contra ejus naturam. Societas enim est quodam fraternitas*, ut dicitur in Digestis, Tit. *Pro Socio*, L. *Verum.* Unde sequitur *quòd tale pactum non sit prater, sed contra naturam contractus: unde non valet. De natura enim contractus societatis est, quòd partes sint aquales, nisi aliud sit dictum. Non enim negatur quin agi possit in contractu, quin ad unum pertineant dua partes lucri, ad alium tertia, si is qui plus debet habere, plus contulit societati vel pecunia, vel opera, vel cujuscumque artis; aliàs secus, quia scilicet societas est quodam jus fraternitatis.*

Propositio damnata.

Denique Sacra Facultas Parisiensis, inter alias Propositiones, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, die 3. Februarii, Doctrinam asserentem quòd Pactio duplicis securitatis Contractui societatis licitè adjici possit, Censura suâ damnavit ut *Falsam, scandalosam, inducentem ad usuras committendas, variásque aperientem artes eas palliandi, justitiámque & caritatem violandi.*

REGULA XXV.

Qui pecuniam Negotiatoribus vel Artificibus confert, licitis negotiationibus exponendam, in damni aquè ac lucri communionem venire volens, sed nihilominus ob securitatem suam exigit à Mercatore vel Artifice schedulam de pecuniâ datâ, non sub nomine societatis, sed mutui vel depositi; lucri ex societate provenientis licitè tutâque conscientiâ particeps esse non potest.

ITa *S. Antoninus*, docet P. II. Tit. I. Cap. VII. §. 38. *Quia* (inquit) *vitiosus est Contractus, & periculosus Negotiatori vel Artifici. Nam posset talis tradens pecuniam ad placitum suum mutare intentionem; & cùm contingeret Mercatorem perdere, poterit totum capitale petere tanquam mutuatum, ut cantat Instrumentum. Posset etiam mori intestatus, & heredes exigerent secundum tenorem Instrumenti quod reperirent. Est etiam hoc scandalizativum proximorum, qui sciunt illum percipere fructum ex mutuo: unde inducendus est talis ad destruendum contractum mutui, si vult partem lucri. Et de sic perceptis concordet cum illo, restituendo, vel remissionem petendo. Potest tamen quis ob sui securitatem petere & tenere pignora à Mercatore vel Artifice, talia scilicet ex quibus non percipit utilitatem in utendo. Ad providendum sibi de capitali contra fraudes Mercatorum dicentium se perdidisse, cùm non perdunt, potest etiam facere pactum, quòd vult partem damni, quod Mercator incurret, si sufficienter hoc ei ostendat. Potest etiam facere pactum, quòd exerceat pecuniam suam in quibusdam locis, & non in aliis, & quibusdam mercantiis, & non in aliis, & si secus ille fecerit, & damnum patiatur, totum suum erit, quia contra pactum venit.*

REGULA XXVI.

Usurarius est Contractus, quo animalia in societatem traduntur eâ pactione, ut sors sive caput semper salvum sit, nec tradenti pereat, sed accipienti, quamvis fortuitis casibus pereat, absque socii accipientis dolo, culpâque: vel eâ conditione, ut aliquid prater sortem ex fructibus animalium quotannis solvatur.

De Usuris. Usurarius societatis contractus.

HUjus Regulæ veritas comperta est ex Constitutione *Sixti Quinti* Pontificis Maximi supra laudata; necnon ex Concilio Mediolanensi primo sub *S. Carolo Borromao*, P. II. Tit. De Usuris; *In societate* (inquit) *animalium, qua inastimata alicui dantur ad custodiam, sive ut operas prastet, omnes casus, etiam fortuiti, semper sint periculo ejus qui dederit; nisi id alterius socii dolo, vel magnâ negligentiâ accidisse constiterit. Nec fiat pactum, ut sors sit semper salva, etiam ex primis fœtibus. Nec quidpiam certum, prater sortem, ex fructibus animalium quotannis solvatur.*

Idem docet Ecclesia Gallicana in Conventu Melodunensi Tit. XXXIV. De Usuris. *In societate* (inquit) *animalium, qua inastimata alicui dantur custodienda, sive ut operas prastet, omnes casus, etiam fortuiti, sint damno semper & periculo ejus qui dederit: nisi accipientis dolo & custodientis aut incuriâ accidisse damnum, aut casum, constiterit.... Ne ex fructibus animalium quidquam prater sortem solvatur aut capiatur.*

Idem confirmat Concilium Burdigalense anno millesimo quingentesimo octogesimo tertio, Tit. XXXI. *De Usuris & illicitis Contractibus*, ipsáque Concilii Mediolanensis verba usurpat.

Ad ejusdem Regulæ confirmationem & majorem explicationem, nonnulla ex *S. Antonino* subjungo, P. II. Tit. I. Cap. VII. §. 39. Observat Sanctus Archipræsul, Pecora multipliciter alicui tradi posse. Primò ad custodiam, putà, cùm alicui dantur viginti capita pascenda sub certa mercede, vel etiam sub certa participatione de provento gregis. *Et tunc si dominus ipsorum retinet sibi periculum animalium, est contractus locationis, & de se licitus. Sed si non retinet sibi periculum, sed imputat conductori, est illicitus, nisi fortè illud damnum procederet merè ex negligentiâ custodia.* Secundò, possunt tradi alicui animalia quasi per modum mutui; putà, cùm quis dat alicui Rustico viginti capita cum pacto ut sint firma in numero vel in pretio ipsorum in omnem eventum: & tunc *Si totum lucrum sit Rustici, sicut est damnum, licitum est; quia idem est ac si mutuasset ei pecuniam, de qua emisset tot capita. Si autem vult partem lucri, salvo suo capitali, usura est: quia illud lucrum vult ratione mutui. Et si quis vellet hunc contractum socidam* (id est, societatem) *vocare, erit injusta, & obligabitur talis ad restitutionem.* Tertiò, traduntur alicui pecora per modum locationis, vel quasi venditionis modificatæ; putà cùm quis tradit certas oves alicui Monasterio sub hoc pacto, quòd pro qualibet ove accipiat annuatim duos solidos, cùm tamen fructus cuilibet valeat quinque vel quatuor: & cum hoc, quòd etsi oves traditæ moriantur, nihilominus remaneat Monasterium obligatum toto tempore vitæ tradentis, ac si omnes viverent; sed post mortem ejus omnes oves sint Monasterii, etiam si esset numerus centuplicatus. *Et tunc secundùm Hostiensem & Joannem de Ligano contractus est licitus; adeo ut, si*

De Usuris

ventus mortalitatis sequatur, *Monasterium seu Ecclesia non potest petere restitutionem, cùm non sit læsa in traditione, & hoc nisi jam oves fuissent infecta, & ad mortem parata, Monasterium non advertit. Consulit tamen idem Hostiensis quòd in hoc casu sentiat partem damni, ne cum jactura Monasterii valeat locupletari.*

Verùm cùm animalia locantur, & conceduntur ad usumfructum, pro certo pretio, vel pecuniis, vel ipsorum animalium fructibus exsolvendo, *Si absque dolo vel negligentia ejus, qui conduxit deteriora fiant, id semper fit damno ejus qui locarit*, necesse est, alioqui reus erit usuræ. Præterea, *Si animalia dentur æstimata, ita ut sors danti salva sit, nihil omnino ab ipso percipi possit.* Si qoid salva sorte à locatore percipiatur, usura est. Ita declararont Concilia Mediolanense primum, & Burdigalense superiùs laudata.

Quartò, pecora traduntur alicui in societatem, & hoc etiam variis modis, (inquit *S. Antoninus*) & quandoque justè, quandoque injustè. « Justè quidem, ut cùm unus habet viginti capita, alius totidem, vel etiam decem, & communicant ad invicem ea, & periculum, & emolumentum, & expensas communicant æqualiter, si æqualiter ponunt in societate, vel prò rata, secundùm quòd ponunt: & possunt etiam tales convenire quòd de fœtibus recuperentur capita mortua, vel de velleribus emantur capita ad augendum gregem. *Injustè autem fit hujusmodi societas, cùm quis dat certa capita ovium æstimata certo pretio, hoc pacto quòd Rusticus non accipiat aliquam utilitatem, donec tradens receperit priùs totam sortem. Hoc enim pactum est valdè iniquum: sicut etiam si quis pacifcatur, quòd antequam Rusticus recipiat aliqua, restaurabit de fœtibus omnia mortua. Hoc enim pacto est quasi tradere oves immortales.*

Injusta pacta in societate animalium.

Qoærit deinde *S. Antoninus*, Utrum licitum sit dare pecora Rustico, cum pacto quòd tradens recipiat omnes froctus pecorum, qoousque consequatur totum suum capitale, & ex tunc sint pecora communia?

Respondet Sanctus Archipræsul, *Id esse illicitum, si tradens dicta pecora velit capitale suum salvum grege pereunte; & si non perit in præsenti, vult nihilominus priùs de fructu pecorum suum capitale. Si verò pereunte grege, totus pereat tradenti ipsa pecora: sed si non perit, vult tradens priùs de fructu trahere capitale, & exinde facere pecora communia*: secundum istum modum, licitum esse. *Sed ubi periculum esset Conductoris totum, esse Usuram. Si autem periculum esset commune utrique, tunc etsi non esset Usura, videretur tamen injustus contractus. Sed tutius esset, quòd traderet pro quatuor vel tribus annis pecora; & in fine temporis æqualiter dividerent fructum cum capitali, ita quòd tradens subiret pericula casuum fortuitorum; & recipiens, pericula seu damna ex negligentia.*

Addit Sanctus Archipræsul, communem esse conditionem societatis ut socii æqualiter sint participes lucri, & damni, proportione servatâ; adeóqoe societatis jura violari, ubi melior est conditio unius quàm alterius. Unde *Cùm dantur oves sub isto pacto, quòd ubi perirent, pro medietate pereant tradenti, & pro aliâ medietate recipienti, in omni casu; ubi autem non pereant, priùs debeat tradens ex fructibus suum trahere capitale & exinde sint communes, non videtur licitum, ex eo quòd recipiens pecora nimis gravatur. Nam ubi malè fortunentur, ipse amittit duo, scilicet medietatem pretii pecorum, & laborem sua custodia: tradens autem amittit unum, scilicet mediatem pretii pecorum. Ex qua igitur Rusticus recipiens seu conducens pecora substat majori periculo, debet etiam plus participare de lucro.*

Quærit rursùs *S. Antoninus*, Quid juris cùm dat Petrus Joanni oves in societatem per quinquennium, & consuetudo postulat ut dividantur oves in capite quinquennii cum fructibus: interim autem oves pereunt: Tenetúrne Juannes rusticus in illo casu aliquid restituere Petro?

Respondet, Non teneri, si damnum ex naturâ contingat, quia pariter erant perituræ, si apud Petrum mansissent, nec Juannes illarum custodiam curamque suscepisset. Et quamvis omnes oves æstimatæ fuissent, cùm traditæ sunt in societatem, uoo magis teneretur, quia in Contractibus oon ordinatis ad dominium transferendum, æstimatio emptionem non facit, ut dicitur in Digestis, Tit. *Pro Socio*, L. *Cum duabus.* Si verò damnum contingat ex fortuna, verbi gratiâ, si pereant pecora fortuito casu, cui resisti non potuit, ut bello & incursione subitâ hostium, incendio, alluvione, fulgure, maleficio, præter omnem expectationem; periculum debet esse commune. Unde si oves æstimatæ erant mille libris, Joannes rusticus restituet Petro qoingentas libras. Sed si damnum provenit ex culpâ Joannis rostici, tenetur ipse Joannes ad restituendum totum capitale quod inter se constituerant, & fructuum medietatem, si jam fructus erant inde consecuti, quia medietas altera debebat esse Joannis. In societate igitur animalium, *Damnum procedens ex natura pertinet ad tradentem: procedens ex culpa negligentia pertinet ad recipientem: procedens ex fortuna spectat ad utrumque, quantùm est ex ipso contractu. Secus est si aliter pactum factum fuerit inter partes; quia tunc stabitur pactioni, quia pacta ex conventione legem accipiunt; & servanda sunt*; Ext. *De Pactis*, Cap. 1. *si tamen justa sunt, ut non gravetur magis una pars quàm altera.*

Ex his omnibus colligitur, Societatem animalium ea conditione initam, ut totum periculum sortis, damnumque sit penes recipientem, usurariam esse. Tale enim pactum jura societatis violare manifestum est, in quâ lucri damníque ex fortuitis casibus emergentis communio inter socios esse debet, secundùm Leges. Ea pactione violatur æqualitas, quæ inter socios velot inter fratres intercedere debet. Eâ denique pactione adjectâ, societatis Contractus degenerat in Mutuum, ex quo aliqoid ultra capitale recipitur.

Colligitur secundò, Rusticum qui pecora alenda curandaque ad tempus constitutum ab altero accepit, ea non minore studio & diligentiâ curare debere quàm propria, adeóque rusticanos homines graviter peccare contra justitiam, & restitutioni obnoxios esse, si eorum culpâ pecora ipsis in societatem tradita marcescant & pereant: si pinguiora intervertant, & alia macilentiora, viliorísque pretii substituant: si deniqoe pecora sibi tradita à lupis devorata falsò affirment, ut ea in suam utilitatem convertant; vel si à lupis enecta sunt, eorum pelles abscoodant & retineant.

REGULA XXVII.

Usurarius est, qui ex alterius necessitate occasionem captans, ab illo certum ovium, aliorúmve pecorum numerum emit minoris justo pretio, quæ illi postea in societatem tradat: sociúmque ad lanam & agnos ex incremento orituros sibi viliori pretio vendendos adstringit: necnon ad societatem ultra sexennium prorogandam; unde fit ut totius fundi percipiat emolumenta, cujus tamen medietas dumtaxat ad illum pertinet.

De Usuris.

MUtuum enim virtuale in illo Contractu intercedit, ex cujus quidem mutui datione aliquid ultra sortem exigit recipitque traditor. Manifesta etiam injustitia committitur, in eo quòd minoris justo pretio emantur pecora in societatem postea tradenda; adeóque emptor ad restitutionem tenetur.

REGULA XXVIII.

Usurarius Contractus est, quo aliquis alteri tradit pecora æstimata in societatem, eâ conditione, ut capitale sibi reddat, & aliquod præterea emolumentum, sive in pecunia, sive fructibus, lana, lacte, caseo, &c.

Injusta pacta in societate animalium.

MUtui enim potiùs quàm societatis Contractus est, ex quo aliquid ultra sortem exigere, accipere, vel sperare nemo potest absque usuræ fœnorísque crimine. Unde Concilium Mediolanense I. supra laudatum Tit. *De Usuris*, ait: *Si animalia dentur æstimata, ita ut sors danti salva sit, nihil omnino percipi possit.*

Hinc sequitur, illum etiam usuræ reum esse, qui agrum sive prædium Villico tradit ad sexcennium sub onere quingentorum nummorum annui censûs, verbi gratiâ, quod tradere non posset nisi sub onere quadringentorum in annos singulos redeuntium, nisi simul pecora traderet æstimata. Prædium enim agrúmve aut villam locat, adeóque dominium ejus non transfert in Villicum: at pecora æstimata illi mutuo tradit, adeóque dominium illorum transfert: unde agrum eumdem, idem prædium, eandem villam elapso sexcennio recipere debet; sed necesse non est ut eadem pecora recipiat, sed æqualis valoris, secundùm æstimationem factam tempore initi Contractus. Manifestum igitur est, tradentem, ratione mutui virtualis, quod in traditione pecorum simul cum traditione prædii aut villæ factâ intercedit, exigere & recipere centum nummos annuæ pensionis ultra sortem, quæ usura evidens est.

Hinc etiam sequitur, usurarium esse Contractum, qui *Redditionis bestiæ* dicitur, Gallicè *Redbestie*, quo ille qui bestias tradit æstimatas, nullum subit, vel minimum certè periculum, & magnum recipit emolumentum.

REGULA XXIX.

Contractus quo animalia ad arandum apta, & alia id genus grandiora, ut boves & vaccæ, in societatem traduntur, toto sexcennio à recipiente alenda, eâ conditione ut recipiens danti tres aut quatuor libellas solvat, certámve frumenti quantitatem, licitus est, modò quò peribit, domino pereat, æqualitásque servetur, habitâ ratione utilitatis quæ in recipientem ex illis animalibus redundat, & quantitatis pecuniæ vel frumenti, quod tradenti quotannis solvit.

De Usuris. De legitimis & illegitimis contractibus Societatis animalium.

HUic Regulæ plurimùm lucis afferet expositio Casuum quorumdam, *S. Antonini* Responsis firmata, II. P. Tit. I. Cap. VII. §. 41. & sequentibus.

Quærit primò, Utrum licitus sit Contractus, quo Petrus tradit Johanni bovem & vitulum anno solido nutriendum, eâ conditione ut post finem anni vendantur, & Petrus capitale suum recipiat, lucrum verò dividatur?

Respondet Sanctus Archipræsul, Esse licitum, duabus conditionibus adjunctis: prima est, ut Petrus animalia tradens in se retineat periculum fortuitum capitalis. Altera est, ut si animalia minoris vendantur quàm empta fuerint, non teneatur Johannes ad supplendum ipsi Petro pro capitali deficiente, quia tunc esset capitale salvum, adeóque usurarius Contractus.

Quærit secundò, Utrum legitimus sit Contractus, quo Petrus boves duos Joanni locat, eâ pactione ut duo frumenti sextaria quolibet mense persolvat; retento penes se dictorum animalium periculo?

Respondet, Talem Contractum esse locationis, & legitimum esse, modò tamen lucrum respondeat utilitati, quæ ex bobus redundat in recipientem. Nam si nullam utilitatem ex bobus ille perciperet, nihil dare deberet tradenti; vel certè minus solvere deberet, si deductis frumenti sextariis quæ dat locatori, minus lucrum conductori proveniret. Æqualitas enim, adeóque & justitia violaretur.

Quærit tertiò, Utrum legitimus sit Contractus, quo Petrus locat Johanni duos boves æstimatos, eâ conditione ut anno integro colat sibi duodecim perticas terræ cum dictis bobus, evoluto autem anno boves vendantur, & tunc Petrus totum capitale suum priùs recipiat, postea Johannes medietatem habeat ejus quod reliquum erit?

Respondet, Legitimum esse, modò Petrus duas conditiones observet: Prima est, quòd retineat sibi periculum istorum animalium. Altera ut Johanni, ob laborem in terrâ suâ colendâ adhibitum, justam mercedem promittat ad arbitrium prudentis probíque viri, deductâ lucri, quod percipit, medietate. At verò si nullum lucrum ex bobus proveniret, Petrus ex ipsa sorte sive capitali suo refarcire teneretur impensas factas à Johanne. Una conditionum istarum deficiente, Contractus illicitus & usurarius est.

Quærit quartò, Quid juris, cùm Petrus tradit Johanni vaccam unam æstimatam decem libris, eâ pactione ut ipse Johannes illam, omnémque fructum ejus & fœtum debitâ diligentiâ servare, & sumptibus suis custodire teneatur, fructúmque ejus & fœtum non alienare sine Petri tradentis assensu: obligetur insuper ad consignandum ipsi Petro de fructibus ejus & fœtibus prioribus certam quantitatem, donec vaccæ pretium integrum receperit: dimidium verò fru-

De Usuris.

ctuum fœtuómque se deinceps daturum spondeat; adjectâ conditione, ut si vacca vel fœtus ejus culpâ Joannis aut ejus bobulci perierint, ipse Joannes integrè restituere teneatur; si verò divino judicio vel fortuito casu, damnum totum in Petrum refundatur?

Respondet, Contractum hunc iniquum esse & illicitum, quia multò potior est conditio locatoris, quam conductoris. Contingere enim potest us, postquam Petrus sortem suam receperit, vacca cum omni fœtu fructûque pereat, sicque Joannes damnum patiatur impensarum omnium & laborum in vacca pascenda & custodienda factarum.

Quærit quintò, Quid juris si Petrus locat Joanni duos boves æstimatos viginti florenis, eâ pactione, ut ubi consuetum est dare pro duobus bobus duodecim sextaria frumenti, det ipse Joanni tantùm octo; ita tamen ut periculum suscipiat tertiæ partis animalium?

Respondet, eâ conditione justum esse contractum; alioquin illicitum esse & iniquum.

Quærit sextò, Utrum legitimus sit Contractus, quo boves rustico traduntur, eâ pactione ut pro eis viginti sextarii frumenti quovis anno solvantur tradenti?

Respondet, Licitum esse Contractum, si boum opera locatur, & periculum deteriorationis locator suscipit: boves enim arando deteriores fiunt: si verò velit locator animalia recuperare pretio quo fuerant æstimata cùm illa tradidit, nec periculum imminutionis seu deteriorationis (ut ita loquar) subire, iniquus erit Contractus, & usurarius. Requiritur ergo ut animalium jacturam vel periculum ferat, qui illa in societatem tradidit, nec damni partem in recipientem refundat, nisi ejus culpâ & negligentiâ contigisset, nimiisque laboribus aut oneribus illa deteriora effecisset. Res enim in societatem traditæ domino pereunt. Necesse etiam est ut pensio quotannis solvenda deducatur ex lucro conductoris, ipsique ultra valorem dictorum viginti sextariorum frumenti maneat aliquid lucri. Cùm enim Contractus societatis postulet, ut *Partes sint æquales, habito respectu ad quotam in societate positam, cùm sit quoddam ejus fraternitas*; quæ æqualitas erit, quæ fraternitas, si recipiens animalia nihil ex illis lucretur, & nihilominus viginti frumenti sextarios de suo solvat; vel deducto valore viginti illorum sextariorum, nihil lucri penes ipsum maneat? *Resultaret ergo potiùs ex tali Contractu mutuum, quàm fraternitas*; (inquit *Sanctus Antoninus*.)

REGULA XXX.

Mutuum dare Principi, seu Toparchæ, ut ab ipso temporale obtineatur Officium, Usura est.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Opusculo *De Regimine Judæorum*, ad Ducissam Brabantiæ. *Quærebatis* (inquit) *de Ballivis & Officialibus vestris, si liceat eis Officia vendere, vel mutuò ab eis recipere aliquid certum donec tantùm recipiant ex Officiis.* Duas Quæstiones distinguit S. Doctor, & ad utramque singillatim respondet. Ad primam, Multa licere ait, quæ non expediunt. Absolutè licitum esse vendere Officia merè temporalia, modò vendantur personis ad illa gerenda & exercenda idoneis, nec tanto pretio ut graventur emptores, nec illud facilè recuperare possint. Sed tamen non expedire ut Officia illa vendantur: *Quia contingit frequenter*, inquit, *quòd illi qui essent magis idonei ad hujusmodi Officia exercenda, sunt pauperes, ut emere non possint, & si etiam sunt divites illi qui meliores sunt, talia Officia non ambiunt, nec inhiant ad lucra ex Officio acquirenda. Sequitur igitur quòd ut plurimùm illi Officia in terra vestra suscipiant, qui sunt pejores, ambitiosi, & pecuniæ amatores, quos etiam probabile est subditos vestros opprimere, & vestra etiam commoda non sic fideliter procurare. Unde magis videtur expediens ut bonos homines & idoneos ad suscipiendum vestra Officia eligatis, quos etiam invitos, si necesse fuerit, compellatis, quia per eorum bonitatem & industriam majora accrescent vobis & subditis vestris, quàm de prædicta Officiorum venditione acquirere valeatis.*

Ad Quæstionem alteram de mutuo sic respondet: *Si hoc pacto mutuum dant ut Officium accipiant, absque dubio pactum est usurarium, quia pro mutuo accipiunt Officii potestatem: unde in hoc datis eis occasionem peccandi: & ipsi etiam tunc tenentur resignare Officium taliter acquisitum. Si tamen gratis Officia dederitis, & post ab eis mutuum acceperitis, quod de suo Officio possint recipere, hoc absque omni peccato fieri potest.*

REGULA XXXI.

Licita est & legitima usurarum stipulatio, cùm fundus fructuosus, ut prædium, domus, horreus, aut aliud hujusmodi, emitur eo pacto, ut post tot annos duntaxat emptor pretium, de quo conventum est, solvere teneatur venditori, & interim venditor usuras summæ capitalis percipiat, donec ipsa soluta sit.

ID constat ex Glossa in Cap. *Conquestus*, Extra *De Usuris*, cujus hæc sunt verba: *Usuræ possunt etiam peti secundùm Canones, ut cùm vendo tibi prædium, & trado, & percipis fructus, nec solvis mihi pretium ad terminum.* Art. de Usur. L. 11. *Quòd hujusmodi usura & non quasi usura, sed quasi interesse putantur.*

Et ex Jure Civili, L. *Julianus* §. *Ex vendito*, *ff. De Act. empt. & vend.* cujus hæc sunt verba: *Ex vendito actio venditori competit ad ea consequenda quæ ab emptore præstari oportet: veniunt autem in hoc judicio infra scripta: inprimis pretium quanti res venit: item usura pretii post diem traditionis. Nam cùm re emptor fruatur, æquissimum est eum usuras pretii pendere.*

L. *Curabit*, C. eodem Tit. *Curabit Præses Provinciæ compellere emptorem, qui nactus possessionem fructus percipit, partem pretii quam penes se habet, cum usuris restituere, quas & perceptorum fructuum ratio, & minoris ætatis favor, licèt nulla mora intercesserit, generavit.*

Denique L. *Fructus*, cujus hæc sunt verba: *Fructus post perfectum jure contractum, emptoris spectare personam convenit, ad quem & functionum gravamen pertinet. Venditor quoque pretium tantùm, ac si mora intercessisse probetur, usuras officio judicis exigere potest.*

CAPUT VIII.

DE

LUXURIA.

ARTICULUS I.

Quid sit? & quàm grave Peccatum?

LUXURIA *Peccatum est, quo venerea voluptas supra modum, & contra legem naturalem & divinam appetitur, & percipitur.* Usus nempe venereorum secundùm se non est illicitus, si debito modo & ordine fiat. *Sicut enim ad conservationem vitæ unius hominis ordinatur usus ciborum, ita etiam ad conservationem totius humani generis usus venereorum. Unde S. Augustinus dicit Lib. De Bono conjugali, Cap. xvi.* Quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis. *Et ideo sicut usus ciborum potest esse absque peccato, si fiat debito modo & ordine, secundum quod competit saluti corporis: ita etiam & usus venereorum potest esse absque peccato, si fiat debito modo & ordine, secundùm quod est conveniens ad finem generationis humanæ;* (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CLIII. Articulo II.) Id autem debito modo & ordine fieri non potest extra legitimum Matrimonium.

Luxuria mortale ex genere suo peccatum est.

Quamobrem Luxuria lethale ex genere suo peccatum est, ut constat ex Apostolo, ad Galatas v. *Manifesta sunt* (inquit) *opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c. quæ prædico vobis sicut prædixi, Quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.*

Luxuriâ templum Dei violatur.

Præterea, *Ex eo quòd aliquis inordinatè corpore suo utitur, injuriam facit Deo, qui est principalis Dominus corporis nostri;* (inquit *S. Thomas*, Articulo 1ss. Quæstionis laudatæ.) Hinc Apostolus 1. *ad Corinthios* III. ait: *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus...... Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Et Cap. VI. *An nescitis quoniam membra vestra, templum sunt Spiritus-Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Hoc Templum Dei, quod Baptismate consecratum est, de quo *Tertullianus* ait Libro II. *De Cultu Feminarum*, Cap. I. *Cùm omnes templum Dei simus, illato in nos & consecrato Spiritu Sancto, ejus templi æditua & antistita Pudicitia est, quæ nihil immundum nec profanum inferri sinat, ne Deus ille qui habitat, inquinatam sedem offensus derelinquat.* Et. S. *Cyprianus* Libro *De Disciplina & Habitu Virginum*, scribit: *Considerantes pariter ac scientes, quòd templa Dei sunt membra nostra, ab omni fæce contagionis antiquæ Lavacri vitalis sanctificatione purgata, nec violari ea aut pollui fas sit, quando qui violat & ipse violetur. Eorum nos templorum cultores & Antistites sumus: serviamus illi, cujus esse jam cœpimus.* Hoc, inquam, templum luxuria polluit. Hinc *Sanctus Augustinus* Sermone IX. *De decem Chordis*, aliàs XCVI. *De Tempore*, Cap. x. ait: *Deus qui scit quid tibi utile sit, qui vere sic suos servos gubernat ad utilitatem illorum, non ad suam; non enim indiget servis quasi ad adjutorium, sed tu indiges Domini auxilio: ipse ergo Dominus qui scit quid tibi sit utile, uxorem concessit, nihil ampliùs. Hoc jussit, hoc præcepit, ne per illicitas voluptates corrumpas templum ejus quod esse cœpisti. Numquid hoc ego dico? Apostolum audite.* Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis; *Hoc dicit Christianis, hoc dicit Fidelibus......* Si quis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus. *Videtis quomodo minatur? Non vis corrumpi domum tuam, quare corrumpis domum Dei? Certè facis alicui quod pati non vis. Non est ergo quà evadatur...... Omnia enim peccata hominum, aut ad corruptelam pertinent flagitiorum, aut ad facinora nocendi. Quia Deo nocere non potes in facinoribus, in flagitiis eum offendis, in corruptelis eum offendis, in te illi facis injuriam. Facis enim injuriam gratiæ ipsius, domui ipsius.*

D. Luxuria.

Luxuria gravem Christo infert injuriam, membra ejus violando.

Singularem etiam Christo infert injuriam luxuria, quatenus violat membra Christi. Corpora enim nostra membra Christi sunt ipsi tanquam capiti cohærentia, si sanctè & castè vivamus. Ipsa autem à Christo disjungit luxuria, & cum meretrice copulat, ut ait Apostolus 1. ad Corinthios VI. *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens autem membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim*, inquit, *duo in carne una. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.* Non solùm in Incarnatione sese naturæ nostræ personaliter conjunxit Dei Filius, sed etiam unicuique nostrûm in Eucharistia substantiali simul & sacramentali modo se conjungit. *Seipsum nobis commiscet* (inquit S. Joannes Chrysostomus) *& non fide tantum, verùm & re ipsa nos suum efficit corpus.* Luxuria verò divinam illam conjunctionem solvit & abrumpit. Hinc impudicos, & præsertim adulteros, ab Eucharistiæ Communione quædam olim Ecclesiæ in perpetuum removebant, ut constat ex Illiberitani Concilii Canone III. *Si post Pœnitentiam* (inquit) *fuerint mœchati, placuit ulteriùs eis non esse dandam Communionem, ne lusisse de Dominica Communione videantur.* Et Canone VII. *Si quis forte Fidelis, post lapsum mœchiæ, post tempora constituta actâ Pœnitentiâ, denuò fuerit fornicatus, placuit eum nec in fine habere Communionem.* Christus Animarum nostrarum sponsus est, ipsasque per fidem, spem & caritatem sibi conjungit. *Despondi enim vos* (inquit Apostolus) *uni viro virginem castam exhibere Christo.* Quanquam enim Fideles conjugati virgines non sint corpore & spiritu, sicut Ecclesia, sancti tamen & casti esse debent corpore & spiritu, alioquin eorum Animas Christus Virginis Filius & Virginum Sponsus repudiabit, execrabitur. Christus enim Dei Sapientia *In malevolam animam non intrabit, neque habitabit in corpore subdito peccatis.*

1. Cor. 11.

Sap. 1. 4.

Luxuriam affine idololatriæ crimen Patres existimarunt.

Luxuriam affine idololatriæ crimen Patres existimarunt, & ad ejus gravitatem proximè accedens. Qua de re *Tertullianus*, Libro *De Pudicitia*, Cap. V. *Itaque mœchia affinis idololatriæ (Nam & idololatria mœchiæ nomine & fornicationis sæpe Populo exprobratur) etiam sorte conjungetur illi sicut & serie; etiam damnatione cohærebit illi, sicut & dispositione.... Est & mali dignitas, quod in summo aut in medio pessimorum collocatur. Pompam quandam atque suggestum aspicio mœchiæ, hinc ducatum idololatriæ antecedentis, hinc*

De Luxuria. *comitatum homicidii insequentis. Inter duos apices facinorum eminentissimos sine dubio digna consedit, & per medium eorum quasi vacantem locum pari criminis auctoritate complevit...... Ego quidem idololatria sæpissimè mœchiæ occasionem subministra. Sciant luci mei & mei montes, & viva aqua, ipsáque in urbibus templa, quantùm evertenda pudicitia procuremus. Ego quoque homicidium nonnunquam mœchiæ elaboro. Ut tragœdias omittam, sciunt hodie venerarii, sciunt magi, quot pellicatus ulciscar, quas rivalitates defendam, quos custodes, quot delatores, quot conscios auferam. Sciunt etiam obstetrices, quot adulteri conceptus trucidentur. Etiam apud Christianos non est mœchia sine nobis: ibidem sunt idololatria, ubi immundi Spiritus res est. Ibidem est & homicidium, ubi homo, cùm inquinatur, occiditur.* Magis criminosum mœchum eo qui metu aut vi tormentorum in idololatriam lapsus est, contendit idem Autor Cap. XXIII. *Nemo volens* (inquit) *negare compellitur: nemo nolens fornicator. Nulla ad libidinem vis est nisi ipsa. Negationem porrò quanta compellunt ingenia carnificis & genera pœnarum? Quis magis negavit, qui Christum vexatus, an qui delectatus amisit? Qui cùm amitteret doluit, an qui cùm amitteret elusit?* Manichæos olim concupiscentiam adorasse, testis est *Sanctus Epiphanius.* Luxuriosi hanc impietatem æmulantur. Cùm enim corpora sua,

Rom. 12. 1. *Hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* offerre deberent, ea fœdæ libidini & concupiscentiæ immolant: ut de illis meritò dici possit, quod de Idolorum artificibus *Tertullianus* Libro *De Idololatria*, Cap. VI. ait: *Colis, non spiritu vilissimi nidoris alicujus, sed tuo proprio: nec animâ pecudis impensâ, sed animâ tuâ. Illis ingenium tuum immolas, illis sudorem tuum libas, illis prudentiam tuam accendis. Plus es illis quàm Sacerdos..... Diligentia tua Numen illorum est..... Negas te colere, sed illi non negant, quibus hanc saginatiorem, & auratiorem, & majorem hostiam cædis, salutem tuam.* Hinc *Arnoldus* Bonævallis Abbas, Sermone *De Jejunio & Tentationibus*, inter *S. Cypriani* Opera: *Genu flexo* (inquit) *concupiscentia sua quisque idolum colit, & propria libidinis adorat simulacrum.* Quid Salomonem ad idololatriam pertraxit? Nonne Luxuria? III. *Regum* Cap. XI. *Rex Salomon adamavit mulieres alienigenas multas.... His copulatus est ardentissimo amore..... & averterunt mulieres cor ejus. Cùmque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos.*

In seipsum graviter peccat luxuriosus. Graviter quoque peccat in se ipsum luxuriosus, quatenus corpus suum polluit & contaminat. *Corpus autem non fornicationi, sed Domino,* (inquit Apostolus) *& Dominus corpori. Deus autem & Dominum suscitavit: & nos suscitabit per*

1. Cor. 6. *virtutem suam.... Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Fœdius autem & probrosius est homini ceteris peccatis luxuriæ crimen, quòd in aliis affectionibus animus a seipso vincatur, in hac verò vincatur à corpore, quod ei naturâ inferiore subjectum est. *Minus autem pudet, cùm sibi animus ex vitiosis suis partibus non obtemperat, quàm cùm ei corpus, quod alterum ab illo est atque infra illum est, & cujus sine illo natura non vivit, jubentique non cedit;* (inquit) *S. Augustinus*, Libro XIV. *De Civitate Dei*, Cap. XXIII.)

Luxuria gravissimum in proximum peccatum est. Denique peccatum gravissimum est in proximum, teste *Sancto Thoma*, Quæstione XV. *De Malo*, inter Quæstiones Disputatas, Articulo II. ad quartum. *Omnes* (inquit) *corruptiones luxuria, quæ sunt præter legitimum Matrimonii usum, sunt peccata in proximum, in quantum sunt contra bonum prolis generandæ, & educandæ.* De Luxuria.

ARTICULUS II.

De Luxuriæ Speciebus.

Septem sunt luxuriæ species, scilicet fornicatio simplex, adulterium, stuprum, sacrilegium, incestus, raptus, & vitium contra naturam. 7. Luxuriæ species.

Fornicatio simplex est commixtio soluti cum solutâ, sive vidua sit, sive meretrix, sive concubina. Fornicatio simplex.

Adulterium est accessus ad alienum torum, sive *commixtio conjugati hominis cum aliena uxore; vel conjugati cum muliere solutâ; vel fœmina conjugata cum viro soluto.* Hinc *Sanctus Augustinus*, Libro *De Bono Conjugali*, Cap. IV. *In eo ipso,* (inquit) *quòd sibi invicem conjuges debitum solvunt, etiamsi id aliquantò intemperantiùs & incontinentiùs exceptant, fidem tamen sibi pariter debent. Cui fidei tantùm juris tribuit Apostolus, ut eam potestatem appellaret, dicens:* Mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir: similiter autem & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier. *Hujus autem fidei violatio dicitur adulterium, cùm vel propria libidinis instinctu, vel aliena consensu, cum altero vel altera contra pactum conjugale concumbitur.* Adulterium. 1. Cor. 7.

Stuprum est illicita virginis sub cura parentum existentis defloratio. Hæc verba, *sub cura parentum*, statum virginis usque ad Matrimonium explicant. Unde si quis virginem grandævam, & sui juris existentem, etiam consentientem, extra Matrimonium defloraverit, stupri reus est. Stuprum.

Sacrilegium in materia luxuriæ est *personæ vel rei Deo consecratæ per actum venereum violatio.* Quod committitur, cùm quis sacris Ordinibus initiatus, aut solemni Professione alicui Ordini Religioso addictus; aut etiam simplici Voto Castitatis obstrictus, luxuriæ peccatum committit: vel laicus cum Sanctimoniali Professa, aut muliere voto simplici castitatis Deo dicata; aut mulier sæcularis cum viro aliquo ex his modis sacro: aut cùm duæ personæ sacræ simul venereum peccatum committunt, seu voluntate solâ, vel deliberatâ delectatione, seu opere consummato, vel imperfecto, quales sunt aspectus & tactus impudici, & oscula libidinosa: aut denique cùm in loco sacro, id est, Ecclesia consecrata vel benedicta, Cœmeterio, aut Sacello Episcopi auctoritate erecto, & divino cultui dicato, actus venereus, etiam à conjugibus exercetur. Quæ circumstantiæ in Confessione Sacramentali omnino explicandæ sunt. Sacrilegium.

Incestus est commixtio venerea personarum consanguinearum vel affinium intra gradus prohibitos; scilicet usque ad quartum gradum consanguinitatis inclusivè, item usque ad quartum gradum affinitatis ex matrimonio legitimo contractæ inclusivè, ex copula autem illicitâ usque ad secundum. Ad quam speciem pertinet quidem violatio cognationis spiritualis ortæ ex Baptismo vel Confirmatione, & congressus Confessarii cum filia spirituali Pœnitente, vel illius sollicitatio, ut constat ex Canone *Omnes*, & ex Canone *Si quis Sacerdos*, Causa XXX. Quæstione I. sed sacrilegii deformitate cumulatur. Incestus.

De Luxuria.

Raptus est distincta luxuriæ species, quâ persona quæpiam invita, vel repugnantibus ejus parentibus, aut iis quorum curæ commissa est, per vim aut seductionem abducitur, explendæ libidinis, aut matrimonii contrahendi causâ: vel in paternis ædibus aut alibi opprimitur & polluitur invita. Personæ nomine vir & mulier, sive soluta, sive conjugata, sive vidua, sive virgo, sive deflorata & corrupta, sive sæcularis, sive Deo sacra intelligitur. Raptum enim quandoque cum stupro conjunctum, quandoque stuprum sine raptu inveniri, scitè observat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CLIV. Articulo VII. Raptus cum stupro conjunctus est, cùm aliquis vim infert puellæ ad florem virginitatis ejus delibandum. Quæ quidem vis quandoque infertur parentibus, sed non virgini, cùm scilicet ipsa consentit ut per violentiam à paternâ domo abducatur. Alio etiam modo violentia & raptus differunt, quia quandoque puella violenter abducitur à domo parentum, & invita repugnánsque violatur: quandoque autem etsi violenter abducatur, non tamen violenter corrumpitur, volens, sive fornicario concubitu, sive matrimoniali. Sed tamen quæcunque vis illata fuerit, sive personæ quæ abducitur, sive parentibus, tutoribus, marito, quibus reluctantibus aufertur, veri nominis raptus est, sive copula sequatur, sive non sequatur. Si ergo per vim abducatur femina, etiamsi postea in matrimonium vel in copulam consentiat cum raptore: ille nihilominus raptûs damnatur. Raptus etiam est, cùm puella reclamante patre aut iis qui loco sunt patris, sive tutoribus, vel uxor invito marito abducitur, etsi consentiens & volens. Invenitur autem raptus sine stupro, cùm aliquis rapit viduam aut puellam corruptam. Stuprum verò sine raptu, cùm virgo nullâ vi illatâ illicitè defloratur.

Peccatum contra naturam.

Peccatum contra naturam est actus venereus ex quo generatio sequi non potest, sive qui fit præter eum usum, unde humana natura potest nascendo subsistere; (ut loquitur *S. Augustinus* Libro III. *Contra Julianum*, cap. XX.) Dicitur contra naturam, quia non solùm repugnat rectæ rationi, ut cætera peccata; sed etiam naturali ordini & modo, quo Deus utrumque sexum copulari, & per eam copulam humanum genus propagari voluit.

Quatuor sunt illius peccati species, scilicet 1. *Mollities* sive *Pollutio, quâ quis voluntaria seminis effusione se ipsum contaminat, vel aliena manu provocatus contaminatur.*

2. *Inordinatus concubitus est indebitus modus copulæ carnalis, quo semen extra vas effunditur, aut effundendi periculum est, & generatio impeditur.*

3. *Sodomia nefarium & abominandum præposteræ libidinis crimen est, quo personæ ejusdem sexus carnaliter copulantur & commiscentur, uno turpiter agente, altero turpiter patiente.*

4. *Bestialitas est nefaria copula cum re alterius speciei, scilicet cum brutis animantibus, aut Dæmonibus succubis vel incubis.*

5. Addi potest execranda illa species luxuriæ, quam *Fellationem* vocant: & qui eam exercent, *Fellatores*, quos *Martialis* Poëta Lib. XI. Epigrammate LXS. *Lingua maritos, & ore mœchos* appellat. Quo flagitio Lesbii turpissimi fuerunt, teste *Suida*. De quo facinore *Minucius Felix*, in *Octavio*. hæc scribit adversùs Ethnicos: *Etiam ille qui de adoratis Sacerdotis virilibus adversùs nos fabulatur, tentat in nos conferre quæ sua sunt. Ista enim impudicitia eorum forsitan sacra sint, apud quos sexus omnis membris omnibus prostat, apud quos tota impudicitia vocatur urbanitas: qui scortorum licentiæ invident, qui medios viros lambunt, libidinoso ore inguinibus inhærescunt, homines malæ linguæ etiam si tacerent: quos priùs tædescit impudicitiæ suæ, quàm pudescit. Pro nefas! Id in se mali facinoris admittunt, quod nec ætas potest pati mollior, nec cogi servitus durior. Hæc & hujusmodi propudia nobis non licet nec audire, etiam pluribus turpe defendere est.*

De Luxuria.

De his luxuriæ speciebus Regulæ quædam Morum stabiliendæ supersunt, reliquis in quartam hujus Operis Partem reservatis, ubi de Sexto Decalogi Præcepto agemus.

ARTICULUS III.

REGULÆ MORUM,

Luxuriam spectantes.

REGULA I.

Actus omnis venereus extra legitimum Matrimonium semper est peccatum lethale.

UNum enim est ex operibus carnis, de quibus Apostolus ad Galatas v. ait: *Quoniam qui talia agunt, Regnum Dei, non consequentur.* Præterea, visus Mulieris cum concupiscentia lethale peccatum est, secundùm illud Matthæi v. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Cùm igitur visus mulieris inter omnes actus Luxuriæ primum sit minimúmque peccatum, multò magis omnes alii actus sunt peccata mortalia, (inquit *S. Thomas*, Quæstione XV. *De Malo*, Art. II.) Idem probat intrinsecâ ipsius actus inordinatio, quia scilicet *Actus non est proportionatus generationi & educationi prolis. Videmus enim quod peccatum mortale est non solùm homicidium, per quod vita hominis tollitur, sed etiam furtum, per quod subtrahuntur exteriora bona, quæ ad vitam hominis sustentandam ordinantur. Propinquiùs autem ordinatur ad vitam hominis semen humanum, in quo est homo in potentia, quàm quæcunque res exteriores: & ideo inordinatio circa emissionem seminis est circa vitam hominis in potentia propinqua. Unde manifestum est quod omnis Actus Luxuriæ est peccatum mortale ex suo genere.* Ita ratiocinatur *S. Thomas*, ibidem.

REGULA II.

Omnis appetitus actûs venerei extra fines legitimi Matrimonii, si sit plenè deliberatus, lethale peccatum est.

AIt enim Christus Matthæi XV. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes.... Hæc sunt quæ coinquinant hominem.* Quæ verba *S. Augustinus* expendens Libro *De Continentia*, cap. II. *Nihil est* (inquit) *istorum malorum, quæ perpetrari etiam membris corporis possunt, quod cogitatio non antecedat mala, & coinquinet hominem, etiamsi aliquid impediat, ne subsequantur opera flagitiosa & facinoro-*

De Luxuria.

sa membrorum. Si enim quia potestas non datur, vacat manus ab hominis interfectione, nunquid ideo mundum est à scelere cor homicida? Aut si rem subripere alienam, non ut quis vult potest, nunquid ideo in ipsa voluntate fur non est? Aut si casta est, quam vult adulterare non castus, ideo eam non est in corde mœchatus? Aut si meretrix non inveniatur in fornice, ideo qui eam quærit, non fornicatur in mente? ...... Ita cætera mala facta hominum, quæ nullus agit corporis motus, quæ nescit ullus corporis sensus, reos suos occultos habent; quos etiam solus inquinat in cogitatione consensus, id est, oris interioris verbum malignum. In quod timens ille declinari cor suum, ostium continentiæ circùm labia oris hujus poni poscit à Domino, quod contineat cor, ne declinetur in verba maligna: contineat autem, non sinendo cogitationem procedere in consensionem; sic enim secundùm Præceptum Apostolicum, Non regnat peccatum in nostro mortali corpore, neque exhibemus membra nostra arma iniquitatis peccato. A quo præcepto implendo utique alieni sunt, qui ob hoc ad peccandum membra non movent, quia potestas nulla permittitur: quæ si adsit, protinus ex membrorum velut armorum motibus, quis in eis intus regnet, ostendunt. Proinde, quantùm in ipsis est, membra sua exhibent arma iniquitatis peccato: quia hoc volunt, quod propterea non exhibent, quia non possunt.

Psalm. 140.

Id confirmat *S. Thomas* Quæstione XV. *De Malo*, Articulo II. *Quia* (inquit) *appetitus interior accipit bonitatem vel malitiam ex eo quod appetitur, inde est quòd etiam appetitus hujusmodi actus inordinati est peccatum mortale, si sit completus, scilicet cum ratione deliberatâ, alioquin est peccatum veniale.*

REGULA III.

Fornicationem simplicem esse peccatum mortale, Dogma Fidei est.

Fornicatio simplex.

ITa quippe definitum est in Clementina, *Ad nostram*, Tit. *De Hæreticis*, contra Beguardos & Beguinas. Quæ definitio evidentibus Scripturæ Sacræ nititur testimoniis. Ab Apostolo enim cap. I. Epistolæ ad Romanos, inter ea peccata numeratur, de quibus ait: *Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte.* Et ad Galatas V. recensetur inter opera carnis, de quibus scribit: *Qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.* I. ad Corinthios V. *Scripsi vobis in Epistola: Ne commisceamini fornicariis, non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris... Nunc autem scripsi vobis non commisceri. Si is, qui frater nominatur, est fornicator aut avarus... cum ejusmodi nec cibum sumere.* Et cap. VI. *Neque fornicarii*, inquit, *neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores... Regnum Dei possidebunt.* Ad Ephesios V. *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus (quod est idolorum servitus) non habet hereditatem in Regno Christi & Dei.* Ad Hebræos XIII. *Fornicatores & adulteros judicabit Deus.* Apocalypsis XXI. *Timidis autem & incredulis, & execratis & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure: quod est mors secunda.*

Et in Lege Dei, non solùm sexto Decalogi Præcepto, *Non mœchaberis*, sed & Deuteronomii XXII. ut peccatum morte dignum damnatur & prohibetur. *Si non est in puella inventa virginitas, ejicient eam extra fores domus patris sui, & lapidibus obruent eam viri civitatis illius & morietur, quoniam fecit nefas in Israël, ut fornicaretur in domo patris sui: & auferes malum de medio tui.* Et cap. XXIII. *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israël.* Quem locum *S. Augustinus* expendens, Quæstione XXXVII. in Deuteronomium, ait: *Ecce ubi manifestè prohibuit fornicari & viros & feminas etiam cum non alienis conjugibus: peccatum esse demonstrans misceri non conjugibus suis, quando & meretrices esse, & ad meretrices accedere prohibet, quarum publicè venalis est turpitudo.* Et Tobiæ IV. *Attende tibi ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.* Et Proverb. V. *Ne attendas fallaciæ mulieris. Favus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus. Novissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps. Pedes ejus descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant. Per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus ejus, & investigabiles. Longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus ejus.* Et cap. XXIII. *Fovea profunda est meretrix, & puteus angustus, aliena. Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos viderit, interficiet.*

Idem confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CLIV. Art. II. *Peccatum mortale est* (inquit) *omne peccatum quod committitur directè contra vitam hominis. Fornicatio autem simplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ ejus, qui est ex tali concubitu nasciturus. Ad educationem* enim *hominis non solùm requiritur cura matris à qua nutritur, sed multò magis cura patris à quo est instituendus & defendendus, & in bonis tam interioribus quàm exterioribus promovendus. Et ideo contra naturam hominis est quòd utatur vago concubitu: sed oportet quòd sit maris cum determinata femina, cum qua permaneat, non per modicum tempus, sed diu*, vel etiam *per totam vitam.* Hinc viris naturaliter inest solicitudo de certitudine prolis, quia illis incumbit ejus educatio. Hæc autem certitudo tolleretur, si vagus esset concubitus, & nisi vir & mulier legitimo Matrimonio conjungerentur. *Unde cùm fornicatio sit concubitus vagus, utpotè præter Matrimonium existens, est contra bonum prolis educandæ: ideo est peccatum mortale.* Nec obstat (inquit *S. Thomas*) Si aliquis fornicando aliquam cognoscens, sufficienter provideat proli de educatione: *Quia id quod cadit sub legis determinatione, judicatur secundùm id quod communiter accidit, & non secundùm id quod in aliquo casu potest accidere.*

Fornicatio simplex est lege prohibita.

Denique ab *Innocentio Undecimo* Pontifice Maximo damnata est inter alias hæc Propositio ordine 48. *Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

Contrarius error à Sede Apostolica damnatus.

Hanc etiam damnavit generalis Cleri Gallicani Conventus ut *scandalosam, perniciosam, castarum & piarum aurium offensivam, & erroneam.*

Hæc Propositio cum septimo Beguardorum & Beguinarum errore à *Clemente V.* damnato in Concilio Viennensi affinitatem habet: *Mulieris osculum* (inquiebant) *cùm ad hoc natura non inclinet, est mortale peccatum; actus autem carnalis, cùm ad hoc natura inclinet, peccatum non est, maximè cùm tentatur exercens.*

REGULA IV.

Fornicatio cum publica libidinis victimis gravius peccatum est furtivo cum aliis publicè ac promiscuè non prostitutis concubitu.

De Luxuria.

GRaviorem namque proli facit injuriam: siquidem hujusmodi congressu non solùm impeditur bona educatio prolis nascituræ, sed etiam fit ne ulla proles nascatur. Attamen utraque fornicatio ejusdem est speciei, utraque lethale peccatum, de utraque ab Apostolo scriptum est ad Ephesios v. *Fornicatio autem & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.... Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, non habet hæreditatem in Regno Christi & Dei.* Et quamvis Meretrices quibusdam in locis tolerentur, & quæstum publicè facere permittantur; hinc inferri non potest fornicationem cum ipsis, & ab ipsis perpetratam non esse peccatum lethale; sed solùm esse minus adulterio, stupro, raptu, incesto, & peccatis contra naturam: quia Lex humana multitudini posita est, in qua major pars est hominum non perfectorum virtute: & ideo lege humana non prohibentur omnia vitia, à quibus abstinent homines virtute prædīti; sed solùm graviora, à quibus majorem Populi partem abstinere possibile est, spectatâ hominum in malum propensione, sed præcipuè quæ grave nocumentum aliis inferunt, sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset; (ut ait *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione XCVI. Art. II.) Sed pleraque vitia, quæ lege humanâ tolerantur, divinâ lege nihilominus severissimè vindicantur. Unde *S. Hieronymus* in Epitaphio *Fabiolæ* ad *Oceanum* ait: *Aliæ sunt Leges Cæsarum, aliæ Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. Apud illos viris impudicitiæ fræna laxantur, & solo stupro atque adulterio condemnato passim per lupanaria & ancillulas libido permittitur: quasi culpam dignitas faciat, non voluntas.* Et *S. Augustinus*, Lib. I. *De Libero Arbitrio*, cap. V. probat illam *Evodii* Sententiam: *Videtur mihi & Legem istam, quæ regendo populo scribitur, rectè ista permittere, & Divinam Providentiam vindicare. Ea enim vindicanda sibi hæc lex populi assumit, quæ satis sunt conciliandæ paci hominibus imperitis, & quanta possunt per hominem regi. Illæ verò culpæ alias pœnas aptas habent, à quibus sola mihi videtur posse liberare Sapientia.* Ait autem S. Augustinus: *Laudo & probo istam, quamvis inchoantem minúsque perfectam, tamen fidentem & sublimia quædam petentem distinctionem tuam. Videtur enim tibi Lex ista, quæ regendis civitatibus fertur, multa concedere, atque impunita relinquere, quæ per Divinam tamen Providentiam vindicantur; & rectè. Neque enim quia non omnia facit, ideo quæ facit improbanda sunt.* Hinc Libro *De Ordine*, cap. IV. *Quid sordidius*, (inquit) *quid inanius decoris, & turpitudinis plenius meretricibus, lenonibus, cæterísque hoc genus pestibus dici potest? Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus. Constitue matronarum loco, labe ac dedecore dehonestaveris. Sit igitur hoc genus hominum per suos mores impurissimum vitâ, per ordinis leges conditione vilissimum.*

REGULA V.

Concubinatus gravius aliis fornicationibus crimen est.

De Luxuria.

STatum enim & perseverantiam in fornicatione addit, & quasi uxoriam cum fornicaria muliercula, quam domi retinet, vel ad quam foris habitantem frequentiùs adit, consuetudinem. Quamobrem non solùm fornicationum, aliarúmve obscœnitatum cum concubina commissarum numerus in Sacramentali Confessione exprimendus est, verùm & temporis intervallum declarandum, quo ipsam apud se detinuit, vel cum ea alibi manente impudicum habuit commercium concubinarius: cùm verisimile non sit id absque gravi proximorum scandalo factum esse.

Concubinariorum pœna

Concubinarios Excommunicatione plectendos Ecclesia decrevit & in Concilio Vaurensi Canone CXVII, & in Concilio Tridentino Sessione XXIV. *De Reformatione Matrimonii*, cap. VIII. *Grave peccatum est* (inquit) *homines solutos concubinas habere: gravissimum verò & in hujus magni Sacramenti singularem contemptum, admissum uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere & retinere. Quare ut huic tanto malo Sancta Synodus opportunis remediis provideat, statuit hujusmodi Concubinarios, tam solutos quàm uxoratos, cujuscunque status, dignitatis, & conditionis existant, si postquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, Excommunicatione feriendos esse, à qua non absolvantur, donec reipsa admonitioni factæ paruerint. Quod si in concubinatu per annum, Censuris neglectis permanserint; contra eos ab Ordinario severè pro qualitate criminis procedatur. Mulieres sive conjugatæ, sive solutæ, quæ cum adulteris sive concubinariis publicè vivunt, si ter admonitæ non paruerint, ab Ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpæ puniantur, & extra oppidum, vel Diœcesim, si id eisdem Ordinariis videbitur, invocato, si opus fuerit, brachio sæculari, ejiciantur: aliis pœnis contra adulteros & concubinarios inflictis in suo robore permanentibus.*

Clericorum concubinariorum pœna.

Clericos publicè Concubinarios à perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum, trium mensium spatio, statim ipso facto suspensos: Deinde, nisi post monitionem Ordinarii infra brevissimum tempus concubinas dimittant, Beneficiis omnino privari. Basileense Concilium edixit, quod Decretum Synodus Frisingensis anno MCCCCXL. & Rothomagensis anno MCCCCXLV. Canone XXI. ac tandem Concilium Lateranense V. sub *Leone X.* in Concordatis Titulo XXIX. confirmavit. Eosdem Clericos Concubinarios, usquequò cùm eis per suos Superiores, post ipsarum concubinarum dimissionem, manifestámque vitæ emendationem, fuerit dispensatum, ad quoscunque Honores, Dignitates, Beneficia, & Officia inhabiles, Concordata & Synodus Lateranensis declarant: qui, si post dispensationem ad publicum hujusmodi concubinatum redierint, sine spe alicujus dispensationis perpetuò ad prædicta inhabiles futuros decernunt. Publici autem concubinarii sunt intelligendi, *Non solùm ii, quorum concubinatus per sententiam aut confessionem in Jure factam, seu per rei evidentiam, quæ nulla possit tergiversatione celari, notorius est: sed etiam qui mulierem*

De Luxuria.

de incontinentia suspectam, & diffamatam tenent, & per suum superiorem admoniti, ipsam cum effectu non dimittunt, (inquiunt eadem Concordata.) Non esse ordinandum eum, qui ex concubina filios suscepisset, aut mortua legitima uxore concubinam haberet, Concilium Aurelianense III. sanxerat, Canone IX.

Nec verò aliquis sibi persuadeat meretricios amores & concubinatum olim Ecclesiam permisisse, quod Concilium Toletanum I. Canone XVII. relato Canone *Is qui*, Dist. XXXIV. decreverit, ut *Is qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à Communione non repellatur: tamen ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ sit conjunctione contentus.* Nam de concubinis impropriè dictis Canon ille intelligendus est, quæ quodammodo uxores erant, quanquam nec dotalibus instrumentis, nec solemniter ductæ. Hanc explicationem tradunt Gregoriani Decreti Censores. Concubinas scilicet duplicis olim fuisse generis observant, quasdam ad tempus adhibitas, quarum concubitum turpem fuisse docent, etiamsi filiorum procreandorum causâ haberentur, de quibus locutum fuisse *S. Augustinum* Canone *Audite*, & Canone *Concubina*, Causa XXXII. Quæstione II. laudatum, aiunt: Nec de iis intelligendum Concilii Toletani Canonem. Alias autem concubinas velut uxores fuisse, quæ sine dotalium tabularum solemnitate ductæ fuerant, quo modo Abraham & Jacob ancillas pro uxoribus habuerunt, quæ tamen interdum concubinæ, interdum uxores in Scriptura Sacra, & à Patribus appellantur. Hoc concubinarum genus olim fuisse licitum: De his loqui *Justinianum*, Novella XVIII. apud Julianum Antecessorem, & *S. Augustinum* Libro *De Bono Conjugali*, cap. V. relato Canone *Solet*, Causa XXXIII. Quæstione II. tametsi dubitantem. In his autem concubinis tria fuisse necessaria: primùm, ut uterque esset solutus: deinde fidem mutuam, scilicet quòd alteri non jungerentur, neque abhorrerent a procreatione filiorum: tertium, ut usque ad mortem in ea vitæ conjunctione manendum sibi proponerent. Et in his scribere *S. Augustinum* posse aliquo modo dici Nuptias esse & Connubium, quamvis sic habitam non audeat appellare uxorem, quia non intervenerant instrumenta dotalia, & reliqua solemnia juris, ut colligitur ex prædicta Novella XVIII. & ex Canone *Aliter*, Causa XXX, Quæst. V. Itaque hujusmodi mulieres vocari concubinas: sed ob illa tria, ac præcipuè quòd in affectu maritali permanere statuerant, permissam illis Communionem. Habitas nimirum fuisse tanquam uxores minùs solemniter ductas. Alias Toletani Canonis affert explicationes *Ferdinandus de Mendoza*, Commentarii in Concilium Illiberitanum cap. VIII. Sed quocunque sensu explicetur, certum est Concubinatum ab Ecclesia pro re turpi, gravique crimine semper habitum fuisse. Cujus veritatis testes sunt,

Uxores sine dotalium tabularum solemnitate ductæ, olim concubinæ vocabantur.

Concubinatus semper ab Ecclesia ut grave crimine damnatus.

Tertullianus, Libro *De Pudicitia*, cap. IV. *Omne* (inquit) *homicidium extra sylvam, latrocinium est: ita & ubicunque vel in quacunque semetipsum adulterat & stuprat, qui aliter, quàm Nuptiis utitur. Ideo penes nos occultæ quoque conjunctiones, nec priùs apud Ecclesiam professæ, juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur. Nec inde consertæ obtentu Matrimonii crimen eludunt.*

Minucius Felix, in Octavio, sic Gentiles allocutus: *Nos pudore non facie, sed mente præstamus, unius Matrimonii vinculo inhæremus, cupiditate procreandi aut unam scimus, aut nullam.*

De Luxuria.

S. Joannes Chrysostomus, Sermone contra Concubinarios, duas tantùm vias agnoscit, quibus viri mulieribus cohabitant: *Et una quidem* (inquit) *verus est ac justa, rationique consentanea, nempe Matrimonium, quod Deo Legislatore institutum: altera verò posterior, & ex confesso injusta, legique adversa; nempe concubinatus sive stuprum: quod à malignis introductum est Dæmonibus.*

S. Ambrosius, Libro I. *De Abraham*, cap. VII. *Habet*, inquit, *omnis viri mulierisque concubitus nulla legitimi Matrimonii sorte celebratus, suam culpam. Nulli licet scire mulierem, præter uxorem. Ideòque conjugii tibi datum est jus, ne in laqueum incidas, & cum aliena muliere delinquas.... Tolerabilior est si lateat culpa, quàm si culpa usurpetur autoritas. Nec hoc solum est adulterium cum aliena peccare conjuge, sed omne quod non habet potestatem conjugii.*

S. Augustinus, Sermone CCCXCII. aliàs XLIX. inter Homilias quinquaginta. *Audite, Carissimi membra Christi, & Matris Catholicæ filii. Quod dico Competentibus, audiant Fideles: quod dico Fidelibus, audiant Competentes: quod dico Competentibus & Fidelibus, audiant Pœnitentes: quod dico Fidelibus, Competentibus, & Pœnitentibus, audiant Catechumeni, audiant omnes: omnes timeant, nemo contemnat. Sit mihi in consolationem vester auditus, ne sit vobis in testimonium dolor meus. Competentibus dico, Fornicari vobis non licet. Sufficiunt vobis aut uxores, aut nec uxores: Concubinas vobis habere non licet. Audiat Deus si vos surdi estis, audiant Angeli ejus, si vos contemnitis. Concubinas vobis habere non licet. Et si non habetis uxores, non licet vobis habere concubinas, quas postea dimittatis, ut ducatis uxores; quantò magis damnatio vobis erit, si habere volueritis & concubinas & uxores?*

Et Libro *De Bono Conjugali*, cap XIV. *Itaque* (inquit) *si fortè, quod utrum fieri possit ignoro, magisque fieri posse non existimo: sed tamen si fortè ad tempus adhibitâ concubinâ filios solos ex eadem commixtione quæsiverit: nec sic ista conjunctio vel earum Nuptiis præponenda est, quæ veniale illud operantur. Quid enim sit Nuptiarum considerandum est, non quid nubentium & immoderatiùs Nuptiis utentium. Neque enim si agris iniquè ac perperam invasis ita quisque utatur, ut ex eorum fructibus largas eleemosynas faciat, ideo rapinam justificat: neque si alius ruri paterno vel justè quæsito avarus incumbat, ideo culpanda est Juris Civilis regula, quâ possessor legitimus factus est. Nec tyrannicæ factionis perversitas laudabilis erit, si regiâ clementiâ tyrannus subditos tractet; nec vituperabilis ordo Regiæ Potestatis, si Rex crudelitate tyrannica sæviat. Aliud est namque injustâ potestate justè velle uti, & aliud est justa potestate injustè uti. Ita nec concubina ad tempus adhibita, si filiorum causâ concumbant, justum faciunt concubinatum suum; nec conjugatæ, si cum maritis lasciviant, nuptiali ordini crimen imponunt.*

S. Leo Epistolâ II. aliàs XCII. ad *Rusticum* Narbonensem Episcopum, Inquisitioni quartæ, quintæ & sextæ illius respondens: *Non omnis mulier* (inquit) *juncta viro, uxor est viri, quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales, multò priùs hoc ipsum Domino constituente, quàm initium Romani Juris existeret. Itaque aliud est uxor, aliud concubina: sicut aliud ancilla, aliud libera..... Unde cùm societas Nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se*

De Luxuria. *Christi & Ecclesiæ Sacramentum : dubium non est, eam Mulierem non pertinere ad Matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Igitur cujuslibet loci Clericus, si filiam suam viro habenti concubinam in Matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam conjugato dederit; nisi fortè illa mulier & ingenua facta, & dotata legitimè, & publicis nuptiis honestata videatur..... Paterno arbitrio viris juncta carent culpa, si mulieres, quæ à viris habebantur, in Matrimonio non fuerunt, quia aliud est nupta, aliud concubina.... Ancillam à thoro abjicere, & uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugii, sed profectus est honestatis.*

REGULA VI.

Absolvi sacramentaliter non debet Concubinarius, nisi Concubinam dimiserit, firmùmque ad eam non redeundi propositum habuerit. Idémque ferendum judicium est de omnibus qui in proxima peccandi occasione versantur : ipsis scilicet neganda est Absolutio, nisi ab hujusmodi occasione re ipsa & ex animo recesserint.

PEccati scilicet affectum non deposuerunt, qui proximam illod committendi occasionem dimittere nolunt, imò illam amant : *Qui enim amat periculum, in illo peribit;* (inquit Spiritus-Sanctus, *Ecclesiastici* III.) Et Christi Domini præceptum apertè violant, qui cùm in præclaro illo Sermone coram Discipulis in Monte habito, quo Christianæ Disciplinæ summa continetur,
Matth. 5. 28. præmisisset : *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo:* statim subjunxit : *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextra manus tua scandalizat te, abscide eam & projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.* Quod documentum alia occasione repetendum duxit Christus, ut illius necessitatem Discipulis inculcaret, *Matthæi* XVIII. Cùm enim præmisisset, *Væ homini illi per quem scandalum venit :* statim adjecit : *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, & projice abs te : bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te : bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Quod etiam legitur *Marci IX.* Quibus Christi Domini Oraculis admonemur, peccandi occasiones procul a nobis removendas, & à personis quibuscum summa nobis necessitudo & conjunctio est, vel quarum opera nobis non solùm utilis est, sed quodam modo necessaria, esse omnino discedendum sub pœna damnationis æternæ, si nobis peccandi occasionem præbeant. Ita hunc locum explicant summo consensu SS. Patres.

Concubinarii non absolvendi, nisi concubinas dimiserint.

Sanctus *Hilarius*, Cap. IV. in Matthæum : *Carere* (inquit) *non solum propriis vitiis, sed & extrinsecus incidentibus admonemur. Non enim ex causis peccantium membrorum, corporis damna præcepta sunt : dextro enim oculo non minus sinister erraret : certè pes sensu concupiscentiæ carens damno*
1. Cor. 12. *inutilis est, in quem pœna causa non incidet. Sed quia diversa invicem membra, corpus tamen omnes unum sumus, abjicere à nobis, vel potiùs eruere propinquitates carissimorum nominum admonemur, si in illis aliquid tale cernamus, ne in consortium criminis eorum de familiaritate veniamus : rectiùs utilibus & maximè necessariis, tanquam oculi & pedis membris carentes, quam usque in societatem gehennæ, vitiosæ propinquitatis teneamur affectu.*

Sanctus *Pacianus*, Epistolâ III. ad *Sympronianum* Novatianum, qui his Evangelii locis abutebatur ut Lapsos à Pœnitentia repellendos esse probaret : *Vides*, inquit, *non de Pœnitentibus dictum, sed de his qui non solum ipsi in facinore perseverant, verùm etiam nos scandalizare non desinunt. Hi, quamlibet cari sint, relinquendi; quamlibet utiles, deserendi sunt.*

Sanctus *Joannes Chrysostomus*, Homiliâ XVII. in *Matthæum*, ait Christum his verbis *Iram* significasse, *quâ in ejusmodi fœminas uti debemus.* Et ideo subjunxisse : *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Ne enim diceres, *Quid igitur si propinqua sit, si aliqua mihi necessitudine conjuncta? Propterea ista mandavit, cùm utique non de membrorum disturbanda compage disserat : absit. Nusquam enim carnis crimen adesse enunciat, sed utique malum arguit voluntatis.... Quòd si de membris ista loqueretur, nequaquam vel de uno, vel de dextro id oculo, sed indifferenter de utroque. Qui enim dextro scandalizatur oculo, haud dubium quin id ipsum etiam patietur à sinistro. Quam igitur ob causam dextrum posuit, & manum adjecit? Ut scilicet disceres, non de membris esse sermonem, sed de his potiùs qui nobis familiaritate junguntur. Etsi igitur tantùm aliquem diligas, ut se dextri oculi uteris vice : aut ita tibi quempiam esse utilem putes, ut eum dextræ manus ducas loco, & hi tamen animæ tuæ fortassis incommodent; etiam istos* (inquit) *à te abscinde. Et diligentiùs vim ipsam sermonis examina. Non enim dixit, A talium societate discede; sed maximam separationem indicans, Erue* (inquit) *& projice abs te. Deinde quia satis severe præceperat, lucrum ex utroque ostendit.* Expedit enim tibi (*inquit*) ut pereat unum membrorum tuorum, ac non totum corpus tuum mittatur in gehennam. *Cùm enim nec seipsum certè salvet qui tibi fuerit adjunctus, & te perditionis suæ socium faciat : quæ tandem illa humanitas sit, utrùmque demergi, cùm liceat vel unum separatione servari?.. Et idcirco non ait tantummodo*, Erue : *Sed*, Projice (*inquit*) abs te : *ut eum numquam recipiat ulteriùs, si qualis fuerat, perseverat. Hoc enim modo & illum majori crimine liberabis, & te à perditione salvabis. Ut autem manifestiùs commodum istius Legis aspicias, si placet etiam in corpore, exempli gratiâ, id quod dictum est, requiramus. Si enim daretur electio, utrùmque esset necessarium è duobus, videlicet aut cum ambobus oculis in foveam ruere, atque ibidem perire, aut etiam absque uno oculo reliquum servare corpus : putásne è duobus suscipere non malles secundum? Illud omnibus absque ambiguitate perspicuum est : non enim hoc esset odio habentis oculum, sed corpus reliquum diligentis. Hoc etiam in viris consideretur & fœminis. Si qua enim tibi nocerat amando, incurabilisque permaneat : & te omni peste, dum sic absciditur, liberabit : & ipsa à majoribus est erepta peccatis, non jam ultra cum suis malis etiam crimen tuæ perditionis admiscens.*

Sanctus *Augustinus*, Libro I. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. XIII. *Hic verò* (inquit) *magna opus est fortitudine ad membra præcidenda. Quicquid enim est quod significat oculus, sine dubio tale est quod vehementer diligitur. Solet enim & ab eis qui vehementer volunt exprimere dilectionem suam, ita dici, Diligo eum ut oculos meos, aut etiam plus quàm oculos meos. Quod autem additum est*, dexter, *fortasse ad augendam vim dilectionis valet. Quanquam enim ad videndum isti oculi corporis communiter* Non absolvendi nisi qui proximas occasiones peccandi dimiserint.

De Luxuria.

intendantur, & si ambo intendantur, æqualiter possint; ampliùs tamen formidant homines dextrum amittere. Ut iste sit sensus, Quicquid illud est quod ita diligis, ut pro dextro oculo habeas; si scandalizat te, id est, si tibi impedimento est ad veram beatitudinem, erue illud, & projice abs te. Expedit enim tibi ut pereat unum horum, quæ ita diligis ut tanquam membra tibi hæreant, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.

Propositio damnata.

Meritò itaque hæc Propositio ab Academiis celeberrimis, & ab Episcopis Gallicanis, & ab *Alexandro VII.* Pontifice Maximo damnata est: *Non est obligandus Concubinarius ad ejiciendam Concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, dum deficiente illa nimis ægrè vitam ageret, & aliæ epulæ concubinarium magno tædio afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.*

REGULA VII.

Lethalis peccati rei sunt, & Absolutionis incapaces, qui lenocinium exercent, quandiu in voluntate & occasione infame illud commercium exercendi perseverant.

GRavius est ipsorum quàm meretricum & fornicatorum, vel adulterorum crimen, cùm infideles feminas ad crimen illiciant, illisque autores sint flagitii; & viris ad fœdam voluptatem explendam absque voluptatis carnalis sensu cooperentur; sicque Dæmonis officio fungantur. Hinc *Tertullianus*, Libro *De Idololatria*, Cap. XI. *Nam quòd ipsam carnem meam à lupanaribus segregavi, agnosco me neque lenocinium, neque id genus lucrum alterius causâ exercere posse. Sed & homicidii interdictum ostendit mihi lanistam quoque ab Ecclesia arceri: neque per se non faciet, quod faciendum aliis subministrat.* Adversùs infame illud hominum genus editus est Trullanæ Synodi Canon LXXXVI. quo statutum est, *Eos qui ad Animarum lapsum meretrices cogunt, & alunt: si sint quidem Clerici, deponi: si verò Laici, segregari.*

Lenocinium

His Communionem nec in fine dandam, censuit Illiberritana Synodus, Canone XII. ut pestem illam quæ in Hispania grassabatur, severiore disciplina & acriore remedio compesceret. *Mater*, inquit, *vel Parentes, vel quælibet Fidelis, si lenocinium exercuerit, eò quòd alienum vendiderit corpus, vel potiùs suum, placuit eam nec in fine accipere Communionem.*

Disciplinæ istius severitas postea temperata est, & ad duos annos Pœnitentiæ redacta; sed tamen laudatum est Illiberritanæ Synodi Decretum ad gravitatem criminis ostendendam, ut constat ex Pœnitentiali *Theodori* Cantuariensis Archiepiscopi, & ex *Burchardo VVormatiensi*, Libro XIX. Cap. CLXXXVIII. Lenones ultimo supplicio afficiendos, *Justiniano* Imperatori placuit, quem *Theodora Augusta* suasu sodalitia meretricum & lenonum sustulisse, refert *Procopius*, Libro I. *De Ædificiis Justiniani.* Gravius enim istud crimen, turpius, & Reipublicæ exitialius jure existimavit, quam pecuniaria furta & latrocinia, cùm castitas, cujus furtum & latrocinium est, sit pecuniis & temporalibus omnibus bonis pretiosior, animæque & corporis thesaurus. Unde pestiferos illos castitatis vastatores, & veteras seductrices mulierum, turpéque commercium exercentes, Ecclesia, Principésque Christiani gravissimis pœnis affecerunt. Hujus criminis, & illati ab infamibus hujusmodi personis proximo nocumenti gravitatem collige ex illis *Tertulliani* verbis, *Apologetici* Cap. ultimo Ethnicos alloquentis: *Probatio est innocentiæ nostræ iniquitas vestra. Ideo nos hæc pati Deus patitur. Nam & proximè ad lenonem damnando Christianam, potiùs quàm ad leonem, confessi estis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna & omni morte reputari.*

Novella Constitutione XIV. Tit. I. De Lenonibus.

De Luxuria.

Christianos Principes & Magistratus ad hanc luem depellendam excitare debet præclarum *Florentii* Præfecti Prætorio exemplum, quod à *Theodosio* Imperatore meritò laudatum est, & ad memoriam posteritatis sempiternam transmissum Novella Constitutione XVIII. Cùm scilicet lenones illatâ in Ærarium publicum annis singulis tributi nomine ingenti pecuniæ summâ, exercendi lenocinii libertatem obtinuissent, Vir Illustris proprium patrimonii fundum Ærario obtulit, ex cujus reditibus posset accedere, quod pessimum illud genus consueverat pensitare: sicque Rempublicam à pudendæ turpitudinis labe atque ignominia liberavit. *Theodosius* enim Illustris Præfecti liberalitatem & providentiam gratam habens, lenones verberum & exilii pœnis damnavit.

Lenocinium.

Eamdem vigilantiam eumdémque zelum in Magistratibus ad tantam turpitudinem ab hoc Regno Christianissimo depellendam postulat Ecclesia Gallicana in Conventu Melodunensi congregata, Tit. De publicorum criminum correctione. *Rogandi Judices & Magistratus, ut ejus criminis convictos, emendandos & corrigendos curent: focarias nullas patiantur inultas, ne modicum fermenti totam massam corrumpat, & dissipatis lupanaribus publicis sancta colluvies honestissimas quásque familias inhonestet & corrumpat. Ab iis Principibus & Magistratibus etiam petimus, ut ejusmodi impudicis mulieribus omnis auri, argenti & serici usus interdicatur. Indecens enim est impudica & inverecunda scorta, pudicarum ac honestarum ornamento mulierum honorari. Omnes ex lenocinio quæstum facientes procul exilio amandent.* Idem *Sanctus Carolus Borromæus* edixit in Concilio Mediolanensi I. P. II. Tit. *De Meretricibus & Lenonibus.*

Lenocinii autem rei sunt, qui mulierum ingenuarum aut juvenum animos, vel muneribus, vel blanditiis, vel consilio, vel quibusvis malis artibus ad fœdos amores pelliciunt, & turpium voluptatum conciliatores vel conciliatrices existunt. *Sancti Antonini* verbis minùs quidem elegantibus, sed sententiosis id exprimam. *Mediatores in hujusmodi de turpibus, qui portant ambassiatas de talibus materiis, sive viri, sive mulieres, vel qui persuadent, vel qui deferunt litteras scienter in istis etiam honesta continentes, sed ad contrahendam malam amicitiam, nulli dubium quin peccent mortaliter. Digni enim sunt morte æterna, videlicet non solùm qui faciunt hujusmodi, sed etiam qui consentiunt facientibus* (Rom. I.) *Unus autem modus consensus est per cooperationem, ut hoc: & multò magis mittentes ipsas litteras, & scienter recipientes & legentes.*

REGULA VIII.

Lethalis peccati rei sunt patres & matres, nec absolvi sacramentaliter debent, qui filios aut filias scortantes non prohibent à scelere.

MAndatum enim Dei violant, Ecclesiastici Cap. VII. exaratum: *Filiæ tibi sunt? Serva corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas. Trade filiam tuam, & grande opus feceris,*

&

De Luxuria. *& homini sensum da illam.* Et Cap. XLII. *Filia patris abscondita est vigilia, & solicitudo ejus aufert somnum, ne fortè in adolescentia sua adulta efficiatur, & cum viro commorata odibilis fiat: nequando polluatur in virginitate sua, & in paternis suis gravida inveniatur..... aut certè sterilis efficiatur. Super filiam luxuriosam confirma custodiam: nequando faciat te in opprobrium venire inimicis, à detractione in civitate, & abjectione plebis, & confundat te in multitudine populi.*

Confirmatur ex *Elia* Cretensis Metropolitæ Responsis ad Interrogationes *Dionysii* Monachi, insertis Libro v. Juris Græco-Romani. *Quantùm autem ad illud pertinet* (inquit) *an oporteat Sacerdotes suscipere oblationes patrum illorum, quibus scientibus filii in potestate positi scortantur, necne. (Hæc enim tua Interrogatio quarta.) Aio, Si scortantium, nec à scortatione recedentium admittenda sunt, & patrum etiam omnino, quorum permissu liberi scortantur. Nam non vetare scientes, sed tacere, permittere proculdubio est. Quòd si non illud, hoc quonam modo? Atqui scortantium non sunt admittenda: nec igitur eorum qui conscii participant. Conscium autem & participem esse patrem perspicuum est.* Psalm. 47 *Eò enim illud pertinet, Si conspiciebat furem, cum eo concurrebas, & cum mœcho partem tuam ponebas. Et in septuagesimo primo Canone Magni Basilii, qui his verbis pronuntiat: Conscius cum unoquoque delinquentium, non confessus, sed convictus, tanto tempore sub pœna eris, quanto is qui est mali autor emendatur. Quanquam hic in filio qui sciente patre scortatur, plus quidpiam conspicitur, quàm de quibus dictum est. Adeo enim subjecti sunt patribus filii, ut neque legitimæ uxori sine illorum consensu conjungi possint. Nuptiæ enim sine iis qui habent in potestate coeuntes, (ut iterum Magnus ille inquit quadragesimo secundo Canone,) sunt scortationes... Si hæc igitur ita se habent, quis horum patrem pœnà scortantium eximet? Idéoque & hic quemadmodum filius, erit excommu*[illegible]*tus: quia cùm posset prohibere, aut aliter legitim*[illegible]*locare Matrimonio, nihil horum fecerit. Quonam autem modo non magis Deum exacerbabit, qui cùm peccati causam non præcidat, oblationibus & precationibus placari Deum arbitratur? Idem enim faceret cum iis qui iniquitatem commiserunt, & injustè parta possident, sed maleficiorum remitti sibi pœnam à Judice muneribus deprecantur. Hi enim talia deprecantes, acerbiorem omnino sibi potiùs reddent Judicem.*

REGULA IX.

Lethalis peccati rei sunt, qui domos suas meretricibus vel lenonibus scientes locant: nec debent absolvi donec infames illos conductores vel conductrices expulerint.

Lenocinium. QUi enim domos suas hujusmodi pestibus locant, participes sunt lenocinii turpisque commercii conniventiâ suâ & favore; participes sunt & scandali quod toti viciniæ creatur. Hinc gravem pœnam illis Leges ipsæ Civiles infligunt, ut constat ex Novella Constitutione XIV. *Justiniani*, Tit. *De Lenonibus*, cujus hæc sunt verba: *Si quis autem patiatur in sua domo quemdam lenonem & hujusmodi præpositum operationis habere, & hæc denuntiata cognoscens, non etiam domo sua expuleris; sciat se & decem librarum auri sustinere pœnam, & circa ipsam periclitaturum habitationem.*

REGULA X.

Stuprum gravius peccatum est fornicatione simplici.

De Luxuria. Stuprum. VIrginis enim sub custodia parentum existentis defloratio singularem involvit deformitatem, *Tum ex parte puellæ, quæ ex hoc quòd violatur, nullâ pactione conjugali præcedente, & impeditur à legitimo Matrimonio consequendo, & ponitur in via meretricii, à quo retrahebatur, ne signaculum virginitatis amitteret: tum etiam ex parte patris, qui de ejus custodia solicitudinem gerit, secundùm illud* Ecclesiastici XLII. *Super filiam luxuriosam confirma custodiam, nequando faciat te in opprobrium venire inimicis.* Ita *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CLIV. Articulo VI.

Nec refert si puella & ejus parentes consentiant: illicitus enim hujusmodi consensus stupri deformitatem non tollit: peccant siquidem tam stuprator quam puella contra naturalem ordinem, secundùm quem signaculum virginitatis integrum & inviolatum in puella servari debet, donec Matrimonio conjuncta sit. Quamobrem sicot non tollitur adulterii deformitas, cùm mulier conjugata, consentiente marito, sui corporis copiam alteri facit; quia peccat contra fidem conjugalem: ita non tollitur stupri deformitas, cùm virgo consentientibus parentibus seipsam amasio prostituit; quia ooo solùm fornicatur, sed etiam virginalis integritatis jacturam facit contra ordinem lege natorali ac divina constitutum.

Ex his sequitur, circumstantiam virginitatis in Confessione Sacramentali à femina exprimi debere, quæ carnalem copulam desideravit, aot ejus cogitatione sponte ac liberè delectata est, vel osculis libidinosis, tactibus impudicis, aut pollutione volontaria se contaminavit, aot quæ primo cum viro commixta est extra legitimum matrimonium: & similiter à viro, qui virginem corrupit vel impudicè tetigit, aut osculatus est, aut concupivit, aut denique de copula cum virgine cogitans, delectationi consensit. Illa enim circumstantia speciem peccati mutat, novámque his actibus deformitatem tribuit.

REGULA XI.

Gravius peccatum est cùm puella illatâ vi opprimitur, vel consensus ejus in stuprum incusso metu, vel dolo extorquetur, quam si blanditiis & importunis precibus delinita in scelus pelliciatur.

GRavior enim nolenti, vel deceptæ puellæ, quàm volenti fit injuria: quamvis dici non possit nullam volenti injuriam fieri, quia non est domina sui corporis, nisi ad usus legitimos. Unde quemadmodum gravis injuriæ in proximum reus est, qui perire volentem interficit, sicut adolescens ille Amalecithes, qui Saülem Regem gladio suo incubantem, ab ipso rogatum, se occidisse gloriatus est, II. *Regum* Cap. I. Ita gravem puellæ infert injuriam, qui virginitatem ejus delibat, corporisque ipsius integritatem violat, quamvis ipsa consentiat, imò sponte se offerat; sed gravius tamen, ut dixi, crimen illius est, qui opprimit invitam.

REGULA XII.

Puella consensûs in stuprum convincitur, si non clamaverit, cùm posset, domesticorum aut vicinorum auxilium contra pudicitia sua aggressorem violentum imploratura.

De Luxuria, Stupro.

Nititur hæc Regula Scripturæ Sacræ auctoritate, Deuteronomii XXII. *Si puellam virginem desponderit vir, & invenerit eam aliquis in civitate, & concubuerit cum ea, educes utrumque ad portam civitatis illius, & lapidibus obruentur: puella, quia non clamavit, cùm esset in civitate: vir quia humiliavit uxorem proximi sui, & auferes malum de medio tui. Sin autem in agro reppererit vir puellam, quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum ea, ipse morietur solus: puella nihil patietur, nec est rea mortis: quia sicut latro consurgit contra fratrem suum, & occidit animam ejus, ita & puella perpessa est. Sola erat in agro: clamavit, & nullus adfuit qui liberaret eam.* Id ita explicat *Philo*, ut locus frequentioris exempli causâ sit positus, non quòd ex eo solo semper finienda sit controversia. Potest enim, ut ille Libro *De Specialibus Legibus* disserit, & in Urbe aliqua vim pati occultò ore, vel incusso metu mortis prohiberi ne clamet; & in agro aliqua consentire in stuprum.

Ex hac Regula patet quale judicium ferendum sit de hac Propositione cujusdam recentioris Autoris.

In hac vi & metu infamiæ mortisque poterat Susanna dicere: Non consentio actui, sed patiar & tacebo, ne me infametis & adigatis ad mortem....... Fortè Susanna id vel nesciebat, vel non cogitabat: sic enim honestæ castæque virgines putant se esse reas, sèque consentire Lenonibus, si non clamore, manibus, totisque viribus resistant. Potuisset Susanna in tanto periculo infamiæ & mortis negativè se habere, & permittere in se eorum libidinem, modò interno actu in eam non consensisset, sed eam detestata & execrata fuisset, quia majus est bonum vita & fama quàm pudicitia; unde hanc pro illa exponere licet.

Hanc Propositionem meritò damnatam à Conventu generali Cleri Gallicani anno millesimo septingentesimo ut *temerariam, scandalosam, castarum aurium offensivam, erroneam, & Legi Dei contrariam*, compertum est.

REGULA XIII.

Qui virginem illatâ vi, aut gravi metu incusso, vel importunis precibus, falsis persuasionibus, & pollicitationibus, aut futuri Matrimonii promissione verâ vel simulatâ, compulit aut pellexit ad stuprum, eam ducere tenetur, aut certè ita dotare, ut alteri honorificè, & suæ conditioni congruenter collocari valeat in Matrimonium. Tenetur etiam satisfacere parentibus puellæ, in quos redundat ejus dedecus.

Refertur Cap. Si seduxerit, Extra, De Adulteriis & Stupro.

» Habet enim stuprum duplicem injuriam an- » nexam: unam quidem ex parte virginis: » quam etsi non vi corrumpat, tamen seducit, & » sic tenetur ei satisfacere. Unde dicitur Exod. XXII. *Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea: dotabit eam, & habebit eam uxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis quam virgines accipere consueve-» runt.* Aliam verò injuriam facit patri puellæ. » Unde & ei secundùm Legem tenetur ad pœ- » nam. Dicitur enim Deuteronomii XXII. *Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit: dabit, qui dormivit cum ea patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam uxorem, quia humiliavit illam: non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ.* Et hoc dicit; *ne videatur eam ludibrium fecisse*, ut ait *S. Augustinus*, Quæstione XXXIV. in *Deuteronomium*. Ita *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LIV. Articulo VI. ad tertium. Cùm autem stuprator spe ac promissione futuri Matrimonii puellam ad stuprum illexit, eam omnino ducere tenetur, si ipsa & pater illius voluerint: si verò noluerint, tenetur (ut dixi) eam dotare: idque sub reatu peccati mortalis: sive sincera fuerit, sive simulata Matrimonii promissio. Si enim sincera fuit, verus fuit Contractus, quem infelix puella complevit, adeóque & stuprator complere tenetur: si verò simulata fuerit promissio, doli reus est: nemini autem fraus sua patrocinari debet, sive dolus.

De Luxuria.

Id confirmatur ex Cap. *Pervenit*, Extra, *De Adulteriis, & Stupro.*

Exceptiones tamen aliquas communi consensu statuunt Theologi. Si enim tanta sit conditionis disparitas, ut puella prospicere potuerit ac debuerit, sese ad Nuptias tam sublimes pervenire non posse, utpotè quæ sit infimæ sortis, vir autem nobilitatis primariæ; ipsa pauper, vir opibus potens, non censetur in errorem inducta: unde illam ducere non tenetur, sed tantùm dotare, prout ipsius conditioni congruit, aut dotem augere, ut perinde collocetur ac si virgo esset.

Secundò, si constuprata puella sese alteri prostituerit, vel si affirmanti se esse virginem, stuprator promisit Matrimonium, ut eâ frueretur, & tamen virginem non esse deprehendit; eam ducere non tenetur: ipsa enim illusit viro. Quamobrem fraus illi sua patrocinari non debet. Illam tamen dotare tenetur sub reatu peccati mortalis, si famæ sit integræ, publicaque opinione ut virgo habeatur. Si autem famæ integræ antea non erat, aut legitimis documentis probetur eam virginem non fuisse cùm ad ipsam accessit, ad dotem solvendam, vel ad satisfactionem aliquam non tenetur.

Tertiò, si vir aliam duxerit, aut aliud impedimentum canonicum habeat, eam ducere non tenetur. Has exceptiones maxima ex parte affert *S. Thomas*, Quæstione XLVI. Supplementi, Articulo II. ad quartum. *In tali casu* (inquit) *sponsus, antequam aliam duxerit, tenetur eam ducere in uxorem, si sint æqualis conditionis, vel si sponsa sit melioris conditionis. Sed si aliam duxerit, jam factus est impotens ad solvendum illud, ad quod tenebatur: & ideo sufficit si ei de Nuptiis provideat: & ad hoc etiam non tenetur (ut quidam dicunt) si sponsus sit multò melioris conditionis, aut aliquod signum fraudis evidens fuerit: quia præsumi probabiliter potest, quòd sponsa non fuerit decepta, sed decipi se finxerit.*

Quartò, si gravia scandala, vel mala non levia, ut cædes, familiarum dissidia, jactura dignitatis, bonorum temporalium amissio, exhæredationes, subversio fidei, vel corruptela morum, vel infamia, ex Matrimonio probabiliter oritura timeantur, puellam ducere non tenetur stuprator, etsi fidem illi obstrinxerit, sed tantùm damna sarcire.

Quintò, si virginem leviter rogatam, & ultro consentientem corrupit, nec ipsam ducere tenetur, nec dotare. Tenetur tamen satisfacere patri puellæ, cui gravem intulit injuriam ut custodi virginitatis.

DE PECCATIS.

De Luxuria. Sextò, si puella per vim aut fraudem constuprata tam facilè nupserit, & tam bene collocata fuerit, ac si virgo esset, ad nullam compensationem tenetur stuprator, nisi maritus corruptam fuisse deprehendat, ipsámque propterea relinquat, aut malè excipiat.

REGULA XIV.

Qui puellam vi, metu, fraude, mendaciis ita sollicitavit ad stuprum, ut infamiâ propterea notata sit, ac si constuprata fuisset; quamvis eam non constupraverit: tenetur farcire damnum, vel eam ducendo, vel dotando ut convenienter nubat.

CUlpâ namque sollicitatoris impeditur à convenientis Matrimonii consecutione. Si verò ipsum lubens admiserit, ejúsque blanditiis faciles aures accommodaverit, non tenetur farcire damnum, quod imprudens & levis Puella, nec omnino casta, sibi ipsa intulit.

REGULA XV.

Qui Voto simplici obstrictus, puellam ad stuprum pellexit Matrimonii promissione, ipsam ducere absolutè non tenetur; sed tantùm ipsam dotare.

POtior enim & strictior est obligatio voti Deo nuncupati, quàm promissi hominibus facti: neque compensanda est injuria homini illata irrogando injuriam Deo, & violando fidem ipsi datam. Rationes tamen graves urgere possunt, quibus obligetur ad remissionem Voti à Summo Pontifice postulandam, nimirum ut grave scandalum, vel alia mala meritò formidanda vitentur, vel quia continentiam servare facilè non potest.

REGULA XVI.

Adulterium Luxuriæ species est ab aliis distincta, novamque deformitatem includens.

Adulterium. HOc enim crimine, quod *Nefas & iniquitas maxima, & ignis usque ad perditionem devorans, & eradicans omnia genimina*, Job. XXXI. dicitur, dupliciter contra castitatem & humanæ generationis bonum peccatur. Primò quidem quatenus vir *Accedit ad Mulierem non sibi matrimonio copulatam; quod requiritur ad bonum prolis propriæ educandæ. Alio modo, quia accedit ad mulierem alteri per Matrimonium copulatam; & sic impedit bonum prolis alienæ.* (inquit *S. Thomas.*) Idem esto de muliere adultera judicium. Unde *Ecclesiastici* XXIII. criminis ab ea commissi gravitas ex triplici capite petitur: primò, ex Divinæ Legis violatione, qua mœchia expressè prohibetur; *Non mœchaberis.* Secundò, ex injuriâ viro illatâ, cui datam fidem frangit, & ejus prolem incertam facit. Tertiò, ex damno legitimis filiis illato, aut certè legitimis heredibus; adulterio siquidem suo efficit ut hæreditas, vel certa ejus portio legitimis filiis & heredibus debita colligatur à nothis & adulterinis. *Omnis homo qui transgreditur lectum suum..., erit dedecus omnibus, eò quòd non intellexerit timorem Domini. Sic & mulier omnis relinquens virum suum, & statuens hæreditatem ex alieno Matrimonio. Primò enim in Lege Altissimi incredibilis fuit: Secundò, in virum suum deliquit: Tertiò, in adulterio fornicata est, & ex alio viro filios statuit sibi.* Tum de pœna illius, ex qua conjicere licet criminis gravitatem, subdit Spiritus Sanctus: *Hæc in Ecclesiam adducetur, & in filios ejus respicietur. Non tradent filii ejus radices, & rami ejus non dabunt fructum. Derelinquet in maledictum memoriam ejus, & dedecus illius non delebitur.* Quàm grave etiam esset adulterium, sola Naturæ Lex Gentes ipsas docuit. Cùm enim *Isaac* ortâ fame Geraram in Palæstina profectus esset, ac *Rebeccam* uxorem sororem suam esse dixisset; Rex *Abimelech* rei veritate perspectâ Patriarcham his verbis increpuit: *Perspicuum est quòd uxor tua sit: cur mentitus es eam sororem tuam esse? Quare imposuisti nobis: potuit coire quispiam de populo cum uxore tua, & induxeras super nos grande peccatum. Præcepitque omni Populo dicens: Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur.* Pœna capitis in adulteros Lege Veteri sancita, Levitici XX. *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui: morte moriantur & mœchus, & adultera.* Quæ Lex *Deuteronomii* XXII. reperitur. Ad juge miraculum edendum, ut convinceretur plecteretúrque mulier adulterii suspecta & rea, Populo Judaico se Deus obstrinxit, ut patet ex Lege & Sacrificio Zelotypiæ, cujus Ritum legimus Numerorum V. *Qui adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam:* (inquit Salomon Proverbiorum VI.) *Turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur.* De sceleris hujus ultione legitur Jeremiæ V. *Mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur, equi amatores & emissarii facti sunt: unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat. Numquid super his non visitabo dicit Dominus, & in gente tali non ulciscetur anima mea?* Judicium Dei adulteris imminens denunciat Apostolus ad Hebræos XIII. *Honorabile*, inquit, *connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim & adulteros judicabit Deus.* Romano Jure Adulteri capitali pœnâ plexi. Par in homicidium, adulterium & maleficium à Constantino ejúsque filiis pœna decreta est, L. 1. *De Pœnis, Cod. Theodos.* L. 1. *De Indulgentia criminum*, & L. 4. *Quorum appellationes non recipiuntur.* Quin etiam parricidarum pœnæ hac postrema lege adulteris communes factæ: *Cùm pari similique ratione sacrilegos Nuptiarum, tanquam manifestos parricidas, insuere culeo vivos, & exurere, Judicantem oporteat.* Sacrilegos Nuptiarum vocat, quasi sacri sanctissimique fœderis Nuptiarum, quod Sacramentum est conjunctionis Christi cum Ecclesia, violatores. Plures olim Africanæ Ecclesiæ Episcopi Absolutionem sacramentalem adulteris, etiam in morte negarunt, non desperatione veniæ, sed rigore disciplinæ, ut refert *S. Cyprianus*, Epistolâ LII. *Et quidem*, inquit, *apud Antecessores nostros quidam de Episcopis isthic in Provincia nostra dandam Pacem Mœchis non putaverunt, & in totum Pœnitentiæ locum contra Adulteria clauserunt: non tamen à Coepiscoporum suorum Collegio recesserunt, aut Catholicæ Ecclesiæ unitatem vel duritiæ, vel censuræ suæ obstinatione ruperunt.* Adulterium cum homicidio & idololatria, publicæ Pœnitentiæ Legibus subditum fuit, quandiu sanctissima illa disciplina in Ecclesia viguit. Adulteros postquam Eucharistiæ Viatico in mortis discrimine donati fuerant, si in pristinam sanitatem restituti rursùs mœcharentur, in perpetuum à Communione arcendos sanxit Hispaniensis Ecclesia, Concilii Illiberritani Canone XLVII. *Si quis Fidelis habens uxorem, non semel, sed sæpe fuerit mœchatus, in fine mortis*

Secunda Secundæ, Quæst. 154. A. 8.

Adulterii gravitas ex triplici capite.

De Luxuria.

Adulterii pœnæ.

Genes. 26.

A De Luxuria. *est conveniendus: quòd si se promiserit cessaturum, detur ei Communio. Si resuscitatus, rursùs fuerit mœchatus, non edat ulteriùs de Communione Pacis.*

REGULA XVII.

Gravius crimen est Adulterium conjugati cum uxore aliena, quàm cum soluta muliere.

Adulterium. UNo enim eodemque facinore duplex proximo infertur injuria: suæ namque conjugi, & marito mulieris quîcum peccat injuriam B facit; suum & alienum violat Matrimonium. Quamobrem in Confessione Sacramentali circumstantiam illam aperire necesse est, sicut, si quis uno ictu duos homines occiderit, utrumque homicidium confiteri tenetur.

REGULA XVIII.

Viri Adulterium gravius peccatum est adulterio Mulieris.

HAnc Regulam statuit & probat *S. Augustinus*, Libro II. *De Adulterinis Conjugiis*, C cap. VIII. *Non solùm* (inquit) *nihil volunt detrahere severitati, sed irascuntur insuper veritati, & loquuntur atque respondent: Sed nos viri sumus: an verò sexûs nostri dignitas hanc sustinebit injuriam, ut cum aliis feminis præter uxores nostras si aliquid admittimus, in luendis pœnis mulieribus comparemur? Quasi non propterea magis debeant illicitas concupiscentias viriliter frænare, quia viri sunt: quasi non propterea magis debeant mulieribus suis ad virtutis hujus exemplum se præbere, quia viri sunt: quasi non propterea minùs debeant à libidine superari, quia viri sunt: quasi non propterea mi*- D *nùs debeant lasciviensi carni servire, quia viri sunt. Et tamen indignantur, si audiant adulteros viros pendere similes adulteris feminis pœnas; cùm tantò graviùs eos puniri oportuerit, quantò magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere feminas. Christianis equidem loquor, qui fideliter audiunt*, Caput mulieris vir: *Ubi se agnoscunt duces, illuc autem comites esse debere: & ideo cavendum viro illac ire vivendo, quà timet ne uxor sequatur imitando. Sed isti quibus displicet ut inter virum & uxorem par pudicitiæ forma servetur, & potiùs eligunt, maximèque in* E *hac causa, Mundi Legibus subditi esse quàm Christi, quoniam Jura forensia non eisdem quibus feminas pudicitiæ nexibus viros videntur obstringere; legant quid imperator Antoninus, non utique Christianus de hac re constituerit, ubi Maritus uxorem de adulterii crimine accusare non sinitur, cui moribus suis non præbuit castitatis exemplum; ita ut ambo damnentur, si ambos pariter impudicos conflictus ipse convicerit.* Tum relato Imperatoris Edicto subdit: *Si hæc observanda sunt propter decus terrenæ civitatis, quantò castiores quærit cœlestis patria & societas Angelorum? Quæ* F *cùm ita sint, nunquid ideo minor est, ac non potiùs major & pejor virorum impudicitia, quia inest illis superba & licentiosa jactantia?*

Plura de Adulterio dicemus ad sextum Præceptum Decalogi.

REGULA XIX.

Sacrilegium distincta Luxuriæ species est, malitiamque involvit singularem.

CUm enim eo crimine res Deo consecrata polluatur, non solùm fit injuria castitati, De Luxuria Sacrilegium. sed Religioni. Hinc Clericos à castitate lapsos Sacri Canones de suo gradu ac Ministerio in perpetuum dejecerunt: scilicet Canon XXV. ex iis qui Apostolici inscribuntur, Concilium Au- B relianense I. Canone IX. Aurelianense II. Canone VIII. Arausicanum primum, Canone XXIII. Epaonense Canone XXII. post *Siricium* Romanum Pontificem in Epistola ad *Himerium* Tarraconensem Episcopum, & *Joannes II.* Romanus Pontifex in Epistola ad *Cæsarium* Arelatensem Episcopum, in Causa *Contumeliosi*, Regiensis Episcopi. *Cæsarius* ipse in Oratione Epistolæ *Joannis* II. & Canonibus ab eo missis subjectâ: *Ecce* (inquit) *manifestissimè constat, quia secundùm quod & tituli antiquorum Patrum à S. Joanne Papa transmissi, & trecentorum decem & octo Episcoporum sententia, sed & Canones Gallicani continere* C *videntur, Clerici in adulterio deprehensi, aut ipsi confessi, aut ab aliis revicti, ad honorem redire non possunt.* Et *S. Gregorius* Libro III. Epistolâ XXVI. ad *Januarium* Episcopum Calaritanum, scriptâ: *Pervenit ad nos* (inquit) *quosdam de sacris Ordinibus lapsos, vel post Pœnitentiam, vel ante, ad Ministerii sui officium revocari: quod omnino prohibemus, & in hac re sacratissimi quoque Canones contradicunt. Qui igitur post acceptum sacrum Ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro Ordine ita careat, ut ad Altaris ministerium ulteriùs non accedat.* Quam disciplinam con- D firmat *S. Martinus* Primus Romanus Pontifex in Epistolâ ad *Amandum* Trajectensem Episcopum. Concilium Illiberritanum Canone XIX. Episcopos, Presbyteros, & Diaconos in peccatum carnis lapsos Communione etiam in exitu privaverat. *Episcopi*, inquit, *Presbyteri, & Diacones, si in Ministerio positi detecti fuerint, quòd sint mœchati, placuit propter scandalum, & propter profanum crimen, nec in fine eos Communionem accipere debere.*

Depositionis pœnâ plectendos Clericos in peccatum carnis lapsos censuerat *S. Basilius* Epist. ad E *Amphilochium*, Canone LXX. *Diaconus*, inquit, *qui pollutus est in labris, & se eò usque peccasse confessus est, à Ministerio prohibetur.... Presbyter quoque. Si quid autem ampliùs peccasse quis deprehensus fuerit, in quocunque sit gradu, deponatur.*

Quæ pœna sacrilegæ luxuriæ horrendam probat gravitatem.

De Monachorum & Monialium, à castitate, quam solemniter voverunt, deficientium crimine & pœna; hæc habentur Canone *Impudicas*, Causa XXVII. Quæstione I. qui Triboriensis Concilii Canon sextus est: *Impudicas*, (inquit) *detestabilésque Personas Monachorum ac Monacha-* F *rum, quæ abjecto proposito sanctitatis, illicita, & sacrilega contagione se miscuerunt, & in abruptum conscientiæ desperatione perducta de illicitis complexibus liberè filios procreaverunt, à Monasteriorum cœtu, Ecclesiarúmque conventibus eliminandas esse mandamus.* Et Concilium Andegavense Anno CCCCLIII. Canone V. Communione privandas statuit, *Quæ de Virginitate Sanctimoniali proprio crimine deciderunt.*

Innocentius I. Epistolâ II. ad *Victricium* Rothomagensem Episcopum, cap. XII. de sacrile-

DE PECCATIS.

gio Virginum; quæ solemni Veli susceptione coosecratæ fuerant, ita scribit: *Qua Christo spiritualiter nupserunt, & velari à Sacerdote meruerunt, si postea vel publicè nupserint, vel se olancalò corruperint, non eas admittendas esse ad agendum Pœnitentiam, nisi is, cui se junxerant, de sæculo recesserit. Si enim de omnibus hac ratio custoditur, ut quacunque vivente viro alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agenda Pœnitentia licentia concedatur; nisi unus ex eis fuerit defunctus: quantò & illa magis tenenda est, qua ante immortali se Sponso conjunxerant, & postea ad humanas Nuptias transmigravit?*

Luxuria Sacrilega.

De his verò quæ simplici Virginitatis Voto erant obstrictæ, & fidem Christo promissam violabant, hæc subdit cap. XIII. *Ha verò qua necdum sacro Velamine tecta, tamen in proposito virginali semper manere promiserant, licèt velata non sint, si fortè nupserint, his agenda aliquanto tempore Pœnitentia est, quia sponsio earum à Deo tenebatur. Nam si inter homines solet bona fidei contractus nulla ratione dissolvi, quantò magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigerit Virgo, solvi sine vindicta non debet? Nam si Apostolus Paulus, qua à proposito viduitatis defecerunt, dixit eas habere condemnationem, quia primam fidem irritam fecerunt; quantò magis Virgines, qua prioris promissionis fidem frangere sunt visa?*

S. Basilius, Epistolâ II. Canonica ad *Amphilochium*, Canone XVIII. *Si Vidua* (inquit) *gravissimo judicio subjecta est, ut qua fidem in Christum irritam fecerit, quid de Virgine putandum est, qua est Sponsa Christi, & sacrum vas Domino dedicatum? Magnum quidem est peccatum, ancillam quoque, qua clandestinis matrimoniis se dedit, stupri domum implere, & possessorem per malum vitam injuriâ afficere: sed multò est gravius sponsam fieri adulteram, & conjunctione cum sponso ignominiâ & dedecore affectâ, se incompetentibus voluptatibus tradere. Vidua itaque ut corrupta ancilla condemnatur: virgo verò adultera judicio subjicitur.*

S. Cyprianus, Epistolâ LVIII. ad *Pomponium* inscriptâ: *Si superveniens Maritus sponsam suam jacentem cum altero videat, nonne indignatur & fremit, & per zeli livorem fortassis & gladium in manum sumit? Quid Christus Dominus & Judex noster, cùm Virginem suam sibi dicatam, & sanctitati sua destinatam, jacere cum altero cernit, quàm indignatur, & irascitur? Et quas pœnas incestis hujusmodi conjunctionibus comminatur?* Et infrà: *Si autem de eis aliqua corrupta fuerit deprehensa, agat Pœnitentiam plenam, quia qua hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est.... Quod si obstinatè perseverant, nec se ab invicem separant, sciant, cum hac sua impudica obstinatione nunquam à nobis admitti in Ecclesiam posse.* Eò gravius crimen est sacrarum Virginum violatio, seu profanus illarum amor, tactus, oscula, literulæ dolces & blandæ ad ipsas, vel ab ipsis scriptæ, munuscula ultrò citróque data, quæ *Sanctus amor non habet*, & alia *Moritura castitatis indicia*, ut loquitur *S. Hieronymus*, quò Virginitatis status in Ecclesia sublimior est & sanctior. *Flos ille est Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratia spiritalis, lata indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi*; (inquit *S. Cyprianus* Lib. *De Disciplina & Habitu Virginum*)

Lege & *S. Ambrosium* Libro *De lapsu Virginis consecrata.*

DE PECCATIS.

REGULA XX.

Gravius sacrilegium est, cùm utraque persona sacra est, quàm cùm altera omnino sæcularis est & profana.

DUplex enim consecratio violatur. Unde sicut gravius crimen esset ejus qui calices duos ad usus profanos adhiberet, ac pollueret, quàm ejus qui unicum duntaxat violaret; eàque circomstantia in Confessione Sacramentali necessariò esset explicanda: ita gravius crimen est, quo duæ personæ sacræ violantur, quàm quo una: quia & suam consecrationem, & alienam quæque contaminat. Adeóque & se Deo consecratam esse Confessario declarare debet, nisi id noverit; & cum persona Deo pariter consecrata peccatum carnis commisisse, aut de ejus cogitatione delectatam fuisse cum deliberato consensu; aut tactibus impudicis, vel osculis libidinosis, aut verbis obscœnis, ipsam sollicitasse, exprimere necessariò debet.

De Luxuria. Adulterium.

REGULA XXI.

Gravius Sacrilegium est violatio Voti solemnis, quàm simplicis.

VOtum enim solemne spiritale veluti matrimonium est, quo sua corpora Deo reipsa tradunt & consecrant voventes: votum autem simplex veluti sponsaliorum vim habet, quo fidem suam obstringunt Christo, quòd alium sponsum non eligent. Quod discrimen ex Epistolâ *Innocentii I.* ad *Victricium* Rothomagensem suprà laudata colligitur. Et *Solemnitas Voti consistit in quadam consecratione seu benedictione voventis*, (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXVIII. Art. II.) *Et ideo Votum solemne habet fortiorem obligationem apud Deum, quàm Votum simplex, & graviùs peccat qui illud transgreditur:* Quamvis utriusque Voti transgressor peccet mortaliter; (inquit idem Sanctus Doctor Articulo VII. ejusdem Quæstionis, in Responsione ad primum) Quamobrem non sufficit in Confessione Sacramentali exprimere Votum quo Reus ipse vel ejus conscia obstricta est, & è contra, sed omnino declarandum est an Votum simplex sit vel solemne.

REGULA XXII.

Gravius Sacrilegium est Luxuria Sacerdotis, Diaconi vel Subdiaconi Vitam Religiosam solemniter Professi, quàm Sacerdotis, Diaconi, vel Subdiaconi Sæcularium.

DUplex enim Votum Solemne duplicemque consecrationem prius illud flagitium violat, illud scilicet quod Sacris Ordinibus adnexum est, & illud quod Religiosæ Professioni: Posterius verò unicum duntaxat Votum, unicamque consecrationem. Et strictius quidem est Votum Religiosæ Professioni, quàm Ordini Sacro adnexum. *Non est enim essentialiter annexum debitum continentia Ordini Sacro, sed ex Statuto Ecclesia. Unde videtur quòd per Ecclesiam possit dispensari in Voto continentia solemnizato per susceptionem Sacri Ordinis. Est autem debitum Continentia essentiale Statui Religionis, per quem homo abrenunciat sæculo, totaliter Dei servitio mancipatus. Quod non potest simul stare cum Matrimonio, in quo*

De Luxuria. Sacrilegium.

incumbit necessitas procurandæ uxoris, & prolis, & familiæ, & rerum quæ ad hoc requiruntur. Unde » Apostolus I. ad *Corinthios* VII. Qui cum uxore » est, (inquit) sollicitus est quæ sunt Mundi, » quomodo placeat uxori, & divisus est. *Et ideo* (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXVIII. Art. XI.) *in Voto solemnizato per Professionem Religionis non potest per Ecclesiam dispensari.* Et rationem assignat Decretalis, *Cùm ad Monasterium*, Extra, *De Statu Monachorum*, his verbis: *Quia castitas est annexa Regulæ Monachali.* Quamobrem quæ Luxuriæ peccatum commisit, exprimere non solùm debet, in Confessione Sacramentali, se cum Sacerdote fuisse nefariè commixtam, vel aliquid impudicum ab ipso passam esse, sed etiam cum Religioso solemniter Professo, si stuprator sit in utroque statu constitutus: & ille similiter utramque illam circumstantiam aperire debet Confessario, nisi ipsum noverit. Idémque dicendum de desideriis, & consensu in delectationem, de obscœno quopiam actu perpetrato cum Sacerdote, Diacono, vel Subdiacono Religiosam Vitam solemniter Professis.

REGULA XXIII.

Eò gravius Sacrilegium est, quò cum gravioris & magis horrendæ Luxuriæ specie concurrit.

HAnc Regulam tradit & explicat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. CLIV. A. II. in Responsione ad secundum. *Sacrilegium*, inquit, *est species luxuriæ, secundùm quod ordinatur ad alterius vitii finem, & potest concurrere cum diversis luxuriæ speciebus. Si enim aliquis abutatur personâ conjunctâ sibi secundùm spiritualem cognationem,* (in Baptismo scilicet vel Confirmatione contractam.) *committit Sacrilegium ad modum incestûs; Si autem abutatur Virgine Deo sacrata, in quantum est sponsa Christi, est sacrilegium per modum adulterii: in quantum verò est, sub Spiritualis Patris cura constituta, erit quoddam spirituale stuprum, & si violentia inferatur, erit spiritualis raptus: qui, etiam secundùm Leges Civiles graviùs punitur quàm alius raptus.* Unde *Justinianus* Imperator edixit: *Si quis non dicam rapere, sed attentare tantummodo Matrimonii causa sacratissimas Virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur.* Circumstantiæ itaque hujusmodi in Sacramentali Confessione necessariò aperiendæ sunt.

REGULA XXIV.

Sacrilegium Sacerdotis cum filia spirituali Pœnitente fœdiorem quandam & magis horrendam deformitatem habet, quàm cum alia muliere: graviúsque adhuc peccatum est, si in Pœnitentiæ Sacramento, aut illius occasione, vel prætextu, illam ad turpia sollicitet.

TRahit enim illam in peccatum, vel cum ea peccatum committit, quam ex officio à peccato revocare tenetur: & Spirituale Stuprum perpetrat, (ut loquitur *S. Thomas.*) Et si in Confessione Sacramentali, aut illius occasione Mulierem Sacerdotes sollicitent ac provocent ad actus inhonestos, *Sacramento Pœnitentiæ abutuntur, nec illi, & qui id injiciunt Domino Deo & Salvatori nostro Jesu Christo injuriam facere verentur: ac loco eorum per Sacramentum hujusmodi Creatori nostro Reconciliationis, graviori peccatorum mole eas onerant, & in manibus Diaboli tradunt, in Divinæ Majestatis offensam, & Animarum perniciem, & Christi Fidelium scandalum non modicum.* Verba sunt Summi Pontificis *PII QUARTI*, in Constitutione ad Archiepiscopum Hispalensem in Regnis Hispaniæ Hæreticæ Pravitatis Inquisitorem Generalem datâ, quæ incipit, *Cùm sicut*, inter ejus Constitutiones XXXI. Tomo II. Bullarii Romani, qua & contra nefarios hujusmodi solicitatores quæstionem haberi tam de scelere, quàm de fide jubet: cùm vix verisimile sit, *Quod qui de Fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis injuriam faciant.* Et convictos puniri, vel prout de jure faciendum fuerit, præcedente degradatione, sæcularis Judicis arbitrio puniendos tradi præcipit. Hujusmodi sacrilegium *impium ac nefandum scelus* appellat meritò *Gregorius Decimus-quintus*, cùm Sacerdos *Sacrosancto Pœnitentiæ Sacramento abutatur, ac pro medecina venenum, pro pane aspidem porrigat; & ex cœlesti Medico infernalis veneficus, ex Patre spirituali proditor execrabilis Animarum reddatur.* Et Constitutionem laudatam *Pii Quarti*, pro Hispaniis duntaxat datam, ad omnia totius Ordinis Christiani loca, in quibus institutum est Sacræ Inquisitionis Officium, extendit, Constitutione quæ incipit, *Universi Dominici Gregis*, XXIX. Bullarii Romani Tom. III.

Sacrilegi sollicitatores.

Constitutiones Pontificum mox laudatæ, antiquis Canonibus omnino consonæ sunt. Ita Canon, *Omnes*, qui *Symmacho* Papæ tribuitur apud *Gratianum*, Causâ XXX. Quæst. I. *Omnes quos in Pœnitentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales filii, ut & ipsi quos vel nobis suscipientibus, vel trinæ mersionis vocabulo mergentibus, unda Sacri Baptismatis regeneraverit. Silvester quoque docens admonet unumquemque Sacerdotem, ut nullus causâ fornicationis ad suam Pœnitentialem accedat: quia scriptum est: Omnes quos in Pœnitentia accipimus, ita filii nostri sunt, ut in Baptismate suscepti. Quapropter scelus si quis perpetraverit, non solùm Dignitatis honorem amittat, verùm etiam usque ad exitum vitæ suæ jugi Pœnitentiæ se subdat.*

Et Canon, *Si quis*, Cælestino Papæ adscriptus: *Si quis Sacerdos cum filia spirituali fornicatus fuerit, sciat se grave adulterium commisisse. Ide[illegible]ina, si laica est, * omnia derelinquat, & res suas pauperibus tradat, & conversa in Monasterio Deo usque ad mortem serviat. Sacerdos autem qui malum exemplum dedit hominibus, ab omni Officio deponatur, & peregrinando duodecim annis pœniteat, postea verò ad Monasterium vadat, ibique cunctis diebus vitæ suæ Deo serviat.* Nec immeritò Sacrilegium tam horrendum severiori disciplina castigandum Ecclesia judicavit. Nam, ut docet *S. Thomas*, in Quarto *Sententiarum*, Dist. XLII. Quæst. I. Art. II. ad Octavum: *Per Pœnitentiam contrahitur quoddam fœdus inter Sacerdotem & mulierem confitentem, simile cognationi spirituali, ut tantùm peccet eam carnaliter cognoscens, ac si esset sua spiritualis filia: & hoc ideo quia maxima familiaritas est inter Sacerdotem & confitentem, & ex hoc ista prohibitio est inducta, ut tollatur peccandi occasio.*

* Subintelligendum, & [illegible]

Ex his sequitur, mulierem seu personam quamlibet, quæ Confessario ad turpia solicitanti obsecuta est, vel ejus blanditiis delectata, & inhonestis sermonibus; vel Sacerdoti cuilibet

auditionem

De Luxuria.

auditionem Confessionis simulanti, aut Confessionis occasione vel prætextu ipsam convenienti vel alloquenti, hanc circumstantiam in Sacramentali Confessione omnino exprimere debere: & similiter Sacerdotes, qui personas quaslibet *Ad inhonesta sive inter se, sive cum aliis perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, sive antea, vel post immediatè, seu occasione vel prætextu Confessionis hujusmodi, etiam Confessione non secuta; sive extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque ubi Confessiones sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, solicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos & inhonestos sermones sive tractatus habuerint*, has circumstantias in Confessione sacramentali exprimere necessariò debere.

De criminis istius gravitate legendus *B. Petrus Damiani*, Opusculo VII. cui titulus est, *Liber Gomorrhianus*, Cap. VI. *Sequitur* (inquit) *ut eadem sententiâ dignè feriatur, & qui carnalem filiam perdidit, & qui spiritualem sacrilega commistione corrupit*. Et Cap. I. *Ut ad sacros, id est, execrabiles Confessores adhuc se disputationis sermo retorqueat, si quilibet Canonicus Presbyter cum Muliere cecidit, cui Pœnitentiæ judicium vel semel indixit, à nemine prorsus ambigitur, quin Synodali Judicio degradetur.*

REGULA XXV.

Sacrilegii reus est confessarius, qui Pœnitenti in Sacramentali Confessione tradit chartam postea legendam, quâ ad Venerem sollicitat: ac proinde est omnino denuntiandus Inquisitori, vel Episcopo.

Sacrilegii sollicitatores denunciandi.

Propositio damnata.

HÆc Regula colligitur ex Constitutionibus suprà laudatis *Pii Quarti* & *Gregorii XV*. Hinc *Alexander VII.* Pontifex Maximus hunc inter alias Propositionem damnavit Decreto edito Anno MDCLX. *Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, quâ ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denuntiandus.*

REGULA XXVI.

Mulier Pœnitens non evadit obligationem denuntiandi Confessarium, qui ad actus inhonestos ipsam sollicitavit, si peccata sua apud ipsum Sacerdotem, à quo provocata est deponat.

Propositio damnata.

SIc enim eluderentur Pontificiæ Constitutiones, & Ecclesiæ legibus illuderetur. Hinc *Alexander VII.* hanc rursus Propositionem damnavit: *Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante: hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.*

Sacerdotibus vetitum audire confessiones personarum quibuscum peccarunt.

Præterea Decretis Ecclesiæ prohibitum est Sacerdotibus ne Confessiones audiant illarum personarum, quibuscum peccaverunt. Ita Synodus Lingonensis Anno MCCCCIV. *Caveat Sacerdos ne audiat Confessionem alicujus de peccato, de quo ipse est agens vel consentiens; sed illam personam remittat ad alium Confessorem, & si sit opus, det licentiam confiteri alteri.*

Ita Synodus Carnotensis anno MDXXVI. *Inhibemus omnibus & singulis Sacerdotibus, ne Confessiones mulierum, cum quibus carnaliter peccaverunt, vel eas ad peccandum induxerunt, audiant, nisi in magno, necessitatis articulo.*

Ita multis ante has Synodos sæculis *B. Petrus Damiani* in Libro qui *Gomorrhianus* inscribitur, Cap. VII. *Qui reatus auctores existunt, ipsi Judices fiunt...... Sed Legis preceptum est, ut cum quis leprâ perfunditur, Sacerdotibus ostendatur: tunc autem non Sacerdotibus, sed leproso potiùs ostenditur, cùm immundus immundo peractam communem nequitiam confitetur.*

De Luxuria.

REGULA XXVII.

Mulieribus, & quibuscumque personis à Confessario ad actus inhonestos provocatis sive sollicitatis, prohibere debet Sacerdos apud quem peccata deponunt, ne ad impudicum illum Sacerdotem deinceps adeant quacumque occasione vel prætextu, aut ipsum alloquantur, vel admittant (si necessitas urgeat) remotis arbitris; maximè verò ne apud ipsum peccatorum suorum Confessionem edant; quocumque promissionis, aut voti vinculo se obstrinxerint ad alium Confessarium non eligendum.

Occasionum fuga.

HÆc Regula nititur Christi Præcepto Matthæi V. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Dextri oculi symbolo significatur conciliarius demonstrans iter in rebus divinis, qui si nos scandalizet, atque in perniciosam hæresim conetur inducere, aut ad crimen pertrahere nomine religionis, deferendus ac projiciendus est, ne cum ipso mittamur in gehennam. Ita hanc Salvatoris nostri Sententiam explicat *S. Augustinus*, Libro I. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. XIII. *Sed quoniam* (inquit) *sequitur de manu dextera, & similiter dicitur*, Si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam, & projice abs te: *cogit quærere diligentius quid dixerit oculum. In qua quæstione nihil mihi occurrit congruentius, quàm dilectissimum amicum; nam hoc est utique quod membrum rectè possumus appellare, quod vehementer diligimus: & hunc consiliarium; quia oculus est, tanquam demonstrans iter, & in rebus divinis, quia dexter est: ut sinister sit dilectus quidem consiliarius, sed in rebus terrenis ad necessitatem corporis pertinentibus, de quo scandalizante superfluum erat dicere, quandoquidem nec dextro parcendum sit. In rebus autem divinis consiliarius scandalizans est, si in aliquam perniciosam hæresim nomine religionis atque doctrinæ conatur inducere. Ergo & dextera manus accipiatur dilectus adjutor & minister in divinis operibus: nam quemadmodum in oculo contemplatio, sic in manu rectè actio intelligitur: ut sinistra manus intelligatur in operibus quæ huic vitæ & corpori sunt necessaria.* Præcipiendum itaque est Pœnitenti, quem prior Confessarius ad inhonestos actus sollicitavit seu provocavit, ne ad ipsum unquam adeat, aut illum admittat, seu cum ipso colloquatur secretò & remotis arbitris, quacumque occasione & prætextu, & maximè ne apud ipsum Confessionem edat, nisi extrema necessitas urgeret, nullúsque alius reperiretur Confessarius. Et nisi id promittat Pœnitens, neganda est ipsi Absolutio. Si verò aliquo promissionis, juramenti, aut voti vinculo se obstrinxit ad alium Confessarium non eligendum sive adeundum, ipsi declarandum est promissionis illius, juramenti, aut voti obligationem nullam esse: quia polliceri, jurare, aut vovere non potuit, se illi Confessario adhæsuram quocumque eventu, etiamsi hæreticus esset, vel criminosus, & ipsam in hæresim vel crimen pertrahere tentaret: hæc enim promissio esset contra bonos mores, votum illud non esset de meliori bono, imò de re per se mala; ideóque per se nullum & irritum esset. Censenda est ergo promisisse vel vovisse, illi

Confessario se adhæsuram, quandiu ipsam secundùm Dei legem ad salutem æternam dirigeret, qoandiu ipsi ad veram beatitudinem consequendam impedimento non esset, quandio ministerio suo rectè fungeretur; quandio dotes omnes haberet Sacerdoti ad Confessiones audiendas præposito necessarias. Quanquam & hujusmodi promissiones & vota à mulieribus præsertim edita de certo quopiam Confessario non mutando, etiamsi probus sit & pios, temeraria sint, & propter varia pericula, rescindi debeant à Superioribus, vel ab aliis Confessariis, quibus ea Pœnitentes aperiunt. Quamvis enim nullum alıud periculum esset, qoam nimiæ adhæsionis & affectûs Pœnitentis ad Confessarium suum, istud certè non leve est, præsertim in mulieribus: & quamvis spiritualem adhæsionem & affectum esse obtendant, metuendum tamen est, ne cùm spiritu cœperint, carne tandem consummentur.

De Luxuria.

REGULA XXVIII.

Incestus species est Luxuriæ à ceteris distincta, malitiæque ac deformitatis singularis.

Incestus.

CUm enim actus venerei turpitudinem quandam includant, ex qua pudor & verecundia nascitur, exerceri cum parentibus, consanguineis, vel affinibus non possunt, sine violatione honoris naturæ lege ipsis debiti. Unde Dominus ait Levitici XVIII. *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut non revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus. Turpitudinem patris tui & turpitudinem matris tuæ non discooperies: mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies: turpitudo enim patris tui est. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, sive ex matre, quæ domi vel foris genita est, non revelabis. Turpitudinem filiæ filii tui vel neptis ex filia non revelabis: quia turpitudo tua est. Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & est soror tua, non revelabis. Turpitudinem sororis patris tui non discooperies: quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis, eò quòd caro sit matris tuæ. Turpitudinem patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate jungitur. Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia uxor filii tui est, nec discooperies ignominiam ejus. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis: quia turpitudo fratris tui est. Turpitudinem uxoris tuæ, & filiæ ejus non revelabis. Filiam filii ejus, & filiam filiæ illius non sumes, ut reveles ignominiam ejus: quia caro illius sunt, & talis coitus incestus est.* Hinc *S. Augustinus*, Libro II. *De Civitate Dei*, Cap IV. ait: *Habet quiddam erga parentes humana verecundia, quod nec ipsa nequitia possit auferre. Illam proinde turpitudinem obscœnorum dictorum atque factorum, scenicos ipsos domi suæ proludendi causa coram matribus suis agere puderet, quam per publicum agebant coram Deûm Matre, spectante & audiente utriusque sexus frequentissima multitudine.* Et Libro XV. Cap. XVI. *Nescio* (inquit) *quomodo inest humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile, ut cui debet causa propinquitatis reverendum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere videmus & ipsam pudicitiam conjugalem.*

Præterea inter personas sanguine conjunctas majorem consuetudinem & familiaritatem intercedere necesse est. Unde si à commixtione venerea non arcerentur, nimia daretur omnibus opportunitas venereæ commixtionis: sicque animi hominum nimis effeminarentur ac diffluerent per luxuriam; nimiúsque esset ardor amoris, & maximum libidinis incentivum. Ideo in Veteri Lege concubitus cum illis personis speciatim videtur esse prohibitus, quas simul commorari, aut familiariter agere necesse est. Nunc autem inter consanguineos usque ad quartum gradum inclusivè: inter affines usque ad quartum gradum affinitatis ex Matrimonio legitimo contractæ, etiam inclusivè; ex copulâ autem illicitâ, usque ad secundum. Quibus ergo consanguineis vel affinibus Matrimonio inter se jungi non licet, sive Lege naturæ, sive Lege Ecclesiæ, eorum copula carnalis, sive extra Matrimonium, sive Matrimonii absque Ecclesiæ dispensatione contracti in iis Gradibus, in quibus Ecclesia dispensare potest & solet, nomine velata, incestus est.

Incestus.

Tertiò, Consanguineorum & affinium conjugia necessitudinum propagationem impedirent. Dum enim homo uxorem extraneam accipit, junguntur ei præcipuo quodam amicitiæ fœdere omnes consanguinei uxoris, ac si essent consanguinei ejus; (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LIV. Articulo IX.) Quæ ratio ex *S. Augustino* sumpta est, Libro XV. *De Civitate Dei*, Cap. XVI. cujus verba descripsi Tom. VI. in Tractatu *De Matrimonio*, Cap. IV. Articulo V. Num. VI.

Incestuosos Sacri Canones, Apostolo præeunte I. *Corinth.* V. Excommunicatione percellunt, scilicet Concilium Aurelianense I. Canone XVIII. Epaonense, Canone XXX. Arvernense Canone XII. Turonense II. Canone XXI. Vernense Canone IX. &c. Illos in Catechumenorum ordinem usque ad legitimam satisfactionem detrudunt. Concilium Agatense Canone LXI. & Ilerdense Canone IV. qui referuntur Canone *De Incestis*, & Canone *De his*, Causâ XXXV. Quæstione II. & III.

REGULA XXIX.

In Confessione Sacramentali exprimendum est, utrum incestus perpetratus sit cum consanguinea vel affine, & in quo consanguinitatis vel affinitatis gradu.

EO enim gravius peccatum est, quò personæ sunt magis conjunctæ. Sic incestum cum matre quam cum noverca, & copulam cum noverca quàm cùm ejus filia gravius & immanius crimen esse, nemo dubitaverit: & incestum cum propria sorore, quàm cum sorore conjugis: & cum socru, quàm cum nepte vel consobrina. Unde Deuteronomii XXVII. scriptum est: *Maledictus qui dormit cum uxore patris sui, & revelat operimentum lectuli sui: & dicet omnis populus, Amen. .... Maledictus qui dormit cum sorore sua, filia patris sui vel matris suæ: & dicet omnis Populus, Amen. Maledictus qui dormit cum socru sua: & dicet omnis Populus, Amen.* Genesis XLIX. Jacob filiis suis benedicens, illisque eventura prænuncians: *Ruben* (inquit) *primogenitus meus, in principium doloris mei..... Effusus es sicut aqua, non crescas: quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum ejus.* Apostolus I. ad Corinthios V. *Omnino* (inquit) *auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis: & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrûm qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens, eum qui sic operatus est, in Nomine Domini nostri Jesu Christi, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus*

Spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.

Occasiones proximæ removendæ.

Confirmatus hæc Regula ex antiquis Canonibus Pœnitentialibus, qui incestæ copulæ reos pro majoris propinquitatis ratione graviori Pœnitentiæ subjiciunt. Legantur *S. Basilii* Epistola ad *Amphilochium*, Cap. LXVI. LXXIV. LXXV. & antiqua Pœnitentialia.

REGULA XXX.

Cognatio spiritualis, si quæ inter illos qui carnaliter commixti sunt, intercedat, necessariò in Confessione à Pœnitentibus exprimenda est.

CArnalis enim copula inter personas fœdere illo spirituali conjunctas, scilicet inter patrinum & filiolam quam ex Baptismo vel Confirmatione suscepit, vel inter matrinam & filiolum, vel patrini cum matre filioli, aut matrinæ cum ejus patre, aut ejus qui Baptismum vel Confirmationem administravit, cum ea quam baptizavit aut confirmavit, vel cum ejus matre, incestus est; ut constat ex Synodo sub *Pippino*, seu Capitulari Metensi, Cap. I. ex Synodo Vuormatiensi Canone XXXIV. ex Cap. *Veniens*, Extra, *De Cognatione spirituali*; & ex Concilio Tridentino, Sessione XXIV. *De Reformatione Matrimonii*, Cap. II.

REGULA XXXI.

Non sunt absolvendi consanguinei, vel affines incestuosi in eadem domo manentes, ante separationem, si cohabitatio & convictus sit illis occasio proxima incestum committendi: iis verò qui simul non manent, prohibere debet Confessarius mutuam frequentationem, si necesse sit, aut certè ne clam & remotis arbitris conversentur aut colloquantur: quod nisi spoponderint, neganda illis est Absolutio.

MOrem Patriæ, necessitatem convictûs, commoda temporalia, imminens ex separatione infamiæ periculum nemo obtendat. Prudentiâ quidem non vulgari Confessario opus est ut consiliis suis hujusmodi personas dirigat ac juvet in electione mediorum quibus necessaria illa separatio fiat, orandus ferventiùs Deus, prudentiores ac peritiores regiminis Animarum interrogandi; rogandum est Episcopi consilium, si necesse sit: sed tamen rationibus omnibus, quas amor proprius, prudentiáque carnis & sæculi suggerunt, Christi præceptum præponderare debet, Matthæi V. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus mittatur in gehennam. Et si dextra manus tua scandalizat te, abscide eam, & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.* Quod de propinquis ipsis ad commoda temporalia nobis maximè necessariis aut utilibus intelligendum, nec pertimescendum infamiæ periculum ex separatione imminens, SS. Patres docent.

Ita *S. Hieronymus*, in Cap. XVIII. S. Matthæi. *Omnis*, inquit, *truncatur affectus, & universa propinquitas amputatur; ne per occasionem pietatis unusquisque credentium scandalis pateat. Si*, inquit, *ita est quis tibi conjunctus, ut manus, pes, oculus; & est utilis atque sollicitus, & acutus ad percipiendum; scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam: melius est ut & propinquitate ejus, & emolumentis*

A *carnalibus careas; ne, dum vis lucrifacere cognatos & necessarios, causam habeas ruinarum. Itaque non frater, non uxor, non filii, non amici, non omnis affectus, qui nos excludere potest à Regno Cælorum, amori Domini præponatur. Novit unusquisque Credentium, quid sibi noceat: vel in quo sollicitetur animus ac sæpe tentetur. Melius est vitam solitariam ducere, quàm ob vitæ præsentis necessaria æternam vitam perdere.*

Occasiones proximæ removendæ.

Ita S. *Cyrillus*, Libro XII. in Joannem, pag. 1058. Regiæ Editionis Parisiensis MDCXXXVIII.
B *Licèt*, inquit, *qui carissimi nobis sunt, aliquid fortiter agere prohibeant, infamiâ apud homines, aut mundana quadam re proposita, cavendum ne assentiare. Nec enim à Satana ullo modo differunt, qui creare scandala, & ab utilis indagatione versutis ac blandis quandoque sermonibus abstrahere pium solet. Et quidem Christus tale quid significare mihi videtur, cùm ait*: Si ergo oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te. *Quod enim offendiculum præstat, non jam nostrum esse debet, licèt dilectionis lege in unitatem constringatur, & naturalis dilectionis jure nobiscum copuletur.*

C Hæc porrò separatio a convictu & familiaritate personarum, quæ sunt nobis occasiones peccandi, eò magis necessaria est, quod cætera vitia resistendo, luxuria verò fugiendo vincatur. Unde Eecl. XLII. scriptum est: *in medio mulierum noli commorari: de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Et Apostolus I. ad Corinthios VI. scribit: *Fugite fornicationem.* Hinc Autor Sermonis inter Augustinianos olim CCL. *De Tempore*, nunc CCXCIII. in Appendice, quem *S. Cæsario* Arelatensi tribuendum Viri Eruditi conjiciunt, ait: *Quòd libidinem fugiendam esse diximus, Apostolo Doctore evidenter didicimus. Qui enim omnibus vitiis*
D *resistendum prædixerit, contra libidinem non ait, Resistite; sed dixit*, Fugite fornicationem. *Ac sic contra reliqua vitia Deo auxiliante debemus in præsenti resistere; libidinem verò fugiendo superare. Sic & alibi in Scriptura legimus*: Noli in faciem virginis attendere, ne te scandalizet vultus ejus. (Eccli. 9.) *Et Beatus Joseph, ut impudicam posset evadere dominam, pallium quo deprehensus fuerat, reliquit, & fugit. Ergo contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam* ... Et infra: *Inter omnia Christianorum certamina sola duriora sunt prælia castitatis; ubi quotidiana est pugna, & rara victo-*
E *ria. Gravem namque castitas sortita est inimicum, qui quotidie vincitur, & timetur. Et ideo nemo se falsa securitate decipiat, nemo de suis viribus periculosè præsumat.*

Hinc *S. Ambrosius*, Libro *De Joseph Patriarcha*, Cap. V. *Magnus Vir*, inquit, *qui vendiius servilem nescivit ingenium, adamatus non redamavit, rogatus non acquievit, comprehensus aufugit. Qui cùm ab Uxore Domini conveniretur, teneri veste potuit, animo capi non potuit: ac ne ipsa quidem verba diu passus, contagium judicavit si diutius moraretur, ne per manus Adulteræ libidinis incentiva*
F *transirent. Itaque vestem exuit, crimen excussit, & relictis, quibus tenebatur, exuviis, spoliatus quidem, sed non nudus aufugit, qui erat tectior indumento pudoris.*

REGULA XXXII.

Raptus distincta Luxuriæ species est, malitiam ac deformitatem singularem involvens.

Raptus.

NAm *illatio violentiæ procedit ex magnitudine concupiscentiæ, ex quâ aliquis non refugit periculo se injicere violentiæ inferendæ*; (inquit S. Thomas, Secundâ Secundæ, Quæstione CLIV. Articulo VII. ad secundum.) Hinc Concilium Chalcedonense Canone XXVII. contra Raptores, eorúmque conscios & adjutores ita decernit: *Qui rapiunt mulieres prætextu conjugii, & adjutores ac consentientes, si Clerici sunt, cadant à gradu suo; si Laici, anathematizentur.* Et *Symmachus* Romanus Pontifex Epistolâ ad *Cæsarium* Arelatensem Episcopum: *Raptores* (inquit) *Viduarum, vel Virginum, ob immanitatem tanti facinoris detestamur, illos vehementiùs persequendo, qui Sacras Virgines vel volentes vel invitas Matrimonio suo sociare tentaverint. Quos pro tam nefandissimi criminis atrocitate à Communione suspendi præcipimus.* Refertur Canone *Raptores*, Causâ XXXVI. Quæstione II. Idem statuit Sacra Synodus Tridentina, Sessione XXIV. *De Reformatione Matrimonii*, Cap. VI. *Quòd si rapta à raptore separata, & in loco tuto & libera constituta, illum in virum habere consenserit, illam raptor in uxorem habeat, & nihilominus Raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniúmque Dignitatum incapaces: & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant.*

REGULA XXXIII.

Raptus rei sunt, Raptorúmque pœnis obnoxii, qui Puellam seductam, quamvis consentientem abducunt, & cum eâ sic abductâ nubunt invitis parentibus.

HÆc Regula firmatur auctoritate Concilii Aurelianensis I. Canone II. *De Raptoribus autem* (inquit) *id custodiendum esse censuimus, ut si ad Ecclesiam raptor cum rapta confugerit, & feminam ipsam violentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate raptoris, & raptor, (mortis vel pœnarum immunitate concessa,) aut serviendi conditioni subjectus sit, aut redimendi se liberam habeat facultatem. Si verò quæ rapitur, patrem habere constiterit, & puella raptori aut rapienda aut rapta consenserit, potestati patris excusata reddatur, & raptor à patre superioris conditionis satisfactioni tenеatur obnoxius.*

Idem confirmatur ex Libro VI. Capitularium, Cap. XCVI. Ex eo enim constat, non solùm Raptores pœnis Ecclesiasticis & Civilibus adversùs hoc crimen latis obnoxios fuisse, etiamsi puellæ consensissent: sed puellas ipsas, sive primò, sive postea ipsis consentientes, Pœnitentiæ publicæ subjectas fuisse, & reclusas, absque ulla spe Matrimonii, non solùm cum ipso raptore, sed & cum aliis viris contrahendi. Quæ Leges etsi jam antiquatæ sint quoad istud caput: probant tamen Raptus reos esse, pœnísque Raptorum obnoxios, qui puellam, quamvis consentientem, invitis parentibus abducunt. *Si quis*, inquit, *alterius Sponsam, Virginem, aut viduam needum desponsatam rapuerit, vel furatus fuerit, placuit ut sive eam postea sponsaverit, sive dotaverit, seu non; sive cum parentum ejus voluntate quocumque commento ipsam accipere, vel tenere potuerit, nunquam illam uxorem habeat, sed raptori aut furi auferatur, & proximis suis alio viro tempore congruo; (si ipsa hoc malum non consenserit) nuptura legibúsque acceptura reddatur. Raptor vero sive fur, omnésque eis consentientes, publicâ Pœnitentia juxta canonicam auctoritatem mulctentur, & proximis illius quicquid injustè in eam nefando scelere egerunt, in triplo componant, & unamquamque rem semotim Legibus in tripla restituant. Ipsa namque quæ rapitur, si aut primò, aut postmodum tam nefario sceleri libens consenserit, nunquam postea nubat, sed publicâ Pœnitentiâ mulctetur, & sub tali custodia ponatur ut ei nullatenus luxuriari cum quoquam liceat. Taliter enim memorata flagitia puniantur, ut omnes cognoscant quoniam nec sæculi Leges tam nefandis conjunctionibus consentiant, nec sacri Canones consilium ullum præbeant: sed tales sæculi Leges, cooperatoresque eorum, capite feriri præcipiunt; & sacri Canones Spiritus Dei conditi non solùm raptores, sed etiam omnes eorum cooperatores, eisque consentientes Anathemate feriunt.*

Raptus.

Jus quoque Romanum hanc Regulam confirmat. *Constantinus Magnus*, L. *Si quis*, Libro IX. *Cod Theodos.* Tit. XXIV. *De Raptu Virginum vel Viduarum*, Raptorem infusione liquentis plumbi in os plecti edicit, sive invitam rapuerit, sive volentem abduxerit. Eadémque pœnâ participes & ministri sceleris damnantur. *Et si voluntatis assensio detegitur in virgine, eadem quâ raptor severitate plectatur, cùm neque his impunitas præstanda sit, quæ rapiuntur invitæ; cùm & domi se usque ad conjunctionis diem servare potuerint, & si fores raptoris frangerentur audacia, vicinorum opem clamoribus quærere seque omnibus tueri conatibus.* Sed leviorem tamen earum pœnam esse voluit *Constantinus*, solam scilicet hereditatis paternæ privationem. Parentes denique nisi contra Raptorem actores se præberent, in exilium deportari sanxit *Justinianus* Imperator L. *Raptores*, Libro IX. Cod. Tit. XIII. Raptores capite plectendos decernit; bonáque omnia tam mobilia quàm immobilia Raptorum, eorúmque consciorum & adjutorum, ad dominium mulierum honestarum & ingenuarum, quæ raptum passæ fuerint, transferri: Pœnæ autem capitali addicit tam raptores, quàm eorum comites, & qui consiliarii & ministri hujusmodi criminis, adjutores, susceptores, & fautores convicti fuerint, cujuscumque sexus, & conditionis vel dignitatis fuerint: *sive volentibus, sive nolentibus virginibus, vel aliis mulieribus, tale facinus fuerit perpetratum.* Parentes autem, quorum maximè vindicta interest, si patientiam præbuerint, vel dolorem remiserint, vel filiarum Matrimonio cum raptoribus, Legibus vetito, consenserint, damnat exilio. Id confirmat Novella Constitutione CXLIII. *De Muliere raptum passa*, declarátque beneficium Lege indultum mulieribus raptis, ut in earum dominium ac possessionem bona raptorum transferantur, ad eas non pertinere, quæ raptoribus consenserunt, & eorum connubium contra Legis tenorem elegerunt.

REGULA XXXIV.

Raptus eò gravius peccatum est, quo fit ad fœdiorem & magis horrendam libidinem explendam.

Raptus.

GRavissimum enim esset, si masculus masculum, aut femina feminam raperet. Inter raptus verò feminarum a viris, primum locum tenet criminis gravitate raptus Sanctimonialium; secundum locum tenet raptus earum quæ simplici voto Virginitatem suam Deo consecrarunt; sequitur raptus consanguinearum vel affinium; tum conjugatarum; deinde virginum, sive ingenuarum puellarum; postremò viduarum. Idem esto judicium de violentâ abductione viri à muliere potente: si enim Virum Religiosum raperet, aut Sacerdotem, aut Voto simplici castitatis obstrictum, gravius crimen esset, quàm si virum profanum aut nullius Voti Religione Deo consecratum: si consanguineum vel affinem, gravius crimen esset, quam si extraneum: si conjugatum, majus scelus esset quam si solutum. Hæ itaque circumstantiæ in Sacramentali Confessione necessariò declarandæ sunt, per quas nimirum fit ut Raptus cum aliis luxuriæ speciebus concurrat: nempe cum peccato contra naturam, vel cum sacrilegio, vel cum incestu, vel cum adulterio, vel cum stupro, vel cum fornicatione simplici.

REGULA XXXV.

Sponsus qui Sponsam abducit ante Matrimonium, quamvis graviter peccet, Raptor tamen non censetur.

HAnc Regulam ex Jure Canonico hausit *S. Thomas*, adstruxitque *Secunda Secundæ*, Quæstione CLIV. Art. VII. in Responsione ad quartum. *Sponsus*, (inquit) *ex ipsa desponsatione habet aliquod jus in sua sponsa. Et ideo quamvis peccet violentiam inferendo, excusatur tamen à crimine raptûs. Unde Gelasius Papa dicit* (Canone *Lex illa*, Causâ XXXVI. Quæst. I.) *Lex illa præteritorum Principum ibi raptum dixit commissum esse, ubi puella, de cujus ante Nuptiis nihil actum fuerat, videbatur abducta.* Idem colligitur ex Synodo Romana sub *Gregorio II.* Canone XI. & ex Concilio Trosleiano, Canone VIII. *Si quis virginem, nisi desponsaverit, rapuerit, vel furatus fuerit in uxorem, vel consentiens ei, Anathema sit.* Item ex Synodo Romana sub *Zacharia* Pontifice, Canone VII. *Si quis temerario ausu præsumpserit Virginem aut Viduam furari in uxorem, præter si desponsatam habuerit, Anathema sit.* Quod Canoni sexagesimo septimo ex iis, qui Apostolici vocantur, consonum est: *Qui virginem*, inquit, *non sponsatam violaverit, excommunicetur, nec aliam ducat, sed eam, licèt pauper sit.* Idem confirmatur ex Cap. *Cùm causam*, Extra, *De Raptoribus*, quod est *Lucii III.* Burgensi Episcopo sic respondentis: *Cùm ibi raptus dicatur admitti, ubi nihil ante de Nuptiis agitur: iste raptor dici non debet, cùm habuerit mulieris assensum, & priùs eam desponsaverit, quàm cognoverit: licet parentes reclament, à quibus eam dicitur rapuisse.*

Si tamen puellam sibi desponsatam per verba de futuro Sponsus abduceret, etiam volentem, non ad Matrimonium celebrandum, sed ad libidinem explendam ante Nuptias, vel si invitam ad Matrimonium perficiendum abduceret ac nolentem compelleret, Raptûs reos esset. Idem esto judicium de viro qui uxorem suam Matrimonium consummare nolentem, intra bimestre, quod puellæ ad deliberandum de ingressu in Monasterium ante Matrimonii consummationem Canones concedunt, (ut patet Cap. *Ex publico*, Extra, *De Conversione Conjugatorum*) ex ædibus parentum ad consummandum Matrimonium vi abduceret.

Raptus.

REGULA XXXVI.

Raptus rei sunt, qui puellam prædivitem, amplique Patrimonii hæredem, vel aliàs locuplete dote auctam, impetrato Principis assensu è domo parentum vel tutorum ipsis invitis abducunt, ut Matrimonio sibi jungant.

HÆc Regula colligitur ex Canone, *Nullus*, Causâ XXXVI. Quæstione II. qui Canon septimus est Concilii Parisiensis tertii. *Nullus*, (inquit) *viduam, neque filiam alterius, extra voluntatem parentum aut rapere præsumat, aut Regis beneficio æstimet postulandam. Quod si fecerit, similiter ab Ecclesia Communione semotus, Anathematis damnatione plectatur.*

REGULA XXXVII.

Raptor non est sacramentaliter absolvendus, donec raptam puellam sponso reddiderit, si desponsata sit, vel parentibus, si non sit desponsata; vel denique in pristinam libertatem restituerit, si mulier sit sui juris.

NItitur hæc Regula auctoritate *S. Basilii* in Epistolâ Canonicâ ad *Amphilochium*, Canone XXII. *Eos* (inquit) *qui ex raptu habent mulieres, si aliis quidem desponsatas abripuerint, non priùs oportet admittere, quàm ab eis ablatæ sint, & fiat in eorum potestate, quibus desponsæ fuerant, an eas velint accipere, an desistere. Si quis autem vacantem acceperit, auferre quidem oportet, & suis restituere: illorum autem sententiæ permittere, sive sint parentes, sive fratres, sive quicunque alii præsint: & si ei tradere voluerint, Matrimonium constituere, sin autem renuerint, non cogi.*

Confirmatur ex Canone *Desponsatas*, Causâ XXXVI. Quæst. II. qui Ancyrani Concilii Canon decimus est. *Desponsatas* (inquit) *puellas, & postea ab aliis raptas, reddi placet sponsis, etsi vis ab aliis illis illata fuerit.*

Confirmatur secundò ex Canone. *Si autem*, eadem Causâ & Quæstione, qui Meldensis Concilii Canon sexagesimus quintus est. *Hi autem* (inquit) *qui necdum eas quas rapuerant, cum voluntate parentum, sub desponsionis vel dotalitii nomine in conjugium sumptas habent, quando in omnium aures hæc fuerit Constitutio promulgata, ab earum conjunctione separentur, & publicæ Pœnitentiæ subigantur: raptæ autem parentibus legaliter restituantur.*

Confirmatur tertiò ex *S. Thoma*, Secunda Secundæ, Quæstione CLIV. Art. VII. in Responsione ad tertium. *Aliter* (inquit) *est dicendum de raptu Puellarum quæ sunt aliis desponsatæ, & aliter de raptu illarum quæ non sunt aliis desponsatæ. Illæ enim quæ sunt aliis desponsatæ, restituendæ sunt suis sponsis, qui in eas ex ipsa desponsatione jus habent. Illæ autem quæ non sunt aliis desponsatæ, primò restituendæ sunt patris potestati: & tunc de voluntate parentum licitè possunt eas in*

De Luxuria.

uxores accipere. Si autem aliter fiat, illicitè Matrimonium contrahitur. Tenetur enim qui quamcunque rem rapit, ad ejus restitutionem.

REGULA XXXVIII.

Tenetur Raptor mulierem raptam, sive uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.

IIsdem verbis hanc Regulam statuit Sacta Synodus Tridentina Sessione XXIV. *De Reformatione Matrimonii.*

REGULA XXXIX.

Famuli aut familiares, & amici qui dominie, aut amicie ad raptum, stuprum, adulterium, aut aliud crimen consilio, vel auxilio cooperantur, admovendo scalam ad fenestras, aperiendo januam, litteras ferendo, vel horam opportunam crimini hinc inde nunciando, excubiae agendo ne in crimine deprehendantur; eos comitando noctu vel die in domum concubinæ, qui sine eorum satellitio illuc non irent, mortaliter peccant, etiamsi id faciant metu gravis detrimenti: nec absolvi sacramentaliter debent, quandiu in iis occasionibus versantur.

Peccatum familiarium amicorum, & servorum, amicorum aut dominorum libidini cooperantium.

QUicunque enim consilium vel auxilium quovis modo præbent ad crimen perficiendum, consentiunt crimini, (quacunque excusatione se purgare nitantur:) *Digni autem sunt morte, non solùm qui talia faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus;* (inquit Apostolus ad Romanos, cap. I.) Nec ullius detrimenti metus, nulla temporalis utilitas illos excusare potest qui dominos aut amicos ad flagitia adjuvant. *Quam* enim *commutationem dabit homo pro anima sua?... Quid prodest si universum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* Hinc *Tertullianus*, Libro *De Idololatria*, cap. XI. *Graviora*, inquit, *delicta quaque, pro magnitudine periculi diligentiam extendunt observationis, ut non ab his tantùm abstineamus, sed & ab iis per quæ fiunt. Licèt enim ab aliis fiat, non interest, si per me. In nullo necessarius esse debeo alii, cum facit quod mihi non licet. Ex hoc quòd vetor facere, intelligere debeo curandum mihi esse ne fiat per me. Denique in alia causa non levioris reatus, præjudicium istud observo. Nam quod mihi de stupro interdictum sit, aliis ad eam rem nihil aut opera aut conscientia exhibeo. Nam quòd ipsam carnem meam à lupanaribus segregavi, agnosce me neque lenocinium, neque id genus lucrum alterius causa exercere posse. Sic & homicidii interdictio ostendit mihi lanistam quoque ab Ecclesia arceri: nec per se non faciet, quod faciendum aliis subministrat.... Malè nobis de necessitatibus humanæ exhibitionis supplaudimus, si post fidem obsignatam dicimus, Non habeo quo vivam. Serò dicitur, antè enim fuit deliberandum, ex similitudine providentissimi ædificatoris illius, qui prius sumptus operis cum viribus suis supputat, ne ubi cœperit, deceptus, postea erubescat. Sed & nunc habes Edicta Domini & exempla adimentia tibi omnem causationem. Quid enim dicis? Egebo. Sed felices egenos Dominus appellat. Victum non habebo; sed, Nolite,* inquit, *cogitare de victu. Et vestitus habemus exemplum, lilia. Substantia mihi opus erat: atqui omnia vendenda sunt, & egentibus dividenda. Sed filiis & posteritati providendum: Nemo aratro manum imponens, & retro spectans, aptus est operi. Sed conditionalis eram: Nemo duobus dominis servire potest. Si vis Domini discipulus esse, crucem tuam tollas, & Dominum sequaris necesse est, id est, angustias & cruciatus tuos, vel corpus solum, quod in modum crucis est. Parentes, conjuges, liberi propter Deum relinquendi erunt. De artibus, & negotiationibus, & de professionibus etiam liberorum & parentum causâ dubitas.... Nemo eorum, quos Dominus allegit, Non habeo, dixit, quo vivam. Fides tamen non timet. Scit etiam famem non minùs sibi contemnendam propter Deum, quàm omne mortis genus. Didicit non respicere vitam, quantò magis victum? Quotusquisque hæc adimplevit? Sed quæ penes homines difficilia, penes Deum facilia.* Meritò itaque Namucensis Episcopus in Synodo Diœcesana, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono hanc Propositionem damnavit: *Famuli comitantes dominum noctu vel die ad domum concubinæ, qui sine eorum societate eò non iret, vel qui ferunt internuntia vel litteras, vel referunt hinc inde horam ad peccandum, vel faciunt excubias vel custodiam dum simul cum concubina vel altera committit peccatum, absolvi non possunt si consentiant in peccatum: secus si id fieret propter temporalem commoditatem.*

De Luxuria.

Propositio damnata.

Denique *Innocentius Undecimus* Pontifex Maximus inter alias Propositiones scandalosas & in praxi perniciosas, hanc etiam damnavit die IV. Martii MDCLXXIX. *Famulus, qui submissis humeris, scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti; putà, ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.*

Clerus etiam Gallicanus in generalibus Comitiis anni 1700. hâc Censurâ illam confixit: *Hæc Propositio scandalosa est, perniciosa, verbis Dominicis & Apostolicis apertè contraria, & Hæretica.*

REGULA LX.

Peccatum contra Naturam inter omnia Luxuriæ genera gravissimum est.

ID significat Apostolica illa Sententia ad Ephesios V. *Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere.* Idem docet *Tertullianus*, Libro *De Pudicitia*, Capite V. *Reliquas*, (inquit) *libidinum furias & in corpora & in sexus ultra jura naturæ, non modò limine, verùm omni Ecclesiæ tecto submovemus; quia non sunt delicta, sed monstra.*

Idem confirmat *S. Augustinus*, Libro III. *Confessionum*, cap. VIII. *Flagitia* (inquit) *quæ sunt contra naturam, ubique ac semper detestanda atque punienda sunt, qualia Sodomitarum fuerunt. Quæ si omnes Gentes facerent, eodem criminis reatu Divina Lege tenerentur, quæ non sic fecit homines ut se illo uterentur modo. Violatur quippe ipsa societas quæ cum Deo nobis esse debet, cum eadem natura, cujus ille auctor est, libidinis perversitate polluitur.*

S. Petrus Damiani in Libro *Gomorrhiano*, cap. XVI. *Hoc sanè vitium* (inquit) *nulli prorsùs est vitio conferendum, quod omnium immanitatem superat vitiorum. Hoc siquidem vitium mors est corporum, interitus animarum, carnem polluit, mentis lumen extinguit, Spiritum-Sanctum de templo humani pectoris ejicit, incentorem luxuriæ diabolum introducit, mittit in errorem, subtrahit decepta*

menti funditus veritatem, eunti laqueos præparat, cadenti in puteum, ne egrediatur, oppilat, infernum aperit, Paradisi januam claudit; cœlestis Jerusalem civem, tartareæ Babylonis facit hæredem, &c.

De Luxuria.
Peccatum contra naturam.

Idem confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CLIV. A. XI. *In quolibet* (inquit) *genere pessima est principii corruptio, ex quo alia dependent. Principia autem rationis sunt ea quæ sunt secundùm naturam. Nam ratio præsuppositis his quæ sunt à natura determinata, disponit alia secundùm quòd convenit. Et hoc apparet tam in speculativis, quàm in practicis. Et ideo sicut in speculativis error circa ea quorum cognitio est homini naturaliter indita, est gravissimus & turpissimus: ita in agendis, agere contra ea, quæ sunt secundùm naturam determinata, est gravissimum & turpissimum. Quia ergo in vitiis quæ sunt contra naturam, transgreditur homo id quod est secundùm naturam determinatum circa usum venereorum: inde est quòd in tali materia hoc peccatum est gravissimum & turpissimum.*

Et in Responsione ad Primum: *Sicut*, (inquit) *ordo rationis rectæ est ab homine, ita ordo naturæ est ab ipso Deo. Et ideo in peccatis contra naturam, in quibus ipse ordo naturæ violatur, fit injuria ipsi Deo ordinatori naturæ.* Et in Responsione ad secundum: *Vitia* (inquit) *contra naturam tantò sunt graviora quàm sacrilegii corruptela, quantò ordo naturæ humanæ insitus est prior & stabilior, quàm quilibet alius ordo supernaturalis.*

REGULA XLI.

Mollities sive Pollutio, quæ directè vel indirectè, expressè vel interpretativè, in se vel in sua causa volita est, quæ quidem causa sit lethale peccatum, mortale peccatum est vel in se, vel in causa, sive dormienti, sive vigilanti contingat.

CUm dormienti contingit, voluntaria non est, nisi ratione voluntatis quæ in vigilante præcessit. Quæ si pollutionem ipsam optaverit, aut de illa probabiliter futura delectata sit, lethalis peccati rea est. Si autem pollutionem ipsam expressè noluit, causam tamen voluit, ex qua mens prævidebat, aut certè prævidere poterat ac debebat, fore ut sequeretur Pollutio, & hujusmodi causa erat inhonesta & lethalis; Pollutio etiam est lethale peccatum ratione causæ in qua est volita; sive, (ut loquitur *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LIV, Articulo v.) *Est sequela peccati præcedentis.*

Cùm verò vigilanti, & directè vel indirectè consentienti; causámve prævisam, quam avertere tenebatur & poterat, non avertenti, contingit Pollutio, lethale semper peccatum est. Inter ea scilicet ab Apostolo numeratur, quæ à Regno Dei excludunt. 1. ad Corinthios VI. *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores Regnum Dei possidebunt.* Et Genesis XXXVIII. Res detestabilis dicitur, ubi de *Onan* filio Judæ hæc leguntur; *Ille sciens non sibi nasci filios, introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcirco percussit eum Dominus, quòd rem detestabilem faceret.*

Hinc *S. Augustinus*, Libro IV. *Contra Julianum*, cap. v. *Malè* (inquit) *utitur homo membris bonis, quando consentit eis, quæ in nobis habitant, cupiditatibus malis: in quibus libido græ cæteris turpis est, cui nisi resistatur, horrenda immunda committit. Quo malo benè non utitur nisi sola pudicitia conjugalis.*

Lethale pariter peccatum est, si consensus interpretativus adsit, id est, si ratio, quæ pervigil esse deberet ad obscœnos motus reprimendos, dum actu insurgunt, omittit & negligit repellere, vel improbare, quasi tacens, juxta vulgatum illud Juris effatum: *Qui tacet, consentire videtur.* Sic nauta negligens causa censetur submersionis navis.

De Luxuria.
Peccata contra naturam.

REGULA LXII.

Mollities Jure Naturæ prohibita est, & per se ac intrinsecè mala; adeo ut, secluso etiam positivo Dei Præcepto, nunquam bona, licita, expetenda, multò minus obligatoria esse possit.

LIbidinosa enim delectatio, quæ in effusione genitalis seminis sentitur, ita vehemens ac effrænis est, ita rationem absorbet, ac veluti submergit, ut contra rationem sit eam unquam procurare vel admittere, aut expetere extra legitimum usum Matrimonii. Unde nec ipsa conjugalis pudicitia unquam ea libidine uti vellet, si absque illa filios propagare posset, ut *S. Augustinus* asserit Libro XIV. *De Civitate Dei*, cap. XVI. *Cùm igitur sint multarum libidines rerum, tamen cùm libido dicitur, neque cujus rei libido sit additur, non ferè adsolet animo occurrere nisi illa, quâ obscœnæ corporis partes excitantur. Hæc autem sibi non solum totum corpus, nec solùm extrinsecùs, verùm etiam intrinsecùs vindicat, totúmque commovet hominem animi simul affectu cum carnis appetitu conjuncto atque permixto, ut ea voluptas sequatur, quâ major in corporis voluptatibus nulla est: ita ut momento ipso temporis, quo ad ejus pervenitur extremum, penè omnis acies & quasi vigilia cogitationis obruatur. Quis autem amicus sapientiæ sanctorúmque gaudiorum, conjugalem agens vitam, sed, sicut Apostolus monuit*, Sciens vas suum possidere « in sanctificatione & honore, non in morbo « desiderii, sicut & gentes quæ ignorant Deum, « *non mallet, si posset, sine hac libidine, filios procreare: ut etiam in hoc serendæ prolis officio, sic ejus menti ea quæ ad hoc opus creata sunt, quemadmodum cætera suis quæque operibus distributa membra servirent, nutu voluntatis acta, non æstu libidinis incitata?*

1. Thess. 4.

Et Libro IV. *Contra Julianum*, cap. XIV. Pelagianum illum patronum libidinis ita compellat: *Illa pro qua mecum tantis contentionibus litigas, etiam quando ad eam bona intentione, hoc est, causâ propagandæ prolis acceditur, tamen in ipso opere, quem permittit, aliquid non dico sapientiæ, sed cujuslibet rei aliud cogitare? Nonne illi totus animus & corpus impenditur, & ipsius mentis quadam submersione illud extremum ejus impletur? Cùm verò vincit etiam conjugatos, ut non propagationis, sed carnalis delectationis cupiditate misceantur, quod Apostolus* Secundùm veniam, non secundùm im- « perium *se dixisse testatur; ita hinc emergitur, & quasi in auram cogitationis post illum gurgitem respiratur, ut fiat consequens quod verum ait quidam*, Et pœnitendi quæ est cum voluptate vicinitas! *Quis ergo amator spiritalis boni, etiam solâ causâ sobolis conjugatus, non mallet vel sine ista si posset, vel sine tam magna vi ejus filios procreare? Obsecro te, non sit honestior Philosophia Gentium, quàm nostra Christiana, quæ una est vera Philosophia. Vide enim quid in Hortensio Dialogo dicat Tullius.* An verò, inquit, voluptates corporis expetendæ, « quæ verè & graviter à Platone dictæ sunt ille- «

1. Cor. 7.

De Luxuria. Peccata contra naturam

» cebræ esse utique atque escæ malorum? Quæ » enim confectio est valetodinis, quæ deformatio » tio coloris & corporis, quod turpe damnum, » quod dedecus, quod non evocetur atque eliciatur » tur voluptate? Cujus motus ut quisque est maximus, » ximus, ita est inimicissimus Philosophiæ. Congruere » gruere enim cum cogitatione magna voluptas » corporis non potest. Quis enim cùm utatur » voluptate ea, quâ nulla possit major esse, attendere » dere animo, inire rationem, cogitare omnino » nino quidquam potest? Quis autem tantus est » gurges, qui dies & noctes sine ulla minimi » temporis intermissione velit ita moveri suos » sensus, ut moventur in summis voluptatibus? » Quis autem bona mente præditus, non mallet » iet nullas omnino nobis a natura voluptates » datas? ... *Erubescamus interim veris disputationibus impiorum, qui didicimus in vera vera Pietatis sanctáque Philosophia, & contra spiritum carnem, & contra carnem concupiscere spiritum.* Ex his perspicuum est, Gentiles ipsos Philosophos, solo naturalis rationis lumine agnovisse repugnantiam venereæ libidinis cum humana natura, & cum sapientiæ studio, quo nihil eidem naturæ magis consentaneum est. Nunquam igitur a peccato immunis esse potest, nisi cum rationis fræno regitur, quod fieri non potest nisi cùm ejus usum in Matrimonio legitimo mens permittit ad propagandæ prolis officium. Mollities igitur jure naturæ prohibita est, & per se ac intrinsecè mala.

Confirmatur statuta Regula ex *S. Thoma*, Quæstione XV *De Malo*, Articulo I. ubi de actu venereo sic loquitur: *Quandoque cum inordinatione concupiscentiæ est etiam inordinatio ipsius actûs exterioris secundùm se ipsum, sicut contingit in omni usu membrorum genitalium præter matrimonialem actum.* Et QUOD OMNIS TALIS ACTUS SIT INORDINATUS SECUNDUM SE IPSUM, *apparet ex hoc quod omnis actus humanus dicitur inordinatus, qui non est proportionatus debito fini; sicut comestio est inordinata, si non proportionetur corporis salubritati, ad quam ordinatur sicut ad finem. Finis autem usus genitalium membrorum est generatio & educatio prolis. Et ideo omnis usus prædictorum membrorum, qui non est proportionatus generationi prolis, & debitæ ejus educationi,* EST SECUNDUM SE INORDINATUS. *Quicunque autem actus prædictorum membrorum est præter commixtionem maris & feminæ, manifestum est quòd non sit accommodatus generationi prolis.*

Et Articulo III. *Peccatum* (inquit) *Luxuriæ dupliciter habet inordinationem. Uno quidem modo ex parte concupiscentiæ, & talis inordinatio non semper facit peccatum mortale: alio modo* EX PARTE IPSIUS ACTUS, QUI DE SE EST INORDINATUS, ET SIC SEMPER EST PECCATUM MORTALE. *Et ideo ex hac parte ex qua est major gravitas peccati, sumuntur species prædictæ Luxuriæ. Est autem actus Luxuriæ inordinatus, aut ex hoc quod non potest sequi ex actu generatio prolis, & sic est* VITIUM CONTRA NATURAM: *Aut ex eo quòd non potest sequi debita educatio, quia scilicet mulier non est determinata viro, ut sic sua secundùm legem Matrimonii.* Mollities potiò, & effusio quælibet seminis præter commixtionem maris & feminæ debito modo factam, dicitur peccatum contra naturam, non solùm quia repugnat rationi, quæ natura est hominis, sed etiam QUIA EST CONTRA NATURAM OMNIS ANIMALIS, in quâ generatio fit commistione utriusque sexus; (inquit *S. Thomas*, Articulo I. ejusdem Quæstionis, in

A Responsione ad septimum.)

Nusquam igitur licet, aut licere potest, pollutionem quocunque modo sibi procurare, aut eam expetere, vel etiam naturæ impetu evenienti consensum præbere, sanitatis aut vitæ tuendæ & conservandæ causâ. Sicut enim mentiri nusquam licet, etiamsi nobis, aut proximis prodesse mentiendo possimus, quia mendacium per se malum est: ita nusquam licet actum venereum extra legitimum Matrimonium exercere, etiamsi ad sanitatem corporis profuturus videatur. Unde S. Augustinus, *Enchiridii* cap. XXII. ait: *Nec*

B *ideo ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo. Possumus enim & furando, si pauper cui palam datur, sentit commodum, & dives cui clam tollitur, non sentit incommodum: nec ideo tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum. Possumus & adulterando, si aliqua, nisi ad hoc ei consentiatur, appareat amando moritura, & si vixerit, [illegible]tendo purganda: nec ideo peccatum negabitur [illegible]e adulterium.* Multò minùs peccatum desinet esse Mollities, quæ flagitium est contra naturam, etiamsi profutura videatur sanitati. Quòd si adulterium *Non ideo malum est quia ve-*

C *tatur lege, sed ideo vetatur lege quia malum est,* ut ait *Evodius* approbante *S. Augustino* Lib. I. *De Libero Arbitrio* cap. III. quis idem potiori jure neget asserendum de mollitie aliisque flagitiis, quæ *contra naturam* dicuntur, quia in illis *ipse ordo naturæ violatur*, ut loquitur *S. Thomas*? Quamobrem fieri non potest quin repugnent Æternæ Legi, quæ est *Ratio divina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans*; ut docet *S. Augustinus* Libro XXII. *Contra Faustum*, cap. XXVII. Qui naturæ ordo, sicut cibum destinat sustentationi

D corporis, ita & semen legitimæ propagationi prolis. Unde sicut cibis idolo consecratis nusquam vesci licet in honorem idoli, aut cum offensione proximi, etiamsi fame moriendum sit: ita nunquam licet coitus extra legitimum Matrimonium, & multò minùs effusio seminis absque sexus utriusque commixtione, quâ solâ proles propagatur, aut sterilis quælibet Luxuria, etiamsi mors vitari non possit nisi semen effundatur. *Quod enim est cibus ad salutem hominis* (inquit *S. Augustinus*, Libro *De Bono Conjugali*, cap XVI.) *hoc est concubitus ad salutem*

E *generis: & utrumque non est sine delectatione carnali: quæ tamen modificata, & temperantia refrænante in usum naturalem redacta, libido esse non potest. Quod est autem in sustentanda vita illicitus cibus, hoc est in quærenda prole fornicarius vel adulterinus concubitus. Et quod est in luxuria ventris & gutturis illicitus cibus, hoc est in libidine nullam prolem quærente illicitus concubitus. Et quod est in cibo licito nonnullis immoderatior appetitus, hoc est in conjugibus venialis ille concubitus. Sicut ergo satius est emori fame, quàm idolothytis vesci: ita satius est defungi sine liberis, quàm ex illicito coitu stirpem quærere.*

F Meritò itaque *Innocentius Undecimus* hanc inter alias Propositionem damnavit, Anno MDCLXXIX. *Mollities jure Naturæ prohibita non est, unde, si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.*

De Luxuria. Peccata contra naturam.

Propositio damnata, et contra naturæ legem, casuum autem exclusiva.

REGULA XIIII.

REGULA XLIII.

Peccata contra naturam.

» HÆc Propositio, Non refert quid sensus » agat vel quid sentiat corpus: modò animus Deo conjungatur, *Hæretica est, ad frena libidinibus laxanda viam aperiens, & contradictionem in terminis implicans.*

Beguardorum & Quietistarum error.

Hanc Hæresim à Beguardis & Beguinis, olim assertam, & in Concilio Viennensi damnatam nefarii *Quietistæ*, ab Innocentio Undecimo Pontifice Maximo nuper damnati, renovarunt. Beguardorum & Beguinarum error ita refertur in Clementina *Ad nostrum*, Tit. De Hæreticis: *Quòd jejunare non oportet hominem, nec orare, postquam gradum perfectionis hujusmodi fuerit assecutus; quia tunc sensualitas est ita perfectè spiritui & rationi subjecta, quòd homo potest liberè concedere corpori quicquid placet.* Quam Hæresim Apostolus evertit his verbis ad Colossenses III. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam quæ est simulacrorum servitus: propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis: in quibus & vos ambulastis aliquando, cùm viveretis in illis.* Et ad Galatas v. *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.... Manifesta sunt opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c... Quæ prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur..... Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus.* Et ad Romanos VIII. *Qui in carne sunt* (inquit) *Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.... Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

Refellitur idem error auctoritate *Sancti Augustini*, Libro XXII. *Contra Faustum*, Cap XXVIII. *Quapropter*, inquit, *hominis actio serviens fidei servienti Deo, refrænat omnes mortales delectationes, & eas coërcet ad naturalem modum, meliora inferioribus ordinata dilectione præponens. Si enim nihil delectaret illicitum, nemo peccaret. Peccat ergo, qui delectationem illiciti relaxat potius quàm refrænat. Est autem illicitum, quod Lex illa prohibet, quâ naturalis ordo servatur.* Et Cap. XXIX. *Mortales autem delectationes usque ad reparandam seu custodiendam istam mortalem salutem; sive uniuscujusque hominis, sive ipsius humani generis, vel excitanda vel relaxanda sunt: ultra si prolapsa fuerint, & contra temperantiæ rationem hominem non se regentem abripuerint, libidines erunt profectò illicitæ ac turpes, & dignæ doloribus emendari. Quod si etiam perturbatum rectorem in totam voraginem perditæ consuetudinis mergant, ut vel inultas fore credens, Confessionis & Pœnitentiæ negligat medicinam, quâ correctus emergat, vel pejore morte cordis contra illam æternam Providentiæ legem blasphemum ei patrocinium defensionis adhibeat, atque ita diem fungatur extremum: non jam emendatione, sed damnatione dignum Lex illa irreprehensibilis censet.*

His adde quod à *B. Petro Damiani* Libro qui inscribitur *Gomorrhianus*, Cap XX. de quodam Eremita narratur, *Qui cùm multis virtutibus cum suo quodam Collega deservisset, hæc illi per Diabolum injecta cogitatio est, ut quandocunque libidine titillaretur, sic semen detritu genitalis membri egerere deberet, tanquam phlegma de naribus projiceret: qui ob id Dæmonibus moriens, vidente socio, traditus est. Tum idem socius reatum ejus ignorans, sed exercitia virtutum recolens, penè desperavit, dicens, O qui poterit salvus esse? Quomodo iste periit? Cui mox Angelus astans dixit: Ne turberis: iste enim licèt multa fecerit, tamen per illud vitium, quod Apostolus vocat Immunditiam, cuncta fœdavit.*

Peccata contra naturam.

Denique in terminis contradictionem implicat illa Propositio: impossibile enim est impudici animum Deo esse conjunctum; impossibile est ut serviat caritati, qui servit cupiditati.

REGULA XLIV.

Nocturna pollutio secundùm se nunquam est peccatum, sed quando est sequela peccati præcedentis.

Nocturnæ pollutiones.

SUnt ipsa *S. Thomæ* verba, *Secunda Secundæ*, Quæstione CLIV. Articulo v. eâque ratione Regulam fulcit: Omne peccatum dependet ex » judicio rationis: quia etiam primos motus sen- » sualitatis non habet quòd sit peccatum, nisi in » quantum judicio rationis reprimi potest: & ideo » sublato judicio rationis tollitur ratio peccati: in » somno autem ratio non habet liberum judicium; » unde id quod agit homo dormiens non imputa- » tur ei ad culpam, sicut nec illud quod agit furio- » sus aut amens.

Nititur etiam hæc Regula *S. Augustini* testimonio, Libro XII. *De Genesi ad Literam*, Cap. XV. *Porrò*, inquit, *ipsa phantasia quæ fit in cogitatione sermocinantis, cùm ita expressa fuerit in visione somniantis, ut inter illam & veram commixtionem corporum non discernatur, continuo movetur caro; & sequitur quod eum motum sequi solet, cùm hoc tam sine peccato fiat, quàm sine peccato à vigilante dicitur, quod ut diceretur, sine dubio cogitatum est.*

REGULA XLV.

Nocturna Pollutio ex superabundantia & resolutione naturali seminis proveniens, nullâ præcedente culpâ, quæ illius causa sit, non est peccatum: si autem sit ex culpa præcedente, putà, ex superfluitate cibi aut potus, peccatum est, interdum mortale, aliàs veniale.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Quæstione & Articulo mox laudatis, & III. Parte Quæstione LXXX Articulo VII. Nullum enim peccatum est, nisi sit voluntarium: at Pollutio proveniens ex abundantia & naturali resolutione seminis, ob caloris in corpore dominantis intemperiem, aliámve commotionem humorum, aut ex infirmitate naturæ, non est voluntaria: non est igitur peccatum. Quæ verò ex superfluitate cibi vel potus oritur, voluntaria est ex parte causæ: ideóque peccatum est: mortale quidem cùm ex lethali gulæ vel ebrietatis peccato; veniale, cùm ex veniali ortum habet.

REGULA XLVI.

Lethalis peccati reus est, qui somnum capit, aut somno se daturus corpus inhonestè componit, ut dormienti contingat Pollutio.

TUnc enim Pollutio volita est, seu à voluntate imperata. Quemadmodum ergo qui sagittam ex arco, vel globum ex tormento emisit, quibus alter occiditur, homicidii reus est, etiamsi non sit ampliùs in ejus potestate, cùm lethale

Peccata contra naturam.

vulnus infligit, seu mortem infert: ita lethaliter peccat qui somno indulget, aut corpus certo quodam modo componit ut Pollutio sequatur in somnis; quamvis non sit ampliùs in ejus potestate illam cohibere, cùm actu consummatur.

REGULA XLVII.

Lethalis Peccati reus est, qui datâ operâ nimium cibum potúmve sumit ob hunc finem, ut in somno sequatur Pollutio: etsi non ob delectationem carnalem, sed ad allevationem naturæ, & sanitatem id faciat.

HAnc Regulam iisdem penè verbis tradit *S. Antoninus*, II. P. Tit. VI. Cap. V. rationémque subdit: *Sicut*, inquit, *si in vigilia voluntariè se pollueret ob sanitatem solùm, non excusaretur à mortali; quia facit directè contra finem intentum à naturâ, qui non est alius in emissione seminis voluntaria, nisi generatio, quæ per illum motum sequi non potest.*

REGULA XLVIII.

Pollutionis appetitum, etiam propter allevationem naturæ, quæ naturali viâ, & absque nostra opera contingat, illicitum esse, probabilius est.

CUm enim Pollutio sit per se & ex naturâ suâ mala, utpotè luxuriæ species, ordinique naturali actus venerei repugnans: adeóque semper sit peccatum, quando voluntaria est: nec illam appetere licet ob quemcumque finem. Sicut ergo fornicationem, adulterium, homicidium, in somnis etiam perpetranda, non licet D appetere ob quodcumque commodum temporale, quia per se mala sunt, & ex genere suo peccata mortalia; ita nec Pollutionem. A Deo certè petere licet, quod licet desiderare; cùm oratio sit interpretes desiderii, illiúsque apud Deum expositio. Unde *Sanctus Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXIII. Articulo VI. hoc ex *Sancto Augustino*, Epistolâ ad *Probam*, principium statuit: *Hoc licet orare, quod licet desiderare*; indéque colligit, temporalia licitè peti à Deo in oratione, quia licitè desiderantur. Non licet autem Deum orare ut Pollutio in somnis eveniat, E cùm contra, Spiritu Sancto, qui Ecclesiam regit, docente sic oremus in publicis Ecclesiæ Precibus: *Hostémque nostrum comprime ne polluantur corpora.* Licitum itaque non videtur, Pollutionem, quæ in somno contingat desiderare, etiam propter allevationem naturæ, & valetudinem: & desiderium hujusmodi carere non videtur peccato mortali. Varias eâ de re esse scio Theologorum opiniones, sed ea mihi probabilior ac tutior videtur, quam *Dominicus Soto*, *Medina*, *Sylvius*, aliique insignes Theologi propugnant.

REGULA XLIX.

Gaudere non licet de Pollutione quæ in somno contigit, etiam propter allevamentum naturæ.

DE ipso quidem allevamento naturæ, & de sanitate gaudere, honestum est: nec aliud voluisse videtur *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Distinctione IX. Quæstione I. Articulo IV. Quæstiuncula I. ad quintum, dicens: *Si autem placeant ut naturæ exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur.* At de Pollutione ipsa quæ allevamenti istius causa fuit, gaudere non licet: neque alia mens fuit Angelici Doctoris, qui Pollutionem per se malam actum secundùm se inordinatum, violatiónem ordinis naturalis, peccatum ex genere suo mortale, vitium contra naturam passim vocat; quæ proinde honestæ delectationis objectum esse non potest. Sicut gaudere non licet homini vigilanti de fornicatione, incestu, adulterio, homicidio ab eodem dormiente perpetratis, quamvis inde corporis valetudo, pinguis hereditatis consecutio, pax & tranquil- B litas seu domestica, seu privata provenerint: quia fornicatio, incestus, adulterium, homicidium per se & ex naturâ sua peccata sunt. Cùm igitur Pollutio sit luxuriæ species, fornicatione, adulterio, incestu, ipsáque sacrilegii corruptelâ gravior, ut docet *S. Thomas*; de illâ gaudere non licet potiori jure, quam de aliis luxuriæ speciebus, quodcumque bonum ex illa fuerit per accidens consecutum: quamvis de ipso bono ex illa consecuto gaudere liceat. Et licèt complacentiam in ipsa Pollutione quatenus allevatio corporis est, non quatenus delectatio carnalis, pec- C catum non esse daremus, periculosam tamen esse quis negare possit, cùm hujusmodi præcisiones in praxi sint difficillimæ? Hinc *Gersonius*, Tractatu *De Pollutione Diurna*, Propositione XI. *Videat*, inquit, *homo præsertim novitius, ne hujusmodi complacentiâ se fedacat, prætendens unum, & agens alterum. Salubrius est itaque cogitationes circa rem hanc divertere, quàm habere.*

Peccata contra naturam.

Hanc superiorémque Regulam *S. Augustinus* confirmat Libro X. *Confessionum* Cap. XXX. ubi confitetur quo modo se habeat ad tentationes carnalis libidinis. *Adhuc vivunt*, inquit, D *in memoria mea talium rerum imagines, quas ibi consuetudo mea fixit; & occursant mihi vigilanti quidem carentes viribus, in somnis autem non solùm usque ad delectationem, sed etiam usque ad consensionem factúmque simillimum. Et tantùm valet imaginis illusio in anima mea & in carne mea, ut dormienti falsa visa persuadeant quod vigilanti vera non possunt. Nunquid tunc ego non sum, Domine Deus meus? Et tamen tantùm interest inter me ipsum & me ipsum, intra momentum quo hinc ad soporem transeo, vel huc inde retranseo. Ubi est tunc ratio, qua talibus suggestionibus resistit vigilans? Et si res ipsæ* E *ingerantur, inconcussus maneo. Nunquid clauditur cum oculis? Nunquid sopitur cum sensibus corporis? Et unde sæpe etiam in somnis resistimus, nostrique propositi memores, atque in eo castissimè permanentes, nullum talibus illecebris adhibemus assensum? Et tamen tantùm interest, ut cùm aliter accidit, evigilantes ad conscientiæ requiem redeamus; ipsâque distantiâ reperiamus nos non fecisse, quod tamen in nobis quoquo modo factum esse doleamus. Nunquid non potens est, manus tua, Deus omnipotens, sanare omnes languores animæ meæ, atque abundantiore gratiâ tuâ lascivos motus etiam mei soporis extinguere? Augebis Domine, magis magisque in me munera tua,* F *ut anima mea sequatur me ad te concupiscentiæ visco expedita, ut non sit rebellis sibi, atque in somnis etiam non solùm non perpetret istas corruptelarum turpitudines per imagines animales usque ad carnis fluxum, sed ne consentiat quidem. Nam ut nihil tale vel tantillum libeat quantulum possit nutu cohiberi etiam in casto dormientis affectu, non tantùm in hac vita, sed etiam in hac ætate, non magnum est Omnipotenti, qui valet facere supra quàm petimus & intelligimus. Nunc tamen quid adhuc sim in hoc genere mali mei, dixi Domino bono meo, exultans cum tremore in eo quod donasti mihi, & lugens in eo quod inconsummatus sum, sperans perfecturum te*

in

in me misericordias tuas usque ad pacem plenariam, quam tecum habebunt interiora & exteriora mea, cùm absorpta fuerit mors in victoriam. (Peccata contra naturam.)

REGULA L.

Nocturna Pollutio ex praecedenti rerum turpium, seu carnalium vitiorum cogitatione proveniens, quam illarum comitatur desiderium, aut voluntaria in illis delectatio cum consensu, lethale peccatum est in suâ causâ.

ITa docet *S. Thomas*, Secunda Secundae, Quaestione CLIV. Articulo v. *Alia causa* (inquit) *nocturnae pollutionis potest esse animalis & interior, putà, cùm ex cogitatione praecedenti contingit aliquem dormientem pollui. Cogitatio autem quae in vigilia praecessit, quandoque est purè speculativa, putà, cùm aliquis causâ disputationis cogitat de peccatis carnalibus; quandoque autem est cùm aliqua affectione vel concupiscentiae, vel horroris. Contingit autem magis pollutio nocturna ex cogitatione carnalium vitiorum, quae sunt cum concupiscentia talium delectationum: quia ex hoc remanet quoddam vestigium & inclinatio in anima; ita quòd dormiens faciliùs inducitur in sua imaginatione ad assentiendum talibus ex quibus sequitur pollutio.* Hinc *Sanctus Augustinus* ait quòd, *Propter bonam animae affectionem, quaedam ejus merita etiam in somnis clarent.* Et sic patet quòd *Nocturna pollutio habet rationem culpae ex parte causae suae.* (Lib. XII. De Genesi ad literam, cap. 15)

REGULA LI.

Nocturna Pollutio ex praecedenti rerum turpium cogitatione merè speculativa, aut cum horrore; nec in se, nec in sua causa peccatum est.

(Nocturnae Pollutiones.) ITa docet *S. Thomas* loco mox laudato, & in IV. Sententiarum Distinctione IX. Quaestione I. Articulo IV. Quaestiuncula II. *Considerandum est*, inquit, *utrum in causa pollutionis possit inveniri peccatum praecedens, quia cogitatio turpium quandoque est sine peccato; sicut cùm in cogitatione tantùm manet; ut cùm quis disputans de talibus, oportet quòd loquens cogitet: aliquando etiam cum peccato veniali; quando ad affectionem cogitatio pertingens in sola delectatione finitur: quandoque etiam cum mortali, quando consensus adjungitur. Et quia cogitationi tali de propinquo est delectatio, & delectationi consensus, inde etiam in dubium potest verti, utrum sequens pollutio ex peccato acciderit, vel non; & aut veniali, aut mortali. Satis tamen probabiliter potest conjici non praecessisse consensum, quando in ipsa somni imaginatione anima dissentit. Non tamen oportet quòd si consentiat, consensus in vigilando praecesserit; quia hoc potest accidere propter ligamen judicii rationis, quod quandoque magis, quandoque minùs est liberum in somno.*

Et III. P. Quaestione LXXX. Articulo VII. *Praecedentes* (inquit) *cogitationes lascivae quandoque possunt esse omnino sine peccato; putà, cùm aliquis causâ lectionis vel disputationis cogitur de talibus cogitare. Et si hoc sit sine concupiscentia & delectatione, non erunt cogitationes immundae, sed honestae, ex quibus tamen pollutio sequi potest. Quando verò sunt ex concupiscentia & delectatione; & si adsit consensus, erit peccatum mortale, si autem desit, erit veniale.*

Confirmatur ex *S. Augustino*, Libro XII. *De Genesi ad literam*, Cap. XV. *Aliquando* (inquit) *fit quaestio de consensionibus somniantium, cùm etiam concumbere sibi videntur, vel contra propositum suum, vel contra etiam licitos mores. Quod non contingit, nisi cùm ea quae vigilantes etiam cogitamus, non cum placito consensionis, sed sicut etiam talia propter aliquid loquimur, sic admoventur in somnis & exprimuntur, ut eis naturaliter etiam caro moveatur, & quod naturaliter colligit, per genitales vias emittat, sicut hoc ipsum dicere utique non possem, nisi etiam cogitarem. Porrò imagines rerum corporalium, quas necessario cogitavi, ut hoc dicerem, si tanta expressione praesentarentur in somnis, quantâ praesentantur corpora vigilantibus, fieret illud quod sine peccato fieri à vigilante non posset. Quis enim vel cùm loquitur, & postulante necessitate sermonis de suo concubitu aliquid dicit, possit non cogitare quod dicit?* (Nocturnae Pollutiones.)

REGULA LII.

Pollutio nocturna, quae provenit ex illusione & operatione Daemonis phantasmata commoventis, veniale saltem in sua causa peccatum est, cùm neglexit homo se contra Daemonis illusiones oratione & invocatione divini auxilii praemunire.

ITa docet *S. Thomas*, Secunda Secundae, Quaestione CLIV. Articulo v. Et certè somno dare se non debent Christiani sicut caeteri homines, sed armis Christianae Militiae muniti, ut possint omnia tela Hostis nequissimi ignea extinguere, qui & in tenebris negotium suum agit, & in somno nobis insidiatur, nisi sopitis sensibus cor nostrum, sacrificio vespertino orationis expiatum, ad Deum semper vigilet. Quò flecti possunt illa Apostoli verba I. ad Thessalonicenses v. *Omnes vos filii lucis estis, & filii Dei: non sumus noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus sicut & caeteri, sed vigilemus, & sobrii simus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Nos autem qui diei sumus, sobrii simus, induti loricam fidei & caritatis, & galeam spem salutis. Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mortuus est pro nobis: ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus.*

Nec solùm ante quàm somni capiendi causâ in lecto decumbamus, sed & nocte cùm expergiscimur, Deum orare debemus, ne tentatione vincamur. Id nos docet Spiritus Sanctus per Prophetam dicentem: *Memor fui nocte nominis tui, Domine, & custodivi Legem tuam. Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiae tuae.* (Psalm. 118.) Quae verba *S. Ambrosius* exponens Sermone VI. in Psalmum CXVIII. ait: *Si studentes doctrinis saecularibus perparum somno indulgent; quantò magis qui Deum cupiunt cognoscere, non debent somno corporis impediri, nisi quantum natura satis est? David per singulas noctes lectum suum lachrymis diluebat: surgebat etiam noctis medio, ut Domino confiteretur; & tu totam noctem sopori existimas deputandam? Tunc magis tibi orandus est Dominus, tunc praesidia postulanda, culpa cavenda, quando videtur haberi secretum: tunc maximè quando tenebrae in circuitu meo, & parietes me operiunt, considerandum quia Dominus omnia intuetur abscondita. Ne dixeris ergo: Circumfusus sum tenebris, Quis me videt? & quem vereor septus parietibus & inclusus? quia* vultus Domini super facientes mala. *Deinde si arbitrum non vides, teipsum non vides? Tuae conscientiae testimonium non vereris? Nescis illam caliginem noctis non opertorium, sed incentivum esse peccati? Cùm somno & cibo fervent corpora, tunc etiam vigor mentis sopore alligatur, somno resolvitur: tunc irrepit impuri libido*

Nocturnæ Pollutiones. *concubitûs: tunc perturbatur cor, squallor immunditia non videtur, castitatis puritas non consideratur, pudicitiæ gloria non recensetur. Nox erat quando Judas prodidit, quando Petrus negavit. Illo igitur præcipuè tempore justificationes Dei animo retexenda sunt, relegenda mandata hortatoria. Illa de castitate præcepta non absint: his occupata mens flagrantiam libidinis, & carnis restinguat ardorem. Tene illud animo:* Lavabo per singulas noctes lectum meum. *Quis enim stupris deditus, flagitiis involutus, lavat per singulas noctes lectum suum? Nescit flere, qui flenda committit; & cùm sit ipse lacrymabilis, non habet pœna lacrymas sua. At ille qui castigat corpus suum, & sui sollicitus gubernator est, atque ingemiscens & dolens lapsus superioris offensa quærit quomodo ablaat eam fletibus pœnitentiæ, hic lavat per singulas noctes lectum suum. Non dormiamus ergo totis noctibus: sed maximam partem earum lectioni & orationibus deputemus. Audi Ecclesiam vocem quærentis etiam in noctibus Christum.* In cubili (*inquit*) meo in noctibus quæsivi quem dilexit anima mea. *Quæsivit in noctibus orando, deprecando, etiam lacrymis deplorando.* Cant. 3. 1.

Et Sermone 8. in illa verba, *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*, docet illo tempore maximè orandum esse Deum, & propria deflenda peccata, nec solùm de præteritis veniam postulare nos debere, sed etiam præsentia declinare, futuris cavere: *Multa enim in illo tempore tentamenta proserpunt. Tunc fervet carnis illecebra: tunc tentator illudit: coquitur cibus, potúsque digeritur, stomachus æger, mens somnolenta, animus occupatus est. Itaque aut quiescenti calor soporis augetur, aut vigilanti nondum plenior refusus est vigor, qui errorum cavere possit incursus. Tunc igitur Tentator adsistit, tunc retia jacit, quibus turbare possit mentem improvidam. Tunc spiritales nequitiæ tenebras offundunt: tunc omne nefas suadere contendunt, quando nullus arbiter culpæ, nullus criminis conscius, nullus potest esse erroris testis. Tunc varias disceptationes peccatori dormitanti infundunt; ut primò de statu mentis dejiciant reluctantem, & aliquorum qui sancti habentur, proponatur exemplum, quod illi aliquando deliquerint, sed postea veniam sint adepti, & texerint superiora delicta.*

Et infra. *Non potes oblivisci, cùm lectum ascendis, ejus Domini, cui in occasu diei precem fuderis, qui esuritatem te sui Corporis epulis expleverit. Etenim quod vesperi cogitaveris, citò cùm evigilaveris, recensebis. Excitabit te ipse Dominus Jesus: admonebit ut surgas, & eo tempore arma orationis adsumas, quo solet incursare Tentator.... Excubandum tibi est ne qua fraude vincaris: providendum ut eo tempore quo potes vincere, nequaquam vincendi tempus amittas.*

REGULA LIII.

Pollutio nocturna quandoque contingit absque omni culpa hominis, ex sola nequitia Dæmonis: cùm scilicet homo ante somnum se contra Dæmonis illusiones, quà par erat pietate, præparavit.

ITa docet *S. Thomas*, loco supra laudato; idque confirmat exemplo cujusdam Monachi, ex Collationibus *Cassiani*, Collatione XXII. Cap. VI. petito. Ille scilicet, quantvis cordis corporisque castitatem summâ vigilantiâ atque humilitate coleret & servaret, quoties tamen se ad Sacram Communionem præparabat, nocturna Pollutione fœdabatur. Sed cùm a Sacrosanctis Mysteriis diu trepidos abstineret, ad Seniorum tandem examen rem detulit, qui fœditatem illam Viro Religioso absque ejus culpâ, solâ Dæmonis illusione contingere cùm intellexissent, ipsum nihilominus ad Communionem Dominici Corporis accedere jusserunt: cujus virtute præteritæ illusionis consue-

A tudo cessavit. Tales igitur Illusiones & Pollutiones *Animus nesciens pertulisse magis dolendus est, quàm fecisse*; (ait S. Gregorius.)

Has autem illusiones immittit Cacodæmon vel ad turbandam puræ conscientiæ serenitatem & tranquillitatem; vel ad bonum opus impediendum, putà, celebrationem Missæ aut Eucharistiæ sumptionem; vel ut vigilanti placeat quod somniaos passus est; vel ut abstinentiam periculosam, & imprudentem vitæ austeritatem suadeat, & in insaniam præcipites agat, vel Dæmonis malitiâ B Deus utitur ut devotam mentem sic exerceat, & ex tali fœditate stimulatam in humilitate custodiat: ut docent SS. Patres, & Vitæ Spiritualis Magistri, & inter alios *Gersonius*, Tractatu *De Nocturna Pollutione*, Consideratione sexta.

REGULA LIV.

Pollutio in somnis inchoata, & evigilante homine consummata, non est peccatum mortale, nisi homo plenè expergefactus carnali delectationi consentiat.

C HÆc Regula colligitur ex *S. Thoma*, in IV. Sententiarum, Distinctione IX. Quæstione I. Articulo IV. Quæstiunculâ I. in Responsione ad quintum. *Nocturna* (inquit) *Pollutio magis judicatur quantùm ad rationem meriti vel demeriti, secundùm principium quod est in dormiendo, quàm secundùm terminum qui est in vigilando: quia ex quo in dormiendo excitatus est motus carnis, non subjacet voluntati vigilantis ulterius motus ille, nec reputatur evigilasse, quousque perfectum usum liberi arbitrii recuperavit. Potest tamen contingere, quòd in ipsa evigilatione* D *peccatum oriatur, siquidem Pollutio propter delectationem placeat: quod quidem erit veniale peccatum, si sit ex surreptione talis placentia: mortale autem, si sit cum deliberante consensu, & præcipuè cum appetitu futuri. Ista autem placentia non facit præteritam pollutionem peccatum; quia ipsius causa non est, sed ipsa in se peccatum est.* Idem confirmat *S. Antoninus* II. P. Titulo VI. Cap. V.

REGULA LV.

Pollutio vigilantium lethale peccatum est, cùm procuratur, aut ex libidinis peccato oritur, aut deliberata voluntate placet.

E HÆc Regula nititur auctoritate *S. Thomæ*, III. P. Quæstione LXXV. Articulo VII. & alibi; Pollutione vigilantium. eóque principio, quòd pollutio nunquam sit peccatum mortale, nisi sit plenè voluntaria, aut mens carnis voluptati ad consensum turpitudinis cedat. *Quod si illa concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ voluntatis legem quasi lege sua movetur: quantò magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?* (inquit *S. Augustinus*, Libro I. *De Civitate Dei*, Cap. XXV.) Idem S. Doctor Libro *De Continentia*, Cap. II. hanc Regulam confirmat. *Nunc autem*, inquit, *quando* F *concupiscit caro adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem, sat est nobis non consentire malis quæ sentimus in nobis. Cùm autem fit ista consensio, tunc exit ex ore cordis quod inquinat hominem. Cùm verò per continentiam consensio non tenetur, malum concupiscentiæ carnalis, contra quod pugnat concupiscentia spiritalis, nocere non sinitur.*

Et Cap. XIII. *Spiritus itaque hominis adhærens Spiritui Dei, concupiscit adversùs carnem, id est, adversùs se ipsum: sed pro se ipso, ut motus illi, sive in carne, sive in anima, secundùm hominem, non*

DE PECCATIS.

secundùm Deum, qui sunt adhuc per acquisitum languorem, continentiâ celibeantur, propter adquirendum salutem: ut homo non secundùm hominem vivens, jam possit dicere: Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus. *Ubi enim non ego, ibi felicius ego: ut quanto secundùm hominem reprobus nullus motus exsurgit, cui non consentiat qui mente legi Dei servit, dicat etiam,* Jam non ego operor illud... *Quorum ergo vita erat abscondita in Deo admonentur, & exhortantur, ut membra sua mortificent quæ sunt super terram. Id enim sequitur:* Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram. *Et ne quisquam nimis tardus membra ista visibilia corporis, mortificanda putaret à talibus, continuò quid dicat aperiens,* Fornicationem, *inquit,* immunditiam, concupiscentiam malam, & avaritiam. *Ita ne verò credendum est, quòd isti qui jam mortui erant, quorùmque vita abscondita erat cum Christo in Deo, adhuc fornicabantur, adhuc in moribus immundis operibúsque vivebant, adhuc perturbationibus, concupiscentiæ malæ, atque avaritiæ serviebant? Quis demens ista de talibus senserit? Quid ergo vult ut mortificent, opere scilicet Continentiæ, nisi motus ipsos adhuc in sua quadam interpellatione, sine nostræ mentis consensione, sine membrorum corporalium operatione viventes, & quomodo isti mortificantur opere continentiæ, nisi cùm eis mente non sentitur, nec exhibentur eis arma corporis membra; & quod est majus, atque vigilantiâ continentiæ majore curandum, ipsa etiam nostra cogitatio, quamvis eorum quodam modo suggestione & quasi susurratione tangatur, tamen ne ab eis oblectetur, avertitur, & ad superna delectabiliùs cogitanda convertitur; ob hoc ea nominans in sermonibus, ne habitetur in eis, sed fugiatur ab eis?* Quamvis porrò pollutio cum sensu voluptatis consummetur, non ideo peccatum est, nisi præcedat, comitetur, aut subsequatur consensus. Aliud enim est sensus, aliud consensus. Cæterùm cùm plerumque difficile sit certò cognoscere an pollutio ex consensu expresso vel interpretativo, directo vel indirecto, pleno vel imperfecto, aut absque ullo consensu superioris rationis contigerit, expedit illam in Sacramentali Confessione declarare cum circumstantiis omnibus. Cùm autem vigilanti præter voluntatem contingit illa obscœnitas, non solùm rejiciendæ sunt, & abnegandæ turpes cogitationes, non solùm mortificatio carnis adhibenda, & divinæ gratiæ auxilium invocandum, sine quâ nemo continens esse potest, sed sistenda & cohibenda, quantùm fieri potest seminis fluxio: *Quoniam* (inquit piissimus Gersonius) *etsi hæc retentio nocere debeat corpori, proderit Animæ.* Addit, Naturam alio fortè modo se allevare. Exemplo puerperarum mulierum rem illustrat, quibus arescunt ubera, cum lac elici desinit, alioqui jugiter scaturit, & fluere paratum est. *Sic pollutiones istæ & pruritus tutiùs abstinendo vincuntur.* Rescindendæ tandem sunt radices & causæ pollutionis, etsi præter voluntatem evenientis, eâ tamen prudentiâ ne majori cum periculo, detrimento spirituali, & scandalo rescindantur: nec ex adverso admittantur quæ ex se reprehendenda sunt, vel periculosa, ut lubrici aspectus, societas & familiaritas nimia cum alterius sexûs personis, delectationem pariens etsi non per se libidinosam, periculi tamen plenam, & quæ sensibus plus æquo blandiatur: quæ nihilominus sub officiis aliquibus spiritualis ædificii, qualia sunt Confessio, lectio, vel studio, aliquando se abscondit. Monita sunt Gersonii, Tractatu *De Pollutione Diurna.*

Galat. 2. Rom. 7. Coloss. 3.

DE PECCATIS.

REGULA LVI.

Quamvis Mollities inter vitia contra Naturam infimum sit gravitate, plures tamen sunt hoc in flagitio malitiæ gradus, in Sacramentali Confessione necessariò exprimendi.

PRima pars Regulæ traditur à *S. Thoma*, Secunda Secundæ, Quæst. CLIV. Art. XII. in Responsione ad quartum. *Gravitas,* (inquit) *in peccato magis attenditur ex abusu alicujus rei, quàm ex omissione debiti usus. Et ideo inter vitia quæ sunt contra Naturam, infimum locum tenet peccatum immunditiæ, quod consistit in sola omissione concubitûs ad alterum.*

In peccato mollitiei varii malitiæ gradus.

Altera pars Regulæ explicatur. Gravius enim peccatum est pollutio voluntaria in Viro Religioso, aut Sacris Ordinibus initiato, in Sanctimoniali, aut Virgine simplici voto castitatis obstrictâ, quàm in Laicis: Sacrilegii siquidem malitiâ cumulatur. Gravius in conjugato, quàm in soluto. Item si quis inter pollutionem conjugatæ mulieris copulam expetat, aut illius morosa cogitatione delectetur, gravius peccatum est, quàm si de soluta cogitaret, illámque concupisceret: si de consanguinea, vel affine, gravius peccatum est, quàm si de extraneâ; si de persona Deo sacra, gravius est crimen, quàm si de sæculari & profana. Idemque judicium esto de peccato mulieris, quæ inter pollutionem de viro cogitat cum desiderio vel affectu carnali, pro varietate scilicet objectorum in quæ tendit desiderium vel affectus, seu quibus adhæret morosa cogitatio, nova luxuriæ specie distinctæ deformitas ad pollutionem accedit, puta sacrilegii, incestus, adulterii, &c. Quamobrem circumstantias illas in Sacramentali Confessione declarare omnino necesse est.

Item pollutio quæ fit aliena manu & contactu, seu ad quam aliqui mutuò se excitant gravius peccatum est eâ quàm quis sibi procurat nullo conscio vel consorte criminis. Sui enim & alieni peccati reus est, qui alterum fœda contrectatione contaminat, aut ab illo se contaminari patitur: multóque magis reus est, qui tanti flagitii nescium aut inexpertem docet; vel repugnantem, aut turpitudinem hujusmodi aliàs non admissurum, ad illam impellit attrectatione aut titillatione, pudendorum nudatione, osculis, blanditiis, obscœnis verbis & cantibus. Hinc in Romano Pœnitentiali triginta dies Pœnitentiæ ac Jejunii in pane & aqua imponuntur illis, qui se mutuâ contrectatione polluerunt: illis verò qui soli ad pollutionem se excitarunt, decem duntaxat dies.

Gravius item peccatum est, cùm iis modis procuratur, qui ad Sodomiæ vel bestialitatis execranda crimina propiùs accedunt, de quibus *B. Petrus Damiani*, libro qui *Gomorrhianus* inscribitur cap. 1. Unde & Pœnitentiale Romanum, & Pœnitentiale Bedæ, graviorem Pœnitentiam illis indicunt, qui contra corpus aliquod molle, quasi concumbendo se contaminaverint, viginti scilicet dierum Jejunium in pane & aqua. Graviorem rursus iis qui inter aliorum ejusdem sexus femora se polluerint, scilicet quadraginta dierum Jejunium in pane pariter & aqua.

REGULA LVII.

Inordinatus concubitus lethale peccatum est, simplici pollutione gravius, cùm semen extra vas debitum effunditur, & quoties ejus effusionis periculum imminet; quoties denique generatio defectu debiti ordinis in modo concumbendi, etiam in usu Matrimonii, impeditur.

Inordinati concubitus enormitas.

HUjus peccati gravitatem pluribus in locis Scriptura Sacra cum execratione notat. Genesis XXXVIII. Peccatum *Her* & *Onam* detestatur, qui in copula conjugali se retrahebant, semenque fundebant extra vas naturale. *Dedit Judas uxorem primogenito suo Her, nomine Thamar. Fuit quoque Her primogenitus Judæ nequam in conspectu Domini, & ab eo occisus est. Dixit ergo Judas ad Onam filium suum: Ingredere ad uxorem fratris tui, & sociare illi, ut suscitet semen fratri tuo. Ille sciens non sibi nasci filios, introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcirco percussit eum Dominus, quòd rem detestabilem faceret.* C

Id confirmat *S. Augustinus*, Libro II. *De Adulterinis Conjugiis*, cap. XII. *Illicitè* (inquit) *& turpiter etiam cum legitima uxore concumbitur, ubi prolis conceptio devitatur. Quod faciebat Onam filius Judæ, & occidit illum propter hoc Deus.*

Et Libro *De Bono Conjugali*, cap. XI. *Cùm* (inquit) *ille naturalis usus, quando prolabitur ultra pacta nuptialia, id est, ultra propagandi necessitatem, venialis sit in uxore, in meretrice damnabilis; iste qui est contra naturam, exsecrabiliter fit in meretrice, sed exsecrabiliùs in uxore. Tantùm valet ordinatio Creatoris & ordo creaturæ, ut in rebus ad utendum concessis, etiam cùm modus exceditur, longè sit tolerabiliùs, quàm in eis quæ concessa non sunt, vel unus vel rarus excessus. Et ideo in* D *re concessa immoderatio conjugis, ne in rem non concessam libido prorumpat, toleranda est. Hinc est etiam quòd longè minùs peccat quamlibet assiduus ad uxorem, quàm vel rarissimus ad fornicationem. Cùm verò vir membro mulieris non ad hoc concesso uti voluerit, turpior est uxor si in se, quàm si in alia fieri permiserit.* Ex hoc *S. Augustini* loco conflatum est Cap. *Adulterii*, Causâ XXXII. Quæst. VII.

E Eandem Regulam confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XXXI. in Expositione Textûs. *Usus* (inquit) *contra naturam conjugis est, quando debitum vas prætermittit, vel debitum modum à natura institutum quantùm ad situm: & in primo semper est peccatum mortale, quia proles sequi non potest; unde totaliter ratio naturæ frustratur: sed in secundo modo non semper est peccatum mortale, ut quidam dicunt, sed potest esse signum mortalis concupiscentiæ: quandoque etiam sine peccato esse potest, quando dispositio corporis alium modum non patitur: aliàs tanto est gravius,* F *quanto magis à naturali modo receditur.*

Et Secunda Secundæ, Quæstione CLIV. Articulo XII. in Responsione ad quartam Objectionem: *Gravitas in peccato* (inquit) *magis attenditur ex abusu alicujus rei, quàm ex omissione debiti usus. Et ideo inter vitia quæ sunt contra naturam, infimum locum tenet peccatum immunditiæ, quod consistit in sola omissione concubitûs ad alterum. Gravissimum autem est peccatum bestialitatis, quia non servatur debita species. Post hoc autem est vitium sodomiticum, cùm ibi non servetur debitus sexus. Post hoc autem est peccatum ex eo, quod non servatur* A *debitus modus concumbendi. Magis autem si non sit debitum vas, quàm si sit inordinatio secundùm aliqua alia pertinentia ad modum concubitûs.*

REGULA LVIII.

Sodomia gravius peccatum est pollutione simplici & inordinato concubitu.

B NEfarium illud crimen, quod in cælum clamare dicitur, Deus igne & sulphure ultus est, quo Sodomam & Gomorrham, omnémque regionem finitimam consumpsit Genes. XVIII. *Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam & videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint: an non est ita ut sciam.* Humano modo Deus loquitur. Abominandum adeo crimen est, ut vix credibile sit homines ad imaginem Dei creatos illud committere, à quo vel bruta ipsa animantia abhorrent. Descendam igitur, & videbo. Et cap. XIX. *Igitur Dominus pluit super Sodomam* C *& Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo; & subvertit civitates has, & omnem circa regionem, universos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia.* De quibus *S. Judas* Apostolus in Epistola Catholica: *Sicut* (inquit) *Sodoma & Gomorrha, & finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.* In ipsa qualitate ultionis notavit Deus maculam criminis, ut observat *S. Gregorius*, Libro XIV. *Moralium*, cap. X. *Sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem. Quia itaque ad perversa desideria ex carnis fœtore* D *arserant, dignum fuit ut simul igne & sulphure perirent: quatenus ex justa pœna discerent, ex injusto desiderio quid fecissent.* Pœnam capitis in hujus criminis reos Deus Lege veteri decrevit: Levitici XX. *Qui dormierit cum masculo coitu femineo, uterque operatus est nefas, morte moriantur, sit sanguis eorum super eos.* Ethnicos Philosophos in pœnam superbiæ & idololatriæ Deus, ita excæcavit, non quidem infundendo malitiam, sed non impartiendo gratiam, ut in pudendum illud & execrandum scelus, solutis libidinis frænis præcipites ruerent, Apostolo teste ad Romanos I. E *Propter quod* (inquit) *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis: qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in secula, Amen. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ; nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem & masculi relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris* F *sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt.*

De flagitii istius gravitate audiendus *S. Joannes Chrysostomus*, Homiliâ IV. in Epistolam ad Romanos: ubi Sodomitas *Iis etiam qui mortem sibi ipsi consciscunt, deteriores esse affirmat. Præstiterit enim mori, quàm tantâ contumeliâ acceptâ vivere. Nam qui se ipse interimit, is animam à corpore dissociat: at hic animam unà cum corpore perdit. Quodcunque porrò delictum nominaveris, nullum huic peccato par dixeris: qui si facta ,ua*

Peccati Sodomitici enormitas.

Pœna abominandi ejus criminis à Deo inflicta.

Peccata contra naturam.

O scœnitas ...

DE PECCATIS.

sentirent qui patiuntur, sexcentas utique mortes obirent, ut ne hoc paterentur. Neque enim est hâc injuriâ alia ulla gravior, nec rat onis minùs habeas. Nam si de scortatione Paulus differens dixit, Peccatum omne, quodcunque commiserit homo, extra corpus esse, qui autem scortatur, cum in proprium corpus delinquere: quid de insania hac dixerimus, quæ ipsa tanto est de scortatione deterior, quantùm ne verbis quidem exprimere licet? Neque enim hoc solum dico, quòd femina effectus sis, sed quòd perdideris ipsum hoc, nimirum virum esse: & quod neque in hanc transieris naturam, neque quam haberet asservaveris, sed communis utriusque effectus sis proditor, dignus quem tum viri, tum feminæ lapidibus à se exigant, tanquam qui utrumque genus injuriâ affeceris. Atque ut intelligas, quantùm hoc dominum sit, si quis ad te adiens promitteret fore, ut te ex viro canem efficeres, nonne ab eo tanquam exitioso declinares? Tu verò te ipsum non ex viro canem effecisti, sed animal hocce animante infamius: id enim ad usum accommodum; at catamitus nullibi usui esse possit. Quid autem, quæso, si quis profiteatur præstiturum se ut viri pariant, & à partu in lecto decumbant, nonne irâ excandesceremus? At qui sic faciunt, deteriore conditione sunt. Neque enim par idémque fuerit, in muliebrem naturam migrare, & vir interim dum manet, feminam fieri, quin potius neque hoc, neque illud fuerit. Quòd si & aliunde mali enormitatem pernoscere vis, interroga quamobrem qui se ipsi eunuchos faciunt, eos Legislatores pœnis afficiant, & intelliget id non ob aliud esse, nisi quòd naturam mutilent: quanquam non usque adeo illi injurii sunt: sunt enim vel post mutilationem multis quidem locis usui qui exsecti fuerint. At quisquis scortum se facit, hoc nihil esse potest inutilius: neque enim anima solùm, verùm & corpus ejus, qui hæc patrat, infame est, ac certè dignum quod undequaque exterminetur. Quot obsecro gehennæ his plectendis sufficerent? Quòd si audito gehennæ nomine irrides, ac fidem non habes, illum ignem recordare Sodomorum.... Nam posteaquam permulti verba despicerent, illis Deus per ipsa demum opera gehennæ effigiem ostendit nova quadam ratione. Erat enim præter omnium opinionem pluvia illa, quoniam quidem & præter naturam ipsam coitio: atque ea quidem pluvia terram exussit, quoniam & illorum animos desiderium: Ob quod pluvia eadem ferebatur contra quam quotidiana ista ferri solent. Neque enim non excitabat modò terræ uterum ad fructuum generationem, & ad seminum susceptionem inutilem efficiebat. Talis enim erat ipsa Sodomitarum coitio, ejusmodi corpus inutilius reddens. Quid enim viro corpus suum meretricio more prostituente abominabilius? Quid scelestius? O vos & brutis insipientiores, & canibus impudentiores! Nusquam enim hujusmodi congressus apud illos, sed agnoscit proprios terminos natura. Vos autem genus nostrum infamius brutorum genere effecistis.

Scelus intolerabile. Et Libro III. *Adversus Vituperatores Vitæ Monasticæ*, cap. VII. *Amor quidam novus & nequissimus nostra ætate in nostrum genus irrupit, & latè dominatur, morbus irruit acerbus atque insanabilis, pestis teterrima, atque omni pernicie immanior & gravior invecta est, scelus quoddam novum & intolerabile excogitatum est. Non enim scripta & constituta modò, verùm ipsæ quoque naturæ pervertuntur leges. Nihil jam fere ad impudicitiæ rationem fornicatio esse existimatur. Cæterum ut in doloribus cùm passio incumbit violentior, prioris doloris sensum omnem sua magnitudine intercipit: sic hujus quoque magnitudo flagitii facit, ut quod suaptè naturâ tolerabile non est, non jam videatur esse intolerabile, obscœna scilicet cum mulieribus libido. Optandum enim jam votis omnibus videtur posse hujusmodi retia effugere, periclitatúrque jam superfluus effectus sexus muliebris, adolescentibus vices ejus implentibus. Quòd etiam per se est acerbissimum, facit id profectò ut deterius sit, quòd tantum scelus, tam nefarium facinus incredibili audacia, summáque jam cum libertate admittitur, flagitiúmque lex factum est.* Et infra: *Cur cum admittantur Sodomorum scelera, non tamen contingunt Sodomorum clades? Quia manet istos ignis alius longè illo gravior, cruciatúsque finem nullum habens ... Nam si nos ipsi quoque super hic irascimur & indignamur, Deus cui omnium maximè totius mortalium generis cura incumbit, qui vitia vehementer & aversatur & odit, quando ista impunè admitti scelera passurus est? Immittet in illos penitus manum illam validissimam & plagam non ferendam, doloremque cruciatuum semp ternorum adeo gravissimum, ut si Sodomorum clades illi conferatur, ludus puerorum esse existimetur. Quam enim Barbarorum feritatem isti non sua improbitate transcenderunt? Quod belluarum genus congressu suo impurissimo non superaverunt? Est in quibusdam mutarum animantium à natura insitus libidinis ardor incredibilis, cupidóque intolerabilis, & nullo ab insania differens: quæ tamen amorem hunc nefarium non norunt, sed intra leges à natura præstitutas permanserunt. At isti & rationales conditi, divináque magisterio periti, quidve agendum sit vel non, aliis quoque annuntiare jussi, non ita licentiosè ac sine meta cum meretricibus, ut cum adolescentibus congrediuntur.*

Supplicia Sodomorum clade longè graviora hujus flagitii reis parata.

Stupratoribus puerorum, nec in fine dandam esse Communionem, decrevit Illiberitana Synodus, Canone LXXI. Execrandi istius criminis reos, si Clerici fuerint, Depositione & rejectione ex Clero, ac detrusione in Monasterium ad agendam Pœnitentiam; si Laici, Excommunicatione plecti, statuunt Concilium Lateranense III. sub *Alexandro III.* Canone XI. & refertur Capite *Clerici*, Extra, *De Excessibus Prælatorum*; Concilium Lateranense IV. sub *Innocentio III.* Canone XIV. & refertur Cap. *Ut Clericorum*, Extra, *De Vita & Honestate Clericorum*; necnon Concilium Toletanum XV. Canone III. Clericos hujus flagitii reos degradari & sæculari Judici tradi sanxit *S. Pius V.* Gladio vel igne scelus tantum vindicari Principum Leges sanxerunt. *Constantius & Constans* Impp. L. *Cùm vir*, ad Legem Juliam de Adulteriis: *Cùm vir nubit,* (inquiunt) *in femina viros paritura quid cupiatur, ubi sexus perdidit locum, ubi scelus est quod non proficit scire, ubi Venus mutatur in alteram formam; ubi amor quæritur, nec videtur? Jubemus insurgere Leges, armari Jura gladio ultore, ut exquisitis pœnis subdantur infames, qui sunt, vel qui futuri sunt rei.*

Pœnæ Ecclesiasticæ in stupratores puerorum.

Pœnâ capitis plectendum tantum scelus secundum Leges Principum.

Valentinianus, Theodosius, & Arcadius, Augusti L. VI. Tit. VII. Lib. IX. Cod. Theodos. *Omnes* (inquiunt) *quibus flagitii usus est virile corpus muliebriter constitutum alieni sexus damnare patientia, (nihil enim discretum habere videntur cum feminis,) hujusmodi scelus, spectante populo, flammis vindicibus expiabunt.* Cùm occultum est, Casus est nihilominus reservatus Episcopis cum Excommunicatione, severissimáque Pœnitentia plectendus. *Hoc namque peccatum sancti Patres Divino Spiritu afflati, meritò in sacris Canonibus acriùs cæteris judicandum decreverunt, quoniam eo regnante, & statum Christi Ecclesiæ infirmari, & Regnum periclitari apertè cognoverunt*; ut loquitur Concilium Parisiense VI. Libro I. cap. XXXIV.

Casus reservatus cum Excommunicatione.

REGULA LIX.

Peccatum Sodomiticum aliud alio gravius est.

Peccata contra naturam.

GRaviùs enim peccat, qui turpiter agit, alúmque impellit ad crimen, eo qui turpiter patitur. Graviùs peccat Sodomita conjugatus, quàm solutus; graviùs Ordine Sacro aut Voto solemni Deo mancipatos, quàm Laicus; graviùs consanguinei vel affines, in primo præsertim vel secundo gradu, nefariam illam & præposteram copulam exercentes; graviùs maturi judicii viri, quàm adolescentes vel pueri; graviùs senes quàm juvenes; graviùs item qui diu in abominanda illa fœditate hærent, quàm qui semel in eam prolapsi, mox ad Pœnitentiam confugerunt. Quamobrem hujusmodi circumstantias perscrutari debet Confessarius, ut convenientem Pœnitentiam imponat.

Confirmatur hæc Regula ex Canone xv. Ancyrani Concilii. *De his* (inquit) *qui irrationabiliter versati sunt, sive versantur, quotquot ante vigesimum annum tale crimen commiserint, quindecim annis exactis in Pœnitentia, Communionem mereantur orationum. Deinde quinquennio in hac Communione durantes, tunc demum Oblationis Sacramenta contingant. Discutiatur autem & vita eorum, quales Pœnitudinis tempore extiterint, & ita misericordiam consequantur. Quòd si inexplebiliter his hæsere criminibus, ad agendam Pœnitentiam prolixius tempus insumant. Quotquot autem peracta viginti annorum ætate, & uxores habentes, hoc peccato prolapsi sunt, viginti quinque annis Pœnitudinem gerentes, in Communionem suscipiantur orationum. In qua quinquennio perdurantes, tunc demum Oblationis Sacramenta percipiant. Quòd si qui & uxores habentes, & transcendentes quinquagesimum annum ætatis, ita delinquerent, ad exitum vitæ Communionis gratiam consequantur.*

Et Canone xvi. *Eos qui irrationabiliter vixerint,* (id est, qui cum masculis, vel brutis animantibus nefariè commisti fuerint,) *& leprâ injusti criminis alios polluerint, præcepit sancta Synodus inter eos orare, qui spiritu periclitantur immundo.*

Hos Canones observari, & secundùm illos Pœnitentiam imponi decrevit Concilium Parisiense vi. Lib. 1. cap. xxxiv. *Proinde omnibus nobis valdè necessarium visum est, ut quidam Sacerdotes, qui hoc vitium aliter quàm sacri Canones sanciant, non ad salutem, sed ad deceptionem Animarum puniunt, corrigantur & instruantur, ut Codicibus Pœnitentialibus prorsus abdicatis, per quos multi inani spe & promissione decepti sunt, & decipiuntur, ab hinc patratores tam nefandissimi Deóque detestabilis vitii, secundùm judicium canonicum, quod in Ancyrano Concilio sub Titulo xvi. continetur, judicentur.*

REGULA LX.

Clericis in Sodomiam lapsis, vel qui se diu ac frequenter ad Pollutionem soli excitarunt; vel cum aliis longo usu; vel cum pluribus, brevi licèt tempore, se contaminarunt, Confessarii in Sacro Pœnitentiæ Tribunali prohibere debent ne suorum Ordinum functiones exerceant, & ad altiores gradus ascendant: Laicis verò sacrorum Ordinum susceptio debet interdici: nec aliâ conditione concedenda ipsis est Absolutio.

Peccata contra naturam.

HAnc Regulam *B. Petrus Damiani* adstruit & probat in Opusculo quod inscribitur, *Liber Gomorrhianus.* Postquam enim quatuor gradus peccati contra naturam distinxit, hæc subjungit cap. 11. *Hujus sanè perditionis obnoxii sæpe largiente divinâ clementiâ resipiscunt, atque ad satisfactionem veniunt, & Pœnitentiæ quidem pondus quamlibet grave devotè suscipiunt, Ecclesiasticum verò Ordinem perdere vehementer perhorrescunt. Quidam namque rectores Ecclesiarum circa hoc vitium humaniores forsitan quàm expediat, absolutè decernunt, propter tres illos gradus, qui superius enumerati sunt, neminem à suo Ordine debere deponi: hos autem solummodo non abnuunt degradari, quos ultimo actu cecidisse constiterit. Unde fit, ut qui cum octo vel decem aliis æquè sordidis in hanc nequitiam lapsus esse cognoscitur, nihilominus in suo Ordine permanere videatur. Quæ proculdubio impia pietas non vulnus amputat, sed ut augeatur, fomitem subministrat: non perpetrati illiciti actus prohibet amaritudinem, sed perpetrandi potiùs tribuit libertatem. Carnalis quippe cujuslibet ordinis homo magis formidat & expavescit in conspectu hominum despici, quàm in superni Judicis examine condemnari: ac per hoc mavult quamlibet districta, quamlibet animosa Pœnitentiæ sustinere laborem, quàm sui gradus periculo subjacere: & dum per indiscretam discretionem non timet statum sui honoris amittere, incitatur & inexperta præsumere, & in his quæ inutilè præsumsit, diutiùs permanere: atque ut ita dixerim, dum illic non feritur, ubi acriùs dolet, in eo, in quo semel corruit, cœnosæ obscœnitatis volutabro molliter jacet. Sed ut nobis videtur, valdè præposterum est, ut consuetudinaliter hac purulentâ contagione fœdati, vel ad Ordinem provehi, vel in Gradu persistere audeant jam promoti: quia & rationi contrarium, & Canonicis Patrum Sanctionibus probatur adversum.*

Laicis in pollutiones voluntarias diu ac frequenter lapsis, adhuc ad Sacros Ordines præcludendus.

Can. 6.

Probat subinde ex *S. Gregorio* Lib. x. Epistolâ xiii. ad *Passivum* Episcopum, Neminem ad Ecclesiasticum Ordinem promoveri debere, qui in illud crimen lapsus est, quod Vetus Lex præcipit morte damnari. Indéque colligit: *Quia quisquis vir cum viro labitur, quod nimirum scelus per vetustæ Legis sententiam morte mulctatur, etiamsi honestis moribus polleat, si Psalmodiæ studio ferveat, si in amore orationis enitescat, & omnino religiosam vitam sub approbata famæ testimonio ducat, reatus quidem indulgentiam plenè potest accipere, ad Ecclesiasticum verò Ordinem nequaquam permittitur aspirare. Nam cùm de illo venerabili viro* IMPORTUNO, *qui primùm tanto fervore laudis attollitur, tot religiosæ & honestæ vitæ insignis redimitur, tot virtutum præconiis decoratur, tamen postmodum dicitur:* « Si nulla ei crimina, quæ per sacræ Legis regulam morte mulctata sunt, obviant, tunc ordinandus est: *Patet profectò, quia quem dignum morte crimen abjecerat, qualibet religiosæ vitæ subsequens ad suscipiendum Ecclesiastici Gradus Ordinem non reformat.*

Clericis hujus criminis reis vetandum ne ad altiores Ordines ascendant.

Cap. xiii.

DE PECCATIS.

Cap. XIII. laudat Ancyranæ Synodi Canonem XV. ex quo ita colligit : *Si ergo quilibet Sæcularis hujus facinoris reus, peractâ viginti-quinque annorum Pœnitentiâ, in Communionem quidem orationum, necdum autem ad percipienda Oblationum Sacramenta admittitur ; quo pacto religiosus non solùm ad percipienda, sed etiam ad offerenda & consecranda ipsa sacra Mysteria idoneus judicabitur ? Si vix illi permittitur ut Ecclesiam cum aliis oraturus introeat ; qualiter isti dabitur ut ad Altare Domini pro aliis intercessurus accedat ? Si ille antequam tam prolixum Pœnitentiæ spatium transigat, non meretur audire, iste quomodo dignus est Sacra Missarum solemnia celebrare ? Si ille qui minùs peccavit, utpote per latum sæculi iter incedens, indignus est cœlestis Eucharistiæ Munus ore percipere ; qualiter iste meretur tam terribile Mysterium pollutis manibus contrectare ?*

Cap. XIV. Sequenti Canone ejusdem Concilii recensito, quem uti & decimum-quintum non de solis corruptoribus masculorum, sed de pollutionis cujuslibet reis intelligendum esse censet, ita colligit : *Liquet profectò, quia quocunque modo per ardorem libidinis vir cum viro polluitur, non inter Catholicos Christianos, sed inter Dæmoniacos orare præcipitur ; quatenus si carnales homines ex semetipsis nesciunt pensare quod sunt, ab ipsis saltem valeant edoceri, cum quibus sunt communi orationis ergastulo deputati. Et certè satis dignum est, ut qui contra legem naturæ, contra humanæ rationis ordinem, carnem suam per tam fœda commercia dæmonibus tradunt, communem orationis angulum cum dæmoniacis sortiantur. Nam cùm his malis ipsa penitus natura humana resistat, difficultatem diversi sexus abhorreat, luce clariùs constat, quia nunquam tam aversa, tam aliena præsumerent, nisi eos, utputà, vasa iræ apta in interitum, iniqui Spiritus pleniter possiderent : sed cùm eos possidere incipiunt, tunc per omne quod implent, invasi pectoris tartareum virus suæ malignitatis infundunt ; ut jam illa inhianter appetant, non quæ naturalis motus carnis efflagitet, sed quæ sola diabolica præcipitatio subministret. Nam cùm vir in virum ad perpetrandam immunditiam irruit, non est ille naturalis impetus carnis, sed tantùm diabolicæ stimulus impulsionis. Vigilanter ergo Sancti Patres Sodomitas cum Energumenis simul orare sanxerunt, quos eodem diabolico spiritu invasos esse non dubitaverunt. Quomodo ergo per Sacerdotalis Officii dignitatem inter Deum & Populum debet Mediator assistere, qui à totius Populi congregatione sejunctus, nunquam nisi inter Dæmoniacos jubetur orare ?*

Cap. XV. Idem probat ex *S. Basilio* ita decernente : *Clericus vel Monachus adolescentum vel parvulorum insectator, vel qui osculo, vel qui aliqua occasione turpi deprehensus fuerit, publicè verberetur, & coronam amittat, decalvatúsque turpiter sputamentis abliniatur in facie, vinculisque arctatus ferreis, carcerali sex mensibus angustiâ maceretur, & triduo per hebdomadas singulas ex pane hordeaceo ad vesperam reficiatur : post hæc aliis sex mensibus sub Senioris Spiritualis custodia, segregatâ in curticula degens, operi manuum, & orationi sit intentus, vigiliis & orationibus subjectus & sub custodia semper duorum spiritualium Fratrum ambulet, nulla prava locutione vel consilio deinceps Juvenibus conjungendus.* Ex quibus *B. Petrus Damiani* ita colligit : *Hic carnalis homo studiosè perpendat, utrum Ecclesiasticis Officiis tutò ministrare valeat, quem sacra Auctoritas tam ignominiosis, tam turpibus dehonestandum contumeliis judicat. Nec ex eo sibi blandiatur, quia neminem corruperit, cùm apertissimè scriptum videat, quia qui solo osculo, vel aliqua occasione turpi deprehensus fuerit, omnibus illis probrosæ disciplinæ confusionibus meritò subjacebit. Quòd si osculum tam austera ultionis supplicia plectitur, ipsa cum alio contaminatio quid meretur ? Ad puniendum namque cui crimini, cui immanissimo sceleri non sufficeret publicè verberari, coronam amittere, turpiter decalvari, salivarum spurcitiis obliniri, carceralibus angustiis diutius comprimi, ferreis insuper vinculis coarctari ? Postremùm quoque hordeaceo pane refici præcipitur : quia qui factus est sicut equus & mulus, congruè non cibo reficitur hominum, sed annona pascitur jumentorum. Porrò si hujus peccati pondus pensare negligimus, in ipso saltem Pœnitentiæ judicio, quod imponitur, manifestissimè declaratur. Quisquis enim Canonicâ Censurâ publicam subire Pœnitentiam cogitur, profectò Ecclesiasticis indignus Officiis perspicuâ Patrum Sententiâ judicatur. Unde & B. Papa Siricius inter cetera scripsit, dicens : Illud quoque nos par fuit providere, ut sicut Pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & post Pœnitudinem ac Reconciliationem nulli unquam laïco liceat honorem Clericatus adipisci : quia quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerant vasa vitiorum. Cùm ergo hujus peccati obnoxium non solùm duram, sed & publicam Pœnitentiam B. Basilius subire præcipiat, Pœnitentem verò Clericatus Ordinem obtinere Siricius interdicat ; manifestè colligitur, quia qui fœda cum masculo libidinosa immunditia sordo polluitur, Ecclesiasticis fungi officiis non meretur : nec idonei sunt Divinum tractare Mysterium, qui, ut dicitur, dudum fuerant vasa vitiorum.*

Confirmatur hæc Regula auctoritate *Leonis Noni* Pontificis Maximi, qui Gomorrhianum *B. Petri Damiani* Librum approbavit Epistolâ Decretali ad ipsum scriptâ ; *Clerici verò* (inquit) *de quorum vita spurcissima flebiliter pariterque rationabiliter tua Prudentia disputavit, verè & omninò verè ad funiculum hereditatis ejus non pertinent, de quo ipsi voluptuosis se oblectationibus summovent. Qui si pudicè conversarentur, non solum Templum Dei sanctum, sed ipsum etiam Sanctuarium dicerentur, in quo divino candore conspicuus ille Dei Agnus immolatur, per quem fœda totius orbis lues lavatur. Tales nimirum Clerici etsi non verborum, tamen operum testimonio profitentur, quia non existunt quod censentur. Quo enim modo Clericus possit esse vel nominari, qui proprio arbitrio non metuit se inquinare ? De qualibus, quia sancto fervore permotus, quæ tibi videbantur, scripseras : oportet, sicut desideras, Apostolicam nostram interponamus Auctoritatem, quatenus scrupulosam legentibus auferamus dubietatem : & constet omnibus certum nostro judicio placuisse quæcumque continet ipse Libellus diabolico igni velut aqua oppositus.*

Et paulo post : *Ecce*, inquit, *illi, qui quavis quatuor generum, quæ dicta sunt fœditate polluuntur, prospectâ æquitatis censurâ, ab omnibus immaculata Ecclesiæ gradibus, tam sacrorum Canonum, quàm nostro judicio depelluntur. Sed nos humaniùs agentes, eos qui vel propriis manibus, vel invicem inter se egerunt semen, vel etiam qui inter femora profuderunt, & non longo usu, nec cum pluribus, si voluptatem refrænaverint, & digna Pœnitudine probrosa commissa luerint, admitti ad eosdem gradus, in quibus in scelere manentes, non permanentes fuerant, divinæ miserationi confisi, volumus atque etiam jubemus : ablatâ aliis spe recuperationis sui Ordinis, qui vel per longa tempora secum, sive cum aliis, vel cum pluribus, brevi licèt tempore quolibet duorum fœditatis genere, quæ descripseras, maculati ; vel, quod est horrendum dictu & auditu, in terga prolapsi sunt.*

De Luxuria.

Contra quod nostrum Apostolicæ Sanctionis Decretum si quis ausus fuerit vel judicare, vel laxare, Ordinis sui se noverit periculo agere. Qui enim non pungit vitium, sed palpat; cum eo qui vitio moritur, ipse quoque mortis reus meritò judicatur.

Leo Decimus Constitutione VII. quæ incipit, *Superna*, statuit ut *Quicunque Clerici illâ incontinentiâ quæ contra naturam est, propter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ, deprehensi fuerint laborare, à Clero dejiciantur, vel ad agendam in Monasteriis Pœnitentiam detrudantur.* Sanctus Pontifex Pius Quintus *Clericos hujus nefarii criminis reos omni Privilegio Clericali, omnique Officio, Dignitate, & Beneficio Ecclesiastico* privat: ita quòd per Judicem Ecclesiasticum degradati, Potestati statim sæculari tradantur, iisdem pœnis puniendi, quibus Laïci in illud crimen prolapsi, (Constitutione V. quæ incipit, *Cùm primùm*, & LXXII. quæ incipit, *Horrendum.*)

REGULA LXI.

Peccatorum contra naturam gravissimum est Bestialitas.

ID Genesis XXXVII. 3. indicari ait Glossa, ubi de Joseph dicitur: *Accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Contra illud abominationis genus à Deo lata lex est, *Levitici* XX. Cap. *Qui cum jumento & pecore coierit, morte moriatur; pecus quoque occidite. Mulier quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo: sanguis eorum sit super eos.*

Tot Regulis ut Luxuriæ species explicarem, hominum corruptela, & Confessariorum instructio necessaria compulit. Si quis ad illarum lectionem impudicus accedit, *Facta denotet sua turpitudinis, non verba nostra necessitatis; in quibus mihi facillimè pudicus & religiosus lector vel auditor ignoscit.... Legit enim hæc sine offensione, qui non exhorret Apostolum horrenda feminarum flagitia re-» prehendentem, quæ* Immutaverunt naturalem u-» sum, in eum usum qui est contra naturam: *Præcipuè quia verba, sicut illa, obscœna vitamus.* Cum *S. Augustino* loquor, Libro XIV. *De Civitate Dei*, Cap. XXIII.

Rom. 1.

ARTICULUS IV.

De Luxuriæ Filiabus.

LUxuriæ filiæ octo à *S. Gregorio*, Libro XXXI. *Moralium*, Cap. XVII. recensentur, scilicet *Cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror vel desperatio futuri.* De quibus *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CLIII. Articulo V.

Cæcitas mentis.

I. *Cæcitas mentis, peccatum est, pœna peccati, & causa peccati, quâ aliquis suâ libidine excæcatus, in rebus agendis bonum & legitimum finem sibi non ponit ob oculos, vel ab eo deflectit & aberrat.* In hujus rei figuram Angeli ante excidium Sodomæ in domum *Loth* descendentes, Genes. XIX. *Clauserunt ostium. & eos qui foris erant, percusserunt cæcitate à minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent.* Quibus verbis significatur, eos qui carnalibus voluptatibus sunt immersi, in cæcitatem incurrere spiritalem, ita ut Christum invenire non possint, qui de seipso dicit: *Ego sum ostium.* Luxuriosis convenit illud Psalmi: *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Prohibet nimirum ignis luxuriæ, ne in Christum Justitiæ Solem, & Lucem Mundi, ac in spiritualia bona, quæ illius lumine revelantur, oculos intendant. In hujus iterum rei figuram *Naas* Rex Ammonitarum bellum gerens contra viros Jabes Galaad I. *Regum* Cap. XI. ait: *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrûm oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Israel.* Naas Diabolus est, contra filios Israël, id est, fideles, crudele bellum gerens. Illi se dedunt homines impudici, & cum illo fœdus percutiunt, operibus, si minùs verbis dicentes: *Habeto nos fœderatos: & serviemus tibi.* At ille pactum cum ipsis init hac conditione, ut eruat ipsorum oculos dextros, ne Deum, ejúsque legem præ oculis habeant. Diaboli typus Nabuchodonosor Rex Babylonis, qui captum *Sedeciam* Regem Hierosolymis fugientem excæcavit, occisis coram eo filiis, & captivum Babylonem abduxit: IV. *Regum* Cap. ultimo. Hierosolymis Sancta Civitate fugit impudicus, divinóque destitutus præsidio, venit in potestatem Dæmonis, qui Babyloni impiorum civitati dominatur, à quo extinctis bonis operibus, Spiritûs Sancti & humanæ voluntatis filiis, excæcatur, & catenis cupiditatum & peccatorum suorum vinctus, Babylonem confusionis Regnum captivus abducitur. Hinc de Senibus illis impudicis, qui *Susannæ* castitati sunt insidiati, *Danielis* XIII. scriptum est: *Exarserunt in concupiscentiam ejus, & everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum.* Et illorum alteri dixit Daniel: *Species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum.*

Psalm. 57. 9.

Præcipitatio.

II. *Præcipitatio, peccatum est, quo quis libidinis impetu abreptus, absque consilio & deliberatione in actum exteriorem prosilit.* Hinc *Deuteronomii* XXXII. Moyses ait: *Gens absque consilio est, & sine prudentiâ. Utinam saperent, & intelligerent, & novissima providerent!* Ex præteritorum scilicet recordatione, præsentium consideratione, futurorum solerti prævisione, ratio unum cum altero conferens, & docilitas majorum atque prudentiorum sententiis acquiescens, optimum consilium ineunt, quo ductus homo media legitimi finis assecutioni convenientia eligit. Præcipitatio incipit a verbo cordis, quod est propositum faciendi aliquid. Homo nempe cupiditatis impetu abreptus quod menti primùm occurrit, agere deliberat, absque sufficienti examine. Hinc *Job* XVIII. Cap. dicitur: *Nonne lux impii extinguetur, nec splendebit flamma ignis ejus? Lux obtenebrescet in tabernaculo illius, & lucerna, quæ super eum est, extinguetur. Arctabuntur gressus virtutis ejus, & præcipitabit eum consilium suum. Immisit enim in rete pedes suos, & in maculis ejus ambulat.*

Quando præcipitatio est mortale peccatum.

Qui temerè & ex præcipitatione aliquid agit, *Avertens se à Regulis Divinis*, aut *contemnens & repudians divina documenta*, mortalis peccati reus est. Si verò præceps prosilit in opus, *Absque contemptu Divinæ Regulæ, sed cum detrimento seu defectu eorum, quæ sunt de necessitate salutis, iterum est mortale*, vel circumstantia peccati mortalis; (inquit *S. Antoninus*, II. P. Tit. V. Cap. X.) Exemplis rem illustrat. *Sicut (inquit) cùm debeat quis semel in anno confiteri & communicare, subitò accedit ad confessionem sine aliqua præcogitatione; cùm tamen habeat multa intricamenta, & gravia peccata, propter quod parum dicit, & multa omittit gravia, quæ de facili menti occurrissent, & sic sibiò communicat indispositus.* Illa Confessionis Præcipitatio,

pitatiu, *Mortale peccatum* est. Similiter si quis disputationem habiturus cum Infidelibus de rebus arduis: præcipiti motu & improvisò id aggrediatur, *Unde probabiliter deficere possit, & confundi fides*: quod periculum maturâ provisione & præmeditatione potuisset avertere, mortalis peccat reus. Si autem aliquid præcipiti motu & temerè operetur *Absque detrimento eorum quæ sunt de necessitate salutis*, erit veniale dumtaxat peccatum.

Contingit secundò Præcipitatio in verbis, contra quam *Ecclesiastis* v. dicitur *Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo.* Et Ecclesiastici IX. *Terribilis in civitate sua homo linguosus: & temerarius in verbo suo odibilis erit.* In tribus autem præcipue cavendam Præcipitationem, *S. Antoninus* monet, in Sententiis scilicet proferendis; in dubiis, quæ conscientiam spectant, solvendis; in revelandis arcanis.

In quibus præsertim cavenda præcipitatio?

Quoad primum, *David* injustitiam commisit, quia præceps fuit in Sententia contra *Miphiboseth* Saülis filium ferenda. Cùm enim *Davidi* Absalomum fugienti occurrisset *Siba* Procurator Miphiboseth cibaria afferens, ac de ipso Miphibosethâ domino suo interrogatus, calumniam in illum adornasset, remansisse dicens Hierosolymis, lætum de *Davidis* ejectione, & spe recuperandi Regni quod à *Saule* translatum fuerat in *Davidem*, erectum atque animatum: David re ad examen & deliberationem non vocatâ, bona *Miphiboseth* in *Siba* dominium subitò transcripsit, (II. *Regum* Cap. XVI.) Cùmque infelix Miphiboseth Regi Hierosolyma reduci occurrens, innocentiam suam probasset, *Siba* calumniam aperuisset, præcipitem tamen Sententiam *David* non revocavit, sed possessiones inter *Miphiboseth* ac *Sibam* dividi jussit, (II. *Regum*, Cap. XIX.)

Præcipitatio in ferenda sententia.

Triplex dubium.

Quoad secundum, *S. Antoninus* triplex dubium esse notat. Juris scilicet, facti, & personæ. Cùm certum est factum, sed dubitatur quis fecerit, tunc (inquit) potest ferri certa Sententia, non contra personam aliquam determinatè, sed in genere, nempe in Excommunicationem ipso facto incursurum, qui tale delictum commiserit, nisi infra statutum tempus satisfecerit; ut colligitur ex Canone *Quidam*, Causâ v. Quæstione I. Ubi verò factum ambiguum & obscurum est, non est ferenda Sententia alteri nocitura: verbi gratiâ, si dubitatur utrum aliquis justè aliquid possideat, vel non; seu utrum aliqui in gradu prohibito contraxerint, vel non; in tali dubio non debet ferri Sententia in damnum alterius, ut colligitur ex Canone *Grave*, Causâ XI. Quæstione III. cujus hæc sunt verba ex *S. Gregorio* Libro VIII. Epistola XXX. desumpta: *Grave est & satis indecens, ut in re dubia certa detur Sententia.* In dubiis Juris, *Id sequendum, quod nec Evangelicis Præceptis contrarium, nec Decretis Sanctorum Patrum invenitur adversum*; ut dicitur Canone *Sicut quadam*, Distinctione XIV. qui ex *S. Leone* sumptus est. *Ubi autem reperiuntur diversæ opiniones & adversa solemnium Doctorum in aliqua materia* (inquit S. Antoninus) *nec habetur expressa circa hæc declaratio per auctoritatem Scripturæ, vel determinatio per Ecclesiam, tunc periculosum est præcipitare sententiam, & ita uni opinioni adhærere, quòd alteram condemnet ut hæreticam vel damnabilem, sicut cognoscere uxorem menstruatam, asserere quod sit mortale; emere imprastita Venetiarum seu Jura Montis Florentiæ, quòd sit usura, & multa hujusmodi. In his igitur quamvis tutior via sit eligenda & consulenda, non tamen est præcipitanda sententia, condemnando alteram opinionem. Et hæc est contra multos Prædicatores & Confessores modernos, qui sunt nimis faciles ad judicandum aliquid esse mortale.* Nathan Propheta interrogatus a *Davide* utrum Domino Deo templum ædificare deberet, præceps responsum dedit inconsulto Deo: *Omne*, inquit, *quod est in corde tuo, vade, fac, quia Dominus tecum est.* Ideo Sententiam revocare coactus est jubente Deo, & *Davidi* ut Propheta denuntiare, Ipsum non ædificaturum Domino, sed filium ejus pacificum Salomonem (II. *Regum* VII.) Josue, Tribuúmque Israëliticarum Principes præcipites fuêre ad ineundum fœdus cum Gabaonitis simulatoribus, ideóque illos decipi Deus permisit, quia *Os Domini non interrogaverunt*, & Gabaonitas, aliàs delendos, Deus servari voluit ob juramenti reverentiam, ut narratur *Josue IX.*

De Luxuria.

Quoad tertium, præcipitatio *Samsonis* ad arcanum suum *Dalila* revelandum, ipsi exitii causa fuit, ut refertur *Judicum* XVI. Hinc *Jeremiæ* IX. scriptum est: *Unusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.*

Contingit denique præcipitatio in opere, cùm aliquis opus aggreditur & exequitur absque examine, ut si ad Sacerdotium vel ad Monasticam Professionem Episcopus vel Abbas ignotum, non exploratâ ejus vocatione, dotibúsque necessariis, admittant: si quis Prælatum, sive Superiorem quemcumque ignotum eligat: vel opus aliquod arduum, viribus suis priùs non tentatis aggrediatur. Hinc Canone *Inter hæc*, I. Distinctione III. *De Pœnitentia*, qui ex *Origene* & *Hesychio* magna ex parte sumptus est, dicitur: *Lenta virtus & cunctatrix ante judicat, quàm incipit, quid decorum, quid honestum: iniquitas omnia præcipitat.* Et Canone *Ponderet*, qui *Calixto I.* nomine refertur Distinctione L. dicitur: *Nos enim tempore indigemus, ut aliquid maturiùs agamus. Nec præcipitemus consilia & opera nostra, neque ordinem corrumpamus.*

Præcipitatio in opere.

III. *Inconsideratio, peccatum est ex libidine veluti ex radice progerminans, quo aliquis à recto judicio deficit, ex hoc quod contemnit vel negligit attendere ea ex quibus rectum judicium procedit.* Judicii namque directrix & moderatrix est consideratio, de qua dicitur Proverb. IV. *Oculi tui videant recta, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* De qua *Sanctus Bernardus* Libro I. *De Consideratione*, Cap. VII. *Quid sit pietas quæris? Vacare considerationi. Quid tam pertinet ad cultum Dei, quàm quod ipse hortatur in Psalmo?* Vacate & videte quoniam ego sum Deus? *Quod sanè in partibus considerationis præcipuum est. Quid denique tam valens ad omnia, quàm quæ ipsius quoque actionis partes benigna quadam præsumptione suas facit, præagendo quodammodo, & præordinando quæ agenda sunt? Necessariò sanè: ne fortè quæ & prævisa & præmeditata poterant esse proficuo, præcipitata magis periculo fiant..... Et primum quidem ipsum fontem suum, id est, mentem de qua oritur, purificat consideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat, postremò divinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert. Hæc est quæ confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc est quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat aut incorrectum, aut correctione egens.* Cùm autem ejus quatuor sint partes, & quatuor considerare debeamus, scilicet nos ipsos, quæ sub nobis, quæ circa

Inconsideratio.

Psalm. 45.

De Luxuria. nos, quæ supra nos sunt, ut latè *S. Bernardus* explicat in Libris *De Consideratione*; rectum de his omnibus judicium impedit luxuria mater inconsiderationis.

Inconstantia. IV. *Inconstantia, peccatum est quo vir libidinosus à bono proposito recedit, aut mediocri difficultate fractus, aut voluptate illectus.* Hujusmodi autem recessûs principium ab appetitu quidem est: non enim aliquis recedit à bono proposito, nisi propter aliquid quod sibi inordinate placet: sed iste recessus non consummatur nisi defectu rationis id tepudiantis quod rectè acceptaverat: (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LIII. Articulo V.) Cùm nempe resistere possit cupiditatum impetui, si non resistat, id ipsius debilitati tribuendum est, quæ non stat firmiter in bono proposito concepto. Cùm itaque ratio recta triplici actu hominem dirigat in agendis, consilio, judicio, & præcepto; luxuria quæ *Totam animam absorbet, & trahit ad sensibilem delectationem, & extinguit judicium rationis*, (ut loquitur *S. Thomas*) consilium præcipitatione, judicium inconsideratione, præceptum, seu bonum propositum de præcepti executione conceptum, inconstantiâ obruit & evertit. Unde Sapientiæ IV. scriptum est: *Fascinatio nugacitatis obscurat bona: & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia.* Quamobrem libidinosis & luxuriosis hominibus præcipuâ quadam ratione convenit illud Psalmi LXXVII. *Averterunt se, & non servaverunt pactum, quemadmodum patres eorum, conversi sunt in arcum pravum.* Averterunt se à Deo recedentes, ad quem per Pœnitentiam, Religiosæ vitæ Professionem, Ordinem sacrum, aut bonum quodvis propositum conversi erant: & non servaverunt pactum cum Deo initum in Baptismo, vel Pœnitentia, vel Professione Religiosa, aut Sacra Ordinatione. Quemadmodum patres eorum, conversi sunt in arcum pravum. Arcus pravus est, qui cùm tenditur ad vibrandas sagittas, frangitur, & deficit: sic libidinosi, cùm tempus adest exequendi bonum quod se facturos proposuerant & promiserant, & divina mandata implendi, quavis etsi modica difficultate fracti, aut voluptate illecti, bonum propositum abjiciunt.

Amor sui. V. *Amor sui, pravus est & inordinatus affectus, quo viri libidinosi carnem suam, carnisque voluptates, præ cæteris rebus omnibus, præ officiis suis, præ Dei & Ecclesiæ mandatis, præ Deo ipso diligunt.* Hi scilicet intimo corde, sin minùs voce aiunt: Sap. 2. *Venite, & fruamur bonis quæ sunt, & utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter. Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrûm exsors sit luxuriæ nostræ: ubique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.* De illis Apostolus II. ad *Timotheum* III. scribit: *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines se ipsos amantes.... Incontinentes.... voluptatum amatores magis quàm Dei.* Amor ille sui quamvis filia sit luxuriæ quatenus in carnis voluptates quasi in finem tendit: commune tamen peccatorum principium est, quatenus privatum quodcumque hominis bonum inordinatè appetit. Hinc *S. Augustinus* hæc verba Psalmi LXXIX. *Incensa igni, & suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt*, de peccatis interpretatus, ait: *Quæ sunt peccata succensa igni & effossa? Quid fecerat amor malus? Tanquam ignem succenderat. Quid fecerat timor malus? Tanquam effoderat. Amor quippe inflammat, timor humiliat: ideo peccata mali amoris, igne succensa sunt: peccata mali timoris, effossa sunt.*

De Luxuria. Odium Dei. VI. *Odium Dei, est aversio à Deo, quâ viri luxuriosi quandoque ipsum refugiunt & ab ejus Lege abhorrent, quatenus carnis voluptates prohibet, æternásque pœnas impudicis infligit.* Quod quidem peccatum omnium gravissimum est, cùm opponatur caritati, quæ est maxima virtutum. Hinc *S. Gregorius* Libro XXV. *Moralium*, Cap. XI. ait: *Sicut nonnunquam gravius est peccatum diligere, quàm perpetrare: ita nequius est odisse justitiam, quàm non fecisse.*

Affectus præsentis sæculi. VII. *Affectus præsentis sæculi*, seu inordinatus vitæ præsentis amor, *peccatum est, quo libidinosi homines carnalibus voluptatibus ita capiuntur, ut hujus sæculi vitam fruendæ voluptatis causâ perpetuam esse vellent, de superna felicitate nihil curantes.* His convenit illud Psalmi XIII. *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Sæculi præsentis immoderatus amor inimicos Dei facit, teste Apostolo *S. Jacobo* Cap. IV. Epistolæ Catholicæ: *Qui voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur*: & *S. Joanne* Epistolâ I. Cap. II. *Nolite* (inquit) *diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo: quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, & concupiscentia ejus.* Miseri! qui mundum amant ob voluptates fœdas, momentaneas, fastidium & amaritudinem parientes. Unde *Proverb.* V. dicitur: *Favus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus: novissima autem illius amara quasi absinthium.* Mundus amaritudo. Cæci! qui mundum tot amaritudinibus respersum amant ob falsi nominis voluptates. *Fœdus est mundus, non amatur. Ecce talis est, & sic amatur. Ruinosa est domus, & piget migrare. Matres, sive nutrices, ne pueri multum sugant, ubi eos grandescere viderint, & non jam decere ut lacte nutriantur, illos tamen molestè mammis inhiare, circumliniunt papillas suas aliqua amaritudine, quâ offensus parvulus lac ulterius non requirat. Quid ergo adhuc tam delectabiliter fugitur, si amarus tibi factus est mundus? Implevit Deus amaritudinibus mundum, & inhias tu, incumbis tu, sugis tu; nonnisi unde & inde voluptatem capis. Quamdiu? Quid si dulcis esset, quomodo amaretur? Offendunt te ista, elige aliam vitam. Ama Deum, contemne ista. Despice res humanas, quandocunque hinc iturus: non enim hîc futurus semper. Et tamen sic, quomodo malus est, quomodo amarus est Mundus, quomodo plenus est calamitatibus Mundus, si dictum tibi esset à Deo quòd semper hîc esses, lætitiâ te non caperet, exsultares, gratias ageres. Unde? Quia miseriam non finires. Ipsa est major infelicitas, quæ se amari cogit. Minor esset, si non amaretur: tantò pejor est, quantò plus amatur.* Verba sunt *Sancti Augustini*, Sermone CCCXI. aliàs *De Diversis*, CXV. Vera voluptas in carnalium voluptatum fastidio, in sæculi contemptu, in conscientiæ puritate posita est, secundùm præclaram illam *Tertulliani* Sententiam, Libro *De Spectaculis*, Cap. XXIX. Vera voluptas. *Dicas velim: Non possumus vivere sine voluptate, qui mori cum voluptate debemus? Nam quod est aliud votum nostrum, quàm quod & Apostoli, exire de sæculo, & recipi ad Dominum? Hic voluptas, ubi & votum. Jam nunc puta delectamentis exigere spatium hoc. Cur tam ingratus es, ut tot & tales voluptates à Deo contributas tibi satis non habeas, neque recognoscas? Quid enim jocundius, quàm Dei Patris & Domini reconciliatio, quàm veritatis revelatio, quàm errorum recognitio, quàm tantorum*

De Luxuria.

vatio criminum venia? Quæ major voluptas, quàm fastidium ipsius voluptatis? quàm sæculi totius contemptus? quàm vera libertas? quàm conscientia integra?

Horror seu desperatio futuri sæculi.

VIII. *Horror* seu *Desperatio futuri sæculi, peccatum est quo viri libidinosi mortem ac judicium divinum ita metuunt, ut de fœlicitatis æternæ consecutione desperent.* Cùm enim mors iis voluptatibus finem allatura sit, quas intemperanter appetunt & sectantur, fieri non potest quin illam horreant. Deinde stimulis conscientiæ tantò ampliùs vexati, quantò se illicitis voluptatibus profundiùs immerserunt, diutiùsque in illis hæserunt, diffidunt de veniâ; quo fit ut novas in libidines prolabantur, ex quibus nunquam emergunt ad Pœnitentiam. Hinc *Oseæ* v. cap. scriptum est: *Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum: quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognoverunt.* Et ad Ephesios IV. *Desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis.* Hinc *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione LXXIII, Articulo v. ad secundum, ait: *Diabolus dicitur maximè gaudere de peccato luxuriæ, quia est maximæ adhærentiæ, & difficilè ab eo homo potest eripi.*

Stultitia.

IX. Alias alii luxuriæ filias recensent, scilicet *Stultitiam, turpiloquia, scurrilitatem.* Et stultitiam quidem filiam esse luxuriæ, *S. Thomas* docet, Secunda Secundæ, Quæstione XLVI. A. III. *Stultitia* (inquit) *secundùm quod est peccatum, provenit ex hoc quòd sensus spiritualis hebetatus est, ut non sit aptus ad spiritualia dijudicanda. Maximè autem sensus hominis immergitur ad terrena per luxuriam, quæ est circa maximas delectationes, quibus anima maximè absorbetur. Et ideo stultitia quæ est peccatum, maximè nascitur ex luxuria.* Unde *Proverb.* VII. de juvene meretricem sequente dicitur, *Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens, & ignorans quòd ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus: velut si avis festinet ad laqueum, & nescit quòd de periculo animæ illius agitur.* Appositè *S. Hieronymus*, Lib. I. *Adversus Jovinianum* scribit: *Amor formæ rationis oblivio est, & insaniæ proximus: fœdum minimèque conveniens animo sospiti vitium: turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit, à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit: querulos, iracundos, temerarios, durè imperiosos, serviliter blandos, omnibus inutiles, ipsi novissimè amori facit. Nam cùm fruendi cupiditate insatiabilis flagrat, plura tempora suspicionibus, lachrymis, conquestionibus perdit, odium sui facit; & ipse novissimè sibi odio est.* Sed stultitia vel ad cæcitatem mentis, vel ad inconsiderationem pertinet: pertinet etiam ad odium Dei, & desperationem futuri sæculi. Hinc *S. Thomas* loco mox indicato, in Responsione ad primum, ait: *Ad stultitiam pertinet quòd homo habeat fastidium de Deo & donis ipsius. Unde duo S. Gregorius numerat inter filias luxuriæ, quæ pertinent ad stultitiam, scilicet odium Dei, & desperationem futuri sæculi, quasi dividens stultitiam in duas partes.*

Quòd spectat turpiloquia, scurrilitatem, & stultiloquia, ad præcipitationem & inconsiderationem illa pertinere manifestum est. Cùm enim ex abundantia cordis os loquatur, luxuriosi, quorum cor turpibus concupiscentiis plenum est, facilè ad turpia verba prorumpunt. Præcipitatio quoque & inconsideratio mala luxuriæ germina pronum hominem faciunt in verba leviter & inconsideratè dicta, quæ scurrilia vocantur.

De Luxuria.

X. Dicendi finem non fecero, si vitia omnia percensere voluero, quæ ex luxuria oriuntur, vel illam comitantur. Hinc Magdalenam peccatricem septem Dæmonia possederant. *Septenario numero* (inquit S. Gregorius) *universitas vitiorum designatur. Rectè ergo septem Dæmonia habuit, quæ universis vitiis plena fuit.* Hinc *S. Ambrosius* Lib. *De Elia & Jejunio*, cap. XIX. ait: *Luxuria nec fidem habet, nec observantiam disciplinæ: Luxuria seminarium & origo vitiorum est. Nec arbitremini me adversus Apostolum dixisse, quia ille ait: Avaritiam radicem esse vitiorum omnium, quoniam luxuria ipsius est mater avaritiæ. Etenim cùm exhauserit quis luxuriando proprias facultates, quærit postea avara compendia.* I. Tim. 6.

ARTICULUS V.

De Remediis contra Luxuriam.

Luxuriæ turpitudo, & pœnæ considerandæ.

I. REmedia contra Luxuriam partim in cogitatione, partim in actione consistunt, inquit Concilii Tridentini Catechismus P. III. cap. VII. Quod in cogitatione remedium positum est, id in eo maximè versatur, ut intelligamus quanta sit hujus peccati turpitudo & pernicies, quæ pœnæ ipsum consequantur. Ponatur ergo ob oculos generale totius orbis diluvium, cujus causa fuit hominum libido. *Omnis quippe caro corruperat viam suam super terram.* Unde Deus ait: *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Et dixit ad Noë, *Finis universæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.* Revocetur in memoriam supplicium Israëlitarum, qui fornicati sunt cum filiabus Moab in deserto, *Numerorum* XXV. De quo Apostolus I. ad Corinthios X. *Neque fornicemur* (inquit) *sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt una die viginti-tria millia.* Item Benjaminiticæ Tribus deletio, *Judicum* XX. Qui verò mortem effugiunt, aliis tamen corporis animique pœnis gravissimis sæpe plectuntur: & præsertim cæcitate mentis, quæ pœna omnium gravissima est: ita ut neque Dei, nec salutis æternæ, neque famæ, neque dignitatis, neque filiorum, vitæque suæ rationem habeant: sicque adeo nequam & inutiles fiunt, ut nihil grave committi eis debeat, & ad nullum fere officii munus idonei sint. Funesta hujus rei exempla in *Davide* & *Salomone* cernimus, quorum alter, scilicet *David*, postquam adulterium commisit, repente sui dissimillimus, ex mitissimo crudelis evasit, ut *Uriam* optimè de se meritum morti exponi jusserit. (II. *Regum* XI.) Alter verò, scilicet *Salomon*, cùm se totum in alienigenarum mulierum libidinem effudisset, in idololatriam lapsus est, (III. *Regum* XI.) Quamobrem *Oseæ* IV. scriptum est: *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Hinc *S. Gregorius* Libro XVI. *Moralium*, cap. XXIX. verba illa explicans, *Dulcedo ejus vermis*, quæ Job. XXIV. leguntur, ait: *Luxuriosi ergo atque carnis voluptatibus dediti quanta sit cæcitas mentis demonstratur, cùm dicitur*, Dulcedo ejus vermis. *Quid namque caro, nisi putredo & vermis est? Et quisquis carnalibus desideriis anhelat, quid aliud quàm vermem amat?*

Genes. 6.

Otii, crapulæ, & ebrietatis fuga.

II. Remediorum verò in actione positorum, primum est, otii fuga, necnon crapulæ & ebrietatis, quæ ad luxuriam provocant. Unde *Ezechielis* XVI. scriptum est: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & otium ipsius, & filiarum ejus.* David in adulterium lapsus est, cùm de strato suo post meridiem surrexisset, & in solario Domus Regiæ deambularet: *Eo tempore quo solent Reges ad bella procedere*, otio vacans. Hinc *S. Hieronymus* Epistolâ IV. *Ama* (inquit) *scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis.... Facito aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum.* Quantùm verò fugiendæ sint crapula & ebrietas ad custodiam castitatis, Scriptura Sacra non uno in loco docet. Exodi XXXII. *Sedit Populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Quem locum *Tertullianus* Lib. *De Jejuniis* proferens, ait: *Intellige sanctæ Scripturæ verecundiam, lusum nisi impudicum non denotasset.* Eodémque in Libro ait: *Appendices gulæ lascivia, atque luxuria.* Proverb. XX. *Luxuriosa res vinum.* Ad Ephesios V. *Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Hinc *S. Hieronymus* Lib. II. *Adversus Jovinianum* scribit: *Non ei debemur cui nascimur, sed cui renascimur, qui repugnantem carnem, & ad libidinum incentiva rapientem, inedia subjugamus. Esus carnium & potus vini, ventrisque saturitas, seminarium libidinis est. Unde & Comicus:* SINE *Cerere* (inquit) *& Libero friget Venus.* Hinc *Pompeii* Amphitheatrum *Baccho* simul & *Veneri* dedicatum; Qua de re *Tertullianus* Libro *De Spectaculis*, ait: *Duo ista Dæmonia conspirata & conjurata inter se sunt, ebrietatis & libidinis. Itaque theatrum Veneris, Liberi quoque domus est.* Hinc *S. Gregorius*, Curæ Pastoralis P. III. Admonitione XX. *Plerumque*, inquit, *edacitas usque ad luxuriam pertrahit, quia dum satietate venter extenditur, aculei libidinis excitantur.... Gula deditos luxuria sequitur, Propheta testante, qui dum aperta narrat, occulta denuntiat, dicens* (Jerem 5. 2.) *Princeps coquorum destruxit muros Jerusalem.* Princeps coquorum venter est. Muri Jerusalem, virtutes animæ ad desiderium supernæ pacis elevatæ. *Coquorum ergo Princeps muros Jerusalem dejecit, quia dum venter ingluvie distenditur, virtutes animæ per luxuriam destruuntur.*

Proverb. 6.

Nimia [illegible] & familiaritas [illegible] vitanda.

III. Tertium remedium est, nimiam frequentationem & familiaritatem mulierum vitare. *Nunquid enim potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem*, &c. Et Ecclesiastici XLII. *In medio mulierum noli commorari: de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. Melior est enim iniquitas viri, quàm mulier benefaciens, & mulier confundens in opprobrium:* Id est, mulieris, quamvis piæ, societas periculosior, quam viri improbi. Et cap. IX. *Speciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti sunt. Colloquium enim illius quasi ignis exardescit. Cum aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum: & non altercaris cum illa in vino, ne fortè declinet cor tuum in illam.*

Pervigil sensuum custodia.

IV. Quartum remedium est fidelis & vigilans custodia sensuum: *Quia ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras*, (ut dicitur *Jeremiæ* IX.) id est, *Per omnes sensus ad animæ interitum mors introit peccatorum*, (ut *S. Hieronymus* explicat; quem eo de argumento disserentem Libro II. *Contra Jovinianum*, audire operæ pretium est.) *Per quinque sensus*, inquit, *quasi per quosdam fenestras, vitiorum ad animam introitus est. Non potest antè Metropolis & arx mentis capi, nisi per portas ejus irruerit hostilis exercitus. Horum perturbationibus anima prægravatur, & capitur aspectu, auditu, odoratu, sapore, tactu. Si Circensibus quispiam delectetur, si Athletarum certamine, si mobilitate histrionum, si formis mulierum, splendore gemmarum, vestium, metallorum, & cæteris hujuscemodi: per oculorum fenestras animæ capta libertas est, & impletur illud Propheticum:* Mors intravit per fenestras nostras. *Rursum auditus vario organorum cantu, & vocum inflexionibus delinitur, & carmine Poetarum, & Comœdorum, Mimorúmque urbanitatibus & strophis, & quicquid per aures introiens virilitatem mentis effeminat. Odoris autem suavitas, & diversa thymiamata, & amomum, & cyphi, œnanthe, muscus, & peregrini muris pellicula, quod dissolutis & amatoribus conveniat, nemo nisi dissolutus negat... Tactus autem alienorum corporum, & feminarum ardentior appetitus, vicinus insaniæ est. Ob hunc sensum cupimus, irascimur, gestimus, invidemus, æmulamur, solliciti sumus: & expleta voluptate, per quamdam plenitudinem rursus accendimur, querimúsque facere, quod cum fecerimus, iterum pœniteamus. Igitur cùm per has portas quasi quidam perturbationum cunei ad arcem nostræ mentis intraverint, ubi erit libertas, ubi fortitudo ejus, ubi de Deo cogitatio? Maximè cùm tactus depingat sibi etiam præteritas voluptates, & recordatione vitiorum cogat animam compati, & quodam modo exercere quod non agit. His igitur rationibus invitati multi Philosophorum, reliquerunt frequentias urbium, & hortulos suburbanos, ubi ager irriguus, & arborum comæ, & susurrus avium, fontis speculum, rivus immurmurans, & multæ oculorum auriúmque illecebræ, ne per luxum & abundantiam copiarum, animæ fortitudo mollesceret, & ejus pudicitia constupraretur. Inutile quippe est crebrò videre per quæ aliquando captus sis, & eorum te experimento committere, quibus difficulter careas. Nam & Pythagorei hujuscemodi frequentiam declinantes, in solitudine & desertis habitare consueverant. Platonici quoque & Stoici in Templorum locis & porticibus versabantur, ut admoniti augustioris habitaculi sanctitate, nihil aliud quàm de virtutibus cogitarent. Sed & ipse Plato, cùm esset dives, & thoros ejus Diogenes lutatis pedibus conculcaret, ut posset vacare Philosophiæ, elegit Academicam villam ab urbe procul, non solùm desertam, sed & pestilentem, ut cura & assiduitate morborum libidinis impetus frangeretur, Discipulique sui nullam aliam sentirent voluptatem, nisi earum rerum quas discerent. Quosdam legimus effodisse sibi oculos, ne per eorum visum à contemplatione Philosophiæ avocarentur. Unde & Crates ille Thebanus, projecto in mare non parvo auri pondere; Abite*, inquit, *pessum malæ cupiditates: ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis. Quòd si quis existimat, & abundantia ciborum potionúmque se perfrui, & vacare posse Sapientiæ, hoc est, & versari in deliciis, & deliciarum vitiis non teneri, seipsum decipit. Cùm enim procul ab his remoti, sæpè capiamur naturæ illecebris, & cogamur ea cupere, quorum copiam non habemus: quantò magis, si circumdati retibus voluptatum, esse nos liberos arbitremur?... Vetus quoque sententia est: Difficile est, immo impossibile, deliciis & voluptatibus affluentes, non ea cogitare quæ gerimus: frustráque quidam simulant, salvâ fide, & pudicitiâ, & integritate mentis, se abuti voluptatibus; cùm contra naturam sit, copiis voluptatum sine voluptate perfrui: & Apostolus hoc ipsum cavens dixerit:* QUÆ autem in deliciis est Vidua, vivens mortua est. *Sensus corporum quasi equi sunt sine ratione currentes,*

De Luxuria.

1. Tim. 5.

A

De luxuria. *Anima verò in auriga modum retinet frana currentium: & quomodo equi absque rectore pracipites ruunt; ita corpus sine ratione & imperio anima in suum fertur interitum.*

Consonat *S. Gregorius*, Libro XXI. *Moralium*, cap. II. explicans illud Job XXXI. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Sic enim hanc sententiam exponit: *Cùm sit invisibilis anima, nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur, nisi quod inhærens corpori, quasi quadam egrediendi foramina ejusdem corporis sensus habet. Visus quippe, auditus, gustus, odoratus, &* **B** *tactus, quasi quadam via mentis sunt, quibus foras venit, & ea qua extra ejus sunt substantiam, concupiscat. Per hos etenim corporis sensus quasi per fenestras quasdam exteriora quaque anima respicit, respiciens concupiscit. Hinc etenim Jeremias ait:*

Jerem. 9. » Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa » est domos nostras. *Mors quippe per fenestras ascendit, & domum ingreditur, cùm per sensus corporis concupiscentia veniens, habitaculum intrat mentis.*

Esai. 60. » *Quo contra de Justis per Esaiam dicitur:* Qui » sunt hi qui ut nubes volant, & quasi colum» bæ ad fenestras suas? *Justi namque volare ut nubes dicti sunt, quia à terrenis contagiis sublevantur:* **C** *& quasi columba ad fenestras suas sunt, quia per sensus corporis exteriora quaque intentione non respiciunt rapacitatis, eósque foras non rapit concupiscentia carnalis. Quisquis verò per has corporis fenestras incautè exterius respicit, plerumque in delectationem peccati etiam nolens cadit; atque obligatus desideriis, incipit velle quod noluit.* Et nonnullis subjunctis, quæ aliâ occasione referemus, ita colligit: *Unde nobis ad custodiendam cordis munditiam, exteriorum quoque sensuum disciplina servanda est. Nam quantalibet virtute mens polleat, quantulibet gravitate vigeat, carnales tamen sensus puerile quiddam ex-* **D** *terius perstrepunt: & nisi interioris gravitatis pondere, & quasi juvenili quodam vigore refrænentur, ad fluxa quaque & levia mentem enervem trahunt.*

Ante hos Patres *S. Basilius*, Libro *De Sancta Virginitate*, in eandem sententiam scribit: *Voluptas cùm una generaliter sit, veluti fons quidam à carne profluit; atque in quinos sensus, veluti rivos totidem distributa, per hos ab intimis ad sensibilia fluit: quorum quilibet per propriam organi sui fenestram vehementer erumpens fluentum suum, quicquid corruptionis cominus occurrerit, ad se pertrahit; carnalique illecebra implet, torrentis instar. Rursùs quo-* **E** *que ab exterioribus per easdem fenestras in carnis æstus celeriter relabens, animam fluctibus perturbationum quatit, atque in profunda demergit.* Et infrà: *Obstruendus est igitur primus ingressus per sensus satellites carnis; sensúsque ipsi ut januæ ac fenestræ cordis, seris ac vectibus undique firmandi atque muniendi: ne per aliquem illorum versutus ascendens, mortem » contubernalem suam secum unà introducat.* Mors » enim (*inquit*) ascendit per fenestras. *Revera enim sensus fenestra animæ sunt: quibus anima, sive ut pudica mulier exteriorem sensuum lucem ad considerationem rei cujusque utilis, modicè castéque eas ape-* **F** *riens, haurit: sive ut impudica meretrix, attonita ad exteriora quoque ac mox à curiosè spectanda, prospicit ad oblectamenta lasciviæ, cervicem malè contorquens, ac per hoc suavia & læta hauriens.*

Humiliatio & mortificatio spiritus. V. Quintum remedium est humiliatio & mortificatio spiritûs. Quò spectat juvenis cujusdam Monachi historia, quam *S. Hieronymus* narrat Epistolâ IV. ad *Rusticum* datâ. *Græcus Adolescens erat in Cœnobio* (inquit) *qui nullâ abstinentiâ, nullâ operis magnitudine flammam poterat carnis extinguere. Hunc periclitantem Pater Monasterii hac arte servavit. Imperat cuidam viro gravi, ut jurgiis at-*

A

que conviciis insectaretur hominem, & post irrogatam injuriam, primus veniret ad querimoniam. Vocati testes, pro eo loquebantur qui contumeliam fecerat. Flere ille contra mendacium: nullus alius credere veritati. Solus Pater defensionem suam callidè opponere, ne abundantiori tristitiâ absorberetur frater. Quid multa? Ita annus ductus est, quo expleto, interrogatus Adolescens super cogitationibus pristinis, an adhuc molestiæ aliquid sustineret: Papè (inquit) *vivere mihi non licet, & fornicari libeat?* De Luxuria.

B VI. Sextum remedium est oratio jugísque ad Deum gemitus, ut colligitur ex illo Sapientiæ VIII. *Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat Sapientia, scire cujus esset hoc donum: adii Dominum, & deprecatus sum illum.* Et ex illo II. ad Corinthios XII. *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet à me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea:* Quàm salubre sit illud remedium exemplo suo docuit *S. Hieronymus*, Epistolâ XXII. ad *Eustochium*, De Custodia Virginitatis. Oratio.

C *O quoties* (inquit) *ego ipse in Eremo constitutus, & in illa vasta Solitudine, quæ exusta Solis ardoribus horridum Monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis! Sedebam solus, qui amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situm æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus, & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. De cibis verò & potu taceo, cùm etiam languentes* Mortificatio carnis. *Monachi aqua frigida utantur, & coctum aliquid accepisse, luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehen-* **D** *na metum tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantùm socius & ferarum, sæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis, & mens desideriis æstuabat in frigido corpore; & ante hominem sua jam carne præmortuum, sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus, ad Jesu jacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subjugabam.... Memini me clamantem, diem crebrò junxisse cum nocte, nec priùs à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret, Domino increpante, tranquillitas. Ipsam quoque cellulam meam, quasi cogitationum mea-* **E** *rum consciam, pertimescebam: & mihimet iratus & rigidus, solus deserta penetrabam. Sicubi concava vallium, aspera montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus: ibi illud miserrimæ carnis ergastulum: &, ut ipse mihi testis est Dominus, post multas lacrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum, & lætus gaudénsque cantabam:* POST TE *in odorem unguentorum tuorum curremus.* Cant. 1.

F

CAPUT IX.

DE

INVIDIA.

ARTICULUS I.

Quid sit? Et quàm grave crimen?

Invidiæ definitio.

I. INVIDIA *est tristitia de bono alterius, perinde ac si malum nostrum esset, quatenus illo propriam gloriam aut excellentiam imminui concipimus.* Dolere nam de bono alterius, quatenus ex eo nobis periculum imminet alicujus nocumenti, sicut cùm quis de inimici sui fortunâ mœret, timens ne eum lædat, non invidiæ, sed timoris effectus est. Dolorem de alieno bono concipere, eo nomine, quòd ejus possessorem tali bono prorsus indignum existimes, alterum verò eo carentem ejus possessione dignum judices, non est invidiæ, sed indignationis. Dolere de alieno bono eo nomine quo ipso careas, quo tamen potiri pariter cupias, æmulationis est. At dolere de aliena fœlicitate seu bono, ita ut proximum eo spoliari velles, quia illud ut malum proprium aspicis, illud in tuæ gloriæ vel excellentiæ detrimentum vel imminutionem vergere arbitratus, invidia est. Oritur autem invidia ex bonis, quæ vulgari hominum opinione honorifica & gloriosa censentur, quales sunt divitiæ, dignitates, magistratus, titulorum insignia, potestas & auctoritas, gratia principum, amicitiæ, & clientelæ, eruditio, eloquentia, virtus, celebritas nominis, pulchritudo, ornatus, & alia id genus bona, seu vera, seu fucata, seu spiritualia, seu temporalia.

Invidia lethale ex genere suo peccatum est.

II. Invidia peccatum est, & quidem ex genere suo lethale, cùm ab Apostolo inter ea numeretur, de quibus ait ad Galatas v. *Quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.* Et ibidem: *Non efficiamur* (inquit) *inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* Et sanè, cùm adversetur caritati, quæ non *æmulatur*, sed de bono proximi gaudet perinde ac si proprium bonum esset, consequens est ut ex genere suo mortale peccatum sit. Unde *Job. V.* dicitur: *Parvulum occidit Invidia.* Quem locum præclaro Commentario *S. Gregorius* illustrat Libro v. *Moralium* xxxi. *Invidere enim non possumus,* (inquit) *nisi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus. Parvulus ergo est qui livore occiditur, quia ipse sibi testimonium probibet, quòd eo minor sit, cujus invidiâ torquetur. Hinc est quòd hostis callidus primo homini invidendo surripuit, quia amissa beatitudine minorem se immortalitate illius agnovit. Hinc est quòd Cain ad perpetrandum fratricidium corruit: quia despecto suo sacrificio, prælatum sibi infremuit, cujus Deus hostiam accepit: & quem meliorem se esse exhorruit, ne utcumque esset, amputavit. Hinc Esau ad persecutionem fratris exarsit, quia primogenitorum benedictione perditâ, quam tamen pro esu lenticulæ ipse vendiderat, minorem se eo, quem nascendo præibat, ingemuit. Hinc Joseph fratres sui Ismaelitis transeuntibus vendiderunt: quia cognito revelationis mysterio, ne se fieret melior, ejus profectibus obviare conati sunt. Hinc Saul David subditum lanceam intorquendo persequitur, quia quem magnis quotidie augeri virtutum successibus sensit, ultra se excrescere expavit. Parvulus itaque est qui invidiâ occiditur, quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret. Sed inter hæc sciendum est, quia quamvis per omne vitium quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis virus infunditur, in hac tamen nequitia tota sua viscera serpens concutit, & imprimendæ malitiæ pestem vomit. De quo nimirum scriptum est:* Invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum. *Nam cùm devictum cor livoris putredo corruperit, ipsa quoque exteriora indicant quàm graviter animum vesania instigat. Color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, & membra frigescunt, fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor: cùmque in latebris cordis crescens absconditur odium, dolore cæco tenebrat conscientiam vulnus inclusum. Nil lætum de propriis libet, quia tabescentem mentem sua pœna sauciat, quam felicitas torquet aliena, quantòque extranei operis in altum fabrica ducitur, tantò fundamentum mentis lividæ profundiùs suffoditur: ut quò alii ad meliora properant, eo ipso deteriùs ruant: quâ ruinâ videlicet etiam illud destruitur, quod in aliis actibus perfecto opere surrexisse putabatur. Nam invidia cùm mentem tabefecerit, cuncta quæ invenerit bene gesta consumit. Unde bene per Salomonem dicitur:* Vita carnium sanitas cordis: *Quia si mentis innocentia custoditur, etiam si qua foris infirma sunt, quandoque roborantur. Et rectè subditur:* Putredo ossium invidia: *Quia per livoris vitium, ante Dei oculos pereunt etiam fortia acta virtutum. Ossa quippe per invidiam putrescere, est quædam etiam robusta deperire.*

Genes. 4.

Genes. 25.

Genes. 37.

De Invidia.

1. Reg. 18.

Sap. 2.

Proverb. 14. 30.

Quàm grave invidiæ crimen.

III. Quàm grave sit invidiæ crimen, docet *S. Cyprianus*, in egregio Tractatu, *De Zelo & Livore*, ita scribens: *Zelare quod bonum videas, & invidere melioribus, leve apud quosdam & modicum crimen videtur; dumque existimatur leve esse & modicum, non timetur; dum non timetur, contemnitur; dum contemnitur, non facilè vitatur, & fit cæca & occulta pernicies.... Videamus unde zelus, & quando, & quomodo cœperit: facilius enim à nobis malum tam vitiosum vitabitur, si ejusdem mali & origo & magnitudo noscatur. Hinc Diabolus inter initia statim mundi & periit primus, & perdidit. Ille dudum angelica majestate subnixus, ille Deo acceptus & charus, postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum malevolo livore prorupit, non priùs alterum dejiciens instinctu zeli, quàm ipse zelo ante dejectus; captivus antequam captus; perditus antequam perdens; dum stimulante livore homini gratiam datæ immortalitatis eripit, qui ipse quoque id quod priùs fuerat, amisit. Quale malum est, fratres dilectissimi, quo Angelus cecidit, quo circumveniri & subverti alta illa & præclara sublimitas potuit, quo deceptus est ipse qui decepit? Exinde invidia grassatur in terris, dum livore periturus, magistro perditionis obsequitur; dum diabolum qui zelat, imitatur, sicut scriptum est:* Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum. Imitantur ergo illum qui sunt ex parte ejus. *Hinc denique nova fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda cœperunt, dum Abel justum Cain zelat injustus, dum bonum malus invidia & livore persequitur. Tantùm valuit ad consummationem facinoris æmulationis furor; ut*

Diaboli peccatum.

Sap. 2. 24.

DE PECCATIS.

De Invidia. *nec caritas fratris, nec sceleris immanitas, nec timor Dei, nec pœna delicti cogitaretur. Injustè oppressus est, qui justitiam primus ostenderat: odia perpessus est, qui odisse non noverat: occisus est impiè, qui moriens non repugnabat. Et quòd Esau fratri suo Jacob inimicus extitit, zelus fuit. Nam quia ille benedictionem patris acceperat, hic in odium persecutionis facibus livoris exarsit. Et quòd Joseph fratres sui vendiderunt, causa vendendi de æmulatione descendit; postquam id quod sibi in visionibus prosperum fuerat ostensum, simpliciter ut fratribus frater exposuit, in invidiam malevolus animus erupit. Saul quoque Rex ut David odisset, ut persecutionibus sæpe repetitis innocentem, misericordem, miti lenitate patientem necare cuperet, quid aliud quam zeli stimulus provocavit? Quia Goliat interfecto, & ope ac dignatione divina tanto hoste deleto, populus admirans in laudes David prædicationis suffragio prosiluit; Saul simultatis atque infestationis furias de livore concepit. Judæi nonne inde perierunt, dum Christo maluit invidere, quàm credere? Obtrectantes magnalibus quæ ille faciebat, zelo excæcante decepti sunt, nec ad divina noscenda cordis oculos aperire potuerunt.*

Invidia radix malorum omnium. *Non est autem quòd aliquis existimet malum illud una specie contineri, aut brevibus terminis & angusto fine concludi. Latè patet zeli multiplex & fœcunda pernicies. Radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum. Inde odium surgit, animositas inde procedit. Avaritiam zelus inflammat; dum quis suo non potest esse contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus excitat; dum cernit quis alium in honoribus auctiorem. Zelo excæcante sensus nostros, atque in ditionem suam mentis arcana redigente, Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, judicii dies non providetur. Inflat superbia, exacerbat sævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira fervescit; nec se jam potest cohibere vel regere, qui factus est potestatis alienæ. Hinc dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc caritas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hæreses atque ad schismata prosilitur; dum obtrectatur Sacerdotibus, dum Episcopis invidetur, dum quis aut queritur non se potius ordinatum, aut dedignatur alterum ferre Præpositum. Hinc recalcitrat, hinc rebellat de zelo superbus, de æmulatione perversus, animositate & livore, non hominis, sed honoris inimicus. Qualis verò animæ tinea, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in altero vel virtutem ejus, vel felicitatem, id est, odisse in eo vel merita propria, vel beneficia divina; in malum proprium bona aliena convertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam; velut quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus & sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta malevolentiæ ungulis pulsent: non cibus talibus lætus, non potus potest esse jucundus; suspiratur semper, & ingemiscitur, & doletur: dumque ab invidis nunquam livor exponitur, diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur.*

Invidia sine fine peccatum. *Mala cætera habent terminum; & quodcunque delinquitur, delicti consummatione finitur. In adultero cessat facinus perpetrato stupro, in latrone conquiescit scelus homicidio admisso; & prædoni rapacitatem statuit præda possessa, & falsario modum ponit impleta fallacia; zelus terminum non habet, permanens jugiter malum & sine fine peccatum, quantóque ille cui invidetur successu meliore profecerit, tantò invidus in majus incendium livoris ignibus inardescit. Hinc vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effrænata convicia, manus ad cædis violentiam promptæ, etiamsi à gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis armata: & ideireo Spiritus Sanctus dicit in Psalmis:* Nolite zelare bene ambulantem in via sua. *Et iterum:* Observabit peccator justum, & stridebit ad eum dentibus suis. Deus autem irridebit eum; quoniam providet quia veniet dies ejus. *Hos beatus Apostolus Paulus designat & denotat dicens:* Venenum aspidum sub labiis eorum, & os eorum maledictione & amaritudine plenum est. Veloces ad effundendum sanguinem pedes eorum: contritio & calamitas in viis eorum, qui viam pacis non agnoverunt, nec est timor Dei ante oculos eorum.

Psalm. 36.

Rom. 3. 14.

Invidiæ cura difficilis. *Multò malum levius, & periculum minus est, cùm membra gladio vulnerantur. Facilis cura est, ubi plaga perspicua est; & citò ad sanitatem medela subveniente perducitur vulnus, quod videtur; zeli vulnera abstrusa sunt & occulta, nec remedium curæ medentis admittunt, quæ se intra conscientiæ latebras cæco dolore clauserunt. Quicunque es invidus & malignus, videris quàm sis eis quos odisti insidiosus, perniciosus, infestus: nullius magis quàm tuæ salutis inimicus es. Quisquis ille est quem zelo persequeris, subterfugere & vitare te poterit: tu te non potes fugere: ubicunque fueris, adversarius tuus tecum est, hostis semper in pectore tuo est, pernicies intus inclusa est, ineluctabili catenarum nexu ligatus & vinctus es, zelo dominante captivus es, nec solatia tibi ulla subveniunt. Perseverans malum est, hominem persequi ad Dei gratiam pertinentem: calamitas sine remedio est, odisse felicem.*

Sanctus Basilius, Homilià *De Invidià*, criminis istius gravitatem, & malitiam disertè describit. Invidiam Diaboli vitium, invidos damnationis ipsius socios futuros affirmat. Nihil esse hac perturbatione perniciosius, quæ ante omnia ipsi nocet autori. Quemadmodum enim rubigo ferrum, sic Invidia hos qui eâ laborant, inficit & consumit. Et sicut viperæ abrupto matris ventre nasci dicuntur: sic & Invidia concipientem se animam corrodit, tabefacit. Invidi *Diaboli ministerium* obeunt, inimici sunt hominum, qui nihil ipsos læserunt; inimici Dei Optimi Maximi omnibus benefacientis, nemini invidentis. *Invidia intolerabile malum, serpentis documentum, Dæmonum inventum, punitionis arrhabo, pietatis impedimentum, via ad gehennam, Regni cœlorum privatio.* Vultu ipso hoc vitium fatentur invidi. Aspectus illis aridus & obscurus, genæ subtristes, supercilium demissum, anima ipso morbo suffusa, prudentiam in dignoscenda veritate, ac rebus agendis minimè habens. Sicut autem vultures per multa quidem prata, seu loca amœna & suavem odorem spirantia circumvolantes, ad sordida & fœculenta loca feruntur: muscæ quoque si quid salubre offendunt, eo prætermisso ad ulcera properant: sic invidi vitæ splendorem ac rerum benè gestarum magnitudinem minimè respiciunt; aliorum verò defectus, nævos, & vitia observant, & ad vulgi notitiam perducunt, quemadmodum maligni pictores, qui hominis imaginem cum insitis vel fortuitis deformitatibus effingere amant & exponere, ut in ludibrium veniat. Audacem enim dicunt eum, qui fortis est; stupidum, qui temperans; crudelem, qui justus; astutum, qui prudens; prodigum, qui liberalis; avarum, qui frugalis. Denique omne genus virtutis in vicina vitiorum nomina convertunt.

Vitio nulla malignitas invidiâ pejor. *S. Joannes Chrysostomus*, Homilià XLI. in Matthæum, de criminis ejusdem gravitate præclarè disserit. *Tale malum* (inquit) *invidia est, quâ nulla unquam malignitas pejor invenitur. Nam adulterio inquinati, voluptatis saltem iniquæ fructum, ut*

De Invidia

putant, aliquem capiunt, & brevi tempore peccatum committunt. Invidi autem & multò ante seipsos, quàm quibus invident, perturbant & cruciant, & ita in agendo semper invidendóque sunt, ut nunquam peccandi afferant finem : sed quemadmodum sues lutosa immunditie, & Dæmones nostris damnis lætantur, sic invidi calamitate proximorum exultant. ..... Fornicatores ac Publicani ad cælos conscendere potuerunt ; invidia autem morbo laborentes, cùm intus essent, à Regno cælorum exciderunt..... Invidia pestiferum malum, hominem in Diaboli conditionem, ac in Dæmonem immanissimum convertit. Invidiâ prima hominis cædes apparuit. Invidiâ fraterna caritas contempta est. Invidiâ factum est ut hiatu suo terra Dathan, Core, Abiron, universúmque illum populum vivos absorpserit. Sed facillimum est, dicet aliquis, invidos accusare : dicendum autem est, quomodo hoc morbo liberabimur. Quomodo igitur ne veneno suo nos inficiat facimus ? Si dabimus operam, ut quemadmodum fornicatori nefas est Ecclesiam ingredi, sic invido quoque : immò verè multò magis invidus quàm fornicator à cœtu fidelium exterminandus est.

Num. 16. 26.

Invidiâ concivium Christi factum est, ne ulla miracula in patriâ sua Christus ederet.

Invidiâ concivium Christi factum est ne ulla Christus Miracula in patria sua ederet, ut explicat *S. Ambrosius*, Libro quarto in Lucam, ad illa verba Salvatoris : *Amen dico vobis, quòd nemo Propheta acceptus est in Patria sua.* Non mediocriter (inquit) invidia proditur, quæ civicæ caritatis oblita, in acerba odia causas amoris inflectit, *Simul hoc exemplo pariter & oraculo declaratur, quòd frustrà opem misericordiæ cælestis expectes, si aliena fructibus virtutis invideas ; aspernator enim Dominus invidorum est, & ab iis qui divina beneficia in aliis prosequuntur, miracula suæ potestatis avertit. Non otiosè itaque Salvator excusat, quòd nulla in patria sua miracula virtutis operatus sit ; ne fortassis aliquis viliorem patriæ nobis esse debere putaret affectum. Neque enim cives poterat non amare, qui amaret omnes : sed ipsi se caritate patriæ, qui invident, abdicarunt. Caritas enim non æmulatur, non inflatur. Nec tamen exsors beneficiorum patria divinorum est. Quod enim majus miraculum, quàm quòd in ea natus est Christus ? Videte igitur quid mali invidia adferat. Indigna propter invidiam patria judicatur, in qua civis operetur, quæ digna fuit in quâ Dei Filius nasceretur.*

Invidia superbiæ fœtus.

Invidia superbiæ fœtus est, cùm superbia sit amor excellentiæ propriæ, invidia verò sit odium fœlicitatis alienæ. *Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet quòd ei coæquentur : vel inferioribus, ne sibi coæquentur : vel superioribus, quòd eis non coæquetur* ; (inquit *Sanctus Augustinus*, Libro XI. *De Genesi ad Litteram*, Cap. XIV.) Et Sermone CCCLIV. aliàs LIII. *De Verbis Domini*, Cap. IV. *Non potest superbus esse non invidus. Invidia filia est superbiæ : sed ista mater nescit esse sterilis ; ubi fuerit, continuò parit.*

ARTICULUS II.

REGULÆ MORUM,

Circa Invidiam.

REGULA I.

Tristitia de bono alterius, quatenus ex eo timetur grave malum, vel sibi ipsi, vel aliis bonis injustè inferendum, non est invidia : immò sine peccato esse potest, si ordo caritatis servetur.

De Invidia.

SIc *Ester* & *Mardochæus* de gratia & auctoritate *Aman* apud Regem Persarum meritò dolere poterant, à quo sibi totique Judæorum Genti supremam cladem imminere cernebant. Hinc *S. Gregorius*, Libro XXII. *Moralium*, Cap. VI. ait : *Evenire plerùmque solet, ut non amissa caritate, & inimici nos ruina lætificet, & rursùm ejus gloria sine invidiæ culpa contristet : cùm & ruente eo, quosdam bene erigi credimus, & proficiente illo, plerósque injustè opprimi formidamus. Quâ in re mentem nostram nec ejus jam defectus erigit, nec ejus profectus addicit, si recta nostra cogitatio non quid in ipso, sed quid de ipso circa alios agatur, attendit. Sed ad hæc servanda valde est necessarium subtilissimæ discretionis examen : ne cùm nostra odia exequimur, fallamur sub specie utilitatis alienæ.* Hanc etiam Regulam auctoritate sua confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XXXVI. Articulo II.

REGULA II.

Qui dolet de bono spirituali alterius, non quòd proximum hujusmodi bono carere velit, sed quòd ipse illo careat, non est reus Invidiæ.

HÆc enim laudabilis æmulatio est, ut docet *S. Thomas*, loco supra laudato. *Potest* (inquit) *aliquis tristari de bono alterius, non ex eo quòd ipse habet bonum, sed ex eo quòd nobis deest bonum illud quod ipse habet. Et hoc propriè est zelus. Et si iste zelus sit circa bona honesta, laudabilis est, secundùm illud I. ad Corinthios XIV. Æmulamini spiritualia.* Hæc æmulatio non Invidiæ, sed Caritatis est. Unde ibidem præmittit : *Sellamini caritatem.* Illâ fit ut virtutes proximi imitemur, adeóque ut de illius bonis, quæ nobis communia sunt, & in quibus sumus ipsi similes, gaudeamus. Atque ita impletur illud *S. Augustini* consilium, Sermone CCV. alias *De Diversis*, LXVIII. *In spiritalibus bonis, tuum deputa, quod amas in fratre : suum deputet, quod amat in te.*

REGULA III.

In genere Invidiæ nullum peccatum gravius est fraternæ Caritatis Invidentiâ.

PEccatum enim est in Spiritum-Sanctum, quod quidem committunt, qui majora Spiritûs-Sancti dona in proximis, quàm in se effulgere, magísque Ecclesiæ utiles illos esse dolent. A *Moysis* caritate longè remoti sunt, cui cùm nunciasset puer, *Eldad* & *Medad* prophetare in castris, & *Josue* suggereret ut eos prohiberet, respondit : *Quid æmularis pro me ? Quie tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum ?* *Num. 11.*

Qui

Qui fraternæ caritati invident, sub ovium specie lupi sont, Christi gregem dilacerantes, Quâ [De Invidia.] de te *S. Cyprianus*, in Tractato *De Zelo & Livore*, ait: *Meminisse debemus quo vocabulo plebem suam Christus appellet, quo titulo gregem suum nuncupet: Oves nominat, ut innocentia Christiana ovibus æquetur: Agnos vocat, ut agnorum naturam simplicem simplicitas mentis imitetur. Quid sub vestitu ovium lupus latitat? Quid gregem Christi, qui se Christianum mentitur, infamat? Christi nomen induere, & non per Christi viam pergere, quid aliud quàm prævaricatio est divini nominis, quàm desertio itineris salutaris? Quando ipse doceat & dicat eum ad vitam venire, qui mandata servaverit: & eum esse sapientem, qui verba ejus audierit & fecerit: Doctorem quoque eum maximum in Regno cælorum vocari, qui fecerit, & sic docuerit; tunc prædicanti profuturum quòd bene atque utiliter prædicatum fuerit, si id quod ore promitur, factis sequentibus impleatur. Quid verò insinuavit crebrius Discipulis suis Dominus, quid inter salutaria monita & præcepta cælestia custodiendum magis servandúmque mandavit, quàm ut eadem dilectione quâ Discipulos ipse dilexit, nos quoque invicem diligamus? Quo modo autem vel pacem Domini, vel caritatem tenet, qui intercedente zelo nec pacificus potest esse, nec carus? Ideo & Apostolus Paulus, cùm caritatis merita depromeret, cùmque asseveraret firmiter & doceret, nec fidem sibi, nec eleemosynas, nec passionem quoque ipsam Confessionis & Martyrii profuturam, nisi caritatis fœdera integra atque inviolata servasset; ad ecit, & dixit: Caritas magnanima est, caritas benigna est, caritas non zelat. Docens scilicet & ostendens, eum posse caritatem tenere,* [1. Cor. 13.] *quisquis magnanimus fuerit & benignus, & Zeli ac livoris alienus.*

Hanc Regulam confirmat Concilium Carthaginense v. Canone LIV. quo sancitom est, ut *Clericus invidens fratrum profectibus, donec in vitio est, non promoveatur.*

Denique *Sanctus Thomas*, Secunda Secondæ, Quæstione XXXVI Articulo IV. ad secondum, ait: *Est quadam Invidia, quæ inter gravissima peccata computatur, scilicet Invidentia fraternæ gratiæ, secundùm quòd aliquis dolet de ipso augmento gratiæ Dei, non solùm de bono proximi. Unde ponitur peccatum in Spiritum Sanctum, quia per hanc Invidentiam homo quodammodo invidet Spiritui Sancto, qui in suis operibus glorificatur.*

REOULA IV.

Tristitia de bonis alienis concepta, eo solùm nomine quòd indignis eveniant, non est peccatum, sed justa indignatio.

Dolere namque licet de malo, quatenus malum est, vel oatoræ, vel morum. Sic absque culpa stomachatur aliquis, quòd opibus abundent, qoi malè illis utantor, quales sunt tum avari, qui illas reconduot, eásque ad suas, & soorum, atque etiam pauperum necessitates sublevandas impendere oolunt; tum prodigi, qui eas dilapidant & decoquunt. Sic justè doleot viri pii, & Ecclesiæ atque Reipublicæ amantes, qoòd Beneficia & Dignitates Sæculares aut Ecclesiasticæ illis conferantur, qoi revera sunt indigni.

RAGULA V.

Tristitia de temporalibus aliorum bonis concepta, quatenus ex Divina Providentia ordine etiam improbis distribuuntur, peccatum est, & lethale quidem, si adversùs Divinam Providentiam propterea quis insurgat, vel obmurmuret; aut studium pietatis deserat.

Hanc Regolam tradit *S. Thomas*, loco suprà [De Invidia.] laudato, *Secundùm Doctrinam Fidei*, (inquit) *temporalia, quæ indignis proveniunt, ex justa Dei ordinatione disponuntur, vel ad eorum correctionem, vel ad eorum damnationem, & hujusmodi bona quasi nihil sunt in comparatione ad bona futura, quæ servantur bonis. Et ideo hujusmodi tristitia prohibetur in Scriptura Sacra, secundùm illud* Psalmi XXXVI. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.* Et Psalm. LXXII. *Penè effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Quàm grave sit autem periculom, in qood hojusmodi tristitia impellit, Propheta ibidem explicat; *Et dixi, Quomodo scit Deus, & si est scientia in Excelso?*

REOULA VI.

Tristitia de bono alterius, quatenus nos excedit in bonis, aut nobis coæquatur, peccatum est ex genere suo mortale.

Hæc enim tristitia *propriè est Invidia*. Et hic animi motus semper pravus est: *Quia dolet de eo quo est gaudendum, scilicet de bono Proximi* (inquit *S. Thomas* loco soprà laudato.) Dixi, Peccatum esse ex genere suo mortale, quia *Invidere importat aliquid caritati repugnans ex ipsa comparatione actus ad suum objectum. Est enim de ratione amicitiæ, ut proximis velimus bona; sicut & nobis ipsis. Unde quòd aliquis de felicitate alterius tristetur, manifestè repugnat Caritati, in quantum per eam diligetur proximus* (inquit *S. Thomas*, Quæst. X. *De Malo*, Art. II.) Hinc *S. Augustinus*, Lib. *De Vera Religione*, Cap. LXVII. ait: *Qui invidet bene cantanti, non amat bene cantantem: sed rursùs qui eo indiget, non bene cantat. Quod multò accommodatiùs de bene vivente dici potest, quia invidere nulli potest: quò enim perveniunt bene viventes, eantundem est omnibus, nec minùs fit cùm plures habuerint. Et potest esse tempus, quo bonus cantator cantare non decenter queat, & indigeat voce alterius, quæ sibi exhibeatur, quod diligit; tanquam si alicubi convivetur, ubi eum cantare turpe sit, sed deceat audire cantantem: bene autem vivere semper decet. Quare quisquis hoc & diligit & facit, non solùm non invidet imitantibus, sed & his se præbet libentissimè atque humanissimè quantùm potest: nec tamen eis indiget. Nam quod in illis diligit, in seipso habet totum atque perfectum. Ita cùm diligat proximum tanquam seipsum, non invidet ei, quia nec sibi ipsi: præstat ei quod potest, quia & sibi ipsi: non eo indiget, quia nec seipso: tantùm Deo indiget, cui adhærendo beatus est. Nemo autem illi eripit Deum.*

Quidam tamen Invidiæ motus venialia dumtaxat peccata sunt, propter imperfectionem actus, vel quia motus subitus est, & noo procedit ex ratione deliberata; vel quia dolet aliquis de bono alterius, qood est adeo parvum, ut vix nomen boni mereri videatur; ut cùm alicoi victoriam in ludo aut cursu invidet. *Impedire* igitur *bonum alicujus potest esse absque peccato mortali propter imperfectionem actus; quia illud quod impeditur*

[De Invidia.] *non habet plenam rationem boni, aut quia est parvum, aut quia est indebitum*, (inquit S. *Thomas*, loco proximè citato, in Responsione ad quartum.)

REGULA VII.

[Sap. 7.] L*Ethalis Invidia rei sunt Artium & Scientiarum Professores, qui tyronibus suis aut discipulis abscondunt aliqua ad artis aut scientiæ perfectionem necessaria, ne ipsis coæquentur, aut parem nominis celebritatem obtineant. In idem crimen incurrunt, qui arcana aliqua Reipublicæ profutura cum nemine mortalium communicare volunt. Gravissimè autem omnium, qui doctrinam salutis, cùm possint & debeant, in ædificationem Ecclesiæ, & proximorum salutem profundere renuunt*: cùm de cœlesti Sapientia dictum sit: *Quam sine invidia communico, & honestatem illius non abscondo.*

ARTICULUS III.

De Invidiæ Remediis.

[Consideratio gravitatis illius peccati.] PRimum remedium contra invidiam est consideratio gravitatis illius criminis, & pœnarum ipsi debitarum. Diabolicum enim crimen est. [Sap. 2.] *Invidia diaboli* (inquit Sapiens) *mors intravit in orbem terrarum. Imitantur autem eum, qui sunt ex parte illius.* Considerans nempe hominem per Incarnationem Filii Dei, quæ Angelis revelata fuerat, ad infinitam dignitatem promovendum, insidias illi struxit, atque ad peccandum alliciens, è Paradiso exturbavit. Vidit, & invidit: cecidit & ejecit. Invidia *fera* illa *pessima* est, à qua filium [Genes. 30.] suum Joseph devoratum Patriarcha Jacob lugebat. Pejor est avaritiâ. Avarus enim licèt sua communicare nolit, vult tamen ut alii sua communicent. Invidus autem nec vult communicare bona sua, nec vult quod alius ea communicet. De ipsa Dei bonitate dolet, quam erga se dumtaxat profusam, erga reliquos omnes parcam & tenacem esse cuperet. Irâ vel odio pejor est. Irati enim vel alteri infensi hominis mala voluntas ortum plerumque habet ex alienâ malitiâ & offensâ: invidia verò ex solâ malitiâ invidentis. Invidia mortis Christi causa fuit. Unde Judæi invi- [Joan. 11.] diâ tabescentes aiebant: *Videtis quia nihil proficimus, ecce Mundus totus post eum abiit.* Et Pilatus [Matth. 27.] *Sciebat quòd per invidiam tradidissent eum.* Invidia Sapientiam, quæ incomparabilis thesaurus est, aufert homini. Hinc *Sapientia* VI. dicitur: *Neque cum invidia tabescente iter habebo, quoniam talis homo non erit particeps Sapientiæ.* Invidia paupertatem & ignominiam parit. Unde *Proverbiorum* XXVIII. dicitur: *Vir qui festinat ditari, & aliis invidet, ignorat quòd egestas superveniet ei.* Et Ecclesiastici VI. *Improperium & contumeliam malus hereditabit, & omnis peccator invidus & bilinguis.* Hinc fugiendam invidorum familiaritatem monet Spiritus-Sanctus Proverb. XXIII. *Ne comedas* (inquit) *cum homine invido, & ne desideres cibos ejus: quoniam in similitudinem arioli & conjectoris, æstimat quod ignorat. Comede & bibe, dicet tibi: & mens ejus non est tecum.*

[Consideratio ignaviæ invidorum.] Secundum remedium, est consideratio pusillanimitatis & ignaviæ invidorum. Nobilis enim & excelsus animus ab invidiæ vitio alienus est. Unde *Job* V. dicitur: *Parvulum occidit invidia.* Hinc mulieres & pueri hoc morbo maximè laborant.

Tertium remedium est consideratio societatis spiritualis, quam inter se fideles habent, ut unius Dei Patris, & unius Matris Ecclesiæ filii; ut in eamdem hereditatem æternam vocati; ut unius corporis membra, cujus caput Christus est. [Consideratio societatis spiritualis quam inter se fideles habent.] Cujus quidem societatis & conjunctionis ratione, alterius bona quisque sua existimare debet. Hinc *S. Gregorius*, in *Pastorali* P. III. Admonitione XI. ait: *Admonendi sunt invidi, ut perpendant quantæ cæcitatis sunt qui alieno profectu deficiunt, aliena exaltatione contabescunt. Quantæ infelicitatis sunt, qui melioratione proximi deteriores fiunt, dumque augmenta aliena prosperitatis aspiciunt, apud semetipsos anxiè afflicti, cordis sui peste moriuntur. Quid istis infelicius, quos dum conspecta fœlicitas afficit, pœna nequiores reddit? Aliorum verò bona, quæ habere non possunt, si diligerent, sua fecissent. Sic quippe sunt universi consistentes in fide, sicut multa membra quæ uno continentur in corpore: quæ per officium quidem diversa sunt, sed eo quo sibi vicissim congruunt, unum fiunt. Unde fit ut pes per oculum videat, & per pedes oculi gradiantur; ori auditus aurium serviat, & ad usum suum auribus oris lingua concurrat: suffragetur venter manibus, ventri operentur manus. In ipsa igitur corporis positione accipimus, quod in actione servemus. Nimis itaque turpe est non imitari quod sumus. Nostra sunt nimirum, quæ ipsi imitari non possumus, amamus in aliis; & amantium fiunt quæque amantur in nobis. Hinc ergo pensent invidi, Caritas quantæ virtutis est, quæ alieni laboris opera, nostra sine labore facit.*

[Alienæ virtutis imitatio.] Quartum remedium, est alienæ virtutis imitatio. Qua de re audiendus est *S. Augustinus* Enarraratione in Psalmum CXXXIX. *Isti* (inquit) *qui falsi justi sunt, videri volunt justi, cùm non sint; & necesse est ut quem viderint verum justum, invideant illi, & hoc cum illo agant, quomodo amittat unde gloriatur. Inde veniunt omnes seductiones & supplantationes. Hoc prior ipse diabolus voluit, qui cadens stanti homini invidit: & quia ipse amisit Regnum cælorum, hominem illuc pervenire noluit, & non vult: & id agit nunc, ut homo illuc non perveniat, unde ipse dejectus est. Quia ergo superbus est ipse, & ideo invidus quia superbus, omne corpus ipsius talium corpus est. Sed nos oremus contra illum qui corrigi non potest, & pro ipsis qui possunt, ut dicamus homini injusto, Quare invides Justo, ô homo injuste? Quia vis videri justus? Citò fac quod melius est, & faciliùs eris quod vis videri. Esto justus: ita diliges cui invidebas; quia quod illum dolet esse, eris & tu, & amabit in eo te, & ipsum in te. Etenim si invideres diviti, non esset in potestate tua ut dives esses: si invideres honesto alicui Senatori nobili, non esset in potestate tua ut nobilis tu esses & clarus: si invideres pulcro, nunquam te pulcrum faceret: si invideres forti & valido, nunquam tibi vires daret: si invideres justo, res in voluntate est; esto quod dolet esse alterum. Non enim empturus es quod tu non es, & alius est: gratis constat, citò constat. Pax in terra hominibus bonæ voluntatis.* [Luc. 2.]

[S. Basilius Homil. De Invid. — Rerum humanarum contemptus.] Quintum remedium, est rerum humanarum, suapte naturâ fragilium & caducarum despicientia; ut scilicet nec opes, nec potentiam, nec gloriam, nec honores & dignitates, nec robur corporis, nec elegantiam formæ, nec eloquentiam, magni faciamus. Hæc enim instrumenta quidem sunt virtutis iis qui rectè utuntur; sed felicem per se non efficiunt hominem, immò qui ipsis abutitur, miser est, adeòque commiserationе dignus, non invidiâ: si autem his rectè utatur, ea de re gaudendum, non invidendum est. Non in rebus fluxis & caducis bonum constituimus, sed ad sempiterna veràque bona pos-

De Luxuria.

sidenda vocati sumus: quid ergo ob fragilia petituraque proximis invidemus?

Studium spiritualis profectûs ex doctrina & sermonibus Doctorum & Concionatorum celebrium capessendi.

Sextum remedium, est studium spiritalis profectus ex insignium & celebrium Concionatorum & Doctorum concionibus & doctrinâ capessendi. Ita enim fiet, ut eorum famæ laudibúsque non invideamus, sed eorum bonis, ut nostris, gratulemur. *Tuum enim est bonum* (inquit S. Basilius) *sibique per fratrem missum doctrinæ donum, si suscipere velis. De nde fontem scaturientem obturat nemo, & sole splendente nemo oculos obvelat, neque illos invidet, sed sibi ipsi comprecatur ut frui contingat. Sermonis verò spiritualis per corda Fidelium Sancti Spiritûs gratiâ irrigantis auditum cum gaudio cur non sustines? Cur non grato animo utilitatem illius acceptas? Sed auditorum plausus te offendit? Et malles nec qui adjutus inde sit, nec qui laudet quemquam esse? Quam excusationem apud justum Judicem habebis?*

ARTICULUS IV.

De Filiabus Invidiæ.

INvidia capitale vitium est, quod quinque filias parit, scilicet odium, susurrationem, detractionem, exultationem in adversis proximi, & afflictionem in prosperis, ut docet *S. Gregorius*, Lib. XXXI. *Moralium*, cap. XVII. In conatu enim invidiæ aliquid tanquam principium, aliquid tanquam medium, aliquid tanquam terminus spectari potest. Principium est, ut aliquis gloriam alterius minuat; vel in occulto, & sic est *Susurratio*; vel manifestè, & sic est *Detractio*. Medium est, quia invidus aut proximi gloriam minuere potest, ideóque præ gaudio tripudiat, & sic *Exultatio in adversis* inter invidiæ filias numeratur: aut non potest, & ideo mœrore tabescit; & sic *Afflictio in prosperis* inter invidiæ filias recensetur. Terminus autem est ipsum *Odium*, quia sicut bonum delectans parit amorem, sic tristitia parit odium, ut disserit *Sanctus Thomas*, Secunda Secundæ: Quæst. XXXVI. Art. IV. in Responsione ad III.

ARTICULUS V.

REGULÆ MORUM,

Filias Invidiæ spectantes.

REGULA I.

Odium Proximi ex Invidia natum lethale peccatum est quoties alteri grave aliquod malum deliberato consilio volumus.

Odium proximi.

HÆc Morum Regula ex verbo Dei deprompta est. Ait enim *S. Joannes*, Epistolâ I. cap. II. *Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat: quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.* Et infrà: *In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diaboli. Omnis qui non est justus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum: quoniam hæc est annuntiatio quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. Non sicut Cain qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant: fratris autem ejus justa... Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte: omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* In quem locum *S. Augustinus* Tractatu VI. in illam Epistolam ait: *Jam ergo si contemnebat quisquam odium fraternum, numquid & homicidium in corde suo contempturus est. Non movet manus ad occidendum hominem, homicida jam tenetur à Domino: vivit ille, & iste jam interfector judicatur.* Et paulò superiùs: *Ubi est invidia, amor fraternus esse non potest. Qui invidet, non amat. Peccatum Diaboli est in illo: quia & Diabolus invidendo dejecit. Cecidit enim, & invidit stanti. Non ideo voluit dejicere ut ipse staret, sed ne solus caderet. Tenete in animo ex hoc quod subjecit, Invidiam non posse esse in caritate. Habes apertè cùm laudaretur ipsa caritas,* Caritas non æmulatur. *Non fuit caritas in Cain; & nisi esset caritas in Abel, non acciperet Deus sacrificium ejus. Cùm enim ambo obtulissent, ille de fructibus terræ, ille de fetibus ovium: quid putatis Fratres, quia Deus fructus terræ neglexit? Non intendit Deus ad manus, sed in corde vidit: & quem vidit cum caritate offerre, ipsius Sacrificium respexit; quem vidit cum invidia offerre, ab ipsius Sacrificio avertit. Opera ergo bona Abel non dicit nisi caritatem: opera mala Cain non dicit nisi odium fraternum. Parum est quia odit fratrem suum, & invidit operibus bonis: quia imitari noluit, necare voluit. Et hinc apparuit quia filius erat Diaboli, & ille hinc apparuit Justus Dei. Hinc ergo discernuntur homines. Nemo attendat linguas, sed facta & cor.*

De Invidia.

1. Cor. 13.

REGULA II.

Qui Proximos oderunt, & ab illis dissident, sacramentaliter absolvi non possunt, & ad Eucharistiæ participationem admitti, nisi depositis inimicitiis, cum ipsis reconciliati fuerint.

Odium proximi.

CHristi verbis ac Præcepto nititur hæc Morum Regula, Matth. V. dicentis: *Si ergo offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversùm te; relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Quam Salvatoris nostri Sententiam *S. Augustinus* explicans, Lib. I. *De Sermone Domini in Monte*, cap. X. ait: *Pergendum est ergo ad reconciliationem, cùm in mentem venerit quod nos fortè fratrem in aliquo læsimus; pergendum autem non pedibus corporis, sed motibus animi; ut te humili affectu prosternas fratri, ad quem cara cogitatione cucurreris, in conspectu ejus cui munus oblaturus es. Ita enim etiamsi præsens sit, poteris eum non simulato animo lenire, atque in gratiam revocare veniam postulando, si hoc priùs coram Deo feceris, pergens ad eum non pigro motu corporis, sed celerrimo dilectionis affectu: atque inde veniens, id est, intentionem revocans ad id quod agere cœperis, offeres munus tuum.*

Hunc etiam locum appositè explicat ad rem nostram *S. Joannes Chrysostomus*, Homiliâ XVI. in Matthæum. *O admirabilem* (inquit) *benignitatem atque ineffabilem erga homines amorem Dei! Honorem suum despicit, dum in proximo ca-*

Odium promittum. *ritatem requirit. Interrumpatur* (inquit) *cultus meus, ut caritas tua integretur. Sacrificium mihi est fratrum reconciliatio. Propterea quippe non dixit, Postquam obtuleris, aut priùs quàm offeras: sed munere ipso jam posito, & inchoante Sacrificio reconciliandum mittit ad fratrem. Quam igitur ob causam istud fieri jubet? Duo sunt quæ per ista designat. Unum quidem, quod jam dixi, ostendere scilicet volens quòd honoret maximè Caritatem, & hanc acceptissimum esse Sacrificium ducat; absque ista verò nec illud profectò suscipiat. Aliud verò quò irrefutabilem quamdam necessitatem reconciliationis imponat. Qui enim jussus est non priùs munus offerre quàm reconcilietur offenso: etiamsi non ob proximi caritatem, saltem ne sacrificium maneat imperfectum, currere ad contristatum jubet, inimicitiásque dissolvere. Propterea & disertè cuncta memoravit, terrens illum videlicet ac suscitans. Cùm enim dicitur*, Relinque munus tuum; *non ibi substitit, sed intulit*, ante Altare: *rursùs ab ipso etiam loco horrorem injiciens:* & vade; *nec tantùm dicit*, Vade: *Sed adjunxit*, priùs: & tunc veniens offeres munus tuum: *Per omnia ista significant, quia per aliquas inter se inimicitias dissidentes nequaquam Mensa illa suscipiat. Audiant hi qui Sacris Mysteriis initiati, cum inimicitiis ad Communionem Altaris accedant. Audiant etiam illi qui nondum initiati sunt. Offerimus namque & ipsi munus & hostiam, orationem dico & eleemosynam. Quia enim & hæc sacrificii instar obtineant, audi*

Psal. 49. » *Prophetam loquentem*: Sacrificium laudis ho-
Psalm. 140. » norificabit me. *Et rursum*: Immola Deo Sa-
» crificium laudis: *Et*, Elevatio manuum mea-
» rum Sacrificium vespertinum. *Itaque etiamsi orationem cum tali offeras voluntate, melius est orationem relinquere, & ad reconciliationem fratris excurrere, & tunc orationem consequenter offerre. Propter hoc enim facta sunt omnia. Idcirco & Deus homo factus est, atque illa omnia gessit, ut nos in unum sine dubio congregaret.*

Qui publicis inter se odiis exardescunt, à Communione sunt removendi. Hanc Morum Regulam sacri Canones confirmant. Concilium Carthaginense Quartum, Canone nonagesimo tertio: *Oblationes* (inquit) *dissidentium fratrum, neque in sacrario, neque in gazophylacio recipiantur.*

Concilium Arelatense II. Canone quinquagesimo: *Hi qui publicis inter se odiis exardescant, ab Ecclesiasticis Conventibus sunt removendi, donec ad pacem recurrant.*

Concilium Agathense, Canone trigesimo-primo: *Placuit, ut sicut plerumque fit, quicunque odio aut longinqua inter se lite dissenserint, & ad pacem revocari diutina intentione nequiverint, à civitatis primitus Sacerdotibus arguantur. Qui si inimicitias deponere perniciosa intentione noluerint; de Ecclesiæ cœtu justissima Excommunicatione pellantur.*

Concilium Ilerdense, Canone septimo: *Qui sacramento se obligaverit, ut litigans cum quolibet, ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio uno anno à Communione Corporis & Sanguinis Domini segregatus, reatum suum eleemosynis, fletibus, & quantis potuerit jejuniis abluat; ad caritatem verò quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter venire festinet.*

Concilium Toletanum XI. Canone quarto: *Sicut omnis qui diligit fratrem suum ex Deo, ita omnis qui non diligit proximum ex Diabolo est: Dilectione enim solâ discernitur, quis ex quo genitus approbetur, dicente Joanne*: In hoc mani-
1. Joannis 3. » festi sunt filii Dei & filii diaboli: Omnis qui
» non facit justitiam non est de Deo, & qui
» non diligit fratrem suum..... *Et post paululum*: Omnis qui odit fratrem suum, ho- » *Odium promittum.*
» micida est.... *Cum igitur his præceptis Beati*
» *Apostolus consona prædicatione concordet dicens*:
Non occidat Sol super iracundiam vestram, » *Ephes. 4.*
& nolite locum dare Diabolo: *relata sunt no-* »
bis quorumdam Sacerdotum personæ in tantam obstinationis efferbuisse discordiam, ut non solùm illos ab ira occasus Solis non revocet, sed nec annosa quidem transactio temporum ad bonum caritatis reclinet: quippe in quorum cordibus ita Sol justitiæ Christus occubuit, ut ad lumen caritatis redire vix possint. Horum igitur & similium discordantium fratrum Oblationes, juxta antiqui Canonis definitionem, nullo modo recipiendas esse censemus. De personis tamen discordantium id specialiter definitione præcipimus, ut antequam eos reconciliatio vera investiat, nullus eorum accedere ad Altare Domini audeat, vel gratiam Communionis sanctæ percipiat: sed, geminato tempore per Pœnitentiam compensabunt quod discordiæ servierunt. Quòd si unus eorum, alio contemnente, ad satisfactionem caritatis cucurrerit; ex eo tempore, ut pacificus intra Ecclesiam recipiatur, ex quo ad concordiam festinasse convincitur; sententiâ tamen superiori servatâ, ut tempus quod quisque in ira expendit, geminatum in Pœnitentiæ satisfactione persolvat.

Concilium Trosleianum, Canone duodecimo: *Cohibenda est iracundia, pellenda discordia, refrænanda est rixa, ut non solum nostro vitio non provocemus quemquam, sed ut provocati, & graviter læsi, juxta Pauli vocem, simus cum patientia supportantes invicem, & donantes nobismetipsis, si quis adversùs aliquem habet querelam. Sicut Deus in Christo donavit nobis, ita & nos dimittamus invicem quod debetur nobis, ut dimittatur quod debetur à nobis. Tale quippe pactum cum Deo facimus in oratione, dicendo:* Dimitte nobis debita no- »
stra, sicut & nos dimittimus debitoribus no- »
stris. *Unde summopere cavendum est omnibus nobis. Qui enim non dimittit ei qui sibi facit injuriam, hoc petendo non pro se facit orationem, sed superinducit maledictionem: & frustra sibi Deum propitium fieri quærit, qui placari proximo negligit. Et quia tales ab eo, qui Pax est, separati sunt, jure & ab Ecclesia separantur, nisi inimicitias deposuerint.* Quod ubi confirmavit recitatis Conciliorum Carthaginensis Quarti, & Agathensis Canonibus, ita concludit: *Quorum igitur oblatio in præsenti Ecclesia non recipitur Sacrario, horum proculdubio Animæ à cœlestis Sacrarii, scilicet Regni Dei repelluntur consortio.*

Concilium Nannetense, Canone I. statuit, *Ut Dominicis & Festis diebus Presbyteri, antequam Missas celebrent, interrogent, si aliqui discordantes sint, qui inter se litem implacabilem habeant. Et si inventi fuerint, statim reconcilientur. Quòd si renuerint pacem suscipere, ab Ecclesia ejiciantur, usquequo ad caritatem redeant. Non enim possumus munus vel oblationem ad Altare offerre, donec priùs fratri reconciliemur. His ita peractis, Sacerdotes Missarum Solemnia rite peragant.*

REGULA III.

Susurratio, id est, secreta oblocutio, quâ quis malum culpa aliena, vel pœna, vel aliquem etiam naturæ defectum, inordinatè cuipiam renuntiat, eo fine ut justam, quæ inter eos intercedit, amicitiam lædat, aut dirimat; aut ex detegit imprudent, quæ rectam & laudabilem amicitiam graviter lædere aut dissolvere valeant, vel suaptè naturâ, vel ratione personarum apud quas referuntur: lethale peccatum est.

B

Susurratio. HÆc Motum Regula nititur auctoritate Veteris Novique Testamenti, susurrationem inter gravia quæque crimina recensentis, & divinam maledictionem susurronibus intentantis. Levitici xix. *Non eris criminator, nec susurro in populo.* Et Proverbiorum cap. vi. *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus: oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias.* C Et cap. xxvi. *Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis, & susurrone subtracto jurgia conquiescent.* Ecclesiastici xxviii. *Vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam... Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem » habentes.* Susurro bilinguis propriè dicitur. » Cùm enim amicitia sit inter duos, nititur su» surro ex utraque parte amicitiam rumpere, & » ideo duabus linguis utitur ad duos, uni di» cens malum de alio (inquit *S. Thomas*, Se» cunda Secundæ, Quæstione lxxiv. Articulo » i. ad tertium.) Unde & lingua susurronis D » vocatur ibidem lingua tertia. *Lingua tertia multos commovit, & dispersit illos de gente in gentem. Civitates muratas Divitum destruxit, & domos Magnatorum effodit. Virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissolvit. Lingua tertia mulieres viratas ejecit, & privavit illas laboribus suis. Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum in quo requiescat. Flagelli plaga livorem facit: plaga autem linguæ comminuet ossa. Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam.* Ecclesiastici cap. v. *Non appelleris susurro, & linguâ tuâ ne capiaris, &* E *confundaris. Super furem enim est confusio, & pœnitentia, & denotatio pessima super bilinguem: susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia.* Epistolæ ad Romanos cap. i. *Tradidit illos*

Denotatio, id est, contumelia.

Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, SUSURRONES, *detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus* F *non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Qui cùm justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Hanc Regulam confirmat Concilii Tridentini Catechismus, P. iii. in Explicatione octavi Præcepti Decalogi §. xvii. ubi enim de obtrectatoribus & maledicis locutus est, subjungit: *In eodem genere sunt, qui suis artificiis distrahunt homines & inter se committunt, magnoperèque serendis discordiis delectantur: ut summas conjunctiones ac societates fictis sermonibus dirimerent, amicissimos viros ad immortales inimicitias, & ad arma com-*

A *pellant. Tales erant multi ex Consiliariis Saulis, qui ejus voluntatem à Davide alienare, & in illum Regem incitare conabantur.* (1. Regum xxiv.)

REGULA IV.

In Susurrationis peccatum non incurrit, qui malum proximi renuntiat alteri, vel ad salutem ipsius procurandam, vel ob Ecclesiæ, aut Reipublicæ utilitatem; & ut amicorum suorum bono consulat: vel ut pravas & in damnum alterius conspirantes amicitias dissolvat.

NOn sunt igitur susurrationis rei, qui Superiori mala subditorum revelant, ad eorum emendationem, vel boni publici gratiâ, putà ne ad Sacros Ordines promoveatur canonicis impedimentis irretitos; ne ad Beneficium Ecclesiasticum promoveatur indignos; ne ad Monasticam Professionem admittatur, qui secundùm Canones, aut Regulas, vel Constitutiones Religiosorum Ordinum, ad eam vel absolutè, vel in tali Ordine emittendam ineptus est: ne Matrimonium contrahere permittantur, quos à contrahendo, vel absolutè, vel inter se, Lex Divina, vel Ecclesiastica impedit; ne aditus ad Aulam pateat suspectæ fidei viris, vel adversùs salutem Principis conjuratis: ne divini verbi Prædicatio, Confessionum audiendarum munus, docendi provincia hominibus errores contra fidem aut bonos mores clam disseminantibus, seu prava quæcunque dogmata tradentibus, aut ad novitates doctrinarum propensis, sive mente & corde corruptis demandentur. Non sunt etiam susurrones, qui puellæ, aut ejus parentibus, ex caritate, aut amicitiâ, vitia aut veros defectus alicujus hominis aperiunt, qui puellæ ipsius nuptias ambit, & in eorum affinitatem per fraudes & dolos irrepere nititur. Susurronibus denique non sunt annumerandi, qui mala alienæ culpæ, aut pœnæ, vel naturales defectos aperiunt alteri, eo fine ut dissolvant amicitiam utriusque saluti periculosam, aut in grave scandalum aliorum vergentem; ut si quis inter concubinam & concubinarium discordiam excitet eo fine ut infame illorum contubernium dissolvat. *Susurratio.*

REGULA V.

Venialis est Susurratio, cùm quis per jocum amicorum uni renuntiat aliquid de altero, quod scit ingratum ipsi fore, & ex eo nonnihil commotum iri adversùs amicum, non tamen ita ut amicitia dissolvatur aut labefactetur.

IN ea enim hypothesi nec amicos disjungere, aut gravem inter illos discordiam serere intendit: nec quæ dicit homo leviculus & facetus, talia sunt ut suaptè naturâ, aut habitâ ratione personarum, amicitiam infringere, aut graviter lædere valeant: & si leves aliquæ suspiciones, vel contentiones hinc inter amicos oriantur, certus est se illas protinus dissipaturum, ac sedaturum; quia apud utrumque auctoritate valet, utrique amicus est, novit uterque ipsum ad jocos hujusmodi, alias periculosos, proclivem. His, loquam, circumstantiis concurrentibus, susurratio veniale duntaxat peccatum est.

Regula VI.

Susurratio peccatum est Detractione gravius.

Susurratio. PEccatum namque in proximum eò gravius est, quò per ipsum gravius damnum proximo infertur: Damnum autem eò gravius censendum est, quò majus & excellentius bonum ipsi eripitur. Inter cætera verò exteriora bona præeminet amicus. Unde dicitur Ecclesiastici sexto: *Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis, & qui metuunt Dominum, invenient illum.* Fama autem ipsa, quæ per detractionem tollitur, ad hoc maximè necessaria est, ut homo idoneus ad amicitiam habeatur. *Et ideo susurratio est majus peccatum quàm detractio, & etiam quàm contumelia: quia amicus est melior quàm honor*, (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. LXXIV. Art. II.)

Regula VII.

Susurrationis peccatum aliud altero gravius est, non solùm ratione finis, quo fit interdum ut nova deformitatis accessione cumuletur, seu ad alteram quoque peccati speciem pertineat; sed etiam ratione aliarum circumstantiarum.

GRavius est scilicet peccatum susurrationis, qui discordiam serit inter virum & uxorem, ut ipsius uxoris amplexibus fruatur, quàm si nullâ aliâ nisi susurrandi libidine eorum concordiam turbet: quia non solùm susurrationis, sed etiam adulterii reus est. Sed & susurratio quâ quis alteri conjugum renuntiat absolutè aliquid de altero quod ipsorum amorem dirimere aut labefactare possit, graviùs peccat intra eamdem speciem, quam si necessitudines alias, quarum non ita sacrum nec strictum vinculum est, disrumpere niteretur. Sic graviùs peccat susurro, qui patrem ita commovet in filium, ut ipsum exhæredet, aut duriùs tractet: vel qui domino aliquid renuntiat de servo, quo fit ut ipsum è domo sua expellat, aut graves adversùs illius fidelitatem suspiciones concipiat, aut ipsum excipiat acerbiùs: vel Aulicus qui in aurem Principis aliquid ex invidia insusurrat de altero, quod ejus animum ab illo ita abalienet, aut abalienare possit, ut gratiâ suâ, & beneficiis, & Muneribus vel Officiis illum privet, illique Aulæ aditu interdicat: idque molitur, ut de illius infortunio crescat, ut in ejus locum adrepat: vel qui susurrationibus suis bella sive intestina, sive externa accendunt, quales erant multi ex Consiliariis Saülis, qui ejus voluntatem à Davide alienare, & in illum Regem concitare conabantur, 1. *Reg. cap.* XXII. & XXIV. Illi (inquam) gravius susurrationis peccatum committunt, quam si vulgares conjunctiones & amicitias oblocutionibus suis dirimere aut perturbare conarentur. Unde circumstantiæ hujusmodi in Sacramentali Confessione sunt necessariò exprimendæ. Sic graviùs peccant susurrones, qui Religiosorum hominum, vel Sanctimonialium amicitiam dirimunt, aut subditos adversùs Prælatos & Superiores commovent: unde fit ut disciplina Regularis solvatur, vel remittatur; ordo, & pax Monasteriorum, vel aliarum Societatum Sanctarum turbetur, partes fiant & conventicula, nascantur lites, scandala oriantur. Cùm enim sanctior sit Fratrum & Sororum in eadem familia religiosa Deo servientium, quàm sæcularium amicorum societas & amicitia, & Versus ille Psalmi CXXXII. *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum*, ad eos magis propriè pertineat: *Qui sic vivunt in unum ut unum hominem faciant, ut sit illis verò quod scriptum est, Anima una & unum cor; multa corpora, sed non multæ animæ; multa corpora, sed non multa corda;* Act. 4. (ut docet *S. Augustinus* Expositione in hunc Psalmum) graviùs peccat susurro, qui discordias serit inter Monachos, aut Sanctimoniales, quàm qui sæcularium amicorum concordiam sive amicitiam labefactat aut perturbat.

Regula VIII.

Susurro qui secretis oblocutionibus amicos disjunxit, aut legitimam illorum amicitiam graviter læsit, atque labefactavit, absolvi non debet, donec illos, quoad ejus fieri poterit, inter se reconciliet: aut si id præstare non potest, pro damnis inde secutis, judicio viri probi satisfaciat.

REgula enim generalis est Moralis Christianæ, peccata quæ grave damnum proximo inferunt à Deo non remitti, nisi damna illata resarciantur, juxta illam *S. Augustini* Sententiam, quæ & inter Juris Regulas in Sexto, Cap. *Peccatum*, quarta est: *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.*

Regula IX.

Nihil unquam de aliis referre debet Christianus, quod dissidia fovere vel excitare possit; alioqui susurrationis reus est.

HInc dicitur Ecclesiastici XIX. *Audisti verbum adversùs proximum tuum? Commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet.* Præclarum hac de re documentum ex *Monica* Matris suæ sanctissimæ exemplo *S. Augustinus* tradit Libro nono *Confessionum*, cap. IX. *Hoc quoque*, inquit, *illi bono Mancipio tuo, in cujus utero me creasti Deus meus, misericordia mea, munus grande donaveras, quòd inter dissidentes atque discordes quasque animas, ubi poterat, tam se præbebat pacificam, ut cùm ab utraque multa de invicem audiret amarissima, qualia solet eructare turgens atque indigesta discordia, quando præsenti amicæ de absente inimica per acida colloquia cruditas exhalatur odiorum, nunquam tamen alteri de altera proderet, nisi quod ad eas reconciliandas valeret.* Hinc *S. Hieronymus* Epistolâ II. ad *Nepotianum*, scribit: *Officii tui est visitare languentes, nosse domos Matronarum, ac liberos earum, & Nobilium virorum custodire secreta. Officii tui est non solùm oculos castos servare, sed & linguam. Nunquam de formis mulierum disputes: nec quid agatur in alia, domus alia per te noverit.... Omnium Christianorum domos debemus amare quasi proprias.*

REGULA X.

Detractio seu Obtrectatio, quia quispiam alienam famam labefactat penitus, aut graviter lædit, extenuat, verba maledica profert, quibus pessumdari, graviter lædi, aut extenuari potest, lethale peccatum est.

Obtrectatio.

NAm Apostolus Cap. I. Epistulæ ad *Romanos*, detractores illis peccatoribus annumerat, qui digni sunt morte: *Detractores* (inquit) *Deo odibiles..... Qui talia agunt, digni sunt morte.* Et I. ad Corinthios VI. *Neque maledici, neque rapaces Regnum Dei possidebunt.* Et *S. Jacobus* Epistolæ suæ Catholicæ Cap. IV. *Nolite*, inquit, *detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem.* Detrahit legi, quatenus contemnit præceptum de dilectione proximi. Mala quæ à lingua maledica proveniunt, ibidem *S. Jacobus* describit, Cap. III. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Potest etiam fræno circumducere totum corpus. Si autem equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus. Ecce & naves, cùm magnæ sint, & à ventis validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit. Ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat. Ecce quantus ignis quàm magnam sylvam incendit! & lingua ignis est, universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata à gehenna. Omnis enim natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum domantur, & domita sunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus Deum & Patrem: & in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri. Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam? Nunquid potest, fratres mei, ficus uvas facere, aut vitis ficus? Sic neque salsa dulcem potest facere aquam.* Sed & Veteris Testamenti Scripturæ de detractione ceu de gravi peccato loquuntur, Psalm. LVI. *Dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Proverbiorum Cap. XXIV. *Abominatio hominum detractor..... Cum detractoribus non commiscearis: quoniam repente consurget perditio eorum; & ruinam utriusque quis novit?* Et Ecclesiastis X. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.* Ecclesiastici XXVIII. *Flagelli plaga livorem facit, Plaga autem linguæ comminuet ossa. Multi occiderunt in ore gladii: sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam.*

Quæ mala à lingua maledica proveniunt?

Detractio quam gravé crimen?

Criminis istius gravitatem SS. Patres ostendunt. *S. Joannes Chrysostomus*, Homiliâ III. ad Populum Antiochenum: *Detrahens* (inquit) *fraternas carnes comedit, proximi carnem momordit. Propterea & Paulus terruit, dicens: Si autem vos invicem mordetis, & comeditis, videte ne ab invicem consumamini. Non infixisti dentes carni, sed animæ maledictum, improbam suspicionem infixisti, vulnerasti, innumeris affecisti malis & te ipsum, & illum, & alios plures: etenim audientem pejorem fecisti, proximum calumniatus. Sive enim peccator sit, in arrogantiam tollitur, & inflatur ex aliorum peccato, magna de se ipso sentire persuasus. Insuper communem Ecclesiæ statum læsisti: non enim omnes audientes peccatorem solum accusant; sed opprobria Christianorum genti infliguntur. Ad hæc, Dei gloriam blasphemari fecisti: sicut enim nobis laudabiliter viventibus Dei nomen glorificatur, sic peccantibus blasphematur, & contumeliâ afficitur. Quartùm, malè audientem confudisti, & sic impudentiorem reddidisti, inimicum & hostem reddens. Quintùm, te ipsum pœnæ & castigationis reum fecisti, negotia ad te nihil attinentia texens. Ne quis enim hoc mihi dicat, Tunc detraho, quando falsa dico; si autem vera dico, minimè. Nam licèt vera loquens maledixeris, & hoc est crimen. Etenim Pharisæus ille Publicano veridicus maledixit, sed tamen hoc ipsi nihil profuit. Dic enim mihi, Publicanus non erat Publicanus & peccator? Cuique certum est quòd Publicanus erat, sed quoniam ipsum vituperavit Pharisæus, abiit omnibus amissis...... Fugiamus igitur, dilecti, fugiamus detractionem, docti quòd est totum satanicum baratrum insidiarum ejus hæc insessio. Ut enim nostra negligamus, & graviores nobis reatus constituamus, in hanc nos consuetudinem Diabolus duxit: imò verò non solum inest hoc malum, quòd tunc rationem dabimus eorum quæ diximus, sed etiam quòd peccata nostra sic graviora faciemus, omni nos excusatione privantes. Acerbè enim aliena exquirens, in suis excessibus nullam unquam veniam nancisceur..... Eliminemus igitur omnem ex ore nostro detractionem, scientes quòd etsi cinerem comedamus, nulla nobis aspera vita hujus utilitas proderit, nisi à detractione abstineamus: Non enim quæ intrant, coinquinant hominem, sed quæ exeunt ex ore.*

Galat. 5.

Obtrectatio.

Luc. 18.

Matth. 15.

Et Homiliâ XLIII. in Matthæum: *Diabolicus certe hic maledicendi laqueus est, & peccatum nullam voluptatem, sed damnum tantùm efferens, & magnum delictorum acervum efficiens. Quòd si quis perniciosis humoribus plenus, ægrotationis laborem non effugiet: multò magis qui hanc omni cholera amariorem malignitatem in se ipso recondit atque conservat, ultimi atque perpetui doloribus morbi laborabit.*

S. Hieronymus in Cap. X. Ecclesiastis: *Serpens* (inquit) *& detractor æquales sunt. Quomodo enim ille occultè mordens venenum inserit, sic iste clam detrahens virus pectoris sui infundit in fratrem.*

Serpens & detractor æquales.

Idem *S. Hieronymus*, sive *S. Paulinus*, in Epistulâ ad *Celantiam*, quâ Matrem-familiâs instituit: *Nulli unquam omnino detrahas, nec aliorum vituperatione te laudabilem videri velis. Magisque vitam tuam ordinare disce, quàm alienam carpere. Ac semper Scripturæ memor esto, dicentis: Noli diligere detrahere, ne eradiceris. Pauci admodum sunt qui huic vitio renuncient: raróque invenies, qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, ut non libenter reprehendant alienam: tantáque hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserant, in illud tamen quasi in extremum Diaboli laqueum incidant.*

Proverb. 20.

Detractio extremus velut Diaboli laqueus.

S. Augustinus Lib. II. De Baptismo contra Donatistas, Cap. VII. *An levius*, inquit, *putatur, quod gladio minuante, quàm quod lingua insidiante committitur?* Et Tractatu V. in Joannem: *Illi graviùs cor feriunt, qui linguæ gladio feriunt.*

S. Bernardus, Sermone XXIV. in Cantica: *Videas* (inquit) *ambulare seorsum, convenire sibi & sedere pariter, moxque laxare procaces linguas in detestandum susurrum. Una uni conjungitur, nec spiraculum incedit in eis: tanta est libido detrahendi, audiendive detrahentem. Ineunt familiaritatem ad maledicendum, concordes ad discordiam. Conciliant inter se inimicissimas amicitias, & pari consentanea malignitatis affectu celebratur odiosa collatio. Haud secus egere quondam Herodes & Pilatus, de quibus narrat Evangelium, quia facti sunt amici in die illa, hoc est in die Dominicæ Passionis. Convenienti-*

Libido detrahendi propagat peccati.

Luc. 23.

Obtestatio.

bus sic in unum, non est Dominicam Cœnam manducare, sed magis propinare & bibere calicem dæmoniorum; dum important suis linguis aliorum perditionis virus, aliorum aures intrantem mortem libenter excipiunt. Sicque juxta Prophetam, Intrat mors per fenestras nostras. *Jerem. 9.* *Cùm prurientes auribus & oribus, lethale poculum detractionis invicem nobis ministrare contendimus. Non veniat anima mea in concilio detrahentium: quoniam Deus odit eos dicente Apostolo:* Detractores Deo odibiles. *Rom. 1.* *Quam sententiam Deus ipse loquens in Psalmo audi quomodo confirmat:* *Psalm. 100.* Detrahentem, *inquit*, secretò proximo suo, hunc persequebar. *Nec mirum, cùm id præcipuè vitium caritatem, qua Deus est, & quidem ceteris acriùs, impugnare & persequi cognoscatur...... Omnis qui detrahit, primùm quidem se ipsum prodit vacuum caritate: deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi ut is cui detrahit, veniat in odium vel contemptum ipsis apud quos detrahit? Ferit ergo caritatem in omnibus qui se audiunt lingua maledica, & quantùm in se est, necat funditus & extinguit: non solùm autem, sed & in absentibus universis, ad quos volans verbum fortè per eos qui præsentes sunt, pervenire contigerit. Vides quàm facilè & in brevi ingentem multitudinem animarum velociter currens sermo tabe molestia ejus inficere possit? Propterea dicit de talibus Propheticus Spiritus:* Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem; *Psalm. 13.* *Utique tam velociter, quàm velociter currit sermo. Unus est qui loquitur, & unum tantùm verbum profert: & tamen illud unum verbum uno in momento multitudinis audientium dum aures inficit, animas interficit. Cor siquidem felle livoris amarum, per linguæ instrumentum spargere nisi amara non potest, dicente Domino,* Ex abundantia cordis os loquitur. *Luc. 6.* *Et sunt species pestis hujus, dum alii quidem nudè atque irreverenter, uti in buccam venerit, virus evomant detractionis: alii autem quodam simulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conentur. Videas alta præmitti suspiria, sicque quadam cum gravitate & tarditate, vultu mæsto, demissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tantò persuasibiliorem, quantò creditur ab his qui audiunt, corde invito, & magis condolentis affectu, quàm malitiosè proferri. Doleo, inquit, vehementer, pro eo quod diligo eum satis; & nunquam potui de hac re corrigere eum. Et alius: Mihi quidem, ait, bene compertum fuerat de illo istud, sed per me nunquam innotuisset. At quoniam per alterum patefacta est res, veritatem negare non possum; dolens dico, reverâ ita est. Et addit: Grande damnum! nam aliàs quidem in pluribus valet, caeterùm in hac parte, ut verum fateamur, excusari non potest.*

Variæ obtrectatorum artes.

Et Sermone XVII. *De Diversis*, qui *De triplici custodia, manus, lingua, & cordis* inscribitur: *Utinam*, inquit, *vel solum tempus vitæ amitteretur in verbis: sed multi in his etiam vitam amittere comprobantur: nec modò ipsi amittere, sed adimere quoque, & hoc fratribus suis. An non amittunt vitam detractores Deo odibiles, odibiles vitæ? Fugit vita quos odit: & quos vita fugit, mori necesse est. An non & ipse moritur, qui venenum bibit, quod ei malesuada detractoris lingua propinat? Siquidem furtim ei dilectionis vita subtrahitur: & dum nescit, paulatim in eo fraterna caritas refrigescit. Auditurus est forsitan ipse quoque cui detrahitur: undique enim verba volant, & multorum priùs ora sermo pertransient, difficilè fieri potest quin singulorum creverit linguis, & quasi jam provectus referatur ad eum cujus spectat offensam. Itaque scandalizabitur audiens, & tabescet, eòque faciliùs extinguetur in eo caritas, quò ampliùs antè vivere videbatur.* Si inimicus, *ait*, meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: *Psalm. 54.* *& quidem cavet sibi prudens auditor, cavet & ipse, si non desipit, qui sibi noverit esse detractum: ille ne veneno inficiatur, iste ne scandalo perturbetur. Sed quod in se est tamen, lingua maledica & illius percutiens conscientiam, & istius vulnerans caritatem, secum pariter utrumque peremit. Nunquid non vipera est lingua ista? Ferocissima planè, nimirùm quæ tam lethaliter tres inficit flatu uno. Numquid non lancea est ista lingua? Profectò & acutissima, quæ tres penetrat ictu uno:* *Psalm. 56.* Lingua (inquit) eorum gladius acutus. *Gladius equidem anceps, imò triceps est lingua detractoris. Nec verò ejusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Christi corpus, & membrum de membro, nec jam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit, seu etiam clavis ferreis, quos sanctissimis manibus illi & pedibus consummata Judaicæ Gentis iniquitas infixit. Nisi enim hujus quod nunc pungitur & transfoditur, corporis vitam, sui vita corporis prætulisset, nunquam illud pro isto, mortis injuria, crucis ignominia tradidisset. Et dicimus: Levis res est sermo. Levis quidem res, quia leviter volat, sed graviter vulnerat: leviter transit, sed graviter urit: leviter penetrat animum, sed non leviter exit: profertur leviter, sed non leviter revocatur: facilè volat, atque ideo facilè violat caritatem.*

Detractionis vitium, præcipuè impugnat & persequitur caritatem.

Linguæ maledicæ crudelitas.

Lingua maledica crudelior mucrone lanceæ, quâ latus Christi confossum est.

Hanc Motum Regulam confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXIII. Articulo II. *Peccata verborum*, inquit, *maximè sunt ex intentione dicentis judicanda. Detractio autem secundum suam rationem ordinatur ad denigrandam famam alicujus. Unde ille per se loquendo detrahit, qui ad hoc de aliquo obloquitur eo absente, ut ejus famam denigret. Auferre autem alieni famam, valde grave est: quia inter res temporales videtur fama esse pretiosior, per cujus defectum impeditur homo à multis bene agendis: propter quod dicitur Ecclesiastici* XLI. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri magni pretiosi. *Et ideo detractio, per se loquendo, est peccatum mortale.* Et Articulo III. docet, detractionem gravius esse furto peccatum, quia *Fama præeminet divitiis, eò quòd propinquior est spiritualibus bonis.* Unde dicitur Proverb. XXII. *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Homicidium quidem gravius est detractione peccatum: sed tamen detractio homicidii malitiæ & crudelitati proxima est, tum quia ex odio & invidia procedit, & *Qui odit fratrem suum homicida est*: tum quia homicidia interdum ex detractione originem habent, adeòque detractori imputantur; tum quia plerique homines magnanimi mori mallent, quàm infamiæ suæ superstites vivere. Hinc *Tertullianus*, Lib. *De Idololatria*, Cap. II. *Homicidium*, inquit, *non in sola sanguinis profusione, & animæ ereptione reputandum. Homicidium enim in verbo maledicti vel convitii judicat Deus.* Atque detractoribus accommodari meritò potest quod *Optatus Milevitanus* ait de Donatistis, qui Sacerdotes in Ecclesia Catholica ordinatos grado movebant, eisque velut Pœnitentibus manus imponebant: *Vos vivum fecistis homicidium.... Ad infigendum morsum honoribus alienis, dentes vestros in sagittas & arma vertistis; linguas acuistis in gladios, quas movistis in mortes non corporum, sed honorum. Jugulastis non membra, sed nomina. Quid prodest quia vivunt homines, & occisi sunt honores à vobis? Valent quidem membris, sed erepta portant funera*

Detractio crudelitati homicidii proxima.

Mortes honorum funera dignitatum.

Obt. c.[illegible] *funera dignitatis. Certè non licet occidere. An idea vos putatis innocentes, quia ferro usi non estis? Innocentem se & venenarius judices, si in solo ferro est homicidium. Non sibi videatur reus, qui alterum subducto cibo necaverit. Innocentem se judices, qui spirandi prohibita facultate, suffocaverit vivere cupientem. Necis multa sunt genera, sed unum nomen est mortis. Maledictionibus suis cum fiducia hominem mortuum protestaris. Quid interest an gladio feriat, an linguâ percutias? In substanter homicida es, si per te mortuus fuerit, qui vivebat... Dei Episcopos linguâ gladio jugulastis, fundentes sanguinem non corporis, sed honoris.*

REGULA XI.

Non est reus detractionis, qui alterius peccatum, seu malum quodcumque alicui patefacit, boni cujuspiam procurandi aut promovendi gratiâ, modò debitæ circumstantiæ serventur.

Casus quibus occultum proximi peccatum alteri patefacere licet.

Sic occultum proximi peccatum, propter ejus emendationem, denuntiare licet Superiori, servato priùs præcepto correptionis fraternæ. Sic grave crimen alterius, publicis legibus plectendum, prodere licet accusatione legitimâ, modò id fiat justitiæ, bonique publici studio, non vindictæ affectu. Similiter occultum alicujus vitium vel defectum renuntiare licet, ad avertendum grave damnum vel periculum Ecclesiæ, Reipublicæ, alicui Societati, aut familiæ, vel privatis etiam personis imminens. Si quis, verbi gratiâ, cum Ecclesiæ, Reipublicæ, vel Ordinis alicujus aut Societatis publico gravique detrimento sit ad Beneficium aliquod, Dignitatem, vel Officium promovendus, occulta illius vitia vel defectus prodere licitum ac religiosum est, modò id prudenter fiat, nec citra necessitatem, nec pluribus quàm oporteat, & ex caritate, bonique publici studio. Sic etiam licitum est alios monere ut sibi caveant ab eo quem certò nosti, vel non temerè suspicaris esse furem, veneficum, ganeonem, proditorem, impium, hæreticum, pestifero morbo, aut lue venerea laborantem; si malum ex hujusmodi hominis societate ipsis imminens aliter avertere non possis. Licet pariter occultum alterius crimen prodere, si aliter ab injusta illius vexatione liberari non possis, modò servetur moderatio, nec plura aut graviora ex illius criminibus occultis revelentur, quàm postulet justæ defensionis necessitas, nec vindictæ animo id fiat. Ita reus non peccat, & multò minùs innocens, qui testium illegitimorum testimonia, quibus damnandus est, vel opprimendus, repellit, vero illorum crimine detecto & probato. Non ergo quælibet alieni peccati, etiam occulti revelatio, detractionis peccatum est, sed ea tantùm quâ justitiæ vel caritatis ordo violatur.

Hanc Morum Regulam confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. LXXIII. Art. II. *Si verba* (inquit) *per quæ fama alterius diminuitur proferat aliquis propter aliquod bonum necessarium, debitis circumstantiis observatis: non est peccatum, nec potest dici detractio.*

Hæc Regula confirmatur ex *S. Basilio*, in Regulis brevioribus, interrogatione XXV. *Duo* (inquit) *esse existimo tempora, in quibus liceat aliquid mali de aliquo dicere: videlicet & quando necesse habet aliquis consultare unà etiam cum aliis, qui ad hoc idonei judicati sint, quo pacto corrigendus sit, qui peccatum commisit: & item quando necessitas poscit ut periculo consulatur aliquorum, qui sæpe numero ex ignorantia commisceri possent cum malo tanquam cum bono: cùm Apostoli præceptum sit, ut ne quis se cum his commisceat, qui istiusmodi sunt, ne quando capiat quis laqueos animæ suæ. Quod quidem videmus eumdem Apostolum fecisse, ex his, quæ ipse ad Timotheum scribit his verbis,* " Alexander ærarius multa mala mihi ostendit, " quem & tu devita. Valdè enim restitit verbis " nostris. *Extra autem hujusmodi necessitatem, qui aliquid secùs de aliquo loquitur, illius insimulandi, vel vituperandi causâ, detractor est, etiamsi verum sit quod loquatur.*

Obtestat. 2. Thess. 3.

2. Tim. 4.

Idem confirmatur ex Cap. *Cùm ex injuncto*, quod est *Innocentii III.* Extra, *De Hæreticis*, cujus hæc sunt verba: *Licèt scientia sit valde necessaria Sacerdotibus ad doctrinam, quia juxta verbum propheticum,* " Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, " & legem exquirunt ex ore ejus: *Non est tamen simplicibus Sacerdotibus etiam à Scholasticis detrahendum, cùm in eis Sacerdotale Officium debeat honorari: propter quod Dominus in Lege præcepit,* Dus non detrahes, *Sacerdotes intelligens: qui propter excellentiam Ordinis, & Officii dignitatem, Deorum nomine nuncupantur.... Quòd si fortè necessitas postularet, ut Sacerdos tanquam inutilis & indignus, à cura gregis debeat removeri: agendum est ordinatè apud Episcopum, ad cujus officium tam institutio, quàm destitutio Sacerdotum noscitur pertinere.*

Malac. 2.

Hanc Morum Regulam, uti & præcedentem, & sequentem, *Gersonius*, Cancellarius Parisiensis Ecclesiæ & Academiæ, vir pius & eruditus, nitidè explicat in Responsione ad Quæstiones quatuor, Quæstior.e.1. *Sciendum*, inquit, *quòd actio moralis libera accipit, vel vituperium, vel laudem, & peccatum, ex suis circunstantiis, & specialiter ex circunstantia finis. Inquirendum est igitur ad quem finem dicitur malum de absentibus, & occurrunt sex fines generales. Quandoque hoc fit ad instructionem præsentium & id audientium, ut caveant similia facere. Quandoque fit ad præsentium cautelam, ne scilicet ex ignorantia decipiantur per malam aliorum societatem, quos præsumunt bonos. Quandoque etiam fit ad utilitatem absentium, ut videlicet præsentes eis referant pro ipsorum correctione & emendatione. Quandoque fit ex quadam compassione amicabili, ut scilicet seipsum & audientes referens provocet ad orandum instantiùs pro aliorum peccatis & eorum conversione. Quandoque etiam fit ex sola curiositate, & assueta loquacitate, & quadam libidine loquendi de aliis. Quandoque autem fit ex odio vel invidia, ac pro diminutione famæ alienæ, & ex animi indignatione. Primis quatuor modis potest esse non solùm licitum, immò & meritorium, referre mala absentium, dummodo tamen non intendatur principaliter alius finis, quàm aliquis prænotatorum quatuor. Et si non misceatur alia intentio fermentata & sibi ipsi mentiens, dum bene provideatur ne sint falsa quæ dicuntur, aut in mala ultra quàm in se sunt per referentem ampliata, aut forsan sinistrè interpretata: ac etiam quòd non plus noceat talis locutio absentibus & eorum famæ, quàm prosit præsentibus & eorum ædificationi. Quoniam pro parvo bono consequendo non est magnum malum committendum.*

Tom. 1. pag. [illegible]

Expendendum quo fine malum de absentibus dicatur, ut agnoscatur utrum & quale peccatum.

Malè loqui de absentibus ad solùm satisfaciendum propriæ loquacitati & libidini loquendi de aliis, etiam si fit pro sola deductione temporis, & quasi pro solatio, ut sic tempus sine tædio transeat, vix aut nunquam excusatur à peccato, & sæpius transit in mortale peccatum. Tale enim verbum non solùm otiosum, sed & communiter est perniciosum, & multipliciter nocivum.

Si quis autem quærit signum quomodo sciet quan-

Observatio. *de ex bono fine loquatur, aut malo de malis proximi: respondetur, quòd dum aliquis loquitur ad bonum istius cujus mala commemorat, ut puta ut in se & audientibus provocet mentem ad orandum pro talis emendatione, necessarium est ut sentiat tunc in se quandam ad eundem de quo fit sermo compassionem piam, dulcémque, misericordem, & caritativum affectum. Et etiam requiritur ut non nimis longum texat sermonem de tam mala materia & despicabili. Sicut pia mater non delectatur in narrando longè mala filii sui, nec etiam dicit illa nisi ex necessitate, ut puta ipsi Medico, aut illis qui ejus saluti poterunt prodesse, & malum adjacens avertere. Sic itaque narrando suspirat altè, tristatur, dolet, & abbreviat sermonem quantùm prævalet, & quantùm videtur sufficere ad ostensionem infirmitatis, quæ sibi tanta tristitiæ causa existit. Sed dum quis loquitur malum de aliis ex loquacitate, sunt signa opposita, quoniam tunc sentit indignationem animi contra eos de quorum malis loquitur, cum quadam amaritudine fellis corrodit & mordet ipsos absentes, & verbis suis venenatis, linguáque sicut gladius acutus acutâ, lacerat sine misericordia, sine aliqua compassione, nec ponit finem verbis suis, quia satiari nequit ejus vorax invidia.*

Loqui malum de alio directè ex odio & invidia, semper est peccatum. Et quando notabiliter læditur per hoc aliena fama; & dum loquens hoc advertit in sua conscientia, aut advertere posset, est gravius peccatum sæpissimè quàm furtum, aut quàm foret esus carnium die Veneris vel Jejunii Ecclesiæ magni cujuscumque.

REGULA XII.

Qui malum aliquod, vel defectum proximi aperit, absque animo nocendi, absque odii, iræ, vel invidiæ affectu, sed ex mera levitate, loquacitate, aliáve causâ non necessaria, venialis duntaxat peccati reus est, nisi verba quæ profert grave vulnus alienæ famæ infligant, vel infligere possint. Tunc enim lethale peccatum est.

HAnc Regnlam tradit S. *Thomas*, loco suprà citato. *Si autem*, inquit, *proferat ex animi levitate, propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale, nisi fortè verbum quod dicitur, sit adeo grave, quòd notabiliter famam alicujus lædat, & præcipuè in his quæ pertinent ad honestatem vitæ, quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis.* Ac si id quod narrat de altero, leve est, aut secundùm se, aut respectu personæ de qua loquitur, in quam scilicet nulla ex hujusmodi vitio, quamvis per se gravi, redundat infamia, quia de hoc gloriari solet, aut profligatæ famæ est, aut similis conditionis homines hæc vitia non ducunt dedecori, aut iis ut plurimùm obnoxii sunt, ut si de gregario milite aut bajulo dixerit aliquis, ebrium fuisse, aut ebriosum esse; vel quod de ipsis refertur malum jam illis innotuerit quibus dicitur, venialis duntaxat detractio est. Nam *Peccata verborum maximè sunt ex intentione dicentis judicanda*: (inquit S. *Thomas*, ibidem.) Hic autem vel nocere proximo non intendit, vel revera non multùm nocet, nec graviter lædere possunt quæ imprudenter & inconsideratè profert.

REGULA XIII.

Lethalis Detractionis rei sunt, qui gravia proximorum peccata, vel etiam levia, vel naturalem aliquem defectum referendo, directè vel indirectè, honestam eorum famam & existimationem graviter lædunt, aut grave damnum inferunt.

DE gravibus peccatis res est per se manifesta, & ex iis, quæ in Regulæ decimæ explicatione dicta sunt, satis probata. Ostendatio. Levia verò, vel quæ vulgò levia censentur, magnam interdum infamiam aspergunt Episcopis, aliisque Ecclesiastica Dignitate fulgentibus viris, Doctoribus, Religiosis, Sanctimonialibus, aut Mulieribus devotionem professis, & pietatis famam consecutis. Assiduitas, verbi gratiâ, mentiendi, vana gloria & ostentatio, sæcularis & liberior, etsi honesta, cum personis alterius sexus amicitia & conversatio, seu agendi ratio, scribendíque modus, iracundia, levitas, & alia, quæ sæcularibus hominibus, aut Christianorum vulgo nullam aut certè levem dedecoris notam inurunt, gravem sacratis hominibus, & præsertim Ecclesiam regentibus infamiam inurunt; gravia interim damna hujusmodi peccatorum vel defectuum revelatio ipsis infert, quia vel ipsos in contemptum adducit, eorum auctoritatem minuit, impeditque ne spiritalem fructum in Ecclesia referant; interdum à Beneficiis vel Dignitatibus, aut Officiis consequendis ipsos impedit, quibus ob præclaras dotes alioqui digni essent, & Ecclesiæ utiles futuri. Sic etiam lethalis Detractionis rei sunt, qui defectum naturalem alicui affingunt, vel inordinatè revelant, ex cujus revelatione in contemptum abducatur; aut a muneribus & honoribus, quos legitimè consequi ac laudabiliter gerere posset, arceatur; aut ab honestis & utilibus amicitiis abalienetur, aut commodis maximis privetur. Si quis, (inquam) vitum quempiam illustri aut honesto loco natum, spurium seu illegitimum esse effutiat; aut natutalem defectum cujuspiam in vulgus spargat, ex quo grave damnum illius sequatur, lethalis detractionis reus est. Exceptionem tamen patitur hic casus. Si enim ab alicujus boni consecutione ipsum impediat defectus hujusmodi revelatio, à quo ipsum Leges excludunt, ut spurium ab hæreditate, à Clero & Ecclesiasticis Ordinibus ac Beneficiis, (nisi Summi Pontificis Dispensatio, vel Religiosa Professio defectum suppleverint) impotentem à Matrimonio contrahendo, detractor non est, qui defectus illos revelat, nec peccati alicujus reus, si id faciat servato justitiæ & caritatis ordine.

REGULA XIV.

Lethalis Detractionis rei sunt, qui verum crimen alicujus hominis alteri nescienti aperiunt nocendi animo, etiamsi publicum sit, etiamsi Judicis sententiâ damnatum & punitum.

VIolant enim caritatem, quæ occulta proximi crimina contegere jubet in eo casu, & quod ipsi famæ reliquum est apud eos, quibus vitia illius ignota sunt, deprædari vetat. Gravius autem in eo genere peccant, si etiminis illius memoriam pene deleverit oblivio, aut reus veterem infamiam Pœnitentiâ & honestate morum aboleverit. Bonam enim famam sibi peperit emendatione vitiorum, & novæ vitæ integrita-

Obtrectatio. te, quæ sine violatione justitiæ & caritatis ipsi eripi non potest. Hinc Sacri Concilii Tridentini Catechismus P. III. cap. IX. §. 9. docet, *Non tantùm adè benè calumniâ offendi hominum existimationem, sed & augendis amplificandísque criminibus: & si quod occultius ab aliquo commissum sit, quod ubi rescitum fuerit, grave aut turpe sit ad famam: eam rem qui, ubi, quando, quibus necesse non sit, promulgarit, is obtrectator & maledicus jure dicitur.*

REGULA XV.

Lethalis Detractionis rei sunt, qui schedulam, in qua aliquis juvandæ memoriæ causâ peccata sua Sacerdoti in Confessione aperienda descripsit, in vulgus indicant, si peccata illa gravia sint, vel spectatâ conditione personæ, famam proximi graviter læsura.

CAritatem siquidem & justitiam, legémque naturalem de arcani fide servanda uno facinore violant.

REGULA XVI.

Lethalis Detractionis rei sunt Historici, qui occulta Principum aut aliorum Virorum Illustrium vitia litteris consignant. Et quicunque verbo vel scripto Defunctorum famam lacerant aut minuunt.

QUamvis enim prava Principum, & aliorum, quorum res in Historiam conferuntur, facinora, quæ publicè & cum hominum scandalo admiserunt, memoriæ prodere liceat, posteritatis informandæ studio, utque metus infamiæ Principes & Illustres Viros à vitiis avertat: arcana tamen crimina litteris mandare, caritatis & justitiæ leges vetant, eóque crudelior detractio est, quod in mortuos sæviat, eis immortalem inurat infamiam; vitámque eripiat honoris, quâ, extinctâ vitâ corporis, spiritali quodam modo, in hominum memoria vivunt. Nam *Obitu existimatio augetur bonorum: quia omnis adversùs mortuos evanescit invidia*, ut scribunt *Valentinianus & Marcianus* AA in Epistola ad *Palladium* Præfectum Prætorio, quæ habetur Actione tertia Concilii Calchedonensis. Sed & *Facundus Hermianensis*, Lib. III. ejusdem criminis atrocitatem ostendit. *Grave est* (inquit) *insultare defunctis, vel si Laici fuerint, ne dum illis qui in Episcopatu hanc vitam deposuerunt. Justissimum enim apparet prudentibus viris cedere præscienti uniuscujusque voluntatum, & cognoscenti qualis unusquisque nostrûm futurus sit.* Idque *S. Cyrilli Alexandrini* Auctoritate confirmat.

REGULA XVII.

Lethalis Detractionis rei sunt, qui vel proximis falsum crimen imponunt, aut verum crimen exaggerant, vel occultum patefaciunt, aut aliena dicta sive facta pejorem in partem interpretantur; vel præclarum alterius factum, aut pro viribus minuunt, vel laudis occasione datâ silent, aut frigida laudatione infringunt; cùm scilicet eo silentio, vel remissâ frigidâque laudatione, fama proximi graviter læditur.

HAnc Morum Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXIII. Art. I. ad tertium. *Aliquis* (inquit) *dicitur de altero detrahere, non quia diminuit de veritate, sed quia diminuit famam ejus. Quod quidem fit quandoque directè, quandoque indirectè. Directè quidem quadrupliciter. Uno modo quando falsum imponit alteri: Secundò, quando peccatum adauget suis verbis: Tertiò, quando occultum revelat: Quartò, quando id quod est bonum, dicit malâ intentione factum. Indirectè autem, vel negando bonum alterius, vel malitiosè reticendo, vel minuendo.* Qui detractionis modi hoc Disticho exprimi solent: — Obtrectatio. Varii detrahendi modi.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens:
Qui negat, aut minuit, tacuit, laudátve remissè.

Septem duntaxat modos *S. Thomas* recenset, postremum illum frigidæ laudationis omittit, quia in sexto aut septimo continetur. Cæterùm qui proximo falsum crimen imponunt, id in Sacramentali Confessione tenentur exprimere, quia hujusmodi obtrectatio gravius peccatum est. Non sufficit ergo ut se de gravi detractione accusent. Qui quod ex se bonum est, in malam partem interpretantur, hypocrisi, ambitioni, vel superbiæ tribuentes, quod honestum & laudabile apparet, non detractionis tantùm, sed judicii temerarii rei sunt: & utrumque in Sacramentali Confessione aperire necessariò debent. De hoc obtrectationis genere *S. Gregorius*, Libro secundo *Moralium*, cap. V. scribit; *Antiquus Adversarius, cùm quæ accuset mala non invenit, ipsa ad malum inflectere bona quærit. Cúmque de operibus vincitur, ad accusandum verba nostra perscrutatur. Cùm nec in verbis accusationem reperit, intentionem cordis fuscare contendit, tanquam bona facta bono animo non fiant, & idcirco perpendi à Judice bona non debeant. Quia enim fructus arboris esse & in æstu virides conspicit; quasi vermem ponere ad radicem quærit.*

Indirectam detractionem quod attinet, observandum est, illam non solùm verbis, sed etiam factis, signísque seu nutibus committi, cùm quispiam laudis alienæ intus impatiens, malitiosè subridet, abnuit capite, vel oculis, atque his motibus significat, hominem, qui laudatur, non esse talem qualis prædicatur. Nec solùm nutibus, sed & silentio committitur detractio. Qui enim de proximi probitate aut morum integritate, quam perspectam habet, interrogatus, silet, debitam proximo veritatem, debitum veritati testimonium negat, justitiámque pariter & caritatem violat. Similiter qui in aliquo hominum cœtu aliquem sibi probè notum, ex familia sua, societate, aut vicinia, laudibus extolli audiens, tacet, dum alii certatim ipsum laudant, silentio suo, heu! nimiùm eloquenti, — Indirecta obtrectatio.

Obtrectatio.

significat illum indignum esse laudibus, quibus ornatur. *Sed*, inquies, Certò novi talem illum non esse qualis celebratur; an contra propriam notitiam & opinionem loqui, an mentiri debeo, vel adulari? Nequaquam. Sed cùm nemo sit ita malus, qui bonis aliquibus dotibus prædirus non sit, aliqua laude digna non gerat, caritatis & justitiæ leges postulant, ut laude dignum ob multa, quæ in eo sunt bona, significes: aut saltem placere tibi quòd laudetur: quia revera placere debet laudantium caritas, & error circa personas quas laudant, ex caritate quodammodo procedens, quæ *Non cogitat malum.* At si quispiam ob vitia laudaretur, nec laudatoribus suffragari, nec silentium servare deberes, quia tunc error circa res ipsas, non circa personas tantùm esset; nec laudaret caritas, sed iniquitas, non solùm errans ipsa, sed & alios in errorem inducens: Adeóque partes veritatis contra iniquitatem & errorem tueri deberes ex officio, quia *Caritas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* (1. Cor. 13.) In iis tamen quæ *ad honestatem vita* non pertinent, ut loquitur *S. Thomas*, possumus ab iis qui proximum laudant dissentire, aut certè silere: potest enim aliquis esse bonus Sacerdos aut Monachus; & ineptus Concionator potest esse vir probus, & dotibus ad Præfecturam aliquam aut Magistratum gerendum necessariis destitutus. In his tamen periculum est, ne ex invidia, vel aliquo præjudicatæ mentis affectu negemus, aut extenuemus famam alienam, aut silentio nostro significemus ipsum immeritò laudari. Quamvis enim judicium vulgi plerumque cæcum sit, præceps, instabile, sæpe tamen falluntur qui se perspicacissimos & æquissimos judices existimant, & occultæ invidiæ motu aguntur, aut certè superbâ quadam singularitatis, & dissensûs ab opinione vulgi affectatione, ut eos laude dignos esse negent, quos ab omnibus, aut à plerisque laudari audiunt, aut minùs laudandos esse contendant, quos magnis laudibus efferri vident. Frigida tandem laudatio vituperationi plerumque æquivalet, cùm scilicet de proximo, cujus virtus & probitas, aut factum aliquod laudabile commendatur, quis frigidè dicit, Ita ferunt, vel iste de illo rumor exit in vulgus; fortè id ab illo gestum est: sed si ita se res habet, quantùm mutatus ab illo! Si Sanctus est, & ea virtute præditus, nunc primùm ad Sanctos aggregari cœpit; Vir est doctus & pius, *Sed*, &c. Mulier casta, sapiens, devota; *Sed*, &c. Alius est detrahendi modus eò perniciosior, quò frequentior, dum quis alterius crimen occultum se audivisse narrat, se tamen nolle credere asseverat: sic enim majorem sibi conciliat fidem ingeniosus & versipellis detractor, dum se à detrahendi libidine simulat alienum. Alia est detrahendi methodos non minùs pestilens, cùm de aliquo dicitur coram aliis: Debet ille tacere coram me: novit enim quid sciam, quid fecerit, &c. Ex modo enim dicendi aliquid grave suspicantur auditores, & fortè quid gravius quàm detractor intelligat.

A

Regula XVIII.

Qui crimen alienum sine justa necessitate patefacit uni, vel duobus viris prudentibus, & fidelibus, arcanique tenacibus amicis, à lethali Detractionis peccato non excusatur.

Obtrectatio.

FAmam enim proximi labefactat, aut extenuat apud illos, & quò prudentiores sunt, eò gravior est existimationis jactura apud ipsos quàm apud vulgus ignobile. Hinc *S. Joannes* B *Chrysostomus*, Homiliâ III. ad Populum Antiochenum: *Hoc verò* (inquit) *ridiculum magis est, quòd talem habentes vitam, & res suas negligentes, cùm aliquid arcanum dixerint; rogant audientem & adjurant, ne cuiquam amplius alteri dicat, hinc declarantes quòd rem reprehensione dignam commiserunt. Si enim illum ut nemini dicat rogas, multò magis te priorem hæc dicere non oportebat. In tuto sermonem habebas: postquam ipsum prodidisti, tunc salutem ipsius curas: si non vis efferri, neque alteri ipse dicas; postquam verò alteri prodidisti sermonis custodiam, superflua facis & inutilia, admonens & obtestans pro dictorum* C *custodia.* Hinc *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXIII. Articulo I. ad secundum, ait: *Etiamsi uni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam ejus, non in toto, sed in parte.*

Regula XIX.

Non excusatur à peccato mortali, qui graves Detractiones ab aliis auditas referendo & repetendo suas facit.

Detractio ab uno traducitur ad plurimos ingenitâ maledicendi libidine.

D QUamvis enim non sit primus Detractionis autor, & ipse tamen detractor est. Detractio scilicet ab uno traducitur ad plurimos, ingenitâ quadam maledicendi libidine, singulósque peccatores constituit. Quod significat *Tertullianus*, Apologetici cap. VII. his verbis, *Natura fama omnibus nota est. Vestrum est*, Fama malum, quo non aliud velocius ullum. *Cur malum fama? Quia velox, quia index? An quia plurimùm mendax? Quæ ne tunc quidem cùm aliquid veri adfert, sine mendacii vitio est, detrahens, adjiciens, demutans de veritate. Quid, quod* E *ea illi conditio est, ut non, nisi cùm mentitur, perseveret: & tandiu vivit, quandiu non probat: siquidem ubi probavit, cessat esse, & quasi officio nunciandi functa, rem tradit, & exinde res tenetur, res nominatur... Fama, nomen incerti, locum non habet ubi certum est. An verò famæ credat nisi inconsideratus? Quia sapiens non credit incerto. Omnium erit æstimare, quantacunque illa ambitione diffusa sit, quantacunque asseveratione constructa, quod ab uno aliquando principe exorta sit necesse est: Exinde in traduces linguarum & aurium serpat: & ita modici seminis vitium cætera rumoris obscurat, ut nemo recogitet, ne primum illud os mendacium* F *seminaverit; quod sæpe fit, aut ingenio æmulationis, aut arbitrio suspicionis, aut non novâ, sed ingenitâ quibusdam mentiendi voluptate.*

DE PECCATIS.

REGULA XX.

Lethalis peccati reus est, qui gravem injuriam sibi ab aliquo illatam, renuntiat alteri, nullâ necessitate compulsus, sed nocendi animo, & ultionis libidine.

Obtrectatio. IS enim alienæ famæ grave vulnus infert, adeóque contra justitiam peccat, necnon contra caritatis & patientiæ Christianæ præceptum à Christo traditum, Matthæi cap. v. *Diligite inimicos vestros: orate pro persequentibus & calumniantibus vos:* & ab Apostolo prædicatum Epist. ad *Romanos*, cap. xii. *Noli vinci à malo* (inquit) *sed vince in bono malum.* Et à *S. Petro* Epist. 1. cap. iii. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hereditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam à malo, & labia ejus ne loquantur dolum.* Detractiones itaque ab æmulis & malevolis hominibus de se factas miti & humili animo Vir Christianus tolerare debet, utpote ad ejus humiliationem à Deo ordinatas, ut docet *S. Gregorius*, Lib. xx. *Moralium*, cap. v. *Ne* (inquit) *immoderatis laudibus erigamur, plerumque miro Rectoris nostri moderamine detractionibus lacerari permittimur; ut cùm nos vox laudantis elevat, lingua detrahentis humiliet.*

REGULA XXI.

Lethalis peccati reus est, qui seipsum infamat, cùm ex infamia & dedecore quod sibi ipsi infert, salutis propria vel aliena, aut etiam vita damnum, aut corporalis integritatis detrimentum sequitur; aut cùm illius infamia in familiam, societatem, vel Ordinem cujus pars est redundat, aut cùm suorum criminum patefactione omnino inutilem se reddit Reipublica vel Ecclesia, cui aliàs utilem operam navare posset.

JUbet enim Spiritus Sanctus, *Ecclesiastici*, cap. xli. ut famæ nostræ curam geramus: *Curam habe*, inquit, *de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi & magni.* Hinc *S. Augustinus*, Lib. *De Bono Viduitatis*, cap. xxii. scribit: *Nec audiendi sunt sive viri sancti, sive femina, quando reprehensa in aliquo negligentiâ suâ, per quam fit ut in malam veniant suspicionem, unde suam vitam longè abesse sciunt, dicunt sibi coram Deo sufficere conscientiam, existimationem hominum non imprudenter solùm, verùm etiam crudeliter contemnentes; cùm occidunt animas aliarum, sive blasphemantium viam Dei, quibus secundum suam suspicionem quasi turpis, qua casta est, displicet vita Sanctorum, sive etiam cum excusatione imitantium, non quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi bene facit: quisquis autem etiam famam, & in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra: & utique etiam quod aliis ministramus, misericorditer ad salutem, ad nostram quoque redundat* » *utilitatem. Unde non frustra Apostolus*, Provide- « mus (*inquit*) bona, non solùm coram Deo, » verùm etiam coram hominibus. *Item dicit*, » Placete omnibus per omnia, sicut & ego om- » nibus per omnia placeo, non quærens quod » mihi utile est, sed quod multorum, ut salvi » fiant. *In quadam etiam exhortatione dicit*, De

2. Cor. 8. — 1. Cor. 10. — Philipp. 4.

A ... cætero, fratres, quæcunque sunt vera, quæ- « cunque sancta, quæcunque justa, quæcunque « casta, quæcunque bonæ famæ, si qua vir- « tus, si qua laus, hæc cogitate, quæ & didi- « cistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in « me. *Certus quemadmodum inter multa qua exhortando commonuit, non neglexeris ponere*, Quæcunque bonæ famæ; *duobúsque verbis cuncta concluserit, ubi ait:* Si qua virtus, si qua laus. *Ad virtutem namque pertinent qua antea memoravit bona: fama verò ad laudem. Puto quòd non laudem hominum pro magno sumebat Apostolus, alio* B *loco dicens*, Mihi autem minimum est, ut à vo- « bis dijudicer aut ab humano die. *Et alibi*, Si « hominibus placerem, Christi servus non essem. » *Et iterum*, Nam gloria nostra hæc est, testimo- « nium conscientiæ nostræ. *Sed illorum duorum, id est, bona vita, & bona fama, vel quod breviùs dicitur, virtutis & laudis, unum propter seipsum sapientissimè retinebat, alterum propter alios misericordissimè providebat. Sed quoniam quantalibet humana cautela suspiciones malevolentissimas non potest omni ex parte vitare, ubi pro existimatione nostra quicquid rectè possumus fecerimus, si aliqui de nobis vel mala fingendo, vel malè credendo, fa-* C *mam nostram decolorare conantur, adsit conscientia solatium, planéque etiam gaudium, quòd merces nostra magna est in cœlis, etiam cùm dicunt homines mala multa de nobis, piè tamen justéque viventibus. Illa enim merces tanquam stipendium est militantium per arma justitia, non solùm dexterâ, verùm & sinistrâ, per gloriam scilicet & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam.*

Obtrectatio. — 1. Cor. 4. — Galat. 1. — 2. Cor. 1. — Matth. 5.

Et Sermone cccLv. aliàs *De Diversis*, xLIX. qui primus est *De Vita & Moribus Clericorum suorum*, cap. 1. *Propter nos* (inquit) *conscientia nostra sufficit nobis: propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis. Tenete quod dixi,* D *atque distinguite. Dua res sunt, conscientia & fama, conscientia tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conscientia sua, negligit famam suam, crudelis est: maximè in loco isto positus, de quo dicit Apostolus scribens ad Discipulum suum, Circa omnes te ipsum bonorum operum probens exemplum.*

Tit. 2.

Hinc à *S. Hieronymo* laudibus celebrata est Mulier Vercellensis, adulterii falsò accusata à marito, quæ cruciata ut crimen fateretur impactum, quod adolescens, quicùm peccasse dicebatur, vi tormentorum confessus erat, nunquam adduci potuit, ut se ream pronuntiaret, suámque famam pariter & innocentiam mendacio viola- E ret; sed cœlum suspiciens, ait: *Tu testis es, Domine Jesu, cui occultum nihil est, qui es scrutator renis & cordis, non ideo me negare velle ne peream, sed ideo mentiri nolle, ne peccem. At tu, miser homo, si interire festinas, cur duos interimis innocentes? Equidem & ipsa cupio mori, cupio invisum hoc corpus exuere, sed non quasi adultera præsto jugulum, micantem intrepida excipio mucronem, innocentiam tamen mecum feram. Non moritur, quisquis victurus occiditur.* Oravit, jugulum præbuit, septies icta occidi non potuit. Miraculum celebrat *S. Hieronymus*, Epistolâ xLIX. *Ad Innocentium.* Quamvis igitur sufficiat nobis F *Testimonium conscientia nostra*, Deúsque fideliter & constanter servire debeamus, *Sive per infamiam, sive per bonam famam:* tamen famæ integritate propter alios indigemus, sine qua procurandæ proximorum saluti, aut publico cuivis gerendo Muneri pares non sumus. Idcóque ejus curam gerere tenemur. Hinc *Petrus Cellensis* Abbas, Lib. v. Epist. xiii. scribit: *Uterque peccat, & qui mentitur in sui accusatione, & qui dedignatur*

Obtrectatio.

falsa objecta vera relatione diluere. Reproba humilitas est, plus quàm in corde suo sentias vanè se dejicere, detestanda præsumptio, famam suam negligere, & suspicionis nævum non abolere.

Quasdam tamen exceptiones adhibere huic Regulæ necesse est. Cùm enim semiplena probatio, vel indicia expressa, vel publica infamia criminis præcessit, reus à legitimo Judice, servato juris ordine interrogatus, crimen suum fateri tenetur, etiamsi damnum vitæ, aut membrorum mutilatio, ex Confessione juridica delicti illi immineat; aut ejus infamia in aliquam familiam, societatem, vel Ordinem redundatura sit. Non enim ipse se prodit aut infamat, qui secundùm ordinem Juris à Judice interrogatur, *Sed ab alio proditur, dum ei necessitas respondendi imponitur ab eo cui obedire tenetur;* ut ait *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. LXIX. A. 1. ad primum. Sed de hoc alias.

Regula XXII.

Lethalis peccati rei sunt Libellorum famosorum Auctores, & qui ipsos spargunt in vulgus. Graviùs autem peccant, qui Præsulum, Ecclesiasticorum aut Religiosorum Virorum, Doctorum & Concionatorum famam verbis aut scriptis maledicis prosequuntur, quàm qui sæcularium: graviùs qui Principum & Magistratuum, quàm qui subditorum, & plebeiorum: graviùs tandem qui integra Communitati vel Ordini, quàm qui privatis detrahunt.

Detractionis enim aut contumeliæ gravissimæ crimen committunt, aliorum crimina seu falsa, seu occulta, litteris consignantes, ut ad omnium, aut certè plurimorum notitiam perveniant; utque illorum infamia publica sit, & in omne tempus propagetur. Quamobrem sacri Canones Excommunicatione feriunt non solùm Auctores hujusmodi Libellorum, verùm etiam eos qui illos vulgaverint, aut inventos non laceraverint. Ita Concilium Illiberritanum, Canone quinquagesimo secundo, & refertur Canone *Si qui*, Causa v. Quæst. 1. *Si qui inventi fuerint libellos famosos in Ecclesia ponere, Anathematizentur.*

Pœnæ canonicæ contra libellorum famosorum auctores.

Idem confirmatur ex Canone *Qui in alterius*, Causa v. Quæst. 1. qui est *Hadriani I.* Pontificis Maximi. *Qui in alterius famam publicè scripturam, aut verba contumeliosa confinxerit, & repertus scripta non probaverit, flagelletur: & qui ea priùs invenerit, rumpat, si non vult auctoris facti causam incurrere.*

Eandem pœnam decrevit *S. Gregorius*, in quemdam, qui *Maligni Spiritûs consilio repletus*, contra *Castorium* Notarium ac responsalem Apostolicum, *Nocturno silentio in civitatis loco Contestationem posuit in ejus crimine loquentem*; ut habetur Canone *Quidam*, Causa & Quæstione citatis, qui sumptus est ex Epistola trigesima Libri quinti. *Et quia* (inquit) *quisquis veraciter loquitur, semetipsum innotescere non debet formidare, oportet ut publicè exeat, & quæcunque in Contestatione sua loqui præsumpsit, ostendat: quòd si non exierit, neque publicè confessus fuerit, quisquis ille sit qui hoc agere præsumpsit, vel qui consensum in tanta iniquitatis consilio præbuit, ex Dei & Domini nostri Jesu Christi Spiritu definimus, ut Sancti ejus Corporis ac Sanguinis participatione privatus sit. Si verò quia latet, & quoniam nescitur, teneri à disciplina non valet, si tanti mali conscius, etiam prohibitus Corpus ac Sanguinem Domini percipere præsumit: anathematis ultione percussus sit, & ut fallax ac pestifer à Sancta Ecclesia corpore divisus. Si quis autem fortasse talis est, quem nos hujus facti autorem ac participem esse nescientes, ad eum bona optantes Epistolas transmittimus, ipsa pro eo apud omnipotentem Dominum deprecatio sit vacua.*

Obtrectatio.

Pœna capitis in Libellorum famosorum auctores constituta est apud Romanos Lege duodecim Tabularum, cujus hæc sunt verba: *Si quis actitaverit, sive carmen condiderit, Quod infamiam flagitiúmve alteri precatur. Capite punitor.* Cujus Legis meminere, post *Ciceronem* Lib. IV. Tusculanarum Quæstionum, *Arnobius*, Lib. IV. Adversùs Gentes, & *S. Augustinus*, Lib. II. *De Civitate Dei*, cap. IX. *Augustus* Imperator judicium de libellis famosis non minùs vehemens, quàm Majestatis esse voluit, commotus *Cassii Severi libidine, qui viros feminásque illustres procacibus scriptis diffamaverat;* (ut refert *C. Tacitus*) Intestabilem factum, qui libellum famosum edidisset, *Ulpianus* testis est in L. 5. §. *ult. De Injur.* Id est à jure ferendi testimonii, condendi testamenti, aut quidquam ex aliorum testamentis capiendi, Legibus excludebatur. *Constantinus Magnus* famosis libellis fidem omnem abrogari jussit, eósque flammis aboleri, in auctores inquiri, repertos cum omni vigore cogi ut libello contenta probent; si probaverint, supplicio nihilominus affici, ut qui infamare maluerint, quàm accusare. *Constantius* Lege lata edixit ne libelli famosi referrentur ad Principem, aut in judiciis examinarentur, aut ullus ex iis calumniam seu infamiam pateretur. *Nam & innocens creditur*, inquit, *cui defuit accusator, cùm non defuerit inimicus.* Imperatores *Valentinianus* & *Valens* pœnam capitis decreverunt in eum qui libellos famosos *colligendos vel legendos putaverit*, (id est retinuerit, aut alteri legendos tradiderit, sive in vulgus sparserit) *ac non statim chartas igni consumserit.* Imperatores *Valentinianus, Theodosius, & Arcadius*, sanxerunt, ut *Si quis famosum libellum sive domi, sive in publico ignarus offenderit, aut discerpat priùs quàm alter inveniat, aut nulli confiteatur inventum: nemini denique si tam curiosus est, referat quid legendo cognoverit. Nam quicunque obtulerit inventum, certum est ipsum reum ex Lege retinendum, nisi prodiderit auctorem: nec evasurum pœnam hujusmodi criminibus constitutam, si proditus fuerit cuiquam retulisse quod legerit.* Gladii pœnâ crimen tam atrox iidem Imperatores coërceri voluerunt. *Universi*, inquiunt, *qui famosis libellis inimicis suis velut venenatum quoddam telum injecerint, hi etiam qui famosam seriem scriptionis impudenti agnitâ lectione non illicò discerpserint, vel flammis exusserint, vel lectorem* (seu potius auctorem) *cognitum prodiderint, ultorem suis cervicibus gladium reformident.* Habentur hæ Leges Lib. IX. Codicis Theodosiani Tit. XXXIV. *De famosis libellis.* Libro septimo Capitularium, cap. ducentesimo, libellorum & canticorum famosorum auctores, disseminatores, & cantores, extra ordinem puniendos decernitur: in quos exilii pœna Lege constituta erat. *Hi qui in blasphemiam alterius cantica composuerint, vel qui cantaverit ea, extra ordinem vindicetur. Nam Lex exiliari jubet eos qui libellos famosos excogitant aut proponunt. Notatur infamia quicunque, dum appellat Judicem, convitium dixerit. Non tantùm is qui maledictum aut convitium dixerit, famosus efficitur, sed & is cujus consilio factum esse potuerit.* Edictum Molinense *Caroli Noni* Regis Christianissimi anno MDLXVI. Articulo 77. & Parisiense anni MDLXXI. Art. 10. Pictaviense *Henrici Tertii* anni MDLXXVII. Parisiense *Ludovici XIII.* anni

Pœnæ contra libellorum famosorum auctores civilibus Legibus constitutæ.

A

Obtrectatio.

ni MDCXXIX. de iis qui libellos famosos composuerint, scripserint, typis ediderint, vendiderint, dissemmaverint, quæstionem haberi, & in illos tanqoam publicæ pacis perturbatores Legibus animadverti sanxerunt. Si verò contra sacram Regis personam, Regni, rerúmque publicarum administrationem, Regni Administros Regiorum Consiliorum Assessores, ac præcipuos Magistratus hujusmodi libelli compositi, scripti, vel editi fuerint, in autores, scriptores, distributores, velot in læsæ Majestatis reos, & patriæ proditores agi, vitæque ac bonorum omnium proscriptione illos plecti statuit *Ludovicus Justus* Edicto mox laudato, secundùm Articulum 183. Constitutionis Blesensis. Ex quibus omnibus colligitur, lethalis peccati reos esse libellorum famosorum, aut cantiooom contumeliosarum auctores; deinde scribas, qui libellorum aut cantionum, seu carminum hujusmodi exemplaria describunt. 3. Typographos qui famosa & contumeliosa scripta, eantica, carmina typis edunt. 4. Omnes qui illa vendunt, distribuunt, donant, mittunt, aut quomodocunque spargunt in vulgus. 5. Qoi illa retinent apud se, & colligere amant, vel detrahendi & calumniandi libidine referunt aliis quod legerunt. 6. Qui famosas cantiones cantant, aut earum auditu delectantur. 7. Qui autores cognitos non produnt. 8. Qui famosas imagines vel effigies pingunt, sculpunt, exeudunt, vendunt, exponunt, distribuunt, quibus proximi fama labefactatur, vel honot violatur. 9. Gravioris criminis esse reos, qui in Episcopos, aliósque Prælatos, & Viros Ecclesiasticos, aut Religiosos, præsertim qui in Ecclesiæ Regimine, aut Animarum salute sacris Concionibus, doctrinâ, Sacramentorum Administratione, Episcopis cooperantur; item in Sanctimoniales & Virgines sacras; in Magistratos, & Viros aut Feminas Illustres, libellos famosos, scripta, carmina vel eaotica maledica componont, edunt, aot spargunt. 10. Atrocios illorum erimen esse, qoi Ordinem universum, Societatem, vel familiam, scriptis libellis, carminibos, canticis, tabellis vel imaginibus famosis dedecorant, diffamant, in contemptum & ludibrium adducunt, quàm qoi privatas domtaxat personas. *Peccata* enim *quæ committuntur in proximum, sunt pensanda per se secundùm nocumenta quæ proximo inferuntur, quia ex hoc habent rationem culpæ* (inqoit *S. Thomas*) Majus autem nocumentum inferunt proximo dettactiones & libelli famosi, quibus Communitatis aut Ordinis alicujus fama proscinditur.

Detractiones, calumniæ, libelli famosi in Prælatos, Doctores, Concionatores, viros principes, graviora peccata sunt.

Quòd verò Libelli famosi, & calomniæ, atque detractiones in Prælatos, Doctores, Concionatores, viros principes, graviora peccata sint, ex Canonibos compertum est. Canone *Deteriores*, Causa VI. Quæstione I. *Deteriores sunt qui Doctorum vitam morésque corrumpunt, his qui substantias aliorum prædásque diripiunt. Ipsi enim ea quæ extra nos, licèt nostra sint, auferunt: nostri autem detractores & morum corruptores nostrorum, sive qui adversùs nos armantur, propriè nos ipsos diripiunt: & ideo justè infames sunt, & meritò ab Ecclesia extorres fiunt.*

Item ex *S. Gregorio*, Epistolâ XXXII. Libri XII. scribente: *A nullis vita Præsulum perturbari debet excessibus: quia valdè indignum est, ut hi qui Throni Dei vocantur, aliqua motione à Regibus vel subditis turbentur. Quoniam si David Regum justissimus in Saul, quem constabat jam à Domino reprobatum esse, manum mittere non præsumpsit, quantò magis cavendum est, ne manum detractionis aut vituperationis, sive indiscretionis, aut dehonorationis, quidam mittant in Unctum Domini, vel in Prædicatores Sanctæ Ecclesiæ? Quia eorum vexatio sive detractio ad Christum pertinet, cujus vice in Ecclesia legatione funguntur. Unde summopere cavendum est omnibus Fidelibus, ne clanculum aut publicè Episcopum suum, id est, Unctum Domini, detractionibus aut vituperationibus dilaniene, perpendentes illud exemplum Mariæ: quia pro eo quòd Moysi famulo Dei propter Æthiopissam detraxit, immunditiâ lepræ mulctata sit. Et illud Psalmistæ:* Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. *Et in Lege Divina legitur:* Diis non dettahes, & Populi tui Principi non maledices. *Unde valde prævidendum subditis tam Clericis quàm Laicis, ne Episcoporum aut Præpositorum suorum vitam temerè reprehendere audeant, si quid eos fortassis agere reprehensibiliter vident, ne unde mala redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur.* Lege & *Pastoralis Curæ* P. 155. Admonitionem sextam.

Obtrectatio. Num. 12. Psalm. 104. Exod. 22.

B

Idem confirmatur ex *Nicolai I.* Epistolâ ad *Michaelem* Græcorum Imperatorem: *Si Cham videns patris verenda quia risit potiùs, quàm (ut cæteri) cooperuit; maledictionem in filio percepisse legitur: quantò potiùs hi qui verecundiam patris, non solùm si qualibet fuit, minimè cooperuerunt, sed & riserunt, & falsò ad subsannationem sui moris homines provocaverunt, atque quod est deterius, patenter contra ipsum de pharetra iniquitatis suæ sagittam judicii produxerunt? Non sic è contra filii sobrii, non sic, sed aversi operuerunt. Quod moraliter egregius Doctor Papa Gregorius interpretans, ait: Aversari dicimur, quod reprobamus. Quid est ergo quòd filii verecundia patris subjecto dorsis pallio, aversi venientes operiunt; nisi quòd bonis subditis sic Præpositorum suorum mala displicent, ut tamen hæc ab aliis occultent? Opprimentum aversi deferunt, quia dijudicantes f[illegible]m, & venerantes magisterium, nolunt videre quod tegunt. Sed hæc dicentes, nolite æstimare nos cujuscunque proximorum nostrorum, quæ sunt digna reprehensione, velle defendere: sed quòd ita velim filios circa spiritalem Patrem, & discipulos erga Magistrum devotos ac sobrios esse, ut nulla penitus temeritate ad eorum vitam, ut non dicam dijudicandam, sed nec saltem tenuiter reprehendendam prosiliant.* Idque rursus confirmat ex *S. Gregorio*, Parte III. *Pastoralis*, Cap. v, dicente: *Facta Præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cùm rectè reprehendenda judicantur. Si quando verò contra eos vel in minimo lingua labitur, necesse est ut per afflictionem Pœnitentiæ cor prematur, quatenus ad semetipsam redeat; & cùm præpositæ Potestati deliquerit, ejus contra se judicium, à quo sibi prælata est, perhorrescat. Nam cùm in Præpositos delinquimus, ejus ordinationi, qui eos nobis prætulit, obviamus. Unde Moses cùm contra se & Aaron conqueri Populum cognovisset, ait:* Nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmor vestrum, sed contra Dominum.

Genes. 9.

C

D

E

Exod. 16.

Clericorum maledicentiam, præsertim in Sacerdotes, coercuit Concilium Carthaginense VI. Canone XVII. *Clericus maledicus*, inquit, (*maximè in Sacerdotibus*) *cogatur ad postulandam veniam: si noluerit, degradetur, nec unquam ad Officium absque satisfactione revocetur.*

F

Eos qui defunctorum Episcoporum famæ detrahunt, pœnis mulctandos gravissimis decrevit Concilium Emeritense anno 666. Canone XVII. *Decernimus* (inquit) *ut nullus subjectus decedentem detrahat Episcopum, nullus de eo deroget, nec malum quidquam loquatur. Si quis talia deinceps facere præsumpserit, si Presbyter fuerit, tribus mensi-*

Obtrectatio.

bus ab Episcopo suo sub Pænitentia relegatus maneat : si Diaconus, quinque ; si Subdiaconus, aut Clericus, vel quilibet Religiosus de majori gradu (quia constat ex his jam aliquos per bonam actionem esse venerandos) novem. Si minimi fuerint, qui levi corde sint, minimaque adhuc persona, quinquagenis flagellis jussione feriantur Episcopi. Quòd si Laicus, quamvis ingenuus, in domo Ecclesiæ tamen nutritus, & ab Ecclesia rebus dignitatis gratiâ præditus, juxta quod dignitas ejus exegerit, pro tali excessu Excommunicationis Sententiâ feriendus erit. Si verò de familia Ecclesiæ fuerit quisque, si major fuerit, qui dignitate polleat, sex mensibus Episcopo suo excommunicatus manebit : inferior tamen aut minima persona disciplinam mereatur, juxta quod Episcopi sui processerit Sententia.

Eos qui Principibus obloquuntur, Excommunicatione plectendos Synodus Toletana quinta decrevit, Canone quinto. *Sed & hoc* (inquit) *pro pestilentiosis hominum moribus salubri deliberatione censemus ; ne quis in Principem maledicta congerat.* » *Scriptum est enim à Legislatore* : Principem Populi tui ne malediseris : *Quod si quis fecerit, Excommunicatione Ecclesiastica plectatur. Nam si* Maledici Regnum Dei non possidebunt, *quantò magis talis ab Ecclesia necessariò pellitur, qui divina violator sententia invenitur?*

Exod. 22.

1. Cor. 6.

Pœnas omnes tam temporales quàm Ecclesiasticas per sacras Leges & Canonicas Sanctiones latas & promulgatas in eos qui famosos libellos, aut literas alicujus famæ & honori detrahentes, *Vera etiam exprimendo*, scripserint, dictaverint, retinuerint, transmiserint, & non laceraverint igníque tradiderint, innovavit & confirmavit Beatissimus Pontifex *Pius Quintus* Constitutione CXLVIII. quæ incipit, *Romani Pontificis providentia.*

Nec verò minus crimen esse putandum est, cùm ab iis, quorum famam impetunt, petulantes libelli, versus, aut cantilenæ contemnuntur ; ut fit plerúmque à Viris Principibus, illustribus, & magnanimis. Cujus moderationis exemplum præbuit *Justinianus* Imperator, L. *Si quis*, Tit. *Si quis Imperatori maledixerit*, Libro IX. Codicis, cujus hæc sunt verba : *Si quis modestia nescius, & pudoris ignarus, improbo petulantique maledicto Nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentiâ turbulentus obtrectator temporum nostrorum fuerit ; eum pœna nolumus subjugari, neque durum aliquid nec asperum volumus sustinere : quoniam si id ex levitate processerit, contemnendum est : si ex insania, miseratione dignissimum : si ab injuriâ, remittendum.* Quod tamen semper non expedit, ne impunitate crescat petulantium & maledicorum hominum improbitas & impudentia.

REGULA XXIII.

Nulla est capitalior obtrectatio, quàm eorum, qui Catholica Doctrina, ejúsque Prædicatoribus obtrectant.

HAnc Regulam tradit Concilii Tridentini Catechismus P. III. Cap. 18. §. 9. additque, in simili culpa esse, qui malarum doctrinarum & errorum Magistros extollunt laudibus.

REGULA XXIV.

Lethalis peccati rei sunt, qui alios ad detrahendum incitant : aut gravem obtrectationem lubenter & cum voluptate audiunt : vel non corripiunt detrahentem cùm ad id tenentur ex officio ; aut grave periculum ex detractione consequens avertere possunt ; aut cùm metu boni cujuspiam temporalis amittendi abstinent à correptione Detractoris, quam exercere tenentur & possunt.

Obtrectatio.

HAnc Morum Regulam Apostoli Sententia confirmat, ad *Romanos* Cap. I. scribentis de gravibus illis peccatis, quorum unum est detractio : *Qui talia agunt, digni sunt morte : & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Id autem dupliciter contingere, *S. Thomas* observat, *Secunda Secunda*, Quæst. LXXIII. Articulo IV. directè scilicet, quando quis inducit alium ad peccatum vel ei placet peccatum : indirectè, quando non resistit, cùm resistere possit. Et hoc contingit quandoque, non quia peccatum placeat, sed propter humanum timorem. Igitur *Si aliquis detractionem audiat absque resistentiâ* (inquit Doctor Angelicus) *videtur detractori consentire : unde fit particeps peccati ejus. Et, si quidem inducat eum ad detrahendum, vel saltem placeat ei detractio propter odium ejus, cui detrahitur, non minus peccat quàm detrahens, & quandoque magis.* Unde *S. Bernardus*, Libro II. *De Consideratione*, Cap. XIII. ait : *Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim.* Hinc *Sanctus Hieronymus* Epistolâ II. sic *Nepotianum* suum alloquitur ; *Cave ne aut linguam, aut aures habeas prurientes, id est, ne aut ipse aliis detrahas, aut alios audias detrahentes.* Sedens, *inquit*, adversùs fratrem tuum loquebaris, « & adversùs filium matris tuæ ponebas scandalum : « hæc fecisti, & tacui : existimasti inique, quod « ero tui similis : arguam te, & statuam contra « faciem tuam. *Parce à detractione linguæ. Custo-* « *di sermones tuos : & scito quia per cuncta quæ de aliis loqueris, tuâ conscientiâ judicaris ; & in his ipse deprehenderis, quæ in aliis arguebas. Neque verò illa justa est excusatio : Referentibus aliis injuriam facere non possum. Nemo invitè audita libenter refert. Sagitta in lapidem nunquam figitur, interdum resiliens percutit dirigentem. Discat detractor, dum te videt non libenter audire, non facilè detrahere. Cum detractoribus, ait Salomon, ne miscearis : quoniam repente veniet perditio eorum : & ruinam utriusque quis novit? Tam videlicet ejus qui detrahit, quàm illius qui accommodat aurem detrahenti.*

Psalm. 49.

Proverb. 24.

Idem, sive *S. Paulinus* in Epistolâ ad *Celantiam*, De Institutione Matris-familiâs : *Non modò* (inquit) *ipsa non detrahas, sed ne alii quidem detrahenti aliquando credas. Nec obtrectatoribus auctoritatem de consensu tribuas, ne eorum vitium nutrias annuendo.* Noli, *inquit Scriptura*, consentaneus esse cum derogantibus adversùs proximum « tuum, & non accipies super illum peccatum. « *Et alibi* : Sepi aures tuas spinis, & noli audire « linguam nequam. *Unde & B. David diversas « innocentiæ species justitiæque dinumerans, de hac quoque virtute non tacuit, dicendo* : Et opprobrium « non accepit adversùs proximos suos : *Propterea « quòd ipse non solùm aversatur, sed etiam persequitur detrahentem. Ait enim* : Detrahentem secretò « proximo suo, hunc persequebar. *Est sanè hoc « vitium quod vel inprimis extingui debeat, & ab eis qui se sanctè instituere volunt, prorsus excludi. Nihil*

Eccli. 28.

Psalm. 14.

Psalm. 100.

enim

Obtrectatio.

enim tam inquietat animum, nihil est quod ita mobilem mentem & levem faciat, quàm facilè totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi. Hinc enim crebræ dissensiones, hinc odia injusta nascuntur. Hoc est quod sæpe de amicissimis etiam inimicos facit, dum concordes quidem, sed credulas animas maliloqua lingua dissociat. At contra, magna quies animi, magnaque est morum gravitas, non temerè de quoquam sinistri quid audire. Beatúsque est, qui ita se contra hoc vitium armavit, ut apud eum detrahere nemo audeat. Quòd si hæc in nobis esset diligentia, ne passim obtrectatoribus crederemus; jam omnes detrahere timerent, ne non tam alios, quàm seipsos, viles detrahendo facerent. Sed hoc ideo malum celebre est, idcirco in multis fervet hoc vitium, quia penè ab omnibus libenter auditur.

Tertius Paulinus alter, Forojuliensis Episcopus, Libro *De Salutaribus Documentis*, sub *S. Augustini* nomine olim edito, Cap. XXVI. *Detrahentis* (inquit) *& audientis, utrisque esca mortis est anima detractio. Et ut breviùs concludam, Detractor & libens auditor Diabolum portat in lingua.*

Casus quibus lethaliter peccant, qui detrahentes non corripiunt.

Quod verò lethalis interdum peccati sit reus, qui detrahentem non corripit aut repellit, docet *S. Thomas* loco suprà citato, & tres casus assignat, in quibus hæc omissio mortale peccatum est.

Primus est, cùm *alicui ex officio incumbit detrahentem corrigere.* Sic Superiores, nempe Episcopi, Parochi, Patres & Matres-familiâs, domini & dominæ, Magistratus, & quicunque aliqua auctoritate pollent, subditos suos alienæ famæ coram se detrahentes corripere tenentur ex officio justitiæ & caritatis, cui si desint, lethaliter peccant.

Casus alter est, cùm ille qui detractionem audit, *Aliquod periculum consequens*, seu grave damnum vel detractori, vel illi cujus fama proscinditur, vel utrique, ex detractione imminere prospicit. Cùm enim proximum quisque diligere debeat sicut seipsum, illius etiam bono seu spirituali, seu temporali, quoad ejus est, consulere debet, & mala ipsi imminentia pro sua virili avertere. Alioquin peccat contra caritatem, & quidem lethaliter. Sicut ergo nemo à peccato mortali excusatur, si videat sicarium vitæ proximi insidiantem, aut furem bona ejus diripientem, nec prohibet, cùm potest: ita non excusatur a peccato lethali, qui hominem maledicum audit alterius famæ graviter detrahentem, nec ipsum repellit, aut corripit, cùm potest prohibere & avertere periculum inde consequens.

Tertius casus quo lethaliter peccat qui detrahentem audit, nec corripit, est cùm timore mundano, id est, metu amittendi boni cujuspiam temporalis, verbi gratiâ, amicitiæ favorísve detrahentis, aut ne vir morosus habeatur, à præcepto correptionis fraternæ, seu à reprehensione obtrectatoris abstinet. Tunc, inquam, lethale peccatum est *propter radicem, quia timor humanus quandoque potest esse peccatum mortale* (inquit *S. Thomas.*) Timor enim mundanus semper malus est, sicut & *Amor mundanus, quo aliquis mundo innititur tanquam fini. Timor autem ex amore nascitur*, secundùm illud *S. Augustini* Libro Quæstionum octoginta trium, Quæstione octogesima tertiâ: *Nulli dubium est, non esse aliam metuendi causam, nisi ne id quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiscamur speratum.* Cùm itaque timor mundanus sit, *Qui procedit ab amore mundano tanquam à mala radice*, semper malus est. Et *Si aliquis propter timorem quo refugit periculum mortis, vel quodcunque aliud temporale malum, sic dispositus est ut faciat aliquid prohibitum, vel prætermitteat aliquid quod est præceptum in Lege Divina, talis timor est peccatum mortale.* Verba sunt Angelici Doctoris, *Secunda Secundæ*, Quæstione XIX. Articulo III. & Quæstione CXXV. Articulo III.

Obtrectatio.

Non tamen *semper aliquis resistere debet detractori, arguendo eum de falsitate, maximè si sciat verum esse quod dicitur*, juxta illud *Ecclesiastici* quarto: *Non contradicas verbo veritatis ullo modo: Sed debet eum verbis redarguere de hoc quòd peccat fratri detrahendo: vel saltem ostendere quòd ei detractio displiceat per tristitiam faciei: quia*, ut dicitur Proverbiorum XXV. *Ventus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.* Ita docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXIII. Articulo IV. in Responsione ad secundum. Locum illum Proverbiorum spectat *S. Hieronymus*, Epistolâ ad *Rusticum* scribens: *Detractor cùm tristem viderit faciem audientis (imò ne audientis quidem,) sed obdurantis aures, ne audiat judicium sanguinis, illicò conticescit, pallet vultus, hærent labia, saliva siccatur.*

REGULA XXV.

Qui detrahentem sic audit, ut ei penitus displiceat detractio, & tamen ipsum non corripit, extra tres casus in superiori Regula expositos, venialis tantùm peccati plerumque reus est.

HAnc Regulam eruo ex *S. Thoma*, Quæstione & Articulo mox citatis. *Si verò* (inquit) *non placeat ei peccatum; sed ex timore, vel negligentiâ, vel etiam verecundiâ quadam, omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multò minùs quàm detrahens: & plerumque venialiter.* Imò nullum quandoque peccatum committit, nempe si detractor sit persona superior, vel si nulla sit spes fructûs, imò timor probabilis detrahentem potiùs inflammandi, quàm sedandi.

REGULA XXVI.

Christianus homo aliena famæ detrahentes impatientiùs ferre debet, quàm suæ.

HAnc Morum Regulam tradit *S. Thomas* ibidem, in Responsione ad primum. *Possunt* (inquit) *ad notitiam alicujus detractiones contra ipsum factæ, aliorum relationibus pervenire. Et tunc sui arbitrii est detrimentum suæ famæ pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum. Et ideo in hoc potest commendari ejus patientia, quòd patienter proprias detractiones sustineat. Non est autem sui arbitrii quòd patiatur detrimentum famæ alterius: & ideo in culpam ei vertitur, si non resistit, cùm possit resistere, eadem ratione quâ tenetur aliquis sublevare asinum alterius jacentem sub onere, ut præcipitur Deuteronomii* XXII. Nec refert quòd detractio interdum cedat in eorum utilitatem, quibus detrahitur. Si quæ enim utilitas ex detractione provenit, *Non est ex intentione detrahentis, sed ex Dei ordinatione; qui ex quolibet malo elicit bonum. Et ideo nihilominùs est detractoribus resistendum; sicut & raptoribus vel oppressoribus aliorum, quamvis ex hoc oppressis vel spoliatis meritum crescat*; (inquit *S. Thomas* ibidem, in Responsione ad tertium.) Prætereà detractio gravissima tentatio est respectu illius cujus fama violatur. Unde *S. Augustinus*, Epistolâ LXXVIII. aliàs CXXXVII. ait: *Quem Diabolus non potest devorare seductum ad iniquitatem, famam ipsius inquinare conatur, ut si fieri potest opprobriis hominum, & malarum linguarum detra-*

Obtrectatio *ctione deficiat, & sic in ejus fauces ruat.* Quamobrem & ei qui detrahit, & ei cujus famæ detrahitur sobvenire debet Christianos homo resistendo detractori, quantùm potest.

REGULA XXVII.

Detractionem detractione elidere, calumniam calumniâ repellere nunquam licet: nec absque lethali peccato fieri potest.

ID enim Christi præcepto, directè adversatur, præcepto caritatis, præcepto Christianæ justitiæ. Matth. v. *Ego autem dico vobis, non resistere malo.... Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Et Lucæ vi. *Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.* Et ad Romanos xii. *Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere.* Et i. ad Corinthios iv. *Maledicimur, & benedicimus..... Blasphemamur, & obsecramus.* Et i. *Petri* Cap. iii. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed econtrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hereditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam à malo, & labia ejus ne loquantur dolum. Declinet à malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam.......* Præterea, qui detractionem detractione elidere, calumniam calumniâ repellere conatur, Christianæ mansuetudinis & patientiæ traditum à Christo præceptum parvipendit, & violare non veretur: Matt. 11. *Discite à me* (inquit) *quia mitis sum & humilis corde.* 1. Pet. 2. Præceptorem optimum & Salvatorem imitari refugit, *Qui cùm malediceretur, non maledicebat.* Matth. 5. Evangelica Beatitudine se privat, eámque contemnit: *Beati estis* (inquit Christus) *cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Quod & *S. Petrus* Epistolâ i. Cap. iii. inculcat: *Sed & si quid* (inquit) *patimini propter justitiam, beati. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris.... Conscientiam habentes bonam: ut in eo quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem. Melius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quàm malefacientes.* Hinc *S. Gregorius*, Homiliâ ix. in *Ezechielem*, ait: *Linguas detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare, ne ipsi pereant, ita per suam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, ut nobis meritum crescat: aliquando autem etiam compescere, ne dum de nobis mala disseminant, eorum qui audire nos ad bona poterant, corda innocentium corrumpant.* Sed compescendos monet, non mutuâ detractione & calumniâ: immò potiùs ostensione bonorum, & virtutum quas à Deo acceperunt, & convictione calumniæ: ita tamen ut privatæ gloriæ amore id minimè faciant, sed in proximorum utilitatem, & quadam necessitate compulsi. Sicut Apostolus cùm virtutes suas 2. Cor. 12. Corinthiis enumerasset, adjunxit: *Factus sum insipiens, vos me coëgistis.* Justi itaque sicut sine arrogantia loquuntur aliquando bona quæ agunt, ita *Sine zelo privatæ gloriæ detrahentium sibi linguas redarguunt, quæ noxia loquuntur. Cùm verò linguæ derogantium corrigi nequeunt, æquanimiter sunt per omnia toleranda. Nec obtrectationis sermo timendus est, ne dum vituperatio perversorum metuitur, recti operis via deseratur.*

Propositio damnata. Quamobrem ab *Innocentio Undecimo* Pontifice Maximo, die secunda Martii anni millesimi sexcentesimi septuagesimi-noni inter alias Propositiones hæ ad minus tanquam scandalosæ, & in praxi perniciosæ damnatæ sunt; quæ a celeberrimis Academiis, & plerisque Galliarum Episcopis censorio stigmate antea inustæ fuerant. Obtrectatio.

43. *Quidni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?*

44. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alieni, ut suam justitiam & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.*

Cleri etiam Gallicani anno MDCC. in Comitiis Generalibus congregati judicio, *Hujus Propositionis doctrina falsa est, temeraria, scandalosa, erronea, spatiosam calumniatoribus & impostoribus portam aperit, & clarè detegit quàm nefaria placita probabilitatis nomine inducantur.*

REGULA XXVIII.

Quisquis falsum crimen imposuit alteri, aut verum ejus crimen injustè & contra debitum ordinem prodidit, famam ejus restituere tenetur quo meliori modo fieri potest. Si autem restituere non possit, famæ damnum exhibitione honoris, commendatione virtutis, aut alio congruo modo, secundum viri prudentis arbitrium compensare. Nisi verò ad id præstandum sit paratus, absolvi sacramentaliter non debet.

IN Jure Naturali fundata est hæc Morum Regula: *Quod vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Matth. 7. Famam porrò injustè ademptam nobis restitui volumus: igitur & famam alienam debemus restituere, si calumniâ, aut detractione gravi fuerimus ipsam deprædati. *Si res aliena, propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum; sed ut dixi, cùm restitui potest;* (inquit *S. Augustinus*, Epistolâ CLIII. aliàs LIV. *Ad Macedonium.*) Quòd si fortunæ bona omnino necessarium est restitui ab eo qui injustè abstulit: idem asserendum est de restitutione famæ injustè ablatæ, cùm bonum sit longè pretiosius, juxta illud: *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Tam necessariæ restitutionis exemplum dedit *Megalius* Calamensis Episcopus, Numidiæ Primas, qui *S. Augustinum* a *Valerio* Hipponensi Episcopo Coadjutorem postulatum ordinare noluerat, effutiens & scribens, ab ipso *Augustino* amatoria maleficia data mulieri, marito non solùm conscio, sed & favente. Cujus calumniæ pœnitens *Megalius*, à Concilio Numidiæ veniam petiit, & obtinuit, ut *S. Augustinus* refert, Lib. III. *Contra Literas Petiliani*, Cap. XVI. & Lib. III. *Contra Cresconium*, Cap. LXXX.

Hanc Regulam confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. LXII. Art. II. *Restitutio*, inquit, *est actus justitiæ commutativæ, quæ in quadam æqualitate consistit. Et ideo restituere importat redditionem illius rei, quæ injustè ablata est. Cùm ergo conservare justitiam sit de necessitate salutis, consequens est, quòd restituere id quod injustè ablatum est alieni, sit de necessitate salutis.*

Et in Responsione ad secundum: *Aliquis* (inquit) *potest alicui famam tripliciter auferre. Uno modo verum dicendo, & justè, putà, cum aliquis crimen alterius prodit ordine debito servato, & tunc non tenetur ad restitutionem famæ. Alio modo falsum dicendo, & injustè, & tunc tenetur restituere famam, confitendo se falsum dixisse. Tertio modo, verum dicendo, sed injustè, putà cùm aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum: & tunc tenetur ad*

Obtrectatio

restitutionem famæ, quantùm potest, sine mendacio tamen: utpote quod dicat se malè dixisse, vel quod injustè eum diffamaverit. Vel si non possit famam restituere, debet ei aliter compensare.

Calumniatorem seu detractorem, qui falsum crimen alteri imposuit, apud omnes qui calumniam seu detractionem audiverunt, eique crediderunt, seu ad quos falsus & improbus de proximo rumor eo perveniit auctore, palinodiam recantare debere, asserere se fuisse mentitum vel deceptum; adhibitis, si necesse fuerit, testibus, præstito etiam juramento id confirmare; æquale famæ propriæ detrimentum pati, si resarciri aliter non possit aliena, quia in pari periculo potior est conditio innocentis quam nocentis; Theologi censent. Eum qui crimen occultum alterius contra juris ordinem evulgavit, errorem pariter suum atque injustitiam fateri debere coram omnibus apud quos proximi famam pessumdedit aut extenuavit; si crimen nihilominus verum esse credant, quia detractor non contestatur se falsum dixisse, teneri ad famam resarciendam exhibitione honoris, commendatione virtutum, familiaritate quadam cum eo cujus famæ derogavit, Theologi pari consensu docent. Si sit impossibilis restitutio famæ alienæ, quam aliquis injustè violavit, aut fieri non possit sine jactura famæ propriæ longè præstantioris, verbi gratiâ, si calumniator aut detractor sit persona valdè celebris, & Ecclesiæ vel Reipublicæ necessaria: quæ autem læsa fuit, sit valdè obscura, minimèque necessaria: tunc locum esse aiunt compensationi, satisque fore si persona læsa laudetur in eo genere, in quo ejus famæ derogatum est, aut ejus infamia pecuniâ vel beneficiis compensetur; aut remissio restitutionis ab eâ muneribus & gratiis impetretur. Quod S. *Thomæ* verbis confirmant loco suprà citato, in Responsione ad primum. *Quando* (inquit) *id quod est ablatum, non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri recompensatio qualis possibilis est, putà, cùm aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel in pecunia, vel in aliquo honore, consideratâ conditione utriusque personæ, secundùm arbitrium boni viri.*

Quàm necessaria & quàm difficilis alienæ famæ restitutio.

Quam necessaria sit, simul & quàm difficilis hac in materia restitutio, disertè explicat Venerabilis *Gersonius*, in Responsione ad Quæstiones quatuor Quæst. I. *Nonnunquam* (inquit) *faciliùs fit satisfactio pro homicidio corporali & furto, quàm pro hujusmodi homicidio & furto spirituali, scilicet detractione: quia in illis quantitas damni æstimari potest, & sic correspondens emenda subsequi: in istis autem nequit; cùm non satis constare possit in quot hominum cordibus mediatè & immediatè detrahens bonam opinionem & famam ejus, cui detraxit, occiderit, atque furtivè bonum famæ (quod inter omnia alia corporalia & hujus vitæ bona multùm est pretiosum) subtraxerit: unde & difficulter satisfacere ipsi læso potest. Cum tamen, juxta Beatum Augustinum, Peccatum non dimittatur, nisi ablatum restituatur. Quomodo autem restituet, cùm ignoret quantùm debet?*

Denique Concilii Tridentini Catechismus, P. III. cap. IX. §. XIX. Idem docet. *Cùm* (inquit) *peccatum quod inferendo falso crimine, aut proximi famæ aut existimationi obtrectando, commissum sit, non remittatur, nisi calumniator ei, quem criminatus fuerit, satisfaciat injuriarum: id autem difficilè fiat ab hominibus, primò, ut antea monuimus, pudore, & inani quadam dignitatis opinione deterritis: qui in eo peccato sit, hunc addictum esse æternis inferorum pœnis, dubitare non possumus. Neque enim quisquam speret, se calumniarum, vel obtrectationis veniam consequi posse, nisi prius ei satisfaciat, de cujus dignitate, & fama, aut publicè in judicio, aut etiam in privatis & familiaribus congressibus, aliquid detraxerit.*

Obtrectatio.

REGULA XXIX.

Ab aliena famæ restitutione calumniator seu detractor excusatur, qui absque vitæ periculo restituere illam non potest: nisi calumniâ suâ alterum in vitæ periculum adduxerit, ex quo aliter eripi non valeat.

Convenit enim inter Theologos, bona inferioris ordinis ab illo qui injustè abstulit, vel retinet, non esse retinenda cum jacturâ bonorum superioris ordinis. At exceptionem addunt. Si enim homicidium, aut aliud crimen capitale quis imposuerit alteri, propter quod ille comprehensus & in carcerem conjectus, mox torquendus est, & capitali supplicio plectendus, contestari debet apud Judicem se falsò accusasse, aut falsum testimonium dixisse, & se periculo vitæ exponere, si liberari aliter non possit ille quem calumniâ suâ, vel falso testimonio in extremum illud vitæ periculum conjecit. Alioquin auctor esset necis innocenti inferendæ. Sed tamen aliæ viæ tentandæ sunt, quas prudentia Christiana Confessario suggeret, antequam calumniatorem ad crimen suum prodendum, & ad famam alterius cum vitæ periculo restituendam obliget & compellat. Adire potest Judicem, apud ipsum contestari, certò se scire, sed eâ viâ quam Lex Naturalis & Divina arcanam esse ac semper manere jubeant, hunc hominem N. talis criminis falsò accusatum, & calumniâ oppressum, innocentem esse, ipsum proinde obsecrare in Dei nomine, cujus Minister est, ut modis omnibus ipsum liberare conetur, caveatque ne damnetur insons, cujus sanguinem de manu illius Deus requireret. Si tantæ non sit auctoritatis Confessarius, ut speret Judicem contestationis atque obsecrationis suæ rationem habiturum, Pœnitentem calumniatorem mittat ad Episcopum, cui ut Patri & Pastori conscientiæ suæ arcanum, & extremas angustias aperiat. Episcopus verò suam apud Judicem auctoritatem & commendationem interponet, ne damnet hominem, quem certò scit reum non esse, quamvis ejus innocentiam juridicis & forensibus mediis probare non possit, quia id fieri non potest salvâ & inviolatâ religione arcani, quod Deus revelari vetat. Persuadeat interim calumniatori Pœnitenti, ut quicquid ex parte suâ conferre potest ad liberationem innocentis, illud conferat. Idem esto judicium de illo qui calumniis suis fax belli, aut seditionis incentor extitit, ex quibus multorum cædes probabiliter timentur: debet (inquam) ille calumniator significare seu fateri Principi, qui bellum movet hujusmodi calumniis excitatus, vel seditiosis aut conjuratis, se falsum dixisse, totísque studiis & viribus eniti ad abolendam infamiam, aut rumores dissipandos, qui bello vel seditioni occasionem dederunt; & vitæ periculum etiam subire, si publicum malum, cujus ille causa est, aliter avertere non possit.

Quid verò facto opus, si auctor criminis, cujus in suspicionem venit innocens mox torquendus, & morti addicendus, hoc ipsi crimen non affin-

Obtrectatio. xerit, sed usus sit occasione datâ, ut crimen præcogitatum patraret, cujus in suspicionem alterum sciret adduceodum? Verbi gratiâ, Petrus & Jacobus inter se rixantur publicè, multis coram testibus, gravissimis convitus, & contumelus se mutoò impetunt, alter fortè pugnis & calcibus alterum aggreditur & lædit. Qui graviùs læsus est, alteri palam comminatur, atque; Non ante dies crastina præteribit, quàm te pœniteat. Rixæ hujus testis *Martinus*, veteres cum Petro aggressore inimicitias gerens, odiúmque dissimulans, & ultionis occasionem quærens opportunam, illius horreum vel domum clam incendit, aut illom occidit, certus Jacobum, quia à Petro læsus est, ipsique minas atroces palam intentavit, in suspicionem incendii, vel cædis adducendum, seque ab omni suspicione ac pœna immonem fore. Scelus revera, quod meditatus est, *Martinus* exequitur; poblicos rumor, indicia vehementia, testes rixæ ac minarum, quas Petro Jacobus intentavit, Judicem cogunt ut Jacobum velut reum in carcerem mitti decernat; ipsum habitâ quæstione tormeotis subjiciet, cogentibus indiciis, testibúsque malæ voluntatis, qoam verbis minacibus significavit, capite damnabit. *Martinus* incendii vel homicidii verus aoctor, considerans innocentem suâ culpâ mox periturum, horrore sceleris, stimulis conscientiæ, divini jodicii metu percolsus, Coofessarium adit, ad ejus pedes advolutus, crimen confitetur, se domum vel horreum incendisse, aut cædem perpetrasse, cujus in suspicioocm venit, aut falsò accusatos est Jacobus, & propter quam, innocens licèt, mox damnandus est. Quid, inquam, facto opus hoc in casu? Tenetur-ne seipsom prodere *Martinus*, séque periculo capitis exponere, ut *Jacobum*, criminis, cujus ipse aoctor est, falsò accusatum liberet?

Respondetur, Non teneri, neque ad id compelli à Confessario debere, si prodere seipsum non possit absque certo vel probabili periculo mortis: qoia ipse non est causa infamiæ, vel periculi, in quibus versatur innocens. Imprudentiæ suæ, rixæ, minis, infelicitati, periculom suum *Jacobus* tribuat, non *Martino*, qui eâ quidem occatione usus est ut ioimicum ulcisceretur, sed non eo animo ut *Jacobum* in periculum conjiceret, id quod non minùs incurrisset, si quis alter penitus ignarus rixæ Jacobi cum Petro, ac minarum quas Petro Jacobus intentavit, Petrum occidisset, vel ejus horreum aut domum incendisset. Hoc igitur in casu prudens Confessarius, vel Episcopus, cujus in sinu arcanum illud conscientiæ depositum fuerit, apud Judicem agent eo modo, quem superiùs indicavi, ut innocentem liberet, *Martino* verò persuadebunt ut damna Petro illata ipsi vel ejus heredibus resarciat & compenset.

REGULA XXX.

Libellorum, carminum, seu canticorum famosorum auctores, & disseminatores sive distributores, ad famæ Restitutionem obligantur.

DEbent scilicet aliis libellis, seu carminibus retractare quæconque falsa, contumeliosa, injoriosa in proximum scripserunt, illos celebrare & ornare laudibus, quorum famam prosciderunt libellis aut carminibos maledicis, seu satyris; libellos encomiasticos seu carmina in laudem hujusmodi personarum edita, iisdem in locis affigere, exponere, disseminare, distribuere, pari numero, quo famosos libellos, aut carmina maledica distributa sunt: manuscripta, si libelli famosi, versúsque maledici manoscripti fuerint; typis excusa, si typis editi in vulgus emissi sint. Id nisi sufficiat ad abolendaos infamiam, quam proximo asperserunt, dare operam debent, quantùm in ipsis est, ut Curati & Concionatores hujosmodi libellorum improbitatem aut falsitatem popolo denuntient; nullam fidem ipsis adhibendam Christianæ Plebi significent; gravis peccati reos fore, qui malè sentirent de personis illustribus quorum famam prosciudont; libellorum hujusmodi autores crimen suum agnoscere & execrari, Pœnitentiæ senso commotos veniam precari; & secundùm consilium & arbitrium Sacerdotum apud quos peccata sua deposuerunt, satisfacere velle. Tandem ab iis, quos læserunt, injuriæ condonationem humiliter petere debent, si periculom absit, & Sacerdotes, virósqoe pios intercessores adhibere, ut illam obtineant.

REGULA XXXI.

Qui uno genere peccati infamem alterius criminis aspergit infamiâ, restitutionis lege tenetur.

QUi enim unius alteriúsve peccati laborat infamiâ, non ideo jus amisit ad famam ex aliis virtutibus consecutam. Qui verbi gratiâ, concubinarius habetur, non propterea famâ excidit integri Judicis, hominis a re alienâ manum temperantis, Catholicæ Fidei Professoris & cultoris. Si quis igitur ipsi injustitiæ, furti, hæreseos infamiam inurat, gravem certè illi infert injuriam, adeóque restitutionis lege tenetur. Sicut ergo qui suâ culpâ facultatum soarum partem amittit, reliquis propterea spoliari non debet: nec qui ob crimen uno membro truncatus est, ideo cæteris membris debet mutilari: ita qui uno genere peccati infamis est, retinet jus ad famam virtutes aliis peccatis oppositas consecutam. Ita vulgò Theologi. Si tamen sint peccata connexa, qui unius peccati infamiâ juste notatum alteri peccato illud concomitanti, vel consequenti obnoxium dixerit, restitutionis legè non tenebitur; quia ex peccatis connexis una infamia resultat.

REGULA XXXII.

Detractores ad Restitutionem non tenentur, cùm eorum detractione nullum vulnus alienæ famæ inflictum est, cùm scilicet ob notam eorum improbitatem, maledicendi libidinem, levitatem, eorum apud quos detraxerunt, æquitatem & pietatem; eorum quibus detrahere conati sunt bene ac firmiter stabilitam, omnibúsque maledictis superiorem famam, fides hujusmodi Detractoribus non est adhibita. A Restitutionis obligatione pariter absolvuntur, cùm infamia oblivione deleta, aut alio modo abolita est, famáque recuperata.

CUm enim restituere oihil aliud sit qoàm *iteratò aliquem statuere in possessionem vel dominium rei suæ, ut æqualitas reparetur* (inquit *S. Thomas*) non obligatur ad restitutionem qui nullom damnom intulit, quamvis inferre voluerit, & conatus sit. Similiter si rem suam recuperaverit proximus, obligatioue restituendi solutus est, qui illam injustè eripoerat; si quidem cessavit damnum, & reparata est æqualitas justi-

tiam constituens. Veruntamen si quos sumptus ad recuperandam famam proximus fecit, illos restituere tenetur Detractor: & ratione infamiæ, quam aliquandiu passus est, ipso auctore, tenetur aliquid restituere ad arbitrium viri prudentis, honoris & reverentiæ significatione, veniæ petitione, virtutum commendatione. Taudem cùm verisimile est oblivione deletam infamiam, aut dubium est an criminis olim injustè vulgati memoria manserit, maximâ prudentia dirigendum ac gerendum est restitutionis negotium. Si enim compertum sit illos qui- B bus occoltum illius personæ peccatum, verbi gratiâ, ingenuæ puellæ fornicationem olim revelavit obtrectator, pravâ etiamnum opinione de illa imbutos esse, de illa velut de muliere impudica, vel parum honesta loqui, nullo fultos argumento præter quàm præjudiciis ex veteri detractione conceptis, Detractor ad restitutionem omnino tenetur, & ad pravam opinionem ea illorum animis, quoad ejus erit, delendam. Si verò compertum non habeat quid de illa puella seu muliere sentiant, & an meminerint peccati quod olim de illa narravit: non est necessarium, C imò nec prudentiæ legibus conveniens, ut ab ipsis petat an recordentur, ut ea de re quovis modo cum ipsis loquatur, ne vulnus obductum aperiatur & recrudescat: sed satis erit, si occasione datâ de illa persona honorificè loquatur, ejúsque commendet honestatem.

REGULA XXXIII.

Justa compensatio Detractorem excusat à restitutione famæ.

CUm enim duo detractores se mutuis maledictis & obtrectationibus æqualiter dilacerarunt, & par in utrumque redundavit infamia, jura illorum sunt paria: unde si unus alteri satisfacere, famámque ablatam restituere nolit, alter ad restitutionem non obligatur. Quamvis enim per infamiam Petro illatam à Joanne non tollatur infamia quam Petrus intulit Joanni, sicut in debitis pecuniariis unum extinguitur per aliud æquale: tollitur tamen obligatio resarciendi damnum famæ alteri allatum, si nolit alius æquale, quod intulit, damnum resarcire. Sicut si Petrus Joannis domum vel horreum incendit, & postea Joannes Petri domum vel horreum, æqualis pretii, incendat, non reparatur quidem damnum, tollitur tamen debitum restitutionis, si prior incendiarius non restituat. Hæc Morum Regula confirmatur ex Cap. *Tua Fraternitas*, quod est *Innocentii III.* Extra, *De Adulteriis*, cujus hæc sunt verba: *Cùm paria crimina compensatione mutua deleantur*, &c. Sed compensationi non est locus, cùm inæqualis est injuria; vel cùm unus alteri damnum illatum vult resarcire; vel cùm scandalum ex compensatione orietur, vel cùm mutuum damnum ab utraque parte nondum illatum est. Non licet enim ad compensationem habendam illum afficere contumeliâ, qui te contumeliâ prior affecit; vel illius famæ detrahere, qui tuæ prior detraxit, ut superiùs diximus.

REGULA XXXIV.

Justa compensatio non censetur, si quis famam ejus, cui detraxit, in alio genere augeat, aut cum eo familiariter conversetur.

NAm si quem dixisti fornicarium, concubinarium, ebrietati deditum, laudes à liberalitate in pauperes, à justitia, à mansuetudine, infamiam ipsi illatam non delebis, sed ei continget quod aliis frequenter accidit, ut ho- B mines bene de ipsis loquantur, veruntamen cum adversativâ particulâ *Sed*, dicendo, Liberalis est in pauperes, justus, mansuetus; sed proh dolor! fornicator est, concubinarius, ebrietati deditus. Observatio.

Quod familiaritatem spectat cum eo cujus famæ derogatum est, censetur quidem qui læsus est, remittere injuriam, si familiariter agat cum Detractore: sed non ideo remittere censetur obligationem restituendi famam, si nondum sit recuperata, nisi illud factis, aut verbis exprimat: sicut nec alius creditor debitum remittere cen- C setur, si familiariter agat cum debitore.

REGULA XXXV.

Justa condonatio Restitutionis Detractorem absolvit ab obligatione restituendi.

SIcut enim is cui condonatum est ut per furtum ablata non restituat, obligatione restituendi solutus est; ita detractor, cui persona læsa obligationem restituendi remisit, lege restitutionis ligatus non manet. Potest autem priva- D tus quisque famæ suæ restitutionem condonare justâ de causâ, præsertim ob bonum Caritatis & pacis, utque Christianæ Patientiæ meritum consequatur. Sed justa condonatio non est, si vergat in damnum aliorum, verbi gratiâ, si fama ejus sit aliis necessaria, qualis est fama Prælati, Concionatoris, Doctoris, Magistratus, Principis, qui munus suum rectè gerere, & Ecclesiæ vel Reipublicæ, ut par est, prodesse non possunt, nisi sint integræ famæ. Nec etiam justa est condonatio propter eamdem rationem, si condonantis infamia redundat in alios, qualis est Reli- E giosorum Virorum & Sanctimonialium infamia, quæ in Monasterium & Ordinem redundat; infamia parentum, fratrum, & sororum, quæ redundat in filios, fratres, & sorores, ipsísque vel aditum ad Officia, Beneficia, Honores, Nuptias conditioni suæ convenientes intercludit; vel graviter suspectos reddit. Quamobrem hujusmodi condonatio Detractorem non liberat ab onere restitutionis. Quamvis enim cedere quisque possit jure suo, cessione tamen suâ jus aliorum evertere aut prodere non potest. Hinc *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXIII. Art. IV. in F Responsione ad primum: *Possunt* (inquit) *ad notitiam alicujus detractiones contra ipsum facta aliorum relationibus pervenire. Et tunc sui arbitrii est detrimentum suæ famæ pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum.* Cùm verò alicujus infamia vergit in periculum aliorum, famam suam tueri, & detractores modis legitimis compescere tenetur, quod Apostoli in Epistolis suis, & SS. Patres editis Apologiis fecerunt. Hinc *S. Gregorius* Homiliâ nonâ in *Ezechielem* scribit: *Hi quorum vitam in exemplum imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum Prædicationem non audiant, qui audire*

Obtrectatio. *poterant, & in pravis moribus remanentes, bene vivere contemnunt.*

REGULA XXXVI.

Prælatus, sive Superior, qui Detractorem audit Communitatis sibi commissæ, aut subditorum suorum famam dilacerantem; aut subditum suum alicna fame detrahentem, nec illos prohibet, ad restitutionem tenetur.

FAmam enim Communitatis non minùs, imò potiori jure, quam bona temporalia conser- B vare tenetur ex officio, adeóque & famam subditi, cujus infamia in Communitatem redundat. Ipsi etiam incumbit ex officio curare bona subditorum, non solùm spiritualia, sed & temporalia, quæ ad spiritualium conservationem & profectum sunt necessaria, qualis est famæ laudabilis integritas. Tenetur etiam impedire ne subditi sui aliis noceant, idque nisi prohibeat cùm potest, subditúmque coërceat, & ad restitutionem compellat, ipse ad restitutionem tenetur; sicut Prætor, qui raptorem, furem, in- C cendiarium a damno aliis inferendo non prohibuit, aut illati damni reos non coërcuit secundùm Leges, nec damnum resarciri curavit, quoad ejus erat, ad restitutionem obligatur. Prælatorum igitur maximè interest Detractores & Susurrones, qui sub pietatis specie & honesto zelatorum pallio sæpe delitescunt, procul à se removere. Quos si lubenter audiant, foveántque, inextricabilibus laqueis se implicant. Auscultent igitur divina illa Præcepta: Proverb. IV. *Remove à te os pravum, & detrahentia labia sint procul à te.* Proverb. XXIX. *Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes Ministros habet im-* D *pios.* Prudens illud *S. Bernardi* Monitum Lib. IV. *De Consideratione, ad Eugenium*, cap. VI. ad praxim revocent: *Clandestinas & susurratas delationes non recipias, magis detractiones censueris. Et hanc velim generalem tibi constituas regulam, ut omnem, qui palam veretur dicere, quod in aure locutus est, suspectum habeas. Quod si te judicante dicendam coram ille renuerit, delatorem judices, non accusatorem.*

REGULA XXXVII.

Detractor non solùm ad restitutionem famæ direptæ vel extenuatæ, sed ad resarcienda omnia damna ex infamia secuta omnino tenetur.

EA enim damna resarcire quisque tenetur, quorum vera causa fuit: detractor porrò causa est damnorum omnium quæ ex detractione consequuntur. Ad ea itaque resarcienda tenetur. Hoc ratiocinium æquitate ipsa naturali, & Cap. *Si culpa*, nititur, Extra, *De Injuriis, & Damno dato*, quod est Gregorii Noni: *Si culpâ tuâ* (inquit) *datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem fortè tulisti, aut hæc imperitiâ tuâ sive negligentiâ evenerant, jure super his satisfacere te oportet: nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.*

REGULA XXXVIII.

Heredes verbis restituere non tenentur famam à Detractore discerptam, asserendo quòd fuerit mentitus, vel falsum locutus.

HÆc enim obligatio personalis est, quæ ad heredes non transit, ut vulgò censent Theologi. Obtrectatio.

REGULA XXXIX.

Detractoris heredes tenentur resarcire damna ex infamia secuta.

CUm enim hæc obligatio sit realis, ad heredes transit cum ipsa hereditate, sicut & alia onera realia, & debita pecuniaria. Unde si detractor nullâ famæ injustè violatæ restitutione factâ moriatur, hæredes non solùm ad alia damna ex infamiâ secuta, sed ad ipsius famæ damnum exhibitione honoris, laudibus vel pecuniâ compensandum teneri, si resarciri aliter C non possit, gravissimi Theologi censent. Si autem ille cujus fama violata est, moriatur, restitutio facienda est heredibus, qui in ejus jura succedunt, & quorum maximè interest ut ejus fama & post mortem integra sit.

REGULA XL.

Detractor qui alterius famam labefactando, vel extenuando, ipsum impedit ab Ecclesiastici Beneficii consecutione, ad Restitutionem tenetur, si jam collatum aut destinatum erat illi Beneficium: D *ad compensationem verò, si nondum collatum aut destinatum erat.*

HÆc Morum Regula colligitur ex *S. Thoma*, Secunda Secundæ, Quæstione LXII. Articulo secundo, in Responsione ad quartum. *Aliquis* (inquit) *potest impedire aliquem ne habeat Præbendam, multipliciter. Uno modo justè, putà, si intendens honorem Dei, vel utilitatem Ecclesiæ, procuret quòd detur alicui personæ digniori: & tunc nullo modo tenetur ad restitutionem, vel aliquam recompensationem faciendam. Alio modo* E *injustè; putà, si intendat ejus nocumentum, quem impedit, propter odium, vel vindictam, aut aliquid hujusmodi: & tunc si impedit ne Præbenda detur digno, consulens quòd non detur, antequam sit firmatum quòd ei detur; tenetur quidem ad aliquam recompensationem, pensatis conditionibus personarum, & negotii, secundùm arbitrium Sapientis: non tamen tenetur ad æquale, quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri. Si verò firmatum sit quòd alicui detur Præbenda, & aliquis propter indebitam causam pro-* F *curet quòd revocetur, idem est ac si jam habitam ei auferret: & ideo tenetur ad restitutionem æqualis, tamen secundùm suam facultatem.*

REGULA XLI.

Exultatio in adversis proximi, & Afflictio in prosperis, lethalia peccata sunt, cum ex invidia vel odii fonte procedant, & grave malum est proximi de quo aliquis gaudet; & hi motus sunt deliberati.

Exultatio in adversis proximi.

HÆc enim peccata Caritati opponuntur, cujus est *Gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus*, ut ait Apostolus ad Romanos Cap. XII. Nam *Pro invicem sollicita* debent esse *membra: ut non sit schisma in corpore. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive glorietur unum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro*; (inquit idem Apostolus, I. ad Corinthios Cap. XII.) Et 11. ad Corinthios Cap. II. *Quis infirmatur* (inquit) *& ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Hinc *Job* XXXI. dicitur: *Si gavisus sum ad ruinam ejus, qui me oderat, & exultavi quòd invenisset eum malum.* Et Proverbiorum XVII. *Qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus.* Qua de re *S. Gregorius*, Libro XXII. *Moralium*, Cap. VI. ita scribit: *Omnipotentis Dei nos esse discipulos, sola custodia Caritatis probat. Hinc est enim quòd per semetipsam Veritas dicit:* » In hoc cognoscent omnes, quia mei Discipuli » estis, si dilectionem habueritis ad invicem. *Quæ nimirum dilectio si cor nostrum veraciter replet, duobus modis ostendi solet: scilicet si & amicos in Deo, & inimicos diligimus propter Deum. Sed sciendum est, quia inimici dilectio tunc veraciter custoditur, cùm nec de profectu addicimur, nec de ruina illius lætamur. Nam sæpe in dilectionis imagine erga inimicum animus fallitur, seque hunc diligere æstimat, si ejus vitæ contrarius non existat. Sed dilectionis vim occultè & veraciter aut profectus inimici, aut casus interrogat. Hac etenim de re ad plenum semetipsam mens hominum nescit, nisi eum quem sibi adversarium credit, in defectu vel profectu mutasse modum sui status invenerit. Si enim de prosperitate addicitur, & de calamitate se odientis lætatur; constat quia non amat, quem non vult esse meliorem; eumque etiam stantem voto persequitur, quem cecidisse gratulatur.*

REGULA XLII.

Quamvis de nostra & proximorum ereptione ab iis qui nobis aliisque nocent vel nocere conantur, & de justitia Dei malos punientis legitimum sit Christianúmque gaudium, nunquam tamen de inimicorum nostrorum calamitate vel interitu gaudere licet.

HAnc Morum Regulam tradit *S. Gregorius*, Libro XXII. *Moralium*, Cap. VI. *Necessarium est*, inquit, *subtilissimo discretionis examen: ne cùm nostra odia exequimur, fallamur sub specie utilitatis alienæ. Si enim de inimici morte gaudendum omnino non esset, Psalmista non diceret* » Lætabitur ju- » stus, cùm viderit vindictam impiorum. *Sed aliud est impium, aliud verò inimicum perpeti. Nam sunt plerique inimici, qui non sunt impii: & sunt nonnulli impii, qui nobis specialiter non videntur inimici. Humana autem mens omnem quem inimicum tolerat, etiam impium & iniquum putat: quia ejus culpas apud cogitationem suam livor accusator exaggerat. Quibuslibet verè flagitiis prematur, minùs iniquus creditur, si adversarius minime sentitur. Qua in re discernendum est, aliud esse quod nobis, aliud verò quod sibi & cæteris noster inimicus nocet. Nam si aliis bonus est, sine nostra forsitan culpa esse non potest nobis malus: nec omnino jam de ejus ruina gaudendum est, cujus nos solos certum est adversa tolerasse. Cùm verò noster ac multorum hostis perimitur, de ereptione proximorum potiùs, quàm de inimici interitu necesse est ut animus lætetur. Oportet namque ut pereunte adversario, subtiliter pensare debeamus & quid debemus ruinæ peccatoris, & quid justitiæ ferientis. Nam cùm perversum quemque Omnipotens percutit; & condolendum est miseriæ pereuntis, & congaudendum justitiæ Judicis: ut nobis & in luctu sit pœna morientis Proximi, & rursùs in gaudium veniat exhibita æquitas judicantis Dei: quatenus nec pereunti homini existamus adversarii, nec judicanti Deo inveniamur ingrati. Beatus igitur Job, quia cuncta in adversitate odia perfectè calcavit, dicens:* Si » gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, & » exultavi quòd invenisset eum malum: *Qui videlicet & inimicum diligens, dum adversario ruenti condoluit, in malis illius ipse ad bonum crevit, ut inde iste ad benignitatem cresceret, unde illum mala, quæ merebatur, invenissent.*

Psalm. 57.

Job. 31. 29.

CAPUT X.

DE

GULA.

ARTICULUS I.

Quid? & quàm grave sit Peccatum?

G*ULA est inordinatus comedendi vel bibendi appetitus*, sive *Immoderata in cibo & potu delectatio*. Lethale peccatum est, cùm tanta est inordinatio ut hominem à fine ultimo avertat. *Quod quidem contingit, quando delectationi gulæ inhæret homo tanquam fini propter quem Deum contemnit, paratus scil. est contra præcepta Dei agere, ut delectationes hujusmodi assequatur*: Aliàs veniale peccatum est, ut docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. CXLVIII. Art. II. Vocatur etiam hoc vitium *Crapula* vel *Ingluvies*, & *Gastrimargia*, quasi insanum ventris studium.

Quam grave Gula peccatum?

Hujus gravitas peccati probatur inde, quòd species quædam sit idololatriæ, cùm homines gulæ dediti ventri suo veluti Deo serviant, ut ait Apostolus ad Romanos XVI. *Hujusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri.* Et ad Philippentes III. *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi: quorum finis interitus, quorum Deus venter est.* Et *Ecclesiastici* XIX. dicitur: *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes.* Hinc *Tertullianus*, Libro *De Jejuniis*, Cap. XVI. & XVII. *Ethnicus*, (inquit) *idolo gulam suam mactat, tu Deo non vis. Deus enim tibi venter est, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & sacerdos cocus, & Sanctus Spiritus nidor, & condimenta charismata, & ructus Prophetia...... Apud te agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, spes in ferculis jacet.* Primum hominem de Paradiso voluptatis gula ejecit. Hinc *Tertullianus* Libro *De Jejuniis*, Cap. III. ait: *Acceperat Adam à Deo legem non gustandi de*

Genes. 3.

Mala ex gula profecta.

arbore agnitionis boni & mali, moriturus si gustasset. Verùm faciliùs ventri quàm Deo cessit; pabulo potiùs quàm præcepto annuit; salutem gulâ vendidit. Manducavit denique & periit. Salvus alioquin, si vel uni arbusculæ jejunare maluisset..... Teneo igitur à primordio homicidam gulam, &c.

Hinc *S. Basilius* in Sermone *De Abdicatione rerum*, ait: *Cave ne te Adversarius similiter atque primum parentem peccato circumveniat, & quamprimùm de Paradiso deliciarum expellat. Nam qui callida escæ objectione ita malitiosè illum spoliavit, nihil est quod jam vereatur, ne te per hoc præsentissimum venenum inficiat.*

Hinc *S. Gregorius Magnus*, in *Pastorali*, Parte III. Admonitione XX. ait: *Hosti callido, qui primi hominis sensum in concupiscentia pomi aperuit, sed in peccati laqueo strinxit, divina voce dicitur:* Pectore & ventre repes, *ac si ei apertè diceretur: Cogitatione & ingluvie super humana corda dominaberis.*

Sed & ante illum *S. Ambrosius*, Libro *De Paradiso*, Cap. XV. *Qui sunt*, inquit, *qui in ventro suo ambulant, nisi qui ventri & gulæ vivunt, quorum Deus venter est, & gloria in pudendis eorum, qui terrena sapiunt, & cibo onerati, ad terrena curvantur?*

Genes. 25.

Esau gulæ vitio primogeniti dignitatem juráque vendidit, de quo Apostolus ad Hebræos XII. *Ne quis fornicator*, (inquit) *aut profanus ut Esau: qui propter unam escam vendidit primitiva sua: scitote enim quoniam & postea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit Pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquisisset eam.* Vitio gulæ Populus Israël iram Dei provocavit. Unde Psalmo LXXVII. dicitur: *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum, & electos Israël impedivit.*

Num. 11.

Sed & in verum Israël Æterni Judicis ultionem accendit. Unde Christus Lucæ XXI. ait: *Attendite autem vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ, & superveniat in vos repentina dies illa.* Gula spirituale ædificium virtutum à fundamentis subvertit, ut ostendit *S. Gregorius Magnus*, Libro XXX. *Moralium*, Cap XIII. *Cùm* (inquit) *continenti viro contra innumera vitia multa virtutum certamina suppetant, cur sub exactoris clamore contempto, de solo hic ventre dicitur quod ejus impetum impulsúmque restringat, nisi quòd nullus palmam spiritualis certaminis apprehendit, qui non in semetipso priùs per afflictam ventris concupiscentiam carnis incentiva devicerit? Neque enim ad conflictum spiritalis agonis assurgitur, si non priùs intra nosmetipsos hostis positus, gula videlicet appetitus edomatur: quia si non ea quæ nobis sunt vicinora posternimus, nimirum ad ea quæ longiùs sunt, impugnanda transimus. Incassum namque contra exteriores inimicos in campo bellum geritur, si intra ipsa urbis mœnia civis insidians habetur. Mens quoque ipsa certantis sub gravi confusionis dedecore à spiritalis certaminis congressione repellitur, quando infirma in carnis prælio, gulæ gladiis confossa superatur. Nam cùm se parvis prosterni conspicit, confligere cum majoribus erubescit. Nonnulli verò ordinem certaminis ignorantes, edomare gulam negligunt, & jam ad spiritualia bella consurgunt. Qui aliquando multa etiam quæ magnæ sunt fortitudinis, faciunt: sed dominante gulæ vitio, per carnis illecebram omne quod fortiter egerint, perdunt: & dum venter non restringitur, per carnis concupiscentiam simul cuncta virtutes obruuntur. Unde & de Nabuchodonosor vincente scribitur:* Princeps cocorum destruxit muros Jerusalem. *Quid enim per muros Jerusalem significans Scriptura exprimit, nisi virtutes animæ, quæ ad pacis visionem tendit? Aut quis cocorum Princeps nisi venter accipitur, cui diligentissimâ à coquentibus curâ servitur? Muros igitur Jerusalem Princeps cocorum destruit, quia virtutes animæ dum non restringitur venter, perdit.*

Gula spirituale virtutum ædificium à fundamentis subvertit.

Nec verò spiritualia solùm, sed & temporalia damna gravissima gulæ vitium infert, paupertatem inprimis, cum homines gulæ dediti & ebriosi conviviis, comessationibus, & compotationibus patrimonium suum exhauriunt, aut quicquid ex labore & industria ipsis obvenit, obliguriunt, debita contrahunt, quibus solvendis non sunt; & familiam suam ad extremam adigunt egestatem. Hinc *Proverbiorum* XXI. dicitur: *Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur.* Et Ecclesiastici XIX. *Operarius ebriosus non locupletabitur.* Valetudinem corporis gula profligat, hominem interimit, imò vivum sepelit. Hinc *Ecclesiastici* XXXVII. præceptum illud saluberrimum tradit Spiritus-Sanctus: *Noli avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam: in multis enim escis erit infirmitas.... Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Et Proverbiorum XXIII. *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ, cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur perversa. Et eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clavo: & dices: Verberaverunt, sed non dolui: Traxerunt me, & ego non sensi: Quando evigilabo, & rursùs vina reperiam?* Mala ex ebrietate consecuta disertè describit *S. Basilius*, Homiliâ in ebrietatem, in qua hæc habet inter alia: *Ebrietas rationis interitus, roboris pernicies, senectus immatura, mors momentanea. Quid, quæso, sunt ebrii, quàm gentium idola? Oculos habent, & non vident: aures habent, & non audiunt; manus paralysi affectas habent, pedes infirmos atque emortuos, &c.*

Gula temporalia etiam damna gravissima infert.

Sancto Basilio concinit *Sanctus Ambrosius*, Libro *De Elia & Jejunio*, Cap. XIV. *Regis*, (inquit) *ad jucunditatem, cogis ad mortem: invitas ad prandium, efferre vis ad sepulcrum: cibos promittis, tormenta irrogas: vina prætendis, venena suffundis. Omne enim quicquid necat, venenum est. Tollit sensus, viscera exurit, somnum infestat, caput vexat. Et jam major vis vini, quàm veneni est. Denique venenum vino excluditur, non vinum veneno. Meritò Deus per Moysen non solùm veneno, sed etiam draconum veneno, vinum comparavit dicens:* Furor draconum vinum eorum, & ira aspidum insanabilis. *Et pulcrè addidit*, insanabilis; *multi enim à reliquo serpentium veneno curantur, nemo ab ebrietate. Certè veneno caro vulneratur, mens sine noxa est: ebrietas ad corporis mortem, mentis etiam crimen adjungit.*

Deut. 32.

ARTI-

ARTICULUS II.

De Gulæ Speciebus.

Quinque Gulæ species.

QUinque Gulæ species à *S. Thoma*, cæterisque Theologis assignantur, isto Versiculo expressæ: *Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.* Quæ quidem conditiones, non sunt meræ B circumstantiæ, sed diversa (ut loquuntur) *motiva*, seu rationes variæ quibus cibi potûsque concupiscentia inordinata movetur & excitatur. In esu namque duo spectari possunt, scilicet ipse cibus qui comeditur, & ejus comestio. Potest ergo inordinatio concupiscentiæ attendi dupliciter. Uno quidem modo, quantùm ad ipsum cibum qui sumitur; & sic quantùm ad substantiam vel speciem sibi quærit aliquis cibos lautos, id est, pretiosos. Quantùm ad qualitatem, quærit cibos nimis accuratè præparatos, id est, *studiosè*: quantùm ad quantitatem, excedit *nimis* in edendo. Alio modo attenditur inordinatio concupiscentiæ, quantùm ad ipsam sumptionem cibi; vel C quia prævenit debitum tempus comedendi, quod est *præproperè*; vel quia non servat modum debitum in edendo, quod est *ardenter*. Ita *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. CXLVIII. Art. IV.

De Gula.

Id ex *S. Gregorio*, Libro XXX. *Moralium*, Cap. XIII. hausit *S. Thomas*. Sic porrò scribit S. Gregorius: *Sciendum est, quia quinque nos modis gulæ vitium tentat. Aliquando namque indigentiæ tempora prævenit: aliquando verò tempus non prævenit, sed cibos lautiores quærit; aliquando quælibet quæ sumenda sunt, præparari accuratiùs expetit: aliquando autem & qualitati ciborum & tempori congruit, sed in ipsa quantitate sumendi mensuram moderatæ refe-* D *ctionis excedit. Nonnunquam verò & abjectius est quod desiderat: & tamen ipso æstu immensi desiderii deteriùs peccat. Mortis quippe sententiam patris ore Jonathas meruit; quia in gustu mellis constitutum edendi tempus antecessit. Et ex Ægypto populus eductus, in eremo occubuit; quia despecto Manna, cibos carnium petiit, quos lautiores putavit. Et prima filiorum Heli culpa suborta est, quòd ex eorum voto Sacerdotis puer non antiquo more coctas vellet de sacrificio carnes accipere, sed crudas quærere, quas accuratiùs exhiberet. Et cùm ad Jerusalem dicitur:* E
Ezech. 16. 49. » Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, super-
» bia, saturitas panis, & abundantia: *apertè ostenditur, quòd idcircò salutem perdidit, quia cum superbiæ vitio mensuram moderatæ refectionis excessit.*
Genes. 25. *Et primogenitorum gloriam Esau amisit, quia magno æstu desiderii vilem cibum, scilicet lenticulam concupivit: quam dum vendendis etiam Primogenitis prætulit, quo in illam appetitu anhelaret, indicavit. Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est. Unde & lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, & abjectiores non sine reatu conscientiæ degu-* F *stamus. Hic quippe, quem diximus, Esau, primatum per lenticulam perdidit; & Elias in eremo per virtutem Spiritus carnes edendo servavit. Unde &*
III. Reg. 17. *antiquus Hostis, quia non cibum, sed sibi concupiscentiam esse causam damnationis intelligit; & primum sibi hominem non carne, sed pomo subdidit, & secundum non carne, sed pane tentavit. Hinc est, quòd plerumque Adam culpa committitur, etiam cùm abjecta & vilia sumuntur.* Refertur & Distinctione V. *De Consecratione*, Canone *Quinque modis.*

ARTICULUS III.

De Gulæ Filiabus.

5. Gulæ filiæ.

GUla capitale peccatum est, quod quinque filias parturit, scilicet *Ineptam lætitiam, scurrilitatem, immunditiam, multiloquium, & hebetudi-* B *nem mentis*, ut docent *S. Gregorius*, Libro XXXI. *Moralium*, Cap. XVII. & *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. CXLVIII. Art. VI.

Inepta lætitia.

1. *Inepta lætitia est, quæ capitur ex rebus, quæ nullam delectationem parere possunt, si recta ratio consulatur: vel si aliquam afferre possunt, in illam dissoluto penitus animo, hoc est, rationis gubernaculo per cibi & potus immoderationem veluti sopito, aliquis effunditur.* Ad ineptam lætitiam pertinet jocandi genus illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum; cùm scilicet aliquis causâ ludi oritur turpibus verbis, vel factis, vel etiam his quæ vergunt in nocumentum proximi, quæ lethalia C per se peccata sunt, ut docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CLXVIII. Articulo III. Ad lætitiam ineptam & incompositam pariter pertinet vanitas histrionum, larvatorum, thymelicorum, sive hominum alios ad voluptatem parum ingenuam vel cantu, vel manu, aut aliâ quavis gesticulatione, seu clam seu palam provocantium. Ad ineptam denique lætitiam pertinent choreæ dissolutæ, tripudia, motus omnes lascivi & indecori, qui intemperantis hilaritatis signa sunt vel incitamenta.

Ex Gula ineptam illam oriri lætitiam evidens D est. Unde *Exodi* XXXII. dicitur *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Quamvis ludum illum cum idololatria fuisse conjunctum doceat Apostolus 1. ad *Corinthios*, Cap. X. Vers. 7. ludúmque inhonestum & impudicum *Tertullianus* interpretetur Libro *De Jejuniis*, Cap. VI. *Intellige* (inquit) *Sancta Scriptura verecundiam: Lusum nisi impudicum non denotasset.* De prima illa Gulæ sobole *S. Basilius*, Homiliâ in Ebrietatem & Luxum, ita loquitur: *Rationem ac mentem vinum demergit: voluptates & animi cæteros affectus malos velut apum examen excitat. Quis cur-* E *rus equorum indomitorum ita præceps fertur, aurigam suum excutiens? Quod navigium ita gubernatore destitutum, ita fluctibus exagitatum & concussum? Ex talibus itaque malis viri ac feminæ communes constituentes choros, malóque Dæmoni miseras tradentes animas, se se invicem libidinum telis confodiunt atque lacerant. Risus inter se histrionicos, cantus probrosos, meretricios gestus ad libidinem invitantes exercent. Rides, dic mihi, & gaudes ineptâ stolidáque lætitia; cùm lacrymas fundere, ac dolere, ob ea quæ admisisti, oporteet. Cantus profanos exerces, oblitus Psalmorum & Hymnorum quos didicisti. Moves pe-* F *des, & insanus saltas, choreas ducis illicitas, cùm genua ad Dei & Domini nostri Jesu Christi cultum flectere oporteat. Quas ego fleam, puellásne conjugii expertes, an maritis junctas? Hæ quidem amissâ virginitate reversæ sunt: illæ verò pudicitiam maritis minimè reduxerunt. Nam si quæ forsan peccatum corpore vitavere, animo tamen admisere: Quæ quidem & de viris simul dicta mihi monitáque sunt. Vidit ille malè; visa est illa malè.* Qui mulierem « Matth. 5.
ad concupiscendum viderit, jam est mœchatus «
eam in corde suo. *Si fortuiti occursus iis, qui* «
obiter mulierculam inspexerunt, tantùm pariunt periculi, quantò majus fuerit, cùm de industria con-

Gulæ filiæ *grediuntur, cùm deditâ operâ mulieres in ebrietate & convivio, omni lascivo gestu, saltatione, cantu impudico ad libidinem effrænes juvenes invitantes spectantur?*

Scurrilitas. II. *Scurrilitas est immoderatio in jocis & facetiis, aut in studio commovendi aliis risum:* Quæ veniale plerumque peccatum est, cùm personarum quidem decorum in jocis non servatur, sed abest scandalum, & prava intentio: quandoque mortale, ratione materiæ seu objecti, si jocus redundet in gravem Dei, Sanctorum, Religionis, vel proximorum injuriam: aut obscœnus sit & ad libidinem provocans. Unde Apostolus ad *Ephesios* v. ait: *Fornicatio autem & omnis immunditia aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut* SCURRILITAS *quæ ad rem non pertinet; sed magis gratiarum actio.* Et 1. ad Corinthios, Cap. xv. *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Contra scurrilitatem generatim spectatam *S. Joannes Chrysostomus*, Homiliâ xvii. in Epistolam ad Ephesios hunc in modum invehitur. *Quid prodest aliquid urbanum dicere? Solum moves risum. Dic mihi, Sutor faciet ne aliquid ex iis quæ ad artem suam non pertinent, aut possidebit aliquod hujusmodi instrumentum? Nequaquam. Nam quæ non sunt in usu, & quibus non habemus opus, ea nihil ad nos. Nullus sit sermo otiosus. Nam ab otioso sermone in absurdos & importunos decidimus. Non est præsens tempus diffusæ lætitiæ, sed luctus, afflictionum, & ejulatus. Tu autem in dictis urbanis, & facetis tempus teris. Quis athleta stadium ingressus, missâ sollicitudine decertandi cum adversario, urbana verba loquitur & faceta? Instat Diabolus, circuit quærens ut rapiat, omnia movet, & in caput tuum vertit omnia, & molitur ut te è medio ejiciat, dentibus stridet, rugit, ignem spirat adversus tuam salutem: & tu sedes urbana & faceta verba dicens, & stulta loquens, & quæ ad rem non pertinent, proferens? Rectè ergo poteris eum superare?... Ludis delicias, facetáque & urbana dicis, & risum moves, remque nihil existimas? A lepidis & urbanis dictis quot perjuria, quot damna, quàm multa verba turpia & obscœna? An non sunt, inquis, ejusmodi dicta urbana? Sed audi. Omnem urbanitatem & dicacitatem expellit tempus belli & pugnæ, vigiliæ, custodiæ, armatura, & aciei instruendæ. Nullum locum hic habere potest tempus risus: hoc enim est tempus Mundi. Audi Christum dicentem:* Mundus

Joan. 16. 20. gaudebit, vos autem contristabimini. *Christus in crucem actus est propter tua mala: Tu autem rides? Impacta sunt illi & alapæ & colaphi, & tam multa passus est propter tuam calamitatem, & quæ te comprehenderat tempestatem: tu autem degis in deliciis. Et quomodo non eum magis irritas? Sed quoniam videtur quibusdam res esse indifferens, ne sic quidem ipsum oporteret despicere, scientem quod ex eo multa nascantur mala, crescántque, & sæpe desinant in scortationem. Quod autem non sit indifferens, inde est perspicuum. Videamus ergo unde nascatur: vel potiùs videamus cujusmodi oportet esse, sanctum, mitem, mansuetum, lugentem. Qui ergo dicit urbana & faceta, non est sanctus. Iis solis qui sunt in scena hæc permittuntur. Urbi est turpitudo, illi est etiam urbanitas & dicacitas. Audi Prophetam dicentem:*

Psalm. 2. „Servite Domino in timore, & exultate ei in tremore. *Nam urbanitas ac dicacitas mollem efficit animam, pigrámque attollit & excitat, multáque probra parturit, & contumelias, & bella facit..... Procul est à Christiano comicis dictis vinci esse: & necesse est ei qui urbanis ac facetis dictis utitur, supervacaneas suscipere inimicitias eorum qui temerè urbanis dicteriis irridentur, sive adsint, sive absentes audierint. Si res est pulcra & honesta, cur relinquitur mimis? Mimus evadit, & non pudet. Magna mala habitant in anima quæ verba usurpat urbana & faceta, magna effusa lætitiæ dissolutio, & ironia ac simulatio, hinc compago, marcescit ac putrescit ædificium, exterminatur timor, abest pietas ac reverentia.*

Gulæ filiæ. Sacrilega scurrilitas est, Scripturæ Sacræ aut Officiorum Ecclesiasticorum verbis & sententiis abuti *ad scurrilia, fabulosa, vana*, &c. eos omnes qui in hanc irreverentiam & contemtum incidunt, tanquam temeratores & violatores verbi Dei, juris & arbitrii pœnis per Episcopos coerceri jubet Tridentina Synodus, Sessione iv. Quod & à sequentibus Conciliis in Provinciis congregatis statutum est, scilicet Mediolanensi i. anno 1565. P. 1. Num. 2. Bituricensi anno 1584. Tit. iv. Cap. 3. Aquensi anno 1585. Tit. *De vita & Honestate Clericorum*, P. iv. Cap. 13. Num. 3. & Tolosano anno 1590.

Immunditia. III. *Immunditia* nomine intelligitur *Impuritas omnis verborum & factorum*, obscœnitas omnis, quâ vel per vomitum, vel pollutionem etiam in somno ex intemperantia consecutam, corpus & anima helluonum & potatorum contaminantur. Quo spectat illud Isaiæ xxviii. *Præ vino nescierunt, & præ ebrietate erraverunt: Sacerdos & Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino..... Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu, sordiúmque, ita ut non esset ultra locus.* Hinc *Tertullianus*, Lib. De Jejuniis, *Appendices Gulæ*, inquit, *lascivia atque luxuria.* Et S. Hieronymus: *Venter escis repletus, facilè despumat in libidines.*

Multiloquium. IV. *Multiloquium*, sive garrulitas effrænis, quarta Gulæ filia, veniale plerùmque peccatum est; aliquando mortale, si nimium in Dei aut proximorum injuriam effundatur, quod hominibus nimio cibo aut potu exhilaratis sæpe contingit. Arcana enim sibi commissa revelant, præsentes contumeliis insectantur, absentibus lubenter detrahunt, de rebus divinis temerè & impiè loquuntur. Quò spectat illud Psalmi lxxii. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis. Cogitaverunt & locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt. Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transivit in terra.* Hinc multiloquium velut cum peccato semper conjunctum Spiritus-Sanctus prohibet. Proverb. x. *In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est.* Proverb. xiii. *Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Proverb. xxxi. *Noli Regibus dare vinum: quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas: & ne fortè bibant, & obliviscantur judiciorum, & mutent causam filiorum pauperis.* Ecclesiastici xx. *Qui multis utitur verbis, lædet animam suam.* Et Cap. xxiii. *Indisciplinatæ loquelæ non assuescat os tuum: est enim in illa verbum peccati.*

Hebetudo mentis. V. *Hebetudo sensus*, sive mentis, quinta Gulæ filia. Crapola nimirum & ebrietas ita mentis aciem obtundunt, ut ineptus reddatur homo ad veritatis contemplationem, & ad actiones omnes, quæ ingenii, rationis, & prudentiæ luce ac moderamine magis indigent; Deique etiam obliviscatur. Hinc *Ecclesiastis*, Cap. ii. Salomon ait: *Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitarémque stultitiam.* Et Osee iv. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas, auferunt cor.* Hinc *Tertullianus*, Libro *De Jejuniis*, Cap. iv. *Conscientiam communem* (inquit) *consulamus, ipsa natura enuntiabit, quales nos ante pabulum & potum in virgine adhuc saliva exhibere consuevit rebus duntaxat sensus agendis quo divina tractantur, si multò pollentioris mentis, si multò vivacioris cordis, quàm cùm totum illud domicilium*

interioris hominis, escis stipatum, vinis inundatum, decoquendis jam stercoribus æstuans, præmeditatorium efficitur latrinarum, in quo planè nihil tam in proximo superest, quàm ad lasciviam sapere... Cæterùm quotusquisque meminerit Religionis, occupatis memoriæ locis, impeditis sapientiæ membris? Nemo ita ut decet, ita ut par est, ita ut utile est, recordabitur Dei in eo tempore, in quo ipsum sibi hominem excidere solemne est. Omnem disciplinam victus aut occidit, aut vulnerat. Mentior si non Dominus ipse oblivionem sui exprobrans Israëli, causam plenitudini deputat; Incrassatus est dilectus & pinguefactus, & dilatatus est, & dereliquit Deum qui fecit eum, & abscessit à Domino salutificatore suo.

Deuter. 32.

Hebetudo portò sensus non solùm pœna peccati, sed peccatum est, quatenus est voluntaria, ut in iis qui scientes, advertentes, & ad advertendum obligati, in sensus hebetudinem incurrunt. Quod quidem peccatum lethale est, cùm aliquis ex affectu ad terrena fastidit ac negligit considerationem spiritualium, eo tempore quo sub periculo salutis obligatur: vel cùm ex nimia cibi & potus ingurgitatione redditur ineptus ad exequenda officia, seu civilia, seu religiosa, quæ implere tenetur, veluti si Medicus, Advocatus, Judex, Concionator, Curatus, Confessarius, redduntur inepti ad Munia sua, ut par est, obeunda.

ARTICULUS IV.

De Gula Remediis.

Temperantia & sobrietas.

I. REmedia contra Gulam præcipua sunt, temperantia, jejunium, sobrietas. Temperantiæ Regulam afflante Spiritu Sancto tradit Siracides, *Ecclesiastici*, cap. xxxi. *Supra mensam magnam sedisti? Non aperias super illam faucem tuam prior. Non dicas sic: Multa sunt, quæ super illam sunt: memento quoniam malus est oculus nequam... Ne extendas manum tuam prior, & invidiâ contaminatus erubescas. Ne comprimaris in convivio. Intellige quæ sunt proximi tui ex teipso: utere quasi homo frugi his quæ tibi apponuntur: ne, cùm manducas multùm, odio habearis. Cessa prior causâ disciplinæ: & noli nimius esse, ne fortè offendas. Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poscas bibere.* De sobrietate præcepta subjungit: *Diligentes in vino noli provocare: multos enim exterminavit vinum. Ignis probat ferrum durum: sic vinum corda superborum arguet in ebrietate potatum. Æqua vita hominibus, vinum in sobrietate: si bibas illud moderatè, eris sobrius... Quæ vita est ei, qui minuitur vino? Quid defraudat vitam, Mors? Vinum in jucunditatem creatum est, & non in ebrietatem, ab initio. Exultatio animæ & cordis vinum moderatè potatum. Sanitas est animæ & corpori sobrius potus. Vinum multùm potatum, irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Amaritudo animæ vinum multùm potatum. Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem, & faciens vulnera.*

Divitis epulonis in inferis cruciatus.

II. Ad coërcendam Gulam, Divitis illius epulonis in inferis cruciatus meditari peropportunum est. Ut enim ait *Tertullianus*, Lib. De Jejuniis: *Apud inferos in Divite convivia cruciantur, in paupere verò jejunia recreantur.* Considerandum quod Apostolus 1. *ad Corinthios* VI. scribit: *Esca ventris, & venter escis: Deus autem & hunc, & has destruet.* Et ad Hebræos XIII. *Optimum est gratiâ stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.* Et rursùs 1. ad Corinthios X. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quod præceptum implemus, cum modestè, frugaliter, & temperanter manducamus & bibimus, ut explicat *S. Augustinus*, Enarratione in Psalmum centesimum quadragesimum-sextum, ubi modum docet quo Deum in omni vitâ nostrâ laudemus. *Si bene agis* (inquit) *quod & manducas, & bibis, & ad refectionem corporis sumis reparationemque membrorum, gratias agens ei qui tibi præbuit mortali & fragili ista supplementorum solatia; & cibus tuus, & potus tuus laudat Deum: si verò modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, & vinolentiâ te ingurgites; quantaslibet laudes Dei lingua tua sonet, vita blasphemat.*

Gulæ remedia.

Primorum Christianorum frugalitas & temperantia.

III. Temperantiæ hujus exemplum posteris omnibus imitandum primi Christiani præbuerunt; quorum de conviviis *Tertullianus*, Apologetici cap. XXXIX. scribit: *Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit. Id vocatur quod dilectio penes Græcos. Quantiscunque sumptibus constet: lucrum est pietatis nomine facere sumptum. Siquidem inopes quosque refrigerio isto juvamus, non quà penes vos parasiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi; sed quâ penes Deum major est contemplatio mediocrium. Si honesta causa est convivii, reliquum ordinem disciplinæ, æstimate qui sit, de religionis officio. Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit. Non priùs discumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur. Editur quantùm esurientes cupiunt: bibitur quantùm pudicis est utile. Ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse. Ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem & lumina, ut quisque de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quomodo biberit. Æquè oratio convivium dirimit. Inde disceditur non in catervas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eamdem curam modestiæ & pudicitiæ; ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam disciplinam.*

Et *Minucius Felix*, in Octavio: *Convivia*, (inquit) *non tantùm pudica colimus, sed & sobria. Nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, sed gravitate hilaritatem temperamus, casto sermone, corpore castiore.*

Christianæ temperantiæ Regulæ.

IV. Christianæ temperantiæ Regulas explicat *S. Augustinus*, Lib. II. *Quæstionum Evangelicorum*, Quæstione XI. Ubi præmisit, Johannis abstinentiam à cibis & potu luctum Pœnitentiæ significasse; Christum verò edendo cum cæteris cibo & potu, lætitiam Regni figurasse, subdit, *Quod autem subjungit*, Et justificata est Sapientia ab omnibus filiis suis, *ostendit filios Sapientiæ intelligere, nec in abstinendo, nec in manducando esse justitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam, & temperantiâ per abundantiam non se corrumpendi, atque opportunè sumendi vel non sumendi ea, quorum non usus, sed concupiscentia reprehendenda est. Non enim interest omnino quid alimentorum sumas, ut succurras necessitati corporis, dummodo congruas in generibus alimentorum his cum quibus tibi vivendum est. Neque quantùm sumas, multùm interest, cùm videamus aliorum stomachum citiùs satiari, & eos tamen illi ipsi parvo quo sa-*

Luc. 7. 35.

tiantur, ardenter & intolerabiliter, & omnino turpiter inhiare: alios autem pluſculo quidem ſatiari, ſed tolerabilius inopiam perpeti, & vel ante ora poſitas epulas, ſi id in tempore aut opus ſit, aut neceſſe ſit, cum tranquillitate adſpicere, neque tangere. Magis ergo intereſt, non quid vel quantùm alimentorum pro congruentia hominum atque perſona ſua & pro ſua valetudinis neceſſitate quis capiat; ſed quanta facilitate atque ſerenitate animi careat, cum his vel oportet, vel etiam neceſſe eſt carere: ut illud in animo Chriſtiani compleatur

Philipp. 4. » *quod Apoſtolus dicit*, Scio & minus habere, B » ſcio & abundare, ubique & in omnibus » inſtitutus ſum & ſatiari & eſurire & abun- » dare & penuriam pati, omnia poſſum in eo

1. Cor. 8. » qui me confortat. *Et illud*, Neque ſi manducaverimus, abundabimus; neque ſi non manducaverimus, egebimus.

Rom. 14. *Et illud*, Non eſt enim » Regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia & » pax, & gaudium. *Et quia ſolent homines multùm gaudere de carnalibus epulis, addidit:* In Spiritu Sancto, *Juſtificatur ergo Sapientia ab omnibus filiis ſuis, qui intelligant, utendis terrenis tempora opportuna eſſe debere: facilitatem verò utendi talibus, & amorem fruendi æternis, non variari* C *oportere per tempora, ſed perpetuò retineri.*

Temperantiæ comparandæ modus. V. Denique *S. Johannes Climacus*, Scalæ ſuæ Myſticæ Gradu XIV. Temperantiæ comparandæ modum tradit, Meditationem ſcilicet Noviſſimorum hominis, & Paſſionum Chriſti. *Si Chriſto* (inquit) *te per anguſtam & aſperam ſalutis viam ambulaturum eſſe pollicitus es, appetitum tuum temperantiâ compeſce. Si enim corpus tuum mollius & indulgentius curaveris, pacta cum Chriſto inita reſcidiſti. Attende diligentiùs ad verba ex*

Math. 7. 14. » *ipſius ore profecta:* Lata & ſpatioſa via eſt, *ge-* » *nialium ſcilicet epularum* quæ ad interitum *Lu-* D » *xuria* deducit: *ex adverſo*, Quàm anguſta & » arcta via eſt, *Abſtinentia*, quæ ducit ad vitam » *Caſtitatis*, & pauci ſunt qui intrant per eam! *Quemadmodum Lucifer de cælo deturbatus Dæmonum principatum; ita & intemperantia vitiorum ſeu libidinum principatum obtinet. Ubi ad cibum capiendum accubueris, tibi in mentem mortis & judicii recordatio veniat: hoc pacto intemperantiam coercere poteris. Ubi poculum bibiturus acceperis, memineris acetum & fel Jeſu Chriſto oblatum, atque ita ſobrietatis limitem non tranſilies: vel certè majori humilitatis & modeſtiæ ſenſu concepto,* E *in altiora ſuſpiria prorumpet. Cave ne tibimetipſi fucum facias: nuſquam à Pharaonis ſervitute vindicaberis, nec unquam cæleſte Paſcha celebrabis, quin lactucas agreſtes & acerbiores cum azymis toto vitæ curriculo comederis. Lactuca autem illa guſtatu acerba ſunt violentia & mortificationis labor inter jejunia tolerari ſolitus. Azyma autem ſunt ſincera humilitas mentis, quæ omnem tumorem & faſtum abs ſe procul ablegaverit.*

ARTICULUS V.

REGULÆ MORUM,

Circa Gulam & Ebrietatem.

REGULA I.

B

Gula quatenus avertit à fine ultimo, lethale peccatum eſt; cùm ſcilicet homo præcepta Dei & Eccleſiæ propter delectationes gulæ violare paratus eſt.

HAnc Morum Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæſtione CXLVIII. Art. II. in corpore Articuli, & in Reſponſ. ad ſecundum, *Vitium gulæ* (inquit) *habet quòd ſit peccatum mortale, in quantùm avertit à fine ultimo, & ſecundùm hoc per quamdam reductionem* C *opponitur Præcepto de ſanctificatione Sabbati, in quo præcipitur quies in fine ultimo. Non enim omnia peccata mortalia directè contrariantur Præceptis Decalogi, ſed ſolùm illa quæ injuſtitiam continent; quia Præcepta Decalogi ſpecialiter pertinent ad juſtitiam & partes ejus.* Quinto etiam præcepto opponitur, quia homines gulæ & ebrietati dediti, valetudinem ſuam plerumque lædunt, vitæ ſuæ tempus contrahunt, ſeipſos quodammodo interimunt: tum quia ebrietas ſæpe ſuſcitat rixas, contentiones, & pugnas; è quibus deinde vulnera & cædes conſequuntur. Hinc *S. Hieronymus*, Lib. II. *Contra Jovinianum*, cap. VIII. D *Cùm*, inquit, *variis nidoribus fumant patinæ; ad eſum ſui expleta eſurie quaſi captivos trahant. Unde & morbi ex ſaturitate nimiâ concitantur: multique impatientiam gulæ vomitu remediantur, & quod turpiter ingeſſerunt, turpiùs egerunt. Hyppocrates in Aphoriſmis docet, craſſa & obeſa corpora quæ creſcendi menſuram compleverint, niſi citò ablatione ſanguinis imminuantur, in paralyſim & peſſima morborum genera erumpere, & idcircò eſſe neceſſariam demptionem, ut rurſum habeant in quo poſſint creſcere: non enim manere in uno ſtatu, naturam corporum, ſed aut creſcere ſemper, aut decreſcere, nec* E *poſſe vivere animal, niſi creſcendi capax ſit. Unde & Galenus vir doctiſſimus, Hippocratis Interpres, athletas quorum vita & ars ſagina eſt, dicit in Exhortatione Medicinæ, nec vivere poſſe diu, nec ſanos eſſe, animáſque eorum ita nimio ſanguine & adipibus, quaſi luto, involutas, nihil tenue, nihil cæleſte, ſed ſemper de carnibus & ructu, & ventris ingluvie cogitare. Diogenes tyrannos, & ſubverſiones urbium, belláque vel hoſtilia, vel civilia, non pro ſimplici victu olerum pomorúmque, ſed pro carnibus & epularum deliciis aſſerit ex-* F *citari.*

De crapula & ebrietate.

Et *S. Ambroſius*, Lib. *De Elia & Jejunio*, cap. XII. *De Ebrietate* (inquit) *ad arma conſurgitur, calicibus tela ſuccedunt. Pro vino ſanguis effunditur, & ipſum ſanguinem vina fuderunt. Quàm fortes ſibi homines videntur in vino, quàm ſapientes, quàm diſerti, quàm etiam pulchri ac decori, cùm ſtare non poſſint? Mens neceſſe eſt titubet, lingua balbutiat, pallor exſanguis ora ſuffundat, fœtor ebrietatis horrori ſit. Barbari in ferrum ruunt, vulgus in rixas. Si quis eorum pugno fuerit percuſſus, videas ora ſaucium vini lacrymas fundere, miſerabiles epilogos decantare.*

De crapula & ebrietate.

Pugnant deniqoe erapula & ebrietas cum sexto Præcepto. Unde Apostolus ad Ephesios v. ait : *Nolite ebriari vino, in quo est luxuria.* Hioc illud Comici à *S. Hieronymo* citatum : *Sine Cerere & Libero friget Venus.*

REGULA II.

Ebrietas lethale peccatum est, cùm quis vim potûs cognoscens & ultra modum bibens, inebriatur.

Ebrietas à Prophetis, à Christo, ab Apostolis damnata.

PRophetiâ, Evangelicâ, & Apostolicâ Auctoritate hæc Regula nititur. Ait enim *Isaias* cap. v. *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis.* Sed & ante Isaiam *Salomon* eodem Spiritu afflatus *Væ* temulentis & ebriis dicerat, Proverbiorum xxiii. *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causâ vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Christus verò, Lucæ xxi. *Attendite vobis* (inquit) *ne fortè graventur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ: & superveniat in vos repentina dies illa: tanquam laqueus enim superveniet in omnes,* C *qui sedent super faciem omnis terræ. Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.* Apostolus deniqoe comessationem & ebrietatem inter graviora peccata, & opera tenebrarum, sive opera carnis, à Regno Dei excludentia, numerat. Ad Romanos xiii. *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honestè ambulemus; non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: sed induimini Dominum Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.* Et 1. ad Corinthios D v. *Nunc autem scripsi vobis non commisceri: si is qui frater nominatus, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cùm hujusmodi nec cibum sumere.* Et cap. vi. *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, Regnum Dei possidebunt:* Et ad Galatas v. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia,* EBRIETATES, COMESSATIONES, *& his similia, quæ* E *prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.* Et 1. ad Thessalonicenses v. *Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat: omnes enim vos filii lucis estis, & filii diei: non sumus noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus, sicut & cæteri, sed vigilemus, & sobrii simus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Nos autem, qui diei sumus, sobrii simus.*

Hanc Regulam Patres confirmant, inter alios *S. Petrus Chrysologus*, Sermone xxvi. *Meritò*, F inquit, *inter cætera, quæ in dispensatore malo arguit hodiernus sermo, vini contemnuat insaniam, » dicendo:* Quòd si dicat servus ille, Moram fa- » cit Dominus meus venire: & cœperit percu- » tere pueros, & ancillas, & edere, & inebriari. *Propriè dixit, edere, & bibere, & inebriari, & percutere. Ebrietas cædis mater, parens litium, furoris genitrix, petulantiæ deformiter est Magi-*

Luc. 12.

Ebrietatis mala.

A *stra: hanc qui habet, se non habet: hanc qui habet, homo non est: hanc qui habet, non peccatum facit, sed est ipse peccatum. Ebrietas est dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, invitatus hostis, illecebra honestatis, & pudoris injuria: hanc nullus noverit Christianus, ne auditu quidem Sacerdos attingat: ne qui est forma virtutum, vitiorum inde fiat & inveniatur exemplum.*

De crapula & ebrietate.

Eandem Regulam confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione cl. Art. ii. *Culpa* (inquit) *ebrietatis consistit in immoderato usu & concupiscentia vini. Hoc autem contingit tripliciter.* B *Uno modo sic, quòd nesciat potum esse immoderatum, & inebriare potentem. Et sic ebrietas potest esse sine peccato:* Præcipuè si ex negligentiâ hominis non contingat. Sic Noè inebriatus fuisse creditur. *Alio modo sic, quòd aliquis percipiat potum esse immoderatum, non tamen æstimet potum esse inebriare potentem: & sic ebrietas potest esse cum peccato veniali. Tertio modo potest contingere quòd aliquis bene advertat potum esse immoderatum & inebriantem, & tamen magis vult ebrietatem incurrere, quàm à potu abstinere. Et sic ebrietas est peccatum mortale; quia homo volens & sciens privat se usu rationis, quo secundùm virtutem operatur, & peccata declinat: & sic peccat mortaliter periculo peccandi se committens.*

Sancti Ambrosii auctoritate assertionem suam roborat, Lib. 1. *De Abraham*, cap. vi. *Sanè* (inquit) *discimus vitandam ebrietatem, per quam crimina cavere non possumus. Nam quæ sobrii cavemus, per ebrietatem ignorantes committimus. Parum est quòd ea inflammat libidinem, accendit cupiditates corporis: ipsam quoque mentem subruit, & animum capit, sensum extorquet.... Multi se fortes putant. Nam fortiores quàm Lot? Num continentiores quàm Noë? Non utique: v tia Patriarcharum Scriptura exposuit, quos victos vino legimus: sed ut tu disceres quid caveres. Ille audut jacuit, iste filiarum errori patuit. Et Noë Justus deceptus est, quia vini vis adhuc ignorabatur: sed in illo instructus es ne tu ignorares. Lot filiabus se credidit, & per senectutem madidum vino solutus, commisit incestum ignorans: tu sic bibe, ne capiaris. Instruant te Patriarchæ non solùm docentes, sed etiam errantes. Ideo iteratum est exemplum ebrietatis, ut confirmetur Magisterium cautionis.*

REGULA III.

Ebrietas frequens & assidua gravius peccatum est eâ in quam semel quis incurrit: quamvis & ista lethale sit peccatum.

HÆc Morum Regula Sacrorum Canonum auctoritate nititur, qui gravioribus pœnis ebrietatem frequentem & assiduam plectunt, scilicet depositione in Clericis Majoribus; Excommunicatione verò in Clericis Minoribus, & in Laicis. Ita Canones inter eos qui Apostolici inscribuntur, quadragesimus-secundus & quadragesimus-tertius: *Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, aleæ & ebrietati deserviens, vel cesset, vel deponatur. Hypodiaconus, vel Lector, vel Cantor similia faciens, vel cesset, vel Communione privetur. Similiter etiam Laicus.* Refertur Canone *Episcopus*, Distinctione xxxv. Ita Concilii Moguntini *Carolo Magno* Imperante celebrati Canon quadragesimus-sextus: *Magnum malum ebrietatis, unde omnia vitia pullulant, modis omnibus cavere præcipimus. Et qui hoc cavere noluerit, excommunicandum eum esse decrevimus, usque ad emendationem congruam.* Insertus est hic Canon Libro

De crapula & ebrietate.

quinto Capitularium, cap. CLXII. Aliter tamen cum ebriosis agendum visum est *S. Augustino* propter eorum multitudinem in Africa, & ab Excommunicatione abstinendum. Ita quippe scribit ad *Aurelium* Carthaginensem Episcopum Epistolâ XXII. aliàs LXIV. *Scias non desperare nos, imò sperare vehementer, quòd Dominus & Deus noster per auctoritatem personæ quam geris, multas carnales fœditates & ægritudines, quas Africana Ecclesia in multis patitur, in paucis gemit, consiliorum gravitate & tuâ possis sanare. Cùm enim Apostolus tria breviter genera vitiorum detestanda & vitanda uno in loco posuerit, de quibus innumerabilium vitiorum exsurgit seges, unum horum quod secundo loco posuit, acerrimè in Ecclesia vindicatur; duo autem reliqua, id est, primum & ultimum, tolerabilia videntur hominibus, atque ita paulatim fieri potest, ut nec vitia jam putentur. Ait enim* » *Vas electionis*: Non in comessationibus & e- » brietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, » non in contentione & dolo, sed induite vos » Dominum Jesum Christum, & carnis curam » ne feceritis in concupiscentiis. *Horum ergo trium, cubilia & impudicitia tam magnum crimen putantur, ut nemo dignus non modò Ecclesiastico Ministerio, sed ipsâ etiam Sacramentorum Communione videatur, qui se isto peccato maculavit. Et rectè omnino. Sed quare solùm? Comessationes enim & ebrietates ita concessa & licita putantur, ut in honorem etiam Beatissimorum Martyrum, non solùm per dies solemnes (quod ipsum quis non lugendum videat, qui hæc non carnis oculis inspicit?) sed etiam quotidie celebrentur. Quæ fœditas si tantùm flagitiosa & non etiam sacrilega esset, quibuscunque tolerantiæ viribus sustentandam putaremus. Quanquam ubi est illud, quòd cùm multa vitia enumerasset idem Apostolus, inter quæ posuit ebriosos, ita conclusit, ut diceret cum talibus nec panem edere? Sed feramus hæc in luxu & labe domestica, & eorum conviviorum quæ privatis parietibus continentur, accipiamúsque cum eis Corpus Christi, cum quibus panem edere prohibemur; saltem de Sanctorum Corporum sepulchris, saltem de locis Sacramentorum, de domibus orationum tantum dedecus arceatur. Quis enim audet vetare privatim, quòd cùm frequentatur in sanctis locis, honor Martyrum nominatur?* Et infrà. *Non ergo asperè, quantùm existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur: magis docenda, quàm jubenda, magis monendo quàm minando. Sic enim agendum est cum multitudine: severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futuram, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur.*

Rom. 13.

1. Cor. 5.

Et Sermone XVII. aliàs XXVIII. ex Homiliis quinquaginta: *Omne peccatum* (inquit) *consuetudine vilescit, & fit homini quasi nullum sit: obduruit, jam dolorem perdidit. Quod valde putre est, nec dolet: quod non dolet, non pro sano habendum, sed pro mortuo computandum est. Attendite quid dicat Scriptura, & ibi videte quemadmodum vivere debeatis. Quis non contemnat ebriositatis peccatum? Abundat tale peccatum, & contemnitur. Jam cor ebriosum perdidit sensum, non habet dolorem, quia nec salutem. Quando aliquid pungitur & dolet, aut sanum est, aut est in illo spes aliqua sanitatis: quando autem tangitur, pungitur, vellicatur, nec dolet; pro mortuo habendum est, ac de corpore præcidendum. Sed aliquando nos parcimus, & non novimus nisi loqui; excommunicare, de Ecclesia projicere pigri sumus. Aliquando enim timemus ne ipso flagello pejor fiat, qui cæditur. Et quamvis qui tales sunt, jam in anima mortui sint: tamen quia Medicus noster omnipotens est, non est desperandum de his; sed totis viribus supplicandum, ut aures cordis, quas clausas habere probantur, Dominus aperire dignetur.*

Quòd autem *S. Cæsarius*, Homiliâ VIII. aliàs, *S. Augustino* adscripta, & inter Sermones illius *De Sanctis*, 232. ebrietatem esse mortale peccatum dicat, *Si assidua sit*, non probat hominem, qui semel aut iterum inebriatur, peccati lethalis reum non esse: sed cùm excusari possit aliquando à reatu peccati mortalis, qui semel inebriatur, quia vim potûs, viriúmque suarum capacitatem ignorat: nunquam excusari potest ille cujus frequens ebrietas est. *Assiduitas* (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. CL. Art. II. in Responsione ad primum) *facit ebrietatem esse peccatum mortale, non propter solam iterationem actus, sed quia non potest esse quòd homo assiduè inebrietur, quin sciens & volens ebrietatem incurrat, dum multoties experitur fortitudinem vini, & suam habilitatem ad ebrietatem.* Sanè *S. Cæsarius*, Sermonibus XC. & XCI. contra ebrietatem, qui nunc editi sunt in Augustinianorum Appendice ducentesimus nonagesimus-quartus & ducentesimus nonagesimus-quintus, Ebrietatem absolutè asserit peccatum esse æternâ pœnâ plectendum.

REGULA IV.

Ebriosi non sunt absolvendi, nisi cum malâ ebrietatis consuetudine viriliter pugnent.

ALiàs enim de sinceritate Pœnitentiæ illorum non constat. Illam pugnandi cum prava consuetudine obligationem hac in materia *S. Augustinus* inculcat Sermone CLI. aliàs De Tempore XLV. *Baptizatus est* (inquit) *& ebriosus: audivit, & cum timore audivit, inter cætera mala quibus hominibus malè viventibus intercluditur Regnum Dei, commemoratam esse & ebrietatem: quia ubi dictum est*, Neque fornicatores, neque » idolis servientes, neque adulteri, neque mol- » les, neque masculorum concubitores, neque » fures, *ibi additum est*, Neque ebriosi, *&c.* » Regnum Dei possidebunt. *Audivit, & timuit,* » *Baptizatus est, dimissa sunt illi omnia, quibus inebriatus est: restat adversaria consuetudo. Ergo habet cum qua pugnet renatus. Præterita ejus vitia omnia dimissa sunt ei: observet, vigilet, pugnet, ne aliquando inebrietur. Surgit ergo illa concupiscentia potandi, titillat animum, ingerit faucibus siccitatem, insidiatur sensibus: vult etiam ipsum, si potest fieri, penetrare murum, adire inclusum, trahere captivum. Pugnat, repugna. O si & ipsa non esset! Si consuetudine mala accessit, bona consuetudine morietur: tu tantum noli ei satisfacere, noli eam edendo satiare, sed resistendo necare. Tamen quandiu est, hostis est. Si ei non consentias, & nunquam inebrieris, minor & minor erit quotidie. Nam sunt vires illius subjectio tua. Si enim ei cesseris, & inebriatus fueris das ei vires..... Sed laboras, quia tibi validum adversarium malâ consuetudine ipse fecisti. Non laborasti, ut nutrires eum: labora, ut vincas eum. Et si minus idoneus es ut vincas eum, roga Deum. Tamen si te non vicerit, quamvis ipsa tua mala consuetudo luctata sit tecum, si te non vicerit: fecisti quod ait Apostolus Paulus*, Concupiscentias carnis ne perfeceritis. *Facta est concupiscentia titillando: sed non est perfecta potando.*

De crapula & ebrietate.

1. Cor. 6.

Galat. 5.

Hanc

De crapula & ebrietate.

Hanc Regulam confirmant Regum nostrorum Capitularia, Libro v. Cap. CLXII. cujus hæc sunt verba: *Magnum malum ebrietatis, unde omnia vitia pullulant, modis omnibus cavere præcipimus. Qui autem hoc vitare noluerit, excommunicandum eum esse decrevimus usque ad emendationem congruam.* Hanc Gallicanæ & Germanicæ Ecclesiæ fuisse disciplinam constat ex Concilio Moguntino anni 813. Canone XLVI. *Isaac* Lingonensi Episc. Tit. XI. Cap. VI. *Buchardo VVormatiensi*, Lib. XIV. Cap. II. *Ivone Carnotensi*, P. XIII. Cap. LXX.

REGULA V.

Clericorum ebrietas gravius peccatum est, quàm Laicorum.

Majori enim sobrietate præfulgere debent, *Qui mente devota debent spiritualibus officiis insistere*, ut docet *S. Thomas*, Secundæ Secundæ, Quæstione CXXXIX. Articulo IV. Unde *Isaias* Sacerdotum ebrietatem ut crimen horrendum arguit & luget Cap. XXVIII. *Hi quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate erraverunt: Sacerdos & Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium.* Et Apostolus I. ad *Timotheum* III. scribit: *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, &c. Non vinolentum, non percussorem.... Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos.* Et ad Titum I. *Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum.* Sacerdotes, & præcipuè qui Animarum curam gerunt, ad Sacra Munia obeunda, ad Sacramenta ut par est administranda; per ebrietatem impotentes & incapaces redduntur, & periculo non conficiendi Sacramenti, vel propter essentialis alicujus Ritus omissionem, vel propter intentionis defectum se exponunt, si in eo statu illa administrent; & ut nihil omitterent essentiale Sacramento, in sacrilegium tamen incurrunt. Præterea, gravius scandalum parit Sacerdotum, aliorùmve Clericorum, & Religiosorum hominum ebrietas, quam Laicorum; adeóque gravius peccatum est. Unde *S. Petrus Chrysologus*, Sermone XXXVI. ait: *Nadab & Abiud Sacerdotes, filii Aaron Sacerdotis, dum contaminare externo igne Altaria præsumunt, ipsius Altaris consummantur incendio: ut sumerent de Sacrificio pœnam, qui fecerant de propitiatione peccatum, quod peccatum illis suscitarat ebrietas: nam vini odor odorem fugarat incensi, & ebrietatis ignis flammam provocarat Altaris: unde quia alienati vino alienum portaverant ignem, mox divino igne referuntur extincti. Ebrietas in alio crimen est, in Sacerdote sacrilegium: quia alter animam suam necat vino, Sacerdos Spiritum Sanctitatis extinguit; dicente Apostolo: Spiritum nolite extinguere.*

Clerici quantum ab ebrietate alieni esse debeant?

I. Thess. 5.

Et ante *S. Petrum Chrysologum*, idem confirmat *S. Hieronymus*, Commentario in Epistolæ ad Titum Cap. I. *Miramur*, inquit, *Apostolum in Episcopis sive Presbyteris damnasse vinolentiam, cùm in veteri quoque Lege præceptum sit: Sacerdotes cùm ingrediuntur Templum ministrare Deo, vinum omnino non bibere: & Nazaræum, quandiu sanctam comam nutrias, & nihil contaminatum, nihil mortale conspicias, & à vino abstineas, & ab uva passa, & à delicatiori, quæ solet ex vinaceis fieri, potione, omnique siccrâ, quæ mentem ab integra sanitate pervertit. Dicat quisquis quod volet, ego loquor conscientiam meam: scio mihi abstinentiam & nocuisse intermissam, & profuisse repetitam.*

Levit. 10.
Num. 6.

Eamdem Regulam confirmat Concilium Agathense Canone XLI. *Ante omnia*, inquit, *Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix est. Quem ebrium fuisse constiterit, ut ordo patitur, aut triginta dierum spatio Communione statuimus submovendum, aut corporali subdendum supplicio.* Quod iisdem verbis à Concilio Venetico, Canone XIII. decretum est, & Libro VII. Capitularium insertum Capp. CCXVIII. & CCLXX. quo postremo loco sic refertur: *Ante omnia Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix est. Nec quis potest liberam corporis sui ac mentis habere judicium, qui, captus vino, à sensu probatur excedit, & proclivias ad judicium meus labefacta ducitur, aut plerúmque potest peccatum aut crimen, dum nescit, incurrere. Ignorantia verò talis non potest effugere pœnam, quàm ex voluntariâ amentiâ manosse constiterit. Itaque quemcunque ebrium fuisse constiterit, ut ordo patitur, aut quadraginta dierum spatio à Communione statuimus submovendum, aut corporali subdendum supplicio.* Refertur etiam à *Gratiano* Canone *Ante omnia*, Distinctione XXXV.

De crapula & ebrietate.

Concilium Turonense primum Canone secundo: *Fomitem omnium vitiorum oportet abscindi Apostolo præcipiente:* Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. *Et quàm gravi ebrietas supplicio expietur, idem Apostolicâ manifestat Doctrinâ, inter cætera dicens: Neque fornicatores, neque idolis servientes, neque ebriosos Regnum Dei possessuros. Si quis verò in omni Officio Clericali Deo militans ab ebrietate se non abstinuerit, secundùm status sui Ordinem competens in eum vindicta tribuatur.*

Ephes. 5. 18.

I. Cor. 6.

Concilium Trevirense anno MDXLVIII. Canone I. *Ebrietas*, inquit, *insignium flagitiorum incitatrix ac scaturigo, quæ in comessationibus & conventiculis dominatur, Ecclesiasticum Gradum summa cum turpitudine passim infamavit.... Qui turpiter illi vitio indulgent immorigeri, ab Officiis & Beneficiis Synodus primùm suspendit: deinde si etiam impudenter detestanda consuetudini, & dictu pariter ac visu fœdissima, alteriùs inhæserint, omnibus honorum gradibus exutos, ad quadrupedum sortem, quam nostram prona atque ventri obedientia finxit, majoribus suppliciis affectos, statuit abjiciendos.*

Clericorum sobrietas.

Considerent Clerici quod Levitici Ordinis viris præceptum est à Domino (*Levit.* Cap. X.) *Vinum & omne quod inebriare potest, non bibetis, tu & filii tui, quando intrabitis in Tabernaculum testimonii, ne moriamini: quia præceptum sempiternum est in generationes vestras. Et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum.* Et Ezechielis XLV. *Vinum non bibet omnis Sacerdos, quando ingreditur Atrium interius.* Attendant ad Nazaræos, qui cùm Domino sanctificarentur, à vino & omni potu inebriante abstinere jubebantur. Numer. VI. *Si voluerint se consecrare Domino, à vino & omni quod inebriare potest, abstinebunt.* Attendant ad Rechabitas, qui laudem non vulgarem meruerunt, quòd præcepti paterni tenaces, vini usum sibi ademerint. Jeremiæ XXXV. *Et posuit coram filiis domus Rechabitarum scyphos plenos vino, & calices, & dixi ad eos: Bibite vinum. Qui responderunt: Non bibemus vinum: quia Jonadab filius Rechab, Pater noster, præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos & filii vestri, usque in sempiternum. Obedivimus ergo voci Jonadab filii Rechab, Patris nostri, in omnibus quæ præcepit nobis, ita ut non biberemus vinum cunctis diebus nostris nos, & mulieres nostræ, filii, & filiæ nostræ.* Si tantùm apud ipsos potuit jussio paterna, ut vinum omnino non biberent, quâ severentiâ & religione Christiani omnes, & præsertim Clerici, Dei & Ecclesiæ præceptum auscultare debent & observare, prohibentium, non ut

De crapula & ebrietate.

vinum omnino non bibant; sed ne bibant ultra modum, ne comessationibus & ebrietati indulgeant. Attendant ad illud *S. Cæsarii* Arelatensis Episcopi Sermone xci. aliàs inter Augustinianos *De Tempore* ccxxxii. nunc in Appendice ccxcv. *Quod pejus, multi sunt etiam majoris Ordinis Clerici, qui cùm aliis sobrietatis bonum deberent jugiter prædicare, non solùm hoc non faciunt, sed etiam & se & alios inebriare non erubescunt nec metuunt. Sed agnoscant & doleant quicunque tales sunt: quia si noluerint emendare, & pro se & pro aliis necesse eis erit æterna supplicia sustinere.*

REGULA VI.

Ebrietas turpius graviùsque peccatum est in Principibus, Magistratibus, juvenibus, & mulieribus, quàm in viris plebeiis.

HAnc Morum Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione cxlix. Articulo iv. *Virtus* (inquit) *habet habitudinem ad duo. Uno quidem modo ad contraria vitia, quæ excludit, & concupiscentias quas refrænat. Alio modo, ad finem in quem perducit. Sic ergo aliqua virtus magis requiritur in aliquibus duplici ratione. Uno modo quia in eis est major pronitas ad concupiscentias, quas oportet per virtutem refrænari, & ad vitia quæ per virtutem tolluntur. Et secundùm hoc sobrietas maximè requiritur in juvenibus & mulieribus: quia in juvenibus viget concupiscentia delectabilis, propter fervorem ætatis: in mulieribus autem non est sufficiens robur mentis ad hoc quòd concupiscentiis resistant.* Unde Apostolus i. ad *Timotheum* iii. scribit: *Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias.* Et ad *Titum* ii. Cap. *Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes, bene docentes, ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias.... Juvenes similiter hortare, ut sobrii sint.*

Hinc de Juvenibus *S. Hieronymus* ait: *Non Æthnæ ignes, non Vulcania tellus, non Vesuvius & Olympus tantis ardoribus æstuant, ac juveniles medulla vino plenæ, & dapibus inflammatæ.* Et Epistola ad *Eustochium* De Virginitate servanda: *Sponsa Christi vinum fugiat pro veneno. Hæc adversùs adolescentiam prima arma sunt Dæmonum.... Vinum & adolescentia duplex incendium est voluptatis. Quid oleum flammæ adjicimus?*

De mulieribus verò *S. Ambrosius*, Libro *De Elia & Jejunio*, Cap. xviii. *Sed quid de viris loquamur*, inquit, *quando etiam feminæ, quas oportet sollicitiorem castitati sobrietatis adhibere custodiam, usque ad ebrietatem bibunt? Deinde surgentes, quas etiam inter secreta domus vel audiri ab alienis non convenit, vel videri, prodire audent in publicum, non velato capite, vultu procaci. Apostolus Mulieres tacere etiam in Ecclesia jubet; domi viros suos præcipit interrogare. Illæ in plateis inverecundè etiam viris sub conspectu adolescentulorum intemperantium choros ducunt, jactantes comam, trahentes tunicas, scissa amictus, nuda lacertos, plaudentes manibus, saltantes pedibus, personantes vocibus, irritantes in se juvenum libidines motu histrionico, petulanti oculo, dedecoroso ludibrio. Spectat corona adolescentum, & fit miserabile theatrum. Inter saltantium ruinas, & spectantium lapsus, cælum impuro contaminatur aspectu, terra turpi saltatione polluitur, quæ obscœnis saltibus verberatur. Quomodo patienter loquar, piè prætercam, convenienter defleam? Vinum nobis tantarum animarum damna intulit. Etenim si vinum & mulieres discedere à Deo faciunt,*

A *quòd vel ebrietas, vel libido prævaricationis illecebra sint, si singula ac separata hæc faciunt, quid facient omnia? Unde non immeritò ait Sapiens ante nos quidam: Mulier ebriosa, ira magna.*

De crapula & ebrietate.

Eccli 26.

Pergit S. Thomas: *Alio verò modo sobrietas magis requiritur in aliquibus, utpote magis necessaria ad propriam operationem ipsorum. Vinum autem immoderatè sumptum præcipuè impedit usum rationis. Et ideo Senibus in quibus ratio debet vigere ad aliorum eruditionem, & Episcopis, seu quibuslibet Ecclesiæ Ministris, qui mente devota debent spiritualibus officiis insistere, & Regibus qui per Sapientiam debent populum subditum gubernare, specialiter*

B *sobrietas indicitur.* Unde Apostolus ad *Titum* scribit ut Senes ad sobrietatem hortetur: *Senes, ut sobrii sint.* Et *Salomon* de Regibus ait, Proverbiorum xxxi. *Noli Regibus dare vinum: quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas: & ne fortè bibant, & obliviscantur judiciorum, & mutent causam filiorum pauperis.*

Cap. 1.

REGULA VII.

Lethalis peccati rei sunt, quicumque modum in cibo vel potu scientes & volentes plurimùm excedunt, etiamsi rationis usu non excidant: multò

C *magis si usque ad vomitum cibo & potu se ingurgitent.*

HÆc Morum Regula Scripturæ Sacræ, Patrúmque testimoniis, & Ecclesiæ auctoritate nititur. *Proverbiorum* Cap. xxiii. Spiritus-Sanctus non solùm ebriosos, sed comessationibus & compotationibus vacantes, ultione divinâ consumendos docet: *Noli* (inquit) *esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt; quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur.* Atque ad

D illius peccati gravitatem significandam, subdit: *Cui væ? Cujus patri væ? Cui rixæ? Cui foveæ? Cui sine causa vulnera? Cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Et Isaiæ v. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum!* Et Lucæ vi. *Væ vobis quia saturati estis* (inquit Christus) *quia esurietis.* Quoties autem *Væ* in Scriptura Sacra intentatur, grave crimen subesse rectè colligitur. Ut enim observat *S. Hieronymus* in Cap. v. Amos: *Væ pœnarum ultimum est.* Et, ut ait *Beda* in locum Proverbiorum mox citatum: *Væ æternum interitum no-*

Ebrietatis enormitas.

E *minat*, de quo Dominus, *Væ*, inquit, *homini per quem scandalum venit.* Student porrò calicibus epotandis, & potentes sont ad bibendum, & saturari amant, quicumque modum in cibo & potu scientes & volentes plurimùm excedunt. Hinc SS. Patres illos damnant ceu gravis peccati reos, qui certâ bibendi lege contendunt, quis sit ad bibendum valentior. Qua de re *S. Basilius*, Homiliâ xiv. in Ebrietatem; *Deinde* (inquit) *potatione procedente eò veniunt, ut de augenda hâc insaniâ certent, & de ebrietate per ambitionem contendant: Cujus autorem legis præsidémque certami-*

Gravis peccati rei, qui certâ bibendi lege contendunt.

F *nis diabolum habent, victoria verò præmium, peccatum. Nam qui plus hauserit meri, is præ ceteris laudatur, is victoriam refert. Atque ita verè gloria in ignominia illorum est. Inter se namque contendunt, & ut in judicio aliquo d sensitant.* Et *S. Ambrosius*, Libro *De Jejunio & Elia*, Cap. xiii. *Primò minoribus poculis velut ferentariis pugna præluditur. Verùm hæc non sobrietatis species, sed bibendi est disciplina. Etenim ut Tragœdiarum Actores primò sensim vocem excitant, donec nuda vocis aperiant iter, ut postea magnis possint clamoribus personare:*

Ita

DE PECCATIS.

De crapula & ebrietate.

Ita isti quoque in principio prælusoriis se exercent poculis, ut irritent sitim; ne fortè restinguant eam, & satiati postea bibere non possint. Ergo ubi res calere cœperit, poscunt majoribus poculis: fervor inardescit mentis, cibo sitis exæstuat, & ubi imminui visa, potu meraciore reparatur. Certant pocula cum ferculis, & inter morsus sæpe remittuntur. Deinde procedente potu longius contentiusque, diversa & magna certamina, quis bibendo præcellat? Nota gravis, si quis se excuset, si quis temperandum fortè vinum putet. Et hæc donec ad mensas perveniatur secundas. At ubi consummata fuerint epulæ, putes jam esse surgendum: tunc de integro potum instaurant suum; & cùm consummaverint, tunc inchoare se dicunt, tunc deferuntur phialæ, tunc maximi crateres quasi instrumenta bellorum. Ac ne immoderatum hoc arbitreris, mensura proponitur, certatur sub judice, sub lege decernitur. Agonethetes illis furor est, stipendium debilitas, victoria præmium culpa.

S. Hieronymus, in Cap. I. Epistolæ S. Pauli ad Titum. *Videas*, inquit, *alios pocula in tela vertentes, scyphum in faciem jactare convivæ: alios scissis vestibus in vulnera alia proruere: alios clamare, alios dormitare: Qui plus biberit, fortior computatur: accusationis occasio est adjuratum per Regem frequentius non bibisse. Vomunt ut bibant, bibunt ut vomant. Digestio ventris, & guttur, uno occupantur officio. Hoc nunc dixisse sufficiat, quòd secundùm Apostolum, In vino luxuria est. Et ubicunque saturitas atque ebrietas fuerint, ibi libido dominatur. Specta ventrem & genitalia; pro qualitate vitiorum, ordo membrorum. Nunquam ego ebrium castum putabo; qui etsi vino consopitus dormierit, tamen potuit peccare per vinum.*

Ebrietas libidinis incentiva.

S. Cæsarius, Sermone xc. inter Augustinianos *De Tempore* aliàs CCXXXI. nunc in Appendice CCXCV. *Frequenter etiam* (inquit) *usque ad vomitum ingurgitare se non erubescunt, & ad mensuram sine mensura bibere. Majora enim pocula providentur, certâ bibendi lege contenditur; qui potuerit vincere, laudem meretur ex crimine.* Et infrà: *Considerent ebriosi, si non pejores animalibus judicandi sunt. Cùm enim animalia ampliùs quàm eis opus est bibere nolint, illi & duplum & triplum, quàm eis oportet, potum accipiunt. Et unde tribus aut quatuor diebus refectionem rationabilem potuerant habere, uno die cum grandi peccato suo contendunt perdere potiùs, quàm expendere: atque utinam vel potum tantummodo perderent, & non etiam ipsi perirent.*

Ebriosi brutis animantibus pejores.

Et Sermone xci. aliàs inter Augustinianos *De Tempore* CCXXXII. nunc in Appendice CCXCV. *Illud verò quale est, quòd jam transacto convivio, & expleta siti, cùm ampliùs bibere nec possint, nec debeant: tunc quasi novelli, quasi qui & ipsâ horâ supervenerint, diversis nominibus incipiunt bibere, non solùm vivorum hominum, sed etiam Angelorum, & reliquorum antiquorum Sanctorum, æstimantes quòd maximum illis honorem impendant, si se in illorum nominibus nimia ebrietate sepeliant: ignorantes quòd nullus tam gravem injuriam Sanctis Angelis vel Sanctis hominibus agnoscitur irrogare, quàm illi qui in eorum nominibus bibendo per ebrietatem suas animas probantur occidere.*

Ibidem acerrimè in eos invehitur *S. Cæsarius*, qui sitis irritamenta sumunt, ut largiùs bibere valeant, idque Paganos redolere asserit. *Sunt enim aliqui, qui solâ ex causâ aliqua salsa cibaria sibi ordinant fieri, ut per ipsam salsitudinem nimiâ se possint ebrietate obruere. Hæc enim si Pagani, qui Deum ignorant, faciant, nec mirandum est, nec nimis dolendum: quia & in Deo spem non habent, & antiquam paganorum suorum consuetudinem servant.*

Paganorum mores imitantur, qui sitis irritamenta sumunt ut largiùs bibant.

DE PECCATIS.

De crapula & ebrietate.

Christiani verò (quos Deus de tenebris reduxit ad lucem, & de morte vocavit ad vitam, quibus omnes Scriptura clamant sobrietatem diligere, ebrietatem fugere) quare turpissimas illorum ebrietates imitantur, de quorum perfidia liberari per Dei gratiam meruerunt?

Regulam nostram confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CL. Articulo II. ad tertium. *Cibus & potus* (inquit) *est moderandus secundùm quod competit corporis valetudini, & ideo sicut quandoque contingit ut cibus vel potus qui est moderatus sano, sit superfluus infirmo, ita etiam potest è converso contingere ut ille qui est superfluus sano, sit moderatus infirmo. Et hoc modo cùm aliquis multùm comedit vel bibit secundùm consilium medicinæ ad vomitum provocandum, non est reputandus superfluus cibus vel potus. Nec tamen ad vomitum provocandum requiritur quòd sit potus inebrians: quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum causat: & ideo propter hanc causam non excusaretur aliquis ab ebrietate.*

Meritò itaque ab Academiis celeberrimis confixa est Epicurea illa Casuistarum quorumdam recentiorum Propositio: *Nonnisi veniale est, etiam absque utilitate cibo & potu usque ad vomitum se ingurgitare; nisi ex hujusmodi vomitibus gravia valetudini incommoda oriantur.*

Propositio Casuistarum Epicureorum damnata.

REGULA IX.

Lethalis peccati rei sunt, qui in compotationibus & conviviis bibunt, & alios bibere cogunt ad æquales potus, sive in ebrietatem incidant, sive illius duntaxat periculo se vel alios exponant: Clerici verò hujus peccati rei, nisi à Superiore commoniti satisfecerint, Suspensione ab Officio & Beneficio plectendi sunt.

HÆc Morum Regula, quæ superioris major duntaxat explicatio est, testimoniis SS. Patrum, & sacrorum Canonum auctoritate pariter nititur. Ita *S. Basilius* Homilia xiv. in Ebrietatem: *Tu homo* (inquit) *convivium in aciem bellicam convertisti. Ejicis juvenes manu ductos tanquam in prælio vulneratos, ætatis florem vino absumis, vocas ad cœnam ut amicum, postea ejicis ut cadaver, vitâ illius per vinum extinctâ. Cùm autem putantur jam esse bene poti, tunc bibere incipiunt, potántque pecudum more, ut ex fonte perenni aquæ scaturigines accumbentibus administrante. Procedente namque potatione prodit in medium adolescens nondum ebrius, phialam vini refrigerati humeris ferens. Is submoto illorum pincerna in medio adstans per obliquas fistulas æquam conviviis distribuit ebrietatem. Novum genus hoc mensuræ, ubi nullus est mensuræ modus, ut per poculorum æqualitatem inter eos nulla sit invidia, nec alius alium bibendo excedat aut superet. Arripit quisque ante se positum canalem, ut ex quadam cisterna more boum sine respiratione uno haustu tantùm bibere contendat, quantùm vas illud per argenteam fistulam ex supernis suppeditat. Respice paulisper ad miserum ventrem: disce suscipientis vasis magnitudinem, quod unius heminæ sit capax... Quamobrem jure clamat Propheta: Væ surgentibus manè, & siceram persequentibus, & in vino perdurantibus usque ad vesperam, & diem in ebrietate consumentibus, ac nullum tempus ad considerandam Dei sapientiam, & opera manuum ejus dignoscenda interponentibus. Vinum enim illos comburet. Quod sanè dicit, quoniam vini calor corpori infusus, igniculus fit ignitorum Inimici jaculorum.*

Convivia in aciem bellicam ab ebriosis versa.

Isai. 5. 11.

Sanctus Ambrosius, Libro *De Elia & Jejunio*,

De crapula & ebrietate.

Cap. XVII. *Quid autem obtestationis potantium loquar? Quid numerem sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt: opto salutem Imperatorum; ut qui non biberit, fiat reus indevotionis. Videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ejus salute non biberit. O pia devotionis obsequium! Bibamus pro salute Exercituum, pro Comitum virtute, pro filiorum sanitate, & hæc vota ad Deum pervenire judicant, sicut illi qui calices ad sepulcra Martyrum deferunt, atque illic ad vesperam bibunt, & aliter se exaudiri posse non credunt. O stultitiam hominum, qui ebrietatem sacrificium putant: qui æstimant illis ebrietatem placere, qui jejunio passionem sustinere didicerunt!........ Quid retexam auditum mihi non pocali sed prostiluvii genus, quo in ora hominum tanquam per fistulas aut canales vina funduntur? hos homines, an utres verius æstimarim? Et tamen ipsi utres, nisi moderata transfusio sit, sæpe rumpuntur. Per cornu etiam fluentia in fauces hominum vina decurrunt; & si quis respiraverit, commissum flagitium, soluta acies, loco motus habetur. Aqua decurrens à Libano cautes rupeas solvit, quomodo mollibus putant nequaquam nocere visceribus vinolentorum impetus fluentorum?*

S. *Cæsarius* Arelatensis Episcopus, Sermone xc. aliàs inter Augustinianos *De Tempore* CCXXXI. nunc in Appendice CCXIV. *Qui alterum cogit ut se, plusquàm opus est bibendo, inebriet; minus malum ei erat si carnem ejus vulneraret gladio, quàm animam ejus per ebrietatem occideret.* Et infrà: *Sed illi miserabiliter se excusare conantur, dicentes, Ingratum habeo amicum meum, si quoties illum ad convivium vocavero, potum ei, quantùm voluerit, ipse non dedero. Et non sit tibi amicus, qui te Deo vult facere inimicum, qui & tuus & suus est inimicus: si te & alium inebriaveris, hominem amicum habebis, & Deum inimicum: & ideo sapienter considera an justum sit ut te à Deo separes, dum te ebrioso conjungis. Ad extremum tu eum noli adjurare, noli cogere; sed in potestate illius dimitte ut quantùm ipsi placuerit, bibat; ut si se inebriare voluerit, vel solus pereat, & non ambo pereatis.*

Et Sermone XCI. aliàs inter Augustinianos *De Tempore* CCXXXII. in Appendicæ CCXCV. *Qui amico suo nimiùm propinando in anima efficitur inimicus, & corpus ejus debilitare, & animam probatur occidere. Melius erat, ut ex illo quod una die plus eum accipere coegit quàm expedit, per duos aut tres dies ipsum amicum ad suum convivium revocaret; & unde eum una die nimiùm bibendo debilitat, ipsum in aliis diebus sufficienti potu reficeret; ut nec ille potum perderet, nec amicum deciperes: aut certè quod est melius, quicquid nimio potu perditura erat gula, pauperibus daretur in eleemosynam; ut & caro rationabiliter bibendo reficeretur, & per misericordiam pauperum animo redemptio præpararetur.*

Eadem Regula, quatenus Clericos spectat, confirmatur ex Canone *Nullus*, apud *Gratianum* Distinctione XLIV. & Distinctione V. *De Consecratione*, qui ex Concilio Nannetensi laudatur, ut etiam à *Burchardo* Libro II. Cap. 161. & *Ivone Carnotensi*, P. 111 Cap. 252. citatus est: cùm tamen in nullo Concilio Nannetensi habeatur, sed in Capitulis *Hincmari* Remensis Archiepiscopi Presbyteris suæ Diœceseos datis anno DCCCLII. *Nullus Presbyterorum, quando ad Anniversarium diem trigesimum, septimum, aut tertium alicujus defuncti, aut quacunque ratione ad Collectam Presbyteri convenerit, se inebriare ullatenus præsumat, nec precatus amore Sanctorum, vel ipsius Animæ bibere, aut alios ad bibendum cogere, vel se aliena precatione ingurgitare, nec plausus, nec risus inconditos, & fabulas inanes ibi referre, aut cantare præsumat, aut turpia joca, vel urso, vel tornatricibus ante se fieri patiatur: nec larvas dæmonum ante se fieri consentiat: quia hoc diabolicum est, & à sacris Canonibus prohibitum.*

De crapula & ebrietate.

Et Canone *Quando*, eadem Distinctione XLIV. certæ Regulæ præscribuntur Presbyteris ad Collationes de rebus divinis extra Parochiam suam convenientibus, ut comessationes & compotationes vitent, ipsisque tres duntaxat cyathos exhaurire permittitur in prandio, quod frugale & modestum esse jubet. *Quando*, inquit, *Presbyteri per Kalendas simul conveniunt, post peractum Divinum Mysterium ad necessariam Collationem, non quasi ad plenam refectionem, sed quasi ad prandium, ibi ad tabulas resideant: ne per talia inhonesta convivia se invicem gravent, quia indecens est & onerosum: sæpe etiam tarde ad Ecclesiam redeuntes, majus damnum de reprehensione consequuntur, quod de gravedine mutua contrahunt, quàm lucrum ibi faciant. Nam de hujusmodi conventu Paulus Corinthios reprehendit, qui inconvenienter Cœnam Dominicam manducare conveniebant: sic & qui ad Cœnam Dominicam, id est, ad Collationem verbi sub occasione conveniunt, & ex veritate ventris causâ conjunguntur, reprehensibiles coram Deo & hominibus habentur. Et ideo peractis omnibus, qui voluerint, panem cum caritate in domo fratris sui simul cum fratribus frangant, & singulos biberes accipiant: & maximè ultra tertiam vicem poculum non contingant, & sic ad Ecclesias redeant.*

Est dictum quintum inter capitula Hincmari.

Singula-biberes, id est, singulos vini scyphos, pro quo Gratianus posuit, singuli singulos bibere faciant.

Denique *Innocentius III.* Cap *A. Crapula*, Extra, *De Vita & Honestate Clericorum*, qui Lateranensis Concilii Quarti Canon decimus-quintus est, hanc Regulam disertè tradit: *A crapula* (inquit) *& ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant: unde vinum sibi temperent, & se vino. Nec ad bibendum quispiam incitetur: cùm ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Unde illum abusum penitus decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores: & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem super hic se culpabilem exhibuerit, nisi à Superiore commonitus satisfecerit, ab Officio, vel Beneficio suspendatur.*

REGULA X.

Qui alterum non cogit quidem, sed amicè invitat ad bibendum, existimans quòd non sit inebriandus, nec ultra metas necessitatis bibiturus, excusatur à peccato lethali.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CL. Articulo 1. ad tertium. *Sicut* (inquit) *ille qui inebriatur, excusatur à peccato si ignoret fortitudinem vini: ita etiam ille qui invitat aliquem ad bibendum, excusatur à peccato, si ignoret talem esse conditionem bibentis, ut ex hoc potu inebrietur. Sed si ignorantia desit, neuter à peccato excusatur.*

REGULA XI.

Ebrietas non excusat à peccatis ex ea consecutis, nisi sit omnino involuntaria: Imò, si voluntaria sit, peccati gravitatem auget.

De crapula & ebrietate.

DOctrina est *S. Thomæ*, Secunda Secundæ, Quæstione CL. Articulu IV. *In ebrietate* (inquit) *duo attenduntur, scilicet defectus consequens, & actus præcedens. Ex parte autem defectus consequentis, in quo ligatur usus rationis, ebrietas habet excusare à peccato, in quantum causat involuntarium per ignorantiam. Sed ex parte actus præcedentis, videtur esse distinguendum; quia si ex actu illo præcedente subsecuta est ebrietas sine peccato, tunc peccatum sequens totaliter excusatur à culpa, sicut fortè accidit de Loth. Si autem actus præcedens fuit culpabilis, sic non totaliter aliquis excusatur à peccato sequenti, quod scilicet redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus, inquantum scilicet aliquis dans operam rei illicitæ incidit in sequens peccatum. Diminuitur tamen peccatum sequens; sicut & diminuitur ratio voluntarii. Unde S. Augustinus dicit Contra Faustum*, Lib. XXII. cap. XLV. LOTH *culpandus est, non quantùm ille incestat, sed quantùm ebrietas meruit.*

REGULA XII.

Lethalis peccati non solùm inobedientia, sed etiam Gulæ reus est, qui Jejunium ab Ecclesia præceptum violat, sive carnes aliósque cibos vetitos comedendo, sive corpus duplici refectione recreando, sive refectionis horam legitimam notabiliter anticipando, absque justâ causâ.

QUisquis enim aliquid horum trium, quæ ad Ecclesiastici Jejunii substantiam pertinent, scilicet abstinentiam à carnibus, aliisve cibis vetitis, refectionis unitatem, horam sumendis alimentis, Ecclesiæ præceptu, vel consuetudine, diebus jejunii constitutam, non servat, non solùm gulam moderari nescit, ac recusat; sed & remedium spernit ad eam coërcendam à Deo institutum, ab Ecclesia determinatum ac præceptum auctoritate Christi, ductrina Spiritûs Sancti. Id autem est vitium gulæ, *Inordinata* scilicet *ciborum concupiscentia*, quæ *spiritualiter hominem coinquinat*, ut loquitur *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CXLVIII. Articolo primo ad primum. Cùmque hujusmodi Abstinentiæ, aut Jejunii Ecclesiastici transgressor, Dei & Ecclesiæ præceptum violare non dubitet, modò ventri suo satisfaciat, ad illorum gregem pertinet, *Quorum Deus venter est*, adeóque lethale peccatum Gulæ committit, secundùm Regulam illam *S. Thomæ*, Articulo secundo ejusdem Quæstionis: *Si ergò* (inquit) *inordinatio concupiscentiæ accipitur in Gula secundùm aversionem à fine ultimo, sic gula erit peccatum mortale. Quod quidem contingit quando delectationi gulæ inhæret homo tanquam fini propter quem Deum contemnit, paratus scilicet contra præcepta Dei agere, ut delectationes hujusmodi assequatur.*

De Jejunio porrò & Regulis ejus observantiam spectantibus, Libro IV. hujus Operis agemus.

REGULA XIII.

Lethalis Gulæ reus est, qui cibis illis utitur, quorum manducatione grave scandalum proximo præbetur, sive cibi aliàs liciti sint, sive prohibiti.

De crapula & ebrietate.

SIc Apostolus I. ad *Corinthios* VIII. graviter illos peccare docet, qui carnes idolis immolatas edendo, fratres offendebant, eisque peccandi occasionem præbebant. Curæ enim nobis esse debet, *Ne pereat infirmus frater, propter quem Christus mortuus est. Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis* (inquit Apostolos) *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Et ad Romanos XIV. *Si propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundùm caritatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.... Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem sunt munda, sed malum est homini qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.*

REGULA XIV.

Comedere & bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, peccatum est.

HAnc Regulam tradit *S. Augustinus*, Libro X. *Confessionum*, cap. XXXI. Deum his verbis allocutus: *Reficimus quotidianas ruinas corporis edendo & bibendo, priusquam escas & ventrem destruas, cùm occideris indigentiam meam satietate mirifica, & corruptibile hoc indueris incorruptione sempiterna. Nunc autem suavis est mihi necessitas, & adversùs istam suavitatem pugno, ne capiar, & quotidianum bellum gero in jejuniis sæpius in servitutem redigens corpus meum, & dolores mei voluptate pelluntur. Nam fames & sitis quidam dolores sunt; urunt, & sicut febris necant, nisi alimentorum medicina succurrat. Quæ quoniam præsto est, ex consolatione munerum tuorum, in quibus nostræ infirmitati terra & aqua, & cœlum serviunt, calamitas deliciæ vocantur. Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ... Ipse enim transitus voluptas est, & non est alius quà transeatur quò transire cogit necessitas: & cùm salus sit caussa edendi & bibendi, adjungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus causâ fiat, quod salutis causâ me facere vel dico, vel volo, nec idem modus utriusque est. Nam quod saluti satis est, delectationi parum est. Et sæpe incertum fit utrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere quid satis sit moderationi valetudinis, ut obtentu salutis obumbret negotium voluptatis. His tentationibus quotidie conor resistere, & invoco dexteram tuam ad salutem meam, & ad te refero æstus meos, quia consilium mihi de hac re nondum stat. Audio vocem jubentis Dei mei:* Ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate. *Ebrietas longè est à me: misereberis ne appropinquet mihi: crapula autem nonnunquam surrepit servo tuo: misereberis ut longè fiat à me. Nemo enim potest esse continens, nisi tu des...... In his*

De crapula & ebrietate.

ergo tentationibus positus, certo quotidie adversùs concupiscentiam manducandi & bibendi..... Itaque freni gutturis temperata relaxatione & constrictione tenendi sunt. Et quis est, Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum. Ego autem non sum, quia peccator homo sum.

Eamdem Christianæ temperantiæ Regulam tradit & confirmat *S. Augustinus*, Libro quarto *Adversùs Julianum*, cap. XIV. *Cùm natura* (inquit) *quodammodo poscit supplementa, quæ desunt, non vocatur libido, sed fames aut sitis: cùm verò suppletâ necessitate, amor edendi animum sollicitat, jam libido est, jam malum est, cui cedendum non est, sed resistendum. Hæc duo, id est, famem & edendi amorem etiam Poeta discrevit, qui post maris jactationem, sociis Æneæ naufragis satis esse judicans tantùm sumere alimentorum, quantùm refectionis indigentia postularet, ait:* Postquam exempta fames epulis, mensæque remotæ. *Cùm verò Æneas ipse ab Evandro Rege susceptus est hospes, decentiùs arbitratus ampliores exhiberi epulas Regias quàm necessitas posceret, non satis fuit ut diceret,* Postquam exempta fames: *sed addidit,* & amor compressus edendi. *Quantò magis nos discernere ac nosse debemus, quid necessitas refectionis, quid libido edacitatis exposcat, quorum negotium est contra concupiscentem carnem spiritu concupiscere, & condelectari legi Dei secundùm interiorem hominem, ejusque delectationis serenitatem nullis libidinosis delectationibus nubilare? Nam iste amor edendi, non edendo, sed continendo est comprimendus.*

Virgilius.

Ibidem: *Jam verò* (inquit) *cùm ad usum ventum fuerit necessaria voluptatis per quam reficimus corpus, quis verbis explicet quemadmodum nos modum necessitatis finire non sinat, & ipsum limitem procurandæ salutis, si quæ adsunt delectabilia, rapiendo abscondat & transeat, putantibus nobis satis non esse quod satis est, dum libenter ejus provocationibus ducimur, existimantes nos adhuc agere negotium valetudinis, cùm agamus potiùs cruditatis? Quid enim mali fecerimus, crapula pœnitendo testatur, quòd metuenset, plerumque minùs quàm eximendæ fami sufficiat vescimur. Ita nescit cupiditas, ubi finiatur necessitas.*

Et Libro *De Moribus Ecclesiæ Catholicæ*, cap. XXI. eamdem Christianæ Temperantiæ Regulam verbis generalibus adstruit: *Habet igitur vir temperans in hujusmodi rebus mortalibus & fluentibus, vitæ regulam utroque Testamento firmatam; ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem quantùm sat est, usurpet, utentis modestiâ, non amantis affectu.* Intemperantiæ igitur reus est quisquis usque ad satietatem, ob solam voluptatem, comedit & bibit.

S. Augustino concinit *S. Gregorius Magnus*, Libro XXX. *Moralium*, Capp. XIII. & XIV. *Ea* (inquit) *quærenda sunt, quæ naturæ necessitas quærit, & non quæ edendi libido suggerit. Sed magnæ discretionis labor est, huic exactori & aliquid impendere, & aliquid denegare: & non dando gulam restringere, & dando naturam nutrire. Quæ fortasse discretio subinfertur, cùm dicitur:* Clamorem exactoris non audit. *Sermo namque hujus exactoris, est necessaria postulatio naturæ. Clamor verò ejus, est mensuram necessitatis transiens appetitus gulæ. Hic itaque onager exactoris hujus sermonem audit, clamorem non audit: quia discretus vir ac continens & usque ad temperandam necessitatem ventrem reficit, & à voluptate restringit. Sciendum verò est, quia sic voluptas sub necessitate se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat. Nam dum solvi debitum ne-*

Job. 19.

cessitas petit, voluptas explere desiderium suppetit, & tantò gula securius in præceps rapit, quantò sub honesto nomine necessitatis explendæ se contegit. Sæpè autem in ipsa edendi viâ furtivè adjuncta voluptas subsequitur: nonnunquam verò imprudenter libera etiam præire conatur. Facile autem est deprehendere, cùm voluptas ejus necessitatem prævenit: sed valde est difficile discernere, cùm in ipso esu necessario se occulta subjungit. Nam quia præeuntem naturæ appetitum sequitur, quasi à tergo veniens tardiùs videtur. Eo enim tempore quo necessitati debitum solvitur, quia per esum voluptas necessitati miscetur, quid necessitas petat, & quid voluptas suppetat, ignoratur. Sæpè verò & discernimus: & quia utramque sibi conjunctam novimus, in hoc quòd extra metas rapimur, liberè reficiendo fallimur: & dum sibi mens ex necessitate blanditur, ex voluptate decipitur. Scriptum quippe est, Carnis curam ne feceritis in desideriis. *Quæ igitur fieri in desideriis prohibetur, in necessitate conceditur. Sed sæpe dum incautè necessitati condescendimus, desideriis deservimus.*

De crapula & ebrietate.

Rom. 13.

Eamdem Regulam suffragio suo confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CXLI. Articulo VI. *Omnia* (inquit) *delectabilia, quæ in usum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam hujus vitæ necessitatem sicut ad finem: & ideo temperantia accipit necessitatem hujus vitæ sicut regulam delectabilium quibus utitur, ut scilicet tantùm eis utatur, quantùm necessitas hujus vitæ requirit.*

Et Quæstione CXLVIII. Articulo primo, ad secundum: *Vitium Gulæ* (inquit) *non consistit in substantiâ cibi, sed in concupiscentiâ non regulata ratione. Et ideo si aliquis excedat in quantitate cibi, non propter concupiscentiam cibi, sed æstimans id sibi necessarium esse, non pertinet hoc ad gulam, sed ad aliquam imperitiam. Sed hoc solùm pertinet ad gulam, quòd aliquis propter concupiscentiam cibi delectabilis, scienter excedat mensuram in edendo.*

Meritò itaque ab *Innocentio Undecimo* Pontifice Maximo damnata est hæc Propositio inter alias octava: *Comedere & bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

Propositio Casuistarum Epicureorum ab Ecclesia damnata.

A Clero etiam Gallicano in Comitiis generalibus anni 1700. confixa est his verbis: *Hæc propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, erronea, & ad Epicuri scholam ablegandа.*

REGULA XV.

Intemperantiæ & Gulæ rei sunt, qui delicatioribus cibis corpus nutriunt ob voluptatem: quamvis non peccent qui ob delicatiorem corporis constitutionem, ob stomachi debilitatem & fastidia, ob infirmitatem, cibis delicatis utuntur, vilioribus, crassioribus, & malè paratis obsoniis rejectis.

HAnc Morum Regulam quoad primam partem Salomon Spiritu Sancto afflatus tradit Proverbiorum XXIX. *Qui delicatè à pueritiâ nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem.* Servum animæ corpus esse nemo nescit: delicatè igitur non est nutriendum, ne fit contumax.

Et S. Paulus ad Romanos XIII. *Induimini* (inquit) *Dominum Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.*

Eamdem Regulam confirmat *S. Gregorius Nyssenus*, Oratione quinta: *Panem pete,* (inquit) *propter vitæ necessarium usum; hujus se corpori natura debitorem fecit. Cætera, quæ præter hæc, solertiâ*

De crapula & ebrietate.

hominum deliciis ac luxui deditorum excogitata & inventa sunt ; ea de zizaniorum juxta bonum semen disseminatorum semine existunt. Semen Patris-familias frumentum est, ex frumento panis conficitur: at luxus atque deliciæ zizanium est, quod ab inimico juxta frumentum satum est. Sed homines omisso ministerio naturæ necessario, revera suffocantur rerum inanium studiis, & manent infrugiferi, dum in his anima perpetuò exercetur & occupatur. Et infrà: *Ne des aditum serpenti ad interiora irrepenti, & à primo initio omne suum venenum inferenti : mane atque consiste in usu necessario, terminus esto tibi vitæ felicitudinis, per res obvias & parabiles necessarii usus atque defectûs expletio.*

Idem confirmat *S. Augustinus* Libro IV. Contra Julianum, cap. XIV. quatuor in quolibet sensu distinguenda esse docens: scilicet *Sentiendi vivacitatem, utilitatem, necessitatem, & sentiendi libidinem. Vivacitas sentiendi est, quâ magis alius, alius minùs in ipsis corporalibus rebus pro earum modo atque naturâ quod verum est percipit, atque id à falso magis minúsve discernit. Utilitas sentiendi est, per quam corpori vitæque quam gerimus, ad aliquid approbandum vel improbandum, sumendum vel rejiciendum, appetendum vitandúmve consulimus. Necessitas sentiendi est, quando sensibus nostris etiam quæ nolumus ingeruntur. Libido autem sentiendi est, qua nos ad sentiendum sive consentientes mente, sive repugnantes, appetitu carnalis voluptatis impellit. Hæc est contraria dilectioni sapientiæ, hæc virtutibus inimica.*

Alteram partem Regulæ *S. Augustinus* approbat, Libro X. *Confessionum*, cap. XXXI. *Non ego* (inquit) *immunditiam obsonii timeo, sed immunditiam cupiditatis. Scio Noë omne carnis genus, quod cibo esset usui, manducare permissum, Eliam cibo carnis refectum, Joannem mirabili abstinentiâ præditum animalibus, hoc est locustis, in escam cedentibus non fuisse pollutum. Et scio Esau lenticulæ concupiscentiâ deceptum ; & David propter aquæ desiderium à seipso reprehensum ; & Regem nostrum non de carne, sed de pane esse tentatum. Idcòque & populus in eremo, non quia carnes desideravit, sed quia escæ desiderio adversùs Dominum murmuravit, meruit improbari.*

Idem confirmat *S. Gregorius*, Libro XXX. *Moralium*, cap. XIII. *Neque enim cibus* (inquit) *sed appetitus in vitio est. Unde & lautiores cibos plerumque sine culpâ sumimus, & abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus.*

Idem confirmatur exemplo *S. Thomæ Cantuariensis* Archiepiscopi & Martyris, de quo *Heribertus de Boseham* in ejus Vita scribit, ejus temperantiam commendans: *Inter tot & tantas delicias, quæ ei apponebantur, in nullo penitus Sardapalum, sed solum Episcopum faciebat: nullatenus, ut notari posset avidus, nec super ullam omnino escam se effundens. Tria sobrietas exigit: quid, quando, & quantùm sumamus, ne quid prohibitum, ne quid citra horam, ne quid ultra mensuram. Unde & Adam qui primus comedit vetitum, confestim proscribitur. Jonathas, qui citra horam, maledicitur. Israël verò qui ultra mensuram, mox punitur. Verùm Thomas in virtute sobrietatis cunctis præstans, de hora & mensura quotidie proposita, quibus uti consueverit, audiamus: ne in hoc quòd fortè nimis justis & indiscretè religiosis videri posset, videatur in aliquo, vel in modico, tantam, quam de eo prædicamus, sobrietatis decolorasse virtutem. Multa quidem offerebantur, apponebantur multa & varia, sed inter plurima ad esum proprium pauca retinebat. Et ea, quibus ipse utebatur, & delicatoria quidem & pretiosiora erant, quæ etsi non sint prohibita, à sobrietatis tamen perfectione, & à perfectè sobrio, his præsertim, quos diximus nimis justos, videri possent aliena. Unde cùm unus justorum talium super hoc inter discumbendum semel quasi subridendo notaret Pontificem, aliquantisper zelo motus Pontifex sic ei respondit: Certè, Frater, nisi fallor, cùm aviditate majori tu tuam sumis fabam, quàm ego appositam mihi phasidem. Et erat tunc avis hæc ante Præsulem in paropside. Et frater ille aliquandiu inter nos conversatus, deliciosa non quærens, utpote qui ad hæc consuetudinem non habuerat edulio grossiorum. Et bonum quidem & prudens hoc & pro Fratris consuetudine, & pro veritate Pontificis responsum. Nec enim refert, ut tradunt Animarum Medici Patres Orthodoxi, quid, quantùmve quis sumat, si solum necessitati & valetudini suæ, non voluptati indulgeat. Pontifex igitur, qui grossiora non poterat, utpote minimè ennutritus in his, deliciosa quidem, sed parcè admodum sumebat & sobriè, ita quòd, sicut ex ejus secreta Confessione quidam Religiosi ipsius familiares noverunt secretiùs, non magis cibatus, quàm jejunus, nec post vina plus quàm ante, ullam vix sentiret carnis rebellionem.*

CAPUT XI.

DE

IRA.

ARTICULUS I.

Quid sit? & quàm grave sit Peccatum?

IRA *est ultionis libido, sive immoderatus animi motus, quo quis injustam & indebitam ultionem sumit vel expetit ab eo, à quo vel reipsa læsus est, vel se læsum arbitratur.* *Iræ definitio.*

Quæ definitio ut intelligatur, notandum est cum *S. Thoma*, Secunda Secundæ, Quæstione CLVIII. Articulis primo & secundo, Iram, quæ motus est appetitus sentientis, non esse secundùm se malam, sed solùm quatenus rationis moderatricis ordinem excludit, modúmque prætergreditur. Ordo autem rationis quantùm ad duo potest attendi. Primò quantùm ad rem in quam tendit, quæ est vindicta. Unde si aliquis appetat vindictam secundùm ordinem rationis, laudabilis est Iræ Motus, & vocatur *Ira per zelum.* Si autem aliquis vindictam expetat contra ordinem rationis, verbi gratiâ, *Si puniri appetat eum qui non meruit, vel ultra quàm meruit, vel etiam non secundùm legitimum ordinem*, id est, non servato Juris ordine ; *Vel non propter debitum finem, qui est conservatio justitiæ, & correctio culpæ* ; tunc motus Iræ vitiosus est, & vocatur *Ira per vitium.* Quam distinctionem hausit *S. Thomas* ex *S. Gregorio*, Libro V. *Moralium*, cap. XXX. *Sciendum est* (inquit) *quòd alia est Ira, quam impatientia excitat, alia quam zelus justitiæ format. Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Si enim nulla Ira ex virtute surgeret, divinæ animadversionis impetum Phinees per gladium non placasset. Hanc Iram quia Heli non*

De Ira.

habuit, motum contra se implacabiliter superna ultionis excitavit. Nam quo contra subditorum vitia tepuit, eò contra illum districtio æterni Rectoris exarsit.

Psalm. 4.

De hac Ira per Psalmistam dicitur: Irascimini, & nolite peccare. *Quod nimirum rectè intelligunt, qui irasci non nobis tantummodo, non etiam proximis delinquentibus volunt. Si enim sic proximos ut nos amare præcipimur, restat ut sic eorum erratibus, sicut nostris vitiis irascamur. De hac per Salomonem* » *dicitur:* Melior est ira riso, quia per tristitiam » vultùs corrigitur animus delinquentis. *De hac*

Psal. 6.

» *iterum Psalmista ait,* Turbatus est præ Ira oco- » lus meus. *Ira quippe per vitium oculum mentis excæcat, Ira autem per zelum turbat: quia cùm saltem recti æmulatione concutitur, ea quæ nisi tranquillo corde percipi non potest, contemplatio dissipatur.*

Alio modo (inquit *S. Thomas*) attenditur ordo rationis circa Iram quantùm ad modom irascendi, *Ut scilicet motus iræ non immoderatè fervescat, nec interiùs, nec exteriùs. Quod quidem si prætermittatur, non erit ira absque peccato, etiam si aliquis appetat justam vindictam.*

Ira non per se & semper, sed aliquando tamen lethale peccatum est, quod statuendis inferiùs Regulis Morum explicabitur. Unde *Job* v. dicitur, *Virum stultum interficit iracundia.*

Jura Dei usurpat homo iracundus.

Jura Dei usurpat iracundos homo, & ultionis appetens: si quidem jus ultionis Deus sibi reservavit, Deuteron. xxxii. *Mea est ultio, & ego retribuam in tempore.* Et ad Romanos xii. *Nulli malum pro malo reddentes.... Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes: non vosmetipsos defendentes, charissimi, date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.*

Ira ipsi iracundo plurimum nocet.

Ira ipsi homini iracundo plurimùm nocet: spirituales oculos excæcat. Unde *Job* xvii. cap. ait: *Caligavit ab indignatione oculus meus.* Et Psalm. vi. dicitur: *Turbatus est à furore oculus meus.* Ira misericordiam extinguit. Proverb. xxvii. *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati ferre quis poterit?* Ira nocet valetudini, vitámque contrahit, Ecclesiastici xxx. *Zelus & iracundia minuunt dies.*

Ira proximo nocet.

Quantùm ira proximo noceat, testantur rixæ, contumeliæ, convitia, duella, bella, homicidia, lites, dissidia implacabilia. Nemo intolerabilior homine iracundo. Proverb. xviii. *Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere?* Proverb. xxi. *Melius est habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa & iracunda.* Et cap. xxii. *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso: ne fortè discas semitas ejus, & sumas scandalum animæ tuæ.* Proverb. xxvii. *Grave est saxum, & onerosa arena: sed ira stulti utroque gravior.* Iram inter *Opera carnis*, quæ *qui agunt, Regnum Dei non consequentur*, Apostolus recenset ad Galatas v. Quàm grave peccatum sit Ira, Christus ostendit Matth. v. *Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides, qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo reus est judicio.* Quo ex Oraculo compertum est, Iram esse aliquando lethale peccatum. Ab Ira maximè alienos esse discipulos suos voluit Christus, quos exemplo suo ad mansuetudinem & patientiam instituit. *Discite* (inquit) *à me, quia mitis sum & humilis corde.* Et Lucæ xxi. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Apostolus Magistri præcepta Christianis inculcans, ab ira illos avertit, ad mansuetudinem, pacem, & patientiam hortatur. Ephes. iv. *Obsecro vos, ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione quâ vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientiâ, supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis....*

De Ira.

Irascimini, & nolite peccare: sol non occidat super iracundiam vestram...... Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia, tollatur à vobis cum omni malitia. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut & Deus in Christo donavit vobis. Et ad Colossenses iii. *Nunc autem deponite & vos omnia; iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro.* 1. Timotheum ii. *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira & disceptatione.* Sanctus etiam Jacobus Epistolæ suæ Catholicæ cap. 1. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum & tardus ad iram. Ira enim viri justitiam Dei non operatur.*

Iræ vitium immane.

Quàm turpe sit & immane Iræ vitium, ostendit *S. Basilius*, Homiliâ x. De Ira. *Quando* (inquit) *semel Ira perturbatio mentem præcipitans imperium animæ sumpserit, hominem penitus in feram convertit, nec rationis compotem esse sinit. Quod enim venenum virus emittentibus erit, hoc idem & furor animo irritatis ac perturbatis. Impetu feruntur, insiliunt, rabie ut canes afficiuntur, pungunt ut scorpii, mordent ut serpentes. Novit & scriptura eos qui hoc vitio tenentur, ferarum appellatione vocare quibus se se ob perversitatem similes ac familiares reddiderunt. Nam & canes mutos, & serpentes, & genimina viperarum, & his similia nominat. Qui enim ad mutua inter se ejusdem generis parati sunt inferenda incommoda jure feris ac venenatis adscribi possunt, quibus ex naturâ continuum adversus hominem odium insit. Effrenes lingua, ora incustodita, incontinentes manus, contumelia, probra, accusationes, verbera, & alia ejusmodi quæcunque quis enumerare poterit, iræ sunt ac furoris fructus. Ob iram ensis acuitur, mors homini ex homine venit, fratres inter se ignorantur, parentes ac liberi naturæ obliviscuntur. Sed nec ante omnia se ipsos agnoscunt irati, deinde neque quotquot habent necessarios. Quemadmodum enim torrentes ad curva loca decurrentes secum obvia quæque trahunt: sic & iratorum impetus violenti & instabiles omnia similiter percurrunt atque obruunt. Non eis senectus venerabilis, non vitæ virtus, non generis propinquitas, non accepta jam gratia, non denique quicquid aliud quamvis æstimandum, in honore est. Momentanea quædam insania est ira. Quin & maximum se in malum conjiciunt, & studio vindicandi se ipsos negligunt. Eorum namque memoriâ quibus læsi sunt, velut æstro quodam incitati, & animo exacerbato atque æstuanti non priùs desinunt, quàm incommodum aliquod infestanti instigant, vel ipsi (si id contingat) accipiant: quemadmodum sæpe venit, ut quæ violenter alliduntur, plus accipiant incommodi, quàm inferant, dum à rebus renitentibus conquassantur.*

Ira compescenda & moderanda.

De illius gravitate peccati, deque illius fuga præclara etiam apud *S. Ambrosium* legere est, Libro *De Josepho Patriarcha*, cap. xiii. explicantem hunc locum Geneseos xlv. *Dimisit autem fratres suos, & abierunt. Et dixit illis Joseph, Nolite irasci in via.* Sic autem habet: *Quàm bene docet ab iracundia præcavendum, quòd ea possit etiam amantes sui separare germanos: & maximè in via fugiendam esse discordiam, ubi ipse viandi comitatus debet inviolabilis gratia habere consortium. Quid autem aliud ait Dominus noster Jesus ex hoc corpore recessurus, cùm Discipulos dimitteret suos, nisi ne irascerentur in via dicens:* Pacem relinquo vo- » bis, pacem meam do vobis? *Ubi enim pax* » *est, iracundia non locum habet, ablegatur discordia, fugatur dissensio. Hoc est ergo quòd ait:* Pacem meam do vobis, *id est*, Nolite irasci in via. »

Et

DE PECCATIS.

De Ira. *Et vide ne in hac via dicat, hoc est, in hoc cursu totius vitæ indignationem cavendam, quòd ira sæpe etiam innocentes in crimen adducat; quia dum justo amplius irascimur, & volumus alienum coercere peccatum, graviora peccata committimus. Ideo Apo-* » *stolus*: Non vos ipsos, *inquit*, vindicantes, ca- » rissimi: sed date locum iræ; *hoc est, declinemus eam, ne nos illa corripiat. Unde Dominus Jesus dimittens ad evangelizandum Discipulos, misit eos sine auro, sine argento, sine pecuniâ, sine pera, sine virga; id est, ut & instrumenta eriperet ultionis.* (Rom. 12.)

Et Enarratione in Psalmum xxxvi. exponens hunc Versum, *Desine ab ira, & relinque indignationem*: sive ut legimus, *Derelinque Furorem*, ait: *Sunt multa vitia quæ obrepunt insipientibus: Ira gravis passio est, plerùmque accendit invitum; & volentem mitius vindicare, in furorem rapit, ut perimat quem putaverit coërcendum. Commotus, gladio sæpe transverberat innocentem. Amicos & fratres per indignationem plurimi peremerunt. Ideo Sapiens* Proverb. 13. *dicit*: Ira perdit etiam Sapientes. *Salomonis dictum est, quia non solùm quoscunque de medio homines, sed etiam ipsos perdat ira Sapientes. Et David* » *Sapientem monet dicens*: Desine ab ira, *ne cùm accenderis eam, illa non desinat priùsquam te ejus* » *flamma consumat*. Relinque, *inquit*, indignatio- » nem, *hoc est, Natura te rapit, movet affectus, culpa te alicujus excitat vel offensa, ut indigneris; sed non usquequaque ut modum nescias: relinque eam, finem impone, ne te in peccatum trahat. Hoc* Psalm. 4. » *est quod suprà dixit*: Irascimini, & nolite pec- » care. *Non enim hortatur ut irascaris, sed ad tempus cedit affectui: dat tamen medicamentum ne diutius vis ulceris serpat.* Irascimini, *quod ait, tua est passionis. Medicus enim non statim adhibet medicamenta languori: si dolor fervet, fomenta adhibet, ut mitescat dolor: si febris exæstuat, remedii tempus exspectat, ipsum potum sitientibus negare consuevit. Non dicit: Noli febrire, cùm vapor fervet ægroti; sed dicit, Exspecta, desinat febris, digeratur commotio. Sic & Propheta non potuit dicere homini, cujus caro ut variis morborum, ita commotionum passionibus* » *excitatur*: *Non irascere: sed dicit*: Desine ab ira, Ephes. 4. 26. » & indignationem relinque, *ne pecces*. IRA ENIM » GRAVIS EST MAGISTRA PECCATI. *Alius* » *quoque Medicus dicit*; Sol non occidat super ira- » cundiam vestram; *ne dum diu differt, veniat ille qui calefactum corporis somno excitare consuevit, & stimulet te, inferat tibi cogitationes, & in secreta se tui pectoris immergat dicens: Vindica injuriam tuam, virum te esse cognosce: femineæ infirmitatis est, non capere vindictam. Ergo contemnere te debuit servus, frater decipere, amicus illudere; & tu adhuc tuam non ulcisceris contumeliam? Proscribas necesse est, gladio oportet insurgas, & dolorem tuum adversarii morte solvas. Vir fuit ille qui suum occidit inimicum, meritò prædicatur; quia ita se vindicavit, ut alius ignorans audiret, eique irrogare non auderet injuriam. His stimulis plus accenditur, plus movetur, ut compleatur quod scriptum est*: IRA perdit etiam *Sapientes.*

Quàm exitiabis ira in corde servata! *S. Augustinus* Sermone CCVIII. aliàs *De Diversis* LXXII. ostendit quam exitialis sit Ira in corde servata. *Quid jam dicam de illo opere misericordiæ, ubi nihil de apothecis, nihil de sacculo impenditur, sed ex corde dimittitur quod magis si maneat, quàm si recedat, incipit esse damnosum? Iram dico adversùs aliquem in corde servatam. Quid autem stultius quàm inimicum forinsecùs devitare, & multò pejorem in præcordiis intimis retinere? Unde Apostolus dicit,* Ephes. 4. » Sol non occidat super iracundiam vestram. » *Moxque subjungit*, Neque detis locum Diabolo.

DE PECCATIS.

Tanquam hoc agat; qui non citò iram pellit ex animo, ut per illam velut per januam aditum præstet Diabolo. Primitus itaque agendum est, ut super iram non occidat iste sol; ne deserat ipsam mentem Justitiæ Sol. De Ira.

S. Gregorius Magnus Libro v. *Moralium*, Cap. xxx. explicans locum illum Job. v. *Virum stultum interficit iracundia*: istius gravitatem peccati, & mala quæ infert, luculenter ostendit. *Cùm scriptum sit*: Tu autem Domine cum tranquil- » litate judicas; *Sciendum nobis magnopere est, quia* » *quoties turbulentos motus animi sub mansuetudinis virtute restringimus, ad similitudinem redire Conditoris conamur. Nam cùm tranquillitatem mentis ira diverberat, dilaniatam quodammodo scissámque perturbat, ut sibimet ipsi non congruat, ac vim intimæ similitudinis amittat. Quanta ergo sit iracundiæ culpa pensemus, per quam dum mansuetudo amittitur, supremæ Imaginis similitudo vitiatur. Per iram sapientia perditur: ut quid, quove ordine agendum sit, omnino nesciatur, sicut scriptum est*: Ira in sinu stulti requiescit: *Quia nimirum intelligentiæ lucem subtrahit, cùm mentem permovendo confundit. Per iram vita amittitur, etsi Sapientia teneri videatur, sicut scriptum est*, Ira perdit etiam Sapientes: *Quia scilicet confusus animus nequaquam explet, etiam si quid intelligere prudenter valet. Per iram justitia relinquitur, sicut scriptum est*: Ira viri justitiam Dei non operatur: *quia dum perturbata mens judicium suæ rationis exasperat, omne quod furor suggerit, rectum putat. Per iram gratia vitæ socialis amittitur, sicut scriptum est*: Noli esse as- » siduus cum homine iracundo, ne discas semi- » tas ejus, & sumas scandalum animæ tuæ. *Et* » *ibidem*: Quis poterit habitare cum homine, cu- » jus spiritus facilis est ad irascendum? *quia qui se* » *ex humana ratione non temperat, necesse est ut bestialiter solus vivat. Per iram concordia rumpitur, sicut scriptum est*: Vir animosus parat rixas, & vir » iracundus effodit peccata. *Iracundus quippe peccata effodit, quia etiam malos, quos incautè ad discordiam provocat, pejores facit. Per iram lux veritatis amittitur, sicut scriptum est*: Sol non oc- » cidat super iracundiam vestram: *Quia cùm men-* » *ti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit. Per iram Sancti Spiritus splendor excluditur, sicut scriptum est*: Su- » per quem requiescet Spiritus meus, nisi super » humilem, & quietum, & trementem sermo- » nes meos? *Cùm enim humilem diceret, quietum* » *protinus adjunxit. Si ergo ira quietem mentis subtrahit, suam Sancto Spiritui habitationem claudit, cujus recessione animus vacuus, ad apertam mox insaniam ducitur, & usque ad superficiem ab intimo cogitationum fundamento dissipatur. Nam ira suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscuntur noti.*

Ira quàm gravè peccatum & ejus effectus. — Cap. 30. — Eccle. 7. — Jacobi 1. — Proverb. 22. — Proverb. 15. — Ephes. 4. — Isa. 66.

Articulus II.

REGULÆ MORUM

Circa Iram.

Regula I.

Iram cum injusta vindictæ appetitu deliberato conjuncta, lethale ex genere suo peccatum est.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CLVIII. Articulo III. *Cùm aliquis* (inquit) *appetit injustam vindictam, sic ex genere suo ira est peccatum mortale, quia contrariatur caritati & justitiæ.* Et in Responsione ad tertium, ait; Dominus cùm dixit, *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*, loqui de motu iræ, *quo quis appetit proximi occisionem, aut quamcumque gravem læsionem: cui appetitui si consensus rationis superveniat, absque dubio erit peccatum mortale.*

Regula II.

Repentinus iræ motus, vel deliberatus quidem, sed cum levioris vindictæ appetitu conjunctus, veniale dumtaxat peccatum est.

ITa docet *S. Thomas* loco mox citato. *Potest tamen* (inquit) *contingere, quòd talis appetitus sit peccatum veniale propter imperfectionem actus. Quæ quidem imperfectio attenditur vel ex parte appetentis, putà, cùm motus iræ prævenit judicium rationis, vel etiam ex parte appetibilis, putà, cùm aliquis appetit in aliquo modico se vindicare: quod quasi nihil est reputandum; ita quòd etiamsi actu inferatur, non esset peccatum mortale, putà, si aliquis parum trahat puerum per capillos, vel aliquid hujusmodi.* Et Articulo II. ejusdem Quæstionis: *Motus*, inquit, *qui præveniunt judicium rationis, non sunt in potestate hominis in generali, ut scilicet nullus eorum insurgat, quamvis ratio possit quemlibet singulariter impedire, si insurgat. Et secundùm hoc dicitur, quòd motus iræ non est in potestate hominis, ita scilicet quòd nullus insurgat. Quia tamen aliqualiter est in hominis potestate, non totaliter perdit rationem peccati, si sit inordinatus.* Quo sensu *Cassiodorus* in Psalmum quartum ait: *Venialis est ira, quæ ad effectum indignationis suæ non pervenit, sicut scriptum est:* Melior est qui vincit iram, quàm qui capit civitatem: *Ideo præceptum cautionis adhibetur, ut si jam irascimur, non inconsultâ temeritate peccemus. Motum siquidem animi fervidum, propter humanam fragilitatem habere in potestate non possumus; suffragante tamen Dei gratiâ ratione disciplinabili continemus. Et ideo Beatus Propheta, quod est quidem consuetudinis permisit; quod verò culpæ prohibuit. Nam si irascamur, nec Domini consideratione refrænemur, sed à voto nostro impediamur aliquâ necessitatis objectu; tunc utique constat nos facti crimen portare, etiamsi non possimus, quæ volebamus efficere.* Proverb. 16.

Regula III.

Tres iræ gradus à Christo Domino explicati (Matthæi V.) *lethalia peccata sunt.*

ID enim Christi verba disertè significant: *Ego autem dico vobis: Quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit Judicio. Qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit Concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Primus gradus est ira cum deliberato gravis ultionis appetitu animo concepta, & in odium degenerans. Secundus gradus est iræ hujusmodi per aliqua signa exteriora manifestatio, etiam antequam prorumpat in effectum. Tertius gradus est peccati interiùs concepti executio, seu actualis vindicta. Primus gradus significatur his verbis: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit Judicio.* Secundus, his verbis: *Qui dixerit fratri suo, Racha, reus erit Concilio.* Est autem *Racha*, interjectio indignantis, gravémque ultionem expetentis animi motum significans; seu gravis damni comminatio. Tertius gradus exprimitur his verbis: *Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Est enim effectus iræ nocumentum alterius sub ratione vindictæ. Minimum autem nocumentorum est, quod fit solo verbo. Unde si primus gradus est peccatum mortale, multò magis alii (inquit S. Thomas.) Et ideo singulos condemnandos Christus docet: sed primum tamen damnatione minùs gravi, alterum graviori, tertium gravissimâ; quod tribunalium diversitate designat, in quibus causæ vulgares, graviores & gravissimæ disceptabantur & judicabantur. Id omne *S. Augustini* verbis luculentiùs exprimam, Libro I. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. IX. *Gradus itaque sunt in istis peccatis, ut primò quisque irascatur, & eum motum retineat corde conceptum: jam si extorserit vocem indignantis ipsa commotio, non significantem aliquid, sed illum animi motum ipsa eruptione testantem, quo feriatur ille cui irascitur; plus est utique quàm si surgens ira silentio premeretur: si verò non solùm vox indignantis audiatur, sed etiam verbum quod jam certam ejus vituperationem in quem profertur, designet & notet, quis dubitet amplius hoc esse quàm si solus indignationis sonus ederetur? Itaque in primo unum est, id est, ira sola; in secundo duo, & ira, & vox quæ iram significat; in tertio tria, & ira, & vox quæ iram significat, & in voce ipsa certa vituperationis expressio. Vide nunc etiam tres reatus, Judicii, Concilii, gehennæ ignis. Nam in Judicio adhuc defensioni datur locus: in Concilio autem quanquam & judicium esse soleat, tamen quia interesse aliquid hoc loco fateri cogit ipsa distinctio, videtur ad Concilium pertinere Sententiæ prolatio; quando non jam cum ipso reo agitur, utrum damnandus sit, sed inter se qui judicant conferunt quo supplicio damnari oporteat, quem constat esse damnandum: Gehenna verò ignis, nec damnationem habet dubiam, sicut Judicium; nec damnati pœnam, sicut Concilium; in gehenna quippe ignis certa est & damnatio & pœna damnati.*

Eodem sensu hunc locum explicat *S. Gregorius*, Libro XXI. *Moralium*, Cap. IV. *Priùs*, (inquit) *ira reprehenditur sine voce; postmodum verò ira cum voce, sed necdum pleno verbo formata; ad extremum quoque cùm dicitur, Fatue, ira redarguitur, quæ cum excessu vocis expletur etiam perfectione sermonis. Et notandum, quòd in ira perhibet reum esse judicio: in voce iræ, quod est Racha, reum concilio: in verbo vocis, quod est fatue, reum, gehennæ ignis. Per gradus etenim culpa*

crevit

De Ira. crevit ordo sententiæ: quia in judicio adhuc causa discutitur. In concilio autem jam causæ sententia definitur: in gehenna verò ignis ea quæ de concilio egreditur, sententia expletur. Quia igitur humanorum actuum Dominus subtili examine gressus enumerat, ira sine voce judicio; ira in voce concilio; ira verò in voce atque sermone, gehennæ ignibus mancipatur.

REGULA IV.

Ira inveterata lethale peccatum est.

HAnc Regulam ex sacris Litteris depromptam explicat *S. Augustinus*, Sermone LVIII. alias XLII. inter Homilias quinquaginta. Cap. VII. *Ne putetis quia nihil sit iracundia. Turbatus est, inquit Propheta, præ ira oculus meus. Utique cui turbatur, Solem videre non potest: & si conatus fuerit videre, pœna illi est, non voluptas. Quid est ira? Libido vindictæ. Libet hominem vindicari: & nondum est Christus vindicatus, nondum sunt sancti Martyres vindicati. Adhuc expectat patientia Dei, ut convertantur inimici Christi, convertantur Martyrum inimici: nos qui sumus, ut vindictam quæramus? Si quæreret illam Deus de nobis, ubi remaneremus? Ille qui nihil nos læsit, non vult se vindicare de nobis: & nos quærimus vindicari, qui pene quotidie Deum offendimus? Ergo dimittite, dimittite ex corde. Irascimini,*

Psalm. 4. » *tur et, noli peccare:* Irascimini, & nolite pec-
» care. *Irascimini quasi homines, si vincimini: & nolite peccare, ut iram in corde teneatis, (quia si tenetis, contra vos tenetis:) Ne in illud intretis. Ergo dimittite. Quid est ira? Libido vindictæ. Quid est odium? Ira inveterata. Ira inveterata si facta est, jam odium dicitur. Quod videtur confiteri ille, qui cùm di-*

Psalm. 4. » *xisset*, Turbatus est præ ira oculus meus, *addi-*
» *dit*, Inveteravi in omnibus inimicis meis. *Quod erat ira, cùm esset nova, odium factum est; quia in vetustatem conversum est. Ira festuca est, odium trabes est. Aliquando reprehendimus irascentem, & odium*

Matth. 7. » *tenemus in corde, & dicit nobis Christus*, Festu-
» cam in oculo fratris tui vides, & trabem in ocu-
» lo tuo non vides. *Unde crevit festuca, ut trabem faceret? Quia non statim evulsa est. Quia passus es exire & intrare Solem toties super iracundiam tuam, fecisti illam veterem, attraxisti malas suspiciones, & rigasti festucam, rigando nutrivisti, nutriendo trabem*

1. Joan. 3. » *fecisti. Expavesce vel quando dicitur*, Qui odit fra-
» trem suum, homicida est. *Gladium non eduxisti, non vulnus in carne fecisti, non corpus plagâ aliquâ trucidasti: cogitatio sola odii in corde tuo est, & teneris homicida: reus es ante oculos Dei. Ille vivit, & tu occidisti. Quantùm ad te pertinet, occidisti, quem odisti. Emenda te, corrige te. Si in domibus vestris scorpiones essent aut aspides, quantùm laboraretis, ut domus vestras purgaretis, & securi habitare possetis? Irascimini, & inveterantur iræ in cordibus vestris, fiunt tot odia, tot trabes, tot scorpii, tot serpentes; & domum Dei, cor vestrum, purgare non vultis.*

Et ante *S. Augustinum S. Joannes Chrysostomus*, Libro 1. *De Compunctione cordis*, ait: *Persistimus pro nihili rebus contristare fratres, & quasi nihil mali fecerimus, satisfactionem negligimus, & oblivioni tradimus culpam, atque inimicitias in tempus longum protrahi patimur, ignorantes quod tantò longior nobis erit pœna, quantò & discordia prolixior.*

REGULA V.

Ira vehemens, tametsi nullum vindictæ appetitum contineat, lethale quandoque peccatum est, cùm nimirum in Dei prorumpit injuriam, cùm caritatem ergo proximum in animo extinguit, vel grave scandalum affert.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione CLVIII. Articulo III. De Ira.
Alio modo, inquit, *potest esse motus iræ inordinatus, quantùm ad modum irascendi, utpote si nimis ardenter irascatur interiùs, vel si nimis exteriùs manifestet signa iræ. Et sic ira secundùm se non habet rationem peccati mortalis: potest tamen contingere quòd sit peccatum mortale, putà, si ex vehementia iræ aliquis excidat à dilectione Dei & proximi.* Et in Responsione ad primum: *Stulti* (inquit) *per iracundiam spiritualiter occiduntur, in quantum non refrænando per rationem motum iræ, dilabuntur in aliqua peccata mortalia, putà in blasphemiam Dei, vel injuriam proximi.*

REGULA VI.

Iniquiores sunt qui citiùs irascuntur, & iram tardiùs deponunt.

HAnc Regulam tradit *S. Augustinus* Epistolâ CCXI. alias CIX. *Melior est autem quæ quamvis ira sæpe tentatur, tamen impetrare festinat, ut sibi dimittat cui se fecisse agnoscit injuriam, quàm quæ tardiùs irascitur, & ad veniam petendam tardiùs inclinatur.*

Eamdem Regulam tradit *S. Gregorius*, Lib. V. *Moralium*, Cap. XXX. *Sciendum est*, inquit, *quòd nonnullos ira citiùs accendit, faciliùs deserit. Nonnullos verò tardè quidem commovet, sed diutiùs tenet. Alii namque accensis calamis similes, dum vocibus perstrepunt, quasi quosdam accensionis suæ sonitus reddunt, citiùs quidem flammam faciunt, sed protinus in favillam frigescunt. Alii autem lignis gravioribus durioribúsque non dispares, accensionem tardè suscipiunt, sed tamen accensi semel difficiliùs extinguuntur: & quia se tardiùs in asperitatem concitant, furoris sui diutiùs ignem servant. Alii autem, quod est nequiùs, & citiùs iracundiæ flammas accipiunt, & tardiùs deponunt. Nonnulli verò has & tardè suscipiunt, & citiùs amittunt. In quibus nimirum quatuor modis liquidò lector agnoscit, quia & ad tranquillitatis bonum ultimus plus quàm primus appropinquat, & in malo secundum tertius superat.*

REGULA VII.

Vindicta, aut vindictæ libido, semper mala sunt: proindeque inimicos ulcisci nunquam licet: injurias illatas condonare semper & ubique necesse est.

HAnc Morum Regulam tradit Christus, Matthæi V. *Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis, Non resistere malo; sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo alia duo.* Explicat S. *Augustinus*, Libro I. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. XIX. *Pharisæorum justitia minor est,* Tres moderationis gradus.

De ira & vindictæ limdine.

inquit, *non excedere in vindicta modum, ne plus rependat quisque quàm accepit. Et magnus hic gradus est. Nemo enim facile invenitur, qui pugno accepto pugnum reddere velit; & uno à conviciante verbo audito, unum & quod tantumdem valeat, referre contentus sit: sed sive irâ perturbatus immoderatiùs vindicat; sive quia justum putat, eum qui læsit prior, graviùs lædi, quàm læsus est qui non læserat. Talem animum magna ex parte refrænavit Lex, in qua scriptum est*, Oculum pro oculo, & dentem pro dente. *Quibus nominibus significatur modus, ut injuriam vindicta non transeat. Et hæc est pacis inchoatio: perfecta autem pax est, talem penitus nolle vindictam. Inter illud ergo primum quod præter Legem est, ut majus malum pro minore malo reddatur, & hoc quod Dominus perficiendis Discipulis dixit, ne pro malo ullum malum reddatur; medium quemdam locum tenet, ut tantum reddatur quantum acceptum est, per quod à summa discordia ad summam concordiam pro temporum distributione transitus factus est. Quisquis ergo malum infert prior studio lædendi & nocendi, vide quantùm distet ab eo qui nec læsus rependit. Quisquis autem nulli prior malè fecit, sed tamen læsus rependit graviùs, vel voluntate, vel facto, recessit aliquantùm à summa iniquitate, & processit ad summam justitiam, & tamen nondum tenet quod Lex quæ per Moysen data est, imperavit. Qui ergo tantùm reddit quantùm accepit, jam donat aliquid: non enim tantam pœnam meretur nocens, quantam ille qui ab eo læsus innocens passus est. Hanc ergo inchoatam, non severam, sed misericordem justitiam ille perficit, qui legem venit implere, non solvere. Duos ergo adhuc gradus qui intersunt intelligendos reliquit, & de ipso summo misericordiæ culmine dicere maluit. Nam est adhuc quod faciat, qui non implet istam magnitudinem præcepti, quæ pertinet ad Regnum cœlorum; ut non reddat tantum, sed minus, velut pro duobus pugnis unum, aut pro everso oculo aurem præcidat. Hinc ascendens qui omnino nihil rependerit, propinquat præcepto Domini, nec tamen adhuc ibi est. Parum enim adhuc videtur Domino, si pro malo quod acceperis, nihil rependas mali, nisi etiam ampliùs sis paratus accipere. Quapropter non ait*, Ego autem dico vobis, *non reddere malum pro malo. Quamquam hoc etiam magnum præceptum sit: sed ait*, Non resistere adversùs malum: *ut non solum non rependas quod tibi fuerit irrogatum, sed etiam non resistas quominus aliud irrogetur. Hoc est enim quod etiam consequenter exponit*: Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: *Non enim ait, Si quis te percusserit, noli tu percutere; sed, Para te adhuc percutienti. Quod ad misericordiam pertinere, hi maximè sentiunt, qui eis quos multùm diligunt, tanquam filiis vel quibuslibet dilectissimis suis ægrotantibus serviunt vel parvulis vel phreneticis: A quibus multa sæpè patiuntur, & si eorum salus id exigat, præbent se etiam ut plura patiantur, donec vel ætatis vel morbi infirmitas transeat. Quos ergo Dominus Medicus animarum, curandis proximis instruebat, quid eos aliud docere posset, nisi ut eorum, quorum saluti consulere vellent, imbecillitatem æquo animo tolerarent? Omnis namque improbitas ex imbecillitate animi venit: quia nihil innocentius est eo qui in virtute perfectus est.*

Ad omne genus injuriarum perferendum & condonandum paratus Christianus esse debet.

Subdit S. *Augustinus*, Christum Dominum hoc Oraculo omne injuriarum genus complexum esse, ut nullam injuriam esse significaret, quam Christianus condonare, imò nullam omnino ad quam perferendam paratus corde esse non debeat, potiùs quàm violet caritatem. *In his sanè generibus trium exemplorum nullum genus injuriæ prætermissum esse video. Namque omnia in quibus improbitatem aliquam patimur, in duo genera dividuntur: quorum alterum est quod restitui non potest; alterum quod potest. Sed in illo quod restitui non potest, vindictæ solatium quæri solet. Quid enim prodest quòd percussus repercutis? nunquid propterea illud quod in corpore læsum est, restituitur in integrum? Sed tumidus animus talia fomenta desiderat: sanum autem firmùmque ista non juvant; quin potiùs misericorditer perferendam alterius infirmitatem judicat, quàm alieno supplicio suam mitigandam, quæ nulla est...... Tenebitur ergo in hoc injuriarum genere, quod per vindictam luitur, iste à Christianis modus, ut accepta injuria non surgat in odium, sed infirmitatis misericordiâ paratus sit animus plura perpeti: nec correctionem negligat, quâ vel consilio, vel auctoritate, vel potestate uti potest. Aliud injuriarum genus est, quod in integrum restitui potest: cujus duæ species, una ad pecuniam, altera ad operam pertinet. Quapropter illius de tunica & vestimento, hujus de angaria mille passuum, & duum millium, exempla subjecta sunt: quia & reddi vestimentum potest, & quem adjuveris operâ, potest te etiam ipse, si opus fuerit, adjuvare. Nisi fortè ita potiùs distinguendum est, ut priùs quod positum est de percussa maxilla, omnia significet quæ sic ingeruntur ab improbis, ut restitui non possint nisi vindictâ: secundum quod positum est de vestimento, omnia significet quæ possunt restitui sine vindicta; & ideo fortè additum est*, Qui voluerit tecum judicio contendere, *quia quod per judicium aufertur, non eâ vi putatur auferri, cui vindicta debeatur: Tertium verò ex utroque confectum sit, ut & sine vindicta, & cum vindicta possit restitui. Nam qui operam indebitam violenter exigit sine ullo judicio, sicut facit qui angariat hominem improbè, & cogit se illicitè adjuvari ab invito, & pœnam improbitatis potest luere, & operam reddere, si hanc ille repetat qui improbum pertulit. In his ergo omnibus generibus injuriarum Dominus docet patientissimum, & misericordissimum, & ad plura perferenda paratissimum animum Christiani esse oportere.*

Præterea, Christus inimicorum dilectionem, & condonationem injuriarum nobis imperat, ut remissionem peccatorum à Patre cælesti obtineamus: vult ergo ut quemadmodum integram, plenam & perfectam misericordiam ab ipso precamur & speramus: ita & plenam atque perfectam misericordiam exerceamus in inimicos nostros: nullámque de ipsis ultionem sumamus unquam, aut expetamus. Matth. VI. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Sic ad divinæ bonitatis & perfectionis imitationem à Christo imperatam contendimus. *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros. Benefacite his qui vos oderunt, & orate pro his qui vos persequuntur: ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est..... Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester, qui in cælis est, perfectus est.* Nam, ut ait *Sanctus Augustinus*, Libro I. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. XXI. *Perfectio misericordiæ, quâ plurimùm animæ laboranti consulitur, ultra dilectionem inimici porrigi non potest, & ideo sic clauditur: Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester, qui in cælis est, perfectus est.* Math. 5.

Hanc Regulam confirmat Apostolus, ad Romanos XII. *Nulli*, inquit, *malum pro malo reddentes: providentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non vosmetipsos defendentes, Charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindicta;*

ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.

Quandoque gravius illius qui injuriam ulciscitur, peccatum est, quàm illius qui injuriam intulit.

Certè non minus est, imò quandoque gravius illius qui injuriam ulciscitur, quàm ejus qui injuriam infert, peccatum. Quâ de re præclarè *Tertullianus*, Libro *De Patientia*, Cap. x. *Est & alius summus impatientiæ stimulus* (inquit) *ultionis libido, negotium curans aut gloriæ, aut malitiæ. Sed & gloria utique vana, & malitia numquam non Domino odiosa, hoc quidem loco maximè, cùm alterius malitiâ provocata, superiorem se in exequenda ultione constituit, & remunerans nequam duplicat quod semel factum est. Ultio penes errorem, solatium videtur doloris: penes veritatem, certè redarguitur malignitatis. Quid enim refert inter provocantem & provocatum, nisi quod ille prior in maleficio deprehenditur, at ille posterior? Tamen uterque læsi hominis Domino reus est: qui omne nequam & prohibet & damnat. Nulla in maleficio ordinis ratio est: nec locus secernit, quod similitudo conjungit. Absolutè itaque præcipitur malum malo non rependendum. Par factum, par habet meritum. Quomodo id observabimus, si fastiditi antè in fastidio ultionis non erimus? Quem autem honorem litabimus Domino Deo, si nobis arbitrium defensionis arrogaverimus? Nos utres, vasa fictilia, servulis nostris assumentibus sibi de conservis ultionem, graviter offendimur: eos qui nobis patientiam obtulerint suam, ut memores humilitatis, servitutis, jus dominici honoris diligentes, non probamus modò, sed ampliorem quàm ipsi sibi præsumpsissent, satisfactionem facimus: id nobis in Domino tam justo ad æstimandum, tam potenti ad perficiendum periclitatur? Quid ergo credimus judicem illum, si non & ultorem? Hoc se nobis repromittit dicens: Vindictam mihi, & ego vindicabo: id est, Patientiam mihi, & ego patientiam remunerabo.*

REGULA VIII.

Vindicta quæ fit ad correctionem peccantis, ad gloriam Dei, ad aliorum utilitatem, auctoritate legitimâ, non est illicita; nec hujusmodi vindictam apud Superiores, sive Judices urgere prohibetur Christiano qui læsus fuerit; modò id faciat ob finem caritatis, non animo ultionis.

De justa vindicta.

HAnc Regulam tradunt *S. Augustinus*, & *S. Thomas*. Ille Lib. I. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. xix. *Neque hîc* (inquit) *ea vindicta prohibetur, quæ ad correctionem valet: etiam ipsa enim pertinet ad misericordiam; nec impedit illud propositum, quo quisque paratus est ab eo quem correctum esse vult, plura perferre. Sed huic vindictæ referendæ non est idoneus, nisi qui odium quo solent flagrare qui se vindicare desiderant, dilectionis magnitudine superaverit. Non enim metuendum est ne odisse parvulum filium parentes videantur, cùm ab eis vapulat peccans, ne peccet ulteriùs. Et certè perfectio dilectionis ipsius Dei Patris imitatione nobis proponitur, cùm in sequentibus dicitur:* Diligite inimicos vestros, bene facite his qui oderunt vos, & orate pro eis qui vos persequuntur: *Et tamen de ipso dicitur per Prophetam:* Quem enim diligit Dominus corripit; flagellat autem omnem filium, quem recipit. *Dicit & Dominus,* Servus qui nescit voluntatem domini sui, & facit digna plagis, vapulabit pauca: servus autem qui scit voluntatem domini sui, & facit digna plagis, vapulabit multa. *Non ergo quæritur, nisi ut & ille vindicet, cui rerum ordine potestas data est: & eâ voluntate vindicet, quâ pater in parvulum filium, quem per ætatem odisse nondum potest. Hinc enim aptissimum exemplum ducitur, quo satis appareat, posse peccatum amore potiùs vindicari, quàm impunitum relinqui; ut illum in quem vindicat, non pœnâ miserum, sed correctione beatum velit: paratus tamen, si opus sit, æquo animo plura tolerare ab illo illata, quem vult esse correctum, sive in eum habeat potestatem coërcendi, sive non habeat. Magni autem & sancti viri, qui jam optimè scirent, mortem istam quæ animam dissolvit à corpore, non esse formidandam, secundùm eorum tamen animum qui illam timerent, nonnulla peccata morte punierunt, quòd & viventibus utilis metus incuteretur, & illis qui morte puniebantur, non ipsa mors noceret, sed peccatum, quod augeri posset, si viverent. Non temerè illi judicabant, quibus tale judicium donaverat Deus. Inde est quòd Elias multos morte affecit, & propriâ manu, & igne divinitus impetrato: quod & alii multi magni & divini viri eodem spiritu consulendi rebus humanis non temerè fecerunt. De quo Elia cùm exemplum dedissent Discipuli, Domino commemorantes quid ab eo factum sit, ut etiam ipsis daret potestatem petendi de cœlo ignem ad consumendum eos qui sibi hospitium non præberent, reprehendit in eis Dominus non exemplum Prophetæ sancti, sed ignorantiam vindicandi, quæ adhuc erat in rudibus: animadvertens eos non amore correctionem, sed odio desiderare vindictam. Itaque postea quàm illos docuit quid esset diligere proximum tanquam seipsum, infuso etiam Spiritu sancto, non defuerunt tales vindictæ, quamvis multò rariùs quàm in Veteri Testamento. Ibi enim ex majore parte servientes timore premebantur: hîc autem maximè dilectione liberi nutriebantur. Nam & verbis Apostoli Petri Ananias & uxor ejus exanimes ceciderunt, nec resuscitati sunt, sed sepulti.*

Prov. 3. — Luc. 12. — Act. 5.

Et Epistolâ CXXXVIII. aliàs V. ad *Marcellinum*, Cap. II. *Quanta* (inquit) *præcepta concordiæ, non humanis disputationibus exquisita, sed divinâ auctoritate conscripta, in Christi Ecclesia lectitantur, quis vel ab illa Religione alienus ita surdus est ut ignoret? Ad hoc enim & illa pertinent, quæ malunt exagitare, quàm discere, alteram percutienti præbendam esse maxillam, volenti auferre tunicam dandum etiam pallium, cum angariante duplicandam viam. Hoc quippe fit ut vincatur bono malus, imò in homine malo vincatur bono malum, & homo liberetur à malo, non exteriore & alieno, sed intimo ac suo, quo graviùs ac perniciosiùs quàm cujusvis hostis extrinsecus immanitate vastatur. Qui ergo vincit bono malum patienter amittit temporalia commoda, ut doceat quàm pro fide atque justitia contemnenda sint, quæ ille nimis amando fit malus; ut sic injuriosus ab eo ipso, cui fecit injuriam, discat qualia sint propter quæ fecit injuriam, atque in concordiam quâ nihil est utilius civitati, pœnitens acquiratur, victus non sævientis viribus, sed benevolentiâ patientis. Tunc enim rectè fit, cùm videtur ei profuturum esse propter quem fit, ad operandam in eo correctionem atque concordiam. Hoc certè animo faciendum est, etiamsi alius exitus consequatur, nec corrigi velit atque pacari, propter quem corrigendum atque pacandum, velut curandum & sanandum adhibita est ista medicina...... Paratus itaque debet esse bono justus & pius, patienter eorum malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit, ut numerus potiùs crescat bonorum, non ut pari malitiâ se quoque numero addat malorum. Denique ista præcepta magis ad præparationem cordis, quæ intus est, pertinere, quàm ad opus quod in aperto fit, ut teneatur in secreto animi patientia cum benevolentia; in manifesto autem id fiat, quod eis videtur prodesse posse, quibus bene velle*

De justa vindicta. *debemus, hinc liquidò ostenditur, quòd ipse Dominus Jesus exemplum singulare patientiæ cùm per» cuteretur in faciem, respondit:* Si malè dixi, ex» probra de malo: si autem benè, quid me cæ» dis? *Nequaquam igitur præceptum suum, si verba intueantur, implevit. Neque enim præbuit percutienti alteram partem, sed potiùs prohibuit, ne qui fecerat injuriam augeret: & tamen paratus venerat non solùm in faciem percuti, verùm etiam pro his quoque, à quibus hæc patiebatur, crucifixus occidi, » pro quibus ait in Cruce pendens:* Pater, ignosce » illis, quia nesciunt quid faciunt. *Nec Paulus Apostolus præceptum Domini & Magistri sui videtur implesse, ubi etiam ipse percussus in faciem di» xit Principi Sacerdotum:* Percutiet te Deus, pa» ries dealbate; sedens judicas me secundùm Le» gem, & contra Legem jubes me percuti.

Joan. 18. — Act. 23.

Sunt ergo ista præcepta patientiæ semper in cordis præparatione retinenda, ipsaque benevolentia, ne reddatur malum pro malo, semper in voluntate complenda est. Agenda sunt autem multa etiam cum invitis benignâ quadam asperitate plectendis, quorum potiùs utilitati consulendum est, quàm voluntati.... Nam in corripiendo filio quamlibet asperè, nunquam profectò amor paternus amittitur. Fit tamen quod nolit & doleat, qui etiam invitus videtur dolore sanandus. Ac per hoc, si terrena ista Respublica præcepta Christiana custodiat, & ipsa bella sine benevolentia non gerentur, ut ad pietatis justitiæque pacatam societatem victis faciliùs consulatur. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur: quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione LXXII. Articulo III. *Tenemur* (inquit) *habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit. Quandoque tamen oportet ut contumeliam illatam repellamus, maximè propter duo. Primò quidem propter bonum ejus qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet, secundùm » illud Proverb.* XXVI. Responde stulto juxta stulti» tiam suam, ne sibi sapiens videatur. *Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas.*

REGULA IX.

Ira per zelum, si sit immoderata, peccatum est.

Ira per zelum.

HAnc Regulam tradit *S. Gregorius Magnus*, Libro V. *Moralium*, Cap. XXX. *Cùm* (inquit) *per zelum animus movetur, curandum summopere est, ne hæc eadem quæ instrumento virtutis assumitur, menti ira dominetur, nec quasi domina præeat, sed velut ancilla ad obsequium parata, à rationis tergo nunquam recedat. Tunc enim robustiùs contra vitia erigitur, cùm subdita rationi famulatur. Nam quantumlibet Ira ex zelo rectitudinis surgat, si immoderata mentem vicerit, rationi protinus servire contemnit: & tantò se imprudentiùs dilatat, quantò impatientiæ vitium virtutem putat. Unde necesse est, ut hoc ante omnia, qui zelo rectitudinis movetur, attendat, ne Ira extra mentis dominium transeat, sed in ultione peccati tempus modùmque considerent, surgentem animi perturbationem subtiliùs retractando restringat, animositatem reprimat, & motus fervidos sub æquitate disponat: ut eò fiat justior ultor alienus, quò prius extitit victor suus: quatenus sic culpas delinquentium corrigat, ut antè ipse qui corrigit, per patientiam crescat, & fervorem suum transcendendo indicet, ne intemperanter excitatus zelo rectitudinis, longè à rectitudine aberret.*

De Ira.

Et *S. Bernardus*, Epistolâ LXIX. *Peccabis non minùs nimis irascendo, quàm omnino non irascendo: siquidem non irasci, ubi irascendum sit, nolle emendare peccatum est: plus verò irasci quàm irascendum sit, peccatum peccato addere est.*

REGULA X.

Multò melius est nec justè cuiquam irasci, quàm in alicujus odium ira occultâ facilitate delabi.

NAm, ut ait *S. Augustinus* Epistolâ XXXVIII. alias CXLIX. *Inveterascens ira fit odium, dum quasi justi doloris admixta dulcedo, diutiùs eam in vase detinet, donec totum acescat, vásque corrumpat. Quapropter multò meliùs nec justè cuiquam irascimur, quàm velut justè irascendo in alicujus odium ira occultâ facilitate delabimur. In recipiendis enim hospitibus ignotis, solemus dicere, Multò esse melius malum hominem perpeti, quàm forsitan per ignorantiam excludi bonum, dum cavemus ne recipiatur malus, sed in affectibus animi contra est. Nam incomparabiliter salubrius est etiam iræ justè pulsanti non aperire penetrale cordis, quàm admittere non facilè recessuram, & perventuram de surculo ad trabem. Audet quippe imprudenter etiam crescere citiùs quàm putatur. Non enim erubescit in tenebris, cùm super eam sol occiderit.*

REGULA XI.

Quamvis Ira in quolibet Christiano peccatum sit, gravius tamen in Sacerdotibus peccatum est.

Sacerdotalis mansuetudo.

QUod enim Christus Christianis omnibus in persona Discipulorum suorum dixit, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*, Sacerdotibus maximè dictum esse intelligendum est, qui Legis Novæ, quæ lex est amoris & caritatis, Prædicatores sunt & Ministri, & Sacerdotii Christi characteres ab Isaia & *sancto Matthæo* descriptos in se exprimere debent. *Ecce* (inquit) *puer meus, quem elegi..... Ponam Spiritum meum super eum, & judicium Gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus: arundinem quassatam non confringet, & lychnum fumigans non extinguet*; id est, peccatores non exacerbabit, non à se repellet, non agresti quadam & ferâ severitate in desperationem compellet, sed divinâ benignitate & compatiente caritate ad Evangelicæ Legis observantiam suaviter trahet.

Matth. 11. — Is. 42. Matth. 12.

Debent prætereà Sacerdotes, non minùs quàm Apostoli, in Mundo, id est, in medio hominum sæcularium, & peccatorum versari, *Sicut agni inter lupos*, debent columbarum simplicitatem imitari. Sic fiet ut lupos in naturam ovium transmutent. *Majus autem atque admirabilius est mentem atque animum adversariorum commutare, quàm gladiis ipsos sucidere* (inquit S. Joannes Chrysostomus Homiliâ XXXIV. in Matthæum.) *Erubescant igitur, qui contrà facientes, quasi lupi adversarios suos persequuntur, cùm videant innumeros lupos ab ovibus vinci paucissimis,* (duodecim nimirum Apostolis.) *Et certè quousque sumus oves, facilè bestes vincimus: cùm verò in naturam luporum transimus, tunc superamur: tunc enim nullum nobis à Pastore patrocinium adest, qui*

A

Sacerdotalis mansuetudo. *non lapot, sed oves pascit: atque ideo cùm in lapum te converteris, abit confestim, & relinquit te, qui non permittit virtutem ipsius in te clarescere. Quando cum injuriis vexatus, æquo mitique animo cuncta pateris, ipsi soli trophæum attribuis. Si verò exieris adversùs hostes, atque pugnaveris, victoriam illius obscuras.* Hinc Apostolos *sine bacula* Dominus misit, id est, absque armis offendentibus. *Arma* quippe *Clericorum sunt lachrymæ & orationes*, (inquit Concilium Aquileiense Canone x I.) Hinc Apostolus I. ad *Timotheum* III. & ad *Titum* I. Episcopi dotes describens, *Non percussorem, non iracundum, sed benignum* esse oportere docet. Et II. ad *Timotheum* IV. Episcopum informans, *Argue*, inquit, *obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Christus scilicet regendarum animarum provinciam Apostolis suis, & Episcopis eorum successoribus tradens, jussit ut tanquam Pastores, non ut Dominos se gererent: eamdémque formam sequi voluit secundi Ordinis Sacerdotes, & quotquot ad Ecclesiasticas Præfecturas, & Regimen animarum vocantur.

B

Math. 20 *Scitis*, inquit, *quia Principes Gentium dominantur eorum: & qui Majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.*

C

Quamvis enim auctoritatem spiritualem, quam ipsis commisit, illos exercere velit Christus, vult tamen ut absque fastu & acerbitate subditos regant; ut sacrum Principatum in animas duntaxat, non in corpora extendi meminerint; ut religione & caritate suaderi & imperari, non timore, non minis, non durioribus verbis, pœnísque temerè & iracundè inflictis extorqueri & cogi debere subditorum obedientiam certi sint. Hinc *S. Petrus* Epist. I. Cap. v. ait: *Neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.*

D

Hanc Regulam confirmat Canon inter eos qui Apostolici dicuntur, XXVIII. relatus Can. *Episcopum*, Dist. XLV. *Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum percutientem Fideles delinquentes, aut Infideles iniquè agentes, & per hujusmodi volentem timeri, dejici ab Officio suo præcipimus, quia nusquam nos hoc Dominus docuit. E contrario* *Isai. 53. 1. Petr. 2.* *verò ipse cùm percuteretur, non repercutiebat: cùm malediceretur, non remaledicebat: cùm pateretur, non comminabatur.*

Idem confirmat *S. Gregorius*, Epistolâ LII. Libri II. Indictione XI. *Quid autem* (inquit) *de Episcopis, qui verberibus timeri volunt, Canones dicant, bene fraternitas vestra novit. Pastores etenim facti sumus, non percussores. Et egregius Prædicator* *2. Tim. 4.* « *dicit*; Argue, obsecra, increpa, in omni patien- « tia & doctrina. *Nova verò atque inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.*

E

Et Concilium Toletanum XI. Canone v. *Nullis vita Præsulum perturbari debet excessibus motionum; quia valde indignum est ut qui throni Dei vocantur, levi motione turbentur: & qui debent esse arcu justitiæ, ipsi efficiantur seminarium litis atque rapinæ.*

F

REGULA XII.

Prælati Disciplinam lenitate & clementiâ temperare semper debent, ne in punitione culparum ira surrepat vel dominetur.

HAnc Regulam tradit *S. Gregorius*, Parte II. *Pastoralis*, Cap. VI. *Inter hypocritas* (inquit) *jure deputatur, qui ex simulatione Disciplinæ ministerium regiminis vertit in usum dominationis: & tamen nonnunquam graviùs delinquitur, si inter perversos plus æqualitas quàm disciplina custoditur. Quia enim falsâ pietate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum Judicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit. Hinc enim divinâ ei voce dicitur:* Honorasti filios « tuos magis quàm me. *Hinc Pastores increpat* « *per Prophetam dicens:* Quod fractum est, « non alligastis, & quod abjectum est, non re- « duxistis. *Abjectus enim reducitur, cùm quisque* « *in culpa lapsus, ad statum justitiæ ex Pastoralis sollicitudinis vigore revocatur. Fracturam verò ligamen astringit, cùm culpam disciplina deprimit: ne plaga usque ad interitum defluat, si hanc districtionis severitas non coarctat. Sed sæpè deteriùs frangitur, cùm fractura incautè colligatur, ut graviùs scissuram sentiat, si hanc immoderatiùs ligamenta constringant. Unde necesse est ut cùm peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magnâ se sollicitudine etiam Districtor ipse moderetur: quatenus sic jura disciplinæ contra delinquentes exerceat, ut pietatis viscera non amittat. Curandum quippe est, ut Rectorem subditis & matrem pietas, & patrem exhibeat disciplina. Atque inter hæc sollicitâ circumspectione providendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa. Nam disciplina vel misericordia multùm destituitur, si una sine altera teneatur. Sed erga subditos suos inesse Rectoribus debet & justè consulens misericordia, & piè sæviens disciplina. Hinc namque est quòd docente Veritate, per Samaritani studium semivivus in stabulum ducitur, & vinum atque oleum vulneribus ejus adhibetur: ut per vinum scilicet mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Necesse quippe est ut quisquis sanandis vulneribus præest, in vino morsum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foveantur sananda. Miscenda ergo est lenitas cum severitate, faciendum quoddam ex utroque temperamentum: ut neque multâ asperitate exulcerentur subditi, neque nimiâ benignitate solvantur. Quod juxta Pauli vocem bene illa Tabernaculi Arca significat, in qua cum tabulis virga simul & manna est: quia cum Scripturæ sacræ scientia in boni Rectoris pectore, si est virga districtionis, sit & manna dulcedinis. Hinc David ait:* Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. *Virgâ enim percutimur, baculo sustentamur. Si ergo est districtio virgæ quæ feriat, sit & consolatio baculi quæ sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderatè sæviens: sit pietas, sed non plus quàm expediat, parcens: ut dum se in arce regiminis justitia clementiáque permiscet, is qui præest, corda subditorum & terrendo demulceat, & tamen ad terroris reverentiam demulcendo constringat.*

Sacerdotalis mansuetudo. — *1. Reg. 2. & 4. Ezech. 34.* — *Luc. 10.* — *Hebr. 9.* — *Psalm. 22.*

Idem argumentum tractans Libro XX. *Moralium*, Cap. VIII. Misericordiam cum severitate conjungi oportere, Moysis exemplo demonstrat. *Videamus* (inquit) *amantem piè, & districtè sævientem. Certè cùm Israeliticus Populus ante Dei oculos pene inveniabilem contraxisset offensam, ita*

ut ejus Rector audiret : Descende, peccavit Populus tuus : *ac si ei divina vox diceret : Qui in tali peccato lapsus est, jam meus non est : atque subjungeret :* Dimitte me, ut irascatur furor meus » contra eos, & deleam eos, faciámque te in » gentem magnam : *Ille semel & iterum pro populo cui praerat, obicem se ad impetum Dei irascentis opponens, ait :* Aut dimitte eis hanc noxam, » aut si non facis, dele me de libro tuo quem » scripsisti. *Pensemus ergo quibus visceribus eumdem populum amavit, pro cujus vita de libro vita deleri se petiit. Sed tamen iste qui tanto ejus populi amore constringitur, contra ejus culpas pensemus quanta zelo rectitudinis accendatur. Mox enim ut petitione primâ, ne delerentur, culpa veniam obtinuit, ad eumdem Populum veniens, ait :* Ponat vir gladium suum su» per femur suum, ite & redite de porta usque » ad portam per medium castrorum, & occidat » unusquisque fratrem, & amicum, & proximum » suum : cecideruntque in die illo quasi viginti » tria millia hominum. *Ecce qui vitam omnium etiam cum morte sua petiit, paucorum vitam gladio extinxit. Intus arsit igne amoris : foris accensus est zelo severitatis. Tanta fuit pietas, ut se pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret : tanta severitas, ut eos quos divinitus feriri timuerat, ipse judicii gladio feriret. Sic amavit eos quibus præfuit, ut pro eis nec sibi parceret : & tamen delinquentes sic persecutus est, quos amavit, ut eos etiam Domino parcente prosterneret. Utrobique legatus fortis, utrobique mediator admirabilis : causam populi apud Deum precibus, causam Dei apud populum gladiis allegavit. Intus amans, divinæ iræ supplicando obstitit : foris sæviens culpam feriendo consumpsit. Succurrit cunctis omnibus, ostensâ morte paucorum.*

Eamdem Regulam confirmat Concilium Toletanum XI. Canone VII. *Cùm*, inquit, *juxta antiquæ institutionis edictum plus erga corrigendos agere debeat benevolentia quàm severitas, plus cohortatio quàm commotio, plus caritas quàm potestas, relatum est nobis, quod quidam ex fratribus plus livore odii, quàm correctionis studio subditos irritantes, dum se simulant spiritualem eis adhibere correptionem, indiscretam subito offerant mortem, cum mancipia à se projiciunt, & occultis eos judiciis sub Pœnitentia puniunt.*

ARTICULUS III.

De Ira Filiabus.

[Sex filiæ iræ.] IRa capitale peccatum est, ex quo sex filiæ oriuntur, scilicet *Rixa, tumor meatis, contumelia, clamor, indignatio, blasphemia.*

[Tumor mentis.] *Tumor mentis, est æstus quidam excandescentis animi, & varia media excogitantis, quibus ultionis libidinem explere valeat.* Quem animi motum Sapiente indignum docet illud Job XXV. *Numquid Sapiens implebit ardore stomachum suum ?*

[Indignatio.] *Indignatio, est commotio animi, quâ quis eum à quo læsus est, vel se læsum putat, indignum æstimat à quo talia patiatur, ideóque nec suâ familiaritate, nec alloquio eum dignatur.*

[Clamor.] *Clamor est inordinata & confusa locutio, quâ quis in alterum debacchatur.*

[Contumelia.] *Contumelia, est honoris alieni violatio per verba injuriosa, quæ ipso præsente & audiente proferuntur.*

[Blasphemia.] *Blasphemia, est honoris alieni violatio per verba contumeliosa, quibus homo irâ abreptus Dei Majestatem lacessit vel dedecorat ; aut ejus Sanctos inhonorat.* De illa agemus IV. Parte hujus Operis.

[Rixa.] *Rixa privatum bellum est inordinatâ voluntate ab hominibus irâ accensis temerè susceptum, seu Contradictio usque ad facta perveniens, dum unus alterum lædere molitur* ; ut ait *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione XLI. Articulis primo & secundo. De ipsa dicitur Proverbiorum XV. *Vir iracundus provocat rixas : qui patiens est, mitigat suscitatas.* Et rursus Cap. XXIX. *Vir iracundus provocat rixas : & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior.*

ARTICULUS IV.

REGULÆ MORUM

Circa Filias Iræ.

REGULA I.

Tumor mentis lethale peccatum est, cùm homo iratus gravem injustámque vindictam proximo, à quo læsus est, inferre meditatur.

[Tumor mentis.] CUm enim hîc accipiatur tumor mentis, non pro superbia, sed pro quodam conatu sive audacia hominis intentantis vindictam, (ut loquitur *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione CXLVIII. Articulo VII. ad tertium,) Tumoris istius malitia & gravitas petitur ex qualitate ultionis cujus desiderio mens accenditur.

REGULA II.

Indignatio lethale peccatum est, si gravem proximi contemptum contineat ; vel grave pusillis scandalum afferat ; vel si quis à sua familiaritate & colloquio eum velut indignum arceas, in iis casibus, in quibus sub peccato mortali cum eo familiariter versari & colloqui tenetur ; vel tandem si ita sit affectus, ut eum in gravi necessitate corporis aut animi constitutum juvare nollet.

[Indignatio.] HOs namque motus omnes & affectus oppositi Caritati & Mansuetudini Christianæ compertum est. Quod verò silentium attinet ab ira imperatum, grave plerumque peccatum esse docet *S. Gregorius*, Libro quinto *Moralium*, Cap. XXX. *Aliquando (inquit) ira perturbato animo quasi ex judicio silentium indicit, & quò se foras per linguam non exprimit, intus deterius ignescit, ut iratus quisque collocutionem suam proximo subtrahat, & nil dicendo, quàm sit aversus dicat. Et nonnunquam hæc silentii severitas per disciplinæ dispensationem geritur : si tamen sollicitè in intimis discretionis forma teneatur. Nonnunquam verò dum accensus animus à consueta locutione restringitur, per accessum temporis penitus à proximi dilectione separatur, & acriores stimuli ad mentem veniunt, causæ quoque quæ gravius exasperant, oriuntur : atque in irati oculo festuca in trabem vertitur, dum ira in odium permutatur. Plerumque ira per silentium clausa intra mentem vehementiùs æstuat, & clamosas tacita voces format : verba sibi, quibus exasperatur, objicit, & quasi in causa examine posita durius exasperata respondet : quod Salomon breviter insinuat dicens :* Præstolatio impiorum « furor. *[Prov. 11.]* *Sicque fit ut perturbatus animus majorem « strepitum sui silentii sentiat, eúmque graviùs clausa*

ira flamma consumat. Unde beat ante nos quidam Sapiens dixit: Cogitationes iracundi viperea sunt generationes, mentem comedunt matrem suam.

REGULA III.

Clamor ex ira procedens lethale peccatum est, si appetitum deliberatum mortis, aut gravis alicujus damni proximo inferendi exprimat; aliàs veniale duntaxat peccatum est.

Clamor ex ira.

HÆc Regula colligitur ex *S. Gregorio*, Libro v. *Moralium*, Cap. xxx. *Ira suis stimulis*, inquit, *accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, nequaquam recognoscuntur noti. Ore quidem clamorem format, sed sensus quid loquatur ignorat. In quo itaque iste ab arreptitiis longè est, qui actionis suæ conscius non est? Unde fit plerumque, ut usque ad manus ira prosiliat, & quo ratio longius recedit, audacior exurgat: seque ipsum animus retinere non valet, quia factus est potestatis alienæ: & eò furor membra foris in ictibus exercet, quo intus ipsam membrorum dominam mentem captivam tenet. Aliquando autem manus non exerit, sed in maledictionis jaculum linguam vertit. Fratris namque interitum precibus exposcit, & hoc Deum perpetrare expetit, quod ipse perversus homo facere vel metuit, vel erubescit. Fitque ut voto & voce homicidium peragat, etiam cùm à læsione proximi manibus cessat.*

REGULA IV.

Contumelia, vel convitium lethale peccatum est, si animo dedecorandi proximum, & honorem illius violandi proferatur: aut tam grave sit quod temerè proferatur convitium, ut personarum conditione, circumstantiisque spectatis, ejus honorem reipsa lædat plurimum, quamvis eo fine verbum injuriosum non proferatur.

NIhil enim meretur damnationem æternam nisi mortale peccatum: convitium porrò vel contumelia meretur damnationem æternam, secundùm oraculum Christi: *Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Mortale igitur peccatum est. Unde Apostolus ad *Romanos* 1. inter crimina quibus Ethnici, & à Deo deserti abundant, & ob quæ *digni sunt morte*, contumeliam notat, *contumeliosos, superbos*, &c.

Matth. 5.

Id confirmat *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione lxxii. Articulo ii. *Verba*, inquit, *in quantum sunt soni quidam, non sunt in nocumentum aliorum, sed in quantum significant aliquid: quæ significatio ex interiori affectu procedit. Et ideo in peccatis verborum maximè considerandum videtur ex quo affectu aliqui verba proferant. Cum ergo convitium vel contumelia de sui ratione importet quamdam dehonorationem: si intentio proferentis ad hoc feratur, ut per verba quæ profert, honorem alterius auferat; hoc propriè & per se est dicere convitium vel contumeliam: & hoc est peccatum mortale, non minùs quàm furtum vel rapina. Non enim homo minus amat suum honorem, quàm rem possessam.*

Et paulò post addit, hujusmodi verbis, etiam correptionis, aut delectationis gratiâ prolatis, moderatè & prudenter utendum: *Quia posset esse ita grave convitium, quod per incautelam prolatum, auferret honorem ejus contra quem proferretur; & tunc posset homo peccare mortaliter, etiamsi non intenderet dehonorationem alterius. Sicut etiam si aliquis incautè alium ex ludo percutiens, graviter lædat, culpa non caret.*

Hanc doctrinam ex *S. Joanne Chrysostomo* Libro 1. *De Compunctione cordis*, hauserat *S. Thomas*, scribente: *Quod si quis fatuum dixerit fratrem suum, extremo dignus est supplicio; qui maleficum, invidum, levem, inanis gloriæ cupidum appellarit, aut alia innumera in eum maledicta congesserit, quantùm se gehennæ flammis obnoxium reddit? Fatue enim & Rhaca quod ait: hoc est quòd ostendit, quia ne leve quidem & minimum in fratrem convitium relaxabitur: atque ob id de levioribus sententiam dedit Christus, ut de gravioribus dubitare non debeat.*

Contumelia & convitium.

REGULA V.

Si absque animo lædendi, ex levitate, aut joci gratia, vel causâ correptionis, verba convitii aut contumeliæ dicantur, & secundùm se, aut spectatâ qualitate personarum, & circumstantiis, levia sint, vel censeantur, vel ex plena deliberatione prolata non sint, sed ex surreptione, venialia duntaxat, & quandoque nulla peccata sunt.

HUjus Regulæ partes omnes nituntur auctoritate *S. Thomæ*, Secundâ Secundæ, Quæstione lxxii. Articulo ii. *Si vero*, inquit, *aliquis verbum convitii vel contumeliæ alteri dixerit, non tamen animo dehonorandi, sed fortè propter correctionem, vel propter aliquid hujusmodi..... hoc potest esse quandoque peccatum veniale, quandoque autem absque omni peccato. In quo tamen necessaria est discretio, ut moderatè homo talibus verbis utatur, &c.*

Et in Responsione ad primum: *Ad eutrapeliam pertinet dicere aliquod leve convitium, non ad dehonorationem, vel ad contristationem ejus in quem dicitur: sed magis causâ delectationis & joci. Et hoc potest esse sine peccato, si debita circumstantia observentur. Si vero aliquis non reformidet contristare eum in quem profertur hujusmodi convitium, dummodo aliis risum excitet; hoc est vitiosum.*

Eutrapelia, virtus ... [illegible]

In Responsione verò ad secundum: *Sicut*, inquit, *licitum est aliquem verberare, vel in rebus damnificare, causâ disciplinæ: ita etiam causâ disciplinæ potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod convitiosum dicere. Et hoc modo Dominus Discipulos vocavit stultos.* O stulti, *inquit*, & tardi corde ad credendum; *Et Apostolus Galatas insensatos.* O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati? *Tamen, sicut dicit S. Augustinus* in Libro *De Sermone Domini in Monte*, *RARÒ & in magna necessitate objurgationes adhibendæ sunt, ita tamen ut etiam in his ipsis non nobis, sed Deo ut serviatur instemus.* Et Libro xxi *De Civitate Dei*, Cap. xxvii. ait: *Non dicit fratri suo* Fatue, *qui cum hoc dicit, non ipsi fraternitati, sed peccato ejus infensus est; alioquin reus erit gehennæ ignis.*

Luc. ult.

Ad Galat. 3.

Lib. 1. c. 19.

Denique *S. Thomas*, in Responsione ad tertium: *Cùm*, inquit, *peccatum convitii vel contumeliæ ex animo dicentis dependeat, potest contingere quòd sit peccatum veniale, si sit leve convitium, non multùm hominem dehonestans, & proferatur ex aliqua animi levitate, vel ex levi ira, absque firmo proposito aliquem dehonestandi: putà, cùm aliquis intendit aliquem per hujusmodi verbum leviter contristare.*

Dixi, levia convitia, levesque contumelias, aut quæ leves censentur spectatâ conditione personarum, aliisque circumstantiis, venialia esse peccata: quia etiamsi leves sint absolutè & simpliciter, si tamen graves sint respectu persona-

Contumelia & convitium.

rum quibus objiciuntur; aut noverit qui verba illa profert, proximum levis peccati, aut alterius defectûs objectione graviter contristandum, vel grave damnum passurum: aut si conviciator ipsi grave dedecus hujusmodi verbis inurere intendat, lethalis peccati reus est. Contra verò, si id quod objicitur, absolutè quidem & per se grave sit, sed propter vilem personarum conditionem, aut morem partium loquendi, grave non censeatur, veniale dumtaxat peccatum est. Sic viros & mulierculas infimæ sortis, cùm irâ fervente, certis convitiis & contumeliis apud plebeios usitatis se lacessunt, mortalis peccati non damnant Theologi; quia nec iis, quæ sibi mutuò objicere solent inter rixandum, fides adhibetur; nec vilium hujusmodi personarum honor graviter his verborum injuriis læditur, quibus nobilium aut honoratorum civium, illustriúmque, aut ingenuarum ex ordine civili mulierum, violaretur existimatio. Hinc etiam verba quædam in Regionibus & Provinciis nonnullis graves contumeliæ sunt, immaniáque convitia: in aliis verò levia, aut nulla. Nam *Verba, in quantum sunt soni quidam, non sunt in nocumentum aliorum; sed in quantum significant aliquid: quæ quidem significatio ex interiori affectu procedit;* (inquit S. Thomas:) Addiderim, & ex arbitrio, moribusque Gentium.

Regula VI.

Quamvis inter convitium, contumeliam, & improperium discrimen Theologi statuant, promiscuè tamen apud vulgus usurpentur.

ITa *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione LXXII. Articulo primo in Responsione ad tertium. *Convitium*, inquit, *& improperium consistunt in verbis, sicut & contumelia: quia per hæc omnia repræsentatur aliquis defectus alicujus in detrimentum honoris ipsius. Hujusmodi autem defectus est triplex: scilicet defectus culpæ, qui repræsentatur per verba contumeliosa. Et defectus generaliter culpæ & pœnæ, qui repræsentatur per convitiam: quia vitium consuevit dici non solùm animæ, sed etiam corporis. Unde si quis alicui injuriosè dicat eum esse cæcum, convitium quidem dicit, sed non contumeliam. Si quis autem dicat alteri quod sit fur, non solum convitium, sed etiam contumeliam infert. Quandoque verò repræsentat aliquis alicui defectum minorationis, sive indigentiæ; qui etiam derogat honori consequenti quamcumque excellentiam: & hoc fit per verbum improperii: quod propriè est quando aliquis injuriosè alteri ad memoriam reducit auxilium quod contulit ei necessitatem patienti. Unde dicitur Ecclesiastici* XX. Exigua dabit, & multa improperabit. *Quandoque tamen unum istorum pro alio ponitur.*

Regula VII.

Contumeliosi ad restitutionem honoris, quo meliori & convenientiori modo fieri potest, tenentur.

CUm enim contumelia justitiam violet, Restitutionis obligationem imponit, ut honore restituto reparetur æqualitas, secundùm illud Apostoli ad Romanos XIII. *Reddite omnibus debita: cui honorem, honorem.* Quæ quidem restitutio fit ignorantiæ confessione, cùm quis alterum ex ignorantia inhonoravit, sicut Apostolus cùm Principem Sacerdotum parietem dealbatum vocasset, astantésque dixissent, *Summum Sacerdotem Dei maledicis?* respondit: *Nesciebam, Fratres, quia Princeps est Sacerdotum. Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.* Si verò convitia vel contumeliæ ex irâ, odio, aut aliâ malâ voluntate impacta sint iis qui non sunt subditi conviciatoris hominis aut contumeliosi, congruus satisfactionis restitutionisque modus est veniæ petitio, aut exhibitiones honoris convenientes secundùm virorum prudentum arbitrium. Sed & damna omnia ex contumeliis vel convitiis consecuta resarciri debent. Ac si contumeliis & convitiis aliquis subditum lacessiverit, veniam ut ab ipso petat, minimè necesse est, sed aliæ rationes honoris restituendi sunt eligendæ, secundùm illud *S. Augustini*, Epistolâ CCXI. aliàs CIX. *Proinde vobis à verbis durioribus parcite: quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, ex quo facta sunt vulnera. Quando autem necessitas disciplinæ minoribus coërcendis dicere vos verba dura compellit, si etiam in ipsis modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur ut ab eis veniam postuletis, ne apud eas quas oportet esse subjectas, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas: sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui novit eas, quas plus justo fortè corripitis, quantâ benevolentiâ diligatis.* Et Libro XXI. *De Civitate Dei*, Cap. XXVII. *Si quis* (inquit) *præoccupatus fuerit hoc delicto, ut fratri suo dicat*, Fatue, *id est, non ejus peccatum volens auferre, convincitur injustè, parum est illi ad hoc redimendum eleemosynas facere, nisi etiam quod sequitur remedium reconciliationis adjungat. Ibi enim sequitur: Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ad altare, & vade, prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.*

Contumelia ... Act. 23. 3.

Regula VIII.

Illatas contumelias quandoque repellere homo potest & debet veris justisque verbis, aut scriptis, vel etiam actione injuriarum, si necesse sit, cum ad reprimendam conviciatoris & contumeliosi hominis audaciam, tum ad suam dignitatem & auctoritatem tuendam: sed tamen animo paratus quisque debet esse ad contumelias patienter ferendas, si propriæ & aliorum saluti expedire conspexerit.

HAnc Morum Regulam tradit *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæst. LXXII. Articulo III. *Sicut*, inquit, *patientia necessaria est in his quæ contra nos fiunt, ita etiam in his quæ contra nos dicuntur. Præcepta autem patientiæ in his quæ contra nos fiunt, sunt in præparatione animi habenda, sicut Augustinus* Libro *De Sermone Domini in Monte, exponit illud præceptum Domini:* « Si quis percusserit te in unam maxillam, præbe « ei & aliam; *ut scilicet homo sit paratus hoc facere « si opus fuerit. Non tamen hoc semper tenetur facere* Lib. 2. *actu, quia nec ipse Dominus hoc fecit, sed cùm suscepisset alapam, dixit:* Quid me cædis? *Et ideo etiam circa verba contumeliosa quæ contra nos dicuntur, est idem intelligendum. Tenetur enim habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit. Quandoque tamen oportet ut contumeliam illatam repellamus, maximè propter duo. Primò quidem propter bonum ejus qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet, secundùm illud Proverbiorum* XXVI. Responde stulto juxta stultitiam « suam.

A

Contumelia & convitium.

n suam, ne sibi sapiens videatur. *Alio modo propter bonum maliorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas.* Unde S. Gregorius Homiliâ IX. in Ezechielem, ait: *Hi quorum vita in exemplum imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere: ne eorum prædicationem non audiant qui audire poterant, & ita in pravis moribus remanentes, bene vivere contemnant.*

REGULA IX.

Audaciam convitiantis contumeliosè, debet, qui læsus est, moderatè reprimere, scilicet propter officium caritatis, non propter cupiditatem privati honoris.

HÆc Morum Regula ipsis *S. Thomæ* verbis concepta est loco mox citato, in Responsione ad primum.

REGULA X.

Contumelias contumeliis, convitia convitiis repellere nunquam licet: unde non excusatur à peccato mortali, qui verbis contumeliosis lacessit alterum, etsi ab ipso fuerit provocatus.

C

PRohibet etiam Deus, Proverbiorum VI. *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne ei similis efficiaris.* Et Christus Discipulos suos ad patientiam informans, Matth. V. *Beati estis* (inquit) *cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Et Lucæ VI. *Benedicite maledicentibus vobis.* Præbuit exemplum Christus, qui contumelias patienter tulit. *Taceo quod figitur* (inquit Tertullianus) *in hoc enim venerat. Numquid tamen subeunda morti etiam contumeliis opus fuerat? Sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat.*

D

Lib. De Pœnitentia, cap. 3.

Hanc Regulam egregiè confirmat *S. Basilius*, Homiliâ X. De Ira. *Ne* (inquit) *Fratres dilectissimi, malum malo curate, nec contendite invicem calamitate mutuâ vincere. In malis enim pugnis miserior est qui vicit, quia peccatis longè gravior discedit. Noli ergo malam referre gratiam, neque mali mutui restitutor esse. Contumeliam intulit iratus: vinco, amovéque silentio malum. Tu autem contrà facis, qui velut undam fluentem illius iram in cordis præcordia suscipiens, ventos imitaris, qui contrariis flatibus, quod illatum est, repellunt. Noli tuo adversario pro magistro uti, nec quem odio persequaris, hunc æmulari, nec fieri veluti speculum irati velis, illius formam in teipso ostendens. Rubicundus ille est ob iram, tu minimè ruborem præfer. Illi sanguinei oculi: tui quietè ac cum gravitate aspiciant. Vox illi aspera: tibi mitis. Neque enim sic in locis desertis echo in ipsos clamantes intempestivè infringitur, sicut in hominem injustum & contumeliosum contumelia revertitur. Imò sonus quidem illi idem redditur, contumelia verò augmentata recurrit.*

E

Et infrà: *Ille maledixit, tu benedicas. Verberavit, tu patere. Exspuit, nihilique te existimavit, tu cogita quemadmodum ex terra es, & in terram reverteris. His namque modis atque rationibus te confirmans, longè leviora quàm reverà sint invenies tibi adversarii facta, jurgiáque. Sic etiam talionem illi securiùs reddes, ostendésque quàm sis contumeliis invulnerabilis, ac præclaram tibi patientiæ co-*

F

ronam comparabis, dum alterius insaniam occasionem Philosophiæ ac tuorum feceris meritorum. Quamobrem, si mihi credis, probra contumeliasque magno etiam animo contemnes, & te adhuc viliorem esse concedes. Obscurum te & inglorium vocavit, nulliúsque æstimationis: Terram te ac cinerem esse dicas. Nec tu illustrior es Patre nostro Abraham, qui seipsum his nominibus appellavit. Ignarum, pauperem, & nullius pretii te dixit: tu vermem te dicas, & è stercore genus ducere, verba David memorans. His etiam Mosis decus adde. Ille ab Aarone & Maria verbis pessimis probrosis, non ad Deum adversùs illos interpellavit, sed pro eis oravit. Quorum tu, dic mihi, cupis esse discipulus? Beatorúmne hominum & Deo gratorum, an eorum qui spiritu repleti sunt maligno? Quando enim verborum contumeliâ tentaris, illud existima, periculum de te fieri, an Deo per patientiam adhæreas, seu per iram in adversarii partes inclines. Da tempus cogitationibus ad optimam eligendi partem opportunam. Nam è duobus alterum procul dubio consequeris: aut inimicum tuæ mansuetudinis exemplo mitiorem reddes, vel certè si despexeris, acriùs illum vindicabis. Quid enim adversario durius esse potest, quàm te animum gerere contumeliis omnibus altiorem? Noli tuam pessumdare mentem: nec ab eo qui te convitiis & omni injuriâ petit, comprehendi patiare. Sine illum frustra te allatrare, in seipso disrumpi. Sicut enim ille qui minimè sentientem aut curantem verberat, seipsum lædit & incommodo afficit, quòd nec inimicum plectere, nec animum irámque exsatiare se videat: sic & is qui contumeliâ in eum, qui nequaquam doleat, utitur, perturbati animi consolationem invenire nullo modo poterit. Quin potius ardebit magis & animo æstuabit. Ex hac igitur conditione quale uterque vestrûm nomen assequatur, videamus. Hic contumeliosus, tu magnanimus vocaberis. Hic iracundus & durus, tu longanimis & mitis. Hunc quandoque pœnitebit horum quæ loquitur, te nunquam benefacti aut virtutis pœnitebit. Quid plura? Huic contumelia Regnum cœlorum claudit, quòd contumeliosi Regnum Dei non consequantur: tibi taciturnitas idem aperuit. Nam *Qui sustinebit usque in finem, hic salvus erit.* Qui autem se vindicare, & par pari reddere, ac maledicenti resistere voluerit, quam quæso habebit excusationem? Quòd primus ille fuerit ac provocaverit? Sed quâ veniâ dignum hoc? Non enim scortator in meretricem, quamvis provocantem & allicientem, culpam transferens, minùs in judicio condemnabitur. Neque enim victoria corona sine adversariis contra pugnantibus, nec cædes sine hostibus. Audis David dicentem: *Dum consisteret peccator adversùm me, non irritatus sum nec ultus; sed, Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis.* Tu autem exacerbaris ob convitium velut malum: imitaris autem rursus velut bonum. Ecce enim facis quod reprehendis, aut in alienum malum diligenter inspicis, tuam verò ipsius turpitudinem negligis. Si malum est contumelia, ejus imitationem fuge. Non enim incœpisse alium, ad excusationem sufficiet.

Matth. 24. 13.

Psalm. 38. 2.

REGULA XI.

Eo animo tacere ut convitiator vel contumeliosus magis frendeat, intúsque discerpatur, peccatum est.

HAnc Morum Regulam tradit *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione LXXII. Articulo III. ad tertium. *Si aliquis*, inquit, *hoc animo taceret, ut tacendo contumeliantem ad iracundiam provocaret, pertineret hoc ad vindictam: sed* B *si aliquis taceat volens dare locum iræ, hoc est laudabile.* Unde Ecclesiastici VIII. dicitur: *Non litiges cum homine linguato, & non strues in ignem illius ligna.* Hoc sensu *S. Joannes Chrysostomus*, Homiliâ XXII. in Epistolam ad Romanos: *Quando (inquit) convitia regeris, vinceris non ab homine, sed, quod turpius est, à passione atque impetu iræ. Si verò tacueris, & vincis, & trophæum figis, & innumeros acquires qui te coronent, quique convitium ipsum mendacii condemnent.* Et infrà: *Ipsum tuum inimicum interroga, quando magis doleat, an* C *cùm prorsus accensus, vicissim convitiaris, an cùm convitiantem derides? atque hoc postremum magis audies. Neque enim tantùm juvat convitiis non impeti, quantùm mordet quòd te ad iram permovere & accendere nequit.*

REGULA XII.

Rixa in eo qui alterum invadit injustè lethale peccatum est.

APostolus enim ad Galatas v. *Rixas* recenset inter *Opera carnis, quæ qui agunt, Regnum* D *Dei non consequentur.*

Id confirmat *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione XLI. Articulo I. *Sicut*, inquit, *contentio importat quandam contradictionem verborum, ita etiam rixa importat quamdam contradictionem in factis. Et ideo rixa videtur esse quoddam privatum bellum, quod inter privatas personas agitur, non ex aliqua publicâ auctoritate, sed magis ex inordinata voluntate, & ideo rixa semper importat peccatum, & in eo quidem qui alterum invadit injustè, est peccatum mortale. Inferre enim nocumentum proximo etiam opere manuali, non est absque mortali peccato.*

REGULA XIII.

QUi se moderatè defendit, in rixam propriè non incurrit, nec peccat.

REGULA XIV.

QUi moderatam defensionem tantisper excedit, vel cum levi motu odii, vel vindicta repellit aggressorem, venialis peccati reus est.

REGULA XV.

Qui obfirmato animo in impugnantem insurgit, ipsumque occidere vel graviter lædere nititur, peccatum lethale committit.

Rixa. TRes istas Regulas tradit *S. Thomas*, Quæstione & Articulo suprà citatis. *Rixa*, inquit, *in eo qui se defendit, potest esse sine peccato, & quandoque cum peccato veniali, & quandoque cum peccato mortali, secundùm diversum motum animi ejus, & diversum modum se defendendi. Nam si solo animo repellendi injuriam illatam, & cum* A *debitâ moderatione se defendat, non est peccatum, nec propriè potest dici rixa ex parte ejus. Si verò cum animo vindictæ vel odii, vel cum excessu debitæ moderationis se defendat, semper est peccatum: sed veniale quidem quando aliquis levis motus odii vel vindictæ se immiscet: vel cùm non multùm excedit moderatam defensionem: mortale autem quando obfirmato animo in impugnantem insurgit ad eum occidendum, vel eum graviter lædendum.*

REGULA XVI.

Ministri Principis, aut Judicis, qui aliquos invadunt publicâ potestate, non rixantur, neque peccant: sed lethalis peccati rei sunt, qui illis obsistunt, & ab illis vi illatâ se defendunt.

ITa *S. Thomas*, ibidem in Responsione ad tertium. *Ad hoc*, inquit, *quod justum sit bellum, requiritur quòd fiat auctoritate publica Potestatis. Rixa autem fit ex privato affectu iræ vel odii. Si enim Ministri Principis aut Judicis publicâ potestate ali-* C *quos invadant, qui se defendant, non dicuntur ipsi rixari, sed illi qui publicæ potestati resistunt. Et sic illi qui invadunt, non rixantur, neque peccant: sed illi qui se inordinatè defendunt.*

ARTICULUS V.

De Remediis adversùs Iram.

REmedium adversùs iram præcipuum est patientia, cujus exemplum & præceptum Christus Dominus nobis dedit. *Nobis* (inquit *Tertullianus*, Libro De Patientia) *exercendæ patientiæ auctoritatem, non affectatio humana caninæ æquanimitatis stupore formata, sed viva ac cælestis disciplinæ divina dispositio delegat, Deum ipsum ostendens patientiæ exemplum: jamprimùm qui rorem lucis hujus super justos & injustos æqualiter spargit: qui temporum officia, elementorum servitia, totius genituræ tributa dignis simul & indignis patitur occurrere, sustinens ingratissimas Nationes, ludibria artium & opera manuum suarum adorantes, nomen cum familia ipsius persequentes, luxuriam, avaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie insolescentem, ut sua sibi patientia detrahat: plures enim Dominum idcirco non credunt, quia sæculo iratum tamdiu nesciunt. Et hæc quidem divinæ patientiæ species, quasi de longinquo, fort ut de supernis æstimetur. Quid illa autem quæ inter homines palam in terris quodammodo manu apprehensa est? Nasci se Deus in utero patitur Matris, & exspectat, & natus adolescere sustinet, & adultus non gestit agnosci, sed & contumeliosus insuper sibi est, & à servo suo tingitur, & Tentatoris congressus solis verbis repellit. Cùm de Domino fit Magister, & docent hominem evadere ad salutem, scilicet veniam offensæ patientiæ eruditus; non contendit, non reclamavit, nec quisquam in plateis vocem ejus audivit, arundinem quassatam non fregit, lychnum fumigantem non restinxit. Nec enim mentitus fuerat Propheta, imò ipsius Dei contestatio, Spiritum suum in filio cum tota patientia collocantis. Nullum volentem sibi adhærere, non suscepit: nullius mensam tectúmve despexit: aquam ipse lavandis Discipulorum pedibus ministravit. Non Peccatores, non Publicanos aspernatus est. Non illi civitati, quæ eum recipere noluerat, iratus est, cùm etiam Discipuli tam contumelioso oppido cælestes ignes repræsentari voluissent. Ingratos curavit, insidiatoribus cessit. Parum hoc, si non*

Cælestis patientiæ doctrina.

Isai. 42.

Christus patientiæ magister.

etium Proditorem suum secum habuit, nec constanter denotavit. Cùm verò traditur, cùm adducitur ut pecus ad victimam; sic enim non magis aperit os, quàm agnus sub tondentis potestate. Ille cui legiones Angelorum, si voluisset, uno dicto de cœlis adfuissent, ne unius quidem Discipuli, scilicet Petri, discentis gladium ultorem probavit. Patientia Domini in Malcho vulnerata est. Itaque & gladii opera maledixit in posterum, & sanitatis restitutione ei, quem non ipse vexaverat, satisfecit per patientiam misericordiæ matrem. Taceo quod figitur, in hoc enim venerat. Nunquid tamen subeunda morti etiam contumeliis opus fuerat? Sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat. Despuitur, verberatur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur. Miræ æquanimitatis fides. Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maximè Pharisæi, Dominum agnoscere debuistis. Patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret. Talia tantáque documenta, quorum magnitudo penes Nationes quidem detrectatio fidei est, penes nos verò ratio & structio, satis apertè non sermonibus modò in præcipiendo, sed etiam passionibus in sustinendo, probant his quibus credere datum est, patientiam esse Dei naturam, effectum & præstantiam ingenitæ cujusdam proprietatis. Igitur si probos quosque servos & bonæ mentis pro ingenio dominico conversari videmus, quantò magis nos secundùm Dominum moratos inveniri oportet? Servos scilicet Dei vivi cujus judicium in servos, non in compede aut pileo vertitur, sed in æternitate aut pœna, aut salutis.... Obsequium de patientia trahitur. Nunquam impatiens obsequitur, aut patiens quis obluctatur.

Et cap. sexto ejusdem Libri: *Fides* (inquit) *patientiâ illuminata, cùm in Nationes seminaretur per semen Abrahæ quod est Christus, & gratiam Legi superduceret, ampliandæ adimplendæque Legi adjutricem suam patientiam præfecit, quòd ea sola ad justitiæ doctrinam retro defuisset. Nam olim & oculum pro oculo, & dentem pro dente repetebant, & malum malo fœnerabant. Nundum enim patientia in terris, quia nec fides. Scilicet interim impatientia occasionibus Legis fruebatur. Facile erat, absente Domino patientiæ & Magistro. Qui postquam supervenit, & gratiam Fidei patientiâ composuit, jam nec verbo quidem lacessere, nec Fatue quidem dicere sine judicii periculo licet. Prohibita ira, restricti animi, compressa petulantia manus, exemptum linguæ venenum. Plus Lex quàm amisit, invenit: dicente Christo:* Diligite inimicos vestros, & maledicentibus benedicite: & orate pro persecutoribus vestris, ut filii sitis Patris vestri cœlestis. *Vides quem nobis Patrem patientia acquirat? Hoc principali Præcepto universa patientiæ disciplina succincta est, quando ne dignè quidem malefacere concessum est.*

Remedia ad versus iram.

Matth. 5.

Et cap. VIII. *Absit à servo Christi tale inquinamentum, ut patientia majoribus tentationibus præparata in frivolis excidat. Si manu quis tentaverit provocare, præsto est dominica monela. Verberanti te, inquit, in faciem, etiam alteram genam obverte. Fatigetur improbitas patientiâ tuâ... Plus improbum illum cædis sustinendo. Ab eo enim vapulabis, cujus gratiâ sustines. Si linguæ amaritudo maledicto sive convitio eruperit, respice dictum: Cùm vos maledixerint, gaudete. Dominus ipse maledictus in lege est, & tamen solus est benedictus. Igitur Dominum servi consequamur, & maledicamur patienter, ut benedicti esse possimus. Si parum æquanimiter audiam dictum aliquod in me protervum aut nequam, reddam & ipse amaritudinis vicem necesse est, aut cruciabor impatientiâ mutâ. Cùm ergo percussero maledicto, quomodo secutus inveniar doctrinam Domini quâ tra-*

Matth. 5.

ditum est, non vasculorum inquinamentis, sed eorum quæ ex ore promuntur, hominem communicari? (Id est, immundum fieri....) *Hic jam de patientiæ voluptate. Nam omnis injuria, seu linguâ, seu manu incussa, cùm patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum aliquod in petra constantissimæ duritiæ libratum & obtusum. Concidet enim ibidem irritâ operâ & infructuosâ, & nonnunquam repercussum in eum qui emisit, reciproco impetu saviet. Nempe idcirco quis te lædit, ut doleat, quia fructus lædentis in dolore læsi est. Ergo cùm fructum ejus evertis non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui. Tunc tu non modò illæsus abis, quod etiam solum tibi sufficit, sed insuper adversarii tui & frustratione oblectatus, & dolore defensus. Hæc est patientiæ utilitas & voluptas.*

Matth. 15.

Denique cap. XV. *Adeo* (inquit) *satis idoneus patientiæ sequester Deus. Si injuriam deposueris penes eum, ultor est: si damnum, restitutor est: si dolorem, Medicus est: si mortem, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem? Nec immeritò, omnia enim ejus placita tuetur: omnibus mandatis ejus intervenit. Fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem instruit, Pœnitentiam exspectat, exomologesim adsignat, carnem regit, spiritum servat, linguam frænat, manum continet, tentationes inculcat, scandala pellit, martyria consummat, pauperem consolatur, divitem temperat.... Fidelem delectat, Gentilem invitat, servum domino, dominum Deo commendat, fœminam exornat, virum approbat: amatur in puero, laudatur in juvene, suspicitur in sene: in omni sexu, in omni ætate formosa est.*

Deus patientiæ sequester.

Patientiæ bonum & utilitas.

Idem argumentum tractat *S. Cyprianus*, Libro *De Bono Patientiæ*, atque ubi præmisit, falsam esse apud Philosophos patientiam, quia & falsa apud illos sapientia est, subdit: *Nos autem qui Philosophi non verbis sed factis sumus; nec vestitu sapientiam, sed veritate præferimus, qui virtutum conscientiam magis quàm jactantiam novimus; qui non loquimur magna, sed vivimus, quasi servi & cultores Dei, patientiam quam magisteriis cælestibus discimus, obsequiis spiritalibus præbeamus. Est enim nobis cum Deo virtus ista communis.* Tum multis ostendit patientiam Dei rem esse, qui cum crebris, immò continuis exacerbetur offensis, indignationem suam temperat, & præstitutum semel diem restitutionis patienter exspectat. Et cùm habeat in potestate vindictam, mavult diu tenere patientiam, sustinens & differens, donec ejus patientia peccatores ad Pœnitentiam adducat. Patientiam Christus Deus & Dominus noster non tantùm verbis docuit, sed implevit & factis. Et quia ad hoc descendisse se dixerat, ut voluntatem Patris faceret; *Inter cætera admirabilia virtutum suarum, quibus indicia Divinæ Majestatis expressit, paternam quoque patientiam tolerantiæ tenore servavit: omnes denique actus ejus ab ipso statim adventu patientia comite signantur, &c. Ut patientia bonum Christi est, sic contra impatientia diaboli malum: & sicut in quo habitat & manet Christus, patiens invenitur, ita impatiens semper existit, cujus mentem diaboli nequitia possidet. Exordia denique ipsa videamus. Diabolus hominem ad imaginem Dei factum impatienter tulit; inde & periit primus, & perdidit. Adam contra cæleste præceptum cibi lethalis impatiens, in mortem cecidit, nec acceptam divinitus gratiam patientia custode servavit: & ut fratrem Cain perimeret, sacrificii ejus & muneris impatiens fuit: & quòd Esau de majoribus ad minora descendit, primatus suos per impatientiam lentis amisit. Quid? Judaicus populus circa beneficia divina perfidus & ingratus,*

Impatientia malum.

Remedia adversus iram.

nonne quod à Deo primum recessit, impatientia crimen fuit? Dum Moysi cum Deo colloquentis moras non potest ferre, profanos Deos ausus postulare: ut itineris sui duces nuncuparet, caput bubulum & terrestre figmentum: nec unquam ab eadem impatientia destitit, quo minus semper docilitatis & divinæ admonitionis impatiens, Prophetas suos & Justos quosque perimendo, ad Crucem quoque & Sanguinem Domini prosiliret. Impatientia etiam & in Ecclesia Hæreticos facit, & ad Judæorum similitudinem contra Christi pacem & caritatem rebelles, ad hostilia & furiosa odia compellit. Et ne longum sit singula recensere, omnia omnino quæ patientia operibus suis ad ficat ad gloriam, impatientia destruit ad ruinam. Quare, fratres dilectissimi, patientiam, per quam in Christo manemus, ut venire cum Christo ad Deum possimus, plena observatione teneamus; quæ copiosa & multiplex non angusto fine concluditur, nec brevibus terminis coërcetur. Latè patet patientiæ virtus, & ubertas ejus & largitas de unius quidem nominis fonte proficiscitur, sed exundantibus venis per multa gloriarum itinera diffunditur: nec proficere aliquid in actibus nostris potest ad consummandam laudem, nisi inde consummationis accipiat firmitatem. Patientia est, quæ nos Deo commendat & servat: ipsa est, quæ iram temperat, quæ linguam frenat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coërcet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet: tuetur in Virginibus beatam integritatem, in Viduis laboriosam castitatem, in conjunctis & maritatis individuam charitatem: facit humiles in prosperis, in adversis fortes, contra injurias & contumelias mites: docet delinquentibus citò ignoscere, si ipse delinquas, diu & multum rogare: tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones & martyria consummat. Ipsa est quæ fidei nostræ fundamenta firmiter munit: ipsa est quæ incrementa spei sublimiter provehit: ipsa actum dirigit, ut tenere possimus viam Christi, dum per ejus tolerantiam gradimur: ipsa efficit ut perseveremus filii Dei, dum patientiam Patris imitamur. Sed quoniam plurimos scio, vel pondere injuriarum urgentium, vel dolore, de iis qui adversum se grassantur & sæviunt, vindicari velociter cupere, nec in illum extremi judicii diem malorum retributionem differre, adbiscam hortamur, interim amplectimini patientiæ bonum; ut in istis fluctuantis Mundi turbinibus, & Judæorum sive Gentilium & Hæreticorum quoque persecutionibus constituti, patienter exspectemus ultionis diem; nec ad vindictam doloris nostri querula & invidiosa festinatione properemus.

Consideratio ... ([illegible])

S. *Basilius*, Homiliâ x. *De Ira*, duo præsertim contra hoc vitium remedia proponit, ne scilicet rebus magnis pares dignósve nos judicemus, deinde ne reliquos homines nobis inferiores existimemus. *Quid miser (inquit) angeris pauperis appellatione? Rem in ære quod quemadmodum nudus in Mundum venisti, nudus etiam egressurus es. Quid enim nudo pauperius? Nihil profecto grave audisti, nisi tibi ipse quæ objecta sunt agnoscas. Quis unquam ob paupertatem in carcerem ductus est? Non egere non turpe quidem, aut aliquod probrum fuerit: sed paupertatem generosè non ferre. Memor sis Domini nostri Jesu Christi, qui cùm dives esset, nostri gratiâ egere voluit. Si vero ut stultus & indoctus appellaberis, reminiscere eorum quæ à Judæis jactata sunt in veram Sapientiam:*

Joan. 8. Matth. 26.

"Samaritanus es, & dæmonium habes. *Alapa seu pugillo cæsus es? At enim etiam Dominus. Exspuit aliquis in faciem? Eadem & Dominus est passus. Nec enim ab exspuentibus aut cædentibus faciem avertit. Calumniam pateris? Et Dominus.*

Remedia adversus iram.

Tua laceratur vestis? Et à Domino quoque vestis per vim extracta, & super eam missa sortes. Nondum condemnatus es, nondum cruci affixus. Multa tibi toleranda, ut ad ejus imitationem pervenias. Talia igitur & horum similia tibi concurrant, mentisque tuæ impetum ac iram compescant. Similes namque præparationes & animi dispositiones morsus cordis & impulsus facilè delebunt, & animæ cogitationes in tranquillum statum deducent. Hoc enim est quod David ait: Paratus sum, & non sum turbatus. *Oportet itaque motus animi insanos ac præcipites exemplo Sanctorum, ac beatorum præceptorum memoriâ cohibere: quemadmodum magnus David, & quâ mansuetudine iniquitatem Semei tulerit: non enim iræ locum dedit, in Deum causam transferens, Quoniam Dominus,* (inquit) *Semei mandavit ut maledicat David. Quamobrem cùm audivisset se virum sanguinum & iniquum vocari, minimè succensuit, sed tolerando se se humilem reddidit, ac meritam sibi infligi contumeliam putavit. Ex quo duo tibi ad custodiendam animi constantiam toleranda, Primò, Ne te rebus magnis parem dignúmve judices. Deinde, Neminem unius infra tuam dignitatem ac æstimationem esse putabis. Sic enim animus nunquam ex iis quæ nobis ex adverso inferuntur, indignabitur, aut magnoperè dolebit.... Revereantur perturbationes rationis præsentiam, quemadmodum pueri immodestum aliquid agentes viri venerabilis conspectum vereri solent.*

Psal. 118. 60. 2. Reg. 16. Humilitas iram moderatur.

S. *Ambrosius* Libro 1. *De Officiis Ministrorum*, cap. xxi. hæc adversùs iram tradit remedia: *Caveatur* (inquit) *iracundia, aut si præcaveri non potest, cohibeatur; mala enim illex peccati indignatio est, quæ ita animum perturbat, ut rationi non relinquat locum. Primum est igitur, si fieri potest, ut morum tranquillitas usu quodam, affectione, proposito in naturam vertatur. Deinde quoniam ita plerumque motus insitus est naturâ ac moribus, ut evelli atque evitari non queat: si prævideri potuerit, ratione reprimatur. Aut si prius occupatus fuerit animus ab indignatione, quàm consilio prospici ac provideri potuerit, ne occuparetur: meditare quomodo motum animi tui vincas, iracundiam temperes. Resiste iræ, si potes: cede, si non potes, quia scriptum est:* Date locum iræ.... *Ergo si prævenerit & præoccupaverit mentem tuam iracundia, & ascenderit in te, non relinquas locum tuum. Locus tuus patientia est, locus tuus sapientia est, locus tuus ratio est, locus tuus sedatio indignationis est. Aut si te contumacia respondentis moverit, & perversitas impulerit ad indignationem: si non potueris mitigare mentem, reprime linguam tuam. Sic enim scriptum est:* Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. *Deinde,* Inquire pacem & persequere eam. *Pacem illam Sancti Jacob vide, quâ tu primùm sedato animum: si non prævalueris, frenos linguæ impone tuæ: deinde reconciliationis studium ne prætermittas.* Dictum celebre Architæ Tarentini Philosophi, commemorat, qui villicum suum aliquando iratus his verbis compellavit: *O te infelicem, quem afflictarem, nisi iratus essem!* Ac Davidem hac in re majori certè laude dignum ostendit, qui bellatores adversùs Nabal ad ultionem paratos prudentis Abigail deprecatione revocavit: quod mansuetissimi Regis exemplum documento est, tempestivis quoque intercessionibus non solùm cedere nos, sed etiam delectari oportere. Eousque autem delectatus est, ut benediceret interveníentem, quod ab studio vindictæ revocatus foret. Sed & divinum illud de iræ moderatione præceptum afflante Spiritu-Sancto in Psalmis

Resistendum iræ. Psalm. 33. Genes. 33. 1. Reg. 25.

Psalm. 4. tradidit: *Irascimini, & nolite peccare.* Id est, *Irascimini ubi culpa est, cui irasci debeatis. Non potest enim fieri, ut non rerum indignatione moveamur: alioquin non virtus, sed lentitudo & remissio judicatur. Irascimini ergo ita ut à culpa abstineatis. Vel sic:* Si irascimini, *nolite, peccare, sed vincite iracundiam. Vel certè sic:* Si irascimini, *vobis irascimini, quia commoti estis, & non peccabitis. Qui enim sibi irascitur, quia citò commotus est, desinit irasci alteri: qui autem vult iram suam justam probare,* *Proverb. 16.* *plus inflammatur, & citò in culpam cadit. Melior est autem secundum Salomonem, qui iracundiam continet, quàm qui urbem capit; quia ira etiam fortes decipit.*

S. Gregorius Libro v. *Moralium*, cap. xxx. saluberrima contra iram tradit remedia. *Duobus modis* (inquit) *fracta possidere animum ira* *Duo Christiana mansuetudinis servandæ modi.* *desuescit. Primus quippe est, ut mens sollicita, antequam agere quodlibet incipiat, omnes sibi, quas pati potest, contumelias proponat: quatenus Redemptoris sui probra cogitans, ad adversa se præparet. Quæ nimirum venientia tantò fortius excipit, quantò se cautius ex præscientia armavit. Qui enim improvidus ab adversitate deprehenditur, quasi ab hoste dormiens invenitur, eumque citius inimicus necat, quia non repugnantem perforat. Nam qui mala imminentia per sollicitudinem prænotat, hostiles incursus quasi in insidiis vigilans exspectat: & inde ad victoriam valenter accingitur, unde nesciens deprehendi putabatur. Solerter ergo animus ante actionis suæ primordia, cuncta debet adversa meditari: ut semper hæc cogitans, semper contra hæc thorace patientiæ munitus, & quicquid acciderit providus superet, & quicquid non accesserit, lucrum putet.*

Secundus autem servandæ mansuetudinis modus est, ut cùm alienos excessus aspicimus, nostra quibus in aliis excedimus, delicta cogitemus. Considerata quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena. Patienter namque illatam injuriam tolerat, qui piè meminit quòd fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari. Et quasi aquâ ignis extinguitur, cùm surgente furore animi, sua cuique ad mentem culpa revocatur: quia erubescit peccata non parcere, qui vel Deo, vel proximo sæpe se recolit parcenda peccasse.

Sanctus idem Pontifex & Doctor Homiliâ xxxv. in Evangelia, Christianæ Patientiæ in ferendis & condonandis injuriis necessariam praxim egregiè ac luculenter exponit. *Luc. 21. 19.* *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (ait Christus Dominus.) *Idcirco possessio animæ in virtute patientiæ ponitur, quia radix omnium custósque virtutum patientia est.* *Patientia virtutum omnium radix & custos.* *Per patientiam verò possidemus animas nostras, quia dum nobis ipsis dominari discimus, hoc ipsum incipimus possidere quod sumus. Patientia vero est, aliena mala æquanimiter perpeti, contra eum quoque qui mala irrogat, nullo dolore morderi. Nam qui sic proximi mala portat, ut tamen tacitus doleat, & tempus dignæ retributionis quærat, patientiam non exhibet, sed ostendit. Scriptum quippe* *1. Cor. 13. 4.* « *est:* Caritas patiens est, benigna est. *Patiens namque est, ut aliena mala toleret, benigna verò est ut etiam ipsos, quos portat, amet. Hinc namque* « *per semetipsam Veritas dicit:* *Matth. 5.* Diligite inimi« cos vestros, *&c. Virtus itaque est coram hominibus, adversarios tolerare, sed virtus coram Deo, diligere, quia hoc solum Deus sacrificium accipit,* *Hoc solum sacrificium Deus accipit, quod flamma caritatis incendit.* *quod ante ejus oculos in Altari boni operis flamma charitatis incendit. Sciendum verò quòd plerumque ideo patientes esse videmur, quia retribuere mala non possumus. Sed qui idcirco malum non retribuit, quia nequaquam valet, proculdubio patiens non est: quia patientia non in ostensione inquiritur, sed in corde. Per impatientiæ autem vitium, ipsa virtutum nutrix doctrina dissipatur: scriptum namque est:* *Proverb. 19.* Do« ctrina viri per patientiam noscitur. *Tantò ergo quisque minùs ostenditur doctus, quantò convincitur minùs patiens. Neque enim potest veraciter bona docendo impendere, si vivendo nesciat æquanimiter aliena mala tolerare. Quanto enim culmine virtus patientiæ polleat, rursus Salomon indicat, dicens:* Melior est patiens viro forti, & qui« *Proverb. 16.* dominatur animo suo, expugnatore urbium. « *Minor est ergo victoria, urbes expugnare: quia extra sunt quæ vincuntur. Majus autem est quod per patientiam vincitur: quia ipse à se animus superatur, & semetipsum sibimetipsi subjicit, quando eum per cuncta in humilitate tolerantiæ sternit. Sciendum verò est quòd plerumque evenire patientibus solet, ut eo quidem tempore quo adversa patiuntur, vel contumelias audiunt, nullo dolore pulsentur: & sic patientiam exhibeant, ut custodire etiam cordis innocentiam curent.* *Verè patiens est, qui & injurias æquo animo tolerat, & de his postea cogitans, quod illas pertulerit, exultat.* *Sed cùm post paululum hæc ipsa quæ pertulerint, ad memoriam revocant, igne vehementissimi doloris instigantur, argumenta ultionis inquirunt, & mansuetudinem quam tolerantes habuerunt, in retractatione sua semetipsos dijudicantes perdunt. Callidus namque Adversarius bellum contra duos movet, unum videlicet inflammans, ut contumelias prior inferat: alterum vero provocans ut contumelias læsus reddat. Sed quia ejus jam victor exstitit, quem ad proferendas contumelias commovit: contra illum acriùs dolet, quem ad reddendas injurias commovere non potuit: unde fit, ut tota se virtute contra eum erigat, quem contumelias fortiter pertulisse considerat. Quem quia commovere in ipsa injuriarum jaculatione non potuit, ab aperto certamine interim recedens, in secreta cogitatione deceptionis tempus inquirit: & qui publico bello perdidit, ad exhibendas occultè insidias exardescit. Quietis namque jam tempore ad victoris animum rediens: & vel damna rerum, vel injuriarum jacula ad memoriam reducit: cunctáque quæ sibi illata sunt vehementer exaggerans, fuisse intolerabilia ostendit: & quiescentis animum tanto furore conturbat, ut plerumque vir patiens illa se æquanimiter tolerasse, etiam post victoriam captivus erubescat: séque non reddidisse contumelias doleat, & deteriora rependere, si occasio præbeatur, quærat. Quibus ergo isti sunt similes, nisi his qui per fortitudinem in campo victores sunt, sed per negligentiam postmodum intra urbis claustra capiuntur? Quibus isti sunt similes, nisi his quos irruens gravis languor à vita non subtrahit, sed leviter veniens recidiva febris occidit? Ille ergo veraciter patientiam servat, qui & ad tempus aliena mala sine dolore tolerat, & hæc eadem retractans, pertulisse se talia exultat: ne bonum patientiæ quod custos temporis perdat, quod in perturbationibus custoditur... Si adjuvante nos Domino virtutem patientiæ servare contendimus, & in pace Ecclesiæ vivimus, & tamen Martyrii palmam tenemus. Duo quippe sunt Martyrii genera, unum in mente, aliud* *Duplex Martyrii genus.* *in mente simul & actione. Itaque esse Martyres possumus, etiamsi nullo percutientium ferro trucidemur. Mori quippe à persequente, Martyrium in aperto opere est: Ferre verò contumelias, odientem diligere, Martyrium est in occulta cogitatione.*

Tribus denique modis virtutem patientiæ docet exerceri. *Alia namque sunt quæ à Deo, alia quæ ab antiquo Adversario, alia quæ à Proximo sustinemus.* *Patientia virtus tribus modis exercenda.* *A Proximo namque persecutiones, damna, & contumelias: ab antiquo vero Adversario tentamenta: A Deo autem flagella toleramus. Sed in his omnibus tribus modis vigilanti oculo semetipsam debet mens circumspicere, ne contra mala Pro-*

ximi pertrahatur ad retributionem mali: ne contra tentamenta Adversarii seducatur ad delectationem vel consensum delicti: ne contra flagella Opificis, ad excessum prorupat murmurationis. Perfectè enim Adversarius vincitur, quando mens nostra & inter tentamenta ejus à delectatione atque consensu non trahitur: & inter contumelias Proximi custoditur ab odio: & inter flagella Dei compescitur à murmuratione.

CAPUT XII.

DE

ACEDIA.

ARTICULUS I.

Quid sit? & quàm grave peccatum?

I. ACEDIA *fastidium est interni boni*, ut definit *Hugo à S. Victore*, in Tractatu *De Septem Vitiis*, inter *S. Augustini* Opera edito; sive, est *Tristitia de bono spirituali, in quantum est bonum divinum*, ut definit *S. Thomas* Secunda Secundæ, Quæstione xxxv. Articulo I. Dicitur Tristitia de bono divino, non in se & absolutè spectato, sed quatenus in nobis est, vel esse potest. Sic enim differt ab odio & invidia. Odio enim Dei aversamur bonum divinum quatenus in Deo: invidia de eodem dolemus, quatenus est in proximo: acediâ, quatenus in nobis est vel esse potest. Tristitia autem de bono divino quocumque non est propriè peccatum Acediæ, sed quæ refugit vel ægrè fert bonum divinum imperatum, & ad salutem æternam consequendam necessarium, ut docet *S. Thomas*, Articulo III. ejusdem Quæstionis, ad tertium, *Acedia* (inquit) *non est recessus mentalis à quocumque spirituali bono, sed à bono divino, cui oportet mentem inhærere ex necessitate. Unde si quis contristetur de hoc, quòd aliquis cogit eum implere opera virtutis, quæ facere non tenetur, non est peccatum acediæ: sed quando contristatur in his quæ ei imminent facienda propter Deum.*

II. Acediam peccatum esse, Scriptura Sacra docet *Ecclesiastici* VI. illam prohibens, ubi de Sapientia ait: *Subjice humerum tuum & porta illam, & ne acedieris in vinculis ejus. In omni animo tuo accede ad illam.* Idem probat *S. Thomas* ex Acediæ notione à *S. Joanne Damasceno* traditâ Libro II. *De Fide Orthodoxa*, cap. XIV. *Acedia* (inquit) *est quadam tristitia aggravans, quæ scilicet ita deprimit animum hominis, ut nihil ei agere libeat. Hujusmodi autem tristitia semper est mala, quandoque secundùm se ipsam, quandoque secundùm effectum. Tristitia enim secundùm se mala est, quæ est de eo quod est apparens malum, & verè bonum: sicut è contrario mala delectatio est, quæ est de eo quod est apparens bonum, & verè malum. Cùm ergo spirituale bonum sit verè bonum, tristitia quæ est de spirituali bono est secundùm se mala. Quia ergo acedia, secundùm quod hic sumitur, nominat tristitiam spiritualis boni, est dupliciter mala, & secundùm se, & secundùm effectum, & ideo acedia est peccatum.*

De Acedia.

III. Acedia lethale ex genere suo peccatum est. Acedia enim est tristitia sæculi, cùm non sit tristitia secundùm Deum: Sed *Tristitia sæculi mortem operatur:* Lethale igitur peccatum est. Id confirmat *S. Thomas* hac ratione: *Peccatum mortale dicitur, quod spiritualem vitam tollit, quæ est per charitatem, secundùm quam Deus in nobis inhabitat. Unde illud peccatum ex suo genere est mortale, quod de se secundùm propriam rationem contrariatur charitati. Hujusmodi autem est acedia. Nam proprius effectus charitatis est gaudium de Deo. Acedia autem est tristitia de bono spirituali in quantum est bonum divinum. Unde secundùm suum genus Acedia est peccatum mortale.*

Acedia peccatum ex genere suo mortale. 2. Cor. 7.

Adversatur primo & maximo divinæ dilectionis Mandato. Deum enim ex toto corde, & tota anima, ex tota virtute non diligit, qui in omnibus ad assequendam salutem necessariis vel frigescit penitus, vel tepescit. Quem quidem teporem ita Deus exhorret, ut acediosos à se vomiturum, id est, se desertorum, & gratiæ suæ auxiliis privaturum comminetur. Apocal. III. *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. Utinam frigidus esses aut calidus! Sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Hinc servum pigrum talento, quod defoderat, privari, & in tenebras exteriores mitti Dominus jubet. *Tollite* (inquit) *ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.* In hujus rei figuram Christus ficulneam in qua fructum non invenerat, arefecit maledicto, æternâque sterilitate damnavit, quamvis ficorum tempus non esset: ut significaret hominem quovis tempore fructus pietatis & bonorum operum ferre debere, quos si ex acedia & fastidio spiritualis boni non ferat, divinâ maledictione ferietur.

Acedia adversatur primo & maximo dilectionis divinæ mandato.

Matth. 25.

Marc. 11.

Præcepto de diligendo Deo connexum est illud, quo in Deo delectari jubemur. Psalmo XXXVI. *Delectare in Domino*, inquit David, *& dabit tibi petitiones cordis tui.* Et Psalm. LXIII. *Lætabitur justus in Domino, & sperabit in eo, & gloriabuntur omnes recti corde.* Psalm. XXXIII. *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus.* Ad Philippenses IV. *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete.* Hinc *S. Thomas*, Quæst. XI. *De Peccatis*, Articulo III. ad sextum, ait: *Quòd homo delectetur, non cadit sub præcepto, sed quòd delectetur de Deo, hoc cadit sub præcepto, sicut & quòd homo Deum diligat, quia delectatio amorem consequitur.*

Acedia adversatur præcepto quo in Deo delectari jubemur.

Et in Responsione ad septimum: *Delectatio quæ provenit ex caritate, cui contrariatur acedia, est de necessitate spiritualis vitæ, sicut & ipsa caritas: & ideo acedia est peccatum mortale.*

Delectationis hujus necessitatem confirmat *S. Augustinus*, Sermone XXI. aliàs V. editis à P. Sirmondo. *Jocundare* (inquit) *in his quæ jussit Dominus ut jocunderis in Domino. Jocundare in fide, jocundare in spe, jocundare in caritate, jocundare in misericordia, jocundare in hospitalitate, jocundare in castitate. Hæc omnia bona sunt, thesauri interioris hominis; gemma non arca tua, sed conscientia tua. His ama dives esse, quas divitias nec naufragio possis amittere; unde si nudus exieris, plenus eris.... Delectare in Domino, non in sæculo. In Domino enim jocundabatur ille, qui cùm perdidisset totam jocunditatem sæculi; remansit ei Dominus in quo jocundaretur: remansit in ira simplex, perfecta & immutabilis jocunditas cordis ejus. Quæ habebat, possidebat,*

 A

De Acedia.

possidebat, non possidebatur, à Domino autem possidebatur: illa calcabat, ex illo pendebat. Ecce enim quid sit in Domino jocundari. Dominus dedit, Dominus abstulit: numquid se abstulit? quod dedit, abstulit; qui dedit se obtulit..... Quare displiceat servo id quod placuit Domino? Aurum (inquit) perdidi, familiam perdidi, pecora perdidi, quicquid habui perdidi: à quo habeo, non perdidi. Perdidi quod dederat; Eum non perdidi cujus ipse sum. Delectatio mea Ipse, divitiæ mea Ipse. Sed quare? Quia non perversus, non capite deorsum, non neglexit eum qui supra se est, & dilexit ea quæ infra se. Ipsa est enim perversitas malè utendi creatura. Boni B certè divini fastidium oritur ex perverso creaturarum amore, in quibus cor terreni hominis ita delectatur, ut gustare non possit quàm suavis est Dominus.

Acedia adversatur desiderio justitiæ.

Amoris quoque divini fructus est ardens desiderium justitiæ, quæ una ex Beatitudinibus Evangelicis est. Matthæi cap. v. *Beati* (inquit Christus) *qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* An verò justitiam esuriunt & sitiunt, qui divinum bonum fastidiunt, quibus opera pietatis ad salutem necessaria tædium ac tristitiam pariunt; qui in omnibus vitæ Christianæ, statúsque sui officiis implendis segnes sunt, negligentes, tepidi? C Quid igitur exspectare debent hujusmodi homines, nisi famis & sitis æternæ cruciatus? *Non enim ad saturitatem justitiæ, cùm hinc exierit, quisquam perveniet, nisi ad eam, cùm hic est, esuriendo & sitiendo cucurrerit;* inquit sanctus *Augustinus* Libro *De Perfectione justitiæ*, Cap. VIII. *Quamdiu ergo peregrinantes in Domino per fidem ambulamus, non per speciem, hæc est nostra in ipsa peregrinatione justitia, ut ad illam perfectionem plenitudinemque justitiæ, ubi in spe decoris ejus jam plena & perfecta caritas erit, nunc ipsius cursûs rectitudine & perfectione tendamus, castigando corpus nostrum, & servituti subjiciendo, & eleemosynas in* D *dandis beneficiis, & dimittendis, quæ in nos sunt commissa, peccatis, hilariter & ex corde faciendo, & orationibus indesinenter insistendo; & hæc faciendo in doctrina sana, quâ ædificatur fides recta, spes firma, caritas pura.* Huic autem Præcepto Acediam adversari, manifestum est.

Acedia adversatur præcepto de sanctificatione Sabbati.

Adversatur & Præcepto de sanctificatione Sabbati, quo, secundùm quod est præceptum morale, *Præcipitur quies mentis in Deo, cui etiam contrariatur tristitia mentis de bono divino;* (inquit sanctus *Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione xxxv. Articulo III. in Responsione ad primum.) E

ARTICULUS II.

De Filiabus Acediæ.

ACedia, capitale vitium est, cui sex filiæ à *S. Gregorio*, Libro xxxI. *Moralium*, cap. xvII. tribuuntur, scilicet *Malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, evagatio mentis circa illicita.* F

Malitia.

Malitia, est impugnatio bonorum spiritualium, quorum in detestationem adducit Acedia. Hujus malitiæ fermento corrupti homines, non solùm viros pios, sed & pietatem ipsam, sive quæ ad eam pertinent, irridere gestiunt, operúmque & exercitiorum pietatis contemptum aliis ingenerare. Hæc malitia reproborum hominum character est, qui per miseram æternitatem dicturi sunt intra se, pœnitentiam agentes inutilem, & præ angustiâ spiritûs gementes: *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii: nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.*

De Acedia. Sap. 5. 3.

Rancor.

Rancor, non hîc usurpatur pro odio, sed est *Indignatio quædam adversus homines, qui ad spiritualia bona suis adhortationibus, monitis, increpationibus, & salubri correptione nos impellere, & ad salutem æternam, vel perfectionem spiritualis vitæ promovere nituntur.*

Pusillanimitas.

Pusillanimitas, est vitiosa virium suarum diffidentia, quâ quis opera difficilia & ardua, suam facultatem Dei gratiâ adjutam, non excedentia, quæ consiliis subsunt, refugit & aversatur ex animi parvitate & abjectione.

Desperatio.

Desperatio, fuga est ultimi finis, seu vitium quo de ultimi finis assecutione quis desperat, ideóque omnem salutis suæ curam abjicit, vel peccatorum suorum gravitate, vel divinæ prædestinationis arcano, judiciorúmque Dei severitate perterritus.

Torpor.

C *Torpor, est remissio quædam & dejectio animi circa præceptorum observantiam, ita ut ab homine, vel penitus omittantur, vel negligenter, perfunctoriè, & oscitanter impleantur.* Hoc vitium exprimit David Psalmo cxvIII. his verbis: *Dormitavit anima mea præ tædio.* Verè enim *Ab omni contemplatione virtutum, & intuitu spiritualium sensuum, dormitat anima, quæ perturbationis hujus telo fuerit sauciata:* (inquit *Cassianus*, Libro x. *De Cœnobiorum institutis*, Cap. Iv.)

Evagatio mentis.

Evagatio mentis, est inquieti animi motus, quo propter tristitiam & tædium à spiritualibus divinisque bonis ad exteriora se transfert, ut illicitas ex iis delectationes percipiat. Ex hac mentis evagatione sequitur instabilitas corporis, quâ acediosi uno in loco consistere nequeunt, & varias regiones amant D peragrare. De quo animi morbo Monachos acediosos infestante legi possunt *Cassianus*, Libro mox indicato, Cap. II. *S. Nilus* Abbas, Oratione sextâ *De Acedia*, & *S. Antiochus* Monachus, Homiliâ xxvI. de eodem vitio.

ARTICULUS III.

REGULÆ MORUM,

Circa Acediam & Filias ejus.

REGULA I.

Lethalis Acedia reus est, quisquis spiritalia divináque bona plena deliberatione fastidit & aversatur.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione xxxv. Articulo III. *Est* (inquit) *consummatio peccati in consensu rationis. Unde si sit inchoatio peccati in sola sensualitate, & non pertingat usque ad consensum rationis, propter imperfectionem actus, est peccatum veniale. Ita etiam & motus Acediæ in sola sensualitate quandoque est, propter repugnantiam carnis ad spiritum: & tunc est peccatum veniale. Quandoque verò pertingit usque ad rationem, quæ consentit in fugam & horrorem, & detestationem boni divini, carne contra spiritum omnino prævalente: & tunc manifestum est quòd Acedia est peccatum mortale.*

REGULA II.

Tristitia de spirituali bono, quod in actibus virtutum singularum occurrit, non est acedia propriè dicta, sed pertinet ad vitia illis virtutibus opposita.

De Acedia. ITa docet *S. Thomas*, Articulo 11. ejusdem Quæstionis. *Ad quamlibet virtutem* (inquit) *pertinet gaudere de proprio spirituali bono, quod consistit in proprio actu: sed ad caritatem pertinet* B *specialiter illud gaudium spirituale, quo quis gaudet de bono divino. Et similiter illa tristitia qua quis tristatur de bono spirituali, quod est in actibus singularum virtutum, non pertinet ad aliquod vitium speciale, sed ad omnia vitia: sed tristari de bono divino, de quo caritas gaudet, pertinet ad speciale vitium, quod Acedia vocatur.*

REGULA III.

Fastidium spiritualis boni, quatenus laboriosum est aut molestum corpori, non est Acedia propriè dicta, C *sed carnalium vitiorum comes est, Christianaque temperantiæ & mortificationi adversatur.*

ITa rursùs docet *S. Thomas* ibidem: *Similiter,* (inquit) *non potest dici quòd sit speciale vitium Acedia, in quantum refugit spirituale bonum prout est laboriosum vel molestum corpori, aut delectationis ejus impeditivum, quia hoc non separaret Acediam à vitiis carnalibus, quibus aliquis quietem & delectationem corporis quærit.*

REGULA IV.

D *Negligentia propriæ salutis, mediorúmque ad eam à Deo & Domino nostro Jesu Christo institutorum, vel Divinorum Mandatorum, aut officiorum cujusque propriorum & necessariorum, secundùm statum ad quem à Deo vocatus est, lethalis Acediæ peccatum est.*

HÆc enim negligentia Legi Naturali & Divinæ in materia gravissima adversatur: quam Legem expressit Apostolus ad *Philippenses*, Cap. II. *Cum metu* (inquit) *& tremore vestram salutem operamini.* Et *S. Petrus*, Epistolâ II. Cap. I. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem &* E *electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum Regnum Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi.*

REGULA V.

Acediæ rei sunt, qui jugiter non vigilant ne vitiorum sentes & mala gramina in corde suo pullulent, & qui orta evellere studiis ferventibus non conantur.

CUm enim animus noster ager sit, in quo F Baptismi salutaribus aquis purgato & rigato Pater cælestis Christianas Virtutes inseruit, juxta illud Apostoli, *Dei agricultura estis*: & occultis gratiæ suæ subministrationibus daturus sit incrementum, si ad illas excolendas cooperemur: gravis certè delicti rei sumus, si negligentiâ nostrâ & socordiâ spinæ & tribuli oriantur, id est, prava desideria. Hanc acediosorum hominum socordiam expressit Salomon Proverbiorum XXIV. *Per agrum* (inquit) *hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleverant urtica, & operuerant superficiem ejus* De Acedia. *spinæ, & maceria lapidum destructa erat. Quod cùm vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam.* Pigri hominis agrum & vineam, id est, animam urticæ & spinæ replent, id est, pruriensia terrena desideria & punctiones pullulant vitiorum. Unde scriptum est Proverbiorum XXI. *Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus ejus operari. Tota die concupiscit & desiderat.* Maceria lapidum est disciplina Patrum, quæ in ejus corde dissoluta est & dissipata, ut explicat *S. Gregorius*, Libro XX. *Moralium*, Cap. XX. Quo fit ut bona opera parvipendat, despectisque supernis promissionibus terrena desideret: & *si quando in ejus mente aliquid de appetitu æternitatis oritur, subortâ citiùs transitoriâ delectatione dissipatur.*

Hinc *S. Bernardus*, Sermone LVIII. in *Cantico*, tractans hunc versum capitis secundi: *Tempus putationis advenit*, vineæ spiritualis putationi semper incumbendùm esse docet. *Quis enim* (inquit) *ita ad unguem omnia à se superflua resecavit, ut nil se habere putet putatione dignum? Credite mihi, & putata repullulant, & reaccenduntur exstincta, & sopita denuo excitantur. Parum est ergo semel putasse, sæpè putandum est. Imò, si fieri possit, semper; quia semper quod putari oporteat, si non dissimulas, invenit. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, si vitia putas esse mortua, & non magis suppressa. Velis, nolis, intra fines tuos habitat Jebusæus: subjugari potest, sed non exterminari.*

REGULA VI.

Acediæ rei sunt, quicumque in Christiana, & sui status perfectione proficere pro virili non conantur.

STudiis enim omnibus eniti Christianus tenetur, ut talentum à cælesti Patre-familiâs sibi creditum augeat, ac venienti cum fœnore repræsentet. Crescere tenetur in justitia & caritate, secundùm illud Apostoli ad Ephesios IV. *Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est Caput Christus.* Et illud Principis Apostolorum, Epistolâ II. Cap. III. *Crescite verò in gratia, & in cognitione Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi.* Quod & Salomon Proverbiorum IV. significavit his verbis: *Justorum semita quasi lux splendens, procedit & crescit usque ad perfectam diem.* Et Apocalypsis XXII. dicitur: *Qui justus est, justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.* Eodem collineat illud Christi Domini Oraculum Lucæ IX. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est Regno Dei.* Et rursùs Lucæ XVIII. *Mementote uxoris Loth.* Id iterum confirmat Apostolus ad Philippenses III. *Ego me* (inquit) *non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.* Quem locum *S. Augustinus* tractans, Sermone CLXIX. aliàs XV. *De Verbis Apostoli*, ait: *Ut revelet nobis Deus & quod aliter sapimus, in quo pervenimus, non in eo remaneamus, sed in eo ambulemus. Videtis quia viatores sumus. Dicitis, Quid est ambulare? Breviter dico, Proficere; ne fortè non intelligatis, & pigriùs ambuletis.........Proba te ipsum in ipso. Semper tibi displiceat quod es, si vis*

pervenire

[De Acedia.] *pervenire ad id quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris, Sufficit, & periisti. Semper adde, semper ambula, semper proficis: noli in via remanere, noli retro redire, noli deviare.*

Hanc Regulam confirmat *Sanctus Bernardus*, Epistolâ CCLIV. ad *Garinum* Abbatem Alpensem. *Nunquam* (inquit) *justus arbitratur se comprehendisse: nunquam dicit: Satis est; sed semper esurit & sitit justitiam, ita ut si semper viveret, semper, quantum in se est, justior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum vel ad tempus instar mercenarii, sed in æternum divino se mancipat famulatui..... Itaque indefessum proficiendi studium, & jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. Quòd si studere perfectioni, esse perfectum est; profectò nolle proficere, deficere est. Ubi ergo sunt qui dicere solent: Sufficit nobis, nolumus esse meliores quàm Patres nostri? Non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic, inquis, vivere volo, & manere in quo perveni; nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potest. Quid enim stat in hoc sæculo? Et certè de homine specialiter dictum est: Fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet. Ipse denique hominis sæculique Auctor, quamdiu in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, nunquam stetit. Et quidem teste Scripturâ*, [Act. 10. 38.] Pertransiit benefaciendo & sanando omnes. *Pertransiit autem sicut non infructuosè, ita non remissè, non pigrè, non lente gressu: sed quemadmodum item de ipso scriptum est,* [Psalm. 18. 6.] Exultavit ut gigas ad currendam viam. *Porrò currentem non apprehendis, qui & ipse pariter non curris. Et quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? Ideo Paulus aiebat:* [1. Cor. 9.] Sic currite ut comprehendatis. *Ibi tu, Christiane, fige tui cursûs profectûsque metam, ubi Christus posuit suam.* [Philipp. 2.] Factus est, *inquit*, obediens usque ad mortem. *Quantumlibet ergo cucurreris, si usque ad mortem non perveneris, bravium non apprehendis. Bravium Christus est. Quòd si illo currente tu gradum sistis, non Christo appropias, sed te magis elongas: timendumque tibi est quod ait David:* [Psalm. 72. 27.] Ecce qui elongant se à te, Domine peribunt. *Itaque si proficere currere est: ubi proficere, ibi & currere desinis. Ubi verò non currere, ibi & deficere incipit. Hinc planè colligitur, quia nolle proficere, nonnisi deficere est. Vidit Jacob scalam, & in scala Angelos, ubi nullus residens, nullus subsistens apparuit; sed vel ascendere, vel descendere videbantur universi: quatenus palam daretur intelligi, inter profectum & defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inveniri; sed quomodo ipsum corpus nostrum continuè aut crescere constat, aut decrescere, sic necesse est spiritum aut proficere semper, aut deficere.*

REGULA VII.

Lethalis Acediæ rei sunt, quicumque conversionem suam & pœnitentiam differunt ac procrastinant.

HOc enim negotium, quod unum necessarium est, accelerandum Spiritus-Sanctus docet, Ecclesiastici V. *Non tardes*, inquit, *converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Qui conversionem suam differunt, Spiritui Sancto interiùs vocanti resistunt, Christo per gratiæ suæ pias motiones ad ostium cordis pulsanti non aperiunt. Quamobrem æternus

[De Acedia.] eos manet interitus, quemadmodum Deus, Proverbiorum I. comminatur. *Quia vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis advenerit, cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio & angustia.* Qui conversionem differunt, Dei patientiâ & bonitate abutuntur, & iræ ejus thesauros in diem judicii sibi congregant, ut docet Apostolus ad Romanos II. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera ejus.* Quærendus Deus, dum inveniri potest; ne si differamus, eum frustra in hora mortis quæramus. *Quærite Dominum, dum inveniri potest; invocate eum dum propè est.* [Isai. 55. 6.] Quocirca Christus, *Joannis* VIII. Judæis, & in eorum persona omnibus conversionem suam differentibus ait: *Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* Hinc *Sanctus Bernardus*, Sermone LXXV. in Cantica ait: Tres esse causas, quæ interim occurrunt, & quærentes frustrari solent: *Cùm aut videlicet non in tempore quærunt, aut non sicut oportet, aut non ubi oportet. Si enim omne tempus aptum est ad quærendum, cur dicit Propheta*, Quærite Dominum dum inveniri potest? *Erit absque dubio cùm inveniri non poterit; & ideo addit:* Ut invocetur dum propè est; [Isai. 41.] *quia futurum est jam non propè futurum. A quo enim tunc non requiretur?* Mihi, *inquit*, curvabitur omne genu, *&c. Nec tamen invenietur ab impiis, quos ultores Angeli arcebunt profectò & tollent, ne videant gloriam Dei. Frustra inclamabunt & fatuæ virgines, minimè prorsus jam ad eas exit, clausâ januâ. Sibi proinde dictum putent illa:* Quæretis me, & non invenietis. [Matth. 25.] [Matth. 7.] *Cæterùm nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis sunt, tempus planè & quærendi & invocandi, quando plerumque & antequam invocetur, adesse sentitur. Audi denique quid polliceatur:* Antequam me invocetis, *inquit*, dicam, Ecce adsum. [Isai. 5.] *Quòd si per bona opera quæritur Deus, ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes; præsertim quia Dominus aperti prænuntiat venire noctem quando nemo potest operari. Tunc aliud ad quærendum Deum, ad operandum quod bonum est, reperturus es tibi tempus in sæculis venturis, præter hoc quod constituit tibi Deus, in quo recordetur tui? Et ideo* dies salutis: *quia ibi ipse Deus Rex noster* operatus est salutem in medio terræ. [Psalm. 73. 12.] *I ergo, & in medio gehennæ expectato salutem, quæ jam facta est in medio terræ. Quam tibi somnias proventuram inter ardores sempiternos facultatem veniam promerendi, cùm jam transiit tempus miserendi? Non relinquitur tibi hostia pro peccatis, mortuo in peccatis. Non crucifigitur iterum Filius Dei, mortuus est semel, jam non moritur: non descendit ad inferos Sanguis qui effusus est super terram. Biberunt omnes peccatores terræ: non est quod sibi ex eo vindicent dæmones ad restinguendum focos suos; sed neque homines socii dæmoniorum...... Ergo nunc tempus acceptabile, & aptum ad quærendum, in quo planè qui quærit invenit: si tamen ubi & uti oportet, quæris. Et hæc una causa quæ impedire potest ne inveniatur Sponsus à quærentibus se, cùm non quærunt in tempore opportuno. At non ea impedit Sponsam, ne ipse inveniat eam & quærentem in tempore opportuno. Sed ne*

De Acedia.

DE PECCATIS.

ista quidem cum tepidè aut negligenter seu perfunctoriè quærit: nam corde ardenti, & omnino infatigabiliter quærit, planè ut decet. Quamobrem Christus nos paratos esse jubet ad rationem ipsi reddendam, quia incertus est dies, incerta & hora mortis nostræ. Matthæi XXIV. *Sicut autem in diebus Noe, ita erit & adventus Filii hominis... Vigilate ergo, quia nescitis qua horâ Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret Pater-familiàs qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Ideo & vos estote parati, quia quâ nescitis horâ Filius hominis venturus est.* Et paulò post: *Veniet dominus servi illius in die quo non sperat, & horâ quâ ignorat.* Hinc *Ecclesiastæ* IX. scriptum est: *Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo; cùm eis extemplò supervenerit.*

REGULA VIII.

Acedia rei sunt, qui ex torpore & socordia ad sacrosanctam Eucharistiæ Sacramentum rarò admodum accedunt; maximè verò qui semel tantùm in anno solo pœnarum Ecclesiasticarum & infamiæ timore compulsi.

HI namque delectari nolunt in Domino, non sapiunt ea quæ Dei sunt, nolunt gustare quàm suavis sit Dominus, qui ut dulcedinem suam in filios demonstraret, Pane suavissimo de cælo præstito, Corpore scilicet suo, esurientes replet bonis: divinum illud Manna fastidiunt, habens omnem dulcedinem, & omnem saporis suavitatem. Vinum terrenarum voluptatum uberibus Sponsæ, & Mensæ ad parvulos nutriendos lactescendi anteponunt, à piarum Animarum sensu prorsus alieni, *Canticorum* III. dicentium: *Meliora sunt ubera tua vino:* Id est, interprete *Sancto Bernardo*, Sermone IX. in Cantica: *Carnis voluptatem, quâ paulò antè tanquam vino ebrii tenebamur, vincunt hæc, quæ tam nobis ubera stillant deliciæ spirituales. Et pulcrè vino comparant carnalem affectum: at enim uva semel expressa non habet jam quod denuo fundat, sed perpetuâ ariditate damnatur: sic caro in pressura mortis ab omni prorsus sua delectatione siccatur, nec ultra revirescit ad libidines. Unde Propheta:* Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tanquam flos fœni. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos. *Vide autem ne non carni tantùm, sed & mundo fortè competat ista proportio: siquidem & ipse transit, & concupiscentia ejus. Et cùm omnia quæ in mundo sunt finem habeant, finis eorum non erit finis. Verùm ubera non sic: hæc enim cùm exhausta fuerint, rursum de fonte materni pectoris sumunt quod propinent sugentibus. Meritò proinde meliora carnis sæculive amore asseruntur ubera Sponsæ, quæ nullo unquam lactentium numero arescunt, sed semper abundant de visceribus caritatis ut iterum fluant. Flumina siquidem fluunt de ventre ejus, fitque in ea fons aquæ salientis in vitam æternam.*

Isaiæ 40.

DE PECCATIS.

REGULA IX.

Acedia rei sunt, qui ad orationem, Officium divinum, & spiritualia Exercitia, ad quæ tenentur ex officio, segnes sunt & tepidi.

DIvinum enim Præceptum violare non metuunt, quo *Semper orare, & nunquam deficere* jubemur: quod in ipsa fide, spe, & caritate continuato desiderio impletur, ut docet *S. Augustinus.* Hi verò nullo, aut certè admodum languenti Dei desiderio afficiuntur. Non attendunt ad verba Christi, continuam vigilantiam & orationem præcipientis, ne repentina & improvisa judicii dies nobis superveniat. Lucæ XXI. *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.* Magis rei sunt hoc in genere Clerici, & Religiosi Viri, atque Sanctimoniales, cum tristitiâ quadam & languore divinas laudes persolventes, & ad Officia divina, quæ ab Asceticæ Vitæ Magistris *Opus Dei* meritò vocantur, negligenter se conferentes, quæ cum fervore, alacritate & gaudio frequentanda sunt, & persolvenda, siquidem *hilarem datorem diligit Deus:* & Dei maledictionem propterea in se arcessunt. *Maledictus enim qui facit opus Domini fraudulenter.* His proinde inculcanda sunt *S. Bernardi* verba, Sermone XLVII. in Cantica: *Moneo, dilectissimi, purè semper ac strenuè divinis interesse laudibus. Strenuè quidem, ut sicut reverenter, ita & alacriter Domino adsistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis & remissis vocibus muliebre quiddam balba de nare sonantes, sed virili (ut dignum est) & sonitu & affectu voces Sancti-Spiritûs depromentes.*

De Acedia.
Lucæ 18.
2. Cor. 9. 7.
Jer. 48.

REGULA X.

Acedia rei sunt, quicumque tempus ad salutis suæ negotium peragendum à Deo sibi concessum, in otio, ludis, inanibus colloquiis, ambulationibus & visitationibus minimè necessariis, ac sæculi voluptatibus conterunt.

CUm enim vitæ nostræ tempus Deo debeatur, idque ad peccata expianda, ad Regnum cœlorum promerendum Deus nobis concesserit, qui duo solùm momenta concessit Angelis, illo non debemus abuti, nec illud prodigere. Hinc Ecclesiastici IV. dicitur: *Fili conserva tempus, & declina à malo.* Et ad Ephesios V. *Videte, fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Id nisi præstemus, tempus adversùs nos in die Judicii Deus vocabit, secundùm illud quod in persona Jerusalem dictum est Threnorum I. *Vocavit adversùm me tempus, ut contereret electos meos.* Ad bonum usum temporis incitare nos debet consideratio quadruplicis debiti quo obligamur. Vitam nempe nostram debemus Christo pro acceptis ab eo beneficiis. Secundò, debemus illam peccatis expiandis. Tertiò, cœlo comparando. Quartò, Deo ut auctori illam totam debemus. Quod egregiè *S. Bernardus* explicat Sermone XXII. de Diversis. *Vis scire,* inquit, *quo & quibus debeas? Primò Christo Jesu debes omnem vitam tuam, quia & ipse vitam suam posuit pro vita tua, & cruciatus amaros sustinuit, ne tu perpetuos sustineres. Quid tibi dirum vel durum esse poterit, cùm recordatus fueris quia ille in forma Dei, in die æternitatis suæ in splendoribus Sanctorum ante luciferum genitus splendor*

Quadruplex debitum nos ad rectum usum temporis incitat.

De Acedia. *& figura substantiæ Dei, venit ad carcerem tuum, ad limum tuum, infixus (ut dicitur) usque ad cubitos in limo profundi: quid non suave tibi, cùm tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui, & rememoraberis primùm quidem illarum infantilium necessitatum; deinde, laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo: postremò, periculorum in falsis fratribus, convitiorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horùmque similium, quæ in salutem nostri generis triginta & tribus annis operatus & passus est in medio terræ? O quàm indebita miseratio, quàm gratuita & sic probata dilectio, quàm inopinata dignatio, quàm stupenda dulcedo, quàm invicta mansuetudo. Regem gloriæ pro despicatissimo vernaculo, imò vermiculo crucifigi!.. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Nonne si conferrentur in me omnes vitæ filiorum Adam, & omnes dies sæculi, & labores omnium hominum qui fuerunt, qui sunt, & qui erunt, nihil esset ad comparationem corporis illius, quod spectabile &* C *stupendum est Virtutibus etiam supernis in conceptu de Spiritu sancto, in ortu de Virgine, in vita innocentiæ, in doctrinæ affluentia, in coruscationibus miraculorum, in revelationibus sacramentorum? Vides quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltata est vita illa à vita nostra: quæ tamen posita est pro vita nostra. Cùm ergo ei donavero quicquid sum, quicquid possum, nonne istud sic est sicut stilla ad solem, gutta ad flumen, lapis ad turrim, granum ad acervum? Non habeo nisi minuta duo, imò minutissima, corpus & animam; vel potiùs unum minutum, voluntatem meam: & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantis tantillum tantis beneficiis prævenit, qui toto se* D *totum me comparavit?*

Sed numquid huic soli debitor sum, cui vix parum aliquid retribuere possum? Exigunt à me præterita peccata mea futuram vitam meam, ut faciam fructus dignos pœnitentiæ, & recogitem omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Et ad hæc quis idoneus?... Cùm ergo quicquid vivis, quicquid sapis, quicquid habes, quicquid potes, huic uni rei dedicaveris, numquid est vel inter aliqua computandum? Paulò antè vitam tuam pro vita sua Christo reddideras, & nunc iterum eam totam præcedentium exigit recordatio peccatorum. E

Quid si tertium tibi debitorem ostendam, qui non minùs acriter quàm veraciter vindicat eam sibi? Puto quòd & tu possidere desideras civitatem, de qua di-
Psal. 86. 3. » *citur:* Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei.
Gloriam illam quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, Regnum omnium sæculorum.... nonne ad hoc emendum, totum te, & quæcumque, & undecumque contrahere poteris, dare oportebit? Et cùm universa compleveris, non tamen putes esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. An sic impudens es, vel imprudens, ut minutum tuum, quod tibi tam Christi vita, quàm peccati pœnitentia certatim F *rapiunt, etiam ad hoc conquirendum vel audeas numerare?*

Quid dices, si & quartum debitorem in medium adduxero, qui sibi etiam jure primatûs sui superiores tres cedere velit? Ecce in januis est qui fecit cælum & terram, & Creator tuus est, tu creatura: tu servus, ille Dominus: ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes, à quo totum habes, &c.

Rectus usus temporis constat rectâ dispositione. Rectus usus temporis constat optimâ dispositione præsentium, expiatione præteritorum, prævisione futurorum; ut docet idem Pater Sermo- A ne II. in Festo sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. *Hæc nempe* (inquit) *spiritualis est Exercitii summa, hæc forma studii spiritualis, ut sapienter disponamus præsentia nostra, recogitemus in amaritudine animæ nostræ præterita, futura quoque solicitè provideamus.* Sobriè, & justè, & piè » Tit. 2. 12. vivamus in hoc sæculo *(ait Apostolus.) Ut videlicet in præsenti sobrietas observetur; ut justâ satisfactione præterita, quæ nobis sine fructu salutis præteriere tempora, redimantur; ut pietatis clypeum imminentibus de futuro periculis opponamus. Sola enim est quæ ad omnia valet pietas, cultus scilicet Dei humilis & devotus: nec aliter nobis est providere novissima, nisi ut universa, quæ nobis imminere videntur pericula, sedulâ nobiscum cogitatione versantes, discamus de nostra omnino industria, magis autem de nostris diffidere meritis, & soli divinæ nos protectioni committere pio quodam mentis affectu, & effectu piæ intentionis in ipsum, cujus datum optimum & donum perfectum est, consummatio felix, & mors pretiosa. Habes in Evangelio etiam hæc ipsa tibi sermone Domini commendata:* Beati, *inquit*, pauperes. bea- » Matth. 5. C ti mites, beati qui lugent. *Beati qui futura sapiunt, præ desiderio cælestium interno quodam sapore mentis præsentia respuentes. Beati qui novissima provident, in mansuetudine suscipientes insitum verbum, quod eorum salvare animas potest, & pietate cordis ad futuram tendunt hæreditatem. Beati qui pristinum intelligentes errorem, crebris lachrymis lavant lectum suum. Vides quid optat vir sanctus, quid obtinere cupit eis pro quibus orat?* Utinam » Deuteron. 32. 29. *inquit*, saperent, & intelligerent, & novissi- » ma providerent! *Ac si manifestiùs dicat: Uti- » nam esset in eis spiritus sapientiæ & intelligentiæ, atque consilii! Utinam hæc in nobis inveniantur,* D *Fratres, ut suaviter omnia nostra per sapientiam disponamus, ut intellectu præterita peccata damnemus, ut provideamus futura consilio! Utinam sapiamus ad præsentis vitæ moderationem! Utinam intelligamus ad præterita correctionem! Utinam devotâ in Deum fide provideamus, ut felicem habeamus ipso miserante consummationem!*

Acediam hominum tempus inaniter terentium deplorat *Gaufridus* Abbas Clarævallensis, Declamatione in Evangelium, *Ecce nos reliquimus omnia*, seu Libro *De Colloquio Simonis ad Jesum*, ex *S. Bernardi* dictis contexto, §. XLIV. *Nihil* (inquit) *pretiosius tempore, sed heu nihil hodie vilius æstimatur! Transeunt dies salutis, & nemo recogitat: nemo sibi non reditura momenta periisse causatur.*

REGULA XI.

Malitia ex Acedia profecta, quatenus pietatis, & ad eam pertinentium, atque hominum qui ipsam profitentur, impugnatio est, lethale peccatum est.

Malitia ex Acedia orta. CAritati enim è regione opponitur, diabolo militat, Christi Regnum evertere conatur, quod intra nos est. Malitiæ hujus fermento infecti homines, sin minùs voce, certè operibus dicunt Deo: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens, ut serviamus ei, & quid nobis prodest, si oraverimus illum?*

Hujus flagitii rei sunt, qui Pastores suos Concionatores, aut viros pios, à quibus admonentur ut à lascivis aut maledicis cantilenis, spectaculis, alearum ludis, aliisve corruptelis

abstineant, dicteriis & scommatibus appetunt, & cantilenis ad ludibrium compositis illis insultant. *Parum est quia cantant, insuper & in ipsum incipiunt cantare, à quo prohibentur cantare;* (inquit *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum LXVIII. ad illa verba: *Adversùs me insultabant qui psallebant in porta, & in me psallebant qui bibebant vinum:* quod non solùm Christo Domino contigisse, sed illi quotidie in membris ejus contingere observat.

Regula XII.

Rancor ex Acedia profectus, quo scilicet homines Superioribus ipsos corripientibus indignantur, ipsósque propterea prosequuntur, quòd illos ad meliora compellant, lethale peccatum est.

Rancor ex acedia profectus.

Nititor hæc Regula Scripturæ Sacræ verbis, Proverbiorum XXIX. *Viro, qui corripientem durâ cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus: & eum sanitas non sequetur.* Et Lucæ X. ubi Christus ait: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Hujus peccati rei sunt Laïci, qui Parochis suis; Clerici, qui Episcopis suis, aut eorum Vicariis Generalibus, Archidiaconis, Officialibus; Monachi, qui Superioribus suis & Visitatoribus, ipsorum vitia corrigere volentibus, & Canonum, Statutorum Synodalium, Regularum, Constitutionum, Ecclesiasticæ aut Monasticæ Disciplinæ observantiam instaurantibus succensent, illósque hoc nomine exosos habent.

Regula XIII.

Pusillanimitas lethale peccatum est, cùm aliquis magnis & arduis operibus ad salutem necessariis se subducit; aut officia & munia sibi Superioris præcepto imposita pertinaciter respuit ex animi parvitate.

Peccatum pusillanimitatis.

Pusillanimitatem peccatum esse probat *Sanctus Thomas*, Secundâ Secundæ, quæstione CXXXIII. Articulo 1. ex illa Apostoli sententiâ ad Colossenses III. *Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* Porrò nisi pusillanimitas peccatum esset, hanc velut grave malum cavendam Apostolus non doceret. Rationem addit S. Doctor. *Omne* (inquit) *quod est contrarium naturali inclinationi est peccatum, quia contrariatur legi naturæ. Inest autem unicuique rei naturalis inclinatio ad exequendam actionem commensuratam suæ potentiæ. Sicut autem per præsumptionem aliquis excedit proportionem suæ potentiæ, dum nititur ad majora quàm possit: ita etiam pusillanimus deficit à proportione suæ potentiæ, dum recusat in id tendere, quod est suæ potentiæ commensuratum. Et ideo sicut præsumptio est peccatum, ita & pusillanimitas. Et inde est quod servus, qui acceptam pecuniam domini sui fodit in terram, nec operatus est ex ea propter quemdam pusillanimitatis timorem, punitur à Domino, ut habetur Matth.* XXV. *& Luc.* XIX. Quin autem sit peccatum mortale, quando quis ex degeneris animi parvitate ardua & difficilia opera per se ad salutem necessaria, vel præcepto Superiorum sibi injuncta refugit aggredi, minimè dubium est. Quamobrem qui fidem palam profiteri renueret, ne a persecutore perimeretur, aut proscriberetur, bonísque privaretur, lethalis peccati

reus esset. Qui ex timore peccandi post Baptismum, aut post Confessionem & sacram Communionem, nollet Baptismum suscipere, peccata confiteri, sacram Eucharistiam sumere, lethaliter peccaret. Qui ad Sacramenta nollet accedere, ne proximas occasiones & vincula peccati, quibus irretitus est & alligatus, deserere & abrumpere cogeretur, lethaliter peccaret. Hæc enim ad salutis necessitatem pertinent. Sic etiam lethalis peccati rei sunt, qui ad exercendas Virtutum Christianarum necessarias actiones in publicum progredi timent, ne fortè graviori tentatione (B) impugnentur, vel ab impiis hominibus derideantur, aut injuriis afficiantur; ut explicat *Beda* in Proverb. Cap. XXVI. ad illa verba. *Dicit piger, Leo est in via, & leæna in itineribus: sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.*

Quòd verò lethalis etiam peccati reus sit qui vel Pastoralem curam, aliudve Ecclesiasticum munus, regendi, prædicandi, docendi, cui pares sunt ejus vires, Superioris mandato sibi injunctum pertinaciter recusat, colligitur ex *sancto Gregorio*, Pastoralis Curæ P. I. Cap. V. *Sunt nonnulli* (inquit) *qui magnis muneribus ditati,* (C) *dum solius contemplationis studiis inardescunt, parere utilitati proximorum in prædicatione refugiunt, secretum quietis diligunt, secessum contemplationis poscunt: de quo si districtè judicentur, ex tantis proculdubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt.* Hinc *S. Thomas* loco suprà citato, in Responsione ad secundum, ait: *Potest contingere quòd aliquis ex virtute quam habet, sit idoneus ad aliqua magna facienda, quæ sunt digna magno honore: & tamen per hoc quòd ipse non attentat suâ virtute uti, peccat: quandoque quidem venialiter, quandoque autem mortaliter.*

Nec à peccato lethali excusatur, qui hæc pertinaciter (D) recusat, quia se indignum existimat hujusmodi muneribus vel honoribus. Hæc enim falsa humilitas est. Unde *S. Thomas* ibidem in Responsione ad tertium docet. *Quòd etiam pusillanimitas aliquo modo ex superbia potest oriri, dum scilicet aliquis nimis proprio sensui innititur, quo reputat se insufficientem ad ea respectu quorum sufficientiam habet. Unde dicitur Proverb.* XXVI. Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias. *Nihil enim prohibet quod se quantùm ad aliqua dejiciat, & quantùm ad alia se in sublime extollat. Unde S. Gregorius in Pastorali de Moyse dicit:* SUPERBUS *fortasse esset, si du-* (E) *catum plebis innumeræ sine trepidatione susciperet: & rursum superbus existeret, si Auctoris imperio obedire recusaret.* Hinc *Moyses* & *Jeremias* Munus ad quod divinitùs eligebantur, & quo digni erant ex divina gratia, recusabant, considerantes propriæ infirmitatis sufficientiam: *Non tamen pertinaciter, ne in superbiam laberentur* (inquit *sanctus Thomas* ibidem, in Responsione ad quartam Objectionem.)

Lethale pusillanimitatis peccatum commisit *Esau*, cùm Primogeniti jura parvipendens, illa cessit Jacob fratri suo. Qua de re *S. Ambrosius*, Lib. I. *De Cain & Abel*, Cap. IV. ait: (F) *Nonne tibi videtur Esau tanquam in agone victus, & propria mentis infirmitate imparem se existimans, cessisse victori coronam, quam videbat nullis passionum illecebris inflecti, quarum ipse pulverem sustinere non poterat?* Ut quid mihi, *inquit*, primatus? *Apud ignavos enim nulla sunt insignia virtutis, apud sapientes prima habentur: studia enim virtutis quædam instrumenta sunt. Itaque sicut bellator sine armis esse non potest, ita nec sine exercitatione virtus. Unde*

» *& Dominus in Evangelio ait:* A diebus Joannis » Baptistæ Regnum cœlorum cogitur, & cogentes » diripiunt illud. *Et alibi:* Quærite Regnum Dei, » & omnia præsto sunt vobis. *Non dormientibus, neque otiantibus, sed vigilantibus & laborantibus pollicetur præmia; & labori merces parata est, qui licèt non sit suavis ad gratiam, tamen fructuosus ad præmium est.*

De Accidia. Matth. 11. Matth. 6.

Degeneris scilicet ac pusilli animi est, bona sibi a Deo concessa parvifacere, ut docet *sanctus Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione xxxv. Articulo 1. ad tertium. *Ad humilitatem pertinet* (inquit) *ut homo defectus proprios considerans, se ipsum non extollat. Sed hoc non pertinet ad humilitatem, sed potius ad ingratitudinem, quod bona, quæ quis à Deo possidet, contemnat. Et ex tali contemptu sequitur acedia. De his enim tristamur, quæ quasi mala vel vilia reputamus. Sic ergo necesse est ut aliquis aliorum bona extollat, quod tamen bona sibi divinitus provisa non contemnat, quia sic ei tristia redderentur.*

REGULA XIV.

Desperatio lethale peccatum est.

Desperatio.

AD Ephesios enim quarto gravissimi peccati reos esse significat Apostolus, qui *Desperantes semetipsos tradiderant impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis.* Et ad Romanos VIII. ait: *Spe salvi facti sumus.* Unde colligitur, nos desperatione perire. Deinde spei necessitatem ad salutem æternam Scriptura Sacra passim docet. Psalm. 129. *A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino: quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Psalm. IX. *Sperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.* Psalm. XXXVI. *Spera in Domino, & fac bonitatem.* Psalm. XXXII. *Ecce oculi Domini super metuentes eum: & in eis qui sperant super misericordia ejus.* Psalm. XXXI. *Sperantem in Domino misericordia circumdabit.* Proverb. XVI. *Qui sperat in Domino, beatus est.* Et Cap. XXIX. *Qui sperat in Domino, sublevabitur.* I. ad Thessalonicenses v. inter arma Christiani præcipua spes numeratur: *Induti loricam fidei, & caritatis, & galeam spem salutis.* Et ad Hebræos VI. *Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis: ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum.* Cùm itaque spes divinæ misericordiæ, & beatitudinis æternæ, necessaria sit ad salutem, & à Deo præcepta sit, desperatio ipsi opposita lethale peccatum est, hominémque in damnationem æternam præcipitem agit. Quamobrem fidelis anima dicit Domino: *Susceptor meus es tu, & refugium meum; Deus meus, sperabo in eum.* Possunt om-

Psalm. 90.

» nia dicere: Creator meus es tu. Possunt & » animalia dicere: Pastor meus es tu. Possunt » omnes homines dicere: Redemptor meus es tu. » At verò, Susceptor meus es tu, is tantùm di- » cere potest, qui habitat in adjutorio Altissimi. » Unde & addidit: *Et Deus meus.* Cur non Deus noster? *Quia in creatione, redemptione, cæterisque communibus beneficiis est Deus omnium; sed in tentationibus suis tanquam proprium eum habent singuli electorum. Sic enim paratus est suscipere cadentem, & eripere fugientem, ut videre possit relictis omnibus aliis ei soli operam dare. Propterea expedit omni animæ Deum semper attendere tanquam proprium non modò adjutorem, sed etiam inspectorem. Quando enim negligens poterit fieri, qui intuentem se Deum nunquam desinit intueri? . . . Hic igitur immeritò dicere potest:* Deus meus, sperabo in eum. . . . . . *Non desperabo, nec frustra sperabo, quia maledictus qui peccat in spe, & nihilominus qui peccat in desperatione.* Verba sunt *sancti Bernardi*, Sermone secundo in Psalmum, *Qui habitat.*

De Accidia.

REGULA XV.

Torpor circa præcepta lethale peccatum est, quatenus deliberatam illorum transgressionem importat: ad lethale peccatum disponit, quatenus facit ut perfunctoriè dumtaxat impleantur.

FErvorem namque in suis obsequiis Deus præcipit, Rom. XII. *Sollicitudine non pigri: spiritu ferventes, Domino servientes.* Hinc *S. Paulinus*, Epistolâ XXXVI. ad *Macarium*, ait: *Vicina morti labes est torpor animorum: & tunc dicet Inimicus, Prævalui adversus eum, si & mentis oculos somnus oppresserit.* Et *S. Isidorus*, Lib. II. *De Summo Bono*, Cap. x. *Multos* (inquit) *remissa conversatio in pristinos errores reducit, ac vivendi tepore resolvit. Horum ergo exempla quisque conversus evita, ne dum timorem Dei à tepore incipis, rursus mundanis erroribus immergaris.* Et *S. Bernardus*, Sermone v. in Ascensione Domini, torpentium & tepidorum hominum vitam inferno appropinquare asserit. *Invenire est* (inquit) *homines pusillanimes & remissos, deficientes sub onere, virga & calcaribus indigentes, quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est, quorum brevis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio: quorum obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione: Quos denique (ut videmus) vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frænat ratio, vix disciplina coërcet. Nonne tibi horum vita inferno penitus appropinquare videtur, dum intellectu affectui, & affectu intellectui repugnante, necesse habent mittere manum ad opera fortium, qui cibo fortium minimè sustentantur, socii planè tribulationis, sed non consolationis? Exurgamus, obsecro, quicumque hujusmodi sumus, resarciamus animus, spiritum recolligamus, abjicientes perniciosam tepiditatem; etsi non quia periculosa est, & Deo solet etiam vomitum provocare, certè quia molestissima, plena miseriæ & doloris, inferno planè proxima, & umbra mortis jure censetur.*

Torpor circa præcepta.

REGULA XVI.

Ad torporem pertinet immoderatio somni, quæ lethale peccatum est, si causa sit cur Præceptum omittatur: aliàs veniale dumtaxat.

IMmoderatio somni unus est ex hominis Acediosi characteribus. Hinc *Proverb.* VI dicitur: *Vade ad formicam, ô piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam: quæ cùm non habeat Ducem, nec Præceptorem, nec Principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat. Usquequo piger dormies? Quando consurges è somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus ut dormias: & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Si verò impiger fueris, veniet ut fons messis tua, & egestas longè fugiet à te.* Et Cap. XXVI. *Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.* Tunc

Immoderatio somni.

De Acedia. autem lethale peccatum est, cùm somnus directè vel indirectè volitus executionem præcepti impedit, ut si quis Dominicâ vel festâ die somno indulgere malit, quàm Missam audire, vel noctem integram in ludis aut choræis consumserit, & manè in lecto se collocans, à somno ante meridiem non excitetur. Idémque judicium esto de aliis præceptis, vel Dei, vel Ecclesiæ, quorum executionem somni immoderatio impediret. Veniale autem peccatum est, quoties indulgetur somno præter leges necessitatis. Nam & somnum moderari debet temperantia. Gravius autem peccatum est immoderatio somni in Viris Ecclesiasticis & Religiosis, quos impedit ne sacris Officiis adsint, & orationi vel studio vacent; in Magistratibus, & iis qui Rempublicam gerunt, cùm ipsos frequenter impediat ne ad causas gravis momenti referendas vel judicandas sint parati, quia instrumenta omnia ad causam pertinentia legere & conferre neglexerunt, nimiúmque crediderunt Excerptis Notariorum seu Secretariorum suorum. Nec tamen soli Clerici & Monachi ac Sanctimoniales summo mane surgere debent ad Deum laudandum, sed Christiani homines universi, ut ex verbis Sapientis colligitur ita Deum alloquentis Sapientiæ XVI. *Ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire Solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.* Et Job. VIII. *Si diluculo consurrexeris ad Deum, & Omnipotentem fueris deprecatus: si mundus & rectus incesseris, statim evigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ.*

REGULA XVII.

Evagatio mentis circa illicita, lethale peccatum est, cùm mens & affectus in ea quæ lethalia peccata sunt, aut proxima lethalis peccati occasiones, tendit, vel in iis delectatur: alias peccatum est veniale.

Evagatio mentis ad illicita. Hujus peccati rei sunt inquieti illi & curiosi homines, quibus nihil negotii est, nihil pensi, nisi ut audiant vel referant aliquid novi; nisi ut in res & actiones alienas inquirant; ut nullis negotiis occupati, aliis negotia facessant, turbentque familias, aut Rempublicam, vel Ecclesiam inquieti animi desultoria levitate. Quos *S. Paulus* II. ad *Thessalonicenses*, Cap. III. acerrimè reprehendit his verbis: *Si quis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes. Iis autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent.* Hujus peccati rei sunt Clerici & Monachi otiosi, inquieti, gyrovagi, qui hùc illùc discurrere amant, & Diœceses, Provincias, Ecclesias, Monasteria mutare; Superioribus inobedientes, æqualibus incommodi, inferioribus intolerabiles, sibimetipsis graves. Quibus nec oratio sapit, nec lectio; quibus non studium, sed iners otium placet, non opus ministerii, aut convenientis laboris exercitatio, sed jugis cessatio. Quod hominum genus *S. Augustinus* acriter reprehendit, Libro *De Opere Monachorum*, sugillans hypocritas *sub habitu Monachorum circumeuntes Provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes, &c.* & eos *qui corpore valent, & ab Ecclesiasticis occupationibus vacant*, operari debere docet: Iis autem qui ex vita excelsiore convertuntur, *Invenienda esse opera in Monasterio, etiamsi à corporali functione liberiora, sed vigilanti administratione curanda, ut nec ipsi panem suum, quoniam communis jam factus est, gratis manducent.* Alios verò qui ex vita humiliore venerunt ad Monasterium, cogendos esse ad laborem: *Quia nullo modo decet ut in illa vita ubi fiunt Senatores laboriosi, ibi fiant opifices otiosi.* *De Acedia.* Hujus denique peccati præcipuè reæ sunt sæculares mulieres, quæ *otiosæ discunt circuire domos: non solum autem otiosæ, sed & verbosæ & curiosæ, loquentes quæ non oportet*; (ut scribit Apostolus I. *ad Timotheum* V.) Unde mulierem meretricem his characteribus Salomon describit: *Garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians.* *Prov. 7. 10.*

Multiloquii peccatum. Ex mentis evagatione multiloquium nascitur, quod in gravia peccata præcipitat. *Quibusdam enim ruinæ suæ gradibus destitutosa mens, in foveam lapsus impellitur*; (inquit *S. Gregorius*, Lib. VII. *Moralium*, Cap. XVII.) *Nam dum otiosa verba cavere negligimus, ad noxia pervenimus: ut prius loqui aliena libeat, & postmodum detractionibus eorum vitam, de quibus loquitur, lingua mordeat; quandoque autem usque ad apertas contumelias erumpat. Hinc irarum seminantur stimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faces odiorum, pax tota extinguitur cordium. Unde bene per Salomonem dicitur*: Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum. *Proverb. 19.* *Aquam quippe dimittere, est linguam in fluxum eloquii relaxare. Qui ergo dimittit aquam, caput est jurgiorum: quia qui linguam non refrænat, concordiam dissipat. Quòd autem multiloquio quisque serviens, rectitudinem justitiæ tenere non possit, testatur Propheta, qui ait*: Vir linguosus non dirigetur super terram. *Psalm. 139.* *Hinc Salomon iterum ait*: In multiloquio non deerit peccatum. *Prov. 10.* *Hinc Isaias ait*: Cultus justitiæ silentium: *Isaiæ 32.* *Videlicet indicans, quia mentis justitia desolatur, quando ab immoderata locutione non parcitur. Hinc Jacobus dicit*: Si quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, hujus vana est religio. *Jacob. 1.* *Hinc per semetipsam nos Veritas admonet, dicens*: Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die Judicii. *Matth. 12.* *Otiosum quippe verbum est, quod aut ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. Si ergo ratio de otioso sermone exigitur, pensandum valde est, quæ pœna illud multiloquium sequatur, in quo etiam per superbiæ verba peccatur. Sciendum quoque est, quòd ab omni rectitudinis statu depereunt, qui per noxia verba dilabuntur. Humana etenim mens, aquæ more, & circumclusa ad superiora colligitur, quia illud repetit unde descendit; & relaxata deperit, quia se per infima inutiliter spargit. Quot enim supervacuis verbis à silentii sui censurâ dissipatur, quasi tot rivis extra se ducitur. Unde & redire interiùs ad sui cognitionem non sufficit, quia per multiloquium exteriùs sparsa vim intimæ considerationis amittit. Totam igitur sese insidiantis hosti vulneribus detegit: quia nulla se munitione custodiæ circumcludit. Unde scriptum est*: Sicut urbs patens & absque murorum ambitu: ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. *Prov. 25.* *Quia enim murum silentii non habet, patet inimici jaculis civitas mentis: & cùm se per verba extra semetipsam ejicit, apertam se adversario ostendit: quam tantò ille sine labore superat, quantò & hæc eadem quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat.*

REGULA XVIII.

Otium iners ac desidiosum proxima est peccati lethalis occasio.

Otium iners ac desidiosum.

NItitur hæc Morum Regula Scripturæ Sacræ auctoritate, Ecclesiastici Cap. xxxIII. *Multam malitiam docuit otiositas.* Hinc de Sodoma dicitur, Ezechielis xvI. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus.* Nec mirum: *Anima* enim *natura est* (inquit *sanctus Joannes Chrysostomus*, Homiliâ xxxv. in Acta Apostolorum,) *ut semper moveatur, & quiescere nequeat.* Vanis itaque, inutilibus & noxiis cogitationibus mens distrahatur necesse est, nisi bonis & utilibus fuerit occupata. Otiosæ menti Dæmon illudit innumeris phantasmatibus imaginationi oblatis. Hinc vitiosæ cupiditates excitantur, & *Unusquisque tentatur à concupiscentiis suis abstractus & illectus.* (Jacob. 1. 14)
Otiositas mentis ad Creatoris sui Majestatem, officiúmque suum considerandum non attentæ, primos parentes in peccatum præcipites egit, teste *S. Bernardo*, Tractatu *De Gradibus humilitatis*, Cap. x. *Tu quoque ô Eva* (inquit) *in Paradiso posita es, ut cum viro tuo operaris, & custodias illum: si injunctum perficeris, quandoque transitura ad melius: ubi nec opus sit te in aliquo opere occupari, nec de custodia sollicitari..... Nisi mens minus se curiosè servaret, tua curiositas tempus vacuum haberet. Et si culpa non est, culpa tamen occasio est, & indicium commissæ, & causa est committendæ. Te enim intentâ ad aliud, latenter interim in cor tuum serpens illabitur, blandè alloquitur: blanditiis rationem, mendaciis timorem compescit:* Nequaquam, *inquiens*, morieris. *Auget curam, dum incitat gulam. Acuit curiositatem, dum suggerit cupiditatem. Offert tandem prohibitum, & aufert concessum. Porrigit pomum, & surripit Paradisum.*

Hinc Autor Sermonum *Ad fratres in Eremo*, inter *S. Augustini* Opera editorum, ejúsque venerando nomini alias suppositorum, Sermone xvII. ait: *Quid otiosè agere potest, nisi opera carnis? Nunquam quis civis Cælorum erit, si otiositatem amaverit.*

Hanc Regulam confirmat *Sanctus Carolus Borromæus*, in instructione Confessariorum, *Nimiam otiositatem* numerans inter occasiones proximas lethalis peccati, in quibus positos homo Absolutione Sacramentali donari non debet, donec illas omnino deseruerit.

ARTICULUS IV.

De Remediis adversus Acediam.

Frequens de rebus divinis cogitatio.

PRimum adversùs Acediam remedium est frequens cogitatio de bonis spiritualibus, & librorum sacrorum piorúmque lectio: *Quia quantò magis cogitamus de bonis spiritualibus, tantò magis nobis placentia redduntur, ex quo cessat Acedia;* (inquit *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione xxxv. Articulo 1. ad quartum.) Præcipuæ autem efficaciæ ac virtutis est ad hoc vitium sanandum meditatio Mysteriorum Vitæ & Mortis Christi.

Jugis & fervens oratio.

Remedium alterum est oratio jugis & fervens, quæ Deum semper desiderando peragitur, secundùm illud *S. Augustini*, Enarratione in Psalmum xxxvII. *Ipsum desiderium tuum, oratio tua est, & si continuum desiderium, continua oratio. Quicquid aliud agas, si desideras illud Sabbatum, non intermittis orare. Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. Continuum desiderium tuum, continua vox tua est. Tacebis, si amare destiteris.* Christo ergo auscultandum est, Marci xIII. præcipienti: *Videte, vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit..... Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.*

Continua Dei præsentis per fidem intuitus.

Tertium remedium est continuus Dei præsentis per fidem intuitus, qui nostrorum operum, & socordiæ pariter torporísque nostri inspector est & judex. Hinc *Tob.* dicit Tobias senior juniori: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Et Proverb. III. *In omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.* Hinc *S. Bernardus*, Sermone 12. in Psal. *Qui habitat*, ait: *Quomodo poterit negligens fieri, qui intuentem se Deum nunquam desinit intueri?*

Novissimorum ac illorum memoria.

Quartum remedium est mortis, aliorúmque novissimorum, judicii scilicet, inferni, æternæque beatitudinis memoria; juxta illud Ecclesiastici vIII. *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Cogitandum quòd *Venit nox, quando nemo potest operari* (inquit Christus Joannis Ix.) Et Joannis xII. *Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.* Hinc Salomon Ecclesiastis Ix. ait: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Et Ecclesiastici Cap. xIv. dicitur: *Ante obitum tuum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum.* Hinc Apostolus ad Galatas vI. scribit: *Nolite errare, Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet: quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Cogitandum quòd post diem Judicii *Tempus non erit ampliùs:* Quòd damnati frustrà tempus requirent, quibus ob temporis abusum sola supererit exilii à Dei Regno, & suppliciorum æternitas. (Apoc 10. 6) Considerandum tandem quòd *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*, (ut ait Apostolus ad Romanos vIII.) *Id enim quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.*

Hanc tractationem absolvet præclarus *S. Isidori* locus, Libro II. *Sententiarum*, sive *De Summo Bono*, Cap. x. *Omnis* (inquit) *ars sæculi hujus strenuos amatores habet, & ad exequendum promptissimos: & hoc proinde fit, quia præsentem habet operis sui remunerationem. Ars verò divini Amoris plerosque habet sectatores languidos, tepidos, pigritiâ inertiâ congelatos: sed hoc proinde fit, quòd labor eorum non pro præsenti, sed pro futura remuneratione differtur. Ideoque dum eorum laborem mercedis retributio non statim consequitur, spe pene dissoluta languescunt. Unde & magna illorum gloria prædicatur, qui bona conversionis principia augmento solidiore consummant: atque eò ad promerendam retributionem, clariores praeparantur, quò firmiùs duri itineris labores & inchoant, & consummant.* Dicam ergo Christianis omnibus cum *S. Augustino*, Sermone ccxxIv. aliàs *De Diversis*,

LXXXVII. *Ardete, ne ardeatis igne quo arsuri sunt Dæmones: ardete igne caritatis, ut à Dæmonibus vos discernatis. Ardor iste sursum vos rapit, sursum tollit, in cælum levat..... Summa petit ardor dilectionis..... Spiritu ferventes, accendimini igne caritatis: fervere facite vos laudibus Dei, & moribus optimis. Alter calidus, alter frigidus: calidus frigidum accendat: & qui parum ardet, optet augmentum, oret adjamentum. Dominus paratus est dare; nos paratis cordibus optimus accipere.*

TRACTATUS

DE

VIRTUTIBUS.

TRactatui de Peccatis, brevem de Virtutibus Tractatum subnectere visum est, ne quid huic Operi deesse videatur eorum, quæ Viros Ecclesiasticos nosse oportet. Non solùm enim in vitiis evellendis, sed in Virtutibus excolendis & irrigandis Ministerium nostrum positum est.

CAPUT I.

DE

VIRTUTIBUS

IN GENERE.

VIrtus est animi habitus bonum faciens habentem, & opus ejus bonum reddens: Seu Habitus naturæ modo atque rationi consentaneus, qui animam facit optimam. Quæ definitio colligitur ex S. Augustino, Libro Quæstionum octoginta-trium, Quæstione XXXI. & Libro *De Moribus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. VI.

Sive, *Virtus est bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, quâ nullus malè utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Quæ quidem definitio ex verbis *S. Augustini* variis in locis compacta, traditur à *S. Thoma*, Primâ Secundæ, Quæstione LV. Articulo IV. Virtutibus quidem aliquando malè utuntur homines, ut objectis, cùm de ipsis malè sentiunt, cùm illas contemnunt, cùm de ipsis superbiunt. sed nunquam ipsis malè uti possunt ut principiis mali usûs: *Quia opus virtutis est bonus usus istorum, quibus etiam non bene uti possumus: nemo autem bene utendo malè utitur*; (inquit *S. Augustinus*, Libro II. *De Libero Arbitrio*, Cap. XIX.)

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Virtus.

Virtutes Theologicæ.

I. VIrtutum aliæ humanæ sunt, ordinísque naturalis, si objecta illarum spectemus, quia versantur circa aliquid quod humana ratione comprehendi potest, hominémque perficiunt intra fines naturæ & rationis humanæ: aliæ divinæ sunt, ac supernaturales, quæ *Theologicæ* nuncupantur. Tres omnino sunt, scilicet *Fides*, *Spes*, & *Caritas*, ex Apostolo I. ad Corinthios XIII. *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc: major autem horum est caritas.* Theologicæ dicuntur, primò, quia Deum ut proprium & immediatum objectum attingunt, non solùm ut finem ultimum ad quem referuntur & cæteræ Virtutes: non solùm remotè, ut Religio quæ circa Dei cultum versatur. Secundò, quia à solo Deo infunduntur, Tertiò, quia solâ Dei revelatione hominibus innotescunt.

Fides.

Fides est Dei donum, lumenque supernaturale, quo mens hominis illustrata firmiter assentitur iis quæ Deus revelavit, ac per Ecclesiam credenda proponit. Sive, ut ab Apostolo definitur, *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* (*Hebr. XI.*) Quas definitiones primo hujus Operis Libro explicuimus.

Spes.

Spes Virtus est à Deo infusa, per quam certa cum fiducia vitam æternam à Deo expectamus, & tanquam gratiam filiis Dei per Jesum Christum misericorditer promissam; & tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus fideliter reddendam; (ut inquit sacra Synodus Tridentina, Sessione VI. Cap. XVI.

Charitas.

Caritas est virtus à Deo infusa, quâ Deus propter seipsum sincerè & super omnia diligitur, & Proximus propter Deum. Sive, *Motus animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum*, (ut loquitur *S. Augustinus*, Libro III. *De Doctrina Christiana*, Cap. X.

De Fide, Spe & Caritate egimus Libro I. & Libro IV. istius Operis: nunc Virtutum cæterarum tractationem aggredimur.

Virtutes intellectuales & morales.

II. Virtutes humanæ, aliæ mentem, aliæ appetitum perficiunt. Illæ *Intellectuales*, istæ *Morales* à Theologis appellantur. In primo ordine recensentur *Intelligentia*, *Sapientia*, *Scientia*, quæ mentem in veri speculatione; *Ars* & *Prudentia*, quæ eamdem perficiunt cum ordine ad opus. De primis illis quatuor Virtutibus, quæ minùs propriè Virtutes dicuntur, quia nemo illis simpliciter & absolutè fit bonus, non agimus impræsentiarum. Ad Logicos, non ad Theologicos earum consideratio pertinet. Unam ex intellectualibus illis Virtutibus Prudentiam præsenti tractationi reservamus, quia non solùm tribuit boni operis facultatem, sed & usum, rectámque voluntatem omnino requirit. Quamobrem nemo verè prudens est, qui non sit probus.

Quid sit virtus moralis? Rom. XII.

III. *Virtus Moralis est habitus à Deo datus homini, ad honestos mores, sive honestas actiones, secundùm legis divinæ preceptum inclinans, propter caritatem in Deum.* Sicut enim pravis habitibus conformatur huic sæculo, sic virtutum habitibus mens hominis renovata Deo conformatur, ut probet quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta; (ut loquitur Apostolus.) Vera virtus Dei donum est, qui Deo servit, ad ipsum

ipsum unum ut ad finem refertur, quod sine caritate fieri non potest. Theologicè, non Philosophicè de virtutibus loquimur. *Non absurdè virtus definita est ab eis qui dixerunt, Virtus est animi habitus, naturæ modo atque rationi consentaneus. Verum dixerunt, sed quid sit consentaneum liberandæ ac beatificandæ naturæ mortalium nescierunt. Neque enim omnes homines naturali instinctu immortales & beati esse vellemus, nisi esse possemus. Sed hoc summum bonum præstari hominibus non potest nisi per Christum, & hunc crucifixum, cujus morte mors vincitur, cujus vulneribus natura nostra sanatur. Ideo Justus ex fide Christi vivit. Ex hac enim fide prudenter, fortiter, temperanter, & justè, ac per hoc his omnibus veris virtutibus rectè sapienterque vivit, quia fideliter vivit. Si ergo ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides quæ in Christo est vera promittit, nihil prosunt homini virtutes; nullo modo veræ possunt esse virtutes.... Absit ut virtutes veræ cuiquam serviant, nisi illi vel propter illum cui dicimus,* DEUS virtutum converte nos. *Proinde virtutes quæ carnalibus delectationibus, vel quibusque commodis & emolumentis temporalibus serviunt, veræ prorsus esse non possunt. Quæ autem nulli rei servire volunt, nec ipsæ veræ sunt. Veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus; Deo serviunt in Angelis, à quo donantur & Angelis.* Verba sunt *S. Augustini*, Libro IV. *Contra Julianum*, Cap. III.

Vera non sunt virtutes, nisi quæ uni Deo serviunt.

Psalm. 79. 2.

Idem argumentum tractat Libro XIX. *De Civitate Dei*, Cap. XXV. probatque non posse veras esse virtutes, ubi non est vera Religio. *Quamlibet* (inquit) *videatur Animus corpori, & ratio vitiis laudabiliter imperare; si Deo Animus & ratio ipsa non servit, sicut sibi serviendum esse Deus ipse præcepit, nullo modo corpori vitiisque rectè imperat. Nam qualis corporis atque vitiorum potest esse Mens domina, veri Dei nescia, nec ejus imperio subjugata, sed vitiosissimis Dæmonibus corrumpentibus prostituta? Proinde virtutes, quas sibi habere videtur, per quas imperat corpori & vitiis ad quodlibet adipiscendum vel tenendum, nisi ad Deum retulerit, etiam ipsæ vitia sunt potiùs quàm virtutes. Nam licèt à quibusdam tunc veræ & honestæ putentur esse virtutes, cùm ad seipsas referuntur, nec propter alias expetuntur; etiam tunc inflatæ ac superbæ sunt: & ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt. Sicut enim non est à carne, sed super carnem, quod carnem facit vivere: sic non est ab homine, sed super hominem quod hominem facit beatè vivere; nec solùm hominem, sed etiam quamlibet Potestatem Virtutemque cælestem.*

Non sunt veræ virtutes absque vera Religione.

IV. Virtutum moralium quædam sunt directrices operationum, aliæ sunt affectionum & perturbationum animi, seu (ut vulgò loquimur) passionum moderatrices. Primi generis sunt Justitia & partes ejus; secundi generis sunt Fortitudo & Temperantia, ipsisque subjectæ vel adjunctæ virtutes.

S. Thomas, Prima Secundæ, Quæst. 60.

V. Celeberrima virtutis partitio est in quatuor *Virtutes Cardinales*, ita nuncupatas, quòd sint tanquam aliarum fontes & cardines, & quemadmodum ostium in cardine, sic omnis honestæ vitæ ratio in illis versetur, bonique operis structura eisdem inniti quodammodo videatur. Quatuor verò numerantur ejusmodi Virtutes, scilicet *Prudentia, Justitia, Temperantia & Fortitudo*, De quibus Sapientiæ VIII. scriptum est; *Sobrietatem & prudentiam docet, & justitiam & virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Ubi per sobrietatem temperantia, per virtutem fortitudo non obscurè designatur, ut observat *S. Augustinus* Libro I. *Retractationum*, Cap. VII.

Quatuor Virtutes cardinales.

Illas quatuor Paradisi fluviis adumbratas Sancti Patres interpretantur; scilicet,

S. Ambrosius, Libro *De Paradiso*, Cap. III. *Sicut ergo*, inquit, *fons vitæ est Sapientia, fons gratiæ spiritalis: ita fons virtutum est cæterarum, quæ nos ad æternæ cursum dirigunt vitæ. Ex hac igitur Anima quæ culta est, non ex ea quæ inculta, fons iste procedit, ut irriget paradisum, hoc est, quædam diversarum frutecta virtutum, quarum sunt quatuor initia in quæ Sapientia ista dividitur. Quæ sunt quatuor initia virtutum, nisi unum prudentia, aliud temperantiæ, tertium fortitudinis, quartum justitiæ? &c.*

S. Augustinus, Libro II. *De Genesi Contra Manichæos*, Cap. X. *Flumen quod procedebat ex Eden, dividitur in quatuor partes, & quatuor Virtutes significat, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, justitiam..... Prudentia ergo quæ significat ipsam contemplationem veritatis, ab omni ore humano alienam, quia est ineffabilis, quam si eloqui velis, parturis eam potiùs quàm paris, quia ibi audivit & Apostolus ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Hæc ergo prudentia terram circumit, quæ habet aurum & carbunculum, & lapidem prasinum, id est, disciplinam vivendi, quæ ab omnibus terrenis sordibus quasi decocta nitescit, sicut aurum optimum; & veritatem quam nulla falsitas vincit, sicut carbunculi fulgor nocte non vincitur; & vitam æternam quæ viriditate lapidis prasini significatur, propter vigorem qui non arescit. Fluvius autem ille qui circuit Terram Æthiopiam multùm calidam atque ferventem, significat fortitudinem calore actionis alacrem atque impigram. Tertius autem Tygris vadit contra Assyrios, & significat temperantiam, quæ resistit libidini, multùm adversanti consiliis prudentiæ. Quartus fluvius non dictum est contra quid vadat, aut quam terram circumeat: justitia enim ad omnes partes Animæ pertinet, quia ipsa ordo & æquitas Animæ est, quâ sibi ista tria concorditer copulantur, prima prudentia, secunda fortitudo, tertia temperantia; & in ista tota copulatione atque ordinatione justitia.*

2. Cor. 12.

Quàm expetendæ sint & excolendæ quatuor illæ Virtutes, ostendit præclara illa *S. Augustini* Sententia, Libro I. *Contra Academicos*, Cap. VII. *Illa est humanarum rerum scientia, quæ novit lumen prudentiæ, temperantiæ decus, fortitudinis robur, justitiæ sanctitatem. Hæc enim sunt quæ nullam fortunam metuentes, verè nostra dicere audemus.*

S. Gregorius Magnus, Libro II. *Moralium*, Cap. XXVII. explicans quatuor angulos domûs, in qua filii Job epulabantur, & quam ventus vehemens concussit: *In quatuor* (inquit) *angulis domus ista consistit: quia solidum Mentis nostræ ædificium prudentia, temperantia, fortitudo, justitia sustinet. In quatuor angulis domus ista consistit: quia in his quatuor virtutibus tota boni operis structura consurgit. Unde quatuor paradisi flumina terram irrigant: quia dum his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni desideriorum carnalium æstu temperatur. Sed nonnunquam dum menti ignavia subrepit, prudentia frigescit: nam cùm fessa torpet, futura non providet. Nonnunquam dum nonnulla menti delectatio subrepit, temperantia nostra marcescit. In quantum enim ad delectationem præsentium ducimur, in tantum minus ab aliis temperamus. Nonnunquam se timor cordi insinuat, & vires nostræ fortitudinis turbat: & eò minores contra adversa existimus, quò quædam perdere immoderatiùs dilecta formidamus. Nonnunquam verò amor sui se menti ingerit, eámque latenti motu à rectitudine justitiæ divertit: & quò se totam Auctori reddere negligit, eò in se justitiæ juri contradicit. Ventus ergo vehemens*

quatuor angulos domûs concutit: dum fortis tentatio occultis motibus quatuor virtutes quatit: & quasi quassatis angulis domus obruitur, dum pulsatis virtutibus, conscientia turbatur. Intra hos autem quatuor domûs angulos filii convivantur: quia intra arenam Mentis, quæ principaliter his quatuor Virtutibus ad summa rectitudinis culmen erigitur, virtutes cæteræ quasi quadam cordis soboles se invicem pascunt.

CAPUT II.

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

ARTICULUS I.

Quo Virtutum istarum Natura explicatur.

PRUDENTIA *est virtus, quæ secundùm honesti rationem, divinæque legis præscriptum, quid expetendum, quidve fugiendum sit, homini præstituit.*

JUSTITIA *est virtus cuique tribuens quod suum est.*

FORTITUDO *est virtus quâ labores mortisque pericula propter Deum constanter suscipiuntur & perferuntur.*

TEMPERANTIA *est virtus, voluptatum carnis, quæ gustu tactûque percipiuntur, moderatrix.*

A *sancti Augustini* definitionibus istæ non multùm abludunt. Sic enim Virtutes illas definit Libro *De Diversis Quæstionibus* LXXXIII. Quæstione XXXI. & LXI. & Libro I. *De Libero Arbitrio*, Cap. XIII.

PRUDENTIA *est appetendarum & vitandarum rerum scientia.*

JUSTITIA *est virtus quæ sua cuique tribuuntur.* Sive, *Est habitus animi communi utilitate conservatâ, suam cuique tribuens dignitatem.*

FORTITUDO *est virtus quâ omnia incommoda & damna rerum non in nostra potestate constitutarum contemnimus.* Sive, *Firmitas animi adversus ea quæ temporaliter molesta sunt.*

TEMPERANTIA *est virtus coërcens & cohibens appetitum ab iis rebus quæ turpiter appetuntur.* Sive, *Refrenatio cupiditatis ab iis quæ temporaliter delectant.*

Virtutes cardinales variæ sunt divini amoris affectus.

Quatuor illas principes Virtutes absque Dei Amore nullas esse, immo nihil aliud videri quam varios divini Amoris affectus, *Sanctus Augustinus* docet, Libro *De Moribus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XV. *Si virtus*, inquit, *ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum Amorem Dei. Namque illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius Amoris vario quodam affectu, quantùm intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor Virtutes, quarum utinam ita sit in mentibus vis, ut nomina in ore sunt omnium, sic etiam definire non dubitem, ut* TEMPERANTIA *sit Amor integrum se præbens ei quod amatur:* FORTITUDO, *Amor facilè tolerans omnia propter quod amatur:* JUSTITIA, *Amor soli amato serviens, & propterea rectè dominans:* PRUDENTIA, *Amor ea quibus adjuvatur ab eis quibus impeditur, sagaciter seligens. Sed hunc Amorem non cujuslibet, sed Dei esse diximus, id est, summi boni, summæ sapientiæ, summæque concordiæ. Quare definire etiam sic licet, ut Temperantiam dicamus esse, Amorem Deo sese integrum incorruptúmque servantem: Fortitudinem, Amorem omnia propter Deum facilè perferentem: Justitiam, Amorem Deo tantùm servientem, & ob hoc bene imperantem cæteris, quæ homini subjecta sunt: Prudentiam, Amorem bene discernentem ea quibus adjuvetur in Deum, ab iis quibus impediri potest.*

Veteres Patriarchæ virtutibus Cardinalibus eximiè præfulsêre.

His Virtutibus veteres Patriarchas eximiè præfulsisse *Sanctus Ambrosius* ostendit Libro I. *De Officiis Ministrorum*, Cap. XXIV. & XXV. *Quod* (inquit) *his Viris principalium Virtutum officium defuit? Quarum primo loco constituerunt Prudentiam, quæ in veri investigatione versatur, & scientiæ plenioris infundit cupiditatem: secundo Justitiam, quæ suum cuique tribuit, alienum non vindicat, utilitatem propriam negligit, ut communem æquitatem custodiat: tertio Fortitudinem, quæ & in rebus bellicis excelsi animi magnitudine, & domi eminet, corporisque præstat viribus; quarto Temperantiam, quæ modum, ordinemque servat omnium, quæ vel agenda vel dicenda arbitramur.... Fuit igitur in sancto Abraham primo loco prudentia, de quo dicit Scriptura:* « Credidit Abraham « Deo, & reputatum est illi in justitiam. *Nemo enim prudens qui Deum nescit.... Vide, quàm justus Abraham. In senectute sua susceperat filium per repromissionem, reposcenti Domino negandum ad sacrificium, quamvis unicum, non putavit. Adverte hic omnes Virtutes quatuor in uno facto. Fuit sapientia, Deo credere, nec filii gratiam anteferre Auctoris præcepto: fuit justitia, acceptum reddere: fuit fortitudinis, appetitum ratione cohibere. Ducebat hostiam pater, interrogabat filius, tentabatur affectus paternus, sed non vincebatur. Repetebat filius appellationem paternam, compungebat paterna viscera, sed non minuebat devotionem. Accedit quarta virtus, temperantia. Tenebat Justus & pietatis modum, & exsecutionis ordinem. Denique dum sacrificio necessaria vehit, dum ignem adolet, dum filium ligat, dum gladium educit, hoc immolandi ordine meruit, ut filium reservaret. Quid sapientius sancto Jacob, qui Deum vidit facie ad faciem, & meruit benedictionem? Quid justius, qui ea quæ acquisierat, oblatis muneribus cum fratre divisit? Quid fortius, qui cum Deo luctatus est? Quid modestius eo, qui modestiam ita & locis & temporibus deferebat, ut filiæ injuriam mallet prætexere conjugio, quàm vindicare, eo quòd inter alienos positus amori potiùs consulendum, quàm odia colligenda censebat? Noë quàm sapiens, qui tantam fabricavit arcam? Quàm justus, qui ad semen omnium reservatus, solus ex omnibus & præteritæ generationis superstes est factus, & auctor futuræ, Mundo potiùs & universis, magis quàm sibi natus? Quàm fortis, ut diluvium vinceret! Quàm temperans, ut diluvium toleraret!*

Genes. 15.

Nemo prudens qui Deum nescit.

Comparatio quatuor virtutum Cardinalium cum quatuor beatitudinibus à S. Luca recensitis.

Idem Libro V. *in Lucam*, quatuor Beatitudines à sancto illo Evangelista commemoratas cum quatuor Virtutibus Cardinalibus comparat. BEATI PAUPERES SPIRITU. *Habes*, inquit, *Temperantiam, quæ à peccato abstinet, sæculum calcat, illecebrosa non quærit.* Beati qui esuriunt & sitiunt: « *Qui enim esurit, esurienti compatitur, compatiendo largitur, largiendo fit justus, quia* Justitia ejus « manet in æternum. Unde in Matthæo *Sitim & famem intelligimus spiritalem, quâ cibus justitiæ desideratur aut potus: quia virtus quasi materia quadam*

Psal. 111.9.

virtutum est, ut Justus aqualem se inferioribus pra-» stet, dolum excludat, veritatem requirat. Beati » qui nunc fletis, quoniam ridebitis. *Habet prudentiam, cujus est flere occidua, & ea qua aterna sunt quarere: lugere sacularia, qua seipsa compungunt: Deum pacis inquirere, qui stulta mundi eligit, ut confundat sapientes: & qua ea quo non sunt de-» struit, ut qua sunt possit adipisci.* Beati eritis » cùm vos oderint homines. *Habet fortitudinem, sed eam qua non odium mereatur ex crimine, sed persecutionem patiatur ex fide; sic enim ad passionis pervenitur coronam, si gratiam hominum negligas, divinam sequaris. Denique ut scias consumma-» tionem esse fortitudinis passionem:* Secundùm hæc » (inquit) faciebant Prophetis patres eorum: *quia Prophetas Judai usque ad mortem corporis persecuti sunt. Est etiam fortitudinis iram vincere, indignationemque cohibere: ac per hoc fortitudo animum juxta corpúsque confirmat, nec perturbari sinit timore aliquo vel dolore: quibus velut pravis interpretibus plerumque percellimur. Ergo Temperantia cordis habet animique munditiam, Justitia misericordiam, pacem Prudentia, mansuetudinem Fortitudo.*

Christus quatuor Virtutum cardinalium auctor & exemplar.

Quatuor illas Virtutes à Christo ut à causa effectrice pariter & exemplari in Christianorum animos derivari, ostendit *Sanctus Bernardus*, Sermone XXII. in Cantica. *Frustra* (inquit) *hujus saculi Sapientes de quatuor Virtutibus tam multa disputaverunt, quas tamen apprehendere omnino nequiverunt, cùm illum nescierint qui factus est nobis à Deo Sapientia, docens prudentiam; & Justitia, delicta donans; & Sanctificatio, in exemplum Temperantia continenter vivens; & Redemtio, in exemplum Patientia fortiter moriens. . . . . Quid vobis cum Virtutibus, qui Dei Virtutem Christum ignoratis? Ubinam, quaso, vera Prudentia nisi in Christi doctrina? Unde vera Justitia, nisi de Christi misericordia? Ubi vera Temperantia, nisi in Christi vita? Ubi vera Fortitudo, nisi in Christi Passione? Soli ergo qui ejus doctrinâ imbuti sunt, prudentes dicendi sunt; soli justi, qui de ejus misericordia veniam peccatorum consecuti sunt; soli temperantes, qui ejus vitam imitari student; soli fortes, qui ejus patientia documenta fortiter in adversis tenent. Incassum proinde quis laborat in acquisitione Virtutum, si aliunde eas sperandas putat quàm à Domino Virtutum: cujus doctrina seminarium Prudentia; cujus Misericordia opus Justitia; cujus Vita speculum Temperantia, cujus Mors insigne est Fortitudinis.*

Virtutum Cardinalium necessitas.

Hæ quatuor Virtutes quàm necessariæ sint homini Christiano, docet idem Doctor Mellifluus, in Tractatu *De Conversione, ad Clericos*, Capite decimo. *Opus est* (inquit) *Fortitudine adversus tentamenta peccati, ut rugienti leoni resistamus fortes in fide, & ignita ipsius jacula hoc ipso clypeo viriliter repellamus. Opus est Justitiâ, ut operemur bonum. Opus Prudentiâ, ne cum fatuis Virginibus reprobemur. Opus denique temperantiâ, ne voluptatibus indulgentes, audiamus aliquando quod miser ille epularum pariter & vestium splendore fruito, dum* Luc. 16. 25. *misericordiam precaretur, audivit:* MEMENTO, *fili, quod recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.*

Quatuor modis itur in consilium impiorum.

Et Sermone LXXII. *De Diversis*, aliàs XXXV. ex *Parvis*, explicans Versum illum Psalmi I. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*: ait ad hoc consilium quatuor modis tendi. *Quidam enim trahuntur inviti, alii attrahuntur illecti, alii seducuntur ignari, alii sequuntur spontanei. Istis necessaria sunt quatuor Virtutes, per quos armati resistant, ne in consilio eant. Invitis necessaria est Fortitudo, qua resistant usque ad mortem minis, cruciatibus & damnis. Illi qui attrahuntur illecti, indigent Temperantiâ, qua reprimit illicita desideria, nec cedit promissionibus, nec emollitur blanditiis. Illis qui seducuntur ignari, est opus Prudentiâ, qua ab utilibus inutilia discernit, & docet quid tenendum, quidve rejiciendum sit. Justitiâ indigent illi qui sequuntur spontanei. Justitia est rectitudo voluntatis, qua nec amat peccare, nec peccata consentit.*

Virtutes Cardinales connexa.

Denique has Virtutes esse connexas, & in meditullio quodam, seu medio convenire, quod ita cunctis coterminum est, ut proprium videatur singularum, docet Libro 1. *De Consideratione*, Cap. VIII. *Fortitudinis matrem esse Prudentiam: nec fortitudinem, sed temeritatem esse quemlibet ausum, quem non parturivit prudentia. Hac item est qua inter voluptates & necessitates media quasi quadam arbitra sedens, utrinque certis limitibus disterminat fines, istis assignans & prabens, quod sat est; illis quod nimis est, demens; & sic ex alterutro tertiam formans virtutem, quam dicunt Temperantiam. Nempe intemperantem ipsa consideratio censet tam eum qui necessariis pertinaciter demit, quam qui indulget superfluis.* Sed nec Justitia solitaria est. *Nam cùm Justitia dicatur portio, quod sibi non vult fieri quis, alii non facere: porro perfectio quod ait Dominus*, Quæcomque vultis ut fa-» ciant vobis homines, & vos facite illis; *neutrum ho-» rum erit, nisi ipsa voluntas sic ordinata fuerit, ut nec velit aliquid superfluum, nec necessarium quid superstitiosè nolit, quod quidem Temperantia est. Denique & ipsi Justitia ut justa sit, Temperantia modum imponit.* Noli nimiùm esse justus, *ait Sa-* Eccles. 7. *piens, ostendens per hoc minimè approbandam justitiam, qua temperantia moderamine non frenetur. Quid quod & ipsa Sapientia hoc Temperantia frenum non respuit, dicente Paulo*, Non plus sape-» Rom. 12. re quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrie-» tatem. *Sed & è converso, quòd Temperantia ne-» cessaria Justitia sit, ostendit Dominus arguens in Evangelio illorum temperantiam, qui abstinebant ut viderentur hominibus jejunantes. Erat in cibo temperantia, sed non justitia in animo, quia non Deo placere, sed hominibus intendebant. Quomodo rursum vel ista vel illa sine Fortitudine, cùm constet fortitudinis esse non mediocris, cohibere velle & nolle suum inter angustias, parum & nimis; ut sit contenta voluntas modo illo medio, nudo, pure, solo, constante sibi, aquali undique sui, utpote ex omni parte pariter circumciso, quem solum constat esse virtutis. Dicito mihi, quaso, si potes, cuinam potissimum trium harum Virtutum meditullium hoc dandum censeas, quod ita cunctis coterminum est, ut videatur proprium singularum? An ipsum virtus est, & nihil aliud? Sed sic virtus non esset multiplex, sed essent omnes una. An potius quia sine eo virtus non est, omnium quodammodo intima vis una est & medulla virtutum, in qua sic uniuntur, ut proinde una videantur omnes, prasertim quod non illud participando communicant, sed totum à singulis atque integrum possidetur? Verbi causâ: Quid tam justitia quam modus? Alioquin si quid extra modum relinquit, non planè cuique tribuit quod suum est. Quid tam rursum temperantia, qua non aliunde professo temperantia est, nisi quòd nil immoderatum admittit? Sed, puto, fatebere etiam non minùs esse fortitudinis, cùm vel maximè ipsa sit quo vel ab irruentibus vitiis, & quasi hinc inde suffocare conantibus, purum illud potenter eruit & vendicat in quoddam stabile fundamentum boni, sedémque virtutis. Ergo modum tenere, justitia est, temperantia est, fortitudo est. Sed vide ne in hoc differant, ut justitia quidem in effectu res*

Quomodo medium conveniat Virtutibus Cardinalibus?

sit, à fortitudine autem efficacia ejus: porrò possessio ejus atque usus apud temperantiam. Ab hac tandem communione prudeotiam non excludi ostendit. Nam *Ipsa est, quæ modum dum animi neglectu posthabitum, & vitiorum invidiâ quasi in abditis reclusum, & coopertum quodam vetustatis caligine prior reperit & advertit. Itaque Justitia quæris, Prudentia invenit, vendicat Fortitudo, Temperantia possidet.*

Sed & *sanctus Hieronymus*, Epistolâ cxxvii. ad *Fabiolam*, Mansionem xxxviii. explicans, & in Cap. xvi. *Isaiæ*, Virtutes omnes sibi hærere asserit, & inter se ita connexas, ut qui unâ caruerit, omnibus careat. [*Virtutes in justis omnibus non sunt æquales.*] Neque verò huic doctrinæ repugnat, quod Libro 1. *Contra Pelagianos*, Cap. vii. ait *Nullus Sanctorum, quandiu in isto corpusculo est, cunctas potest habere virtutes.* Id unum enim significat, non esse æquales in omnibus, sed alios aliis virtutibus excellere, quamvis omnes habeat, qui unam habet. Significat nemioem hominem, quantumvis sit justus, perfectum esse, quandiu hîc mortalem vitam agit. In eo versatur ut probet, *Non solum ad comparationem Divinæ Majestatis homines nequaquam esse perfectos, sed ne Angelorum quidem & cæterorum hominum, qui virtutum culmina conscenderunt: cùm & tu, qui melior es alterius collatione, quem imperfectum esse monstraveris, rursum ab alio te præeunte vincaris; ac per hoc non habeas veram perfectionem: quæ si perfecta sit, nulla re indiget.* Et paulò post: *Quandiu habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, & fragili carne circumdamur, imò mortali & corruptibili, beatos esse nos credimus, si in singulis Virtutibus, partibusque virtutum Deo subjecti sumus: cùm autem mortale hoc in lucem fuerit immortalitate, & corruptivum hoc incorruptione vestitum, & absorpta mors fuerit in Christi victoria; tunc erit Deus omnia in omnibus; ut non sit tantùm in Salomone sapientia, in David animi mansuetudo, in Elia & Phinees Zelus, in Abraham fides, in Petro perfecta dilectio, in electionis Vase studium prædicandi, & in cæteris bina vel trina; sed totus in cunctis sit, & omni virtutum choro Sanctorum numerus glorietur, & sit Deus omnia in omnibus.* Objicit Critobulus Interlocutorum alter: *Nullus ergo Sanctorum, quandiu in isto corpusculo est, cunctas potest habere virtutes?* Respondet Atticos: [*1. Cor. 13.*] *Nullus; Quia nunc ex parte prophetamus, & ex parte cognoscimus.* Critob. *Et quomodo legimus: Qui unam habuerit, omnes videtur habere virtutes?* Atticus: *Participatione, non proprietate: necesse est enim ut singuli excellant in quibusdam. Et tamen hoc quod legisse te dicis, ubi scriptum sit, nescio.* Critob. *Ignoras hanc Philosophorum esse sententiam?* Atticus: *Sed non Apostolorum. Neque enim mihi cura est quid Aristoteles, sed quid Paulus doceat.* Critob. *Obsecro te, nonne Jacobus Apostolus scribit, Qui in uno offendit, eum esse omnium reum?* [*Jacobi 2.*] Atticus: *Ipse locus interpretatur. Non enim dixit, unde cœperat disputatio; Qui divitem pauperi in honore [illegible]rit, reus est adulterii vel homicidii: in hoc enim delirant Stoici, paria contendentes esse peccata: sed ita: Qui dixit, Non mœchaberis, dixit, Et non occides: quod etsi non occidis, mœcharis tamen, factus es transgressor Legis. Levia cum levibus, & gravia cum gravibus comparantur, nec ferulâ dignum vitium, gladio vindicandum est: nec gladio dignum scelus, ferulâ coercendum.* Tum paulò post Atticos: *Quis non vult facere quod perfectum est? aut quis non cunctis cupiat florere Virtutibus? Si tota requiris ab omnibus, tollis rerum diversitatem, & gratiarum distantiam, & Creatoris artificis varietatem, cujus sacro Propheta sonat carmine,* Omnia in sapientia fecisti. *Indignetur lucifer, quare fulgorem Lunæ non habeat. Luna super suis defectibus & labore causetur, cur annuum Solis circulum singulis mensibus expleat. Sol queratur quid offenderit, ut Luna cursus tardior sit. Clamemus nos homunculi, quid causa extiterit ut homines & non Angeli facti simus.... Vestrum decretum huc usque perveniet, ut dum singula calumniantur, manum injiciant Deo, cur solus Deus sit, cur inviderit creaturis, ut non omnes eadem polleant majestate. Quod licet non dicatis (neque enim tam insani estis, ut apertè pugnetis Deo) tamen aliis verbis loquimini, rem Dei homini copulantes, ut sit absque peccato, quod & Deus est. Unde Apostolus super diversis intonans gratiis loquitur: Divisiones donationum sunt, idem autem Spiritus: & divisiones ministeriorum sunt, idem autem Dominus: & divisiones operationum sunt, unus autem Deus, qui operatur omnia in omnibus.* [*Psalm. 103.*] [*1. Cor. 12. 4.*]

DE VIRTUTIBUS.

Eodem sensu intelligendum est quod ait in Cap. 1. Epistolæ ad Ephesios. *Nunc* (inquit) *Deus per partes in singulis est: in alio justitia, in alio castitas, in alio sapientia, in alio fortitudo: & difficile est etiam in sanctis viris atque perfectis omnes pariter esse virtutes. Cùm autem ita finis rerum & consummatione Mundi Ei fuerint universa subjecta, adimplebitur omnia in omnibus: ut juxta id quod Deus est cunctis virtutibus plenus, omnia in omnibus adimpleatur, & sint universi habentes omnia, quæ antè singuli singula habebant.* Quamvis itaque connexæ sint inter se virtutes, & qui unam habet, cæteris sit ornatus: non sunt in Justis ipsis æquales, & modis omnibus perfectæ; sed perfectus erit illarum status in cælesti beatitudine, cùm Deus erit omnia in omnibus.

ARTICULUS II.

De Prudentia, ejusque Partibus & Officiis.

§. I.

Partes subjectæ, seu species Prudentiæ.

I. P*Rimus Officii fons Prudentia est*: (inquit *S. Ambrosius*, Libro 1. *De Officiis*, Cap. xxvii.) [*S. Thomas Secunda Secundæ quæst. 50.*] Alia *Politica* est, alia *Oeconomica*, alia *Monastica*. Prima in bonum Reipublicæ, secunda in bonum familiæ, tertia in bonum privatum intendit. Prima vel *Regnatrix* est in Rege, de qua *Jeremiæ* xxiii. dicitur: *Regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra.* Et Sapientiæ vi. *Rex sapiens stabilimentum populi est.* Vel *Militaris* in belli Ducibus, quæ hostium repellendis insultibus invigilat, de qua Proverb. xxiv. dicitur: *Cum dispositione initur bellum, & erit salus ubi sunt multa consilia.* Et Sap. vi. *Melior est sapientia quàm vires; & vir prudens quàm fortis.* Vel *Obsequens* in subditis, in iis quæ bonum commune spectant. Homines enim servi, vel quicumque subditi ita aguntur ab aliis per præceptum, ut tamen seipsos agant per liberum arbitrium: & ideo requiritur in eis rectitudo quædam regiminis, quâ seipsos dirigant obediendo Principibus, & iis qui Rempublicam moderantur; quod pertinet ad Prudentiam Politicam. Hæ Partes sunt subjectæ Prudentiæ, sive illius species.

§. II.

Prudentiæ Officia.

S. Thomas Secunda Secundæ, Q. 47. A. 8. & Q. 51.

II. Officia Prudentiæ, sive actus illius, sunt primò, Rectum consilium de rebus agendis inire, quærere, accipere, vel dare. 2. De iisdem rectè judicare, sive secundùm Regulas communes, sive secundùm altiora principia, ubi illas deficere contingit. 3. Rectè præcipere. Est hic quidem postremus actus Prudentiæ Moralium Virtutum Reginæ proprius est: alii verò ad virtutes Prudentiæ annexas & affines spectant. Optimi consilii in omnibus operibus nostris, maximéque in rebus ad Animæ salutem pertinentibus necessitatem docet Spiritus-Sanctus Proverb. XII. *Via stulti recta in oculis ejus: qui autem sapiens est, audit consilia.* Et Cap. XIII. *Inter superbos semper jurgia sunt; qui autem agunt omnia cum consilio, regunt sapientiâ.* Eccli. XXXII. *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.* Et Cap. XXXVII. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.* Hac Virtute instructus *Jethro* socer *Mosis*, optimum illi consilium dedit de Populi Israëlitici gubernatione, (*Exod.* XVIII. 17.) Hâc instructus *Nathan* Propheta salutare consilium dedit *Betsabee* Matri Salomonis, ut Regnum filio à Davide impetraret. (III. *Reg.* 1. 12.) Hâc Virtute Moses, Salomon, Daniel, Joseph excelluerunt; ut ostendit *sanctus Ambrosius*, Lib. II. *De Officiis*, Capp. X. & XI. Rectum de agendis judicium ad bonum illum sensum pertinet, qui veræ sapientiæ comes est, & à Deo datur hominibus, de quo *Sap.* VII. dicitur: *Optavi, & datus est mihi sensus, & invocavi, & venit in me spiritus Sapientiæ.* Eccli. XIV. *Beatus vir qui in sapientia morabitur, & qui in justitia sua meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei.* Hinc homo sensatus in Scripturis, qui verè prudens est, appellatur Ecclesiastici XXXIII. *Sapiens non odit mandata & justitias, & non illidetur quasi in procella navis. Homo sensatus credit Legi Dei, & Lex illi fidelis.* Recti judicii est, è duobus malis minus eligere, quod de malis culpæ non est intelligendum: peccata enim omnia fugienda sunt, cùm illa Deus prohibeat, nullum eligendum est: sed de malis pœnæ. Sic Davidi, cùm numerato populo peccasset, obtulit Dominus optionem triplicis pœnæ, nempe vel septennis famis in toto Regno, vel belli quo fugeret tribus mensibus coram hostibus suis, vel triduanæ pestis.

Rectum de rebus agendis judicium.

2 Reg 24. 14.

Dixit autem David ad Gad, Coarctor nimis: sed melius est ut incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ ejus sunt) quàm in manus hominum. Immisitque Dominus pestilentiam in Israël. Rectè præcipitur, quod Legi Divinæ, aut Ecclesiæ, Principúmque Legibus secundùm Deum latis non repugnat, & ad finem consequendum conducibile est, maximè verò ad finem vitæ æternæ, propter quam Principes & Superiores quique præcipere, & subditi parere debent.

A quibus quærendum consilium?

III. Illis solùm consiliis confidendum est, quæ justitiâ & prudentiâ nituntur. *Quis enim ei se committat, quem non putet plus sapere, quàm ipse sapiat qui quærit consilium? Necesse est igitur ut præstantior sit à quo consilium petitur, quàm ille est qui petit. Quid enim consulas hominem, quem non arbitreris posse melius aliquid reperire, quàm ipse intelligis? Quòd si eum inveneris, qui vivacitate ingenii, mentis vigore atque auctoritate præstet, & accedat eo ut exemplo & usu paratior sit, præsentia solvat pericula, prospiciat futura, denuntiet imminentia, argumentum expediat, remedium ferat in tempore, paratus sit non solùm ad consulendum, sed etiam ad subveniendum; huic ita fides habetur, ut dicat qui consilium petit:* Etsi mala mihi evenerint per illum, sustineo. *Hujusmodi igitur viro salutem nostram & existimationem committimus, qui sit justus & prudens. Facit enim justitia, ut nullus sit fraudis metus: facit etiam prudentia, ut nulla sit erroris suspicio*, (inquit *sanctus Ambrosius*, Libro II. *De Officiis*, Cap. VIII.) Morum probitate & integritate florere illum necesse est, à quo consilium quæris. *Quomodo enim eum potes judicare consilio superiorem, quem videas inferiorem moribus? Supra me debet esse, cui me committere paro. An verò idoneum eum putabo, qui mihi det consilium quod non dat sibi: & mihi eum vacare credam, qui sibi non vacet: cujus animum voluptates occupent, libido devincat, avaritia subjuget, cupiditas perturbet, quatiat metus? Quomodo hic consilii locus, ubi nullus quieti? . . . . Omnium operator Prudentia, cum omnibus bonis habet consortium. Nam quomodo potest utile consilium dare, nisi habeat justitiam, ut induat constantiam, mortem non formidet, nullo terrore, nullo revocetur metu: nullâ adulatione à vero deflectendum putet: exsilium non refugiat, qui noverit Sapienti patriam mundum esse: egestatem non timeat, qui nihil deesse Sapienti sciat, cui totus Mundus divitiarum est? Quid enim præcelsius illo viro, qui auro moveri nesciat, contemtum habeat pecuniarum, & velut ex arce quadam despiciat hominum cupiditates?* Ab hujusmodi viro consilium quære, à viro (inquam) prudente, probo, benevolo, facili. Si quis enim sapiens est, difficili tamen accessu, idem est ac si aquæ fontem præcludat (inquit *S. Ambrosius*, Capp. XII. & XIV. ejusdem Libri.)

Eccli. 22. 31.

§. III.

Partes integrantes Prudentiæ.

S. August. Lib. Q. Q. LXXX 1 Q. 31. S. Thomas, Secunda Secundæ, Q. 49. & Q. 48. Art. 1.

IV. Partes velut integrantes Prudentiæ, sine quibus videlicet perfectus istius Virtutis actus esse non potest, sunt *Memoria*, *Intelligentia*, *Providentia*, *Solertia*, *Docilitas*, *Ratio*, *Circumspectio*, *Cautio*, *Solicitudo*.

Memoria.

Memoria est, quâ repetit animus illa quæ olim gesta sunt vel evenerunt. Non sumitur hîc pro naturali facultate, sed pro studiosa recordatione præteritorum eventuum & negotiorum, quibus mediis acta sint, quos exitus habuerint. Experimento scilicet plurimùm juvatur Prudentia. & ex præteritis argumentum sumit quo probetur in similibus negotiis rerumque circumstantiis, quæ faustum exitum habuerunt, eodem modo agendum, vel alio modo in iis quorum infaustus fuit exitus ex hominum imprudentia, & mediorum congruorum defectu. Contingit enim interdum ut res malè cedant, quamvis optimo consilio susceptæ sint, mediisque convenientibus & prudentiâ singulari gestæ, ex defectu causarum quæ non sunt in nostra potestate, & ita volente ac decernente Deo. Unde scitè ab antiquo Poëta dictum est,

Careat successibus opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat.

Intelligentia

Intelligentia, est quâ homo ea perspicit quæ sunt: sive, Accurata & solers consideratio quâ intelligitur quid in unaquaque actione, atque adeo in totius vitæ ratione Deo acceptum, ac

proinde honestum seu decens atque utile sit: & è contrario quid Deo displiceat, ac proinde quid inhonestum, dedecens ac damnosum sit. *Sap. 7.* Hinc dicitur *Intellectus Prudentia* (Ecclesiastici 1) & alibi, *Spiritus intelligentiæ*. De quo scriptum *Ezech. 19.* est Deuteronomii IV. *Hæc est vestra sapientia & intellectus coram Populis, ut audientes universa præcepta hæc, dicant: En Populus sapiens & intelligens, gens magna.* Intelligentiâ quoque perspicit vir prudens quæ sint aliorum consilia. Quamvis enim adeo profundæ sint hominis cogitationes, B ut nemo eas noverit nisi spiritus hominis qui in ipso est, eas tamen, quantùm conjecturis potest, vir prudens rimatur, observat, expiscatur, secundùm illud Proverb. XX. *Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri: sed homo sapiens exhauriet illud.*

Providentia. *Providentia*, est quâ futurum aliquid ante videtur quàm factum sit; & idonea media ad finem consequendum assumuntur. De qua Psalmo XXXII. scriptum est: *Gens absque consilio est, & sine prudentia: utinam saperent, & intelligerent, & novissima providerent!* Et Ecclesiastis VIII. *Tempus & responsionem cor Sapientis intelligit. Omni negotio tempus est & opportunitas.* Hâc instructus C est, *Luc. 14.* *Qui volens turrim ædificare, priùs sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum, ne posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Hâc instructus est *Rex, qui iturus committere bellum adversùs alium Regem, sedens priùs cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se: alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt.* Hâc instructus *Matth. 7.* erat vir Sapiens, *Qui ædificavit domum suam supra petram, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram.* Hâc destitutus erat vir stultus, *Qui ædificavit domum suam super arenam: & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* D

Solertia. *Solertia*, facilis est & prompta conjectio, quâ dum aliquid ex improviso occurrit, celeriter à viro perspicaci & prudente invenitur id quod congruit & expedit.

Docilitas, quâ quis paratum & promptum se E exhibet ad aliorum consilia & monita de rebus agendis suscipienda. Quò spectat illud Proverb. III. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et Ecclesiastici VI. *In multitudine Presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire, & Proverbia laudis non effugiant à te. Et si videris sensatum, evigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus.* Quamvis autem in bona & felici indole quædam sit ad docilitatem propensio, ad ejus tamen perfectionem (inquit *Sanctus Thomas*) plurimùm valet humanum studium, *Dum scilicet homo sollicitè, frequenter & reverenter applicat animum suum documentis Majorum; non negligens ea propter ignaviam, nec contemnens propter superbiam.* Quod quidem F cùm sine divinæ Gratiæ munere, ut par est, fieri non possit, cor docile Dei donum est: unde Salomon ita Dominum precabatur: *Dabis servo tuo cor docile.*

Ratio, sive recta ratiocinatio est, quâ ex aliis priùs cognitis colligitur quid agendum sit. Ad quam pertinet illud Proverb. XVIII. *Cor prudens possidebit scientiam.*

A *Circumspectio*, est accurata circumstantiarum consideratio, ut noscatur quid bonum sit & conveniens, habitâ ratione negotiorum, personarum, loci & temporis, &c. *Circumspectio.* Quædam enim secundùm se spectata bona sunt & convenientia, quæ tamen ex rerum circumstantium concursu vel mala redduntur, vel certè fini nullatenus opportuna. Sic exhibere alicui signa amoris, secundùm se spectatum, conveniens est ut ejus animus ad mutuum amorem alliciatur: sed si periculum probabile sit ne inde in illius animo superbia vel B suspicio adulationis oriatur, id non erit fini conveniens. Quamobrem necessaria est circumspectio ad prudentiam, ut scilicet media ad finis consecutionem assumpta comparentur cum accidentibus rem circumstantibus. Quò spectat illud Apostoli, ad Philipp. I. 9. 10. *Et hoc oro, ut caritas vestra magis ac magis abundet in scientia & in omni sensu: ut probetis potiora.* Et Heb. VI. 14. *Perfectorum autem est solidus cibus; eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.*

Cautio, est malorum & impedimentorum extrinsecorum, quæ consecutioni finis objiciuntur & adversantur, consideratio, ut ea vitentur *Cautio.* C vel removeantur. Cùm enim bona plerumque impediantur à malis, & mala sæpè boni speciem habeant, necessaria Prudentiæ cautio est, ut non solùm eligantur bona, sed vitentur mala. Huc pertinet illud Sapientis oraculum, *Ecclesiastici* Cap. III. *Sapiens cor & intelligibile abstinebit se à peccatis, & in operibus justitiæ successus habebit.* Et illud Apostoli ad Ephes. V. *Videte itaque, fratres, quomodo cautè ambuletis: non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.* D Hinc *Julianus Pomerius*, Libro III. *De Vita Contemplativa*, Cap. XXIX. ait: *Cognitio rerum, quæ de Prudentiæ fonte confertur, spirituales à carnalibus vitiis defæcatos illustrat, ut prudentes ac sapientes fiant, imminentia mala prospiciant simul & caveant: nec putent ulla esse mala, nisi quæ malos efficiant; inter fallacia & solida bona discernant,* &c. Non solùm autem à vitiis, & ab occasionibus peccati, sed etiam ab hominibus, quorum probitas non est perspecta & explorata, cavere, Prudentiæ est: non temerè cuivis credere, etiam propinquis & popularibus, etiamsi E bonis verbis blandiantur. Quocirca Jeremiæ IX. scriptum est: *Unusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.* Et Cap. XII. VI. *Nam & fratres tui, & domus patris tui, etiam ipsi pugnaverunt adversum te, & clamaverunt post te plenâ voce: ne credas eis cùm locuti fuerint tibi bona.* Michææ VII. *Nolite credere amico: & nolite confidere in duce: ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui. Quia filius contumeliam facit patri, & filia consurgit adversùs matrem suam, nurus adversùs socrum suam: & inimici hominis domestici ejus.* F Matth. X. *Cavete ab hominibus: tradent enim vos in Conciliis suis, & in Synagogis suis flagellabunt vos.* I. Joannis IV. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.* Prudentis cautionis exemplum Christus dedit. Cùm enim esset Jerosolymis in Paschali Festo, *Multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus quæ faciebat. Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eò quòd ipse nosset omnes.* Cautioni adjuncta dissimulatio *Prudens dissimulatio cautioni adjuncta.* est, quæ eâ solùm ratione licita est, quâ veri-

aliquid fiet, nihil dicit falsi, consilia sua & animi affectus abscondit, salvâ Dei gloriâ, citra fraudem veritatis, caritatis, justitiæ. Neminem fallere licet: verùm salvis Dei Proximique juribus, dissimulare licet in rebus externis, politicis, & mediis indifferentibus, in quibus nostrorum consiliorum, affectuum, negotiorum manifestatio nobis vel aliis noceret. Sic *Joseph* dissimulatione usus est, alienum se fingens fratribus, verbisque durioribus illos excipiens; ut fratrum animos, & paternæ familiæ statum exploraret; (*Genes.* XLII.) Sic *Moses* veniam petens à socero in Ægyptum redeundi, vocationem divinam B prudenter dissimulavit, ne quod sibi impedimentum à socero familiâque afferretur; (*Exod.* IV. 18.) Sic idem *Moses* & *Aaron*, jubente Deo postularunt à Pharaone ut Populum Israëliticum ex Ægypto dimitteret, sacrificia vero Numini in deserto oblaturum: quæ quidem vera, sed non una tamen causa erat dimissionis Popoli, sed alias causas, nempe durissimæ solutionem servitutis, & aditum Terræ Canaan prudenter apud Pharaonem dissimularunt (*Exod.* III.) Propheta *Samuel*

1. Reg. 16. Dei mandato Bethleem ad *Isai* profectus, C ut *Davidem* ejus filium Regem inungeret, præcipuam illam itineris sui causam dissimulavit, unam tantùm indicavit Senioribus civitatis, quid infausti ex illius adventu metuentibus, dicens: *Ad immolandum Domino veni:* Quod etiam verum erat.

Sollicitudo. *Solicitudo*, est quædam solertis animi vigilantia & celeritas ad ea quæ agenda sunt prosequenda, sive ad optimorum consiliorum ac præceptorum executionem urgendam atque promovendam. Hinc *S. Petrus*, Epistolâ 1. Cap. IV. *Estote* (inquit) *prudentes, & vigilate in orationibus.* Hinc *Sanctus Augustinus*, Libro *De Moribus Ecclesiæ*, D Cap. XXIV. De Prudentia loquens: *Hujus autem* (inquit) *sunt excubiæ, & diligentissima vigilantia, ne subrepente malâ suasione fallamur: unde sæpè Dominus*, VIGILATE *clamat*, & AMBULATE, inquit, *dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant.*

§. IV.

In quibus vera Prudentia?

IN Justis omnibus est vera Prudentia, sine qua nulla vera Virtus est. Quamvis enim omnes E industriam illam non habeant, quâ sibi & aliis providere possint de omnibus quæ ad humanæ vitæ rationem pertinent; industriâ tamen illâ donantur à Deo, quæ sufficit ad res salutis æternæ;

1 Joan. 2. illósque hoc sensu *Unctio docet de omnibus.* Licèt porro plerique homines justi, piæque mulieres indigeant regi consilio alieno, *Saltem in hoc sibi ipsis consulere sciunt, si gratiam habent, ut aliorum requirant consilia, & discernant consilia bona à malis;* (inquit *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione XLVII. Articulo XIV.) Ad omnes ergo Christianos spectat cæleste illud Christi Domini

Matt. 10. mandatum: *Estote prudentes sicut serpentes, & F simplices sicut columbæ.* Prudentia serpentis nobis præcipitur, ad cavendum malum, ut quemadmodum serpens totum corpus pro servando capite objicit persequenti, sic totius corporis periculo Caput nostrum, qui Christus est, custodiamus: Et sicut serpens per angustias se coarctans, veteri

S. Hieron. in Cap. 7. S. Matth. pelle exutus innovatur; sic *Intrare per angustam portam*, & *Veterem hominem exuere* teneamur. Columbarum autem simplicitatem commendat, ut nulli noceamus.

In peccatoribus non est vera perfectáque Prudentia, quia sibi ipsis non consulunt in iis quæ salutem & felicitatem æternam spectant. *Prudentia non in foro, non in plateis, sed in Ecclesia possidetur;* (inquit *S. Ambrosius*, Libro *De Virginitate*, Cap. XIV.) S. Augustin. lib. Quæst. Evangel. in S. Matth. Quæst. 6.

§. V.

Vitia Prudentiæ opposita.

B VItia Prudentiæ opposita sunt *Imprudentia*, *Præcipitatio*, *Inconsideratio*, *Inconstantia*, *Negligentia*, *Prudentia carnis*, *Astutia*, *Dolus*, *Fraus*, & *immodica de rebus temporalibus solicitudo.* Imprudentia.

Imprudentia, quâ quis avertitur à Regulis divinis, est peccatum mortale, cùm scilicet *Quasi contemnens & repudians divina documenta præcipitanter agit. Si verò præter eas agat absque contemptu, & absque detrimento eorum quæ sunt de necessitate salutis, est peccatum veniale:* (inquit *Sanctus Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione LIII. Articulo I.) Spiritalis gratiæ thesauros in prudentiâ C dissipari & amitti, Spiritus Sanctus docet, Proverb. XXI. 20. *Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo Justi: & imprudens homo dissipabit illud.* S. Thomas, Secunda secundæ, Quæst. 53. 54. & 55.

Præcipitatio, imprudentiæ species est, consilii scilicet perversitas, quâ homo ex impetu voluntatis, aut pravo animi affectu, prætermissis prudentiæ gradibus in ruinam labitur. Quò spectat illud Proverb. IV. *Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant.* Præcipitatio.

Inconsideratio sub imprudentia pariter continetur. Judicii depravatio est, quatenus homo contemnit vel negligit attendere ad ea ex quibus rectum judicium procedit. Porro cùm ad Prudentiam pertineat divinum illud Oraculum, Proverb. IV. *Oculi tui videant recta, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos:* Inconsiderationem ipsi è regione adversari, manifestum est. Inconsideratio.

Inconstantia, quâ bonum propositum abjicitur, imprudentiæ pariter species est, quatenus rectam præcipiendi rationem evertit. Hæc tria vitia ex luxuria oriuntur, & de illis superiùs egimus, cùm de luxuriæ progenie seu filiabus tractaremus. Inconstantia.

Negligentia, defectus est debitæ solicitudinis ad Prudentiam pertinentis. Peccatum esse minimè dubium est, secundùm illud Proverb. XIX. *Qui negligit viam suam, mortificabitur*, id est, incurret mortem, sive, *Peribit*, ut habet Versio LXX. Interpretum. Et Eccli. VII. *De negligentia tua purga te cum paucis.* Ut autem innotescat quando veniale sit, quando mortale peccatum, ad ejus radicem attendendum est. Oritur scilicet ex remissione quadam voluntatis, quâ fit ut ratio non sit solicita de præcipiendis quæ debet, vel quo modo debet. Dupliciter ergo contingere potest ut negligentia sit peccatum mortale: Primò ex parte ejus quod ex negligentia prætermittitur, quod quidem sit necessarium æternæ saluti, sive sit actus, sive circumstantia, secundùm illud Apostoli (*Hebr.* II.) *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum, ab iis qui audierunt, in nos confirmata est.* Secundò contingit ut negligentia mortale sit peccatum ex parte causæ. Si enim voluntas adeo sit remissa circa res divinas, & officia Vitæ Christianæ, ut penitus à caritate Dei deficiat, talis negligentia mortale peccatum est; quod præcipuè contingit cùm negligentia sequitur ex contemptu. Unde Deuteron. VIII. Negligentia. Negligentia, quando peccatum mortale.

scriptum est: *Cave ne quando obliviscaris Domini Dei tui, & negligas mandata ejus.* Et Proverb. I. 25. *Despexistis consilium meum, & increpationes meas neglexistis.* Hinc *S. Gregorius Magnus*, Libro VII. Epist. XXVII. Indict. II. *Sicut*, inquit, *cauta provisio & culparum vias obstruere, & novit quo sunt noxia declinare; ita neglectus patet excessibus, & qua sunt cavenda solet incurrere.* Si verò ex negligentia prætermittatur actio aliqua vel circumstantia quæ non sint necessariæ saluti, neque id fiat ex contemtu, sed ex aliquo defectu fervoris, tunc negligentia veniale peccatum est, (inquit *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione LIV. Articulo III.)

Prudentia carnis.

Prudentia carnis, assumptâ veræ prudentiæ specie ipsi adversatur. Lethale peccatum est, si finis ultimus in fruitione bonorum corporis statuatur. Unde Apostolus (Rom. 8.) ait: *Prudentia carnis mors est..... Quoniam sapientia carnis inimica est Deo: Legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest.* Aliàs prudentia carnis veniale peccatum est. Falsa illa prudentiæ species sive similitudo, dicitur etiam *Prudentia sæculi*, de qua Christus (Lucæ XVI.) *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.*

Astutia.

Astutia vitium est prudentiæ oppositum, quo non veris viis, sed falsis & simulatis (ut loquitur *S. Thomas*) ad finem sive bonum sive malum tenditur. De qua *S. Gregorius*, Libro X *Moralium*, Cap. XVI. *Sapientia* (inquit) *hujus mundi, est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare; quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ vera sunt, falsa demonstrare. Hæc prudentia à juvenibus scitur, à pueris pretio discitur.* Hanc Apostolus dissuadet (II. Corinth. IV.) *Non ambulantes*, inquit, *in astutia.*

Fraus & dolus.

Fraus & *Dolus* Astutiæ consilia exequuntur; dolus cùm verbis, tum factis; fraus factis præsertim. De utroque illo vitio superiùs actum est, cùm de filiabus Avaritiæ tractaretur, quia Avaritiæ surculi sunt.

Sollicitudo immoderata de temporalibus.

Immoderata de temporalibus rebus solicitudo vitium est prudentiæ oppositum, quod vel temporalia bona ut finis quæruntur, vel superflua ultra vitæ præsentis necessitatem; vel solicitudinis tempus præoccupatur, cùm omni negotio tempus sit & opportunitas. Huic vitio medetur Christus Matth. VI. *Ne solliciti sitis*, inquit, *animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini..... Nolite solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua.* Cùm tamen videmus Dei servos providere ne ipsis necessaria vitæ subsidia desint, de crastino sollicitos ne ideo judicemus. Nam & ipse Dominus loculos habuit, & in Actis Apostolorum scriptum est, ea quæ ad victum essent necessaria, procurata esse in futurum propter imminentem famem, ab Apostolorum discipulis. Ex quibus Scripturæ locis evidens est, *Dominum nostrum non hoc improbare, si quis humano more ista procuret, sed si quis propter ista Deo militet, ut in operibus suis non Regnum Dei, sed istorum acquisitionem intueatur:* (inquit *S. Augustinus*, Libro II. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. XVII.)

Act. 11. 27

Articulus III.

De Justitia, ejusque Partibus, & Officiis.

§. I.

Justitia, Jurisque partitio.

Quid sit Justitia.

I. Justitia, quæ vulgò definitur *Perpetua & constans voluntas jus suum unicuique tribuendi*, Moralium princeps Virtutum, ornat dirigitque voluntatem. Unde *sanctus Anselmus*, in Dialogo *De Veritate*, Cap. XIII. *Justitia* (inquit) *est rectitudo voluntatis, propter se servata.* Circa alios propriè versatur. *Justitia* (inquit *sanctus Ambrosius* Libro I. *De Officiis*, Cap. XXVIII.) *ad societatem generis humani, & ad communitatem refertur. Societatis enim ratio dividitur in duas partes, Justitiam & Beneficentiam. Sed primum ipsum quod putant Philosophi justitiæ munus, apud nos excluditur. Dicunt enim illi, eam primam esse justitiæ formam, ut nemini quis noceat, nisi lacessitus injuriâ: quod Evangelii auctoritate vacuatur: vult enim Scriptura, ut sit nobis Spiritus Filii hominis, qui venit conferre gratiam, non inferre injuriam. Deinde formam justitiæ putaverunt, ut quis communia, id est, publica pro publicis habeat, privata pro suis. Ne hoc quidem secundùm naturam; natura enim omnia omnibus in commune profudit. Natura igitur jus commune generavit, usurpatio jus fecit privatum. Magnus certè justitiæ splendor, quæ aliis potiùs nata quàm sibi, communitatem & societatem nostram adjuvat, excelsitatem tenet; ut suo judicio omnia subjecta habeat, opem aliis ferat, pecuniam conferat, Officia non abnuat, pericula suscipiat aliena.* Et Cap. XXIV. *Justitia suum cuique tribuit, alienum non vindicat. Utilitatem propriam negligit, ut communem æquitatem custodiat.* Et Libro I. *De Excessu Satyri* fratris sui: *Justitia* (inquit) *sibi parcior, foris tota est, & quicquid habet, quadam inclementiâ sui, dum rapitur amore communi, transfundit in proximos.*

Justitia duplex.

II. Justitia duplex, *Universalis & Particularis. Universalis justitia* est conformatio vitæ nostræ, omniúmque actionum nostrarum ad legem divinam, aliasque omnes divinæ consentientes leges. Idem est cum sanctimonia, & virtutes omnes complectitur. Ejus duo sunt officia his verbis, Psalm. XXXVI. expressa: *Declina a malo, & fac bonum.* Ad illam pertinet quod I. Joannis III. legitur: *Qui facit justitiam, justus est, sicut & ille* (Deus scilicet) *justus est.* Hoc sensu qui Dei legem servant, *Justi* in Scriptura sacra vocantur. Illa enim Justitia *legalis* dicitur, ob suam cum lege convenientiam, quatenus omnium virtutum actus & officia dirigit ad bonum commune.

Justitia particularis virtus est jus suum unicuique tribuens, Virtus (inquam) à ceteris distincta, de qua Proverb XVI. dicitur: *Melius est parum cum justitia, quàm multi fructus cum iniquitate. Abominabiles Regi qui agunt impiè: quoniam justitiâ firmatur solium.* Hujus officium justitiæ commendat nobis Apostolus (Rom. XIII.) *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem..... Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.*

III. Ju-

Juris divisio.

III. Justitiæ particularis objectum *Jus* est sive *Justum*. Jus aliud est *Naturale*, aliud *Positivum*. Jus naturale dicitur, quod ratio naturalis immediatè dictat, vel quod ex ea sequitur evidenter, naturæque seu conditioni rerum consentaneum est: verbi gratiâ, reddere quantùm acceperis, fugere malum, facere bonum; alteri non facere, quod tibi fieri non vis, & quæcumque Decalogo continentur. Sive, ut definitur in Decretis P. 1. Distinctione 1. Canone *Jus Naturale*, qui ex *S. Isidoro* Libro v. *Originum*, Cap. iv. sumptus est: *Jus Naturale est commune omnium Nationum, eò quòd ubique instinctu Naturæ, non Constitutione aliqua habetur; ut viri & feminæ conjunctio, liberorum successio & educatio, communis omnium possessio, & omnium una libertas, acquisitio eorum quæ cœlo, terra, marique capiuntur; item depositæ rei vel commendatæ pecuniæ restitutio, violentiæ per vim repulsio. Nam hoc, aut si quid huic simile est, nunquam injustum, sed naturale æquumque habetur.* Jus Positivum dicitur, quod cùm a natura præscriptum non sit, ab aliquo tamen auctoritatem habente positum atque constitutum est.

Jus Positivum, aliud *divinum*, aliud *humanum*. Divinum, quod divinâ auctoritate sancitum est, & Veteri Novóque Testamento præscriptum. Humanum, quod hominum auctoritate conditum est.

Can. Jus Gentium, Dist. 1.

Jus humanum dividitur in *Jus Gentium*, *Jus Canonicum*, *Jus Civile*. Jus Gentium est, quo omnes fere Gentes utuntur: nempe sedium seu locorum quæ nullius sunt, occupatio, ædificatio, munitio; rerum divisio & privata possessio; bella, captivitas, servitus, postliminia, fœdera, pax, Induciæ, legatorum non violandorum religio, &c. *Jus Canonicum* vocatur, quod ab Ecclesiastica Potestate sancitum, actiones Fidelium ad æternam Beatitudinem dirigit: Conciliorum Canonibus Spiritu Dei conditis, à Sede Apostolica approbatis, & totius Mundi reverentia consecratis; Romanorum Pontificum receptis Constitutionibus ac Decretis, & Moribus Ecclesiæ universæ, necnon privatarum Ecclesiarum constat. *Jus Civile* est, quod à sæculari Potestate constitutum est ad rectam Reipublicæ administrationem, finémque publicæ tranquillitatis. Sive, *Jus Civile est quod quisque populus, vel quæque civitas sibi proprium, divinâ humanâque causâ constituit.* Constat Legibus publicis, Constitutionibus & Edictis Principum, necnon Consuetudinibus Municipalibus.

Can. Jus Civile, Dist. 1.

Justitiæ officium.

IV. Justitiæ officium & actus *Judicium* est, de quo scriptum est Deuteron. 1. *Quod justum est judicate, sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est.* Ut justum sit ac legitimum judicium, tria requiruntur, ut scilicet ad juris & æqui regulas legúmque præscripta conformetur; ut legitimâ auctoritate; ut denique secundùm rectam prudentiæ rationem feratur. Si contra jus & æquum, sive contra leges feratur, perversum atque injustum est; si ab eo qui legitimâ sit destitutus auctoritate, vel de his ad quæ non porrigitur ejus auctoritas, usurpatum est; si contra regulas prudentiæ, temerarium est.

S. Thomas, Secunda Secundæ, Q. 60. A. 2.

Justitia distributiva, & commutativa.

V. Justitiæ particularis duæ sunt species, scilicet *Justitia distributiva*, & *Justitia commutativa*. Justitia distributiva est quæ versatur in distributione communium bonorum, Officiorum, honorum, præmiorum, pœnarum & gratiarum, ut unicuique consentanea pro conditione, statu, meritis & dignitate cujusque præstentur. Justitia commutativa est directrix commutationum, quæ fiunt inter duas personas, æqualitate rerum servatâ.

Commutationes voluntariæ.

S. Thomas, Secunda Secunda, Quæst. LXI. A. III.

VI. Commutationum quædam *Voluntariæ* sunt, aliæ *Involuntariæ*. Voluntariæ sunt, quibus aliquis rem suam libero contractu seu conventione transfert ad alterum. Istius generis sunt *Emptio & Venditio*, *Cambium*, *Ususfructus*, *Emphyteusis*, *Mutuum*, *Commodatum*, *Locatio*, *Impignoratio*, *Fidejussio*, *Depositum*.

Emptio & Venditio sunt contractus quibus res pro certo pretio permutatur. *Cambium* est unius rei pro altera commutatio, ut vini pro oleo; tritici pro panno, pecuniæ etiam pro pecunia alterius speciei. *Ususfructus* est rei fructiferæ gratuita concessio ad usum, eâ lege ut res ipsa tempore statuto reddatur. *Emphyteusis* est translatio ususfructûs in alterum sub conditione pensionis annuæ, sive in perpetuum, sive ad tempus solvendæ. *Mutuum* est contractus quo gratis conceditur usus rei infrugiferæ, quæ ipso usu consumitur, cum obligatione reddendi æquivalens. *Commodatum* est quo gratis conceditur usus rei infrugiferæ, quæ ipso usu non consumitur, cum obligatione reddendi rem ipsam individuam quæ commodata est. *Locatio* est quâ quis rei suæ usum concedit pacto pretio. Huic respondet *Conductio*, quâ talis usus recipitur. Mutuo dantur triticum, panis, vinum, oleum, pecunia, &c. aliaque hujusmodi quæ usu ipso consumuntur. Commodantur vestes, supellex, vasa, libri &c. quæ non consumuntur ipso usu. Locantur domus, agri, vineæ, equi, operæ, &c. *Impignoratio* est traditio rei cujuspiam ad firmandam obligationem satisfaciendi. *Fidejussio*, quâ aliquis se obligat ad satisfaciendum pro altero. *Depositum*, quo quis rem suam apud alterum deponit, ejusque fidei commendat gratis custodiendam & conservandam.

Commutationes involuntariæ.

Commutationes involuntariæ sunt, quibus res aliena vel persona usurpantur invito domino. Hujus generis sunt *Furtum*, *rapina*, *homicidium* seu dolo, seu vi apertâ commissum; *Incarceratio*, seu *violenta detentio personæ* contra jus & privata auctoritate, *verberatio*, *mutilatio*, *falsum testimonium*, *calumnia & obtrectatio alienæ famæ*; *falsa accusatio*, *convitium*, *adulterium*, *servi seductio*, *indebitarum operarum exactio*.

§. II.

Vitia Justitiæ opposita.

His & similibus modis committitur Injustitia, quæ justitiæ capitaliter adversatur, & quam nemo patitur nisi nolens in rebus quarum ita dominus est, ut earum usum alteri, salvis divinis humanísque legibus, permittere possit.

VII. Injustitia lethale ex genere suo peccatum est. *Omne enim nocumentum alteri illatum ex se caritati repugnat: & ideo cùm injustitia semper consistat in nocumento alterius, manifestum est quòd facere injustum ex genere suo est peccatum mortale*; (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LIX. Articulo IV.) Tunc solùm veniale peccatum est, cùm leve nocumentum infertur proximo.

VIII. Cùm autem rei alienæ ablatione, usurpatione, detentione, & quavis injuriâ alteri illatâ, sive in persona propria, sive in personis aut rebus ad illum pertinentibus, sive in honore & fama, sive indebita operarum exactione, Justitia violetur, ad resarciendam injuriam ne-

S. Thomas, Secunda Secundæ, Quæst. LXII. Art. 1.

cessatia *Restitutio* est, quæ est actus Justitiæ commutativæ.

Acceptio personarum peccatum est justitiæ distributivæ oppositum.

IX. Distributivæ Justitiæ opponitur *Acceptio personarum.* Hæc peccatum est, quo in his quæ secundùm justitiam distribuenda sive conferenda sunt, non attenditur ad merita, vel capacitatem, vel jus personæ, sed ad qualitates negotio, de quo agitur, extrinsecas: ut si in aliqua causa Sententia feratur in illius gratiam qui ditior est aut potentior, aut ab amicis Judicis commendatus, non cujus causa æquior est: Et si in Beneficiorum (*Quæst. LXIII.*) collatione ratio habeatur consanguinitatis, non capacitatis & meritorum, ut uni potiùs quàm alteri conferantur: Et si in tribunali Pœnitentiæ Confessarius cum divitibus, nobilibus, & potentibus indulgentiùs agat habitâ ratione divitiarum, nobilitatis, vel potentiæ; aut ipsorum Confessiones priùs ac lubentiùs audiat, quam plebeiorum & pauperum. Vitium illud Lege Dei prohibitum est, Levitici XIX. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis*, Deuteron. I. *Nulla erit distantia personarum; ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujusquam personam.* Jacobi II. *Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu. Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: Tu sede hic benè: pauperi autem dicatis, Tu sta illic; aut sede sub scabello pedum meorum: nonne judicatis apud vosmetipsos, aut judices facti estis cogitationum iniquarum? Audite, Fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & heredes Regni quod repromisit Deus diligentibus se? Vos autem exhonorastis pauperem.* Et infrà: *Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti à Lege quasi transgressores.* De hoc argumento audiendus *S. Ambrosius* Libro II. *De Officiis*, Cap. XXIV. *Sed nec personam alterius* (inquit) *accipiamus in judicio: Gratia absit, causa merita decernant. Nihil sic opinionem, immò fidem gravat, quàm si in judicando potentiori denes causam inferioris, vel pauperem innocentem arguas, divitem excuses reum culpa..... Licet tibi silere in negotio dumtaxat pecuniario; quamquam sit constantiæ adesse æquitati. In causa autem Dei, ubi communionis periculum est, etiam dissimulare peccatum est non leve.*

§. III.

Justitiæ partes integrantes.

S. Thomas, Secunda Secundæ, Quæst. LXXIX.

JUstitiæ partes quasi integrantes, & ad perfectum illius actum requisitæ, sunt, *Facere bonum quatenus proximo debitum*, & *Vitare malum quatenus proximo noxium.* His officiis ex adverso respondent duæ peccati species, scilicet, 1. *Omissio*, quæ prætermissio est boni proximo debiti, & sic opponitur justitiæ particulari; vel divinâ aut humanâ lege præscripti, & sic opponitur justitiæ legali. 2. *Transgressio*, quæ limitum negantibus legis præceptis constitutorum transitio est. Peccatum igitur transgressionis opponitur præceptis negativis, quibus præscribitur declinatio à malo: peccatum omissionis opponitur præceptis affirmativis, quibus præcipitur operatio boni. Gravius est ex se peccatum transgressionis, utporè quod directè pugnat cum virtute, cujus negatio dumtaxat omissio est.

§. IV.

Virtutes cognatæ Justitiæ.

VIrtutes finitimæ cognatæque justitiæ sunt, *Religio, Pietas, Observantia, Obedientia, Veritas, Gratia, Vindicatio seu vindicta justa prosecutio, aut pœna inflictio, Liberalitas, Amicitia, sive Affabilitas.* *Quæst. LXXX.*

I. *Religio* est virtus quâ Deo debitum cultum & reverentiam exhibemus. *Religio.*

B *Actus Religionis* sunt *Devotio, Oratio, Adoratio, Sacrificium, Oblationes* Primitiarum, Decimarum, aliarumve rerum Deo factæ, *Votum, Juramentum.* Religioni opponuntur *Superstitio*, cujus variæ sunt species; *Tentatio Dei, Perjurium, Sacrilegium, Simonia.* De his Lib. IV. hujus Operis agemus, explicando priora duo Præcepta Decalogi. De Oratione verò Lib. postremo. De Simonia egimus, Lib. II. in Tractatu *De Sacramento Ordinis.*

II. *Pietas* est virtus cognata justitiæ, quâ, secundùm Deum, parentibus, consanguineis, patriæ, concivibus & conterraneis debitus cultus C officiùmque tribuitur. Parentes patriæ *S. Thomas*; patriam parentibus *S. Ambrosius* præponit Libro I. *De Officiis*, Cap. XXVII. *Justitia pietas*, inquit, *est prima in Deum, secunda in patriam, tertia in parentes, item in omnes: quæ & ipsa secundùm naturæ est magisterium.* *Pietas.*

III. *Observantia* est virtus affinis pietati, quâ homines in Dignitate constitutos debito cultu & honore prosequimur. Qui quidem honor non in solo interiori animi motu, sed in signis etiam exterioribus consistit, quibus excellentiæ hominum qui dignitate nos antecedunt, singulare testimonium reddimus. Quamquam omnes homines mu- D tuo se honore prævenire debeant, secundùm Apostoli doctrinam (Rom. XII.) *Honore invicem prævenientes*, quia in quolibet invenitur aliquid ex quo potest alter eum se ipso superiorem censere, secundùm illud ejusdem Apostoli (Philipp. II.) *In humilitate superiores invicem arbitrantes.* *Observantia.*

IV. *Obedientia* virtus est justitiæ cognata, quâ Superiorum nostrorum præceptis expressis vel tacitis morem gerimus. *Voluntas enim Superioris, quocumque modo innotescat, est quoddam tacitum præceptum. Et tantò videtur obedientia promptior, quantò expressum præceptum obediendo prævenit, vo-* E *luntate Superioris intellectâ;* (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CIV. Articulo 2.) *Obedientia.*

Obedientia maxima est virtutum moralium, ut idem asserit Doctor Angelicus. Tantò enim potior virtus est, quantò propter Deum majus bonum contemnitur. Tria porrò sunt genera bonorum, quæ homo propter Deum contemnere potest: infima, scilicet exteriora bona quæ fortunæ vulgò dicuntur; media, scilicet bona corporis; summa, scilicet bona animi, quorum præcipuum aliqua ratione est voluntas, quâ ceteris bonis homo utitur. Ideo laudabilior est obedientiæ virtus, quæ propriam voluntatem propter F Deum contemnit, aliis virtutibus moralibus, quæ alia bona propter Deum contemnunt. Unde *Sanctus Gregorius*, Libro postremo *Moralium*, Cap. X. ait: *Obedientia victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur.* Quamobrem & alia quæcumque virtutum opera ex hoc meritoria sunt apud Deum, quòd fiunt ut obediatur divinæ voluntati. Magis porrò elucet obedientia, majorísque ut plurimum est meriti in rebus asperis, propriæque volunta- *Obedientia virtutum moralium maxima.* *Obedientia majoris est meriti in rebus asperis quàm in prosperis.*

ti repugnantibus, quàm in prosperis, & quæ consentaneæ sunt & gratæ voluntati; quia nos in id quod nobis præceptor tunc tendere propter præceptum, non propter propriam voluntatem, compertum est. Unde *S. Gregorius* loco mox indicato: *Quia* (inquit) *nonnunquam nobis hujus Mundi prospera, nonnunquam verò jubentur adversa: sciendum summopere est, quod obedientia aliquando si de suo aliquid habeat, nulla est: aliquando autem si de suo aliquid non habeat, minima. Nam cùm hujus Mundi successus præcipitur, cùm locus superior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem evacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat. Neque enim se sub obedientia dirigit, qui ad accipienda hujus vitæ prospera libidini propriæ ambitionis servit. Rursum cùm Mundi despectus præcipitur, cùm probra adipisci & contumeliæ jubentur, nisi ex se ipso animus hæc appetat, obedientiæ sibi meritum minuit: quia ad ea quæ in hac vita despecta sunt, invitus nolénsque descendit. Ad detrimentum quippe obedientia ducitur, cùm mentem ad suscipienda probra hujus sæculi nequaquam ex parte aliqua etiam sua vota comitantur. Debet ergo obedientia & in adversis ex suo aliquid omnimodo non habere: quatenus & in adversis tantò sit gloriosior, quantò divino ordini etiam ex desiderio jungitur; & in prosperis tantò sit verior; quantò à præsenti ipsa quàm divinitus percipit, gloria funditus ex mente separatur. Sed hoc virtutis pondus melius ostendimus, si cœlestis patriæ duorum hominum facta memoremus. Moyses namque cùm in deserto oves pasceret, à Domino per Angelum in igne loquente vocatus est, ut eripiendæ omni Israëlitarum multitudini præesset. Sed quia apud se mente humilis exstitit, oblatam protinus tanti Regiminis gloriam expavit, móxque ad infirmitatis patrocinium recurrit, dicens:*

Exod. 4. » Obsecro Domine, non sum eloquens: ab heri » & nudiustertius ex quo cœpisti loqui ad ser» vum tuum, tardioris & impeditioris linguæ » sum factus. *Et se postposito, alium deposcit,*

» *dicens:* Mitte quem missurus es. *Ecce cum Auctore linguæ loquitur, & ne tanti regiminis potestatem suscipiat, elinguem se esse causatur. Paulus quoque divinitùs fuerat, ut in Jerusalem debuisset ascendere, admonitus. Isque in itinere cùm Prophetam Agabum reperisset, quanta se in Hierosolymis adversitas maneret, audivit. Scriptum quippe est quòd idem Agabus zonam Pauli suis pedi-*

Act. 21. » *bus insereus, dixit:* Virum cujus hæc zona est, » sic alligabunt in Jerusalem. *A Paulo autem* » *protinus respondetur:* Ego non solùm alligari, » sed & mori in Jerusalem paratus sum pro No» mine Jesu: neque enim pretiosiorem facio » animam meam quàm me. *Præceptione igitur revelationis Hierosolymam pergens, adversa cognoscit, & tamen hæc libenter appetit: audit quæ timeat, sed ad hæc ardentiùs anhelat. Moyses itaque ad prospera de suo nihil habet; qui precibus renititur, ne Israëlitico Plebi præferatur. Paulus ad adversa etiam ex suo voto ducitur; quia malorum imminentium cognitionem percipit, sed devotione spiritûs etiam ad acriora fervescit. Ille præsentis Potestatis gloriam Deo voluit jubente declinare: iste Deo aspera & dura disponente, se studuit ad graviora præparare. Proinde ergo utrumque Ducem infractâ virtute instituimur, ut si obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur, prosperis hujus sæculi ex sola jussione, adversis autem etiam ex devotione militemus.*

De Virtute obedientiæ & illius Gradibus, legatur *S. Bernardus*, Sermone XLI. *De Diversis*, ubi ostendit, Obediendum esse libenter, simpliciter, hilariter, viriliter, humiliter, indesinenter. De inobedientia, quod peccatum est obedientiæ virtuti oppositum, egimus in superiori Tractatu, cùm de vanæ gloriæ filiabus sermo esset. Soli Deo in omnibus obedire tenemur, qui nihil contra virtutem præcipere potest: hominibus verò qui nobis præsunt, in his duntaxat in quibus ipsis subditi sumus, & quæ Divinæ Legi, aut majoris Potestatis legibus ac præceptis non repugnant. Nam *Obedire oportet* Act. 5. *Deo magis quàm hominibus.*

V. *Veritas* seu *Veracitas*, est virtus cognata Veracitas. justitiæ, quâ homo, & vitâ & sermone talem se demonstrat qualis est: & non alia quàm circa ipsum sint, nec majora, nec minora. Hinc *S. Ambrosius*, Lib. III. *De Officiis*, cap. XIX. *Quales haberi volumus* (inquit) *tales simus: & qualem affectum habemus, talem aperiamus.* Quamvis autem confiteri ingenuè quod circa se ipsum est, sit ex genere bonum, id tamen non sufficit, sed debitas circumstantias concurrere necesse est, quæ si defecerint, actus erit vitiosus. Id itaque faciendum est cùm oportet, & secundùm quod oportet. Nam *Vitiosum est quòd aliquis sine debita causa laudet se ipsum etiam de vero. Vitiosum est etiam quòd aliquis peccatum suum publicet, quasi se de hoc laudando, vel qualitercunque inutiliter manifestando*; (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CIX. Articulo I.) Et in Responsione ad tertium: *Ex hoc ipso* (inquit) *quòd aliquis dicit verum de seipso, medium tenet inter eum qui majora dicit de seipso, & inter eum qui minora. Ex parte autem actûs medium tenet, in quantum verum dicit, quando oportet, & secundùm quod oportet. Superfluum autem convenit illi qui importunè ea quæ sua sunt manifestat. Defectus autem competit illi qui occultat quando manifestare oportet.* Ut autem modus ea in re servetur, opus est directione virtutis, quæ est Veritas seu Veracitas. De qua *Zacharia* VIII. 16. Dominus ait: *Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo.* Et Apostolus ad Ephes. IV. *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra.* Hâc Deo similes sumus, qui veracissimus est, imò prima & summa Veritas: imitatores Christi sumus, qui ad hoc venit in Mundum, ut testimonium perhiberet veritati; ut ipse ait *Joannis* XVIII. Huic virtuti è regione opponuntur Mendacium, de quo agemus Libro quarto hujus Operis, cùm octavum Decalogi Præceptum explicabimus: Hypocrysis, & Jactantia, de quibus superiùs actum est, cùm de vanæ gloriæ filiabus sermo esset.

VI. *Gratia*, sive (ut vulgò loquuntur) *Grati-* Gratia sive *tudo*, virtus est affinis justitiæ, quæ officiorum & gratitudo. beneficiorum ab aliis acceptorum compensationem dirigit, ad eamque animum inclinat. Benefactoribus nimirum nostris pro beneficiis ab iis acceptis gratiam habere debemus, etiamsi ea compensare non possimus. Gratum autem animum significamus, cùm gratias agendo, tum honorem & reverentiam his qui bene de nobis meriti sunt, exhibendo; tum acceptorum beneficiorum conservando memoriam, eaque apud alios celebrando; tum fausta quæque à Deo adprecando benefactoribus nostris, tum gerendo voluntatem propensissimam & animum promptissimum ad compensationem, & præstanda officia possibilia; tum denique referendo gratiam æqualem bene de nobis meritis, quantùm in nobis est. Ad hanc virtutem pertinet quod Apostolus ad Galatas scribit Cap. VI. *Communicet autem is qui catechizatur verbo ei qui se catechizat*

in omnibus bonis. Hae virtute fulsit David, qui beneficiorum à Jonatha Saülis Regis filiu acceptorum memor, *Miphibofeth* ejus filium servavit incolumem, ac Saülis agris dunavit, atque ad mensam suam recepit, ut legimus *II. Regum*, cap. IX. Gratum quoque animum exhibuit filiis Berzellai Galaaditis, qui ei præsto fuerant cùm Absalumum fugeret, jussitque Salumoni ut eos mensâ Regiâ exciperet in remunerationem officii. (*III. Regum* II.)

Acceptum beneficium largiori manu compensandum.

Acceptum beneficium largiori manu compensandum est, quamvis ex animi affectu magis quàm ex effectu gratia, sicut & ipsum beneficium, æstimanda sit. Quâ de re præclarè *S. Ambrosius*, Libro I. *De Officiis Ministrorum*, cap. XXXI. *Quid tam* (inquit) *contra officium, quàm non reddere quod acceperis? Nec mensurâ pari, sed uberiore reddendum arbitror, & usum pensare beneficii, ut & tu subvenias, quantum ejus ærumnam repellas. Etenim superiorem non esse in referendo quàm in conferendo beneficio, hoc est, minorem esse, quoniam qui prior contulit, tempore superior est, humanitate prior. Unde imitanda nobis est in hoc quoque natura terrarum, quæ susceptum semen multiplicatiori solet numero reddere, quàm acceperit.* » *Ideo tibi scriptum est:* Sicut agricultura est » homo insipiens, & tanquam vinea homo » egens sensu. Si reliqueris eum, desolabitur. *Sicut agricultura ergo etiam Sapiens, ut tanquam fœnerata sibi majore mensurâ semina suscepta restituat. Esto tamen ut aliquis excusare possit quòd non dederit, quomodo excusare potest quod non reddiderit? Non dare cuiquam vix licet, non red-* » *dere verò non licet. Ideo pulchrè Salomon ait*: Si » sederis ad mensam Potentis, sapienter intelli- » ge ea quæ apponuntur tibi: & mitte manum » tuam sciens quòd uportet te talia præparare.... *Conferre gratiam bonum est: at qui referre nescit, durissimus. Humanitatis exemplum, ipsa terra suggerit. Spontaneos fructus ministrat quos non severis, multiplicatum quoque reddit quod acceperis. Negare tibi pecuniam numeratam non licet, quomodo licet acceptam non referre gratiam?* His qui retulerint, Deus mercedem prumittit, Ecclesiastici III. 34. *Et Deus prospector est ejus qui reddit gratiam: meminit ejus inposterum, & in tempore casus sui inveniet firmamentum.*

Proverb. 14 10. & 11.

Proverb. 23.

Et cap. XXXII. *Alius ergo fructum accepti beneficii, ut aurum auro, argentum argento rependit: Alius laborem, alius, haud scio an etiam locupletiùs, solum restituit affectum. Quid enim si reddendi nulla facultas suppetit? In beneficio referendo plus animus quàm census operatur: magisque præponderat benevolentia, quàm possibilitas referendi muneris. Gratia enim in eo ipso quod habetur, refertur*; (inquit *S. Ambrosius.*)

Duo in gratia referenda observanda sunt

Duo in gratia referenda observanda sunt ex debito & ratione honestatis. Primum, ut remuneratio non tantùm æquet, sed superet beneficium acceptum. Debitum namque honestatis est ut qui beneficium accepit, similiter aliquid gratis impendat. Aliquid autem gratis impendere non videtur, nisi excedat quantitatem beneficii accepti. Nam si minùs vel æquale retribuat, reddere duntaxat videtur quod accepit, non gratiam referre. Sicut ergo in justitia attenditur *æqualitas rerum*, ita in gratia attenditur *æqualitas voluntatum: ut scilicet sicut ex promptitudine voluntatis beneficus aliquid exhibuit ad quod non tenebatur, ita etiam ille qui suscepit beneficium aliquid supra debitum recompenset*; (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. CVI. Articulo VI. in Responsione ad tertiam Objectionem.)

Neque verò ullum incummodum est ut in referenda gratia nullus finis esse videatur, dum ille qui ampliori mensura remuneratus est, novo se devinctum beneficio meritò existimans, ad novum officium vel munus rependendum ex honestatis debito est obstrictus. *Debitum* enim *gratitudinis* (inquit *S. Thomas* in Responsione ad secundum) *ex caritate derivatur: quæ quantò plus solvitur, tantò magis debetur, secundùm illud ad Rom. XIII. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Et ideo *Non est inconveniens, si obligatio gratitudinis interminabilis sit.* Secundò, in gratia referenda observandum est, ut affectu quidem statim beneficium rependatur; quod verò spectat affectum ac remunerationem, tempus exspectetur quo sit oppurtuna & utilis benefactori. *Qui enim festinat reddere, non animum habet grati hominis, sed debitoris.... Pœnitet accepti beneficii, quem nondum redditi piget. Non minoris est animi beneficium debere, quàm dare: ac eò quidem operiosius hoc quàm illud, quò majore diligentiâ custodiuntur accepta, quàm dantur. Ideo non est trepidandum quàm citò reponamus, nec procurrendum intempestivè; quia æquè delinquit qui ad referendam gratiam suo tempore cessat, quàm qui alieno properat.* Verba sunt *Seneca*, Libro IV. & VI. *De Beneficiis*, cujus principia ut rectæ rationi maximè convenientia sequitur *S. Thomas*, ista de Virtute disserens.

S. Thomas, ex Seneca Lib. III. De Benefic.

Gratiæ opponitur Ingrati animi vitium, cujus varii sunt gradus. *Ingratus enim est, qui dissimulat, ingratus qui non reddit, ingratissimus omnium qui oblitus est.* Ingratus est qui gratiam non refert, mutuáque non præstat officia, cùm possit. Ingratus magis qui ne verbis quidem gratias agit. Ampliùs ingratus, qui ne quidem gratiam habet, id est, acceptum non agnoscit beneficium, ejúsque vel auctorem vel magnitudinem. Nam etiam ille non habet gratiam, qui extenuat & parvifacit beneficium. Longè magis ingratus est, qui se beneficium accepisse negat. Qui verò malum pro bono de se bene meritis reddit, omnium ingratissimus est, & monstri instar execrandus. Ingrati animi vitium sæpe veniale, aliquando mortale peccatum est. Quâ de re judicium ferri potest secundùm Regulam à *S. Thoma* traditam, Secunda Secundæ, Quæstione CVII. Art. III. *Ingratus* (inquit) *dicitur aliquis dupliciter. Uno modo per solam omissionem, putà, quia non recognoscit, vel non laudat, vel non retribuit vices pro beneficio accepto. Et hoc non semper est peccatum mortale, quia debitum gratitudinis est, ut homo etiam aliquid liberaliter tribuat ad quod non tenetur: & ideo si illud prætermittit, non peccat mortaliter. Est tamen peccatum veniale, quia provenit ex negligentiâ quadam, aut ex aliqua indispositione hominis ad virtutem. Potest tamen contingere quòd etiam talis ingratitudo sit mortale peccatum, vel propter interiorem contemptum, vel etiam propter conditionem ejus quod subtrahitur, quod ex necessitate debetur beneficio, sive simpliciter, sive in alio necessitatis casu. Alio modo dicitur aliquis ingratus, quia non solum prætermittit implere gratitudinis debitum, sed etiam contrarium agit. Et hoc etiam secundùm conditionem ejus quod agitur, quandoque est peccatum mortale, quandoque veniale.*

Ingrati animi vitium. Varii ejus gradus.

Ingratos facit nimia de se opinio & existimatio, insitúmque mortalibus vitium se suáque mirandi, aut aviditas, aut invidia. Nemo non » benignus est sui judex. Inde est ut omnia se » meruisse existimet, nec satis suo pretio æsti- » matum se putet. Hoc mihi dedit, sed quàm » serò? Sed post quot labores? Quantò plura »

Ingratitudinis radix.

Seneca, Lib. II. De Benef.

» consequi potuissem, si illum aut illum colere » maluissem? Non hoc speravetam: in turbam » conjectus sum: tam exiguo dignum me ju- » dicavit: honestius præteriri fuit. Non pati- » tur aviditas quemqoam esse gratum: nun- » quam enim improbæ spei quod datur, satis » est. Eò majora cupimus, quò majora vene- » runt. Æquè ambitio oon patitor quemquam » in ea mensurâ honorum conquiescere, quæ » quondam fuit ejus impudeos votum. Nemo » agit de Tribunatu gratias, sed quæritur quòd » non est ad Præfecturam usque perductus. » Omnibus his vehementius & importunius ma- » lum est invidia, quæ nos inquietat, dum » comparat: hoc mihi præstitit, sed illi plus, » illi maturiùs. Quantò simplicius, quantò pu- » dentius beneficium acceptum aogere! Plus » accipere debui; sed illi non facilè fuit plus » dare; in multos dividenda liberalitas erat, &c.

Beneficii subtractionem meretur ingratus.

Subtractionem Beneficii meretur Iogratus. Unde *Gregorius Nonus* Pontifex Maximus, cap. *Propter*: Extra, *De Donationibus*, Respondet: *Propter ingratitudinem ejus in quem liberalitas collata est, Donator de rigore juris eam potuit revocare; si fortè in ipsum impias manus injecerit, aut sibi atroces injurias, seu grave rerum suarum damnum, vel vitæ periculum inferre præsumpserit.* Verumtamen qui de altero bene meritus est, non facilè debet illum ingratum judicare. Sæpè enim & qui gratiam oon reddit, gratus est, quia fortè facultas illi deest, aut opportunitas reddendi. Secundò, eniti debet ut ex ingrato gratum faciat: quod si primo beneficio efficere oon potest, secundo forsan consequetur. Tandem verò si multiplicatis beneficiis magis ingratus fiat; à beneficiorum exhibitione cessandum est.

Vindicatio.

VII. *Vindicatio* virtus est per quam vis aut injuria defendendo, aut justè puniendo propulsatur. Est quidem illicita vindicatio, si vindicantis animus & inteotio præcipoe feratur in malum illius de quo vindictam sumit, & ibi quiescat: quia delectari de malo alterius, pertinet ad odium, quod repugnat caritati, quâ omnes homines diligere debemus. Nec excusatur, si malum intendat illius à quo injustè injuriâ affectos est: hoc enim est vinci à malo, contra Dei Mandatum ab Apostolo significatum, cap. XII. Epistolæ ad Romanos: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Si verò intentio vindicantis feratur præcipuè ad emendationem peccaotis, vel ad cohibitionem ejus, & quietem aliorum, & justitiæ conservationem, & Dei honorem, aliæque debitæ circumstantiæ serventur, ut scilicet publicâ, non privata auctoritate pœna inferatur, nec gravioris pœnæ desideretur inflictio quam lege constituta sit, aut peccatum meruerit, virtos est. Punitio quidem peccatorom, quateous ad publicam justitiam pertinet, actus est justitiæ commutativæ; quatenùs verò pertinet ad immunitatem privatæ alicujus personæ à quâ injuria, servatis debitis circumstantiis, propulsetur; singularis virtutis actus est, scilicet Vindicationis: adversùs quam duo vitia pugnant, unum per excessum, nempe *crudelitas*, vel *sævitia*, quæ modum in puniendo excedit, alterum per defectum, videlicet nimia remissio in puniendo; de quâ Proverb. XIII. scriptum est: *Qui parcit virgæ odit filium suum*: &, *Servus verbis non potest erudiri.*

Liberalitas.

VIII. *Liberalitas* virtus est affinis justitiæ, quâ bene otimor bonis omnibus externis ad vitæ sustentationem nobis concessis, præsertim pecuniâ, in cujus conveniente datione ac profusione versatur. Nec enim quibuslibet dat liberalis, aliàs non haberet unde aliis daret; nec sibi suisque necessaria subtrahit; nec in dando modum excedit, alias esset prodigos. Avaritia namque & Prodigalitas vitia sunt liberalitati è regione opposita, de quibus superiùs actum est: illa per defectum; ista per excessom. Qoi verè liberalis est, ægrè recipit, dat libentissimè, cùm oportet, & prout oportet: nunquam petit: quò vulgatum illud Distichon pertinet.

Si quis in hoc Mundo multis vult gratus haberi,
Det, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil.

Modus in liberalitate servandus.

Modus in liberalitate servandus est, ut *Neque superflua sit circa importunos, neque restricta circa indigentes*; (inquit *S. Ambrosius* Libro II. *De Officiis*, cap. XV.) *Plurima genera liberalitatis sunt, non solùm quotidiano sumptu egentibus, ut vitam sustinere suam possint, disponere ac dispensare alimoniam, verùm etiam his qui publicè egere verecundantur, consulere ac subvenire. Summa etiam liberalitas captos redimere, eripere ex hostium manibus, subtrahere neci homines, & maximè feminas turpitudini; reddere parentibus liberos, parentes liberis, cives patriæ restituere.... Æs alienum subire, si debitor solvendo non sit, atque arcetur ad solutionem, quæ sit jure debita & inopiâ destituta; enutrire parvulos, pupillos tueri. Sunt etiam qui virgines orbatas parentibus tuendæ pudicitiæ gratiâ connubio locent, nec solùm studio, sed etiam sumptu adjuvent*; (inquit *S. Ambrosius.*) Liberalitas ergo Christiana cum caritate conjuncta est, nec propter finem solius honestatis, sed propter Deum, propter finem caritatis, maximéque erga egenos exercenda. Nam & apud Deum, & ad ipsum quoque sæculi usum collatio beneficii facta in pauperes magis quàm in locupletes plus jovat; quia dives dedignatur beneficium, & pudet eum debitorem esse gratiæ. Quin etiam id quod collatum est sibi, meritis suis arrogat, qood velut debitum acceperit, vel ideo datum sit quòd is qui dedit, reddendum sibi à divite uberiùs existimaverit. Ita in accipiendo beneficio, eo ipso quòd acceperint divites, dedisse se magis quàm accepisse existimant: pauper verò etsi non habet unde reddat pecuniam, refert gratiam; ut observat *S. Ambrosius*, Lib II. *De Officiis*, cap. XXV. Christiana liberalitas ab omni jactantia aliena esse debet. Qui gloriæ caosâ, non propter bonum virtutis multa largitur, non est verè liberalis. *Nec illa perfecta est liberalitas*; (inquit *S. Ambrosius*, Lib. I. *De Officiis*, cap. XXX.) *si jactantiæ causâ magis quàm misericordiæ largiaris. Affectus tuus nomen imponit operi tuo: quomodo à te proficiscitur, sic æstimatur. Perfecta est liberalitas, ubi silentio quis tegit opus suum.*

Duplex liberalitas.

Quamvis liberalitas secundùm actum non sit in iis qui censu teoues sunt, si tamen justi ac pii sint, in illis est secundùm habitum & animi affectum, & officiis, consiliisque illustriùs utiliúsque supplent, quod pecuniæ erogatione non possont. Id egregiè confirmat *S. Ambrosius*, Libro II. *De Officiis*, cap. XVI. *Utilis*, inquit, *hujusmodi liberalitas, sed non communis omnibus. Sunt enim plerique etiam viri boni, qui tenues sunt censu, contenti quidem exiguo ad sui usum, sed non idonei ad subsidium levandæ paupertatis alienæ; tamen suppetit aliud beneficentiæ ge-*

nus, quo juvare possint inferiorem. Est enim duplex liberalitas: una quæ subsidio rei adjuvat, id est, usu pecuniæ: altera quæ operum collatione impenditur, multò frequenter splendidior multòque clarior.... Facilè pecunia consumitur, consilia exhauriri nesciunt. Hæc usu augentur: pecunia minuitur & citò deficit, atque ipsam destituit benignitatem: ut quò pluribus largiri volueris, eò pauciores adjuves, & sæpe tibi desit quod aliis conferendum putaveris. Consilii autem operisque collatio, quò in plures diffunditur, eò redundantior manet, & in suum fontem recurrit.

Affabilitas.

IX. *Affabilitas* sive *Amicitia affabilitatis*, virtus est cognata justitiæ, quâ homo ad alios homines in communi convictu comiter se habet, dictaque sua & facta ita moderatur, ut neminem verbis aut gestis offendat, & vicissim ipse aliorum dicta & facta sine offensione accipiat. Virtus illa non erga illos tantùm qui propriè sunt amici, exercenda est, neque erga solos familiares, sed generatim erga quosvis homines, quibuscum nos versari & agere contigerit. Quamvis autem comitas suavitásque Morum nos inclinare debeat ut delectationem his afferamus quibus convivimus, non lascivam, quam virtus cavet, sed honestam: ipsis tamen interdum molestos esse, illósque contristare ob illorum bonum, comitati & amicitiæ non repugnat. Unde Apostolus II. ad Corinthios VII. ait; *Si contristavi vos in Epistolâ, non me pœnitet.... Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad Pœnitentiam.* Ideo *His qui proni sunt ad peccandum, non debemus hilarem vultum ostendere ad eos delectandum; ne videamur eorum peccato consentire, & quodammodo peccandi audaciam ministrare.* Unde dicitur Ecclesiastici VII. *Filiæ tibi sunt? Serva corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.*

S. Thomas, Secunda Secundæ, Q. CXIV. Art. I. ad III.

Affabilitas non solùm privatis, sed principibus viris necessaria virtus.

De ista Virtute præclarè disserit *S. Ambrosius*, Libro II. *De Officiis Ministrorum*, cap. VII. *Nihil tam utile*, (inquit) *quàm diligi: nihil tam inutile, quàm non amari; nam odio haberi exitiale ac nimis capitale arbitror. Itaque id agamus, ut omni sedulitate commendemus existimationem opinionémque nostram, ac primum placiditate mentis & animi benignitate insinuemus in affectum hominum. Popularis enim & grata est omnibus bonitas, nihilque quod tam facilè illabatur humanis sensibus. Ea si mansuetudine morum ac facilitate, tum moderatione præcepti, affabilitate sermonis, verborum honore, patienti quoque sermonum vice, modestiæque adjuvetur gratiâ, incredibile quantum procedit ad cumulum dilectionis. Legimus enim non solùm in privatis, sed etiam in ipsis Regibus, Quantum facilitas blanda affabilitatis profecerit, aut superbia verborúmque obfuerit tumor, ut Regno ista labefactaret, & potestatem solveret. Jam si quis consilio, usu, ministerio, officiis popularem comprehendat gratiam: aut si quis periculum suum pro universa plebe offerat; non est dubium quòd tantùm caritatis à plebe in eum refundatur, ut Populus salutem ejus & gratiam sibi præferat.* Id Moysis & » Davidis exempla probant. Moyses meritò æ» stimatus est supra homines, ut & vultum ejus » non possent intendere, & sepulturam ejus non » repertam crederent; *quia sic sibi totius plebis mentes devinxerat, ut plus eum pro mansuetudine diligerent, quàm pro factis admirarentur.... Ideo David non cecidit, quia carus fuit omnibus, & diligi à subjectis quàm timeri maluit. Timor enim temporalis tutaminis servat excubias, nescit diuturnitatis custodiam. Itaque ubi timor decesserit, audacia obrepit, quoniam fidem non timor cogit, sed affectus exhibet.*

Comitas amicitias nectit ac fovet, neque tamen amico, aut cuilibet hominum vir Christianâ comitate præditus adulatur. Huic enim Virtuti non minùs adversatur adulatio, quàm morositas & rusticitas. Errantem amicum corripere, caritatis est, non morositatis. *Non potest homini amicus esse, qui Deo fuerit infidus. Pietatis custos Amicitia est & æqualitatis magistra, ne superior inferiori se exhibeat æqualem; inferior, superiori. Inter dispares enim mores non potest esse amicitia; & ideo convenire sibi utrinsque debet gratia. Nec auctoritas desit inferiori, si res poposcerit, nec humilitas superiori. Audiat quasi parem, quasi æqualem; & ille quasi amicus moneat, objurget, non jactantiæ studio, sed affectu caritatis. Neque monitio aspera sit, neque objurgatio contumeliosa: sicut enim adulationis fugitans amicitia debet esse, ita etiam aliena insolentiæ.... Quid est enim amicus, nisi consors amoris, ad quem animum tuum adjungas atque applices, & ita misceas, ut unum velis fieri ex duobus, cui te tanquam alteri tibi committas, à quo nihil timeas, nihil ipse commodi tui causâ inhonestum petas? Non enim vectigalis amicitia est, sed plena decoris, plena gratiæ. Virtus est enim amicitia, non quæstus; quia non pecunia petitur, sed gratia: nec licitatione præmiorum, sed concertatione benevolentiæ. Denique meliores amicitiæ sunt inopum plerumque quàm divitum: & frequenter divites sine amicis sunt, quibus abundant pauperes. Non est enim vera amicitia, ubi est fallax adulatio. Divitibus itaque plerique adsentatoriè gratificantur: erga pauperem nemo simulator est. Verum est quicquid defertur pauperi, hujus amicitia invidiâ vacat.* Verba sunt *S. Ambrosii*, Lib. III. *De Officiis Ministrorum*, cap. XXII.

Christianæ comitati non minùs adversatur adulatio, quàm morositas.

De adulatione, quod vitium est affabilitati oppositum, Tractamus Libro IV. istius Operis, in explicatione octavi Præcepti Decalogi. Eidem virtuti, ex altero extremo opponitur litigium, seu morositas, quâ aliquis alios contristare non veretur, omnia illorum dicta & facta improbans & sugillans. Vir morosus ipso vultu severitatem tetricam demonstrat, & tristitiam quamdam in colloquio cum aliis, eósque gravatim audit, nec minùs gravatim eis respondet, atque sic exceptos durè habet & tractat, nemini placere volens, ne in iis quidem quæ honesta sunt. Vitium istud cum omnibus hominibus, tum Ecclesiasticis maximè Viris, Pastoribus Animarum, & Superioribus quibuscumque fugiendum est, cùm impedimento sit ne sacrum Ministerium tanto cum fructu impleant. Pastores & Superiores morosos, Christianæque affabilitatis expertes, damnat Trajani Ethnici Imperatoris exemplum, qui culpantibus amicis nimiam ejus erga omnes comitatem ac popularitatem, respondit, teste Eutropio: *Talem se Imperatorem esse privatis, quales esse sibi Imperatores privatus optasset.* Quamquàm verò ad affabilitatem & comitatem multùm conferat indoles & institutio, morosam tamen indolem, tetricam severitatem, intempestivam gravitatem virtus affabilitatis & amicitiæ, seu potius caritas moderari & emendare debet, ut lubenter & cum significatione benevolentiæ alios, quamvis pauperes & extraneos & infimæ sortis, ad congressum & colloquium nostrum admittamus, eósque benignè audiamus, & alloquamur, ubi opus est, ac multò magis eos quibus convivimus; candidáque animi lætitiâ, in vultu ipso & oculis conspicuâ, & suavitate sermonis devinciamus eos quibuscum versamur & agimus; in omnibus quæ honesta sunt placere omnibus satagentes, ut verè dicere

Morositas Ecclesiasticis viris, & Pastoribus fugienda.

1. Cor. 10.

dicere possimus cum S. Paulo : *Per omnia omnibus placeo.* Quò spectat & illud ad Romanos xv. *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. Unusquisque vestrûm proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem.* Et illud 1. Petri III. 8. *In fine autem omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles.*

B

ARTICULUS IV.

De Fortitudine, ejúsque Officiis, & Partibus.

I. FOrtitudo timorem nimium cohibet, audaciæ impetum moderatur: Christiani hominis animum confirmat contra res omnes adversas, contra quævis pericula, maximè præmeditata, & quæ subire oportet propter Dei gloriam, bonúmque virtutis, ac præcipuè contra mortem ipsam, quæ extremum & maximè formidabile malum est ; & ad labores arduos propter Deum suscipiendos & C subeundos incitat & accendit.

§. I.

Fortitudinis Partitio.

FOrtitudo alia est *domestica*, alia *bellica*. Domestica est, quâ firmitatem animi in adversis retinemus, quibus frangi animi solent, & à virtutis officio abduci, qualia sunt amissio patrimonii, honoris imminutio, &c. necnon adversùs vitæ ipsius pericula pro justitia suscepta. D Bellica est, quæ adversùs hostes præliando declaratur, sive prælium illud corporale sit, sive spirituale. Hàc excelluerunt Abraham, Moyses, Caleb, Josue, Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Machabæi, cæterique Heroës Sancti, qui *Per fidem vicerunt Regna, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum*, ut loquitur Apostolus. Hàc nobis opus est adversùs fidei & pietatis hostes cùm visibiles tum invisibiles. De qua S. Paulus *Ephes.* VI. scribit : *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias diaboli, & resistere in die malo, & in* E *omnibus perfecti stare.* Et S. Petrus Ep. 1. Cap. III. *Quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Sed & si quid patimini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini.* Ea Virtute animatus Christianus ait : *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala : quoniam tu mecum es.... Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum. Si exsurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo.... In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet tribulantes.... Quis* F *nos separabit à caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Sed in his omnibus superamus, propter Eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare à caritate Dei.... Omnia possum in eo qui me confortat.*

Fortitudine opus est Christiano adversus Fidei & pietatis hostes.
Hebr. 11.
Psalm. 22.
Psalm. 26.
Psalm. 59.
Rom. 8.
Philipp. 4.

§. II.

Fortitudinis Officia.

II. DUplex actus Fortitudinis est, Res arduas aggredi, periculáque adire ; & sustinere res adversas, atque in periculis firmum & invictum sistere. In perferendo magis elucet, quam in aggrediendo : quia difficilius est reprimere timorem ; quàm audaciam moderari : difficilius est cum fortiore pugnare, quàm debiliorem invadere : difficilius est præsenti malo non moveri, quam futuro : difficilius est diu manere immobilem, quam subito motu ad aliquod arduum moveri. Quamobrem Martyrium heroicæ fortitudinis actus est, quâ fit ut Christianus fidem & justitiam non deserat ob pericula mortis imminentia, immo præsentia, stétque firmus & invictus in bello Domini. Unde *Sanctus Cyprianus*, Epistolâ VIII. sic Martyres Africanos compellat : *Quibus vos laudibus prædicem, fortissimi Fratres? Robur pectoris vestri, & perseverantiam fidei quo præconio vocis exornem? Tolera-* C *stis usque ad consummationem gloriæ durissimam quæstionem, nec cessistis suppliciis, sed vobis potiùs supplicia cesserunt. Finem dolorum, quem tormenta non dabant, corona dederunt. Vidit admirans præsentium multitudo cœleste certamen Dei, spirituale certamen, prælium Christi : stetisse servos ejus voce libera, mente incorrupta, virtute divina, telis quidem sæcularibus nudos, sed armis fidei credentes armatos. Steterunt torti torquentibus fortiores ; & pulsantes ac laniantes ungulas pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sæviens diu plaga repetita, quamvis rupta compage viscerum torque-* D *rentur in servis Dei jam non membra, sed vulnera. Quale illud fuit spectaculum Domino, quàm sublime, quàm magnum, quàm Dei oculis sacramento ac devotione Militis ejus acceptum, sicut scriptum est*, Pretiosa in conspectu Domini mors Justorum ejus : *Pretiosa mors hæc est, quæ emit immortalitatem pretio sui sanguinis, quæ accepit coronam de consummatione virtutis. Quàm lætus illic Christus fuit, quàm libens in talibus servis suis & pugnavit & vicit Protector fidei, & dans credentibus tantum quantum se credit accipere, qui sumit? Certamini suo adfuit, Præliatores atque assertores sui No-* E *minis erexit, corroboravit, animavit. Et qui pro nobis mortem semel vicit, semel vincit in nobis.*

S. Thomas, Secunda Secundæ, Quæst. 123. & 124.
Martyrium heroicæ fortitudinis actus.
Psalm. 115. 15.

Martyrium solâ morte consummatur pro fide vel justitiâ, id est, pro cujusvis bonis virtutis, aut vitando peccato toleratâ. Martyrem enim non facit pœna, sed causa. *Vincit Martyr pro fide moriendo, qui vinceretur, sine fide vivendo* : (inquit *S. Maximus.*) Dictum est olim homini, *Morieris, si peccaveris : Nunc dicitur Martyri, Morere, ne pecces. Tunc dictum est, Si mandatum transgressi fueritis, morte moriemini : nunc dicitur, Si mortem recusaveritis, mandatum transgredimini.* F *Quod tunc timendum fuerat, ut non peccaretur, nunc suscipiendum est, ne peccetur. Sic per ineffabilem Dei misericordiam & ipsa pœna vitiorum transit in arma virtutis, & fit Justi meritum etiam supplicium peccatoris. Tunc enim mors est adquisita peccando, nunc impletur justitia moriendo* ; (inquit *Sanctus Augustinus*, Libro XIII. *De Civitate Dei*, Cap. IV.) *Martyr* nomen est origine Græcum, testem significans. Martyres ergo dicuntur, quasi testes Fidei Christianæ, per quam nobis visibilia pro invisibilibus contemnenda proponuntur. Ad Martyrium itaque pertinet ut homo testificetur fidem opere comprobans omnia præsentia

Martyrium sola morte pro Christo consummatur.
Genes. 2.

se contemnere, ut ad futura & invisibilia bona perveniat. Quandiu autem homini remanet vita corporis, nondum opere ostendit se corporalia cuncta despicere. Consueverunt enim homines & consanguineos, & omnia bona temporalia contemnere, & etiam dolores corporis pati, ut vitam conservent. Unde Satan de Sancto Job ait, *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua*, id est pro corporis vita. *Et ideo ad perfectam rationem Martyrii requiritur quod aliquis mortem sustineat propter Christum*, (ut disserit *S. Thomas.*)

Job. 2. 4.

Fortitudinis virtus in pace Ecclesiæ nobis necessaria.

Nobis tamen, qui in Ecclesiæ pace vivimus, Fortitudo etiam necessaria est, siquidem habet & pax Ecclesiæ Martyres suos; & *Tota vita Christiani, si secundùm Evangelium vivat, Crux est & Martyrium*; (inquit *S. Maximus.*) scilicet adversùs pravas cupiditates, adversùs Mundi blanditias & terrores, adversùs continuas diaboli impugnationes in acie justitiæ firmiter standum & dimicandum est. *Jure ea fortitudo vocatur, quando unusquisque se ipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atque inflectitur, non adversis perturbatur, non extollitur secundis, & quasi vento quodam, variarum rerum circumfertur mutatione. Hæc igitur prima vis fortitudinis, quoniam in duobus generibus fortitudo spectatur animi. Primò, ut externa corporis pro minimis habeat, & quasi superflua despicienda magis quàm expetenda ducat. Secundò, ut ea quæ summa sunt, omnesque res in quibus honestas cernitur, præclara animi intentione usque ad effectum persequatur. Quid enim tam præclarum, quàm ut ita animum informes tuum; ut neque divitias, neque voluptates, neque honores in maximis constituas, neque in his studium omne conterat? Quo cùm ita affectus animo fueris, necesse est ut illud honestum ac decorum præponendum putes, illique mentem intendat tuam, ut quicquid acciderit quo frangi animi solent, aut patrimonii amissio, aut honoris imminutio, aut obtrectatio infidelium, quasi superior non sentias. Deinde ut te salutis ipsius pericula pro justitia suscepta non moveant. Hæc vera fortitudo est, quam habet Christi Athleta, qui nisi legitimo certamine, non coronatur*; (inquit *S. Ambrosius*, Libro 1. *De Officiis Ministrorum*, Cap. xxxvi.) Ad fortitudinis officium pertinet ut neque in doloribus molliores simus, neque in prosperis elatiores, utque animum adversùs prævisa pericula & incommoda præparemus ac firmemus. *Nisi enim explorentur adversa, citò occupant. Ut in bello improvisus hostis vix sustinetur, & si imparates inveniat, facilè opprimit: ita animum mala inexplorata plus frangunt.*

S. Ambros. ibid. Cap. 38.

Fortitudo Christiana sola defendit ornamenta virtutum omnium, judicia custodit, adversùs omnia vitia prælio decernit, invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversùs voluptates, dura adversùs illecebras, pecuniam negligens, avaritiam fugiens. *Nihil enim tam contrarium fortitudini, quàm lucro vinci. Frequenter pulsis hostibus, & inclinata in fugam adversariorum acie, dum exuviis cæsorum capitur præliator, inter ipsos quos straverat, miserandus occubuit: & triumphis suis dejectæ legiones dum spoliis occupantur, hostem in se revocaverunt, qui fugerat.* Gloriæ quoque cupiditatem cavet vir fortis, quæ frequenter nocuit immoderatiùs expetita, semper autem usurpata.

Cap. 39.

§. III.

Virtutes adjunctæ Fortitudini.

Virtutes adjunctæ Fortitudini sunt *Magnanimitas, Magnificentia, Patientia, & Perseverantia.*

IV. *Magnanimitas* Virtus est quæ magnorum honorum spem & desideria moderatur. Circa magnos autem honores ea ratione versatur vir magnanimus, ut eos immoderatè non expetat, nec ad illorum consecutionem primariò intentionem dirigat suam, sed ut res magnas, arduas & præclaras gerere studeat propter Deum, quibus magnis honoribus dignus evadit: quibus delatis non extollitur, sed eis utitur ad Dei gloriam, & hominum commodum. *Magnanimitas ita est circa honores, ut studeat facere ea quæ sunt honore digna: non tamen sic ut pro magno æstimet humanum honorem*; (inquit *S. Thomas.*) Nihil ergo unquam agat vir magnanimus contra virtutis officium, ut ad honores perveniat. Hinc rursus S. Thomas: *Magnanimitas*, inquit, *non est circa honorem quemcunque, sed circa magnum honorem: sicut autem honor debetur virtuti, ita magnus honor debetur magno operi virtutis. Et inde est quòd magnanimus intendit magna operari in qualibet virtute, in quantum tendit ad ea quæ sunt digna magno honore.* Honores porrò sibi convenientes suscipiet, vel recusabit, prout Dei gloriæ, suæ saluti, publicæ utilitati conducere judicabit. Magnanimus à præsumptione, ambitione, inani gloria, & pusillanimitate æquè alienus est, quæ vitia sunt Magnanimitati opposita; illa quidem per excessum, scilicet *Præsumptio*, *Ambitio*, & *Inanis gloria*; ista verò per defectum, scilicet *Pusillanimitas*. De Præsumptione, Ambitione, inani gloria in superiori Tractatu disseruimus. *Præsumptio* est nimia confidentia, qua quis ea aggreditur quæ vires suas excedunt. *Ambitio* est inordinatus honoris appetitus, cùm scilicet aliquis honores nec oblatos, nec debitos appetit, vel ad eos mediis illegitimis nititur; aut etiam illegitimè oblatos, aut minimè debitos suscipit. *Inanis gloria* est immoderata gloriæ cupiditas, contra rationis scilicet, divinæque legis ordinem. *Pusillanimitas* vitium est, quo quis res magnas, quibus gerendis aptus est ex donis Dei, aut magnos honores, quibus dignus est, legitimè oblatos, ex animi parvitate & nimia abjectione refugit: vel auctoritatem suam, dignitatem, honorem, & privilegia tueri negligit, quatenus ad Dei gloriam, publicumque bonum id necessarium & condocibile est. Magnanimitatem Christianæ humilitati opponi nemo sibi persuadeat. Sorores sunt & amicæ virtutes. Cum enim (inquit *S. Thomas*) in homine inveniatur aliquid magnum quod ex dono Dei possidet, & aliquis defectus qui competit ei ex infirmitate naturæ; magnanimitas facit ut homo se magnis honoribus, aut magnis rebus gerendis parem existimet habita ratione donorum & talentorum, quæ ipsi à Deo collata sunt. Humilitas autem facit ut homo se ipsum parvipendat habita ratione propriorum defectuum. Magnanimitas efficit ut alii contemnantur, quatenus à donis Dei deficiunt. Neminem enim tam magni facit, ut illius causâ aliquid contra officium ac decorum agat. Humilitas verò alios honorat, & superiores æstimat ratione divinorum donorum quæ in ipsis conspicit. Unde Psalmo xiv. de viro justo dicitur: *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus Malignus*

Magnanimitas. [illegible]

Secunda Secundæ, Quæst. 129. A. 4. ad Primum.

Vitia magnanimitati opposita.

Magnanimitas minimè opposita humilitati.

S. Thomas, [illegible] *q. 129. a. 3. ad 4.*

malignus: quod spectat viri magnanimi celsam indolem contemptricem improborum. *Timentes autem Dominum glorificat*: quod spectat honorem quem viris probis exhibet. Admirabile Magnanimitatis exemplum præbuere S. Paulus & Silas, cùm Lydiæ ob Christi Fidem & Evangelii Prædicationem virgis cæsi, & in carcerem missi, jubentibus per lictorem Magistratibus ut dimitterentur, exire noluerunt, donec ipsi venirent, illósque velut insontes palam & honorificè liberarent. Act. xvi. *Nuntiavit custos carceris verba hæc Paulo: Quia miserunt Magistratus ut dimittamini, nunc igitur exeuntes, ite in pace. Paulus autem dixit eis: Cæsos nos publicè, indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occultè nos ejiciunt? Non ita: sed veniant, & ipsi nos ejiciant. Nuntiaverunt autem Magistratibus lictores verba hæc. Timuerúntque audito quòd Romani essent: & venientes deprecati sunt eos, & educentes rogabant ut egrederentur de Urbe.*

Magnificentia.

V. *Magnificentia* Virtus est cognata fortitudini, quæ ad magna opera in exteriori materia magnis sumptibus facienda secundùm rationis & divinæ legis regulam animum inclinat. Ea vel publica est, vel privata. Publica, cùm ad publicos usus magni sumptus conferuntur: idque vel ad pios usus, velut ad Sacrificia & publicas Preces, qualia sunt exstructio & dotatio Templorum, fundatio Monasteriorum, Xenodochiorum, Collegiorum, &c. Vel ad usus politicos, Reipublicæ scilicet augendæ, conservandæ & condecorandæ causa, ut ædificatio Curiæ, hortorum publicorum, armamentarii, fori, portûs, murorum, propugnaculorum; copiarum collectio & collatio stipendiorum ad alendam cohortem vel legionem tempore belli; instructio classis, vel navium bellicarum, ad Reipublicæ defensionem, Armorumque Regiorum gloriam promovendam, &c. Privata magnificentia est, cùm magnifica munera in quempiam privatim conferuntur; vel magnificè fiunt quæ pertinent ad usum proprium, quatenus id ratio [illegible]cori postulat. Quamvis enim vir magnificus in his quæ propriam personam spectant sumptus magis moderetur, quia privatum bonum magnum non est: si quid tamen in his quæ ad ipsum pertinent, magnum videatur; id etiam exequetur magnificè, nec parcet sumptibus, in iis præsertim operibus, quæ diuturna esse debent, aut quæ semel fiunt. Illustrior porrò magnificentia est, quâ magna opera in Dei honorem sumptibus magnis perficiuntur. *Nullus finis humanorum operum est adeo magnus, sicut honor Dei*, (inquit S. Thomas;) *ideo magnificentia præcipuè magnum opus facit in ordine ad honorem Dei. Unde Philosophus iv. Ethicorum dicit*: Honorabiles sumptus sunt maximè, qui pertinent ad Divina Sacrificia. *Et circa hoc maximè studet magnificus, & ideo magnificentia conjungitur sanctitati; quia præcipuè ejus effectus ad religionem sive sanctitatem ordinatur.*

S. ... Secunda, Quæst. 134. Art. 2. ad 1 ...

Huic Virtuti opponitur *Parvificentia*. Vitium est quo pecuniæ nimius amator deficit à recta proportione quam ratio decori postulat inter sumptus & opus quod faciendum est; aut minùs largitur quam personæ & dignitati ejus conveniat. Magnificus scilicet primariò intendit magnitudinem operis, secundariò magnitudinem sumptûs, quam non vitat ut faciat magnum opus. Parvificus è contrario præcipuè intendit parvitatem sumptûs, ex consequenti verò parvitatem operis, quam non recusat, dummodo parvum sumptum faciat; (inquit S. *Thomas*.) Hoc vitium veniale plerumque peccatum est, ut innuit *S. Thomas*. Fieri tamen potest ex aliqua circumstantia, ut in mortale peccatum evadat: veluti si quis ad opus magnum obstrictus sit religione voti vel juramenti, aut suprema defuncti voluntate ac testamento, & in eo faciendo ita sumptibus parcat, ut ratio decori non servetur.

Quæst. 135. Art. 1.

Ibid. ad 3.

Patientia.

VI. *Patientia* Virtus est affinis Fortitudini, *quâ mala æquo animo toleramus, ne animo iniquo bona deseramus, per quæ ad meliora perveniamus.* Nam *Impatientes, dum mala pati nolunt, non efficiunt ut à malis eruantur, sed ut mala graviora patiantur. Patientes autem, qui mala malunt non committendo ferre, quàm non ferendo committere, & leviora faciunt quæ per patientiam pati[illegible], & pejora evadunt, quibus per impatientiam mergerentur. Bona verò æterna & magna non perdunt, dum malis temporalibus brevibúsque non cedunt*; (inquit *S. Augustinus*, Libro *De Patientia*, Cap. ii.) *Quoniam non sunt condigna passiones hujus temporis*, sicut Apostolus dicit, *ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Christiana Patientia à falsa patientia distinguitur causâ patiendi. *Quando illa bona est, tunc ista vera est: quando illa non polluitur cupiditate, tunc à falsitate ista distinguitur. Cùm verò illa tenetur in crimine, tunc hujus multum erratur in nomine. Non enim sicut omnes qui sciunt sunt participes scientiæ, ita omnes qui patiuntur sunt participes patientiæ: sed qui passione rectè utuntur, hi patientiæ veritate laudantur, hi patientiæ munere coronantur*; (ait *S. Augustinus*, ibidem Cap. vi.) Unde Christus non omnes *Qui persecutionem patiuntur*, beatos prædicat, sed *Qui patiuntur propter justitiam*. Et S. Petrus scribit: *Nemo vestrûm patiatur ut homicida aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat. Glorificet autem Deum in isto nomine.*

Rom. 8. 18.

1 Pet. 4. 15.

Quamvis autem Patientia virtus sit animi, partim tamen eâ utitur animus in se ipso, partim verò in corpore suo. In seipso utitur patientiâ, quando illæso & intacto corpore, aliquid quod non expediat vel non deceat, facere aut dicere quibuslibet adversitatibus aut fœditatibus rerum seu verborum stimulis incitatur, & patienter mala omnia tolerat, ne ipse mali aliquid opere vel ore committat. Per hanc patientiam sustinemus, etiam dum corpore sani sumus, quod inter hujus sæculi scandala beatitudo nostra differtur. Unde dictum est: *Si quod non videmus speramus, per patientiam expectamus.* Hâc patientiâ Sanctus David opprobria conviciantis toleravit, & cùm facilè posset ulcisci, non solùm non fecit, verùm & alium pro se dolentem commotúmque compescuit; & Potestatem Regiam magis adhibuit prohibendo, quàm exercendo vindictam. Hanc patientiam Dominus docuit, quando commotis zizaniorum permixtione servis, & volentibus ea colligere, dixit respondisse Patrem-familiâs, *Sinite utraque crescere usque ad messem.* Oportet enim patienter ferri, quod festinanter non oportet auferri. Hujus & ipse patientiæ præbuit & demonstravit exemplum, quando ante passionem corporis sui, discipulum suum Judam, priùs quam ostenderet traditorem, pertulit furem. Alius est patientiæ modus, quo idem ipse animus quæcunque molesta & graviora in sui corporis passionibus perfert, non sicut stulti vel maligni homines, propter adipiscenda vana, vel scelera perpetranda, sed sicut à Domino definitum est, *Propter justitiam.* Utroque modo Sancti Martyres certaverunt. Nam & impiorum opprobriis satu-

Rom. 8.

Matth. 13.

A

» rati sunt, ubi animus corpore intacto quasdam » veluti plagas suas integer sustinet; & in corpori- » bus vincti sunt, inclusi sunt, fame ac siti affecti » sunt, torti sunt, secti sunt, dilaniati sunt, in- » censi sunt, trucidati sunt; & pietate immobili » subdiderunt Deo mentem, cùm paterentur in » carne quicquid exquirenti crudelitati venit in » mentem. Hæc *S. Augustinus* eodem in Libro, Cap. IX. & X.

Patientiæ Christianæ commendatio.

Patientia Christianorum in hoc Mondo peregrinantium virtus est. *Neque enim æterna erit patientia, quæ necessaria non est, nisi ubi toleranda sunt mala: sed æternum erit id quò per Patientiam pervenitur.* Aliarum quasi radix custósque virtutum est: ideo Christus ait: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*, ut S. *Gregorius* observat, Homiliâ XXXV. in Evangelia. Christiana Patientia Dei donum est, Caritatísque fructus: Nam *Caritas patiens est*; (inquit Apostolus) *Vis desideriorum* (ait S. Augustinus) *facit tolerantiam laborum: & nemo nisi pro eo quod delectat, sponte suscipit ferre quod cruciat.* Quod autem aliquis gratiæ bonum præponat omnibus naturalibus bonis, ex quorum amissione dolor creari potest, pertinet ad caritatem, quæ Deum super omnia diligit. Meritò itaque David de Deo ait: *Ab ipso patientia mea.* Quod Oraculum S. *Augustinus* explicans: *Quis*, inquit, *tanta toleret, vel aperta bella, vel occultas insidias? quis tanta toleret inter apertos hostes, inter falsos fratres? quis tanta toleret? Numquid homo? Et si homo, numquid à se ipso Homo? non sic transilivi, ut extollar, & cadam: Deo subjicietur Anima mea, quoniam ab ipso est patientia mea.* Hinc & Psalmo LXX. David ita Deum precatur: *Eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui: quoniam tu es patientia mea*: Id est, *Quia non est in me ut patiens sim, sed in te qui donas patientiam*, (ut explicat *S. Augustinus.*) MELIOR *est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Minor certè victoria est urbes expugnare, » quia extra sunt quæ vincuntur: majus autem est » quod per patientiam vincitur, quia ipse à se ani- » mus superatur; & semetipsum sibimet ipsi sub- » jicit, quando eum patientia in humilitate tole- » rantiæ sternit.

1. Cor. 13.

Libro De Patientia, Cap. 4.

Psalm. 61.

Proverb. 16.

S. Gregorius Homil. 35. in Evang.

Christianæ patientiæ præcepta Reipublicæ bono non adversantur.

Christianæ Patientiæ præcepta Reipublicæ bono non adversantur. Quamvis enim semper in cordis Præparatione retinenda sint, ipsaque benevolentia, ne reddatur malum pro malo, semper in voluntate complenda sit: agenda sunt tamen multa, etiam cum invitis benigna quadam asperitate plectendis, quorum potiùs utilitati consulendum est, quàm voluntati. Nam in corripiendo filio quamlibet asperè, nunquam profectò amor paternus amittitur. Fit tamen quod nolit & doleat, qui etiam invitos videtur dolore sanandos. *Ac per hoc si terrena ista Respublica Præcepta Christiana custodiat, & ipsa bella sine benevolentia non gerentur, ut ad pietatis justitiæque pacatam societatem victis faciliùs consulatur. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur: quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium, quâ pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur.* Verba sunt *S. Augustini*, Epistolâ CXXXVIII. aliàs V. ad *Marcellinum*.

Perseverantia.

VII. *Perseverantia*, Virtus est adjuncta fortitudini, per quam homo firmum habet propositum persistendi in bono opere usque ad illius consummationem, & adversùs molestias ac difficultates ex actus diuturnitate provenientes roboratur. De hac Virtute *S. Bernardus*, Epistolâ CXXIX. ad Januenses scribit: *Perseverantia sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus. Prorsùs absque perseverantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed* Qui perseveraverit usque ad B finem, hic salvus erit. *Saul cùm esset parvulus in oculis suis, Rex est super Israel constitutus: non perseverans in humilitate & Regnum amisit & vitam. Si cautela Samsonis, si Salomonis devotio perseverantiam retinuissent, nec is profectò privaretur sapientiâ, nec ille viribus. Hoc summa honestatis insigne, hanc totius probitatis unicam fidamque custodem custodiri à vobis firmiter hortor & precor.* Porrò cùm virtutes quædam sint, quarum actus per totam vitam durare ac frequenter exerceri debent, sicut Fidei, Spei, & Caritatis, quia finem ultimum totius vitæ humanæ respiciunt: ideo respectu illarum virtutum non consumma- C tur actus perseverantiæ usque ad finem vitæ. Et hoc modo perseverantiam *S. Augustinus* accepit, pro actu scilicet perseverantiæ consummato, non pro solo virtutis singularis habitu, cùm ait Libro *De Dono Perseverantiæ*, Cap. 1. *Asserimus donum Dei esse perseverantiam, quâ usque in finem perseveratur in Christo: finem autem dico quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est ne cadatur. Itaque utrum quisque hoc munus acceperit, quandiu hanc vitam ducit, incertum est: si enim, priùs quàm moriatur cadat, non perseverasse utique dicitur, & verissimè dicitur. Quomodo* D *ergo perseverantiam, qui non perseveravit, accepisse vel habuisse dicendus est? Nam si habeat aliquis continentiam, & ab ea decidat & incontinens fiat; si justitiam similiter, si patientiam, si ipsam fidem, rectè dicitur habuisse, & non habere. Continens enim fuit, vel justus fuit, vel patiens, vel fidelis, quandiu fuit; cùm verò esse desistit, non est quod fuit. Qui verò non perseveraverit, quomodo perseverans fuit; cùm perseverando quisque se ostendat perseverantem, quod iste non fecit? Sed ne quisquam reluctetur & dicat, Si ex quo fidelis quisque factus est, vixit (verbi gratiâ) decem annos, & medio tempore à fide lapsus est, nonne quinque annos perseve-* E *ravit? Non contendo de verbis, si & illa perseverantia putatur esse dicenda tanquam temporis sui: hanc certè perseverantiam, quâ in Christo perseveratur in finem, nullo modo habuisse dicendus est, qui non perseveraverit usque in finem.*

Matth. 10. 22.

Vitia Perseverantiæ opposita sunt *Mollities* & *Pertinacia*; Illa quidem per defectum, ista verò per excessum. *Mollities* vitium est, quo quis ex amore voluptatis, seu vitæ mollis & delicatæ consuetudine, labores & difficultates bonorum operum sustinere refugit. *Pertinacia* vitium est, quo quis contra regulam rationis in propria sententia, F rebúsque susceptis persistit, nullâ difficultatum, quæ ipsum ab earum prosecutione prohibere meritò deberent, habitâ ratione.

S. Thom. Secunda Secundæ, Quæst. 138.

ARTICULUS V.

De Temperantia, ejusque Partibus.

§. I.

Temperantiæ Officia.

S. August. Lib. 1. De Libero Arbit. cap. 13. & Lib. De Moribus Ecclesiæ, cap. 19.

I. TEmperantia, quæ maximè cohibet appetitum ab iis rebus quæ turpiter appetuntur; cujus munus est in coërcendis sedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea quæ nos avertunt à Legibus Dei, & à fructu bonitatis ejus; quæ gustûs præsertim ac venereorum delectationes coërcet ac moderatur, necessitates hujus vitæ sibi proponit ut Regulam delectationum quibus utitur, *ut scilicet tantùm eis utatur, quantum necessitas hujus vitæ requirit.* Unde S. Augustinus, Libro *De Moribus Ecclesiæ*, cap. XXI. *Habet* (inquit) *vir temperans in hujuscemodi rebus mortalibus & fluentibus vitæ regulam utroque Testamento firmatam; ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem quantum sat est, usurpet utentis modestiâ, non amantis affectu.*

Vitia temperantiæ opposita.

II. Vitia temperantiæ opposita sunt *Intemperantia*, & *Stupiditas sensuum.* Intemperantia vitium est quo quis voluptates corporis, gustûs præsertim, ac venereorum immoderatè ac præter rationis divinæque legis regulam appetit, iisque abutitur, modum iisdem regulis præscriptum excedens. Stupiditas sensuum, vitium est, quo quis omnes corporis delectationes, etiam necessarias, honestas, & licitas, quas Deus homini ad hanc vitam tuendam inseruit, aspernatur, ac si stipes & truncus omnis sensûs expers, vel sincero animi judicio privatus. Quod quidem vitium admodum infrequens est. Observandum tamen cum *S. Thoma*, Abstinentiam à delectationibus corporis, quas Deus naturalibus operationibus inspersit, quandoque laudabilem esse vel necessariam. Aliqui enim propter sanitatem corporis à quibusdam delectationibus ciborum, potuum & venereorum prudenter abstinent. Alii propter officii sui executionem à multis delectationibus sibi temperant, ut Athletæ & Milites: multò laudabiliùs *Pœnitentes ad recuperandam animæ sanitatem, abstinentiâ delectabilium quasi quadam diætâ utuntur. Et homines volentes contemplationi & rebus divinis vacare, oportet ut se magis à carnalibus desideriis abstrahant.*

Secunda Secundæ, Q. 142. A. 1.

§ II.

Temperantiæ Partes velut integrantes.

III. TEmperantiæ partes velut integrantes, sunt *Verecundia & Honestas.*

S. Thomas, Secunda Secundæ, Quæst. 144. & 145.

Verecundia, est timor turpitudinis, & vituperii vitiosam & inhonestam actionem consequentis. An propriè virtus sit, alii disputent ex Philosophiæ principiis: illam à Deo commendari certum est, ingenuúmque pudorem maximum esse virtutis adminiculum. 1. ad *Timotheum*, cap. II. *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus*, &c. Ad *Hebræos*, cap. XII. 28. *Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam: per quam serviamus placentes Deo, cum metu & reverentiâ.* Qui metus pudorem sincerum includit, quo veremur turpitudinem peccati, justámque censuram ac reprehensionem illi debitam, præsertim à Deo, omnium actionum nostrarum teste ac supremo Judice. *Ordo vitæ nobis tenendus est* (inquit S. Ambrosius) *ut à Verecundia prima quædam fundamenta ducantur: quæ socia ac familiaris est mentis placiditati, protervia fugitans, ab omni aliena luxu, sobrietatem diligit, honestatem fovet, decorum illud requirit.... Pulchra virtus est Verecundia, & suavis gratia, quæ non solùm in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus; ne modum progrediaris loquendi; ne quid indecorum sermo resonet tuus. Speculum enim mentis plerumque in verbis refulget. Ipsum vocis sonum librat modestia, ne cujusquam offendat aurem vox fortior. Silentium quoque ipsum, in quo est reliquarum virtutum otium, maximus actus verecundiæ est. Denique si aut infantia putatur aut superbia, probro datur: si verecundia, laudi ducitur. Tacebat in periculis Susanna, & gravius verecundiæ, quàm vitæ damnum putabat, nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam salutem. Deo soli loquebatur, cui poterat casta verecundia eloqui: refugiebat ora intueri virorum, est enim & in oculis verecundia, ut nec videre viros femina, nec videri velit. Neque verò quisquam solius hanc laudem castitatis putet. Est enim verecundia pudicitiæ comes, cujus societate castitas ipsa tutior est. Bonus enim regendæ castitatis pudor est comes: qui si se prætendat ad ea quæ prima pericula sunt, pudicitiam temerari non sinat. Hic primus in ipso cognitionis ingressu, Domini Matrem commendat legentibus, & tanquam testis locuples, dignam quæ ad tale munus eligeretur, adstruit: quod in cubiculo, quòd sola, quod salutata ab Angelo tacet, & mota est in introitu ejus, quòd ad virilis sexûs speciem peregrinam turbatur aspectus Virginis. In ipsa oratione nostrâ multùm verecundia placet, multùm conciliat gratiæ apud Deum nostrum. Nonne hæc prætulit Publicanum, & commendavit eum qui nec oculos suos audebat ad cælum levare? Ideo justificatur magis Domini judicio, quàm ille Pharisæus, quem deformavit præsumptio. Est etiam in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior: aut contra gravior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur. Itaque vox quædam est animi corporis motus.* Ad inverecundiam pertinet, *sensim ambulando imitari histrionicos gestus, & quasi quædam fercula pomparum, ut quotiescunque gradum transferunt, modulos quosdam servare videantur.* Inverecundum pariter est *cursim ambulare, nisi cùm causa exigit alicujus periculi, vel justa necessitas. Est gressus probabilis, in quo sit species auctoritatis, gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium; ita tamen si studium desit atque affectatio, sed motus sit purus ac simplex: nihil enim fucatum placet. Motum natura informet. Si quid sanè in natura vitii est, industria emendet; ut ars desit, non correctio.* Multò magis cavendum est, ne quid turpe ore exeat; hoc enim graviter coinquinat hominem. *Non enim cibus coinquinat, sed injusta obtrectatio, sed verborum obscœnitas. Hæc etiam vulgò pudori sunt. In nostro verò officio nullum verbum quod inhonestè cadat, non inveniat verecundiam. Et non solùm nihil ipsi indecorum loqui, sed ne aurem quidem debemus hujusmodi præbere dictis: sicut Joseph ne incongrua suæ audiret verecundiæ, veste fugit relictâ, quoniam qui delectat audire, al-*

Lib. 1. De Officiis, Cap. 43. & Cap. 18.

Verecundia magnum virtutis adminiculum.

Inverecundia.

terum loqui provocat. Partes corporis, vel alieni, vel nostri, quas *Natura magistra verecundiæ* tegere docet, detegere, aut spectare pudendum est. *Si casu aperiantur, confunditur verecundia: si studio, impudentia æstimatur.* Unde & filius Noë Cham offensam retulit, quia nudatum videns patrem risit: qui autem operuerunt patrem, acceperunt benedictionis gratiam. *Ex quo mos vetus & in urbe Roma, & in plerisque civitatibus fuit, ut filii puberes cum parentibus, vel generi cum soceris non lavarent, ne paterna reverentia auctoritas minueretur. Licèt plerique se & in lavacro quantùm possunt tegant; ne vel illic ubi totum nudum est corpus, hujusmodi intecta sit portio.* Sed & illarum partium quas abscondere pudor jubet, *Indicia usus quæ suis appellationibus nuncupare, indecorum est.* Hæc S. *Ambrosius.*

Verecundiæ opponitur *Inverecundia* sive *Impudentia*, quâ quis turpitudinis vel nullum, vel hebetem & obtusum sensum habet, de qua *Jeremia* III. dicitur, *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere;* & *Malus pudor*, quo eorum pudet quempiam, quorum pudere non oportet, sive quæ per se honesta sunt & bona, vel certè media & indifferentia. Sic malum est pudore suffundi ob opera virtutis, quia ludibrio sunt apud impios: & in Sacris Literis damnatum est illud verecundiæ genus. Eccli. IV. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum: est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam.* Et Lucæ IX. *Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in Majestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum.* Et II. ad Timotheum I. *Noli erubescere testimonium Domini nostri, neque vinctum ejus.* Malus est pudor, quo aliquem suæ aut parentum paupertatis, ignobilitatis, aut calamitatum absque vitio suo contingentium, & à Deo immissarum pudet. In his enim gloriari & gaudere Vir Christianus, Discipulus Christi, qui propter nos egenus factus est, qui ex Matre paupere natus, qui *Fabri filius* censeri & appellari dignatus est, qui pauperes de hoc Mundo Discipulos elegit, qui pauperes & calamitosos beatos prædicavit, modò paupertatem & calamitates propter Deum patiantur. In hoc Christiani sumus ut gloriemur lubenter in paupertate, in ignobilitate, in infirmitatibus, in calamitatibus, integrámque semper innocentiam servantes, Deo fideliter & constanter quovis in statu serviamus.

Malus pudor.

Honestas, Virtus est quæ hominem avertit & prohibet ab iis quæ omnium maximè sunt inhonesta & probrosa, ab immoderato scilicet amore voluptatum cibi & potûs & venereorum. Ad hanc virtutem pertinet decorum in omni actione nostra, & toto vitæ ordine servare. *Quarendum in omni actu quid personis, quid temporibus conveniat atque ætatibus, quid etiam singulorum ingeniis sit accommodum. Sæpe enim quod alterum decet, alterum non decet. Aliud juveni aptum, aliud seni: aliud in periculis, aliud in rebus secundis. Saltavit ante Arcam Domini David: non saltavit Samuel; nec ideo ille reprehensus, sed magis iste laudatus. Mutavit vultum contra Regem, cui nomen Achis: at hoc si fecisset remota formidine quo minùs cognosceretur, nequaquam levitatis reprehensione carere potuisset.* Verba sunt S. *Ambrosii*, Lib. I. *De Officiis*, cap. XLIII. *Non mediocre est rebus singulis modum servare, atque impartiri ordinem, in quo verè prælucet illud quod decorum dicitur: quod ita cum honesto jungitur, ut separari non queat. Siquidem & quod decet honestum est: & quod honestum est decet; ut magis in sermone distinctio sit, quàm in virtute discretio. Velut salubritas totius operis actúsque nostri honestas est, & sicut species decorum, quod cum honestate confusum, opinione distinguitur. Nam etsi in aliquo videatur excellere, tamen in radice est honestatis, sed flore præcipuo, ut sine ea decidat, in ea floreat. Quid enim est honestas, nisi quæ turpitudinem quasi mortem fugiat? Quid verò inhonestum, nisi quod ariditatem ac mortem afferat? Vigente igitur substantiâ virtutis, decorum illud tanquam flos emicat, quia radix salva est. At verò propositi nostri radice vitiosa, nihil germinat;* (inquit rursùs S. *Ambrosius*, cap. XLV.) Ad hanc virtutem pertinet divinum illud Oraculum I. ad Corinthios XIV. 40. *Omnia autem honestè & secundùm ordinem fiant.* Decorum est secundùm naturam vivere, & turpe est quod fit contra naturam. Ideo inhonestum est mulierem non velatam orare, & virum comam studiosè alere. *Vos ipsi judicate:* (inquit Apostolus) *Decet mulierem non velatam orare Deum? Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi: mulier verò, si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.*

Honestas

S. Ambros. Lib. I. De Officiis, cap. 46.

I. Cor. II.

Si quis igitur æqualitatem universæ vitæ, « & singularum actionum modos servet, ordi- « nem quoque & constantiam dictorum atque « operum, moderationémque custodiat, in ejus « vita decorum excellit, & quasi in quodam « speculo elucet. *Accedat tamen suavis sermo,* « *ut conciliet sibi affectum audientium, gratúmque se vel familiaribus, vel civibus, vel, si fieri potest, omnibus præbeat. Neque adulantem se, neque adulantiam cuiquam exhibeat; alterum enim calliditatis est, vanitatis alterum. Non despiciat quid de se unusquisque, & maximè vir optimus sentiat, hoc enim modo discit bonis deferre reverentiam. Nam negligere bonorum judicia, vel arrogantiæ, vel dissolutionis est: quorum alterum superbiæ adscribitur, alterum negligentiæ. Caveat etiam motus animi sui, ipse enim sibi & observandus & circumspiciendus est: & ut adversùm se cavendus, ita etiam de se tuendus.... Solliciti debemus esse, ut quid temerè aut incuriosè geramus, aut quidquam omnino cujus probabilem non possimus rationem reddere. Actus enim nostri causa, etsi non omnibus redditur, tamen ab omnibus examinatur.... Boni speculatoris est ita prætendere animo, ut appetitus neque præcurrat rationem, neque deserat, ne præcurrendo perturbet atque excludat, eámque deserendo destituat. Perturbatio tollit constantiam, destitutio prodit ignaviam, accusat pigritiam.* Hi Christianæ Honestatis characteres à S. *Ambrosio* descripti Libro I. *De Officiis*, cap. XLVII.

Honestatis Christianæ characteres.

Addendum, quod sæpius idem Sanctus Doctor inculcat, quamvis Philosophi honestum ab utili distinxerint, apud Christianos tamen nihil verè utile censeri, nisi quod honestum sit. *Nos autem* (inquit) *nihil omnino nisi quod deceat & honestum sit, futurorum magis quàm præsentium metimur formulâ: nihilque utile nisi quod ad vitæ illius æternæ prosit gratiam, definimus, non quod ad delectationem præsentis.... Est igitur non solùm familiare contubernium honestatis & utilitatis, sed eadem quoque utilitas, quæ honestas.... Qui perfectè sapit, nescit sua spectare commoda: sed ad illud quod æternum est, quod decorum atque honestum, toto affectu intendit, quærens non quod sibi utile est, sed quod omnibus. Itaque hæc sit formula, ut inter duo illa, honestum atque utile errare nequeamus; eò quod Justus nihil alteri detrahendum putet, nec alterius incommodo suum commodum augeri velit.*

Apud Christianos nihil utile, nisi quod honestum. Lib. I. De Officiis, cap. 9. Lib. 2. cap. 7. Lib. 3. cap. 1.

1. Cor. 10. *Hanc formam præscribit Apostolus dicens:* Omnia licent, sed non omnia expediunt: omnia licent, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius: *hoc est, Nemo commodum suum quærat, sed alterius, Nemo honorem suum quærat, sed alterius.* Philipp. 2. *Unde & alibi dicit:* Alter alterum existimantes superiorem sibi, non quæ sunt singuli cogitantes, sed quæ aliorum. *Nemo etiam suam gratiam quærat; nemo suam laudem, sed alterius.. Cur enim te potiorem altero judices, cùm Viri sit Christiani præferre sibi alterum, nihil sibi arrogare, nullum sibi honorem assumere, non vindicare meriti suum pretium? Quid tam adversùs naturam, quàm non esse contentum eo quòd habeas, aliena quærere, ambire turpiter? Nam si honestas secundùm naturam, Omnia enim fecit Deus bona valde; turpitudo itaque contraria est. Non potest ergo honestati convenire & turpitudini, cùm hæc inter se discreta natura lege sint.... Non vincat igitur honestatem utilitas, sed honestas utilitatem. Hanc dico utilitatem, quæ æstimatur secundùm vulgi opinionem.* (S. Ambros. Lib. 3. De Officiis, cap. 4. — Cap. 12.) Nihil honestati præferendum, eàque ne amici quidem causâ violanda unquam aut prætermittenda est. *Ea enim amicitia probabilis, quæ honestatem tuetur, præferenda sanè opibus, honoribus, potestatibus: honestati verò præferri non solet, sed honestatem sequi. Qualis fuit Jonatha, qui pro pietate nec offensam patris, nec salutis periculum refugiebat. Qualis fuit Abimelech, qui pro hospitalitatis gratia officiis necem potiùs sui, quàm proditionem fugientis amici, subeundam arbitrabatur.* (1. Reg. 20. & 21.)

§. III.

Virtutes Temperantiæ subjectæ.

IV. VIrtutes Temperantiæ subjectæ sive Temperantiæ species sunt, *Abstinentia, Sobrietas, Castitas.*

Abstinentia. *Abstinentia* Virtus est, quâ quis à cibo sibi temperat quantùm decet & oportet, habitâ ratione valetudinis, & personæ suæ, & aliorum quibuscum vivit. De qua 11. *Petri* 1. dicitur: *Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam.* Actus Abstinentiæ est *Jejunium*, de quo agemus Libro quarto hujus Operis in explicatione tertii Præcepti Decalogi. Illi opponitur *Gula*, capitale vitium, de quo Tractatu superiori actum est.

Sobrietas. *Sobrietas* Virtus est, quæ sumptionem potûs inebriandi vim habentis moderatur. De illa scriptum est, Ecclesiastici xxxi. *Æqua vita hominibus, vinum in sobrietate: si bibas illud moderatè, eris sobrius.* Huic opponitur *Ebrietas*, de qua in superiori Tractatu egimus.

Castitas. *Castitas* est Virtus carnalium voluptatum moderatrix. De qua Apostolus II. ad Corinthios VII. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs.* Et 1. ad Timoth. II. *Quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.* Triplex est, conjugalis, vidualis, & virginalis. Duabus aliis excellentior virginitas. (Virginalis castitas excellentior.) Virtus est firmum & constans propositum includens perpetuò abstinendi ab omni delectatione venerea. Sive, ut *S. Augustinus* definit Libro *De Sancta Virginitate*, cap. VIII. est *Continentia quâ integritas carnis ipsi Creatori animæ & carnis vovetur, consecratur, servatur.* Et cap. XIII. *Virginalis integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas Angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio.* Virginum Status *Flos est Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi;* (inquit *S. Cyprianus*, in Tractatu *De Disciplina & Habitu Virginum.*) Angelorum æmula virginitas est, Angelisque cognata: nam in carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis. (Angelis cognata virginitas.) *Differunt quidem inter se homo pudicus & Angelus, sed felicitate, non virtute. Sed etsi illius castitas felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur:* (inquit *S. Bernardus*, Tractatu *De Moribus & Officio Episcoporum*, alias Epistolâ XLII.) Sola Castitas in « hoc mortalitatis & loco & tempore statum « quemdam immortalitatis gloriæ repræsentat. « Sola inter Nuptiarum solemnia, morem beatæ « illius vindicat Regionis, in qua neque « nubunt neque nubentur: præbens quodam « modo in terris cœlestis jam illius conversationis « experientiam. Vas interim fragile quod « portamus, in quo & crebrò periclitamur, tenet « castitas, (ut monet Apostolus) in sanctificationem, « & instar odoriferi balsami, quo « condita cadavera incorrupta servantur, sensus « ipsa & artus continet & constringit, ne dissolvantur « otiis, ne corrumpantur desideriis, « ne carnis voluptatibus computrescant. « Primum in Virginum ordine locum tenent honoris & meriti Sanctimoniales, ut docet *S. Augustinus*, Libro *De Sancta Virginitate*, cap. XLV. & XLVI. (Primum in Virginum Ordine locum tenent Sanctimoniales.) *Perhibet enim* (inquit) *præclarissimum testimonium Ecclesiastica Auctoritas, in qua Fidelibus notum est, quo loco Martyres, & quo defunctæ Sanctimoniales ad Altaris Sacramenta recitentur.* Et infrà: *Ubi ponimus quòd multi ac multæ ita custodiunt continentiam virginalem, ut tamen non faciant quæ Dominus ait:* Si vis perfectus esse, vade, « vende omnia quæ habes, & da pauperibus, « & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere « me: (Matth. 19.) *nec audeant eorum cohabitationi sociari, in quibus nemo dicit aliquid proprium, sed sunt eis omnia communia; nihilne putamus fructificationis accedere Virginibus Dei, cùm hoc faciunt?*

Castitati opponitur *Luxuria*, capitale vitium, de quo actum est in superiori Tractatu.

§. IV.

Virtutes adjunctæ Temperantiæ.

V. VIrtutes adjunctæ Temperantiæ sunt *Continentia, Clementia, Mansuetudo, Modestia, Humilitas, Taciturnitas, Studiositas, Eutrapelia, sive jucunda Urbanitas.*

Continentia duplicitèr sumitur, vel strictiori significatione, quatenus Virtus est quâ ab omnibus omnino delectationibus venereis abstinetur: & hac ratione idem est quòd Castitas virginalis aut vidualis. (Continentia.) Secundò latiori quadam significatione, quatenus Virtus est rationem confirmans ne pravis concupiscentiæ motibus, & carnalibus desideriis, quæ militant adversùs animam, vincatur. Continentia primo modo sumpta, species est Temperantiæ: Secundo modo sumpta, Virtus est inferior temperantiâ, eique adjuncta. Ad primam pertinet illud Eccli. XXVI. *Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ.* Ad alteram, de qua nunc agimus, pertinet illud *S. Hieronymi* in cap. V. Epistolæ ad Galatas: *Inter Continentiam* (inquit) *& Mo-*

destiam hoc interest, quod Modestia in viris perfectis est consummataque virtutis: Continentia verò in via quidem virtutis est, sed necdum pervenit ad calcem; quia cupiditates adhuc ex ejus qui se continet cogitatione nascuntur, & mentis polluunt principale, licet non superent, nec ad opus pertrahant cogitantem. Continentiæ sic acceptæ discrimen à Castitate explicat Chæremon Abbas apud *Cassianum*, in Collationibus Patrum, Collatione XII. cap. X. *Castitas* (inquit) *non ut arbitramini, districtionis præsidio, sed amore sui, & propria puritatis delectatione subsistit. Non enim castitas, sed continentia dicitur, ubi adhuc ei aliqua resistit adversitas voluptatis. Quamobrem donec pulsari nos carnis commotione sentimus, noverimus nos ad castitatis nondum pervenisse fastigia, sed adhuc sub infirmitate continentia constitutos præliis fatigari.* Et cap. XII. *Quamobrem perfectio castitatis à laboriosis continentiæ rudimentis perpetua tranquillitate discernitur.* De illa *Sanctus Augustinus*, Libro *De Continentia*, Cap. III. *Aliud est* (inquit) *bene pugnare, quod nunc est, quando mortis contentioni resistitur: aliud adversarium non habere, quod tunc erit, quando mors novissima inimica destruetur. Nam & ipsa Continentia cùm frenat cohibetque libidines, simul & appetit bonum ad cujus immortalitatem tendimus, & respuit malum cum quo in hac mortalitate contendimus. Illius quippe amatrix & spectatrix, hujus vero & hostis & testis est: & decus appetens, & dedecus fugiens. Non utique in cupiditatibus frenandis continentia laboraret, si nihil nos contra quod decet liberet, si nihil nostræ bonæ voluntati ex mala concupiscentia repugnaret.* Huic Virtuti opponitur *Incontinentia*, vitium quo aliquis pravis cupiditatibus ignavè credit, turpibúsque delectationibus se immergit.

Clementia.

Clementia Virtus est quâ animus ad lenitatem in pœna exigenda propendet: sive, est lenitas Superioris adversùs inferiorem, aliquid ex debita pœna remittens, quatenus id patitur Justitiæ ratio. Spectatis scilicet circumstantiis facti, causæ, personæ, & modi, interpretatur Judex Legem, quæ pœnas in reos constituit, in tali casu pœnam tam gravem non requirere. Sin autem lex pœnæ speciem & quantitatem relinquit arbitrio Judicis, majorem exercendæ clementiæ opportunitatem habet. Hæc virtus à Spirito Sancto commendatur, Proverb. XI. 19. *Clementia præparat vitam.* Et cap. XX. 28. *Misericordia & veritas custodiunt Regem, & roboratur clementiâ thronus ejus.* Pœnas autem reis debitas non solùm moderatur, sed interdum remittit omnino, justis de causis, Supremi Principis clementia. Hæc Virtus Christianos maximè decet. Illius exemplum Christus præbuit, cùm Adulteræ Mulieri pœnam secundùm Legem debitam remisit: *Nemo te condemnavit? Nec ego te condemnabo. Vade, & jam ampliùs noli peccare.*

Joannis 8.

Legitur *S. Ambrosius*, Epistolis XXV. & XXVI. Editionis novissimæ Parisiensis.

Ecclesiæ clementia.

Hanc virtutem æmulata semper est Ecclesia. Unde *Ithacium*, & *Idacium* Episcopos execrata est, qui *Priscillianum*, licèt Hæreticum usque ad capitale supplicium apud *Maximum* Tyrannum persecuti sunt, ut *Severus Sulpitius*, Libro II. commemorat. Olimque Episcopi pro Reis apud Judices intercedebant, ut eorum pœnam remitti vel temperari impetrarent, ut constat ex *S. Augustino*, Epistolâ CLIII. aliàs LIV. ad *Macedonium*, quem de Clementia in Reorum Judiciis servanda his verbis commonet: *Sic tamen* (inquit) *etiam ipsos criminum ulciscaret, atque in hoc Officio non irâ propriâ concitatos, sed Legum Ministros, nec suarum, sed alienarum examinatarum injuriarum vindices, quales Judices esse debent, terruit censura divina, ut cogitarent sibi propter sua peccata Dei misericordiam necessariam, nec putarent ad culpam sui officii pertinere, si quid erga eos misericorditer agerent, quorum vita necisque haberent legitimam potestatem. Nam cùm ad Dominum Christum Judæi adduxissent Mulierem in Adulterio comprehensam, eúmque tentantes dicerent, quòd jussa esset Lege lapidari; ac deinde quærerent quid de illa ipse præciperet, respondit eis,* « Qui sine peccato est vestrûm, prior in eam lapidem « jaciat. *Ita nec Legem improbavit, qua hujusmodi reas jussit occidi; & illos terrendo ad misericordiam revocavit, quorum judicio hæc posset occidi...... Cedat huic Sententiæ pietas Christianorum, cui cessit impietas Judæorum. Cedat humilitas obsequentium, cui cessit superbia persequentium. Cedat confessio fidelis, cui cessit simulatio tentatoris. Malis parce, Vir bone: quanto melior, tanto esto mitior: quanto sis celsior potestate, tanto humilior fiere pietate.*

Joannis 8.

Severitate tamen opus est ut coërceatur improborum audacia, sed Clementiâ temperari debet; ac multò magis à Judicibus & Superioribus Ecclesiasticis. *Plurimum autem interest quo animo quisque parcat. Sicut enim est aliquando misericordia puniens, ita & crudelitas parcens.* Habenda semper est justitiæ ac disciplinæ ratio, fraternæ salutis, ædificationis publicæ. Clementiæ namque non minùs opponitur nimia mollities & indulgentia, quàm crudelitas. Justa verò severitas Clementiæ non adversatur. Unde *S. Ambrosius* Epistolâ LXXIV. *Beatus* (inquit) *qui & severitatem & mansuetudinem tenet; ut altero disciplina servetur, altero innocentia non opprimatur. Nimia enim severitas extorquet plerumque terrore mendacium. Deus diligi mavult, quàm timeri.*

Justa severitas clementiæ non adversatur.

Mansuetudo.

Mansuetudo Virtus est iræ moderatrix. Hanc præ cæteris Christus docuit: *Discite* (inquit) *à me, quia mitis sum, & humilis corde..... Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Sed & in sacris Veteris Testamenti paginis commendatur, Psalmo XXXVI. *Mansueti autem hereditabunt terram.* Terram utique viventium, Jerusalem Sanctam, quæ liberabitur de peregrinatione ista, & in æternum vivet cum Deo & de Deo, ut explicat *S. Augustinus*. Hæc virtus Moysen, hæc Davidem Deo acceptos fecit. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus: donec inveniam locum Domino.* Ubi quærebat locum Domino? *Si mansuetus erat, in se quærebat:* (inquit Sanctus Augustinus.) Audi Prophetam: *Super quem requiescet Spiritus meus? Super humilem, & quietum, & trementem verba mea.* « Vis esse locus Domini? Esto hu- « milis & quietus, & tremens verba Dei, & « tu ipse efficieris quod quæris. Ecclesiastici X. « scriptum est, *Fili, in mansuetudine serva animam tuam, & da illi honorem secundùm meritum suum.* Et cap. III. *Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris.* De illa *S. Basilius*, in Psalmum XXXIII. *Maxima* (inquit) *omnium virtutum mansuetudo; eóque in Beatitudinum numerum relata est.* Et Constitutionum Monasticarum cap. XIV. *Mansuetudo patientiæ mater est, quæ conjuncta benignitati, præstantissimam omnium virtutum caritatem efficit.* Et *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ XIX. in Epistulam ad Romanos: *Quomodo* (inquit) *poterit quis fieri filius Dei? Si mansuetudinem erga*

Matth. 11.
Matth. 5.
Psal. 131.
Isaiæ 66.

DE VIRTUTIBUS.

erga conviatores ostenderis. Nihil enim ita conformem Deo facit ac ista virtus. Ideo Paulus cùm dicit, (1. Cor. 11.) Imitatores Dei estote, *ad hoc dicit, ut isti studeatur virtuti.* Huic opponitur *Ira*, capitale vitium, de quo in superiori Tractatu egimus.

(Modestia.) *Modestia* Virtus est interiorum & exteriorum hominis actionum, in quibus modum servare non adeo difficile est, moderatrix. Externos corporis motus hæc virtus componit, ut nihil sit in eis quod cujusquam offendat aspectum, sed quod interioris hominis deceat sanctitatem. Nam (Eccl. 19.) *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo*: (inquit Sapiens.) Hæc virtus efficit ut nihil torvum, nihil elatum sit in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum; non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulacrum sit mentis, figura probitatis. *Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, ac primo prætendat ingressu nihil intus latere tenebrarum; ut mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita, tanquam lucerna lux intus posita foris luceat*; (ut loquitur *S. Ambrosius*, Libro II. *De Virginibus*, Cap. II.) (Modestiæ Christianæ characteres.) Nec oculos sublimes & vagos habet vir modestus, nec immodicè depressos: non caput nimis elatum nec in gyrum contortum, aut curvum: non remissam, non fractam vocem, nihil femineum sonantem, sed succi cujusdam virilis plenam. *Hic est enim pulchritudinem vivendi tenere, convenientia cuique sexui & personæ reddere*; (inquit *S. Ambrosius*, Libro I. *De Officiis*, Cap. XIX.) Nec fractus & mollis sit incessus, nec agrestis & rusticus; nec velox nimis, & quamdam scurrarum percursantium imaginem exhibens; nec tardior, nec ad pompam aut numeros veluti compositus: nihil in gestu histrionicum, nihil leve, nihil in risu dissolutum: (Eccli. 21.) *Fatuus* enim *in risu exaltat vocem suam.* Nihil in toto corporis habitu insolens, nihil affectatum, nihil fucatum. Non feminarum dumtaxat, non Clericorum tantùm & Monachorum, sed Christianorum omnium hæc virtus est. (Philipp. 4. 5.) *Modestia vestra*, inquit Apostolus, *nota sit omnibus hominibus.* Christianæ Modestiæ non satis est esse, verùm & videri postulat. Eructet necesse est à conscientia ad habitum, ab animo ad superficiem; (ut loquitur alicubi Tertullianus.) *Justini* Siciliæ Prætoris modestiam singularem commendat *S. Gregorius*, Epistolâ II. Libri I. *Ipsa*, inquit, *incessus vestri modestia quibusdam conatibus exigebos, ut diligi & venerari etiam à nolente debuisset.* Et infrà: *Tantam Gloria tuæ modestiam didici, ut esse non tuus erubescam.* Externum etiam corporis cultum & ornatum hæc virtus moderatur, ut personæ, statui, moribus eorum quibuscum vivitur, congruat: nihil in eo superfluum, nihil dissolutum, nihil affectatum, nihil neglectum nimis & incultum.

(Humilitas.) *Humilitas* Virtus est temperantiæ cognata, modestiæ soror, quâ reprimitur & firmatur hominis appetitus, ne in magna supra se tendat. Sive, ut definit *S. Bernardus* in Tract. De Gradibus Humilitatis. *Est virtus, quâ homo verissimâ sui agnitione sibi ipsi vilescit.* Hæc ceteris virtutibus antecellit, si Theologicas, & Justitiam exceperis. *Quanta virtus humilitatis, propter quam solam veraciter edocendam is qui sine æstimatione Magnus est usque ad passionem mortis factus est parvus!* (inquit *S. Gregorius*, Epistolâ XXXVIII. Libri IV.) *Christianorum virtus* vocatur a *S. Hieronymo*, Epistolâ XXVII. ad Eustochium: *Sanctorum virtus maxima* à *S. Ambrosio*, Enarratione in Psalmum XXI. De illa egimus in superiori Tractatu, Cap. V. Articulis VIII. IX. & X. Illi opponitur *Superbia*, de qua eodem capite prolixè disseruimus.

A

DE VIRTUTIBUS.

Taciturnitas Virtus est sermonis moderatrix. (Taciturnitas.) De illa, *S. Ambrosius*, Libro I. *De Officiis*, Cap. II. (Matt. 12. 37.) *Scriptum est* (inquit) EX verbis tuis condemnaberis. *Quid opus est igitur ut properes periculum suscipere condemnationis, loquendo, cùm tacendo possis esse tutior? Quamplures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quemquam tacendo. ideoque tacere nosse quàm loqui difficilius est. Scio loqui plerósque, cùm tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cùm sibi loqui nihil prosit. Sapiens est ergo qui novit tacere. Denique Sapientia Dei dixit*: DOMINUS *dedit* (Isai. 50.)

B *mihi linguam eruditionis, quando oporteat sermonem dicere. Ideo Sancti Domini, qui scirent quia vox hominis plerumque peccati annuntiatio est, & initium erroris humani, sermo est hominis, amabant tacere. Denique Sanctus Domini ait*: Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. (Psalm. 38.) *Quis autem est qui mundum cor à peccatorum habeat colluvione, aut non delinquat in lingua sua? Et ideo quia neminem videbat sanctum observare posse ab immunditia sermonis, ipse sibi silentio legem imposuit innocentiæ, ut tacendo culpam declinaret, quam vix effugere posset loquendo. Audiamus ergo cautionis magistrum*: Dixi: *Custodiam vias meas. Aliæ sunt viæ* (Cap. 3.)

C *quas debemus sequi, aliæ quas custodire: sequi vias Domini, custodire nostras; ne in culpam dirigant. Potes autem custodire, si non citò loquaris.... Quid igitur? mutos nos esse oportet? minimè. Est enim tempus tacendi, & tempus loquendi. Deinde si pro otioso verbo reddimus rationem, videamus ne reddamus & pro otioso silentio. Est enim & negotiosum silentium; ut erat Susanna, quæ plus egit tacendo, quàm si esset locuta. Tacendo enim apud homines, locuta est Deo: nec ullum magis indicium suæ castitatis invenit, quàm*

D *silentium.* Et infrà: *Alliga sermonem tuum, ne luxuriet, ne lasciviat, & multiloquio peccata sibi colligat. Sit restrictior, & ripis suis coërceatur. Citò lutum colligit amnis exundans.... Sit ori tuo ostium, ut claudatur ubi oportet, & observetur diligentius.* Taciturnitati garrulitas, sive effrenis loquendi pruritus opponitur.

(Studiositas.) *Studiositas* Virtus est quæ appetitum & studium cognitionis acquirendæ moderatur: sive quæ modum & ordinem sciendi constituit, ut nimirum sciamus quo ordine, quo studio, quo fine nosse quæque oporteat. *Quo ordine; ut id priùs quod maturius ad salutem: quo studio, ut id ardentiùs, quòd vehementiùs ad amorem: quo fine, ut non ad inanem*

E *gloriam, aut curiositatem, sed ad ædificationem.* (inquit *S. Bernardus* Sermone XXXVI. in Cantica.) Huic virtuti opponitur *Curiositas.* (Curiositas vitium studiositati oppositum.) Vitium est quo appetitus & studium veritatis cognoscendæ ab ordine debito deficit: quod quatuor modis contingere S. *Thomas* observat Secunda Secundæ, Quæstione CLXVII. Articulo I. Uno modo, in quantum per studium minùs utile retrahuntur homines à studio quod eis ex necessitate incumbit. Unde *S. Hieronymus* Epistolâ CLXVI. ait; (Variæ Curiositatis species.) *Sacerdotes dimissis Evangeliis & Prophetis, videmus Comœdias legere, & amatoria Bucolicorum Versuum verbacantare.* Alio modo, in quantum studet ali-

F quis addiscere ab eo à quo non licet, sicut patet de his, qui aliqua futura a Dæmonibus perquirunt, quæ est superstitiosa curiositas. Unde *S. Augustinus* ait Libro *De Vera Religione*, Cap. IV. *Nescio an Philosophi impedirentur à fide vitio curiositatis in percunctandis Dæmonibus.* Tertiò, quando homo appetit cognoscere veritatem circa creaturas, non referendo ad debitum finem, scilicet ad cognitionem Dei. Unde *S. Augustinus* Cap. XXIX. ejusdem Libri ait: *In consideratione creaturarum non est vana & peritura curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia & semper permanentia faciendus.* Quartò, in quantum aliquis cognoscere stu-

tuus, quo juvare possine inferiorem. Est enim duplex liberalitas: una qua subsidio rei adjuvat, id est, usu pecuniæ: altera qua operum collatione impenditur, multò frequenter splendidior multòque clarior.... Facile pecunia consumitur, consilia exhauriri nesciunt. Hæc usu augentur: pecunia minuitur & citò deficit, atque ipsam destituit benignitatem: ut quò pluribus largiri volueris, eò pauciores adjuvet, & sæpe tibi desit quod aliis conferendum putaveris. Consilii autem operisque collatio, quò in plures diffunditur, eò redundantior manet, & in suum fontem recurrit.

Affabilitas.

IX. *Affabilitas* sive *Amicitia affabilitatis*, virtus est cognata justitiæ, quâ homo ad alios homines in communi convictu comiter se habet, dictaque sua & facta ita moderatur, ut neminem verbis aut gestis offendat, & vicissim ipse aliorum dicta & facta sine offensione accipiat. Virtus illa non erga illos tantùm qui propriè sunt amici, exercenda est, neque erga solos familiares, sed generatim erga quosvis homines, quibuscum nos versari & agere contigerit. Quamvis autem comitas suavitásque Morum nos inclinare debeat ut delectationem his afferamus quibus convivimus, non lascivam, quam virtus cavet, sed honestam: ipsis tamen interdum molestos esse, illósque contristare ob illorum bonum, comitati & amicitiæ non repugnat. Unde Apostolus II. ad Corinthios VII. ait: *Si contristavi vos in Epistolâ, non me pœnitet.... Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad Pœnitentiam.* Ideo *His qui proni sunt ad peccandum, non debemus hilarem vultum ostendere ad eos delectandum; ne videamur eorum peccato consentire, & quodammodo peccandi audaciam ministrare.* Unde dicitur Ecclesiastici VII. *Filiæ tibi sunt? Serva corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.*

S. Thomas, Secunda secundæ, Q. CXIV Art. ad III.

Affabilitas non solum privatis, sed principibus viris necessaria virtus.

De ista Virtute præclarè disserit *S. Ambrosius*, Libro II. *De Officiis Ministrorum*, cap. VII. *Nihil tam utile*, (inquit) *quàm diligi: nihil tam inutile, quàm non amari; nam odio haberi exitiale ac nimis capitale arbitror. Itaque id agamus, ut omni sedulitate commendemus existimationem opinionémque nostram, ac primum placiditate mentis & animi benignitate influamus in affectum hominum. Popularis enim & grata est omnibus bonitas, nihilque quod tam facilè illabatur humanis sensibus. Ea si mansuetudine morum ac facilitate, tum moderatione præcepti, affabilitate sermonis, verborum honore, patienti quoque sermonum vice, modestiæque adjuvetur gratiâ, incredibile quantum procedit ad cumulum dilectionis. Legimus enim non solum in privatis, sed etiam in ipsis Regibus, Quantùm facilitas blanda affabilitatis profecerit, aut superbia verborúmque obfuerit tumor, ut Regna ista labefactaret, & potestatem solveret. Jam si quis consilio, usu, ministerio, officiis popularem comprehendat gratiam: aut si quis periculum suum pro universa plebe offerat; non est dubium quòd tantùm caritatis à plebe in eum refundatur, ut Populus salutem ejus & gratiam sibi præferat.* Id Moysis & » Davidis exempla probant. Moyses meritò æ» stimatus est supra homines, ut & vultum ejus » non possent intendere, & sepulturam ejus non » repertam crederent; *quia sic sibi totius plebis mentes devinxerat, ut plus eum pro mansuetudine diligerent, quàm pro factis admirarentur.... Ideo David non cecidit, quia carus fuit omnibus, & diligi à subjectis quàm timeri maluit. Timor enim temporalis tutaminis servat excubias, nescit diuturnitatis custodiam. Itaque ubi timor decesserit, audacia obrepit, quoniam fidem non timor cogit, sed affectus exhibet.*

Comitas amicitias nectit ac fovet, neque tamen amico, aut cuilibet hominum vir Christianâ comitate præditus adulatur. Huic enim Virtuti non minùs adversatur adulatio, quàm morositas & rusticitas. Errantem amicum corripere, caritatis est, non morositatis. *Non potest homini amicus esse, qui Deo fuerit infidus. Pietatis custos Amicitia est & æqualitatis magistra, ut superior inferiori se exhibeat æqualem; inferior, superiori. Inter dispares enim mores non potest esse amicitia; & ideo convenire sibi utriusque debet gratia. Nec auctoritas desit inferiori, si res poposcerit, nec humilitas superiori. Audiat quasi parem, quasi æqualem; & ille quasi amicus moneat, objurget, non jactantiæ studio, sed affectu caritatis. Neque monitio aspera sit, neque objurgatio contumeliosa: sicut enim adulationis fugitans amicitia debet esse, ita etiam aliena insolentiæ... Quid est enim amicus, nisi consors amoris, ad quem animum tuum adjungas atque applices, & ita misceas, ut unum velis fieri ex duobus, cui te tanquam alteri tibi committas, à quo nihil timeas, nihil ipse commodi tui causâ inhonestum petas? Non enim vectigalis amicitia est, sed plena decoris, plena gratiæ. Virtus est enim amicitia, non quæstus; qui non pecunia paritur, sed gratia: nec licitatione præmiorum, sed concertatione benevolentiæ. Denique meliores amicitiæ sunt inopum plerumque quàm divitum: & frequenter divites sine amicis sunt, quibus abundant pauperes. Non est enim vera amicitia, ubi est fallax adulatio. Divitibus itaque plerique adsentatoriè gratificantur: erga pauperem nemo simulator est. Verum est quidquid defertur pauperi, hujus amicitia invidiâ vacat.* Verba sunt *S. Ambrosii*, Lib. III. *De Officiis Ministrorum*, cap. XXII.

Christiana comitas non minus adversatur adulatio, quàm morositas.

De adulatione, quod vitium est affabilitati oppositum, Tractamus Libro IV. istius Operis, in explicatione octavi Præcepti Decalogi. Eidem virtuti, ex altero extremo opponitur litigium, seu morositas, quâ aliquis alios contristare non veretur, omnia illorum dicta & facta improbans & sugillans. Vir morosus ipso vultu severitatem tetricam demonstrat, & tristitiam quamdam in colloquio cum aliis, eósque gravatim audit, nec minùs gravatim eis respondet, atque sic exceptos durè habet & tractat, nemini placere volens, ne in iis quidem quæ honesta sunt. Vitium illud cum omnibus hominibus, tum Ecclesiasticis maximè Viris, Pastoribus Animarum, & Superioribus quibuscomque fugiendum est, cùm impedimento sit ne sacrum Ministerium tanto cum fructu impleant. Pastores & Superiores morosos, Christianæque affabilitatis expertes, damnat Trajani Ethnici Imperatoris exemplum, qui culpantibus amicis nimiam ejus erga omnes comitatem ac popularitatem, respondit, teste Eutropio: *Talem se Imperatorem esse privatis, quales esse sibi Imperatores privatus optasset.* Quamquàm verò ad affabilitatem & comitatem multùm conferat indoles & institutio, morosam tamen indolem, tetricam severitatem, intempestivam gravitatem virtus affabilitatis & amicitiæ, seu potius caritas moderari & emendare debet, ut lubenter & cum significatione benevolentiæ alios, quamvis pauperes & extraneos & infimæ sortis, ad congressum & colloquium nostrum admittamus, eósque benignè audiamus, & alloquamur, ubi opus est, ac multò magis eos quibus convivimus; candidáque animi lætitiâ, in vultu ipso & oculis conspicuâ, & suavitate sermonis devinciamus eos quibuscum versamur & agimus; in omnibus quæ honesta sunt placere omnibus satagentes, ut verè

Morositas Ecclesiasticis viris, & Pastoribus fugienda.

dicere

1. Cor. 10.

dicere possimus cum S. Paulo : *Per omnia omnibus placeo.* Quò spectat & illud ad Romanos xv. *Debemus nos firmiores imbecillitatas infirmorum sustinere, & non nobis placere. Unusquisque vestrùm proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem.* Et illud 1. Petri III. 8. *In fine autem omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles.*

ARTICULUS IV.

De Fortitudine, ejúsque Officiis, & Partibus.

I. Fortitudo timorem nimiom cohibet, audaciæ impetum moderatur: Christiani hominis animum confirmat contra res omnes adversas, contra quævis pericula, maximè præmeditata, & quæ subire oportet propter Dei gloriam, bonúmque virtutis, ac præcipuè contra mortem ipsam, quæ extremom & maximè formidabile malum est; & ad labores ardoos propter Deum suscipiendos & subeundos incitat & accendit.

§. I.

Fortitudinis Partitio.

Fortitudo alia est *domestica*, alia *bellica*. Domestica est, quâ firmitatem animi in adversis retinemus, quibus frangi aoimi solent, & à virtutis officio abduci, qualia sunt amissio patrimonii, honoris imminutio, &c. necnoo adversùs vitæ ipsius pericula pro justitia suscepta. Bellica est, quæ adversùs hostes præliando declaratur, sive prælium illud corporale sit, sive spirituale. Hâc excelluerunt Abraham, Moyses, Caleb, Josue, Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Machabæi, ceterique Heroës Sancti, qui *Per fidem vicerunt Regna, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum*, ut loquitur Apostolus. Hâc nobis opus est adversùs fidei & pietatis hostes cùm visibiles tum invisibiles. De qua S. Paulus *Ephes.* VI. scribit : *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias diaboli, & resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.* Et S. Petrus Ep. 1. Cap. III. *Quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Sed & si quid patimini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini.* Ea Virtute animatus Christianus ait : *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala : quoniam tu mecum es.... Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum. Si exsurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo.... In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet tribulantes.... Quis nos separabit à caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Sed in his omnibus superamus, propter Eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare à caritate Dei... Omnia possum in eo qui me confortat.*

Fortitudine opus est Christiano adversùs Fidei & pietatis hostes. — *Hebr. 11.* — *Psalm. 22.* — *Psalm. 26.* — *Psalm. 55.* — *Psalm. 59.* — *Rom. 8.* — *Philipp. 4.*

§. II.

Fortitudinis Officia.

II. Duplex actus Fortitudinis est, Res arduas aggredi, periculáque adire; & sustinere res adversas, atque in periculis firmum & invictum sistere. In perferendo magis elucet, quam in aggrediendo : quia difficilius est reprimere timorem, quàm audaciam moderari : difficilius est cum fortiore pugnare, quàm debiliorem invadere : difficilius est præsenti malo non moveri, quam futuro : difficilius est diu manere immobilem, quam subito motu ad aliquod arduum moveri. Quamobrem Martyrium heroicæ fortitudinis actus est, quâ fit ut Christianus fidem & justitiam non deserat ob pericula mortis imminentia, immo præsentia, stétque firmus & invictus in bello Domini. Unde *Sanctus Cyprianus*, Epistolâ VIII, sic Martyres Africanos compellat : *Quibus vos laudibus prædicem, fortissimi Fratres? Robur pectoris vestri, & perseverantiam fidei quo præconio vocis exornem? Tolerastis usque ad consummationem gloriæ durissimam quæstionem, nec cessistis suppliciis, sed vobis potius supplicia cesserunt. Finem dolorum, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt. Vidit admirans præsentium multitudo cæleste certamen Dei, spirituale certamen, prælium Christi; stetisse servos ejus voce libera, mente incorrupta, virtute divina, telis quidem sæcularibus nudos, sed armis fidei credentes armatos. Steterunt torti torquentibus fortiores; & pulsantes ac laniantes ungulas pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sæviens diu plaga repetita, quamvis rupta compage viscerum torquerentur in servis Dei jam non membra, sed vulnera. Quale illud fuit spectaculum Domino, quàm sublime, quàm magnum, quàm Dei oculis sacramento ac devotione Militis ejus acceptum, sicut scriptum est,* Pretiosa in conspectu Domini mors Justorum ejus : *Pretiosa mors hæc est, quæ emit immortalitatem pretio sui sanguinis, quæ accepit coronam de consummatione virtutis. Quàm lætus illic Christus fuit, quàm libens in talibus servis suis & pugnavit & vicit Protector fidei, & dans credentibus tantùm quantùm se credit accipere, qui sumit? Certamini suo adfuit, Præliatores atque assertores sui Nominis erexit, corroboravit, animavit. Et qui pro nobis mortem semel vicit, semel vincit in nobis.*

S. Thomas, Secunda Secundæ, Quæst. 123. & 124. — *Martyrium heroicæ fortitudinis actus.* — *Psalm. 115. 15.*

Martyrium solâ morte consummatur pro fide vel justitiâ, id est, pro cujusvis bonis virtutis, aut vitando peccato toleratâ. Martyrem enim non facit pœna, sed causa. *Vincit Martyr pro fide moriendo, qui vinceretur, sine fide vivendo* : (inquit *S. Maximus.*) Dictum est olim homini, *Morieris, si peccaveris : Nunc dicitur Martyri, Morere, ne pecces. Tunc dictum est, Si mandatum transgressi fueritis, morte moriemini : nunc dicitur, Si mortem recusaveritis, mandatum transgredimini. Quod tunc timendum fuerat, ut non peccaretur, nunc suscipiendum est, ne peccetur. Sic per ineffabilem Dei misericordiam & ipsa pœna vitiorum transit in arma virtutis, & fit Justi meritum etiam supplicium peccatoris. Tunc enim mors est adquisita peccando, nunc impletur justitia moriendo* : (inquit *Sanctus Augustinus*, Libro XIII. *De Civitate Dei*, Cap. IV.) *Martyr* nomen est origine Græcum, testem significans. Martyres ergo dicuntur, quasi testes Fidei Christianæ, per quam nobis visibilia pro invisibilibus contemnenda proponuntur. Ad Martyrium itaque pertinet ut homo testificetur fidem opere comprobans omnia præsentia

Martyrium solâ morte pro Christo consummatur. — *Genes. 2.*

se contemnere, ut ad futura & invisibilia bona perveniat. Quandiu autem homini remanet vita corporis, nondum opere ostendit se corporalia cuncta despicere. Consueverunt enim homines & consanguineos, & omnia bona temporalia contemnere, & etiam dolores corporis pati, ut vitam conservent. Unde Satan de Sancto Job ait, *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua,* id est pro corporis vita. *Et ideo ad perfectam rationem Martyrii requiritur quòd aliquis mortem sustineat propter Christum*; (ut disserit *S. Thomas.*)

Job. 2. 4.

Fortitudinis virtus in pace Ecclesiæ nobis necessaria.

Nobis tamen, qui in Ecclesiæ pace vivimus, Fortitudo etiam necessaria est, siquidem habet & pax Ecclesiæ Martyres suos; & *Tota vita Christiani, si secundùm Evangelium vivat, Crux est & Martyrium*; (inquit *S. Maximus.*) scilicet adversùs pravas cupiditates, adversùs Mundi blanditias & terrores, adversùs continuas diaboli impugnationes in acie justitiæ firmiter standum & dimicandum est. *Jure ea fortitudo vocatur, quando unusquisque se ipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atque inflectitur, non adversis perturbatur, non extollitur secundis, & quasi vento quodam, variarum rerum circumfertur mutatione. Hæc igitur prima vis fortitudinis, quoniam in duobus generibus fortitudo spectatur animi. Primo, ut externa corporis pro minimis habeat, & quasi superflua despicienda magis quam expetenda ducat. Secundo, ut ea quæ summa sunt, omnesque res in quibus honestas cernitur, præclara animi intentione usque ad effectum persequatur. Quid enim tam præclarum, quàm ut ita animum informes tuum; ut neque divitias, neque voluptates, neque honores in maximis constituas, neque in his studium omne conteras? Quo cum ita affectus animo fuerit, necesse est ut illud honestum ac decorum præponendum putes, illique mentem intendas tuam, ut quicquid acciderit quo frangi animi solent, aut patrimonii amissio, aut honoris imminutio, aut obtrectatio infidelium, quasi superior non sentias. Deinde ut te salutis ipsius pericula pro justitia suscepta non moveant. Hæc vera fortitudo est, quam habet Christi Athleta, qui nisi legitime certaverit, non coronatur*; (inquit *S. Ambrosius*, Libro 1. *De Officiis Ministrorum*, Cap. XXXVI.) Ad fortitudinis officium pertinet ut neque in doloribus molliores simus, neque in prosperis elatiores, utque animum adversùs prævisa pericula & incommoda præparemus ac firmemus. *Nisi enim explorentur adversa, citò occupant. Ut in bello improvisus hostis vix sustinetur, & si imparatos inveniat, facilè opprimit: ita animum mala inexplorata plus frangunt.*

S. Ambros. ibid. Cap. 38.

Fortitudo Christiana sola defendit ornamenta virtutum omnium, judicia custodit, adversùs omnia vitia prælio decernit, invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversùs voluptates, dura adversùs illecebras, pecuniam negligens, avaritiam fugiens. *Nihil enim tam contrarium fortitudini, quàm lucro vinci. Frequenter pulsis hostibus, & inclinata in fugam adversariorum acie, dum exuviis cæsorum capitur prœliator, inter ipsos quos stravit, miserandus occubuit: & triumphis suis dejectæ legiones dum spoliis occupantur, hostem in se revocaverunt, qui fugerat.* Gloriæ quoque cupiditatem caveat vir fortis, quæ frequenter nocuit immoderatiùs expetita, semper autem usurpata.

Cap. 39.

§. III.

Virtutes adjunctæ Fortitudini.

Virtutes adjunctæ Fortitudini sunt *Magnanimitas, Magnificentia, Patientia*, & *Perseverantia.*

IV. *Magnanimitas* Virtus est quæ magnorum honorum spem & desideria moderatur. Circa magnos autem honores ea ratione versatur vir magnanimus, ut eos immoderatè non expetat, nec ad illorum consecutionem primariò intentionem dirigat suam, sed ut res magnas, arduas & præclaras gerere studeat propter Deum, quibus magnis honoribus dignus evadit: quibus delatis non extollitur, sed eis utitur ad Dei gloriam, & hominum commodum. *Magnanimitas ita est circa honores, ut studeat facere ea quæ sunt honore digna: non tamen sic ut pro magno æstimet humanum honorem*; (inquit *S. Thomas.*) Nihil ergo unquam agat vir magnanimus contra virtutis officium, ut ad honores perveniat. Hinc rursus S. Thomas: *Magnanimitas*, inquit, *non est circa honorem quemcunque, sed circa magnum honorem: sicut autem honor debetur virtuti, ita magnus honor debetur magno operi virtutis. Et inde est quòd magnanimus intendit magna operari in qualibet virtute, in quantum tendit ad ea quæ sunt digna magno honore.* Honores porrò sibi convenientes suscipiet, vel recusabit, prout Dei gloriæ, suæ saluti, publicæ utilitati conducere judicabit. Magnanimus à præsumptione, ambitione, inani gloria, & pusillanimitate æquè alienus est, quæ vitia sunt Magnanimitati opposita; illa quidem per excessum, scilicet *Præsumptio, Ambitio*, & *Inanis gloria*; ista verò per defectum, scilicet *Pusillanimitas.* De Præsumptione, Ambitione, inani gloria in superiori Tractatu disseruimus. *Præsumptio* est nimia confidentia, qua quis ea aggreditur quæ vires suas excedunt. *Ambitio* est inordinatus honoris appetitus, cùm scilicet aliquis honores nec oblatos, nec debitos appetit, vel ad eos media illegitimis nititur; aut etiam illegitimè oblatos, aut minimè debitos suscipit. *Inanis gloria* est immoderata gloriæ cupiditas, contra rationis scilicet, divinæque legis ordinem. *Pusillanimitas* vitium est, quo quis res magnas, quibus gerendis aptus est ex donis Dei, aut magnos honores, quibus dignus est, legitimè oblatos, ex animi parvitate & nimia abjectione refugit: vel auctoritatem suam, dignitatem, honorem, & privilegia tueri negligit, quatenus ad Dei gloriam, publicumque bonum id necessarium & conducibile est. Magnanimitatem Christianæ humilitati opponi nemo sibi persuadeat. Sorores sunt & amicæ virtutes. Cum enim (inquit *S. Thomas*) in homine inveniatur aliquid magnum quod ex dono Dei possidet, & aliquis defectus qui competit ei ex infirmitate naturæ: magnanimitas facit ut homo se magnis honoribus, aut magnis rebus gerendis parem existimet habita ratione donorum & talentorum, quæ ipsi à Deo collata sunt. Humilitas autem facit ut homo se ipsum parvipendat habita ratione propriorum defectuum. Magnanimitas efficit ut alii contemnantur, quatenus à donis Dei deficiunt. Neminem enim tam magni facit, ut illius causâ aliquid contra officium ac decorum agat. Humilitas verò alios honorat, & superiores æstimat ratione divinorum donorum quæ in ipsis conspicit. Unde Psalmo XIV. de viro justo dicitur: *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus Malignus*

Magnanimitas.

Secunda Secundæ, Quæst. 129. A. 4. ad Primum.

Vitia magnanimitati opposita.

Magnanimitas non humilitati opposita.

S. Thomas, Secunda Secundæ, Quæst. 129. Art. 3. ad 4.

malignus: quod spectat viri magnanimi celsam indolem contemptricem improborum. *Timentes autem Dominum glorificat*: quod spectat honorem quem viris probis exhibet. Admirabile Magnanimitatis exemplum præbuere S. Paulus & Silas, cùm Lydiæ ob Christi Fidem & Evangelii Prædicationem virgis cæsi, & in carcerem missi, jubentibus per lictorem Magistratibus ut dimitterentur, exire noluerunt, donec ipsi venirent, illósque velut insontes palam & honorificè liberarent. Act. XVI. *Nuntiavit custos carceris verba hæc Paulo: Quia miserunt Magistratus ut dimittamini, nunc igitur exeuntes, ite in pace. Paulus autem dixit eis: Cæsos nos publicè, indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occultè nos ejiciunt? Non ita: sed veniant, & ipsi nos ejiciant. Nuntiaverunt autem Magistratibus lictores verba hæc. Timuerúntque audito quòd Romani essent: & venientes deprecati sunt eos, & educentes rogabant ut egrederentur de Urbe.*

Magnificentia.

V. *Magnificentia* Virtus est cognata fortitudini, quæ ad magna opera in exteriori materia magnis sumptibus facienda secundùm rationis & divinæ legis regulam animum inclinat. Ea vel publica est, vel privata. Publica, cùm ad publicos usus magni sumptus conferuntur: idque vel ad pios usus, velut ad Sacrificia & publicas Preces, qualia sunt exstructio & dotatio Templorum, fundatio Monasteriorum, Xenodochiorum, Collegiorum, &c. Vel ad usus politicos, Reipublicæ scilicet augendæ, conservandæ & condecorandæ causa, ut ædificatio Curiæ, horreorum publicorum, armamentarii, fori, portûs, murorum, propugnaculorum; copiarum collectio & collatio stipendiorum ad alendam cohortem vel legionem tempore belli; instructio classis, vel navium bellicarum, ad Reipublicæ defensionem, Armorumque Regiorum gloriam promovendam, &c. Privata magnificentia est, cùm magnifica munera in quempiam privatim conferuntur; vel magnificè fiunt quæ pertinent ad usum proprium, quatenus id ratio decori postulat. Quamvis enim vir magnificus in his quæ propriam personam spectant sumptus magis moderetur, quia privatum bonum magnum non est: si quid tamen in his quæ ad ipsum pertinent, magnum videatur: id etiam exequetur magnificè, nec parcet sumptibus, in iis præsertim operibus, quæ diuturna esse debent, non quæ semel fiunt. Illustrior porrò magnificentia est, quâ magna opera in Dei honorem sumptibus magnis perficiuntur. *Nullus finis humanorum operum est adeo magnus, sicut honor Dei*, (inquit S. Thomas;) *ideo magnificentia præcipuè magnum opus facit in ordine ad honorem Dei. Unde Philosophus IV. Ethicorum dicit*: Honorabiles sumptus sunt maximè, qui pertinent ad Divina Sacrificia. *Et circa hoc maximè studet magnificus, & ideo magnificentia conjungitur sanctitati; quia præcipuè ejus effectus ad religionem sive sanctitatem ordinatur.*

Secunda Secundæ, Quæst. 134. Art. 2. ad 1 um.

Huic Virtuti opponitur *Parvificentia*. Vitium est quo pecuniæ nimius amator deficit à recta proportione quam ratio decori postulat inter sumptus & opus quod faciendum est; aut minùs largitur quàm personæ & dignitati ejus conveniat. Magnificus scilicet primariò intendit magnitudinem operis, secundariò magnitudinem sumptûs, quam non vitat ut faciat magnum opus. Parvificus è contrario præcipuè intendit parvitatem sumptûs, ex consequenti verò parvitatem operis, quam non recusat, dummodo parvum sumptum faciat; (inquit S. *Thomas*.) Hoc vitium veniale plerumque peccatum est, ut innuit *S. Thomas*. Fieri tamen potest ex aliqua circumstantia, ut in mortale peccatum evadat: veluti si quis ad opus magnum obstrictus sit religione voti vel juramenti, aut suprema defuncti voluntate ac testamento, & in eo faciendo ita sumptibus pareat, ut ratio decori non servetur.

Quæst. 135. Art. 1.

Ibid. ad 1.

Patientia.

VI. *Patientia* Virtus est affinis Fortitudini, *quâ mala æquo animo toleramus, ne animo iniquo bona deseramus, per quæ ad meliora perveniamus*. Nam *Impatientes, dum mala pati nolunt, non efficiunt ut à malis eruantur, sed ut mala graviora patiantur. Patientes autem, qui mala malunt non committendo ferre, quàm non ferendo committere, & leviora faciunt quæ per patientiam patiuntur, & pejora evadunt, quibus per impatientiam mergerentur. Bona verò æterna & magna non perdunt, dum malis temporalibus brevibúsque non cedunt*; (inquit *S. Augustinus*, Libro *De Patientia*, Cap. II.) *Quoniam non sunt condigna passiones hujus temporis*, sicut Apostolus dicit, *ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Christiana Patientia à falsa patientia distinguitur causâ patiendi. *Quando illa bona est, tunc ista vera est: quando illa non polluitur cupiditate, tunc à falsitate ista distinguitur. Cùm verò illa tenetur in crimine, tunc hujus multum erratur in nomine. Non enim sicut omnes qui sciunt sunt participes scientiæ, ita omnes qui patiuntur sunt participes patientiæ: sed qui passione rectè utuntur, hi patientiæ veritate laudantur, hi patientiæ munere coronantur*; (ait *S. Augustinus*, ibidem Cap. VI.) Unde Christus non omnes *Qui persecutionem patiuntur*, beatos prædicat, sed *Qui patiuntur propter justitiam*. Et S. Petrus scribit: *Nemo vestrûm patiatur ut homicida aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat. Glorificet autem Deum in isto nomine.*

Rom. 8. 18.

1. Pet. 4. 15.

Quamvis autem Patientia virtus sit animi, partim tamen eâ utitur animus in se ipso, partim verò in corpore suo. In seipso utitur patientiâ, quando illæso & intacto corpore, aliquid quod non expedit vel non decet, facere aut dicere quibuslibet adversitatibus aut fœditatibus rerum seu verborum stimulis incitatur, & patienter mala omnia tolerat, ne ipse mali aliquid opere vel ore committat. Per hanc patientiam sustinemus, etiam dum corpore sani sumus, quod inter hujus sæculi scandala beatitudo nostra differtur. Unde dictum est: *Si quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus*. Hâc patientiâ Sanctus David opprobria convicianitis toleravit, & cùm facilè posset ulcisci, non solùm non fecit, verùm & alium pro se dolentem commotúmque compescuit; & Potestatem Regiam magis adhibuit prohibendo, quàm exercendo vindictam. Hanc patientiam Dominus docuit, quando commotis zizaniorum permixtione servis, & volentibus ea colligere, dixit respondisse Patrem-familiâs, *Sinite utraque crescere usque ad messem*. Oportet enim patienter ferri, quod festinanter non oportet auferri. Hujus & ipse patientiæ præbuit & demonstravit exemplum, quando ante passionem corporis sui, discipulum suum Judam, priùs quam ostenderet traditorem, pertulit furem. Alius est patientiæ modus, quo idem ipse animus quæcunque molesta & graviora in sui corporis passionibus perfert, non sicut stulti vel maligni homines, propter adipiscenda vana, vel scelera perpetranda, sed sicut à Domino definitum est, *Propter justitiam*. Utroque modo Sancti Martyres certaverunt. Nam & impiorum opprobriis satu-

Rom. 8.

Matth. 13.

A » tari sunt, ubi animus corpore intacto quasdam » veluti plagas suas integer sustinet; & in corporibus vincti sunt, inclusi sunt, fame ac siti affecti » sunt, torti sunt, secti sunt, dilaniati sunt, in» censi sunt, trucidati sunt; & pietate immobili » subdiderunt Deo mentem, cùm paterentur in » carne quicquid exquirenti crudelitati venit in » mentem. Hæc *S. Augustinus* eodem in Libro, Cap. IX. & X.

Patientiæ Christianæ commendatio.

B Patientia Christianorum in hoc Mundo peregrinantium virtus est. *Neque enim æterna erit patientia, quæ necessaria non est, nisi ubi toleranda sunt mala: sed æternum erit id quò per Patientiam pervenitur.* Aliarum quasi radix custósque virtutum est: ideo Christus ait: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*, ut S. *Gregorius* observat, Homiliâ XXXV. in Evangelia. Christiana Patientia Dei donum est, Caritatísque fructus: Nam *Caritas patiens est*; (inquit Apostolus) *Vis desideriorum* (ait S. Augustinus) *facit tolerantiam laborum: & nemo nisi pro eo quod delectat, sponte suscipit ferre quod cruciat.* Quod autem aliquis gratiæ bonum præponat omnibus naturalibus bonis,

1. Cor. 13.

Libro De Patientia, Cap. 4.

C ex quorum amissione dolor creari potest, pertinet ad caritatem, quæ Deum super omnia diligit. Meritò itaque David de Deo ait: *Ab ipso patientia mea.* Quod Oraculum *S. Augustinus* explicans: *Quis*, inquit, *tanta toleret, vel aperta bella, vel occultas insidias? quis tanta toleret inter apertos hostes, inter falsos fratres? quis tanta toleret? Numquid homo? Et si homo, numquid à se ipso Homo? non sic transilivi, ut extollar, & cadam: Deo subjicietur Anima mea, quoniam ab ipso est patientia mea.* Hinc & Psalmo LXX. David ita Deum precatur: *Eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui: quo-*

Psalm. 61.

D *niam tu es patientia mea*: Id est, *Quia non est in me ut patiens sim, sed in te qui donas patientiam*, (ut explicat *S. Augustinus.*) Melior *est patiens viro » forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore ur» bium.* Minor certè victoria est urbes expugnare, » quia extra sunt quæ vincuntur: majus autem est » quod per patientiam vincitur, quia ipse a se ani» mus superatur; & semetipsum sibimet ipsi sub» jicit, quando eum patientia in humilitate tole» rantiæ sternit.

Proverb. 16.

S. Gregorius Homil. 35. in Evang.

Christianæ patientiæ præcepta Reipublicæ bono non adversantur.

E Christianæ Patientiæ præcepta Reipublicæ bono non adversantur. Quamvis enim semper in cordis Præparatione retinenda sint, ipsaque benevolentia, ne reddatur malum pro malo, semper in voluntate complenda sit: agenda sunt tamen multa, etiam cum invitis benigna quadam asperitate plectendis, quorum potiùs utilitati consulendum est, quàm voluntati. Nam in corripiendo filio quamlibet asperè, nunquam profectò amor paternus amittitur. Fit tamen quod nolit & doleat, qui etiam invitus videtur dolore sanandus. *Ac per hoc si terrena ista Respublica Præcepta Christiana custodiant, & ipsa bella sine benevolentia non gerentur, ut ad pietatis justitiæque*

F *pacatam societatem victis faciliùs consulatur. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur: quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium, quâ pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur.* Verba sunt *S. Augustini*, Epistolâ CXXXVIII. aliàs V. ad *Marcellinum*.

Perseverantia.

VII. *Perseverantia*, Virtus est adjuncta fortitudini, per quam homo firmum habet propositum persistendi in bono opere usque ad illius consummationem, & adversùs molestias ac difficultates ex actus diuturnitate provenientes roboratur. De hac Virtute *S. Bernardus*, Epistolâ CXXIX. ad Januenses scribit: *Perseverantia sola*

A *meretur viris gloriam, coronam virtutibus. Prorsus absque perseverantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed* Qui perseveraverit usque ad Matth. 10. 22.

B finem, hic salvus erit. *Saul cùm esset parvulus in oculis suis, Rex est super Israel constitutus: non perseverans in humilitate & Regnum amisit & vitam. Si cautela Samsonis, si Salomonis devotio perseverantiam retinuissent, nec is profectò privaretur sapientiâ, nec ille viribus. Hoc summa honestatis insigne, hanc totius probitatis unicum fidamque custodem custodiri à vobis firmiter hortor & precor.* Porrò cùm virtutes quædam sint, quarum actus per totam vitam durare ac frequenter exerceri debent, sicut Fidei, Spei, & Caritatis, quia finem ultimum totius vitæ humanæ respiciunt: ideo respectu illarum virtutum non consumma-

C tur actus perseverantiæ usque ad finem vitæ. Et hoc modo perseverantiam *S. Augustinus* accepit, pro actu scilicet perseverantiæ consummato, non pro solo virtutis singularis habitu, cùm ait Libro *De Dono Perseverantiæ*, Cap. I. *Asserimus donum Dei esse perseverantiam, quâ usque in finem perseveratur in Christo: finem autem dico quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est ne cadatur. Itaque utrum quisque hoc munus acceperit, quamdiu hanc vitam ducit, incertum est: si enim, priùs quàm moriatur cadat, non perseverasse utique dicitur, & verissimè dicitur. Quomodo*

D *ergo perseverantiam, qui non perseveravit, accepisse vel habuisse dicendus est? Nam si habeat aliquis continentiam, & ab ea decidat & incontinens fiat; si justitiam similiter, si patientiam, si ipsam fidem, rectè dicitur habuisse, & non habere. Continens enim fuit, vel justus fuit, vel patiens, vel fidelis, quamdiu fuit; cùm verò esse desistit, non est quod fuit. Qui verò non perseveraverit, quomodo perseverans fuit; cùm perseverando quisque se ostendat perseverantem, quod iste non fecit? Sed ne quisquam reluctetur & dicat, Si ex quo fidelis quisque factus est, vixit (verbi gratiâ) decem annos, & medio tempore à fide lapsus est, nonne quinque annos perseve-*

E *ravit? Non contendo de verbis, si & illa perseverantia putatur esse dicenda tanquam temporis sui: hanc certè perseverantiam, quâ in Christo perseveratur in finem, nullo modo habuisse dicendus est, qui non perseveraverit usque in finem.*

Vitia Perseverantiæ opposita sunt *Mollities* & *Pertinacia*. Illa quidem per defectum, ista verò per excessum. *Mollities* vitium est, quo quis ex amore voluptatis, seu vitæ mollis & delicatæ consuetudine, labores & difficultates bonorum operum sustinere refugit. *Pertinacia* vitium est, quo quis contra regulam rationis in propria sententia,

S. Thomas, Secunda Secundæ, Quæst. 138.

F rebúsque susceptis persistit, nullâ difficultatum, quæ ipsum ab earum prosecutione prohibere meritò deberent, habitâ ratione.

ARTICULUS V.

De Temperantia, ejúsque Partibus.

§. I.

Temperantiæ Officia.

S. August. Lib. 1. De Libero Arbit. cap. 13. & Lib. De Moribus Ecclesiæ, cap. 19.

I. TEmperantia, quæ maximè cohibet appetitum ab iis rebus quæ turpiter appetuntur; cujus munus est in coercendis sedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea quæ nos avertont à Legibus Dei, & à fructu bonitatis ejus; quæ gustûs præsertim ac venereorum delectationes coërcet ac moderatur, necessitates hujus vitæ sibi proponit ut Regulam delectationum quibus utitur, *ut scilicet tantùm eis utatur, quantum necessitas hujus vitæ requirit.* Unde S. Augustinus, Libro *De Moribus Ecclesiæ*, cap. xxi. *Habet* (inquit) *vir temperans in hujusce modi rebus mortalibus & fluentibus vitæ regulam utroque Testamento firmatam; ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem quantum sat est, usurpet utentis modestiâ, non amantis affectu.*

Vitia temperantiæ opposita.

II. Vitia temperantiæ opposita sunt *Intemperantia*, & *Stupiditas sensuum.* Intemperantia vitium est quo quis voluptates corporis, gustûs præsertim, ac venereorum immoderatè ac præter rationis divinæque legis regulam appetit, iisque abutitur, modum iisdem regulis præscriptum excedens. Stopiditas sensuum, vitium est, quo quis omnes corporis delectationes, etiam necessarias, honestas, & licitas, quas Deus homini ad hanc vitam tuendam insevit, aspernatur, ac si stipes & truncus omnis sensûs expers, vel sincero animi judicio privatus. Quod quidem vitium admodum infrequens est. Observandum tamen cum *S. Thoma*, Abstinentiam à delectationibus corporis, quas Deus naturalibus operationibus inspersit, quandoque laudabilem esse vel necessariam. Aliqui enim propter sanitatem corporis à quibusdam delectationibus ciborum, potuum & venereorum prudenter abstinent. Alii propter officii sui executionem à multis delectationibus sibi temperant, ut Athletæ & Milites: multò laudabiliùs *Pœnitentes ad recuperandam animæ sanitatem, abstinentiâ delectabilium quasi quadam diætâ utuntur. Et homines volentes contemplationi & rebus divinis vacare, oportet ut se magis à carnalibus desideriis abstrahant.*

Secunda Secundæ, Q. 142. A. 1.

§. II.

Temperantiæ Partes velut integrantes.

III. TEmperantiæ partes velut integrantes, sunt *Verecundia & Honestas.*

S. Thomas, Secunda Secundæ, Quæst. 144. & 145.

Verecundia, est timor turpitudinis, & vituperii vitiosam & inhonestam actionem consequentis. An propriè virtus sit, alii disputent ex Philosophiæ principiis: illam à Deo commendati certum est, ingenuúmque pudorem maximum esse virtutis adminiculum. 1. ad *Timotheum*, cap. II. *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus*, &c. Ad *Hebræos*, cap. XII. 28. *Itaque regnum im-*

Verecundia magnum virtutis adminiculum.

mobile suscipientes, habemus gratiam: per quam serviamus placentes Deo, cum metu & reverentiâ. Qui metus pudorem sincerum includit, quo veremur turpitudinem peccati, justámque censuram ac reprehensionem illi debitam, præsertim à Deo, omnium actionum nostrarum teste ac supremo Judice. *Ordo vitæ nobis tenendus est* (inquit S. Ambrosius) *ut à Verecundia prima quadam fundamenta ducantur: quæ socia ac familiaris est mentis placiditati, protervia fugitans, ab omni aliena luxu, sobrietatem diligit, honestatem fovet, decorum illud requirit.... Pulchra virtus est Verecundia, & suavis gratia, quæ non solùm in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus; ne modum progrediaris loquendi; ne quid indecorum sermo resonet tuus. Speculum enim mentis plerumque in verbis refulget. Ipsum vocis sonum librat modestia, ne cujusquam offendat aurem vox fortior. Silentium quoque ipsum, in quo est reliquarum virtutum otium, maximus actus verecundiæ est. Denique si aut infantiæ putatur aut superbiæ, probro datur: si verecundiæ, laudi ducitur. Tacebat in periculis Susanna, & gravius verecundiæ, quàm vitæ damnum putabat, nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam salutem. Deo soli loquebatur, cui poterat casta verecundia eloqui: refugiebat ora intueri virorum, est enim & in oculis verecundia, ut nec videre viros femina, nec videri velit. Neque verò quisquam solius hanc laudem castitatis putet. Est enim verecundia pudicitiæ comes, cujus societate castitas ipsa tutior est. Bonus enim in regenda castitatis pudor est comes: qui si se prætendat ad ea quæ prima pericula sunt, pudicitiam temerari non sinat. Hic primus in ipso cognitionis ingressu, Domini Matrem commendat legentibus, & tanquam testis locuples, dignam quæ ad tale munus eligeretur, adstruit: quòd in cubiculo, quòd sola, quòd salutata ab Angelo tacet, & mota est in introitu ejus, quòd ad virilis sexûs speciem peregrinam turbatur aspectus Virginis. In ipsa oratione nostrâ multùm verecundia placet, multùm conciliat gratiæ apud Deum nostrum. Nonne hæc prætulit Publicanum, & commendavit eum qui nec oculos suos audebat ad cælum levare? Ideo justificatur magis Domini judicio, quàm ille Pharisæus, quem deformavit præsumptio. Est etiam in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia. Habitus enim in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior: aut contra gravior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur. Itaque vox quædam est animi corporis motus.* Ad inverecundiam pertinet, *sensim ambulando imitari histrionicos gestus, & quasi quædam fercula pomparum, ut quotiescunque gradum transferunt, modulos quosdam servare videantur.* Inverecundum pariter est *cursim ambulare, nisi cùm causa exigit alicujus periculi, vel justa necessitas. Est gressus probabilis, in quo sit species auctoritatis, gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium: ita tamen si studium desit atque affectatio, sed motus sit purus ac simplex: nihil enim fucatum placet. Motum natura informet. Si quid sanè in natura vitii est, industria emendet; ut ars desit, non correctio.* Multò magis cavendum est, ne quid turpe ore exeat; hoc enim graviter coinquinat hominem. *Non enim cibus coinquinat, sed injusta obtrectatio, sed verborum obscœnitas. Hæc etiam vulgò pudori sunt. In nostro verò officio nullum verbum quod inhonestè cadat, non incutiat verecundiam. Et non solùm nihil ipsi indecorum loqui, sed ne aurem quidem debemus hujusmodi præbere dictis: sicut Joseph ne incongrua suæ audiret verecundiæ, veste fugit relictâ, quoniam quæ delectat audire, al-*

Lib. 1. De Officiis, Cap. 17. & Cap. 18.

Inverecundia.

terum loqui provocat. Partes corporis, vel alieni, vel nostri, quas *Natura magistra verecundia* tegere docet, detegere, aut spectare pudendum est. *Si casu aperiantur, confunditur verecundia: si studio, impudentia æstimatur.* Unde & filius Noë Cham offensam retulit, quia nudatum videns patrem risit: qui autem operuerunt patrem, acceperunt benedictionis gratiam. *Ex quo mos vetus & in urbe Roma, & in plerisque civitatibus fuit, ut filii puberes cum parentibus, vel generi cum soceris non lavarent, ne paterna reverentia auctoritas minueretur. Licèt plerique se & in lavacro quantùm possunt tegant; ne vel illic ubi totum nudum est corpus, hujusmodi intecta sit portio.* Sed & illarum partium quas abscondere pudor jubet, *Indicia usúsque suis appellationibus nuncupare, indecorum est.* Hæc S. *Ambrosius.*

Verecundiæ opponitur *Inverecundia* sive *Impudentia*, quâ quis turpitudinis vel nullum, vel hebetem & obtusum sensum habet, de qua *Jeremiæ* III. dicitur, *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere*; & *Malus pudor*, quo eorum pudet quempiam, quorum pudere non oportet, sive quæ per se honesta sunt & bona, vel certè media & indifferentia. Sic malum est pudore suffundi ob opera virtutis, quia ludibrio sunt apud impios: & in Sacris Litteris damnatum est illud verecundiæ genus. Eccli. IV. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum: est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam.* Et Lucæ IX. *Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in Majestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum.* Et II. ad Timotheum, I. *Noli erubescere testimonium Domini nostri, neque vinctum ejus.* Malus est pudor, quo aliquem suæ aut parentum paupertatis, ignobilitatis, aut calamitatum absque vitio suo contingentium, & à Deo immissarum pudet. In his enim gloriari & gaudere Vir Christianus, Discipulus Christi, qui propter nos egenus factus est, qui ex Matre paupere natus, qui *Fabri filius* censeri & appellari dignatus est, qui pauperes de hoc Mundo Discipulos elegit, qui pauperes & calamitosos beatos prædicavit, modò paupertatem & calamitates propter Deum patiantur. In hoc Christiani sumus ut gloriemur lubenter in paupertate, in ignobilitate, in infirmitatibus, in calamitatibus, integrámque semper innocentiam servantes, Deo fideliter & constanter quovis in statu serviamus.

Malus pudor.

Honestas, Virtus est quæ hominem avertit & prohibet ab iis quæ omnium maximè sunt inhonesta & probrosa, ab immoderato scilicet amore voluptatum cibi & potûs & venereorum. Ad hanc virtutem pertinet decorum in omni actione nostra, & toto vitæ ordine servare. *Quærendum in omni actu quid personis, quid temporibus conveniat atque ætatibus, quid etiam singulorum ingeniis sit accommodum. Sæpe enim quod alterum decet, alterum non decet. Aliud juveni aptum, aliud seni: aliud in periculis, aliud in rebus secundis. Saltavit ante Arcam Domini David: non saltavit Samuel; nec ideo ille reprehensus, sed magis iste laudatus. Mutavit vultum contra Regem, cui nomen Achis: at hoc si fecisset remota formidine quo minùs cognosceretur, nequaquam levitatis reprehensione carere potuisset.* Verba sunt *S. Ambrosii*, Lib. I. *De Officiis*, cap. XLIII. *Non mediocre est rebus singulis modum servare, atque impertiri ordinem, in quo verè prælucet illud quod decorum dicitur: quod ita cum honesto jungitur, ut separari non queat. Siquidem & quod decet honestum est: & quod hone-*

Honestas

Honestatis Christianæ characteres.

A *stum est decet; ut magis in sermone distinctio sit, quàm in virtute discretio.. Velut salubritas totius operis actúsque nostri honestas est, & sicut species decorum, quod cum honestate confusum, opinione distinguitur. Nam etsi in aliquo videatur excellere, tamen in radice est honestatis, sed flore præcipuo, ut sine ea decidat, in ea floreat. Quid enim est honestas, nisi quæ turpitudinem quasi mortem fugiat? Quid verò inhonestum, nisi quod ariditatem ac mortem afferat? Vernante igitur substantiâ virtutis, decorum illud tanquam flos emicat, quia radix salva est. At verò propositi nostri radice* B *vitiosa, nihil germinat;* (inquit rursùs *S. Ambrosius*, cap. XLV.) Ad hanc virtutem pertinet divinum illud Oraculum I. ad Corinthios XIV. 40. *Omnia autem honestè & secundùm ordinem fiant.* Decorum est secundùm naturam vivere, & turpe est quod fit contra naturam. Ideo inhonestum est mulierem non velatam orare, & virum comam studiosè alere. *Vos ipsi judicate:* (inquit Apostolus) *Decet mulierem non velatam orare Deum? Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi: mulier verò, si comam nutriat, gloria est illi: quoniam* C *capilli pro velamine ei dati sunt.*

S. Ambros. Lib. I. De Officiis, cap. 46.

I. Cor. 11.

Si quis igitur æqualitatem universæ vitæ, « & singularum actionum modos servet, ordi- « nem quoque & constantiam dictorum atque « operum, moderationémque custodiat, in ejus « vita decorum excellit, & quasi in quodam « speculo elucet. *Accedat tamen suavis sermo,* « *ut conciliet sibi affectum audientium, gratúmque se vel familiaribus, vel civibus, vel, si fieri potest, omnibus præbeat. Neque adulantem se, neque adulantium cuiquam exhibeat; alterum enim calliditatis est, vanitatis alterum. Non despiciat quid de* D *se unusquisque, & maximè vir optimus sentiat, hoc enim modo discit bonis deferre reverentiam. Nam negligere bonorum judicia, vel arrogantiæ, vel dissolutionis est: quorum alterum superbiæ adscribitur, alterum negligentiæ. Caveat etiam motus animi sui, ipse enim sibi & observandus & circumspiciendus est: & ut adversùm se cavendus, ita etiam de se tuendus.... Solliciti debemus esse, ne quid temerè aut incuriosè geramus, aut quidquam omnino cujus probabilem non possimus rationem reddere. Actus enim nostri causa, etsi non omnibus redditur, tamen ab omnibus examinatur.... Boni speculatoris est ita præ-* E *tendere animo, ut appetitus neque præcurrat rationem, neque deserat, ne præcurrendo perturbet atque excludat, eámque deserendo destituat. Perturbatio tollit constantiam, destitutio prodit ignaviam, accusat pigritiam.* Hi Christianæ Honestatis characteres à *S. Ambrosio* descripti Libro I. *De Officiis*, cap. XLVII.

Addendum, quod sæpius idem Sanctus Doctor inculcat, quamvis Philosophi honestum ab utili distinxerint, apud Christianos tamen nihil verè utile censeri, nisi quod honestum sit. *Nos autem* (inquit) *nihil omnino nisi quod deceat &* F *honestum sit, futurorum magis quàm præsentium metimur formulâ: nihilque utile nisi quod ad vitæ illius æternæ prosit gratiam, definimus, non quod ad delectationem præsentis.... Est igitur non solùm familiare contubernium honestatis & utilitatis, sed eadem quoque utilitas, quæ honestas.... Qui perfectè sapit, nescit sua spectare commoda: sed ad illud quod æternum est, quod decorum atque honestum, toto affectu intendit, quærens non quod sibi utile est, sed quod omnibus. Itaque hæc sit formula, ut inter duo illa, honestum atque utile errare nequeamus; ut quòd Justus nihil alteri detrahendum putet, nec alterius incommodo suum commodum augeri velit.*

Apud Christianos nihil utile, nisi quod honestum.

Lib. 2. De Officiis, cap. 3.

Lib. 2. cap. 7.

Lib. 3. cap. 1.

1. Cor. 10. *Hanc formam præscribit Apostolus dicens:* Omnia licent, sed non omnia expediunt: omnia licent, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius: *hoc est, Nemo commodum suum quærat, sed alterius. Nemo honorem suum quærat, sed alterius. Unde & alibi dicit:* Alter alterum existimantes superiorem sibi, non quæ sunt singuli cogitantes, sed quæ aliorum. *Nemo etiam suam gratiam quærat; nemo suam laudem, sed alterius.. Cur enim te potiorem altero judices, cùm Viri sit Christiani præferre sibi alterum, nihil sibi arrogare, nullum sibi honorem assumere, non vindicare meriti sui pretium? Quid tam adversus naturam, quàm non esse contentum eo quòd habeas, aliena quærere, ambire turpiter? Nam si honestas secundum naturam. Omnia enim fecit Deus bona valde; turpitudo itaque contraria est. Non potest ergo honestati convenire & turpitudini, cùm hæc inter se discreta natura lege sint.... Non vincat igitur honestatem utilitas, sed honestas utilitatem. Hanc dico utilitatem, quæ æstimatur secundum vulgi opinionem.* Nihil honestati præferendum, eáque ne amici quidem causâ violanda unquam aut prætermittenda est. *Ea enim amicitia probabilis, quæ honestatem tuetur, præferenda sanè opibus, honoribus, potestatibus: honestati verò præferri non solet, sed honestatem sequi. Qualis fuit Jonathas, qui pro pietate nec offensam patris, nec salutis periculum refugiebat. Qualis fuit Abimelech, qui pro hospitalitatis gratia officiis necem potiùs sui; quàm proditionem fugientis amici, subeundam arbitrabatur.*

Philip. 2.

S. Ambros. Lib. 3. De Offic., cap. 4.

Cap. 16.

1. Reg. 20. & 21.

§. III.

Virtutes Temperantiæ subjectæ.

IV. VIrtutes Temperantiæ subjectæ sive Temperantiæ species sunt, *Abstinentia, Sobrietas, Castitas.*

Abstinentia.

Abstinentia Virtus est, quâ quis à cibo sibi temperat quantùm decet & oportet, habitâ ratione valetudinis, & personæ suæ, & aliorum quibuscum vivit. De qua II. *Petri* I. dicitur: *Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam.* Actus Abstinentiæ est *Jejunium*, de quo agemus Libro quarto hujus Operis in explicatione tertii Præcepti Decalogi. Illi opponitur *Gula*, capitale vitium, de quo Tractatu superiori actum est.

Sobrietas.

Sobrietas Virtus est, quæ sumptionem potûs inebriandi vim habentis moderatur. De illa scriptum est, Ecclesiastici XXXI. *Æqua vita hominibus, vinum in sobrietate: si bibas illud moderatè, eris sobrius.* Huic opponitur *Ebrietas*, de qua in superiori Tractatu egimus.

Castitas.

Castitas est Virtus carnalium voluptatum moderatrix. De qua Apostolus II. ad Corinthios VII. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs.* Et I. ad Timoth. II. *Quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.* Triplex est, conjugalis, vidualis, & virginalis. Duabus aliis excellentior virginitas. Virtus est firmum & constans propositum includens perpetuò abstinendi ab omni delectatione venerea. Sive, ut *S. Augustinus* definit Libro *De Sancta Virginitate*, cap. VIII. est *Continentia quâ integritas carnis ipsi Creatori animæ & carnis vovetur, consecratur, servatur.* Et cap. XIII. *Virginalis integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas Angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio.* Virginum

Virginalis castitas excellentior.

Status *Flos est Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi;* (inquit *S. Cyprianus*, in Tractatu *De Disciplina & Habitu Virginum.*) Angelorum æmula virginitas est, Angelisque cognata: nam in carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis. *Different quidem inter se homo pudicus & Angelus, sed felicitate, non virtute. Sed etsi illius castitas felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur:* (inquit *S. Bernardus*, Tractatu *De Moribus & Officio Episcoporum*, alias Epistolâ XLII.) Sola Castitas in hoc mortalitatis & loco & tempore statum quemdam immortalitatis gloriæ repræsentat. Sola inter Nuptiarum solemnia, morem beatæ illius vindicat Regionis, in qua neque nubunt neque nubentur: præbens quodam modo in terris cœlestis jam illius conversationis experientiam. Vas interim fragile quod portamus, in quo & crebrò periclitamur, tenet castitas, (ut monet Apostolus) in sanctificatione, & instar odoriferi balsami, quo condita cadavera incorrupta servantur, sensus ipsa & artus continet & constringit, ne dissolvantur otio, ne corrumpantur desideriis, ne carnis voluptatibus computrescant. Primum in Virginum ordine locum tenent honoris & meriti Sanctimoniales, ut docet *S. Augustinus*, Libro *De Sancta Virginitate*, cap. XLV. & XLVI. *Perhibet enim* (inquit) *præclarissimum testimonium Ecclesiastica Auctoritas, in qua Fidelibus notum est, quo loco Martyres, & quo defunctæ Sanctimoniales ad Altaris Sacramenta recitentur.* Et infrà: *Ubi ponimus quòd multi ac multæ ita custodiunt continentiam virginalem, ut tamen non faciant quæ Dominus ait:* Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me: *nec audeant eorum cohabitationi sociari, in quibus nemo dicit aliquid proprium, sed sunt eis omnia communia; nihilne putamus fructificationis accedere Virginibus Dei, cùm hoc faciunt?*

Angelis cognata virginitas.

Primum in Virginum Ordine locum tenent Sanctimoniales.

Matth. 19.

Castitati opponitur *Luxuria*, capitale vitium, de quo actum est in superiori Tractatu.

§. IV.

Virtutes adjunctæ Temperantiæ.

V. VIrtutes adjunctæ Temperantiæ sunt *Continentia, Clementia, Mansuetudo, Modestia, Humilitas, Taciturnitas, Studiositas, Eutrapelia, sive jucunda Urbanitas.*

Continentia.

Continentia dupliciter sumitur, vel strictiori significatione, quatenus Virtus est quâ ab omnibus omnino delectationibus venereis abstinetur: & hac ratione idem est quod Castitas virginalis aut vidualis. Secundò latiori quadam significatione, quatenus Virtus est rationem confirmans ne pravis concupiscentiæ motibus, & carnalibus desideriis, quæ militant adversùs animam, vincatur. Continentia primo modo sumpta, species est Temperantiæ: Secundo modo sumpta, Virtus est inferior temperantiâ, eique adjuncta. Ad primam pertinet illud Eccli. XXVI. *Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ.* Ad alteram, de qua nunc agimus, pertinet illud *S. Hieronymi* in cap. V. Epistolæ ad Galatas: *Inter Continentiam* (inquit) *& Mo-*

DE VIRTUTIBUS.

erga conviatores ostenderit. Nihil enim ita conformem Deo facit ac ista virtus. Ideo Paulus cùm dicit, Imitatores Dei estote, *ad hoc dicit, ut isti studeatur virtuti.* Huic opponitur *Ira*, capitale vitium, de quo in superiori Tractatu egimus. (1. Cor. 11.)

Modestia.

Modestia Virtus est interiorum & exteriorum hominis actionum, in quibus modum servare non adeo difficile est, moderatrix. Externos corporis motus hæc virtus componit, ut nihil sit in eis quod cujusquam offendat aspectum, sed quod interioris hominis deceat sanctitatem. Nam *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo*; (inquit Sapiens.) Hæc virtus efficit ut nihil torvum, nihil elatum sit in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum; non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulacrum sit mentis, figura probitatis. *Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, ac primo prætendat ingressu nihil intus latere tenebrarum; ut mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita, tanquam lucerna lux intus posita foris luceat*; (ut loquitur *S. Ambrosius*, Libro II. *De Virginibus*, Cap. II.) Nec oculos sublimes & vagos habet vir modestus, nec immodicè depressos: non caput nimis elatum nec in gyrum contortum, aut curvum: non remissam, non fractam vocem, nihil femineum sonantem, sed succi cujusdam virilis plenam. *Hoc est enim pulchritudinem vivendi tenere, convenientia cuique sexui & personæ reddere*; (inquit *S. Ambrosius*, Libro I. *De Officiis*, Cap. XIX.) Nec fractus & mollis sit incessus, nec agrestis & rusticus; nec velox nimis, & quamdam scurrarum percursantium imaginem exhibens; nec tardior, nec ad pompam aut numeros veluti compositus: nihil in gestu histrionicum, nihil leve, nihil in risu dissolutum: *Fatuus* enim *in risu exaltat vocem suam.* Nihil in toto corporis habitu insolens, nihil affectatum, nihil fucatum. Non feminarum dumtaxat, non Clericorum tantùm & Monachorum, sed Christianorum omnium hæc virtus est. *Modestia vestra*, inquit Apostolus, *nota sit omnibus hominibus.* Christianæ Modestiæ non satis est esse, verùm & videri postulat. Eructet necesse est à conscientia ad habitum, ab animo ad superficiem; (ut loquitur alicubi Tertullianus.) *Justini* Siciliæ Prætoris modestiam singularem commendat *S. Gregorius*, Epistolâ II. Libri I. *Ipsa*, inquit, *incessus vestri modestia quibusdam conatibus exigebat, ut diligi & venerari etiam à nolente debuisset.* Et infrà: *Tantam Gloria tua modestiam didici, ut esse non tuus erubescam.* Externum etiam corporis cultum & ornatum hæc virtus moderatur, ut personæ, statui, moribus eorum quibuscum vivitur, congruat: nihil in eo superfluum, nihil dissolutum, nihil affectatum, nihil neglectum nimis & incultum.

Eccl. 21.

Modestiæ Christianæ characteres.

Eccl. 21.

Philipp. 4. 5.

Humilitas.

Humilitas Virtus est temperantiæ cognata, modestiæ soror, quâ reprimitur & firmatur hominis appetitus, ne in magna supra se tendat. Sive, ut definit *S. Bernardus* in Tract. De Gradibus Humilitatis. *Est virtus, quâ homo verissimâ sui agnitione sibi ipsi vilescit.* Hæc ceteris virtutibus antecellit, si Theologicas, & Justitiam exceperis. *Quanta virtus humilitatis, propter quam solam veraciter edocendam is qui sine æstimatione Magnus est usque ad passionem mortis factus est parvus!* (inquit *S. Gregorius*, Epistolâ XXXVIII. Libri IV.) *Christianorum virtus* vocatur à *S. Hieronymo*, Epistolâ XXVII. ad Eustochium: *Sanctorum virtus maxima* à *S. Ambrosio*, Enarratione in Psalmum XXI. De illa egimus in superiori Tractatu, Cap. V. Articulis VIII. IX. & X. Illi opponitur *Superbia*, de qua eodem capite prolixè disseruimus.

DE VIRTUTIBUS.

Taciturnitas.

Taciturnitas Virtus est sermonis moderatrix. De illa, *S. Ambrosius*, Libro I. *De Officiis*, Cap. II. *Scriptum est* (inquit) EX verbis tuis condemnaberis. *Quid opus est igitur ut properes periculum suscipere condemnationis, loquendo; cùm tacendo possis esse tutior? Quamplures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quemquam tacendo; ideoque tacere nosse quàm loqui difficilius est. Scio loqui plerosque, cùm tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cùm sibi loqui nihil prosit. Sapiens est ergo qui novit tacere. Denique Sapientia Dei dixit:* DOMINUS dedit mihi linguam eruditionis, quando oporteat sermonem dicere. *Ideo Sancti Domini, qui scirent quia vox hominis plerumque peccati annuntiatio est, & initium erroris humani, sermo est hominis, amabant tacere. Denique Sanctus Domini ait:* Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. *Quis autem est qui mundum cor à peccatorum habeat colluvione, aut non delinquat in lingua sua? Et ideo quia neminem videbat sanctum os servare posse ab immunditia sermonis, ipso sibi silentio legem imposuit innocentiæ, ut tacendo culpam declinaret, quam vix effugere posset loquendo. Audiamus ergò cautionis magistrum:* Dixi: *Custodiam vias meas. Aliæ sunt viæ quas debemus sequi, aliæ quas custodire: sequi vias Domini, custodire nostras; ne in culpam dirigant. Potest autem custodire, si non citò loquaris.... Quid igitur? mutos nos esse oportet? minimè. Est enim tempus tacendi, & tempus loquendi. Deinde si pro otioso verbo reddimus rationem, videamus ne reddamus & pro otioso silentio. Est enim & negotiosum silentium; ut erat Susannæ, quæ plus egit tacendo, quàm si esset locuta. Tacendo enim apud homines, locuta est Deo: nec ullum magis indicium suæ castitatis invenit, quàm silentium.* Et infrà: *Alliga sermonem tuum, ne luxuriet, ne lasciviat, & multiloquio peccata sibi colligat. Sit restrictior, & ripis sui coërceatur. Citò lutum colligit amnis exundans.... Sit ori tuo ostium, ut claudatur ubi oportet, & obseretur diligentiùs.* Taciturnitati garrulitas, sive effrenis loquendi pruritus opponitur.

Matt. 12. 37.

Isai. 50.

Psalm. 38.

Cap. 3.

Studiositas.

Studiositas Virtus est quæ appetitum & studium cognitionis acquirendæ moderatur: sive quæ modum & ordinem sciendi constituit, ut nimirum sciamus quo ordine, quo studio, quo fine nosse quæque oporteat. *Quo ordine; ut id prius quod maturius ad salutem: quo studio, ut id ardentiùs, quod vehementiùs ad amorem: quo fine, ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, sed ad ædificationem*: (inquit *S. Bernardus* Sermone XXXVI. in Cantica.) Huic virtuti opponitur *Curiositas.* Vitium est quo appetitus & studium veritatis cognoscendæ ab ordine debito deficit: quod quatuor modis contingere *S. Thomas* observat Secunda Secundæ, Quæstione CLXVII. Articulo I. Uno modo, in quantum per studium minùs utile retrahuntur homines à studio quod eis ex necessitate incumbit. Unde *S. Hieronymus* Epistolâ CLXVI. ait: *Sacerdotes dimissis Evangeliis & Prophetis, videmus Comœdias legere, & amatoria Bucolicorum Versuum verba cantare.* Alio modo, in quantum studet aliquis addiscere ab eo à quo non licet, sicut patet de his, qui aliqua futura a Dæmonibus perquirunt, quæ est superstitiosa curiositas. Unde *S. Augustinus* ait Libro *De Vera Religione*, Cap. IV. *Nescio an Philosophi impedirentur à fide vitio curiositatis in percunctandis Dæmonibus.* Tertiò, quando homo appetit cognoscere veritatem circa creaturas, non referendo ad debitum finem, scilicet ad cognitionem Dei. Unde *S. Augustinus* Cap. XXIX. ejusdem Libri ait: *In consideratione creaturarum non est vana & peritura curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia & semper permanentia faciendus.* Quartò, in quantum aliquis cognoscere stu-

Curiositas vitium studiositati oppositum.

Variæ Curiositatis species.

» det veritatem supra facultatem & vires ingenii » sui; quia per hoc homines facilè in errores la» buntur. Unde Ecclesiastici III. dicitur: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus.*

S. Thomas, A. 2.

In sensuum etiam cognitione curiositas duobus modis versatur: Primò quatenus cognitio sensûs non ordinatur ad aliquid utile; immò potiùs ab aliqua utili consideratione hominem avertit. Alio modo quatenus cognitio sensuum ad aliquod noxium ordinatur, sicut aspectus mulieris ad concupiscendum; & diligens inquisitio eorum quæ ab aliis fiunt, ad detrahendum. Quocirca *Mulieres verbosæ, otiosæ, curiosæ*, quæ circumeunt alienas domos, ut aliorum facta inquirant, *loquentes quæ non oportet*, Apostolus reprehendit, I. ad *Timotheum* v. 13. Quid mali curiositas *Eva* intulerit, pomum pulcrum visu considerantis, notum est: quid mali curiositas Dinæ filiæ Jacob ad videndas alienigenas mulieres egressæ: quid curiositas *Davidis* in solario deambulantis, & mulierem se lavantem conspicientis. Lege *S. Joannem Chrysostomum* Homiliâ I. in Psalmum L. & *S. Bernardum* in Tractato *De Gradibus Humilitatis*, P. II. Cap. x. De hoc vitio *S. Augustinus* Libro x. *Confessionum*, Cap. xxxv. scribit; *Præter eam concupiscentiam carnis, quæ inest in delectatione omnium sensuum & voluptatum, cui servientes depereunt, qui longè se faciunt à te, inest animæ per eosdem sensus corporis quædam non se oblectandi in carne, sed experiendi per carnem vana & curiosa cupiditas, nomine cognitionis & scientiæ palliata. Quæ quoniam in appetitu noscendi est, oculi autem sunt ad cognoscendum in sensibus principes, Concupiscentia oculorum Eloquio Divino appellata est.... Ex hoc autem evidentiùs discernitur quid voluptatis, quid curiositatis agatur per sensus; quòd voluptas pulcra, canora, suavia, sapida, lenia sectatur; Curiositas autem etiam his contraria tentandi causâ, non ad subeundam molestiam, sed experiendi noscendique libidine. Quid enim voluptatis habet videre in laniato cadavere quod exhorreas; & tamen sicubi jaceat, concurrunt ut contristentur, ut palleant. Timent etiam ne in somnis hoc videant: quasi quisquam eos vigilantes videre coëgeris, aut pulcritudinis ulla fama persuaserit. Ita & in cæteris sensibus, quæ persequi longum est. Ex hoc morbo cupiditatis in spectaculis exhibentur quæque miracula. Hinc ad perscrutanda naturæ (quæ præter nos est) operta proceditur, quæ scire nihil prodest, & nihil aliud quàm scire homines cupiunt. Hinc etiam si quid eodem perversæ scientiæ fine per artes magicas quæritur. Hinc etiam in ipsa Religione Deus tentatur, cùm signa & prodigia flagitantur, non ad aliquam salutem, sed ad solam experientiam desiderata.* Et paulò post: *Canem currentem post leporem jam non specto cùm in circo fit: at verò in agro si casu transeam, avertit me fortassis, & ab aliqua magna cogitatione, atque ad se convertit illa venatio non deviare cogens corpore jumenti, sed cordis inclinatione. Et nisi jam mihi demonstratâ infirmitate meâ citò admoneas, aut ex ipsa visione per aliquam considerationem in te assurgere, aut totum contemnere atque transire, vanus hebesco.*

Curiositatis malum.

Salutare porrò curiositatis remedium in Scripturæ Sacræ, piorúmque librorum lectione invenitur, ut docet *S. Augustinus*, Libro *De Vera Religione*, Cap. LI. *Omissis igitur*, inquit, *& repudiatis nugis theatricis & poeticis, Divinarum Scripturarum consideratione & tractatione pascamus Animum, atque potemus vanæ curiositatis fame ac siti fessum & æstuantem, & inanibus phantasmatis, tanquam pictis epulis, frustra refici satiarique cupientem.*

Curiositatis remedium.

Hoc verè liberali & ingenuo ludo salubriter erudiamur. Si nos miracula spectaculorum, & pulcritudo delectant, illam desideremus videre Sapientiam, quæ prætendit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Quid enim mirabilius vi incorporea Mundum corporeum fabricante & administrante? aut quid pulcrius ordinante & ornante?

Sap. 8

Eutrapelia sive *jucunda Urbanitas*, Virtus est affinis Temperantiæ, ludorum & jocorum secundùm rectam rationem moderatrix. Quamvis enim joci & ludi ad quandam animæ ex contemplatione & attentione vehementi defessæ quietem sint utiles: unde *S. Augustinus* Libro II. *De Musica*, Cap. ultimo ait: *Volo tandem tibi parcas. Nam Sapientem decet interdum remittere aciem rebus agendis intentam*: In eorum tamen usu tria præsertim cavenda sunt. Primùm, ne hujusmodi delectatio quæratur in aliquibus operationibus aut verbis turpibus vel noxiis; sive ut vitetur genus jocandi illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum. Secundò, ne gravitas animæ omnino resolvatur. *Caveamus* (inquit *S. Ambrosius*, Lib. I. *De Officiis*, Cap. xx.) *ne dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum.* Tertiò, attendendum est, ut ludi & joci congruant personæ, tempori, & loco, aliæque circumstantiæ rectæ rationis ordini convenientes illos comitentur. Quamobrem virtute opus est, quæ jocorum ludorúmque immoderationem coërceat.

Eutrapelia virtus ludorum & jocorum moderatrix.

Adversùs hanc virtutem & per excessum, & per defectum peccatur: per excessum quandoque lethaliter, aliàs venialiter. Lethaliter, cùm verbis aut factis obscœnis, vel sibi aut alteri noxiis aliquis ludit, aut ita vehemens illius ad ludum affectus est, ut ejus delectationem dilectioni Dei præponat; siquidem contra præceptum Dei vel Ecclesiæ ludis uti non refugit. Si verò non ita ad ludum afficiatur, ut propterea Deum vellet offendere, venialis dumtaxat peccati reus est. Per defectum ea in re peccatur ab his qui nec ipsi jocantur umquam & ludunt, & honestè jocantibus ac ludentibus molesti sunt, viri sanè duri & agrestes. Jocorum tamen & ludorum immoderatio gravius vitium est quam defectus.

Ludis & jocis parcè utendum. *Non ita generati à natura sumus, ut ad ludum & jocum facti esse videamur, sed ad severitatem potiùs, & ad quædam studia graviora atque majora.... Ludo & joco uti licet, sed sicut somno & quietibus cæteris, tum cùm gravibus seriisque rebus satisfecerimus.* Romani Oratoris sententiæ sunt a *S. Thoma* laudatæ *Secunda Secundæ*, Q. CLXVIII. Art. II. Ecclesiasticos tamen Religiosósque Viros joci minùs decent. Unde *S. Ambrosius*, Lib. I. *De Officiis Ministrorum*, Cap. XXIII. *Licèt*, inquit, *interdum honesta joca ac suavia sint, tamen ab Ecclesiastica abhorrent Regula; quoniam quæ in Scripturis Sanctis non reperimus, ea quemadmodum usurpare possumus? Cavenda enim etiam in fabulis, ne inflectant gravitatem severioris propositi.* Væ vobis qui ridetis, quia flebitis, *ait Dominus: & nos ridendi materiam requirimus, ut hîc ridentes, illic fleamus? Non solùm profusos, sed omnes etiam jocos declinandos arbitror, nisi fortè plenum suavitatis & gratiæ sermonem esse, non indecorum est.*

Joci ab Ecclesiastica Regula abhorrent.

Lucæ 6.

Hæc de Virtutibus sufficiant; in quibus exerceri longè utilius, quàm de illis differere: siquidem omnis nostra de Virtutibus tractatio ad earum amorem, studium, & operationes referenda est. Virtutes itaque diligamus & colamus. Gratiæ cælestis imploremus auxilium à Domino Deo virtutum, ut in iis proficientes & exercitati, eamus de virtute in virtutem, donec videamus Deum in Sion.

FINIS LIBRI III.

THEO-

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ ET MORALIS

LIBER QVARTVS.

DE DECALOGO.

CUM Decalogus totius Legis Summa sit & epitome, Sacerdotes in ejus contemplatione diu noctúque versari oportet, non ut vitam suam dumtaxat ad sacratissimam hanc Regulam componant; sed etiam ut Populum Christianum in Lege (Malach. 2.) Domini erudiant. Nam *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & Legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est*: Quod ad Novæ Legis Sacerdotes & Pastores maximè pertinet, qui (2. Cor. 3.) Deo propiores, *à claritate in claritatem transformari* (Matth. 5.) debent, *tanquam à Domini Spiritu*; & cùm illos Lucis nomine Christus Dominus noster ornaverit, propriæ sunt illorum partes, ut sint lumen eorum qui in tenebris versantur, eruditores insipientium, Magistri infantium. (Galat. 6.) Et *si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, ipsi qui spirituales sunt, hujusmodi instruant*. In Confessionibus etiam excipiendis Judicis personam sustinent, ac pro genere & modo peccatorum ferre sententiam illis incumbit. Quamobrem in divinorum præceptorum interpretatione sint exercitatissimi necesse est, ut ad hanc divinam Regulam de quacumque & actione, & officii prætermissione judicium facere possint: (inquit Concilii Tridentini Catechismus) Et (Ad Tit. 2.) *sanam doctrinam* tradant, *verbumque irreprehensibile*: ac animorum morbis, scilicet peccatis medeantur: curentque populum Christianum ab omni iniquitate mundum, Deo acceptum, *sectatorem bonorum operum* exhibere.

Postquam igitur de Symbolo, & Sacramentis egimus, de Decalogo agendum est: si quidem justitia Christiana, quæ per Sacramenta infunditur, non solâ fide constat, sed observantiâ Mandatorum Dei: Nec *auditores* tantùm *Legis justi sunt apud Deum, sed factores Legis justificabuntur*. (Rom. 2.) Unde & *Sanctus Jacobus* Apostolus ait: (Jacob. 1.) *Estote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo; consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit.* Sed priùs quàm ad Explicationem Decalogi veniamus, quædam de natura & distributione Legis necessariò præmittenda sunt. Tum de ipso Decalogo agemus, ac singula præcepta exponemus; Regulasque Morum trademus ad unumquodque præceptum in specie pertinentes.

CAPUT I.

DE LEGE GENERATIM SPECTATA.

ARTICULUS I.

De Natura Legis.

Definitio Legis.

LEX *est quædam rationis ordinatio, ad bonum commune, ab eo qui curam Communitatis habet, promulgata.*

Ordinatio rationis dicitur: Ad rationem enim quæ princeps est in homine facultas, pertinent legislatio, imperium, præceptum. Deinde præcipua humanarum actionum regula ratio est: unde Lex lucis nomine insignitur, quod menti propriè convenit. Psalm. CXVIII. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Proverb. VI. *Mandatum lucerna est, & lex lux.* Quanquam ad positivam legem constituendam voluntas concurrat. Quo sensu à Justino scitè dictum est, ut ex eo refert *S. Augustinus* Libro IV. *De Civitate Dei*, Cap. IV. *Arbitria Principum pro legibus erant.*

Dicitur *in bonum commune*, quo distinguitur à Præcepto. Id enim uni vel duobus imponitur, lex Communitati perfectæ, seu societati hominum fœdere aliquo inter se conjunctorum, quibus qui præest, jurisdictionem politicam habet: quales sunt Ecclesia, Regna, Provinciæ, Civitates, Universitates, Ordines Religiosi. Cùm igitur Rex quidpiam uni vel alteri præcipit, non censetur legem condere: neque Deus legem tulit, sed præceptum dedit quando jussit Abraham ut filium suum in holocaustum offerret, *Genes.* XXII. Contra verò cùm Deus præcepit Adamo ne de ligno scientiæ boni & mali comederet. (*Genes.* II.) veram propriéque dictam legem tulit, quia Mandatum illud non unum Adamum, sed posteros ejus spectabat universos. Hinc sequitur patrem familiâs leges ferre non posse, quamvis præcepta uxori suæ, filiis, ac servis dare possit: quia familia non est Communitas perfecta: nec ipse dominium jurisdictionis in suos habet. Sunt alia præterea Legis à Præcepto discrimina: unum, quòd præceptum ultra Præcipientis vitam non obliget, Lex verò & post Legislatoris mortem subsistat. Aliud, quòd Præceptum ad præsentes dumtaxat; lex ad futuros etiam dirigatur: quamdámque perpetuitatem obtineat.

Neque verò satis est ut Lex vel toti Communitati, vel alicui ejus parti, secundùm rationem rerum & personarum imponatur: sed etiam necesse est ut ad bonum commune, communémque felicitatem dirigatur. Sicut enim Reges à Tyrannis differunt, quòd illi commune, hi privatum dumtaxat commodum consectentur: ita Leges Regum, Principúmque legitimorum, à Tyrannorum legibus distinguntur, quòd illæ ob commune bonum: istæ ob privata Legislatorum commoda latæ sint. Hinc *S. Isidorus*, Lib. V. *Originum*, Cap. XXVIII. *Erit autem*, inquit, *Lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta, ne quid per obscuritatem in captione contineat, nullo privato commodo, sed pro communi utilitate civium conscripta.* Denique id tantùm Legis nomen mereri asserit, *Quod ratione constat, quod Religioni congruit, quod disciplinæ convenit, quod saluti proficit.*

Hinc Concilium Toletanum VIII. Canone X. statuit, ut *Reges nullâ vi aut factione scripturarum vel definitionum qualiumcumque contractus à subditis exigant, neque sint prospectantes proprii jura commodi, sed consulentes Patriæ atque Genti.*

Ad eum autem pertinet Legem condere, qui Communitati perfectæ præest; vel ad Communitatem ipsam. Juris enim dicendi potestas, visque cogendi ad legum conditionem necessaria est. Sic Ecclesia Conciliaque Generalia ipsam repræsentantia, Romanus Pontifex, Concilia Nationalia, Provincialia, Episcopi, Synodique Diœcesanæ; Ordinum Regularium Generales Moderatores & Comitia; Reges, Principésque supremi, Respublicæ, ac Civitates liberæ, leges condere possunt.

Additur in diffinitione Legis, *promulgata.* Cùm enim lex humanarum actionum regula sit, ipsam cognosci necesse est, ut secundùm illam dirigantur: Promulgatione porrò in publicam notitiam venit. Hinc vulgatum illud: *Leges instituuntur, cùm promulgantur.*

ARTICULUS II.

De Divisione Legis.

LEX alia est æterna, alia temporalis. Ista dividitur in divinam, & humanam. Divina in naturalem, & scriptam. Lex Divina scripto tradita, in Veterem, & Novam. Humana, in Civilem, & Ecclesiasticam, sive Canonicam.

§. I.

De Lege Æterna.

Æterna Legis ...

LEX *æterna, est ratio divina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans* Ita diffinit *S. Augustinus*, Libro XXII. *Contra Faustum*, Cap. XXVII. Sive *Æterna lex est ea, quâ justum est ut omnia sint ordinatissima*; ut definit idem Sanctus Doctor, Libro I. *De Libero Arbitrio*, Cap VI. Hæc incommutabilis est, ut ibidem docet: *Quid illa Lex quæ summa ratio nominatur, cui semper obtemperandum est, & per quam mali miseram, boni beatam vitam merentur; per quam denique illa quam temporalem vocandam diximus, rectè fertur, rectéque mutatur, potestne cuipiam non incommutabilis æternáque videri? an potest aliquando injustum esse ut mali miseri, boni autem beati sint? aut ut modestus & gravis populus ipse sibi Magistratus creet, dissolutus verò & nequam istâ licentiâ careat?*

Lex æterna immutabilis.

In temporalibus legibus nihil est justum atque legitimum, quod non ex hac æterna sibi homines derivarint (inquit ibidem *S. Augustinus.*) Sempiternam hanc legem *consulunt omnes piæ mentes, ut quod in ea invenerint vel faciant, vel jubeant, vel vetent, secundùm quòd illa incommutabili veritate præceperit.* Sic Moyses legem Dei æternam consulebat, ut Populum Israeliticum regeret, antequam Deus Legem scriptam dedisset. Hinc Jetro socero suo respondet, Exodi XVIII. *Venit ad me populus quærens sententiam Dei. Cùmque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me ut judicem inter eos, & ostendam præcepta Dei & leges ejus.* Nisi enim suæ menti præsidentem Dominum consuleret, legémque ejus æternam sapienter attenderet, quid justissimum judicare inter disceptantes posset, non inveniret, ut observat *S. Augustinus* Quæst. LXVII. in Exodum.

Legum temporalium justitia ab æterna Lege derivatur.

Nulla modo autem *aliquid legibus summi illius Creatoris Ordinatorisque subtrahitur, à quo pax universitatis administratur,* (inquit idem Pater Libro XIX. *De Civitate Dei*, cap. XII.) Omnis irrationalis creatura sic subdita est legi æternæ, ut ejus particeps esse non possit, & proinde non peccat, quia nihil facit contra æternam legem. Rursus Angelica, sublimis & beata natura non peccat, quia ita particeps est Legis æternæ, ut solus eam delectet Deus, cujus voluntati sine ullo experimento tentationis obtemperat. *Homo autem, cujus propter peccatum tentatio est vita hominis super terram, subdat sibi quod habet commune cum bestiis; subdat Deo quod habet commune cum Angelis: donec justitiâ & immortalitate perfectâ atque perceptâ, ab istis exaltetur, illis æquetur.* Verba sunt *S. Augustini* Libro XX. *Contra Faustum*, cap. XXVIII. Porrò quando peccat, etsi contra legem Dei faciat, quia naturæ ordinem servare non vult: non ideo tamen justi Dei leges, omnia bene ordinantis, effugit. *Quia enim nemo superat leges omnipotentis Creatoris, non sinitur anima non reddere debitum. Aut enim reddit bene utendo quod accepit, aut reddit amittendo quæ bene uti noluit. Itaque si non reddet faciendo justitiam, reddet patiendo miseriam: quia in utroque verbum illud debiti sonat. Hoc etiam enim modo dici potuit quod dictum est, Si non reddit faciendo quod debet, reddet patiendo quod debet.* Sic loquitur *S. Augustinus*, Libro III. *De Libero Arbitrio*, cap. XV.

Æternæ legi omnia subduntur.

§. II.

De Lege Naturæ.

Quid lex naturæ?

LEx *naturalis est participatio Legis æternæ in rationali creatura*, ut diffinit *S. Thomas*. Seu, Divini luminis impressio, quo dirigimur, ad ea agenda, quæ rationi consentanea sunt, ad eáque vitanda & prætermittenda quæ sunt rationi dissentanea. Quo de lumine Psalmo IV. dicitur: *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine.*

Hanc legem Deus Creator singulorum hominum pectoribus infudit, de qua scribit Apostolus ad Romanos, cap. II. *Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem* (scriptam scilicet) *non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* EA LEX, (inquit *S. Ambrosius* Epistolâ LXXIII. postremæ Editionis Parisiensis, ad *Irenæum* datâ,) *non scribitur, sed innascitur: nec aliquâ percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur. Quàm debuimus vel futuri judicii metu servare, cujus testis conscientia nostra tacitis cogitationibus apud Deum ipsa se prodit, quibus vel redarguitur improbitas, vel defenditur innocentia. Itaque cùm semper pateat Domino, tum maximè in die judicii manifestabitur; quando occulta cordis in examen venient, quæ putabantur latere. Quorum tamen proditia, occultorum scilicet, nequaquam noceret, si lex naturalis inesset pectoribus humanis; est enim sancta, sine versutia, sine fraude, consors justitiæ, expers iniquitatis.*

Lex naturæ per peccatum obscurata & quodammodo deleta.

Naturæ Legem Deus menti hominis in prima institutione ex integro impressit: si quidem creavit hominem rectum, & omni vitio carentem: sed per peccatum in cordibus hominum obscurata, & quodammodo deleta est. Hinc ante illuminationem fidei, in tenebris & in umbra mortis hominem agere sæpe Scriptura testatur: *Quoniam priùs quàm à dominatione diaboli per Dei gratiam liberetur, in illo profundo jacet, in quod se suâ libertate demersit. Amat ergo languores suos, & pro sanitate habet quòd ægrotare se nescit, donec prima hæc medela conferatur ægroto, ut incipiat nosse quòd langueat, & possit opem Medici desiderare, quâ surgat;* (inquit *S. Prosper*, in Responsione ad objectionem VI. Gallorum.)

Verumtamen non omnino Lex Dei de cordibus hominum deleta est, etiam in Infidelibus; in Christianis verò sanatâ & reparatâ per gratiam naturâ, Lex ipsa intus digito Dei, id est, Spiritu Sancto scripta est. Cùm igitur Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt facere dixit Apostolus, ita intelligendus est, ut ea faciant secundùm naturam gratiâ reparatam, non absque Spiritu Dei, non absque fide, non absque gratiâ: vel quod, imagine Dei non prorsus deletâ in Infidelibus, quædam Legis naturæ præcepta adimpleant, non tamen sicut oportet ad justificationem & salutem quæ est per Jesum Christum Dominum nostrum. Ita docet *S. Augustinus* Libro *De Spiritu & Littera*, cap. XXVIII.

Non tamen omnino est penitus deleta.

Lex naturæ una & eadem est apud omnes. Hoc enim Legis naturalis principium, ne multa commemorem, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, nullo modo potest ulla gentili diversitate variari,* (inquit *S. Augustinus*, Libro III. *De Doctrina Christiana*, cap. XIV.) *Quæ sententia cùm refertur ad dilectionem Dei, omnia flagitia moriuntur; cùm ad proximi, omnia facinora. Nemo enim vult corrumpi habitaculum suum: non ergo debet corrumpere habitaculum Dei, se ipsum scilicet. Et nemo vult sibi à quoquam noceri: nec ipse igitur cuiquam nocuerit.*

Lex naturæ una apud omnes.

Hinc *S. Isidorus* Libro *Originum*, cap. VI. *Jus naturale* (inquit) *est commune omnium Nationum, eò quòd ubique instinctu naturæ, non aliquâ constitutione habeatur.*

§. III.

De Lege Dei scripto tradita.

CUm Lex naturæ per Adami lapsum in hominum mentibus obtenebrata, ac prope obliterata fuisset, Deus Legem in tabulis scripsit, Populóque suo per Moysen tradidit: primò, ut homines disciplinâ quadam cœlesti coërceret, pœnarúmque metu à flagitiis deterreret. Quod significans Apostolus I. ad *Timotheum* I. ait: *Scimus quia bona est Lex, si quis eâ legitimè utatur: scientes hoc quia Lex justo non est posita, sed injustis, & non subditis, impiis, & peccatoribus, sceleratis & contaminatis, parricidis & matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, & perjuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur.*

Cur Deus Legem scriptam dedit?

Secundò, Lex à Deo lata est, scriptísque commendata, ut ostenderet peccatum, ut accusaret, terreretque conscientiam, quem Legis usum frequenter indicat Apostolus, scilicet ad Romanos III. cùm ait: *Per Legem cognitio peccati.* Et cap. VII. *Peccatum non cognovi nisi per Legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret, Non concupisces.* Non quòd ante Legem concupiscentia non esset peccatum, sed quòd lateret. *Sine lege enim peccatum mortuum erat; sed cùm venisset Mandatum, peccatum revixit.* Peccatum sine [illegible] mortuum dicitur, id est, occultum & ignotum: Per Legem revixisse, id est, cognitum

fuisse, conscientiamque hominis stimulare cœpisse, ut suæ conscius infirmitatis, Medici cœlestis opem imploraret. Lex enim homini demonstravit suam infirmitatem; ut quæreres demonstrata infirmitat Salvatorem. Lex scripta data est à Deo, ut homo ad cor rediret, Legémque menti suæ inscriptam consideraret. Hinc *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum LVII. ait: *Quis de Justitia interrogatus, quando non habet caussam, non facile respondeat quid sit justum, Quandoquidem manu Formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit, Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri? Hoc & antequam Lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur & quibus Lex non esset data. Sed ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est & in Tabulis quod in cordibus non legebant. Non enim scriptum non habebant, sed legere nolebant. Oppositum est oculis eorum, quod in conscientia videre cogerentur: & quasi forinsecus admotâ voce Dei, ad interiora sua homo compulsus est, dicente Scripturâ:* In cogi-

Sap. 1. tationibus impii interrogatio erit. *Ubi interrogatio, ibi lex. Sed quia homines appetentes ea quæ foris sunt, etiam à se ipsis exules facti sunt, data est etiam conscripta Lex; non quia in cordibus scripta non erat; sed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illo qui ubique est, comprehenderis, & ad te ipsum intrò revocaris. Propterea scripta Lex quid clamat eis qui deseruerunt Legem scriptam in cordibus suis?*

Isaia 46. REDITE *prævaricatores ad cor.*

Tertiò Lex data est, ut justificatis per fidem

Psalm. 18. Regula sit bene vivendi, & ea ratione dicitur

Psalm. 118. præstare Sapientiam parvulis, oculos illuminare, dirigere in via Dei. Quamvis enim homines justi ab onere Legis liberi sint, quia jam per Legem non terrentur, conturbantur, damnantur, tamen ab obedientiâ Legis liberi non sunt; imò gratia in ipsis facit & operatur ut Legem sponte impleant, non jam constituti sub Legis imperio tanquam servi, sed amore justitiæ mandata Legis observantes ut liberi.

Lex sancta. *Itaque Lex sancta est, & mandatum justum, & sanctum, & bonum;* (inquit Apostolus ad *Romanos* VII.) Sed tamen imperfecta est, hominem perducere per se non valens ad felicitatem æternam: id siquidem fieri non potest nisi

Rom. 5. per gratiam Spiritus Sancti, per quam *diffunditur Caritas in cordibus nostris*, quâ Lex adimpletur. *Gratia* enim *Dei vita æterna.* Hanc portò gratiam Lex vetus conferre non potuit, id enim Christo servabatur, quia *Lex per Moysen data est, Gratia & veritas per Jesum Christum facta est.*

Joannis 1. Hinc Apostolus ad Hebræos VII. ait: *Nihil ad perfectum adduxit Lex.* Atque hoc etiam sensu, ait Deus Ezechielis XX. *Dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent:* quia nimirum gratiam non conferebant, quâ homines à peccato mundarentur: cùm alioquin II. *Esdræ IX.* dicatur: *Dedisti eis judicia recta, & Legem veritatis, ceremonias & præcepta bona.* Et ipso Ezechielis Cap. proximè indicato de præceptis veteris Legis scriptum sit, *Quæ cùm fecerit homo, vivet in eis.*

Quo sensu Lex dicitur occidere? Dicitur autem *Virtus peccati, & ministratio mortis, occidere, iram operari, omnes sub peccato concludere*, ob aliam rationem, quòd scilicet, occasione acceptâ, ex hominum vitio divina Lege abutentium, peccatum, mors, ira Dei, damnatio Legem consequantur; non quòd Lex peccatum, mortem, iram, damnationem per se ipsam operetur. Quod significat Apostolus ad Romanos VII. his verbis: *Occasione autem acceptâ, peccatum per Mandatum operatum est in me omnem Concupiscentiam:* Et paulò post: *Nam peccatum occasione acceptâ per Mandatum, seduxit me, & per illud occidit.* Igitur *Lex data est ut gratia quæreretur: Gratia data est, ut Lex data impleretur. Neque enim suo vitio non implebatur Lex, sed vitio prudentiæ carnis: quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit;* (inquit *S. Augustinus*, Lib. De *Spiritu & Littera*. Cap XIX.)

Sanè Lex quæ concupiscentiam omnem prohibet, dicendo, *Non concupisces*, peccatum omne prohibere censenda est, cùm nullum peccatum nisi concupiscendo contra Legem Dei committatur. Hanc igitur si quis impleverit, nullum habebit omnino peccatum. *Sed tamen ubi Sanctus non adjuvat Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, hoc est, Caritatem diffundens in cordibus nostris, profectò illa Lex quamvis bona, auget prohibendo desiderium malum; sicut aqua impetus si in eam partem cesset influere, vehementior fit obice opposito, cujus molem cùm vicerit, majore cumulo præcipitatus violentiùs per prona provolvitur. Nescio quo enim modo, hoc ipsum quod concupiscitur, fit jucundius dum vetatur. Et hoc est quod fallit peccatum per Mandatum, & per illud occidit, cùm accedit etiam prævaricatio, quæ nulla est ubi Lex non est.* Verba sunt *S. Augustini*, Libro *De Spiritu & Littera*, cap. IV.

Lex à Deo data. Lex Vetus à Deo data est: quod contra Marcionitas & Manichæos, illam malo Principio tribuentes, Fides Catholica docet. Lex enim Domini passim dicitur: & Christus de præceptis Legis loquens Matth. XV. Judæos ita increpat: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.* Præterea Lex Vetus homines ad Christi adventum fidémque disponebat, & ad Christum adducebat: à Deo igitur Optimo Maximo data est, à quo salus hominum facta per gratiam Christi. Homines (inquam) Lex ad Christum adducebat duplici ratione: Primò, quia testimonium Christo perhibebat, ut ipse ait *Lucæ* ultimo: *Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in Lege, & Psalmis, & Prophetis de me.* Et *Joannis* V. cap. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.* Secundò, quia homines ab Idololatria revocans, eos in unius Dei cultu continebat ac veluti concludebat, à quo salvandum erat genus humanum per Christum. Unde Apostolus ad *Galatas* III. scribit: *Priusquam veniret Fides, sub Lege custodiebamur conclusi in eam Fidem quæ revelanda erat. Itaque Lex Pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit Fides, jam non sumus sub Pædagogo.* Cur Lex Pædagogus

Quo sensu Lex dicitur Pædagogus? dicatur, exponit *S. Hieronymus* in eum locum. *Pædagogus* (inquit) *parvulis assignatur, ut lasciviens refrænetur ætas, & prona in vitia corda teneantur, dum teneris studiis eruditur infantia, & ad majores disciplinas metu pœnæ coercita præparatur; itaque & lascivienti Populo Lex Moysi adinstar Pædagogi severioris apposita est, ut custodiret eos, & futuræ Fidei præpararet.*

Qua ratione vocatur Lex Moysis? Dicitur nihilominus Lex Moysi, quia Moyses Legem à Deo acceptam populo dedit ac promulgavit ut Dei Minister, de quo *S. Stephanus* ad Judæos sermonem faciens *Act. VII.* ait: *Qui accepit verba vitæ dare nobis.* Unde *Clemens Alexandrinus*, Libro I. *Pædagogi*. Cap. VII. appositè observat S. Joannem Evangelistam non dixisse, *Lex per Moysen facta est*, sicut dixit, *Gratia & veritas per Jesum Christum facta est*; sed, *Lex per Moysen data est:* quia Moyses non est Legis illius conditor, sed illam

à Deo accepit, ejusque auctoritate promulgavit. Data autem fuit Moysi a Deo, interveniente ministerio Angelorum. Unde *S. Stephanus*, Act. VII. sic Judæos alloquitur: *Qui accepistis Legem in dispositione Angelorum, & non custodistis.* Et Apostolus ad Galatas III. *Quid igitur Lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per Angelos, in manu Mediatoris.* Quo nomine Moyses significatur, qui id sibi nomen tribuit, Deuteron. V. *Ego* (inquit) *sequester & medius fui inter Dominum & vos, ut annuntiarem vobis verba ejus.* Et ad Hebræos II. *Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?*

Per Angelos data.

Lex congruo tempore data Judæis est, ex quibus secundùm carnem ortum habiturus erat Jesus Christus. Usque ad Moysis tempora homo in ignorantiæ tenebris relictus est, solique Judæi demum illustrati sunt, ut disceret homo nonnisi Dei misericordiâ agnosci Legem ejus. Quam misericordiam omnipotentis optimique Dei erga Judæos prædicat David Psalmo CXLVII. *Qui annuntiat* (inquit) *verbum suum Jacob, justitias & judicia sua Israël. Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Si statim post Adami lapsum Legem eis dedisset, vel omnibus gentibus id beneficii contulisset Deus, facilè superbus homo sibi divinæ Legis notitiam arrogasset. Ea enim quibus vel nunquam caruimus, vel quæ cum cæteris omnibus communia habemus, proclive est ut non ex gratia accepta censeamus, sed viribus nostris aut meritis tribuamus. Unde *Moyses*, ut gratiæ Dei acceptam referri debere Legis notitiam ostendat, *Deuteron.* XXXII. ait: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi, quando dividebat Altissimus Gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israël. Pars autem Domini populus ejus. Jacob funiculus hæreditatis ejus. Invenit eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis. Circumduxit eum, & docuit.* Tanto verò tempore ante Christi adventum Lex data fuit, ut homo cognoscens propriis viribus se Legem servare non posse, ad Medicum, id est, ad Christum suspiraret.

Judæis, congruo tempore.

Data est die ab immolatione Agni Paschalis quinquagesimo, ut nobis significaretur quòd merito Agni immaculati Christi pro salute nostra immolati & occisi, Lex de diligendo Deo & proximo per Spiritum Sanctum scriberetur in cordibus Fidelium quinquagesimo die, non quidem à morte, sed à Resurrectione Christi, in quâ secundus Adam totus novus & præparatus ad nos regenerandos & penitus innovandos apparuit. Hinc *S. Augustinus*, Libro *De Spiritu & Littera*, cap. XVI. *Dies* (inquit) *quinquaginta computantur à celebratione Paschæ, quæ occisione figuratæ ovis per Moysen fieri præcepta est, in significationem utique futuræ Dominicæ Passionis, usque ad diem quâ Moyses Legem accepit in tabulis digito Dei conscriptis: similiter ab occisione & Resurrectione illius qui sicut ovis ad immolandum ductus est, quinquaginta diebus completis, congregatos in unum Fideles digitus Dei, hoc est Spiritus Sanctus implevit.*

Data est Lex in Monte Sinai, postquam populus Israël eductus ex Ægypto in desertum venit, ut beneficii recentis memoriâ allectus, & loci asperitate, in quo versabatur, deterritus, ad accipiendam Legem aptior redderetur. Homines enim iis maximè devinciuntur quorum beneficentiam experti sunt, atque ad Dei præsidium confugiunt, cùm se omni spe humanâ destitutos esse agnoscunt. Ex quo licet intelligere, Fideles ad complectendam cœlestem doctrinam eò propensiores esse, quò se magis à Mundi illecebris, & carnis voluptatibus abstraxerint, ut indicat illud *Isaiæ* oraculum: *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus.*

Locus & modus datæ Legis.

Isaiæ 28.

Triduo antequàm Lex daretur, Dei jussu dictum est omnibus ut vestimenta lavarent, uxores non attingerent, quò sanctiores & paratiores essent ad accipiendam Legem, ut ad diem tertiam adessent. Deinde cùm ad Montem essent adducti, in quo Dominus illis per Moysen Leges laturus erat, uni Moysi dictum est ut in montem ascenderet: quò Deus maximâ cum majestate venit, & locum tonitruis, fulguribus, igne, densisque nebulis circumfudit, ac loqui cum Moyse cœpit, eique Leges dedit. Quod divina Sapientia nullam aliam ob causam factum voluit, nisi ut nos moneret casto humilique animo Legem Domini accipiendam esse: quòd si præcepta negligeremus, paratas nobis a divina Justitia pœnas imminere.

Exod. 19.

Triplex Præceptorum genus Lex complectitur, *Moralia*, *Ceremonialia*, & *Judicialia*, quod significant hæc verba Deuteronomii V. *Loquar tibi mandata mea, & ceremonias atque judicia.*

Varia Legis veteris præcepta.

Præcepta ceremonialia dicuntur, quæ certos Ritus, operaque externa præscribunt, quibus colendus est Deus.

Præcepta judicialia, quæ certum modum præscribunt justitiæ inter homines servandæ.

Præcepta moralia, quæ mores seu actiones humanas componunt. Quæ quidem ad Legem naturæ pertinent tanquam ei propria, & ex naturali ratione vim habentia: sed tamen ad Legem etiam veterem spectant, quia fuerunt in ea renovata, simúlque cum aliis tradita.

Ratione præceptorum omnium, etiam Moralium, quæ Decalogo continentur, Lex appellatur *Littera occidens*, ut docet *Sanctus Augustinus*, Libro *De Spiritu & Littera*, cap. XIV. Idque probat ex Apostoli verbis II. ad Corinthios III. *Epistola estis Christi* (inquit) *ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum: non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est: qui & idoneos nos fecit Ministros Novi Testamenti; non litterâ, sed spiritu: littera enim occidit, spiritus autem vivificat. Quòd si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria; ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi propter gloriam vultûs ejus, quæ evacuatur: quomodo non magis ministratio Spiritûs erit in gloria? nam si ministratio damnationis gloria est, multò magis abundat ministerium justitiæ in gloria.* Dicitur autem Lex, etiam ratione præceptorum Decalogi, *Littera occidens*, quia *Littera prohibens peccatum non vivificat hominem, sed potiùs occidit, augendo concupiscentiam, & iniquitatem prævaricatione cumu-*

Lex vetus appellatur Littera occidens, præceptorum etiam Moralium ratione.

lando, nisi liberet gratia per legem fidei, quæ est in Christo Jesu, cum diffunditur caritas in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Vetustas igitur litteræ, si desit novitas Spiritûs, reos facit potiùs cognione peccati, quàm liberet à peccato: *Non quia ipsa lex malum est, sed quia mandatum bonum habet in littera demonstrante, non in adjuvante Spiritu: quod mandatum si fit timore pœnæ, non amore justitiæ, serviliter fit, non liberaliter, & ideo nec fit. Non enim fructus est bonus, qui de caritatis radice non surgit. Porrò autem si adsit fides quæ per dilectionem operatur, incipit condelectari legi Dei secundùm interiorem hominem, quæ delectatio non litteræ, sed Spiritûs donum est,* (inquit *Sanctus Augustinus* ibidem.)

B

Ceremonialia & judicialia veteris Legis præcepta abrogata sunt

Judicia & ceremonialia præcepta abolita sunt & antiquata. Veteris Legis Sacramenta, Sacrificia, cæteræquæ ceremoniæ Christom præfigurabant: quamobrem Christi Passione & Resorrectione aotiquatæ sont & abrogatæ. Translato enim Sacerdotio, Legis etiam translationem fieri necesse erat. Unde Christo moriente, *Velum Templi scissum est*; qoia umbræ in veritatem, Prophetiæ in manifestationem, & Lex in Evangelium versæ sunt. Hinc Christus ipse ait: *Lex & Prophetæ usque ad Joannem.* Et, *Non veni,* inquit, *Legem solvere, sed adimplere.* Adeo ut si quis *circumcidi* voluerit, *Christus nihil ipsi proſit,* ot ait Apostolus; qui & *reprobationem præcedentis Mandati factam, propter ejus inutilitatem, & infirmitatem,* docet (ad Hebræos cap. VII.) Non quod olim inotilia fuerint Legis veteris Sacramenta, Sacrificia, cæteræque ceremoniæ, sed quòd inutiles factæ sint Evangelio prædicato; sicut quæ utilia sunt & salotaria poeris, inutilia sunt viris. Præcepta verò Moralia Christianos etiam spectant. *In illis decem præceptis, excepta Sabbati observatione, dicatur mihi quid non sit servandum à Christiano, sive de non faciendis colendisque idolis, aliisque ullis Diis præter unum verum Deum, sive de non accipiendo Nomine Dei in vanum, sive de honore parentibus deferendo, sive de cavendis fornicationibus, homicidiis, furtis, falsis testimoniis, adulteriis, re aliena concupiscenda. Quid horum quisquam dixerit Christianum non debere servare? Hinc Christus ait: Nisi abundaverit justitia vestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum cælorum.*

Luc. 23. 45.
Luc. 16.
Matth. 5. 17.
Galat. 5. 2.
Præcepta Moralia Christianos etiam spectant.
Matth. 5. 20.

C D E

Lex Vetus Libris Moysi & Prophetarum, Lex Nova quatuor Evangeliis & Litteris Apostolicis continetur. Verumtamen in Libris Veteris Testamenti non tantùm Lex, sed & Evangelium reperitur in promissionibus de Christo venturo, & fotura per Christum gratiâ factis, quæ in Prophetis oceorrunt frequentissimæ. Quo fit ut Evangeliom in Veteri etiam Testamento, & Lex in Evangelio admirabili connexione reperiatur. Est enim unum & idem Evangelium, in quo omnes sancti & pii ab initio Mundi salvati sunt. Unde Apostolus II. ad *Corinthios* IV. ait: *Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi propter quod locutus sum; & nos credimus, propter quod & loquimur.* Quod & Christus testatur Joannis VIII. cùm ait: *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit, & gavisus est.* Tantùm interest, quòd gratia quæ in Veteri Testamento latitabat, in Christi Evangelio revelata est, quemadmodum Apostolus ait, Epistolâ ad *Romanos* cap. III. *Nunc autem sine Lege justitia Dei Manifestata est, testificata à Lege & Prophetis.* Lex igitur & Prophetæ Evangelium obumbratum continebant. Unde *Sanctus Augustinus,* Libro *De Spiritu & Littera,* cap. XV. ait: *Hæc gratia in Testamento Veteri velata latitabat, quæ in Christi Evangelio revelata est, dispensatione temporum ordinatissimâ, sicut Deus novit cuncta disponere.*

Lex Nova in Veteri latebat.

§. IV.

Novæ Legis à Veteri discrimen.

Primum discrimen novæ Legis à Veteri.

TRiplex est Novæ Legis à Veteri Lege discrimen. Primum est, quòd Lex vetus extra hominem, in tabulis lapideis, sive in membranis scripta sit, quæ homini infirmitatem suam tantùm ostendit, non etiam sanat, atque eò ipso indicat necessariom illi esse ut ad gratiam Redemptoris per fidem confugiat: nova verò Lex sit doctrina non foris scripta, vel pronontiata, sed potiùs interna & viva, quæ per Spiritum Sanctum scribitur in cordibus nostris, quà mens nostra renovatur, quâ ex iojustis josti evadimus, diffusâ caritate in cordibos nostris per Spiritum Sanctom qui datus est nobis. Hinc Vetos Testamentum *Lex operum seu factorum* appellatur, quia facta & opera præscribit ac imperat, quorum tamen faciendorum virtutem non præstat: & qui suis viribus Legem se implere gloriantur, hi dicuntur ex Lege operum seu factorum propriam sibi justitiam constituere velle, quæ tamen neminem justificare potest. Hinc etiam dicitur *Justitia carnis,* quia Spiritu eor ionovante ac vivificante caret. Caro enim more loquendi Scripturæ Sacræ veterem hominem significat nondum Spiritu Dei renovatum, ut Joannis III. *Quod natum est ex carne, caro est.* Dicitur denique *Vetus Testamentum,* quia veteris hominis culpa & infirmitas per litteram jubentem & minantem non sanator, quemadmodom Apostolus ait: *Non in vetustate litteræ, sed in novitate Spiritûs.* Testamentum verò Novum vocatur *Lex fidei,* quia Fide in Christum per dilectionem operante justificamur, & intus renovamur, non ex operibos legis, quæ fiunt sine Spiritu ab iis qui Christum non induerunt, & renovati noo sunt Spiritu mentis suæ. Dicitur etiam *Justitia Spiritus,* quia hanc Spiritus Sanctus in oobis operator. Hinc Apostolus ad *Romanos* III. scribit: *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati... Justitia autem per fidem Jesu Christi, in omnes & per omnes qui credunt in eum.... Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non: sed per legem Fidei. Arbitramur enim justificari hominem per fidem, sine operibus legis.* Id autem interest legem ioter operum & legem fidei, (inquit *S. Augustinus,* Libro *De Spiritu & Littera,* cap. XIII.) *Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Illa dicit,* « Non « concupisces: *Ista dicit,* « Cùm scirem qoia nemo « potest esse continens nisi Deos det, & hoc « ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc « donum; adii Domioom & deprecatus sum. « *Ipsa est illa sapientia quæ pietas vocatur, quâ colitur Pater luminum, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum. Colitur autem Sacrificio laudis, actionisque gratiarum, ut cultor ejus non in se ipso, sed in illo glorietur. Ac per hoc, lege operum dicit Deus, Fac quod jubeo: lege fidei dicitur Deo, Da quod jubes. Ideo enim jubet lex, ut admoneat quod faciat fides, id est ut cui jubetur, si nondum potest, sciat quid petat: si autem continuò potest, & obedienter facit, de-*

Lex vetus in tabulis lapideis scripta; lex nova, in cordibus.
Exod. 20.
Sap. 8.

bet etiam scire quo donante possit. Non enim *spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Justitia fidei bona opera non excludit, sed parit. *Fides* enim *sine operibus mortua est.* Et *Legem habere in cordibus scriptam, hoc est in intimo affectu castitatem legis amplecti, ubi fides per dilectionem operatur:* (inquit *S. Augustinus*, Cap. XXVII. ejusdem Libri.) Ex quo intelligitur, solum Deum legem veterem in tabulis lapideis olim descripsisse: novam verò legem in cordibus nostris ipsum solum non scribere: quoniam Spiritui Sancto illam scribenti per caritatem, nos cooperari necesse est.

Evangelii & Legis discrimen alterum.

Discrimen alterum Evangelii & Legis in eo est, quòd Lex Vetus homines à peccato coërceat timore pœnæ; Lex nova sive Evangelium ad faciendum bonum inclinet amore justitiæ. Hinc illa dicitur Lex servitutis, ista libertatis & gratiæ: illa lex timoris, hæc amoris & caritatis. Ideo Apostolus ad *Romanos* VIII. ait: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater)* Et ad Galatas V. *Vos enim in libertatem vocati estis: tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per caritatem Spiritûs servite invicem.* Hinc *S. Augustinus*, Libro *Contra Adimantum*, Cap. XVII. *Hæc est*, inquit, *brevissima & apertissima differentia duorum Testamentorum, timor & amor: illud ad hominem veterem, hoc ad novum hominem pertinet.*

Lex vetus homines à peccato coërcet timore pœnæ. Lex nova ad faciendum bonum inclinat amore justitiæ.

Legis & Evangelii tertium discrimen.

Tertium discrimen Evangelii & Legis in eo positum est, quòd Lex temporalia duntaxat bona expressè apertéque promitteret; Evangelium verò spiritualia & æterna. Illa remunerationem terrenam: istud felicitatem æternam polliceatur. Carnali enim populo carnalia ista & temporalia amanti & nondum capienti promissa cælestia, infima ista Dei munera promissa sunt à Deo, ne ab idolis & dæmonibus illa peteret. Hæc etiam Israëlitis mandata sua servantibus promisit Deus, *Ut etiam in ipsis infimis rebus, quomodo possent, Deum diligere assuescerent, quamvis plus ibi operetur timor. Quæ tamen omnia bona temporalia figura sunt donorum æternorum.* Regnum verò cælorum ac vitam æternam Lex Nova pollicetur. Unde Novum Testamentum Apostolus ad Hebræos VII. vocat *Introductionem melioris spei, per quam proximamus ad Deum:* Et *Jesum melioris Testamenti sponsorem & mediatorem* esse docet, *quod in melioribus repromissionibus sancitum est: Nam si illud prius culpâ vacasset, non utique secundi locus inquireretur*, (inquit idem Apostolus Cap. VIII.) Veteris Testamenti defectum & imperfectionem culpam vocat, in eo positam quod peccatum ostenderet, non tolleret; quòd timore pœnæ, non amore justitiæ carnales homines coërceret; quòd temporalia dumtaxat, non æterna bona promitteret. Hinc *S. Augustinus* in Expositione Epistolæ ad Galatas, Cap. IV. *Opera illa legis*, inquit, *ad Novum quoque Testamentum pertinere nemo ambigit; sed alio fine, quo liberos ea facere decet, id est, caritatis æterna sperantis hinc præmia, & ex fide spectantis. Non sicut Judæi, qui timere ista implere cogebantur: non illo casto permanente in sæculum sæculi, sed quo timebant præsenti vitæ suæ: & ideo quædam opera legis implebant, quæ in Sacramentis sunt; illa verò quæ ad bonos mores pertinent, omnino non poterant. Non enim implet ea nisi caritas. Quia & homicidium si propterea non occidit aliquis, ne & ipse occidatur, non implet præceptum justitiæ: sed si ideo non occidit, quia injustum est, etiamsi id possit facere impunè, non solùm apud homines, sed etiam apud Deum. Sicut David cùm divinitus accepisset in potestatem Regem Saul, impunè utique occideret. Pepercit ergo diligens proximum sicut seipsum, non solùm persecutum, sed etiam persecutorum, qui eum corrigi quàm interfici malebat: homo in veteri Testamento, sed non homo de veteri Testamento, quem fides futuræ hereditatis Christi revelata & credita salvum faciebat, & ad imitandum vocabat.*

Hebr. 8.

Testamenti Novi discrimen à Veteri explicat Apostolus capite mox indicato Epistolæ ad Hebræos, ex *Jeremiæ* Vaticinio Cap. XXXI. *Ecce dies venient, dicit Dominus: & consummabo super domum Israël, & super domum Juda Testamentum Novum: non secundùm Testamentum quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de Terra Ægypti, quoniam ipsi non permanserunt in Testamento meo: & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est Testamentum, quod disponam domui Israël post dies illos, dicit Dominus: Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum: & non docebit unusquisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: quoniam omnes scient me à minore usque ad majorem eorum.* Quem locum explicans *S. Augustinus*, Libro *De Spiritu & Littera*, Cap. XXIV. ait: *Sicut ergo lex factorum scripta in tabulis lapideis, merceśque ejus Terra illa promissionis, quam carnalis domus Israël, cùm ex Ægypto liberata esset, accepit, pertinet ad Testamentum Vetus: ita Lex fidei scripta in cordibus, mercesque ejus species contemplationis, quam spiritualis domus Israël ab hoc mundo liberata percipiet, pertinet ad Testamentum Novum.* Et Lib. III. *ad Bonifacium*, Cap. IV. *Illud* (inquit) *dicitur Vetus Testamentum, quia prius; hoc autem Novum, quia posteriore tempore revelatum est. Deinde quia Testamentum Vetus pertinet ad hominem veterem, à quo necesse est hominem incipere: novum autem ad hominem novum, quo debet homo ex vetustate transire. Ideo in illo sunt promissa terrena, in isto promissa cælestia: quia ex hoc ad Dei misericordiam pertinuit; ne quisquam vel ipsam terrenam qualemcumque felicitatem, nisi à Domino creatore universitatis putet ei quam posse conferri. Sed si propter illam colatur Deus, servilis est cultus, pertinens ad filios ancillæ: si autem propter ipsum Deum, ut in æterna vita sit Deus omnia in omnibus, liberalis est servitus pertinens ad filios liberæ.*

Veteris & Novi Testamenti discrimen.

Justi quidem Veteris Testamenti præcepta Legis observabant, non timore pœnæ, sed amore justitiæ, non spiritu timoris, sed caritatis; non propter mercedem dumtaxat temporalem, sed primariò & præcipuè propter æternam remunerationem, quæ temporalibus bonis à Deo promissis adumbrabatur: sed ut ita Legis mandata observarent, Lex ipsa non præstabat, sed gratia & caritas in eorum cordibus per Spiritum Sanctum diffusa. Unde ipsi, quamquam Veteris Testamenti tempore viverent, ad Novum Testamentum pertinebant: *Veteris quidem Testamenti dispensatores & gestatores, sed Novi demonstrantur heredes:* Et *Nondum nomine, sed reipsa fuerunt Christiani;* (inquit *S. Augustinus*, Libro III. *Ad Bonifacium*, Cap. III. & IV.) Carnales verò Judæi sub Lege positi, sola Veteris Testamenti promissa terrena spectantes, & quid pro Novo Testamento ea ipsa significarent, ignorantes, eorum adipiscendorum amore, & amittendorum timore, Dei præcepta servabant, immò non servabant, sed sibi servare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, sed terrena cupiditas, metúsque carnalis. *Sic autem præcepta qui facit, procul dubio invitus facit: ac per hoc*

Justi veteris Testamenti ad Novum Testamentum pertinebant.

A

in animo non facit: magis vult enim omnino non facere, si secundùm ea quæ cupit & metuit permittatur impunè. Ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, ubi ipse qui præcipit inspicit Deus. Tales erant filii terrenæ Jerusalem, de qua dicit Apostolus: SERVIT enim cum filiis suis pertinens ad Testamentum Vetus à Monte Sina in servitutem generans, quod est Agar: Id est, quod per Agar significatur.

Galat. 4. 23.

Plurimi Christiani carnalibus Judæis similes.

Contra verò plurimi sunt Legis Evangelicæ temporibus, solo nomine, non reipsa, sive spiritu Christiani; sub lege positi, non sub gratiâ: ad Vetus Testamentum etiamnum pertinentes, quia solo B pœnæ timore, non amore justitiæ, fideque per dilectionem operante mandata Dei quoad externa tantùm opera observant, *Terrenam felicitatem vel cupiditate adipiscendi, vel timore amittendi: & ideo non verè faciunt; quoniam carnalis cupiditas quâ peccatum committatur potiùs vel augetur, cupiditate aliâ non sanatur. Hi ad vetus pertinent Testamentum, quod in servitutem generat; quia facit eos carnalis timor & cupiditas servos, non Evangelica Fides, Spes, & Charitas liberos;* (inquit *S. Augustinus* loco suo indicato.)

Christiani terrenam felicitatem desiderare non debent.

Ex his colligitur, Christianos Novi Testamenti heredes terrenam felicitatem desiderare non debe- C re, quæ secundùm veterem hominem concupiscitur, sed æternam duntaxat felicitatem quæ Deus est, bonaque spiritualia ad ipsum conducentia: cùm afflictiones, tribulationes, calamitates, Cruces, Christianorum benedictiones sint: neque bona terrena & temporalia, sed spiritualia, & æterna Christus in Novo Testamento promiserit. Hinc Apostolus ad *Galatas* III. scribit; *Nemo moveatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus.* Et *S. Augustinus* Sermone CCXCVI. aliàs *De Diversis*, CVI. *Christianorum est*, inquit, *pati mala temporalia, & bona sperare sempiterna.* Et D rursùs: *Non vocatus es ad amplectendam terram, sed ad comparandum cælum; non ad felicitatem terrenam, sed ad cælestem; non ad temporales successus, & prosperitatem volaticam & transitoriam, sed ad æternam cum Angelis vitam.* Et Sermone CCCII. aliàs CXI. De Diversis: *Christianus es, in fronte portas Crucem Christi. Character tuus docet quid profitearis.... Ab isto signo, ab isto charactere quem accipit Christianus, etiam cùm sit Catechumenus: hinc intelligitur quare sumus Christiani, quia non propter temporalia & transeuntia, vel bona vel mala, sed propter vitanda mala quæ non transibunt, & prop-* E *ter adipiscenda bona quæ terminum non habebunt.* Et Sermone XLVI. *De Pastoribus*, aliàs *De Tempore* CLXVI. Pastores arguens, qui felicitatem terrenam auditoribus suis promittunt: *Quales autem sunt*, inquit, *qui timentes eos lædere quibus loquuntur, non solùm non præparant ad imminentes tentationes, sed etiam promittunt felicitatem hujus sæculi, quam Deus ipsi sæculo non promisit? Ille prædicat labores super labores usque in finem venturos ipsi sæculo, & tu vis ab istis laboribus exceptum esse Christianum, qui QUIA CHRISTIANUS EST, aliquid plus passurus est in hoc sæculo. Etenim ait Apostolus,* F *OMNES qui volunt in Christo piè vivere, persecutionem patientur.*

Christianus, quia Christianus est, plus aliquid passurus est in hoc sæculo.

2 Tim. 3.

§. V.

De Lege Humana.

PRæter Legem divinam, naturalem, ac positivam, Leges aliquas ab hominibus condi necesse fuit ad publicam tranquillitatem, ut homines improbi per vim saltem vel metum à vitiis

DE DECALOGO.

A cohiberentur, & bene agendi consuetudine contractâ, sponte facerent aliquando bonum, quod metu priùs agebant. Hinc *S. Isidorus* Libro V. *Originum*, Cap. XX. *Factæ sunt Leges* (inquit) *ut earum metu humana coërceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrænetur nocendi facultas.*

A lege naturæ lex omnis humana derivatur: *Nam lex esse non videtur, quæ justa non fuerit*, ut ait *Evodius*, approbante *S. Augustino* Libro I. *De libero arbitrio*, Cap. V. *Si verò in aliquo à lege* B *naturali discordet, jam non erit lex, sed legis corruptio*, ut docet *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæst. XCVI. Articulo IV. Ut ergo justa sit lex humana, necesse est ut nihil jubeat per se malum, nihil prohibeat per se bonum. 2. Ut Legislatoris potestatem non excedat. 3. Ut propter debitum finem, scilicet propter bonum commune feratur, non ob privata Legislatoris commoda. 4. Ut onera ob publicum bonum subditis imposita æqualiter distribuantur, servatâ virium & facultatum proportione.

Conditiones necessariæ ut Lex humana sit justa.

Lex humana alia est Ecclesiastica, alia Civilis. Hæc ab Ecclesia condita, ut Christianos in finem C æternæ beatitudinis dirigat. Ista à summis Principibus, Rebuspublicis, aut populis instituta ob communem tranquillitatem ac securitatem.

Lex humana quotuplex?

Jus Ecclesiasticum aliud est scriptum, aliud in Ecclesia sine scripto custoditum. Scriptum, sunt Canones Spiritu Dei conditi, Conciliorúmque Generalium, Provincialium, Diœcesanorum Decreta; Constitutiones Romanorum Pontificum, Episcoporum Statuta. Non scriptum, sunt Traditiones, & Consuetudo.

Jus Ecclesiasticum.

Traditiones in iis rebus ac præceptis positæ sunt, quæ ab Apostolis, aut Apostolicis viris, D sive Apostolorum discipulis vivâ voce & citra scripturam tradita & præscripta, ad nos usque velut per manus pervenerunt. De quibus Canon *Ecclesiasticorum*, Distinctione 11. sumptus ex *Sancto Basilio* Libro III. *De Spiritu Sancto*, Cap. XXVII.

Traditiones.

Consuetudo, est jus quoddam moribus institutum, quod pro Lege suscipitur. Consuetudines partim generales sunt, quæ ab Apostolicis ferè temporibus introductæ servantur ab universa Ecclesia: partim speciales hujus vel illius Ecclesiæ, Provinciæ, aut etiam Nationis. Utrumque ge- E nus intra suos terminos Juris robur habet. Triplex autem est vis Consuetudinis. 1. Ut legis deficientis vicem suppleat. 2. Ut legem dubiam interpretetur. 3. Ut si contra jus pristinum invaluerit, legem abroget. Qua de re *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione XCVII. Articulo III. ad secundum: *Leges humanæ*, inquit, *in aliquibus casibus deficiunt: unde possibile est quandoque præter legem agere (in casu scilicet in quo deficit lex) & tamen actus non erit malus, & cum tales casus multiplicantur propter aliquam mutationem hominum, tunc manifestatur per consuetudinem quòd* F *lex ulteriùs non utilis, sicut etiam manifestaretur, si lex contraria verbo promulgaretur. Si autem adhuc maneat ratio eadem, propter quam prima lex utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit: nisi fortè propter hoc lex inutilis videatur, quoniam non est possibilis secundùm consuetudinem Patriæ, quæ erat una de conditionibus legis. Difficile est enim consuetudinem multitudinis removere.*

Consuetudo. Vis Consuetudinis.

Et in Responsione ad tertium: *Multitudo in qua consuetudo introducitur, duplicis conditionis esse potest. Si enim sit libera multitudo, quæ possit sibi legem facere, plus est consensus multitudinis ad aliquid*

quid observandum, quem consuetudo manifestat, quàm auctoritas Principis, qui non habet potestatem condendi legem, nisi in quantùm gerit personam multitudinis. Si verò multitudo non habeat liberam potestatem condendi sibi legem, vel legem à superiori potestate positam removendi: tamen ipsa consuetudo in tali multitudine prævalens, obtinet vim legis, in quantùm per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere. Ex hoc enim ipso videntur approbare quod consuetudo introduxit.

Quot modis lex humana mutari potest?

Lex itaque humana, seu Ecclesiastica, seu Civilis, mutari potest 1. ab ipso Legislatore. 2. Ab illius Superiore plenam in illum jurisdictionem habente. 3. Ab ejus in eamdem auctoritatem Successore. 4. Contrariâ consuetudine. Mutatio autem legis fieri potest vel respectu universitatis, vel respectu privatorum. Totius universitatis respectu mutari potest, 1. Cùm recepta quidem est, sed nondum usu firmata; quæ dicitur *Irritatio*. 2. Cùm usu firmata est, sed revocatur, aut contraria lex fertur ac promulgatur; quæ vocatur *Abrogatio*. 3. Cùm plura capita complectitur, & quoad aliqua mutatur; quæ appellatur *Derogatio*. Respectu privatorum duobus modis potest mutari. 1. *Dispensatione*. 2. *Privilegio*.

Quid est dispensatio?

Dispensatio est juris communis relaxatio ex justâ causâ, à Legum Conditoribus, seu Rectoribus multitudinis facta. Contingit enim aliquando, ut aliquod præceptum multitudini commodum, non sit conveniens huic personæ, vel in hoc casu, quia vel per hoc impediretur aliquid melius, vel induceretur aliquod malum. Id autem cujuslibet judicio periculosè committeretur. Unde solus legis Conditor, vel ejus Superior aut Successor in eamdem auctoritatem in lege humana dispensare potest, ut scilicet in personis, vel in casibus, in quibus lex humana deficit, licentiam tribuat ut præceptum legis non servetur. Ita ratiocinatur *Sanctus Thomas*, loco superiùs indicato Articulo VI.

Quid Privilegium?

Privilegium est Lex privatorum, quibus scilicet justis de causis lex à communi diversa, seu immunitas à lege communi conceditur.

ARTICULUS III.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES,

Circa Legum obligationem & observantiam.

REGULA I.

Leges humanæ cùm Ecclesiasticæ, tum Civiles & Politicæ conscientiam ligant; adeo ut violari non possint in re gravi absque mortali peccato.

De Legibus quidem Ecclesiasticis id Christus ipse docet Matthæi XVIII. *Si Ecclesiam* (inquit) *non audierit*, (id est, si Ecclesiæ Prælato non paruerit) *sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Et Lucæ X. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Hinc S. Paulus confirmans Ecclesias, *præcipiebat custodire præcepta Apostolorum & Seniorum.* Et II. ad Thessalonicenses III. ait: *Si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur.* Et ad Hebræos XIII. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

De Legibus Civilibus idem docet Apostolus ad Romanos XIII. *Omnis anima*, inquit, *Potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim Potestas nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere Potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa; Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat. Dei enim Minister est, vindex in iram ei qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis: Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem:* Et ad Titum III. *Admone illos Principibus & Potestatibus subditos esse, dicto obedire.* Et I. Petri II. *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi tanquam præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia sic est voluntas Dei.*

Propositio damnata.

Meritò itaque Sacra Facultas Parisiensis damnavit illam *Amedæi Guimenii* Propositionem: *Subditi possunt justa tributa non solvere.* Eamdemque Generalis Cleri Gallicani Conventus anno MDCC. damnavit *Ut seditiosam, doctrinæque Apostolicæ, ac dictis Dominicis apertè contradicentem.*

REGULA II.

Violatio Legis humanæ, sive Ecclesiasticæ, sive Civilis, ex contemptu, etiam in materia levi, mortale peccatum est.

De Legum obligatione & observantia.

Contemptu namque Legis gravis injuria fit Legislatori. Censetur autem aliquis ex contemptu Legem violare, non quoties ex malitiâ, vel ex ira, vel ex aliâ animi perturbatione & prava cupiditate ipsam violat, suæ libidinis expletionem præcepto Legis anteponens; quamvis frequenter ex eadem vel simili causâ, aut etiam sine causâ, & ex consuetudine illam violaret: sed quando Legislatorem, ejúsque Legem aspernatur, eíque subjici recusat, aut subjectum se esse indignatur: facítque quod est prohibitum, aut omittit quod præceptum est, ideo quia prohibitum est aut præceptum; aut quia ab hoc homine, qui tamen legitimus ejus Superior est, prohibetur aut jubetur.

Hanc Regulam confirmat *S. Bernardus*, Libro *De Præcepto & Dispensatione*, Cap. VIII. *Hoc ergo*, (inquit) *generalis Regula sit universorum, quæ per se, aut propter se nec bona, nec mala sunt, aut divinâ institutione, aut propriâ cujusque professione fixa non sunt, ut non jussa quidem, licitè utrumlibet vel admittantur, vel omittantur; jussa verò sine culpa non negligantur, sine crimine non contemnantur. Ubique enim & culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis est. Differunt autem, quòd neglectus quidem languor inertiæ est, contemptus verò superbiæ tumor. Porrò contemptus in omni specie mandatorum pari pondere gravis & communiter damnabilis est.*

Et Cap. XI. Loquens de quibusdam peccatis ratione materiæ levibus, ait: *Peccata sunt, & Deus prohibet omne peccatum; & tamen venialia, non criminalia reputantur, excepto cùm per contemptum vertuntur in usum & consuetudinem: & tunc non peccati species, sed peccantis intentio pensatur. Elatio quippe contemnentis, atque impœnitentis obstinatio, in minimis quoque mandatis culpam facit non*

minimam, & convertis in crimen gravis rebellionis navum satis levem simplicis transgressionis.

De legum obligatione & observantia.

Eamdem Regulam confirmat S. Thomas, Secunda Secundæ, Quæstione CLXXXVI. ubi docet, Regulam Monasticam quantùm ad ea quæ ad actus quidem virtutum pertinent, sed tamen excedunt communiter necessitatem præcepti, *non obligare ad mortale, nisi propter contemptum, quia Religiosus non tenetur esse perfectus, sed ad perfectionem tendere, cui contrariatur perfectionis contemptus.* Item transgressionem eorum quæ spectant regulares observantias, non esse mortale peccatum, *nisi vel propter contemptum Regulæ, vel propter præceptum, sive ore tenus à Prælato factum, sive in Regula expressum.*

Et in Responsione ad tertium: *Tunc*, inquit, *committit aliquis, vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi Legis, vel Regulæ: & ex hoc procedit ad faciendum contra Legem, vel Regulam. Quando autem propter aliquam particularem causam, putà concupiscentiam vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statuta Legis vel Regulæ, non peccat ex contemptu; etiamsi frequenter ex eadem causâ, vel alia simile peccatum iteret... Frequentia tamen peccati dispositivè inducit ad contemptum, secundùm illud* Proverb. XVIII. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.*

REGULA III.

Violatio Legis humanæ cum gravi scandalo, etiamsi res sit secundum se levis, mortale peccatum est.

CAusam enim vel occasionem gravi ruinæ proximi præbere, grave peccatum est. I. ad Corinthios VIII. *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.*

REGULA IV.

Homo Legislator in materia levi sub mortali peccato obligare non potest.

LEgem enim æternam ac naturalem consulere debet ac imitari. Unde *S. Augustinus* Libro *De Vera Religione* Cap. XXXI. ait: *Conditor Legum temporalium, si vir bonus est & sapiens, illam ipsam consulit Legem æternam, ut secundum ejus immutabiles Regulas quid sit pro tempore vitandum, jubendúmque discernat.* Leges autem æterna & naturalis nunquam obligant in materia levi sub peccato mortali. Præterea Lex rem levem sub peccato mortali præcipiens vel prohibens, injusta esset, occasionémque scandali præberet subditis: quamobrem de Legum hujusmodi Conditoribus meritò diceretur: *Alligant onera gravia & importabilia in humeros hominum.*

Matt. 23. 4.

Itaque si Prælatus Ecclesiasticus, vel Superior Regularis, sub pœna Excommunicationis, alteriusve Censuræ, vel in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipiat aut prohibeat rem aliquam, quæ spectatis omnibus circumstantiis levis est; nec boni communis intuitu alicujus est momenti: cùm nec ad salutem animarum, ac morum honestatem, nec ad bonum nomen Ecclesiastici aut Religiosi Ordinis, nec ad votorum observantiam, nec ad scandali, aut periculi gravis devitationem, nec ad publicam tranquillitatem magni referat: injustum erit præceptum; & qui illud violabit, nec lethalis peccati reus, nec Excommunicationi vel Suspensioni erit obnoxius.

De legum obligatione & observantia.

Sed tamen quia subditi sæpe ignorant necessitatem, justasque causas & rationes, ob quas ejusmodi Præcepta fiunt à Superioribus, ac in favorem auctoritatis ac obedientiæ judicandum est, nisi sit evidens injustitia: ideo hujusmodi Censuræ, quarum sub interminatione res quæ secundùm se levioris videntur momenti, præcipiuntur aut prohibentur, contemnendæ non sunt, sed metuendæ; præceptisque Superiorum ac Legibus parendum est: nec sibi sumere debent inferiores judicium de materiæ gravitate aut levitate comparatè ad bonum commune. Id enim ad Legislatorem pertinet.

In favorem auctoritatis ac obedientiæ semper judicandum, nisi res aliter evidenter constet.

REGULA V.

Quoties Lex humana præcipit aliquid vel prohibet sub gravi pœna, verbi gratiâ, mortis, mutilationis, exilii, damnationis ad triremes, infamiæ, privationis omnium bonorum, Dignitatum, Officiorum, Excommunicationis, aut alterius Censuræ: aut sub obtestatione Divini Judicii, vel sub indignatione Apostolorum Petri & Pauli, vel sub pœna incurrendi indignationem Principis: rectè colligitur, Legem aut Præceptum sub mortali peccato obligare, nec levis momenti rem esse quæ præcipitur vel prohibetur.

PRudens enimverò Legislator graves adeo pœnas pro re levi non solet imponere.

REGULA VI.

Lex obligat sub mortali peccato, quoties præcipiendi aut prohibendi verba usurpat in materia gravi.

HÆc Regula colligitur ex Clementina Exivi, Tit. *De Verborum significatione*, ubi *Clemens V.* declarat *S. Franciscum* in sua Regula apertè discrevisse, quòd quoad quædam eorum quæ in ea statuta sunt, *ex vi verbi transgressio est mortalis, & quoad quædam alia, non.* Verbum autem illud esse verbum præcipiendi vel prohibendi, significat: *Cùm ad quædam ipsorum*, inquit, *verbum apponatur præcepti, vel æquipollentis eidem; & quoad aliqua verbis aliis sit contentus.*

REGULA VII.

Lex pœnalis mixta, quæ nimirum præcipit aliquid fieri vel omitti, pœnâ in transgressores statutâ, non ad pœnam tantùm obligat, sed ad culpam, si copulativâ propositione feratur: ut si dicatur, Nemo pecuniam efferat extra Regnum, & si extulerit, solvat centum nummos.

APpositio enim pœnæ vim præcepti non evertit. Unde Canon *Omnis utriusque sexus*, Extra, *De Pœnitentiis & Remissionibus*, annuam Confessionem, & Communionem Paschalem jubet sub pœna Excommunicationis & privationis Ecclesiasticæ Sepulturæ: aliique leguntur Canones quamplurimi, & Constitutiones Pontificum, quibus aliquid præcipitur aut prohibetur, latis in violatores Excommunicationis, aliarúmve Censurarum pœnis: & tamen eos à peccato immunes nemo asseruit, immo ex adjectione gravis pœnæ, gravius illorum esse peccatum omnes consentiunt.

REGULA VIII.

Lex pœnalis mixta, qua disjunctivâ propositione fertur, obnoxium culpa non facit transgressorem, si pœnam sive mulctam solvere velit: ut si dicatur, Nemo frumentum evehat extra Regnum, vel si evexerit, centum nummis mulctetur.

De legum obligatione & observantia.

QUi enim partem Legis disjunctivæ servat, ejus violator minimè censendus est, cùm Lex utrumque non præcipiat, sed subditorum relinquat arbitrio, ut quam partem voluerint eligant, id est, faciant quod Lex jubet; seu omittant quod prohibet, aut mulctam statutam solvant. Sicut ergo qui votum emittit his verbis conceptum, Voveo me nunquam chartis lusurum, vel quoties lusero, nummum erogabo pauperibus; etsi ab hujusmodi ludo simpliciter abstinere ex voto non teneatur, nec voti violator sit censendus, si fortè luserit, modò nummum det pauperibus: reus autem erit infracti voti, si luserit, nec mulctam votivam solverit: ita reus non erit violatæ Legis mixtæ, sub disjunctione positæ, si pœnam subire, seu mulctam solvere maluerit.

Cæterùm nemo à culpa immunes esse putet violatores legum pœnas statuentium adversùs illos, qui ex sylva non communi, sed aliena, arbores cædunt, & ligna capiunt, aut in pratis alienis pecora sua pascunt: obligatio namque Legis divinæ furtum prohibentis, Lege pœnali ab hominibus latâ tolli non potest; alioqui nullum, quantumvis grave, furtum, peccatum esset, cùm Legibus humanis pœnæ in fures statutæ sint.

Nemo etiam à peccato, neque à restitutione excuset illos, qui vectigalia seu antiqua, seu recèns imposita auctoritate Principis aut Reipublicæ per fraudem solvere prætermittunt: quamvis subeant periculum luendæ pœnæ per Legem statutæ. Quæ enim justè sunt debita, non fiunt indebita propter appositionem pœnæ; sed inde potiùs elucescit obligatio gravis solvendi.

REGULA IX.

Legem pœnalem nusquam absque peccato violari, probabilius est.

LEges enim humanas, si justæ sint, obligare in foro conscientiæ, docet *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione XCVI. vimque ita obligandi Legibus tantùm injustis negat: leges itaque pœnales conscientiam ligant, si justæ sint, earúmque violatio reos coram Deo homines facit.

Præterea, omnis inobedientia peccatum est: Violationem porrò legum pœnalium inobedientiam esse nemo verè negaverit. Cùm enim Legislator aliquid fieri vel omitti præcipit indictâ pœnâ, eo ipso talem actionem præcipit vel prohibet: ideo scilicet pœnam decernit, ut ejus metu subditos efficaciùs promoveat ad obediendum, & eos qui non paruerint plectat, ad servandum ordinem, & in exemplum aliorum: Unde hujusmodi Leges: Qui nocte armatus incesserit, in carcerem mittetur: Qui frumentum, aliásve merces è Regno extulerit, solvet centum nummos: Qui salinarium vectigal fraudaverit, talem pœnam dabit: expressè quidem pœnam statuunt infligendam; virtute verò actionem prohibent, à quâ pœnæ metu subditi deterrentur.

De legum obligatione & observantia.

Si tamen Legislator declaret, se ita statuere, ut soli pœnæ obnoxios subditos esse velit, quo modo Religiosorum quorumdam Ordinum Constitutiones ad pœnam dumtaxat, non ad culpam obligare, in iisdem Constitutionibus declaratur: * cujusmodi etiam Statuta in quibusdam oppidis, societatibus, aut collegiis reperiuntur: Statuta illa sine peccato violabuntur, si contemptus, scandalum, vel præceptum Superiorum absit.

* Ut in Constitutionibus FF. Prædicatorum.

REGULA X.

Cùm Lex pœnalis decernit pœnam infligendam, Reus illam subire non tenetur ante Sententiam Judicis.

IN pœnis *enim benignior est interpretatio facienda*, ut habet Regula Juris in XLIX. in *Sexto*.

REGULA XI.

Pœnam lege latam, qua actionem rei requirit, ille subire non tenetur ante Sententiam Judicis, nisi fortè ad Canonicam aut Religiosam Disciplinam pertineat, ut jejunium, oratio, &c. aut verba Legis expressè significent expectandam non esse Sententiam.

CUm enim Leges mutæ sint, & inanimitæ, opus est ut Judex earum executionem curet, si earum executio absque actione fieri non possit. Ab humana præterea consuetudine alienum est, ut is qui in Legem peccavit, in exilium proficiscatur, ut mulctam persolvat indemnatus.

REGULA XII.

Pœnam subire tenetur Reus, latâ Sententiâ.

DEbet enim parere justæ Sententiæ Judicis legitimi. Quamobrem si Reus exilio damnatus sit, aut mulctâ pecuniariâ, sponte in exilium abire, aut mulctam solvere tenetur ex officio conscientiæ. Si tamen actio pœnæ executrix non sit Reo licita, vel crudelis sit & inhumana, Reus pœnam sibi ipsi infligere non tenetur, etiam post Sententiam Judicis; quia suavitati legum, ipsique Legi naturæ repugnat, ut homo in seipsum carnificinam exerceat, seque ipsum mutilet, aut occidat: sed pœnam à lictore seu ministro justitiæ infligendam, in expiationem delicti, Christiano animo pati debet.

REGULA XIII.

In pœnam Lege latam incurritur ante Sententiam Judicis, si in merâ privatione consistat.

ID enim interest inter pœnam ferendam, & latam, ut illa ante Sententiam Judicis non infligatur, in hanc statim post delictum incurratur. Sic Censuris in quas ipso facto incurri Lex statuit ac declarat, statim constringitur qui Legem violavit. Idem esto judicium de priva-

De legum obligatione & observantia.

tione vocis activæ, aut passivæ, quam Lex ipso facto incurrendam declarat. Sic Ecclesiastici Beneficii titulo ac proprietate statim excidit, qui peccatum commisit, propter quod Lex ipso facto privatum Beneficio decernit. Beneficio tamen abdicare ac spoliare seipsum non tenetur ante declarationem Judicis, nisi id Lege sit expressum, aut nullum antea titulum, jusque in Beneficio habuerit. Unde si Parochus in Legem peccaverit, quæ aliquid præcipit vel prohibet sub pœna privationis Beneficii ipso facto incurrendâ, acta ejus valere, Confessionésque apud ipsum factas, datasque Absolutiones ratas esse, Theologi summo consensu docent, B approbátque Mater Ecclesia, ut conscientiarum quieti consulatur. Fructus etiam Beneficii percipere ac retinere tutâ conscientiâ potest, qui ipso jure Beneficio excidit, modò Officia & onera Beneficio annexa exequatur, impleat & ferat. Ad id enim coloratum titulum sufficere Doctissimi Theologi censent; eaque est Gallicanæ Jurisprudentiæ praxis. Si tamen Lege latâ statutum sit ne faciat fructus suos, vel ut eos tutâ conscientiâ retinere non possit, ab illis percipiendis abstinere, & perceptos restituere tenebitur.

C

REGULA XIV.

Leges humanæ, cùm Ecclesiasticæ, tum Civiles, non obligant ut plurimùm cum vitæ, aut incommodi gravissimi periculo.

NEque enim Lex ipsa naturalis (exceptis iis præceptis quæ prohibendi rem per se malam vim habent) neque Lex divina positiva semper obligat cum vitæ periculo; cùm tamen majorem obligandi vim habeant quam Leges humanæ. Lex enim de reddendo deposito non D obligat eum cui ex redditione depositi mors imminet. Lex de eleemosyna graviter indigenti eroganda non obligat eum, qui fame conficiendus est, si panem unicum quem habet alteri tribuat. Lex de servando secreto non obligat eum, qui mortem aut grave damnum passurus est, si illud servet: nisi sacrum secretum sit, quale est ex sola Confessione notum; aut secretum Principis, vel Reipublicæ, aut ad illud servandum juramenti religione se obstrinxerit. Leges etiam divinas positivas, cum vitæ periculo non semper obligare, certum est. Nam *Davidem* Panes E propositionis urgente necessitate innoxiè comedisse: Machabæos Sabbatho pugnasse inviolatâ Lege de sanctificatione Sabbathi, res est ex sacris Scripturis comperta & explorata. Pari ratione diximus, neminem ad audiendum Sacrum festis diebus, ad Jejunium Ecclesiasticum servandum, ad Horas Canonicas recitandas, ad vitandum Excommunicatos, & similia, cum periculo vitæ, vel alterius incommodi gravissimi passim & semper obligari.

REGULA XV.

Leges humanæ, cùm Ecclesiasticæ, tum Civiles, interdum obligant cum vitæ periculo.

QUandoque enim necesse est pro communi bono Ecclesiæ vel Reipublicæ ea agere, quæ vitæ periculum adjunctum habent, ut in bello, navigatione, pestilentia, vel similibus. Sic Episcopi, & Parochi, persecutionis tempore residere tenentur, si in totam gregem persecutio sæviat, necnon tempore pestilentiæ, ac Sacramenta per se ipsos ministrare, si major pars Diœcesanorum, aut Parochianorum contagione laboret. Sic Episcopus sibi subdito Sacerdoti præcipere potest ut fidem confiteatur ac prædicet tempore persecutionis; vel ut Sacramenta morbo pestifero laborantibus administret. Similiter Dux Militi præcipere potest ne stationem deserat, ut in hostilem aciem irrumpat, ut hostium propugnacula invadat, murósque conscendat, quamvis supremum vitæ periculum patendo sit aditurus.

REGULA XVI.

Lex humana cum vitæ periculo obligat, quoties ejus violatio vergit in contemptum Fidei, Religionis, aut Ecclesiasticæ Potestatis, aut etiam in contemptum injuriámque Regiæ Majestatis.

PLuris enim refert Fidem, Religionem, Ecclesiasticam Potestatem, & Regiam Majestatem non contemni, vel injuria affici, quam vitam privati cujusque hominis servari. Unde si metus mortis incutiatur alicui, nisi carnes statis jejunii diebus comedat, nisi Missam audire prætermittat, nisi coram Excommunicatis palam denunciatis Sacrum faciat, nisi Regis imaginem, vel Edictum laceret; quod fit in contemptum, injuriam, ac ludibrium Fidei, Religionis, Ecclesiasticæ Potestatis, aut Regiæ Majestatis, mortem subire potiùs oportet, quàm Leges humanas in his rerum circumstantiis violare.

REGULA XVII.

Leges humanas divinæ legi contrarias observare non licet.

O*Bedire enim oportet Deo magis quàm hominibus*, ut docent Apostoli Actuum v. Hinc *S. Hieronymus* in cap. vi. Epistolæ ad Ephesios ait: *Non audiat servus carnalem Dominum, si contraria Dei præceptis voluerit imperare.* Et *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum cxxiv. de Militibus Juliani Apostatæ ait: *Milites Christiani servierunt Imperatori infideli; ubi veniebatur ad caussam Christi non agnoscebant nisi illum qui* F *in Cælo erat. Si quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum: quando autem dicebat, Producite aciem, ite contra illam Gentem; statim obtemperabant. Distinguebant Dominum æternum à domino temporali: & tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam domino temporali.*

Et Libro iii. *Confessionum*, cap. viii. *Cùm Deus* (inquit) *aliquid contra morem aut pactum quorumlibet jubet, & si nunquam ibi factum est, faciendum est, & si omissum, instaurandum: &*

De legum obligatione & observantia.

si institutum non erat, instituendum est. Si enim Regi licet in civitate cui regnat jubere aliquid, quod neque ante illum quisquam, nec ipse unquam jusserat: & non contra societatem civitatis ei obtemperatur, immo contra societatem non obtemperatur: generale quippe pactum est societatis humanæ obedire Regibus suis: quanto magis Deo regnatori universæ creaturæ suæ, ad ea quæ jusserit, sine dubitatione serviendum est? Sicut enim in Potestatibus societatis humanæ, major potestas minori ad obediendum præponitur: ita Deus omnibus.

Id confirmat *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione XCVI. Art. IV. *Alio modo* (inquit) *Leges possunt esse injustæ per contrarietatem ad bonum divinum, sicut Leges Tyrannorum inducentes ad idololatriam, vel ad quodcumque aliud quod sit contra Legem Divinam; & tales Leges nullo modo licet observare.*

REGULA XVIII.

Leges evidenter injustæ non obligant in foro conscientiæ, nisi propter vitandum scandalum, vel publicæ pacis perturbationem.

ITa docet *S. Thomas*, loco mox indicato, *Injustæ sunt Leges* (inquit) *vel ex fine, sicut cum aliquis Præsidens Leges imponit onerosas subditis, non pertinentes ad utilitatem communem, sed magis ad propriam cupiditatem vel gloriam; vel etiam ex Autore, sicut cum aliquis Legem fert ultra commissam sibi potestatem, etiam ex forma, cum inæqualiter onera multitudini dispensantur, etiamsi ordinentur ad bonum commune. Et hujusmodi magis sunt violentiæ quam Leges: quia sicut Augustinus dicit* Libro I. *De Libero Arbitrio*, cap. V. LEX *esse non videtur, quæ justa non fuerit. Unde tales Leges non obligant in foro conscientiæ, nisi fortè propter vitandum scandalum, vel turbationem, propter quod etiam homo juri suo debet cedere, secundum illud* Matthæi V. *Qui angariaverit te mille passus, vade cum eo alia duo: & qui abstulerit tibi tunicam, da ei & pallium.*

Denique cùm sibi proposuisset hanc objectionem: *Lex humana frequenter ingerunt calumniam & injuriam hominibus, secundum illud Isaiæ* X. »VÆ qui condunt Leges iniquas, & scribentes injustitias scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei: *Sed licitum est unicuique oppressionem & violentiam evitare: ergo Leges humanæ non imponunt necessitatem homini quantum ad conscientiam.*

Respondet, quòd *Ratio illa procedit de Lege, quæ infert gravamen injustum subditis, ad quod etiam ordo Potestatis divinitus concessæ non se extendit. Unde nec in talibus homo obligatur ut obediat Legi, si sine scandalo, vel majori detrimento resistere possit.*

REGULA XIX.

Lex in præsumptione fundata conscientiam non ligat, quando præsumptio est falsa.

AXioma est ab omnibus receptum. Itaque si Lex, vel Legislator aliquis, seu Judex cui Legis observantiam promovere incumbit, eos omnes qui in facie Ecclesiæ Matrimonium contraxerunt, illud consummare jubeat: hac Lege non tenentur, nec illi parere debent, qui occulto impedimento dirimente constricti contraxerunt, quamvis pœnâ Excommunicationis ad consummandum Matrimonium urgerentur, ut colligitur ex cap. *Licet*, Extra, *De Restitutione spoliatorum*, & cap. *Inquisitioni*, Extra, *De Sententia Excommunicationis*.

Item cùm Legislator aliquid in singulis facti alicujus speciebus contingere præsumit, ratione cujus Legem condit, Lex conscientiam ejus non ligat, in quo falsa est illa præsumptio: unde nec sententiæ judicis hac Lege fultæ parere tenetur. Sic Jure veteri, cùm statutum esset ut Sponsalia de futuro in Matrimonium legitimum transirent per carnalem copulam subsecutam, Cap. *Veniens*, & Cap. *Is qui fidem*, Extra, *De Sponsalibus*: Contingere tamen poterat ut qui post hujusmodi copulam Matrimonium cum altera contraxisset, ad priorem illam redire non teneretur, quacumque judicis compellente sententiâ. Lex enim illa fundata erat in præsumptione, quòd ista copula semper fieret affectu maritali, sive animo perficiendi Matrimonium: quamobrem si quis eo animo copulam non habuisset, imò alienâ prorsus à Matrimonio cum tali persona contrahendo voluntate, Sponsalia in Matrimonium per copulam subsecutam non transibant: neque compelli poterant quacunque sententiâ sponsus & sponsa de futuro ut conjugaliter viverent, nisi mutuus in Matrimonium consensus accederet, qui nullâ potestate humanâ suppleri potest.

Ob eamdem rationem Lex, Præceptum, aut Sententia in præsumptione facti alicujus fundata, quod factum non est, non ligat conscientiam; siquidem præsumptio cedere debet veritati.

Verumtamen si Legislator fraudes, abusus, aut gravia incommoda in aliqua materia ut plurimùm contingere præsumens, Legem ferat generalem ad ea impedienda sive avertenda; etiamsi præsumptio in quibusdam casibus singularibus falsa sit, Lex in illis etiam obligat: quia subsistit ratio in qua fundata Lex est. Unde Lex irritum declarans solemne Votum ante pubertatis annos emissum, vim habet etiam respectu illorum in quibus maturum judicium pubertatis annos prævenit, quia in ea præsumptione fundata est, quòd in minori ætate desit ut plurimùm judicii maturitas, ut observat *Sanctus Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXVIII. Articulo IX. *Quantumcunque* (inquit) *sit doli capax ante annos pubertatis, non potest obligari Voto solemni Religionis, propter Ecclesiæ Statutum, quod respicit id quod in pluribus accidit.*

REGULA XX.

Legibus, quas de Fide, Sacramentis, Causisque merè spiritualibus & Ecclesiasticis Princeps Laicus conderet, Clerici nullatenus obligarentur: quemadmodum nec Legibus, quas ferret Prælatus Ecclesiasticus temporalem Principatum ac ditionem non habens, de causis Civilibus, & merè temporalibus, Laici parere tenerentur: aut si temporalem ditionem ac Principatum habeat, Legibus ipsius res & causas Civiles spectantibus ii soli obligantur, qui ditioni ipsius temporali subditi sunt.

De legum obligatione & observantia.

UTraque enim Potestas, Ecclesiastica & Laica, certis finibus à Deo conclusa est, extra quos excurrere, Leges ferre, Judiciáque exercere non potest. Christus enim auctoritatem regendi Ecclesiam S. Petro & Apostolis, eorúmque Successoribus, non sæculi Principibus commisit, *Matth.* XVI. & XVIII. & *Joannis* XX. ac XXI. & auctoritatem moderandi Rempublicam Regibus, & Principibus temporalibus, non Episcopis quatenus Episcopi sunt, tribuit. Hinc *Osius* Cordubensis Episcopus apud *S. Athanasium* in Epistola ad Solitariam Vitam agentes, *Constantium* Imperatorem sic alloquitur: *Tibi Deus Imperium commisit; nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Et quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei, Deo. Neque igitur fas est nobis Imperium tenere; neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes, Imperator.*

Idem confirmatur ex Canone *Cùm ad verum*, Dist. XCVI. sumpto ex Epistola I. *Nicolai I.* ad *Michaëlem* Græcorum Imperatorem: *Sed cùm* (inquit) *ad verum ventum est eumdem Regem atque Sacerdotem, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatûs arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium usurpavit. Quoniam idem Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, sic actibus propriis, & dignitatibus distinctis Officia Potestatis utriusque discrevit, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus Legibus uterentur; quatenus spiritalis actio carnalibus distaret incursibus.*

Et Canone *Nos si incompetenter*, Causa II. Quæst. VII. *Leo IV.* ait: *Sicut Reges præsunt in causis Sæculi, ita Sacerdotes in causis Dei.*

REGULA XXI.

Legibus Civilibus parere tenentur Clerici, salvâ Ecclesiarum & Personarum Ecclesiasticarum Immunitate.

NAm & Clerici cives sunt, & *Riddere* debent *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Et Clericos etiam spectat illud Apostoli ad Titum III. *Admone illos Principibus & Potestatibus subditos esse, dicto obedire.* Et illud S. Petri, I. *Subjecti estote Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis.* Hinc *S. Joannes Chrysostomus* Hom. 23. in Epist. ad Romanos ait: *Omnis animo potestatibus supereminentibus subdita sit, etiamsi Apostolus sis, si Evangelista, si Propheta, sive quisquis tandem fueris. Neque enim pietatem subvertit ista subjectio.* Et *Theodoretus* in cap. XIII. Epistolæ ad Romanos ait: *Et Sacerdos, & Antistes, & Monasticam vitam professus, iis debent parere, quibus demandati sunt Principatus.* Exceptionem additam Regulæ confirmant Sacri Canones, Constitutiones Principum, *S. Thomas*, qui in cap. XIII. Epistolæ ad Romanos, Clericos à debito solvendi tributa *liberos* esse docet *ex Privilegio Principum; quod quidem æquitatem naturalem habet:* & Sacra Synodus Tridentina, *Ecclesiæ & Personarum Ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione & Canonicis Sanctionibus constitutam* esse ait, Sessione XXV. *De Reformatione*, cap. XX.

De legum obligatione & observantia.

REGULA XXII.

Supremi Principes & Legislatores suis ipsi Legibus quibusdam obligantur, quamvis à nemine coërceri possint ob earum neglectam observantiam.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæst. XCVI. Articulo V. ad tertium: *Princeps* (inquit) *dicitur esse solutus à Lege, quantùm ad vim coactivam Legis: nullus enim propriè cogitur à se ipso: Lex autem non habet vim coactivam, nisi ex Principis potestate. Sic igitur Princeps dicitur solutus esse à Lege, quia nullus in ipsum potest judicium condemnationis ferre, si contra Leges agat. Sed quantùm ad vim directivam Legis, Princeps subditur Legi propriâ voluntate, secundùm quod dicitur*, Extra, *De Constitutionibus*, cap. *Cùm omnes*, (ex Innocentio III.) *Quod quisque juris in alterum statuit, ipse eodem jure uti debet: & Sapientis dicit auctoritas* (Catonis scilicet) *Patere Legem quam tu ipse tuleris. Improperatur etiam his à Domino*, qui dicunt, & non " faciunt, & qui aliis onera gravia imponunt, & " ipsi nec digito volunt ea movere. *Unde quan-* " *tùm ad Dei judicium, Princeps non est solutus à Lege, quantùm ad vim directivam ejus; sed debet voluntarius, non coactus Legem implere.* Matth. 23.

Hanc Regulam hauserat *S. Thomas* ex *S. Isidoro*, Lib. III. *De Summo Bono*, cap. LII. cujus verba referuntur Canone *Justum est*, Dist. X. *Justum est Principem Legibus obtemperare suis. Tunc enim jura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse illis reverentiam præbet. Principes Legibus teneri suis, nec in se convenit frustrare Jura, quæ in subjectis constituunt. Justa est enim vocis eorum auctoritas, si quod Populis prohibent, sibi licere non patiantur.*

Eamdem Regulam confirmant *Theodosius & Valentinianus* Imperatores. L. I. Cod. Tit. XIV. *Digna vox est* (inquiunt) *Majestate Regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri: adeo de auctoritate juris nostra pendet auctoritas: & revera majus Imperio est, subjicere Legibus Principatum.*

Ea tamen Regula de illis legibus intelligenda est, quarum materia Principes, ac subditos æquè spectat. Unde Episcopus Festos dies & Jejunia à se instituta observare tenetur: necnon Statuta Clericalis Ordinis Reformationem spectantia, in iis quæ ipsum æquè ac secundi Ordinis Sacerdotes spectant: exempli gratiâ, si ludum aleæ sub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ prohibuerit, ab eo ludo abstinere debet, alioqui lethaliter peccabit; in Excommunicationis tamen Sententiam non incurret.

REGULA XXIII.

Princeps, & Legislator quilibet est supra legem, in quantum mutare illam potest, si expediat; & in ea pro loco & tempore dispensare.

De legum obligatione & observantia.

VErba sunt *Sancti Thomæ*, loco mox indicato.

REGULA XXIV.

Peregrini & advenæ Leges & Consuetudines locorum ad quæ veniunt, vel in quibus diversantur, ex officio conscientiæ sequi debent.

DE Consuetudinibus legitimis, vimque legis habentibus loquor. Ratio Regulæ est, quòd quisque ratione territorii legem ac forum sortiatur; & quòd ordo páxque postulet, ut non aliis legibus peregrini & advenæ utantur, quàm indigenæ. Hinc *Sanctus Augustinus*, Lib. III. *Confessionum*, Cap. VIII. *Quæ*, inquit, *contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt; ne pactum inter se civitatis aut gentis consuetu-* C *dine vel lege firmatum, nullâ civis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est suo universo non congruens.*

Et Epistolâ XXXVI. aliàs LXXXVI. Ad *Casulanum*, refert: Cùm pia Mater Monica Mediolani agens solicita esset, an sibi secundùm civitatis suæ morem Sabbato jejunandum, an secundùm Mediolanensis Ecclesiæ morem prandendum esset; *Sanctum Ambrosium* ea de re interrogatum respondisse: *Quando hic sum, non* D *jejuno Sabbato: quando Romæ sum, jejuno Sabbato: & ad quamcumque Ecclesiam veneritis*, inquit, *ejus morem servate, si pati scandalum non vultis, aut facere.* Hoc responsum *S. Augustinus* retulit ad Matrem, nec dubitavit esse obediendum: Hoc & ipse sequutus est. *Sed quoniam contingit ut una Ecclesia, vel unius regionis Ecclesiæ alios habeant Sabbato prandentes, alios jejunantes; Mos eorum* (inquit S. Augustinus) *mihi sequendus videtur, quibus eorum Populorum Congregatio regenda commissa est.*

Et Epistola LIV. aliàs CXVIII. *Ad Januarium*, Cap. II. *Nec disciplina ulla est*, inquit, *in his melior gravi prudentique Christiano, quàm ut eo* E *modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam fortè devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, & propter eorum inter quos vivitur societatem servandum est.*

Hinc sequitur, Viatores Sacro interesse, à carnibus abstinere, jejunare debere ex officio conscientiæ, si in loco ad quem veniunt, & in quo solida die morantur, dies festus sit, statúmque jejunium, sive abstinentia præcepta. Si verò solùm transeant, eodem scilicet die quo appulerunt, recedentes, non obligantur, modò tamen omnis scandali vitetur occasio: immò qui in uno oppido F nocte dormivit, in quo sequens dies Festus est, non tenetur Missam audire priusquàm recedat.

REGULA XXV.

Lex humana sive Ecclesiastica, sive Civilis obligare non videtur, nisi solemni more promulgata fuerit in Provinciis.

De legum promulgatione & observantia. Legum promulgatio.

LEges enim ita promulgari necesse est, ut in eorum, quibus latæ sunt, notitiam facilè perveniant, aut pervenire possint, ut constat ex L. *Leges sacratissimæ*, C. Tit. *De Legibus*, & B colligitur ex *Innocentio III.* Cap. *Ad hæc*, Extra, *De Postulatione Prælatorum*, cujus hæc sunt verba: *Cùm Constitutio solemniter editur aut publicè promulgatur, non est necessarium notitiam ipsius per speciale Mandatum singulorum auribus inculcare, sed id solùm sufficit, ut ad ejus observantiam quis teneatur, si eam solemniter editam, aut publicè noverit promulgatam.* In omnium porrò notitiam facilè pervenire non possunt, nisi sint in Provinciis promulgatæ. Hinc *Siricius* Pontifex Maximus Epistolâ ad *Himerium* Tarraconensem Episcopum, Decretalem suam in quinque Hispaniæ, viciniśque Provinciis promulgari sancxit. C *Et hæc*, inquit, *ad tua Consulta rescripsimus, ut in omnium Coepiscoporum nostrorum perferri facias notionem, & non solùm eorum qui in tua sunt Diœcesi constituti, sed etiam ad universos Carthaginenses, Bæticos, Lusitanos, atque Callaicos, vel eos qui vicinis collimitant hinc inde Provinciis, hæc quæ à Nobis sunt salubri ordinatione disposita, sub literarum tuarum prosecutione mittantur. Et quamquam Statuta Sedis Apostolicæ vel Canonum venerabilia definita, nulli Sacerdotum Domini igno-* D *rare sit liberum, utilius tamen, & pro antiquitate Sacerdotii tui Dilectioni tuæ admodum poterit esse gloriosum, si ea quæ ad te speciali nomine generaliter scripta sunt, per unanimitatis tuæ solicitudinem, in universorum Fratrum nostrorum notitiam perferantur: quatenus & quæ à nobis non inconsultè sed providè, & sub nimia cautela & deliberatione sunt salubriter constituta, intemerata permaneant, & omnibus in posterum excusationis aditus, qui apud nos nulli patere poterit, obstruatur.* Eamdem formam prisci Pontifices sunt sequuti; eumque morem Novellâ Justiniani pro Civilibus Legibus præscriptum, in Legibus etiam Ecclesiasticis promulgandis observari æquissimum E duxerunt, ut scilicet non obligarent, donec in Provinciis publica auctoritate fuissent promulgatæ. Ipsáque Concilia Generalia Decreta sua non aliter obligare, satis apertè significaverunt. Concilium enim Lateranense IV. sub *Innocentio III.* Canone XXII. relato Cap. *Cum infirmitas*, Extra, *De Pœnitentiis & Remissionibus*, cùm præcepisset Medicis ut ægros inducerent ad consulendum suarum animarum saluti, antè quam morbo remedia parentur, addit tamen, pœnæ Canoni adjectæ non esse locum donec promulgatio Canonis istius facta fuerit ab Episcopo Diœcesano: *Si quis autem Medicorum hujus nostræ Constitutionis,* F *postquam per Prælatos locorum fuit publicata, transgressor extiterit, tamdiu ab Ecclesiæ ingressu arceatur, donec pro transgressione hujusmodi satisfecerit competenter.*

Et Sacra Synodus Tridentina Decretum primum de Reformatione Matrimonii tunc demum vim obligandi Fideles habiturum declarat, cùm in eorum Parochia fuerit publicatum. *Ne verò*, inquit, *hæc tam salubria præcepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus præcipit, ut cùm primùm potuerint, curent hoc Decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum Diœcesum Pa-*

De legum promulgatione & observantia.

rochialibus Ecclesiis, idque in primo anno quàm sapissimè fiat; deinde verò quoties expedire viderint. Decernit insuper, ut hujusmodi Decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, à die prima publicationis in eadem Parochia facta numerandos. Unde Theologi omnes & Jurisconsulti summo consensu docent, Decretum illud non obligare, ideòque & Matrimonia contra formam in eo præscriptam contracta (modò tamen mutuus inter legitimas personas intercesserit consensus) rata esse in iis Provinciis & Regnis, in quibus promulgatum non fuit. Hinc *Panormitanus*, in Cap. *Cognoscentes*, De Constitutionibus, *Cajetanus* in Primam Secundæ, Quæst. xc. Art. iv. *Dominicus Soto*, Lib. i. *De Justitia & Jure*, Quæst. ii. Art. iv. *Nicolaus Serarius* Disp. *De Legibus*, Num. 56. & seqq. & alii Theologi plerique, solam in Romana Curia promolgationem non sufficere censent, ut Lex Ecclesiastica Fideles obliget universos, sed necessariam esse per singolas Provincias publicationem contendunt.

REGULA XXVI.

Quamvis Leges humana tam Civiles quàm Ecclesiastica ab acceptione subditorum obligandi vim non habeant: non obligant tamen cùm moribus utentium recepta non sunt & firmata.

IN subditorum arbitrio positum non esse ut Legem recipiant, vel respuant, certissimum est, cùm Legislator sive Ecclesiasticus, sive Politicus, jus habeat obedientiam à subditis exigendi, & rebelles atque contumaces impositis pœnis coërcendi.

Tenentur subditi leges justas à superiori potestate latas, recipere.

Tenentur itaque subditi Leges justas à superiori potestate latas recipere; graviterque peccant ii qui prohibent ex contumacia ne recipiantur, vel ipsas respuunt.

Propositio damnata.

Unde inter alias pestilentis Moralis Propositiones hæc meritò ab *Alexandro VII.* Pontifice Maximo damnata est: *Populus non peccat, etiamsi absque ullâ causa non recipiat Legem à Principe promulgatam:* quam Propositionem Generalis Cleri Gallicani Conventus etiam damnavit anno MDCC. *ut seditiosam, doctrinaque Apostolica ac dictis Dominicis apertè contrariam.* Sic lethaliter peccant Clerici, Monachi, Moniales, qui Episcopis capita Reformationis in Concilio Tridentino sancita inducere volentibus, & tam Sacræ Disciplinæ imperantibus executionem, incertorum, aut abrogatorum privilegiorum, vel consuetudinum obtentu resistunt, illisque lites movent. Si tamen lex non fuerit utentium moribus recepta & firmata, non obligat: tum quia ipsam illis non convenire perspicuum & exploratum est, apud quos vim obtinere non potuit: tum quia Princeps qui Legem à subditis non esse receptam intelligit, ad ipsos tamen receptionem ac executionem illos impositis pœnis non cogit, sed dissimulat, sicque tacito consensu legi derogat. Ita sentiunt *Silvester Prierias*, in Summa, verbo *Lex*, §. 6. & *Navarrus*, Manualis Cap. xxiii. Num. 41. *Covarruvias* Libro ii. *Variarum Resolutionum*, Cap. xvi. Cardinalis *Cusanus*, ii. Libro *De Concordantia Catholica* Cap. ix. x. & xi. & alii. Atque hoc sensu intelligenda sunt verba *Juliani* Jurisconsulti L. *De quibus*, §. 1. ff. De Legibus. *Ipsa leges nullâ aliâ ex causâ nos tenent, quàm quod judicio populi recepta sunt.* Quibus verbis addit *Gratianus* Distinctione iv. *Leges instituuntur, cùm promulgantur: firmantur, cùm moribus utentium approbantur.* Quò videtur inclinare *S. Augustinus*, Libro, *De Vera Religione*, Cap. xxxi. scribens, de legibus temporalibus homines judicare cùm eas instituunt, sed cum fuerint institutæ & firmatæ, non licere Judici de ipsis judicare, sed secundùm ipsas.

Matth. 20. Luc. 22.

De legum obligatione & observantia.

Hinc plurimos Canones, & Pontificias etiam Constitutiones nonnullas de Disciplina Ecclesiastica latas, in illis Ecclesiis Clerum, Populúmve Christianum non obligare compertum est, in quibus usu receptæ non fuerunt: quia Summi Pontifices, pro benignitate sua, & auctoritatis Ecclesiasticæ moderatione, quæ Clero ac populo fideli non dominatur, sicut *Reges Gentium dominantur eorum*, sed eorum saluti consulit; Leges quasdam à se latas non recipi passi sunt à quibusdam Ecclesiis, quibus commodæ ac utiles non essent, & quarum Disciplinæ ac Moribus repugnarent. Auctoritate scilicet ligandi & solvendi a Christo sibi traditâ, & à subditorum arbitrio vel consensu nequaquam pendente, uti voluerunt *in ædificationem, non in destructionem*, ut loquitur Apostolus; caveruntque ne laqueos Animabus injicerent.

REGULA XXVII.

Leges Civiles, quæ sacris Canonibus sunt adversa, nullius sunt roboris, in iis causis quæ Ecclesiarum Ordinationes, Ecclesiasticámque Disciplinam spectant.

HAnc Regolam tradit Synodus Chalcedonensis Oecumenica, Actione iv. in causa quæ inter *Photinum* Episcopum Tyri & *Eustathium* Episcopum Beryti de Episcopatuum divisione vertebatur: *Contra Regulas*, inquit, *Pragmaticum nihil valebit. Universa Pragmatica cessabunt, Regula teneant.*

Eamdem confirmat *Nicolaus I.* cujus verba referuntur Canone, *Lege*, Distinctione x. *Lege*, inquit, *Imperatorum non in omnibus Ecclesiasticis controversiis utendum est; præsertim cùm inveniatur Evangelica ac Canonica Sanctioni aliquoties obviare.... Lex Imperatorum non est supra legem Dei, sed subtus. Imperiali Judicio non possunt Ecclesiastica Jura dissolvi.* Id *Innocentii I.* & *S. Gregorii* testimoniis roborat, subditque: *Non quod Imperatorum Leges (quibus sæpe Ecclesia utitur contra Hæreticos, sæpe contra Tyrannos, atque contra pravos quosque defenditur) dicamus penitus renuendas: sed quod eas Evangelicis, Apostolicis, atque Canonicis Decretis, quibus postponenda sunt, nullum posse inferre præjudicium asseramus.*

Et Canone *Certum est*, Felix III. Imperatorem sic compellat: *Certum est hoc rebus vestris esse salutare, ut cùm de causis Dei agitur, juxta ipsius constitutionem, Regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre, & Sacrosancta per eorum Præsules potiùs discere, quàm docere: Ecclesiasticam formam sequi, non huic humanitus sequenda Jura præfigere; neque ejus Sanctionibus velle dominari, ne dum mensura cœlestis dispositionis exceditur, eatur in contumeliam Disponentis.*

Denique Canone *Constitutiones*, eadem Distinctione dicitur: *Constitutiones contra Canones & Decreta Præsulum Romanorum, vel bonos mores, nullius sunt momenti.*

Re-

DE DECALOGO.

REGULA XXVIII.

Verba Legis servanda sunt accurratissimè, nisi adsit periculum publici boni: quod si subitum sit, nec tantam patiens moram ut Superioris sententia rogari possit, in his angustiis præter verba Legis agere licet.

De Legum obligatione & observantia.

HÆc Regula statuitur à *S. Thoma*, Prima Secundæ, Quæstione XCVI. Articulo VI. *Omnis lex*, inquit, *ordinatur ad communem hominum salutem, & in tantùm obtinet vim & rationem legis.... Contingit autem multoties, quòd aliquid observari communi saluti est utile ut in pluribus, quod tamen aliquibus casibus est maximè nocivum. Quia* **B** *igitur Legislator non potest omnes singulares casus intueri, proponit legem secundùm ea quæ in pluribus accidunt, ferens intentionem suam ad communem utilitatem. Unde si emergat casus, in quo observatio talis legis sit damnosa communi saluti, non est observanda: sicut si in civitate obsessa statuatur lex, quòd portæ civitatis maneant clausæ, hoc est utile communi saluti ut in pluribus: si tamen hostes* **C** *insequantur aliquos cives per quos civitas conservatur, damnosissimum esset civitati, nisi eis portæ aperirentur: & ideo in tali casu essent portæ aperiendæ contra verba legis, ut servaretur utilitas communis, quam Legislator intendit. Sed tamen, si observatio legis secundùm verba non habeat subitum periculum, cui oporteat statim occurri, non pertinet ad quemlibet ut interpretetur quid sit utile & quid inutile civitati: sed hoc solùm pertinet ad Principes, qui propter hujusmodi casus habent auctoritatem in legibus dispensandi. Si verò sit subitum periculum, non patiens tantam moram, ut ad Superiorem recurri possit, ipsa* **D** *necessitas dispensationem habet annexam, quia necessitas non subditur Legi.*

Legislatoris igitur intentionem sequi præstat, quàm verba Legis, ubi ex evidentia nocumenti manifestum est Legislatorem aliud intendisse, vel hunc non spectasse casum, in quo legis observantia publico bono esset nocitura. Unde *Theodosius* & *Valentinianus* Imperatores Lib. I. *Cod.* Tit. *De Legibus & Constitutionibus Principum*, aiunt: *Non dubium est in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem.*

E

REGULA XXIX.

Lex humana mutari non debet nisi propter evidentem necessitatem, aut maximam Ecclesiæ vel Reipublicæ, sive Societatis cujus in bonum lata est, utilitatem.

Legis mutatio.

ITa docet *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione XCVII. Articulo II. *Lex humana*, inquit, *in tantùm rectè mutatur, in quantùm per ejus mutationem communi utilitati providetur. Habet autem ipsa legis mutatio, quantùm in se est, detrimentum quoddam communis salutis; quia ad* **F** *observantiam legum plurimùm valet consuetudo, in tantum quòd ea quæ contra communem consuetudinem fiunt, etiamsi sint leviora, de se graviora videntur.... Et ideo nunquam debet mutari lex humana, nisi ex alia parte tantùm recompensetur communi saluti, quantùm ex ista parte derogatur. Quod quidem contingit vel ex hoc quòd aliqua maxima & evidentissima utilitas ex novo Statuto provenit: vel ex eo quod est maxima necessitas, ex eo quòd lex consueta aut manifestam iniquitatem continet, aut ejus observatio est plurimum nociva.* Unde Libro I. Digest. Tit. *De Constitutionibus Principum*, Lege II. dicitur:

A DE DECALOGO.

In rebus novis constituendis evidens debet esse utilitas, ut recedatur ab eo Jure, quod diu æquum visum est.

REGULA XXX.

Nulla Consuetudo vim Legis obtinere potest contra Legem Divinam, & Naturalem.

De Consuetudine.

QUod enim ejusmodi legibus præceptum aut vetitum est, *Necessarium* est *inviolabile*, aut *incommutabile*, ut loquitur *S. Bernardus* Libro **B** *De Præcepto & Dispensatione*, Cap. III. *Necessarium inviolabile illud intelligo, quod non ab homine traditum, sed divinitus promulgatum, nisi à Deo qui tradidit, mutari omnino non patitur: ut exempli causâ, Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, & reliqua illius tabulæ Legis scita: quæ etsi nullam prorsus humanam dispensationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquid aliquo modo solvere aut licuit, aut licebit: Dominus tamen horum, quod voluit, quando voluit, solvit, sive cùm ab Hebræis Ægyptios spoliari: sive quando Prophetam cum muliere fornicaria misceri præce-* **C** *pit. Quorum utique alterum quid nisi grave furti facinus, alterum quid nisi flagitii turpitudo reputaretur: si non excusasset utrumque factum auctoritas imperantis?*

Necessarium incommotabile est, *Quod divinâ ita constat ratione firmatum, ut nullâ ex causâ possit vel ab ipso Deo aliquatenus immutari. Sub hoc genere est omnis illa Sermonis Dominici in Monte habiti spiritualis traditio, & quicquid de dilectione, humilitate, mansuetudine, cæterisque virtutibus, tam in Novo quam in Veteri Testamento spiritualiter observandum contraditur. Hæc quippe talia sunt, quæ* **D** *nec liceat, nec expediat aliquando non haberi. Eo siquidem immobiliter, quo & naturaliter bona, nunquam nisi innocenter, nunquam nisi salubriter aut imperantur, aut observantur. Omni tempore, omni persona mortem contempta, custodita salutem operantur.*

Idem confirmatur ex Canone *Frustra*, Distinctione IX. sumpto ex *S. Augustino*, Lib. IV. *De Baptismo contra Donatistas*, Cap. V. *Hoc planè verum est*, inquit, *Quia ratio & veritas consuetudini præponenda est. Sed cùm consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmiùs retineri.*

E Et Canone *Si consuetudinem*, ex Gregorio VII. *Si consuetudinem fortassis opponas, advertendum est quòd Dominus dicit*: Ego sum veritas & vita. *Non dixit, Ego sum consuetudo, sed veritas. Et certè (ut Beati Cypriani sententiâ utamur) Qualibet consuetudo, quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati omnino est postponenda: & usus qui veritati est contrarius, abolendus.* Et Cap. *Cùm tantò*, Extra, *De Consuetudine.*, Gregorius IX. ait: *Cùm tantò graviora sint peccata, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam, nemo sanæ mentis intelligit, naturali Juri, cujus transgressio periculum salutis inducit, quacumque consuetudine, quæ* **F** *dicenda est veriùs in hac parte corruptela, posse aliquatenus derogari.*

Veritas & justitia consuetudini præponendæ.

Idem confirmant *S. Isidorus* Lib. II. *Synonymorum*, Cap. XVI. *Multa sunt*, inquit, *consuetudine vitiata, multa pravo usu præsumpta, multa contra pudicos mores illicitè usurpata: cedat consuetudo auctoritati: pravum usum lex & ratio vincat: adime consuetudinem, serva legem.*

Et *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæst. XCVII. Articulo III. ad primum: *Lex naturalis*, inquit, *& divina procedit à voluntate divina. Unde non potest mutari per consuetudinem procedentem à voluntate hominis, sed solùm per voluntatem divinam mutari*

De Consuetudine. *posset. Et inde est quòd nulla consuetudo vim legis obtinere potest contra legem divinam, vel naturalem.*

Nulla itaque consuetudo efficere potest ut spiritualia licitè vendantur: neque ut aliquid ratione mutui exigatur ultra sortem, quamvis illam consuetudinem auctoritate suâ probarent Magistratus; neque ut Prælatus vel Capitula usurpent fructus Beneficii, de cujus possessione litigatur, in fraudem ejus qui verum jus habet: neque ut Maritus pro suo arbitrio distrahat dotem uxoris, aut uxor gravetur debitis mariti prodigi, ut declarat *Honorius III.* Cap. *Ex parte*, Extra, *De Consuetudine*: neque ut Domini temporales mulctare vel punire possint interceptores ferarum sibi damna inferentium, quæ illi resarcire nolunt: neque ut bona Christianorum naufragorum sibi quisque vendicet: neque ut Prætores vel Satellites usurpent, quæcunque reperiunt apud furem: neque ut omnino immunes sint Fideles à Decimis Ecclesiæ Ministris solvendis.

REGULA XXXI.

Consuetudo non abroget Legem positivam, seu Ecclesiasticam seu Civilem, nisi sit legitima & præscripta.

Hæc Regula nititur Cap. *Cùm tantò*, Extra *De Consuetudine*, cujus hæc sunt verba: *Licèt etiam longæva consuetudinis non sit vilis auctoritas; non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè sit præscripta.*

Quæ consuetudines legitimæ censendæ sint. Rationabilis censetur consuetudo, quam Jus non improbat; irrationabilis, quæ reprobatur à Jure, ut ea quâ secundi Ordinis Sacerdotes ea Sacramenta ministrabant Constantinopoli, tempore *Innocentii III.* quæ ab Apostolorum tempore solis Episcopis fuerunt reservata, ut Sacramentum Confirmationis. (Cap. *Quanto*, Extra *De Consuetudine.*) Talis etiam censenda est consuetudo, quâ non servantur ea quæ Jus statuit observari circa Censuras Ecclesiasticas, ut ea quâ Canonici S. Petri de Curia Interdictum Generale ab Episcopo Cenomanensi positum non servabant; sed pulsatis campanis, alta voce (interdictis tamen & Excommunicatis exclusis) Divina Officia celebrabant. Hanc consuetudinem improbat *Innocentius III.* Cap. *Cùm inter vos*, sub eodem Titulo, quia *Ex tali consuetudine disrumperetur nervus Ecclesiastica Disciplina.* Sic irrationabilem consuetudinem judicavit idem Pontifex, quâ fretus quidem Abbas Sedi Apostolicæ immediatè subditus, ad aliam Abbatiam eidem Sedi pariter subditam migraverat absque licentiâ Summi Pontificis, quia hæc consuetudo erat sacris inimica Canonibus, adeóque *Non tam consuetudo, quàm corruptela censenda.* (Cap. *Cùm venerabilis*, Extra, *De Consuetudine*:) Idemque de omni consuetudine censendum, quæ contra obedientiam militat. Idem censendum de consuetudine quæ pugnat contra Ecclesiæ, vel electionis libertatem, ut decernit *Celestinus III.* Cap. *Cùm terra*, Extra, *De Electione*, & *Gregorius IX.* Cap. *Sacrosancta* (sub eodem Titulo.) Nec solùm rationabilis debet esse consuetudo ut legem abroget, sed legitimè præscripta: quadraginta scilicet annorum spatio, ut colligitur ex Cap. *Audivit*, Extra *De Præscriptionibus*. Sic Lex Ecclesiastica de observantia Rogationum quoad jejunium, & cessationem ab operibus, & Lex de tota Hebdomada Paschæ solemniter celebranda, Canone *Pronuntiandum* & Canone *Rogationes*, Dist. III. *De Consecratione*, abrogatæ sunt contrariâ consuetudine rationabili & præscripta, ob Fidelium minorem devotionem, & ob incommoda, quæ pauperibus victum ex labore ægrè quærentibus afferebat Jejuniorum & Festorum multiplicatio. *De Consuetudine.* Idem dicendum de Jejunio Quadragesimæ à Clericis incipiendo prima die post Dominicam Quinquagesimæ, secundùm Canonem *Statuimus*, Distinctione IV. quem abrogavit consuetudo.

Magnam autem adhibendam esse diligentiam in judicando, ut non facilè aperiatur via transgressioni Ordinationum Ecclesiasticarum. *Quæ consuetudines possint tolerari?* *Nec etiam condemnetur quis leviter de mortali in hujusmodi consuetudinum observatione*, quæ Canonicis quibusdam Statutis obviant, sed tamen tolerantur, monet S. *Antoninus*, P. I. Tit. XVI. Cap. I. Sic consuetudo plurimorum locorum, ut Sabbato & in Vigiliis magnarum Solemnitatum quidam artifices nocte tota laborent, ut Sartores & Barbitonsores, *videtur posse tolerari*; sed *nullo modo tolerari debet, nec excusat à peccato, consuetudo, immò corruptela*, ut ad Sacram Communionem accedere non incipiant homines nisi in virili ætate, aut puellæ cùm sunt nuptæ; cùm Præceptum Ecclesiasticum annuæ Confessionis, & Paschalis Communionis Christianos omnes obliget postquam ad usum rationis pervenerunt. Excusare similiter non potest Viduas quælibet consuetudo, ut post mortem virorum diebus Dominicis ac Festis Missæ non intersint. Nec etiam Clericos excusat consuetudo Patriæ, ut contra decorum & modestiam Status Clericalis multa faciant, quæ Canonibus prohibentur, Extra, *De vita & honestate Clericorum.* Nec etiam Viros Religiosos excusat consuetudo à Regularibus observantiis, quas Regula, vel Constitutiones illis præscribunt, ut constat ex Cap. *Cùm ad Monasterium*, Extra, *De Statu Monachorum*: nec Moniales à Clausura servanda excusat consuetudo Tridentinæ Synodi Decreto, Pontificiisque Constitutionibus contraria. *Nec dici possunt hujusmodi consuetudines, sed corruptela & abusiones, & ideo extirpanda sunt à Pralatis, cùm fieri potest sine majori scandalo, quàm esset bonum inde sequens.* Hanc exceptionem *S. Antoninus* prudenter addit, confirmatque ex Canone *Denique*, Distinctione IV. quod est Responsum *S. Gregorii* datum *Augustino* Anglorum Episcopo, ubi loquens de Laicorum consuetudine, qui die Carnisprivii se carnium cibis usque ad mediam noctem ingurgitant, non aliter se sacri Temporis Quadragesimalis observationem suscipere putantes, *Quod non rationi, sed voluptati, imò cuidam mentis cæcitati adscribendum est*, ait: *Unde nec à tali consuetudine averti possunt, & ideo cum venia suo ingenio relinquendi sunt, ne fortè pejores existant, si à tali consuetudine prohibeantur. Ut enim ait Salomon*, *Qui multùm emungit, elicit sanguinem.* *Prov. 30.* Quod tamen de veniâ pœnæ duntaxat, non de veniâ culpæ intelligendum. *Tolerat ergo S. Gregorius eos in tali propter periculum schismatis vel scandali: unde non est dicendum quòd ignoscatur eis, licèt non puniat eos propter multitudinem vel scandalum.* *S. Antoninus.* De hujusmodi pravis consuetudinibus *Nicolaus I.* ad *Hincmarum* Archiepiscopum Remensem scribebat, ut habetur Canone *Mala*, Distinctione VIII. *Mala consuetudo, quæ non minùs quàm perniciosa corruptela vitanda est; nisi citiùs radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis assumitur: & incipiunt prævaricationes & variæ præsumptiones celerrimè non compressa pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuò celebrari.*

DE DECALOGO.

REGULA XXXII.

Ecclesiæ universæ consuetudo omnibus & singulis Christianis pro Lege habenda, & religiosè servanda est.

De consuetudine.

HAnc Regulam tradit S. *Augustinus*, Epistolâ LIV. alias CXVIII. *Ad Januarium*, cap. I. & refertur Canone *Illa*, Dist. XII. *Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel Plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quòd Domini Passio & Resurrectio, & Ascensio in Cælum, & Adventus de Cælo Spiritûs Sancti anniversariâ Solemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrit, quod servatur ab universa, quacunque se diffundit, Ecclesia.*

Et cap. V. *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare insolentissima insania est.*

Et Epistola XXXVI. aliàs LXXXV. *Ad Casulanum*, de Dominica die sic loquitur: *Quisquis hunc diem jejunio decernendum putaverit, sicut quidam jejunantes Sabbatum observant, non parvo scandalo erit Ecclesiæ; nec immeritò. In his enim rebus de quibus nihil certi statuit Scriptura Divina, mos populi Dei, vel instituta Majorum pro lege tenenda sunt.*

REGULA XXXIII.

Ecclesiæ cujusque particularis consuetudo ab iis servanda est, qui in ea morantur, vel ad eam veniunt.

ITa docet S. *Augustinus*, Epistolâ LIV. suprà laudata, ubi loquens de illo rerum genere, quarum observatio per loca regionesve variatur, ait: *Faciat ergo quisque quod in ea Ecclesia in quam venit, invenerit. Non enim quidquam eorum contra fidem fit, aut contra mores, hinc vel inde meliores. His enim causis, id est, aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet quod perperam fiebat, vel institui quod non fiebat.*

Idem confirmatur ex Canone, *Catholica*, Dist. XI, qui S. *Augustino* tribuitur: *Catholica Ecclesia per orbem terrarum diffusa tribus modis probatur existere. Quicquid enim in eo tenetur, aut Auctoritas est Scripturarum, aut Traditio universalis, aut certè propria & particularis institutio. Sed Auctoritate tota constringitur, universali Traditione majorum nihilominus tota: privatis verò Constitutionibus, & propriis informationibus unaquæque pro locorum varietate, prout cuique visum est, subsistit & regitur.*

Et Canone *Scit sancta*, Dist. XII. Leo IX. & Nicolaus I. Pontifices Maximi aiunt: *Scit sancta Romana Ecclesia, quod nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco & tempore Consuetudines, si illis Canonica non obsistat Auctoritas, pro qua eis obviare debeamus: unde nihil judicamus eis debere vel posse resistere.*

Et S. *Gregorius* in Responsione ad *Augustinum* Anglorum Episcopum, privatas variarum Ecclesiarum Consuetudines commendat, ut habetur cap. *Noverit*, eadem Distinctione. *Mihi placet* (inquit) *ut sive in Romana, sive in Gallicana, sive in qualibet Ecclesia, aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicitè eligas: & in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc in fide nova est, institutione præcipuâ quæ de multis Ecclesiis colligere poteris, infundas. Non enim pro locis res, sed pro rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, elige: & hæc quasi in fasciculum collecta apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.*

De consuetudine.

REGULA XXXIV.

Consuetudines fidei aut bonis moribus minimè contrariæ, non facilè mutandæ sunt, ubi radices egerunt.

UT enim scitè ait S. *Augustinus*, Epistola LIV. *Ad Januarium*, cap. V. *Ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est.*

REGULA XXXV.

Consuetudines ad vitæ melioris exhortationem conducentes probandæ atque sectandæ sunt, nisi amplius detrimentum inde metuatur.

HAnc Regulam tradit S. *Augustinus*, Epistolâ LV. alias CIX. *Ad Januarium*, cap. XVIII. *Miror sanè* (inquit) *quid ita volueris, ut de iis quæ variè per diversa loca observantur, tibi aliqua scriberem, cùm & non sit necessarium, & una in his saluberrima Regula retinenda sit, ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solùm non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit. Si enim eo modo impediat, ut majora studiosorum lucra speranda sint, quàm calumniatorum detrimenta metuenda, sine dubitatione faciendum est, maximè id quod etiam de Scripturis defendi potest, sicut de Hymnis & Psalmis canendis, cùm & ipsius Domini, & Apostolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta.*

REGULA XXXVI.

Humanæ præsumptiones, seu consuetudines, absque causâ legitimâ introductæ, vel quarum causa ignoratur, & quæ inutiles aut superfluæ sunt, resecari debent, ubi facultas tribuitur.

HAnc Regulam tradit ibidem S. *Augustinus*, cap. XIX. *Hoc* (inquit) *nimis doleo, quòd multa quæ in Divinis Libris saluberrimè præcepta sunt, minùs curantur, & tam multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, ut graviùs corripiatur qui per Octavas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentiâ sepelierit. Omnia itaque talia, quæ neque Sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed pro diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omnino nunquam inveniri possint causæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt; ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo. Quamvis enim neque hoc inveniri possit quemodo contra fidem sint: ipsam tamen Religionem, quam paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei liberam esse voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio*

Judæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur. Sed Ecclesia Dei inter multam paleam, multáque zizania constituta, multa tolerat; & tamen quæ sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit.

REGULA XXXVII.

Constitutiones Pontificiæ, cæteræque Leges, futuris dant formam negotiis, non ad præterita facta trahuntur, nisi nominatim in eis de præteritis caveatur.

De Constitutionibus & Rescriptis Pontificiis.

ALioquin dispendium ante prohibitionem ignorantes incurrerent, quod æquitati repugnat. Hæc Regula nititur cap. *Cognoscentes*, Extra, *De Constitutionibus*, quod ex *S. Gregorio* Libro VII. Epistolâ XXXV. sumptum est: & cap. *Quoniam Constitutio*, quod est *Gregorii* IX. sub eodem Titulo.

REGULA XXXVIII.

Omnia Summorum Pontificum Rescripta vim Constitutionis non habent: omnibus tamen parendum est, nisi essent evidenter contra Jus, aut ratio humiliter exponenda cur executioni mandari non possint.

HAnc Regulam tradit *S. Antoninus*, P. I. Tit. XVII. cap. unico, De Lege Canonica, §. 17. *Rescriptum* (inquit) *est secundum jus, præter jus, aut contra jus. Si est secundùm jus, vim Constitutionis habet. Talis est Decretalis Epistola, & in causis definiendis auctoritatem habet. Si præter jus, similiter vim constitutionis habet, & arctat* » *illos ad quos dirigitur.* Nam etsi vix ferendum » jugum à Sancta Romana Sede imponitur, pia » tamen devotione tolerandum est, *ut dicitur Canone* In Memoriam, *Dist.* XIX. *Aut is cui Mandatum dirigitur rationabilem causam assignet, quare quod mandatur adimplere non possit, ut statuit Alexander* III. Cap. *Si quando*, Extra, *De Rescriptis*, cujus hæc sunt verba: *Si quando aliqua tuæ Fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debet... Qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut Mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas; quia patienter sustinebimus, si non feceris quod pravâ nobis fuerit insinuatione suggestum.* Si verò Rescriptum sit *contra jus, & fortè contra dictum Dei, Apostolorum, Evangelistarum, aliquid prodeat, omnino respuitur* (inquit S. Antoninus.) *Ubi enim apertè Dominus, vel ejus Apostoli, & eos sequentes sancti Patres sententialiter aliquid definierunt, ibi non novam Legem Romanus Pontifex dare, sed potiùs quod prædicatum est, usque ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apostoli & Prophetæ destruere (quod absit) niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur. Sed hoc procul sit ab eis, qui semper Domini Ecclesiam contra luporum insidias optimè custodierunt.* Verba sunt Canonis, *Sunt quidam*, Causa XXV. Quæst. I. qui *Urbano* Papæ tribuitur. Idque confirmat *Zosimus* Canone, *Contra Statuta*, ibidem. *Contra Statuta Patrum* (inquit) *condere aliquid vel mutare, nec hujus quidem Sedis potest Auctoritas. Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit Antiquitas, cui Decreta Patrum sanxere reverentiam.* Si autem Rescriptum sit contra Jus positivum, *abjiciendum est* (inquit S. Antoninus.) *Nec enim ratione Rescripti recedendum est à Jure communi, nisi expressè in Rescripto contineatur, Non obstante Constitutione vel Jure tali, aliàs non est verisimile Summum Pontificem unâ Epistolâ multa velle tollere Jura.* Hinc Impp. *Theodosius* & *Valentinianus* sanxerunt, *Rescripta contra Jus elicita ab omnibus Judicibus refutari, nisi fortè aliquid est quod non lædat alium, & prosit petenti, vel crimen supplicantibus indulgeat.* Quæ Lex in Corpus Juris Canonici transcripta est, Canone *Rescripta*, Causa XXV. Quæstione II. Et Canone *Dicenti*, ea tantùm Rescripta executioni mandari vult *Pelagius* Pontifex, *Quæ cum Juris & Legum ratione concordant.* Hinc *Alexander* III. cap. *Eam te*, Extra, *De ætate & qualitatibus Ordinandorum*, in Beneficiis curam Animarum adjunctam habentibus personas aliquas institui vetat, Pontificiarum etiam Litterarum obtentu, *Quæ scientiâ, moribus, & ætate, Concilii non congruunt institutis.* Hinc *Gregorius* IX. cap. *Ecclesia* 2. Extra, *De Electione*, ait: *Neque enim credendum est, Romanum Pontificem, qui Jura tuetur, quod aliàs excogitatum est multis vigiliis & inventum, uno verbo subvertere voluisse.*

De Constitutionibus & Rescriptis Pontificiis.

Et *Innocentius III.* Cap. *Pastoralis*, Extra, *De fide instrumentorum*, statuit, *Ut cùm aliqua Decretalis, de qua Judex meritò dubitet, allegatur, si eadem Juri communi sit consona, secundùm eam non metuat judicare: cùm non tam ipsius, quàm Juris communis auctoritate procedere videatur. Verùm si Juri communi sit dissona, secundùm ipsam non judicet, sed Superiorem consultat super ea.*

Denique Si *Rescriptum sit contra consuetudinem, prævalet consuetudo*; (inquit S. Antoninus) *Nam prævalet Juri, si sit rationabilis, & præscripta.* Hæc scire opere pretium fuerit conscientiarum Moderatores.

REGULA XXXIX.

Rescripto Pontificio tutâ conscientiâ uti non potest, qui per suggestionem falsi, aut suppressionem veri illud impetravit, sive sciens, sive ignorans, modò tamen ea ignorantia fuerit, quâ non interveniente datum non fuisset.

HAnc Regulam tradit *Innocentius III.* cap. *Super Litteris*, Extra, *De Rescriptis*. *Æquum enim est ut Mendax precator careat penitus impetratis.* In Rescriptis igitur Pontificiis intelligenda semper est hæc conditio, etiamsi non apponatur: *Si preces veritate nitantur*; ut declarat *Alexander III.* cap. *Ex parte*, sub eodem Titulo. Idem confirmat Canon *Dicenti*, Causa XXV. Quæstione II. ubi *Pelagius* Papa ait: *Rescripta quæ subreptione vel falsis precibus forsitan impetrantur, nullum supplicantibus ferre remedium.*

Rescriptum nullius roboris est, si non contineat seriem facti. (cap. *Super eodem*, Extra, *De cohabitatione Clericorum & mulierum.*) 2. Si non exprimat causam facti (cap. *Dilectus*, Extra, *De Rescriptis*, & cap. *Cùm pro causa*, Extra, *De Sententia Excommunicationis.*) 3. Si non fiat mentio dispensationis, (cap. *Ex tua*, Extra, *De filiis Presbyterorum.*) 4. Si non fiat mentio compositionis (cap. *Ex multiplici*, Extra, *De Decimis.*) 5. Si non fiat mentio Statuti (cap. *Constitutus*, Extra, *De Rescriptis.*) 6. Si non fiat mentio Privilegii (cap. *Cùm ordinem*, sub eodem Titulo.) 7. Si non fiat mentio Sententiæ latæ, (cap. *Inter Monasterium*, Extra, *De Sententia*

& re judicata.) Quæ omnia tribus bisce versibus juvandæ memoriæ causâ exprimuntur:

Si Privilegium, si Dispensatio, Pactum,
Vel si Rescriptum, Sententia, sive Statutum:
Finis tolletur, nisi mentio facta probetur.

REGULA XL.

Graviter peccat Superior, qui dispensationem concedit, seu licentiam ut preceptum Legis non servetur, absque justâ causâ.

De dispensationibus.

HAnc Regulam tradit *S. Bernardus*, Libro III. *De Consideratione*, cap. IV. *Ubi*, inquit, *necessitas urget, excusabilis dispensatio est. Ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas dico, communis, non propria. Nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.*

Et Libro *De Præcepto & Dispensatione*, cap. II. *Stabile dixerim, quod ita est necessarium, ut non cuilibet hominum illud mutare fas sit, nisi solis dispensatoribus Mysteriorum Dei, id est Præpositis, verbi gratiâ, Regula sanctorum Basilii, Augustini, Benedicti, necnon & authentici Canones, & si qua sunt alia Ecclesiastica instituta digna auctoritatis. Quæ quoniam à Sanctis tradita sunt, sancita stabiliter perseverant, nec omnino cuivis subjectorum ea aliquo modo variare vel mutare conceditur. Quia tamen ab hominibus, etiam per homines loco & Officio illis Canonica Electione succedentes, licitè interdum, innoxiéque pro causis, personis, locis, & temporibus, dispensantur.... Porrò inventa atque instituta fuerunt, non quia aliter vivere non liceret, sed quòd ita magis expediret, nec planè ad illud quàm ad lucrum vel custodiam caritatis. Quamdiu ergo caritati militant, immobiliter fixa sunt, mutarique omnino ne ab ipsis quidem Prælatis sine offensa possunt. Aut si è contrario contraria fortè aliquando caritati visa fuerint, his duntaxat quibus hoc posse videre datum est, & providere creditum est: nonne justissimum esse liquet, ut quæ pro caritate inventa fuerunt, pro caritate quoque, ubi expedire videbitur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodius demutentur? Sicut è regione iniquum proculdubio foret, si Statuta pro sola caritate, contra caritatem tenerentur. Tenent ergo fixam firmámque immobilitatem etiam apud prælatos, quæ ex stabili necessario sunt, sed quatenus caritati deserviunt. Numquid autem hoc ego vel solus sentio, vel primus dico? Annon hoc ipsum & Papa Gelasius sensit?* » *Ait siquidem:* Ubi necessitas non est, inconvertibilia maneant Sanctorum Patrum Decreta. *Leo quoque Papa:* Ubi, *inquit*, necessitas non est, nullo modo Sanctorum Patrum Constituta violentur. *Et infert:* Ubi ergo necessitas fuerit, ad utilitatem Ecclesiæ, qui potestatem habet, ea dispenset. Ex necessitate enim fit mutatio Legis.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione XCVII. Articulo IV. *Si* (inquit) *Superior absque ratione, pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis dispensatione, aut erit imprudens: infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune: imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret; propter quod Dominus dicit*, QUIS *putas est fidelis dispensator &, prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?*

Luc. 12.

Et in Responsione ad primum: *Quando cum aliquo dispensatur ut Legem communem non servet; non debet fieri in præjudicium boni communis, sed ea intentione ut ad bonum commune proficiat.*

REGULA XLI.

Regulares Observantiæ Superiorum fidei, non voluntati commissæ sunt: unde nec in iis possunt dispensare, nisi cùm necessitas vel caritas exegerit.

De dispensationibus.

HAnc Regulam totsus tradit *S. Bernardus*, Libro *De Præcepto & Dispensatione*, cap. IV. *Quicquid* (inquit) *de spiritualibus in Regula traditum est, in manu Abbatis nequaquam relinquitur. Deinde reliqua pars, quæ in corporalibus constat Observantiis, ne ipsa quidem in ejus ita voluntate posita est, ut ejusdem deserviat voluntati, sed magis caritati. Neque enim Abbas supra Regulam est, cui semel & ipse spontanea se Professione submisit, etsi (quod negandum non est) Dei Regula caritas. Regula S. Benedicti jure præponitur. Esto proinde ut interdum Regulæ littera cedat pro tempore caritati, cùm ratio necessitatis vel caritatis exegerit: absit tamen ut hominis cujuspiam subdatur voluntati. Super Fratrum sanè transgressiones, non super Patrum traditiones constituitur, qui Abbas eligitur, mandatorum cultor, & ultor vitiorum. Arbitror namque sanctas illas Observantias, Prælatorum prudentiæ & fidei creditas, non subditas voluntati. Hinc est quòd idem Legislator in his quæ Abbati dispensanda reliquit; cautè nusquam (ut memini) voluntatem, sed aut considerationem, aut dispositionem, aut providentiam, aut certè arbitrium, seu aliquid hujusmodi ponit: volens nimirum providum fidúmque dispensatorem, rationis, ubi fortè dispensat, sequi judicium, non suæ placitum voluntatis. Unde & intimat ei non semel quod de omnibus judiciis suis Deo redditurus sit rationem.*

REGULA LXII.

Privilegium reale, & corporale perpetuum est, non personale.

PRivilegium reale est, quod Ecclesiæ, Dignitati, civitati, vel alicui loco, vel aliquibus personis occasione loci, seu cujoscunque rei conceditur. Et tale privilegium perpetuum est, & rei adhæret, & sic semper durat, nisi res perimatur vel destruatur; vel nisi ex parte vel totum revocetur, vel amittatur. (Cap. *Recolentes*, Extra, *De Statu Monachorum.*) Si tamen ipsa res, Ecclesia, vel locus privilegio donatus non Superioris auctoritate, sed hostili incursione destruatur, privilegium retinet (Canone *Quæ semel*, Causa XIX. Quæstione III.

Personale Privilegium est illud, quod alicui, vel aliquibus, certis & propriis nominibus expressis, personaliter conceditur. Tale Privilegium *personam sequitur, & extinguitur cum persona*; sicque temporale est, & non perpetuum, secundùm Regulam Juris septimam, in *Sexto*, & cap. *Mandata*, Extra *De Præsumptionibus.*

Privilegium corporale est illud quod alicui Universitati, Societati, Ordini, Capitulo, vel Collegio ita conceditur, ut quodlibet illius membrum eo privilegio joveatur, vel etiam Universitas ipsa, Societas, Ordo, Capitulum, vel Collegium. Tale Privilegium non perit durante Collegio, nisi revocetur ab eo qui concessit, vel ab ejus Successore, aut alio modo deficiat ex iis qui notantur in Jure.

Regula XLIII.

Privilegium multis modis irritum aut caducum est.

De Privilegiis

DEcem modos enumerat *S. Antoninus*, 1. P. Tit. xix. cap. 1. quibus fit irritum & inane privilegium. 1. Si per subreptionem concessum fuerit. Nam quoad sic impetrantem favore caret. (Cap *Litteris*, Extra, *De Rescriptis*, & cap *Cum olim*, Extra, *De Sententia & re judicata.*) 2. Si sit contrarium Constitutioni, & nihilominus ejus non meminerit. (Cap. *Cum nos*, Extra, *De his quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli.*) 3. Si tollat Consuetudinem, & nullam tamen ejus mentionem faciat. (Cap. *Licet*, Tit. *De Constitutionibus*, in Sexto.) Item si sit contra Sententiam latam, nec ejus mentionem ullam habeat. (Cap. *Inter dilectos*, Extra, *De fide instrumentorum.*) Item si lite pendente sit impetratum, nisi mentio de hoc fiat. (Cap. *Causam*, Extra, *De Testibus.*) 4. Cessante causâ privilegii, deficit privilegium, (cap. *Cùm cessante*, Extra, *De Appellationibus.*) 5. Excidit privilegio, qui agit contra privilegii tenorem, (cap. *Porrò*, & cap. *Concessionibus*, Extra, *De Privilegiis*, & cap. *Cùm accessissent*, Extra, *De Constitutionibus.*) 6. Cessat privilegium, cùm alicui nocere incipit, & illi præcipuè cujus in gratiam concessum est. *Quod enim ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*, (ut habet Regula Juris LXI. in Sexto.) 7. Privilegium prius tollitur per secundum contrarium, quod expressam illius mentionem facit. (cap. *Veniens*, Extra, *De Præscriptionibus.*) 8. Tollitur per concedentis revocationem, quam tamen fieri non decet sine causa. Ex causa verò potest & debet revocari, putà si eo privilegio jus aliorum graviter lædatur (inquit *S. Antoninus.*) Item si quis non observat privilegia subditis suis à suo Superiori concessa, meritò & ipse privilegio suo privatur, (cap. *Dilecti*, Extra, *De Privilegiis*, quod *Alexandri III.* Responsum est.) 9. Tollitur privilegium per ejus cui concessum est renunciationem, (cap. *Nuper*, Extra, *De Decimis.*) 10. Amittitur privilegium per non usum, vel usum contrarium, seu abusum. Nam *Privilegium omnino meretur amittere, qui permissâ sibi abutitur potestate*, ut dicitur Canone *Privilegium*, Causa xi. Quæstione iii. & cap. *Tuarum*, Extra, *De Privilegiis*, & cap. *Si de terra*, sub eodem Titulo, & cap. *Ut privilegia.*

Regula XLIV.

Qui se per Sedis Apostolicæ Privilegia Exemptos asserunt, à locorum Ordinariis requisiti hujusmodi Privilegia ostendere, ac ad legendum exhibere, necnon de articulis de quibus controversia fuerit, Transcriptum tradere tenentur. Si autem immunitatem suam Canonica Præscriptione tuentur, de Præscriptione fidem facere debent.

HÆc Regula nititur, cap. *Accepimus*, Extra, *De fide instrumentorum.* Ratio est, quòd *Privilegia non inspecta non valeant argui falsitatis.*

Regula XLV.

Si Privilegii tenor per se non sufficit ad plenam Immunitatis probationem, sed tamen causam præbet præscribendi, quadraginta annorum Præscriptionem probare tenentur.

De Privilegiis

HÆc utraque Regula nititur, cap. *Cùm persona*, Tit. *De Privilegiis*, in Sexto. *Si verè privilegium per se sufficiens, quando sole privilegio se defendunt, vel saltem tale quod Præscriptioni Canonicæ causam præstet, cùm Præscriptionem allegant, non exhibuerint: cùm de Jure communi Ordinariorum intentio sit fundata, suâ Jurisdictione uti possint liberè in eosdem: donec de Præscriptione Canonica fecerint plenam fidem.*

Regula XLVI.

Privilegium, & quodcunque aliud Instrumentum, cujus litteræ legi non possunt, maximè in nota temporis quo datum est, vel cujus charta vetusta est, scriptura verò alicubi saltem recentior; vel cujus sigillum non est authenticum, fidem non facit.

HÆc Regula nititur cap. *Inter dilectos*, quod est *Innocentii III.* Extra, *De fide instrumentorum.* Alia falsitatis indicia in Litteris Apostolicis prodit cap. *Licet*, Extra, *De crimine falsi*, & cap. *Quàm gravi*, sub eodem Titulo. Falsa latinitas privilegium & quodvis aliud Summi Pontificis Rescriptum vitiat, ex *Lucio III.* Cap. *Ad audientiam*, Extra, *De Rescriptis.* Si tamen in Narratione facti, vel in nominibus possessionum abrasum sit Privilegium, vel quodlibet aliud instrumentum aut Rescriptum, in suspicionem falsi propterea venire non debent, ut respondet *Alexander III.* Cap. *Ex litteris*, Extra, *De fide instrumentorum.* Paucarum litterarum rasuram in loco non suspecto minimè sufficere ad Privilegium redarguendum falsitatis, respondet *Innocentius III.* Cap. *Ex conscientia*, Extra, *De crimine falsi.* Multò minùs Rescriptum vitiat unius litteræ defectus, ut respondet *Honorius III.* Cap. *Ex parte*, Extra, *De fide instrumentorum.*

Regula XLVII.

Privilegia sunt stricti juris: unde illorum tenor ita servandus est, ut eorum metas non transgrediantur illi quibus concessa sunt.

HÆc Regula nititur cap. *Porrò*, Extra, *De Privilegiis*, quod Responsum est *Alexandri III.* Ambianensi Episcopo datum.

Regula XLVIII.

Privilegia uni, vel certis quibusdam personis concessa, ad alios non extenduntur propter paritatem rationis.

HÆc Regula nititur cap. *Sanè*, quod est *Alexandri III.* eodem Titulo. *Temerarium est* (inquit) *& indignum, aliquem sibi suâ auctoritate præsumere, quod Romana Ecclesia alicui, certâ ratione inspectâ, singularibus voluit beneficiis indulgere.* Hinc Regula Juris xxviii. in Sexto: *Quæ à Jure communi exorbitant, nequaquam*

A

quam ad consequentiam sunt trahenda. Et Regula LXXIV. *Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.*

REGULA XLIX.

Innovatio Privilegii novum jus non tribuit, sed antiquum conservat.

SIc respondet *Innocentius III.* Cap. *Ex parte*, Extra, *De Privilegiis*, & Cap. *Quia intentionis*, eodem Titulo. B

REGULA L.

Privilegio excidunt, qui annorum quadraginta spatio illo non sunt usi.

ID constat ex ejosdem Pontificis Responso, Cap. *Accedentibus*, eodem Titulo.

REGULA LI.

C

Exemptus ratione unius rei, vel loci, non censetur universim exemptus: verbi gratiâ, si quis exemptus sit ab Episcopi Jurisdictione ratione Capellæ, vel monasterii, non censetur exemptus ratione Parochialis Ecclesiæ.

ID constat ex Cap. *Cùm Capella*, Extra, *De Privilegiis.*

REGULA LII.

D

Privilegium à Sede Apostolica concessum, Episcopali Juri non derogat, nisi in ipsis Privilegii litteris exprimatur.

QUare cùm Viris Religiosis indoltum esset, ut Ecclesias ad Monasterium suum pertinentes, Rectoribus illarom à vitâ migrantibus in proprios usus convertere possent: ac dubitatom esset otrum auctoritate propriâ illarum possessionem adire, an à Diœcesano Episcopo illas recipere deberent: Respondit *Innocentius III.* Cap. *Pastorali*, Extra, *De Privilegiis*, quòd *N si fortè in indulgentiâ Summi Pontificis id contineatur expressum, sine Episcopo inconsulto, in possessionem ipsarum eis non est licitum introire: quia per indulgentiam hujusmodi, Episcopali Juri non derogatur.* E

REGULA LIII.

Privilegium à Sede Apostolica concessum quibuscumque singularibus personis, Ecclesiasticis vel secularibus, cujuscùmque sint dignitatis, ut excommunicari vel interdici non possint, ad Ordinariorum Sententias non extenditur; nisi tale Privilegium concessum sit Regibus, Reginis, vel ipsorum filiis; vel Religiosis Ordinibus aut locis.

ITa declarat *Clemens Quartus*, Cap. *Ne aliqui*, Tit. *De Privilegiis*, in Sexto. F

A

CAPUT II.

DE

PRÆCEPTIS DECALOGI

GENERATIM SPECTATIS.

B

DEcalogus, Græcâ nominis origine, decem sermones significat. Hoc autem vocabulum Christianorum uso notat decem præcepta à Deo tradita, tabulisque lapideis duabus insculpta, quæ Exodi XXXIV. Deuteron. IV. & X. *Verba fœderis decem* appellantur, vulgatâ phrasi, quâ verbum pro sermone integro, sive sententiâ aut propositione usurpatur, ut Luc. I. *Fiat mihi secundùm verbum tuum:* Et Matth. XV. *Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt.* C

ARTICULUS I.

Omnia Legis Naturæ Præcepta Decalogo continentur.

CUm Decalogus ad hoc datus à Deo sit, ut Lex Naturæ propemodum delata in animis hominum reformaretur, & quodammodo resculperetur, necesse fuit eo velut brevi compendio comprehendi, quicquid alibi ad legem naturæ pertinens præceptum, aut præcipiendom esset. Unde *S. Augustinus*, Quæstione CXL. in *Exodum* ait: *Cùm tam multa locutus sit Deus, duæ tantùm tabulæ dantur Moysi lapideæ, quæ dicuntur tabulæ testimonii futuræ in Arca. Nimirum omnia cetera quæ præcepit Deus, ex illis decem præceptis, quæ duabus tabulis conscripta sunt, pendere intelliguntur, si diligenter quærantur, & bene intelligantur: quomodo hæc ipsa rursus decem præcepta ex duobus illis, dilectione scilicet Dei & proximi, in quibus tota Lex pendet & Prophetæ.* D

E

Idem docet *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione centesimâ, Articulo III. *Illa*, inquit, *præcepta ad Decalogum pertinent, quorum notitiam homo habet per seipsum à Deo. Hujusmodi verò sunt illa, quæ statim ex principiis communibus primis cognosci possunt modica consideratione: & iterum illa quæ statim ex fide divinitus infusâ innotescunt. Inter præcepta ergo Decalogi non computantur duo genera præceptorum, illa scilicet quæ sunt prima & communia, quorum non oportet aliquam editionem esse, nisi quòd sunt scripta in ratione naturali, quasi per se nota: sicut quòd homo nulli debet malefacere, & alia hujusmodi. Et iterum illa quæ per diligentem inquisitionem Sapientum inveniuntur rationi convenire: hæc enim proveniunt à Deo ad populum mediante disciplinâ Sapientum. Utraque tamen continentur in præceptis Decalogi, sed diversimodè. Nam illa quæ sunt prima & communia, continentur in eis sicut principia in conclusionibus proximis: illa verò quæ per Sapientes cognoscuntur, continentur in eis sicut conclusiones in principiis.* F

ARTICULUS II.

Lege Decalogi Christiani tenentur.

Decalogus enim est explicatio Legis naturæ: omnes autem homines Lege Naturæ tenentur. Præterea, Legem Decalogi Christus in Evangelio confirmavit, & ad vitam æternam consequendam necessariam esse docuit, Matthæi XIX. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Dicit illi: Quæ? Jesus autem dixit: Non homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum: Non falsum testimonium dices: Honora patrem tuum & matrem tuam: Et, Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Et Matth. V. *Nolite putare, quoniam veni solvere Legem aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere.* Adimplet autem non tantùm subministrando Spiritum gratiæ, per quam Lex à nobis impleatur, sed & supplendo quædam, quæ in Lege Veteri minùs expressa erant, qualis est odii ac iræ compressio, conviciorúmque, præcepto, *Non occides*, contenta, sed non explicata: & dilectio inimicorum, hoc involuta præcepto: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: & fuga juramenti, comprehensa hoc præcepto, *Non pejerabis*, sive *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Id confirmat Apostolus I. ad Corinthios VII. *Circumcisio*, inquit, *nihil est, sed observatio mandatorum Dei.* Quòd verò eamdem sententiam repetit ad Galatas VI. & *Novam creaturam in Christo Jesu* tantùm valere dicit, intelligimus planè eum novam creaturam in Christo dicere, qui mandata Dei observat. Is enim qui habet mandata Dei ac servat, diligit Deum, Domino ipso teste apud Joannem Cap. XIV. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Nam etsi justificari potest homo, & ex impio fieri pius, antequam singula legis præcepta externis actionibus impleat; tamen fieri non potest ut quis per ætatem ratione utatur, & ex impio fiat justus, nisi animum habeat paratum ad omnia præcepta Dei servanda. Hinc *Sanctus Augustinus* Quæstione CLXXII. in Exodum, ait: Præcepta Decalogi, excepto Sabbato, *etiam in Novo Testamento observanda non dubitamus.* Sabbatum excipit, quia ceremoniale præceptum fuit: quod tamen nos etiamnum obligat quatenus morale est, & ab Ecclesia servatur, commutatum in diem Dominicum.

Idem Fidei dogma confirmat Sacra Synodus Tridentina contra novissimi temporis Hæreses, Sessione VI. Canone XIX. *Si quis dixerit, Nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cetera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera: aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos; Anathema sit.*

Et Canone XX. *Si quis hominem justificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad observantiam Mandatorum Dei, & Ecclesiæ, sed tantùm ad credendum: quasi verò Evangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis Mandatorum, Anathema sit.*

Certissimum tamen est, (ut docet Concilii Catechismus) non propterea his præceptis parendum esse, quòd per Mosen data sunt, sed quòd omnium animis ingenita, & per Christum Dominum explicata sunt, & confirmata.

ARTICULUS III.

Legis Decalogi observantiam suadet Auctoritas, & Beneficentia Dei, Christique jubentis.

Ad persuadendum Christianis Decalogi observantiam magnum habet momentum illa cogitatio, Deum esse qui Legem illam tulit, de cujus sapientiâ & æquitate dubitare non possumus, nec ejus infinitam vim atque potentiam effugere. Unde in ipso Decalogi exordio ait: *Ego sum Dominus Deus tuus.* Ex quibus intelligere debemus, nos Legislatorem habere Creatorem, à quo conditi sumus, & conservamur, proindéque nos illud usurpare, Psal. XCIV. *Ipse est Dominus Deus noster, & nos populus pascuæ ejus, & oves manus ejus.* Nec solùm Deum Creatorem, sed & Redemptorem nostrum eumdem habemus Legislatorem, Christum, de quo Moyses Deuteronomii XVIII. prædixit: *Prophetam de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus; Ipsum audies: qui autem verba ejus audire noluerit, ego ultor existam, ait Dominus:* Cui Pater Æternus obtemperari jubet, dicens: *Hic est Filius meus, ipsum audite:* Qui mandata à se tradita prædicari jubet Gentibus omnibus, ab illisque servari, Matth. Cap. ultimo: *Docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Sed & Apostolus ea quæ Christus agenda tradidit, *Legem Christi*, appellat I. ad Corinthios IX. & ad Galatas VI. & *Domini mandata*, I. ad Corinthios VII. Hinc passim in Scriptura Sacra Christus non tantùm vocatur *Doctor*, *Medicus*, & *Redemptor*; sed etiam *Rex*, *Princeps*, *Dominus*, *Magister*, *Præceptor*, & *Pater noster*: Quibus nominibus obedientiam absolutissimam illi necessariò debemus. Hinc Sacra Synodus Tridentina Sessione VI. Canone XXI. *Si quis dixerit, Christum Jesum à Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem cui fidant, non etiam ut Legislatorem cui obediant; Anathema sit.*

His porrò verbis, *Ego sum Dominus Deus tuus*, quæ Deus Decalogo præmittit, cùm Majestatem, tum bonitatem suam proponit; quæ in Legislatore conjuncta esse oportet, ut Majestas Legibus auctoritatem; bonitas amorem observandæ Legis apud subditos conciliet. Dominum ergo & Deum se nuncupat, ut priori nomine Majestatem, altero bonitatem suam hominibus significet. *Ego*, inquit, *& non alius*: Hoc est, Non sum Dominus ut ceteri, qui vulgari more Domini dicuntur; sed verè sum Dominus, *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*: Cujus est orbis terræ, & plenitudo ejus: Quem omnia observant, timent, venerantur: Omniscius, & omnipotens, faciens omnia secundùm beneplacitum voluntatis meæ. Ego solus Rex Regum, & Dominus dominantium, in cujus manu sunt mors & vita, salus & interitus. Dominus, relativum nomen est. Dicitur enim Dominus servi Dominus. Domino ergo dominorum summa servitus debetur: eóque spectat quod Christus ait, Matth. VI. *Nemo potest duobus dominis servire. Non potestis Deo servire & Mammonæ.* Hinc sequitur, Deo magis obediendum esse quàm hominibus, cùm diversa à Dei institutis præcipiunt. Si quidem non habent homines potestatem quâ domini dicantur, nisi desuper concessam, quâ si in Domini Dominorum

Dei Supremi Legislatoris majestas & auctoritas.

notum contumeliam abutantur, audiendi non sunt, sed fortiter contemnendi, quemadmodum Christus docet, Matth. x. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Igitur si in quodcumque discrimen venerimus, ac diabolus nactus occasionem vel ipse, vel per suos ministros titulo dominationis id agere incipiat, ut nos à præscripto divinæ Legis dimoveat, tum exemplo Christi gladius Spiritûs nobis accipiendus est, hoc est, verbum Dei, quo retundamus hostem, dicentes:

Matth. 4. *Vade post me Satana: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.*

Dei Supremi Legislatoris bonitas & amor in homines.

Cùm Majestatem suam hisce verbis cœlestis Legislator indicasset: *Ego sum Dominus*: Bonitatem suam proponit, amorémque in se nostrum excitat, addendo, *Deus tuus*: Deus (inquam) totius consolationis, benevolus, mitis, liberalis, misericors, beneficus, cujus bonitas in omnium creaturarum creatione & conservatione elucescit, cujus deliciæ esse cum filiis hominum, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hinc sancti Dei homines in divinæ bonitatis contemplatione defixi, ipsum appellarunt *Fortitudinem nostram, Scutum nostrum, Refugium nostrum, Propugnatorem, Salutem suam, Exultationem suam, Deum cordis sui, Deum nostrum, Adjutorem suum, Gloriam & laudem suam*; quòd sic apud se de Deo sentirent; immò quòd experti essent Deum illis hæc omnia esse.

Addit ad beneficentiæ suæ commendationem: *Qui eduxi te de Terra Ægypti, & de domo servitutis.* Quod beneficium etsi Judæis tantùm videtur convenire ab Ægyptiorum dominatione liberatis: tamen si salutis nostræ interiorem rationem spectemus, quam Deus misso propter nos Filio suo per illum operatus est, multò magis ad Christianos homines pertinet: qui non ex Ægyptiaca servitute, sed è peccati & umbræ mortis regione, ac potestate tenebrarum à Deo erepti, atque in Regnum Filii dilectionis ejus translati sunt. Cujus beneficii magnitudinem considerans *Jeremias*, prædixit illud, Cap. xvi. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicetur ultra: Vivit Dominus, qui eduxit filios Israël de Terra Ægypti; sed, Vivit Dominus, qui eduxit filios Israël de Terra Aquilonis, & de universis terris ad quas ejeci eos: & reducam eos in Terram suam, quam dedi Patribus eorum. Ecce ego mittam piscatores multos, & piscabuntur eos.* Pater enim indulgentissimus per Filium

Joan. 11. 52. suum, *filios qui erant dispersi congregavit in*

Rom. 6. 22. *unum*, ut jam liberati à peccato, *servi autem facti Deo, serviamus illi in sanctitate & justitiâ omnibus*

Luc. 1. *diebus nostris: habeamúsque fructum nostrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.*

Clypeus omnibus tentationibus opponendus.

Quare (inquit Concilii Tridentini Catechismus) Fideles omnibus tentationibus tanquam clypeum opponent illud Apostoli, *Qui mortui*

Rom. 6. *sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* Jam non sumus nostri, sed ejus qui pro nobis »

Rom. 14. *Mortuus est & resurrexit, ut & mortuorum & vi-* » *vorum dominetur.* Ipse est Dominus Deus no- » ster, qui nos sanguine suo sibi acquisivit: quo- » modo peccare poterimus in Dominum Deum » nostrum, ipsúmque iterum cruci affligere? Ut » igitur verè liberi, & eâ quidem libertate quâ » nos Christus liberavit, *Sicut exhibuimus membra nostra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibeamus, membra nostra servire ju-*

II. Cor. 5. *stitiæ in sanctificationem.... Qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.... Nemo enim nostrûm sibi vivit, & nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus:*

sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. Cum Propheta clamamus ad Dominum, *Manus tuæ fece-* Rom. 14.

runt me, & plasmaverunt me: Da mihi intellectum, ut discam mandata tua; Nam mandata » Psalm. 118. 73.

Dei multi discunt & non discunt. *Noverunt* » *enim ea quadam notitiâ, & rursus quadam ignorantiâ, quoniam non faciunt, non noverunt.* Eo » modo ergo dixit, *Ut discam mandata*: Eâ scilicet *notitiâ quâ fiunt. Hoc autem non fit nisi per dilectionem, ubi qui facit habet delectationem. Non autem parvi est intellectûs, nosse à quo poscendus sit intellectus. Et cogitandum est quantò sint altiùs intelligenda divina mandata; quando ad ea discenda sibi adhuc dari intellectum petit, qui jam sic intelligit, & qui eloquia Dei se custodisse antè jam dixit.* Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me: » Da mihi intellectum ut discam mandata tua: »

QUIA *tu*, inquit, *formasti, tu reforma: ut fiat in* Rom. 12.

corpore Christi quod ait Apostolus, REFORMAMINI *in novitate sensûs vestri.* Ita locum illum commentatur *S. Augustinus*, Sermonibus xvii. xviii. & xix. in illum Psalmum. Dicamus cum Propheta: *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.* Cur non dixit, obe- » divi, sed, *Credidi?* Alia sunt enim mandata, » alia promissa. Mandata facienda præcipimus, » ut promissa implere mereamur. Promissis ergo » credimus, mandatis obtemperamus. Quid est » ergo, *Mandatis tuis credidi*, nisi, Credidi quòd » tu illa mandaveris, non aliquis homo, quam- » vis per homines hominibus ministrata sint. » *Quia itaque credidi tua esse mandata, ipsa fides mea quâ id credidi, impetret abs te gratiam, quâ faciam quod mandasti. Si enim homo mihi hæc juberet forinsecùs, numquid ut etiam facerem quod jubebat adjuvaret intrinsecus? Doce ergo me suavitatem, inspirando caritatem; doce me disciplinam, donando patientiam; doce me scientiam, illuminando intelligentiam.* Quoniam mandatis tuis credidi. *Te illa credidi mandasse, qui Deus es, & homini donas unde facias eum facere quod mandas.*

ARTICULUS IV.

Observantiam Decalogi suadet facilitas adimplendi mandata Dei.

MAndata Dei esse impossibilia nemo nisi Hæreticus dixerit; nulla blasphemia cum verbo Dei tam apertè pugnat. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie* (inquit Deus, Deuteronomii xxx.) *non supra te est, neque procul positum, nec in Cœlo situm, ut possis dicere: Quis nostrûm valet ad Cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? Neque trans Mare positum, ut causeris, & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare Mare, & illud ad nos usque deferre: ut possimus audire, & facere quod præceptum est? Sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* Ait Christus, Matth. xi. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Hanc doctrinam

S. *Joannes* confirmat Epistolâ 1. Cap. v. *Hæc est enim caritas Dei*, inquit, *ut Mandata ejus custodiamus: & Mandata ejus gravia non sunt.*

Verùm (inquies) si tam levia sunt Christi præcepta, cur Christus ipse dixit (Matth. VII. 14.) *Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam!* Cur vias Domini, *Vias duras* appellat David Psal. XVI.

Respondetur cum SS. Patribus, Laboriosam ac difficilem Dei viam, duráque videri mandata, non ex ipsorum naturâ, sed hominum cupiditatibus suis indulgentium ignaviâ. Quid enim melle dulcius? Ægroto tamen amarum sæpius videtur. Sic mandata Dei *Dulciora super mel & favum*: sed hominibus, qui terrenarum cupiditatum desideriis gustum interiorem infectum habent, & peccatorum morbis laborant, amara sunt. Hinc *S. Joannes Chrysostomus* in Psalmum CXI. hæc Prophetæ verba expendens, *In mandatis ejus volet nimis*, ait: *Amor in Legislatorem, facilem & gratam facit Legem, etsi videatur aliquam habere difficultatem. Nemo autem quod dico reprehendat, si tali exemplo usus sum. Nam Paulus quoque eo usus est, sic dicens*: Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, ita exhibete justitiæ. *Qui meretricis itaque amore captus est, etiamsi afficiatur probro & contumeliâ, etiamsi verberetur, etiamsi se turpiter & indecorè gerat, etiamsi expellatur è patria, etiamsi bonis paternis evertatur, etiamsi patris benevolentiâ privetur, etiamsi graviora patiatur, ea fert jucundè & libenter propter amorem impudicum. Quòd si illa cum voluptate suscipiunt, quomodo non multò magis Dei præcepta, quæ sunt salutaria, & gloria plena, & animam meliorem efficiunt, oportet cum magna voluptate suscipere, & nihil esse difficile in eis existimare? Difficultatem enim non natura præceptorum, sed multorum solet socordia efficere. Itaque si quis ea cum studio & alacritate animi suscipiat, videbit ea esse levia & facilia. Quocirca dicebat Christus*: JUGUM *meum suave est, & onus meum leve.*

Psalm. 18.

Amor in Legislatorem, facilem & gratam facit legem.

Rom. 6. 19.

Matt. 11. 30.

Et *S. Augustinus* hanc Salvatoris nostri Sententiam exponens Sermone LXX. aliàs IX. *De Verbis Domini*, Cap. II. Caritate levia fieri Christi mandata ostendit. Secari (inquit) & uri se homines patiuntur, ut dolores non æterni, sed aliquantò diuturnioris ulceris, acriorum dolorum pretio redimantur. In languida & incerta vacationis brevissimæ atque ultimâ vitâ, immanissimis bellis miles atteritur; pluribus fortasse annis in laboribus inquietus, quàm in otio quieturus. Quibus tempestatibus & procellis, quam horribili & tremenda sævitia Cœli & Maris importuni sunt mercatores, ut divitias ventosas acquirant, majoribus quàm quibus acquisitæ sunt, periculis & tempestatibus plenas? Quot æstus, quæ frigora, quæ pericula ab equis, à fossis, à præcipitiis, à fluminibus, à feris perferunt venatores; quem laborem esuriendi & sitiendi, quantas vilissimi, & sordidissimi cibi & potûs angustias, ut bestiam capiant; & interdum nec ipsius bestiæ carnes, propter quam hæc tanta sustinent, sunt epulis necessariæ. Quamquam etsi aper cervúsque capiatur, magis suave sit venantis animo quia captus est, quàm comedentis palato quia coctus est. Quantis etiam cruciatibus prope quotidianarum plagarum tenera puerorum ætas subditur? Quantis etiam in Scholis vigiliarum & abstinentiæ molestiis exercentur, non propter discendam sapientiam, sed propter opes honoréSque vanitatis, ut numeros & litteras, & disertas fallacias elo-qui discant? Sed in his omnibus qui hæc non amant, eadem gravia patiuntur: qui verò amant, eadem quidem, sed non gravia pati videntur. *Omnia enim sæva & immania, prorsus facilia & prope nulla efficit amor. Quantò ergo certius ac faciliùs ad veram beatitudinem caritas facit, quod ad miseriam, quantùm potuit, cupiditas fecit? Quàm facilè toleratur qualibet adversitas temporalis, ut æterna pœna vitetur, & æterna requies comparetur? Non immeritò ille Vas electionis cum ingenti lætitia dixit*, Non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad superventuram gloriam quæ revelabitur in nobis. *Ecce unde illud jugum suave est, & sarcina levis. Etsi angusta est paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Psalmista*, Propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras. *Sed quæ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitescunt amantibus.* Et infra: *Nihil (inquit) tam facile est bonæ voluntati, quàm ipsa sibi: & hæc sufficit Deo.*

Rom. 8. 18.

Lex Dei facilis diligentibus.

Psalm. 16. 4.

Hinc Propheta ait Psalm. XXX. vers. 9. *Statuisti in loco spatioso pedes meos.* Quæ verba *S. Augustinus*, Enarratione II. in hunc Psalmum commentatur: *Certè angusta via est: laboranti angusta est, amanti lata est. Eadem quæ angusta est, lata fit.* In spatioso, dicit, posuisti pedes meos. *Planè fecisti mihi facilem justitiam, quæ mihi erat aliquando difficilis.*

Via salutis, angusta laboranti, lata amanti.

Et in Psalmum LIX. *Humeros pios quærebat*, inquit, *cùm diceret*, Jugum enim meum lene est, & sarcina mea levis est. *Alia sarcina premit & aggravat te, Christi autem sarcina sublevat te: alia sarcina pondus habet, Christi sarcina pennas habet. Nam & avi si pennas detrahas, quasi onus tollis; & quo magis onus abstuleris, eo magis in terra remanebit. Quam exonerare voluisti, jacet: non volat, quia tulisti onus: redeat onus, & volat. Talis est Christi sarcina: portent illam homines, non sint pigri: non attendantur qui eam ferre nolunt; ferant illam qui volunt, & invenient quàm sit levis, quàm suavis, quàm jucunda, quàm rapiens in cœlum & à terra eripiens.*

Sarcina Christi sublevat.

Matth. 11.

Idem Epistola CXXVII. alias XLV. ad *Armentarium & Paulinam*, Cap. III. *Ibi labor* (inquit) *ubi multa quæruntur & diliguntur quibus ad piscendis atque retinendis voluntas non satis est, quia consequentem non habet facultatem. Justa verò vita, cùm volumus adest, quia eam ipsam plenè velle, justitia est; nec plus aliquid perficienda justitia quàm perfectam voluntatem requirit. Vide si labor est, ubi velle satis est. Unde divinitus dictum est*, Pax in terra hominibus bonæ voluntatis. *Ubi pax, ibi requies: ubi requies, ibi finis appetendi, & nulla caussa laborandi. Sed hæc voluntas ut plena sit, oportet ut sana sit. Erit autem sana, si Medicum non refugiat, cujus solius gratiâ sanari potest à morbo desideriorum noxiorum. Ipse est ergo Medicus qui clamat*, Venite ad me omnes qui laboratis, *jugum suum lene, & onus leve dicens: quia diffusâ per Spiritum Sanctum caritate in cordibus nostris, profectò amabitur quod jubetur, & non erit asperum nec onerosum, si sub hoc uno jugo, quantò minùs tumidâ, tantò magis liberâ cervice serviatur. Et hæc est una sarcina, quâ ejus bajulus non premitur, sed levatur.*

Justa vita, cum volumus adest.

Luc. 2.

Libro denique *De Perfectione Justitiæ hominis*, Cap. X. Mandatorum Dei facilitatem caritati & gratiæ tribuendam esse probat; cùm illa solis liberi arbitrii viribus homo adimplere non possit. *Quis nesciat*, inquit, *cùm præceptum sit generale caritas (quia finis præcepti est caritas, & plenitudo Legis est caritas) non esse grave quod diligendo*

Non est grave quod ... do fit, non timendo.

fit, non timendo? Laborant autem in Dei praeceptis, qui ea timendo conantur implere: sed perfecta caritas foras mittit timorem, & facit praecipi sarcinum, non solùm non prementem onere ponderum, verùm etiam sublevantem vice pennarum.

ARTICULUS V.

Observantiam Decalogi suadent fructus qui ex illa derivantur, & merces à Deo promissa.

FRuctos uberes ac suaves ex observantia Mandatorum Dei percipiuntur. Primò namque anima Dei voluntatem cognoscendo, eique obsequendo, ad Deum convertitot, ut ait Propheta Psalmo XVIII. (Psalm. 18. 18.) *Lex Domini immacula, convertens animas.* Deinde, veram sapientiam consequimor per observationem divinæ Legis: Soli enim timentes Deum verè sapientes sunt. *Testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis.* Tertiò, veris gaudiis, & Mysteriorum divinorum cognitione, ingentibus praeterea voluptatibus, ac incomparabilibus deliciis in hac vitâ cumulantur, qui divina mandata observant. *Justitia Domini recta, laetificantes corda: Praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Judicia* seu mandata Domini *desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum.* Denique mercedem copiosissimam, æternamque gloriam servantibus Mandata sua Deus pollicetur. *In custodiendis illis retributio multa.* Non enim tantùm illæ nobis benedictiones promissæ sunt, quæ ad terrenam magis felicitatem spectare videbantur, ut benedicti simus in civitate, benedicti in agro: Sed (Matth. 5.) *Copiosa merces in caelis, & mensura bona, conferta, coagitata, & supereffluens* in sinu nostro, proposita est, quàm piis & justis actionibus meremur, divinæ misericordiæ adjumento. Nobis repositum est præmium, non temporale, sed æternum, sicut scriptum est: (Isaia. 64. 1. Cor. 2. 2. ad Cor. 4.) *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum.* Unde idem Apostolus ait: *Id enim quod in praesenti est momentaneum & leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur, temporalia sunt: quae autem non videntur, aeterna sunt.* Merces illa æterna Dei mandata servantibus parata, Regnum est, illis ab origine Mundi paratum; visio Dei, sive Deus ipso visus sicuti est; amor Dei indeficiens; perenne gaudium Domini, quod intrare non dicitur in cor hominis, sed homo in illud intrare dicitur, quia corde hominis majus est: (Matth. 25.) *Intra in gaudium Domini tui.* Fons jugis est, immò torrens deliciarum. (Psalm. 35.) *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, & torrente voluptatis potabis eos: quoniam apud te est fons vitae, & in lumine tuo videbimus lumen.* In hoc autem maximè suam in nos clementiam, & summæ bonitatis divitias Deus ostendit, quòd cùm sine ullo præmio cogere nos potuisset ut suæ gloriæ serviremus, voluit tamen suam gloriam cum utilitate nostra conjungere: ut quod homini utile, idem esset Deo gloriosum. (Deus optimus gloriam suam cum utilitate nostra conjunxit.) Unde Spiritu-Sancto afflatus David ait: (Psalm. 118.) *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum, propter retributionem.* Quæ retributio non alia præter Deum ipsum est. *Qui dicit,* Inclinavi cor meum; *ipse jam dixerat,* Inclina cor meum in testimonia tua: *Ut intelligamus simul hoc esse & divini muneris, & propriae voluntatis. Sed numquid in aeternum facturi sumus justificationes Dei? Opera illa quidem quae operamur circa proximorum necessitatem, aeterna esse non possunt, sicut nec ipsae necessitates: sed si non diligendo ista faciamus, nulla est justificatio: si autem diligendo, aeterna est ipsa dilectio, eique aeterna parata est retributio; propter quam retributionem dicit se inclinasse cor suum ad faciendas justificationes Dei, ut in aeternum diligens, in aeternum mereatur habere quod diligit.* (Desiderio retributionis, quae non alia praeter Deum est, mandata Dei observanda.) Verba sunt *S. Augustini*, Sermone XXIII. in Psalmum CXVIII.

Non tam igitur nostræ utilitatis gratiâ, quàm Dei causâ nobis Lex Dei servanda est, qui suam hominum generi in Lege voluntatem aperuit: quam cùm cæteræ creaturæ sequantur, hominem ipsum eamdem sequi multò est æquius: sed tamen intuitu retributionis, quæ Deus ipse est, ejus mandata servat castus amor.

ARTICULUS VI.

In duobus praeceptis Caritatis caetera continentur.

ITa docet Christus Dominus, Matthæi XXIII. *Diliges* (inquit) *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum: in his duobus mandatis universa Lex pendet & Prophetae.* Porrò duplici ratione à præceptis caritatis cætera pendere dicuntur: primò quia per caritatem implentur omnia, secundùm illud Apostoli: *Plenitudo Legis est dilectio:* Et, *Qui diligit proximum, Legem implevit.* (Rom. 13. 10.) Secundò, quia omnia quodammodo in his duobus præceptis continentur, ex iisque eliciuntur, vel ad eorum observationem referuntur. In priori scilicet mandato comprehenduntur quæcunque erga Deum; in posteriori verò quæcunque erga proximum, & consequenter erga nos ipsos rectè nos ordinant atque instituunt. Nec solùm in illis duobus mandatis conjunctim, sed & seorsim sumptis totam Legem ac Prophetas pendere, Sacræ Litteræ docent; quia alterutrius præcepti observatio absque alterius observatione, sive propensione & præparatione animi ad alterum observandum esse non potest. Nemo enim Deum, ut oportet, diligit, nisi mandatis ejus obtemperet, quorum unum est ut proximus diligatur. Nemo etiam proximum, sicut diligendus est, diligit, id est propter Deum, nisi Deum diligat tanquam finem, quò proximi dilectionem referat. Quod autem non solùm in priore, sed etiam in posteriore præcepto caritatis, cætera omnia pendeant, Christus ipse docet (Matthæi VII.) *Omnia ergo quaecunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Haec est enim Lex & Prophetae.* (Qua ratione tota lex dilectione proximi impleatur?) Idemque confirmat Apostolus ad Romanos XIII. *Qui diligit proximum* (inquit) *Legem implevit. Nam: Non adulterabis: non occides; non furaberis: non falsum testimonium dices: non concupisces: & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.... Plenitudo ergo Legis est dilectio.* Et ad Galatas V. *Omnis Lex in uno sermone impletur: Diliges proximum sicut te ipsum.*

Ratio porrò cur Apostolus in his duobus locis consummationem Legis in sola proximi di-

lectione constituerit, hæc est (inquit *S. Augustinus*, in cap. v. Epistolæ ad Galatas.) *Quia de dilectione Dei possunt mentiri homines, quia rariores tentationes eam probant; in dilectione autem proximi faciliùs convincuntur eam non habere, dum iniquè cum hominibus agunt. Consequens est autem, ut qui ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente Deum diligit, diligat & proximum tanquam se ipsum: quia hoc jubet ille, quem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligit. Item diligere proximum, id est, omnem hominem tanquam se ipsum, quis potest, nisi Deum diligat, cujus praecepto, & dono dilectionem proximi possit implere? Cum ergo utrumque praeceptum ita sit, ut neutrum sine altero possit teneri, etiam unum horum commemorare plerumque sufficit, cùm agitur de operibus justitiae: sed opportuniùs illud de quo quisque faciliùs convincitur. Unde Joannes dicit*, Qui enim non diligit » fratrem suum quem videt, Deum quem non » videt quomodo potest diligere? *Mentiebantur enim quidam dilectionem se Dei habere, & de odio fraterno eam non habere convincebantur; de quo judicare in quotidiana vita & moribus facile est.*

1. Joannis 4.

Cæterùm quâ ratione in duobus præceptis caritatis reliqua contineantur, disertè idem *S. Augustinus* explicat, Libro *De Perfectione Justitiæ hominis*, cap. v. *Dominus* (inquit) *qui verbum consummans & brevians fecit super terram, in duobus praeceptis dixit Legem Prophetásque pendere; ut intelligerent, quicquid aliud divinitus praeceptum est, in his duobus habere finem, & ad haec duo » esse referendum:* Diliges Dominum Deum tuum » ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & » ex tota mente tua: & diliges proximum tuum » tanquam te ipsum. In his, *inquit*, duobus » præceptis tota Lex pendet & Prophetæ. *Quicquid ergo Dei Lege prohibemur & quicquid jubemur facere, ad hoc prohibemur & jubemur, ut duo ista compleamus. Et fortè generalis prohibitio est*, Non concupisces: *& generalis jussio*, Diliges. Denique *Scriptura non praecipit nisi caritatem, non damnat nisi cupiditatem, & ita informat mores hominum.* Et, *Ille tenet & quod patet, & quod latet in divinis sermonibus, qui caritatem tenet in moribus*, (inquit *S. Augustinus*.)

C

Exod. 20. 17. Deuter. 6. 5.

S. August. Serm. 150. alias De Tempore, 39.

ARTICULUS V.

Divina Mandata ex dilectione Dei fieri debent.

Dilectione Dei Legem ejus impleri, docet Apostolus: *Plenitudo* (inquit) *Legis dilectio.* Et sine aliquâ justitiæ dilectione, sive caritate, saltem inchoatâ, nullum Dei mandatum impleri, ut oportet, Christi Domini sententia probat, *Joannis* xiv. dicentis: *Qui non diligit me, sermones meos non servat.*

Rom. 13. 10.

Id *S. Augustinus*, locis propemodum infinitis docet, præcipuè Libro *De Spiritu & Littera*, cap. xiv. *Mandatum* (inquit) *si fit timore pœnae, non amore justitiae, serviliter fit, non liberaliter; & ideo nec fit. Non enim fructus est bonus, qui de caritatis radice non surgit.*

Mandata Dei serviliter implentur, cùm solo pœnæ timore fiunt.

Et Libro III. *Contra duas Epistolas Pelagianorum*, cap. iv. de vulgo Judæorum loquens: *Quicunque* (inquit) *terrenorum adipiscendorum amore, & amittendorum timore, Dei praecepta servabant; non servabant, sed sibi servare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, sed terrena cupiditas metúsque carnalis. Sic autem praecepta qui facit, proculdubio invitus facit; ac per hoc in animo non facit, magis vult enim omnino non facere, si secundùm ea quae cupit & metuit, permittatur impunè. Ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, ubi ipse qui praecipit inspicit Deus.*

Libro *De Gratia Christi*, cap. xxvi. *Quid boni faceremus* (inquit) *nisi diligeremus? Aut quomodo bonum non facimus, si diligamus? Etsi enim Dei mandatum videtur aliquando à non diligentibus, sed* B *à timentibus fieri: tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum opus vocatur.*

Sine Dei amore nullum bonum opus imputatur.

Enchiridii cap. cxxi. *Omnia igitur praecepta divina referuntur ad caritatem, de qua dicit Apostolus:* Finis autem præcepti est caritas de » corde puro, & conscientia bona, & fide non » fictâ. *Omnis itaque praecepti finis est caritas, id est, ad caritatem refertur omne praeceptum. Quod verò ita fit vel timore pœnae, vel aliquâ intentione carnali, ut non referatur ad illam caritatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus nostris, nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri* C *videatur. Caritas quippe ista Dei est & proximi: & utique* In his duobus Præceptis tota Lex pendet & Prophetæ. *Adde Evangelium, adde Apostolos: non enim aliunde vox ista est*, Finis præcepti est Caritas: *&*, Deus Caritas est. *Quaecunque ergo mandat Deus, ex quibus unum est*, Non mœchaberis: *& quaecunque non jubentur, sed spiritali consilio monentur, ex quibus unum est*, Bonum est homini mulierem non tangere: *tunc rectè fiunt, cùm referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum.*

1. Tim. 1.

Omnia Dei præcepta ad caritatem referuntur.

1. Tim. 1. 1. Cor. 7. Matth. 5. 1. Joannis 4.

Et Sermone xxxiii. aliàs xviii. *De Diversis*, D cap. 1. *Caritas ergo cantat canticum novum. Nam timor ille servilis in veteri homine consistens, potest quidem habere Psalterium decem chordarum, quia & Judaeis carnalibus data est ipsa Lex decem praeceptorum: sed cantare in illa non potest canticum novum: Sub Lege est enim, & implere non potest Legem. Organum ipsum portat, non tractat; & oneratur Psalterio, non ornatur. Qui autem sub Gratia est, non sub Lege, ipse implet Legem: quia non est ei pondus, sed decus; nec timenti tormentum est, sed amanti ornamentum. Spiritu enim dilectionis accensus, jam in Psalterio decem chordarum cantat canticum novum.*

Sola caritas cantat canticum novum.

E Id confirmat *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione centesima, Articulo 2. *In hoc* (inquit) *Praecepto* Honora Patrem, *non includitur quòd honoretur pater ex caritate, sed solùm quòd honoretur pater: unde qui honorat patrem, licèt non habeat caritatem, non efficitur transgressor hujus praecepti, & si sit transgressor praecepti, quod est de actu caritatis: propter quam transgressionem meretur pœnam.* Et in Responsione ad secundum: *Sub praecepto caritatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde; ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum.* F *Et ideo praeceptum caritatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex caritate honorare, non ex vi hujus praecepti, quod est*, Honora parentes: *sed ex vi hujus praecepti*, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

Præceptum caritatis homo non implet, nisi omnia opera sua ad Deum referat.

ARTICULUS VIII.

De Ordine Præceptorum Decalogi.

DEeem Dei Præcepta in duabus tabulis lapideis sculpta fueruor, quæ sic distioguenda sunt, ut prima tabula tria complectatur Deum spectantia, secunda septem ad proximum pertinentia. Trium Deum spectantium primum est: *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles.* Secundum, *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Tertium, *Memento ut diem Sabbathi sanctifices.* Septem reliqua ad proximum pertinent. Quartum scilicet: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Quintum, *Non occides.* Sextum, *Non mæchaberis.* Septimum, *Non furtum facies.* Octavum, *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Nonom, *Non concupisces uxorem proximi tui.* Decimum, *Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.* Et sanè convenienter admodum in prima tabula tria sunt præcepta Deum spectantia, quia Trinitatem insinuare videntor diligentiùs intuentibus. Nam in Deo Patre primò apparet unitas, quæ primo præcepto commendatur, dum multitudo Deorum rejicitur. Filius veritas est, de quâ in secundo præcepto prohibente perjuriom. Spiritoa Sanctus sanctificatio & requies est rationalis creaturæ, cujus meminit tertium præcepum. Ita docet *S. Augustinus* Quæstione LXXI. in *Exodum*, Sermone IX. *De decem Chordis*, & alibi, & post ipsum *S. Thomas* Prima Secundæ, Quæstione centesima, Articulo IV. Quamobrem minùs apposité *Origenes* quatuor præcepta ad primam tabulam pertinere scripsit, sex verò ad secundam, separans quod dictum est, *Non erunt tibi Dii alii præter me:* Ut aliod præcepum sit, *Non facies tibi sculptile,* ubi figmenta colenda prohibentur. Unum verò esse volens, *Non concupisces uxorem proximi tui, Non concupisces domum proximi tui.* Duo autem illa postrema præcepta distincta sunt à sexto, *Non mæchaberis;* & septimo, *Non furtum facies:* Quia in prioribus *illis duobus præceptis, non mæchandi, & non furandi, ipsa opera nota sunt: in his verò extremis ipsa concupiscentia; quæ tantùm differunt, ut aliquando mæchetur, qui non concupiscit uxorem proximi, cùm aliâ aliqua causâ, misceтur illi; aliquando autem concupiscat, nec ei misceatur, pœnam timens: Et hoc fortasse Lex ostendere voluit, quòd utraque peccata sint,* (inquit *S. Augustinus*, Quæstione LXXI. *in Exodum.*)

Exod. 20.

Denarii numeri divinorum præceptorum convenientia.

Convenientiam denarii numeri divinorum præceptorum hac ratione *S. Thomas* explicat. Præcepta Legis divinæ ordinant hominem ad quamdam Communitatem seu Rempublicam hominum sub Deo. Ad hoc autem quòd aliquis in aliqua Communitate bene commoretur, duo requiruntur: quorum primum est, ut bene se habeat ad eum qui præest communitati: aliud ut bene se habeat ad alios communitatis consocios & comparticipes.

Oportet igitur quòd in Lege divina primò ferantor quædam præcepta ordinantia hominem ad Deum; & inde alia quædam præcepta ordinantia hominem ad alios proximos simul convenientes sob Deo. Principi autem communitatis tria debet homo: Primò, fidelitatem: secundò, reverentiam: tertiò, famulatum. Fidelitas quidem ad Dominum in hoc consistit, quòd honorem Principatûs ad alium non deferat: & quantùm ad hoc accipitur primum præceptum, cùm dicitur: *Non habebis Deos alienos.* Reverentia autem ad Dominum requirit, ut nihil injuriosum, in eum committatur: & quantùm ad hoc accipitur secundum præceptum: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Famulatus autem debetur Domino in compensationem beneficiorum, quæ ab ipso percipiunt subditi: & ad hoc pertinet tertium præceptum *de sanctificatione Sabbathi* in memoriam creationis rerum.

Ad proximos autem aliquis bene se habet, & specialiter, & generaliter. Specialiter quidem, quantùm ad illos, quorum est debitor, ut eis debitum reddat: & quantùm ad hoc accipitur præceptum de honoratione parentum. Generaliter autem quantùm ad omnes, ut nulli nocumentum inferatur, neque opere, neque ore, neque corde. Opere quidem infertur nocumentum proximo, quandoque in propriam personam, quantùm ad consistentiam personæ: & hoc prohibetur per hoc quod dicitur; *Non occides.* Quandoque autem in personam conjunctam, quantum ad propagationem prolis: & hoc prohibetur cùm dicitur: *Non mæchaberis.* Quandoque autem in rem possessam, quæ ordinatur ad utrumque: & quantùm ad hoc dicitur: *Non furtum facies.* Nocumentum autem oris prohibetor, cùm dicitur: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Nocumentum cordis prohibetur, cùm dicitur: *Non concupisces.*

Et secundùm hanc etiam differentiam possent distingui tria præcepta ordinantia in Deum; quorum primum pertinet ad opus, unde dicitur: *Non facies sculptile.* Secundum ad os, unde dicitor: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Tertiom pertinet ad cor: quia in sanctificatione Sabbathi, secundùm quod est morale præceptum, præcipitur quies cordis in Deum.

CAPUT III.

DE PRIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

ARTICULUS I.

Explicantur hæc verba, NON HABEBIS DEOS ALIENOS CORAM ME.

§. I.

Deus colitur Fide, Spe, Caritate.

IN his verbis (inquit Concilii Tridentini Catechismus) duplex continetur præceptum, quorum alterum jubendi, alterum prohibendi vim habet. Nam quod dicitur, *Non habebis Deos alienos coram me*, hunc sensum habet: Me verum Deum coles; alienis Diis cultum non exhibebis. In priori continetur præceptum fidei, spei, & caritatis. Cùm enim Deum immobilem, incommutabilem, fidelem & absque nulla iniquitate, veracem, immò summam & primam Veritatem, qui seipsum negare non potest, qui nec falli potest, nec fallere, confitemur; necesse est ut ejus verbo atque oraculis, ac revelantis auctoritati fidem tribuamus. Unde *Eccli.* II. dicitur, *Qui timetis Dominum, credite illi.* Qui verò omnipotentiam Dei, clementiam & ad benefaciendum facilitatem ac propensionem considerat, promissaque magnifica futurorum bonorum, hereditatis incorruptibilis, Regni cœlestis, æternæque vitæ in illius fruitione sempiterna repositæ, quorum promissorum pignus nobis dedit Filium suum unigenitum, cui *propter nos non pepercit*, & quìcum *nobis omnia donavit*: Et Spiritum Sanctum, *Testimonium reddentem spiritui nostro, quòd filii Dei sumus, & heredes*: (Rom. 8.) De quo Apostolus scribit: *Dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris*: (II. Cor. I. & 5.) nonne spes omnes suas in illo collocare tenetur? Unde *Psalmo* LXI. scriptum est: *Sperate in eo omnis congregatio Populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in æternum.* Et Eccli. II. *Qui timetis Dominum, sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia... Respicite filii nationes hominum: & scitote quia nullus speravit in Domino, & confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, & derelictus est? Aut quis invocavit eum, & despexit illum? Quoniam pius & misericors est Deus, & remittet in die tribulationis peccata: & protector est omnibus exquirentibus se in veritate....* Si verò bonitatis ac dilectionis Dei effusas in nos divitias contemplemur, qui *Prior dilexit nos*; (I. Joannis 4.) illúmne poterimus non amare? Unde Eccli II. dicitur: *Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.* Et Matth. XXII. Christus ait: (Deus non colitur nisi amando.) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum.* Deus ergo colendus est *Fide, Spe, Caritate*; (inquit *S. Augustinus*, Enchiridii cap. III.) Sed caritate præsertim, quæ trium horum major est. Hic est *Dei cultus*, inquit *S. Augustinus*, Libro X. *De Civitate Dei*, cap. III. *Hæc vera Religio, hæc recta pietas, hæc tantùm Deo debita servitus.* Et Epistola, CXL. aliàs. CXX. cap. XVIII. explicans hæc verba Psalmi XXI. *Qui timetis Dominum, laudate eum*, ait: *Quis veraciter laudat, nisi qui sinceriter amat? Tantumdem ergo est ac si diceret: Qui timetis Dominum, amate eum. Dixit enim homini, sicut scriptum est,* (Job. 28. 28. secundum LXX.) Ecce pietas est sapientia. *Porrò pietas cultus Dei est, nec colitur ille nisi amando.* Et Enarratione in Psalmum LXXVII. *Hoc colitur, quod diligitur. Unde quia Deus rebus omnibus major & melior invenitur, plus omnibus diligendus est ut colatur.*

§. II.

Religio circa cultum Deo debitum versatur.

AD colendum Deum homines inclinat Religio. Hæc enim est Virtus Moralis, quâ Deo cultum & honorem exhibemus, ipsi tanquam supremo omnium rerum principio, & ultimo fini debitum. Religio dicta est, sivè à relegendo, quòd ea quæ sunt divini cultûs frequenter sint in corde revolvenda, & quasi relegenda, secundùm illud Proverb. III. *In omnibus viis tuis cogita illum*: vel ab iteratâ electione Dei, quem peccantes amiseramus: vel quòd religet nos uni omnipotenti Deo. Quæcunque autem sit origo nominis, *Religio propriè importat ordinem ad Deum* (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. LXXXI. Articulo I.) *Ipse enim est, cui principaliter alligari debemus, tanquam indeficienti principio: ad quem etiam nostra electio assiduè dirigi debet, sicut in ultimum finem; quem etiam negligentes peccando amittimus, & credendo, ac fidem protestando recuperare debemus.* Non est Virtus Theologica, quia circa Deum ipsum ut proprium objectum immediatè non versatur, sicut fides, spes, caritas; sed circa cultum & honorem Deo debitum; sed Moralis, pars scilicet justitiæ, omniúmque Moralium Virtutum præstantissima, cùm per eam propinquiùs ad Deum accedamus.

§. III.

Qui sunt actus interni Religionis?

ACtus Religionis alii sunt interni, alii externi. Interni præcipui sunt; externi verò quasi secundarii, & ad internos ordinati. Interni sunt, *Devotio* & *Oratio*.

(Quid sit Devotio?) *Devotio, est pius & humilis affectus in Deum: Humilis ex conscientia infirmitatis propriæ, pius ex consideratione divinæ clementiæ.* Ita definit Autor Libri *De Spiritu & Anima*, inter Opera *S. Augustini* editi, cap. V. Sive est *Voluntas promptè tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum*; (ut definit *S. Thomas* Secunda Secundæ, Quæst. LXXXII. Articulo I.

(Quid Oratio?) *Oratio est mentis ad Deum elevatio, sive, Petitio decentium à Deo, cum quadam mentis elevatione.* Quæ definitio ex *S. Joanne Damasceno* Libro III. *De Fide Orthodoxa*, cap. XXIV. sumpta est. Est propriæ Religionis actus, quia *Per Orationem homo Deo reverentiam exhibet, in quantum ei se subjicit, & profitetur orando, se eo indigere sicut Autore suorum bonorum* (inquit *S. Thomas* Secunda Secundæ, Quæst. LXXXIII Art. III.) De Oratione speciatim agemus in postrema hujus Theologiæ Parte.

§. IV.

Qui actus externi Religionis?

Actus externi religionis ab internis sejungi non debent.

EXteriores actus Religionis sunt *Adoratio*, *Sacrificium*, & *Votum* : Qui tamen ab interioribus actibus divelli ac sejungi non debent ; sed ita adhiberi, ut eis quasi signis quibusdam mens hominis excitetur ad spirituales actus, quibus Deo conjungitur. Hujusmodi enim exteriora *Non exhibentur Deo, quasi his indigeat*, secundùm illud Psalmi XLIX. *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Sed exhibentur Deo *tanquam signa quædam interiorum & spiritualium operum quæ per se Deus acceptat* ; (inquit *S. Thomas.*) Unde *S. Augustinus*, Libro X. *De Civitate Dei*, Cap. I. ait ; *Sacrificium visibile invisibilis Sacrificii Sacramentum, id est, sacrum signum est.* Et certè cùm homo duabus partibus constet, spirituali & sensibili, corpore & anima, per utramque colere Deum debet, secundùm illud Psalmi LXXXIII. *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

Secunda Secundæ, Quæst. LXXXI. A. 7. ad secundum.

§. V.

Quid sit Adoratio? Et quot cultûs religiosi species?

ADorationis nomen varias habet significationes. Significat interdum venerationem quamcumque exhibitam alteri in testimonium excellentiæ ipsius. Sic III. *Regum* Cap. XVIII. *Abdias* adorasse dicitur *Eliam*. Et si quidem humana seu civilis excellentia dumtaxat spectetur, adoratio quæ propter ipsam dicitur exhiberi, non est actus Religionis, sed cultus tantùm civilis. Sic *Abraham* adorasse *filios Heth* tanquam dominos terræ in quâ versabatur, & *Betsabee* adorasse *Davidem*, Scriptura Sacra commemorat, *Genes.* XXIII. & III. *Regum* I. Si autem spiritualis excellentia consideretur, adoratio quæ propter illam dicitur exhiberi, est cultus spiritualis, & ad Religionem pertinens. Qui quidem cultus, si sanctis Angelis, vel beatis hominibus cum Christo regnantibus impendatur, *Dulia* dicitur Ecclesiastico loquendi more ; si Virgini Deiparæ, dicitur *Hyperdulia*, ob singularem illius supra ceteros Sanctos & Angelos ipsos excellentiam ex dignitate Matris Dei, & gratiarum plenitudine tantæ dignitati respondente æstimandam.

Dulia & Hyperdulia discrimen.

Adoratio secundùm præcipuam, & nunc apud Theologos magis tritam vocabuli notionem, est actus quo nostram erga Deum servitutem in recognitionem infinitæ illius excellentiæ, supremique dominii, externis etiam summissionis signis profitemur. Hæc adoratio *Latria* dicitur, quique Deo exhiberi debet ac potest. Unde Christus Matth. IV. ait : *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Sic *Matth.* II. nomen adorationis usurpatur, cùm dicitur de Magis : *Et procidentes adoraverunt eum.*

Latria est cultus ac servitus uni Deo conveniens.

Quamvis autem Duliæ, Latriæque nomina Scriptura sacra promiscuè usurpet pro cultu sive servitute Deo debitis : quia tamen nec in Græca nec in Latina lingua vocabulum reperitur ullum, quod propriè significet cultum & honorem soli Deo convenientem ; usus Ecclesiæ jam olim obtinuit, ut cultus ac servitus uni Deo conveniens *Latria* vocetur ; servitus autem communis, hoc est, Sanctis Angelis, vel hominibus debita, dicatur *Dulia*, ut *Sanctus Augustinus* observat, Libro XV. *Contra Faustum*, Cap. IX. & Libro XX. Cap. XXI. *Illo cultu*, (inquit) *qui Græcè Latria dicitur, Latinè uno verbo dici non potest, cùm sit quædam propriè Dignitati debita servitus, nec colimus, nec colendum dicimus nisi verum Deum.* Quod Libro X. *De Civitate Dei*, Cap. I. rursus repetit. *Hic est* (inquit) *Divinitati, vel si expressiùs dicendum est, Deitati debitus cultus, propter quem uno verbo significandum, quoniam mihi satis idoneum non occurrit Latinum, Græco ubi necesse est insinuo quid velim dicere. Latriam quippe nostri, ubicumque Sanctarum Scripturarum positum est, interpretati sunt servitutem. Sed ea servitus quæ debetur hominibus, secundùm quam præcipit Apostolus servos Dominis subditos esse debere, alio nomine Græcè nuncupari solet ; scilicet Dulia.*

§. VI.

Adoratio duplex, interior & exterior.

QUia verò ex duplici naturâ compositi sumus, intellectuali scilicet ac sensibili, duplicem adorationem Deo offerimus, scilicet spiritualem, quæ consistit in interiori mentis devotione, & corporalem, quæ consistit in exteriori corporis humiliatione. Et quia in omnibus actibus latriæ, id quod est exterius refertur ad id quod est interius, sicut ad principalius ; ideo ipsa exterior adoratio fit propter interiorem, ut videlicet per signa humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus ad subjiciendum se Deo : quia connaturale est nobis ut per sensibilia ad intelligibilia procedamus. Igitur *Sicut oratio primordialiter quidem est in mente, secundariò autem verbis exprimitur : ita etiam adoratio principaliter quidem in interiori Dei reverentia consistit ; secundariò autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis. Sicut genu flectimus, nostram infirmitatem designantes in comparatione ad Deum : prosternimus autem nos, quasi profitentes nihil nos esse ex nobis,* (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXIV. Articulo II.)

Quod autem adoratio exterior ab interiori procedat, animúmque ad illam vehementiùs excitet, *Sanctus Augustinus* docet Libro *De Cura gerenda pro Mortuis* Cap. V. *Nam & orantes*, (inquit) *de membris sui corporis faciunt quod supplicantibus congruit, cùm genua figunt, cùm extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud visibiliter faciunt ; quamvis eorum invisibilis voluntas & cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat his indiciis ut humanus ei pandatur animus : sed hinc magis seipsum excitat homo ad orandum gemendumque humiliùs atque ferventiùs. Et nescio quomodo, cùm hi motus corporis fieri nisi motu animi præcedente non possint, eisdem rursus exterius visibiliter factis, ille interior invisibilis qui eos fecit augetur : ac per hoc cordis affectus, qui ut fierent ista præcessit, quia facta sunt crescit.*

Adoratio exterior ab interiori procedit, & ad illam vehementius excitat.

Adoratio itaque corporalis ab adoratione spirituali indivulsa sit necesse est, ut vera sit & Christiana adoratio. Unde Christus. *Joannis* IV. ait : *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus est Deus ; & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Et ipsa igitur *Adoratio corporalis in spiritu fit, in quantum ex spirituali devotione procedit, & ad eam ordinatur* (inquit

Adoratio corporalis à spirituali indivulsa esse debet.

S. Thomas, loco superiùs indicato in Responsione ad primum.) Hinc Bituricense Concilium anno MOLXXXIV. celebratum, Tit. 5. ait: *Vera adoratio in spiritu & veritate esse debet. In spiritu quidem adorant, qui mentis affectu Deum colunt: in veritate, qui cultu exteriore & piis operibus mentis affectum testantur & exprimunt. Perfecta igitur adoratio est, cùm animâ simul & corpore divino obsequio mancipamur.*

§. VII.

De Sacrificio.

Quid sit Sacrificium?

INter actus externos Religionis secundo loco numeratur Sacrificiom, cujus hæc notio à Theologis tradi solet: *Sacrificium est oblatio rei sensibilis, & permanentis, qua Deo per legitimum Ministrum consecratur, & offertur, cum aliquâ ipsius rei oblata mutatione reali.*

Legis naturæ Sacrificia.

Ante Legis Mosaicæ lationem, convenientia Legi naturæ Sacrificia pii homines Deo offerebant, & latâ etiam Lege, illi quibus data non fuerat, utpotè ex Populo Israël non oriundis. Sed Sacrificia illa determinata non erant. Judæi ad eerta Sacrificia offerenda, secundùm Legis præscriptum tenebantur. Horum Sacrificiorum triplex erat genus, seilicet *Holocaustum*, *Hostia pro peccato*, & *Hostia pacifica*. Holocaostum offerebatur Deo in reverentiam Majestatis ejus, & amorem bonitatis ipsius: in eóque tota victima comburebatur, ut significaretur totum hominem, & omnia quæ ipsius sont, Dei dominio esse subjecta, eique offerenda. Hostia pro peccato, sive Sacrificium propitiatorium, offerebatur Deo ad expiationem peccati. In eo pars victimæ comburebatur; pars altera eedebat in usum Sacerdotum: quo Ritu significabatur expiationem peccatorum à Deo fieri Sacerdotum ministerio & oratione. Hostia pacifica offerebator Deo pro gratiarum actione, vel pro salute & prosperitate offerentium, ex debito beneficii vel aceipiendi, vel accepti. In eo victima dividebator in tres partes. Una igne consumebatur in honorem Dei: altera eedebat io usum Saeerdotum, tertia in usum offerentium: quo Ritu significabatur, salutem hominis proeedere à Deo, dirigentibus Mioistris Dei, & cooperantibus ipsis hominibus qui salvantur. Sic explicat *S. Thomas*, Prima Secondæ, Quæstione CII. Artieulo III. ad octavum. Hæc Sacrifieia Novæ Legis Sacrificium unicum adumbrabant, scilicet Sacrificiom Corporis & Sanguinis Christi in Croce semel oblatum *Ad multorum exhaurienda peccata*; otque hac *Unâ Oblatione consummaret in sempiternum sanctificatos*: & in Altari quotidie ad finem usque sæculi à Saeerdotibus Novi Testamenti incruento modo offerendum. *Sacrificium* illud fuit *Redemptionis*: Istod *Sacrificium Religionis*, quod prioris illius Sacrificii commemoratio est & applicatio.

Sacrificia veteris Legis.

Novæ Legis Sacrificium adumbrabant.

Hebr. 9. & 10.

Sacrificium interius, & externum bonorum operum.

Cæterùm præter externum Sacrificiom à certis Mioistris ad id deputatis, assumptis, vel consecratis Deo semper oblatum, offerri eidem debuit, ac perenniter offerendum est ab omnibus hominibos Sacrificiom interius, necnon etiam Sacrifieiom exterius bonorom operum. Qua de re *S. Augustinus*, Libro X. *De Civitate Dei*, Cap. V. præclarè seribit: *Non solùm pecore, vel qualibet aliâ re corruptibili atque terrenâ, sed ne ipsâ quidem justitiâ hominis Deus egere eredendus est. totúmque quo rectè colitur Deus, homini prodesse, non Deo. Neque enim fonti se quisquam dixerit profuisse, si biberit; aut luci, si viderit. Nec quòd ab antiquis Patribus talia Sacrificia facta sunt in victimis pecorum, qua nunc Dei populus legit, non facit, aliud intelligendum est, nisi rebus illis eas res fuisse significatas, qua aguntur in nobis ad hoc ut inhareamus Deo, & ad eumdem finem proximo consulamus. Sacrificium ergo visibile invisibilis Sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum est.* Unde Propheta quærens Deom peccatis suis habere propitium: *Si voluisses*, inquit, *Sacrificium, dedissem utique, Holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Ubi Deum dixit nolle Sacrificium, ibi Deum ostendit velle Saerificium. *Non vult ergo Saerificium trucidati peeoris, sed vult Sacrificium contriti cordis.* Hinc & Psalmo XLIX. dicitur: *Si esuriero: non dicam tibi; meus est enim orbis terra & plenitudo ejus. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Tum subjungit quid illa Sacrificia significent: *Immola Deo Sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. Et invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.*

Psalm. 50.

Quòd autem omoe opus virtutis io Dei reveteotiam factum, quodammodo etiam Saerificium sit, colligitur ex Apostoli verbis ad Hebræos XIII. *Beneficentia & communionis nolite oblivisei: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Cùm igitur ait Deus Osee VI. *Misericordiam volui, & non Saerificium*, nihil aliud quàm Sacrificium Sacrificio prælatum oportet iotelligi: *Quoniam illud quod ab omnibus appellatur Saerificium, signum est veri Sacrificii. Porrò autem misericordia verum Sacrificium est*; (inquit *S. Augustinus.*)

Omne opus virtutis in Dei reverentiam factum, quodammodo Sacrificium est.

Et Cap. VI. ejusdem Libri: *Proinde*, inquit, *verum Sacrificium est omne opus quod agitur, ut sancta societate inhareamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo beati esse possimus. Unde & ipsa misericordia quâ homini subvenitur, si propter Deum non fit, non est Saerificium. Etsi enim ab homine fit vel offertur, tamen Sacrificium res divina est....... Unde ipse homo Dei nomine consecratus, & Deo votus, in quantum Deo moritur ut Deo vivat, Sacrificium est. Nam & hoc ad misericordiam pertinet quam quisque in seipsum facit. Propterea scriptum est*, Miserere animæ tuæ placens Deo. *Corpus etiam nostrum cùm per temperantiam castigamus, si hoc, quemadmodum debemus, propter Deum facimus, ut non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma justitia Deo, Sacrificium est.* Unde Apostolus ad Romanos XII. Cap. ait: *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Si ergo corpus quo inferiore tanquam famulo, vel tanquam instrumento utitur anima, cùm ejus bonus & rectus usus ad Deum refertur, Saerificium est: *Quantò magis anima ipsa cùm se refert ad Deum, ut igne amoris ejus accensa, formam concupiscentia sacularis amittat, eique tanquam incommutabili forma subdita reformetur, hinc ei placens, quòd ex ejus pulcritudine acceperit; fit Sacrificium?* Unde idem Apostolus ibidem subjungit: *Reformamini in novitate sensus vestri: ut probetis qua sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Cùm igitur vera Sacrificia sint opera misericordiæ, sive in nos ipsos, sive in proximos, quæ referuntor ad Deum; opera verò misericordiæ non ob aliud fiant, nisi ut à miseria liberemur, ac per hoc ut beati simus; quod non fit nisi bono illo de quo dictum est, *Mihi autem adharere Deo bonum*

Eccli. 30.

Psalm. 72.

num est : profectò efficitur *Ut tota ipsa redempta Civitas, hoc est, Congregatio societásque Sanctorum, universale Sacrificium offeratur Deo per Sacerdotem Magnum, qui etiam se ipsum obtulit in Passione pro nobis, ut tanti Capitis corpus essemus.*

Triplex hominis bonum Deo in Sacrificium offertur.

Idem argumentum tractat *S. Thomas*, Secunda, Secundæ, Quæstione LXXXV. Articulo IV. probatque soli Deo Sacrificium interius & exterius offerri ab hominibus debere, quem unum agnoscunt suæ creationis principium, & beatitatis finem. Cùm autem triplex sit hominis bonum, scilicet bonum animi, bonum corporis, & bonum exteriorum rerum ; primum offertur Deo interiori quodam Sacrificio per devotionem & orationem, & alios hujusmodi interiores actus : & hoc est principale Sacrificium. Secundum offertur Deo per Martyrium, & abstinentiam, sive continentiam. *Unde Tertullianus*, Libro *De Resurrectione Carnis*, Cap. VIII. *Sacrificia* (inquit) *Deo grata, constrictationes dico animæ, jejunia, & feras & aridas escas, & appendices hujus officii sordes, caro de proprio suo incommodo instaurat. Virginitas quoque & Viduitas de bonis carnis adolentur.* Tertium bonorum genus Deo in Sacrificium offertur, quando immediatè res nostras Deo offerimus ; mediatè autem quando eas communicamus proximis propter Deum ; (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. LXXXV. Art. III. ad secundum.)

§. VIII.

De Voto.

Quid sit Votum?

VOtum inter actus externos Religionis tertium locum tenet : Unde *Isaiæ* XIX. dicitur : *Colent eum in hostiis & muneribus : & vota vovebunt Domino, & solvent.* Definitur à Theologis, *Promissio deliberata, Deo facta de meliori bono.* Promissio est, non simplex propositum aliquid faciendi. Unde cùm quidam mortis metu perterritus post minutionem hæc verba protulisset, *Non diu hîc morabor*, proponens in animo quòd Religionis habitum esset aliquando suscepturus, *Alexander III.* ea de re interrogatus, Cap. *Litteraturam*, Extra, *De Voto & voti redemptione*, respondit, *Si plus non est in voto processum, transgressor judicari non poteris, si non impleat quod dixisti.* Simplex namque propositum melioris boni obligationem non parit, nisi accedat promissio. Hanc autem *deliberatam* esse necesse est, ut scilicet promittat aliquis sciens volens : unde vota ante rationis usum nuncupata, vel ex metu in virum constantem cadente, nulla & irrita sunt : necnon illa quæ emitteret aliquis obligare se nolens. Sic ergo (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXVIII. Articulo I.) *Ad votum tria ex necessitate requiruntur : primò quidem deliberatio ; secundò, propositum voluntatis ; tertiò promissio in qua perficitur ratio voti. Superadduntur verò alia duo quandoque ad quondam voti confirmationem, scilicet pronuntiatio oris, secundùm illud Psalmi* LXV. » Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt la» bia mea : *& testimonium aliorum.* Nihil tamen refert an voce, an cogitatione solâ Deo aliquid

1. Reg. 16.

promittatur, quia *Homo videt ea quæ parent ; Deus autem intuetur cor.* Conceptio itaque boni propositi non firmatur animi deliberatione, nisi promissio deliberationem sequatur ; (inquit *S. Thomas.*)

Promissio est *Deo facta*, secundùm illud Psalmi LXXV. *Vovete & reddite Domino Deo vestro.*

Alia autem ratione promittitur aliquid homini, & alia ratione Deo. Homini quidem promittimur aliquid propter ejus utilitatem : commodum enim ipsius est, ut ei aliquid exhibeamus, eúmque de futura exhibitione certiorem priùs faciamus. Sed promissionem Deo facimus, non propter ejus utilitatem, sed propter nostram : ait enim Propheta : *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Hinc *S. Augustinus* Epistolâ CXXVII. aliàs XLV. ad *Armentarium & Paulinam* conjuges, qui continentiam voverant, scribit : *Reddite quod vovistis, quia vos ipsi estis, & ei vos redditis à quo estis. Neque enim quod redditis, reddendo minuetur, sed potiùs servabitur & augebitur. Benignus enim exactor est, non egenus ; & qui non crescat ex redditis, sed in se crescere faciat redditores. Hic ergo quod non redditur, perditur : quod autem redditur, reddenti additur : immò verò in eo cui redditur, ipso reddens servatur. Idipsum quippe erit redditum & redditor, quia idipsum erat debitum & debitor. Deo namque se ipsum debet homo, eique reddendus est ut beatus sit, à quo accepit ut sit. Hoc significat quod in Evangelio Dominus ait :* Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. *Hoc enim dixit, cùm sibi demonstrato nummo, & quæsito cujus haberet imaginem, responsum esset, Cæsaris : ut hinc intelligerent, quòd Deus exigeret ab homine imaginem suam in homine ipso, sicut Cæsar suam exigebat in nummo. Quantò magis erga reddenda est cùm promittitur, cui etiam non promissa debetur?* Sicut autem id quod reddimus Deo non est ei utile, sed nobis : ita etiam promissio quâ Deo aliquid vovemus, non cedit in ejus utilitatem, quia certior à nobis fieri non indiget de voluntate nostra ; sed ad utilitatem nostram, quatenus voto immobiliter voluntatem nostram firmamus in bono quod promittimus. Ita ratiocinatur *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXVIII. Articulo IV.

Psalm. 15. 9.

Promissionem Deo facimus, non propter ejus, sed propter nostram utilitatem.

Matth. 22.

Quo sensu vota Sanctis nuncupari dicuntur?

Verùm (inquies) si Votum est promissio Deo facta, quomodo Sanctis vota nuncupari dicuntur? Quomodo Prælatis obedientiam vovemus?

Respondet *Sanctus Thomas*, Articulo V. ad secundum, Votum soli Deo fieri, sed promissionem posse etiam fieri homini : & hanc esse posse materiam Voti, quatenus est opus quoddam virtutis. Atque hoc sensu dicimur aliquid vovere Sanctis, vel Prælatis ; ita ut promissio illis facta sit materia Voti, *In quantum scilicet homo vovet Deo se impleturum quod Sanctis vel Prælatis promittit.* Vel sensus est, Votum Deo nuncupari coram Sanctis, sive ut testibus, sive ut Patronis, qui auxilium gratiæ ad implenda vota necessarium suffragiis suis à Deo voventibus impetrent.

Cæterùm antiquum esse & Ecclesiasticum loquendi morem, quo vota Sanctis fieri dicuntur, adeóque minimè corrigendum, sed Populo fideli à Pastoribus explicandum, constat ex *Eusebio Cæsareensi*, Libro XIII. *De Præparatione Evangelica*, Cap. XI. ubi de Martyribus sic loquitur : *Eorum sepulchra celebrare, & preces ibi votáque nuncupare, & beatas illorum animas venerari consuevimus.*

Denique Votum est Promissio *de meliori bono*, hoc est, vel de bono supererogationis & consilii, quod melius dicitur seu majus bonum : quia majoris perfectionis est consilia simul cum præceptis, quàm sola præcepta implere : vel melius bonum dicitur materia voti, quia melius est & perfectius illud facere, quàm omittere, sive quia opposito me-

Duæ conditiones necessariæ ut aliquid sit materia voti.

lius est. Duæ itaque conditiones omnino necessariæ sunt ut res aliqua sit materia voti: Primò, quòd in nostra potestate seu libertate sit posita: secundò, quòd Deo grata & accepta sit. Quamobrem neque res illicitæ, seu opera per se malæ, neque res indifferentes, sunt materia voti; & contra Religionem graviter peccaret, qui opera hujusmodi voveret: sed de solo virtutis opere votum fieri potest. Nec etiam materia voti esse possunt, quæ sunt absolutè necessaria: undè stultè aliquis voveret se esse moriturum, vel non esse volaturum. Quæ tamen necessaria sunt necessitate finis & officii, quia scilicet sine illis salutem æternam consequi non possumus, aliquo modo, licèt minùs propriè, materia voti esse possunt. Unde si quis de vitanda ebrietate, aut fugiendo juramento temerario votum emittat, duplici nomine ad hæc peccata cavenda tenebitur, ratione scilicet præcepti, & ratione voti. Hinc in Decretis Causa XVII. Quæstione VIII. Canone *Sunt quædam*, dicitur, quædam esse, *Quia etiam non voventes debemus*; quædam, *quæ nisi voverimus, non debemus.* Res autem impossibiles non sunt materia voti: unde si quis voveret se nunquam peccaturum venialiter, voolıgatos non esset. Demum ea omnia quæ Consiliis Evangelicis opponuntur, non sunt materia voti; ut si quis voveret se nunquam Religionem ingressurum, seu Deo sese in Monasterio consecraturum: quia hujusmodi votum viam ad melius bonum præcluderet; tantùm abest ut promissio esset melioris boni.

Melius est aliquod virtutis opus ex voto facere, quàm sine voto.

Ex his colligitur, Melius esse ac laudabilius aliquod virtutis opus ex voto facere, quàm absque voto: Primò, quia opera sic facta singulari quadam ratione ad Dei cultum referuntur, quasi quædam Sacrificia. Unde *Sanctus Augustinus*, Libro *De Sancta Virginitate*, Cap. VIII. ait: *Neque enim & ipsa quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur, quæ licèt in carne servetur, spiritûs tamen religione ac devotione servatur. Ac per hoc spiritualis etiam virginitas corporis, quam vovet & servat continentia pietatis.* Secundò, quia ille qui vovet aliquid & facit, se Deo magis subjicit, quàm ille qui solùm facit. Subjicit enim se Deo non solùm quantùm ad actum, sive quantùm ad opus, sed etiam quantùm ad potestatem operis faciendi, quia se obligat ne deinceps oppositum faciat: sicut plus daret homini qui daret illi arborem fructibus suavissimis onustam, quàm qui fructus tantùm offerret. Tertiò, quia per votum voluntas firmatur in bono: majoris autem ac perfectioris virtutis opus est, quod fit voluntate in bono firmatâ; sicut peccatum quod mente in malo obstinatâ committitur, gravius est. Hæ sunt rationes S. *Thomæ*, loco superiùs indicato, Articulo VI. Hinc major gloria parata est à Deo iis qui vovent ac reddunt meliora bona quæ non imperavit, ut docet *S. Augustinus*, Libro *De Sancta Virginitate*, Cap. XIV. *In vita æterna*, inquit, *est quædam egregia gloria non omnibus in æternum victuris, sed quibusdam ibi tribuenda, cui consequenda parum est liberatum esse à peccatis, nisi aliquid ipsi Liberatori voveatur, quod non sit criminis non vovisse, ac reddidisse sit laudis.* Hinc eis qui reliquerunt omnia, & secuti sunt Christum, promittit ipse Salvator, fore ut in Regeneratione, cùm sederit in sede majestatis suæ, sedeant & ipsi super thronos orbem judicaturi.

Quotuplex Votum?

Explicatâ voti naturâ, expendendum est quotuplex sit votum. Igitur, Votum aliud est *Absolutum*, aliud *Conditionatum*. Votum absolutum est, quod nulla conditione suspenditur. Quamobrem impleri debet quantocyus fieri potest, secundùm illud Deuteron. XXIII. *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

Votum conditionatum est, quod aliqua conditione suspenditur. Unde non ante obligat quàm conditio impleta fuerit: cùm quis, verbi gratiâ, gravi lite implicatus, in qua de vita, de bonis omnibus, aut honore famâque agitur, voveat se pauperibus erogaturum centum nummos si causam vicerit, votum implere non tenetur antequam lis in ejus gratiam finita sit, & secundùm ipsum lata Sententia.

Rursus Votum aliud est *reale*, aliud *personale*, aliud *mixtum*. Reale est, cujus materia est extra voventem, ut bona temporalia: cùm aliquis, verbi gratiâ, vovet se Templis ornamenta collaturum, aut pauperibus eleemosynas erogaturum. Personale est, cujus materia est ipsa persona, vel opus voventis: cùm quis, exempli gratiâ, Sacrorum Ordinum susceptione, aut Religiosæ vitæ professione Deo sese consecraturum, aut piam peregrinationem, Jejunium, continentiam, aut certas preces vovet. Votum mixtum est, cujus materia sunt persona vel opus voventis, simul & ipsius bona: ut si quis in Ædem Lauretanam vel Carnotensem Virginis Deiparæ peregrinationem voverit, seque calicem aut lampadem argenteam ibi oblaturum. Votum personale solùm voventem obligat: votum reale ab alio impleri potest, illiúsque obligatio ad voventis heredes transit, si illud ipse non implevit, ut constat ex Cap. *Licet*, Extra, *De Voto & voti redemptione*, & Cap. *Si heredes*, Extra, *De Testamentis*.

Voti simplicis & solemnis discrimen.

Denique Votum aliud *simplex*, aliud *solemne* est. Votum simplex est Promissio melioris boni, quod tamen actu non traditur Deo; aut si traditur à promittente, quoad facere potest, non tamen recipitur à Prælato vice Dei, & Ecclesiæ nomine, aut certè non recipitur irrevocabiliter & in omne tempus. Votum solemne est promissio Deo facta cum solemni traditione voventis, & Consecratione quadam quâ divino Ministerio mancipatur, ejúsque acceptatione à Prælato, vice Christi, & Ecclesiæ nomine. Solemne autem votum est, cùm aliquis per Sacri Ordinis susceptionem divino Ministerio applicatur: aut Professione certæ Regulæ ab Ecclesia approbatæ, sæculo propriæque voluntati renuncians, Statum perfectionis assumit, ut docet *S. Thomas*, & confirmat Cap. *Quod votum*, Tit. *De Voto*, in Sexto. Votis igitur particularium operum, scilicet piæ peregrinationis, jejunii, orationis, eleemosynæ, &c. ratio voti solemnis non convenit, *Sed solùm voto, quo aliquis totaliter se subjicit divino ministerio seu famulatui*: particularibus enim actibus non consuevit solemnitas adhiberi, *sed assumptioni novi statûs*. Solemnitas porrò voti non solùm ad homines pertinet, sed ad Deum, *In quantum habet aliquam spiritualem consecrationem, cujus Deus est auctor, etsi homo sit minister; secundùm illud Num.* VI. Invocabunt nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eis. *Et ideo Votum solemne habet fortiorem obligationem apud Deum, quàm Votum simplex, & graviùs peccat qui illud transgreditur.* Quod autem dicitur, Votum simplex non minùs apud Deum obligare quàm solemne, *Intelligendum est quantum ad hoc quod utriusque transgressor peccat mortaliter.* Aliud porrò est Votum publicum, & aliud solemne.

S. Thomas, Secunda Secundæ, Quæst. LXXXVIII. Art. VIII.

Voti solemnitas in consecratione voventis posita.

Nam & simplicia palam & in multorum conspectu, & solemnia privatim & coram paucis fieri possunt. Neque enim hîc de solemnitate humanâ quæstio est; quæ votis etiam simplicibus potest adhiberi: sed de solemnitate spirituali & divinâ, quæ in consecratione quadam voventis posita est. Unde *S. Hieronymus* Epistolâ VIII. *ad Demetriadem*, *De servanda Virginitate*, ita scribit: *Quantùm Virginis nostra sit meritum, hinc potest æstimari, quod occupatus in explicanda ea parte delubri in qua thymiamatis Altare describitur, malui hoc parumper diverticulo uti, ut de Altari transirem ad Altare, atque Hostiam vivam placentem Deo æterna pudicitia consecrarem.* Et *S. Ambrosius*, Libro I. *De Virginibus*, cap. X. *Ex ultimis infra ultraque Mauritania partibus deducta Virgines hic sacrari gestiunt.* Et Libro *De Virginitate*, cap. VI. *Discite quantas Alexandrina, totiúsque Orientis, & Africana Ecclesia quot annis sacrare consueverint. Pauciores hic homines prodeunt, quàm illic Virgines consecrantur.* Et Libro *De lapsu Virginis consecratæ*, cap. IX. sic Virginis corruptorem alloquitur: *Vas rationabile consecratum Christo, sanctificatum Spiritui Sancto, impiè temerasti, polluisti sacrilegè.* Eodem consecrationis verbo *S. Augustinus* utitur Libro *De Sancta Virginitate*, cap. VIII. de voto solemni Virginitatis loquens: *Integritas carnis*, inquit, *ipsi Creatori animæ & carnis vovetur, consecratur, servatur.*

§. IX.

Explicatur pars altera Præcepti, NON HABEBIS DEOS ALIENOS CORAM ME.

PArs altera præcepti, *Non habebis Deos alienos coram me*, prohibendi vim habet (ut diximus.) Hac autem loquendi formulâ usus est Legislator cœlestis, non quòd satis explicata non esset hæc sententia affirmatione præcepti hunc in modum: Me unum Deum coles: si enim Deus est, unus est: sed propter cæcitatem plurimorum, qui olim verum Deum se colere profitebantur, & nihilominus Deorum multitudinem venerabantur: quales inter Hebræos ipsos permulti fuerunt, quos increpat Elias, III. *Regum* XVIII. *Usquequò*, inquit, *claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum.* Quod & Samaritani fecerunt, qui Deum Israëlis, & Deos Gentium colebant, ut habetur *Regum* cap. XVII. 33. Prohibet igitur Deus gravissimam illam injuriam sibi irrogari, quâ aliquem alium præter ipsum pro Deo nostro habeamus, non quasi sit aliquis alius Deus, sed quia hoc perversitas hominum confinxit. Quod verò adjecit, *Coram me*, magnam emphasim habet: longè enim gravius est aliquem alteri palam præsentem præsenti insultare, & injuriam inferre, quàm occultè & absentem lædere. At qui Dei honorem in alium Deum transfert, coram ac præsente Deo id agit, qui ubique præsens omnia intuetur.

ARTICULUS II.

Cultus Sanctorum primo Decalogi Præcepto non repugnat.

Cultus religiosus Sanctorum Deo gratus.

SAnctis enim sive Angelis, sive hominibus Dei cum Christo regnantibus divinum cultum, id est, honorem aliquem Deo proprium, aut soli Deo debitum non tribuit, aut à Fidelibus exhiberi permittit Ecclesia; sed eum quem conjunctissimis Dei amicis, & arcanorum ejus consciis, nostræque salutis amantissimis, quem distinctionis causâ *Duliam* vocat, cùm *Latria* sit soli Deo debita servitus. Neque verò cultus hujusmodi putandus est ulla ex parte Dei gloriam minuere vel obscurare, sed potiùs augere atque illustrare: tum quia Deus hoc modo non in se solùm, sed etiam in Sanctis suis mirabilis & gloriosus agnoscitur: tum quia hoc ipsum Deo acceptum & gratum est. ut sicut Reges, Principes, Sacerdotes, Parentes, & quicunque potestatis vel sanctitatis nomine excellunt, Deóque similes sunt, secundùm Legem ejus honoramus, & veneramur; ita & multò magis eos honoremus, qui Regni Cœlestis jam cum ipso sunt consortes; propterea quod & caritate perfectiores & dignitate sublimiores, eam apud Deum honoris excellentiam consecuti sunt, quâ nusquam possunt excidere. Deum autem velle ut sic à nobis honorentur, ex Sacris Litteris compertum est. Psal. CXXXVIII. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Et Joannis XII. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Sic *Josue* Angelum Principem Militiæ Domini pronus in terram veneratus est, *Josue* V. Sic filii Prophetarum, qui erant in Jericho, cùm spiritum *Eliæ* super *Eliseum* requievisse experti fuissent, *Venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram*, id est, ut Prophetam singulari & plusquàm civili honore venerati sunt. 4. Reg. 2. 15. Quod si legimus Angelos internum honorem ab hominibus sibi exhibitum recusasse, propterea id fecisse intelligendum est, quòd eum sibi honorem haberi nollent, qui soli Deo debetur. Sic Angelus prohibuit *S. Joannem* ne ipsum adoraret, Apocal. XIX. *Vide* (inquit) *ne feceris: Conservus tuus sum, & fratrum tuorum, habentium testimonium Jesu: Deum adora.* Ita enim dilecto Christi Apostolo apparuerat Angelus, ut Deus videri posset: quamobrem opus erat ut se Deum non esse, sed Dei Legatum ac Ministrum doceret, ne ipsum *Joannes* adoraret. Ita hunc locum *S. Augustinus* exponit Quæstione LXI. super Genesim: *Talis* (inquit) *apparuerat Angelus ut pro Deo posset adorari: & ideo fuerat corrigendus Adorator.* Quanquam nec improbabile sit Angelum prohibuisse ne supplex ante ipsum Apostolus prosterneretur, ob naturæ humanæ à Filio Dei assumptæ reverentiam: utque significaret *Angelos non dedignari habere hominem sociam, qui super se adorant hominem Deum*, (inquit *S. Gregorius*, Homiliâ VIII. in Evang.) Quod verò *S. Petrus* Cornelium ad pedes ejus prostratum ac supplicem surgere jusserit, dicens: *Et ego ipse homo sum:* id fecisse ad humilitatis exemplum, docet *S. Joannes Chrysostomus*, Homiliâ XXIII. in Acta Apostolorum. Act. 10.

Sed nec Apostolus Fideles deterrere censendus est à religioso Sanctorum Angelorum cultu, cùm ad *Colossenses* scribit Cap. II. *Nemo vos*

sedacat volens in humilitate & Religione Angelorum, &c. Sed vel à Mosaicæ Legis observationibus, quæ post Christi Mortem & Evangelii promulgationem Dei cultus esse desiit, & transfugarum potius Angelorum, sive Spirituum immundorum cultura facta est, de quibus Apostolus paulò ante dixerat: *Expolians Principatus & Potestates, confidenter palam traduxit illos triumphans in semetipso.* Quæ S. Hieronymi interpretatio est Epistola CLI. ad *Algasiam*, Quæstione X. vel, superstitiosum duntaxat cultum prohibuit, Angelis exhibitum ab iis, qui relicto Christo Mediatore, Angelos ut unicos & primarios Mediatores adibant, per eos ad Deum nos adduci necessariò oportere garrientes, per quos Lex data esset. Idque falsâ humilitate ducti fieri suadebant, dicentes, *Universorum Deum nec cerni, nec attingi, nec comprehendi posse: & oportere per Angelos divinam sibi benevolentiam conciliare.* Hoc est quod dicit Apostolus, *In humilitate & Religione Angelorum*, Hæc *Theodoreti* expositio est. Superstitiosum hujusmodi cultum Laodicena Synodus Canone XXXV. prohibuit volens, veteri illi morbo mederi: quia occultæ idololatriæ serviebant, qui Christo & Ecclesia relictis, Angelos adorabant. Uno verbo, eum duntaxat Angelorum cultum prohibet ac damnat Apostolus, cui aliquis ita addictus est, ut Ecclesiæ Caput, id est, Christum non teneat. *Nemo* (inquit) *vos seducat, volens, in humilitate & Religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens Caput ex quo totum corpus, per nexus & conjunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei.* Sed Angelos revereri non prohibet ut Dei Legatos & Ministros, quorum operâ non modò ad Ecclesiæ suæ, sed etiam ad reliquarum rerum gubernationem utitur: ut nostros curatores & Custodes, ut patronos apud Deum potentissimos, qui magna caritate nos diligunt: qui pro iis Provinciis quibus præsunt, (ut ex Scripturâ Sacrâ facilè intelligitur) preces fundunt; quod etiam præstare iis quorum sunt ipsi Custodes à Deo constituti, minimè dubitandum est. Nostras enim preces Deo offerunt, (ut constat ex *Apocalypsis* cap. VIII. 3. 4.) Quamobrem Christus Dominus in Evangelio docuit, Pusillos scandalizandos non esse, quia *Angeli eorum in Cælis semper vident faciem Patris.*

Matth. 18.

Objecerunt quidem olim Ecclesiæ Ethnici, & Manichæi Hæretici, divinos honores Martyribus à Christianis & Catholicis impendi; eosque Idolis Gentium mortuos homines substituisse: sed eam calumniam egregiè repellit *Sanctus Augustinus* Libro XX. *Contra Faustum*, cap. XXI. Hujus verba descripsi in Tractatu *De Sacramento Eucharistiæ*, cap. VI. Articulo II. Summa hujus loci est, Populum Christianorum Memorias Martyrum religiosè celebrare, & *ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, & orationibus adjuvetur.* Cæterùm Martyribus Altaris non constitui, nec offerri Sacrificium: sed soli Deo qui Martyres coronavit, in Memoriis eorum quos coronavit. Nos Martyres colere, non cultu Latriæ, *Sed eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur Sancti Homines Dei.* Paucis verbis ut multa complectar, Sancti *Honorandi sunt propter imitationem, non adorandi propter Religionem...... Honoramus eos caritate, non servitute. Nec eis Templa construimus. Nolunt enim se sic honorari à nobis: quia nos ipsos, cùm boni sumus, Templum summi*

Sancti caritate, non servitute colendi.

Dei esse noverunt. Quamvis ergo vulgò nuncupetur Ecclesia sive Templum, aut Altare Beatæ Virginis, S. Petri, aut alterius Sancti: non tamen illis consecrata sunt Templa, vel Altaria, neque dicari Festi dies, sed Deo in eorum memoriam, & sub eorum invocatione. Hæc Ecclesiæ Catholicæ Fides.

Sanctorum autem Memoriam triplici potissimùm ratione colimus. Primò, ut eximia Dei opera in illis celebremus, Deùmque ob beneficia illis, & per illos cæteris hominibus collata laudemus, quemadmodum Scriptura Sacra ubique facit, & Deum in Sanctis suis laudari jubet. Secundò, ut fidem etiam Sanctorum, quâ vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, suspiciamus; ipsosque veluti jam perpetuos filios Dei, fratres & coheredes Christi, Templáque Spiritus Sancti honoremus. Nam planè superbos atque impius est, qui, quos honore summo Pater Cœlestis afficit, recusat honorare. Tertiò, ut imitatione sanctioris vitæ Sanctos colamus, quæ honoris species est non minima, ut scilicet simus illorum imitatores, sicut & ipsi Christi. Adaugent certè Sanctorum Vitæ & exempla nobis fiduciam assequendi bravii, quod currendo appetimus: addunt operandi alacritatem, quòd quæ illos per Christum jam assecutos intelligimus, eodem autore nos aliquando consecuturos confidamus. Huc spectant egregiæ illæ Sanctorum Veteris Legis laudes, *Ecclesiastici* XLIV. & ad *Hebræos* XI. ubi Apostolus cùm Sanctos ex fide plurimùm commendasset, addidit: *Id òque & nos tantam habentes impositam nubem testium: deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Autorem Fidei, & consummatorem Jesum.*

Sanctorum memoriam triplici ratione colimus.

Plura de hoc argumento suppeditabit Dissertatio quarta in Historiam nostram Ecclesiasticam Sæculi quinti, Quæstione secunda, Articulo 5.

ARTICULUS III.

Sacrarum reliquiarum honor primo Decalogi Præcepto non repugnat.

MArtyres enim, aliósve Sanctos viros cum Christo regnantes, non adoramus, multò minùs ipsorum Reliquias, ne serviamus creaturæ potiùs quam Creatori: sed *Honoramus Reliquias Martyrum, ut Eum, cujus sunt Martyres, adoremus. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos suscipit, me suscipit:* (inquit *S. Hieronymus* Libro *Contra Vigilantium* Hæreticum, qui debitum Sanctorum Reliquiis honorem primus impugnavit:) Quem ex Ecclesiæ universæ more atque usu refellit S. Doctor, præsertímque Romanæ, cujus Episcopus *Super SS. Petri & Pauli ossa veneranda offert Domino Sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur Altaria.* Honorem Sanctorum reliquiis debitum probant Miracula quæ Deus ad eorum sepulcra edidit, atque etiamnum edit, cùm ipsi placet, ac supplicantium fides id meretur: oculis & manibus, membrísque omnibus captis, in pristinum statum restitutis, mortuis ad vitam revocatis, ex corporibus hominum ejectis dæmoniis; quæ non legisse, ut multi; non audivisse,

Super Sanctorum corpora Deo eriguntur Altaria.

Miracula ad Sanctorum sepulchra edita.

ut plurimi gravissimi viri, sed se vidisse, testes locupletissimi *S S. Ambrosius & Augustinus* litteris prodiderunt: Ille in *Exhortatione Virginitatis* Capp. I. & II. ubi de Sanctorum Martyrum *Vitalis & Agricolæ* Reliquiis, & Epistola XXII. Parisiensis Editionis postremæ, ubi de Inventione corporum *S S. Gervasii & Protasii* Martyrum scribit: iste verò Libro IX. *Confessionum*, cap. VII. & Libro XXII. *De Civitate Dei*, cap. VIII. ubi & de *S. Stephani* Protomartyris Reliquiis nuper inventis multa habet, & de variis Miraculis illarum virtute effectis. Et Sermone CCCXVII. aliàs XCII. *De Diversis*, qui quartus est de *S. Stephano* Martyre: *Ex guus pulvis* (inquit) *tantum populum congregavit: cinis latet, beneficia patent. Cogitate, Carissimi, quæ nobis Deus servet in regione vivorum, qui tanta præstat de pulvere mortuorum.* Quid multa? Si Apostoli *Pauli* sudaria & semicinctia; si umbra *S. Petri*, priusquam vitâ per Martyrium functi essent, depulerunt morbos, viresque restituerunt, ut *Actuum* V. & XIX. refert *S. Lucas*: quis negare audeat Deum per sacros cineres, ossa, cæterasque Sanctorum Reliquias similia Miracula patrare? Id declaravit cadaver illud quod fortè illatum in Sepulchrum *Elisæi*, ejus tactis ossibus subitò revixit. (IV. *Regum* XIII.) Ex quibus Scripturæ Sacræ locis honorem Sanctorum Reliquiis debitum probaverunt quarti Seculi Patres, præsertim *S. Cyrillus Hierosolymitanus* Catechesi XVIII. & *S. Hieronymus Epistola* LIII. *ad Riparium, De errore Vigilantii*: cujus ad finem se Ecclesiæ fidem propugnare disertè asserit. *Non tam* (inquit) *illius infidelitatem, quæ omnibus patet, quàm nostram Fidem aperuimus.* Secundùm hanc fidem Concilium Carthaginense V. Canone IV. statuit, Ne Altaria absque Reliquiis Martyrum exstruantur. Quinam autem major sacrarum Reliquiarum honos, quam in Altari condi, ubi Domino Sacrificium offertur? Hanc Fidem confirmaverunt Septima Synodus Oecumenica, Nicææ adversùs Iconomacos celebrata, & Tridentina Sessione XXV. Quæ Episcopis omnibus, & cæteris docendi munus curámque sustinentibus præcipit ut Fideles doceant, juxta Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ usum, à primævis Christianæ Religionis temporibus receptum, Sanctorúmque Patrum consensionem, & Sacrorum Conciliorum Decreta, *Sanctorum Martyrum, & aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, & templum Spiritus Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda & glorificanda, à Fidelibus veneranda esse: per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur: ita ut affirmantes, Sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas, aliáque sacra Monumenta à Fidelibus inutiliter honorari; atque opis impetrandæ causâ Sanctorum Memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout jampridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia.*

Sanctorum corpora membra sunt Christi, templa Spiritûs Sancti.

Hoc argumentum pleniùs tractatum est Dissertatione quinta in Historiam nostram Ecclesiasticam Seculi quinti, Quæstione prima.

ARTICULUS IV.

Sanctorum Invocatio primo Decalogi præcepto non prohibetur.

Sanctorum invocatio pia atque utilis.

HÆc Propositio Dogma Fidei est, cùm Scriptura Sacra & Traditio, quæ Deum unum adorandum, illique soli serviendum ubique clamant, Angelorum nihilominus & Sanctorum cum Christo viventium invocationem approbent ut piam atque utilem. Genesis scilicet XLVIII. refertur, Jacob Patriarcham filiis suis benedicentem, sic precatum fuisse: *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: & invocetur super eos Nomen meum: Nomina quoque Patrum meorum Abraham & Isaac.* En invocationem expressam Angeli, & Sanctorum Patriarcharum defunctorum. Apocalypsis cap. I. *S. Joannes* pacem Fidelibus adprecatur ab Angelis Thronum Dei cingentibus: *Gratia vobis & pax,* inquit, *ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem Spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt.* Sic autem pacem ab Angelis adprecari, quid aliud est, quàm ipsorum patrocinium invocare, ut gratiam & pacem à Deo pro Fidelibus postulent? *Exodi* XXXII. Moses Deo his verbis supplicat: *Recordare, Domine, Abraham, Isaac, & Israel servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum, &c.* Et II. *Paralipomenon* VI. Salomon Deum orans, ait: *Memento misericordiarum David servi tui.* Deus ipse propter merita Sanctorum beneficia confert hominibus, ut constat ex his verbis IV. Regum XIX. *Protegam urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum.* Pium igitur ac utile est Sanctorum merita coram Deo allegare, ut illius beneficia impetremus.

Sanctos pro nobis orare Scriptura docet.

Prætera, Sanctos pro nobis orare, Scriptura Sacra docet. *Jeremiæ* cap. XV. ubi Dominus ait: *Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad Populum istum.* Ex quibus colligitur, Moysen & Samuelem orare solitos pro Populo Israel, non solùm dum in terris viverent, sed etiam post felicem obitum. *Machabæorum* II. cap. XV. *Jeremias* mortuos orare dicitur pro populo: *Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est qui multùm orat pro populo, & universâ sanctâ civitate, Jeremias Propheta Dei.* Sed & *S. Petrus* orationes suas ac Patrocinium apud Deum Fidelibus post obitum suum pollicetur, Epistolæ II. cap. I. *Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Denique Apocalypsis V. legimus quòd *Viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Id est, preces Fidelium hîc in terris degentium, Cœlites Deo offerunt, suóque patrocinio commendant. Quid verò prohibet, ut quos sedulò pro nobis Deum deprecari scimus, eorum etiam precibus concedi petamus, ut in omnibus divinæ protectionis muniamur auxilio? Certè non poterit fructus Communionis Sanctorum Ecclesiæ triumphantis nobis applicari, nisi per fidem, quæ piis votis ac desideriis excitanda est. Perinde autem est apud Deum, qui cordis inspector est, & precantis affectum, non structuram verborum examinat, sive dicamus:

Scimus, Maxime & optime Deus, Deiparam Virginem, S. Petrum, S. Stephanum orare pro nobis; eorum itaque precibus concede, ut tuæ protectionis auxilio muniamur; sive dicamus, Sancta Maria Mater Dei, Sancte Petre, Sancte Stephane, orate pro nobis. Sed quantùm ad nos attinet: cùm Sanctos nominatim invocamus, non solùm fidem, sed etiam mutuæ caritatis affectum exprimimus; persuasum habentes, Deiparam Virginem, Apostolos & Martyres, qui adhuc in corpore constituti, pro cæteris orare voluerunt, & potuerunt, nunc tantò magis *De nostra salute esse sollicitos*, cùm *de sua sorte securi* sunt. *post coronas, victorias, & triumphos*; ut *S. Cyprianus* Libro *De Mortalitate*, & *S. Hieronymus* Libro *Contra Vigilantium* loquuntur. Ad quam rationem accedit consuetudo ab Apostolis accepta, & in Ecclesia Dei perpetuò retenta, & conservata, cujus testes sunt *SS. Cyprianus* Epistola LVII. *Basilius* Oratione in XL. Martyres, *Gregorius Nazianzenus* Oratione XVIII. in S. Cyprianum, & Oratione XX. De Laudibus S. Basilii; *Gregorius Nyssenus* Oratione de Theodoro Martyre; *Joannes Chrysostomus* Homilia XLV. de S. Meletio; *Asterius* Amasenus Episcopus in Encomio Martyrum; *Ambrosius* Libro *De Viduis*, cap. IX. *Augustinus*, Libro VII. de Baptismo contra Donatistas, cap. I. S Cyprianum invocans & passim in Sermonibus; Synodus Chalcedonensis Œcumenica, cujus Patres Actione XI. conclamarunt: *Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis oret.* S. Leo Sermone I. De Natali Apostolorum Petri & Pauli; *Theodoretus* Libro *De curandis Græcorum Affectionibus* Sermone VIII. qui *De Martyribus* inscribitur, & alii. Itaque jure meritò Sacra Synodus Tridentina Sessione XXV. pronunciavit: *Sanctos cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, & ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere, illos verò qui negant Sanctos æternâ felicitate in cælo fruentes, invocandos esse: aut qui asserunt vel illos pro hominibus non orare; vel eorum ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam: vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius Mediatoris Dei, & hominum Jesu Christi: vel stultum esse in cælo regnantibus voce vel mente supplicare, impiè sentire.*

Objectionibus Hæreticorum respondetur.

Impiè igitur Hæretici objiciunt, Supervacaneum esse Sanctorum patrocinium, quod Deus sine interprete precibus nostris occurrat. Multa enim Deus non concedit, nisi Mediatoris ac deprecatoris opera & officium accesserit. Quod illustribus Abimelech, & Job amicorum confirmatur exemplis, quorum peccata nonnisi Abraham & Job precibus condonavit *Genesis* scilicet XX. Dominus Abimelecho sic de Abraham loquitur: *Orabit pro te, quia Propheta est, & vives.* Et Job ultimo sic amicos Sanctissimi patientissimique Viri compellat: *Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam ut non imputetur vobis stultitia.* Sic *Joëlis* II. jubentur Sacerdotes inter vestibulum & altare supplicare pro populo, & dicere: *Parce Domine, parce populo tuo, &c.* Sæpe etiam in Levitico dicitur: *Rogabit pro eo Sacerdos, & dimittetur ei.* Hinc Deus Moysi pro populo Israël oranti ait: *Dimitte me, ut irascatur furor meus.* Quibus verbis significavit, *Plurimùm apud se prodesse illi populo, quia sic ab illo viro diligebantur, quem sic Dominus diligebat: ut eo modo admoneremur, cùm merita nostra nos gravant ne diligamur à Deo, relevari nos apud Eum illorum meritis posse, quos diligit*; (inquit *S. Augustinus*, Quæstione CXLIX. in *Exodum*.) Paulus etiam Apostolus in omnibus pene Epistolis & se suis in orationibus sine intermissione memoriam facere eorum ad quos scribit, profitetur, & eorum vicissim orationes pro se & pro felici prædicationis Evangelicæ exitu implorat. *Jacobus* denique Apostolus cap. V. Epistolæ suæ Catholicæ scribit: *Orate pro invicem, ut salvemini.* Porrò si supervacaneæ non sunt Justorum in terris militantium orationes cùm pro aliis apud Deum intercedunt: multò minùs supervacaneæ sunt orationes Sanctorum in cælis regnantium; eorúmque patrocinium apud Deum adhibere, salutis nostræ rebus longè utilius erit. Unde S. *Augustinus*, Sermone CCCXX. aliàs LI. *De Diversis*, qui Sextus est de *S. Stephano*, ait: *In cujus nomine faciebat antequam carnem deponeret, in ejus nomine faciunt orationes ejus, ut beneficia impetrentur, quibus novit ea dari debere.*

Frustra etiam quis objiceret, fieri inopiâ & imbecillitate fidei, ut Sanctos internuncios & patronos adhibeamus: nam pius ille Centurio, cujus fidem singulari præconio Christus Dominus commendavit, dicens: *Non inveni tantam fidem in Israël*, Seniores tamen Judæorum amicos suos ad Salvatorem misit, ut laboranti puero salutem impetrarent.

Matth. 8. & Luc. 7.

Verùm, inquiunt, solùm Deum invocare licet, dicente Apostolo ad Romanos X. *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* Unde S. *Augustinus*, Libro XX. *De Civitate Dei*, cap. X. ait: *Non erigimus Altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo & Martyrum & nostro, ad quod Sacrificium, sicut homines Dei, qui Mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur; non tamen à Sacerdote, qui sacrificat, invocantur.*

Sacrificium Sanctis non offertur, sed uni Deo.

Huic objectioni facilè respondetur: Apostolum loqui de invocatione Deo propriâ, quâ ipsum ut bonorum omnium ac nostræ salutis primum solúmque Autorem appellamus, & pro ope suâ virtute impertiendâ interpellamus. Præmiserat enim Apostolus: *Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Sed hoc modo non invocamus Sanctos, sed illos interpellamus ut Dei amicos ac Ministros; ut Deum, apud quem gratiâ ac favore meritisque plurimùm possunt, pro nobis orent, ut nobis laborantibus, suâ, non ipsorum virtute, opem afferat salutarem: quemadmodum Apostoli Christum pro Muliere Chananæa deprecabantur, dicentes: *Dimitte eam, quia clamat post nos.* Nomen porrò invocationis hoc etiam sensu congruè usurpari Scriptura Sacra docet Genes. XLVIII. ubi Jacob filiis Joseph benedicens ait: *Invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Isaac.* Eum autem qui sic invocatur, fidei nostræ objectum esse minimè necesse est: alioqui Sanctorum in terris viventium opem & patrocinium apud Deum expetere non possemus, qui in ipsos non credimus. Idem est *S. Augustini* sensus: Sanctos enim Martyres eâ solùm ratione invocari negat ut eis Sacrificium offeratur. Unde subdit: *Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum: quia Dei Sacerdos est, non illorum. Ipsum verò Sacrificium corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi.*

Solus Deus invocatur ut nostræ salutis & bonorum omnium Autor.

Matth. 15.

Injuriam fieri Christo Jesu, qui *Unus Mediator Dei*

Dei & hominum est, si Sanctos velut Mediatores nostros apud Deum interpellemus, absque ratione objiciunt Hæretici. Quamvis enim solus Christus perfectâ ratione Mediator sit Dei & hominum; Mediator (inquam) redemptionis officio, quia *Dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*, ut loquitur ibidem Apostolus, qui unus per sanguinem Patri cælesti nos reconciliavit: & qui *Per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æternâ redemptione inventâ*: Et *Salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis*; (ut idem scribit ad *Hebræos* Cap. VII. & IX.) Sancti tamen inferiori quadam & minùs perfectâ ratione sunt Mediatores, nimirum intercessionis suffragio, quatenus pro nobis Deum orant, non proprio merito, sed meritis Christi Salvatoris nostri subnixi: per quem & ipsi & nos omnes accessum habemus ad Patrem. Hoc enim sensu justum quemque Mediatorem dici posse docet Scriptura, cùm Moses *Deuteronomii* V. dicat Israëlitis: *Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo*: Et Apostolus ad *Galatas* III. scribat, *Legem ordinatam fuisse per Angelos in manu Mediatoris*, hoc est, in manu Moysis. Et certè si propterea subsidiis Sanctorum uti non liceat, quòd unum patronum habemus Jesum-Christum, nunquam commisisset Apostolus, ut se tanto studio fratrum viventium precibus commendari & adjuvari vellet. Neque enim minùs vivorum preces, quàm eorum qui in cœlis sunt, Sanctorum deprecatio, Christi Mediatoris gloriam & dignitatem imminuerent. Id totum *S. Augustinus* paucis verbis explicat Libro II. *Contra Parmenianum*, Cap. VIII. *Homines omnes Christiani invicem se commendant orationibus suis. Pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus verúsque Mediator est*: de quo *S. Joannes* Epistolâ I. scribit: *Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum*. Sancti tamen pro nobis divinam misericordiam deprecantur: pro se invicem omnia Ecclesiæ membra orant: *Caput pro omnibus interpellat*, (inquit *S. Augustinus*, Tractatu I. in Epistolam I. S. Joannis.) Verùm quicquid à Deo, adhibitâ Sanctorum intercessione petit Ecclesia, totum illud Christi meritis se impetraturam profitetur & confidit, Orationes suas his verbis absolvens: *Per Dominum nostrum Jesum Christum*: Hæc de veritate persuasa, quam *S. Augustinus* in Psalmum CVIII. litteris prodidit: *Oratio quæ non fit per Christum, non solùm non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum*.

Qua autem ratione Sancti necessitates nostras precésque cognoscant, non est curiosiùs disquirendum. Quanquam enim viventium rebus *per naturam* interesse non possunt, intersunt tamen *per divinam potentiam*. Possunt referentibus Angelis ea discere quæ hîc aguntur, & quæ unumquemque illorum nosse debere judicat Deus, cui cuncta subjecta sunt. Possunt *Spiritu Dei revelante* cognoscere non solùm præterita, vel præsentia, verùm etiam futura, *Quæ necessarium est eos nosse*, & quæ ad eorum statum pertinent; (ut ait *Sanctus Augustinus*, Libro *De Cura gerenda pro Mortuis*, Cap. XV.) Ut ut est, probabilior est & recepta in Scholis Theologorum Sententia, Sanctos in Deo, quem vident sicuti est, preces ad se directas cognoscere, secundùm illud *Sancti Gregorii*, Libro XII. *Moralium*, Cap. XIV. *Quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorant*. Hine *Sanctus Gregorius Nazianzenus* Oratione XXIV. de *Sancto Athanasio* ait: *Ab alto, rectè novi, res inspicit nostras*. Sanè si *Gaudium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente*; cœlestes Cives nosse quæ hîc aguntur, quantùm Deo placet ut noscant, minimè dubium est.

De hoc argumento plura dabit dissertatio Quinta in Historiam nostram Ecclesiasticam Sæculi Quinti, Articulo Secundo.

I. Ad Timoth. 2.

Sanctorum invocatio Christi Mediatoris dignitatem & gloriam non imminuit.

Modus quo Sancti preces nostras cognoscunt summam fidei non spectat.

Luc. 15. 7.

ARTICULUS V.

Primi Præcepti tertia pars explicatur:
NON FACIES TIBI SCULPTILE, &c.

QUod dictum est, *Non habebis Deos alienos coram me*, sequentibus verbis perfectiùs explicatur: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra: non adorabis ea, neque coles*. Quo præcepto pingendi, fingendi, sculpendique artem omnino prohiberi non est existimandum. Nam in Scripturis jussu Dei simulacra & imagines effictas legimus, Cherubim scilicet ac Serpentis Ænei: sed prohibuit Deus imagines statui ad cultum divinitatis, quasi vel ipsa imago esset Deus, vel creatura per eam repræsentata, vel quasi aliqua imago veram divinitatem exprimere posset. Duplici autem potissimùm ratione, quod ad hoc « præceptum attinet, Dei Majestatem vehementer lædi docet Concilii Tridentini Catechismus. « Alterâ, si Idola & Imagines tanquam Deus colantur, aut credatur inesse aliqua in his divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; « vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quòd « fiducia in Imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis spem « suam collocabant, quod passim sacræ Litteræ reprehendunt. Alterâ, si quis conetur « divinitatis formam aliquo artificio effingere, « quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit. *Quis enim « Deum, qui sub aspectum non cadit, qui corporis expers est, qui nullis terminis circumscribi, nec ullâ figurâ describi queat, possit exprimere?* (inquit *Sanctus Joannes Damascenus* Libro IV. *De Fide Orthodoxa*, Cap. XVII.) Quæ res in Septima Synodo Oecumenica, Nicææ celebrata, Actione III. uberiùs explicatur. Præclarè igitur Apostolus ad *Romanos* I. de Gentilibus ait: *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.... Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium: & coluerunt, & servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula*. Creaturas enim tanquam Deos venerabantur, qui creatarum rerum imagines ponebant. Quocirca Israëlitæ, qui ante Vituli simulachrum aureum clamabant, *Hi sunt Dii tui Israel, qui te eduxerunt de Terra Ægypti*, illudque adoraverunt, meritò idololatræ sunt appellati, quia *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum*.

Cùm igitur Dominus Deos alienos coli pro- « hibuisset, ut penitus idololatriam tolleret, ima- «

Exod. 20.

Exod. 25.

Num. 21.

Exod. 32.

Psalm. 105.

Usus & veneratio sacrarum Imaginum.

ginem divinitatis ex ære duci, aut aliâ quavis materiâ fieri prohibuit: quod *Isaias* declarans, Cap. XL. ait: *Cui similem fecistis Deum: aut quam imaginem ponetis ei?* Qui scilicet spiritus est, & in omnibus est, & ubique discurrit, & terram quasi pugillo continet. Et infrà: *Cui assimilastis me, & adæquastis? dicit Sanctus.* Hinc Moses Populum avertere ab idololatria volens, *Deuteronomii* IV. ait: *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est Dominus vobis in Oreb de medio ignis: ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi* B *vel feminæ, similitudinem omnium jumentorum quæ sunt super terram, vel avium sub cælo volantium, atque reptilium quæ moventur in terrâ, sive piscium qui sub terra morantur in aquis: ne fortè elevatis oculis ad cælum videas Solem & Lunam, & omnia Astra cæli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus quæ sub cælo sunt.* Hinc Apostolus Atheniensibus Evangelium prædicans, *Actuum* XVII aiebat: *Genus ergo cùm simus Dei, non debemus existimare auro, aut argento, aut lapidi sculpturæ artis & cogitationis hominis, divinum esse simile.*

ARTICULUS VI.

Usus & Veneratio sacrarum Imaginum, hoc præcepto non prohibentur.

CHristi enim Domini, Deiparæ Virginis, & omnium Sanctorum Imagines & habere, & venerari, grati animi certissimum argumentum est, & magnas utilitates affert. Siquidem libri sunt rudium & imperitorum, & ad cognoscendum utriusque Testamenti Historiam, atque ejus memoriam identidem renovandam plurimùm conducunt: quâ rerum divinarum memoriâ excitati, ad colendum atque amandum Deum vehementiùs accenduntur. Sanctorum quoque imagines in Templis collocantur, ut eorum piè gesta in memoriam revocemus, eósque studeamus imitari. Cæterùm qui sacris imaginibus exhibetur honos, non est adoratio aut servitus, qualis exhibetur Sanctissimæ Trinitati, sed cultus longè inferior etiam eo, qui Christo, vel Deiparæ Virgini, aut Sanctis exhibetur. Non enim imagines propter ipsas colimus, sed propter prototypa, ad quæ refertur hujusmodi honos: sicut salutatio exhibita Regis imagini, refertur ad Regem; & genuflexio vel capitis inclinatio facta Sanctissimo Nomini Jesu, de quo dictum est ab Apostolo, *In nomine Jesu omne genu flectatur*, ad ipsam Christi Jesu Salvatoris nostri personam refertur. Unde *Sanctus Gregorius*, Epistolâ, LIV. Libri VII. ad *Secundinum inclusum* datâ, qui Christi imaginem ab ipso postulaverat, scribit: *Valde nobis postulatio tua placuit: quia illum toto corde, totâ intentione quæris; cujus imaginem præ oculis habere desideras, ut te visio corporalis quotidiana reddat exercitatum, ut dum picturam illius vides, ad illum animo inardescas, cujus imaginem videre desideras. Abs re non facimus, si per visibilia, invisibilia demonstramus. Sic homo qui alium ardenter videre desiderat, aut sponsam amans, videre conatur, si contingerit eam ad balneum, aut ad Ecclesiam ire, statim per viam incedenti se præparat, ut de visione ejus hilaris recedat. Scio quidem quòd Imaginem Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recalescas, cujus imaginem videre desideras. Et nos quidem non quasi ante divinitatem, ante illam prosternimur; sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, sed & in throno sedentem recordamur.* Uno verbo, & Christi Salvatoris imaginem, & Crucem quam suo sanguine consecravit, ejúsve figuras & signa veneramur, *Non latriâ; sed habitudine*; (ut loquitur Septima Synodus generalis) id est, eo cultu & honore qui ad prototypum referatur. Et cùm Fideles coram Christi, Deiparæ Virginis, aut Sanctorum imaginibus procumbunt, vel orant, non imagines ipsas, sed Christum coram imagine sua adorant; Deiparam vel Sanctos coram eorum imaginibus venerantur: Deum orant, Sanctorum apud Deum patrocinium implorant, ut constat ex Romano Pontificali, in Benedictione Imaginum. *Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum Imagines sive effigies sculpi aut pingi non reprobas, ut quoties illos oculis corporis intuemur, toties eorum actus & sanctitatem ad imitandum memoriæ* C *oculis meditemur: hanc quæsumus Imaginem in honorem ac memoriam beati Apostoli tui*, vel *Martyris, Confessoris*, aut *Virginis adaptatam benedicere ac sanctificare digneris; & præsta ut quicumque* CORAM ILLA *ipsum gloriosissimum Apostolum tuum*, vel *Martyrem, Confessorem*, aut *Virginem suppliciter honorare studuerit, illius precibus ac obtentu à te gratiam in præsenti, & æternam gloriam obtineat in futuro: Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.*

Honorem sacris Imaginibus Christi, Deiparæ Virginis, & Sanctorum debitum, Traditione seu verbo Dei non scripto confirmatum asseruere D SS. Patres, vindicavit Ecclesia, quæ Iconomachos illud Fidei Catholicæ caput impiè ac protervè negantes, illas frangentes ac evertentes, Idoláque appellantes, damnavit, & Anathemate confixit in Septima Synodo Generali Nicææ congregatâ, *Hadriano I.* Romano Pontifice per Legatos præsidente, Imperatoribus Orientis *Constantino* & *Irene* ejus Matre, promoventibus, anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo. Tridentina Synodus eamdem Traditionem secuta, Ecclesiæ fidem circa sacrarum Imaginum usum ac venerationem confirmavit, E declaravit, explicuit contra recentes Hæreticos, his verbis, Sessione XXV. *Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in Templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam*, Pastores docere debent: *non quòd credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus propter quam sint colendæ, vel quòd ab iis sit aliquid petendum; vel quòd fiducia in Imaginibus sit figenda; veluti olim fiebat à Gentibus: quæ in Idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput* F *aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur: id quod Conciliorum, præsertim verò Secundæ Synodi Nicænæ Decretis, contra Imaginum oppugnatores est sancitum.*

Illud verò diligenter doceant Episcopi, Per historias Mysteriorum nostræ Redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri & confirmari Populum in Articulis Fidei commemorandis & assiduè recolendis: cùm verò ex omnibus sacris Imaginibus magnum fructum percipi; non solùm quia

admonetur

admonetur Populus beneficiorum & munerum, quæ à Christo sibi collata sunt; sed etiam quia Dei per Sanctos miracula & salutaria exempla oculis Fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorúmque imitationem vitam morésque suos componant; excitentúrque ad adorandum, & ad diligendum Deum, & ad pietatem colendam. Si quis autem his Decretis contraria docuerit; Anathema sit.

De hoc argumento plura dabit Dissertatio Sexta in Historiam nostram Ecclesiasticam Sæculi Octavi.

ARTICULUS VII.

Regulæ Praxim spectantes circa Sanctorum Invocationem, Sacrarum Reliquiarum honorem, & Imaginum Venerationem.

REGULA I.

Sanctorum invocatio.

Cum invocantur Sancti, spes fiduciáque omnis in solo Deo collocanda est. Nec singulorum morborum curam ita singulis Sanctis peculiariter assignatam esse existimare Fideles debent, quasi ad eorum curationem aut levamen obtinendum alii suis apud Deum suffragiis nihil possint.

Maledictus qui confidit in homine, etiam Sancto, sed spes omnis & fiducia in Deo reponenda est, ut monet *S. Petrus*, Epistolæ suæ primæ, Cap. v. *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Docenda est igitur plebs fidelis, ut Deo tanquam omnis boni tam spiritualis quàm corporalis autori suas preces offerat, Sanctis verò non aliter quàm intercessoribus & patronis. Sicut ergo *Asa* Rex Juda, cùm ægrotasset dolore pedum vehementissimo, non ob id reprehensus est, quod Medicorum opem implorasset, cùm alibi dicat Scriptura, *Honora Medicum propter necessitatem: etenim creavit illum Altissimus:* sed quia *in infirmitate sua non quæsivit Dominum, sed magis in Medicorum arte confisus est*, ut habetur II. *Paralipomenon* XVI. cùm tamen absque Domini ope ne tantillum quidem omnis Medicorum ars valeat, sicut scriptum est Psalmo LXXXVII. *Nunquid Medici suscitabunt, aut confitebuntur tibi?* Sic non in Sanctis, qui divinæ Medicinæ sunt adjutores, quatenus animæ, corporisque sanitatem precibus suis impetrant Fidelibus, qui ipsorum implorant opem; sed in Deo & Christo, in cujus manu sunt vita & mors, qui mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit, spes omnis ac fiducia ponenda est. Non enim suâ virtute aut potestate morbos curant, edúntque Miracula Sancti, sive in terris viventes, sive regnantes in cœlo, sed Dei virtute, ut docet *S. Petrus* Actuum III. *Viri Israëlitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum, glorificavit Filium suum Jesum..... Et in fide Nominis ejus, hunc, quem vos vidistis & nostis, confirmavit Nomen ejus: & fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrûm.* Quamobrem non est existimandum Sanctis certos morbos sanandi potestatem quasi viritim adscriptam sic esse, aut curationum dona ita esse inter eos divisa, nihil ut alii possint in eorumdem sanatione morborum. Id enim à pietate, & Ecclesiæ sententia, usûque supplicationis alienum est. Piè tamen Dominum oramus, ut quemadmodum olim ad preces Sanctorum quosdam morbos depulit; ita eosdem ipsorum intercessione nunc pellat. Sic precari possumus Dominum, ut quemadmodum orante S. Petro, socrum ejus à febribus liberavit, ita nos à febrium ardoribus liberare dignetur. Sic oratur Deus ut, quemadmodum intercessione *S. Rochi* plurimos ab epidimiæ peste liberare in hanc usque diem dignatus est, ita nos à pestilentiæ morbo, & subitanea morte illius intercessione liberare dignetur. Hoc pacto spes sanitatis consequendæ non in *S. Rochum*, sed in Christum conjicitur, idque fide, per recordationem miraculorum, intercessione *Sancti Rochi* à Deo editorum, excitatâ. Sic in Historia S. Agnetis Virginis & Martyris, Epistolâ primâ inter eas quæ ex Ambrosianarum numero segregatæ, & in Appendicem rejectæ sunt in Editione postrema Parisiensi, Constantia Augusta Agnetem Virginem precatur ad ejus sepulchrum, non ut vulneribus suis medeatur, sed ut pro se apud Christum Sponsum suum intercedat. Subinde Agnes Constantiæ repentinâ somni suavitate correptæ respondet: *Constanter age, Constantia, & crede Dominum Jesum Christum Filium Dei esse Salvatorem tuum, per quem modò consequeris omnium vulnerum, quæ in corpore tuo pateris, sanitatem.* Non sibi, sed Domino Jesu donum sanitatis Agnes tribuit. Et subdit Autor Epistolæ: *Quotquot credentes ad ejus sepulchrum advenissent, salvabantur, quacunque infirmitate detenti essent. Quod facere Christum nullus dubitat usque in hodiernum diem.* Sic cùm oramus ut quemadmodum Deus animum Apolloniæ Virginis & Martyris confirmavit, ne contusione dentium à Fidei confessione deficeret, ita & nobis, cùm dentium dolore vexamur, patientiam tribuat, nósque corroboret; non adscribimus *S. Apolloniæ* dentium medelam, sed Dei misericordiam imploramus, cujus in *Apollonia* specimen exhibuit. Doceantur itaque Populares minùs docti, *Ut cùm Sanctorum Memorias visitant, & eorum auxilium implorant, ac Christiana consuetudine Orationem Dominicam recitant, intelligant se eam non ad Sanctos, sed ad Deum dirigere adjunctis sibi comprecatoribus Sanctis.* Decretum est Concilii Cameracensis anno 1565. Quod & populo explicari jubet discrimen locutionis quâ usa est & utitur Ecclesia cùm invocatur Deus, & cùm invocantur Sancti; in ea enim facilè perspicitur alium esse cultum qui exhibetur Deo, alium qui Sanctis defertur.

Eccl. 38.

REGULA II.

Nulla nova Miracula prædicanda sunt aut admittenda, nec nova Reliquiæ recipiendæ, nisi recognoscente & approbante Episcopo: qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in Consilium Theologis, & aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati & pietati consentanea judicaverit.

Sanctorum reliquiæ ac miracula.

Ita statuit Sacra Synodus Tridentina, Sessione XXV, idèmque decernunt Concilia Mediolanensia primum, quartum, & sextum sub *S. Carolo Borromæo*, Synodus Turonensis anno MDLXXXIII. Bituricensis MDLXXXIV. Aquensis

MDLXXXV. Tolosana MDXC. Quomodo autem in ea recognitione se gerere debeat Episcopus, Concilium Mediolanense IV. P. I. Cap. II. explicat hunc in modum: *Scripta, tabulæ, fulgura, certi Annalium Codices, aliáve cujusvis generis Monimenta, quæ in iis ipsis Ecclesiis, earúmve atriis, atque ædibus, aut aliis locis extant, schedulæque vasculis arcisve sacrarum Reliquiarum affixa inclusáve recognoscantur accuratè & diligenter. Unde illarum vel translatio vel collocatio ibi facta cognosci, aut alia ejusmodi notitia earundem haberi queat. Testes præterea conquirantur, si qui sunt, qui testimonium dent antiquæ constantisque traditionis, ex qua certa earum cognitio constet. Deinde ut singula ipsa sacra Reliquia, quas extare compertum est, re ipsa cernantur; ita tamen ut ubi sub Altaribus, aliisvè subterraneis ejusmodi locis, corpora Sanctorum collocata reconditáve sunt, nec ostium neque fenestra insit unde inspici queant, non aperiantur aut effodiantur, nisi ob causam aliter Episcopus faciendum censuerit: quâ omni recognitione factâ, diligentiâque adhibitâ, librum præcipuum certúmque confici Episcopus curet, in quo singula quæ in Ecclesiis & Urbis & Diœcesis sunt, Reliquia sacra rectè atque ordine describantur, notatis etiam diligenter, non solùm iis ipsis Ecclesiis ubi reconduntur, sed scriptis etiam, annalibus, tabulis, aliisve monumentis, è quibus illarum testimonium constet.* Jus autem illud recognitionis, & approbatioois sacrarum Reliquiarum habent Episcopi in Ecclesiis etiam Regolarium, aliisque quavis immunitate aut Privilegio donatis, ot declarat Coocilium Mediolanense IV. sub *Sancto Carolo*.

Imprimis autem Romaoi Pontificis Auctoritate & approbatione opus est, ut inventæ de novo Reliquiæ venerationi Fidelium publicè exponantur, ot declarat Concilium Lateranense IV. sub *Innocentio III.* Canone LXII. & refertur Cap. *Cùm ex eo*, Extrà *De Reliquiis & Veneratione Sanctorum*.

REGULA III.

Omnis abusus, omnisque superstitio in sacrarum Reliquiarum expositione & cultu sedulò ab Episcopis extirpari debet, caverique præsertim ne turpis lucri, sive quæstûs gratiâ exponantur.

Sacrarum reliquiarum veneratio.

ITa statuit Sacra Synodus Trideotina, post Lateranensem sub *Innocentio III.* Canone mox citato, item Synodus Mediolanensis I. & aliæ post Tridentinam celebratæ.

Ad superstitionem etiam pertinet quòd de Sanctis anonymis & ignotis, quorum Reliquiæ ex Romanis Christianorum veterum Cœmeteriis sive Catacumbis erutæ sunt, ac vindicatæ, Officia, Missæ, Octavæque solemnes celebrantur in Ecclesiis quibusdam ad quas translatæ sunt, eorumque elogia publicè prædicantur. Quamvis enim possint in Ecclesia recitari Officia & Missæ celebrari de illis Sanctis, quorum corpora & reliquiæ insignes in ea asservantur, secundùm Decretum Sacræ Congregationis Rituum & præscriptum Rubricarum Breviarii Romani; id tamen *De Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano descriptis*, intelligendum esse, & *dummodo constet de identitate corporis, seu reliquia insignis illiusmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano descriptus*, Eminentissimi Patres Sacræ Rituum Congregationi Præpositi declararunt, *De ceteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non descriptis, aut quibus à sancta Sede non fuerit specialiter concessum, Officia recitari, & Missas celebrari vetuerunt, non obstante quòd ipsorum corpora, vel insignes Reliquia in Ecclesiis asserventur: quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis debitam fidelium venerationem (prout hactenus servatum est) exhibendam esse censuerunt, sed absque Officio & Missa, sub pœnis de non satisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliisque in Constitutione Beati Pii V. contentis.* Decretum istud die 11. Augusti, 1691. editum approbavit &. executioni mandari jussit *Innocentius XI.* Pontifex Maximus die 19. Octobris ejusdem anni.

REGULA IV.

Sacra Reliquia in vasculis bonis & decoris recondi debent, & religiosè servari, nusquam verò extra capsam aut loculum ostendi; nec absque sacris ritibus, quibus Fideles ad earum venerationem excitentur.

HAnc Regulam tradunt *Innocentius III.* Cap. *Cùm ex eo*, Extrà, *De Reliquiis & Veneratione Sanctorum*, Synodus Mediolanensis IV. Bituricensis anno MDLXXXIV. Aquensis MDLXXXV. & aliæ. A Laïcis cujusvis ordinis aut dignitatis hominibus tractari ooo debent, cùm hoc sacrilegum, ac propterea nullatenus ferendum *S. Gregorius* scribat.

Statuit verò Synodus Mediolanensis IV. Provincialis sub *S. Carolo*, quod & Aquensis, Avenionensis & Aquileiensis confirmant, ut *Cùm ab Ecclesiastici Ordinis hominibus illa cum suis loculis vasculisve suscipiuntur, ut vel populo ostendantur, vel in Altari exponantur, vel in Processionibus ferantur; primùm illis thurificatio adhibeatur; sique in via ferantur, tunc Acolytus Sacerdoti illas ferenti præeat, qui item thurificet.*

Ne passim omni tempore, sed certis tantùm festorum dierum Celebritatibus, utpote in Nativitate Domini, Epiphania, Pascha Resurrectionis, Ascensione, Pentecoste, & ejusmodi, Festóque ipso die exponantur, ostendantúrve, quo illius Sancti, cujus Reliquia sunt, Ecclesia, in qua recondita sunt, Celebritas solemni festóque Officio agatur: tum præterea quo die ob aliquam causam Episcopus jusserit, concesseritve.

Cùm in Altari exponuntur, hæc serventur: Primò in illis exponendis Processio per Ecclesiam ab ejusdem Clero agatur, certo luminum numero adhibito. Rursus idem præstetur, cùm reconduntur.

A Sacerdote, qui post Episcopum in illa Ecclesia digniorem Sacerdotalem locum obtinet, nisi aliquando Episcopus ipse id munus sibi obeundum censuerit, exponantur & recondantur. Isque superpelliceo, & stola, vel pluviali etiam, pro Reliquiarum, Ecclesiæve ratione, indutus sit. Dumque exponuntur, & item cùm reconduntur, Hymnus canatur, cum Antiphona, & alia ad hujusmodi rem accommodata, ultimóque loco Oratio de Sanctis.

Dum in Altari exposita sunt, candelæ saltem quatuor grandiores accensæ ibi colluceant: ad earúmque custodiam adhibeatur qui semper assistat, unus, duóve, Sacris Majoribus Ordinibus initiati, itque moribus probati, ac superpelliceo induti. Horum verò Clericorum, non Laicorum opera, ministeriòve adhibito, liceat Fidelibus, pietatis & religionis causâ, calculorum coronis sacrarum Reliquiarum vascula, loculósve attingere, quâ horâ Episcopus concesserit.

Sacris Reliquiis, si Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento non ita prope quidem ea collocata sunt, ut illius lampade harum cultui satisfiat; lampas propria assiduè præluceat; nisi hanc impensam nimia

Ecclesia, & Populi egestas, Episcopi judicio non patitur Ceterùm corporibus Sanctorum, & Reliquiis, Episcopi judicio insignibus, lampas omnibus una semper colluceat.

Mulieres locis, quibus Populo colendæ Reliquiæ proponontur, assidere vetant Synodus Turonensis anno MDLXXXIII. & Tolosana MDXC. Ab Ecclesiasticis Personis, non à Laicis in supplicationibus publicis deportari jubet Synodus Bituricensis MDLXXXIV. nisi fortè ex antiqua & laudabili consuetudine Ecclesiarum & locorum id illis concessum sit. Si quæ in privatis domibus sint, auctoritate Episcopi ad Ecclesiam reduci decernic Synodus Bituricensis MDLXXXIV.

REGULA V.

Christiana Plebe monenda est à Pastoribus, ut ad Deum in Sanctis suis laudandum, non ob Miracula præcipuè, Sanctorum Memorias frequentet.

Religiosus Sanctorum cultus.

POst tot enim Miracula in Primitiva Ecclesia edita, alia postulanda non sunt. *Quisquis enim adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, quòd Mundo toto credente, ipse non credit*; (inquit *S. Augustinus.*) Fidei ergo excitandæ gratiâ, non miraculorum præsertim intuitu, Sanctorum Memoriæ, & sacra pignora frequentari debent à Fidelibus. *Quia verò plerumque fit, ut vulgi concursu, populique clamore, aliquid pro Miraculo, aut sacris Reliquiis evulgetur, quod revera non est, studeant summopere Episcopi, ubi ejusmodi occasio se obtulerit, ut primis illis vulgi clamoribus piè obsistant, donec rei veritas legitimè comprobata constet.* Ita sanxerunt Coocilia, Senonense anno MDXXVIII. Mediolanense IV. MDLXXVI. Aquense MDLXXXV. Denique *Altaria, quæ per somnia, & per inanes quasi Revelationes quorumlibet hominum* constituerentur, omnimode reprobari, jam olim decrevit Concilium Carthaginense V. Canone quarto. Et Concilium Francofordiense, Caoone 42. statuit, *Ut nulli novi Sancti colantur, nec Memoria eorum per vias erigantur: sed hi soli in Ecclesia venerandi sunt, qui ex autoritate passionum, & vitæ merito electi sunt.*

REGULA VI.

Nemini licet ullo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare Imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit.

Sanctorum Imagines.

DEcretum est Sacrosanctæ Synodi Tridentinæ, Sessione XXV. Porro pictoribus & sculptoribus prohibere debent Episcopi, ne quid inordinatè, aut præposterè, aut tumultuariè accommodatum, ne quid profanum, aot inhonestum pingant, aut effingant. Domum enim Domini decet sanctitudo. Rectores etiam Ecclesiarum, qui sacram aliquam Imaginem insolitam suis in Ecclesiis, etiam exemptis, poni permiserint, Episcopi plectere pro arbitrio possunt, & Censuris Ecclesiasticis coërcere.

Effigies jumentorum, canum, aliorúmque brutorum animalium in Ecclesia pingere, vel sculpere vetitum est, nisi Historiæ sacræ expressio, ex Sanctæ Matris Ecclesiæ consuetudine hoc postulet. Quamobrem sancti Martini equo insidentis statuam in Altari poni, minùs conveniens est, sed Episcopi potiùs habitu effingi debet, qui status fuit ipsius perfectior.

Imagunculæ illæ parvulæ, fictili opere effictæ, si ita fuco, alióque apparatu concinnatæ sint, ut Episcopi judicio vanitatem præ se ferre, aut offensionem præbere videantur, ad Altare ne adhibeantur. Crux, aut sacra Imago, etiam in Ecclesia humi non exprimatur, aut locis uliginosis, quæ picturam deformare possint.

Si quæ sacræ tabulæ, imaginesve pictæ, nimiâ vetustate, carie, situ, aot sordibus penè deletæ, indecenti aspectu sunt; eas Episcopus piâ, religiosâque picturâ, ab iis, quorum interest, renovari jubeat: aut si id non potest, omnino deleri. Auferantur imagines, Historias apocryphas exprimentes, aliquidve Scripturæ Sacræ, aut Traditioni repugnans.

Tabulæ Sanctorum imaginibus expressæ, vetustate consumptæ, in vilem & sordidum, profanúmque usum ne convertantur; sed ut de Altaris pallis, ac velis temporis usurâ penè confectis sancitum est, in ignem conjiciantur; tum cineres in pavimenti fossa collocentur. Imagines quoque sacræ sculptæ, si deformatæ fiot, amoveantur, & sub pavimento Ecclesiæ, aot saltem sub Cœmeterii solo collocentur.

Novas Imagines solemniter, statísque precibus, ex Ecclesiæ ritu oportet benedici.

Hæc Statuta sunt Concilii Mediolanensis IV. Remensis, anni MDLXXXIII. Turonensis eodem anno; Bituricensis anno MDLXXXIV. Mexicani, Libro III. Tit. XVIII. Tolosani anno MDXC. Cap. XI. Quod & indecorè vestiti, ornatíve sacras Imagines vetat; Avenionensis MDXCIV Cap. XXVI. Mechliniensis anno MDCVII. Tit. XIV. Narbonensis MDCIX Cap. VII. Legantur & Instructiones *S. Caroli Borromæi, De Fabrica Ecclesiæ*, Lib. I. Cap. XVII.

In Sanctorum Imaginibus cavendum etiam ne aliorum hominum viventium vel mortuorum faciem de industria repræsentent, sed curandum ut os, corpus, corporis habitus & status, ornatus & locus, ad prototypi dignitatem & sanctitatem apta sint & decora, atque ex imaginis inspectione pietas excitetur, non verò turpis cogitationis detur occasio; ut statuunt S. Carolus locis mox citatis, & Cardinalis Paleottus in Concilio Bononiensi I. Tit. *de Imaginibus sacris.*

REGULA VII.

Sacrosanctam Trinitatem aliquibus figuris adumbrare licet: cavendum tamen ne Pater Æternus sic humanâ specie sculpatur aut pingatur, ut rudi populo errandi detur occasio, existimandique Deum corporea formâ circumscriptum esse.

Sanctæ Trinitatis figura.

HAnc Regulam tradit sacra Synodus Tridentina Sessione XXV. ubi cùm præmisisset, *Nullas falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes*, statuendas esse, subdit: *Quòd si aliquando Historias & narrationes sacræ Scripturæ, cùm id indoctæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit: doceatur populus non propterea Divinitatem figurari quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit.*

Idem confirmat Concilii Catechismus, P. III. *Nemo* (ioquit) *propterea contra Religionem atque Legem quicquam committi putet, cùm Sanctissimæ Trinitatis aliqua Persona quibusdam signis exprimitur, quæ tam in Veteri quàm in Novo Testamento apparuerunt. Nemo enim tam rudis est, ut illâ imagine Divinitatem credat exprimi: sed illis declarari*

docest Paſtor proprietates aliquas, aut actiones, quæ Deo tribuuntur: veluti cùm ex Daniele pingitur Antiquus dierum in throno ſedens, ante quem Libri aperti ſunt, Dei æternitas, & infinita ſapientia ſignificatur, quâ omnes hominum & cogitationes & actiones, ut de illis judicium ferat, intuetur. Columbæ verò ſpecies, & linguæ tanquam ignis, in Evangelio, & Actis Apoſtolorum, quæ Spiritûs Sancti proprietates ſignificent, multò notius eſt, quàm ut oporteat pluribus verbis explicari.

Daniel. 7. — Joan. 1. — Act. 2.

Cavendum ne indoctis detur erroris occaſio.

Cavendum tamen ne imperitis erroris detur occaſio, putentque Deum corpus & humanam effigiem habere, eſſeque circumſcriptum. Unde *S. Auguſtinus*, Libro *De Fide & Symbolo*, Cap. VII. explicans hæc verba Symboli, *Sedet ad dexteram Patris*, ait: *Nec ideo tamen quaſi humanâ formâ circumſcriptum eſſe Deum Patrem arbitrandum eſt, ut de illo cogitantibus dextrum aut ſiniſtrum latus animo occurrat; aut idipſum quod ſedere Pater dicitur, flexis poplitibus fieri putandum eſt, ne in illud incidamus ſacrilegium, in quo exſecratur Apoſtolus eos qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem corruptibilis hominis. Tale enim ſimulacrum Deo nefas eſt Chriſtiano in Templo collocare; multò magis in corde nefarium eſt, ubi verè eſt templum Dei, ſi à terrena cupiditate atque errore mundetur.*

Dei Patris Imagines in Eccleſiam tardius admiſſæ.

Tardiùs certè admiſſas in Eccleſia Dei Patris Imagines, conſtat ex *Origene* Libro VI. *contra Celſum*, in fine, & *Sancto Joanne Damaſceno*, Libro IV. *De Fide Orthodoxa*, Cap. XVII. qui Chriſtianos nullam Dei imaginem habere docent, utpote incorporei & inviſibilis. Septima Synodus ullas Dei Imagines agnoſcit, aut colendas præcipit, ſed ſolùm Chriſti, Deiparæ Virginis, & Sanctorum. Tridentina Synodus imagines Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in Templis præſertim habendas & retinendas, eiſque debitum honorem & venerationem impertiendam eſſe declarat, non meminit imaginum Dei Patris; uti nec forma profeſſionis Fidei à Pio Quarto præſcripta. Nec mirum, quia *Non eſt tam certum in Eccleſia, an ſint facienda imagines Dei, ſive Trinitatis, quàm Chriſti & Sanctorum: hoc enim confitentur omnes Catholici, & ad fidem pertinet; illud eſt in opinione;* (inquit Cardinalis *Bellarminus*, Libro II. *De Imaginibus Sanctorum*, Cap. VIII. Hinc Romanum Pontificale Ritum benedicendi Crucem, Imagines Deiparæ Virginis, & Sanctorum præſcribit, nullum benedicendi Imagines Dei Patris. Hinc Abulenſis Epiſcopus *Toſtatus*, *Durandus*, *Pereſius*, *Heſſelius*, Imagines Dei extra Scripturæ Sacræ Hiſtoriam non probant. *Toſtatus* in Cap. IV. Deuteronomii, *Durandus* in III. Sententiarum Diſt. IX. Quæſt. II. ad quartum, *Heſſelius* in Explicatione Decalogi, Cap. LXV. Sed in admittendis Patris æterni ſub humana ſpecie imaginibus, vel rejiciendis, prout Fidelium utilitati & ædificationi conveniens eſſe, vel rudium & imperitorum multitudini periculoſum; præſertim in Eccleſiis pagorum, eſſe perſpexerint, Romani Pontificis in toto Orbe Chriſtiano, & Epiſcoporum in ſua cujuſque Diœceſi, eſto judicium.

ARTICULUS VIII.

Regulæ praxim ſpectantes circa fidem.

REGULA I.

Ad Fidem neceſſaria eſt pia motio voluntatis.

CUm enim credere nihil aliud ſit, quàm Deo revelanti, quatenus prima Veritas eſt, aſſentire; & humanæ menti proprium ſit, ratione diſcutere & examinare, ſitne rebus propoſitis aſſentiendum, vel non: ea verò quæ ad Religionem pertinent, alia fere ſint, quæ rationis examen non admittant, utpote judicio humanæ ſapientiæ utplurimùm improbabilia, quemadmodum Apoſtolus docet, I. *ad Corinthios* 1. Profectò vel nunquam, vel rarò intellectus noſter in ejuſmodi rebus acquieſceret, niſi voluntatis imperio & inclinatione in aſſenſum duceretur, & veluti captivus redigeretur in obſequium Chriſti, ut loquitur Apoſtolus II. ad Corinthios X. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Neceſſaria eſt igitur humanæ menti in credendo hæc benigna piàque voluntatis inclinatio & motio; tum ut ad eas rationes ſe convertat, quæ fidem gignant, nutriantque, vel ſaltem oſtendant quod creditur non eſſe abſurdum, neque à ratione alienum; tum ut eas rejiciat, quæ aſſenſum impedire aut remorari poſſent. Hinc Apoſtolus ad *Romanos* X. ait: *Corde creditur ad juſtitiam*; id eſt, voluntate & affectu. Unde *ſanctus Auguſtinus* Tractatu XXVI. in Joannem, ait: *Intrare quiſquam Eccleſiam poteſt nolens, accedere ad altare poteſt nolens: accipere Sacramentum poteſt nolens: credere non poteſt niſi volens. Si corpore crederetur, fieret in nolentibus: ſed corpore non creditur. Apoſtolum audi:* CORDE *creditur ad juſtitiam... Cùm ergo in Chriſtum corde credatur, quod nemo utique facit invitus, qui autem trahitur, tanquam invitus cogi videtur, quomodo iſtam ſolvimus quæſtionem,* NEMO venit ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum? *Si trahitur, ait aliquis, invitus venit. Si invitus venit, nec credit; ſi non credit, nec venit...... Noli te cogitare invitum trahi: trahitur animus & amore.*

Rom. 10. — Joan. 6. 44.

Et Tractatu LIII. de Judæis loquens, de quibus ſcriptum eſt Joannis XII. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaïas: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos:* ait, illos non potuiſſe credere, *quia nolebant. Sic autem dictum eſt*, non poterant, *ubi intelligendum eſt quòd nolebant: quemadmodum dictum eſt de Domino Deo noſtro,* Si non credimus, ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt. *De Omnipotente dictum eſt, Non poteſt. Sicut ergo quòd Dominus negare ſeipſum non poteſt, laus eſt voluntatis divinæ: ita quòd illi non poterant credere, culpa eſt voluntatis humanæ.*

Iſa. 6. — II. Tim. 2.

Id confirmat Concilii Arauſicani II. Canon V. eùm docet ac declarat, *Initium Fidei, ipſùmque credulitatis affectum, quo in Eum credimus qui juſtificat impium*, fieri in nobis *per inſpirationem Spiritûs Sancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem.*

Idem confirmat Sacra Synodus Tridentina Seſſione VI. Cap. VI. ubi docet, homines diſponi ad juſtitiam, *Dum excitati divinâ gratiâ &*

De Fide.

adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt.

Denique *Sanctus Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione 1. Articulo 1. ait intellectum assentire veritatibus fidei, *Non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quandam electionem, voluntariè declinans in unam partem magis quàm in aliam.*

Propositio damnata.

Ex quo principio sequitur, eò firmiorem esse assensum fidei, quò major est voluntatis divinâ gratiâ excitatæ & adjutæ inclinatio, motióque ferventior, quâ determinatur intellectus ad talem assensum. Quamobrem ab *Innocentio XI.* Pontifice Maximo inter alias Propositiones hæc meritò damnata est ordine XIX. *Voluntas non potest efficere ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.*

REGULA II.

Non solùm imprudenter, sed infideliter assensus supernaturalis repudiatur: & hujusmodi repudium lethale peccatum est.

QUi enim repudiat assensum supernaturalem, quem habebat, Spiritui gratiæ contumeliam facit, & fidei resistit. *Non autem aliquid prosunt syllaba Nominis Christi, & Sacramenta Christi, ubi resistitur fidei Christi,* (inquit *Sanctus Augustinus* Tractatu LXXX. in Joannem.) Assensus ille supernaturalis, fides est, aliquando inchoata, aliquando perfecta: qui ergo assensum supernaturalem repudiat, quem habebat, fidem præfocat vel conceptam, vel natam. *In quibusdam* enim *tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendam Regnum Cœlorum; sicut in Catechumenis, sicut in ipso Cornelio, antequam Sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ. In quibusdam verò tanta est, ut jam Corpori Christi, & sancto Dei » Templo deputentur.* Templum *enim* Dei sanctum » est, (*inquit Apostolus*) quod estis vos. *Et ipse* » *Dominus*, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & » Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cœlorum. *Fiunt ergo inchoationes quædam fidei, conceptionibus similes: non tamen solùm concipi, sed etiam nasci opus est, ne ad vitam perveniatur æternam.*

1. Cor 3. — Joan. 3. 5.

Præterea non minùs reus est, qui repudiat assensum supernaturalem quem habebat, quàm ille qui repugnat auditui fidei, vel ipsam contemnit. Ille autem procul dubio lethale peccatum infidelitatis committit: Igitur & iste. *Infidelitas* enim, ut docet *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione X. Articulo 1. *dupliciter accipi potest. Uno modo secundum puram negationem; ut dicatur infidelis ex hoc solo quod non habet fidem. Alio modo potest intelligi infidelitas secundum contrarietatem ad fidem: quia scilicet repugnat aliquis auditui fidei, vel etiam contemnit ipsam, secundum illud » Isaiæ LIII.* Quis credidit auditui nostro? *& in hoc perficitur ratio infidelitatis, & secundum hoc infidelitas est peccatum:* quæ dicitur infidelitas positiva. *Si autem accipiatur secundum negationem puram, sicut in illis qui nihil audierunt de fide:* quæ dicitur Infidelitas negativa: *non habet rationem peccati, sed magis pœnæ, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi Parentis consecuta est. Qui autem sic sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt: non autem damnantur propter infidelitatis peccatum. Unde Dominus dicit,* Joannis XV. *Si non venissem, « & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. «* Quod *S. Augustinus*, Tractatu LXXXIX. *in Joannem* explicat de illo peccato quo non crediderunt in Christum. Hoc enim, si non venisset, non utique haberent. Porro non minùs repugnat fidei, non minùs fidem contemnit, qui Deo intus docenti, revelanti, trahenti, assensúmque supernaturalem per gratiam suam donanti resistit repudiando supernaturalem assensum, quàm qui Fidei prædicationem respuit, & auditui fidei repugnat. Quamobrem ex illorum numero non est, de quibus scriptum est in Prophetis, *Erunt omnes docibiles Dei.* Etsi enim ab hominibus audiunt, *tamen quod intelligunt, intus datur, intus coruscat, intus revelatur. Exterior cultor arboris, interior est Creator. Trahit Pater, docendo delectat, non necessitatem imponendo;* (inquit *S. Augustinus*, Tractatu XXVI. in *Joannem.*) Patri ergo intus trahenti, docenti, revelanti repugnat, qui repudiat assensum supernaturalem, quem habebat.

De Fide.

Id confirmat *Sanctus Thomas*, Articulo 11. Quæstionis modo indicatæ, cùm ait: *Dissentire est proprius actus infidelitatis.* Et in Responsione ad secundum: *Contemptus voluntatis causat dissensum intellectûs, in quo perficitur ratio infidelitatis.*

Fieri quidem potest ut Satanas se transfigurans in Angelum lucis hominem ab assensu supernaturali dimovere tentet; sed eum ad falsa ducentem sequi, non solùm imprudentiæ, sed infidelitatis peccatum est. Unde *Sanctus Augustinus*, in *Enchiridio*, Cap. LX. *Magis*, inquit, *opus est dijudicare atque dignoscere, cum se Satanas transfigurat velut Angelum Lucis, ne fallendo ad aliqua perniciosa seducat. Nam quando sensus corporis fallit, mentem verò non movet à vera rectâque sententia, quâ quisque vitam fidelem gerit, nullum est in Religione periculum: vel cùm se bonum fingens, ea facit sive dicit, quæ bonis Angelis congruunt, etiamsi credatur bonus, non est error Christianæ Fidei periculosus, aut morbidus. Cùm verò per hæc aliena ad sua incipit ducere, tunc eum dignoscere, nec ire post eum, magna & necessaria vigilantia est.*

Meritò itaque inter alias Propositiones pestiferas hæc ab *Innocentio XI.* Pontifice Maximo damnata est ordine XX. *Potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.*

REGULA III.

Propositio damnata.

Assensus Fidei supernaturalis & utilis ad salutem non stat cum notitia solùm probabili revelationis, aut cum formidine quâ quis formidet ne non sit locutus Deus.

ASsensus si quidem Fidei dubitationem omnem, hæsitationem ac formidinem prorsus excludit. Cùm enim credendum sit rebus revelatis propter auctoritatem Dei, qui est summa & prima atque immutabilis veritas: & quæcumque fides loquitur, recipienda sint ut Dei voces, secundùm illud Apostoli 1. ad Thessalonicenses 11. *Cùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut verè est verbum Dei:* nulla sanè vel minima dubitatio relinqui debet de his quæ fide suscipiuntur, quantumvis sensui vel rationi videantur contraria. Unde Apostolus ad *Romanos* IV. fidem Abrahæ commendat his verbis: *Contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundùm quod dictum est ei: Sic erit semen tuum. Et non infirmatus est in fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cùm jam ferè centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ: in repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentiâ, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: plenissimè sciens quia quæcumque pro-*

De Fide.

misit, potens est & facere. Ideo & reputatum est illi ad justitiam.

Confirmatur, Canone *Dubius*, Extrà, *De Hæreticis*, dicitur: *Dubius in Fide, infidelis est.* Firmiter itaque & absque hæsitatione credendum est, quidquid Deus revelavit, & per Ecclesiam suam credendum proposuit, ut habetur Cap. *Firmiter*, Extrà, *De Summa Trinitate, & Fide Catholica*, ex Concilio Lateranensi quarto. Idémque credit & canit Ecclesia in Symbolo quod *S. Athanasio* tribuitur: *Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat Catholicam fidem: quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* Hinc *S. Augustinus*, Sermone CXC. aliàs *De Diversis*, LXI. ait: *Quod humana ratio non invenit, fides capit: & ubi humana ratio deficit, fides proficit.* Et ante ipsum *Tertullianus*, Libro *De Præscriptionibus Hæreticorum*, Cap. VIII. *Quid Athenis*, inquit, *& Hierosolymis? Quid Academia & Ecclesiæ? Nostra institutio de Porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate cordis esse quærendum. Viderint qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum Christianismum protulerunt. Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium. Cùm credimus, nihil desideramus ultrà credere. Hoc enim priùs credimus, non esse ultrà, quod credere debeamus.* Porrò notitia probabilis & cum formidine conjuncta, inquisitioni & curiositati locum relinquit, quæ negatio quædam & desertio fidei est, ut docet idem *Tertullianus* Cap. XI. *At enim*, inquit, *si quod debui credere credidi, & aliud denuò puto requirendum, spero utique & aliud esse inveniendum, nullo modo speraturus istud, nisi quia aut non credideram qui videbar credidisse, aut desii credidisse. Ita fidem meam deserens, negator invenior. Semel dixerim, Nemo quærit, nisi qui aut non habuit, aut perdidit.*

Quam posuimus Regulam confirmat *Sanctus Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione II. Articulo I. *Actuum*, inquit, *ad intellectum pertinentium quidam habent firmam assensionem absque tali cogitatione (quæ est motus animi deliberantis, nondum perfecti per plenam visionem veritatis:) sicut cùm aliquis considerat ea quæ scit, vel intelligit. Quidam verò actus intellectûs habent cogitationem informem absque firma assensione, sive in neutram partem declinent, sicut accidit dubitanti; sive in unam partem magis declinent, sed teneantur aliquo levi signo, sicut accidit suspicanti; sive uni parti adhæreant, tamen cum formidine alterius, quod accidit opinanti: sed actus qui est credere, habet firmam adhæsionem.*

Propositio damnata.

Meritò itaque inter alias corruptæ Moralis Propositiones hanc damnavit *Innocentius XI.* ordine XXI. *Assensus fidei supernaturalis & utilis ad salutem, stat cum notitia solùm probabili revelationis, imò cum formidine quâ quis formidet, ne non sit locutus Deus.*

Hanc Propositionem damnavit etiam generalis Cleri Gallicani Conventus anno MDCC. ut *scandalosam, perniciosam, & quæ Apostolicam fidei definitionem evertit.*

Ex his sequitur, hæsitationem circa res fidei, sive dubium plenè deliberatum; esse peccatum mortale.

REGULA IV.

Non solùm Fides unius Dei, sed etiam explicita Remuneratoris, necessaria est necessitate medii ad justificationem & salutem.

De Fide.

THeologi fidem Catholicorum Dogmatum duplicem distinguunt, aliam explicitam seu distinctam, aliam implicitam seu velatam. Prima est, quâ aliquid creditur secundùm se, in particulari, & distinctè. Altera quâ aliquid creditur in alio, tanquam in universali comprehensum & involutum: velut si quis ex animo profiteatur se credere quicquid credit Ecclesia; & verum esse quicquid in Scriptura Sacra continetur, is quidem istud utrumque quod expressè profitetur, tenet explicitâ fide. Implicitè verò credit, verbi gratiâ, septem esse Sacramenta Ecclesiæ, Abraham habuisse duos filios, & cetera quæ in illis generalibus explicitè seu distinctè creditis continentur & involvuntur, modò tamen aliquid illis contrarium in particulari non teneat. Hac distinctione necessariò præmissâ,

Regulam nostram verbo Dei firmamus. Ait enim Apostolus ad Hebræos XI. 6. *Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se Remunerator sit.*

Et certè necesse est ad justificationem & salutem eam fidem in Deum habere, quâ spes nostra in ipsum excitetur, & quâ ad ipsum super omnia diligendum, ejusque servanda mandata comitante caritate inclinemur: quomodo autem spes nostra in Deum excitabitur, nisi Deum inquirentibus se remuneratorem esse explicitè & distinctè credamus?

Propositiones damnatæ.

Meritò igitur *Innocentius XI.* Pontifex Maximus inter alias Propositiones Moralis corruptæ, istas quoque damnavit ordine XXII. & XXIII.

Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit.

Has Propositiones Conventus Generalis Cleri Gallicani anno MDCC. etiam confixit tanquam *contumeliosas in Deum remuneratorem, & in Christi Mediatoris nomen, erroneas & hæreticas.*

REGULA V.

Fides explicita Incarnationis Domini nostri Jesu Christi sub Lege Gratiæ necessaria est ad salutem omnibus & singulis hominibus, cùm necessitate præcepti, tum necessitate medii.

De Fide in Christum.

ID Christus ipse Dominus docet Joannis III. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam..... Qui credit in eum, non judicatus est: qui autem non credit, jam judicatus est; quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei....... Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Sicut ergo actualis inspectio Serpentis ænei erat necessaria ut Judæi sanarentur à morsibus serpentum: ita fides actualis, explicita & distincta in Christum omnino necessaria est

omnibus

omoibus & singulis hominibos, ut sanentur à vulneribus peccatorum. Et Joannis XIV. *Creditis in Deum?* (inquit Christus) *& in me credite.* Sicut ergo fidem explicitam in Deum, esse medium ad justificationem & salutem necessarium nemo negaverit: ita fides explicita & distincta in Christum omnino necessaria est omnibus & singulis hominibus ad justificationem & salutem. Hinc rursus Joannis XVII. Christus ait: *Hæc est vita æterna; ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Et Joannis VIII. 24. *Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.*

Idem docet Apostolus ad Romanos III. *Omnes*, inquit, *peccaverunt, & egent gloriâ Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in Sanguine ipsius.* Et ad Galatas II. *Non justificatur homo ex operibus Legis, nisi per fidem Jesu-Christi.* Et, *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Idem docet S. Petrus, Actuum IV. *Nec enim* (inquit) *aliud Nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

2. Cor. 4. 13.

Fidem in Christum esse necessariam ad salutem, fidei Catholicæ dogma est.

Fuit quidem fides in Christum Redemptorem ac Mediatorem omni tempore ad salutem necessaria. *Eumdem spiritum fidei* habemus, quem Antiqui Justi habuerunt. Tempora, & Sacramenta variata sont, uoo fides. Crediderunt in Christum venturum, quem nos venisse credimos: per eamdem fidem liberati sunt, per qoam liberamur & nos; fidem scilicet Incarnatioois Christi, quæ illis prænuntiabatur, sicut à nobis facta annunciatur; ut docet *Sanctus Augustinus*, Epistolâ CLVII. aliàs LXXXIX. ad *Hilarium.* Idque Fidei Catholicæ dogma est, ut idem S. Doctor asserit Libro *De Peccato Originali*, Cap. XXIV. *Sine fide*, inquit, *Incarnationis, & Mortis, & Resurrectionis Christi, nec antiquos Justos, ut justi essent, à peccatis potuisse mundari, & Dei gratiâ justificari, Veritas Christiana non dubitat.*

Et Libro 2. *Operis imperfecti contra Julianum*, Num. 188. *Agnoscimus*, inquit, *hæresim vestram, definivit enim Pelagius quòd non ex fide Incarnationis Christi antiqui vixerunt justi, quia videlicet nondum in carne venerat Christus.* Et Libro *De Peccato Originali*, Cap. 23. & 24. *Quis non sentiat..., & multa ignorari salvâ Christiana Fide, & alicubi errari sine aliquo Heretici dogmatis crimine?..... Sed in causa duorum hominum, quorum per unum venundati sumus peccato, per alterum redimimur à peccatis, propriè fides Christiana consistit.*

Et distinctam quidem atque explicitam Mysteriorum Christi fidem habuere Majores seu illustriores, quales erant Patriarchæ & Prophetæ, non Minores, sive simpliciores, qualis erat reliquus popolus. Hi namque eorumdem Mysteriorum fidem dumtaxat implicitam & velatam habuerunt. Sed post Evangelicæ Legis promulgationem, necessaria omnibus est fides explicita Incarnationis Christi ad justificationem & salutem. *Tempore scilicet Veteris Testamenti velabatur, quæ tempore Novi Testamenti revelatur;* (inquit *S. Augustinus* Epistolâ mox indicatâ.)

Idem confirmat Epistolâ CXC. aliàs CLVII. ad *Optatum* Episcopum, Cap. II. & Libro *De Correptione & Gratia*, Cap. VII. Idem docet *S. Bernardus* Epistola LXXVII ad *Hugonem Victorinum.* Idem *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. II. Art. VII. *Post tempus*, inquit, *gratiæ revelatæ, tam Majores quàm Minores* (id est, tam Pastores & Sacerdotes, quàm populus) *tenentur habere fidem explicitam de Mysteriis Christi, præcipuè quantùm ad ea, quæ communiter in Ecclesia solemnizantur, & publicè proponuntur; sicut sunt Articuli Incarnationis.*

REGULA VI.

Fides explicita & distincta Trinitatis omnibus & singulis hominibus omnino necessaria est ad justificationem & salutem.

De rebus explicitè fide credendis.

HAoc Regulam tradit *S. Thomas*, Quæstione mox indicatâ, Articulo VIII. *Mysterium* (inquit) *Incarnationis Christi explicitè credi non potest sine fide Trinitatis: quia Mysterio Incarnationis Christi hoc continetur, quod Filius Dei carnem assumpserit, & quòd per gratiam Spiritus-Sancti mundum renovaverit, & quòd de Spiritu-Sancto conceptus fuerit: & ideo eodem modo quo Mysterium Incarnationis Christi ante Christum fuit explicitè creditum à Majoribus; implicitè autem & quasi obumbratè à Minoribus; ita etiam & Mysterium Trinitatis. Et ideo etiam post tempus gratiæ divulgatæ, tenentur omnes ad explicitè credendum Mysterium Trinitatis: & omnes qui renascuntur in Christo, hoc adipiscuntur per invocationem Trinitatis, secundùm illud*, Matthæi ultimo: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti.* Et Joannis VIII. 19. *Neque me scitis, neque Patrem meum: si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.* Et vers. 28. *Dixit ergo eis Jesus: Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & à me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor. Et qui me misit, mecum est, & non reliquit me solùm; quia ego quæ placita sunt ei facio semper.*

REGULA VII.

Omnes & singuli Christiani tenentur omnes & singulos Articulos Symboli Apostolorum, saltem quoad substantiam, explicitè credere.

HInc ex prisca Ecclesiæ Disciplina, Catechumenis tradebatur Symbolum, idémque reddebant sive recitabant antequam Baptismo initiarentur. Et Canone *Vos ante*, Distinctione IV. *De Consecratione*, qui ex *S. Augustino* depromptus est, dicitur: *Ante omnia Symbolum & Orationem Dominicam, & vos ipsi tenete, & illis quos suscepistis de sacro Fonte ostendite.* Hinc *S. Leo* Epistolâ XXVII. aliàs XIII. Cap. IV. *Non enim*, inquit, *de portiuncula aliquâ fides nostra, quæ minus lucidè declarata sit, quæritur: sed hoc stultissima resultatio audet inserere, quod Dominus noster in Ecclesia neminem sexus utriusque voluit ignorare. Siquidem ipsa Catholici Symboli brevis & perfecta confessio tam instructa sit munitione cœlesti, ut omnes Hereticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari.*

Idem confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. II. Art. V. *Quantùm*, inquit, *ad prima credibilia, quæ sunt Articuli Fidei, tenetur homo explicitè credere, sicut & tenetur habere fidem. Quantùm autem ad alia credibilia, non tenetur explicitè credere, sed solùm implicitè, vel in præparatione animi, in quantum paratus est credere quicquid Divina Scriptura continet: sed tunc solùm hujusmodi tenetur explicitè credere, quando hoc ei constiterit in Doctrinâ fidei contineri.*

REGULA VIII.

Ea Mysteria & Dogmata explicitè credenda sunt, quæ solemniter in Ecclesia celebrantur, & proponuntur.

De Fide.

ITa docet *S. Thomas*, Articulo VII. ejusdem Quæstionis. Ex quo consequens est, & explicitè credi debere, quæ pertinent ad Sacramentorum, Baptismi præsertim, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ necessitatem ac divinam institutionem, gratiæque per illa collationem; realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, & transsubstantiationem seu mutationem substantiæ panis in substantiam Corporis & Sanguinis Christi. Item Sanctorum cultum & invocationem; Reliquiarum sacrarum, & Imaginum Christi, Deiparæ Virginis, & Sanctorum venerationem, Indulgentiarum usum, salutares esse; Purgatorium existere, Animásque in eo detentas Fidelium suffragiis, ac præsertim Sacrosancto Altaris Sacrificio juvari. Hæc enim omnia in Ecclesia solemnia sunt.

Omnia item Dogmata, quæ ad vitam rectè Christianéque instituendam necessaria sunt, ab omnibus & singulis explicitè sunt credenda, quid nimirum Decalogo præcipiatur, quid vetetur. Nosse etiam quisque debet Ecclesiæ Præcepta, Fidéque pariter distinctâ credere, Ecclesiæ esse parendum, extra illam neminem salvari: non habere Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere Matrem. Ea (inquam) expressè credenda sunt, saltem quoad substantiam, sub periculo damnationis æternæ, nisi justum obsit impedimentum: scilicet vel captivitas apud Infideles, seu magna à terris Christianorum distantia, seu tantus ingenii stupor, ut hæc nullo modo capere & memoriæ commendare possit. Si quis verò hæc discere non curet, diligentiámque necessariam non adhibeat, reus est peccati lethalis, quandiu illa in ignorantia versatur; nec ex illa studet emergere. Unde absolvi sacramentaliter non debet, nec ad alia Sacramenta admitti, ut ostendi in Tractatu *De Pœnitentia*, Cap. VII. Articulo III.

Ex his colligitur, graviter peccare Christianos, qui cùm in doctrina Christiana rudes sint & imperiti, nec Mysteria noverint, quæ credere necesse est ad salutem, Catechesibus adesse nolunt, vel negligunt, & familiaribus Instructionibus, quæ singulis Dominicis, aut Festis diebus, in Parochialibus Ecclesiis, vel alibi fiunt de præcipuis doctrinæ Christianæ capitibus. Gravis item peccati reos esse Parochos, qui Catecheses hujusmodi atque Instructiones prætermittunt: necnon parentes, ac dominos, qui filios, servos, ancillas, iisdem Catechesibus adesse, & doctrinam Christianam ediscere non sinunt, vel non compellunt.

REGULA IX.

Actus Fidei, Spei, & Caritatis, tenetur homo elicere ex vi præceptorum ad eas virtutes pertinentium, idque non semel tantùm in vita, sed sæpius.

PRæcepta enim Fidei, Spei, & Caritatis primum Decalogi præceptum continet, siquidem Fide, Spe, & Caritate Deus colitur. Præcepta porrò dantur de actibus, non de habitu virtutum, ut passim repetit *S. Thomas*. Tenetur itaque homo elicere actus Fidei, Spei, & Ca-

ritatis ex vi præceptorum ad eas virtutes pertinentium. De Fide.

Præterea, *Justus ex fide vivit*, ut docet Apostolus ad Galatas III. Non semel igitur, sed sæpiùs actus fidei elicere tenetur: sicut cibum corpori sustentando non semel tantùm, sed sæpiùs sumere debet, ne deficiat.

Ad hæc, ad Deum accedere & tendere debemus, ut ab eo illuminemur, secundùm illud: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestra non confundentur.* (Psalm. 33. 6.) Ad Christum porrò tendimus actibus Fidei, Spei, & Caritatis. *Non enim ad Christum ambulando currimus, sed credendo: nec motu corporis, sed voluntate cordis accedimus. Ideo illa mulier quæ fimbriam tetigit, magis tetigit quàm turba quæ pressit. Ideo Dominus dixit, Quis me tetigit? Et mirantes Discipuli dixerunt, Turbæ te comprimunt, & dicis, Quis me tetigit? Et ille repetivit, Tetigit me aliquis. Illa tangit, turba premit. Quid est tetigit, nisi credidit? Unde & mulieri illi post Resurrectionem dixit volenti se mittere ad pedes ejus, Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem. Quod vides, hoc solùm me esse putas. Noli me tangere. Quid est? Hoc solùm me esse putas quod tibi appareo, noli sic credere. Hoc est, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem: Tibi non ascendi, nam inde nunquam recessi. In terra non tangebat stantem, quomodo tangeret ad Patrem ascendentem?* (Luc. 8.) (inquit *S. Augustinus*, Tractatu XXVI. *in Joannem*.) Quamobrem inter alias pravi Dogmatis Propositiones hæc ab *Innocentio XI.* Pontifice Maximo jure damnata est; *Sufficit Mysteria Fidei semel credidisse.* (Propositio damnata.)

REGULA X.

Actum Fidei tenetur elicere homo quoties ad justificationem disponere se debet, sive per Baptismum, sive per Pœnitentiam consequendam, sive extra hæc Sacramenta, si periculum urgeat, nec ea suscipere possit: idémque dicendum de actibus Spei, & Amoris Divini.

HIs enim adulti ad justitiam disponuntur, ut docet Concilium Tridentinum Sessione VI. Cap. VI. *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt: atque illud in primis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu: & dum peccatores se esse intelligentes, à divina justitia timore quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore: illúmque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.* Hinc Apostolus ad Romanos III. ait, *Justificari hominem per fidem*, quia *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine quâ impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire*; ut explicat eadem Synodus.

Hinc *S. Augustinus*, Sermone VIII. *De decem plagis & præceptis*. Cap. X. ait: *Inter omnes tanquam natos cordis nostri primogenita Fides est. Nemo enim bene operatur, nisi Fides præcesserit.* Et Sermone XXXVIII. aliàs CCXLV. *Hoc est*, inquit, *primum præceptum, hoc est initium Religionis & vitæ nostræ, fixum habere cor in fide.*

Re-

A

REGULA XI.

Actum Fidei elicere debemus ac tenemur, quoties Corpus Christus in Eucharistia Sacramento sumimus.

De Fide. ILlius enim Carnem manducare, & Sanguinem bibere debemus, non Sacramentaliter dumtaaat, sed etiam spiritualiter, ut nobis prosit ad salutem, & ad vitam æternam. Spiritualis autem illa manducatio fit actu fidei vivæ, quæ per dilectionem operator. Quam ob rem ex veteri Ecclesiæ Disciplina, Sacerdoti Eucharistiam porrigenti cum solemnibus his verbis: *Corpus Domini nostri Jesu Christi*, Fidelis quisque Venerabile Sacramentum recipiens, respondebat: *Amen*, id est, *Verum est*, Ita credo.

REGULA XII.

Actum Fidei homo tenetur elicere, quoties tentationes patitur contra fidem, aut dubiis aliquibus fides ejus infirma pulsatur.

CUm enim fides sit donum Dei, ejúsque initium, argumentum, & perseverantia in eâ sit divinæ gratiæ munus, & tamen credere nostrum etiam sit propter arbitrium voluntatis: debemus in illis angustiis ad Deum confugere, & clamare cum Apostolis (Lucæ XVII.) *Adauge nobis fidem*. Et nihilominus totis viribus eniti cum auxilio divinæ gratiæ, quam nobis Deus misericors non negat, ut in fide roboremur, quod repetitis actibus Fidei supplicantes impetrabimus, dicendo cum patre pueri à dæmonio, qui surdum & mutum ipsum fecerat, vexati: *Credo, Domine: Adjuva incredulitatem meam.* Marc. 9. 24.

REGULA XIII.

In reliquis etiam gravibus tentationibus actus Fidei est eliciendus, ut dæmonem superemus.

ITa enim monet Apostolus ad Ephesios VI. *Induite vos*, inquit, *armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias Diaboli...... In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela Nequissimi ignea extinguere.* Quod *Sanctus Augustinus* egregiè confirmat Tractato XLIX. in Joannem: *Si fides in nobis*, inquit, *Christus in nobis. Quid enim aliud ait Apostolus*, Habitare Christum per fidem in cordibus vestris? (Ephes. 3. 17.) *Ergo fides tua de Christo, Christus est in corde tuo. Hinc est illud quòd dormiebat in navi* (Matt. 8. 24.)*: & cùm periclitarentur Discipuli, jam imminente naufragio accesserunt ad eum, & excitaverunt eum: surrexit Christus, imperavit ventis & fluctibus, & facta est tranquillitas magna. Sic & tu: intrant venti cor tuum, utique ubi navigas, ubi hanc vitam tanquam procellosum & periculosum pelagus transis, intrant venti, movent fluctus, turbant navim. Qui sunt venti? Audisti convicium, irasceris: convicium ventus est, iracundia fluctus est: periclitaris, disponis respondere, disponis maledictum maledicto reddere, jam navis propinquat naufragio; excita Christum dormientem. Ideo enim fluctuas, & mala pro malis reddere praparas, quia Christus dormit in navi. In corde enim tuo somnus Christi, oblivio fidei. Nam si excites Christum, id est, recolas fidem, quid tibi dicit tanquam vigilans Christus in corde tuo? Ego audivi, Dæmonium habes, & pro eis oravi: audit Dominus, & patitur; audit servus & indignatur. Sed vindicari vis. Quid enim, ego jam sum vindicatus? Cùm tibi hæc loquitur fides tua, quasi imperatur ventis & fluctibus, & fit tranquillitas magna.* De Fide.

REGULA XIV.

Actum Fidei elicere tenetur homo, cùm in mortis periculo versatur.

TUnc enim maximè eniti debet ut ad Deum accedat, eique conjungatur, ut Christia-
B nam justitiam consequatur, vel in ea perseveret; ut tentationes quæ tunc imminent graviores superet, et Mundum vincat antequam exeat de Mundo. *Hæc autem est victoria quæ vincit Mundum, Fides nostra.* (1. Joan. 5.) Debet se contra terrores mortis munire fide & spe Resurrectionis, & futurorum bonorum, contra damnationis æternæ horrendas imagines animum perturbantes & ad desperationem inducentes, fide in Passionem Christi Redemptoris, & Sanguinis ejus pro omnibus hominibus, ac pro se ipso quamvis omnium peccatorum nequissimo effusionem, quæ spem de illius misericordia parit. Hinc Ecclesia
C homines in mortis agone positos ad actus fidei eliciendos maximè excitare solet, ut ex Formulis in Rituali præscriptis compertum est. Defectu certè fidei Mundum diligimus, mortem nimiùm timemus. *Cùm Christum videre, gaudere sit, nec possit esse gaudium nostrum, nisi cùm viderimus Christum; quæ cæcitas animi, quæve dementia est, amare pressuras, & pœnas, & lacrymas Mundi, & non festinare potius ad gaudium quod nunquam possit auferri? Hoc autem fit quia fides deest; quia nemo credit vera esse quæ promittit Deus, qui verax est, cujus sermo credentibus æternus & firmus
D est. Si tibi vir gravis & laudabilis aliquid polliceretur, haberes utique pollicenti fidem, nec te falli aut decipi ab eo crederes, quem stare in sermonibus atque actibus suis scires: nunc Deus tecum loquitur, & tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus de hoc Mundo recedenti tibi immortalitatem atque æternitatem pollicetur, & tu dubitas? Hoc est Deum omnino non nosse; hoc est Christum credentium Dominum & Magistrum peccato incredulitatis offendere; hoc est in Ecclesia constitutum fidem in domo fidei non habere*; inquit *S. Cyprianus*, Libro *De Mortalitate.*

E Ex his septem postremis Regulis compertum est, hanc Propositionem ab *Alexandro VII.* Pontifice Maximo inter alia perversæ Moralis capita fuisse meritò proscriptam: *Homo nullo unquam suæ vitæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & caritatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Istas verò ab *Innocentio XI.* pari jure fuisse confixas: Propositiones damnatæ.

Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundùm se.

Satis est actum fidei semel in vita elicere.

Has Propositiones generalis Cleri Gallicani Con-
F ventus anno MDCC. hac Censurâ confixit: *Hæ Propositiones sunt scandalosæ, in Praxi perniciosæ, erroneæ, fidei & Evangelii oblivionem inducunt.*

Regula XV.

Christianus quilibet à Potestate publica interrogatus, Fidem profiteri tenetur: nec sola negatio, sed dissimulatio, & silentium eo in casu lethale peccatum est.

De Fide.

HÆc Regola nititur Christi Domini verbis & auctoritate, Matth. x. 32. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.* Et Lucæ ix. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cùm venerit in Majestate suâ, & Patris, & Sanctorum Angelorum.*

Idem docet Apostolus ad *Romanos* scribens, Cap. x. *Corde*, inquit, *creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur.*

Isai. 28.

Id confirmat *S. Augustinus*, Libro *De Fide & Symbolo*, Cap. 1. Fides, inquit, *officium à nobis exigit & cordis & linguæ.* Et pauló post: *Quandoquidem in sempiternâ justitiâ regnaturi, à præsenti sæculo maligno salvi fieri non possumus, nisi & nos ad salutem proximorum nitentes, etiam ore profiteamur fidem, quam corde gestamus.* Et Sermone clxxix. aliàs xxiv. ex editis à Sirmondo: *Quid prodest*, inquit, *corde credidisse ad justitiam, si os dubitat proferre quod corde conceptum est? Intus fidem Deus videt: sed parum est. Ne confitearis humilem, times superbos; & eis præponis superbos, qui pro te displicuit superbis,... Ægrote, quomodo sanaberis, qui de medicamento tuo erubescis? ..... De Christi Nomine erubescis? Ex eo quòd erubescis modò hominibus, habet erubescere cùm venerit in gloriâ suâ redditurus quod promisit bonis, quod minatus est malis. Ubi eris tu? Quid facies, si te attendat ille Excelsus, & dicat tibi, Erubuisti de humilitate mea, non eris in claritate mea? Discedat ergo mala verecundia.*

Et Libro *Contra Mendacium*, Cap. vi. *Catholicam Veritatem Catholicus, sicut in corde loquitur, quia ita credit, ita & in ore debet, ut ita prædicet: contra istam verò nec in corde, nec in ore habeat falsitatem, & ut corde credat ad justitiam, & ore confessionem faciat ad salutem.*

Idem confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. iii. Art. ii. *Confiteri fidem*, inquit, *non semper, neque in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco & tempore, quando scilicet per omissionem hujus confessionis, subtraheretur honor debitus Deo, aut etiam utilitas proximis impendenda: putà, si aliquis interrogatus de fide, taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quòd fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur à fide: in hujusmodi enim casibus confessio est de necessitate salutis.* Nihil autem refert an publica Potestas publicè vel privatim interroget aliquem de professione Religionis: neque etiam refert, an Tyrannus qui de fide interrogat sit legitimus Judex illius qui interrogatur, vel non: quia ut ut se res habeat, tenetur Christianus homo in his casibus fidem palam apertéque profiteri, ne Deo debitum honorem subtrahat, proximúmque silentio suo offendat.

Propositio damnata.

Meritò itaque inter lxv. perversæ Moralis Propositiones anno mdclxxix. ab *Innocentio XI.* damnatas, hæc ordine xviii. confixa est: *Si à Potestate publicâ quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo & fidei gloriosum consulo: tacere ut peccaminosum per se, non damno.*

Quam Propositionem & Generalis Conventus Cleri Gallicani anno mdcc. hac Censurâ confixit: *Hæc Propositio scandalosa est, præceptis Evangelicis & Apostolicis apertè contraria, & hæretica.*

De Fide

Regula XVI.

In casu necessitatis, ubi Fides periclitatur, quilibet tenetur fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum Fidelium, sive confirmationem, vel ad reprimendum Infidelium insultationem.

HAnc Regulam iisdem verbis tradidit *S. Thomas*, loco mox indicato, in Responsione ad secundum. Nititur his Apostoli verbis: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

Rom. 10. 10.

Regula XVII.

Falsam Religionem simulare, lethale peccatum est.

SImolatio enim falsæ Religionis, negatio quædam est veræ fidei. Mendacium est etiam in re gravi, quo divinus honor violatur, scandalum proximo creatur. Hinc Helcesaitæ Hæretici ab Ecclesiâ damnati sunt Sæculo secundo, qui inter alios errores asserebant, simolationem in Professione Religionis licitam esse, & crimen ullum esse negabant, si quis persecutionis tempore Idola veneretur, dummodo id ex animo non faciat: aut si quid ore tenus, non animo profiteatur, ut docent *S. Epiphanius* Hæresi xix. & l. & *Eusebius* Lib. vi. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. xxxviii.

Hanc Regulam confirmat veteris Ecclesiæ disciplina, sanctaque severitas erga *Libellaticos*, id est, ignavos Christianos, qui libellos à Magistratibus Ethnicis numeratâ pecuniâ obtinuerant, fidem facientes ipsos Principum Edictis de Idolorum cultu paruisse, vel simpliciter prohibentes ne ob Religionem in jus vocarentur. Illi quidem minori ac breviori Pœnitentiæ quam idololatræ, sed tamen publicæ subjiciebantur. De quibus legi possunt *Tertullianus* in Apologetico Cap. xxvii. & *Sanctus Cyprianus* variis in Epistolis, & in Tractatu *De Lapsis*.

Id denique confirmat *Eleazari* pii ac generosi Senis exemplum, qui rogatus ab amicis ut simolaret se manducasse de Sacrificii carnibus, secundùm Antiochi Regis Mandatum, respondit (ii. Machabæorum vi.) *Non enim ætati nostræ dignum est fingere; ut multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam Alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem decipiantur; & per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram. Nam etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam.*

Ex his colligitur, Non licere Christiano uti rebus illis, vestibus, aut signis, quæ falsæ Religionis professionem significant, sive ex humanâ lege, sive ex consuetudine: & si quis utatur, peccati mortalis reum esse.

Colligitur secundò, Non licere Catholicis adire Conciones Hæreticorum, nisi viris doctis & firmis in fide, ut eorum errores refellant, seclusóque scandali periculo: aliàs lethaliter peccaturos.

Colligitur tertiò, Non licere Catholico apud Hæreticos commoranti vesci carnibus Feria Sextâ, vel Sabbato, aut diebus Jejuniorum; quia carnium esus illis diebus signum est Religionis à

De Fide. verâ, scilicet Catholica & Romana alienæ, ex utentium Moribus, ac in Legis Ecclesiasticæ contemptum hæc usurpari compertum est.

Regula XVIII.

Christianis apud Infideles degentibus uti licet rebus, vestibus, & signis Nationis propriis, non Religionis.

HÆc Regula colligitur ex *Tertulliano*, Libro *De Idololatria*, cap. xiv. *Licet* (inquit) *convivere cum Ethnicis, commori non licet. Convivamus cum omnibus: conlætemur ex communione naturæ, non superstitionis. Pares Animâ sumus, non Disciplinâ: compossessores Mundi, non erroris.* Et cap. xviii. *Joseph* in Ægypto, & *Danielem* in Babylonia, insignia Dignitatum, quibus à Regibus ornati erant, & quæ nihil commune habebant cum idololatria, gerere potuisse docet. *Proprius* (inquit) *habitus uniuscujusque est, tam ad usum quotidianum, quàm ad honorem & dignitatem. Igitur purpura illa & aurum, cervicis ornamentum, apud Ægyptios & Babylonios insignia erant dignitatis..... Tantùm enim honoris nomine conferebantur his qui familiaritatem Regum merebantur, unde & Purpurati Regum vocabantur à purpurâ, sicut apud nos à toga candida candidati: sed non ut suggestus ille Sacerdotiis quoque aut aliquibus Idolorum Officiis adstringeretur. Nam si ita esset, utique tantæ sanctitatis & constantiæ viri statim habitus inquinatos recusassent, statimque apparuisset Danielem Idolis non deservisse, nec Belem, nec Draconem colere, quod multò postea apparuit. Simplex igitur purpura illa, nec jam dignitatis erat, sed ingenuitatis apud Barbaros insigne. Quemadmodum enim & Joseph qui servus fuerat, & Daniel qui per captivitatem statum verterat, civitatem Babyloniam & Ægyptiam sunt consecuti per habitum barbaricæ ingenuitatis: sic penes nos quoque fideli, si necesse fuerit, poterit & puerilis prætexta concedi, & puerilis stola, nativitatis insignia, non potestatis; generis, non honoris; ordinis, non superstitionis.*

Regula XIX.

Infidelitas gravissimum est omnium peccatorum quæ in perversitate Morum contingunt.

CUm enim peccatum sit aversio à Deo, *Tantò aliquod peccatum est gravius, quantò per ipsum homo magis à Deo separatur. Per infidelitatem autem maximè homo à Deo elongatur, quia nec veram Dei cognitionem habet. Per falsam autem cognitionem ipsius non appropinquat ei, sed magis ab eo elongatur;* (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione x. Articulo iii.) Idemque ante ipsum docuit *S. Augustinus*, exponens hanc Sententiam Christi, *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent:* (Tractatu lxxxix. in Joannem:) *Magnum quoddam peccatum* (inquit) *quasi sub generali nomine vult intelligi. Hoc est enim peccatum, quo tenentur cuncta peccata.*

Regula XX.

Infidelitas deliberata, cujuscunque sit generis, lethale semper peccatum est: sed primi & imperfecti sive indeliberati motus infidelitatis venialia duntaxat peccata sunt.

LEthaliter ergo peccant contra primum Decalogi præceptum, quicunque renituntur Christianæ Fidei, sive quam nondum susceperunt, ut Pagani & Mahumetani: sive quam B susceperunt in figura, ut Judæi: sive quam susceperunt *in ipsa manifestatione veritatis* (ut loquitur *S. Thomas*;) quales sunt Hæretici, & Apostatæ. Quamvis autem errent in pluribus Pagani quàm Judæi, & Judæi quàm Hæretici: infidelitas tamen Judæorum, qui Fidem Evangelii in Veteri Lege adumbratam susceperunt, quam pravis interpretationibus corrumpunt, gravius peccatum est infidelitate Ethnicorum. Hæreticorum verò infidelitas, qui profitentur Fidem Evangelii, & ei renituntur, eam corrumpentes, gravius peccatum est infidelitate Judæorum, & Pagano- C rum, atque Mahumetanorum. *Graviùs enim peccat qui renititur fidei susceptæ, quàm qui renititur fidei nondum susceptæ: sicut graviùs peccat, qui non implet quod promisit, quàm si non impleat quod nunquam promisit.* Verba sunt *S. Thomæ*, Secunda Secundæ, Quæstione x. Articulo vi. De Fide.

Apostasia tandem, quæ defectio est à Fide Christiana ad Judaismum, Mahometismum, aut Idololatriam, vel Atheismum, præter insitam peccati gravitatem, ex infidelitate, ad quam fit defectio, æstimandam; ex alio præterea capite, scilicet ex circumstantia Fidei ac Religionis quam D professus est, gravius est peccatum, secundùm illam S. Petri Sententiam Epistolæ ii. cap. ii. *Melius erat eis veritatem non agnoscere, quàm post agnitam retroire.*

Regula XXI.

Lethalis peccati reus est, qui cum Infidelibus de Fide disputat tanquam dubitans.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, loco modò indicato, Articulo vii. *Ex parte disputan-* E *tis* (inquit) *est consideranda intentio. Si enim disputet tanquam de fide dubitans, & veritatem fidei pro certo non supponens, sed argumentis experiri intendens; proculdubio peccat tanquam dubius in fide, & infidelis. Si autem disputet aliquis de fide ad confutandum errores, vel etiam ad exercitium, laudabile est.* Et in Responsione ad tertium: *Non debet disputari de his quæ sunt fidei, quasi de eis dubitando: sed propter veritatem manifestandam, & errores confutandos. Oportet enim ad fidei confirmationem aliquando cum infidelibus disputare: quandoque quidem defendendo fidem, secundùm illud* F *I. Petri* iii. Parati semper ad satisfactionem omni « poscenti vos rationem de ea, quæ est in nobis « spe & fide. *Quandoque autem ad convincendos er-* « *rantes, secundùm illud ad Titum* i. Ut sit potens « exhortari in doctrina sana, & eos qui contra- « dicunt, arguere. «

Sed Laicis sub Excommunicationis pœna prohibuit *Alexander IV.* ne publicè vel privatim de Fide Catholica disputent. (cap. *Quicunque*, Tit. *De Hæreticis* in Sexto.) Quæ tamen Excommunicatio non latæ Sententiæ, sed ferendæ.

REGULA XXII.

Simplicibus & infirmis in Fide familiaritas cum Infidelibus & communio etiam civilis, absque necessitate, prohibenda est: eámque familiaritatem & communionem vitare tenentur, si periculum subversionis illorum fidei immineat: alioqui mortale peccatum committunt, quoties in hoc periculum se conjiciunt.

De Fide. HÆc Regula traditur à *S. Thoma*, Secunda Secundæ, Quæstione x. Art. ix. *Si aliqui fuerint firmi in fide* (inquit) *ita quòd ex communione eorum cum infidelibus conversio infidelium magis sperari possit, quàm Fidelium à fide aversio: non sunt prohibendi infidelibus communicare, qui fidem non susceperunt, scilicet Paganis, vel Judæis, & maximè si necessitas urgeat. Si autem sint simplices & infirmi in Fide, de quorum subversione probabiliter timeri possit, prohibendi sunt ab infidelium communione, & præcipuè ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel absque necessitate eis communicent.* Hac distinctione personarum, pugnantes in speciem Canones conciliantur. Nam Canone *Ad Mensam*, Causâ xi. Quæstione iii. & Canone *Infideles*, Causâ xxiii. Quæstione iv. dicitur, Nos Christo illos acquirere non posse, si consortium eorum & convivia fugiamus: & tamen Canone *Nullus*, & Canone *Omnes*, Causâ xxviii. Quæstione i. omne cum illis consortium & commercium prohibetur, in conviviis, medicinis, balneis, &c. Tum ex Canone xi. Trullanæ Synodi, tum ex Canone xlix. Concilii Agatheosis. Majori porrò cautione Hæreticorum consortia & familiaritatem vitare oportet, secundùm illud S. Joannis Epistolâ ii. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis: Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.*

REGULA XXIII.

Nemo Hæreticus est, nisi Christi fide susceptâ, sit in errore eidem fidei manifestè repugnante pertinax.

De Hæreticis. DIffinitur enim Hæresis, *Error pertinax, fidei manifestè repugnans, in eo qui fidem Catholicam in veritate professus est.* Pertinax autem est, qui veritati fidei, satis superque ipsi manifestatæ, sciens volens repugnat. Pertinax etiam censendus est, qui certum aliquod fidei dogma sic ignorat, vel de eo dubitat, ut credere nolit, etiamsi sciret Ecclesiam sic credere.

Præterea, hæc Regula nititur testimonio Apostoli i. ad *Timotheum* cap. vi. *Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ: superbus est, nihil sciens, sed, languens circa quæstiones & pugnas verborum, &c.*

Id confirmat *S. Augustinus*, Libro vi. *De Baptismo contra Donatistas*, cap. xvi. *Constituamus* (inquit) *duos aliquos isto modo, unum eorum, verbi gratiâ, id sentire de Christo quod Photinus opinatus est, & in ejus Hæresi baptizari extra Ecclesiæ Catholicæ communionem; alium verò hoc idem sentire, sed in Catholica baptizari, existimantem ipsam esse Catholicam Fidem: istum nondum Hæreticum dico, nisi manifestatâ sibi doctrinâ Catholicæ Fidei resistere maluerit, & illud quod tenebat elegerit.*

Et Libro iii. *De Anima & ejus Origine*, cap. xv. sic *Vincentium Victorem* alloquitur: *Hæc* De Hæreticis. *interim undecim multùm apertéque perversa, & Fidei Catholicæ adversa, nunc jam nihil cuncteris extirpare atque abjicere ab animo, à verbo, à stilo tuo; si vis ut te, non solùm ad Altaria transisse Catholica, sed verè Catholicum esse gaudeamus. Nam hæc si pertinaciter singula defendantur, tot hæreses facere possunt, quot opiniones numerantur.... Absit autem ut te arbitreris, hæc opinando, à Fide Catholica recessisse, quamvis ea Fidei sint adversa Catholicæ; si coram Deo, cujus in nullius corde oculus fallitur, veraciter te dixisse respicis,* Non te tibi ipsi « esse credulum probari ea quæ dixeris posse; ac stu- « dere te semper etiam propriam sententiam non « tueri, si improbabilis detegatur, eò quòd sit tibi « cordi, proprio damnato judicio, meliora magis & « quæ sint veriora sectari. *Iste quippe animus etiam in dictis per ignorantiam non Catholicis, ipsâ est correctionis præmeditatione ac præparatione Catholicus.*

Et Libro xviii. *De Civitate Dei*, cap. li. *Videns* (inquit) *diabolus templa Dæmonum deseri, & in liberantis mediatoris currere genus humanum, Hæreticos movit, qui sub vocabulo Christiano Doctrinæ resisterent Christianæ, quasi possint indifferenter sine ulla correptione haberi in Civitate Dei, sicut Civitas confusionis indifferenter habuit Philosophos inter se diversa & adversa sentientes. Qui ergo in Ecclesia Christi morbidum aliquid pravúmque sapiunt, correpti ut sanum rectúmque sapiant, resistunt contumaciter suáque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, Hæretici fiunt, & foras exeuntes habentur in exercentibus inimicis.*

Et Epistolâ xliii. aliàs clxii. *Dixit quidem* « *Apostolus Paulus*, Hæreticum hominem post unam « correptionem devita, sciens quia subversus est « ejusmodi, & peccat, & est à semeipso damna- « tus. *Sed qui sententiam suam, quamvis falsam at-* Refertur Canone Dixit Apostolus, Dist. xxiv. Quæst. iii. *que perversam, nullâ pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audaciâ præsumptionis suæ pepererunt, sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cautâ sollicitudine veritatem, corrigi parati, cùm invenerint; nequaquam sunt inter Hæreticos deputandi:* quia scilicet (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. xi. Art. ii. ad tertium) *Non habent electionem contradicentem Ecclesiæ doctrinæ.* (Quâ ab electione Hæresis nomen, Græcum origine, derivatum est.) *Sic ergo aliqui Doctores videntur dissensisse, vel circa ea, quorum nihil interest ad fidem, utrum sic vel aliter teneantur, vel etiam in quibusdam ad Fidem pertinentibus, quæ nondum erant per Ecclesiam determinata. Postquam autem essent Auctoritate universalis Ecclesiæ determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, Hæreticus censeretur. Quæ quidem Auctoritas principaliter residet in Summo Pontifice.*

Pertinaciam ad Hæresim requiri, confirmat *Clemens V.* Clementinâ unicâ *De Summa Trinitate & Fide Catholica*: & Clementinâ *Ex gravi*, Titulo *De Usuris.*

Qui tamen ex ignorantia crassa errant circa fidem, in his quæ credere tenetur quisque Catholicus, quamvis Hæretici non sint seclusâ pertinaciâ, lethalis peccati rei sunt.

REGULA XXIV.

Ritus Hæreticorum à Principibus Catholicis tolerari non possunt absque lethali peccato, cum ipsos prohibere & extirpare possunt sine periculo gravioris cujuspiam mali.

De Hæreticis.

POtestas enim Principibus Christianis à Deo collata est non solùm ad Mundi regimen, sed maximè ad gloriam Dei procurandam, & ad Ecclesiæ præsidium, ut mala prohibeant, bona jubeant, non solùm quæ ad humanam societatem, sed etiam quæ ad divinam pertinent Religionem. Ita Reges serviunt Domino in timore, ut *S. Augustinus* explicat Epistolâ CLXXXV. aliàs L. *Quomodo* (inquit) *Reges Domino serviunt in timore, nisi ea quæ contra jussa Domini fiunt, religiosâ severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit quia homo est, aliter quia Rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter: quia verò etiam Rex est, servit Leges justa præcipientes, & contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo. Sicut servivit Ezechias, lucos & templa idolorum, & illa excelsa, quæ contra præcepta Dei fuerant constructa destruendo. Sicut servivit Josias, talia & ipse faciendo. Sicut servivit Rex Ninivitarum, universam civitatem ad placandum Dominum compellendo. Sicut servivit Darius, idolum frangendum in potestatem Danieli dando, & inimicos ejus leonibus ingerendo. Sicut servivit Nabuchodonosor, omnes in Regno suo positos à blasphemando Deo Lege terribili prohibendo. In hoc ergo serviunt Domino Reges, in quantùm sunt Reges, cùm ea faciunt ad serviendum illi, quæ non possunt facere nisi Reges.* Ritus porrò Hæreticorum maximè perniciosi sunt; *Per dulces enim sermones & benedictiones seducunt corda innocentium*, (inquit Apostolus ad Romanos XVI.) & *Sermo eorum ut cancer serpit* (ut idem scribit II. ad *Timotheum* II.) Ipsos igitur exstirpare tenentur Catholici Principes, cùm id possunt absque gravioris mali periculo, & nisi hanc operam Religioni præstent, gravis peccati rei sunt.

4. Reg. 18. 4. Reg. 23. Jonæ 3. Dan. 14. Dan. 5.

Hanc Regulam confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XI. Articulo XI. *Quamvis* (inquit) *Infideles in suis Ritibus peccent, tolerari possunt vel propter aliquod bonum quod ex eis provenit, vel propter aliquod malum quod vitatur. Ex hoc autem quod Judæi Ritus suos observant, in quibus olim præfigurabatur veritas fidei, quam tenemus, hoc bonum provenit, quòd testimonium fidei nostræ habemus ab hostibus, & quasi in figura nobis repræsentatur quod credimus: & ideo in suis Ritibus tolerantur. Aliorum verò Infidelium Ritus, qui nihil veritatis aut utilitatis afferunt, non sunt aliqualiter tolerandi, nisi fortè ad aliquod malum vitandum; scilicet ad vitandum scandalum, vel dissidium, quod ex hoc posset provenire; vel impedimentum salutis eorum, qui paulatim sic tolerati convertuntur ad fidem. Propter hoc enim etiam Hæreticorum & Paganorum Ritus aliquando Ecclesia toleravit, quando erat magna Infidelium multitudo.*

REGULA XXV.

Qui Libros Hæreticorum de Religione tractantes, atque Hæretica Dogmata continentes & propugnantes legunt absque licentia & Auctoritate Sedis Apostolicæ concessa, in lethale peccatum, & Excommunicationem incurrunt.

De Hæreticis.

HÆc enim lectio Pontificiis Constitutionibus plerisque sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ vetita est, meritò quidem, ne passim ab omnibus vel imperitis, vel semidoctis, aut etiam eruditis viris absque necessitate, & cum subversionis periculo legantur; quod doctis etiam hominibus, sed nimium curiosis, & quorum fides interdum infirmior est quàm simplicium & ineruditorum, ex hujusmodi lectione plerumque imminere, infelix experientia comprobavit. Qui verò ex Librorum illorum lectione subversionis periculum fidei suæ imminere animadvertunt, quòd dubia circa fidem in eorum animis excitet, quibus graviter concutiuntur, lethaliter peccant, si in illorum lectione nihilominus perseverent, quamvis licentiam habeant hujusmodi Libros legendi. Tenetur enim quisque periculum subversionis, & proximam peccandi occasionem vitare. Nam *Qui amat periculum, peribit in illo*; ut dicitur *Eccli.* III. 27. Tandem qui Libros illos absque licentia retinent, Lethaliter peccant: tenentur enim illos quàm primùm deferre ad Episcopos, aut Inquisitores hæreticæ pravitatis, ubi exercetur Inquisitio, aut certè comburere: sicut legimus eos fecisse, qui superstitiones sectati, ad Fidem Christianam melioremque frugem conversi sunt, Actuum XIX. *Multi ex iis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.*

Id confirmat *S. Leo*, Epistolâ XV. aliàs XCIII. cap. XV. ubi de Priscillianistarum libris ait: *Quomodo decipere simplices possent, nisi venenata pocula quadam melle prælinirent, ne usquequaque sentirentur insuavia, quæ essent futura mortifera? Curandum ergo est, & Sacerdotali diligentiâ maximè providendum, ut falsati codices, & à sincera veritate discordes, in nullo usu lectionis habeantur. Apocrypha autem Scriptura, quæ sub nominibus Apostolorum multarum habent seminarium falsitatum, non solùm interdicenda, sed etiam penitus auferenda sunt, atque ignibus concremanda. Quamvis enim sint in illis quædam, quæ videantur speciem habere pietatis, nunquam tamen vacua sunt venenis, & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, ut mirabilium narratione seductos, laqueis cujuscunque erroris involvant. Unde si quis Episcoporum vel Apocrypha haberi per domos non prohibuerit, vel sub Canonicorum nomine eos codices in Ecclesia permiserit legi, qui Priscilliani adulterinâ sunt emendatione vitiati, Hæreticum se noverit judicandum: quoniam qui alios ab errore non revocat, se ipsum errare demonstrat.*

ARTICULUS IX.

Regulæ Praxim spectantes circa Spem.

REGULA I.

Actum Spei tenetur elicere Christianus homo & sæpius in vita, scilicet cùm gratiam justificantem consequi opus est; & cùm desperationis tentationes ingruunt, & cùm spem suam infirmam ac languentem esse animadvertit, rebúsque temporalibus affici magis ac moveri, quàm bonis æternis, & cùm Deum orat, & præsertim in mortis discrimine.

De Spe Christiana.

HAnc Regulam probant illa quæ de fidei præcepto diximus. Præcepta enim de Spe in Deum non semel in Scripturis Sacris tradita sunt, scilicet Psalmo IV. *Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino.* Et Psalm. LXV. *Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in æternum.* Et Ecclesiastici II. *Dirige viam tuam, & spera in illum... Qui timetis Dominum sperate in illum*; Osee XII. *Spera in Deo tuo semper.* St. Petri I. *Sperate in eam quæ vobis offertur, gratiam*, &c. Dantur autem præcepta de actibus, non de habitu virtutum, ut diximus.

Quibus præsertim temporibus præceptum spei obligat?

Præceptum autem Spei maximè obligat, cùm ad justificationem præparare nos tenemur, si quidem ad considerandam Dei misericordiam nos convertendo, *In spem erigimur, fidentes Deum propter Christum nobis propitium fore*, ut loquitur Concilium Tridentinum, Sessione VI. cap. VI. Obligat etiam præceptum spei, quoties de desperatione tentamur: tunc enim contrario virtutis actu Dæmoni resistere debemus: item cùm spem nostram infirmam ac languentem esse animadvertimus, eam excitare debemus, ut in justitia Christiana crescamus. In adversitatibus etiam debemus nos futurorum expectatione bonorum consolari & roborare, secundùm illud Apostoli ad Romanos IV. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus: scientes quòd tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit*; & cap. XII. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Spes rursus excitanda est cùm oramus, quia frustra peteremus à Deo, quæ ab illo nos impetraturos non speraremus, & confideremus; *Sperantem enim in Domino misericordia circumdabit.* Sed maximè in mortis articulo actus spei debemus elicere, cùm Diabolus peccatorum nostrorum multitudinem ac gravitatem nobis repræsentans, in desperationem inducere nos tentat. Tunc in divinam misericordiam spem nostram conjicere debemus, *Sicut anchoram animæ tutam ac firmam*, ut loquitur Apostolus. Tunc dicat intimo pietatis affectu, in Deum Creatorem suum, Patrem suum, Redemptorem suum, adjutorem suum, in Christi passionem, vulnera pro se suscepta, Sanguinem pro se etiam effusum respiciens moribundus homo, *Domine Deus meus, in te speravi.... Deus meus adjutor meus, & sperabo in eum.... In Domino sperans non infirmabor.... Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te.... Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.... In te Domine speravi, non confundar in æternum.* Tunc Diaboli tentationibus

Psalm. 31.

Hebr. 6.

illud *S. Bernardi* in extremo agone positi objiciat: *Fateor, indignus sum Regno cælorum; sed duplici jure obtinens illud Dominus meus, hereditate Patris, & merito Passionis, altero ipse contentus alterum mihi donavit. Cujus beneficio illud mihi vendicare non erubesco.* Gravia quidem sunt & innumera peccata mea: Sed *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio..... Miserationes ejus super omnia opera ejus.... & Misericordiarum ejus non est numerus.* Non me fecit ut me perderet: miserebitur figmenti sui, & operis manuum suarum. Pretium meum Sanguis Christi est: eo aspersus à maximis delictis emundabor. In vulneribus ejus tutus, tuas, Satan, insidias non pertimesco. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo.* Reposita est hæc spes mea in sinu meo, ut pignus æternæ beatitudinis, ut clypeus fortitudinis, ut sertum exultationis.

De Spe Christiana.

REGULA II.

Contra Spei præceptum lethaliter peccant, qui scelerum suorum multitudine ac gravitate territi, veniam à Deo obtinere desperant.

FRatricidam enim Caïn imitantur, qui voce fraterni sanguinis ad Dominum clamante, ait: *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* (Genes. IV.) Et Christi traditorem Judam, qui Sanguinem justum tradendo se peccasse, cùm professus esset, *Abiens laqueo se suspendit.* De quo *S. Augustinus*, scribit Sermone CCCII. aliàs XXVII. inter Homilias quinquaginta: *Judam Traditorem non tam scelus quod commisit, quàm indulgentiæ desperatio fecit penitus interire. Non erat dignus misericordiâ, ideo ei non fulsit lumen in corde, ut ad ejus indulgentiam concurreret quem tradiderat, sicut illi qui eum crucifixerant; sed desperando se occidit, & laqueo suspendit se, suffocavit se. Quod fecit in corpore suo, hoc factum est in anima ipsius. Spiritus enim dicitur etiam iste ventus aëris hujus. Quomodo ergo qui sibi collum ligant, inde se occidunt, quia non ad eos intrat spiritus aeris hujus: sic illi qui desperant de indulgentia Dei, ipsâ desperatione intùs se suffocant, ut eos Spiritus Sanctus visitare non possit.*

Non tam proditio Judam interire fecit, quàm desperatio.

Deus certè timendus, sed in eum sperandum nihilominus est, secundùm illud Psalmi CXLVI. *Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus.* Timuit eum Judas, sed non speravit in misericordia ipsius. *Ergo sic time Dominum, ut speres in misericordia ejus. Si times latronem, ab alio speras auxilium, non ab eo quem times: poscis auxilium ab eo quem non times, adversùs eum quem times. Si sic times Deum, & ideo times Deum quia peccator es, à quo accepturus es auxilium adversùs Deum? Quò iturus es? Quid facturus? Vis ab illo fugere? Ad ipsum fuge. Vis fugere ab irato? Fuge ad placatum. Placabis autem eum, si speres in misericordia ipsius: atque ita de cætero peccare caveas, ut de præteritis depreceris, ut tibi dimittantur à Domino.* Verba sunt *S. Augustini*, Enarratione in hunc Psalmum.

Deus ita timendus, ut in eum sperandus.

A Deo irato, ad ipsum placatum, fugiendum est.

REGULA III.

REGULA III.

Contra Spei præceptum lethaliter peccant, qui pravarum cupiditatum suarum vehementiam considerantes, suámque ad bene agendum imbecilitatem, superare eam per Dei gratiam desperant, interimque se ad omne scelus projiciunt.

De Spe Christiana.

DE his scribit Apostolus ad Ephesios Cap. VI. *Qui desperantes tradiderunt semetipsos impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis.* Hi apud *Jeremiam* eos nomine Domini admonentem, ut revertatur unusquisque à via sua mala, & dirigat vias suas, & studia sua, aiunt: *Desperavimus, post cogitationes enim nostras ibimus, & unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus.*

Jerem. 18.

REGULA IV.

Contra Spei præceptum lethaliter peccant, qui spectatâ magnitudine cœlestis gloriæ, & conditionis humanæ vilitate, adeo degeneris ac pusilli sunt animi, ut ad æternam gloriam aspirare non audeant.

HOs spectat illud Sapientis Monitum, Eccli. XVI. *Non dicas, A Deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoscar: quæ est enim anima mea in tam immensa creaturâ?* Hi certè divinis promissis etiam juramento firmatis increduli videntur. *Homines per Majorem sui jurant* (inquit Apostolus ad Hebræos VI.) *& omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem, est juramentum. In quo abundantiùs volens ostendere Deus pollicitationis heredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum: ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem: quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis: ubi præcursor pro nobis introivit Jesus.* In carne igitur ambulantes, non secundùm carnem militare debemus, sed desiderio in cœlo esse, spem in terram illam felicitatis æternæ quasi anchoram præmittere, ne in isto Mari turbati, naufragium faciamus. *Quemadmodum ergo de navi quæ in anchoris est, rectè dicimus quòd jam in terra sit; adhuc enim fluctuat, sed in terra quodammodo educta est contra ventos & contra tempestates: sic contra tentationes hujus peregrinationis nostræ, spes nostra fundata in illa civitate Jerusalem facit nos non abripi in saxa.* Verba sunt *S. Augustini*, Enarratione in Psalmum LXIV. Si salutis arrhas consideremus, quibus Deus spem nostram erigit, manifestum erit grande esse peccatum illorum, qui spectatâ gloriæ cœlestis magnitudine, & conditionis humanæ vilitate, despondent animos, & ad eam aspirare non audent. Ea de re disserentem *Sanctum Augustinum* audire præstat, Enarratione in Psalmum CXLVIII. ubi cùm supernæ civitatis felicitatem descripsit, in qua Beatorum unum negotium est laudare Deum: in qua nulla necessitatis, nulla iniquitatis, nulla misericordiæ sunt opera, quia nulla ibi necessitas est, nulla iniquitas, nulla miseria in qua fiat misericordia: subdit, *O beati! putamus erimus & nos sic? Eia suspiremus, de suspirio gemamus. Et quid sumus, ut ibi simus? Mortales, projecti, abjecti, terra & cinis. Sed qui promisit, Omnipotens est. Si ad nos attendamus, quid sumus? Si ad illum, Deus est, omnipotens est. Non est facturus Angelum ex homine, qui fecit hominem ex nihilo? Aut verò pro minimo habet Deus hominem, propter quem mori voluit Unicum suum? attendamus ad judicium dilectionis. Promissionis Dei tales arras accepimus: tenemus mortem Christi, tenemus Sanguinem Christi. Quis mortuus est? Unicus. Pro quibus mortuus est? Utinam pro bonis, utinam pro justis. Sed quid? Etenim Christus (ait Apostolus) pro impiis mortuus est. Donavit impiis mortem suam, quid servat justis, nisi vitam suam? Erigat ergo se humana fragilitas, non desperet, non se collidat, non se avertat, non dicat, Non ero. Qui promisit, Deus est: & venit, ut promitteret; apparuit hominibus, venit suscipere mortem nostram, promittere vitam suam. Venit ad regionem peregrinationis nostræ, accipere hic quod hic abundat, opprobria, flagella, colaphos, sputa in faciem, contumelias, spineam coronam, suspensionem in ligno, crucem, mortem. Hæc abundant in regione nostra, Ad talia commercia venit. Quid hic dedit, quid accepit? dedit exhortationem, dedit doctrinam, dedit remissionem peccatorum; accepit contumelias, mortem, crucem. Attulit nobis de illa regione bona, & in regione nostra pertulit mala. Promisit tamen nobis quod ibi futuri simus unde venit, & ait,* Pater, volo ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum. *Tanta præcessit dilectio. Quia ubi nos eramus, fuit nobiscum; ubi ipse est, erimus cum illo. Quid tibi promisit Deus, ô homo mortalis? quia victurus es in æternum, Non Credis? crede, crede. Plus est jam quod fecit, quàm quod promisit. Quid fecit? mortuus est pro te. Quid promisit? ut vivat cum Illo. Incredibilius est quòd mortuus est Æternus, quàm ut in æternum vivat mortalis. Jam quod incredibilius est tenemus. Si propter hominem mortuus est Deus, non est victurus homo cum Deo? non est victurus mortalis in æternum, propter quem mortuus est qui vivit in æternum?... Accepit ex te, unde moreretur pro te. Non posset mori, nisi caro; non posset mori nisi mortale corpus: induit se ubi pro te moreretur; induit te ubi cum illo vivas. Ubi se induit morte? in virginitate Matris. Ubi te induet vita? in æqualitate Patris... Quiddam nostrum jam sursum est, quod hic accepit, ubi mortuus est, ubi crucifixus est. Jam quædam primitiæ tuæ præcesserunt, & dubitas quia secuturus es?*

Spes anchora animæ tuta ac firma.

Quantas arrhas promissionum suarum & talium nostræ Deus nobis dederit ad fovendum spem nostram.

De Spe Christiana.

Joann. 17.

REGULA V.

Contra Spei præceptum peccant, qui ad orandum sunt pigriores, spémque abjiciunt, quòd in longum differri videatur id quod obtinere sperant.

HI enim non attendentes quòd quædam à Deo non negantur, sed congruo dentur tempore, differuntur (ut ait *S. Augustinus* Tractatu CII. in Joannem.) Moram Domini patienter non ferunt, nec Prophetæ auscultant dicenti: *Si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Denique Filios Abraham secundùm spiritum se non esse ostendunt, qui *Longanimiter ferens, adeptus est repromissionem*, ut scribit Apostolus ad Hebræos VI.

Habac. 2.

REGULA VI.

Contra præceptum Spei lethaliter peccant, qui in carne & homine magis quàm in Dei auxilio confidunt.

HAnc Regulam Deus ipse tradit Jeremiæ XVII. *Maledictus* (inquit) *homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus.* Tales sunt, qui magis ex divitiis suis, vel industria, aut amicorum multitudi-

De Spe Christiana.

ne, aut Principum favore, quàm ex Dei providentiâ & bonitate, adfutura sibi sperant subsidia hujus vitæ. Contra quos Spiritus Dei sic in Scriptura Sacra loquitur: I. ad Timoth. VI. *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum.* Et Isaiæ XXXI. *Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis, quia multa sunt, & super equitibus, quia prævalidi nimis, & non sunt confisi per Sanctum Israel, & Dominum non requisierunt.* Tales sunt literarum studiosi, qui in labore suo ac ingenii viribus ad scientiam comparandam magis confidunt, quàm in Dei gubernatione & lumine, qui *Docet hominem scientiam*, qui *Scientiarum Dominus est.* Tales sunt maximè, qui liberi arbitrii viribus sine singulari Dei auxilio, quod humili, fervente & perseverante oratione ab illo petendum sit, Legem Dei se impleturos, aut in gratiâ se perseveraturos confidunt, aut aliquid propter quod à Deo suscipiantur & adjoventur, ex se ipsis se præstare posse. Quisquis non sperat in Domino, miser est: Scriptum est enim: *Beatus vir qui sperat in eo.* Quis est qui non sperat in Domino? *Qui in se sperat*; (inquit *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum XXIII.) Igitur *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias falsas.* Meritò itaque *S. Gregorius* Libro XXII. *Moralium*, Cap. V. *Præsumptio* (inquit) *virtutis propria tantò gravius in desperatione est, quantò longiùs ab humilitate. Cùmque vires sibi tribuit operis, ad adjutorium non recurrit Autoris; fitque ut eò graviùs peccator pereat, quò & ipsum hoc quia est peccator, ignorat.*

Psalm. II. 9.

REGULA VII.

Desperatio peccatorum omnium periculosissimum est.

ANgelici Doctoris effatum est, Secunda Secundæ, Quæstione XX. Articulo III. *Desperatio* (inquit) *est periculosior, quia per spem revocamur à malis, & inducimur ad bona prosequenda: & ideo sublatâ spe, irrefrenatè homines labuntur in vitia, & à bonis operibus retrahuntur.* Unde Glossa super illud Proverb. XXIV. *Si desperaveris lassus in die angustiæ, minuetur fortitudo tua;* ait: *Nihil est execrabilius desperatione, quam qui habet, & in generalibus hujus vitæ laboribus; & quod pejus est, in fidei certamine constantiam perdit.* Quæ Glossa ex Venerabili *Beda* sumpta est, verbis aliquantulum immutatis. Hinc *S. Isidorus* Libro II. *Sententiarum*, sive *De Summo Bono*, Cap. XIV. ait: *Contemnere Pœnitentiam, & permanere in culpa, descendere in infernum post mortem est. Ergo peccare, ad mortem pertinet: desperare verò, est in infernum descendere.* Quò mox etiam refert illud Proverb. XVIII. *Impius, cùm in profundum malorum venerit, contemnit.* Unde *S. Leo*, Sermone III. *De Passione Domini*, ait: *Christus sic ad omnium Redemptionem utebatur malitiâ persequentium, ut in Mortis ejus Resurrectionisque Sacramento, etiam interfectores sui possent salvi esse, si crederent. Unde sceleſtior omnibus, Juda, & infelix extitisti: quem non Pœnitentia revocavit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum.*

REGULA VIII.

Contra Spei Christianæ præceptum lethaliter peccant, qui confidunt se permanentes in peccato misericordiam consecuturos; aut si vitam quandoque in melius mutare proponant, id nihilominus ita in dies differunt, ac si de dono Pœnitentiæ accipiendo certi essent. Contra idem præceptum gravissimè peccant, qui etsi crimina sua deserant, ad Ecclesiæ tamen Sacramenta non confugiunt ut veniam consequantur, nec Deum placare satagunt satisfactoriis operibus.

De Spe Christiana

HÆc Regula colligitur ex *S. Thoma*, Secunda Secundæ, Quæstione XXI. Articulo I. *Circa spem* (inquit) *per quam aliquis de propria virtute confidit, attenditur præsumptio ex hoc, quòd aliquis tendit in aliquod bonum ut sibi possibile, quod suam facultatem excedit, secundum quod dicitur Judith VI.* Præsumentes de se humilias. *Et talis præsumptio opponitur virtuti magnanimitatis. Circa spem autem per quam aliquis inhæret divinæ potentiæ, potest per immoderantiam esse præsumptio in hoc quòd aliquis tendit in aliquod bonum ut possibile per virtutem & misericordiam divinam, quod possibile non est. Sicut cùm aliquis sperat se veniam obtinere sine Pœnitentia; vel gloriam sine meritis. Hæc autem præsumptio est propriè species peccati in Spiritum-Sanctum; quia per hujusmodi præsumptionem tollitur vel contemnitur adjutorium Spiritus-Sancti, per quod homo revocatur à peccato.*

Et Articulo II. in Responsione ad III. *Peccare cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniæ, ad præsumptionem pertinet, & hoc non diminuit, sed auget peccatum.*

Præsumptio de Misericordia Dei, quam grave peccatum.

Contra hujusmodi præsumptores ait Sapiens (Eccli. V.) *Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui: & ne dixeris, Quomodo potui? Aut quis me subjiciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit. Ne dixeris; Peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum. Et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Eosdem increpat Apostolus, ad Romanos II. *Existimas autem hoc, ò homo, qui judicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies judicium Dei? An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad Pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera ejus.* Non enim modò sic longanimis Deus in sustinendo, ut nonquam justus in vindicando. Distribuit tempora, nunc vocat, nunc exhortatur peccatores expectans donec resipiscant. *Miserator & misericors Dominus, longanimis, & multùm misericors.* Misericors: in his quibus veniam dedit: in his quibus adhuc non dedit, longanimis: non damnans, sed exspectans, ipsâ exspectatione clamans: *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Et nimiâ longanimitate: *Nolo* (inquit) *mortem impii, sed ut convertatur impius à viâ suâ, & vivat.* Deus ergo dedit spem veniæ, ne desperando ampliùs pecces; (inquit *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum CXLIV.) *Et spes, & desperatio timenda est in peccatis. Videte*

Psalm. 102.

Ezech. 33.

vocem

De Spe Christiana.

vocem desperantis ad augenda peccata, & videte vocem sperantis ad augenda peccata, & quomodo utrique voci occurrit providentia & misericordia Dei. Audi vocem desperantis: Jam (inquit) damnandus sum, quare non facio quicquid volo? Audi & vocem sperantis: Misericordia Domini magna est; quando me convertero, dimittet mihi omnia; quare non facio quicquid volo? desperat, ut peccet, sperat ut peccet. Utrumque metuendum est, utrumque periculosum; væ à desperatione, væ à perversa spe. Utrique huic periculo & utrique malo quomodo occurrit misericordia Dei? Quid dicis tu, qui desperando volebas peccare? Jam damnandus sum, quare non facio quicquid volo? audi Scripturam: No-» lo mortem impii, quantùm ut revertatur & » vivat. *Hâc voce Dei reducitur in spem: sed timendus est alius laqueus, ne ipsa spe amplius peccet. Quid ergo & tu dicebas, qui spe magis peccas? Quando me convertero, omnia mihi Deus dimittet, faciam quicquid volo. Audi & tu Scrip-» turam:* Ne tardes converti ad Dominum, » neque differas de die in diem: subitò enim » venit ira illius; & in tempore vindictæ dis-» perdet te. *Noli ergo dicere, Cras me convertam, cras Deo placebo, & omnia hodierna & hesterna dimittuntur mihi. Verum quidem dicis, quia Deus conversioni tuæ indulgentiam promisit, sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit.* Et Tractatu XXXIII. in Joannem: *Propter illos*, inquit, *qui desperatione periclitantur, proposuit indulgentiæ portum: propter illos qui spe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum. Quando veniat ultimus dies, nescis. Ingratus es, quia hodiernum habes, in quo corrigaris.* Et Enarratione in Psalm. XXXI. *Si se homo justificaverit & de justitiâ suâ præsumpserit, cadit. Si considerans & cogitans infirmitatem suam, & præsumens de misericordia Dei, neglexerit vitam suam mundare à peccatis suis, & se omni gurgite flagitiorum demerserit, & ipse cadit... Audiamus vocem Dei dicentem nobis: Ne præsumas ad Regnum de justitia tua: ne præsumas ad peccandum de misericordia Dei. Illuc si ascenderis, præcipitaberis: hâc si lapsus fueris, demergeris.*

Et spes, & desperatio timenda in peccatis.

Eccl. 33.

Peccator pœnitens utrumque pedem Domini amplecti debet, misericordiam & justitiam.

Hinc *Sanctus Bernardus* Sermone LXXXVII. De Diversis: *Cùm primò*, inquit, *convertimur, pedes Domini osculamur. Duo autem sunt pedes Domini: Misericordia & veritas. Hunc utrumque pedem Deus convertentium cordibus imprimit: & utrumque pedem peccator quisque, si verè convertitur, amplectitur. Si enim solam misericordiam sine veritate reciperet, per præsumptionem caderet. Rursus si veritatem sine misericordia reciperet, nihilominus per desperationem periret. Sed ut fiat salvus, ad utrumque pedem humiliter provolvitur: ut per veritatem peccata damnet, & per misericordiam veniam speret.*

ARTICULUS X.

Regula de Dilectione Dei.

REGULA I.

Præceptum Amoris Dei speciale est, non generale, cui per aliorum præceptorum adimpletionem satisfiat, adeóque non effectivus dumtaxat, sed affectivus Amor Dei præcipitur hominibus.

De Dilectione Dei.

HÆc Regula nititur Christi Salvatoris nostri oraculo, Matth. XXII. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totâ mente tuâ. Hoc est maximum & primum Mandatum.* Primum porrò & maximum Mandatum à ceteris distinctum est, specialémque actum sive affectum imperat, non solùm vetat ne quis flagitiis & facinoribus Deum offendat.

Præterea, dubium esse non potest, quin Deus principi hominis facultati, ejus nempe voluntati legem præfixerit, ex cujus scilicet amore omnis morum bonitas pendet. Nam *Mores nostri, non ex eo quòd quisque novit, sed ex eo quod diligit, dijudicari solent. Nec faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores;* (inquit *S. Augustinus*, Epistolâ CLV. alias LII. ad *Macedonium.*) Quid enim absurdius fingi possit, quàm quòd non curaverit Deus de prima hominis facultate, ex cujus bono vel malo amore homo bonus vel malus existit; dum interim leges præscripsit aliis facultatibus ac membris, quorum opera, siquidem ex se ipsis indifferentia sint, non aliunde meritum aut demeritum mutuantur, quàm à rectâ aut perversâ voluntate à qua imperantur? Hoc ergo Mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum*, primam ac præcipuam humani cordis operationem afficit ac gubernat, nempe ejus amorem. Hæc autem Dei dilectio tam non potest esse sine motu voluntatis, sive cordis humani, quàm cognitio & recordatio Dei sine actu intellectûs atque memoriæ esse non possunt. Præcipitur ergo humano cordi, quod sine amore esse non potest, specialis actus, ut scilicet Deum diligat amore ceteris omnibus ejus affectibus dominante. De quo *Sanctus Augustinus*, Epistolâ mox indicata: *Quamquam*, inquit, *& in hac vitâ virtus non est, nisi diligere quod diligendum est: id eligere, Prudentia est; nullis inde averti molestiis, Fortitudo est: nullis illecebris, Temperantia est; nullâ superbiâ, Justitia est. Quid autem eligamus quod præcipuè diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus est, cui si diligendo aliquid vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus. Tantò enim nobis melius est, quantò magis in illum imus, quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando. Quem tantò habebimus præsentiorem, quantò eumdem amorem, quo in eum tendimus, potuerimus habere puriorem.* Et paulò post: *Pravitate nostrâ à rectitudine Dei longè sumus. Unde rectum amando corrigimur, ut recto recti adhærere possimus.*

Amor Dei ceteris omnibus hominis affectibus dominari debet.

Et Libro I. *De Doctrina Christianâ* Cap. XXII. *Tunc est*, inquit, *optimus homo, cùm tota vita sua pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi: si autem se propter se diligit, non se refert ad Deum, sed ad se ipsum conversus, non ad incommuta-*

De Dei dilectione.

bile quid convertitur. Et propterea jam eum defectu aliquo se fruitur; quia melior est cùm totus hæret atque constringitur incommutabili bono, quàm cùm inde vel ad se ipsum relaxatur. Si ergo teipsum non propter te debes diligere, sed propter illum ubi dilectionis tuæ rectissimus finis est, non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligis. Hæc enim regula » *dilectionis divinitus constituta est:* Diliges proxi- » mum tuum sicut te ipsum: Deum verò ex toto » corde, ex totâ animâ, ex totâ mente, *ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habet ea ipsa quæ confert. Cùm autem ait,* Toto corde, totâ animâ, totâ mente, *nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare ut alia re velit frui, sed quicquid aliud venerit in animum, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit. Quisquis ergo rectè proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, totâ animâ, totâ mente diligat Deum. Sic enim eum diligens tanquam se ipsum, totam dilectionem sui & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.*

Deuteron. 6. Matth. 22. Marc. 12. Luc. 10.

Dilectio Dei nullum à se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.

Secutio Dei est beatitudinis appetitus.

Primum illud homani cordis officium rursus explicat Libro 1. *De Moribus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. xi. *Secutio Dei*, inquit, *beatitmis appetitus est; consecutio autem ipsa beatitas. At eum sequimur diligendo; consequimur verò, non cùm hoc omnino efficimur quod est ipse, sed ei proximi, eumque mirifico & intelligibili modo contingentes, ejúsque veritate & sanctitate penitus illustrati atque comprehensi. Ille namque ipsum lumen est, nobis autem ab eodem illuminari licet.* Maximom *ergo quod ad bea-* » *tam vitam ducit*, primúmqoe Mandatum est, » Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde » tuo, & animâ, & meote. Diligentibus enim » Deum, omoia procedunt in bonum. *Quam-* » *obrem paulò post idem Paulus:* Certus sum, *inquit*, » quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, » neqoe Virtus, neque instantia, neque futura, » neque altitodo, neque profundum, neque crea- » tura alia poterit nos separare à caritate Dei, » quæ est in Christo Jeso Domino nostro. *Si igitur diligentibus Deum omnia procedunt in bonum; & summum bonum, quod etiam optimum dicitur, non modò diligendum esse nemo ambigit, sed ita diligendum ut nihil amplius diligere debeamus; idque signi-* » *ficatur & exprimitur quod dictum est:* Ex tota » anima & ex toto corde, & ex tota mente: *quis quæso dubitaverit, his omnibus constitutis, & firmissimè creditis, nihil nobis aliud esse optimum ad quod adipiscendum postpositis cæteris festinare oporteat, quàm Deum. Item si nulla res ab ejus caritate nos separat, quid esse non solùm melius, sed etiam certius hoc bono potest? Sed singula breviter attendamus: nemo nos inde separat, minando mortem: idipsum enim quo diligimus Deum, mori non potest, nisi dum non diligit Deum, quod nihil est aliud quàm ei quidquam in diligendo atque sequendo præponere. Nemo inde separat pollicendo vitam: nemo enim ab ipso fonte separat pollicendo aquam. Non separat Angelus; non enim est Angelus, cùm inhæremus Deo, nostrâ mente potentior. Non separat Virtus: nam si Virtus hic illa nominata est, quæ aliquam potestatem in hoc mundo habet, toto mundo est omnino sublimior mens inhærens Deo. Sin Virtus illa dicta est, quæ ipsius animi nostri rectissima affectio est: si in alio est, favet ut conjungamur Deo: si in nobis est, ipsa conjungit. Non separant instantes molestiæ: has enim leviores eas sentimus, quò Ei unde nos separare moliuntur, arctius inhæremus. Non separat promissio futurorum: nam & quicquid boni futurum est, certius promittit Deus, & nihil est ipso Deo melius, qui jam profectò benè sibi inhærentibus præsens est. Non separat altitudo neque profundum: etenim si hæc verba scientiæ fortè altitudinem vel profundum significant, non ero curiosus, ne sejungar à Deo, nec cujusquam doctrina me ab eo separat, ut quasi depellat errorem, à quo nemo prorsus nisi separatus erraret. Si verò altitudine & profundo superna & inferna hujus Mundi significantur, quis mihi cœlum pollicetur, ut à cœli Fabricatore sejungar? Aut quis terreat infernis ut Deum deseram, quem si nunquam deseruissem, inferna nescirem? Postremò qui me locus ab ejus caritate divellet, qui non ubique totus esset, si ullo contineretur loco? Non separat alia creatura.* Noo satis fuit Apostolo dicere, *Non creatura*, sed dixit, *Non alia creatura*, ut animum ipsum, quo Deo diligimus, creaturam esset doceret. Alia ergo creatura corpus est, alia creatura est omne sensibile. Cavere ergo debet animus, *Ne ab ipsius Dei caritate, quâ sanctificatur ut beatissimus maneat, alterius creaturæ, id est, hujus sensibilis Mundi amore separetur. Non igitur separat nos alia creatura, siquidem & nos ipsi creatura sumus, à caritate Dei.*

Nihil aliud nobis est optimum, ad quod, postpositis cæteris, festinare oporteat, quàm Deum.

Rom. 8.

Nihil nos separat ab amore Dei, quamdiu ipsum diligere volumus.

Totus amor noster in Deum colligendus.

In Deum itaque omnis amor noster colligendos & referendus est: unde rursus idem *S. Augustinus* Libro x. *Confessionum*, Cap. xxix. ita Deum alloqoitur: *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.*

Et Sermone xxxiv. aliàs *De Diversis* 11. Cap. iv. *Audi quid tibi dicat ex ore Sapientiæ Caritas:* Da mihi, fili, cor tuum. *Male erat, quando à te erat; quando tibi erat: per nugas enim & amores lascivos perniciosósque trahebaris. Tolle inde. Ubi trahis? Ubi ponis?* Da mihi, *inquit*, cor tuum. *Sit mihi, & non perit tibi. Vide enim si aliquid voluit dimittere in te, unde ames vel te, qui tibi dicit*, Diliges Dominum Deum tuum ex toto » corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota » mente tua. *Quid remanet de corde tuo, unde diligas te ipsum? Quid de animæ tuæ? Quid de mente tua? Ex toto* (inquit) *Totum exigit te, qui fecit te.* Non ergo oos, sed ipsum amemus; & ea quæ sunt ejus, noo ea quæ sunt nostra quæramus; (inqoit idem S. Doctor Tractatu cxxiii. in Joannem) *Nescio quo enim inexplicabili modo, quisquis se ipsum, non Deum amat, non se amat: & quisquis Deum, non seipsum amat, ipse se amat. Qui enim non potest vivere de se, moritur utique amando se: non ergo se amat, qui ne vivat se amat. Cùm verò ille diligitur de quo vivitur, non se diligendo magis diligit, qui ideo non se diligit, ut eum diligat de quo vivit.*

Proverb. 23.

Quisquis seipsum, non Deum amat, non vere se amat.

Ejusdem præcepti vim mirificè explicat *Sanctus Bernardus* Sermone xx. in Cantica. *Disce à Christiane à Christo quemadmodum diligas Christum. Disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter: dulciter, ne illecti: prudenter, ne decepti: fortiter ne oppressi, ab amore Domini avertamur. Ne mundi gloriâ seu voluptatibus abducaris, dulcescat tibi præ his Sapientia Christus: ne seducaris spiritu mendacii & erroris, lucescat tibi Veritas Christus: ne adversitatibus fatigeris, confortet te Virtus Dei Christus. Zelum tuum inflammet caritas, informet scientia, firmet constantia. Sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus. Et vide ne fortè tria ista tibi & in Lege tradita fuerint, dicente Deo:* Diliges Domi[illegible]um Deum » tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ » & ex totâ virtute tuâ. *Mihi videtur amor quidem » cordis ad Zelum pertinere affectionis, animæ verò amor ad industriam seu judicium rationis; virtutis autem dilectio ad animi posse referri constantiam vel vigorem. Dilige ergo Dominum Deum tuum toto & pleno cordis affectu: dilige totâ rationis vigilantiâ & circumspectione: dilige & tota virtute, ut nec mori pro ejus*

Deum amandum dulciter, prudenter, fortiter.

Deuter. 6.

De Dei dilectione.

amore pertimescas: quoniam FORTIS *est ut mors dilectio.* Lege ejusdem Patris Librum singularem *De Diligendo Deo*, cap. 1.

His addidenda est *S. Thomæ* commentatio Secunda Secundæ, Quæst. XLIV. Articulo V. *Præcipitur nobis* (inquit) *ut tota nostra intentio feratur in Deum, quod est ex toto corde: & quòd intellectus noster subdatur Deo, quod est ex tota mente: & quòd appetitus noster reguletur secundùm Deum, quod est ex tota anima: & quod exterior actus noster obediat Deo, quòd est ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligere.*

Idem Sanctus Doctor actum amoris primo præcepto mandatum, ab observatione aliorum præceptorum distinctum esse, disertè docet, *Secunda Secunda*, Quæstione XLIV. Articulo 1. ad primum: *Modus* (inquit) *dilectionis non cadit sub illis præceptis, quæ dantur de aliis actibus virtutum, putà, sub hoc præcepto,* Honora patrem tuum, & matrem tuam, *non cadit quòd hoc ex caritate fiat: cadit tamen actus dilectionis sub præceptis specialibus.*

Et *Prima Secunda*, Quæstione centesimâ Articulo X. in responsione ad secundum, juberi nos asserit omnia referre in Deum; at negat hanc obligationem ex singulis præceptis exorgere, sed tantùm ex vi hujus præcepti, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Affectivum Dei amorem homini Christiano præceptum S. Bernardus non negat.

Regulæ, quam explicamus, adversari *S. Bernardum* quidam perperam objiciunt, duplicemque amorem distinguere; alterum affectivum, alterum effectivum: hunc nobis præceptum asserere, non primum. Hæc ejus verba proferunt ex Sermone L. in Cantica. *Est caritas in actu, & est in affectu: & de illa quidem quæ operis est, puto datam esse legem hominibus, mandatúmque formatum. Nam in affectu quis ita habeat ut mandatur? Ergo illa mandatur ad meritum, ista ad præmium.*

Verùm *Sanctus Bernardus* ab illa, quam vocat caritatem in actu, intentionem directam in Deum, verúmque Dei affectum non removet; nec alium quàm teneriorem, ardentiorem, & suaviorem amoris affectum excludit, cujus torrente Sanctos in patria inebriat Deus, & nunc in via quibusdam rivulis nonnunquam pias animas consolatur. *Non dico* (inquit S. Bernardus) *ut sine affectione simus, & solas moveamus manus ad opera: legi inter alia, quæ scribit Apostolus, magna, & gravia hominum mala, hoc quoque annumeratum, scilicet sine affectione. Sed est affectio quam caro gignit, & est quam ratio regit, & est quam condit sapientia. Prima est quam Apostolus dicit, Legi Dei non esse subjectam, nec esse posse: secunda, quam perhibet è regione Legi Dei consentientem, quoniam bona est. Longè verò tertia ab utraque, quæ gustat & sapit quoniam suavis est Dominus, primam eliminans, secundam remunerans. Nampr ma quidem dulcis, sed turpis: secunda sicca, sed fortis, ultima pinguis & suavis. Igitur per secundam opera fiunt, & in ipsa caritas; sed &, non illa affectualis, quæ sale sapientiæ condita pinguescens, magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini; sed quædam potiùs actualis, quæ etsi nondum dulci illo amore suaviter reficit, amore tamen ipsius amoris vehementer accendit.* Per caritatem igitur in effectu, verum, interiorem & supernaturalem caritatis actum cum operibus conjunctum *S. Bernardus* intelligit. Per caritatem in affectu, amorem eximio quodam lumine splendentem, & abundantiâ quadam suavitatis circumfluentem. Primum duntaxat, non secundum primo mandato præceptum esse docet.

Tom. 8. 7. Rom. 1. 13.

Nec verò cùm Regula, cujus in explicatione versamur, ullateous pugnant hæc Christi Domini verba: *In his duobus Mandatis universa Lex pendet & Prophetæ.* Non enim hæc ideo dixit Salvator noster, quòd duo illa præcepta nullam obligationem importent distinctam ab obligatione reliquorum præceptorum, sed quòd eorum observatio pariat fidelem in cæteris Mandatis servandis diligentiam, quasi divini amoris fructum. Unde Christus ait, (Joannis XIV.) *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.... Qui non diligit me, sermones meos non servat.... Qui habet Mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me.* Fructus quippe observationis, radicem indicat caritatis. Quia ergo necesse est, ut etiam omnia alia mandata serventur, dum mandatum de diligendo Deo servatur, propter ea mandatum illud generale dici potest, sicut ob eamdem rationem ab Apostolo dicitur, *Plenitudo Legis dilectio.* Non autem dici potest generale mandatum, quasi censeatur impleri, dum alia præcepta forinsecus servantur, tametsi illorum observatio ex imperio divini amoris non dimanet, sine quo Dei oculis parum grata est. *Si enim forinsecus, ea quæ Deus jubet, manibus fiant, & in corde non fiant, nemo est tam insulsus, qui præcepta arbitretur impleri;* (inquit *S. Augushnut*, Quæst. LV. in *Deuteronomium*,) Non implentur (*inquam*) mandata Dei, sicut ea oportet impleri, dum fit quod Deus præcipit, nec tamen fit propter id, propter quod fieri præcipit. Hinc idem S. Doctor in Psalmum CXVIII. *Propter mercedem terrenam atque carnalem* (inquit) *Dei mandata conabantur servare Judæi, neque faciebant, quia non ipsa, sed aliud diligebant.* In aliis itaque mandatis non servatur mandatum de diligendo Deo, nisi illorum observatio prodeat ex radice caritatis eam imperantis. Hinc *Sanctus Gregorius*, Homiliâ XXVII. in Evangelia ait: *Omne mandatum de solâ dilectione esse, & omnia unum præceptum esse, quia quicquid præcipitur, in sola caritate solidatur. Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multæ virtutes ex una caritate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice caritatis. Præcepta ergo Dominica & multa sunt, & unum: multa per diversitatem operis, unum in radice caritatis.* Mandatum itaque primum & maximum non servatur in aliis præceptis, dum forinsecùs fiunt, sed potiùs in illo alia servantur & adimplentur: quia amor Dei in corde regnans non permittit, ut agendo, vel omittendo dilectus offendatur. *Nam fides quæ per dilectionem operatur, etsi non sit in quo exteriùs operetur, in corde tamen illa fervens servatur;* (inquit *S. Augustinus*, Sermone CI. aliàs *De Tempore* LXXII.)

In aliis mandatis non servatur mandatum de Deo diligendo nisi illorum observatio prodeat ex radice caritatis.

Rom. 13. 10.

Propositio damnata.

Meritò itaque Sacra Facultas Parisiensis inter alias Propositiones anno MDCLXV. illam damnavit: *Præceptum Amoris Dei & proximi non est speciale, sed generale, cui per aliorum præceptorum adimpletionem satisfit.*

Hanc & generalis Clerici Gallicani Conventus anno 1700. damnavit ut *perniciosam, scandalosam, piarum aurium offensivam, erroneam, impiam, primum & summum mandatum irritum facientem, & Evangelicæ legis spiritum extinguentem.*

Regula II.

Sine actu Amoris Dei non perficitur Mandatum quo Deum super omnia diligere jubemur.

De Dei dilectione.

Non habitus, sed actus virtutum præcipiuntur.

HÆc Regula consectarium est præcedentis. Id ipsa primi & maximi mandati verba significant, quibus dicitur diligendus Deus ex totâ animâ, & ex toto corde, & ex totâ mente. Diligere autem agentis, & non cessantis est. De habituali igitur, otioso & inerti amore minimè agitur. Hinc S. *Augustinus* Libro III. *De Doctrina Christiana*, cap. X. ait: *Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum.* Motus igitur animi, sive vitalis actio præcipitur, non habitus, de quo præcepta non dantur. Non uno enim in loco docet *S. Thomas*, præcepta non dari de habitibus, sed de actibus virtutum. Nec modò id generatim de certis præceptis, sed speciatim de præcepto amoris Dei tradit, *Secunda Secundæ*, Quæst. XLIV. Articulo II. ad primum: *Licèt* (inquit) *caritas sit una virtus, habet tamen duos actus, quorum unus ordinatur ad alium sicut ad finem. Præcepta autem dantur de actibus virtutum. Et ideo oportuit esse plura præcepta caritatis.* Neque enim vult Deus, ut eum habitibus cessantibus, & ad affectum ac opera amoris minimè inclinantibus; sed ut (quemadmodum ait S. Joannes) *eum opere & veritate diligamus.* Dum præcipit ut ablata restituamus, non restitutionis habitum, quo nemo recipit quod suum est, sed actum præscribit quo redditur id quod injustè ablatum erat. Dum eleemosynas fieri jubet, non de habitibus quibus pauper non pascitur, sed de erogatione victûs, quo pauper sustentatur, sermo est. Dum parentibus mandatur, ut in timore Domini filios suos educent, actualis cura, quæ sola proli prodest, non habitualis à qua nulla disciplina manat, à Deo præcipitur. Ita dum jubet Deus, ut eum ex toto corde diligamus, tum jubet se diligi dilectione actuosa, non cessante; dilectione vigili, non sopitâ: dilectione attentâ, non verò dilectione, quæ instar sopitorum habituum sine cogitatione, sine attentione, & sine actione reperiri existimatur.

Epist. I. cap. 3.

Perennitas actus amoris divini non est à Deo præcepta

Quamvis porrò actus amoris divini à Deo præceptus sit, non tamen perennitas hujus actus, quâ totum semper cor ad Deum actu feratur. Hæc enim perfectio cœlitum propria est. Id unum vult *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. XLIV. Articulo IV. in Responsione ad secundum, cùm ait: *Dupliciter contingit, ex toto corde Deum diligere. Uno quidem modo, in actu, id est, ut totum cor hominis semper actualiter feratur in Deum, & ista perfectio est patriæ. Alio modo, ut habitualiter totum cor hominis in Deum feratur: ita scilicet, quòd nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat. Et hæc est perfectio viæ, cui non contrariatur peccatum veniale; quia non tollit habitum caritatis, sed solùm impedit caritatis usum.*

Idem est alterius loci sensus, Articulo scilicet sexto ejusdem Quæstionis, in Responsione ad secundum. *Sicut* (inquit) *Miles qui legitimè pugnat, non culpatur, nec pœnam meretur: ita etiam qui in viâ hoc præceptum non implet, nihil contra divinam dilectionem agens, non peccat mortaliter.* Hæc enim verba, *Qui in via præceptum non implet*, non significant eum à culpâ esse immunem, qui actum amoris Dei in hac vita non elicit, sed tantùm qui ad perfectum amorem non pervenit. Præceptum scilicet caritatis dupliciter servari posse, docet *S. Thomas*: Perfectè, quando pervenitur ad finem quem Deus intendit, nempe ut *totaliter* cum ipso conjungamur, quod in cælo demum fieri potest: Imperfectè cùm ad istam divini amoris perfectionem non pervenitur. Utitur exemplo Ducis, qui militibus jubet ut pugnent. Ille enim (inquit) perfectè implet præceptum, qui pugnando vincit: (ita scilicet præcepti finis est.) Ille tantùm imperfectè, qui pugnat, & non vincit: & hic tamen noxâ caret, dum militiæ legibus pareat. Sed ut miles qui nunquam pugnat, nullo modo Ducis imperium exequitur: sic homo qui actu nunquam diligit Deum, mandatum diligendi ne imperfectè quidem servat.

De Dei dilectione.

Regula III.

In rigore præceptum est hominibus ut Deum vero & interiori affectu diligant; adeò ut ad salutem pervenire non possit, qui nullum divini Amoris actum exercuerit.

HAnc Regulam disertis verbis tradit Christus Dominus Lucæ X. *Ecce* (inquit Evangelista) *Legisperitus surrexit tentans illum, dicens: Magister, quid faciendo, vitam æternam possidebo?* Non quærit quid ad vitam æternam utile sit, sed quid necessarium. Dixit Christus: *In Lege quid scriptum est? Quomodo legis?* Ille respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum sicut te ipsum.* Quam ipsius responsionem approbavit Dominus: *Rectè* (inquit) *respondisti: Hoc fac, & vives.* Ad vitam igitur æternam necessarium est ut Deum ex toto corde, interiore affectu diligamus.

Id confirmat Apostulus I. ad Corinthios XVI. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit Anathema, Maran Atha.* Et dilectus Discipulus, Epistulæ I. cap. III. scribens: *Qui non diligit, manet in morte.*

Eâ conditione in Christi familiam cooptati sumus, ut Deum ex toto corde diligamus. Inter sacras enim Baptismi Ceremonias Sacerdos ait Catechumeno: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, & proximum tuum sicut te ipsum.* Ex initu igitur cum Deo in Baptismo fœdere tenemur divini amoris actus quàm possumus frequentissimos elicere.

Sine affectu interno amoris, verus & spiritualis cultus Deo exhiberi non potest.

Præterea, Deum colere vero & spirituali cultu omnino necesse est ad salutem, at sine actu & affectu interno amoris verus ille & spiritualis cultus Deo exhiberi non potest. *Pietas cultus Dei est, nec colitur ille nisi amando*; (inquit S. *Augustinus*, Epistula CXL. aliàs CXX. cap. XVII.) Et Enarratione in Psalmum LXXVII. *Hoc colitur quod diligitur. Unde quia Deus rebus omnibus major & melior invenitur, plus omnibus diligendus est ut colatur.* In hoc cultu vera Religio consistit, ex eòque vim ac nomen suum mutuatur, ut *S. Augustinus* docet Libro X. *De Civitate Dei*, cap. III. *Ipse* (inquit) *fons nostræ beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis. Hunc eligentes, vel potiùs religentes, amiseramus enim negligentes: Hunc ergo religentes, unde & Religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quiescamus; ideo beati, quia illo fine perfecti. Bonum enim nostrum nullum est*

aliud, quàm illi cohærere: cujus unius anima intellectualis incorporeo, si dici potest, amplexu, veris impletur, fœcundatúrque virtutibus. Hoc bonum diligere in toto corde, in tota anima, & in tota virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus, & à quibus diligimur duci; & quos diligimus ducere. Sic complentur duo illa præcepta, in quibus tota » *Lex pendet & Prophetæ*: Diliges Dominum » Deum tuum in toto corde tuo, & in tota a- » nima tua, & in tota mente tua; & diliges » proximum tuum tanquam te ipsum. *Ut enim homo sese diligere nosset, constitutus est ei finis; quo referret omnia quæ ageret, ut beatus esset.. Non enim qui se diligit, aliud esse vult quàm beatus. Hic autem finis est adhærere Deo. Jam igitur scienti diligere se ipsum, cùm mandatur de proximo diligendo sicut se ipsum, quid aliud mandatur, nisi ut ei, quantùm potest commendet diligendum Deum? Hic est Dei cultus, hæc vera Religio, hæc recta pietas, hæc tantùm Deo debita servitus.*

Matth. 22.

Magna Dei bonitas, qui se amari jubeat à creatura sua.

Magna Dei bonitas, qui se amari jubeat à creatura sua. *Quid tibi sum ipse* (inquit *S. Augustinus* Lib. I. *Confessionum*, cap. v.) *ut amari te jubeas à me, & nisi faciam, irasceris mihi, & mineris ingentes miserias? Parvane ipsa est, si non amem te?* Magna certè miseria Deum non amare, in cujus duntaxat amore cor nostrum conquiescere potest, secundùm illud ejusdem *Augustini* effatum: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te..... Nam quoquoversum se verterit anima hominis, ad dolores figitur, alibi præter quàm in te: tametsi figitur in pulchris extra te, & extra se.... Eunt enim quò ibant ut non sint, & conscindunt eam desideriis pestilentiosis: quoniam ipsa esse vult, & requiescere amat in eis quæ amat. In illis autem non est ubi, quia non stant, fugiunt.... Noli esse vana, Anima mea, & obsurdescere in aure cordis, tumultu vanitatis tuæ. Audi & tu: Verbum ipsum clamat ut videas; & ibi est locus quietis imperturbabilis, ubi non deseritur Amor, si ipse non deserat.... Da mihi te, Deus meus, redde te mihi, te enim amo: & si parum est, amem validiùs. Non possum metiri ut sciam quantùm desit mihi amoris ad id quod sat est, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur donec abscondatur in abscondito vultûs tui. Hoc tantùm scio, quia malè mihi est præter te, non solùm extra me, sed & in me ipso; & omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est.... Pondus meum amor meus, eò feror quocunque feror. Dono tuo accendimur, & sursum ferimur. Inardescimus, & imus.*

Lib. 1. Confess. cap. 1. Lib. 4. cap. 10. & cap. 12. Lib. 13. cap. 8.

Dei amore nihil magis necessarium, nil magis justum.

Dei amore ut nihil magis necessarium, ita nihil magis justum. Unde Autor Sermonis *De Baptismo Christi*, inter *S. Cypriani* Opera, ait: *Justum est Domine, ut diligamus te, quia & tu nos diligis.... Hoc natura, hoc ratio, hoc Domine, verbi tui clamat auctoritas: Hoc ex ore tuo audivimus; hic invenit consummationem omnis Religio.* In quocunque statu, in quacunque conditione fuerit homo, Deum amore prosequi tenetur: sive justus sit, sive peccator: sive viator, sive comprehensor, hujus officii debitor est. Si justus est, Deo debet, ob collatum justitiæ donum, amorem gratum. Si peccator est, Deo debet, ob amissum justitiæ donum, amorem lugentem. Si viator est, Deo debet ob ejus absentiam, amorem desiderantem. Si comprehensor est, Deo debet ob ejus præsentiam, amorem gaudentem. Variante statu, variatur amandi modus, immoto semper amandi officio. Hunc amoris censum perinde à paupere quàm divite Deus exigit, quia non ex arca, sed ex corde solvitur. Hoc onus tam infimo quàm summo impositum, quia non deorsum premit, sed sursum levat. Hoc officium perinde feminis quàm viris præscriptum, quia non inde solvitur, ubi sexuum distinctio cum bestiis homini communis, sed inde penditur, ubi veritas intelligitur, & homo Angelis coæquatur. Huic Officio si desit, erga Patrem est inhumanus, erga Liberatorem ingratus, adversùs Legislatorem suum perduellis & contumax. *Non præcipit enim Scriptura nisi Caritatem: nec culpat nisi cupiditatem: & eo modo informat mores hominum*; (inquit *S. Augustinus* Lib. III. *De Doctrina Christiana*, cap. x.)

Hæresis divini amoris necessitatem & obligationem elevans & imminuens, à Sede Apostolica damnata.

Meritò igitur ab *Alexandro VIII.* Pontifice Maximo die XXIV. Augusti anni millesimi sexcentesimi nonagesimi hæc Propositio damnata est: *Bonitas objectiva consistit in convenientiâ objecti cum natura rationali: formalis verò in conformitate actûs cum Regulis Morum. Ad hoc sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè......* HUNC HOMO NON TENETUR AMARE, NEQUE IN PRINCIPIO, NEQUE IN DECURSU VITÆ SUÆ MORALIS. Hanc, inquam, Propositionem Summus Pontifex declaravit *Hæreticam*, & uti talem damnavit, prohibuítque *sub Censuris & pœnis contra Hæreticos & eorum fautores in Jure expressis.*

REGULA IV.

Divini Amoris actum, non semel tantùm in vita, atque tunc solùm cùm debet justificari; sed sæpius; immò quàm frequentissimè potest, homo exercere tenetur.

Actum amoris Dei elicere debet homo, cùm se ad justificationem præparare tenetur.

QUòd teneatur homo ad exercendum divini amoris actum, cùm ad justificationem præparare se debet, Sacra Synodus Tridentina docet Sessione VI. cap. VI. ubi adultos ad suam justificationem se disponere docet, *Cùm Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*. Et Canone III. cujus hæc sunt verba: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; Anathema sit.* Hinc illud *S. Augustini in* Psalmum XIX. *Qui noluerit servire caritati, necesse est ut serviat iniquitati.* Et in Psalm. XXXVII. de caritate loquens, quâ Sponsa se vulneratam ait: *Qui hoc vulnere non fuerit vulneratus*, inquit, *ad veram sanitatem non potest pervenire.* Et sermone XXVII. in Psalmum CXVIII. *Quantò magis regnat in quocunque Dei caritas, tantò minus ei dominatur iniquitas.* Idem in Psalmum CXXI. *Quia ipsa caritas occidit quod fuimus, ut simus quod non eramus, facit in nobis quamdam mortem dilectio.* Istâ morte mortuus erat, qui dicebat, *Mundus mihi crucifixus est, & ego Mundo.* Istâ morte mortui erant, quibus dicebat, *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Hinc Salomon *Canticorum* VIII. ait: *Fortis est ut mors dilectio.*

Gal. 6.

Coloss. 3.

Divini amoris actum exercere debet homo, cum primùm ratione uti incipit.

Tenetur insuper homo divini amoris actum exercere, cùm primùm incipit ratione uti, vitæque rationalis primitias offerre Creatori, ad ipsum se convertendo ut ad finem ultimum omnis appetitionis suæ, secundùm illud Zachariæ I. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, ut docet *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione LXXXIX Articulo VI. ad tertium. Rationem enim homo non accepit, nisi ut dis-

cerneret, quamprimùm potest, quidnam sibi sit diligendum. Unde *S. Fulgentius*, Libro 1. ad *Monimum*, cap. XVII. ait: *Creatura quippe rationalis alia beatitudo non potuit, nec potest esse, nec poterit, nisi ut agnoscens à quo non solùm facta, sed etiam à quo rationalis facta est, majorem dilectionem exhibeat bono creatori, quàm sibi. Neque enim ei inesse posset ulla ejus ratio, nisi ei posset Creatoris inesse dilectio. Quia nec alia qua vera sit sapientia vel intelligentia creatura rationalis, nisi dilectio Creatoris.*

Item, cùm ingens aliquod beneficium à Deo accepit.

Tenetur præterea homo divini amoris actum exercere, cùm ingens aliquod beneficium à Deo accepit. Ingrati enim animi vitium est immane, si non redamaverit amantem, & prævenientem in benedictionibus dulcedinis, in misericordia & miserationibus, nihilque aliud ab illo postulantem præter amorem.

Cùm ad S. Eucharistiam accedit.

Tertiò. Actum amoris elicere debemus, cùm ad Sacrosanctam Eucharistiam accedimus, quæ Sacramentum caritatis est, pignúsque singulare amoris quo Christus *Cùm dilexisset suos qui erant in Mundo, in finem dilexit eos.* Ut Corpori Domini communicemus, per amorem Dei de Christo & in Christo vivere, in eóque manere debemus, ut ille in nobis.

Cùm gravi tentatione pulsatur. Ephes. 4.

Quartò, cùm gravi tentatione pulsamur, quâ periculum est ne separemur à caritate Christi: tunc enim *In caritate radicati & fundati*, Deo adhærere debemus, firmúmque non peccandi propositum habere. Ut enim arbores altis radicibus terræ hærentes & domus profundo nixæ fundamento vix loco moveri possunt; ita illi qui in caritate radicati sunt & fundati, ab eo quod caritas diligit, vix divelluntur; quia divelli nolunt. Hinc Apostolus suo & eorum nomine (ad Romanos cap. VIII.) *Quis ergo* (inquit) *nos separabit à caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? .... Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Sic affectis Deus auxilium largitur quo tentationibus vel gravissimis resistunt non modò, sed ex eis proficiunt, ut in divino sint amore firmiores, secundùm illud 1. ad Corinthios x. *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Verè fidelis Deus, qui dat potentiam ne vincamur, gratiam ut mereamur, constantiam ut vincamus.

Cum de odio Dei tentatur.

Sed tunc maximè Dei amorem in nobis excitare tenemur, cùm de odio Dei tentamur, quod incomparabile scelus est, & peccatum in Spiritum Sanctum. In hoc prolabitur homo peccator, cùm considerans Deo displicere peccata, quæ ipse amat, cuperet Deum non esse, aut peccata non punire, sicque iniquum esse. De quo hominum impiorum genere *S. Augustinus* ait, Tractatu xc. in Joannem: *O miseros homines! qui cùm esse volunt mali, nolunt esse Veritatem quâ damnantur mali. Nolunt enim eam esse quod est, cùm se ipsos debeant nolle esse quod sunt, ut ipsa manente mutentur, ne ipsâ judicante damnentur.*

Ejusdem criminis rei sunt, qui tantâ nauseâ afficiuntur in spiritu, ut de ipso Deo tristitiam concipiant, ipsúmque summum bonum apprehendant ut sibi malum, aut iis in peccato suo sunt affecti, ut illorum qui gloriam Dei dilatare student & conantur, piam voluntatem ne labores frustrari gaudeant. Adversùs hujusmodi tentationes, si quando insurgant, munire se debet homo frequentibus ac ferventibus divini amoris actibus.

Quoties aliquibus actibus religionis Deum peculiariter colere tenetur.

Quintò, Divini amoris actum exercere tenemur, quoties Deum peculiariter colere obligamur, aut volumus aliquibus actibus Religionis, adoratione scilicet; Sacrificio, auditione Sacri, oratione, voto, si tunc affectu lethalis peccati devincti simus. Tenemur, inquam, divini amoris saltem inchoatione quadam ex affectu peccati emergere, illúmque deponere; quod fieri non potest, nisi justitiam, quæ Deus est, diligere incipiamus. Aliter, lingua & actio aliud exprimunt quam quod in corde versatur, veréque Deus dicere potest: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* (*Marc. 7.*) Ipsísque convenit illud Psalm. LXXVII. *Dilexerunt eum in ore suo, & linguâ suâ mentiti sunt ei: Cor autem eorum non erat rectum cum eo.* Nec sunt *Veri Adoratores, qui adorant in spiritu & veritate.* (*Joann. 4.*) Ad adorationem enim in spiritu & veritate duo requiruntur; primùm ut in mente adorantis nec falsus Deus, quemadmodum in animo Gentilium, nec de vero Deo, quemadmodum in cogitatione Samaritanorum, falsa sit opinio. Secundò, ut quicquid ceremoniis & verbis exprimitur, internis animi motibus verè respondeat. Qui porrò manet in affectu peccati, Deum in veritate non adorat, dum sine desiderio adoptionis filiorum Dei, Deum tamen tanquam Patrem suum audet appellare, dum ait, *Sanctificetur nomen tuum*, nullo incensus odio peccati, quo Dei nomen inhonoratur, nec ullo ardens zelo quo cultus ejus promovetur: dum frigidus ab æternæ vitæ desiderio, & præsentis vitæ rerúmque temporalium fervens amore dicit, *Adveniat Regnum tuum*: dum voluntati divinæ rebellis & contumax, ejúsque mandata contemnens, ait: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra*, tametsi in corde dicat Deo, *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus...* (*Job. 21.*) dum verbum Dei fastidiens, & Christi Corpus vix semel in anno sumere satagens, atque à Christi Spiritu alienus, ait: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: dum odio & vindictæ desiderio in proximum exæstuans ait: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: dum tentationi cedens, peccandique occasiones amans, *labiis dolosis, in corde & corde* dicit: *Et ne nos inducas in tentationem.* Hoccine est adorare Deum in spiritu & veritate? Sincerus Dei cultus absque illius amore non consistit, ut sæpe repetit S. Augustinus. *Quis cultus ejus nisi amor ejus?* (inquit ille Libro XII. *De Trinitate*, cap. IV.) Sine caritate scilicet alia nihil prosunt, & si necessitas impediat ne alia adhibeantur, sola sufficit. *Adde caritatem, prosunt omnia: detrahe caritatem, nihil prosunt cætera*, (inquit idem S. Doctor Sermone CXXXVIII. aliàs L. *De Verbis Domini.*)

Quoties Deum graviter offendi videt.

Sextò divini amoris actum elicere tenemur, cùm Deum blasphemiis impeti, sacrilegiis inhonorari, contemni, aut gravi quopiam scelere offendi videmus: sicut affectus erat David, zelo Dei incensus, quòd inimici sui divinæ legis obliti essent. *Tabescere* (inquit) *me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* (*Psalm. 118.*) Ad hoc enim flagrabat eos adducere, quod ipse flagrantissimè diligebat; (inquit *S. Augustinus* in Sermone XXIX. in illum Psalmum.) Zelum qui habent, omnes sibi inimicos putant, qui sunt hostes Dei, quamvis patrem, fratres, sorores.

Num. 25. 3. Reg. 19. Isa. 37. 1. Machab. 2. Joann. 2.

Nemo enim gravior hostis omnium, quàm qui omnium ladit auctorem. Insignia divini hujus ardoris ac zeli exempla Scriptura sacra proponit in Phinee, Elia, Ezechia, Prophetis omnibus, Matathia, Christo ipso Salvatore, de quo scriptum est: *Zelus domûs tua comedit me.*

Divini amoris actum exercere tenemur in mortis periculo.

Septimò divini amoris actum exercere tenetur homo in mortis periculo constitutus. Tunc scilicet totis viribus eniti debet ut ad Deum per pœnitentiam convertatur. Nemo enim etsi nullius sceleris sibi conscius sit, committere debet ut sine Pœnitentia migret è vitâ, (inquiebat *S. Augustinus.*) *Pœnitentiam autem certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei.* Tunc adversùs graviores tentationes majorem in se caritatem excitare tenetur moribundus. Tunc ad Deum ferventiùs tendere, quo modo corpora centro suo propiora majori propensione ac impetu in illud feruntur: tunc dolere quòd tam serò Deum amaverit, cum *S. Augustino* dicens: *Serò te amavi, Pulchritudo tam magna, tam antiqua, serò te amavi:* tum ad æternam beatitudinem promerendam studium omne, omnésque conatus adhibere, quod nisi *caritate* fieri non potest, *de corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ:* tunc denique seipsum ac vitam suam Deo in sacrificium offerre, ut Christianè piéque moriatur. *Sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.*

Rom. 14.

Et toto vitæ tempore quàm frequentissimè possumus divini amoris actus exercere debemus.

Denique toto mortalis hujus vitæ tempore, divini amoris actus exercere debemus, quam frequentissimos possumus: quod Deus ipse clarissimè expressit, nobisque injunxit, dum post hæc verba, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*; ita prosequitur: *Erúntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo; & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, & dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, erúntque & movebuntur inter oculos tuos, scribésque ea in limine atque ostiis domus tuæ.* Non cessatio sedentis ab hoc amore debet cessare; non quies dormientis ab hoc amore quiescere; non vigiliæ consurgentis, neglecto hoc amore, aliis intendere; non labor itinerantis ab hoc amore discedere. Sive domi, sive foris, quocunque loco, quocunque tempore, quocunque in opere, homo Dei amator esse debet. Nec verò de habitu inerti & otioso dilectionis loquitur Deus, sed de caritate in frequentes actus prorumpente.

Deuter. 6.

Amor Dei vacare non potest.

Dilectio vacare non potest. Da mihi vacantem amorem, & nihil operantem; (inquit *S. Augustinus*, Præfatione in Psalmum xxxi.) *Habet omnis amor vim suam,* (inquit idem S. Doctor in Psalm. cxxi.) *nec potest vacare amor in anima amantis: necesse est ut ducat. Sed vis nosse qualis amor sit? Vide quò ducat. Non enim monemus ut nil ametis, sed ne Mundum ametis, ut Eum qui fecit Mundum liberè ametis. Obligata enim anima amore terreno, quasi viscum habet in pennis, volare non potest. Mundata verò ab affectibus sordidissimis sæculi, tanquam extensis pennis, & duabus alis resolutis ab omni impedimento, id est, duobus præceptis dilectionis Dei & proximi, volat. Quò, nisi ad Deum ascendens volando, quia ascendit amando? Quod antequam possit, gemit in terrâ, si jam inest ei volandi desiderium;* & dicis: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?*

Psalm. 54. 7.

Amoris Dei, & amoris proprii characteres.

Describens idem S. Doctor amorem sui & amorem Dei, utrique proprias actiones assignat, Libro xiv. *De Civitate Dei*, Cap. xxviii. illi

A ædificare Babylonem, huic celestem Jerusalem; illi gloriari in seipso, huic gloriari in Domino; illi se ipsum, huic Deum suum exaltare; illi coæqualibus dominari, huic liberis affectibus proximo servire. *Fecerunt*, inquit, *Civitates duas, amores duo; terrenam scilicet, amor sui usque ad contemptum Dei; cælestem verò amor Dei usque ad contemptum sui. Denique illa in seipsa, hæc in Domino gloriatur; illa enim quærit ab hominibus gloriam; huic autem Deus conscientiæ testis maxima est gloria: illa in gloriâ suâ exaltat caput suum; hæc dicit Deo suo*, Gloria mea & exaltans caput meum. Psalm. 3. 4. *Illa in Principibus ejus, vel in eis quas subjugat Na-* B *tionibus dominandi libidine dominatur: in hac serviunt invicem in caritate, & Præpositi consulendo, & subditi obtemperando: illa in suis Potentibus diligit virtutem suam; hæc dicit Deo suo*, DILIGAM *te* Psalm. 17. 2. *Domine, virtus mea.* Cùm igitur toto vitæ hujus mortalis tempore præcipitur caritas, non illa motu & actione carens præcipitur, sed quæ in actus amoris quàm fieri potest frequentissimos prorumpat.

Totis viribus eniti debemus, ut in justitia Christiana crescamus.

Operam certè dare tenemur, & totis viribus eniti ut in Justitia Christiana crescamus. Siquidem *Justorum semita, quasi lux splendens, procedit & crescit usque ad perfectam diem*; (ut dicitur Psalm. 83. C Proverb. iv.) Et *Ibunt de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion.* Unde Apostolus ad Ephesios iv. ait: *Veritatem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* Et Apostolorum Princeps Epistola ii. Cap. iii. *Crescite in gratia, & in cognitione Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi.* Spirituale autem illud incrementum fit per actus frequentissimos caritatis: justitia enim Christiana nihil aliud est quàm caritas, secundùm *S. Augustinum*, Libro *De Natura & Gratia*, Cap. ultimo *Caritas incheata*, inquit, *inchoata justitia est; caritas pro-* D *vecta, provecta justitia est; caritas magna, magna justitia est; caritas perfecta, perfecta justitia est: sed caritas de corde puro, & conscientia, & fide non ficta; quæ tunc maxima est in hac vita, quando pro illa ipsa contemnitur vita: sed miror si non habet quò crescat, cùm de mortali excesserit vita.*

Et Libro *De Perfectione Justitiæ hominis*, Cap. iii. *Tunc ergo erit plena justitia, quando plena sanitas: tunc plena sanitas, quando plena caritas; Plenitudo enim legis caritas: tunc autem plena cari-* Rom. 13. *tas, quando videbimus eum sicuti est. Neque enim erit quod addatur ad dilectionem, cùm fides perve-* E *nerit ad visionem.*

Quòd autem homo in justitia semel acceptâ crescere semper debeat: docet etiam Sacra Synodus Tridentina, Cap. x. *Si ergo*, (inquit) *justificati, & amici Dei facti, euntes de virtute in virtutem, renovantur (ut Apostolus ait) de die in* Psalm. 83. 2. Cor. 4. Coloss. 3. Rom. 6. *diem: hoc est, mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem, per observationem Mandatorum Dei & Ecclesiæ, in ipsa Justitia per Christi gratiam acceptâ, cooperante fide bonis operibus, crescunt, atque magis justificantur, sicut scriptum est:* Qui justus est, justificetur « Apoc. ult. F adhuc. *Et iterum:* Ne verearis usque ad mortem « Eccl. 18. justificari. *Et rursus:* Videtis quoniam ex operi- « Jacobi 2. bus justificatus homo, & non ex fide tantùm. « *Hoc verò justitiæ incrementum petit Sancta Ecclesia, cùm orat:* DA NOBIS *Domine, fidei, spei, & caritatis augmentum.* Porrò *Quantò magis regnum cupiditatis destruitur, tantò caritatis augetur*, (inquit *S. Augustinus.*) Lib. 3. De Doctrina Christiana, Cap. 2.

Propositiones damnatæ.

Ex his omnibus compertum est inter alia corruptæ Moralis malesana dogmata meritò confixas fuisse ab *Innocentio XI.* Pontifice Maximo

sequentes Propositiones anno MDCLXXIX.

5. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.*

6. *Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis, per se obligare præceptum caritatis erga Deum.*

7. *Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari; & non habemus aliam viam quâ justificari possumus.*

Item à Sacra Facultate Parisiensi meritò fuisse damnatam illam Propositionem anno MDCLXV. *Præceptum amoris Dei per se tantùm obligat in articulo mortis.*

Generalis denique Cleri Gallicani Conventus anno MDCC. sic de illis Propositionibus judicavit: *Hæ Propositiones sunt scandalosæ, perniciosæ, piarum aurium offensivæ, erroneæ, impiæ, primum & summum mandatum irritum faciunt, atque Evangelicæ Legis spiritum extinguunt.*

REGULA V.

Deum non amat, sed primum maximúmque Mandatum violat, qui aliâ re frui vult præter Deum.

HAnc Regulam præclarè *S. Augustinus* explicat Libro I. *De Doctrina Christiana*, » triplicem rerum ordinem distinguens. Res aliæ » sunt quibus fruendum est, aliæ quibus utendum aliæ quæ fruuntur & utuntur. Illæ qui» bus fruendum est, beatos nos faciunt. Istis qui» bus utendum est, tendentes ad beatitudinem » adjuvamur, ut ad illas, quæ nos beatos fa» ciunt, pervenire, atque his inhærere possimus. » Nos verò qui fruimur & utimur, inter utrás» que constituti, si eis quibus utendum est frui » voluerimus, impeditur cursus noster, & ali» quando etiam deflectitur, ut ab his rebus qui» bus fruendum est obtinendis vel retardemur, » vel etiam revocemur, inferiorum amore præ» pediti. *Frui enim est amore alicui rei inhærere prop» ter se ipsam. Uti autem, quod in usum venerit » ad id quod amas obtinendum referre*; si tamen a» mandum est...... Nam usus illicitus, abusus » potiùs vel abusio nominandus est. Quomodo » ergo si essemus peregrini, qui beatè vivere nisi » in patria non possemus, eáque peregrinatione » utique miseri & miseriam finire cupientes, in » patriam redire vellemus, opus esset vel terre» stribus vel marinis vehiculis, quibus utendum » esset, ut ad patriam, quâ fruendum erat, per» venire valeremus: quod si amœnitates itineris, » & ipsa gestatio vehiculorum nos delectaret, & » conversi ad fruendum his quibus uti debuimus, » nollemus citò viam finire, & perversâ suavita» te implicati alienaremur à patria, cujus suavitas » faceret beatos: sic in hujus mortalitatis vita pe» regrinantes à Domino, si redire in patriam volu» mus, ubi beati esse possimus, *Utendum est hoc » Mundo, non fruendum*, ut invisibilia Dei per ea » quæ facta sunt intellecta conspiciantur, hoc est, » ut de corporalibus temporalibúsque rebus æter» na & spiritualia capiamus.

Quid est frui?

Solo Deo fruendum.

Itaque soli Deo fruendum est, quia ei soli amore inhærere debemus propter ipsum: cetera verò omnia ad ejus amorem referre tenemur. *Res quibus fruendum est*, (inquit S. Augustinus) *Pater, & Filius, & Spiritus-Sanctus, eademque Trinitas, una quædam summa res, communisque omnibus fruentibus eâ.* Nemine autem homine, quamvis amicissimo frui debemus, quia nemo homo propter se diligendus est. *Quod enim propter se diligendum est, in eo constituitur vita beata*; cujus » etiam si nondum res, tamen spes ejus nos hoc » tempore consolatur. *Maledictus* autem *qui spem* » *suam ponit in homine.* Sed nec se ipso quisquam » frui debet, quia nec seipsum debet propter seip» sum diligere, sed propter illum quo fruendum » est. Rebus denique creatis debemus uti, *Non » quasi mansoria quadam dilectione atque delectatione, sed transitoria potiùs, tanquam via, tanquam vehiculorum, vel aliorum quorumlibet instrumentorum, aut si quid congruentiùs dici potest; ut ea quibus ferimur, propter illud ad quod ferimur diligamus.*

Jerem. 17.

Multò minùs ergo bona quævis temporalia propter seipsa diligere debemus; sed ea possidere, vel in eis delectari debemus utentis modestiâ, non fruentis affectu, secundùm illud Apostoli: *Qui utuntur hoc Mundo, tanquam non utantur.* Illa diligere non debemus, quatenus etiam nobis à Deo donantur, nisi ut arrham sponsi, ut munera amici, ut beneficia domini. Sponsa porrò magis sponsum amat, quam arrhas, si casta sit & sapiens: amicus magis amat amicum quàm ejus munera, si verus sit ac sincerus amicus: servus fidelis magis amat dominum, quàm ejus beneficia. Temporalia quævis bona retinacula sunt spei nostræ, impedimenta itineris cursúsque nostri, quo ad Deum tendere continuò debemus. *Amor rerum terrenarum, viscum est spiritualium pennarum*, (inquit *S. Augustinus*, Sermone CXII. aliàs XXXIII. *De Verbis Domini.*)

1. Cor. 7.

REGULA VI.

Error est, & illusio pessima Dæmonis, persuasum habere quòd Amor Dei purissimus, & Vita, quam Theologi Mystici Unitivam vocant, proprius, curare non debeat observantiam Mandatorum Dei & Ecclesiæ, Sacramentorum frequentationem, usum Imaginum & Indulgentiarum, pugnam contra tentationes, Orationem seu vocalem, seu mentalem, Jejunia, cæteráque carnis mortificationes, & quòd à cæterarum virtutum operibus cessare debeat, qui Deum amat.

ERrorem dicens, parum dixi; Hæresis est periculosissima novissimorum temporum, quam sub spiritualis vitæ larvâ *Molinos Sectæ Quietistarum* Auctor disseminavit in Italia, aliique nonnulli à dæmone impulsi homines, *Voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*, docere ausi sunt, decipientes mulierculas onustas peccatis, quæ cùm spiritu incœpissent, carne tandem sunt consummatæ. Hanc Hæresim damnavit *Innocentius XI*, Pontifex Maximus, Ecclesia execratur universa. Et meritò quidem. Amor enim Dei verus & sincerus non est in eo, qui Dei mandata non servat. *Si quis diligit me*, (inquit Christus) *sermonem meum servabit.* Et S. Joannes Epistola I. Cap. II. scribit: *Qui dicit se nosse Eum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est. Qui autem servat verbum ejus, verè in hoc caritas Dei perfecta est: & in hoc scimus quoniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Et Cap. III. *Qui servat mandata ejus, in illo manet, & ipse in eo: & in hoc scimus quoniam manet in nobis de Spiritu quem dedit nobis.* Et Cap. V. *Hæc est caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt.* PROBATIO ergo dilectionis, (inquit *S. Gregorius*

Quietistarum Hæresis.

2. Tim. 3.

Amor purus Dei non est in eo, qui Dei & Ecclesiæ mandata non servat.

DE DECALOGO.

De Dilectione Dei.

gorius Homilia xxx. in Evangelia.) *exhibitio est operis.... Verè etenim Deum diligimus, & mandata ejus custodimus, si nos à nostris voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita desideria defluit, profectò Deum non amat; quia ei in sua voluntate contradicit.*

Sacramentorum pia frequentatio, puri amoris Dei in corde dominantis documentum est.

Ad hæc, Sacramentorum frequentatio, documentum est amoris divini in corde nostro dominantis, si tamen illa cum debitis dispositionibus suscipiamus, & ex eorum frequentatione meliores evadamus. Deum verò non diligit, qui à Christo instituta humanæ infirmitatis remedia, & nostræ sanctificationis instrumenta negligit. Si quis enim sibi blanditur quòd Deum amet, & quod amoris unitivi gradum attigerit, sibique amare sufficiat, is certè sibi illudit. *Si enim dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate*; (inquit *S. Joannes* Epistola 1. Cap. 1.) Omnis verò peccator Pœnitentiam agere debet, & ad Ecclesiæ Sacramenta confugere. Etsi enim cor nostrum nos non reprehendat, delicta tamen, quis intelligit? Quot ignorantiæ peccata? Quot delicta occulta? Prætereà, qui Deum diligit, illique intimè adhæret, is vult in Christo manere, & manentem in se habere: is vult in Deo, & de Deo vivere: is Christo concorporalis esse cupit & in eum feliciter mutari: quod Eucharistiæ frequentatione consequimur. Unde Sanctorum neminem Sacramenta non frequentasse videmus, cùm ipsis liquit,

Joann. 6.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, (inquit Salvator noster) *in me manet, & ego in illo.* Per amorem quidem in Deo manemus, & Deus in nobis: sed amorem accendit ac fovet Eucharistiæ Sacramentum, quo Verbum caro factum non spiritualiter solùm, sed corporaliter nos reficit, & habitat in nobis; illóque igne divinæ caritatis corda nostra inflammat, quem venit mittere in terras, & quem vult in animis nostris ardere.

Usus Imaginum & Indulgentiarum pio Dei amori non adversatur, immò illius adjumentum & incentivum est.

Usus Imaginum, & Indulgentiarum, pietatis adjumentum & incentivum est; indiciúmque amoris quo Christum, Deiparam Virginem, & Sanctos diligimus. Illos patrem, matrem, fratrem, vel amicum sincerè diligere nemo dixerit, qui illorum imaginem rejecerit, ac spreverit. Christi Crucifixi, Deiparæ Virginis, vel Sanctorum Imagines domi habere, salutare, & coram ipsis Deum orare, Ecclesia in Conciliis congregata, & à Spiritu Sancto edocta, Christianæ pietatis tesseram esse censet.

Pugna adversùs tentationes, vigilantia, & solicitudo Christiana, puri amoris Dei characteres sunt & effectus.

Pugnam adversùs tentationes, sollicitudinem ac vigilantiam, ne seducamur à sensibus carnis nostræ, ne à concupiscentiis nostris *abstracti & illecti* in peccatum cadamus, ne à Mundo, qui *Totus in maligno positus est*, fallente, blandiente, vel terrente superemur: sed potiùs ut *Cum omnibus erroribus, amoribus, & terroribus suis* vincat eum fides nostra, Christus amoris Magister, ejúsdémque divini amoris præcones Apostoli, præcipiunt & commendant. *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* (inquit Christus, Matt. xxvi.) Et Marci xiii. *Videte, vigilate, & orate..... Quod autem vobis dico, omnibus dico, Vigilate.* Condelectabatur Apostolus legi Dei *secundùm interiorem hominem.* Carnis autem velut hostis domestici tentatione trahebatur ex adverso.

Rom. 7. 22.

Quid ille? An, solicitus non erat de tentationis tam periculosæ exitu, de suo in Deum amore securus? Immò gratiam supplex invocabat, coram Deo gemebat, viribúsque suis diffidens, ejus auxilium humiliter implorabat. *Rom.* vii. Cap. *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Quam gratiam ut à Deo obtineamus, necesse est ut concupiscentiis carnis resistamus. (Cap. viii.) *Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Et Cap. xiii. cùm plenitudinem legis dilectionem esse docuisset, subdit: *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis; sicut in die honestè ambulemus; non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: sed induimini Dominum Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.* Idem Apostolus, quamvis nihil sibi conscius esset, quamvis omnia propter Evangelium faceret, solicitus tamen erat de salute suâ, pugnabat contra concupiscentiam, corpúsque suum castigatione quotidianâ continebat in officio. Atque sic faciendum omnibus ad bravium salutis æternæ currentibus, & fidem quæ per dilectionem operatur habentibus, docebat. (1. Cor. ix.) *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo: ne forté cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Caritatem absque Christiana vigilantiâ, & bonis operibus non esse, docet idem Cap. xvi. *Vigilate*, inquit, *state in fide, viriliter agite, & confortamini. Omnia vestra in caritate fiant.* Acceptam à Deo gratiam negligendam non esse; ipsique laboribus, vigiliis, jejuniis, aliísque bonis operibus à caritate imperatis, & continuâ pugnâ contra tentationes, fideliter esse cooperandum, docet ii. ad Corinthios vi. *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.... In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros... In laboribus, in vigiliis, in jejuniis.... in castitate.... in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non fictâ, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ à dextris & à sinistris.* Stimulus carnis, Angelus Satanæ S. Paulo infestus erat, id permittente Deo, ne magnitudo revelationum ipsum extolleret. Quid ille? An sufficere sibi Dei amorem existimabat, nec de tentatione expugnanda debere esse solicitum? immò humili, fervente, & perseverante oratione divinæ gratiæ auxilium invocabat. (Cap. xii.) *Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet à me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea.* Ad Ephesios vi. Fideles armis spiritualibus instruit, ut adversùs diabolum pugnent, ejúsque tentationibus pro virili resistant. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias Diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem; sed adversùs Principes & Potestates, adversùs Mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cælestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam justitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela Nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite; & gladium spiritus (quod est verbum Dei) per omnem orationem & obsecrationem, orantes om-*

De Dilectione Dei.

ni tempore in spiritu : & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione. Ad Philippenses Cap. II. quos ad caritatem informavit, eosdem hortatur ut *cum metu & tremore* salutem suam operentur. Colossenses ad Christianæ vitæ normam informans Cap. III. Epistolæ ad illos scriptæ, hortatur imprimis, ut *Mortificent membra sua quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis*, ut *Exspolient se veterem hominem cum actibus suis*, & *induant novum*; ut induant *Viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam : supportantes invicem & donantes sibimetipsis, si quis adversùs aliquem habet querelam.* Tum subdit : *Super omnia autem hæc, caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Et Cap. IV. *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione.* Thessalonicenses hortatur Epist. I. Cap. V. ut vigilent diem Domini continuò expectantes, ut induant arma Christianæ militiæ, & semper orent. *Sine intermissione*, inquit, *orate.* Petrus fideles caritatem continuam habere debere docet; verumtamen hortatur ut vigilent & orent, ut humilitatem exerceant, ut diabolo resistant. Epistola I. Cap. IV. *Estote itaque prudentes, & vigilate in orationibus. Ante omnia autem, mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes.* Cap. V. *Omnes autem invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.... Sobrii estote, & vigilate : quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide.* Monet *Tanquam advenas, & peregrinos, abstinere à carnalibus desideriis, quæ militant adversùs animam.* (Cap. II.)

Puro Dei amore non flagrat, qui crucem & mortificationem Christi non amat.

Matth. 16. Luc. 9. Matth. 7. Luc. 13. Galat. 5. 1. Joann. 2. Luc. 24. Rom. 8. 2. Cor. 4. Galat. 2. Gal. 6. Philipp. 3. Rom. 12. Rom. 6. Luc. 3. Matth. 11.

Deum non amat, qui Crucem & mortificationem Christi non amat. Qui enim Christi verè discipulus est, *Abnegat semetipsum, tollit crucem suam*, & illum *sequitur*. Intrat per *angustam portam, & arctam viam, quæ ducit ad vitam* : *carnem suam crucifixit cum vitiis & concupiscentiis* : Christi vestigiis insistit, & sicut ille ambulavit, ita ambulat, per Crucem, mortificationem, & austeriorum virtutum opera : *Quoniam sic oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam* : Et *si compatimur, & conglorificabimur* : *semper mortificationem Jesu in corpore suo circumfert* : *Christo confixus est cruci.* Non gloriatur *nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem Mundus illi crucifixus est, & ille Mundo* : Veniens *in societatem passionum illius, configuratus morti ejus* : Exhibens corpus suum *Hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* : Exhibens *Membra sua servire justitiæ in sanctificationem* : Continuam pœnitentiam agens, quia quotidie in multis offendit : in idque incumbens ut faciat *Dignos fructus pœnitentiæ* : Certus quod *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et quòd Christianus in hoc vocatus est ut Christi Passionibus communicet, quemadmodum loquitur Sanctus Petrus Epistola I. Cap. II. *In hoc enim vocati estis : quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*

Inane est & vacuum puri amoris nomen, quo gloriatur is qui à virtutum reliquarum exercitatione, bonisque operibus cessat.

Denique inane est & vacuum amoris nomen, quo gloriatur is qui a virtutum reliquarum exercitatione bonisque operibus cessat, ut uni, de quo sibi superbè blanditur, amori vacet. Ait enim Christus Matth. VII. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum : sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in Regnum cælorum. Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit : fundata enim erat super petram. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam : & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* Hinc Apostolus *Ephes.* V. postquam fideles hortatus est ut *Ambulent in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis*, eos ambulare jubet ut filios lucis. *Fructus enim lucis est in omni bonitate, & justitia, & veritate : probantes quid sit beneplacitum Deo ; & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.* Sanctus Petrus Epistolæ II. Cap. I. satagere nos jubet ut per bona opera certam nostram vocationem faciamus : *Vos autem*, inquit, *curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem. Hæc enim si vobiscum adsint, & superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Religionem veram non in solo amoris actu, sed in bonis etiam operibus positam esse docet *Sanctus Jacobus* in Epistolâ suâ Catholica, Cap. I. *Religio munda & immaculata* (inquit) *apud Deum & Patrem, hæc est : visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Et Cap. II. *Quid proderit, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* Fidem suam mortuam non esse, Quietistæ respondent, quia Deum amant : sed illusio ista est, siquidem verus amor Dei per bona opera se prodit; nec viva fides est, quæ amare se dicit; sed *Quæ per caritatem operatur*, (ut ait Apostolus ad *Galatas* V.)

Quietistarum illusio.

Neque his favet, quòd *Plenitudo legis dilectio* ab Apostolo dicta sit. Non enim eo sensu dicitur plenitudo Legis, quòd inerti, segni, & otioso amore lex impleatur, nec ulla bona opera, ullósve reliquarum virtutum actus exercere necesse sit : sed quòd ex ipsius imperio bona opera fiant, eáque ceterarum virtutum actus in finem ultimum dirigat, qui alias Deo grati non essent. Sanè concipi non potest quòd Deus ex toto corde, ex totâ animâ, ex totis viribus diligatur, & tamen nihil agere, nihil pati velit propter Deum qui sic diligit, non ipsi obsequi, non ejus gloriam amplificare; non exquirere quid ipsi gratum sit & acceptum, illúdque operari quantùm potest; non ejus Ecclesiam diligere, ejúsque utilitates promovere; non ejus amicos propter ipsum amare, ac satagere ut omnes ejus amici fiant; ipsique pateant : non dolere cùm aliqua ipsi injuria irrogatur, non adversùs ejus hostes ardenti zelo commoveri : non ipsi satisfacere cùm læsus est ejus amor : non suspirare & gemere quandiu in hoc exilio peregrinatur à Domino, donec ipsum videat sicuti est, eóque fruatur. Amicúsne censeretur hominis alter

homo, si nullam quæreret occasionem ipsi placendi ipsique gratificandi ac serviendi, nec ultro oblatam amplecteretur, quamvis inani verborum sono suum in illum amorem significaret, identidem repetens, Diligo, diligo? *Amor operatur magna, si est: si autem non operatur, amor non est.*

ARTICULUS XI.

Regula de Dilectione proximi.

REGULA I.

Proximum diligere tenemur, sicut nos ipsos, & amore quidem affectivo & interiori: adeo ut per solos actus externos huic præcepto minimè satisfiat.

De dilectione proximi.

HOc alterum caritatis Mandatum est. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa Lex pendet & Prophetæ.* (Matth. XXII.) Idem Christi Mandatum refertur *Marc.* XII. ubi & Scriba qui ipsum interrogaverat, sapienter respondet: *Diligere proximum tanquam se ipsum, majus est omnibus holocautomatibus & sacrificiis.* Refertur & *Luca* X. ubi Legisperito duplex illud præceptum rectè recensenti, responder Christus: *Hoc fac, & vives.* Mandatum dilectionis proximi, Apostoli prædicaverunt, litterisque suis commendaverunt. *Rom.* XIII. cap. *Qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis, &c. & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur; Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Ad *Galat.* cap. V. *Omnis enim lex in uno sermone impletur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* S. Jacobus Epistolæ Catholicæ, cap. II. *Si tamen legem perficitis regalem secundùm Scripturas: Diliges proximum tuum sicut te ipsum: benefacitis.* S. denique *Joannes* Epistolæ I. cap. IV. *Carissimi, si sic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & caritas ejus in nobis perfecta est. In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Si quis dixerit: Quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc Mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Dilectio est actus voluntatis, motus, affectus, pondúsque cordis; actum igitur interiorem præcipit Deus, cùm jubet ut proximum diligamus. Præterea, proximum diligere debemus, sicut Deus dilexit nos: Deus autem interno actu nos dilexit & diligit, *In caritate perpetua*, ante constitutionem Mundi, ab æterno. Proximum diligimus eâ caritate quâ diligimus Deum. Portò interni amoris affectu Deum diligere debemus, ut superiùs probatum est; Igitur & proximum interno sinceri amoris affectu diligere tenemur. Diligere debemus proximum eâ caritate quâ in Deo manemus, & Deus in nobis; & quæ fraternum odium excludat. Sed actus externi quibus proximo subvenitur, ab aliâ radice prodire possunt, & fraternum odium non excludunt: siquidem à superbia & hypocrisi possunt imperari, aut certè ab humanitate quadam, generositate, & dilectione naturali, quâ ipsi etiam Judæi, Mahometani, & Gentiles se mutuò diligunt. Unde Apostolus I. Cor. XIII. ait: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Solis igitur actibus externis Mandatum de proximi dilectione non impletur.

De dilectione proximi.

Hinc *S. Augustinus*, Tractatu VIII. in Epistolam I. *S. Joannis*, ait: *Pascit misericordia, pascit & superbia. Hospitem suscipit misericordia, hospitem suscipit & superbia. Intercedit pro paupere misericordia, intercedit & superbia. Quid est hoc? In operibus non discernimus. Audeo aliquid dicere, sed non ego. Paulus dixit, Moritur caritas, id est, homo habens caritatem, confitetur nomen Christi, ducit Martyrium: confitetur & superbia, ducit Martyrium. Ille habet caritatem, ille non habet caritatem. Sed audiat ab Apostolo ille qui non habet caritatem:* Si distribuero omnia mea in cibos pauperibus, & si tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. *Ergo Scriptura Divina intro nos revocat à jactatione hujus faciei forinsecùs, & ab ista superficie quæ jactatur ante homines revocat nos intro. Redi ad conscientiam tuam, ipsam interroga. Noli attendere quod floret foris: sed quæ radix est interna. Radicata est cupiditas: species potest esse bonorum factorum, verè opera bona esse non possunt. Radicata est caritas, securus esto; nihil mali procedere potest.* (1. Cor. 13. 3.)

Meritò igitur *Innocentius XI.* Pontifex Maximus inter alias LXV. Moralis corruptæ Propositiones anno MDCLXXVII. istas damnavit.

Propositiones damnatæ.

10. *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.*

11. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

REGULA II.

Præceptum de dilectione proximi non implet, nisi qui proximum ad Deum adducere conatur, ipsique æterna bona procurare nititur, & quæcunque auxilia ei præbere potest ut faciliùs ad Deum perveniat.

Christi erga nos amor, noster erga proximum amoris exemplar.

HÆc Regula nititur Christi verbis, Joannis XIII. *Mandatum (inquit) novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos: ut & vos diligatis invicem.* Nos autem dilexit Christus non ad mundi delicias, non ad opes caducas, non ad sæculares dignitates; sed ut justi essemus, ut cum ipso regnaremus, ut Deus viveret, ac regnaret in nobis; dilexit nos non amore inerti, sed amore actuoso, qui ipsum perpetuò incitabat, ut orando, prædicando, miracula perpetrando, patiendo & resurgendo nostram operaretur salutem: Proximum igitur diligere debemus imitatione Christi, amore qui nos reddat sollicitos ut Deo vivat, Deo perfruatur, ut in via salutis nulla ei impedimenta ponamus; ut quæcunque beneficia & auxilia possumus, ei benignè præbeamus, quò faciliùs ad Deum pervenire valeat. Tali amore discernuntur discipuli Christi à Discipulis Philosophorum & Sapientum hujus Mundi, qui se invicem diligentes, non alia sibi invicem bona procurant quàm temporalia, visibilia, caduca, & peritura.

Fraternæ hujus dilectionis caracteres descri-

Praecepta dilectionis ex caritate.

bit Apostolus I. ad Corinthios XIII. *Caritas* (inquit) *patiens est, benigna est; Caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate: Congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Hæc nimirum ut proximi salutem procuret, in ferendis ejus defectibus *Patiens est*: ut illum Christo lucretur, *benigna est*. Ejus æternam salutem sincerè desiderans, ejus prosperitati non invidet, *non æmulatur*. Ne in via salutis illi impedimentum ponat, *non agit perperam*. Ne illum contemnat, ob proprias dotes, bonáque, seu animæ, seu corporis, seu fortunæ, *non inflatur*: *Non est ambitiosa* ut ei dominetur; verùm ut ei piè serviat, *non quærit quæ sua sunt*. Injuriis lacessita *non irritatur*, ut vindictam exposcat: & si quas pœnas malefacienti proximo infligat, *non ejus cogitat malum*, sed emendationem dumtaxat quærit. Proximi peccata ut sua lugens, *non gaudet super ejus iniquitate*, sed ejus virtutibus favet, quia *congaudet veritati*. Tandem *Omnia suffert*, præ expectatione felicitatis æternæ; *Omnia credit*, præ revelatione Dei revelantis: *Omnia sperat*, præ fiducia in fidelitate & potentia pollicentis; *Omnia sustinet*, præ desiderio liberationis æternæ. Hi caracteres Caritatis, quæ *numquam excidit*, & quæ Fide & Spe major est: *Major autem horum est Caritas*.

Quam explicamus Regulam pluribus in locis confirmat *S. Augustinus*, scilicet Libro *De Moribus Ecclesiæ Catholicæ*, cap. XXVI. Fieri non potest (inquit) ut seipsum, qui Deum diligit, non diligat: immò verò *Solus se novit diligere, qui Deum diligit. Si quidem ille se satis diligit, qui sedulò agit, ut summo & vero perfruatur bono: quod si nihil est aliud quàm Deus, quis cunctari potest quin sese amet, qui amator est Dei?* Tum subdit: *Nullus certior gradus ad amorem Dei, quàm hominis erga hominem caritas......* DILIGES PROXIMUM TUUM TANQUAM TE IPSUM. *Te autem ipsum salubriter diligis, si plus quàm te diligis Deum. Quod ergo agis tecum, id agendum cum proximo est, hoc est, ut ipse etiam perfecto amore diligat Deum. Non enim eum diligis tanquam te ipsum, si non ad id bonum ad quod ipse tendis, adducere satagis. Illud est enim unum bonum, quod omnibus tecum tendentibus non fit angustum.* Ex hoc præcepto nascuntur officia societatis humanæ in eo posita: Primò; ut benevolissimos, id est, nullâ malitiâ, nullo dolo malo adversùs hominem utamur: quod Apostolus his verbis exprimit: *Dilectio proximi malum non operatur.* Duobus namque modis in hominem peccatur, *Uno si lædatur, alio si cùm potest non adjuvetur; quorum neutrum qui diligit facit.* Secundò, ut proximo benefaciamus, sive secundùm corpus, sive secundùm animam. Ad corpus quod pertinet, *Medicina* nominata est: ad animam autem, *Disciplina*. Medicinæ nomine inpræsentiarum significatur, quicquid corporis tuetur vel instaurat salutem: Unde non solùm morborum remedia, sive ministeria quæ exhibentur infirmis, sed etiam cibum & potum, tegmen & tectum, defensionem denique omnem atque munitionem complectitur, quâ nostrum corpus adversùs externos ictus casúsque servatur. Disciplina, quæ animi medicina est, in duo distribuitur, coërcitionem, & instructionem. *Coërcitio timore, instructio amore perficitur, ejus dico cui per disciplinam subvenitur: nam qui subvenit, nihil horum duorum habet, nisi amare.* Cujus disciplinæ regulam duobus Testamentis nobis Deus dedit; Veteri, in quo prævalet timor; & Novo, in quo prævalet amor. *Qui ergo diligit proximum, agit quantum potest ut salvus corpore, salvúsque animo sit: sed cura corporis ad sanitatem animi referenda est. Agit ergo his gradibus quod ad animum pertinet, ut primò timeat, deinde diligat Deum.*

Se ipsum salubriter diligit, qui plus Deum quàm seipsum diligit.

Ex præcepto amoris proximi nascuntur humanæ societatis Officia.

Idem Sanctus Doctor Libro *De Vera Religione*, cap. XLVI. egregiè explicat quid sit diligere proximum sicut seipsum. *Qui amat id solum, quod amanti eripi non potest, ille*, inquit, *indubitanter invictus est, nec ullâ cruciatur invidiâ. Id enim diligit, ad quod diligendum & percipiendum quantò plures venerint, tantò eis uberiùs gratulatur. Diligit enim Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente; & diligit proximum tanquam se ipsum. Non ergo illi invidet, ut sit quod ipse est; immò adjuvat, etiam quantùm potest.* Et infrà: *Si vel ipsum hominem homo dilexerit, non tanquam se ipsum, sed tanquam jumentum, aut balneas, aut aviculam pictam vel garrulam, id est, ut ex eo aliquid temporalis voluptatis aut commodi capiat, serviat necesse est, non homini, sed quod est turpius, tam fœdo & detestabili vitio, quo non amat hominem sicut homo amandus est. Quo vitio dominante, usque ad extremam vitam, vel potiùs mortem perducitur.* Sed nec ab homine homo diligendus est (inquit *S. Augustinus*) ut diliguntur carnales fratres, vel filii, vel conjuges, vel cognati quique, vel affines, aut cives. Nam & dilectio ista temporalis est. Unde præcipit Dominus (*Luca* IX. & XIX.) ut carnales istas necessitudines odio habeamus. Neque hoc cuiquam inhumanum videri debet. *Magis enim est inhumanum non amare in homine quod homo est, sed amare quod filius est: Hoc est enim non in eo amare illud quod ad Deum pertinet, sed amare illud quod ad se pertinet. Quid ergo mirum si ad Regnum non pervenit, qui non communem, sed privatam rem diligit? Immo utrumque, ait quispiam: Immo illud unum, dicit Deus. Dicit enim verissimè Veritas:* Nemo potest duobus dominis servire. *Nemo enim potest perfectè diligere quò vocamur, nisi oderit unde revocamur: revocamur autem ab ejus dilectione quam peccando meruimus. Quare oderimus oportet, unde ut liberemur optamus. Oderimus ergo temporales necessitudines, si æternitatis caritate flagramus. Diligat homo proximum tanquam se ipsum. Certè enim sibi ipsi nemo est pater, aut filius, aut affinis, aut aliquid hujusmodi, sed tantùm homo. Qui ergo diligit aliquem tanquam se ipsum, hoc in eo debet diligere, quod sibi ipse est. Corpora verò non sunt quod nos sumus. Non ergo in homine corpus est expetendum aut desiderandum.... Ipsa igitur natura sine carnali conditione diligenda est, sive sit perficienda sive perfecta. Omnes sub uno Deo patre cognati sunt, qui eum diligunt, & faciunt voluntatem ipsius. Et invicem sibi sunt, & patres cùm sibi consulunt, & filii cùm sibi obtemperant, & fratres maximè, quia eos unus Pater testamento suo ad unam hereditatem vocat.* Nihil ergo in homine diligendum est præter hominem, id est, creaturam Dei ad ejus imaginem factam. Idem tractat argumentum Epistolâ CLV. aliàs LII. ad Macedonium, & Libro I. *De Doctrina Christiana*, cap. XXII.

Quid sit diligere proximum sicut seipsum.

Non carnales necessitudines in homine diligendæ, sed natura quæ ad Deum pertinet, sive sit perficienda, sive perfecta.

Matth. 6.

Omnes sub uno Deo Patre cognati sunt, qui eum diligunt.

Nec minùs luculenta sunt & præclara, quæ de eodem argumento habet Tractatu LXV. in *Joannem*, explicans hæc verba: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Mandatum novum à Domino appellari observat, quamvis antiqua Lege datum sit, *Levitici* XIX. quia exu-

Cur præceptum de proximi dilectione mandatum novum dicatur?

to vetere, induit nos huminem novum. Addidit autem Christus, *Sicut dilexi vos*, ut dilectionem istam à carnali dilectione distingueret. *Dilectio ista nos innovat, ut simus homines novi, heredes Testamenti novi, cantatores cantici novi. Hæc dilectio antiquos Justos, Patriarchas & Prophetas, sicut postea Beatos Apostolos innovavit: Ipsa & nunc innovat Gentes, & ex universo genere humano, quod diffunditur toto orbe terrarum, facit & colligit populum novum, corpus nova nupta Filii Dei Unigeniti Sponsæ.... Propter quod pro invicem sollicita sunt membra in ea, & si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, & si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra. Audiunt enim atque custodiunt,* Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis: *non sicut se diligunt qui corrumpunt; nec sicut se diligunt homines quoniam homines sunt. Sed sicut se diligunt quoniam Dii sunt & filii Altissimi omnes, ut sint Filio ejus unico fratres, ea dilectione invicem diligentes, quâ ipse dilexit eos, perducturus eos ad illum finem qui sufficiat eis, ubi satietur in bonis desiderium eorum. Tunc enim aliquid desiderio non deerit, quando omnia in omnibus Deus erit.*

1. Cor. 12.

Joan. 13. 34.

Et infrà: *Ipsa est dilectio ab omni mundana dilectione discreta, quam distinguendo addidit Dominus,* Sicut dilexi vos. *Quid enim nisi Deum dilexit in nobis? Non quod habebamus, sed ut haberemus: ut perducat nos ubi sit Deus omnia in omnibus.* Sic etiam *Medicus rectè dicitur ægros diligere: & quid in eis nisi salutem diligit, quam cupit utique revocare, non morbum, quem venit expellere? Sic ergo & nos invicem diligamus, ut quantùm possumus invicem ad habendum in nobis Deum curâ dilectionis attrahamus. Hanc donationem nobis donat ipse qui ait,* Sicut dilexi vos, *ut & vos diligatis invicem. Ad hoc ergo nos dilexit, ut & nos diligamus invicem: hoc nobis conferens diligendo nos, ut mutua dilectione constringamur inter nos, & tam dulci vinculo connexis membris, corpus tanti Capitis simus.* In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem: *Tanquam diceret, Alia munera mea habent, vobiscum etiam non mei, non solùm naturam, vitam, sensum, rationem, & eam salutem quæ hominibus pecoribúsque communis est; verùm etiam linguas, Sacramenta, Prophetiam, scientiam, fidem, distributionem rerum suarum pauperibus, & traditionem corporis sui ut ardeant: sed quoniam Caritatem non habent, ut Cymbala concrepans, nihil sunt, nihil illis prodest. Non ergo in illis quamvis bonis muneribus meis, quæ habere possunt etiam non discipuli mei: sed in hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem.*

Proximum sicut seipsum diligere debet homo tripliciter.

Quomodo proximum sicut se ipsum diligere Christianus homo teneatur, præclarè *S. Thomas* explicat, *Secunda Secundæ*, Quæstione XLIV. Articlo VII. Proximum scilicet sicut se ipsum diligere debet tripliciter. Primò, ex parte finis, ut illum propter Deum diligat, sicut se ipsum propter Deum diligere debet. *Ut sit dilectio proximi sancta.* Secundò, ex parte regulæ dilectionis, *Ut scilicet aliquis proximo non condescendat in aliquo malo, sed solùm in bonis*, sicut & suæ voluntati satisfacere debet solùm in bonis: *Ut sit dilectio proximi justa.* Tertiò, ex parte dilectionis, ut non diligat proximum propter utilitatem vel delectationem propriam, sed propter ejus bonum: *Ut sit dilectio proximi vera.* Præclarè *S. Augustinus*, Sermone CCCXXXV. alias *de Tempore* CCLVI. cap. II. *Ille*, inquit, *veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia est illo, aut ut sit in illo.*

REGULA III.

Officium dilectionis erga proximum est, illius onera portare.

De dilectione proximi.

HAnc Regulam tradit Apostolus (ad *Galatas*, cap. VI.) *Alter alterius onera portate,* (inquit) *& sic adimplebitis Legem Christi.* Hanc enim Christi Legem dicere intelligitur, quâ ipse Dominus præcepit ut nos invicem diligamus, tantum in ea præcepti pondus constituens, ut diceret: *In hoc cognoscetur quoniam discipuli mei estis, si vos invicem diligatis.* Hujus *autem dilectionis officium est, invicem onera nostra portare:* (inquit *S. Augustinus* Libro *De Diversis Quæstionibus octoginta-tribus*, Quæstione LXXI.) *Sed hoc officium quod sempiternum non est, perducet sanè ad beatitudinem æternam, in qua nulla erunt nostra onera, quæ invicem portare jubeamur. Nunc verò cùm in hac vita, id est, in hac via sumus, onera invicem nostra portemus, ut ad eam vitam quæ caret omni onere pervenire possimus.* Id autem fit secundùm diversa tempora, & diversa genera infirmitatum. Verbi gratiâ, iram fratris tui nunc portas, cùm adversùs eum non irasceris, ut rursus eo tempore quo in te ita præoccupaverit, ille te lenitate & tranquillitate sua supportet. Loquacitatem tuam ille portat, tu illius pertinaciam caritate portare debes, donec illud in te, & istud in illo vitium sanetur. Neque ulla res officiosum istum laborem ad portanda onera aliorum facit libenter impendi, nisi cùm cogitamus quanta pro nobis pertulerit Dominus. Huic cogitationi etiam accedit alia cogitatio, quia ille suscepit hominem, nos autem homines sumus: & considerare debemus quòd ægritudinem sive corporis, sive animi, quam in alio homine videmus, etiam nos habere potuimus, aut possumus. Hoc ergo exhibeamus illi, cujus infirmitatem portare volumus, quod ab illo nobis vellemus exhiberi, si fortè nos in ea essemus, & ipse non esset. Ad hoc pertinet quod Apostolus ait: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifaciam:* Cogitando scilicet in eo vitio etiam se esse potuisse, unde cupiebat alium liberare. Deiode etiam illud cogitandum, nullum esse hominem qui non possit habere aliquod bonum, quod tu nondum habes, etiam si lateat, in quo possit te esse superior. Quæ cogitatio ad contundendam edomandámque superbiam valet, ne arbitreris quoniam tua quædam bona eminent & apparent, ideo alterum nulla habere quæ lateant, & fortassis majoris ponderis bona quibus se superat nescientem. Unde Apostolus ait: *Si qua consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis: Impleto gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem caritatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes: nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum. Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu: qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Istæ cogitationes deprimentes superbiam, & acuentes caritatem faciunt onera fraterna invicem,

Joannis 13.

Philipp. 2.

» non solùm æquo animo, sed etiam libentissi-» mè sustineri. *Ipsa est ergo Lex Christi, ut invicem onera nostra portemus. Christum autem diligende, facilè sustinemus infirmitatem alterius, etiam quem nondum propter bona sua diligimus. Cogitamus enim quia ille, quem diligimus, Dominus propter eum mortuus est. Quam caritatem Apostolus* » *Paulus nobis ingessit, cùm diceret:* Et peribit » infirmus in tua scientia frater, propter quem » Christus mortuus est. *Ut si illum infirmum, propter vitium quo infirmus est, minùs diligimus, illum in eo consideremus, qui mortuus est propter illum. Christum autem non diligere, non infirmitas, sed mors est. Quapropter ingenti curâ, & implorata Dei misericordiâ cogitandum est, ne Christum negligamus propter infirmum, cùm infirmum debeamus diligere propter Christum.* Hæc S. Augustinus.

1. Cor. 8.

REGULA IV.

Lethaliter peccat contra dilectionem proximi, qui de vita alicujus tristatur, & de morte illius naturali gaudet, aut illam desiderat inefficaci licèt affectu, quamvis non ex displicentia personæ, sed propter aliquod temporale emolumentum.

ILle enim proximum, sicut seipsum non diligit: ille peccat contra Mandatum novum, quo Christus præcipit ut proximum diligamus, sicut ipse dilexit nos. Ille caritatem non habet, quæ *Patiens est, benigna, non cogitans malum, non quærit quæ sua sunt.* Illos namque motus cupiditas in corde illius regnans producit. Hinc *S. Augustinus*, Libro *De vera Religione*, cap. XLVI. ait: *Ea est regula dilectionis, ut quæ sibi vult bona provenire, & illi velit; & quæ accidere sibi mala non vult, & illi nolit. Hanc voluntatem erga omnes homines servat. Nam erga neminem operandum est malum. Et dilectio proximi malum non operatur.* Meritò itaque ab *Innocentio XI.* Pontifice Maximo damnata est illa Propositio, ordine 13.

Rom. 13.

Propositio damnata.

Si cum debita moderatione facias, potes, absque peccato mortali, de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & desiderare, non quidem ex displicentia personæ; sed ob aliquod temporale emolumentum.

Clerus etiam Gallicanus in generalibus Comitiis anno MDCC. sic istam Propositionem confixit: *Hujus Propositionis doctrina scandalosa & perniciosa est, parricidiorum effusiva, & secundo caritatis præcepto contraria, hæretica.*

REGULA V.

Ordo in caritate servandus est.

Ordo caritatis

ID probant verba cœlestis Sponsæ, Canticorum II. *Ordinavit in me caritatem.* Deus ergo præ omnibus diligendus; deinde nos ipsi secundùm Deum: tum proximus, cujus salus proprio corpore carior nobis esse debet: inter proximos verò, primùm parentes & consanguinei, quibus magis subvenire debemus in his quæ pertinent ad naturam, scilicet *in provisione necessariorum*: tum amici, denique omnes homines, etiam inimici. Qua de re legi potest *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XXVI.

Hanc Regulam egregiè confirmat *S. Augustinus*, Libro I. *De Doctrina Christiana*, cap. XXVII. *Ille autem justè & sanctè vivit, qui rerum integer æstimator est: ipse est autem qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum, aut ampliùs diligat quod minùs est diligendum, aut æquè diligat quod vel minùs vel ampliùs diligendum est, aut minùs vel ampliùs quod æquè diligendum est. Omnis peccator in quantum peccator est, non est diligendus; & omnis homo in quantum homo est, diligendus est propter Deum, Deus verò propter se ipsum. Et si Deus omni homine ampliùs diligendus est, ampliùs quisque debet Deum diligere, quàm se ipsum. Item ampliùs alius homo diligendus est quàm corpus nostrum: quia propter Deum omnia ista diligenda sunt, & potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus, quia corpus per animam vivit quâ fruimur Deo. Omnes autem æquè diligendi sunt: sed cùm omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictiùs tibi quasi quadam sorte junguntur. Sicut enim si tibi abundaret aliquid, quod dari oporteret ei qui non haberet, nec duobus dari posset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentiâ, vel erga te aliquâ necessitudine superaret; nihil justiùs faceres quàm ut sorte legeres, cui dandum esset quod dari utrique non posset, sic in hominibus quibus omnibus consulere nequeas, pro sorte habendum est, prout quisque tibi temporaliter colligatiùs adhærere potuerit.*

Ordo caritatis

Idem confirmat *Sanctus Bernardus* Sermone I. in Cantica. *Da mihi* (inquit) *hominem, qui ante omnia quidem ex toto se diligat Deum; se verò & proximum in quantum diligunt ipsum; inimicum autem tanquam aliquando forsitan dilecturum: porrò parentes carnis suæ germaniùs propter naturam, spirituales verò eruditores suos profusiùs propter gratiam, atque in hunc modum ad cætera quæque Dei ordinato intendat amore, despiciens terram, suspiciens cælum, utens hoc Mundo tanquam non utens, & inter utenda & fruenda intimo quodam mentis sapore discernens, ut transitoria transitoriè, & ad id duntaxat quod opus & prout opus est curet, æterna desiderio amplectatur æterno, talem, inquam, da mihi hominem, & ego audacter illum sapientem pronuncio, cui nimirum quæque res reverà sapiunt prout sunt, & cui in veritate atque securitate competit gloriari & dicere:* QUIA ORDINAVIT IN ME CARITATEM.

REGULA VI.

Non pervertitur ordo caritatis, cùm circa res proximi magis occupamur quàm circa Deum resque Dei, modò dilectioni Dei hominis dilectio non præponatur.

ACtiva enim caritas inferiora præfert, utpote quæ operâ suâ magis egeant: Affectiva verò caritas superiora, ut docet *S. Bernardus*, Sermone L. in Cantica. *In bene affecta mente*, inquit, *non dubium quin dilectioni hominis Dei dilectio præponatur, & in hominibus ipsis perfectiores infirmioribus, cælum terræ, æternitas tempori, anima carni. Attamen in bene ordinata actione sæpè aut etiam semper ordo oppositus invenitur. Nam & circa proximi curam & plus urgemur, & pluries occupamur; & infirmioribus fratribus diligentiori sedulitate assistimus; & paci terræ magis quàm cæli gloriæ jure humanitatis & ipsâ necessitate intendimus: & temporalium inquietudine curarum vix aliquid sentire de æternis permittimur: & languoribus nostri corporis postpositâ animæ curâ penè continuò inservimus.... Orantem denique hominem cum Deo loqui*

De Proximi dilectione.

loqui quis dubitet? Quoties tamen inde caritate jubente abducimur & avellimur propter eos qui nostrâ indigent operâ vel loquelâ? Quoties piè cedit negotiorum tumultibus quies? Quoties bonâ conscientiâ ponitur codex, ut operi manuum insudetur? Quoties pro administrandis terrenis, justissimè ipsis supersedemus celebrandis Missarum solemniis? Ordo præposterus, sed necessitas non habet Legem. Agit ergo suum actualis caritas ordinem juxta patris familiâs jussionem incipiens à novissimis. Pia certè & justa, quæ non sit acceptrix personarum, nec pretia consideret rerum, sed hominum necessitates. At non ita affectualis, nam à primis ipsa ducit ordinem. Est enim sapientia per quam utique quæque res sapiunt, prout sunt; ut (verbi gratiâ) quæ pluris natura habet, pluris quoque ipsa affectio sentiat, minora minus, minima minimè. Et illum quidem ordinem caritatis veritas facit, hunc autem veritatis caritas vendicat sibi. Nam & vera in hoc est caritas, ut qui indigent amplius, accipiant prius: & rursus in eo cara apparet veritas, si ordinem tenemus affectu, quem illa ratione.

REGULA VII.

Unusquisque tenetur proximo suo spiritualem necessitatem extremam patienti subvenire, etiam cum certo mortis periculo, si spes affulgeat quòd juvari possit.

JUbet enim Christus ut diligamus invicem, sicut ipse dilexit nos: at Christus vitam suam pro nobis posuit, cùm in extrema necessitate constituti essemus. *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere;* (inquit *S. Joannes* Epistola 1. Cap. III.)

Joan. 13. & 15.

Hanc Regulam confirmat *S. Augustinus*, Libro *De Mendacio*, Cap. VI. *Temporalem planè vitam suam*, inquit, *pro æterna vitâ proximi non dubitabit Christianus amittere: hoc enim præcessit exemplum, ut pro nobis Dominus ipse moreretur. Ad hoc enim & ait:* HOC EST *præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis. Non enim quisquam est ita desipiens, ut dicat aliud quàm saluti sempiternæ hominum consuluisse Dominum vel faciendo quod præcepit, vel præcipiendo quod fecit.*

Joan. 15. 13.

Idem confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XXVI. Articulo V. ad tertium: *Non est*, inquit, *de necessitate caritatis, quòd homo proprium corpus exponat pro salute proximi*, NISI IN CASU QUO TENETUR EIUS SALUTI PROVIDERE.

Et Opusculo *De perfectione Vitæ Spiritualis*, Cap. XIV. *Plus debemus*, inquit, *proximum diligere quàm corpora nostra. Unde vitam corporalem pro salute spirituali proximorum ponere convenit. Et hoc cadit sub necessitate præcepti in necessitatis articulo, putà, si aliquis videret aliquem ab infidelibus seduci, deberet se mortis periculo exponere, ut eum à seductione liberaret. Sed quòd aliquis extra hoc necessitatis casus pro salute eorum mortis periculis se exponat, pertinet ad perfectionem justitiæ, vel ad perfectionem consilii.* Quoties igitur proximus in æternum periturus est, nisi ipsum adjuvemus, ut si infans Christianorum filius moriturus sit sine baptismo, vel adultus in peccato mortali è vita discessurus, nisi ipsi succurratur, vitam exponere debet, qui derelictum videt infantem illum, contagioso fortè morbo laborantem; Sacerdos obvius exponere se debet pericolo ut Sacramentum Pœnitentiæ adulto, de cujus morte timetur, Sacerdotem petenti administret, illis absentibus vel recusantibus, quibus ex officio incumbit.

REGULA VIII.

Episcopi & Pastores tenentur cum vita sua periculo suis ovibus succurrere gravem necessitatem spiritualem patientibus.

TEnentur enim ex officio oves suas pascere tum Sacramentis, tum verbo Dei, præsertim cùm ad illorum salutem id necessarium est. Præterea, *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis: Mercenarius autem, & qui non est Pastor, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit.* Idque confirmat disertè *S. Augustinus* Epistola CCXXVIII. aliàs CLXXX. ad *Honoratum*, scribens: *Cùm plebs manet, & Ministri fugiunt, ministeriúmque subtrahitur, quid erit nisi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non est cura de ovibus? Veniet enim lupus, non homo, sed diabolus: qui plerumque fideles apostatas esse persuasit, quibus quotidianum ministerium Dominici Corporis defuit: & peribit infirmus in tua non scientia, sed ignorans a frater, propter quem Christus mortuus est. Quantùm autem ad eos attinet, qui in hac re non falluntur errore, sed formidine superantur, quare non potius contra suum timorem Domino miserante atque adjuvante fortiter dimicant, ne mala sine comparatione graviora, quæ multò ampliùs sunt tremenda contingant? Fit hoc ubi Dei caritas flagrat, non Mundi cupiditas fumat. Caritas enim dicit:* Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? *Sed caritas ex Deo est. Oremus ergo ut ab illo detur, à quo jubetur. Et per hanc magis timeamus ne oves Christi spiritualis nequitiæ gladio in corde, quàm ne ferro in corpore trucidentur, ubi quandocunque quocumque mortis genere morituri sunt. Magis timeamus ne sensu interiori corrupto, pereat castitas fidei, quàm ne feminæ violenter constuprentur in carne. Quia violentiâ non violatur pudicitia, si mente servatur. Quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis suâ turpiter carne non utitur, sed sine consensione tolerat quod alius operatur. Magis timeamus ne lapides vivi extinguantur deserentibus nobis, quàm ne lapides & ligna terrenorum ædificiorum incendantur præsentibus nobis. Magis timeamus ne membra corporis Christi destituta spirituali victu necentur, quàm ne membra corporis nostri oppressa hostilis impetu torqueantur. Non quia ista non sunt vitanda cùm possunt, sed quia potiùs ferenda sunt, quando vitari sine impietate non possunt: nisi fortè quisquam contenderit non esse Ministrum impium, qui tunc subtrahit ministerium pietati necessarium quando magis est necessarium.*

Pastorum cautio.

Joan. 10.

1. Cor. 8.

2. Cor. 11. 29.

REGULA IX.

Contra Præceptum de Proximi dilectione lethaliter peccant, qui Inimicos odio habent.

PRoximi namque nomine, quem Deus jubet ut sicut nos ipsos diligamus, omnes homines intelliguntur, ut Christus Legisperito quærenti, quis esset suus proximus, explicat *Luca* Cap. X. parabolâ hominis, qui descendens ab Jerusalem in Jericho incidit in latrones. Et ne quis ea de re dubitare posset Christianus, præceptum de inimicorum dilectione tradidit expressè Matthæi V. *Audistis*, inquit, *quia di-*

Quæ rationes ad inimicorum dilectionem hortari nos debeant.

ctum est : Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum : Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos : & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos : ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est : qui solem suum oriri facit super bonos & malos : & pluit super justos & injustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantùm, quid ampliùs facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.

Auctoritas Dei jubentis. Consideranda est auctoritas jubentis, exempla ad implendum præceptum invitantia, præmium obedientibus promissum. Deus jubet : *Ego autem dico vobis.* Qui nos creavit, qui nos redemit, qui nos sanctificavit, cui omnia debemus, Conditor noster, Salvator noster, Dominus, Legislator, & Magister noster, nobis præcipit, ut inimicos diligamus. Cùm Jacob è domo Laban cum uxore sua, totâque familia, & gregibus, bonisque omnibus clam recessisset, Laban vehementer iratus, fugientem persecutus est : verumtamen Dei auctoritate, qui in somnis illi apparuerat, deterritus, nullum Jacob malum intulit : immò fœdus cum ipso iniit. *Stultè*, inquit, *operatus es : & nunc quidem valet manus mea tibi reddere malum. Sed Deus Patris vestri heri dixit mihi : Cave ne loquaris contra Jacob quidquam duriùs.* (*Genes. 31.*) Si tantùm valuit apud Ethnicum hominem auctoritas Dei quem non cognoscebat, ut omne ultionis desiderium omnémque odii motum in ejus corde extingueret : quanti ponderis esse debet apud Christianos auctoritas Dei in quem credunt, quem adorant, cui serviunt, ad inimicorum dilectionem in eorum animis excitandam? Mortuo Jacob, filii ejus veriti ne Joseph eorum frater memor esset injuriæ quam ipsi olim intulerant, Patris auctoritate ac Mandato ipsum sibi propitium reddere conati sunt, dicentes : *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus : Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te : nos quoque oramus ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis flevit Joseph, &c.* (*Genes. ult.*) Si Patris nomen atque Mandatum Joseph propitium fratribus effecit ; quidni Dei auctoritas Christianos inimicis benevolos reddet? Maximè cùm exemplo Patris cœlestis, & exemplo Christi ad hanc dilectionem invitentur ; magnúmque præmium propositum sit tantùm præceptum implentibus, dignitas nempe filiorum Dei, æternaque hereditas filiis Dei promissa & parata. (*Præmium.*) Nam si filii, & heredes ; *Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* (*Rom. 8.*) De magno illo dilectionis inimicorum mandato *S. Augustinus* disserens Sermone CCCXVII. aliàs XCII. *De Diversis*, hæc habet : *Grave præ-* » *ceptum, sed grande præmium.* Diligite inimicos » vestros, benefacite his qui vos oderunt, & » orate pro persequentibus vos. *Audisti opus, ex-* » *specta mercedem :* Ut sitis (*inquit*) filii Patris » vestri, qui in cœlis est. *Nunquid dictum est nubibus, Pluite super agros cultorum meorum, & recedite ab agris blasphematorum meorum? Nunquid dictum est Soli, Videant te qui me colunt, non te videant qui mihi maledicunt? Beneficia de cœlo, beneficia de terra : scatent fontes, agri pinguescunt, arbores fructibus onerantur. Habent ista boni, habent & mali, habent grati, habent ingrati. Qui præstat tanta bonis & malis, putamus nihil servat bonis? Hoc dat bonis & malis, quod dedit & lapidatoribus Stephani : hoc verò servat bonis, quod dedit Stephano.*

Exempla. Mox exempla dilectionis inimicorum proponit, quibus ad hanc invitamur. *Exemplum propositum est de Deo Patre qui Solem suum oriri facit super bonos & malos. Dixit hoc etiam Filius Dei, post acceptionem carnis suæ, per os carnis suæ, quam suscepit amando inimicos suos. Qui enim amator inimicorum suorum in mundum venit, omnes prorsus inimicos suos invenit, neminem amicum invenit. Pro inimicis sanguinem fudit : sed sanguine suo inimicos convertit. Inimicorum suorum peccata sanguine suo delevit : delendo peccata, ex inimicis amicos fecit. Ostendit tamen primus ipse Dominus in Cruce, quod monuit. Undique enim Judæis frementibus, irascentibus, irridentibus, insultantibus, crucifigentibus, ait,* Pater ignosce il- » lis, quia nesciunt quid faciunt. *Cæcitas enim* » *me crucifigit. Cæcitas crucifigebat, & Crucifixus eis de Sanguine suo collyrium faciebat. Sed homines pigri ad præceptum, avidi ad præmium, qui non diligunt inimicos suos, sed de illis se vindicare affectant, nec attendunt Dominum, qui si vellet se vindicare de inimicis suis, non remaneret qui laudaret eum ; quando audiunt locum istum Evangelii, quo Dominus in Cruce dixit,* Pater ignosce » illis quia nesciunt quid faciunt ; *dicunt sibi :* » *Ipse hoc poterat, tanquam Filius Dei, tanquam unicus Patri. Caro enim pendebat, sed Deus intus latebat. Nos autem quid sumus, qui ista faciamus? Si multum ad te putas imitari Dominum tuum ; attende Stephanum conservum tuum. Sic natus est ut tu ; inde natus est, unde & tu, ab eo renatus est, à quo & tu : tanti valet, quanti valet. Unum instrumentum nobis factum est. Evangelium instrumentum est : quia filii sumus, testamentum est. Ipsum attende, conservum attende..... Nemo dicat, Multum est ad me : Homo erat, homo es. Sed non accepit à se. Numquid accepit, & clausit tibi? Fons communis est : bibe unde bibit. Beneficio Dei accepit : abundat qui dedit ; & tu pete, & accipe.*

Cùm inimicos diligimus, fratres diligimus. Idem *S. Augustinus*, Tractatu VIII. in Epistolam *S. Joannis*, quærit cur Dilectus Discipulus in Epistolâ suâ nihil commendet nisi fraternam caritatem, de inimicorum verò dilectione prorsus taceat ; cùm tamen Christus jubeat ut diligamus inimicos. Respondet verò S. Doctor : *In eo etiam quod diligitis inimicos : fratres diligitis..... Quæro quare diligis inimicum, quare illum diligis? Ut sanus sit in hac vita? Quid si non illi expedit? Ut dives sit? Quid si ipsis divitiis excæcabitur? Ut uxorem ducat? Quid si amaram vitam inde patietur? Ut filios habeat? Quid si mali erunt? Incerta sunt ergo ista, quæ videris optare inimico tuo, quia diligis eum. Opta illi ut habeat tecum vitam æternam : Opta illi ut sit frater tuus. Si ergo hoc optas, cùm diligis inimicum, ut sit frater tuus : cùm eum diligis, fratrem diligis. Non enim amas in illo quod est, sed quod vis ut sit. Dixeram aliquando caritati vestræ : Robur est ligni positum ante oculos, faber optimus vidit lignum non dolatum, de silva præcisum, adamavit : nescio quid inde vult facere. Non enim ad hoc amavit, ut semper sic maneat. In arte vidit quod futurum est, non in amore quod est : & amavit quod inde facturus est, non illud quod est. Sic & nos Deus amavit peccatores. Ait enim :* Non est opus sanis » medicus, sed malè habentibus. (*Matt. 9.*) *Numquid ad* » *hoc amavit peccatores, ut peccatores remaneremus? Quasi lignum de silva vidit nos faber, & cogitavit ædificium quod inde facturus est, non silvam quod erat. Sic & tu respicis inimicum tuum, adversantem, sævientem, mordentem verbis, exasperantem contumeliis, insectantem odiis, attendis ibi*

qu*ia*

Inimicorum dilectio.

quia homo est. Vides ista omnia, quæ adversa sunt ab homine facta: & vides in illo quod à Deo factus est. Quod autem homo factus est, à Deo factus est. Quod autem te odit, ipse fecit: quod invidet, ipse fecit. Et quid dicis in animo tuo? Domine propitius illi esto, dimitte illi peccata; incute illi terrorem, muta illum. Non amas in illo quod est, sed quod vis ut sit. Ergo cùm inimicum amas, fratrem amas. Quapropter perfecta dilectio est inimici dilectio: quæ perfecta dilectio est in dilectione fraterna. Et nemo dicat, quia aliquid minùs nos monuit Joannes Apostolus, & plus nos monuit Dominus Christus: Joannes nos monuit ut fratres diligamus; Christus nos admonuit ut etiam inimicos diligamus. Nunquid ut semper remaneant inimici? Si ad hoc te monuit ut inimici remaneant, odis, non diligis. Attende quomodo ipse dilexit, id est, quia nolebat ut sic remanerent persecutores, ait, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. *Quibus voluit ignosci, mutari illos voluit: quos voluit mutari, ex inimicis fratres facere dignatus est, & verè sic fecit.*

Luc. 23.

Et infrà: *Sævit in te homo? Ille sævit, tu precare: ille odit, tu miserere. Febris animæ ipsius te odit: sanus erit, & gratias tibi aget. Quomodo Medici diligunt ægrotos? Ad hoc diligunt, non ut ægroti remaneant, sed ut ex ægrotis sani fiant. Et quanta plerumque patiuntur à phreneticis? Quales contumelias verborum? Plerumque & percutiuntur. Persequitur ille febrem, ignoscit homini: & quid dicam, Fratres? Amat inimicum suum? Immo odit inimicum suum morbum, & amat hominem à quo percutitur; odit febrem: illud tollit quod illi adversatur, ut remaneat illud unde gratuletur. Sic & tu: si odit te inimicus tuus, & injustè te odit, noveris quia cupiditas sæculi in illo regnat, propterea te odit. Si odisti illum & tu; contra reddis malum pro malo. Unum ægrotum flebam, qui te oderat: jam duos plango, si & tu odisti. Sed persequitur rem tuam; tollit tibi nescio quæ, quæ habes in terra: ideo illum odisti, quia angustias tibi facit in terra. Noli pati angustias, migra in cœlum sursum: Cor ibi habebis: ubi latitudo est, ut nullas angustias patiaris in spe vitæ æternæ. Attende quæ tibi tollit: nec ipsa tibi tolleret, nisi Ille permitteret, qui flagellat omnem filium quem recipit. Quodammodo ferramentum Dei est, quo saneris ipse inimicus tuus. Si novit Deus utile tibi esse ut expoliet te, permittit illum: si novit tibi utile esse ut vapules, permittit illum, ut cædaris: de illo te curat, opta ut ille sanetur.*

Inimicos itaque diligere tenemur vi illius præcepti, quo fratres & proximos tenemur diligere. Unde *Tertullianus* Apologetici, Cap. XXXIX. sic Paganos alloquitur: *Fratres autem etiam vestri sumus jure naturæ matris unius, etsi vos parum homines, quia mali fratres. At quantò dignius fratres & dicuntur, & habentur, qui unum patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejusdem ad unam lucem expaverunt veritatis?* Hinc ut idem ait, *Christianus nullius est hostis.* Et hæc propria nota Christianorum; unde Pagani solebant dicere: *Videte ut invicem se diligant, & ut pro alterutro mori sint parati.*

Et *Minucius Felix*, in Octavio: *Sic nos non notaculo corporis, ut putatis, sed innocentiæ ac modestiæ signo facilè dignoscimus. Sic mutuo, quod doletis, amore diligimus, quoniam odisse non novimus: sic nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, ut spei cohæredes. Vos enim nec invicem agnoscitis, & in mutua odia sævitis: nec vos fratres nisi sanè ad parricidium recognoscitis.*

REGULA X.

Speciali dilectione erga inimicos affici, extra necessitatis articulum, minimè necesse est, sed solùm in animi præparatione.

Inimicorum dilectio.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XXV. Articulo VIII. *Dilectio inimicorum*, inquit, *tripliciter potest considerari. Uno quidem modo ut inimici diligantur in quantum sunt inimici: & hoc est perversum, caritati repugnans: quia hoc est diligere malum alterius. Unde S. Augustinus* Libro XIX. *Contra Faustum*, Cap. XXIV. *Hæc regula est*, inquit, *quâ & oderimus inimicum propter id quod in eo malum est, id est, iniquitatem: & diligamus inimicum propter id quod in eo bonum est, id est, socialem rationalémque naturam. Alio modo potest accipi dilectio inimicorum quantùm ad naturam, scilicet in universali: & sic dilectio inimicorum est de necessitate caritatis: ut scilicet aliquis diligens Deum & proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat. Tertio modo potest considerari dilectio inimicorum in speciali; ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum: & istud non est de necessitate caritatis absolutè, quia nec etiam moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter, est de necessitate caritatis, quia hoc esset impossibile. Est tamen de necessitate caritatis secundùm præparationem animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc quòd in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret. Sed quòd absque articulo necessitatis homo etiam hoc actu impleat, ut diligat inimicum propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem caritatis. Cùm enim ex caritate diligatur proximus propter Deum: quantò aliquis magis diligit Deum, tantò etiam magis ad proximum dilectionem ostendit, nullâ inimicitiâ impediente. Sicut si aliquis multùm diligeret aliquem hominem, amore ipsius filios ejus amaret, etiam inimicos sibi.*

REGULA XI.

Ad exhibenda inimicis signa & officia dilectionis, quæ proximis in communi exhibentur, necessariò tenemur; alioquin caritatis præceptum violamus, & lethaliter peccamus.

ITa docet *S. Thomas*, Articulo IX. Quæstionis mox indicatæ. *Sunt*, inquit, *quædam signa vel beneficia dilectionis, quæ exhibentur proximis in communi, putà, cùm aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, aut cùm aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati. Et talia beneficia vel dilectionis signa inimicis exhibere, est de necessitate præcepti. Si enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad livorem vindictæ; contra id quod dicitur* Levitici XIX. *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Et, *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.*

Regula XII.

Beneficia vel signa dilectionis, quæ amicis speciatim exhibemus, inimicis exhibere non tenemur, nisi secundùm præparationem animi.

Inimicorum dilectio.

ITa docet ibidem S. Thomas: *Alia verò sunt beneficia, vel dilectionis signa, quæ quis exhibet particulariter aliquibus personis. Et talia beneficia vel dilectionis signa inimicis exhibere, non est de necessitate salutis, nisi secundùm præparationem animi; ut scilicet subveniatur eis in articulo necessitatis, secundùm illud Proverb.* XXIV. SI ESURIERIT INIMICUS TUUS, CIBA ILLUM; SI SITIT, POTUM DA ILLI. *Sed quòd præter articulum necessitatis hujusmodi beneficia aliquis inimicis exhibeat, pertinet ad perfectionem caritatis, per quam aliquis non solum cavet* VINCI A MALO, *quod necessitatis est; sed etiam vult* IN BONO VINCERE MALUM, *quod est perfectionis: dum scilicet non solum cavet propter injuriam sibi illatam pertrahi ad odium: sed etiam per sua beneficia intendit inimicum pertrahere ad sui amorem.*

Regula XIII.

Specialia beneficia vel signa dilectionis exhibenda sunt inimicis in articulo necessitatis.

CUm enim inimicos diligere teneamur, eisque certis in casibus benefacere, & dilectionem quæ ad eos etiam extenditur, signis quibusdam promere; id maximè faciendum est in articulo necessitatis, secundùm illud ex *Proverb.* XXV. jam adductum, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* Et illud Exodi XXIII. *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.* Atque ita præcipit Christus: *Diligite*, inquit, *inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Quam ob rem lethaliter peccat, qui inimico in articulo necessitatis non subvenit, cùm potest. Articulum autem necessitatis intellige, non solùm cùm proximus extremè indiget seu corporalibus, seu spiritualibus subsidiis; sed etiam, cùm in gravi periculo vitæ, famæ, aut eversionis rerum suarum, status, fortunæque versatur. Item, cùm illius salutem verisimiliter sperare licet, quæ alioqui periclitatur. Item cùm scandalum metuendum est, nisi particularia quædam benevolentiæ signa illi exhibeamus.

Regula XIV.

Salutationem, colloquium, speciales orationes inimicis exhibere tenemur, cùm id necessarium est ad vincendum odium in quod sumus propensi, vel ad scandalum avertendum; vel ad reconciliandum inimicum, ipsúmque ad caritatem & ad Deum reducendum.

TEnemur enim cavere ne à malo vincamur, quod in illis circumstantiis facilè continget, nisi salutatione, colloquio, specialibus orationibus vincamus in bono malum, ut Apostolus jubet, dicens: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Hinc *David*, cùm infestos inimicos pateretur, ad Deum confugiens, hunc in modum oravit: *Contristatus sum in exercitatione mea, & conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris: Exaudi Deus deprecationem meam, intende mihi, & exaudi me.* Quem locum explicans *S. Augustinus*, Enarratione in Psalmum LIV. ait, *Cùm aliquid tale patitur Christianus, non debet facilè velut odio ire in eum à quo patitur, & velle venium vincere; sed convertere se ad orationem, ne amittat dilectionem. Neque enim timendum est ne aliquid faciat homo inimicus. Quid enim facturus est? Multa mala dicturus, opprobria jaculaturus, in conviciis sæviturus: sed quid tibi?* Gaudete, inquit, & exsultate, quoniam merces vestra magna est in cœlis. *Ille in terra geminat convicia, tu in cœlo lucra. Sed sæviat amplius, possit & aliquid amplius: quid te securius, cui dictum est,* Noli timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere? *Quid est ergo timendum, quando pateris inimicum? Ne conturbetur tibi dilectio, quâ diligis inimicum. Etenim inimicus ille homo, caro & sanguis, quod videt in te appetit. Alius autem inimicus occultus, rector harum tenebrarum, quæ est pateris in carne & sanguine, alterum occultum tuum petit, thesauros tuos interiores deprædari & vastare molitur. Duos ergo inimicos constitue tibi ante oculos, unum apertum, & alterum occultum: apertum, hominem; occultum, diabolum. Homo ille hoc est quod tu secundum naturam humanam, secundum fidem autem & dilectionem nondum quod tu, sed poterit esse quod tu. Cùm ergo sint duo, unum vide, alterum intellige; unum dilige, alterum cave. Namque & inimicus ille quem vides, hoc in te vult humiliare, unde vincitur. Verbi gratiâ, si divitiis tuis vincitur, pauperem te vult facere, si honore tuo vincitur, humilem te vult facere, si viribus tuis vincitur, debilem te vult facere: ea ergo attendit in te vel dejicere, vel auferre quibus vincitur. Et ille occultus inimicus illud tibi vult tollere, unde vincitur: homo enim hominem vincis humanâ felicitate, diabolum autem vincis inimici dilectione. Quomodo ergo homo ambit auferre tibi, & detruncare aut evertere felicitatem quâ vincitur: sic & diabolus hominem vult vincere auferendo unde vincitur. Sed cura in corde servare inimici dilectionem quâ diabolum vincis. Sæviat homo quantùm potest, auferat quicquid potest, si diligitur apertè sæviens, victus est occultè sæviens.* Cùm igitur totis viribus enitendum sit ne dilectionem amittamus, specialem affectum, signaque particularia, & officia benevolentiæ inimicis exhibere debemus, cùm id necessarium est ad vincendum odium in quod sumus propensi. Ad id etiam tenemur, cùm necessarium est ad avertendum scandalum, quale contingit cùm consanguinei vel affines in primo gradu salutationem, colloquium, aliaque officia sibi negant, cùm filii parentes, frater fratrem, non visitant, nec familiariter illis convivunt, ut solebant ante exorta dissidia. *Væ* enim *homini illi per quem scandalum venit.* Denique particularia benevolentiæ signa & officia inimicis exhibere tenemur, si id necessarium vel utile fore intelligamus, ut nobis reconcilientur, & ad caritatem Deúmque reducantur. *Unicuique* enim *mandavit Deus de proximo suo*: & si asinum vel bovem inimici errantem ad ipsum reducere tenemur, multò magis inimicum ipsum errantem reducere tenemur ad Deum, quod summum bonum est, quod debemus *& à quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere* (ut *S. Augustinus* loquitur.)

Rom. 12.

Inimicorum dilectio.

Matth. 5.

Matth. 10. 28.

Ephes. 6.

Duo inimici, unus apertus, alter occultus, unus diligendus, alter cavendus.

Matth. 18.

Eccli. 17.

REGULA XV.

Lethalis peccati reus est, qui grave malum optat vel imprecatur inimico, aut de illius adversitate gaudet.

Inimicorum dilectio. HIc enim divinum præceptum de inimicorum dilectione à Christo renovatum violat: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Longè certè abest à dilectionis affectu, & ab animo benefaciendi, qui malum alteri optat, vel imprecatur, aut de illius adversitate gaudet. Unde Spiritus-Sanctus Proverb. xxiv. 17. ait: *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum, ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.* Istius peccati gravitatem eodem Spiritu afflatus *Job* indicat (Cap xxxi. 29. 30.) *Si gavisus sum (inquit) ad ruinam ejus qui me oderat: & exultavi quòd invenisset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus.* Si quis tamen vel inimico, vel alteri leve malum imprecatur, vel maledictionis verba profert *ex levi motu, vel ex ludo, aut ex surreptione aliquâ*, ut frequenter accidit mulierculis, quæ maritis etiam, aut filiis, immò & sibi ipsis mortem imprecantur ex ira aut mœrore; cùm tamen ita sint affectæ ut de eorum morte dolerent, ejusque periculum ab ipsis avertere pro viribus niterentur, *veniale peccatum* est: *quia peccata verborum maximè ex affectu pensantur.* Ita docet *Sanctus Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione lxxvi. Art. iii. Sed optare alicui grave malum, *secundùm se repugnat caritati, quâ diligimus proximum, volentes bonum ipsius*: & ita *est peccatum mortale.*

REGULA XVI.

Inimicos à communibus orationibus nostris, quas pro aliis fundimus, excludere, aut contra illos Deum orare, lethale peccatum est.

Matth. 5. ID enim directè adversatur præcepto Christi: *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri cælestis.* Adversatur & orationis, quam nos Dominus docuit, petitioni: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quamobrem illius oratio, qui ab orationibus suis inimicos excludit, aut adversùs ipsos Deum precatur, non solùm non delet peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum. *Nullo modo tibi potest nocere saviens inimicus, quantum tibi noces, si non diligis inimicum. Ille enim nocere potest aut villæ tuæ, aut pecori tuo, aut domui tuæ, aut servo tuo, aut ancillæ tuæ, aut filio tuo, aut conjugi tuæ; aut ut multùm, si illi data fuerit potestas, carni tuæ: numquid quomodò tu, animæ tuæ?* Debemus igitur inimicos diligere; diligere autem ex caritate non possumus, nisi spiritualia & æterna bona ipsis optemus. Si autem hæc verè ipsis optamus, & pro ipsis à Deo illa supplices petimus. *Saulus* inimicus erat Ecclesiæ; oratum est pro illo, factus est amicus. Non solùm destitit esse persecutor, sed laboravit ut esset adjutor. Et si verum quæras, *Oratum est contra illum: sed contra ejus malitiam, non naturam. Ora & tu contra malitiam inimici tui: illa moriatur, & ille vivat. Si enim mortuus fuerit inimicus tuus, quasi inimico caruisti, sed nec amicum invenisti. Si autem mortua fuerit malitia ejus: & inimicum amisisti, & amicum invenisti.* Verba

sunt *S. Augustini*, Sermone lvi. aliàs *De Diversis* xlvii. Cap. 2. Inimicorum dilectio.

Hanc Regulam confirmat Concilii Toletani xvii. *sub Egica* Rege, anno dcxciv. celebrati Canon v. contra Sacerdotes editus, *Qui Missam pro requie defunctorum promulgatam, fallaci voto pro vivis studebant celebrare hominibus, non ob aliud, nisi ut is pro quo offerebatur sacrificium, ipsius sacrosancti libaminis interventu, mortis ac perditionis incurreret periculum: & quod cunctis datum est in salutis remedium, illi hoc perverso instinctu quibusdam esse expetebant in interitum.* Sacerdotes tanti criminis reos *à proprio deponi gradu*, & tam ipsis, quàm illis qui ad talia peragenda ipsos incitaverint; *Exilio perpetuo ergastulo religatis, excepto in supremo vitæ curriculo, cunctis vitæ suæ diebus, Sacræ Communionis denegari perceptionem* decernit.

Nec repugnant Regulæ, quam explicamus, imprecationes adversùs inimicos, quæ in Prophetis leguntur, ut illud Psalmi lxviii. *Fiat mensa eorum in laqueum*; & illud Psalmi cviii. *Fiant filii ejus orphani, & uxor ejus vidua*, &c. & quòd Christus etiam Dominus maledixerit civitatibus quæ verbum ejus non receperunt; & Apostolus de quodam dixerit: *Reddet illi Dominus secundum opera ejus.* Matth. 11. Luc. 10.

Hæc enim facilè solvuntur, quia & Propheta per imprecationem quid esset futurum cecinit, *Non optantis voto, sed spiritu prævidentis.* Ita & « Dominus, ita & Apostolus: quanquam in ho- « rum etiam verbis non hoc invenitur quod opta- « verint, sed quod prædixerint. Non enim cùm « ait Dominus, *Væ tibi Capharnaum*, aliud sonat, « nisi aliquid ei mali eventurum merito infideli- « tatis: *Quod futurum Dominus non malevolentiâ optabat, sed divinitate cernebat.* Et Apostolus non ait, *Reddat*, sed, *Reddet illi Dominus secundum opera ejus*: quod verbum *prænuntiantis est, non imprecantis.*

Nec etiam repugnat clamor Martyrum, qui sanguinem suum adversùs inimicos à Deo vindicari precantur Apocalypsis vi. Non enim contra ipsos homines, sed contra regnum peccati vindictam petere sunt intelligendi. *Nam ipsa est sincera & plena justitia & misericordia vindicta Martyrum, ut evertatur regnum peccati, quo regnante tanta perpessi sunt..... Destruitur autem & evertitur peccati regnum, partim correctione hominum, ut caro spiritui subjiciatur; partim damnatione perseverantium in peccato, ut ita justitiâ ordinentur, ut justis cum Christo regnantibus, molesti esse non possint. Quis ergo convincit Martyres Sanctos non talem suam vindictam à Domino esse deprecatos, cùm etiam finem hujus sæculi, in quo tanta exitia pertulerunt, ad suam vindictam potuerint licenter optare? Quod qui orant, & pro inimicis suis orant qui sanabiles sunt, & contra illos non orant, qui insanabiles esse voluerunt, quia Deus quoque puniendo illos non est malevolus tortor, sed justissimus ordinator.* Sic respondet S. Augustinus, Libro i. *De Sermone Dei in Monte*, Cap. xxi. & xxii.

Quamvis denique Scriptura sacra quædam esse fratrum peccata significet, pro quibus non est præceptum ut oremus; i. Joannis v. *Est peccatum ad mortem, pro illo non dico ut roget quis*: contra neminem tamen, quantumvis inimicum, orandum est. Generaliter enim dictum est, BENEDICITE, ET NOLITE MALEDICERE: & illud, NEMINI MALUM PRO MALO REDDENTES. Rom. 12. *Pro quo autem non oras, non etiam contra illum oras: potes enim videre certam ejus pœnam, &*

Inimicorum dilectio.

A *penitus desperatam salutem, & non quia odisti eum ideo pro illo non oras, sed quia sentis nihil te posse proficere; & orationem tuam non vis repelli à justissimo Judice.* Verba sunt *S. Augustini*, ibidem.

Regula XVII.

Inimico etiam in odio pertinaci tenemur injuriam dimittere in præparatione animi, id est, odium, malevolentiam, & vindictæ appetitum deponere: alioqui lethalis peccati rei sumus.

B Hæc Regula nititur Christi verbis (Matth. VI.) *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

Hanc Regulam *S. Augustinus* confirmat, Sermone CCXIX. aliàs *De Diversis*, LXXIII. *Negligens* (inquit) *inimicitias finire obliviscitur; pertinax veniam non vult concedere, cùm rogatur; superbè verecundus veniam petere dedignatur. His tribus vitiis inimicitiæ vivunt: sed animas in quibus non moriuntur, occidunt. Vigilet contra negligentiam memoria, contra pertinaciam misericordia, contra superbam verecundiam submissa prudentia. Qui se concordiæ recolit neglectorem, excutiat expergiscendo torporem: qui se cupit esse sui debitoris exactorem, Dei se cogitet debitorem: qui erubescit petere ut sibi frater ignoscat, vincat per bonum timorem malum pudorem.* C

Et Sermone CCX. aliàs *De Diversis* LXXIV. *Sit*, inquit, *in animo placabili & humili misericors ignoscendi facilitas. Petat veniam, qui fecit injuriam: det veniam, qui accepit injuriam: ut non possideamur à Satana, cujus triumphus est dissensio Christianorum.*

Et Sermone CCXI. aliàs quadragesimâ inter Homilias quinquaginta, Cap. VI. eum qui læsus est, non vult petere veniam ab illo qui læsit, sed animo paratum esse ad dignoscendum. *Nolo mentiaris* (inquit) *nolo dicas, Da mihi veniam, qui te nosti non peccasse in fratrem tuum. Quid enim prodest tibi, cùm tu fueris tuus accusator? Quid expetas tibi ignosci ab eo quem non læsisti? aut in quem non peccasti? Nihil tibi prodest, nolo facias: Nosti, bene discussisti; scis quia in te peccavit, non tu in illum? Scio, inquit: in ista tota scientia, sit tua conscientia. Noli venire ad fratrem tuum qui in te peccavit, & ultro ab illo petere veniam. Debent inter vos esse alii pacifici, qui illum objurgent ut à te prius veniam petat: tu tantum paratus esto ignoscere, prorsus paratus esto ex corde dimittere. Si paratus es dimittere, jam dimisisti. Habes adhuc quod ores: Ora pro illo ut petat à te veniam; quia scis ei nocere si non petat, ora pro illo ut petat.* D E

Regula XVIII.

Inimico veniam petenti non solùm tenemur offensam remittere, sed etiam aliqua benevolentiæ seu reconciliationis signa exhibere: & qui id omittit, lethalis peccati reus est.

F Hæc etiam omissio signum est odii in corde dominantis, scandalum parit, inimicum ad novum odium excitat; violatióque est Dominici Mandati, quod fratri in nos peccanti, sed veniam precanti ignosci jubet (Lucæ XVII.) *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me: dimitte illi.* Id confirmat *sanctus Augustinus*, Sermone LVI. aliàs *De*

A *Diversis* XLVIII. *Quando* (inquit) *inimicus veniam petit, continuò dimittatis. Et hoc multum ad vos? Multum ad te erat, inimicum diligere sævientem: multum est ad te, hominem diligere supplicantem? Quid dicis? Sæviebat, & oderat. Mallem nec tunc odisses: mallem tunc, cùm sævientem paterêris, Dominum recordareris dicentem:* Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. *Sed fortè dicturus es, Fecit ille, sed ut Dominus, quia Christus, quia Dei Filius, quia Unigenitus, quia Verbum caro factum. Quid ego malus & invalidus homo? Si multus est ad te Dominus tuus, cogitetur à te conservus tuus.* B *Stephanus Sanctus lapidabatur, & inter lapides genu fixo pro inimicis orabat, & ait:* Domine, ne statuas illis hoc peccatum. *Illi lapides mittebant, non veniam postulabant: & ille pro eis orabat. Talem te esse volo: extende te. Quid trahis semper cor in terra? Audi, SURSUM COR: extende, dilige inimicos. Si non potes diligere sævientem, dilige vel petentem. Dilige hominem qui tibi dicit: Frater, peccavi, ignosce mihi. Tunc si non ignoveris, non dico, deles orationem de corde tuo: sed deleberis de libro Dei..... Sed fortè dicis, Mentitur, fingit. O judex cordis alieni, dic mihi cogitationes patris tui, dic mihi hesternas tuas. Rogat, veniam petit: Dimitte, prorsus dimitte. Si non dimiseris, non illi noces, sed tibi. Nam ille scit quid est facturus.* C *Non vis tu dimittere conservus conservo tuo: ibit ad Dominum vestrum, & dicet ei: Domine rogavi conservum meum, ut dimitteret mihi, & noluit dimittere, tu mihi dimitte. Numquid non licet Domino debita relaxare servi sui? Ille acceptâ veniâ à Domino recedit absolutus, tu remanes obligatus.*

Inimicorum dilectio. Luc. 23. Act. 7. 59.

Idem confirmat *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione LXXXIII. Articulo VIII. *Diligere inimicos in generali, est in præcepto* (inquit.) *In speciali autem, non est in præcepto, nisi secundum præparationem animi: ut scilicet homo esset paratus etiam specialiter inimicum diligere, & eum juvare in necessitatis articulo, vel si veniam peteret.* D

Cæterùm quamvis semper sit ejusmodi benevolentiæ signum inimico veniam petenti exhibendum, quod sufficit ad depositionem odii significandam, & caritatem comprobandam, non eadem tamen, nec eodem modo sunt ab omnibus exigenda: sicut nec ab omnibus exigendum est ut veniam rogent, cùm quibusdam satis sit, ut vel salutationis officium, vel aliud benevolentiæ signum priores exhibeant. Alia enim debent filius patri, servus Domino, subditus Superiori, plebeius Nobili; quam pater filio, Dominus servo, Superior subdito, Nobilis plebeio: alia sibi mutuò debent Nobiles, vel Clerici, aut Religiosi æquales. Nam pater, dominus, Superior, ita parcere tenetur filio, servo, aut subdito veniam petenti, & benevolentiæ demonstrationem ita temperare, ut tamen correptionem & disciplinam, si necesse sit, non remittat. Unde *S. Augustinus*, Sermone V. alias primo ex iis quos edidit *Sirmondus*, ait: *Putas quia non dimisit ille qui clamat? Fortè enim aliquando clamat aliquis, & jubet cædi hominem, & putas quia non dimisit. Quare? Tu quando cædis filium tuum, tenes odium in corde tuo? Ergo res in corde est: solus Deus videt si dimissum est. Aliquando enim non cædit aliquis, videtur parcere manu, & sævit in corde, & optat mala homini intus, & vult eum necari: tenet contra illum malam voluntatem, quamvis nihil illi corporaliter reddere videatur. Econtra sunt, qui corporaliter quasi videntur reddere; sed corporalis illa correptio quasi dilectio est: ad bonam vitam vult illum pervenire; & tantò magis vult eum corripi, quantò magis illum* E F

Inimicorum dilectio.

amat. Sic & Deus numquid non nos diligit? Non ad hoc nos hortatur ut diligamus inimicos nostros, ut quomodo possumus, similes illi simus? Quanta dilectio est in Domino, quando pro peccatoribus & impiis Christum crucifigendum misit, & pretio Sanguinis ejus nos redemit, qui ei inimici eramus, amando ea quæ fecit, pro eo qui fecit? Cùm ergo ista faceremus, Misit Deus Filium suum, & eum pro nobis impiis ab aliis impiis occidendum tradidit. Et si nondum fidelibus tantum munus datum est, quid ergo servatur fidelibus? Ecce quomodo Deus diligit homines. Attendamus, Fratres, numquid non illos flagellat? numquid non illos corripit? Si non illos corripit, unde fames, unde ægritudines, unde pestilentia & morbi? Omnes enim istæ correptiones Dei sunt. Sicut ergo ille diligit, & tamen corripit: sic & tu, si habes aliquem in potestate, quamvis ferves affectum dilectionis, noli tamen negare flagellum correptionis. Quia si negaveris, non tenebis dilectionem: quia ille moritur in peccatis, qui fortè correptus ea relinqueret; & magis tibi imputatur verum odium.

Gal. 4.

Et Sermone LVI. aliàs *De Diversis* XLVII. Cap. XIII. *Quid si ille qui petit veniam, castigandus est à me? Fac quod vis: puto enim quòd filium tuum diligit & quando cadis, Lacrymas vapulantis non curas; quia ei hæreditatem servas. Ego hoc dico, ut de corde dimittas odium, quando à te veniam petit inimicus.*

REGULA XIX.

Actionem juridicam inimico veniam petenti remittere, sive satisfactionem pro injuria vel damno condonare Christianus non tenetur: Nec illam exigere caritati non repugnat, nisi ex odio, & ob malum inimici, aut aliâ pravâ intentione exigatur. Privatarum tamen injuriarum ultionem publicâ etiam auctoritate non persequi, sed omnino remittere, perfectionis est, & magis expedit Christiano: illas verò privatâ auctoritate ulcisci, crimen est.

POtest quisque jus suum apud legitimum Judicem persequi, nec ordo justitiæ caritati repugnat; sed vindictam, quatenus proximi malum est, optare, vel de illa delectari, caritati adversatur, quam ad inimicos ipsos extendere debemus. Hanc Regulam tradit *sanctus Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione CVIII. Articulo I. *Vindicatio* (inquit) *fit per aliquod pœnale malum inflictum peccanti. Est ergo in vindicatione considerandus vindicantis animus. Si enim ejus intentio feratur principaliter in malum illius de quo vindictam sumit, & ibi quiescat, est omnino illicitum; quia delectari in malo alterius pertinet ad odium, quod caritati repugnat, quâ omnes homines debemus diligere. Nec aliquis excusatur si malum intendat illius, qui sibi injustè intulit malum, sicut non excusatur aliquis per hoc quod odit se odientem. Non enim debet homo in alium peccare propter hoc quòd ille priùs peccavit in ipsum: hoc enim est* vinci à malo, *quod Apostolus prohibet ad Romanos* XII. *dicens*: NOLI vinci a malo, sed vince in bono malum. *Si verò intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per pœnam peccantis, putà ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem ejus, & quietem aliorum, & ad justitiæ conservationem, & ad Dei honorem; potest esse vindicatio licita, aliis debitis circumstantiis servatis*: videlicet, ne gravior pœna exigatur, quàm peccator meruerit, nec privatâ auctoritate infligatur. Neque enim positivo dumtaxat, sed naturali jure prohibitum est, ne quis privatâ auctoritate injurias suas ulciscatur, quoniam qui hoc facit, usurpat Dei auctoritatem, dicentis: *Mihi vindicta, & ego retribuam*: Per me scilicet, aut per Ministros, qui *Non sine causa gladium portant, vindices in iram eis qui malè agunt.*

Inimicorum dilectio.

Deuteron. 32.

Rom. 13. 4.

Licèt autem is qui ex animo parcit inimico, possit ab eo restitutionem honoris, famæ, aut bonorum externorum exigere; cavendum tamen est, ne eum nimio suo damno urgeatur, vel talis restitutio apud Judicem postuletur, cùm inimicos veniam postulat, & congruam bonorum ac prudentum virorum arbitrio satisfactionem offert: quia difficile est in illis circumstantiis ut actio injuriarum in foro instituatur absque appetitu vindictæ. Quomodo verò agitur de pœna capitis aut mutilatione membri, vel aliâ simili erogandâ, ex qua nihil emolumenti provenit personæ læsæ, non est exigenda nisi intuitu divini honoris, & publicæ quietis, zelóque justitiæ: & illam condonare expedit plerumque inimico veniam petenti, quia difficile est ut exigatur absque ultionis libidine. Si tamen tale sit negotium ut familia ejus qui læsus est maneret infamis, nisi is qui læsit, secundùm leges puniretur, pœnam hujusmodi exigere licet.

Denique quamvis privatarum injuriarum ultionem, vel secundùm ordinem juris, persequi periculosum sit, eásque tolerare magis expediat Christiano, ne patientiæ merito fraudetur; injurias tamen Dei & proximorum, vel etiam proprias, cùm in Deum aut Ecclesiam redundant, dissimulare non debet, sed earum ultionem zelo religionis ac justitiæ persequi, ut docet *S. Thomas*, loco suprà notato in Responsione ad secundum: *Mali (inquit) tolerantur à bonis in hoc quòd ab eis proprias injurias patienter sustinent, secundùm quòd oportet: non autem tolerant eos ut sustineant injurias Dei & proximorum.* Unde Auctor Operis Imperfecti in Matthæum Homiliâ V. ait: *In propriis injuriis esse quempiam patientem, laudabile est: injurias autem Dei dissimulare, nimis est impium.*

Dei & proximorum injurias vel etiam proprias, cùm in Deum & Ecclesiam redundant, dissimulare Christianus non debet.

Et in Responsione ad quartum, *Injuria quæ infertur personæ alicui, quandoque redundat in Deum & in Ecclesiam: & tunc debet aliquis propriam injuriam ulcisci: sicut patet de Elia, qui fecit ignem descendere super eos qui venerant ad ipsum capiendum, ut legitur* IV. *Regum* I. *Et similiter Elisæus maledixit pueris eum irridentibus, ut habetur* IV. *Regum* II. *Et Sylverius Papa excommunicavit eos qui eum in exilium miserunt, ut habetur* XXIII. *Quæst.* IV. Canone GUILISARIUS. *In quantum verò injuria in aliquem illata ad ejus personam pertinet, debet eam tolerare patienter, si expediat. Hujusmodi enim præcepta patientiæ intelligenda sunt secundùm præparationem animi, ut sanctus Augustinus dicit* Lib. I. *De Sermone Domini in Monte*. Cap. XXIV.

Belisarius.

Legere præstat *Tertullianum*, Libro *De Patientia*, ubi inter alia præclara, hæc habet: *Qui damni impatientiâ concitatur, terrena cælestibus anteponendo, de proximo in Deum peccat. Spiritum enim, quem à Domino sumpsit, secularis rei gratiâ concutit. Libentes igitur terrena omittamus, cælestia tueamur. Totum licèt sæculum pereat, dum patientiam lucrifaciam. Jam qui minutum sibi aliquid aut furto, aut vi, aut etiam ignaviâ non constanter sustinere constituit; nescio an facilè, vel ex animo ipse rei suæ manum inferre posset in causa eleemosynæ. Quis enim ab alio secari omnino non susti-*

Patientiæ Christianæ efficacia.

nens, ipse ferrum corpori suo ducit? Patientia, in detrimentis exercitatio est largiendi & communicandi. Non pigeat donare eum, qui non timet perdere. Alioquin quomodo duas habens tunicas, alteram earum nudo dabis, nisi idem sis qui auferenti tunicam, etiam pallium offerre possit? ... Absit à servo Christi tale inquinamentum, ut patientia majoribus tentationibus preparata in frivolis excidat, &c.

Et infrà: *Est & alius impatientia stimulus, ultionis libido, negotium curans aut gloriæ, aut malitiæ. Sed & gloria utique vana, & malitia nunquam non Domino odiosa, hoc quidem loco maximè, cùm alterius malitiâ provocata, superiorem se in exequenda ultione constituit, & remunerans nequam duplicat quod semel factum est. Ultio penes errorem, solatium videtur doloris: penes veritatem, certè redarguitur malignitatis. Quid enim refert inter provocantem & provocatum, nisi quòd ille prior in maleficio deprehenditur, ut ille posterior? Tamen uterque læsi hominis Domino reus est.*

Caritatem gravis impatientia extinguit. *Nam Dilectio summum fidei sacramentum, Christiani nominis thesaurus, quam Apostolus totis viribus Spiritûs-Sancti commendat, cujus nisi patientiæ disciplinis eruditur? Dilectio* (inquit) *magnanimis est: ita patientiam sumit. Benefica est: malum patientia non facit. Non æmulatur: id quidem patientiæ proprium est. Nec protervum sapit: modestiam de patientia traxit. Non inflatur, non proterit: non enim ad patientiam pertinet. Nec sua requirit, si offert sua, dum alteri prosit: nec incitatur. Cæterùm quid impatientiæ reliquisset? Ideo* (inquit) *dilectio omnia sustinet, omnia tolerat; utique quia patiens. Meritò ergo nunquam excidit: nam cætera evacuabuntur, consummabuntur. Exhauriuntur linguæ, scientiæ, Prophetiæ: permanent fides, spes, dilectio. Fides, quam Christi patientia induxit: spes quam hominis patientia expectat: dilectio, quam Deo magistro patientia comitatur.*

REGULA XX.

Paratus esse debet Christianus ad misericordiam in omnes homines exercendam.

QUamvis enim omnibus & singulis benefacere non possit, *Caritas* tamen *requirit, ut etiamsi non actu aliquibus benefaciat, habeat in animi præparatione ut benefaceret cuicumque, si tempus adesset. Aliquod* nihilominus *beneficium est, quod possumus omnibus impendere, si non in speciali, saltem in generali: sicut cum oramus pro omnibus fidelibus & infidelibus,* (inquit *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione XXXI. Articulo II. in Responsione ad secundum.) Est autem subveniendum peccatori, *quantùm ad sustentationem naturæ, non quantùm ad fomentum culpæ*, ut ait idem Doctor in Responsione ad secundum.

REGULA XXI.

In magis conjunctos priùs & uberiùs exercenda est beneficentia, cæteris paribus.

Ordo caritatis & beneficentiæ.

AIt enim Apostolus I. ad Timotheum V. *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.*

Idem docet *Sanctus Ambrosius*, Libro I. *De Officiis*, Cap. XXXIX. *Est illa probanda liberalitas*, inquit, *ut proximos sanguinis tui non despicias si egere cognoscas. Melius est enim ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deposcere.*

Ita docet *Sanctus Augustinus*, Libro I. *De Doctrina Christiana*, Cap. VIII. *Cùm omnibus prodesse non possis, his potissimùm consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictiùs tibi quasi quadam sorte junguntur.*

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione XXXI. Articulo III. *Secundum diversas conjunctiones*, inquit, *sunt diversimodè diversa beneficia dispensanda. Nam unicuique est magis exhibendum beneficium pertinens ad illam rem secundum quam est magis nobis conjunctus: tamen hoc potest variari secundum diversitatem locorum, & temporum, & negotiorum. Nam in aliquo casu est magis subveniendum extraneo, putà si sit in extrema necessitate, quàm etiam patri, non tantam necessitatem patienti.*

Et in Responsione ad primum, explicans hanc sententiam Christi (Lucæ XIV.) *Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne fortè te & ipsi reinvitent, & fiat tibi retributio: sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos & cæcos: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in Resurrectione Justorum*: ait: *Dicendum quod Dominus simpliciter non prohibet vocare amicos, aut consanguineos ad convivium: sed vocare eos eâ intentione, quòd te ipsi reinvitent. Hoc enim non erit caritatis, sed cupiditatis. Potest tamen contingere quod extranei sint magis invitandi in aliquo casu, propter majorem indigentiam. Intelligendum est enim quod magis conjunctis, magis est (cæteris paribus) benefaciendum. Si autem duorum unus est magis conjunctus, & alter magis indigens: non potest universali Regulâ determinari cui sit magis subveniendum; quia sunt diversi gradus & indigentiæ, & propinquitatis: sed hoc requirit prudentis judicium.*

Et in Responsione ad tertium: *Nullius*, inquit, *benefactoris beneficium est tantum, sicut parentum: & ideo parentes in recompensandis beneficiis sunt omnibus aliis præferendi, nisi necessitas ex alia parte præponderaret, vel alia conditio, putà, communis utilitas Ecclesiæ, vel Reipublicæ. In aliis autem est æstimatio habenda & conjunctionis, & beneficii suscepti: quæ similiter non potest communi Regulâ determinari.*

In Responsione ad quartum ait: *In necessitatis extremæ articulo magis licere deserere filios, quàm parentes, quos nullo modo deserere licet, propter obligationem beneficiorum susceptorum.*

Quæstione denique XXXII. Articulo IX. *Multò sanctiori magis indigentiam patienti, & magis utili ad commune bonum, est magis eleemosyna danda, quàm personæ propinquiori, maximè si non sit multùm conjuncta, cujus cura specialis nobis non immineat: & si magnam necessitatem non patiatur.*

REGU-

REGULA XXII.

Lethaliter peccat contra præceptum caritatis, qui pauperibus extremam, vel gravem, immò & communem necessitatem patientibus eleemosynam, prout potest, non erogat, his saltem ex superfluo; illis etiam ex necessario sui status.

Eleemosynæ præceptum.

QUæ hoc argumentum spectant, explicuimus, quantùm opus est, Lib. III. hujus Operis, Cap. VI. Articulo nono, Regulis V. VI. VII. VIII. & IX. Illam dumtaxat *S. Augustini* Sententiam in B memoriam revocata, *Sermone* CCVI. aliàs *De Diversis* LXX. *Hinc intelligit Animus Christianus, quantùm remotus esse debet à fraude aliena rei, quando sentit simile esse fraudi, si superflua sua non tribuat indigenti.*

REGULA XXIII.

Non modò Christi præceptum, sed spirituales fructus ex eleemosyna provenientes, ad illam erogandam Christianum hominem incitare debent.

De Eleemosyna.

Elemosyna à peccato & à morte liberat.

ELeemosynis enim expiantur ac redimuntur C peccata, Deúsque peccatoribus propitius redditur. Tobiæ IV. *Ex substantiâ tuâ fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet ut nec à te avertatur facies Domini. Quo modo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis: quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Et Cap. XII. Raphaël Angelus ait: *Bona est oratio, cum jejunio, & eleemosynâ, magis quàm thesauros auri recondere:* D *quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam.* Proverb. XIII. *Redemptio animæ viri divitiæ suæ.* Ecclesiastici III. 33. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis: & Deus prospector est ejus qui reddit gratiam: meminit ejus inposterum, & in tempore casus sui inveniet firmamentum.* Rursùs Eccli. XXIX. *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Danielis IV. *Peccata tua eleemosynis redime.* Christus tandem ait (Lucæ XI. 41.) E *Date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis.*

Eleemosyna alter quodammodo baptismus.

Eleemosynæ alter quodammodo baptismus est, ut *Sanctus Cyprianus* Libro *De Opere & Eleemosynis* docet. *Sicut*, inquit, *Lavacro aquæ salutaris, gehennæ ignis extinguitur, ita eleemosynis atque operibus justis delictorum flamma sopitur. Et quia semel in baptismo remissio peccatorum datur, assidua & jugis operatio, baptismi instar imitata, Dei rursus indulgentiam largitur...... Remedia propitiando Deo ipsius Dei verbis data sunt: quid deberent facere peccantes, magisteria divina docuerunt; operationibus justis Deo satisfieri, miseF ricordiæ meritis peccata purgari.* Hinc Sapiens ait: Proverb. XXI. 13. *Qui obturat aures ne audiat imbecillum, & ipse invocabit Deum, & non erit qui exaudiat eum.* NEQUE *enim* (inquit S. Cyprianus) *promereri misericordiam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit, aut impetrabit de divina pietate aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus.*

Nec mirum quòd ab æternâ morte liberet eleemosyna, cùm etiam eleemosynis corporis mortem depelli probaverit Miraculum Resurrectionis Tabitæ in Actis Apostolorum commemoratum. Cùm enim venisset S. Petrus, *Circumsteterunt eum Viduæ* flentes, & ostendentes ei tunicas quas illis dederat; *nec pro defuncta suis* Act. 9. 39. *vocibus, sed ipsius operibus deprecantes. Sensit Petrus impetrari posse quod sic petebatur; nec defuturum Christi auxilium Viduis deprecantibus, quando esset in Viduis ipse vestitus. Cùm itaque genibus nixus orasset, viduarum ac pauperum idoneus Advocatus legatas sibi preces ad Dominum pertulisset,* conversus ad corpus ait: *Tabitha, surge in nomine Jesu Christi.* Nec defuit Petro, quò minùs statim ferret auxilium, qui in Evangelio dari dixerat quicquid fuisset ejus Nomine postulatum. Mors itaque suspenditur, & spiritus redditur: *Tantùm potuerunt misericordiæ merita, tantùm opera justa valuerunt. Quæ laborantibus viduis largita fuerat subsidia vivendi, meruit ad vitam viduarum petitione revocari;* (inquit *S. Cyprianus.*) Cæterùm *Eleemosynæ illis prosunt, qui vitam mutaverunt. Das enim Christo egenti, ut peccata tua redimas præterita. Nam si ideo das, ut liceat tibi semper impunè peccare, non Christum pascis, sed Judicem corrumpere conaris,* (inquit *Sanctus Augustinus*, Sermone XXXIX. aliàs XIII. ex Homiliis quinquaginta.)

Qui eleemosynam erogat, Christum sibi facit debitorem.

Secundò, Christum sibi facit debitorem, qui eleemosynam erogat: sibi enim datum æstimat, quod pauperi datur. *Quod uni*, inquit, *ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Hinc *S. Cyprianus* ait: *Præclara & divina res salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati, res posita in potestate facientis, res grandis & facilis; sine periculo persecutionis, corona pacis; verum Dei munus & maximum, infirmis necessarium, fortibus gloriosum, quo Christianus adjutus perfert gratiam spiritualem, promeretur Christum Judicem: Deum computat debitorem.* Non solùm autem bona spiritualia, sed & temporalia; & cœleste Regnum eleemosynis rependit. Unde Sapiens ait Eccli. XVII. *Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conservabit, & postea resurget, & retribuet illis retributionem.* Et Christus ait: *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* (Lucæ XVI.) Et Apostolus I. *ad Timoth.* Cap. VI. Divitibus præcipit *bene agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Doceo lucrum (inquit *S. Augustinus*) cùm ostendo, *Thesaurisent sibi.* Non enim volo ut pauperes remaneant. *Non ut perdant, dico: sed quo migrent, ostendo...: Apprehendenda est vera vita, migrandæ sunt facultates nostræ ad locum veræ vitæ; ut hoc ibi inveniamus, quod hîc damus.*

Sermone LXI. aliàs De Diversis Domini.

Deo fœnerantur qui eleemosynam erogant.

Ob eam rationem SS. Patres elemosynam fœnus appellant, & divites qui pauperibus eleemosynas erogant, Deo fœnerari asserunt. *Inveniamus quem fœneremus. Demus in usuram, sed Deo, non homini. Ei damus qui abundat, ei damus, qui dedit quod demus. Et pro modicis rebus, pro frivolis, pro mortalibus, pro putribilibus, pro terrenis, æterna, incorruptibilia, sine fine manentia: quid multa dicturus sum? Se promittit, qui promittit. Si amas illum, eme illum ab illo. Et ut noveris te ipsi dare, audi illum dicentem:* Esurivi, & dedistis mihi manducare, &c. Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Matth. 25. 35. DAT *de cœlo, accipit in terra. Ipse dat, ipse accipit. Quasi fœnus trajectitium facit. Hîc das, ibi recipis; hîc das res perituras, ibi re-*

cipis res fine fine mansuras. Verba sont *S. Augustini*, Sermone XLII. alias XXIX. ex Homiliis quinquaginta.

Omnes homines quantumvis divites, Dei sunt mendici.

Et Sermone CXXIII. aliàs XLI. *De Verbis Domini*, Cap. V. *Quantumcumque habeas, quicumque dives es, Dei mendicus es. Venitur ad horam orationis, & ibi te probo. Petis. Quomodo non pauper es, qui petis? Plus addo, Panem petis. An non es dicturus*, Panem nostrum quotidianom da nobis? *Qui panem quotidianum petis, pauper es, an dives? Et tamen Christus dicit tibi, Da mihi ex eo quod dedi tibi. Quid enim attulisti, quando huc venisti? Omnia quæ creavi, creatus hîc invenisti; nihil attulisti, nihil hinc tolles. De meo quare mihi non donas? De meo quæro, da, & reddo. Habuisti me largitorem, fac citò debitorem. Parum est quod dixi, habeam te fœneratorem. Pauca mihi das, plura reddam. Terrena mihi das, cœlestia reddam. Temporalia mihi das, æterna restituam. Te ipsum tibi reddam, quando te mihi reddidero.*

Et Enarratione in Psalmum CII. *Vide quid emas, quando emas, quanti emas. Emis enim Regnum cœlorum: & non est emendi tempus, nisi in hac vitâ. Et quàm vili emat, attende. Tanti tibi valet, quantùm habere potueris.*

Magnus pauperis, thesaurus est cœli.

Eòdem spectant hæc *S. Petri Chrysologi* verba, Sermone VIII. *Manus* (inquit) *pauperis, Abrahæ sinus est: ubi quicquid pauper acceperit, mox reponit. Thesaurus cœli est manus pauperis, quod suscipit ne in terra pereat, reponit in cœlum.* Thesaurizate, *inquit*, vobis thesauros in cœlo. *Manus pauperis est gazophylacium Christi: quia quicquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo homo pauperi terram, ut accipias cœlum. Da nummum, ut accipias Regnum. Da micam, ut accipias totum. Da pauperi, ut des tibi: quia quicquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter. Clamat Deus*, Misericordiam volo:

Osee 4. 6.

qui quod vult Deus, Deo negat, à Deo sibi quod desiderat, vult negari. Homo, petit Deus: sed tibi, non sibi. Humanam misericordiam petit, ut largiatur divinam. Est in cœlis misericordia, ad quam per terrenas misericordias pervenitur. Domine (*inquit*) in cœlo misericordia tua. *Dicturus causam in judicio Dei, patronam tibi misericordiam, per quam liberari possis, assume. Qui de patrocinio misericordiæ certus est, de venia sit securus, de absolutione non dubitet.*

Psalm. 35. 6.

Sed & *Sanctus Ambrosius*, hoc sacri fœnoris genus exponit Libro *De Tobia*, Cap. XVI. *Fœneratorum vos delectat & usurarum vocabulum. Id non invideo. Docebo quomodo boni fœneratores esse possitis, quomodo bonas quæratis usuras. Dicit Salomon*: Fœnerat Domino qui miseretur pauperi: secundùm datum autem ejus retribuet ei.

Proverb. 19.

Ecce bonum fœnus de malo factum est: ecce irreprehensibilis fœnerator, ecce usura laudabilis. Putatis quòd hominem subtraham vobis debitorem? Deum providero, Christum subrogo, illum demonstro qui vos fraudare non possit. Fœnerate ergo Domino pecuniam vestram in manu pauperis. Ille adstringitur & tenetur: ille scribit quicquid egenus acceperit: Evangelium ejus cautio est: ille promittit pro omnibus indigentibus, ille dicit fidem, quid dubitatis dare? Si quis vobis dives hujus sæculi offeratur, qui fide promittat sua pro aliquo debitore, statim numeratis pecuniam: pauper est vobis Dominus cœli, & conditor Mundi hujus; & adhuc deliberatis quem ditiorem quæratis fidejussorem.

Idem confirmat *S. Leo* Sermone VIII. De Collectis & Eleemosyna IV. *Misereantur*, inquit, *pauperum, qui sibi volunt parcere Christum. Faciles sint in alimenta miserorum, qui cupiunt ad societatem pervenire Fidelium. Non sit vilis homini homo, nec in quoquam despiciatur illa natura, quam rerum Conditor suam fecit. Cui enim laborantium licet negare, quod Christus sibi profitetur impendi? Juvatur conservus, & gratiam refert Dominus. Cibus egeni, Regni cœlestis est pretium: & largitor temporalium, hæres efficitur æternorum. Unde autem exigua ista impendia tantâ æstimari taxatione meruerunt? nisi quia pondera operum charitatis lance pensantur, & cùm amatur ab homine quod Deus diligit, meritò in ejus ascenditur Regnum, in cujus transitur affectum.*

Salviani Massiliensis Presbyteri præclarus est ea de re locus, Libro IV. *Ad Ecclesiam Catholicam*, ubi cùm dixisset, Deum quidem in se ipso non egere, sed in multis; non egere juxta omnipotentiam, sed egere juxta misericordiam; subdit, Christum non solùm egere cum ceteris, sed moltò plus quàm ceteros. In omni « enim pauperum numero, non est universorum « una paupertas. Sunt quidam, quibus etiamsi « vestimenta desunt, alimenta non desunt: multi « sunt hospitio egentes, vestimentis non egen- « tes; multi domo carentes, non substantiâ: « sunt denique quibus etsi desunt multa, non « desunt omnia. *Christus tantummodo solus est*, « *cui nihil est quod in omni humano genere non desit. Nullus servorum suorum exulat, nullus frigore ac nuditate torquetur, cum quo ille non algeat. Solus cum esurientibus esurit, solus cum sitientibus sitit. Et ideo quantùm ad illius pietatem pertinet, plus quàm ceteri eget: solus tantummodo Christus est, qui in omnium pauperum universitate mendicet.*

Christus in universum pauperum universitate mendicat.

Hæc certè Christianos ad eleemosynarum largitionem incitare debent: quod præstabunt uberiùs, si cogitent diabolum cum servis suis, id est, cum populo perditionis & mortis, plebem Christi præsente ac judicante ipso provocare, illique insultare comparationis examine, his pene verbis: *Ego pro istis, quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec familiam meam pretio passionis & cruoris redemi; sed nec Regnum illis cœleste promitto, nec ad paradisum restitutâ immortalitate denuo revoco; & munera mihi quàm grandia, quàm nimio & longo pretiosa, quàm labore quæsita sumptuosissimis apparatibus comparant, rebus suis vel obligatis in muneris comparatione, vel venditis; ac nisi editio honesta successerit, conviciis ac sibilis ejiciuntur, & furore populari nonnumquam pene lapidantur. Tuos tales munerarios, Christe, demonstra, præceptis tuis monitos, & pro terrenis cœlestia recepturos, illos divites, illos copiosis opibus affluentes; an in Ecclesia præsidente & spectante te ejusmodi munus edant, oppignoratis vel distractis rebus suis, immò ad celestes thesauros mutatâ in melius possessione translatis? In istis muneribus meis caducis atque terrenis nemo pascitur, nemo vestitur, & nemo cibi alicujus aut potûs solatio sustinetur: contra inter furorem edentis & spectantis errorem, prodigâ & stultâ voluptatum frustrantium vanitate depereunt. Illic in pauperibus tuis tu vestiris & pasceris, tu æternam vitam operantibus polliceris; & vix tui meis pereuntibus adæquantur; qui à te divinis mercedibus & præmiis cœlestibus honorantur. Quid ad hæc respondemus, Fratres carissimi? Sacrilega sterilitate, & quadam tenebrarum nocte coopertas divitum mentes quâ ratione defendimus? quâ excusatione purgamus? Qui Diaboli servis minores sumus, ut Christo pro pretio Passionis & Sanguinis, vicem nec in modicis rependamus. Præceptis ille nobis dedit, quid facere*

Servi diaboli majora ipsi munera erogant, quàm Christo qui servos ejus se profitentur.

servos

De Eleemosyna.

servos suos oporteret instruxit; operantibus præmium pollicitus, & supplicium sterilibus comminatus, sententiam suam protulit, quid judicaturus sit, antè prædixit. Quæ potest excusatio esse cessanti? Quæ defensio sterili? Nisi quòd non faciente servo quod præcipitur, dominus faciet quod minatur.

REGULA XXIV.

Pauperibus omnibus, etiam improbis, eroganda est eleemosyna, ita tamen ut eorum non foveatur improbitas.

HAnc Regulam tradit Spiritus-Sanctus, Tobiæ IV. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet ut nec à te avertatur facies Domini.* Confirmat Christus, Lucæ VI. *Omni petenti te tribue.* Et Apostolus, ad Galatas VI. *Operemur bonum ad omnes.*

Hanc Regulam præclarè *S. Augustinus* explicat Enarratione in Psalm. CII. *Cùm esurierit nescio quis, si habes unde det, da; si vides dandum esse ad subveniendum, da. Ne pigrescant in hoc viscera misericordiæ, quia tibi peccator occurrit. Tibi enim homo peccator occurrit. Cùm dico, Occurrit tibi homo peccator, duo nomina dixi: hæc duo nomina non superflua sunt: aliud quod homo, aliud quod peccator: quod homo, opus est Dei; quod peccator, opus hominis est: da operi Dei, noli operi hominis. Et quomodo (inquit) me prohibes dare operi hominis? Quid est dare operi hominis? Peccatori dare propter peccatum, placenti tibi propter peccatum..... Quare donat venatori? Hoc in illo amas, in quo nequissimus est, hoc in illo pascis, hoc in illo vestis, ipsam nequitiam publicam spectaculis omnium. Qui donat histrionibus, qui donat aurigis, qui donat meretricibus, quare donat? Numquid non & ipsi hominibus donant? Non tamen ibi attendunt naturam operis Dei, sed nequitiam operis humani. Vis videre quid honores in venatore, quando illum vestis? Dicatur tibi, Sis talis: amas illum, gaudet ad illum, vis quodammodo exspoliare te & illum vestire: noli cum injuria accipere si tibi dicatur, Talis fiat filius tuus. Injuria est, inquit. Quare injuria est, nisi quia illa iniquitas? Quare injuria, nisi quia illa turpitudo? Non ergo donas, cùm donas, fortitudini, sed turpitudini. Quomodo ergo qui venatori donat, non homini donat, sed arti nequissimæ: (nam si homo tantùm esset, & venator non esset, non donares; honoras in eo vitium, non naturam:) sic contrà, si des justo, si des prophetæ, si des discipulo Christi aliquid cujus indiget, & non ibi cogites quia discipulus Christi est, quia Minister est Dei, quia dispensator est Dei; sed cogites ibi aliquod commodum temporale, ut fortasse causa tua necessarius quando fuerit, venalis tibi sit, quia ei aliquid porrexisti; tam tu non dedisti justo, si sic dedisti, quàm ille non dedit homini, quando dedit venatori.*

Et ante *S. Augustinum*, *S. Ambrosius*, Libro I. *De Officiis Ministrorum*, Cap. XXX. *Pulchrum est bene velle, & eo largiri consilio ut prosis, non ut noceas. Nam si luxurioso ad luxuriæ effusionem, adultero ad mercedem adulterii largiendum putes; non est beneficentia ista, ubi nulla est benevolentia. Officere enim istud est, non prodesse alteri, si largiaris ei qui conspiret adversùs patriam, qui congregare cupiat tuo sumptu perditos, qui impugnent Ecclesiam. Non est hæc probabilis liberalitas, si adjuves eum qui adversùs viduam & pupillos gravi decernit jurgio, aut vi aliquâ possessiones eorum eripere conatur.*

REGULA XXV.

Validis Mendicantibus, ignavis, otiosis, qui laborare nolunt, cùm possint, eleemosyna non est ita facilè & copiosè eroganda.

De Eleemosyna.

EOrum enim ignavia & otiositas, quæ vitiorum multorum mater est, foveretur, secundùm illud Eccli. XXX. *Servo malevolo tortura & compedes, mitte illum in operationem, ne vacet; multam enim malitiam docuit otiositas:* & ordo justitiæ perverteretur: æquum enim est ut qui non laborat, non manducet, ut Apostolus ait II. ad Thessalonicenses IV. *Cùm essemus* (inquit) *apud vos, hoc denuntiabamus vobis: Quoniam si quis non vult operari, nec manducet.* Hinc *S. Augustinus* Epistolâ XCIII. aliàs XLVIII. Cap. II. ait: *Utilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligat, quàm esurienti panis frangitur, ut injustitiæ seductus acquiescat.* Hinc Validis Mendicantibus Leges Civiles laborandi necessitatem imponunt, L. *Cunctis*, Tit. *De Mendicantibus validis*, Cod. Lib. XI.

REGULA XXVI.

Severiori examine pauperes non sunt discutiendi, nec curiosiùs inquirendum an paupertatem simulent. Modus tamen servandus est, ne profundatur in indignos & minùs indigentes, quod dignioribus & magis indigentibus debebatur.

PRæstat enim dare cuilibet in Christi nomine petenti, quàm negare verè indigenti. Hanc Regulam *S. Joannes Chrysostomus* disertis verbis explicat Homilia XI. in Epistolam ad Hebræos. *Protinus*, inquit, *accedentem accusas, Cur (inquis) non operatur? Cur otiosus alitur? Dic mihi, Tu operándsne habes, quæ habes, non autem acceptâ hereditate paterna? Quod si etiam operaris, propterea alii exprobras? Non audis Paulum, postquam dixit*, Qui non operatur, nec manducet, *dicentem:* Vos autem bonum facientes, non deficiatis. *Sed quid dicis? Est impostor. Propter unum panem, & vestem, eum appellas impostorem? At statim id vendit (inquis.) Tu autem omnia tua rectè administras? Quid verò? Omnésne sunt pauperes propter otium? Nemo propter naufragium, nemo propter judicium, nemo propter furtum, nemo propter pericula, nemo propter morbos, nemo propter alium casum? Sed habet (inquis) & simulat. Hæc est tui, non illius accusatio. Scit sibi rem esse cum crudelibus, cum belluis magis quàm cum hominibus, & quòd etiamsi verbum eloquatur miserabile, neminem poterit attrahere: & ideo necesse habet se mirabiliori habitu induere, ut tuum frangat animum. Cur membra aperiunt mutilata? Propter te. Si essemus misericordes, non esset eis opus his artibus..... Benignitatis & clementiæ est tempus, non accuratæ & exactæ examinationis; misericordiæ, non ratiocinationis. Vult nutriri: si vis quidem da et sin minùs, amanda, nihil hæsitans & disceptans cur sit miser. Cur nec ipse misereris, & eos qui volunt, avertis? Simus misericordes ut Pater noster cœlestis. Ipse nutrit adulteros & scortatores, & præstigiatores, & qui laborant omni genere vitii. Ita simus misericordes, & si egeat, ei fer opem. Si omnibus demus indiscriminatim, semper miserebimur: sin autem cœperimus esse curiosi, nunquam miserebimur. Cessemus ab hac importuna, satanica, & perniciosâ curiositate. Nam si se in Clerum quis dicat esse relatum, aut si se nominet Sacerdotem, diligenter*

2. Thess. 3. 10.

De Eleemosyna.

inquire. Non est enim expers periculi quæ citra examen illis fit communio. De rebus enim magnis est periculum. Non enim das, sed accipis. Sin autem egeat alimento, nihil scruteris. Exquire quomodo Abraham se exhiberet hospitalem in omnes qui accedebant. Si de iis qui ad ipsum confugiebant, curiosè esset scrutatus, hospitio non excepisset Angelos. Fortasse enim non existimans eos esse Angelos, cum Angelis alios quoque expulisset. Sed quoniam omnes excipiebat, excepit etiam Angelos.

Et Homiliâ xx. in Epistolam ad Romanos, *Neque tu pauperes curiosè inquiras. Propter Christum enim illos suscipis. Quòd si perpetuò curiosè scrutaturus es pauperes, fiet ut sæpe numero probatum coram Deo virum prætergrediare, mercedémque, quam ex eo habiturus eras, perdas.*

Eamdem Regulam confirmat *S. Augustinus*, Sermone XLI. aliàs XI. ex editis à Sirmondo. *Fortè*, inquit, *de illo paupere quem suscepisti in domum tuam, dubitat aliquantùm & hæsitat animus tuus, utrum verax homo sit, an fortè fallax, simulator, hypocrita: titubat animus in facienda misericordia, quoniam cor inspicere non potes. Fac & cum malo, ut pervenias & ad bonum. Qui timet ne bona sua semina in vias, in spinas, in lapides caderent, piger seminare hyeme, seminavit æstate.*

Quamquam cæcis, debilibus, claudis, pueris, senibus, destitutis, præcipoè eroganda sit eleemosyna. *Quid personas eligis? Quid membra inspicis? Pro homine tibi habendus est, quisquis ideo precatur, quia te hominem putat. Abjice umbras illas imaginesque justitiæ, atque ipsam veram & expressam tene. Largire cæcis, debilibus, claudis, destitutis, quibus nisi largiare, moriendum est. Inutiles sunt hominibus, sed utiles Deo, qui eos vitâ, qui spiritu, qui luce dignatur. Fove, quantum in te est, & animas hominum, ne extinguantur, humanitate sustenta. Qui succurrere perituro potest, si non succurrerit, occidit:* (inquit *Lactantius*, Libro VI. *Divinarum Institutionum*, Cap. XI.)

Christianæ prudentiæ regulæ in eleemosynarum distributione sequendæ.

Modum servandum esse in largiendo, Christianæque Prudentiæ Regulas sequendas, *Sanctus Ambrosius* docet Libro II. *De Officiis*, Cap. XVI. *Liquet*, inquit, *debere esse liberalitatis modum, ne fiat inutilis largitas. Sobrietas retinenda est, maximè Sacerdotibus, ut non pro jactantiâ, sed pro justitia dispensent. Nusquam enim major aviditas petitionis. Veniunt validi, veniunt nullam causam nisi vagandi habentes, & volunt subsidia evacuare pauperum, exinanire sumptum: nec exiguo contenti, majora quærunt, ambitu vestium captantes petitionis suffragium, & natalium simulatione licitantes incrementa quæstuum. His si quis facilè deferat fidem, citò exhauris pauperum alimoniis profutura compendia. Modus largiendi adsit, ut nec illi inanes recedant, neque transcribatur vita pauperum in spolia fraudulentorum. Ea ergo mensura sit, ut neque humanitas deseratur, nec destituatur necessitas. Plerique simulant debita. Sit veri examen. Exutos se per latrocinia deplorant: aut injuria fidem faciat, aut cognitio personæ, quò propensiùs juventur. Ab Ecclesia relegatis sumptus impartiendus, si desit eis alendi copia. Itaque qui modum servat, avarus nulli, sed largus omnibus est: non enim solas aures præbere debemus audiendis precantium vocibus, sed etiam oculos considerandis necessitatibus. Plus clamat operatori bono debilitas, quàm vox pauperis. Neque verò fieri potest ut non extorqueat ampliùs importunitas vociferantium: sed non semper impudentiæ locus sit. Videndus est ille qui te non videt: requirendus ille qui erubescit videri. Ille etiam clausus in carcere occurrat tibi, ille affectus ægritudine mentem tuam personet, qui aures non potest.*

Et Lib. I. Cap. XXX. *Omnibus quidem debemus misericordiam: sed quia plerique fraude eam quærunt, & adfingunt ærumnam, ideo ubi causa manifestatur, persona cognoscitur, tempus urget, largiùs se debet profundere misericordia.*

REGULA XXVII.

Non obviis tantùm pauperibus eroganda est eleemosyna, sed pauperes quærendi, & illis maximè subveniendum, qui præ verecundiâ petere non audent.

Hanc Regulam tradunt SS. Patres; scilicet *S. Joannes Chrysostomus*, Homilia XXI. in Epistolam ad Romanos, explicans hæc verba Apostoli; HOSPITALITATEM SECTANTES. Observat enim Apostolum hoc verbo uti, nos docentem, *Ut non exspectemus egenos, donec ad nos veniant: sed ad ipsos curramus, & sollemur. Sic Loth fecit, sic Abraham. Totum namque diem in hoc consumebat, bonam expectans venationem: & si quando quempiam videbat, insiliebat, occurrebat, ad terram supplicanda procidebat, dicens:* Si gratiam inveni in conspectu tuo, ne transeas servum tuum. (a Genes. 18.) *Non quemadmodum nos, qui cùm peregrinum aut pauperem viderimus, supercilia attollimus, neque dignos æstimamus quos alloquamur. Et si quando innumeris supplicationibus vix tandem molliti, modicum argenti per famulos dari jusserimus: universum quod ad beneficentiam attineat propè nos præstitisse putamus. Abraham verò non ita, sed sumptam famuli personam induit, tametsi ignoraret quosnam suscepturus esset. Nos autem licèt manifestè sciamus, quòd in pauperibus Christus suscipiamus, neque sic tamen mansueti reddimur: sed cùm ille obsecret & supplicet, & procidat, nos accedentes conviciis obruimus. Et Abraham quidem omnia per se ipsum & uxorem adimplebat obsequia, nos verò neque per famulos.*

S. Ambrosius, Libro I. *De Officiis Ministrorum*, Cap. XXX. *Perfecta*, inquit, *liberalitas fide, causâ, loco, tempore commendatur: ut primùm operaris circa domesticos Fidei. Grandis culpa, si sciente te Fidelis egeat: si scias eum sine sumptu esse, famem tolerare, ærumnam perpeti, qui præsertim egere erubescat, & non adjuves*, &c. *Consideranda etiam in largiendo ætas atque debilitas, nonnunquam etiam verecundia quæ ingenuos prodit natales; ut senibus plus largiaris, qui sine labore jam non queunt victum quærere. Similiter & debilitas corporis, & hæc juvanda promptiùs. Tum si quis ex divitiis occidit in egestatem: & maximè si non vitio suo, sed aut latrocinio, aut proscriptione, aut calumniis, quæ habebat, amisit.*

S. Augustinus, Enarratione in Psalmum CIII. Sermone III. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, qui præoccupat vocem petituri. Curiosus esto, & intellige super egenum & pauperem. Alius ad te venit ut petat, alium præveni, ne petat. Sicut enim de illo qui te quærit dictum est*, Omni petenti te da: (Matth. 5. 42.) *sic de illo quem tu debes quærere dictum est*, Sudet eleemosyna in manu tua, donec invenias justum cui eam tradas..... *Nemo vobis dicat, Præceptum est à Christo ut servo Dei detur, mendico non detur: absit: prorsus impius ista loquitur. Da illi, sed multò magis illi. Ille enim petit, & in voce petentis agnoscis cui des: ille autem quantò minùs petit, tantò magis tibi vigilandum est ut præoccupes petiturum, & aliquando damnaturum. Itaque curiosi estote ad ista, invenietis multorum servorum*

De Eleemosyna.

Dei indigentiam, tantùm ut velitis invenire. Sed quia delectat vos excusatio, quâ vultis dicere, Nesciebamus: propterea non invenitis.

S. Leo, Sermone VIII. De Collectis & Eleemosynis cap. III. Quantùm suadet possibilitas & voluntas, expensus misericordiæ conferatis, ut possitis illam beatitudinem promereri, in qua sine fine gaudebit, qui intelligit super egenum & pauperem. (Psalm. 40.) Ad quem intelligendum, dilectissimi, sollicitâ benignitate vigilandum est, ut quem modestia tegit, & verecundia præpedit, invenire possimus. Sunt enim qui palam poscere ea quibus indigent, erubescunt: & malunt miseria tacita egestatis affligi, quàm publica petitione confundi. Intelligendi ergo isti sunt, & ab occulta necessitate sublevandi, ut hoc ipso ampliùs gaudeant, cùm & paupertati eorum consultum fuerit, & pudori. Rectè enim in egeno & paupere ipsius Jesu Christi Domini nostri persona sentitur, Qui cùm esset dives, sicut dicit Apostolus, inops factus est, ut nos suâ paupertate ditaret. Et ne deesse nobis suâ præsentiâ videretur, ita humilitatis & gloriæ suæ temperavit mysterium, ut quem Regem & Dominum in Majestate Patris adoramus, eumdem in suis pauperibus pasceremus, liberandi ob hoc in die mala à damnatione perpetua, & pro intellecti pauperis causâ, Regni cœlestis consortiis inserendi.

REGULA XXVIII.

Eleemosyna Christiana liberalis & copiosa esse debet, juxta facultatum uniuscujusque rationem.

(Eleemosynæ Christianæ conditiones.) PAuperes enim ita sunt adjuvandi, ut aliqua inter eos & divites constituatur æqualitas, ut Apostolus docet II. ad Corinthios, cap. VIII. Nunc verò (inquit) & facto perficite: ut quemadmodùm promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis. (Debet esse liberalis & copiosa.) Si enim voluntas prompta est, secundùm id quod habet, accepta est, non secundùm id quod non habet. Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate: in præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat: ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est: Qui multùm, non abundavit: & qui modicùm, non minoravit. Id est, In hoc sæculo vestra temporalis abundantia suppleat illorum temporalem inopiam, ut vicissim aliquando, nimirùm in futuro sæculo, spiritualis illorum abundantia vestræ spiritualis inopiæ supplementum fiat, (Exod. 16.) & Cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula, ut Dominus ait: Scriptum est, Dives & pauper obviaverunt sibi. (Proverb. 22. 2.) Ambos fecit Dominus, Divitem, unde pauperem adjuvaret; Pauperem, unde divitem probaret. Pro viribus suis quisque faciat. Non sic faciat ut ipse patiatur angustias; non hoc dicimus, Superflua tua necessaria sunt alii. Audistis cùm Evangelium legeretur, (Matth. 10.) „Quicunque dederit calicem „aquæ frigidæ uni ex minimis meis propter me, „non perdet mercedem suam. Regnum cælorum venale proposuit, & pretium ejus calicem aquæ frigidæ esse voluit. Sed quando pauper est qui facit eleemosynas, tunc debent eleemosynæ ejus esse calix aquæ frigidæ. Qui plus habet, plus faciat. (Marci 12. Luc. 19.) Vidua illa de duobus minutis fecit: Zachæus dimidium rerum suarum dedit, & ad reddendas fraudes suas aliud dimidium reservavit: Pharisæi decimas omnium bonorum suorum dabant; copiosior itaque Christianorum divitum eleemosyna esse debet cùm dicat Christus: (Matth. 5.) Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum cælorum.

Idem rursus docet Apostolus cap. IX. Epistolæ suprà citatæ. Necessarium (inquit) existimavi rogare fratres, ut præveniant ad vos, & præparent promissam benedictionem hanc paratam esse: sic quasi benedictionem, non tanquam avaritiam. Hoc autem dico, Qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.

Quisque ergo pro modo suarum facultatum aliquid seponat, tanquam debitum, quasi fisco reddendum. Sicut enim habet Rempublicam suam Christus, sic habet fiscum suum, (inquit S. Augustinus, Enarratione in Psalmum CXLVI.) Præcidite ergo aliquid (inquit) & deputate aliquid fixum, vel ex annuis fructibus, vel ex quotidianis quæstibus vestris. Decimas vis? Decimas exime, quanquam parum sit; Pharisæus super quem debet abundare justitia tua, decimas dat: tu autem nec millesimam das. Quomodo superabis eum, cui non æquaris?

Nec tamen eleemosynæ meritum illi deest, qui parum tribuit, quia tenues sunt ejus facultates; aut qui nihil erogat, quia nihil habet. Supplicem nullum spernas: (inquit S. Augustinus Sermone in Psalmum CIII.) & cui dare non potes quod petierit, non eum spernas: si potes dare, da; si non potes, affabilem te præsta. (Deus coronat voluntatem, ubi non invenit facultatem.) Coronat Deus intus voluntatem, ubi non invenit facultatem. Hinc S. Tobias filium suum admonens cap. IV. ait: Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Hinc rursus S. Augustinus Enarratione in Psalmum CXXV. Unde (inquit) procedit eleemosyna? De corde. Si enim manum porrigas, nec in corde miserearis, nihil fecisti: si autem in corde miserearis, etiamsi non habeas quod porrigas manu, accepat Deus eleemosynam tuam.

Et infrà: Quare desideratis latos fundos, ubi multa semina seminetis? Latior vobis non est ubi seminetis, quàm Christus, qui in se voluit seminari. Terra vestra Ecclesia est; seminate quantùm potestis. Sed parum habes unde facias. Habes voluntatem? Quomodo nihil esset quod habes, si non adesset bona voluntas, sic & quia non habes, noli esse tristis, si est tibi bona voluntas. Quid enim seminas? Misericordiam. Et quid metes? Pacem. Numquid autem dixerunt Angeli, „Pax in terra divitibus hominibus? sed, „Pax in terra hominibus bonæ voluntatis. (Luc. 19. Luc. 2.) In Zachæo magna voluntas, in Zachæo caritas magna. Suscepit Dominum hospitio, gaudens suscepit, & dimidium patrimonii sui pauperibus promisit se daturum, & si cui aliquid abstulerat, quadruplum redditurum: ut intelligas propterea sibi eum tenuisse dimidium, non ut haberet quod possideret, sed ut haberet unde debita redderet. Magna voluntas, multùm dedit, multùm seminavit. Ergo Vidua illa, quæ duo minuta misit, parum seminavit? (Luc. 21.) Immò tantùm quantùm Zachæus. Minores enim facultates ferebat, sed parem voluntatem habebat. Misit duo minuta de tanta voluntate, de quanta Zachæus dimidium patrimonii sui. Si attendas quid dederunt, diversa invenies: si attendas unde dederunt, paria invenies: quicquid habuit dedit illa; & quod habuit dedit ille. Fac aliquem non habere vel duos nummos: est aliquid vilius quod seminemus, ut metamus illam messem? Est: Calicem aquæ frigidæ qui dederit discipulo, non perdet mercedem suam. (Matth. 10. Marci 9.) Calix aquæ frigidæ non duobus nummis, sed gratis constat: tamen aliquando

De Eleemosyna.

sic gratis constat, ut habeat illum alias, & alius non habeat: si ergo ille qui illum habet, dederit illi qui non habet, tantùm dedit, si de plena caritate dedit quod dedit, quantùm illa in duobus minutis, quantùm Zachæus in dimidio rerum suarum. Non enim sine causa addidit, frigida, ut pauperem ostenderet. Ideò dixit, Calicem aquæ frigidæ, ne quis vel inde causaretur, quòd lignum non habuerit unde calefaceret aquam. Calicem aquæ frigidæ qui dederit uni ex minimis, non perdet mercedem suam. Quid si nec hoc habeat? Securus sit, Pax in terra hominibus bonæ voluntatis: tantùm illud timeat, ne habeat, & non faciat. Si enim habet, & non facit, intus gelavit: nondum soluta sunt peccata ejus sicut torrens in Austro, quia voluntas frigida est. Quid valent tanta bona, quæ possidemus? accedit voluntas fervens, jam soluta calore Austri: & si nihil habeat, totum illi computatur. Quanta sibi præstant mendici? Non illos deseruit Deus, unde probentur qui faciunt eleemosynas. Iste non potest ambulare; qui potest ambulare, pedes suos accommodat claudo: qui videt, oculos suos accommodat cæco, & qui juvenis & sanus, vires suas accommodat vel seni, vel ægroto, portat illum: ille indiget, ille dives est. Aliquando & dives invenitur pauper, & à paupere præstatur illi aliquid. Venit nescio quis ad flumen, tantò delicatior, quantò ditior, transire non potest, si nudatis membris transiret, frigesceret, ægrotaret, moreretur: accedit pauper exercitatior corpore, trajicit divitem, eleemosynam facit in divitem. Ergo nolite eos tantùm putare pauperes, qui non habent pecuniam. In quo quisque pauper est, ibi illum vide: quia fortè tu in eo dives es, in quo ille pauper est, & habes unde accommodes. Fortè membra tua accommodas, & plus est quàm si pecuniam accommodares. Consilio indiget, tu plenus es consilio: in consilio ille pauper, tu dives es. Ecce nec laboras, nec aliquid perdis: das consilium & præstitisti eleemosynam.

Reoula XXIX.

Eleemosyna Christiana prompta esse debet.

Eleemosynæ Christianæ promptitudo.

NItitur hæc Regulæ divino illo Oraculo, Proverb. III. *Ne dicas amico tuo, Vade, & revertere, cras dabo tibi, cùm statim possis dare.* Unde *Job.* XXXI. Sanctus ille vir ait: *Si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos Viduæ exspectare feci.* Quem locum expendens *S. Gregorius* Libro XXI. *Moralium*, cap. XI. ait: *Petentem se viduam exspectare noluit, ne non solùm ex munere, sed etiam ex celeritate muneris, bonorum operum merita augeret.*

Regula XXX.

Eleemosyna Christiana cum hilaritate fieri debet.

Hilariter danda eleemosyna.

ITa docet Sapiens *Eccli.* cap. XXXV. *In omni dato* (inquit) *hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas.* Et Apostolus II. ad Corinthios IX. *Unusquisque* (inquit) *prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.*

Id confirmat *S. Joannes Chrysostomus*, Homilia XVI. in Epistolam II. ad Corinthios. *Magna res est* (inquit) *& magni pretii vir eleemosynæ studiosus. Major hæc gratia est, quàm mortuos ad vitam revocare. Christum enim fame laborantem alere, multò majus ac præstantius est, quàm in nomine Jesu à morte ad vitam homines excitare. Illic enim Deo beneficium das: Hic ille tibi. Porrò non iis qui beneficium accipiunt, sed qui dant, merces est constituta. Et enim in Miraculorum editione debitorem te Deus habet: in eleemosyna autem, tu Deum tibi obstrictum habes. Eleemosyna verò tum demum est, cùm tu prompto atque alacri animo, cùm largè & copiosè tribuis; cùm te ipsum non dare, sed accipere existimas; cùm perinde ac beneficium accipiens & quæstum faciens, ac non tanquam perdens largiris. Nam hoc alioqui ne beneficium quidem censendum fuerit. Qui enim misericordiâ ductus, inopiam alterius sublevat, is utique læto animo, non gravi ac molesto esse debet. An non enim absurdum fuerit, si, cùm alterius mœrorem discutias, mœreas ipse ac discrucieris?*

Et Homiliæ XXI. in Epistolam ad Romanos, toto zelo invehitur in eos qui pauperibus eleemosynam petentibus insultant, illósque duris & acerbis sæpe verbis repellunt. *Quomodo* (inquit) *ad Deum dicis, Miserere mei? Quomodo peccatorum tuorum veniam petis, qui eum conviciaris, qui tibi nihil peccaverit, pœnámque pro fame tantâque necessitate exigis, quasvis bestias crudelitate superans? Illæ si quidem cogente ventre deputatum sibi cibum attingunt, tu verò nemine impellente fratrem tuum devoras, mordes, laceras, licèt non dentibus, verbis tamen morsibus quibusvis gravioribus. Quomodo ergo Sacram Oblationem sumes, qui linguam humano sanguine rubefecisti? Quomodo pacem das, ore bellis adeo referto? Quomodo sensibili etiam cibo frueris, cùm tantùm rubiginem tibi concilies? Non succurris paupertati, quid & conteris? Non erigis jacentem, ut quid & dejicis? Non tollis pauperis tristitiam, quid & anges? Non das pecuniam, cur verbis etiam convitiaris? Non audisti quantam daturi sint pœnam, qui pauperes non pascunt? Quibus suppliciis condemnandi sint? Ite,* (inquit) *in ignem præparatum Diabolo & Angelis illius. Si ergo non pascentes ita condemnabuntur, quam putas pœnam dabunt, qui non solùm non pascunt, sed & conviciantur?*

Eamdem Regulam confirmat *S. Augustinus*, Enarratione in Psalm. XLII. *Ita jejuna* (inquit) *ut alio manducante, prandisse te gaudeas, propter orationes, ut exaudiaris. Ibi enim ait,* Adhuc loquente te dicam, Ecce adsum: *Si fregeris ex animo esurienti panem. Quia plerumque fit à tristibus, & à murmurantibus, ut careant tædio interpellantis, non ut reficiant viscera indigentis.* Hilarem autem datorem diligit Deus. *Si panem dederis tristis, & panem & meritum perdidisti.* Isai. 58. 2. Cor. 9.

Reoula XXXI.

Eleemosyna Christiana humilis esse debet.

ID enim jubet Christus, *Matt.* VI. cap. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioqui mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est. Cùm ergo facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis & in vicis, ut honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: ut sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Sinistra, secundùm *S. Augustinum*, Libro II. *De Sermone Domini in Monte*, cap. II. significat ipsam *Delectationem laudis*: Dextera verò *Intentionem implendi præcepta divina. Cùm itaque conscientia fa-*

Eleemosyna Christiana cum humilitate facienda est.

cientis eleemosynam misceet se appetitio laudis humanæ, fit sinistra conscientia operis dextera. Nesciat ergo sinistra tua quid faciat dextera tua; id est, non se misceat conscientia tua laudis humanæ appetitio, cùm in eleemosyna facienda divinum præceptum contendis implere. Ut sit Eleemosyna tua in abscondito. Quid est in abscondito, nisi in ipsa bona conscientia, quæ humanis oculis demonstrari non potest, nec verbis aperiri? quandoquidem multi multa mentiuntur. Quapropter si dextera intrinsecus agit in abscondito, ad sinistram pertinent omnia exteriora quæ sunt visibilia & temporalia. Sit ergo eleemosyna tua in ipsa conscientia tua, ubi multi eleemosynam faciunt bona voluntate, etiamsi pecuniam, vel aliquid aliud quod inopi largiendum est, non habent. Multi autem foris faciunt, & intus non faciunt, qui vel ambitione, vel alicujus rei temporalis gratiâ volunt misericordes videri, in quibus sola sinistra operari existimanda est. Item alii quasi medium inter utrosque locum tenent, ut & intentione quæ in Deum est eleemosynam faciant, & tamen inserat se huic optimæ voluntati nonnulla etiam laudis, vel cujusque rei fragilis & temporalis cupiditas. Sed Dominus noster multò vehementiùs prohibet solam sinistram in nobis operari, quando etiam misceri eam vetat operibus dexteræ: ut scilicet non modo solâ temporalium rerum cupiditate caveamus eleemosynam facere, sed nec ita in hoc opere attendamus Deum, ut sese misceat vel adjungat exteriorum appetitio commodorum. Non tamen prohibetur Christiano ut eleemosynas palam faciat, sed ne gloriolæ laudisque humanæ causâ. Eleemosynas igitur in oculis etiam hominum eroget ad exemplum, & ut Deus laudetur, non ut ipse laudetur. Sic duplicem eleemosynam erogabit. Unus enim panem esurit, alter justitiam. Ille quærit quod manducet, ille quod imitetur. Illum pa[illegible] corporali cibo, hunc exemplo proposito. Qui sic eleemosynam erogat, Jesu Christo ministrat; quia porrigendo esurienti panem, de misericordia facit, non de jactantia, non aliud ibi quærit quàm opus bonum, nesciente sinistrâ quid faciat dextera, id est, *Ut alienetur intentio cupiditatis ab opere caritatis;* (inquit rursus *S. Augustinus*, Tractatu II. in Joannem.)

S. Augustinus, Tractatu 8. in 1. Epist. Joan.

Non se extollet dives super pauperem qui eleemosynam erogat, si se magis pauperem esse consideret, ut docet *S. Augustinus*, Sermone CCXXXIX. aliàs de Tempore CXLVI. *Nemo* (inquit) *superbiat quia dat pauperi, Christus pauper fuit. Nemo superbiat quia hospitem suscipit: Christus hospes fuit. Melior est susceptus, quàm suscipiens; ditior accipiens, quàm tradens. Qui accipiebat, cuncta possidebat: qui dabat, ab illo cui dabat, acceperat quod dabat. Nemo ergo superbiat quando dat pauperi: non dicat in animo suo, Ego do, ille accipit: ego suscipio, ille indiget tecto. Fortè quo tu indiges, plus est. Fortè quem suscipis, justus est: ille indiget pane, tu veritate; ille indiget tecto, tu cælo; ille indiget pecuniâ, tu justitiâ. Fænerator esto, eroga quod recipias.... Quid est fænerare? Minùs dare, & plus accipere. Ecce mihi da, dicit tibi Deus: Ego accipio minùs, & do plus. Quid? Centuplicia, & vitam æternam.*

Idem confirmat *S. Gregorius*, Libro XXI. *Moralium*, cap. XIV. explicans hæc verba Job. XXXI. *Si despexi prætereuntem, eò quòd non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem.* Ubi enim præmisit quòd erga indigentiam proximi humilitatem pietas, humilitas pietatem fulcire debet, & pauperes esse venerandos, non contemnendos, nec verbis contumeliosis afficiendos, subdit; *Dilectio namque nostra semper exhibenda est & veneratione sermonis, & ministerio largitatis. Multùm verò ad edomandam dantis superbiam valet, si cùm terrena tribuis, verba sollicitè Magistri Cœlestis penset, qui ait:* Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Si enim eorum amicitiis æterna tabernacula acquirimus, dantes procuidubio pensare debemus, quia patronis potiùs munera offerimus, quàm egenis dona largimur. Hinc per Paulum dicitur:* Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum. *Ut videlicet sollicitè perpendamus, quia & eos quos nunc inopes cernimus, abundantes quandoque videbimus: & qui abundantes aspicimur, si largiri negligimus, quandoque inopes erimus. Qui itaque nunc temporale subsidium pauperi tribuit, ab eo postmodum perpetua recepturus, ut ita dicam, quasi ad frugem terram excolit, quæ quod acceperit, uberiùs reddit. Restat ergo ut nunquam elatio surgat ex munere, quando videlicet dives ex eo quod pauperi tribuit, agit ut in perpetuum pauper non sit.* Et paulò post: *Quisquis super eum cui aliquid tribuit, fastu se elationis extollit, majorem culpam intrinsecùs superbiendo peragit, quàm extrinsecùs largiendo mercedem; fitque ipsis bonis interioribus nudus, cùm nudum despicit vestiens; eòque agit ut se ipso deterior fiat, quò se indigente proximo meliorem putat. Minùs quippe inops est qui vestem non habet, quàm qui humilitatem. Unde necesse est, ut cùm natura nostra consortes exteriora non habere conspicimus; quàm multa nobis desint bona interiora pensemus; quatenus sese super inopes cogitatio nostra non elevet, cùm solerter videt, quia nos tantò veriùs, quantò & interiùs indigentes sumus.*

Luc. 16.

2. Cor. 8.

REGULA XXXII.

Eleemosyna Christiana justa sit necesse est, ex bonis scilicet propriis, non ex alienis, & malè partis.

HAnc Regulam divina Oracula adstruunt. Proverb. III. *Honora Dominum de tua substantiâ.* Tobiæ IV. *Ex substantiâ tuâ fac eleemosynam.* Isaiæ LXI. *Ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocausto.* Ecclesiastici XXXIV. *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum: nec in multitudine Sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui offert Sacrificium ex substantiâ pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.*

Eleemosyna Christiana fieri non debet ex bonis alienis & malè partis.

Id confirmant SS. Patres, præsertim *S. Ambrosius*, Libro I. *De Officiis Ministrorum*, cap. XXX. *Non probatur largitas,* (inquit) *si quod alteri largitur, alteri quis extorqueat: si injustè quæras, & justè dispensandum putet; nisi fortè ut ille Zacchæus, reddas priùs quadruplum ei quem fraudaveris: & gentilitatis vitia fidei studio & credentis operatione compenses.*

S. Augustinus, Sermone CXIII. aliàs XXXV. *De Verbis Domini*, cap. II. *Dicunt, Rapere res alienas, Mammona est iniquitatis; erogare inde aliquid, maximè egentibus Sanctis, hoc est facere amicos de Mammona iniquitatis. Intellectus iste corrigendus est, immò de tabulis cordis vestri omnino delendus est. De justis laboribus facite eleemosynas: ex eo quod rectè habetis, date. Non enim corrupturi estis Judicem Christum, ut non vos audiat cum pauperibus, quibus tollitis. Si enim deprædaveris aliquem*

De Eleemosyna.

invalidum tu validior & potentior, & veniret tecum ad Judicem hominem quemlibet in hac terra, habentem judicandi aliquam potestatem, vellétque tecum causam dicere, si tu de præda & spoliatione illa inopis dares aliquid Judici, ut pro te judicaret, Judex ille vel tibi placeret? Nempe pro te judicavit, & tamen tanta vis est justitiæ, ut & tibi displiceat. Noli tibi talem pingere Deum, noli collocare in templo cordis tui tale idolum..... Noli te velle eleemosynam facere de fœnore & usuris.

Et Sermone CLXXVIII. aliàs XIX. *De Verbis Apostoli*, cap. IV. *Sed ait mihi raptor rerum alienarum, Ego similis illius Divitis non sum. Agapes facio, vinctis in carcere victum mitto, nudos vestio, peregrinos suscipio. Dare te putas? Tollere noli, & dedisti. Cui dederis gaudet, cui abstuleris plorat: quem duorum istorum exauditurus est Dominus? Dicis ei cui dederis, Gratias age quia accepisti. Sed alter tibi ex alia parte dicit, Ego gemo cui abstulisti. Et pene totum tenuisti, & exiguum illi dedisti. Si ergo quod alteri abstulisti, egentibus dedisset, nec talia opera diligit Deus. Dicit tibi Deus: Stulte, jussi ut dares, sed non de alieno. Si habes, da de tuo: si non habes quod des de tuo, melius nulli dabis, quàm alteros spoliabis.*

S. Gregorius, P. III. *Pastoralis Curæ*, Admonitione XXII. *Violenter* (inquit) *exquirunt quæ misericorditer largiuntur. Sed aliud est pro peccatis misericordiam facere, aliud pro misericordia faciendâ peccare: quæ jam nequaquam misericordia nuncupari potest, quia ad dulcem fructum non proficit, quæ per virus pestiferæ radicis amarescit.*

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XXXII. Articulo VII. ubi observat, tripliciter aliquid esse illicitè acquisitum. *Uno modo id illicitè ab aliquo acquiritur, quod debetur ei à quo est acquisitum, nec potest ab eo retineri qui acquisivit, sicut contingit in rapina, & furto, & usuris. Et de talibus cùm homo teneatur ad restitutionem, eleemosyna fieri non potest. Alio modo aliquid illicitè acquisitum, quia quidem ille qui acquisivit, retinere non potest, nec tamen debetur ei à quo acquisivit, quia scilicet contra justitiam accepit, & alter contra justitiam dedit; sicut contingit in Simonia, in qua dans & accipiens contra justitiam Legis Divinæ agit. Unde non debet fieri restitutio ei qui dedit, sed debet in eleemosynas erogari. Et eadem est ratio in similibus, in quibus datio & acceptio est contra Legem. Tertio modo est aliquid illicitè acquisitum, non quidem quia ipsa acquisitio sit illicita; sed quia id ex quo acquiritur est illicitum, sicut patet de eo quod mulier acquirit per meretricium. Et hoc propriè vocatur turpe lucrum. Quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra Legem Dei: sed in eo quod accipit, non injustè agit, nec contra Legem. Unde quod sic illicitè acquisitum est, retineri potest, & de eo eleemosyna fieri.*

REGULA XXXIII.

Quicunque sub alterius potestate constitutus est, de his quorum dominium non habet eleemosynam erogare non potest, nisi cum ejus licentiâ, cujus subest potestati.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XXXII. Articulo VIII. *Qui est sub potestate alterius constitutus* (inquit) *secundùm Superioris potestatem regulari debet. Et ideo oportet quod ea in quibus inferior Superiori subjicitur, dispenset non aliter quàm ei sit à Superiore permissum. Sic ergo ille qui est sub potestate constitutus, de re secundùm quam Superiori subjicitur eleemosynam facere non debet, nisi quatenus ei à Superiore fuerit commissum.* Ex his colliguntur quatuor Regulæ sequentes.

De Eleemosyna.

REGULA XXXIV.

Monachus cui dispensatio vel administratio bonorum Monasterii non est concredita, eleemosynas sine licentiâ Superioris, vel expressâ, vel probabiliter præsumptâ, facere non potest, nisi in articulo extremæ necessitatis.

ITa docet *S. Thomas*. Ratio est, quia proprium non habet, ac Voto paupertatis obstrictus, non solùm est incapax dominii, sed & legitimi usûs, nisi quatenus ipsi à Superiore conceditur. Unde nec de rebus à parentibus, aliísve datis erogare eleemosynam potest, nisi in extrema necessitate constitutis, aut absente Superiore, *aliquid modicum, sub spe ratihabitionis.*

Si verò administratio vel dispensatio bonorum Monasterii sit ipsi commissa, debitas, præscriptas, vel solitas eleemosynas facere potest. Item, si concedatur ei facultas aliquid expendendi in religiosos & pios usus pro sua voluntate, ex iis quorum usus illi conceditur, erogare potest eleemosynam, sive sit in Monasterio, sive extra, studiorum causâ, vel peregrinationis, aut gerendorum negotiorum. Ex congiario (inquam) aut viatico, seu pensione ad victum & vestitum sibi concessâ, si quid residuum fuerit, ex hoc parsimoniæ suæ frugalitatisque fructu pauperes recreare potest; *Quia cùm dantur ei expensa, committitur ei earum dispensatio*, ut loquitur *Sanctus Thomas* in IV. *Sententiarum* Distinctione XV. Quæstione II. Articulo V. Quæstiuncula IV. Idéoque confirmat Quodlibeto III. Quæstione VI. Articulo I. *Religiosi* (inquit) *quamvis proprium habere non possint, possunt tamen aliquarum rerum dispensationem habere, sive de fructibus possessionum communium, sive etiam de eleemosynis quæ particulariter eis conferuntur: nec refert quantùm ad propositum pertinet, utrum hujusmodi dispensationem habeant auctoritate sui Ordinis, vel auctoritate alicujus Superioris Prælati. Hi ergo quibus dispensatio commissa est, possunt meritoriè eleemosynam facere de bonis quæ eorum dispensationi committuntur, secundùm quod eis committitur: & hujusmodi eleemosyna meritoria, & eis qui ministerium exequuntur, & illis quorum usibus hujusmodi res deputata noscuntur: si verò aliquis Religiosus sit, cui non sit hujusmodi rerum dispensatio commissa, ei non licet eleemosynam facere.*

Denique Religiosus Parochus, aut alio Beneficio Ecclesiastico auctus, ex fructibus sui Beneficii eleemosynas dare, & in alias pias causas erogare potest. Quamvis enim illorum non sit dominus, Voto paupertatis repugnante, jure tamen eorum administrator est ac dispensator.

REGULA XXXV.

Uxor ex bonis mariti, vel ex bonis communibus, quorum administratio ad ipsum pertinet, eleemosynas erogare absque ipsius consensu non potest, nisi fortè modicas, quæ ab ejusdem conditionis mulieribus fieri consueverunt, aut in extrema necessitatis articulo.

De Eleemosyna.

HAnc Regulam tradit *Sanctus Augustinus*, Epistola CCLXII. aliàs CXCIX. ad *Ecdiciam*, quæ omnia, vel pene omnia quæ habebat, nescio quibus duobus transeuntibus Monachis tanquam pauperibus eroganda donaverat, inconsulto Marito. *Etiamsi*, inquit, *ad ipsas eleemosynas largiùs faciendas fortè pigrius movebatur, posses & ista condiscere, si tuis inopinatis non feriretur expensis, sed exspectatis invitaretur obsequiis; ut etiam hoc quod temerè sola fecisti, multò consultiùs dilectione concordi, multòque ordinatiùs & honestiùs ambo faceretis; nec blasphemarentur servi Dei, si tamen hoc fuerunt, qui marito absente atque nesciente, ab ignota muliere & ab aliena uxore tanta sumpserunt, & laudaretur Deus in operibus vestris, quorum esset tam fida societas, ut à vobis communiter teneretur, non solùm summa castitas, verùm etiam gloriosa paupertas.*

Et paulò post: *Nonne si ampliorem misericordiam cogitans, ideo pauperibus res tuas erogare differres, ne scandalizatus maritus tuus Deo periret, uberiores tibi Deus eleemosynas imputaret? .... Neque hoc ita dicimus, ut si quisquam scandalizatus fuerit de bonis operibus nostris, ab eis desistendum putemus; sed alia caussa est alienarum, alia necessariarum in societate aliqua personarum; alia fidelis, alia infidelis; alia parentum erga filios, alia filiorum erga parentes: alia postremò ea, quæ in his rebus vel maximè intuenda est viri & uxoris, ubi mulierem conjugatam non licet dicere, Facio quod volo de meo; cùm & ipsa non sit sua, sed capitis sui, hoc est, viri sui.... Pariter ergo consilium de omnibus haberetis, pariter moderaremini quid thesaurizandum esset in cœlo, quid ad vitæ hujus sufficientiam vobis & vestris vestròque filio relinquendum, ne aliis esset refectio, vobis autem angustia. Et in his disponendis atque faciendis, si quid tibi fortè melius videretur, suggereres viro reverenter, ejusdémque auctoritatem tanquam tui capitis sequereris obedienter; ut omnes qui sanum sapiunt, ad quos posset hoc bonum vestrum fama perferre, de domûs vestræ fructu ac pace gauderent, & adversarius revereretur nihil habens de vobis dicere pravi.... Indue itaque humilitatem mentis, & ut te Deus conservet perseverantem, noli maritum contemnere pereuntem. Funde pro illo pias & assiduas orationes, sacrifica lacrymas tanquam vulnerati sanguinem cordis. Et scribe ad eum satisfactionem, petens veniam, quia in eum peccasti, quòd præter ejus consilium & voluntatem de rebus tuis fecisti, quod faciendum putasti; non ut te pœniteat tribuisse pauperibus, sed eum tui boni operis participem & moderatorem habere noluisse.* Si tamen maritus absens fuerit, vel mentis impos, aut rei familiaris administrationem uxori permiserit, aut ei certum quid ad ornamenta & honestas expensas concesserit, aut si dotem sufficientem attulerit viro, & nihilominus arte vel industria aliquid lucretur non deserendo familiæ curam, aut bona paraphernalia habeat, id est, præter dotem ipsi à parentibus aut aliis in suos usus donata, ex iis eleemosynas erogare licet uxori inconsulto marito, ut docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XXXII. Articulo

A VIII. in Responsione ad secundum: *Si uxor*, inquit, *habet alias res præter dotem, quæ ordinatur ad sustentanda onera Matrimonii, vel ex proprio lucro, vel quocumque alio licito modo, potest dare eleemosynas etiam irrequisito assensu viri, moderatas tamen, ne ex earum superfluitate vir depauperetur. Aliàs autem non debet dare eleemosynas sine consensu viri, vel expresso, vel præsumpto, nisi in articulo necessitatis; sicut de Monacho dictum est. Quamvis enim mulier sit æqualis viro in actu Matrimonii: tamen in his quæ ad dispositionem do-*
B *mûs pertinent, Vir caput est mulieris, secundùm Apostolum 1. ad Corinthios XI.* De Eleemosyna.

Hanc Regulam confirmat & explicat *R. Raymundus* Libro II. Tit. *De Furtis*, §. IX. *Si uxor* (inquit) *habet res paraphernales, id est, proprias præter dotem, potest de illis etiam invito viro facere eleemosynam.* (C. De Pactis conventis. L. Hac Lege.) *De rebus autem viri, ut de pane, vino, & aliis, quæ bono & approbato more solent ad dispensationem uxorum pertinere, potest & debet facere eleemosynam, moderatè tamen, secundùm facultatem viri, & majorem vel minorem multitudi-*
C *nem vel necessitatem pauperum. Et debet semper sibi conformare conscientiam quòd non displiceat marito in corde, licèt fortè aliquando prohibuerit ore: solent enim mariti facere prohibitionem uxoribus absolutè, ut sic temperent eas, non à toto, sed ab excessu quem suspicantur. Potest etiam formare sibi conscientiam ex qualitate & miseria pauperis, cogitans quòd si maritus illum videret, omnibus modis placeret ei quod sibi faceret eleemosynam. Si autem omnino & præcisè dictet ipsi uxori conscientia, quòd viro displicet, & scandalizatur inde, deponat conscientiam illam si potest: sin autem, non debet; & doleat quia non*
D *potest dare. Et sic intelligitur quod dicitur Causa* III. *Quæst.* III. *Can.* Quod Deo. *Hoc autem ultimum dico, nisi videret pauperem indigere ad mortem: tunc enim deberet dare intrepidè, aliàs peccaret.*

REGULA XXXVI.

Filii-familiâs eleemosynam erogare non possunt absque licentiâ patris, nisi ex iis quorum dispensatio ipsis à patre commissa est, aut ex peculio castrensi, aut quasi castrensi.

E

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, ibidem, in Responsione ad tertium. *Ea*, inquit, *quæ sunt filii-familiâs, sunt patris: & ideo non potest eleemosynam facere nisi fortè modicam, de qua præsumere potest quòd patri placeat; nisi alicujus rei esset sibi à patre dispensatio commissa.* Si tamen de consensu patris iter agat, si studiorum causâ absit, si negotia parentum gerat absens; eas eleemosynas erogare tutâ conscientiâ potest, quas alii paris conditionis filii familiâs erogare solent, & generatim omnes illas, quas patri non ingratas fore bona fide existimat. Si etiam ali-
F quid sibi subtrahit de his quæ ad victum, vel ad honestos usus concessit pater, laudabilis parsimoniæ fructum pauperibus dare potest. Ex peculio etiam castrensi & quasi castrensi, cujus dominium & liberam administrationem habet, filius eleemosynam erogare potest, etiam invito patre: non autem ex peculio adventitio, cujus proprietatem quidem habet, non administrationem quandiu est sub potestate patris: multò minùs ex peculio profectitio, cujus proprietas est penes patrem.

Peculium castrense est, quod filius-familiâs militando acquirit.

Peculium quasi castrense est, quod acquirit ea Officio publico, vel Beneficio. *De Eleemosyna.*

Peculium adventitium est, quod vel industriâ vel dono ita acquirit, ut nullam ex bonis paternis ducat originem.

Peculium profectitium est, quod provenit à patre, vel quod ejus causâ donatum est.

REGULA XXXVII.

Famuli & ancillæ ex rebus dominorum suorum eleemosynam dare non possunt absque eorum consensu, nisi fortè fragmenta quædam panis, aut quid simile.

ITa docet *Sanctus Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XV. Quæstione II. Articulo V. Quæstiuncula III. *Dicendum*, inquit, *de servis & ancillis, & etiam de famulis, quamvis sint liberæ conditionis, quòd non possunt eleemosynas dare de rebus dominorum sine eorum consensu, nisi panem, & hujusmodi, quæ non inferunt sensibile nocumentum; quia etsi sit dispensator rerum, non tamen ponitur dispensator quasi potestatem aliquam in re domini habens, sed quasi tractans eam ad utilitatem domini. De pretio autem servitii sui constat quòd posset eleemosynam dare.*

C

REGULA XXXVIII.

Eleemosynam propriâ manu pauperibus erogare, majoris est meriti.

DOcet enim *S. Augustinus*, Sermone CCLIX. aliàs XIX. ex editis à Sirmondo, *Eum duplam misericordiam facere, qui pauperibus sic dat aliquid, ut ipse eroget. Non enim debet esse sola benignitas largientis, sed & humilitas ministrantis. Nescio quomodo, Fratres mei, animus ejus qui porrigit pauperi, velut communi humanitati atque infirmitati compatitur, quando ponitur manus habentis in manum indigentis. Quamvis ille det, ille accipiat, conjunguntur minister & cui ministratur. Non enim jungit nos calamitas, sed humilitas.... Bonum est, Fratres, etiam manu vestrâ dispensetis: valde gratum est Deo. Ipse accipis, & dabit tibi, qui ante tibi quàm deberet quod dares dedit. Debet erogationis officio conjungi ministrationis officium. Cùm tibi liceat duas mercedes habere, quare perdis unam?*

D

E

REGULA XXXIX.

Mortaliter peccat contra præceptum de dilectione proximi, qui proximum lethaliter peccantem non corripit, cùm potest, & debet, spésque probabilis affulget emendationis.

Fraternæ correptionis præceptum quando obligat?

PRoximum enim verè ac sincerè non diligit, qui non vult ei bonum vitæ æternæ, & mala ipsum ab ejus consecutione prohibentia non removet ab eo cùm potest: qui autem lethaliter peccantem proximum non corripit, cùm potest & debet, cùm scilicet non est in promptu alius modus ipsum eruendi à peccato, nec est alius qui ipsum corripiat, & probabilis spes emendationis affulget, non vult efficaciter proximo bonum vitæ æternæ, cùm illud ipsi pro viribus non procuret; neque mala ab eo removet, quibus à summi illius boni consecutione prohibetur: peccat itaque mortaliter contra præceptum de dilectione proximi.

F

Præterea, jure naturali tenemur subvenire

A

proximo corporaliter indigenti; adeò ut lethaliter peccet, qui pauperem in articulo necessitatis extremæ non pascit, ac juvat pro viribus: multò magis igitur subvenire tenemur spiritualiter indigenti, adeóque lethalis peccati reus est, qui officium istud fraternæ caritatis omittit, *Ubi debet, quando debet, & secundùm quòd debet*; (ut loquitur *S. Thomas.*) Cùm enim fraternæ correptionis præceptum affirmativum sit, quovis loco & tempore non obligat, sed solùm in necessitatis articulo, & cùm probabile est salubrem & *De fraterna correptione.*

B

utilem fore ad emendationem peccatoris. *Correctio fraterna ordinatur ad fratris emendationem*; (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. XXXIII. Articulo secundo) *& ideo hoc modo cadit sub præcepto secundùm quòd necessaria est ad istum finem; non autem ita quòd quolibet loco vel tempore frater delinquens corrigatur.*

Tertiò, singulare de correptione fraterna præceptum tradidit Christus Dominus, Matthæi XVIII. *Si peccaverit in te frater tuus*, inquit, *vade, & corripe eum inter te & ipsum solum..... Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Quæ verba, *in te*, duplici sensu exponi possunt, primò ut idem significent quod, *te sciente*, sive peccatum sit contra Deum, sive contra nos ipsos, sive contra quemvis alium. Qui enim altero sciente peccat, ipsum quasi testem & approbatorem iniquitatis suæ facit, & scandalum illi præbet. Unde *Sanctus Augustinus*, Sermone LXXXII. aliàs XVI. *De Verbis Domini*, Cap. VII. *Peccavit in te frater tuus; si tu solus nosti, tunc verè in te solum peccavit. Nam si multis audientibus tibi fecit injuriam, & in illos peccavit, quos testes suæ iniquitatis effecit... Quando me audiente, fratri meo quisque injuriam facit, absit ut à me injuriam illam alienam putem. Prorsus & mihi fecit: immò & mihi plus fecit, cui putavit placere quod fecit.* Alio modo hæc verba, *Si peccaverit in te*, exponi possunt, ut idem significent ac, *contra te*, id est, si frater tuus tibi fecerit injuriam, corripe illum. Qui proprius est sententiæ Christi sensus. Unde *S. Petrus* mox Dominum interrogavit, *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* Et *Lucæ* XVII. idem præceptum sic exprimitur: *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi.* Atque ita exponunt *S. Joannes Chrysostomus*, *S. Ambrosius*, *S. Hieronymus*, & ipse *S. Augustinus* Sermone mox laudato. Si autem ex præcepto Christi Domini tenemur corripere fratrem contra nos peccantem, multò magis tenemur ipsum corripere peccantem in Deum, & peccantem in alios, qui nullâ nos injuriâ afficiunt, quos proinde magis diligere debemus. Jubemur enimvero corripere contra nos peccantem, non quia nobis injuriam fecit, sed quia se ipsum perdidit. Unde subdit Christus: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*: quæ verba *S. Augustinus* expendens, ait: *Quare illum corripis? Quia te doles quòd peccaverit in te? Absit. Si amore tui id facis, nihil facis. Si amore illius facis, optimè facis. Denique in ipsis verbis attende, cujus amore id facere debeas, utrum tui, an illius. Si te* audierit, *inquit*, lucratus es fratrem tuum. *Ergo propter illum fac, ut lucreris illum. Si faciendo lucraris, nisi fecisses, perierat.* Cùm ergo pereat multò magis qui peccat in Deum, tenemur ipsum peccantem corripere: & si istud caritatis officium prætermittamus urgente necessitate, & tempore ac loco opportunis, violamus præceptum de proximi dilectione. Unde rursus *S. Augustinus* eodem Sermone: *Si neglexeris*, inquit, *pejor es. Ille injuriam fecit, & injuriam faciendo gravi se ipsum*

ipsum vulnere percussit: tu vulnus fratris tui contemnis? tu eum vides perire, vel perisse, & negligis? Pejor es tacendo, quàm ille conviciando. Quando ergo in nos aliquis peccat, habeamus magnam curam, non pro nobis, nam gloriosum est injurias oblivisci: sed obliviscere injuriam tuam, non vulnus fratris tui.

De fraterna correptione.

REGULA XL.

Non solos Prælatos, sed omnes & singulos Christianos obligat Præceptum de Correptione fraterna.

Omnes enim & singuli tenentur diligere proximum, & bonum ejus spirituale, salutemque æternam pro viribus procurare. Deus *Mandavit unicuique de proximo suo*, ut dicitur Ecclesiastici Cap. xvii. Prætetea, Omnes unum corpus sumus in Christo, singoli autem alter alterius membra. Charitas porrò quæ mysticum illud corpus convertit ac vivificat, facit *Ut pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*, (ut ait Apostolus 1. ad Corinthios xii.) Proximo autem peccanti succurritur fraternâ correptione; cujus proinde præcepto Christus omnes adstrinxit, dicens: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum.*

Id confirmat Canon, *Tam Sacerdotes*, Causa xxiv. Quæstione iii. *Anacleti* Papæ nomine inscriptus: *Tam Sacerdotes*, inquit, *quàm reliqui Fideles omnes summam debent habere curam de his qui pereunt, quatenus eorum redargutione, aut corrigantur à peccatis, aut si incorrigibiles apparent, ab Ecclesia separentur.*

In homine non amandus error.

Et Canon, *Non putes*, Causa xxiii. Quæst. v. sumptus ex *S. Augustini* Tractatu vii. in Epistolam 1. S. Joannis. *Non putes*, inquit, *tunc te amare servum tuum, quando eum non cædis; aut tunc te amare filium tuum, quando ei non das disciplinam; aut tunc te amare vicinum tuum, quando eum non corripis: non est ista caritas, sed languor: ferveat caritas ad corrigendum, ad emendandum; sed si sunt boni mores, delectent; si sunt mali, emendentur, corrigantur. Noli in homine amare errorem, sed hominem: hominem enim Deus fecit, errorem ipse homo fecit. Ama illud quod Deus fecit, noli amare quod ipse homo fecit. Cùm illud amas, illud tollis: cùm illud diligis, illud emendas. Sed & si sævis aliquando, propter correctionis dilectionem. Propterea de columba demonstrata est caritas, quæ venit super Dominum. Species illa columbæ, in qua specie venit Spiritus-Sanctus, quo nobis caritas infunderetur. Quare hoc? Fel columba non habet; tamen rostro & pennis pro nido pugnat, sine amaritudine sævit. Hoc facit & pater, quando filium castigat, ad disciplinam castigat...... Tales estote ad omnes. Videte, Fratres, magnum documentum, magnam regulam. Unusquisque habet filios, aut habere vult; aut si omnino decrevit filios non habere carnaliter, vel spiritualiter cupit habere: quis est qui non corrigit filium suum? quis est cui non det disciplinam pater? Et tamen sævire videtur. Amor sævit, Caritas sævit: sævit quodammodo sine felle, more columbino, non corvino.*

Matth. 3.

Amor sævit more columbino, non corvino.

Eamdem Regulam confirmat *Sanctus Thomas* Secunda Secundæ, Quæstione xxxiii. Articulo iii. *Duplex est correctio*, (inquit:) *Una quidem quæ est actus Caritatis, quæ specialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis per simplicem admonitionem, & talis correctio pertinet ad quemlibet caritatem habentem, sive sit subditus, sive Prælatus. Est autem alia correctio quæ est actus Justitiæ, per quam intenditur bonum commune: quod non solùm procuratur per admonitionem fratris, sed etiam interdum per punitionem, ut alii à peccato timentes desistant. Et talis correctio pertinet ad solos Prælatos, qui non solùm habent admonere, sed etiam corrigere puniendo.* Prælatorum porrò nomine non solùm Episcopos, Abbates, Parochos, & Regularium Superiores *Sanctus Thomas* intelligit, sed etiam maritos respectu uxorum, parentes respectu liberorum, Judices & Reges respectu subditorum.

De fraterna correptione.

REGULA XLI.

Præceptum de Correptione fraterna Prælatos graviùs obstringit respectu subditorum.

Illi enim & ratione Officii, & ratione Caritatis, quam majorem subditis debent, majorem salutis eorum curam gerere tenentur. Unde *S. Augustinus*, Libro 1. *De Civitate Dei*, Cap. ix. de correptionis officio loquens ait: *Qui in re non utique parem, sed longè graviorem habent causam, quibus per Prophetam dicitur*, " Ille quidem in suo peccato morietur, sanguinem autem ejus " de manu speculatoris requiram. *Ad hoc enim " speculatores, hoc est, Populorum Præpositi constituti sunt in Ecclesiis, ut non parcant objurgando peccata.*

Ezech. 33. 6.

Et Sermone xlvi. *De Pastoribus*, aliàs *De Tempore* ccxv. Cap. ix. *Audite*, inquit, *& discite oves Dei: A malis Pastoribus inquirit Deus oves suas, & de manibus eorum inquirit mortem earum: dicit enim in alio loco per eumdem Prophetam*, Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël: audies ex ore meo sermonem, & " præmonstrabis eis ex me. In eo cùm dixero " peccatori, Morte morieris, & non fueris lo- " cutus ut caveat impius à via suâ; ille facinoro- " sus in suo facinore morietur, sanguinem au- " tem ejus de manu tua exquiram. Tu autem si " prænunciaveris facinoroso viam ejus, ut aver- " tatur ab ea, & non fuerit aversus à via sua; " iste in facinore suo morietur, & tu animam " tuam liberabis. *Videtis quàm sit tacere periculo- " sum? Moritur ille, & rectè moritur, in impietate suâ, & peccato suo moritur. Negligentia enim ejus occidit eum. Nam Pastorem invenire viventem, qui ait*, Vivo ego, dicit Dominus: *sed enim fue- " rit negligens, non admonente illo qui ad hoc est Præpositus & Speculator, ut admoneat, & ille justè moritur, & iste justè damnatur.* Prælati ergo ob neglectum correptionis tam fraternæ, quàm judiciariæ officium, graviores pœnas dabunt, quia ideo Prælati à Deo constituti sunt, ut spirituali ovium utilitati consulant, errantes reducant, infirmas curent, debiles foveant. *Quod Christiani sumus* (inquit S. Augustinus) *propter nos est: quod Præpositi sumus, propter vos est. In eo quòd Christiani sumus, attenditur utilitas nostra: in eo quòd Præpositi, nonnisi vestra. Sunt autem multi Christiani, & non Præpositi, qui perveniunt ad Deum, faciliore fortasse itinere, & tantò fortè expeditiùs ambulantes, quantò minorem sarcinam portant. Nos autem excepto quòd Christiani sumus, unde rationem reddemus Deo de vita nostra, sumus etiam Præpositi, unde rationem reddemus Deo de dispensatione nostra.*

Ezech. 33.

Prælati graviores pœnas dabunt ob neglectum correptionis officium.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, Articulo superiùs indicato in Responsione ad primum. *In correptione fraterna*, inquit, *quæ ad omnes pertinet, gravior est cura Prælatorum. Sicut enim temporalia beneficia potiùs debet aliquis exhibere illis quorum curam temporalem habet, ita etiam beneficia spiritualia, puta correctionem, doctrinam, & alia hujusmodi, magis debet exhibere illis, qui sunt*

De fraterna correptione.

sua spirituali cura commissi. Non ergo intendit S. Hieronymus dicere quòd ad solos Sacerdotes pertineat præceptum de correptione fraterna, sed quòd ad hos specialiter pertinet.

REGULA XLII.

Correptionem fraternam Prælatis etiam sui subditi debent, servatâ debitâ reverentiâ & mansuetudine.

ITa docet S. *Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XXXIII. Articulo IV. *Correctio*, inquit, *quæ est actus justitiæ per coërcitionem pœnæ, non competit subditis respectu Prælati: sed correctio fraterna quæ est actus caritatis, pertinet ad unumquemque respectu cujuslibet personæ, ad quam caritatem debet habere, si in ea aliquid corrigibile inveniatur..... Sed in correptione quâ subditi corrigunt Prælatos, debet modus congruus adhiberi, ut scilicet non cùm protervia & duritiâ, sed cum mansuetudine & reverentiâ corripiantur. Unde Apostolus* I. ad Timotheum V. SENIOREM *ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Hinc *Dionysius* Demophilum Monachum reprehendit, quia Sacerdotem irreverenter correxerat, atque è Templo ejecerat; ad ipsumque scribit: *Nefas est Sacerdotem à Ministris & Monachis reprehendi*, publicè scilicet ac protervè. Quod *Innocentius III.* confirmat Cap. *Cùm ex injuncto*, Extra, *De Hæreticis*, dicens: Aliud esse, *Fratrem in se peccantem occulte corripere; quod quisque tenetur efficere secundùm Regulam Evangelicam*: & aliud esse, *Patrem suum delinquentem reprehendere manifestè: quod utique nulli licet secundùm Evangelicam Veritatem.*

Nec etiam quilibet è vulgo Superioris correptionem temerè debet usurpare, sed personas digniores, ætate, pietate, prudentiâ, graviores & insigniores, Prælatisque magis familiares admonere, quæ correptionis officium Prælatis impendere possint ac velint. Cùm autem aliquis Prælatum ex caritate monet, non propterea se majorem aut meliorem existimat, sed auxilium impertitur ei, qui *Quantò in loco superiore, tantò in periculo majore versatur*, ut ait S. *Augustinus*, in Regula.

REGULA XLIII.

Ubi periculum fidei immineret, Prælati à subditis, etiam publicè arguendi essent.

VErba sunt *S. Thomæ*, in Responsione ad secundum; ubi id probat exemplo S. Pauli, qui, tametsi S. Petro Apostolorum Principi subditus esset, *Propter imminens periculum scandali circa fidem, Petrum publicè arguit.* Unde *S. Augustinus*, Epistola LXXXII. aliàs XIX. ait: *Ipse verò Petrus, quod à Paulo fiebat utiliter libertate caritatis, sanctâ ac benignâ pietate humilitatis accepit: atque ita rarius & sanctius exemplum posteris præbuit, quo non dedignarentur, sicubi fortè recti tramitem reliquissent, etiam à posterioribus corrigi; quàm Paulus, quò confidenter auderent etiam minores Majoribus pro defendenda evangelica veritate, salvâ fraternâ caritate resistere.*

REGULA XLIV.

Peccator fraternæ Correptionis officium impendens alteri, non peccat: præcedente tamen peccato suo emendationi Proximi impedimentum affert.

NOn peccare peccatorem qui alterum corripit, inde probat *S. Thomas* Articulo V. quòd peccatum non tollat omnino rectum judicium rationis, secundùm quod ad aliquem pertinet ut alterum corrigere possit à rectâ ratione, Deique lege deviantem. Et certè peccatum neminem dispensat ab obligatione divinorum præceptorum: divinum autem est de correptione fraternâ præceptum; quod proinde peccatorem obligat (sicut præceptum de eleemosyna corporali) urgenti necessitate extrema proximi, cujus salus in discrimine fortè versatur, nisi ipsum corripiat; sive quem tenetur ex officio corripere. De fraterna correptione.

Quod verò præcedens peccatum corripientis, si notum sit, impedimentum afferat ejus, quem corripit emendationi, tribus rationibus probat *S. Thomas*. Primò, quia peccato præcedente indignus redditur qui alium corripiat, *præcipuè si majus peccatum commiserit.* Unde Christus Matthæi VII. ait: *Ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Quam Domini sententiam *S. Hieronymus* ita commentatur: *De his loquitur, qui cùm mortali crimine teneantur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt.*

Secundò, redditur indebita correptio *propter scandalum*, quod ex ea sequitur, si peccatum corripientis manifestum fit: quia videtur quòd ex caritate non corrigat, sed potiùs ad ostentationem.

Tertiò, *propter superbiam corripientis, in quantùm scilicet aliquis propria peccata parvipendens, se ipsum proximo præfert in corde suo, peccata ejus austerâ severitate dijudicans, ac si ipse esset justus.* Unde *S. Augustinus*, Libro II. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. XIX. ait: *Accusare vitia, officium est bonorum virorum, & benevolorum: quod cùm mali faciunt, alienas partes agunt.... Et ideo piè cauteque vigilandum est, ut, cùm aliquem reprehendere vel objurgare nos necessitas coëgerit, primùm cogitemus utrum sit tale vitium quod nunquam habuimus, vel quo jam caruimus: & si nunquam habuimus, cogitemus nos homines esse, & habere potuisse: si verò habuimus, & non habemus, tangat memoriam communis infirmitas, ut illam reprehensionem aut objurgationem non odium, sed misericordia præcedat; ut sive ad correctionem ejus, propter quem id facimus, sive ad perversionem valuerit, (nam incertus est exitus:) nos tamen de simplicitate oculi nostri securi simus. Si autem cogitantes nosmetipsos invenerimus in eo esse vitio, in quo est ille quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neque objurgemus: sed tamen congemiscamus: & non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter conandum invitemus.* Ex quibus colligit *S. Thomas*, quòd *Si peccator cum humilitate corripiat delinquentem, non peccat, nec sibi novam condemnationem acquirit, licèt per hoc vel in conscientiâ fratris, vel saltem in sua, pro peccato præterito condemnabilem se ostendat.* Unde Apostolus ad *Romanos* Cap. II. ait: *In quo judicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas.*

REGULA XLV.

Omissio Correptionis fraternæ peccatum est, si quis illam omittit ex metu vel cupiditate, cùm ad illam tenetur ex officio, aut extrema necessitas proximi postulat tam salubre remedium.

De fraterna correptione.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione XXXIII. Articulo II. in Responsione ad tertium. *Prætermittitur* (inquit) *fraterna correctio cum peccato mortali, quando formidatur judicium vulgi, & carnis excruciatio vel peremptio, dum tamen hæc ita dominentur in animo, quòd fraternæ caritati præponantur. Et hoc videtur contingere, quando aliquis probabiliter præsumit de aliquo delinquente, quòd posset eum à peccato retrahere, & tamen propter timorem vel cupiditatem prætermittit.*

Quam doctrinam hauserat *S. Thomas* ex *S. Augustino*, Libro I. *De Civitate Dei*, cap. IX. cujus hæc sunt verba: *Illud est culpabile, quòd hi qui dissimiliter vivunt, & à malorum factis abhorrent, parcunt tamen peccatis alienis, quæ dedocere aut objurgare deberent, cùm eorum offensiones cavent, ne sibi noceant in his rebus, quibus licitè boni atque innocentes utuntur: sed cupidiùs quàm oportebat, eos qui in hoc mundo peregrinantur, & spem supernæ patriæ præ se gerunt. Non solùm quippe infirmiores vitam ducentes conjugalem, filios habentes, vel habere quærentes, domos ac familias possidentes, multa temporalia, multa terrena libenter adipiscuntur, & molestè amittunt, propter quæ non audent offendere homines, quorum sibi vita contaminatissima & consceleratissima displicet: verùm etiam hi qui superiorem vitæ gradum tenent, nec conjugalibus vinculis irretiti sunt, & victu parvo ac tegumento utuntur, plerumque suæ famæ ac saluti consulentes, dum insidias atque impetus malorum timent, ab eorum reprehensione sese abstinent. Et quamvis non in tantum eos metuant, ut ad similia perpetranda quibuslibet eorum terroribus atque improbitatibus cedant: ea ipsa tamen quæ cum eis non perpetrant, nolunt plerumque corripere, cùm fortasse possint aliquos corripiendo corrigere; ne, si non potuerint, sua salus ac fama in periculum exitiumque perveniat: nec ea consideratione quâ suam famam ac salutem vident esse necessariam utilitati erudiendorum hominum: sed ea potiùs infirmitate, quâ delectat lingua blandiens & humanus dies, & reformidatur vulgi judicium, & carnis excruciatio vel peremptio; hoc est propter quædam cupiditatis vincula, non propter officia caritatis.*

REGULA XLVI.

Omissio Correptionis fraternæ veniale peccatum est, cùm timor & cupiditas tardiorem faciunt hominem ad corripienda delicta fratris.

VErba sunt *S. Thomæ*, loco superiùs indicato: ubi tamen veniale peccatum esse docet, modò quis non ita sit affectus, ut, *Si ei constaret, quod fratrem posset à peccato retrahere, propter timorem vel cupiditatem omitteret; quibus in animo suo præponit caritatem fraternam. Et hoc modo quandoque viri sancti negligunt corrigere delinquentes.* De quibus *S. Augustinus*, Libro I. *De Civitate Dei*, cap. II. *Plerumque* (inquit) *ab eis* (nempe flagitiosis & impiis) *docendis, admonendis, aliquando etiam objurgandis & corripiendis malè dissimulatur; vel cùm laboris piget, vel cùm eorum os coram verecundamur offendere; vel cùm inimicitias devitamus, ne impediant, & noceant in istis temporalibus rebus, sive quas adipisci adhuc appetit nostra cupiditas, sive quas amittere formidat infirmitas: ita ut, quamvis bonis vita malorum displiceat, & ideo cum eis non incidant in illam damnationem, quæ post hanc vitam talibus præparatur; tamen quia propterea peccatis eorum damnabilibus parcunt, dum eos in suis licèt levibus & venialibus metuunt, jure cum eis temporaliter flagellentur, quamvis in æternum minimè puniantur. Jure istam vitam, quando divinitus affliguntur cum eis, amaram sentiunt, cujus amando dulcedinem peccantibus eis amari esse noluerunt.* Et infrà: *Nec ideo tamen ab ejusmodi culpa penitus alienus est, qui licèt Præpositus non sit, in eis tamen quibus vitæ hujus necessitate conjungitur, multa monenda vel arguenda novit & negligit, devitans eorum offensiones, propter illa quibus in hac vita non indebitis utitur, sed plusquàm debuit delectatur.*

De fraterna correptione.

REGULA XLVII.

Nemo tenetur peccatores quærere quos corripiat, aut in aliorum vitam inquirere, sed præceptum Correptionis fraternæ satis implet, si obvios & coram se peccantes corripiat. Superiores tamen diligentiùs scrutari tenentur vitam subditorum, & inquirere si quid in ea correptione dignum est.

HAnc Regulam rursus tradit *S. Thomas*, in Responsione ad quartum: *Illud* (inquit) *quod debetur alicui determinatæ & certæ personæ, sive sit bonum corporale, sive sit spirituale, oportet quòd ei impendamus, non exspectantes quòd nobis occurrat, sed debitam sollicitudinem habentes ut eum inquiramus. Unde sicut ille qui habet pecuniam creditoris, debet eum requirere, cùm tempus fuerit, ut ei debitum reddat; ita qui habet specialiter curam alicujus, debet eum quærere ad hoc quod eum corrigat de peccato. Sed illa beneficia, quæ non debentur certæ personæ, sed communiter omnibus proximis, sive corporalia, sive spiritualia, non oportet nos quærere quibus impendamus; sed sufficit quod impendamus eis qui nobis occurrunt. Hoc enim quasi pro quadam sorte habendum, ut Augustinus dicit* Lib. I. *De Doctrina Christiana*, cap. VIII. Unde idem Sanctus Doctor Sermone LXXXII. aliàs XVI. *De Verbis Domini* cap. I. ait: *Admonet nos Christus noster non negligere invicem nostra peccata, non quærendo quid reprehendat, sed videndo quid corrigat.* Alioquin efficeremur exploratores vitæ aliorum, contra id quod dicitur Proverb. XXIV. *Ne quæras impietatem in domo Justi, & non vastes requiem ejus.*

REGULA XLVIII.

Cùm de nullius emendatione desperandum sit, quamdiu in hac mortali vita constitutus est, nemini quantumvis obdurato negandum est fraternæ Correptionis officium.

ITa docet *S. Augustinus*, Libro *De Correptione & Gratia*, Cap. XV. *Nescientes* (inquit) *quis pertineat ad Prædestinatorum numerum, quis non pertineat: sic affici debemus caritatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri. Hoc quippe fit cùm singulos quosque, ut occurrerint cum quibus id agere valeamus, ad hoc conamur adducere, ut justificati ex fide pacem habeant ad Deum.... Ac per hoc quia & corripiendo nihil aliud debemus agere, nisi ut ab ista pace, quæ est ad Deum, non recedatur, aut ad eam qui recesserat revertatur, nos agamus sine*

De fraterna correptione.

desperatione quod agimus. *Si filius pacis est quem corripimus, requiescet super eum pax nostra: sin autem, ad nos revertetur.* Et paulò post: *Proinde quantùm ad nos pertinet, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, & ob hoc omnes salvos fieri velle debemus; omnibus ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda est à nobis medicinaliter severa correptio: Dei est autem illis eam facere utilem, quos ipse præscivit & prædestinavit conformes imaginis Filii sui. Si enim aliquando timore non corripimus, ne aliquis inde pereat: cur non etiam timore corripimus, ne aliquis inde plus pereat? Neque enim dilectionis viscera majora gestamus quàm beatus Apostolus, qui dicit,* Corripite » inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite » infirmos, patientes estote ad omnes: Videte » ne quis malum pro malo alicui reddat. *Ubi intelligendum est tunc potiùs malum pro malo reddi, si corripiendus non corripitur, sed pravâ dissimulatione negligitur.* Justè autem corripiuntur qui non obediunt Deo, tametsi absque ejus gratiâ obedire non possint. Hinc *S. Augustinus*, cap. VI. ejusdem Libri: *Corripiatur* (inquit) *erga damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur: si tamen qui corripitur filius est promissionis, ut strepitu correptionis forinsecus insonante ac flagellante, Deus in illo intrinsecùs occultâ inspiratione operetur & velle. Si autem jam regeneratus & justificatus in malam vitam suâ voluntate relabitur, certè iste non potest dicere, Non accepi: quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio. Qui si correptione compunctus salubriter ingemit, & ad similia bona opera, vel etiam meliora revertitur: nempe hic apertissimè utilitas correptionis apparet. Sed per hominem correptio sive ex caritate fit, sive non fit, tamen ut correpto prosit, nonnisi per Deum fit.*

1. Thessal. 5.

REGULA XLIX.

Omittenda est fraterna Correptio, si probabile sit illi qui corripitur nihil profuturam, immò illius occasione in nova crimina ruiturum.

FInis enim correptionis fraternæ est emendatio delinquentis, non coactione, sed admonitione simplici procurata. *Et ideo ubi probabiliter æstimatur quòd peccator admonitionem non recipiat, sed ad pejora labatur, est ab ejusmodi correctione desistendum,* (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XXXIII. Articulo VI.) Eaque doctrina est S. *Augustini*, Libro I. *De Civitate Dei*, cap. IX. ubi ait, à corripiendis malè agentibus abstinere, ubi metuitur *Ne deteriores ex hoc efficiantur, esse consilium caritatis.* Hinc Salomon ait Proverb. IX. *Noli arguere derisorem, ne oderit te.* Quæ verba *S. Gregorius* Lib. VIII. *Moralium*, cap. XXIV. sic explicat: *Neque enim Justo timendum est, ne derisor, cùm corripitur, contumelias inferat, sed ne tractus ad odium pejor fiat.*

REGULA L.

Omittenda non est correctio judiciaria, seu quæ vim habet cogendi, & pertinet ad Prælatos, etsi probabile sit non profuturam ei qui corrigitur.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, ibidem. *Correctio* (inquit) *pertinens ad Prælatos, quæ ordinatur ad bonum commune, & habet vim coactivam, non est dimittenda propter turbationem ejus qui corripitur; tum quia si propria sponte emendari nolit, cogendus est per pœnas, ut peccare desistat: tum etiam quia si incorrigibilis sit, bono communi per hoc providetur, dum servatur ordo justitiæ, & unius exemplo alii deterrentur. Unde Judex non prætermittit ferre Sententiam condemnationis in peccantem propter timorem turbationis ipsius, vel etiam amicorum ejus.*

De fraterna correptione.

Idem confirmat Canon, *Ipsa pietas*, Causa XXIII. Quæstione IV. sumptus ex *S. Augustino*, cujus hæc sunt verba: *Molestus est & Medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio; ille ligando, iste cædendo, sed ambo diligendo. Si autem illos negligant, & perire permittant, ista potiùs mansuetudo falsa, crudelis est.*

Epist. 185. alias 50.

Et Canon, *Quid faciat*, ex ejusdem verbis contextus: *Quid faciat Ecclesia medicina salutem omnium materna caritate conquirens, tanquam inter phreneticos & lethargicos æstuans? Nunquid contemnere, nunquid desistere vel debet, vel potest? Utrisque sit necesse est molesta, quia neutris est inimica. Nam & Phrenetici nolunt ligari, & lethargici nolunt excitari, sed perseverat diligentia caritatis, phreneticum castigare, lethargicum stimulare, ambos amare. Ambo offenduntur, sed ambo diliguntur; ambo molestati, quamdiu ægri sunt indignantur, sed ambo sanati gratulantur.*

Epist. 60. alias 67.

Idem confirmatur ex Canone, *Ea vindicta*, qui ex *S. Augustino* pariter descriptus est, Libro I. *De Sermone Domini in Monte*, cap. XX. *Neque* (inquit) *ea vindicta prohibetur, quæ ad correctionem valet: etiam ipsa enim pertinet ad misericordiam, nec impedit illud propositum, quo quisque paratus est ab eo quem correctum esse vult, plura perferre. Sed huic vindictæ referendæ non est idoneus, nisi qui odium quo solent flagrare qui se vindicare desiderant, dilectionis magnitudine superaverit. Non enim metuendum est ne odisse parvulum filium parentes videantur, cùm ab eis vapulat peccans, ne peccet ulteriùs. Et certè perfectio dilectionis ipsius Dei Patris imitatione nobis proponitur, cùm in sequentibus dicitur,* Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: *& tamen de ipso dicitur per Prophetam,* Quem enim diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit.... *Non ergo quæritur nisi ut & ille vindicet, cui rerum ordine potestas data est; & ea voluntate vindicet, quâ pater in parvulum filium, quem per ætatem odisse non potest. Hinc enim aptissimum exemplum ducitur, quo satis appareat peccatum amore potiùs vindicari, quàm impunitum relinqui, ut illum in quem vindicat non pœnâ miserum, sed correctione beatum velit: paratus tamen, si opus sit, æquo animo plura tolerare ab eo illata, quem vult esse correctum, sive in eum habeat potestatem coërcendi, sive non habeat. Magni autem & sancti viri, qui jam optimè scirent, mortem istam, quæ animam dissolvit à corpore, non esse formidandam, secundum eorum tamen animum qui illam timerent, nonnulla peccata morte punierunt, quod & viventibus utilis metus incuteretur, & illis qui morte puniebantur, non ipsa mors noceret, sed peccatum, quod augeri posset, si viverent. Non temerè illi judicabant, quibus tale judicium donaverat Deus. Inde est quòd Elias multos morte affecit, & propria manu, & igne divinitus impetrato: quod & alii multi magni & divini viri eodem spiritu consulendi rebus humanis non temerè fecerunt. De quo Elia cùm exemplum dedissent Discipuli, Domino commemorantes quod ab eo factum sit, ut etiam ipsis daret potestatem petendi de cælo ignem ad consumendum eos qui sibi hospitium non præberent, reprehendit in eis Dominus non exemplum Prophetæ Sancti, sed ignorantiam vindican-*

Matth. 5.
Proverb. 3.
3. Reg. 18.
4. Reg. 1.
Luc. 9.

di, qua adhuc erat in rudibus, animadvertens eos non amare correctionem, sed odio desiderare vindictam.

REGULA LI.

Quamvis probabile sit Correptionem non statim profuturam, sed odiosam & ingratam fore, si tamen aliquando utilem fore spes sit, nequaquam omittenda est.

De fraterna correptione. HAnc Regulam tradit *S. Augustinus*, Epistolà CCX. aliàs LXXXVII. *Dissensiones* (inquit) *nunquam debent amari, sed aliquando tamen aut à caritate nascuntur, aut caritatem probant. Quis enim facilè invenitur, qui velit reprehendi? & ubi est ille sapiens de quo dictum est,* *Prov. 9.* Corripe sapientem & amabit te? *Nunquid tamen ideo non debemus reprehendere & corripere fratrem, ne securus tendat in mortem? Solet enim fieri, & frequenter accidit, ut ad horam contristetur cùm reprehenditur, & resistat, & contendat; & tamen postea consideret secum in silentio, ubi nemo est nisi Deus & ipse, nec timet displicere hominibus, quia corripitur; sed timet displicere Deo, quia non corrigitur, & deinceps non faciat illud, in quo justè reprehensus est, & quantùm odit peccatum suum, tantùm diligat fratrem, quem sentit hostem peccati sui. Si autem de illo numero est, de quo dictum est,* *Ibid.* Corripe stultum, & adjiciet ut oderit te; *non de caritate illius dissensio nascitur, sed tamen caritatem reprehensoris sui exercet & probat; quia non ei rependitur odium, sed dilectio qua cogit reprehendere, imperturbata perdurat, etiam cùm ille qui reprehensus est, odit.* Atque id significare videtur Apostolus ad *Timotheum* scribens Epistolà II. cap. IV. *Insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Quam Apostoli sententiam *S. Augustinus* in cap. VI. Epistolæ ad *Galatas* sic exponit: *Insta opportunè; quod si hoc modo non proficis, importunè: ita ut tu opportunitatem omnino non deseras, & sic accipias quod dictum est,* importunè, *ut illi videaris importunus, qui non libenter audit qua dicuntur in eum: tu tamen scias hoc illi esse opportunum, & dilectionem curà neque sanitatis ejus animo teneat mansueto, modesto, & fraterno. Multi enim postea cogitantes qua audierint, & quàm justa audierint, ipsi se graviùs & severiùs arguerunt; & quamvis perturbatiores à Medico viderentur abscedere, paulatim verbi vigore in medullas penetrante, sanati sunt: quod non fieret, si semper expectaremus pervicaciam putrescentibus membris, quando eum libèret aut uri, aut secari. Quod nec ipsi corporis Medici attendunt, qui terrena mercedis intuitu curant. Quotus enim quisque reperitur qui ferrum eorum aut ignem non ligatus expertus sit? Cùm & illi rariores sint, qui volentes ligati fuerint? Plures enim resistentes, & mori se malle clamantes, quàm illo curari modo, vix linguà ipsà eorum relictà liberà, omnibus membris constrinxerunt, neque ad reluctantie, sed ad ipsius artis arbitrium: quorum tamen vocibus convitiisque dolentium nec commovetur curantis animus, nec quiescit manus. Medicina autem cœlestis Ministri, aut per odiorum trabem cernere stipulam in oculo fratris volunt, aut tolerabiliùs mortem videre peccantis, quàm verbum indignantis audire: quod non ita accidisset, si tam sanum animum curando alterius animo adhiberemus, quàm sanis manibus illi Medici alia membra pertractant.*

REGULA LII.

Cùm peccatum occultum, & soli peccanti ac ei in quem peccatur noxium est, secreta admonitio denunciationi præmitti necessariò debet.

SIc enim præcipit Christus, Matthæi XVIII. *De fraterna correptione.* *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* Hic est ordo fraternæ correptionis à Christo præscriptus, qui proinde perverti sine gravi peccato non potest. Cujus quidem ordinis duplex ratio est; prima, ut honori ac famæ proximi peccantis consulatur. Altera, ne correptio sit ipsi occasio ruinæ, potiùs quam stimulus ad emendationem. Hinc *S. Hieronymus*, Commentario in cap. XVIII. S. Matthæi, ait: *Corripiendus est frater seorsum, ne si semel pudorem ac verecundiam amiserit, remaneat in peccato.*

Eamdem Regulam confirmat *S. Augustinus, Sermone* LXXXII. aliàs XVI. *De Verbis Domini*, cap. IV. *Corripe eum* (inquit) *inter te & ipsum solum, intendens correctioni, parcens pudori. Fortè enim præ verecundia incipit defendere peccatum suum, & quem vis facere correctiorem, facis pejorem.* Et cap. VII. *Quia secretum fuit quando in te peccavit, secretum quære, cùm corrigis quod peccavit. Nam si solus nosti quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor. Attende quemadmodum vir justus Joseph, tanto flagitio quod de uxore fuerat suspicatus, tanta benignitate pepercit, antè quàm sciret unde illa conceperat, quia gravidam senserat, & se ad illam non accessisse noverat. Restabat itaque certa adulterii suspicio: & tamen quia ipse solus senserat, ipse solus sciebat, quid de illo ait Evangelium:* Joseph autem cùm esset vir justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam....... *Matth. 1.* *Sic agamus, & sic agendum est, non solùm quando in nos peccatur, sed quando peccatur ab aliquo, ut ab altero nesciatur. In secreto debemus corripere, in secreto arguere, ne volentes publicè arguere, prodamus hominem.*

Idem confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XXXIII. Articulo VII. *Quædam sunt peccata* (inquit) *qua solùm sunt in malum peccantis, & ejus in quem peccatur; quia à peccante solus læditur, saltem ex notitià: & tunc ad hoc solùm tendendum est ut fratri peccanti subveniatur. Et sicut Medicus corporalis sanitatem ægroto confert, si potest sine alicujus membri abscissione: si autem non potest, abscindit membrum minùs necessarium, ut vita totius conservetur; ita etiam ille qui studet emendationi fratris, debet, si potest, sic emendare fratrem, quantùm ad conscientiam, ut fama ejus conservetur, qua quidem est utilis ipsi peccanti, non solùm in temporalibus, in quibus quantùm ad multa homo patitur detrimentum, amissâ famâ; sed etiam quantùm ad spiritualia, quia præ timore infamiæ multi à peccato retrahuntur. Unde quando se infamatos conspiciunt, irrefrenatè peccant. Sed quia conscientia præferenda est famæ; voluit Dominus, ut saltem cum dispendio famæ, fratris conscientia per publicam denunciationem à peccato liberetur:* Si nimirum privata admonitio oon profuerit. *Unde patet, de necessitate præcepti esse, quod secreta admonitio publicam denunciationem præcedat.*

REGULA LIII.

Cùm peccatum occultum est, sed tamen vergens in nocumentum aliorum, sive corporale, sive spirituale, statim denunciandum est absque monitione privata.

De fraterna correptione.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, loco mox indicato. *Quædam peccata* (inquit) *occulta sunt, quæ sunt in nocumentum proximorum, vel corporale vel spirituale, putà, si aliquis occultè tractet quomodo civitas tradatur hostibus: vel si Hæreticus privatim homines à fide avertat: & quia ille qui sic occultè peccat, non solùm in te peccat, sed etiam in alios, oportet statim procedere ad denunciationem, ut hujusmodi nocumentum impediatur: nisi fortè aliquis firmiter existimaret quòd statim per secretam admonitionem posset hujusmodi mala impedire.* Sed ubi de crimine Hæreseos, aut læsæ Majestatis agitur, vix fieri potest ut certò & absque periculo erroris existimetur, mala hinc imminentia per secretam admonitionem averti posse. Cùm enim Hæretici pertinaces sint, nec Ecclesiam audire parati, quomodo privatim monentem ita audient ut emendentur? Deinde, *Sermo eorum ut cancer serpit*, (inquit Apostolus II. ad *Timotheum* II.) Atque (ut ait *S. Leo*, Sermone xv. sive quinto de Jejunio decimi Mensis,) *Humiliter irrepunt, blandè capiunt, molliter ligant, latenter occidunt*. Quam ob rem statim Episcopis, vel Inquisitoribus (ubi viget Hæreticæ pravitatis Inquisitio) nullâ præviâ monitione sunt denonciandi. Unde *S. Leo* ibidem ait: *Illud quoque vos, dilectissimi, obsecrans moneo, ut si cui vestrûm innotuerit, ubi habitent, ubi doceant, quos frequentent, & in quorum societate requiescunt, nostræ Sollicitudini fideliter indicetis: quia parum prodest unicuique quod protegente Spiritu-Sancto ab istis ipse non capitur, si cùm alios capi intelligit, non movetur. Contra communes hostes pro salute communi, una omnium debet esse vigilantia: ne de alicujus membri vulnere etiam alia possint membra corrumpi: & qui tales non prodendos putant, in Judicio Christi inveniantur rei de silentio, etiamsi non contaminantur assensu.* Denonciandi sunt pariter sine prævia monitione, magi, sortilegi, venefici, læsæ Majestatis rei; unde *S. Thomas*, loco mox indicato, in Responsione ad tertium ait: *Quando imminet periculum multitudinis, non habent ibi locum hæc verba Domini*, Corripe illum inter te, & ipsum solum: *Quia tunc frater peccans, non peccat in te tantùm.* Et in Quæstionibus disputatis, Quæstione *De Correptione fraterna*, Articulo II. in Responsione ad septimum: *Non in omni peccato debet homo procedere ad accusationem* (inquit) *sed solùm in illis peccatis, ex quibus in promptu est ut proveniat periculum multitudini, vel spirituale, vel corporale. Tunc enim potest homo ad accusationem procedere monitione non præcedente, si hoc exigat utilitas communis, quia bonum commune præferendum est bono privato.* Eòque spectat illud Tertulliani: *Contra publicos hostes, & Majestatis reos, omnis homo miles est.*

Et in Responsione ad decimum: *In talibus, in quibus mora denunciationis est periculosa, non oportet exspectare admonitionem, sed statim procedere ad denunciationem. Nec hoc est contra præceptum Christi, propter duo: primò quidem quia peccatum istud, quod vergit in periculum multorum, non est solùm in te, sed & in multos: Dominus autem dicit*, Si peccaverit in te frater tuus: *Secundò, quia Dominus non loquitur de culpa futura cavenda, sed de culpa præterita jam commissa.*

Et Quodlibeto XI. Quæstione X. Articulo I. *Oportet ordinem fraternæ correctionis sumere secundum ordinem caritatis: ordo autem caritatis est, ut quis bono proximi præferat commune bonum: item ut velit bonum proximi & conscientiæ & famæ: & in his magis velit bonum conscientiæ, quando utrumque haberi non potest. Et ideo his consideratis, credo quod si esset aliquod peccatum (carnale seu spirituale) quod vergeret in detrimentum multitudinis, statim est revelandum; cùm præponderet bonum commune in ordine caritatis bono proximi: quando*
B *verò non timetur multitudinis detrimentum, tunc debet quis utrumque custodire, scilicet bonum famæ & conscientiæ, corrigendo occultè inter se & ipsum.*

De fraterna correptione.

REGULA LIV.

Contra fraternæ Correptionis ordinem non peccat, qui peccatum occultum fratris denunciat Prælato, non quidem ut judici, sed ut patri, ad officium caritatis majori quadam efficaciâ exequendum, priùs quàm testes adhibeat.

C HAnc Regulam adstruit *Sanctus Augustinus*, in Regula. *Nec vos* (inquit) *judicetis esse malevolas, quando hoc indicatis. Magis quippe innocentes non estis, si Sorores vestras, quas indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim Soror tua vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari dum timeret secari, nonne crudeliter abs te sileretur, & misericorditer indicaretur? Quantò ergo potiùs eam debes manifestare, ne perniciosiùs putrescat in corde? Sed antequam aliis demonstretur, per quas convincenda est si negaverit, Præposita debet ostendi, si admonita neglexerit corrigi,*
D *ne fortè possit secretiùs correpta non innotescere cæteris. Si autem negaverit, tunc neganti adhibendæ sunt aliæ, ut jam coram omnibus possit, non ab una teste argui, sed à duabus tribúsve convinci.*

Eamdem Regulam confirmat *Sanctus Thomas*, Quodlibeto XI. Quæstione X. Articulo II. *Utrum*, inquit, *statim cùm quis scit fratrem suum peccasse, debeat denunciare Prælato, dico quòd in hoc distinguendum est de conditionibus subditi & Prælati. Nam si ego scio quòd frater per me corrigetur, tunc non debeo hoc denunciare Prælato: si autem videtur quòd hoc meliùs fiat per Prælatum, & Prælatus*
E *nihilominus sit pius, discretus, & spiritualis, non habens rancorem seu odium adversus illum subditum, tunc licitè potest hoc denunciare ipsi, & tunc non dicit Ecclesiæ, quia non dicit ei sicut Prælato, sed sicut personæ proficienti ad correctionem proximi & emendam. Sed quia propter diversas conditiones Prælatorum & subditorum non potest in hoc dari generale judicium: (quia aliquando vel Prælatus movetur ad odium adversus subditum, vel subditus non bene ferret verba Prælati:) ideo tenendum est hoc pro regula, quod in omnibus istis*
F *semper servanda est caritas, & quod meliùs & magis expedire videtur: & si hoc intendat, (scilicet emendam proximi) ac servet, quantùm potest, bonum caritatis, tunc denunciando non peccat: si verò denunciet cuicumque personæ hoc ex malitia, & ut proximus confundatur, vel deprimatur, tunc denuncians sive accusans peccat mortaliter.*

Et in Responsione ad primum: *Si statim aliquis referat Prælato*, (præmissa tamen admonitione fraternâ,) & *adhibens debitas circumstantias, & considerans magis expedire, non facit contra præceptum Evangelii, quia non dicit hoc Ecclesiæ, sed personæ proficienti: & ideo non peccat mortaliter.*

REGULA LV.

REGULA LV.

Prælato in Visitatione præcipienti ut qui certorum criminum reos noverit, illos denunciet, ubi nullus est Accusator, nec publica præcessit infamia, quæ inquisitioni det locum, subditi parere non tenentur contra fraternæ Correptionis ordinem.

De fraterna correptione.

MAgis enim obedire oportet Deo quàm hominibus, nec obligat Superioris præceptum contra jus naturale & Evangelium. Unde (B) *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XXXIII. Articulo VII. in Responsione ad quintum, ait: *Prælato non est obediendum contra præceptum divinum, secundùm illud Actuum* v. Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. *Et ideo quando Prælatus præcipit, ut sibi dicatur quod quis sciverit corrigendum, intelligendum est præceptum sanè, salvo ordine fraternæ correctionis, sive præceptum fiat communiter ad omnes, sive ad aliquem specialiter. Sed si Prælatus expressè præciperet contra hunc ordinem à Domino institutum, & ipse peccaret præcipiens, & ei obediens, quasi contra præceptum Domini agens. Unde non esset ei obediendum, quia Prælatus non est judex occultorum, sed solus* (C) *Deus. Unde non habet potestatem præcipiendi aliquid super occultis, nisi in quantum per aliqua indicia manifestantur, putà, per infamiam, vel per aliquas suspiciones, in quibus casibus potest Prælatus præcipere eodem modo, sicut & Judex sæcularis vel Ecclesiasticus potest exigere juramentum de veritate dicenda.*

Idem uberiùs explicat Angelicus Doctor, Quodlibeto I. Quæstione VIII. Articulo II. *Religiosus Prælatus*, inquit, *in Capitulo præest sicut Judex Ecclesiasticus in foro judiciali: unde ad ea potest ex præcepto subditos obligare, ut ei pandantur, propter quæ potest Judex Ecclesiasticus in foro judiciali juramentum exigere. Est ergo sciendum quòd in* (D) *criminibus triplex est modus procedendi; unus per denunciationem, alius per inquisitionem, alius per accusationem. In via ergo denuntiationis intenditur correctio delinquentis. Et ideo secundùm præceptum Domini*, Matthæi XVIII. *debet præcedere fraterna correctio, ut scilicet corripias eum inter te & ipsum solum: quòd si non audierit, coram duobus vel tribus testibus; & ultimò dicatur Ecclesiæ: caritatis enim est ut aliquis parcat fratri quantum potest: unde priùs debet niti ut corrigat conscientiam fratris servatâ famâ, solitariè admonendo; & postmodum* (E) *coram duobus vel tribus; tandem negligenda est fama, ut emendetur conscientia, & dicendum est Ecclesiæ, in quo etiam processu consulitur conscientiæ: nam peccator si à principio videret se publicatum, amitteret verecundiam: & obstinatior fieret ad peccandum. In inquisitione verò debet præcedere infamia. In accusatione verò debet præcedere inscriptio, per quam ipse obligat se ad talionem. In inquisitione autem & accusatione intenditur pœna peccantis propter multitudinis bonum. Si ergo appareat accusator in Capitulo, qui se obliget ad talionem, potest Prælatus Præcepto veritatis confessionem exigere, sicut & Judex Ecclesiasticus Juramento: & similiter si præcedat infamia, potest Prælatus Præcepto veritatem exquirere, & subditi tenentur obedire. Si autem procedatur per viam simplicis denuntiationis, non tenetur Religiosus Prælato præcipienti culpam fratris revelare, nisi præcedente monitione, tùm viderit incorrectum: immò magis peccaret, si ad Præceptum Prælati revelaret, quia plus tenetur obedire Evangelio, quàm Prælato: & multò magis Prælatus peccaret, si subditum induceret ad pervertendum ordinem Evangelii.*

REGULA LVI.

Peccata publica publicè sunt corripienda, nec eorum denuntiationi privata admonitio præmittenda est.

IN eorum enim correptione, ut *Sanctus Thomas* observat, *Non est tantùm adhibendum remedium ei qui peccavit, ut melior fiat, sed etiam aliis in quorum notitiam devenit, ut non scandalizentur.* Unde Apostolus I. ad Timotheum v. ait: *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.* Quod intelligitur de peccatis publicis, ut *Sanctus Augustinus* notat Sermone LXXXII. aliàs XVI. *De Verbis Domini*, Cap. VII. *Ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus: ipsa corripienda sunt secretiùs, quæ peccantur secretiùs.*

De fraterna correptione.

REGULA LVII.

Correptio fraterna cum humilitate, caritate, & mansuetudine exercenda est.

HAnc Regulam tradit Apostolus, Epistolæ ad *Galatas* Cap. VI. *Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.* Quem locum *S. Augustinus* exponens, ait: *Numquam alieni peccati objurgandi suscipiendum est negotium, nisi cùm internis interrogationibus examinantes nostram conscientiam, liquidò nobis coram Deo responderimus, Dilectione nos facere. Quòd si convicium, vel minæ, vel etiam persecutiones ejus quem argueris, laceraverint animum; si adhuc ille per te sanari posse videbitur, nihil respondeas donec saneris prior: ne fortè carnalibus motibus tuis ad nocendum consentias, & exhibeas linguam tuam arma iniquitatis peccato ad reddendum malum pro malo, aut maledictum pro maledicto. Quicquid enim lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non caritas corrigentis. Dilige, & dic quod voles: nullo modo maledictum erit, quod specie maledicti sonuerit, si memineris senserisque te in gladio verbi Dei liberatorem hominis esse velle ab obsidione vitiorum. Quòd si fortè, ut plerumque accidit, dilectione quidem talem suscipis actionem, & ad eam corde dilectionis accedis, sed inter agendum subrepserit aliquid, dum tibi resistitur, quod te avertat ab hominis vitio percutiendo, & ipsi homini faciat infestum; postea te lacrymis lavantem hujusmodi pulverem, multò salubriùs meminisse oportebit, quàm non debeamus super aliorum superbire peccata, quando in ipsa eorum objurgatione peccamus, dùm faciliùs nos ira peccantis iratos, quàm miseria misericordes facit.*

Fraternæ correptionis conditiones. Humilitas. Caritas. Mansuetudo.

Id rursus confirmant Apostoli verba II. ad *Timotheum* Cap. II. *Servum Domini non oportet litigare; sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati: nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Quem locum expendens *S. Augustinus*, Sermone LXXXVIII. aliàs XVIII. *De Verbis Domini*, Cap. XVIII. ait: *In ipsa correctione vel coercitione alienorum peccatorum cavendum est, ne se extollat, qui alterum corripit; & Apostolica illa cogitanda Sententia est*, Quapropter qui se putat stare, videat ne cadat. *Foris terribiliter personet increpatio, intus lenitatis teneatur dilectio.... Neque ergo consentientes sitis malis, ut approbetis;*

1. Cor. 10.

De fraterna correptione.

neque negligentes, ut non arguatis; neque superbientes, ut insultanter arguatis.

Eamdem Regulam confirmat *Sanctus Gregorius*, Libro XXIV. *Moralium*, Cap. X. *Justi*, inquit, *cùm severè corrigunt, internæ dulcedinis gratiam non amittunt. Nam sæpe pro inquietudine refrænanda pravorum, duritiam districti rigoris assumunt, sed intus caritatis igne liquefiunt, atque eorum amore ardent, in quos aspera correptione sæviunt; sèque etiam eis intrinsecùs in secreto cordis humiliant, quos foris duris animadversionum stimulis, quasi despiciendo castigant. Plerumque autem & non despiciendo despiciunt, & non desperando desperant: ut tantò eos celeriùs à culpa reviviscere ac resilire faciant, quantò jam quasi viciniùs mortis foveam ostentant. Sæpe etiam quædam decenti moderamine suas culpas coram discipulis indicant, ut illi audientes discant, quomodo semetipsos de suis actionibus subtiliter reprehendant. Tanta autem dispensatione se temperant, ut neque cùm se erigunt, intrinsecùs rigidi sint, neque rursum cùm se humiliant, extrinsecùs remissi: quia & in disciplina humilitatem custodiunt, & in humilitate disciplinam.... Sed cùm arrogantes viri eos imitari appetunt, sumunt ab eis aspera verba correptionis, & sumere ab eis veraciter nesciunt preces humilitatis. Magis enim terribiles volunt esse: quàm mites; & idcirco discunt unde se erigant; & discere negligunt ut animum submittant. Cùmque admonere delinquentes placidè nesciunt, nimio rigoris usu per invectionis iracundiam etiam contra rectè agentes efferantur.*

Et Libro XXIII. Cap. VIII. *Nos enim*, inquit, *quia infirmi homines sumus, cùm de Deo hominibus loquimur, debemus primùm meminisse quod sumus, ut ex propriâ infirmitate pensemus, quo docendi ordine infirmis fratribus consulamus. Consideremus igitur, quia aut tales sumus, quales nonnullos corrigimus; aut tales aliquando fuimus, etsi jam divinâ gratiâ operante non sumus; ut tantò temperantiùs humili corde corrigamus nos, quantò nosmetipsos veriùs in his quos emendamus, agnoscimus. Si autem tales nec sumus, nec fuimus, quales adhuc illi sunt, quos emendare curamus: ne cor nostrum fortè superbiat, & de ipsâ innocentiâ priùs ruat, quorum mala corrigimus, alia eorum bona nobis ante oculos revocemus. Quæ si omnino nulla sunt, ad occulta Dei judicia recurramus: quia sicut nos meritis nullis hoc ipsum bonum quod habemus, accepimus: ita illos quoque potest gratia supernæ virtutis infundere, ut excitati posteriùs etiam ipsa possint bona, quæ nos antè accepimus, prævenire. Quis enim crederet quòd per Apostolatûs meritum Saulus lapidatum Stephanum præcessurus erat, qui in morte ejus lapidantium vestimenta servabat? His ergo primùm cogitationibus humiliari cor debet, & tunc demum delinquentium iniquitas increpari.*

Act. 7.

Tria necessaria illi qui fraternam correptionem exercet.

S. Bernardus, Sermone I. ex iis quos habuit tempore Paschali, tria in ejus animo requirit, qui fraternam Correptionem exercet: primò, compassionis affectum; secundò, zelum justitiæ; tertiò, discretionis spiritum. *Quoties enim*, inquit, *peccantem videris fratrem, continuò procedere debet compassionis affectus, tanquam cognatus humanitati, quippe quem concipis ex te ipso*; Vos (*inquit Apostolus*) qui spirituales estis instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. *Et cùm exiret Dominus bajulans sibi Crucem &c. plangerent super eum, nondum quidem omnes Tribus terræ, sed Mulieres paucæ, conversus ad eas*, Filiæ, *inquit*, Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. *Ordinem diligenter attende*: Super vos, *inquit*, *primò; deinde*, super filios vestros. *Temetipsum attende, ut alii noveris compati, ut arguas in spiritu lenitatis. Te ipsum considera, ne & tu tenteris. Sed quia exemplum efficaciùs persuadet, & altiùs imprimit animo, mitto vos ad Sanctum illum Senem, qui cùm audisset peccasse unum ex Fratribus, amarissimè flebat, inquiens*: ILLE HODIE, ET EGO CRAS. *Qui sic flebat super se, putas quia non compassus sit fratri? Hic itaque compassionis affectus multis quidem prodest, quia animus liberalis contristare, quem pro se videris anxium, erubescit. Sed quid agimus, quòd nonnulli durâ cervice, & attritâ sunt fronte, ut quò magis eis compatimur, tantò magis nostrâ & compassione & patientiâ abutantur? Nonne sicut compatiebamur fratri, ita ipsi Justitiæ compatiendum est, quam videmus tam impudenter abjici, tam impudenter provocari? Scio quia si qua in nobis est caritas, contemptum hunc Dei ferre æquanimiter non possumus. Hic est zelus Justitiæ, quo adversùs delinquentes accendimur, tanquam pietate ducti erga eam quam contemni videmus Justitiam Dei. Veruntamen oportet ut priora sibi vindicet compassionis affectus. Alioquin spiritu vehementi conterimus naves Tharsis, conterimus quassatum calamum, extinguimus lychnum fumigans. Sed cùm uterque adest, videlicet compassionis affectus, & zelus Justitiæ, necesse est ut adsit spiritus discretionis, ne fortè cùm oporteat hunc exhiberi, ille procedat, & indiscretio ipsa confundat universa. Habeat itaque mens nostra spiritum discretionis, ut miscens aptè temporibus tempora opportunè æmulari, & nihilominus ignoscere sciat. Samaritanus sit, custodiens & observans quando oleum misericordiæ, quando vinum fervoris exhibeat. Et ne fortè meum putetis inventum, Prophetam audite in Psalmo hæc eadem, & eodem ordine postulantem*: BONITATEM, *inquit*, ET DISCIPLINAM, & SCIENTIAM DOCE ME.

Luc. 23.

De fraterna correptione.

In Senis Patrum.

Psalm. 118.

Linguæ verò illius qui fratrem corripit, tria necessaria esse docet, *Modestiam in increpando, copiam in exhortando, efficaciam in persuadendo. Videas multos*, inquit, *sincerâ licèt intentione, & benigno accedant animo, leviter dicere quod graviter audiatur. Volat irrevocabile verbum, & quod sanare debuerat, quia mordaciùs fortè videtur, exasperat & exulcerat magis: quando negligentiæ additur impudentia, etiam & impatientia cumulatur: ut qui in sordibus erat, sordescat adhuc, declinans in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, ac more phrenetici non solùm repellens, sed & mordere sentiens Medici manum. Multis quoque non suppetit verborum copia, sed præ sermonis inopia linguam suam palato adhærescere sentiunt, quod & ipsum interdum solet audientibus obesse non parum. Aliis verò ad manum est abundantia multa sermonis; sed quæ dicunt, minùs sapiunt, minùs acceptantur: & quia gratiam non habent, minùs efficacia sunt quæ loquuntur. Vides ergo quàm necesse sit emere ab eo à quo omne bonum est, à quo omnis scientia, modestiam in increpando, copiam in exhortando, efficaciam in persuadendo.*

In lingua modestia in increpando, copia in exhortando, efficacia in persuadendo.

ARTI.

ARTICULUS XII.

Regulæ Praxim spectantes circa Vota.

REGULA I.

Quæ secundùm se, ac semper bona sunt, congrua sunt Voti materia.

De Voto.

ITa docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXVIII. Articulo II. in Responsione ad secundum: *Quædam sunt*, inquit, *quæ in omnem eventum sunt bona, sicut opera virtutis: & talia bona possunt absolutè cadere sub voto.*

REGULA II.

Quæ secundùm se peccata sunt, non possunt esse materia Voti.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas* ibidem. *Quædam*, inquit, *in omnem eventum sunt mala, sicut ea quæ secundùm se sunt peccata: & hæc nullo modo possunt sub voto cadere.*

REGULA III.

Quæ secundùm se bona sunt, & tamen malum eventum possunt habere, sunt quidem legitima Voti materia: sed tamen hujusmodi Votum non est observandum quando malum eventum habent.

TUnc enim deest materia legitima voti, adeóque votum ex eventu irritum est. Exemplum affert *S. Thomas* loco mox indicato, de voto *Jephte*; qui, ut refertur *Judicum* XI. Votum vovit Domino dicens: *Si tradideris filios Ammon in manus meas: quicumque primus egressus fuerit de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti in pace, eum offeram holocaustum Domino.* Id autem poterat malum eventum habere, si occurreret ei aliquod animal non immolandum, sicut asinus, vel homo, quod revera accidit, siquidem occurrit ei filia. Unde *S. Hieronymus*, in Cap. VII. *Jeremiæ* ait: *Quòd si Jepthe obtulit filiam suam virginem Deo, non sacrificium placet, sed animus offerentis: neque enim si canis, asinus, aut immundum quodlibet animal primùm occurrisset, illud offerre Deo debuerat.*

REGULA IV.

Vota de immoderatis vigiliis, jejuniis, aliisque corporis macerationibus, secundùm arbitrium Superioris servanda sunt vel remittenda.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Quæstione & Articulo mox indicatis, in Responsione ad tertium: *Maceratio*, inquit, *proprii corporis per vigilias & jejunia non est Deo accepta, nisi in quantum est opus virtutis: quod quidem est in quantum cum debita discretione fit, ut scilicet concupiscentia refrenetur, & natura non nimis gravetur. Et sub tali tenore possunt hujusmodi sub voto cadere. Propter quod & Apostolus ad Romanos* XII. *postquàm* » *dixerat*, EXHIBETE corpora vestra hostiam vi» ventem, sanctam, Deo placentem, *addidit*, ra» tionabile obsequium vestrum. *Sed quia in his quæ ad se ipsum pertinent, de facili fallitur homo in judicando, talia vota congruentiùs secundùm arbitrium Superioris sunt vel servanda, vel prætermittenda: ita tamen quòd si ex observatione talis voti magnum & manifestum gravamen sentiret, & non esset facultas ad Superiorem recurrendi, non deberet homo tale votum servare.*

REGULA V.

Vota de rebus vanis & inutilibus sunt magis deridenda, quàm servanda.

IPsis *S. Thomæ* verbis hæc Regula concepta est; quam *S. Antoninus* confirmat P. II. Tit. XI. Cap. I. Talia essent vota (inquit) de capite animalium non comedendo ob honorem S. Joannis Baptistæ decollati; de pannis non abluendis, aut non nendo Feria Sexta aut Sabbato, de pane non comedendo die Dominica. Ratio est, quia *Displicet Domino stulta promissio.* Hinc Canone *Non pejerabit*, Causa XXII. Quæst. IV. dicitur: *Stulta vota frangenda sunt*; & *S. Isidorus* Lib. II. *Synonim.* ait: *In turpi voto muta decretum. Quod incautè vovisti, ne facias: impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur.* Eccl. 5. 3.

REGULA VI.

Violatio voti lethale ex genere suo peccatum est.

VIolatio enim est fidei, justitiæ, religionis, ac reverentiæ Deo debitarum. Unde Scriptura Sacra votorum observantiam non semel præcipit iis qui ipsa emiserunt. Deuteron. XXIII. *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis tuis observabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propriâ voluntate & ore tuo locutus es.* Et Psalmo LXXV. *Vovete & reddite Domino Deo nostro.* Vovere, consilium est; reddere, præceptum. Ecclesiastis V. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio: sed quodcunque voveris redde: multóque melius est non vovere, quàm post votum promissa non reddere.* Hinc Apostolus de Viduis voto castitatis obstrictis, & tamen nubentibus, ait, I. ad Timotheum V. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*

Eamdem Regulam SS. Patres confirmant. Unus sit instar omnium *S. Augustinus*, Epistolâ CXXVII. aliàs XLV. ad *Armentarium & Paulinam* ejus uxorem, qui continentiam voverant. *Quia*, inquit, *jam vovisti, jam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Priùs quàm esses voti reus, liberum fuit, quo esses inferior: quamvis non sit gratulanda libertas, quâ fit ut non debeatur, quod cum lucro redditur. Nunc verò quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invito, sed à magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris, si non feceris quod vovisti, qualis mansisses, si nihil tale vovisses. Minor enim tunc esses, non pejor. Modò autem tantò, quod absit, miserior, si fidem Deo fregeris, quantò beatior, si persolveris. Nec ideo te vovisse pœniteat, immò gaude jam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta imple factis: ipse adjuvabit, qui vota tua expetit. Felix est necessitas, quæ in meliora compellit.* Et Libro *De Bono Viduitatis*, Cap. XI. *Planè non dubitaverim dicere, lapsus & ruinas à castitate sanctiore, quæ vovetur Domino, adulteriis esse pejores. Si enim, quod nullo modo dubitandum est, ad offensionem Christi pertinet, cùm membrum ejus fidem non servat marito; quantò graviùs offenditur, cùm illi ipsi non servatur fides in eo quod*

exigis oblatum, qui non exegerat offerendum? Cùm enim quisque non reddit, quod non imperio compulsus, sed consilio commonitus vovit; tantò magis fraudati voti auget iniquitatem, quantò minùs habuit vovendi necessitatem.

His adde *Innocentii I.* testimonium Epistola II. ad *Victricium* Rothomagensem Episcopum, Cap. XII. ubi de puellis quæ solemni Virginitatis voto Deo se consecraverant, ita scribit: *Quæ Christo spiritualiter nupserunt, & velari à Sacerdote meruerunt, si postea vel publicè nupserint, vel se clanculò corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is, cui se junxerant, de seculo recesserit. Si enim de omnibus hæc ratio custoditur, ut quæcunque vivente viro alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agendæ Pœnitentia licentia concedatur, nisi unus ex eis fuerit defunctus: quantò & illa magis tenenda est, quæ ante immortali se Sponso conjunxerat, & postea ad humanas nuptias transmigravit?*

Et Cap. XIII. De iis quæ simplici dumtaxat voto se obstrinxerant, hæc habet: *Hæ verò, quæ necdum sacro Velamine tectæ, tamen in Proposito Virginali semper manere promiserant, licèt velatæ non sint, si fortè nupserint, his agenda aliquanto tempore Pœnitentia est, quia sponsio earum à Deo tenebatur. Nam si inter homines solet bonæ fidei contractus nullâ ratione dissolvi, quantò magis ista pollicitatio quam cum Deo pepigerit Virgo, solvi sine vindicta non debet? Nam si Apostolus Paulus, quæ à proposito Viduitatis discesserunt, dixit eas habere condemnationem, quia primam fidem irritam fecerunt; quantò magis Virgines, quæ prioris promissionis fidem frangere sunt visæ?*

His consonat *Innocentii III.* Responsum, Cap. *Licèt*, Extra, *De Voto, & Voti redemptione*, cujus hæc sunt verba: *Licèt universis liberum sit arbitrium in vovendo, usque adeo tamen solutio necessaria est post votum, ut sine proprio salutis dispendio alicui non liceat resilire.* Id confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XXXVIII. Quæst. I. Art. II. Quæstiuncula I. *Votum*, inquit, *est quædam promissionis contractus inter Deum & hominem: unde cùm contractus bonæ fidei inter homines factus obliget ad necessariam observationem, multò fortiùs votum quo homo Deo aliquid promittit, in his dumtaxat ad quæ votum se extendit: in illis autem ad quæ votum non se extendit, obligatio voti non habet locum. Et ideo qui votum ritè factum prætermittit, mortaliter peccat, quia fidem, quam cum Deo iniit, frangit.* Interdum tamen contingit ut violatio voti veniale dumtaxat peccatum sit ob materiæ levitatem, si contemptus absit.

Regula VII.

Votum absolutum absque mora implendum est, votum autem conditionatum, aut ad certum tempus emissum, impletâ conditione, ac stato tempore solvi debet. Unde mora in reddendo voto, cùm illud impleri commodè potest, grave peccatum est.

Hæc Regula Scripturæ Sacræ verbis, & *S. Thomæ* doctrinâ nititur, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXVIII. Articulo III. ad tertium. *Obligatio voti*, inquit, *ex propria voluntate & intentione causatur. Unde dicitur* Deuteronomii XXIII. *Quod semel egressum est de labiis tuis, observabis: & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate & ore tuo locutus es.* Et ideo, *Si in intentione & voluntate voventis est obligare se ad statim solvendum, tenetur statim solvere: si autem ad certum tempus, vel sub certa conditione, non statim tenetur solvere. Sed nec debet tardare ultrà quàm intendit se obligare. Dicitur enim* ibidem: *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et, si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

Id rursus confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXXVIII. Quæstione I. Articulo II. Quæstiuncula I. ad septimum: *Si quando*, inquit, *quis vovit, putà, se intraturum Religionem, intendebat se ad statim obligare, vel ad arbitrium alienum, non potest ulteriùs differre, etiam propter debita solvenda; sed ille qui eum recipit, tenetur ea persolvere: si autem in vovendo de debitis cogitabat, probabiliter præsumi potest quòd non intendebat se obligare antequam de rebus suis disposuisset. Quando autem timet rationabiliter perpetuum impedimentum, tenetur ulteriùs non differre.* Et dilationem hujusmodi peccatum esse mortale censet *S. Antoninus*, quatenus exponit se periculo peccati mortalis, scilicet transgressionis voti; idemque ferendum judicium est de differentibus adimpletionem aliorum votorum per longum tempus, cùm tamen commodè possint, & memores sint voti nuncupati; nimiâ autem morâ fit, ut è memoria excidat, vel impotentes reddantur ad votum solvendum, ut senes ad longam peregrinationem. Ut autem voti redditio legitimè differatur, ad Superioris auctoritatem confugiendum est. Debet autem Superior, id est, Summus Pontifex vel Episcopus, attendere ad impedimenti causam, an illa temporalis sit, an perpetua. Et iis quidem qui perpetuam impedimenti causam creduntur habere, est *Redemptio injungenda*, seu commutatio, aut dispensatio concedenda. Illis verò qui temporalem, *indulgenda est dilatio*, ut respondet *Innocentius III.* Cap. *Quod super his*, Extra, *De Voto & Voti redemptione.*

Regula VIII.

Qui ad votum implendum factus est impotens, facere debet quod potest: alioqui lethaliter peccat quoties agit contra votum nec quod potest implere.

Hanc Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXVIII. Articulo III. in Responsione ad secundum: *Si illud quod quis vovit, ex quocumque aliâ causâ impossibile reddatur, debet hoc facere quod in se est, ut saltem habeat promptam voluntatem faciendi quod potest. Unde ille qui vovit Monasterium aliquod intrare, debet dare operam quantùm potest, ut ibi recipiatur. Et si quidem intentio ejus fuit se obligare ad Religionis ingressum principaliter, & ex consequenti elegit hanc Religionem, vel hunc locum, quasi sibi magis congruentem: tenetur, si non potest ibi recipi, aliam Religionem intrare. Si autem principaliter intendit se obligare ad hanc Religionem, vel ad hunc locum, propter specialem complacentiam hujus Religionis, vel loci, non tenetur aliam Religionem intrare, si eum illi recipere nolunt. Si verò incidit in impossibilitatem implendi votum ex propriâ culpâ, tenetur insuper de propriâ culpâ præteritâ pœnitentiam agere. Sicut mulier quæ vovit virginitatem, si postea corrumpatur, non solùm debet servare quod potest, scilicet perpetuam continentiam; sed etiam de eo quod admisit peccando pœnitere.* Sic dives qui vovit se uberes eleemosynas erogaturum, ad paupertatem postea redactus, eleemosynam erogare debet quam potest, pro rei familiaris angustiâ. Et qui plurima & diuturna jejunia vovit sanus & robustus, si debilis & infirmus evadat, jejonare, aut sibi temperare debet à cibo & potu pro vi-

De Voto Religionis.

tibus. Atque in similibus casibus ad Superioris arbitrium & auctoritatem recurrendum, *S. Antoninus* docet. Sic qui abstinentiam a vino aot à certis cibis in perpetuum vovit, si vinum biberit, aut cibos illos attigerit semel aliqua die, tenetor nihilominus reliquâ die à cibis illis & vino abstinere; & toties peccat mortaliter quoties cibos illos attingit, aut vinum bibit. Si certa die abstinentiam illam se observaturum vovit, ut feria sexta, vel sabbato, violato semel voto per ciborum degustationem, aut per vini potationem, tenetur etiam reliquâ die temperare, & toties peccatum mortale committit, quoties cibos illâ comedit, aut vinum bibit. Si verò ad certum diem votom suum non determinaverit, sed semel aut bis se jejunaturum, aut à vino temperaturom voverit, si ea die quâ votum implere decreverat, semel vinum bibit, aut cibos jejunii diebus vetitos attigit, votum violare parum curans, lethaliter quidem peccavit prima vice, sed aliis vicibus cibos illos comedens aut vinum bibens eadem die votum non violavit, obligatione in diem alterum translatâ. Ita docet *S. Antoninus* II. P. Tit. x. cap. II. *De Materia Voti*, §. 2.

REGULA IX.

Juvenes voto vel juramento ad Statum Religiosum amplectendum inducere licet, servatis debitis circumstantiis.

ITa docet *S. Thomas*, Quodlibeto III. Quæstione v. Articulo I. *Humani actus* (inquit) *propter diversos casus uniforme judicium habere non possunt: nec tamen si contingit aliquid in aliquo casu esse malum, propter hoc judicandum est esse simpliciter illicitum: posset ergo contingere aliquis casus, in quo aliquem adolescentem ad Religionem obligare, vel etiam recipere, illicitum esset: putà, si constaret, vel probabiliter timeretur de ejus inconstantia; vel si aliquid aliud esset hujusmodi, quæ diligenter considerantur in Religionibus bene institutis. Dicere autem quòd malum est recipere adolescentes ad Religiones, est diabolicum.* Addit, id esse *contra Christi præceptum.* Dicitur enim Matthæi XIX. quòd *Oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret*; Discipuli autem increpabant eos: Jesus autem ait, *Sinite parvulos, & nolite prohibere eos venire ad me.* At secundùm diversam conditionem juvenum in eo negotio procedendum *S. Thomas* docet. *Si enim essent adeo firmi, quòd non timerent à Religionis proposito resilire, non esset necessarium eos juramento vel voto obligare: & similiter si essent adeo mobiles, quòd nec etiam crederentur juramento vel voto posse firmari: sed ut plurimum contingit quòd simplex propositum de facili mutant, oblationem autem voti vel juramenti omnino servant. Unde cùm voto & juramento ad frugem melioris vitæ obligantur, magnum beneficium eis præstatur.*

Addidi, non esse inducendos ad Statum Religiosum amplectendum, nisi servatis debitis circumstantiis: quia nec ante annum Probationis omnino elapsum & completum, admittendi sunt, nec ante annum ætatis decimum sextum completum, alioqui Professio eorum ac vota irrita essent, secundùm *Innocentii Quarti*, aliorúmque Pontificum, & Concilii Tridentini Decreta. (Sess. 25. cap. 15.) Non sunt etiam cogendi, aut malis artibus, falsisve rationibus aut blanditiis pertrahendi, sive decipiendi, ut Monasterium ingrediantur: gravis enim peccati rei sunt qui id faciunt, sive parentes, ut familias suas exonerent, aliósque filios aut filias meliùs collocent, ac opibus augeant; sive Monachi, aut Moniales, ut parentum cupiditati gratificentur, rebúsque suis consulant. Qui autem aliquam mulierem, seu Virginem, seu Viduam, vi aut metu coëgerint ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscunque Religionis, vel ad emittendam Professionem: quique consilium, auxilium vel favorem dederint, quique scientes eam non spontè ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut Professionem emittere, quovis modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint, sacræ Synodi Tridentinæ Decreto Anathemati subjiciuntur, (cap. 18. Sess. 25.) cujuscunque conditionis fuerint, tam Clerici, quàm Laici, Sæculares vel Regulares, etiam qualibet dignitate fulgentes.

Hanc Moralis Christianæ Regulam, in cujus explicatione versamur iterum explicat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. CLXXXIX. Articulo IX. *Inducentes alios ad Religionem* (inquit) *non solùm non peccant, sed magnum præmium merentur. Dicitur enim Jacobi ultimo:* Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit « animam ejus à morte, & operit multitudinem « peccatorum. *Et Danielis* XII. *dicitur:* Qui ad « justitiam erudiunt plurimos, erunt quasi stellæ « in perpetuas æternitates. *Posset tamen contingere « circa hujusmodi inductionem triplex inordinatio. Primò quidem, si violenter aliquis alium ad Religionem cogeret. Secundò, si quis simoniacè alium ad Religionem trahat muneribus datis. Nec tamen ad hoc pertinet, si aliquis pauperi necessaria subministret in seculo, nutriens eum ad Religionem, vel si sine pacto aliqua munuscula tribuat ad familiaritatem captandam. Tertiò, si mendaciis eum alliciat. Imminet enim sic inducto periculum, ne, cùm se deceptum invenerit, retrocedat, & sic fiant novissima hominis illius pejora prioribus, ut dicitur Lucæ* XI.

REGULA X.

Qui Voto vel Juramento adultâ ætate spontéque emisso, ad Statum Religiosum amplectendum se obstrinxerunt, illum amplecti, seu Monasterium ingredi ac Religiosum Habitum suscipere tenentur.

ITa docet *S. Thomas*, eodem Quodlibeto Quæst. v. Articulo II. *Dicere* (inquit) *quòd illi qui voto vel juramento sunt obligati ad intrandum Religionem, non teneantur intrare, est manifestè hæreticum. Quicunque enim dicit non esse peccatum id quod est contra præceptum Dei, hæreticus judicatur: sicut hæreticus judicaretur quicunque diceret quòd fornicatio simplex non sit peccatum mortale: est enim contra hoc præceptum,* Non mœchaberis, *ut Sancti exponunt... Sunt autem excellentiora præcepta primæ tabulæ, quæ ordinantur ad dilectionem Dei, quàm præcepta secundæ tabulæ, quæ ordinantur ad dilectionem proximi, unde quicunque dicit, quòd sine peccato præterire possit aliquid pertinens ad præcepta primæ tabulæ, est manifestò hæreticus: cùm autem impletio voti pertineat ad latriam, manifestum est quòd quicunque dicit Votum non esse implendum, loquitur contra primum præceptum primæ tabulæ, quod est de cultu latriæ soli Deo exhibendo. Qui verò dicit, Juramentum non esse implendum, loquitur contra secundum præceptum primæ tabulæ: unde quicunque dicit quòd ille qui est obligatus voto vel juramento ad intrandum Religio-*

De Voto Religionis. *nem, potest absque peccato in sæculo remanere, est manifestò hæreticus: si tamen in hoc pertinaciter perseveret.* Est autem Hæresis illa inter errores *Vigilantii* damnata, quam *S. Hieronymus* Libro adversùs illum edito sic refellit: *Quod autem asserit, Eos meliùs facere, qui utuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum pauperibus dividunt, quàm illos qui possessionibus venundatis simul omnia largiuntur, non à me ei, sed à Domino respondebitur:* Si vis esse perfectus, va- » de, & vende omnia quæ habes, & da paupe- » ribus, & veni, sequere me. *Iste quem tu lau* » *das, secundus aut tertius gradus est, quem & nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis & tertiis præferenda.*

REGULA XI.

Peccatoribus Religiosæ vitæ Professionem imperare, aut in Pœnitentiam imponere non licet: ad id tamen vitæ genus ipsos invitare & adhortari, licitum ac laudabile est.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Quodlibetô III. Quæstione v. Articulo III. *Maximè* (inquit) *utile est peccatoribus ut ad Religionem transeant. Peccatoribus enim duo sunt necessaria ad salutem: Primò quidem ut de peccatis præteritis Pœnitentiam agant: secundò, ut de cætero à peccatis abstineant: ad utrumque autem horum maximè operatur Religio. Primò enim status Religionis est status perfectæ Pœnitentiæ, & nulla satisfactio adæquari potest Pœnitentiæ Religiosorum, qui se & sua totaliter Deo dant. Unde pro nullo peccato imponi potest homini pro Pœnitentia ut Religionem intret; & in commutationem satisfactionis quantumcunque gravis consulitur tantùm Religionis ingressus; ut patet 33. Quæst. 2. cap.* Admonete, *ubi Stephanus Papa quemdam qui uxorem interfecerat, inducit ut ingrediatur Monasterium & humiliatus sub manu Abbatis cuncta observet quæ sibi fuerint imperata; alioquin injungit ei gravissimam Pœnitentiam, si eligit in sæculo remanere..... Similiter etiam ad vitanda peccata plurimùm valet Religionis status: difficile enim est quòd in sæculo commorantes à rebus Mundi non alliciantur.... Unde manifestum est quòd non peccant, sed laudandi sunt qui peccatores ad Religionem trahunt. Nam & Dominus de se ipso dicit:* NON VENI *vocare justos, sed peccatores ad Pœnitentiam:* Et *Mat-* Matth. 9. 13. *thæum* Publicanum ad statum perfectionis vo- » cavit. Omnis autem Christi actio, nostra est » instructio: Ergo etiam & nos, peccatores ad vitæ Religiosæ Professionem hortari possumus ac debemus.

REGULA XII.

Lethalis peccati reus est, qui aliquem Juramento adstringit ne vitam Religiosam profiteatur, aut ab ingressu Monasterii, & Religiosæ vitæ Professione, positis debitis circumstantiis facienda prohibet, vel avertit.

HAnc Moralis Christianæ Regulam tradit *S. Joannes Chrysostomus*, Libro III. *Adversùs Vituperatores Vitæ Monasticæ*, cap. XIX. parentes reprehendens, qui filios à Religiosæ Vitæ professione avertunt, & vitæ sæculari implicant. *Etsi* (inquit) *domi remorantes possibile esset non penitus corrumpi & perire, sed vel inter extremam dilectorum sortem numerari, ne sic quidem supplicia evadere possemus, cùm & his qui ad diligentioris delectum vitæ properant, impedimento fuissemus & eos mundanis rebus obligatos tenuimus, qui ad cælum evolare cupiunt, atque in auras veræ libertatis emergere. Cùm verò de extremis periculum immineat, quam tandem veniam, quam excusationem habebimus, qui non modò nostrorum peccatorum, sed eorum etiam quæ postea filii peccaverint, pœnas in nosmetipsos acerbissimas attrahimus? Neque enim eos ita punitum iri existimo pro his quæ deliquerint ad mundanos fluctus violenter attracti, ut vos qui hanc invitis illis & nitentibus necessitatem imposuistis. Nam si ei qui* Matth. 18. *unum scandalizat, cum mola in mare præcipitari expedit: quæ tandem pœna, qui cruciatus illis satis erunt, qui sævitiam tantam & immanitatem in liberos proprios ostendunt? Neque dicere debetis, Cùm videremus eos ad finem pervenire non posse, istud prohibuimus. Etiamsi enim hoc apertissimè novisses, nec esset ista fallax conjectura, ne sic quidem illum ab instituto retrahere debueras. Neque enim si quem cadere incipientem, anticipantes lapsum, ipsi præcipitaremus, id nobis ad excusationem satis esset, sed ipsum hoc nos in primis condemnaret. Ut quid enim tu non permisisti illius magis negligentiâ ruinam illam contingere, sed præveniens alterius peccatum rapuisti, cunctàque in tuum caput conjecisti? Quin imò ne permittere quidem ut ea ruina contingeret, debebas. Cur enim non omnia fecisti ne rueret filius tuus? Itaque idcirco maxima animadversione dignus es, quòd sciebas ruiturum. Qui enim ruinam præsciebas, non illum dejicere, sed manum porrigere debueras, studiùmque maximum ostendere ut is qui ruiturus videbatur fortiter persisteret, sive ille postea fortiter stare duraret, sive non. Nos enim cuncta partium nostrarum munera exequi atque implere convenit, etiamsi nihil ex nostra diligentia & studio fuerint lucrati: ut non jam adversùm nos Deus sententiam ferat, sed adversùs illos. Quod & ipse eum qui talento accepto nihil operatus fuerat, criminatus dicebas:* O- » portebat te pecuniam meam deponere ad num- » Matth. 25. mularios, & ego veniens cum fœnore exe- » gissem illam. *Obtemperemus igitur ista Monita* » *Domini, ut cruciatus quos ille comminatus est effugere possimus. Neque enim sanè Deum cum hominibus ludere poterimus, qui ubique salutis filiorum reos parentes constituit. Nam si is qui pecuniam deponere neglexit, tanta severitate punitus est: quid ille patietur, qui deponere volentibus impedimento fuit? Non solùm enim si ad Mundi strepitum filii vestro consilio devoluti fuerint, sed etsi fortiter impetum tulerint, montésque occuparint, eadem vobis supplicia sunt constituta. Sicut enim qui ad Philosophiam hortari pergit, sive ille persuadeat, sive non, perfectam consequitur integerrimámque mercedem: omne enim quod erat sui muneris implevit: ita & qui aliquem perdere voluerit, sive illum læserit, sive non læserit, eadem animadversione punietur: & hic enim cuncta quæ potuit, fecit. Itaque etsi nihil valueritis ad dejiciendos, ac pervertendos fortes filiorum animos, hujus tamen iniquissimi conatûs tantas pœnas dabitis, quantas, si id quod cupiebatis, ex proposito illos dejecissetis.*

Ab Angelico Doctore hæc Regula confirmatur loco mox indicato, Articulo IV. *In actibus humanis* (inquit) *non est aliquid simpliciter judicandum licitum, vel illicitum, propter id quod accidit in aliquo particulari casu, sed propter quod est ut in pluribus. Contingit autem in aliquo casu quòd absque peccato aliquis potest adstringere aliquem Juramento ad hoc quòd Religionem non intret, putà, si esset matrimonio ligatus, &*

De Voto Religiosorum.

vellet absque consensu uxoris Religionem intrare, vel in casibus similibus. Simpliciter autem loquendo inducere aliquem, ad jurandum quod Religionem non intret, grave est peccatum. Si enim aliquis vellet Religionem intrare, & immineret opportunitas temporis, & omnes circumstantia convenirent, graviter peccaret, qui eum ab ingressu Religionis prohiberet. Unde Dominus Matthæi XXIII, *ait:* » VÆ vobis Scribæ & Pharisæi hypocrytæ, » quia clauditis Regnum cœlorum ante homi» nes: vos enim non intratis, nec introëuntes si» nitis intrare. *Cùm autem aliquis facit aliquem jurare quòd Religionem non intrabit, impedit eum,* B *quantùm in se est, ab ingressu Religionis secundùm quodcunque tempus, & secundùm quamcunque circumstantiam opportunam, quia in universali includuntur omnia particularia: unde manifestum est quòd graviter peccat.*

Præterea, *Propositum intrandi Religionem à Spiritu Sancto est, ut habetur Causa* XIX. *Quæstione* II. *Can.* Duæ: *Sed resistere Spiritui Sancto est grave peccatum, de quo Stephanus reprehendit Judæos, Actuum* VII. *dicens:* Vos semper Spiritui Sancto resistitis: *Ergo ille qui aliquem juramento adstringit ad non intrandum Religionem graviter peccat.* Hinc Sacra Synodus Tridentina Sessione C XXV. cap. XVIII. *Anathemati subjicit eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel Voti emittendi, quoquo modo sine justa causa impedierint.* Qui verò alterum ab ingressu vel Professione Religionis avocat ex justa causa, non peccat: nempe si conjugatus consummato Matrimonio velit Monasticam vitam amplecti sine consensu conjugis: si quis non videtur à Deo vocatus, & ad hoc vitæ institutum idoneus: si in Monasterio, in quo vult recipi, non servatur Regularis Disciplina: si Reipublicæ vel parentum necessitas postulet ut in D Seculo maneat.

Sed nec alicui jurare licet, se nunquam Religiosam vitam amplexurum, aut votum castitatis emissurum: & hujusmodi juramenta non solùm illicita, sed & irrita sunt, ut docet ibidem *S. Thomas* Objectioni respondens: *Quamvis* (inquit) *licitum sit ab aliquo bono opere abstinere, tamen illicitum est, vel sibi, vel alii impedimentum apponere, quò minùs in illud bonum opus procedere possit: sicut licitum est non dare eleemosynam huic pauperi, illicitum tamen est se vel alium juramento adstringere ad hoc quod alicui eleemosyna* E *non detur. Cujus ratio est: quia prætermittere actum virtutis potest aliquis absque peccato (eò quòd præcepta affirmativa, quæ sunt de actibus virtutum, non obligant ad semper) sed impedimentum boni operis directè virtuti contrariatur: & ideo cadit sub prohibitione præcepti negativi, quod obligat ad semper, unde omnia talia juramenta sunt illicita, nec sunt observanda: & illi qui hoc jurant, jurando perjuri fiunt; quia juramentum hominem obligare non potest contra caritatem Dei & proximi. Unde quamvis licitum sit alicui Religionem non intrare, illicitum tamen est impedimentum juramenti apponere sibi, vel alii: est enim contra perfectionem* F *vitæ, & contra consilium Christi.*

REGULA XIII.

Qui vi, fraude, dolo, metu qui virum constantem commovere possit, aliquem ab ingressu Monasterii aut Religiosæ Vitæ Professione revocavit, impedimenta quæ apposuit removere debet, & Monasterio damnum, quod inde patitur, compensare ad arbitrium viri prudentis.

De Voto Religiosorum.

GRaviter enim contra justitiam peccavit, injuriam intulit tam personæ, quàm Monasterio, B estque causa proxima damnorum hinc emergentium, non secus ac ille qui vi aut dolo spoliaret Ecclesiam bonis ad eam verisimiliter accessuris. Ad compensationem itaque tenetur secundùm æstimationem & judicium viri prudentis: sicut ille qui injustè *impedit ne Præbenda detur digno, consulens quòd non detur, antequàm sit firmatum quòd ei detur, tenetur ad aliquam compensationem, pensatis conditionibus personarum, & negotii;* ut docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXII. Articulo II. Qui & generalem hanc Regulam tradit Articulo IV. *Si quis damnificet aliquem impediendo ne adipiscatur* C *quod erat in via habendi... tenetur aliquam compensationem facere secundùm conditionem personarum & negotiorum.* Ad compensationem autem illam necesse non est ut ipse Monasterium ingrediatur, Vitamque Religiosam profiteatur; sed vel alium æquè idoneum opportunitate datâ, servatisque debitis circumstantiis, invitare debet atque adducere ut in eodem Ordine ac Monasterio se Deo devoveat, vel fundatione aliquâ, eleemosynis, vel officiis illatum damnum compensare, si homini quem ab habitus religiosi susceptione, aut Professione abduxit, reditum suadere non va- D leat.

REGULA XIV.

Qui Religiosam Vitam professus est in Monasterio ubi Regulæ strictior observantia non viget, ad id duntaxat vita genus se obligare volens, quod ibi agitur; nihilominus tenetur ea quæ substantiam Regulæ, seu tria Vota præcipua spectant, ad amussim observare. Ad alias verò observantias non obligatur, quandiu Superiorum dissimulatione relaxatio Disciplinæ toleratur in iis quæ Regula vel Con- E *stitutiones non præcipiunt.*

VOtum enim solemne Religionis positum est in Professione Regulæ à Sede Apostolica approbatæ: Sedes autem Apostolica nusquam approbat, immò nec tolerat Disciplinæ Regularis relaxationem quoad ea quæ trium votorum observantiam spectant: *Quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere;* ut declarat *Innocentius III.* Cap. *Cùm ad Monasterium*, Extra, *De Statu Monachorum.* Idemque confirmat Sacra F Synodus Tridentina, Sessione XXV. *De Regularibus*, cap. I. *Sancta Synodus præcipit, ut omnes Regulares, tam viri quàm mulieres, ad Regulæ quam professi sunt præscriptum vitam instituant & componant, atque inprimis quæ ad suæ Professionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, & castitatis, & si quæ alia sunt alicujus Regulæ & Ordinis peculiaria vota & præcepta, ad eorum respectivè essentiam, nec non ad communem vitam, victum & vestitum, observanda pertinentia fideliter observent: omnisque cura & diligentia à Superiori-*

De Voto Religioso.

bus adhibeatur tam in Capitulis Generalibus & Provincialibus, quàm in eorum Visitationibus quæ suis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur: cùm compertum sit ab eis non posse ea, quæ ad substantiam Regularis Vitæ pertinent, relaxari: si enim illa quæ bases sunt & fundamenta totius Regularis Disciplinæ exactè non fuerint conservata; totum corruat ædificium necesse est.

Idem confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XXXVIII. Quæstione I. Articulo II. Quæstiuncula I. in Responsione ad quintam Objectionem: *Qui interpretatum votum fecit, ad tria vota Religionis principalia in omni casu tenetur: sed ad alias observantias, quarum transgressio ex dissimulatione Prælatorum inducitur, qui dum videntes non corrigunt, indulgere videntur, non videtur obligari: & præcipuè si sit simplex, qui talia discernere sufficienter nesciat.*

REGULA XV.

Moniales quæ Professionem Religiosam emiserunt in Monasteriis, in quibus Clausura non servabatur, nec olim fuerat observata, ad eam suscipiendam, & religiosè servandam tenentur, cùm ab Episcopis, aliisve Superioribus legitimis imperatur & imponitur: in lethalis alioquin peccati reatum incurrunt.

HÆc Regula nititur Constitutione *Bonifacii VIII.* quæ incipit, *Periculoso*, in Sexto, Tit. XVI. *Præsenti* (inquit) *Constitutione perpetuò irrefragabiliter valitura, sancimus universas & singulas Moniales præsentes atque futuras, cujuscunque Religionis sint, vel Ordinis, in quibuslibet mundi partibus existentes, sub perpetuâ in suis Monasteriis debere de cætero permanere Clausurâ: ita quòd nulli earum Religionem tacitè vel expressè professæ, sit vel esse valeat, quacunque ratione vel causâ, (nisi fortè tanto & tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quòd non posset cum aliis absque gravi periculo, seu scandalo commorari,) Monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas: nullique aliquatenus inhonestæ personæ, nec etiam honestæ, (nisi rationalis & manifesta causa existat, ac de illius ad quem pertinuerit speciali licentiâ) ingressus vel accessus pateat ad easdem: ut sic à publicis & mundanis conspectibus separatæ, omnino servire Deo valeant liberius, & lasciviendi opportunitate sublatâ, eidem corda sua & corpora in omni sanctimonia diligentiùs custodire...... Et quoniam parum esset condere Jura, nisi essent qui ea executioni debita demandarent, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis universis districtè in virtute sanctæ obedientiæ, sub obtestatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ præcipiendo mandamus, quatenus eorum quilibet in Civitate ac Diœcesi propria, in Monasteriis Monialium sibi ordinario Jure subjectis, suâ; in iis verò quæ ad Romanam immediatè spectant Ecclesiam, Sedis Apostolicæ auctoritate: Abbates verò & alii tam exempti quàm non exempti Prælati Ecclesiarum, Monasteriorum, & Ordinum quorumcunque in Monasteriis hujusmodi sibi subjectis, de Clausura convenienti, ubi non est, ipsorum Monasteriorum expensis, & fidelium eleemosynis, quas ad hoc procurent diligentiùs faciendas, & de ipsis Monialibus includendis, quamprimùm commodè poterunt, providere procurent, si divinæ & nostræ indignationis voluerint acrimoniam evitare: contradictores atque rebelles per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ compescendo: invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.*

De clausura Monialium.

Hanc *Bonifacii VIII.* Constitutionem confirmat Concilium Tridentinum Sessione XXV. *De Regularibus*, cap. V. *Bonifacii VIII. Constitutionem* (inquit) *quæ incipit*, PERICULOSO, *renovans Sancta Synodus, universis Episcopis, sub obtestatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis, ordinariâ; in aliis verò Sedis Apostolicæ auctoritate, Clausuram Monialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maximè procurent: inobedientes atque contradictores per Censuras Ecclesiasticas, aliásque pœnas, quacunque appellatione postpositâ, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Quod auxilium ut præbeatur, omnes Christianos Principes hortatur Sancta Synodus, & sub Excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, omnibus Magistratibus Sæcularibus injungit. Nemini autem Sanctimonialium liceat post Professionem exire è Monasterio, etiam ad breve tempus, quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbanda: indultis quibusque & Privilegiis non obstantibus. Ingredi autem intra septa Monasterii nemini liceat, cujuscunque generis aut conditionis, sexûs vel ætatis fuerit, sine Episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub Excommunicationis pœnâ ipso facto incurrenda. Dare autem tantùm Episcopus vel Superior licentiam debet in casibus necessariis.*

De Voto Religioso.

Eamdem Regulam confirmant *Pius Quintus* Pontifex Sanctissimus Constitutione duplici; primâ quæ incipit, *Circa Pastoralis*, datâ die XXIX. Maii, anno MDLXVI. alterâ quæ incipit, *Decori & honestati*, datâ die primâ Februarii anni MDLXX. & *Gregorius XIII.* Constitutione, quæ incipit, *Deo sacris*, datâ die trigesimâ Decembris; anni MDLXXII. Concilia Provincialia quæ secundùm Concilii Tridentini Decretum, & Pontificias Constitutiones mox laudatas Clausuræ observantiam Monialibus imperarunt, recensere minimè opus est. Rothomagense anno MDLXXXI. sub Cardinali Borbonio Archiepiscopo celebratum, dubium istud Summo Pontifici *Gregorio XIII.* proposuit: *Circa Decretum de Clausura Monialium, sunt quæ ex fundatione dicunt liberum sibi relinqui exitum & introitum Monasterii: aliæ prætexunt se non emisisse Votum Clausuræ, nec unquam ingressuras Monasterium, si audissent ullam fuisse clausuræ obligationem: pleraque minantur se potiùs reversuras ad sæculum, quàm patiantur eamdem clausuram, & per parentes nobiles necem etiam Episcopis intentant, si ausi fuerint ingressum prohibere. In his perplexitatibus supplicatur quid agendum, maximè ubi timetur ne per clausuram aliquid deteriùs contingat, & Magistratus Sæcularis non adjuvat.* Respondit Pontifex: *Executioni demandentur Decreta Concilii Tridentini, & Bullæ Summorum Pontificum, quibus sublata sunt omnia privilegia, & fundationes.*

REGULA XVI.

Qui dubitat an votum emiserit, illud implere tenetur.

HAnc Regulam approbat *S. Thomas*, in IV. Sententiarum, Distinctione XXXVIII. Quæstione I. Articulo II. Quæstiuncula I. in Responsione ad sextam Objectionem: *Si autem dubitet* (inquit) *quomodo se in vovendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat.* Sed tamen de hujusmodi votis, etiam si sint in materia reservata, dispensare potest Episcopus: sola enim Vota certa & indubitata in materia reservata, Summi Pontificis dispensatione indigent.

REGULA XVII.

REGULA XVII.

Qui dubitat an actus aliquis voto à se facto repugnet, ab illo tenetur abstinere; alioqui lethaliter peccat.

De Voto.

EXponit enim se sciens volens periculo peccati mortalis. *Qui autem amat periculum in illo peribit.* Idque *S. Antoninus* confirmat P. II. Tit. XI. Cap. II. §. 10. *Existens*, inquit, *in dubio an transgrediatur votum, & per consequens peccet mortaliter, tenetur se ponere in tuto, ut scilicet votum non transgrediatur.* Unde qui certa jejunia vovit, & dubitat an illa observare possit sine periculo gravis infirmitatis, tenetur illa protrahere in alium diem, vel in alia pietatis opera commutare auctoritate Superioris; (inquit idem Sanctus Archipræsol.)

REGULA XVIII.

Religiosa Professio tam virorum quàm mulierum ante decimum-sextum ætatis annum expletum, & annum Probationis pariter continuum, pariterque completum facta, irrita est.

ITa statuit Concilium Tridentinum Sessione XXV. *De Regularibus*, Cap. XV. Idemque Regia Constitutione Blesis editâ Articulo XXVIII. sancitum est. Unde si vel paucæ desint horæ ad anni complementum, quamvis ultima dies anni decimi sexti, sive anni Probationis illuxerit, nulla erit Professio, ut à Sacra Concilii Congregatione non semel responsum, & à Rota Romæ judicatum refert *Fagnanus* in Cap. *Ad nostram*, Tit. *De Regularibus* in 1. P. Libro III. Decretalium. Eadémque Sacra Congregatio rogata an Novitius, qui è Monasterio exierat ut alii Ordini se manciparet, ac duabus tantùm horis in alio Conventu moratus fuerat, statimque facti pœnitens reversus fuerat, novum annum Probationis incipere & explere teneretur: respondit, Teneri ab eo die quo rediit. In favorem enim tam Religiosi Ordinis, quàm Novitii cedit, ut anni complementum omni ex parte requiratur, nimirum ut Ordo Religiosus probet mores Novitii, hic verò austeritatem sive observantias Religiosi Ordinis. Favor (inquam) est Novitii, ut deliberandi libertas seque jugo Monastico alligandi duret ad ultimum usque temporis articulum, quod Sacris Canonibus præscriptum est. Favor etiam est Religiosorum Ordinum, quorum interest spontaneos habere Milites, quique solido anno deliberantes, firmo proposito illis tandem se devoveant; *Ne quis eorum aut non sit contentus eo quod vovit, aut ratum non habeat quod elegit*, ut dicitur Canone *Monasteriis*, Causa XIX. Quæstione III. ex *S. Gregorio*. Ut enim habetur Cap. *Non solùm*, Tit. *De Regularibus*, in Sexto; *Decet & expedit ut conscientiæ puritati non desit judicium rationis; ne unde spiritualis profectus quæritur, salutis dispendium subsequatur.*

Etsi verò *S. Pii Quinti* Privilegio Dominicanis Monialibus indultum sit ut Novitias in mortis articulo constitutas ad Professionem admittant, modò legitimæ sint ætatis, nondum completo Probationis anno; ut habetur in Diplomate quod incipit, *Summi Sacerdotii cura*: atque sic Professæ Indulgentias, aliásque gratias spirituales consequantur: illud tamen indultum à *Gregorio XIII.* ad terminos Juris communis redactum est, Constitutione quæ incipit, *In tanta*: ac proinde si Novitia sic professa convalescat, non censebitur alligata Religioni, nisi completo Probationis anno, solemnem Professionem rursus emittat. De Voto.

REGULA XIX.

Vota simplicia ante pubertatis annos emissa, irrita sunt, nisi rationis usus pubertatem prætesserit, parentésque vel tutores permiserint, aut certè de voto certiores facti, non repugnaverint.

UT enim docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXVIII. Articulo IX. *Votum simplex efficaciam habet ex deliberatione animi, quâ quis se obligare intendit. Quòd autem talis obligatio robur non habeat, dupliciter potest contingere; uno quidem modo propter defectum rationis, sicut patet in furiosis & amentibus, qui se voto non possunt obligare ad aliquid, dum sunt in furia, vel amentia: alio modo, quia ille qui vovet est alterius potestati subjectus. Et ista duo concurrunt in pueris ante annos pubertatis, quia & patiuntur rationis defectum, ut in pluribus: & sunt naturaliter sub cura parentum, vel tutorum, qui sunt eis loco parentum. Et ideo eorum vota ex duplici causa robur non habent. Contingit tamen propter naturæ dispositionem, quæ legibus humanis non subditur, in aliquibus, licèt paucis, accelerari rationis usum; qui ob hoc dicuntur doli capaces. Nec tamen propter hoc in aliqua eximuntur à cura parentum, quæ subjacet legi humanæ, respicienti ad id quod frequentiùs accidit. Est ergo dicendum, quòd si puer vel puella ante pubertatis annos nondum habeat usum rationis, nullo modo potest ad aliquid se voto obligare. Si verò ante pubertatis annos attigit usum rationis, potest quidem, quantum in ipso est, se obligare; sed votum ejus potest irritari per parentes, quorum curæ remanet adhuc subjectus. Quantumcumque tamen sit doli capax, ante annos pubertatis non potest obligari voto solemni Religionis, propter Ecclesiæ Statutum, quod respicit id quod in pluribus accidit. Post annos autem pubertatis possunt jam se voto Religionis obligare, vel simplici, vel solemni, absque voluntate parentum*: non tamen solemni ante annum decimum-sextum expletum, ex Concilii Tridentini Decreto.

Id confirmatur ex Canone *Firma*, Causa XX. Quæstione I. qui ex *S. Basilio* sumptus est: *Firma autem tunc erit Professio virginitatis, ex quo adulta jam ætas esse cœperit, & ea quæ solet apta Nuptiis deputari ac perfecta.*

REGULA XX.

Vota sine plena libertate ac deliberatione facta, nullatenus obligant, sed penitus irrita sunt.

NItitur hæc Regula non solùm ipsa definitione Voti, quod est deliberata promissio, sed *Cœlestini III.* Responso, Cap. *Cùm scimus*, Extra, *De Regularibus*. Homo quidam obtulerat se Monasterio cum bonis suis, & filio impubere: sed filius Monasticæ vitæ pertæsus cùm ad annos pubertatis pervenisset, è Monasterio exivit, paternaque bona postulavit. Rogatus Pontifex quid facto esset opus, respondit: *Si dictus puer ad annos discretionis pervenerit, & Habitum retinere noluerit Monachalem; si ad hoc induci nequiverit, non est ullatenus compellendus: quia tunc liberum sibi erit eum dimittere, & bona paterna, quæ ipsi ex successione proveniunt, postulare.*

Id confirmat *Innocentius III.* Cap. *Sicut tenor*, sub eodem Titulo: *Si*, inquit, *eodem tempore quo Sacerdos lator præsentium, positus extra men-*

De Voto.

tem afferitur, indutus fuit Habitu Monachali: cùm alienatus non sentiat, ac per hoc non valeat consentire, eum denuntietis ab observatione Monastici Ordinis absolutum, nisi postquam mentis suæ factus est compos, spontanea voluntate Professionem fecerit Monachalem.

Quocirca Concilium Tridentinum Sessione xxv. *De Regularibus*, Cap. xvii. *Libertati Professionis Virginum Deo dicandarum prospiciens*, statuit ac decernit, ut *Si puella, quæ Habitum Regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non antè eum suscipiat, nec postea ipsa vel alia Professionem emittat, quàm exploraverit Episcopus, vel eo absente vel impedito ejus Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, Virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat: & si voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas juxta Monasterii illius & Ordinis Regulam, nec non Monasterium fuerit idoneum, liberè ei profiteri liceat.*

Quamvis porrò Canonibus quibusdam sancitum sit, ut pueri à Parentibus Monasterio oblati, & religioso habitu indusi, in eo perseverent, ipsisque reditus ad sæculum interdicatur, ut constat ex Canone xlviii. Concilii Toletani quarti, ex Canone lv. ejusdem, & ex Concilio Toletano x. Canone vi. subintelligenda tamen est in illis Canonibus conditio, si nimirum pueri illi adultâ ætate paternæ devotioni consensum præbuerint, & Professionem vitæ religiosæ liberè fecerint. Quem consensum & in iis quos voluntas parentum à primis infantiæ annis Clero mancipaverat, ex Ecclesiæ Disciplinâ expetitum fuisse, constat ex Concilii Toletani secundi Canone primo. Eamdémque disciplinam quoad sacratum Virginum Professionem præscripsit *S. Basilius*, Epistolæ ad *Amphilochium*, Cap. xviii. Hinc *S. Leo* puellas, quæ suscepto virginitatis habitu Nuptias elegerint, ita demum violati voti reas pronuntiat, si *Non coacta parentum imperio, sed spontaneo judicio, virginitatis propositum atque habitum susceperunt.* Idque confirmat Synodus habita ab *Eugenio II.* Pontifice Maximo, Canone xxxii. & relata Canone *Sicut*, Causa xx. Quæstione ii. *Sicut*, inquit, *qui Monasteria elegerunt, à Monasteriis egredi non permittuntur; ita hi, qui inviti sine justæ offensionis causa sunt intromissi, si volentes, non teneantur; quia quod non petunt, non observant. Ideóque tales considerandi sunt magis peccata committere, quàm plangere: sicut in Decreto Sanctissimi Leonis Papæ manifestissimè continetur.*

Epistola ad Rusticum Narbonensem Episcopum.

Idem confirmatur ex Cap. *Significatam*, quod *Alexandri III.* Responsum est, Extra *De Regularibus*, quo minorem quatuordecim annis, (quæ tunc ætas erat Professioni Religiosæ ab Ecclesia constituta) à Voto Professionis absolutum pronuntiat, nisi major factus, *Professionem à se prius factam, ratam habuerit.*

Et *Clemens III.* Cap. *Cùm virum*, sub eodem Titulo, rogatus utrum ea quæ infra discretionis annos a parentibus Monasterio tradita, habitum Religionis induens, benedictionem accepit; & exiens postmodùm se cuidam Militi copulavit, ad Monasterium redire cogatur: Respondet, quòd *Cùm juxta Concilii Toletani censuram, Monachum aut paterna devotio, aut propria Professio faciat; quicquid horum fuerit alligatum, tenebit, revertendi ad seculum aditu penitus interdicto. Non enim videtur illa Monastica Professionis à se posse jugum excutere, cùm eam non constet evidenter contradixisse, cùm Benedictionem accepit, quam nonnisi in ætate discretionis recipiunt, quæ velantur, præsertim si ratihabitione secuta, (etsi eam quandoque contradixisse constiterit,) quod ante gestum fuerat, roboratur. Nec obloquitur, quod de Prædecessoris nostri Leonis Papæ Constitutione per contrarium sensum sumitur: ut puellæ, quæ coactæ parentum imperio virginitatis habitum susceperant, ipsum possent sine prævaricatione deserere; cùm de ea rectè possit intelligi, quæ in ætate nubili noscitur constituta. Tunc enim quia liberum habet arbitrium in electione propositi, sequi parentum non cogitur voluntatem.*

De Voto.

REGULA XXI.

Vota ex metu à causa extrinseca & libera illata, atque in virum constantem cadente facta, ipso jure irrita sunt, si metus ad extorquendum votum incussus fuerit.

Ubicumque enim requiritur liber consensus non valet actus, si metus intercesserit: in voto autem liber consensus necessarius est, cùm res sit consilii, non præcepti. Unde *Alexander III.* Cap. *Perlatum*, Extra, *De iis quæ vi metúsve causa fiunt*; de muliere quadam, quæ metu mortis à Militibus ex mariti imperio inferendæ Velum susceperat, viróque defuncto de Monasterio egressa alteri nupserat, hunc in modum respondet: *Si legitimè probatum fuerit, non timore mortis prædictam mulierem Religionem intrasse; aut, quod fecit, postmodum ratum habuisse, ipsam ad Monasterium redire, & habitum depositum reassumere Censurâ Ecclesiasticâ compellatis.* Hanc exceptionem addidi: si metus ad extorquendum votum incussus fuerit, alias enim non influit in votum, nec libertatem consensûs impedit. Unde si quis ut evadat ultimum supplicium ob conscientiam scelerum commissorum, aut mortem sibi timens ab inimicis, Religiosam Professionem emittat, rata ejus Professio est, nisi aliud obstiterit, quamvis aliàs Professionem emissurus non fuisset, ut olim declaravit Sacra Congregatio Concilii, teste *Fagnano* in Cap. *Si quis*, Tit. *De Regularibus*, Libro iii. Decretalium. Si verò metus à causa naturali vel interna fuerit incussus, nempe ex morbo, vel tempestate, vel ex consideratione criminum quæ quis commisit; vota ex hujusmodi metu facta nihilominus rata sunt, quia libertatem non tollit. Idque confirmat *Innocentius III.* Cap. *Sicut nobis*, Extra *De Regularibus, & transeuntibus ad Religionem*, cujus hæc sunt verba: *Quidam Clericus cùm ægritudine nimiâ laboraret, quasi de morte securus, & de recuperanda sanitate desperans, habitum Canonicorum Regularium petiit & accepit: sed nec ad Ecclesiam transivit, nec bonis suis uti cessavit, videntibus & ferentibus Episcopo & Canonicis à quibus Habitum susceperat Regularem.... Fraternitati tuæ respondemus; Quòd si regularem habitum se postulante suscepit, & ad observationem Religionis Canonicæ suâ se Professione ligavit, ad resumendum habitum Ecclesiasticâ est districtione cogendus.*

Re-

REGULA XXII.

Monachi & Moniales, quorum Professio nulla est propter vim aut metum, aut propter ætatis legitimæ defectum, aut quia professi fuerunt contra formam Decretorum Clementis VIII. & Urbani VIII. in Conventibus ad recipiendos Novitios non designatis, seu Probationis annum non egerunt in domibus in quibus viget Regularis Observantia, & Novitiatus constitutus est, Regularem Habitum dimittere non possunt tutâ conscientiâ, nisi servatâ formâ in Concilio Tridentino præscriptâ, & infra quinquennium à die B *Professionis reclamaverint.*

De Regularium professione ac votis.

IN foro enim conscientiæ, & sub mortalis peccati reatu obligat lex illa à Sacra Synodo Tridentina lata Sessione xxv. *De Regularibus*, Cap. xix. *Quicunque Regularis prætendat, se per vim & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentiâ Superiorum; non audiatur, nisi intra quinquennium tantùm à die Professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Su-* C *periore suo, & Ordinario. Quòd si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur; sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam Apostata puniatur: interim verò nullo privilegio suæ Religionis juvetur.* Cujus quidem legis finis pax est & obedientia in Monasteriis & Ordinibus Religiosis conservanda. Cùm enim inter Prælatos Regulares & subditos occasione Professionis irritæ perpetua dissidia vigerent, & subditi existimantes Professionem suam nullam esse, Prælatorum Mandata contemnerent, ac Regularem Disciplinam non servarent: Sa-D cra Synodus pacis & obedientiæ bono consulens, statuit ut ex causâ Professionis irritæ nemini fas esset regularem habitum deserere, nisi infra quinquennium, & causis coram Superiore & Ordinario probatis. Transgressio porrò legis, etiam secluso contemptu, sub peccati mortalis reatu obligat, quando impeditur finis legis, ut docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CXLVII. Articulo III. ad secundum. Præterea, eos qui cùm intra quinquennium non reclamaverint, & contra formam præscriptam dimisso habitu re- E golari ad Sæculum redierint, sacra Synodus puniendos statuit tanquam apostatas; pœna autem Apostatarum præcipua, si habitum dimiserint, est Excommunicatio, quæ propter lethale dumtaxat peccatum fieri potest.

At (inquies) hujusmodi vota coram Deo irrita sunt, proindéque in foro conscientiæ non obligant. Id etsi concesserimus, non sequitur eos qui vota hujusmodi emiserunt, habitum religiosum dimittere posse, & ad sæculum redire tutâ conscientiâ, si intra quinquennium non reclamaverint; cùm ipsis liberum esset reclamare, vi me- F túque sublatis; aut adversùs lapsum quinquennii restitutionem non obtinuerint à Summo Pontifice: non sequitur etiam eos sponte jugum excutere posse, causâ non actâ coram Superiore Regulari, & Episcopo: quia Ecclesia ratihabitam ab ipsis præsumit Professionem, ex quo per quinquennium in Ordine Religioso perseverarunt. Unde, ad vitandum scandalum vota implere tenentur, quamvis per se irrita, cùm Ecclesiæ judicio rata meritò præsumantur. Rejicienda itaque est *Navarri* & *Sanchez* opinio, asserentium

Navarrus Cons. ... 67. & 69.

eum cujus irrita & nulla Professio est, etiam elapso quinquennio, fugere posse è Monasterio, habitúmque regularem dimittere, & uxorem ducere tutâ conscientiâ; cùm probabilior longè sit opinio contraria, quam propugnant Cardinalis *Cajetanus*, & *Dominicus Soto*, & novissimè *Prosper Fagnanus* Vir Juris Canonici Consultissimus, eáque sola tuta sit.

Sanchez Lib. 7. de Matrim. Disput. 47. Num. 3. Cajetanus Secunda Secundæ, Quæst. 88. Art. 1. Soto Lib. 7. De Justitia & Jure Quæst. 2. Art. 2. Fagnanus in Cap. Si quis, Extra, De Regularibus.

REGULA XXIII.

Professio emissa per dolum aut circumventionem Abbatis, vel Abbatissæ, valida est, & Professum ligat in utroque foro: sed tamen bona temporalia illius Monasterium non acquirit, eáque sunt hæredibus restituenda.

RAta (inquam) Professio illa est, quia libera, nec dolus ille malus est, quo quis ad meliorem vitam inducitur: Canones porrò & Leges non subveniunt nisi adversùs dolum malum. Nec obstat, quòd Concilium Tridentinum explorari jubeat puellæ voluntatem, an seducta sit: id enim tantùm innuit, nefas esse puellas seducere ut Religiosam Professionem emittant: sed tamen hinc non sequitur, seductas non obligari ex Professione: cùm præsertim omissio explorationis voluntatis Professionem irritam non faciat, ut Sacra Congregatio declaravit. Rectè autem sancitum est ut bona sic Professorum non acquirantur Monasterio, tum quia nemo ex dolo suo & fraude commodum reportare debet: tum quia oblatio bonorum Professioni conjuncta contractus quidam est bonæ fidei: contractus autem bonæ fidei ipso jure irriti sunt propter dolum contrahentis, qui contractûs causa sit.

Hanc Regulam confirmat Canon *Constituit*, qui concilii Cabilonensis secundi septimus est, quamvis Moguntino *Gratianus* tribuat: cujus hæc sunt verba: *Constituit sanè sacer iste Conventus, ut Episcopi, sive Abbates, qui non in fructum animarum, sed in avaritiam & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines circumveniendo totonderunt, & res eorum tali persuasione surripuerunt: Pœnitentiæ Canonicæ, utpote turpis lucri sectatores, subjaceant. Hi verò qui illecti comam deposuerunt, in eo, quod ceperunt, perseverare cogantur: res verò eorum heredibus reddantur.*

REGULA XXIV.

Quicunque sunt alterius potestati subjecti, Vota firma emittere non possunt sine illius consensu, in his in quibus illi subjiciuntur.

HÆc Regula nititur verbo Domini, Numerorum XXX. *Mulier*, inquit, *si quidpiam voverit, & se constrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari: si cognoverit pater votum quod pollicita est, & juramentum quo obligavit animam suam, & tacuerit, voti rea erit: quicquid pollicita est & juravit, opere complebit. Sin autem, statim ut audierit, contradixerit pater: & vota & juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quòd contradixerit pater. Si maritum habuerit, & voverit aliquid, & semel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit juramento: quo die audierit vir, & non contradixerit, voti rea erit, reddétque quodcunque promiserat. Sin autem audiens statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes ejus, verbáque quibus obstrinxerat animam suam; propitius erit ei Dominus.... Uxor in domo viri cùm se voto constrinxe-*

De Voto.

rit & juramento, si audierit vir & tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcumque promiserat: sin autem extemplo contradixerit, non tenebitur promissionis rea, quia maritus contradixit, & Dominus ei propitius erit. Si voverit, & juramento se constrinxerit, ut per jejunium vel ceterarum rerum abstinentiam affligat animam suam, in arbitrio viri erit ut faciat, sive non faciat. Quòd si audiens vir tacuerit, & in alteram diem distulerit sententiam: quicquid voverat atque promiserat reddet: quia statim ut audivit, tacuit. Sin autem contradixerit, postquam rescivit, portabit ipse iniquitatem ejus. Eadem autem ratio est de aliis personis alterius potestati subjectis. Non tamen competit patri adeo indefinita potestas circa vota filiæ, qualis illo capite sancitur, ut infra explicabitur. Lex enim illa ex parte ceremonialis erat, & ad solam pertinens Synagogam.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXVIII. Articulo VIII. *Votum*, inquit, *est promissio quædam Deo facta. Nullus autem potest per promissionem se firmiter obligare ad id quod est in potestate alterius, sed solùm ad id quod est omnino in sua potestate. Quicumque autem est subjectus alicui, quantùm ad id in quo est subjectus, non est suæ potestatis facere quod vult, sed dependet ex voluntate alterius. Et ideo non potest per se votum firmiter obligare in his in quibus alteri subjicitur, sine consensu sui Superioris.*

Vota igitur filiorum-familiâs irrita declarare potest pater, vel tutor, quandiu sunt impuberes. Immò & post annos pubertatis, quandiu non sunt emancipati, ac sui juris, ipsorum vota in irritum mitti possunt à patre vel tutore, si talia sint quæ domesticæ gubernationi, ac juri patriæ potestatis officiant: non autem si personam dumtaxat spectent voventium. Unde Vota Religionis, aut perpetuæ Castitatis, certarúmve precum recitandarum, emittere possunt absque consensu parentum, nec ea pater vel tutor irrita facere potest: sed tamen vota jejunandi bis aut ter in hebdomada, eundi singulis noctibus ad Matutinas, certas eleemosynas erogandi de bonis paternis, aut familiæ, à patre vel tutore irrita fieri ac declarari possunt. Vir similiter vota uxoris, sibi aut familiæ noxia vel incommoda, in irritum potest mittere, verbi gratiâ, vota de jejuniis, humicubationibus, peregrinationibus, eleemosynis ex rebus ad familiam pertinentibus, & præsertim continentiæ votum: non autem vota de certis precibus recitandis, de superfluo & dissoluto ornatu rejiciendo, de abstinendo à spectaculis & ch[...]is; de pauperibus juvandis labore & operibus manuum suarum, quibus familia non indiget; de secundis Nuptiis vitandis; de ingressu Monasterii, si viro superstes fuerit. Uxor pariter irrita facere potest mariti vota, quæ sibi incommoda sunt, aut familiæ, qualia sunt vota continentiæ, abstinentiarum immodicarum, vel diuturnarum peregrinationum, & quarumcumque rerum, quibus impotens ad debitum conjugale reddendum fieret. Vota etiam servorum irrita facere potest dominus, quæ ipsius obsequium impediunt, non alia. Vota denique Religiosorum subditorum irrita facere potest Prælatus Regularis: qui tamen si de voto certior factus vel tacitè consentiat, sive non repugnet, subditus voto ligatur, & illud observare tenetur, quandiu Superior non repugnaverit, seu consensum suum non revocaverit. *S. Thomæ* suffragio hæc omnia confirmantur Quæstione & titulo mox indicatis, in Responsione ad secundam objectionem: *Ex quo* (inquit) *homo venit ad annos pubertatis, si sit liberæ conditionis, est suæ potestatis quantùm ad ea quæ pertinent ad suam personam; putà, quòd obliget se Religioni per Votum, vel quòd Matrimonium contrahat. Non autem est suæ potestatis quantùm ad dispositionem domesticam: unde circa hoc non potest aliquid vovere, quod sit ratum: sine consensu patris. Servus autem quia est in potestate domini etiam quantùm ad personales operationes, non potest se Voto obligare ad Religionem, per quam ab obsequio domini sui abstraheretur.*

De Voto.

Et in Responsione ad tertiam objectionem: *Religiosus*, inquit, *subditus est Prælato quantùm ad suas operationes, secundùm Professionem Regulæ. Et ideo etiamsi aliquis ad horam aliquid facere possit, quando ad alia non occupatur à Prælato: quia tamen nullum tempus est exceptum, in quo Prælatus non possit eum circa aliquid occupare, nullum votum Religiosi est firmum: nisi sit de consensu Prælati: sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi de consensu patris, nec uxoris, nisi sit de consensu viri.*

REGULA XXV.

Vovendo non peccant, qui sunt alterius potestati subditi.

ITa docet *S. Thomas*, ibidem, in Responsione ad quartam objectionem. *Licèt*, inquit, *Votum eorum qui sunt alterius potestati subditi, non sit firmum sine consensu eorum quibus subjiciuntur; non tamen peccant vovendo, quia in eorum voto intelligitur debita conditio, scilicet, si suis Superioribus placuerit, vel non renitantur.*

REGULA XXVI.

Religiosâ Professione absolvitur homo à Votis omnibus in Sæculo factis.

HÆc Regula nititur *Alexandri III.* Decretali, Cap. *Scripturæ*, Extra, *De Voto & Voti redemptione*, & *S. Thomæ* doctrinâ, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXVIII. Articulo XII. in Responsione ad primam objectionem. *Omnia alia vota*, inquit, *sunt quorumdam particularium operum: sed per Religionem homo totam vitam suam Dei obsequio deputat. Particulare autem in universali includitur: & ideo Decretalis dicit*, quod Reus voti fracti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam Religionis observantiam commutat. *Nec tamen Religionem ingrediens tenetur implere vota vel jejuniorum, vel orationum, vel aliorum hujusmodi, quæ existens in Sæculo fecit, quia Religionem ingrediens moritur priori vitæ. Et etiam singulares observantiæ Religioni non competunt, & Religionis onus satis hominem onerat, ut alia superaddere non oporteat.*

REGULA XXVII.

Dispensatio in Votis Auctoritate Ecclesiæ concedi, aut eorum commutatio fieri potest.

De voti dispensatione & commutatione.

ID constat ex Responsis *Alexandri III.* Cap. *De peregrinationis*, & Cap. *Venientes*; & *Innocentii III.* Cap. *Non est*, Cap. *Magnæ*, Cap. *Quod super*, & Cap. *Ex multa*, Extra, *De Voto & Voti redemptione.*

Id confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXVIII. Articulo X. *Qui vovet*, inquit, *quodammodo sibi statuit legem, obligans se ad aliquid quod est secundùm se & ut in pluribus*

De Voti dispensatione.

bonum. Potest tamen contingere quod in aliquo casu sit vel simpliciter malum, vel inutile, vel majoris boni impeditivum, quod est contra rationem ejus quod cadit sub voto. Et ideò necesse est quòd determinetur in tali casu votum non esse servandum. Et si quidem absolutè determinetur votum aliquod non esse servandum, dicitur dispensatio voti: si autem pro hoc quod servandum erat, aliquid aliud imponatur, dicitur commutatio voti. Unde minus est votum commutare, quàm in voto dispensare. Utrumque tamen in potestate Ecclesiæ consistit.

REGULA XXVIII.

Ad dispensationem aut commutationem Voti requiritur Prælati Auctoritas.

VOtum enim est promissio Deo facta de aliquo quod illi sit acceptum. Quid sit autem in aliqua promissione acceptum ei cui promittitur, ex ejus pendet arbitrio. Prælatus autem in Ecclesia gerit vicem Dei: & ideo in commutationo vel dispensatione votorum requiritur Prælati auctoritas, qui in persona Dei determinat quid sit Deo acceptum, secundùm illud II. ad Corinthios cap. II. *Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos, in persona Christi.* Ita ratiocinatur *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXVIII. Articulo XII.

REGULA XXIX.

Summus Pontifex in Ecclesia universa dispensare potest in Votis quibuscunque, quorum dispensatio Ecclesiæ commissa est.

S*Ummus* enim *Pontifex*, (inquit *S. Thomas* in Responsione ad tertiam objectionem) *gerit plenariè vicem Christi in tota Ecclesia:* Ideóque *Ipse habet plenitudinem Potestatis dispensandi in omnibus dispensabilibus votis.*

REGULA XXX.

Majorum quorumdam Votorum dispensatio vel commutatio Summo Pontifici reservata est, tam jure, quàm consuetudine.

HÆc autem sunt vota Religionis, continentiæ perpetuæ, Hierosolymitanæ Peregrinationis, * vel Romanæ ad limina Apostolorum, vel Compostellanæ ad S. Jacobi; ut constat ex Constitutione *Sixti Quarti*, quæ incipit, *Etsi dominici gregis*, inter Extragavantes communes, *Tit. de Pœnitentiis & Remissionibus.* Soli etiam Summo Pontifici *licet dispensare in voto perpetuo, quo quis se ad curam subditorum adstrinxit, Episcopatum suscipiens*, (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CLXXXV. Articulo IV.) Unde *Innocentius III.* cap. *Nisi cum pridem*, Extra, *De Renunciatione*, ad Episcopum quemdam scribit: *Etsi pennas habeas, quibus satagas in solitudinem avolare, tamen adstricta sunt nexibus præceptorum, ut liberum non habeas absque nostra permissione volatum.*

* Cap. Ex multa. Ext. De Voto.

REGULA XXXI.

In minoribus communibúsque Votis dispensare possunt Episcopi, & Prælati Regulares Ordinum & Monasteriorum exemptorum, cum suis duntaxat subditis.

De Voti dispensatione.

ID constat ex cap. *De Peregrinationis*, Extra, *De Voto & Voti redemptione*; ex Ecclesiæ consuetudine, & ex S. Thoma. *Aliis autem inferioribus Prælatis* (inquit) *committitur dispensatio in votis quæ communiter fiunt, & indigent frequenti dispensatione, ut habeant de facili homines ad quem recurrant, sicut sunt vota peregrinationum & jejuniorum, & aliorum hujusmodi.* Dispensare itaque possunt Episcopi in votis omnibus suorum Diœcesanorum, & Prælati Regulares exempti in votis suorum subditorum Regularium Summo Pontifici non reservatis: Dispensare (inquam) possunt etiam in voto castitatis ad tempus servandæ, in voto non nubendi, non petendi debitum; non in voto virginitatis, quod perpetuæ continentiæ obligationem per se imponit. Dispensare etiam possunt in voto suscipiendi sacros Ordines. Quamvis enim illis annexum sit votum continentiæ ex Ecclesiæ instituto; votum tamen de illis suscipiendis non est votum continentiæ perpetuæ: unde si Clericus Secularis nondum in Sacris constitutus in fornicationem incidat, lethaliter peccabit contra legem Decalogi, non contra religionem voti, nec sacrilegii reus erit.

Dispensare quoque possunt Episcopi in votis conditionatis, quorum materia Romano Pontifici reservata est, modò nondum sit impleta conditio, ut cùm filios aut filia perpetuam voverunt continentiam, si pater ex bello redeat incolumis. Ita censent omnes Casuum Arbitri. Ratio est, quia absoluta, & disertè concepta esse vota convenit, ut Summo Pontifici reservata censeantur; idque necesse esse compertum est ob gravia animarum pericula, quibus se plurimos implicare videmus ex nimia facilitate & præcipiti fervore se votis inconsideratè adstringendi. At si conditio impleta sit, ad Romanum Pontificem confugiendum est in quinque Votis recensitis, ut impetretur Dispensatio.

Item si votum circa materiam reservatam Romano Pontifici sit accessorium, non principale, in eo dispensare potest Episcopus, ex unanimi Doctorum sententia: Si quis, verbi gratiâ, voverit se nunquam aleâ lusurum; aut si luserit, Religionem ingressurum, Religionis ingressum remittere potest Episcopus. Item, si quis arctioris vitæ & strictioris disciplinæ Ordinem se ingressurum vovit, dispensare potest Episcopus ut ad laxiorem transeat, non autem ut in seculo maneat, ex *S. Antonino* P. II. Tit. XI. cap. II. §. 9. Denique ubi dubitatur utrum votum Summo Pontifici reservatum cum sufficienti deliberatione sit emissum, vel an revera emissum fuerit, dispensare potest Episcopus: In dubiis enim benigniori parti favendum est.

In votis etiam dispensare potest Capitulum Sede vacante, cùm in Episcopi Jurisdictionem succedat. Dispensare non possunt Episcoporum Vicarii, nisi demandata ipsis fuerit dispensandi potestas. Dispensare non possunt Archiepiscopi cum subditis Suffraganeorum suorum. Abbatissæ denique, licèt exemptæ, cum suis Monialibus dispensare in earum votis non possunt cùm spiritualem Jurisdictionem non habeant,

De Voti dispensatione.

cujus incapax est femina. Possunt tamen Monialium suarum vota irrita facere, si quomodocunque Regimini Monastico, aut communi familiæ ordini, aut Monialis valetudini, aut debitæ sibi obedientiæ ac subjectioni officiunt.

REGULA XXXII.

In Votis dispensare absque causa legitima Prælatus non potest, vel ea commutare.

ALioqui graviter peccaret, quia potestate, in ædificationem à Deo sibi datâ, in destructionem abuteretur. Id confirmat *Alexander III.* cap. *De Peregrinationis*, Extra, *De Voto & Voti redemptione*, cujus hæc sunt verba: *Ab ejus qui præsidet, pendet arbitrio, ut consideret diligentius qualitatem personæ, & causam commutationis, scilicet an ex infirmitate seu affluentia divitiarum, an aliâ cautâ probabili, peregrinatio, an recompensatio melior fuerit, & Deo magis accepta, & secundùm hoc habet exinde dispensare.*

Idem confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXVIII. Articulo XII. *Omnis* (inquit) *dispensatio petita à Prælato, debet fieri in honorem Christi, in cujus persona dispensat, & ad utilitatem Ecclesiæ, quæ est ejus corpus.*

Et in Responsione ad secundam Objectionem: *Cùm* (inquit) *potestas Prælati spiritualis, qui non est dominus, sed dispensator, in ædificationem sit data, & non in destructionem*, ut patet II. Corinth. X. *Sicut Prælatus non potest imperare ea quæ secundùm se Deo displicent, scilicet peccata, ita non potest prohibere ea, quæ secundùm se Deo placent, scilicet virtutis opera. Et ideo absolutè potest homo ea vovere. Ad Prælatum tamen pertinet dijudicare quod sit magis virtuosum & Deo magis acceptum. Et ideo in manifestis dispensatio Prælati non excusaret à culpa: putà, si Prælatus dispensaret, cum aliquo super voto de ingressu Religionis, nullâ apparenti causâ obstante. Si autem esset causa apparens, per quam saltem in dubium verteretur, posset stare judicio Prælati dispensantis, vel commutantis, non tamen judicio proprio, quia ipse non gerit vicem Dei, nisi fortè in casu, in quo id quod vovit esset manifestè illicitum, & non posset opportunè ad Superiorem recurrere.*

Idem docet *S. Antoninus*, P. II. Tit. XI. cap. II. §. 6. *Est*, inquit, *differentia inter irritationem, & dispensationem. Nam irritatio potest fieri sine causa, & ad libitum irritantis, sicut vir ad libitum irritat votum conjugis; ita quòd nec ipse peccat irritando, quia nemini facit injuriam qui utitur jure suo, nec illa votum omittendo, cum fuerit inefficax à principio. Sed dispensatio in voto non fit propter inefficaciam voti, sed propter aliam causam: unde requiritur non solùm auctoritas in dispensante, sed etiam causa ex parte dispensati, scilicet necessitas vel utilitas ejus, vel Reipublicæ, in omni genere dispensationis, & in omni dispensante, etiam Papa: quia nec petro, nec alteri commissa est auctoritas seu potestas in destructionem, sed in ædificationem.*

Et infra: *In positivis* (inquit) sive in his quæ jure duntaxat positivo præcepta aut prohibita sunt, *sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas; quia quod Principi placuit, legis habet vigorem: sed in his quæ sunt Juris Divini secus*, Extra, *De Voto*, cap. NON EST. *Et debent considerari tria, ut in cap.* MAGNÆ, *Quid liceat, quid deceat, quid expedit. Debet autem esse talis causa, quòd melius sit recedere à jure communi: aliter erit dissipatio. & peccat uterque, scilicet dispensans etiam Papa, & is cum quo dispensatur, si sciat. Unde Hostiensis: Peccat Papa, si sine causa in votis dispenset, nec est ei obediendum, si manifestè liqueat quòd sit contra Domini voluntatem: aliàs in dubio obediendum est.*

De Voti dispensatione.

Justa autem dispensandi causa est, quando voti solutio propter circumstantias interea mutatas, vel repente occurrentes, mala, vel inutilis, aut majoris boni impedimentum esset; item cùm dubitatur an talis futura sit. Item, cùm dubium est an votum fuerit emissum; aut emissum quidem esse certum est, sed ex levitate, perturbatione, metu, mœrore, & valde difficilis foret ejus observatio; aut grave periculum offensæ Dei, vel scandali immineat. Sic dispensare potest Episcopus cum illo, qui voto perpetuæ castitatis obstrictus Matrimonio, se alligavit, ut debitum conjugale reddat. Sed illo tamen casu voti obligationem duntaxat suspendit, non perimit, quia soluto per conjugis mortem Matrimonio, tenetur pristino voto, nisi Pontifex, cui jus & consuetudo Ecclesiæ dispensationem in votis perpetuæ castitatis reservarunt, illum voti vinculo penitus solvat.

REGULA XXXIII.

Votum de Dispensatione Voti non petenda imprudens est, nec semper obligat Voventem.

MAteria enim voti non solùm debet esse licita, sed etiam utilis ad salutem: sed nunquam petere dispensationem non est semper utile ad salutem: immò quandoque expedit animæ voventis ut cum illo dispensetur in voto, propter grave transgressionis periculum: Votum igitur de dispensatione non petenda *non est universaliter obligatorium*, (inquit S. Antoninus.) *In casu tamen in quo esset utilius animæ voventis non petere dispensationem, quàm petere, obligatus esset ad non petendum.*

ARTICULUS XIII.

De Peccatis Religioni oppositis.

QUatuor præsertim peccata Religioni opponuntur, scilicet *Superstitio*, *Sacrilegium*, *Impietas*, & *Tentatio Dei*.

Quid sit superstitio?

Superstitio est vitium Religioni oppositum secundùm excessum: ut definit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. XCII. Articulo I. *Non quia* (inquit) *plus exhibeat in cultum divinum quàm vera Religio, sed quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet.* Cùm enim solus Deus docere potuerit quemadmodum se coli vellet, qui alio modo Deum colit, quàm se colendum ipse dixerit, non utique Deum colit, sed quod sibi ipse confinxit, idolum videlicet mentis & phantasmatis sui. Hoc principio *S. Augustinus* utitur Libro I. *De Consensu Evangelistarum*, cap. XVIII. *Socratis* (inquit) *Sententia est, Unumquemque Deum sic coli oportere, quomodo se ipse colendum esse præceperit. Proinde istis*, (nimirum Romanis) *summa necessitas facta est non colendi Deum Hebræorum, quia si alio modo eum colere vellent, quàm se colendum ipse dixisset, non utique illum colerent, sed quod ipsi finxissent.*

Superstitionem paulò aliter definit *Lactantius*, Libro IV. Divinarum Institutionum, cap.

XXVIII. *Religio (inquit) veri cultus est, Superstitio falsi.*

Multiplex superstitionis genus.

Quatuor sunt species Superstitionis, scilicet *Veri Dei cultus indebitus, aut superfluus; Idololatria, Divinatio, & Vana observatio.*

Cultus indebitus.

Cultus indebitus est superstitio, quâ vero Deo falsus ac fallax cultus exhibetur: de quo *Sanctus Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. XCIII. Articulo 1. *Si per cultum exteriorem aliquid falsum significetur, erit cultus perniciosus.* Talis est cultus, quem Judæi post Legis Evangelicæ promulgationem Deo exhibent. In hoc superstitionis genus incidunt, quicunque falsas Reliquias colendas proponunt, quicunque Sanctos nondum vindicatos, sive à Romano Pontifice solemni Beatificationis aut Canonizationis Ritu in Sanctorum album relatos, publicè colere, invocare, aut colendos vel invocandos proponere audent: qui falsa Miracula, vel falsas Revelationes studiosè prædicant aut scriptis commendant: qui falsas, aut dubias Reliquias, & à Romano Pontifice non approbatas, ab Episcopis non recognitas, ut Canone *Cum ex eo*, Extra *De Reliquiis & Veneratione Sanctorum*, & in Concilio Tridentino sancitum est, venerantur, aut Fidelium venerationi exponunt, circumferunt, aut venditant. Cujus superstitionis rea fuit *Lucilla* Matrona nobilis, quæ Donatistarum Schismati occasionem dedit, quòd *Caciliani* Carthaginensis Archidiaconi reprehensionem impatienter ferret. Is scilicet Mulierem illam objurgaverat, quòd ante Sacram communionem os cujusdam hominis mortui, etsi Martyris, sed nondum vindicati & ab Ecclesia agniti, superstitiosis osculis veneraretur, ut referunt *Optatus Milevitanus* Libro 1. Contra *Parmenianum*, & *S. Augustinus* Libro *De Hæresibus*. Talis superstitionis rei erant Monachi illi gyrovagi, seu hypocritæ sub habitu Monachorum circumeuntes Provincias, nusquam missi, nusquam fixi, nusquam stantes, nusquam sedentes, *Qui membra Martyrum, si tamen Martyrum, venditabant*, ut *S. Augustinus* ait in Libro *De Opere Monachorum*, cap. XXVIII. Ejusdem criminis rei erant duo illi Pseudo-Monachi, qui ad Divionensem *S. Benigni* Martyris Basilicam quædam veluti cujusdam Sancti ossa detulerant, quæ se vel ex Urbe Roma, vel ex nescio quibus Italiæ locis sustulisse affirmabant, cujus tamen Sancti nomen è memoria sua excidisse aiebant. De quibus *Amolonis Lugdunensis Episcopi* Epistola extat ad *Theobaldum* Lingonensem Episcopum. Hujus superstitionis rei erant Africani illi homines, qui altaria passim per agros, aut vias tanquam Memorias Martyrum constituebant, in quibus nullum corpus, aut Reliquiæ Martyrum conditæ probabantur, quæ propterea ab Episcopis, si fieri potest, everti jubet Concilium Carthaginense Quintum, Canone XIV. *Si autem hoc propter tumultus populares non finitur, plebes tamen admoneantur ne illa loca frequentent, ut qui recta sapiunt nullâ ibi superstitione devincti teneantur. Et omnino nulla Memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquæ certa Reliquia sint, aut ubi origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. Nam quæ per somnia & per inanes quasi Revelationes quorumlibet hominum ubique constituuntur Altaria, omnimodè reprobentur.* Ad hoc superstitionis genus eliminandum Laodicena Synodus Canone XXXIV. Anathemate confixit eos *Qui ad Pseudo-Martyres accesserint.* S. Martinus Turonensis Archiepiscopus Altare in memoriam latronis cujusdam à rudi plebe erectum subverti jussit, atque *Populum illius superstitionis absolvit errore*, teste *Sulpitio Severo* in ejus Vita. Hujus generis superstitione quidam occæcati, hominem quemdam in potatione & ebrietate occisum, quasi Sanctum venerabantur tempore *Alexandri III*, quos ille emendavit cap. *Audivimus*, Extra, *De Reliquiis & Veneratione Sanctorum*. Sic Abbatem quemdam, qui ebrietate madens in puteum inciderat, sub nomine *S. Pyronis* à superstitiosa plebe invocatum, refert *Gubertus* Novigentinus Abbas, Libro 1. *De Pignoribus Sanctorum*, cap. 1. Ad idem superstitionis genus pertinet quod Monachi nonnulli dentem Salvatoris, & ejus umbilicum, alii lactis beatæ Virginis portionem aliquam habere se jactabant, & Fidelium venerationi exponebant; quos idem Autor sugillat & insectatur Libro IV. Hoc pariter superstitionis genere implicati erant *Clemens & Adalbertus* Hæretici in Concilio Romano sub Zacharia Pontifice Maximo damnati anno septingentesimo quadragesimo-quinto, qui sacrilegâ Orationis formulâ editâ *Urielem*, aliósque Dæmones, quasi Angelos Sanctos invocabant. Quâ relectâ, Summus Pontifex & Episcopi ac Presbyteri conclamarunt: *Quid aliud agendum est, nisi ut omnia quæ nobis relecta sunt igne concrementur, Autores verò eorum Anathemate percellantur? Non enim nomina Angelorum, præter nomen Michaelis, sed nomina Dæmonum sunt, quæ in suis Orationibus invocavit ad præstandum auxilium sibi. Nos autem, ut à vestro Apostolatu edocemur, & divina tradit Auctoritas, non plus quàm trium Angelorum nomina cognoscimus, id est, Michael, Gabriel, Raphael: alioqui de mysterio, sub obtentu Angelorum, Dæmonum nomina introduxit.* Hac superstitione laborant, quicunque Litanias, Orationes, devotiones ab Ecclesia non probatas usurpant; qui falsi dogmatis Imagines in Ecclesia colendas proponunt, qui falsas prædicant Indulgentias, &c.

De superstitione.

Alios Angelos nominatim invocare non licet præter S. Michaelem Gabrielem & Raphaelem.

Cultus superfluus.

Cultus superfluus est superstitio, quâ in Dei cultu aliquid usurpatur præter Dei & Ecclesiæ institutionem, communémque consuetudinem. Quicquid enim fini divini cultus non congruit, superfluum in eo censendum est. *Finis autem divini cultus est, ut homo det gloriam Deo, & ei se subjiciat mente & corpore. Et ideo, quicquid homo faciat quod pertinet ad Dei gloriam, & ad hoc quòd mens hominis Deo subjiciatur, & etiam corpus per moderatam refrenationem concupiscentiarum, secundum Dei & Ecclesiæ ordinationem, & consuetudinem eorum quibus convivit, non est superfluum in divino cultu. Si autem aliquid sit quod, quantum est de se, non pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc quòd mens hominis feratur in Deum, aut quòd carnis concupiscentia inordinatæ refrenentur, aut etiam si sit præter Dei & Ecclesiæ institutionem, vel contra consuetudinem communem, quæ secundùm Augustinum, pro lege habenda est, totum hoc reputandum est superfluum, & superstitiosum, quia in exterioribus solum consistens, ad interiorem Dei cultum non pertinet. Unde Augustinus, Libro* De Vera Religione, *cap.* III. *inducit quod dicitur Lucæ* XVII. REGNUM DEI INTRA VOS EST, *contra superstitiosos, qui scilicet exterioribus principalem curam impendunt.* Ad cultum superfluum pertinet, si in Ecclesiasticis Officiis certus numerus cereorum, vel orationum, certus color, certus situs, præter Ecclesiæ præscriptum vel consuetudinem observetur; si ne-

S. Augustinus Epist. XXXVI. alias LXXXVI. ad Casulanum.

De Superstitionibus.

glectis Rubricis, alias quis adhibeat, sive superaddat pro arbitraria devotione Ceremonias, sive in Missæ Sacrificio, sive in Horis Canonicis: si *Gloria in excelsis*, *Credo*, *Alleluia*, dicat cùm dicendum non est; si in *Memento*, vel ante communionem diutiùs hæreat, privatásque Orationes dicat: si benedictiones multiplicet præter numerum constitutum, si duas Hostias in Sacra Communione sumat, vel porrigat devotis mulierculis id affectantibus, &c.

Idololatria.

III. *Idololatria est superstitio quâ cultus soli Deo debitus, ei qui non est Deus, exhibetur*, sive Idolis, sive quibuslibet creaturis, sive per sacrificia, sive per ludos, sive per quælibet alia sensibilia signa. De quo superstitionis genere S. *Paulus* stans in medio Areopagi dixit: *Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video.*

Act. 17.

Divinatio.

IV. *Divinatio est superstitio, quâ fit ut Dæmonum operâ expresso vel tacito pacto invocatâ, homines cognoscant res futuras, aut alioquin occultas.* Nam ut docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione xcv. Articulo II. *Omnis divinatio ex operatione dæmonum provenit, vel quia expressè dæmones invocantur ad futura manifestanda; vel quia dæmones ingerunt se vanis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum implicent vanitate, de qua dicitur Psalmo* xxxix. Non respexit in vanitates & insanias falsas. *Vana autem inquisitio futurorum est, quando aliquis futurum prænoscere tentat, unde prænosci non potest. Manifestum est ergo quòd divinatio est species superstitionis.*

Varia divinationis genera.

Triples est divinatioois genus. Primum fit manifestâ & expressâ dæmonum invocatione, cùm scilicet dæmon expressè invocatur ut quidpiam hominibus occultum patefaciat. Hujus sunt diversæ species, vel modi.

Prims est *Præstigium*, quo oculi hominum vel aures præstinguuntur, quando præstigiosis quibusdam apparitionibus ipsorum aspectui & auditui Dæmon se ingerit ad prænunciandum futura, vel alia occulta manifestandum.

Altera species est *Divinatio somniorum*, cùm Dæmon phantasiam hominis immutans, et somnia procurat, & phantasmata objicit eorum quæ vult ipsi significari, aut aliter ipsi dormienti occulta patefacit.

Tertia est *Necromantia*, cùm Mortuorum apparitione vel locutione Dæmon futura prænuntiat, sive quando quibusdam præcantationibus adhibito sanguine, quasi suscitati mortui videntur divinare, & ad interrogata respondere, ut ait S. *Isidorus* Libro VIII. *Originum*, cap. IX.

Quarta est quæ fit per *Pythones*, cùm Dæmon alicujus seu viri seu feminæ corpus occupans, vocésque per ipsius ventrem formans, futura prænunciat, seu occulta aperit. De Pythonissis frequens in Sacris Litteris mentio occurrit, Levitici XX. Deuteronomii XVIII. 1. Paralipomenon XV. collato cum primi Regum cap. XXVIII. Actuum denique XVI.

Quinta species est *Geomantia* cùm Dæmon in aliquo corpore terrestri, scilicet ligno, ferro, vel lapide polito, aut speculo, signa vel figuras exhibet, ex quibus futura, vel occulta quævis noscuntur. Ad hanc pertinet *Onychomantia*, quæ in ungue polluti pueri oleo illito & versùs Solem obverso, certis verbis prolatis occulta divinat.

Serta, *Hydromantia*, cùm hujusmodi figuras exhibet in aqua.

Septima, *Aeromantia*, cùm illas in aëre apparere facit.

De Superstitionibus.

Octava, *Pyromantia*, cùm in igne.

Nona est *Aruspicium*, quando Dæmon interrogatus respondet per signa quædam sensibilia, quæ in extis animalium occisorum, præsertimque idolis immolatorum, apparere facit.

Alterum divinationis genus est, quo Dæmon non quidem expressè invocatur, sed tamen ad cognoscendum occulta homo aliqua considerat in dispositionibus & Motibus rerum, quæ ad eam cognitionem nihil conducunt.

Hujus tres sunt species, scilicet *Astrologia judiciaria*, quâ ex consideratione sitûs & motûs siderum superstitiosus Mathematicus sive Genethliacus, futura contingentia prænoscere conatur, & quasi certò futura prædicit.

Augurium, sivo *Auspicium*, cùm ex garritu aut inspectione avium, aut ex motibus, seu vocibus quorumcunque animalium; aut sternutationibus hominum, cognitio futurorum, aut rei cujuslibet occultæ quæritur: aut etiam ex verbis hominum longè aliâ intentione prolatis, quàm quò illa detorqueat divinator: quod ab Ethnicis *Omen* vocabatur.

Dactylomantia, quæ divinat annulis ad certam cæli posituram constructis vel incantatis, & super tripodem ad certa verba motis.

Coscinomantia, quæ divinat per cribri motum præmissis verbis conceptis, & prolatis eorum nominibus, de quibus suspicio est eos furtum vel aliud occultum crimen patrasse.

Chiromantia, quæ ex lineis manuum futura prædicit.

Tertium divinationis genus communi nomine dicitur *Sortilegium*, quando absque expressa Dæmonis invocatione cognoscere tentamus aliquod occultum ex nostro ipsorum opere vel actione seriò factâ, nihil ad hoc conferente: sive protractione punctorum, quod pertinet ad artem *Geomantiæ*; sive ex consideratione figurarum quæ ex plumbo liquefacto in aquam projecto proveniunt; sive ex quibusdam schedulis scriptis vel non scriptis in occulto repositis, dum superstitiosè observatur quam quis accipiat: vel etiam ex festucis inæqualibus propositis, cui major vel minor obveniat; vel taxillorum projectione, quis plura puncta vertat: vel etiam dum consideratur quid aperienti librum primò occurrat.

Sortilegii nomen latiùs acceptum usu populari, *Magiam* & *Maleficium* complectitur.

Magia universim sumpta *est Ars sive facultas, vi creatâ & non supernaturali mira quædam & insolita efficiens, quorum ratio sensum & communem hominum captum superat.*

Dividitur in *Naturalem*, *Artificiosam*, & *Diabolicam*; quia cuncti effectus ejus adscribendi sunt vel insitæ rebus naturæ, vel humanæ industriæ, vel cacodæmonis malitiæ.

Naturalis Magia licita est, cùm nihil aliud sit quàm reconditior arcanorum naturæ cognitio, quâ cælorum ac siderum cursu & influxu, & sympathiis ac antipathiis rerum singularum observatis, suo tempore, loco, ac modo, res rebus applicantur, & mirifica quædam hoc pacto perficiuntur; quæ causarum ignaris præstigiosa vel miraculosa videantur; veluti cùm *Tobias* paternam cæcitatem felle piscis discussit, quam vim Callionymo pisci tribuunt cum *Galeno* plerique.

Tob. 7. Galenus, Lib. 10. Simplic. M. [illegible]

Artificialis Magia duplex est, *Mathematica*, & *Præstigiatoria*. Mathematica nititur Princi-

pijs

De Superstitionibus.

piis geometricis, arithmeticis, vel astronomicis. Hojus exempla suot Sphera illa Archimedis, secunddm Claudianum vitrea, & in Syracusarum obsidione navium per specula eombustiones, Archytæ Columha lignea volans, Leonis Imperatoris avicolæ aureæ cantilantes, & Boëtii æreæ volantes & cantulantes, serpentes ex eodem metallo sibilantes, Alberti Magni vocale caput, ut fertur arte fabrefactum, & similia multis nattata. Præstigiatrix seu ludicra & deceptoria est illa, cujus effectus non sunt quales, aut qui videntur. Ad eam pertineot pleraque quæ à circulatoribus, agyreis, & funambulis creduntor patrari incantationibus, cùm agilitate pedum & manuum fiant.

Magia Mathematica, quæ & *Taumaturgica* noncupatur à quibusdam, per se bona est & licita, ut omnes artes per se sunt bonæ, sed per accidens fit illicita. Primò, quando in malum finem refertur: secundò, quando scandalum oritur, eò quòd hæc fieri putentur dæmonom operà. Tertiò, si quod inde spirituale damnum, vel temporale, corporis aut animæ, immineat ipsi circulatori, vel spectatoribus. Idem esto de Magia præstigiatrice judicium, si solà dexteritate & arte fiant quæ præstigiis similia videntur. Si autem nec arte, nec actu humano, nec vi naturæ fieri possint, opera Dæmonum intercedere colligitur. Quod eùm sæpe contingat, Christianissimi Reges S. Ludovicus, Philippus Augustus, & Henricus III. Circulatores & Jaculatores Regno exulare sanciveront.

Magia diabolica.

Magia Diabolica est facultas sive ars, quâ vi pacti cum Dæmonibus initi, mira quædam, & communem hominem capt[u] m[a]jus superantia, efficiuntur. Omnis scilicet vis Magiæ hujus pacto tacito vel expresso cum dæmonibus nititur. Hanc Magiæ speciem *Tacitam Idololatriam* Theologi vocant. Unde inter Parisiensium Theologorum Articulos apud *Gersonem* hic legitur, *Quòd inire pactum cum Dæmonib[u]s tacitum vel expressum, non sit idololatria, vel species idololatriæ: Error. Et intendimus esse pactum implicitum in omni observatione superstitiosa, cujus effectus non debet à Deo vel naturâ rationabiliter exspectari.* Hinc illud *Isaiæ* XXVIII. à *S. Thoma*, & à Summis Ponficibus *Joanne* XX. in Constitotione quæ incipit, *Super spec[u]la*, & *Sixto Quinto* in Constitutione contra Astrologiæ Judiciariæ Professores edita, Magis accommodatur, *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.*

Pactum cum dæmone taci[tum] vel expressum.

Isai. 28. 15.

Pacti expressi triplex modus est. Primos fit solemnitate varia, & ipsi Cacodæmoni visibiliter in formâ corporeâ apparenti, coram testibus fidelitas & hominium promittitur. Aliquando id fit per libellom supplicem Diabolo oblatum, & eorum qui se illius servituti devovent eâ conditione ut eorum votis satisfaciat, subscriptione munitum. Alius modus est, cùm sine testibus impii se dæmoni addicunt. Tertius, eùm pactio illa per vicarium mittitur, Magum videlicet, vel tertium aliquem; cùm paciscens dæmonis aspectum vel colloquium ref[o]rmidat. His pactis communis est Fidei, Christiani Nominis, Baptismi, Confirmationisque ejoratio, abnegatio Dei & Christi, Blasphemiæ in Beatam Virginem, Sanctósque reliquos, juramentum de abstinendo in perpetuum a Christianis Sacramentis & Sacramentalibus, & signo Crucis. His Sacro-Sanctæ Eucharistiæ, Chrismatisque profanatio ut plotimùm adjuncta.

Pactum tacitum duplex est: primum qoando quis sciens volens signis superstitiosis utitur, qui-

De Superstitionibus.

bus uti solent Magi & Sortilegi; quæ quidem ex libris aut sermonibus eorum, vel aliorum acceperit. Secundum pacti taciti genus est, quando quis ignorans Magicis signis utitur, quia nescit esse mala, & à dæmone instituta: quæ ignorantia cùm ut plotimùm supina sit & crassa, sitque non eorum qui scire non possunt, sed qui scire nolunt, quia Catecheses & familiares Pastorum Sermones, quibus Doctrina Christiana, & lex Dei plebi explicantur, non frequentant, aut sacerdotum consilium in dubiis non reqoirunt: à peccato mortali non excusat, quamvis minuat criminis gravitatem.

Magia diabolica sæpe naturæ vim, aut artificium mentitur, ut in characteribus, annullis, sigillis, & imaginibus, quæ certis suffumigationibus & incantationibus dedicatæ, aot characteribus & figuris peregrinis, seu barbaris oominibus insculptæ, effectus admirabiles, & naturæ vim superantes producere creduntur, cùm totam vim habeant a Dæmone; siquidem figura & caracteres ad hos effectus nihil suapte vi conferre possunt. Idem esto judicium de Talismanis, seu figuris constellationum, lapide vel mettallo sympathetico insculptis.

Maleficium.

Maleficium est Magiæ species, quâ quis ope Dæmonis alteri damnum parat.

Triplex Malefi[c]ii genus.

Triplex est maleficii genus: Primom *Soporiferum*, cùm Magi vel sortilegi, & sagæ aliquem potione, malo carmine, & certis ritibus soporant, ut interea ei venenum infundant, vel infantulos rapiant, aut occent, vel furto quid subtrahant, vel stupro adulteriove contaminent. Alterum est *Amatorium*, quod *Philtrum* vulgò dicitur, quo aliquis in amorem impudicom sui vel alterius, quempiam incendit, & ad parendum libidini suæ inflectit. De quo maleficii genere intelligendum videtur illud *Nahum* Cap. III. *Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ & gratæ, & habentis maleficia.* Et illud *Baruch.* VI. Cap. *Mulieres autem circumdatæ funibus in viis sedent, succedentes ossa olivarum. Cum autem aliqua ex ipsis, attracta ab aliquo transeunte, dormierit cum eo, proxima sua exprobrat quòd ea non sit digna habita sicut ipsa, neque funis ejus diruptus sit.* Tertium est, *Maleficium hostile*, quo Magus aut Sortilegus boni animi, corporis, aut fortunæ damnum infert, vel inferre conatur. Hujus multiplices sont species aut modi; scilicet *Fascinum*, quæ qualitas est perniciosa Dæmonum arte illata ob tacitum vel expressum hominis pactom com dæmone. Sortilegi enim & sagæ pacisci solent ut quos ex iracundia vel livore aspexerint, iis dæmon perniciem inferat. *Veneficium*, qoo homines vel pecora morbis gravissimis & insolitis, aut morte afficiont, aut abortum, partûs difficultatem, lactis exsiccationem mulieribus, aut pecudibus recondito certis in locis maleficii instrumento, ex pacto cum dæmone procurant: aut quasdam fabricantur imagines, quas vel acubus pungunt, vel ignè liquant, vel confringunt, & sic certum iis, quos tales imagines designant, interitum, tabe, vel alio mortis genere afferunt. Unde *Ovidius de Medea* saga insigni canit:

> *Devovet absentes, simulacráque cerea fingit,*
> *Et miserum tenues in jecur urget acus.*

Et *Cornelius Tacitus* Libro II. Annaliom de scelere *Pisonis*, & morte *Germanici* loquens: *Reperiebantur*, inquit, *solo & parietibus eruta humanorum corporum reliquiæ, carmina & devotio-*

De superstitionibus.

net, & nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum, semiusti cineres & tabe obliti, aliáque maleficia, queis creditur animas Numinibus infernis sacrari.

Aliud est *Maleficium votivum*, quo dæmones à Magis & Strigibus in hominum corpora, permittente Deo, immittuntur; cujus Maleficii exemplum refert *Sanctus Hieronymus*, in vita *S. Hilarionis*. Est præterea *Maleficium ligaminis*, quo sortilegi, & sagæ hominem frigidum & maleficiatum, & ad actum conjugii impotentem reddunt; seu ligulam, certis verbis prolatis nectunt, aut conjugem alterum alteri reddunt odiosum, vel invicem odiosos faciunt per calumniam, suspicionemve, aut morbi alicujus immissionem, aut impediunt ne conjuges se mutuò contingere possint. Est denique aliud hostilis maleficii genus, quo hominibus nocent Magi & Sortilegi, non in propria persona, sed in rebus, excitando ventos, grandines, tonitrua, ingentésque tempestates, destruendo vineas, aut arbores, incendendo horrea vel domos, immittendo lupos in ovile vel in gregem; mures, aliave insecta in segetes, & fructus, &c.

Vana observatio.

VIII. *Vana observatio est superstitio, quâ media inutila adhibentur ad præstandum vel omittendum aliquid, ad quod illa media nec à Deo, nec à natura virtutem ullam habent.* Adhibentur autem vel ad scientiam acquirendam, quæ superstitio proprio nomine dicitur *Ars notoria*, quam alii vocant *Artem Angelicam*, sive *Artem Spirituum*; alii *Artem Paulinam*, quam & Salomoni, & *S. Paulo* in extasi constituto à Deo infusam, & posteris ab ipsis traditam mentiuntur. Est autem superstitiosa ratio adipiscendi scientiam sine humano labore per inspectionem quarundam figurarum, aut prolationem quorundam verborum, certis etiam jejuniis & orationibus adhibitis. Adhibentur etiam observationes vanæ ad corporum immutationem, sive ad morbos curandos, ad mitigandos dolores, ad sistendum sanguinem, ad avertanda vel sananda vulnera; cùm scilicet characteres, figuræ, nomina, certi ritus, aut aliæ res, neque ex vi naturæ, neque ex Dei aut Ecclesiæ instituto vim ullam ad hos effectus habentes, vel seorsim usurpantur, vel naturalibus remediis admiscentur: velut cùm coronæ ex herbis compactæ certo numero, certaque proportione capiti applicantur: cùm cingulum ex iis compingitur in panno certi coloris; cùm herbæ certis diebus vel horis, aut certis aliquibus verbis adhibitis collectæ eliguntur quasi ad curandum magis valent; cùm certæ precum formulæ ab Ecclesia non probatæ in eumdem finem usurpantur, qui dicitur *Observantia sanitatum*. Adhibentur præterea vanæ observationes ad futuros eventus prosperos vel adversos cognoscendos. quædam ex occursu fortuito certorum hominum, vel animalium; aliæ ex offensione pedum in limine domûs, aliæ ex sternutatione, aliæ ex fortuitis aliorum verbis, quæ omnia ominum vocabulo significantur. Ad hoc pariter superstitionis genus pertinet observatio temporum, scilicet, annorum, mensium, dierum, & horarum, quasi quædam fausta sint vel infausta. Ad hanc denique pertinet *Observantia sacrorum*, quæ est adhibitio rei sacræ, ut Reliquiarum, Evangelii, schedularum in quibus delineatæ cruces, aut sacra verba inscripta sunt, &c. ad consequendum effectum, cujus producendi non habent efficaciam naturalem, Divinam, aut Ecclesiasticam.

IX. De omnibus his superstitionum generibus præclarus est *Sancti Augustini* locus, Libro II. *De Doctrina Christiana*, Cap. XX. *Superstitiosum est*, inquit, *quidquid institutum est ab hominibus ad facienda & colenda idola, pertinent vel ad colendam sicut Deum creaturam, partémve ullam creaturæ; vel ad consultationes & pacta quædam significationum cum Dæmonibus placita atque fœderata, qualia sunt molimina magicarum artium, quæ quidem commemorare potiùs quàm docere assolent Poetæ. Ex quo genere sunt, sed quasi licentiore vanitate, haruspicum & augurum libri. Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ, atque remedia, quæ Medicorum quoque disciplina condemnat, sive in præcantationibus, sive in quibusdam notis quos characteres vocant, sive in quibusque rebus suspendendis atque illigandis, vel etiam aptandis quodammodo, non ad contemperationem corporum, sed ad quasdam significationes aut occultas, aut etiam manifestas, quæ mitiore nomine Physica vocant, ut quasi non superstitione implicare, sed naturâ prodesse videantur: sicut sunt inaures in summo aurium singularum, aut de struthionum ossibus ansulæ in digitis, aut cùm tibi dicitur singultienti, ut dextera manu sinistrum pollicem teneas. His adjunguntur millia inanissimarum observationum, si membrum aliquod salierit, si junctim ambulantibus amicis lapis, aut canis, aut puer medius intervenerit. Atque illud quòd lapidem calcant, tanquam diremptorem amicitiæ, minùs molestum est, quàm quòd innocentem puerum colapho percutiunt, si pariter ambulantibus intercurrit. Sed bellum est quòd aliquando pueri vindicantur à canibus: nam plerumque tam superstitiosi sunt quidam, ut etiam canem qui medius intervenerit, ferire audeant, non impunè; namque à vano remedio citò ille interdum percussorem suum ad verum Medicum mittit. Hinc sunt etiam illa, limen calcare cùm ante domum suam transit, redire ad lectum, si quis dum se calceat sternutaverit; redire domum, si procedens offenderit; cùm vestis à soricibus roditur, plus tremere suspicione futuri mali, quàm præsens malum dolere. Unde illud eleganter dictum est Catonis, qui cùm esset consultus à quodam, qui sibi à soricibus erosas caligas diceret, respondit, Non esse illud monstrum, sed verè monstrum habendum fuisse, si sorices à caligis roderentur.... Neque illi ab hoc genere perniciosæ superstitionis segregandi sunt, qui Genethliaci propter natalium dierum considerationes, nunc autem vulgò Mathematici vocantur.... Omnes igitur artes hujusmodi vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacta quadam infidelis & dolosa amicitia constituta, penitus sunt repudianda & fugienda Christiano.* Non quia idolum « sit aliquid (*inquit Apostolus*) sed quia quæ im- « molant, dæmoniis immolant, & non Deo: « nolo autem vos socios dæmoniorum fieri. *Quod* « *autem de idolis, & de immolationibus quæ honori eorum exhibentur, dixit Apostolus, hoc de omnibus imaginariis signis sentiendum est, quæ vel ad cultum idolorum, vel ad creaturam ejúsque partes tanquam Deum colendas trahunt, vel ad remediorum aliarúmque observationum curam pertinent; quæ non sunt divinitus ad dilectionem Dei & proximi tanquam publicè constituta, sed per privatas appetitiones rerum temporalium corda dissipant miserorum. In omnibus ergo istis doctrinis societas Dæmonum formidanda atque vitanda est, qui nihil cum principe suo diabolo nisi reditum nostrum claudere atque obserare conantur. Sicut autem de stellis, quas condidit & ordinavit Deus, humanæ ac deceptoriæ conjecturæ ab hominibus institutæ sunt: sic etiam de quibúsque nascentibus vel quoquo modo divinæ providentiæ administratione existentibus rebus multi multa humanis suspicionibus quasi regulariter conjecta litteris*

Omne superstitionum genus à omni Christiano fugiendum.

1. Cor. 10.

De Sacrilegio. *S. August. Lib. 2. De Doctrina Christ. Cap. 23.*

teris mandaverunt, si fortè insolitè acciderint, tanquam si mula pariat, aut fulmine aliquid percutiatur. Quæ omnia tantùm valent, quantùm præsumptione animorum quasi communi quadam linguâ cum Dæmonibus fœderata sunt. Quæ tamen plena sunt omnia pestiferæ curiositatis, cruciantis sollicitudinis, mortiferæ servitutis. Non enim quia valebant, animadversa sunt; sed animadvertendo atque signando factum est ut valerent. Et ideo diversis diversa proveniunt secundùm cogitationes & præsumptiones suas. Illi enim Spiritus qui decipere volunt, talia procurant cuique, qualibus eum irretitum per suspiciones & consensiones ejus vident...... Quod manifestissimè ostendit ritus augurum, qui & antequam observent, & postquam observata signa tenuerint, id agunt ut videant volatus, aut audiant voces avium: quia nulla ista signa sunt nisi consensus observantis accedat.

Sacrilegium.

X. Post Superstitionem, inter vitia Religioni opposita sequitur *Sacrilegium*, quod definitur, *Sacræ rei violatio*, id est, impia tractatio & dehonestatio. Cùm enim aliquid sacrum dicatur, quia ad cultum divinum refertur, eóque nomine debeatur illi reverentia; ideo omnis in res aut personas sacras irreverentia in Dei redundat injuriam, & peccati genus est Religioni oppositum. Quamvis enim cum aliis peccatis sæpe concurrat, scilicet furto, homicidio, stupro, fornicatione, adulterio, &c. novam tamen deformitatem his addit criminibus, eáque ad aliud genus trahit.

Tres Sacrilegii species.

Tres sunt Sacrilegii species, sicut tria rerum sacrarum genera, quarum sanctitas violari potest. Primum committitur contra personam sacram; secundum contra locum sacrum; tertium contra rem sacram, sumpto rei nomine in significatione strictiori, prout à persona & loco distinguitur. Ad primum sacrilegii genus pertinent Clerici, Monachi, aut Monialis percussio, ut habetur Canone *Si quis suadente*, Causa XVII. Quæstione IV. & personæ Sacris Ordinibus initiatæ, aut Religiosâ Professione Deo consecratæ, seu voto castitatis aliàs obstrictæ fornicatio, aut alia quævis impudicitia, non solùm opere consummata, sed volita dumtaxat, vel deliberatè cum morosa delectatione cogitata: necnon fornicatio, aut aliud carnalis peccati genus etiam à sæculari persona cum Sacris & Religiosis hominibus, vel Monialibus, aut mulieribus castitatis voto aliàs obstrictis perpetratum.

Ad alterum sacrilegii genus pertinent quæcumque contra reverentiam loco sacro debitam committuntur, ut effractio vel incendium Ecclesiæ, eversio Altaris, homicidium, atque injuriosa sanguinis, necnon voluntaria seminis effusio, ut habetur Canone *Ecclesiis*, Distinctione I. *De Consecratione*, & Cap. *Proposuisti*, Extra, *De Consecratione Ecclesiæ vel Altaris*. Item infidelis, aut excommunicati, qui sit publicè denunciatus, aut notorius Clerici percussor, in loco sacro sepultura, ut constat ex Canone *Ecclesiis*, mox citato, & Cap. *Consuluisti*, Extra, *De Consecratione Ecclesiæ vel Altaris*.

Ad eamdem classem pertinet violatio immunitatis Ecclesiæ, ut patet ex variis Pontificum Responsis, Extra, *De Immunitate Ecclesiæ*; cùm scilicet persona, quæ ad locum sacrum quasi ad asylum confugerat, inde armata manu & vi illata extrahitur, licèt eorum criminum rea non sit, quorum autoribus vel consciis jus asyli vel Ecclesiasticis Decretis, vel consuetudine denegatum est. Ad hoc denique genus pertinet furtum rei sive sacræ, sive profanæ in loco sacro, ut constat ex Canone *Quisquis*, Causa XVII. Quæst. IV.

De Sacrilegio.

Ad hanc pariter speciem revocantur mercatus, deambulationes, Judicia, confabulationes præsertim impudicæ, quæ in Templis fiunt, larvæ, ludi, quibus omnibus loci sanctitas violatur, & quæ pro irreverentiæ gravitate, & ratione scandali, vel perturbationis divinorum Officiorum, vel contemptûs ac pertinaciæ, ad peccati mortalis gravitatem pertingere possunt. De quibus extat luculentum *Gregorii X.* in Generali Concilio Lugdunensi Decretum, Cap. *Decet*, Tit. *De Immunitate Ecclesiarum*, in Sexto relatum, cujus hæc sunt verba: *Decet domum Domini sanctitudo, decet ut cujus in pace factus est locus, ejus cultus sit cum debita veneratione pacificus. Sit itaque ad Ecclesias humilis & devotus ingressus, sit in eis quieta conversatio, Deo grata, inspicientibus placita, quæ considerantes non solùm instruat, sed & reficiat...... Et quod generaliter scribitur*, Ut in nomine JESU omne genu flectatur, *singuli singulariter in se ipsis implentes, gloriosum illud Nomen quandocumque recolitur, flectant genua cordis sui, quod vel capitis inclinatione testentur. Attendantur in locis eisdem intentis præcordiis sacra Solemnia, devotis orationibus insistatur: nullus in locis eisdem, in quibus cum pace ac quiete vota convenit celebrare, seditionem excitet, conclamationem moveat, impetúmve committat. Cessent in locis illis universitatum & societatum quarumlibet concilia, conciones, & publica Parlamenta. Cessent vana, & multò fortiùs fœda, & profana colloquia. Cessent confabulationes quælibet. Sint postremò quæcumque alia, quæ Divinum possunt turbare Officium, aut oculos Divinæ Majestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea: ne ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi. Cessent in Ecclesiis, earúmque Cœmeteriis negotiationes, & præcipuè nundinarum ac fori cujuscumque tumultus: omnis in eis sæcularium Judiciorum strepitus conquiescat, nulla inibi causa per Laïcos, criminalis maximè agitetur: sint loca eadem à Laïcorum cognitionibus aliena. Ordinarii locorum hoc faciant observari, suadenda suadentes, interdicta hujus Canonis auctoritate compescant.*

Philipp. 2. 10.

Ad tertium Sacrilegii genus pertinent omnis injuria & irreverentia in Sacramenta, omnísque eorum violatio & abusio, veluti cùm in peccato mortali administrantur, recipiuntur, aut aliàs indignè tractantur. Cùm verò maximum sit inter illa ac excellentissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod ipsum Christum continet, ideo sacrilegium quod contra hoc Sacramentum committitur, inter omnia gravissimum est. Secundum post Sacramenta locum inter res sacras tenent vasa ad Sacramentorum administrationem consecrata: *Calices scilicet Sanguinis Christi portitores*, ut vocat *S. Optatus Milevitanus*, Patenæ, Pixides sacræ, quo etiam in ordine recensenda sunt Corporalia. Proinde Calice consecrato uti ad potandum, sacrilegii crimen est longè gravius crimine *Baltasaris* Babyloniæ Regis, qui divinam expertus ultionem est, quòd in vasis Templi Hierosolymitani Babylonem à Nabuchodonosore translatis, bibisset ipse & Optimates ejus, uxores, & concubinæ ejus, ut habetur *Danielis V*. Quamobrem Episcopi & Clerici, qui vasis sacris ad communes & profanos usus abusi fuerint, Degradatione; Monachi & Laïci, Excommunicatione plectuntur; Canone inter Apostolicos LXXIII. Septimæ Synodi Generalis Decreto, Actione VII. in Definitione Fidei, & Concilii Bracarensis III. Canone secundo. Sacrilegii etiam rei sunt, qui sacra vasa tractare seu tangere non

verentur, eùm Sacris initiati non sint, nec licentiam habeant. Tertium inter res facras locum tenent Sanctorum Reliquiæ, Crux, Evangelii Codex, totum Scripturæ Sacræ corpus, cujus *Adoranda verba*; imagines Christi & Sanctorum: quarum proinde dissipatio, confractio, dehonestatio lethale etiam facrilegium est, ut ex Septima Synodo Generali constat, & Iconomachorum ac Petrobusianorum Hæreticorum damnatione. Quartum inter res facras locum tenent facræ vestes Ministrorum, & Ecclesiæ vel Altarium ornamenta Quæ proinde ad profanos usus adhiberi absque facrilegii crimine non possunt. Quamobrem facri Canones vetant ne pallâ Altaris, aut velo, aliisve ornamentis quæ divino Ministerio inserviunt, defunctorum corpora involvantur; scilicet Canon *Altaris*, & Canon *Nemo*, 39. & 40. Distinctione 1. *De Consecratione*, Concilii Arvernensis Canon 1. Autissiodorensis Canon XII. & Bituricensis Lemovicensi inserti Canon XIII. Rationem reddit Arvernense Concilium: *Quia sacro velamine usibus suis reddito, dum honorantur corpora, Altaria polluuntur.* Et Canone *Ne ad nuptiarum*, Distinctione 1. *De Consecratione*, qui Arvernensis Concilii septimus est, prohibetur *Ne ad Nuptiarum ornamentum Ministeria divina præstentur: ne dum improborum contactu, pompâque sæcularis luxuria polluuntur, ad Officium sacri Mysterii videantur indigna.* Ad hunc ordinem revocantur facramentalia quæque, ut aqua benedicta, panis benedictus, &c. Item signa facra, & tesseræ pietatis ab Ecclesia approbata, ut Rosarium, Scapolare, &c. Item Religiosæ Vestes, Velum Sacrarum Virginum, &c. Quibus si quis ad profanos usus abutatur, ut si panem benedictum canibus manducandum tradat, si Religiosis Vestibus in theatro, vel ad larvas utatur, si eas contumeliosè laceret, conspuerit, vel ad ludibrium adhibeat, lethalis facrilegii reus est. Quintum denique locum in rerum facrarum ordine tenent Ecclesiæ bona, sive mobilia, sive immobilia, quorum proinde usurpatio, detentio, vel gravamen, facrilegium est. *Quicumque contra quodcumque prædictorum peccat, sacrilegii crimen incurrit;* (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XCIX. Articulo III.)

Sacrilegorum pœnæ. Sacrilegos pœnis gravissimis Deus afficit. Duo a filii Aaron *Nadab & Abiud*, qui *ignem alienum* Domino obtulerant, *à Domino egressus ignis devoravit.* (Levitici x.) Duo filii Heli *Ophni & Phinees* uno die occisi, & familia ejus eversa, propterea quòd facrificia populi non fecundùm Legem administrabant. Bethsamitæ à Deo percussi, quòd curiosiùs contra Dei mandatum intuiti essent ea quæ erant in Arca Domini. (1. *Regum* VI.) Percussus & *Oza*, qui metuens ne eadem Arca è plaustro decideret, inconsideratâ quadam devotione eam temerè tetigerat. (II. *Reg.* VI.) Occisus & Baltazar Rex, quòd vasa Domus Domini ad usus profanos usurpasset. (*Dan.* V.) Christus mansuetissimus, flagello facrilegos è Templo ejecit. (*Joann.* II.) S. Paulus plurimos propter indignam Communionem non solùm æternâ damnatione plecti; fed multos factos esse infirmos & debiles, & corporali morte punitos testatur. (1. *Cor.* XI.) Denique in omni facrilegio locum habet illud *Heli* filios suos corripientis, 1. Reg. II. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?*

Impietas. XI. *Impietas* fecundùm communem nominis acceptionem est injuria quælibet Deo illata: fecundùm strictiorem fignificationem, est rerum cœlestium, & ad animæ falutem pertinentium negligentia. Unde *S. Gregorius*, Libro XXV. *Moralium*, Cap. X. *Impius*, inquit, *propriè dicitur, qui à Religionis pietate separatur.* De his fcriptum est Job. XXXIV. *Quasi impios percussit eos in loco videntium.* Ibi quippe stabant, ubi Deum videre videbantur. Ibi tenebras dilexerunt, ubi lumen veritatis aspicitur. *Et quamvis apertos habuerunt oculos in fide, tenuerunt tamen eos clausos in opere. Unde bene & de Judæa dicitur*, Speculatores ejus cæci: *quia videlicet non videbant opere, quod professione cernebant. Unde etiam de Balaam scriptum est*, Qui cadens apertos habet oculos. *Cadens quippe in opere, apertos tenuit oculos in contemplatione. Ita ergo hi etiam oculos aperientes in fide, & non videntes in opere, intra Ecclesiam positi pia specie, extra Ecclesiam inventi sunt impia conversatione. De quibus aliàs bene scriptum est:* Vidi impios sepultos, qui cùm adhuc viverent, in loco fancto erant; & laudabantur in civitate quasi justorum operum. *Multos enim peste propriæ pravitatis obsessos, sub Christiano nomine ipsa tranquillitas Ecclesiasticæ Pacis abscondit. Quos tamen si levis persecutionis aura pulsaverit, mox extra aream velut paleas tollit. Quidam verò idcirco Christianitatis vocatione signantur, quia Christi nomine sublimiter exaltato, pene omnes jam videri fideles aspiciunt: & pro eo quòd hoc videri alios cernunt, ipsi non videri fideles erubescunt; sed esse negligunt, quod dici gloriantur. Rem enim virtutis intima ad decorem sumunt visionis externa: & qui arte supernum Judicem nudi conscientia infidelitate consistunt, ante humanos oculos professione solâ verbo tenus palliantur. Nonnulli autem fidem medullitus tenent, sed vivere fideliter nullatenus curant. Insequuntur enim moribus, quod credulitate venerantur. Quibus divino judicio sæpe contingit, ut per hoc quod nequiter vivunt, & illud perdant quod salubriter credunt. Incessanter namque se pravis actionibus polluunt, & super hoc vindictam justi judicii retribui posse diffidunt: & sæpe cùm bene vivere negligunt, etiam persequente nullo usque ad perfidiam dilabuntur. Nam qui imminere districtum judicium non credunt, qui inultè se peccare suspicantur, quo pacto vel esse vel dici fideles possunt? Fidem quippe perdidisse est incorrectis malis operibus, digna supplicia reddi posse non credere. Quia ergo digna fidei opera servare contemnunt, etiam fidem perdunt, quam tenere videbantur: super quos bene per Prophetam sub Jerusalem specie, inimicorum destruentium verba memorantur, à quibus scilicet dicitur.:* Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea. *Paulus quippe ait:* Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. *Inimici ergo destruentes, usque ad fundamentum Jerusalem exinaniunt, quando perversi Spiritus à corde fidelium destructo priùs ad fictio boni operis, soliditatem quoque exhauriunt Religionis. Sicut enim supra fundamentum fabrica, sic super fidem opera constituuntur. Usque ad fundamentum ergo exinanisse, est everso bene vivendi opere, etiam robur fidei dissipasse.* Impios vivis coloribus depingit idem Sanctus Doctor, illa verba *Job.* XXI. explicans: *Oculi impiorum deficient, & effugium peribit ab eis*, Libro X. *Moralium*, Cap. XIII. *Oculi*, inquit, *impiorum, intentiones sunt in eis carnalium desideriorum. Qui idcirco deficiunt, qui æterna negligunt, & sola semper transitoria præstolantur. Ad ipsis quippe terrenam gloriam cogitant, multiplicari rebus temporalibus exoptant, ad mortem quotidie cursu rerum labentium tendunt: sed cogitare mortalia mortaliter nesciunt. Carnis vita per momenta deficit,*

& tamen carnale desiderium crescit. Res habita instanti fine corripitur, & habendi anxietas non finitur. Sed cùm mors impios subtrahit, eorum profectò desideria cùm vita terminantur. Quorum scilicet oculi tunc superna ultione deficiunt, quia suo hic judicio à terrena deficere delectatione noluerunt. Hos illorum oculos à jucunditate pristina claudi Psalmista conspexerat, cùm dicebat : In illa die peribunt omnes cogitationes eorum : *quia æterna mala nunquam cogitata reperiunt, & subitò amittunt bona temporalia, quæ diu tractando tenuerunt. A quibus & omne effugium perit, quia eorum malitia ab animadversione districti Judicis quò se valeat occultare, non invenit. Nam nunc iniqui cùm tristitia aliquâ vel adversa patiuntur, effugii latebras inveniunt, quia ad voluptatem protinus desideriorum carnalium recurrunt. Ne enim paupertas cruciet, divitiis animum demulcent, ne despectus proximorum deprimat, sese dignitatibus exaltant. Si fastidio corpus atteritur, antepositis epularum diversitatibus nutritur. Si quo animus mœstitia impulsu dejicitur, mox per interposita jocorum blandimenta relevatur. Tot ergo hic habent effugia, quot sibi præparant delectamenta. Sed quandoque ab eis effugium perit : quia eorum mens, amissis omnibus, se solummodo & Judicem conspicit. Tunc voluptas subtrahitur, sed voluptatis culpa servatur : & repente miseri pereundo discunt, quia peritura tenuerant.*

Psalm. 145.

Tentatio Dei.

XII. *Tentatio Dei*, quæ postremo loco inter peccata Religioni opposita numerata est, *est, peccatum quo aliquid dicitur, vel agitur ad explorandum quid possit vel sciat Deus, aut quàm bonus & pius sit.* Tentatur enimverò Deus cùm verbis, tum factis, idque vel expresè, vel interpretativè. Ille verbis expresè Deum tentat, qui *ea intentione aliquid à Deo postulat, ut exploret Dei scientiam, potestatem, vel voluntatem.* Factis autem expresè aliquis Deum tentat, *Quando per ea quæ facit, intendit experimentum sumere divinæ potestatis, sive pietatis, aut scientiæ.* Is interpretativè Deum tentat, *qui etsi non intendat experimentum de Deo sumere, aliquid tamen petit vel facit ad nihil aliud utile, nisi ad probandam Dei potestatem, vel bonitatem, vel cognitionem. Quando ergo propter aliquam necessitatem seu utilitatem committit se aliquis divino auxilio in suis petitionibus vel factis, hoc non est Deum tentare. Dicitur enim* II. *Paralipomenon*, cap. secundo : » Cùm ignoramus quid agere debeamus, hoc » solùm habemus residui, ut oculos nostros di» rigamus ad te. *Quando verò hoc agitur absque necessitate & utilitate, hoc est interpretativè tentare Deum* : (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XCVII. Articulo I.) Grave peccatum est contra reverentiam Deo debitam. *Omnis enim tentatio ex aliqua ignorantia vel dubitatione procedit. Ignorare autem vel dubitare de his quæ pertinent ad Dei perfectionem, est peccatum; Unde manifestum est quòd tentare Deum ad hoc quod tentans cognoscat Dei virtutem, est peccatum;* (inquit *S. Thomas* Articulo II.) Est autem prohibitum Deuteronomii VI. his verbis : *Non tentabis Dominum Deum tuum* : quæ Christus Dominus usurpavit ad Satanæ tentationem reprimendam, à quo ut se deorsum mitteret præsumptione auxilii divini urgebatur : *Scriptum est* (inquit) *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

Lethale peccatum esse minimè dubium est tentationem Dei expressam, si sit plenè deliberata : & interpretativam, si ex crassa ignorantia & dubitatione de potentia, bonitate, misericordia, vel justitia Dei, quas nosse seu credere oportet ad salutem, oriatur : vel si conjuncta sit cum periculo vitæ, aut gravis læsionis ; ut si quis è loco excelso, rejectâ scalâ se præcipitem daret, aut in morbo periculoso humana remedia respueret. Vel si ex curiositate Miracula petantur à Deo : vel tandem ratione scandali. Extra hos casus tentatio Dei interpretativa veniale duntaxat peccatum est.

Hujus peccati rei fuere Israëlitæ, quando murmuraverunt contra Moysen dicentes : *Cur fecisti nos exire de Ægypto, ut occideres nos & liberos nostros, ac jumenta siti?* Quasi Dominus non satis ostendisset, se curam eorum gerere, propter quos tot & tantis plagis afflixerat Ægyptios, demùmque submerserat in Mari Rubro; quos præcedebat die in columna nubis, & nocte in columna ignis; quos siccis vestigiis per Mare traduxerat; quibus pluebat manna de cœlo. *Vocavit ergo Moyses nomen loci illius, Tentatio propter jurgium filiorum Israel, & quia tentaverunt Dominum, dicentes, Estne Dominus in nobis, an non?* De quibus iterum Psalmo LXXVII. dicitur : *Tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis. Et malè locuti sunt de Deo : dixerunt, Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt : nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam Populo suo?* Frustra verò timebat *Achaz* Rex ne Deum tentaret signum petendo ab illo, quia Deus volebat signum dare, non pro ipso duntaxat, sed pro totius populi instructione : & ideo reprehenditur, quasi bono communi, publicæque omnium saluti obicem poneret, nolendo petere signum à Deo (*Isaiæ* VII.) An verò *Gedeon* ex debilitate fidei, signum petierit (*Judicum* VI.) an desiderio gloriæ Dei manifestandæ, & discutiendi ex animo suo causam omnem dubitationis, haud ita certum est. *Nescio utrum non transgressus fuerit præceptum quod scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum* ; (inquit *S. Augustinus*, Quæstione XLIX. in Librum Judicum.) Et infra : *Posteaquam tentavit Dominum, quod utique peccatum fuit.* Et mox : *Iram Dei timebat, quia noverat se tentando peccare.* Peccavit etiam *Zacharias*, cum Angelo futuram Joannis Baptistæ Nativitatem ipsi nuntianti respondit : *Unde hoc sciam?* (ut refertur *Lucæ* I.)

Exod. 17.

ARTICULUS XIV.

Regulæ Morales circa Peccata Religioni opposita.

REGULA I.

Indebitus Dei Cultus lethale ex genere suo peccatum est.

MEndacium enim *maximè perniciosum est, quod fit in his quæ ad Christianam Religionem pertinent* : ut *S. Augustinus* docet. *Est autem mendacium, cùm aliquis significat contrarium veritati. Sicut autem significatur aliquid verbo, ita etiam significatur aliquid facto : & in tali significatione facti consistit exterior Religionis cultus. Et ideo si per cultum exteriorem aliquid falsum significetur, erit cultus perniciosus. Hoc autem contingit duplici-*

Libro contra Mendacium.

De incertis Reliquiis.

ter. *Uno quidem modo ex parte rei significata, à qua discordat significatio cultûs: & hoc modo tempore Novæ Legis, peractis jam Christi Mysteriis, perniciosum est uti Ceremoniis Veteris Legis, quibus Christi Mysteria figurabantur futura; sicut etiam perniciosum esset, si quis verbo confiteretur Christum esse passurum. Alio modo potest contingere falsitas in exteriori cultu, ex parte colentis, & hoc præcipuè in cultu communi, qui per ministros exhibetur in persona totius Ecclesiæ. Sicut enim falsarius esset, qui aliqua proponeret ex parte alicujus, quæ non essent ei commissa, ita vitium falsitatis incurrit, qui ex parte Ecclesiæ cultum exhibet Deo contra modum divina auctoritate ab Ecclesia constitutum, & in Ecclesia consuetum. Unde Ambrosius* * *dicit: Indignus est qui aliter celebrat Mysterium, quàm Christus tradidit.* Et propter hoc Glossa dicit, in cap. secundum Epistolæ ad Colossenses Secundæ: *Superstitio est, quando traditioni humanæ, Religionis nomen applicatur.* Ita hanc Regulam explicat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione xciii. Articulo primo. Si quis ergo falsa Miracula, aut falsa vel apocrypha Sanctorum Acta sciens prædicet, falsas Revelationes & Visiones, falsas Indulgentias, aut eadem scriptis in volgus emittat: aut falsas Reliquias, falsique dogmatis Imagines, aut ab Historiæ Sanctæ & Ecclesiasticæ veritate alienas colat, aut colendas proponat; vel cùm eas ex imperitia & rudi simplicitate coluerit, proposuerit, prædicaverit, à Pastoribus Ecclesiæ monitus superstitionem non emendaverit, lethalis peccati reus est. Item si quis ceremonias ab Ecclesia institutas aut ab Apostolis vel eorum Successoribus acceptas, & in Ecclesia universa, vel in ea in qua vivit, usurpatas in administrandis conficiendisve Sacramentis, aut in Divinis Officiis adhibere studiosè omittat, perniciosâ falsitate cultum Dei commaculat, adeóque lethale peccatum committit. Ejusdem peccati rei essent Ecclesiæ Pastores si hanc superstitionem non cohiberent.

* Seu potius Autor Commentarii in Epistolas S. Pauli, inter S. Ambrosii Opera editus, in cap. xi. Epist. 1. ad Corinthios.

Quantùm portò divino detoget bonori cultus indebitus, & quàm grave sit peccatum, docet etiam *Gubertus* Novigentinus Abbas Libro iii. *De Pigneribus Sanctorum*, cap. 1. *Penes Deum & Sanctos ejus* (inquit) *omnimodis est approbanda devotio, sed cum sibi tantùm devotio arrogat, quantum nullatenus Religionis ratio subministrat, unde piùs quilibet divinorum cultor præmium opperiri potuerat, fit miserabile quiddam, ut inde pœnam nequissimi erroris insumat. Cum enim de Deo aut colitur, aut dicitur aliquid quod ipsius veritatis testimoniis haud dubiè obluctetur, nimirum accidit, ut tantò deterius, quantò incorrigibilius mens exerrare probetur, dum sub pietatis colore peccatur. Nil enim pejus quàm mala agere, & hæc ipsa quæ inconsultè geruntur, pro exercitio boni operis æstimare. Unde ergo & quando error iste corrigetur, qui non solùm error non creditur, sed etiam divinæ dignationis prærogativa putatur?* Ad istud superstitionis genus evellendum, Concilium Mechliniense anno 1570. monet Fideles, *Ne circumforaneis quibusdam, aut etiam eum privilegia impressis libellis temerè fidem adhibeant, qui ex levibus aut superstitiosis caussis, incertisque Revelationibus immodicas & plus æquo exorbitantes pollicentur Indulgentias, potissimum si promissiones contineant certorum effectuum, periculorum scilicet evitationem, à gladiis, à tormentis, ab aquis, à peste; aut liberationem certam à purgatorio: quemadmodum & Missis quibusdam & Precibus certo numero recitandis affixas, alicubi videre licet.*

REGULA II.

Incerta Reliquia in Atrio, aut sub parietibus Templorum, aut circa ipsa, sepelienda sunt, ne Populus Christianus indebiti cultûs superstitione polluantur.

De incertis Reliquiis.

HAnc Regulam à Patribus acceptam, secutus est *Amola* Lugdonensis Episcopus, & *Theobaldo* Ligonensi Episcopo tradidit, cùm de Reliquiis incertis, à nescio quibus Monachis delatis in Basilicam Divionensem Sancti Benigni Martyris interrogatus esset. *Videtur nobis* (inquit) *ut ossa illa, quæ nulla ratione, nulla auctoritate, nescio cujus Sancti esse dicuntur, unde primùm prurigo hujus curiositatis exorta esse videtur, omnino de sacris adytis, & de loco celebri tollantur, & nequaquam intra Ecclesiam, sed foris in atrio, aut certè sub pariete, vel circa ipsam, vel, quod utilius existimamus, circa aliam secreto in loco apto & mundo sub paucorum conscientia sepeliantur: ut quoniam & sancta esse dicuntur, aliquid eis reverentiæ deferatur: & quia esse penitus nesciuntur, nequaquam rudibus Populis occasio erroris & superstitionis existant. Nec metuere debemus ne fortè ex hac diligentia aliquam offensionem incurramus. Vult enim omnipotens Deus nos in rebus suis cautos esse atque discretos, juxta præceptum Apostoli dicentis:* Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mali abstinete vos. *Et iterum:* Nam & ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis. *Unde & Dominus monet dicens:* Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. *Habemus in hac re magnum & reverendum pietatis exemplum in Gestis Beati Martini, ut nequaquam temerè adhibeamus incertis fidem. Qui beatus & gloriosus Christi Confessor & Pontifex locum quemdam à Prædecessoribus suis sub Altaris titulo consecratum, & concurrentis Populi frequentiâ celebratum, qui nec nomen sepulti illic (ut ferebatur) Martyris, nec tempora Passionis ejus reperit, omnino se ab illo loco abstinuit, nec auctoritatem suam vulgi opinioni accommodare ullatenus voluit, donec rei veritate divinitus sibi patefacta, etiam Populum Superstitionis illius absolvit errore. Invenimus etiam in Decretis B. Papæ Gelasii graviter notari Episcopos, & penè alienos à Christianitatis affectu designari, qui in quorumque nomine defunctorum, & fortassis nec omnino fidelium, ædificatas sacris Processionibus audacter instituere præsumunt Ecclesias. Sed & quorumdam venerabilium valde Sanctorum corpora novimus, vel inter agrorum sepulturas, vel in angulo Ecclesiæ annis plurimis jacuisse, donec se dignis revelationibus manifestarent. Quapropter juxta Apostolicam atque Evangelicam Auctoritatem, & venerabilia Sanctorum Patrum exempla atque instituta, removeatur de medio, & congruenti modo habeatur unde tanta pullulavit occasio superstitionis, & nulla probatur existere utilitas salutis.*

1. Thess. 5.
2. Cor. 11.
Matth. 10.

REGULA III.

Reliquias unius Sancti pro alterius Reliquiis colendas ex industria proponere, ubi comperta falsitas, vel dubia res est, lethale peccatum est indebiti cultûs.

HÆc Regula firmatur verbis Venerabilis Guiberti Novigentini Abbatis, Libro 1. *De Pigneribus Sanctorum*, cap. iii. ubi de contentione Constantinopolitanorum, & Angeria-

De incertis Reliquiis.

censium Monachorum Caput S. *Joannis Baptistæ* habere se jactantium, hæc habet: *Cùm constet id quod nusquam geminari potuerit, alterutros habere non posse, perspicuum est hos vel illos plurima falsitati succumbere. Quòd si in hac re qua tota pietati commilitat, mutuà ad se versum arrogantià mendaciòque confligunt, pro divinis dæmoniaca agunt. Alterutri ergo qui decipiuntur atque decipiunt, idipsum profectò quo se jactitant, indebitè colunt. Quòd si indignum aliquid ab eis colitur, ecce quanto discrimini series ei obsequentium universa addicitur. Quòd si Joannis Baptistæ non est, alicujus verò Sancti est, non mediocre tamen mendacii malum est.*

REGULA IV.

Nulli peccati rei sunt, qui Reliquias unius Sancti pro Reliquiis alterius bona fide colunt.

ITa docet Venerabilis *Gubertus* Abbas Novigentinus cap. IV. ejusdem Libri, §. 2. *Quæritur quoque ab aliquibus utrum eorum Reliquiæ cùm altera pro alteris honorantur, & non sint ejus cujus esse putantur, aliquid perniciosum colentibus importare credantur. Quod ego non æstimo, cùm enim Dominus de eis dicat,* Ut sint unum, sicut & nos unum sumus, *cùm ipsorum universitas sub Christo capite sit quasi quædam integritas corporis, & unus cum Deo sit spiritus ipsi adhærentes, inter eorum ossa qui Sancti sunt, non est error si alia pro aliis excolantur, qui commembres in sui Autoris corpore dinoscuntur. A quo sensu non discrepare videtur quòd Quatuor Coronatorum Festivitas sub aliorum quinque Martyrum nominibus ex Romana Auctoritate recolitur.*

Joannis 17.

REGULA V.

Nullius peccati reus est, qui bona fide illum invocat, quem Sanctum esse certò credit, quamvis revera Sanctus non sit.

QUia (inquit *Guibertus* Abbas) *sicut Deum, qui eum, de quo est incertus exposcit, irritat; ita eum, si fideliter Sanctum illum credens, qui non est Sanctus exoret, placat. Verbi gratià, ponamus aliquem qui eleemosynam putet esse peccatum: si ergo is scienter eleemosynam faciat, profectò ex conscientia intuitu peccat, cùm tamen aliorsum verè sit bonum quod facit. Ita planè si Sanctum quis æstimet, quem Sanctum quidem dici audiat, Sanctum verò esse non constet, si eum precordialiter & secundùm fidem interpellet, apud Deum, qui causa & fructus est orationis, intentio tota defigitur, quocunque modo animus per simplicitatem super suo Intercessore errare videatur, & quod sub spe boni honoratur, nunquam à boni remuneratione cassatur.* Qui tamen publicè aliquem invocaret, & coleret ut Sanctum, cujus sanctitas à Romano Pontifice Ritu solemni vindicata non esset, lethalis peccati reus foret.

REGULA VI.

Ritus alios & Preces in Missarum celebratione adhibere; præter eas quæ ab Ecclesia recepta sunt; aut quarumdam Missarum & candelarum certum numerum observare, superflui cultus superstitio est.

Cultus superfluus.

ID constat ex Concilio Tridentino, Sessione XXII. In Decreto de observandis & evitandis in Celebratione missæ. *Postremò* (inquit) *ne superstitioni locus aliqui detur, Edicto & pœnis propositis caveant Episcopi, ne Sacerdotes aliis quàm debitis horis celebrent, neve Ritus alios aut alias Ceremonias, præter eas quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti & laudabili usu receptæ fuerint. Quarumdam verò Missarum, & candelarum certum numerum, qui magis à superstitioso cultu, quàm à vera Religione inventus est, omnino ab Ecclesia removeant.*

Id confirmat Concilium Mechliniense Tit. *De Superstitione*, docens: *Omnem illum rerum usum esse superstitiosum, qui sine verbo Dei, & Ecclesiæ Doctrina fit præscriptis aliquibus Ritibus & observantiis, quarum rationabilis caussa reddi non potest, & fiducia in eis collocatur, certo exspectandi aliquem eventum, qui sine illis Ritibus ex Sanctorum intercessione non speraretur: aut quæ in cultu Sanctorum ex temeritate, aut quadam levitate potiùs, quàm pietate, & verâ in Deum Religione fieri videntur.*

REGULA VII.

Idololatria peccatorum omnium gravissimum est.

ITa docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XCIV. Articolo III. *Sicut enim in terrena Republica gravissimum esse videtur, quòd aliquis honorem regium alteri impendat quàm vero Regi, (quia, quantum in se est, totum Reipublicæ perturbat ordinem:) ita in peccatis quæ contra Deum committuntur, (quæ tamen sunt maxima,) gravissimum esse videtur, quòd aliquis honorem divinum creaturæ impendat: quia quantum est in se, facit alium Deum in Mundo, minuendo principatum divinum.* Hinc à *Tertulliano* Libro *De Idololatria*, cap. I. vocatur *Principale crimen generis humani, summus sæculi reatus: tota causa judicii*: quòd nimirùm omnia crimina complectatur quæ in judicium venient: A *S. Gregorio Nazianzeno*, Oratione XXXVIII. *Extremum & primum malorum*: à *Lactantio* Lib. I. *Instit.* cap. XVIII. *Scelus inexpiabile*: a Concilio Illiberitano Canone I. *Crimen capitale.*

Idololatria primum peccatum generis humani.

Quamvis autem Idololatria duntaxat exterior, quâ aliquis exteriùs idola colit, fidem in mente servans, minus peccatum sit, idololatriâ completâ quæ interiorem simul & exteriorem Latriæ cultum alteri à vero Deo exhibet: illa nihilominus superstitio lethalis est. *Nam cùm exterior cultus sit signum interioris, sicut est perniciosum mendacium si quis verbis asserat contrarium ejus quod per veram fidem tenet in corde: ita est perniciosa falsitas: si quis exteriorem cultum exhibet alicui contra id quod sentit in mente:* (inquit *S. Thomas*.) Unde *S. Augustinus* Libro VI. *De Civitate Dei*, cap. X. de *Seneca* loquens: *Iste* (inquit) *quem Philosophia quasi liberum fecerat, tamen quia illustris Populi Romani Senator erat, colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat: quia videlicet magnum aliquid eum Philosophia docuerat; ne superstitiosus esset in mundo, sed propter leges civium moresque hominum, non quidem ageret fingentem scenicum in theatro, sed imitaretur in Templo: eò damnabiliùs, quò illa quæ mendaciter agebat, sic ageret, ut eum populus veraciter agere existimaret.*

REGULA VIII.

Lethalis peccati gravissimi rei sunt, non solùm qui divinationem, magiam, aut sortilegia exercent, sed & qui ariolos, magos, sortilegos sive maleficos consulunt, eorùmve operâ utuntur.

ID enim divina Lege prohibitum cum gravissimæ pœnæ interminatione. Levitici XIX. *Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis sciscitemini, ut polluamini per eos.* Et cap. XX. *Anima quæ declinaverit ad Magos & Ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi sui. Vir sive mulier, in quibus pythonicus vel divinationis fuerit spiritus, morte moriatur.* Deuteronomii XVIII. *Non inveniatur in te qui ariolos sciscitetur, nec qui pythones consulat, nec divinos, nec quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus.* Isaiæ XLIV. *Ego sum Dominus, irrita faciens signa divinorum, & ariolos in furorem vertens.* Ecclesiastici XXXIV. *Divinatio erroris, & auguria mendacia, & somnia malefacientium, vanitas est.* Divinationem scilicet operatione dæmonum fieri, & ex pacto cum illis inito, docent *Origenes* Homilia XVI. in Numeros: *Est quædam* (inquit) *operatio Dæmonum in ministerio præscientiæ, quæ artibus quibusdam ab his qui se Dæmonibus mancipaverunt, nunc per sortes, nunc per auguria, nunc ex contemplatione umbrarum, comprehendi videtur. Hæc autem omnia operatione Dæmonum fieri non dubito.* Et *S. Cyrillus Hierosolymitanus*, Catechesi Mystagogica prima: *Auguria* (inquit) *divinationes omnia, aut amuleta, aut inscriptiones in foliis, aut alia mala artes, & cætera hujusmodi, cultus diaboli sunt. Cave itaque ista, nam si post renunciationem diaboli, & Christi Militiæ Professionem, in eadem rursus incideris, Tyrannum senties acerbiorem.* Id confirmat *S. Augustinus* Libro II. *De Doctrina Christiana*, cap. XXIV. quem locum superiori Articulo exhibuimus. Idem Libro *De Vetera Religione*, cap. LV. ait: *Non sit nobis Religio cultus Dæmonum, quia omnis superstitio cùm sit magna pœna hominum, & periculosissima turpitudo, honor est ac triumphus illorum.*

Ariolos, magos, sortilegos consulere quàm grave peccatum!

Idem confirmat *S. Eligius Episcopus* Noviomensis in Sermone ad Populum, quem ejus Vitæ Libro II. cap. XV. refert *S. Audoenus* Rothomagensis Episcopus. *Ante omnia* (inquit) *illud denuntio atque contestor, ut nullas Paganorum sacrilegas consuetudines observetis, non caragios, non divinos, non sortilegos, non præcantatores; nec pro ulla causa vel infirmitate eos consulere, vel interrogare præsumatis, quia qui facit hoc malum, statim perdit Baptismi Sacramentum.*

Quamobrem Concilium Ancyranum eos, *Qui divinationes expetunt*, publicæ Pœnitentiæ per quinquennium addicit, ut habetur Canone *Qui divinationes*, Causa XXVI. Quæstione V. Concilium Agathense Canone XLII. ab Ecclesia extraneos haberi decernit, qui ipsos consulunt. Idem statuit Concilium Aurelianense primum, Canone XXX. Concilium Toletanum quartum Canone XXIX. Clericos hujus superstitionis reos gradu dejicit, & in Monasterium ad perpetuam Pœnitentiam detrudit. Concilium Trullanum Canone LXI. sexennii Excommunicatione & Pœnitentia plectit eos qui ariolos interrogaverint. Synodus Romana secunda sub *Gregorio II.* Pontifice Maximo illos pariter Anathemate configit Canone XII. *Si quis* (inquit) *ariolos, aruspices, vel incantatores observaverit, aut philacteriis usus fuerit, Anathema sit. Et responderunt omnes tertiò: Anathema.* Hujusmodi superstitiones idololatriæ reliquias vocat Concilium Parisiense sextum, Libro III. cap. secundo. *Extant*, (inquit) *& alia perniciosissima mala, quæ ex ritu Gentilium remansisse, dubium non est, ut sunt magi, arioli, sortilegi, venefici, divini, incantatores, somniorum conjectores, quos divina Lex irretractabiliter puniri jubet. De quibus in Lege dicitur:* Anima quæ de- « Levit. 20.
clinaverit ad magos & ariolos, & veneficos «
terræ, & fornicata fuerit cum eis, ponam fa- «
ciem meam contra eam, interficiam illam «
de medio populi sui. *Et alibi:* Magos & ario- « Exod. 22.
los, & maleficos terræ vivere ne patiamini. «
Dubium etenim non est, sicut multis est notum, quòd à quibusdam præstigiis atque diabolicis illusionibus ita mentes quorumdam inficiuntur poculis amatoriis, cibis, phylacteriis, ut in insaniam versi à plerisque judicentur, dum proprias non sentiunt contumelias. Ferunt enim suis maleficiis aëra posse conturbare & grandines immittere, futura prædicere, fructus & lac auferre, aliisque dare, & innumera à talibus fieri dicuntur. Qui ut fuerint hujusmodi comperti, viri seu feminæ, in tantùm disciplinâ & vigore Principis acriùs corrigendi sunt, in quantùm manifestiùs ausu nefando & temerario servire diabolo non metuunt. Concilium Trevirense anno MDXLVIII. celebratum, Canone sexto, & Augustense, Canone decimo nono, eos *Qui auguria & sortes tractant, aut divinationibus & incantamentis vacant, quibus studiis Dei cultus deseritur, & ad Dæmonum fallacìumque Spiritum præstigias confugitur*, non solùm Anathemate feriri, sed in vincula conjici jubent, *quousque Dæmonum, magistrorum videlicet suorum susurris ac illusionibus liberentur.* Concilium Mediolanense I. Parte I. cap. X. Episcopos pœnas sumere jubet non solùm de magis, maleficis divinationem quovis modo exercentibus, sed etiam in eos severè animadvertere, *Qui hujusmodi divinatores, sortilegos, conjectores, ariolos, & cujusvis generis magos de aliqua re consuluerint; vel ut consulerentur, cuique auctores, adjutores, hortatoréque fuerint, vel eis fidem adhibuerint.* Concilium Burdigalense anno 1583. cap VII. Pastoribus præcipit ut frequentissimè admoneant, *Scelus execrandum eos committere, necnon à communione fidelium avulsos esse, qui magicas artes, & divinationes exercent, vel qui ejus generis ariolis fidem adhibent.* Concilium Mexicanum anno 1585. Libro V. Tit VI. eum qui sortilegos, veneficos, incantatoréſque adierit ut eorum maleficiis utatur, solemnem agere jubet Pœnitentiam die festivo dum missa Parochialis celebratur, detecto capite, sine pallio, & nudis pedibus stare, fune præcinctum, candelámque gestantem publicè Sententiam in eum latam audire.

Denique *Sanctus Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XCV. Articulo II. *Ad superstitionem*, inquit, *pertinet, non solùm cùm sacrificium Dæmonibus offertur per idololatriam; sed etiam cùm aliquis assumit auxilium Dæmonum ad aliquid faciendum vel cognoscendum. Omnis autem divinatio ex operatione Dæmonum provenit, vel quia expressè Dæmones invocantur ad futura manifestanda; vel quia Dæmones ingerunt se vanis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum impliceant vanitate.* Et in Responsione ad secundum: *Divinatio* (inquit) *pertinet ad cultum Dæmonum, in quantùm aliquis utitur quodam pacto tacito vel expresso cum Dæmonibus.*

REGULA IX.

REGULA IX.

Quantumlibet gravis rei temporalis jactura facta fuerit, quantumvis grande periculum timeatur, quantacunque speretur utilitas, sive recuperandæ sanitatis, sive rei amissæ detectio sive inveniendi, ariolos & divinatrices adire non licet, nec propterea minus peccatum est.

Ariolos & divinatrices consulere quàm grave peccatum?

UT enim ait *S. Thomas*, Articulo III. in Responsione ad tertiam objectionem: *Nulla utilitas temporalis potest comparari detrimento spiritualis salutis, quod imminet ex inquisitione occultorum per Dæmonum invocationem.*

Hinc Presbyterum qui ad privatum locum accesserat, *Ut inspectione Astrolabii furtum cujusdam Ecclesiæ posset recuperari*, quamvis *ex bono zelo, & simplicitate* id se fecisse affirmaret, *non modicam tamen inde peccati maculam contraxisse*, judicavit *Alexander III.* & per annum ab Altaris Ministerio suspendi jussit, aut etiam diutiùs, si Episcopo videretur. (Cap. *Ex tuarum*, Extra, *De Sortilegis*.)

Idem confirmatur ex Decreto Facultatis Theologicæ Parisiensis de erroribus circa Artem Magicam. Articulos XV. *Quòd ideo artes præfatæ bonæ sunt, & à Deo, quòd licet eas observare, quia per eas quandoque vel sæpe evenit sicut utentes eis quærunt vel prædicunt, vel quia bonum quandoque provenit ex eis.* ERROR.

Nec refert quòd Dæmon aliquando vera prædicat permittente Deo. Cùm enim intendat perditionem hominum, *Ex hujusmodi suis responsis, etiamsi aliquando vera dicat, intendit homines assuefacere ad hoc quòd ei credatur, & sic intendit perducere in aliquid quod sit hominis nocivum*; (inquit *S. Thomas* Art. IV. mox citato.)

REGULA X.

Lethalis peccati rei sunt, non solùm qui Astrologiam Judiciariam profitentur, & per astros eventus, aut futura hominum opera, prosperamque vel adversam fortunam pronuntiant; verùm etiam qui Astrologos seu Genethliacos consulunt, & sua, vel aliorum Horoscopos confici curant, ut ab eis bonam vel malam fortunam, & omnia sibi eventura perdiscant, si prædictionem futurorum ex Astrorum inspectione repetitam non meræ conjecturæ, sed certæ præscientiæ rationem habere existiment, & velati certam suarum actionum regulam constituant.

HÆc Regula nititur Sacræ Scripturæ oraculis, testimoniis SS. Patrum, Decretis Conciliorum, Constitutionibus Pontificum, Responsis Theologorum. *A signis cæli nolite metuere quæ timent Gentes, quia leges populorum vana sunt*, (inquit Dominus *Jeremiæ* X.) Et Isaiæ XLVII. sic Babylonem alloquitur: *Defecisti in multitudine consiliorum tuorum: stent & salvent te augures cæli, qui contemplabantur sidera, & supputabant menses, ut ex eis annuntiarent ventura tibi.* SS. Patres hujus artis vanitatem ostendunt, Dæmonum inventionem esse demonstrant; hujus Professores cum Diabolo societatem habere, impiam illam esse ac nefariam, Fidei Christianæ, divinæ providentiæ, ac gratiæ, humanæque libertati injuriosam. Vide *Tertullianum*, Libro *De Idololatria*, Cap. IX. *Eusebium* Libro VI. *De Præparatione Evangelica*, Cap. IX. ubi egregium *Origenis* locum profert: *Sanctum Basilium* Homilia sexta in Hexaëmeron: *S. Ambrosium* Libro IV. ejusdem argumenti, Cap. IV. *S. Augustinum* Libro IV. *Confessionum*, Cap. III. & Libro II. *De Doctrina Christiana*, Cap. XXI. XXII. & XXXIII. ubi occulto quodam judicio divino fieri ait, ut cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi & decipiendi pro meritis voluntatum suarum, *Illudentibus eos atque decipientibus prævaricatoribus Angelis, quibus ista Mundi pars infima secundùm pulcherrimum ordinem rerum Divinæ Providentiæ lege subjecta est. Quibus illusionibus & deceptionibus evenit, ut istis superstitiosis & perniciosis divinationum generibus multa præterita & futura dicantur, nec aliter accidant quàm dicuntur; multaque observantibus secundùm observationes suas eveniant, quibus implicati curiosiores fiant, & se se magis magisque inserant laqueis perniciosissimi erroris. Hoc genus fornicationis animæ salubriter Divina Scriptura non tacuit, neque ab ea sic deterruit animam, ut propterea talia negaret esse sectanda, quia falsa dicuntur à professoribus eorum, sed*, Etiamsi dixeriot vobis (inquit) & ita evenerit, ne credatis eis. *Non enim quia imago Samuelis mortui Sauli Regi vera prænunciavit, propterea talia sacrilegia, quibus imago illa præsentata est, minùs execranda sunt. Aut quia in Actibus Apostolorum ventriloqua femina verum testimonium perhibuit Apostolis Domini, idcirco Paulus Apostolus pepercit illi Spiritui, ac non potius feminam illius Dæmonii correptione atque exclusione mundavit. Omnes igitur artes hujusmodi vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum & Dæmonum, quasi pacta quadam infidelis & dolosa amicitiæ constituta, penitus sunt repudianda & fugienda Christiano.* Legi potest de eodem argumento liber secundus ejusdem Sancti Doctoris *De Genesi ad Litteram*, Cap. XVII. Liber quintus *De Civitate Dei*, totis octo primis Capitibus, & Tractatus in Psalmum LXI. *S. Gregorius* Homilia X. in Evangelia. *S. Eligius* in Sermone ad Populum suum, quem ejus Vitæ inseruit *S. Audoënus*, &c.

Deuterm. 1.

Astrologiæ prædicatrice execranda vanitas.

Sacris etiam Canonibus damnata est Astrologia Judicaria, scilicet Concilii Ancyrani Canone XXIV. Bracarensis secundi Canone VIII. Agathensis Canone XLII. Narbonensis Canone XIV. Autissiodorensis Canone IV. Toletani quarti Canone XXVIII. Trullani Canone LXI. Parisiensis VI. Decreto Libro III. Cap. secundo, Mediolanensis primi P. I. Tit. X. Remensis 1583. jubentis excommunicari *Genethliacos, & qui divinationibus seu prædictionibus ad artem judicariam pertinentibus utuntur, vel eisdem fidem adhibent*. Burdigalensis eodem anno celebrati, Tit. VII. Tolosani anno 1590. Cap. XII. Narbonensis anno 1609. *Sixtus V.* Constitutione quæ incipit, *Cæli & terræ*, data die 7. Januarii anno 1586. statuit & præcipit ut Episcopi contra Astrologos, & alios quoscumque dictæ judiciariæ artem exercentes, *Etiamsi id non se certò affirmare asserant, aut protestentur*, inquirant & animadvertant. Quam Constitutionem confirmavit *Urbanus VIII.* Diplomate quod incipit: *Inscrutabilis*, dato die 21. Martii 1631. Concilium denique Tridentinum Regula nona de Libris prohibitis, reprobat Libros omnes Geomantiæ, Hydromantiæ, Aëromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, sive in quibus continentur veneficia, sortilegia, auguria, auspicia, incantationes, artes Magicæ. Episcopos autem invigilare jubet ne Astrologiæ judiciariæ libri, tractatus, indices legantur vel habeantur, qui de futuris contingentibus, fortuitisve

casibus, aut actionibus humanis certum aliquid affirmare audent. Edicto etiam Aurelianensi *Caroli Noni*, & Blesensi *Henrici Tertii* Regum Christianissimorum sancitum est, ne Ephemerides, seu Almanachi (ut vulgò vocantur) edantur in lucem absque revisione & approbatione Episcoporum, aut eorum quibus id curæ commiserint, & absque Magistratus licentiâ. Rectè ergo scribit *S. Thomas*, Seconda Secundæ, Quæstione xcv. Articulo v. *Si quis considerations Astrorum utatur ad præcognoscendos futuros casuales vel fortuitos eventus; aut etiam ad cognoscendum per certitudinem futura opera hominum, procedit hoc ex falsa & vana opinione: & sic operatio Dæmonis se immiscet. Unde erit divinatio superstitiosa & illicita.*

Ars Chiromantiæ damnata.

Astrologiæ judiciariæ pars est Chiromantia, unde lethalis pariter peccati rei sont, qui superstitiosam illam artem exercent, & qui palmam manûs ipsis expandunt, ut ex areolis, colliculis, & lineis in illa exaratis ediscant futuros eventus prosperámque & adversam fortunam. Hujus artis vanitatem ostendit *Joannes Sarisberiensis*, Libro II. *De Nugis Curialium*, Cap. xxvii. *Chiromantici*, inquit, *vera quæ in rugis manuum latent se nosse gloriantur, quorum errorem, quia ratione non nititur, non necesse est rationibus impugnare, licèt eo ipso illos expugnet ratio, quod deficiunt ratione.* Et infrà: *Isti sua vanitate meruerunt ne ulterius consulerentur.* Chiromantiam & Astrologiam judiciariam eadem Constitutione damnat *Sixtus V.* quæ incipit, *Cœli & terra*; docétque, *Cùm futuros eventus in se ipsis considerare antequam fiant, sit Dei proprium, illud necessariò consequi ut Astrologi, & alii prædicti qui hujusmodi futura prænunciare aut cognoscere quocumque modo, nisi Deo revelante audent, injustè atque imprudenter quod Dei est sibi assumant & usurpent. Sicque fieri, ut dum ab eis quod solius est Creatoris creaturis perperam tribuitur, Divina Majestas graviter lædatur, fidei integritas violetur, & animabus pretioso Christi Sanguine redemptis pestis atque exitium importetur.*

REGULA XI.

Divinatio per auguria, omina, occursus, & alias hujusmodi rerum exteriorum observationes, si extendatur ultra illud ad quod pertingere potest secundùm naturæ aut divinæ providentiæ ordinem; & ex iis eventus fortuiti, & ab hominis libertate pendentes prænuncientur, résque prosperæ vel adversæ; aut illis ita credatur, ut auguria illa vel omina velut actionum suarum regulam homo constituat, perniciosa superstitio est, & lethale peccatum.

Divinatio per auguria, omina, occursus, &c. perniciosa, & manifesta superstitio.

CUm enim auguria hæc & omina nec suapte vi ac naturâ, nec Dei institutione, futura contingentia quæ præsertim ex hominis libertate pendent, eventáque prospera vel adversa significent, colligitur quòd ea significare non possint nisi ex Dæmonis institutione & disciplina, ut docet *Sanctus Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione xcv. Articulo vii. Hæc enim *Tantùm valent, quantùm præsumptione animorum quasi communi quadam linguâ cum Dæmonibus fœderata sunt. Quæ tamen plena sunt pestiferæ curiositatis, cruciantis sollicitudinis, mortiferæ servitutis*; (ut loquitur *Sanctus Augustinus* Libro II. *De Doctrina Christiana* Cap. xxiv.) Existimare itaque infaustum aliquid significari, si quis domo exiens in limine offenderit; si Sacerdos, Monachus, virgo, lepus, bufo; aut serpens primùm occurrit; si simul ambulantibus amicis lapis inter eos ceciderit, aut canis intervênerit; si corvus supra domum crocitaverit, aut pica ad sinistram nostram volitaverit; si discumbentibus in mensa sal effusum fuerit, si quis caligam aut calceum dextro pedi primùm aptaverit; si corrigia fuerit abrupta; si in itinere aliquis interroget quò proficiscamur; si occurrerit monoculus homo vel claudus; si dextra auris sponte tinniet, amicum; si sinistra, inimicum nostri esse memorem; moriturum ægrum, si sal in ejus manu positum colliquescat; valetudinem recuperaturum, si integrum maneat; & aliis hujusmodi vanis observationibus inhærere, fidem adhibere, ex iisque futuros eventus divinare, lethale peccatum est; nisi fortè rusticana simplicitas & ignorantia invincibilis veniale faciant. Prohibuit nempe Deus illud quoque superstitionis genus Deuteronomii xviii. *Non inveniatur in te qui observet auguria.* In Divinationem hujusmodi acriter etiam invehuntur Sancti Patres.

S. Basilius in Caput secundum Isaïæ: *Vides (inquit) quantum mali importet auguratio? Qui huic incumbit, studiúmque adhibet, Dei providentiâ ac sollicitudine destituitur. Plerique autem Christianorum susque deque habent talibus commentis aures accommodare, & illinc aucupari famam, nec pudet isti ominosæ superstitioni ac signis intentos esse. Sternutavit quispiam me loquente, nimirum hoc aliquid designat. Me aliquis à tergo revocavit: hinc etiam aliquid impedimenti incidit. Pes impegit egredientis, vestimentum detentum est. Tum quidam valde olari ac celebres, quique præstolantur affuturum è cœlo Judicem, in hæc tam noxia ad extremum nullo delectu devolvuntur.... Olim Mosaica Lege istiusmodi auguria, divinationes, ominationes, atque auspicia infamiâ notabantur, tanquam inventa Dæmonum. Ait enim Scriptura:* Non ariolabimini, neque « captabiris auguria. Gentes enim quas Deus dis- « perdet à facie sua, hi divinationes & vaticinia « exaudient. Tibi autem non sic dedit Dominus « Deus tuus. *A morum probitate est alienum prorsus, eum qui penes se habet consultationem de Dei justificationibus, ad decernendum de rebus agendis sibi in consiliarios adhibere brutos animantes, immò ne hic quidem tanquam consiliariis uti, sed ut doctoribus & legum latoribus. Quando ipsa avis periculum sibi ob oculos impendens non novit, quanam ratione hæc tibi quod futurum est prædicet? Quod si operatione Dæmonum circumvolant ad te circumveniendum fraude, ne tu inhians talibus imposturis mihi acquiescito. Atqui ne quæso te dedas & eloces istiusmodi diabolicis operibus. Diabolus enim mox ut animam sic ductilem & proclivem acceperit ad perditionem, modis omnibus obtinens ea, nihil illi indulget, nec remittit impetum; sed & corvi illi vociferantes, & tristes aquilæ propter inopiam prædæ, superstitiosam animam perterrefaciunt. Tanta proinde est tamque petulans Inimici adversùs hominem protervia, ut si vel felis appareat, vel canis caput exerat, vel occurrat homo quamvis ex maximè amicis, cui vel oculus, vel dexterum crus oblæsum sit, resiliat & à via deflectat, plerúmque etiam oculos obtegat. Quid hoc genere vivendi est usquam infelicius? Nihil non suspectum habet, ad omnia pertimescens, & ab omnibus impeditur, cùm deberes undequaque animam tuam reducere ad Deum.*

Deuter. 18.

S. Joannes Chrysostomus, Homilia xxi. ad Populum Antiochenum: *Pompa Satanica*, inquit, *sunt theatra, circenses, & omne peccatum, & dierum observatio, & præsagia, & omina. Et quid tandem sunt omina? Sæpe domum quis suam*

egressus

egressus, hominem vidit monoculum vel clandum, & ominatus est. Hæc est pompa satanica: non enim hominis occursus malum facit esse diem, sed in peccatis vivere. Cùm igitur exieris, unum solum custodi, ne occurrat tibi peccatum: hoc enim est quod supplantat, præter hoc verò nec ipse diabolus nos quippiam lædere poterit. Quid dicis? Hominem cernis, & ominaris, nec cernis laqueum diabolicum, quomodo te illi, qui te nullâ affecit injuriâ, reddit inimicum? Et Deus quidem vel inimicum amare nos jussit; tu autem nil lædentem adversaris, nec cogitas quantus risus, quantum dedecus, imò verò quantum periculum? Dicamne & aliud ridiculosius? Si virgo, inquit, *occurrerit, sterilis dies erit: si verò meretrix, dextera & bona, & multa mercatione plena. Occultomini, & frontem percutitis, & ad terram inclinatis: sed non nunc dum dicuntur verba, sed cùm fiunt opera, erubescendum erat. Vide nempe quomodo & hîc diabolus dolum abscondit, ut modestiam quidem aversemur, impudicam verò gratam habeamus & amemus. Quoniam enim audivit Christum dicentem, Quod aspiciens mulierem ad concupiscendum, jam mœchatus est eam, & vidit multos lasciviam vincere, volens rursum per aliam viam ipsos in peccatum impellere, per hanc observationem meritoriis mulieribus libenter oculos intendere persuasit.*

Matt. 5.

In eamdem auguriorum & omniom superstitionem invehuntur *S. Eligius* in Sermone ad Plebem, *Petrus Blesensis* Epistolâ LXV. *Joannes Sarisberiensis* Libro primo *De Nugis Curialium*, Cap. XIII. Concilium Carthaginense quartum Canone octogesimo-nono, *Auguriis vel incantationibus servientem à conventu Ecclesiæ separandum* statuit. Concilium Mediolanense primum P. I. Tit. X. Episcopos animadvertere jubet in eos omnes, *Qui in itineris susceptione, aut cujusvis rei institutione, vel progressione, dies, tempora & momenta observantes, quadrupedum voces, avium volatum aut garritum notantes, ex occursu etiam hominum vel pecudum, suscipiendi operis felicitatem augurantur.* Idem statuit Conciliom Burdigalense anno 1583. Tit. VII.

REGULA XII.

Lethalis Superstitionis rei sunt, qui adhibito certa cujusdam arboris ramo, seu baculo certa figura, certa sub constellatione ex arbore absciso vel avulso, certisve characteribus notato, thesauros absconditos scrutantur, & ubi sint absconditi, divinant. Lethalis pariter superstitionis rei sunt, qui hujusmodi hominum arte & opera ad inveniendos & detegendos thesauros occultos utuntur.

Virgæ divinatoriæ superstitio.

CUm enim hæc instrumenta suaptè naturâ vim nullam habeant ad detegendum thesauros absconditos, ad hanc revelationem oon adhibentur tanqoam caussæ, sed tanquam signa: *Et sic pertinent ad pacta significationum cum Dæmonibus inita;* secundùm principium *S. Augustini*, Libro II. *De Doctrina Christiana*, Cap. XX. & Libro XXI. *De Civitate Dei*, Cap. VI. & *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XCVI. Articulo III. Et fortè expressa etiam Dæmonum invocatio in hoc tenebrarum negotio intercedit. Certè cùm pecuniam ubicumque in domo absconditam se detectaros arte suâ hujusmodi circulatores spondeant, videtur id ad divinationem per sortes, aut ad magiam pertinere. *Pactum saltem implicitum est in omni observatione superstitiosa, cujus effectus non debet à Deo vel à naturâ rationabiliter exspectari;* (inquit sacra

Facultas Parisiensis in Decreto contra Artem Magicam edito die XIX. Septembris anno Domini millesimo quadringeotesimo oonagesimo-octavo.)

Præterea, thesaurorum indagatores per artes magicas plerósque miserè interiisse, metu & horrore ex formis terrificis subitò exanimatos, aut à diabolo præfocatos, ex Autoribus probatæ fidei refert *Delrio*, Libro II. *Disquisitionum Magicarum*, Quæst. XII. §. X.

Tertiò, quamvis compertum non esset id fieri arte magicâ, & superstitiosa divinatiane, pactóque saltem tacito cum dæmone: re tamen dubiâ, hujusmodi arte & arcano uti, vel eorum operâ, qoi thesauri occulti inventionem ignotis artibus, aut suspectis mediis pollicentur, lethale peccatum est. Siquidem aori sacra fames impellit hominem, ot volens exponat se periculo societatis occultæ cum Dæmone, Deo spargente pœnáles cæcitates super illicitas cupiditates; ot loquitur *Sanctus Augustinus.*

REGULA XIII.

Divinatio per somnia, si ad ea extendatur ad quæ non potest pertingere, vana & superstitiosa est, tacitúmque pactum cum Dæmone involvit, adeóque est lethale peccatum.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XCV. Articulo sexto. *Si quis,* inquit, *utatur somniis ad præcognoscenda futura, secundùm quòd somnia procedunt ex revelatione divina, vel ex causa naturali intrinseca, sive extrinseca, quantùm se potest virtus talis causæ extendere, non erit illicita divinatio. Si autem hujusmodi divinatio causetur ex revelatione Dæmonum, cum quibus pacta habentur expressa, quia ad hoc invocantur; vel tacita, quia hujusmodi divinatio extenditur ad quod se non potest extendere, erit divinatio illicita & superstitiosa.*

Id ot plenè intelligatur, observandum est, somniorum caosam duplicem esse, internam, & externam. Interna duplex est, una animalis, cùm hominis phantasiæ ea in somnis occurrunt, circa quæ vigilantis cogitatio & affectio versari consueverunt. Nam qui amant, amores suos somniant; qui timent, turbidis phantasmatibus agitantur. Sic venatoris somoia de campis, sylvis, canibus, & feris sunt; piscatoris, de retibus, fluminibus & piscibus; militis, de armis, cædibus, & sanguine. Altera corporalis dicitur, cùm ex ioterna corporis dispositione aliquis motus ipsi conveoiens in phantasia efficitur; quâ ratione illi in quibus sanguineus humor dominatur, hortos, convivia, cantus somniant; phlegmatici imbres, lacus, fluvios, navigatiooes, submersiones; biliosi rixas, certamina, incendia; melancholici tenebras, spectra, funera, & horribilia visa. Atque huc pertinent quæ de insomniis eorúmque præsagiis *Hippocrates & Galenus* scripserunt. Externa quoqoe somniorum causa duplex est, corporalis, & spiritualis. Corporalis aërem continentem, vel impressionem cœlestium corporum; spiritualis Deum, vel Dæmonem complectitur, à quibus immitti somnia constat ex Scriptura Sacra, idque confirmant *Tertullianus* Libro *De Anima*, Cap. XLVI. & XLVII. & *S. Gregorius Magnus* Libro I. *Dialogorum*, Cap. XLVIII. & Libro VIII. *Moralium*, Cap. XIII.

Somniorum causæ.

Ut verò in Sacris Literis hæreamus, Job. VII.
scriptum est : *Terrebis me per somnia, & per vi-*
siones horrore concuties. Et Cap. XXXIII. *Per som-*
nium in visione nocturna, quando irruit sopor super
homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aur-
es virorum, & erudiens eos instruit disciplina. I.
Regum XXVIII. *Consuluit Saül Dominum, & non*
respondit ei neque per somnia, neque per Sacerdo-
tes, neque per Prophetas. Sed & ipse Dominus
Aaronis & Mariæ sorori ejus dixit : *Si quis fue-*
rit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo
ei, vel per somnia loquar ad illum. Joel denique
Novi Testamenti gratiam prævidens & prædi-
cans Cap. II. ait : *Prophetabunt filii vestri, &*
filiæ vestræ : senes vestri somnia somniabunt, &
juvenes vestri visiones videbunt. Nec desunt exem-
Genes. 28. 31. 37. &c. pla ex Sacris item Literis petita. Deus enim A-
bimelech Regem Geraræ per somnium admo-
nuit, ne tangeret uxorem Abrahæ. Jacob in som-
nis mysticam scalam vidit, & Angelos per eam
ascendentes & descendentes. Deus in somnis ap-
paruit Laban, præcipiens illi ne quidquam du-
rius contra Jacob loqueretur. Notissima sunt som-
nia Joseph, futuræ dominationis præsagia, quæ
odii atque invidiæ somitem fratribus ministra-
runt. Somnia item Pharaonis, septem annorum
sterilitatem significantia, quæ Joseph Divino
afflatus Spiritu interpretatus est. Salomoni per
3. Reg. 3. Dan. 2. & 7. somnium Deus largitus est sapientiam. In Libro
Danielis somnium legimus Nabuchodonosor, &
alterum ipsius Prophetæ, per quod quatuor Re-
2. Machab. 15. gna designata sunt. Judas Machabæus vidit in
somnis Jeremiam Prophetam, à quo gladium
aureum accepit, ut adversarios Populi Israël in
eo dejiceret. Josepho Dei Genitricis Sponso ap-
Matth. 1. paruit Angelus in somnis dicens, Ne timeret
accipere *Mariam* conjugem suam : & rursum in
somnis monuit eum, ut fugeret in Ægyptum
cum Puero, & ut defuncto Herode in Terram
Israël reverteretur. Magi quoque admoniti sunt
in somnis, ne redirent ad Herodem. Certissi-
mum igitur est à Deo immitti somnia, aliquan-
do quidem aperta, & per se clara, aliquando
obscura & ænigmatibus involuta, quibus huma-
na mens vel ad rerum supernaturalium intelli-
gentiam evehitur, vel de agendis edocetur, vel
de futuris eventis admonetur. Habet quoque dia-
bolus Prophetas suos & somniatores, quorum
ipse phantasiam commovet, multáque illis repræ-
sentat & suggerit, & occulta quandoque revelat,
implens animum noxiâ superstitione, & pernicio-
sis illusionibus decipiens.

Somniis à Deo immissis fides adhibenda est,
cùm semper vera sint ; sed ea discernere haud
facile est. Rara certè sunt, præsertim quæ fu-
tura præsagiunt, & nonnisi ob aliquam insignem
causam, quæ publicam utilitatem spectet, im-
mitti solent : quorum significationes, cùm à so-
lo Dei consilio & voluntate institutæ sint, ejus
dumtaxat revelatione innotescere hominibus pos-
sunt. *Quæ enim Dei sunt, nemo cognovit nisi Spi-*
ritus Dei, (inquit Apostolus 1. ad Corinthios
Cap. secundo.) Hinc *S. Gregorius Nyssenus* Libro
De Opificio Hominis, Cap. XIII. ait : *Cùm vis ima-*
ginandi per somnum omnibus æquè ac sine discrimi-
ne à natura sit indita, pauci ex universorum cœtu
sunt, quibus diviniora se somniorum visa afferunt.
Ideo facilè non esse somniis credendum, *Antio-*
chus Monachus ostendit Homilia LXXXIV. quam-
vis cœlitus immissa videri possint, *Nisi adsit dis-*
cretio spirituum, certa nec fallax interpres rei visæ ;
Idque confirmat Scholiastes *S. Joannis Climaci*, ad
Gradum XV. *Magna*, inquit, *prudentia adhibenda*
est in iis quæ in somno usu veniunt. Quin potiùs quia
inconstans est eorum ratio, omnino negligenda est : pau-
corum enim illorum dijudicatio : eorum videlicet qui
gratiam discretionis spirituum à Deo acceperunt.

Somnia quæ inutilia, superstitiosa, & vana sug-
gerunt, quæ tetra, horrenda, vel obscœna repræ-
sentant, vel ad malum quocumque modo provo-
cant ; seu quibus occulta manifestantur ad solam
curiositatem, vel ad inanem scientiæ ostentationem
spectantia, aut futura prædicuntur quibuscum nul-
lam connexionem habent, omnino rejicienda
atque spernenda sunt : ea enim vel à dæmone, vel
à natura oriri, evidens est. Quamobrem illis uti
ad divinandum futura contingentia, maximè quæ
ex hominis libertate pendent, prosperáque vel
adversa, lethale crimen est superstitionis, præser-
tim si fides ita somniis adhibeatur, ut omittantur
ea quæ necessaria sunt ad salutem, vel fiant quæ
divinæ legi repugnant, aut illis quis utatur quasi
certis regulis ad cognoscendum, vel operandum,
vel omittendum aliquid circa vitæ Christianæ,
aut civilis officia, aut circa futura contingentia.
His enim diabolica se immiscet illusio, & sic in
tacitam cum dæmonibus societatem inciditur.

Divinatio per somnia vetatur damnata.

Hinc Sacræ Literæ nullam somniorum haben-
dam esse rationem præcipiunt, ipsorúmque ob-
servatores & conjectores acriter reprehendunt.
Levitici XIX. *Non augurabimini, nec observabitis*
somnia. Deuter. XVIII. *Nec inveniatur in te qui ob-*
servet somnia. Ecclesiastis V. *Multas curas sequuntur*
somnia. Ecclesiastici XXXIV. *Somnia extollunt impru-*
dentes. Quasi qui apprehendit umbram, & persequi-
tur ventum : sic & qui attendit ad visa mendacia.
Hoc secundum visio somniorum.... Divinatio erroris,
& auguria mendacia, & somnia malefacientium, va-
nitas est.... Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio,
ne dederis in illis cor tuum. Multos enim errare fece-
runt somnia, & exciderunt sperantes in illis.

De his *S. Gregorius Magnus*, Libro VIII. *Mo-*
ralium, Cap. XIII. *Somnia*, inquit, *nisi plerum-*
que ab occulto Hoste per illusionem fierent, nequa-
quam hoc Vir Sapiens indicaret, dicens : « Mul-
tos errare fecerunt somnia, & illusiones vanæ. »
Vel certè : « Non augurabimini, nec observabitis
somnia. *Quibus profectò verbis cujus sint detestationis*
ostenditur, quæ auguriis conjunguntur. Et infrà :
Sed nimirum cùm somnia tot rerum qualitatibus
alternent, tantò eis credi difficiliùs debet, quantò
& ex quo impulsu veniant, faciliùs non elucet. Sæ-
pe namque malignus Spiritus his, quos amore vitæ
præsentis vigilantes intercipit, prospera etiam dor-
mientibus promittit : & quos formidare adversa con-
siderat, eis hæc duriùs somnii imaginibus intentat,
quatenus indiscretam mentem diversâ qualitate affi-
ciat, eámque aut spe sublevans, aut deprimens ti-
more, confundat. Sæpe autem etiam Sanctorum cor-
da afficere somniis nititur, ut ab intentione cogita-
tionis solida ad tempus saltem momentúmque deri-
ventur, quamvis ipsi protinus animum ab illusionis
imaginatione discutiant. Sed Hostis insidians quò eos
vigilantes minimè superat, eò dormientes graviùs
impugnat, quem tamen hæc malignè agere superna
dispensatio benignè permittit, ne in electorum cordi-
bus ipse saltem à passionis præmio somnus vacet.

Eccl. 34. Levit. 19.

Divinationem ex somniis vanam esse ac perni-
ciosam, ostendit & *Joannes Sarisberiensis* Libro
II. *De Nugis Curialium*, Cap. XVII. *Quisquis* (in-
quit) *somniorum sequitur vanitatem, parum in Lege*
Dei vigilans est, & dum fidei facit dispendium, per-
niciosissimè dormit.... Quisquis credulitatem suam
significationibus alligat somniorum, planum est quia
tam à sinceritate fidei, quam à tramite rationis
exorbitat.

Et *Petrus Blesensis*, Epistola xxv. *Ut fidem* (inquit) *habeam somniis, nulla somnia me inducent. Non inficior quin anima frequenter ex reliquiis cogitationis, aut ex innata sibi perspicacia, quasdam futurorum præfigaret imagines, sed crebrò decipitur. Nam sicut per experientiam didici, ex ea visione quæ mihi gaudium quandoque nunciaverat, postea contrarium reportavi. Somnia igitur ne cures, Amice charissime.*

Denique conjectores & interpretes somniorum, & qui illa observant, seu fidem illis adhibent, graviter reprehendunt *Gregorius II.* Pontifex Maximus in Capitulari, cap. viii. Concilium Parisiense Sextum Libro iii. cap. secundo, & Concilium Mediolanense i. P. i. Tit x.

Regula XIV.

Divinatio per sortes, lethale ex genere suo peccatum est.

Sortes propriè dicuntur, cùm aliquid fit, ut ejus eventu considerato aliquid occultum innotescat. Et quidem si quæratur indicio sortium quid cui sit exhibendum, sive sit res possidenda, sive honor aut dignitas, sive pœna, aut actio aliqua, vocatur *sors divisoria*. Si autem inquiratur quid agere oporteat, vocatur *sors consultoria*. Si tandem quæratur quid sit futurum, dicitur *Sors divinatoria*. Hanc porrò superstitionem vanam ac perniciosam esse constat. Neque enim ex rerum naturâ, neque ex Dei vel Ecclesiæ institutione vim habent ullam significandi res contingenter futuras, aut alioquin occultas. A solo igitur Dæmone, expressè vel tacitè invocato exspectatur ejusmodi sortium directio, effectúsque qui futurus ex sortibus divinatur, procuratio. De quo genere sortium intelligitur illud Ezechielis xxi. *Stetit Rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum divinationem quærens, commiscens sagittas, interrogavit Idola, exta consuluit. Ad dexteram ejus facta est divinatio super Jerusalem.* Et Osee v. *Populus meus in ligno interrogavit, & baculus ejus annunciavit ei.* Quo de ritu superstitiosæ divinationis legendi *S. Hieronymus* & *Theophylactus* in Commentariis. Sors divinatoria sacris Canonibus damnatur, præsertim Canone *Sortes*, Causa xxvi. Quæstione v. ex Decreto *Leonis Quarti* ad Episcopos Britanniæ. *Sortes quibus cuncta vos in vestris discriminatis judiciis, quas Patres damnaverunt, nihil aliud quàm divinationes & maleficia decernimus. Quamobrem volumus illas omnino damnari, & ultra inter Christianos nolumus nominari, & ne exerceantur, sub Anathematis interdicto prohibemus.*

Divinatio per sortes.

Regula XV.

Divisoriis sortibus uti, modò sortium moderatio ac directio à Deo exspectetur, & debita conditiones concurrant, nullum est peccatum.

Sortes enim *mittuntur in sinum, & à Domino temperantur*, ut dicitur Proverbiorum vi. *Nec sors aliquid mali est* sic accepta (inquit *S. Augustinus*, in Psalmum xxx.) Idque confirmatur Canone *Sors*, Causa xxvi.

Potest tamen in his quadrupliciter peccatum contingere (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione xcv. Articulo viii.) Primò quidem, *Si absque ulla necessitate ad sortes recurratur. Hoc enim videtur ad tentationem Dei pertinere*, Unde *S. Ambrosius*, Libro i. in *Lucam*, ait: *Qui sorte eligitur, humano judicio non comprehenditur.*

Secundò, *Si quis*, etiam urgente necessitate, *absque reverentia Dei, sortibus utatur.* Unde Venerabilis *Beda* in cap. i. Actuum Apostolorum scribit: *Si qui necessitate aliqua compulsi, Deum putant sortibus, exemplo Apostolorum, esse consulendum, videant hoc ipsos Apostolos, nonnisi collecto Fratrum cœtu, & precibus ad Deum fusis egisse.*

Tertiò, *Si Divina Oracula ad terrena negotia convertantur*, Unde *S. Augustinus* Epistolâ lv. aliàs cxix. ad *Januarium*, cap. xx. scribit: *Hi verò qui de Paginis Evangelicis sortes legunt, etsi optandum est ut hoc potiùs faciant, quàm ad Dæmonia consulenda concurrant: tamen etiam ista mihi displicet consuetudo, ad negotia sæcularia, & ad vitæ hujus vanitatem, propter aliam vitam loquentia Oracula Divina velle convertere.*

Quartò, *Si in Electionibus Ecclesiasticis, quæ ex Spiritus Sancti inspiratione fieri debent, aliqui sortibus utantur.* Unde Venerabilis *Beda* loco supra indicato scribit: *Donec veritas compleretur, figuram licuit exerceri. Inde est quod Matthias, qui ante Pentecosten ordinatur, sorte quæritur: ne Apostoli electio à mandato discrepare Veteris Legis videretur, ubi Summus Sacerdos sorte quæri jubebatur, sicut de Zacharia dicitur. Septem verò Diaconi postea nequaquam sortis agitatione, sed Discipulorum tantùm electione, Apostolorum autem Oratione & Manûs impositione sunt ordinati.* Usus sortium in electionibus ad Ecclesiasticas Dignitates & Beneficia, vetitus est cap. *Ecclesia*, Extra, *De Sortilegiis*, quod *Honorii* iii. Responsum est. Luc. 1.

In Electione verò ad sæculares dignitates, sicut & in temporalium rerum divisione, sortibus uti licet, quæ tamen si fortunæ committantur, non divinæ providentiæ, *Vitium vanitatis* est, seu factum inutile, inane, ex levitate procedens. Idemque dicendum multò magis, si absque necessitate sortes adhibeantur, si nimirum aliter concors electio, aut legitima nominatio fieri possit. Nam si sint æquè idonei sive æquè digni competitores, contentionem sorte dirimere licebit, secundùm illud Proverb. xviii. *Contradictiones comprimit sors.*

Si verò necessitas immineat, in aliis etiam nonnullis casibus licitum est cum debita reverentia sortibus divinum judicium implorare. Unde *S. Augustinus* Epistolâ ccxxviii. aliàs clxxx. ad *Honoratum* scribit: *Si inter Dei Ministros sit disceptatio* (tempore scilicet persecutionis) *qui eorum maneant, ne fugâ omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur Ecclesia. Tale quippe certamen erit inter eos, ubi utrique ferveant caritate, & utrique placeant caritati. Quæ disceptatio si aliter non potuerit terminari, quantùm mihi videtur, qui maneant & qui fugiant, sorte legendi sunt.* Et Libro i. *De Doctrina Christiana*, cap. xxviii. scribit: *Si tibi abundaret aliquid, quod dari oporteret ei qui non haberet, nec duobus dari posset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentiâ, vel erga te aliqua necessitudine superaret, nihil justiùs faceres quàm ut sorte legeres, cui dandum esset quod utrique dari non posset.*

Superstitiosum est futuros eventus ex Scripturis sacris, aut quibuslibet libris inquirere, ducto ex verbis, quæ forte occurrerint, augurio. Unde Concilium Agathense anno 506. Canone 42. hunc usum expressis verbis damnat. *Ac ne id fortasse videatur omissum quod maximè fidem Ca-*

tholicæ Religionis infestat, quòd aliquanti Clerici sive Laici studens auguriis, & sub nomine ficta Religionis per eas quas Sanctorum sortes vocant divinationis scientiam profiteatur, aut quarumcunque Scripturarum inspectione futura promittant: hoc quicunque Clericus aut Laicus detectus fuerit vel consulere vel docere, ab Ecclesia habeatur extraneus. Eundem usum sub pœna excommunicationis prohibuit Concilium Aurelianense I. Canone 30. Idem Caroli Magni Capitularia vetant anno 789. his verbis: *Ut nullus in Psalterio, vel in Evangelio, vel in aliis rebus sortire præsumat, nec divinationes aliquas observare.*

REGULA XVI.

Ars notoria penitus illicita & superstitiosa est, eâque uti lethale est peccatum.

Ars notoria. HAnc Regulam non aliis explicare ac firmare verbis necesse est, quàm *S. Thoma*, Secunda Secundæ, Quæstione XCVI. Articulo I. *Ars notoria (*inquit*) est illicita & inefficax. Illicita quidem est, quia utitur quibusdam ad scientiam acquirendam, quæ non habent secundum se virtutem causandi scientiam, sicut inspectione quarumdam figurarum, & prolatione quorumdam ignotorum verborum, & aliis hujusmodi. Et ideo hujusmodi Ars non utitur his ut causis, sed ut signis. Non autem ut signis divinitùs institutis, sicut sunt sacramentalia signa: Unde relinquitur quòd sint supervacua signa, & per consequens pertinentia* AD PACTA QUÆDAM SIGNIFICATIONUM CUM DÆMONIBUS PLACITA ATQUE FOEDERATA. *Et ideo Ars notaria* PENITUS EST REPUDIANDA ET FUGIENDA CHRISTIANO; *sicut & alia* ARTES NUGATORIÆ VEL NOXIÆ SUPERSTITIONIS, *ut S. Augustinus dicit* Libro II. *De Doctrina Christiana*, cap. XXIV. *Est etiam hujusmodi Ars inefficax ad scientiam acquirendam. Cùm enim per hujusmodi Artem non intendatur acquisitio scientiæ per modum hominis connaturalem, scilicet adinveniendo, vel addiscendo, consequens est quòd iste effectus vel exspectetur à Deo, vel à Dæmonibus. Certum est autem aliquos à Deo sapientiam & scientiam per infusionem habuisse, sicut de Salomone legitur* III. Regum III. & II. Paralipomenon I. *Dominus* » *etiam Discipulis suis dixit, Lucæ* XXI. Ego dabo » vobis os & sapientiam, cui non poterunt re» sistere & contradicere omnes adversarii vestri. *Sed hoc Donum non datur quibuscunque, aut cum certa observatione, sed secundùm arbitrium Spiritus-Sancti, secundùm illud* I. *ad Corinthios* XII. » Alii quidem datur per Spiritum sermo sapien» tiæ, alii sermo scientiæ secundùm eumdem » Spiritum. &c. Hæc omnia operatur unus at» que idem Spiritus, dividens singulis prout » vult. *Ad Dæmones autem non pertinet illuminare intellectum. Acquisitio autem scientiæ & sapientiæ fit per illuminationem intellectus: & ideo nullus unquam per Dæmones scientiam acquisivit.* Solet autem Dæmon per eos loqui, quos hac arte deludit, sibique mancipat, ipsorum phantasiam turbans & linguam movens ad quædam illis incognita & arcana proferendum. Unde cùm illos Dæmon deserit ad tempus, vel omninò cessante pacto, aut illorum Pœnitentiâ in irritum misso, vel Ecclesiæ Exorcismis Precibusque coactus, nihil illis scientiæ per Artem notoriam, Angelicam, vel Paulinam acquisitæ manet, & ne illorum quidem, quæ paulò ante dixerant, meminerunt. Eamdem Regulam confirmat *S. Antoninus*, P. II. Tit. XII. Num. X. Hujus superstitionis reos est, qui certas orationes vel jejunia adhibet ut acquirat scientiam aliquorum occultorum, vel eorum quæ non sunt sibi aut statui suo competentia.

REGULA XVII.

Observatio dierum, mensium, & annorum, ad fortuitos eventus, vel ad directionem humanorum negotiorum, & actionum quæ nullatenus pendent à siderum influxu, ita ut dies aliqui fausti vel infausti habeantur, & propterea suspendantur, aut retardentur, vel penitus omittantur humana negotia vel actiones, quæ aliàs fierent; aut quædam fiant quæ aliàs omitterentur, superstitiosa est, & lethale peccatum, nisi rustica simplicitas & ignorantia invincibilis excuset.

HÆc Regula nititur Apostuli verbis, Epist. ad Galatas, cap. IV. *Dies observatis (*inquit*) & menses, & tempora, & annos. Timeo vos, ne fortè sine causa laboraverim in vobis.* *Superstitiosa observatio temporum.* Nempe (inquit *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ in eos qui Novilunia observant) *Extrema hoc est amentia, propter unum diem, si auspicatus fueris, per universum hoc exspectare annum: neque amentia solùm, sed diabolica cujusdam efficientiæ, indicium est, non proprio studio & alacritati, sed quibusdam dierum circuitionibus vitam nostram commendare. Dies enim bonus & malus est, non suâ quadam & propriâ naturâ, (nihil enim dies à die differt,) sed nostrâ vel diligentiâ, vel ignaviâ. Si justitiam feceris, bonus tibi dies erit: Si peccatum, malus & supplicii plenus.*

Idem confirmat *S. Augustinus*, Epistolâ LV. aliàs CXIX. ad *Januarium*, cap. VII. *Non itaque (*inquit*) dies observamus, & annos, & menses, & tempora, ne audiamus ab Apostolo:* Timeo vos, ne fortè sine causa laboraverim in vobis. *Gal. 4.* *Eos enim culpat qui dicunt: Non proficiscar hodie, quia posterus dies est, aut quia Luna sic fertur: vel, Proficiscar ut prospera cedant, quia ita se habet positio siderum. Non agam hoc mense commercium, quia illa stella mihi agit mensem. Non plantem hoc anno vineam, quia bissextus est. Non autem quisquam sapiens arbitretur observatores temporum reprehendendos qui dicunt; Non proficiscar hodie, quia tempestas exorta est: aut, Non navigem, quia adhuc sunt hyberna reliquia; aut, Tempus seminandi est, quia imbribus autumnalibus terra satiata est, vel si qui fortè alii naturales effectus circa motum aeris & humores ad variandas temporum qualitates in siderum ordinatissima conversione notati sunt, de quibus dictum est cùm conderentur,* ET SINT *in signis & temporibus, & in diebus & in annis.* *Gen. 1.*

Et *Enchiridii* cap. LXXIX ut quædam peccata esse probet, *quæ levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora*, ait: *Quis æstimaret quàm magnum peccatum sit, dies observare & menses & annos & tempora, sicut observant, qui certis diebus sive mensibus sive annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, eò quòd secundùm vanas doctrinas hominum fausta vel infausta existiment tempora, nisi hujus mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait: Timeo vos, ne fortè sine caussa laboraverim in vobis.* *Gal. 4.*

In Expositione denique Epistolæ ad Galatas, cap. IV. ubi duplicem retulit sententiam, unam eorum qui de Gentibus, alteram eorum qui de Judæis hunc locum Apostoli interpretantur,

Observatio superstitiosa temporum.

subdit: *Ergo eligat lector utram velet sententiam, dummodo intelligat ad tantum periculum animæ pertinere superstitiosas temporum observationes, ut huic » loco subjecerit Apostolus*, Timeo vos, ne fortè » sine caussa laboraverim in vobis. *Quod cùm tanta celebritate atque auctoritate per orbem terrarum in Ecclesiis legatur, plena sunt conventicula nostra hominibus, qui tempora rerum agendarum à Mathematicis accipiant. Jam vero ne aliquid inchoetur, aut ædificiorum, aut quorumlibet hujusmodi operum, diebus quos Ægyptiacos vocant, sæpe etiam nos monere non dubitant, nescientes, ut dicitur, ubi ambulant. Quòd si locus iste de Judæorum superstitiosa observatione intelligendus est, quam spem habent, cùm Christianos se dici velint, ex Ephemeridis vitam naufragam gubernantes, quando de Divinis Libris, quos Deus adhuc carnali Populo dedit, si more Judæorum tempora observarent, diceret eis Apostolus*, Timeo vos, ne fortè sine » caussa laboraverim in vos? *Et tamen si deprehendatur quisque vel Catechumenus Judaico Ritu Sabbatum observans, tumultuatur Ecclesia. Nunc autem innumerabiles de numero Fidelium cum magna confidentia in faciem nobis dicunt, Die post Kalendas non proficiscor. Et vix lentè ista prohibemus arridentes, ne irascantur, & timentes ne quasi novum aliquid mirentur. Væ peccatis hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus: usitata verò, pro quibus abluendis Filii Dei Sanguis effusus est, quamlibet magna sint, & omnino claudi contra se faciant Regnum Dei, sæpe videndo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur: atque utinam, ô Domine, non omnia quæ non potuerimus prohibere, faciamus.* Ubi in classe magnorum peccatorum, quæ contra se omnino claudi faciunt Regnum Dei, superstitiosam faustorum infaustorúmque dierum observationem recensendam disertè significat.

Dies Ægyptiaci, nati, anni & infausti.

Eamdem Regulam confirmant Auctor Commentarii in Epistolas S. Pauli inter Opera *S. Ambrosii* & sub ejus nomine olim editi, in cap. IV. Epistolæ ad Galatas; *S. Eligius* Noviomensis Episcopus in Sermone ad Plebem, & *S. Thomas* Secunda Secundæ, Quæstione XCVI. Articulo III. hæc observari asserens, *non ut signa à Deo tradita, cùm non sint introducta ex auctoritate divina, sed magis ex vanitate humana, cooperante Dæmonum malitiâ, qui nituntur animos hominum hujusmodi vanitatibus implicare. Et ideo manifestum est omnes hujusmodi observationes superstitiosas esse & illicitas. Et videntur esse quædam reliquiæ idololatriæ, secundùm quam observabantur auguria, & quidam dies fausti vel infausti: quod quodammodo pertinet ad divinationem quæ fit per astra, secundùm quæ diversificantur dies; nisi quòd hujusmodi observationes sunt sine ratione & arte, unde sunt magis vanæ, & superstitiosæ.* Legatur ejusdem Commentarius in Epistolæ ad Galatas Caput IV. Lectione IV.

Pontificum etiam Conciliorúmque Decretis hæc damnata superstitio. *Nicolai I.* in Responsis ad Consulta Bulgarorum, cap. XXXV. *Dies*, (inquit) *& horæ observationes, atque auguria, operationes Diaboli sunt; quibus, Deo gratias, jam in Baptismate abrenunciastis, & hæc cum vetere homine & actibus ejus, quando novum induistis, omnino deposuistis.*

Concilium Rothomagense, regnante *Clodoveo Juniore*, ut creditur, celebratum, Canone XIII. *Si quis in Kalendis Januariis aliquid fecerit quod à Paganis inventum est, & dies observat, & Lunam, & menses & horarum effectivâ potentiâ aliquid sperat in melius aut in deterius verti: Anathema sit.* His adde Decreta Concilii Mediolanensis I. P. I. Tit. X. Burdigalensis anno 1583. Tit. VII. &c.

Observatio superstitiosa temporum.

Ad hanc superstitionem pertinet, quòd aliqui observant ut dies faustos vel infaustos ad iter, aut rem aliquam inchoandam, dies festos S. Joannis, S. Jacobi Majoris, S. Magdalenæ, S. Martialis, Sanctorum Innocentum, & Translationis S. Martini: qui die Mercurii, aut Mense Maio, vel Augusto infausta fore Matrimonia putant, ideóque his mensibus & diebus nubere nolunt: qui nolunt ungues præscindere, aut crines pectinare, die Veneris; nere diebus Jovis vel Sabbathi: qui lixivium facere, seu linea abluere nolunt Quatuor Temporum diebus, triduo ante Sabbatum Paschæ, à Nathali Domini usque ad Epiphaniam, per Octavas Corporis Christi, aut diebus Veneris, ne quid infausti contingat: qui colligunt herbas die S. Joannis Baptistæ, aut prima die Maii, ante solis ortum, ad certos quosdam effectus credentes eo die vim habere majorem; vel inserunt arbores ipso die Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis; vel diem *S. Stephani* faustum putant minuendo sanguini equorum. Item qui credunt panem coctum in Vigilia Natalis Domini annos decem incorruptum manere posse, eóque pastas vaccas à morbis plurimis servari. Hujus item generis superstitio est infantes die sacro Parasceves ablactare, ne tabescant: equos è stabulo die *S. Eligii* sacra educere nolle: credere quòd effosso sepulchro die Dominica, plurimi eadem hebdomada in Parochia sint morituri: quòd Festo S. Agathæ noctu pulsandæ sint campanæ ad expellendas sagas eâ nocte (ut aiunt) discurrentes. Hujus pariter superstitionis rei sunt, qui certis diebus olera scopis tangunt, ne cimplices erucæ, vel alia insecta noceant: qui credunt majorem inesse vim Aquæ benedictæ Dominicis post Quatuor tempora, quàm aliis, ad singulares quosdam affectos: qui ova quæ gallinæ pariunt die Parasceves, toto asservant anno, credentes ea vim habere ad extinguenda incendia, si in ignem mittantur. Item qui observant certas Festivitates, ut Conversionis *S. Pauli*, *S. Vincentii*, *S. Urbani*, vel aliorum Sanctorum, quibus si pluat, vel serenum sit cælum, sibi spondent serenitatem, fertilitatem, vini copiam, aut continuatam per tot dies pluviam. Unde superstitiosi illi versus:

Clara dies Pauli bona tempora denotat anni,
Si fuerint nebulæ, pereunt animalia quæque;
Si fuerint venti, designant prælia genti;
Si nix & pluvia, designant tempora cara.
Item illi:
Vincenti Festo si sol radiet, memor esto,
Para tuas cuppas, quia multas colliges uvas.

Ad eamdem superstitionem pertinet credere, quòd totâ ferè pluet Hebdomadâ, cùm Evangelium secundùm Marcum Dominicâ die in Ecclesia legitur: Dominicis Festísque diebus ab illis ipsis operibus abstinere, quæ necessitas exigit aut caritas imperat, &c. Salem die prima Aprilis in quatuor pascuorum angulis ponere, ut pecora serventur à maleficio: & alia id genus innumera.

Nullius autem superstitionis rei sunt, qui dies, menses, annos & tempora observant ad cognoscendos, vel procurandos effectos naturales, quos ex influxo corporum cœlestium

pendere nemo dubitat. Sic dies observant Medici in morborum curatione; Agricolæ, vinitores, hortolani in agricultura. Sic herbæ certis temporibus colligi, vel ligna cædi, pro ædificiis vel navibus, absque superstitione possunt, si id fiat sola observatione motûs & influxûs cœlestis; certis enim temporibus vis herbarum efficacior est; ligna quoque minùs obnoxia sunt corruptioni, & aptiora ad usum. Sed superstitio foret, si observaretur certus Hebdomadæ vel mensis dies tantùm, vel certa diei hora, quà talis hora vel dies est; vel adderentur circumstantiæ inutiles, aut orationes otiosæ, vel non approbatæ. Quò pertinet Canon *Non liceat*, Causa xxvi. Quæstione v. cujus hæc sunt verba: *Nec in collectionibus herbarum, quæ medicinales sunt, aliquas observationes aut incantationes liceat attendere, nisi tantùm cum Symbolo divino & Oratione Dominica, ut tantùm Deus creator omnium & Dominus honoretur.*

Nec etiam superstitionis accusari meritò possunt Christiani, qui annos Jubilei, Quatuor Tempora, Adventum, Quadragesimam, Dominicam, Festósque dies observant. Vana enim observantia diei non potest, quæ ab Ecclesia ea Spiritus-Sancti doctrina & directione imperatur. Nec tempora serviliter observamus, ut Judæi, sed ea potiùs quæ temporibus significantur, ut docet *S. Augustinus* Libro *Contra Adimantum*, cap. xvi. *Ea* (inquit) *serviliter observabant, non intelligentes ad quarum rerum significationes & prænuntiationes pertinerent. Hoc in eis culpat Apostolus, & in omnibus qui serviunt, creaturæ potiùs quàm Creatori. Nam nos quoque & Dominicam diem, & Pascha solemniter celebramus, & quaslibet alias Christianas dierum Festivitates: sed quia intelligimus quò pertineant, non tempora observamus, sed quæ significantur temporibus.*

REGULA XVIII.

Observantia sanitatum, quæ media inania, inutilia, inefficacia & superstitiosa ad sanandos morbos hominum vel animalium adhibentur, vel ad eos avertendos usurpantur, lethale peccatum est.

Observantia superstitiosa sanitatum.

CUm enim phylacteriis, amuletis, figuris, numeris, verbis, aut vanis ritibus hæc observantia constet; sive illa sola adhibeantur, sive herbis, aliisve remediis naturalibus admisceantur; nec vim habeant ullam sanandi aut avertendi morbos suapte natura, aut ex Dei institutione; ad pacta tacita cum Dæmonibus pertinent, quibuscum societas omnis vetita est homini Christiano 1. Corinth. x. *Nolo autem vos socios fieri Dæmoniorum.*

Amuleta.

Ad pacta saltem tacita cum Dæmonibus hanc observantiam pertinere, docent SS. Patres. *Amuleta cultum Diaboli* vocat *S. Cyrillus Hierosolymitanus* Catechesi Mystagogica 1. Hominibus à Diabolo hanc observantiam suggeri, eòque pertinere ut cultus uni Deò debitus illi tribuatur, docet *S. Gregorius Nazianzenus*, Oratione in S. Baptisma: *Infans tibi est?* (inquit) *ne occasionem improbitas arripiat, ab infantia sanctificetur, ab ipsis unguiculis Spiritui consecretur.... Nihil tibi amuletis nec incantamentis opus est, cum quibus Pravus ille in leviorum hominum animos simul irrepit, venerationem Deo debitam furtim ad se transferens. Trinitatem ipsi da, magnum illud & pulcrum amuletum.*

S. Basilius, Homilia in Psalmum xlv. damnat eos qui caracteres & figuras puerorum collo circumligant ad procurandum illis sanitatem. *Multorum* (inquit) *est dicere*, Deus noster refugium; *sed eodem quo Propheta noster affectu dicere, nimis quam paucorum est.... Etenim cùm tribulatione quapiam affligamur, ad omnia potius quam ad ipsum Deum nostrum recurrimus. Puer tibi ægrotat? Quaqua versum circumfers oculos, requirens incantatorem; aut certè eum qui supervacaneos vanósque caracteres seu figuras puerorum innocentium collo circumliget: vel ad postremum, ad Medicum venis & Medicinas, eo interim contemptim omisso, qui restituere possit sospitati.*

Observantia sanitatum, superstitiosa diabolica.

S. Joannes Chrysostomus, Homilia viii. in Epistolam ad Colossenses, de Muliere Christiana loquens, cujus filius periculosè ægrotat: *Infans* (inquit) *ægrotavit, non fecit amuleta, reputatur ei Martyrium, mente enim sacrificavit filium. Quid enim si illa nihil prosunt, sed sunt impostura & ludibria? Sunt tamen qui suadent ea prodesse. Et maluit infantem videre mortuum, quàm pati Idololatriam. Quo modo ergo ipsa est Martyr, sive in se ipsa, sive in filio hoc faciat, sive in marito, sive in aliquo qui est ei charissimus; ita altera est cultrix idolorum: est enim perspicuum quòd Diis sacrificasset, si licuisset sacrificare. Immò verò jam fecit quod est sacrificii. Amuleta enim etsi de iis millies philosophentur qui ex iis rem faciunt, dicentes, Deum invocamus, & nihil ampliùs facimus, & Christiana est vetula & fidelis, ea res est idololatria. Es fidelis, signa te. Dic, Hæc arma habeo sola, hoc medicamentum: aliud autem nescio.*

Et post pauca: *Alii autem rursus applicant nomina fluviorum, & alia audent innumerabilia. Ecce dico & prædico vobis omnibus, quòd si quispiam fuerit deprehensus, non parcam iterum, sive amuletum, sive incantationem, sive hujus artis aliquid aliud faciat. Quid verò? Morietur* (inquit) *infans. Si sic vixerit, tunc moritur. Sin autem absque illis mortuus fuerit, tunc vivit. Si videris filium versantem cum meretricibus, optas eum in terra infossum, & dicis, Quid ei prodest vivere? Videns autem eum venire in periculum salutis, vis videre eum vivum? Non audivisti Christum dicentem*, Qui perdidit animam suam, inveniet eam: qui autem invenit, perdit eam? *Si quis dixerit, Duc in Templum idolorum, & vivet, patieris? Non* (inquit) *Quare? quia cogit colere idola: Hic autem non est idololatria, sed solùm* (inquit) *incantatio. Hæc est cogitatio satanica, hæ sunt diabolicæ insidiæ; tegere imposturam, & in melle dare venenum. Quoniam novit se illa, non persuadere, hâc viâ est ingressus ad amuleta & aniles fabulas. Et crux quidem affecta est ignominiâ, literæ autem in majori honore sunt habitæ. Christus fuit ejectus, & introducitur anus ebria & delirans. Conculcatum est nostrum Mysterium, & choros ducit fraus Diaboli.* Lege ejusdem Homiliam xxi. ad Populum Antiochenum.

Matth.

Observantiam sanitatum superstitionem esse diabolicam docet quoque *S. Augustinus* Libro ii. *De Doctrina Christiana*, cap. xx. *Superstitiosum est* (inquit) *quicquid institutum est ab hominibus ad facienda & colenda idola pertinens, vel ad colendam sicut Deum creaturam, partémve ullam creaturæ, vel ad consultationes & pacta quædam significationum cum Dæmonibus placita, atque fœderata, qualia sunt molimina magicarum artium.... Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ atque remedia, quæ Medicorum quoque disciplina commendat, sive in præcantationibus, sive in quibusdam notis quos caracteres vocant, sive in quibusque rebus suspendendis atque illigandis, vel etiam aptandis quodam*

modo

Observantia superstitiosa sanandum.

modo, non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes aut occultas, aut etiam manifestas; qua mitiore nomine Physica vocant, ut quasi non superstitione implicare, sed naturâ prodesse videantur.

Subdit infrà S. *Augustinus*, Cap. scilicet vigesimo nono: non quicquid intus sumptum, naturaliter juvat, idem etiam collo aut alteri corporis parti appensum juvare, ideòque majori cautione in hujusmodi suspensione opus esse, quia in hanc faciliùs irrepit superstitio. *Aliud est enim dicere*, inquit, *Tritam istam herbam si biberis, venter non dolebit; & aliud est dicere, Istam herbam collo si suspenderis, venter non dolebit. Ibi enim probatur contemperatio salubris, hic significatio superstitiosa damnatur.* Quibus verbis docet, prius esse naturalis remedii, posterius verò signum pacti. Sic è converso non quicquid à natura efficax est appensum, ut quidam Indici lapides contra dolorem renum, lienis, &c. id etiam est efficax tritum & intus sumptum. Pergit S. Augustinus: *Quamquam ubi præcantationes, & invocationes, & characteres non sunt, plerumque dubium est utrum res quæ alligatur, aut quoquo modo adjungitur sanando corpori, vi naturæ valeat, quòd liberè adhibendum est: an significativa quadam obligatione proveniat, quod tantò prudentiùs oportet cavere Christianum, quantò efficaciùs prodesse videbitur. Sed ubi latet quâ causâ quid valeat, quo animo quisque utatur interest, dumtaxat in sanandis vel temperandis corporibus, sive in Medicina, sive in agricultura.* Ex quibus quatuor colligas; Primò, nullum esse dubium quin superstitio lethalis & pactum cum Dæmone intercedat, ubi cum præcantationibus, & invocationibus, aut characteribus res aliqua naturalis alligatur, suspenditur, aut quovis modo applicatur sanando corpori. Secundo, si nullæ fiant præcantationes aut invocationes, nulli sint adjuncti characteres, & res vi a natura insitâ prodesse putetur, tunc suspendi posse de corpore, alligari, seu quoquo modo adhiberi; cùm adhibeatur ut simplex, purùmque remedium. Tertiò, si putatur suapte vi ac naturâ non prodesse ut causa, sed dumtaxat ut signum futuræ sanationis, tunc omnino abstinendum, quia Prudentia Christiana vetat ne remedium usurpetur, cujus usus superstitiosus est, cujus effectus ex pacto & societate cum Dæmone dependet. Quartò, si res dubia sit, nec adsint Medici, aut viri aliàs periti, quorum consilium rogetur; tunc animum & intentionem appendentis herbam, aut lapidem, seu aliquod aliud corpus naturale, rem bonam vel malam facere; bonam, si facit opinione priore, malam, si posterius credat; id est, insontem esse, si vi a natura insitâ prodesse putet: reum verò, si dumtaxat ut signum prodesse existimet.

Et Sermone CCLXXXVI. alias *De Diversis* XXXIX. habito in Natali SS. Martyrum Protasii & Gervasii. *Multi*, inquit, *ducunt Martyrium in lecto: prorsus multi. Est quædam persecutio Satanæ occultior & astutior quàm tunc fuit. Jacet fidelis in lecto, torquetur doloribus, orat, non exauditur; imò exauditur, sed probatur, sed exercetur, sed ut recipiatur filius, flagellatur. Ergo cùm torquetur doloribus, venit lingua tentatio, accedit ad lectum aut muliercula aliqua, aut vir, si vir dicendus est; & dicit ægroto, Fac illam ligaturam, & sanus eris: adhibeatur illa præcantatio, & sanus eris. Ille & ille, ille & ille, interroga, sani inde facti sunt. Non cedit, non obtemperat, non cor inclinat; certat tamen. Vires non habet, & Diabolum vincit. Fit Martyr in lecto, coronante illo qui pro illo pependit in ligno.*

Et Sermone I. in Psalmum LXX. *Quando filiis caput dolet, malæ & infideles matres ligaturas sacrilegas & incantationes quærunt.*

Observantia superstitiosa sanandum.

S. *Augustino* concinit S. *Cæsarius Arelatensis* Sermone *De Auguriis*, inter Augustinianos olim De Tempore CCXLI. nunc in Appendice CCLXXVIII. *Ego*, inquit, *me apud Deum absolvo, dum iterum atque iterum admoneo pariter & contestor, ut nullus ex vobis caragos, vel divinos, vel sortilegos requirat, nec de qualibet eos aut caussa aut infirmitate interroget. Nullus sibi præcantatores adhibeat, quia quicumque fecerit hoc malum, statim peribit Baptismi Sacramentum, & continuò sacrilegus & Paganus efficitur: & nisi grandi eleemosynâ, durâ & prolixâ Pœnitentiâ subvenerit, statim in æternum peribit.* Et paulò post: *Toto corde nostro ad Dei misericordiam eamus, & sacrilegas observationes fideliter relinquentes, de illius adjutorio semper præsumamus. Nam qui prædictis malis, id est, caragis & divinis, aruspicibus vel phylacteriis, & aliis quibuslibet auguriis crediderit; etsi jejunet, etsi oret, etsi jugiter ad Ecclesiam currat, etsi largas eleemosynas faciat, etsi corpusculum in omni afflictione suum cruciaverit, nihil ei proderit, quamdiu illa sacrilegia non reliquerit: quia impia illa sacrilegii observatio, ista omnia bona obruit & evertit.*

Et S. *Eligius* Noviomensis Episcopus, Sermone ad plebem, quem ejus Vitæ inseruit S. *Audoenus* Libro II. Cap. XV. *Nullus*, inquit, *ad colla vel hominis, vel cujuslibet animalis ligamina dependere præsumat, etiamsi à Clericis fiant, etsi dicatur quòd res sancta sit, & lectiones divinas contineat, quia non est in eis remedium Christi, sed venenum Diaboli.*

Concilium Laodicenum Canone XXXVI. Phylacteriorum artifices ex Ecclesia ejici jubet: cui concinit Concilium Agathense, Canone LXVIII. *Zacharias* Pontifex Maximus Epistola I. ad *Bonifacium* Moguntinum Archiepiscopum, *Phylacteria, quæ Gentili more observantur, omnibus Christianis detestabilia & perniciosa* esse asserit. Concilium Romanum sub *Gelasio* I. anno 494. Phylacteria damnat eo *Dæmonum arte conscripta*. S. Gregorius Magnus in Synodo Romana Canone XII. Anathemate ferit eum *qui phylacteriis usus fuerit*. Concilium Trullanum Canone LXI. sexennio à Communione removet, ac Pœnitentiæ subjicit eos, *Qui amuleta præbent*; eos autem qui hoc in crimine persistunt, *Ecclesiâ omnino exturbandos* decernit.

Nicolaus I. in Responsis ad Consulta Bulgarorum Articulo LXXIX. *Ligaturas & phylacteria diabolicis inventa versutiis & animarum esse vincula*, asserit: *Ac ideo*, inquit, *his utentes, Anathemate Apostolica Decreta percussos ab Ecclesia pelli præcipiunt.*

Concilium Rothomagense regnante *Clodovæo Juniore* celebratum, & in Synodico Rothomagensis Ecclesiæ editum, perscrutandum statuit, *Si aliquis subulcus vel bubulcus, sive venator, vel cæteri hujusmodi, dicat diabolica carmina super panem, aut super herbas, aut super quædam nefaria ligamenta, & hæc aut in arbore abscondat, aut in bivio, aut in trivio projiciat, ut sua animalia liberet à peste & clade, & alterius perdat: quæ omnia idololatriam esse, nulli fideli dubium est.*

Concilium Turonense III. anno 813. Canone XLII. Fideles à Sacerdotibus admoneri jubet, *Ut noverint Magicas artes incantationésque quibuslibet infirmitatibus hominum nihil posse remedii conferre, non animalibus languentibus, claudicantibúsve, vel etiam moribundis quicquam mederi; non ligaturas ossium, vel herbarum cuiquam mortalium adhibitas prodesse; sed hæc esse laqueos & insidias antiqui*

Observantia superstitiosæ sanatum.

Hestis, quibus ille perfidius genus humanum decipere nititur. Eumdem Canonem repetit & confirmat Concilium alterum Turonense anno 1583. Annulorum magicorum, phylacteriorum, schedularum & characterum benedictiones Sacerdotibus sub pœna *depositionis*; Laicis verò eorumdem usum prohibet *sub Excommunicationis pœna.*

Concilium Remense anno 1583 vetat ne quis *utatur superstitiosè signis occultum vel expressum cum Dæmone pactum præ se ferentibus, at ligaturis & characteribus, quamvis ex aliquo eventu salubria esse fortè quisquam sibi persuaserit.*

Concilium Burdigalense 1582. ipsis *S. Augustini* verbis Libro II. *De Doctrina Christiana*, Cap. xx. vitaodas esse Christiaoo, & omni prorsus execratione repudiandas atque damnandas pronoociat *Ligaturas execrabilium remediorum, quæ ars non commendat Medicorum, seu in præcantationibus, seu in quibusdam notis, quas characteres vocant, sive in quibusdam rebus suspendendis atque illigandis: in quibus omnibus superstitio & ars dæmonum est, ex quadam pestifera societate hominum & Angelorum malorum exorta.*

Concilium Narbonense 1609. omnes & singulos *Cum Dæmonibus fœdera & pacta tacitè vel expressè habentes, morbos imprecationibus, verbis, ligaturis, aut actionibus superstitiosè sanare intendentes*, excommunicat *ipso facto, uti eos sacra Decreta excommunicarunt. Quos dum Parochi tales agnoverint, & post trinam Monitionem testibus adhibitis, si ab eisdem cessare noluerint, excommunicatos nominatim publicè denuncient, & ab Ecclesiis arceant & ejiciant.*

Lib. 5. Tit. 6. §. 1.

Concilium Mexicanom anno 1585. statuit *Ut nemo imposterum eorum officium exerceat, qui per verba aut per benedictiones mederi morbis dicuntur, Hispanicè* Saludadores, Ensalmadores, o Santiguadores *nuncupati, nec preces aut orationes publicè in plateis, & in Ecclesiis recitet; nisi prius ab Episcopo examinatus facultatem obtineat: aliter juxta juris formam punietur, ut permulta superstitiones exterminentur, quæ ab hujusmodi hominum genere in his exercendis permisceri solent.*

S. Thomæ verbis hujus Regulæ explicationem absolvo, scribentis Secunda Secundæ, Quæstione xcvi. Articulo II. *In his quæ fiunt ad aliquos effectus particulares inducendos, considerandum est utrum naturaliter videantur posse tales effectus causare: sic enim non erit illicitum: licet enim causas naturales adhibere ad proprios effectus. Unde si naturaliter non videantur posse tales effectus causare, consequens est quòd non adhibeantur ad hos effectus causandos tanquam causæ, sed solùm quasi signa. Et sic pertinent ad pacta significationum cum Dæmonibus inita.* Unde *S. Augustinus* Libro xxi. *De Civitate Dei*, Cap. vi. scribit: *Illiciantur Dæmones ad inhabitandum per creaturas, quas non ipsi, sed Deus condidit, delectabilibus pro sua diversitate diversis, non ut animalia cibis, se[illegible] Spiritus signis, quæ cujusque delectationi congru[illegible] per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum. Ut autem illiciantur ab hominibus, priùs eos ipsi astutissima calliditate seducunt, vel inspirando eorum cordibus virus occultum, v[illegible]am fallacibus amicitiis apparendo, eorúmque pau[illegible] discipulos suos faciunt, plurimorúmque doctores. Neque enim potuit, nisi primùm ipsis docentibus, disci quod quisque illorum appetat, quid exhorreat, quo invitetur nomine, quo cogatur: unde magicæ artes, earumque artifices extiterunt. Maximè autem possident corda mortalium, qua potissimùm professione gloriantur, cùm se transfigurant in Angelos lucis. Sunt ergo facta eorum plurima, quæ quantò magis mirabilia confitemur, tantò cautiùs vitare debemus.*

Observantia superstitiosæ sanatum.

Doctor idem Angelicus in Responsione ad primam Objectionem id pressiùs explicat. *Si simpliciter*, inquit, *adhibeantur res naturales ad aliquos effectus producendos, ad quos putantur naturalem habere virtutem, non est superstitiosum vel illicitum: si verò adjungantur vel characteres aliqui, vel aliqua nomina, vel alia quæcunque variæ observationes, quas manifestum est naturaliter efficaciam non habere, erit superstitiosum & illicitum.*

Quamquam verò observantia sanitatum veniale dumtaxat peccatum sit, cùm personæ ignorantiâ & rudi simplicitate accidit, si tamen admonita fuerit de vanitate, vel levi dubio conscientia ejus pulsetur utrum id licitum sit, & peritos consulere negligat; vel suâ prorsus culpâ id ignoret, quia Catecheses & familiares instructiones Pastorum frequentare contempsit aut neglexit, lethale peccatum est. Unde Concilium Mechliniense anno 1607. Tit. xv. Cap. III. ait: *Quoniam rudis Populus sæpe ex ignorantiâ superstitionibus inquinatur, Parochi subditos suos diligenter de illis doceant, & inter cætera, superstitiosum esse exspectare quemcumque effectum à quacumque re, quem res illa nec ex sua natura, nec ex institutione divina, nec ex ordinatione vel approbatione Ecclesiæ producere potest.*

REGULA XIX.

Usus quorumvis verborum, precum, conjurationum ad morbos curandos, quæ ab Ecclesia non sunt approbata, superstitiosus & perniciosus est, quamvis nihil nisi pium præ se ferre videantur.

Nulla enim vis illorum est neque ex naturâ, nec Dei aut Ecclesiæ institutione. Quamobrem omnino rejicienda sunt. Ut enim ait *S. Hilarius*, illa verba Psalmi LXIV. *Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Jerusalem*, explicans: *Vota tantùm Ecclesiasticæ Religionis utilia sunt, quæ cùm & dignis Deo cantionibus & proposita in Ecclesia observantia studio probantur, tum digni erimus pro quibus Deum Sanctus-Spiritus interpellet.*

Hinc Bituricense Concilium anno 1584. Tit. XI. Canone III. Episcopus invigilare jubet *Ne prætextu pietatis ulli Exorcismi fiant, nisi qui ab Ecclesia probati sint.* Idem statuit Conciliom Tolosanum anno 1590. P. IV. Cap. XII. & Mechliniense anno 1607. Tit. xv. Cap. IV. Illi autem dumtaxat Exorcismi, illæ Benedictionum, aut Precum formulæ sunt extra omnem superstitionis suspicionem, quas Rituale Romanum, à Summo Pontifice approbatum, usúque Ecclesiæ receptum, & Ritualia vel Missalia privatarum Ecclesiarum ab Episcopis recognita & approbata exhibent. Denique Synodus Augustensis anno 1548. Communionem negandam statuit iis *Qui superstitioni dediti sunt, & certis quibusdam ac singularibus, nec approbatis, utuntur Benedictionibus, nisi pro sui Confessoris consilio ejusmodi superstitionibus prorsus renunciaverint, & pro admissis Pœnitentiam mulctam susceperint.*

Sed & Romani Principes hanc & Superiorem Regulam suis Constitutionibus confirmarunt. Constantius enim Imperator pœnam Capitis in eos decrevit, qui per incantationes & amuleta morbis moderentur: & Valentinianus *Anum quamdam simplicem intervallatis febribus mederi levi carmine consuetam, occidit & noxiam. Et*

visum

visus adolescens in balneis admovere marmori manus utrinsque digitos alternatim & pectori, septémque vocales litteras numerasse ad stomachi remedia prodesse arbitratus, perenssus gladio est. Refert Ammianus Marcellinos Lib. xvi. xia. xxix. & Leo Imperator dictus Philosophos Novella lxv. decrevit, ot *Si quis præstigatoria arte uti deprehensus fuerit, sive corporis medela prætextu, sive avertenda à fratribus noxa, extremum luat supplicium apostatarum pœnam subiens.*

Observantia sanitatum superstitiosa.

REGULA XX.

Imagines Astronomicæ vanæ sunt ac superstitiosæ; & qui illas cudunt, aut illis utuntur, lethalis peccati rei sunt.

CORporum enim artefactorom formæ procedunt ex mente artificis; & cùm nihil aliud siot qoàm compositio, ordo, & figota, vim natotalem ad agendum habere non possunt. Ideóque ex impressione & influxu cœlestiom corporum vim omnino nollam sortiuntur qoateous artefacta sunt, sed ratione dumtaxat materiæ naturalis. Falsum ergo est quod *Porphyrio* videbatur, ot *Sanctus Augustinus* refert Libro x. *De Civitate Dei*, Cap. 11. *Herbis & lapidibus & animantibus & sonis certis quibusdam, ac vocibus & figurationibus atque figmentis, quibusdam etiam observatis in cœli conversione motibus siderum, fabricari in terra ab hominibus potestates idoneas variis siderum effectibus exequendis*: qoasi effectos magicarom artium ex virtute cœlestiom corporum provenirent. Sed (sicut *Sanctus Augustinus* ibidem subdit,) *Totum hoc ad Dæmones pertinet ludificatores animarum sibi subditarum.* Unde etiam (inquit *S. Thomas*, Secunda Secondæ, Quæst. xcvi. Articulo 11. in Respoosione ad secondam objectionem,) *Imagines, quas Astronomicas vocant, ex operatione Dæmonum habent effectum. Cujus signum est, quòd necesse est eis inscribi quosdam characteres, qui naturaliter ad nihil operantur: non enim est figura actionis naturalis principium. Sed in hoc distant Astronomicæ Imagines à Necromanticis, quòd in Necromanticis fiant expressæ invocationes & præstigia quædam: unde pertinent ad expressa pacta cum Dæmonibus inita: sed in aliis Imaginibus sunt quædam tacita pacta per quædam figurarum seu characterum signa.*

Hanc Regulam confirmat Decretum Sacræ Facultatis Parisiensis circa Artem Magicarum anoo 1498. die 19. Septembris editum, qoo inter alios Articulos hi damnantur: *Articulus 20. Quòd imagines de ære, de plumbo, vel auro, vel de cera alba vel rubea, vel de alia materia, baptizata & exorcizata, consecrata, sed potiùs exsecrata secundùm prædictas Artes, & sub diebus certis, habeant virtutes mirabiles quæ in libris talium Artium recitantur. Error in Fide, in Philosophia naturali, & Astrologia vera.*

Articulus 21. Quòd uti talibus & fidem dare, non sit idololatria & infidelitas. Error.

Idem coofirmat Venerabilis *Gersonius* in Tractatu contra doctrinam cujusdam Medici Montispessulani, sculpentis in numismate figuram leonis com certis characteribus pro curatione renum.

REGULA XXI.

Observantia Sacrorum superstitiosa est, & illicita.

CUm sit enim adhibitio rei sacræ ad consequendum effectom cujos producendi non habet efficaciam naturalem, Divinam, vel Ecclesiasticam, non est absque vitio superstitionis, ut docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione xcvi. Articulo iv. *In omnibus incantationibus & scripturis suspensis duo cavenda videntur. Primò quidem quid sit quod profertur vel scribitur: quia si est aliquid ad invocationes Dæmonum pertinens, manifestè est superstitiosum & illicitum. Similiter etiam videtur esse cavendum, si contineat ignota nomina, ne sub illis aliquid illicitum lateat. Est etiam cavendum ne aliquid falsitatis contineat: quia sic ejus effectus non posset exspectari à Deo, qui non est testis falsitatis. Deinde cavendum est, ne cum verbis sacris contineantur aliqua vana, putà, aliqui characteres inscripti, præter signum Crucis: aut si spes habeatur in modo scribendi aut ligandi, aut in quacumque hujusmodi vanitate quæ ad divinam reverentiam non pertineat: quia hoc judicaretur superstitiosum.*

Observantia sacrorum.

Dubium igitor non est, quin superstitio lethalis sit gestare mensuram vulneris qood Christus excepit in latere, si credatur ea ea meosura effectus illos omnes consequi, quos spondet damnatus libellus, cujus titulus est, *Manuale Precationum*, cujus hæc sunt verba: *Hæc est mensura plagæ quæ erat in latere Christi, delata Constantinopoli ad Imperatorem Carolum Magnum in quadam capsula aurea, ut Reliquia pretiosissima, ne ullus hostis posset nocere ei. Ejus autem tanta est virtus, ut nec ignis, nec aqua, nec ventus, nec tempestas, nec lancea, nec ensis, nec diabolus possint nocere ei, qui vel ipse leget, vel legi jubebit, vel secum feret. Præterea mulier dolore partus non morietur, quo die eam viderit, sed subitò & facilè liberabitur. Deinde quicumque eam mensuram secum geret, de suis inimicis victoriam reportabit, neque injuriam aut detrimentum pati poterit. Denique eo die quo quis eam legerit, improvisâ morte non delebitur.* Illos certè effectus cùm illa mensura noo producat suapte natora, nec ea divina institutione, ex pacto saltem tacito com Dæmone exspectantur.

Superstitio pariter lethalis est, si barbara & incognita nomina rerum sacratom gestationi admisceantur, qualia sunt ista, *Astrono, Nexio, Bay, Gloy, Apen*, de quibus impius idem libellus: *Hæc sunt nomina omnipotentis Domini nostri Jesu Christi, quæ extracta sunt ex aliis ejusdem nominibus. Quisquis ea super se portaverit, sciat se omne negotium suum habiturum esse, nec unquam fieri posse ut proditione capiatur. Item si collo appensa ab aliquo portabuntur, ille ab omnibus diligetur.*

Lethalis item superstitio est, si quis hanc Orationis formulam, *Leoni* Papæ falsò adscriptam, *Crux Christi quam semper adoro, &c.* ferat, huic execrandæ præfationi fidem adhibens: *Hæc sunt verba quæ Leo Papa Carolo Magno Regi ac Imperatori misit, quorum virtus est probata. Quæcumque igitur persona ea supra se portaverit aut legerit, seu legi fecerit, eo die evadet pericula mala mortis, neque ignis neque aqua offensionem ullam patietur, sed in honore & senectute morietur, & omnem honorem erit consecutus. Et si qua mulier gravida portaverit super se dicta verba, quæ partu-*

vire non poterat, cito pariet, & non poterit ire in perditionem.

Rxsula XXII.

Reliquias, figuram Crucis, aliquos Versiculos Psalmorum, Evangelium Sancti Joannis, Imagines Christi, Deiparæ Virginis, vel Sanctorum, pietatis signa ab Ecclesia approbata, ut Rosarium, & Scapulare, ad collum suspensa gerere licet, modò pio animo, nullisque vanis circumstantiis adjunctis gerantur.

Observatio Sacrorum.

ITa docet *S. Thomas*, Articulo mox indicato, in Responsione ad tertiam objectionem. *Eadem etiam ratio est*, inquit, *de portatione Reliquiarum: quia si portentur ex fiducia Dei & Sanctorum quorum sunt Reliquiæ, non erit illicitum. Si autem circa hoc attenderetur aliquid aliud vanum, putà, quòd vas esset triangulare, aut aliquid aliud hujusmodi, quod non pertinet ad reverentiam Dei & Sanctorum, esset superstitiosum & illicitum.* Superstitiosum (inquam) esset si in verborum sacrorum, sive Evangelii gestatione observaretur ut in pergameno virginea, vel oriente Sole, vel ab homine incorrupto aut virgine scripta essent, vel tot filis vel talibus suspensa, vel tali thecâ, aut tali modo aptatâ vel ornatâ inclusa essent; vel barbaris & incognitis nominibus permixta aut conjuncta; vel in characteribus & figuris spes magis poneretur quàm in sensu verborum sacrorum. Unde Autor Operis Imperfecti in *Matthæum* inter Opera *S. Joannis Chrysostomi* olim editi, ait Homilia XLIII. *Quidam aliquam partem Evangelii scriptam circa collum portant. Sed nonne quotidie Evangelium in Ecclesia legitur & auditur ab omnibus? Cui ergo in auribus posita Evangelica nihil prosunt, quomodo possunt eum circa collum suspensa salvare? Deinde, ubi est virtus Evangelii, in figuris litterarum, an in intellectu sensuum? Si in figuris, bene circa collum suspendit. Si in intellectu: ergo meliùs in corde posita prosunt, quàm circa collum suspensa.*

Et *S. Augustinus* Tractatu VII. in Evangelium S. Joannis; *Cùm*, inquit, *caput tibi dolet, laudamus si Evangelium ad caput tibi posueris, & non ad ligaturam cucurreris. Ad hoc enim perducta est infirmitas hominum, & ita plangendi sunt homines qui currunt ad ligaturas, ut gaudeamus quando videmus hominem in lecto suo constitutum, jactari febribus & doloribus, nec alicubi spem posuisse, nisi ut sibi Evangelium ad caput poneret: non quia ad hoc factum est, sed quia prælatum est Evangelium ligaturis. Si ergo ad caput ponitur ut quiescat dolor capitis, ad cor non ponitur ut sanetur à peccatis? Fiat ergo. Ponatur ad cor, sanetur cor.*

Superstitiosa pariter erit Rosarii vel Scapularis, aut Sacrorum hujusmodi pietatis Instrumentorum signorúmque gestatio, si ea credulitate gerantur, quòd nunquam damnabuntur qui ea ferunt; vel quòd in mortis articulo Sacramentis Ecclesiæ certissimè procurabuntur, & sinceram Pœnitentiam agent; quantumvis id toto vitæ curriculo negligant, & signis illis pietatis contenti, veritatem pietatis abnegent. Quocirca Fideles rectè monet Concilium Cameracense anno 1565. *Abominandam esse eorum vanitatem ac superstitionem, qui certò pollicentur non ex hac vita migraturos sine Pœnitentia & Sacramentis, illos qui hunc, illúmve, ex Divis coluerint, qui securitatem in rebus gerendis, fortuna certum ac optatum eventum iisdem promittunt; & si qua alia hujusmodi proferantur & credantur, veluti & illud quoque planè reprobandum est, si qui certo numero, præscriptáque Missarum formâ aliquâ aut precum, affirmant certas designatásque Animas è Purgatorio semper liberari.* Denique de Observationibus Sacrorum plerisque à crassiori illa lethali superstitione alienis, non tamen ab omni labe purgatis, quales plerúmque à rudi plebecula usurpantur, præclara sunt verba Venerabilis *Gersonis*, Tractatu *De Erroribus circa Artem Magicam*, §. III. *Fateor*, inquit, *abnegare non possumus multa inter Christianos simplices sub specie Religionis introducta esse, quorum sanctior esset omissio. Tolerantur tamen, quia nequeunt funditus erui, & quia fides simplicium, quamquam minùs in aliquibus bene sapiat, regulariter tamen & quodammodo rectificatur, salvaturque in fide Majorum: quam fidem generali saltem intentione in omnibus suis observationibus præsupponunt, si piè & humiliter, hoc est, Christianè sapiunt, & si ad ostensam veritatis normam obedire parati sunt. Hæc autem est intentio, ut talia suscipiantur aut fiant, non tanquam necessariò efficacia: aut tanquam spes principaliter in talibus posita sit Deo postposito; sed quòd pietas fidei per ista nutritur & augetur, & exaudiri meretur. Secus ubi fides læditur, & divina lex violatur. Vanè igitur & protervè sumitur in hac re vel exemplum vel argumentum ex his quæ vulgus indoctum, non quæ cœtus Theologorum & Sapientum docet observatque.*

Ragula XXIII.

Signa maleficii sollere & abolere licet.

Signa maleficii quæ tamen collere licent.

SIgna maleficii vocantur ullæ, ligamina, plumæ, leberides, & similia, quæ ex pacto cum Dæmone inito, Magus aut sortilegus adhibuit, ut aliquis maleficio lædatur. Pactum verò esse solet, ut quandiu ligula sic nodata fuerit, vel tale quid sub limine defossum, vel sera clausa manserit, tamdiu talis persona sit maleficiata; aut moriantur vel morbo laborent homines vel pecudes, quæ in tali loco eruot, aut illuc ingrediuntur, vel inde exibunt. Hæc vero signa maleficii tollere, pertinet ad odium & execrationem facinoris, quo maleficus ea adhibuit, certóque loco posuit velut tesseram pacti sui cum Dæmone. Pertinet etiam ad contemptum ac detestationem tum magicæ superstitionis, tum ipsius Diaboli, cujus utpote inimici Dei ac nostri, artes contemnere, & opera destruere licet. Idque confirmat Rituale Romanum Tit. *De exorcizandis obsessis à Dæmonio*, sic Exorcistam monens: *Jubeat Dæmonem dicere, An detineatur in illo corpore ob aliquam operam Magicam, aut maleficii signa vel instrumenta, quæ si obsessus ore sumpserit, evomat: vel si alibi extra corpus fuerint, ea revelet & inventa comburantur.*

REGULA XXIV.

Signa maleficii quærere, & inventa removere ac destruere licet spe cessationis nocumenti, & pristina valetudinis recuperandæ.

Signa maleficii qua ratione tollere liceat?

COmmunis hæc est opinio Theologorum, *Hesselio* licèt ac *Sylvio* repugnantibus: praximque virorum peritorum ac proborum sic maleficiatos sanantium Ecclesia non damnavit usquam: immò cælum videtur approbasse Miraculo, cujus testem se fuisse narravit pius æquè ac eruditus Cardinalis *Bellarminus*, cùm Lovanii sententiam *Hesselii* in publicis Prælectionibus refelleret. Ejus verba refert P. *Debrio* Libro VI. *Disquisitionum Magicarum*, cap. II. Sectione I. Quæst, III. *Concionator quidam Prædicatorum, quod me puerum vidisse memini, in Monte Politiano, in Quadragesima, cùm vellet concionari, loqui non potuit. Accidit id secundò & tertiò. Videns id non esse rem naturalem, in concione eam sibi vocem præcludi; votum vovit Sanctæ Agneti, quæ erat loci Patrona, invenitque signa in suggestu, capillos inter se ligatos, & similia. Comburit illa, & v[illegible] ei restituitur. Concionem postea habuit.* Quod si peccatum hoc fuisset, Deus à pio Concionatore invocatus & voto sollicitatus eum non sanasset, neque signa maleficii illi ostendisset, quæ tollere non liceret.

Eamdem Regulam firmissimæ rationes confirmant. Omnes enim actus, qui in amotione signi intercedunt, innoxii sunt & superstitionis expertes, scilicet desiderium, spesque cessationis nocumenti, & valetudinis recuperandæ; opinio fore ut sublato signo cesset pactum & dissoluto pacto Dæmon nocere desinat; coactio seu invitatio malefici minis, precibus, pecuniâ, aut moderatis verberibus, ut signum maleficii tollat, & nocere per Dæmonem desinat; ipsa denique signorum amotio & destructio: quæ quidem neque naturâ suâ invocatio & cultus Dæmonis est, neque ex intentione amoventis, qui tantùm abest ut Dæmonem invocare, ut potiùs invocationem à Mago sive Sortilego posito signo factam impedire velit atque dissolvere. Neque Dæmonis invocatio est ex aliquo pacto antecedente, quia is qui signum amovet, vel amoveri petit, nihil expressè vel tacitè cum Dæmone pactus fuit, ne id quidem ut sublato signo nocere desinat. Neque etiam ulla hîc superstitio ex errore opinionis timenda est: quia non tollit signa maleficii propterea quòd putet illis rebus vim inesse sic nocendi; sed quòd existimet quamdiu hæc posita manebunt, Dæmonem Deo permittente nocere posse; & propter pactum cum mago initum nocere velle, ideóque signo sublato à damno inferendo cessaturum. Quæ omnia verissima esse, experientiâ comprobatum est. Sanè cùm signa nefaria ponendo graviter peccaverit maleficus, illa tollendo facit quod debet, modò id absque novo maleficio faciat. Unde *Dominicus Soto* vir in Moralis Christianæ Quæstionibus explicandis severus satis in IV. Sententiarum Dist. XXXIV. Quæst. I. Articulo III. scribit, *Nos posse maleficum rogare, & ab eo pecuniâ extorquere, ut ligaturas quas habet sepultas aut suspensas, aut alicubi observatas, illinc dimoveat; quia illud maleficium facere, virtus est: & quicunque sciret ubi sunt, posset illas inde subtrahere, &c.*

Secundò, licet declinare à loco ubi signum maleficii positum est, spe vitandi malum, sicut licet deflectere à loco quem naturali veneno infectum esse novi, mihique mortem allaturum: licet etiam vitare personas à quibus metuo lædi maleficio; cur ergo non liceat removere signum maleficii, quo dæmon alliciebatur ad nocendum?

Signa maleficii qua ratione tollere liceat?

Tertiò, licet maleficos auctoritate publica de medio tollere, eâ spe & desiderio ne hominibus ampliùs noceant per diabolum ut ejus viva instrumenta. Quidni ergo liceat signa maleficiorum tollere, ne per dæmonem ampliùs noceant ut ejus instrumenta moralia? Sicut enim tubæ, & tympana, & vexilla in bello sunt moralia quædam instrumenta militiæ, sic hujusmodi signa sunt quædam quasi nequitiæ & malitiæ diabolicæ instrumenta, non operantia, sed eam ad operandum excitantia. Et quamvis supponamus maleficum pactum inivisse cum dæmone, ut amoto maleficii signo nocere desinat, pacti illius nullo modo particeps est qui signum tollit ac destruit: sicut si quis pactus fuerit cum hoste, ut suspensâ de muro flammulâ candidâ, protinus accurrat ille, & portam occupet, urbéque potiatur; civis optimus amánsque patriæ cui compertum fuerit proditionis consilium, tollere poterit signum proditionis, & tollendo bene merebitur de civitate: tantùm abest ut proditionis particeps, nefariique pacti approbator censeri possit.

Denique conatus omnes Dæmonis impedire licet, ne nobis, aut aliis noceat. Si quis Dæmonem ad nocendum incantamentis invitet, licebit submurmuranti os pugno obturare. Si per scripturam, caracteres, annulos, figuras id conetur, fas erit hæc dissipare, conscindere, igni tradere: quidni ergo liceat amovere signa quæ similiter dæmonem ad nocendum polliciunt?

Huic verò Regulæ frustra quis opponet *S. Hilarionis* factum, ad quem cùm adducta esset puella à dæmone obsessa, & dæmon clamaret se invitum in puellam ingressum fuisse, utpote vi maleficiorum coactum; nec posse illam relinquere, nisi priùs ablatis signis subter limen positis: *Noluit Sanctus ante, quàm purgaret virginem, signa jubere perquiri: ne aut solitis incantationibus recessisse dæmon videretur, aut ipse sermoni ejus accommodasse fidem, asserens fallaces esse dæmones, & ad simulandum magis callidos: & magis redditâ sanitate increpuit virginem, cur fecisset talia per quæ Dæmon intrare potuisset.* Ita refert *S. Hieronymus* in ejus Vita. Nihil (inquam) ex hoc *S. Hilarionis* facto adversùs Regulam nostram colligi potest. Non enim metuebat *S. Hilarion*, ne Dæmon solitis incantationibus recederet, si maleficii signa priùs inquiri & amoveri jussisset quàm illum expelleret, sed ne solitis incantationibus recessisse videretur populo: vel ne videretur ipse verbis diaboli fidem adhibuisse, qui negabat aliter se expelli posse, nisi signo priùs ablato. Quod falsum erat, quia sponte ingressus, sponte remanebat, nec vim ullam ipsum cogendi magica illa signa obtinebant. Igitur Sanctus Abbas, qui Miraculorum dono pollebat, consultiùs duxit, & ad Dei gloriam, Populique salutem & ædificationem conducibilius, miraculo Dæmonem expellere, quàm amotione signorum sub limine domûs absconditorum puellam curare: sed inde non sequitur illos qui Hilarioni nec sanctimoniâ nec Miraculorum gratiâ pares sunt, eodem modo se gerere debere, & remedium innoxium ac superstitionis expers, quod ad manum est, scilicet amotionem & de-

Qua ratione tollere liceat maleficia?

structionem signorum maleficii negligere. Hanc (ut dixi) Rituale Romanum præscribit ? & *Franciscus Zammarinus*, Lateranensis Ecclesiæ Canonicus in *Thesauro Sacerdotali*, quem Romæ edidit, P. 1. Tit. *De Exorcismis*, cap. secundo, ex Ecclesiæ Romanæ ritu & consuetudine signa maleficii amovenda & igni tradenda esse docet. *Illa asse* (inquit) *& penna inserta una in alia, & multa & quasi infinita talia, quæ in lectis inveniuntur à Dæmone deportata, sicut clarè fuit deprehensum, sunt extrahenda & igne comburenda, dum dicitur Psalmus* EXSURGAT: *Nec sequenda est illa superstitio, quam vulgus ponit, de mittendis talibus rebus inventis ad fluvium currentem, &c.*

REGULA XXV.

Maleficium altero Maleficio tollere, aut Maleficos adire, ac eorum uti operâ ut hoc modo tollant; vel sic tollere volentibus consensum præbere, nusquam licet, sed lethale semper peccatum est.

Nititur hæc Regula Dei verbo. *Levitici* cap. XIX. 31. *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos. Ego Dominus Deus vester.* Et cap. XX. 6. *Anima quæ declinaverit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.* Et S. Paulus ad *Romanos* III. 8. justam damnationem comminatur illis qui ipsi affingebant eum mala facere ut bona evenirent: *Et non (sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere) Faciamus mala ut veniant bona: quorum damnatio justa est.* Quibus verbis significat, grave peccatum esse mala facere in bonum finem: quod tamen faciunt qui maleficorum operâ ad morbos pellendos abutuntur, & maleficia aliis maleficiis dissipant ac destruunt. Id verò semper improbavit Ecclesia, quæ ad Remedia duntaxat Divina & Ecclesiastica, scilicet Pœnitentiam, Eleemosynas, orationes, jejunia, Exorcismos, aquam benedictam, cæteráque Sacramentalia confugiendum docet, ubi maleficium tolli humanâ operâ non potest, Canone *Si per sortiarias*, Causa XXXIII. Quæstione I. ex *Hincmaro* Archiepiscopo Remensi, *Si per sortiarias*, (inquit) *atque maleficas occulto, sed nunquam injusto Dei judicio permittente, & Diabolo præparante, concubitus non sequitur, hortandi sunt quibus ista eveniunt, ut corde contrito & spiritu humiliato, Deo & Sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & profusis lachrymis & largioribus eleemosynis, & orationibus atque jejuniis Domino satisfaciant, & per Exorcismos, ac cætera Ecclesiastica Medicinæ munia, Ministri Ecclesiæ tales, quantum Dominus annuerit, qui Abimelech ac domum ejus Abrahæ orationibus sanavit, sanare procurent.*

Idem confirmat Rituale Romanum Tit. *De exorcizandis obsessis à Dæmonio*, ita præscribens: *At qui ostendunt factum maleficium, & à quibus sit factum, & modum ad illud dissipandum, sed caveant, ne ab hoc ad magos vel ad sagas, vel ad alios quàm ad Ecclesiæ Ministros confugiat, aut alia superstitione, aut alio modo illicito utatur.*

Nec refert an paratus sit maleficus ut maleficium maleficio tollat. Non licet enim præbere consensum peccato alterius. *Digni sunt morte* (inquit Apostolus ad *Romanos* cap. I.) *non solùm qui talia faciunt, sed & qui consentiunt facientibus.* Secundò, licèt ad peccandum paratus sit, utpote addictus Dæmoni; hoc tamen peccatum, & isto tempore non perpetraret, nisi inductus. Tertiò, ut opus per se malum nemo unquam licitè facit; ita nec ad illud licitè induci potest. Quartò, uti maleficis ad maleficium alio maleficio tollendum paratis, pertinet ad *Pacta cum Dæmonibus fœderata, quæ penitus repudianda & fugienda sunt Christiano*; (ut loquitur S. Augustinus, Libro II. *De Doctrina Christiana*, cap. XXIV.)

Qua ratione tollere liceat maleficia?

Verùm (inquies) licitum est ab usurario parato usuras petere in summa necessitate; licitum est Sacramenta petere a Sacerdote in peccato mortali constituto, & ad conferendum parato; licitum est deferre Jusjurandum Idololatræ, quem scimus per falsos Deos juraturum: quidni ergo liceat petere à malefico parato ut maleficium alio maleficio amoveat?

Respondetur, Longè dissimilem esse rationem. Illi enim inducuntur ad id quod sine peccato facere possunt, si velint. Nam & Sacerdos contritionis actum elicere potest, & si per tempus liceat, peccata sua confiteri, ante quàm Sacramenta conferat: usurarius mutuum dare potest simpliciter, nihil exigens ultra sortem: Idololatra per Deum verum jurare potest: sed amotio maleficii per aliud maleficium est intrinsecè mala, nec sine peccato fieri potest, ideóque nec peti. Itaque si certus sim maleficium non posse tolli nisi altero maleficio, non possum à Mago aut Saga petere ut illud amoveat. Si etiam moraliter mihi constet, maleficum non sublaturum sine maleficio, quamvis absque maleficio tolli possit, non licet petere ut tollat, aut tollere volenti consentire. Id autem præsertim evenit cùm ille ad tollendum maleficium quæritur, aut occurrens & paratus adhibetur, qui non est autor maleficii, nec locum & modum maleficii ab ipso autore intellexit. Hunc enim sine maleficio novo & Dæmonis cooperatione illud tollere non posse certum est: quamobrem nefarii pacti & societatis cum Diabolo particeps est, qui illius operâ utitur ad maleficium tollendum.

Novum robur huic Regulæ confert auctoritas *S. Thomæ*, in IV. *Sententiarum* Dist. XXXIV. Articulo III. in Responsione ad tertiam Objectionem. *Maleficium* (inquit) *est ita perpetuum, quòd non potest habere remedium ex humano opere, quamvis Deus possit remedium præstare dæmonem cogendo, vel etiam dæmon, desistendo. Non enim oportet semper ut id quod per maleficium factum est, possit per maleficium aliud destrui, ut ipsi malefici confitentur. Et tamen si posset per maleficium remedium adhiberi, nihilominus perpetuum reputaretur; quia nullo modo debet aliquis Dæmonis auxilium per maleficia invocare.*

At (inquies) morietur homo qui maleficio vexatur, nisi vocetur maleficus, & quovis tandem modo cogatur maleficium amoliri.

Respondetur, Totum esse divinæ providentiæ committendum, & melius esse ut moriatur homo, quàm ut maleficium tollatur alio maleficio, Dæmonisque opera per Magum aut Sortilegum ad hoc invocetur, aut ipsi permittatur ut, quo modo voluerit, ægro ferat opem, ut docet *S. Joannes Chrysostomus*, Homiliâ VII. in Epistolam ad Colossenses. Id confirmat *S. Augustinus*, Tractatu LI. in Joannem: *Cùm ergo* (inquit) *causæ articulus venerit, ut hæc conditio proponatur, aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut ex hac vita emigrandum, quorum duorum homo cogatur alterum eligere: ibi eligat Deo dilectus emori, quàm offenso vivere: ibi oderit in hoc mundo animam suam, ut in vitam æternam custodiat eam.*

Huc referendum illud *S. Leonis*, Sermone XIX. *De Passione Domini*, cap. V. *Malignorum Spiri-*

tuum adversùs Sanctos insidiæ non quiescunt, & sive occulto dolo, sive aperto prælio, in omnibus fidelibus propositum bonæ voluntatis infestant. Et cùm eis nihil in quemquam amplius liceat, quàm justitia divina permiserit, quâ dignatur suos aut corripere disciplinâ, aut exercere patientiâ, agunt tamen versutissima arte fallacia, ut ex arbitrio propriæ potestatis, aut lædere videantur aut parcere: & multis, quod dolendum est, ita per nequitiam simulationis illudunt, ut quidam illos & timeant pati infensos & velint habere placatos, cùm beneficia Dæmonum omnibus sint nocentiora vulneribus: quia tutius est homini inimicitiam Diaboli meruisse, quàm pacem.

Regulam denique, cujus in explicatione versamus, confirmat Decretum Sacræ Facultatis Parisiensis anno 1498. contra Artes Magicas editum.

Articulus 5. Quòd licitum sit magicis artibus vel aliis quibusdam superstitionibus à Deo aut ab Ecclesia prohibitis aliqua facere pro quocunque bono fine. Error: quia secundum Apostolum, Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.

Articulus 6. Quòd licitum sit, etiam permittendum, maleficia maleficiis repellere. Error.

Articulo 7. Quòd aliquis cum aliquo possit dispensare in quocunque casu, ut licitè talibus utatur. Error.

REGULA XXVI.

Cùm à malefico petitur ut maleficium tollat, expressè protestari debet qui petit, se nihil commune cum Diabolo habere velle, nolleque ejus operâ sanitatem consequi, & omni pacto renunciare.

OMni enim cautione vitanda sunt Christiano ea de quibus suspicio est societatis & pacti cum Dæmone. Id confirmat exemplum Beatæ *Godolenæ*, cui cùm *Bertulfus* ejus maritus dixisset, suæ in eam ferociæ caussam esse dæmonem, & ex maleficio natum dissidium, addidissetque se nosse feminam, quæ jactabat se posse illos mutuo amore adeo connectere, ut non possint conjuges amare se ardentiùs: respondit Sancta Mulier: *Christi ancilla sum; illi ego omnia mea commendo: Si tamen absque sceleris alicujus commixtione id fieri potest quod dicis, non refragor.* Refert *Drogo Gestellensis* in ejus Vita apud *Surium*, die 6. Julii. Cùm ergo is qui maleficii autor esse creditur, compellitur aut rogatur ut maleficium tollat, aut ipse vel alius ad sanandum maleficiatum paratus occurrit, ab eo quærendum est quo remedio sit usurus. Si dicere nolit, non est utendum ejus operâ: quia hoc ipso satis indicat se usurum remedio illicito. Si verò indicet remedium, consideret qui petit, si satis prudens ac doctus est, an sit licitum, necne: si non sit idoneus judex, peritiores interroget: si dubitet an sit remedium naturale, adeat Medicos: si dubitet an sit remedium divinum, quærat à Theologis. Si sacrum remedium esse dicant vir aut mulier, qui sanitatem ægro ex Maleficio pollicentur, reponat, satius esse ut à Sacerdote applicetur, si revera sacrum sit & ab Ecclesia probatum: si dicant non profuturum nisi ipsi adhibuerint, indicium est adhibituros ex pacto convento. Illud itaque Christianus repudiet, ac rejiciat. Eâ autem cautione eò magis opus est, quòd Malefici ut plurimùm sunt homines idiotæ, qui alia quàm superstitiosa remedia ignorant.

REGULA XXVII.

Summâ cautione se gerat Sacerdos in eorum Absolutione qui superstitionis peccata confitentur.

Cautio Sacerdotum in eorum Absolutione qui superstitionis peccata confitentur.

LIcèt in omnium peccatorum examine & Absolutione maxima sit prudentia Confessario necessaria, tum maximè singulari opus est cùm apud ipsum peccata deponunt, homines variis superstitionibus implicati. Debet inprimis inquirere an pactum expressum habuerit pœnitens cum Dæmone, ipsúmque invocaverit: & utrum in isto pacto intercesserit error aliquis contra fidem, videlicet an crediderit Sacramenta, quibus fortè ad magicas artes aut maleficia abusus est, non esse Sancta; Dæmoni, cui se devovit, aliquam reverentiam deberi; illum habere potestatem in hominum voluntatem, vel in res alias, nisi Deus permiserit. Si hæc, aut alia hujusmodi Catholicæ Fidei adversa crediderit, hisque erroribus pertinaciter adhæserit, cum eo ceu cum Hæretico agendum est, ejusque Absolutio Episcopo reservanda, ut de Hæreticis in Concilio Tridentino statutum est.

Secundò, inquirere debet Confessarius, utrum ille qui magicis artibus deditus est, aut maleficiis, aliisve superstitionibus contaminatus, & pactum iniit cum Dæmone, Baptismo Fideique se renunciare professus sit schedulâ suo sanguine aut alio quovis modo subscriptâ: quod si fecerit, obligandus est ad revocandum & rescindendum protinus pactum illud nefarium, renovando promissiones Christo factas in Baptismate, & abrenunciationes factas diabolo, dicendóque ex animo contrito, *Abrenuncio tibi Satana, & adjungo me tibi Christe.* Si reus schedulam ipsam habet, vel ejus transsumptum, ipsam frangat, ignéque comburat coram confessario cum detestatione pacti: Si penes Magum aliquem, vel Maleficorum Principem deposuerit, omnem adhibeat operam Confessarius ut illam recipiat, remque Deo precibus ferventissimis & jejuniis commendare jubeat: nec tamen media humana negligat, minisque & terroribus prudenter utatur. Quamquam si schedulam & syngrapham recuperare non possit, monendus est ne despondeat animum, si quidem pactum sincerâ Pœnitentiâ rescissum est, nec ipsi nocere potest chirographum, quod Christi Sanguis in Sacramento Pœnitentiæ ipsi applicatus delevit.

Tertiò, Magos, Ariolos, Incantatores, Maleficos, excommunicatos esse nosse debet, Excommunicatione Episcopo reservatâ, ad quem proinde, vel ad ejus Pœnitentiarium ipsos remittat, nisi potestatem habeat absolvendi à Casibus Reservatis. In plerisque etiam Diœcesibus peccatum eorum qui Ariolos consulunt, aut Maleficorum operâ quovis modo utuntur, Episcopo reservatum est. Videat ergo Confessarius ne Jurisdictionis suæ ac potestatis fines transiliat, utque Disciplinæ Ecclesiasticæ ordinem servet.

Quartò, Maleficiorum autores, necnon eos qui illorum opera usi sunt ad nocendum aliis, non ante absolvat, quàm resarciant damna illata, sive corpori, sive honori & famæ, sive rebus, restituendo quantùm fieri potest, quia *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

Quintò, Maleficos obliget ad amovenda maleficii signa, ignéque cum execratione pacti comburenda.

Sextò, Magos, Sortilegos, Maleficos, Ariolos, Astrologiæ judiciariæ Professores, & omnes quibusvis superstitionibus aut vanis observantiis

implicatos non ante absolvat, quàm ipsorum Pœnitentiam probaverit; quàm ab his se abstenturos promiserint, occasiones omnes procul removerint ac deseruerint; Libros de his tractantes, conjurationum magicarum, aut vanarum observantiarum, ac superstitiosarum precationum formulas, imagines astronomicas & magicas, annulos, talismanos, figuras, caracteres, omnia superstitionis instrumenta igni tradiderint. Quod exegisse S. Paulum Apostolum ab iis qui similibus criminibus dediti ad meliorem frugem convertebantur, constat ex his verbis S. Lucæ Actuum XIX. *Multique credentium veniebant confitentes & annunciantes actus suos. Multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt Libros, & combusserunt coram omnibus.* Sic egit cum Mathematico Pœnitente *S. Augustinus* ut constat ex Enarratione illius in Psalmum LXI. *Pœnitens est* (inquit) *non quærit nisi solam misericordiam. Commendandus est ergo & oculis & cordibus vestris. Eum quem videtis, cordibus amate, oculis custodite. Videte illum, scitote illum, & quacunque ille transierit, fratribus cæteris qui modò hic non sunt, ostendite illum: & ista diligentia misericordia est, ne ille seductor retrahat cor & oppugnet. Custodite vos, non vos lateat conversatio ejus, via ejus: ut testimonio vestro nobis confirmetur verè illum ad Dominum esse conversum. Non enim silebit fama de vita ejus, quando sic vobis & videndus & miserandus offertur. Nostis in Actibus Apostolorum esse scriptum, Quia multi perditi, id est, tali um artium homines, & doctrinarum nefariarum sectatores, omnes codices suos ad Apostolos attulerunt, & incensi sunt libri tam multi, ut pertineret ad scriptorem æstimationem eorum facere, & summam pretii conscribere. Hoc utique propter gloriam Dei, ne tales etiam perditi desperarentur ab illo qui novit quærere quod perierat. Perierat ergo iste, nunc quæsitus, inventus, adductus est: portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, ut illis in ignem missis, ipse in refrigerium transeat. Sciatis eum tamen, Fratres, olim pulsare ad Ecclesiam ante Pascha: ante Pascha enim cœpit petere de Ecclesia Christi medicinam. Sed quia talis est ars in qua exercitatus erat, quæ suspecta esset de mendacio atque fallacia, dilatus est ne tentaret, & aliquando tamen admissus est, ne periculosiùs tentaretur.* Sic egit cum *Theodoro* Malefico *S. Theodorus Siceota*, Archimandrita Cœnobiorum in Galatia, & Episcopus Anastasiopolitanus. Cùm enim Maleficus ille resipiscens, suas in eum insidias, & Dæmonum responsa, artificiúmque diaboli, quod in multarum animarum perniciem exercuerat, exposuisset, oraretque ut se à tali negotio liberaret, & Sanctissimum sibi Baptismum impertiret, respondit S. Theodorus: *Si vis à Deo veniam impetrare, primùm omnia peccata tua confitere, & si quos habes libros maleficos, in medium profer: & quoscunque homines, aut domos, aut animalia maleficiis tuis obstrinxisti, dissolve, nec ampliùs ea in quemquam exerce; sed Pœnitentiam age: & ego Deum, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, precabor, ut ea tibi, quæ hactenus admisisti, condonet: hæc ille omnia cùm se perfecturum jurejurando promisisset, omnes libros maleficos protulit, & coram illo combussit. Sanctus autem Theodorus eum priùs in Religione instituit, & jejuniis atque eleemosynis purgavit, postea ad salutare Lavacrum admisit.* Ita refert *Georgius* Presbyter & Hegumenus, ejusdémque Sancti *Theodori* Discipulus, in ejus Vita, apud *Bollandi* Continuatores inter Acta Sanctorum Mensis Aprilis, Tomo III. ad diem vigesimam secundam.

REGULA XXVIII.

Sacrilegium lethale ex genere suo peccatum est, tantò gravius, quantò res sacra, in quam peccatur, majorem habet sanctitatem.

PEccatum enim *Sacrilegii in hoc consistit quòd aliquis irreverenter se habet ad rem sacram. Debetur autem reverentia rei sacræ ratione sanctitatis: & ideo secundum diversam rationem sanctitatis rerum sacrarum, quibus irreverentia exhibetur, necesse est quòd sacrilegii species distinguantur. Tantò enim sacrilegium est gravius, quantò res sacra in quam peccatur majorem obtinet sanctitatem. Attribuitur autem sanctitas & personis sacris, id est divino cultui dedicatis, & locis sacris, & rebus quibusdam aliis sacris. Sanctitas autem loci ordinatur ad sanctitatem hominis qui in loco sacro cultum Deo exhibet. Dicitur enim* II. *Machabæorum* V. Non « propter locum gentem, sed propter gentem « locum Deus elegit. *Et ideo gravius peccatum est* « *sacrilegium quo peccatur contra personam sacram, quàm quo peccatur contra locum sacrum. Sunt tamen in utraque sacrilegii specie diversi gradus, secundùm differentiam personarum & locorum sacrorum: similiter etiam & tertia species sacrilegii quæ circa alias res sacras committitur, diversos habet gradus secundùm differentiam rerum sacrarum: inter quas summum locum obtinent Sacramenta, quibus homo sanctificatur, quorum præcipuum est Eucharistiæ Sacramentum, quod continet ipsum Christum. Et ideo sacrilegium quod contra hoc Sacramentum committitur, gravissimum est inter omnia.* Verba sunt *S. Thomæ*, Secunda Secundæ, Quæstione XCIX. Articulo III. *Conveniens* porrò *pœna sacrilegi, qui Sacris injuriam infert, est Excommunicatio, per quam à Sacris arcetur*, (inquit idem Sanctus Doctor Articulo IV.) Sacrilegium.

Dixi, Sacrilegium lethale ex genere suo peccatum esse, qui propter materiæ levitatem contingere potest ut veniale tantùm sit, aut etiam propter deliberationis defectum.

REGULA XXIX.

Scriptura Sacra, aut Officiorum Ecclesiasticorum verbis ad superstitiones, ad scurrilia & vana colloquia, ad detractiones & libellos famosos, ad adulationes abuti, lethale sacrilegium est.

HAnc Regulam tradit Sacra Synodus Tridentina Sessione IV. cujus hæc sunt verba: *Sacrosancta Synodus temeritatem illam reprimere volens, quâ ad profana quæque convertuntur & torquentur verba & sententiæ Sacræ Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias & diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos; mandat & præcipit, ad tollendam hujusmodi irreverentiam & contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ Sacræ ad hæc & similia audeat usurpare: omnes hujus generis homines, temeratores & violatores verbi Dei, juris & arbitrii pœnis per Episcopos coërceantur.*

Profanarum etiam cantilenarum inflexio ad Cantus Ecclesiastici modulos, sacrilegium est. *Omne* enim illud *quod ad irreverentiam rerum sacrarum pertinet, ad injuriam Dei pertinet, & habet sacrilegii rationem*; (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XCIX. Articulo I.)

REGULA XXX.

Omne peccatum à sacra persona, vel in personam sacram commissum, sacrilegium non est propriè dictum.

ILlud enim dumtaxat Sacrilegium est quod directè committitur contra sanctitatem personæ. Sic sacrilegium est, si persona sacra fornicetur, non autem si inebrietur, si irascatur, si superbiat. Et si quis contra Clericum irascatur, nolens tamen illum verberare, aut si furtim ab ejus domo aliquid surripiat, non est sacrilegium. Unde *S. Thomas*, Quæstione mox indicatâ, Articulo III. in Responsione ad tertiam objectionem, ait: *Omne peccatum quod sacra persona committit, materialiter quidem & quasi per accidens est sacrilegium. Formaliter autem & propriè illud solum peccatum sacræ personæ sacrilegium est, quod agitur directè contra ejus sanctitatem: putà, si Virgo Deo dicata fornicetur. Et eadem ratio est in aliis.* Peccata tamen Clericorum, & Religiosorum Virorum, sacrarúmque Virginum, cæteris paribus, graviora sunt, quia status illorum majorem exigit sanctitatem, & scandalum gravius ex eorum peccatis nascitur, quàm ex peccatis sæcularium hominum. Quamobrem latiori & minùs propriâ significatione sacrilegia dici possunt, non quidem absolutè, sed cum sæcularium peccatis comparata. Quo sensu *Sanctus Bernardus*, Libro II. *De Consideratione*, Cap. XIII. ait: *Inter sæculares nugæ, nugæ sunt; in ore Sacerdotis, blasphemiæ..... Consecrasti os tuum Evangelio: talibus jam aperire illicitum, assuescere sacrilegum est.*

REGULA XXXI.

Deum tentat, quisquis humanis & ordinariis mediis non destitutus, ea sine causâ omittit & negligit, séque periculo exponit.

Dei tentatio.

HAnc Regulam explicat *S. Augustinus*, Libro XXII. *Contra Faustum*, Cap. XXXVI. *Pertinet*, inquit, *ad sanam doctrinam, quando habet quod faciat homo, non tentare Dominum Deum suum. Neque enim & ipse Salvator non poterat tueri Discipulos suos, quibus tamen ait*, Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. *Cujus rei prior exemplum præbuit. Nam cùm potestatem haberet ponendi animam suam, nec eam poneret nisi cùm vellet, in Ægyptum tamen infans portantibus parentibus fugit: & ad diem festum non evidenter sed latenter ascendit, cùm aliàs palam loqueretur Judæis irascentibus & inimicissimo animo audientibus, nec tamen valentibus in eum mittere manus, quia nondum venerat hora ejus: non cujus hora necessitate cogeretur mori, sed cujus hora opportunitate dignaretur occidi. Qui ergo palam docendo & arguendo, & tamen inimicorum rabiem valere in se aliquid non sinendo, Dei demonstrabat potestatem, idem tamen fugiendo & latendo hominis instruebat infirmitatem, ne Deum tentare audeat, quando habeat quod faciat, ut quod cavere oportet, evadat. Neque enim & Apostolus Paulus desperaverat adjutorium protectionémque divinam, fidémque perdiderat, quando per murum in sporta submissus est, ut inimicorum manus effugeret. Non ergo in Deum non credendo sic fugit: sed Deum tentando sic fugere noluisset, cùm sic fugere potuisset.*

Matth. 10. Joan. 10. Matth. 2. Joan. 7.

Act. 9. 2. Cor. 11.

Et Libro *De Opere Monachorum*, Cap. XXVII. *Dei servi*, inquit, *vacantibus & valentibus exemplo & Præcepto Apostolico manibus suis victum transigere, si quis ex Evangelio moverit quæstionem de volatilibus cæli, quæ non seminant, neque metunt, neque congregant in apothecas, & de liliis agri, quia non laborant, neque nent: facilè respondebunt. Si & nos per aliquam vel infirmitatem vel occupationem non possumus operari, sic ille nos pascet & vestiet, quemadmodum aves & lilia, quæ nihil operantur hujuscemodi: cùm autem possumus, non debemus tentare Deum nostrum: quia & hoc quod possumus, ejus munere possumus; & cùm hinc vivimus, illo largiente vivimus, qui largitus est ut possimus.*

Dei tentatio.

Idem confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XCVII. Articulo I. in Responsione ad tertiam objectionem. *Prædicatores Regni Dei*, inquit, *ex magna necessitate & utilitate subsidia temporalia prætermittunt, ut verbo Dei expeditiùs vacent. Et ideo, si soli Deo innitantur, non ex hoc tentant Deum: sed si absque utilitate vel necessitate humana subsidia desererent, tentarent Deum.*

REGULA XXXII.

Ad Dei tentationem pertinet Medicinâ uti nolle, cùm morbos patimur, ex quibus sine remediorum naturalium subsidio evadere aut convalescere non possumus.

HÆc Regula connexa est superiori, ac iisdem fundamentis nititur, illóque præterea Sapientis Oraculo Ecclesiastici XXXVIII. *Honora Medicum propter necessitatem: etenim illum creavit Altissimus. A Deo est enim omnis medela.... Altissimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa.... Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te.* Quæ sententia duo utilia præcepta « complectitur, ut annotat *Estius*. Unum est, ut « homo implicatus morbo corporali non se ipsum « despiciat, id est, valetudinem sui corporis par- « vifaciat, quasi hoc ad perfectionem pertineat, « sanitatem corporis negligere; cùm illud potiùs « sit inordinatæ & præposteræ pietatis. *Nemo e- « nim* (inquit Apostolus Ephes. V.) *carnem suam « odio habuit, sed nutrit & fovet eam*: non ad « delicias, sed ad necessariam servitutem animæ. « Ac præterea tenetur quisque diligere proximum « sicut se ipsum: atqui proximo ægrotanti succur- « rere tenetur, juxta illud Matth. XXV. *Infirmus « fui, & visitastis me*: Igitur eamdem curam quo- « que sibi ipsi debet. Porrò alterum quod hîc Sa- « piens docet, est, non repugnare ut sanitatis re- « cuperatio simul exspectetur à Deo, & à Medico; « sed à Deo principaliter, qui etiam sine Medico « curare potest: à Medico verò tanquam ministro « ordinario, per cujus artem Deus plerúmque sa- « nitatem restituit. Unde nec tentandus est Deus, « ut quando Medici copia est, à Deo immediatè « sanitas expectetur.

Cura valetudinis.

Hinc *S. Augustinus* Christianam piámque Viduam instituens Epistolâ CXXX. alias CXXI. Cap. IV. *Deliciæ*, inquit, *si adsluant, ne apponas cor. Non ideo te magnipendat quòd non desunt, quòd affatim suppetunt, quòd velut ex fonte largissimo terrenæ felicitatis fluunt. Omnino hæc in te despice atque contemne, nec in iis quidquam requiras præter integram corporis valetudinem. Hæc enim contemnenda non est propter necessarios usus vitæ, antequam mortale hoc induatur immortalitate, hoc est, vera & perfecta & perpetua sanitate, quæ non terrena de-*

ficiens infirmitate, corruptibili voluptate reficitur, sed cœlesti firmitate persistens, æterna incorruptione vegetatur. Nam & ipse Apostolus: Carnis, inquit, curam ne feceritis in desideriis: *quia gerimus curam carnis, sed ad necessitatem salutis.* Nemo enim umquam carnem suam odio habuit, *sicut itidem ipse dicit. Hinc est enim quod & Timotheum, nimium, sicut apparet, corporis castigatorem admonet, ut modico vino utatur; propter stomachum & frequentes suas infirmitates.*

Rom. 13. Ephes. 5. 1. Tim. 5.

Nimium dumtaxat & præposterum valetudinis studium in Christiano vel Religioso perfectioni repugnat.

Quamquam viros perfectionis amantes, & qui ex Religiosi status obligatione mortificationem Jesu in corpore suo ferre singulari quodam modo tenentur, Medicis observationibus & præscriptis ita additos esse minimè deceat, & valetudinis suæ nimio ac præpostero studio officia sua, Regularem Disciplinam negligere, à communis vitæ ratione discedere: sed ubi valetudo affecta est, ubi morbus urget, valetudinem suam remediis Dei beneficio nobis provisis procurare tenentur; alioquin Deum tentant; quod peccatum est Religioni oppositum, cùm ad irreverentiam Dei pertineat. Nimium dumtaxat & præposterum valetudinis studium, quod a Vitæ Christianæ, Religiosæ, aut Pastoralis officiis hominem avertat, SS. Patres improbarunt ac reprehenderunt, scilicet *S. Basilius*, in Regulis fusiùs disputatis, Cap. LV. *Neque*, inquit, *sectiones, neque ustiones, neque cruciatus, quæ acerba asperaque medicamenta afferre secum solita sunt, neque inedias, neque accuratas in victus observatione regulas, neque declinationem à rebus quæ obsunt, repudianda esse nobis recta ratio demonstrat, salvo tamen proposito animæ utilitatis, quippe cui in medicina corporis admovenda formula quædam proponitur, quam in sui ipsius curatione ipsam conveniat imitari.* Et infra: *Neque igitur fugienda penitus ars ista est, neque rursus omnis in ea salutis nostræ fiducia collocanda: sed quemadmodum licèt agriculturæ usum acceperimus, frugum proventum tamen postulamus à Deo: & quamvis gubernatori clavum committamus, Deum tamen ut nos ex alto incolumes conservet, oramus: sic nihilominus cùm Medicum adhibemus, idque ratio fieri concedit, nequiquam à spe illius erga nos bonitatis debemus discedere.*

Sanctus Ambrosius, In Psalmum cxviii. Sermone xxii. illum Versum, *Concupivi salutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea est*, explicans: *Alius*, inquit, *longævitate vitæ istius delectatur, concupiscit usque ad deposita senectutis finem corporis hujus vitam producere. Alii franguntur ægritudinis infirmitate, de quibus nemo potest dicere*, Cùm infirmor, tunc potens sum. *Beatos se putant, si inoffensa valetudinis commoditate potiantur, quibus non est infirmitas ad salutem. Horum quoque nemo potest dicere*: Concupivi salutare tuum, Domine. *Suam enim magis salutem quàm salutare Dei quærunt, Medicis potiùs quàm Scripturis obedientes. Contraria autem studiosis divinæ cognitionis præcepta sunt Medicinæ. A jejunio revocant, lucubrare non sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt. Itaque qui se Medicis dederit, se ipsum sibi abnegat. Qui autem quærit salutare Dei, Christum sequitur, qui dicitur salus Dei: non quæ corporis, sed quæ æterna sunt quærens, cùm hoc in corpore conversetur. Qui autem legem Dei quærit, die usque & nocte meditatur in lege. Jugis illi meditatio est divinorum Decretorum, neque aliquâ curâ corporis hujus avertitur à studio disciplinæ.* Ex parte refertur Canone *Contraria*, Distinctione v. *De Consecratione.*

2. Cor. 12.

S. Bernardus Epistola cccxxi. ad Fratres de Sancto Anastasio: *Minimè*, inquit, *competit Religioni vestræ Medicinas quærere corporales, sed nec expedit saluti. Nam de vilibus quidem herbis, & quæ pauperes deceant, interdum aliquid sumere, tolerabile est, & hoc aliquando solet fieri. At verò species emere, quærere Medicos, accipere potiones, Religioni indecens est, & contrarium puritati, maximeque Ordinis nostri, nec honestati congruit, nec puritati. Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scimus autem, quia qui in carne vivunt, Deo placere non possunt.* Et *Sermone L. in Cantica*, in illa verba: *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam*, sic loquitur: *Quid nunc vos dicitis, observatores ciborum, morum neglectores? Hippocrates & sequaces ejus docent animas salvas facere in hoc Mundo: Christus & ejus Discipuli, perdere. Quemnam vos è duobus sequi Magistrum eligitis? At manifestum se facit, qui sic disputat, hoc oculis, hoc capiti, & illud pectori vel stomacho nocet*, &c.

Has Regulas secutus S. *Carolus Borromæus*, à Medicorum præscriptis ne latum quidem unguem discedebat, cùm ægrotaret, aliàs etiam eorum consilia requirebat; sed ea semper sequi, eorumque observationibus addictum se præstare, id vitæ Episcopali minimè consentaneum judicabat, dicebatque solebat: *Nullum Episcopum Muneri suo posse satisfacere, si valetudini parcat, & earum rerum observationibus teneatur, quæ nocere corpori prodessève possint.*

Multa exempla Gesta Sanctorum ac Vitæ suppeditant, quod nimia valetudinis cura non sit habenda iis qui Christianæ Perfectionis studio exardescunt: sed quod penitus abjicienda non sit cura sanitatis, & pharmaca sumenda sint cùm opus est, Medicisque parendum, & vitæ austeritas remittenda, quantùm necesse est corporis incolumitati, docet *Macedonii* Anachoretæ Sanctissimi exemplum, apud Theodoretum, *Religiosa Historia* Cap. xiii. *Cibus illi* (inquit Theodoretus) *non panis, nec legumina, sed hordeum contusum, aquâ solâ madefactum: atque hunc illi cibum Mater mea, postquam familiaris ei facta est, longissimo tempore suppeditavit. Et cùm ad ægrotantem illam aliquando venisset, didicissetque adduci non posse, ut congruentem morbo cibum sumeret (Monasticam enim & ipsa quoque vitam erat amplexa,) hortatus est ut Medicis crederet, ac pharmacum esse hunc cibum putaret; ut quem non deliciarum, sed necessitatis gratiâ usurparet. Nam & ego* (inquit) *qui per annos quadraginta hordeo solo vixi, ut nosti, cùm hesterna die infirmitas me quædam invasisset, contubernali meo parvum mihi panem quærere & afferre jussi. Sic enim mecum reputabam, apud æquum Judicem me, si morerer, rationem mortis redditurum, quasi certamina refugerem, & servitutis labores declinarem, ut qui, cùm exiguo cibo prohiberi mors posset, atque in hac vita laboribus & ærumnis exercitum manere & paratas inde opes congerere liceret, inediâ mori, quam ex Philosophia vivere maluerim. Quare hoc metu perculsus, cogitationisque aculeos retundere cupiens, & peti panem jussi, & allatum comedi: tibique præcipio ut mihi ampliùs hordeum, sed panem præbeas.*

Regulæ, quam explicamus, Sanctæ Virginis & Martyris *Agathæ* non repugnat exemplum quæ corporalem Medicinam repudiavit. *Experta* enim *erat erga se divinam benevolentiam ut vel infirmitates non pateretur, pro quibus corporali medicina indigeret, vel statim sentiret divinæ sanationis effectum.* Unde Apostolo *Petro* in specie Medici illi conspicuo respondisse Acta ejus testantur:

Dei tentatio.

tur: *Medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui; sed habeo Dominum Jesum Christum, qui solo sermone restaurat universa.* Ita respondet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione xcvii. Articulo i. ad tertium. Addi potest, ipsam sic loqui, quia cùm mammillæ abscissionem propter Christi confessionem passa esset, ac in procinctu esset plura propter ejusdem Numen vulnera patiendi, curationem illius respuere poterat, ut Martyrium suum consummaret, ac Deo tamen se committere, si aliter Ipse decrevisset: sicut fugere noluit, quamvis apertus esset carcer, *Ne coronam perderet Martyrii.* Unde verbis mox laudatis addidit Virgo & Martyr Sanctissima: *Ipse si velit, potest me quoque conservare:* quasi paratam se exhibens ad patiendum quæcumque supplicia, & vulnera, nisi Deus illa sanare, & ipsam incolumem præstare vellet.

REGULA XXXIII.

Ille Deum tentat, qui ad orationem se non præparat, & postulat à Deo remissionem peccatorum, non condonans aliis injurias sibi illatas.

Ait enim Spiritus-Sanctus *Ecclesiastici* xviii. Cap. *Ante orationem præpara animam tuam; & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* In quo autem hæc præparatio posita sit, docet Christus Marci xi. 25. *Cùm stabitis*, inquit, *ad orandum, dimittite si quid habetis adversùs aliquem, ut & Pater vester dimittat vobis peccata vestra.* In quem locum *Rabanus* ait: *Ille homo Deum videtur tentare, qui ita orat ut docuit, & tamen non hoc agit quod jussit.*

Hanc Regulam confirmat *S. Thomas* Secunda Secundæ, Quæstione xcvii. Articulo iii. in Responsione ad secundam Objectionem: *Ille*, inquit, *qui ante orationem animam suam non præparat, dimittendo si quid adversùm aliquem habet, vel aliàs ad devotionem se non disponendo, non facit quod in se est, ut exaudiatur à Deo: & ideo quasi interpretativè tentat Deum. Et quamvis hujusmodi interpretativa tentatio videatur ex præsumptione seu indiscretione provenire; tamen hoc ipsum ad irreverentiam Dei pertinet, quòd homo præsumptuosè, & sine debita diligentia se habet in his, quæ ad Deum » pertinent. Dicitur enim* I. *Petri* v. Humiliamini » sub potenti manu Dei. *Et* ii. *ad Timotheum secun» do*, Sollicitè cura te ipsum probabilem exhibere Deo. *Unde etiam hujusmodi tentatio irreligiositatis species est.*

REGULA XXXIV.

In Religione Deus tentatur, cùm signa & prodigia flagitantur, non ad aliquam salutem, sed ad solam experientiam desiderata.

Hanc Regulam iisdem verbis tradit *S. Augustinus*, Lib. x. Confessionum, Cap. xxxv.

Ad Dei tentationem pertinebant probationes ignis, ferri cadentis, aquæ ferventis vel frigidæ, quibus olim rei vel insontes criminum rudioribus sæculis probabantur: duellum etiam ad hunc finem usurpatum. Consuetudines illas ex Ripuariorum, Frisonum, Longubardorum, aliarumque Nationum legibus & moribus in Gallias octavo sæculo derivatas Agubardus Lugdunensis Archiepiscopus Deo ac Religioni injuriosas esse probavit edito Tractatu *Contra damnabilem opinionem putantium divini judicii veritatem igne vel aquis, vel conflictu armorum patefieri.*

Dei tentatio.

Has Superstitiones *Stephanus V.* damnavit Epistola Decretali ad Lambertum Moguntinum Episcopum scripta. *Ferri candentis*, inquit, *vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri à quolibet, sacri non censuerunt Canones, & quod Sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum. Spontanea enim confessione vel testium approbatione publica delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini judicare: occulta verò & incognita illius sunt judicio relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum.*

Easdem probationes damnavit *Alexander II.* cujus Decretum refertur Causa Secunda, Quæst. iv. & *S. Gregorio Magno* perperam à Gratiano tribuitur. *Vulgarem*, inquit, *ac nulla canonica Sanctione fultam Legem, ferventis scilicet sive frigidæ aquæ, ignitique ferri contactum, aut cujuslibet popularis inventionis (quia fabricante hæc sunt omnino ficta invidia) nec ipsum exhibere, nec aliquo modo te volumus postulare, immò Apostolica Auctoritate prohibemus firmissimè.* Plures Epistolas adversùs pravos illos usus scripsit sanctus Episcopus Yvo Carnotensis, septuagesimam quartam, ducentesimamquintam, & ducentesimam quinquagesimam secundam. Ludovicus Pius Imperator ex quatuor Synodorum anno 829. jussu suo celebratarum sententia, Moguntinæ scilicet, Parisiensis, Lugdunensis & Tolosanæ, probationem per aquam frigidam fieri prohibuit Lege lata, quæ in ejus Capitulari habetur his verbis: *Ut examen aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant, à Missis nostris omnibus interdicatur ne ulteriùs fiat.*

Probationes hujusmodi *Celestinus III. Innocentius III.* & *Honorius III.* iteratis Decretis prohibuerunt ac damnarunt, quæ leguntur quinto Decretalium, Tit. xxxv. *De Purgatione vulgari.*

Lethalis itaque Superstitionis rei sunt Judices, qui maleficos sive sortilegos & sagas immersione in aquam frigidam examinant, persuasum habentes submergi innocentes, supernatare reos, manibus licèt pedibusque ligati projiciantur in aquam. Id certè ad Dei tentationem pertinet, cùm exspectetur miraculum à Deo non ad aliquam salutem, sed ad solam experientiam, & ubi media suppetunt ordinaria ad explorandam facti veritatem, & personarum accusatarum innocentiam vel crimina detegenda. Et si qui sic in aquam projecti & ligati supernatent, id naturalibus ea causis non contingere compertum est, nec miraculo, sed præstigiis & operatione dæmonis corpora super aquam sustentantis ne mergantur, ut superstitionem foveat, ac Magistratus, populumque in errorem inducat, interdumque, ad innocentes damnandos, absolvendósque reos impellat. Reos namque aliquando demersos, insontes verò qui se demergendos præsumebant, supernatasse, infelicibus experimentis compertum est. Quibus omnibus maturè consideratis supremus Senatus Parisiensis maleficorum sive sortilegorum examen per immersionem in aquam frigidam subalternis Judicibus prohibuit solemni Senatusconsulto in rerum Capitalium Camera edito 1. Decembris anni millesimi sexcentesimi primi, perorante D. Servino Advocato Catholico.

REGULA XXXV.

Qui Deum testem invocat, Illum non tentat.

Ita docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione lxxxix. Articulo ii. in Responsione ad tertium. *Ille qui jurat*, inquit, *non tentat Deum:*

A *quia non implorat d v num auxilium absque utilitate & necessitate. Et præterea non exponit se alicui periculo, si Deus testimonium adhibere noluerit in præsenti. Adhibebit autem pro certo testimonium in futuro, quando* Illuminabit abscondita tenebrarum, « & manifestabit consilia cordium, *ut dicitur* 1. *ad « Corinthios* IV. *Et illud testimonium nulli juranti deficiet, vel pro eo, vel contra eum.*

CAPUT IV.

DE

SECUNDO PRÆCEPTO

DECALOGI.

ARTSCULUS I.

Exod. 20.

Quis sit hujus Præcepti sensus, NON *assumes Nomen Dei tui in vanum: nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit Nomen Domini Dei sui frustra?*

PRimum divinæ Legis præceptum, quo Deum piè sanctéque colere jubemur, illud necessariò consequitur. Qui enim diligit & colit aliquem, non meminit illius nisi cum summa reverentiâ, de illo noo loqoitur nisi cum quadam etiam honoris præfatione. Cùm itaque præ cunctis aliis diligere nos & colere Deum oporteat, committere non debemus, quin & ipsi summa cum reverentiâ nomen ejus usurpemus: neque id in alios quam tantam Majestatem decet, usus conferamus. Hinc Dominus ait, Malachiæ 1. *Filius honorat patrem, & servus dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus?*

Hoc præceptum aliquid præcipit, aliqoid vetat. Præcipit ut Dei nomen honoretur, ac per illud sanctè juretur: prohibet ne divinum Nomen quis contemnat, ne illud in vanum assumat; ne per ipsum aut falsò, aut frustra, aut temerè juret; ne illud impiè blasphemet.

Nomen autem Dei hîc pro solâ & nudâ voce non accipitur, quâ Deum significamus; hæc enim res creata est: sed pro re significatâ, pro omnipotenti ac sempiterna Majestate unius in essentiâ, trinique in Personis Dei. Unde inanis erat nonnullorum Judæorum superstitio, qui Dei nomen quod scribere non verebantur, pronunciare tamen non audebant, quasi in quatuor illis litteris, non in re, divina vis esset. Cùm autem multa Deo imposita sint nomina, ut Domini, Omnipotentis, Regis Regum, Fortis, & alia id genus, quæ in Scripturis Sacris leguntur, ea pari veneratione prosequi necesse est; cùm Deum ipsum, vel Dei attributa significent.

Dei nomen multipliciter laudatur.

Dei porrò nomen multipliciter laudatur, ut explicat Concilii Tridentini Catechismus. Primùm, cùm in omnium conspectu Deum ac Dominum nostrum confitemur, Christumque salutis nostræ autorem quemadmodum agnoscimus, ita etiam prædicamus, ut ab illius confessione neque blanditiis, neque tormentis dimoveri possimus. De qua confessione Christus dixit, Matth. x. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.* Hinc *Tertullianus* in Apologetico Cap. 21. *Omne malum* (inquit) *aut timore aut pudore natura perfudit. Denique malefici gestiunt latere, trepidant deprehensi, negant accu-* B *sati, ne torti quidem facilè aut semper confitentur, certè damnati mœrent. Christianus verò quid simile? Neminem pudet, neminem pœnitet, nisi planè retro non fuisse. Si denotatur, gloriatur, si accusatur, non defendit; interrogatus vel ultro confitetur; damnatus gratias agit. Quid hoc mali est, cujus reus gaudet? cujus accusatio votum est, & pœna felicitas?*

Secundò, Dei nomen laudamus, cùm verbo Dei, quo voluntas ejus enuntiatur, sanctè & diligenter operam damus, in ejus meditatione assiduè versamur; studiosè illud addiscimus, perlegendo, aut audiendo, prout cu- C jusque personæ, statui, ac muneri aptum & consentaneum est; cùm in lege Domini meditamur die ac nocte, cùm privatim & publicè pro viribus nostris ac professione verbum Dei prædicamus. Id quidem privatim agimus, cùm ubique nomen Dei nostri magnificamus ac celebramus, & quantùm in nobis est, homines universos ad illud celebrandum verbis & operibus nostris trahere studemus; ut videntes opera nostra bona, glorificent Patrem nostrum qui D in cœlis est: rursus, cùm aversamur omnes, qui Deum nostrum, ut par est, non confitentur, quia etsi *verbis* illum *confitentur*, *factis* tamen *negant*: qui *Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis*: per quos *Nomen Dei blasphematur inter Gentes.* Sic affectos fuisse legimus viros Sanctos; quibus nihil unquam molestius fuit, quàm videre aut audire aliquid agi in Dei contemptum & contumeliam. Sic affectus erat David Rex cùm ait: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi per singulos dies, Ubi est Deus tuus?* Publicè verò prædicatur nomen Dei ab his quibus Ministerium verbi commissum est, quibus E dictum est: *Prædica verbum, insta opportunè, importunè,* &c. Unde contra hoc præceptum de honorando Dei nomine peccant Pastores, qui ministerio verbi instare negligunt, quæ sua sunt quærentes, non quæ Jesu Christi. Quos Dei maledictio manet, sicut ait Apostolus: *Væ mihi si non evangelizavero,....... Dispensatio mihi credita est.* Idem quoque violant præceptum, & Dei nomen inhonorant, qui absque missione legitima seu vocatione, verbi Ministerio temerè se ingerunt, qui Sacram Scripturam falsis interpretationibus adulterant, aut ad impiam opinionem tuendam detorquent; aut ad F suos sensus flectunt, contra eum sensum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, aut contra unanimem Patrum consensum, ut cavit Sacra Synodus Tridentina. Item qui res ineptas, ad risum moventes, supervacaneas, vel parum fructuosas è sacro suggestu proferunt, non eas dumtaxat quæ dignæ Dei Templo, dignæ Christianis moribus & auribus judicantur.

Ad Tim. 1. Proverb 2. Rom. 2.

Psalm. 41.

2. Ad Tim. 4.

1. Cor. 9.

Tertiò, divinum nomen veneramur & colimus, cùm officii causâ divinas laudes celebramus, ac de omnibus rebus tam prosperis

quàm adversis illi singulares gratias agimus, Psalm. 102. dicentes cum Propheta: *Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus;* cùm in calamitatibus, animique & corporis doloribus, quibus nos Deus tanquam filios flagellat, tanquam reos plectit, tanquam amicos probat, statim ad Deum laudandum omne studium & animi nostri vires convertimus, Job. 1. cum Beato *Job* dicentes: *Sit nomen Domini benedictum.* Psal. 33. Et cum Davide: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen ejus in idipsum. Exquisivi Dominum, & exandivit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.* Dei nomen sanctè colimus, cùm ipsius auxilium postulamus & expetimus, ut actus nostros in viam mandatorum suorum dirigat, o- Psalm. 16. rantes cum Davide: *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* Psalm 118. *Deduc me in semitam mandatorum tuorum. Inclina cor meum in testimonia tua.* Item, cùm viribus nostris diffidentes, soli Deo omnium operum & negotiorum nostrorum exordia, progressum & finem tribuimus, Psalm. 43. cum eodem Propheta dicentes: *Non in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me: sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui.* Cùm denique ejus opem fidenter imploramus, ut nos à malis quibus premimur, liberet, aut ad ea fortiter perferenda constantiam robúrque largiatur. Hoc enim sui nominis cultum à Psalm. 49. nobis postulat Dominus: *Invoca me* (inquit) *in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Ad hanc multiplicem laudandi Nominis divini rationem nos hortatur Propheta Psalmo CIV. cùm ait: Psalm. 104. *Confitemini Domino, & invocate nomen ejus, annunciate inter Gentes opera ejus. Cantate ei & psallite ei, narrate omnia mirabila ejus. Laudamini in nomine sancto ejus, lætetur cor quærentium Dominum. Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem ejus semper.* Sic nomen Dei non colunt, qui non in Domino, sed in se ipsis gloriantur; qui sibi Psal. 48. nomen sapientiæ aut virtutis extra Deum quærunt, de quibus ait Propheta: *Vocaverunt nomina sua in terris suis.*

Quartò, Dei nomen honore prosequimur, cùm illud pro veritatis, quæ alioquin periclitaretur, confirmatione, seu ob publicam utilitatem adhibemus. De quo dictum est Deuteronomii VI. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies, ac per nomen illius jurabis.*

At si Dei nomen aliter usurpamus, absque necessitate, absque reverentia, secundum præceptum violamus. Qua de re *S. Joannes Chrysostomus*, Homilia 2. in Acta præclarè scribit: *Nullus cum reverentia memor est nominis Dei. Et tu quidem si dilexeris quempiam, ad nomen illius excitatior efficeris. Deum autem sic continuò vocas, quasi nihil. Voca illum ut benefacias inimicu, voca illum in salutem tua anima, tunc aderit, tunc lætificas illum; nunc autem exacerbas. Voca illum, sicut vocavit* Act. 7. 59. » *Stephanus, dicens,* Domine, ne statuas illis hoc » peccatum. *Voca illum, ut vocavit uxor Elcana, cum lachrymis, cum lamentis, cum oratione. Voca illum, sicut vocavit Moyses, & clamabat orans pro illis qui ipsum in fugam egerant. Et tu quidem si alicujus viri reverendi memor es sine reverentia, contumeliam putas: Deum autem circumferens, non solum sine reverentia, sed etiam intempestivè, nihiline facis rem illam? Et quantò supplicio dignus eris? Non prohibeo Deum perpetuò habere in animo. Hoc enim oravim & velim, sed non præter id quod illi placet, sed si laudas, si colis, magna, si hoc concesserit, nobis bona sunt: si quando oportet, ac in quibus oportet, solùm vocavimus illum. Quare, dic oro, in Apostolorum ore tot virtutes tantæque fiebant, in vobis autem non? Quamvis idem sit Deus, idem nomen, sed non est par. Quomodo? Quia illi quidem in his, quæ dixi, ipsum invocabant solùm; vos autem non in illis, sed in aliis.*

III. Secundum præceptum prohibet, ne Dei Necessariæ tres dicti juramenti conditiones. nomen in vanum assumatur, ne per ipsum falsò, frustra, aut temerè juretur. Ut enim rectum sanctúmque sit Juramentum, tres comites habere necessariò debet, veritatem, judicium, & justitiam, ut docet *S. Hieronymus* in illud Jeremiæ IV. *Jurabis, Vivit Dominus, in veritate, in judicio, & in justitia.* Primum itaque in jurejurando locum veritas habet, nimirum ut quod asseritur, & ipsum verum sit: & qui jurat, id ita esse arbitretur, non quidem temerè, aut levi conjecturâ adductus, sed certissimis argumentis. Nec solùm cùm aliquid asserimus, sed & cùm promissum Juramento confirmamus, ita debemus esse comparati, ut cùm tempus advenerit, datáque opportunitas fuerit, id re ipsa præstemus, & promissum exsolvamus, nisi fortè mutatâ rerum conditione tale esse incœperit quod polliciti sumus, ut jam si fidem servare, & promissis stare velimus, in Dei odium & offensionem incurramus. Veritatem autem Jurijurando esse necessariam David quoque indicat his verbis, *Qui jurat* Psalm. 14. *proximo suo, & non decipit.*

Cum judicio præterea jusjurandum conjunctum esse debet, ut non temere & inconsideratè, sed consultò & cogitatò adhibeatur. Itaque juraturus primùm quidem consideret utrum id postulet necessitas, eaque sit causa quæ jurejurando indigere videatur. Tempus præterea spectet, locum attendat, aliáque permulta, quæ rebus adjuncta sunt, circumspiciat: non odio, non amore, non cupiditate, aut aliqua animi perturbatione impellatur, sed ipsius rei vi ac necessitate: alioqui jusjurandum præceps, ac temerarium erit. Cùm itaque judicio & prudentiâ opus sit, pueri verò ita acutè perspicere ac discernere nondum per ætatem possint, ut cum reverentia Deo debita jusjurandum præstent, jure sancitum est ne à pueris ante pubertatem, hoc est, ante XIV. annum jusjurandum exigatur, Canone *Pueri*, Causa XXII. Quæst. V. & Canone *Honestum*, ibidem.

Justitia denique comes jurisjurandi esse debet. Unde si quis injustum aliquid & inhonestum promittit, promissúmque juramento confirmat, & jurando peccat, & promissa implendo scelus scelere cumulat. Tale fuit Jusjurandum *Herodis* Regis, qui Puellæ saltatrici caput *Joannis Bap-* Matt. 6. *tistæ* tanquam saltationis præmium dedit. Tale Juramentum Judæorum, qui se ipsos ea conditione devoverunt nihil gustaturos, donec *S. Paulum* occidissent, ut in Actis Apostolorum, Act. 23. refertur. Ita Juramenti conditiones explicat Concilii Tridentini Catechismus.

Sic verò *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXIX. Articulo III. *Juramentum non est bonum, nisi ei qui bene utitur juramento. Ad bonum autem usum juramenti duo requiruntur. Primò quidem quòd aliquis non leviter, sed ex necessaria caussa, & discretè juret: & quantùm ad hoc requiritur judicium, ex parte jurantis. Secundo, quantùm ad id quod per juramentum confirmatur, ut scilicet neque sit falsum, neque illicitum: & quantùm ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis juramento confirmat quod est; & justitia, per quam confirmat quod licitum est. Judicio caret juramentum incautum: veritate, juramentum mendax: justitiâ juramentum iniquum sive illicitum.* Si ista defue-

rint, *nequaquam erit, juramentum sed perjurium*, ut dicitur Canone *Animadvertendum*, ex *S. Hieronymo*.

Quid sit perjurium?

Sed primò quidem & præcipuè perjurium est, cùm deest veritas. Unde perjurium diffinitur, *Mendacium juramento firmatum*. Secundariò autem, cùm deest justitia. Quocunque enim modo quis juret rem illicitam, hoc ipso falsitatem incurrit; quia obligatus est ut contrarium faciat. Denique minùs propriè perjurium est, cùm deest judicium, quia qui temerè jurat, periculo se committit falsitatem incurrendi; ut observat *S. Thomas* Secunda Secundæ, Quæstione xcviii. Articulo 1. Perjurium itaque propriè dictum, falsitatem involvit: cùm enim falsitas fini juramenti, quæ confirmatio veritatis est, è regione adversetur, à falsitate præcipuè petitur juramenti perversitas, quæ dicitur perjurium.

V. Non perjurium modò, sed blasphemia, secundo Decalogi præcepto prohibetur.

Quid blasphemia?

Blasphemia est maledicentia quâ divina bonitati vel excellentia ex malæ voluntatis affectu derogatur. Unde *S. Augustinus*, Libro *De Moribus Manichæorum*, cap. xi. ait: *Est blasphemia, cùm aliqua mala dicuntur de bonis. Itaque jam vulgo blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere: de hominibus namque dubitari potest: Deus verò sine controversia bonus est.* Quicunque ergo de Deo negat aliquid quod illi convenit, vel ei imponit aliquid quod ipsi non convenit, derogat illius bonitati & excellentiæ, ejusque honorem imminuit; quod sive fiat verbis indicativi, sive imperativi, sibi optativi modi, blasphemia est; ut si quis Deum esse injustum, improvidum, crudelem, autorem peccati affirmet, vel opter eum res humanas non curare, peccata nostra ignorare, non prohibere, non punire. Fit aliquando per modum execrationis, ut si quis diceret, Sit maledictus Deus, Pereat Deus: aliquando per modum dubitantis, ut si diceret, Si est Deus, si justus est Deus, & similia, aliquando per modum irrisionis, ut qui dicebant: *Vah, qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas illud:* vel cùm Deo quidem tribuitur quod ipsi revera convenit; sed cum irrisione & contemptu. Sic qui per corpus & sanguinem Dei, per caput Dei jurat, vel alia membra Christi nominat cum irrisione & contemptu, blasphemiam committit: quia etsi membra illa Deo Incarnato conveniant, illa tamen tanquam vilia & contemptu ac vituperatione digna Deo tribuit, quod convitium est Deo illatum, & divinæ Excellentiæ imminutio attentata.

Matth. 27. 40.

Blasphemia quædam est imperfecta, quâ mens interiùs loquitur, & conceptus suos contra Deum exprimit, non ex odio vel detestatione Dei, sed ex aliqua animi perturbatione: alia perfecta, quæ cum detestatione quadam divinæ Majestatis conjuncta est. Quæ si in corde maneat, est *cordis blasphemia*, qualis est divinæ justitiæ detestatio à damnatis. Si verbis exprimatur, est *oris blasphemia*. Unde Christus ait, Matth. xv. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia.*

Item, blasphemia quædam expressa est & formalis, alia implicita & virtualis. Prima committitur, cùm expressè & apertè conceptisque verbis Deo convitium infertur, auferendo ei bonum quod habet, vel affingendo malum quod non habet. Altera fit, cùm non expressis verbis, sed tamen tacitè, & ex affectu, vel modo loquendi innuit aliquid Deo convenire, quod illius excellentiâ indignum est; ut si quis diceret, Velit nolit Deus, hoc faciam, tacitè significaret Deum non esse omnipotentem.

Rursus blasphemia quædam est cum Hæresi conjuncta, alia sine Hæresi. Qui assentitur intellectu his quæ corde vel ore dicit, hæreticus simul est & blasphemus, & in Censuras incurrit, in Hæreticos Jure latas. Si verò non ita credit, blasphemiæ tantùm reus est.

Dei vindicta in perjuros ...

VI. Secundo præcepto Decalogi minæ adhibentur, ut homines ad perjurium proni, propter juramenti frequentiam, ab hoc crimine timore pœnarum deterreantur. *Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.* Quibus verbis & peccati gravitas, & summa in nos Dei benignitas agnoscitur; qui cùm hominum perditione non delectetur, ne ipsius iram & offensionem subeamus, hisce salutaribus minis nos deterret, nimirum ut illum benevolum potiùs quam iratum experiamur. Nullum autem certum supplicium à Deo constitutum est, sed tantùm universè minatur, non impunè laturum quicunque nomen Dei frustra assumpserit, quicunque pejeraverit, aut nomen Dei sanctum blasphemaverit; id est, acerbis pœnis non solùm in futuro, sed & in isto sæculo obnoxium fore. Quàm severè perjuros interdum plectat hoc in sæculo Deus, nonnulla ex Scripturis sacris petita demonstrant exempla. *Facta est fames in diebus David tribus annis jugiter*, propter perjurium, quia scilicet *Saul* voluerat *percutere* Gabaonitas *zelo, quasi pro filiis Israel & Juda*, quibus olim juraverant filii Israël ex ignorantia, quòd non occiderent eos; (*Josue* ix. & ii. *Regum* xxi.) Jussit autem David, ut Dei iram placaret, atque Gabaonitis satisfieret, septem filios *Saul* ipsis tradi in Monte crucifigendos coram Domino. *Sedechiæ* Regis perjurium, qui violato fœdere cum Nabuchodonosor inito & jurisjurandi religione firmato, ad Regem Ægypti transfugerat, ultus est Deus, tradendo ipsum in manus Nabuchodonosor: à quo Babylonem deportatus, ibique mortuus est ut comminatus fuerat Dominus (Ezechielis xvii.) *Nunquid prosperabitur, vel consequetur salutem, qui fecit hæc? Et qui dissolvit pactum, nunquid effugiet? Vivo ego, dicit Dominus Deus: quoniam in loco Regis qui constituit eum Regem, cujus fecit irritum juramentum, & solvit pactum quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur. Et non in exercitu grandi, neque in populo multo faciet contra eum Pharao prælium: in jactu aggeris, & in exstructione vallorum, ut interficiat animas multas. Spreverat enim juramentum ut solveret fœdus, & ecce dedit manum suam: cùm omnia hæc fecerit, non effugiet. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Vivo ego, quoniam juramentum quod sprevit, & fœdus quod prævaricatus est, ponam in caput ejus. Et expandam super eum rete meum, & comprehendetur in sagena mea: & adducam eum in Babylonem, & judicabo eum ibi, in prævaricatione, quâ despexit me.*

Dei animadversio in blasphemos.

VII. Quàm severis porrò suppliciis Deus in blasphemos animadvertat, constat ex Levitici xxiv. ubi blasphemum Dei jussu lapidatum legimus extra Castra, & hanc Populo Israel sancitam Legem: *Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum: & qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur: Lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit.*

Idem probat exemplum *Benadab* Syriæ Regis, de quo Dominus ait per Prophetam Regi Israel

Achab, (III. *Regum*, cap. XX.) *Quia dixerunt Syri: Deus Montium est Dominus, & non est Deus vallium; Dabo, omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, & scietis quia ego sum Dominus.* Hinc Deo duce *Percusserunt filii Israel de Syris centum millia peditum in die una. Fugerunt autem qui remanserant in Aphec, in civitatem: & cecidit murus super viginti septem millia hominum qui remanserant.* Animadvertit autem Dominus in Achab, quòd blasphemum Syriæ Regem vivum dimisisset. *Hæc dicit Dominus: quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus.* Idem quoque demonstrat exemplum *Sennacherib* Regis Assyriorum, de quo dicitur IV. *Regum* cap. XIX. *Cui exprobrasti, & quem blasphemasti? Contra quem exaltasti vocem tuam, & elevasti in excelsum oculos tuos? Contra Sanctum Israël.* Idcirco eadem nocte *Venit Angelus Domini, & percussit in Castris Assyriorum octoginta quinque millia.* Ipséque *Sennacherib* à filiis suis cæsus est, cùm in Templo *Nesroch* Deum suum adoraret. Tempore deinque Novi Testamenti *S. Paulus* blasphemos *Tradidit Satanæ*; ut ipse testatur I. *ad Timotheum* I. 20.

ARTICULUS II.

Quid sit Juramentum? Quotuplex? Et utrum secundo præcepto Decalogi sit prohibitum?

§. I.

Quid sit Jusjurandum?

De jurejurando.

I. *JUramentum est assumptio seu imploratio divini testimonii ad aliquid confirmandum.* Sive, ut diffinit *S. Antoninus* P. II. Tit. X. cap. V. *Juramentum est affirmatio vel negatio de aliquo, scilicet de facto vel faciendo, sacra rei attestatione firmata.* Quaconque ergo verborum formulâ Deus testis invocetur, juramentum est. Nam & Testis est mihi Deus, & per Deum, idem sunt. Est etiam illud jusjurandum quod per execrationem profertur, & execratorium appellatur, quale est illud S. Pauli: *Ego testem Deum invoco in animam meam.* (2. Cor. 1.) Duplex enim est jurandi modus, (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. LXXXIX. Articulo I. in Responsione ad tertiam objectionem.) *Unus quidem* per simplicem Dei contestationem; sicut cùm aliquis dicit, *Est mihi Deus testis*; vel, *Coram Deo loquor*, vel, *Per Deum*; *quod idem est. Alius modus jurandi est per execrationem: dum scilicet aliquis se vel aliquid ad se pertinens ad pœnam obligat, nisi sit verum quod dicitur.* Id paulò uberiùs explicat *S. Augustinus*, Sermone CLXXX. alias XXVIII. *De Verbis Apostoli.* Cap. VI. *Non vos fallant* (inquit) *qui nescio quo modo volentes ipsas jurationes discernere, vel potiùs non intelligere, dicunt, non esse jurationem, quando dicit homo, Scit Deus, Testis est Deus: Invoco Deum super animam meam verum me dicere. Invocavit, inquit, Deum, testem fecit Deum, numquid juravit? Qui hæc dicunt, nihil aliud volunt, nisi invocato Deo teste mentiri. Itane verò quisquis es pravi cordis & perversi cordis, si dicas, Per Deum, juras; si dicas, Testis est Deus, non juras? Quid est enim Per Deum; nisi, testis est Deus? Aut quid est, Testis est Deus; nisi Per Deum? Quid est autem jurare, nisi jus Deo reddere, quando per Deum juras; jus saluti tuæ reddere, quando per salutem tuam juras; jus filiis tuis reddere, quando per filios tuos juras? Quod autem jus debemus saluti nostræ, filiis nostris, Deo nostro, nisi caritatis, veritatis, & non falsitatis? Maximè autem per Deum cùm fit, ipsa est vera juratio: quia & cùm dicit quisque, Per meam salutem, salutem suam Deo obligat: quando dicit, Per filios meos, oppignerat Deo filios suos, ut hoc veniat in caput eorum, quod exit de ore ipsius, si verum verum, si falsum falsum.*

Est & illud verè Jusjurandum, cùm ad faciendam fidem per res creatas juramus; ut per sacra Dei Evangelia, per Crucem, per Sanctorum Reliquias & Nomen, & cætera id genus, neque enim hæc ipsa per se jurijurando auctoritatem aut robur aliquod tribuunt, sed Deus ipse hoc præstat, cujus divinæ Majestatis splendor illis in rebus elucescit; (inquit Concilii Tridentini Catechismus.) Ex quo sequitur, ut per Evangelium jurantes per Deum ipsum jurent, cujus veritas in Evangelio continetur & declaratur: similiter & per Sanctos, qui Templa Dei sunt, quique Evangelicæ Veritati crediderunt, eámque Dei observantiâ coluerunt, & per gentes & nationes latissimè disseminarunt. Id ex *S. Thoma* sumptum, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXIX. Articulo VI. Jurare verò per creaturas non prohibuit absolutè Dominus, cùm ait Matth. V. *Nolite jurare omnino, neque per cælum, neque per terram, neque per Hierosolymam, neque per caput tuum.* Sed ita per creaturas jurare vetuit, ut eis reverentia divina exhibeatur, vel ut pro Diis habeantur, quo modo Israëlitæ jurabant per vitulos aureos, quos in Regno Samariæ extruxerat *Jeroboam*, & dicebant: *Vivit Deus tuus, Dan*, ut refertur *Amos* VIII. Juramentum etiam per creaturas prohibitum est, ita ut creaturæ secundùm se spectatæ vocentur in testimonium, & in eis sistatur; non autem si spectentur cum relatione ad Deum, & quatenus in eis divina veritas promicat. (Qua ratione juramentum per creaturas prohibitum?) *Judæi* porrò per *Angelos, & urbem Jerusalem, & Templum, & elementa jurantes, creaturas resque carnales venerabantur honore & obsequio Dei*, (inquit *S. Hieronymus* in Matth. cap. VI.) Hinc *Per Genios Cæsarum* jurare nefas dicebant Christiani, quia Genios Dæmones censebant, quos ut minores Deos Ethnici venerabantur. Unde *S. Polycarpus* jubenti Proconsuli ut *Per Cæsaris Genium* juraret, constanter respondit: *Christianus sum*; ut refert *Eusebius*, Lib. IV. *Histor. Eccles.* cap. XV. Sed *Per salutem Imperatorum* jurare non verebantur, si quando id necessitas postularet, ut *Tertullianus* refert. Hinc Ephesina Synodus Actione VI. Quartodecimanis ad Ecclesiam redeuntibus, jusjurandum indixit *Per Sanctam & consubstantialem Trinitatem, & per P. Theodosii, & P. Valentiniani Christianissimorum Imperatorum pietatem ac victoriam.* Et *Marcellinus* Comes in Collatione Carthaginensi cum Donatistis, juravit *Per admirabile Mysterium Trinitatis, per Dominicæ Incarnationis Sacramentum, per salutem Principum*, se justè judicaturum. Et *S. Gregorius Magnus* Episcopis à Schismate redeuntibus juramentum præscripsit *Per Deum omnipotentem, per Sancta Evangelia, & salutem Gentiumque illustrium Dominorum nostrorum Rempublicam gubernantium.* (Libro X. Epist. XXXI.) Genii nomine aliud longè intelligebant tunc temporis Christiani, quàm primorum seculorum homines, cùm Pagana Superstitio vigebat. Angelos scilicet Custodes intelligebant S.

De jurejurando.

Gregorius & Episcopi. *Clericum per creaturas jurantem, acerrimè objurgandum; si perstiterit in vitio, excommunicandum*, decrevit Concilium Carthaginense IV. Canone LXI. Non quòd jusjurandum per creaturas absolutè illicitum censeret; sed ut Clericos à quotidianis temerariisque juramentis revocaret. Donatistas Episcopos reprehendit *Optatus Milevitanus* Libro II. quòd per ipsos Schismatici illorum Discipuli jurarent: ob scandalum, & ob fastum, & quòd Ethnici jusjurandum hujusmodi ita interpretari possent, quasi pro Diis Episcopi illi à suis haberentur. *Per vos jurant* (inquit) *& personas vestras jam pro Deo habere noscuntur. Solet Deus ad probandam fidem, in juratione ab hominibus nominari. Sed cùm per vos juratur, jam apud vestros de Deo & Christo silentium est.*

§. II.

Quotuplex Jusjurandum.

II. JUrisjurandi duo sunt genera: primum quidem, quod *Assertorium* appellatur: omnium cùm aliquid de re præsenti aut præterita religiosè affirmamus, ut Apostolus ad *Galatas* cap. I. *Ecce coram Deo, quia non mentior.* Alterum verò *Promissorium* dicitur, (ad quod etiam comminationes referuntur,) futurum tempus spectans, cùm aliquid ita fore pro certo pollicemur & confirmamus. Cujusmodi est illud Davidis, qui Betsabeæ conjugi jurans per Dominum Deum suum, promisit Salomonem ejus filium Regni heredem fore. (III. *Regum* I.)

§. III.

Juramentum debitis conditionibus munitum, licitum est: tantum abest ut secundo Præcepto Decalogi adversetur.

III. ID multis argumentis probatur. Primò, Lex Domini, quæ immaculata est & sancta, juramentum approbat Deuteron. VI. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies: ac per Nomen illius jurabis.* Quod non ita intelligendum est, quasi Deus jurare jusserit, sed in alterius alicujus Dei nomine jurare prohibuit, ut explicat *S. Augustinus* Quæst. II. in *Deuteronomium.* Et à Davide scriptum est, Psalmo LXII. *Laudabantur omnes qui jurant in eo.* Et *Isaie* XIX. necnon *Jeremiæ* XII. prædictum est quòd Populus Christianus inter reliqua pietatis officia, rebus ita exigentibus, per Nomen Dei juraturus esset.

Præterea, Apostolos nonnunquam jurejurando usos esse, constat ex Sacris Litteris, ad *Romanos* I. 9. ad *Corinthios* I. 23. ad *Philippenses* I. 8.

Tertiò, *Apocalipsis* X. scriptum est: *Angelus levavit manum suam ad cælum, & juravit per Viventem in secula seculorum.*

Quartò, Deus ipse Angelorum Dominus in veteri Testamento multis in locis promissiones suas jurejurando confirmat, *Genes.* XXII. 16. *Psalm.* CIX. Ubi David Rex de Dei jurejurando ait: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Et Apostolus ad Hebræos VI. *Abrahæ* (inquit) *Promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per semetipsum, dicens: Nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te.... Homines enim per majorem sui jurant, & omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem est juramentum. In quo abundantiùs*

A *volens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum: ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem.* De Juramento.

Quintò, SS. Patres id confirmant, quorum testimonia congerere non est opus. Sufficiat illud *S. Augustini* Sermone CLXXX. aliàs XXVIII. *De Verbis Apostoli*, cap. IV. *Si peccatum esset juratio, nec in veteri Lege diceretur*, Non per- a Levit. 19. 12.
jurabis, reddes autem Domino jusjurandum tuum. *Non enim peccatum præciperetur nobis. Sed*
B *ait tibi Deus tuus, Si juraveris, non damnabo: si verum juraveris, non damnabo. Sed nunquid si non juraveris damnabo? Duo sunt* (inquit) *quæ non damno unquam, veram jurationem, & nullam jurationem: damno autem falsam jurationem.* Et cap. V. *Ut noveritis, verum jurare non esse peccatum, invenimus & Apostolum Paulum jurasse:* Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam a 1. Cor. 15.
habeo in Christo Jesu Domino nostro. *Per vestram gloriam, juratio est.*

Sextò, à Conciliis & Summis Pontificibus approbatum, & in quibusdam negotiis indictum
C jusjurandum est, Canone *Omne*, Causa XXII. Quæstione I. ex Concilio Toletano VIII. & cap. *Nimis*, Extra, *De Jurejurando*; ex Concilio Lateranensi sub *Innocentio III.* Et ex usu totius Ecclesiæ Catholicæ idem confirmatur. Unde in Concilio Constantiensi Sessione VIII. inter *Joannis Wiclef* Articulos, quorum alii notoriè dicuntur hæretici, alii erronei, alii scandalosi & blasphemi, alii piarum aurium offensivi, alii temerarii & seditiosi, quadragesimus tertius hic damnatur: *Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus, & commercia civilia.*

D Denique idem confirmat ratio ex origine & fine juramenti petita. Jusjurandum enim originem habet ex fide quâ homines credunt Deum esse primam & summam veritatem, quæ nec falli unquam possit, nec fallere; cujus oculis nuda sunt omnia & aperta; qui renes & corda scrutatur: qui rebus humanis universis admirabili providentiâ consulit, Mundumque administrat. Hâc (inquam) fide homines imbuti, Deum veritatis testem invocant, cui fidem non habere, impium ac nefarium sit. Finis verò juramenti est probatio justitiæ & innocentiæ homi-
E nis, & finis controversiarum (ut Apostolus docet ad *Hebræos* VI.) Jusjurandum ergo laudabile est, sive ejus originem, sive finem spectemus, modò debitis conditionibus muniatur, & veritatem, judicium, & justitiam comites habeat, ut superiùs explicui.

IV. Huic sententiæ repugnare verba Salvatoris *Matthæi* V. aliquis objiciet. Ait enim Christus: *Audistis quia dictum est Antiquis: Non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, Non jurare omnino, neque per Cælum, quia Thronus Dei est, neque per terram,* Respondet objectioni ex Christi verbis petitæ contra religionem juramenti.
F *quia scabellum est pedum ejus: neque per Jerosolymam, quia civitas est magni Regis: neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester, Est, est: Non, non. Quod autem his abundantius est, à malo est.*

Verùm hanc objectionem facilè diluemus. His enim verbis jusjurandum generatim universèque non damnat Dominus, sed perversum Judæorum judicium redarguit, qui sibi in animum induxerant, nihil in juramento cavendum esse præter mendacium. Unde in rebus levissimis & nullius momenti & ipsi jurabant sæpissimè, &

ab

De Juramento.

ab aliis jusjurandum exigebant. Pessimum hunc morem Salvator noster reprehendit, docétque omnino à jurejurando temperandum esse, nisi gravis necessitas nos jurare compellat: Cùm enim jusjurandum propter humanam imbecillitatem sit institutum; *à malo* reverà provenit, quia aut jurantis inconstantiam & levitatem indicat; aut illius, cujus causâ juramus, contumaciam, qui ut credat, aliter adduci non potest. Sed tamen jurandi necessitas excusationem habet. Et quidem cùm inquit Salvator, *Sit sermo vester, Est, est: Non, non*; satis declarat hac loquendi formulâ, se jurandi consuetudinem in colloquiis familiaribus, & ubi levibus de rebus agitur, prohibere, ne nimia ad jurandum propensio, pravâque consuetudo, ad perjurium facilè pertrahat incautos. Christi verba sic exponit Concilii Tridentini Catechismus. Quam expositionem hausit ex *S. Basilio* in illa verba Psalmi xiv. *Qui jurat proximo suo & non decipit*, & ex *S. Augustino* pluribus in locis, sed præsertim Libro *De Mendacio*, Cap. xv. ubi hæc habet: *Juravit ipse Apostolus in Epistolis suis. Et sic ostendit quo- » modo accipiendum esset quod dictum est*, Dico » vobis non jurare omnino: *Ne scilicet jurando ad facilitatem jurandi veniatur, ex facilitate ad consuetudinem, atque ita ex consuetudine in perjurium decidatur. Et ideo non invenitur jurasse nisi scribens, ubi consideratio cautior non habet linguam præcipitem. Et hoc utique à malo, sicut dictum est,*

Matth. 5. 37.

» Quod autem amplius est, à malo est: *non tamen suo, sed eorum infirmitatis, quibus etiam sic fidem facere conabatur. Nam quod loquens jurasset, dum non scriberet, nescio utrum aliqua de illo Scrip- » tura narraverit. Et tamen Dominus ait*, Omni- » no non jurare: *non enim concessit ut id liceret scribentibus. Sed quia præcepti violati reum Paulum, præsertim in Epistolis conscriptis atque editis ad spiritalem vitam salutemque populorum nefas est dicere: intelligendum est illud quod positum est*, omnino, *ad hoc positum, ut quantum in te est, non affectes, non ames, non quasi pro bono cum aliqua delectatione appetas jusjurandum*. Et Libro xix. *Contra Faustum*, Cap. xxiii. *Quia*, inquit, *pejerare grave peccatum est; non jurare autem, sicut verum jurare, nullum peccatum est; sed longiùs remotus est à falsum jurando, qui nec jurare consuevit, quàm qui verum jurare proclivis est: maluit nos Dominus & non jurantes non recedere à vero, quàm verum jurantes propinquare perjurio. Itaque & Apostolus in sermonibus quos habuisse narratur, nunquam juravit, ne jurandi consuetudine aliquando velnescius in perjurium laberetur. In scriptis autem ubi est consideratio major atque propensior, pluribus locis jurasse invenitur, ne quisquam putaret etiam verum jurando peccari, sed potiùs intelligeret humana fragilitatis corda non jurando tutiùs à perjurio conservari.*

Et in Commentario Epistolæ ad Galatas: *Non est contra præceptum juratio, quæ à malo est, non jurantis, sed incredulitatis ejus, cui jurare cogitur.*

Alium præterea Scribarum & Pharisæorum errorem redarguit Dominus, qui juramenta per creaturas facta non obligare putabant, illorúmque violationem perjurium non esse. Excipiebant tamen creaturas quasdam avaritiæ suæ servientes, nempe aurum Templi, & dona Deo oblata, quæ in Sacerdotum usum ac emolumentum cedebant. Hunc errorem eis improperat Matthæi xxiii. *Væ vobis*, inquit, *duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per Templum, nihil est: qui autem juraverit in auro Templi, debet. Stulti & cæci! quid enim majus est, aurum, an Templum quod sanctificat aurum? Et quicumque juraverit in Altari, nihil est: quicumque autem juraverit in dono quod est super illud, debet. Cæci! Quid enim majus est, donum, an Altare quod sanctificat donum?* Ostendit autem Dominus, tum hoc loco, tum *Matthæi* v. Juramenti per creaturas facti vinculo non minùs homines stringi, quam si expresso Dei nomine jurassent, quia in creaturis summa Dei veritas elucescit, & ad Deum relationem habet quævis creatura, maximè autem creaturæ nobiliores. *Qui jurat in Altari*, inquit, *jurat & in eo, & in omnibus quæ super illud sunt: & quicumque juraverit in Templo, jurat in illo, & in eo qui habitat in ipso: & qui jurat in Cælo, jurat in Throno Dei, & in eo qui sedet super eum.* Hanc explicationem confirmat *Sanctus Augustinus* Libro I. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. xvii. Omne igitur juramentum non prohibet Dominus, *Sed ita intelligitur præcepisse ne juretur, ne quisquam sicut bonum appetat jusjurandum, & assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem delabatur. Quapropter qui intelligit, non in bonis, sed in necessariis jurationem habendam, refrenet se quantùm potest, ut non eâ utatur, nisi necessitate, cùm videt pigros esse homines ad credendum, quod eis utile est credere, nisi juratione firmetur. Ad hoc itaque pertinet quod sic dicitur*, Sit autem sermo vester, Est, est; Non, non. « *Hoc bonum est, & appetendum.* Quod autem « amplius est, à malo est: *Id est, si jurare co- « geris, sciat de necessitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid suades: quæ infirmitas utique malum est, unde nos quotidie liberari deprecamur, cùm dicimus*, Libera nos à malo. *Itaque non dixit, Quod « autem amplius est, malum est; tu enim non malum facis, qui bene uteris juratione, quæ etsi non bona, tamen necessaria est, ut alteri persuadeas quod utiliter suades: sed* A malo est, *illius cujus infirmitate jurare cogeris.*

Eamdem explicationem confirmat *Innocentius III.* Cap. *Etsi Christus*, Extra, *De Jurejurando*. Idem est sensus verborum *S. Jacobi*, Epistolæ Catholicæ Cap. v. scribentis: *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester: Est, est: Non, non, ut non sub judicio decidatis.*

S. Chrysostomi contra juramenta sententia explicantur.

S. Joannes Chrysostomus ut pravam jurandi consuetudinem apud Antiochenos regnantem radicitus evelleret, toto eloquentiæ sacræ fervore in juramenta declamans, de jurejurando sæpe loquitur ut de re mala & diabolica, non quod malum jusjurandum esse existimaret, veritate, justitiâ, & judicio munitum: nam & illo præsente Antiochenos super Evangelia jurare compulsos, ubi caussæ necessitas exigeret, certum est ex Homilia ipsius xv. ad Populum Antiochenum. Sed juramenti frequentationem, (& ut ita loquar) affectationem velut rei per se bonæ, expetendæ, laudabilis, malum esse docet; vel jurandi necessitatem ex peccato profectam, quia hominum infirmitas & incredulitas, propter quam juramento interdum uti necesse est, ex peccato originem habet. Ita enim Homilia ix. in Acta Apostolorum: *Unde*, inquit, *ingressum est juramentum? Quando mala creverunt, quando omnia simul sursum ac deorsum facta sunt, quando ad idololatriam declinarunt: tunc sanè quando infideles apparuerunt, Deum vocabant testem, quasi fidejussorem dantes dictis satisfacturum. Juramentum enim est fidejussio, ubi mores fidem non habent: unde primum taxatur is qui jurat, si ei fides non ha-*

Juramenti frequentatio mala.

De Juramento.

beatur absque fidejussore, & fidejussore maximo: & quia tam parum homines sibi mutuò credunt, non hominem quærunt fidejussorem, sed Deum. Secundo, idem crimen est ejus qui juramentum recipit, si pro contractibus Deum ad fidejussionem trahat, & dicat non se crediturum, nisi illum accipiat. Id improbat quod pro levibus rebus juramentum exigatur, & perjurii periculo proximus exponatur. *Rapis ad juramentum? Quid exspectas? Num quod pejeret? Sed hoc extrema insipientia. In tuum enim caput pœna convertetur. Melius erat opes perire, quàm illum perire. Quare cum tuo damno hoc facis, & cum contumelia Dei? Bestia est talis anima, & viri impii. Sed exspecto quod non pejeret. Igitur & absque juramento crede. Sed sunt multi, aiunt, qui absque juramento audent fraudem facere; qui cum juramento non item faciunt. Decipis te ipsum. Homo furari qui didicerit, & hominem injuriâ afficere, vellet etiam juramentum calcare sæpius. Si autem reverentiam habet in jurando, multò magis in justè faciendo.* Juramenta temeraria, levibusque de causis, & nulla urgente necessitate indicta vel emissa reprehendit, utpote quæ perjuriis occasionem præbeant. Homilia XIX. *Audisti Christi sententiam dicentem, quòd non pejerare tantùm, verùm & jurare quomodocunque diabolicum est, & tota Maligni machinatio? Audisti quòd ubique juramenta sequuntur perjuria? hæc omnia congregans, inscribe cordi tuo.* Et Homilia LX. *Est jurandi peccatum, non solùm cùm de rebus frivolis, sed etiam cùm de majoribus celebratur. Nos autem & cùm olera comparamus, & cùm de uno nummo contendimus, & cùm adversùs servulum commovemur, Deum ubique testem invocamus. Et hominis quidem ingenui & aliqua exigua dignitate muniti, in publico ad hujusmodi res non audemus testimonium postulare, ne & injuriarum contra nos vindicta procedat. Deum autem Cœlorum Regem, Angelorum Dominum, & cùm contrahis, & cùm loqueris, & cum quibuslibet sermonibus delectaris, advocas testem?*

Juramenta levibus de causis, nulla urgente necessitate facta, meritò reprehenduntur.

Idem Homilia XV. *Gemo, & lachrymis prosequor, & horresco, cùm video quempiam prope Mensam hanc venientem, & Evangelii jurantem attactis. De pecuniis dubitas, & animam occidis? Quid tantùm lucraris, quantùm animam tuam & proximum lædis? Si enim credis quòd verax sit homo, ne juramenti necessitatem adducas. Si verò nosti quòd mentitur, ne pejerare cogas.* Jurandi necessitatem prætexi non patitur, cùm jusjurandum exigitur ab iis qui exigendi auctoritatem non habent, & levibus de causis: sed superflua & temeraria juramenta maximè insectatur Homilia XVI. *Nec mihi dicas, Quid autem si quis jurandi necessitatem imponat, quid autem si non credat? Maximè verò ubi Lex violanda, necessitatis meminisse non oportet. Una est enim inevitabilis necessitas, Deum non offendere. Veruntamen interim illud præsta, superflua recide juramenta, temerè & sine necessitate domi cum amicis, cum servis prolata. Si hæc sustuleris, in illis mei nihil ampliùs indigebis: ipsum os jurandi frequentiam timere & fugere meditatum, neque si quis millies coegerit, in illam ampliùs cadere consuetudinem admittet.* Et infrà: *Sed sicut venenum quodpiam nunquam gustare quis eligeret, neque instante necessitate: sic neque juramenta admittere.* Fictitiam & simulatam necessitatem intelligit, qualem prætexit hominum vulgus in quotidiano commercio, pro rebus levissimis, nullâ ratione aut consilio, sed pravâ consuetudine jurantium.

Ex facto *S. Basilidis* Martyris, nemo inferat juramentum per se malum esse, Christianisque prohibitum: *Qui cùm à contubernalibus suis Sacramento adigeretur, nefas sibi esse affirmavit omnino jurare: quippe Christianum se esse, idque palam profiteri;* ut refert *Eusebius* Libro VI. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. V.

Est enim in promptu Responsio, *Basilidem* Militem Christianum nondum fuisse præceptis Evangelicis plenè institutum: & quia Christiani solliciti à juramento abstinebant, ne temerè jurarent, ipse existimavit non licere Christianis jusjurandum. Ad hæc, nulla jurandi necessitate premebatur, cùm à contubernalibus dumtaxat, non à Principe aut Magistratu, indiceretur illi jusjurandum. Denique verisimile est rogatum fuisse ut juraret per falsa Numina, quod Christiano non licet. Exaudi enim Cap. XXIII. præcipit Dominus: *Omnia quæ præcepi vobis custodite, & per Nomen Deorum externorum non jurabitis.*

ARTICULUS III.

Regulæ Morales de Juramentis, & Perjuriis.

REGULA I.

Perjurium omne lethale peccatum est.

Perjurium peccatum est contrarium Religioni.

QUi enim falsum jurat, insignem Deo injuriam facit, quippe qui aut illi inscitiæ notam inurit, dùm ipsum alicujus rei veritatem latere arbitratur, aut certè improbitatis & pravi affectûs, qui mendacium testimonio confirmare velit. *Et ideo perjurium manifestè est peccatum Religioni contrarium, cujus est Deo reverentiam exhibere;* (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XCVIII. Articulo II.) Hinc *Levitici* XIX. IX. qui in nomine Dei pejerat, polluere dicitur nomen Dei: *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui; Ego Dominus.* Proinde perjurium severissimè Deus punit, ut constat ex *Zacharia* Cap. V. ubi scriptum est: *Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur judicabitur: & omnis jurans ex hoc similiter judicabitur.* (Jurantis nomine pejerantem notat.) *Educam illud, dicit Dominus exercituum: & veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter: & commorabitur in medio domûs ejus, & consumet eam, & ligna ejus, & lapides ejus.* Hinc rursus *Sanctus Thomas* Articulo III. ejusdem Quæstionis: *Quicquid*, inquit, *pertinet ad contemptum Dei, est peccatum mortale: perjurium autem, ex se importat contemptum Dei: unde perjurium est peccatum mortale.*

Hanc veritatem confirmat *Sanctus Augustinus*, Sermone CLXXX. aliàs XXXVIII. *De Verbis Apostoli*, Cap. VI. & VII. *Cùm filios suos, vel caput suum, vel salutem suam quisque in juratione nominans, quicquid nominat obligat Deo, quantò magis quando pejerat per ipsum Deum? Timet enim falsum jurare per filium suum, & non timet falsum jurare per Deum suum? Fortassis hoc dicens in animo suo, Timeo per filium meum falsum jurare, ne moriatur: Deo autem qui non moritur, etsi falsum per eum juretur, quid mali contingit? Bene quidem dicis, nihil mali contingit Deo, quando falsum juras per Deum: sed contingit mali multùm tibi qui fallis proximum, cui testem adhibes Deum. Si aliquid teste filio tuo faceres, & amico vel proximo tuo, vel cuilibet homini diceres, Non feci,*

De juramento & perjurio.

feci, & tangeret filio tuo caput, quo teste fecisti, & diceres, Per hujus salutem, quia non feci: exclamaret fortè filius tuus sub paterna manu tremens, nec tamen paternam manum, sed divinam tremens, Noli pater, non tibi vilis sit salus mea; Deum super me invocasti, ego te vidi, fecisti, noli pejerare: te quidem habeo genitorem, sed plus & tuum & meum timeo Creatorem. Sed quia Deus quando per eum juras, non tibi dicit, Ego te vidi, noli jurare, fecisti: sed times ne te iste occidat, tu te ante occidis. Quia ergo non dicit, Ego te vidi, putas quia non vidit? Et ubi est quod dicit, Tacui, tacui, nunquid semper tacebo? *Et tamen plerumque dicit, Ego te vidi: sed aliter quando vindicat in perjurum. Sed non in omnes vindicat: ideo homines ædificantur ad exemplum. Ego scio, ille mihi falsum juravit, & vivit. Ille sibi falsum juravit, & vivit? Tu falleris. Si tu oculos haberes unde mortem hujus videres; si & tu in eo quod est mori & non mori non fallereris, videres hujus mortem. Et modò intende Scripturam: & ibi invenies jacentem, quem putas viventem. Quia pedibus ambulat, quia manibus contrectat, quia oculis videt & audit auribus, officiis ceteris membrorum satis utitur, viventem putas. Vidit, sed corpus ejus: mortua est autem anima ejus, mortuum est quod melius ejus.*

Isai. 42.

REGULA II.

Reus est perjurii, non solùm, qui jurat tanquam verum quod falsum esse novit: sed & qui temerè & inconsideratè jurat quod verum esse putat, & tamen falsum est: & qui jurat quod falsum esse putat, & fortè verum est.

HAnc Regulam tradit Concilii Tridentini Catechismus. *Jurat falsò*, inquit, *non is solum qui quod falsum scit, verum esse jurando affirmat: sed ille etiam qui jurejurando id asserit, quod cùm verum sit, tamen ipse falsum putat. Nam cùm mendacium eà re mendacium sit, quòd contra mentem & animi sententiam profertur; perspicuum est hunc planè mentiri & perjurum esse. Simili quoque ratione pejerat, qui id jurat, quod verum existimat, & tamen revera falsum est; nisi quantum potuit, curam & diligentiam adhibuit, ut totam rem compertam atque exploratam haberet.*

Hanc doctrinam Catechismi Autores ex *Sancto Augustino* hauserunt Sermone mox laudato. *Homines*, inquit, *falsum jurant, vel cùm fallunt, vel cùm falluntur: aut enim putat homo verum esse quod falsum est, & temerè jurat; aut scit aut putat falsum esse, & tamen pro vero jurat, & nihilominùs cum scelere jurat. Distant autem ista perjuria, quæ duo commemoravi. Fac illum jurare, qui verum putat esse pro quo jurat: verum putat esse, & tamen falsum est. Non ex animo iste perjurat, fallitur, hoc pro vero habet quod falsum est, non pro re falsa sciens jurationem interponit. Da alium qui scit falsum esse, & dicit verum esse; & jurat tanquam verum sit, quod scit falsum esse. Videtis quàm ista detestanda sit bellua, & de rebus humanis exterminanda? Quis etiam hoc fieri velit? Omnes homines talia detestantur. Fac alium, putat falsum esse, & jurat tanquam verum sit, & fortè verum est. Verbi gratiâ, ut intelligatis, pluit in illo loco: Interrogas hominem, & putat non pluisse, & ad negotium ipsius competit ut dicat, Pluit: sed putat non pluisse: dicitur ei, Verè pluit, Verè, & jurat: & tamen pluit ibi, sed ille nescit, & putat non pluisse, perjurus est. Interest quemadmodum verbum procedat ex animo. Ream linguam non facit nisi mens rea. Quis est autem qui non fallatur, etsi noluit fallere? Quis est homo, cui non subrepat fallacia? Et tamen juratio ab ore non discedit, frequentatur: plura sunt plerumque juramenta quàm verba. Si discutiat homo quoties juret per totum diem, quoties se vulneret, quoties gladio linguæ se feriat & transfigat, quis in illo locus invenitur sanus? Quia ergo grave peccatum est pejerare, compendium tibi dedit Scriptura, Noli jurare.* Refertur ex parte hic *S. Augustini* locus Canone *Homines*, Causa XXII. Quæst. II. *Non tamen ita est perjurus ille qui falsum jurat quod putat esse verum, sicut ille qui verum jurat, quod putat esse falsum*, (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XCVIII. Articulo I. in Responsione ad tertiam objectionem.) Quæ Responsio consona est *S. Augustini* menti Sermone CCCVIII. aliàs 21. ex additis à Parisiensibus, qui est in Decollatione S. Joannis Baptistæ. *Aliquando*, inquit, *& nolens homo perjurat, cùm verum putat esse quod jurat. Non est quidem tantum peccatum, quantum ejus qui scit falsum esse, & tamen jurat.*

De juramento & perjurio.

REGULA III.

Perjuri sunt, qui promissum juramento confirmant, cum proposito non implendi quod promittunt; aut illud revera non implent, cùm res promissa possibilis & illicita est, nec melioris boni est impedimentum.

QUi enim jurat id quod est in sua potestate, & quod bonum atque licitum est, nec boni melioris impedimentum, pro viribus efficere tenetur ut verum sit quod juravit; alioqui deest veritas juramento: & quidem si propositum habeat non implendi promissum quod jurejurando confirmat, Deum testem appellat falsitatis: si verò non impleat, cùm potest, & debet; si jusjurandum negligit, quo nullum vinculum ad stringendam fidem arctius est, pariter reus est perjurii: quod enim eà animi tui sententiâ juraveris, sicut verbis concipitur, more nostro, id non facere, perjurium est. Hinc *Sanctus Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. LXXXIX. Art. VII. ait: *Quicumque jurat aliquid se facturum, obligatur ad id faciendum, ad hoc quòd veritas impleatur. Si tamen alii duo comites adsint, scilicet judicium & justitia.* Lex enim Dei est: Exodi XX. & Matth. V. *Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua.*

Hanc Regulam confirmat *Sanctus Raymundus*, Libro I. Summæ, Tit. *De Juramento & Perjurio*, pag. 92. col. 2. Quærit utrum necessitas in juramento promissorio excuset à perjurio: verbi gratiâ, juravit debitor se soluturum statâ die, impeditus non potest solvere. Respondet: *Si tunc quando jurabat, credebat se non posse solvere; vel credebat quòd posset, sed fatuè, quia non habebat causam credendi: tunc in utroque casu pejerabat, quia in primo casu deerat veritas in conscientia; in secundo judicium. Si verò ab initio credebat se posse solvere, & probabiliter, non pejerabat quantùm ad hoc; sed postea si fecit posse suum in utroque casu, & non potuit persolvere in termino, non est perjurus ex hac causa. Multò magis excusatur, si misit tempore debito, sed casu fuit amissa in via pecunia*, ut colligitur ex Cap. *Querelam*, Extra, *De Juramento*, ex Canone *Si nulla*, Causa XXII. Quæstione VIII. & Canone *Sicut*, Distinctione I. De Consecratione. *Si tamen elapso termino posset, & non persolveret, esset perjurus: lapsus enim termini non sustulit obligationem juramenti*, ut colligitur ex Cap. *Cùm dilecti*, Extra, *De Dolo & Contumacia.*

De juramento & perjurio.

Eamdem confirmat Venerabilis Gersonius in Expositione Præceptorum Decalogi. *Quantum ad Juramentum de futuris*, inquit, *persona statim perjurat tunc cùm habet voluntatem firmam non implendi, vel quia non implet de facto.*

REGULA IV.

Reus est perjurii, qui promittit aliquid quod non est in ejus potestate, nec probabiliter futurum est, si promissum imprudens juramento confirmet.

DEest enim jorijurando consideratio & jodicium, ut ait *S. Thomas* Articolo VII. supra laudato. *Si est*, inquit, *talis res, qua in ejus potestate non sit, deest juramento discretionis judicium: nisi fortè quod erat ei possibile quando juravit, reddatur ei impossibile per aliquem eventum. Putà, cùm aliquis jurat se pecuniam soluturum qua ei postmodum vi vel furto subtrahitur. Tunc enim videtur excusatus esse à faciendo quod juravit, licèt teneatur facere quod in se est.*

REGULA V.

Reus est perjurii, qui jurat aliquid per se malum, aut quod melioris boni impedimentum est: & si juramentum servet, cùm res est per se mala, perjurium novo scelere cumulat.

HAnc Regulam *S. Augustini* & Canonum auctoritate fultam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXIX. Articulo VII. *Si verò*, inquit, *sit quidem possibile fieri, sed fieri non debeat, vel quia est per se malum, vel quia est boni impeditivum, tunc Juramento deest justitia. Et ideo juramentum non est servandum in eo casu quo est peccatum, vel boni impeditivum. Secundùm enim S. Augustinum, utrumque horum vergit in deteriorem exitum.* Ait nempe *S. Augustinus* Libro *De Bono Conjugali*, Cap. IV. *Cùm ad peccatum admittendum adhibetur fides, mirum si fides appellanda est: verumtamen qualiscumque sit, & contra ipsum fit, pejus fit: nisi cùm propterea deseritur, ut ad verum fidem ac legitimum redeatur, id est, ut peccatum emendetur, voluntatis pravitate correctâ:* Verbi gratiâ, cùm datam fidem adoltero rescindit adultera, ut ad fidem conjugalem redeat, quam Marito violavit. Refertur Canone *Si ad peccatum*, Causa XXII. Quæstione IV. & Canone *Mulier*. Ratio est, quia *Juramentum non ob hoc fuit institutum ut esset vinculum iniquitatis*, ut dicitur Canone *Inter cetera*, ibidem, occasione cujusdam qui se matri & fratribus necessaria non ministraturum juraverat. Et ibidem subditur: *Sacramentum ad hoc non debere fieri, ut injusta juratio suorum bonorum sit injustè jurantibus expoliatio, & accipienti æterna damnatio. Perjurii namque percutitur pœnâ, & velut homicidia in extremo examine à justo Judice degradabitur, per quem Sacrosanctum Evangelium ad injustum & illicitum, quasi testimonium justæ & humanæ petitionis adducitur.* Hinc Regula Juris in Sexto: *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.*

Eamdem Regulam explicat *S. Thomas*, Quæstione & Articulo mox indicatis, in Responsione ad secundam Objectionem. *Juramentum*, inquit, *potest vergere in deteriorem exitum dupliciter. Uno modo, quia ab ipso principio habet pejorem exitum: vel quia est secundum se malum, sicut cùm aliquis jurat se perpetraturum adulterium. Sive quia est majoris boni impeditivum, putà, cùm aliquis jurat se non intraturum Religionem, vel quòd non fiet Clericus, aut quòd non accipiet Prælationem in casu in quo expedit eum accipere, vel si quid aliud est hujusmodi.* Istius namque generis juramenta à principio sunt illicita, cum aliquo tamen discrimine: *Quia si quis juret se facturum aliquod peccatum: & peccavit jurando, & peccat juramentum servando. Si quis autem jurat se non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur: peccat quidem jurando, in quantum ponit obicem Spiritui Sancto, qui est boni propositi inspirator; non tamen peccat Juramentum servando, sed multò meliùs facit si non servet.*

De juramento & perjurio.

Alio modo vergit in deteriorem exitum, propter aliquid quod de novo emerserit, quod fuit impræmeditatum, sicut patet in juramento Herodis, qui juravit Puellæ saltanti se daturum quod petisset. Hoc enim juramentum poterat esse à principio licitum, intellectâ debitâ conditione; scilicet, si peteret quod dare liceret. Unde *S. Basilius* Epistola II. ad *Amphilochium*, Cap. XXIX. scribit. *Id quoque jurare Principes, quòd subjectis male facturi sint, magnâ medicinâ opus habet. Medela autem eorum est duplex: una quidem, ut ipsi doceantur non facilè jurare. Altera autem, ne in malis judiciis persistant. Quare qui se alteri malè facturum jurare anticipavit, quod ad jurandum nimiùm facilis fuerit, se pœnitere ostendat: non autem pietatis prætextu suam improbitatem confirmet. Neque enim Herodi jurare profuit, qui ne pejeraret, Prophetam occidit. Semel enim pejurandum est prohibitum: multò autem magis consentaneum est, id esse condemnatum, quod propter malum juratum est.*

Et *Sanctus Ambrosius* Libro I. *De Officiis Ministrorum*: Cap. L. ait: *Est etiam contra officium nonnunquam solvere promissum, sacramentum custodire: ut Herodes qui juravit quoniam quicquid petitus esset, daret filiæ Herodiadis: & necem Joannis præstitit ne promissum negaret.* Et Libro III. Cap. XII. *Purum igitur ac sincerum oportet esse affectum, ut unusquisque simplicem sermonem proferat, vas suum in sanctitate possideat, nec fratrem circumscriptione verborum inducat, nihil promittat inhonestum: ac si promiserit, tolerabilius est promissum non facere, quàm facere quod turpe sit. Sæpe plerique constringunt se ipsius jurisjurandi sacramento: & cùm ipsi cognoverint promittendum non fuisse, sacramenti tamen contemplatione faciunt quod spoponderunt: sicut de Herode supra scripsimus, qui saltatrici præmium turpiter promisit, crudeliter solvit. Turpe, quod Regnum pro saltatione promittitur; crudele, quòd mors Prophetæ pro jurisjurandi religione donatur. Quantò tolerabilius tali fuisset perjurium sacramento? si tamen perjurium posset dici, quod ebrius inter vina juraverat, quod eviratus inter saltantium choros promiserat. Infertur disco Prophetæ caput: & hoc æstimatum est fidei esse, quod amentia fuit.* Quod temerarium juramentum de re mala impleri non debeat, docet etiam *S. Augustinus* Sermone CCCVIII. alias XI. ex additis à Parisiensibus, qui secundus est in Decollatione S. Joannis Baptistæ, Cap. II.

In hujusmodi juramenta, imò potiùs perjuria, quibus aliquid mali juratur, vehementer invehitur *Salvianus* Libro IV. De Gubernatione Dei. *Multi*, inquit, *non otiosas tantummodo res & aniles, sed etiam scelera quædam se jurant per Christi numen esse facturos. Hic enim loquendi usus est talibus: Per Christum, quia tollo illud: Per Christum, quia cædo illum: Per Christum, quia occido illum. Ad hoc res recidit, ut cùm per Christi numen juraverint, putent se scelera etiam religiosè facturos... Quis unquam crederet usque in hanc contumeliam Dei progressuram esse humanæ cupiditatis audaciam, ut*

De Juramento & perjurio.

idipsum in quo Christo injuriam faciunt, dicant se ob Christi nomen esse facturos? O inæstimabile facinus & prodigiosum! Quid non ausæ sint improbæ mentes? Armant se ad latrocinandum per Christi nomen, autorem quodammodo sui sceleris Deum faciunt: & cùm interdictor ac vindex malorum omnium Christus sit, dicunt se scelus quod agunt agere pro Christo.

Eamdem Regulam confirmat Concilium *Toletanum* VIII. Canone secundo. *Si publicis (inquit) sacramentorum gestis (quod Deus avertat) à quibuslibet illicita, vel non bona extitisset conditio alligata, quæ aut jugulare animam patris, aut agere compelleret stuprum sacratissimæ Virginis, nunquid non tolerabilius esset stultæ promissionis rejicere vota, quàm per inutilium promissionum custodiam, exhorrendam criminum implere mensuram?*

Et Concilium *Ilerdense* Canone VII. *Qui sacramento* (inquit) *se obligaverit, ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio uno anno à Communione Corporis & Sanguinis Domini segregetur, reatum suum eleemosynis & fletibus, & quantis potuerit jejuniis absolvat. Ad caritatem verò, quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter venire festinet.*

Concilium denique *Trosleianum* cap. 21. *Cum propter cavendum perjurium, necesse sit, si forte contigerit, servare jusjurandum: illud tamen volumus omnibus esse notum, quoddam juramentum nullo modo à Christianis observandum: videlicet quo malum aliquod incautè, vel etiam scienter, jurando promittitur, velut si quispiam adulteræ perpetuam cum ea permanendi fidem polliceatur; aut, si quis, ne ad pacem redeat, vel ut aliquod flagitium committat, se sacramento constrinxerit. Tolerabilius est denique non implere sacramentum, quàm in illo quod malè spopondit permanere, vel quod decrevit perficere flagitium.* Idque confirmat prolato Canone mox laudato Concilii Ilerdensis.

Id rursus confirmat *S. Thomas*, Quæstione XCVIII. Articolo II. in Responsione ad primum: *Ille qui jurat se facturum aliquid illicitum, jurando incurrit perjurium, propter defectum justitiæ: sed si non impleat quod juravit, in hoc perjurium non incurrit: quia hoc non erat tale quid quod sub juramento cadere posset.*

Et in Responsione ad secundum: *Ille* (inquit) *qui jurat se non intraturum Religionem, vel daturum eleemosynam, vel aliquid hujusmodi, jurando perjurium incurrit, propter defectum judicii. Et ideo quando facit id quod melius est, non est perjurium, sed perjurio contrarium: contrarium enim ejus quod facit, sub juramento cadere non poterat.*

REGULA VI.

Perjurium vel in re levi, vel joco prolatum, lethale nihilominus peccatum est.

ITa docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione mox indicata, Articulo III. in Responsione ad secundam objectionem, cujus hæc sunt verba: *Ille qui jocosè perjurat, non evitat divinam irreverentiam, sed quantùm ad aliquid magis auget; & ideo non excusatur à peccato mortali.*

Propositio damnata.

Hinc inter alios perversæ Moralis errores hæc Propositio XXIV. ab *Innocentio XI.* Pontifice Maximo meritò damnata est anno 1679. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.*

REGULA VII.

Qui ex lapsu linguæ falsum jurat, si consideratè & ex deliberatione juret, perspectámque habeat falsitatem quam jurat, lethalis perjurii reus est. Si autem non advertat, nec jurandi intentionem habeat, venialis duntaxat peccati labem incurrit.

De Juramento & perjurio.

HAnc Regulam tradit ibidem S. Thomas. *Ille autem* (inquit) *qui ex lapsu linguæ falsum jurat, si quidem advertat se jurare, & falsum esse quod jurat, non excusatur à peccato mortali, sicut nec à Dei contemptu: si autem hoc non advertat, non videtur habere intentionem jurandi; & ideo à crimine perjurii excusatur. Est ergo gravius peccatum, si quis solemniter jurat per Evangelium, quàm si per Deum in communi sermone juret: tum propter scandalum, tum propter majorem deliberationem. Quibus æqualiter hinc inde pensatis, gravius est si quis per Deum jurans perjuret, quàm si perjuret jurans per Evangelium.*

Nec alius est S. *Raymundi* sensus, cùm à peccato mortali excusare videtur perjuria quæ fiunt in juramentis quotidianis, ex lapsu linguæ, ex quadam levitate & mala consuetudine, atque etiam in juramentis jocosis. Intelligendus enim est de illis juramentis quibus deest consideratio & plena deliberatio, intentióque jurandi. Non enim pravam consuetudinem excusare *S. Raymundus* existimasset. *Cùm tantò graviora sint peccata, quantò diutius infelicem animam detinent alligatam*, ut habetur in Collectione Decretalium ab ipso adornatâ, cap. *Cùm tantò*, Tit. *De Consuetudine.* Nec perjurium ex joco veniâ dignum sensisset, cùm Deum testem falsitatis quocunque modo appellare, gravis sit divinæ majestatis & veritatis injuria, scriptúmque sit: *Nolite errare: Deus non irridetur.* [Galat. 6.] Hæc porrò sunt S. Raymundi verba. *Circa juramentum promissorium similiter sunt tres modi perjurii. Primus, cùm jurat se facturum vel dicturum aliquod illicitum, vel inhonestum. Secundus, cùm jurat se facturum vel dicturum aliquod licitum; & hoc cum solemnitate, sed absque necessitate, & indiscretè. Tertius, in juramentis quotidianis, quæ fiunt sine solemnitate, & in cursu verborum ex quadam levitate & consuetudine malâ, de re tamen licitâ; ut, Per Deum ibo ad Ecclesiam, vel comedam carnes, vel jejunabo, vel aliquid simile; vel etiam cùm fiunt hujusmodi juramenta jocosa. In his tribus, statim cum jurat, pejerat.* XXII. Quæst. IV. Qui sacramento. *Primum juramentum est mortale, & nullo modo servandum* XXII. Quæst. IV. In malis. *Secundum similiter mortale, sed minus, & omnino servandum, ex quo servari potest sine interitu salutis æternæ.* XXII. Quæst. IV. Si aliquid. *Tertium veniale, & si fieri potest, etiam istud servandum est.*

REGULA VIII.

Quæcunque juramenta vergunt in pejorem exitum, servanda non sunt, nec reus est perjurii, qui illa violaverit.

ITa docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. LXXXIX. Articulo VII. & nititur hæc Regula Canone *In malis*, Causâ XXII. Quæst. IV. (ex S. *Isidoro*, in Synonymis,) *In malis promissis* (inquit) *rescinde fidem.* Et Canone *Si aliquid*, ibidem, (ex Venerabili Beda) *Si aliquid fortè incautiùs nos jurasse contigerit, quod observatum*

De Juramento & perjurio.

pejorem vergat in exitum, illud consilio salubriore mutandum noverimus.

Quamvis autem superiùs, in expositione Regulæ V. *S. Thomæ* verbis explicuerimus quibus modis juramentum in deteriorem exitum vergat, utile tamen erit pauló uberiùs explicare ex *S. Antonino* P. II. Tit. x. cap. vi. & ex *Joannis de Friburgo* Commentariis in Summam S. Raymundi. *Juramentum* (inquit) *vergit in pejorem exitum sex modis. Primò, cùm juratur quod est mortale in se. Secundò, cùm juratur quod est veniale in se. Tertiò, cùm juratur indifferens aliquid, quod ex circumstantia efficitur veniale, vel mortale. Quartò, cùm juramentum excludit opus ex caritate faciendum, ut quando jurat aliquis quòd nihil dabit isti ex caritate, vel quòd non colet Deum. Quintò, cùm excludit opus de genere bonorum; ut cùm quis jurat quòd nunquam erit Episcopus, Monachus, vel Canonicus; vel quòd non celebrabit usque ad mensem, vel quòd non jejunabit pro Deo, vel pro peccatis suis in pane & aqua, si non præcipitur ei; vel quòd non dicet Psalterium vel septem Psalmos; vel quod non juvabit illum in licitis & honestis usque ad certum tempus. Sextò, cùm excludit opus indifferens, piâ intentione pro Deo aut proximo faciendum, ut si quis juret quod non loquetur Martino, vel non intrabit domum ejus; vel non coquet ad furnum ejus, vel molet ad molendinum, vel quòd talia non faciet ei; vel quod non vendet ei rem minori pretio quàm tali; vel non comedet ad eamdem mensam cum eo, aut si juret aliquid hujusmodi indifferens: Credo quòd propter hujusmodi juramentum non debet declinare à talibus; si ea velit facere piâ intentione, & propter Deum & salutem animæ suæ, & propter tollendum scandalum proximi, contra quem sic juravit. In primis autem tribus modis, credo quod posset quilibet sic jurans auctoritate propria venire contra; sed imponenda est ei pœnitentia de temerario juramento. In reliquis tribus, quamvis hujusmodi juramenta non sint obligatoria, nec imponenda sit pœnitentia pro transgressione eorum, tanquam pro mortali; non expedit tamen propria auctoritate contra venire, nisi propter urgentem necessitatem, tum propter reverentiam juramenti; tum propter scandalum simplicium, qui putant sic incurri perjurium. Unde petenda est Absolutio à Superiori, qui hujusmodi juramenta debet facilè relaxare, vel potiùs ostendere sic jurantes non fuisse obligatos, & imponere Pœnitentiam de temerario juramento.*

Sic *Dracontium* Monachum, qui juraverat se non mansurum in Ecclesia sua, si constitueretur Episcopus, sed latebras quæsiturum, juramento illo non teneri *S. Anastasius* docuit scriptâ ad illum Epistolâ.

Sic illos qui juraverant sacram Ordinationem se non suscepturos, illo juramento non teneri, Canon antiquus decreverat: Sanctus verò *Basilius*, formam, verba, causam, & circumstantias jurisjurandi examinari voluit accuratè, ut videretur an conveniens esset remittere illius obligationem, seu vinculum solvere. Hæc sunt ejus verba, Epistolæ ad Amphilochium Canone x. *Qui jurant se Ordinationem non admittere, ejurantes ne cogantur pejerare. Et si enim videatur esse aliquis Canon, qui eis concedit: experientiâ tamen cognovimus, eos qui pejerarunt, non rectâ viâ ingredi. Consideranda autem sunt, & forma, & verba jurisjurandi, & actio, & res pro qua jurarunt, & quæ subtiliter in verbis facta sunt additamenta. Nam si nulla sit penitus excusatio, ii sunt omnino dimittendi.*

Sic *Theodosium* Imperatorem non teneri juramento, quo restaurationem Synagogæ Judæorum ab Episcopo Castri Callinici faciendam; & Monachos, qui Fanum Valentinianorum Hæreticorum ab iis contumeliâ provocati incenderant, supplicio afficiendos juraverat, *S. Ambrosius* declaravit Epistolâ xl. ad ipsum *Theodosium* datâ. *Integra* (inquit) *adhuc tibi sunt omnia. In hoc me ego Deo nostro pro te obligo, nec verearis sacramentum. Nunquid Deo displicere poterit, quod pro ejus emendatur honorificentia? Nihil mutaveris certè in illa Epistolâ, sive missa, sive nondum missa est: dictari jube aliam, quæ plena fidei, plena pietatis sit. Tibi integrum est emendare, mihi non est integrum dissimulare.*

Sic Toletana Synodus VIII. juramentum olim editum de transfugis ac desertoribus nusquam in gratiam recipiendis moderata est, quòd misericordiæ obicem posuisse videretur. *Verùm* (inquit Canone secundo) *ne juramenta quæ data sunt, videamur in nos ita penitus miserationum conclusisse præcordia, ut nullum de pietatis affectu animæ viscera concipiant indulgentiam parituræ: sic stabilitis contractibus juramenti, sinum misericordiæ aperimus, atque ita cunctis Deo placita devotione censemus, ut nos nec juramenti teneat cautio reos, nec inhumanitas faciat execrandos.... Hujus sane promissionis incautæ crudam cruentámque temperare sententiam illâ quàm maximè compellimur causâ, quòd hæc duo mala licèt sint omnino cautissimè præcavenda: tamen si periculi necessitas ex his unum temerare compulerit, id debemus resolvere, quod minori nexu noscitur obligare.... Restat ergo ut eò nostra pergat sententia, quo misericordia potuerit via, quæ à Domino probatur accepta, ut plus tam capiat quàm sacrificia veneranda, dicente ipso:* Misericordiam volo, & non sacrificium. *Ac indulgentia concessa licentiâ, miseratione ipsius opus in gloriosi Principis potestate religimus; ut quia Deus illi miserendi aditum patefecit, remedia pietatis ipse quoque non deneget: quæ ita principali discretione moderata persistunt, ut & illic sit aliquatenus misericordia contributa: & nusquam gens aut patria per eosdem aut periculum quodcunque perferat, aut jacturam, hac miserationis obtentu temperasse sufficiat.*

Sic *Urbanus III.* cap. *Cùm quidam*, Extra, *De Jurejurando*, Pisano Archiepiscopo respondet: *Illi verò qui jurant non loqui patri vel matri, sorori vel fratri, aut illis humanitatis subsidium non exhibere: absolvendi sunt ab illius observantia juramenti, cùm illicitum sit & contrarium rationi: Injunctâ tamen eis de hoc quod malè juraverant Pœnitentiâ competenti.*

Idem Pontifex jusjurandum Monachi, qui iracundiâ succensus, juraverat se in Monasterio, cui Professionis voto erat adstrictus, cùm altero Monacho non mansurum, temerarium esse respondit, quia fidem Professionis illius frangebat, & stabilitatis propositum evacuabat. Cap. *Sicut ex Litteris*, eodem Titolo.

REGULA IX.

Juramentum gravi metu extortum obligat; perjuriique lethalis reus est illius violator, nisi vinculo illius à Romano Pontifice aut Episcopo solutus fuerit.

Nititur hæc Regula Summorum Pontificum Responsis, scilicet *Alexandri III.* cap. *Debitores*, Extra, *De Jurejurando*, ubi eos qui se ad solvendas usuras simplici promissione obstrinxerunt, ad cogendum solvi non debere decernit.

De Juramento & perjurio. *Si verò de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt Domino reddere juramentum. Et cum usuræ solutæ fuerint, creditores ad eas restituendas sunt Ecclesiasticâ severitate, si necesse fuerit, compellendi.*

Et cap. *Si verò*, ibidem: *Si verò aliquis quemquam gravissimo metu, sub Religione juramenti suum jus refutare coëgerit, ipsúmque sibi retinuerit: quia Nos consulere voluisti, duximus tibi respondendum, Quòd non est tutum quilibet contra juramentum suum venire, nisi tale sit quod servatum vergat in interitum salutis æternæ: nec nos alicui dare materiam volumus veniendi contra juramentum proprium,* B *ne autores perjurii videamur.*

Item *Cœlestini III.* qui interrogatus de illis qui jusjurandum *inviti pro vita & rebus servandis*, emiserunt, respondet, se nihil aliud arbitrari, quàm quod Antecessores sui Romani Pontifices arbitrati fuisse noscuntur, *Qui tales à juramenti nexibus absolverunt.* Vinculo itaque juramenti, per vim licet ac metum extorti, obstricti erant, antequam Pontificiâ Auctoritate solverentur. Addit Pontifex: *Cæterum ne agatur consultiùs, & auferatur materia dejerandi, non eis ita expressè dicatur ut juramenta non servent; sed si non ea attenderint, non ob hoc sunt tanquam pro mortali crimine puniendi.* Itaque perjuri sunt, qui à juramento per vim ac metum extorto non absoluti, illud non servant. Quamvis autem lethalis criminis labem incurrant hujusmodi juramenti violatione: in foro tamen exteriori non sunt puniendi ut perjuri. Ita enim statuit Ecclesia, tum in detestationem facinoris illius qui injuriam intulit, tum ex illius commiseratione qui passus injuriam est.

Clementis III. cap. *Ad Aures*, Extra, *De iis quæ vi metúsve causâ fiunt*, cujus hæc sunt verba: *Tuæ Discretioni præsentibus innotescat, quòd renunciatio facta ad terrorem Laïcorum, (nisi fortè juramento, vel fide interpositâ sit confirmata,)* D *non impedit quominus is, qui renunciavit Ecclesiæ, ad cujus regimen priùs erat electus, proficiatur eidem.* Ex hac exceptione, *Nisi fortè juramento*, Glossa colligit: *Ergo si juramentum intervenisset, vel fides interposita fuisset, quòd ulteriùs non repeteret; non potest eam repetere, juramento vel fide obstante, quòd potest servari sine interitu salutis æternæ.*

Sed & *Innocentii III.* de quodam Clerico interrogatus, qui cùm Ecclesiam canonicè adeptus fuisset, & aliquandiu pacificè possedisset, *gravissimo tandem Regis metu, quòd eam resignaret, jurare coactus*, eam in eorum ad quos pertinebat, manibus resignavit: Respondit hunc E in modum: *Quia verò quæ vi, metúsve causâ fiunt, carere debent robore firmitatis: mandamus quatenus si eundem ad Resignationem constiterit verbis per talem metum fuisse coactum, qui potuerit & debuerit cadere in virum constantem; non obstante juramento prædicto, quo non ad non repetendum, sed ad resignandum solummodo tenebatur, præfatam Ecclesiam ei restitui faciatis.* (Cap. *Ad audientiam*, Extra, *De iis quæ vi metúsve causâ fiunt.*)

Sed nihil luculentius ad hujus Regulæ confirmationem afferri potest iis, quæ *S. Augustinus* de F rebus Hippone circa *Pinianum* gestis ad *Alypium* scripsit Epistola cxxv. aliàs ccxxiv. Cùm *Hipponem* ad invisendum *Augustinum* venisset *Pinianus*, ibique rei sacræ interesset, subito populi tumultu ad Sacerdotium postulatus fuit, nec evadere permissus, donec jurasset non se Hippone discessurum; & si quando consensum præberet ut in Clerum cooptaretur, nonnisi in ipsa Hipponensi Ecclesia Ordinationem suscepturum. Conquesti sunt *Albina*, filiúsque ipsius, Hipponenses pecuniæ cupiditate virum prædivitem vindicare sibi fategisse, nollámque vim esse juramenti, quod vi metúque fuisset extortum. His querelis respondens *S. Augustinus*, docet quâ Religione sit exsolvendum juramentum, etiamsi vi & metu extortum fuisset. *Si* (inquit) *certa mors intentaretur, ut aliquid illicitum ac nefarium servus Dei se juraret esse facturum, mori malle quàm jurare debuerat, ne jurationem scelere impleret. Nunc verò cùm tantummodo populi perseverantissimus clamor, ad nullum nefas hominem cogeret, sed ad id, quod si fieret, licitè fieret; cúmque metueretur quidem ne aliqui perditi, qui multitudini etiam bonorum plerumque miscentur, occasione seditionis & quasi justæ indignationis inventâ, in aliquam vim sceleratam rapinarum cupiditate prorumperent, sed tamen illud quod metuebatur esset incertum; quis censeat propter incerta non dico damna & quælibet injurias corporales, sed propter ipsam mortem cavendam, certum perjurium debere committi? Nesciunt quis ille Regulus nihil in Scripturis Sacris de impietate falsæ jurationis audierat, nihil de Zachariæ falce didicerat, &* Zacharia v. secundum Versionem LXX. Interpretum: Ego ea ... falcem ... Omnis fur ex hac usque ad mortem punietur, & omnis perjurus ex hac cruciabitur. *nimirum Carthaginensibus non per sacramenta Christi, sed per Dæmonum inquinamenta juraverat: &* C *tamen certissimos cruciatus & horrendi exempli mortem, non ut juraret necessitate pertimuit, sed liberâ voluntate quia juraverat, ne pejeraret excepit. Ex Romana tunc illa censura noluit habere, non in numero Stultorum, sed in numero Senatorum, nec in cœlesti gloria, sed in terrestri Curia, non solum eos, qui metu mortis crudeliúmque pœnarum apertissimè pejerare, quàm ad immanes hostes remeare maluerunt; sed etiam illum qui reatu perjurii se putaverat absolutum, quia post jurationem ficta nescio qua necessitate redierat. Ita non attenderunt, qui eum Senatu pepulerunt, quid ipse jurando cogitasset, sed quid ab illo quibus juraverat exspectaretur. Nec le-* D *gerant quod nos usquequaque cantamus,* Qui jurat *a* proximo suo, & non decipit. *Solemus hoc,* *a* Psalm. 14. *quamvis in hominibus à Christi gratia & nomine alienis, cum ingenti admiratione laudare; & adhuc in Libris Divinis inquirendum putamus, utrum aliquando licitè pejeremus, ubi nobis, ne jurandi facilitate in perjurium prolabamur, etiam præceptum est ne juremus.* Legatur & Epistola ejusdem cvxxi. aliàs ccxxv. ad *Albinam* data.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXIX. Articulo VII. in responsione ad tertiam Objectionem: *In Juramento* (inquit) *quod quis coactus facit, duplex* E *est obligatio. Una quidem quâ obligatur homini cui aliquid promittit: & talis obligatio tollitur per coactionem; quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio, quâ quis Deo obligatur, ut impleat quod per nomen ejus promisit: & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ, quia magis debet damnum temporale sustinere, quàm juramentum violare. Potest tamen repetere in judicio quod solvit, vel Prælato denunciare, non obstante quod contrarium juravit: quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum, esset enim contra justitiam publicam. Romani autem Pontifices* F *ab hujusmodi juramentis homines absolverunt, non quasi decernentes hujusmodi juramenta non esse obligatoria, sed quasi hujusmodi obligationes ex justa causa relaxantes.* Idem docet *S. Raymundus*, in Summa Tit. *De Juramento & Perjurio.*

REGULA X.

Juramentum extortum dolo vel errore, qui caussa est promissionis, vel contractûs, irritum est, si verò dolus non sit causa promissionis vel contractûs, firmum est juramenti vinculum.

De Juramento & perjurio.

NUllum enim est juramenti vinculum, ubi nullus est consensus: at ubi dolus causa est promissionis vel contractûs, nullus est consensus: cessante scilicet dolo se non obligasset qui juravit. Sic mulier quæ dolo fratrum circumventa renunciavit hereditati paternæ, dotem longè excedenti, cessionémque confirmavit juramento, illius juramenti vinculo non ligatur, quia cessante dolo nec cessisset, nec jurasset. Ita censet *S. Antoninus* P. II. Tit. x. cap. VI. Idque confirmat ex *Innocentio III.* cap. *Cùm contingat*, Extra, *De Jurejurando*, ubi respondet, Mulieres non audiendas in judicio contra alienationem rei dotalis, cui sponte consenserant, & ne ulteriùs contravenirent proprio sacramento firmaverant. *Nos* (inquit) *Fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd etsi mulierum consensus in talibus non videatur obligatorius, secundùm legitimas Sanctiones: ne tali tamen prætextu viam contingat perjuriis aperiri, mulieres ipsa servare debent hujusmodi juramenta, sine vi & dolo sponte præstita, cùm in alterius præjudicium non redundent, nec observata vergant in dispendium salutis æternæ.* Ex quo rectè colligitur à contrario, si hujusmodi juramenta vi & dolo ita extorta fuerint, ut præstita non fuissent vi & dolo cessantibus, mulieres illorum vinculo non ligari; sicut nec illorum quæ in alterius damnum redundant, aut observata vergunt in dispendium salutis æternæ. Id confirmatur ex Cap. *Licet*, eodem Titulo, in Sexto. *In his tamen casibus tutius erit si petatur absolutio, ut sentiunt multi Doctores*; (inquit *S. Antoninus*.) Jurijurando scilicet etiam dolo extorto reverentiam religiosas mentes habere decet, ut probat exemplum Josuë & Principum Israël, qui Gabaonitarum, de terra longinqua se venire simulantium, dolo circumventi, pacem ipsis & incolumitatem jurarunt. Compertóque paulò post dolo, qui causa fuerat concessæ pacis, & fœderis juramento firmati, cùm in civitates eorum venissent, *Non percusserunt eos, eò quòd jurassent eis Principes multitudinis in nomine Domini Dei Israël.* Hanc ob causam vulgus contra Principes Israël murmuravit & oblocutum est. *Qui responderunt eis: Juravimus illis in nomine Domini Dei Israël, & idcirco non possumus eos contingere. Sed hoc faciemus eis: Reserventur quidem ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur si pejeraverimus: sed sic vivant, ut in usus universæ multitudinis ligna cædant, aquásque comportent.*

De juramento dolo vel errore extorto.

Josu. 9.

RAGULA XI.

Lethalis perjurii reus est, quicunque dolosè jurat, jusjurandi verba proferens absque animo jurandi, aut fidem suam obligandi. Qui Restrictiones mentales, & æquivocationes jurando adhibent, lethale perjurium committunt.

PErjurium enim est mendacium juramento firmatum: illos verò mentiri compertum est, qui juramenti verba proferunt, & jurare vel obligare se nolunt; aut qui Restrictiones mentales & æquivocationes jurando adhibent: siquidem verbis significant quod in mente non habent, contra finem propter quem institutæ sunt voces, ut videlicet sint signa conceptuum: vel aliud volunt quàm verba significent secundùm se, & secundùm communem loquendi morem, & personarum ac negotiorum circumstantias: atque ita verbis ad societatem fovendam institutis abutuntur. Quod Dei verbo prohiberi quis dubitet, dicente Propheta, Psalmo XIV. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? .... Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua...... Qui jurat proximo suo, & non decipit.* Et Psalmo XXIII. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.* In montem igitur Domini non ascendent, nec stabunt in loco sancto ejus, id est, ab æterna beatitudine repellentur, qui dolosis juramentis proximum suum decipiunt. Ille porrò *In dolo jurat, qui aliter facturus est quàm promittit, cum perjurium sit nequiter decipere credentem*: ut habetur Canone *In dolo*, Causa XXII. Quæst. II.

De Juramento & perjurio.

Præterea, *Qui sophisticè loquitur, odibilis est*, (inquit Siracides *Ecclesiastici* XXXVIII.) Multò magis qui sophisticam locutionem & ad decipiendum compositam jurejurando confirmat. *Justa & digna præscriptio est in omni quæstione, ad propositum interrogationis, pertinere debere sensum responsionis. Cæterum aliud consulenti aliud respondere, dementis est*; ait *Tertullianus*, Libro IV. *Contra Marcionem*, cap. XXXVIII.

Eamdem Regulam confirmat *S. Augustinus*, Epistolâ CXXV. aliàs CCXXIV ad *Alypium* datâ. *Illud sanè* (inquit) *rectissimè dici non ambigo, non secundùm verba jurantis, sed secundùm exspectationem illius cui juratur, quam novit ille qui jurat, fidem jurationis impleri. Nam verba difficillimè comprehendunt, maximè breviter, sententiam cujus à jurante fides exigitur. Unde perjuri sunt, qui servatis verbis, exspectationem eorum quibus juratum est deceperunt: & perjuri non sunt, qui etiam verbis non servatis, illud quod ab eis cùm jurarent exspectatum est, impleverunt. Proinde quia Hipponenses Sanctum Pinianum non sicut damnatum, sed sicut carissimum inhabitatorem sua civitatis habere voluerunt, etsi verbis ejus non satis comprehendi potuit, usque adeo tamen in promptu est quid ab illo exspectaverint, ut quòd nunc per jurationem absens est, neminem moveat eorum, qui audire petiverunt, certò eum omninò profecturum esse cum voluntate redeundi. Ac per hoc perjurus nec erit, nec ab eis putabitur, nisi eorum exspectationem deceperit. Non autem decipiet, nisi aut voluntatem mutaverit apud eos habitandi, aut aliquando discesserit sine dispositione redeundi. Quod absit ab ejus moribus & fide, quam Christo & Ecclesiæ debitam servat. Nam ut omittam, quod mecum nosti, quàm sit tremendum de perjurio divinum judicium, illud certè scio, nulli nos deinceps succensere debere qui nobis jurantibus non crediderit, si talis viri perjurium non modò æquo animo ferendum, verùm etiam defendendum putabimus. Quod & à nobis & ab illo avertat illius misericordia qui eruit à tentatione sperantes in se. Sicut ergo in Commonitorio rescripsisti, impleat promissum, quo iste se promisit ab Hippone non recessurum, quemadmodum ego vel ipsi Hipponenses non recedimus, quibus tamen & abeundi & redeundi facultas est libera: nisi quòd his qui juratione non detinentur, etiam omnino & migrandi & non redeundi sine perjurii reatu potestas est.*

Et

A

De juramento & perjurio.

Et Epistola cxavi, alias ccxxv. *Exspectationem eorum, quibus juratur, quisquis deceperit, non potest esse non perjurus.*

Idem Libro *Contra Mendacium*, Cap. XVIII. artem diabolicam excusandi perjuria adhibito restrictionum mentalium usu gravissimis verbis insectatur. *Et sunt in eis docti*, inquit, *qui etiam regulas figant, finésque constituant, quando debeat, quando non debeat pejerari. O ubi estis fontes lachrymarum? Et quid faciemus? Quò ibimus? Ubi nos occultabimus ab ira Veritatis, si non solùm negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria!*

Idem confirmat *S. Prosper*, cujos præclaros Versus *Hincmarus* Archiepiscopus Remensis refert Libro *De Divortio Lotharii & Tetbergæ*:

At si jurandi te causa perurget & arctat,
Id paris verbis, id gere mente pia,
Nec verbi arte putes te fallere posse Tonantem,
Cui nihil abstrusum est, cui tua corda patent.
Qui non ut juras, sed ut is jurasse putavit
Cui juras, audit, sicque es utrique reus,
Nempe Deo, in vanum cujus vis sumere Nomen,
Seu socio, quem atra fallere fraude paras.

Idem docet *S. Isidorus Hispalensis*, Libro II. *Sententiarum*, Cap. XXXI. *Quacumque*, inquit, *arte verborum quisque juret, Deus tamen qui conscientia testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit, qui & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit.* Refertur Canone *Quacumque arte*, Causa XXII. Quæstione v.

Idem argumentum tractat *Hincmarus* in Opusculo *De vitiis cavendis & virtutibus exercendis*, ad *Carolum Calvum* Regem Christianissimum, Cap. v. *Sunt nonnulli*, inquit, *qui arte per dolum jurantes ut decipiant eum erga quem jurant, non se putant reos esse perjurii, contradicente Dei* » *Spiritu per Prophetam*. Quis ascendet in mon-

Psalm. 23.

» tem Domini? & stabit in loco sancto ejus? » Qui non juravit in dolo proximo suo. *Per dolum itaque jurat, quisquis aliter facturus est quàm promittit, credens perjurium non esse decepisse nequiter credentis errorem. Jurare enim dictum est, quasi jure orare, id est, justè loqui. Tunc enim quispiam justè loquitur, quando ea quæ promittit implentur. Multi enim sunt qui dolosè jurant, ut decipiant proximum: quod abominatur Pater luminum Dominus, dicente Petro*, Non

Act. 5.

» es mentitus hominibus, sed Deo. *Quâ in re hoc quoque oportet intendi, quòd mendaces fabricatores mendacii dicuntur. Sicut enim artificium lapidibus, ita mendacium sermonibus fabricatur. Ubi enim non dolosa locutio, sed sensus est veritatis, quasi munita moles non ex fabrica, sed ex natura consurgit. Unde* » *scriptum est*, Qui loquitur veritatem in corde suo: » & non egit dolum in lingua sua.

Et paulo post observat, Prophetam conjunxisse virum dolosum cum homicida, Psalm. v. *Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* Pertimescere igitur debent jurantes (inquit) *imò perjurantes dolosi in nomine Christi & Sanctorum ejus, quia abominabuntur à Domino ut viri sanguinum, id est, qui humano cruore polluuntur: quoniam sicut illi occidunt, ita & isti decipiunt viventes.*

Concilium Trosleianum anno Christi nongentesimo-nono, Canone XI. mentalium restrictionum usum in juramentis damnat. *Quid verò*, inquit, *de his dicendum est, qui, ut alios fallant, mentiuntur, vel quacumque verborum arte se potiùs quàm alium decipiendo pejerant. Dominus namque*

DE DECALOGO.

qui testis est conscientiæ, ita hoc accipit, sicut ille cui juratur intelligit..... Hi miseri heu! quantis rei tenentur criminibus, prævaricatores totius Sacræ Legis veteris & novæproditi, quia loquuntur mendacium, quia assumunt nomen Dei sui in vanum, quia proximum dolo capiunt, insuper & perjurant. Tales nisi condignam egerint Pœnitentiam, adhuc in vivis corporibus mortuas gestare videntur miseras animas.

De juramento & perjurio.

Suffragatur eidem Moralis Christianæ dogmati *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. LXXXIX.

B Articulo VII. in Responsione ad quartam objectionem: *Quando*, inquit, *non est eadem jurantis intentio, & ejus cui jurat, si hoc proveniat ex dolo jurantis, debet juramentum servari secundùm sanum intellectum ejus cui juramentum præstatur. Si autem jurans dolum non adhibeat, obligatur secundùm intentionem jurantis.* Unde *S. Gregorius* Libro XXVI. *Moralium*, Cap. VII. ait: *Humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant: Divina verò judicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Apud homines cor ex verbis, apud Deum verò verba pensantur ex corde.*

C Quamobrem *Innocentius XI.* Pontifex Maximus has Propositiones meritò damnavit die secunda Martii MDCLXXIX.

Propositiones damnatæ.

Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magistratum vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis: quia non tenetur fateri crimen occultum.

Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid quod

D *revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.*

Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

Easdem Propositiones confixit Clerus Gallicanus in generalibus Comitiis anni MDCC. Primam quidem hâc Censurâ: *Hæc Propositio scandalosa est, perniciosa, patrocinatur humanæ ambitioni, perjuria excusat, publicæ potestati contra Dei mandatum adversatur.*

E Alteram hunc in modum damnavit: *Hæc Propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, illusoria, erronea, mendaciis, fraudibus & perjuriis viam aperit, & Sacris Scripturis adversatur.*

Tertiam judicavit, *temerariam, scandalosam, perniciosam, bonæ fidei illudentem, & Decalogo contrariam.*

REGULA XII.

Hostes etiam publicos doloso juramento, & mentali restrictione vel æquivocatione fucato, fallere non licet. Qui id fecerit vel tentaverit, lethalis per-

F *jurii reus est.*

HAnc Regulam iisdem fundamentis innixam, quibus præcedens, confirmat *Ferrandus*, Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus in Parænetico ad *Reginum* Comitem. *In hoc*, inquit, *maximè agnosceris humanis divina præponere, quando nulli fallaciter juras, nec subdolo sacramento decipis aliquem. Licèt hostis sit antiquus, licèt immania Reipublicæ vulnera infixerit visceribus, non videtur falsa juratione fallendus; etiamsi vita ejus impediat, mors proficiat paci; ne sic quidem, Dux optime, compellaris falsum jurare. Sic uni homini, sic po-*

De juramento & perjurio.

pulo, sic pluribus gentibus, cum quibus bella gerenda susceperis, aut sine juramento perseverant, assume certamen; at nullatenus audeat violati sacramenti facinore perpetrato, Rempublicam liberare vel adjuvare. Quid enim prodest ei vincere, quem Diabolus vicit, ut victoria spe falsum juraret?)....
Nemo autem putet, hostem cui jurat, non debere proximum deputari: propter hoc enim juratur, ut proximus reputetur. Ex quo igitur vult amicus effici, legémque pacis amplectitur, jam proximus est: & jam qui ei fideliter jurat, proximo suo jurat, & non decipit........ Pessimum nefas falsa juratio, & si paulò altiùs consideres, inutilis semper, maximè exercitum gubernantibus. Mutabilia enim juvenum corda sacramenti vinculo frequenter ligantur, ut fide stabili bella suscipiant: & tunc firma sit securitas Ducibus, si Religionis timor jurare falsum non sinat Milites. Quàm grave itaque & quàm perniciosum, ut videant vel sentiant solvi facilè sacramentum; Ducísque sui invitentur exemplo, leve æstimare perjurium? Quicquid proinde juramento intercedente confirmas, ratum semper observa, sive inimico gratiam, sive veniam reo, sive laborantibus tecum præmia pollicearis; & hoc adhibita invocatione Nominis Dei, credibile facias operando; nullius utilitatis consideratione, nullius periculi formidine debes irritum facere. Fixus sit & immutabilis sermo, cujus fidei est adhibitus Deus.

REGULA XIII.

Nec pro vita propria, vel alterius conservatione, nec in favorem fidei commissum perjurium à lethalis peccati labe immune est.

HÆc Regula Concilii Constantiensis & *Martini Quinti* Pontificis Maximi auctoritate firmata est. Illos enim omnes, qui in suspicionem errorum *Joannis Vuiclef*, & *Joannis Hus* venerint inter alia interrogari jubet; *Utrum credant quòd perjurium scienter commissum, ex quacunque causa vel occasione, pro conservatione vitæ corporalis propriæ, vel alterius, etiam in favorem fidei, sit mortale peccatum.*

Eamdem Regulam confirmat Venerabilis *Gersonius* in Tractatu *De Erroribus circa fidem & contra præceptum*, NON OCCIDES. *Litteralis intellectus* (inquit) *planus apud omnes, istius præcepti*, NON PERJURABIS, *est: Omne juramentum deliberatè & licitè factum, tenendum est, etiam usque ad præjudicium mortis temporalis: quoniam plus tenetur observare fidem suam, quæ est quædam integritas & virginitas animæ, quàm corpus proprium vel alienum; & est ordo rectus caritatis.*

Robertus Pullus S. R. E. Cardinalis P. VI. *Sententiarum*, Cap. LIII. Reum vitam suam perjurio redimere non posse docet. *Nihil ergo*, inquit, *aliud Reo consulendum, nisi ut abhorrens perjurium, pœnam potiùs à Judice temporali temporalem suscipiat, quàm eâ paulisper dilatâ, ab Æterno mereatur æternam, sciens quòd non judicabit Deus bis in idipsum. Quippe qui inspiciens anteactam vitam suam, corde conteritur & humiliatur, si pœnam qualibet pro culpa sibi oblatam patienter suscipit, futuram eamdem de culpa effugit.*

REGULA XIV.

Quamvis per falsos Deos jurare sit impium, reus tamen est perjurii qui tale juramentum non servat.

NItitur hæc Regula Scripturæ Sacræ Oraculo, *Sapientiæ* Cap. XIV. *Infandorum Idolorum cultura* (inquit) *omnis mali causa est, & initium, & finis. Aut enim, dum lætantur, insaniunt, aut certè vaticinantur falsa; aut vivunt injustè, aut pejerant citò. Dum enim confidunt in Idolis, quæ sine anima sunt, malè jurantes noceri se non sperant. Utraque ergo illis evenient dignè, quoniam malè senserunt de Deo attendentes Idolis, & juraverunt injustè, in dolo contemnentes justitiam. Non enim juratorum virtus*, (id est, potentia falsorum Deorum per quos juratur,) *sed peccantium pœna perambulat semper injustorum prævaricationem.*

De juramento & perjurio.

Hanc Regulam confirmat *S. Augustinus*, Sermone CLXXX. aliàs XXVIII. *De Verbis Apostoli*, Cap. XII. *Ecce* (inquit) *dico caritati vestræ, & qui per lapidem falsum jurat, perjurus est. Unde hoc dico? Quia multi & in hoc falluntur, & putant, quia nihil est per quod jurant, non se crimine teneri perjurii. Prorsus perjurus es, quia per id quod sanctum putas, falsum juras. Sed ego illud sanctum non puto. Sanctum putat, cui juras. Non enim quando juras, tibi juras aut lapidi juras; sed proximo juras. Homini juras ante lapidem: sed numquid non ante Deum? Non te audit lapis loquentem; sed punit te Deum fallentem.*

Et Epistolâ XLVII. aliàs CLIV. ad *Publicolam* datâ: *Te volo considerare* (inquit) *utrum si quispiam per Deos falsos juraverit se fidem servaturum, & eam non servaverit, non tibi videatur bis peccasse? Si enim tali juratione promissam custodiret fidem, ideo tantùm peccasse judicaretur, quia per tales Deos juravit: illud autem nemo rectè reprehenderet, quia fidem servavit. Nunc verò quia & juravit per quos non debuit, & contra pollicitam fidem fecit quod non debuit, bis utique peccavit.*

Idem confirmat *S. Raymundus*, Lib. 1. pag. 86. col. 2.

REGULA XV.

Suscipere potest Christianus juramentum illius qui per falsos Deos juraturus est, eóque uti, imò & jusjurandum ab eo exigere, quem ita juraturum non dubitat.

CUm enim urget necessitas, seu caussa justa & legitima postulat, hoc ab aliquo exigere licet, quod per se malum non est, & quod benè facere potest, si velit: at justæ & necessariæ caussæ occurrere & urgere possunt, propter quas jusjurandum exigere liceat ab eo qui per falsos Deos noscitur juraturus, si nempe publica pax, vel magni momenti contractus aliter firmari non possit: cùm ergo jusjurandum per se malum non sit, & bene fieri possit, videlicet per Deum verum, licet ab eo juramentum exigere, qui noscitur per falsos Deos juraturus. Non enim invitatur ad crimen, quia non compellitur ad jurandum per falsos Deos, sed ad jurandum simpliciter: nec ei datur occasio peccandi, quia sic jurare paratus est: sicut non subministrat occasionem peccandi usurario qui solvit usuras ut pignus suum recipiat; & qui latroni pecuniam suam coactus tradit.

Verùm

De juramento & perjurio.

Verùm (inquies) exigere ooo licet juramentum ab eo quem pejeraturum esse novimus : noo licet itaque juramentum eaigere ab eo qui per falsos Deos est joraturus. Par enim utrobique ratio videtur.

Respondetur, Longè disparem esse rationem. Cùm enim juramentum exigitur ab eo qui per falsos Deos est juraturus, baberi potest bonum fidei seo fidelitatis, ipséque finis propter quem joramentum iostiturum est, scilicet confirmatio veritatis : ac proinde juramento illius Vir Christianus justis de eaussis oti potest. At eùm ab eo quem novit pejeraturum, nihilominus jusjurandum eaigit, non potest haberi finis juramenti, oeque aliquod bonum inde exspectari potest, propter quod alrerius malâ voluntate uti lieeat. Ita respondet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione xcviii. Articulo iv. in Respoosione ad quartam Objectionem.

Hanc Regulam confirmat *S. Augustinus*, Epistolà ad *Publicolam*, superiùs laudatà. *Qui*, inqoit, *utitur fide illius, quem constat jurasse per Deos falsos, & utitur non ad malum, sed ad licitum & bonum, non peccato ejus se sociat quo per Dæmonia juravit, sed bono pacto ejus quo fidem servavit. Neque hîc eam fidem dico servari, quâ fideles vocantur qui baptizantur in Christo. Illa enim longè alia est, longéque discreta à fide humanorum placitorum atque pactorum. Verumtamen sine ulla dubitatione minus malum est per Deum falsum jurare veraciter, quàm per Deum verum fallaciter. Quantò enim per quod juratur magis est sanctum, tantò magis est pœnale perjurium.*

REGULA XVI.

Reus non est perjurii, qui ob justam & legitimam caussam juramentum non implet.

HAnc Regulam explicat *S. Raymundus*, Libro i. Tit. *De Juramento & Perjurio*, his verbis : *Non intelligitur pejerare, qui ex licita eaussa deserit juramentum. Verbi gratiâ, promisimus & firmavimus nobis invicem fidem & pacem ; fregisti mihi, non teneor postea servare tibi.* Id confirmat ex Cap. *Pervenit* 2 Eatra, *De Jurejurando*, quod *Sancto Gregorio* tribuitur : *Nec tu ei, etiamsi promissum tuum juramento vel fidei obligatione, interpositâ conditione firmasset, aliquatenus teneris, si constat eum conditioni minimè paruisse.* Et ex Cap. *Sicut*, 3. eodem Titulo, quod *Innocentii III* Responsum est : *Juramentum antem* (inquit) *quod I. se asserit præstitisse, si de assensu factum est utriusque, eum non ligat, qui præstitit, dum ille cui præstitum fuerat, servare negligit quod promisit.* Nec obstat Canoo *Noli*, Caussâ xxiii. Quæstione i. obi ex *Sancti Augustini* Epistola ad *Bonifacium* Comitem dicitur, *Fides hosti servanda est contra quem bellum geritur, quantò magis amico pro quo pugnatur!* Intelligitur enim fidem hosti servandam, cùm ipse servat fidem ; ut interpretatur *S. Raymundus.* Sobdit idem Sanctus Pœnitentiarius : *Item deposuisti penes me gladium, juravi quod restituerem, quando repeteres ; factus postea furiosus repetis : non teneor, immò nec debeo reddere gladium, nisi restituta tibi sanitate, ne fortè occidas te, vel alium.* xxii. Quæstione ii. Ne quis. *Item generaliter tibi juravi, quòd starem omnibus mandatis tuis propter injuriam, quam tibi feceram : tu præcipis mihi aliquid inhonestum, vel importabile, vel adeo durum vel asperum quod si mihi fuisset specificatum, nullo modo illud jurassem : talia enim semper tacitè subintelliguntur in generalibus juramentis* ; ut colligitur ex Cap. *Veniens*, & Cap. *Quintavallis*, Eatra, *De Jurejurando.* Et ex Cap. *Ad nostram*, 3. sub eodem Titulo, ubi *Innocentius III.* respondet Neapolitano Archiepiscopo, qui quasi per extorsionem juraverat, se in omni causa judiciarium ordinem observaturum, illum observare oon teneri in notoriis, in quibus subtilitatem ordinis judiciarii non servari ipsa ratio Juris postulat. *Quanquam*, inquit, *& secundum approbatum intellectum rectè possit intelligi, quod jurasti, ut in omnibus causis ordinem judiciarium observares, in illis videlicet, in quibus est ordo judiciarius observandus. Sic ergo facient, juramenti teneres, & Instituta Canonica non omittes.* Debent tamen qui hujusmodi juramentis obstricti sunt, relaxationem juramenti petere ab Eeelesia *Ad cautelam, & ne detur eis occasio pejerandi*, (inquit *S. Raymundus.*)

REGULA XVII.

Jusjurandum quo quis jurat se servaturum statuta alicujus Capituli, Universitatis, Collegii, aut Societatis cujuslibet, intelligendum est dumtaxat de Statutis honestis, licitis, quæ contraria consuetudine minimò sunt abrogata, & de iis quæ condita sunt, non de illis quæ in futurum condentur : nisi forma juramenti id exprimat, vel jurans id intendat.

JUramentum enim strictissimi Juris & interpretationis est, tum ob perjurii periculum, tum ob detrimentum quod inde sequi potest : idcóque non debet latiùs porrigi ejus obligatio, quàm verba significent.

Hanc Regulam *S. Thomas* approbat, Secunda Secundæ, Quæstione xcviii. Articulo ii. io Responsione ad quartam Objectionem. *Juramentum*, inquit, *est actio personalis. Ideo Ille qui de novo fit civis alicujus civitatis, non obligatur, quasi juramento, ad servanda illa, quæ civitas se servaturum juravit : tamen tenetur ex quadam fidelitate, ex qua obligatur, ut sicut fit socius bonorum civitatis, ita etiam fiat particeps onerum. Canonicus verò qui jurat se servaturum Statuta edita in aliquo Collegio, non tenetur ex juramento ad servandum futura, nisi intenderit se obligare ad omnia Statuta præterita & futura : tenetur tamen ea servare ex ipsa vi Statutorum, quæ habent coactivam virtutem.* Idem docet *S. Raymundus* Libro i. Tit. *De Juramento & Perjurio*, pag. 93. col. 2. Idque confirmat ea Cap. *Clericus*, Extra, *De Jurejurando*, quod *Gregorii IX.* Responsum est, his verbis conceptum : *Clericus qui juravit se Statuta in Ecclesia sua edita servaturum, promittens per idem juramentum, Statutum, quod postmodum subsecutum est, fideliter observare : licet transgredi non debuerat quod promisit, non tenetur ad illius observantiam ex debito præstiti juramenti.* Eamdem Regulam confirmat Venerabilis *Gersonius*, Libro *De Vita Spirituali Animæ*, Lectione quarta & Lectione sexta.

De juramento & perjurio.

pulo, sie pluribus gentibus, cum quibus bella gerenda susceperis, aut sine juramento perseverans, assume certamen; at nullatenus audeat violati sacramenti facinore perpetrato, Rempublicam liberare vel adjuvare. Quid enim prodest ei vincere, quem Diabolus vicit, ut victoria spe falsum juraret?)....
Nemo autem putet, hostem cui jurat, non debere proximum deputari: propter hoc enim juratur, ut proximus reputetur. Ex quo igitur vult amicus effici, legémque pacis amplectitur, jam proximus est: & jam qui ei fideliter jurat, proximo sua jurat, & non decipit........ Pessimum nefas falsa juratio. & si paulo altiùs consideres, inutilis semper, maximè exercitum gubernantibus. Mutabilia enim juvenum corda sacramenti vinculo frequenter ligantur, ut fide stabili bella suscipiant: & tunc firma fit securitas Ducibus, si Religionis timor jurare falsum non sinat Milites. Quàm grave itaque & quàm perniciosum, ut videant vel sentiant solvi facilè sacramentum; Ducisque sui invitentur exemplo, leve æstimare perjurium? Quicquid proinde juramento intercedente confirmas, ratum semper observa, sive inimico gratiam, sive veniam reo, sive laborantibus tecum præmia pollicearis; & hoc adhibita invocatione Nominis Dei, credibile facias operando; nullius utilitatis consideratione, nullius periculi formidine debes irritum facere. Fixus sit & immutabilis sermo, cujus fidei est adhibitus Deus.

Regula XIII.

Nec pro vita propria, vel alterius conservatione, nec in favorem fidei commissum perjurium à lethalis peccati labe immune est.

HÆc Regula Concilii Constantiensis & *Martini Quinti* Pontificis Maximi auctoritate firmata est. Illos enim omnes, qui io suspicionem errorum *Joann s Vuiclef*, & *Joannis Hus* venerint inter alia interrogari jubet; *Utrum credant quòd perjurium scienter commissum, ex quacunque causa vel occasione, pro conservatione vitæ corporalis propriæ, vel alterius, etiam in favorem fidei, sit mortale peccatum.*

Eamdem Regulam confirmat Venerabilis *Gersonius* in Tractatu *De Erroribus circa fidem & contra præceptum*, Non Occidis. *Litteralis intellectus* (inquit) *planus apud omnes, istius præcepti,* Non Perjurabis, *est: Omne juramentum deliberatè & licitè factum, tenendum est, etiam usque ad præjudicium mortis temporalis: quoniam plus tenetur observare fidem suam, quæ est quædam integritas & virginitas animæ, quàm corpus proprium vel alienum: & est ordo rectus caritatis.*

Robertus Pullus S. R. E. Cardinalis P. vi. *Sententiarum*, Cap. LIII. Reum vitam suam perjurio redimere non posse docet. *Nihil ergo*, inquit, *aliud Reo consulendum, nisi ut abhorrens perjurium, pœnam potiùs à Judice temporali temporalem suscipiat, quàm eâ paulisper dilatâ, ab Æterno mereatur æternam, sciens quòd non judicabit Deus bis in idipsum. Quippe qui inspiciens anteactam vitam suam, corde conteritur & humiliatur, is si pœnam qualibet pro culpa sibi oblatam patienter suscipit, futuram eamdem de culpa effugit.*

Regula XIV.

Quamvis per falsos Deos jurare sit impium, reus tamen est perjurii qui tale juramentum non servat.

NItitur hæc Regula Scripturæ Sacræ Oraculo, *Sapientiæ* Cap. XIV. *Infandorum Idolorum cultura* (inquit) *omnis mali causa est, & initium, & finis. Aut enim, dum lætantur, insaniunt, aut certè vaticinantur falsa; aut vivunt injustè, aut pejerant citò. Deum enim confidunt in Idolis, quæ sine anima sunt, malè jurantes noceri se non sperant. Utraque ergo illis evenient dignè, quoniam malè senserunt de Deo attendentes Idolis, & juraverunt injustè, in dolo contemnentes justitiam. Non enim juratorum virtus,* (id est, potentia falsorum Deorum per quos joratur,) *sed peccantium pœna perambulat semper injustorum prævaricationem.*

Hanc Regulam confirmat *S. Augustinus*, Sermone CLXXX. aliàs XXVIII. *De Verbis Apostoli*, Cap. XII. *Ecce* (inqoit) *dico caritati vestræ, & qui per lapidem falsum jurat, perjurus est. Unde hoc dico? Quia multi & in hoc falluntur, & putant, quia nihil est per quod jurant, non se crimine teneri perjurii. Prorsus perjurus es, quia per id quod sanctum putas, falsum juras. Sed ego illud sanctum non puto. Sanctum putat, cui juras. Non enim quando juras, tibi juras aut lapidi juras; sed proximo juras. Homini juras ante lapidem: sed numquid non ante Deum? Non te audit lapis loquentem: sed punit te Deum fallentem.*

Et Epistolâ XLVII. aliàs CLIV. ad *Publicolam* datâ: *Te volo considerare* (inquit) *utrum si quispiam per Deos falsos juraverit se fidem servaturum, & eam non servaverit, non tibi videatur bis peccasse? Si enim tali juratione promissam custodiret fidem, ideo tantùm peccasse judicaretur, quia per tales Deos juravit: illud autem nemo rectè reprehenderet, quia fidem servavit. Nunc verò quia & juravit per quos non debuit, & contra pollicitam fidem fecit quod non debuit, bis utique peccavit.*

Idem confirmat *S. Raymundus*, Lib. I. pag. 86. col. 2.

Regula XV.

Suscipere potest Christianus juramentum illius qui per falsos Deos juraturus est, eòque uti, imò & jusjurandum ab eo exigere, quem ita juraturum non dubitat.

CUm enim urget necessitas, seu caussa justa & legitima postulat, hoc ab aliquo exigere licet, quod per se malum non est, & quod bene facere potest, si velit: at justæ & necessariæ caussæ occurrere & urgere possunt, propter quas jusjurandum exigere liceat ab eo qui per falsos Deos noscitur juraturus, si nempe publica pax, vel magni momenti contractus aliter firmari non possit: cùm ergo jusjurandum per se malum non sit, & bene fieri possit, videlicet per Deum verum, licet ab eo juramentum exigere, qui noscitur per falsos Deos juraturus. Non enim invitatur ad crimen, quia non compellitur ad jurandum per falsos Deos, sed ad jurandum simpliciter: nec ei datur occasio peccandi, quia sic jurare paratus est: sicut non subministrat occasionem peccandi usurario qui solvit usuras ut pignus suum recipiat; & qui latroni pecuniam suam coactus tradit.

Verùm

De juramento & perjurio.

Verùm (inquies) exigere non licet juramentum ab eo quem pejeraturum esse novimus : non licet itaque juramentum exigere ab eo qui per falsos Deus est juraturus. Par enim utrobique ratio videtur.

Respondetur, Longè disparem esse rationem. Cùm enim juramentum exigitur ab eo qui per falsos Deos est juraturus, haberi potest bonum fidei seu fidelitatis, ipséque finis propter quem juramentum institutum est, scilicet confirmatio veritatis ; ac proinde juramento illius Vir Christianus justis de caussis uti potest. At cùm ab eo quem novit pejeraturum, nihilominus jusjurandum exigit, non potest haberi finis juramenti, neque aliquod bonum inde exspectari potest, propter quod alterius malâ voluntate uti liceat. Ita respondet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XCVIII. Articulo IV. in Responsione ad quartam Objectionem.

Hanc Regolam confirmat *S. Augustinus*, Epistolâ ad *Publicolam*, superiùs laudatâ. *Qui*, inquit, *utitur fide illius, quem constat jurasse per Deos falsos, & utitur non ad malum, sed ad licitum & bonum, non peccato ejus se sociat quo per Dæmonia juravit, sed bono pacto ejus quo fidem servavit. Neque hic eam fidem dico servari, quâ fideles vocantur qui baptizantur in Christo. Illa enim longè alia est, longique discreta à fide humanorum placitorum atque pactorum. Verumtamen sine ulla dubitatione minus malum est per Deum falsum jurare veraciter, quàm per Deum verum fallaciter. Quantò enim per quod juratur magis est sanctum, tantò magis est pœnale perjurium.*

REGULA XVI.

Reus non est perjurii, qui ob justam & legitimam causam juramentum non implet.

HAnc Regulam explicat *S. Raymundus*, Libro I. Tit. *De Juramento & Perjurio*, his verbis : *Non intelligitur pejerare, qui ex licita caussa deserit juramentum. Verbi gratiâ, promisimus & firmavimus nobis invicem fidem & pacem ; fregisti mihi, non teneor postea servare tibi.* Id confirmat ex Cap. *Pervenit* 2. Extra, *De Jurejurando*, quod *Sancto Gregorio* tribuitur : *Nec tu ei, etiamsi promissum suum juramento vel fidei obligatione, interpositâ conditione firmasset, aliquatenus teneris, si constat eum conditioni minimè paruisse.* Et ex Cap. *Sicut*, 3. eodem Titulo, quod *Innocentii III.* Responsum est : *Juramentum autem* (inquit) *quod J. se asserit præstitisse, si de assensu factum est utriusque, eum non ligat, qui præstitit, dum ille cui præstitum fuerat, servare negligit quod promisit.* Nec obstat Canon *Noli*, Causâ XXIII. Quæstione I. ubi ex *Sancti Augustini* Epistola ad *Bonifacium* Comitem dicitur, *Fides hosti servanda est contra quem bellum geritur, quantò magis amico pro quo pugnatur ?* Intelligitur enim fidem hosti servandam, cùm ipse servat fidem ; ut interpretatur *S. Raymundus*. Subdit idem Sanctus Pœnitentiarius : *Item deposuisti penes me gladium, juravi quòd restituerem, quando repeteres ; factus postea furiosus repetis : non teneor, immò nec debeo reddere gladium, nisi restituta tibi sanitate, ne fortè occidas te, vel alium.* XXII. Quæstione II. Ne quis. *Item generaliter tibi juravi, quòd starem omnibus mandatis tuis propter injuriam, quam tibi feceram : tu præcipis mihi aliquid inhonestum, vel importabile, vel adeo durum vel asperum quòd si mihi fuisset specificatum, nullo modo illud jurassem : talia enim semper tacitè*

A *subintelliguntur in generalibus juramentis* ; ut colligitur ex Cap. *Veniens*, & Cap. *Quintavallis*, Extra, *De Jurejurando*. Et ex Cap. *Ad nostram*, 5. sub eodem Titulo, ubi *Innocentius III.* respondet Neapolitano Archiepiscopo, qui quasi per extorsionem juraverat, se in omni causa judiciarium ordinem observaturum, illum observare non teneri in notoriis, in quibus subtilitatem ordinis judiciarii non servari ipsa ratio Juris postulat. *Quanquam*, inquit, *& secundùm approbatum intellectum rectè possis intelligi, quod jurasti, ut in omnibus causis ordinem judiciarium observares, in illis videlicet, in quibus est ordo judiciarius ob-*

De juramento & perjurio.

B *servandus. Sic ergo faciens, juramenti tenorem, & Instituta Canonica non omittet.* Debent tamen qui hujusmodi juramentis obstricti sunt, relaxationem juramenti petere ab Ecclesia *Ad cautelam, & ne detur eis occasio pejerandi*, (inquit *S. Raymundus*.)

REGULA XVII.

Jusjurandum quo quis jurat se servaturum statuta alicujus Capituli, Universitatis, Collegii, aut Societatis cujuslibet, intelligendum est duntaxat de Statutis honestis, licitis, quæ contraria con-
C *suetudine minimè sunt abrogata, & de iis quæ condita sunt, non de illis quæ in futurum condentur : nisi forma juramenti id exprimat, vel jurans id intendat.*

JUramentum enim strictissimi Juris & interpretationis est, tum ob perjurii periculum, tum ob detrimentum quod inde sequi potest : idcóque non debet latiùs porrigi ejus obligatio, quàm verba significent.

Hanc Regulam *S. Thomas* approbat, Secunda Secundæ, Quæstione XCVIII. Articulo II.
D in Responsione ad quartam Objectionem. *Juramentum*, inquit, *est actio personalis.* Ideo *Ille qui de novo fit civis alicujus civitatis, non obligatur, quasi juramento, ad servanda illa, quæ civitas se servaturum juravit : tamen tenetur ex quadam fidelitate, ex qua obligatur, ut sicut fit socius bonorum civitatis, ita etiam fiat particeps onerum. Canonicus verò qui jurat se servaturum Statuta edita in aliquo Collegio, non tenetur ex juramento ad servandum futura, nisi intenderit se obligare ad omnia Statuta præterita & futura : tenetur tamen ea servare ex ipsa vi Statutorum, quæ*
E *habent coactivam virtutem.* Idem docet *S. Raymundus* Libro I. Tit. *De Juramento & Perjurio*, pag. 93. col. 2. Idque confirmat ex Cap. *Clericus*, Extra, *De Jurejurando*, quod *Gregorii IX.* Responsum est, his verbis conceptum : *Clericus qui juravit se Statuta in Ecclesia sua edita servaturum, promittens per idem juramentum, Statutum, quod postmodum subsecutum est, fideliter observare : licet transgredi non debuerat quod promisit, non tenetur ad illius observantiam ex debito præstiti juramenti.* Eamdem Regulam confirmat Venerabilis *Gersonius*, Libro *De Vita Spirituali Animæ*,
F Lectione quarta & Lectione sexta.

Regula XVIII.

Juramentum præstitum contra Jus Superioris, irritum est.

De jurejurando.

ID constat ex Cap. *Venientes*, Extra, *De Jurejurandu*, quod *Innocentii III.* Responsum est, declarantis, Consules qui juratont iotra certum tempus Sententias exequi, ab illarum executiune supersedere debere non obstante juramento, si Apellatione sint suspensæ, præsertim ad Sedem Apostolicam interjectâ. *Mandamus*, inquit, *quatenus Appellationibus ad nos interpositis deferatis; cùm prædictum juramentum vos excusare non possit, in quo debet intelligi jus Superiuris exceptum. Cùm ergu postquam lator præsentium ad Sedem Apostolicam à Sententia Judicis appellavit, Sententiam ipsam duxeritis executioni mandandam, in possessionem rerum, de quibus quæstio vertebatur, appellantis adversarium inducentes; volumus & mandamus, ut possessionem ipsam restituatis eidem: alioquin noveritis, Nos Episcopo Nucerino mandasse ut vos ad id Ecclesiasticâ Censurâ compellat.*

Reuula XIX.

Juramenta contra utilitatem Ecclesiæ præstita nullius sunt roboris.

HÆc Regula oitiur ejusdem Pontifieis Responso, Cap. *Sicut nostris*, Extra, *De Jurejurandu.* Vacante Ecclesia Tudertina, Canonici, antequam de Episeopi electione ageretur, pactiunes qoasdam in damnum Jurium Episcopalium fecerunt, & juramento firmarunt. Pustmodum unus ex illis in Episcopum electus & eunsecratus, à Pontifice quæsivit, num hujusmodi juramenta servare teneretur: Summus Pontifex, impusitâ Episeupo Pœnitentiâ eongruente pro juratione incauta, hunc in mudum respondit: *Quia non juramenta, sed perjuria potius sunt dicenda, quæ contra Utilitatem Ecclesiasticam attentantur: mandamus, quatenus ab ipsis Canonicis inquiras super præmissis diligentiùs veritatem: & si ea inveneris esse vera: quod in damnum Episcopalis Juris reperεris taliter attentatum, in statum debitum, appellatione remotâ, reducas.*

Regula XX.

Qui doctrinam alicujus experimenti, sive salubris & singularis remedii accepis, ac interposito Jurejurando promisit se nemini communicaturum, Juramentum istud servaru non semper tenetur, sed in certis dumtaxat rerum circumstantiis.

HAnc Regulam explieat *S. Thomas*, Quodlibetu xii. Quæstione xiv. Artieulu ii. *Simpliciter loquendu*, inquit, *non tenetur, sed malè fecit jurando. Juramentum enim non solùm amittit vim, quando est illicitum, sed etiam quando jurando pejeratur; quia juramentum obligans debet habere judicium, justitiam, & veritatem. Sed etsi juro quandoque aliquid quod licet mihi non facere (putà, non ire ad Ecclesiam) non licet tamen jurare; quia licèt mihi licitum sit pro aliquo tempore facere vel dimittere hujusmodi bonum, quod est ad Ecclesiam ire, non tamen licet mihi juramentum interponere, & animum obfirmare ad aliquod bonum non faciendum; quia hoc est facere contra Spiritum-Sanctum. Et ideo juramentum contra omne id quod est de genere bonorum, est illicitum, & non servandum.* Cùm itaque salubris remedii communicatio non minimum bonum sit; jusjurandum quo se aliquis adstringit ut ousquam illud communicet, *est contra caritatem.* Id *tamen in casu servare tenetur; putà, si ille vel alius sufficiens Medicus præsens esset, & paratus esset curare, & uti illo experimento in salutem corporalem aliorum.*

De jurejurando.

Regula XXI.

Lethalis peccati reus est, qui pro seipso Juramentum exigit, vel recipit ab eo, quem pejeraturum esse novit, aut meritò suspicatur.

ITa docet *S. Augustinus*, Sermone clxxx. aliàs xxviii. *De Verbis Apostoli*, Cap. x. *Et ipse*, inquit, *qui exigit jurationem, multùm interest si nescit illum falsum juraturum, an scit. Si enim nescit, & ideo dicit, Jura mihi, ut fides ei fiat; non audeo dicere, non esse peccatum, tamen humana tentatio est. Si autem scit eum fecisse, novit fecisse, vidit fecisse, & cogit jurare, homicida est. Ille enim suo perjurio se peremit: sed iste manum interficientis & expressit & pressit.* Frustra verò quis respondeat: eum qui pejerare paratus est, jam se peremisse, priùs quàm reipsa pejeret. Nam pejerandi voluntatem sæpe non habent homines, sed eam concipiunt interim dum urgentur ad jurandum. Et quamvis haberent, talis tamen juramenti exactor, vel receptor causa est ut ipso externo opere perjurii nomen Dei polluatur.

Id confirmat *S. Augustinus*, Sermone cccviii. aliàs xi. ex additis à Parisiensibus, qui est secundus in Decollatione S. Joannis Baptistæ Cap. iv. *Ille*, inquit, *qui hominem provocavit ad jurationem, & scit eum falsum esse juraturum, vincit homicidam. Quia homicida corpus occisurus est, ille animam; immò duas animas, & ejus quem jurare provocavit, & suam. Scis verum esse quod dicis, & falsum esse quod ille dicit, & jurare compellis? Ecce jurat, ecce pejerat, ecce perit: tu quid invenisti? Immò & tu periisti, qui de illius morte te satiare voluisti.* Narrat subinde Civis cujusdam Hipponensis historiam, ob hoc peccatum divina correptione flagellati. *Fuit hic homo quidam simplex, innocens, benè fidelis, à multis vestris, id est, Hipponensibus, immò ab omnibus cognitus, Tutuslymeni vocatus. Tutuslymeni quis vestrûm non novit, qui cives sitis? Ab illo audivi quod dico. Nescio quis negavit ei, vel quod commendaverat, vel quid ei debebatur, & hominis fidei se commisit. Commotus provocavit eum ad jusjurandum. Juravit ille, iste perdidit; sed isto perdente, ille penitus periit. Dicebat ergo iste Tutuslymeni homo gravis & fidelis, ipsa nocte exhibitum se fuisse ad Judicem, & cum magno impetu atque terrore se pervenisse ad Præsidentem excelsum quemdam & admirabilem virum, cui parebat Officium similiter excelsorum, jussum fuisse perturbatum retrò revocari, & interrogatum fuisse his verbis: Quare provocasti hominem ad jurationem, quem sciebas falsum esse juraturum? Respondit ille, Negavit mihi rem meam. Responsum est illi, Et nonne melius erat, ut rem tuam, quam exigebas, perderes, quàm animam hominis istius falsâ juratione perimeres? Prostratus jussus est cædi. Cæsus est tam graviter, ut in dorso evigilantis vestigia plagarum apparerent. Sed dictum est illi, postquam emendatus est, Parcitur innocentiæ tuæ, de cetero cave ne facias. Fecit quidem ille grave peccatum, & emendatus est: sed multò gravius peccatum faciet, qui post istum meum sermonem & istam meam admonitionem & exhortationem tale aliquid fecerit.*

DE DECALOGO.

De Jurejurando.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione XCVIII. Articulo IV. Idem docet *S. Raymundus* Lib. I. Tit. *De Juramento & Perjurio*, pag 89. col. I. idque probat ex Canone *Ille qui*, & Can. *Qui exigit*, Causâ XXII Quæst. V. qui ex *S. Augustini* Sermonibus mox laudatis deprompti sunt; necnon ex Canone *Si quis pejeraverit*, qui *Gelasio* Papæ tribuitur; cujus hæc sunt verba: *Si quis pejeraverit, & alios sciens in perjurium duxerit, quadraginta dies pœniteat in pane & aqua, & septem sequentes annos, & nunquam sit sine pœnitentia: & alii, si conscii fuerint, similiter pœniteant.*

REGULA XXII.

Judici licet exigere Jusjurandum secundùm ordinem Juris, ad petitionem alterius, ab eo quem pejeraturum esse novit, vel meritò suspicatur.

ITa docet *sanctus Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione XCVIII. Articulo IV. *Si aliquis (inquit) exigat juramentum tanquam persona publica, secundùm quod exigit ordo juris ad petitionem alterius: non videtur esse in culpa si ipse juramentum exigat, sive sciat eum falsum jurare, sive verum: quia non videtur ille exigere, sed ille ad cujus instantiam exigit.* Debet tamen seriò admonere juraturum religionis jusjurandi, & actorem urgere ut illud remittat. Explorare etiam par est, an credat actor illum esse pejeraturum: tunc enim licere non videtur Judici jusjurandum exigere ad petitionem ipsius, quam non esse justam, sed divinæ Majestati injuriosam, evidens est. Si autem actor existimet alium non esse pejeraturum, & Judicem urgeat ut ab eo exigat jusjurandum, exigere illud potest absque peccato, modò causa civilis sit, non criminalis; in qua juramentum à reo exigi non potest, si accusator in probatione deficiat; sed iste pœnam talionis luere debet, secundùm Canonem, *Qui crimen*, Causâ secundâ, Quæstione VIII.

Addit *sanctus Raymundus*, in Causis criminalibus, ubi Judex testes animadvertit ad falsum testimonium ferendum contra reum, & ad pejerandum paratos, niti illum debere ex officio, etiamsi reus taceat, ad repellendum illos à testimonio ferendo, vel quia sunt ignoti, vel infames, vel gravis opinionis, vel opponendo eis similem causam, ut colligitur ex Canone *Quarendum*, Causâ II. Quæst. VII. Si verò non prævideat quid sint responsuri, juramentum eorum recipere potest: & si in narratione facti eos cognoverit à vero deviare, omnem adhibere debet operam ac diligentiam in examine ut causam inveniat eos repellendi, ut fecit *Daniel* in causa *Susanna*: si autem nullâ ratione repellere illos potest, judicare licet secundùm allegata & probata, contra privatam scientiam, ut *S. Thomæ*, & plerisque Theologis & Juris Canonici Doctoribus placet. Consultiùs tamen causam delegabit alteri, si fieri potest: sin autem, remittet ad Superiorem; ut *S. Raymundus* auctor est.

Quæcumque verò causa agatur, juramentum ab utraque parte exigere Judici non licet, ut constat ex Concilio Valentino III. anno 855. Canone XI. cujus hæc sunt verba: *Quia impia, & Deo inimica, & Christiana Religioni nimis contraria, ex iniquissima ac detestabili Constitutione quorumdam secularium Legum consuetudo inolevit, ut in forensi Judicio litigantes ex utraque parte contendentium æqualiter juramentum dare cogantur; sine dubio duobus contra se jurantibus unus perjurus efficitur: tanti sceleris immanitatem, & animarum perditionem dolentes, statuimus, ut quicumque uno juramento legitimè dato, quod secundùm Legem divinam omnis humana controversia finis esse debet, alterum è contrario juramentum opponere præsumpserit, ab ipsis liminibus Ecclesia, quam suâ impietate profanavit, exclusus, omnium Christianorum consortio atque convivio reddatur extraneus, nisi se continuò admonitus ad agendam pœnitentiam tanti reatûs humili satisfactione inclinaverit.*

REGULA XXIII.

In Juramento dispensari potest.

De Juramenti dispensatione.

CUm enim in voto dispensari possit, cujus strictius est vinculum, pari ratione potest in juramento dispensari. Et certè necessitas dispensationis tam in Lege, quàm in voto inde reperitur, quòd res quæ universim considerata est honesta & utilis, secundùm aliquem particularem eventum potest esse inhonesta & noxia, adeo ut nec Legis nec voti materia esse possit. Idem autem de juramento dicendum est, cujus materia si sit aliquid inhonestum, repugnat justitiæ; si aliquid noxium, repugnat judicio; quibus conditionibus jusjurandum instructum esse debet. Eadem utique ratione dispensari potest in juramento. Sic disserit *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione LXXXIX. Articulo IX.

REGULA XXIV.

Cùm res jurata manifestè repugnat justitia, Dispensatione seu Absolutione à juramento non est opus: nullum siquidem Jurisjurandi vinculum est.

ITa docet *S. Thomas*, loco mox indicato, in Responsione ad tertiam Objectionem: *Quandoque (inquit) illud quod cadit sub juramento promissorio, est manifestè repugnans justitia: vel quia est peccatum: sicut cùm aliquis jurat se facturum homicidium: vel quia est majoris boni impeditivum, sicut cùm aliquis jurat se non intraturum Religionem. Et tale juramentum dispensatione non indiget: sed in primo casu tenetur aliquis tale juramentum non servare: in secundo autem casu licitum est & servare, & non servare.*

Hanc Regulam confirmat *Alexander III.* Cap. *Quartò*, Extra *De Jurejurando*, Aragonum Regi rescribens, qui se à juramento postulabat absolvi, quo monetam jussu Patris sui cusam se cui servaturum juraverat, quamvis legitimo pondere destituta esset. *Diligens (inquit) indagator potuisset facilè intueri, quòd non tam erat Absolutio necessaria, quàm interpretatio requirenda:* quia nempe Juramentum illicitum observandum non esse, certum est.

REGULA XXV.

Cùm dubitatur utrùm id quod Juramento promissorio firmatum est, sit licitum vel illicitum, utile vel noxium, dispensatio petenda est ab Episcopo, aut à summo Pontifice.

HAnc Regulam statuit *sanctus Thomas*, ibidem. *Quandoque (inquit) aliquid sub Juramento promittitur, de quo dubium est utrùm sit licitum vel illicitum, proficuum vel nocivum, aut simpliciter, aut in aliquo casu: & in hoc potest quilibet Episcopus dispensare.*

Raudla XXVI.

Cùm id quod Juramento promissum est, honestum est & utile, dispensatio vel commutatio justa de causa peti potest, quam solus Pontifex Romanus concedere potest in Juramentis ex Ecclesiæ Disciplina Sedi Apostolicæ reservatis: Episcopi etiam in reliquis.

De Juramenti dispensatione.

IN primis Juramenta, sicut & Vota in melius posse commutari Prælatorum auctoritate certum est. Posse etiam in iis dispensari justis de caussis, Ecclesiæ usus demonstrat. Justa autem causa censetur, si res juramento promissa sit valde ardua & difficilis; si quid melius occurrat faciendum: si res illa priùs videbatur magnam utilitatem allatura, nunc verò nullam vel exiguam: si jusjuraadum vi, dolo, aut gravi metu incussu exortum est: si ex ignorantia, errore, præcipitis animi levitate: si stante vinculo juramenti varia sint pericula peccati, quæ removeri operæ pretium sit ad salutem ejus qui jurejurando obstrictus est. Illorum porro juramentorum solutio uni Pontifici Romano reservata est, quorum materia si Deo voveretur, vota essent Sedi Apostolicæ reservata: videlicet de castitate servanda, de Religionis ingressu, de peregrinatione Hierosolymitana, ad limina Apostolorum, vel ad sancti Jacobi Compostellani. Item in juramentis super Statutis Ecclesiarum & Academiarum, aut quæ bonorum Ecclesiasticorum dispensationem extraordinariam spectant, vel quæ à Regibus, Principibus Viris, & Episcopis fiunt, vel de rebus maximè arduis sunt emissa, dispensationem à Summo dumtaxat Pontifice postulari mos est. In ceteris dispensare possunt Episcopi, aut id quod juratum est, in melius commutare, in suis dumtaxat Diœcesibus: Romanus Pontifex in toto Orbe Christiano, cùm plenitudinem habeat potestatis, sive summam in tota Ecclesia ligandi solvendique potestatem, ut docet *sanctus Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione LXXXIX. Articulo IX. in Responsione ad tertiam objectionem. *Quandoque* (inquit) *sub juramento promittitur aliquid, quod est manifeste licitum & utile: & in tali juramento non videtur habere locum dispensatio vel commutatio, nisi aliquid melius occurrat ad communem utilitatem faciendum; quod maximè videtur pertinere ad potestatem Papæ, qui habet curam universalis Ecclesiæ: vel etiam absoluta relaxatio, quod etiam ad Papam pertinet in omnibus generaliter quæ ad dispensationem rerum Ecclesiasticarum pertinent, super quas habet plenitudinem potestatis.*

Hanc Regulam confirmat *S. Antoninus* P. II. Tit. X. Cap. VI. *Si subest justa causa* (inquit) *Papa potest absolvere, ut in Cap.* Si verò, *Extrà*, De Jurejurando. *Et est justa causa, si turpitudinem continet juramentum ex parte recipientis, puta, si juraverit solvere usuras. Est etiam justa causa, propter scandalum vitandum, ut notat Glossa Innocentii; vel etiam cum major utilitas imminet in commutatione, sicut etiam dicitur de voto. Et non solum Papa in his casibus, sed etiam Episcopus poterit absolvere, sicut & votum commutare, ut dicit Innocentius in Cap.* Debitores, *eodem Titulo. Sed in hoc est differentia inter Papam & Diœcesanum, quia in factis magnarum Personarum, vel multùm dubiis, debet recurri ad Papam, & sic potest intelligi Cap.* Venerabilem. *Sed in aliis poterit Episcopus respectu solùm suæ Diœcesis, Papa autem respectu totius Orbis potest vel commutare, vel absolvere. Alius citra Episcopum non potest, qui non habet Episcopalem Jurisdictionem.*

Reoula XXVII.

Jusjurandum in suum favorem & utilitatem præcipuè factum, privatus quisque remittere potest.

De Juramenti remissione.

SIc respondet *sanctus Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæst. LXXXIX. Articulo IX. ad secundum. *Homo* (inquit) *potest aliquid alteri promittere sub juramento dupliciter. Uno modo, quando promittit aliquid pertinens ad utilitatem ipsius: Puta, si sub juramento promittat se serviturum ei, vel pecuniam daturum: & à tali promissione potest absolvere ille cui promissio facta est: Intelligitur enim jam ei solvisse promissum, quando facit de eo secundum ejus voluntatem. Alio modo promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem aliorum: Putà, si aliquis sub juramento promittat alicui, se intraturum Religionem, vel aliquod opus pietatis facturum. Et tunc ille cui promittitur, non potest absolvere promittentem: quia promissio non est ei facta principaliter, sed Deo: nisi fortè sit interposita conditio, ratione cujus possit, scilicet, si illi videtur cui promittitur, vel aliquid aliud tale* Idem censet *sanctus Antoninus*, idque confirmat ex Cap. *Ex administrationis*: Extra, *De Jurejurando*, quod *Gregorii III.* Responsum est: *Mandamus* (inquit) *quatenus creditores ad juramenta super usuris sibi solvendis præstita relaxanda, Ecclesiasticâ districtione cogatis*, Et ex Cap. *Præterea*, Extra, *De Sponsalibus*, quod est *Innocentii III.* Exoniensi Episcopo rescribentis: *Hi qui de Matrimonio contrahendo purè & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent. Si autem se ad invicem admittere noluerint; ne fortè deterius inde contingat, ut talem scilicet ducat, quam odio habet: videtur, quòd ad instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eamdem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari.*

Reuula XXVIII.

Superior quilibet subditorum suorum Juramenta irrita facere potest, circa ea quæ ipsius potestati subduntur.

SIc pater juramenta filiæ, vir uxoris, tutor impuberum, irrita facere potest, ut constat ex *Num.* XXX. Cap. Vers. 4. & de votis dictum est. Ita *sanctus Thomas*, ceterique Theologi: non possunt tamen tutores minorum juramenta irrita declarare, si pubertatis annos excesserint, ut sancitum est L. *Si minor*, Cod. Tit. XXVIII. cujus hæc sunt verba: *Si minor annis viginti-quinque emptori prædii cavisti, nullam de cetero te esse controversiam facturum, idque etiam jurejurando corporaliter præstito servare confirmasti, neque perfidiæ, neque perjurii me auctorem tibi futurum sperare debuisti.* Idem novâ Constitutione *Frederici* cautum est, cujus hæc sunt verba: *Sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis, inviolabiliter custodiantur.*

REGULA XXIX.

Gravis peccati rei sunt, qui leviter, temerè, absque necessitate aut justâ utilitate, ex prava consuetudine jurant.

Leviter ac temerè jurandi consuetudo, grave peccatum.

QUamvis enim verum jurent, certíque omnino sint rem ita se habere, nec proximum jurejurando fallere, aut alicui nocere velint, adeóque jurent *in veritate & justitia*, non tamen *in judicio*: cujus unius conditionis defectu jusjurandum illicitum, & quodam modo *perjurium est*, ut *sanctus Hieronymus* docet in Cap. IV. *Jeremiæ*. Deest scilicet hujusmodi jurantibus prudentia, cùm absque necessitate & utilitate frequententur: Deest pietas & reverentia erga Deum, cùm passim testis appelletur in rebus levissimi momenti: in perjurii denique periculum incurritur, cùm jurandi consuetudo, linguæ lapsus, humani ingenii tenebræ, quod res plerumque dubias veras esse putat, efficiunt ut facilè pejeret, qui jurare consuevit.

Hanc Regulam Scripturæ sacræ verbis, Patrúmque testimoniis fulcire operæ pretium est. *Jurationi non assuescas os tuum* (inquit Spiritus-Sanctus *Ecclesiastici* Cap. XXIII.) *Multi enim casus in illa. Nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis. Sicut enim servus interrogatus assiduè à livore non minuitur: sic omnis jurans & nominans, in toto à peccato non purgabitur. Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo ejus plaga. Et si frustraverit,* a *delictum illius super ipsum erit: & si dissimulaverit,* b *delinquit dupliciter: & si in vacuum* c *juraverit, non justificabitur: Replebitur enim retributione domus illius.* Et Cap. XXVII. 15. *Loquela multùm jurans, horripilationem capiti statuet: & irreverentia ipsius obturatio aurium.*

a id est, deceperit.
b Quasi per simulationem jurando falsum.
c id est sine debita causa & necessitate.

Eamdem Regulam pluribus in locis confirmat *S. Augustinus*, scilicet Epistolâ CLVII. aliàs LXXXIX. Cap. V. *Jurationem* (inquit) *cave quantùm potes. Meliùs quippe nec verum juratur, quàm jurandi consuetudine & in perjurium sæpè caditur, & semper perjurio propinquatur.*

Et Libro I. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. XVII. *Ita intelligitur præcepisse Dominum ne juretur, ne quisquam sicut bonum appetat jusjurandum, & assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem delabatur. Quapropter qui intelligit, non in bonis, sed in necessariis jurationem habendam, refrænet se quantùm potest, ut non eâ utatur, nisi necessitate, cùm videt pigros esse homines ad credendum quod eis utile est credere, nisi juratione firmetur.*

Jacob. 5.

Item Sermone CLXXX. aliàs XXVIII. *De Verbis Apostoli*, Cap. II. tractans hæc verba Apostoli Jacobi, *Ante omnia, Nolite jurare*, hæc ab Apostolo dicta ait, ut Christianos ad frenandam jurandi consuetudinem excitaret. *Quid est*, Ante omnia? *Ante omnia vigila, ante omnia intentus esto. Juravimus & nos passim, habuimus istam teterrimam consuetudinem, & mortiferam. Dico Caritati vestræ, ex quo Deo servire cœpimus, & quantum malum sit in perjurio vidimus, timuimus vehementer & veternosissimam consuetudinem timore frenavimus. Frenata restringitur, restricta languescit, languescens emoritur, & mala consuetudini bona succedit.* Ait Christus, SIT in ore vestro, Est, est: Non, non; quod autem amplius est, à malo est. *Sed tamen aliud habet humana pessima consuetudo. Et cùm tibi creditur, juras, & cùm nemo exigit, juras; & horrentibus hominibus juras: non taces jurando, vix es sanus non pejerando....... Istam ergo consuetudinem quotidianam, crebram, sine caussa, nullo extorquente, nullo de tuis verbis dubitante jurandi, avertite à vobis, amputate à linguis vestris, circumcidite ab ore vestro....... Quid est*, Ante omnia? *Præ cæteris cautus esto, plus ad hoc intentus esto, quàm ad alia. Major consuetudo majorem intentionem flagitat, non levis res consuetudo. Si de motu aliquid faceres, faciliùs manui tuæ imperares ne faceret; si pedibus aliquò eundum esset, pigritiâ retardante excitares te ut surgeres, & ires. Lingua facilitatem habet motûs, in udo posita est, facilè in lubrico labitur. Quantò illa citiùs & faciliùs movetur, tantò tu adversùs illam fixus esto. Domabis, si vigilabis; vigilabis, si timebis; timebis, si te Christianum esse cogitaveris...... Non fiat hodie, pigriùs fit cras. Si & cras factum non fuerit, miniùs laborat qui custodit, adjuvatur enim consuetudine superioris diei.*

Prava jurandi consuetudo quomodo frenanda.

Idem confirmat *S. Ambrosius*, Libro *De Exhortatione Virginitatis*, Cap. XI. *Quid nos Scriptura admoneat, consideremus. Non jurandum facilè, quia plerumque multi casus accidunt, ut non possimus implere quod juraverimus. Qui autem non jurat, utique non pejerat: qui autem jurat, aliquando necesse est incidat in perjurium, quia omnis homo mendax. Noli ergo jurare, ne incipias pejerare.*

Quantæ sit irreverentiæ & impietatis Dei nomen passim usurpare, & absque justâ necessitate vel utilitate jurare, docet etiam *Theodoretus* Interrogatione XLI. *in Exodum*, sensum hujus præcepti, *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, explicans. *Quidam* (inquit) *prohiberi dicunt, ne quis res vanas, hoc est, Idola nomine Dei vocet: alii, ne quis jurando mentiatur. Ego autem puto, divinam Legem statuere, ne quis nomen Dei pronuntiet sine aliqua ratione aut docendi, aut orandi, aut necessaria cujuspiam occasione. Solent enim nonnulli, etiam ludentes & ridentes, ut inciderit, reverendum Dei nomen linguâ proferre. Hoc arbitror divinâ Lege prohiberi, si enim consueverunt multi pretiosiorem vestem diebus Festis reservare: multò magis divinum Nomen precibus, atque docendi officia æquum est consecrare.*

In pravam illam jurandi consuetudinem acriter invehitur *Salvianus* Libro IV. De Gubernatione Dei. *Quis est* (inquit) *omnino hominum secularium præter paucos, qui non ad hoc semper Christi nomen in ore habeat, ut pejeret? Unde etiam pervulgatum hoc ferè & apud Nobiles & apud ignobiles sacramentum est: Per Christum, quia hoc facio: Per Christum, quia hoc ago: Per Christum, quia nihil aliud dicturus sum: Per Christum, quia nihil aliud acturus sum. Et quid plura? In id penitus deducta res est, ut sicut de Paganis Barbaris priùs diximus, Christi nomen non videatur jam sacramentum esse, sed sermo. Nam in tantum apud plurimos Nomen hoc parvipenditur, ut numquam minùs cogitent quippiam facere, quàm cùm se jurant per Christum esse facturos.*

Pessimam illam consuetudinem jurandi in vulgaribus & familiaribus colloquiis penitus evellere, Summi Pontifices & Concilia Decretis suis studuerunt: scilicet Concilium Turonense III. anno 813. Canone LXII. *Omnes* (inquit) *homines admonemus, ut per singula verba, quasi ad confirmationem suæ assertionis, Nomen Domini in vanum assumant: quod ipse Dominus interdicit faciendum, ubi ait*, Ne assumas nomen Dei tui in vanum. *In vanum etenim nomen Dei assumitur, quando aliquis ad singula verba, quibus vult ut sibi ab alio credatur, Deum omnipotentem testem rei,*

de qua ait, invocent, eùmque sibi ita esse adjutorem, sicut ea vera sunt quæ loquitur. Nam & ipse Dominus in Evangelio hoc modo prohibens omne genus juramenti, Nolite, inquit, omnino jurare, neque per cælum, neque per terram, neque per caput tuum, &c.

Concilium Trosleianum anno 909. Canone x i. *Cohibeantur* (inquit) *perjuria, non solum quæ alicujus fictionis fiunt commento, vel fallendi aliosque decipiendi studio; sed & ea, quæ ex ipsa prava consuetudine jam veluti insolita, pene per singula admittuntur verba ab eis, quibus aquè falsa constat jurare, ut vera. Cùm, si forte propter eos, qui pigri sunt ad credendum, neque moventur ad fidem verbi, qui & in hoc graviter delinquunt, quòd sibi loquentes jurare cogunt, necesse fuerit proferre jusjurandum: hos comites habere debeat jusjurandum, veritatem, judicium & justitiam: dicente Domino per Prophetam Jeremiam:* Et jurabis. Vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitia. *Si enim ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium.* Et infra *Ille Nomen Dei sui in vanum assumit, qui in qualibet re vola re, & in dolo jurans proximo suo, aliquando in causa non necessaria, vel in verbo otioso Nomen sanctum ejus in tali vanitate assumere non pavescit. In Novo autem Testamento ipse Dominus dicit:* Audistis quia dictum est Antiquis, Non perjurabis. Ego autem dico vobis, Non jurare omnino, &c. *Ergo Evangelica Veritas non recipit juramentum, cùm omnis sermo Fidelis pro jurejurando sit.*

Innocentius III. Cap. *Etsi Christus*, Extrà, *De Jurejurando*, explicans quâ ratione licitum sit vel prohibitum juramentum; *Quædam* (inquit) *prohibentur, quia per se mala sunt, ut furtum, adulterium, & hujusmodi, quæ non sunt aliquatenus facienda. Quædam verò prohibentur ex causa, non quia per se mala sunt, sed quia si fiant frequenter & multum, ex his mala sequuntur: ut vinum per se malum non est, & tamen prohibet Apostolus dicens:* Nolite inebriari vino, in quo est luxuria: *Quoniam ex frequenti & immoderata vini potatione luxuria generatur. Sic & juramentum per se quidem malum non est, cùm sit confirmatio veritatis; sed tamen prohibetur ex causa, quoniam ex frequenti & incauta juratione perjurium sæpè contingit.*

Concilium Bituricense anno M D LXXXIV. Titulo XIX. Canone secundo: *Scriptum erat Antiquis:* Non pejerabis, sed reddes Domino sacramenta tua. *Christus autem suos docuit non jurare omnino, ne temerè homines Nomen Dei assumant, & ex jurandi consuetudine via perjuriis aperiatur. Prohibet ergo hæc Synodus omne jusjurandum, nisi quod ad obtinendam veritatem in judicio requiritur. Si quis temerè juraverit, & monitus in idem peccatum reciderit, excommunicetur.*

Levit. 9. Exod. 20. Deuteron. 5. Matth. 5.

Eamdem Regulam confirmat *sanctus Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione LXXXIX. Articulo V. ubi juramentum non esse per se appetendum & frequentandum probat his verbis: *Quod non quæritur nisi ad subveniendum infirmitati vel defectui, non numeratur inter ea quæ sunt per se appetenda, sed inter ea quæ sunt necessaria: sicut patet de medicina quæ quæritur ad subveniendum infirmitati. Juramentum autem quæritur ad subveniendum alicui defectui; quòd scilicet unus homo alteri discredit. Et ideo juramentum est habendum non inter ea quæ sunt per se appetenda, sed inter ea quæ sunt huic vitæ necessaria: quibus indebitè utitur quicumque eis utitur ultra terminos necessitatis.*

Concilii denique Tridentini Catechismus hanc Regulam tradit: *Neque* (inquit) *jusjurandum temerè & inconsideratè, sed consultò & cogitatè adhiberi debet. Itaque juraturus primo quidem consideret, utrùm necessitate cogatur, necne, rémque totam accuratè expendat, an ejusmodi sit, ut jurejurando indigere videatur. Tempus præterea spectet, locum attendat, aliáque permulta, quæ rebus adjuncta sunt, circumspiciat; non odio, non amore, aut animi perturbatione aliqua impellatur, sed ipsius rei vi ac necessitate. Etenim nisi hæc consideratio ac diligens animadversio antecesserit, sanè jusjurandum præceps ac temerarium erit; cujusmodi est illorum irreligiosa affirmatio, qui in re levissima & inani, nulla ratione aut consilio, sed prava quadam consuetudine jurant. Id verò passim quotidie à venditoribus & emptoribus fieri videmus: nam illi ut quamplurimo vendant, hi rursus ut quàm minimo emant, res venales, vel laudare, vel vituperare jurejurando non dubitant.*

Ex his colligitur, Sacerdotem, qui à Confessionibus est, Absolutionem his, qui jurandi consuetudine implicantur, impendere non debere, donec pravam illam consuetudinem exuerint, aut certè donec probaverint utrùm pro virili contra illam luctentur, & ad eam domandam incumbant.

Quomodo gerere se debeat Confessarius erga eos qui jurandi consuetudine implicantur.

Graviter quoque illos arguendos esse, qui prava pariter consuetudine inchoationes quasdam execrandorum juramentorum, immò & blasphemiarum proferunt, quæ facili præcipitis linguæ lapsu, irâ præsertim dominante, in completa juramenta, & blasphemias erumpunt. His congrua pœnitentia injungenda est, ut ob eam consuetudine resipiscant, quæ propinqua est temerariis juramentis & blasphemiæ, sicut assiduitas ipsa jurandi vicina perjurio est. *Qui enim amat periculum, in illo peribit.* Revocanda rursus in memoriam præclara illa *sancti Augustini* Sententia Sermone CLXXX. alias XXVIII. *De Verbis Apostoli*, Cap. II. *Quia grave peccatum est pejerare, compendium tibi dedit Scriptura, Noli jurare. Quid tibi dicturus sum, homo, Verum jura? Ecce verum jura, non peccas: si verum juras, non peccas. Sed homo inter tentationes positus, carne involutus, calcans terram sub terra, dum corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, inter ista multa tua cogitata incerta, volatica, conjecturas humanas, quando non subrepit tibi quod falsum est* [illegible] *regione falsitatis? Vis ergo longè esse* [illegible] *Jurare noli. Qui enim jurat, aliquando verum jurare potest: qui autem non jurat, mendacium jurare nunquam potest. Jurat ergo Deus* [illegible] *fecerat, quem nihil fallit, quem nihil latet, qui omnino fallere ignorat, quia nec falli potest. Cùm enim jurat, se adhibet testem. Quomodo tu cùm jurat, Deum adhibes testem: sic ipse cùm jurat, se testem adhibet. Tu quando illum adhibes testem, fortè supra mendacium tuum, accipit in vanum nomen Domini Dei tui. Ne ergo mendacium jures, noli jurare. Ipsa est angustia, Perjurium, præcipitium. Qui jurat, juxta est: qui non jurat, longe est. Peccat & graviter qui falsum jurat: non peccat qui verum jurat: sed nec ille peccat, qui omnino non jurat. Sed qui non jurat, & non peccat, longè est à peccato: qui autem verum jurat, non peccat, sed prope est ad peccatum. Fac te ambulare in aliquo loco, ubi à parte dextera spatiosa sit terra, nec usquam angustias patiaris, à sinistra præceps locus est. Ubi eligis ambulare? Super finem terræ in labio præcipitii, an inde longè? Puto quia inde longè. Sic & qui jurat, in fine ambulat, & ambulat pedibus infirmis, quia humanis. Si offenderis, deorsum is: si lapsus fueris, deorsum is. Et quid te excipit? Perjurii pœna. Ergo volebat verum jurare: audi consilium*

Præclara sancti Augustini sententia contra jurandi consuetudinem.

Perjurio proximus est, qui frequenter jurat.

Temeraria juratio...

Dei, Noli jurare.... Falsa juratio, exitiosa est; vera juratio, periculosa est; nulla juratio, secura est. Qua autem ratione gerere se debeat Sacerdos qui à Confessionibus est, erga eos qui in proxima peccandi occasione versantur, & periculum amant, vel ex consuetudine & habitu peccant, in Tractato de Pœnitentia dictum est.

REGULA XXX.

Qui per fidem suam passim, crebrò, & sine caussa jurant, temerarii juramenti rei sunt.

S. Augustinus Sermone xxx. alias v. ex editis à P. Sirmondo.

SIve enim fides illa superior intelligatur, quâ fideles dicimur, quâ in Deum credimus, quâ Christiani & Catholici sumus; sive ea quæ vulgò etiam fides dicitur, quæ societatis humanæ vinculum est, quam & Deus imperat, ne cuiquam fraudem faciamus, ut fidem quisque servet in negotio, ut fidem servet uxori in lecto; quam exigimus à servo & in illo amamus, quam non videmus oculis carnis, sed oculis cordis; Deum testem appellari certum est, cujus veritas, quæ non est aliud quàm ipse, in utraque fide, modo licet diverso, promicat. Unde sicut illos qui *Per veritatem*, aut *Per caritatem*, quippiam asserendo vel negando, se jurare non putabant, temerarii juramenti reos esse declaravit *Carolus Magnus* in Capitulari ab Episcopis approbato, si absque necessitate aut justa causa, has asserendi, vel promittendi formulas usurparent: reos verò perjurii, si falsum assererent, aut promissum ita firmatum sponte violarent: ita illos qui *Per fidem suam* passim, crebrò, & sine caussa jurant, temerarii juramenti reos; & si falsitatem hac jurandi formulâ confirmaverint, vel rem bonam & licitam promiserint, fideique suæ contesta[illegible]e promissum roboraverint, & nihilominus [illegible]are non dubitaverint, reos perjurii asserimus, [illegible]eclamante licet *Silvio* magni nominis Theologo, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXIX. Articulo I. Sic autem habet *Carolus Magnus* Rex Christianissimus in Capitulari Aquisgranensi, quod ex *Canonicis Institutionibus* condidit & promulgavit anno Christi septingentesimo octogesimo-nono, Cap. LXII. *Habemus in Lege*

Levit. 19. ibid. 20.

» *Domini præcipiente*, Non perjurabis in nomine » meo, nec pollues nomen Dei tui, neque assu» mes nomen Domini Dei tui in vanum. *Ideo omnino admonendi sunt omnes diligenter ut caveant perjurium, non solùm in sancto Evangelio vel in Altari, seu in Sanctorum Reliquiis, sed in communi loquela: quia sunt aliqui qui per caritatem & veritatem jurant, & cavent si à juramento Nominis Dei, & nesciunt quod idem est Deus quòd caritas & veri-*

1. Joann. 4. Joann. 14.

» *tas, dicente Joanne Apostolo, quia* Deus caritas est. » *Item ipse Dominus in Evangelio*: Ego sum via & veritas. *Ideo qui in veritate & caritate jurat, in Deo jurat.*

Præterea, qui per fidem suam, & veritatem aliquid asserit passim & absque necessitate, Christi mandatum transgreditur (Matth. v.) *Sit autem*, inquit, *sermo vester, Est, est; Non, non: quod autem his abundantius est, à malo est.* Hinc *S. Clemens Alexandrinus* Libro VII. *Stromatum*, perfectum Christianum describens, ait: *Propter se ipsum autem multò minùs mentietur, aut pejerabit, siquidem nunquam sua sponte in se ipsum injustus invenietur. Sed neque jurat, ut qui in affirmatione quidem, Ita, vel, Est; in negatione autem, Non, usurpare constituerit. Jurare enim est jusjurandum vel tanquam jusjurandum mente conceptum proferre affirmativè. Sufficit ergo ei, vel affirmationi vel negationi addere illud, Verè dico, ut fidem eis faciat, qui responsi ejus non percipiunt stabilitatem. Oportet enim eum habere apud externos quidem vitam fide dignam, ne postuletur quidem ab eo jusjurandum: apud se ipsum autem & qui cum eo conversantur, animi æquitatem, quæ est justitia voluntaria...... Qui ne jurat quidem, multùm abest ut sit pejeraturus: qui autem nihil transgreditur ex iis quæ pacta & conventa sunt, is nunquam juraverit; cùm transgressionis & perfectæ observationis in factis alia sit ei confirmatio: sicut certè mentiri & pejerare in dicendo & jurando, est præter officium. Qui autem justè vivit, nihil ex iis quæ decet fieri transiliens: ubi examinatur judicium veritatis, is factis verè & sanctè jurat. Est ergo ei superfluum linguæ testimonium.*

REGULA XXXI.

Blasphemia crimen est perjurio gravius.

Blasphemiæ crimen quàm grave!

COlligitur ex *S. Augustino*, Libro *Contra Mendacium*, Cap. XIX. *Ideo autem pejus est blasphemare quàm pejerare, quoniam pejerando falsæ rei adhibetur testis Deus, blasphemando autem de ipso falsa dicuntur Deo. Tantò est autem quisque inexcusabilior sive perjurus sive blasphemus, quantò magis ea quæ pejerando vel blasphemando asserunt, falsa noverunt esse vel credunt.* De hoc crimine ait Sapiens, *Ecclesiastici* XXIII. 15. postquam de assidua juratione locutus est: *Est & alia loquela contraria morti*, (hoc est, maximè mortifera,) *Non inveniatur in hereditate Jacob.* Usque enim adeo atrox & immane est, ut Sacræ Litteræ hanc loquelam vocent *contrariam morti*, & *benedictionem Dei*, verbis scilicet contraria significantibus III. Reg. XXI. *Benedixit Naboth Deum & Regem*: id est, blasphemavit. Job. I. *Si non in faciem benedixerit tibi*: id est, palam & imprudenter blasphemaverit. Job. II. *Benedic Deo, & morere*; id est blasphemiis Deum appete, ut ab ipso percussus moriaris, & ita malorum finem accipias.

REGULA XXXII.

Blasphemiæ reus est quisquis cogitatè & deliberatè verba in Deum aut Sanctos contumeliosa profert, eorum significationem advertens: quamvis actualem blasphemandi intentionem non habeat.

SI enim blasphemiæ reus est qui ignorans blasphemat, secundùm illud Apostoli I. ad *Timotheum*, Cap. I. *Priùs blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate*: multò magis blasphemiæ reus est, qui sciens verba convitii & contumeliæ, in Deum, Virginem Deiparam, aut Sanctos profert.

Hanc Regulam confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XIII. Articulo secundo, in Responsione ad tertiam objectionem. *Blasphemia*, inquit, *potest absque deliberatione ex surreptione procedere dupliciter. Uno modo, quòd aliquis non advertat hoc quod dicit esse blasphemiam; quod potest contingere cùm aliquis subitò ex aliqua passione in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat: & tunc est peccatum veniale, & non habet propriè rationem blasphemiæ. Alio modo, quando advertit hoc esse blasphemiam, considerans significata verborum: & tunc non excusatur à peccato mortali, sicut nec ille qui ex subito motu iræ aliquem occidit juxta se sedentem.* Et ille

ergo blasphemiæ reus est, scelerisque atrocis & immanis, qui ea subito motu iræ verba contumeliæ, convitii & improperii in Deum & Sanctos profert; quamvis in ea ex consuetudine prorumpat. Immò tantò gravius crimen est, quantò diutiùs infelicem animam detinet alligatam; nec refert quòd inconsideratè blasphemet, quia inconsideratio illa ex illius prava voluntate ortum habet, quâ malam consuetudinem emendare negligit. Quinquennem puerum, in quo malitia Diabolica prævenerat ætatem, & qui *Mox ut ejus animo aliquid obstitisset, Majestatem Dei blasphemare consueverat*, consuetudo prava non excusavit à lethali peccato, nec immunem fecit ab æterna damnatione. Imò puer ex consuetudine blasphemans in articulo mortis, Dæmonibus sub horrifica Maurorum hominum formâ ipsi conspicuis traditus est, ut refert *S. Gregorius*, Libro IV. *Dialogorum*, Cap XVIII.

Blasphemiæ gravitas.

Hujus peccati gravitatem *S. Antoninus* ostendit, P. II. Tit. VII. Cap. V. Maledicere Deum » (inquit) est imprecari ei malum, ac si esset » creatura; quod tamen ei non potest conve» nire, & sic continet blasphemiam. *Hoc autem semper est mortale, cùm perpendit se maledicere: nec excusatur quòd ex subita ira hoc facit, vel ex more; sicut nec excusaretur ab homicidio, & consequenter à pœna mortis, si quis ex impetu iræ hoc ageret.* Psalm. XXXVI. Maledicentes autem ei (*scilicet Deo*) disperibunt, *id est, diversis modis peribunt, quia quoad animam, morte gehenna in aliâ vitâ, & præsenti variis pœnis corporeis.* Levitici XXIV. Qui maledixerit Deum suum, morte morietur, *scilicet corporali.* Hujus autem peccati gravitatem ex triplici capite demonstrat Sanctus Archipræsul, primò ex eo quòd viri pii crimen istud vel nominare horreant, contrarióque benedictionis nomine significent, *Job* I. & II. *Regum* XXI. Quòd Judæi blasphemiam audientes, vestimenta sua in signum horroris lacerarent, ut ex Cap. XXVI. *S. Matthæi* colligitur. Quòd ex odio Dei procedere blasphemia videatur, quod certè peccatorum omnium gravissimum est. Secundò gravitatem hujus criminis ostendit ex severitate Legum scelus illud vindicantium. Lex Vetus pœnam mortis in blasphemos decernit. Unde Populo Dei iter agente per Desertum ad Terram Promissionis, blasphemum quemdam hominem Dominus lapidari jussit (*Levitici* XXIV.) Lex Canonica hujus criminis reis severam Pœnitentiam imponit. In omni etiam Civitate bene constituta blasphemi mulctis pecuniariis, aliisve secundùm Leges & Statuta puniuntur. *Et Officiales in talibus locis, qui omittunt ex negligentia tales punire, graviter peccant.* Tertiò gravitatem hujus criminis *S. Antoninus* ostendit, quia damnatorum occupatio est. *Non aliud opus*, inquit, *in inferno exercent, nisi blasphemare Deum, & maledicere*, ut de illis ait *S. Joannes Apocalypsis* XVI. » Commanducaverunt linguas suas præ dolore.... » Et blasphemaverunt Deum Cœli præ dolori» bus & vulneribus suis: & non egerunt Pœni» tentiam ex operibus suis. *Qui ergo hoc vitio detinetur, ostendit se pertinere ad statum damnatorum, ex quo exercet artem eorum.*

REGULA XXXIII.

Blasphemiæ reus est, quisquis Dei nomen aut attributum aliquod incommutabile creaturæ tribuit. Ejusdem criminis reus est, qui sibi tribui patitur.

ILli enim divinæ derogant excellentiæ, & quod ipsi debitum est detrahunt. Hujus peccati rei sunt profani illi & libidinosi amatores, qui mulierculas, quarum illecebris capti sunt Deas appellare non erubescunt. Nec dicat aliquis ad crimen elevandum, amatorio joco id & similia proferri. In his enim quæ Deum spectant, nullus est joco locus. *Nolite errare*, (inquit Apostolus) *Deus non irridetur.* Blasphemiæ reus esset qui Principem Virum omnipotentem aut immortalem appellaret. Blasphemiæ reus fuit Herodes Agrippa, qui Tyriis & Sidoniis pacem postulantibus, cùm eorum Oratoribus responderet, populúsque dicenti acclamaret, *Dei voces & non hominis*, blasphemam illam adulationem lætus excepit. Unde *confestim percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo: & consumptus à vermibus, exspiravit*; ut habetur in Actis Apostolorum, Cap. XII.

Blasphemia.

REGULA XXXIV.

In foro conscientiæ nemo blasphemiæ reus absque gravissima Pœnitentia absolvendus est.

GRavioribus enim criminibus gravior Pœnitentia imponi debet: blasphemia autem gravissimum peccatum est, cum infidelitate quandoque conjunctum, semper ipsi affine, utpote confessioni fidei oppositum; homicidio gravius. *Quia enim in gravitate culpæ magis attenditur intentio voluntatis perversa, quàm effectus operis: ideo cùm blasphemus intendat nocumentum inferre honori divino, simpliciter loquendo gravius peccat quàm homicida*; (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. XIII. Art. III.)

Blasphemorum pœnæ.

Hanc Regulam confirmat *Leo X.* Pontifex Maximus approbante Lateranensi Concilio Sessione IX. *In foro autem conscientiæ*, inquit, *nemo blasphemiæ reus absque gravissima Pœnitentia, severi Confessoris arbitrio injunctâ possit absolvi.* Pœnas præterea graves pro ratione sceleris idem Pontifex, Conciliúmque in Blasphemos decernunt, forum exterius spectantes. Hanc *Leonis X.* & Lateranensis Concilii Constitutionem *S. Pius V.* confirmavit. Secundùm hanc in blasphemos agendum decrevit Concilium Mediolanense I. sub *S. Carolo Borromæo*, P. I. Tit. De Blasphemia. *Blasphemia*, inquit, *impudentia & impietas eò prolapsa est, ut in ea coercenda vix satis diligentia adhiberi posse videatur. Itaque Sacris Canonibus & Pontificum Decretis, maximè verò iis quæ Leo X. in Lateranensi Concilio decrevit, innixi, hæc mandamus: Ut quicunque Deo palam seu publicè maledixerit, contumeliosisque aut obscœnis verbis Dominum nostrum Jesum Christum, vel Gloriosam Virginem Mariam ejus Matrem, expressè blasphemaverit; si Clericus sit, primùm fructibus unius anni Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæcunque habuerit, mulctetur. Si iterum in eo peccarit, eo Beneficio quod habet privetur; & si plura obtineat: eo privetur, quo Ordinarius privandum censuerit. Si tertiò blasphemaverit, Dignitates ac Beneficia omnia, quæcunque habuerit, eo ipso amittat, ad eaque deinceps retinenda aut obtinenda inhabilis*

S. Pius V. in Constit. quæ incipit, Ut primùm.

habilis ſit. Si verò Laicus fuerit ; primùm, aut etiam ſecundò pecuniâ mulctetur, ex præſcripta in eodem Concilio ratione. Tertiò, gravem Pœnitentiam publicè agat, eo modo quo à Sacris Canonibus præſcriptum eſt. Qui verò Sanctos blaſphemavit, aut in Deum, & Glorioſam Virginem Matrem maledicta, non tamen palam aut publicè contulerit, mitiùs aliquantò Judicis arbitrio puniatur. In foro autem conſcientiæ, ei qui blaſphemiæ reus fuerit, gravem pro modo culpæ Pœnitentiam Confeſſor imponat.

Concilium Bordigalenſe 1582. Chriſtianos à blaſphemiis & contumelioſis in Deum ac Sanctos verbis *Communionis privatione* deterreri jubet.

Concilium Bituricenſe anno 1584. celebratum, Clericum in Deum & Sanctos blaſphemum deponi, Laicum Communione privari, & ad Judices ſeculares deferri ſtatuit.

Concilium Toloſanum 1590. Cap. XIII. ita ſtatuit : *Qui in Deum, Beatam Virginem, Sanctóſve palam blaſphemarint, Concilii Lateranenſis Decretis, Bullâque S. Pii V. ſeverè puniantur. Hoc Populum Parochi, hoc Confeſſarii, hoc Concionatores ſæpiſſimè docebunt.*

Concilium Avenionenſe anno 1594. Tit. LVIII. *Leonis X.* & *S. Pii V.* Conſtitutiones adversùs Blaſphemos promulgat & obſervari jubet. *In execrabili* (inquit) *Blaſphemiæ ſcelere, quod ad hæreſim, quæ ſumma blaſphemia eſt, proximè accedit, radicitus convellendo, non minorem curam ſtudiúmque ponere debet Epiſcopus, quippe quo juſta ira Dei contra nos accenditur ac incitatur. Quare Epiſcopus contra hujuſmodi deteſtabiles homines, qui tale crimen committunt, ex Sacrorum Canonum Jure, tum præſertim ex Sanctione Leonis X. in Concilio Lateranenſi edita, & S. Pii V. Conſtitutione, quò adeo nefarium ſcelus non modò compeſcatur, ſed planè tollatur, ſeveriſſimè animadvertat.*

Concilium Narbonenſe anno 1609. Cap. VIII. ſtatuit ut *Si quis ore impuro blaſphemarit ; ſi Clericus ſit, excommunicetur, & arbitrio Ordinarii puniatur : ſin verò Laicus, & monitus pro prima, ſecunda, & tertia vice, adhibitis duobus ſaltem teſtibus non deſtiterit ; à Catholicorum cœtu expulſus, publicè excommunicatus per Parochum declaretur.*

Eamdem Regulam confirmat Synodus Trecenſis anno 1427. ita ſtatuens : *Sunt nonnulli tam Laici quàm Eccleſiaſtici Viri, qui Redemptorem ſuum turpiter inhonorantes, deteſtabilia in ejus blaſphemiam faciunt juramenta, putà, per carnem ſuam, per ſanguinem, per mortem, per plagas, per caput, per viſcera, vel aliud concernens ejus humanitatem jurantes, & ipſum Redemptorem noſtrum pro nobis omnibus in Cruce mortem paſſum iterum crucifigunt. Propter quod diſtrictè prohibemus, ſub pœna quadraginta ſolidorum in uſus pios convertendorum, talia fieri de cetero juramenta, cùm in non modicam ejuſdem Domini noſtri ſonent blaſphemiam. Si quis autem talia ſit aſſuetus facere juramenta, pro quarta vice volumus ad Nos aut Pœnitentiarios noſtros remitti abſolvendum. Si quis verò Deum negaverit vel deſpicaverit ; pro prima vice duos dies, pro ſecunda quatuor in pane & aqua jejunare compelletur, pro tertia autem in ſcala (ut moris eſt) reponetur, ut ipſe qui Deum blaſphemavit, à Populo meritò infametur.*

Sed & olim Chriſtianiſſimi Imperatores Libro VI. Capitularium blaſphemos in carcerem detrudi, & *Publicâ Pœnitentiâ mulctari*, edixeront.

Publica blaſphemorum pœnitentia

Gregorius Nonus, Cap. *Statuimus*, Extra, *De Maledicis*, blaſphemum ſeptem diebus Dominicis præ foribus Templi ſtare decernit, dum *Miſſarum ſolemnia* celebrantur : ultimo dierum illorum abſque pallio & calceamentis, ligatum corrigiâ circa collum Exomologeſim facere : ſeptem præcedentibus ſextis Feriis in pane & aqua jejunare : tres, aut duos pauperes, aut unum ſaltem reficere : ab Eccleſiæ aditu illis diebus abſtinere. Quam Pœnitentiam ſubire & peragere ſi renuat, *Eccleſiæ interdicatur ingreſſu, & in obitu Eccleſiaſtica careat ſepulturâ.*

Vetus Pœnitentiale Romanum eum qui per capillum Dei, aut caput ejus juraverit ; aut alia blaſphemiæ verba protulerit, ſi ſemel neſciens, id eſt, inconſideratè & præcipiti linguæ motu id fecerit, ſeptem dies Pœnitentiæ in pane & aqua : ſi ſecundò, vel tertiò increpatus id commiſerit, dies quindecim in pane pariter & aqua pœnitere ſtatuit.

REGULA XXXIV.

Quilibet Chriſtianus alterum blaſphemantem audiens, ipſum pro virili corripere & objurgare tenetur, & Judici Eccleſiaſtico vel Sæculari denunciare : gravis alioquin peccati ſilendo reus eſt.

Blaſphemorum correptio, & denunciatio.

ITa declaravit *Leo Decimus* cum Lateranenſi Concilio. *Quicumque verò*, inquit, *blaſphemantem audierint, eum verbis acriter objurgare teneantur, ſi citra periculum ſuum id fieri poſſe contingat ; eumque deferre vel notificare apud Judicem Eccleſiaſticum, ſeu Sæcularem intra triduum debeant. Quòd ſi plures dictum blaſphemantem ſimul audiverint, ſinguli eum accuſare teneantur, niſi fortè omnes convenerint ut unus pro cunctis tali fungatur officio.* Id confirmavit *S. Pius Quintus*. Idem ſanxerunt Concilium Mediolanenſe primum, Avenionenſe Cap. LVIII. Toloſanum Cap. XIII. & ut prava jurandi blaſphemandique conſuetudo faciliùs aut tollatur aut minuatur, Sodalitates Nominis Dei, ex iis qui divini cultus ſtudioſiſſimi, Religioniſque amantiſſimi fuerint, hominibus conflatas, inſtitui decreverunt, hiſque Regulas illas & Indulgentias tribui, quæ *Pii Quarti* & *S. Pii Quinti* Summorum Pontificum Diplomatibus continentur. Iis autem qui blaſphemos denunciaverint, decem annorum Indulgentiam *Leo X.* conceſſit.

REGULA XXXV.

Gravis peccati rei ſunt Judices, qui blaſphemos ſecundùm Leges non plectant.

Blaſphemorum pœnitentia

SI enim rei ſunt perfidiæ in Regem, cùm crimen læſæ Majeſtatis diſſimulant, rei ſunt perfidiæ in Deum cùm ipſi irrogatas à blaſphemis contumelias non vindicant. Quam ob rem *Leo X.* cum Lateranenſi Concilio ſtatuit, *Ut Sæculares Judices, qui contra tales blaſphemiæ convictos non animadverterint, eóſque juſtis pœnis minimè affecerint, quantùm in eis fuerit, quaſi eidem ſceleri obnoxii, eiſdem quoque pœnis ſubjiciantur. Qui verò in illis inquirendis puniendiſque diligentes & ſeveri fuerint, pro qualibet vice decem annorum Indulgentiam conſequantur, &c.* Id à *S. Pio V.* Concilio Mediolanenſi primo, Toloſano, Avenionenſi, confirmatum. Clerus Gallicanus in Conventu Melodunenſi anno 1579. Judices per Deum ipſum obteſtatur, ut gravibus pœnis blaſphemos & temerè jurantes plectant, ad flagitia illa è medio tollenda. *Et quoniam*, inquit, *non multò meliores ſunt Hæreticis ipſi blaſphemi, & publicè, temerè & impudenter jurantes : utroſque, & Paſtores, & Principes ac Magiſtratus humiliter obſecramus, & per*

ipsissimum Deum obtestamur, ut utroque gladio, & spirituali, hoc est Ecclesiastico, & materiali, civili scilicet, nitantur tam impia scelera & flagitia è medio tollere. Quòd si vir multum jurans censetur repletur iniquitate, & plaga nusquam discessura est de domo illius; quis non veretur tantam vitiorum cohortem ex eadem radice prodiisse, & plagas nusquam è medio Nationis nostræ discessuras; nisi sublatâ priùs temerè & impudenter, ne dicam impunè jurandi & blasphemandi licentiâ? Quòd si in Laicos tam grave piaculum gravi pœnâ expiandum est; in Clericos, si qui hujus generis inventi fuerint, gravissimâ diluendum est, juxta veteres Canones, & Christianissimorum Principum Leges & Constitutiones. Legendæ Constitutiones S. Ludovici, Philippi Valesii, Caroli VII. Ludovici XI. Henrici II. Caroli IX. in Comitiis Aurelianensibus Articulo XXIII. & Mulinensibus, Articulo LXXXVI. Henrici III in Comitiis Blesensibus Articulo XXXV. & IV. Decembris 1581. Ludovici XIII. & Ludovici Magni contra blasphemos editæ. & Parisiensis Supremæ Curiæ Senatusconsulta, quibus hujus criminis reos, pro blasphemiorum atrocitate, mulctis pecuniariis, exilio, virgis, ferri candentis in utroque labio inustione & linguæ perforatione, proscriptione bonorum, mulctâ honoraria, seu publicâ veniæ deprecatione ante Ecclesiæ fores, nudis capite & pedibus, accensa manibus face, fone è collo pendente; pœnâ denique capitis sæpe damnarunt. Constitutiones illas Regum Christianissimorum, & æquissima Senatusconsulta legere est Tomo I. Commentariorum Cleri Gallicani, Cap. XXI.

Sed & *Justinianus* Imperator Auth. Collatione VI. Tit. VI. Cap. I. blasphemos ultimo supplicio affici jubet. *Quoniam* (inquit) *quidam blasphema verba & sacramenta de Deo jurant, Deum ad iracundiam provocantes: illis injungimus abstinere ab hujusmodi, & aliis blasphemis verbis, & non jurare per capillos & caput, & his proxima verba. Si enim contra homines facta blasphemia impunita non relinquuntur, multò magis qui ipsum Deum blasphemant digni sunt supplicia sustinere..... Propter talia delicta, & fames, & terræ motus, & pestilentiæ fiunt. Et propterea admonemus abstinere ab hujusmodi illicitis: ut non suas perdant animas.... Præcipimus Præfecto civitatis permanentes in prædictis illicitis & impiis actibus post hanc Admonitionem nostram comprehendere, & ultimis subdere suppliciis*

Denique Legibus Canones consentiunt, seu Leges Canonibus, ut constat ex Canone *Si quis*, qui *Pio* Papæ tribuitur, Causa XXII. Quæst. I. cujus hæc sunt verba: *Si quis per capillum Dei, vel caput juraverit, vel alio modo blasphemiâ contra Deum usus fuerit, si in Ecclesiastico Ordine est, deponatur: si Laicus, anathematizetur.... Si quis autem talem hominem non manifestaverit, non est dubium quin divina condemnatione coërceatur. Sed si Episcopus ista emendare neglexerit, acerrimè corripiatur.*

CAPUT V.

DE TERTIO PRÆCEPTO DECALOGI.

PRÆCLARO sibi cohærent ordine tria ista primæ tabulæ præcepta, quæ ad Dei cultum referuntur. Primum enim præceptum interiorem Dei cultum præcipuè spectat, qui in fide, spe, & caritate positus est. Verùm cùm ex abundantia cordis os loquatur, & fieri non possit quin linguâ animi nostri interprete id significemus quod mente sumus complexi, secundum præceptum convenienter sequitur, quo docemur quomodo de Deo loqui debeamus. Jam verò tertium, cujus explicationem aggredimur, amborum illorum consummatio est, quo exterior Dei cultus præscribitur ac determinatur his verbis: *Memento ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificavit eum.*

ARTICULUS I.

Quis sit hujus Præcepti sensus?

SAbbatum, Hebraicum nomen, Latinè *cessatio* dicitur sive *requies*. Idcirco dies septimus Sabbati nomen apud Hebræos obtinuit, quoniam absolutâ perfectâque Mundi universitate, Deus ab omni opere quod fecerat, requievit. Exod. XXX. *Septimus dies erit vobis sanctus, Sabbatum & requies Domini.* Posteà verò non solùm septimus dies, sed ob ejus dignitatem ipsa etiam hebdomada eo nomine appellata est. Unde Pharisæus Lucæ XVIII. aiebat, *Jejuno bis in Sabbato.*

II. Initio hujus Præcepti populus ad illius recordationem excitatur hoc verbo, *Memento*, cujus rei tres rationes tradit Concilii Tridentini Catechismus. Prima hæc est, quia etsi naturæ Lex aliquo tempore Deum Religionis ritu colendum esse doceat, hoc tamen quo potissimùm die fieri debeat, non præscribit.

Secunda est, quia homines totâ hebdomadâ opus ita facere convenit, ut diem Festum semper in mente habeant, quo operum suorum Deo quodam modo reddere debent rationem; sic enim ea dumtaxat efficient opera, quæ Dei judicio non repudientur, & eo animo ac modo, quo ipsi grata & accepta fore confidant.

A De sanctificatione Sabbati. Tertia est, quia defuturæ non erant occasiones, quibus apud homines carnales hujus præcepti surreperet oblivio; nec desunt etiamnum per quas ab illius observantiâ quatenus Christianos spectat, avocemur, partim aliorum, qui illud negligunt, exemplo, partim spectaculorum ludorúmque studio, quibus humana curiositas & libido illicitur, ac delectatur. Ideo Deus homines hujus præcepti memores esse jubet: *Memento ut diem Sabbati sanctifices.*

III. Sanctificatio porrò Sabbati, cessatio est à B corporis laboribus & negotiis, quod significant hæc præcepti verba, *Non facies omne opus in eo:* Est præterea exercitatio in pietatis & Religionis officiis, quod significat hoc verbum, *Sanctifices.* Verus itaque ac proprius hujus præcepti sensus eò spectat, ut homo statuto aliquo tempore à negotiis corporísque laboribus feriatus, Deum corpore & animo piè colat ac veneretur. Requies igitur ab omni opere servili hoc præcepto jubetur, id est, ab eo corporali opere, ad quod servi & jumenta adhibentur. Imò illicitum erat Judæis die Sabbati coquere cibos, aut iter agere. *Exod.* XVI. Et quia feriâ sexta parabantur quæ vitæ usui C necessaria erant in crastinum, dicebatur illa *Parasceve*, id est, Præparatio. Illicitum etiam erat eis vendere & emere (II. *Esdræ* XIII. 15.) At prohibitum non erat necessitatem corporis sui vel aliorum sublevare, damnum subitum avertere, in operibus Dei cultum spectantibus occupari. Unde qui Sabbato comedebat, medebatur homini, pecora adaquabat, ovem aut jumentum è fovea educebat, Sabbati violator minimè censendus erat: similiter nec Sacerdotes in Templo iis vacantes operibus quæ Sacrificia spectabant, ut explicat Christus, *Matthæi* XII. Nec D etiam violati Sabbati rei fuerunt Machabæi eâ die bello se defendentes. (*Machab.* II. 41.) Rationem affert Christus, *Marci* II, 27. Quia *Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter Sabbatum:* Id est; non ob ceremonias temporales cultúmque externum Religionis conditus est homo; sed illæ in bonum & salutem hominis sunt institutæ. Quamobrem inter cætera præcepta potissimum est præceptum caritatis, ad quam velut ad finem cætera debent referri, & illius etiam intuitu prætermitti, si aliqua detur occasio ubi cum illo simul observari non possint. E Unde & ipsum sacrificium misericordiæ postposuit Deus Osee VI, *Misericordiam volo* (inquit) *& non sacrificium.* Id est, Sacrificium nolo, si misericordiæ & caritatis opus impediat, quod excellentius omnino, mihique gratius sacrificium est.

IV. Certus dies divino cultui dicatus est, quia rudi Populo minùs expediebat habere facultatem temporis arbitratu suo deligendi, ne fortè Ægyptiorum Sacra imitaretur, eorúmque superstitionibus se contaminaret. Dies autem septimus ad Deum colendum institutus est ad Mysterii non unius significationem. Unde Dominus Exodi XXX. F Signum vocat: *Videte* (inquit) *ut Sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me & vos in generationibus vestris, ut sciatis quia ego Dominus, qui sanctifico vos.*

Et Ezechielis XX. 12. *Insuper & Sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me & eos; & scirent quia ego Dominus sanctificans eos.* Signum autem fuit inprimis quòd homines Deo se dedicare debeant, cùm dies etiam illi dicatus sit, qui Sanctus appellatur, quia tum præcipuè sanctitatem & religionem colere hominibus incumbit. Secundò, signum est & quasi monumentum conditæ à Deo rerum universitatis. Exod. XXXI. 17. *Pactum est sempiternum inter me & filios Israël, signúmque perpetuum. Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & in septimo ab opere cessavit.* Tertiò, signum fuit Israëlitarum memoriæ commendatum quo admoniti, se Dei Beneficio singulari ex durissimo servitutis Ægyptiacæ jugo liberatos meminissent, & Liberatori suo gratias agerent immortales. Deuteron. V. 15. *Memento* (inquit Dominus) *quòd & ipse servieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti & brachio extento. Idcirco præcepit tibi ut observares diem Sabbati.*

ARTICULUS II.

Utrum Præceptum de Sanctificatione Sabbati Christianos etiam spectet?

EST in hoc Præcepto quiddam quod ad ceremoniam, est quod ad mores pertineat. Quòd septimus dies quieti & vacationi à servilibus operibus assignatus fuit, erat ceremoniæ; quod autem in contemplandis Dei beneficiis, in hymnis, precationibus, sacrificiis, aliisque pietatis operibus dies ille consumebatur, morale fuit. Sublatâ ceremoniâ, remansit quod ad mores pertinet. Id enim discriminis inter istud præceptum & reliqua Decalogi præcepta intercedere, Concilii Tridentini Catechismus observat, quòd illa naturalia sint & perpetua; neque mutari ullâ ratione possint: unde Populum Christianum non minùs spectant quàm Israëliticum: quamvis illa Christiani observent, non quia Lege Mosaica tradita sunt, sed quia naturæ Lege omnium animis inscriptâ ad illorum observantiam impelluntur. Hoc autem de cultu Sabbati Præceptum, si statutum tempus spectetur, non fixum & constans est, sed mutabile; neque ad mores, sed ad ceremonias pertinet: neque naturale est, quoniam non à natura id edocti aut instituti sumus, ut illo die potiùs quàm alio externum cultum Deo tribuamus: sed ex eo tempore quo Populus Israël à servitute Pharaonis liberatus est, diem Sabbati colere cœpit. Cultus autem ille temporarius erat, ut reliquæ Legis ceremoniæ, quæ figuræ erant & quasi adumbratæ imagines lucis & veritatis, quæ est Christus Jesus: cujus adventu & morte antiquandæ erant & abrogandæ. Hinc S. Paulus ad Galatas scribens, Mosaici Ritus cultores, & Judaïcarum Feriarum observatores his verbis reprehendit: *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos: timeo vos, ne fortè sine caussâ laboraverim in vobis.* (Gal. 4.) Aliquid tamen habet tertium istud præceptum, quod ad mores naturæque jus attineat. Nam Dei cultus ac Religio, quæ hoc præcepto exprimitur, naturæ jure existit: cùm illud naturæ lex, quæ apud homines universos una est, postulet ac præscribat, ut aliqua temporis parte in his quæ ad Dei cultum pertinent, versemur: & quemadmodum curando corpori, sic menti in Dei contemplatione reficiendæ aliquid etiam temporis tribuamus. Unde apud Nationes omnes statas quasdam ferias, easque publicas fuisse nemo nescit, quæ sacris rebus ac divinis obeundis erant consecratæ.

Externi itaque, literalis, & ceremonialis Sabbati observantia Judæos duntaxat spectabat: sed (Ceremonialis Sabbati celebratio solos)

Judæos spectabat.

spirituale & cœleste Sabbatum ad Christianos »etiam pertinet. Spirituale autem Sabbatum, »(inquit Concilii Tridentini Catechismus) in »sancta quadam & mystica quiete consistit; ni»mirum cùm vetus homo Christo consepultus »ad vitam renovatur, atque in actionibus quæ »Christianæ pietati conveniunt, studiosè se exer»cet. Debent enim qui aliquando erant tenebræ, »nunc autem lux in Domino, ut filii lucis am»bulare, in omni bonitate, & justitia, & veri»tate, neque communicate operibus infructuosis »tenebrarum. Spiritale itaque Sabbatum celebrat homo, cùm à pravis suis operibus quiescit. Unde S. Paulus scribit ad *Hebræos* IV. cap. *Qui ingressus est requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut & à suis Deus.* Quies illa peccatoris, est quies Dei; tum quia Dei quietem in se ipso post opera sex dierum quiescentis imitatur: tum quia Dei donum est, qui gratiam deinceps non peccandi largitur. *Non peccare* enim *sanctificationis est, id est, muneris Dei per Spiritum Sanctum* (inquit *S. Augustinus*, Libro *De Spiritu & Littera*, cap. XVI.) Spirituale Sabbatum celebrant Justi, cùm Dei cultui, pietatisque operibus vacantes, omnia opera sua ad Dei gloriam referunt, illius potiùs esse agnoscentes, quàm sua: *Creati* (inquit Apostolus) *in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* Sic enim in Deo, non in se ipsis requiescunt. Sic Deum imitantur, qui *Semper agens & semper quietus* est, ut *S. Augustinus* ait Libro I. *Confessionum* cap. IV. semper agunt, quia in bonis operibus jugiter se exercent, & Deum student promereri, semper quiescunt, quia inter mundanas varietates ibi fixa sunt illorum corda, ubi vera sunt gaudia. Semper agunt, quia progrediuntur de virtute in virtutem, donec videant Deum in Sion: semper quiescunt, quia conversatio eorum in cælis est, ubi Deus nos à morte peccati per gratiam suam suscitatos *consedere fecit in Christo Jesu*, ut loquitur Apostolus ad Ephesios II. Creaturas itaque nonnisi *transitoriâ*, & ad Deum ordinatâ, Deum solum *mansurâ dilectione* prosequnti, ad cœleste Sabbatum festinant, quæ est illa vita, quâ omnibus bonis cum Christo viventes fruemur, peccato & cupiditatibus omnibus radicitus exstirpatis, secundùm illud Isaiæ XXXV. *Non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam... Sed via sancta vocabitur... Et redempti à Domino venient in Sion cum laude: & lætitia sempiterna super caput eorum: Gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* De cœlesti illo Sabbato Apostolus scribit ad Hebræos IV. *Timeamus ergo ne fortè relictâ pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse... Ingredimur enim in requiem, qui credidimus: quemadmodum dixit: Sicut juravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam: & quidem operibus ab institutione Mundi perfectis. Dixit enim in quodam loco de die septima sic: Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis. Et in isto rursum: Si introibunt in requiem meam. Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, & ii quibus prioribus annunt atum est, non introierunt propter incredulitatem: iterum terminat diem quemdam, Hodie, in David dicendo, post tantùm temporis sicut suprà dictum est: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Nam si eis Jesus requiem præstitisset, nunquam de alia loqueretur, posthac die. Itaque relinquitur Sabbatismus Populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem ejus; etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut à suis Deus. Festinemus ergo ingredi in illam requiem.*

Spirituale Sabbatum justorum.

Ephes. 2. 10.

De sanctificatione Sabbati.

Psalm. 45. 11.

Nobis quidem nullâ die, nullâ horâ, nullo temporis momento vacandum non esset divinorum beneficiorum contemplationi, ad quam ipse nos invitat, dicens: *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus:* Vacate à curis & seculi negotiis, & in sancto otio & quiete videte, quòd ego sum qui creavi vos: Ego sum, qui, cùm vitio vestro periissetis, Filio meo pro vobis morti tradito, denuo per eum vos quasi creavi, ut sitis nova in Christo creatura; & sicut portastis quondam imaginem terreni, ita nunc portetis imaginem cœlestis hominis, neque jam sitis deinceps Adæ filii, sed Dei, fratres autem & coheredes Christi. Hæc tanta beneficia recogitate: mihique uni, cui omnia debetis, ex toto corde diligendo, & colendo vacate. Quod igitur a nobis exigit ipse Dominus, qui nos etiam laborantes & oneratos ad se venire jubet, quòd in eo simus animabus nostris requiem inventuri, hoc nobis semper faciendum esset. Cæterùm tale Sabbatum celebrare, sic totos Dei & Beneficiorum ejus contemplationi vacare, non est hujus seculi, non est hujus corporis, quod corrumpitur, quod aggravat animam, quod deprimit sensum, ea quæ sursum sunt cogitare volentem. Sabbatismus hic sive requies, non est hujus peregrinationis, sed cœlestis erit illius patriæ, manentisque civitatis, quam futuram inquirimus; ubi vacabimus, & videbimus, amabimus & laudabimus absque ullo fastidio, absque ulla defatigatione, eum qui desideriorum nostrorum omnium finis est, Dominum Deum nostrum, qui erit omnia in omnibus, & inter eos numerabimur de quibus dicitur Psalm. LXXXIII. *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Perpetuum illud Sabbatum demonstratur potiùs nobis ut ad illud ardentissimè suspiremus, & ferventissimè tendamus, quàm in præsenti præcipiatur ut observemus. *Festinemus ergo ingredi in illam requiem;* & si quidem nondum cœleste illud, spirituale certè Sabbatum observemus, de quo *S. Augustinus* præclarè scribit, Epistola LV. aliàs CXIX. ad *Januarium*. Cap. IX. X. XI. & XII.

Ineffabilis tranquillitas actionis otiosa.

Quod nunc fide ac spe gerimus, atque ut ad id perveniamus, dilectione satagimus, requies est quædam ab omni labore omnium molestiarum sancta atque perpetua: in eam nobis ex hac vita fit transitus, quem Dominus noster Jesus Christus suâ Passione præmonstrare ac consecrare dignatus est. Inest autem in illa requie non desidiosa segnitia, sed quædam ineffabilis tranquillitas actionis otiosa. Sic enim ab hujus vitæ operibus in fine requiescitur, ut in alterius vitæ actione gaudeatur. Sed quia talis actio in Dei laude agitur, sine labore membrorum, sine angore curarum, non ad eam sic transitur per quietem, ut ipsi labor succedat, id est, non sic esse actio incipit, ut esse desinat quies: neque enim reditur ad labores & curas; sed permanet in actione quod ad quietem pertinet, nec in opere laborare, nec in cogitatione fluctuare. Quia ergo per requiem ad primam vitam reditur, unde anima lapsa est in peccatum, propterea Sabbato requies significatur. Hæc quidem ille de Sabbato cœlesti & sempiterno.

De spirituali verò Sabbato paulò post sic loquitur: *Sabbatum tamen commendatum est priori Populo in otio corporaliter celebrandum, ut figura esset sanctificationis in requie Spiritus-Sancti. Nusquam enim legimus in Genesi sanctificationem per omnes priores, sed de solo Sabbato dictum est:* Et sanctificavit Deus diem septimum. *Amant enim requiem sive pia anima, sive iniqua; sed*

DE DECALOGO.

A

De sanctificatione Sabbati. *quà perveniant ad illud quod amant, plurimo nesciunt: nec aliquid appetunt etiam ipsa corpora ponderibus suis, nisi quod anima amoribus suis. Nam sicut corpus tamdiu nititur pondere, sive deorsum versùs, sive sursum versus, donec ad locum, quò nititur, veniens conquiescat.... sic animo ad ea quæ* Animæ delectatio & quies in Deo. *amant propterea nituntur, ut perveniendo requiescant. Et multa quidem per corpus delectant, sed non est in eis æterna requies, nec saltem diuturna, & propterea magis sordidant animam, & aggravant potiùs, ut sincerum ejus pondus, quo in superna fertur, impediant. Cùm ergo animo se ipsâ delectatur, nondum re incommutabili delectatur, & ideo adhuc superba est, quia se pro summo habet, cum superior sit Deus. Nec in tali peccato impunita relinqui-*

B

Iacob. 4. *tur, quia* Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Cùm autem Deo delectatur, ibi veram, certam, æternam invenit requiem, quam in aliis quærebat, nec inveniebat. Proinde admonetur* Psalm. 36. *in Psalmo*, Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

Rom. 5. *Quia ergo* Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, *ideo sanctificatio in septimo die commemorata est, ubi quies commendatur. Quia verè nec bene operari possumus, nisi dono ejus adjuti, sicut dicit* Philipp. 2. *Apostolus*. Deus enim est qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate, *nec requiescere poterimus post omnia bona opera nostra, quæ in hac vita gerimus, nisi ejus dono ad æternitatem sanctificati atque perfecti: propterea de ipso* Genes. 2. & 2. *Deo dicitur, quia* Cùm fecisset omnia opera valde bona, septimo die requievit ab omnibus operibus suis, quæ fecit. *Futuram enim requiem significabat, quam post bona opera daturus erat nobis hominibus. Sicut enim cùm bene operamur, ipse dicitur operari in nobis, cujus munere bene operamur: ita cùm requiescimus, ipse requiescere dicitur, quo donante requiescimus.*

C

D

Hinc est quod in tribus primis præceptis Decalogi, quæ ad Deum pertinent, tertium ibi de observatione Sabbati positum est: ut in primo præcepto Patrem intelligamus, ubi prohibetur coli in figmentis hominum aliqua Dei similitudo: non quia non habet imaginem Deus, sed quia nulla imago ejus coli debet, nisi illa quæ hoc est quod ipse, nec ipsa pro illo, sed cum illo. Et quia creatura mutabilis Rom. 8. *est, & propterea dicitur* Omnis creatura vanitati subjecta, *quoniam natura Universi etiam in parte monstratur: ne quisquam Filium Dei Verbum, per quod facta sunt omnia, putaret esse creaturam, sequitur aliud præceptum:* Exod. 20. Non accipies in vanum nomen Domini Dei tui. *Spiritus autem Sanctus, in quo nobis illa requies tribuitur, quam ubique amamus, sed nisi Deum amando non invenimus, cùm Caritas ejus diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, quia sanctificavit Deus diem septimum in quo requievit, tertio præcepto Legis insinuatur, quod scriptum est de observatione Sabbati; non ut jam in ista vita nos quiescere existimemus, sed ut omnia quæ bene operamur non habeant intentionem, nisi in futuram requiem sempiternam.*

E

F

Ad ipsum autem ignem amoris nutriendum, & flandum quodammodo, quo tanquam pondere sursum vel introrsum referamur ad requiem, ista omnia pertinent, quæ nobis figuratè insinuantur.... Ideoque inter omnia illa decem præcepta solum ibi, quod de Sabbato positum est, figuratè observandum præcipitur; quam figuram nos intelligendam, non etiam per otium corporale celebrandam suscepimus. Cùm enim Sabbato significetur spiritalis requies, de qua dictum est in Psalmo, Vacate & videte, quoniam ego sum Deus: *& quo vocantur homines ab ipso Domino dicente*; Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam; tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris: De sanctificatione Sabbati. Psalm. 45. Matth. 11. *Cætera tamen ibi præcepta propriè sicut præcepta sunt, sine ulla figurata significatione observamus. Nam & idola non colere manifestè didicimus; & non accipere in vanum nomen Domini Dei nostri, & honorare patrem & matrem, & non mœchari, non occidere, non furari, non falsum testimonium dicere, non concupiscere uxorem proximi, non concupiscere ullam rem proximi, non figuratè aliud prætendunt, & mysticè aliud significant; sed sic observantur ut sonant. Observare tamen diem Sabbati non ad litteram jubemur, secundùm otium ab opere corporali, sicut observant Judæi: & ipsa eorum observatio quæ ita præcepta est, nisi aliam quamdam spiritalem requiem significet, ridenda judicatur. Unde non inconvenienter intelligimus, ad amorem excitandum, quo ad requiem tendimus, valere omnia quæ figuratè in Scripturis dicuntur; quandoquidem id solùm in Decalogo figuratè præcipitur, ubi requies commendatur, quæ ubique amatur, sed in solo Deo certa & sancta invenitur.* Idem tractat argumentum Libro IV. *De Genesi ad litteram.* Cap. XI. & sequentibus. Ad amorem excitandum quo ad requiem tendimus, quæ in solo Deo certa invenitur, valet præceptum typicum de observando Sabbato.

Judæi carnaliter Sabbatum observabant, signis duntaxat, non rebus significatis inhærentes; & Sabbato non ad quietem animi in Deo comparandam, sed ad externam tantùm & corporalem quietem abusi. Unde illorum Sabbata se odisse Dominus ait Isaiæ I. *Neomeniam (inquit) & Sabbatum, & festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri: Calendas vestras & Solemnitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam: Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perversè, discite benefacere.* In cessatione igitur à peccatis, & in bonis operibus, vera & Deo grata Sabbati observatio posita erat, ut rursus docet Dominus Isaiæ LVIII. *Si averteris à Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaveris Sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua ut loquaris sermonem: tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hereditate Jacob patris tui.* Hinc S. *Joannes Chrysostomus* Homilia I. *De Lazaro* ait: *Judæi putant sibi Sabbatum otii gratiâ fuisse datum. Verùm non ista est causa; sed potiùs ut abducti à curis rerum temporalium, otium omne consumerent in spiritualibus. Quod enim Sabbatum non otii, sed spiritualis actionis materia sit, dilucidum ex ipsis rebus. Nam Sacerdos ea die duplum facit operis. Qui quotidie non nisi unicam hostiam offerre solitus, Sabbato jubetur offerre geminam. Quod si prorsus esset otii dies, oportebat Sacerdotem omnium maximè otium agere. Quoniam igitur Judæi corporalium rerum curis liberati non vacabant spiritualibus, ut putà sobrietati, modestiæ, & audiendis divinis sermonibus, sed è contrario servientes ventri, indulgentes ebrietati, distenti cibis, deliciantes, audi quomodo eos reprehendat Propheta, &c.* Christiani verò non signis, sed rebus significatis inhærentes; nec tempora observantes, sed quæ illis significantur temporibus, spiritale præsertim Sabbatum observant illis diebus, qui non jam Divino Jure, sed Ecclesiæ institutione ac lege,

De Festis.

divino cultui sunt consecrati. His scilicet diebus vi tertii Præcepti se adstrictos esse norunt, ut à seculi curis, profanisque operibus liberi, toti divino cultui vacent, hoc est, orent ardentiùs & copiosiùs, de reformandis suis & suorum moribus seriò cogitent; seque, suámque familiam ad Dei laudem, ad divinum verbum audiendum, ad piorum librorum lectionem, & ad alia pietatis & caritatis opera incitent ac provocent.

ARTICULUS III.

Cur Sabbati celebritas in Dominicam Diem translata sit?

CUm ipso naturæ jure aliqua temporis pars esse debeat, quo res divinæ colantur, cultúsque Deo debitus tribuatur, & eatenus præceptum de sanctificatione Sabbarhi ad mores pertineat, Apostoli ex septem hebdomadæ diebus, eum qui primus est, divino cultui consecrarunt, quem Domoicam diem dixere, cùm dies Solis ab Ethnicis diceretur. Diei Dominicæ meminit *S. Joannes* Apocalypsis I. & Apostolus *1. Corinth.* XVI. Collectas ad sublevandum pauperes Christianos *Per unum Sabbati* fieri jubet, id est prima hebdomadæ die, quâ scilicet sacri conventus Christianorum fiebant in ipsis Ecclesiæ exordiis, *Ad frangendum panem*, id est, ad Corpus Christi sumendum, ut testatur S. Lucas *Act.* XX. Legatur *S. Justinus* Apologia II.

Sabbati in Dominicam diem mutatio.

Mutatio autem facta est diei Sabbati in Dominicam diem: primò, quia eo die Mundi creatio initium habuit. Secundò, quia eo die Christus resurrexit ad vitam immortalem, & Judaico Sabbato abrogato, Sabbatum Evangelicum, quod Scriptura Sacra juge appellat, nobis commendavit, ideoque is dies *Dominicus* dicitur, de quo Ecclesia canit: *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Tertiò, quia ea die Spiritus Sanctus Apostolis datus est. Quartò, ne quid Christiani cum Judæis commune habere viderentur. Has rationes ex parte profert *S. Justinus* loco mox indicato, omnésque penè colligit *S. Leo* Epistola II. aliàs LXXX. ad *Dioscorum* Alexandrinum Episcopum, cap. I. ubi hac die quam *Diem Resurrectionis Dominica* vocat, Sacras Ordinationes celebrandas docet, *Quæ tantis divinarum dispositionum Mysteriis est consecrata, ut quicquid est à Domino insigniùs constitutum, in hujus diei dignitate sit gestum. In hac Mundus sumpsit exordium. In hac per Resurrectionem Christi & mors interitum, & vita accepit initium. In hac Apostoli à Domino prædicandi omnibus Gentibus Evangelii tubam sumunt, inferendum universo Mundo Sacramentum Regenerationis accipiunt. In hac, sicut Beatus Joannes Evangelista testatur, congregatis in unum Discipulis, januis clausis, cùm ad eos Dominus introisset, insufflavit » & dixit:* Accipite Spiritum Sanctum: quorum » remiseritis peccata, remittuntur eis; & quo» rum detinueritis, detenta erunt. *In hac denique promissus à Domino Apostolis Spiritus Sanctus advenit: ut cælesti quadam regulâ insinuatum & traditum noverimus, in illa die celebranda nobis esse Mysteria Sacerdotalium Benedictionum, in quo collata sunt omnia dona gratiarum.* Dominicam Diem ob easdem rationes divino cultui ab Apostolis consecratam confirmat Concilium Pa-

Joannis 20.

risiense VI. Libro I. Canone quinquagesimo. Addit, eo die Manna Judæis pluere cœpisse, ut à quibusdam Doctoribus traditur. Scilicet, non Sabbato Judæorum, sed Christianorum Solemnitate, seu die, quem fecit Dominus, gratia Dei, panisque cœlestis ad homines descendit, ut observat *Origenes*, Homilia VII. in *Exodum*.

De Festo.

ARTICULUS IV.

De Festorum dierum Observatione.

SIcut Populus Judæus præter Sabbatum alios etiam festos & sacros dies habuit divina Lege constitutos, quibus maximorum Beneficiorum memoria renovabatur; ita Christianus Populus alios præter Dominicam dies festos & solemnes habet, ab Apostolis in ipso Ecclesiæ exordio, & consecutis deinde temporibus ab Apostolorum Successoribus institutos, ut piè & sanctè beneficiorum Dei memoriam colamus. Inter eos autem celeberrimi habentur illi dies, qui ob Religionis nostræ Mysteria Religioni consecrati sunt: scilicet Paschatis, seu Resurrectionis Domini, Ascensionis Dominicæ, Pentecostes, Trinitatis, Corporis Christi, Natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ. Deinde qui Sanctissimæ Virgini *Mariæ*, Dei Matri: tum qui Apostolis, & Martyribus, cæterisque Sanctis cum Christo regnantibus, seu potiùs Deo in illorum memoriam dicantur: in quibus Deo gratiæ aguntur ob dona illis collata; Dei bonitas & potentia laudantur, cujus munere hunc Mundum cum omnibus suis erroribus, amoribus & terroribus vicerunt; de Hoste humani generis mirabiliter triumpharunt: & depositis mortalitatis exuviis feliciùs in cælis ad vitam immortalem sunt renati. Unde dies quo obierunt, *Natalis* illorum Ecclesiastico loquendi more appellatur. Ipsis debiti honores illis diebus tribuuntur, dum in divinis Officiis, & ad Altare Domini memoria eorum agitur, & laudatur Deus in Sanctis suis: ad eorum denique imitationem fidelis Populus incitatur, quoniam *Solemnitates Martyrum, exhortationes sunt Martyriorum*, (inquit *S. Augustinus*.)

Ad quos pertineat festorum dierum institutio.

Festorum dierum institutio Apostolis & eorum Successoribus à Christo concessa, sed præsertim S. Petri in Ecclesiæ universæ regimine Successoribus Romanis Pontificibus, & Generalibus Conciliis, quorum auctoritate Festi dies toti Ecclesiæ præscribi possunt; cùm à cæteris Episcopis in eorum duntaxat Diœcesibus, à Conciliis Provincialibus & Nationalibus in Provinciis, & Regnis ex quibus congregata sunt, institui valeant. Sic Dies Festos Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Domini, & Pentecostes, Apostolos instituisse non dubitamus, de quibus *S. Augustinus* Epistola LIV. aliàs CXVIII. ad *Januarium* cap. I. *Illa autem* (inquit) *quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel à Plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quòd Domini Passio & Resurrectio, & Ascensio in cælum, & Adventus de cælo Spiritus Sancti, anniversaria solemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrit, quod servatur ab universa quacunque se diffundit Ecclesia.*

Festi quidam dies ab Apostolis instituti.

Fidem

Festum diem Natalis Domini *S. Augustinus* Epistola sequenti commemorat, & ad eumdem anni diem semper redire testatur. Constitutionum Apostolicarum Libro VIII. Cap. XXXIII. Festum Epiphaniæ, Festi dies Apostolorum, S. Stephani Protomartyris, aliorum etiam Sanctorum Martyrum notantur.

Natales Martyrum dies, primis Ecclesiæ sæculis celebres.

Natales Martyrum dies primis Ecclesiæ Seculis celebres extitisse, Ecclesiæ Smyrnensis Epistola de Martyrio *S. Polycarpi*, apud *Eusebium* Libro IV. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. XV. testatur. *Ossa illius*, inquiunt, *gemmis pretiosissimis, & quovis auro puriora colligentes, ubi decebat, condidimus. Quo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus, concedet Deus Natalem ipsius Martyris diem cum hilaritate & gaudio celebrare; tum in memoriam eorum qui glorioso certamine perfuncti sunt; tum ad posteros hujusmodi exemplo instruendos & confirmandos.*

Passiones & dies Martyrum anniversaria commemoratione celebrari, *S. Cyprianus* testatur Epistola XXXIV. & dies quibus excedunt, annotari jubet, Epistola XXXVII. *Ut commemorationes eorum*; inquit, *inter Memorias Martyrum celebrare possimus. Quamquam Tertullus fidelissimus & devotissimus frater noster significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt, & celebrentur hic à nobis Oblationes & Sacrificia ob commemorationes eorum, quæ citò vobiscum, Domino protegente, celebrabimus.* De *Constantino* Imperatore scribit *Eusebius* in ejus Vita, Libro IV. missam ab eo Legem ad Præsides Provinciarum, *Ut diem Dominicam etiam ipsi venerarentur*: eosdémque Festos *Martyrum dies* jussu Principis observasse, & *Ecclesiasticarum Festivitatum tempora* honore debito fuisse prosecutos. Martyrum Natalitia Quadragesimali tempestate celebrari prohibuit Synodus Laodicena, Canone LI. eorúmque Memorias Sabbatis tantùm & Dominicis eo tempore celebrari permisit. S. Joannis Chrysostomi Homiliæ, S. Augustini, & S. Leonis Sermones, Monumenta sunt certissima, ex quibus Festos dies Mysteriis Domini & victoriis Martyrum commemorandis & celebrandis consecratos fuisse constat.

Idem confirmat vetus Kalendarium Carthaginensis Ecclesiæ, quo non solùm primaria hæc Africæ Sedes, sed tota quanta fuit Africana ipsa Ecclesia usa est ante annos fere mille ducentos editum a Domno *Mabillonio* Tomo III. *Veterum Analectorum*. In eo præter Natale Domini, & Festa Apostolorum *Petri & Pauli*, *Andreæ*, *Jacobi*, *Lucæ Evangelistæ*, Nativitatem *S. Joannis Baptistæ*, Festum *SS. Innocentium*, *S. Stephani*, *S. Laurentii*, *SS. Machabæorum*, *SS. Gervasii & Protasii*, & plurimorum Martyrum qui Africanam Ecclesiam illustrarunt, Festa etiam SS. Episcoporum Africanorum *Grati*, *Genetlii*, *Aurelii*, *Capreoli*, *Restituti*, *Augustini*, *Quodvultdei*, *Deogratias*, & *Eugenii* adscribuntur.

Concilium Agathense anno sexto supra quingentesimum, Canone XXI. de Festorum religiosa celebratione ita sanxit: *Si quis extra Parochias, in quibus legitimus est ordinarièque conventus, Oratorium in agro habere voluerit, reliquis Festivitatibus, ut ibi Missas teneat, propter fatigationem familiæ, justa ordinatione permittimus. Pascha verò, Natale Domini, Epiphaniam, Ascensionem Domini, Pentecosten, & Natalem S. Joannis Baptistæ, vel si qui maximi dies in Festivitatibus habeantur, nonnisi in civitatibus aut Parochiis teneant. Clerici verò, si qui in Festivitatibus quas supra diximus, in Oratoriis, nisi jubente Episcopo, Missas facere aut tenere voluerint, à Communione pellantur.*

Anno 511.

De Religioso Festorum cultu non absimilia Decreta ediderunt Concilium Aurelianense I. Canonibus XXV. & XXVII. Turonense II. anno 567. Canonibus XVII. XVIII. & XXII. Circumcisionis, Festi Sancti Martini, & Cathedræ S. Petri mentionem faciens. Cabilonense anno 650. Canone XIX. *Childebertus* Rex Christianissimus in Constitutione *De abolendis reliquiis Idololatriæ, & Sacrorum dierum Festivitatibus castè celebrandis.*

Concilium Moguntinum anno 813. celebratum, Canone XXXVI. Festos dies per annum celebrandos statuit, scilicet, *Diem Dominicum Paschæ*, cum tota hebdomada Paschali, *Diem Ascensionis Domini*, *Pentecosten*, cum tota pariter hebdomada; *Natale Apostolorum Petri & Pauli*, *Nativitatem S. Joannis Baptistæ*, *Assumptionem Beatæ Mariæ*, *Dedicationem S. Michaelis*, *Natale S. Remigii*, *S. Martini*, *S. Andreæ. In Natali Domini dies quatuor*; *Octavas Domini*, id est, *Circumcisionem*, *Epiphaniam Domini*, *Purificationem S. Mariæ*, *& illas Festivitates Martyrum vel Confessorum, quorum in unaquaque Parochia sancta corpora requiescunt; similiter etiam Dedicationem Templi.* His adde Indiculos Festivitatum Libro I. *Capitularium*, Cap. CLXIV. & Libro VI. Cap. CLXXXVI. descriptos; *Herardi* Turonensis Archiepiscopi Capitulare, Cap. LXI. Capitulare *Abytonis* Basileensis Episcopi, Cap. VIII. Tomo VI. *Spicilegii* editum; Responsum *Nicolai I.* ad Consulta Bulgarorum, Cap. XI. *Photii* Nomocanonem Tit. VII. Cap. I. Concilium Salegunstadiense anno vigesimo secundo supra millesimum, Canone I. *Gregorii Noni* Decretum Cap. *Conquestus*, Extra, *De Feriis*, ubi judicialem strepitum conquiescere jubet diebus Festis *Natalis Domini*, *S. Stephani*, *Joannis Evangelistæ*, *Innocentium*, *Sancti Silvestri*, *Circumcisionis*, *Epiphaniæ*, *septem diebus Dominicæ Passionis*, *Resurrectionis cum septem sequentibus*, *Ascensionis*, *Pentecostes*, *cum duobus qui sequuntur*, *Nativitatis S. Joannis Baptistæ*, *Festivitatum omnium Virginis gloriosæ*, *duodecim Apostolorum*, *& præcipuè Petri & Pauli*, *Beati Laurentii*, *Dedicationis Beati Michaëlis*, *Solemnitatis omnium Sanctorum*, *ac diebus Dominicis*, *cæterisque Solemnitatibus*, *quas singuli Episcopi in suis Diœcesibus cum Clero & Populo duxerint solemniter venerandas.* Hanc *Gregorii Noni* Constitutionem confirmavit *Urbanus VIII.* Constitutione quæ incipit, *Universa*, edita anno 1642. Concilium tandem Tridentinum Sessione XXV. Cap. XII. statuit, *Ut dies festi, quos in Diœcesi sua servandos Episcopus præceperit, ab Exemptis omnibus, etiam Regularibus serventur.*

ARTICULUS V.

De Jejuniis Ecclesiasticis.

§. I.

Quid sit Jejunium? Quis ejus finis? Quæ utilitas?

Definitio Jejunii.

JEjunium Ecclesiasticum est *Abstinentia à certo ciborum genere, pluribúsque refectionibus, secun-*

De Jejunio. dùm modum ab Ecclesia institutum, & propter finem pietati congruentem. Quoniam verò Festis Jejunia ex Ecclesiæ instituto præmittuntur, congruè hîc de Jejunio agemus.

Finis jejunii. Finis jejunii est carnis mortificatio, & concupiscentiæ compressio; mentis ad rerum divinarom contemplationem, & ad orationem purgatio atque præparatio; satisfactio pro peccatis, & beneficiorum divinorom imperratio. Jejuoium assumitur vel iodicitor ad carnem domandam, & ad frenandam concupiscentiam, ot qui sunt Christi, *carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigant*, corpúsque suum *in servitutem* redigant: quò pertinet illod Apostoli II. ad Corinthios VI. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in vigiliis, in jejuniis, in castitate.* (Galat. 5. 1. Cor. 9.) Secundò, assumi potest vel indici ad mentis purgationem, ut à terrenæ concretionis labe defæcata, rerum divinarum contemplationi magis idonea sit. Hoc animo *Moses, Elias, Daniel* jejonarunt, ut Sacris Litteris proditum est. (Exod. 24. & 34. 3. Reg. 19. Dan. 9. & 10.) Hoc animo jejuniom assumunt, qui jejunant ut libentiùs, puriùs ac devotiùs orent. Quo sensu Tobiæ XII. dicitur: *Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna*: vel ut Dæmones pellant, victoriámque de illorum tentationibus donante Deo reportent. Unde Christus *Matth.* XX. ait: *Hoc genus non ejicitur nisi per orationem & jejunium*: vel ad Deum promerendum & colendum, quemadmodum Anna Prophetissa *Non discedebat de Templo, jejuniis, & obsecrationibus serviens nocte & die*, ut refertur Lucæ Cap. II. Eóque pertinet etiam qood in Actibus Apostolorum, Cap. XIII. narratur: *Ministrantibus illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus-Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, & orantes, imponentésque eis manus, dimiserunt illos.* Assumi tandem potest jejuniom ad Deum placandum, & ad satisfaciendum pro peccatis in ejus Majestatem commissis, atque ad ejus beneficia impetranda. Joel. II. *Convertimini ad me* (ioqoit Deus) *in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.* Jonæ III. *Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis à majore usque ad minorem.* Ammonitis, Moabitis, ac Syris congregatis ut pugnarent contra *Josaphat*, illúmque ac Judaicum Populum opprimerent, Rex *totum se contulit ad rogandum Dominum, & prædicavit jejunium universo Juda*; ut II. *Paralipom.* Cap. XX. legimos. Holoferne expeditionem adversùs Judæos parante, *Clamavit omnis populus ad Dominum instantiâ magnâ, & humiliaverunt animas suas in jejuniis & orationibus, ipsi & mulieres eorum.* Atque *Eliachim* Sacerdos Magnus: *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis & orationibus in conspectu Domini*; ut refertur *Judith*, IV. Ester Assuerum aditura, ut precibus suis internecionem Judæis ab Aman hoste gentis infensissimo paratam averteret, orationem & jejunium Judæis omnibus in Susan commorantibus indici jussit, ipsáque cum ancillis suis similiter jejunare decrevit. (*Ester* IV.)

Jejuniom ob aliquem hojusmodi finem susceptum, Deo gratum esse nemo dubitaverit, qui ad Christi verba, Matth. VI. attenderit. *Tu autem*, ioquit, *cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in abscondito: & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.*

Utilitas jejunii. III Jam verò quæ sint jejuniorum utilitates, Patres exponunt in Libris & Sermonibus eo de argumento conscriptis. *Tertullianus* Libro *De Jejunio* ostendit, Moysen quadragenario jejunio præparatum ad Dei visionem. *Meritò*, (inquit,) *etiam in carne se ei Dominus ostendit collegæ jejuniorum suorum.* Eliam quadraginta diebos & noctibos vacuo ventre, arido ore, pervenisse in Montem Dei Horeb, ibique familiari Dei congressu exceptum, *Quid tu Elia hîc? Multò amicior ista vox, quàm, Adam, ubi es? Illa enim pasto homini minabatur, ista jejuno blandiebatur. Tanta est circumscripti victûs prærogativa, ut Deum præstet homini contubernalem parem revera pari. Si enim Deus æternus non esuriet, hoc erit tempus quo homo Deo adæquetur, cùm sine pabulo vivit.* (3. Reg. 7.) Jejoniom *iratum Deum homini reconciliat.* Israelitæ in Maspha Deom deprecati, seque in jejuniis humiliantes, Philistæos vicerunt. *Ceciderunt pasti ab impastis, armati ab inermes. Hæ erunt vires jejunantium Deo. Cœlum pro ejusmodi militat. Habes formam præsidii etiam spiritalibus bellis necessariam.* Ninive peccatrix illa civitas per jejunium de exitio prædicato liberata est. *Sodoma quoque & Gomorrha evasissent, si jejunassent.* Acbab ultionem Dei jejunio avertit. (3. Reg. 21.) *Jejunium reverentia in Deum opus est, per quod Anna uxor Helcanæ retrò sterilis impetravit facilè à Deo inanem cibo ventrem filio implere, & quidem Propheta.* (1. Reg. 1.) Mysteriorum agnitionem jejunia à Deo mereri, Danielis probat exemplum, & Annæ Prophetissæ quæ & infantem Dominom agnovit, & multa de eo prædicavit expectantibus redemptionem Israelis. Ex quo constat, *A nullis magis intelligi Christum, quàm semel nuptis & sæpe jejunis.* Ipse mox Dominus *Baptismo suum, & in suo omnium jejunia dedicavit: immò novum hominem in veteris sugillationem virtute fastidiendi cibi initiabat, ut eum Diabolo rursus per escam tentare quærenti, fortiorem fame tota ostentaret.* Docuit etiam *Adversùs diriora dæmonia jejuniis præliandum.*

S. Ambrosius Libro *De Elia & Jejunio*, Jejunii excellentiam & utilitatem magnificè prædicat. Hæc inter alia Capp. I. & II. habet. *Certamen nostrum jejunium est, jejunavit Salvator, & sic Tentator ad eum accessit. Et primùm gula direxit spiculum dicens*: « Si Filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat. (Matth. 4. 3.) *Ille cibum velut escam « laquei prætendit: Dominus jejunium prætulit ut laqueos Tentatoris, ut vincula dissolveret.... Magna virtus est jejunii. Tam speciosa ejus militia est, ut jejunare delectaret & Christum: tam valida, ut ad cœlum homines erigeret.... Elias jejunus filium viduæ ab inferis resuscitavit: jejunus pluvias ore deposuit: jejunus ignes de cœlo eduxit; & quadraginta dierum jejunio divinam acquisivit præsentiam. Tunc denique plus meruit, quando plus jejunavit. Divino ore statuit fluenta Jordanis, & redundantem fluminis alveum repente siccatum pulverulento transmisit vestigio. Meritò illud dignum cælo divina judicavit Sententia, ut cum ipso raperetur corpore; quoniam cœlestem vitam vivebat in corpore, ac supernam usum conversationis exhibebat in terris. Quid est enim jejunium, nisi substantia & imago cœlestis? Jejunium refectio animæ, cibus mentis, vita Angelorum, culpa mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis. Hoc ad Deum gradu citiùs pervenitur: hoc gradu Elias ascendit antequam curru. Hanc hereditatem sobrietatis & abstinentiæ ad cœlum abiens Discipulo dereliquit. In hac virtute & spiritu Eliæ venit Joannes. Et quia vitæ humanæ possibilitatem continentiâ supergressus fuerat, non homo, sed Angelus æstimatus est.*

S. Augustinus Sermone *De Utilitate Jejunii*, Cap.

DE DECALOGO.

De jejunio. Cap. 1. Jejunium virtutum esse hominum docet, non Angelorum; hominum, inquam, sursum cor habentium, & ad Angelorum societatem suspirantium. Nam *Caro in terram vergit, mens sursum tendit: rapitur amore, sed tardatur pondere.* » *De hac re Scriptura ita loquitur:* Corpus quod
Sap. 9. » corrumpitur, aggravat animam, & deprimit » terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. *Si ergo caro in terram vergens onus est animæ, & sarcina prægravans volantem: quantùm quisque delectatur superiore vitâ suâ, tantùm deponit de terrena sarcina sua. Ecce quod agimus jejunantes.* Non videatur ergo levis res aut superflua, ne quisquam fortè hoc faciens *Ecclesiæ consuetudine* cogitet apud se, aut suggerentem intrinsecùs audiat Tentatorem: Quid tibi ipsi ingeris pœnam, tuus ipse tortor & crucistor existis? Deo ergo placet, quia te crucias? Ergo crudelis est, qui delectatur pœnis tuis. Responde hujusmodi Tentatori: *Excrucio me planè, ut ille parcat: do de me pœnas, ut ille subveniat, ut placeam oculis ejus, ut delectem suavitatem ejus. Nam & victima excruciatur, ut in Aram imponatur. Minùs premet mentem meam caro mea... Si jumento fortè insideres, qui te gestiendo posset præcipitare, nonne ut securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares, quem freno non posses? Caro mea jumentum meum est: iter ago in Jerusalem, plerùmque me rapit, & de via conatur excludere: via autem mea Christus est: ita exsultantem non cohibebo jejunio?*

S. Leo Sermone IV. De Jejunio decimi mensis, jejunium ad tentationes vincendas utilissimum esse docet. *Qui jam regenerati, filii lucis effecti sunt, quamdiu tamen in hoc mundo, qui totus in maligno positus est, detinentur; quamdiu infirmitati carnis corruptibilia & temporalia blandiuntur, non possunt istos dies sine tentatione transire. Non facilè cuiquam provenit tam incruenta victoria, ut inter multos hostes frequentésque conflictus, etiamsi sit liber à morte, sit quoque immunis à vulnere. Curandis igitur læsionibus in quas sæpe incidunt, qui cum invisibili hoste confligunt, trium maximè remediorum est adhibenda medecina. In orationis instantia, in castigatione jejunii, in eleemosyna largitate: quæ cùm pariter exercentur, Deus propitiatur, culpa deletur, tentator eliditur. Et iis quidem præsidiis semper fidelis anima debet accingi, sed tunc studiosiùs præparari, cùm ii adsunt dies, qui propriè sunt ad hæc pietatis officia præstituti.*

Et pauló post: *Jejuniorum*, inquit, *utilitatem Novi Testamenti gratia non removit: & continentiam corpori atque animæ semper profuturam pia observatione suscepit. Quoniam sicut permanet apud*
Matth. 4. » *intelligentiam Christianam:* Dominum tuum a» dorabis, & illi soli servies. *Et*, Diliges pro» ximum tuum sicut te ipsum, *& cetera talium Mandatorum: ita quod in eisdem libris de jejuniorum sanctificatione & curatione præceptum est, nulla interpretatione vacuatur. In omni enim tempore, omnibúsque diebus vitæ hujus sæculi, jejunia nos faciunt contra peccata fortiores, jejunia concupiscentias vincunt, tentationes repellunt, superbiam inclinant, iram mitigant, & omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt.*

DE DECALOGO.

§. II.

Ecclesia Auctoritatem habet instituendi & præcipiendi Abstinentiam & Jejunium certis diebus & temporibus.

De jejunio Quadragesimale jejunando. I. *IN Evangelicis & Apostolicis litteris, totóque instrumento quod appellatur Testamentum Novum, animo id revolvens, video præceptum esse jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum;* (inquit *S. Augustinus* Epist. XXXVI. aliàs LXXXVI. ad *Casulanum*, Presbyterum datâ.) Verùm etsi nullum hujusmodi præceptum in Novo Testamento scriptum extet, Jejunium tamen Quadragesimale ea Apostolorum Traditione servavit semper & à Fidelibus observari jussit Ecclesia: illud exemplo suo Christus consecravit. Discipulos suo post mortem, Resurrectionémque suam jejunaturos prædixit, Matth. 12. *Numquid possunt filii Sponsi lugere, quamdiu cum illis est Sponsus? Venient autem dies, cùm auferetur ab eis Sponsus, & tunc jejunabunt.* Quod id religiosè præstiterint, & Christianis commendaverint, minimè dubitandum. Quadragesimalis Jejunii disciplinam ab Apostolis institutam & traditam *S. Hieronymus* Epist. LIV. ad *Marcellam* docet. *Nos*, inquit, *unam Quadragesimam secundùm Traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo jejunamus: Illi* (Montanistæ nempe Hæretici) *tres in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores. Non quòd & per totum annum, exceptâ Pentecoste, jejunare non liceat, sed quòd aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre.* Certè *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi Auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur,* (inquit *S. Augustinus*, Lib. IV. *De Baptismo contra Donatistas*, Cap. XXIV.) Et Epist. LIV. aliàs CXVIII. ad *Januarium* idem repetit. Quadragesimale porrò Jejunium universa tenet, sempérque retinuit Ecclesia: nec in aliquo institutum Concilio est; nec illius initium potest ostendi, ab Apostolis igitur traditum meritò asseritur.

II. Quadragesimalis Jejunii meminerunt quarti & quinti sæculi Patres, velut observantiæ generalis, cujus Lege Christiani omnes tenentur; nec suâ primùm ætate, sed retroactis seculis institutum fuisse ac universim in Ecclesia observatum supponunt. Concilium Nicænum Canone quinto, Quadragesimæ, tanquam rei in omnibus Christiani orbis Provinciis cognitæ atque observatæ meminit, cùm in ejus initium unam ex iis Synodis indicit, quas quotannis duas in unaquaque Provincia celebrari jubet. Synodus Laodicena Quadragesimam supponit non recentis esse institutionis, sed antiquæ traditionis, cùm decernit Canone quinquagesimo, *Quòd non oportet in Quadragesima, in ultima septimana Quinta Feria jejunium solvere, totámque Quadragesimam sine veneratione transire, magisque conveniat omnem Quadragesimam districto venerari jejunio.*

Quadragesimalis Jejunii pariter meminerunt *Sanctus Athanasius* in Epistola ad Orthodoxos, & alibi; *Cyrillus Hierosolymitanus* Catechesi prima, *S. Basilius* Homilia II. *De Jejunio*, quæ in Quadragesima habita est, ubi *Per universum terrarum orbem Jejunii edictum denuntiari*, ait; *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione quadragesima, *S. Epiphanius* in Expositione Fidei Catholicæ, *S. Gregorius Nyssenus* Homilia in principium Jejuniorum; *S. Joannes Chrysostomus* Homilia decima-sexta ad Populum Antiochenum; item Homilia XXII. &

Homilia prima in Genesim; *S. Ambrosius* Libro *De Elia & Jejunio*, Cap. x. *S. Augustinus* Epistola LV. alias CXIX. ad *Januarium* scribens: *Quadragesima habet Jejuniorum auctoritatem, & in Veteribus Libris ex jejunio Moysi & Eliæ, & ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit, demonstrans Evangelium non dissentire à Lege & Prophetis.* Idem confirmant Sermones illius, *De Quadragesima*. Et Libro *De Hæresibus* inter Aërianorum Hæreticorum errores hunc recenset, quòd pertinaciter assererent, *Nec statuta solemniter celebranda esse jejunia, sed cùm quisque voluerit, jejunandum, ne videatur esse sub lege.*

Sermone 9.

Idem confirmat *S. Leo* in Sermonibus De Quadragesima, cujus *jejunia ab Apostolis per doctrinam Spiritus Sancti ordinata* docet. *Ut per commune consortium crucis Christi, etiam nos aliquid in eo quod propter nos gessit, ageremus.* Item *S. Petrus Chrysologus* Sermone sexagesimo-sexto, *Cassianus* Collatione vigesima prima. Cap. XXIV. Autor Sermonum, *De Quadragesima*, hactenus *S. Ambrosio* adscriptorum, & nunc in Appendicem Operum ipsius rejectorum, & sequentium seculorum Patres.

Jejunia quatuor Temporum.

III. Præter Quadragesimale Jejunium, solemnia sunt ex Ecclesiæ Præcepto *Quatuor Temporum Jejunia*, quæ ab universa Ecclesia religiosè observata fuisse seculo quinto, *S. Leonis* Sermones *De Jejunio Pentecostes*, necnon *De Jejunio septimi & decimi Mensis*, fidem faciunt. Sermone VIII. De Jejunio decimi Mensis, Quatuor Temporum Jejunia ex doctrina Spiritus-Sancti instituta esse, docet. *Hujus observantiæ utilitas*, inquit, *in Ecclesiasticis præcipuè est constituta Jejuniis, quæ ex doctrina Sancti Spiritus ita per totum anni circulum distributa sunt, ut lex abstinentiæ omnibus sit adscripta temporibus. Siquidem jejunium Vernum in Quadragesima, Æstivum in Pentecoste, Autumnale in Mense septimo, Hyemale in hoc, qui est decimus, celebramus.* Adde, quòd quatuor anni Temporibus ex Ecclesiæ consuetudine Ordines Sacri conferuntur, ad quorum susceptionem oportet per jejunium præparari & eos qui ordinant, & eos qui ordinantur, & totum populum pro cujus utilitate ordinantur. Unde etiam legimus Lucæ VI. quòd Dominus ante Discipulorum electionem exivit in Montem orare. Hæc jejunia etiam instituta sunt, ut nullum sit anni tempus à jejuniis vacuum: tum etiam ne inferior esset Christianorum abstinentia & justitia quam Judæorum: ut denique Ecclesia partim Deo supplicet pro terræ frugibus, partim gratias agat pro fructibus perceptis, ut intelligi potest ex Sermonibus *S. Leonis* mox indicatis.

Vigiliarum Jejunia.

IV. Quædam etiam præcipuarum Solemnitatum Vigiliæ, scilicet Natalis Domini, Pentecostes, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Omnium Sanctorum, Apostolorum & Martyrum quorumdam, jejunio consecratæ sunt ex Ecclesiæ præcepto, ut constat ex Cap. *Concilium*, & Cap. *Ex parte*, Extra, *De Observatione Jejuniorum.* In his autem Ecclesiæ quisque suæ disciplinam & morem sequi tenetur. Indicta sunt autem illa Vigiliarum jejunia, ut a vitiis expiati, & carne mortificati, ad Festa religiosè ac devotè celebranda præparemur.

Religiosa abstinentia sextæ Feriæ & Sabbati.

V. Sextis Feriis & Sabbatis Abstinentia a carnibus universalis Ecclesiæ more, ac præcepto sancita est, qui dies olim jejunio etiam nonnullis in Ecclesiis dicati erant. Dies etiam Rogationum, & Festum S. Marci in quibusdam Ecclesiis Abstinentiam habent à carnibus ex præcepto observandam. *Qua in re Disciplina nulla est melior gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam fortè devenerit;* (inquit *S. Augustinus* Epistolâ LIV. alias CXVIII. ad *Januarium.*) Hinc *S. Ambrosius* eidem *Augustino* de Jejunio Sabbati interroganti respondit: *Cùm Romam venio, jejuno Sabbato: cùm hic sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.* Hoc cùm Matri *Monicæ* renuntiasset, libenter amplexa est. Ipse verò *Augustinus* hanc sententiam semper habuit, tamquam eam *cælesti oraculo* accepisset; ut ipse ibidem refert.

Ecclesiæ auctoritas in statuendis jejuniis legibus.

VI. Ecclesiam auctoritatem habere ferendi Leges de abstinentia & jejuniis, quibus parere Christianus quilibet teneatur, nemo nisi hæreticus negaverit: siquidem auctoritas ferendarum legum pro Christiani Populi regimine, in ordine ad salutem æternam, Ecclesiæ a Christo sponso tradita est, Matth. XVIII. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Et Lucæ X. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Et Actuum v. de S. Paulo dicitur: *Perambulabat Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum.* Sic Apostoli in Concilio Hierosolymitano Legem de abstinentia a sanguine & suffocato tulerunt, afflante Spiritu-Sancto: *Visum est Spiritui Sancto & nobis, &c.* Constat etiam ex moribus Ecclesiæ primitivæ, Episcopos jejunia indicere solitos pro emergentibus rei Christianæ periculis & publicis caussis, *Tertulliano* teste Libro *De Jejuniis*, Cap. XIII. *Bene autem*, inquit, *quòd & Episcopi universæ plebi mandare jejunia assolent, non dico de industria stipium conferendarum, ut vestra captura est, sed interdum & ex aliqua sollicitudinis Ecclesiasticæ caussâ.* Quòd si Ecclesia pro emergentibus rei Christianæ negotiis ac necessitatibus potestatem habet abstinentiam ac jejunia statis diebus indicendi: proculdubio habet etiam auctoritatem stata in perpetuum jejunia præcipiendi publica Lege, si caussæ perpetuæ sint: & certis vicibus recurrentes. Caussæ autem jejuniorum, quæ in Ecclesia statis temporibus & diebus observantur, perpetuæ sunt. Jejunia enim, & certorum dierum abstinentia, instituta sunt ad expiationem peccatorum, ad concupiscentiam carnis edomandam, ad Deum per Pœnitentiæ opera promerendum: abstinentia Sextæ Feriæ & Sabbati, in honorem Dominicæ Passionis & Sepulturæ: Quadragesimale Jejunium, ut totum Ecclesiæ corpus simul Pœnitentiam agat, maculásque totius anni decursu contractas eluat; ut omnes ac singuli Christiani carnis mortificatione & castigatione Christo quadamtenus commoriantur: ut ad Paschalem solemnitatem, & ad Eucharistiam eâ die percipiendam se præparent: ut totius anni quasi decimas Deo per jejunium consecremus: ut denique Christi Salvatoris nostri jejunium pro modulo nostro imitemur ac honoremus.

Jejunii Quadragesimalis rationes.

§. III.

Quadragesimalis Jejunii caussæ explicantur.

HAs Quadragesimalis Jejunii caussas Patres afferunt & exponunt. Unum & alterum dumtaxat *SS. Augustini & Leonis* locum hîc exscribere satis erit.

S. Augustinus Sermone ducentesimo-quinto, aliàs *De Diversis* sexagesimo octavo, Quadragesimam institutam esse docet, ut eo tempore crucem castigandi corporis per jejunium assumamus. *Congruit*, inquit, *Nostræ devotioni, ut qui Domini crucifixi Passionem jam propinquantem*

De Abstinentia & jejunio. *celebraturi sumus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipsi etiam faciamus, sicut di-* Galat. 5. » *cit Apostolus*; Qui autem Jesu Christi sunt, car- » nem suam crucifixerunt cum passionibus & con- » cupiscentiis. *In hac quidem cruce per totam istam vitam, quæ in mediis tentationibus ducitur, perpetuò debet pendere Christianus. Non enim est in hac vita tempus evellendi clavos, de quibus in Psalmo* Psal. 118. » *dicitur*, Confige clavis à timore tuo carnes meas. *Carnes sunt carnales concupiscentiæ, clavi sunt præcepta justitiæ: his illas timor Domini configit, qui nos illi acceptabilem hostiam crucifigit. Crux ergo ista, in qua Dei servus non solum non confunditur, sed etiam gloriatur, non quadraginta dierum est, sed totius hujus vitæ, quæ mystico numero quadraginta istorum significatur dierum. . . . Unde Moyses, & Elias, & ipse Dominus quadraginta diebus jejunaverunt: ut insinuaretur nobis & in Moyse, & in Elia, & in ipso Christo, hoc est, in Lege, & Prophetis, & in ipso Evangelio, id nobiscum agi, ne conformemur & hæreamus huic sæculo, sed crucifigamus hominem veterem. . . . . . Sic semper hic vive Christiane: si terreno limo gressus non vis immergere, noli de ista cruce descendere. Si autem hoc faciendum est per hanc totam vitam, quantò magis per istos Quadragesimæ dies, quibus non solum agitur, verùm etiam significatur hæc vita?*

S. Leo Sermone XLII. in Quadragesima quanto. *Quia* (inquit) *paucorum est tam solida fortitudo, ut nullâ inæqualitatum perturbatione quatiantur, & multos Fidelium non adversa tantùm, sed etiam secunda corrumpant: sanandis vulneribus, quibus humana infirmitas sauciatur, diligens est adhibenda curatio. . . . . Quando autem opportuniùs ad remedia divina decurrimus, quàm cùm ipsa nobis Sacramenta redemptionis nostræ temporum lege referuntur? Quæ ut digniùs celebremus, saluberrimè nos quadraginta dierum jejunio præparemus. Non enim ii tantùm, qui per mortis Christi Resurrectionisque Mysterium in novam vitam baptismo sunt regenerandi, sed etiam omnes Populi Renatorum utiliter sibi & necessariè præsidium hujus sanctificationis assumunt: Illi, ut quæ nondum habent, accipiant; isti ut accepta custodiant. Dicente nempe Apostolo*: Qui stat, videat ne cadat: *nemo est tantâ* 1. Cor. 10. *firmitate suffultus, ut de stabilitate sua debeat esse securus. Utamur igitur saluberrimi temporis venerabilibus institutis, & solicitiore curâ cordis nostri specula tergamus. Quantumlibet enim castè & sobriè mortalis hæc vita ducatur, quodam tamen pulvere terrenæ conversationis aspergitur, & nitor mentium ad Dei imaginem conditarum non ita à fumo totius vanitatis alienus est, ut nulla possit sorde fuscari, & non semper indigeat expoliri. Quod si etiam cautissimis animis necessarium est, quantò illis ampliùs est expetendum, qui tota forte anni spatia aut securiùs, aut negligentiùs transierunt?*

Idem Sermone XLVI. De Quadragesima nono: *Devotionem nostram* (inquit) *præsentes vel maximè dies exigunt, quos illi sublimissimo divinæ misericordiæ Sacramento scimus esse contiguos. In quibus meritò à sanctis Apostolis per doctrinam Spiritûs-Sancti majora sunt ordinata jejunia, ut per commune consortium crucis Christi etiam nos aliquid in eo, quod propter nos gessit, ageremus, sicut A-* Rom. 8. 17. » *postolus ait*: Si compatimur, & conglorificabimur. *Certa atque secura est exspectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ Passionis.*

Sermone denique XLVII. sive decimo De Quadragesima: *Considerantes quicquid per Crucem Domini adepta est universitas mundi, cognoscimus ad celebrandum Paschæ diem, meritò nos quadraginta dierum jejunio præparari, ut digni possimus divinis interesse Mysteriis. Non enim summos tantùm Antistites, aut secundi ordinis Sacerdotes, nec solos Sacramentorum Ministros, sed omne corpus Ecclesiæ, universùmque Fidelium numerum, ab omnibus contaminationibus oportet esse purgatum, ut templum Dei, cui fundamentum est ipse Fundator, in omnibus lapidibus speciosum, & in tota sui parte sit lucidum.* De abstinentia & jejunio.

§. IV.

Abstinentia à carnibus, Ecclesiastici Jejunii pars est. In abstinentia à lacticiniis quisque sequi debet Ecclesiæ consuetudinem in qua vivit.

PRimam Propositionem, scilicet, Abstinentiam à carnibus Ecclesiastici Jejunii partem esse, & apud veteres Christianos jejuniorum diebus publicâ lege præceptam fuisse, Patrum & Conciliorum antiquorum testimoniis probata veritas est, scilicet *S. Basilii* Homiliâ 1. De Jejunio; *Theophili Alexandrini*, Epistolâ III. Paschali ad universos Ægypti Episcopos; *Cyrilli Hierosolymitani*, Catechesi IV. Illuminatorum; *S. Joannis Chrysostomi* Homilia prima & secunda in Genesim, Homilia sexta ad Populum Antiochenum, & Homilia octava de Pœnitentia. *Sancti Hieronymi* in Cap. x Danielis, ad illa verba, *Panem desiderabilem non comedi*, & in Epitaphio Marcellæ. *S. Augustini* Libro XXX *contra Faustum Manichæum*, Cap. v. *S. Leonis* Sermone IV. de Jejunio Quadragesimæ, *S. Maximi* Homilia III. de eodem Jejunio, Concilii Toletani octavi Canone nono; Trullani Canone quinquagesimosexto, &c.

Abstinentiam porro à carnibus certis diebus præcipit Ecclesia, non quòd naturâ suâ malæ sint, sicut Hæretici quidam veteres existimarunt, Encratitæ, Marcionitæ, Manichæi: Nam *Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur*; (inquit Apostolus 1. *ad Timotheum* IV.) Sed quia ad carnem domandam, & ad Deum colendum, hæc abstinentia conducibilis est; unde idem Apostolus ad Romanos scribit: *Bonum est non comedere carnem, & non bibere vinum, in quo frater tuus scandalizatur.* Sed nec sanctus Apostolus abstinentiam à carnibus damnat, cùm ait 1. ad Corinthios x. *Omne quod in Macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Sed de ciborum Idolis immolatorum esu agit, & fideles anxios esse vetat, ne fortè cibi qui in foro venales prostant, vel mensis Infidelium apponuntur, Idolis immolati fuerint: cùm eorum esu ubi scandalum abest, conscientia non maculetur, si nullâ idoli religione manducentur, quia Idolum nihil est, nullíusque cibus naturâ suâ est immundus. Lege S. Hieron. lib. 2. contra Jovinianum, ep. 2. & S. Aug. lib. 30. cont. Faustum, cap. 14.

Nec etiam Abstinentiam Christianam à certis ciborum generibus ab Ecclesia jejunii diebus, sextaque feriâ & Sabbato præceptam spectant hæc verba ejusdem Apostoli ad Colossenses Cap. secundo scribentis: *Nemo vos judicet in cibo, aut in potu*; sed legales ceremonias, quibus per Christi mortem antiquatis, non ampliùs obligantur Christiani: quod verba sequentia confirmant, *Aut in parte diei Festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum: quæ sunt umbra futurorum: corpus autem Christi.* Id est, legales illæ observantiæ rerum futurarum figuræ erant, ac Prophetiæ, quarum veritas in Christo adimpleta est. Cùm ita- Vide S. Hieron. Epist. 154. ad Agasiam Quæst. 11. & Theodoret. in Comment. hujus loci.

De abstinentia & jejuniis. que corpus, id est, Christum jam teneamus; stultum est ut umbras amplectamur. Non judicantur ergo Christiani in cibo & potu, quasi alii cibi mundi sint, alii immundi, ex vi Legis Mosaicæ, cujus ceremonialia præcepta abrogata sunt; sed ratione inobedientiæ judicantur, qui Ecclesiæ morem non gerunt, abstinentiam certis diebus imperanti: sicut & ratione intemperantiæ in cibo & potu judicantur, qui cibum & potum immoderatè sumunt. Sic *Quod intrat in os, non coinquinat hominem*, ex natura sua; sed coinquinat ex inobedientia & intemperantia eorum qui utuntur. *Matth. 15.*

Ibid. & ad Coloss. cap. 2. *Doctrinas* denique *& mandata hominum* nemo dixerit Leges Ecclesiæ de abstinentia & jejuniis: hoc enim nomine Christus superstitiosas Pharisæorum observantias & traditiones sugillavit, qualis erat, *Non lotis manibus manducare*, non verò traditiones & mandata Ecclesiæ, & Apostolorum, ac Episcoporum qui ipsis successerunt, quibus morem geri præcepit. Sicut ergo inter mandata & doctrinas hominum lex ab Apostolis lata de abstinentia à sanguine & suffocato, pro tempore, censeri absque errore non potest, de qua Legislatores ipsi dixerunt, *Visum est Spiritui Sancto & nobis*: ita nec leges Ecclesiæ de abstinentia & jejuniis, inter doctrinas & mandata hominum numerari possunt, siquidem eadem auctoritate, eodémque Spiritu-Sancto dirigente has leges condit, & hæc præcepta Fidelibus imponit, quibus Apostoli legem illam temporariam tulerunt. De Abstinentia Christiana & Jejuniis plura dabit nostra dissertatio IV. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi II. quâ Librum *Joannis Dallai* Calviniani Ministri *De Jejuniis & Quadragesima* refellimus. *Act. 15. 28.*

Abstinentia à lacticiniis. Propositio altera, Unumquemque scilicet in abstinentia à lacticiniis Ecclesiæ suæ usum sequi debere, colligitur ex *sancto Thoma*, Secundâ Secundæ, Quæstione CXLVII. Articulo ultimo, in Responsione ad tertiam objectionem. *Ova*, (inquit) *& lacticinia jejunantibus interdicuntur, in quantum ex animalibus sunt exorta, carnes habentibus: unde principaliùs interdicuntur carnes, quàm ova & lacticinia. Similiter etiam inter alia jejunia solemnius est Quadragesimale Jejunium: tum quia observatur ad imitationem Christi: tum quia per ipsum disponimur ad Redemptionis nostræ Mysteria devotè celebranda. Et ideo in quolibet jejunio interdicitur esus carnium: in Jejunio autem Quadragesimali interdicuntur universaliter etiam ova & lacticinia: circa quorum abstinentiam in aliis jejuniis diversæ consuetudines existunt apud diversos; quas quisque observare debet secundùm morem eorum inter quos conversatur. Unde S. Hieronymus* Epistolâ XXVIII. de jejuniis loquens ait: *Unaquæque Provincia abundet in suo sensu, & præcepta Majorum Leges Apostolicas arbitretur.* Hinc etsi abstinere non à carnibus tantùm, sed à vino tempore Jejunii, præsertim Quadragesimalis, olim Christianorum mos esset, Ecclesiæque primævæ disciplina; abstinentia tamen illa postmodum Ecclesiæ indulgentiâ remissa est. Similiter, licèt abstinentia ab omnibus quæ sementinam carnis originem trahunt, nempe ab ovis, lacte, butyro, caseo, generali lege Quadragesimali Jejunio sit annexa; in aliquibus tamen locis, propter necessitatem, lactis, butyri, caseique usus concessus est. Qua in abstinentia varias jam fuisse Ecclesiarum consuetudines suis temporibus, *Theodulfus* Aurelianensis Episcopus, in suo Capitulari Cap. XL. & *Æneas* Episcopus Parisiensis Libro contra Græcos, in Responsione ad tertiam objectionem, testantur. Unusquisque ergo Ecclesiæ suæ consuetudinem tutâ conscientiâ in his sequi potest. *De abstinentia & jejuniis.*

Propositio damnata. Ex his colligitur, hanc Propositionem inter alias decem die XXIV. Septembris anni millesimi sexcentesimi sexagesimi quinti, ab *Alexandro VII.* Pontifice Maximo fuisse meritò damnatam. *Non est evidens quòd consuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadragesima obliget.*

ARTICULUS VI.

REGULÆ MORALIS CHRISTIANÆ.

Circa Religiosam Dominicæ diei & Festorum observationem.

REGULA I.

Lethalis peccati rei sunt, qui servilia opera, aliaque Canonibus & Legibus prohibita, Dominicis, Festisve diebus exercent, exceptis caussis pietatis, ac justæ necessitatis: quarum judicium penes Episcopos esto.

SErvilibus enim operibus cultus Dominicæ, Festorúmque dierum violatur, ad quos tertium præceptum Decalogi, quatenus morale est, pertinet: *Sabbatum Domini Dei tui est. Non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua, & servus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena qui est intra portas tuas.* Quibus verbis omne servilis operis genus prohiberi perspicuum est, non quòd naturâ suâ aut turpe, aut malum sit; sed quoniam mentem nostram à divino cultu, qui finis præcepti est, abstrahit. Unde *sanctus Gregorius*, Libro XI. Epistolâ III. scribit: *Dominicorum die à labore terreno cessandum est, atque omnimodo orationibus insistendum, ut si quid negligentia per sex dies agitur, per diem Resurrectionis Dominicæ precibus expietur.* Servilia autem opera sunt, quæ à servis & infimâ plebe, seu mercenariis hominibus exercentur, qualia sunt artium omnium mechanicarum opera patrata, præsertimque ruralia, & in quibus jumenta labori applicantur. Prohibita sunt etiam sacris Canonibus & Principum Christianorum Legibus mercatus & nundinæ, Judiciarii Processus & strepitus forenses. Capitalia præsertim & ad pœnam ordinata Judicia, item Juramenta publica, Acta pariter publica Notariorum, (exceptis tamen conventionum connubialium, & ultimarum voluntatum instrumentis.) *Ruralia*, & alia opera famula prohibet Capitulare Aquisgranense *Caroli Magni*, nec non *Placita*, sive strepitus forenses, causarúmque publicas actiones. Prohibet etiam *Venationes*, quibus Festos dies violari hinc collige, quamvis ob solam animi recreationem, non lucri caussâ fiant. *Venationes diebus Dominicis & Festis prohibitæ.* Opus rurale die Dominico prohibet etiam Concilium Aurelianense III. anno quingentesimo trigesimo octavo celebratum, Canone XXVIII. *Quò faciliùs* (inquit) *ad Ecclesiam venientes, orationis gratiâ vacent.* Concilium Matisconense II. anno quingentesimo octogesimo-quinto, Canone primo, Dominicis diebus prohibet opera quæ in privatis diebus fiunt, id est, opera servilia causarúmque actiones. *Custodite* (inquit) *diem Dominicam, quæ nos denuo pepe-*

rit, & à peccatis omnibus liberavit. Nullus vestrûm litium fomitibus vacet: nullus causarum actiones exerceat; nemo sibi talem necessitatem exhibeat, quæ jugum servicibus jumentorum imponere cogat.... Exhibeamus Domino liberam servitutem, cujus nos novimus pietate de ergastulis liberatos erroris. Non quia hoc Dominus noster à nobis expetit, ut corporali abstinentiâ diem Dominicam celebremus: sed quærit obedientiam, per quam nos calcatis terrenis actibus ad cœlum usque misericorditer provehat. Si quis itaque vestrûm hanc salubrem exhortationem parvipenderit, sciat se pro qualitatis merito principaliter à Deo puniri, & deinceps Sacerdotali quoque ira implacabiliter subjacere.

Concilium Cabilonense anno sexcentesimo quinquagesimo, Canone XVIII. *Ruralia opera, & quicquid ad ruris culturam pertinet*, Dominicis diebus fieri vetat, secundùm superiorum Conciliorum Canones: *Sicut in superioribus Canonibus est statutum; non aliquid novi condentes, sed vetera renovantes..... Qui inventus fuerit faciens, sub disciplina districtionis omnimodis corrigatur.*

Dominicis diebus ea tantum agenda, quæ ad Dei cultum & servitium pertinent.

Concilium Arelatense sextum anno 813. Canone XVI. Dominicis diebus *publica Mercata*, causarúmque *disceptationes* exerceri prohibet; ac *penitus à rurali, & servili opere cessari* jubet: *His solummodo peractis, quæ ad Dei cultum & servitium pertinere noscuntur.* Idem statuit Concilium Remense secundum, eodem anno, Canone XXXV. & *Donationes in publico facere* præterea vetat, id est, Instrumenta Donationum à Notariis confici. Turonense III. eodem anno, Canone XL. Christianos die Dominicâ *à servili opere* feriatos, *in laude Dei & gratiarum actione usque ad vesperam perseverare* jubet. *Mercata* etiam *& Placita usquam fieri* eâ die interdicit. Parisiense sextum anno 829. Canone quinquagesimo, *Mercatus, Placita, & ruralia quæque opera, necnon quaslibet carrigationes*, seu rerum & onerum evectiones fieri prohibet à cujuscumque conditionis hominibus: *Quoniam dum hæc agunt, & decus Christianitatis offuscant, & nomen Christi blasphemantibus locum ampliùs detrahendi attribuunt.* Adducunt hujus Concilii Patres: *Multi nostrorum visu, multi etiam quorumdam relatu didicimus, quosdam in hac die ruralia opera exercentes fulmine interemptos, quosdam artuum contractione multatos, quosdam etiam visibili igne corporibus ossibúsque simul sub momento absumptis, in cinerem subitò resolutis, pœnaliter occubuisse. Et multa alia terribilia judicia exstiterunt, & hactenus existunt, quibus declaratur, quòd Deus in tanti diei dehonoratione offendatur.... Si ergo Judæi Sabbatum carnaliter custodientes, eo die nulla Potestate terrenâ compellente ab operibus ruralibus se abstinent; quantò magis Christi gratiâ redemptis convenit, ut eo die quo Autor vitæ resurrexit, eisque spem resurgendi concessit, ab his quæ permissa sunt, se abstineant, & solummodo spiritualibus gaudiis repleri, canticísque hymnigeris, & laudibus cælestibus toto cordis annisu vacare satagant?*

Divinam sæpè ultionem sunt experti, qui Dominicæ diei sanctitatem violarunt.

Concilium Meldense anno 845. Canone LXXVII. non ad Dominicos tantùm, sed ad Festos etiam dies reliquos, has prohibitiones pertinere probat; siquidem octo diebus Paschalis Festivitatis, qui tunc feriati erant & solemnes, abstineri jubet *ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, gynæceo*, (seu textorio, aut lanificio, vel acupictorio, quo feminæ ut plurimùm occupantur) *cæmentario, pictorio, venatorio, forensi, mercatorio, audientiali, ac sacramentis, sive juramentis, exigendis: quatenus eisdem diebus tantò licentiùs quantò liberiùs, omnibus Christianis sanctæ Resurrectionis laudibus, & sacrosanctæ Prædicationi jugiter insistere liceat. Quod si quis temerare præsumpserit, excommunicetur.* Hinc rursus patet, non licere *Pictoribus* artem suam Dominicis Festisve diebus exercere, etiam recreationis causâ, hoc opere sacros dies violari; *Venationes* etiam his diebus esse prohibitas, nec absque gravi peccato his vacare Nobiles Viros, aliósque, quibus falsò persuasum est hanc honestam animi relaxationem licere, cùm Missæ interfuerunt.

Concilium Mediolanense I. sub *S. Carolo Borromæo*, P. I. Tit. *De Festorum dierum cultu*, prohibet ne illiberales artes diebus Festis exerceantur, aut ullum opus fiat ab eo tempore alienum, quo scilicet à divino cultu avocentur homines, & impediantur ne toti Deo ac pietatis officiis vacent. *Ne quid emâtur aut vendatur, præter id quod ad victum illius diei, aut ad ægrorum curationem necessarium sit. Ne officinæ omnino aut ex aliqua parte apertæ habeantur. Ne fiant nundinæ, sed quæ Festo die fieri consueverint, in antecedentem vel sequentem diem, qui Festus non sit, transferantur. Qui secus fecerit, severè plectatur Episcopi arbitrio.*

Concilium Mediolanense III. Morum corruptelas, omniúmque depravatum luget. *Ab omni & humana & divina lege alienum, ut Deo dicati dies, sanctísque rerum officiis consecrati, ac Spiritûs Sancti doctrinâ instituti, tum ad recolenda divina beneficia, tum ad honores debitos Sanctis tribuendos, ad eorúmque vitæ imitationem excitandam, non modò ut oportet, sanctè non colantur, sed, quod gravissimum est, nefariè violentur, operibus, officiis, rerúmque actionibus ab eorum cultu & pietatis Christianæ studio alienis.* Quamobrem secundùm Canones, Pontificias Sanctiones, præsertimque *sancti Pii Quinti* Constitutionem quæ incipit, *Cùm primùm*, Patrum Instituta, & Imperatorias Leges, prohibet ne quid servilis operis Festis diebus fiat. *Ne iis diebus nundinæ, emporia, mercatúsve agantur: nec quicquam præterea fiat, exerceatúrve, quod ad earum nundinarum vel mercatûs apparatum pertinet, etiamsi in diem proximè sequentem illæ cadant. Ne contractus ulli, cujusvis generis sint, neve ulla rerum executiones fiant, nisi cùm Jure nominatim permissum est. Ne collectæ, taleæve in oppidis, pagis, vicis, Festis diebus exigantur; præsertim quo tempore vel Sacra fiunt, vel Concio habetur, vel Processiones, vel alia divina Officia celebrantur, vel Scholarum Doctrinæ Christianæ exercitationes aguntur. Nec verò ullo præterea unquam die, in Ecclesia, in Cæmeterio, Atrióve Ecclesiæ illas exigi liceat. Ne libri, imagines, signa, & alia id genus usquam venalia proponantur aut circumferantur. Ne quæ ad aleæ lusum pertinent, neque larvæ, nec vestes ad personatorum hominum usum vendantur vel locentur. Ne quæ res ad victum necessariæ vendi licet, illæ prope Ecclesias, in earúmve conspectu venales proponantur. Neque earum ipsarum rerum, præterquam panis à Sole aut pluvia defendendi causâ, in foro, locisve publicis tentoria rastráve sint, quibus illæ exponantur. Neque earumdem rerum occasione tabernæ, cáve officinæ apertæ ullo modo sint: sed earum ostiolum parvulum patens sit, reliquâ omni parte clausâ. Quo in genere præterea Episcopus, illarum rerum venditioni certam horam & modum præscribat; ne ex venditione aliquid existat scandali offensionisve, aut occasionis, quâ distrahantur homines à divinis Officiis.*

Cur festi dies in Sanctorum honorem instituti.

Quoniam verò sutores, pistores, calcearii, tonsores, aliíque ejusmodi opifices in Festorum dierum violatione frequenter peccare solent, statuit Synodus ut iis *Episcopus certas Regulas*

præscribat, ne deinceps dierum Festorum cultum violens.

Concilium Turonense anno 1583. & Aquense 1585. eadem statuunt circa Festorum dierum cultum, quæ Concilium Mediolanense primum. *Publicas nundinas, & alios mercatus, quacumque in contrarium consuetudine non obstante, diebus Dominicis potissimùm, & annalibus Festis, indicere & frequentare* prohibet. *Si qui verò locorum Domini jus nundinarum & mercatuum iis diebus se habere prætendant, illas in perendinum, aut alium diem non Festum* transferre jubent, sub pœna excommunicationis, ab ipsis, eorúmque Procuratoribus & Judicibus ipso facto incurrendâ.

Mercatus & nundinæ omnes à diebus Festis quibuscumque in alios dies rejici debent.

Concilium Rotomagense anno MDLXXXI. pariter decernit *Nundinas omnes ac negotiationes a quibuscumque Festis in alios dies rejici: Dominos verò locorum, eorúmque Procuratores, & Actores seu Judices excommunicari, si Dei Mandatis & Ecclesiæ de observatione Festorum parere noluerint, & ad suas nundinas alios dies deligere.* Rationem affert hujusce Decreti, quia diabolus his nundinis *non solùm avertit Populum ab Ecclesiis frequentandis, & Officio divino, ac sacris Concionibus audiendis, necnon ad negotia secularia diligentiùs quàm aliis diebus exercenda provocat contra Festorum institutionem; sed insuper ad agendum sacrilegium, fallacias, fraudes, perjuria, blasphemias, contumelias, proximorum offensiones & injurias, atque impudica & obscœna ludicra in his admiscet, ut totum hominem perdat in Sabbato, ac sibi subjiciat.* Idem quoad mercatus & nundinas ediderunt Christianissimi Reges, Aurelianensi Constitutione, Articulo XXIII. & Blesensi, Articulo XXVIII. Mutuam igitur operam dare debent Episcopi & Magistratus ut nundinæ Festis diebus non fiant, sed in alios dies transferantur: alioqui & ipsi rei sunt coram Deo, qui pravam consuetudinem abusúmque non corrigunt, cùm possint: & quicumque nundinas illas frequentant, venditori aliquid vel empturi, Festis diebus, nisi necessitas urgeat. A mortali tamen videntur excusari posse, si Missæ auditionem non omittant, qui emunt vel vendunt in nundinis, quæ Festis diebus à Prælatis tolerantur, secundùm *S. Antoninum.*

II. P. Tit. 9. Cap. 7. §. 1.

Excommunicatione, aliisque pœnis digni Oenopolæ seu Tabernarii, qui divini Officii tempore cupidanos ad potandum vel ludendum in domos suas recipiunt.

Synodus Parisiensis anno MDLVII. Oenopolis, cupediariis, & id genus aliis, qui vinum, panem, esculenta & poculenta in publicum vendere solent, vetat ne quo tempore divina Officia in Ecclesiis peraguntur, tabernas aperiant, aliquid vendituri. Concilium Rotomagense, anno MDLXXXI. Curatos diligenter animadvertere jubet, si Parœciani Dominicis aut Festis diebus divinis Officiis intersint, & de absentiæ causis inquirere, aut jubere per aliquem puerum absentes observari & notari, ut post admonitionem debitam, quos noverint pertinaces, ad Episcopum deferant, & ab eo discant quid agendum. Præcipit quoque ut, *In Pronao pro excommunicatis denuntient, qui post admonitionem ausi fuerint Dominicis & Festis diebus, tempore Servitii, Parœcianos in domum suam ad potandum, ludendum, aut aliud non necessarium agendum recipere, mercaturam, aut vecturas non necessarias, aut aliud opus exercere.* Concilium Burdigalense anno MDLXXXII. Magistratus omnes hortatur pro sui officii ratione, ut (quod in ipsis maximè situm est) sacros Dies illos ac solemnes piè sanctéque *celebrari curent, tabernas aperiri, vecturas, & opera quævis rustica exerceri prohibeant. Quo tempore verò divinum Officium expletur, aut Conciones habentur, otiosam & vagam turbam e tabernis, & foro, & plateis abigant, pœnisque propositis rebus sacris interesse compellant.* Aurelianensis Constitutio Christianissimi Regis Caroli Noni, & Blesensis Henrici Tertii, tabernas, & ludis pilæ palmariæ destinatas ædes aperiri vetant Dominicis & Festis diebus, tempore divinorum Officiorum, gravi mulctâ arbitrariâ indictâ pro prima vice, pœnâ carceris pro altera, non solùm Tabernariis & Oenopolis, sed etiam urbium, oppidorum, & pagorum incolis, qui in popinis manducaverint & biberint quibus horis divina Officia celebrantur.

Magistratus invigilare tenentur, ne sacrorum dierum violetur observatio.

De Festis.

REGULA II.

Pietatis, & justæ necessitatis causâ, servilia opera Festis diebus exerceri possunt.

Hanc Regulam in præcedenti involutam, singulatim explicare necesse est. Explicuit autem Christus ipse (Matth. XII.) Discipulos Sabbato spicas vellentes vindicans à Pharisæorum criminatione. *Non legistis* (inquit) *quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant? quomodo intravit in domum Dei, & Panes Propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis Sacerdotibus? Aut non legistis in Lege, quia Sabbatis Sacerdotes in Templo Sabbatum violant, & sine crimine sunt? Dico autem vobis, quia Templo major est hic. Si autem sciretis quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium, numquam condemnassetis innocentes. Dominus enim est Filius hominis etiam Sabbati.* Occurrente verò homine, cui manus erat arida, & interrogantibus Pharisæis, *Si licet Sabbato curare?* dixit illis JESUS: *Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & si ceciderit Sabbatis in foveam, nonne tenebit, & levabit eam? Quantò magis melior est homo ove? Itaque licet Sabbatis benefacere.*

Id confirmat Concilium Aurelianense III. Canone XXVIII. *Quia* (inquit) *persuasum est Populis die Dominico agi cum caballis, aut bobus, aut vehiculis itinera non debere, neque ullam rem ad victum præparare, vel ad nitorem domûs vel hominis pertinentem ullatenus exercere, quæ res ad Judaïcam magis quàm ad Christianam observantiam pertinere probatur; id statuimus, ut die Dominico quod ante fieri licuit, liceat.*

Concilium Narbonense anno 589. Canone quarto die Dominico operas fieri vetat, vel boves jungi, *Excepto si in mutando necessitas incubuerit.* Capitulare Aquisgranense Caroli Magni, vecturas, seu carraria opera (ut loquitur) fieri vetat Dominico die, iis exceptis quæ fiunt ad Mortuos sepeliendos, quod pietatis est; vel ad bellica opera, aut quæ alendis copiis, aut aliàs necessaria sunt, transvehenda. *Sed tria carraria opera licet fieri in die Dominico, id est, hostilia carra, vel victualia, vel si fortè necesse erit corpus cujuslibet duci ad sepulchrum.*

Theodulfus Aurelianensis Episcopus in Capitulari ad suæ Diœcesis Presbyteros, Cap. XXIV. Dominicis diebus nihil aliud vult fieri operis, *Præter orationes, & Missarum solemnia, & ea quæ ad vescendum pertinent.* Et, *Si necessitas fuerit navigandi, sive itinerandi, licentia datur; ita duntaxat ut hac occasione Missæ & Orationes non prætermittantur.* Itinera diebus Dominicis & Festis licita faciunt pietas & necessitas, non quæstus & utilitas temporalis, sive lucrum, aut voluptas

De Festis. sive recreatio. Quod confirmat Concilium Coyacense in Hispania celebratum anno quinquagesimo supra millesimum, Canone sexto; *Christiani (inquit) Dominica servile opus non exerceant, nec sectentur itinera, nisi orationis causâ, aut sepeliendi Mortuos, aut visitandi infirmos, aut pro Regis secreto, pro Saracenorum impetu.*

Cap. *Omnes dies*, Extra, *De Feriis*, ex Concilio Compendiensi, *Sacramenta* sive Juramenta die Dominico *præstari* vetat *nisi pro pace, vel alia necessitate.*

Alexander III. Cap. *Licet*, sub eodem Titulo, piscationem alecum diebus Dominicis & Festis, præterquam in Majoribus anni Solemnitatibus permittit, *ingruente necessitate*, ea lege *Ut post factam capturam Ecclesiis circumpositis, & Christi pauperibus congruam faciant portionem.*

Gregorius Nonus Cap. *Conquestus*, eodem Titulo, litium cognitionem & judicia diebus Festis prohibet, *Nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat.*

Nicolaus Quintus anno 1447. à Transsilvanis interrogatus, *An pauperibus villanis ac oppidanis licitum sit vendere die Dominico vel Festo alicujus Sancti, panes, pyra, poma, & alia legumina; vel sit licitum eis finitâ mensâ, post prandium de campo, tempore Messis, cùm timetur de pluvia, portare cum pecoribus, vel equis, vel curribus, linum, fœnum, & alia blada humano usui convenientia:* Respondet: *Cessante necessitate ab omni opere servili abstinendum est diebus Dominicis & Festivis, sed necessitate cogente, non tamen affectatâ seu procuratâ, licitum est præmissa exercere.* Unde iter cum animalibus aut curru onosto bona fide susceptum, die Festo persequi licet, vel ob publicam utilitatem, vel ob privatum damnum vitandum.

Concilium Bituricense anno 1584. Dominicis & Festis diebus instrumenta fieri vetat à Notariis, *Nisi qua ex necessitate Testamentorum, aut Matrimoniorum causâ differri non possunt.*

Synodus Lingonensis anno millesimo quadringentesimo quarto, declarat, posse Episcopum *Dare licentiam in aliquibus mediocribus vel modicis Festivitatibus, operandi in agrorum vel vinearum cultura, & fructibus fœnationum, messium, & vinearum recolligendis, & pro reparationibus Ecclesiarum, locorum vel grossorum, vel pro Republica, prout ipse videbit quod ex qualitate temporis, vel alia caussa necessitatis, vel utilitatis exposcit. Cùm autem dabitur hac licentia, injungatur aliquid dari in fabricis Ecclesiarum pro luminaribus ad honorem illius Festivitatis, in qua fiet opus prædictum.*

Synodos Ebroicensis anno 1576. *Aurigationes, & vecturas, atque omne opus manuum & jumentorum*, diebus Festis exerceri prohibet, *Nisi quando in Messe & Vindemia, secundum Jura, aeris intemperies, vel alio tempore summa & notoria necessitas, excusaverint.* Ceterùm *Vectationes, quæ non affectatâ malitiâ, sed per extraneos transeuntes in Diœcesi, in Festa incidunt, saltem inhiberi* mandat, *ne in publicum nisi post solemnioris Missæ absolutionem prodeant.*

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XL. Articulo IV. *Observatio Festorum*, inquit, *non impedit ea quæ ordinantur ad hominis salutem, etiam corporalem. Unde Dominus arguit Judæos, dicens Joannis VII.* » Mihi indignamini, quia totum hominem sal» vum feci in Sabbato? *Et inde est quòd Medici licitè possunt medicari homines in die Festo. Multò autem magis est conservanda salus Reipublicæ, per quam impediuntur occisiones plurimorum, & innumera mala & temporalia & spiritualia; quàm salus corporalis unius hominis. Et ideo pro tuitione Reipublicæ fidelium, licitum est justa bella exercere diebus Festis: si tamen hoc necessitas exposcat. Hoc enim esset tentare Deum, si quis imminente tali necessitate vellet à bello abstinere: sed necessitate cessante, non est licitum bellare in diebus Festis.* D. Festis.

Et Quæstione CXXII. Articulo IV. in Responsione ad tertiam objectionem, docet, Opera quæ pertinent ad Dei cultum, festis diebus non prohiberi: *Quia hoc esset contrarium fini observationis Sabbati. Homo enim ad hoc ab aliis operibus abstinet* sacris diebus *ut vacet operibus ad Dei servitium pertinentibus.* Unde dicitur *Joannis* VII. Circumcisionem homo accipit in Sabbato, ut « non solvatur Lex Moysi. *Et Matth.* XII. Sab- « batis Sacerdotes in Templo Sabbatum violant, « (*id est, corporaliter operantur*) & sine crimine sunt. *Et sic Sacerdotes Sabbato circumferentes Arcam, non transgrediebantur præceptum de Sabbati observatione.* Addit *Nullius spiritualis actus exercitium esse contra observantiam Sabbati, ut si quis doceat verbo vel scripto.* Subdit postea, quemlibet tam servum, quam liberum teneri in necessariis providere: non tantùm sibi, sed etiam proximo, præcipuè quidem in his quæ ad salutem corporis pertinent, secundùm illud Proverb. XXIV. *Erue eos qui ducuntur ad mortem.* Secundariò autem etiam in damno rerum vitando, secundùm illud Deuteronomii XXII. *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, & præteribis, sed reduces fratri tuo.* Et ideo *Opus corporale pertinens ad conservandam salutem proprii corporis, non violat Sabbatum. Et propter hoc Machabæi non polluerunt Sabbatum, pugnantes ad sui defensionem die Sabbati. Similiter etiam nec Elias fugiens à facie Jezabel die Sabbati. Et propter hoc etiam Dominus excusat Discipulos suos, qui colligebant spicas die Sabbati, propter necessitatem quam patiebantur. Similiter etiam opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat Sabbatum. Unde dicit Dominus:* QUIS *erit ex* « *vobis homo qui habet unam ovem, &, si ceci-* « *derit Sabbato in foveam, nonne tenebit, & levabit eam?* 1. Machab. 2. Matth. 12. Matt. 12.

S. Antoninus P. II. Titulo IX. Cap. VII. Quod *De Negligentia Festorum*, inscribitur, §. V. *Pertinet*, inquit, *ad opus servile prohibitum, scribere pro pretio, ut de quaterno in quaternum, vel instrumenta, cùm tamen possit sine periculo differri. Conficere autem Testamenta infirmorum, vel contractus Matrimonii, ubi est de more, videtur posse fieri. Videre autem Ratiocinia, & facere computum prolixum, illicitum est. Item ad opus servile spectat, cum equis, asinis, vel bobus, deferre blada, vel vina, vel ligna, vel mercimonia, nisi necessitas urgeat. Item abstinendum est ab itinere dietario, nisi necessitas cogat, vel aliud pium opus inducat, ut videlicet visitatio alicujus Ecclesiæ, vel consecutio Indulgentiæ, vel reformatio pacis, seu amotio scandali, & hujusmodi.*

Quædam subinde recenset opera, quæ necessitas à peccato mortali excusat Festis diebus: *Primò pro conservando personas vel res suas, putà, faciendo foveas, vel machinas, vel hujusmodi, vel portando res suas ad loca secura imminente bello; vel portando necessaria ad defensionem, &c. Item si jacentibus segetibus in agro, vel fœnis in pratis, vel uvis in vineis, immineat tempestas, vel aliud periculum amissionis illarum rerum, liceret talia colligere. Item, de alia re quæ distruitur, si in die festo circa eam manualiter non operatur, ut extensio lanæ ad radios solis, cùm hyeme apparent, vel prosecutio succensionis fornacis, ad calcem aut lateres coquen-* Quæ opera necessitas à peccato excuset Festis diebus.

dos, aut vitrea vasa conflanda. Item *Carnifices, sive lanii & pincerna praparantes victualia in Festis, ut sequenti die vendant, si non poterant priùs praparari, vel praparata conservari, videntur excusari à mortali. Item vectores mercium, aut alimentorum, aut personarum ad loca remota, cùm aliàs non possent sine gravi incommodo vitam transigere, creduntur excusari, si differre non possant.*

Item, qui compelluntur à dominis justo metu ad laborandum in diebus festivis in agris suis, vel deferendam ligna vel lapides, vel faciendum adificia vel foveas, & hujusmodi, qua si non facerent notabiliter damnificarentur in persona, vel rebus, videntur posse excusari propter necessitatem. Meliùs tamen faterent non obedire, quando opus illud non est necessarium. Et quia modicus recessus à medio non tollit bonum virtutis: ideo quòd aliquis in horto aliquid faciat parvum, ut obturando sepem, vel evellendo malas herbas, vel suendo aliqua puncta vestis, dissuta, vel caliga, & hujusmodi, non judicatur violator Festi.

Barbitonsores, non in radendo, sed in minuendo sanguinem, & ferratores equorum, & hujusmodi, si in Festis exercent artem suam principaliter propter necessitatem eorum quibus serviunt, non propter cupiditatem lucri, excusantur: & similiter qui eos requirunt de arte sua, si aliàs non poterant sibi commodè providere, excusantur.

Item in molendinis ad aquam, vel ad ventum, qua fiat magnâ operâ hominis exercentur, potest servari consuetudo patria non prohibita à Pralatis. Secùs de molendinis cum jumentis: & hoc nisi necessitas urgeret propter victualia necessaria, quia tunc liceret.

Item, diebus festivis, non tamen Dominicis vel Solemnioribus, licitum videtur laborare pro pauperibus, cum his tamen conditionibus adjunctis: primò, ut nec dimittantur Divina, id est, auditio Missa. Secundò, quòd fiat eleemosynaliter, non propter lucrum. Tertiò, quòd illi, pro quibus laboratur, indigeant.

Item, à fortiori, videtur licitum cuilibet laborare pro sustentatione sui & familia sua, quando aliter sustentari non valet: ita tamen quòd non dimittantur Divina. Nec enim observatio Festi est in tanta arctitudine, ut in Veteri Testamento. Et erit bona cautela ut hoc fiat cum dispensatione Episcopi. Hæc *S. Antoninus*, quæ ipsis Sancti Præsulis verbis referre volui: quia hunc casuum Arbitrum sequi tutum, qui nec plus æquo exasperat, nec emollit nimis jugum Christi.

Quod *S. Antoninus* dixit de apertione venæ & minutione sanguinis Festis diebus ob necessitatem licitâ, *S. Cæsarii Arelatensis* testimonio confirmatur Homilia XXXVII. & ex eodem colligitur, illicitum esse Dominicis aut Festis diebus sanguinis minutionem sibi procurare, aut potionem medicinalem sumere, nisi necessitas urgeat. De Rogationum enim religiosa observatione loquens, quæ tamen non ita stricta erat ac Festorum ceterorum, Dominicorúmque dierum, ait: *Nemo sibi ex industria aliquas occupationes audeat providere: nemo se otiosis fabulis occupare: ne inde sibi vulnera faciat, unde sibi parare medicamenta poterat. Nemo in istis tribus diebus aut sanguinem tollat, aut potionem accipiat; nisi fortè hoc infirmitas nimiùm periculosa compellat.*

An Tonsores artem suam Dominicis Festisque diebus exercere possint?

Quòd verò tonsio capillorum & rasura barbarum passim fieri non possit absque Dominicæ aut Festi diei violatione, *Joannes* XXII. Pontifex Maximus declaravit, in Litteris ad *Philippum V.* Regem Christianissimum volgò *Longum* appellatum, datis anno millesimo trecentesimo decimo-septimo, & ab *Odorico Raynaldo* relatis ad eumdem annum, Num. IV. *Illud sanè*, inquit, *quod inolevisse in illis partibus dicitur, ut videlicet passim in quamdam divinam irreverentiam exerceantur Judicia die Dominico, & radendis ac tondendis barbis atque capitibus intendatur, te dissimulare non decet: cùm dies illa divino cultui specialiter dedicata talibus profanari non debeat.*

Idem confirmat Synodus Andegavensis anno millesimo ducentesimo octogesimo-secundo. *Cùm diebus festivis*, inquit, *ob reverentiam Dei & Sanctorum introductis, pracipuè diebus Dominicis, honori Majestatis Altissima consecratis, à Christi Fidelibus sit ab omni opere servili abstinendum ac cessandum, & divinis cultibus jugiter insistendum: omnibus & singulis Rectoribus & Capellanis in virtute obedientia pracipimus & mandamus, quòd ipsi Parochianis suis inhibeant sub obtestatione divini Officii, & pœna Excommunicationis, ne ipsi dictis diebus Dominicis barbas radant, vel aliàs barbitonsorium officium exerceant, etiam minuendo, nisi mortis vel gravis infirmitatis periculo imminente, inhibentes subditis suis sub pœna pradictâ, ne dictis diebus Dominicis se radi faciant aut permittant, aut barbitonsoris officium recipiant, in suarum periculum animarum. Inhibentes Molitoribus etiam quibuscumque sub pœna interminatione pradictâ, & Molendinorum Dominis, ne ipsi dictis diebus Dominicis molendina molire faciant, aut permittant, non obstante longi temporis abusu, qui non usus censendus, aut consuetudo, immò veriùs corruptela: cùm tantò sint graviora peccata, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam. Cùm aliqua prascriptio contra pracepta Decalogi locum sibi vendicare non possit.*

Si tamen necessitas postulet ut tonsores Dominicis & Festis diebus artem suam exerceant, in gratiam opificum & rusticorum, qui profestis diebus ipsos non possunt adire ad barbæ tonsionem, id licitum erit Episcopo permittente, vel tolerante. De sartoribus par esto judicium, si funus urgeat, pullæque vestes parari non possint, nisi parte aliqua diei Festi laboretur. Consuetudo enim ab Episcopo approbata, vel tolerata, & necessitas, ipsos à labe peccati lethalis immunes præstare videntur; modò Missam audiant, secundùm principia *Sancti Antonini*, cui Venerabilis *Gersonius* suffragatur, in Regulis Moralibus. *Observatio* (inquit) *Sabbati quoad circumstantias temporis, & modi, & loci, pro maxima parte relicta est determinationi Pralatorum, qua cognoscitur tam ex eorum institutis, tum ex consuetudinibus per eos legitimè toleratis.*

De operibus servilibus non exercendis diebus Dominicis & Festivis, plus & frequenter determinat consuetudo loci & personarum à Pralatis tolerata, quàm alia Lex scripta.

Consuetudo exercendi opera servilia, hac ab istis, hac ab illis, in diebus festivis, tunc maximè dicenda esset corruptela, quando totaliter à servitio Dei, & à cultu Festorum, & maximè ab auditu Missa revocaret: quando praterea hac servilia magis ex cupiditate, quàm piâ necessitate Reipublica pertractantur.

Quomodo se gerere debet Confessarius erga illos qui servilia opera Dominicis vel Festis diebus exercent?

Iis denique opificibus, seu molitores sint, seu pistores & coqui, seu tonsores, aut sartores, seu mercium aut rerum aliarum vectores, qui diebus Dominicis aut Festis, opera servilia ex necessitate, & cum Prælatorum licentiâ, absque Divinorum & præcipuè Sacri omissione exercent, id oneris Confessarius imponat, ut lucrum ex operibus sacro die patratis proveniens cum Ecclesiis & Christi pauperibus partiantur, secundùm Cap. *Licet*, Extra, *De Feriis*, & Synodi Lingonensis

De Festis

gonensis Decretum. Qui vero Dominicis aut Festis diebus, absque urgente necessitate, & licentiâ Prælatorum expressâ vel implicita, servilia opera maximâ dici parte exercent ex prava consuetudine, & lucri cupiditate, non sunt absolvendi donec de ipsorum emendatione constet, veróſque Pœnitentiæ fructus ediderint.

Concilii Tridentini Catechismus breviter ea innuit quæ ad Regulam pertinent, quam paulò fusiùs explicare necesse fuit. *Non tamen*, inquit, *ea actiones neque ea opera vetantur, quæ ad divinum cultum attinent, etiamsi servilia sint, ut Altare instruere, Templa alicujus Festi diei causâ ornare, & reliqua hujus generis: ideoque à Domino dictum est, Sacerdotes in Templo Sabbatum violare, & sine crimine esse. Sed neque earum rerum opera hac lege prohiberi existimandum est, quarum jactura facienda sit, si die Festo prætermittantur, quemadmodum Sacris etiam Canonibus permissum est. Multa alia Dominus in Evangelio Festis diebus fieri posse declaravit.*

Matth. 12.

Graviter peccant domini, qui servilia opera Festis diebus, vel per horam, suis famulis imponunt.

Ex his collige, lethalis peccati reos esse dominos, qui famulis opera servilia imponunt diebus Festis, vel per horam, absque gravi necessitate; sive servi illi Christiani sint, sive infideles; sive mentis compotes, sive perpetuò amentes. Non solùm enim *Digni sunt morte, qui talia agunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*, & illis cooperantur. Peccato autem alterius cooperari censendus est, qui jubet id quod Dei vel Ecclesiæ lege vetitum est. Flagitiosæ igitur & omnino damnandæ sunt Propositiones illæ: *Singulis Festis per duas operari horas, non est mortale peccatum, quamvis animo fixum teneas id toto anno efficere, & de facto efficias.* Et, *Dominus injungens laborem duarum horarum viginti famulis simul, non peccat mortaliter. Idemque erit, si singuli successivè per modicam moram eodem die laborent, et amsi uno post alterum laborante tota dies occupetur.* Hæ, inquam, Propositiones erroneæ sunt, & meritò damnandæ, utpote quæ præceptum de sanctificatione Sabbati absurdis cavillationibus infringant: *Non facies in ea quidquam operis, tu, & filius tuus, & filia tua, servus & ancilla...... Ut requiescat servus tuus & ancilla tua, sicut & tu.* Quod Præceptum quatenus morale est, Dominicis ac Festis diebus dominos pariter & servos obligare, ut toti Deo vacent, non est dubitandum. Si ergo Saulus Stephanum eorum omnium manibus lapidasse meritò censetur, quorum vestimenta servabat, ut expeditiùs lapidibus illum obruerent, ut *S. Augustinus* ait: quis diffiteri possit oculatus & cordatus, herum illum toto die Festo serviliter laborare, cujus jussu famuli divisis inter se horis serviliter operantur? Si quis igitur vel per unam horam, absque gravi necessitate, Festis diebus laboret, vel alterum laborare cogat, is violati præcepti de Sabbati sanctificatione, lethalisque peccati reus est: & si animo fixum teneat id deinceps efficere velle, non est absolvendus in Pœnitentiæ tribunali.

Rom. 1, 32.

Deuteron. 5.

Ex his compertum est quàm meritò ab *Innocentio XI.* Pontifice Maximo damnata sit ista Propositio: *Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali seposito scandalo, si absit contemptus.* Quam & Clerus Gallicanus anno 1700. hac Censurâ confixit: *Hæc Propositio scandalosa est, ad violandas Leges tum Civiles tum Ecclesiasticas viam aperit, &c.*

Regula III.

Convivia publica & comessationes, choreæ, ludi scenici vel theatrales, & cujusvis generis spectacula Dominicis Festisve diebus agi, duci, exhiberi, frequentari sine gravi peccato non possunt, quibus præsertim horis Officia divina celebrantur.

De Festis.

Quæcumque enim animum à rerum divinarum cura studióque avocant, diebus Festis sunt prohibita, ut docet Concilii Tridentini Catechismus: hæc autem omnia animum à rerum divinarum cura studióque maximè avocant. Unde *Sanctus Augustinus* Concione 1. in Psal. XXXII. ait: *Observa diem Sabbati, non carnaliter, non judaicis deliciis, qui otio abutuntur ad nequitiam. Meliùs enim utique totâ die foderent, quàm totâ die saltarent.* Et in Psalmum XCI. *Ecce & hodiernus dies Sabbati est. Hunc in præsenti tempore otio quodam corporaliter languido & fluxo, & luxurioso celebrant Judæi. Vacant enim ad nugas, & cum Deus præceperit observari Sabbatum, illi in his quæ Deus prohibet exercent Sabbatum. Vacatio nostra à malis operibus, vacatio illorum à bonis operibus est. Melius est enim arare, quàm saltare. Illi à bono opere vacant, ab opere nugatorio non vacant.* Et Libro *De Decem Chordis*, Cap. III. *Dicitur tibi ut spiritualiter observes Sabbatum, non quomodo Judæi observant Sabbatum carnali otio; vacare enim volunt ad nugas atque luxurias suas. Meliùs enim faceret Judæus in agro suo aliquid utile, quam in theatro seditiosus existeret. Et meliùs feminæ eorum die Sabbati lanam facerent, quàm totâ die in menianis suis impudicè saltarent.*

Hinc Concilium Carthaginense quartum, Canone LXXXVIII. statuit, *Ut qui die solemni, prætermisso solemni Ecclesiæ conventu ad Spectacula vadit, excommunicetur.*

Spectacula & choreæ diebus præsertim Dominicis & Festis prohibita.

Concilium Toletanum III, Canone XXIII. exterminari jubet irreligiosam consuetudinem, *Quam vulgus per Sanctorum Solemnitates agere consuevit. Populi*, inquit, *qui debent Officia Divina attendere, saltationibus & publicis invigilant canticis, non solùm sibi nocentes, sed etiam Religiosorum Officiis. Hoc enim ut ab omni Hispania depellatur, Sacerdotum & Judicum à Concilio sancto cura committitur.*

Concilium Cabilonense anno 650. Canone XVIII. choreas à *septis Basilicarum, vel Porticibus ipsarum, ac etiam ab ipsis Atriis vetari & arceri* statuit, intentatâ Excommunicationis pœnâ.

Herardus Turonensis Archiepiscopus in Capitulari, Cap. CXIV. prohibet ne Christiani Festis diebus *in plateis, aut domibus, cantica turpia vel luxuriosa, saltationes vel lusa faciant diabolica.* Hortatur ut *Aliquem sapientem & bonum hominem* plebs rudis & imperita *conveniat, & ibi bonis lectionibus, quæ ad animæ salutem pertinent, intendat.*

Eamdem Regulam confirmans, Concilium Mediolanense III. Tit. I. De Festorum dierum cultu. *Quoniam*, inquit, *usu magis compertum est, depravatis hic temporibus & moribus, ad choreas, tripudia, saltationes, & id genus alia nunquam fere conveniri sine multis, & iis quidem gravissimis Dei offensionibus, idque cùm ob turpes cogitationes, obscœnè dicta, inhonestas actiones, morum corruptelas, & perniciosas ad omnia opera carnis illecebras illis perpetuò conjunctas; tum propter cædes, rixas, dissidia, stupra, adulteria, aliáque mala plurima inde consequentia quàm sæpissimè: his tot offensionum & peccatorum seminariis locum dari, ne præ-*

De Festis. *fertim diebus, qui dies propitiationis sunt; & in ipsis diebus Fideles plerosque nefariis istis Satanæ blanditiis illectas, à divinis Officiis, religiosis Supplicationibus, Lectionibusque sacris abduci, avertique rudes à percipiendis Fidei rudimentis; aliosque ab aliis Christianæ pietatis Officiis, in quæ eo tempore religiosè incumbendum est, abstrahi & amoveri: hoc certè gravissimum est in conspectu Dei & Ecclesiæ: quare Festis iis diebus, saltem horis quibus divina celebrantur Officia, interdicimus ne saltationes, tripudia, choreæ ducantur, aut fiant. Ne item Comœdia, ludi scenici vel theatrales, hastiludia, & alia cujusvis generis Spectacula agantur. Ne circumforanei circulatores, & illud genus nebulones præstigias suas, inaniáque ea spectacula agant: neque quidquam omnino vendant, ne medicamenti quidem prætextu.*

Concilium Rotomagense 1581. Tit. De divino cultu, *Comessationes, ebrietates, sumptus, lites, lusus improbos & inhonestos, choreas plenas insaniæ, cantilenas turpes, omnem luxum & lasciviam, atque omnem Festorum profanationem* damnat & reprobat. Concilium Remense anni 1583. Tit. De diebus Festis, *Ludos theatrales, etiam prætextu consuetudinis exhiberi solitos, & puerilia, ceteráque ludicra, quibus Ecclesiæ inquinatur honestas & sanctitas, in Christi & Sanctorum Festivitatibus* omnino prohibet. Concilium Turonense eodem anno, *Comœdias, ludos scenicos vel theatrales, & alia ejus generis irreligiosa Spectacula* Festis diebus agi *sub Anathematis pœna* prohibet. *Comessationes* etiam, *convivia publica, tripudia, saltationes, strepitus & choreas fieri, venatu & aucupatu tempus terere vetat.* Simile Decretum edidit Concilium Bituricense anno 1584. Tit. VI. Eadem prohibuit Concilium Aquense anno 1585. Tit. *De Festorum dierum cultu.*

Eadem prohibet Conventus Melodunensis Cleri Gallicani Tit VI. De Festorum cultu, *Ne scilicet moriones & saltatores Festa suburbiorum cum tympano prænuncient populis urbium, ut eos ad luxum, voluptates, & ad ebrietates à sua Parœcia avocatos ad se trahant. Ne ludi equestres, certamina, saltationes, aut inania alia ludicra & profana diebus Festis exerceantur. Qui secus fecerint, graviter puniantur, si semel admoniti, & ad Episcopos delati non resipuerint.* Eadem prohibentur Christianissimorum Regum Constitutionibus Aurelianensi & Blesensi.

Convivia tamen privata, sobria, & pudica Dominicis Festísque diebus; choreas item privatas puellarum, seu in paternis ædibus, seu apud consanguineos vel amicos; rusticarum etiam feminarum saltationes honestas, modò tempore divinorum Officiorum non fiant, nec ab Episcopis sint prohibitæ, nec in Ecclesiarum prospectu fiant, absitque periculum omne lasciviæ & scandali, (aliàs enim honestæ non censerentur) nemo lethalis peccati damnaverit.

REGULA IV.

Festorum numerum ab Episcopis minui præstat, ubi eorum violatio vix cohiberi potest.

ITa censuit Concilium Trevirense anno 1549. *Opera pretium nobis visum est*, inquit, *Festarum numerum contrahere, quo & effrænes coerceantur, & aliquid detur necessitati pauperum.*

Eamdem Regulam tradit Concilium Cameracense anno 1565. Tit VI. Cap. XI. *Cùm*, inquit, *diebus Festis at plurimùm vulgus ad laxiorem & dissolutiorem vitam plerumque se ipsum effundat, quàm religiosis diebus: quo majore reverentiâ & pietate queant observari ab omnibus, videant Episcopi, sintne aliqui Festi dies, quos præstet esse profestos, id est, ut vocant, operarios: atque his diebus renuntient popularibus integrum esse operas consuetas exercere.* De Festis.

Eamdem Regulam secutum est Concilium Senonense anno 1524. Festa plurima, vulgò *Operum manualium*, seu *Brachiorum* dicta, expunxit & abrogavit, cùm intellexisset, *Ex nimia Festorum multiplicatione, populum otio & vaniloquio illis diebus deditum, ebrietatibus, comessationibus, ludis & lasciviis, magis quàm rei divinæ, orationibus & contemplationi vacare, & pauperes & plebeios inde multùm gravari.* Hoc Decretum promulgavit Synodus Carnotensis anno 1526. Plura alia variarum Diœcesum Statuta Synodalia referre inutile esset. Quod autem in suis Diœcesibus possunt Episcopi circa Festorum imminutionem; id multò magis potest Romanus Pontifex in toto orbe Christiano. Quocirca *Urbanus VIII.* Constitutione datâ anno 1642. Festorum numerum, qui nimiùm excreverat, ad plurimorum Episcoporum per varias regiones constitutorum relationem imminuit. Ne autem dies Festos à locorum Ordinariis, nimiâ aliquorum facilitate, aut popolorum importunitate deinceps multiplicari contingat; eosdem Ordinarios in Domino monet, *Ut ad Ecclesiasticam ubique servandam æqualitatem, de cætero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub præcepto novorum Festorum studeant abstinere.*

Eamdem Regulam confirmat Venerabilis *Gersonius* in Sermone habito in Concilio Remensi anno 1408. & *Nicolaus de Clemangis*, in Tractatu *De novis Celebritatibus non instituendis.*

REGULA V.

Præceptum de sanctificatione spiritali Sabbati magis violare censentur, qui Dominicis aut Festis diebus lethale peccatum committunt, quàm qui quodvis opus corporale, aliàs bonum & licitum faciunt.

CUm enim nulla sit infelicior & magis execranda servitus illâ quâ homo servit peccato, secundùm Christi sententiam, Joannis VIII. *Qui facit peccatum, servus est peccati*: sequitur omne opus peccati esse servile, ideóque prohiberi singulari quodam modo Festis diebus, utpote maximè repugnans observantiæ religiosæ Festorum. Ita docet *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione CXXII. *Quia*, inquit, *magis homo impeditur à rebus divinis per opus peccati, quàm per opus licitum, quamvis sit corporale: ideo magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die Festo, quàm qui aliud corporale opus licitum facit.* Unde *S. Augustinus* dicit in Libro *De decem Chordis*: « Meliùs faceret Judæus in agro suo aliquid utile, quàm si « in theatro seditiosus existeret: & meliùs feminæ « eorum die Sabbati lanam facerent, quam toto « die in menianis suis impudicè saltarent. *Non au-* « *tem qui peccat venialiter in Sabbato, contra hoc præceptum facit, quia peccatum veniale non excludit sanctitatem.*

Id confirmat Concilii Tridentini Catechismus. *Facilè*, inquit, *perspici potest, omne servilis operis genus prohiberi, non quidem eâ re quòd suâ naturâ aut turpe, aut malum sit: sed quoniam mentem nostram à divino cultu, qui finis præcepti est, abstrahit. Quò magis peccata à Fidelibus vitanda sunt, quæ non solùm animum à divinarum rerum studiis avocant, sed nos à Dei amore prorsus sejungunt.*

DE DECALOGO.

De Festis.

Nullum opus servile magis quàm peccatum.

Atque ex *S. Augustino* hanc doctrinam hauserunt Catechismi Autores, Tractatu III. in Joannem, dicente: *Spiritualiter observat Sabbatum Christianus, abstinens se ab opere servili. Quid est enim ab opere servili? A peccato. Et unde probamus? Dominum interroga:* OMNIS *qui facit peccatum, servus est peccati.* Et Enarratione II. in Psalmum XXXII. *Sed tu cogitans requiem in Deo tuo, & propter ipsam requiem omnia faciens, abstine ab opere servili. Omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati. Et utinam hominis, & non peccati.* Et Sermone XXXIII. aliàs de Diversis XVIII. *Donum Dei* (loquit (*quod est Spiritus-Sanctus, promittit requiem sempiternam, qua Sabbato figuratur. Unde nos Sabbatum spiritaliter observamus, si non faciamus opera servilia. Ab his enim etiam carnali intellectu Judai Sabbato prohibentur. Quia autem spiritalia vult intelligere opera servilia, audiat Dominum dicentem:* Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. *Peccatum autem non solùm illud est, quod in turpi aut iniquo facto apparet hominibus; sed etiam si habeat speciem boni operis, & tamen propter mercedem temporalem fiat, non propter requiem sempiternam. Quodlibet enim quisque facit, si hoc animo facit, ut terrenum emolumentum consequatur, serviliter facit, & ideo Sabbatum non observat. Gratis enim amandus est Deus: nec anima potest, nisi in eo quod diligit, requiescere. Æterna autem requies ei non datur nisi in dilectione Dei, qui solus æternus est; & ista est perfecta sanctificatio, & spiritale Sabbatum Sabbatorum.*

Joan. 8. 34.

Idem docet *S. Isidorus Pelusiota*, Libro I. Epistolâ LXX. *Nihil* (inquit) *servilium rerum, ac vos ab otio in Dei cultu collocando tanquam servos abstrahentium, die Sabbati facietis: nec quòd vos peccatorum pondere deprimat. Est enim recreationis ac remissionis dies, nec ipsius dignitatem vitiorum colligationibus dedecorari, contumeliáque affici convenit. Quod autem sequitur,* Quæcumque fient, ex anima fieri oportere, *per hac verba ea omnia, quæ animæ lucrum afferunt, expleri præcipit, hoc est, precationem, quietem, admonitionem, beneficentiam, pudicitiam, continentiam, veritatem, puritatem. Quæ quidem ad internum hominem transeuntia, externum scandalis & adversis casibus liberant: superante videlicet eo quod melius ac præstantius est.* Ex sancti Isidori Pelosiotæ mente duo requiruntur potissimùm ad Festorum sanctificationem, scilicet abstinentia ab operibus servilibus, & præsertim à peccatis, & exercitatio in bonis operibus.

Et *S. Gregorius Magnus* explicans illud Jeremiæ XVII. *Ne inferatis onera per portas vestras die Sabbati*; Epistolâ III. Libri XI. ait: *Qui lucem fidei agnoscit, si peccata concupiscentia ad mentem per oculos trahit, in die Sabbati onera per portas introducit. Non ergo in die Sabbati per portas introducimus onera, si in Redemptoris nostri gratia constituti, pondera peccati ad animam per sensus corporeos non trahamus.*

Idem confirmat Synodus Lingonensis: *Homines* (inquit) *utriusque sexûs in Festis debent esse plurimum intenti Divinis, putà orando, Ecclesiastica Officia ac Divina, ac Sermones verbi Dei audiendo, de Deo & Sanctis loquendo. Et ut his rebus meliùs possint intendere, debent abstinere ab omni opere servili, & potissimè à peccato: quia graviùs peccat, qui peccat in Festo, putà furatur, fornicatur, quàm qui in aliis diebus hoc facit.*

Et Synodus Ebroicensis anno 1576. *Cessare verò oportet Christianum in die Festo maximè à vitiis & peccatis; quoniam servire debet Deo, cui displicet omne peccatum.*

DE DECALOGO.

Tribus modis Festorum Religio violatur.

Eamdem Regulam confirmat *sanctus Antoninus*, I. P. Tit. IX. Cap. VII. §. I. *Festum* (inquit) *violatur & malè celebratur ex triplici negligentia seu defectu. Primò, quia non cavetur à defectibus criminalibus. Secundò, quia non inhæretur actibus spiritualibus. Tertiò, quia non abstinetur ab operibus manualibus. Quantum ad primum, debet quis abstinere à peccatis, maximè diebus Festivis, quia plus habent impedire mentem, si mortalia sunt, à vacando Deo, quàm opera manualia. Unde dicitur* Levit. XXIII. *de Sabbato, cui succedunt Festa Ecclesiæ:* Omne opus servile non facietis in eo. « *Sed opus servile est peccatum. Dicit enim Christus, Joannis* VIII. Omnis qui facit peccatum, ser- « vus est peccati. . . . . . *Peccatum ergo mortale commissum die Festo, est multò gravius, quàm alio die. Nam ultra propriam deformitatem, putà, furti vel fornicationis, habet specialem deformitatem ex illa circumstantia temporis sacri quâ Festum violatur. Unde talis, ut dicit* Nicolaus de Lyra, *super Exodi* Cap. XX. *non solùm agit contra unum præceptum, scilicet,* Non mœchaberis; *aut illud,* Non furtum facies; *sed etiam contra illud de sanctificatione Sabbati.*

REGULA VI.

Quilibet Christianus Dominicis & Festis diebus Missam integram attentè & devotè audire tenetur, nisi ipsum moralis impossibilitas, seu gravis necessitas excuset: alioqui lethalis peccati reus est.

De antiqua Festorum dierum observantia.

Istud enim Ecclesiæ præceptum est, cui parere nos jussit Christus. Ab ipsis Apostolorum temporibus lex ista Christianis posita videtur, cùm ejus originem post Apostolorum seculum non inveniamos. Conventos Christianorum Dominicis diebus agi solitos, in quibus Sacrosanctum Sacrificium offerretur, *sanctus Justinus* docet in Apologia ad Imperatores: in natalitiis quoque Martyrum offerri Deo Sacrificium consuevisse, *sanctus Cyprianus*, aliique Patres testantur. *Ad Dominicum convenire*, loquendi modus erat primis Ecclesiæ sæculis solemnis.

S. Leo Epistolâ XI. aliàs LXXXI. ad *Dioscorum* Alexandrinum Episcopum, Missæ Sacrificium pluries offerri jubet solemnibus diebus, secundùm morem Ecclesiæ Romanæ, ut totus Populus Christianus ipsi interesse possit. *Ut autem* (inquit) *in omnibus observantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri: ut cùm solemnior quæque Festivitas conventum Populi numerosioris indixerit, & ea Fidelium multitudo convenerit, quam recipere Basilica simul una non possit, Sacrificii oblatio indubitanter iteretur: ne his tantùm admissis ad hanc devotionem, qui primi advenerint, videantur hi, qui postmodum confluxerint, non recepti: cùm plenum pietatis atque rationis sit, ut quoties Basilicam, in qua agitur, præsentia nova plebis impleverit, toties Sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem, ut quædam pars Populi suâ devotione privetur, si unius tantùm Missæ more servato, Sacrificium offerre non possint, nisi qui primâ diei parte convenerint. Studiosè ergo Dilectionem tuam, & familiariter admonemus; ut quod nostræ consuetudini ex forma paterna Traditionis insedit, tua quoque cura non negligat: ut per omnia nobis & fide & actibus congruamus.*

S. Cæsarius Arelatensis Episcopus Homiliâ XII. qui Sermo est in *S. Augustini* Appendice ducentesimus octogesimus-primus, Populum graviter increpat, quòd Dominicis & Festis diebus Missam integram non audiret. *Rogo vos* (inquit) *&*

De religiosa Festorum dierum observantia.

paterna pietate commoneo, ut quoties aut in die Dominico, aut in aliis majoribus Missæ fiant, nullus ab Ecclesia discedat, donec divina Mysteria compleantur. Et quamvis multi sint, de quorum fide & devotione gaudemus, sunt tamen plures minùs de salute animæ suæ cogitantes, qui lectis divinis Lectionibus statim de Ecclesia foris exeunt; cùm tamen etiam dum ipsæ Lectiones leguntur, aliqui ex illis ita otiosis & secularibus fabulis occupantur, ut eas nec ipsi audiant, nec alios audire permittant. Isti tales minùs à nobis culparentur, si ad Ecclesiam non venirent: quia ibi probantur ampliùs Deum lædere, ubi peccatorum poterant indulgentiam promereri, ... Si diligenter attenderitis, cognoscetis, quia non tunc fiunt Missæ quando divinæ Lectiones in Ecclesia recitantur, sed quando munera offeruntur, & Corpus vel Sanguis Domini consecratur. Nam Lectiones sive Propheticas, sive Apostolicas, sive Evangelicas, etiam in domibus vestris aut ipsi legere, aut alios legentes audire potestis; Consecrationem verò Corporis vel Sanguinis Domini alibi nisi in Domo Dei audire vel videre non potestis. Ideo qui vult Missas ad integrum cum lucro animæ suæ celebrare, usquequo Oratio Dominica dicatur, & Benedictio populo detur, humiliato corpore & compuncto corde se debet in Ecclesia continere. Cùm enim maxima pars Populi, immò quod pejus est, penè omnes, recitatis Lectionibus exeunt de Ecclesia, cui dicturus est Sacerdos, Sursum corda? *Aut quomodo sursum se habere corda respondere possunt, qui deorsum in plateis & corpore simul & corde descendunt? . . . Quibus non sufficit quòd per totam hebdomadam aut pro necessitate, aut certè quod verius est, pro cupiditate jugiter occupantur: adhuc insuper post unius aut duarum horarum spatium, quo videntur corpore magis quàm corde ad Ecclesiam convenire, mittentes dorsa Sacrificiis vel Sacerdotibus Dei, ad amplexandum voluptatem seculi hujus sine mora aliqua revertuntur. Qui non agnoscentes quid exspectant, quid relinquunt, sequuntur tenebras, & deserunt lucem: amplectuntur umbram, & despiciunt veritatem; dimittunt dulcedinem Christi, & requirunt amaritudinem mundi, diligentes vanitatem, & quærentes mendacium. Verè ignorat quantum boni in celebrandis Missis agitur, qui de Ecclesia festinus egreditur. Cùm tamen isti tales si aut Rex, aut aliqua potens persona vocasset ad prandium, velim scire si præsumerent discedere, nisi priùs totum prandium compleretur: etiamsi persona non teneret, gula teneret. Quare de convivio hominis, nisi perfectum fuerit, non discedimus; nisi quia & ventrem fortè plusquàm expedit explere volumus, & hominem lædere formidamus? Quare de spiritali & divino Convivio citò discedimus? Quia nec de cibo animæ curamus, nec Deum timemus, nec hominem reveremur. Et quia Deo propitio, non sunt omnes in hac parte culpabiles, sed multi inveniuntur, qui cum grandi compunctione, usquequo Benedictio super Populum detur, de Ecclesia non discedunt, & humiliter orare non solùm pro se, sed & pro aliis non desistunt: illis quibus tantam compunctionem Deus dedit ut in Ecclesia perseverent, retribuet mercedem; eos verò qui negligentes sunt, justo judicio damnabit. Et ideo, Fratres, monete eos qui nec Orationem Dominicam dicere, nec Benedictionem accipere volunt: & non desinatis castigare, dicentes, & definitissimè communantes, Quia nihil eis prodest quod divinas Lectiones audiunt, si antequàm divina Mysteria compleantur, abscedunt. Illis tamen qui in publicis necessitatibus occupantur, & eis qui aliqua infirmitate prohibente exspectare non possunt, imputare non possumus, nec debemus, Ipsi tamen videant in conscientia sua, utrùm eos necessitas retrahat, an voluntas.*

Ea hac *S. Cæsarii* Homilia colligitur, Christianum quemlibet teneri ad audiendam Missam integram Dominicis & Festivis diebus. Secundò, graviter peccare qui non audiunt, & ante Sacerdotis Benedictionem discedunt, justòque Dei judicio damnandos. Tertiò, Missam attento devotòque animo, & *cum compunctione* audiendam. Quartò, solam necessitatem sive impotentiam hac in re à peccato mortali excusare; adeóque omitti non posse Missam die Festo propter lucrum cessans, absque reatu peccati mortalis.

De religiosa Festorum dierum observantia.

Hinc Concilium Burdigalense anno 1624. Tit. *De Officiis Divinis*, Cap. 111. *Grave* (inquit) *quamplurimos homines, negotia secularia quamvis levissima tanti facere, ut eorumdem ratione Dominicis diebus & Festis solemnibus ad audiendum Sacrum, nullâ sollicitudine, nullòque divini Numinis metu adduci possint. Moneant igitur Parochi omnes & Concionatores sæpissimè Populum iis diebus ad audiendum Sacrum sub peccati mortalis pœna teneri & obligari: nullúsque sit qui contrà docere, prædicare, aut consulere audeat, aut secus ab Ordinariis puniatur.*

Missa integra Festis diebus audienda.

Obligationem audiendi Missam integram Dominicis & Festis diebus confirmant pariter Concilia, scilicet Agathense anno 506. Conane 47. *Missas die Dominico à secularibus totas teneri, speciali ordinatione præcipimus; ita ut ante Benedictionem Sacerdotis egredi Populus non præsumat: qui si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur.*

Aurelianense, anno undecimo supra qoingentesimum, Canone XXVI. *Cùm ad celebrandas Missas* (inquit) *in Dei nomine convenitur, Populus non antè discedat, quàm Missæ solemnitas compleatur: & ubi Episcopus non fuerit, Benedictionem accipiat Sacerdotis.*

Concilium Burdigalense anno 1582. *Illa est,* (inquit) *valde culpanda consuetudo, ab elevatione Venerabilis Sacramenti, vel ante peracta Mysteria recedendi. Quare omnes moneantur sedulò à Parochis, illos Ecclesiæ præcepto de audienda Missa non satisfacere; nisi fortè, quod rarò accidit, talis necessitas sit, quæ moram non ferat. Nulli ergo ante datam à Sacerdote Benedictionem discedere liceat.* Idem statuit Concilium Turonense anno 1583.

Si quis ergo notabili parti Missæ, videlicet mediæ, vel tertiæ parti non intersit, præcepto non satisfacit, secundùm *S. Antoninum*, II. P. Cap. IX. Tit. X Eum verò qui non interfuerit Consecrationi, reum esse violati præcepti de Missa audiendo, certissimum est, siquidem (ut ait sanctus Cæsarius Arelatensis) *Tunc fiunt Missæ quando munera offeruntur, & Corpus vel Sanguis Domini consecratur.* Damnanda ergo recentioris cujusdam Casuum Arbitri opinio, qui scribere ausus est; satisfieri præcepto auditionis Missæ, etiamsi quis non intersit Consecrationi: quia potest, inquit, adhærere opinioni asserenti Sacrificii essentiam in Communione consistere; atque adeo non est dicendus omisisse Sacrificium: hæc (inquam) opinio explodenda & damnanda est.

Qui diebus festis à Missa audienda excusentur?

Excusantur autem ab hujus præcepti observantia infirmi, qui domo exire non possunt, & qui infirmis periculosè decumbentibus ministrant, si neminem substituere possint qui ipsorum interim curam gerat, & matres quæ non possunt dimittere infantes sine periculo; & alii qui impedimenta legitima habent, vel ardua negotia, quæ non possunt dimittere sine magno detrimento, scandalo, vel periculo, (inquit *S. Antoninus*.) Idque confirmat ex Cap. *Quod*

non est, Extrà, *De Regulis Juris*, cujus hæc sunt verba: *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Nam & Sabbatum custodiri præceptum est: Machabæi tamen sine culpa sua in Sabbato pugnabant: sic & hodie si quis jejunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur.*

Nec viduæ, nec puellæ nobiles à Missæ auditione excusantur.

Quòd Viduæ aliquibus diebus, vel hebdomadis à morte virorum maneant domi in signum tristitiæ, unde & Missam non audiunt, tolerandum videtur *S. Antonino*, si est consuetudo patriæ. Concilium Mediolanense I. statuerat, ne ad summum mense ampliùs sint sine Missæ auditione, quâ in re (inquit) nulla valeat excusatio cujusvis consuetudinis, quam irritam decernimus. Eas item Episcopi, etiam Censuris Ecclesiasticis id facere cogant. Concilium verò Mediolanense III. nullius consuetudinis prætextu permittendum consultiùs statuit, ut Dominico vel Festo die Missæ auditionem omittant. *Festis* (inquit) *diebus Sacrosancto Missæ Sacrificio Fideles omnes intersint. Neque verò excusentur puellæ nobiles, neque deinceps viduæ, ne permissa quidem primi nostri Concilii, ob recentem mariti mortem, neque ullo alio cujusvis consuetudinis prætextu.*

Servi & ancillæ Missam audire tenentur Festis diebus.

Cùm autem Festis diebus servi & ancillæ Deo vacare debeant non minùs quàm domini, providere debent domini ut Missam audiant, cùm de illis omnium Domino reddituri sint rationem. Unde rursus Concilium Mediolanense primum Parochis præcipit, ut *Moneant frequenter Patresfamiliâs, ut filios & famulos, quos in bestiis pascendis occupant, saltem diebus Festis Missæ jubeant interesse.*

Iter non excusat ab auditione Missæ diebus Festis.

Qui diebus Festis ex necessaria causa iter agunt, ante profectionem Missam audire tenentur, si prævideant se in ea loca venturos, ubi Missam audire non possint ob penuriam Sacerdotum, vel ob horam intempestivam. Damnanda igitur opinio est cujusdam Casuum Arbitri, qui prævisionem carentiæ Missæ non obstare asserit, quominus quis proficiscatur venatum ad locum desertum, ubi ob penuriam Sacerdotis nequibit die Festo Missam audire. Standum potiùs *Sancti Antonini* judicio, Tit. IX, II P. Cap. X. scribentis: *Quicumque ex negligentia vera omittit audire Missam diebus Dominicis & Festivis, cùm possit, peccat mortaliter. Facit enim contra præceptum Ecclesiæ, quod habetur* De Consecratione, *Distinct.* I. *ubi dicitur:* Missas secularibus totas audire die Dominico speciali ordine præcipimus; ita ut nullus ante benedictionem Sacerdotis egredi præsumat. . . . . *Non excusantur ab hoc præcepto itinerantes, si commodè audire possunt; aliàs secus: putà, aliquis est in societate aliquorum, qui nolunt exspectare Missam, & sine societate illa non bene potest iter facere, vel quia ignorat viam, quæ difficilis est & periculosa; vel quia non est tuta à latronibus, vel quia ab illis habet expensas itineris, & hujusmodi: excusatur hic sine dubio.*

REOULA VII.

Nec successivâ, nec simultaneâ duarum partium diversarum Missarum auditione impletur Præceptum Ecclesiæ de audienda Missa Dominicis aut Festis diebus.

Ex duabus enim vel pluribus partibus diversarum Missarum nequaquam constituitur unum Sacrificium, cui interesse jubet Ecclesia. Unde meritò Facultas Theologica Lovaniensis anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo-septimo inter alios Articulos ab Episcopo Gaudavensi ad ejus examen delatos hunc ordine decimum-septimum damnavit: *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor, simul à diversis celebrantibus audit*: Et hâc censurâ confixit: *Falsa est, & Præceptorum Ecclesiæ elusiva; nec majorem habet apparentiam de quatuor Sacri partibus, quàm de viginti.* Eamdem Propositionem in Apologia Casuistarum damnaverunt plerique Galliarum Episcopi: *Ut apertè falsam, Ecclesiæ de audienda Missa Præcepto, communique Christianorum sensui repugnantem, & Christiani cultûs sanctitatem & veritatem absurdis cavillationibus infringentem.*

Propositiones damnatæ.

Eamdem Clerus Gallicanus anno 1700. hâc Censurâ confixit: *Hæc Propositio absurda est, scandalosa, illusoria, omniùmque Christianorum sensui repugnat.*

REGULA VIII.

Qui Missæ adest absque interna animi devotione & attentione, totóque tempore, vel per magnam partem Sacri voluntariè distractus est, non satisfacit Ecclesiæ Præcepto, quamvis cum externa devotione adsistat.

Ecclesia enim auditionem Missæ præcipit ut actum Religionis: at sine attentione interiori non est actus Religionis: Itaque præceptum non adimpletur sine attentione & devotione interiori. Ecclesia igitur actum etiam interiorem consequenter recipit, cùm necessarius est ad actûs exterioris bonitatem, quamvis actum ipsum exteriorem directè dumtaxat præcipiat. Præterea, Ecclesia præcipiendo auditionem Missæ Dominicis Festivísque diebus, determinat præceptum naturale sive divinum de sanctificatione Sabbati. Lex ergo naturalis vim exerit suam positâ Ecclesiæ determinatione. Lex porro naturæ obligat ad attentionem interiorem: quam ob rem non impletur Ecclesiæ lex ipsam determinans, si desit interior attentio. Simile quidpiam occurrit in præcepto de Horis Canonicis recitandis, quo naturale seu divinum orandi præceptum determinatur: ideóque Ecclesia eam recitationem præcipiens, etiam modum virtutis ex lege naturæ seu divina requisitum præscripsit & expressit, eam fieri jubens *Studiosè pariter & devotè*, Cap. *Dolentes*, Extra, *De Celebratione Missarum*.) Similiter quia jure divino præcepta est Confessio Sacramentalis peccatorum, & sumptio Eucharistiæ; Ecclesia determinans tempus implendi hæc præcepta, etiam modum virtutis præscripsit & expressit, jubens Confessionem quotannis fieri proprio Sacerdoti *fideliter*, & Eucharistiam in Paschate suscipi *reverenter*. (Cap. *Omnis utriusque sexûs*, Extrà, *De Pœnitentiis & Remissionibus*.) Vult enim Ecclesia filios suos immunes esse a fulmine Maledictionis istius Propheticæ (Jeremiæ XLVIII.) *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter.* A fermento Pharisæorum ipsos vult cavere, quibus Christus indignatus ait (Matth. XV.) *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias dicens, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Perspectam habet Sententiæ illius à *sancto Bernardo* prolatæ veritatem (in Apologia ad *Guillelmum* Abbatem:) *Quis magis impius, an profitens impietatem, an mentiens sanctitatem? Nonne is qui etiam mendacium addens, geminat impietatem?* Nonne verò sanctitatem mentitur, adeò

Audiendæ Missæ præceptum non impletur sine attentione & interna devotione.

Missæ præcep- tum non im- pletur sine at- tentione & interna devo- tione.

que impietatem geminat, qui Missæ Sacrificio adsistit speciem devotionis exhibens exteriùs, sed interiùs voluntariè distractus, & secularibus negotiis, aut pravis etiam cogitationibus & affectibus occupatus?

Hanc Regulam confirmat *S. Antoninus*, II. P. Tit. IX. Cap. X. *Non debent* (inquit) *accedere ad Missam ut videant, vel videantur ab amatoribus suis. Nam tales non implent præceptum illud Ecclesiæ; sicut nec illi qui stant ad fociandum domines, aliàs non audituri: sed debent accedere ad orandum,* B *& tunc à se removere debent cogitationes temporalium ad Deo vacandum.* Unde *S. Cyprianus* ait Libro *De Oratione Dominicâ*, & refertur Canone *Quando*, Dist. I. *De Consecratione*, ex quo citat S. Antoninus: *Quando stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & secularis abscedat, nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet quod precatur. Ideo & Sacerdos ante orationem Præfatione præmissâ, parat fratrum mentes dicendo,* SURSUM CORDA; *ut dum respondet plebs,* HABEMUS AD DOMINUM, *admoneatur nihil aliud se quàm Dominum cogitare debere.* C *Claudatur contra adversarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiatur: obrepit enim frequenter & penetrat, & subtiliter fallens preces nostras à Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, & aliud in voce. Quando intentione sincerâ Dominum debeat non vocis sonus, sed animus & sensus orare. Quæ autem segnitia est alienari & rapi ineptis cogitationibus & profanis, cùm Dominum deprecaris; quasi sit aliud quod magis debeas cogitare, quàm quod cum Deo loqueris?* Quorsum auditio Missæ Dominicis & Festis diebus Christianis præcepta est, nisi ut se veros adoratores exhibeant? Eum autem qui Deum D adorat, *in spiritu & veritate adorare oportet.* Quod certè non facit, qui absque interna devotione & animi attentione Sacro adest, totóque Sacri tempore, vel per magnam Sacri partem secularibus cogitationibus, vel etiam pravis, aut confabulationibus volens distrahitur. Ut enim ait *sanctus Cæsarius Arelatensis*, Sermone LXXXII. qui in Appendice *S. Augustini* ducentesimus octogesimus-tertius est; *Omnis homo, quod tempore orationis attentiùs cogitat, hoc sibi pro Deo constituit, & hoc quasi Deum habere, & quasi Dominum videbitur adorare. Quæ res nimiùm mihi aliquoties intolerabilem dolorem incutit & tremorem, cùm in ipsa* E *orationis intentione mens ad diversas occupationes seculi rapitur; & cùm videtur aliud agere, longè alibi cognoscitur cogitatione discedere; quasi sit aliquid, quod plus cogitare debeamus. Quando cum Deo loquimur, nil aliud nobis est cogitandum, nisi ut toto corde, & toto animo, & tota mente peccatorum indulgentiam & Dei gratiam debeamus expetere. Verbi gratiâ, cuicumque fortè in oratione subripitur ut forum cogitet: si forum cogitat; forum adorat. Subripitur illi, ut domum quam fabricat, aut reparat, ante oculos proponat: quod ante oculos habuerit, hoc adorat. Fortè vineas, aut hortum,* F *aut aliud aliquid cogitat; quod ante oculos cordis proposuerit, hoc in illa oratione adorat. Taceo de malis & fortè etiam turpibus cogitationibus vel immundis. Considerate quæso, & videte quàm sit dura ista captivitas, ut lingua quasi cum Deo loquatur, & tota animi intentio ad terram & parietes vel lapides dirigatur. Et si ista, quæ licitè alio tempore vel cogitare possumus, vel videre, nimis durum est ut nobis in oratione subrepant, putas illa, quæ etiam alio tempore illicitè cogitantur, quantùm mali erit, si ea in oratione positi cogitemus; id est si cupiditatem, si odium, si iracundiam, aut luxuriam, vel adulteria, & cætera his similia, inclinati ad orationem ante cordis nostri oculos proponamus! ..... Et ideo si fieri non potest ut istas captivitates animæ ad integrum possitis evadere; vel quantùm possumus, auxiliante Domino laboremus, ut eas vel tardiùs incurrere videamur: ne fortè per negligentiam dum orantes aliud cogitamus, inde apud Deum inveniamus offensum, unde potueramus acquirere gratiam.*

Et paulò antè: *Orantes, quantùm possumus, adjuvante Domino laboremus, ut nulla nobis extranea cogitatio subrepere possit; ne fortè aliud habeamus in corde, & aliud proferamus ex ore: ne fortè dum lingua Deum rogat, cogitatio in rebus variis occupata, ab orationis sensu discedat; & inde adquirat peccatum, unde potuit habere remedium. Si enim apud aliquam potentem personam velles aliquam causam necessariam allegare, & subitò aversus ab illo, mediâ interlocutione disruptâ, aliquibus te velles occupare scurrilitatibus; qualem te putas injuriam illi personæ cum qua loquebaris, inferre? Quomodo contra te illius iracundiam commoveres? Si ergo cum homine loquentes, tota intentione animi laboramus, ne aliud cogitantes illi cum quo loquimur injuriam facere videamur; cum Deo in oratione loquentes, & ante tantam Majestatem peccatorum nostrorum miserias allegantes; non nos pudet, & non erubescimus captivis sensibus huc illucque discurrere; & infelicem mentem multis occupationibus à conspectu Divinæ Majestatis abstrahere? Et ideo unusquisque antequam in oratione procumbat, omnes cogitationes superfluas ab omni sui intentione, Deo auxiliante, repellat: ut anima nostra Sancti Spiritûs fervore succensa, omne vitium compunctionis vel orationis igne consumat, & vagas ac velut cas cogitationes longè dispergat: ut sola virtutes tantùm &* D *sancta meditationes in cordibus nostris locum semper inveniant.*

Joannis XXII. ad Philippum V. Regem Christianiss. Litteræ de Missa & ceteris divinis Officiis devotè audiendis.

Attentionis interioris pariter & externæ necessitatem in Missa audienda, ceterisque divinis Officiis, *Philippo Quinto* Regi Christianissimo paternis Litteris inculcat *Joannes XXII.* Pontifex Maximus, quas apud *Odoricum Raynaldum* in Annalibus Ecclesiasticis ad annum millesimum ter centesimum decimum-septimum legere est. *Nosti* (inquit) *quod juxta verbum nobilis Citharœdi, Decet domum Domini sanctitudo: nosti* Psalm. 92. 5.
quòd Ecclesiam vocari Domum orationis ipsa Veritas censuit, & temporalia negotia, quæ alibi geri E *licitè poterant, inibi fieri non permittens, illos abinde ejecit. Sed an tu Ecclesiam ipsam domum negotiationis, aut collocutionis, interdum efficias, paulisper attende: habet enim multorum assertio, nobis indubitanter implacida, quòd tu, dum Divina, & specialiter Missarum solemnia in tua præsentia celebrantur, nunc isti, nunc illi colloqueris, & negotiis te frequenter impendens, quæ per Dei Ministrum pro tua Populique salute, ac expiatione peccatorum aguntur, ut condecet, non advertis. Porro, dilectissime Fili, talia beneplacito divino fore contraria, tuoque in-* F *decentia Majestati, nequaquam ambigimus. Unde hujusmodi perniciosum abusum tuis præsertim exulare temporibus affectamus, Celsitudinem Regiam exhortantes in Domino Jesu Christo, quatenus Divinum Officium reverenter audias & devotè, & quamdiu celebrationi illius intereris, devotioni te totum præbens, humiliato spiritu, & corde contrito sacratissimam Passionem & alia immensa recogites tui beneficia Redemptoris. ...... Interim autem dum in oratione colloqueris Dominæ Majestatis, cujusvis alterius colloquium citra necessitatis exigentiam non admittas, ne peregrina forsan immiscendo colloquia,*

sibi qui & quodammodo tibi oranti colloquitur, censeatis injuriam facere; ipséque tibi intendere dedignetur, cui tu deprecans non intendis.

Hanc denique Regulam confirmat Concilii Tridentini Catechismus, qui Parochum diligenter docere jubet quibus in operibus atque actionibus Christiani homines diebus Festis exercere se debeant. *Illa vero ejusmodi sunt*, inquit, *ut ad Dei Templum accedamus, eóque loco sincerâ piâque animi attentione Sacrosancto Missæ Sacrificio intersimus.* Ad eam veró attentionem nos invitat Christi Pontificis æterni præsentia, & multorum millium Angelorum frequentia. *Quis enim Fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri? In illo Jesu Christi Mysterio Angelorum choros adesse? Summa & ima sociari, terrena cælestibus jungi, unúmque ex invisibilibus atque visibilibus fieri?* inquit *S. Gregorius*, Libro IV. *Dialogorum*, Cap. LVIII. Cujus verba referuntur Canone *Quid sit Sanguis*, Distinctione II. *De Consecratione.*

Ex his perspicuum est quàm meritó damnata sit hæc Propositio: *Præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro satisfit per reverentiam exteriorem tantùm, animo licèt voluntariè in aliena, immò & pravâ cogitatione defixo.* Sic autem de illa judicavit Clerus Gallicanus anno 1700. *Hæc Propositio temeraria est, scandalosa, erronea, impietati favet, & præcepto Ecclesiæ illudit.*

REGULA IX.

Graviter peccant, qui cum peccati lethalis affectu Missæ Sacrificio Dominicis & Festis diebus intersunt.

Quæ dispositio ad Missam diebus Dominicis & Festis recte audiendam necessaria?

MAgis enim rei sunt Christiani cum peccati lethalis affectu Missam audientes, quàm Judæi vera Sacrificia cum affectu peccati offerentes, & frequentantes; tum quia longè sacratius & augustius est Sacrificium Christianorum veteribus illis Sacrificiis: Illa enim erant figuræ dumtaxat & umbræ futuri; istud autem veritas, & corpus Christi: tum quia longè majoribus beneficiis Deo sunt devincti Christiani, quàm Judæi. Judæos porro graviter peccasse constat, cùm Solemnitates antiquas celebrabant & Sacrificia offerebant vel frequentabant cum peccati lethalis affectu: longè graviùs igitur peccant Christiani, qui cum affectu lethalis peccati Sacrosancto Missæ Sacrificio diebus Dominicis & Festis intersunt. Ad ipsósque pariter dirigitur illa Dei commonitio, & præceptio (*Isaiæ* I) quatenus morum informationem spectat; *Ne offeratis ultra Sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & Sabbatum, & Festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri; Calendas vestras & Festivitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perversè, discite benefacere.* Quid est autem, auferre malum cogitationum suarum, nisi peccandi voluntatem & affectum deponere? Hinc *S. Hieronymus* hunc locum explicans præclarè ait: *Omnis conventus, qui non offert hostias spiritales, nec audit illud quod in quinquagesimo Psalmo canitur*, Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies; *abominabilis est Deo. Et idcirco jungit & dicit*, Calendas vestras, & Solemnitates vestras: *Ut non suas appellet Festivitates, sed eorum, qui male his abutuntur............ Utendum hoc testimonio & contra eos, qui cùm quotidianis operibus sanguine manus plenas habeant, in oratione dies noctésque conjungunt.*

Præterea, Christiani, qui Ecclesiâ præcipiente Dominicis & Festis diebus in Ecclesiam se conferunt, Missam audituri, duplicem ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium relationem habent, offerentium scilicet, atque victimarum. Sacrificium offerunt, non quidem ut publici Ministri, sed ut publico Ministro, nempe Sacerdoti quodammodo cooperantes, suámque intentionem ejus intentioni conjungentes, ut unum sit Sacerdotis, Populique adstantis Sacrificium: unde Sacerdos post oblationem ad Populum conversus ait: *Orate, fratres, ut meum pariter ac vestrum in conspectu Domini fiat acceptum Sacrificium.* Et in Canone sic precatur: *Memento, Domine, famulorum famularúmque tuarum N. N. & omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.* In sacrificium offeruntur, quia totum Ecclesiæ corpus cum Christo, & a Christo Sacerdote pariter & victima Deo offertur. Utraque porro Christianorum Missam audientium ad Sacrificium Sacrosanctum relatio postulat, ut sin minùs a peccato lethali omnino puri sint, ut esse debet Sacerdos Sacrum faciens, saltem ab affectu peccati sint liberi, & pœnitentium affectum induant, veniam peccatorum animo supplici postulantes, & ad Deum ex toto corde conversi. Hypocrita enim est, qui Sacrificium externum offert, & seipsum intus Deo non offert: siquidem *Sacrificium visibile invisibilis Sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum est*, inquit *Sanctus Augustinus* Libro X. *De Civitate Dei*, Cap. V. Quamobrem Christianus quisque Missæ Sacrificio ex præcepto Ecclesiæ præsens, illud pro parte sua debet offerre cum Sacerdote: idque ut sincerè ac ritè præstet, debet Deo seipsum offerre. Hæc autem Oblatio, quâ te ipsum offert, Deo grata esse non potest, immo fieri non potest quin ingrata sit, ac divinæ Majestatis iram provocet, nisi peccati mortalis affectum & voluntatem deposuerit peccator, Pœnitentiam profiteatur, Deúmque diligere incipiat. Peccati namque lethalis affectus solâ caritate, saltem inchoatâ, excluditur & consumitur. Solâ caritate corda nostra ad Deum eriguntur: quod nisi fiat, mentimur coram Deo, & in facie Ecclesiæ. Sacerdote siquidem inclamante & admonente ut sursum cor habeamus, *Sursum corda*; respondemus: *Habemus ad Dominum*: & nihilominus peccati pondere & affectu depressi deorsum in terra jacemus. Unde meritò de iis diceret Dominus, qui cum lethalis peccati affectu Missæ intersunt: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Præclaro *S. Augustini* principio nititur hoc ratiocinium, Libro X. *De Civitate Dei*, Cap. III. *Cùm*, inquit, *ad illum sursum est, cujus est Altare cor nostrum, ejus Unigenito cum Sacerdote placamus.... Ei suavissimum adolemus incensum, cùm in ejus conspectu pio sanctóque amore flagramus: ei dona ejus in nobis, nosque ipsos vovemus & reddimus: ei beneficiorum ejus Solemnitatibus Festis & diebus statutis dicamus sacramúsque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio: ei sacrificamus hostiam humilitatis & laudis in ara cordis igne fervidæ caritatis. Ad*

Christiani qui Sacrificio Missæ assistunt, illud quodammodo offerre debent cum Sacerdote.

Matth. 15. 8.

hunc videndum, sicut videri potest, eique cohærendum, ab omni peccatorum & cupiditatum malorum labe mundamur, & ejus nomine consecramur.

Id confirmat *S. Gregorius*, Libro IV. *Dialogorum*, Cap. LIX. Cùm enim de Sacrosancti Sacrificii Corporis & Sanguinis Christi quotidiana oblatione & virtute in præcedenti capite dixisset, *Quod pro absolutione nostra Passionem unigeniti Filii semper imitatur*: in eòque summis ima sociari, terrena cælestibus jungi, unúmque ex visibilibus atque invisibilibus fieri: subdit: *Sed necesse est, ut cùm hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus: quia qui Passionis Dominicæ Mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo verè pro nobis hostia erit Deo, cùm nos ipsos hostiam fecerimus.*

Idem confirmat *B. Petrus Damiani*, Opusculo XI. quod inscribitur, *Dominus vobiscum*, Cap. VIII. *In ipsa*, inquit, *celebratione Missarum*, » *cùm dicitur*, MEMENTO, Domine, famulo» rum famularúmque tuarum; *paulò post subdi*» *tur:* Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi » offerunt hoc sacrificium laudis. *In quibus verbis patenter ostenditur, quòd à cunctis Fidelibus, non solùm viris, sed & mulieribus Sacrificium illud laudis offertur, licèt ab uno offerri specialiter Sacerdote videatur: quia quod ille Deo offerendo manibus tractat, hoc multitudo Fidelium internâ mentium devotione commendat. Quod illic quoque decla*» *ratur, ubi dicitur*: Hanc igitur Oblationem ser» vitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, » quæsumus Domine, ut placatus accipias. *Quibus verbis, luce clarius constat, quia Sacrificium quod à Sacerdote Sacris Altaribus superponitur, à cuncta Dei familia generaliter offeratur.* Debent itaque quotquot Missæ Sacrificio Dominicis & Festis diebus ex Ecclesiæ præcepto adsunt Christiani, illud unà cum Sacerdote offerre, seu intentâ mentium devotione commendare: quomodo verò id agent, aut quomodo eorum oblatio & oratio non fiet illis in peccatum, si in affectu & voluntate peccati mortalis perseverent? Illum ut deponant sincera mentis ad Deum conversione & contritione, Confessio generalis omnium nomine ab iis, qui Sacerdoti celebranti ministrant, præmittitur, *Confiteor Deo, &c.* ut exomologesi peccatorum factâ, Sacrificii propitiatorii, quod pro ipsis offertur, participes esse possint. *Sacrificium enim istud propitiatorium est, per ipsúmque fit, ut si cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia, contriti ac pœnitentes, ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Hujus itaque Sacrificii fructu privantur, qui hunc cum metu & reverentia, contriti & pœnitentes non intersunt.

Concil. Trid. Sess. 22. cap. 2.

Non solùm offerre debent suo modo Sacrificium cum Sacerdote, quotquot Missam audiunt Christiani Dominicis Festisque diebus, sed & ipsi offeruntur Deo in sacrificium, ut docet *Sanctus Augustinus* Libro x. *De Civitate Dei*, jam indicato, Cap. VI. *Cùm*, inquit, *vera Sacrificia opera sint misericordiæ sive in nos ipsos, sive in proximos, quæ referuntur ad Deum; opera verò misericordiæ non ob aliud fiant, nisi ut à miseria liberemur, ac per hoc ut beati simus, quod non fit,* » *nisi bono illo de quo dictum est*, Mihi adhære» re Deo bonum est: *profectò efficitur ut tota ipsa redempta Civitas, hoc est, congregatio societásque Sanctorum, universale Sacrificium offeratur Deo per Sacerdotem Magnum, qui etiam seipsum obtulit in Passione pro nobis, ut tanti Capitis corpus essemus, secundùm formam servi. Hanc enim obtulit, in hac oblatus est, quia secundùm hanc Mediator est, in hac Sacerdos, in hac Sacrificium est.* Et paulò post subdit: *Hoc est Sacrificium Christianorum.* Multi unum corpus in Christo, *quod etiam Sacramento Altaris Fidelibus noto frequentat Ecclesia, ubi ei demonstratur quod in ea re quam offert, ipsa offeratur.* Cùm itaque victimas puras & impollutas sibi offerri velit Deus, & *Victimæ impiorum sint abominabiles Domino*, (ut dicitur *Proverb.* xv. 8.) & multò magis ipsimet impii: necesse est Christianos Missæ Sacrificio interesse excluso peccati affectu per affectum cordis pœnitentis & contriti, ut victimæ sint Deo gratæ, cui *Sacrificium* est *spiritus contribulatus*, quique *cor contritum & humiliatum non despicit.*

Christiani quotquot adsunt Missæ Sacrificio, Deo in sacrificium offeruntur.

Psalm. 72.

Rom. 12. 5.

Psal. 50.

Optat denique Ecclesia, ut qui Missæ Sacrificio intersunt, in eo sint statu, in quo *spirituali affectu communicare* possint, & *Optaret ut & sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior perveniret*, (inquit Sacra Synodus Tridentina Sessione XXII. Cap. VI.) Spiritualis porro Communio fieri non potest in affectu peccati: spiritaliter enim manducare Corpus Christi, ejúsque Sanguinem bibere, est *in Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio non manducat* spiritualiter *ejus carnem, nec bibit ejus sanguinem*, inquit *Sanctus Augustinus* Tractatu XXVI. in Joannem. Atque ad hujus rei significationem aqua vino miscetur in Calice. Aquâ populus, vino Christi Sanguis significatur. Hoc itaque ritu significatur Populum Christianum fide per dilectionem operante Christo conjunctum esse debere. Sed proh dolor! quàm longè à felici illa dispositione remotus est, qui in affectu peccati perseverat, nec pœnitentem & contritum animum offert Deo; cùm Sacrosancto Missæ Sacrificio interest? *Quando* (inquit *S. Cyprianus* Epistolâ LXIII.) *in Calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur & conjungitur: quæ copulatio & conjunctio aquæ & vini sic miscetur in Calice Domini, ut commixtio illa non possit ab invicem separari. Unde Ecclesiam, id est, plebem in Ecclesia constitutam fideliter & firmiter in eo quod credidit perseverantem, nulla res separare poterit à Christo, quò minus hæreat semper & maneat individua dilectio.* Qui ergo in statu peccati est Dominicis & Festis diebus, cùm ad Templum accedit Missam auditurus, affectum peccati deponat, pœnitentis affectum induat, contrito & humiliato animo Sacrosancto Sacrificio intersit. Publicanum imitetur, qui oculos ad cœlum levare non ausus, percutiebat pectus suum, dicens: *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Hinc *Sanctus Antoninus* P. II Tit. IX. Cap. X. ait: *In mortali existens non debet multo intuitu respicere Corpus Domini, sed indignum se reputare vel in transitu videre.* Nam, ut ait *S. Joannes Chrysostomus* Homiliâ III. in Epistolam ad Ephesios: *Quomodo cùm Dominus adest in Mensa, non oportet adesse famulos qui offenderunt, sed procul amandantur: ita hìc quoque cùm offertur Sacrificium....... Et, Quomodo nullum oportet adesse ex his qui Mysteriis non sunt initiati; ita nec ex iis qui sunt initiati, & sordidi.* Hinc paterfamiliâs ei qui sordidis vestibus nuptiale convivium ingressus fuerat, non ait: *Cur accubuisti?*

Christianos qui Missæ sacrificio intersunt, in eo statu esse optat Ecclesia, in quo spiritualiter communicare possint.

Affectum igitur peccati necessariò deponendus est, ut Missa, sicut oportet: id est, dignè fructuoséque audiatur.

Luc. 18. 13.

Dominicæ, Festorúmque dierum sanctificatio.

A *buisti? Sed Cur intrasti non habens vestem nuptialem?* ut idem Pater observat.

REGULA X.

Conveniens Dominicæ diei, Festorúmque sanctificatio postulat ut Fideles verbum Dei audiant, Vespertinis Officiis intersint, in piorum librorum lectione, aliisque pietatis operibus sacros illos dies transigant.

HAnc Regulam tradit Concilii Tridentini Catechismus P. III. in explicatione tertii B Præcepti, §. XXV. *Neque verò*, inquit, *Parochus prætermittere debet ut diligenter doceat, quibus in operibus atque actionibus Christiani homines diebus Festis exercere se debeant. Illa verò ejusmodi sunt, ut ad Templum accedamus, eóque loco sincera piáque animi attentione Sacrosancto Missæ Sacrificio intersimus. Divina Ecclesiæ Sacramenta, quæ ad salutem nostram instituta sunt, ad animæ vulnerum curationem crebrò adhibeamus...... Attentè præterea diligenterque Sacra Concio à Fidelibus audienda est: nihil enim minùs ferendum est, neque tam profectò indignum, quàm Christi verba contemnere, aut negligenter audire. Exercitatio item Fidelium studiúmque in precibus, divinisque laudibus frequens esse debet. Præcipuáque eorumdem cura, ut quæ ad Christianæ Vitæ institutionem pertinent, ea diligenter addiscant. Sedulóque se exerceant in eis officiis quæ pietatem continent, pauperibus & egenis eleemosynam* C *tribuendo, ægros homines visitando, mœrentes, quique dolore afflicti jacent, piè consolando. Nam* (ut ait *sanctus Jacobus* Epistolæ Catholicæ Cap. I.) *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.*

Eamdem Regulam confirmat Concilium Mediolanense III. Tit. de Festorum dierum cultu: D *Ut verò*, inquit, *ii dies omni pietate & religione colantur, hæc crebrò Populum Parochi & Concionatores admoneant atque hortentur: ut illorum dierum tempus, quod Deo ejúsque cultui debetur, in iis actionibus totum consumant, in quibus sanctè consumendum est. Ut Concionem manè, & sacram lectionem à prandio, ubi explicari solet, audiant. Ut divinis Vesperarum præsertim Officiis præsentes piè religiosèque adsint. Ut in Christianæ Doctrinæ rudimentis ac præceptis, vel percipiendis vel recolendis versentur. Ut in operibus etiam officiisque pietatis se exerceant, ægros homines visitando, mœrentes piè consolando, & alia ejusmodi præstando. Ut denique ab illis actionibus, unde omnis peccandi materia atque occasio existit, feriati, in ea opera incumbant, ob quæ sunt illi sacri instituti dies.* E

Sed & multis antea sæculis, anno scilicet octingentesimo decimo-tertio, Concilium Turonense, Canone XL. ait: *Die Dominicâ oportet omnes Christianos in laude Dei & gratiarum actione usque ad vesperam perseverare.*

Nicolaus I. In Responsis ad consulta Bulgarorum, Capp. X. & XI. *Dominico die à labore terreno cessandum, atque omnimodo orationibus insistendum* esse docet; *ut quod negligenter per sex dies agitur, per diem Resurrectionis Dominicæ precibus expietur.* Diebus Festis ab omni opere mundano propterea F cessandum, *ut liberius ad Ecclesiam ire, Psalmis & Hymnis & Canticis spiritualibus insistere, orationi vacare, Oblationes offerre, Memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, Eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus. Quæ omnia si quis negligens, orationi tantùm vacare voluerit, & ad cæteras Mundi vanitates licitos labores converterit, meliùs ei fuerat ipsâ die laborare manibus suis, ut haberet unde tribueret necessitatem patientibus.*

Dominicæ, Festorum dierum sanctificatio.

Idem confirmat Canon *Jejunia*, Distinctione III. *De Consecratione*, quæ Sententia est Apollonii Abbatis, apud Palladium. *Die*, inquit, *Dominica nihil agendum est, nisi Deo vacandum. Nulla operatio in illa sancta die agatur, nisi tantùm hymnis, & psalmis, & canticis spiritualibus dies illa transigatur.*

Concilium Aquense anno 1585. Tit. De *Festorum dierum cultu*, statuit ut *Doceantur populi crebrò ab his ad quos pertinet, ut festos dies, qui Dei cultui dicati sunt, in divinis Officiis, Concionibus audiendis, necnon in orationibus, maximisque ac continuis Dei erga nos beneficiis recolendis, sanctè ac piè transigant, præsertim ut præter Missam, quæ sine gravissimi peccati culpa prætermitti non potest, præter Vesperas item, quibus Fidelem quemque, nisi impeditum, interesse maximè convenit, in Doctrinæ Christianæ rudimentis omnes tam mares quàm feminæ, tam viri quàm pueri, vel perdiscendis, si illa ignorent, vel aliis perdocendis versentur.*

Concilium Avenionense anno 1594. Cap. XLIII. *Doceant Parochi*, inquit, *cæterique verbi Dei Præcones, diebus Festis Dei cultui dedicatis, divinis Officiis, Concionibúsque audiendis, cæterisque id genus piis operibus vacandum esse: nec Missam à quocumque haud legitimè impedito sine gravi flagitio prætermitti posse.*

Concilium Remense anno 1583. Tit. De Diebus Festis. *Diebus*, inquit, *Dominicis & Festis in suas Parœcias Populus conveniat, & Missæ, Concioni, ac Vesperis intersit.*

Concilium Burdigalense eodem anno, Tit. de Festis: *Omnibus Provinciæ nostræ Parochis indicimus, Populum suum frequenter & seriò commonefaciant, ut diebus Festis non solùm à quibuslibet prohibitis operibus sese contineant, verùm etiam sacris omnibus Ecclesiæ Mysteriis, & divini verbi Prædicationi, quantùm fieri possit, ex animo & religiosè intersint: nec pietatis opera itidem prætermittant in pauperibus reficiendis, afflictis consolandis, aliisque piis rebus gerendis, in quibus Christiana Professio & Caritas maximè elucescit.*

Concilium Turonense eodem anno Cap. XI. *Parœci, quibus animarum cura est commissa, gregem suum ad divina Officia diebus singulis, (si fieri potest) audienda adhortentur, præsertim Dominicis & aliis Festis. Quibus diebus cùm Dei laudes recitare omnes debeant, verbum Dei audire, & de innumeris beneficiis quæ ab immensa sua bonitate indesinenter recipimus, gratias agere, ac sese operibus caritatis assuefacere, sciant aliis non licere vacare negotiis.*

Concilium Bituricense anno 1584. Tit. VI. Canone IV. *Dominico die sit quies animi & corporis sancta, & ad Deum levata mens, & à terrenis abstracta: satis sint Christiano opera charitatis, orationes piæ, Psalmi, Hymni, & Cantica.*

Concilium Aquileiense anno 1596. Canone XIV. *Tempus dierum Festorum in audiendis Concionibus, Missæ sacro, & divinis Officiis ponendum est, non in compotationibus: multò minùs peracto prandio ad saltationes & lusus declinandum, cùm sit in Ecclesias ad Horas Vespertinas audiendas divertendum, & nomen Dei concorditer & devotè, vel silentii meditatione, vel vocis exultatione laudandum. Quod curabunt Episcopi Curatorum diligentiâ populis inculcari.*

Concilium Narbonense anno 1609. Cap. XX. *Doceant Parochi, cæterique Dei Præcones, quo studio diebus Festis Dei cultui dedicatis, Divinis Of-*

Dominica Festisque dierum sanctificatio.

ficiis, Concionibus audiendis, Doctrina Christiana, aliisque id genus piis operibus vacandum sit: in quibus quisque integram Missam sub peccati mortalis pœna, nisi justâ præpeditus causâ audire debet.

Quamvis ergo Concioni, & Vespertinis Officiis non adesse Dominicis & Festis diebus, lethale peccatum non sit, sicut lethale peccatum est Missam integram sacris illis diebus non audire: non tamen nullum peccatum est deesse verbi Dei auditori, cùm sacra Concio habetur, & Vespertinis Officiis, nisi justâ causâ quis præpeditus sit: quia solidus dies Festus sanctificandus est, nec matutinis dumtaxat, sed pomeridianis horis Deo vacandum. Et quandoque lethale peccatum est à Vesperarum Officio abesse, si quis verbi gratiâ comessationi, ludo & choreis cum scandalo vacet, quo tempore celebratur.

Hanc denique Regulam confirmat *S. Antoninus*, II. P. Tit. IX. Cap. VII. §. 4. *Debet ergo* (inquit) *die Festo insisti operibus spiritualibus orationis, meditationis, auditionis divinorum, lectionis, & eleemosynis, & hujusmodi...... Et inter cætera debent homines vacare compunctioni & confessioni peccatorum suorum, recogitantes quæ egerunt aliis diebus, in quibus fuerunt occupati. Dicitur enim* Levitici XVI. Sabbatum requietionis est, affligetis animas vestras, *scilicet per contritionem, secundùm Origenem. Item auditioni Missæ, & divinorum Officiorum, & Prædicationum. Item admonitioni & correctioni proximorum, & præcipuè familiæ suæ. Exemplum in Job. 1. de quo scribitur:* Cùmque in orbem transissent dies, mittebat Job, & sanctificabat eos; *id est, in capite hebdomadæ, quod est Dominica. Dicitur autem sanctificare filios, quia scilicet illâ die admonebat eos & corrigebat de defectibus, si quos infra hebdomadam fecissent, ut exponit S. Thomas super Job: vel etiam quia offerebat orationes & sacrificia pro eis. Item insisti debet magis eleemosynis. In cujus figuram legitur in Levitico quòd duo agni offerebantur die Sabbati, aliis diebus unus tantùm, scilicet in holocaustum. Tobias etiam præparato prandio in die Festo misit filium ad vocandum pauperes ad comedendum cum eis, priùs tamen sepelivit mortuum in platea jacentem, ut habetur Tob. 11. Sed quis est hic qui ita celebret Festa vacando Divinis, & laudabimus eum cùm invenerimus? Nonne tota occupatio hominum in Festis est circa corpus? Mulieres vacant, & non parum temporis exponunt in se ornando ad capiendas animas; famuli & famulæ ad præparandum cibos accuratiùs solito; mercatores ad faciendos suos computos & ratiocinia, & scribendum libros & litteras; inferioris conditionis homines ad audiendum de Palatinis, vel spectacula vana; nulla cura filiorum & familiæ, sed omnes liberi dimittuntur ad faciendum mala: & quod cum multo labore per hebdomadam lucrati sunt, in festis, in tabernis & ludis, non in eleemosynis expendunt. O abusio perversa hominum, & jactura temporis irrecuperabilis, & negotium gratissimum Dæmoni! Aptè de his dixit Jeremias Thren. 1.* Viderunt eam hostes, *id est, Dæmones inimici pessimi Animæ, seu Ecclesiæ,* & deriserunt Sabbata ejus: *id est, Festa, quia scilicet non Deo, sed sibi vacant, ventri & Dæmoni.*

Quærit ibidem *sanctus Antoninus*, Utrum qui non vacat divinis Festo die, nisi audiendo Missam, peccet mortaliter? Respondetur secundùm *sanctum Thomam*, Primâ Secundæ, Quæstione nonagesimâ-nonâ, Articulo nono in Responsione ad secundam Objectionem: Intentionem Legislatoris circa aliquod præceptum esse de duobus. Primum est, ad quod inducere intendit per præcepta legis, & hoc est virtus. Aliud est, de quo intendit præceptum ferre, & hoc est quod inducit vel disponit ad virtutem, scilicet actus virtutis. Non enim idem est finis præcepti, & id de quo præceptum datur. Itaque quamvis intendat Legislator finem præcepti ut quid perfectius, non tamen intendit id ponere sub præcepto: quia multitudo, cui datur lex, non est sobitò capax perfectionis, sed paulatim: sed intendit ponere sub præcepto id quod disponit ad illud, quod facilius est ad observandum. *Et sic abstinere ab operibus servilibus*, & Missam audire, *est in præcepto: non vacare Deo pro majori parte diei tamen peccatum est.*

ARTICULUS VII.

Regula Moralis Christiana circa Jejunia Ecclesiastica.

REGULA I.

Violatio Jejunii Ecclesiastici lethale ex genere suo peccatum est.

Christiana jejuniorum observatio.

CHristiani enim Ecclesiæ Matris legibus & præceptis obedire tenentur. Abstinentia autem & jejunium ab Ecclesia indictum cùm sint materia gravis, eorum violatio, quamvis ex consuetudine aut contemptu non fiat, veniale peccatum esse non potest in his qui scientes volentes absque legitima causa & justa necessitate, carnes, aliòsve cibos vetitos comedunt, aut jejunium solvunt. Unde Concilium Gangrense Canone XIX. ita decernit: *Si quis absque corporali necessitate, tradita Jejunia, quæ communiter servantur ab Ecclesia, dissolvat; Anathema sit.*

Eamdem Regulam confirmant Sancti Patres: *S. Basilius* Oratione II. De Jejunio: *Vide*, inquit, *ne ob brevem edendi voluptatem, simul & priveris Angeli recensione, & te ipsum apud eum qui recenset exercitum, obnoxium facias desertoris crimini.*

S. Gregorius Nazianzenus Epistolâ LXXIV. ad Celeusium. *Inquè agis, ô Judex, qui non jejunes. Et quomodo leges humanas servabis qui divinas contemnis? Purga tribunal tuum, ne duorum alterum tibi accidat, ut aut malus fias, aut existimeris.*

S. Cyrillus Alexandrinus, Homiliâ 1. Paschali: *Libenter eos rogem, utrùm odiosius, Jejuniùmne, an æterna supplicia existiment? Cùm ergo nobis utrumque necessitas proponat, cur id quod præstantius est eligentes, non ipsi de nobis quàm rectissimè statuamus? Necesse est enim aut per labores liberari à malis, aut si illos recuses, flammis inextinctis mulctari.*

S. Hieronymus Epistolâ LIV. *Nos unam Quadragesimam secundùm Traditionem Apostolorum jejunamus...... Non quò & per totum annum, exceptâ Pentecoste, jejunare non liceat; sed quòd aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre.*

S. Maximus, seu aliud Autor Sermonum *De Quadragesima Sancto Ambrosio* adscriptorum, Sermone V. *Non leve peccatum est Fidelibus indictam Quadragesimam à Domino violare, & jejunia consecrata ventris voracitate dissolvere.....*

DE DECALOGO.

Christiana jejuniorum observatio.

Cùm Saül abstinentiam diei suis omnibus indixisset, & Jonathas ejus filius præcepti nescius, inter medias hostium acies victor incedens, favum mellis intinctâ sceptri summitate gustasset; tanta indignatio repente commota est, ut & differretur victoria, & Divinitas læderetur. Denique nec bello finis imponitur, nec Regi responsum propheticum datur.... Quod ut peccatum Saül ex ipsa Divinitatis offensione cognovit, statim Jonathæ dixit non esse parcendum, sed peccatum admissum effusione ejus sanguinis expiandum...... Et si ignorans Jonathas indictum à patre jejunium quod resolverit, morti addicitur: qui sciens indictum à Christo resolvit jejunium, quid meretur?

Et Sermone VII. *Quamvis abstineat quis certis diebus, quamvis ciborum dulciora alimenta non sumat, non tamen illi accepto fertur Quadragesimæ Jejunium, qui non diebus quadraginta jejunat.... Nam sicut reliquo anno jejunare præmium est, ita in Quadragesima non jejunare peccatum est: illa enim voluntaria sunt jejunia, ista necessaria: illa de arbitrio veniunt, ista de lege: ad illa invitamur, ad ista compellimur.*

Idem Sermone XII. *Qui constitutum numerum unâ die manducando prætereit, non ut unius diei violator accusatur, sed ut totius Quadragesimæ transgressor arguitur..... Hæc autem non tam Sacerdotum præcepta, quàm Dei sunt. Atque ideo qui hæc spernit, non Sacerdotem spernit, sed Christum qui in suo loquitur Sacerdote.*

S. Augustinus Abondantium Presbyterum deposuit, quia *die jejunii Natalis Domini, quo ejusdem loci Ecclesia sicut cetera jejunabat, apud famosam Mulierem, nullum secum Clericum habens, remanere, & prandere, & cœnare ausus est*; ut ipse narrat Epistolâ LXV. aliàs CCXXXVI. ad *Xantippum* Numidiæ Primatem.

S. Cæsarius Arelatensis Episcopus Sermone XLVI. qui in Augustinianorum Appendice CXLIII. est, aliàs de Tempore LXII. *Rogo vos, ut in isto legitimo ac sacratissimo Quadragesimæ tempore, exceptis Dominicis diebus, nullus prandere præsumat, nisi fortè ille quem jejunare infirmitas non permittit: quia aliis diebus jejunare, aut remedium, aut præmium est; in Quadragesima non jejunare, peccatum est. Alio tempore qui jejunat, accipiet indulgentiam: in Quadragesima qui potest & non jejunat, sentiet pœnam.*

Concilium Carthaginense IV. Canone LXIII. statuit, *Clericum, qui tempore jejunii absque inevitabili necessitate, jejunium rumpit, minorem habendum*, id est, de grado suo deponendum.

Concilium Toletanum VIII. anno 653. Canone IX. decrevit, *Ut quisquis absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidenti languore, seu etiam ætatis impossibilitate, diebus Quadragesimæ esum carnium præsumpserit attentare, non solum reus sit Resurrectionis Dominicæ, verùm etiam alienus ab ejusdem diei sanctissima Communione. Et hoc illi cumuletur ad pœnam, ut ipsius anni tempore ab omni esu carnium abstineat gulam, quia sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam.*

Carolus Magnus in Capitolari pro partibus Saxoniæ edito anno 789. Cap. IV. statuit ut *Si quis sanctum Quadragesimale jejunium pro despectu Christianitatis contempserit, & carnem comederit, morte moriatur. Sed tamen consideretur à Sacerdote, ne fortè causa necessitatis hoc cuilibet proveniat ut carnem comedat.*

Ævo *Ditmari* Episcopi Mersepurgensis hæc erat consuetudo inter Polonos, qui more Græcorum Jejunium Quadragesimale à Sexagesima inchoabant, ut qui carnem sacro illo tempore manducasset, dentium evulsione plecteretur. Ita enim ipse scribit initio Libri VIII. *Quicumque post Septuagesimam carnem manducasse invenitur, abscissis dentibus graviter punitur. Lex namque divina in his regionibus noviter exorta, potestate tali meliùs quàm jejunio ab Episcopis instituto corroboratur.* Tam gravibus porro pœnis, scilicet excommunicatione, dentium evulsione, morte, non punirentur nisi gravis peccati rei.

Theodulfus Aurelianensis Episcopus in Capitulari, Cap. XXXVII. Quadragesimali tempore, præterquam diebus Dominicis, jejunium solvi non debere asserit; *Quia ipsi dies decimæ sunt anni nostri, quos cum omni religione & sanctitate transigere debemus. Alio tempore jejunare in voluntate & arbitrio cujuslibet positum est: in hoc verò non jejunare, præceptum Dei transcendere est. Alio tempore jejunare, præmium abstinenti acquirere est: in hoc verò præter infirmos ac parvulos quisquis non jejunaverit, pœnam sibi acquiret.*

Concilium Provinciale Mediolanense V. Tit. *Quæ ad Dies Festos & Sacra Tempora pertinent*, eamdem Regulam disertis verbis confirmat: *Omnis quicumque sit, qui jejunii lege adstrictus est, singulis Quadragesimæ diebus, Dominicis exceptis, jejunium servet: alioqui enim peccato mortali alligatum se nosse debet.*

S. Antoninus II. P. Tit. VI. Capite secundo: *Ex statuto Ecclesiæ universali jejunia qui omitteret ex negligentia, vel gula, non infirmitate, vel oblivione, cùm credit se bene posse jejunare, mortale est, & pro qualibet die omissa unum. Secus si sibi videtur se non posse jejunare absque læsione personæ, cùm habeat causam aliquam dubitandi, non tamen sufficientem, sed posset jejunare. Et sic intellige dictum Beati Thomæ Secundâ Secundæ, Quæstione* CXLVII. *Articulo* III. ubi nimirum addit in Responsione ad secundam Objectionem: *Præcepta quæ per modum communis statuti proponuntur, non eodem modo obligant omnes, sed secundùm quòd requiritur ad finem quem Legislator intendit. Cujus auctoritatem si aliquis transgrediendo statutum contemnat, vel hoc modo transgrediatur, ut impediatur finis quem intendit, peccat mortaliter talis transgressor. Si autem ex aliqua rationabili causa quis statutum non servet, præcipuè in casu, in quo etiamsi Legislator adesset, non decerneret esse servandum; talis transgressio non constituit peccatum mortale. Et inde est quòd non omnes qui non servant Jejunia Ecclesiæ, peccant mortaliter.*

Propositio damnata.

Meritò itaque inter alias Propositiones erroneas ab *Alexandro VII.* Pontifice Maximo damnatas die 24. Septembris 1665. hæc ordine vigesima-tertia proscripta est: *Frangens Jejunium Ecclesiæ ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientiâ hoc faciat, putà, quia non vult se subjicere præcepto.*

De eadem ita judicavit Clerus Gallicanus anno 1700. *Hæc propositio falsa est, temeraria, scandalosa, Ecclesiasticorum mandatorum injuriam inducit, jejunii leges pravis artibus eludit.*

REGULA II.

Lethalis peccati rei sunt caupones, & alii, qui alicui ad Jejunium obstricto cibos vetitos parant, offerunt, præbent; vel cœnam exhibent bene pransis.

Alterius enim peccato illos cooperari certum est: & quamvis fortè non sint causa peccati quantùm ad initium pravæ voluntatis, actûs tamen quo prava voluntas executioni

mandatur, consecii sunt & cooperatores. Quamvis igitur hospites carnem aut ova petant, vel cœnam, quos pransisse notum est, & evidenti necessitate, aut Ecclesiæ dispensatione, abstinentiæ vel jejunii lege non esse solutos, ipsis subministrari non debent, etiamsi hospitium istud in perpetuum sint deserturi; nisi fortè grave nocumentum meritò timeatur, ut si Milites sint nullâ disciplinâ coërciti, qui incendium ædibus, mulieribus ac puellis stuprum, necem aut vulnera hospiti vel famulis, direptionem bonorum, occisionem animalium probabiliter sunt illaturi nisi carnes illis parentur. Si tamen viri honesti, de quibus dubium est an jejunii lege teneantur, cœnam petant, arbitrari possunt caupones, vel alii, ipsos non teneri, vel legitimè dispensatos esse, & ita cœnam eis exhibere, nisi vehemens ratio contrarium suadeat. Famulos quoque dominis suis jejunare nolentibus cœnam parantes subjectio excusat, si ministerium suum illis sine gravi damno recusare non possint: nec tenentur scrupulosiùs inquirere an legitimam solvendi jejunii rationem habeant; immò judicare possunt, & plerumque debent in illorum favorem. Idem esto judicium de carnibus aliisque cibis vetitis. Illos enim parare possunt dominis jubentibus, & præsumere illos ex necessitate, ex Medicorum consilio, cum Pastorum licentia his cibis uti, nisi evidens ratio contrarium suadeat. Si verò certum illis ac perspicuum sit, dominos absque necessitate, absque dispensatione Pastorum, quam petere nolunt, & in contemptum Ecclesiasticæ Legis ac Religionis Catholicæ carnes comedere diebus jejunio consecratis, parare non debent; domóque potiùs egredi, quàm illis hac in re obsequi tenentur.

Christiana jejuniorum observantia.

Ex hac Regula sequitur, graviter peccare dominos, qui servis suis jejunii lege obstrictis tantos tamque graves labores imponunt jejuniorum diebus, ut jejunare non possint, si opera in alium diem differre, vel in plures dies dividere fas sit absque gravi damno.

Hanc Regulam confirmat Concilium Provinciale Mediolanense V. Præside *S. Carolo Borromæo*, Tit. *De his quæ ad Dies Festos & Sacra Tempora pertinent*, ubi vetat, ne qui licentiam habent vendendi carnes ad ægrotantium imbecilliúmque hominum usum, eas omnibus vendant, sed iis solùm qui scriptam ab Episcopo facultatem habuerint. *Nec verò sine ea scripta facultate, ac sigillatim nominatimque data, caupones, tabernarii, & alii qui cœnaculariam faciunt, vetitos in Quadragesima cibos vendant, venaléśve exponant, etiam hospitibus, peregrinis, viatoribúsve, quales quales sint. Nec verò eos mensa apponant. Nec præterea illos alio loco coctos, condimentisve apparatos, non modo in caupona, taberna, hospitiove suo, aut loco cura sua subjecto comesse cuiquam permittant; sed ne aliunde quidem apportari, nedum in mensa apponi patiantur. Quicumque verò contra Sanctionis hujus capita quicquam contra fecerit, is pœnis mulctisve in locorum piorum usum erogandis, & Censuris aliisque Canonum Jure, & Pontificiis Constitutionibus, omnique alio modo contra Quadragesima violatores sancitis pœnis, vel aliis, quas pro personæ ratione, & culpæ contumaciave gravitate, Episcopus arbitratu suo irrogandas censuerit, afficiatur.*

REGULA III.

Ab Ecclesiastici Jejunii observatione Christianorum nemo dispensatur nisi ob inevitabilem necessitatem, ætatis impossibilitatem, aut gravem infirmitatem atque languorem. Illi autem cibis vetitis uti, aut jejunium solvere non debent, quorum valetudo id postulat, priusquam facultatem à Pastoribus obtinuerint.

HAnc Regulam tradit Concilium Toletanum VIII. Canone nono. *Quisquis* (inquit) *absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidenti languore, seu etiam ætatis impossibilitate, esum carnium præsumpserit attentare, &c. Illi autem quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant, quàm à Sacerdote permissum accipiant.*

Ob necessitatem dispensari potest tempore obsidionis, aut famis, cùm cibi Quadragesimales desunt, ut populus carnibus utatur: ut colligitur ex Cap. *Concilium*, Extrà, *De Observatione Jejuniorum*. Sed istius necessitatis judex & arbiter Episcopus esse debet, sine cujus licentia ciborum vetitorum esus non est præsumendus.

Ob necessitatem quoque dispensantur à jejunii lege pauperes ostiatim mendicantes, sive ad eas angustias redacti, ut stato refectionis tempore non habeant, nec habere possint, quod uni refectioni satis sit, ut respondet *S. Thomas* Secundâ Secundæ, Quæstione CXLVII. Articulo IV. ad quartum, *Pauperes* (inquit) *qui possunt sufficienter habere quod eis sufficit ad unam comestionem, non excusantur propter paupertatem à jejuniis Ecclesiæ; à quibus tamen excusari videntur illi, qui frustatim eleemosynas mendicant; qui non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat.*

Inevitabilis necessitas à jejunio dispensat.

Necessitas pariter postulat ut cum mulieribus gravidis & nutricibus dispensetur, quibus copiosius alimentum ob fœtum aut prolem necessarium est, cui providere naturali jure tenentur: unde jejunando peccarent, si inde periculum ipsis vel proli immineret. Ipsis itaque jejunium prohibere debet Confessarius, si scrupulo, aut imprudenti zelo atque inconsideratâ pietate illas jejunare velle videret. Verùm si prægnantes non sint, aut nutrices, dimittere non debent Ecclesiæ jejunia etiam prohibentibus viris ne jejunent, nisi probabiliter timeretur infirmitas vel debilitas; inquit *S. Antoninus* II. P. Tit. VI. Cap. I.

Necessitas denique à jejunio excusat illos omnes, quibus aliquod opus faciendum incumbit, quod facere non possunt si jejunent; sive hoc illis incumbat ex necessitate victum quærendi; sive ad vitandum damnum suum vel alienum; sive ad tuendam salutem animæ vel corporis; sive ad istud opus ob necessitatem publicam, sive ex officio quod gerunt, obligentur; sive divites sint, sive pauperes; sive opus illud merè corporale sit, sive spirituale, quod tamen corporis laborem adjunctum habeat, & quo vires corporis exhauriantur. Quamobrem à Jejunii lege soluti sunt artifices, gravia, dura, & laboriosa opera facientes, iis diebus quibus laborant, vel quibus ex præcedentis diei labore sunt plurimùm fatigati; ut fabri lignarii, ferrarii, fossores, lapicidæ, bajuli, agricolæ, vinitores, aurigæ & cursores, quo tempore iter faciunt; Milites cùm sint in castris, in urbis obsidione, in occasione pene quotidiana pugnandi; non autem

cùm sunt in præsidus, nec duris laboribus exercentur: non textores, pistores, sartores, sutores, barbitonsores, pictores, aurifices, Musici, Procuratores, Judices, Advocati, & alii hujusmodi opera facientes, quæ vires corporis non multùm exhauriunt, nec ita corpus debilitant, ut ad ferendum jejunii laborem sit impotens. Dispensantur item à jejunio qui ex officio, aut obedientiâ ministrant infirmis, diu, noctúque ipsis adhærentes, & vigiliis graviquе ministerio defatigati. Item Concionatores, ii præsertim qui multas eadem die Conciones habent, & pagos peragrant verbum Dei nuntiaturi; & alii qui piis functionibus toto die, vel magna diei parte vacant, quibus vires multùm exhauriuntur, si ex officio, pietate, vel propter singularem Ecclesiæ, sive proximorum utilitatem his operibus incumbant, quæ in alium diem differri commodè non possint, & quæ jejunio per se meliora sunt, nec possunt à tali persona exerceri, si jejunet, laboris magnitudine cum ejus viribus comparatâ.

Iter agentes, qui pedibus iter conficiunt necessarium, & quod moram non patitur; sive *Qui labore itineris adeo affliguntur, ut simul cum jejunio itinerari non possint*, ut loquitur *S. Thomas*, in IV. Sententiarum Dist. XV. Art. II. Quæstiuncula IV. ad primum) à Jejunii lege pariter soluti sunt ratione necessitatis; non autem si curru, equo, navigio vehantur, aut iter in alium diem a jejunio liberum commodè differri possit.

Hæc omnia confirmat *S. Thomas* loco superiùs indicato, scilicet *Secundâ Secundæ, Quæstione* CXLVII. Articulo IV. in Responsione ad tertiam objectionem. *Circa peregrinos & operarios* (inquit) *distinguendum videtur: quia si peregrinatio & operis labor commodè differri possit, aut diminui absque detrimento corporalis salutis, & exterioris statûs, qui requiritur ad conservationem corporalis vel spiritualis vitæ, non sunt propter hoc Ecclesiæ jejunia prætermittenda. Si autem immineat necessitas statim peregrinandi, & magnas dietas faciendi, vel etiam multùm laborandi, vel propter conservationem vitæ corporalis, vel propter aliquid necessarium ad vitam spiritualem; & simul cum hoc non possint Ecclesiæ jejunia observari: non obligatur homo ad jejunandum, quia non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias & magis necessarias causas. Videtur tamen in talibus recurrendum esse ad Superioris dispensationem, nisi fortè ubi est ita consuetum; quia ex hoc ipso quòd Prælati dissimulant, videntur annuere.* Et in IV. *Sententiarum*, Dist. XV. Quæst. III. Articulo II. Quæstione IV. ad tertium. *De operariis distinguendum videtur: quia si jejunando possint competenter victum pro persona sua habere, & pro familia cujus cura eis incumbit (sive quia omnes divites sunt, sive quia de eo quod minori labore fit qui simul secum jejunium compatiatur, lucrari sufficientia possunt) à jejunio non excusantur: si autem aliàs non possunt tantùm laborare, quod victum sufficientem acquirant nisi jejunium frangendo, possunt secundùm dispensationem Sacerdotis sui jejunium solvere, & laborare. Ex quo patet, quòd intentio majoris lucri non necessarii eos à peccato non excusat, si jejunium frangant: nec iterum illi à peccato immunes sunt, qui operarios conducere nolunt, nisi tali pacto ut jejunium solvant; nisi fortè sit causa necessaria, quæ festinationem operis, pro quo laboratur exposcat.* Eadem docet *S. Antoninus*, P. II. Tit. VI. Cap. II.

Itáque inter alias Propositiones erroneas, & ad praxim nusquam deducendas, istas etiam meritò damnavit *Alexander VII.* Pontifex Maximus die 18. Martii, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo-sexto.

Propositiones damnatæ.

30. *Omnes Officiales qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare an labor sit compatibilis cum jejunio.*

31. *Excusantur absolutè à præcepto jejunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.*

Easdem Propositiones Clerus Gallicanus damnavit ut *Falsas, temerarias, scandalosas, jejunii leges pravis artibus eludentes.*

Conjugatos continentiam servare decet jejuniorum temporibus.

Conjugatos à jejunii obligatione liberari, quando illud servando nequeunt invicem reddere debitum conjugale, falsa est & erronea Propositio, castásque aures & animos offendens, ut mirum sit a quibusdam Casuum Arbitris assertam. Quis enim Ecclesiastici Jejunii lege tenebitur, si conjugati non tenentur? Præterea, tantùm abest ut jejunium violare possint conjugati absque mortali peccato, ut conjugale debitum invicem reddant; ut potiùs conveniat eos abstinere ab opere conjugali, ut puriùs sanctiúsque jejunent: idque optet ac vehementer suadeat Ecclesia. Unde Joelis II. continentia jejunio comes adjungitur: *Sanctificate jejunium, ... Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.* Et S. Paulus I. *Cor.* VII. Fidelibus conjugatis autor est ne fraudent invicem, nisi fortè ad tempus, ex mutuo consensu, *Ut vacetis*, inquit, *orationi.* In Græco Textu additur, *& jejunio.* Tempus jejunio consecratum, idem orationi singulari quodam modo dedicatum est. *Impediri* autem *orationes officio conjugali*, post Apostolos docet *S. Hieronymus* Libro I. contra Jovinianum. Dixi, post Apostolos, quia *S. Petrus* idem cum *S. Paulo* docet. *Similiter* (inquit) *viri cohabitantes juxta scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri tribuentes honorem, sicut cohæredes multiplicis gratiæ vitæ, ut non impediantur orationes vestræ.* Hinc Officium Christiani à conjugatis omni ex parte perfectéque non impleri *S. Hieronymus* asserit, nisi certis temporibus orationi dicatis à conjugali opere se contineant. *Quamdiu* (inquit) *impleo officium mariti, non impleo Christiani.* *1. Petr. 3.*

Cùm Noë ingressus est in Arcam, ipsum primò ingressum & filios ejus, deinde illius uxorem & uxores filiorum, *S. Ambrosius* observat Libro *De Noë & Arca*, Cap. XXI. Cùm verò egressi sunt de Arca, ipsum primò egressum cum uxore, deinde filios illius cum suis uxoribus. Hoc significari abstinentiam generationis in ingressu, in egresso verò generationis usum. *Mœroris scilicet tempus illud, non lætitiæ erat. Et in lectulis consortio non delectabatur uxoris, vel filii Justi petebant copulam conjugalem.* Cùm itaque Jejunii & Pœnitentiæ tempus luctûs sit & mœroris, quo peccata sua deflere, & ad ea expianda carnem macerare Christianus quisque debet; conveniens est ut diebus Jejunio dicatis Christiani conjuges ab opere conjugali se contineant. *Genes. 8.*

Idem docet *S. Augustinus*, Sermone CCV. aliàs *De Diversis* LXVIII. in Quadragesima primo. *Per alios dies* (inquit) *adulteria, fornicationes, omnésque illicitas corruptelas nolite contingere: per hos autem etiam à conjugibus abstinere. Tempus quod reddendo conjugali debito occupabatur, supplicationibus impendatur. Corpus quod carnalibus affectibus solvebatur, puris precibus prosternatur. Manus quæ amplexibus implicabantur, orationibus extendantur.*

Et Sermone CCVI. alias *De Diversis* LXX. in Quadragesima secundo: *Inde per hos dies a rebus licitis desideria vestra frenate, ne illicita committatis. Nullis diebus se ingurgitet vino, nec adulterio, qui diebus istis temperat a conjugio.*

Et Sermone CCVII. alias *De Diversis* LXXII. In Quadragesima quarto: *Quicumque etiam estis conjugibus alligati, nunc maximè Apostolica Monita nolite contemnere, ut invicem abstineatis ad tempus, ut vacetis orationibus. Quod enim & aliis diebus utiliter fit, nimis inverecundum est si modò non fiat. Arbitror onerosum non esse debere, anniversaria observatione solemnibus diebus hoc facere conjugatos, quod vidua ex quadam vitæ parte professa sunt, quod totâ vitâ sanctæ Virgines susceperunt.*

1. Cor. 7.

Sermone CCIV. aliàs *De Diversis* LXXIII in Quadragesima quinto: *A conjugali quoque concubitu hi dies postulant continentiam.*

Sermone CCX aliàs *De Diversis* LXXIV. in Quadragesima sexto, Cap. VI. *Nunc tempus est quo & conjugati ab uxoribus, & nuptæ à suis viris abstineant, ut orationibus vacent: quamquam & per totum annum certis diebus hoc facere debeant: & quantò crebriùs, tantò utique meliùs; quia & qui concessa immoderatè appetit, eum qui concessit, offendit. Oratio quippe spiritalis res est, & ideo tantò est acceptior, quantò magis naturæ suæ implet effectum. Tantò magis autem spiritali opere funditur, quantò magis animus qui eam fundit, à carnali voluptate suspenditur.* Et paulò post, ubi de jejunio Moysis, Eliæ & Christi mentionem fecit, qui nihil alimentorum per dies & noctes quadraginta sumpserunt: *Sed numquid*, inquit, *sicut à cibo & potu abstinentia per tot dies non potest esse continua, sic à concubitu non potest? Cum videamus in nomine Christi multos utriusque sexûs ab hac re penitus immunia membra Deo dicata servare. Puto non esse magnum ut tota Paschalis Solemnitate possit conjugum castitas, quod potest totâ vitâ custitas.*

Idem docet *S. Cæsarius*, Sermone XLVI. in Appendice Augustinianorum CXLII alias De Tempore LXII. *Licèt credam*, inquit, *quòd Deo inspirante, semper supervenientibus Festivitatibus, castitatem ante plures dies, etiam cum propriis uxoribus custodiat Caritas vestra: tamen, licèt ex superfluo, etiam quod vos facere credo, caritatis contemplatione commoneo, ut per totam Quadragesimam, & usque ad finem Paschæ, castitatem Deo auxiliante servantes, in illa sacrosancta Solemnitate Paschali, caritatis luce vestiti, eleemosynis splendidi, orationibus, vigiliis & jejuniis, velut quibusdam cælestibus & spiritualibus margaritis ornati, non solùm cum amicis, sed etiam cum inimicis pacifici, liberâ & securâ conscientiâ ad Altare Domini accedentes, Corpus & Sanguinem ejus non ad judicium, sed ad remedium possitis accipere.*

Idem docet *S. Eligius* Noviomensis Episcopus Homiliâ XVI. *Si quando*, inquit, *anniversaria Festivitates, & Dominici dies occurrunt, ante aliquot dies etiam à propriis uxoribus vestris vos abstinere convenit, ut possitis mundo corde & casto corpore ad Mensam Domini accedere, & Corpus & Sanguinem ejus sine judicio damnationis accipere. Diebus autem Quadragesimæ vos omnibus modis à conjugum commixtione vestrarum, sicut decet Christianos, abstinere oportet. Nam ut quidam Sapiens ait, Similis reatus est fideli Christiano diebus Quadragesima etiam cum propria uxore concumbere, sicut & carnes in cibo sumere.*

Theodulphus Aurelianensis Episcopus in Capitulari, Cap. XLI. *Abstinendum est*, inquit, *in his sacratissimis diebus à conjugibus, & castè & piè vivendum, ut sanctificato corde & corpore isti sancti dies transigantur, & sic perveniatur ad diem sanctum Paschæ. Quia pene nihil valet jejunium, quod conjugali opere polluitur, & quod orationes, vigiliæ & eleemosynæ non commendant.*

Heraldus Turonensis Archiepiscopus in suo Capitulari, Diœcesanos suos hortatur: *Ut diebus Festis, & Jejuniorum à conjugibus se abstineant .... Et omnia prohibeantur illicita, parcaturque à licitis.*

Nicolaus I. Pontifex Maximus in Responsis ad Consulta Bulgarorum Cap. IX. continentiam Quadragesimali tempore à conjugatis servari decere ex mutuo consensu ostendit. *Si enim*, inquit, *ex consensu conjugatorum, etiam alio fortè tempore, mundo corpore vacatur orationi, quantò potiùs isto, quo Deo etiam carnis nostræ decimas damus, quo ipsum in abstinentia Dominum imitamur, quo non solùm illicita, verùm etiam multa à nobis quoque licita resecamus, omni est voluptati renuntiandum; & ut libenter orationi vacetur, castitati mentis & corporis incumbendum.*

Vetus Pœnitentiale Romanum ab *Antonio Augustino* editum, Tit. VII. Cap. X. viginti dies pœnitentiæ in pane & aqua imponebat conjugatis, qui totâ Quadragesimâ continentiam non servassent. In Ecclesia Orientali Paschali Communione privabantur, aliisque pœnis emendabantur, ut constat ex Responsis *Balsamonis* Antiocheni Patriarchæ ad Interrogationes Canonicas *Marci* Patriarchæ Alexandrini, in Resp. ad Quæst. X. Pag. 386. *Juris Orientalis*.

Solemnes celebrationes Nuptiarum Quadragesimali tempore prohibent sacri Canones, quia pœnitentiæ temporibus continentiam servari decet. Nam *sacrorum Canonum*, sive potiùs Pontificum & Episcoporum qui illos condiderunt, *intentio fuit, non tam Ecclesiæ Solemnitates, & Nuptiarum benedictiones, quàm carnales commixtiones prohibere*, inquit Concilium Toletanum anno millesimo quadringentesimo tertio celebratum, Canone decimosexto.

Celebrationes Nuptiarum & carnalis copula temporibus pœnitentiæ olim vetitæ.

Hanc doctrinam celeberrimorum Theologorum, & Juris Canonici consultissimorum Interpretum suffragio confirmat *Prosper Fagnanus* in Cap. *Capellanus*, Tit. *De Feriis*, in II Decretalium §. XI. *Tametsi*, inquit, *Sanchez existimaverit temporibus ab Ecclesia statutis nullatenus prohibitum esse Matrimonium consummare, idemque ante ipsum senserint Navarrus, Petrus Soto, Cardinalis Bellarminus, & quidam alii ex recentioribus à Sanchez citati: tamen illorum rationes sunt valde infirmæ, & ratio divi Thomæ superiùs considerata, Ne istis temporibus animus conjugum circa carnalia & voluptuosa occupetur, potissimùm viget in consummatione Matrimonii. Nam, ut legitur* Eccles. III. « Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab « amplexibus. *Quare contra prædictos stat communis Canonistarum sententia. Nam Glossa hîc, in verbo*, quocumque tempore, ait: *Et ita quolibet « tempore potest Matrimonium contrahi, sed Nuptia- « rum solemnitas tantùm his diebus, ne carnaliter « conjungantur, prohibetur.* Et recensitis Abbatis Siculi, Joannis Andreæ, Ancharani, Joannis de Anania, *S. Raymundi*, Hostiensis, aliorúmque testimoniis, colligit hanc esse unanimem Canonistarum sententiam, quam etiam ex Theologis propugnarunt *Petrus de Palude* in IV. Sententiarum, Dist. XXXII. Quæst. I. Art. IV. Num. 20. Cardinalis *Cajetanus* in Summa, verbo *Matrimonium*, Cap. ultimo, *S. Antoninus*, III. P. Tit. I. Cap. XVII. *Silvester*, verbo *Matrimonium*, 7. Quæst. Dubio 9. & alii.

Eámque probavit Sacra Congregatio Concilii. Nam ptoposito dubio, An Matrimonium coram Parocho quocumque tempore contrahi possit? *Sacra Congregatio censuit posse contrahi quocumque tempore Matrimonium, sed temporibus comprehensis* in Capite x. Sessionis xxiv. De Refotmatione Matrimonii, *Nuptiarum solemnitates, traductiones ad domum, & carnalem copulam prohiberi.*

Ex bis omnibus evidens est, penitus alienam esse à doctrina & mente Ecclesiæ opinionem molliorum quorumdam Casuitarum, qui asserere non sunt veriti, Conjugatos à lege jejunii esse immunes, quando illud servando nequeunt invicem reddere debitum.

Ætatis impossibilitas à jejunii lege dispensat.

II. Ratio altera ob quam aliquis à Jejunii lege sit immunis, secundùm Concilium Toletanum VIII. est *Ætatis impossibilitas.* Secundùm istam regulam pueri Jejunii lege non tenentur usque in finem tertii septennii, id est, usque ad annum vigesimum primum completum. Expedit tamen ut Jejuniis plus vel minùs assuescere doceantur pro ratione ætatis, & aliarum circumstantiarum, præsertim verò cùm in iis fervere incipit carnalis concupiscentia, ad quam domandam certos jejuniorum dies ipsis prudens Animarum Medicus præscribet, ex iis præsertim qui Ecclesiæ Lege Jejunio consecrati sunt. Ita docet *S. Thomas*, Secundâ Secundæ. Quæstione CXLVII. Articulo IV. in Responsione ad secundam objectionem. *In pueris* (inquit) *maximè est evidens causa non jejunandi, tum propter debilitatem naturæ, ex qua provenit quod indigent frequenti cibo, & non multo simul sumpto; tum etiam quia indigent multo nutrimento propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti. Et ideo quandiu sunt in statu augmenti, quod est, ut in pluribus, usque ad finem tertii septenarii, non tenentur ad Ecclesiastica jejunia observanda. Conveniens tamen est, ut etiam in hoc tempore se ad jejunandum exerceant plus vel minùs, secundùm modum suæ ætatis.* Hinc *S. Basilius* Oratione II. *De Jejunio*, ait: *Pueri velut plantæ virides jejunii aquâ irrigantur.* Pueri tamen abstinentiæ à cibis vetitis jejuniorum diebus lege tenentur, ex quo rationis usum attigerunt: immo & antequam ratione utantur, Ecclesiæ disciplina mósque Populi Dei erga illos servari debet, ut neque carnes, neque ova, aliive cibi jejuniorum diebus vetitis ipsis subministrentur, nisi id exigat ipsorum infirmitas vel languor: alioqui graviter peccant, qui hujusmodi cibos ipsis apponunt, quamvis nulla sit hac in re culpa innocentis ætatis.

Adolescentes Religiosi ad Jejuniorum Ecclesiasticorum & Regularium observantiam obligantur, non Ecclesiasticâ Lege, sed Religiosâ Professione. Unde si hujusmodi jejunia præcepta sint in Regula, vel Statutis sive Constitutionibus, eæque sub peccati mortalis reatu hæc injungant, lethalis peccati rei erunt, quoties hæc jejunia violaverint, quamvis nondum vigesimus primus ætatis annus illis expletus sit. Si verò ad pœnam dumtaxat seu Statutis ipsis, Constitutionibus, aut Regulâ Monasticâ præscriptam, seu pro Superiorum arbitrio imponendam obligent, rei non erunt lethalis peccati, sive Regularia Jejunia quacumque ætate, sive Ecclesiastica ante annum ætatis vigesimum primum completum violaverint, modò contemptus absit, & scandalum.

Senes quod attinet, nullum certum tempus definitum est, quo Jejunii lege soluti sint, cùm alii citiùs, alii tardiùs senescant. Senes vegetos Jejuniorum Ecclesiasticorum lege teneri minimè dubium est, etsi sexagesimum, vel etiam septuagesimum annum & ultra sint ætate provecti. Verùm decrepita, caduca & languida senectus, quæ magna per se infirmitas est, hominem à Jejunii lege dispensat. Unde Concilium Toletanum VIII. eos à jejunii obligatione immunes esse docet, *Quos ætas incurvat.* Alioqui senibus consuetudo & familiaritas jejunii levem facit laborem, inquit *sanctus Basilius* Oratione II. *De Jejunio.* Hinc Autor Sermonis inter eos qui *sancto Ambrosio* hactenus adscripti sunt, XXIII. De Sancta Quadragesima VII. *Pudet dicere*, inquit, *senes & aniculæ Quadragesimam faciunt: juvenes & juvenculæ non faciunt.* Denique *sancti Antonini* sententiam sequi tutum est, P. II. Tit. VI. Cap. II. §. 5. scribentis: *Senes, si sunt multùm debiles, eo modo possunt excusari, sicut dictum est de infirmis. Ratione autem senectutis tantùm non excusantur, si sunt fortes ad sufferendum jejunium. Nec est determinata ætas ab aliquo usque ad quos annos quis tenetur ad jejunium.* Cardinalis *Ximenes* Toletanus Archiepiscopus, ultra septuagesimum provectus ætatis annum, se Jejuniorum Ecclesiasticorum lege teneri existimabat, à qua eum absolvit *Leo X.* Pontifex Maximus, non ob solam senectutem, sed *ob varias corporis infirmitates*, in quas sæpè incidebat, ut constat ex Pontificio Rescripto, quod refert *Odericus Raynaldus* ad annum 1517. Numero 105.

Gravis infirmitas à jejunio dispensat.

III. Tertia denique dispensationis à jejunio Ecclesiastico ratio, est gravis infirmitas, *Vel languor extenuans*, ut loquitur Concilium Toletanum VIII. Concilium Gangrense Canone XIX. Anathemate confixit eos, qui Jejunia Ecclesiastica violarent *absque corporali necessitate.* Canon ex iis qui Apostolici inscribuntur, LXVIII. Clericum Jejunii Quadragesimalis violatorem deponi, Laicum segregari statuit à Fidelium communione, *Præterquam si propter imbecillitatem corporalem impediantur.* S. Gregorius Magnus hortatus est *Marinianum* Episcopum Ravennatem Epistolâ XXXIV. Libri XI. ut jejunium solveret ob eruptionem sanguinis quam patiebatur. *Quoniam* (inquit) *eruptionem sanguinis patientibus jejunia Medici dicunt esse omnino contraria: his Fraternitatem tuam hortamur affatibus, ut reducens ad animum ea quæ est solita de ægritudine sustinere, jejunandi sibi laborem minimè imponat. Si autem Deo miserante adeo melioratam se esse; ac virtutem suam sufficere posse cognoscit, semel aut bis in hebdomada jejunare permittimus. Sed illud te præ omnibus studere convenit, ut exasperationem sentire nullo modo debeas, ne ægritudo quæ modò levior est, & quasi suspensa creditur, per exacerbationem postmodum gravior sentiatur.*

Et Epistolâ XXVIII. Libri IX. *Nec hortor, nec admoneo, sed districtè præcipio, ut jejunare minimè præsumas, quia dicunt Medici huic molestiæ valde esse contrarium: nisi fortè si grandis solemnitas exigit, quinque in anno vicibus concedo.* Idem confirmat *Innocentius III.* Cap. *Consilium*, Extra, *De Observatione Jejuniorum*, Bracarensi Archiepiscopo respondens. *De illis* (inquit) *qui in Quadragesima, vel in aliis Jejuniis solemnibus infirmantur, & petunt sibi escam carnium indulgeri: respondemus, Quod cùm non subjaceat legi necessitas, desiderium infirmorum, cùm cogens necessitas exigit, supportare potes, & debes, ne majus in eis periculum evitetur.*

Concilium Mediolanense V. sub *S. Carolo Borromæo*, P. 5. Tit. *Quæ ad dies Festos & Sacra Tempora pertinent*, carne iisque omnibus quæ à carne originem trahunt, abstinere jubet omnes & singulos, *Quos urgens necessitas, vel imbecilla ætas à Quadragesimali lege non eximit.*

Id confirmat *Sanctus Thomas* in IV. Sententiarum, Distinct. XV. Quæst. III. Art. II. Quæstiunculâ IV. *Intentio Legislatoris* (inquit) *est conservare homines, & inducere ad bonum statum virtutis; qui quidem consistit in conservatione vitæ, & valetudinis sufficienti ad opera quæ quis facere debet. Nec tamen suo præcepto exigit ab homine totum quod potest; cùm non intendat ordinare statum hominis quantùm ad unum diem, vel ad parvum tempus, sed ad totam vitam; à quo deficeret, si semel homo totum quod posset, faceret. Et ideo sive* ÆGRITUDINE IMMINENTE, *sive labore viæ, sive quocumque alio, cum quo simul & jejunio prædictus status conservari non potest, non tenetur ex præcepto jejunare, sed secundùm dispensationem Superioris.*

S. Antoninus, P. II. Cap. II. infirmos & debiles pariter à jejunio excusat: *Sed pro qua infirmitate, vel quantâ debilitate excusentur* (inquit) *arbitrio boni viri statur.* A jejunii lege dispensari possunt, qui graves stomachi dolores, aut capitis vertigines, cordisque deliquia jejunando patiuntur, aut noctes adeo insomnes ducunt, ut inde periculum immineat valetudini: non verò qui toleranda, nec periculosa sentiunt interdum capitis aut stomachi incommoda, quibus nocere non potest jejunium, *quod animabus corporibus que curandis salubriter institutum est* (ut Ecclesia suis in Orationibus loquitur:) Non solitò brevior aut difficilior somnus, cùm jejunium ad macerandam carnem præceptum sit, parsque sit Pœnitentiæ somno minùs indulgere. Qui autem magnam partem noctis dormire non potest, nisi cœnet, indéque valetudini suæ probabiliter timet, non propterea jejunii lege solutus est, sed tenetur plenam refectionem in vesperum differre, & meridie leve jentaculum sumere potest, id scilicet quod Christiani probatæ conscientiæ vespere sumere consueverunt in cœnula. Non excusat etiam à jejunio sola jejunandi difficultas. Unde licèt Scholasticus jejunando non ita commodè studeat, sed cum magna difficultate; si mulier ex debilitate jejunii servitia domûs difficiliùs & incommodè operetur: si vir suum Officium artémque jejunando difficulter exerceat; ex hoc solo capite à jejunando non legitimè excusantur. Nec etiam uxor non valens se reddere gratam viro ob maciem vel pallorem; aut puella nubilis, quæ ex continuato Quadragesimæ jejunio decorem faciei notabiliter amitteret, hoc nomine à jejunio dispensari possunt.

Propositiones damnatæ.

Multò minùs aures Christianæ ferre possunt, quod quidam Casuum Arbitri non erubuerunt asserere, Eum qui malo fine laboraret, aut ad aliquem occidendum, vel ad insequendum amicam, seu libidinem explendo, posse ad vires reparandas jejunium solvere, secutâ defatigatione. Unde Lovaniensis Academia anno 1657. hos Articulos ab Episcopo Gandavensi ad se delatos censorio stigmate meritò inussit.

22. *Qui dormire nequit nisi vespere sumptâ cœnâ, non tenetur jejunare; imò neque in prandio collationem sumere, quamvis hoc modo isti incommodo obviare posset: quia non tenetur pervertere ordinem refectionum.*

23. *Defessus ex quocumque labore licito vel illicito, verbi gratiâ, cum feminis commixtione, liberatur à lege jejunii.*

DE DECALOGO.

REGULA IV.

Cùm dubium est utrùm sufficiens sit atque legitima causa solvendi jejunium, necessariò postulanda est dispensatio ab Episcopo, aut ejus Vicariis; vel à Parocho, si illi commodè adiri non possint, aut proprio cujusque Parocho hanc facultatem Episcopus concesserit. Aliàs qui abstinentiam aut jejunium Ecclesiasticum violant, manente dubio an legitimè excusentur, peccati lethalis rei sunt. Nec à peccato sunt prorsus immunes, qui causam habentes legitimam abstinentiæ solvendæ, licentiam non petunt ab Episcopo, aut Parocho, quos adire per se vel per alios facilè possunt.

De Christiana jejuniorum observantia.

ITa docet *Sanctus Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione CXLVII. Articulo IV. *Statuta communia* (inquit) *proponuntur secundùm quod multitudini conveniunt. Et ideo Legislator in eis statuendis attendit id quod communiter & in pluribus accidit. Si quid autem ex speciali causa in aliquo inveniatur, quod observantiæ Statuti repugnet, non intendit tamen Legislator ad Statuti observantiam obligare: in quo tamen est discretio adhibenda. Nam si causa sit evidens, per seipsum licitè potest homo Statuti observantiam præterire, præsertim consuetudine interveniente, vel si non posset facilè recursus ad Superiorem haberi. Si verò causa sit dubia, debet aliquis ad Superiorem recurrere, qui habet potestatem in talibus dispensandi. Et hoc est observandum in jejuniis ab Ecclesia institutis, ad quæ omnes communiter obligantur, nisi in eis fuerit aliquod speciale impedimentum.*

Ideo confirmat Concilium Mediolanense primum sub *S. Carolo Borromæo*, P. II. Tit. de Jejunio. *Ab his omnibus*, inquit, *eos excipimus, quos urgens necessitas, vel imbecilla ætas à jejunii lege eximit, eos etiam qui evidentis morbi, vel alterius justæ causæ excusationem habent; sed horum judicium Episcopo tantùm, vel iis quos ei muneri ipse præfecerit, scripto faciendum relinquimus: idque quod ad morbum attinet, de Medici consilio.*

Et Concilium Narbonense anno 1609. Cap. X. *Quadragesimale Jejunium, Vigiliæ & Quatuor Tempora, per abstinentiam & ciborum delectum observentur. Dictis temporibus cibi venales vetiti non exponantur, sed pro necessitate ægrotantium clam & sine scandalo ministrentur, habentibus expressam ab Ordinario in scriptis licentiam: quam nonnisi notâ necessitate, &, si fieri possit, Medicorum attestatione inspectâ conferent.*

Eamdem Regulam confirmat *sanctus Antoninus*, P. II. Cap. II. *Si sit dubium*, inquit, *utrùm sit causa necessaria, petenda est ab Episcopo loci, si commodè haberi potest, dispensatio, vel à proprio Sacerdote, si tamen adiri non potest Episcopus. Non tamen quærat cæcum pro consilio in hujusmodi.*

REGULA V.

Gravis peccati rei sunt Medici, qui consilio suo, aut testimonio præbent occasionem violandæ abstinentiæ, frangendive jejunii Ecclesiastici, absque legitima causa.

ITa docet *S. Antoninus* P. II. Tit. VI. Cap. II. §. 6. *De consilio*, inquit, *rationabili Medicinæ infirmus solvens jejunium, vel comedens carnes diebus prohibitis non peccat; sed peccaret Medicus, si sine causa rationabili, vel saltem dubiâ, talia mandat vel ordinat infirmis.*

Id confirmat *S. Carolus Borromæus*, in Edicto super Observatione Quadragesimæ, quod legitur

De Christiana jejuniorum observatione.

tur Actuum Ecclesiæ Mediolanensis P. III. pag. 361. & 363. *Medici (inquit) meminerint, ita suarum esse partium corporis incolumitati prospicere, ut ne obliviscantur potiorem haberi debere Animarum salutem. Quapropter caveant diligenter ne alienæ culpæ participent, nimia facilitate sua in fide facienda necessitatis utendi cibis vetitis.*

Idem confirmat Concilium Avenionense anno 1594. Cap. XLIV. *Medicos omnes (inquit) Episcopi aliquot ante diebus accersant, eósque diligenter moneant, ne propriæ salutis immemores, nimiâ facilitate cujuspiam malè affectam valetudinem affirment, iis indulgentes qui fingunt laborem in præcepto.*

Et Concilium Narbonense anno 1609. Cap. 2. *Medicos omnes quibusdam diebus ante Quadragesimam Episcopi ad se venire mandent, & moneant ne propriæ salutis immemores, facilitate nimiâ, cujuspiam malè affectum testentur sanitatem, ne sibi parent gehennam, alios nimiâ adulatione perdentes.*

REGULA VI.

Qui carnes diebus Abstinentiæ reservatis cum licentia comedunt, Jejuniúmve solvunt, soli comedere debent, & in loco separato, ne cui scandalo sint.

HAnc Regulam tradit Concilium Mediolanense II. sub *sancto Carolo Borromæo*, Decreto XX. P. 2. *Quibus ob infirmam valetudinem, aut ob aliam justam causam permissum erit Quadragesimæ diebus, carne, aut aliis eo tempore vetitis cibis vesci; eos Parochi piè illud admoneant, ne publicè, neve etiam cum domesticis, sed separatim in remotiori-aditum loco, ejus generis cibum capiant; ut ob corporis imbecillitatem, aut morbum potiùs quo laborant, quàm ob ingluviem facere cognoscantur.*

Et Concilium Mediolanense V. P. 1. Tit. Quæ ad dies Festos, & sacra Tempora pertinent: *Ægroti cùm per invaletudinem corporis jejunare non possint, quodam intimi animi dolore, gemitúque, ut sanctus Augustinus monet, cibum capiant, pro eo quod aliis jejunantibus ipsi abstinere non possint. Caveant autem, quod alio Provinciali Concilio, ex ejusdem sancti Augustini sententia cautum est, ne alios suo exemplo ad violandum jejunium provocent.*

S. Augustini nomine citat Sermonem aliàs LXII. *De Tempore*, nunc in Appendicem rejectum CXLII. in Quadragesima III. qui est *S. Cæsarii Arelatensis*, cujus hæc sunt verba: *Qui jejunare non prævalet, secretiùs sibi soli, aut si est alius infirmus, cum ipso sibi in domo sua præparet quod accipiat, & illos qui sani sunt, & jejunare prævalent, ad prandium non invitet, quia si hoc fecerit, non solùm Deum, sed etiam homines intelligere possunt illum non pro infirmitate non posse, sed pro gula jejunare non velle. Sufficiat illi, quòd ipse jejunare non prævalet: & magis cum gemitu & suspirio & animi dolore manducet, pro eo quod aliis jejunantibus, ille abstinere non potest. Quid opus est unicuique infirmo aliquem sanum rogare ad prandium, ut sibi etiam augeat de alterius gula peccatum?*

Idem confirmat Concilium Tolosanum anno 1590. celebratum, P. II. Cap. XIII. *Qui carnem (inquit) prohibitis diebus ex licentia comedent, soli, ne ulli scandalo sint, locóque separato comedent.*

REGULA VII.

Die Natalis Domini in Feriam sextam incidente, Christianis omnibus carnem comedere licet, iis exceptis, qui voto aut Regulari Observantiâ prohibentur. Idem esto judicium de Sabbato post Natale Domini ad Purificationem usque Deiparæ Virginis, secundùm morem quarumdam Ecclesiarum.

De Christiana jejuniorum observantia.

PRima pars Regulæ firmatur Cap. *Explicari*, Extrà, *De Observatione Jejuniorum*, quod *Honorii III.* Responsum est Pragensi Episcopo datum. *Respondemus*, inquit, *quòd illi qui nec voto, nec regulari observantiâ sunt adstricti, in sexta Feria, si Festum Nativitatis Dominicæ die ipso venire contigerit, carnibus propter Festi excellentiam vesci possunt, secundùm consuetudinem Ecclesiæ generalis. Nec tamen hi reprehendendi sunt, qui ob devotionem voluerint abstinere.* Duplex hominum genus Canon excipit, scilicet eos qui ex voto ad perpetuam abstinentiam, vel ad jejunium singulis sextis Feriis sunt adstricti, quia quæ sine conditione voventur, sine conditione solvuntur, ut ait Glossa. Nam ea quæ in voto emisso nihil exceperunt, generaliter tenentur. Secundò excipit eos qui Observantiâ Regulari ad abstinentiam perpetuam obligantur. Et si quidem Regula non obligat transgressores ad aliquam culpam, ut in Ordine Fratrum Prædicatorum, in quo similes transgressiones non obligant ad culpam neque mortalem, neque venialem, sed solùm ad pœnam præscriptam sustinendam, teste *S. Thoma* Secundâ Secundæ, Quæstione CLXXXVI. Articulo 12. ad primum, utque in Constitutionibus Ordinis cautum est: *Tunc certum est Religiosis licere absque peccato vesci carnibus in die Nativitatis Domini.* Canone, *Quisquis præceptis*, §. *Quod præcipitur*, Causa XIV. Quæst. 1. & Canone *Denique*, §. *Hæc etsi legibus*, IV. Distinctione. *Neque hoc casu habet locum exceptio, de qua hîc, quia loquitur tantummodo de his qui ad abstinentiam obligantur ex voto vel ex Regula* (inquit Vir Juris Consultissimus *Prosper Fagnanus*, in Cap. *Explicari.*) Ratione tamen intemperantiæ, scandali, contemptûs, vel præcepti Superiorum, esum carnium tali speciatim die prohibentium, peccare possunt. Viri illi Religiosi, die Natalis Domini carnem edentes, lethaliter quidem ob violationem præcepti, vel ob contemptum, grave scandalum, aut notabilem intemperantiam; venialiter verò si leve scandalum sit; aut levis intemperantia. At si Regula transgressores obligat ad culpam, ut contingit quoties utitur verbis præcepti vim habentibus: quemadmodum Fratres Minores obligari ex Voto Professionis ad omnia quæ in Regula ipsis præcipiuntur, seu verbis obligandi vim habentibus indicatur, declaravit *Nicolaus III.* Cap. *Exiit*, Tit. *De Verborum Significatione*, in Sexto: inter quæ Regulæ Capita obligationem jejunandi singulis sextis Feriis recenset *Clemens V.* in Clementina *Exivi*: Viri illi Religiosi carnibus vesci absque lethali peccato non possunt die Dominicæ Nativitatis in sextam Feriam incidente. Idem de Carthusianis, & Minimis sancti Francisci de Paula alumnis dicendum, qui voto perpetuæ à carnibus abstinentiæ se obstrinxerunt.

Regulæ pars altera nititur Ecclesiarum quarumdam consuetodine, quam tutò sequi possunt, qui in illis vivunt Ecclesiis, secundùm illud *sancti Augustini* Epistolâ ad *Januarium*, LIV. aliàs CXVIII.

De Christiana jejuniorum observatione.

Nec Disciplina (inquit) *ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam fortè devenerit.* Sic *Augustino* ob *Monica* matris dubitationem interroganti respondit sanctus Ambrosius: *Cùm Romam venio, jejuno Sabbata: cùm hîc sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.* Quam Sententiam ita se semper habuisse, tamquam eam cælesti oraculo accepisset, *sanctus Augustinus* ibidem testatur.

Id confirmat *Innocentius III.* Cap. *Consilium*, Extra *De Observatione Jejuniorum*, Archiepiscopo Bracarensi respondens, roganti quomodo gerere se deberet erga illos qui Sabbato carnes propter debilitatem comedebant, quo tempore abstinentia generali Ecclesiæ lege ac more Sabbatis nondum indicta erat, & ab omnibus Ecclesiis recepta. *Item de illis, qui propter debilitatem in Sabbato carnes sumunt, quod in partibus tuis nullatenus fieri consuevit: cùm hoc ab aliis molestè feratur, & oriatur inde illis occasio detrahendi, respondemus: Quòd super hoc consuetudinem tuæ regionis facias observari, sic tamen quòd debilibus & infirmis propter periculum non emergat.*

In eadem specie *sanctus Antoninus* P. II. Tit. VI. Cap. II. §. III. *Item* (inquit) *in Sabbatis comedere carnes in locis ubi est consuetum universaliter non comedi, mortale est*, De Consecratione, Distinct. v. Quia dies. *Secus si consuetudo patriæ habet quòd comedantur, ut in Francia, Catalannia, & aliis partibus, quia tunc statur consuetudini.*

Omnes tandem Ecclesiæ abstinentiam Sabbati diebus amplexæ sunt, sed in quibusdam Plebs Christiana veterem sibi libertatem comedendi carnes diebus Sabbati à Nativitate Domini ad Purificationem Deiparæ Virginis retinuit, tolerantibus, seu permittentibus Episcopis. Unde *Stephanus Poncherus* Parisiensis Episcopus in Statutis suis Synodalibus anno millesimo quingentesimo: *Et etiam toleramus* (inquit) *diebus Sabbatinis carnes comedere à Festa Nativitatis Domini ad Purificationem Beata Maria, aliis verò temporibus prohibemus.* Quod statutum iisdem pene verbis renovavit *Eustachius Bellaius* ejusdem Ecclesiæ Episcopus, qui Tridentino Concilio, duobus postremis quibus celebratum est annis interfuit.

Et Synodus Carnotensis anno 1526. *Declaramus item*, inquit, *ad tollendum quarundam scrupulum, bonarum mentium, quibus est timere culpam ubi culpa non est, ex antiqua consuetudine observari in hac Diœcesi & Provincia Senonensi consuetum esse, uti carnibus, quotiescumque dies Purificationis superbeatæ & gloriosæ Virginis Mariæ incidit & evenit die Sabbati, nisi aliter ex pia & religiosa devotione quis voluerit abstinere.*

De Religiosis Viris, qui carnes comederint Sabbatis illis, in locis ubi ex antiqua consuetudine à Fidelibus reliquis comeduntur, idem esto judicium, ac de iisdem carnes comedentibus Feria sexta in quam Nativitatis Dominicæ Festum inciderit. Immò in his majori favori locus esse videtur, cùm ab hujusmodi consuetudine non sint excepti Synodicis Statutis, aut Pontificum Rescriptis. Obligantur itaque vel ex voto, vel ex Regulari Observantia. Si ex voto, aut præcepto Regulæ, lethaliter peccant edendo carnes Sabbatis illis, etiamsi in Ecclesiis illis versentur, ubi fidelium vulgus carnes comedit: si verò Regula sub peccati mortalis reatu non obligat, lethaliter non peccant, nisi ob præceptum Superioris esum carnium illis diebus prohibentis, vel ob contemptum, aut grave scandalum, vel denique ob gravem intemperantiam.

Regula VIII.

Cùm in aliqua urbe, oppido, pago, sive loco carnes comedere non liceat Sabbatis illis inter Natale Domini & beata Virginis Purificationem incurrentibus, aut aliis diebus, quibus Diœcesanâ Lege, aut consuetudine Abstinentia aut Jejunium servatur ex præcepto, civibus aut oppidanis non licet ad loca vicina divertere ea fine ut carnibus vescantur, vel à Jejunio se eximant.

Cum enim in fraudem jejunii id facerent, gravis certè peccati rei essent. Unde similem intemperantiam verbis gravissimis damnavit Concilium Mediolanense I. Præside sancto Carolo Borromæo, Part. II. Tit. de Jejunio. *Edicimus* (inquit) *ut in Provincia nostra, proxima quarta Feria post Quinquagesimam, omnes Quadragesimalis observationis initium faciant, præter Civitatem Mediolanensem, eásque Diœcesis partes, ubi ex Divi Ambrosii instituto divina Officia celebrantur. Illorum verò damnamus ingluviem, qui primis quinque Quadragesima diebus, Romana Ecclesia more instituti, Mediolanum se conferunt, patria Ritum in Jejunio & ciborum abstinentia fugientes.*

Regula IX.

Qui licentiam comedendi carnes diebus jejunio consecratis ab Episcopo ob causam legitimam obtinuerunt, non sunt immunes à jejunii lege censendi, si jejunare valeant.

Firmissimis rationibus hæc Regula fulcitur. Prima ratio hæc est: Jejunium duo distincta præcepta complectitur, alterum iteratas comestiones, alterum carnium esum prohibens, nec unum pendet ab altero: siquidem Quadragesimales Dominicæ à jejunii, non ab abstinentiæ lege liberæ sunt. Non sunt igitur immunes à jejunii lege, quicumque ob causam legitimam dispensationem à Prælatis Ecclesiasticis obtinuerunt, ut carnes diebus jejunio dicatis comedant. Distincta esse præcepta vel hæc Concilii Tridentini verba Sessione XXV. indicant: *Iis præcipuè sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus, & jejunia, &c.*

Secundò, dispensatio ab Ecclesiæ legibus justam causam requirit, & causæ cognitionem, alioqui Superior Ecclesiasticus erit infidelis dispensator, immò crudelis dissipator. Si quis igitur ob legitimam causam a Prælatis obtinuerit licentiam comedendi carnes, & tamen causa nulla subsit cur à jejunii sive unicæ refectionis lege cum ipso dispensetur, tenetur nihilominus jejunare. Cùm enim ad delenda & cohibenda peccata, & refrænandam concupiscentiam jejunium sit institutum, cùm Superiores Ecclesiastici in jejunio dispensant, id quod saluti corporis necessarium est concedere censentur: si concedere vellent quod non est necessarium, Ecclesiæ menti adversarentur, & carni adversùs spiritum faverent.

Tertiò, Lex plura continens, in eo servanda est, in quo servari potest. Sic is, qui diebus Festis opera servilia exercere cogitur, & potest audire Missam, tenetur audire. Qui votum penitus servare nequit, eam partem quam potest

De Christiana jejuniorum observatione.

servare debet. Exemptus Principis beneficio ab una lege, noo est ab aliis ejusdem Principis legibus liber. Qui totum æs alienum dissolvere nequit, tenetur solvere partem quam potest. Excusatus ab una parte Horarum recitanda, ab omnium recitatione non semper excosatur. Qui omnibus Quadragesimæ diebus jejunare non potest, iis diebus jejunare tenetur, quibus potest. Igitur pari ratione, qui non potest absque valetudinis dispendio abstinere a carnibus, & tamen jejunare potest, non est immunis à jejunii lege, quamvis Superiorum Ecclesiasticorum veniâ sit à lege abstinentiæ dispensatus.

Quartò, dispensatio stricti joris est, strictéque accipienda, non extendenda. Nam *Quæ exorbitant à Jure communi, non sunt trahenda ad consequentiam*, ut habetur Cap. *Ea quæ*, Tit. *De Regulis Juris*, in Sexto. Dispensationem igitur tanquam *exorbitantem à Jure, oportet velut odiosam restringi*, ut dicitur Cap *Is qui*, Tit. *De filiis Presbyterorum, &c.* in Sexto. Dispensatio igitor ab abstinentiæ lege ob infirmitatem concessa illi qoi duplici refectione oon eget, ipsum à jejunii lege non absolvit, nec ad duplicis refectionis licentiam extendenda est.

RAGULA X.

Una refectio ita essentialis est jejunio, ut qui plures refectiones sumunt, diebus jejunio consecratis, & jejunare tenentur, violatores jejunii, & lethalis peccati rei censendi sint.

HÆc semper fuit Ecclesiæ Sententia, licèt disciplina variaverit quoad horam refectionis. *Sanctus Paulinus* Epistolâ VI. ad *Amandum*, de Clerico quem Quadragesimali tempestate exceperat hospitio, scribit: *Quotidiana jejunia non refugit, & pauperem mensulam vespertinus conviva non horruit.* Ante Paulinum *sanctus Gregorius Nyssenus* Oratione in principio jejunii, reprehendit eos qui refectionis dilationem usque ad vesperam impatienter ferebant: *Gravantur* (inquit) *Sole tardius ad occasum tendente. Dies solito longiores appellitant.* Et *sanctus Basilius* Homiliâ I. De Jejunio: *Expectas* (inquit) *vesperam ut cibum capiat.* Sanctus Ambrosius Sermone VIII. in Psalmum CXVIII. *Indictum est jejunium, cave ne negligas: & si te fames quotidianum cogit ad prandium, ut intemperantia declinet jejunium, tamen cælesti magis te serva convivio. Ne cælestibus fias vacuus Sacramentis: differ aliquantulum, non longè est finis diei.*

Sanctus Bernardus Sermone III. *De Quadragesima*, ita Monachos suos alloquitur: *Hactenus usque ad Nonam jejunavimus; nunc usque ad vesperam jejunabant nobiscum universi, Reges & Principes, Clerus & Populus, Nobiles & ignobiles, simul in unum dives & pauper.* Qui porro ad vesperam usque jejunabant, semel tantùm reficiebantur.

Id confirmat *Robertus* Cardinalis *Pullus* sancto Bernardo coævus, *Sententiarum* P. VIII. Cap. IX. *Ego* (inquit) *jejunaturos bis in die edere, rationem non puto.*

Idem confirmat *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione CLVII. Articulo VI. tum ex communi consuetudine Populi Christiani, tum quia *Jejunium ab Ecclesia instituitur ad concupiscentiam refrenandam, ita tamen quod natura salvetur. Ad hoc autem sufficere videtur unica comestio, per quam homo potest naturæ satisfacere, & tamen concupiscentiæ aliquid detrahi: diminuendo comestionum vices. Et ideo Ecclesiæ moderatione statutum est, ut semel in die à jejunantibus comedatur.*

De Christiana jejuniorum observatione.

Quamobrem qui sine caosa legitima refectionem tanto intervallo dividunt, ut moraliter loquendo non sit unica refectio, sed plures, tametsi singulæ non siot omnino plenæ, violare jejonium censendi sunt: sicut qui horâ undecimâ prandii partem sumerent, reliquum verò post intervallum duarum horarum, nullâ necessitate emergente, quæ ipsos prandium intromittere cogat. Unde inter Propositiones ab *Alexandro VII.* Pontifice Maximo die vigesimâ quartâ Septembris anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto proscriptas hæc damnata est:

Propositio damnata.

In die jejunii, qui sæpiùs modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

Hanc propositionem Clerus Gallicanus anno 1700. pariter damnavit ut *falsam, temerariam, scandalosam, jejunii leges pravis artibus eludentem.*

Falsum igitur est & omnioo explodendum tam in speculatione quàm in praxi, quod quidam Casuum Arbitri scripserunt, jejunium oon violare, qui statim finito prandio parum edit, rogatus ab amico comedente; vel qui sæpiùs bibens extra tempus refectionis, aliquid cibi præsumit, ne noceat.

Mensæ tamen lectores & ministros, qui frustulum panis, & cyathum vini aquâ temperati præsumunt, non ante horam legitimam, sed ante plenæ refectioois opportunitatem, ne deficiant (quod quidem *Mixtum* in Regula *S. Benedicti* vocatur, Cap. XXXVIII.) jejunium non violare, communis est Theologorum sententia, quia id ad unam & eamdem moraliter refectionem pertinere censetur. Quanquam *Mixtum* illod Ecclesiastici jejunii diebus sumi non permitteret Monastica Disciplina, sed diebus tantùm Jejuniorum Regularium, ut constat ex Nomastico Cisterciensi.

RAGULA XI.

Qui secundâ refectione violavit jejunium, toties peccare videtur, quoties postea comedit.

PRæceptum namqoe jejunii etsi videatur affirmativom, quoad formam verborum (ut loquimur in Scholis) in se tamen continet hanc negationem, Plures refectiones non sumes: alia porro præcepta negativa violantur non per primum dumtaxat vel secundom actum eis oppositum, sed per alios quotiescumque iteratos. Pari ergo ratione præceptum jejunii violare censendus est, non solùm qui secundam, sed etiam qui tertiam, quartam, vel quintam refectionem sumit; & toties lethale peccatum committit, quoties refectionem iterat. Sanè cùm Ecclesia jejunii diebus unicam tantùm refectionem permittat, prohibet omnes alias: singulis igitur refectionibus, præter primam, Ecclesiæ præceptum violatur. Sicut ex eo quod Ecclesia permittit Sacerdotibus ut semel dumtaxat quolibet die Missam celebrent, rectè colligitur eos qui pluries celebrare audent, toties lethaliter peccare, qootics post unam Missam præsumpserint alteram celebrare, sive secundam, sive tertiam, sive quartam. Et sicut ex eo quod Episcopus pro una vice dumtaxat permisit alicui ingressum in septa Monialium, rectè colligitur eum lethaliter peccaturum si sæpiùs ingrediatur, & toties quoties absque licentia intrabit. Frostra verò quis obji-

De Christiana jejuniorum observantia.

ciat, Semel violatum jejunium non posse ampliùs servari. Quamvis enim non possit servari perfectè eà die quâ violatum est, potest tamen servari quoad aliquid, scilicet non sumendo alias refectiones, quæ præcepto jejunii sunt pariter prohibitæ.

Contrariam quidem opinionem à nonnullis Casuum Arbitris asseri scio, sed hæc probabilior & tutior est, judice Venerabili *Gersono* Parisiensis Ecclesiæ & Academiæ Cancellario, in Regulis Moralibus. *Probabile est* (inquit) *comedentem ter in die jejunii, sine causa, non esse prævaricatorem Præcepti in tertia comestione, sicut in secunda; quamquam oppositum tenere sit securius.*

REGULA XII.

Cœnula seu vespertina Collatio (ut vulgò loquimur) non solvit jejunium, modò cœnula non vertatur in cœnam.

HÆc enim communis est Populi Christiani consuetudo ab Ecclesia tolerata. Collationis nomen Antiquis eo sensu ignotum. Hæc ex Virorum Religiosorum usu ortum habuit, quibus, propter laborem manuum, illis jejuniorum diebus permittebatur, ut ante Lectionem & Collationem spiritualem, quæ vespere ante Completorium fieri solebat, potum sumerent, qui indigebant, ut constat ex Conventu Aquisgranensi Abbatum Franciæ anno octingentesimo decimo septimo, Cap. XII. ex Regula Magistri, Cap. XXVII. ex Regula *Petri de Honestis*, Cap. XVIII. ex antiquis Consuetudinibus Cluniacensis Monasterii ab *Udalrico* Monacho conscriptis, Libro III. Cap. XXI. Potui quem diebus jejunii, extra refectionis horam, sumebant Monachi, frustulum panis postea addiderunt, ne potus noceret, ut in Constitutionibus Patrum Carthusiensium, aliorúmque Ordinum videre est: & ne tempus vitæ regularis officiis destinatum ea in actione tererent, lectionem spiritualem, quæ in Claustro vel Capitulo fieri solebat, his diebus in Refectorio habuerunt; sempérque vesperrinum illum ad Refectorium aditum, jejunii diebus, his verbis significarunt, *Ire ad collationem*; aut, *Accedere ad lectionem Collationum.* Sic nomen collationis à lectione ad serotinam illam refectiunculam translatum est, & à secularibus eo sensu usurpatum, cùm eò usque progressa est relaxatio, ut meridie pranderent, & vespere nihilominus cœnaculam sumerent. Hujus cœnulæ licentia apud Græcos priùs invaluit, quàm apud Latinos, circa medium scilicet undecimi sæculi, ut ipsis exprobrabat *Humbertus* Cardinalis Silvæ Candidæ Episcopus. *Quadragesimam* (inquit) *diligenter observare contendimus, quam ut aliquis exceptâ gravi infirmitate in aliquo infringat, sufferre nequimus. Nec licet cuiquam apud nos, sicut apud vos, post unam refectionem, quidquam pomorum aut herbarum, diebus jejuniorum percipere.* Qua de consuetudine *Theodorus Balsamon* Patriarcha Antiochenus in Responsis ad Interrogationes Canonicas Marci Patriarchæ Alexandrini, Cap. LIV. ait: *Propriè continentia jejunium est, quia & afflicticida, non homicida vocatur. Si ergo qui continenter vivunt, ad corporis sustentationem secundaria mensâ indigeant, præjudicium non patiuntur. Omnino tamen nec ipsi continuatam tota die temperantiam per vespertinam intemperantiam deformabunt. Id enim si fecerint, coërcebuntur.*

Cœnulæ seu collationis licentia.

In serotina collatione, tempore jejunii, duabus vel tribus vicibus bibere permittit *S. Bonaventura* iis qui indiguerint. Sic enim scribit in Speculo Disciplinæ ad Novitios, P. I. Cap. XXI. *Ad collationem tempore jejunii faciendam, duabus tantùm vel tribus, si indiges, bibere vicibus, temperantia congruit & honestati.* De Regularibus, non de Ecclesiasticis Jejuniis loqui Seraphicum Doctorem probabile est. Cibi cum potu sumpti non meminit. Electuaria tamen sive bellaria quædam, ciborum digestionem juvantia potiusquam alentia, jejuniorum diebus post refectionis unicæ tempus sumi posse illæsâ jejunii observantiâ, modo nec in magna quantitate, nec in fraudem jejunii sumantur, autor est *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione CXLVII. Articulo VI. ad tertium: *Electuaria* (inquit) *etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi fortè aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.* Hac in re standum consuetudini, Venerabilis *Gersonius* in Regulis Moralibus censet: *De comestionibus specierum* (inquit) *& similibus consuetudo teneatur, & delectationis nimia libido vitetur.*

Cibi aliquid sumi in cœnula, usus obtinuit ab Ecclesia non improbatus. Quantitas certâ mensurâ definiri potest: sed consuetudini totet viros pios, & Ecclesiasticæ jejunii Disciplinæ observantissimos receptæ standum; & quantitas ita modica sumenda est, ut cœnula non vertatur in cœnam, imò nec æquivalet ei quod pro jentaculo solet accipi diebus jejunio non dicatis. *S. Carolus Borromæus* in Disciplina Familiæ suæ Archiepiscopalis, P. I. Tit. *De gubernatione spirituali*, in cœnula *Panis unciam cum dimidia, & vini poculum tantùm*, concedit iis qui indiguerint. Id tamen scrupulosiùs urgere nolim, & Fidelibus singulis hanc legem imponere, ut panem, quem in cœnula sumpturi sunt, ponderent. Nam hac etiam in specie locum habere puto Regulam illam à *S. Thoma* traditam, Secundâ Secundæ, Quæstione CXLVII. ad primum: *Quantitas cibi non potuit eadem omnibus taxari, propter diversas corporum complexiones, ex quibus contingit quod unus majori, alter minori cibo indiget.*

Quod spectat qualitatem ciborum, consuetudo inter pios observata pro regula sumi etiam potest, & cum modico panis fructus aliqui sumi, vel herbæ, aliique cibi leviores; non pisciculi etiam pauci, non legumina, non butyrum, non lac, non juscula ex amygdalorum cremore, aut leguminibus, & similia.

REGULA XIII.

Refectionis tempus, secundùm hodiernam Ecclesiæ disciplinam, est Meridies. Quam horam si quis multùm anticipaverit, sine causa legitima, jejunii violator censendus est, lethalisque peccati reus.

MUltorum sæculorum spatio Quadragesimalia jejunia ad vesperàm usque protrahebantur. Missa celebrabatur horâ nonâ, seu tertiâ pomeridianâ; Missam vespertinum sequebatur Officium, postea refectio sumebatur; cujus anticipare tempus, piaculum erat. Unde *Theodulphus* Aurelianensis Episcopus in Capitulari, Cap. XXXIX. *Solent plures* (inquit) *qui se jejunare putant, mox ut signum audiunt ad Nonam manducare: qui nullatenus jejunare censendi sunt, si ante manducaverint, quàm vespertinum celebretur Offi-*

De Christiana jejuniorum observantia.

cium. Concurrendum est enim ad Missas, & auditis Missarum solemnibus, seve vespertinis Officiis, largitis eleemosynis, ad cibum accedendum est. Si verò aliquis necessitate constrictus fuerit, ut ad Missam convenire non valeat, æstimatâ vespertinâ horâ, completâ oratione suâ, jejunium absolvere debet. Refertur Canone *Solent*, Distinct. I. *De Consecratione*, velut ex Concilio Cabilonensi.

Refectionis hora.

Medio circiter sæculo x. refectionis hora Jejuniorum Ecclesiasticorum diebus erat hora nona seu tertia pomeridiana, saltem in Italia, remissâ jam prioris disciplinæ severitate, ut constat ex *Ratherio* Veronensi Episcopo, Sermone I. de Quadragesima. *Vituperamus* (inquit) *& illorum ridiculosam nimium stultitiam, qui contra concessam nonâ horâ diei omnibus sumendi quidlibet licentiam, usque ad noctem quotidie jejunium eligunt protelare, ut nocte quasi cum licentia ventrem valeant ingurgitare.*

Concilium Rothomagense anno millesimo septuagesimo-secundo statuit, *Ut nullus in Quadragesima prandeat, antequam horâ nonâ peractâ, vespertina incipiat. Non enim jejunat* (inquit) *qui ante manducat.* Tempore *S. Thomæ* jejunantes refectionem sumebant *circa horam nonam*, seu tertiam pomeridianam, quâ Passio Christi completa est, cùm inclinato capite tradidit spiritum. Ex Ecclesiæ tandem indulgentia loco nonæ substituta est hora sexta, seu Meridies, circa quam horam crucifixus est Christus. Priscam autem disciplinam in hoc remitti passa est Ecclesia, & oculis aspexit æquis, propter plurimorum infirmitatem qui ad horam tertiam pomeridianam usque jejunare absque gravi incommodo non poterant. Hanc enim sufficientem & legitimam censuit remittendæ austerioris disciplinæ causam, prout judicaverat *S. Thomas* ob hanc, similésque rationes posse cum aliquibus dispensari ut ante horam tertiam comederent. Unde *Stephanus Poncherus* Parisiensis Episcopus in Statutis Synodalibus de Jejuniorum Ecclesiasticorum observantia loquens: *Sic* (inquit) *semel in die refectionem corporis capiatis, & si tempus congruum habueritis, ut S. Thomas & alii Doctores nos instruunt, circa Meridiem capiatis.* Et *S. Carolus Borromæus* in Disciplina Familiæ suæ Archiepiscopalis, P. I. Tit. *De gubernatione spirituali*, statuit *Ut per omne Quadragesimæ tempus, Dominicis diebus exceptis, semel tantùm in die, post Meridiem, cibum capiant.* Cùm autem indulsit Ecclesia ut post Meridiem, sive horâ ipsâ duodecimâ meridianâ, aut circa hanc horam, diebus jejunii refectio à Christianis jejunantibus sumi posset, vespertinum Officium circa Meridiem celebrare cœpit, ut illud veteris disciplinæ vestigium & monimentum quasi in perpetuum maneret, ne ante comederent *quàm vespertinum celebretur Officium*: quod tempus si multùm anticipaverint absque legitima causa, *Nullatenus jejunare censendi sunt*, ut habetur Canone *Solent*, Distinct. I. *De Consecratione*.

Refectionis hora legitima diebus jejunii.

Explodendum igitur est, quod asserere quidam non dubitarunt, Non solvi jejunium, cùm anticipatur sine causa hora comedendi die jejunii: Prandium sumi posse unâ horâ circiter ante Meridiem in hyeme, tempore jejunii: Religiosos Mendicantes, & qui eorum privilegia participant, jejuniorum diebus posse duabus horis hyeme, tribus æstate, ante Meridiem mensæ accumbere, ex causa studii, negotii, &c. etiam sine peccato veniali. Hæ, inquam, opiniones omnino proscribendæ & explodendæ sunt, ac pro certo habendum quod *S. Thomas* docet in quartum *Sententiarum*, Dist. xv. Quæstione III. Articulo quarto, Quæstiunculâ tertiâ. *Ille* (inquit) *jejunium solvit, qui Ecclesiæ determinationem non servat. Unde cùm Ecclesia instituerit certum tempus comedendi jejunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit. Non enim Ecclesia arctare intendit ad subtilem temporis inspectionem, nec oportet Astrolabium accipere ad horam comestionis cognoscendam. Unde sufficit si circa illam horam quam Ecclesia instituit, jejunans sumat cibum, etiamsi aliquantulum propter aliquam necessitatem anticipet.* Paululum ergo anticipare horam prandii absque necessitate aliqua, seu causa legitima, verbi gratiâ, horâ dimidiâ ante Meridiem prandere, veniale peccatum est. Æstimato Meridie mensæ accumbere, nullum peccatum est: *Ad jejunium enim requiritur hora determinata non secundùm subtilem examinationem, sed secundùm grossam æstimationem*, ut loquitur *Sanctus Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione CXLVII. Articulo VII. in Responsione ad secundam objectionem. Notabilis anticipatio, horæ scilicet integræ, lethale peccatum est.

Graviùs porro ceteris peccant Ecclesiastici ac Religiosi Viri, qui refectionis tempus diebus jejunii anticipant; quia sæcularibus hominibus ac laïcis, quibus exemplo esse debent, pravum præbent exemplum anticipandi refectionis horam ab Ecclesia præscriptam, jejuniique solvendi, & remittendæ sensim disciplinæ quasi ex auctoritate illorum qui religiosiores Jejunii Ecclesiastici observatores habentur: qui verò pietatem profitentur laici, absque scandalo non vident Religiosos Viros ad gratias post prandium agendas in Ecclesiam ante Meridiem convenire, cùm ipsi ad Missam audiendam concurrunt, postea refectionem sumpturi. Sanè cùm hora sumendi cibi in Cœnobiis, Clericorúmque Congregationibus vulgò sit hora undecima, prandium ad Meridiem saltem differri debet Ecclesiastici Jejunii diebus. Nam *Quia Jejunium Ecclesiæ debet esse pœnale & satisfactorium, ideo aliquid additur:* (inquit *S. Thomas* loco Sententiarum superiùs indicato.) Religiosi denique Viri & Clerici Passioni Christi sese conformare magis tenentur, carnem suam per jejunium affligendo, secundùm illud Apostoli ad Galatas v. *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Quàm fœdum igitur est ut indulgeant carni, ad tempus refectionis anticipandum, Privilegia nescio quæ obtendentes? Legitimâ tamen ex causâ & necessariâ diebus jejuniorum hora refectionis præveniri potest, ut docet *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione CXLVII. Articulo VII. in Responsione ad tertiam objectionem. *Talis taxatio temporis* (inquit) *non multùm potest alicui nocere, cujuscumque conditionis existat: vel si fortè propter infirmitatem vel ætatem, aut aliquid hujusmodi, hoc eis in magnum gravamen cederet, esset cum eis in jejunio dispensandum; vel ut aliquantulum prævenirent horam.*

Ex his colligitur, jejunium violare, ac mortaliter peccare, qui manè sumit jentaculum, prandio in vesperam dilato, nisi necessitas vel infirmitas cogat. Jentaculum verò sive Collationem, ut loquimur, meridie sumere licet, plenâ refectione in serotinum tempus dilatâ, si legitima causa subsit, veluti si quis prandere non possit ante vesperam propter negotia, propter profectionem, propter hospites vespere venturos, propter summam difficultatem dormiendi vacuo stomacho. At sine causa legitima prandium in cœnam mutare jejunii diebus non licet.

REGULA XIV.

Quamvis aquæ potus jejunium non solvat, vinum tamen, siceram, cervisiam, vel alios liquores extra refectionis horam jejunii diebus sumere non licet. Unde falsum est tritum illud ac vulgare Proverbium; LIQUIDUM non frangit jejunium.

De Christiana jejuniorum observatione.

AQua quidem *secundùm se* non nutrit, & ob hoc non solvit Jejunium Ecclesiæ: *Nutrit tamen aliis admixta*, inquit *S. Thomas* in Epistolæ ad Corinthios Cap. XI. Lectione quartâ. Moltò magis vinum, mustum, sicera, cervisia, &c. nutriunt. Igitur hujusmodi potum licitum asserere jejunii diebus extra refectionis horam, etiam manè, etiam ob solam delectationem, etiam multoties in die, etiam famis sedandæ gratiâ, & in fraudem jejunii, damnaodus error est. Jejunium *ad concupiscentias carnis reprimendas* assumitur. *Jejunium est abstinentia cibi*, ut docet *Sanctus Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione CXLVII. Articulo I. & II. Ad carnis autem concupiscentias reprimendas, ad macerandom corpus valet non solùm abstinentia cibi, sed & potûs. Unde canit Ecclesia: *Carnis terat superbiam potûs cibique parcitas.* Qoamobtem indictum Ninivitis jejunium abstinentiam aquæ pariter ac panis complectebatur, Jonæ III. *Homines & jumenta non gustent quicquam, nec pascantur, & aquam non bibant.* Et Esdras jejunans *panem non comedit, & aquam non bibit*, ut habetur *Esdra* I. Cap. X. Non modò famem, sed & sitim jejunii diebus tolerandam, ut fontem aquæ salientis in vitam æternam consequamur, *Sanctus Gregorius Nyssenus* docet Oratione in Principio Jejunii. *Amarum est jejunium*, inquit, *sed dulcis Paradisus. Molesta est sitis, sed propè est fons, ex quo qui biberit, non sitiet in æternum.* Hinc *Sanctus Fructuosus* Tarracoensis Episcopus & Martyr, cùm ad supplicium duceretur, oblatum potum recusavit, quia jejunii dies erat, nec illuxerat hora nona, ut *Prudentius* Hymno VI. *Peristephanon* refert:

Jejunamus, ait, recuso potum,
Nondum Nona diem resignat Hora,
Numquam conviolabo jus dicatum,
Nec mors ipsa meum Sacrum resolvet.
Sic Christus sitiens Crucis sub hora,
Oblatum sibi poculum recusans,
Nec libare volens sitim peregit.

Solitarii, qui jejunii leges strictissimè observabant, id cavebant maximè ne unquam ad saturitatem pervenirent, & *præcipuè in potu*, rati non minùs *per aquæ abundantiam phantasias fieri animi, quàm per vinum calorem corporis crescere*, ut refert Rufinus Libro II. *De Vitis Patrum*, Cap. XXXI. *Silvanus* Abbas Discipulum sitientem, & aquam bibere volentem prohibuit, jejunii diem esse monens, ut idem *Rufinus* commemorat Libro III. Cap. XLVI. *Discipulus invenit aquam, & volebat bibere. Cui Abbas Silvanus: Zacharia, jejunium est hodie.* Jam refectionem sumpserant in Monasterio ad quod diverterant Monachos invisuri, quod Zacharias exposuit Silvano: sed reposuit sanctus Abbas: *Illa esca caritatis erat, fili. Nos autem nostrum jejunium teneamus.*

Autor Sermonis inter eos qui *Sancto Ambrosio* hactenus adscripti sunt quadragesimi, *De Jejuniis & Eleemosynis*, inscripti, refellit eorum excusationem, qui æstivâ tempestate jejunare se non posse aiebant, quia sitim ferre non poterant, cujus non minùs quàm famis tolerantia pertinere ad jejunium censebatur. *Quibus* (inquit) *cùm jejunium indicitur, de intemperie se temporis semper excusant; dicunt enim æstivis mensibus: Dies longa est, torrentior sol est, sitim ferre non possumus, poculis nos refrigerare debemus. Hyemis verò tempore: Grave frigus est, algorem tolerare nequimus, escis nos calefieri oportet..... Dic mihi, ô delicate Christiane, qui æstum solis jejunando ferre non potes, numquid æstus quem sustenturus es, torrentior est gehennâ?*

De Christiana jejuniorum observatione.

Ex his omnibus perspicuum est, falsum esse, Antiquis ignotum, ab Ecclesiæ doctrina & mente alienum vulgare illud Proverbium: *Liquidum non frangit jejunium.*

REGULA XV.

Jejunii meritum perdunt, qui ciborum ac liquorum delicias, & varia gulæ irritamenta jejunii diebus exquirunt, copiosiùsque prandent ac lautiùs, ut jejunii laborem minuant.

HAnc Regulam tradit *S. Augustinus*, Sermone CCV. aliàs De Diversis LXVIII. *Nemo*, inquit, *sub abstinentiæ specie mutare affectet potius quàm resecare delicias; ut preciosos cibos quærat, quia carne non vescitur; & insolitos liquores, quia vinum non bibit: ne per occasionem quasi domandæ carnis, magis agat negotium voluptatis. Alimenta quidem mundis munda sunt omnia; sed in nullo est munda luxuria.*

Et Sermone CCVII. aliàs *De Diversis* LXXI. in Quadragesima tertio: *Sanè*, inquit, *cavendum est ne mutes, non minuas voluptates. Videas enim quosdam pro usitato vino insolitos liquores exquirere, & aliorum expressione pomorum, quod ex uvâ sibi denegant, multo suaviùs compensare; cibos extra carnes multiplici varietate ac jucunditate conquirere; & suavitates quas alio tempore consectari pudet, huic tempori quasi opportunè colligere: ut videlicet observatio Quadragesimæ non sit veterum concupiscentiarum repressio, sed novarum deliciarum occasio. Hæc, Fratres, ne vobis persuasa subrepant, quantâ potestis vigilantiâ providete. Parsimonia jejuniis conjungatur. Sicut ventris castiganda saturitas, ita gulæ irritamenta cavenda sunt..... Non operosis ergo neque pretiosis, sed in promptu positis, & quibusque vilioribus alimentis est corpus à jejunio reficiendum, vel potiùs fulciendum.*

A ciborum & liquorum deliciis abstinendum diebus jejunii.

Idem Sermone CCVIII. aliàs *De Diversis* LXXII. in Quadragesima quarto: *Sed planè* (inquit) *fidelium corpora cùm servituti subjiciuntur, proficit spiritali saluti, quicquid corporali minuitur voluptati. Ideòque cavendum est, ne pretiosas escas vel pro aliis alias, vel etiam pretiosiores sine carnibus animalium requiratis. Cùm enim corpus castigatur & servituti subjicitur, restringendæ sunt deliciæ, non mutandæ.*

Idem Sermone CCX. aliàs *De Diversis* LXXIV. in Quadragesima sexto, Cap. VIII. *Sunt quidam* (inquit) *observatores Quadragesimæ deliciosi potiùs quàm religiosi, exquirentes novas suavitates magis quàm veteres concupiscentias castigantes; qui copiosis pretiosisque apparatibus fructuum diversorum, quorumlibet obsoniorum varietates & sapores superare contendunt: vasa in quibus cocta sunt carnes tanquam immunda formidant, & in sua carne ventris & gutturis luxuriam non formidant: jejunant, non ut solitam temperando minuant edacitatem; sed ut immoderatam differendo augeant aviditatem. Nam ubi tempus reficiendi advenerit, opimis mensis*

De Christiano jejuniorum observatione.

tanquam pecora praesepibus irruunt; numerosioribus ferculis corda obruunt, ventrésque distendunt; artificiosis & peregrinis condimentorum diversitatibus gulam, ne vel copiâ compescatur, irritant. Denique tantùm capiunt manducando, quantùm digerere non sufficiant jejunando. Sunt etiam qui vinum ita non bibunt, ut aliorum expressione pomorum alios sibi liquores, non salutis causâ, sed jucunditatis exquirant: tanquam non sit Quadragesima pia humilitatis observatio, sed nova voluptatis occasio. Quantò enim honestiùs si stomachi infirmitas aquam potare non tolerat, vino usitato & modico sustentetur, quàm quaerantur vina quae vindemiam nesciunt, quae torcularia non noverunt, non ut potus mundior eligatur, sed ut frugalior improbetur? Quid autem absurdius, quàm tempore quo caro arctiùs castiganda est, tantas carni suavitates procurare, ut ipsa faucium concupiscentia nolit Quadragesimum praeterire? Quid inconvenientius, quàm in diebus humilitatis, quando pauperum victus omnibus imitandus est, ita vivere ut si toto tempore sic vivatur, vix possint divitum patrimonia sustinere? Cavete ista, dilectissimi; cogi- » *tate quod scriptum est*, Post concupiscentias tuas » non eas. *Quod saluberrimum praeceptum si omni tempore observandum est, quantò ampliùs his diebus, quando ita turpe est si cupiditas nostra ad insuitatas laxetur illecebras, ut meritò culpetur qui non restrinxerit usitatas.*

REGULA XVI.

Christianum Jejunium abstinentia ab omni voluptate etiam licita, à venationibus, ludis, jocis, conviviis commendare debet.

A venationibus, ludis, & conviviis temperandum tempore jejunii Christiani.

HÆ namque oblectationes Pœnitentibus non conveniunt. Unde *Nicolaus I.* Pontifex Maximus in Responsis ad Consulta Bulgarorum, Cap. XLIV. scribit. *Nulla ratio sinit in Quadragesimali tempore venationibus uti..... Quantò jejunii tempore arctiùs est divinis cultibus insistendum, tantò est à cunctis mundi nocivis oblectamentis longiùs recedendum: praesertim tùm neminem nisi reprobum venationes exercuisse Sacra designet Historia.* Et Cap. XLVII. *Consulitis, si liceat in Quadragesimali tempore jocis vacare? Quod non etiam in Quadragesimali, verùm etiam in nullo tempore licitum est Christianis. Sed quia vobis, qui in Montem nondum ascendere, tanquam infirmi, potestis, ut inde sublimia mandata Dei percipiatis; sed in campestribus, quemadmodum filii quondam Israël, positi estis, ut saltem ibi plana & minora quaedam praecepta sumatis, necdum possumus suadere ut omni tempore jocis abstineatis. Et Quadragesimâ, ac Jejunii tempore, quando pramplius & instantius orationi & abstinentiae, & omni poenitentiae vacare debetis, non solum jocis, verùm etiam ab omni vaniloquio, & scurrilitate quae ad rem non pertinent, atque ab ipso etiose verbo temperare debetis.... Nulla ergo vos voluptatum, & maximè in tempore jejuniorum, vanitas seducere valeat; non enim lamenta cum jocis conveniunt: & fallax ac deceptrix laetitia veraces lacrymas producere nescit.*

Eamdem Regulam confirmat *Theodulphus* Aurelianensis Episcopus in Capitulari Cap. XL. ubi de Jejunii diebus loquens: *Abstinentia* (inquit) *in his diebus omnium deliciarum esse debet.*

Idem confirmat Concilium Mediolanense V. P. I. Tit. De his quae ad dies Festos & Sacra Tempora pertinent. *Omni tempore* (inquit) *à jocis Christianum hominem abstinere convenit, at Quadragesima ac Jejunii tempore tantò diligentiùs, quantò frequentiùs studiosiùsque orationi, abstinentiae omnique poenitentiae generi incumbendum est.*

De Christiano jejuniorum observatione.

A jocis igitur, à verborum scurrilitate, à colloquio inani, otioso, longéque cautiùs à noxio & criminoso se continere sacro poenitentiae tempore studeat, ut Pontificio Apostolicóque illo Rescripto Nicolai I. *cavetur.*

A venationibus item, ut eodem Rescripto continetur, abstineat item eo ipso Quadragesimali Tempore, quo neque carne vesci, neque adeo carnalia confectari licet.

Ciborum Quadragesimalium suavitates ne exquirat; nec multiplici epularum apparatu mensam exstruat, sed frugalem parsimoniam adhibeat.

Convivia autem in Quadragesima non condicat, nec verò appareat, ne Dominicis quidem diebus, ut idem Nicolaus Pontifex rescribit.

REGULA XVII.

Christianum verè Deóque gratum jejunium non est, quod abstinentia ab omni peccato mortali, & exercitatio in omni virtutum genere non commendat.

Christianum jejunium abstinentia à vitiis.

HAnc Regulam Deus ipse tradit Isaiae LVIII. *Ecce* (inquit) *in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Numquid tale est jejunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Numquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? numquid istud vocabis jejunium & diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes; dimitte eos qui confracti sunt, liberos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, &c.*

Eamdem Regulam confirmant SS. Patres, in primis *sanctus Basilius* Homiliâ I. De Jejunio. *Cave* (inquit) *ne jejunii utilitatem solâ ciborum abstinentiâ metiaris: verum enim jejunium est, ab omnibus esse vitiis alienum. Solve omne vinculum iniquitatis, condona injuriam proximo, ac debitum dimitte. Noli ad lites & contentiones jejunare. Carnes non edis: at interim devoras fratrem tuum. Vino abstines: at interim ab injuriis tibi non temperas. Vae his qui ebrii sunt non à vino! Ira mentis est temulentia, eam à prudentia non minùs exturbans, quàm vinum.* Et in Cap. I. Isaiae: *Non satis virium* (inquit) *per se habet abstinentia ab escis, sed oportet & rei quam adesse constituendae vitae disciplinam, in sermonibus, in genere conversandi, in familiari congressu, ita ut spiritualem mentis exercitationem comitetur.*

Sanctus Joannes Chrysostomus, Homiliâ VIII. in Genesim. *Jejunium dico abstinentiam à vitiis: etenim abstinentia à cibis propter hoc recepta est, ut vigorem carnis refrenet. Jejunantem ante omnia oportet iram refrenare, mansuetudinem & lenitatem addiscere, habere cor contritum, absurdas concupiscentias repellere, ante oculos continuò proponendo oculum aeterni Judicii, & Tribunal illud incorruptum, pecuniis superiorem esse, & illis dominari; liberalem esse in danda eleemosyna; nullum malum adversùs proximum in cor admittere....... Hoc verum jejunium est.*

Autor Sermonis inter eos qui *sancto Ambrosio* hactenus adscripti sunt XLI. in Augustinianorum Appendice CXLVI. *Quid prodest jejunare visceribus, & luxuriare venatibus. abstinere*

De Christiana jejuniorum observatione.

vibis, & errare peccatis; castigare corpus inediâ, mentem exercere nequitiâ; vinum fortè non bibere, & ebrium cogitationis malignitatis incedere? ...... Inutile & inane est tale jejunium, quod inediâ membra debilitat, & animam à perditione non liberat.... Scire igitur debemus, Fratres, acceptum esse Deo jejunium, non solùm ut abstinentiâ corpora castigemus; sed etiam humilitate animas induamus. Simus ad servulos mites: blandi ad extraneos, ad egenos misericordes, pacifici ad omnes. Surgentes primo diluculo ad Ecclesiam festinemus, referamus Deo gratias, B *peccatis veniam postulemus, rogantes præteritis delictis indulgentiam, futuris cautelam. Totâ die sit nobis assidua vel oratio, vel lectio. Qui litteras nescis, Sanctum Magistrum perquirat, ejus confabulatione pascatur. Nulli actus seculi actus divinitatis impediant: non ludus tabula mentem avocet, non voluptas canum sensus abducat, non negotii compendium animum aviditate pervertat. Quidquid enim aliud præter mandatum Dei feceris, quamvis abstineas, non jejunas. Hoc est enim jejunium salutare, ut sicut abstinetur corpus ab epulis, ita & anima refrænetur à vitiis.*

S. Leo Sermone XLI. in Quadragesima quar- C to, Cap. II. *Ingressuri*, inquit, *dies mysticos, & jejuniorum remediis consecratos, præceptis Apostoli obedire curemus, Emundantes nos ab omni inquinamento carnis ac spiritûs..... Dignâ enim ab infidelibus reprehensione carpemur, & nostro vitio lingua impia in injuriam se Religionis armabunt, si jejunantium mores à puritate perfectæ continentiæ*

Non in sola abstinentia cibi stat nostri summa jejunii.

discreparint. Non enim in sola abstinentia cibi stat nostri summa jejunii, aut fructuosè corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur. Sic ergo nobis edendi est moderanda libertas, ut etiam aliæ cupiditates eadem lege frænentur. Mansuetudinis & patientiæ, D *pacis & tranquillitatis hoc tempus est; in quo exclusâ omnium contaminatione vitiorum, perpetuitas nobis est obtinenda virtutum. Nunc piarum mentium fortitudo donare culpas, negligere contumelias, & oblivisci assuescat injurias. Nunc fidelis animus per arma justitiæ à dextris se exerceat & sinistris: ut per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, securam conscientiam constantémque probitatem nec laudes inflent, nec approbria defatigent. Religiosorum molestia non sit mœsta, sed sancta: nec inveniatur in eis ullarum murmura querelarum, quibus nunquam desunt sanctorum solatia gaudiorum.* E *Non timeatur inter opera misericordiæ terrenarum destitutio facultatum. Semper dives est Christiana Paupertas, quia plus est quod habet, quàm quod non habet.*

Et Sermooe XLIII. in Quedragesima sexto, Cap. II. *Apostolica institutio quadraginta dierum jejuniis impleatur, non ciborum tantummodo parcitate, sed privatione maximè vitiorum. Nam cùm ob hoc castigatio ista sumatur, ut carnalium desideriorum fomites subtrahantur, nullum magis sectandum est continentiæ genus, quàm semper simus ab injusta voluntate sobrii, & ab inhonesta actione jejuni.*

Omnia corporis membra jejunent.

S. Bernardus Sermone I. De Quadragesima: F *Si gula sola peccavit, sola quoque jejunet, & sufficit: Si verò peccaverunt & cetera membra, cur non jejunent & ipsa? Jejunet ergo oculus, qui deprædatus est animam; jejunet auris, jejunet lingua, jejunet manus, jejunet etiam anima ipsa. Jejunet oculus à curiosis aspectibus, & ab omni petulantia, ut bene humiliatus coërceatur in pœnitentia, qui malè liber vagabatur in culpa. Jejunet auris nequiter pruriens à fabulis & rumoribus; & quæcumque otiosa sunt, ac ad salutem minimè pertinentia. Jejunet lingua à detractione & murmuratione, ab inutilibus, vaniis, atque scurrilibus verbis; interdum quoque ob gravitatem silentii, & ab ipsis quæ videri poterant necessaria. Jejunet manus ab otiosis signis, & ab operibus omnibus quæcumque non sunt imperata. Sed & multò magis anima ipsa jejunet à vitiis, & à propria voluntate sua. Etenim sine hoc jejunio cætera à Domino reprobantur; sicut scriptum est:* QUIA *in diebus jejuniorum vestrorum inveniuntur voluntates vestræ.* *Isai. 58. 3.*

De Christiana jejuniorum observatione.

Id confirmat Concilium Mediolanense V. sub *sancto Carolo Borromæo*, P. I. Tit. De his quæ ad B dies Festos & sacra Tempora pertinent. *Quadragesimalibus*, inquit, *aliísve Jejunii, Pœnitentiæ, & publicæ Supplicationis diebus, Fideles se vita disciplina severiori adstringant, sanctisque institutis & moribus sacro illi tempori convenientibus, se suósque, qui patres-familiâs sunt, quàm rectissimè in omnes partes conforment. Pretiosas vestes non induant; sed amictum, si non humilem & demissum omnino, at cum pœnitentiæ jejuniique tempore congruentem. Simultatem, odium, inimicitias, rixas deponant, pacem cum omnibus concilient. Carnis vim, impetum, non modò religiosâ abstinentia jejuniique lege, sed ci-* C *licia & verberationis disciplinâ coerceant, & humi aliquando cubent, ut à piis etiam laïcis factum esse, memoria proditum est.* Christianus homo *in orationis studio frequentior sit; dolenter peccata & sua & aliena ingeat; pro quibus Dei misericordiam omni pietatis pœnitentiæque officio imploret. Eleemosynas, cùm per facultates potest, uberiores pauperibus egentibúsque in sustentationem conferat; in aliáque pietatis officia atque opera liberali caritate eroget. Oblationes offerat largiores. Frequentiùs divinis Officiis omni attentione & religiosâ meditatione adsistat. Missæ Sacrificio quotidie intersit, aliâ omni negotiatione posthabitâ. Divinis colloquiis, sacrisque Concionibus præ-* D *sens adsit. Moneatur ut vitæ sanctitati ita incumbat, ut singulis Dominicis saltem diebus confessus, sacram Eucharistiam sumat.*

Id denique confirmat *sanctus Antoninus*, P. II. Tit. VI. Cap. I. Ut Jejunium sit sanctum & Deo gratum (inquit) primò *Debet tolli de mente omnis intentio vana.* Unde Dominus ait: *Cùm jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes,* sed puro respectu & intentione, propter Deum, & ad obediendum Ecclesiæ jejunate. Quicumqoe enim vel ob indigentiam, vel ob avaritiam, vel ad captandam hominum gloriam, vel ut consulat E valetudini, quia cibo & crapula præcedentium dierum nimis gravatus est: vel ob gulam, ut ipsâ die vel sequenti copiosiùs ac lautiùs prandeat; quicumqoe (inquam) sic jejunat, *Aliàs non jejunaturus, non servat præceptum Ecclesiæ. Secundò, oportet habere affectum liberum à peccato commissa & committendo. Nihil enim prodest jejunare, & alia Religionis opera facere, nisi mens ab iniquitate coërceatur* (inquit *Pius Papa*, De Pœnit. Distinctione III.) *Nihil prodest, scilicet ad vitam æternam. Qui enim facit jejunium quodcumque in mortali, non valet sibi ad meritum, nec ad satisfactionem. Valet tamen ad satisfaciendum præcepta* F *Ecclesiæ, ut non peccet mortaliter servando jejunium, quod incurreret, si non servaret. Et ideo quantumcumque peccator, dimittere non debet. Meliùs tamen & utiliùs, si per confessionem, vel saltem contritionem, liberaret affectum suum à servitute peccati. Matth.* VI. Tu autem cùm jejonas, « unge caput tuum, & faciem tuam lava, *id est* « *conscientiam, scilicet à peccatis.* Et Isaiæ LVIII. *dicit Dominus:* Hoc est jejunium quod elegi, « dissolve colligationes impietatis; *id est, malas* « *societates cum quibus ligatus es in officiis, vel contractibus, vel maleficiis:* Solve fasciculos depri- « mentes

De Christiano jejuniorum observatione.

» mentes te, id est, *obligationes restitutionum*; & » eos qui confracti sunt liberos dimitte; *qui* » *solvere non possunt, non in carcere teneas*: & om» ne onus dirumpe, *scilicet peccati, per Contritionem.*

REGULA XVIII.

Eleemosyna Christiani Jejunii comes esse debet, ut pauperibus erogetur, quod in sumptus secunda refectionis impenderetur.

Sic jejunandum Spiritus-Sanctus docet Isaiæ LVIII. 7. *Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.*

Id confirmant SS Patres; inprimis *S. Augustinus*, Sermone CCV. aliàs *De Diversis* LXVIII. in Quadragesima primo. *Quod vobis* (inquit) *demitis jejunando, eleemosynis addite prærogando.*

Sermone CCVI. aliàs *De Diversis* LXX. in Quadragesima secundo: *Orationibus nostris quibus ad Deum faciliùs volando perveniant, eleemosynis & jejuniis pennas pietatis addamus. Hinc autem intelligat Animus Christianus, quantùm remotus esse debet à fraude alienæ rei, quando sentit simile esse fraudi, si superflua sua non tribuerit indigenti.*

Luc. 6. 38. » *Dominus dicit*: Date & dabitur vobis; dimittite, & dimittetur vobis. *Hæc duo genera eleemosynarum, tribuendi & ignoscendi, clementer & ferventer operemur; qui nobis à Domino ut bona tribuantur, & mala non retribuantur, oramus.* Date (inquit) & dabitur vobis. *Quid veriùs, quid justiùs, ut qui dare detrectat, se fraudet ipse, nec accipiat? Si impudenter agricola quærit messem, ubi se novit non præmisisse semen: quantò impudentiùs quærit Deum divitem dantem, qui hominem pauperem noluit exaudire poscentem? In paupere enim se pasci voluit, qui non esurit: Deum ergo nostrum egentem non spernamus in paupere, ut egentes satiemur in Divite. Habemus egentes, & egemus: demus ergo, ut accipiamus.*

Sermone CCVII. aliàs *De Diversis*, LXXI. in Quadragesima III hoc maximè tempore dandam eleemosynam docet, in memoriam magnæ eleemosynæ quam Christus nos redimendo nobis impendit. *Quæ major* (inquit) *misericordia esse super miseros potuit, quàm illa quæ cœli Creatorem de cœlo deposuit, & terreno corpore terræ induit Conditorem; eum qui in æternitate Patris manet æqualis, mortalitate coæquavit & nobis, formam servi Mundi Domino imposuit, ut ipse Panis esuriret, satietas sitiret, virtus infirmaretur, sanitas vulneraretur, Vita moreretur? Hoc autem ut nostra pasceretur fames, rigaretur ariditas, consolaretur infirmitas, extingueretur iniquitas, ardesceret caritas? Quæ major misericordia, quàm creari Creatorem, servire Dominatorem, vendi Redemptorem, humiliari Exaltatorem, occidi Suscitatorem? Nobis de præbendis eleemosynis præcipitur ut panem demus esurienti: Ille se ipsum ut nobis daret esurientibus, priùs pro nobis se tradidit sævientibus. Præcipitur nobis ut peregrinum recipiamus: Ille pro nobis in sua propria venit, & sui eum non receperunt. ... Exerceamus itaque eleemosynas nostras tantò impensiùs, tantòque frequentiùs, quantò propinquior fit dies, quâ nobis prærogata eleemosyna celebratur: quia Jejunium sine misericordia ei nihil est qui jejunat.*

Sermone CCVIII. aliàs *De Diversis* LXXII. in Quadragesima quarto. *Eleemosynas his diebus augere, quodam modo ex debito est. Ubi enim justiùs quàm miserando impenditis, quod vobis abstinendo demitis? Et quid iniquius, quàm ut quod minùs erogat abstinentia, servet permanens avaritia, aut consumat dilata luxuria? Intendite itaque quibus debeatis, quod vobis denegatis: ut quod detrahit temperantia voluptati, addat misericordia caritati.*

De Christiano jejuniorum observatione.

Tempore Quadragesimæ eleemosynas augere, quodammodo debitum est.

Sermone CCIX. aliàs *De Diversis* LXXIII. in Quadragesima quinto. *Ut nostræ orationes congruis adminiculis adjuventur, quoniam in his diebus ferventiores eas habere debemus, etiam eleemosynas ferventiùs erogemus. Ipsis adjiciatur, quod nobis jejunando, & à cibis solitis abstinendo detrahitur. Quam-* B *vis eas debeat largiores habere, qui propter aliquam necessitatem corporis sui, & consuetudinem alimentorum, non potest abstinere, ut hoc addat pauperi, quod sibi detrahit; ut quoniam minùs potest orationes suas castigatione corporis adjuvare, abundantiorem in corde pauperis includat eleemosynam, quæ pro illo possit orare. De Scripturis Sanctis hoc est saluberrimum amplectendumque consilium*: Include, » (inquit) eleemosynam in corde pauperis, & » hæc pro te exorabit... *Qui sic se à carnibus tem-* » *perant, ut alias escas & difficilioris præparationis & pretii majoris inquirant, multùm errant. Non enim hoc est suscipere abstinentiam, sed mutare luxuriam.* C *Quomodo illis dicturi sumus, ut quod sibi detrahunt dent pauperi; à quibus solitus ita cibus relinquitur, ut in alio comparando sumptus augeatur? Estote ergo his diebus & crebriùs jejunantes, & vobis parciùs impendentes, & egenis largiùs tribuentes.*

Eccli. 29. 15.

Qui cibis exquisitioribus vescuntur diebus Jejunii, non suscipiunt abstinentiam, sed mutant luxuriam.

Sermone CCX. aliàs *De Diversis* LXXIV. in Quadragesima sexto: *Præcipuè sanè pauperum meminerite, ut quod vobis parciùs vivendo subtrahitis in cœlesti thesauro reponatis. Accipiat esuriens Christus, quod jejunans minùs accipit Christianus. Castigatio volentis fiat sustentatio non habentis. Voluntaria copiosi* D *inopia, fiat necessaria inopis copia.*

S. Leo Sermone X. de Quadragesima, *In pauperes*, inquit, *& diversis debilitatibus impeditos benignior nunc largitas exeratur, ut gratiæ Deo multorum voce referantur, & jejuniis nostris egentium refectio suffragetur. Nulla enim devotione fidelium magis Dominus delectatur, quàm istâ, quæ pauperibus ejus impenditur, & ubi curam misericordiæ invenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit. Non timeatur in iis expensis defectio facultatum, quoniam ipsa benignitas magna substantia est, nec potest largitatis deesse materies, ubi Christus pascit & pascitur. In* E *omni hoc opere illa intervenit manus, quæ panem frangendo auget, & erogando multiplicat.*

Idem Sermone XI. *In distributione quoque eleemosynarum, & pauperum cura, pinguescant Christiana Jejunia: & quod suis quisque deliciis subtrahit, debilibus impendat & egenis. Detur opera ut omnes Deo uno ore benedicant, & qui aliquam dat portionem substantiæ suæ, intelligat se ministrum esse misericordiæ divinæ, qui partem pauperis in manu posuit largientis: ut peccata quæ Baptismi aquis, aut Pœnitentiæ lacrymis abluuntur, etiam eleemosynis deleantur, dicente Scriptura*: SICUT aqua extinguit F *ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.*

Eleemosyna Christiana Jejunia pinguescunt.

Eccli. 3. 34.

Idem Sermone IX. De Jejunio decimi Mensis: *Æstiment* (inquit) *omnes substantias suas, & qui plus accepêre, plus tribuant. Fiat abstinentia Fidelium, cibus pauperum; & quod sibi quisque subtrahit, proficiat indigenti: quia licèt multùm & animis & corporibus conferant remedia parcitatis, parum tamen utilia sunt ipsa jejunia, nisi misericordia sanctificentur effectu. In eleemosynis enim, virtus quædam est instituta Baptismatis; quia sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna peccatum, &*

Abstinentia fidelium sit cibus pauperum.

In eleemosynis virtus quædam baptismatis.

Isa. c. 1. Luc. 11. 41. De Christiana jejuniorum observatione.

per eumdem Christum dicitur, Lavamini, mundi estote, *per quem dicitur*, Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis; *ut nemo ambigat, nemo diffidat Regenerationis sibi nitorem etiam post multa peccata restitui, qui eleemosynarum studuerit purificatione mundari.*

Idem Sermone III. De Jejunio Pentecostes: *Sanctas continentiæ delicias appetentes, aliquantulum nobis de terrenorum ciborum abundantiâ subtrahamus; ita ut proficiat eleemosynis, quod non impenditur mensis. Tunc enim demum ad animæ curationem proficit medicina jejunii, cùm abstinentia jejunantis esuriem reficit indigentis.*

Misericordia jejunium sanctificat.

Sanctus Petrus *Chrysologus*, Sermone VIII. *Esurit jejunium* (inquit) *jejunium sitit, quod non pietatis cibo pascitur, quod potu misericordiæ non rigatur. Alget jejunium, jejunium deficit, quod non eleemosyna vellus tegit, quod non miserationis operit vestimentum. Quod est terris ver, hoc misericordiam scimus esse jejunio. Sicut vernus flatus tota facit germina florere camporum: ita misericordia tota jejunii semina producit in florem, in cœlestem messem totam jejunii facit fructificare virtutem. Quod oleum lucernæ est, hoc jejunio pietas. Sicut lucernæ lumen olei pinguedo succendit, & moderato pastu facit illud ad totius noctis solatium perlucere: sic pietas facit splendere Jejunium, & ad totam radiare continentiæ claritatem. Quod diei Sol est, hoc eleemosyna noscitur esse jejunio. Sicut jubar Solis clariorem perficit diem, & totam nubium disperdit obscuritatem: sic eleemosyna jejunii sanctificat sanctitatem, totamque cupiditatis noctem lumine pietatis excludit. Ac ne multùs immorer, quod est anima corpori, jejunio largitas hoc habetur. Sicut enim mortificatur corpus, à corpore anima cùm recedit: ita mors est jejunii largitatis abscessio. Est quidem jejunium vitiorum mors, vita virtutum. Est jejunium pax corporis, membrorum decus, ornamentum vitæ. Est jejunium robur mentium, vigor animarum. Est jejunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, civitas sanctitatis. Est jejunium schola meritorum, disciplina virtutum. Est jejunium Ecclesiastica via viaticum salutare. Est jejunium invictus Christianæ Militiæ principatus. Sed in his virtutibus jejunium tunc viget, tunc vincit, tunc triumphat, cùm duce misericordia pugnat. Misericordia & pietas jejunii sunt alæ, per quas tollitur & portatur ad cœlum, sine quibus jacet & volutatur in terra. Jejunium sine misericordia, simulacrum famis est, imago nulla est sanctitatis: sine pietate jejunium occasio est avaritiæ, non est propositum parcitatis..... Qui non jejunat pauperi, Deo fingit. Qui jejunans prandium suum non erogat, sed deponit, cupiditati probatur jejunare, non Christo.*

Qui non jejunat pauperi, Deo fingit.

Jejunium sine misericordia, fames avaritiæ.

Idem Sermone XLII. *Jejunium*, inquit, *sine pietate jejunat: fames est avaritia jejunium sine misericordia: cupiditatis pœna est sine pietate jejunium: ultio, non devotio est, non Deo jejunare, sed sæculo.... Non sic imber infundit terram, quomodo jejunium lacrymæ rigant pauperum. Homo, in lacrymas pauperum jacto semina jejunii tui: quia siccantur virtutes, arescunt jejunantium messes, quæ pauperum fletibus non fuerint irrigatæ. Cœli pluvia infundit terram, lacrymæ pauperis cœlum rigant: ergo sitit cœlum, & exspectat de ploratu pauperum vice roris.... Ibi misericordia seminat, quia quæ susceperit manus pauperis, ibi metit.*

Jejunium sine eleemosyna non sufficit.

S. *Cæsarius* Episcopus Arelatensis, Sermone XLVI. in Augustinianorum Appendice CXLII. aliàs LXII. De Tempore: *Bonum est* (inquit) *jejunare; sed melius est eleemosynam dare. Si possibilitas non fuerit jejunandi, eleemosyna sufficit sibi sine jejunio; jejunium sine eleemosyna omnino non sufficit. Ergo si aliquis jejunare non potest, eleemosyna sine jejunio bonum est: si verò prævalet, jejunium cum eleemosyna duplex bonum est. Jejunium verò sine eleemosyna nullum bonum est: nisi fortè ita sit aliquis pauper, ut non habeat omnino quod tribuat. Illi ergo qui non habuerit unde tribuat, sufficit voluntas bona. Sed quis erit qui se possit excusare, cùm etiam pro calice aquæ frigidæ mercedem se Dominus redditurum esse promiserit? Et quare frigidæ dixit? Ne fortè se posset aliquis pauper de lignorum penuria excusare; aut dicere, Se vasculum ubi aquam calefaceret, non habere. Denique & per Prophetam Dominus ita hortatur & admonet eleemosynam fieri, ut pene nullus pauper sit qui se valeat excusare. Sic enim ait:* Hoc est jejunium quod elegi, Frange esurienti panem tuum. *Non dixit, ut integrum dares; cùm fortè pauper ille alium non haberet; sed,* Frange, *inquit: hoc est dicere, Etiamsi tanta paupertas tibi est, ut non habeas nisi unum panem; ex ipso tamen frange, & pauperi tribue.* Et egenum, *inquit*, ac sine tectu induc in domum tuam. *Si aliquis ita pauper est, ut non habeat unde tribuat pauperi cibum, vel in uno angulo domûs suæ peregrino præparet lectulum. ..... Ergo, Fratres carissimi, Jejunia nostra eleemosynarum pinguedo commendet; quia tale est jejunium sine eleemosyna, qualis sine oleo lucerna. Nam sicut lucerna, quæ sine oleo accenditur, fumigare potest, lucem habere non potest; ita Jejunium sine eleemosyna carnem quidem cruciat, sed caritatis lumine animam non illustrat..... Sic jejunemus, ut prandia nostra pauperibus erogentur; ut quod pransuri eramus, non in nostris sacculis, sed in visceribus pauperum reponamus: quia manus pauperis gazophylacium est Christi, qui quod accipit, ne in terra pereat, in cœlo reponit: quia quamvis cibus, quem pauper accipit, consumatur; merces tamen boni operis in cœlo reconditur.*

Isa. 58.

Autor Sermonis inter Augustinianos, aliàs *De Tempore* LXV, nunc in Appendice CXLIV. *Sic jejuna*, inquit, *ut in alio manducante prandisse te gaudeas. Hilarem enim datorem diligit Deus. Nam manducante paupere de bonis tuis, prandet Christus qui se in paupere esurire testatur.*

S. *Gregorius Magnus* Homilia XVI, in Evangelia: *Illud*, inquit, *Jejunium Deus approbat, quod ad ejus oculos manus eleemosynarum levat, quod cum proximi dilectione agitur, quod ex pietate conditur. Hoc ergo quod tibi subtrahis, alteri largire, ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. Hinc etenim per Prophetam Dominus dicit:* « Cùm jejunaretis & plangeretis, « nunquid jejunium jejunastis mihi? Et cùm co- « meditis & bibitis, nunquid non vobis comedi- « tis, & vobismetipsis bibitis? *Sibi enim comedit « & bibit, qui alimenta corporis, quæ sunt communia dona Conditoris, sine indigentibus percipit. Et sibi quisque jejunat, si ea quæ sibi ad tempus subtrahit, non pauperibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit. Hinc per Joelem dicitur:* Sanctificate jejunium. *Jejunium quippe sanctificare, est adjunctis bonis aliis, dignam Deo abstinentiam carnis ostendere.*

Zachar. 7. Joel. 1.

Theodolphus Aurelianensis Episcopus, in Capitulari, Cap. XXXVIII. *Diebus* (inquit) *Jejunii eleemosyna facienda est, & cibum vel potum quo quisque uti debuit, si non jejunaret, pauperibus eroget. Quia jejunare, & cibo prandii ad cœnam reservare, non mercedis, sed ciborum est incrementum.*

Ratherius Veronensis Episcopus, Sermone I.

De Quadragesima: *Malè* (inquit) *jejunans & illi, qui quod corpori suo subtrahunt, non pauperibus tribuunt, sed aut suo ventri, aut quod est iniquius, Mammona, id est, cupiditatis Dæmoni, abstinendo reservant.*

REGULA XIX.

Nullius est meriti Jejunium, si Christianus jejunans injurias non dimittit.

HÆc Regula nititur verbo Dei per Isaiam Prophetam eos reprehendentis, qui contentionibus ac litibus jejunium suum contaminabant. *Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Nunquid tale est jejunium quod elegi?* (Isaiæ. 58.)

Præterea, si jejunium perfectum, meritorium, & Deo gratum non est absque eleemosyna corporali, in iis qui erogare possunt: multò minùs Deo acceptum est absque eleemosyna spirituali, condonatione scilicet injuriarum. *Date* (inquit Christus) *& dabitur vobis; dimittite; & dimittetur vobis:* (Luc. 6.) Hoc est, ignoscite & ignoscetur vobis. *Conservus conservo reconcilietur; ne justè servus à Domino puniatur. In hoc genere eleemosyna nullus est pauper. Potest hoc facere ut in æternum vivat, etiam qui ad tempus non habet unde vivat. Gratis datur, dando cumulatur, quæ non consumitur, nisi quando non erogatur.* Verba sunt *S. Augustini* Sermone CCVI. aliàs De Diversis LXX. *Cujus ergo usque ad hos dies inimicitiæ perduraverunt, confundantur atque finiantur. Finiantur, ne finiant: non teneantur, ne teneant: perimantur per Redemptorem, ne perimant retentorem. Jejunia vestra non sint talia, qualia Propheta condemnat, dicens:* Non hoc jejunium elegi, dicit Dominus. (Isai. 58.) *Arguit enim jejunia litigiosorum; quærit piorum. Arguit opprimentes, quærit relaxantes. Arguit inimicantes, quærit liberantes.*

Et Sermone CCXI. aliàs De Diversis LXXIV. *Sis etiam* (inquit) *in animo placabilis & humili misericors ignoscendi facilitas. Petat veniam, qui fecit injuriam: det veniam, qui accepit injuriam: ut non possideantur corda vestra à Satana, cujus triumphus est dissensio Christianorum. Et hoc enim magni lucri eleemosyna est, debitum relaxare conservo, ut tibi relaxetur à Domino.... Mementote servi illius, cui omne debitum Dominus ejus quod donaverat, replicavit, quia conservo ipse sibi debenti decem denarios misericordiam non rependit, quam de talentorum decem millibus quæ debebat accepit.* (Matth. 18.) *In hoc genere operis boni excusatio nulla est, ubi sola voluntas tota facultas est. Potest quisque dicere, Ne stomachus doleat, jejunare non possum. Potest etiam dicere, Volo dare pauperi; sed unde, non habeo: aut tantùm habeo, ut timeam egere, si dedero. Quanquam & in his operibus excusationes plerùmque sibi homines falsas faciunt, quia veras non inveniunt. Verumtamen quis est qui dicat, Ideo non ignovi veniam petenti, quia me valetudo impedivit, aut quia manus quâ porrigerem non fuit? Dimitte ut dimittatur tibi. Carnis hic opus nullum est, nullum vel carnis suæ membrum in adjutorium animæ assumitur, ut hoc impleatur, quod rogatur. Voluntate agitur, voluntate perficitur. Fac securus, da securus, nihil in corpore dolebis, nihil in domo minùs habebis. Jam verò, Fratres, videte quid mali sit, ut Pœnitenti fratri non ignoscat, cui præceptum est ut inimicum adhuc diligat. Quæ cùm ita sint, cùm scriptum sit,* Sol non occidat super (Ephes. 4.) *iracundiam vestram: Considerate Carissimi, utrum Christianus dicendus sit, qui saltem his diebus inimicitias non vult finire, quas nunquam debuit exercere.*

(Jejunium sine injuriarum condonatione ad salutem non prodest.)

Idem confirmat *S. Leo*, Sermone II. De Quadragesima, & clementiam Principum Reos Quadragesimali Tempore carceribus liberantium, privatis quibusque in remissione injuriarum imitandam proponit. *In ista* (inquit) *exercendarum opportunitate virtutum sunt & aliarum insignia coronarum, quæ nullo horreorum dispendio, nulla diminutione pecuniæ capiantur: si repellatur lascivia... si odia transeant in dilectionem, si inimicitiæ convertantur in pacem, si tranquillitas extinguat iram, si mansuetudo remittat injuriam, si denique dominorum atque servorum tam ordinati sint mores, ut illorum potestas mitior, & istorum sit disciplina devotior. Quod & Romani Orbis Piissimi Imperatores sancta antiquitus observatione custodiunt, qui in honorem Passionis & Resurrectionis Christi altitudinem suæ Potestatis inclinant, & Constitutionum suarum severitate mollitâ, multarum culparum reos præcipiunt relaxari: ut in diebus quibus Mundus salvatur miseratione divina, etiam ipsorum superna bonitatis imitatrix sit æmulanda clementia. Imitentur igitur Christiani Populi Principes suos, & ad domesticam indulgentiam Regis incitentur exemplis. Non enim privatas leges fas est austeriores esse, quàm publicas. Remittantur culpæ, vincula solvantur, deleantur offensæ, pereant ultiones: ut Sacra Festivitas per divinam atque humanam miserationem, omnes lætantes, omnes habeant innocentes.*

Quamobrem Concilium Mediolanense V. sub *S. Carolo Borromæo*, P. I. Tit. *De his quæ ad Dies Festos & Sacra Tempora pertinent*, Parochos monet ut hebdomada Quadragesimæ initium proximè præcedente Parochianos suos reconcilient, si quos inter se dissidentes sciverint, dissensionum semina exstirpare studentes. Christianos verò omnes, *Ut simultatem, odium, inimicitias, rixas deponant, pacem cum omnibus concilient.*

CAPUT VI.

DE QUARTO DECALOGI PRÆCEPTO.

EXPLICATIS tribus prioribus Decalogi Præceptis, quæ ad primam Tabulam pertinent, hominúmque caritatem & officia in Deum spectant; ad septem reliqua Decalogi Præcepta explicanda aggredimur, quæ in secunda Tabula erant inscripta, & quæ dilectionem proximi spectant. Inter hæc autem primum est Præceptum de honore parentibus tribuendo, quibus post Deum debemus quod sumus & vivimus, quòd rectè educati sumus, quòd in Religione, pietate, studiis & artibus sumus instituti, & rectè collocati. His autem verbis expressum Præceptum est, Exodi XX. 12. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*

Articulus I.

Quo Præcepti sensus, merces que exponuntur.

§. I.

Qui Parentum nomine sint intelligendi?

PArentum nomine illi in primis significantur, ex quibus geniti sumus, de quibus *Ecclesiastici* III. dicitur: *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis serviet his, qui se genuerunt.* Deinde parentes dicuntur in Sacris Litteris Ecclesiæ Præsides & Pastores, & Sacerdotes, qui spiritualiter Christo nos genuerunt, & quotidie parturiunt, quemadmodum Apostolus I. ad Corinthios IV. ait: *Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos carissimos moneo. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* Et ad Galatas IV. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* De quibus etiam potissimùm dictum esse videtur Deuteronomii XXXII. *Interroga Patrem tuum, & dicet tibi; Majores tuos, & annuntiabunt tibi.* Et Ecclesiastici XLIV. *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua.* Tertiò ii quibus aut Imperium, aut Magistratus, aut Potestas commissa est, qui Rempublicam gubernant, patres appellantur. Sic famulos Naaman Principis viri dominum suum patrem appellasse, IV. *Regum*, cap. V. legimus: *Pater* (inquiunt) *etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras.* Quartò, patres vocantur illi, quorum procurationi, fidei, probitati, sapientiæque alii commendantur, cujusmodi sunt tutores & curatores, Pædagogi, & Magistri. Quare Eliam & Elisæum filii Prophetarum, ipsique Reges Israël, Patres appellabant. IV. *Regum*, cap. II. *Ascendit Elias per turbinem in cœlum; Elisæus autem videbat, & clamabat: Pater mi, pater mi.* IV. Regum XIII. *Elisæus ægrotabat infirmitate, quâ & mortuus est: Descenditque ad eum Joas Rex Israël, & flebat coram eo, dicebátque: Pater mi, pater mi, currus Israël, & auriga ejus.* Seniores denique patres dicimus, præsertim si vitæ sint inculpatæ. Unde Levitici XIX. præcipit Deus: *Coram cano capite consurge, & honora personam Senis: & time Dominum Deum tuum; Ego sum Dominus.* Et Sapientiæ IV. *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Hinc Apostolus I. ad Timotheum V. *Seniorem* (inquit) *ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Quamvis autem ad omne parentum genus hoc præceptum porrigatur, iique omnes sint honorandi, de illis tamen præcipuè Divina Lex loquitur, ex quibus nati sumus. *Sunt enim* (inquit Concilii Tridentini Catechismus) *immortalis Dei quasi quædam simulacra, in iisque ortûs nostri imaginem intuemur, ab iis vita nobis data est, iis Deus usus est, ut nobis animum mentémque impertiret; ab iis ad Sacramenta deducti, ad Religionem, ad humanum cultum, civilémque instituti, ad morum integritatem & sanctitatem eruditi sumus.* Nomen verò matris in hoc præcepto expressum est, ut ejus beneficia & merita erga nos consideremus, quantâ curâ & sollicitudine nos in utero gestaverit, quanto cum dolore ac labore pepererit, atque educaverit. Unde Tobiæ IV. Senior Tobias suprema salutis monita filio tradens: *Honorem* (inquit) *habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus: memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in utero suo.* Et Ecclesiastici VII. *In toto corde tuo honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviscaris: memento quoniam nisi per illos natus non fuisses: & retribue illis, quomodo & illi tibi.*

§. II.

In quo positus sit honor parentibus debitus ex Dei Mandato?

HOnor autem parentibus debitus in eo positus est, primùm ut parentes summo post Deum amore prosequamur, maximáque observantiâ veneremur. Sic Joseph Ægypti Prorex Jacob patrem suum, qui in Ægyptum venerat, honorificè excepit, Genes. XLVI. *Juncto Joseph curru suo, ascendit obviam patri suo ad eundem locum: vidénsque eum, irruit super collum ejus, & inter amplexus flevit.* Sic Salomon Matri advenienti assurrexit, eámque veneratus, Regio in Solio ad dexteram collocavit. III. *Regum*, cap. II. *Surrexit Rex in occursum ejus, adoravitque eam, & sedit super thronum suum, positúsque est thronus Matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus.* (Primum erga parentes officium.)

Alterum honoris officium, quod parentibus exhibere debemus, est ut Deum pro ipsis oremus, eisque diuturnam, felicem, tranquillam ac lætam vitam ferventissimis desideriis adprecemur; à Deoque postulemus imprimis ut ipsi grati sint & accepti, divinæque gratiæ auxiliis ad salutem necessariis, & omni benedictione spirituali cumulentur: tum ut in maxima gratia & honore sint apud homines, bonáque temporalia ipsos non deficiant, ad vitam sustentandam, statúsque decorum necessaria. (Alterum erga parentes officium.)

Tertium reverentiæ erga parentes officium, quod nobis Deus hoc Mandato imperat, est obedientia: de qua Salomon Proverb. I. *Audi fili mi* (inquit) *disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Et S. Paulus ad *Ephesios* cap. VI. *Filii, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est. Honora patrem tuum, & matrem tuam: quod est Mandatum primum in promissione: ut bene sit tibi, & sis longævus super terram.* Et ad Colossenses III. *Filii, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino.* Hujus obedientiæ exemplum Dominus noster Jesus Christus præbuit, qui non solùm Patri Æterno *Obediens usque ad mortem* fuit, sed & Matri, & ipsi Joseph tanquam parenti, Matris scilicet conjugi, paruit. Lucæ II. *Et erat subditus illis.* Non infirmitatis, sed pietatis fuit ista subjectio, ut nos parentes honorare doceret. Tu (inquit *S. Ambrosius* Libro II. in Lucam) *Matri debes pudoris injuriam, virginitatis dispendium, partûs periculum, Matri longa fastidia, matri longa discrimina, cui misera in ipsis votorum fructibus majus periculum est: & cùm ed derit quod aptavit, partu absolvitur, non timore. Quid anxios patres loquar pro filiorum profectu, & multiplicatas alienis usibus census, jactáque agricolæ semina posterorum ætatibus profutura? Nonne pro his obsequia saltem oportet rependi?* Id sanctissimorum hominum exemplis con- (Tertium erga parentes officium.)

firmatur. Etenim Isaac cùm à patre ad sacrificiom vinciretur, modestè ac sine recusatione patoit, *Genes.* xxii. Et Rechabitæ, ne à patris mandato unquam discreparent, à vino in perpetuom temperarunt. Jeremiæ xxxv. *Posui coram filiis domûs Rechabitarum scyphos plenos vino, & calices; & dixi ad eos: Bibite vinum; qui responderunt: Non bibemus vinum: quia Jonadab filius Rechab pater noster, præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filii vestri, usque in sempiternum: & domum non ædificabitis; & sementem non seretis; & vineas non plantabitis, nec habebitis: sed in* B *tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, ut vivatis diebus multis super faciem terræ in qua vos peregrinamini. Obedivimus ergo voci Jonadab filii Rechab patris nostri, in omnibus quæ præcepit nobis.... Domui autem Rechabitarum dixit Jeremias: Hæc dicit Dominus Exercituum Deus Israël: Pro eo quòd obedistis præcepto Jonadab patris vestri, & custodistis mandata ejus, & fecistis universa quæ præcepit vobis: propterea hæc dicit Dominus Exercituum Deus Israël: Non deficiet vir de stirpe Jonadab, filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.*

Quartum erga parentes officium.

Quartum honoris erga parentes officiom, est probitatis illorum, virtotúmque, ac rectè factorum imitatio. Iis enim plurimùm tribuere videmur, quorum esse volumus quàm simillimi. Unde Christus Joannis viii. Judæis ait: *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Et Isaiæ li. dicitur: *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos.*

Quintum erga parentes officium.

Quintum honoris erga parentes officium, est eorum consilia non modò exquirere, verùm etiam sequi, nisi evidenter prava sint, ac Dei gloriæ, æternæ saluti, aut Evangelicæ perfectioni contraria. Tum verò maximè hic honos illis D tribuendus est, cùm vitæ status deligendus est, cùm uxor ducenda. Parentes enim utplurimùm prudentiores sunt filiis, meliúsque ipsis consulunt, quàm ipsi sibi. Sic Isaac & Jacob uxores accepere, quas parentes ipsis elegerunt; *Genes.* xxiv. & xxviii. Parentum etiam ad Clericalem aut Religiosam Vitam invitantium consilium sequi laudabile est: verumtamen *Unusquisque proprium donum ex Deo habet, alius quidem sic, alius verò sic;* (inquit Apostolus i. *ad Corinth.* vii.) Et, *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est,* (ait Christus *Matth.* xix.) E

Sextum erga parentes officium.

Sextum honoris erga parentes officiom est, illis subvenire, cùm in spiritualibus necessitatibus, tum in temporalibus. Quamobrem si filius noverit parentes gravi alicui peccato esse obnoxios, aliena bona retinere, Sacramenta non frequentare, salutis suæ curam non gerere, omni operâ niti debet ut eos, non quidem acerbè, sed summâ cum reverentiâ admonitos, ad Pœnitentiam, ad restitutionem faciendam, ad Sacramentorum frequentationem, ad verum pietatem adducat: Quod plerosque Sanctorum ferventissimo studio fecisse legimus. Deinde cura eorum gerenda est, ne quid eis, quod ad corporalem necessitatem attinet, unquam desit. Honos in Scripturis non F tantùm in salutationibus & officiis deferendis, quantùm in eleemosynis, & munerum oblatione sentitur. *Honora viduas quæ verè viduæ sunt:* (inquit Apostolus i. ad Timotheum v.) Hic honor donum intelligitur. Et, *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti.* Et, *Dignus est operarius mercede sua.* Sic Dominos vel infirmitates, vel grandem ætatem, vel egestatem parentum consi-

De honore parentibus debito.

derans, quarto Decalogi Mandato præcipit ut filii parentes honorent, etiam in alimentorum, aliorúmque ad vitæ sustentationem necessariorum ministratione. Quamobrem Christus Scribas & Pharisæos acerrimè reprehendit, qui pessimos filios docebant, specie religionis, & munerum, quæ Deo offerebantur, parentum inopiam negligere. *Quare & vos* (inquit) *transgredimini Mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem & matrem: &, Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem* B *dicitis: Quicunque dixerit patri vel matri, Munus quodcunque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam, & irritum fecistis Mandatum Dei propter traditionem vestram.* Id est, quicunque patri vel matri dixerit, Munus à me Deo sacratum & oblatum utile tibi erit: putatque se Dei legem implevisse; nec parentes honorare, sive ipsorum necessitatibus subvenire curat, violator est divini Mandati. Pietatis in parentes exemplum omnibus imitandum *Tobias* junior præbuit, qui manuum suarum labore patrem suum senem, & luminibus orbum C educavit. Longè verò nobilius ac potentius Christi Salvatoris nostri exemplum est, qui in Cruce pendens, moxque moriturus, Matris Dilectissimæ affectu pientissimo memor fuit, eamdemque Virginem perpetuam Discipulo virgini commendavit. Sacrificium suum quodammodo interrupit, (si ita loqui fas est,) ne matrem inhonoratam relinqueret. *Moralis igitur insinuatur locus* (inquit S. *Augustinus* Tractatu cxix. in Joannem,) *Facit quod faciendum admonet, & exemplo suo suos instruxit Præceptor bonus, ut à filiis suis impendatur cura parentibus: tanquam lignum illud ubi fixa erant membra Morientis, etiam Cathedra fuerit Magistri* D *docentis. Ex hac sana doctrina didicerat Paulus Apostolus, quod docebat, quando dicebat, Si quis autem suis, & maximè domesticis non providet, fidem negavit, & est infideli deterior. Quid autem tam cuique domesticum, quàm parentes filiis, aut parentibus filii? Hujus itaque saluberrimi præcepti ipse Magister Sanctorum de se ipse constituebat exemplum, quando non ut famula Deus, quam creaverat & regebat; sed ut Matri homo, de qua creatus fuerat, & quam relinquebat, alterum pro se quodammodo filium providebat.*

Matth. 15.

1. Tim. 5.

E Aves ipsæ, solâ duce naturâ, pietatem erga parentes exercent. Ciconiarum pietas hominum hâc in se impietatem accusat & damnat. De quâ S. *Ambrosius*, Libro v. *Hexaëmeron*, cap. xvi. *Quam verò* (inquit) *rationabilium non exæquat pietatem ac prudentiam avis hujus clementia, considerandum, quam nec post exemplum quidem irrationabilium quisquam nostrûm imitari potuerit. Nam depositi patris artus per longævum senectutis plumarum tegmine alarúmque remigio nudatus circumstans soboles pennis propriis fovet. Et quid deinde, collatitio cibo pascit, quando etiam ipsa reparat natura dispendia, ut hinc atque inde sublevantes senem fulcro alarum suarum ad volandum exerceant, & in pristinos usus desueta jam revocat pii patris membra?* F *Quis nostrûm levare ægrum non fastidiat patrem? Quis fessum senem suis humeris imponat, quod in ipsa Historia vix credibile habetur? Quis ut pius sit, non hoc servulis mandet obsequium? At verò avibus non est grave, quod pietatis est plenum: non est onerosum, quod solvitur naturæ debito. Non recusant aves pascere patrem, quod etiam præscripta necessitate sub terrore pœnarum plerique hominum recusarunt. Aves non scripta, sed nata lex stringit. Aves ad hoc munus nulla præcepta conveniunt, sed gratia naturalis officia. Aves non erubescunt reverendi su*

nis membra portare; est enim vectura pietatis; quod eò usque frequensi testificatione percrebuit, ut congrua mercedem remunerationis invenerit. Nam Romanorum usu Pia Avis vocatur. Et quod vix uni Imperatori Consulto Senatûs delatum dicitur, hoc istu aves in commune meruerunt.

Idem *S. Ambrosius* divinom de parentum honoratione præceptum accuratè ac eloquenter explicat Libro VIII. in Evangeliom Sancti Lucæ. » *Bene* (inquit) *Lex quæ præmiserat*, Diliges » Domiooum Deum tuum, & diliges Proximom tuum, *subjecit*: Honora patrem tuum & matrem. *Primus enim gradus iste pietatis est; namque hos auctores tibi esse voluit Deus. Honora obsequiis, ut abstineas à contumeliis; quia ne vultu quidem lædenda pietas est parentum. Sed parum est non lædere, quia Lex prospexit ne patiantur injuriam:*
Exod. 21. 17. » Qui *enim maledixerit patri vel matri, morte mo-» riatur: tu honora, ut bonus sis. Aliud est Legis » beneficium, aliud pietatis officium. Honora tuos, » quia suos Dei Filius honoravit. Legisti enim*, Et
Luc. 2. 51. erat subditus illis: *Si Deus servulis, quemadmodum tu parentibus? Honorabat igitur Joseph & Mariam Christus, non natura debito, sed pietatis officio. Honorabat & Patrem Deum, quemadmodum nemo potuit honorare; ut esset obediens usque ad mortem: Honora ergo & tu parentes. Est autem honor non solùm honorificentia, sed etiam largitatis:*
1. Tim. 5. 3. » Viduas honora, quæ verè Viduæ sunt. *Honor enim est deferre pro meritis. Pasce patrem tuum, pasce matrem tuam. Et si paveris matrem, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus quos pro te passa est: non reddidisti obsequia quibus te illa gestavit: non reddidisti alimenta quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis ubera: non reddidisti famem quam pro te illa toleravit; ne quid quod tibi noxium esset, ederet: ne quid quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa jejunavit, tibi manducavit, tibi illa quem voluit cibum non accepit, tibi quem noluit cibum sumpsit, tibi vigilavit, tibi flevit: & tu illam egere pateris? O fili, quantum tibi sumis judicium, si non pascas parentem! Illi debes quod habes, cui debes quod es. Quantum judicium, si pascat Ecclesia, quos tu nolis pascere!* Si quis fi-
1. Tim. 5. 16. » delis, *inquit*, *aut si qua fidelis* habet Viduas, » subministret illis; ut non gravetur Ecclesia, ut » his quæ verè Viduæ sunt, sufficiat. *Hoc de extraneis: quid de parentibus? .... Nonne audistis, quia Dives ille in bysso & purpura recubans, cujus de mensa micas Lazarus colligebat, pœnis cruciatur æternis; quia pauperi non impertivit alimenta? Si non dare extraneis grave est: quantò gravius excludere parentes? Sed dicis te, quod eras parentibus collaturus, Ecclesiæ malle conferre. Non quærit donum Deus de fame parentum. Unde reprehendentibus Judæis quia Discipuli Domini manus non la-» varent, respondit Jesus*, Quicunque dixerit, Mu-
Matth. 15. 5. & 6. » nus quodcunque est ex me, tibi proderit, non » honorificabit patrem aut matrem..... *Id est, cùm petit aliquid ad sumptum egens pater aut mater à filio, quia Legem timens Judæus excusationem non dandi requirit, dicere solet:* Munus quod est ex me, tibi proderit; *ut dicatam à filiis Deo pecuniam pater religiosus accipere reformidet. Sed hac traditio hominum est excusationes obtexentium avaritiæ suæ. Cæterum Dei traditio est, ut priùs pascas parentes. Nam si juxta Divinum Oraculum, contumelia parentis morte luitur, quantò magis fames quæ morte gravior est?*

Septimum erga parentes officium. Septimum reverentiæ & honoris erga parentes officium in eo positum est, ut periculosè ægrotantibus præsto sint filii, dentque operam ne quid illi prætermittant, quod vel ad peccatorum Confessionem, vel ad reliquorum Sacramentorum susceptionem, & cætera moribundi hominis officia pertinet: curent denique ut pii religiosique homines eos crebrò invisant, qui vel imbecillos confirment, & consilio juvent, vel optimè animatos ad spem erigant immortalitatis, & ad Christianè moriendum disponant & adhortentur.

Postremum erga parentes officium. Octavom ac postremum honoris erga parentes officium, est funeris, exequiarum, atque sepulturæ honorificæ procuratio, necnon Sacrificiorum anniversariorum, ac piacularium precum pro illorum animabus: Testamenti ab illis conditi, supremæque voluntatis executio, ac eorum quæ ad pias causas ab ipsis legata sunt, diligens & accurata solutio.

§. III.

Reverentia & honoris erga Pastores & Presbyteros officia.

Pastores & Sacerdotes diligere debemus. NOn ii modò honorandi sunt ex quibus nati sumus, sed & alii qui patres appellantur, præsertim verò patres spirituales & Pastores Animarum nostrarum: de quibus 1. ad *Timotheum* v. scriptum est: *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Ipsis inprimis debetur sincerus & castus amor, quo ut Dei Ministri præcipua quadam ratione diligantur. Cujus erga Apostolum amoris documentom Galatæ dederunt, quibus præclarum illud benevolentiæ sibi exhibitæ testimonium præbet. Epistolæ ad ipsos scriptæ cap. IV. *Testimonium perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.* Hinc idem Apostolus 1. ad *Thessalonicenses*, cap. V. scribit: *Rogamus autem vos, fratres, ut* *Galat. 4.*
noveritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos, ut habeatis illos abundantiùs in caritate, propter opus illorum: Pacem habete cum eis. Hi colendi & diligendi sunt, ut *Ministri Christi*, ut *Dispensatores Mysteriorum* Dei, ut Christi ad homines legati, quorum reverentiam multò magis quàm Sacerdotum antiquæ Legis imperat Spiritus Sanctus, Ecclesiastici, cap. VII. *In tota* (inquit) *anima tua time Dominum, & Sacerdotes illius sanctifica. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit, & Ministros ejus ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes.*

Alterom reverentiæ & honoris erga Sacerdotes & Pastores officium est, ut quæ ad vitæ usus necessarios requiruntur, illis abundè, libenter, & ex animo suppeditentur, quemadmodum S. Paulus 1. ad *Corinthios*, cap. IX. docet. *Quis* (inquit) *militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid secundùm hominem hæc dico? An & Lex hæc non dicit? Scriptum est enim in Lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt. Quoniam debet in spe qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Et Ecclesiastici VII. scriptum est: *Honorifica Sacerdotes, & purga te cum brachiis. Da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum & purgationis.* Huc etiam spectant quæ de primitiis & decimis in Domum Dei conferendis, *Exodi* XXII. & XXIII.
Plebs Christiana pastoribus suis necessaria subministrare debet. *Deuter. 18.*

Levitici

Levitici XXVII. & *Numerorum* XXVIII. præcipiuntur. Hinc *S. Ambrosius* Libro VIII. in Evangelium secundùm Lucam : *Da ergo prius parenti*, inquit, *da etiam pauperi, da illi Presbytero quod sibi abundat terrenum, ut ab illo accipias spirituale quod tibi deest ; etenim qui honorat, honorabitur. Vide ergo quia illo cùm accipis, tradit : & accipit non quasi inops, sed quasi renumeraturus majore mensura.* Cùm sustentatio Pastoribus divino & naturali jure debita sit, dicente Christo, Lucæ X. *Dignus est operarius mercede sua*, rectè Ecclesia Veteris Legis Præceptum de solvendis decimis, quod ad ceremonias non pertinebat, sed ad judicia, sive politiam, renovavit, & eâ quam à Christo accepit in Christianos omnes auctoritate imposuit. Qua de re legendi Canon, *Si quis Laicus*, & Canon *Decimas*, Causa XVI. Quæstione I. Cap. *Pervenit*, Cap. *Nuncios*, Cap. *Cùm homines*, Cap. *Parochianos*, Cap. *A nobis*, & alia, Extra, *De Decimis*. Et Concilium Tridentinum Sessione XXV. Cap. XII. *Non sunt ferendi*, inquit, *qui variis artibus Decimas Ecclesiis obvenientes subtrahere moliuntur ; aut qui ab aliis solvendas temerè occupant, & in rem suam vertunt, cùm Decimarum solutio debita sit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Præcipit igitur Sancta Synodus omnibus, cujuscumque gradus & conditionis sint ; ad quos Decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de jure tenentur, imposterum Cathedrali, aut quibuscumque aliis Ecclesiis vel personis, quibus legitimè debentur, integrè persolvant. Qui verò eas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur : nec ab hoc crimine, nisi plenâ restitutione secutâ absolvantur. Hortatur deinde omnes & singulos pro Christiana Caritate, debitóque erga Pastores suos munere, ut de bonis sibi à Deo collatis, Episcopis & Parochis, qui tenuioribus præsunt Ecclesiis, largè subvenire ad Dei laudem, atque ad Pastorum suorum, qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam non graventur.*

Decimarum solutio. (margin)

Decimarum porrò solutio Christianæ Plebi eo nomine persuadenda est, quòd Deus qui dignatus est totum dare, Decimam à nobis dignatur repetere, non sibi, sed nobis profuturam. Sic enim per Prophetam promisit : (Malach. III.) *Inferte omnem decimam in horreis meis, ut sit cibus in domo mea, & probate me in his, dicit Dominus ; si non aperuero vobis cataractas cœli, & dedero vobis fructum usque ad abundantiam.* Et Proverb. III. *Honora Dominum Deum tuum de tuis justis laboribus, & deliba ei de fructibus justitiæ tua, ut repleantur horrea tua frumento, vino quoque torcularia tua redundent.* Inculcandum est ipsos Dei servos esse, & colonos, cujus est terra & plenitudo ejus : possessorem proinde ac Dominum agnoscere debere. Decimas esse tributa Deo debita. Redde ergo (inquit *S. Cæsarius Arelatensis* Sermone LXXVII.) *Redde tributa pauperibus, offer libamina Sacerdotibus : quòd si Deo mus non habes fructuum terrenorum, quod habet agricola : quodcumque te pascit ingenium, Dei est : & inde Decimas expetit, unde vivis. De militia, de negotio, de artificio redde decimas..... Cùm decimas dando & terrena & cælestia possis munera promereri : quare per avaritiam duplici te benedictione defraudas? .... Nosti, quia Dei sunt cuncta quæ percipis, & de suo non accommodas rerum omnium Creatori. Non eget Dominus Deus, non præmium postulat, sed honorem, non de tuo aliquid exigit quod refundas. Primitias rerum & Decimas petit, & negas? Avare, quid faceres, si novem partibus sibi sumptis, tibi decimam reliquisset? Quod certè jam factum est, cùm messis tua pluviarum benedictione subtractâ jejuna defecit, & vindemiam tuam aut grando percussit, aut pruina decoxit.... Novem tibi partes retractæ sunt, quia decimam dare noluisti.... Hæc enim est justissima Domini consuetudo, ut si tu decimam illi non dederis, tu ad decimam revoceris.* Sermo erat inter Augustinianos aliàs CCXIX. *De Tempore*, nunc in Appendice CCLXXVII. Et Canone *Decimæ*, Causa XVI. Quæstione I. sub *S. Augustini* nomine : *Decimæ ex debito requiruntur : & qui eas dare noluerit, res alienas invasit.* Pastores itaque jus habent decimas exigendi, sive prædiales quæ ex prædiis, locatione agrorum vel domorum, piscinis, lacubus, molendinis, &c. sive personales, quæ ex personarum negotiatione, militia, artificio ; sive mixtas, quæ ex animalium fœtu, lana, lacte, &c. educuntur, *secundùm consuetudinem patriæ, & indulgentiam ipsorum Ministrorum*, ut ait *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXXVII. Articulo II. ad primum. Horum tamen *honestati non convenit*, ut de minutis rebus, herbis videlicet aut leguminibus, quæ in hortis crescunt, decimas exigant, ut loquitur idem Sanctus Doctor in Responsione ad tertiam objectionem. Nec de hujusmodi minutis rebus tenentur Fideles Decimas dare, *Nisi fortè propter consuetudinem patriæ.* Personales decimæ in Galliis non solvuntur, sed prædiales dumtaxat, & mixtæ. Cæterùm *Laudabiliter Ministri Ecclesiæ decimas non requirunt, ubi sine scandalo requiri non possent, propter dissuetudinem, vel propter aliquam aliam causam. Ministri* scilicet *Ecclesiæ majorem curam debent habere spiritualium bonorum in Populo promovendorum, quàm temporalium colligendorum.* Unde Apostolus noluit uti potestate sibi à Domino traditâ, ut stipendia victûs acciperet ab his quibus Evangelium prædicabat, ne impedimentum afferretur Evangelio Christi. *Nec sunt in statu damnationis Christiani, qui non solvunt* decimas *in locis illis, in quibus Ecclesia non petit ; nisi fortè propter obstinationem animi, habentes voluntatem non solvendi, etiamsi ab eis peterentur* ; (inquit *S. Thomas* Secunda Secundæ, Quæst. LXXXVII. Art. I. in Responsione ad quintam objectionem.)

Decimarum solutio qua ratione plebi Christianæ persuadenda. (margin)

Idem confirmat Quodlibeto II. Quæstione IV. Articulo III. *Nulla*, inquit, *consuetudo contraria solvit hominem ab obligatione reddendi Decimas, quia hæc obligatio fundatur supra jus divinum, & supra jus naturale : unde semper tenentur homines reddere decimas, si Ecclesia exigat, etiam contraria consuetudine non obstante. Et in terris in quibus est consuetudo quòd decimæ solvantur, ipsa consuetudo quasi expostulat decimas : unde peccaret, qui non redderet. Sed in terris in quibus non est consuetudo, & Ecclesia non petit, videtur Ecclesia remittere, dum dissimulat : & ideo homines in terris illis non peccant, decimas non dando.*

Ubi ergo Ecclesia Decimas exigit, quod jure suo potest, lethalis peccati rei sunt laici, qui decimas non solvunt, *Statim fructibus collectis, cum integritate, non deductis sumptibus*, (ut loquuntur *Alexander III.* Cap. *Cùm homines*, Celestinus III. Cap. *Non est*, & *Innocentius III.* Cap. *Tua nobis*, & Cap. *Pastoralis*, Extra, *De Decimis*.) Peccati etiam lethalis reus esset, qui deteriores manipulos, fructus, aut animalium fœtus segregaret ad solvendas Sacerdotibus decimas, sibi verò optima quæque retineret.

Peccatum decimas non solventium. (margin)

Neque verò à peccato lethali immunis est pauper Decimas non solvens diviti Sacerdoti. *Reddere enim debitum, est actus justitiæ : & ideo ad hoc quòd alicui reddatur quod ei debetur, non refert u-*

trum sit dives, vel pauper. Decimæ autem Sacerdotibus debentur, cum jure naturali, quia *Naturalis ratio dictat, ut qui pro populo in spiritualibus laborant, à Populo stipendia suæ sustentationis accipiant:* tum jure *divino*, quia *Dominus ordinavit his qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere*, ut dicitur 1. ad Corinthios Cap. IX. *Tum etiam ex Statuto Ecclesiæ.* Unde *quamvis Sacerdos sit dives, nihilominus pauper tenetur ei decimas solvere.* Ita docet *S. Thomas*, Quodlibeto v. Quæst. VI. Art. III.

Obedientia pastoribus debita.

Tertium reverentiæ & honoris erga Pastores & Sacerdotes officium, B est obedientia in omnibus quæ ordinem & disciplinam Ecclesiæ, ac bonum salutis æternæ spectant. Christus enim monet *Matth.* XXIII. Scribis & Pharisæis super Cathedram Mosis sedentibus parendum esse. *Quæcumque*, inquit, *dixerint vobis, facite: secundùm opera verò eorum nolite facere.* Et Apostolus, ad Hebræos XIII. *Obedite*, inquit, *Præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Hinc idem Apostolus perambulans Syriam, & Ciliciam, & confirmans Ecclesias, Præcepta Apostolorum & Seniorum observari jussit, C ut legimus *Actuum* XV. Mosaicæ Legis Sacerdotibus si quis obedire superbè recusaret, capitali supplicio plectebatur: Deuteronomii XVII. *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, morietur homo ille, & auferes malum de Israel, cunctúsque Populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbiâ.* Gravioribus certè pœnis digni sunt in foro divinæ justitiæ qui Novæ Legis Sacerdotibus non obediunt, cùm longè sit excellentius Evangelicæ Legis Sacerdotium. Pueros ad venerationem Sacerdotum & Pastorum informandos D & assuefaciendos sacra ostendit Historia, quæ in pueros *Elisæum* irridentes Deum ursos immisisse refert, qui ipsos laceraverunt. IV. *Regum*, Cap. II. *Cum ascenderet per viam, pueri parvi egressi sunt de civitate, & illudebant ei dicentes: Ascende calve, ascende calve. Qui cùm respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egressique sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Parentibus suis instigantibus, aut certè non reprehendentibus, pueros Prophetam contempsisse & ludibrio habuisse, verisimillimum est. E Unde vindicis Dei imperio ipsos ursi discerpserunt, *Ut percussis parvulis majores reciperent disciplinam, & mors filiorum fieret disciplina parentum.* Idque grandi pietate & misericordia factum est: *Ut quia Deo humiliter prædicantibus Prophetis Judæi nolebant credere, vel cum severitate vindictam irrogantem metuerent, & timentes mortem corporum, vel sic salutem requirerent animarum.* Verba sunt *S. Cæsarii* Arelatensis Episcopi Sermone XXXI. inter Augustinianos, alias *De Tempore* CCIV. nunc in Appendice XLI. Christus denique ostendit quàm grave sit peccatum contemptus Sacerdotum & Pastorum, & inobedientia ipsorum mandatis, F cùm ait Discipulis (*Lucæ* Cap. X.) *Qui vos audit me audit; & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit Eum qui misit me.*

Porrò si Ecclesiæ Ministris reverentiam, amorem, obedientiam debemus, multò magis ipsi Christo & Ecclesiæ, cujus Ministri sunt. Christus enim Pater noster est, Ecclesia Mater nostra, qui nos regeneraverunt *Lavacro aquæ, in verbo vitæ*; qui nos Sacramentis & verbo Dei pascunt, divinis monitis erudiunt, & ad vitam æternam, quantùm in ipsis est, perducunt. Ad quam certissimè perveniemus, si ipsis adhæreamus, illorúmque Mandatis fideliter pareamus: tuncque regenerationis nostræ in spem vivam plenissimum fructum re ipsa carpemus, cùm *Occurremus omnes* Christo *in virum perfectum, in ætatem plenitudinis Christi*, corpore pariter & animâ beati in æternum futuri.

§. IV.

Reverentiæ & honoris erga Principes & Magistratus Officia.

B

PAtrum nomine Principes quoque & Magistratus in Scriptura Sacra appellari observavimus; immò & *Patres patriæ* Principes appellari, & Magistratus *Patres conscriptos*, in veteri Romanorum Republica summo honori ducebatur. Hi enimverò cùm publicam tranquillitatem servent, justas Leges condant, suum cuique jus reddant, reos supplicio, bene meritos gratiâ afficiant, corpora, uxores, liberos, fortunas & bona ab iniquis invasoribus defendant, quasi communes parentes sunt ex Dei Mandato honorandi, non externâ tantùm C reverentiæ significatione, sed magis animi judicio ac voluntate, ut in eis Dei ministerium & ordinationem agnoscamus ac veneremus. Hinc Petrus Apostolus Epistola I. Cap. II. *Regem*, inquit, *honorificate.* Et rursus: *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive Regi, quasi præcellenti; sive Ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas Dei.*

Honos & obedientia principibus debentur.

Principibus itaque & Magistratibus, non solùm honor, sed & obedientia debetur, quia Dei vice Populis præsident ac præcipiunt, D ut docet Apostolus ad Romanos XIII. *Omnis*, inquit, *anima Potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim Potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Ne autem civilem dumtaxat damnationem intelligas, subdit Apostolus: *Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram*, (id est ad pœnam temporalem vitandam,) *sed etiam propter conscientiam.* Princeps enim & Magistratus *Dei Minister est*, rectè quidem agentibus *in bonum, vindex verò in iram* E *ei qui malum agit.* Et ad *Titum* scribit Cap. III. ut Christianos admoneat, *Principibus & Potestatibus subditos esse, dicto obedire.* Hæc autem obedientia complectitur omnia illa officia, quæ ad Reipublicæ utilitatem a principibus, & Magistratibus imperantur, scilicet, militare, tributa persolvere, &c. adeò ut de belli justitia, aut tributorum seu vectigalium, aliorúmve onerum seu publicarum indictionum æquitate, judicium ad solum Principem, executio & obedientia ad subditos pertineat, qui Principis rationes ad examen vocare non debent, & dubiâ etiam causæ æquitate, illi obedire tenentur, ut docet *S. Augustinus* F Libro XXII. *Contra Faustum*, Cap. LXXV. *Ordo ille naturalis* (inquit) *mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes Principem sit; exsequendi autem jussa bellica ministerium Milites debeant paci salutique communi.* Igitur, *Vir justus, si fortè sub Rege homine etiam sacrilego militet, rectè* potest *illo jubente bellare civicæ pacis ordinem servans; cui quod jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est, ita ut fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem Militem ostendat ordo serviendi.* Tributorum verò solutionem Christus præcipit, Matth.

Tributa & vectigalia solvenda.

Judicium de illorum æquitate pertinet ad principem, obedientia ad subditos.

Preces ad Deum pro Principibus fundendæ.

Matth. XXII. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Et Apostolus ad Romanos XIII. *Reddite omnibus debita ; cui tributum, tributum ; cui vectigal, vectigal ; cui timorem, timorem ; cui honorem, honorem.*

Ferventissimas denique preces ad Deum fundere debemus pro incolumitate, salute, prosperitate, & felicitate Principum quibus subditi sumus. Unde *Baruch* Propheta Cap. I. scribit ad Judæos qui Hierosolymis relicti erant : *Orate pro vita Nabuchodonosor Regis Babylonis, & pro vita Baltazar filii ejus, ut sint dies eorum sicut dies cæli super terram ; & ut det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos nostros, ut vivamus sub umbra Nabuchodonosor Regis Babylonis, & sub umbra Baltazar filii ejus, & serviamus eis multis diebus, & inveniamus gratiam in conspectu eorum.* Et *Jeremia* XXIX. Judæis Babylonem deportatis Dominus ait : *Quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci : & orate pro ea ad Dominum : quia in pace illius erit pax vobis.* Et Apostolus I. ad *Timotheum* Cap. II. jubet *Fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo.* Hinc *Tertullianus* Apologetici Cap. XXX. *Nos*, inquit, *pro salute Imperatorum Deum invocamus æternum, Deum verum, Deum vivum, quem & ipsi Imperatores propitium sibi præter ceteros malunt. Sciunt quis illis dederit Imperium. Sciunt qua homines, quis & animam. Sentiunt eum esse Deum solum, in cujus solius potestate sunt, à quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes & super omnes Deos. Quidni? Cùm super omnes homines, qui utique vivunt, & mortuis antistant.* Imperator *ideo magnus est, quia cælo minor est. Illius enim est ipse, cujus & cælum est, & omnis creatura. Inde est Imperator, unde & homo antequam Imperator. Inde potestas illi, unde & spiritus. Illuc suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis ; capite nudo, quia non erubescimus ; denique sine monitore, quia de pectore, oramus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, Imperium securum, domum tutam, Exercitus fortes, Senatum fidelem, Populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis & Cæsaris vota sunt.*

§. V.

Reverentia & honoris Servorum erga Dominos officia.

Servorum honoris obedientia esse debet.

ET Domini respectu servorum Patres-familiâs sunt ; quos proinde Servi honorare jubentur quarto Decalogi Præcepto. Illos itaque vereri debent & colere ; illis obsequi non inviti, sed libenti animo, absque murmuratione & contradictione ; illis adhærere *Non tam conditionis necessitate, quàm officii delectatione* ; (ut loquitur *S. Augustinus* Libro *De Moribus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XXX.) Non solùm opera sibi imposita exequi cùm præsentes Domini sunt, verùm etiam cùm absentes ; Deum in Dominis suis timere, venerari ; cum fidelitate servire, conditionem suam tantò magis amare, quantò humilior est.

Conditionem suam amare debent.

Servi (inquit Apostolus ad Ephesios VI.) *obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo : non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, & non hominibus : scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, sive servus sive liber.*

Cum bona voluntate servire, sicut Christo.

Et I. ad *Timotheum* Cap. VI. *Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt ; sed magis serviant, quia fideles sunt & dilecti, qui beneficii participes sunt.* Et ad *Titum* Cap. I. Tito præcipit ut doceat, *Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes : ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus.* Et I. ad Corinthios VII. Servos hortatur ut conditionis suæ humilitatem ac jugum non solùm patienti animo ferant, sed eam ament, considerantes in ea se Dei providentia & voluntate constitutos. *Unusquisque*, inquit, *in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es ? Non sit tibi curæ ; sed etsi potes fieri liber, magis utere. Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini.* Nec verò minùs obedire servi dominis tenentur, quia pravi sunt, durique & immites, ut docet *S. Petrus* Epistolæ I. Cap. II. *Servi*, inquit, *subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injustè.* Servi igitur *suam servitutem ipsi quodam modo liberam faciant ; non timore subdolo, sed fideli dilectione serviendo* ; (inquit *S. Augustinus* Libro XIX. *De Civitate Dei*, Cap. XV.) Et Enarratione in Psalmum CXXIV. *Non vult te superbum facere Christus.... Non ideo Christianus effectus es, ut dedigneris servire. Cùm enim Christo jubente servis homini, non illi servis, sed illi qui jussit.* Non dixit Christus, Indignum est ut justus serviat iniquo, sed ut corroboraret servum ait : *Exemplo meo servi, prior servivi inquis.* Dominos enim tanta in Passione sustinens, à quibus sustinuit, nisi Dominus à servis ? Et à quibus sustinuit, nisi à malis servis ? Nam si fuissent boni servi, honorassent Dominum : sed quia mali servi erant, injuriis eum affecerunt. Ille verò dilectionem reddidit pro odio. *Si Dominus cæli & terræ, per quem facta sunt omnia, servivit indignis, rogavit pro sævientibus & furentibus, & tanquam Medicum se exhibuit adveniens : (Nam & Medici & arte & sanitate meliores serviunt ægrotis ;) quantò magis non debet dedignari homo ex toto animo, & ex tota bona voluntate, cum tota dilectione servire domino etiam malo ?*

Sanctus etiam *Ambrosius* Epistola LXIII. ad Ecclesiam Vercellensem, eadem ratione servos hortatur ut duris etiam dominis obediant. *Et vos*, inquit, *contemplatione Domini Jesu etiamsi difficilibus serviatis dominis cum patientia, mercedem habebitis. Siquidem ipse Dominus justus ab injustis passus est, & patientia mirabili peccata nostra sua affixit cruci : ut qui illum imitatus fuerit, peccata sua sanguine suo diluat.*

Exempla servis imitanda.

Habent Servi quos imitandos sibi proponant in Scriptura Sacra, scilicet *Jacob*, qui fidelissimè ac diutissimè servivit *Laban*, socero suo, *Genesis* XXIX. & XXX. & castum fidelemque *Joseph*, qui à Putiphare *Propositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum, & universa quæ ei tradita fuerant* : ita ut Dominus ejus nihil aliud nosset, *nisi panem quo vescebatur.* Cujus pudicitiam cùm sollicitaret domina libidinis impotens, ille *Nequaquam acquiescens operi nefario*, respondit : *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua : nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es : quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum ?* (Genes. XXXIX.)

His adde Regulam Familiæ traditam à Venerabili *Gersono*, in Tractatu *De Modo vivendi omnium Fidelium*, Consideratione XVIII. *Ne fraudem*, inquit, *Dominis suis in serviendo, negligendo faciant. Fideles sint in rebus suis custodiendis. Nihil ab eis auferant occultè, nec alios facere permittant. Nuncium malum non faciant uxori vel filiis domini sui. De malè respondendo caveant. Malos rumores fugiant, unde in domum malum redundare possit: sed discordias etiam reportare vitent. Missi citè revertantur. Mercedem suam in superbia vestium non expendant. Ita vivant in humilitate, ut labor eorum sit eis in remissionem peccatorum suorum.*

§. VI.

Præcepti Merces.

Merces à Deo promissa his qui parentes secundum ejus mandatum honorant.

HOc Mandatum, *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, ab Apostolo Cap. VI. Epistolæ ad Ephesios, dicitur *Primum in promissione*; vel quia primum est in secunda Tabula, habetque promissionem illam adjunctam, *Ut bene sit tibi, & sis longævus super terram*: vel quia cùm sæpe in Scriptura Sacra observantibus mandata Dei, diuturna felixque vita promittatur, ea tamen primò speciatimque promittitur honorantibus parentes. Idque convenienti ratione: æquum enim est ut qui beneficii memores sunt, gratique animi significatione benefactores honorant, beneficio quamdiutissimè perfruantur. Cùm igitur qui parentes colunt, iis gratiam referant, à quibus, post Deum, lucis & vitæ hujus usuram acceperunt, jure merito diuturna vita illis à Deo promittitur. Unde Apostolus ait 1. ad Timotheum IV. *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Nec solùm tranquillam vitam, sed quietam ac felicem, honorantibus parentes Deus pollicetur.

Parentum benedictio, divinæ benedictionis pignus.

Hinc parentum benedictionem, signum esse voluit omenque benedictionis à se conferendæ, pignúsque temporalis etiam felicitatis. Id opere comprobatum est in Jacob benedicto ab Isaac, in Ephraim & Manasse, & duodecim Patriarchis à Jacob benedictis. Unde *Ecclesiastici* III. dicitur: *In opere, & sermone, & omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in novissimo maneat. Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Et rursus: *Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat patrem suum. Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, & in die orationis suæ exaudietur.* Ideo autem magnam vim parentum benedictioni Deus indidit, ut liberi ad honorem parentibus deferendum impellerentur, ut docet *S. Ambrosius* Libro *De Benedictionibus Patriarcharum*, Cap. 1. *Quantam* (inquit) *discimus parentibus referre reverentiam, cùm legimus quoniam qui benedicebatur à patre, benedictus erat, & qui maledicebatur, maledictus erat. Ideo hanc parentibus gratiam donavit Deus, ut filiorum pietas provocetur. Prærogativa igitur parentum, disciplina est filiorum. Honora ergo patrem, ut benedicat te. Honores pius patrem propter gratiam, ingratus propter timorem. Et si pauper est pater, & non habet divitiarum copias quas relinquat filiis; habet tamen ultimæ benedictionis hereditatem, quâ sanctificationis opes successoribus largiatur. Et multò plus est beatum quàm divitem fieri.*

Genes. 9. 25.

Parentum maledictio timenda.

Quantùm etiam valeat paterna maledictio, in *Cham & Canaan* ostensum est, *Genes.* IX. Nam in multas Chananæorum generationes est extensa. Quin & *Sanctus Augustinus* Libro XXII. *De Civitate Dei*, Cap. VIII. refert, decem fratres è Cæsarea Cappadociæ suorum civium non ignobiles, maledicto matris, quæ injuriam sibi ab eis illatam acerbissimè tulit, tali pœnâ divinitus esse coërcitos, ut horrendum in modum quaterentur omnes tremore membrorum: in qua fœdissima specie oculos civium suorum ferre non valentes, quaquaversum cuique ire visum est, toto pene Orbe Romano vagabantur. Illorum natu major gravibus atque intolerandis communem matrem affecerat injuriis, ita ut ei etiam manus inferre non dubitaret. Alii omnes congregati patienter tulerant, ut ne verbum quidem fratri pro matre sua dicerent. Mulier doloris stimulis incitata, injuriosum filium maledicendo punire statuit. Dæmonis in specie patrui filiorum adspectabilis instinctu omnibus maledixit. Sacrum Baptismatis fontem provoluta corripuit, & sparsis crinibus, nudatisque uberibus, à Deo postulavit, ut extorres patriâ, & circumeuntes alienas terras, omne hominum genus suo terrerent exemplo. Mox maternas preces efficax vindicta prosecuta est. Filium ætate culpâque majorem horrendus membrorum tremor protinus invasit. Ceteros, servato ordine quo nati erant, intra unum annum eadem pœna corripuit. Videns mater maledictionem suam tantam vim habuisse, impietatis suæ conscientiam, & opprobrium hominum diutiùs ferre non potuit: sed laqueo guttur adstringens, miseram vitam termino funestiore conclusit. Decem filii opprobrii impatientes, communi patriâ relictâ per diversas regiones dispersi sunt. Natu major sanatus est Ravennæ ad Memoriam *S. Laurentii* Martyris; sextus nomine *Paulus*, cum Sorore Hipponem se contulit ad Memoriam *S. Stephani* Protomartyris, monitu Beati *Augustini* Episcopi, qui ipsis adhuc in vivis agens, & nesciens apparuit. Ibique magnis cum lacrymis orans, sanatus est, sorore ad omnium eruditionem cunctis membris adhuc contremiscente. Rem ita narrat *Paulus* ipse in Libello, quem *S. Augustino* jubente obtulit, Feria tertia Paschæ, anno forsitan quadringentesimo-vigesimo-quinto: quique in publico plebis Hipponensis Conventu recitatus est in Ecclesia. Ea occasione *S. Augustinus* Sermonem habuit, qui nunc CCCXXII. est, aliàs XXXII. *De Diversis*, in quo hæc habet: *Misericordiâ quidem Dei, sicut credendum est, omnes isti fratres, quos unâ Dei ira maternâ plagâ percussit, ad hujus de quo gaudemus quandoque perventuri sunt sanitatem. Veruntamen discant filii obsequi, timeant parentes irasci. Scriptum est*: Benedictio patris firmat domum filiorum; maledictio matris eradicat fundamenta. *Modò isti per terras in fundamentis patria sua non sunt: præbent ubique spectaculum, proponunt suum supplicium: præbent oculis miseriam suam, terrent superbiam alienam. Discite filii, quod dicit Scriptura, reddere honorem parentum debitum. Sed & vos Parentes, quando offenditis, parentes vos esse recordamini. Oravit mater contra filios, exaudita est; quia Deus verè justus est, quia verò injuriam passa fuerat. Unus ipsorum & verba contumeliosa & manus injecerat; & ceteri matris injuriam patienter tulerunt, nec unum pro ea verbum contra fratrem responderunt. Justus Deus qui audivit precantem, audivit dolentem. Sed quid illa misera? Nonne unde citiùs exaudita, inde plus punita? Discite hoc petere à Deo ubi non timeatis exaudiri.* Hæc Historia, cujus veritas *S. Augustino*, totáque Ecclesia Hipponensi testibus probata est, ostendit quàm grave scelus sit

Exemplum terribile.

Eccli. 3.

filiorum, qui patrem & matrem non honorant; quanta vis sit paternæ, aut maternæ maledictionis; quàm grave denique sit peccatum parentum, qui ea irâ, & doloris impatientiâ, vindictæque animo filios maledicunt, & quàm serio monendi sint ut ab ejusmodi imprecationibus caveant.

Cur interdum pii erga parentes filii brevior sit vita?

Rogabit quispiam, Quomodo divini promissi fides & constantia iudicari potest, cùm interdum filiis qui majorem pietatem parentibus præstiterunt, brevior sit vita?

Tribus de causis id contingere docet Concilii Tridentini Catechismus: vel quod iis optimè consulitur, qui priùs vita excedunt, quàm a virtutis & officii religione discedant, quibus illud Sapientis Oraculum jure meritóque accommodatur: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, & ne fictio deciperet animam illius:* vel quia, dum publica perturbatio & calamitas impendet, ad meliorem vitam à Deo vocantur, ne eorum virtus aut salus periclitetur, cùm à mortalibus flagitiorum pœnas repetit, unde Isaiæ cap. LVII. scriptum est: *A facie malitiæ collectus est justus:* vel ne tristissimis temporibus ex propinquorum amicorúmque calamitatibus acerbissimis luctus sentiant. Quare metuendum est majorem in modum, cùm viris bonis immatura mors accidit. His explicatur *S. Thoma* Responsio Secunda Secundæ, Quæstione CXXII. Articulo V. ad Quartum. *Quia* (inquit) *præsentia bona vel mala non cadunt sub merito vel demerito, nisi in quantum ordinantur ad futuram remunerationem: ideo quandoque secundùm occultam rationem divinorum judiciorum, quæ maximè futuram remunerationem respiciunt, aliqui, qui sunt pii in parentes, citiùs vita privantur; alii verò qui sunt impii in parentes, diutiùs vivunt.* Quod tempore Legis gratiæ maximè locum habet, quia promissiones temporalium & terrenorum bonorum in Veteri Testamento proponebantur carnalibus Judæis; promissiones verò spiritualium & æternorum bonorum in Novo Testamento proponuntur Christianis. Unde ad Vetus Testamentum præcipuè referenda est promissio longævitatis super terram istam, in qua mortales habitamus, iis facta qui parentes honorant: ad Novum autem Testamentum immortalitatis æternaque vita in *Terra excelsa, Terra nova, Terra viventium,* quam humilibus promisit Christus *Matth.* V. dicens: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Quam quidem non aliud esse quàm Regnum cælorum beatitudo sequens ostendit: *Beati* (inquit) *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.* Eosdem enim esse humiles sive mites, pauperésque spiritu compertum est, cùm divitiarum cupiditas superbos, amor verò paupertatis humiles ac mansuetos homines faciat. Terræ hujus excelsæ & invisibilis typus ac figura fuit Terra Chanaan Populo Judaico à Deo promissa, terra opima, lacte & melle fluens. Verùm figura ad carnales Judæos pertinuit; veritas autem, seu res per terram illam significata, ad Christianos pertinet, qui non contemplantur *Ea quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt;* ait Apostolus II. ad *Corinthios* IV. Sic Abraham, Isaac & Jacob, jam tunc fide Christiani, Terram Chanaan ipsis à Deo promissam spectarunt, teste Apostolo, Epist. ad Hebræos XI. Cap. *Fide* (inquit) *demoratus est Abraham in Terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando, cum Isaac & Jacob coheredibus repromissionis ejusdem. Exspectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor Deus.... Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus: sed à longè eas aspicientes & salutantes, & confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi: nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem.* Sicut ergo promissio Abrahæ, aliisque Patriarchis facta, cœlestis simul erat & terrena; cœlestis, prout ipsam fide intuebantur; terrena, prout posteris eorum terræ adhærentibus, & terrena sola spectantibus & desiderantibus proponebatur: ita promissio adjuncta Præcepto de honorandis parentibus litteralis & carnalis est pro Judæis carnalibus: spiritualis potissimum est pro spiritualibus Israëlitis, scilicet Christianis; quibus non angustam regionem, qualis erat Judæa, sed Regnum nullis finibus circumscriptum; non terram, sed cælum; non diuturnam in hoc seculo vitam, *Quæ mors potiùs dicenda est,* quàm vita; siquidem *quotidianus defectus corruptionis est quædam prolixitas mortis;* (ut loquitur *S. Gregorius* Homilia XXXVII. in Evangelia:) sed vitam immortalem & æternam Deus promisit.

Sap. IV.

Deuteron. 3.

Apoc. 21.

Psalm. 26.

Impiorum ingratorum que in eos pœna.

Quemadmodum autem iis, qui grati in parentes sunt, merces à Deo proposita est, promissióque facta vitæ quæ nunc est, & futuræ, sic ingratis impiisque filiis gravissimas pœnas Deus comminatur. Scriptum est enim: *Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur.* Proverb. XIX. 26. *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus erit & infelix.* Proverb. XX. 20. *Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.* Et cap. XXX. 17. *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* Ezechielis XXII. *Patrem & Matrem contumeliis affecerunt in te.... Verecundiora patris discooperuerunt in te.... Et congregabo vos, & succendam vos in igne furoris mei.* Qui parentibus injuriam intulerunt, multos fuisse legimus, in quibus ulciscendis ira Dei exarsit. *Cham* qui patrem suum *Noë* ebrium & nudatum irrisit, nota maledictio in filio *Chanaan*, Genesis IX. Injuriarum patri *Davidi* illatarum debitas pœnas dedit *Absalon*, quem ob ejus scelus è quercu suspensum & tribus lanceis transfixum, misera morte perire voluit Deus justus Judex, (II. *Regum* XVIII.)

Exod. 21. 17.

ARTICULUS II.

De Officiis Parentum erga filios, Pastorum erga plebes, Principum & Magistratuum erga subditos, Dominorum erga servos, Toparcharum erga vassallos.

Reciproca sunt filiorum erga parentes, & parentum erga filios; ovium in Pastores, & Pastorum in oves; Subditorum in Principes & Magistratos, & Principum ac Magistratuum in subditos; servorum in dominos, & dominorum in servos officia: Utraque naturæ Lege hominum animis inscripta; utraque positivâ Dei Lege præscripta.

§. I.

Parentum ergà filios Officia.

Filiorum cura.

UT filii Parentes honorare debent; ita Parentes filios amare, ipsisque providere, ut coram Deo hunc honorem mereantur & tueantur. Debent in primis filios alere, educare, curam ipsorum gerere diligentem, ne quid ipsis infausti contingat, dum parvuli sunt, ne in ignem vel in aquam cadant, ne claudi, gibbosi, aut lusci fiant, quâ in re negligentia parentes gravis peccati reos facit. Debent ipsis vivendi subsidia, cùm adulti fuerint, subministrare. *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis*; (inquit Apostolus II. ad *Corinthios* XII. 14.) Id autem præstant parentes, non tantùm cùm annuos reditus, aut prædia filiis aggregant, sed etiam cùm artem vel opificium docent, quo vitam honestè transigant.

Christiana filiorum educatio.

Secundò, instructionem & disciplinam filiis debent parentes. Eorum officia sunt (inquit Concilii Tridentini Cathechismus) ut sanctissimis disciplinis ac moribus filios imbuant, iisque optima dent vivendi præcepta, ut ad Religionem instructi & parati, Deum sanctè inviolatéque venerentur, quod à parentibus Susannæ factum esse legimus, Danielis XIII. *Parentes enim illius, cùm essent justi, erudierunt filiam suam secundùm Legem Moysi*: idemque Tobiæ filio præstitum à Patre. *Tobiæ* cap. I. *Accepit uxorem Annam de Tribu sua, genuitque ex ea filium, quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.* Et quia plerumque parentes aut non nôrunt, aut aliis impediti negotiis, non valent filios suos instituere & erudire; tales Magistros ac Præceptores ipsis procurare debent, qui Christianam Fidem, & vitæ secundùm Deum agendæ officia & præcepta eos optimè doceant. Hoc parentum erga filios officium non uno in loco Scriptura Sacra commendat. Deuteron. XI. *Ponite hæc verba mea in cordibus & in animis vestris.... Docete filios vestros ut illa meditentur, quando sederis in domo tua, & ambulaveris in via, & accubueris atque surrexeris.* Et Ecclesiastici XXX. *Qui docet filium suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur. Qui docet filium suum, in zelum mittit inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in illo. Mortuus est pater ejus, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se. In vita sua vidit, & lætatus est in illo: In obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis. Reliquit enim defensorem domûs contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.... Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.* Apostolus etiam ad Ephesios VI. parentum officia erga filios explicans: *Educate illos*, inquit, *in disciplina & correptione Domini.* Lugenda ergo parentum quàm plurimorum cæcitas, qui in hac una cogitatione curâque versantur, ut opes, ut pecunias, ut lautum amplúmque patrimonium liberis relinquant: Fidem verò, Religionem, pietatem, caritatem & beneficentiam in pauperes, mansuetudinem, humilitatem, patientiam, modestiam, seculi contemptum, mortificationem, quibus possint in æternum vivere, eos docere negligunt: quo fit ut ad illos non tam rerum copias, quam sua crimina transferant, nec illis ad cælum se duces præbeant, sed ad inferorum supplicia sempiter-
» na. Docendi sunt igitur parentes, Nullam esse
» ampliorem hereditatem, nec præclarius patri-
» monium quod filiis relinquere possint, quàm
» si effecerint ut optimi Christiani evadant, quæ
» virtus omni terreno thesauro multò pretiosior
» est censenda, ut loquitur Concilium Mediolanense V. sub *S. Carolo Borromæo*, Tit. *De iis quæ ad Matrimonium pertinent.* Qua de re & *S. Cyprianus* Libro *De Opere & eleemosynis*, præclarè Christianos parentes commonet: *Qui studes*, inquit, *terreno magis quàm cælesti patrimonio filios tuos diabolo magis commendare quàm Christo, bis delinquit, & geminum ac duplex crimen admittis:* B *& quòd non preparas filiis tuis Dei Patris auxilium, & quod doces filios patrimonium plus amare quàm Christum. Esto potiùs liberis tuis pater talis, qualis Tobias extitit. Da utilia & salutaria præcepta pignoribus, qualia ille filio dedit: manda filiis tuis, quod & ille filio mandavit*, dicens: Tobiæ 4.

OMNIBUS *diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri. Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: Ita enim fiet ut nec à te avertatur facies Domini. Quo modo potueris, ita esto misericors. Si multùm tibi fuerit, abundanter tribue:* C *si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Attende tibi ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam, nunquam patiaris crimen scire. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Quicunque aliquid tibi operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarii apud te omnino non remaneat. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. Panem tuum cum esurientibus & egenis comede, & de vestimentis tuis nudos tege. Consilium semper à Sapiente perquire. Omni tempore benedic Deum: &* D *pete ab eo ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.*

Inculcare sæpius ipsis debent, ut pravorum hominum societates fugiant; invigilare ne socios frequentent pravæ indolis, à quibus corrumpantur; Salomonis verbis ipsos admonere, Proverb I. *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Fili mi, ne ambules cum eis; pedes enim eorum ad malum currunt.* Proverb. IV. *Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. Fuge ab ea, nec transeas per illam; declina & desere eam.* Et Apostoli verbis I. ad E Corinthios XV. *Nolite seduci, corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Cavere præterea debent & prohibere ne pueri cum puellis ludant; *S. Hieronymi* ad *Gaudentium* scribentis prudens consilium sequi: *Sexus femineus sexui suo jungatur: nesciat puella, imò timeat cum pueris ludere:* Filiis in memoriam identidem revocare debent Pacta cum Deo in Baptismo inita, monere & hortari ut ea fideliter servent, ut tanquam à facie colubri peccatum fugiant, ut præter Dei amorem & servitutem, cætera omnia vanitatem censeant. Hæc & similia salutis Monita filiis tradere de- F bent Christiani Parentes, Deúmque ferventissimis precibus orare ut hæc præveniente & adjuvante ipsius gratiâ prosequantur, potiúsque illos ex hoc Mundo rapiat, quàm lethali peccato à suo amore & obsequio permittat averti.

Nullà re magis quàm optimâ & Christianâ educatione suum in filios amorem testari parentes possunt, ut docet *Salvianus* Massiliensis Presbyter Libro I. *Ad Ecclesiam Catholicam*, scribens. *Non solum* (inquit) *amandos dicimus filios, sed præcipuè ac super omnia amandos; nec quicquam his omnino anteponendum, nisi Deum solum. Nam & hoc est præcipuè amare illum, filiis anteponere, quem*

Nulla re magis quàm optima & Sancta educatione suum erga filios amorem testari parentes possunt.

non expediat omnino postponere. Quid est ergo aut quo modo amandos dicimus filios? Quo absque dubio, nisi quo Deus ipse constituit? Neque enim est ullus melior filiorum amor, quàm quem ille docuit, qui ipsos filios dedit, neque possunt pignora melius amari, quàm si in eo ipso à quo data sunt, amentur. Quomodo igitur Deus amari filios jusserit, non dico ego, dicat sermo ipse divinus.... Pauca sunt quæ mandat, sed salutaria; expedita, sed sancta; præcepto parva, sed fructu grandia; scripto » brevia, sed beatudine sempiterna. Parentes, » (*inquit*) nolite ad iracundiam provocare fi- » lios vestros: sed educare illos in disciplina & » correptione Domini: ut ponant *scilicet, sicut* » *Propheta dixit*, in Deo spem suam, & non » obliviscantur operum Dei sui, & Mandata e- » jus exquirant. *En quales divitias Deus diligit, en quas pignoribus recondi exigit opes, en quas parari imperat facultates, fidem scilicet, ac timorem Dei, modestiam, sanctimoniam, disciplinam: non terrena, non vilia, non peruntia, non caduca; præclara utique. Cùm enim Deus vivorum sit, non mortuorum, rectè illa parari filiis jussit, per quæ in æternum viverent, non per quæ in æternitate morerentur. Nemo enim dubitat, omnibus fermè malis & infidelibus divitias mundiales causam mortis magis esse quàm vitæ, secundùm illud quod* » *Deus dicit*: Quàm difficile hi qui pecunias ha- » bent, introibunt in Regna cælorum! *Unde* » *& illud est quod specialiter jubet dicens*: Nolite » thesaurizare vobis thesauros in terra: thesau- » rizate autem vobis thesauros in cælo. *Superioribus ac sequentibus dictis duo thesaurorum genera monstrantur: unum scilicet quo filiis thesaurizent patres, aliud quo sibi. Filiis quomodo? Ut erudiant illos officio ac timore divino. Sibi quomodo? Ut thesaurizent sibi thesauros in cælo. Mirificè scilicet, ut quia pecunia caduca est, disciplina immortalis, & omnes fere parentes plus ament filios quàm se ipsos; sibi conferant bona caduca, filiis sempiterna: ac sic & pietati suæ consulant, & saluti, cùm duplici atque immortali bono, & per ea quæ æterna sunt æternos esse filios faciant; & ad conquirendam sibi beatitudinem, ea quæ naturaliter caduca sunt, bonis operibus in æterna convertant. Quid ergo æstuas, paterna pietas? Quid ad conquirenda terrena & peritura distenderis? Nihil majus præstare filiis potes, quàm si hoc bonum per te habeant, quod nunquam penitus amittant. Non necesse est ergo ut filio tuo terrenos thesauros recondas: nulla re eum facies ditiorem, quàm si ipsum filium tuum thesaurum Dei feceris.*

Ephes. 6.

Psalm. 77.

Matth. 19.

Matth. 6.

Parentes filiis omnium virtutum exemplo debent prælucere.

Quia verò exempla longè movent efficaciùs quàm verba, filiis suis omnium virtutum exemplo prælucere debent Parentes Christiani. *Sacerdos parentes commoneat*, (inquit Concilii Tridentini Catechismus) *ut se liberis magistros præbeant virtutis, æquitatis, modestiæ, & castitatis.* Hinc *S. Joannes Chrysostomus* Homilia v. in Epistolam II. ad Thessalonicenses ait, Patrem-familiâs magis prodesse posse uxori suæ, filiis & servis exemplo suo, & Christianâ sanctâque conversatione, quàm Concionatores. Hos enim rarò audiunt, & statim ac pedem extulerunt è Templo, eorum quæ audierunt in Concione obliviscuntur: parentum autem & dominorum vitam & exempla præ oculis semper habent filii ac servi. *Licet ergo* (inquit S. Chrysostomus) *unicuique esse doctorem.* Et *S. Augustinus* in Psal. L. *Quomodo ad nos pertinet in Ecclesia loqui vobis, sic ad vos pertinet in domibus vestris agere, ut bonam rationem reddatis de his qui vobis sunt subditi.* Hinc *S. Hieronymus*, Epistola VII. *Ad*

A *Lætam*, de institutione filiæ scribit: *Nihil in te & in patre suo videat, quod si fecerit, peccet. Mementote vos parentes Virginis, magis eam exemplo doceri posse, quàm voce.* Huc pertinent *Salviani* verba, Libro VII. *De Gubernatione Dei*, dicentis: *In domo sua dominus quasi corporis sui caput est, & vita ejus cunctis norma vivendi. Pessimùmque hoc est in hoc negotio, quòd libentiùs omnes deteriora sectentur: & faciliùs mala institutio depravat bonos, quàm bona emendet malos.* Hinc est (inquit idem *Salvianus* Libro I. *Ad Ecclesiam Catholicam*) quòd *Pene omnes parentibus suis*

B *filii non magis in patrimonia quàm in vitia succedunt; nec magis facultates paternas sumunt, quàm pravitates: ac sic transeuntes semper in mores patrum, ante eorum incipiunt nequitiam quàm substantiam possidere. Bona enim parentum nonnisi mortuis eis possident; viventibus autem adhuc & videntibus, mores. Ac sic priùs quàm in dominio suo habere incipiant res paternas, habent in animis ipsos patres: & antequam habeant illa quæ falsò dicuntur bona, habent illa quæ verè probantur mala.* Longè igitur graviora sunt peccata parentum, qui filios suos pravis exemplis, blasphe-

C miis, juramentis, verbis obscœnis, ebrietate, libidine, inimicitiis, rixis, vindictâ, ludis alearum, impietate ac negligentiâ in frequentandis Sacramentis, in Festis sanctificandis, in verbi divini auditione, in salutis negotio, quod *Unum est necessarium*, agendo, duritie in pauperes, ad similia vitia informant & provocant, quàm eorum qui patres-familias non sunt, (*cæteris paribus.*) Unde infelices illi filii meritò dixerint: *Perdidit nos aliena perfidia; parentes* S. Cyprianus, Lib. De Lapsis. *sensimus parricidas.* Ob hanc rationem Deus *Visitat iniquitatem patrum in filios in tertiam & quar-*

D *tam generationem*, ut dicitur Exodi XX. & XXIV. ipsos puniens in filiis, quos pravis exemplis corruptos, suorum imitatores criminum reliquerunt: & vice versâ, peccata filiorum in parentibus puniuntur, cùm negligenti educatione, aut exemplorum pravitate, ipsis ruinæ autores extiterunt, I. *Regum*, cap. XII. 15. *Si non audieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermones ejus, erit manus Domini super vos, & super patres vestros.*

Quartum parentum in filios officium est eorum correptio & castigatio statim à pueritiâ, quæ Filiorum correptio.

E prona ad malum est, &, nisi coërceatur, vitia concipit ad alias ætates transitura. Qua in re prudentia & moderatione opus est, ut videlicet nec austeriores, nec indulgentiores parentes sint. Præposterâ namque severitate fit, ut pueri fracto abjectòque animo sint, dum omnia timent, quod summopere cavendum Apostolus docet ad Parentum imperium lenitate ac mansuetudine temperandum. *Ephesios* IV. & ad *Colossenses* III. parentibus præcipiens ne quid acerbius in liberos loquantur, aut statuant, quo ad iracundiam illi provocentur, ac in desperationem quodam modo compellantur.

F *Et vos Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros: sed educate illos in disciplina, & correptione Domini.... Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* Sit igitur parentum imperium lenitate ac mansuetudine temperatum. Non quasi servulis, sed quasi filiis se præesse noverint: non iræ impetu, sed caritatis impulsu peccantes corripiant & emendent: Liberos corrigere malint, quàm ulcisci: sed feras ipsas imitentur, quæ cùm homines terreant, & in sylvis fremant, sævitiam omnem ac feritatem deponunt in speluncis ubi filios suos alunt. Doceantur gravis peccati reos esse parentes, qui magis irâ quàm ratione in

filios sæviunt, & correctis etiam, veniámque petentibus placabiles præbere se nolunt.

Dissoluta indulgentia. Verum non minùs cavere debent parentes, ne quid liberis per indulgentian dissolutè remittant, si quam culpam commiserunt, quæ objorgationem & castigationem postulet. Sæpe enim filii nimiâ lenitate & facilitate parentum depravantur. Qoamobrem Sciprora Sacra parentes à dissoluta illa indulgentia deterret, quæ segnes pravósqoe liberos facit. *Proverb.* XIII. cap. *Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.* Et cap. XXIII. *Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virgâ, non morietur. Tu virgâ percuties eum: & animam ejus de inferno liberabis.* Et *Ecclesiastici* cap. VII. *Filii tibi sunt? Erudi illos, & curva illos à pueritia illorum. Filiæ tibi sunt? Serva corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.* Et cap. XXX. *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo, & non palpet proximorum ostia.... Equus indomitus evadit durus, & filius remissus evadet præceps. Lacta filium, & paventem te faciet: lude cum eo, & contristabit te. Non corrideas illi: ne doleas, & in novissimo obstupescent dentes tui. Non des illi potestatem in juventute, & tunde latera ejus, dum infans est, ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.* Negligentiam paternæ in filios disciplinæ gravissimo

1. Reg. 4. supplicio ultus est Deus in *Heli* summo Sacerdote, qui *de sellâ* cadens retrorsum, *fractis cervicibus mortuus est*, duóque ejus filii occisi, Israelitæ à Philistæis profligati, Arca Domini capta, translatom ab ejus familia Summum Sacerdotium, multæqoe calamitates posteris ejus illatæ, ut Dominus per *Samuelem* prænunciaverat 1. *Regum*, cap. II. & III. *Suscitabo* (inquit) *adversùm Heli omnia quæ locutus sum super domum ejus: incipiam & complebo. Prædixi enim ei quòd judicaturus essem domum ejus in æternum, propter iniquitatem, eò quòd noverat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos. Idcirco juravi domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus ejus victimis & muneribus usque in æternum.* Filios tamen suos verbis corripuerat, cùm eorum sacrilegia & stupra andivisset: *Quare* (inquit)

1. Regum 2. *facitis res hujuscemodi, quas ego audio, res pessimas, ab omni Populo? Nolite filii mei: non enim est bona fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis Populum Domini. Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Verùm non verbis tantùm cum illis agendum erat, cùm gravissima crimina perpetrarent in Templo Dei, cum totius Populi scandalo: amovendi enim erant ab officio Sacerdotali, quod indignè administrabant. Quod qoia non præstitit *Heli*, filiorum honori magis consulens quàm Dei, maximo supplicio est affectus. *Heli corripuit filios, & punitus est: quia non corripere, sed abjicere debuit:* (inquit *S. Hieronymus* Libro 1. *Contra Pelagianos.*)

Christiana filiorum educatio. Præclara sunt qoæ isto de argumento *S. Joannes Chrysostomus* habet Homilia IX. in Epistolam 1. ad Timotheum. *Heli* (inquit) *propter filios periit: illos quippe cùm acriùs coërcere debuisset, verbis eandem lenibus monuit. Quapropter dum illis molestus esse severâ increpatione recusat, illos & seipsum unà perdidit. Audite hæc, patres, vestrósque filios in disciplina & correptione Domini erudite summâ cum diligentiâ. Est enim Juventus fera, pluribúsque indiget institutoribus, & magistris. Si igitur illi ab ipsis statim initiis, atque à primâ ætate leges optimas imponamus, minimùm posthac laborabimus, verùm consuetudo ipsa virtutis in legem transibit. Nihil eos agere permittamus ex his quæ noxiè jucunda sunt, neque illis ut pueris indulgeamus: atque ante omnia illos in pudore & sobrietate servemus; quippe huic inimica libido omnium maximè hujusmodi perturbat ætatem. Ad hoc igitur vitium compescendum, magnis nobis sudoribus, magnáque intentione opus est: maturè illos Matrimonio jungamus, ut munda atque integra illorum corpora Sponsæ admoveantur...... Admoneamus igitur illos, corripiamus, terreamus, minísque intentemus, & modò istud, modò illud faciamus. Magnum habemus, pretiosúmque depositum filios, ingenti illos servemus curâ; atque omnia faciamus, ne fur id nobis astutus auferat. At verò nunc contra penitus foemus. Nam ut fundus quidem sit optimus, cuncta molimur, cuique fideli viro magnâ cum studio tradimus, procuratorémque ac dispensatorem, qui à nobis magna benevolentia afficiatur, inquirimus: cæterum, quod nobis carissimum omnium est, omnino negligimus: neque curamus quo pacto filium nostrum fideli cuipiam viro permittamus, qui ipsius tueri ac servari pudicitiam possit. Et certè nulla possessio, nullus fundus æquè nobis gratus atque charus esse debet: quippe hæc omnia filiis quæruntur. Igitur major nobis possessionum cura est, quàm eorum, quorum illa gratiâ comparantur: quod profectò absurdissimum atque stultissimum est. Exerceamus igitur ad virtutem atque pietatem molles filiorum animos, cætera omnia secundo loco quæramus. Nam si quidem illi improbi fuerint, nihil eis pecunia proderunt: sin autem probi, nihil ex paupertate lædentur.... Filiis non ritè institutis præstat pauperes esse, quàm divites. Paupertas enim vel invitos coërcet, atque intra virtutis limites continet: opes verò ne volentes quidem pudicè temperantérque vivere sinunt; verùm exorbitare faciunt, atque pervertunt, malisque innumeris subigunt. Matres item filiarum vobis curam assumite: est ea cura vobis perfacilis. Curate solicitè ut domi jugiter sint. Ante omnia pias esse religiosásque docete, aspernari pecunias, externorúmque ornatûs contemtrices esse: atque ita demum Nuptiis tradite. Eas si ita institueritis, non ipsas modò servabitis, verùm & viros qui illas ducturi sunt: neque viros tantùm, sed etiam filios atque nepotes. Quippe ex radice optima surculi prodeunt firmiores, ac semper in meliora proficiunt, horúmque omnium merces vobis reddenda est.*

Legenda ejusdem Patris Homilia XXI. in Epistolam ad Ephesios, & Libri tertii *Adversùs Vituperatores Vitæ Monasticæ*, Caput III. IV. VI. & XVIII. *Job sanctissimum virum* (inquit) *cùm ex virtutibus reliquis Scriptura collaudet, quòd fuerit justus, quòd verax, quòd religiosus, quòd pius, tum ex eo maximè quòd filiorum optimè educandorum habuerit summam diligentiam. Non enim eâ curâ urebatur, ut aurum illis copiosissimum acquireret, non ut humanâ gloriâ verendos & illustres cerneret: sed quid ille tandem requirebat? Audi quid Scriptura dicat:* « Cùm consummati essent dies convivii illorum, mittebat Job, & purificabat eos, « *Job 1.* « consurgénsque diluculo offerebat pro eis Sa- « crificia ad numerum ipsorum, vitulúmque « unum pro peccatis pro animabus eorum. Di- « cebat enim Job in corde suo: Ne fortè filii « mei in mente sua mala cogitaverint adversùs « Deum. *Ulláne jam nobis erit excusatio ejusmodi socius admittere audentibus, quando is qui ante Gratiam, ante Legem fuit, qui nullo Sacrarum Litterarum magisterio instructus erat, tantam*

filiorum

Christiana filiorum educatio. *filiorum ostendit gessitque providentiam, ut de incertis quoque eorum & occultis tremeret pavorétque delictis? Quanam nos jam excusabit ratio, qui cùm simus sub gratia, cùm tantis & tam insignibus magistris potiamur, cùm ejusmodi exemplis abundemus, totque monitis erudiamur, non modo pro occultis incertisque filiorum peccatis non metuimus, verùm aperta quoque & manifesta contemnimus? Nec ista saltem pernicie contenti, si qui eos emendare voluerint, eos undique rejicimus, exagitamus, affligimus. Abraham quoque cùm cetera rectè facta commendant, tum istud quoque clarissimum facit. Igitur cùm tanta summorum virorum teneamus exempla, paremus Deo ministros idoneos, & probatissimos famulos. Nam si eis qui vel Athletas Civitatibus nutrit, vel exercet ad Regis obsequium Milites, maximis honoribus fruitur; quanta nos munera, quot coronas accepturi sumus, qui tam magnos & eximios viros (dicam veriùs, Angelos Deo) educamus? Omnia igitur faciamus, cunctáque moliamur, ut eis insignes pietatis opes relinquamus, quæ solæ permanent nobiscum, excedentésque è vita comitantur.*

Et rursus Libro III. Adversùs Vituperatores Vitæ Monasticæ. *Unde*, inquit, *acerba & intempestiva mortes? Unde morbi perpetui atque gravissimi plerumque nobis & liberis nostris inferuntur? Unde casus varios, calumnias, mala innumera quotidie perpetimur? Nonne quòd filios nostros malos aspicimus, & eos emendare negligimus?*

Pietatem denique postulare ut parentes filios quandoque severè increpent & castigent, docet Autor Sermonis XLIV. inter eos qui hactenus Sancto *Ambrosio* sunt adscripti, & in Editione novissima in Appendicem rejecti. *Non osculatur*, inquit, *semper pater filium, sed & aliquando castigat. Ergo quando castigatur qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur. Habet enim & amor plagas suas, quæ dulciores sunt, cùm amariùs inferuntur: dulcior enim est religiosa castigatio, quàm blan-*

Proverb. 27, 6. *da remissio. Unde ait Propheta* DULCIORA *sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici.* Refertur Canone, *Non osculatur*, Causa V. Quæst. V.

Idem docet S. *Augustinus*, Sermone XIII. aliàs *De Tempore* XCIV. *Adhibeantur pœna*, inquit, *non recuso, non interdico; sed animo amantis, animo diligentis, animo corrigentis. Non enim filium tuum non erudis. Et priùs agit, ut, si fieri potest, pudore & liberalitate erudiatur, erubescat patrem offendere, non tanquam severum judicem timeat; gaudet ad talem filium: sed si fuerit fortè ista contemnens, adhibet & verbera, incutit pœnam, ingeris dolorem, sed quærit salutem. Multi amore, multi timore correcti sunt: sed per tremorem timoris ad amorem pervenerunt. Non sic quæritur innocentia,*

Sap. 3. 11. » *ut pereat disciplina. Scriptum est*, Disciplinam » qui abjicit, infelix est. *Bene potest addi ad istam sententiam, Sicut disciplinam qui abjicit, infelix est; sic disciplinam qui negat, crudelis est... Teneo prorsus & ostendo feriendo pium, parcendo crudelem; exemplum ante oculos pono. Ubi invenio pium? Non eo ad alios, ad patrem & filium eo: pater & quando ferit, amat; & non vult puer cædi: contemnit voluntatem, consulit ad utilitatem. Quare? Quia pater est, quia hereditatem parat, quia successorem nutrit. Ecce feriendo pius est pater, feriendo misericors est. Da mihi hominem parcendo crudelem. Non recedo à personis, eos ipsos ante oculos pono. Sed puer impunitus & indisciplinatus si sic vivat, ut pereat, & pater dissimulet, pater parcat, pater perditum filium disciplinæ asperitate offendere timeat, nonne parcendo crudelis est?*

Et Enarratione in Psalmum L. *Veruntamen* (inquit) *in tanta morum diversitate, & tam detestabili corruptela, regite domos vestras, regite filios vestros, regite familias vestras. Quomodo ad nos pertinet in Ecclesia loqui vobis, sic ad vos pertinet in domibus vestris agere, ut bonam rationem reddatis de his qui vobis sunt subditi. Amat Deus disciplinam. Perversa autem & falsa innocentia est, habenas laxare peccatis. Valde inutiliter, valdè perniciosè sentit filius patris lenitatem, ut postea Dei sentiat severitatem; & hoc non solus, sed cum dissoluto patre suo. Quid enim si ipse non peccat, & non facit quod filius ejus, ideo non debet ab ipsa nequitia filium prohibere? An fortè ut videatur filio ejus, quia & pater talia faceret, nisi senuisset? Peccatum quod tibi non displicet in filio tuo, delectat te; sed ætas deseruit, non cupiditas. Sed fortè negligit malus filius vel monita patris, vel objurgationem, vel severitatem: Tu imple personam tuam, Deus de illo exigit suam.*

Idem docet *S. Bernardus* Sermone X. in Psalmum *Qui habitat*, dicens: *Ne ipsi quidem filio expedit sic amari, ut videlicet cui interim caves à flagello paternæ correptionis, thesaurizes iram æternæ damnationis.*

§. II.

Pastorum erga Oves Officia.

Triplex pascendi modus. PAstorum officium est oves pascere, unde S. Petro dictum est Joannis XXI. *Simon Joannis, amas me? Pasce oves meas.* Idémque tertiò repetitum, ut triplex pascendi modus significetur. Debent namque Pastores gregem *Pascere exemplo conversationis, verbo prædicationis, fructu orationis*; ut ait *S. Bernardus*, Tractatu in Evangelium: *Ecce nos reliquimus omnia*, seu Libro *De Colloquio Simonis ad Jesum*, §. XI.

1. Pastores pascere debent oves exemplo conversationis. Primò pascere debent *Exemplo conversationis*, Christum Jesum imitati, qui *Cœpit facere, & docere*; & qui magnum illum in Regno cœlorum futurum dixit. *Qui fecerit, & docuerit*, Unde Apostolus *Timotheum* suum erudiens: *Exemplum* (inquit) *esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate.* Et piis Veteris Testamenti Levitis Dominus ait Malachiæ II. *Pactum meum fuit cum Levi vitæ & pacis: & dedi ei timorem, & timuit me, & à facie nominis mei pavebat. Lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non est inventa in labiis ejus. In pace & æquitate ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate.* Pastores mali, quantum in ipsis est, oves malè vivendo, & malum exemplum præbendo occidunt. Unde non frustra ad *Titum* scribit Apostolus, *Circa omnes te ipsum bonorum operum* Tit. 2. 7. *præbe exemplum.* Attendit enim ovis etiam fortis plerumque Præpositum suum malè viventem; si declinet oculos à Regulis Domini, & intendat in hominem, incipit dicere in corde suo, Si Præpositus meus sic vivit, ego quis sum, qui non faciam quod ille facit? *Occidit ovem fortem. Si fortem ergo occidit ovem; jam de ceteris quid faciet, qui illud quod non ipse fortificaverat, sed fortè ante robustum invenerat, malè vivendo interfecit? Dico Caritati vestræ, iterum dico, Etsi vivunt oves, etsi fortes sunt oves in verbo Domini, & tenent illud quod audierunt à Domino suo*, Quæ dicunt, » Matth. 23. facite; quæ autem faciunt, facere nolite: *Ta-* » *men qui in conspectu Populi malè vivit, quantùm in illo est, eum à quo attenditur, occidit. Non sibi ergo blandiatur, quia ille non est mortuus. Et ille vivit, & ille homicida est. Quomodo cùm lascivus homo intendit in mulierem ad concupiscendum eam, ecce illa casta est, & mœchus est iste. Domini enim*

Act. 1. 1.; 1. ad Timoth. 4. 12.

Matth. 5.

» *vera & aperta sententia est* : Quisquis viderit » mulierem ad concupiscendum eam, jam mœ» chatus est eam in corde suo. *Sic omnis qui malè vivit in conspectu eorum quibus præpositus est, quantùm in ipso est, occidit & fortes oves. Qui ergo imitatur Præpositum malum, moritur; qui non imitatur, vivit: tamen quantùm ad illum pertinet, ambos occidit.* Et *quod crassum est*, inquit, *interficitis, & oves meas non pascitis.* Hæc *S. Augustinus*, Sermone XLVI. aliàs de Tempore CLXV. *De Pastoribus* inscripto.

Ezech. 34.

Idem confirmat *S. Gregorius Magnus*, P. II. *Pastoralis Curæ*, Cap. I. *Tantùm*, inquit, *debet actionem Populi actio transcendere Præsulis, quantùm distare solet à grege vita Pastoris. Oportet namque ut metiri sollicitè studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringitur, sub cujus æstimatione populus grex vocatur. Sit ergo necesse est cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens.*

Et Cap. III. *Sit Rector operatione præcipuus, ut vita viam subditis vivendo denunciet, & grex qui Pastoris vocem moresque sequitur, per exempla meliùs quàm per verba gradiatur. Qui enim loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare. Illa namque vox libentiùs auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat: quia quod loquendo imperat ostendendo adjuvat ut fiat. Hinc enim per prophetam dici*» *tur*: Super montem excelsum ascende tu, qui » evangelizas Sion. *Ut videlicet qui cœli prædicatione utitur, ima jam terrenorum operum deserens, in rerum culmine stare videatur. Tantòque facilius subditos ad meliora pertrahat, quantò per vitæ meritum de supernis clamat.* Et P. III. Admonitione V. *Scire Prælati debent, quia si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Unde necesse est ut tantò se cautiùs à culpâ custodiant, quantò per prava quæ faciunt non soli moriuntur.*

Isai. 40.

Ezech 33.

Pastores gregem sibi commissum pascere debent verbo prædicationis.

Secundò, gregem Christi pascere debent Pastores *Verbo Prædicationis.* Hinc Dominus *Ezechielem* Prophetam his verbis compellat: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel: audiens ergo ex ore meo sermonem, annunciabis eis ex me. Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris: non fueris locutus ut se custodiat impius à viâ suâ, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annuntiante te ad impium ut à viis suis convertatur, non fuerit conversus à via sua: ipse in iniquitate sua morietur: porrò tu animam tuam liberasti.* Hæc verò etiam de Pastoribus Novi Testamenti intelligi debere, docet Apostolus cùm eorum officium explicans, Epistolâ ad *Hebræos*, Cap. XIII. ait: *Ipsi pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Gravis igitur peccati rei sunt Pastores, qui Populo Christiano sibi commisso verbum Dei non prædicant ex inertiâ, ignorantiâ, vel nimiâ ad res temporales adhæsione. Quibus convenit illud Isaiæ LVI. *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi: canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia. ...... Ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam: omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, à summo usque ad novissimum.* Et rursus Ezechielis XXXIV. *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges à Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: Gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abjectum est non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Et dispersæ sunt oves meæ, eò quòd non esset Pastor: & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri..... Propterea Pastores audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius Pastores semetipsos: & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam.* Quisquis ita Præpositus est, ut in eo quòd Præpositus est gaudeat, & honorem suum quærat, & commoda sua sola respiciat, se pascit, non oves. *Qui præbet lac, victum præbet; qui præbet lanam, honorem præbet;* (inquit *S. Augustinus* Sermone XLVI. *De Pastoribus*, Cap. III.) *Ista sunt duo, quæ à populis quærunt, qui se ipsos pascunt, non oves, commodum supplendæ necessitatis, & favorem honoris & laudis. Etenim vestimentum propterea bene intelligitur in honore, quia nuditatem contegit. Est enim unusquisque homo infirmus. Et quid est quisquis vobis præest, nisi quòd vos estis? Carnem portat, mortalis est, manducat, dormit, surgit, natus est, moriturus est. Si ergo cogitas quid sit secundùm se ipsum, homo est: tu tamen honorando eum velut Angelum, contegis quod infirmum est.* Hæc ab ovibus cùm accipiunt Pastores, & tamen oves negligunt, quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi; ovium languidarum ac putridarum vulnera non secant, parcunt putredini, inimici multitudinis fieri timent vitia palam arguendo, & Disciplinæ Christianæ severitate coercendo; sunt Pastores semetipsos pascentes, non oves. Illi porrò quod infirmum est non consolidant, qui ad ferendas tentationes, & adversa quæque toleranda Christianam Plebem disponere & confirmare non curant. *Infirmum animum gerit ovis*, (inquit *S. Augustinus* Sermone XLVI. *De Pastoribus*, Cap. V.) *quando tentationes sibi futuras non credit. Pastor negligens, quando sic credit talis infirmus, non illi dicit*, Fili, accedens ad servi- « Eccli. 2. 1.
tutem Dei, sta in justitia & timore, & præ- «
para animam tuam ad tentationem. *Qui enim* «
hoc loquitur, confortat infirmum, & ex infirmo facit firmum, ut non ille cùm crediderit, prospera hujus sæculi speret. Si autem doctus fuerit sperare prospera hujus sæculi, ipsa prosperitate corrumpitur: supervenientibus enim adversitatibus sauciatur, aut fortassis extinguitur...... Sed ne in futuris tentationibus deficiat infirmus, nec falsa spe decipiendus est, nec terrore frangendus. Dic ei, Præpara animam « 1 Cor. 10.
tuam ad tentationem. *Sed fortè incipit labi, contremiscere, nolle accedere. Habes aliud:* Fidelis «
Deus, qui non vos sinat tentari suprà quàm «
ferre potestis. *Illud autem promittere, & prædicare futuras passiones, infirmum confirmare est. Timenti autem nimium, & ex hoc deterrito, cùm polliceris misericordiam Dei, non quia tentationes deerunt, sed quia non permittis tentari suprà quàm fieri potest, fractum colligare est.*

Quod ægrotum est non sanant mali Pastores, quia animabus cupiditatum suarum morbis languentibus pharmaca saluberrima ex Scripturis Sacris non applicant. Inter infirmos & ægrotos quid discriminis intercedat, *S. Augustinus* Cap. VI. ejusdem Sermonis exponit. *Infirmo*, inquit, *ne accidat tentatio, & eum frangat, timendum est:*

languens autem jam cupiditate aliqua ægrotat, & cupiditate aliqua impeditur ab intranda via Dei, à subeundo jugo Christi. Attendite illos homines volentes bene vivere, & minùs idoneos mala pati, sicut parati sunt bona facere. Pertinet autem ad Christianam firmitatem, non solùm operari quæ bona sunt, sed & tolerare quæ mala sunt. Qui ergo videntur fervere in operibus bonis, sed imminentes passiones tolerare nolle, aut non posse, infirmi sunt. Qui verò aliqua cupiditate mala amatores Mundi ab ipsis bonis operibus revocantur, languidi & ægroti jacent: quippe qui ipso languore tanquam sine ullis viribus, nihil boni possunt operari. Talis in anima Paralyticus ille fuit, quem cùm ad Dominum inferre non possent, qui eum portabant, tectum aperuerunt, & deposuerunt; id est, tamquam si in anima hoc velis facere, ut tectum aperias, & deponas ad Dominum Animam paralyticam, dissolutam omnibus membris, & vacantem ab omni opere bono, gravatam utique peccatis suis, & languentem morbo cupiditatis suæ. Si ergo dissoluta sunt membra omnia, & est paralysis interior, ut pervenias ad Medicum, (fortè enim latet Medicus, & intus est, hoc est, iste verus intellectus in Scripturis occultus est,) exponendo quod occultum est, aperi tectum, & depone Paralyticum. Quod qui non faciunt, & qui facere negligunt, audistis quæ audiant: Quod *malè habuit non corroborastis, & quod contribulatum est, non colligastis.*

Marci 2. 3.

Quod ægrotum est curare debent Pastores, non solùm Verbi divini Prædicatione, sed Sacramentorum Administratione, ad quam paratos semper ipsos esse, ob idque in Diœcesibus vel Parochiis suis residere oportet. Curare autem debent Animarum vulnera secundùm spiritualis Medicinæ Regulas à Christo & Apostolis, à SS. Patribus, à Conciliis & Summis Pontificibus, Ecclesiasticæ disciplinæ arbitris, constitutas: sicut Medici illi censentur optimi, qui morbos corporis curant secundùm Regulas Artis. Ut enim scitè ait S. Gregorius Nazianzenus: *Divinæ Animarum Medicinæ nos Ministri & Adjutores sumus, quicumque aliis præsidemus.* Utrumque autem conjungere debent, Verbi scilicet divini prædicationem, & Sacramentorum administrationem, ut ministerium suum impleant, & animas ægrotas atque vulneratas curent. Scriptum est enim Psalm. cvi. *Misit verbum suum, & sanavit eos, & eripuit eos de interioribus eorum.*

Pastores animarum vulnera curare debent secundùm spiritualis Medicinæ Regulas à Christo institutas.

Quod abjectum est reducere, & quod periit quærere Pastores tenentur, quia & Hæreticos à via veritatis, & peccatores quoscumque à via justitiæ errantes, satagere modis omnibus debent ut ad Fidem Catholicam, vel ad meliorem frugem reducant, prædicatione, familiari instructione & adhortatione, obsecrationibus, increpationibus, censuris, doctrina, patientiâ. Unde Apostolus Pastores omnes in *Timotheo* suo informans: *Testificor*, inquit, *coram Deo & Jesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos, per Adventum ipsius, & Regnum ejus: Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ. Ministerium tuum imple.* Et ad Titum I. necessarias inter Episcopi dotes, vult esse *Amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere.* Et I. ad Timotheum IV. *Attende*, inquit, *lectioni, exhortationi, & doctrinæ.... Insta in illis. Hoc enim faciens, & te ipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.* Et Epistolæ II. Cap. II. *Sollicitè cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis.* Et Cap. III. gratulatur quòd ab infantia Sacras Literas noverit, quia *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia.* Hæc scilicet Pastorum officia, propter quæ Sacræ Scripturæ scientiâ instructi esse debent: Populum Christianum sibi commissum à Christo Summo Pastore, cujus grex est, & oves docere, arguere, corripere, erudire in justitia, *Ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Unde & ipse Apostolus impositum sibi officium ac ministerium considerans I. ad Corinthios V. *Si evangelizavero*, inquit, *non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est, si non evangelizavero.* Alias enim se reum perditionis omnium animarum futurum noverat, quibus Evangelium prædicare neglexisset. Unde Actuum XX. ait: *Contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis.*

2. Tim. 4.

Id confirmat *S. Gregorius*, Homilia XI. in Ezechielem. *Impio*, inquit, *mors debetur; sed ei à speculatore via vitæ nuncianda est, & ejus impietas increpanda. Si verò speculator tacuit, ipse impius in iniquitate sua morietur; quia impietatis ejus meritum fuit, ut dignus non esset, ad quem speculatoris sermo fieret. Sed sanguinem ejus Dominus de manu speculatoris requirit; quia ipse hunc occidit, qui eum tacendo morti prodidit. In quibus utrisque pensandum est, quantùm sibi connexa sunt peccata subditorum atque Præpositorum; quia ubi subjectus ex sua culpa moritur, ibi is qui præest, quoniam tacuit, reus mortis tenetur..... O quàm liber à commissorum sibi sanguine fuerat Prædicator egregius, qui dicebat:* Mundus sum à sanguine omnium: non enim subterfugi quo minùs annunciarem omne consilium Dei vobis! *Si enim non annunciasset, mundus à sanguine non esset. Sed quibus omne consilium Dei annunciare studuit, ab eorum sanguine mundus fuit. In qua voce nos convenimur, nos constringimur, nos rei esse ostendimur, qui Sacerdotes vocamur, qui super ea mala quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus: quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi & tacentes videmus.... Sanguis ergo morientis de manu speculatoris requiritur; quia peccatum subditi culpa Præpositi, si tacuerit, reputatur. Est ergo quod faciat, ut etiam moriente subdito se liberum reddat. Surgat, invigilet, malis actibus contradicat, sicut scriptum est:* Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. *Unde hic quoque additur:* Si autem tu annunciaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua, & à via sua impia: ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. *Tunc enim subjectus moritur sine te, quando in causa mortis contradictorem pertulerit te. Nam morti cui non contradicis, adjungeris.* Et infra: *Quia justo qui in peccato cecidit, Prædicator tacuit, ejus sanguinis reus tenetur. Et qui sollicitus esse non studuit in prædicatione, factus est particeps in condemnatione.*

Act. 20.

Proverb. 6.

Ezech. 33.

Neque verò à quærendis ovibus errantibus deterreri Pastores debent, quòd errores illæ suos ament, & vitia, Pastorúmque diligentiæ & caritati reluctentur, ac eorum vocem ægrè & impatienter audiant. Jubet enim Deus ut nihilominus verbum suum prædicent, instent opportunè, importunè, ut Apostolus loquitur. Qua de re præclarè *S. Augustinus* Sermone XLVI. *De Pastoribus*, Cap. VII. *Et contumaces sunt oves, quia quæruntur*

errantes, alienos se à nobis dicunt errore suo & perditione sua. Quid nos vultis? Quid nos quæritis? Quasi non ipsa causa sit quare eas velimus, & quare quærimus, quia errant & pereunt. Si in errore, inquit, *sum, si in interitu, quid me vis? quid me quæris? Quia in errore es, revocare volo: quia periisti, invenire volo. Sic volo errare, sic volo perire. Sic vis errare, sic vis perire? Quantò meliùs ego nolo? Prorsus audeo dicere, importunus sum. Audio enim dicentem Apostolum*: Prædica verbum, insta opportunè, importunè. *Opportunè utique volentibus, importunè nolentibus. Tu vis errare, tu vis perire; ego nolo. Non vult postremò ille qui me terret. Si voluero, « vide quid dicat, vide quid increpet.* Quod errabat, non revocastis, & quod periit, non inquisistis. *Revocabo errantem, requiram perditum, velis nolis, id agam. Et si me inquirentem lanient vepres sylvarum, per omnia angusta me coartabo; omnes sepes excutiam; quantùm mihi virium terrens Dominus donat, omnia perugrabo: revocabo errantem, requiram pereuntem. Si me pati non vis, noli errare, noli perire.*

2. Tim. 4.

Verbi divini Populo sibi commisso prædicandi officium Pastoribus incumbere, ita ut lethalis peccati rei sint, si legitimo impedimento non detenti id omittant, Sacra Concilia confirmant.

Pastores ad verbum Dei populo sibi commisso prædicandum tenentur, nisi sint legitimè impediti.

Arelatense VI. anno octingentesimo decimo-tertio Canone X. *Providimus*, inquit, *pro ædificatione omnium Ecclesiarum, & pro utilitate totius populi, ut non solùm in civitatibus, sed etiam in omnibus Parochiis, Presbyteri ad Populum verbum faciant, & ut bene vivere studeant, & Populo sibi commisso prædicare non negligant.*

Valentinum III. anno octingentesimo quinquagesimo quinto, Canone XVI. *Unusquisque nostrûm* (inquiunt Episcopi) *sive per se, sive per aliquem vel aliquos ex Ministris Ecclesiæ fideliter doctos, ita verbum prædicationis tam in urbe, quàm foris in plebibus exhibeat, ut omnino eis admonitio & exhortatio salutaris deesse non possit: quia ubi verbum Dei fidelibus non ministratur, quid aliud quàm vita animæ subtrahitur?*

Lemovicense II. anno millesimo ter-centesimo quarto, Actione secunda. *Omnes* (inquit) *Sacerdotes, quibus Parochia commissa est, omnibus Dominicis & Festis diebus admonere prædicando Populum debent, secundùm illud*: Argue, obsecra, increpa: *Quia Sacerdos si sine sonitu prædicationis incedit, intermmatione divina mortis reus est; Episcopus autem quos doctos viderit ad hoc officium, & idoneos, non tantùm jussu, sed etiam rogatu, ad tam sublime opus incitare debet.*

Concilium denique Tridentinum Sessione V. *De Reformatione*, Cap. II. *Quia*, inquit, *Christianæ Reipublicæ non minùs necessaria est Prædicatio Evangelii quàm lectio: & hoc est præcipuum Episcoporum Munus: statuit & decrevit sancta Synodus, omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos teneri per se ipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum Jesu Christi Evangelium. Si verò contigerit Episcopos, & alios prædictos, legitimo detineri impedimento, juxta formam Generalis Concilii viros idoneos assumere teneantur ad hujusmodi Prædicationis officium salubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtæ subjaceat ultioni. Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicunque Parochiales, vel alias Curam Animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtineant, per se, vel alios idoneos, si legitimè impediti fuerint, diebus saltem Dominicis & Festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis; docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandòque eis cum brevitate & facilitate sermonis, vitia quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat; ut pœnam æternam evadant; & cœlestem gloriam consequi valeant. Id verò si quis eorum præstare negligat, etiamsi ab Episcopi Jurisdictione exemptum se esse prætenderet: etiamsi Ecclesiæ quovis modo exemptæ dicerentur, aut alicui Monasterio, etiam extra Diœcesim existenti forsan annexæ, vel unitæ, modò re ipsa in Diœcesi sint, provida Pastoralis Episcoporum sollicitudo non desit, ne illud impleatur*: Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. *Itaque ubi ab Episcopo moniti trium mensium spatio Muneri suo defuerint, per Censuras Ecclesiasticas, seu alias, ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur; ita ut etiam si ei sic expedire visum fuerit, ex Beneficiorum fructibus alteri qui id præstet, honesta aliqua merces persolvatur, donec Principalis in se resipiscens officium suum impleat.* Sed & Catecheses, saltem Dominicis, aliisque Festis diebus in singulis Parochialibus Ecclesiis haberi sanxit ac præcepit eadem Sacra Synodus.

Cap. Inter cæteros. Extra De Offi. Judic. Ordin.

Thren. 4.

Pastoralis Curæ non minima pars est Sacra Diœcesum Visitatio, quam Episcopi obire debent, per se, vel per alium, si legitimè fuerint impediti; ita ut totam biennio saltem quolibet Diœcesim suam lustrent, ut statuit Sacra Synodus Tridentina Sessione XXIV. *De Reformatione*, Cap. III. Harum porrò Visitationum scopus est, *Sanam orthodoxámque doctrinam, expulsis hæresibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere; populum cohortationibus & admonitionibus ad Religionem, pacem, innocentiámque accendere, cætera, prout locus, tempus & occasio feret, ex Visitantium prudentiâ, ad fidelium fructum constituere. Quæ ut faciliùs feliciúsque succedant*, (inquit Concilium) *monentur prædicti omnes & singuli, ad quos Visitatio spectat, ut paterna caritate, Christianóque zelo omnes amplectantur; ideóque modesto contenti equitatu famulatúque, studeant quàm celerrimè, debitâ tamen cum diligentia, Visitationem ipsam absolvere; interimque caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosive sint.*

Diœcesis visitatio non minima pars curæ pastoralis.

4. Tandem cùm nec Visitatio, nec Prædicatio fructuosæ esse possint absque Dei gratiâ: quia *Neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus*: Sacrificiis & assiduis orationibus Deum interpellare debent Pastores pro grege sibi commisso, & oves *Pascere fructu orationis*, ut loquitur *S. Bernardus*. Unde Apostoli Actuum VI. aiunt: *Nos orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Et S. Paulus ad *Hebræos* Cap. V. *Omnis Pontifex*, inquit, *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum: ut offerat dona & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis qui ignorant & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate: & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis.* Pastor itaque orando pro se ac pro ovibus, *sit orator antequam dictor: & priusquàm exserat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet quod biberit, vel quod impleverit fundat*; (inquit *S. Augustinus* Lib. IV. *De Doctrina Christiana* Cap. XV.)

Pastores gregem pascere debent fructu orationis.

§. III.

Principum & Magistratuum Officia.

Principes vitam suam inprimis ad Dei legem conformare debent.

1. Officium Principum est pietate ac Dei cultu subditis prælucere; Ecclesiam tueri; Popnlum cum æquitate & justitia regere ac defendere.

Ad Dei legem inprimis vitam suam conformare debent. Unde *Deuteronomii* XVII. scriptum est: *Postquam sederit in solio Regni sui, describet sibi Deuteronomium Legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ Tribus, & habebit secum, legétque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias ejus, quæ in Lege præcepta sunt. Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse & filii ejus.* Et Psalmo II. *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram. Servite Domino in timore, & exultate ei eum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.*

Quibus ex rebus æstimanda felicitas Principis.

Ex Dei cultu, ex vera pietate, ex Christianarum & Regiarum Virtutum operibus; non ex diuturnitate imperii, non ex victoriis & hostium debellatione, non ex temporali prosperitate, æstimanda est Regum ac Principum felicitas, ut docet *S. Augustinus*, Libro V. *De Civitate Dei*, Cap. XXIV. *Neque enim*, inquit, *nos Christianos Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placidâ reliquerunt, vel hostes Reipublicæ domuerunt, vel inimicos cives adversùs se insurgentes & cavere & opprimere potuerunt. Hæc & alia vitæ hujus ærumnosæ vel munera, vel solatia, quidam etiam cultores Dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad Regnum Dei, quò pertinent isti: & hoc ipsius misericordiâ factum est, ne ab eo ista qui in eum crederent, velut summa bona desiderarent. Sed felices eos dicimus, si justè imperant, si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, sed se homines esse meminerunt; si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum, Majestati ejus famulam faciunt; si Deum timent, diligunt, colunt; si plus amant illud Regnum ubi non timent habere consortes; si tardiùs vindicant, facilè ignoscunt; si eamdem vindictam pro necessitate regendæ tuendæque Reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odiis exserunt; si eamdem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent; si quod asperè coguntur plerumque decernere, misericordiæ lenitate & beneficiorum largitate compensant; si luxuria tantò eis est castigatior, quantò posset esse liberior; si malunt cupiditatibus pravis, quàm quibuslibet Gentibus imperare; & si hæc omnia faciunt non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter caritatem felicitatis æternæ: si pro suis peccatis humilitatis & miserationis & orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt. Tales Christianos Imperatores dicimus esse felices interim spe, postea re ipsa futuros, cùm id quod exspectamus advenerit.*

Idem confirmat *sanctus Fulgentius*, Libro *De Veritate Prædestinationis & Gratiæ*, cujus verba refert Concilium Parisiense VI. P. II. Cap. I. *Clementissimus Imperator* (inquit) *non ideo est vas misericordiæ præparatum in gloriam, quia apicem terreni Principatûs accepit, sed si in imperiali culmine rectâ fide vivat, & verâ cordis humilitate præditus, culmen Regiæ dignitatis sanctæ Religioni subjiciat: si magis in timore servire Deo, quàm in tumore dominari Populo delectetur: si in eo lenitas iracundiam mitiget, ornet benignitas potestatem: si se magis diligendum quàm metuendum cunctis exhibeat: si subjectis salubriter consulat, si justitiam sic teneat, ut misericordiam non relinquat; si præ omnibus ita se sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ meminerit filium, ut ejus paci atque tranquillitati per universum Mundum prodesse suum faciat Principatum. Magis enim Christianum regitur atque propagatur Imperium, dum Ecclesiastico Statui per omnem terram consulitur; quàm cùm in parte quacumque terrarum pro temporali securitate pugnatur.*

Regum officium, Leges ferre in bonum Religionis & Ecclesiæ.

Officium præterea Regum est, Leges ferre in bonum Religionis & Ecclesiæ. *In hoc enim Reges, sicut eis divinitus præcipitur, Deo serviunt in quantum Reges sunt, si in suo Regno bona jubeant, mala prohibeant, non solùm quæ pertinent ad humanam societatem, verùm etiam quæ ad divinam Religionem*, inquit *sanctus Augustinus*, Libro III. *Contra Crescanium* Cap. LI. Quomodo enim Reges Domino serviunt in timore, nisi ea quæ contra jussa Domini fiunt, religiosâ severitate prohibendo atque plectendo? inquit idem sanctus Doctor Epistolâ CLXXXV. aliàs L. *Ad Bonifacium* Comitem. *Aliter enim servit, quia homo est, aliter quia etiam Rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter: quia verò etiam Rex est, servit Leges justa præcipientes, & contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo: sicut servivit Ezechias, lucos & templa idolorum, & illa Excelsa, quæ contra præcepta Dei fuerant constructa destruendo: sicut servivit Josias talia & ipse faciendo: sicut servivit Rex Ninivitarum, universam civitatem ad placandum Dominum compellendo: sicut servivit Darius, Idolum frangendum in potestatem Danieli dando: sicut servivit Nabuchonosor, omnes in Regno suo positos à blasphemando lege terribili prohibendo. In hoc ergo serviunt Domino Reges, in quantum sunt Reges, cùm ea faciunt ad serviendum ei, quæ non possunt facere nisi Reges.*

Et infrà: *Postquàm cœpit impleri quod scriptum est*, Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes servient illi: *Psal. 71. 11.* *Quis mente sobrius Regibus dicat, Nolite curare in Regno vestro à quo teneatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri; non ad vos pertineat in Regno vestro quis velit esse sive Religiosus, sive sacrilegus: quibus dici non potest, Non ad vos pertineat in Regno vestro quis velit pudicus esse, quis impudicus? Cur enim datum sit divinitus hominum arbitrium, adulteria Legibus puniantur, & sacrilegia permittantur? An fidem non servare levius est animam Deo, quàm feminam viro? Aut si ea quæ non contemptu, sed ignorantiâ Religionis committuntur, mitiùs vindicanda, numquid ideo negligenda sunt?*

Tuitio Ecclesiæ, proprium Christianorum Principum officium.

Tuitionem Ecclesiæ proprium esse Christianorum Principum officium, *sanctus Isidorus Hispalensis* confirmat; cujus verba refert Concilium Parisiense VI. P. II. Cap. II. *Principes sæculi* (inquit) *nonnumquam intra Ecclesiam potestatis adepta culmina tenent, ut per eandem potestatem Disciplinam Ecclesiasticam muniant. Cæterùm intra Ecclesiam Potestates necessariæ non essent, nisi ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, Potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem. Sæpè per Regnum terrenum cæleste Regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra Fidem & Disciplinam Ecclesiæ agunt, vigore Principum conterantur; ipsámque Disciplinam, quam Ecclesiæ utilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum Potestas Principalis imponat, & ut venerationem mereatur, Potestas impertiat. Cognoscant Principes sæculi, Deo debere se reddere rationem propter Eccle-*

ſiam, quam à Chriſto tuendam ſuſcepiunt. Nam ſive augeatur pax & diſciplina Eccleſiæ per fideles Principes, ſive ſolvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam credidit. Sic Eccleſiam tuiti ſunt Religioſiſſimi Principes Conſtantinus, Theodoſius, Carolus Magnus, Ludovicus Pius, Henricus Pius Imperatores, Clodovæus, Robertus, & Ludovicus Nonus Reges Chriſtianiſſimi, Reccaredus Hiſpaniæ, Stephanus Hungariæ, & alii quorum nomina vel Faſtis Eccleſiaſticis, vel Libro vitæ ſunt adſcripta.

Grave peccatum Principum, cauſarum Eccleſiaſticarum cognitionem uſurpantium.

Ad ſæculares tamen Principes non pertinet cognitio & judicium cauſarum Eccleſiaſticarum, Fidem præſertim, aut Sacramentorum Adminiſtrationem, ſacros Ritus, ac Diſciplinam ſpectantium; aut alia Divino vel Eccleſiaſtico Jure Romano Pontifici, & Epiſcopis reſervata. Unde gravis peccati rei ſunt, ſi quando manum ad thuribulum admovere, aut arcam Domini contingere præſumant, id eſt, Cauſarum Eccleſiaſticarum cognitionem uſurpare, aut alia Sacerdotum Munia invadere: meritòque metuere debent pœnas terribiles Core, Dathan & Abiron, & eorum aſſeclis, qui thus adolere Domino auſi ſunt, cùm non eſſent de genere Aaron; & Ozæ, qui manum extendit ad Arcam Dei, & tenuit eam, à Deo illatas. Hic enim ſubitò percuſſus à Domino propter temeritatem, juxta Arcam mortuus eſt: illi verò diruptâ ſub pedibus eorum terrâ, deſcenderunt vivi in infernum operti humo, Core ſcilicet, Dathan & Abiron, & eorum familiæ: & ignis egreſſus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui thus adolere præſumpſerant. (*Numerorum* XVI. & II. *Regum* VI. ac I. *Paralipomenon* XIII.) Sed & *Oziæ* Regis temeritas & pœna Principibus ob oculos ponenda eſt, qui thus adolere ſuper Altare thymiamatis cùm tentaſſet, minatúſque fuiſſet Sacerdotibus, leprâ percuſſus eſt ad obitum uſque illi inhærente, ac de Templo ejectus, atque in domo ſeparata extra omne commercium hominum habitare compulſus eſt, Joatham filio ejus Regnum adminiſtrante. (II. *Paralip.* XXVI.)

Recta juſtitiæ adminiſtratio, erga Principum & Magiſtratuum officium.

5. Officium denique Principum ac Magiſtratuum eſt, juſtitiam rectè adminiſtrare; pauperes, viduas, populos tueri; cauſas ad tribunal ſuum delatas diligenter cognoſcere & examinare; abſque perſonarum acceptione jus unicuique reddere; improbos coërcere ſeveritate Legum, probos fovere. Quod Regis ac Magiſtratûs officium exponitur Job. XXIX. *Quando*, inquit, *procedebam ad portam civitatis, & in platea parabant cathedram mihi..... Auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi. Eò quòd liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non eſſet adjutor. Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum. Juſtitiâ indutus ſum; & veſtivi me, ſicut veſtimento & diademate, judicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum: & cauſam quam neſciebam, diligentiſſimè inveſtigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Proverb. XX. *Rex, qui ſedet in ſolio judicii, diſſipat omne malum intuitu ſuo.... Diſſipat impios Rex ſapiens, & incurvat ſuper eos fornicem.... Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementiâ thronus ejus.* Et Cap. XXIX. *Rex juſtus erigit terram, vir avarus deſtruet eam ... Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur.* Item Sapientiæ I. *Diligite juſtitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum.* Et Cap. VI. *Audite ergo Reges, & intelligite, diſcite Judices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis Nationum: quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cùm eſſetis Miniſtri Regni illius, non rectè judicaſtis, nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ, neque ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam judicium duriſſimum his qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: Potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cujuſquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujuſquam: quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus. Fortioribus enim fortior inſtat cruciatio.* Iſaiæ I. *Principes tui infideles, ſocii furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Pupillo non judicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos.* Et Cap. III. *Væ qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo. Propter hoc, ſicut devorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit, ſic radix eorum quaſi favilla erit, & germen eorum ut pulvis aſcendet.* Cap. X. *Væ qui condunt Leges iniquas: & ſcribentes injuſtitiam ſcripſerunt: ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei: ut eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die viſitationis, & calamitatis de longè venientis? Ad cujus confugietis auxilium? Et ubi derelinquetis gloriam veſtram, ne incurvemini ſub vinculo, & cum interfectis cadatis?* Eccleſiaſtici X. *Regnum à gente in gentem transfertur propter injuſtitias, & injurias, & contumelias, & diverſos dolos.*

Principum officium in judiciis ordinandis vel exercendis.

Præclara ſunt quæ de Miniſterio Principum in Judiciis ordinandis, vel exercendis, tradit Concilium Pariſienſe VI. P. II. Cap. II. *Regale Miniſterium* (inquit) *eſt populum Dei gubernare, & regere cum æquitate & juſtitia, & ut pacem & concordiam habeant, ſtudere. Ipſe enim debet primò defenſor eſſe Eccleſiarum & ſervorum Dei, viduarum, orphanorum, cæterorúmque pauperum, nec non & omnium indigentium. Ipſius enim terror & ſtudium hujuſmodi eſſe debet; primò ut nulla injuſtitia fiat: deinde ſi evenerit, ut nullo modo eam ſubſiſtere permittat: nec ſpem delitéſcendi, ſive malè agendi audaciam cuiquam relinquat: ſed ſciant omnes quoniam ſi ad ipſius notitiam pervenerit quidquam mali quod admiſerint, nequaquam incorrectum vel inultum remanebit, ſed juxta facti qualitatem erit & modus juſtæ correptionis. Quapropter in Throno Regiminis poſitus eſt ad judicia recta peragenda, ut ipſe per ſe provideat & perquirat ne in judicio aliquis à veritate & æquitate declinet. Scire etiam debet, quòd cauſa, quam juxta Miniſterium ſibi commiſſum adminiſtrat, non hominum, ſed Dei cauſa exiſtit: cui pro Miniſterio quod ſuſcepit, in examinis tremendi die rationem redditurus eſt. Et ideo oportet ut ipſe, qui Judex eſt Judicum, cauſam pauperum ad ſe ingredi faciat, & diligenter inquirat: ne fortè illi qui ab eo conſtituti ſunt, & vicem ejus agere debent in populo, injuſtè aut negligenter pauperes oppreſſiones pati permittant.*

Et Cap. III. *Ad peccatum Regis pertinet, quando Judicibus Miniſtriſque iniquis Miniſterium ſuum adimplendum committit. Neque enim Miniſterium ſuum per alios tantùm adminiſtrare, & ſe ab eo debet alienare. Nunc ergo dicimus, ut ſolus jurgia & querimonias populi audiat, & inveſtiget, & definiat; quoniam nequaquam ad hæc ſolus ſufficere poteſt: ſed magis ut tales ſub ſe timentes Deum,*

Judicum dotes.

& avaritiam odientes constituas, per quos Regem Regum non offendas. Judices ergo & Magistratus, scientiâ, probitate, & æquitate conspicui esse debent, ut suo Munere digni sint, aliòque rectè fungantur. Tales constituere Princeps debet: omnium alioqui peccatorum reus erit, quæ ipsi in exercendis Judiciis committent. Prudentissimum & à Deo probatum consilium Moysi Jethro dedit, Exodi XVIII. *Provide* (inquit) *de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis Tribunos & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui judicent populum omni tempore: quicquid autem majus fuerit, referant ad te.* Hinc Moyses Deuteronomii Cap. 1. sic Populum alloquitur: *Dixi vobis, Non valeo solus negotia vestra sustinere, & pondus & jurgia. Date ex vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conversatio sit probata in Tribus vestris, ut ponam eos vobis Principes. Tunc respondistis mihi: Bona res est, quam vis facere. Tulique de Tribubus vestris viros sapientes & nobiles, & constitui eos Principes, Tribunos, Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui docerent vos singula. Præcepique eis, dicens: Audite illos, & quod justum est judicate: sive civis ille sit, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est.*

Judicum peccata.

Qui ergo Legum imperiti sunt, & sapientiâ, prudentiâque ad exercendum Judicium necessariâ destituti, lethalis peccati rei sunt, si Magistratum suscipiant, & in statu peccati ac damnationis æternæ versantur, quamdiu illum retinent ac gerunt, nec absolvi possunt in foro Pœnitentiæ, donec abdicaverint. Lethalis item peccati rei sunt, qui personarum acceptione pervertunt judicia; qui munera accipiunt; qui ultra stipendia sibi Legibus, & Regiis Constitutionibus, vel consuetudine constituta aliquid exigunt, vel recipiunt; qui secundùm Leges non judicant, qui reos absolvunt, aut insontes condemnant; qui Juris ordinem pervertunt, aliquem sine accusatore vel denuntiatore, & legitimis testibus damnantes, non vocatum, nec auditum. Unde *Actuum* XXV. *Festus* Præses *Agrippa Regi* ait: *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priùs quàm is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locúmque defendendi ad abluenda crimina.* Gravis item peccati rei sunt Judices, qui viduarum, pupillorum, & aliarum miserabilium personarum causas negligunt; qui lites protrahunt cum damno partium; qui facilem audientiam non præbent partibus. Quæ quidem facilitas quàm sit necessaria, inde intelligitur, quòd Judices antiquitus in porta civitatis ad judicandum sedebant, ut nulli difficilis ad ipsos aditus esset; aut quisquam civium vim aut calumniam pati cogeretur.

Judices magno delectu a Principibus constituendi.

Denique gravissimum esse peccatum Principum, qui pravos Judices constituunt, & necessarium ea in re delectum non habent, Concilium Parisiense VI. Cap. CII. ex *S. Isidoro Hispalensi* docet, cujus hæc sunt verba: *Ad delictum pertinet Principum, qui pravos Judices contra voluntatem Dei populis fidelibus præferunt. Nam sicut Populi delictum est, quando Principes mali sunt, sic Principis est peccatum, quando Judices iniqui existunt. Bonus Judex sicut nocere civibus nescit, ita prodesse omnibus novit. Aliis enim præstat censuram justitiæ, alios benitate judicii sine personarum acceptione suscipit. Non infirmat justitiam avaritiæ flammâ, nec studet auferre alteri, quod cupiat sibi. Boni Judices justitiam ad solam obtinendam salutem æternam suscipiunt, nec eam muneribus acceptis distribuunt: ut dum de justo judicio temporalia lucra non appetunt, præmio æterno ditentur.*

Magistratibus etiam Dei nomine denuntiandum est, quod quicquid judicaverint, in eos redundabit, ut de Judicibus à se in cunctis civitatibus Juda constitutis significavit *Josaphat* Rex piissimus (II. *Paralipomenon*, Cap. XIX.) *Videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, sed Domini: & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.*

§. IV.

Dominorum erga Servos Officia.

Domini servis debent benevolentiam.

DOminorum erga servos officia sunt benevolentia sincera, & caritas; cura illorum cùm in necessitatibus animæ, tum corporis; disciplina & correctio mansuetudine temperata. De quibus præcepta variis Scripturæ locis tradit Spiritus Sanctus. Ecclesiastici VII. 22. 23. *Non lædas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.* Et Cap. XXX. *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta.* Ad *Ephesios* Cap. VI. ubi Apostolus servorum erga dominos officia descripsit, ad dominos sermonem convertit. *Et vos domini* (inquit) *eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia & illorum, & vester Dominus est in cœlis: & personarum acceptio non est apud eum.* Ad Colossenses IV. *Domini, quod justum est & æquum, servis præstate, scientes quòd & vos Dominum habetis in cœlo.* Et I. ad Timotheum V. *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.*

Domini curam gerere debent servorum in spiritualibus & temporalibus.

Servis igitur alimenta debent domini, stipendiáque de quibus inter illos conventum est, sufficientia, secundùm labores & obsequiorum mensuram, ac regionis consuetudinem, nec umquam ipsos mercede fraudare, aut eam apud se retinere, vel differre debent contra præceptum Dei, *Levitici* Cap. XIX. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.* Et Deuter. 24. *Eodem die reddes ei mercedem laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.* Tob. 4. *Quicumque tibi operatus aliquid fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat.* Debent præterea ipsis subvenire cùm ægrotant, ipsorum curam gerere, Centurionis exemplo, qui ad Jesum supplex accessit, servi sui valetudinem ab Ipso rogaturus, (*Matth.* VIII.) Non ipsos velut inutiles statim ad parentes remittere, aut in Xenodochia amandare. Maximè verò eorum saluti consulere debent, curare ut Christianæ fidei rudimentis imbuantur, Deique & Ecclesiæ Mandata sciant, & opere impleant, ut manè ac vespere Deum orent; ut Dominicis Festísque diebus ab operibus servilibus vacent, Missæ, ac vespertino etiam, si fieri potest, Officio, &

Doctrinæ Christianæ Expositioni intersint: ut Sacramenta frequentent; ut a vitiis, quibus obnoxii sunt, emendentur. Cùm verò Deum offendunt, illos corripere debent, & cùm delicti gravitas postulat, castigare; non identidem pro levibus culpis verberare, aut durioribus verbis excipere. Patres tandem se ipsis ac Pastores exhibere debent, ipsisque ut filiis ad colendum & promerendum Deum consulere; ipsos verbo & exemplo ad Deum ducere, ut illud Ecclesiastici XVIII. 13. impleant: *Qui misericordiam habet, docet & erudit quasi pastor gregem suum.* Et Cap. IV. 35. *Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, & opprimens subjectos tibi.*

Hæc omnia confirmat *S. Augustinus*, Libro XIX. *De Civitate Dei*, Cap. XIV. *Quia*, inquit, *duo præcipua præcepta, hoc est, dilectionem Dei & dilectionem proximi docet Magister Deus; in quibus tria invenit homo quæ diligat, Deum, seipsum, & proximum; atque ille in se diligendo non errat, qui diligit Deum: consequens est, ut etiam proximo ad diligendum Deum consulat, quem jubetur sicut seipsum diligere. Sic uxori, sic filiis, sic domesticis, sic ceteris quibus potuerit hominibus: & ad hoc sibi à proximo, si fortè indiget, consuli velit: ac per hoc erit pacatus, quantùm in ipso est, omni homini, pace hominum, id est, ordinatâ concordiâ: cujus hic ordo est, primùm ut nulli noceat, deinde ut etiam prosit cui potuerit. Primitus ergo inest ei suorum cura: ad eos quippe habet opportuniorem facilioremque aditum consulendi, vel naturæ ordine, vel ipsius societatis humanæ. Unde Apostolus dicit,* Quisquis autem suis, & maximè domesticis non providet, fidem negavit, & est infideli deterior. *Hinc itaque etiam pax domestica oritur, id est, ordinata imperandi obediendique concordia cohabitantium. Imperant enim qui consulunt: sicut vir uxori, parentes filiis, domini servis. Obediunt autem quibus consulitur: sicut mulieres maritis, filii parentibus, servi dominis. Sed in domo justi viventis ex fide, & adhuc ab illa cælesti civitate peregrinantis, etiam qui imperant, serviunt eis quibus videntur imperare. Neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; nec principandi superbiâ, sed providendi misericordiâ.*

1. Tim. 5.

Quod spectat spiritualia & æterna bona, pari dilectione servis consulere debent domini ac filiis.

Et Cap. XVI. *Etiamsi habuerunt servos justi Patres nostri, sic quidem administrabant domesticam pacem, ut secundùm hæc temporalia bona, filiorum sortem à servorum conditione distinguerent; ad Deum autem colendum, in quo æterna bona speranda sunt, omnibus domûs suæ membris pari dilectione consulerent. Quod naturalis ordo ita præscribit, ut nomen patrum-familiâs hinc exortum sit, & tam latè vulgatum, ut iniquè etiam dominantes hoc se gaudeant appellari. Qui autem veri patres-familiâs sunt, omnibus in familia sua tanquam filiis ad colendum & promerendum Deum consulunt, desiderantes atque optantes venire ad cælestem domum, ubi necessarium non sit officium imperandi mortalibus, quia necessarium non erit officium consulendi jam in illa immortalitate felicibus: quò donec veniatur, magis debent patres quòd dominantur, quam servi tolerare quòd serviunt. Si quis autem in domo per inobedientiam domesticæ paci adversatur, corripitur, seu verbo, seu verbere, seu quolibet alio genere pœnæ justo atque licito, quantùm societas humana concedit, pro ejus qui corripitur utilitate, ut paci unde dissiluerat coaptetur. Sicut enim non est beneficentiæ adjuvando efficere, ut bonum quod majus est amittatur; ita non est innocentiæ parcendo sinere ut in malum gravius incidatur. Pertinet ergo ad innocentis officium, non solùm nemini malum inferre, verùm etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum; ut aut ipse qui plectitur, corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo.*

Idem confirmat *sanctus Gregorius*, Pastoralis Curæ P. III. Admonitione VI. *Aliter*, inquit, *admonendi sunt servi, atque aliter domini. Servi scilicet, ut in se semper humilitatem conditionis aspiciant; Domini verò ut naturæ suæ quâ æqualiter sunt cum servis conditi, memoriam non amittant. Servi admonendi sunt, ne dominos despiciant, ne Deum offendant si ordinationi illius superbiendo contradicunt: Domini quoque admonendi sunt, quia contra Deum de munere ejus superbiunt, si eos quos per conditionem tenent subditos, æquales sibi per naturæ consortium non agnoscunt. Isti admonendi sunt ut sciant se servos esse dominorum; isti admonendi sunt ut cognoscant se conservos esse servorum.*

Domini conservi servorum.

Servos autem qui pravis sunt moribus, nec ad meliorem frugem redire volunt, sed familiæ scandalo sunt, patres-familiâs ejicere ex domo debent, solutisque stipendiis dimittere tenentur: alioqui gravis peccati rei sunt coram Deo, si ganeones foveant, & pestes hominum in familia retineant. Dicant ergo cum Davide: *Non habitabit in medio domûs meæ qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum: ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.* Servis namque utebatur iis *Qui virtutis studiosi erant, & cujuslibet sceleris expertes*, (inquit *Theodoretus* in hujus Psalmi Commentario.) Ita se gessit *Constantius Augustus* Magni *Constantini* pater, qui homines ad Idolorum cultum propensos è Ministrorum suorum ac servorum albo expunxit, & Regiis ex Ædibus ejecit: illos verò solos retinuit, quos Deo fideles probaverat, teste *Eusebio*, Libro I. *De Vita Constantini*, Cap. XVII. *Nam quomodo* (inquiebat) *fidem erga Principem suum servaturi sunt, qui erga Deum perfidi esse deprehenduntur? Itaque ejusmodi Viros à regiis ædibus procul ablegandos esse censuit. Illos verò quos Deo dignum esse veritatis ipsius testimonio constaret, eodem erga Principem animo futuros esse affirmans, protectores atque Imperii ipsius custodes constituit; ejusmodi homines inter præcipuos amicorum & maximè necessarios habendos esse dicens, multòque pluris æstimandos, quàm maximarum opum thesauros.*

Servi qui pravis sunt moribus, nec ad meliorem frugem redire volunt, ex familia ejiciendi.

Psalm. 100.

Concilium denique Mediolanense III. Sub *sancto Carolo Borromæo*, Tit. *De iis quæ ad Matrimonii Sacramentum pertinent*, agens de officiis patris-familiâs: *Ne patiatur* (inquit) *in familia esse quempiam qui blasphemus sit, qui perjurus: qui corruptis moribus; qui obscœnè quidquam vel loquatur, vel agat; qui aleis ludat; qui denique ceteris turpis vitæ exemplum præbeat.*

§. V.

Toparcharum erga vassallos Officia.

TOparchæ; sive oppidorum, villarum, pagorum Domini, de nobilitate sua, divitiis & potestate extolli non debent, sed in conspectu Dei humiles esse, subditos suos diligere sinceræ charitatis affectu, illorum saluti consulere, temporalibus etiam utilitatibus, pro viribus providere; curare ut optimi Pastores Parochiis suis præficiantur; ut Concionatores in illas mittantur, Adventûs & Quadragesimæ temporibus; extraordinariæ etiam Missiones interdum fiant Episcoporum auctoritate ad Plebem instruendam, & Christianæ Vitæ præceptis informandam, atque Sacramentis expiandam; sum-

prius etiam pro sua parte ad pium istud opus contribuere; nec non ad Scholarum in suis oppidis & pagis institutionem; in quibus puellæ seorsim à pueris instituantur; isti à Sacerdotibus, aut Clericis, seu integræ vitæ Laicis; illæ à piis Mulieribus, quæ ipsas non solùm rudimenta fidei, & Doctrinam Christianam, legendique, & scribendi artem, sed aliquod etiam opificium doceant ex iis quæ mulieribus conveniunt. Parochos aliosque Viros Ecclesiasticos tueri tenentur; jus cuicuique subditorum suorum, quantùm in ipsis est, reddere; neminem opprimere, concutere, gravare, sumptus suos secundùm redituum suorum ac facultatum mensuram moderari, debita diligenter solvere: quæ si accumulent, & sumptus non moderentur, lethalis peccati rei sunt, nec absolvi sacramentaliter debent. Gravis etiam peccati rei sunt, si Parochos aut eorum Vicarios solitas Missæ Parochialis aut aliorum Officiorum Divinorum horas mutare compellant, contra *Caroli IX.* Christianissimi Regis Edictum datum Parisiis anno millesimo quingentesimo septuagesimo primo. Lethalis item peccati rei sunt Toparchæ, qui Jurisdictiones habent dominiis suis ac terris annexas, si Judices, scientiâ, prudentiâ, experientiâ necessariâ destitutos, vel iniquos & improbos constituant; aut eorum incapacitate vel iniquitate cognitâ, illos non amovent. Ipsis enim injustæ Sententiæ quas hujusmodi Judices protulerint, imputantur, & non solùm in divino judicio propterea pœnas dabunt, sed etiam secundùm Regum Christianissimorum Constitutiones mulctantur. Observare denique tenentur id quod ipsis Concilium Turonense III. anno octingentesimo decimo tertio, Canone XLIX. qui in Libro II. Capitularium, Cap. XLIV. transcriptus est, præscribit: *Admonendi sunt Domini subditorum, ut circa suos piè & misericorditer agant: nec eos qualibet injusta occasione condemnent, nec vi opprimant, nec illorum substantiolas injustè tollant: nec ipsa debita, quæ à subditis reddenda sunt, impiè ac crudeliter exigantur.* Debent lites inter suos subditos ac vassallos impedire, componere, finire; dissidentes ad pacem & concordiam revocare; illos compellere ut concubinas, si quas habent, ejiciant; meretrices è terris suis expellere; pravas consuetudines Divinis aut Ecclesiasticis Legibus contrarias, eâ quâ pollent auctoritate, abrogare; curare ut piæ Confraternitates instituantur ad pietatem promovendam & fovendam: pietatis, temperantiæ, justitiæ exemplo omnibus prælucere, divinæ illius Sententiæ memores: *Secundùm Judicem populi sic & Ministri ejus: & qualis Rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea. Rex insipiens perdet populum suum.* *Eccli 10. 2.*

De Toparcharum, Nobilium, & Optimatum officiis breves tradit Regulas Venerabilis *Gersonius* in Tractatu *De modo vivendi omnium Fidelium*, Consideratione I. REGULA I. quæ spectat ad Nobiles, Potentes, & Scabinos: *Ne pauperes videlicet per potentiam suam opprimant, & à subditis suis opprimi permittant. Malos usus in villis suis destruant. Causas pauperum, viduarum, & orphanorum libenter audiant, & citò justè judicent. Munera pro judicio faciendo, vel festinando, aut retardando non accipiant. Nil à subditis suis extorqueant.*

Et Consideratione septimâ: REGULA DIVITUM: *Ne aliquid injustum acquirant. Ne propter divitias suas vicinos pauperes despiciant. Pauperes sustineant. Operariis suis bene & citò persolvant. Adulatores neque adulatrices in mensa recipiant. Diligenter & libenter ad concordiam vicinorum suorum laborent.*

ARTICULUS III.

Regulæ circa quartum Decalogi Præceptum.

REGULA I.

Lethalis peccati rei sunt, qui parentibus maledicunt, qui ipsos verberant, spernunt, vel irrident, aut de ipsis erubescunt. Graviter etiam peccant, qui parentibus mœrorem creant, aut senectutis illorum infirmitates impatienter ferunt.

SCriptum est enim Levitici XX. 9. *Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur: Patri, matrique maledixit, sanguis ejus sit super eum.* Quàm grave fuerit crimen impii Cham, qui videns *verenda patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis foras*, ostendit maledictio quam Noë Chanaam ejus filio & illius posteris intulit, quamque Deus confirmavit: cùm contrà, benedictionem promeriti sint Sem & Japhet, *Qui pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui; faciesque eorum aversæ erant, & patris virilia non viderunt.* *Genes. 9.* *De honore parentibus debito.* Scriptum est Ecclesiastici III. *Ne glorieris in contumelia patris tui: non enim est tibi gloria ejus confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filii pater sine honore. Fili, suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius: & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua: Eleemosyna enim patris non erit in oblivione. Nam pro peccato matris* (id est, pro illius defectu, aut morosa indole quam toleras,) *restituetur tibi bonum, & in justitia ædificabitur tibi, & in die tribulationis commemorabitur tui; & sicut in sereno glacies, solventur peccata tua. Quàm malæ famæ est, qui derelinquit patrem: & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem.* Graviter etiam peccant filii conjugati, cùm uxoribus suis reverentiam erga patrem & matrem suam non imperant; aut eas non corripiunt & emendant, si quando debitam illis reverentiam violaverint. Imitantur enim impium *Esau* qui duxit uxores *Judith & Basemath, quæ ambæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ*, ut refertur Genes. XXVI. 34. 35.

Denique Proverbiorum XXX. 17. scriptum est: *Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.*

REGULA II.

Lethaliter peccant filii, qui parentes egenos deserunt Religionis prætextu.

PRima pars hujus Regulæ nititur Canone XVI. Concilii Gangrensis, relato Distinctione XXX. Canone *Si qui filii*, cujus hæc sunt verba: *Si qui filii parentes, maximè fideles deseruerint, occasione Dei cultûs, hoc justum judicantes esse, & non potiùs debitum honorem parentibus reddiderint, ut hoc ipsum in eis venerentur, quòd fideles sunt; Anathema sit.* Præpostera certè pietas est, immò vera impietas, mandata Dei violare, aut negligere, specie impendendi consilia.

Id confirmat *S. Thomas*, Quodlibeto III. Quæst. VI. Art. II. *Qui nondum Religionem intravit, si videat patrem suum in magna necessitate, cui per alium subveniri non possit, non debet Religionem intrare, sed tenetur ministrare parentibus. Si verò per alium possit ejus parentibus ministrari, potest, si vult, Religionem intrare.* Unde *S. Chrysostomus*, exponens illud, *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, dicit quòd *Malum est abducere hominem à spiritualibus; & maximè cùm fuerint qui ministerium parentum compleant: erant enim alii qui complere possent illius funeris sepulturam.* Colligitur quoad sensum ex vero *Chrysostomo* Homilia XXVIII. in Matthæum. Et Secunda Secundæ, Quæst. CLXXXIX. Art. VI. ait: *Parentibus in necessitate existentibus, ita quòd eis commodè aliter quàm per obsequium filiorum subveniri non possit, non licèt filiis, prætermisso parentum obsequio, Religionem intrare.*

REGULA III.

Religiosus Professus parentibus suis ad inopiam redactis subvenire tenetur, quantùm potest, salvâ obedientiâ; sed è Claustro egredi non potest absque Superiorum suorum licentiâ ut illis subveniat.

De honore parentibus debito.

SIc respondet *Sanctus Thomas*, Quodlibeto III. Quæstione VI. Articulo II. *Postquam* (inquit) *aliquis est jam in Religione professus, est mortuus Mundo: unde per spiritualem mortem deobligatur à cura impendenda parentibus, sicut etiam deobligaretur per mortem corporalem: & ideo non peccat, nec contra Dei præceptum agit, si in claustro remaneat sub præcepto Prælati sui, parentum ministratione prætermissa. Est enim factus impotens ad reddendum debitum ministerium absque propriâ culpâ. Debet interim tamen, quantum potest, salvâ Ordinis obedientiâ, satagere ut per se vel per alium suis parentibus subveniatur, si in necessitate fuerint constituti.*

Hanc, superioremque Regulam rursus confirmat Angelicus Doctor Quodlibeto X. Quæstione V. Articulo I. *Dicunt aliqui* (inquit) *quod si aliquis habet patrem indigentem, debet ei dimittere si quid habet ad ejus sustentationem, & sic potest licitè Religionem intrare, parentum curam Patri cœlesti committens, qui etiam avis pascit. Sed quia hæc opinio nimis videtur aspera, ideo meliùs videtur dicendum, quod aut iste qui habet propositum intrandi Religionem, videt se in seculo non posse vivere sine peccato mortali, vel non de facili. Si timet sibi periculum peccati mortalis, cùm magis teneatur saluti animæ suæ providere, quàm corporali necessitati parentum, non tenetur in seculo remanere. Si autem videt se posse in seculo conversari absque peccato, distinguendum videtur: quia si sine ejus obsequio parentes nullo modo vivere possunt, sic tenetur eis servire, & alia opera perfectionis prætermittere; & peccaret eos dimittens: si verò sine ejus obsequio possunt aliqualiter sustentari, non autem honorificè, non propter hoc tenetur opera perfectionis dimittere. Secus autem est de illo qui jam Religionem intravit, quia cùm jam sit mortuus Mundo per Professionem, solutus est à lege qua in mundanis obsequiis parentibus tenebatur. In aliis autem spiritualibus, (putà orationibus, & hujusmodi,) eis tenetur servire. Et hoc quod dictum est de introitu Religionis, potest etiam de observantia virginitatis, & de aliis operibus perfectionis dici.*

REGULA IV.

Parricidii rei sunt filii, qui mortem parentum optant, assequendæ hæreditatis cupiditate: nec illos excusat, quòd eam non optent ut parentibus malam, sed ut sibi utilem.

CUm enim Deus non semel morte dignum pronuntiet, *Qui maledixerit patri, vel matri*, multò magis reus est mortis, qui illorum mortem optat, à quibus vitam accepit; quamvis non ex odio, sed ex cupiditate id optet. Unde Salomon Proverb. XX. cùm dixisset: *Qui maledicit patri suo & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris*; statim addit: *Hereditas ad quam festinatur in principio: in novissimo benedictione carebit.* Parricidium.

Id confirmat *Sanctus Augustinus*, impium filium esse docens, qui mori vult patrem, quem Deus etiam vult mori. Contra verò pium esse filium, qui patrem vult vivere, quem Deus bona voluntate vult mori. Sic enim habet *Enchiridii* Cap. I. *Aliquando* (inquit) *bona voluntate homo vult aliquid quod Deus non vult, etiam ipse bona multò ampliùs multóque certiùs voluntate: nam illius mala voluntas esse numquam potest. Tanquam si bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori. Et rursus fieri potest, ut hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona: velut si malus filius velit mori patrem, velit hoc etiam Deus. Nempe ille vult quod non vult Deus, iste verò id vult quod vult & Deus: & tamen bonæ Dei voluntati pietas illius potiùs consonat, quamvis aliud volentis, quàm hujus idem volentis impietas. Tantùm interest quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem suam quisque referat voluntatem, ut aut probetur, aut improbetur.*

Meritò itaque Sacra Facultas Parisiensis in Censura edita die tertia Februarii anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, inter alias Propositiones illam confixit ut pietati, caritati, justitiæ contrariam, quæ parricidas filios esse negat, qui mortis parentum sibi vota permittunt, non quidem ut eorum (inquiunt) malum, sed ut causam maximi boni in se ex illa derivandi, consecutionis nimirum pinguissimæ hereditatis. Meritò *Innocentius Undecimus* Pontifex Maximus die quarta Martii anni millesimi sexcentesimi septuagesimi noni inter alias pravæ Moralis opiniones, istas Propositiones damnavit. Propositiones damnatæ.

XIV. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas.*

XV. *Licitum est filio gaudere de parricidio erga parentes à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.*

Hanc postremam Propositionem Clerus etiam Gallicanus anno 1700. damnavit, ut *Falsam, scandalosam, execrandam, pietati erga parentes contrariam, viam crudelitati & avaritiæ aperientem.*

REGULA V.

Filii qui parentibus aliquid surripiunt, lethalis peccati rei sunt, nisi materia levitas veniale faciat.

Obedientia parentibus debita.

HÆc Regula Spiritus-Sancti Oraculo nititur, Proverb. XXVIII. 24. *Qui subtrahit aliquid à patre suo & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicida est.*

Eam confirmat *S. Antoninus* P. II. Tit. 1. Cap. XV. §. 1. *Si filius-familiâs abstulit de bonis parentum contra voluntatem eorum, furtum commisit; & si est quid notabile, mortale est.* Et in Summula Confess. P. II. *De modo interrogandi Pœnitentes*, Cap. VI. De septimo Præcepto: *Si quis*, inquit, *rem aliquam occultè invito domino, non solùm si abstulit ab extraneo, sed etiam filius à parentibus, uxor viro, servus domino, furtum est, & si est aliquod notabile damnum, mortale: unde tenetur ad restitutionem: secùs si quid minimum, ut aliquos fructus, quatrinum, & hujusmodi.* Tenentur autem filii ad restitutionem faciendam, cùm propria bona habuerint, vel ipsis parentibus, vel coheredibus; nisi fortè coheredes ipsos tantumdem surripuisse certò scirent.

REGULA VI.

Filii parentibus non obedientes in iis quæ justa sunt, & quæ pertinent ad disciplinam vitæ & curam domesticam, rei sunt lethalis peccati, si res præcepta sit gravis momenti; verbi gratiâ, si pater filio præcipiat ut certorum hominum societatem vitet; ne certas domos adeat, ex quarum frequentatione periculum ejus innocentiæ vel famæ imminere judicat; ne huic, aut illi feminæ nubat, quam ipsi convenientem, vel eo dignam non censet; ne aleis ludat; ut aliqua opera faciat, vel negotia gerat ad utilitatem familiæ, &c. Si mater præcipiat filiæ, ne sola domo egrediatur, ne viros alloquatur, ne dulces litterulas aut munuscula furtim recipiat, ne fucis utatur, ne pectus nudet, &c. ut opera aliqua discat vel exerceat in Gynecæo, aut in Monasterio maneat donec Matrimonio collocari possit, aut Vitam Religiosam eligere, &c. In his etiam quæ levis aliàs momenti esse videntur, lethaliter peccant, si ex contemptu non obediant.

VIolant enim Dei præceptum ab Apostolo promulgatum & explicatum Cap. VI. Epistolæ ad Ephesios: *Filii, obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim justum est.* Et ad Colossenses III. *Filii, obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est in Domino.* Unde idem Apostolus inter alia Gentium à Dei cognitione & cultu alienatum crimina inobedientiam recenset, ad Romanos Cap. I. *Parentibus* (inquit) *non obedientes.* Et II. ad Timotheum III. homines variis criminibus involutos describens in novissimis diebus futuros: *Erunt* (inquit) *homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes.* Hinc Deus in Lege Veteri pœnam capitalem decrevit in filios contumaces, Deuteronomii XXI. 18. *Si genuerit homo filium contumacem & protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, & coërcitus obedire contempserit: apprehendent eum, & ducent ad Seniores civitatis illius, & ad portam Judicii, dicentque ad eos: Filius noster iste protervus & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ atque conviviis: lapidibus eum obruet Populus civitatis: & moritur, ut auferatis malum de medio vestri, & universus Israel audiens pertimescat.*

Obedientia parentibus debita.

Hanc Regulam confirmat *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione CIV. Articulo V. *Non tenentur*, inquit, *nec servi dominis, nec filii parentibus obedire, de Matrimonio contrahendo, vel Virginitate servanda, aut aliquo alio hujusmodi. Sed in his quæ pertinent ad dispositionem actuum & rerum humanarum, tenetur subditus suo Superiori obedire secundum rationem superioritatis: sicut Miles Duci exercitus, in his quæ pertinent ad bellum: servus domino, in his quæ pertinent ad servilia opera exequenda: filius patri, in his quæ pertinent ad disciplinam vitæ, & curam domesticam.*

Et Quodlibeto II. Quæstione V. Articulo I. *Cùm* (inquit) *obedientia Prælato debeatur, ad illa se extendit debitum obedientiæ, ad quæ se extendit jus prælationis: habet autem pater carnalis jus prælationis in filium: primò quidem quantùm ad domesticam conversationem: sic enim est pater-familias in domo, sicut Rex in Regno: unde sicuti subditi Regis tenentur obedire Regi in his quæ pertinent ad gubernationem Regni, ita etiam filii, & alii domestici tenentur obedire patri-familiâs in his quæ pertinent ad dispensationem domûs. Secundò, quantùm ad morum disciplinam: unde Apostolus dicit ad Hebræos* XII. Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reverebamur eos: non multò magis obtemperabimus Patri Spirituum, & vivemus? *Debet enim pater filio non solum educationem, sed etiam disciplinam. In his ergo filius tenetur obedire patri carnali.* Si autem in rebus, quæ levis momenti videntur, filii protervi sint & contumaces ex parentum contemptu, nihilominus rei sunt peccati lethalis, quia non homines spernunt, sed Deum. & Præceptum de honorandis parentibus pro nihilo ducunt. *Honorare enim est de aliquo honorificè sentire, & quæ illius sunt, maximi putare omnia. Huic autem honori hæc omnia conjuncta sunt, amor, observantia, obedientia & cultus*; (inquit Catechismus Concilii Tridentini.)

REGULA VII.

Filii parentibus obedire non tenentur, cùm aliquid præcipiunt contra Dei Præcepta, vel Consilia Evangelica.

IPsis enim dumtaxat obedire tenentur *in Domino*, ut ait Apostolus. Si quid autem jubeant contra Dominum, tunc servanda est illa Principis Apostolorum regula, Actuum V. 29. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Atque ea ratione Christus parentes sibi postponi jubet, Matth. X. *Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Et Lucæ XIV. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Si quis non oderit, id est, si præ Deo amaverit, illósque Deo præposuerit. Quo sensu & Deuteronomii XXXIII. Moyses Leviticæ Tribui benedicens ait: *Qui dixit patri suo, & matri suæ: Nescio vos, & fratribus suis: Ignoro vos: & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servaverunt.*

Hanc Regulam confirmant SS. Patres, *Sanctus Hieronymus in Matthæum*, Cap. X. hæc verba Christi explicans, *Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me &c.* Ait enim: *Qui antè præmiserat*, Non veni pacem mittere, sed gladium, & dividere homines adversùm patrem & ma-

Deo & Ecclesiæ magis obediendum quàm Parentibus.

» trem, utrum & socrum; *ne quis pietatem Religioni anteferret, subjecit dicens:* Qui amat patrem aut matrem plus quàm me. *Et in Cantico legimus Canticorum:* Ordinate in me Charitatem. *Hic ordo in omni affectu necessarius est. Ama post Deum, patrem, ama matrem, ama filios. Si autem necessitas venerit, ut amor parentum ac filiorum Dei amori comparetur, & non possit utrumque servari: odium in suos, pietas in Deum sit.*

Et in Cap. III. Epistolæ ad Titum: *Si bonum est quod præcipit Imperator & Præses, jubentis obsequere voluntati. Sin verò malum, & contra Deum sapit, responde ei illud de Actibus Apostolorum:* » Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. *Hoc ipsum & de servis intelligamus apud dominos, & de uxoribus apud viros, & de filiis apud parentes: quòd in illis tantùm debeant dominis, viris, parentibus esse subjecti, quæ contra Dei Mandata non veniunt.*

Idem Epistolâ I. ad Heliodorum: *Recordare,* (inquit) *tyrocinii tui diem, quo Christo in Baptismate consepultus, in Sacramenti verba jurasti, pro nomine ejus non te patri parciturum esse, non matri. Ecce Adversarius in pectore tuo Christum conatur occidere. Ecce donativum, quod militaturus acceperas, hostilia castra suspirant. Licèt parvulus ex collo pendeat nepos: licèt sparso crine, & scissis vestibus, ubera quibus te nutrierat, mater ostendat: licèt in limine pater jaceat: per calcatum perge patrem: siccis oculis ad vexillum Crucis evola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem...... At contra Scriptura præcipit, parentibus obsequendum. Sed quicumque eos supra Christum amat, perdit animam suam. Gladium tenet hostis, ut me perimat: & ego de matris lachrymis cogitabo? Propter patrem Militiam Christi deseram, cui Sepulturam Christi causâ non debeo, quam etiam omnibus ejus causâ debeo?.... Aries iste pietatis, quo fides quatitur, Evangelii retundendus est muro. Mater mea, & fratres mei hi sunt, quicunque faciunt voluntatem Patris mei, qui in cœlis est. Si credunt in Christum, faveant mihi pro ejus nomine pugnaturo: si non credunt, mortui sepeliant mortuos suos. Sed hoc ait in Martyrio. Erras frater, erras, si putas unquam Christianum persecutionem non pati. Tunc maximè oppugnaris, si te oppugnari nescis.* — Matth. 12.

S. Augustinus, Epistola CCXLIII. aliàs XXXVIII. ad *Lætum* data, qui perfectum Mundi contemptum aggressus, domesticis necessitudinibus, matris præsertim affectu irretitus, à sancti propositi executione retardabatur. *Nec succenseant*, inquit, *parentes, hoc præcipere Dominum, ut oderimus, quando nobis hoc de anima nostra præcipitur. Nam sicut nunc de anima jubetur, ut eam propter Christum cum parentibus oderimus; ita quod alio loco de anima idem Dominus dicit, in parentes quoque potest congruentissimè converti:* » Qui amat (*inquit*) animam suam, perdet eam. *Dicam etiam fidenter, Qui amat parentes suos, perdet eos. De anima quippe hoc ibi dixit*, oderit, *quod hic*, perdet. *Sicut autem hoc præceptum, quo perdere jubemur animam nostram, non ad id valet ut se quisque interimat, quod inexpiabile nefas est; & tamen valet ut interimat in se carnalem animæ affectum, qua cum impedimento futuræ vitæ præsens vita delectat; hoc est enim quod dictum est, Oderit animam suam, & perdet eam: quod tamen diligendo fit; quandoquidem apertissimè fructum ejusdem animæ acquirendæ in eodem præcepto commemorat, dicens,* » Qui perdiderit eam in isto sæculo, in vitam » æternam inveniet eam: *Ita de parentibus rectissimè dicitur, ut qui eos amat, perdat eos, non more parricidarum interficiens, sed spiritali gladio verbi Dei carnalem affectum eorum, quo & se ipsos, & eos quos genuerunt, implicamentis hujus sæculi obligare conantur, piè fidenterque percutiens & occidens, illud in eis vivere faciat, quo fratres sunt, quo cum filiis suis temporalibus, parentes æternos Deum, Ecclesiámque cognoscunt.*

Parentes Deo postponendi. — Joan. 12. 25.

Ecce rapit te studium veritatis, & cognoscendæ atque percipiendæ voluntatis Dei in Scripturis sanctis: rapit evangelicæ prædicationis officium. Dat signum Dominus, ut vigilemus in castris; ut ædificemus turrim, de qua hostem sempiternæ vitæ & prospicere & propellere valeamus. Rapit Militem Christi tuba cælestis ad prælium, & retinet mater. Non planè talis, qualis Machabæorum fuit, nec saltem similis Lacedæmoniis matribus, de quibus memoria proditum est, quòd filios suos, ut pro terrena Patria sanguinem funderent, multò amplius atque ardentius in certamina bellica, quàm signorum sonitus excitabant. Nam mater quæ te ad discendam vitam removeri à curis sæcularibus non permittit, satis ostendit quemadmodum te, si opus esset, ad obeundam mortem penitus sæculum repudiare permitteret.

Sed quid dicit, aut quid allegat? Fortè decem illos menses, quibus viscera ejus onerasti, & dolores parturitionis, ac labores educationis. Hoc, hoc interfice verbo salutari, hoc perde matris, ut in vitam æternam invenias eam. Hoc memento ut oderis in ea, si diligis eam, si tyro Christi es, si turris fun- » *damenta posuisti, ne dicant transeuntes,* Hic homo » cœpit ædificare, & non potuit perficere. *Carnalis enim affectus est iste, & adhuc veterem hominem sonat. Hunc carnalem affectum & in nobis, & in nostris, Militia Christiana ut perimamus hortatur: nec tamen ita ut ingratus sit quisque parentibus, & eadem ipsa beneficia, quibus in vitam hanc editus, susceptus atque nutritus est, enumerata derideat. Servet per ius ubique pietatem. Habeat hæc locum, ubi majora non vocant.* — Carnalis Parentum affectus. — Luc. 14. 30.

Mater Ecclesia, mater est etiam matris tuæ. Hæc vos de Christo concepit, hæc Martyrum sanguine parturivit, hæc in sempiternam lucem peperit, hæc fidei lacte nutrivit & nutrit, cibósque majores præparat, quòd adhuc parvuli & sine dentibus vagire vultis, horrescit. Hæc mater toto orbe diffusa, tam variis & multiplicibus errorum infestationibus agitatur, ut abortivi jam filii ejus adversùs eam infrenis armis belligerare non dubitent. Ignaviâ etiam atque torpore quorumdam quos gremio continet, membra sua frigescere plurimis in locis & fovendis parvulis minùs idonea fieri dolet. Unde nisi per alios filios, unde nisi per alia membra, quorum è numero es, justum ac debitum poscit auxilium? Hujus necessitates deserens, ad carnalia verba converteris? Nonne hæc gravioribus querelis insonat auribus? Nonne hæc cariora viscera, & cælestia ubera ostentat? Adde Viri ejus susceptionem carnis, ne carnalibus inhæreres, & à Verbo Æterno universa, quæ tibi mater improperat, ne his implicareris assumpta: adde contumelias, flagella, mortem, mortem autem Crucis.

Talibus concepte seminibus, talique in vitam novam connubio procreate, languescis & contabescis in veterem hominem? Itane matrem terrenam non habebat Imperator tuus? Quæ tamen cùm ei nuntiaretur agenti cælestia, respondit, Quæ mihi mater, aut qui fratres? *Et extendens manum in Discipulos suos, dixit non pertinere ad cognationem suam, nisi qui facerent voluntatem Patris ejus. In quo numero profectò etiam ipsam Mariam benignus inclusit: faciebat enim & illa voluntatem Patris. Ita optimus Magister atque divinus, & maternum nomen, quod ei quasi privatum propriúmque nuntia-* — Matth. 12. 48.

verant, quia terrenum erat, in comparatione cælestis propinquitatis abjecit: & tamdem cælestem propinquitatem, in Discipulis suis commemorans, quo sibi rursum consortio generis cum cæteris Sanctis Virgo illa cohæreret, ostendit.

Hac ergo interrumpuntur vocibus matris tuæ, & inter hæc locum inveniat commemoratio prægnantis atque lactantis, ut de Adam & Eva alius Adam nascereris & nutrireris? Respice potiùs, respice Adam Secundum de cœlo, & porta jam cælestis imaginem, sicut terreni portasti. Immò & hic habeant locum materna ipsa beneficia, quæ tibi ad enervationem cordis enumerantur, habeant prorsus locum; noli esse ingratus, repende gratiam matri tuæ, repende spiritalia pro carnalibus, pro temporalibus sempiterna. Sed non vult sequi? Non impediat. Non vult converti in melius? Cave ne te in deterius pervertat, & evertat. Quid interest utrum in uxore, an in matre, dum tamen Eva in qualibet muliere caveatur? Nam ista umbra pietatis de foliis illius arboris venit, quibus se primùm Parentes nostri in illa damnobili nuditate texerunt. Et quicquid in illis verbis atque suggestione quasi officium sibi cornatis ostendit, ut à germanissima atque sincerissima Evangelii Caritate te detorqueat, ad astutiam Serpentis pertinet, & ad duplicitatem Regis illius, qui habet viginti millia, quam nos docemur decem millium, hoc est cordis, in quo Deum quærimus, simplicitate superare. Ex Enarratione in Psalmum LXX. Sermone 1. *In ea re sola,* (inquit) *filius non debet obedire patri suo, si aliquid pater ipsius jusserit contra Dominum Deum ipsius. Neque enim debet irasci pater, quando ei præponitur Deus. Ubi autem hoc jubet pater, quod contra Deum non sit; sic audiendus est, quomodo Deus; quia obedire patri jussit Deus.*

Sanctus Bernardus Epistolà CXI. *Heliæ* Monachi » nomine ad ejus parentes scriptâ: *Sola causa,* in » quit, *quâ non licet obedire parentibus, Deus est.*
Matth. 10. » *Ipse enim dicit:* Qui amat patrem aut matrem » plus quam me, non est me dignus. *Si me verè » boni, ut pii parentes diligitis; si veram, si fidelem erga filium pietatem habetis: quid me Patri omnium Deo placere satagentem inquietatis, & ab ejus servitio, cui servire regnare est, retrahere attentatis?*
Mich. 7. & Matth. 10. *Verè nunc cognosco quia* Inimici hominis domestici ejus. *In hoc vobis obedire non debeo, in hoc vos non agnosco parentes, sed hostes. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad meum atque vestrum, imò universorum Patrem.*

REGULA VII.

Mali etiam Sacerdotes propter Ministerium honorandi sunt. Unde graves peccati rei sunt, qui ipsos contemnunt, vel irrident, aut ipsis detrahunt & maledicunt.

HAnc Moralis Christianæ Regulam verbo & exemplo *S. Paulus* docuit. Cùm enim *Anania* Princeps Sacerdotum, qui ipsum in faciem percuti fecerat, dixisset, *Percutiet te Deus, pa-*
Act. 23. *ries dealbate*: & adstantes Apostolo exprobrarent quòd Summo Sacerdoti Dei malediceret, respon-
Exod. 22. 28. dit Paulus, *Nesciebam, fratres, quia Princeps est Sacerdotum. Scriptum est enim: Principem Populi tui non maledices.* Dominus etiam noster ipse *Jesus Christus Rex & Judex & Deus noster* (inquit *sanctus Cyprianus* Epistolà LXV. ad *Rogatianum* Episcopum datâ) *usque ad Passionis diem servavit honorem Pontificibus & Sacerdotibus, quamvis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Christi servassent. Nam cùm Leprosum emundasset, dixit illi: Vade & monstra te Sacerdoti, offer donum. Humi-*

litate ea qua nos quoque esse humiles docuit, Sacerdotem adhuc appellabat, quem sciebat esse sacrilegum. Honor sacerdotibus debitus.
Item sub ictu Passionis, cum alapam accepisset, & ei diceretur, Sic respondes Pontifici? nihil ille contumeliosè locutus est in personam Pontificis, sed magis innocentiam suam tutus est, dicens: Si malè locutus sum, exprobra de malo: si autem bene, quid me cædis? Quæ omnia ab eo ideo facta sunt humiliter atque patienter, ut nos humilitatis ac patientiæ haberemus exemplum. Docuit enim Sacerdotes veros legitimè & plenè honorari, dum circa falsos Sacerdotes ipse talis exstitit. Gravissimum ergo illorum peccatum est, de quibus *sanctus Augustinus* scribit Epistolà LXXVIII aliàs CCXXVII. ad Clerum & Plebem Hipponensem: *Ad quid aliud sedent isti, & quid aliud captant, nisi ut quisquis Episcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales credant, jactent, contendant, sed non omnes posse manifestari? Et tamen etiam ipsi, cum aliqua maritata invenitur adultera, nec projiciunt uxores suas, nec accusant matres suas. Cùm autem de aliquibus qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur. Hos ergo de nostris doloribus suavitatem suæ malæ linguæ captantes, facile est ut illis canibus comparemus, si fortè in malo intelligendi sunt, qui lingebant vulnera Pauperis illius, qui ante januam Di-* Luc. 16.
vitis jacebat, & quousque veniret ad requiem sinus Abrahæ laboriosa & indigna omnia tolerabat.

Imitanda potiùs *Constantini* Magni Imperatoris pietas, cui cùm in Nicænæ Synodi exordio Ariani libellos adversùs Catholicos Episcopos porrexissent, conctos libellos comburi jussit, dicens: *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoque judicandi; & ideo nos à vobis rectè judicamur: vos autem non potestis ab hominibus judicari: propter quod Dei solius inter vos exspectate judicium; & vestra jurgia quæcumque sunt, ad illud divinum reserventur examen. Vos etenim nobis à Deo dati estis Dii: & conveniens non est ut homo judicet Deos; sed ille solus de quo scriptum est: Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.* Refert *Rufinus* Lib. 1 Historiæ Ecclesiasticæ, Cap. 2. Addit *Theodoretus* Lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. undecimo, *Constantinum* jurejurando affirmasse, Se ne verbum quidem libellorum legisse: *Nisum enim esse ei hos, ut Sacerdotum delicta ad vulgi notitiam pervenirent, ne Populus offendiculi occasionem inde arripiens, licentiùs ad flagitia prorumperet.* Istud quoque adjecisse dicitur: *Se si Episcopum adulterium perpetrantem oculis suis videret, illegitimum facinus paludamento suo objecturum esse, ne hujus facinoris spectaculum ipsis spectatoribus noxium esset.*

Constantini Magni erga Sacerdotes sententia.

Psalm. 81. 1.

Lugenda verò illorum insania est, qui ex pravis moribus Præpositorum & Ministrorum Ecclesiæ vitiis suis quærunt auctoritatem. *O miseros homines, qui hos intuendo Christum obliviscuntur! Qui & tanto antè prædixit ut legi Dei potiùs obtemperetur, quàm imitandi videantur illi, qui ea* Matth 23. 3.
quæ dicunt non faciunt: & Traditorem suum tolerant usque in finem, etiam ad evangelizandum cum cæteris misit. Tam sunt autem isti absurdi & præposteri & miseri, qui Præpositorum suorum malos mores imitari eligunt, quàm per eos prædicata Domini Præcepta servare; quàm si quisquam viator remanendum sibi esse existimet in itinere, cùm viderit milliaria lapidea litteris plena viam docere, & non ambulare. Cur enim non potiùs, si pervenire desideras, tales comites intuetur & consequitur, qui & viam bene demonstrant, & in ea perseveranter atque alacriter ambulant? Quòd si isti desint, vel potiùs mi-

Insania illorum qui ex pravis Ministrorum Ecclesiæ moribus vitiis suis quærunt auctoritatem.

nùs appareant, nam deesse non possunt: non enim sic quærunt homines caritate studiosâ quod prædicent ad imitationem, quomodo quærunt iniquitate suspiciosâ quod murmurent ad deceptionem, partim non inveniendo bonos, dum ipsi mali sunt; partim timendo invenire, dum mali esse semper volunt. Sed tamen concedamus non apparere nunc homines dignos imitatione. Quisquis hoc putat, mente Dominum intuere, qui homo factus est ut hominem vivere doceret. Christum animo attende, attende Apostolos, quorum novissimus est ille qui dicit, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. *Attende animo tot Martyrum millia.... Ibi videbis non solùm viros, sed etiam feminas, postremò pueros & puellas, nec imprudentiâ decipi, nec iniquitate perverti, nec periculi timore frangi, nec sæculi amore corrumpi. Ita, te non invenientem quid excuses, non solùm Præceptorum inevitabilis rectitudo, sed etiam exemplorum innumerabilis multitudo circumdabit.* Verba sunt *Sancti Augustini*, Sermone CCCLI. aliàs quinquagesima inter Homilias L.

1. Cor. 4. 16

REGULA IX.

Lethalis peccati rei sunt parentes, qui filiorum suorum curam prorsus abjiciunt, illósque exponunt.

Quàm grave peccatum parentum filios exponentiù.

CRimen illud Ethnicis exprobrabant sæpè veteres Patres, scilicet *Tertullianus*, Apologetici Cap. IX. *Inprimis* (inquit) *filios exponitis suscipiendos ab aliqua prætereunte Misericordia extranea, vel adoptandos melioribus parentibus emancipatis. Alienati generis necesse est quandoque memoriam dissipari, & simul error impegerit, exinde jam tradux proficiet incesti, serpente genere cum scelere.*

Minucius Felix, in Octavio: *Meritò igitur incestum penes vos sæpè deprehenditur, semper admittitur. Etiam nescientes miseri potestis in illicita prorvere, dum Venerem promiscuè spargitis, dum passim liberos seritis, dum etiam domi natos aliena Misericordia frequenter exponitis, necesse est in vestros recurrere, in filios inerrare.*

Lactantius Libro V. Cap. IX. *Non enim* (inquit) *de nostro, sed de illorum numero semper existunt, qui vias obsideant armati, maria prædentur, vel si palam grassari non liceat, venena clam temperent; qui uxores necent, ut dotes earum lucrentur, aut maritos, ut adulteris nubant; qui natos ex se pueros aut strangulent, aut si nimiùm pii fuerint, exponant.* Et Libro VI. Cap. XX. *Quid illi* (inquit) *quos falsa pietas cogit exponere? Non possunt innocentes existimari, qui viscera sua in prædam canibus objiciunt; & quantùm in ipsis est, crudeliùs necant, quàm si strangulassent. Quis dubitet quin impius sit, qui alienæ Misericordiæ locum non tribuit? Qui, etiamsi contingat ei, quod voluit, ut alatur, addixit certè sanguinem suum vel ad servitutem, vel ad lupanar? Quæ autem possint vel soleant accidere in utroque sexu, vel per errorem, qui non intelligit, quis ignorat? Quod vel unius Oedipodis declarat exemplum duplici scelere confusum. Tam igitur nefarium est exponere, quàm necare.*

Sanctus Basilius Epist. ad *Amphilochium*, Canone XXXIII. *Mulier quæ in via peperit, & sui fœtûs curam non gessit, cædis crimine teneatur.* Et Canone LII. *Quæ fœtûs in via nati curam non gessit, si cùm posset quidem servare, neglexerit, vel se ideo peccatum celare existimans, vel etiam omnino belluina & inhumana cogitatione impulsa, tanquam propter homicidium judicetur.*

Sanctus Ambrosius, Libro V. *In Hexaëmeron*, Cap. XVIII. *Discant* (inquit) *homines amare filios ex usu & pietate cornicum, quæ etiam volantes filios comitatu sedulo prosequuntur; & sollicitæ ne teneri fortè deficiant, cibum suggerunt, ac plurima temporis nutriendi officia non relinquunt. At verò feminæ nostri generis citò ablactant etiam illos quos diligunt: aut si ditiores sunt, lactare fastidiunt. Pauperiores verò abjiciunt parvulos, & exponunt, & deprehensos abnegant.... Quis docuit nisi homo filios abdicari?*

Sanctus Augustinus, Libro I. *De Nuptiis & Concupiscentia*, Cap. XV. excusari conjuges, & venialem habere culpam, qui voluptatis causâ miscentur: *Quia etsi non causâ propagandæ prolis concumbitur, non tamen hujus libidinis causâ propagationi prolis obsistitur, sive voto malo, sive opere malo. Nam qui hoc faciunt, quamvis vocentur conjuges, non sunt, nec ullam Nuptiarum retinent veritatem, sed honestum nomen velandæ turpitudinis obtendunt. Produntur autem quando eò usque progrediuntur ut exponant filios, qui nascuntur invitis. Oderunt enim nutrire vel habere, quos gignere metuebant. Itaque cùm in suos sævit, quos nolens genuit tenebrosa iniquitas, clarâ iniquitate in lucem promitur, & occulta turpitudo manifestâ crudelitate convincitur.*

Apud Thebanos partum exposuisse, capitale erat, ut de illis refert *Ælianus* Libro II. *Variarum Historiarum*, Cap. quod cum Christianorum Principum Legibus congruit.

Insipiens certè *Plato*, qui contrarium sensit, ac filiorum recens natorum expositionem permisit. Aiebat enim viros ac mulieres, dum præscriptum à se gignendi tempus excederent, liberè posse convivere, hoc tamen excepto, ne quem ampliùs conceptum fœtum in lucem ederent: si quis autem institutum hoc violasset, ut fœtum ad partum perduceret, ita eum exponi, ut omni alimento careret. Quam Legem meritò sugillat *Theodoretus*, Libro *De Græcarum Affectionum Curatione*, Sermone IX. *De Legibus*, cujus hæc sunt verba: *Quis Eebetus vel Phalaris tales Leges tulit? Quis tam cruentas cædes, ut legitimas, patravit unquam? Nam qui prohibet fœtus in lucem edi, abortitiis profectò pharmacis infantes necari jubet. Eos autem qui lethalis poculi vim superarint, in lucémque editi sint, ita exponi, ut nec minima illorum cura geratur, sed fame, gelúve intereant, aut ferarum dentibus discerpantur, quem excessum crudelitatis non superat?*

Prava Platonis de ista de filiorum expositione.

Filios quidem exponi potiùs quàm necari, optandum, ut minus malum ad evitandum gravius, scilicet parricidium; sed non ideo insontes & à labe peccati mortalis, ac Legum censura immunes sunt parentes qui filios exponunt. Hæc mens erat Episcoporum, qui Canonem illum condiderunt à *Burchardo* Wormatiensi Episcopo relatum Libro III. Canone 20. & Concilio Matisconensi tributum (cùm tamen in Matisconensibus, quos habemus, Conciliis non extet.) *Hoc sancto Concilio decretum est* (inquit) *ut unusquisque Presbyter in sua plebe publicè annuntiet, ut si aliqua femina clanculo corrupta conceperit, & pepererit, nequaquam Diabolo coarctante, filium aut filiam suam interficiat; sed quocumque prævalet ingenio, ante januas Ecclesiæ partum deportari, ibique poni faciat; ut coram Sacerdote in crastinum delatus, ab aliquo fideli suscipiatur & nutriatur: & tali ex causa homicidii reatum, & quod majus est, parricidium evadat: nam qui filium aut filiam interficit, parricida omnimodis tenetur.*

ConciliumGangrense Canone XV. Anathemate percellit parentes, qui filios suos relinquunt, nec enutrire curant & instituere, prætextu divini cul-

tûs, & continentiæ: quantò magis execratum esset ac damnasset eorum impietatem, qui filios exponunt? *Si quis* (inquit) *filios suos relinquens non eos enutrit, &, quod ad se pertinet, non ad pietatem divini cultûs informat, sed per occasionem continentia negligit; Anathema sit.*

REGULA X.

Lethalis peccati rei sunt parentes qui filios suos in eodem secum lecto collocatos ex somnolentia opprimunt; vel tam negligenter educant, ut in ignem vel aquam cadant, aliòve simili casu extinguantur: vel quorum incuriâ sine Baptismo moriuntur.

GRavem pœnitentiam parentibus hujusmodi negligentiæ reis imponit vetus Pœnitentiale Romanum ab *Antonio Augustino* editum, Tit. 1. Cap. XXIX. *Oppressisti infantem tuum sine voluntate tua, aut pondere vestimentorum tuorum suffocasti, & hoc post Baptismum factum fuerit, quadraginta dies in pane & aqua & oleribus pœniteas, atque leguminibus: & à conjuge abstineas, donec illi quadraginta dies pertranseant. Post tres annos pœniteas per legitimas ferias, & tres Quadragesimas in anno observes. Quod si ante Baptismum infans oppressus fuerit, proximos quadraginta dies pœniteas, postea verò quinquennium expleas.*

Incuria parentum in servanda filiorum vita.

Et Cap. XXX. *Invenisti infantem tuum juxta te oppressum, ubi tu & vir tuus simul in lecto jacuisti, & non apparuit utrum à patre, seu à te suffocatus esset, non debetis securi esse, nec esse sine pœnitentia. Sed tamen in hic magna consideratio debet esse pietatis, ubi nulla mala voluntas fuit, sed propria mors: tamen propter negligentiam quadraginta dies debetis pœnitere. Si autem vos non latet interfectores esse infantis, non voluntate, sed negligentiâ, tres annos pœnitere debetis; unum ex his in pane & aqua, & tempore pœnitudinis ab omni luxuria vos custodire debetis.*

Et Cap. XXXI. *Cujus parvulus sine Baptismo per negligentiam moritur, tres annos pœniteat, unum in pane & aqua.*

Hos Canones *S. Carolus Borromæus* refert in Instructionibus *De Sacramento Pœnitentiæ*, ad *quintum Decalogi præceptum.*

Idem confirmat Canon *Consuluisti*, Causa secundâ, Quæst. V. quod *Stephani V.* Pontificis Maximi Responsum est: *Monendi sunt* (inquit) *parentes, ne tam tenellos secum in una lecto collocent, ne negligentiâ qualibet proveniente suffocentur vel opprimantur, unde ipsi homicidii rei inveniantur.... Hi autem qui probantur vel confitentur talis reatûs se noxios, tua eos castiget moderatio. Quia si ille qui conceptum in utero per abortum deleverit; quantò magis qui unius saltem diei puerum peremerit, homicidam se esse excusare nequibit?*

Et *Lucius III.* Cap. *De Infantibus*, Extrà, *De his qui filios occiderunt*, respondet: *De Infantibus qui mortui reperiuntur cum patre & matre: & non apparet utrum à patre vel à patre oppressus sit ipse vel suffocatus, vel propriâ morte defunctus; non debent inde securi esse parentes, nec etiam sine pœna: sed tamen consideratio debet esse pietatis, ubi non voluntas, sed eventus mortis causa fuerit. Si autem eos non latet ipsos interfectores esse, scire debent se graviter deliquisse. Quidam autem pœnitentiam trium annorum judicant esse debere, quorum unum peragant in pane & aqua.*

Idem confirmat Collectio Canonum ab *Isaac* Episcopo Lingonensi adornata, Tit. 11. *De Homicidio*, Canone ultimo: *Mulier quæ dormiens filium suum oppresserit, & mortuus fuerit, sex annis pœniteat. Vir ejus, si in domo illius fuit, quatuor: si verò in uno lecto, simili modo pœniteat: duos in pane & aquâ, reliquos quatuor, secundùm quòd Sacerdos viderit, abstinentiam imponat ciborum.*

De parentum officiis erga liberos.

Idem confirmatur ex Synodo Senonensi anno millesimo quingentesimo vigesimo-quarto. *Prolis oppressioni, quæ ex indiscretione parentum frequenter contingit, obviare volentes, statuimus quòd omnes Ecclesiarum Rectores sæpè in suis Pronis injungant suis Parochianis, ut curam sollicitam habeant de infantibus in cunabulis existentibus, ne inde periculum eveniat: Inhibeantque suis Parochianis ne pueros secum in lectis suis jacere permittant, antequam ad biennium pervenerint. Quòd si negligentes fuerint, Deo rationem reddent, & pœnâ arbitrariâ punientur.*

Et ex Synodo Parisiensi anno millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo. *Presbyteri*, inquit, *hortentur matres ac nutrices, ne infantes ante biennium secum dormire sinant, ne fortè illarum incuriâ præ somno, ut sæpissimè contingit, opprimantur. In quibus si negligentes fuerint, Deo primùm tanquam de homicidio rationem reddent, & pœnâ condignâ plectentur.*

In Diœcesi Parisiensi, & plerisque aliis Diœcesibus, penè omnibus, *Oppressio parvulorum per incuriam*, Casus est Episcopo reservatus. In plerisque istius peccati rei sistere se tenentur in Ecclesia Cathedrali Feria Quarta Cinerum publicam pœnitentiam accepturi, & die Cœnæ Domini solemni ritu absolvendi.

Denique *sanctus Antoninus* in Summa Confessorum P. 1. Interrog. De quinto præcepto Decalogi, Cap. unico: *Si mater*, inquit, *vel nutrix suffocat filium, vel filiam quam tenet juxta se, inadvertenter opprimat, mortale est propter negligentiam; & est Episcopalis Casus.*

REGULA XI.

Graviter peccant parentes, qui ob secundarum Nuptiarum societatem, filiorum suorum ex primo thoro susceptorum educationem negligunt.

HAnc Moralis Christianæ Regulam tradit *sanctus Basilius*, Homilia IX. in Hexaemeron; cujus hæc sunt verba: *Si impius pro suis natis pugnat, quidnam ipse dixerit homo, si neque mandatis obtemperans, & naturam suam adulterat, cùm aut filius senectutem patris inhonorandâ spergit ignominiâ, aut pater ob secundarum nuptiarum societatem, priorum obliviscitur filiorum?*

Et *Basilium* imitatus *S. Ambrosius* Lib. VI. in *Hexaëmeron*, Cap. IV. *Natura*, inquit, *hoc bestiis infundit ut catulos proprios ament, fetus suos diligant. Nesciunt illa odia novercalia, nec mutato concubitu parentes à sobole depravantur, neque noverunt præferre filios posterioris copulæ, superioris autem negligere. Norunt pignora sua, nesciunt caritatis differentiam, odiorum incentiva, offensionum discrimina.... Quid dicit homo, qui mandatum negligit, naturam oblitterat? Filius patrem despicit, pater abdicat filium; & hoc putant jus esse, ubi damnatur fœcunditas. Se potiùs pater damnat, qui facit irritum esse quod genuit.*

REGULA XII.

Gravis peccati rei sunt parentes, qui paternâ providentiâ filiis suis non consulunt, sed eorum neglectâ collocatione, & fortunâ, bona sua dissipant: aut tam multa extraneis conferunt, ut filios suos necessariis vitæ hujus subsidiis eorum statui & conditioni convenientibus fraudent, aut sine causa exheredent.

UT enim ait *S. Basilius* in Psalmum VII. *Debetur liberis à parente secundum naturalis amoris affectum sustentanda vitæ providentia sive proventus. Parentum enim est*, inquit, *colligere, sive thesaurum recondere liberis, ut præter hoc quòd ad vitam illos genuerunt, etiam vivendi subsidia subministrent.* Ex quibus etiam patet gravis peccati reus esse parentes pauperes, qui arte aliqua ad conquirenda vitæ hujus subsidia filios suos instruere negligunt.

Hanc Regulam confirmat *sanctus Augustinus* Epistolâ CCLXII. alias CXIX ad *Ecdiciam*, quæ marito suo absente atque nesciente, omnia vel penè omnia quæ habebat, nescio quibus duobus transeuntibus Monachis tanquam pauperibus eroganda donaverat. *Quid mirum*, inquit, *si pater communem filium nolebat hujus vitæ sustentaculis à matre nudari, ignorans quid sectaturus esset, cùm in ætate grandiuscula esse cœpisset, utrum Monachi Professionem, aut Ecclesiasticum Ministerium, aut conjugalis necessitudinis vinculum? Quamvis enim ad meliora excitandi aut erudiendi sint filii sanctorum, unusquisque tamen proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic. Nisi fortè talia prospiciens & præcavens reprehendendus est pater, cùm beatus*
1. Cor. 7.
1. Tim. 5.
2. Cor. 8.
» *Apostolus dicat*: Quisquis autem suis, & maxi» mè domesticis non providet, fidem denegat, & » est infideli deterior. *Cùm vero de faciendis ipsis » eleemosynis loqueretur, ait*: Non ut aliis refectio » sit, vobis autem angustia. *Pariter ergo consilium de omnibus haberetis, pariter moderamini quid thesaurizandum esset in cœlo, quid ad vitæ hujus sufficientiam vobis & vestris vestroque filio relinquendum, ne aliis esset refectio, vobis autem angustia. Et in his disponendis atque faciendis, si quid tibi fortè melius videretur, suggereres viro reverenter, ejusdemque autoritatem tanquam tui capitis sequereris obedienter.*

REGULA XIII.

Quamvis parentes quandoque secundùm Legis aut Consuetudinis Municipalis indulgentiam, unum filiorum præ aliis bonis temporalibus augere possint, ejusque sortem efficere meliorem; id tamen ut faciant, plerumque non expedit, sed in singulos dividere debent hereditatem secundùm quod Lege aut Consuetadine præscriptum est.

De parentum officiis erga filios.

PArentum enim in filios inæqualis amor, & alios præ aliis augendi ac locupletandi studium, odia filiorum in parentes, fratrúmque inter se dissidia implacabilia sæpè parit. Unde quicquid Leges hac in specie parentibus permittant, memores esse debent Apostolicæ illius Sententiæ,
1. Cor. 6.
Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: Aliuqui fieri potest ut præpostero affectu gravis peccati coram Deo rei sint, ipsisque imputentur filiorum peccata inde oritura.

Hanc Regulam confirmat *sanctus Ambrosius*, Libro V. in *Hexaemeron*, Cap. XVIII. *Quis*, inquit, *reperit tam immitia patrum jura! Quis inter naturæ fraterna consortia fratres impares fecit? Alius totius paternæ sortis adscriptionibus inundatur: alius opulenta hereditatis patriæ deplorat exhaustam atque inopem portionem. Nunquid natura divisit merita filiorum? Ex pari omnibus tribuit, quod ad nascendi atque vivendi possint habere substantiam. Ipsa vos doceat non discernere patrimonio, quos titulo germanitatis æquastis. Etenim quibus dedistis communiter esse quod nati sunt, non debetis his, ut id communiter habeant, in quod à natura substituti sunt, invidere.*

Et Libro II. *De Jacob & Vita Beata*, Cap. II. *Sed nec parentes nobis inexcusati relinquendi sunt, quòd juniorem filium seniori prætulerint. Simul cavendum, ne quis dum eorum intendit exemplo, iniquum inter filios habeat judicium; aut alterum diligendum putet, alterum postbabendum. Hinc enim excitantur odia fraterna, & de vilis incremento pecuniæ facinus parricidale componitur. Eadem foveat prolem mensura pietatis. Esto tamen ut aliquid sibi ampliùs circa blandiorem aut similiorem rapiat affectus, par debet circa omnes esse forma justitiæ. Plus confertur dilecto, cui amor fratrum quæritur: plus autem adimitur ei, qui prælationis injusta oneratur invidiâ. Minitabatur Esau quòd fratrem suum occideret, nec fraterna eum germanitas, nec parentum reverentia à parricidali furore revocabat; & dolebat sibi benedictionem esse præreptam, cujus utique dignum se mansuetudine debebat probare, non scelere. Sed & Rebecca non quasi filium filio, sed quasi justum præferebat injusto. Etenim apud matrem piam mysterium pignori præponderabat: illum non tam fratri præferebat, quam offerebat Domino, quem sciebat collatum sibi munus posse servare, in quo & alteri consulebat, quem divina subducebat offensæ, ne graviore implicaretur reatu, si accepta gratiam benedictionis amitteret. Accipe tamen bonum certamen inter parentes. Mater deferat affectum, pater judicium. Mater circa juniorem tenera pietate propendeat: pater circa seniorem naturæ honorificentiam servet. Hic magis honoret, illa plus diligat: dum singuli singulos foveant, non in unum uterque conspirent, defraudent alterum. Fiat æqualitas inter diversa certamina, & dispa ribus studiis par utrique ac æqualis parentum amor & gratia conferatur: Compenset alter, quod alter imminuit. Sic pio affectu Isaac Patriarcha & sancta Rebecca certabant, ut neutrum inferiorem facerent, sed utrumque æqualem.*

Et Libro *De Joseph Patriarcha*, Cap. II *Amare liberos dulce; & impensiùs amare prædulce: sed frequenter amor ipse patrius, nisi moderationem tenuat, nocet liberis; si aut nimiâ indulgentiâ dilectum resolvat, aut prælatione unius ceteros ab affectu germanitatis avertat. Plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur. Hæc præclarior munificentia patrum, hæc dicitur hereditas filiorum. Jungat liberos æqualis gratia, quos junxit æqualis natura. Lucrum pietas nescit pecuniæ, in quo pietatis dispendium est. Quid miraris si propter fundum aut domum oriuntur inter fratres jurgia, quando propter tunicam inter Jacob sancti filios exarsit invidia?*

REGULA XIV.

Famuli & famulæ, quibus servitium occasio proxima lethalis peccati est, quòd exigant Domini ut eorum peccatis cooperentur, tenentur ab illis discedere; nec ipsorum peccatis servire possunt absque lethalis peccati reatu.

De famulorum officiis, & de occasionibus proximis peccati.

NEmo enim alterius mortali peccato cooperari quovis modo potest absque crimine: nemo in proxima lethalis peccati occasione manere, absque peccati mortalis reatu, ut aliàs probatum est in hoc Opere: nemo famulus vel famula domino suo aut dominæ obedire potest contra Dei Mandatum. Nec eos excusat commodi cujusvis temporalis intuitus, ut colligitur ex verbis Christi, (Matth. Cap. v.) *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit, enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.*

Hanc Regulam confirmat *Tertullianus*, Libro *De Idololatria*, Cap. XVII. *Ceterùm quid facient servi vel liberti fideles? Item Officiales sacrificantibus dominis, vel patronis, vel Præsidibus adhærentes? Sed si merum quis sacrificanti tradiderit, immò si verbo quoque aliquo Sacrificio necessario adjuverit, minister habebitur idololatriæ. Hujus Regulæ memores etiam Magistratibus & Potestatibus officium possumus reddere secundùm Patriarchas & ceteros Majores, qui Regibus idololatris usque ad finem idololatriæ apparuerunt.* De aliis peccatis idem esto judicium. Non magis enim in iis perpetrandis servire dominis suis possunt famuli & famulæ, quàm in ipsa idololatria.

Idem confirmat *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum CXXIV. exemplo Christianorum Militum, qui *Juliano* Imperatori Apostatæ non obtemperabant in iis, quæ contra Deum jubebat: *Milites Christiani*, inquit, *servierunt Imperatori infideli; ubi veniebatur ad caussam Christi, non agnoscebant nisi illum qui in cœlo erat. Si quando volebat ut Idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum: quando autem dicebat, Producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant. Distinguebant Dominum æternum à domino temporali: & tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam domino temporali.*

Et Sermone LXII. aliàs VI. *De Verbis Domini*, Cap. VIII. *Nunquid in superbiam vos erigimus, aut dicimus vobis, ut adversùs Potestates ordinatas contemperes sitis?.... Sed quid si illud jubeat, quod non debet facere? Hic sane contemne Potestatem, timendo Potestatem.... Si aliquid jusserit Curator, nonne faciendum est? tamen si contra Proconsulem jubeat, non utique contemnis Potestatem, sed eligis Majori servire. Nec hinc debet minor irasci, quia majori prælatus est. Rursum si aliquid Proconsul jubeat, aliud Imperator, numquid dubitatur isto contempto illi esse serviendum? Ergo si aliud Imperator, & aliud Deus, quid judicatis? Solve tributum, esto mihi in obsequium. Rectè, sed non in Idolio.* Lege Superioris Lib. Cap. VII. Art. III. Regula XXXIX. quæ istius ad peccata Luxuriæ applicatio est.

CAPUT VII.

DE

QUINTO PRÆCEPTO

DECALOGI.

CUm post Deum & Parentes jubeamur diligere Proximos sicut nos ipsos, aptissimè inter ea Mandata quæ proximi læsionem prohibent, primum illud est quod nocumentum summum vetat, quo Proximus è medio tollitur, hisque verbis exprimitur, *Non occides*: quod quidem non de plantis & arboribus dictum, ut Manichæi delirabant; cùm nullus sit eis sensus, & hominibus in escam datæ sint herbæ, leguмina, & fructus: nec de brutis animantibus, quæ nulla nobis ratione sociantur; & quorum vita & mors nostris usibus à Deo destinata est, dicente Domino: *Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum; quasi olera virentia tradidi vobis omnia:* Sed de homine ad imaginem Dei condito intelligendum est: quamvis feræ sit indolis bruta etiam animantia sine causâ occidere, & eorum doloribus delectari, indéque homo quodammodo discat homini esse crudelis. Unde Proverbiorum XII. scriptum est: *Novit Justus jumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia.*

Exod. 20. 13.
Genes. 1. 29.
Genes. 9.

ARTICULUS I.

Quo Præcepti sensus explicatur.

I. AD Naturæ Legem omnium hominum cordibus inscriptam Præceptum istud pertinere, quo cædes hominis prohibetur, certissimum est. Unde Cain fraternæ cædis reus, omniúmque homicidarum caput, hujus criminis gravitatem cognovit, confiteri illud nolens: *Nunquid*, inquit, *custos fratris mei sum ego?* Gravissimas scilicet pœnas ob tantum scelus mereri se noverat: quibus cùm justi judicia Dei sententiâ fuisset damnatus, dixit ad Dominum: *Major est iniquitas mea quàm ut veniam merear.* Quocirca Sapientiæ X. de illo scriptum est: *Ab hac* (scilicet Sapientiâ) *ut recessit injustus in ira sua, per iram homicidii fraterni deperiit.* Et I. Joannis III. *Non sicut Cain qui ex Maligno erat & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant, Fratris autem ejus justa.* Sed & hoc unum inprimis est, quod post generale diluvium Deus hominibus interdixit, illis etiam prohibens ne sanguine animantium vescerentur, ut eos indito effusi sanguinis horrore, ab homicidio deterreret. Genes. IX. *Carnem cum sanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum: & de manu hominis, de manu viri, & fratris ejus requiram animam hominis. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo.* In Evangelio etiam ubi veteres Leges à Domino explicantur,

Genes. 4.

Homicidium quàm grave crimen?

hæc primum locum obtinet, Matth. v. 23. *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio.*

II. Quàm grave crimen sit homicidium, his verbis explicat Concilii Tridentini Catechismus: *Sunt homicidæ humani generis, atque adeo naturæ hostes acerbissimi: qui, quantùm in eis est, universum Dei opus evertunt, cùm hominem tollunt, cujus causâ is omnia, quæcumque procreata sunt, se fecisse testatur: imò verò in Genesi cùm prohibitum sit hominem occidi, quia illum Deus ad imaginem suam & similitudinem creavit, insignem Deo injuriam is facit, & quasi violentas illi manus afferre videtur, qui ejus imaginem è medio tollit.* Hinc Lex Mosaica morti addicit homicidas. Exod. xxi. *Qui percusserit hominem*, inquit, *volens occidere, morte moriatur...... Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altari meo evelles eum, ut morte moriatur.* Hanc ob causam Eeclesia homicidas publicæ Pœnitentiæ subjecit, per longam annorum seriem, ut ex Patribus & antiquis Canonibus compertum est. Ancyrani Concilii Canone xxii. perpetuæ per omnem vitam Pœnitentiæ addicuntur voluntarii homicidii rei. Deinde benignissimè cum illis actum esse putavit Eeclesia, si Pœnitentia illa, quam per totam vitam agere debuissent, ad magnum annorum numerum contraheretur. Quin ut à voluntariis cædibus homines magis absterrerentur, acerrimè etiam vindicavit homicidia, quæ quis per imprudentiam admisisset, septennii, aut certè quinquennii Pœnitentiam illis imponens, ut ex eodem Ancyrani Concilii Canone, ex Epistolis Canonicis *SS. Basilii & Gregorii Nysseni*, *ex Zacharia & Alexandri II.* Summorum Pontificum Decretis, & ex antiquo Pœnitentiali Romano constat. Et in Mosaica Lege statutum erat ut qui homicidium etiam involuntarium commisissent, exilio plecterentur, & confugerent ad Civitatem Refugii, ibique permanerent usque ad Pontificis obitum: ita ut impunitus maneret propinquus occisi, si involuntarium homicidam extra fines urbium refugii oeeidisset.

Omnis violentia quinto Decalogi Præcepto prohibita.

III. Quinto autem Decalogi Præcepto non solum homicidium vetatur, sed omnia quibus contra disciplinæ ordinem læditur hominis corpus & malè multatur, scilicet verbera, vulnera, mutilatio, injusta incarceratio, & aliæ id genus violentiæ. Nec solùm suis cuiquam manibus, aut ferro, aut lapide, aut baculo, aut laqueo, aut veneno vitam homini eripere non licet: sed consilio, ope, auxilio, vel alia quacunque ratione id fieri prorsus vetitum est. Sic David jubens poni *Uriam* ex adverso belli, ubi fortissimum esset prælium, eumque derelinqui, ut percussus interiret: sic *Jezabel* quæ jussit occidi *Nabaoth*: sic *Caiphas* qui consilium dedit ut occideretur Christus: sic Judæi qui à Pilato petierunt, & clamoribus obtinuerunt ut crucifigeretur, homicidæ fuerunt. Sic reus est homicidii postremus Judicum, qui sententiæ capitali ab iis qui ante ipsum suffragati sunt in insontem latæ assensum præbet, quamvis nihilominus morti fuisset addictus etiamsi reclamasset. Scriptum est enim Exodi xxiii. *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ ut à vero devies.* Particeps etiam est criminis homicidæ socius vel comes*, etiamsi non consentiat, si ex ejus societate ille ad patrandum scelus reddatur audacior, qui si solus fuisset, hominem aggredi non fuisset ausus. Rei sunt etiam homicidii, qui homicidam laudant, aut ignaviam exprobrant ei qui occidere inimicum veretur; item qui homicidis favent, aut illos apud se recipiunt; qui arma suppeditant aggressori; qui hominem impediunt ne cum moderamine inculpatæ tutelæ vitam suam adversùs invasorem defendat: qui aliquem ad odium alterius inflammant, ex quo homicidium sequitur: qui vel in sateinis custodiendis ministerium homicidis præbent: qui cùm possint, & debeant impedire, non impediunt.

Animus ab omnibus affectibus qui ad læsionem proximi tendunt, cohibendus.

IV. Cùm Lex Christi spiritualis sit, quæ non solo externo opere, sed spiritu magis adimpletur, non sufficit ad hoc Præceptum implendum continere manum à cæde, & membrorum mutilatione, seu verberatione, aut quavis alia violentiâ, nisi etiam contineas animum ab omnibus affectibus qui illuc tendunt, irâ scilicet, odio, pravis mortis alienæ desideriis, aut gaudio de illo, vel adversis quibuslibet proximo evenientibus, invidiâ, contumeliâ, obtrectatione. Ita Christus declaravit, Matth. v. 21. 22. *Audistis* (inquit) *Quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: Quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit Concilio: qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Ex quibus verbis perspicuum est (inquit Concilii Tridentini Catechismus) eum culpà non carere, qui fratri succenseat, quamvis iram animo inclusam contineat: qui verò ejus iræ significationem aliquam dederit, graviter peccare: at multò graviùs, qui non vereatur durè fratrem accipere, & ei convicium facere, ut explicat *S. Augustinus* Libro 1. *De Sermone Domini in Monte.*

Ira quæ vindictæ libido est, hoc præcepto prohibita.

Intelligendus est tamen Christi sermo de ea ira quæ vindictæ libido est, & lædendi affectum conjunctum habet: alioqui irascimur & his quos diligimus, non ut lædamus, sed ut corrigamus: & odio habemus in homine, non quod fecit Deus, sed quod fecit ipse: non naturam, sed peccatum; idque solo justitiæ zelo. Unde scriptum est: *Irascimini, & nolite peccare.... Iniquos odio habui; & legem tuam dilexi.* Non ait David, Iniquos odio habui, & justos dilexi; *aut*, Iniquitatem odio habui, & legem tuam dilexi, sed cùm dixisset, *Iniquos odio habui*, exposuit quare, addendo, *& legem tuam dilexi*: ut demonstraret, *Non se in hominibus iniquis odisse naturam, quâ homines sunt; sed iniquitatem, quâ legi quam diligit, inimici sunt;* (inquit S. *Augustinus* Sermone xxiv. in illum Psalmum.) Rursus scriptum est Psalmo cxxxviii. *Nonne qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.* Quid est, *Perfecto odio?* (inquit *S. Augustinus* hunc Versum explicans) *Oderam in eis iniquitates eorum, diligebam conditionem tuam. Hoc est perfecto odio odisse, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas. Nam ecce vide quid adjungat*, Inimici facti sunt mihi. *Non jam tantùm Dei, sed suos inimicos ostendit. Quomodo ergo in eis implebit, & quod ipse dixit*, Nonne eos qui oderant te, odio habui, *& quod Dominus præcepit*, Diligite inimicos vestros? *Quomodo implebit hoc nisi illo perfecto odio: ut hoc in eis oderit quod iniqui sunt, hoc diligat quod homines sunt? Nam & tempore Veteris Testamenti, quo visibilibus suppliciis carnalis populus coercebatur, homo ad Novum Testamentum per intelligentiam* pertinens *famulus Dei Moyses, quomodo oderat peccantes, cùm pro eis orabat; & quomodo non oderat, cùm eos occidebat: nisi quia perfecto odio oderat eos? Ea namque perfectione sic oderat iniquitatem quam puniebat, ut diligeret*

Psalm. 4.
Psalm. 118.

diligeret humanitatem pro qua orabat. Igitur non fratri irascitur, qui peccato fratris irascitur: sed qui sine causa irascitur, is non peccato, sed fratri irascitur. In hac igitur Christi sententia, *Omnis qui irascitur fratri suo*, &c. subintelligendum est, *Sine causa*, quod Græci Codices habent; aut si mavis, vindictæ libidine. *Christiani enim hominis ira* (inquit *Concilii* Tridentini Catechismus) *non à carnis sensibus, sed à Spiritu-Sancto proficisci debet: cùm nos templa Sancti-Spiritus, in quibus Jesus Christus habitat, esse conveniat.*

Odium prohibetur.

Porrò cùm ira prohibetur, qui primus gradus est quo à Christiana mansuetudine deflectimus, multò magis odium prohibetur, quæ est ira inveterata. Nam si irasci nefas est fratri sine causa; multò minùs licet ultionis affectum & cupiditatem animo tenere, ut in odium indignatio convertatur. Unde Apostolus ait, ad Ephesios IV. *Non occidat sol super iracundiam vestram.*

Matth. 7.

Alioqui festuca crescit in trabem. *Festuca in oculo ira est: trabes in oculo odium est. Festuca initium trabis est. Nam trabes quando nascitur, priùs festuca est. Rigando festucam, perducis ad trabem: alendo iram malis suspicionibus perduces ad odium. Multùm autem interest inter peccatum irascentis, & crudelitatem odio habentis. Nam & filiis nostris irascimur: odisse filios quis invenitur? .... Usque adeo non omnis qui irascitur, odit; ut aliquando magis odisse convincatur, si non irascitur...... Multùm aliud est quando quisque irascens in aliquo verbi modum excedit, quod postea deleat pœnitendo; & aliud est servare insidias inclusas in corde. Multùm postremò interest inter hæc verba scripturæ*, Turbatus est præ ira oculus meus. *De illo autem quid dictum est?* Qui odit fratrem suum, homicida est. *Multùm interest inter turbatum oculum & exstinctum. Festuca turbat, trabs extinguit.* Verba sunt *S. Augustini*, Sermone LXXXII. aliàs XVI. *De verbis Domini.*

Psalm. 6.
1. Joann. 3. 15.

Odium fraternum, gravissimum animæ vulnus.

Odium fraternum esse gravissimum animæ vulnus, multàque peccata hoc uno quasi vinculo quodam teneri, Concilii Tridentini Catechismus observat. Cùm enim is cujus animum pravus hic affectus occupat, inimici sui sanguinem sitiat, illius ulciscendi libidine exæstuet, & dies noctésque cædem, aut grave aliquod incommodum illi inferendum meditetur, nefariisque cogitationibus continuò agitetur; inde fit ut vel nunquam vel difficilè injurias remittat. Hinc *S. Joannes*, Epistolæ 1. Cap. II. ait: *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.* Sæpiùs itaque impingit & labitur. Quo enim pacto fieri potest, ut dicta aut facta illius probet, quem oderit? ut illius felicitatem æquis aspiciat oculis? Hinc temeraria & iniqua judicia existunt, iræ, invidiæ, obtrectationes, convitia, vituperia, derisiones, & alia ejusmodi, quibus illi quoque implicari solent, qui aut cognatione, aut amicitiâ juncti sunt. Odia namque & perennes inimicitiæ in familias ut plurimum propagantur, & ab amicis suscipiuntur. Hinc ampla ex uno peccato criminum seges. Quamobrem qui fratres oderunt, jure filii Diaboli nuncupantur, qui *Homicida erat ab initio.* Unde Christus Pharisæis in vitam suam conjuratis ait: *Vos ex patre Diabolo estis; & desideria patris vestri vultis facere.* Contra verò qui injurias condonant, *Filii* sunt *Patris Cœlestis, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Sola quippe dilectio discernit inter filios Dei, & filios Diaboli, ut *S. Augustinus* ait: Christi sunt imitatores, *Qui cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injustè.* Qui Cruci affixus, pro Crucifixoribus suis rogavit, dicens: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt*: nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus: *Tanquam lignum illud in quo fixa erant membra morientis, etiam cathedra fuerit Magistri docentis* (inquit S. Augustinus.) Qui denique condonant injurias, certâ fiduciâ sperare possunt peccatorum suorum omnium veniam à Deo misericordiarum Patre se impetraturos, secundùm ipsius promissa: qui verò non remittunt injurias, vindici Deo se pœnas æternas daturos certò sciant. Matth. XVIII. *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

Joan. 8.
Matth. 5.
1. Pet. 2.
Luc. 23.

De irâ porrò, odio, invidiâ, calumniâ, contumeliâ, obtrectatione quæ hoc Præcepto etiam prohibentur, cùm Libro superiori plenè egerimus, nihil hoc loco dicendum superest.

VI. Præceptum istud, *Non occides*, non tantùm omnem vindictæ cupiditatem prohibet, sed multas ac eximias virtutes, ipsósque fructus Spiritus-Sancti includit ac requirit, velut finem propter quem nobis datum est. In primis humanitatem ac mansuetudinem à nobis postulat, virtutem Christo carissimam, iræque ac rixis oppositam, cujus præsertim se doctorem profitetur. *Discite*, inquit, *à me, quia mitis sum & humilis corde.*

Quintum præceptum humanitatem ac mansuetudinem à nobis exigit.

Matth. 11.

Secundò, Concordiæ studium postulat, ut in omni negotio proponamus cum proximo redire in gratiam, quod Christus Dominus indicat, Matth. V. 23. 24. *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te: relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.* Cùm igitur preces & spiritualia sacrificia in interiore Dei templo, quod sumus nos, offerenda sunt, & multò magis cùm ad Sacrificium incruentum Pretii nostri, ad Altare visibile in quo Christi Corpus & Sanguis Deo à Sacerdotibus offertur & consecratur, & à Fidelibus sumitur, accedendum, & Eucharistia percipienda, *Pergendum est ad reconciliationem, cùm in mentem venerit quòd nos fortè fratrem in aliquo læsimus: pergendum autem non pedibus corporis, sed motibus animi, ut te humili affectu prosternas fratri, ad quem cara cogitatione cucurreris, in conspectu ejus cui munus oblaturus es. Ita enim etiam si præsens sit, poterit eum non simulato animo lenire, atque in gratiam revocare veniam postulando, si hoc priùs coram Deo fecerit, pergens ad eum non pigro motu corporis, sed celerrimo dilectionis affectu: atque inde veniens, id est, intentionem revocans ad id quod agere cœperas, offeres munus tuum.* Verba sunt *S. Augustini* Libro I. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. X.

Concordiæ studium.

Tertiò Christus Dominus monet hoc Præcepto contineri etiam id quod & Apostolus docet, ut pacem cum omnibus hominibus (quantùm in nobis est) habeamus, cùm ait, Matth. V. *Esto consentiens adversario tuo citò dum es in via cum eo: ne fortè tradat te adversarius Judici, & Judex tradat te ministro: & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, Non exies inde, donec reddas novissimum qua-*

drantem. Huc spectar quòd Christus beatos pacificos pronuntiat, qui student non solùm inter alios dissideotes sancire concordiam, verùm etiam ultrò invitare ad pacem illos à quibus sont offensi: *Beati* (inquit) *pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.*

Matth. 5.

Christiana patientia.

Quartò, patientiam à nobis exigit Christus, quâ oon tantùm malos toleramos, sed etiam patimur eos abuti nostrâ tolerantia, parati etiam magis gravius damnum ab eis accipere, quam injuriam referre. Quod Christus significavit ibidem dicens: *Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, prabe illi & alteram. Et ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo.* In patientia nostrâ nos possessuros animas nostras Salvator docet Lucæ XXI. 19. Hæc Caritatis individua comes, secundùm Apostolum I. ad Corinthios XIII. *Caritas patiens est.* Hanc facilè assequetur, qui considerabit hominem sibi infensum, seo à quo injuriam se accepisse putat, & quem ulcisci cupit, detrimenti aot injoriæ præcipuam caosam noo fuisse, sed Dei ministrum & quasi satellitem. Malis scilicet hominibus utitur Deus ad castigandum nos & erodiendum ut filios, non ut inimicos. Quamobrem Job vir rectus ac pius, à Sabæis, Chaldæis, Dæmone graviter cæsus, calamitates omnes soas ad Dominum retulit, his verbis osus: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum.* Hac ratione Joseph ea quæ passus fuerat à fratribus, oon impiis ipsorum consiliis, sed Dei voluntati tribuit. Genes. XL. *Ego sum*, ait, *Joseph frater vester, quem vendidistis in Ægyptum.... Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Sic David injurias sibi à *Semei* illatas, tanquam Deo permittente, æquo animo tulit, II. *Regum* Cap. XVI. *Dimittite eum*, inquit, *ut maledicat. Dominus enim praecepit ei ut malediceret David: & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit? Et ait Rex Abisai, & universis servis suis: Ecce filius meus, qui egressus est de latere meo, quarit animam meam: quantò magis nunc filius Jemini? Dimitte eum ut maledicat juxta praceptum Domini: si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna. Ambulabat itaque David & socii ejus per viam cum eo. Semei autem per jugum Montis ex latere, contra illum egrediebatur, maledicens, & mittens lapides adversus eum, terramque spargens.* Humilis Davidis verba, *Semei* insultus tam leoiter patientis, sic interpretatur *Theodoretus* Quæst. XXXI. in Lib. II. *Regum*, quasi diceret: *Est iste lorum Dei & virga. Non video lorum, sed video eum qui me flagro cadit. Meis iniquitatibus adscribo calamitates. Non tango virgam, ne Eum irritem qui percutit.* Hac ratione Sanctus quidam Galliarum Præsul *Attila* Regi occurrens, illum his verbis salutavit: *Ave flagellum ira Dei.*

Job. 1.

Bonitas.

Quintò, Præceptum istud bonitatem à nobis postulat, quâ nemini noceamus, sed ad benefaciendum omnibus parati simus. Unde Christus ait, *Matth.* V. 42. *Qui petit à te, da ei: & volenti mutuari à te, ne avertaris:* quo significat, necessitatem patienti, & reddere sortem copienti ac volenti, mutuom sine spe lucri dare nos debere: egentibus verò, etiam sine spe sortis de nostro tribuere.

Inimicorum dilectio.

Sextò, oltra bonitatem, eximium etiam illum caritatis gradum à oobis postulat, quo & inimicos etiam nobis graviter incommodantes toto mentis affectu complectamur, & beneficiis etiam afficiamus; quemadmodum solent parentes parvulos vel

phreneticos filios, à quibus multa patiuntur, nihilominùs diligere, atque omnia tentare ut ipsorum saluti consulant. Quamobrem Christus ait: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos.*

Matth. 5. 44.

Longanimitas.

Postremò, Christus præter hæc omnia summum caritatis gradum à nobis exigit, qui io longanimitate positus est, quâ malos noo solùm toleramus, majoráque ab eis tolerare parati sumus, potiùs quàm violemos caritatem; sed etiam eorum emendationem invicto quodam animi robore exspectamus, atque adeò salutem optamus. Quod Christus significavit his verbis: *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cælis est.* Hæc quinti Præcepti vis, secundùm explicationem Christi Domini, ab exteriori cortice Legis, & crassâ Pharisæorum interpretatione immensùm distantem.

Matth. 5. 44.

ARTICULUS II.

Quæ Cædes hoc Præcepto prohibetur?

PROPOSITIO I.

Cædes facinorosorum hominum, quæ fit Magistratuum Sententiâ, hoc Præcepto non prohibetur.

De homicidio.

HIs enim data est necis potestas, quâ ex Legum præscripto judicióque in facinorosos homines animadvertunt, & innocentes defendunt. *Non enim sine causa gladium portat* Magistratus; *Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malè agit;* (inquit Apostolus Cap. XIII. Epist ad Romanos.) Dum igitur munere suo justè funguntur, non modò rei non sunt homicidii; sed huic divinæ legi, quâ homicidium vetatur, maximè obediont, cujus finis est ut hominum vitæ salutique coosulatur. Id aotem præstant Magistratus, cùm sceleratorum hominom audaciam, improbitatem, & injurias suppliciis reprimunt. *Nec* enim (inquit *S. Augustinus* Epistola CLIII. aliàs LIV. ad Macedonium) *frustra instituta sunt potestas Regis, jus gladii Cognitoris, ungula carnificis, arma Militis, disciplina dominantis, severitas etiam boni patris. Habent ista omnia modos suos, caussas, rationes, utilitates. Hæc cùm timentur, & coercentur mali, & quietiùs inter malos vivunt boni: non quia boni pronuntiandi sunt qui talia metuendo non peccant: non enim bonus est quispiam timore pœna, sed amore justitia: verumtamen non inutiliter etiam metu legum humanarum coërcetur audacia, ut & tuta sit inter improbos innocentia: & in ipsis improbis dum formidato supplicio frenatur facultas, invocato Deo sanetur voluntas.* Unde David Psalmo centesimo ait: *In matutino interficiebam omnes peccatores terra; ut disperderem de Civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Hinc Moyses, quo nemo clementior fuit, idololatras occidi jussit, cæsáqoe sunt à Levitis ejus mandato quasi viginti tria millia hominum. (Exod. XXXII. 27. 28.) Et Principes Populi, qui cum Madianitis mulieribus fornicati erant, sospendi jussit in patibulis, ut averteretur furor Domini: & Judicibus Israël præcepit, ut unusquisque proximos suos, qui initiati erant *Beelphegor*, occideret. Sed & *Phinees* Sacerdos virum Israëlitam cum scorto Madianitide commixtum interfecit, zelóque soo perpetuum Sacerdotium promeritus est (*Numerorum* Cap. XXV.)

De homicidio

Sed malefactores tantùm, qui Reipublicæ pacem conturbant, bonóque publico nocent, & quos Leges è medio tolli decernunt, non insontes, Magistratibus occidere licet. *Insontem & justum non occides*, (ait Dominus *Exedi* xxiii.) *quia aversor impium.* Unde nec Respublica Tyranno, aut publico hosti caput innocentis postulanti tradere jure potest, quamvis de Reipublicæ ipsius salute agatur. Nec malefactorem quemlibet occidere licet, sed eum duntaxat qui juris ordine servato capitalis sceleris reus convincitur. Alioqui si Judex non servato juris ordine Sententiam proferat, contra præceptum Dei, (*Deuteronomii* cap xvi. 20.) *Justè quod justum est persequeris*: aut si Legibus ad privatom odiom commodúmve abutatur; seu ex cupiditate alióve quocunque pravo affectu aut eum acceptione personarum judicet; aut pœnam infligat graviorem quàm Lex præscribat, is homicidii reus est, etiamsi reus morte dignus sit. *Judex* itaque *si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus convincitur, debet diligentius examinare testes, ut inveniat occasionem liberandi innoxium, sicut Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet eum superiori relinquere judicandum. Si autem nec hoc potest, non peccat, secundùm allegata Sententiam ferens, quia ipse non occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocentem. Minister autem Judicis condemnantis innocentem, si Sententia intolerabilem errorem contineat, non debet obedire: aliàs excusarentur carnifices, qui Martyres occiderant. Si verò non contineat manifestam injustitiam, non peccat præceptum exequendo: quia ipse non habet discutere Superioris Sententiam: nec ipse occidit innocentem, sed Judex cui ministerium exhibet.* Ita docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ Quæstione LXIV. Articolo sexto, in Responsione ad tertiam Objectionem. In caussis igitur capitalibus Magistratui summa cautione & accuratissima consideratione agendum est, non solis præsumptionibus aut indiciis, quamvis in speciem gravissimis, quæ quandoque fallunt; sed plenis probationibus duntaxat, sive legitimis testimoniis, aut propria confessione victus reus morte damnandus est. Sententiam denique ferre debet studio ac zelo justitiæ & odio criminum, servato in homines amore, secundùm præclarum illod *S. Augustini* dictum Epist. CLIII. alias LIV. ad *Macedonium*, cap. 1. *Facile est atque proclive malos odisse, quia mali sunt: rarum autem & pium eosdem ipsos diligere quia homines sunt; ut in uno simul & culpam improbes, & naturam approbes, ac propterea culpam oderis, quòd eà fœdatur natura quam diligis. Non est igitur iniquitatis, sed potiùs humanitatis societate devinctus, qui propterea est criminis persecutor, ut sit hominis liberator...... Quanquam etiam cùm homo ab homine occiditur multùm distat utrum fiat nocendi cupiditate, vel injustè aliquid auferendi, sicut fit ab inimico, sicut à latrone, an ulciscendi vel obediendi ordine, sicut à Judice, sicut à carnifice; an evadendi vel subveniendi necessitate, sicut interimitur latro à viatore, hostis à Milite. Et aliquando qui caussa mortis fuit, potiùs in culpa est, quàm ille qui occidit, velut si quispiam decipiat fidejussorem suum, atque ille pro isto supplicium legitimum luat.*

Cautio Magistratuum in caussis capitalibus.

Cap. 6.

In mitiorem denique partem semper inclinare debent Judices in caussis ubi de fundendo sanguine disceptatur, & quatenùs Leges permittunt, severitatem misericordiâ temperare, ut *S. Augustinus* ibidem docet cap. III.

Quo spiritu ducuntur Casuistæ illi corrupti, qui ex potestate Regibus & Rebuspublicis à Deo collata gladium in malefactores distringendi, cuique privato par jus esse colligunt occidendi aggressorem non solùm vitæ, verùm etiam honoris, ac rerum, & hanc propositionem in vulgus edere ac palam docere ausi sunt: *Ubi est scripta expressa permissio à Deo ut Reges & Respublica possint interficere reos? An est in Scriptura? An in Traditione? Est ne fidei articulus? Si solo luminis naturali eo ducimur, patere ex eodem lumine naturali judicemus, quid cuique privato liceat in occidendo aggressore non solius vitæ, verùm etiam honoris & rei.*

De homicidio

Recentiorum quorumdam Casuistarum hæretica propositio.

Doctrina hac Propositione contenta & illata, Cleri Gallicani in Comitiis generalibus anni 1700. congregati judicio damnata est ut *scandalosa, erronea, & hæretica, Regibus & Rebuspublicis injuriosa, vanis ratiocinus & regulis vitam hominum & morum decreta subjiciens.*

PROPOSITIO II.

Cædes quæ nominatim jussu Dei fiunt, à crimine sunt immunes.

Deus enim vitæ ac necis omnium hominum Domioos est. Quamobrem *Abraham* filium suum Dei jussu mactare paratus, non solùm à scelere immunis fuit, sed obedientiæ merito insignis. Sic Levi filii, qui unâ die tot millia hominum occiderunt, à peccato immunes fuerunt: immo potiùs maximam laudem sunt adepti. Ea enim cæde facta dixit illis Moyes, (Exodi xxxii.) 29. *Consecrastis manus vestras hodie Domino; unusquisque in filio & in fratre suo, ut detur vobis benedictio.*

Id confirmat *S. Augustinus*, Lib. I. *De Civitate Dei*, cap. xxi. *Quasdam verò exceptiones*, (inquit) *eadem ipsa divina fecit Auctoritas, ut non liceat hominem occidi. Sed his exceptis, quos Deus occidi jubet, sive data lege, sive ad personam pro tempore expressa jussione: (non autem ipse occidit, qui ministerium debet jubenti, sicut adminiculum gladius utenti. Et ideo nequaquam contra hoc Præceptum fecerunt, quo dictum est,* Non occides, *qui Deo autore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ Potestatis secundùm ejus leges, hoc est, justissimæ rationis imperium, sceleratos morte punierunt. Et Abraham non solùm non est culpatus crudelitatis crimine, verùm etiam laudatus est, nomine pietatis, quòd voluit filium, nequaquam sceleratè, sed obedienter occidere. Et meritò quæritur utrum pro jussu Dei sit habendum, quòd Jephte filiam, quæ patri occurrit, occidit, cum se immolaturum Deo id vovisset, quod ei redeunti de prælio victori primitus occurrisset. Nec Samson aliter excusatur, quòd se ipsum cum hostibus ruinâ domûs oppressit, nisi quia Spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat) His igitur exceptis quos vel Lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem vel se ipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine tenebitur.*

PROPOSITIO III.

Hostium cædes quæ in bello justo fiunt, non cupiditate, aut crudelitate, sed solo publicæ utilitatis studio, quinto Decalogi Præcepto non prohibentur.

Bellum enim per se & naturâ suâ malum non esse ex eo constat, quòd *Abraham* bellum gesserit, & revertenti à cæde quatuor Regum gratulabundus occurrerit *Melchisedech*, panémque & vinum obtulerit, ac benedixerit ei. (*Ge-*

Bellum.

nes, XIV.) Quòd Deus passim in Veteri Testamento, bellum geri jusserit adversùs Madianitas, Amalecithas, aliasque Gentes; auxilium justè bellantibus promiserit ac dederit; Deum Exercituum se dixerit. quòd Sancti Judices, Reges ac Duces bella gesserint contra hostes Populi Israëlitici. Quòd *S. Joannes Baptista* Militibus rogantibus quid ipsis facto opus esset ad salutem

Luc. 3. 14.

æternam consequendam, responderit: *Neminem concusiatis, neque calumniam faciatis; & contenti estote stipendiis vestris*: Non jusserit ut ab hostium cæde abstinerent. Quòd S. Paulus ad Hebræos XI. laudet *Gedeonem, Barac, Samsonem, Jephte, Samuëlem, Davidem*, & alios, qui *per fidem vicerunt Regna, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum*. Et certè cùm Princeps Rempublicam tueri, publicásque injurias ulcisci possit ac debeat pro injuriis etiam ac damnis sibi illatis satisfactionem exigere, quam nonnisi armorum vi sæpe obtinere potest: & *Dei Minister* sit *vindex in iram ei qui malè agit*, bellum esse licitum compertum est. Quamobrem *Cædes in bellis factas Patres pro cædibus non reputant verè*; (inquit *S. Basilius*, Epist. ad *Amphilochium* Canone XIII.)

Id confirmat *S. Augustinus*, Epistolâ CXXXVIII. aliàs V. ad *Marcellinum*, cap. II. ubi Præceptum illud patientiæ, *Si quis te percusserit in maxillam dexteram, præbe illi & sinistram, & similia, semper in cordis præparatione retinendo* esse do-

Matth. 5.

cet: *Agenda autem esse multa, etiam cum invitis benigna quadam asperitate plectendis, quorum potius utilitati consulendum est quàm voluntati*: Subdit: *Si terrena ista Respublica Præcepta Christiana custodiat, & ipsa bella sine benevolentia non gerentur, ut ad pietatis justitiæque pacatam societatem victis facilius consulatur. Nam qui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur: quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium, quâ pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur.* Et paulò post: *Si Christiana Disciplina omnia bella culparet, hoc potiùs Militibus consilium salutis petentibus in Evangelio diceretur, Ut abjicerent arma, séque omnino Militia subtraherent. Dictum est autem eis*:

Luc. 3.

» Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. *Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit.* Idem confirmat Epistola CLXXXIX. alias CCV. ad *Bonifacium*.

Conditiones ad justum bellum necessariæ.

Tres autem conditiones concurrant necesse est ad justitiam belli, scilicet auctoritas legitima, quæ in supremo duntaxat Principe, aut Republica perfecta reperitur: causa justa: intentio recta. Primò quidem requiritur auctoritas Princi-

Prima auctoritas legitima.

pis, cujus mandato bellum gerendum est. *Non enim pertinet ad personam privatam bellum movere: quia potest jus suum in Judicio Superioris prosequi. Similiter etiam, quia convocare multitudinem, quod in bellis oportet fieri, non pertinet ad privatam personam. Cùm autem cura Reipublicæ commissa sit Principibus, ad eos pertinet Rempublicam Civitatis, vel Regni, seu Provinciæ sibi subditæ tueri. Et sicut licitè defendunt eam materiali gladio contra interiores quidem perturbatores, dum malefactores puniunt, secundùm illud Apostoli ad Romanos* XIII. Non sine causa gladium portat: Minister » enim Dei est, vindex in iram ei qui malè agit: *ita etiam gladio bellico ad eos pertinet Rempublicam tueri ab exterioribus hostibus*; (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XL. Articulo I.) Hinc Principibus dicitur Psalm. LXXXI. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Et *S. Augustinus* Libro XXII. *Contra Faustum*, cap. LXXV. *Interest* (inquit) *quibus causis, quibusque auctoribus homines gerenda bella suscipiant: Ordo tamen ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes Principem sit: exsequendi autem jussa bellica ministerium Milites debeant paci salutique communi.*

Secundò, requiritur ad bellum movendum *Causa justa*, ut scilicet illi qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur. Unde *S. Augustinus*, Quæstione X. in

Secunda justa.

Josuë: *Justa bella* (inquit) *definiri solent, quæ ulciscuntur injurias, si qua Gens vel Civitas quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per injurias ablatum est.* Justi igitur belli caussæ sunt, recuperatio terrarum, bonorum, aut jurium, quæ Principi, aut Reipublicæ debentur. 2. Ultio gravis ignominiæ Legatis illatæ. 3. Si Princeps alter hostibus ipsius auxilium præbeat. 4. Si impios, seditiosos, vel perduelles, contra bonum publicum tueatur. 5. Violatio pacti ac fœderis. 6. Negatio justi tributi. 7. Subditorum seditio vel rebellio. 8. Defensio fœderatorum, qui injustè opprimuntur, vel causam justam tuentur. 9. Innoxii transitus negatio; de qua *S. Augustinus*, Quæstione XLIV. in Numeros: *Notandum* (inquit) *quemadmodum justa bella gerebantur. Innoxius enim transitus negabatur, qui jure humanæ societatis æquissimo patere debebat.* Non est autem causa legitima inferendi belli amplificatio imperii, aut gloriæ cupiditas. Unde *S. Augustinus* Libro IV. *De Civitate Dei*, cap. VI. ait: *Inferre bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac Populos sibi non molestos sola Regni cupiditate conterere & subdere, quid aliud quàm grande latrocinium nominandum est?* Gravis autem sit injuria necesse est, quæ bello vindicatur; aut certè talis, quæ nisi comprimatur, sensim augenda sit, & in gravem omnino evasura. Cavendum insuper ne graviora mala in Christianam Rempubliam ex bello redundent: tunc enim suspendendum esset. Ad arma tandem veniendum non est, si Princeps qui damnum vel injuriam intulit, congruam satisfactionem offerat. Causam autem belli justam existimare nequaquam satis est; sed Princeps cum Consilio suo diligenter examinare tenetur an justa sit: si dubia sit caussæ æquitas, bellum inferre non licet: quia in dubiis tutior pars eligenda est, in dubiis præsertim tanti momenti, ubi multorum millium hominum vita in discrimen adducitur. Si de caussa possessionis agitur, jusque petitoris sit dubium, possessor cedere non tenetur, nec illi bellum inferri justè potest ut possessione suâ deturbetur; quia in dubiis melior est conditio possidentis, qui in causa dubia nunquam spoliaretur à Judice. In hac autem hypothesi eligere debent Arbitros qui jus utriusque examinent: qui in Arbitros non suspectos compromittere noluerit, bello peti potest, cùm alteri Principi faciat injuriam. Milites verò justitiam belli examinare non tenentur, nec id ad ipsos pertinet, sed parere debent Principi, & Ducibus ab eo constitutis, etiam si dubia illis sit belli justitia; ut S. Augustinus docet Lib. XXII. *Contra Faustum*, cap. LXXV. *Cùm vir justus* (inquit) *si fortè sub Rege homine etiam sacrilego militet, rectè possit illo jubente bellare civicæ pacis ordinem servans; cui quod jubetur, vel non esse contra Dei Præceptum certum est, vel utrùm sit certum non est, ita ut fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem Militem ostendat ordo serviendi.*

DE DECALOGO.

Id autem intellige de Militibus subditis Principi qui bellum indicit. Qui enim subditi non sont, nomen dare Militiæ non possunt, quandio de justitia belli dubitaot, cùm nulla ipsis incombat serviendi necessitas. Qui verò parati sunt ad pugnam, & ad cædem hostium, sive bellum justum sit, sive injustum, hâc animi præparatione tot homicidiorum & peccatorum mortalium sunt rei, quot hostes petimunt.

Tertia recta intentio.

Tertiò, ad belli justitiam sèquiritur ut intentio bellum gerentium recta sit: Bellom eoim gerere non alia intentione debent, quàm ot bonum promoveator, aut malum vitetur. Unde *S. Augustinus*, Epistola CLXXXIX. aliàs CCV. ad *Bonifacium*, ait: *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas, ut liberet Deus à necessitate, & conservet in pace. Non enim pax quæritur ut bellum excitetur, sed bellum geritur ut pax adquiratur. Esto ergo etiam bellando pacificus, ut eos quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas...... Itaque hostem pugnantem necessitas perimat, non voluntas. Sicut rebellanti & resistenti violentia redditur, ita victo vel capto misericordia jam debetur, maximè in quo pacis perturbatio non timetur.*

Et Libro XXII. *Contra Faustum*, cap. LXXIV. *Quid (inquit) culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque morituri, ut dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum. Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt quæ in bellis jure culpantur; quæ plerumque ut etiam jure puniantur, adversùs violentiam resistentium, sive Deo, sive aliquo legitimo imperio jubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis, cum in eo rerum humanarum ordine inveniuntur, ubi eos vel jubere tale aliquid, vel in talibus obedire justè ordo ipse constringit. Alioquin Joannes, cùm ad eum baptizandi Milites venirent, dicentes,*

Luc. 3.

Et nos quid faciemus? Responderet eis, Arma abjicite, Militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite. Sed quia sciebat eos, cùm hæc militando facerent, non esse homicidas, sed Ministros legis, & non ultores injuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores; respondit eis, Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Sed quia Manichæi Joannem apertè blasphemare consueverunt, ipsum Dominum Jesum Christum audiant hoc stipendium jubentem reddi Cæsari, quod Joannes dicit debere

Matth. 22. 21

sufficere Militi. Reddite (inquit) Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt. Et ad hoc enim tributa præstantur, ut propter bella necessario Militi stipendium præbeatur. Meritò & illius Centurionis dicentis, Et ego homo sum sub potestate constitutus,

Matth. 8. 9.

habens sub me Milites, & dico huic, Vade, & vadit; & alii, Veni, & venit, & servo meo,

Luc. 7. 8.

Fac hoc, & facit; fidem laudavit, non illius Militiæ desertionem imperavit.

Quamvis porrò insontes in bello occidi per se & destinata voluntate non possint absque homicidii crimine, secundùm illud Exodi XXIII. *Insontem & justum non occides*; rei tamen homicidii non sunt Duces & Milites, qui præter intentionem innocentes occidunt, cùm scilicet ad obtinendam victoriam necesse est tormentis vel subjecto pulvere, vel tormentis dejici, aut urbem eo loco concuti, ubi pueri, mulieres, senes, Clerici, aut Monachi fortè inveniuntur.

Denique fides hostibus data servanda est, quam si fallat Princeps bellum gerens, tot reus est homicidiorum, quot homines illo in bello pereunt.

DE DECALOGO.

Fides enim quando promittitur, etiam hosti servanda est contra quem bellum geritur; (inquit *Sanctus Augustinus* Epistola CLXXXIX. aliàs CCV.)

PROPOSITIO IV.

Homicidii rei non sunt, qui non spontè neque meditatè, sed fortuitò hominem occidunt.

De homicidio

OMne enim peccatum est voluntarium: hæc autem homicidia voluntaria non sunt: quamobrem non sunt peccata. De hoc homicidii genere *Deuteronomii* XIX. scriptum est: *Qui percusserit proximum suum nesciens, & qui heri & nudiustertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur: sed abiisse cum eo simpliciter in silvam ad ligna cædenda, & in succisione lignorum securis fugerit manu, ferrúmque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit, & occiderit: ad unam supradictarum urbium* (Refugii) *confugiet & vivet: ne forsitan proximus ejus cujus effusus est sanguis, dolore stimulatus, persequatur & apprehendat eum si longior via fuerit, & percutiat animam ejus qui non est reus mortis: quia nullum contra eum, qui occisus est, odium priùs habuisse monstratur.*

Id confirmat *S. Augustinus*, Epistola XLVII. aliàs CLIV. ad *Publicolam* datâ. *Nec reus est* (inquit) *mortis alienæ, qui suæ possessioni murum circumduxerit, si aliquis ex ipsius ruinis percussus intereat. Neque enim reus est Christianus, si bos ejus aliquem feriendo, vel equus calcem jaciendo aliquem occidat; aut ideo non debent Christiani boves habere cornua, aut equus ungulas, aut dentes canis? Aut verò quoniam Apostolus Paulus satis egit ut in Tribuni notitiam perferretur, insidias sibi à quibusdam perditis præparari, & ob hoc deductores accepit armatos, si in illa bella scelerati homines incidissent, Paulus in effusione sanguinis eorum suum crimen agnosceret? Absit ut ea, quæ propter bonum ac licitum facimus aut habemus, si quid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur. Alioquin nec ferramenta domestica & agrestia sunt habenda, ne quis eis vel se vel alterum interimat: nec arbor aut restis, ne quis se inde suspendat: nec fenestra facienda est, ne per hanc se quisque præcipitet.* Si tamen cædis autor debitam diligentiam non adhibuerit ad vitandum homicidium, aut operam dederit rei illicitæ cùm illud perpetravit homicidii reus est; quia non omnino præter ejus voluntatem censetur contigisse malum, quod cavere poterat.

Ita docet Concilii Tridentini Catechismus, post *S. Thomam*, Secunda Secundæ, Quæstione LXIV. Articulo VIII. cujus hæc sunt verba: *Qui non removet ea ex quibus sequitur homicidium, si debeat removere, erit quodammodo homicidium voluntarium. Hoc autem contingit dupliciter: uno modo, quando dans operam rebus illicitis, quas vitare debebat, homicidium incurrit. Alio modo quando non adhibet debitam sollicitudinem. Et ideo, secundum Jura, si aliquis det operam rei licitæ, debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidii reatum. Si verò det operam rei illicitæ; vel etiam det operam rei licitæ non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum, si ex ejus opera mors hominis sequatur.*

Et in Responsione ad secundam objectionem: *Ille* (inquit) *qui percutit mulierem prægnantem, dat operam rei illicitæ; & ideo si sequatur mors vel mulieris, vel pueri animati, non effugiet homicidii crimen, præcipuè cùm ex tali percussione in promptu sit quòd mors sequatur.*

Hæc *S. Thomæ*, & Catechiſmi Concilii doctrina nititur Canone *Hi qui arbores*, ex Concilio Wormatienſi, Canone *Sæpe contingit*, ex Concilio Triburienſi, & Canone *Si duo fratres*, in Collectione *Gratiani*, Diſtinctione quinquageſima, item ex Cap. *Dilectus*, & Cap. *Ex litteris*, quæ ſunt *Innocentii III.* Reſponſa, & Cap. *Joannes*, quod eſt *Honorii III.* Extra, *De Homicidio*. Hæc enim probant, eos qui dantes operam rei licitæ, & debitâ diligentiâ adhibitâ, hominem fortuitò occidunt, ab homicidii crimine immunes eſſe. Nititur etiam Cap. *Preſbyterum*, & Cap. *Suſcepimus*, quæ ſunt *Alexandri III.* Reſponſa, Cap. *Ad audientiam*, quod eſt *Clementis III.* & Cap. *Quantùm dicis*, & Cap. *Sicut ex litterarum*, quod eſt *Innocentii III.* ſub eodem Decretalium Titulo. Ex his enim colligitur, homicidii eſſe reum, qui in re injuſta & illicita, vel abſolutè, vel relativè ad ſtatum ſuum, occupatus, hominem occiderit; verbi gratiâ, Clericus venationi vacans cum armis, aut aliquid aliud agens Eccleſiæ Decretis aut Canonibus prohibitum: aut ſi non omnibus circumſpectis negligenter & incautè aliquem interfecerit.

De homicidio

PROPOSITIO V.

Non eſt reus homicidii, qui ſalutis ſuæ, ſeu vitæ defendendæ cauſâ, omni adhibitâ cautione, alterum interemerit.

RAtio hujus Propoſitionis eſt, quòd *Vim vi repellere omnes Leges & omnia Jura permittant*: modò tamen id fiat *cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad ſumendam vindictam, ſed ad injuriam propulſandam*; ut loquitur *Innocentius III.* Cap. *Significaſti*, Extra *De Homicidio*. In eo autem poſitum eſt moderamen inculpatæ tutelæ, ut non plus faciat aliquis in ſui defenſionem, quàm ſit opus ad malum evadendum, quod illi intentatur. Unde qui fugiendo, vel debilitando duntaxat invaſorem, ſeu ita vulnerando ut mors ejus ex vulnere non ſequatur, evadere poteſt necem ab illo intentatam, & nihilominus ipſum occidit; vel qui armis ſe ſe defendit, adversùs inermem aggreſſorem, eúmque interficit, moderamen excedit inculpatæ tutelæ. *Et ideo* (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæſtione LXIV. Articulo VII.) *Si aliquis ad defendendam propriam vitam utatur majori violentia quàm oporteat, erit illicitum: ſi verò moderatè violentiam repellat, erit licita defenſio. Nam ſecundùm Jura, Vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec eſt neceſſarium ad ſalutem, ut homo actum moderatæ tutelæ prætermittat ad evitandam occiſionem alterius: quia plus tenetur homo vitæ ſuæ providere, quàm vitæ alienæ.*

In quo poſitum ſit moderamen inculpatæ tutelæ?

Denique ſi quis aliud intendat quàm ſui defenſionem, ut ſi ſtatuat aggreſſorem occidere, quia videt illum ſibi mortem moliri ac intentare; vel illum jam recedentem inſequatur, vulneréque aut occidat; vel à ſe vulneratum, nec jam urgentem interimat, juſtæ defenſionis metas prætergreditur, homicidiique, ſeu mutilationis, aut lethalis violentiæ reus eſt. Ita docet *Sanctus Auguſtinus*, Epiſtola XLVII. alias CLIV. ad *Publicolam* datâ: *De occidendis* (inquit) *hominibus ne ab eis quiſque occidatur, non mihi placet conſilium, niſi fortè ſit Miles, aut publica functione teneatur, ut non pro ſe hoc faciat, ſed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam ipſe eſt, acceptâ legitimâ poteſtate, ſi ejus congruit perſonæ.* Refertur Canone *De occidendis*, Cauſa XXIII. Quæſtione V.

Reus eſt homicidii, qui occidere intendit hominem ne ab eo occidatur.

Idem confirmat *S. Thomas*, loco ſuperiùs indicato: *Sed quia* (inquit) *occidere hominem non licet, niſi publica auctoritate, propter bonum commune: illicitum eſt quòd homo intendat occidere hominem ut ſeipſum defendat; niſi ei qui habet publicam auctoritatem, qui intendens hominem occidere ad ſui defenſionem, refert hoc ad publicum bonum: ut patet in Milite pugnante contra hoſtes, & in miniſtro Judicis pugnante contra latrones, quamvis etiam & iſti peccent, ſi privata libidine moveantur.*

Propoſitioni porrò noſtræ non adverſatur Apoſtoli Sententia ad *Romanos* Cap. XII. ſcribentis: *Non vos defendentes cariſſimi*: ibi enim ſolùm *prohibetur defenſio, quæ eſt cum livore vindictæ*; (inquit S. Thomas.) Atque ita intelligendus eſt *S. Ambroſius* Libro III. *De Officiis Miniſtrorum*, cap. IV. *Non videtur* (inquit) *quòd vir Chriſtianus & juſtus & ſapiens quærere ſibi vitam aliena morte debeat: utpote qui etiam ſi in latronem armatum incidat, ferientem referire non poſſit: ne dum ſalutem defendit, pietatem contaminet. De quo in Evangelii Libris aperta & evidens Sententia eſt, Recondo gladium tuum; omnis enim qui gladio percuſſerit, gladio ferietur.* Perfectionis verò & Evangelici Conſilii eſt, non Præcepti, mortem potiùs pati, exemplo Chriſti & Martyrum, quàm occidere invaſorem. Unde *S. Ambroſius* ibidem ſubdit: *Quis latro deteſtabilior, quàm perſecutor qui venerat ut Chriſtum occideret? Sed noluit ſe Chriſtus perſecutorum defendi vulnere, qui voluit ſuo vulnere omnes ſanare.* Et Libro X. in Evangelium ſecundùm Lucam, explicans Verſum illum Capitis XXII. *Qui nunc habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat ſibi gladium*, ait: *O Domine, cur emere me jubes gladium, qui ferire me prohibes? cur habere præcipis, quem vetas promi? Niſi fortè ut ſit parata defenſio, non ultio neceſſaria; & videar potuiſſe vindicari, ſed noluiſſe. Lex tamen referire non vetat, & ideo fortaſſe Petro duos gladios offerenti*: Satis eſt, *dicit, quaſi licuerit uſque ad Evangelium; ut ſit in Lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio. Multis hoc iniquum videtur, ſed non iniquus Dominus, qui cùm ſe poſſet ulciſci, maluit immolari.*

Moderatæ defenſionis juſtitia.

Matth. 26.

Eodem ſenſu *S. Cyprianus* Epiſtola LVI. ad Thibaritanos, de Chriſtianis loquens, ait: *Quibus occidere non licet, ſed occidi neceſſe eſt.* Et Epiſtola LVII. ad *Cornelium* ait: *Milites Chriſti vigilare, ſobrios & armatos ad prælium ſtare; vinci non poſſe, mori poſſe: & hoc ipſo invictos eſſe, quia mori non timent; nec repugnare contra impugnantes, cùm occidere innocentibus nec nocentem liceat; ſed promptè & animas & ſanguinem tradere; ut cùm tanta in ſeculo malitia & ſævitia graſſetur, à malis & ſævis velociùs recedatur.*

PROPOSITIO VI.

PROPOSITIO VI.

Homicidii reus non est, qui servato moderamine inculpatæ tutelæ interficit aggressorem illum mutilare volentem: aut magni momenti bona temporalia quæ aliter defendi vel recuperari non possunt; & ex quibus vitæ statûsve conservatio & sustentatio pendet, illatâ vi rapientem.

De Homicidio.

PRima pars Propositionis inde patet, quòd jus habeamus non solùm vitam, sed & membrorum integritatem atque incolumitatem tuendi, & vim vi repellere lex ipsa naturalis permittat. Unde *Alexander III.* Cap. *Si verò alienjnt*, Extra, *De Sententia Excommunicationis*, ait: *Si verò Clericum vim sibi inferentem vi quis repellat, vel lædat; non debet propter hoc ad Sedem Apostolicam transmitti, si incontinenti vim vi repellat: cùm vim vi repellere, omnes Leges omniáque Jura permittant.*

Furem nocturnum occidens, non est reus sanguinis.

Pars altera Propositionis nititur Lege Divina, Exodi XXII. 2. *Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percussor non erit reus sanguinis.* Quæ quidem Lex etsi judicialis sit, supponit tamen furem nocturnum aliter repelli non posse, nec rem ab eo ablatam posse aliter servari, quia fur dignosci in tenebris non potest: & alioqui non ad furandum solùm, sed etiam ad occidendum venire præsumitur. De fure verò diurno Lex subdit: *Quòd si orto Sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur*: quia videlicet fur diurnus in urbe, aut locis populosis ac frequentatis furta committens, absque cæde plerumque repelli potest, seu vicinis in auxilium vocatis, seu ipsum insequendo, aut alia ratione. Id *S. Augustinus* confirmat Quæstione LXXXIV. in Exodum. *Intelligitur ergo*, inquit, *tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur: si autem diurnus, pertinere. Hoc est enim quod ait*, Si orietur Sol super eum. *Poterat quippe discerni quòd ad furandum, non ad occidendum venisset, & ideo non deberet occidi. Hoc & in Legibus antiquis sæcularibus, quibus tamen ista est antiquior, invenitur, Impunè occidi nocturnum furem quoquo modo; diurnum autem, si se telo defenderit: jam enim plus est quàm fur.* Sed tamen servanda est moderatio inculpatæ tutelæ, ut mors furis aut raptoris non intendatur, quod fieret ultionis libidine, sed rerum, quæ magni sunt momenti necessaria justaque defensio, & furis compulsio in fugam, vel certè debilitatio aut mutilatio, non ex odio, & cupiditatis æstu, aut desiderio vindictæ, sed ut reddatur impotens ad rapinam & furtum. Unde *S. Hieronymus* in Cap. 1. *Sophoniæ* Prophetæ ait: *Si quis fortitudinem latronis & piratæ & furis diripiat, infirmósque eos reddat, prodest illis sua infirmitas. Debilitata enim membra, quibus priùs non benè utebantur, à malo opere cessabunt.*

Furem diurnum occidens reus est homicidii.

Quomodo servetur moderatio inculpatæ tutelæ?

Idem confirmat Cap. *Interfecisti*, Extra, *De Homicidio*, quod ex Pœnitentiali Romano sumptum est. Nullam enim Pœnitentiam ex necessitate subeundam imponit illi, qui *Sine odii meditatione, se suáque liberando*, furem qui comprehendi non poterat, interfecit, quod argumento est illum ab homicidii crimine esse immunem.

Qui furem occidere intendit, ut bona sua servet aut recuperet, vel ut seipsum à morte liberet, homicidii reus est.

Si quis verò furem occidere intendat, ut bona sua servet aut recuperet, imò ut se ipsum à morte liberet, homicidii reus est, ut respondet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXIV. Articulo VII. ad primum, *S. Augustini* testimonio fretus Libro 1. *De Libero Arbitrio*, Cap. 1. seu potiùs *Evodii* disputantis, an Lex Civilis justa sit, quæ latronem viatori vim inferentem, vel stupratorem violenter irruentem occidere permittit: *Potest*, inquit, *illi legi, quæ tuendorum civium causâ vim hostilem eadem vi repelli jubet, sine libidine obtemperari: & de omnibus Ministris, qui jure atque ordine Pastoribus quibusque subjecti sunt, id dici potest. Sed illi homines lege inculpatâ quomodo inculpati queant esse, non video: non enim lex eos cogit occidere, sed relinquit in potestate. Liberum eis itaque est neminem necare pro iis rebus, quas inviti possunt amittere, & ob hoc amare non debent. De vita enim fortasse cuipiam sit dubium, utrum anima nullo pacto auferatur, dum hoc corpus interimitur: sed si auferri potest, contemnenda est; si non potest, nihil metuendum. De pudicitia verò quis dubitaverit, quin ea sit in ipso animo constituta, quandoquidem virtus est? Unde à violento stupratore eripi nec ipsa potest. Quidquid igitur erepturus erat ille qui occiditur, id totum in potestate nostra non est: quare quemadmodum nostrum appellandum sit, non intelligo. Quapropter Legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici: sed quo pacto istos defendam qui interficiunt, non invenio.* Tum Augustinus: *Multò minùs ergo invenire possum cur hominibus defensionem quæras, quos reos nulla Lex tenet.* Reponit Evodius: *Nulla fortasse, sed earum legum quæ apparent, & ab hominibus leguntur: nam nescio utrum non aliqua vehementiore ac secretissima lege teneantur, si nihil rerum est quod non administret divina providentia. Quomodo enim apud eam sunt isti peccato liberi, qui pro iis rebus quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt? Videtur ergo mihi & legem istam, quæ populo regendo scribitur, rectè ista permittere, & divinam providentiam vindicare. Ea enim vindicanda sibi hæc lex populi assumit, quæ satis sint concilianda paci hominibus imperitis, & quanta possunt per hominem regi. Illæ verò culpæ alias pœnas aptas habent, à quibus sola mihi videtur posse liberare Sapientia.* Ad hæc S. Augustinus: *Laudo* (inquit) *& probo istam, quamvis inchoatam minúsque perfectam, tamen fidentem & sublimia quædam petentem distinctionem tuam. Videtur enim tibi lex ista, quæ regendis civitatibus fertur, multa concedere atque impunita relinquere, quæ per divinam tamen providentiam vindicantur; & rectè.* Quamvis igitur secundùm leges humanas homicidii pœnis non subjaceat, qui furem bona sua rapientem, aut sicarium in se irruentem, vel stupratorem pudicitiæ suæ vim inferre volentem occidere intendit, aut qui justæ defensionis metas excedit; coram Deo tamen homicidii reus est.

Leges civiles multa concedunt atque impunita relinquunt, quæ coram Deo peccata sunt, & ab illo puniuntur.

Eamdem Regulam confirmat *S. Antoninus*, III. P. Tit. IV. Cap. II. *Licita est*, inquit, *defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ, non solùm pro persona, sed etiam pro rebus.* Vult autem aliquis propulsare injuriam sibi illatam pro rebus quas possidet, justè aut injustè. *Si justè, potest hoc incontinenti, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, & non solùm pro rebus suis, sed etiam pro rebus sibi depositis & commodatis, & etiam pro rebus amicorum & propinquorum suorum, eos scilicet adjuvando* (Distinctione LXXXIII. Canone *Consentire*, & Causa XI. Quæstione III. Canone, *Qui consentit.*) *Si autem ex intervallo vult vim vi repellere, postquam divertit ad actus contrarios, tunc non potest.*

Defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ licita est, & pro persona, & pro rebus.

Exceptiones.

Addit *S. Antoninus*, licitum esse etiam pro rebus vim vi repellere contra omnes, contra quos licitum est pro personis: *Si tamen illæ personæ quæ vim vi repellere volunt, possunt habere bona, ut excludantur Servi & Monachi, & similes: tamen mo-*

deramen tutelæ diversificari debet attentâ variâ personarum qualitate. Nam aliter & mitiùs contra patrem, quàm contra penitus extraneum, & sic de singulis quæ consideranda venirent inspectis circumstantiis, cùm non sint hæc jure limitata.

Irregularitas incurritur vim vi repellendo pro rebus: non excommunicatio, si Clericum percutiat servato moderamine inculpatæ tutelæ.

Observat denique, quòd vim vi repellendo pro rebus, si quis occidat vel mutilet, Irregularitatem incurrit: sed si Clericum percutiat, servando moderamen inculpatæ tutelæ, Excommunicationem non incurrit: quia excommunicatio non incurritur sine dolo vel diabolica suasione, ut colligitur ex Cap. *Si quis suadente*: sed in Irregularitatem incidit quis etiam sine dolo, ut patet in Judice reum condemnante. Irregularem esse illum qui pro rebus suis conservandis alterum occidit, docet etiam *Innocentius Quartus* in Cap. *Si verò*, De Sententia Excommunicationis.

Doctrinæ quam superiùs exposui de justitia moderatæ defensionis, cujus limites illum prætergredi, qui occidere intendit hominem ne ab eo occidatur, ex *S. Augustino* probavi in Epistola ad Publicolam, & Libro 1. *De Libero Arbitrio*, Cap. 1. contrariæ sunt nefariæ illæ ac execrandæ Propositiones, quas Clerus Gallicanus anno 1700. in Comitiis generalibus damnavit:

Execrandæ meritò damnatæ Propositiones recentiorum quorumdam Casuistarum.

Quando quis decrevit te occidere, & hoc alicui manifestavit, sed nondum cœpit id exequi, potes eum prævenire (occidendo) si aliter non potes effugere: ut si maritus pugionem habeat sub cervicali ad occidendam noctu conjugem; si quis venenum tibi propinandum putaverit; si Rex unus adversùs alium classem adornarit.

Si arma quidem necdum paravit, sed habet tantùm decretum firmum & efficax te occidendi, quod tibi vel revelatione divina, vel manifestatione confidenter amicis facta innotescat, potes prævenire, quia per istud decretum, etsi purè internum, sufficienter censetur esse aggressor.

Has autem Propositiones Illustrissimus ac Religiosissimus Clerus hac Censurâ meritò confixit: *Doctrina his duabus Propositionibus contenta juri naturali, divino positivo, & Gentium contraria est, nefandis cædibus & Fanatismo viam sternens, societatis humanæ perturbativa, Regibus quoque præsentissimum periculum creat.*

ARTICULUS III.

De Homicidio spirituali sive Scandalo.

Scandalum homicidii genus est.

SCandalum homicidii genus esse certum est, cùm proximis mortem animæ inferat, eósque vitâ spirituali & æternâ privet. Unde S. Paulus 1. ad Corinthios VIII. postquam dixit non esse per se illicitum vesci cibis qui idolis sunt immolati, ait: *Videte autem ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nonne conscientia ejus cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum; ne fratrem meum scandalizem.*

Hinc *Origenes*, Homilia III. in Psalmum XXXVI. illum Versum, *Ut dejiciant pauperem & inopem, ut trucident rectos corde*, explicans ait: *Trucidantur autem hoc modo: si quis simplici mente ac desiderio veniat ad Ecclesiam ut proficiat, ut melior se fiat, iste si videat nos, qui multo jam tempore in fide stetimus, vel non rectè agentes, vel cum offendiculo loquentes, efficimur illi nos lapsus ad peccatum. Cùm autem peccaverit, trucidatus est, & sanguis animæ ejus profluit, omnis ab eo virtus vitalis abscedit. Et si audis dici in Genesi, quia Sanguinem animarum vestrarum exquiram ab omni fratre, & ab omni bestia, non putes quia de hoc sanguine magnopere præcipiat corporali, quantùm de interioris hominis sanguine, id est, de vita animæ, & sanguine spirituali. Scandalizati enim animæ sanguis effunditur, cùm ceciderit in peccatum: & propterea dixit, Quia requiritur sanguis ejus à fratre. Et quare etiam à bestia? Si fidelis est qui te scandalizavit, frater est à quo requirendus est sanguis tuus. Cùm verò contraria Potestas fera & nequam perurget hominem, & infidelis est per quem insidiatur, si potuerit fundere sanguinem animæ tuæ, & dejicere te in peccatum, bestia est per quam exquirit Dominus sanguinem tuum. Sed & Ezechiel Propheta, cùm dicit se Speculatorem positum domui Israël, qui, si annuntiaverit rompheam venientem, reus non fiat sanguinis; si non nuntiaverit, reus fit sanguinis: Et in Lege cùm dicitur, Si hæc & hæc fecerit, innocens erit à sanguine: sine dubio etiam hic animæ sanguinem designat, qui effunditur per peccatum. Propterea ergo timeamus omnes, ne fortè sanguis alicujus qui scandalizatur, requiratur à nobis.* Ezech. 3.

Quid sit scandalum.

Et *S. Gregorius Magnus*, Pastoralis Curæ P. III. Admonitione V. *Scire*, inquit, *Prælati debent, quia si perversa umquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Unde necesse est ut tantò se cautiùs à culpâ custodiant, quantò per prava quæ faciunt non soli moriuntur; sed aliorum Animarum, quas pravis exemplis destruxerunt, rei sunt.*

II. *Scandalum est dictum vel factum minùs rectum, præbens alteri occasionem ruinæ.* Quamvis enim secundùm Græci nominis significationem nihil aliud sit quàm offendiculum in via positum, ad quod impingens cadit, aut læditur, secundùm illud Psalmi CXXXIX. *Juxta iter scandalum posuerunt mihi*: translatione tamen à re corporali ad spiritualem factâ, passim à Sacris Scriptoribus usurpatur pro spirituali offendiculo. Definitur *Dictum vel factum*, quia cogitatio vel concupiscentia mali, cùm in corde lateat, non proponitur alteri ut obex disponens ad ruinam, adeóque non est scandalum. Actu quidem interno committi potest peccatum scandali, si quis ita sit animo comparatus, ut velit alicui peccandi occasionem præbere: nunquam tamen reverà scandalum alteri præbebit, nisi verbo aut exemplo alterum trahat ad peccatum.

Dicitur *Minùs rectum*, non quòd superetur ab alio in rectitudine; sed quòd habeat aliquem rectitudinis defectum, vel quia secundùm se malum est, vel quia speciem habet mali; sicut cùm aliquis recumbit in idolio, id est, in loco ubi comeduntur carnes idolis immolatæ. Quamvis enim id per se peccatum non sit, si prava intentione non fiat: quia tamen speciem quamdam habet mali, vel similitudinem venerationis idoli, potest alteri præbere occasionem ruinæ. Et ideo Apostolus 1. ad Thessalonicenses V. ait: *Ab omni specie mala abstinete vos.* Dicitur itaque *minùs rectum*, ut scandali notio complectatur tam illa quæ per se peccata sunt, quàm quæ mali speciem aliquam habent.

Dicitur *Dans occasionem*, non causam *ruinæ*:

quia

De Homicidio.

Quia nihil potest esse homini sufficiens causa peccati, quod est spiritualis ruina, nisi propria voluntas : & ideo dicta vel facta alterius hominis possunt esse solùm causa imperfecta aliquo modo inducens ad ruinam.

Hanc Scandali definitionem tradit & explicat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXIII. Articulo I. Non multùm differt, immo eadem est quoad sensum cum illa *Tertulliani* Libro *De Virginibus velandis*, Cap. III. *Scandalum*, inquit, *non bona rei, sed mala exemplum est, ædificans ad delictum.*

III. Scandalum aliud *Activum*, aliud *Passivum* est. Activi scandali notionem jam explicui. Passivum est spiritualis ruina proximi, ex alterius verbis aut factis velut ex occasione nata.

Activum aliud *Per se*, aliud *Per accidens* est. *Per se*, cùm aliquis verbo vel facto pravo intendit alterum ad peccatum pertrahere ; vel etiamsi ipse hoc non intendat, tale tamen factum est, quod per se inducat ad peccandum ; putà, cùm aliquis publicè peccatum committere non veretur, vel aliquid facere quod habet similitudinem peccati. Scandalum *per accidens* est, quando & *præter intentionem operantis*, & *præter conditionem operis*, aliquis malè affectus ad peccandum inducitur ex alterius opere, putà. cùm aliquis invidet bonis. Illud autem minùs propriè scandalum vocatur.

Passivum, aliud est *Datum*, aliud *Acceptum*. Datum est, quod ex alterius verbis vel factis verè oritur, & scandalum infirmorum vulgò vocatur, de quo Christus *Matth.* XVIII. ait : *Quicumque scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ mundo à scandalis. Necesse est enim ut veniant scandala : verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit.* Scandalum acceptum, est ruina, non ex alterius verbis aut factis, sed ex illius, qui in peccatum impingit malitiâ orta : & Pharisaïcum appellatur, de quo rogatus Christus à Discipulis, Matth. XV. *Scis quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt ?* respondit : *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus Cælestis, eradicabitur. Sinite illos : cæci sunt, & duces cæcorum.* Hanc scandali divisionem ex *S. Basilio* in Regulis brevioribus, Interrogatione LXIV. accepere Theologi.

Viri perfecti nec scandalum aliis præbent, nec patiuntur.

IV. Viri perfecti nec scandalum aliis præbent, nec scandalum patiuntur, quamdiu à justitia non excidunt. Scandalum præbent nemini, quia omnia verba sua, factáque ad regulam rectæ rationis, & divinam legem exigunt : & hanc præcipuè cautionem adhibent in his, in quibus non solùm ipsi offenderent, sed etiam aliis offensionem pararent. Et si quidem in eorum manifestis dictis vel factis aliquid moderationis hujus desit, hoc provenit ex infirmitate humana, secundùm quam à perfectione deficiunt : sed quia non ita deficiunt, ut multùm ab ordine rationis recedant, sed modicùm & leviter : ex hoc peccandi occasio ab aliis sumi jure merito non potest. Ita docet *S. Thomas*, loco mox indicato, Articulo VI. ubi & in Responsione ad tertium ait : *Peccata venialia perfectorum præcipuè consistunt in subitis motibus, qui cùm sint occulti, scandalizare non possunt. Si qua verò etiam in exterioribus dictis vel factis venialia peccata committant, tam levia sunt, ut de se scandalizandi virtutem non habeant.*

Nec etiam scandalum patiuntur viri perfecti. Scandalum enim passivum (inquit *S. Thomas*, Articulo V.) commotio quædam est animi, quâ divellitur à bono. Nullus autem commovetur, qui rei immobili firmiter inhæret. Cùm itaque viri perfecti soli Deo inhæreant, cujus immutabilis bonitas est ; pravis aliorum verbis vel factis non moventur, nec à sua rectitudine recedunt, secundùm illud Psalmi CXXIV. *Qui confidunt in Domino ; sicut Mons Sion : non commovebitur in æternum qui habitat in Jerusalem.* Et ideo, *In his qui perfectè Deo adhærent per amorem, scandalum non invenitur*, secundùm illud Psalmi CXVIII. *Pax multa diligentibus legem tuam ; & non est illis scandalum.* Unde cùm Christus Dominus Petro dixit, *Scandalum mihi es* : Scandali vocem usurpavit ; prout latiori quadam significatione quodvis impedimenti genus designat. Nitebatur scilicet Petrus propositum Salvatoris nostri impedire circa Passionem subeundam. Ceterùm viros perfectos scandalum non pati, confirmat *S. Hieronymus* in Cap. XVIII. S. Matthæi. *Qui scandalizatur* (inquit) *parvulus est. Majores enim scandala non recipiunt.* Non minùs tamen mala aliorum verba vel facta, quæ infirmis scandalum præbent, aversantur, & improbant.

ARTICULUS IV.

Regula Moralis Christiana circa quintum Præceptum.

REGULA I.

Omnis qui sine ulla legitima Potestatis auctoritate hominem occidit, homicida est.

Ipsis *S. Augustini* verbis Epistula CCIV. aliàs LXI. concepta hæc Regula est. Et Epistola XLIV. aliàs CLXIII. ad *Eleusium*, ait : *De Novo Testamento ostendi non posse, quòd justus quisquam interfecerit aliquem : sed tamen illud probari posse ipso exemplo Domini, sceleratos ab innocentibus fuisse toleratos.* Et Epistola XLVII. alias CLIV. ad Publicolam : *De occidendis* (inquit) *hominibus ne ab eis quisquam occidatur, non mihi placet consilium ; nisi fortè sit Miles, aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam ipse est, acceptâ legitima potestate, si ejus congruit personæ.* Non congruit autem personæ Clericorum vel Monachorum, de quibus Cap. *Sententiam*, Extra, *Ne Clerici vel Monachi*, &c. scriptum est : *Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet aut proferat ; sed nec sanguinis vindictam exerceat ; vel ubi exerceatur intersit.* Alioquin fit irregularis, seu incapax qui Sacrum Ministerium obeat. Et Libro I. *De Civitate Dei*, Cap. XXI. idem *S. Augustinus* ait : *His exceptis, quos aut lex justa generaliter, aut fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem occiderit, homicidii crimine innectitur.* Et Cap. XXVI. *Miles cùm obediens Potestati sub qua legitimè constitutus est, hominem occidit, nullâ sua civitatis lege reus est homicidii. Immò nisi fecerit, reus est imperii contempti : quod si sua sponte atque auctoritate fecisset, in crimen effusi humani sanguinis incidisset.*

Propositio damnata.

Meritò igitur ab *Alexandro VII.* Pontifice Maximo die vigesima-quarta Septembris anni millesimi sexcentesimi sexagesimi-quinti damnata est hæc Propositio ordine XIX. *Non peccat Maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.*

De Homicidio.

Hanc & Clerus Gallicanus anno 1700. hac Censurâ confixit : *Hac Propositio est erronea, crudelitatem privatamque vindictam approbat.*

Leges quidem Civiles maritum, qui uxorem in flagranti adulterii crimine deprehensam occidit, ut homicidam non puniunt : *Sed Ecclesia in hoc non est adstricta legibus humanis, ut judicet eum sine reatu pœna æterna, vel pœna Ecclesiastico Judicio infligenda : ex hoc quòd est sine reatu pœna infligenda per judicium sæculare. Et ideo in nullo casu licet viro interficere uxorem propria auctoritate* ; (inquit *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXXVII. Quæstione secunda, Articulo primo.)

REGULA II.

Homicidii rei sunt, qui Tyrannum quemlibet privatâ auctoritate occidunt : parricidæ sunt, si vassalli sint illius sive subditi.

Cujuslibet enim hominis, etiam publici malefactoris cædes privatis hominibus divina Lege prohibitur, tum generali Præcepto de dilectione proximi, tum singulari præcepto, *Non occides* : tum verbis illis Christi, Matth. XXVI, 52. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Subditi verò divino jure tenentur obedire Principibus ac Dominis suis, quamvis sævis, improbis, & tyrannis, ut docet S. Petrus Epistolæ I. Cap. 2. *Deum timete*, (inquit) *Regem honorificate. Servi, subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis.*

Hæresis à Concilio Constantiensi damnata.

Hanc Regulam confirmat Concilium Constantiense Sessione XV. ubi Propositionem illam, *Quilibet Tyrannus*, &c. ab Episcopo Parisiensi & Inquisitore, ac Sacræ Facultatis Theologicæ Doctoribus in Consilium Fidei vocatis prædamnatam, velut Hæreticam meritò confixit. *Præcipua solicitudine volens hæc Sacrosancta Synodus ad extirpationem errorum & hæresum in diversis Mundi partibus invalescentium providere, sicut tenetur, & ad hoc collecta est : nuper accepit, quòd nonnullæ Assertiones erroneæ in fide & bonis moribus, ac multipliciter scandalosæ, totiùsque Reipublicæ statum & ordinem subvertere molientes, dogmatizatæ sunt, inter quas hæc Assertio delata est* : QUILIBET *Tyrannus potest & debet licitè & meritoriè occidi per quemcumque vassallum suum vel subditum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias vel adulationes, non obstante quocumque præstito juramento, seu confœderatione factis cum eo, non exspectatâ Sententiâ vel Mandato Judicis cujuscumque.*

Adversùs hunc errorem satagens hæc Sancta Synodus insurgere, & ipsum funditus tollere, præhabita deliberatione maturâ, declarat, decernit & definit hujusmodi doctrinam erroneam esse in Fide & in Moribus, ipsámque tanquam hæreticam, scandalosam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria viam dantem, reprobat & condemnat. Declarat insuper, decernit, & diffinit, quòd pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes, sunt Hæretici, & tanquam tales juxta Canonicas Sanctiones puniendi.

Scelus Subditorum in Principes conjurantium.

De obligatione servandi fidem Principibus supremis ac Regibus debitam ab eorum subditis, ac juramenti ipsis præstiti vinculo, necnon de scelere subditorum in ipsos conjurantium Censuris Ecclesiasticis coërcendo & vindicando, lege Concilii Toletani quarti anno 634. celebrati Canonem septuagesimum-quintum ; Toletani quinti, anno 636. Canones quartum, quintum & septimum ; Toletani sexti, anno 638 Canones decimum-quartum, decimum-septimum, decimum-octavum ; Toletani septimi, anno 652. Canonem primum ; Toletani Decimi Canonem secundum ; Toletani duodecimi, anno 681. Canonem primum ; Toletani decimi sexti, anno 693. Canonem nonum ; Parisiensis sexti, anno 829. P. II. Cap. VIII. Concilii apud Lauriacum in Pago Andegavensi anno 843. Cap. II. & III. Concilii Engilenheimensis anno 948. Canonem primum ; Oxoniensis, anno 1222. Canonem secundum. Legantur præterea Venerabilis *Gersonii* Cancellarii Parisiensis Tractatus & Sermo *De erroribus circa Fidem & Præceptum* NON OCCIDES.

REGULA III.

Damnationem æternam incurrunt, quicumque sibi ipsis violentas manus inferunt.

Si enim rei sunt homicidii, qui proximum occidunt ; multò magis rei sunt, qui occidunt se ipsos, cùm nemo sit homini propinquior se ipso, séque ipsum diligere magis debeat quàm alterum. Hinc *Lactantius*, Libro III. Cap. XVIII. scribit : *Sicut in hanc Vitam non nostra sponte venimus, ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, ejusdem jussu recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos, donec jubeat emitti : & si vis aliqua inferatur, æqua mente id ferendum est, cùm extincta innocentis anima inulta esse non possit, habeamúsque Vindicem magnum, cui soli vindicta integra semper est.*

Et *S. Augustinus*, Libro *De Patientia*, Cap. XIII. Donatistarum impatientiam arguens, sibi manus inferentium, quando à Catholicis quærebantur : *Job intueantur* (inquit) *qui sibi ingerunt mortem quando quæruntur ad vitam ; & sibi auferendo præsentem, abnegant & futuram. Qui si ad Christum negandum, vel aliquid contra justitiam faciendum, sicut veri Martyres, cogerentur, omnia potiùs patienter ferre, quàm sibi impatienter mortem inferre debuerant.*

Et Cap. III. *Si parricida eò sceleratior est quàm quilibet homicida, quia non tantùm hominem, verùm etiam propinquum necat ; inque ipsis parricidis, quantò propinquiorem quisque peremerit, tantò judicatur immanior : sine dubio pejor est qui se occidit ; quia nemo homini se ipso propinquior.*

Idem Tractatu LI. in Joannis Evangelium, hæc verba Christi, *Qui odit animam suam in hoc Mundo, in vitam æternam custodit eam*, explicans : *Vide*, inquit, *ne tibi subrepat ut te ipsum velis interimere, sic intelligendo quòd debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni atque perversi, & in se ipsis crudeliores & sceleratiores homicidæ, flammis se donant, aquis præfocant, præcipitio collidunt, & pereunt. Hoc Christus non docuit, immò etiam Diabolo præcipitium suggerenti respondit*, Redi retrò Satanas, scriptum « est, Non tentabis Dominum Deum tuum. *Pe-* « *tro autem dixit, significans qua morte glorificaturus erat Deum*, Cùm esses junior, cingebas te, & « ibas quò volebas : cùm autem senueris, alter te « cinget, & feret quò tu non vis. *Ubi satis expres-* « *sit, non à se ipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi.* Lege & Epistolam CCIV. aliàs LXI. ad *Dulcitium* Tribunum.

Matth. 4.

Joan. 21. 18

Idem Libro I. *De Civitate Dei*, Cap. XX. *Neque enim* (inquit) *frustra in Sanctis Canonicis Libris nusquam nobis divinitus præceptum permissúmve reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendæ*

DE DECALOGO.

De homicidio *immortalitatis, vel ullius curendi cavendive mali causâ, nobismetipsis necem inferamus. Nam & prohibitos nos esse intelligendum est, ubi Lex ait,* Non occides. *Præsertim quia non addidit, proximum tuum: sicut falsum testimonium cùm vetaret,* Fal-
Exod. 20. » sum (*inquit*) testimonium non dices adver-» sùs proximum tuum. *Nec ideo tamen si adversùs se ipsum quisquam falsum testimonium dixerit, ab hoc crimine se putaverit alienum. Quoniam regulam diligendi proximum à semetipso dilector acce-» pit: quandoquidem scriptum est,* Diliges proxi-» mum tuum tanquam te ipsum. *Porro si falsi testimonii non minùs reus est, qui de se ipse falsum fatetur, quàm si adversùs proximum hoc faceret: cùm in eo Præcepto quo falsum testimonium prohibetur, adversùs proximum prohibeatur, possitque non rectè intelligentibus videri non esse prohibitum, ut adversùs se ipsum quisque falsus testis adsistat: quantò magis intelligendum est non licere homini se ipsum occidere, cùm in eo quod scriptum est,* Non occides, *nullo deinde addito, nec ipse utique cui præcipitur, intelligatur exceptus?*

Ex cap. XXIV. *Quis ergo tam malus error obrepit, ut homo se occidat, vel quia in eum peccavit, vel ne in eum peccet inimicus, cùm vel peccatorem, vel peccaturum ipsum occidere non audeat inimicum?*

Cap. XXV. probat non licere se ipsum occidere, ne libidini hostili subditum corpus illecebrosissima voluptate animum alliciat ad consentiendum peccato. *Si detestabile facinus* (inquit) *& damnabile scelus est, etiam se ipsum hominem occidere, sicut veritas manifesta proclamat, quis ita desipiat ut dicat, jam nunc peccemus, ne postea fortè peccemus, jam nunc perpetremus homicidium, ne fortè postea incidamus in adulterium? Nonne si tantum dominatur iniquitas, ut non innocentia, sed potiùs peccata eligantur, satius est incertum de futuro adulterium, quàm certum de præsenti homicidium? Nonne satius est flagitium committere, quod pœnitendo sanetur, quàm tale facinus ubi locus salubris pœnitentiæ non relinquitur? Hæc dixi propter eos vel eas, quæ non alieni, sed proprii peccati devitandi causâ, ut sub alterius libidine etiam excitata sua fortè consentiant, vim sibi, quâ moriantur, inferendam putant. Cæterùm absit à Mente Christianâ, quæ Deo suo fidit, in eòque spe positâ, ejus adjutorio nititur; absit,* (inquam) *ut mens talis cujuslibet carnis voluptatibus ad consensum turpitudinis cedat. Quod si illa concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ voluntatis legem quasi lege sua movetur: quantò magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?*

Cap. denique XXVI. diluit objectionem ex Sanctarum quarumdam exemplis petitam, quæ ut insectatores suæ pudicitiæ devitarent, tempore persecutionis, in rapturum atque necaturum se flumen projecerunt, eoque modo defunctæ sunt, quarum Martyria in Catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentantur. Quo Martyrii genere obierunt *Pelagia*, ejusque Sorores, & Mater, laudatæ à *S. Ambrosio*, Lib. III. *De Virginibus*, & Epistola ad Simplicianum. *De his* (inquit S. Augustinus) *nihil temerè audeo judicare. Utrum enim Ecclesiam aliquibus fide dignis testificationibus, ut earum Memoriam sic honoret, Divina persuaserit Auctoritas, nescio: & fieri potest ut ita sit. Quid si enim hoc fecerunt non humanitus deceptæ, sed divinitus jussæ; nec errantes, sed obedientes? Sicut de Samsone aliud nobis fas non est credere. Cùm autem Deus jubet, seque jubere sine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? Quis obsequium pietatis accuset? Sed non ideo sine scelere facit, quisquis Deo immolare filium decreverit, quia hoc Abraham etiam laudabiliter fecit... Qui ergo audit, non licere se occidere, faciat, si jussit cujus non licet jussa contemnere. Tantummodo videat utrum divina jussio nullo nutet incerto. Nos per aurem conscientiam convenimus, occultorum nobis » judicium non usurpamus.* Nemo scit quid agatur
» in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est. *Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, Neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas: neminem propter aliena peccata, ne hoc ipse incipiat habere gravissimum proprium, quem non polluebat alienum: neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis hâc vitâ opus est, ut possint pœnitendo sanari: neminem velut desiderio vitæ melioris, quæ post mortem speratur; quia reos suæ mortis melior post mortem vita non suscipit.*

1. Cor. 2. 11.

Tom. II.

Hanc Regulam confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXIV. Articulo V. *Seipsum occidere* (inquit) *est omnino illicitum triplici ratione. Primò quidem, quia qualibet res naturaliter se ipsam amat, & ad hoc pertinet quòd conservat se in esse, & corrumpentibus resistit quantùm potest. Et ideo quòd aliquis se ipsum occidat, est contra inclinationem naturalem, & contra caritatem, quâ quilibet debet seipsum diligere. Et ideo sui ipsius occisio semper est peccatum mortale, utpote contra naturalem legem, & contra caritatem existens. Secundò, quia quilibet homo est pars communitatis: unde in hoc quòd se ipsum interficit, injuriam communitati facit. Tertiò, quia vita est quoddam donum divinitus homini attributum, & ejus potestati subjectum, qui occidit & vivere facit. Et ideo qui se ipsum vitâ privat, in Deum peccat: sicut qui alienum servum interficit, peccat in Dominum cujus est servus; sicut peccat ille qui usurpat sibi judicium de re sibi non commissa. Ad solum enim Deum pertinet judicium mortis & vitæ, secundùm illud Deuteronomii XXXII. Ego occidam, & ego vivere faciam.*

Nec suicidis suffragatur exemplum *Raziæ*, II. Machab. XIV. cujus facinus *narratum est, non laudatum, & judicandum potiùs quàm imitandum* quasi ante oculos constitutum: non sanè nostro judicio judicandum, quod nos quoque ut homines habere possemus, sed judicio doctrinæ sobriæ, quæ in ipsis Scripturis Sacris expressa est. Longè quippè fuit à verbis illis, *Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe.* (Ecclesiastici 2, 4.) *Non ergo fuit iste vir eligendæ mortis sapiens,*
» *sed ferendæ humilitatis impatiens.* Scriptum est,
» quòd voluerit *Nobiliter & viriliter* mori, sed
» nunquid ideo sapienter? *Nobiliter* scilicet, ne
» libertatem sui generis captivus amitteret: *Viri-*
» *liter* autem, quòd tantas vires animi haberet,
» quibus idoneus esset ut se ipse perimeret, quod
» gladio cùm implere non posset, de muro se
» præcipitem dedit, & sic adhuc vivus abruptam
» cucurrit ad petram, atque ibi jam exsanguis in-
» testina sua produxit; quæ utraque manu dissi-
» pata spargebat in popolum, ac deinde postea
» defessus occubuit. *Magna hæc sunt, nec tamen bona. Non enim bonum est omne quod magnum est; quoniam sunt magna etiam mala.* Deus dixit, *In-* Exod. 23. 7.
» *nocentem & justum non occides.* Si ergo iste in-
» nocens & justus non fuit, cur proponitur imi-
» tandus? Si autem innocens & justus fuit, quare
» interfector innocentis, & justi, id est ipsius
» *Raziæ*, insuper putatur esse laudandus? (in-

quit *S. Augustinus*, Epistola CCIV. aliàs LXI. ad *Dulcitium* Tribunum.)

De homicidio

Nec etiam iisdem suffragatur *Samsonis* exemplum: qui non aliter excusatur quòd se ipsum cum hostibus ruinâ domûs oppressit, nisi quòd *Latenter Spiritus Sanctus hoc jusserat, qui per illum Miracula faciebat*; (ut respondet *S. Augustinus*, Libro I. *De Civitate Dei*, cap. XXI.) Idémque de Sanctis quibusdam feminis dicendum est, quæ vel sibi ipsis mortem procurarunt, vel se ipsas mutilarunt, ne ab hostibus Christiani Nominis violarentur. Id enim Spiritus Sancti impulsu pariter ipsas fecisse piè creditur: & hæc exempla suspicienda, non imitanda sunt: *Ne violemus præcepta, dum passim sectamur exempla*; (ut loquitur *S. Augustinus*, Libro *Contra Mendacium*, cap. IX.)

Nec denique illis suffragatur Canon *Non est nostrum*, Causa XXIII. Quæst. V. qui ex *S. Hieronymo* in cap. I. Jonæ Prophetæ sumptus est, cujus hæc sunt verba: *In persecutionibus non licet propria perire manu, absque eo ubi castitas periclitatur.* Hæc enim verba, *absque eo*, in sensu inclusivo intelligenda sunt, id est, etiam dum castitas periclitatur; quemadmodum illud Canticorum IV. *Absque eo quod intrinsecus latet*; vel Cantic. VI. *Absque oculis tuis*: ut occultorum quoque pulchritudo cum externo decore designetur.

REGULA IV.

Homicidii rei non sunt, qui vitam suam pro Dei honore, vel Reipublicæ utilitate, ubi id necessitas postulat, certo periculo exponunt.

CUm enim Deum super omnia diligere teneamur, & Reipublicæ partes ac membra simus, debeat autem quodlibet membrum pro totius conservatione se periculo exponere: nemo se ipsum devovere, certóque vitæ discrimini exponere non tenetur pro Dei honore, & Reipublicæ utilitate. Quamobrem nautis vel Militibus navalibus licet injecto igne in pulverem tormentarium navim comburere, & naufragii periculo se exponere, si extra navim comburendam positi sint, & spes aliqua supersit evadendi. Tunc enim sibi ipsis mortem afferre non decernunt, sed se ipsos morti ab hostibus inferendæ eripere, atque impedire ne captâ navi hostium vires augeantur. At in navi manentibus ignem admovere non licet, vel in mare ad certum exitium se demergere; alioquin suicidii Rei essent. Nec etiam se ipsos occidere censendi sunt Milites, qui ad evertenda hostium propugnacula ignem in pulverem tormentarium injiciunt; qui hostiles muros aut turres primi conscendunt, etiam non jussi, quia mortem sibi procurare non intendunt, sed periculo se exponere pro utilitate Reipublicæ minimè dubitant. Sic *Eleazar* elephantem cujus in dorso superexstructa turri ligneâ Rex *Antiochus* inclusos portabatur, aggressus, supposuit se ei, & occidit eum, ab eóque oppressus est, non sui necem, sed Populi sui liberationem sibi proponens: de quo I. *Machab.* VI. scriptum est: *Dedit se ut liberaret Populum suum, & acquireret sibi nomen æternum.* Hunc mirificè prædicat *S. Ambrosius*, Libro I. *De Officiis Ministrorum*, cap. XL. *Quanta* (inquit) *virtus animi! Primò, ut mortem non timeret: deinde ut circumfusus legionibus inimicorum, in confertos raperetur hostes, medium penetraret agmen: & contemptâ morte ferocior, abjecto clypeo utraque manu vulneratæ molem bestiæ subiret ac sustineret: post intra ipsam succederet, quo pleniori feriret ictu; cujus ruinâ inclusus magis quàm oppressus, suo est sepultus triumpho. Nec fefellit opinio virum, quamvis regius fefellerit habitus; tanto enim virtutis spectaculo defixi hostes, inermem, occupatum incursare non ausi, post casum ruentis bestiæ sic trepidaverunt, ut impares se omnes unius virtuti arbitrarentur. Denique Rex Antiochus.... unius territus fortitudine, pacem rogaret. Itaque Eleazarus heredem virtutis suæ pacem reliquit.*

De homicidio

REGULA V.

Suicidii reus est, qui damnatur ut fame pereat, cibum occultè sibi appositum non comedit: vel damnatus ut veneno extinguatur, venenum sibi propinatum sumit.

QUamvis enim Reus Sententiam in se justè latam pati teneatur; quia *Qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*: Proindéque Judicibus, aut Justitiæ Ministris vim inferre non possit, ipsósque vulnerare, mutilare, occidere, ut mortem evadat; Sententiam tamen in se latam exequi non potest, vel ea facere ex quibus mors per se, immediatè, ac necessario sequitur. Ita docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. LXIX Articulo IV. in Responsione ad secundam objectionem: *Nullus* (inquit) *ita condemnatur, quod ipse sibi inferat mortem, sed quòd ipse mortem patiatur. Et ideo non tenetur facere id unde mors sequatur: quod est manere in loco, unde ducatur ad mortem. Tenetur tamen non resistere agenti, quin patiatur quod justum est eum pati. Sicut etiam si aliquis sit condemnatus ut fame moriatur, non peccat si cibum sibi occultè ministratum sumat, quia non sumere, esset se ipsum occidere.*

Id confirmat Articulo VI. Quæstionis XXXII. ubi ait: *Si aliquis in articulo necessitatis constitutus, haberet solum unde posset sustentari, & filii sui, vel alii ad eum pertinentes, de hoc necessario eleemosynam dare, est sibi & suis vitam subtrahere. Sed hoc dico, nisi fortè talis casus immineret, ubi subtrahendo sibi, daret alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia vel Respublica sustentaretur: quia pro talis personæ liberatione se ipsum & suos laudabiliter periculo mortis exponeret; cùm bonum commune sit proprio præferendum.*

REGULA VI.

Suicidii rei sunt, qui per crapulam, ebrietatem vel obscœnam libidinem, aut alias animi perturbationes seipsos occidunt.

ITa perspicua Regula est ut probatione non egeat. Hanc nihilominus Scripturæ Sacræ confirmat auctoritas, *Ecclesiastici* cap. XXXI. 30. 33. *Multos exterminavit vinum.... Quæ vita est ei qui minuitur vino? Quid defraudat vitam? Mors.* Et cap. XXXVII. 33. 34. *In multis escis erit infirmitas.... Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Proverbiorum XVII. 22. *Animus gaudens ætatem floridam facit: Spiritus tristis exsiccat ossa.* Ecclesiastici XXX. 25. *Multos occidit tristitia, & non est utilitas in illa.* II. ad Corinth. cap. VII. 10. *Seculi tristitia mortem operatur.* Ecclesiastici XXX. 26. *Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus senectam adducet cogitatus.* Et Proverbiorum XXIV. 30. *Vita carnium, sanitas cordis: Putredo ossium, invidia.*

REGULA VII.

A peccato non sunt immunes, qui studiorum, laborum, jejuniorum, vigiliarum, aliarumque corporis mortificationum immoderatione se conficiunt.

De homicidio. PEccant enim contra Caritatem, quâ seipsos corpúsque suum diligere propter Deum & secundùm Deum debent, Mandati divini memores: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum:* Apostolicæ item Sententiæ, ad Ephesios v. 29. *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam.* Et ad Romanos 14. 20. *Noli destruere opus Dei.* Quamvis enim Vir Christianus corpus suum castigare debeat & in servitutem redigere; ne caro petulans adversùs spiritum ita concupiscat, ut ipsum pertrahat ad serviendum legi peccati: quamvis debeat mortificationem Jesu in corpore suo circumferre: quamvis blandiri sibi ipsi non debeat, nimisque timere ne *jejunium quod animabus corporibúsque curandis salubriter institutum est*, ut *Medicinalis parsimonia*, (ut Ecclesiæ verbis utar) suæ noceat valetudini: Prudentia tamen Christiana, sine quâ non est vera *Pietas ad omnia utilis, & promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ*, studia, labores, jejunia, vigilias, cæterasque corporis mortificationes moderari debet, ut castigetur corpus, dometur caro, non destruatur; ut ad serviendum Deo promptior sit homo & alacrior, non ut impotens ad officia sui statûs obeunda reddatur: ut animus à vitiis purgatus & pravarum cupiditatum vinculis expeditus & liber ad Deum erigatur; non ut fatiscentis & oppressi corporis pondere prægravetur ac deprimatur: ut parcatur corpori, non peccato in corpore inhabitanti, sive concupiscentiæ; cujus domandæ, coërcendæ, & subjiciendæ legi mentis nec sitas regula mortificationum & austeritatum esse debet, usque adeo ut *S. Augustinus* Libro VI. *Adversus Julianum*, cap. XV. de homine Christiano corpus suum castigante scribat: *Nonne membra ejus membra sunt utique templi Dei? Cur ergo non suavi odore, sed palore templi ejus, aut invitat præsentiam, aut impetrat misericordiam, aut placat iram ejus? Nihilne mali castigat, domat, vincit, opprimit in templo Dei, etiam livore & palore ipsius templi Dei? Nonne adtendit, nonne perspicit, quia tum vehementer corpus suum persequens, si nihil ibi persequitur quod displicet Deo, frustra persequendo templum ejus facit injuriam magno Deo?* Scimus tamen, quòd non eo solùm nomine mortificare corpus suum Christiani debeant, sed etiam ut socii passionum Christi fiant, certi quòd si compatiuntur, & conglorificabuntur: sed modus in his servandus est à prudentiâ Spiritûs præscriptus; & Patris spiritualis seu conscientiæ Moderatoris, vel Superioris lumen & arbitrium, potiùs quàm privatus spiritus, propriáque voluntas sequenda. Unde *S. Benedictus* cap. XLIX. Regulæ suæ, ubi Fratres suos hortatur ut Quadragesimali Tempore aliquid ad solitas austeritates adjiciant, & *Unusquisque super mensuram sibi indictam aliquid propria voluntate cum gaudio Sancti Spiritus offerat Deo; id est, subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de scurrilitate:* subdit: *Hoc ipsum tamen quod unusquisque offert, Abbati suo suggerat, & cum ejus fiat oratione & voluntate, quia quod sine permissione Patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur & vanæ gloriæ, non mercedi.*

1. ad Tim. 4.

Modus in corporis mortificatione & austeritatibus servandus.

Hinc *S. Bernardus*, Sermone III. De Circumcisione: *Illis* (inquit) *qui ad hanc devotionis gratiam perveniunt, unum videtur restare periculum, & omnino timendum eis à Dæmonio meridiano.* Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis. *Hoc ergo timendum est, qui tanta delectatione omnia facit; ne dum sequitur affectionem, corpus destruat per immoderatam exercitationem; ac deinde necesse habeat, non sine magno spiritualis exercitii detrimento, circa debilitati curam corporis occupari. Ergo ne incurrat qui currit, illuminari necesse est lumine discretionis, quæ mater virtutum est, & consummatio perfectionis. Hæc nimirum docet, Ne quid nimis: atque hæc est octava dies in qua circumciditur puer; quia discretio verè circumcidit, ut non plus nec minus fiat. Nam & qui nimis est, fructum boni operis abscindit, non circumcidit: sicut qui tepidus est, minus facit.... At verò quia omnino rara ista avis est in terris, hujus discretionis locum in vobis, Fratres, suppleat virtus obedientiæ, ut nihil plus, nihil minus, nihil aliter quàm imperatum sit, faciatis.*

2. Cor. 11.

Hanc Regulam ante *S. Bernardum* tradiderat *S. Gregorius Magnus*, Libro XXX. *Moralium*, cap. XIV. *Sic necesse est* (inquit) *ut artem quisque continentiæ teneat, quatenus non carnem, sed vitia carnis occidat. Nam adjutorem quippe habemus intentionis internæ hunc hominem quem exteriùs gestamus: & ipsi insunt motus lasciviæ, ipsi effectus suppetunt operationis bonæ. Sæpe verò dum in illo hostem insequimur, etiam civem quem diligimus, trucidamus: & sæpe dum quasi concivi parcimus, ad prælium hostem nutrimus. Eisdem namque alimentis vitia superbiunt, quibus nutrita virtutes vivunt. Et cum virtus alitur, plerumque vires vitiis augentur. Cùm verò immensa continentia vitiorum vires extenuat, etiam virtus deficiens anhelat. Unde necesse est ut interior homo noster æquus quidam arbiter præsideat inter se & eum quem exteriùs gestat: quatenus ei homo suus exterior semper ad debitum ministerium servire sufficiat, & nunquam superbè libera cervice contradicat. Nec moveat si quid suggerendo submurmurat, dummodo eum semper suppositâ calce dominationis premat. Sicque fit ut dum repressa vitia reniti quidem nobis patimur, & tamen hæc nobiscum congredi ex æquo prohibemus, nec vitia contra virtutem prævaleant, nec rursum virtus cum vitiorum omnimoda extinctione succumbat.*

Eamdem Regulam confirmat *Guillelmus* Abbas *S. Theodorici* in Tractatu de Vita Solitaria ad Fratres de Monte Dei, cum Operibus *S. Bernardi* edito, cap. XI. *Sunt* (inquit) *& alia corporis exercitia, in quibus necesse est corpus laborare, sicut sunt vigiliæ, jejunia, & alia hujusmodi, quæ spiritualia non impediunt, sed juvant, si cum ratione discretionis fiant, quæ si ex indiscretionis vitio sic agantur, ut vel deficiente spiritu, vel languente corpore spiritualia impediantur: qui sic est, corpori suo tulit boni operis effectum, spiritui affectum, proxima exemplum, Deo honorem. Sacrilegus est, & horum omnium in Deum reus. Non quod secundùm Apostoli sensum non videatur humanum etiam hoc, & non deceat, & justum non sit caput aliquando dolere in servitio Dei, quod olim sæpe usque ad dolorem laboravit in vanitate seculi: esurire ventrem usque ad rugitum, qui sæpe repletus est usque ad vomitum. Sed modus in omnibus habendus est. Affligendum est corpus aliquando, sed non conterendum. Nam* Corporalis exercitatio ad modicum quidem valet, & pietas ad omnia utilis est. *Propter quod & ad modicum, hoc est, non in concupiscentiis, sed tamen cura carnis agenda est.*

1. Tim. 4.

De homicidio.

Sanctum *Bernardum* se ipsum accusasse quòd corpus suum jejuniis & vigiliis immodicis confecisset, testis est *Guillelmus* Abbas in ejus Vita, Libro 1. cap. VIII. *Etsi* (inquit) *nimietate forsan excessit, quid eum excusare nitimur, in quo non confunditur accusare se ipsum, quòd servituti Dei & Fratrum abstulerit corpus suum, dum indiscreto fervore imbecillo ac pene inutile reddidit?*

Hanc regulam præclaro confirmat ratiocinio *S. Thomas*, Quodlibeto V. Quæstione IX. Articulo II. *Aliter* (inquit) *est judicandum de fine, aliter de his quæ sunt ad finem. Illud enim quod quæritur tanquam finis, absque mensura quærendum est: in his autem quæ sunt ad finem, est adhibenda mensura secundùm proportionem ad finem: sicut Medicus sanitatem quæ est finis ejus, facit quantumcumque potest majorem; sed adhibet medicinam, secundùm quòd convenit ad sanitatem faciendam. Est ergo considerandum quòd in spirituali vita dilectio Dei est sicut finis: jejunia autem, & vigiliæ, & alia exercitia corporalia, non quæruntur tanquam finis, quia, sicut dicitur ad Romanos* XIV. Non est regnum Dei esca & potus: *sed adhibentur tanquam necessaria ad finem, id est, ad domandas concupiscentias carnis; secundùm illud Apostoli* 1. *ad Corinthios* IX. Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, &c. *Et ideo hujusmodi sunt adhibenda cum quadam mensura rationis, ut scilicet concupiscentia devitetur, & natura non extinguatur; secundùm illud ad Romanos* XII. Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem; *& postea subdit:* Rationabile obsequium vestrum. *Si verò aliquis in tantum virtutem naturæ debilitet per jejunia & vigilias, & alia hujusmodi, quòd non sufficiat debita opera exequi (puta, Prædicator prædicare, Doctor docere, Cantor cantare, & sic de aliis) absque dubio peccat; sicut etiam peccaret vir, qui nimiâ abstinentiâ se impotentem redderet ad debitum uxori reddendum.* Id confirmat ex Canone *Non mediocriter*, Distinctione V. *De Consecratione*, sub nomine *S. Hieronymi* citato, cujus hæc sunt verba: *De rapina holocaustum offert, qui vel ciborum nimiâ egestate, vel somni penuriâ immoderatè corpus affligit.* Et iterum: *Rationalis hominis dignitatem amittit, qui jejunium Caritati, vigilias sensûs integritati præfert.*

Carnis mortificatio prudens & temperata à Christiano intermitti non debet.

Sed tamen carnis mortificatio, castigatio corporis prudens & temperata à Christiano intermitti non debet, qui se peccatorem semper agnoscat & profiteatur necesse est, nulli rei nisi Pœnitentiæ natum: quia quamvis justus sit, semper tamen ex aliqua parte est peccator, idcóque semper gemere & corpus castigare debet ac emendare, sed in misericordia. Qua de re præclarè *S. Augustinus*, Enarratione in Psalmum XL. *Humilia cor tuum, contere cor tuum, crucia cor tuum; & tu te ipsum emendabis in misericordia. Non enim odisti te, cùm sævis in te. Eris in parte emendante justus, quamvis sis adhuc in emendanda peccator. Ex qua parte enim tibi displices, injustus es: ex qua tibi displicet in te quod injustum est, justus es. Vis videre quàm justus es? hoc in te tibi displicet quod & Deo: jam conjunxisti te voluntati Dei, & in te ipso non quod ille fecit, sed quod ille odit odisti. Ex eo quòd odisti in te quod fecisti, quod odit & ille qui hoc non fecit, cœpisti in te esse severus, erit ille misericors: parcet, quia tu non pepercisti.... Quomodo, inquies, ex quadam parte justus, ex quadam parte peccator? Audi illud ab Apostolo:*

Rom. 7.

Condelector (*inquit*) Legi Dei secundùm interiorem hominem. *Ecce justus. Unde ergo peccator?* Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati. *Adhuc bellum adversùs me gero, nondum sum totus instauratus ad imaginem Fabricatoris mei, cœpi resculpi, & ex ea parte quà reformor, displicet mihi quod deforme est. Ergo quandiu ita sum, quid spero?* Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. *Gratia Dei quæ cœpit jam resculpere, Gratia Dei quæ infundit suavitatem, ut jam per interiorem hominem condelecteris legi Dei: inde cætera sanabuntur, unde & ista sanata sunt. Geme adhuc vulneratus, castiga te, displice tibi.* Non sic pugno (*inquit*) quasi aërem cædens; sed castigo corpus meum & in servitutem redigo, ne forte aliis prædicans ipse reprobus inveniar. *Nunquid qui castigat corpus, odit corpus? Si quis castigat servum, odit servum? Si quis verberat filium, odit filium? Et ut aliquid conjunctius eloquamur, caro tua tanquam conjux tua est. Hoc ipse Apostolus dicit*, Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam. *Tamen quid alio loco?* Caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem. *Concupiscit adversùs te, tanquam conjux tua: ama & castiga, donec fiat in una reformatione una concordia. Quando istud erit? Quoniam modò clamas*, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? *Nunquid separabitur à te hoc corpus, & tunc securus eris? Et quid est*, In nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes, redemptionem corporis nostri? *Reparatur ergo à mortalitate ad immortalitatem, & jam non resistit, quia non est mortalitas quæ resistat. Propterea castiga corpus tuum: modò doma, quod postea recipias; modò deficiat, ut tunc sufficiat.... Ergo cùm dicitur*, Emendabit me, & arguet me: *Sive sit frater, sive sit proximus, sive sit vicinus, sive tu ipse, in misericordia debes argui & emendari.*

1. Cor. 7.

Gal. 5.

REGULA VIII.

Qui vitam suam defendens, alterum occidit, Pœnitentiæ subjiciendus est; & si Clericus sit, ab Altaris Ministerio est arcendus, donec ipsi dispensatio Sedis Apostolicæ Auctoritate concessa fuerit.

VIx enim contingit ut debitam moderationem servet, ut aggressorem iræ impetu abreptus, occidere non intendat; adeóque ut homicidii reus non sit in foro conscientiæ. Quod à Pœnitentiariis Sacerdotibus diligenter examinandum, & pro gravitate culpæ, ex circumstantiis omnibus judicanda, Pœnitentia hujusmodi cædis autori imponenda est: qui si Clericus sit, servandum erga ipsum est Concilii Tridentini Decretum Sessione XIV. *De Reformatione* cap. VII. *Si verò* (inquit) *homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum Ordinum, & Altaris Ministerium, & Beneficia quæcumque ac Dignitates, jure quodammodo dispensatio debeatur; committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano seu viciniori Episcopo, qui nonnisi causâ, & probatis precibus ac narratis, nec aliter dispensari possit.*

Hanc Regulam confirmat *Hildebertus* Cenomanensis Episcopus, deinde Turonensis Archipræsul, Epistola LX. ad Episcopum Carnotensem. *Sicut* (inquit) *Parvitatem meam vestra docuit*

pagina

De Homicidio.

pagina, cùm latro quidam portitorem præsentium Sacerdotem invaderet, & pannis ejus lanceâ perforatis eum vellet occidere; Sacerdos latronem lapide percussit; & ictus ipsius percussione & occasione latro mortuus esse putatur. Pro quo scilicet delicto jam per septennium ab Officio Dominicæ Mensæ providentia vestra eumdem suspendit Sacerdotem. Sanè super hoc dignati estis meum quærere consilium: nisi fallor & ad id vestram rescribi inquisitionem, Si Sacerdoti ad sacrum liceat redire Officium, quod ei medicinaliter abstulistis. Consideranti igitur mihi quanta in Sacerdote postuletur innocentia, & maximè quòd immunis esse debeat à sanguine: non videtur Sacerdotem reum sanguinis oportere deinceps ministrare: quamvis tuendæ salutis necessitate homicidium incurrerit..... De Reformatione igitur Sacerdotis mihi rem intuenti nihil aliud, quàm quod supra dictum est, videtur. Quod etiamsi liceat, non tamen expedit; quoniam & exemplo offendit, & ulciscendi sobrietatem adducit. Si autem simile aliquid in commissa mihi Parochia contigisset, Reum ad Apostolicam misissem Audientiam, quatenus ex consilio illius & ego instruerer, & peccator de reformatione sententiam susciperet certiorem.

Idem confirmat Collectio Canonum ab *Isaac* Episcopo Lingonensi adornata, & ex duorum Conciliorum à *S. Bonifacio* Moguntino Archiepiscopo & sedis Apostolicæ Legato celebratorum Decretis à *Zacharia* Pontifice Maximo confirmatis conflata. Sic enim habet Titulo II. Canone XIII. *Si quis quietè gradiens per viam, aut si etiam in domo sua fuerit, aut in platea civitatis, aut in villa, subitò ab alio fit superventus, aut litis commotione volens se defendere, non habens contra illum ante odium, interfecerit hominem, septem annis secundùm Canonicam Institutionem pæniteat, tres verò à Communione privetur, quatuor verò in Communione orationum & oblatione susceptus, in Sacerdotis pendeat arbitrio utrum dignus sit Corpus Christi accipere, aut absque ad plenitudinem Pœnitentiæ ab eo separari. Abstinentia ciborum in providentia Sacerdotis erit, secundùm possibilitatem Sacerdotis, & devotionem & affectum.*

REGULA IX.

Pro levis momenti rebus defendendis qui furem occiderit, homicidii reus est.

Quamvis enim hæc Christi Domini verba, Matth. v. *Ei qui* vult *tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*, consilium dumtaxat proponant, si de opere ipso intelligantur; præceptum tamen continent, si animi præparatio spectetur: id est, si quis à nobis tollat tunicam, non semper tenemur illi dimittere pallium; sed ita animo affecti esse debemus, ut potiùs pallium, & alia id genus dimittamus, quàm injuriam ulciscamur, & caritatem violemus, quâ proximum diligere sicut nos ipsos debemus. *In his omnibus generibus injuriarum Dominus docet patientissimum, & misericordissimum, & ad plura perferenda paratissimum animum Christiani esse oportere*; (inquit *Sanctus Augustinus* Libro I. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. XX.) At qui pro levis momenti rebus defendendis sive conservandis hominem occidit, hoc patientiæ Christianæ præceptum in præparatione animi non observat, ut tunicam tollenti dimittat & pallium; nec proximum sicut se ipsum diligit, cùm levis momenti res ad vitæ vel status sui conservationem non omnino & absolutè necessarias magis diligat quàm proximi vitam.

De Homicidio.

Id confirmat *Alexander III.* Cap. *Suscepimus*, Extra, *De Homicidio*, cujus hæc sunt verba: *Cum lator præsentium in custodia cujusdam domûs cum altero fratre maneret, ingredientes de nocte quidam latrones ad eos, turpiter ipsos in personis affligere, & denudare vestimentis propriis præsumpserunt: in quos isti resumptis viribus insurgentes, ligaverunt illos, & detinere usque ad notitiam Capituli voluerunt. Cùm autem iste rem ad tuam Audientiam perlaturus, ligatos eos in fratris sui custodia dimisisset, & fures se solvere niterentur, frater illos (ne ipse ab eis interimeretur) occidit. Verùm quoniam expediebat potiùs post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quàm pro conservandis vilibus rebus & transitoriis tam acriter in alios exardescere, abstineat iste humiliter ab Altaris Ministerio: & uterque peccatum suum ad arbitrium tuum studeat expiare.*

Propositio damnata.

Meritò itaque inter alias pravi dogmatis opiniones ab *Innocentio Undecimo* Pontifice Maximo die secunda Martii anni millesimi sexcentesimi septuagesimi-noni, hæc etiam Propositio XXXI. damnata est: *Regulariter posse occidere furem pro conservatione unius aurei.* Illam damnavit & Clerus Gallicanus anno 1700. *ut Legi Dei, & ordini Caritatis divinitùs instituto contrariam, perniciosam, & erroneam.*

REGULA X.

Homicidii reus est, quisquis jus quod habet in res quascumque temporales, eorum qui consecutionem, vel possessionem illarum impediunt, cæde defendit.

Moderamen quippe inculpatæ tutelæ excedit crudelis ille defensionis modus: aliæque viæ, ac juris remedia præsto sunt homini ad jus suum vindicandum. Præterea, hoc Domini Præceptum, *Et qui voluerit tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, remitte illi & vestimentum*, (Matth. v.) *ad præparationem cordis* pertinere intelligitur, ut explicat *S. Augustinus* loco suprà indicato: quàm certè præparationem non habet, qui jura sua ad res quascumque temporales, eorum cæde, qui ipsa oppugnant, seu illarum consecutionem aut possessionem impediunt, vindicat, aut vindicare statuit. Nam *De tunica & vestimento quod dictum est, non in eis solis, sed in omnibus faciendum est*, (inquit *S. Augustinus* ibidem) *quæ aliquo jure temporaliter nostra esse dicimus. Si enim de necessariis hoc imperatum est, quantò magis superflua contemnere convenit? Verumtamen ea quæ nostra dixi, eo genere includenda sunt, quo Dominus ipse præscribit, dicens*, « Si quis vult judicio tecum contendere, & tunicam tuam tol- « lere. *Omnia ergo illa intelligantur, de quibus judicio nobiscum contendi potest, ita ut à nostro jure in jus illius transeant, qui contendit, vel pro quo contendit: sicuti est vestis, domus, fundus, jumentum, & generaliter omnis pecunia.*

Propositiones damnatæ.

Meritò igitur ab *Innocentio Undecimo* Pontifice maximo damnatæ sunt & illæ Propositiones:

32. *Non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.*

33. *Licitum est tam heredi quàm legatario contra injustè impedientem, ut vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram vel Præbendam contra earum possessionem injustè impedientem.*

Clerus etiam Gallicanus anno 1700. has Propositiones *Legi Dei & ordini caritatis divinitus instituto contrarias, perniciosas & erroneas* judicavit.

Regula XI.

Homicidii reus est, qui pro honoris defensione hominem occidit, quod numquam licet.

Præceptum enim divinum, *Non occides*, hanc exceptionem non patitur, ut homicidii crimine B rei non sint, qui pro honoris defensione aliquem occidunt. *His exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominum, vel se ipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur*; (inquit *S. Augustinus* Libro I. *De Civitate Dei*, Cap. XXI.) Cùm itaque nec Lex justa generaliter, nec ipse fons justitiæ Deus, occidi jubeant vel permittant hominem pro defensione honoris: homicidii reus erit, quisquis pro honoris defensione hominem occiderit.

Præterea, Christi Præceptum de altera maxilla percutienti præbenda, cæteræque Christia- C næ Patientiæ leges, saltem in animi præparatione retinendæ sunt, ut jam diximus, & pluries repetere non piget. Quis verò cum hac patientia consistere posse dixerit contumeliosi vel calumniatoris, vel alapam nobis impingentis cædem? De hac animi præparatione, quæ in injuriis ferendis necessariò retinenda est, audiendus *S. Augustinus* Epistolâ CXXXVIII. alias V. ad Marcellinum. *Quanta verò*, inquit, *præcepta concordiæ non humanis disputationibus exquisita, sed Divinâ Au-* D *ctoritate conscripta in Christi Ecclesiis lectitentur, quis vel ab illa Religione alienus ita surdus est ut ignoret? Ad hoc enim & illa pertinent, quæ magis cogitare quàm discere, Alteram percutienti præbendam esse maxillam; volenti auferre tunicam dandum etiam pallium; cum angariante duplicandam viam. Hoc quippe fit, ut vincatur bono malus, imò in bono ne malo vincatur bono malum, & homo liberetur à malo, non exteriore alieno, sed intimo ac suo, quo graviùs & perniciosiùs quàm cujusvis hostis extrinsecùs immanitate vastatur. Qui ergo vincit bono malum, patienter amittit temporalia commoda, ut doceat quàm pro fide atque justitia contemnenda sint, quæ ille nimis amando fit ma-* E *lus; ac sic injuriosus ab eo ipso, cui fecit injuriam, discat qualia sint propter quæ fecit injuriam, atque in concordiam, qua nihil est utilius civitati, pœnitens adquiratur, victus non sævientis viribus, sed benevolentiâ patientis.* Quomodo verò impleatur hoc præceptum, etiamsi semper dextera maxilla non offeratur, his verbis exponit: *Nunc verò cavendum est, ne vindicandi cupiditate amittatur (ut nihil aliud dicam) ipsa patientia quæ pluris est habenda quàm omne quod potest etiam invito inimicus auferre..... Paratus itaque debet esse homo justus & pius, patienter eorum malitiam sustinere,* F *quos fieri bonos quærit, ut numerus potiùs crescat bonorum, non ut pari malitia se quoque numero addat malorum. Denique ista præcepta magis ad præparationem cordis, quæ intus est, pertinere, quàm ad opus quod in aperto fit, ut teneatur in secreto animi patientia cum benevolentia, in manifesto autem id fiat, quod eis videtur prodesse posse, quibus bene velle debemus, hinc liquidò ostenditur, quòd ipse Dominus Jesus exemplum singulare patientiæ,* Joan. 18. « *cùm percuteretur in faciem, respondit*, Si malè di- « xi, exprobra de malo: si autem bene, quid « me cædis? *Nequaquam igitur præceptum suum,* A *si verba intueamur, implevit. Neque enim præbuit percutienti alteram partem, sed potiùs prohibuit, ne qui fecerat injuriam augeret: & tamen paratus venerat non solùm in faciem percuti, verùm etiam pro his quoque à quibus hæc patiebatur Crucifixus occidi.* Et paulò post: *Sunt ergo ista præcepta patientiæ semper in cordis præparatione retinenda, ipsaque benevolentia, ne reddatur malum pro malo, semper in voluntate complenda est. Agenda sunt autem multa, etiam cum invitis benigna quadam asperitate plectendis, quorum potiùs utilita-* B *ti consulendum est, quàm voluntati.* Simul docet *S. Augustinus* & quid intus in animo agendum sit, & quid extra: monet intus complendam benevolentiam; extra autem id faciendum, quod eis prodesse possit, quibus bene velle debemus. Nunquam porrò utile est alicui interfici, præsertim in lethali peccato: nunquam igitur occidere licèt contumeliosos aut calumniatores pro defensione honoris nostri. Rejicienda ergo cum execratione illorum doctrina est, qui asserere non dubitarunt, Licitum esse occidere calumniatorem Actorem, Testes & Judices ad honorem tuendum: non esse reum homicidii Virum Religio- C sum vel Clericum, qui occiderit calumniatorem, gravia crimina de se, vel de Ordine suo spargentem, aut spargere minantem; nec eum qui flagitari cedens feminam vilem cognovit, quæ honori docens se prostituisse tanto viro, rem enarrat, & eumdem infamat; nec eum qui occiderit invasorem, etiam fugientem, post alapam sibi impactam, aut calumniam illatam: hæc (inquam) opinionum monstra cum execratione rejicienda sunt, ut pote quæ non modò quintum Decalo- D gi Præceptum, sed omnia generatim Christianæ patientiæ Mandata concutiant & violare doceant. Hæc enim Mandata saltem in præparatione animi complenda sunt: præparatio autem ista postulat, ut intus benevolentia retineatur, foris id fiat quod utile sit, non nobis, sed inimico, cui prodesse velle debemus.

Eadem hac de re fuit *S. Hieronymi*, quæ *S. Augustini* Sententia, idémque omnino animus. Calumniis impetitus est à *Ruffino* de quo scribit Libro III. adversùs ipsum edito; *De sene senex tanta confingis, quanta non diceres de latrone homicida, de scorto meretrix, scurra de mimo: qui parturis mihi montes criminum, & gladios, quos de-* E *figas in jugulum meum, tanto ante tempore exacuis.* Tantùm autem abest ut auctor honorem suum cæde calumniatoris defendere sibi licitum existimaverit, ut etiam mutuis calumniis vim ejus repellere nefas judicaverit. *Absit* (inquit) *ut imitator tui sim, & quod in te reprehendo, ipse faciam. Ille loquatur spurcitias, qui potest spurca committere.* Malus homo de malo cordis sui the- « Matth. 12. sauro profert ea quæ mala sunt: Ex abundan- « tia cordis os loquitur. *Habeto interim lucrum,* « *quòd amicus quondam tuus, nunc accusator, turpia tibi non vult objicere. Et hoc dico, non quòd accusationis tuæ gladios pertimescam, sed quòd magis ac-* F *cusari velim, quàm accusare; & pati injuriam, quàm facere: sciens præceptum ab Apostolo;* Non Rom. 12. 19. *nosmetipsos ulciscentes, carissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindicta, & retribuam.*

At (inquiunt) Honor vitâ carior est: Ergo licet pro honoris, ut pro vitæ defensione alterum occidere.

Non minùs certè futile & fallax, quàm crudele ratiocinium. Nam si honor consideretur quatenus est bonum ejus qui dicitur honorari, nec ad aliorum refertur utilitatem, falsum est quòd honor sit potior vitâ. Nullum enim contrà exilius bonum,

quam

De Homicidio.

quàm illod quod in alienis judiciis, non in ipso cujus bonum dicitur, positum est. Hoc bonum propter se desiderare, meta est ambitio; gaudere de ejus adeptione, meta vanitas; rectéque omnino Stoicos ille apud Ciceronem, qui gloriæ causâ negabat digitum à Sapiente commotom iri. Vitæ autem naturalis quidam est amor; & dum intra limites à Deo præscriptos maneat, etiam legitimus: *Mortem* enim (ut *S. Augustinus* ait) *horret non opinio, sed natura.* Accedit, quòd vitæ tuendæ servandæque nulla quandoque ratio superest altera præter cædem invasoris; & vita semel amissa recoperari non potest: honor verò aliter defendi potest ac resarciri: immò cæde calumniatoris non abstergitur inusta infamiæ labes. Hinc enim non probatur falsò aot injustè dicta esse quæ in occisoris famam vulgata sunt, sed solùm quòd occisor ea iniquo animo tulerit: sæpe autem iniquo animo feruntur etiam illa quæ verè ac justè dicta sunt. Si verò spectetur honor, quatenus ad aliorum utilitatem pertinet, vitâ quidem potior est, illúmque defendere licet, sed non licet crimine, adeóqoe nec homicidio, nec adulterio, nec perjurio, nec calumniâ, nec ullâ aliâ ratione quam divinæ humanæque leges prohibeant. Honoris tuendi causâ vitam alteri eripere nunquam licet: amittenda verò quandoque vita est potiùs quàm aliquid committatur, unde aliqua honori nostro labes aspergi possit. Sic Sacerdos & Vir Religiosus potiùs vitam suam in discrimen adduci patietur, quàm ut meritò in alicujus criminis suspicionem veniat: morietur etiam potiùs Vir Militaris, quàm ut in bello ignavè se gerat, stationem deserat, fugam arripiat, aut quid aliud committat propter quod gradu moveri & exauctorari mereatur. Hæc est famæ & boni nominis cura, quam Sacra Scriptura commendat, ad quam hortantur Patres, quam præcipiunt Concilia, Toletanum quartum anno sexcentesimo trigesimo-tertio, Capp. XXII. & XXIII. Aquisgranense anno octingentesimo decimo-sexto, Libro I. Cap. CXXI. Parisiense sextum anno octingentesimo vigesimo-nono Cap. XX. quorum Conciliorum mentem egregiè complexus *Ivo Carnotensis* Epistola CCLX. ad *Ganfridum* Anachoretam data, sic loquitur: *Cùm omnis casta Religionis Professor visceribus caritatis abundare debeat, ut tam saluti proximorum quàm suæ providere studeat, necesse est ut hæc duo principaliter appetat, puram conscientiam, & bonam famam; conscientiam propter se, famam propter proximum. Qui enim negligit famam suam, crudelis est: occidit enim proximum quantùm in se est. Qui ergo vult famam suam conservare, non tantùm debet quæ bona sunt facere, sed etiam quæ probabiliter fingi possunt mala evitare. Hæc Paulus*

1. Cor. 4.

» *in se considerans confidenter dicebat*: Pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die,
» sed neqoe me ipsum judico. Nihil enim mihi
» conscios sum. *Nos itaque quamvis sanctitati Pauli longè impares simus, tamen quantùm Dei gratiâ donante possumus, cum bona conscientia famam nostram conservare studeamus; ne cæco & infirmo fratri offendiculum aut scandalum ponamus, & pereat, secundùm Apostolum, infirmus in conscientia nostra frater. Quod evenire aliquando solet, cùm vicini curiosi corrosores vitæ nostræ, desidiosi autem correctores vitæ suæ, simpliciter facta nostra inspiciunt, quæ in utramque partem verti possunt adhibitis conjecturis, quibus aliquando credi oportet, aliquando non oportet. Unde infirmitati fraternæ consulentes, ea facere non debemus in oculis infirmorum, quibus tanquam argumento utantur ad velandam suam perversitatem, vel ad infuscandam mentis nostræ serenam simplicitatem.* Sic honoris & famæ cura gerenda est, non crimina patrando, sed vel umbram suspicionémque criminum fugiendo.

De homicidio.

Et his colligitur, meritò ab *Alexandro VIII.* Pontifice Maximo die XXIV. Septembris anni millesimi sexcentesimi sexagesimi-quinti damnatam inter alias plerásque illam Propositionem ordine decimam-octavam: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, & etiam Judicem à quo iniqua certò imminet Sententia, si aliâ viâ innocens damnum non potest evitare.*

Propositiones damnatæ.

Item istam ordine decimam-septimam: *Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè & coram gravissimis viris prædicta crimina impingere, nisi occidatur.*

Meritò denique ab *Innocentio Undecimo* Mense Martio Anni millesimi sexcentesimi septuagesiminoni, inter alias pariter pravi Dogmatis Propositiones hanc ordine trigesimam proscriptam fuisse ac damnatam: *Fas est viro honorato occidere invasorem qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.*

Clerus etiam Gallicanus in Comitiis Generalibus anni 1700. tres illas Propositiones specialibus Censuris confixit. Duas quidem priores his verbis: *Hæ duæ Propositiones sunt scandalosæ, erroneæ, Decalogo apertè repugnant, cædibus patrocinantur, & Magistratibus, ipsique humanæ societati certam perniciem intentant.*

Tertiam verò his verbis damnavit: *Hæc Propositio est scandalosa, erronea, mundano honori servit, ultionem & homicidia excusat.*

REGULA XII.

Homicidii rei sunt, qui duello pugnant, quod per se illicitum & mortale peccatum est.

Duellum.

NOn sumitur hîc duellum pro pugna duorum, qui repente & sine pacto pugnant, neque pro rixa duorum qui ex conventione pugnant sine armis, quamvis & hujusmodi pugnæ gravia peccata sint: sed pro pugna duorum, qui certo loco & tempore ex pacto conveniunt, aut sibi occurrunt certaturi cum vitæ periculo.

Id autem pugnæ genus illicitum per se est, sive ulciscendæ injuriæ causâ, quam privata auctoritate ulcisci non licet: sive privatæ aut publicæ defensionis: quia duello certare non est vim vi repellere, quod unum licet in sui defensionem, sed in alterius sanguinem armari; & justam Reipublicæ causam unius periculo committi, medióque prorsus incerto, à ratione alienum est: sive ut innotescat veritas aut justitia, quasi Deus innocenti victoriam sit concessurus; duellum namque medium inutile & fallax est ad eum finem consequendum, cùm is frequenter cadat qui justam causam tuetur: perniciosum etiam medium est, cùm vita certo periculo exponatur absque necessitate & publica utilitate, & conatus ad mortem alteri inferendam adhibeatur, quæ violatio est manifesta Præcepti, *Non occides.* Aperta denique Dei tentatio est, à quo exspectatur absque necessitate ut veritatem vel justitiam medio extraordinario manifestet; ut respondit *Nicolaus I.*

De Homicidio. Duellum.

in causa *Lotharii & Thietbergæ* Reginæ falsis criminibus impetitæ, Causa 11. Quæstione v. Canone *Monomachiam*. Sed neque ad defensionem honoris, & ne ignavus habeatur, licitum est Viro Equestri duello pugnare, cùm honorem alterius cæde redimere non liceat, ut superiùs probatum est; cùm etiam gloriæ sæcularis & vanæ cupiditas, cui Dei timor vel amor postponitur, grande peccatum sit, ut docet *S. Augustinus* Libro v. *De Civitate Dei*, Cap. xiv. *Tam enim* (inquit) *est hoc vitium inimicum piæ fidei, si major in corde sit cupiditas gloriæ quàm Dei timor vel amor, ut Dominus diceret*, (Joann. v. 44.) QUOMODO *potestis credere, gloriam ab invicem exspectantes, & gloriam quæ à solo Deo est non quærentes?* Quamvis autem apud insipientes & stultè feroces duelli detrectatione ignavus habeatur Vir Equestris, non tamen apud sapientes & probos, qui rejectâ duelli conditione verum illum honorem sartum tectum manere perspectum habent, qui servandis Dei, Ecclesiæ, Regumque Legibus hæc furiosa certamina prohibentibus continetur.

Illa certè Divina Lex prohibet, cùm detestabilius illud sit homicidii genus, quo non solùm proximo necem inferre nititur, sed ex ejus cæde gloriam captat Vir Equestris: nec proximum solùm, & seipsum exponit certo periculo moriendi in statu lethalis peccati, sed & ipso lethalis peccati actu mortem utrique inferendi, quæ certè mors omnium pessima est.

Duella sive singolaria certamina prohibent Ecclesiæ Leges, scilicet Concilium Toletanum anno millesimo quadringentesimo septuagesimo-tertio, Canone xx. Celestinus III. Cap. *Cura*, Extra, *De Purgatione vulgari*; Julius II. Leo X. Pius Quartus Constitutione vigesima primâ, quæ incipit, *Ea quæ*, edita Mense Novembri anno millesimo quingentesimo sexagesimo; Concilium Tridentinum Sessione xxv. *De Reformatione*, Cap. xix. cujus hæc sunt verba: *Detestabilis duellorum usus, fabricante Diabolo introductus, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano Orbe penitus exterminetur.... Qui pugnam commiserint, & qui eorum Patrini vocantur, Excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant; & ut homicidæ, juxta sacros Canones, puniri debeant: & si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant Ecclesiasticâ Sepulturâ. Illi etiam qui consilium in causa duelli tam in jure quàm facto dederint; aut alia quacunque ratione ad id quemquam suaserint, necnon spectatores, Excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocunque Privilegio, seu prava consuetudine, etiam immemorabili.* Quia verò Decretum istud Sacrosancti Concilii Tridentini de privatis duellis loqui videbatur, quæ cum solemnitatibus indicuntur & fiunt, *Gregorius XIII.* Pontifex Maximus illud ampliavit Constitutione Romæ promulgatâ die xxiv. Decembris, anni millesimi quingentesimi octogesimi secundi, quæ incipit, *Ad tollendum*, pœnásque illo Decreto latas in eos etiam decrevit, *Qui ex condicto statuto tempore, & in loco convento Monomachiam commiserint, etiamsi nulli patrini, sociive ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullave provocatoria litteræ, aut denuntiationis chartula præcesserint. Locorum etiam Dominos, si certamen ex condicto hujusmodi permiserint, aut quantum in se fuerit, non prohibuerint, omnésque illud fieri mandantes, instigantes, auxilium, consilium vel favorem dantes; equos, arma, pecuniam, commeatum, & alia subsidia scienter subministrantes, aut ex composito spectatores, vel socios quovis modo se præbentes, eisdem censuris & pœnis subjacere declarat, etiamsi illi qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, impediti pugnam non commiserint, si per se ipsos non steterit quò minùs illa committatur.*

De Homicidio. *Duellum.*

Idem Concilii Tridentini Decretum, Decessorúmque suorum Constitutiones, *Detestandum divinâ naturalique lege, ac Sacris Canonibus damnatum duellorum abusum* severè prohibentes, confirmat *Clemens VIII.* Constitutione quæ incipit, *Illius vices*, edita quarto Septembris anni millesimi quingentesimi nonagesimi secundi. Ac insuper decernit & declarat, easdem Constitutiones ac Decretum locum habere ubique gentium & terrarum, inter quascunque personas, etiam armatas & in Castris seu Propugnaculis militantes, etiam ubi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ aut Catholicæ Fidei hostium furor impunè grassatur, vel in Dominiis per eos occupatis & detentis. *Ejusdem quoque juris censendum esse, si publico & forsan justo bello indicto, Miles aliquis alterum in adversariorum exercitu Militantem, sive aliàs in hostium Castris, præsidiis, aut Terris degentem, privatas simultates atque inimicitias publica causa intermiscendo, etiam Ducum permissu, ex condicto ad singulare certamen descendat aut illum provocet. Necnon iisdem pœnis, Decreto, & Constitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initæ sint de dirimendo certamine, cùm primùm alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus illorum numerus utrimque illatus fuerit. Vel si convenerint ut non singuli, sed bini, terni, aut plures hinc inde pugnent. Et non solùm locorum Dominos, sed etiam Magistratus, Præsides, Locum tenentes, aut etiam Militum Duces & Capitaneos in Castris vel extra ea, in alieno vel hostili solo, vel cum Militibus Exercitus adversariorum Monomachiam in quocunque casu permittentes, vel quantùm in ipsis est, non prohibentes, aut post admissum crimen veniam & impunitatem concedentes.*

Duella denique prohibent Principum Leges, Edicta præsertim Regum Christianissimorum *Ludovici XIII. & Ludovici Magni.*

Propositio damnata.

Meritò igitur ab *Alexandro VII.* Pontifice Maximo inter alias Propositiones Mense Septembri Anni millesimi sexcentesimi sexagesimi-quinti proscriptas, hæc ordine secunda damnata est: *Vir Equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

Hanc & sequentem ab Amedæo Goimenio propugnatam; scilicet, *Potest etiam duellum offerre, si non aliter honori consulere possit:* Clerus Gallicanus anno 1700. hac Censurâ confixit: *Doctrina his Propositionibus contenta falsa est, scandalosa, contraria juri divino & humano, tam Ecclesiastico quàm Civili, imò & naturali.*

DE DECALOGO.

REGULA VIII.

Quamvis gravius crimen sit animati fœtus extinctio, quam excussio fœtus inanimis; homicidii tamen rei sunt, lethalisque peccati gravissimi, qui Abortum procurant, sive fœtus sit animatus, sive inanimis.

De homicidio Abortus

HÆc Regula Traditione nititur, Patrum & Conciliorum testimoniis firmatâ, scilicet *Tertulliani*, Cap. nono Apologetici. *Nobis* (inquit) *homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem deliberatur, dissolvere non licet. Homicidii festinatio est prohibere nasci: nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est & qui est futurus. Etiam fructus omnis jam in semine est.*

Minucii Felicis, in *Octavio*, ubi Ethnicos sic compellat: *Vos video procreatos filios nunc feris & avibus exponere, nunc adstrangulatos misero mortis genere elidere. Sunt quæ in ipsis visceribus medicaminibus epotis originem futuri hominis extinguant, & parricidium faciant antequam pariant. Et hæc utique de Deorum vestrorum disciplina descendunt.... Nobis homicidium nec videre fas, nec audire.*

Athenagoræ in Legatione pro Christianis, ubi scribit, *Eas quæ abortivis poculis utuntur, homicidium perpetrare, & abortionis rationem Deo reddituras.*

Lactantii Libro VI. *Divinarum Institutionum*, cap. XX. *In hoc Dei Præcepto* (inquit) *nullam prorsus exceptionem fieri oportet, quin occidere hominem semper sit nefas, quem Deus sanctum animal esse voluit. Ergo ne illud quidem concedi aliquis existimet, ut recentes natos liceat oblidere, quæ vel maxima est impietas. Ad vitam enim Deus inspirat animam, non ad mortem. Verùm homines, ne quod sit facinus quo manus suas non polluant, rudibus adhuc & simplicibus animis abnegant lucem non à se datam. Exspectet verò aliquis ut alieno sanguini parcant, qui non parcunt suo: sed hi sine ulla controversia scelerati & injusti..... At enim parricidæ facultatum angustias conqueruntur, nec se pluribus liberis educandis sufficere posse prætendunt: quasi verò aut facultates in potestate sint possidentium, aut non quotidie Deus ex divitibus pauperes, & ex pauperibus divites faciat. Quare si quis liberos ob pauperiem non poterit educare, satius est ut se ab uxoris congressione contineat, quàm sceleratis manibus Dei opera corrumpat.*

Concilii Illiberitani Caoone LXIII. *Si qua mulier* (inquit) *per adulterium absente suo marito conceperit, idque post facinus occiderit; placuit, ei nec in fine dandam esse Communionem, eò quòd geminaverit scelus.*

Concilii Aoeyrani Canone XXI. *De Mulieribus* (inquit) *quæ fornicantur, & partus suos necant, vel quæ agunt secum, ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem definitio usque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removet. Humanius autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus secundùm præfixos gradus Pœnitentiæ largiamur.* Idem Canon legitur in Pœnitentiali Romano Tit. I. *De Homicidio*, cap. XXVIII.

S. Basilii, Epistolæ ad *Amphilochium*, Canone secundo: *Quæ* (inquit) *de industria fœtum corrupit, homicidii pœnas luat. Formati autem vel informis subtilitas à nobis non attenditur: hic enim non solùm quod nasciturum fuit vindicatur, sed etiam ipsa quæ sibi insidias paravit, quoniam ut plurimùm ejusmodi inceptis ipsæ quoque mulieres intereunt. Ei autem accedit fœtus quoque interitus, alia cædes, eorum quidem certè qui hæc audent existimatione. Oportet autem non usque ad obitum earum exomologesim extendere, sed decem quidem annorum mensuram admittere: definire autem non tempore, sed modo Pœnitentiæ medicinam.*

Et Canone VIII. *Itaque & quæ abortum scientia præbent medicamenta, sunt & ipsæ homicidæ, sicut & quæ fœtus necantia venena accipiunt.*

S. Hieronymi, Epistola XX. ad *Eustochium*, De Custodia Virginitatis. *Videas* (inquit) *plerasque Viduas antequam nuptas, infelicem conscientiam mentitâ tantum veste protegere: quas nisi tumor uteri & infantum prodiderit vagitus, sanctas & castas se esse gloriantur, & erecta cervice, & ludentibus pedibus incedunt. Aliæ verò sterilitatem præbibunt, & necdum nati hominis homicidium faciunt. Nonnullæ, cùm se senserint concepisse de scelere, abortii venena meditantur, & frequenter etiam ipsæ commortuæ trium criminum reæ, ad inferos perducuntur, homicidæ sui, Christi adulteræ, necdum nati filii parricidæ.*

S. Ambrosii, Libro V. *Hexaëmeron* cap. XVIII. *In utero* (inquit) *proprios necant fœtus, & parricidalibus succis in ipso genitali alvo pignora sui ventris extinguunt, priúsque aufertur vita, quàm tradatur.*

S. Augustini, Libro I. *De Nuptiis & concupiscentia*, cap. XV. *Aliquando* (inquit) *eò usque pervenit hæc libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, ut etiam sterilitatis venena procuret, & si nihil valuerit, conceptos fœtus aliquo modo intra viscera extinguat ac fundat, volendo suam prolem priùs interire quàm vivere; aut si in utero jam vivebat, occidi antè quàm nasci.*

S. Cæsarii Arelatensis, sive alterius Autotis sermonis inter Augustinianos aliàs *De Tempore* ducentesimi quadragesimi-quarti, nunc in Appendice ducentesimi nonagesimi-secundi: *Nulla mulier* (inquit) *potationes ad abortum accipiat, nec filios aut conceptos, aut jam natos occidat; quia quæcunque fecerit hoc, ante Christi tribunal sciat se illic eorum caussam, quos occiderit, esse dicturam. Sed nec alias diabolicas potationes mulieres debent accipere. Mulier autem quæcunque fecerit hoc per quod jam non possit concipere, quantoscunque parere poterat, tantorum homicidiorum se ream esse cognoscat. Mulier autem ingenua, quæ mortiferas potiones accipit ut non concipiat, velim scire si hoc ancillas vel colonas suas facere velit. Et ideo sicut unaquæque vult ut sibi mancipia nascantur, quæ illi serviant; ita illa quantoscunque conceperit, aut ipsa nutriat, aut nutriendos aliis tradat, ne fortè illos aut concipere nolit; aut, quod gravius, occidere velit, qui boni Christiani fieri poterant generati.*

Concilii Ilerdensis, anno Chtisti quingentesimo vigesimo-quarto celebrati, Canone secundo: *Hi verò* (inquit) *qui malè conceptos ex adulterio fœtus, vel editos necare studuerint, vel in uteris matrum potionibus aliquibus colliserint, in utroque sexu adulteris, post septem annorum curricula, Communio tribuatur: ita tamen ut omni tempore vitæ suæ fletibus & humilitati insistant. Si verò Clerici fuerint, officium eis ministrandi recuperare non liceat.... Ipsis veneficis in exitu tantùm, si facinora sua omni tempore vitæ suæ defleverint, Communio tribuatur.*

Collectionis Canonum *Martini Bracarensis* Episcopi Canone LXXVII. *Si qua mulier fornicata fuerit, & infantem, qui exinde fuerit natus occiderit; & quæ studuerit abortum facere, & quod conceptum est necare, aut certè ut non concipiat elaborat; sive*

De homicidio Abortus.

ex adulterio, sive ex legitimo conjugio: has tales mulieres in morte recipere Communionem, priores Canones decreverunt: nos tamen pro misericordia, sive tales mulieres, sive conscias scelerum ipsorum, decem annis agere pœnitentiam judicavimus.

Concilii Trullani Canone nonagesimo-primo: *Eas quæ dant abortionem facientia medicamenta, & quæ fœtus necantia venena accipiunt, homicidæ pœnæ subjicimus.*

Concilii Vvormaciensis Canone xxxv. *Mulieres*, (ioquit) *quæ ante temporis plenitudinem conceptos utero infantes voluntate excutiunt, ut homicidæ produldubio judicandæ sunt; illæ verò quæ dormiendo filios suffocare videntur, leniter de his judicare oportet; quia nolentes & non consentiendo ad hunc devoluta sunt casum.*

Idem confirmatur ex Cap. *Si aliquis*, Extra, *De Homicidio*, quod Concilio Vvormaciensi pariter tribuitur, & habetur in Pœnitentiale Romano, Tit. *De Homicidio*, cap. xxxii. *Si aliquis causâ explendæ libidinis, vel odii meditatione, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare aut concipere, vel nasci soboles; ut homicida teneatur.* Distingoit ibi

C

Triplex pœna procurantium abortum.

Glossa triplicem pœnam, legalem, spiritualem, & canonicam, quæ est irregularitas. In pœnam legalem homicidii incurrit, quiconque sterilitatis vel abortionis pocula dederit, sive fœtus aoimatos fuerit, sive non fuerit, ff. *De Pœnis*, l. *Siquis aliquid*, §. *Qui abortionis*. & ff. *Ad Legem Corneliam De sicariis* l. *Si Mulierem*. Et l. 15. *Ad. Legem Pompeiam De Parricidiis*. Id *Cicero* Oratione *Pro Cluentio* coofirmat: *Memoria teneo*, inquit, *Milesiam quamdam Mulierem, cùm essem in Asia, quòd ab heredibus secundis acceptâ pecunia partum sibi ipsa medicaminibus abegisset, rei capitalis esse damnatam.* Et *Cindasvindus* Rex Vvi-

D

Lib. c. Leg VVisig. Tit. 3. l. 7.

sigothorum, Mulierem quæ potiooem ad abortum acceperit, morte damnari, aut oculos ipsi erui sanxit. Eædem Leges pœnam capitalem decernunt in eos qui mulieri prægnanti *Poculum* dederint *ad necandum infantem, vel ad faciendum abortum.* Pœnæ spirituali homicidii pariter obnoxii sunt quicunque procurant abortum, sive fœtos sit animatus, sive inanimis: lethalis scilicet peccati rei sunt, æternámque damnationem incurrunt. Sed pœnam Canonicam, nempe Irregularitatem non incurrunt, nisi fœtus sit animatus, ut respondet *Innocentius III.* Cap. *Sicut*, Extra, *De Homicidio*.

E

Sixti v. constitutio contra procurantes abortum

Sixtus V. Pontifex Maximos Constitutionem edidit, anno millesimo quingentesimo octogesimo octavo adversùs abortom procurantes, aut sterilitatis potiones dantes, vel somentes, eisque aoxiliom, coosilium, vel favorem præbentes, quæ incipit, *Effrenatam*; quâ pœnas tam divino quàm humano Jure, Canonico & Civili, adversùs homicidii volontarii reos propositas, & inflictas illos incurrere declaravit, sive fœtus sit animatus, sive inaoimis, sive formatus, sive informis. In Clericos verò hojus sceleris reos pœnas Irregularitatis, privationis Beneficiorum, & inhabilitatis ad ea decrevit,

F

easdem quas Canones & Concilium Tridentinum decreverunt in eos qui homicidiom voluntariom perpetrassent, qoamvis crimen illud occultom fuerit. In omnes denique immanis hujus criminis seos, cujuscunque status, ordinis, conditionis, gradus, & eorum socios vel consciós, cujuscunque sexus, qui nimirum ad hoc facinus committendum opem, consilium, favorem, potionem, vel alia cujoscunqoe generis medicamenta scienter dederint, ac etiam

A

De homicidio Abortus

scribendo litteras privatas, vel apochas, vel aliis verbis aut signis juverint aut consuluerint. Excommunicationem tulit ipso facto incurrendam, cujus Absolutionem Summo Pontifici voloit esse reservatam, præterquàm in articulo mortis.

Sixti v. constitutio qua ratione moderata est Gregor. XIV.

Sixtinam Constitutionem moderatus est *Gregorius Decimus quartus*, anno millesimo quingentesimo nonagesimo primo, Pootificio Diplomate quod incipit, *Sedes Apostolica*. A peccato & Excommonicatione contra personas in *Sixti*

B

V. Constitutione expressas absolvere posse declaravit quoslibet Sacerdotes tam secolares, quàm Regulares, ad Confessiones audiendas & ad hos Casus specialiter per loci Ordinarium deputatos. Pœnas verò procurantiom abortum fœtûs inanimis, aut exhibentium molieribus, vel sumentiom venena sterilitatis, aut quocunque modo aoxilium eis dantium, in Sixtina Constitutione contentas redegit ad terminos Juris communis, ac Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini dispositionem. Qoamobrem nullius est roboris Sixtina Constitutio, quatenus decernit privatio-

C

oem Beneficiorum, & inhabilitatem ad ea, necnon Irregolaritatem in eos qui fœtus inanimis abortionem procuraverint, & eorum coomplices: & quatenos decernit Excommonicationem latæ Sententiæ in eos etiam qoi procurant abortum fœtus inanimis, aot Mulieribus præbeot venena sterilitatis, vel quo minùs fœtus concipiatur impedimentom præstant, seu consilium vel auxilium ad hoc præbent. *Gregorius*, tamen *Decimus-quartus* otrumque, id est tam animati, quàm inanimis fœtus abortum, *gravissimum scelus* voeat, nec elevat ea quæ de istius facinoris immanitate scripsit *Sixtus V.* his ver-

D

bis: *Quis non detestetur tam execrandum facinus, per quod nedum corporum, sed quod gravius est, etiam animarum certa jactura sequitur? Quis non gravissimis suppliciis damnet illius impietatem, qui animam Dei imagine insignitam, pro qua redimenda Christus Dominus noster pretiosum Sanguinem fudit, æterna capacem beatitudinis, & ad consortium Angelorum destinatam, à beata Dei visione exclusit, reparationem cœlestium sedium, quantùm in ipso fuit, impedivit, Deo servitium suæ creaturæ ademit? Qui liberos priùs vita privavit, quàm illi à natura propriam lucem accipere, aut se materni cu-*

E

stodia corporis ab efferata sævitia tegere potuerint? Quis non abhorreat libidinosam impiorum hominum crudelitatem, vel crudelem libidinem, quæ eò usque processit, ut etiam venena procuret ad conceptos fœtus intra viscera extinguendos & fundendos, etiam suam prolem priùs interire quàm vivere; aut si jam vivebat, occidi antequam nasci nefario scelere moliendo?

Fœtos quidem inanimis & informis abortio, Physicè loquendo non est homicidium, cùm fœtus hujusmodi non sit completè homo: Morali tamen æstimatione homicidium censetur, ejusque perpetratio quinti etiam illios Præcepti, *Non occides*, violatio est. Sicut enim is qui non

F

quidem aliena tollit, sed tamen alterum impedit ne ditescat, aot lucrum faciat, quamvis propriè non furetur, peccat tamen contra septimom Præceptum Decalogi: ita qui futurum hominem impedit, & si propriè non occidat, in eodem tamen genere peccat, eo oimirum peccato quod ad homicidium seducatur.

Mirum porrò est quòd nonnulli in rebus Moralibus Novatores, Medici nescio cujus, *Marci Pragensis*, errori, qui asserere ausus est, non geri io utero fœtom animatum animâ

rationali, sed tunc tantùm eâ donati, cùm in locem emittitur, tantùm tribuerint, ut procurantes abortum nunquam esse homicidii reos scribere non dubitaverint, aut certè id ot probabile obtruserint. Nihil est enim hujus Medici opinatione absurdius, ut præter cæterorum omnium Medicorum consensum, & Physicas rationes omoino invictas *S. Augustini* verba probant, *Enchiridii* cap. LXXXVI. *Negare* (inquit) *vixisse puerperia, qua propterea membratim exsecantur & ejiciuntur ex uteris pragnantium, ne matres quoque, si mortua ibi relinquantur, occidant, impudentia nimia videtur.* Ac oisi communem opinionem sequi mallemus, cojus veritatem supponunt Jos utrumque, & Constitutiooes Pontificiæ, longè probabilior videretur Sententia *Sennerti* Medici doctissimi, qui fœtum quemvis, quamvis informem, animatum esse probat, Animámque rationalem infundi statim atque semina & sanguis in unam materiam coagmentata sunt, ipsamque soom sibi formare corpus ac organa delineare, sicot limax concham suam domúmque fabricatur, in qua delitescit, opportuno tempore se proditurus. Quam opinionem minimè absordam *S. Augustinum* censuisse, verba ejus indicant, ejusdem Libri cap. LXXXV. ubi de carnis Resurrectione tractans, ait: *Primo occurrit de abortivis fœtibus quæstio, qui jam quidem nati sunt in uteris matrum, sed nondum ita ut jam possent renasci. Si enim resurrecturos eos dixerimus; de iis qui jam formati sunt, tolerari potest utcunque quod dicitur: informes verò abortus quis non proclivius perire arbitretur, sicut semina quæ concepta non fuerint? Sed quis negare audeat, etsi affirmare non audeat, id acturam Resurrectionem, ut quicquid formæ defuit impleatur; atque ita non desit perfectio quæ accessura erat tempore: quemadmodum non erunt vitia quæ accesserant tempore: ut neque in eo quod aptum & congruum dies allaturi fuerant natura fraudetur; neque in eo quod adversum atque contrarium dies attulerant, natura turpetur, sed integretur quod nondum erat integrum, sicut instaurabitur quod fuerat vitiatum? Ac per hoc scrupulosissimè quidem inter Doctissimos quæri ac disputari potest, quod utrum ab homine inveniri possit ignoro, quando incipiat homo in utero vivere, utrum sit quædam vita & occulta quæ nondum motibus viventis appareat:* Quod quidem si ita esset, nulla esset abortûs procoratio, etsi fœtus informis esset, quæ verùm & propriè dictum homicidium oon esset.

De homicidio Abortus.

Sennerti singularis opinio, fœtum etiam informem animatum esse asserentis.

Ex his perspicuum est, inter alias pravi dogmatis Propositiones ab *Innocentio Undecimo* Pontifice Maximo, mense Martio anni millesimi sexcentesimi septuagesimi ooni proscriptas, meritò quoque istas damnatas fuisse:

Propositiones damnatæ.

34. *Licet Procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.*

35. *Videtur probabile omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere cùm paritur; ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.*

Cleri etiam Gallicani judicio in Comitiis generalibus anni 1700. *Hæ Propositiones sunt scandalosæ, erroneæ, infandis homicidiis & parricidiis procurandis aptæ.*

Censetur autem fœtus animatus circa diem quadragesimum, si sit masculus; circa octogesimum, si sit femina: in dubio masne sit an femina, præsumitur animatus post diem à conceptu quadragesimum, juxta praxim sacræ Pœnitentiariæ Romanæ.

REGULA XIV.

Non licet Medico prabere mulieri pragnanti in certo etiam periculo mortis constituta, potionem ad procurandum Abortum, sive fœtus sit animatus, sive inanimis.

PRocuratio enim abortûs, etiam ante animationem fœtûs, est mortale peccatum, jori naturali contrarium. Prolis nempe conceptionem, quæ ex carnali copula secuta fuisset, impedire, est contra naturam, finémque naturalem generationis; ac proinde nullius boni finis intentione honestum ac licitom fieri potest. Et certè cùm ad vitandum mortis periculom quod mulier sibi ex partu imminere experta est, aut quod ex detectione criminis certò imminet, si mulier concipiat, & fœtus in lucem prodeat, non liceat impedire conceptionem: id etiam non licet ad vitandum mortis periculum aliunde impendens: qoia *Homicidii festinatio est prohibere nasci.* Tandem si matri subveniri non potest, sine periculo perdendi fœtum, quem animatum esse vel certum est, vel certè dubium, sinat Medicus perire matrem, potiùs quam vitam infantis tam corporalem quàm spiritualem periculo committat: secundùm illam sententiam, quæ in corpore Juris Canonici, Causa XIV. Quæstione V. Can. *Denique*, ex *S. Ambrosio* refertur: *Si non potest subveniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvari quàm gravari alterum.*

De homicidio Abortus.

REGULA XV.

Homicidii rei sunt quicunque dant proximam occasionem Abortui, etiam prater intentionem, si vel rei illicita dent operam, vel debitam cautionem non adhibeant.

HUjus Regulæ prima pars disertis verbis legitor apud *S. Thomam*, Secunda Secundæ, Quæstione LXIV. Articulo VIII. in Responsione ad Secundam objectionem: *Ille* (inqoit) *qui percutit mulierem pragnantem, dat operam rei illicita; & ideo si sequatur mors vel mulieris, vel pueri animati, non effugiet homicidii crimen, pracipuè, cùm ex tali percussione in promptu sit quòd mors sequatur.*

Pars altera apud *S. Antoninum* in Summa Confessorum, Interrogatione de Quinto Decalogi Præcepto: *Si mulier gravida* (inqoit) *prater intentionem abortitur: si commisisset ibi notabilem negligentiam, putà quia nimis saltavit, vel nimis inordinatè laboravit, vel propter inordinatas lascivias, non esset absque peccato mortali. Idem in viro, vel alio percutiente eam unde hoc sequitur.* Idem dicendum de Chirurgis, & aliis venæ aperiendæ peritis, qui puellas viro maturas, aot juniores mulieres, de qoibus aliqua suspicio esse possit, quòd prægnantes sint, sangoine minuunt inconsulto Medico, apertâ præsertim pedis venâ.

REGULA XVI.

Homicidii reus esset Judex, qui Juris ordine non servato morte damnaret hominem capitalis alioquin criminis reum.

De homicidio

PUblica enim potestas Judici non est commissa, nisi ut secundùm Leges, ac Juris ordinem facinorosos ac sceleratos homines ac Reipublicæ noxios damnet: neque hanc Principibus & Magistratibus potestatem dedit Deus, cujus judicium exercent, ut aliter damnent nocentes; sed ut *Justè quod justum est* exequantur. Unde *S. Ambrosius*, Concione xx. in Psal. cxviii ait: *Bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, sed secundùm Leges & Jura pronuntiat.* Ut autem juris ordo servetur in causis capitalibus, accusatum esse Reum necesse est; quod ex instinctu quodam naturæ apud Gentes ipsas fidei lumine destitutas observatum legimus. (Actuum xxv.) *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priùs quàm is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locúmque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Accusatore tamen non est opus ubi crimen publicum & omnino notorium est, vel publica infamia præcessit, vel *clamosa insinuatio*, aut juridica denuntiatio facta à viris honestis, & nulla malevolentiæ suspicione laborantibus. Nam *Publica infamia habet locum accusatoris*, ut notat *S. Thomas* Secunda Secundæ, Quæstione lxvii Articulo 3.1. in Responsione ad secundum: & *Evidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris*, (ut dicitur cap. *Evidentia*, Extra, *De Accusationibus.*) Violatur etiam ordo juris, cùm non datur accusato defensionis locus: quod tamen minimè necesse est, quando factum est evidens, aut reus in flagranti crimine deprehensus est. Violatur denique, cùm damnatur Reus duorum saltem testium legitimis & concordibus testimoniis non convictus: Numerorum enim xxxv. scriptum est: *Homicida sub testibus punietur: ad unius testimonium nullus condemnabitur.* Et Deuteronomii xvii. *In ore duorum aut trium testium peribit qui interficitur: nemo occidatur uno contra se dicente testimonium.* Ubi tamen publica infamia præcessit, & secundùm juris ordinem interrogatus Reus crimen confitetur, vel in flagranti crimine deprehenditur, seu ipsâ evidentiâ facti convincitur, aliis testibus non est opus.

Ad Juris etiam ordinem pertinet, ut ab accusatione & testimonio ferendo repellantur personæ, quas Leges admitti vetant, scilicet infames, calumniæ jam damnati, inimici, & qui cum inimicis habitant, & alii qui recensentur in L. *Qui accusare* 8. *& seqq.* D. Tit. *De Accusationibus*, & Causa vi. Quæstione 1. & Extra, *De Accusationibus*, item, Extra, *De Testibus & Attestationibus.*

Cavere autem Judex debet ne Accusator calumnietur, prævaricetur, aut tergiversetur. Calumniæ reus est, si ex malitia falsum crimen imponat: prævaricationis, si fraudulenter abscondat ea de quibus accusationem proposuit, propriásque probationes dissimulet, ac falsas excusationes admittat, cum Reo colludens: tergiversationis reus est, cùm cœptam accusationem deserit absque ratione. Non enim tergiversatur, qui accusatoris animum officiúmque deponit, quia falsum esse crimen agnoscit, cujus aliquem leviter ac temerè, vel ex justo errore accusaverat; ut docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione lxviii. Articulo iii. immò graviter in his rerum circumstantiis peccaret, nisi accusatoris personam exueret. De homicidio

REGULA XVII.

Homicidii, & cujuslibet damni proximo illati rei sunt Principes, Toparchæ Jurisdictionem habentes, & Magistratus, qui homicidas, latrones, & grassatores comprehendi, in vincula conjici, & secundùm Leges plecti non curant; & omne damnum à perditis illis hominibus illatum resarcire tenentur.

ILlos enim spectat Divinum illud Præceptum Levitici xix. *Auferes malum de medio tui: non parces oculus tuus ut miserearis. Non misereberis, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Illisque meritò dici potest quod Propheta dixit Regi Achab iii. *Regum* cap. xx. *Hæc dicit Dominus: Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus.*

Id confirmatur Canone, *Qui potest*, Causa xxiii. Quæstione iii. *Qui potest obviare & perturbare perversos, & non facit, nihil aliud est quàm favere eorum impietati. Nec enim caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit, obviare.*

Et Canone, *Ostendit*, qui ex *S. Augustino* sumptus est: *Qui desinit obviare, cùm potest, consentit.*

REGULA XVIII.

Gravis peccati reus est, qui homicidas non accusat, aut testimonium adversùs illos ferre recusat, cùm tenetur, & potest. Idemque de aliis criminibus in perniciem Reipublicæ vergentibus esto judicium.

HÆc Regula oritur verbo Dei, Levitici v. *Si peccaverit anima, & audierit vocem jurantis, testísque fuerit quòd aut ipse vidit, aut conscius est, nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam.*

Idem confirmatur Canone *Non est*, Causa secunda, Quæstione vii. ex *S. Augustino* Libro xix. *De Civitate Dei*, cap. xvi. *Non est* (inquit) *innocentia parcendo sinere ut in gravius malum incidatur. Pertinet ergo ad innocentis officium non solùm nemini malum inferre, verùm etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum; ut aut ipse qui plectitur, corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo.*

Idem confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione lxviii. Articulo 1. *Si crimen* (inquit) *fuerit tale, quòd vergat in detrimentum Reipublicæ, tenetur homo ad accusationem, dummodo sufficienter possit probare, quod pertinet ad officium accusatoris; puta, cùm peccatum alicujus vergit in multitudinis corruptelam corporalem, seu spiritualem. Si autem non fuerit tale peccatum quod in multitudinem redundet; vel etiam si sufficientem probationem adhibere non possit, non tenetur ad intentandum accusationem: quia ad hoc nullus tenetur, quod non potest debito modo perficere.*

Testimonium verò ferre in causa criminis nemo tenetur, nisi in jus vocatus & compulsus à Judice secundùm ordinem juris, ubi scilicet de publicis criminibus quæstio habetur, aut de quibus infamia præcessit: & quando ex ejus silentio qui testimonium ferre potest, Reipublicæ, Principi, aut alicui tertio grave damnum crearetur, Ita docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione

De Homicidio.

stione LXX. Articulo I. Idque confirmat *Innocentius III.* Cap. *Qualiter & quando*, & Cap. *Inquisitionis*, Extra, *De Accusationibus.*

Quædam autem personæ ab accusatione, & ferendi testimonii obligatione in causis criminis exceptæ sunt, scilicet Clerici, qui tamen proditiones, crimina læsæ Majestatis, &c. denuntiare possunt, ac tenentur: præmissa contestatione quòd effusionem sanguinis, seu mortem aut mutilationem Rei, vel pœnam (ut aiunt) deformantem non intendant. Immò, secundùm Jurisprudentiam Gallorum, ad ferendum testimonium in causis etiam capitalibus à Magistratu compelluntur, ubi probationes aliæ deficiunt, & boni publici interest: eàque in re consuetudo præscripta juri communi derogavit. Accusare etiam non tenentur filii parentes, nec illi filios, aut frater fratrem, aut conjux conjugem, vel servus dominum; aut contra illos testimonium ferre, nisi de crimine læsæ Majestatis agatur, quod aliter impediri non potest, aut si quod aliud sit Legibus exceptum. Nam *Contra publicos hostes & Majestatis reos omnis homo miles est* (inquit *Tertullianus.*) Alioqui rectè *S. Ambrosius* Libro II. *De Cain & Abel*, Cap. IX. *Cainum* compellans: *Cur nescis ubi est frater tuus? Soli eratis cum duobus parentibus, inter paucos frater te latere non debuit. An quia parentes tui accusatores esse non possunt? Nolo enim ut ea necessitudo quæ est autor salutis, fiat autor periculi. In te solo leges suas natura amisit. Ideo ergo putas crimen latere, quia parentes accusare non debent? Sed eò major est condemnatio tua. Nam si cara necessitudinis nomina accusare non debent, multò magis non debent occidere.*

REGULA XIX.

Homicidii rei sunt, qui damnationem & occisionem innocentum non impediunt, cùm possint; vel injustè damnatos à morte non liberant.

QUi enim injuriam à proximo non repellit, cùm sine suo periculo potest, ejusdem reus est criminis ac ille qui facit. Unde scriptum est *Proverb.* XXIV, II. 12. *Erue eos qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. Si dixeris, Vires non suppetunt: Qui inspector est, ipse intelligit, & Servatorem animæ tuæ nihil fallit, redditque homini juxta opera sua.*

Idem confirmatur ex Canone *Non in inferenda*, Causa XXIII. Quæstione III. *Qui* (inquit) *non repellit à socio injuriam, si potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit.* Sententia est *S. Ambrosii*, Libro I. *De Officiis Ministrorum*, Cap. XXXVI.

Idem confirmat *S. Thomas* Secunda Secundæ, Quæstione LXX. Articulo I. *Si testimonium*, inquit, *requiratur ad liberandum hominem, vel ab injustâ morte seu pœnâ quacumque, vel à falsa infamiâ* (id est, quæ per calumniam ipsi aspersa est,) *vel ab aliquo damno, tunc tenetur homo ad testificandum. Et si ejus testimonium non requiritur, tenetur facere quod in se est, ut veritatem denuntiet alicui, qui ad hoc possit prodesse. Dicitur enim* Psalmo LXXXI. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Et Proverb. XXIV. *Erue eos qui ducuntur ad mortem.* Et ad Romanos I. *Digni sunt morte non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Ubi Glossa habet: *Consentire, est tacere, cùm possis redarguere.* Huic etiam speciei accommodari potest *S. Isidori Hispalensis* Sententia Libro. III *De summo bono*, Cap. LIX. *Unum pene crimen habent, & qui falsitatem promit, & qui supprimit veritatem; quia ille obesse vult, & iste prodesse non vult.*

De Homicidio.

Hinc etiam *Sanctus Augustinus*, Enarratione in Psalmum LXXXI. explicans hunc Versum, *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*, hæc dicta esse notat, *Ut sciretur in eo Populo in quo natus & occisus est Christus, nec illos fuisse immunes à tanto scelere, qui cùm essent tantæ multitudinis, ut eos, sicut Evangelium loquitur, timerent Judæi, & propterea in Christum manum mittere non auderent, postea conniverunt, eumque interimi à malignis & invidis Judæorum Principibus permiserunt: qui si voluissent, timerentur semper, ut nunquam in illum sceleratorum prævalerent manus. De his quippe & alibi dicitur:* CANES *muti non valentes latrare.* Isa. 56.

REGULA XX.

Homicidii rei sunt Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, si æger cujus curam susceperunt eorum negligentiâ vel imperitiâ moriatur.

HAnc Regulam *S. Antoninus* explicat P. III. Tit. VII. Cap. II. *Ubi* (inquit) *ex negligentia notabili in curis suis nocent infirmis, semper peccant mortaliter, facientes contra illud præceptum* NON OCCIDES. (De Pœnit. Distinctione I. Cap. Homicidium.) *Nec excusantur ex hoc quòd illud non intendunt*, quia voluntariè dant operam rei unde hoc sequitur. *Immò etiamsi sequatur sanitas, non excusantur à peccato, quia exponunt se periculo peccati mortalis, ei scilicet operi, unde potest sequi notabile nocumentum proximo.* Quamobrem periti sint Medici necesse est, atque insuper debitam diligentiam adhibeant in lectione librorum, studióque, in infirmi visitatione & observatione morbi, in qualitate remediorum disquirenda & pro morbi ratione temperanda & decernenda: si enim aliquid eorum Medicus prætermittat, ejúsque colpâ mors sequatur, *Peccat mortaliter, & est irregularis. Si etiam sequatur magna aggravatio infirmitatis ex hoc, etsi non mortis, non excusatur à mortali. Si dubitat de medicina, quia non constat ei secundùm artem Medicinæ utrum debeat ei nocere vel prodesse, malè facit dando, quia, ut dicit Innocentius, In dubio potiùs debet dimittere infirmum in manu Creatoris, quàm exponere medicinæ de qua nescit.* Extra, De Homicidio, *Cap.* Petitio *Tertiò, debet Medicus quàm citiùs potest curare infirmum: unde si ex industria omittit debitam medicinam, & citò curativam, ut dimittendo eum in infirmitate ampliùs lucretur, graviter peccat, & furatur. Et similiter, si in compositione medicinæ permittit Aromatarium ponere vetustas species, & parum vel nihil operantes, graviter peccat, & si quid detrimenti inde accidat infirmo, imputatur utrique.*

Contra quintum Præceptum etiam *Mortaliter peccant* Medici, *si dant aliquod consilium vel remedium pro salute corporis in periculum animæ, ut scilicet fiat aliquid contra divina præcepta, putà, quòd cognoscat mulierem extra Matrimonium, vel quòd inebrietur, & hujusmodi. Et quamvis hoc prohibeatur per Jus Canonicum sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ* (Extra, *De Pœnitentiis & Remissionibus*, Cùm infirmitas.) *Tamen absque illo præcepto est illud peccatum mortale & Medico, & infirmo; quia contra ordinem caritatis, secundùm quem præponenda est salus animæ corpori. Nec excusaret in hoc ignorantia.* Addit ex Joanne Andrea: Medicum qui dicit infirmo, *Non consulo, sed si accederes ad aliquam mulierem, sanaberis, trans-*

[De homicidio & mutilatione.] gredi illam Constitutionem. *Nam & cùm vendu tibi aliquid, adjiciens, si vitiosum aut læsum est, nolo teneri, cùm sciam illud esse tale, teneor.* (ff. De act. empt. & vendit. L. 1.) *Debet ergo cavere sibi Medicus in loquendo, ne ex assignatione causæ infirmitatis ille incitetur ad aliquod malum agendum.*

Regula XXI.

Homicidii rei sunt, qui proximis in extrema necessitate positis non succurrunt, cùm possint.

ID etsi jam alibi docuerim, hîc repetere non piget, & cum *S. Ambrosio*, ut quidem refertur Cap. *Pasce*, Dist. LXXXVI.) dicere: *Pasce fame morientem. Quisquis enim poscendo hominem servare poteras, si non pavisti, occidisti.* Hinc *S. Gregorius Magnus*, referente *Joanne Diacono* in ejus Vita, Lib. II. Cap. XXIX. *Dum quemdam pauperem in angustiis andronarum recessibus à vespillonibus inveniri mortuum contigisset, æstimans eum stipis inopiâ periisse, ita per aliquot dies à Missarum celebratione vacando, tristatus est, tanquam si eum propriis manibus, quod dictu nefas est, peremisset.*

Regula XXII.

Lethaliter peccat in quintum Decalogi præceptum, qui se vel alterum mutilat, nisi ad conservationem totius corporis abscissio membri omninò necessaria de consilio Medicorum judicetur.

CUm enim nemo sit dominus membrorum suorum, sicut nec vitæ suæ: nec ipse sibi, nec alios, etiam ipso consentiente, aut ipse alteri membrum auferre potest. Gravem alioqui corpori suo, quod ex caritate diligere debet, vel proximo, quem diligere tenetur sicut seipsum, immò & Reipublicæ injuriam inferret. Sententiâ dumtaxat Judicis decerni potest mutilatio facinorosis hominibus infligenda ad crimen puniendum: vel Medici consilio, si membrum putridum sit, propter salutem totius corporis: eo cujus membrum est consentiente, aut ejus jussu cui salutis illius cura incombit. *Aliter aliquem membro mutilare, est omninò illicitum*, (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. LXV. Art. 1.)

Regula XXIII.

Non licet parentibus filium Eunuchum facere, etiam consentientem, ut sonoram vocem habeat, stipendióque opulento propter vocis excellentiam à Principe donetur. Et qui Eunuchum faciunt, nec non parentes, aut alii jubentes vel suadentes: & ipse qui castrari consentit propter hunc aut similem finem, lethalis peccati rei sunt.

MEmbrum enim *non est præscindendum propter corporalem salutem totius, nisi quando aliter toti subveniri non potest*; (inquit *S. Thomas* loco mox indicato, in Responsione ad tertiam objectionem.) Multò minùs igitur membrum præscindere licet propter lucrum temporale.

Regula XXIV.

Nemini licet se ipsum Eunuchum facere ut careat tentationibus carnis, vel ne ipsis succumbat. Qui id fecerit, lethalis peccati reus erit, & Irregularis.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, ibidem *S. Joannis Chrysostomi* auctoritate fultam. [De homicidio & mutilatione.] *Saluti spirituali* (inquit) *semper potest aliter subveniri, quàm per membri præcisionem, quia peccatum subjacet voluntati: & ideo in nullo casu licet membrum præcidere, propter quodcunque peccatum vitandum. Unde Sanctus Chrysostomus exponens illud Matth. XIX.* Sunt Eunuchi qui se ipsos castraverunt propter Regnum cœlorum, *dicit,* (Homilia LXIII. in Matthæum:) *Non per membrorum abscissionem, sed malarum cogitationum interemptionem. Maledictioni enim est obnoxius, qui membrum abscidit: etenim qui homicidæ sunt, talia præsumunt.* Et paulò post: *Neque concupiscentia mansuetior ita fit, sed molestior. Aliunde enim habet fontes sperma quod in nobis est, & præcipuè à proposito incontinenti & mente negligente. Nec ita abscissio membri comprimit tentationes, ut cogitationis frenum.* Idem docet *S. Basilius*, Libro *De vera Virginitate*, & Epistola LXXXVII. ad *Simplicium*: Idem *S. Ambrosius* Libro *De Viduis*, Cap. XIII. *Sunt*, inquit, *qui virtutis loco ponant ferro culpam compescere. De quibus etsi nostram nolumus proferre sententiam, quamvis sint Statuta Majorum; considerent tamen ne quis id ad professionem infirmitatis trahat, non ad firmitatis gloriam. Ergo nemo militet, ne aliquando vincatur: nec pedis utatur obsequio, qui gradiendi periculum reformidat: nec oculi intendat officio, qui concupiscentiæ timet lapsum. Sed quid prodest carnem abscindere, cùm etiam culpa sit in ipso aspectu?* Nam [Matth. 5. 28.] & qui viderit mulierem ad concupiscendum, jam mœchatus est eam in corde suo. *Castos ergo, non infirmos nos esse convenit: pudicos oculos habere, non debiles. Nemo igitur, ut plerique arbitrantur, debet se abscindere, sed magis vincere; victores enim recipit Ecclesia, non victos.* His concordat *S. Hieronymus* Epistola LXV. Valesianos Hæreticos *S. Epiphanius* eo nomine insectatur, Hæresi LVIII. quòd violentam hanc exsectionem non in se ipsos tantùm, sed etiam in peregrinos adhibere consuevissent. *S. Augustinus* Calligonum Valentiniani Junioris Imperatoris Eunuchum in pœnam suæ salacitatis capite mulctatum fuisse refert Libro VI. *Contra Julianum*, Cap. XIV. ut vel hinc discamus, exsectionem non esse idoneum vitandæ incontinentiæ remedium. *Calligonum*, inquit, *Valentiniani Junioris Eunuchum, gladio novimus ultore punitum, meretricis confessione convictum. Neque enim in Libro Ecclesiastico adhiberetur similitudo, atque diceretur,* Videns oculis, [Eccli 30. 21.] & ingemiscens, quasi spado complectens virginem, & suspirans; *nisi & ipsi moverentur concupiscentiæ carnalis affectibus, licèt destituti carnis effectibus.* Improbatum ab Ecclesia fuit *Origenis* facinus, qui se ipsum vitandæ incontinentiæ causâ exsecuit, *Zelo* quidem *Dei, sed non secundùm scientiam*, ut loquitur *Sanctus Hieronymus* Epistola LXV. Apostolorum nomine inscriptis Canonibus à Clero arcentur, qui se absciderunt. Canone XXII. *Si quis abscidit semetipsum, non fiat Clericus: quia sui ipsius homicida est, & Dei opificii inimicus.* Canone XXIII. *Si quis, cùm Clericus fuerit, absciderit semetipsum, omninò damnetur: quia suus est homicida.* His consonat Nicænus Canon primus: *Si quis* (inquit) *à Medicis propter languorem*

De Homicidio & violentia.

guorem defectus est, aut à Barbaris abscissus, hic in Clero permaneat. Si quis autem se ipsum sanus abscidit, hunc & in Clero constitutum abstinere convenit, & deinceps nullum debere taliam promoveri. Sicut autem hoc claret, quòd de his qui hanc rem affectant, audéatque semetipsos abscindere, dictum sit: sic eos, quos aut Barbari, aut domini castraverunt, si inveniuntur aliàs dignissimi, tales ad Clerum suscipis Regula.

REGULA XXV.

In quintum Decalogi Præceptum lethaliter peccat, qui aliquem sibi non subditum graviter verberat: immò & parentes, præceptores & domini, qui cùm disciplina causâ verberant filios, discipulos, vel servos, modum correptionis excedunt.

QUinto enim Decalogi Præcepto nocumentum omne prohibetur, quod proximi corpori inferri potest. Verberatio porrò nocumentum infert corpori, cùm dolore sensum afficiat. Cùm igitur nocumentum inferre nemini liceat, nisi per modum pœnæ, propter justitiam: nullus verò justè puniat alterum, nisi sit ejus jurisdictioni subditus: *Ideo verberare aliquem non licet, nisi habenti potestatem aliquam super illum qui verberatur. Et quia filius subditur potestati patris, & servus potestati domini, licitè potest verberare pater filium, & dominus servum causâ correptionis & disciplinæ.* Unde Proverbiorum XIII. scriptum est: *Qui parcit virgæ odit filium suum.* Et Ecclesiastici XXIII. *Servo malevolo tortura & compedes.* Prohibet tamen Apostolus ad Ephesios VI. ne patres ad iracundiam provocent filios suos, id est, *Ne immoderatè eos affligant verberibus.* Dominis item jubet ut servis suis remittant minas, quod dupliciter intelligi potest: primò, *Ut remissè minis utantur, quod pertinet ad moderationem disciplinæ,* Secundò, *Ut aliquis non semper impleat quod comminatus est: quod pertinet ad hoc, quòd judicium quo quis comminatus est pœnam, quandoque per remissionis misericordiam temperetur.* Verba sunt *S. Thomæ*, Secunda Secundæ, Quæstione LXV. Articulo II.

Quòd autem lethaliter peccent parentes, præceptores, domini, qui in verberibus infligendis modum justæ correptionis excedunt, aut ex iræ præcipitis & impotentis motu, vel odio, & vindictæ libidine filios, discipulos, servos aut ancillas immoderatè verberant: reique sint homicidii, si ex inflictis verberibus illos mori contingat, constat ex Concilii Illiberitani Canone quinto. *Si qua*, inquit, *domina furore zeli accensa, flagellis verberavit ancillam suam, ita ut intra tertium diem animam cum cruciatu effundat, eò quòd incertum sit voluntate, an casu occiderit: si voluntate, post septem annos: si casu, per quinque annorum tempora, actâ legitimâ Pœnitentiâ, ad Communionem placuit admitti.* Quod Concilii Vvormatiensis Canone XXXVII. & Moguntini Canone XXII. confirmatum est. Concilium item Epaonense Canone XXXIV. *Si quis*, inquit, *servum proprium sine conscientiâ Judicis occiderit, Excommunicatione biennii effusionem sanguinis expiabit.* Et Concilium Agathense Canone LXII. *Si quis servum proprium sine conscientia Judicis occiderit, Excommunicatione vel Pœnitentiâ biennii reatum sanguinis emendabit.*

REGULA XXVI.

Incarcerare aliquem, vel qualitercunque detinere, est illicitum, nisi fiat secundùm ordinem justitiæ, aut in pœnam, aut ad cautelam alicujus mali vitandi.

De Homicidio & violentia.

IPsis Sancti *Thomæ* verbis concepta Regula est, Secunda Secundæ, Quæst. LXV. Articulo III. Qui aliàs aliquem incarcerat, ligat, aut vi detinet, lethalis peccati reus est. Gravem quippe injuriam, gravéque nocumentum infert proximo, quem motu & usu libero membrorum suorum privat. *Detinere* igitur *hominem ad horam ab aliquo opere illicito statim perpetrando, cuilibet licet: sicut cùm aliquis detinet aliquem ne se præcipitet, vel ne alium feriat. Sed simpliciter aliquem includere vel ligare, ad eum solum pertinet, qui habet disponere universaliter de actibus & vita alterius: quia per hoc impeditur non solùm à malis faciendis, sed etiam à bonis agendis;*) inquit *S. Thomas.*) Parentibus tamen & dominis licet per aliquod tempus domi recludere & detinere filios & filias, servos & ancillas; tum ut corrigantur; tum ut à malo quod conceperunt abstineant; maximè si velint inhonestè vivere, aut ludis, comessationibus, libidine bona dilapident: verùm illos incarcerare jure non possunt: prius enim illud medium est ad emendationem, quam curare tenentur parentes & domini: posterius verò medium est ad punitionem juridicam, vel ad commune Reipublicæ bonum, ideóque solùm pertinet ad Potestatem publicam.

REGULA XXVII.

Qui aliquem occidit, mutilavit, vulneravit, aut verberavit, ad restitutionem tenetur.

QUisquis enim damnum intulit proximo, illud resarcire tenetur pro viribus, & satisfacere, vel compensare, ut justitiæ ratio postulat. Quamvis ergo homini occiso vita, mutilato membrorum integritas, vulnerato sanitas ab eo qui occidit, mutilavit, aut vulneravit, restitui non possint: *Debet tamen fieri compensatio qualis possibilis est, vel in pecunia, vel in aliquo honore, consideratâ conditione utriusque personæ, secundùm arbitrium boni viri* (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXII. Articulo II. in Responsione ad primam objectionem.) Idémque colligitur ex *S. Anselmo* Libro I. *Cur Deus homo*, Cap. XI. *Sicut*, inquit, *qui lædit salutem alterius, non sufficit, si salutem restituit; nisi pro illata doloris injuria recompenset aliquid: ita qui honorem alicujus violat, non sufficit honorem reddere: si non secundùm exhonorationis factam molestiam, aliquid quod placeat illi, quem exhonoravit, restituat.*

Pro damnis etiam realibus ex alicujus cæde injusta, mutilatione, aut vulneratione consecutis, nempe expensis factis in Medicos, lucro cessante, damnisque ceteris emergentibus, restitutio necessariò facienda est: ratione quidem homicidii, heredibus defuncti qui à testamento repelli non possunt, scilicet filiis, parentibus, uxori: quibus alimenta & sustentationem honestam, spectatâ illorum conditione, debet interfector, si interfectus id ipsis erat præstiturus: necnon compensationem damnorum omnium ex morte illius emergentium, ex prudentum arbitrio. Ratione autem mutilationis, aut gravis læsionis,

restitotio fieri debet illi qui mutilatus aot vulneratus est, aut alioqui ejus heredibus oecessariis ac legiomis, damnorum omnium emergentium, & totius lucri cessantis: si qois, verbi gratiâ, brachium abscidit artifici, debet illi restituere quicquid artificio suo locrarus esset. Quod virorum prudeotium judicio æstimandum est, spectatâ ætate, valetudine, viribus, industriâ, incertitudine vitæ, operarum, aot conductionis ejus qui occisus, aut mutilatus est; ex qoibus lucrum augeri cootingit vel minui. Nihil autem restitui necessariò debet ratione solius deformitatis, aut cicatricum, nec ratiooe damni ex deformitate consecuti restitutio necessariò facienda est: si, verbi gratiâ, deformitas in puellæ vultu manens ex verberibus, & vulnere impediat ne ita commodè & honestè collocetor. Ista constaot ex Cap. I. *De Injuriis & damno dato*, & ex L. oltima, *De his qui effuderint, vel dejecerint*, in Digestis. Rationem cur solius defomitatis ratione nihil restitui ex necessitate debeat, Lex tradit: *Quia Liberum corpus nullam recipit æstimationem.*

Nec verò à restitutionis onere sunt liberi, qui pœna corporali à Jodice damnati suor, cùm restitutio damnorum à pœna distioguatur: nec remittatur peccatum, nisi restituatur ablâtum, si restitui potest. At Judices providere solent eorum indemnitati qui læsi sont, vel hæredom necessariorum & legitimorum, indictione mulctæ quâ resarcitur & compensatur quicquid ipsorom civiliter ioterest.

Si tamen is qai occisos, mutilatos, aut læsus est, alium est aggressus, aut uterque libenter in certamen descendit, nulla est restitutionis obligatio, quia in priori casu aggressoe, in altero uterque censetur renuntiasse juri quod habuisset exigendi satisfactionem aliquàm aut restitutionem.

ARTICULUS V.

Regula circa Scandalum.

REGULA I.

Scandalum activum, si sit per accidens, quandoque veniale, quandoque mortale peccatum est.

De Scandalo. VEniale quidem peccatum est, *cùm aliquis vel actum venialis peccati, vel actum qui non est secundùm se peccatum, sed habet aliquam speciem mali, cum aliqua levi indiscretione committit.* Mortale verò peccatum est, cùm aliquis *committit actum peccati mortalis*, vel *contemnit salutem proximi, ut si pro ea conservanda non prætermittat facere quod sibi libuerit.* Ita docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XLIII. Articolo qoarto.

REGULA II.

Scandalum activum per se, lethale ut plurimùm peccatum est: interdum tamen veniale.

ITa docet *S. Thomas*, ibidem: *Si scandalum activum sit per se* inquit, *purà, cùm intendit inducere alium ad peccandum; si quidem intendat inducere ad peccandum mortaliter, est peccatum mortale: & similiter si intendat inducere proximum ad peccandum venialiter per actum peccati mortalis. Si verò intendat inducere proximum ad peccandum venialiter per actum peccati venialis, est peccatum veniale.* Ceterùm etsi scandalum activom sit quandoqoe veniale dumtaxat peccatum, spectatâ levitate materiæ, vel impetfectione actus ooo planè deliberati: ex genere tamen suo lethale peccatum est, ut colligitur ea Christi Domini, & Apostoli ejus verbis, Matthæi XVIII. *Va homini illi per quem scandalum venit.* Ad Romanos XIV. *Si propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundùm charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* I. ad Corinthios VIII. *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* Gravissimom esse peccatum nemo dubitabit, qood describit *S. Bernardus* Sermone LXXII. *De Diversis*, hæc verba Psalmi primi explicans, *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentia non sedit. Sedet* (inquit) *qui docet exemplo suo faciens peccare alios. Cathedra est hac, & quatuor pedibus subsistit. Primus pes est malitia; secundus contemptus Dei; tertius irreverentia; quartus astutia. Malitia est amare malum, & saporem mali habere, & malum, quia malum est, diligere, sicut facit Diabolus, & nonnulli iniqui. Sed quia fit aliquando ut tales timeant Deum non timore bono, sed ne incurrant vel damnum rerum, vel corporis cruciatum: ut ampliùs fiant mali, contemnunt & ipsum Deum, & fit secundus pes contemptus Dei. Item posset fieri ut malum amarent, Deum contemnerent, sed inhiberet eos pudor hominum, cum quibus habitant: ideo ad augmentum mali sequitur tertius pes irreverentia, ut nec Deum timeant, nec homines revereantur. Ad consummationem verò malitia adest quartus pes astutia, ut sciant uti tribus prædictis, miscentes oleo venenum, & melli acetum. Eminens pars cathedra cui sedens inhæret, est potentia. Si enim potens est qui prædicta habet, tunc plurimùm nocet; vel si potentem sibi allicere potest, quem consilio suo seducat, & ad malum impellat. Deinde apponitur pulvinar, ut suaviter sedeat. Pulvinar fit de levibus pennis avium, significans vanam gloriam, & favorem popularem, quibus homines delectati extolluntur. Scabellum pedibus supponitur, ne terram tangant. Tales enim nonnulli terrenas actiones non faciunt, sed spirituales simulant, ut magis decipiant.* Talis fuit *Balaam* Ariolus, *qui docebat Balaac* Regem *mittere scandalum coram filiis Israël, edere & fornicari*, ut dicitur Apocalypsis Cap. secundo. Regi scilicet autor fuit ut mulieres Moabitides eleganti specie in castra Israëlitarum immitteret cum Idolis, quæ illos ad fornicationem simul & idololatriam pellicerent. (Numer. XXIV. 14. & Cap. XV.)

REGULA III.

Omnis actio vel omissio, qua verè est, vel probabiliter censetur esse occasio ruina Proximi, speciale peccatum est, scilicet scandalum, quamvis in spiritualem hujusmodi ruinam agentis intentio & voluntas expressè non feratur.

SUfficit enim intentio virtualis sive interpretativa ruinæ proaimi, ut quis scandali reus fit: sicut qui sagittam imprudenter vibrans hominem occidit, reus est homicidii, etsi expressam occidendi voloototem non habuerit: & qui in loco sacro fornicatur, sacrilegii reus est, qoamvis de loci sacri violatione non cogitet: & qui famæ alterius detrahit, verè maledicus est.

De Scandalo. quamvis expressam intentionem nocendi non habuerit. Hæc *S. Thomæ* doctrina est, Secunda Secundæ, Quæstione XLIII. Articulo I. in Responsione ad quartam objectionem. *Dictum* (inquit) *vel factum alterius potest esse alteri causa peccandi per se, quando aliquis suo malo verbo vel facto intendit alium ad peccandum inducere: vel, etiam si ipse hoc non intendat, ipsum factum est tale, quòd de sui ratione habet quòd sit inductivum ad peccandum: putà, cùm aliquis publicè facit peccatum, vel quod habet similitudinem peccati. Et tunc ille qui hujusmodi actum facit, propriè dat occasionem ruinæ.* Atque hic sensus est verborum ejusdem Angelici Doctoris Articulo III. ubi scandalum per accidens esse ait, adeòque non esse speciale peccatum, *Quando est præter intentionem agentis, ut putà cùm aliquis facto suo vel verbo inordinato non intendit alteri dare occasionem ruinæ, sed solùm suæ satisfacere voluntati*. Per se autem esse activum scandalum, *Quando aliquis suo inordinato dicto, vel facto intendit alium trahere ad peccandum*: sicque speciale peccatum esse. Intelligendus est (inquam) de intentione sive expressa, quasi ex fine operantis, sive interpretativâ duntaxat ex naturâ operis. Idque verba sequentia confirmant. *Unde* (inquit) *sicut furtum est speciale peccatum, aut homicidium, propter speciale nocumentum proximi quod intenditur: ita etiam scandalum est speciale peccatum, propter hoc quòd intenditur speciale proximi nocumentum.* Quis verò negaverit furtum & homicidium esse specialia peccata, quamvis expressam intentionem non habeant fur & homicida corporale damnum inferendi proximo, sed cupiditati duntaxat suæ satisfaciendi? Quamvis igitur absit expressa & formalis intentio inferendi spirituale damnum proximo, seu ipsum impellendi in peccatum, nihilominus speciale delictum est, modò adsit intentio virtualis & interpretativa, ex naturâ & circumstantiis operis æstimanda.

Hanc Regulam confirmat *S. Antoninus*, P. II. Tit. VII. cap. IV. ubi ait, quòd *Si mulier perpendens vel æstimans ex signis aliquem trahi ad concupiscentiam sui extra Matrimonium, offerat se indifferenter aspectui illius, non intendens illum inducere ad concupiscentiam suam, sed nec etiam de hoc curans, sed volens satisfacere voluntati suæ, seu levitati in discurrendo per loca, vel morando ad ostium domûs, vel fenestras, ex quadam curiositate vel vanitate, ut laudetur de pulcritudine, mortale esset. Secùs autem si hoc non æstimaret, vel non benè posset illa dimittere, ut quia oportet ire ad Ecclesiam, vel alia loca, & aliquando cum vicinis morari in via, ne reddat se aliis onerosam, & de ea re displicentiam habeat. Similiter cùm quis habet nimiam familiaritatem cum aliqua persona suspecta, & sentit homines scandalizari, nefaria de eis judicando & loquendo, nec vult dimittere, non curans quòd alii scandalizentur, quamvis non intendat aliquod nefarium, nec illos scandalizare, cùm non subsit causa necessaria illius familiaritatis, peccat mortaliter dando occasionem talis ruinæ. Et de hoc intelligitur illud Matthæi* XVIII. Væ illi per quem scandalum venit. *VÆ autem importat damnationem æternam & signanter dicit, venit, quasi dicat, etiamsi hoc non intenderet, scilicet scandalizare, tamen ejus opus tale est, quòd inde venit scandalum. O quàm hoc miserabile peccatum in mundo abundat, & nullam sibi videntur homines facere conscientiam! Ornatus mulierum tam vanus, tripudiatus, & cantus, quid est nisi magnum scandalum, & laqueus animarum?* Ecce Mulier (*inquit Salomon Proverb.* VII.) in habitu ornata meretricio ad capiendas animas. *Quasi dicat, Operatur ille ornatus ad scandalizan-*

A *dum, & capiendum animas peccato luxuriæ. Verba & gestus lasciviis plena, quæ dicunt quotidie juvenes invicem ex loquacitate, vel solatio, quid sunt nisi magnum scandalum sibi & aliis audientibus?* Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala, (*ait Apostolus* I. *Corinth* XV.) *Contumeliæ, detractiones, derisiones, susurrationes, contentiones & perturbationes generant utique magnum scandalum aliis. Eccli.* XXXII. Superbus & maledicus scandalizabit, *scilicet alios. Blasphemiæ, perjuria, maledictiones, fraudes, non audire Divina, & non sumere Sacramenta, quæ vident filii in pa-* De Scandalo.
B *rentibus suis, quid sunt nisi magna scandala eis, ut similia discant operari? Mala vita manifesta Rectorum & Prælatorum Ecclesiæ, ambitio, avaritia, simonia, pompa vestium, exquisita epulæ, species variæ luxuriæ, nonne magnum scandalum totius Populi Christiani? Unde Dominus Malachiæ* II. Scandalizatis plurimos in Lege; *scilicet propter exempla mala vitæ vestræ.*

REGULA IV.

C *Facere coram aliis id quod speciem mali præ se fert, scandali peccatum est, quoties nulla subest id faciendi ratio legitima, præsentibus, quoad fieri potest, manifestata.*

HÆc Regula nititur verbis Apostoli I. ad Corinthios VIII. *Videte ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nonne conscientia ejus, cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & per-*
D *cutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum; non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Et I. ad Thessalonicenses V. 22. *Ab omni specie mala abstinete vos.*

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XLIII. Art. II. *Activum Scandalum*, (inquit) *semper est peccatum in eo qui scandalizat; quia vel ipsum opus quod facit, est peccatum, vel si habet speciem peccati, dimittendum est semper propter proximi caritatem, qua unusquisque tenetur saluti proximi providere. Et*
E *sic qui non dimittit, contra caritatem agit.*

Si tamen subsit ratio legitima id faciendi quod mali speciem præ se fert, ut necessitas, vel magna utilitas, & caveatur, quantùm fieri potest, ut qui operis conscii sunt, illud & recta intentione, & ex causa legitima fieri, neque revera malum esse noverint; nullius est scandali reus qui ab eo opere non abstinet, qui utitur jure suo: quod autem aliquis ex eo offendatur, non ex ipso provenit opere, sed ex illius malitiâ. Sic *Naaman* Syro permisit *Elisæus* ut Regi Syriæ Domino suo Idolum adoranti obsequium præ-
F staret, corpusque ad illum sustentandum incurvaret, quod mali quidem speciem præ se ferebat: sed tamen cùm *Naaman* unius veri Dei cultum palam profiteretur, perspectum satis & exploratum erat, illum ad fulciendum Regem pro ratione & necessitate officii sui, non ad cultum Idoli genuflectere. Sic *Judith* ornavit se, & ornata *Holofernem* adiit, non eo animo ut ipsum ad amorem illicitum pelliceret: (Nam illi etiam *Dominus contulit splendorem: quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat: & ideo Dominus hanc in illam pulcritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium*

oculis appareres: sed ad honestam familiaritatem. Et quamvis *Holofernem* loqueo oculorum suorum posse capi non ignoraret, jure tamen suo usa est, sciens ejus peccatum imputandum sibi non fore, Sic *David* panes propositionis urgente necessitate comedit (1. *Regum* XXI.) & Machabæi die Sabbati pugnaverunt. (1. *Machabæorum* II.) Quoniam compertum erat justam necessitatem id postulare.

REGULA V.

Qui jussu, suasione, consilio, precibus, autor est alteri ut id faciat, quod absque peccato id fieri non potest, reus est scandali.

IPsum enim directè impellit ad peccatum. Nec refert quòd paratum invenias: non enim pravum propositum opere exequeretur, nisi occasione datâ, quam tu Dæmonis functus officio, & tentatoris personam agens, ipsi offers & præbes. Unde *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXVIII. Art. IV. docet, Nusquam licere impellere seu invitare alterum ad jurandum per falsos Deos, vel ad dandum mutuum cum usurarum conditione; quamvis hujusmodi juramentum & mutuum recipere liceat, si postulet necessitas.

REGULA VI.

Scandali reæ sunt Mulieres Christianæ, quæ vel eâ se ornant intentione ut viros ad amorem alliciant inhonestum: vel habitu dissoluto & immodesto utuntur, qui virorum concupiscentiam excitare possit.

De habitu dissoluto & immodesto mulierum.

MUliebris enim cultus viros ad lasciviam provocat, secundùm illud Proverb VII. *Ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas.*. Potest tamen mulier licitè operam dare ut viro suo placeat, ne per ejus contemptum in adulterium labatur. Unde 1. ad Corinthios VII. dicitur: *Mulier quæ nupta est, cogitat quæ sunt Mundi quomodo placeat viro.* Et ideo (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CLXIX. Articulo secundo.) *Si mulier conjugata ad hoc se ornet ut viro suo placeat, potest hoc facere absque peccato, Illæ autem mulieres quæ viros non habent, nec volunt habere, vel sunt in statu non habendi, non possunt absque peccato appetere placere virorum aspectibus ad concupiscendum, quia hoc est dare eis incentivum peccandi. Et, siquidem hac intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant.*

Et in Responsione ad primum, explicans verba *S. Petri* Epistola I. cap. III. *Quarum non sit extrinsecùs capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultùs*, ait: Illum non prohibere mulieribus conjugatis ornari ut placeant viris, ne detur eis occasio peccandi cum aliis. Unde Apostolus I. ad Timotheum II. ait: *Mulieres in habitu ornato cum verecundia & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa.* Itaque *Sobrius & moderatus ornatus non prohibetur mulieribus; sed superfluus, & inverecundus, & impudicus.*

Hæc *Tertulliani* doctrinæ consona sunt Libro II. *De Cultu Feminarum*, cap. II. *Perfecta* (inquit) *id est, Christiana Pudicitia, appetit omnem sui non tantum non appetendam, sed etiam execrandam vobis sciatis. Primo quòd non de integra conscientia venit studium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis scimus. Quid igitur excitas in te malum istud? Quid invitat, cujus te professeris extraneam? Tum quòd tentationibus viam aperire non debemus, quæ nonnunquam (quod Deus à suis abigat) instando perficiunt, certe vel Spiritum scandale permovent. Debemus quidem ita sanctè & totâ fidei substantiâ incedere, ut confisæ & securæ simus de conscientiâ nostrâ, optantes perseverare id in nobis, non tamen præsumentes. Nam qui præsumit, minùs jam veretur; qui minùs veretur, minùs præcavet; qui minùs præcavet, plus periclitatur...... Quid autem alteri periculo sumus? Quid alteri concupiscentiam importamus? Quam si Deus non ampliando legem facto stupri non discernas in pœna, nescio an impune habeat, quæ alicui fuerit causa perditionis? Peris enim ille simul ut tuam formam concupierit, & facta es tu gladius illi: ut, etsi à culpâ vaces, ab invidia non libereris. Ut cùm in alicujus agro latrocinium gestum est, crimen quidem dominum non contingit: dum rus tamen ignominiâ notatur, ipse quoque in familiâ aspergitur.*

Et cap IX. *Hæ Pompæ* (inquit) *quàm de proximo currens luxuriæ negotium, dignoscere in facili est, quòd gratiam decoris cultùs societate prostituant. Adeo si desint, irritam & ingratam reddunt, velut exarmatam & naufragam. Contra si forma deficit, adminiculum nitoris quasi de suo gratiam supplet. Ætates denique requietas jam & in portum modestiæ subductas splendor & dignitas cultùs avocant, & severitatem appetitionibus inquietant, compensantibus scilicet habitùs irritamentum pro frigore ætatis.*

Habitus dissolutus & immodestus mulierum.

Idem confirmat *S. Cyprianus* Libro *De Disciplina & Habitu Virginum*, ubi ornamentorum ac vestium insignia, & lenocinia formarum, nonnisi prostitutis & impudicis feminis congruere ait: & nullarum ferè pretiosiorem cultum esse, quam quarum pudor vilis est. In Scripturis (scilicet *Apocalypsis* XVII.) describi civitatem meretricem comptam pulchriùs & ornatam, & cum ornamentis suis, ac propter ipsa potiùs ornamenta perituram. Isaiam quoque Spiritu-Sancto plenum filias Sion propter ornatùs immoderationem, lasciviam & superbiam, increpare, cap. III. *Dixit Dominus; Pro eo quòd elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant: Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & theristra. Et erit pro suavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine calvitium, & pro fascia pectorali cilicium.* Atque hinc colligit *S. Cyprianus*, Mulieres immoderato, superbo ac dissoluto ornatu corruptas esse, exaltatas cecidisse, comptas turpitudinem fœditatémque meruisse; sericum & purpuram indutas vix Christum induere posse; auro, margaritis, & monilibus adornatas, eâ nimirum intentione ut viros ad amorem inhonestum alliciant; vel eâ immoderatione, dissolutione, ac elegantiâ quæ virorum concupiscentiam excitare possit, ornamenta cordis ac pectoris perdidisse. Tum subdit: *Quis non id*

execretur & fugiat, quod alii fuerit exitia? Quis id apperat & assumas, quod ad necem alterius pro glado fuerit & telo? Si hausto poculo moreretur ille qui biberat, venenum scires esse quod ille potavit. Si accepto cibo, qui acceperat, interiret; scires esse lethale quod acceptum potuit occidere, nec ederes inde, nec biberes, unde interiisse alios antè conspiceres. Nunc quanta ignorantia veri est, animi quanta dementia, id velle, quod & nocuerit semper & noceat: & putare quòd inde ipsa non pereas, unde alios periisse cognoscas?

Et in eodem Libro: *Cæterùm si tu te sumptuosius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te juventutis illicias, suspiria adolescentium post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, suspirandi fomenta succendas, ut etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te & venenum videntibus præbeas; excusari non potes quasi mente casta sis & pudica.*

Eamdem Regulam confirmat *S. Joannes Chrysostomus*, Homilia XVII. in Evangelium S. Matthæi: *Si qua verò* (inquit) *ideo ornatur & comitur, ut in se oculos omnium irritet, etiamsi nullum pulchritudine sua potuerit vulnerare, dabit tamen extrema supplicia. Paravit quippe virus, temperavit venenum, porrexit poculum, etiamsi nullus qui biberet inventus est.*

Peccati mortalis reum in veste facit sumptus, vel modus.

Hanc denique Regulam confirmat *S. Carolus Borromæus*, in Instructionibus: *Reum* (inquit) *peccati mortalis non solùm facit in veste sumptus; facit aliquando & modus, si nempe immunditiam inspiret, vel ex se, vel juxta communem hominum opinionem, vel si videat, conjiciatve saltem probabiliter, ex occasione illius, quod inter honestos conditionis suæ viros ac mulieres nondum sit usitata, non defuturos qui amorem impudicum concipiant, conceptùmque (nisi protinus abjiciat) retineant diutiùs: contemnens, aut certè parvifaciens illorum hominum salutem, si eodem ornatu uti pergit, haud dubium quin mortaliter peccet.*

REGULA VII.

Superfluus & immoderatus Mulierum ornatus & cultus nusquam absque peccato est.

CHristianæ enim Disciplinæ ab Apostolis traditæ repugnat, I. ad *Timotheum* cap. II. *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa: sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.* Et I. *Petri* cap. III. *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritûs, qui est in conspectu Dei locuples.*

Quot modis peccatur in vestitu, totoque cultu exteriore?

Et certè quamvis in vestibus totóque cultu exteriori nullum vitium sit, ex parte tamen eorum qui his immoderatè utuntur, multiplex peccatum committi potest: Primò, si hominum inter quos vivimus, laudabilem consuetudinem violemus: unde *S. Augustinus*, Libro III. *Confessionum*, cap. VIII. ait: *Quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt, ut pactum inter se civitatis aut gentis consuetudine vel lege firmatum, nullius civis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est suo universo non congruens.*

Secundò, cùm pravo affectu ornatus & cultus externus adhibetur, sive servetur consuetudo eorum quibus convivimus, sive violetur. Unde *S. Augustinus*, Libro III. *De Doctrina Christiana* cap. XII. *Sicut* (inquit) *talares & manicatas tunicas habere apud Romanos veteres flagitium erat, nunc autem honesto loco natis, cùm tunicati sunt, non eas habere flagitium est, sic animadvertendum est in cætero quoque usu rerum abesse oportere libidinem, quæ non solùm ipsâ eorum, inter quos vivit, consuetudine nequiter abutitur, sed etiam sæpe fines ejus egressa, fœditatem suam, quæ inter claustra morum solemnium latitabat, flagitiosissimâ eruptione manifestat.*

In his ergo etsi non rerum usus, libido tamen utentis in culpa est. Quod tripliciter contingit: Primò, si quis ex superfluo & immoderato vestium cultu inanem gloriam quærat, ut vulgò quærunt, qui ornatum cultúmque suo statui & conditioni minimè convenientem, & pretiosiorem quam par sit, affectant & usurpant. De quibus *S. Gregorius Magnus*, Homilia XL. in Evangelia ait: *Sunt nonnulli, qui cultum subtilium pretiosarúmque vestium non putant esse peccatum: quod si culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quòd Dives qui torquebatur apud inferos, bysso & purpurâ indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta pretiosa nisi ad inanem gloriam quærit, videlicet ut honorabilior cæteris videatur. Nam quia pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quæritur, res ipsa testatur, quòd nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, ubi ab aliis non possit videri.*

Secundò, peccatum est in cultu vestium immoderato, si quis illis abutatur ad delicias.

Tertiò, si nimiam sollicitudinem adhibeat in corporis ornatu cultúque quærendo, retinendo, aptando, ut solent mulieres in mundo muliebri: quem tamen si exquirant, & adhibeant *Ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate, propter jactantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale. Et eadem ratio quantùm ad hoc est de viris.* Ita docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CLXIX. Articulis I. & II. Et in cap. I. Epistolæ I. ad *Timotheum*, Lectione I. *Secundùm Augustinum*, (inquit) *duo sunt consideranda in ornatu mulierum, scilicet simplex ornatus, & fucatus. Simplex ornatus, putà in veste, & in auro, & hujusmodi: quod potest fieri cum peccato tribus modis, scilicet ex prava intentione, ut si intendant commotionem concupiscentiæ, ostentationem, vel inanem gloriam. Proverb.* VII. Præparata ad capiendas animas. *Secundo, ut si fiat præter consuetudinem patriæ; quod fit diversimodè: quod enim excedit modum consuetum patriæ, hoc ex levitate animi est. Tertiò, si conditionem sui status excedit. Sed servatâ intentione rectâ, consuetudine patriæ, & conditione statûs, non est peccatum.*

Christianis indignum est gloriam ex cultu corporis, & ornatu vestium aucupari.

Cæterùm quàm indignum sit Christianis Mulieribus aut Viris, qui humilitatem profiteri debent, gloriam ex decore cultúque corporis & ornatu vestium aucupari, egregiè ostendit *Tertullianus*, Libro II. *De Cultu Fœminarum*, cap. III. *Viderit* (inquit) *quem juvat de carne gloriari. Nobis autem primò quidem nullum gloriæ studium est: quia gloria exaltationis ingenium est. Porrò exaltatio non congruit professoribus humilitatis ex præscriptis Dei. Dehinc si omnis gloria vana & superata, quantò magis quæ in carne? Nam etsi gloriandum est, in spiritûs bonis, non in carne placere velle debemus, quia spiritalium sectatores sumus. Quibus operamur, illis gaudeamus. De his gloriam carpamus, de quibus salutem speramus. Planè gloriabitur Christianus etiam in carne, sed cùm propter Christum lacerata duraverit, ut spiritus in ea coronetur, non ut oculos & suspiria adolescentum*

post se trahat. Præterea Feminas Christianas decet, primi delicti memores, *Evam lugentem & pœnitentem* in se circumferre, quò pleniùs id quod de Eva trahunt, ignominiam scilicet primi peccati, & invidiam perditionis humanæ, omnis sanctificationis habitu expiare studeant. *Vivit sententia Dei super sexum istum in hoc seculo; vivat & reatus necesse est. Tu es Diaboli janua, tu es arboris illius resignatrix, tu es Divinæ legis prima desertrix, tu es quæ eum persuasisti, quem Diabolus aggredi non valuit. Tu imaginem Dei, hominem, tam facilè elisisti. Propter tuum meritum, id est, mortem, etiam Filius Dei mori habuit: & adornari tibi in mente est super pelliceas tuas tunicas? .... Omnia ista damnata & mortua Mulieris impedimenta sunt, quasi ad pompam funeris constituta.* (inquit idem *Tertullianus*, Libro I. cap. I.)

Castitatis & humilitatis professio mulieres Christianas ad cultûs & ornatus modestiam obligat.

Et cap. IV. rursus docet, Castitatis, Humilitatisque professionem postulare ut Mulieres Christianæ modesto cultu & habitu incedant. *Habitus feminæ* (inquit) *duplicem speciem circumfert, cultum & ornatum. Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant: ornatum, quem immundum muliebrem convenit dici. Ille in auro & argento, & gemmis, & vestibus deputatur: iste in cura capilli & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri prostitutionis: ut jam hinc prospicias, Dei Ancilla, quid ex his Disciplinæ tuæ conveniat, quæ de diversis institutis censearis, scilicet humilitatis & castitatis.*

Non tetrica, id est, non gravis, non seria, non sancta.

Et cap. XI. *Propter istos* (inquit) *conventus, & mutuum videre ac videri, omnis pompa in publicum proferuntur, aut ut luxuria negotietur, aut gloria insolescat. Vobis autem nulla procedendi causa non tetrica. Aut imbecillus aliquis ex fratribus visitatur, aut Sacrificium offertur, aut Dei Sermo administratur. Quidvis horum gravitatis & sanctitatis negotium est, cui opus non sit habitu extraordinario, & composito, & soluto.*

REGULA VIII.

Scandali reæ sunt Mulieres, quæ collum, pectus, brachiáve nudant, & ita compositæ in publicum prodeunt.

Habitus dissolutus & immodestus mulierum.

Dissoluta enim hujusmodi nuditate occasionem ruinæ viris præbens. Unde quamvis ipsæ castæ essent, insontes tamen non essent. Sed verum & plenum pudicitiæ bonum in ipsis æquos rerum æstimator nemo agnoscet: *Pudicitia* enimvero *Christianæ non satis est esse, verum & videri. Tanta enim debet esse plenitudo ejus, ut emanet ab animo ad habitum; & eructet à conscientia in superficiem.* Cùm feminæ Christianæ meritò *Sacerdotes pudicitiæ* dicantur, indignum planè est ut impudicarum ritu comptæ & ornatæ procedant. *Quid* enim *minùs habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ? Quas si quæ Leges à maritalibus & matronalibus decoramentis coërcebant, jam certè seculi improbitas quotidie insurgens, honestissimis quibusque feminis, usque ad errorem dinoscendi coæquavit;* (inquit *Tertullianus*, Libro II. *De Cultu Feminarum.*)

Nec refert quòd impudicam intentionem non habeant, sed vanam duntaxat gloriam captent de pulchritudine, aut commoditati tantùm suæ consulere velint. Nihilominus enim se ipsas, virósque in periculum peccati mortalis conjicientes, lethaliter peccant. Ut enim ait *Tertullianus*, Libro *De Virginibus velandis*, cap. XIII. *Ubi gloria, illic sollicitatio; ubi sollicitatio, illic coactio; ubi coactio, illic necessitas; ubi necessitas, illic infirmitas. Meritò itaque dum caput non tegunt ne sollicitentur gloriæ causâ, ventres tegere coguntur infirmitatis ruinâ.*

Nec ipsas excusat consuetudo, quæ veriùs corruptela dicenda est, Naturæ, Scripturæ, Disciplinæ contraria, quæ Mulieres velatas incedere jubent, non caput, collum, pectus, brachia nuda, & nundinatitia proferre. *In his* (inquit *Tertullianus* cap. XV. ejusdem Libri) *consistit defensio nostræ opinionis secundùm Scripturam, secundùm Naturam, secundùm Disciplinam. Scriptura legem condit, Natura contestatur, Disciplina exigit. Cui ex his consuetudo opinionis prodest, vel quid diversæ sententiæ color est? Dei est Scriptura, Dei est Natura, Dei est Disciplina: quicquid contrarium est istis, Dei non est. Si Scriptura incerta est, Natura manifesta est, & de ejus testimonio Scriptura incerta non potest esse: Si de Natura dubitatur, Disciplina quid magis Deo ratum sit ostendit. Nihil est illi carius humilitate, nihil acceptius modestiâ, nihil perosius gloriâ & studio hominibus placendi.... Oro te, sive mater, sive soror, sive filia virgo, vela caput: si mater propter filios: si soror, propter fratres: si filia, propter patres. Omnes in te ætates periclitantur: indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.... Christus est qui & alienas sponsas & maritatas velari jubet, utique multò magis suas. Sed & vos admonemus alterius pudicitiæ mulieres, quæ in nuptias incidistis, ne sic à disciplina velaminis exolescatis, ne quidem in momento horæ, ut quia rejicere illam non potestis, alio modo destruatis, neque tectæ, neque nudæ incedentes. Mitris enim & lanis quædam non velant caput, sed colligant, à fronte, quidem protectæ; quà propriè autem caput est, renudæ. Aliæ modicè linteolis, credo ne caput premant, nec ad aures usque demissis cerebro tenus operiuntur....... Sciant quia totum caput mulier est. Limites & fines ejus eò usque porriguntur, unde incipit vestis. Quantùm resoluti crines occupare possunt, tanta est velaminis regio, ut cervices quoque ambiantur. Ipsæ enim sunt quas subjectas esse oportet, propter quas potestas supra caput haberi debet: velamen jugum illarum est. Judicabunt vos Arabiæ feminæ Ethnicæ, quæ non caput, sed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo liberato contentæ sint dimidiam frui lucem, quàm totam faciem prostituere. Quas propterea infelicissimas ait Romana quædam Regina, quòd adamare magis quàm adamari possint: cùm sint ex alterius infelicitatis, & quidem frequentioris, immunitate felices, quia faciliùs adamari quàm adamare feminæ possunt.*

Hanc Regulam confirmat *Clemens Alexandrinus*, Libro II. *Pædagogi*, cap. II. *Nullo modo* (inquit) *permittendum est mulieribus, ut nudam aliquam corporis partem offerant viris, ne ambo prolabantur: hi quidem ut qui ad videndum incitentur; illæ verò ut quæ in se virorum intuitum attrahant.*

Mulieribus quæ pectore, humeris, brachiisve nudis prodeunt in publicum absolutio & communio neganda.

Et S. *Hieronymus* Epistola VIII. ad *Demetriadem* de Virginitate servanda: *Illa* (inquit) *tibi sit pulchra, illa amabilis, illa habenda inter socias, quæ se nescit esse pulchram, quæ negligit formæ bonum; & procedens ad publicum, non pectus & colla denudat, nec pallio revoluto cervicem operit.* Quamobrem mulieres, quæ pectore, humeris, brachiisve nudis prodire in publicum non erubescunt, Absolutione Sacramentali, & Sacra Communione donari vetant Synodus Andegavensis anni 1607. Statuta Synodalia Bisuntinæ Ecclesiæ, Tit. XIV. Stat. XI. Statuta Synodica Diœcesis

cesis Cadurcensis anno 1638. Cap. IX. Rituale Bituricense editum anno 1666. Cap. IV. *De Sacramento Pœnitentiæ*; Constitutiones & Instructiones Syoodicæ *S. Francisci Salesii* & Illustrissimi *Arentonii d'Alex*, Genevensium Episcoporum P. IV. Tit. X. Nom. 4. Statota Syoodica Diœcesis Aginneosis, Tit. XXX. n. 10. Coostitotiones Synodicæ Eminentissimi Cardinalis *Grimaldi* Aquensis Archiepiscopi, &c.

REGULA IX.

Scandali rea sunt Mulieres, quæ fucis vultum adulterant, aut capillos tingunt, & lethalis plerumque peccati reatum incurrunt.

Fucorum usus quàm grave peccatum?

FUcos à Dæmonibus inventos, eorúmque usom edoctas ab illis Mulieres, asserere oon dubitat *Tertullianus* Libro I. *De cultu Feminarum*, Cap. II. Et Libro II. Cap. V. & sequeotibus ostendit quàm sit contrarius Christianæ morum Disciplinæ fucorum usus, & quàm grave sit peccatum. Ubi enim præmisit, in *justitia corporis excolendi* non sopergrediendum ultra qoàm simplex & sofficiens munditia postulat, ultra quàm Deo placet; sobdit: *In illum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus urgent, genas rubore maculant, oculos fuligine porrigunt. Displicet nimirum illis plastica Dei: in ipsis se nimirum arguunt & reprehendunt Artificem omnium. Reprehendunt enim cùm emendant, cùm adjiciunt, utique ab adversario Artifice sumentes additamenta. Is est Diabolus. Nam quis corpus mutare monstraret, nisi qui & hominis spiritum malitiâ transfiguravit? Ille indubitatè hujusmodi ingenia concinnavit, ut in vobis pareat manus vos quodammodo Deo inferre. Quod nascitur, opus Dei est. Ergo quod infingitur, diaboli negotium est. Divino operi Satanæ ingenia superducere, quàm scelestum est? Servi nostri ab inimicis nostris nihil mutuantur. Milites ab hoste Imperatoris sui nihil concupiscunt. De adversario enim ejus in cujus manu sis, aliquid usui postulare, transgressio est. Christianus à Malo illo adjuvabitur in aliquo? Nescio an hoc nomen ei perseveret. Erit enim ejus, de cujus doctrinis instrui concupiscit. Quantùm autem à vestris disciplinis & professionibus aliena sunt, quàm indigna Nomine Christiano, faciem fictam gestare, quibus simplicitas omnis indicitur? Effigie mentiri, quibus linguâ non licet? Appetere quod datum non sit, quibus alieni abstinentia traditur? Adulterium in specie exercere, quibus studium pudicitiæ sit? Credite, Benedictæ, quomodo præcepta Dei custodietis, lineamenta ejus in vobis non custodientes?... Dominus ait, Quis vestrûm potest capillum atrum ex albo facere, aut album ex atro? Itaque revincunt Deum.* Ecce, inquiunt, *pro albo vel atro flavum facimus, gratiâ faciliorem. Quamvis & atrum ex albo conantur facere, quas pœniteat senectam usque vixisse: Proh temeritas! Erubescit ætas exoptata votis, furtum conficitur, adolescentia in qua deliquimus suspiratur, occasio gravitatis interpolatur. Absit Sapientiæ filiabus stultitia tanta...... Quid tanta ordinandi crinis operositas ad salutem subministres? Quid crinibus vestris quiescere non licet, modò substrictis, modò relaxatis, modò elisis? Aliæ gestiunt in cincinnos coërcere, aliæ ut vagi & volucres elabantur, non bona simplicitate...... Prodite vos medicamentis & ornamentis exstructæ Prophetarum & Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundiâ, & oe taciturnitate, inserentes in aures sermones Dei, adnectentes cervicibus jugum Christi, caput maritis subjicite, & satis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domui figite, & plus quàm in auro placebitis. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpurâ pudicitiæ. Taliter pigmentatæ, Deum habebitis amatorem.*

Matth. 5. 36.

Eamdem Regulam confirmat *Sanctus Cyprianus*, Libro *De Disciplina & Habitu Virginum*, ubi non Virgioes tantùm aut vidoas, *sed & nuptas, & omnes omnino feminas* admonet, *quòd opus Dei & factura ejus & plastica adulterari nullo modo debeat, adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore, aut qualibet denique lineamenta nativa corrumpente medicamine. Dicit Deus*, « Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; » *& audet quisquam mutare & convertere quod Deus fecit? Manus Deo inferunt, quando id quod ille formavit, reformare & transfigurare contendunt, nescientes quia opus Dei est omne quod nascitur, Diaboli quodcunque mutatur. Si quis pingendis artifex vultum alicujus & speciem & corporis qualitatem, æmulo colore signasset, & signato jam consummatóque simulacro manus alius inferret, ut jam formata, jam picta quasi peritior reformaret; gravis prioris artificii injuria, & justa indignatio videretur. Tu te existimas impunè laturam tam improbæ temeritatis audaciam, Dei artificis offensam. Ut enim impudica circa homines & incesta fucis lenocinantibus non sis; corruptis violatisque quæ Dei sunt, pejor adultera detineris. Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio est ista divini operis, prævaricatio est veritatis. Monentis Apostoli vox est*: « Expurgate vetus fermentum, ut sitis « nova conspersio, sicut estis azymi; nam & « Pascha nostrom immolatus est Christus: ita- « que festa celebremos non in fermento vetere, « neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in « azymis sinceritatis & veritatis. *Num sinceritas « perseverat, & veritas, quando quæ sincera sunt polluuntur colorum adulteriis, & medicaminum fucis in mendacium vera mutantur? Dominus tuus dicit:* « Non potes facere capillum unum album aut « nigrum; *& tu ad vincendam Domini tui vo- « cem vis te esse potiorem? Audaci conatu, & sacrilego contemptu crines tuos inficis, malo præsagio futurorum capillos jam tibi flammeos auspicaris, & peccas, proh nefas! capite, id est, corporis parte meliore: & cùm scriptum sit de Domino:* « Caput « autem ejus & capilli erant albi velut lana, aut « nix; *& tu execraris canitiem, detestaris alborem, qui fit ad Domini caput similis. Non metuis, oro quæ talis es, ne cùm Resurrectionis dies advenerit, Artifex tuus te non recognoscat, & ad sua præmia & promissa venientem removeat & excludat? Increpans vigore Censoris & Judicis dicat: Opus hoc meum non est, nec imago hæc nostra est; cutem falso medicamine polluisti, crinem adultero colore mutasti, expugnata est mendacio facies, figura corrupta est, vultus alienus est, Deum videre non poteris, quando oculi tibi non sunt quos Deus fecit, sed quos Diabolus infecit. Illum tu secuta es, rutilos atque depictos oculos serpentis imitata es; de inimico tuo compta, cum illo pariter & arsura.*

Fucorum usus.

1. Cor. 5.

Apocal. 14.

Legendi in eaodem sententiam *Clemens Alexandrinus*, Libro III. *Pædagogi* Cap. II. III. & XI. *S. Gregorius Nazianzenus*, Oratione De Laudibus *Gorgoniæ* Sororis, *S. Ambrosius*, Libro I. *De Virginibus*, Cap. VI. ubi nequidem fucorum usum licitom esse feminis docet ut maritis placeant. *Hinc illa* (inqoit) *nascuntur incentiva vitiorum, ut quæsitis coloribus ora depingant, dum viris displicere formidant; & de adulterio vultûs meditantur adulterium castitatis. Quanta hic amentia, effigiem mutare naturæ, picturam quærere,*

Fucorum usus.

& dum verentur maritale judicium, prodere suum? Prior enim de se prenuntiat, quæ cupit mutare quod nata est. Ita dum alii studet placere, prius sibi ipsa displicet. Quem judicem, mulier, veriorem requirimus deformitatis tuæ, quàm te ipsam, quæ videri timet? Si pulcra es, quid absconderis? Si deformis? cur te formosam esse mentiris, nec tua conscientia, nec alieni gratiam erroris habitura? Ille enim alteram diligit, tu alteri vis placere. Et irasceris si amet aliam: qui adulterare in te docetur? Mala magistra es injuriæ tuæ. Lenocinari enim refugit, etiam quæ passa lenonem est, ac licèt vilis mulier, non alteri tamen, sed sibi peccat; tolerabilioráque propemodum in altero crimina sunt; ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur.

Inanis mulierum, quæ fucis utuntur excusatio.

Ante *S. Ambrosium* eamdem conjugatarum mulierum excusationem velut inanem rejecerat *S. Cyprianus*, loco supra laudato. *Viderint* (inquit) *quid sibi nuptæ per placendi studium de conjugum solatio blandiantur; quos dum in excusationem suam proferunt, ad societatem criminosa consensionis adsciscunt.*

Et ante hunc *Tertullianus*, Libro II. *De Cultu Feminarum*, Capp. II. & IV. *Expiagamus nos, ut alteri pereant. Ubi est ergo*, Diliges proximum tuum sicut te ipsum? *Nolite vestra tantum curare, sed alterius...... Cùm igitur & nostra & aliorum causa versetur in studio per culosissimi decoris, jam non tantùm conficta & elaborata pulcritudinis suggestum recusandum à vobis sciatis, sed etiam naturalis speciositatis obliterandum dissimulatione & incuriâ, ut perinde oculorum incursibus molestum.... Sancta femina si naturaliter speciosa, non adeo sit occasio. Certè si & fuerit, non adjuvare, sed etiam impedire debet. Quasi Gentilibus dicam, Gentili & communi omnium præcepto alloquens vos, Solis maritis vestris placere debetis. In tantùm autem placebitis eis, in quantum aliis placere non curaveritis..... Uxor nulla deformis est marito suo. Satis placuit cùm electa est, seu moribus, seu formâ commendata. Ne qua vestrûm putet, si temperaverit à compositione sui, odium & aversionem maritorum prosecuturam. Omnis maritus castitatis exactor est. Formam verò Fidelis non expostulat, quia non iisdem bonis quæ Gentiles bona putant, capimur: infidelis contra, etiam suspectam habet. Cui ergo pulcritudinem tuam nutris? Si Fideli, non exigit: si infideli, simplicem non credit. Quid gestis aut suspecto, aut non desideranti placere?*

Hanc Regulam confirmat & *S. Hieronymus*, Epistola XXIII ad *Marcellam* de *Blesillæ* ægrotatione. *Illæ*, inquit, *Christianos oculos scandalizent potiùs, quæ purpurisso & quibusdam fucis ora oculósque depingunt, quarum facies gypsea, & nimio candore deformes idola mentiuntur: quibus si fortè improvidis lacrymarum stilla erupit, sulco defluit: quas nec numerus annorum potest docere quod vetulæ sint; quæ capillis alienis verticem struunt, & præteritam juventutem in rugis anilibus poliunt. Quæ denique ante nepotum gregem trementes virgunculæ componuntur. Erubescat Mulier Christiana si naturæ cogit decorem, si carnis curam facit ad concupiscentiam; in qua qui sunt, secundùm Apostolum, Deo placere non possunt.*

Et *S. Paulinus*, Epithalamio in *Julianum* & Clarissimam ejus Uxorem:

Absit ut idolici videatur filia Templi,
Gentis Apostolicæ filia facta domo,
Non fucis malè ficta cutem neque lumina nigro
Pulvere, nec flavo tincta colore comam.
Purum naturæ decus aspernatu superbo
Crimine, divinum in se sibi damnat opus.
Frustra hac se Mulier jactaverit esse pudicam,
Quæ se tam variis ornat adulteriis.
Vos autem Juvenes Christi, fugite omnia, quorum
In damno pretium est, usus in interitu.
Credite divinis verbis, de cultibus istis
Pœnalem cupidis surgere materiam.

Fucorum usus.

Idem confirmat *S. Augustinus*, Epistola CCXLV. aliàs LXXXIII. ad *Possidium* data. *Nolo tamen*, inquit, *de ornamentis auri vel vestis præproperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos, qui neque conjugati, neque conjugari cupientes, cogitare debent quomodo placeant Deo. Illi autem cogitant quæ sunt Mundi, quomodo placeant vel viri uxoribus, vel mulieres maritis. Nisi quòd capillos audare feminas, quas etiam caput velare Apostolus jubet,* (1. Cor. 7. 11.) *nec maritatas decet. Fucari autem pigmentis, quò vel rubicundior vel candidior appareat, adulterina fallacia est, quâ non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis permittenda sunt feminæ ornari, secundùm veniam, non secundùm imperium. Nam verus ornatus maximè Christianorum & Christianarum, non tantùm nullus fucus mendax, verùm ne auri quidem vestisque pompa, sed mores boni sunt.* Hic locus refertur, *De Consecratione*, Dist. v. Canone, *Fucari*.

Ad hujus Regulæ plenam explicationem addenda est *S. Thomæ* Responsio, Secunda Secundæ, Quæstione CLXIX. Articulo II. ad secundum. *Mulierum fucatio*, inquit, *est quædam species fictionis, quæ non potest esse sine peccato.... Non semper tamen talis fucatio est cum peccato mortali, sed solùm quando fit propter lasciviam, vel in Dei contemptum; in quibus casibus loquitur S. Cyprianus. Sciendum tamen quòd aliud est fingere pulcritudinem non habitam, & aliud occultare turpitudinem ex aliquo casu provenientem, putà ægritudine, vel aliquo hujusmodi. Hoc enim est licitum; quia secundùm* Apostolum I. ad Corinthios XII. *Quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus.*

REGULA X.

Scandali reæ sunt Mulieres, alienos capillos ad ornandum caput adhibentes.

Si enim mulieres velato capite procedere & orare jubet Apostolus, *Non in tortis crinibus*; (1. Tim. 2. 1. Pet. 3.) Si tales esse volt Apostolorum Princeps, *Quarum non sit extrinsecus capillatura*: alienis certè capillis luxuriantia & nundinatitia Christianarum Feminarum capita multò magis damnat Christiana Disciplina.

Enormis & immodesta mulierum capitum ornamenta.

Hanc Regulam confirmant Patres, *Tertullianus*, imprimis Libro II. *De Cultu Feminarum*, Cap. VII. *Affigitis præterea*, inquit, *nescio quas enormitates capillamentorum, nunc in galeri modum, quasi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in cervicem retro suggestum. Mirum quòd non contra Dominica Præcepta contenditur. Ad mensuram neminem sibi adjicere posse, prenuntiatum est. Vos verò adjicitis ad pondus collyras quasdam, vel scutorum umbilicos cervicibus adstruendo. Si non pudet enormitatis, pudeat iniquinamenti: ne exuvias alieni capitis, forsan immundi, forsan nocentis & gehennæ destinati, sancto & Christiano capiti supparetis. Immò omnem hanc ornatûs servitutem à libero capite depellite. Frustra laboratis ornata videri, frustra peritissimos quosque structores capillaturæ adhibetis. Deus vos velari jubet. Credo ne quarumdam capita videantur. Atque utinam miserrimus ego, in illa die Christianæ Exaltationis, vel infra calcanea*

vestra

De Scandalo.

vestra caput elevem: videbo an cum cerussa & purpurisso & croco, & illo ambitu capitis resurgatis: an taliter expictas Angeli in nubila sublevent obviam Christo in aera. Si nunc bona & Dei sunt, tunc quoque occurrent resurgentibus corporibus, & suo loco agnoscent. Sed non potest resurgere nisi caro & spiritus solus ac purus. Damnata sunt igitur quæ in carne & spiritu non resurgunt, quia Dei non sunt. Damnatis hodie abstinete. Hodie vos Deus tales videat, quales tunc videbit.

Eamdem Regulam confirmat *S. Clemens Alexandrinus*, Libro III. Pædagogi: *Alienorum*, (inquit) *capillorum appositiones sunt omnino rejicienda, & externas comas capiti adhibere, est maximè impium, qua mortuis pilis cranium induunt. Cui enim manum imponit Presbyter? Cui autem benedicet? Non mulieri qua est ornata, sed alienis capillis, & per ipsos alii capiti. Si autem mulieris quidem caput est vir, viri autem caput est Christus, quomodo non est impium eas in duplex peccatum incidere? Per immodicam enim comam viros decipiunt: Dominum autem, quantùm in ipsis est, dedecore afficiunt, dum meretriciè ornantur in fraudem veritatis, & caput quod verè pulcrum est, ut maledictum sit, efficiunt.*

Idem confirmant *S. Gregorius Nazianzenus*, Carmine in mulierum Ornatum, *S. Hieronymus* Epistola ad *Demetriadem*, aliique Patres, & *Ivo* Carnotensis Episcopus Sermone XXIV. *De adulterino habitu virorum vel mulierum.*

S. Bernardinus Senensis, Sermone XLVII. habito Feria VI. post Dominicam in Passione, ait, *Alexandrum Halensem* peccati mortalis reas pronuntiare mulieres, quæ fucis, aut adulterinis crinibus ad ornatum utuntur. Quærit *Alexander De Hales*, inquit, *utrum fucata, aut adulterinos crines seu vivorum, seu mortuorum, ad ornatum sibi usurpantes, debeant accedere ad sacram Communionem. Et respondet, quòd tales mortaliter peccant, & indignas se efficiunt Sacra Communione. Et hoc maximè propter tria, qua inde sequuntur; primò offensio Dei, secundò offensio proximi, tertiò offensio sui.* Offensio Dei, *quia non solùm sinceritas Summi Opificis impugnatur, verùm etiam verbum Dei contemnitur & infirmatur.* Offensio proximi, *scilicet fictio & mendacium inducens errorem ex certa scientiâ.* Offensio sui, *quia injuriatur propria natura...... Propterea dicendum est, quod sive sint soluta, sive conjugata, mortaliter peccant hujusmodi abutentes abusionibus. Non tamen nego, quin permissum sit conjugatis ornare se honesto ornatu vestium propter Maritos, dum tamen nihil falsitatis, aut adulterina pictura, aut capillatura usurpent. Sed dices, Hoc faciunt; scilicet quia se fucant, & capillis talibus abutuntur, ut placeant maritis suis. Dicendum, quòd voluntas hac placendi maritis suis, seu ipsum placitum, non excusat eas à peccato mortali: quia modus per quem placent seu placere intendunt, nec » Deo placet, nec maritis.* Aliorum subinde refert » opinionem, dicentium, quòd si conjugata non » ut laudetur de pulcritudine, vel provocet alios » ad sui concupiscentiam, aut aliâ corruptâ in» tentione; sed tantùm ne maritus ejus propter » ejus deformitatem scandalizatus exhorrens eam » adulterium incurrat; aut tincturis aliquibus » uteretur, aut capillis alienis, non mortaliter » peccaret. Et hi dicunt, quòd *S. Cyprianus* & » alii hanc abusionem detestantes: intelligunt de » illis quæ hujusmodi faciunt intentione corruptâ. *Ista autem diffinitio*, (inquit) *mihi videtur melior & certior.* Hæc *S. Bernardini Senensis*, *Silvestri*, *Cajetani* Cardinalis, & aliorum paulò indulgentior opinio, veniale dumtaxat peccatum agnoscentium in usu fuci, & capillorum alienorum, cùm ex sola vanitate, non ex impudico affectu adhibentur, & alioqui nullum imminere videtur gravis scandali probabile periculum, probabilis est & tuta, eámque Conscientiarum Moderatores sequi possunt, cùm sit & *S. Thomæ*, Secunda Secundæ, Quæstione CLXIX. Articulo secundo, tùm in corpore Articuli, cùm in Responsione ad secundam objectionem. Sed Concionatores & Confessarii omni studio zelóque Mulierum vanitatem reprehendere debent, & verbi Dei cauterio curare pravæ consuetudinis malum. *Sanctus Bernardinus Senensis* definit ibidem caput ornatum Mulieris vanæ. *Si quaratur*, (inquit) *quid est caput ornatum Mulieris vana? Responderi potest quòd Tumor superbia, Babylonica turris, vexillum Diaboli, derisio Christi, luxuria signum, duplicitas cordis, sanctificatio criminis, lucifuga Animarum, laquei Dæmonum, diabolicum monstrum, sedes Satana, & remuneratio passionum.* Quæ omnia singillatim explicat.

In Summa, verbo Ornatus.

REGULA XI.

Scandali rei sunt & viri in corporis cultu & capillatura curâ modum excedentes.

Siquidem (inquit *Tertullianus* Libro II. *De Cultu Feminarum*, Cap. VIII.) *& viris propter feminas, ut feminis propter viros vitio natura ingenita est placendi voluntas; propriásque præstigias forma & hic sexus sibi agnoscit, barbam acriùs cadere, intervellere, circumradere, capillum disponere, & decolorare caniciem, primam quamque subducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri distringere, cetera pulveris cujusdam aspritudine levigare, tum speculum omni occasione consulere, anxiè inspicere; cùm tamen cognito Deo, adempta placendi voluntate per luxuria occasionem, omnia illa ut otiosa aut hostilia recusantur. Nam ubi Deus, ibi pudicitia, ibi gravitas adjutrix & socia ejus. Quo ergo pulchè pudicitiam sine instrumento suo, id est, sine gravitate tractabimus? Quomodo autem gravitatem administranda pudicitia adhibebimus, nisi & in facie, & in cultu, & in totius hominis contemplatione severitas circumferatur? Quamobrem ergo vestitum quoque & reliqua compositionis vestra impedimenta, perinde vobis curanda est amputatio, & decussio redundantioris nitoris. Nam quid prodest, faciem quidem frugi & expeditam, & simplicitatem condignam divina Disciplina exhibere, cetera verò corporis laciniosis pomparum & deliciarum ineptiis occupare?*

Hanc Regulam confirmat *S. Hieronymus*, in Cap. I. *Sophonia* Prophetæ. *Neque verò* (inquit) *astimandum est eos solos periisse qui argento erecti sunt; sed juxta hanc diffinitionem peribit & ille, qui in generis nobilitate se jactat: qui gloriatur in dignitatibus, peribit: qui inflatur, peribit: qui in fortitudine corporis gloriatur, peribit: peribit, qui in feminco languore mollitus comam nutrit, vellit pilos, cutem polit, & ad speculum comitur, qua propriè passio & insania feminarum est.*

Id denique confirmant Acta *S. Tiburtii* Martyris, apud *Baronium*, ad annum 286. Sanctus enim Martyr *Torquatum* testem Apostatam recusans ait: *Credisne hunc esse Christianum, qui in sui lenocinio moliendo, capitis fimbrias admittit, qui consorem diligit, qui scrupulis molliter gestit, qui fluxum gressum improbo nixu distendit, qui neglectis viris feminas intuetur? Numquam tales pestes Christus dignatus est habere servos suos.*

Regula XII.

Lethalis scandali rei sunt, qui alterius sexûs veste absque necessitate utuntur. Non levis etiam scandali rei sunt, qui larvati incedunt.

De Scandalo.

PRima pars istius Regulæ nititur hoc Dei Præcepto, Deuter. xxii. quod non ceremoniale tantùm, sed etiam morale est: *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea: abominabilis enim apud Deum qui facit hæc.* Quem locum expendens *S. Ambrosius*, Epist. lxix. ad *Irenaum* data ait: *Incongruum est, quod ipsa etiam abhorret natura. Cur enim homo, non vis videri esse quod natus es? Cur alienam tibi adsumis speciem? Cur mentiris feminam, vel tu femina virum? Suis unumquemque sexum induit natura indumentis.... Mendacium & in verbo turpe est, nedum in habitu. Denique in Templis, ubi mendacium fidei, ibi mendacium naturæ. Illic assumere viros muliebrem vestem, gestúmque femineum, sacrum putatur.* Et infra: *Meritò illic non servatur castimonia, ubi non tenetur sexûs distinctio; in quo evidentia naturæ magisteria sunt.*

Idem confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione clxix. Articulo ii. in Responsione ad tertium. *Cultus*, inquit, *exterior debet competere conditioni personæ secundùm communem consuetudinem: & ideo de se vitiosum est quòd mulier utatur veste virili, aut è converso, & præcipuè quia hoc potest esse causa lasciviæ: & specialiter prohibetur in Lege; quia Gentiles tali mutatione habitus utebantur ad idololatriæ superstitionem. Potest tamen quandoque hoc fieri sine peccato, propter aliquam necessitatem, vel causâ se occultandi ab hostibus, vel propter defectum alterius vestimenti, vel propter aliquid hujusmodi.* Sic *S. Antoniam* Virginem *Alexander*, ac *Theodoram* item Virginem *Didymus*, commutatis vestibus è lupanari liberavit, ut in Martyrologio legimus ad diem xxii. Aprilis, & ad iii. Maii. Sic *S. Ambrosius* Libro ii. *De Virginibus*, Cap. iv. simile factum narrat Antiochenæ cujusdam Virginis, quam & ignotus Miles ad eam liberandam in lupanar ingressus, sic alloquitur: *Ne quæso paveas, soror. Frater huc veni salvare animam, non perdere. Serva me, ut ipsa serveris. Quasi adulter ingressus, si vis, Martyr egrediar. Vestimenta mutemus, conveniunt mihi tua, & mea tibi, sed utraque Christo. Tua vestis me verum Militem faciet, mea te Virginem. Sume habitum, qui abscondat feminam: trade, qui consecret Martyrem. Induere chlamidem quæ occultet membra Virginis, servétque pudorem. Sume pileum quod tegat crines, abscondat ora, &c. Quid plura? Mutato habitu evolat puella de laqueo..... Damnatus est pro Virgine, qui pro Virgine comprehensus est. Ita de lupanari non solùm Virgo, sed etiam Martyres exierunt. Fertur puella ad locum supplicii cucurrisse, certasse ambos de nece..... Duo contenderunt, & ambo vicerunt: nec divisa est corona, sed addita.* Sic *Eugeniam*, *Euphrosinam*, *Apollinarem* refert Metaphrastes mutatâ veste sexum dissimulasse, ut apud viros Monasticam Vitam profiterentur, cùm in illarum patria Monasteria feminarum nulla essent. (Apud *Surium* ad diem xxv. Decembris, & ad primam & v. Januarii.) Sic ipse rursus *Theodoram*, Jacobus autem Diaconus Heliopolos *Pelagiam* ad expiandum lapsum suum idem fecisse, ad diem xi. Septembris, & viii. Octobris narrant. Sic *Joanna* Puella Aurelianensis, ut instinctu divino auxilium *Carolo VII.* Regi Christianissimo ad hereditarium Regnum recuperandum ferret, militarem vestem induit: quæ ab hostium calumniis eam ob caussam irrogatis plenè per Commissarios à *Calisto III.* Pontifice Maximo delegatos anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto vindicata est. Quæ tamen facta non sunt in consequentiam & in exemplum trahenda.

De Scandalo.

Extra casum necessitatis urgentis, veste alterius sexus uti lethale peccatum est.

Extra casus necessitatis urgentis, dissimulare sexum, & veste alterius sexûs uti, lethale peccatum est. Unde *Sanctus Augustinus*, Libro ii. *Soliloquiorum*, Cap. xvi. *Credo*, inquit, *jure infames intestabilésque haberi, qui muliebri habitu se ostentant, quos nescio utrum falsas mulieres, an falsos viros meliùs vocem. Veros tamen histriones veróśque infames sine dubitatione possumus vocare: aut si lateat, nec infame quidquam nisi à turpi fama nominatur, verùm nequam non sine veritate dicimus.* Et paulò post: *Magna quæstio est, utrum patria liberanda causâ muliebri tunicâ indutus, debeat hostem decipere, hoc ipso quo mulier falsa sit, fortasse verior vir futurus. Et utrum Sapiens, qui aliquo modo certum habeat, necessariam fore vitam suam rebus humanis, malit mori frigore, quàm femineis vestibus, si aliud non sit, amicire. Sed de hoc alias videbimus. Profectò enim cernis quanta inquisitionis indigeat, quatenus ista progredi debeant, ne in quosdam inexcusabiles turpitudines decidatur.*

Ante S. Augustinum ejus conterraneus *Tertullianus* Libro *De Pallio*, sententiosè pro more ait: *Habitum transferre ita demum culpa prope est, si non consuetudo, sed natura mutetur. Sat refert inter honorem temporis & Religionem. Det consuetudo fidem tempori, natura Deo.*

Concilium Grangense Canone xiii. damnat Anathemate mulieres, quæ Continentiæ & Religionis causâ virilem habitum usurparent. *Si qua mulier*, inquit, *propter continentiam, quæ putatur, habitum mutat, & pro solito muliebri amictu virilem sumit, Anathema sit.* In Jus Canonicum relatus est, Canone *Si qua mulier*, Distinctione xxx. Multò magis damnandi viri, qui muliebrem amictum sumunt. Ut enim *S. Ambrosius* Epistola lxix. ad *Irenaum* ait: *Græco more influxit ut feminæ virilibus quasi sæce meliorībus tunicis utantur. Esto tamen ut illæ imitari videantur melioris sexûs naturam, quid viri inferioris sexûs mentiri speciem volunt?*

Concilium Trullanum Canone lxii. statuit *Ut nullus vir deinceps muliebri veste induatur, vel mulier veste viro conveniente. Sed neque comicas, vel satyricas, vel tragicas personas induat.... Qui deinceps aliquid eorum, quæ scripta sunt, aggredientur, si sint quidem Clerici, deponi jubemus, si verò Laici, segregari.*

Larvarum usus damnatur.

Regulæ pars altera, quæ larvarum usum spectat, astruitur *Tertullian* verbis, Libro *De Spectaculis*, Cap. xxiii. *Jam vero*, inquit, *ipsum opus personarum, quæro an Deo placeat, qui omnem similitudinem vetat fieri, quantò magis imaginis suæ? Non amat falsum Autor Veritatis: adulterium est apud illum omne quod fingitur.... Ceterùm cùm in Lege præscribit Maledictum esse qui muliebribus vestietur, quid de pantomimo judicabit, qui etiam muliebribus curatur?* Id est, voce, gestu, incessu accuratissimè effeminatur.

Idem *S. Joannis Chrysostomi*, Homilia xxxviii. in Matthæum: *Quis est*, inquit, *ille theatralium hominum adeo magnus sonitus? Quis tantus tumultus? Qui diabolici clamores? Qui vestitus satanici? Alius cùm adolescens sit, comam pone redactam habet, & naturam aspectu, vestitu, incessu, cæterisque hujusmodi effeminando, ad tenerinsculæ imaginem puellæ deducere contendis. Alius è contrà cùm sit senex, novaculâ pilos & pudorem omnem abrasus,*

De Scandalo.

cinctus assistens, ad dicendum ac faciendum omnia paratus est.

Eamdem Regulam confirmat Autor Sermonis in Augustiniana Appendice cxxx. *Dæmonum est* (inquit) *suave sacrificium, cùm aut dicitur à nobis aliquid, aut fit, quo honestas, quæ est amica justitia, improbis actibus violata discedat. Quid enim est tam demens, quàm virilem sexum in formam mulieris turpi habitu commutare? Quid tam demens quàm deformare faciem, & vultus induere, quos ipsi etiam Dæmones expavescunt? Quid tam demens quàm incompositis motibus, & impudicis carminibus vitiorum laudes inverecunda delectatione cantare? Indui ferino habitu, & capreæ aut cervo similem fieri, ut homo ad imaginem Dei & similitudinem factus sacrificium Dæmonum fiat? Per hæc ille malorum Artifex se intromittit, ut captis paulatim per ludorum similitudinem mentibus dominetur.*

Calculum suum addit *S. Petrus Chrysologus*, Sermone CLV. ubi in illos invehitur, qui larvas idolorum joci causâ assumebant. *Quis* (inquit) *satis lugeat eos, qui simulacra faciunt semetipsos? Nonne isti amiserunt imaginem Dei, similitudinem perdiderunt Christi, exuti sunt indumentum, qui se simulacrorum formis sacrilegis formaverunt? Sed dicet aliquis: Non sunt hæc sacrilegiorum studia, vota sunt hæc jocorum: & hoc esse novitatis lætitiam, non vetustatis errorem: esse hoc anni principium, non Gentilitatis offensam. Erras, homo, non sunt hæc ludicra, sunt crimina. Quis de impietate ludit, de sacrilegio quis jocatur, piaculum quis dicit, risum? Satis se decipit, qui sic sentit. Tyrannus est, tyranni habitum qui præsumit. Imaginem Dei portare noluit, qui idoli voluerit portare personam. Qui jocari voluerit cum Diabolo, non poterit gaudere cum Christo. Nemo cum serpente securus ludit; nemo cum Diabolo jocatur impunè. Si qua sunt ergo viscera pietatis in nobis, si qua est in nobis contemplatio humanitatis, si quos nos habet fraterna salutis affectio, abstrahamus eos qui sic ad perditionem currunt, rapiuntur ad mortem, trahuntur ad tartara, festini sunt in gehennam. Abstrahat ergo pater filium, servum dominus, parens parentem, civem civis, homo hominem, Christianos omnes qui se bestiis compararunt, exæquarunt jumentis, aptaverunt pecudibus, Dæmonibus formaverunt. Et ille qui liberat, inveniet præmium, qui negligit, acquirit offensam.*

Quanquam verò Clericis præcipuè larvas assumere canones prohibeant, scilicet Synodus Lingonensis, anno millesimo quadringentesimo-quarto, Tit. *De Ludis prohibitis*; Concilium Narbonense, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo primo Canone XIX. Mediolanense primum anno millesimo quingentesimo sexagesimo-quinto, Constit. P. II. Tit. XXV. Burdigalense, anno millesimo quingentesimo octogesimo-tertio, Tit. XXI. Bituricense anno sequenti, Tit. II. Canone VI. Aquense, anno millesimo quingentesimo octogesimo quinto, Tit. *De Vita & Honestate Clericorum*; Narbonense, anno millesimo sexcentesimo-nono, Canone XLI. & Synodi pleræque Diœcesanæ: id tamen omnibus qui Christiano Nomine gloriantur, illicitum esse, constat ex supra dictis Patrum testimoniis; constat ex vitiis quæ sub larvarum tegmine licentius committuntur: de quibus legi possunt *Joannes Ludovicus Vives*, Lib. I. *De Institutione Christianæ Feminæ*, Tit. *De Saltationibus*, & *Polydorus Virgilius* Lib. V. *De Inventione Rerum*, cap. 2. ubi apud Anglos capitale fuisse testatur, si quis personas indueret: necnon *Petrus Gregorius Tolosanus* celebris Jurisconsultus, Lib. XXXIX. Syntagmatis Juris Universalis, cap. XI. Num. 1. & 2. ubi & multis Tolosanæ Curiæ Senatus-consultis larvarum venditionem & usum, etiam Bacchanalium diebus prohibitum fuisse refert.

Sed *S. Caroli Borromæi*, de larvarum usu judicium hîc prætermittere nefas. Sic enim de his loquitur in *Memoriali Libro* P. II. cap. VI. *Maledicti* (inquit) *& execrandi larvarum usus; id præter alia impietatis & depravationis habentes, quòd antiquæ nostræ ruinæ, cujus Satanas serpentis formam induens, sic larvatus autor fuit, quasi memoria festiva agatur. Detestandi larvarum usus, quarum privilegio fas est cuilibet obscœna & impudica verba profari, gestus & actus omnimodè impuros edere: impia larva, honestatis oppugnatrices, gravitatis inimicæ, ruinæ piæ hujus vigilantiæ, cui foris & intus Christianas tenetur indulgere.*

REGULA XIII.

Peccant, quicunque in exteriori ornatu morem Patriæ, modúmque conditioni & statui suo convenientem excedunt.

PAtrum testimoniis hæc Regula firmatur, scilicet *Tertulliani* Libro II. *De Cultu Feminarum*, cap. IX. *Si quas divitiarum* (inquit) *vel natalium, vel retro dignitatum ratio compellit ita pompaticas progredi, ut sap entiam non videantur consecutæ, temperate malum hujusmodi curate, ne totis habenis licentiam usurpetis prætextu necessitatis... non enim utemur nostris? Quis autem prohibet uti? Secundùm Apostolum tamen, qui nos uti monet Mundo isto, quasi non abutamur.* Abutuntur autem facultatibus suis, quæ pretiosioribus & elegantioribus vestibus utuntur, quam ferat earum conditio vel status; aut nimiis sumptibus in pompam vestium, mundúmque muliebrem factis dant causam maritis fraudandi creditores, novum æs alienum contrahendi, cui solvendo etiam per tempus pares esse nequeant; vel recidendi eleemosynas, quas alioqui erogare tenentur. De qua immoderatione *Tertullianus*, Libro I. *De Cultu Feminarum*, cap. VIII. *De brevissimis* (inquit) *loculis patrimonium grande profertur. Uno lino decies sestertium inseritur. Saltus & insulas tenera cervix circumfert. Graciles aurium cutes calendarium expendunt, & sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit. Hæ sunt vires ambitionis, tantarum usurarum substantiam uno & muliebri corpusculo bajulare.*

Peccata in exteriori cultu & ornatu.

S. Cypriani, Libro *De Disciplina & Habitu Virginum*: scribentis: *Locupletem te dicis & divitem: sed divitiis tuis Paulus occurrit, & ad cultum atque ornatum tuum justo fine moderandum, sua voce præscribit...... Locupletem te dicis & divitem; & utendum putas iis quæ possidere te Deus voluit. Utere, sed ad res salutares utere; sed ad bonas artes utere, sed ad illa quæ Deus præcepit, quæ Dominus ostendit; Divitem te sentiant pauperes, locupletem sentiant indigentes. Patrimonium tuum Deo fœnera, Christum ciba, ut virginitatis perferre gloriam liceat, ut ad Domini præmia venire contingat, multorum precibus exora.... Nam delinquis & hoc ipso in Deum, si ad hoc tibi ab illo divitias datas credis, ut illis non salubriter perfruaris. Nam & vocem Deus homini dedit, & tamen non sunt idcirco amatoria cantanda nec turpia; & ferrum esse ad culturam terræ Deus voluit, nec homicidia sunt idcirco facienda: aut quia thura, & merum, & ignem Deus instituit, sacrificandum est inde idolis; vel quia abundant pecudum greges in agris tuis, victimas & hostias immolare debebis. Alioqui tentatio*

est patrimonium grande, nisi ad usus bonos sensus operetur; ut patrimonio suo unusquisque locupletior, magis redimere debeat quam augere delicta.

S. *Augustinus*, Epistola CCLXII. aliàs CXCIX. ad *Ecdiciam*, quæ vidualem habitum inconsulto marito induerat. *De habitu* (inquit) *atque vestitu nihil tibi præter ejus arbitrium mutandum vel usurpandum fuit, unde nihil divinitus legimus imperatum. Scriptum est quidem, Mulieres esse debere in habitu ornato, auri que circumpositio, & intertio crinium, & cætera hujusmodi quæ vel ad inanem pompam, vel ad illecebram formæ adhiberi solent, meritò reprehensa sunt. Sed est quidam pro modulo personæ habitus matronalis à viduali veste distinctus, qui potest fidelibus conjugatis salvâ Religionis observantiâ convenire.*

1. Tim. 2.

Eandem Regulam confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CLXIX. Articulo I. in Responsione ad primum: *Ad naturalem* (inquit) *rationem pertinet, ut exteriorem cultum moderetur. Et secundùm hoc nati sumus hanc virtutem suscipere, quæ exteriorem cultum moderatur.* Et Articulo II. in Responsione ad tertium: *Cultus exterior* (inquit) *debet competere conditioni personæ secundùm communem consuetudinem.*

Et *S. Thomæ* coævus *Alexander Halensis* II. P. Quæstione CI. Membro I. *Licet* (inquit) *secundùm nobilitatem personæ, secundùm consuetudinem terræ, secundùm dignitatem officii ornare se vestibus pretiosis; ita tamen quòd absit libido in voluntate, & scandalum in exteriori opere.*

REGULA XIV.

Scandali rei sunt, qui novas illiciti ornatûs ac vestimentorum formas excogitant, adinveniunt & conficiunt; & lethaliter quidem peccant; si modus vestium, ornatûsque pretiosioris vel elegantioris, inverecundus sit aut impudicus: Venialiter verò, si vanitatem duntaxat & curiositatem alat, pretii, aut elegantiæ immoderatione.

Peccata in exteriori cultu & ornatu.

HÆc enim adinventio novitatum in cultu & habitu muliebri aut virili multis gravibúsque deformitatibus scatet, *Dum & consuetudo violatur, & occasio damni datur, & inanis gloria ac stultitia non sine scandalo committitur;* (inquit Cardinalis *Cajetanus* Commentario in Secundam Secundæ, ad Articulum secundum Quæstionis CLXIX.) Et si modus formàque ornatûs aut vestium dissoluta sit & impudica, rei sunt lethalis peccati, inventores & autores, sive inventrices & promotrices talis modi ac formæ, nec non artifices utriusque sexûs, qui vestes illas seu ornamenta conficiunt, sicut & qui utuntur. In his enim quæ absque mortali peccato fieri non possunt, vel ut plurimum fiunt, aut incitamenta sunt vel occasiones ad peccatum mortale. *Digni sunt morte non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus;* (inquit Apostolus ad *Romanos* cap. I.) Insignis præterea & enormis abusus artium est, quas hominum generi Deus optimus maximus dedit ad necessitatem & utilitatem, non ad ambitionem & vanam curiositatem alendam, multò minùs ad libidinem & impudicitiam excitandam aut fovendam. Unde *Tertullianus*, Libro *De Pallio*, ait: *Tantam igitur paraturam materiarum ingenia quoque vestificina profecuta, primùm tegendo homini, quà necessitas præcessit, dehinc & ornando, immò & inflando, quà ambitio successit, varias*

indumentorum formas promulgavere. Et *S. Joannes Chrysostomus*, Homilia L. in Matthæum. *Necessitate* (inquit) *superatâ, ad delicatissima atque superflua artes pervenerunt, & vera arti vanam admiscuerunt curiositatem: quod ædificatoria quoque ars passa est. Sed quemadmodum ipsam, quousque domus, non theatra constituit, & in domibus necessaria, non supervacanea componit, artem appello: textoris artificium, quousque pannos vestitui necessarios texit, nec araneas ita imitatur, ut multa ridicula inferat, artem nominare soleo. Similiter calceamentorum sutores, donec necessarios faciunt calceos, artificis vocabulo dono, cùm verò virorum calceos mulieribus adaptant, & econtra, tunc quia utrumque sexum enervant, superfluam, immò maleficam artem appellamus.*

Hanc Regulam confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CLXIX. Articulo secundo, in Responsione ad quartam objectionem. *Si qua ars est* (inquit) *ad faciendum aliqua opera, quibus homines uti non possunt absque peccato, per consequens artifices talia faciendo peccarent, utpote præbentes directè aliis occasionem peccandi; putà, si quis fabricaret idola, vel aliqua ad cultum idololatriæ pertinentia. Si qua verò ars sit, cujus operibus possunt homines benè & malè uti (sicut gladii, sagittæ, & alia hujusmodi) usus talium artium non est peccatum, & hæ solæ artes sunt dicendæ. Unde Chrysostomus dicit:* Eas solas artes oportet vocare, quæ necessariorum, & eorum quæ continent vitam nostram, sunt tributivæ & constructivæ. *Si tamen operibus alicujus artis ut plurimi aliqui malè utantur, quamvis de se non sint illicitæ, sunt tamen per officium Principis à civitate exstirpandæ, secundùm documenta Platonis. Quia ergo mulieres licitè se possunt ornare, vel ut conservent decentiam sui status; vel etiam aliquid superaddere ut placeant viris; consequens est quòd artifices talium ornamentorum non peccant in usu talis artis, nisi fortè inveniendo aliqua superflua & curiosa.*

Artes & commercia, quæ scandali præbent occasionem, exerceri sine gravi peccato non possunt.

Homilia 50. in Matth.

Lib. 4 De Republica.

Eamdem confirmat *S. Antoninus*, P. II. Tit. II. cap. XXIII. §. 13. *Videtur dicendum* (inquit) *de factoribus vel venditoribus alearum, taxillorum, chartarum; quòd quia ut in pluribus homines utuntur his ad peccatum mortale, propter avaritiam, ideo non videntur tales posse excusare à mortali: unde nec absolvendi, nisi talia dimittant.* Idque probat ex Canone *Falsas*, Canone *Fratres*, & Canone *Negotium*, Dist. V. *De Pœnitentia*. De larvarum factoribus & venditoribus idem dixerim. *Sed de factoribus & venditoribus fucorum* (inquit S. Antoninus) *& aliorum ornamentorum, videtur dicendum, quòd vendendo his de quibus scit vel credit quòd utantur ad provocandum ad lasciviam, est mortale, quia cooperantur tali in crimine.* II. Q. I. C. Notum. *Quod tamen non debet de facili credere, nisi appareant signa manifesta, ut in meretricibus. Nemo enim est judicandus immemor salutis æternæ.* De Consecrat, Dist. I. C. Jubemus. *Ubi autem hoc ignoras, vel non consideras, sed solùm de vanitate: cùm talibus possint mulieres uti sine peccato, & sine peccato, cum mortali & cum veniali, secundùm intentionem earum, & quantitatem excessûs, & quòd intentio earum ut in pluribus sit lasciviæ, vel mortalis superbia aut inanis gloria, durum est dicere, & temerarium judicare. Quando etiam sit tantus excessus quòd faciat mortale, difficile est discernere: unde non videtur quòd in hujusmodi peccent mortaliter. Minùs enim est ista facere vel vendere, quàm portare: sed ista portare, vel uti ut fucis, quod videtur præcipuè inter ornamenta provocantia ad lasciviam, de se non est mortale, secundùm B.*

Quid sentiendum de factoribus & venditoribus alearum, taxillorum & chartarum?

Quid de factoribus & venditoribus fucorum?

Thomam Secunda Secundæ, Quæst. CLXIX... *Persuadendi sunt igitur tales ad dimittendum opera & venditionem talium vanitatum, non tamen cogendi per negationem Absolutionis. Dubia enim in meliorem partem sunt interpretanda.* Extra *De Regulis Juris.* Cap. ESTOTE.

Quod de his qui dissoluti ornatûs formas & modos adinveniunt & introducunt?

Quòd verò superflui, curiosique, & multò minùs dissoluti & impudici ornatûs formas & modos adinvenire, & introducere non liceat: nec minoris peccati rei sint horum auctores & artifices, quàm qui utuntur; nec excusari possint lucri cessantis ratione, probat à simili egregius *Tertulliani* locus Libro *De Idololatria*, cap. XI. *In nullo* (inquit) *necessarius esse debeo alii, cùm facit quod mihi non licet. Ex hoc quod vetor facere, intelligere debeo curandum mihi esse ne fiat per me. Nam quod mihi de stupro interdictum sit, aliis ad eam rem nihil aut opera, aut conscientia exhibeo. Nam quòd ipsam carnem meam à lupanaribus segregavi, agnosco me, neque lenocinium, neque id genus lucrum, alterius causâ exercere posse. Sic & homicidii interdictio ostendit mihi lanistam quoque ab Ecclesia arceri: nec per se non faciet quod faciendum aliis subministrat. Ecce magis proximum præjudicium. Si publicarum victimarum redemptor ad fidem accedat, permittes ei in eo negotio permanere? Aut si jam fidelis agere susceperit, retinendum in Ecclesia putabis? Non opinor. Nisi quis & de thuraria dissimulabit. Scilicet ad alios pervenit procuratio sanguinis, ad alios odorum. Si antequam idola in sæculo essent, his mercibus adhuc informis idololatria transigebatur, si & nunc fere sine idolo opus idololatriæ incendiis odorum perpetratur, ecquid majoris opera & erga Dæmonia thurarius? nam facilius sine idolo idololatria, quàm sine thurarii merce.... Nulla igitur ars, nulla professio, nulla negotiatio, quæ quid instruendis aut formandis idolis administrat, carere poterit titulo idololatriæ.* A simili dicere possumus: Nulla ars, nulla professio, nulla negotiatio, quæ quid excitandæ aut fovendæ dissolutioni, impudicitiæ, aut ambitioni administrat, carere poterit titulo dissolutionis, impudicitiæ, aut ambitionis: immo nec idololatriæ quadam veluti labe carere poterunt, qui superflui, vani, supra modum curiosi, exquisiti, pretiosi, vel dissoluti & impudici ornatûs, mundique muliebris novas formas, novósque modos adinveniunt, introducunt, operantur: cum Mulieribus velut idolis quibusdam instruendis & ornandis ministerium & famulatum præstent: de quibus dictum est: *Filiæ eorum compositæ: circumornatæ ut similitudo templi.* Pergit Tertullianus: *Malè nobis de necessitatibus humanæ exhibitionis supplandimus, si post fidem obsignatam dicimus, Non habeo quo vivam.... Habes dicta Domini & exempla adimentia tibi omnem causationem. Quid enim dicis? Egebo. Sed felices Dominus egenos appellat. Victum non habebo? Sed nolite, inquit, cogitare de victu. Et vestitus habemus exemplum, lilia. Substantiâ mihi opus erat? Atquin omnia vendenda sunt, & egentibus dividenda. Sed filiis & posteritati providendum: Nemo aratro manum imponens & retro spectans, aptus est operi. Sed conditionalis eram: Nemo duobus dominis servire potest. Si vis Domini discipulus esse, Crucem tuam tollas, & Dominum sequaris necesse est, id est, angustias & cruciatus tuos, vel corpus solum, quod in modum crucis est. Parentes, conjuges, liberi propter Deum relinquendi erunt. De artibus, & negotiationibus, & de professionibus etiam liberorum & parentum causâ dubitas? Tam tunc demonstratum est nobis & pignora, & artificia, & negotia propter Dominum derelinquenda, cùm Jacobus & Joannes vocati à Domino, & patrem navémque derelinquunt; cùm Matthæus de telonio suscitatur; cùm etiam sepelire patrem tardum fuit fidei. Nemo eorum quos Dominus allegit, Non habeo, dixit, quo vivam. Fides famem non timet. Scit etiam famem non minùs sibi contemnendam propter Deum, quàm omne mortis genus. Didicit non respicere vitam, quantò magis victum? Quotusquisque hæc adimplevit? Sed quæ penes homines difficilia, penes Deum facilia.*

Psal. 143.

REGULA XV.

Lethalis scandali rei sunt Histriones & Mimi, qui verbis & factis illicitis ad ludum utuntur, aut locis & temporibus indebitis ludunt. Verba autem illicita censeri debent, quæcunque amori profano, cæterisque pravis animi cupiditatibus excitandis aut fovendis inserviunt, non solum quæ apertè obscœna sunt & turpia, vel scurrilia.

SPectatoribus enim & auditoribus plerisque occasionem ruinæ præbent. Hinc Illiberritanum Concilium Canone LXII. Statuit ut *Si Pantomimi credere voluerint, prius artibus suis renuncient, & tunc demum suscipiantur, ita ut ulteriùs ad eas non revertantur. Quòd si facere contra interdictum tentaverint, projiciantur ab Ecclesia.* Et Canone LXVII. prohibet *Ne qua Fidelis aut Cathecumena aut Comicos aut Viros Scenicos habeat: quæcunque hoc fecerit, à Communione arceatur.*

Histriones & Comœdi à communione arcendi, nisi artis suæ renunciaverint.

Et Concilium Arelatense I. Canone V. *De Theatricis, & ipsos placuit, quandiu agunt, à Communione separari.* Quod & Arelatense II. Canone XX. iisdem verbis confirmat.

Item Concilium Africanum anno CCCCXXIV. Canone XXX. vel LXIII. secundùm Codicem Canonum Ecclesiæ Africanæ: *De his etiam petendum* (inquit) *ut si quis ex qualibet ludicra arte ad Christianitatis gratiam venire voluerit, ac liber ab illa macula permanere, non eum liceat à quoquam iterum ad eadem exercenda reduci vel cogi.*

Codex Canonum Ecclesiæ Africanæ, Canone CXXIX. *Omnes etiam infamiæ maculis aspersi, id est, Histriones, &c. ad accusationem non admittantur.*

Concilium Trullanum Canone LI. *Omnino prohibet hæc Sancta & universalis Synodus eos qui dicuntur Mimi, & eorum Spectacula, &c. eásque quæ fiunt in scena saltationes perfici. Si quis autem præsentem Canonem contempserit, & se alicui eorum, quæ sunt vetita dederit, si sit quidem Clericus, deponatur, si verò Laicus excommunicetur.*

Ecclesiæ Regulas sequuti Imperatores *Valentinianus, Valens, & Gratianus*, Lege latâ prohibuerunt Comœdos, Mimos, Histriones, etiam in mortis periculo constitutos, Ecclesiæ Sacramentis donari, nisi artem ejuraverint, ac Theatrum se deinceps non conscensuros, si fortè restituti fuerint pristinæ sanitati, spopondeurint. Lib. XV. Cod. Theodos. Tit. VII. *De Scenicis*, L. *Scenici*, cujus hæc sunt verba: *Scenici & Scenicæ, qui in ultimo vitæ, necessitate cogente interitûs imminentis, ad Dei summi Sacramenta properarunt, si fortassis evaserint, nullâ posthac in theatralis spectaculi conventione revocentur. Ante omnia tamen diligenti observari ac teneri Sanctione jubemus, ut verè & in extremo periculo constituti, id pro sa-*

late poscentes, si tamen Antistites probant, beneficii consequantur: quod ut fideliter fiat, statim eorum ad Judices, si in præsenti sunt, vel Curatores urbium singularum, desiderium perferatur: quod ut inspectoribus missis, sedulâ exploratione quæratur, an indulgeri his necessitas poscat extrema suffragia.

Eamdem Regulam Patres confirmant, imprimis *Tertullianus*, Libro *De Spectaculis*, cap. xxii. *Ipsi autores & administratores spectaculorum.... Scenicos ex eadem arte quâ magnifaciunt, deponant, immo manifestè damnant ignominia & capitis minutione, arcentes Curiâ, Rostris, Senatu, Equite, Cæterisque Honoribus omnibus, simul & ornamentis quibusdam. Quanta perversitas! Amant quos multant, depretiant quos probant; Artem magnificant, Artificem notant. Quale judicium est ut ob ea quis offuscetur, per quæ promeretur? Imò quanta confessio est malæ rei, cujus Autores cùm acceptissimi sint, sine nota non sunt!* Ex cap. xxiii. *Cùm igitur humana recordatio etiam obstrepente gratiâ voluptatis, damnandos eos censeat, ademptis bonis dignitatum, in quemdam scopulum famositatis; quantò magis divina justitia in ejusmodi Artifices animadvertit?*

S. *Cyprianus*, Epistola lxi. ad *Euchratium* datâ: *Pro dilectione tua* (inquit) *& verecundia mutua consulendum me existimasti, Frater carissime, quid mihi videatur de Histrione quodam, qui apud vos constitutus in ejusdem adhuc artis suæ dedecore perseverat, & magister & doctor non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id quod malè didicit, cæteris quoque insinuat; an talis debeat communicare nobiscum. Puto nec Majestati Divinæ, nec Evangelicæ Disciplinæ congruere, ut pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur. Nam cùm in Lege prohibeantur viri induere muliebrem vestem, & maledicti ejusmodi judicentur: quantò majoris est criminis, non tantùm muliebria indumenta accipere; sed & gestus quoque turpes, & molles, & muliebres magisterio impudicæ artis exprimere? Nec excuset se quisquam si à Theatro ipse cessaverit, cùm tamen hoc cæteros doceat. Non potest enim videri cessasse, qui vicarios substituit, & qui pro se uno plures succidaneos suggerit contra institutionem Dei, erudiens & docens quemadmodum masculus frangatur in feminam, & sexus arte mutetur, & diabolo divinum plasma maculanti per corrupti atque enervati corporis delicta placeatur. Quòd si penuriam talis & necessitatem paupertatis obtendit; potest inter cæteros qui alimentis Ecclesiæ sustinentur, hujus quoque necessitas adjuvari; si tamen contentus sit frugalioribus, sed innocentibus cibis. Nec putet salario se esse redimendum, ut à peccatis cesset, quando hoc non nobis, sed sibi præstet. Cæterum quantùm velit inde quærat, qualis quæstus est, qui de convivio Abraham, Isaac, & Jacob homines rapit, & malè ac perniciosè in sæculo saginatos, ad æternæ famis ac sitis supplicia deducit? Et ideo quantùm potes, eum ab hac pravitate & dedecore ad viam innocentiæ atque ad spem vitæ suæ revoca; ut sit contentus Ecclesiæ sumptibus, parcioribus quidem, sed salutaribus. Quod si illic Ecclesia non sufficit ut laborantibus præstet alimenta, poterit se ad nos transferre, & hic quod sibi ad victum atque ad vestitum necessarium fuerit accipere; nec alios extra Ecclesiam mortalia docere, sed ipse salutaria in Ecclesia discere.*

Lactantius, Libro vi. *Divinarum Institutionum*, cap. xx. *Histrionum quoque impudicissimi motus quid aliud nisi libidines docent & instigant? Quorum enervata corpora, & in muliebrem incessum habitúmque mollita, impudicas feminas inhonestis gestibus mentiuntur. Quid de Mimis loquar corruptelarum præferentibus disciplinam? Qui docent adulteria dum fingunt, & simulacris erudiunt ad vera.*

S. *Augustinus*, Concione in Psalmum cii. *Cùm dico, Occurrit tibi homo peccator, duo nomina dixi: hæc duo nomina non superflua sunt. Aliud quod homo, aliud quod peccator. Quod homo, opus est Dei, quod peccator, opus hominis est. Da operi Dei, noli operi hominis. Et quomodo* (inquis) *me prohibes dare operi hominis? quid est dare operi hominis? Peccatori dare propter peccatum, placenti sibi propter peccatum. Et quis hoc facit?* (inquis) *Utinam nemo, utinam pauci, utinam non publicè.... Qui donat Histrionibus.... Quare donat? .... Nunquid non & ipsi hominibus donant? Non tamen ibi attendunt naturam operis Dei, sed nequitiam operis humani.*

Sanctus Isidorus Pelusiota, Epistola cccxxxvi. Libri iii. *Scenicis* (inquit) *summum hoc studium est, non ut per ipsorum cavillos multi meliores reddantur...... verùm ut multi peccent. Etenim in spectatorum improbitate felicitatem suam constitutam habent. Ita fit ut si illi meliores efficiantur, sua his ars peritura sit. Quamobrem nec umquam eos qui delinquunt, corrigere in animum induxerint; nec si velint, id possint. Mimica enim eorum ars naturâ tantummodo ad nocendum comparata est.*

Quamobrem existimo *S. Thomam*, qui Patrum & Conciliorum doctrinam, castámque ac severam Moralis Christianæ Disciplinam ubique sectator, Histrionum nomine Comicos & scenicos homines sive Mimos propriè dictos non intellexisse, sed latiori quadam significatione usurpasse Histrionum nomen ad designandum homines qui honestis facetiis, & corporis agilitate, dexteritate, industria quædam efficiunt præstigiis similia, & quæ admirationem simul ac delectationem pariunt: de hoc (inquam) ludionum genere loqui videtur Secunda Secundæ, Quæstione clxix. Articulo ii. ad tertium, cùm ait: *Officium Histrionum, quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundùm se illicitum, nec sunt in statu peccati, dummodo moderatè ludo utantur, id est, non utendo aliquibus illicitis verbis vel factis ad ludum, & non adhibendo ludum negotiis & temporibus indebitis. Et quamvis in rebus humanis non utantur alio officio per comparationem ad alios homines; tamen per comparationem ad se ipsos & ad Deum, alias habent seriosas & virtuosas operationes, putà, cùm orant, & suas passiones & operationes componunt, & quandoque etiam pauperibus eleemosynas largiuntur. Unde illi qui moderatè eis subveniunt, non peccant, sed justè faciunt mercedem ministerii eorum eis tribuendo. Si qui autem superfluè sua in tales consumunt, vel etiam sustentant illos Histriones qui illicitis ludis utuntur, peccant, quasi eos in peccatis foventes.* Unde *S. Augustinus*, Tractatu x. in *Joannem* ait: *Donare res suas Histrionibus, vitium est immane, non virtus.* Et quomodo *S. Thomas* primi generis histriones, qui scilicet in Theatris & Comœdiis personas agunt, aut ludicris scurrilibúsque actionibus & verbis spectatorum & auditorum risum provocant, approbasset, cùm ea duntaxat spectacula approbet, *Quæ sunt de rebus utilibus, & ad vitam necessariis, sicut sunt venationes, & cætera hujusmodi, quæ animum honestè distrahunt*, & quibus *sine peccato* potest *intendi, servatâ discretione debitâ quantum ad conditiones personæ, & aliarum circumstantia-*

rum

De Scandalo. rum, ut loquitur in IV. Sententiarum, Distinctione XVI. Quæstione IV. Articulo II. Quæstiunc. II. Et ludos tantum *Liberales* probet, qui *materia virtutis* esse possunt, quod de Mimorum scurrilibus actionibus ac verbis nemo cordatus senserit ae dixerit? Et Secunda Secundæ Quæstione CLXVIII. Articulo II. ad secundum ait: *Quod inspectio spectaculorum vitiosa redditur in quantum per hoc homo fit pronus ad vitia vel lascivia, vel crudelitatis, quæ ibi repræsentantur.* Et Quæst. CLXVIII. Articulo II. tres conditiones postulat ad ludi honestatem, quæ Comœdiis, & Ludis histrionicis non conveniunt. *Prima & principalis est, ut delectatio non quæratur in aliquibus operationibus vel verbis turpibus, vel nocivis.* Unde *Tullius* dicit, in I. *De Officiis*, *Quod unum genus jocandi est illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum.* Altera conditio est, *Ne totaliter gravitas animæ resolvatur.* Tertia, *Ut congruat personæ, & tempori, & loco, & secundum alias circumstantias debitè ordinetur, ut scilicet sit tempore & homine dignus.*

REGULA XVI.

Lethalis scandali rei sunt, qui ad ludos aleatorios ædes suas locant, vel commodant, aut publicas vel privatas hujusmodi ludorum academias aperiunt.

Spiritualis enim ruinæ occasionem præbent omnibus qui eò confluunt ad colludendum, eorúmque peccatis cooperantur. Peccant præterea in Leges Ecclesiasticas & Civiles, quæ hujusmodi Academias prohibent, gravibus pœnis statutis. Cum illis qui aleâ ludunt, vel domos ad ludos taxillorum & tesserarum, aut chartarum aperiunt, velut cum publicis peccatoribus agi ex Ecclesiæ Disciplina, statuit Concilium Mediolanense IV. anno millesimo quingentesimo septuagesimo-sexto, iisque qui domos suas locant vel commodant ad hujusmodi ludos, Absolutionem Sacramentalem impertire vetat, velut hominibus in proxima peccati mortalis occasione constitutis. Diœcesana Synodus Montis Cassini illos Excommunicatione plectit. His Absolutionem Sacramentalem negari jubent Statuta Synodalia Diœcesis Bisuntinæ, & Diœcesis Aquensis. Sed & Leges Civiles alearum Academias prohibent, ludósque illos Laïcis æquè ac Clericis vetant. Libro I. *Cod.* Tit. IV. *De Episcopali Audientia*, L. *Certissimè*, & Lib. X. D. Tit. V. *De Aleatoribus*, L. *Prætor*. Et *S. Ludovicus* Rex Francorum Constitutione editâ anno millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto: *Scholas deciorum prohibemus*, inquit, *& tenentes eas districtius puniantur*. Quam Legem transcripsit Concilium Biterrense anno sequenti celebratum, Canone XXIV. Idem sub gravi mol-

Ludorum aleatoriorum academiæ. cta prohibitum est Blesensi Constitutione *Caroli IX.* Regis Christianissimi, Articulo CI. Edicto *Henrici III.* dato Mense Martio, anno millesimo quingentesimo septuagesimo-septimo: Declaratione *Ludovici XIII.* quâ præter mulctam arbitrariam aliásque pœnas in eos qui ædes ad ludos aleæ, taxillorum scilicet & chartarum locaverint, aperuerint, commodaverint, sive aleatores in iis susceperint, constitutas; vult dictarum ædium dominos, proprietarios seu locatores propriis privatisque nominibus pecuniarum ac rerum omnium illis ludis ibi amissarum ab illis repetundarum lege teneri, & ad restitutionem obligari. Quocirca Judicibus Ordinariis toto Regno præcipit ut in ædes & loca, obi hujusmodi ludorum academias & aleatorum conventus haberi moniti fuerint, descendentes, captis hominibus, pecuniísque, gemmis, aliisve rebus ludo expositis, quas Xenodochiis distribui jubet, ex Legum & Regiarum Constitutionum severitate tam contra aleatores ipsos, quàm contra dominos, proprietarios, sive locatores dictarum ædium vel locorum agant & decernant. Edita est hæc Declaratio die trigesima Maii anno undecimo supra millesimum sexcentesimum, & in Senatu Parisiensi promulgata die XXIII. Junii ejusdem anni. Rex idem JUSTUS Articulo CXXXVII. B Constitutionis editæ die XV. Januarii anni millesimi sexcentesimi vigesimi-noni omnibus suæ ditioni subditis prohibet ne suas in ædes conventus ad ludum, quæ vulgò academiæ nominantur, recipiant; vel domos eum in finem locent aut commodent. Qui id fecerint, infames, intestabiles, Officiorum Regiorum in perpetuum incapaces declarantur: exilio perpetuo à civitatibus, in quibus hanc Legem violaverint, damnantur. Dictas domos, in quibus aleâ per sex menses lusum fuerit, Fisco addici: illos omnes qui ad hujusmodi ludorum academias ter adierint, infames & intestabiles pariter fore, & ab C omnibus Officiis & Magistratibus repelli debere statuit ac decernit.

Hæc Regum Christianissimorum Edicta Christianæ Morum Disciplinæ omnino consona sunt, quæ Alcatores lethalis peccati reos esse docet, ut probavimus Libro II. Tractatu *De Sacramento Ordinis*, Articulo XVI. *De Vita & Honestate Clericorum*, Regula XII. prolatis Patrum & Conciliorum testimoniis, quæ hîc repetere minimè necesse est.

D Hanc Regulam confirmat *S. Bernardinus Senensis* Sermone XXXIII in Dominicam V. Quadragesimæ, P. I. *Dans domum ut intus ludatur* (inquit) *fit particeps tot peccatorum, quot ibi fiunt. Dans tabulam & præstans taxillos, toties peccat mortaliter, quoties præstat. Nullus Confessor poterit eum absolvere, donec removerit domum à tali pessimo usu ludendi. Impossibile est illam salvari, nisi relinquat illas suas artes maledictas.*

Denique *S. Carolus*, in *Instructionibus Prædicatorum verbi Dei*, jubet ut Concionator è Sacro Suggestu *Omnem aleam, omnémque ejus generis ludum, unde jurgiis, furto, maledictis, ac aliis malis maleficiísque quasi fores aperiuntur*, graviter ob- E jurget atque exagitet: atque *Eorum peccatum insectetur, qui ædes suas quasi Ludum aleatorium exponunt.*

REGULA XVII.

Lethalis scandali rei sunt, qui publicis concubinariis, meretricibus, lenonibus aut lenis ædes locant.

Præbent enim occasionem ruinæ proximo, & omnibus prostitutionibus, fornicationibus, adulteriis, lenociniis, turpibúsque commerciis & operibus quæ ibi fiunt, cooperantur. Id confirmat Novella *Justiniani* Imperatoris XIV. Tit. F I. *De lenonibus*, Collat. III. *Si quis autem* (inquit) *patiatur in sua domo quemdam lenonem, & hac denuntiata cognoscens, non etiam domo suâ expulerit; sciat se & decem librarum auri sustinere pœnam, & circa ipsam periclitaturum habitationem.* Nec eos excusat temporale damnum inde emergens quòd domus tardiùs aut viliori pretio locetur, nisi hujusmodi pestibus locetur. Nam si nullus affectus, propinquorum, filiorum, parentum, amori Dei, studióque salutis æternæ præponendus est, multò minùs lucrum temporale. Unde *Sanctus Hieronymus*, in Cap. XVII.

De Scandalo

S. Matthai ait: *Meliùs est ut emolumentis carnalibus careas; ne dum vis lucrifacere cognatos & necessarios, causam habeas ruinarum. Itaque non frater, non uxor, non filii, non amici, non omnis affectus, qui nos excludere potest à Regno cœlorum, amori Domini praponatur. Novit unusquisque credentium quid sibi noceat, vel in quo solicitetur animus ac sæpe tentetur. Melius est vitam solitariam ducere, quàm ob vita præsentis necessaria aternam vitam perdere.*

REGULA XVIII.

Bona spiritualia ad salutem necessaria nunquam omittenda sunt ad vitandum aliorum scandalum, sive ne alius in peccatum ruat.

MAnifestum est enim (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XLIII. Articulo VII.) quòd *Nullus debet mortaliter peccare, ut alterius peccatum impediat, quia secundum ordinem caritatis plus debet homo suam salutem spiritualem diligere quàm alterius. Et ideo ea quæ sunt de necessitate salutis, prætermitti non debent propter scandalum vitandum.* Unde nec veniale peccatum committere unquam licet, ne alius mortaliter peccet, quia *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona;* (quemadmodum docet Apostolus ad *Romanos* III.) Idque *S. Thomas* confirmat in Responsione ad quartum.

REGULA XIX.

Falsitatem docere, aut veritatem doctrina dissimulare vel silere, cùm ad salutem aut Christianam Perfectionem necessaria est, vel eam docere seu prædicare alicui incumbit ex officio, nunquam licet ad vitandam aliorum offensionem seu ruinam.

Matth. 17. Matth. 15.

ITa docet *S. Gregorius*, Homilia VII. in Ezechielem: *Ecce*, inquit, *Magistra Veritas, ne in quorumdam cordibus gigneretur scandalum, quod non debuit tributum dedit. Et rursum quia generari scandalum in quorumdam cordibus contra veritatem vidit, in suo eos scandalo remanere permisit. Ex qua re nobis considerandum est, quia in quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum sumitur, utiliùs nasci permittitur scandalum, quàm quòd veritas relinquatur.*

Idem confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XLIII. Articulo VII. in Responsione ad secundum. *Circa doctrinam* (inquit) *duo sunt consideranda, scilicet veritas qua docetur, & ipse actus docendi. Quorum primum est de necessitate salutis, ut scilicet contrarium veritati non doceat, sed veritatem secundum congruentiam temporis & personarum proponat ille cui incumbit docendi officium. Et ideo propter nullum scandalum quod sequi videatur, debet homo prætermissa veritate falsitatem docere. Sed ipse actus docendi inter spirituales eleemosynas computatur: & ideo eadem ratio est de doctrina, & de aliis misericordiæ operibus.* De quibus Doctor idem Angelicus in Responsione ad quartum ait: *In veritate vitæ, doctrinæ, & justitiæ, non solùm comprehenditur id quod est de necessitate salutis, sed etiam id per quod perfectiùs pervenitur ad salutem, secundùm illud 1. Corinth. XII. Æmulamini charismata meliora. Unde etiam consilia non sunt simpliciter prætermittenda, nec etiam misericordiæ opera, propter scandalum: sed sunt interdum occultanda vel differenda propter scandalum pusillorum. Quandoque tamen consiliorum observatio, & impletio operum misericordiæ sunt de necessitate salutis. Quod patet in his qui voverunt consilia: & in his quibus ex debito imminet defectibus aliorum subvenire; vel in temporalibus, putà, pascendo esurientem; vel in spiritualibus, putà, docendo ignorantem: sive hujusmodi fiant debita propter injunctum officium, ut patet in Prælatis, sive propter necessitatem indigentis. Et tunc eadem ratio est de hujusmodi, sicut de aliis quæ sunt de necessitate salutis*: Id est, non sunt propter scandalum dimittenda.

Quâ vigilantia Concionatores & Doctores cavere debent ne scandalum ex eorum doctrina aut Concionibus oriatur!

De Scandalo.

Secundùm hanc Regulam, Concionatores & Doctores abstinere debent ab iis quæstionibus tractandis coram Populo, aut in Scholis, quas *stultas & sine disciplina* vocat Apostolus, quæ *generant lites*, & quæ ad nihil sunt utiles *nisi ad subversionem audientium*; vel quæ, cùm nihil conferant ad agnitionem veritatis, quæ secundùm pietatem est, & *Ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*, offensionem pusillis movere possunt, sive ratione ipsius doctrinæ, quam ferre non valent, sive ratione modi quo proponitur aut docetur; sive ratione temporis & loci, aliarúmque circumstantiarum. Sed tamen subterfugere non debent quo minùs annuntient quicquid ad salutem, ad fidem, spem, caritatem, ceterásque virtutes inserendas; ad destruendam cupiditatem, vitiáque omnia evellenda; ad ædificandum corpus Christi, ad reformandam & perficiendam imaginem Dei, ad formandum novum hominem qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis, pertinet. Unde Apostolus Majoribus natu Ephesinæ Ecclesiæ aiebat, ut *Actuum* XX. refertur: *Vos scitis, à prima die quâ ingressus sum in Asiam..... quomodo nihil subtraxerim utilium, quò minùs annuntiarem vobis & docerem vos publicè & per domos, testificans Judæis atque Gentilibus in Deum Pœnitentiam, & Fidem in Dominum nostrum Jesum Christum..... Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi quò minùs annuntiarem omne consilium Dei vobis.* Si enim à vitiorum, pravarúmque consuetudinum reprehensione supersedeant, ne displiceant auditoribus, ipsis conveniet Propheticum illud: *Canes muti, non valentes latrare.*

2. ad Tim. 2. & 3.

Isa. 56. 10.

Publicorum itaque peccatorum illecebras, quas homines depravatæ consuetudinis errore decepti pro nihilo putant, Concionator perpetuò reprehendat, atque in summum odium adducere contendat, spectacula, choreas, saltationes, scenicas personatásque actiones, omnem in muliebri vestitu luxum, deformem illam capitis ornandi speciem, muliebres fucos ac pigmenta, ceteráque ad mollitiem, atque adeo ad libidinis incitamentum fœdè excogitata; effusam etiam virorum impensam, & omnem intemperantiam; servorum, quorum opera nulla est neque domi neque foris, multitudinem inutilem ac desidem; epulas illas sumptuosas, & comessationes immoderatas; omnis intemperantiæ, libidinis, aliorúmque vitiorum illecebras; ludos aleatorios, omnéque peccatorum genus, quæ frequentiora sunt, graviter & quam maximo poterit zelo è Soggesto insectetur, prout præscribit *S. Carolus Borromæus*, in *Instructionibus Prædicatorum verbi Dei*; nec timeat ne auditores inde offendantur, quia si qui ex tam salutiferis adhortationibus & reprehensionibus vitiorum offenderentur, scandalum esset Pharisæorum, non pusillorum.

De Scandalo.

A pusillorum. Verumtamen caveant, quod Mediolanensi Concilio I. prohibitum, & in easdem *S. Caroli* Instructiones transcriptum est: *Ne quemquam nominatim aut tacitè illum designantes, insectentur; ne in Ordinem ullum, Statum, aut vitæ genus ab Ecclesia receptum invehantur. Ne Episcopos, aliósve Prælatos, neve Civiles Magistratus cum auditorum offensione asperiùs objurgent, sed piè potiùs admoneant, Populúmque doceant Præpositis suis etiam dyscolis obedire.... Ne cùm reprehendit Concionator, id hominum, sed peccatorum odio; immò pietatis & caritatis studio ductus faciat. Ne vitiis exagitandis quasi furenter iratus, excandescat nimis. Ne injuriosa verba proferat, neve ignominiosa. Ne obtrectationibus quæ aliquando fiunt, & querimoniis de suggestu respondeat...... Ne aures facilè præbeat Laicis Clericorum vitæ detrahentibus, aut Civitatis Rectorum Præsidúmve culpam aliquam calumniantibus; sed omnia ante diligenter diúque perpendat, quàm ad reprehensionem descendat.*

S. Carolus in Instructionibus.

REGULA XX.

Omne quod fieri potest vel non fieri, salvò triplici veritate, doctrinæ scilicet, vitæ, & justitiæ, dimitti debet ob vitandum scandalum pusillorum.

REgula est à Theologis recepta, & sub nomine *S. Hieronymi* laudari solita, cùm tamen illius non sit. Habetur autem in Glossa *Nicolai De Lyra*, absque *S. Hieronymi* nomine. Sed triplex illa veritas numquam dimittenda est propter scandalum passivum, sive ne alius peccet. Rationem affert *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum* Distinctione XXXVIII. Quæstione II. Articulo IV. *Cùm homo*, inquit, *ex ordine charitatis se plus quàm proximum in spiritualibus bonis diligere teneatur, nullo modo aliquis peccare debet, ut peccatum alterius vitet. Quicumque autem veritatem relinquit, peccat. Veritas autem, de qua loquimur, consistit in hoc quòd homo in dictis & factis suis rectitudini divinæ, seu divinæ Legis regulæ se conformet. Cui quidem homo conformari debet & in his quæ ad cognitionem pertinent; & hoc pertinet ad veritatem doctrinæ: & in his quæ ad actionem spectant; sive ea debeat aliquis per se ipsum agere, quod pertinet ad veritatem vitæ; sive ea debeat aliis observanda promulgare, quod pertinet ad veritatem justitiæ, quæ consistit in rectitudine judicii. Non tamen quicumque prætermittit aliquid, in quo se divinæ legi conformare potest, dicitur veritatem dimittere; quia illo remotò veritas adhuc remanere potest: sed tunc dicitur aliquis veritatem dimittere, quando dimittit vel facit aliquid quo omisso & facto veritas non manet; quod sine peccato esse non potest. Et ideo nullo modo veritas propter scandalum passivum alterius dimittenda est.*

Ceterùm *Veritas doctrinæ non prætermittitur, quando aliqua res vera tacetur, sed quando veritati illius rei præjudicium generatur, sive ex contraria doctrina, sive ex taciturnitate aliquorum: & sic propter nullum scandalum est veritas doctrinæ relinquenda*; ut rursus observat *S. Thomas*, ibidem Articulo III. in Responsione ad secundum. Alioqui eo reatu Doctor vel Concionator se obstringit, quem reprehendit Apostolus ad *Romanos* Cap. I. dicens: *Revelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent.* Sed cùm veritas non est ad salutem aut ad perfectionem salutis necessaria; aut nullum ipsi præjudicium creatur ex silentio, immò ipsius veritatis caritas, & caritatis veritas postulant, ut tunc taceatur, & opportuno tempore docenda vel prædicanda differatur, silentio interim premi potest. Unde Christus Dominus Discipulis suis ait, Joannis XVI. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.* Et *S. Gregorius Nazianzenus* Epistola XXIV. quæ ad *S. Basilium* vigesima est, ipsius œconomiam excusat, quòd Spiritus-Sancti Divinitatem aliis dictionibus satis significans, ipsum expressè Deum aliquando non appellaverit, ut tempestates & fragores vitaret adversùs ipsam veritatem concitandas. *Præstat itaque* (inquit) *œconomiam quandam ad veritatem adhibitam* B *fuisse, nobis videlicet tempori, quasi nebulæ cuidam, nonnihil cedentibus, quàm ut ea ob prædicationis perspicuitatem opprimeretur. Nos enim ex ea nihil damni facimus, si ex aliis quoque dictionibus, quibus id certò colligatur, Spiritum-Sanctum Deum agnoscamus. Neque enim in verborum sono potiùs quàm in mente & sententia veritas sita est. Ecclesia autem grave vulnus acceptura est, si ob unius hominis ejectionem veritas profligetur.*

De Scandalo.

REGULA XXI.

C *Bona spiritualia, quæ ad salutem non sunt omnino necessaria, ob scandalum pusillorum vitandum, quandoque differenda vel occultanda sunt, non absolutè & in perpetuum dimittenda.*

HAnc Moralis Christianæ Regulam dilucidè *S. Thomas* explicat in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXXVIII. Quæstione II. Articulo IV. Quæstiuncula secunda. *Omnia* (inquit) *opera perfectionis, quæ non sunt in præcepto, consilia dicuntur: unde prætermitti possunt salvâ triplici veritate. Sed aliquando cadunt sub præcepto, vel ex voto, vel ex aliqua alia circumstantia: & tunc prætermitti non possunt sine præjudicio veritatis vitæ.* D Scandalum porrò passivum duplici ex causa oriri posse observat: *Quia quandoque oritur ex malitia odientium veritatem, qui turbantur & alios turbant propter opera lucis, quasi filii tenebrarum; & hoc est scandalum Pharisæorum, ut S. Bernardus dicit* (Tractatu *De Præcepto & Dispensatione*, Cap. 12.) *Et propter hoc scandalum passivum nullo modo consilia sunt dimittenda; quia sic daretur locus iniquis impediendi opera perfectionis cùm vellent. Unde Dominus dixit de Pharisæis, qui ex malitia scandalizabantur ex factis & dictis ejus;* Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. *Quandoque autem oritur ex ignorantia vel infirmitate: &* E *hoc dicitur, secundùm S. Bernardum scandalum pusillorum, quà non cognoscunt veritatem; & propter hoc de operibus veritatis turbantur. Et hoc scandalum cavit Dominus,* (Matth. XVII) *ubi dixit Petro,* Ut autem non scandalizemus eos, &c. *& cavere docuit,* (Matth. XVIII.) *Unde propter tale scandalum passivum consilia sunt ad tempus intermittenda, vel occultè agenda; non autem omnino dimittenda; quia homo plus sibi quàm proximis in spiritualibus providere debet; & ignorantia, si diu duret, in malitiam per obstinationem commutatur.*

F Et *Secunda Secundæ*, Quæstione XLIII. Articulo VII. *In spiritualibus bonis,* (inquit) *quæ non sunt de necessitate salutis, videtur distinguendum: quia scandalum quod ex eis oritur, quandoque ex malitia procedit, cùm scilicet aliqui volunt impedire hujusmodi bona, scandala concitando. Et hoc est scandalum Pharisæorum, quod esse contemnendum Dominus docet. Quandoque verò scandalum procedit ex ignorantia vel infirmitate; & hujusmodi est scandalum pusillorum, propter quod sunt spiritualia bona vel occultanda, vel etiam interdum differenda, ubi periculum non imminet, quousque redditâ ratione,*

De Scandalo.

hujusmodi scandalum cesset. Si autem post redditam rationem hujusmodi scandalum duret; jam videtur ex malitia esse. Et sic propter ipsum non sunt hujusmodi spiritualia opera dimittenda.

Secundùm hanc Regulam, filii qui spiritualem ruinam parentibus imminere vident, si Statum Ecclesiasticum amplectantur, aut Monasterium ingrediantur: nempe si inde gravis oriatur in familia perturbatio, si juramenta, imprecationes, maledicta, differre debent ad tempus pii propositi executionem, donec parentum consensum rationibus, precibus, constantiâ, piorum hominum consilio, amicorum intercessione, & maximè ferventissimis ad Deum fusis orationibus, qui habet inclinandorum quocumque voluerit humanorum cordium omnipotentissimam potestatem, obtinuerint. Quòd si animos ipsorum sedare, & offensionem removere non possint, Pharisæorum scandalum erit: tunc itaque filii magis obediant Deo ipsos vocanti, quam hominibus à via perfectionis, & à meliori bono ipsos revocantibus. Id confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione, Quæstione, & Articulo mox indicatis, in Responsione ad secundam objectionem. *In eo* (inquit) *qui Religionem vult intrare, distinguendum est. Quia aut sibi timet de periculo salutis imminente, si in seculo remaneat; & tunc debet omnibus modis obviare periculo vitæ, scandalo non obstante. Si autem non immineat, & voto non obligatur, debet pro vitando justo scandalo parentum, quibus subvenire tenetur, ad tempus suspendere propositum perfectionis: ut præceptum impleat pro suo tempore de honorandis parentibus, & postmodum consilium tempore magis idoneo. Si autem scandalum propinquorum vel aliorum sit irrationabile, jam accedit ad scandalum Pharisæorum: unde tunc propter scandalum non debet prætermittere bonum propositum.* Quò pertinet illud *S. Hieronymi* Epistola 1. ad Heliodorum: *Licèt parvulus in collo pendeat nepos, licè sparso crine & scissis vestibus ubera sua ostendat mater, licèt in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem; siccis oculis ad vexillum Crucis evola: solum genus pietatis est in hac re esse crudelem.*

Secundùm eamdem Regulam, mulieres conjugatæ dimittere debent bona spiritualia, quæ ad salutem minimè necessaria sunt, & quæ ad officia Christianæ Vitæ, secundùm Legis Divinæ vel Ecclesiasticæ præscriptum non pertinent, si maritis inde peccandi occasionem sumant, maledicendi scilicet, jurandi, popinas frequentandi, adulterium committendi; præsertim verò si ex diuturniori illarum in Templis mansione, prolixioribusque precibus, aut frequentiori & intempestiva diebus etiam profestis Communione res domestica & familiæ cura negligatur. Tunc enim non solùm passivum ex parte maritorum, sed etiam activum & datum ex parte mulierum ipsarum scandalum est, quicùm nullum spirituale bonum Deo gratum est; siquidem scandalum activum semper est peccatum.

Denique in vitando pusillorum scandalo ita se gerere debet Christianus homo, cùm aliquid agere vult vel omittere, cujus executio vel omissio non est omnino necessaria ad salutem, sed tamen opus illud vel omissio operis spirituale bonum est; ut si reddita facti sui ratione perturbatio infirmorum & pusillorum non sedetur, nec scandalum removeatur, quia vel rationem non capiunt propter hebetudinem mentis, vel ob alias rationes quibus mens eorum pulsatur magis & afficitur, ob præjudicia, ob consuetudinem; tunc (inquam) Vir Christianus abstineat ab hujusmodi operibus, vel ne omittat id cujus omissio pusillos & infirmos offendit,

DE DECALOGO.

donec plenius informentur. Verumtamen *Attendenda est quantitas scandali, & boni quod contingit ex consilio servato: & secundùm hoc aliquando consilia sunt prætermittenda propter scandalum pusillorum, vel scandalum contemnendum propter consilia;* (ut docet *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXXVIII. Quæst. II. Art. IV. Quæstiuncula II.)

De Scandalo.

REGULA XXII.

Bona temporalia, quorum administratio vel custodia fidei suæ commissa est, nemini dimittere licet ob vitandum scandalum.

ITa docet *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinctione XXXVIII. Quæstione II. Articulo IV. *Aliquando* (inquit) *sequitur scandalum passivum ex hoc quòd aliquis rem temporalem non donat: & in hoc distinguendum est: quia quandoque non potest dare sine peccato; vel quia scit illum cui dat, usurum re data in malos usus; vel quia non potest dare rem temporalem uni sine præjudicio alterius; sicut si illi qui gerunt alicujus communitatis curam, dont aliqua ex quorum subtractione fiat pejor conditio illius communitatis. Et tunc non debet dare temporalem rem propter scandalum vitandum: quia hoc esset facere contra veritatem justitiæ aut vitæ.*

Et *Secunda Secundæ*, Quæstione XLIII. Articulo VIII. *Temporalia bona*, inquit, *aut sunt nostra, aut sunt nobis ad conservandum pro aliis commissa; sicut bona Ecclesiæ committuntur Prælatis, & bona communia quibuscumque Reipublicæ Rectoribus. Et talium conservatio, sicut & depositorum, imminet his, quibus sunt commissa, ex necessitate. Et ideo non sunt propter scandalum dimittenda; sicut nec alia quæ sunt de necessitate salutis.* Unde *S. Thomas* Cantuariensis Archiepiscopus, Ecclesiasticæ Libertatis vindex & Martyr, Ecclesiæ bona juráque repetiit, posthabito *Henrici* Angliæ Regis, Procerúmque scandalo.

REGULA XXIII.

Bona temporalia, quorum domini sumus, quandoque ob vitandum scandalum pusillorum negligenda sunt; vel certè scandalum aliâ ratione sedandum est.

HAnc Moralis Christianæ Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione & Articulo supra indicatis. *Temporalia bona* (inquit) *quorum nos sumus Domini, dimittere, ea tribuendo, si penes nos ea habeamus: vel non repetendo, si apud alios sint, propter scandalum quandoque quidem debemus, quandoque autem non. Si enim scandalum ex hoc oriatur propter ignorantiam, vel infirmitatem aliorum, quod supra diximus esse scandalum pusillorum; tunc vel totaliter dimittenda sunt temporalia, vel aliter scandalum est sedandum, scilicet per aliquam admonitionem. Unde S. Augustinus* Libro I. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. XX. hæc verba Christi, *Omni petenti da*, explicans, ait: OMNI PETENTI, *non omnia petenti: ut id det quod dare honestè & justè potest. Quid si enim pecuniam petat, qua innocentem conetur opprimere?.... Sed ne multa persequar, quæ sunt innumerabilia, id profectò dandum est, quod nec tibi nec alteri noceat, quantùm sciri aut credi ab homine potest: & cui justè negaveris quod petit, indicanda est ipsa justitia, ut non eum inanem dimittas; ita omni petenti te dabis, quamvis non semper id quod petit dabis; & aliquando melius aliquid dabis, cùm petentem injusta correxeris.*

Hinc idem *S. Thomas*, loco suprà citato ex IV. *Sententiarum*, ait: *Quandoque scandalum passivum procedit ex ignorantia: & tunc potest dare quasi ex consilio, sed non tenetur quasi ex Præcepto; quia potest petentem repellere instruendo eum. Et hoc quandoque magis prodesset, (quando scilicet esset talis ignorantia, quæ vergeret in præjudicium veritatis doctrinæ) quàm si daretur res temporalis; quia per hoc ille in suo errore foveretur: sicut patet de Hæreticis illis, qui dicunt, Quod quilibet debet bona sua pauperibus dare petentibus, etiam extra casum necessitatis extremæ.*

Cùm verò scandalum nascitur ex malitia, quod est scandalum Pharisæorum (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione & Articulo mox laudatis) *propter eos qui sic scandala concitant, non sunt temporalia dimittenda, quia hoc & noceret bono communi: daretur enim malis rapiendi occasio; & noceret ipsis rapientibus, qui retinendo aliena in peccato remanerent.*

CAPUT VIII.

DE SEXTO DECALOGI PRÆCEPTO.

INjuria in proximum atrocissima homicidium est, proxima adulterium: ut enim viro nihil charius, nihil conjunctius uxore legitimâ, ita nulla gravior contumelia est, quàm uxoris per adulterium constupratio. Convenienti itaque ordine sextum Præceptum, NON MOECHABERIS, quod conjugia munit, Præceptum illud sequitur quod corpora & vitam proximorum tuetur ac defendit. *Exod. 20.*

ARTICULUS I.

Præcepti sensus explicatur.

PRæcepti hujus duplex vis est: altera quâ disertis verbis adulterium vetatur; altera quæ ad animi corporisque castitatem colendam nos obstringit: hoc autem Mandatum Christus (*Matth.* v.) eodem modo interpretatur ac superius. Docet nimirum eo sommoveri non externum tantùm adulterium, sed & omnem penitus adulterii causam ac radicem, adeóque omnes affectus qui huc tendunt. *Audistis* (inquit) *quia dictum est Antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: Quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

Omne luxuriæ genus sexto Decalogi præcepto prohibitum. Mœchiæ porrò nomen etsi Græci ad significandum adulterium frequentiùs usurpent, tamen sicut furti nomine intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ, in septimo Præcepto, *Non furtum facies:* (Non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit, sed utique à parte totum intelligi voluit: quicquid illicitè rerum proximi aufertur:) ita in hoc Præcepto, *Nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi* (inquit *S. Augustinus*, Libro II. Quæstionum in *Exodum*, Quæstione LXXI) Corruptio igitur omnis, luxuriæ genus omne, seu adulterium, seu fornicatio, seu stuprum, seu incestus, seu sacrilegium, seu demùm peccata contra naturam, hoc præcepto Decalogi prohibentur: de quibus luxuriæ generibus satis actum est, cùm de peccatis tractaremus, nec repetere hic juvat.

Adulterii crimen gravius fornicatione simplici. Quamvis autem fornicatio lethale sit peccatum, quo membra Christi turpiter inhonorantur; quo gravis Spiritui Sancto irrogatur injuria, cujus Templum violatur; quo homines à Regno Dei pelluntur & exterminantur, ut docet Apostolus I. ad Corinthios VI. & ad *Ephesios* V. in adulterii tamen scelere major inest iniquitas, quàm in fornicatione simplici, quia injustitiæ peccatum non solùm in proximum, sed etiam in civilem societatem adjunctum habet, graviorem etiam turpitudinis infamiæque notam hominibus inurit. Nam Proverb. VI. 32. scriptum est: *Qui adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam: turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur.* Quàm verò fœda est excusatio virorum dicentium se continere non posse, aut intra Matrimonii thorique legitimi limites sistere! *Fœdum est* (inquit *S. Augustinus* Sermone IX. De decem Chordis,) *ut vir dicat non posse fieri, quod facit femina. Scelus est, ut vir dicat, Non possum. Quod potest femina, vir non potest? Quid enim, illa carnem non portat? Prior à serpente decepta est. Castæ uxores vestræ ostendunt vobis, fieri posse quod non vultis facere, & dicitis fieri non posse. Sed fortè dices, Ideo illam faciliùs facere posse, quia multa illi custodia est, legis præceptum, diligentia maritalis, terror etiam Legum publicarum; est etiam verecundia & pudoris illius magnum munimentum. Multa custodia faciunt feminam castiorem, virum castum faciat ipsa virilitas. Nam ideo mulieri major custodia, quia major infirmitas. Illa erubescit viro, tu non erubescis Christo? Tu liberior, quia fortior: quia facilè vincis, ideo tibi commissus es. Super illam & diligentia viri, & terror legum, & consuetudo morum, & verecundia major: & Deus super te, tantùm Deus. Invenis enim facilè pares viros, quibus non timeas erubescere, quia faciunt illud multi. Et tanta est perversitas generis humani, ut aliquando metuendum sit ne castus erubescat inter impudicos.... Si quis inter vos faciat homicidium, quod avertat Deus, pellere illum vultis de patria, & continuò, si fieri potest, excludere. Si quis faciat furtum, odistis illum, nec videre vultis. Si quis dicat falsum testimonium, abominamini, nec vobis homo videtur. Si quis concupiscat alienas res, raptor & injustus deputatur. Si quis volutatur cum ancillis suis, amatur, blandè accipitur; convertuntur vulnera in joco. Si quis autem exstiterit, qui dicat se castum, non facere adulterium, notum autem sit quòd non faciat, erubescit accedere ad illos non sui similes, ne insultent, ne irrideant, ne dicant non esse virum. Ad hoc delapsa est humana perversitas, ut vir habeatur victus à libidine, & vir non habeatur victor libidinis. Triumphantes exultant, & non sunt viri: jacent prostrati, & viri sunt? Si spectares, ille sibi videretur fortior, qui jaceret sub bestia, quàm qui perimeret bestiam?*

Neque verò blandiatur sibi vir adulter, quia ad alienam uxorem non accedit, sed ad ancillam, aut aliam mulierem solutam. Videat enim

De Adulterio. en sibi dici velit ab uxore, Non eo ad virum alienum, ad servum meum, aut alium virum solutum accedo. Absit ut hoc dicat ille. *Melius enim dolet te* (inquit S. Augustinus) *quàm imitatur te. Illa enim casta & sancta femina, & verè Christiana, qua dolet fornicantem virum, & non dolet propter carnem, sed dolet propter caritatem; non ideo non vult ut faciat, quia & ipsa non facit, sed quia tibi non expedit. Nam si propterea non facit, ut tu non facias, si feceris, faciet. Si autem Deo illud debeat, si Christo illud debeat; quod ta exigit, & ideo reddat, quia jubet ille,* B *& si fornicatur vir, castitatem femina illa Deo exhibet.* Christus enim interiùs in corde castæ feminæ loquitur dicens: *De injuriis viri tui torqueris, quid tibi enim fecit? Dole, sed ipsum noli imitari, ut malè facias, sed ipse te imitetur in bono. Nam in eo quod malè facit, noli eum putare caput tuum, sed me Deum tuum. Nam si & in eo quod malè facit caput est, & secutum est corpus caput suum; eunt ambo per præceps. Ut autem non sequatur malum caput suum, teneat se ad caput Ecclesiæ Christum: huic debens castitatem suam, huic deferens honorem suam, absens sit vir, præsens sit vir,* C *non peccat illa; quia nunquam est absens, cui debet ut non peccet.*

ARTICULUS II.

Regulæ Morales circa sextum Decalogi Præceptum.

REGULA I.

D *Copula cum aliena Conjuge, etiam consentiente Marito, Adulterium est.*

HÆc Regula nititur verbis Apostoli ad Romanos VII. 2. & 3. *Quæ sub viro est mulier* (inquit) *vivente viro alligata est legi: Si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Commixtio cum aliena uxore, vivente illius viro, adulterium est, ut docet Apostolus: E vivit porrò vir consentiens ut uxor sua cum altero misceatur: igitur adultera est. Neque enim ait Apostolus, Vivente & non consentiente viro: sed simpliciter, *Vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro.* Nec ait: liberata est à Lege viri, si mortuus fuerit, vel consenserit vir ejus: sed, *Si mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Sola ergo mors mariti, non viventis assensus, uxorem à lege viri, adeòque & illius cum altero copulam ab adulterii crimine immunem facit. Et certè cùm adulterium nihil aliud sit F quàm *Accessus ad alienum thorum*, uxor autem aliena, sit mulier per conjugii legem viro alligata, mutuumque sit vinculum illud quamdiu vivunt conjuges: *Hæc alligatio facit ut aliis conjungi sine adulterina copulatione non possint*, (inquit S. *Augustinus*, Libro II. *De Adulterinis Conjugiis*, cap. IX.) Sicut ergo, velint nolint conjuges, manet vinculum istud quamdiu vivunt; ita, velint nolint, nequeunt sine adulterina copulatione aliis commisceri.

Eamdem Regulam confirmant Patres, inprimis *Tertullianus*, Apologetici cap. XXXIX. *Omnia* A (inquit) *indiscreta sunt apud nos, præter uxores. In isto solo consortium solvimus, in quo solo cæteri homines consortium exercent, qui non amicorum solummodo Matrimonia usurpant, sed & sua amicis patientissimè subministrant; ex illa, credo, majorum & sapientissimorum disciplina, Græci Socratis, & Romani Catonis, qui uxores suas amicis communicaverunt, quas in Matrimonium duxerant liberorum causâ & alibi creandorum. Nescio quidem an invitas. Quid enim de castitate curarent, quam mariti tam facilè donaverant? O Sapientiæ Atticæ, ò* B *Romanæ gravitatis exemplum! Leno est Philosophus & Censor.*

Sanctus Epiphanius, Hæresi XXVI. Gnosticorum obscœnos mores describens: *Larga* (inquit) *& opipara edulia, carnis esum & vini potum apponunt, etiamsi pauperes fuerint. Ex hoc autem ubi compotaverint, & venas satietate impleverint, ad œstrum se convertunt: & vir quidem concedens uxorem alteri, ait ad ipsam: Surge, & fac dilectionem cum fratre.* Quis ita vecors erit, ut ista Gnosticorum flagitia à labe adulterii excuset?

Sanctus Augustinus, Libro *De Fide & Operibus*, C cap. VII. *Absit*, (inquit) *ut sensu planè non humano, sed planè vano sic doleamus cùm flagitia corriguntur, tanquam connubia dirimantur; maximè in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus, hoc est, in Ecclesia, ubi nuptiarum non solùm vinculum, verùm etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere: quod in Republica tunc Romana, non solùm minimè culpabiliter, verùm etiam laudabiliter Cato fecisse perhibetur. Neque hinc diutiùs modò disputare opus est, cùm & illi, quibus respondeo, non audeant affirmare, nullum hoc esse peccatum, neque* D *negent esse adulterium, ne ipsi Domino Sanctoque Evangelio apertè convincantur obsistere.*

Frustra ergo quidam in erroris huic Propositioni contrarii patrocinium S. *Augustinum* trahere nituntur, quasi saltem de illius veritate dubitaverit occasione historiæ quam narrat Libro I. *De Sermone Domini in Monte*, cap. XVII. de Muliere quadam Antiochena, quæ se consentiente marito alteri prostituit, ut eum à morte liberaret. Neque enim de veritate doctrinæ, sed de veritate historiæ sive facti dubitare se S. *Augustinus* indicat, cùm ait: *Nihil hinc in aliquam partem disputo, liceat cuique æstimare quod* E *velit: non enim de Divinis Auctoritatibus deprompta historia est.* Cæterùm quid sentiret de veritate dogmatis, disertis verbis significavit, hujus historiæ narrationi hunc in modum præfatus: *Sed tamen* (inquit) *utrum quod dixit Apostolus:* " Mulier " non habet potestatem sui corporis, sed vir; " similiter & vir non habet potestatem sui cor- " poris, sed mulier, *possit in tantum valere, ut* " 1. Cor. 7. *permittente uxore, quæ maritalis corporis potestatem habet, possit vir cum altera, quæ nec aliena uxor sit, nec à viro disjuncta concumbere: sed non ita* F *est existimandum, ne hoc etiam femina, viro permittente facere posse videatur, quod omnium sensus excludit.* Subdit quidem nonnullas caussas posse existere, *Ubi & uxor, mariti consensu, pro ipso marito hoc facere debere videatur: sicut Antiochiæ factum esse perhibetur ante quinquaginta fermè annos, Constantii temporibus:* ubi Mulier quædam pro servando mariti vita copiam sui corporis alteri fecit. Sed quasdam caussas esse duntaxat significat, in quibus id non ita refugiat sensus humanus, non autem ubi id liceat secundùm rectam rationem & Divinam Legem. *Sed tamen* (inquit) *narrato facto, non ita respuit hoc sensus humanus,*

De Adulterio.

quod in illa muliere viro jubente commissum est, quemadmodum antea cùm sine ullo exemplo res ipsa poneretur, horruimus. Sed in hoc Evangelii capitulo nihil fortiùs considerandum est, quàm tantum malum esse fornicationis, ut cùm tanto vinculo sibi conjugia constringantur, hæc una caussa solutionis excepta sit. Nec tamen ipsa fornicatio ita conjugia dirimit, ut mulier innocens, vivo marito, quamvis adultero, alteri nubere possit aut copulari. Nam *Mulier alligata est quamdiu vir ejus vivit*, id est, marito in corpore constituto. *Si autem mortuus fuerit*, hoc est de corpore exierit, *soluta est à lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.* Quem Apostoli locum tractans *S. Augustinus* Libro II. *De Adulterinis Conjugiis*, cap. IV. ait: *Hæc verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus.* Cùm igitur adulterium sit alieni thori violatio, nec possit conjux efficere ut suus thorus alienus non sit comparatione cujuslibet tertii; perspicuum & exploratum est, non posse conjugem ullo suo consensu efficere quin accessus cujusvis tertii ad suam conjugem sit alieni thori violatio, atque adeo adulterium. Consensus itaque mariti uxorem aut ejus complicem ab adulterii flagitio non purgat; immo verò maritum eodem crimine involvit, lenociniique reum facit, secundùm illud Apostoli ad *Romanos* cap. I. 32. *Qui talia agunt, digni sunt morte: & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Eadem Regula confirmatur cap. *Discretionem*, quod *Innocentii III.* Responsum est, Extra, *De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ*, cujus hæc sunt verba: *Ex parte tua fuit propositum, quòd quidam cum Muliere quadam legitimè per verba de præsenti contraxit, quam postmodum à se incognitam, cuidam consanguineo suo tradidit, in quantum potuit renitentem. Ille verò eam ipsa, licet invita, Matrimonii solemnia celebravit: sed mulier quàm citò reddita fuit libertati, aufugit ab eo, & se priori viro restitui postulavit. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, Quod & viro pro tam turpi facinore gravis est Pœnitentia injungenda, & Mulier propter publicam honestatem est monenda sollicitè, ut nec primum repetat, cujus consanguineus eam licèt invitam cognovit; nec redeat ad secundum*, QUI NON POTEST PRÆTER REATUM ADULTERII COMMISCERI: *sed in continentia maneat, donec prior fuerit viam universæ carnis ingressus. Quòd si forsan ad id induci non potuerit, vir prior cogatur redire ad ipsam, & maritali eam affectione tractare: cùm adulterium ei non possit objicere, qui eam adulterandam tradidit, præsertim invitam.* Copula igitur cum aliena uxore, quamvis consentiente & tradente marito, verum adulterium est.

Sixtus Quintus idem confirmat Constitutione XLVI. quæ incipit his verbis, *Ad compescendam*. Pœnam scilicet capitis lege latâ decernit in maritum, *Qui propriam uxorem in prædam alienæ libidinis tradiderit, & re ipsa prostituerit, aut induxerit ut contra jus & fas adulteria quæstûs aut alia quavis causâ palam exerceat.*

Propositio damnata.

Meritò itaque inter alios errores, hanc etiam Propositionem ordine L. Damnavit *Innocentius XI.* Pontifex Maximus Anno Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo-nono, Mense Martio: *Copula cum conjugata, consentiente Marito, non est Adulterium, ideòque sufficit in Confessione dicere, Se esse fornicatum.*

Hanc Propositionem Clerus etiam Gallicanus anno 1700. judicavit *Scandalosam, perniciosam, castarum & piarum aurium offensivam, & erroneam.*

REGULA II.

Cùm ex Adulterio secuta est proles, Adulter & Adultera tenentur ad Restitutionem omnium damnorum, sive legitimis filiis, sive aliis heredibus.

NOn enim *dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, cùm restitui potest*: ut habet Regula Juris ex *S. Augustino*, immo ea ipsis legis naturæ principiis sumpta. Cùm autem ex adulterio secuta est proles, quæ inter legitimos filios educatur, sive ut legitima supponitur, atque hereditatem hoc nomine aditura est, grave damnum infertur filiis aut heredibus legitimis: igitur necessariò resarciendum est restitutione factâ, si tamen fieri possit: nec aliter absolutio Sacramentalis adulteris concedenda est. Idem dicendum, si exposita sit adulterina proles Hospitali Domui à parentibus adulteris. Tenentur autem ad restitutionem singuli pro rata, si communi consensu ad adulterium convenerunt: at si adulter Mulierem pellexit, provocavit, ipse in solidum obligatur ad omnia damna resarcienda, cùm præcipua illorum caussa sit. Ipso tamen deficiente, adultera tenetur in solidum, quia peccato suo damna hujusmodi volens procuravit. Si tamen dubium sit an prolem ex adulterino concubitu, an ex maritali complexu mulier susceperit, nulla est restitutionis obligatio, quia *In dubiis melior est conditio possidentis.* Res autem dubia censetur, nisi vel maritus toto conceptionis tempore abfuerit, vel alia sint adulterini conceptus argumenta, non verisimilia solùm & probabilia, sed omnino certa. Aliàs enim ex legitimo matrimonio natus judicatur, qui in domo legitimorum conjugum natus est, si maritus eo tempore habitat cum matre tanquam cum uxore. Nec refert quòd adultero similis sit, non putatitio patri: similitudo enim illa ex aliis causis oriri potest, adeòque fallax signum est. Quamobrem in favorem Matrimonii judicatur.

Modus restitutionis à mulieribus adulteris faciendæ nisi legitimis aut heredibus.

De modo restitutionis nunc dicendum. Mulier adultera, cui bona sunt ex dote, aut donatione propter Nuptias, quorum liberam administrationem habet post mortem mariti; aut paraphernalia, quæ scilicet extra dotem possidet, ex iis compensare debet quantùm necesse est ad reparationem damnorum. Si hoc modo damnum filiis aut heredibus legitimis, aut etiam Hospitali illatum resarcire non possit, det operam ut adulterinus Monasterium ingrediatur, si idoneus est, & partem hereditatis illi alioquin obventuram, legitimis heredibus relinquat. Id si ipsi persuadere non possit, curet quibus modis honestis poterit, ut minorem hereditatis portionem accipiat, ut negotiatione, arte, industriâ plus ipse conferat in familiæ commodum. Ipsa etiam mulier sumptus, ornatúmque suum minuat, quantùm servato decoro fieri potest, ut parsimoniâ suâ legitimorum heredum sortem meliorem faciat. Si verò damna ex adulterio secuta compensare non possit, nisi detegat crimen suum marito, aut filiis legitimis, aut etiam ipsi spurio, illud de-

De Adulterio

tegere non tenetur, atque in illis circumstantiis sufficit ut Pœnitentiam agat, nec ipsi Absolutio Sacramentalis neganda est. Si enim revelaret crimen suum marito, vitæ, aut certè infamiæ periculum subiret. Nemo autem tenetur restituere bona inferioris ordinis cum jactura bonorum ordinis altioris. Cùm itaque *Melius sit nomen bonum quàm divitiæ multæ*, (ut dicitur *Proverb.* XXII.) nemo tenetur cum famæ suæ detrimento compensare damnum alteri in re familiari seu fortunæ bonis illatum. Hinc etiam adulteri
B cædes, & immortalia inter familias dissidia facilè sequi possent. Filiis etiam legitimis scelus suum prodere non tenetur, vel morti proxima, vel eis dicere sub secreto, unum ex ipsis esse spurium, & efficere ut consentiant singuli ne illum nominent, illúmque recipiant in communionem hereditatis: tum quia famæ suæ grave detrimentum, vel moritura, subire non tenetur; cùm vita honoris post mortem ipsam superstes sit: tum quia hoc modo non resarciretur sufficienter damnum ex adulterio illatum, si quidem pactum illud inter fratres initum de relinquenda
C uni spurio portione hereditatis, legitimum non esset, utpote necessariâ libertate, quæ vim & metum excludere debet à contractibus & pactis, destitutum. In illa autem hypothesi fratres non sponte cederent jure suo, sed metu solùm maternæ declarationis coacti: nec filius legitimus ullum inde commodum reportaret, sed adhuc damnum pateretur: nec jus suum abdicaret, si certò sciret se legitimum esse, alium verò fratrem ex adulterio conceptum. Denique non tenetur scelus suum prodere spurio, nisi certa esset illum fidem sibi adhibiturum, atque hereditate
D cessurum, nullúmque sibi infamiæ periculum imminere, utpote cùm ille vir pius sit, secreti tenax, amator justitiæ, & rerum temporalium minimè cupidus. Sed quis est hic? Et aliunde filius non tenetur credere matri asserenti & juranti ipsum esse spurium, nisi certis probationibus convincatur ejus conscientia, suam enim turpitudinem allegants nulla debetur fides, cum alterius præsertim detrimento. Deinde mulierum levitas, inconstantia, malæque artes in suspicionem non immeritò veniunt. Fieri enim potest ut ex ardentiori in alios filios amore cupiat eos heredes institui; hunc
E autem quem odio habet, vel minùs amat, ab hereditate excludi. Tandem cùm iste in domo legitimorum conjugum natus sit ac educatus, & à marito matris suæ pro filio agnitus, præsumere potest se legitimum esse, nisi certis argumentis convincatur se ex adulterio genitum.

Hæc doctrina nititur *Innocentii III.* Responso, cap. *Officii*, Extra, *De Pœnitentiis & Remissionibus*, cujus hæc sunt verba: *Significasti quamdam Mulierem in Pœnitentia tibi fuisse confessam, quòd timens ne viri possessio devolveretur ad alios, quarumdam herbarum succum potavit, & sic venter ejus intumuit, & inde gravidam se ostendens,*
F *sibi partum supposuit alienum, timénsque maritum, non vult factum ipsi detegere, qui prolem credit sine dubitatione qualibet esse suam. Quoniam igitur postulas edoceri, utrum ei ac fraude durante sit Pœnitentia injungenda: Respondemus, Quòd sicut Mulieri, quæ ignorante marito de adulterio prolem suscepit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est Pœnitentia deneganda: ita nec illi debet Pœnitentia denegari, maximè si per alios, intelligas alienos, ad quos timeat possessionem viri devolvi: sed competens satisfactio per discretum Sacerdotem ei debet injun-*

A *gi.* Ubi Glossa, verbo *Deneganda*, hæc habet: *Mirum est, quòd durante suppositione per quam fraudantur consanguinei debita successione, hæc Mulier pœnitere potest, contra illud* XIV. Quæstione VI. C. Si res; & de Pœnit. Distinctione III. C. Pœnitentes. *Sed ipsa non potest detegere suppositionem, quia ei non crederetur obstante præsumptione, quæ habetur ex Matrimonio, quòd filius natus sit ex Nuptiis.* ff. De his quæ sui vel alieni juris sunt. L. Filium. *Et etiam periculosum esset mulieri illud detegere.*

B His adde *S. Raymundi* Consilium, in Summa, Libro II. Tit. *De Raptoribus*, §. 2. pag. 176. *Mulier* (inquit) *quæ de adulterio suscepit filium, vel supposuit sibi alienum partum, debet laborare quibuscunque modo potest, ut legitimi heredes non fraudentur hereditate paterna, cautè tamen: revelare enim simpliciter marito, vel etiam ipsi spurio vel supposito non expedit, tum quia guerræ, homicidia, & adulteria fierent, cùm maritus fortè dimitteret eam, & non valentes forsitan continere, utrique adulterarentur, & alia multa pericula possent inde*
C *oriri: tum quia fortè non crederent sibi. Ex altera parte non videtur, quòd possit agere Pœnitentiam, vel esse in statu salvandorum, durante tali deceptione; quia* Non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum. XVI. Quæstione VI. C. Si res aliena. *Verùm quia propter hoc non est ei Pœnitentia deneganda, ut ait Innocentius* Ext. de Pœnit. cap. Officii, *ità procedat: Revelet in Pœnitentia factum suo Sacerdoti Parochiali, vel de licentia ipsius alii magis perito; & postea cum ipso, vel etiam sine ipso, si vult, revelet Episcopo suo similiter in Pœnitentia: & tunc Episcopus, vel etiam Sacerdos, si tantæ discretionis vel maturitatis sit, vel, ejus latitudine est, ambo simul inquirant diligenter & cautè*
D *si ille spurius vel suppositus sit homo spiritualis & timens Deum: quo invento, vocent eum secretè, & coram muliere; & si videbitur expedire, recepto priùs Sacramento ab ipsa quòd calumniosè non procedat, & etiam ab illo quod factum secretum teneat, poterunt revelare sibi, & inde consulere ut ingrediatur Religionem, vel transferat se ad longinquam regionem, ut sic nihil percipiat de bonis illius, quem credebat esse patrem suum. Ea autem quæ consumpsit de bonis prædictis, dum habuit bonam fidem credens se esse filium legitimum, restituat, vel componat, vel petat remissionem à viro mulieris si*
E *vivit, sin autem, ab heredibus legitimis; non tamen per se hoc faciat, ne factum reveletur, sed per Sacerdotem, vel aliam similem personam quæ hoc procuret, tacitis semper personis & facto. Si tamen non potest, vel etiam potest, sed non potest planè induci ad hoc, non credo eum præcisè cogendum. Arg. Legis, quæ dicit, Bona fidei possessorem non teneri de consumptis.* C. De rei vindic. Certum. *Si verò illi spurio vel supposito non potest revelari sine periculo, vel etiam facto sibi revelato secundùm formam prædictam, non vult acquiescere consilio, tunc etiam injungatur mulieri quòd de sponsalitio suo & aliis rebus, quas habet, vel in futurum habere poterit,*
F *satisfaciat juxta posse, dolens semper de peccato; & quia non potest plenè satisfacere, proponens firmiter in animo, quòd satisfaciet quàm citò poterit: hoc tamen fiat per medium Pœnitentialem, vel Personam Religiosam secretè & cautè: & potest uti his verbis, Quædam persona tenetur vobis in hoc, accipite: & ita erit in bono statu.* Arg. XII. Quæstione V. Hoc videtur. *Et in prædlegata Decretali*, OFFICII.

REGULA III.

REGULA III.

Morosa delectatio de rebus obscœnis, lethale peccatum est contra sextum Decalogi Præceptum.

Morosæ delectationis peccatum.

MOrosam delectationem intellige, quæ plenè deliberata est. Non enim morosa dicitur ex mora temporis, *Sed ex eo quod ratio deliberans circa eam immoratur, nec tamen eam repellit, tenens & volvens libenter, quæ statim ut attigerunt animum, respui debuerunt*; (inquit *S. Thomas*, Prima Secundæ, Quæstione LXXIV. Articulo VI. in Responsione ad tertium.) Delectationem etiam intellige non de cogitatione ipsa, sed de re obscœna cogitatâ, verbi gratiâ de fornicatione, de adulterio, de incestu, &c. ut docet *S. Thomas*, Articulo VIII. ejusdem Quæstionis. Lege quæ dicta sunt Libro III. hujus Operis, Cap. IV. Regulâ LIV.

REGULA IV.

Aspectus impudici & libidinosi sunt lethalia peccata.

UT enim ait Christus, Matth. V. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Et *S. Petrus* Epistola II. Cap. II. impudicos homines describens, arguensque, ait: *Oculos habentes plenos adulterii & incessabilis delicti.* Quamobrem Sanctus Job Cap. XXXI. Libri ipsius nomine inscripti dicit: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hæreditatem Omnipotens de excelsis?* Atque hoc est quod monet David Psalmo CXVIII. *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* Et Sapiens Ecclesiastici IX. *Virginem* (inquit) *ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius. Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius. Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Nec mirum: *Ascendit enim mors per fenestras nostras*, hoc est per sensus, ut dicitur *Jeremiæ* IX. quemadmodum idem Propheta *Threnorum* III. confirmat: *Oculus meus deprædatus est animam meam.*

Aspectus impudici.

Eamdem Regulam confirmant Patres. *Tertullianus* in *Apologetico*, Cap. XLVI. *Democritus*, (inquit) *excæcando semetipsum, quòd mulieres sine concupiscentia aspicere non posset, & doleret si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur: at Christianus salvis oculis feminas non videt; animo adversus libidinem cæcus est.* Et Libro *De Virginibus velandis*, Cap. III. *Ejusdem libidinis est videri, & videre. Tam sancti viri est suffundi si virginem viderit, quàm sanctæ virginis, si à viro visa sit.*

S. Joannes Chrysostomus, Homilia XVII. in Matthæum: *Christus* (inquit) *non actum solummodo, sed impudicum quoque coërcet aspectum, ut discas ubi consistat illud quòd supra Scribarum & Pharisæorum nostra præcipitur abundare justitia: Propter quod ait*, Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. *Hoc est dicere, Qui dat operam in venusta corpora curiosiùs intueri, & decoras aucupari facies, talique animam spectaculo pascere, & absentes pulcris etiam vultibus oculos affigere. Non enim idcirco Dominus advenisse sentendus est, ut solummodo corpus à malis actibus, sed ut priùs animam quoque ab hujusmodi cogitationibus averteret. Quia enim Spiritus Sancti gratiam mente suscipimus, meritò ipsam purificat primam. Et quemadmodum* (inquit) *possumus à concupiscentia liberari? Maximè quidem, si velimus, ipsam mortificare possibile est, atque ne in opus erumpat continere. Tum verò hic non generaliter concupiscentiam interimit, sed illam quæ ex forma decore concipitur. Quis enim studet elegantes facies inspicere, ipse procul dubio fornacem sibi istius passionis accendit, & captivam faciens animam, ad opus quoque celeriter abducit. Propterea non dixit, Qui concupivit ad adulterandum, sed, Qui viderit ad concupiscendum.... Id est, qui concupiscentiam videndi curiositate sibi ipsi collegerit, quique nullo omnino cogente, quiescenti animæ feram subitò immiserit. Hoc enim non jam naturæ est, sed propria omnino desidia: quod certè olim etiam Veteri Lege prohibetur.* Noli, inquit, addiscere pulchritudinem alienam. *Deinde ne quis diceret, Quid autem etsi inspiciam, nec tamen capior? Cohibuit aspectum, ne hujusmodi licentiâ fidens, etiam in peccatum quandoque corrueret. Quid autem* (inquis) *si video & concupisco quidem, sed tamen turpe nihil ago? Et sic quidem jam in adulterorum parte numeraris. Pronuntiavit enim Lator Legis, nec ampliùs aliquid oportet scrupulosiùs inquirere. Non semel quidem & secundò & tertiò sic videns, possis fortassè animum continere. Si verò frequenter id feceris, fornacémque istam sponte succendas, profectò capieris. Neque enim extra naturam aleámque humanam consistis. Sicut enim nos cum gladium teneri videmus à puero, etiamsi nondum eum vulneratum inde esse cernamus, verberamus tamen, ac sæpe minantes denunciamus, ne quando illum rursus attingat: ita etiam Deus inverecundum coërcet aspectum, cùmque ante opus tollit, ne quandoque in ipsam quoque incidat actionem. Qui enim in se flammam cupiditatis accenderit, etiam absente muliere quam vidit, jugiter apud semetipsum turpium rerum simulacra depingit, & necesse est hujusmodi nonnumquam ad flagitium ipsum opere pervenire. Propterea eos quoque qui in solo sunt corde complexu, Christus interimit.... Propterea etiam beatus Job hanc sibi ab initio legem ipse decreverat, periculosum hoc spectaculum undique à suis oculis repellendo. Siquidem post hujusmodi aspectum multò jam difficilius certamen efficitur, cùm & viderit aliquis, & tamen eâ quam viderit non fruatur; nec tantam de contemplatione ipsa capimus voluptatem, quantum patimur de augmento istius cupiditatis dolorem, fortiorem contra nos facientes hostem, & ampliorem locum Diabolo dantes: ut nequaquam illum ulteriùs propulsare valeamus, postquam semel in intima cordis admiserimus, atque temerè mentis nostræ claustra reseravimus. Idcirco præcipit ne fornicetis oculis, ne per hoc scilicet animo fornicetis. Est enim possibile & aliter aspicere, ut certè aspiciunt & pudici: & ideo non simpliciter aspectum, sed concupiscentiæ junctum interimit aspectum. Nisi enim id voluisset efficere, utique dixisset, Qui viderit mulierem, profectò mœchatus est eam in corde suo. Nunc verò id omnino non dixit: sed,* Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam: *Qui scilicet ad hoc aspicit ut oblectet aspectum. Neque propterea tibi Deus oculos affinxit, ut per illos ad animum adulteria transmittas, sed ut creaturas ejus aspiciens, mireris Autorem. Sicut ergo est temerè irasci, ita etiam temerè videre, si id ad libidinem facias. Si enim vis videre, atque ex visu capere voluptatem, aspice propriam conjugem, & illius usque amore perfruere. Hoc enim nulla lex prohibet. Si verò erga alienum curiosus sis decorem, tuum despicis, & istam*

Deuter. X.

Aspectus impudicus.

professò lædit, is qui in aliam oculos avertit, & ipsam etiam quam illicitè contingis. Et si enim illam nequaquam attrectasti manu, sed oculis tamen ac voluntate palpasti: propterea etiam hoc proculdubio adulterium reputatur; & ante futura illa tormenta non leve jam in præsenti invenitur afferre supplicium. Nam perturbationibus ac tumultu intrinsecùs cuncta complentur, & multus quidem æstus, plurimus etiam sentitur dolor. Nec omnino hujusmodi homo mel ùt affectus est, quam qui affliguntur vel captivitate vel vinculis. Et illa quidem quæ lethalem hanc ejicit sagittam, eâ emissâ sæpe avolat; at ictus remanet: immo verò non illa spiculum torsit, sed tu tibi ipsi plagam illam mortiferam intemperanter spectans inflixisti.

Sanctus Ambrosius, Sermone XVI. in Psalmum CXVIII. *Oculus* (inquit) *tentationis dicitur; quia per oculum sæpe tentamur. Oculus meretricis, laqueus amatoris. Sed oculus nihil delinquit; ideoque Salvatoris sententia plena justitiæ est, dicentis:* Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, adulteravit eam in corde suo. *Non dixit*, Qui viderit mulierem, *sed* ad concupiscendum *viderit. Oculum absolvit, mentem ligavit. Nec dixit*, adulteravit *eam in oculo, sed* in corde. *In oculo visus est, in corde peccatum.*

S. Augustinus, Epistola CCXI. aliàs CIX. ad Sanctimoniales: *Oculi vestri* (inquit) *etsi jaciuntur in aliquem, figantur in neminem. Neque enim quando proceditis viros videre prohibemini, sed appetere, aut ab ipsis appeti velle. Nec solo tactu, sed affectu quoque & aspectu appetitur & appetit femina. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habetis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. Et cùm se invicem sibi etiam tacente linguâ conspectu mutuo corda nuntiant impudica, & secundùm concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus.*

Et Enarratione in Psalmum L. *De longè vidit David illam, in quâ captus est. Mulier longè, libido prope. Alibi erat quod videret, in illo unde caderet..... Numquid tu fortior quàm David?* Idem confirmat *S. Gregorius Magnus*, Libro XXI. *Moralium*, Cap. II. cujus verba descripsi Libro III. hujus Operis, Cap. VII. Articulo V. Num 4.

Secundum hanc Regulam, lethale peccatum est, se ipsum, aut alium, cujuscumque sexûs, in partibus verecundioribus corporis absque necessitate & causâ legitimâ, studiosè intueri; quia ex hujusmodi aspectu impudico fœdæ libidinis imagines in animos nostros irrumpunt, obscœnique motus excitantur ut plurimùm. Copulam etiam brutorum animantium intueri & considerare periculosum est, propter obscœnas imagines & cogitationes hinc in animum irruentes, quæ carnales homines, & rusticos maximè, ad libidinem facilè excitant. Atque hujusmodi aspectus spectato intuentium affectu, cupiditate, corruptione, peccatique inde sequi solitis, lethale peccatum esse potest. Quamobrem Confessarii rusticos homines ab eo avertere debent.

Lethaliter peccant, qui turpes imagines apud se retinent, aut libidinosis oculis intuentur.

Secundùm eamdem Regulam lethalis peccati rei sunt, qui effingunt, palam exponunt, apud se retinent, aut studiosè & libidinosis oculis intuentur imagines, quæ aliquam turpitudinis speciem præ se ferunt: cùm ad turpes rerum illecebras, inflammandósque adolescentum animos vis in illis sit maxima. Unde *S. Joannes Chrysostomus*, in Psalmum centesimum decimumtertium, ait: *Dæmon nuda quoque figura assidet. Et nunc quidem statuæ sunt imagines fornicationis, nunc insani in masculos amoris. Quid enim sibi vult aquila? Quid verò Ganymedes? Quid Apollo qui virginem persequitur? Quid alia execranda figura? Ubique libido, ubique lascivia nefariorum concubituum, & insanorum amorum sunt ubique figuræ.* Adolescentem quemdam aspectu tabulæ in pariete depictæ, quæ Jovem per imbrem aureum in Danaæ gremium illapsum adumbrabat, ad libidinem se concitasse, & Jovem ad exemplum stupri sibi proposuisse, refert *S. Augustinus*, Libro I. *Confessionum*, Cap. XVI. *Apollinaris Sidonius* Libro II. Epistola II. ad *Domitium*, Ædes suas rusticanas describens: *Non hic* (inquit) *per nudam pictoram corporum pulcritudinem turpis prostat Historia; quæ sicut ornat artem, sic dehonestat artificem. Absunt ridiculi vestitu & vultibus histriones, pigmentis multicoloribus Philistionis supellectilem mentientes. Absunt lubrici, tortuosique pugillatu & nexibus Palæstritæ: quorum etiam viventium luctas, si involvantur obscœniùs, casta confestim Gymnasiarchorum virga dissolvit. Quid plura? Nihil illis paginis impressum, quod non vidisse sit sanctius.*

Quamobrem rerum turpium & obscœnarum imagines effingi Sacri Canones prohibent; *deleri, vel ad honestatem reconcinnari præcipiunt.* Concilium Mediolanense V. P. I. Tit. *De his quæ ad Sacramentalia & Sacramenta generatim pertinent*, præscribens quæ à patribus-familiâs præstanda sunt, cùm illorum ædes à Parocho solemni ritu benedicuntur, statuit ut *Imagines obscœnas & turpes incendant: profanas verò, quæque ad inanem voluptatem alliciunt, amovere studeant.*

Concilium Mediolanense III. Tit. *De iis quæ pertinent ad Ordinis Sacramentum & Clericorum honestatem*, statuit, ut *Si in hortis, ædibus, aliisve Ecclesiarum aut Ecclesiasticorum hominum locis, signa, imagines, aut picturæ sunt, quæ procaces, vel ullo alio modo aliquam obscœnitatis, turpitudinisve speciem præ se ferant; ita reconcinnentur, ut offensionem oculis ne præbere possint, aut tollantur deleanturve ex omni loco ubicumque exstant; neque in posterum ejusmodi ullo modo effingantur, aut pingantur. Et quoniam Christianorum hominum mentes facilè corrumpuntur, peccandi libidine inflammatæ ob rerum turpium atque obscœnarum imagines, ideo illas effingi vetitum est Constantinopolitanæ Synodi Canone. Itaque curet Episcopus, ut quicumque Laici homines id generis imagines habent, vel tabulis vel parietibus expressas, pro Pietatis Christianæ, cui addicti esse debent studio, eas abjiciant, vel planè deleant, vel ad honestatem reconcinnent.*

His autem verbis conceptus est Canon Concilii Trullani centesimus à Concilio Mediolanensi & *Sancto Carolo Borromæo* laudatus: *Oculi tui recta aspiciant, & omni custodia serva cor tuum*, jubet Sapientia. *Corporis enim sensus suas facilè in animam effundunt. Picturas ergo quæ oculos præstringunt, sive in tabulis, sive quovis alio modo fiant, & mentem corrumpunt, & ad turpium voluptatum movent incendia, nullo modo deinceps exprimi jubemus. Si quis autem hoc facere aggressus fuerit, segregetur.* *Proverb. 4.*

Ecclesiæ Bisuntinæ Statuta Synodalia, Rituale Bituricense, anni millesimi sexcentesimi sexagesimi sexti, Statuta Cardinalis *Grimaldi* Aquensis Episcopi, iis Absolutionem Sacramentalem impendi vetant, qui obscœnas imagines apud se retinent, nec delere, aut ad honestam formam reconcinnare volunt: nec non iis qui illas effingunt, aut vendunt.

Absolutio illis neganda qui obscœnas imagines apud se retinent.

Christiano Nomine indignos illos esse, & ad Gentilium

Gentilium mores deflectere, probat insignis *S. Clementis Alexandrini* locus in *Admonitione ad Gentes*, cujus hæc sunt verba: *Si quis sculptilia simulacra contempletur, ex turpibus, ignominiâque ac dedecore plenis figuris, vestros Deos statim agnoscet..... Si quis nudam viderit depictam mulierem, auream Venerem intelligit. Sic Pygmalion ille Cyprius eburneam amavit statuam: erat ea simulacrum Veneris, & erat nudum. Movetur figurâ Cyprius, & coit cum imagine: quod quidem Philostephanus testatur. Venus autem alia in Cnido erat lapis, & erat pulcra: alius eam amavit, & cum lapide Veneris habet consuetudinem, ut refert Posidippus: prior quidem in Opere de Cypro, alter verò in Opere de Cnido. Tantùm ars valuit ad decipiendum, quæ homines amori deditos illexit in barathrum.* Et paulò post: *Nos autem ne aures quidem stupris ac fornicationibus inquinare volumus. Sumus enim nos, sumus qui Dei imaginem circumferimus in hoc vivo & mobili simulacro, videlicet homine cohabitantem imaginem, consulentem, colloquentem, contubernalem, & quæ nostris movetur, iisdemque dominatur perturbationibus.* Nos Deo donati & dedicati sumus pro Christo, Nos genus electum, regale Sacerdotium, gens Sancta, Populus peculiaris; *Qui aliquando non Populus, nunc autem Populus Dei; qui, (ut ait Joannes) non sumus ex iis qui sunt inferiùs, sed ab eo qui venit supernè omnia didicimus: qui Dei œconomiam, seu carnis susceptæ dispensationem mente comprehendimus; qui ut in vita novitate ambularemus, nos exercemus. Sed hæc non cogitat vulgi magna pars, sed omni pudore metúque deposito, domus depingunt turpes Dæmonum in Venerem pruritus & titillationes. Pictis enim quibusdam tabellis, iisque in alto suspensis mentem adhibentes, thalamos ornarunt impudicitiâ, intemperantiam existimantes pietatem: & in cubili decumbentes, in ipsis amplexibus Venerem illam nudam respiciunt, quæ vincta est propter complexus: & ad Ledam advolantem avem, qui ob hoc ipsum quòd effeminata sit, probantes picturam, in pala annuli exprimunt, & convenienti Jovis intemperantiæ sigillo utuntur. Hæc sunt mollis & delicatæ vitæ vestræ exemplaria. Hæ sunt Theologiæ probri & petulantiæ plena. Hæ sunt Deorum, qui unà vobiscum fornicantur, doctrina. Nam quod quilibet vult, hoc etiam putat, ut ait Orator Atheniensis. Cujusmodi autem sunt aliæ quoque vestræ imagines? Panisci quidam, & nudæ puellæ, & ebrii Satyri & membrorum erectiones quæ picturis nudantur, quæ ab ipsa intemperantia arguuntur. Jam verò totius libidinis & impudicitiæ figuras apertè descriptas publicè intueri non erubescitis, sed potiùs positas erectásque custoditis, perinde ac si Deorum vestrorum imagines impudentiæ columnas domi consecraveritis, figuras gestúsque Philæn dis æquè depingentes, atque certamina Herculis. Horum non solum usûs, sed etiam aspectûs & auditûs deponendam esse memoriam vobis annuntiamus. Scortatæ sunt aures vestræ, fornicati sunt oculi; & quod est magis novum, ante conspectum vestri adulterium admiserunt aspectus.*

Pag. 38. — *Pag. 40.* — *1. Pet. 2. 9.*

Quòd si ex privatis domibus amovendæ sunt obscœnæ lascivæque imagines, multò magis conandum est ne in Templis Deo dicatis collocentur, quod Sacro-Sanctis Conciliorum Decretis specialiter prohibetur, Tridentini Sessione xxv. Tit. *De Veneratione Reliquiarum Sanctorum, & Sacrarum Imaginum*, Cameracensis anno 1569. Tit. xx. c. 11. Mediolanensis 1. Constitutionum P. 1. Num. Mechliniensis anno 1570. Tit. *De Imaginibus*, Canone 1. 11. & 111. Turonensis anno 1583. Tit. xi. Avenionensis anno 1594. Tit. xxvi. Aquileiensis anno 1596. Rubrica xvi. Narbonensis anno millesimo sexcentesimo nono, Canone vii.

Secundùm hanc denique Regulam, illos peccati lethalis reos esse minimè dubitandum est, qui, etiam mortificationis specie, & flagellationis, seu disciplinæ (ut loquuntur) prætexto, Mulieres coram se nudari jubebant, quod aliquando Satanas cæcis & carnalibus cæcarum muliercularum ducibus inspiravit. Quo de crimine *S. Antoninus* P. 11. Tit. v. Cap. 1. *Sed quid*, inquit, *de illis, qui sub specie mortificationis spiritualis faciunt coram se denudare mulieres totaliter, sicut compertum est in aliquibus prætendentibus sanctitatem? credo non posse excusari à mortali peccato. Et ratio hujus est, quia hoc est contra honestatem naturalem; adeo ut etiam primi conjuges Adam & Eva post transgressionem præcepti non passi sint se invicem nudos videri, sed fecerunt sibi perizomata de foliis ficûs.* Secundò, *propter periculum lapsûs. David tam sanctus aspiciens casu mulierem lavantem se, non evasit crimen adulterii. Quomodo credendum est ut non incidat in laqueum Diaboli, qui studiosè sibi laqueum parat?* Qui amat periculum, incidit in illud, *ut dicitur Eccl.* 3. Tertiò, *propter scandalum..... Non est ergo hujusmodi vera mortificatio, sed deceptio Diaboli, & laqueus Animarum insipientum, & dici potest hoc vitium impudicitia.*

Deceptio diaboli sub mortificationis specie impudicitiam inspirantis.

REGULA V.

Verba impudica & obscœna proferre, turpiáque cantica componere & canere, lethale utplurimùm peccatum est, sive propter affectum ad res impudicas quæ illis exprimuntur, & corruptam libidine voluntatem, sive propter scandalum. Ea item audire, iisque delectari ex propensa ad libidinem voluntate, mortale pariter peccatum est. Amatoria verò cantica edere, canere, audire, castitati periculosum est.

HÆc Regula colligitur ex Apostolo ad Ephesios v. *Fornicatio* (inquit) *& omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio.* Turpiloquium igitur sexto Decalogi Præcepto etiam prohibetur. Id confirmat idem Apostolus 1. ad Corinthios xv. 33. *Nolite seduci*, inquit, *corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Et rursus ad Ephesios iv. 29. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.*

Verba impudica & turpia cantica.

Hanc Regulam confirmat *Sanctus Clemens Alexandrinus*, Libro 11. *Pædagogi*, Cap. iv. *Omne turpe spectaculum*, inquit, *omnémque turpem auditionem, & ut semel dicam, turpem omnem sensum intemperantiæ, quæ quidem est vera sensûs privatio, maximè oportet nos exscindere, quæ in oculis & in auribus titillat & effeminat, voluptatem cœventes: fractorum enim cantuum, & flebilium Caricæ Musæ modorum varia veneficia, intemperanti & pravo Musicæ artificio mores corrumpunt.* Et post multa: *Amatoria quidem procul absint cantica. Sint autem cantica Dei laudes..... Sunt enim admittenda modesta & pudica harmonia: contra à forti & nervosa nostra cogitatione verè molles & enerves harmoniæ amandandæ quàm longissimè, quæ improbo flexuum vocis artificio ad delicatam & ignavam vitæ agendæ rationem deducunt..... Meretriciæ igitur Musicæ sunt relinquendæ.*

Turpiloquium.

Et Cap. v. *Oportet quoque ipsum subrisum doceri & castigari; & si ob turpes res excitatus fuerit, erubescere potiùs videri quàm subridere, ne videamur per consensum collatari.*

Cap. deinque vi. *A turpiloquio* (inquit) *& nos omnino abstinere oportet, & iis qui illo utuntur os obstruere, & aspectu severiore, & vultûs aversione, & subsannatione, & sæpe etiam asperiori oratione.* Quæ enim (*inquit*) ex ore exeunt, coinquinant hominem: *Profanum, intemperantem, & petulantem eum ostendunt, non modestum, honestum, & temperantem. Cùm autem turpia aquè in audiendo versemur & in spectando, Divinus Pædagogus eadem ratione pueris luctantibus, ne aures eorum offendantur, pudicos & modestos sermones veluti quædam aurium munimenta adhibet, ne possit ad frangendam animam pervadere pulsatio fornicationis.* Et infrà: *Mundos esse oportet, & in vocum prolationibus, quibus nullum esse oportet auditum ad aures eorum qui in Christum crediderunt. Hac ratione mihi videtur Pædagogus nihil quod sit indecorum & inhonestum nobis loqui permittere, longè ante nos præmuniens adversùs incontinentiam...... Insolenter enim se in vocibus gerere, facit ut meditemur inhonestè facere. In vocibus autem esse modestum, est seipsum exercere ad fortiter sustinendam libidinis impressionem.*

Matth. 15.

Eamdem Regulam confirmat *S. Cæsarius*, Sermone xcvii. in Augustiniana Appendice cccxi. *Quàm multi rustici* (inquit) *& quàm multæ mulieres rusticanæ cantica diabolica, amatoria & turpia memoriter retinent, & ore decantant? Ista possunt tenere atque parare quæ Diabolus docet; & non possunt tenere quod Christus ostendit? Quantò celeriùs & meliùs quicumque rusticus, vel quæcumque mulier rusticana, quantò utiliùs poterat & Symbolum discere, & Orationem Dominicam, & aliquas Antiphonas, & Psalmum quinquagesimum vel nonagesimum & parare & tenere & frequentiùs dicere, unde animam suam & Deo conjungere, & à diabolo liberare possent. Nam quomodo cantica turpia in tenebras Diaboli mittunt; sic cantica sancta Christi lumen ostendunt.*

Pœnitentiale Romanum Cap. xxiii. gravem Pœnitentiam imponit iis, qui per turpiloquium vel aspectum coinquinantur. *Qui per turpiloquium* (inquit) *vel aspectum coinquinatus est, tamen non voluit peccare corporaliter, viginti dies pœniteat.*

Hanc denique Regulam confirmat *S. Antoninus*, P. ii. Tit. v. Cap. i. §. 8. *Nulli*, inquit, *dubium est, quòd qui dicit verba turpia & lasciva, hâc intentione, ut se vel alium provocet ad luxuriam, vel se mente delectandi in locutione & cogitatione turpium extra Matrimonium, mortaliter peccat..... Sed ubi talia verba turpia dicuntur ex quadam levitate ad solatium* (id est jocosè) *quamvis de se non videantur mortalia; quia peccata oris, secundùm S. Thomam, permaximè judicantur quoad gravitatem peccati ex intentione proferentis: propter quod dicit S. Augustinus, quòd ream linguam non facit nisi rea mens; tamen per accidens posset esse mortale ratione scandali seu ruinæ inde sequentis in mente alicujus, ut cùm audientes sunt debiles spiritu*, sive infirmi: *& verba essent multùm lasciva. Idem videtur dicendum de facientibus vel cantantibus cantilenas plenas lasciviis: sed audientes libenter talia, non tantùm ex quadam levitate & solatio vano, sed etiam delectationem deliberatam in tali materia audita quærentes, non videntur posse excusari à mortali, sicut nec à delectatione morosa turpis cogitationis, cùm ex auditu sequantur talia, præcipuè mentibus infirmorum; nisi fortè hoc foret inter conjuges. Si ergo contingat præter*

A *intentionem talia audiri, vitare debent, vel saltem displicentiam mentis habere.* Quò spectat illud, Ecclesiastici xxviii. *Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire: & ori tuo facito ostia & seras.*

Regula VI.

Librorum obscœnorum lectio cum lethali peccato utplurimùm conjuncta est. Lectio verò Librorum
B *Amatoriorum periculosa semper est, eóque nomine vetita.*

SI enim ex propensione affectûs in libidinem aliquis hujusmodi libros vel carmina legat, nemo dubitaverit ipsum lethale peccatum committere. Si autem ex mera curiositate, aut levitate; tamen lethalis peccati occasioni & periculo se volens exponit, adeóque mortalis peccati etiam reus est: *Qui enim amat periculum, in illo peribit.* Si verò aliis consciis illos legat, aut in domo retineat, ubi à conjuge, liberis,
C aut domesticis legi possunt, lethalis scandali reus est.

Libri obscœni vel amatorii.

Quantùm verò sit periculi in Librorum Amatoriorum lectione, testis est Sancta *Theresia*, Cap. iv. Vitæ suæ; testis *Gersonius* Parisiensis Ecclesiæ & Academiæ Cancellarius, in Tractatu *Contra Romantium De Rosa*, & Sermone in Dominicam iv. Adventus; testis Synodus antiqua, quæ *Heliodoro* Triccensi Episcopo Episcopatum ademit ob libellos amatorios, quos *Æthiopica* inscripserat, & *Charicleam* postea nominarunt, quos quidem juvenis com-
D posuerat. *Nam cùm lectione eorum Opusculorum juvenes multi in periculum conjicerentur; Synodus Provincialis statuit, vel libellos ipsos qui Amores accenderent, igni consumptos abolendos, vel qui eos composuisset Autori functionem Episcopalem abrogandam esse. Ille verò Episcopatum deponere, quam scripta sua supprimere maluit.* Refert *Nicephorus Callistus*, Libro xii. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. xxxiv. *Æneæ & Didonis* Amores se adolescentem legisse, & *Didonem* mortuam, quia se occidit ob amorem, plorasse Sanctus *Augustinus* deflet Libro i. *Confessionum*, Cap. xiii. cùm interim mortem
E Animæ suæ, quæ fiebat non amando Deum, minimè defleret. Quantò magis lugendi sunt, qui libros impudicos vel amatorios, sive sub honesti specie intricatos Amantium casus describentes, cordáque tenera ad amorem profanum emollientes, in lucem edunt vel legunt, dulce venenum propinantes aliis, vel bibentes? Cantica Canticorum, Moysis, Josuë, & Judicum libros, à carnalibus & junioribus, legi Veteres prohibebant: *Ne dum eos spiritaliter nesciunt, libidinis ac voluptatum incitamento solvantur.* Verba sunt Sancti *Leandri* Hispalensis Episcopi, in Regula seu Libro *De Institu-*
F *tione Virginum* ad *Florentinam* Sororem, Cap. vii. Quantò magis periculosa censenda est eorum librorum lectio, qui profanos amores cùm describunt, & amantium colloquia, literulas, artes, milléque casus intricatos referunt, in teneris & incautis adolescentum & puellarum animis similes flammas excitant? Libros qui res obscœnas & lascivas ex professo tractant, à Fidelibus legi prohibuerunt, & eos retinentes ab Episcopis puniri sanxerunt *Pius IV. Sixtus V* & *Clemens VIII.* Pontifices Maximi edito Librorum prohibitorum Indice. *S. Caro-*

lus Borromæus in Concilio Mediolanensi v. P. 1. Tit. *Quæ ad Sacramentalia pertinent*, ubi præscribit quæ agenda sunt à Patre-familiâs cùm ejus domus à Parocho benedicitur, ait: *Amoveri curabit quæcunque domi suæ sunt Christianæ Familiæ instituto indigna, quæque Dei oculos offendunt. Libros de rebus obscœnis, turpibus, impudicis, inanibus, ac de cantationibus inhonestis, cæterísque id generis, inflammari curabit. Libros de vita religiosa spiritualisque instituendis atque exercitationibus introducet.* Et in Concilio Mediolanensi vi. Tit. *De Christiana Militum Disciplina*, statuit ut Milites *In otio militari à librorum obscœnorum, quique Christianos Viros non decent, lectione abstineant; sed Martyrum Vitis legendis, in quibus fortitudo ac virtus verè militaris elucet, totos se occupent, cùm per occupationes militares possunt.* Concilium Toronense anno 1583. Tit. *De Professione Fidei*, prohibet, *Ne libri ad lasciviam & luxum provocantes imprimantur, vendantur, legantur aut retineantur omnino:* jubétque, *sicubi reperti fuerint, comburantur, sub Anathematis pœna, quam ipso facto incurrent, qui minimè paruerint.* Concilium Burdigalense eodem anno celebratum Tit. vii. moneri jubet sæpissimè Christianos à suis Parochis & Confessariis. *Ut fugiant tanquam virus mortiferum lectionem librorum quorumcunque, qui vel ad artes magicas pertinent, vel obscœnas & impias narrationes continent: eósque, ut olim tempore Apostolorum factum legimus, comburant.* Statuta Synodalia Bisuntinæ Diœcesis, Rituale Bituricense, Constitutiones Synodales Eminentissimi Cardinalis *Grimaldi* Aquensis Archiepiscopi, Absolutionem Sacramentalem negari jubent iis, qui libros impudicos & lascivos apud se retinent vel legunt. Si carmina Poëtarum, *Dæmonum* cibum *S. Hieronymus* vocat Epistola cxlvi. ad *Damasum*, quia *Dum aures versibus dulci modulamine currentibus capiunt, Animam quoque penetrant, & pectoris interna devinciunt:* quid de libris & carminibus amatoriis dixisset? An Christiana Disciplina non impetrabit à veri Dei cultoribus, quod ab Ethnicis Lacedæmoniis obtinuit recta ratio? Qui scilicet *Archilochi* Poëtæ celebris Libro *Noluerunt liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quàm ingeniis prodesset:* ut refert *Valerius Maximus* Libro vi. cap. iii.

REGULA VII.

Spectaculorum & Comœdiarum frequentatio periculosa est castitati, & multimodis Animæ noxia. Unde vix absque peccato interesse spectaculis & Comœdiis Christianus potest.

UNius *S. Caroli Barromæi* ad hanc Regulam stabiliendam sufficeret Auctoritas, qui in *Instructionibus Prædicatorum verbi Dei*, ex Decreto Concilii Provincialis Mediolanensis iii. editis, officium Concionatoris explicans, hæc habet: *Publicorum peccatorum illecebras, quas homines depravata consuetudinis errore decepti pro nihilo putant, Concionator perpetuò reprehendat, atque in summum odium adducere contendat, ostendátque quàm graviter Deum offendant: quàm multa mala, atque adeo publica etiam calamitates, infinitáque detrimenta inde existant. Spectacula, ludos, ludicráque res id generis, quæ ab Ethnicorum Moribus originem ducunt, Disciplinæque Christianæ adversantur, perpetuò detestabitur, execrabitur: demonstrabit incommoda publicásque ærumnas inde in Christianum Populum dimanare. In quam sententiam*

A *valde populum confirmabit argumentis, quæ gravissimi viri, Tertullianus, Cyprianus Martyr, Salvianus, & Chrysostomus afferunt. In eóque argumenti genere nullum aliud omittet, quo tanta corruptela radicitus extirpetur.* Præcipua autem argumenta hæc sunt, 1. Quòd Christiani Diabolo & pompis ejus in Baptismo abrenuntient: spectacula verò & Comœdiæ ad Pompas Diaboli pertineant. 2. Quòd Spectacula commoveant pravos affectus & cupiditates, in quibus compescendis & coërcendis toto vitæ decurso laborare

Præcipua argumenta quæ Christianos à spectaculis deterrere debent.

B summo studio summáque vigilantiâ Christiani debent. 3. Quòd Christianæ pietatis sensum in Spectatorum animis sensim extinguant, virtutúmque nervos dissolvant. 4. Quod ad profanos amores ac voluptates emolliant animos Christianorum, qui voluptatem fugere debent, cùm nulli rei nisi Pœnitentiæ nati sint, & Christo crucifixo conformari. 5. Quòd sint occasiones peccati, libidinis irritamenta, multique ex ipsis pejores, nullos meliot redire soleat. 6. Quòd è Gentilium Moribus originem spectacula duxerint.

C Ita *Tertullianus* Libro *De Spectaculis*, cap. i. *Qui status fidei, quæ ratio veritatis, quod præscriptum disciplinæ inter cætera secularium errorum, etiam spectaculorum voluptates adjuvat, Dei servi cognoscite, qui cùm maximè ad Deum acceditis; recognoscite, qui jam accessisse vos testificatis & confessi estis, ne aut ignorando aut dissimulando quis peccet. Tanta est enim voluptatum vis, ut ignorantiam protelet in occasionem, & conscientiam corrumpat in dissimulationem.*

Et cap. iii. *Quorumdam fides aut simplicior, aut scrupulosior ad hanc abdicationem spectaculorum de Scripturis auctoritatem expostit, & se in incertum constituit, quòd non significanter neque nominatim denuncietur servis Dei abstinentia hujusmodi.*
D *Planè nusquam invenimus, quemadmodum apertè positum est, Non occides, Non idolum coles, Non adulterium, non fraudem admittes: ita exertè definitum, Non ibis in circum, non in theatrum, agonem, munus non exspectabis. Sed invenimus ad hanc quoque speciem pertinere illam primam vocem David: FELIX vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, nec in cathedra pestium sedit.*

Psalm. 1.

Ibidem cap. iv. *Quasi parum etiam de spectaculis pronuntietur; cùm concupiscentia seculi damnantur. Nam sicut pecuniæ, vel dignitatis, vel gulæ, vel libidinis, vel gloriæ, ita & voluptatis concupiscentia est: species autem voluptatis spectacula.*
E

Spectacula cupiditatum & voluptatum incentiva.

Et paulò post: *Ad principalem auctoritatem convertar ipsius signaculi nostri. Cùm aquam ingressi Christianam Fidem in legis suæ verba profitemur, renuntiasse nos Diabolo, & Pompæ, & Angelis ejus, ore nostro contestamur, Quid erit summum atque præcipuum in quo Diabolus, & Pompa, & Angeli ejus censeantur, quàm idololatria? .... Igitur si ex idololatria universam spectaculorum paraturam constare constiterit, indubitatè præjudicatum erit etiam ad spectacula pertinere renuntiationis no-*
F *stra testimonium in Lavacro, quæ Diabolo & Pompæ & Angelis ejus sint mancipata.*

Spectacula pertinent ad pompas diaboli, quibus in Baptismo renunciavimus.

Cap. x. *Theatrum propriè sacrarium Veneris est. Hoc denique modo id genus operis in seculo evasit. Nam sæpe Censores nascentia cùm maximè theatra destruebant, Moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lascivia providebant.*

Theatrum, sacrarium Veneris.

Cap. xv. *Et si qui modestè & probè spectaculis fruitur, pro dignitatis, vel ætatis vel etiam naturæ suæ conditione; non tamen immobilis animi est, sine tacitâ spiritûs passione. Nemo ad voluptatem*

Spectacula cupiditates excitant.

venit sine affectu, nemo affectum sine casibus suis patitur. Ipsi casus incitamenta sunt affectûs. Caterùm si cessat affectus, nulla est voluptas, & est reus jam ille vanitatis, eò conveniens ubi nihil consequitur. Puto autem etiam vanitas extranea est nobis. Quid quod & ipse se judicat, inter eos positus, quorum se similem nolens, utique detestatorem confitetur? Nobis satis non est, si ipsi nihil tale faciamus, nisi & talia facientibus non conferamur. Si furem (inquit) *videbas, concurrebas cum eo. Utinam ne in seculo quidem simul cum illis moraremur! Sed in secularibus separamur, quia seculum Dei est, secularia autem Diaboli.*

Spectacula, Dei oblivionem inducunt.

Cap. xxv. *An ille recogitabit eo tempore de Deo, positus illic ubi nihil est de Deo? Pudicitiam discet attonitus in Mimos? Immo in omni spectaculo nullum majus scandalum occurret, quàm ille ipse mulierum & virorum accuratior cultus, ipsa consensio, ipsa in favoribus aut conspiratio aut dissensio inter se de commercio scintillas libidinum conflabellant. Nemo denique in spectaculo ineundo priùs cogitat, nisi videri & videre. Sed Tragœdo vociferante, exclamationes ille alicujus Prophetæ retractabit? Et inter effœminati histrionis modos Psalmum secum comminiscetur? Avertat Deus à suis tantam voluptatis exitiosæ cupiditatem. Quale est enim de Ecclesia Dei in Ecclesiam Diaboli tendere? De cœlo, quod aiunt, in cœnum? Illas manus quas ad Deum extulerit, postmodum laudando histrionem fatigare?*

Cum Diabolo communicat, qui spectacula frequentat.

Cap. xxvi. *Cur ergo non hujusmodi etiam Dæmonis penetrabiles fiant? Nam & exemplum accidit Domino teste, ejus mulieris quæ theatrum adiit, & inde cum Dæmonio rediit. Itaque in Exorcismo cum oneraretur immundus Spiritus, quòd ausus esset Fidelem ingredi: Constanter & justissimè quidem* (inquit) *feci. In meo eam inveni. Constat & alii linteum in somnis ostensum ejus diei nocte quâ Tragœdum audierat, cum exprobratione nominatim Tragœdi, nec ultra quintum diem eam mulierem in seculo fuisse.... Quot utique & alia documenta cesserunt de his qui cum Diabolo apud spectacula communicando à Domino exciderunt? Nemo enim potest duobus dominis servire. Quid luci cum tenebris, Quid vitæ & morti?*

Cap. xxvii. *Non ergo fugies sedilia hostium Christi, illam cathedram pestilentiarum, ipsúmque aërem qui desuper incubat, scelestis vocibus constupratum? Sint dulcia licèt & grata, & simplicia, etiam honesta quædam, nemo venenum temperat felle & elleboro, sed conditis pulmentis & bene saporatis, & plurimùm dulcibus id mali injicit; ita & Diabolus lethale quod conficit rebus Dei gratissimis & acceptissimis imbuit. Omnia illic seu fortia, seu honesta, seu sonora, seu canora, seu subtilia perinde habe ac si stillicidia mellis de ranunculo venenato: nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum per suavitatem.*

Christianus à seculi voluptate alienus esse debet.

Cap. xxviii. *Seculum gaudebit, dicit Dominus. Vos tristes eritis. Lugeamus ergo dum Ethnici gaudent, ut cùm lugere cœperint, gaudeamus; ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus. Delicatus es, Christiane, si & in seculo voluptatem concupiscis; immo nimiùm stultus, si hoc existimas voluptatem. Philosophi quidam hoc nomen quieti & tranquillitati dederunt, in ea gaudent, ita in ea avocantur, in ea etiam gloriantur. Tu mihi scenas suspiras? Dicas velim, Non possumus vivere sine voluptate, qui mori cum voluptate debemus? Nam quod est aliud votum nostrum, quàm quod & Apostoli, exire de hoc seculo, & recipi apud Dominum? Hic voluptas, ubi & votum.*

Minutius Felix, in *Octavio*, eamdem Moralis Christianæ Regulam confirmat. *Nos igitur* (inquit) *qui moribus & pudore censemur, meritò malis voluptatibus in pompis vestris abstinemus: quarum & de Sacris originem novimus, & noxia blandimenta damnamus. Nam in ludis curulibus quis non horreat populi in se rixantis insaniam? In gladiatoriis homicidii disciplinam? In scenicis etiam non minor furor, turpitudo prolixior. Nunc enim Mimus vel exponit adulteria, vel monstrat. Nunc enervis histrio amorem dum fingit, infligit.*

Histrio amorem dum fingit, infligit.

Idem confirmat *S. Cyprianus*, Epistola 1. ad Donatum. *Converte* (inquit) *vultus ad diversa spectaculi non minus pœnitenda contagia: in theatris quoque conspicies quod tibi & dolori sit & pudori. Cothurnus est tragicus prisca facinora carmine recensere: de parricidiis & incestis horror antiquus expressa ad imaginem veritatis actione replicatur, ne secalis transeuntibus excidat quod aliquando commissum est. Admonetur ætas omnis auditu, fieri posse quod factum est. Nunquam ævi senio delicta moriuntur, nunquam temporibus crimen obruitur, nunquam scelus oblivione sepelitur. Exempla fiunt, quæ esse jam facinora destiterunt. Tum delectat in Mimis turpitudinum magisterio vel quid domi gesseris recognoscere, vel quid gerere possis audire. Adulterium discitur, dum videtur, & lenocinante ad vitia publica auctoritatis malo, quæ pudica fortasse ad spectaculum Matrona processerat, de spectaculo revertitur impudica. Adhuc deinde morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum, histrionicis gestibus inquinari? .... Evirantur mares, honor omnis & vigor sexus enervati corporis dedecore mollitur, plusque illic placet quisquis virum in feminam magis fregerit: in laudem crescit ex crimine; & peritior quò turpior judicatur. Spectatur hic, pro nefas! & libenter. Quid non possit suadere qui talis est? Movet sensus, mulcet affectus, expugnat boni pectoris conscientiam fortiorem: nec deest probri blandienti auctoritas, ut ondum molliore pernicies obrepat.*

Spectaculorum pœnitenda contagia.

Plura in eamdem sententiam leguntur Libro *De Spectaculis* sub ejusdem *S. Cypriani* nomine edito, & apud *Lactantium* Libro vi. *Institutionum Divinarum*, cap. xx. xxi. & xxii.

Idem Christianæ Disciplinæ caput confirmat *S. Joannes Chrysostomus*, Homiliâ xv. ad Populum Antiochenum. *Plerique* (inquit) *putant non constare, quòd in theatra ascendere peccatum sit: Sed infinita vita mala solet inferre. Etenim in theatris immoratio fornicationem, petulantiam, & omnem incontinentiam peperit... Ne tantum itaque peccata fugiamus, sed ea etiam quæ videntur indifferentia, quæ paulatim in hoc peccata nos pertrahunt. Nam qui juxta præcipitium vadit, quamvis non decidat, tremit, & sæpe numero ab ipso subversus timore decidit: ita & qui non procul peccata fugit, sed secùs ipsa vadit, cum timore vivit, & in ipsa labitur sæpius.*

Spectacula sunt occasiones peccatorum.

Et Homilia iii. *De Davide & Saule* idem tractans argumentum; *Arbitror* (inquit) *multos ex his qui heri nos destituerant, & ad iniquitatis spectacula discesserant, hodie præsentes esse. Optarem autem illos, qui sint, palam nosse, ut eos à sacris vestibulis arceam, non ut perpetuò foris maneant, sed ut correcti denuo redeant. Quandoquidem & patres filios delinquentes frequenter ex ædibus exigunt, & à mensa submovent, non ut semper illinc exulent, sed ut hac correptione redditi meliores, cum debita laude & honore in paternum redeant contubernium.* Et infra: Reos esse ait adulterii plerósque eorum qui Spectacula frequentant. *Qui enim viderit mulierem ad concupiscendum ipsam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

A sacris vestibulis arceri merentur, qui spectacula frequentant.

(inquit Christus.) *Quod si mulier sponte ac fortè in foro obvia, & neglectius culta sæpè numero curiosius intuentem cepit ipso vultûs aspectu: isti qui non simpliciter neque fortuitò, sed studio, & tanto studio ut Ecclesiam quoque contemnant, & hujus rei gratiâ pergunt illuc & totum ibi desidentes diem, in facies abjectarum feminarum illarum defixos habent oculos, qua fronte poterunt dicere quòd eas non viderint ad concupiscendum? Ubi verba quoque accedunt fracta lasciváque, ubi cantiones meretriciæ, ubi voces vehementer ad voluptatem incitant. Etenim si hic ubi Psalmi, ubi Divinorum Eloquiorum narratio, ubi Dei metus multáque reverentia, frequenter seu latro quispiam versutus clam obrepit concupiscentia, quomodo qui desident in theatro, qui nihil sani neque audiunt, neque vident, sed multâ defluunt turpitudine, multâ nequitiâ, qui undique obsidionem patiuntur per aures, per oculos, possint illam superare concupiscentiam? Rursum si non possunt, quomodo poterunt unquam ab adulterii crimine absolvi? Tum qui liberi non sunt ab adulterii crimine, quomodo poterunt absque Pænitentia ad hæc sacra vestibula accedere, hujusque præclari conventus esse participes? Quapropter hortor rogóque, ut priùs Confessione ac Pænitentiâ, aliísque remediis omnibus sese à peccato ex theatricis spectaculis contracto perpurgent, atque ita divinos audiant sermones. Neque enim hic à nobis mediocriter delinquitur.... Non metuis, ô homo, non expavescis, dum oculis quibus illic lectum qui est in orchestra, spectas, ubi detestanda adulterii fabula peraguntur, iisdem hanc sacram Mensam intueris, ubi tremenda peraguntur Mysteria? dum iisdem auribus audis & scortum obscæna loquens, & Prophetam ad arcana Scripturæ introducentem: dum eodem corde & lethalia sumis venena, & hanc Hostiam sanctam ac tremendam? Annon hæc sunt vitæ subversio, conjugiorum corruptela, bella, pugnæque ac rixæ in domibus?.... Quapropter rogo vos omnes, ut & ipsi pravas in spectaculis commorationes vitetis, & alios ab his retrahatis. Quicquid enim illic geritur, non est oblectatio, sed pernicies, sed supplicium.... Quid prodest illa temporaria voluptas, dum hinc perpetuus nascitur dolor, dum nocte pariter ac die à concupiscentia stimularis?.... Excute igitur te ipsum, reputans qualis fias ab Ecclesia rediens, rursus qualis à spectaculis, atque hos dies cum illis conferat: quod si feceris, nihil opus est meo sermone; satis enim fuerit hunc diem cum illo comparasse, ad ostendendum & quàm magna sit hinc utilitas, & quanta sit illinc noxa.* Legatur ejusdem Homilia VI. & XXXVIII. in *Matthæum.*

Theatrum, impudicitiæ schola.

Idem confirmat *S. Ambrosius*, Sermone V. in Psalmum CXVIII. *Qui in via est Dei* (inquit) *vanitates non aspicit. Via perfecta Christus est. Qui igitur in Christo est, quomodo potest vanitates aspicere; cùm Christus in carne sua omnes Mundi hujus crucifixerit vanitates? Avertamus igitur oculos nostros à vanitatibus, ne quod oculus viderit, animus concupiscat. Mystica enim differamus interim. Utinam hac interpretatione possimus revocare ad diversa Circensium ludorum, atque theatralium spectacula festinantes. Vanitas est illa quam cernis. Pantomimum aspicis, vanitas est... Ante nos est Christus, ante nos bravium ejus, ad quod pervenit, qui non in incertum cucurrit, nec revocavit cursum suum, sed incitavit. Ad hunc dirige oculos tuos, averte à spectaculis, averte ab omni seculari pompa.* Lege ejusdem Librum *De fuga Seculi*, cap I.

Qui in via Dei ambulat, spectaculorum vanitates fugit.

His concordat *S. Augustinus*, Epistola CXXXVIII. alias V. ad *Marcellinum*, cap. II. *Perversa* (inquit) *& aversa corda mortalium, felices res humanas putant, cùm tectorum splendor attenditur, & labes non attenditur animorum; cùm theatrorum moles extruuntur, & effodiuntur fundamenta virtutum, cùm gloriosa est effusionis insania, & opera misericordiæ deridentur; cum ex his quæ divitibus abundant luxuriantur histriones, & necessaria vix habent pauperes; cùm Deus, qui doctrina sua publicis vocibus contra hoc malum publicum clamat, ab impiis populis blasphematur, & Dii tales requiruntur, in quorum honorem ea ipsa theatrica corporum & animorum dedecora celebrentur. Hæc si Deus pollere permittat, tunc indignatur graviùs; hæc si impunita dimittat, tunc punit infestiùs.*

Et Enarratione in Psalmum XXXIX. illum Versum explicans, *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias falsas*, ait: *Ecce quà volebas ire, ecce turba via lata: non frustra ipsa ducit ad Amphitheatrum, non frustra ipsa ducit ad mortem. Via lata mortifera est: Latitudo ejus delectat ad tempus, finis ejus angustus in æternum; sed turba strepunt, turba festinant, turba collætantur, turba concurrunt. Noli imitari, noli averti, vanitates sunt, & insaniæ mendaces.... Fortè nobis dicturus est, qui versu isto percussus corrigi voluerit, & quem occupaverit timor ille justitiæ fidei, & volens cœperit ambulare angustam viam; dicturus est nobis, Ambulare non durabo, si nihil spectabo. Quid ergo facimus? Dimissuri eum sumus sine spectaculo? Morietur, non subsistet, non nos sequetur. Quid ergo facimus? Demus pro spectaculis spectacula. Et quæ spectacula daturi sumus Christiano homini, quem volumus ab illis spectaculis revocare?.... Ecce aversus fuerit à Circo, à theatro, ab amphitheatro, quærat quod spectet, prorsus quærat; non eum relinquimus sine spectaculo. Quid pro illis dabimus? Audi quid sequitur:* Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua. *Miracula hominum intuebatur, intendat mirabilia Dei. Multa fecit Dominus mirabilia sua, hæc respiciat. Quare illi viluerant?*

Ad hos accedit *Salvianus* Massiliensis Presbyter. Libro VI. De Providentia. *Christus* (inquit Scriptura) *pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Videlicet vestigia Salvatoris sequimur in circis? Vestigia Salvatoris sequimur in theatris? Tale nobis scilicet Christus reliquit exemplum, quem flevisse legimus, risisse non legimus. Et hoc utrumque pro nobis; quia fletus compunctio est animæ, risus corruptio disciplinæ; & ideo dicebat:* Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis; & beati qui fletis quoniam ridebitis. *Nobis autem ridere & gaudere non sufficit: nisi cum peccato atque insania gaudeamus; nisi risus noster impuritatibus, nisi flagitiis misceatur? Quis rogo, hic error est, quæ stultitia? Numquid lætari assiduè & ridere non possumus, nisi risum nostrum atque lætitiam scelus esse faciamus? An fortè infructuosum putamus gaudium simplex, nec delectat ridere sine crimine? Quod rogo, hoc malum est, aut quis furor? Rideamus quamlibet immensuratim, lætemur quamlibet jugiter, dummodo innocenter. Quæ vecordia est & amentia, ut non putemus risum & gaudium tanti esse, nisi in se Dei habuerit injuriam? Injuriam utique & maximam. In spectaculis enim quædam Apostasia Fidei est, & à Symbolis ipsius & cœlestibus Sacramentis lethalis prævaricatio. Quæ est enim in Baptismo salutari Christianorum prima confessio? Quæ scilicet, nisi ut renuntiare se Diabolo & pompis ejus atque spectaculis & operibus protestentur? Ergo spectacula & pompæ etiam juxta nostram professionem opera sunt Diaboli. Quomodo, ô Christiane, spectacula post baptismum sequeris, quæ opus*

Luc. 6. 25.

Non est innocens lætitia, quæ spectaculis quæritur.

Spectacula pompa diaboli.

esse Diaboli confiteris? Renuntiasti semel Diabolo & spectaculis ejus: ac per hoc necesse est ut prudens & sciens, dum ad spectacula remeas, ad Diabolum te redire cognoscas. Utrique enim rei semel renuntiasti, & unum utrumque esse dixisti. Si ad unum reverteris, ad utrumque remeasti. Abrenuntio enim (inquis) Diabolo, pompis, spectaculis & operibus ejus. Et quid postea? Credo (inquis) in Deum Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum Filium ejus. Ergo primum renuntiatur Diabolo, ut credatur Deo; quia qui non renuntiat Diabolo, non credit Deo: & ideo qui revertitur ad Diabolum, relinquit Deum. Diabolus autem in spectaculis est & pompis suis: ac per hoc cùm redimus ad spectacula, relinquimus fidem Christi. Hoc itaque modo omnia Symboli sacramenta solvuntur; & totum quod in symbolo sequitur labefactatur & nutat. Nihil enim sequens stat, si principale non steterit. Dic igitur tu Christiane, quemodo tenere te sequentia Symboli putas, cujus principia perdidisti?.... Sicut itaque leve spectaculorum crimen videtur, respicite cuncta ista quæ diximus, & videbis in spectaculis non voluptatem esse, sed mortem. Quid est enim aliud quàm mortem incurrere, vitæ originem perdidisse? Ubi enim fundamentum Symboli evertitur, vita ipsa jugulatur. Rursum ergo necesse est redeamus ad illud quod sæpe diximus: Quid simile apud Barbaros? Ubi apud illos circenses? Ubi theatra? Ubi scelus diversarum impuritatum? Hoc est spei nostræ ac salutis excidium: quibus illi etsi, utpote Pagani, uterentur, minore tamen culpâ sacræ offensionis errabant; quia etsi esset impuritas visionis, prævaricatio tamen non erat Sacramenti. Nos verò quid respondere pro nobis possimus? Tenemus Symbolum, & evertimus: confitemur munus salutis pariter & negamus. Ac per hoc ubi Christianitas nostra, qui ad hoc tantummodo Sacramentum salutis accipimus, ut majori postea prævaricationis scelere peccemus? Nos Ecclesiis Dei ludicra anteponimus: nos Altaria spernimus, & theatra honoramus. Omnia denique amamus, omnia colimus: solus nobis in comparatione omnium Deus vilis est. Denique præter alia quæ id probant, indicat etiam hoc res ipsa quam dico. Si quando enim evenerit ut eadem die & Festivitas Ecclesiastica, & Ludi publici agantur, quæro ab omnium conscientia quis locus majores Christianorum virorum copias habeat, cavea ludi publici, an atrium Dei? Et Templum magis omnes sectentur, an Theatrum? Dicta Evangeliorum magis diligant, an thymelicorum? Verba vitæ, an verba mortis? Verba Christi, an verba Mimi? Non est dubium quin illud magis amemus, quod anteponimus........ Omni enim feralium ludicrorum die, si qualibet Ecclesiæ Festa fuerint, non solum ad Ecclesiam non veniunt, qui Christianos se esse dicunt; sed si qui inscii fortè venerint, dum in ipsa Ecclesia sunt, si ludos agi audiunt, Ecclesiam derelinquunt. Spernitur Dei Templum, ut curratur ad Theatrum: Ecclesia vacuatur, circus impletur: Christum in Altario dimittimus, ut adulterantes visu impurissimo oculos ludicrorum turpium fornicatione pascamus.

Spectaculorum frequentatione Christiana Fides labefactatur.

REGULA VIII.

Saltationes & Choreæ periculosæ sunt castitati & Innocentiæ Christianæ; eóque nomine vitandæ sunt à Fidelibus.

HAnc Regulam tradunt *S. Carolus Borromæus* in Tractatu adversùs Choreas edito, ubi hanc mundanæ Choreæ definitionem approbat: *Chorea mundana est circulus, cujus* B *centrum est Diabolus, & cujus circumferentia sunt Angeli ejus circumstantes: & ideo* (inquit) *rarò vel nunquam sine peccato fit*: & *S. Franciscus Salesius* Introductionis ad Vitam Devotam, cap. XXXIII. Et meritò, sunt enim occasiones impudicitiæ, cùm eò conveniant mulieres toto cultu mundóque muliebri ornatæ, ut viris placeant; viri ut mulierum pulchritudine, colloquiis, saltatione, omnibúsque illecebris, pascant oculos, aures, animos; quibus ad profanum amorem illici, ad libidinem excitari proclive est; maximè cùm noctu vulgò fiant Choreæ, quod C tempus est operibus tenebrarum opportunum. Hinc Spiritus Sanctus à choræis & saltationibus homines deterret, Ecclesiastici IX. 4. *Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illum, ne fortè pereas in efficacia illius.* Quamvis autem castæ fortè sint mulieres choræas frequentantes, occasionem tamen peccandi suis illecebris subministrant; & præterea vanitati saltem & superbiæ, aliísque malis se exponunt. Ibi enim aut *Luxuria negotiatur*, aut *gloria insolescit*, ut Tertulliani verbis utar.

Hanc Regulam confirmant SS. Patres, præsertim Sanctus *Joannes Chrysostomus*, Homilia XLIX. in *Matthæum*, ubi de *Herodiade* lo- D quens: *Diaboli*, inquit, *ipsa patrocinio petitionem pergit: ille enim effecit ut ipsa saltans placeret; ille mentem Herodis eripuit. Ubi enim saltus lascivus, ibi Diabolus certè adest. Non enim ad tripudia pedes nobis præbuit Deus, sed ut modestè incedamus; non ut impudenter camelorum modo saliamus: sed ut in Angelorum choris consistamus. Quòd si corpus deforme fit impudenter saliendo, quantò magis animam fœdari credendum est? His tripudiis Diabolus saltat, his à Dæmonum Ministris homines decipiuntur.* Et post multa: *Multa etiam nunc hujusmodi symposia celebrantur, in quibus etsi Joannes non interficitur, Christi tamen membra dila-* E *niantur, multóque graviora committuntur. Non enim caput Joannis qui modò tripudians, sed animas recumbentium petunt. Cùm enim voluptatum servos effecerint, & illicitis meretricum amoribus occupaverint, non caput à cervicibus, sed animam à Christo disjungunt, adulteros & enerves ac effeminatos spectatores reddentes.*

In Choreis diabolus saltat.

Fœdatur anima.

S. Epiphanius in Expositione Fidei Catholicæ, Ecclesiæ sanctissimam disciplinam cap. XXIV. exponens: *Ecclesia* (inquit) *theatra, equestres ludos, ac Musica Spectacula damnat.*

Musica spectacula damnat Ecclesia.

S. Ephrem Syrus, Homilia cujus argumen- F tum est, *Christianos à ludicris rebus abstinere oportere*, ait: *Nolite errare, nullus servus potest duobus dominis servire. Nemo potest Deo servire, ac cum Diabolo Choreas ducere. Ad imaginem Dei facti sumus, non dedecoremus imaginem Dei: sed tanquam milites Christi illum sequamur, illi serviamus. Noli hodie psallere cum Angelis, & crastino die in tripudiis esse cum Dæmonibus. Noli hodie Sacras lectiones audire tanquam Christo dilectus auditor, & cras cytharis intentus esse ut prævaricator & Christi inimicus. Noli hodie pœnitere de peccatis, & cras in perditionem tuam saltare in choreis.*

S. Ambrosius

DE DECALOGO.

A

Contra Oratione pro Morena.

Choreárum pericula.

S. Ambrosius, Libro III. *De Virginibus*, Cap. v. *ibi*, inquit, *intuta verecundia, illecebra suspecta est, ubi comes deliciarum est extrema saltatio. Nemo, ut dixit quidam secularium Doctor, saltat sobrius, nisi insanit. Quod si juxta sapientiam secularem, saltationis aut temulentia auctor est, aut amentia, quid Divinarum Scripturarum cautum putamus exemplis, cum Joannes Prænuntius Christi saltatricis optione jugulatus, exemplo sit plus nocuisse saltationis illecebram, quàm sacrilegi furoris amentiam?* Et Cap. VI. de Herodiadis filia coram Herode saltante sic loquitur: *Regina filia intimis mandata secretis, in conspectu virorum saltatura producitur. Quid enim potuit de adultera discere, nisi damnum pudoris? An quidquam est tam pronum ad libidines, quàm inconditis motibus ea quæ vel natura abscondit, vel disciplina velavit, membrorum aperta nudare, ludere oculis, rotare cervicem, comam spargere. Meritò inde in injuriam Divinitatis proceditur. Quid enim ibi verecundia potest esse, ubi saltatur, strepitur, concrepatur?... Quid dicetis vos, sanctæ feminæ? Videtis quid docere, quid etiam dedocere filias debeatis? Saltat, sed adulteræ filia. Quæ verò pudica, quæ casta est, filias suas Religionem doceat, non saltationem.*

B

Choreæ & saltationes Christianæ innocentiæ periculosa.

Christianos vel in ipsis Nuptiis saltare, Synodus Laodicena prohibuit olim Canone LI. *Publicas mulierum saltationes, multam noxam exitiúmque afferentes* vetuit Concilium Trullanum, Canone LXII. *S. Carolus Borromæus* non solùm in Tractatu singulari ex Patrum & Conciliorum testimoniis contexto saltationes Christianæ innocentiæ periculosas esse docet, sed & in Libro *Memoriali* P. II. Cap. VI. *Valeant*, inquit, *execranda illa publicaque saltationes, Christianorum castitati adeo exitiosa, rixarum, jurgiorum, inimicitiarum, impudentiarum, pugnarum odiumque radices & occasiones, immò cujuscumque lascivia seminaria. Quid plura? Ex ejusmodi saltantium consortiis oriuntur corporum, famæ, rerum & Christianæ denique postliac Disciplinæ detrimenta. Eliminentur ergo Choreæ, & unà cum his tot alia Morum corruptela, quibus hoc maximè tempore solet Satanas hominum mentes suo imperio vindicare, prorsùs abrogentur.*

C

Idem in Instructione Prædicatorum verbi Dei: *Choreas*, inquit, *saltationes, ac tripudia, è quibus mortifera cupiditates excitantur, de suggestu sæpe graviter reprehendet atque insectabitur.*

D

REGULA IX.

Tactus impudici & Oscula libidinosa sunt peccata mortalia.

Tactus impudici & oscula libidinosa.

HÆc Regula nititur verbis Apostoli ad *Ephesios* V. scribentis: *Fornicatio autem & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, qua ad rem non pertinet: sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus..... non habet hereditatem in Regno Christi & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentia.* Turpitudinis exemplum *Oscula & amplexus* affert Glossa vetus à *Petro Lombardo* & *S. Thoma* laudata.

E

Eamdem Regulam confirmant SS. Patres, præsertim *S. Cyprianus*, Epistola LXII. ad Pomponium. *Et si* (inquit) *incorrupta fuerit virgo eâ parte sui quâ mulier potest esse; potuerit tamen ex alia corporis parte peccasse, quæ violari potest, & tamen inspici non potest. Certè ipse concubitus, ipse*

F

DE DECALOGO.

A

COMPLEXUS, ipsa confabulatio, & OSCULATIO, & conjacentium duorum turpis & fœda dormitio, quantùm dedecoris & criminis confitetur?

Tactus impudici & oscula libidinosa.

S. Ambrosius, Libro *De Fuga seculi*, Cap. I. *Quis*, inquit, *inter tot passiones hujus corporis, inter tot illecebras hujus seculi tutum atque intemeratum servare potest vestigium? Respexit oculus, & sensum mentis avertit: audivit auris, & intentionem inflexit: inhalavit odor, & cogitationem impedivit: os libavit, & crimen retulit: tactus contigit, & ignem adolevit.* Intravit mors per fenestram, *Jerem.* 9. *dixit Propheta, Fenestra tua est oculus tuus. Si videas mulierem ad concupiscendam, intravit mors: si audias sermones meretricios, intravit mors: si luxuria sensus tuos capiat, penetravit mors.*

B

Et Sermone V. in Psalmum CXVIII. *Non est*, inquit, *una fenestra per quam mors consuevit intrare. Et & fenestra verborum per quam sermones commeant meretricis, Et ideo te ab aliena uxore custodi, ne te sermonibus gratiosis adoriatur; à fenestra enim domûs sua intrat. Intrat mors per oscula; & ideo cave ne te laqueis labiorum suorum alliget. Intrat mors, si meretrix te osculetur.*

Idem Libro III. *De Virginibus*, Cap. III. *An verò*, inquit, *mediocre pudoris exemplum est, quòd Rebecca cùm veniret ad nuptias, & sponsum vidisset, velamen accepit: ne priùs videretur, quàm jungeretur? Et utique pulcra virgo non decori timuit, sed pudori. Quid Rachel: quemadmodum extorto osculo, flevit & gemuit: nec flere destitisset, nisi proximum cognovisset.* Consuetudinis enim fuit maximè in illa simplicitate Antiquorum ut propinqui propinquas oscularentur, & hoc hodie fit in multis locis (inquit *S. Augustinus*, Quæst. LXXXVII. in Genesim.)

C

S. Hieronymus in Vita *S. Hilarionis*, tactum, jocos, nutus, & cetera hujusmodi, vocat *Moriturae virginitatis principia.* Quidni verò libidinosis osculis & tactibus lethale vulnus animæ infligi sensisset, qui de verbis & literulis amatoriis, munusculis, ori applicitis cibis, aliisque blanditiis ita scribit Epistola II. ad Nepotianum: *Crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicitas, & oblatos ac degustatos cibos, blandásque & dulces litterulas sanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum desiderium, omnes delicias & lepores, & risu dignas urbanitates, & ceteras ineptias amatorum, in Comœdiis erubescimus, in seculi hominibus detestamur. Quantò magis in Monachis, & in Clericis, quorum & Sacerdotium proposito, & propositum ornatur Sacerdotio? nec hoc dico, quòd aut in te, aut in sanctis viris ista formidem; sed quòd in omni proposito, in omni gradu & sexu & boni & mali reperiantur, malorúmque condemnatio laus bonorum sit.*

D

E

S. Augustinus Libro. XXI. *De Civitate Dei*, Cap. XI. *Porrò*, inquit, *si alienæ feminæ osculum infixum, rationis sit verbere vindicare, nonne qui illud puncto temporis fecerit, incomparabili horarum spatio verberatur, & suavitas voluptatis exigua diuturno dolore punitur?*

Eamdem Regulam confirmat vetus Pœnitentiale Romanum ab *Antonio Augustino* editum, Tit III. Cap. XXII. *Qui per illecebrosas amplexus femina, vel osculo pollutus, tres dies peniteat. Qui tetigerit inverecundè carnem ejusdem feminæ, tres dies pœniteat. Presbyter si osculatus fuerit per immundum desiderium feminam, decem dies pœniteat. Si inquinatus fuerit, viginti dies pœniteat.*

F

Et Cap. XXVII. *Si quis obtrectaverit puella, aut mulieris pectus, vel turpitudinem earum, si Clericus est, quinque dies pœniteat: si Laïcus, tres*

Tactus impudici & libidinosa oscula.

dies pœniteat. Monachus vel Sacerdos à Ministerio Divino suspensi, si aliquid tale fecerint, viginti dies pœniteant. Scriptum est enim: Neque tetigeritis, neque obtrectaveritis turpitudinem feminarum.

Suffragatur *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CLIV. Articulo IV. *Minùs est* (inquit) *aspectus libidinosus, quàm tactus, amplexus, vel osculum: sed aspectus libidinosus est peccatum mor-» tale, secundùm illud Matth. v.* Qui viderit mu-» lierem ad concupiscendum, jam mœchatus est « in corde suo: *Ergo multò magis osculum libidi-» nosum, & alia hujusmodi, sunt peccata mortalia.* Observat deinde *S. Thomas*, aliquid dici peccatum mortale dupliciter: primò secundùm speciem suam, & hoc modo osculum, amplexus, & tactus non sunt peccata mortalia; possunt enim hæc absque libidine fieri, vel propter consuetudinem patriæ, vel propter necessariam seu legitimam caussam. Secundò, aliquid dicitur peccatum mortale ex sua caussâ: sic ille qui dat eleemosynam alicui, ut illum pertrahat ad hæresim, mortaliter peccat ob pravam intentionem. Inconcussum porrò principium est, quòd *Consensus in delectationem peccati mortalis, est peccatum mortale, & non solùm consensus in actum. Et ideo cùm oscula & amplexus hujusmodi propter delectationem hujusmodi fiant, consequens est, quòd sint peccata mortalia; & sic solùm dicuntur libidinosa. Unde secundùm quòd libidinosa sunt, sunt peccata mortalia.* Et in Responsione ad secundam objectionem: *Oscula*, inquit, *& tactus, quamvis secundùm se non impediant bonum prolis humanæ, procedunt tamen ex libidine, quæ est radix hujusmodi impedimenti, & ex hoc habent rationem peccati mortalis* Oscula libidinosa *S. Thomas* intelligit, quæ ad fornicationem, aut alium actum venereum proximè disponunt, vel ex illius intentione fiunt, aut certè quæ delectationem excitant de fornicatione, aut alia specie luxuriæ cogitationi occurrente, in quam animus afficitur & propendet; vel quæ cum aliqua libidinis commotione volitâ vel prævisâ, seu quæ prævideri potuit ac debuit, sive ob delectationem carnalem & sensibilem ex ipsis osculis ortam, etiam secluso periculo consensûs ulterioris & pollutionis, libantur. Nam oscula ex urbanitate, ex consuetudine patriæ, ex honesta amicitiâ, non sunt libidinosa, adeóque nec peccata mortalia.

Hanc Regulam rursus confirmat *S. Thomas*, Quæstione XV. *De Veritate*, Articulo IV. *Simpliciter*, inquit, *concedimus, consensum in delectationem fornicationis, vel alterius mortalis, peccatum esse mortale. Ex quo sequitur, quod quicquid homo agit ex consensu talis delectationis, ad hoc ut hujusmodi delectationem nutriat, vel teneat, sicut sunt turpes actus, vel libidinosa oscula, vel aliquid hujusmodi, totum est mortale peccatum.*

Angelico Doctori subscribit *Sanctus Antoninus*, P. II. Tit. V. Cap. I. *Sextus gradus luxuriæ*, inquit, *est libidinosa contrectatio, quæ scilicet fit per oscula, amplexus, contactus manuum, vel aliarum partium corporis. Hanc Apostolus nominat turpitu-» dinem, cùm ait ad Ephesios* v. Omnis fornica-» tio, aut immunditia, aut turpitudo non no-» minetur in vobis. *Omnia talia sunt peccata mortalia, quando fiunt ex libidine extra Matrimonium; » unde Apostolus ibi subdit:* Omnis fornicator aut « immundus non habet hereditatem in Regno » Christi & Dei. *In tantum enim sunt peccata amplexus, oscula, tactus & stultiloquia, in quantum procedunt ex luxuria; quod in fornicatione & immunditia notatur.* Et paulò post: *De more est in aliquibus locis, ut non solùm viri viros, sed etiam viri mulieres, præsipuè consanguineas suas, cùm de novo adveniunt, vel visitant, amplexentur, & manus mutuò contingant, & osculentur: sicut & Jacob Patriarcha osculatus est Rachelem adolescentulam amore casto, ut consanguineam. Necessitas quandoque compellit & tangere totum corpus & etiam secretiosa naturæ, ut Medicus infirmum in tali parte..... Talia non sunt peccata de se, quamvis possit supervenire & tentatio, & mala intentio: sed hoc erit per accidens.* Addit sanctus Archipræsul: *Quæ permittit hæc sibi fieri ab eo quem æstimat ad hoc moveri amore libidinoso, mortaliter peccat, quia facientem & consentientem par pœna constringit, ut dicitur* Causa II. Quæstione I. C. Notum. *Sed quia permittit hoc sibi fieri, credens talem moveri ex dilectione fraterna seu honesta amicitia, seu quadam humanitate, seu more patriæ, non peccat, quamvis hoc faciens ex libidine moveretur, & per consequens mortaliter peccaret: & hoc quoad oscula, amplexus, & dando alter alteri manum, ut moris est; quod tamen periculosum est. Et ideo cavendum est ab his inter virum & mulierem: etiam religiosos.* Bonum est (*inquit Apostolus*) mulierem non tangere. *Nam, ut dicitur Ecclesiastici XIII.* Qui te-» tigerit picem, *cui similis est mulier*, inquinabitur ab ea. *Permittere autem se tangi in membris genitalibus, nisi sint conjuges, vel nisi subsit caussa necessitatis, ut infirmitas, & hujusmodi, credo non posse excusari à mortali, cùm istud non fiat communiter nisi ex amore libidinoso. Et credere quòd hoc fiat purâ intentione, est fatuitas, non simplicitas. Et quamvis prædicta, scilicet oscula, amplexus & tactus non impediant bonum prolis generandæ & educandæ, quia ex his præcisè non potest sequi generatio: tamen ipsa procedunt ex libidine, quæ est radix hujusmodi impedimenti; & secundùm hoc, id est in quantùm libidinosa, sunt mortalia, & non aliter.* Tum laudat *Ulricum*, cujus Sententiam approbat & sequitur, & in Quodlibetis & in Summa observantem, quòd *Propterea Apostolus, postquam reprehendit hujusmodi vitia, scilicet turpitudinem, ut in tactibus & osculis, stultiloquium & scurrilitatem, connumerans ea inter peccata mortalia manifesta, quia & ipsa talia sunt cùm procedunt ex libidine, subdit:* Nemo vos » seducat inanibus verbis: propter hæc venit ira « Dei in filios diffidentiæ. *Quod dixit propter quos-» dam qui tunc fortè parvipendebant hujusmodi vitia, sicut & nunc sunt aliqui turpes hujusmodi annihilantes.* Id confirmat Christi verbis: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum, jam mœchatus est eam in corde suo.* (*Matth. 5.*) Ubi notat Venerabilis *Beda*, visum accipi pro omni motu ad delectationem veneream extra Matrimonium. Ex quibus *Ulricus*, & post ipsum *S. Antoninus* colligunt, quòd *Ista esse peccata mortalia tenendum est omnino, non tanquam opinio de qua aliter sentire liceat, sed tanquam Veritas ad Fidem pertinens, sicut omnia quæ pertinent ad bonos Mores. Et qui pertinaciter assereret contrarium, esset Hæreticus: quia est contra Scripturam à Sanctis expositam.*

(*1 Cor. 7.*)

Propositio damnata.

Meritò igitur *Alexander VII.* Pontifex Maximus inter alias pravi dogmatis Propositiones & istam damnavit, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo-sexto, die decima octavâ Martii, ordine quadragesimam: *Est probabilis opinio quæ dicit, Esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris, & pollutionis.*

CAPUT

CAPUT IX.

DE SEPTIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

INFINITUM Dei erga humanum genus amorem magis ac magis prædicandum, summásque gratias illi hoc nomine habendas atque referendas ab hominibus, tota series Præceptorum Decalogi probat: quippe cùm non vitam dumtaxat corpúsque nostrum, & famam existimationémque illis duobus interdictis, *Non occides: Non mœchaberis*, quasi præsidiis tueatur; sed etiam hoc Præcepto, NON FURTUM FACIES, tanquam custodiâ quadam externas res ac facultates, quæ vulgò vocantur fortunæ bona, muniat atque defendat. His nempe verbis prohibet Deus, bona hæc nostra, quæ in ejus tutela sunt, à quoquam auferri aut violari.

ARTICULUS I.

Quis Præcepti sensus? Quid sit Furtum? Quot ejus genera?

I. HOc Præceptum, ut docet Concilii Tridentini Catechismus, duas in partes dividitur: quarum altera quæ furtum vetat, apertè est enuntiata: alterius sententia & vis, quâ jubemur benigni & liberales esse in proximos, in priore occulta est & involuta. Hoc igitur Præceptum violant non fures tantùm & raptores rerum alienarum; sed & illi qui pauperum & inopum necessitatem eleemosynis, pro modo suarum facultatum, sublevare negligunt & prætermittunt; aut si largiri non possunt egentibus quo vitam sustentent, vel ipsis renuunt commodare, juxta Christi Domini præscriptum: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* (*Luc. 6.*)

(*Quid sit Furtum?*) II. *Furtum* à *S. Thoma* definitur, *Occulta rei alienæ acceptio.* Quo nomine & injusta detentio intelligenda est. *Detinere enim id quod alteri debetur, eamdem rationem nocumenti habet cum acceptione injusta: & ideo sub injusta acceptione intelligitur etiam injusta detentio*; (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæst. LXVI Art. III. in Responsione ad secundam Objectionem.)

Nomine autem rei alienæ, intelligitur illa quæ penes alterum est tanquam ejus possessio, sive ille hujusce rei proprietatem habeat ac dominium, sive usumfructum; sive hujus rei custodia illi commissa sit, eamque depositi vel quocumque alio titulo teneat. Unde si quis rem propriam, quam alius tenet vel ut pignus, vel ut depositum, vel ut furto subtractam, clam accipit, cùm illam tamen recuperare potest servato juris ordine, quodam modo furti reus est. Unde *S. Thomas*, Articulo mox indicato hanc sibi proponit Objectionem: *Homo potest furtim ab alio accipere etiam quod suum est, putà, rem quam apud alium deposuit, vel quæ est ab eo injustè ablata: non est ergo de ratione furti quod sit occulta acceptio rei alienæ.* Cui objectioni hunc in modum respondet: *Nihil prohibet id quod est simpliciter unius, secundum quid esse alterius: sicut res deposita est simpliciter quidem deponentis, sed est ejus apud quem deponitur, quantùm ad custodiam. Et id quod est per rapinam ablatum, est rapientis, non simpliciter, sed quantùm ad detentionem.* Et Articulo V. ejusdem Quæstionis, in Responsione ad tertium: *Ille*, inquit, *qui furtim accipit rem suam apud alium depositam, gravat depositarium, qui tenetur ad restituendum, vel ad ostendendum se esse innoxium. Unde manifestum est quod peccat, & tenetur ad relevandum gravamen depositarii. Qui verò furtim accipit rem suam apud alium injustè detentam, peccat quidem, non quia gravet eum qui detinet: (& ideo non tenetur ad restituendum aliquid vel ad compensandum:) sed peccat contra communem Justitiam, dum ipse sibi usurpat suæ rei judicium Juris ordine prætermisso. Et ideo tenetur Deo satisfacere, & operam dare ut scandalum proximorum, si inde exortum fuerit, sedetur.* Si quis tamen Juris subsidio rem suam recuperare non potest, sive ob paupertatem, sive ob potentiam detinentis, sive ob defectum Judicis, vel probationum, aut præter scandalum, & absque infirmorum offensione rem suam clam accipere potest, furti reus non censetur: quia tunc propriè jus sibi ipsi non dicit; sed jus naturale circa rem suam exequitur, ex quo Juris Civilis subsidio illam recuperare prohibetur. Tenetur tamen efficere, ut qui detinebat, certior fiat se non adstringi ad illius restitutionem: ne, si ad Pœnitentiam conversus fuerit, damnum incurrat ipse, aut ejus heres, iterum restituendo.

Ceterùm furtum non committitur, nisi res aliena, invito præter jus & rationem domino, accipiatur. Unde qui auctoritate Judicis rem alienam accipit, à furti labe immunis est. Quam ob rem furti rei non fuerunt Israëlitæ, qui jussu Dei, cujus est terra & plenitudo ejus, tulerunt spolia Ægyptiorum, Domino labores eorum compensante. Unde *Sapientiæ X.* dicitur: *Justi tulerunt spolia impiorum.*

Nec furti etiam reus est, qui bona fide, præsumptóque non temerè domini consenso, re aliena utitur; vel animi gratiâ rem alienam occultat, ut ejus conservationi dominus cautiùs & studiosiùs invigilet. Qui tamen jocus innoxius non est, si blasphemiis, juramentis, imprecationibus & maledictionibus, judiciis temerariis, aliísve peccatis occasionem præbeat.

Furti denique reus non est, qui rem alienam aufert vel occultat, ut servet eam domino, & ne fures eam diripiant. Nec rea est uxor, quæ in necessarios & honestos familiæ usus clam subtrahit pecunias marito, eas alioqui in popinis & ludis decocturo.

Furtum aliter definit *S. Raymundus* Libro II. Tit. *De Furtis* ex Libro XLVII. *Digestorum*, eodem Tit. Lege I. & Libro IV. *Institutionum* Justiniani, Tit. I. *Furtum est contrectatio rei alienæ, mobilis, corporalis, fraudulosa, invito domino, lucri faciendi gratiâ, vel ipsius rei, vel etiam usûs ejus, possessionísve.*

Dicitur *Contrectatio*, quia sine ea non est propriè furtum, licèt interveniat voluntas, verbum, vel scriptura; aliàs si concupiscat rem alienam illicitè, ac sine contrectatione, est transgressor alterius Præcepti, *Non concupisces*, &c. Externa tamen dumtaxat furandi actio septimo Præcepto

non prohibetur, sed & furandi, seu rem alienam contrectandi, usurpandi, & retinendi voluntas & animus. Est enim spiritualis Dei lex, quæ animum fontem cogitationum & consiliorum inspicit. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia.* Et quemadmodum coram Deo reus est adulterii, qui mulierem respicit ad concupiscendum eam; ita furti reus est, qui rem alienam vult subripere, quamvis actio furti in foro exteriori in eum non detur.

Matth. 15. 19.

Dicitur *rei alienæ*, quia non committitur furtum in re *plenissimè propria*; (inquit *S. Raymundus*.) Plenissimè dixit, quia si alius haberet in re illa jus, putà creditor, cui res est pignori obligata, vel commodatarius, vel socius, vel similis alia persona, dominus furtivè surripiens aliquid tali personæ committeret furtum (*Digest.* Libro XLVII. eodem Tit. L. *Qui re*, §. 1. & L. *Si is qui rem*, & L. *Si socius*.)

Dicitur, *mobilis*, *corporalis*: Quia in rebus immobilibus vel incorporeis non committitur furtum, cùm propter quamdam sui immensitatem vel incorporeitatem contrectari non possint; (inquit *S. Raymundus*,) Res tamen immobiles invadi & rapi possunt, sed non clam aufferri, quod propriè furtum distinguit à rapina & invasione.

Dicitur *fraudulosa*: Quia si quis credebat rem esse suam, vel etiam sciebat esse suam, & credebat sibi licere rem suam subripere, non committit furtum, licèt aliàs teneatur. Ita Jure sancitum est, Libro IV. *Instit.* Tit. *De vi bonorum raptorum*, §. *Ita tamen*, cujus hæc sunt verba: *Qui aliquo errore ductus, rem suam esse existimans, & imprudens Juris, eo animo rapuerit, quasi domino liceat etiam per vim rem suam auferre à possessoribus, absolvi debet. Cui scilicet conveniens est nec furti teneri eum qui eodem hoc animo rapuit. Sed ne dum talia excogitantur, inveniatur via per quam raptores impunè suam exerceant avaritiam, meliùs Divalibus Constitutionibus pro hac parte prospectum est, ut nemini liceat vi rapere vel rem mobilem vel se moventem, licèt suam eamdem rem existimet. Sed si quis contra Statuta Principum fecerit, rei quidem suæ dominio cadere: sin autem aliena res sit, post restitutionem ejus, etiam æstimationem ejusdem rei præstare.*

Nec etiam furti reus est, si credebat se rem alienam accipere, vel ea uti, domino volente, si justa causa subest credendi dominum permissurum. Ita sancitum est *Digest.* XLVII. eodem Titulo, L. *Qui re*, 76. & Lib. IV. *Institut.* Tit. *De obligationibus quæ ex delicto nascuntur*, §. VII. dicitur: *Placuit eos, qui rebus commodatis aliter uterentur, quàm utendas acceperint, ita furtum committere, si se intelligunt id invito domino facere, eùmque si intellexisset, non permissurum: at si permissurum credant, extra crimen videri: optima sanè distinctione, quia furtum sine affectu furandi non committitur.* Si autem rem alienam contrectare se putat, vel ea uti invito domino, & tamen dominus vult, nihilominus *Furtum facit, quoniam ad intentionem, & mortaliter peccat; sed non tenetur ad restitutionem, nec dominus potest petere, obstante sibi sua voluntate*; (inquit *S. Raymundus*.) Idque confirmat ex Digestis, L. *Inter omnes* Libro & Tit. superiùs indicatis, §. ultimo. *Per contrarium quæritur: Si ergo me invito domino facere putarem, cùm dominus vellet, an furti actio sit? & ait Pomponius, Furtum me facere. Verumtamen est, ut cùm ego vellem eum uti, licèt ignoret, ne furti sit obligatus.*

Dicitur, *Lucri faciendi gratiâ*: Quia si quis alienam ancillam meretricem rapuerit vel celaverit, non causâ lucri faciendi, sed libidinis exercendæ, non committit furtum, licèt aliàs peccet graviter. *Nec enim factum quæritur, sed causa faciendi: causa autem faciendi libido fuit, non furtum*, ut habetur L. *Verum est*, 39. Digest. Lib. & Tit. citatis.

Dicitur denique, *ipsius rei, vel usûs ejus, possessionisve*; quia non ille solùm furti reus est, qui rei alienæ dominium vult lucrifacere sic furtivè, sed etiam qui usum vel possessionem rei, ut habetur in Digestis, L. *Qui jumenta*, Libro & Tit. indicatis. *Qui jumenta sibi commodata longiùs duxerit, alienâve re invito domino usus sit, furtum facit.* Et Libro IV. *Institut.* Tit. *De obligationibus quæ ex delicto nascuntur*, §. 6. scriptum est: *Furtum autem fit, non solùm cùm quis intercipiendi causâ rem alienam amovet, sed generaliter cùm quis alienam rem invito domino contrectat. Itaque sive creditor pignore, sive is apud quem res deposita est, ea re utatur; sive is qui rem utendam accepit, in alium usum eam transferat, quàm cujus gratiâ ei data est, furtum committit: veluti si quis argentum utendum acceperit, quasi amicos ad cœnam invitaturus, & id peregrè secum tulerit: aut si quis equum gestandi causâ commodatum sibi longiùs aliquò duxerit; quod Veteres scripserunt de eo qui in aciem equum duxisset.*

III. Variæ sunt furti species, pro varietate rerum quæ invitis & insciis dominis auferuntur.

Variæ furti species.

Prima dicitur *Furtum simplex*, quo privatum quid privato injustè & clanculum adimitur.

Furtum simplex.

Secunda dicitur *Peculatus*, quo publicæ pecuniæ intervertuntur. Hujus criminis rei sunt, qui publicam pecuniam in usus aliquos acceptam retinuerint, nec erogaverint; qui aliquid in tabulis publicis deleverint, vel induxerint, aut minorem in iis pecuniam scripserint, quam quid venierit, aut locatum fuerit: item qui prædam ab hostibus captam subripuerint. Ejusdem sceleris reus est, qui, quod fisco debetur, accepit, simulans se fisci creditorem, quamvis privatam pecuniam abstulerit: sed Peculatus nequaquam committitur, si exigam ab eo pecuniam, qui & mihi & fisco debet: non enim pecunia fisci intercipitur, quæ debitori ejus aufertur, cùm fisci debitor nihilominùs maneat. Ista constant ex L. *Lege Julia*, 1. L. *Qui tabulam*, 8. L. *Sacrilegi*, 9. §. 3. L. *Hac lege* 10. L. *Peculatus*, 12. L. *Is qui prædam*, 13. Digestorum XLVIII. Tit. XIII. *Ad Legem Juliam Peculatûs*, &c. Peculatûs etiam rei sunt, qui iniquas exactiones imponunt, suggerunt; vel justa vectigalia inæqualiter distribuunt; qui publica vectigalia & tributa defraudant; necnon Publicani qui *ampliùs* exigunt, quàm quod ipsis à Principe vel Republica constitutum est, (ut loquitur Sanctus *Joannes* Baptista Publicanorum interrogationi respondens Lucæ III. 12.)

Peculatus.

Tertia furti species est *Plagium*, quo homo liber, vel servus alienus in servitutem adducitur, venditur, donatur vel permutatur. Quo de scelere *Exodi* XXI. 16. scriptum est: *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur.* Et S. Paulus 1. ad *Timotheum* 1. ait: *Lex justo non est posita, sed injustis, & non subditis, impiis & peccatoribus, sceleratis & contaminatis, parricidis & matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, PLAGIARIIS, mendacibus & perjuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur.* De his quoque velut capitalis criminis reis statuit

Plagium.

DE DECALOGO.

Jus Civile, *Digestorum* Lib. XLVIII. Tit. XV. *Ad Legem* Flaviam *De Plagiariis*, L. *Si liberum*, 1. & L. *Lege Flavia*.

Sacrilegium. Quarta furti species est *Sacrilegium*, quo res sacra eripitur, vel etiam profana à loco sacro injustè aufertur: aut bona quæ Sacrorum cultui, & Ecclesiæ Ministris, & pauperum usui piè ac sapienter attributa sunt, in privatas cupiditates, perniciosásque libidines ab ipsis Ecclesiæ Ministris convertuntur, ut ait Concilii Tridentini Catechismus. De hac furti specie *S. Augustinus*, Tractatu L. in Joannem. *Ecce fur Judas* (inquit) *fur & sacrilegus. Non qualiscunque fur: Fur loculorum, sed dominicorum; loculorum, sed sacrorum. Si crimina discernuntur in foro qualiscunque furti & peculatûs: (Peculatus enim dicitur furtum de Republica; & non sic judicatur furtum rei privatæ quomodo publicæ:) Quantò vehementiùs judicandus est fur sacrilegus, qui ausus fuerit non undecunque tollere, sed de Ecclesia tollere? Qui aliquid de Ecclesia furatur, Judæ perdito comparatur.* Sacrilegium apud Veteres publicæ Pœnitentiæ addictum, constat ex Epistola Cannnica *S. Gregorii Nysseni* ad *Letoium*, Canone VIII. Sacrilegii rei sunt Religiosi Viri, & Moniales, quæ contra sanctitatem Voti sui, quo paupertatem Deo voverunt, aliquid furantur, seu rem sibi collatam sine Superioris conscientiâ & facultate detinent. Unde *S. Augustinus* in Regula ait: *Qui autem rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur.* Quod furtum sacrilegium esse confirmat *Hugo Victorinus* in Expositione ejusdem Regulæ: *Frater* (inquit) *qui rem sibi collatam celaverit, Judæ traditoris locum tenet in Ecclesia Sancta.*

Abigeatus. Quinta furti species dicitur *Abigeatus*, qui ovium, equorum, & aliarum id genus pecudum injusta & dolosa abductio est. Quod etiamen Leges Civiles peculiari pœnâ plectunt, eò quòd hujusmodi pecora eâ facilitate quâ res aliæ custodiri non possint, cùm per agros & prata ut plurimùm divagentur. *Abigei* ergo hi propriè dicuntur, *qui pecora ex pascuis vel ex armentis subtrahunt, & quodammodo deprædantur, & abigendi studium quasi artem exercent, equos de gregibus, vel boves de armentis abducentes. Cæterùm si quis bovem aberrantem, vel equos in solitudine relictos abduxerit, non est abigeus, sed fur potiùs.* Magis autem reus est, *Qui à stabulo abegit domitum pecus, non à silva, nec grege*; ut habetur *Digestorum* Lib. XLVII. Tit. XIV. *De Abigeis*, L. 1. & 3.

Rapina peccatum à furto specie distinctum. Sextam furti speciem plerique *Rapinam* assignant: sed hæc esse peccata specie distincta docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXVI. Articulo IV. *Furtum enim & rapina* (inquit) *ex hoc habent rationem peccati, quod acceptio est involuntaria ex parte ejus cui aliquid subtrahitur. Involuntarium autem dupliciter dicitur, scilicet per ignorantiam, & per violentiam.* Primum ad furtum, secundum ad rapinam pertinet. Fur enim clam aliquid surripit domino nescienti: Raptor verò scienti & repugnanti. *Raptor vult per propriam potestatem obtinere; fur per astutiam. Et ideo in aliam rationem peccati habet rapina, & aliam furtum.* Et rapina quidem gravius est furto peccatum, tum ratione violentiæ; tum quia *Non solùm infert damnum in rebus, sed etiam vergit in quamdam personæ ignominiam sive injuriam. Et hoc præponderat fraudi vel dolo, quæ pertinent ad furtum*, (inquit *S. Thomas*, Articulo IX. ejusdem Quæstionis.) Idem confirmat Concilii Tridentini Catechismus.

DE DECALOGO.

Leviori tamen hoc furti nomine divinæ Legis septimum Præceptum convenienter expressum est, non rapinæ: quia furtum latiùs patet, & ad plura pertinet quam rapina. Illud enim quisque committere potest: Rapinam verò illi tantummodo facere possunt, qui potentiâ & viribus præstant. Quamquam nemo non videt, exclusis ejusdem generis levioribus peccatis, graviora etiam facinora prohiberi. Unde *S. Augustinus* Quæstione LXXI. in Exodum ait: *Furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ: (Non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit:) Sed utique à parte totum intelligi voluit, quicquid illicitè rerum proximi aufertur.* Hinc Apostolus 1. ad *Corinthios* VI. scribit: *Neque fures, neque rapaces Regnum Dei possidebunt.*

V. Est autem Rapina, *injusta rei alienæ per violentiam ablatio.* Quo de crimine Concilium *Trosleianum* Canone VII. hæc habet: *Esurienti non dare panem, damnabile est, ipso Domino in extremo Judicio dicturo:* Esurivi, & non dedistis mihi manducare, *&c. Quibus subjungit*, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis ejus. *Hinc colligendum quâ damnatione plectendi sint qui aliena diripiunt, si tali animadversione feriuntur, qui sua indiscretè & immisericorditer tenuerunt. Quam multiplex autem sit rapina, & quot modis agatur, Job breviter enumerat, inquiens:* Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges, asinos pupillorum abegerunt, abstulerunt pro pignore bovem viduæ, subverterunt pauperum viam, oppresserunt mansuetos terræ, agrum non suum demetunt; & vineam ejus, quem vi oppresserunt, vindemiant: nudos dimittunt homines, quibus non est operimentum in frigore, *&c. Audiant raptores, quid de eis Vas electionis Paulus dicit:* Neque rapaces Regnum Dei possidebunt. *Non ergo raptor, non prædo pauperum Regnum Dei possidebit, nisi perfectam egerit Pœnitentiam, & injustè sublata reddiderit. Sunt enim quidam qui pœnitere quidem volunt, sed res reddere nolunt, pessimum quidem hominum genus, cui pœnitendi medicina omnino non prodest. Si enim res rapta, cum reddi possit, non redditur, non agitur Pœnitentia, sed fingitur. Si enim, ut dicit S. Augustinus, scelus sibi cupiunt relaxari, & id, propter quod scelus admissum est, possidere. Non ergo remittitur rapinæ peccatum, nisi restituatur ablatum. Sciat ergo unusquisque raptor non sibi dimitti rapinæ peccatum, nisi cùm potest id, quod rapuit, restituat: plerumque enim qui aufert, amittit, sive alios patiendo malos, sive ipse malè vivendo, nec habet unde restituat.... Sanè Statuta Ecclesiæ antiqua præcipiunt eorum, qui pauperes opprimunt, dona à Sacerdotibus esse refutanda: & meritò, cùm sint apud Dominum abominabilia, testante super hoc Scriptura:* Qui offert (inquit) *Sacrificium de substantiâ pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris.*

Rapina quàm grave peccatum.

Matth. 25. *Job. 24.* *1. Cor. 6.* *Eccl. 34.*

A non prohibetur, sed & furandi, seu rem alienam contrectandi, usurpandi, & retinendi voluntas & animus. Est enim spiritualis Dei lex, quæ animum fontem cogitationum & consiliorum inspicit. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia.* Et quemadmodum coram Deo reus est adulterii, qui mulierem respicit ad concupiscendum eam; ita furti reus est, qui rem alienam vult subripere, quamvis actio furti in foro exteriori in eum non detur.

Matth. 15. 19.

B Dicitur *rei alienæ*, quia non committitur furtum in re *plenissimè propria*: (inquit *S. Raymundus.*) Plenissimè dixit, quia si alius haberet in re illa jus, putà creditor, cui res est pignori obligata, vel commodatarius, vel socius, vel similis alia persona, dominus furtivè surripiens aliquid tali personæ committeret furtum (*Digest.* Libro XLVII. eodem Tit. L. *Qui re*, §. 1. & L. *Si is qui rem*, & L. *Si socius.*)

Dicitur, *mobilis*, *corporalis*: Quia in rebus immobilibus vel incorporeis non committitur furtum, cùm propter quamdam sui immensitatem vel incorporeitatem contrectari non possint; C (inquit *S. Raymundus*,) Res tamen immobiles invadi & rapi possunt, sed non clam auferri, quod propriè furtum distinguit à rapina & invasione.

Dicitur *fraudulosa*: Quia si quis credebat rem esse suam, vel etiam sciebat esse suam, & credebat sibi licere rem suam subripere, non committit furtum, licèt aliàs teneatur. Ita Jure sancitum est, Libro IV. *Instit.* Tit. *De vi bonorum raptorum*, §. *Ita tamen*, cujus hæc sunt verba: *Qui aliquo errore ductus, rem suam esse existimans, & imprudens Juris, eo animo rapuerit, quasi domino li-* D *ceat etiam per vim rem suam auferre à possessoribus, absolvi debet. Cui scilicet conveniens est nec furti teneri eum qui eodem hoc animo rapuit. Sed ne dum talia excogitantur, inveniatur via per quam raptores impunè suam exerceant avaritiam, meliùs Divalibus Constitutionibus pro hac parte prospectum est, ut nemini liceat vi rapere vel rem mobilem vel se moventem, licèt suam eamdem rem existimet. Sed si quis contra Statuta Principum fecerit, rei quidem suæ dominio cadere: sin autem aliena res sit, post restitutionem ejus, etiam æstimationem ejusdem rei præstare.*

E Nec etiam furti reus est, si credebat se rem alienam accipere, vel ea uti, domino volente, si justa causa subest credendi dominum permissurum. Ita sancitum est *Digest.* XLVII. eodem Titulo, L. *Qui re*, 76. & Lib. IV. *Institut.* Tit. *De obligationibus quæ ex delicto nascuntur*, §. VII. dicitur: *Placuit eos, qui rebus commodatis aliter uterentur, quàm utendas acceperint, ita furtum committere, si se intelligunt id invito domino facere, eùmque si intellexisset, non permissurum: at si permissurum credant, extra crimen videri: optima sanè distinctione, quia furtum sine affectu furandi non committitur.* Si autem rem alienam contrectare se F putat, vel ea uti invito domino, & tamen dominus vult, nihilominus *Furtum facit*, *quantùm ad intentionem*, *& mortaliter peccat*; *sed non tenetur ad restitutionem*, *nec dominus potest petere*, *obstante sibi sua voluntate*: (inquit *S. Raymundus.*) Idque confirmat ex Digestis, L. *Inter omnes* Libro & Tit. superiùs indicatis, §. ultimo. *Per contrarium quæritur: Si ergo me invito domino facere putarem, cùm dominus vellet, an furti actio sit? & ait Pomponius, Furtum me facere. Verumtamen est, ut cùm ego vellem eum uti, licèt ignoret, ne furti sit obligatus.*

Dicitur, *Lucri faciendi gratiâ*: Quia si quis A alienam ancillam meretricem rapuerit vel celaverit, non causâ lucri faciendi, sed libidinis exercendæ, non committit furtum, licèt aliàs peccet graviter. *Nec enim factum quæritur, sed causa faciendi: causa autem faciendi libida fuit, non furtum*; ut habetur L. *Verum est*, 39. Digest. Lib. & Tit. citatis.

Dicitur denique, *ipsius rei*, *vel usûs ejus*, *possessionisve*; quia non ille solùm furti reus est, qui rei alienæ dominium vult lucrifacere sic furtivè, sed etiam qui usum vel possessionem rei, B ut habetur in Digestis, L. *Qui jumenta*, Libro & Tit. indicatis. *Qui jumenta sibi commodata longiùs duxerit, alienâve re invito domino usus sit, furtum facit.* Et Libro IV. *Institut.* Tit. *De obligationibus quæ ex delicto nascuntur*, §. 6. scriptum est: *Furtum autem fit, non solùm cùm quis intercipiendi causâ rem alienam amovet, sed generaliter cùm quis alienam rem invito domino contrectat. Itaque sive creditor pignore, sive is apud quem res deposita est, ea re utatur; sive is qui rem utendam accepit, in alium usum eam transferat, quàm cujus gratiâ ei data est, furtum committit: veluti si quis ar-* C *gentum utendum acceperit, quasi amicos ad cœnam invitaturus, & id peregrè secum tulerit: aut si quis equum gestandi causâ commodatum sibi longiùs aliquò duxerit; quod Veteres scripserunt de eo qui in aciem equum duxisset.*

III. Variæ sunt furti species, pro varietate rerum quæ invitis & insciis dominis auferuntur. Variæ furti species.

Prima dicitur *Furtum simplex*, quo privatum quid privato injustè & clanculum adimitur. Furtum simplex.

Secunda dicitur *Peculatus*, quo publicæ pecuniæ intervertuntur. Hujus criminis rei sunt, Peculatus.
D qui publicam pecuniam in usus aliquos acceptam retinuerint, nec erogaverint; qui aliquid in tabulis publicis deleverint, vel induxerint, aut minorem in iis pecuniam scripserint, quàm quid væníerit, aut locatum fuerit: item qui prædam ab hostibus captam subripuerint. Ejusdem sceleris reus est, qui, quod fisco debetur, accepit, simulans se fisci creditorem, quamvis privatam pecuniam abstulerit: sed Peculatus nequaquam committitur, si exigam ab eo pecuniam, qui & mihi & fisco debet: non enim pecunia fisci intercipitur, quæ debitori E ejus aufertur, cùm fisci debitor nihilominùs maneat. Ista constant ex L. *Lege Julia*, 1. L. *Qui tabulam*, 8. L. *Sacrilegi*, 9. §. 3. L. *Hac lege* 10. L. *Peculatus*, 12. L. *Is qui prædam*, 13. Digestorum XLVIII. Tit. XIII. *Ad Legem Juliam Peculatûs*, &c. Peculatûs etiam rei sunt, qui iniquas exactiones imponunt, suggerunt; vel justa vectigalia inæqualiter distribuunt; qui publica vectigalia & tributa defraudant; necnon Publicani qui *ampliùs* exigunt, quàm quod ipsis à Principe vel Republica constitutum est, (ut loquitur Sanctus *Joannes* Baptista Publicanorum interrogationi respondens Lucæ III. 12.)

F Tertia furti species est *Plagium*, quo homo liber, vel servus alienus in servitutem adducitur, venditur, donatur vel permutatur. Quo de scelere *Exodi* XXI. 16. scriptum est: *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxa morte moriatur.* Et S. Paulus 1. ad *Timotheum* 1. ait: *Lex justo non est posita, sed injustis, & non subditis, impiis & peccatoribus, sceleratis & contaminatis, parricidis & matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus*, PLAGIARIIS, *mendacibus & perjuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur.* De his quoque velut capitalis criminis reis statuit Plagium.

DE DECALOGO.

A Jus Civile, *Digestorum* Lib. XLVIII. Tit. XV. *Ad Legem* Flaviam *De Plagiariis*, L. *Si liberum*, 1. & L. *Lege Flavia*.

Sacrilegium. Quarta furti species est *Sacrilegium*, quo res sacra eripitur, vel etiam profana à loco sacro injustè aufertur: aut bona quæ Sacrorum cultui, & Ecclesiæ Ministris, & pauperum usui piè ac sapienter attributa sunt, in privatas cupiditates, perniciosásque libidines ab ipsis Ecclesiæ Ministris convertuntur, ut ait Concilii Tridentini Catechismus. De hac furti specie *S. Augustinus*, Tractatu L. in Joannem. B *Ecce fur Judas* (inquit) *fur & sacrilegus. Non qualiscunque fur: Fur loculorum, sed dominicorum; loculorum, sed sacrorum. Si crimina discernantur in foro qualiscunque furti & peculatûs: (Peculatus enim dicitur furtum de Republica; & non sic judicatur furtum rei privatæ quomodo publicæ:) Quantò vehementiùs judicandus est fur sacrilegus, qui ausus fuerit non undecunque tollere, sed de Ecclesia tollere? Qui aliquid de Ecclesia furatur, Judæ perdito comparatur.* Sacrilegium apud Veteres publicæ Pœnitentiæ addictum, constat ex Epistola Canonica *S. Gregorii Nysseni* ad *Letoium*, C Canone VIII. Sacrilegii rei sunt Religiosi Viri, & Moniales, quæ contra sanctitatem Voti sui, quo paupertatem Deo voverunt, aliquid furantur, seu rem sibi collatam sine Superioris conscientiâ & facultate detinent. Unde *S. Augustinus* in Regula ait: *Quo autem rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur.* Quod furtum sacrilegium esse confirmat *Hugo Victorinus* in Expositione ejusdem Regulæ: *Frater* (inquit) *qui rem sibi collatam celaverit, Judæ traditoris locum tenet in Ecclesia Sancta.*

Abigeatus. Quinta furti species dicitur *Abigeatus*, qui ovium, equorum, & aliarum id genus pecu- D dum injusta & dolosa abductio est. Quod crimen Leges Civiles peculiari pœnâ plectunt, eò quòd hujusmodi pecora eâ facilitate quâ res aliæ custodiri non possint, cùm per agros & prata ut plurimùm divagentur. *Abigei* ergo hi propriè dicuntur, *qui pecora ex pascuis vel ex armentis subtrahunt, & quodammodo deprædantur, & abigendi studium quasi artem exercent, equos de gregibus, vel boves de armentis abducentes. Cæterùm si quis bovem aberrantem, vel equos in solitudine relictos abduxerit, non est abigeus, sed fur potiùs.* Magis autem reus est, E *Qui à stabulo abegit domitum pecus, non à silva, nec grege;* ut habetur *Digestorum* Lib. XLVII. Tit. XIV. *De Abigeis*, L. 1. & 3.

Rapina peccatum à furto specie distinctum. Sextam furti speciem plerique *Rapinam* assignant: sed hæc esse peccata specie distincta docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXVI. Articulo IV. *Furtum* enim *& rapina* (inquit) *ex hoc habent rationem peccati, quod acceptio est involuntaria ex parte ejus cui aliquid subtrahitur. Involuntarium autem dupliciter dicitur, scilicet per ignorantiam, & per violentiam.* Primum ad furtum, secundum ad rapinam perti- F net. Fur enim clam aliquid surripit domino nescienti: Raptor verò scienti & repugnanti. *Raptor vult per propriam potestatem obtinere, fur per astutiam. Et ideo in aliam rationem peccati habet rapina, & aliam furtum.* Et rapina quidem gravius est furto peccatum, tum ratione violentiæ; tum quia *Non solùm infert damnum in rebus, sed etiam vergit in quamdam personæ ignominiam sive injuriam. Et hoc præponderat fraudi vel dolo, quæ pertinent ad furtum*, (inquit *S. Thomas*, Articulo IX. ejusdem Quæstionis.) Idem confirmat Concilii Tridentini Catechismus.

DE DECALOGO.

A Leviori tamen hoc furti nomine divinæ Legis septimum Præceptum convenienter expressum est, non rapinæ: quia furtum latiùs patet, & ad plura pertinet quam rapina. Illud enim quisque committere potest: Rapinam verò illi tantummodo facere possunt, qui potentiâ & viribus præstant. Quamquam nemo non videt, exclusis ejusdem generis levioribus peccatis, graviora etiam facinora prohiberi. Unde *S. Augustinus* Quæstione LXXI. in Exodum ait: *Furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ:* B *(Non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit:) Sed utique à parte totum intelligi voluit, quicquid illicitè rerum proximi aufertur.* Hinc Apostolus 1. ad *Corinthios* VI. scribit: *Neque fures, neque raptores Regnum Dei possidebunt.*

V. Est autem Rapina, *injusta rei alienæ per violentiam ablatio.* Quo de crimine Concilium *Trosleianum* Canone VII. hæc habet: *Esurienti non dare panem, damnabile est, ipso Domino in extremo Judicio dicturo:* Esurivi, & non dedistis mihi manducare, *&c. Quibus subjungit*, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis ejus. *Hinc colligendum quâ* C *damnatione plectendi sint qui aliena diripiunt, si tali animadversione feriuntur, qui sua indiscretè & immisericorditer tenuerunt. Quàm multiplex autem sit rapina, & quot modis agatur, Job breviter enumerat, inquiens:* Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges, asinos pupillorum abegerunt, abstulerunt pro pignore bovem viduæ, subverterunt pauperum viam, oppresserunt mansuetos terræ, agrum non suum demetunt; & vineam ejus, quem vi oppresserunt, vindemiant: nudos dimittunt homines, quibus non est operimentum in frigo- D re, *&c. Audiant raptores, quid de eis Vas electionis Paulus dicit:* Neque rapaces Regnum Dei possidebunt. *Non ergo raptor, non prædo pauperum Regnum Dei possidebit, nisi perfectam egerit Pœnitentiam, & injustè sublata reddiderit. Sunt enim quidam qui pœnitere quidem volunt, sed res reddere nolunt, pessimum quidem hominum genus, cui pœnitendi medicina omnino non prodest. Si enim res rapta, cum reddi possit, non redditur, non agitur Pœnitentia, sed fingitur. Ii enim, ut dicit S. Augustinus, scelus sibi cupiunt relaxari, & id, propter quod scelus admissum est, possidere. Non* E *ergo remittetur rapinæ peccatum, nisi restituatur ablatum. Sciat ergo unusquisque raptor non sibi dimitti rapinæ peccatum, nisi cùm potest id, quod rapuit, restituat: plerumque enim qui aufert, amittit, sive alios patiendo malos, sive ipse malè vivendo, nec habet unde restituat.... Sanè Statuta Ecclesiæ antiqua præcipiunt eorum, qui pauperes opprimunt, dona à Sacerdotibus esse refutanda: & meritò, cùm sint apud Dominum abominabilia, testante super hoc Scriptura:* Qui offert (inquit) *Sacrificium de substantiâ pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris.*

Rapina quàm grave peccatum. — *Math. 25.* — *Job. 24.* — *1. Cor. 6.* — *Eccl. 34.*

ARTICULUS II.

Quàm grave sit Furti peccatum?

PROPOSITIO UNICA.

Furtum lethale peccatum est, nisi materia levitate, & exclusa voluntate gravis damni inferendi, veniale fiat.

De Furto.

CAritati scilicet ac Justitiæ pariter repugnat. Vetat enim utraque ne faciamus alteri, quod nobis fieri nolumus. Tobiæ IV. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Et Matth. VII. *Omnia ergo* (inquit Christus) *quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis: Hæc est enim Lex & Prophetæ.* Hoc Legis ipsius naturalis unum ex primis principiis, secundùm quod furtum illicitum est. Unde *S. Augustinus*, Libro II. *Confessionum*, cap. IV. ait: *Furtum certè punit Lex tua, Domine, & Lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur? Nec copiosus adactum inopiâ.* Hinc Oseæ IV. dicitur: *Audite verbum Domini, filii Israël: Quia judicium Domino cum habitatoribus terræ. Non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, &c.* Et Zachariæ V. *Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur judicabitur.* Id *Tobiæ* persuasum erat, de quo scriptum est *Tob.* II. cap. *Anna uxor ejus ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, deferebat. Unde factum est, ut hædum caprarum accipiens detulisset domi: cujus cùm vocem balantis vir ejus audisset, dixit: Videte ne fortè furtivus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid aut contingere.* Apostolus etiam disertè pronuntiat, *Fures* non possessuros *Regnum Dei.*

Furti reos à Communione diu excludi, & publicæ Pœnitentiæ subjici, antiquâ Ecclesiæ Disciplinâ sancitum est: de quibus *S. Basilius*, Epistolæ ad *Amphilochium* Canone LXI. *Qui furatus est, si ex se quidem Pœnitentiâ motus se ipsum accusaverit; anno à sola Sacramentorum Communione arcebitur. Si autem convictus fuerit, duobus annis tempus illi ad Substrationem dividetur & Consistentiam; & tunc Communione dignus habeatur.*

Nostram Propositionem confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXVI. Articulo VI. *Peccatum* (inquit) *mortale est, quod contrariatur caritati, secundùm quòd est spiritualis animæ vita. Caritas autem consistit principaliter quidem in dilectione Dei; secundariò verò in dilectione proximi, ad quam pertinet ut proximo bonum velimus & operemur. Per furtum autem homo infert nocumentum proximo in suis rebus: & si passim homines sibi invicem furarentur, periret humana societas. Unde furtum tanquam contrarium caritati est peccatum mortale.*

Catholico huic Dogmati non repugnat quod Proverb VI. scriptum est: *Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit.* Duplex enim est hujus Sententiæ sensus. Dicitur scilicet furtum *Non grandis culpa, sive propter necessitatem inducentem ad furandum, quæ diminuit vel totaliter tollit culpam:* Unde subditur, *Furatur enim ut esurientem impleat animam:* sive per comparationem ad reatum adulterii, *quod punitur morte:* Unde subditur de fure: *Deprehensus reddet septuplum: Qui autem adulter est, perdit animam suam.* Ita hunc locum explicat *S. Thomas* in Responsione ad primum. Posteriorem interpretationem multò antè Venerabilis *Beda* tradiderat: *Furtum* (inquit) *non ex sua æstimatione, sed ex comparatione peccati majoris, id est adulterii, non grandis esse culpa perhibetur. Sicut Jerusalem graviùs peccasse dicitur:* « Justificata est Sodoma ex te; *non quia Sodoma nulla vel pauca, sed quia Jerusalem plura peccavit.* — Ezech. 16.

Idem confirmat Concilii Tridentini Catechismus. *Quàm grave scelus* (inquit) *furtum sit, ipsa naturæ vis & ratio satis ostendit. Est enim justitiæ contrarium, quæ suum cuique tribuit. Nam bonorum distributiones & assignationes, jam inde ab initio jure gentium constitutas, divinis etiam legibus confirmatas esse oportet; ut unusquisque, nisi humanam societatem tollere velimus, ea teneat, quæ ei jure obtigerunt.* Sed & mala quæ furtum consequuntur, sceleris hujus immanitatem declarant. Fiunt enim judicia temerè & inconsultò multa de multis, erumpunt odia, suscipiuntur inimicitiæ, existunt interdum acerbissimæ innocentium hominum damnationes. Ex hoc denique peccato vix emergunt, qui res alienas usurparunt & detinent. Cùm enim Restitutionis necessitas divinitus illis imposita sit, ea tamen admodum difficilis est ei qui assueverit ex alieno locupletari. Unde *Habacuc* II. scriptum est: *Væ ei qui multiplicat non sua: Usquequo & aggravat contra se densum lutum?* Rerum alienarum pos- « sessionem densum lutum appellat, unde emer- « gere & expedire se homines difficilè possint, « (inquit Concilii Tridentini Catechismus.)

Sed tamen materiæ levitatem efficere ut furtum veniale duntaxat peccatum sit, modò absit graviter nocendi animus (quæ Propositionis nostræ pars est altera) docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXVI. Articulo VI. in Responsione ad tertium: *Illud* (inquit) *quod modicum est, ratio apprehendit quasi nihil. Et ideo in his quæ minima sunt, homo non reputat sibi nocumentum inferri: & ille qui accipit, potest præsumere hoc non esse contra voluntatem ejus cujus est res. Et pro tanto si quis furtivè hujusmodi res minimas accipiat, potest excusari à peccato mortali. Si tamen habet animum furandi & inferendi nocumentum proximo, etiam in talibus minimis potest esse peccatum mortale, sicut & in solo cogitatu per consensum.*

Quæ materiæ quantitas requiratur, ut furtum mortale peccatum sit.

Quæ porrò materiæ quantitas sufficiat ut furtum mortale peccatum sit, si quæratur: Respondendum est, Furti gravitatem æstimandam ex pretio rei, vel pecuniæ summa, quæ surripitur, quæ si ad diurnum unius hominis victum sufficiat, mortale peccatum esse videtur illius furtum, sive diviti, sive pauperi subtrahatur. Fieri tamen potest ut, spectatis circumstantiis personarum & locorum, major quantitas requiratur ad constituendum furtum lethale: quod prudentum arbitrio æstimandum est. Major enim summa desideratur ut filius patri surripiens, vel uxor viro, mortale furti peccatum committere censeantur, quàm si extraneo surriperent; quia filius plus juris habet ad bona patris, & uxor ad bona communitatis, quorum maritus administrator est, quàm ad bona extranei. Expendendum ergo an quod surripiunt sit notabile,

De Furto.

habitâ ratione personarom, & locorum. Ad mortalis etiam peccati malitiam furtum pertingere potest, si minor somma subtrahatur, habitâ ratiooe personæ, & oecessitatis rei quæ subripitur, damnique ex illius ablatione consecuti. Qui eoim pauperi furatur assem, qoi ipsi ad panem comparandum necessarius est, lethalis proculdubio peccati reus erit, non minùs quàm si diviti decem asses furaretur. Et si furetor aliquis artifici instrumentum soæ artis, modici quidem pretii, quo tamen subtracto cessat à labore, adeóque à lucro, quia aliod statim comparare noo potest; mortalis peccati reus est, & restituere tenetur, oon secundùm æstimationem instrumenti, sed secundùm æstimationem damni ea furto consecuti, lucríque cessantis.

Uxor quæ de bonis mariti, sive communibus, aliquid surripit ad ludendum, est furti rea.

Facessant igitur qui scribere non erubuerunt, Uxorem non esse furti ream, si de bonis mariti, seu de bonis commonibus, quorum penes ipsum administratio est, aliqoid surripiat ad ludendum. Rea certè est furti, & quidem lethalis, si summam notabilem clam accipiat invito marito, eámque ludo exponat. Gravem enim injuriam infert viro, qui caput est mulieris; grave damnum rei domesticæ. Ream uxorem, quæ inconsulto & invito marito notabiles eleemosynas erogat, *S. Thomas*, post *S. Augustinum*, in Epistola ad *Ecdiciam* scripta, asserit, Theologique consentiunt universi: Itaqoe multò magis rea est, si marito pecunias surripiat ad ludendum. *Mulierem conjugatam non licet dicere, Facio quod volo de meo*, (inquit S. Aogostinus) *cùm & ipsa non sit sua, sed capitis sui, hoc est viri.* Nec ipsam excusat quòd locupletem dotem attulerit. De bonis enim dotalibus disponere pro arbitrio non potest soperstite marito, ad quem illorum dominiorum fructusqoe pertinent pro Matrimooii oneribus sustentandis; ut coostat ex L. *Si prædium* C. Lib. v. Tit xii. De Jore Dotium. *Si Prædium* (inquit) *uxor tua dotale venumdedit, sponte necne contractum ratum habuerit, nihil interest: cùm rei tibi quæsita dominium auferre nolenti minimè potuerit.* Et L. *Pro oneribus*, eodem Tit. *Pro oneribus Matrimonii, Mariti lucro fructus totius dotis esse, quos ipse cepit.* Furti ergo lethalis nihilominos rea est, si ex bonis mariti, vel etiam ea bonis dotalibus, aut eorum fructibus, summam notabilem subtrahat, illo invito, sive ad ludum, sive ad loxum, somptúsque superfloos. Si tamen ad ornatum statui suo convenientem, vel ad honestam recreationem clam accipiat, quod vir avarus, aut prodigus ac decoctor injostè negat, lethalis peccati ream non dixero. Si verò ad solvenda debita, ad sosteotationem filiorum, ad avertendum familiæ damnum, exemplo prudentis *Abigail*, de qua 1. *Regum* xv. à furti labe immunis omnino censenda est.

Propositio damnata.

Ex his patet quale judiciom de ista Propositione ferendom sit: *Potest uxor viro surripere pecuniam, etiam ad ludendum, si mulier talis sit conditionis, ut ludus honestus pari loco cum alimentis ac victu habeatur.* De illa certè non aliter jodicandom est quam Clerus Gallicanus judicavit in Comitiis generalibus anni 1700.

Hæc Propositio temeraria est, scandalosa, & familiarum pacem perturbat. Quod autem de ludo alimentis æquiparando additur, furti iniquitati pessimas fallendi artes adjungit; & in vitam humanam necessitates inducit à Christiana simplicitate abhorrentes.

ARTICULUS III.

Regula Moralis Christiana circa furtum & Rapinam.

REGULA I.

Lethalis Furti rei sunt pauperes, qui divitibus aliquid notabile subripiunt, quamvis divites grave ex illius subtractione incommodum non patiantur.

De Furto.

NOn enim ex solo incommodo & nocumento, sed ea rei quæ sorripitur pretio, & summæ quæ detrahitur quantitate, furti gravitas inprimis æstimanda est. Haoc Regulam confirmat Canon *Fortè*, Caosa xiv. Quæst. v. sub nomine *S. Augustini* laudatus, ex Homilia aliàs septima inter Homilias quinqoaginta, nunc inter Sermones in Appendicem rejectos CCLXXXVII. *Fortè* (inquit) *& hoc secum cogitat aliquis, & dicit, Multi sunt Christiani divites, avari, vel cupidi; non habeo peccatum, si illis abstulero, & pauperibus dedero: unde enim illi nihil boni faciunt, mercedem habere potero, si ego eleemosynas dedero. Etiam in hac re parcat unusquisque anima sua: quia hujusmodi cogitatio ex Diaboli calliditate suggeritur. Nam etiamsi totum tribuat quod abstulerit, addit potiùs peccata quàm minuat.*

Idem confirmat Concilii Tridentini Catechismus: *Audire licet* (inquit) *interdum fures, qui nihil se eo peccare contendant, quòd detrahant aliquid locupletibus & copiosis hominibus, qui ea detractione nihil damni faciant, ne sentiant quidem. Misera sanè & pestifera defensio.*

REGULA II.

Lethalis peccati reus est, qui per plura Furta leviora notabilem summam totalem abstulit seu eidem personæ, seu diversis: sive ab initio voluntatem habuerit notabilem summam per plura Furta minima corradendi, sive non.

SI enim ab Initio pravam hanc voluntatem habuerit, quodlibet furtum, quamvis secundùm rei clam acceptæ quantitatem minimum, ratione tameo pravæ illius volontatis grave ac mortale est, ut colligitur ex Canone *Fur autem*, Causa xvi. Quæst. vi. qui ex *S. Hieronymo* in cap. ii. Epistolæ S. Pauli ad *Titum* sumptus est: *Fur autem* (inquit) *non solum in majoribus, sed etiam in minoribus judicatur. Non enim id quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur.* Idque *S. Thomas* confirmat, Secunda Secundæ, Quæstiooe LXVI. Articulo vi. in Responsione ad tertium: *Si tamen* (inquit) *habet animum furandi & inferendi nocumentum proximo, etiam in talibus minimis potest esse peccatum mortale, sicut & in solo cogitatu per consensum.*

Nec refert quòd à diversis accipere velit: nullique grave damnum inferat, neqoe porrò inferre velit. Quamvis enim singulis seorsim spectatis leve damnum inferat, omnibus tamen simul consideratis, adeóque Reipublicæ graviter nocet. Qoamobrem mercatores qoi ponderibus aot stateris, & mensuris inæqualibus & dolosis utuntur, aut plus justo pretio merces suas ven-

A

De Furto.

dunt, lethale peccatum singulis vicibus committunt, ob pravam iterandi leviora furta voluntatem, & res suas his fraudibus augendi, quamvis leve sit quod singulis vicibus injustè accipiunt: atque ita in perpetuo damnationis statu versantur. Unde Deuteronomii xv. scriptum est: *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus: nec erit in domo tua modius major & minor. Abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam.* Et Proverb. xi. *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Rursusque cap. 20. *Abominatio est apud Dominum pondus & pondus: Statera dolosa non est*
B
bona. Et Michææ vi. *Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena. Numquid justificabo stateram impiam, & sacculi pondera dolosa? In quibus divites ejus repleti sunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum. Et ego ergo cœpi percutere te perditione super peccatis tuis.*

Sed & ille qui non habet voluntatem aliquid notabile accipiendi, graveque damnum inferendi proximo, & tamen paulatim notabilem quantitatem sive summam accipit, mortaliter peccat, non singulis quidem furtis levioribus, sed
C
eo demum in quo summa notabilis completur. Furtum enim illud postremum moralem cum præcedentibus connexionem habet, quâ fit ut fur res alienas detineat in quantitate notabili, & ad mortale peccatum furti constituendum sufficiente. Sicut enim qui diebus festis servilibus operibus vacat pluribus per diem vicibus per breve tempus, verbi gratiâ, per quadrantem, vel die Jejunio dicatâ pluries extra refectionis horam leve aliquid comedit, nihilominus mortalis peccati reus est, si ex pluribus quadrantibus quibus laboravit, notabile tempus, unius scilicet vel duarum horarum accrescat, aut ex iis quæ plu-
D
ribus vicibus comedit, notabilis quantitas conflatur, ex quâ simul sumptâ violari jejunium censeatur; quamvis voluntatem ab initio non habuerit tantùm temporis in labore consumendi, aut tantùm comedendi; ita qui plura furta leviora committit, lethalis peccati reus est, cùm ad summam notabilem ascenderunt; quamvis ab initio voluntatem non habuerit summam notabilem auferendi, sed sensim ad illam pervenerit. Quicunque enim rem alienam in notabili quantitate retinet, lethalis furti reus est: ille porrò rem alienam in notabili quantitate retinet: lethalis igitur furti reus est.

E

Meritò itaque ab *Innocentio XI.* Pontifice Maximo inter alias pravi dogmatis in Re Morali Propositiones anno millesimo sexcentesimo-septuagesimo-nono, Mense Martio, & hæc Propositio damnata est ordine trigesima octava:

Propositio damnata.

Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis. De hac Propositione ita judicavit & Clerus Gallicanus anno 1700. *Hæc Propositio est falsa, perniciosa, & furta etiam gravia approbat.*

F

REGULA III.

Gravis necessitas Furtum non excusat, sed solùm extrema. Unde pauper gravi necessitate afflictus, si quid notabile surripiat eo colore ut necessitatem suam sublevet, lethalis nihilominus peccati reus est.

De Furto.

QUamvis enim divitum superflua jure naturali pauperum sustentationi debeantur:
B
Quia tamen multi sunt necessitatem patientes, & non potest ex eadem re omnibus subveniri; committitur arbitrio uniuscujusque dispensatio propriarum rerum, ut ex eis subveniat necessitatem patientibus; (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXVI. Articulo VII.) Qui ergo communem aut gravem etiam necessitatem patiuntur pauperes, quam sublevare saltem possint mendicando, rei sunt furti si quid è rebus divitum clam accipiant; & lethalis quidem peccati rei sunt, si res vel summa notabilis sit. *Si tamen* (inquit S. Thomas) *adeo sit evidens & urgens necessitas; ut manifestum sit instanti necessitati de*
C
rebus occurrentibus esse subveniendum, (putà, cùm imminet personæ periculum & aliter subveniri non potest,) tunc licitè potest aliquis ex rebus alienis suæ necessitati subvenire, sive manifestè sive occultè sublatis: nec hoc propriè habet rationem furti vel rapinæ. Et in Responsione ad secundum: *Uti,* (inquit) *re aliena occultè acceptâ in casu necessitatis extremæ, non habet rationem furti propriè loquendo: quia per talem necessitatem efficitur suum id quod quis accepit ad sustentandam propriam vitam.*

Quod igitur refertur cap. *Si quis*, Extra, *De Furtis*, ex Pœnitentiali *Theodori* Cantuariensis, *Si quis propter necessitatem famis, aut nudi-*
D
tatis, furatus fuerit cibaria, vestem vel pecus, pœniteat hebdomadas tres: & si reddiderit, non cogatur jejunare: intelligendum est in casu, *in quo non est urgens necessitas*; ut explicat *S. Thomas*, in responsione ad secundum. Idque confirmat Glossa ejusdem capitis, ad verbum POENITEAT. *Ex eo* (inquit) *quod pœnitentia imponitur, colligitur quod modica fuerit necessitas: si enim magna fuisset, non imponeretur Pœnitentia. Argum. Contra*, De Consecr. Dist. 5. C. Discipulos, *Quia in necessitate omnia sunt communia.*

Hanc Regulam confirmat *S. Raymundus*, Libro II. Tit. *De Furtis*, §. x. *Quid si* (inquit)
E
aliquis furatur cibum, vel potum, vel vestimentum, propter necessitatem famis, vel sitis, vel frigoris, nunquid committit furtum? Ad hoc dicas, Quòd si patitur magnam necessitatem famis, vel sitis, vel frigoris, ita quòd nisi furetur, credit se non posse evadere mortem, non committit furtum, non peccat, dum tamen propter hanc necessitatem faciat. Idque confirmat ex Canone *Discipulos*, Distinct. v. *De Consecr.* cujus hæc sunt verba: *Discipulos dum per segetes transeundo evellerent spicas & ederent, ipsius Christi vox innocentes vocat, quòd coacti fame hoc fecerunt.* Item (inquit) *Propter necessitatem famis comedit David panes propo-*
F
sitionis, 1. Reg. XXI. *Et est ratio multiplex; una, quia in necessitate omnia debent esse communia. Dist.* XLVII. *Can.* Sicut ii; *ubi Ambrosius inter alia dicit:* « Proprium nemo dicat, quod commune est. *Item, quia ipso dominus rei ex præcepto tenetur pascere esurientem. Dist.* LXXXVI. « Pasce fame morientem: quisquis enim pascendo hominem « servare poteris, si non paveris, occidisti. *Un-* « *de talis fecit licitè, & debuit & potuit credere do-*

minium

De Furto.

minam permissarum : & ita non commisit furtum. Item quia necessitas non habet legem. De Consecr. Dist. 1. Can. Sicut. *Si autem non patitur ita magnam necessitatem, peccat : attenuatur tamen peccatum propter necessitatem. Et in tali casu intelligitur Decretalis* Eatra, De Furtis. *Si quis propter necessitatem famis aut nuditatis fuerit cibaria furatus, vel vestem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres ; & si reddiderit, non cogatur jejunare.* Subdit S. Raymundus : *Dicerem tamen ei semper, quia tutius est, quòd restitueret, si posset.* XIV. Quæst. VI. SI RES. *Item aliquantulam Pœnitentiam imponerem illi ad cautelam.*

Propositio damnata.

Meritò itaque ab *Innocentio XI.* die quarta Martii anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo-nono inter alias pravi dogmatis Propositiones hæc ordine trigesima-sexta damnata est : *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.*

De hac Propositione ita judicavit & Clerus Gallicanus anno 1700. *Hæc Propositio, quatenus furtum permittit in gravi necessitate, falsa est, temeraria, & Reipublicæ perniciosa.*

REGULA IV.

Furti rei sunt servi & ancillæ, qui res dominorum suorum surripiunt compensationis nomine, quòd scilicet suo labori & obsequiis stipendium, de quo cum illis convenere, non respondeat. Idem esto de Opificibus judicium.

EX quo enim de mercede cum domino convenerunt, dominus illis non facit injuriam si mercedem ampliorem non tribuat. Ubi autem nulla infertur injuria, nullus est compensationi locus. Nihil debet dominus ratione laboris sive operarum, præter id de quo inter illum & servos vel opifices conventum est : nihil igitur illi exigere ampliùs possunt : quamobrem si quid ultra accipiant invitis dominis, furti rei sunt : meritòque refelli potest iniqua illorum excusatio æquissimâ Patris-familiâs Evangelici responsione, qui murmurantibus operariis in vineam ejus conductis, quòd singulos dumtaxat denarios acciperent, quemadmodum & illi qui circa undecimam horam laborare cœperant, cùm tamen ipsi portassent pondus diei & æstus, ac propterea majori mercede laborem suum compensandum æstimarent, respondit uni illorum : *Amice, non facio tibi injuriam : nonne ex denario convenisti mecum ? Tolle quod tuum est & vade.* Cujus Responsionis æquitatem approbat Christus in Parabola *Matth.* 20. Deinde si hujusmodi compensationi, cujus ipsi famuli, vel opifices judices sint, locus detur, furtis domesticis latissima patebit via, turbabitur pax familiarum, labefactabitur famulorum & ancillarum, necnon opificum fides.

Propositio damnata.

Meritò itaque ab Academiis Lovaniensi & Parisiensi, à plurimis Episcopis Gallicanæ Ecclesiæ, & tandem ab *Innocentio XI.* Pontifice Maximo damnata est hæc Propositio : *Famuli & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quàm majorem judicant salario quod recipiunt.* De qua Propositione sic judicavit & Clerus Gallicanus anno 1700. *Hæc Propositio falsa est, furtis viam aperit, & famulorum fidem labefactat.*

Frustra verò damnatæ huic Propositioni præsidium à nonnullis quæsitum est ex facto Israëlitarum, qui *Petierunt ab Ægyptiis vasa argentea & aurea, vestémque plurimam. Dominus autem dedit gratiam Populo coram Ægyptiis ut commodarent eis : & spoliaverunt Ægyptios* ; ut refertur *Exodi* XII.) Abstulerunt autem vasa illa argentea, vestésque in compensationem laborum. Frustra (inquam) inde præsidium quæritur damnatæ Propositioni. Nullam enim ab Ægyptiis mercedem Israëlitæ acceperant pro diuturnis durissimísque laboribus. Deinde, non proprio, sed Dei judicio Ægyptiorum vasa vestésque pretiosas postulatunt & abstulerunt in laborum justissimam compensationem. Unde Exodi XI. scriptum est : *Dixit Dominus ad Moysen ; Dices omni plebi, ut postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua vasa argentea & aurea.* Et Cap. XII. *Fecerunt omnes filii Israël sicut præceperat Dominus Moysi & Aaron.* Et Cap. X. *Reddidit Justis mercedem laborum suorum, & deduxit illos in via mirabili*, &c. Unde *S. Augustinus* Quæstione XXXIX. in *Exodum*, de hoc Hebræorum facto agens : *Non hinc* (inquit) *quisque sumendum exemplum putare debet ad exspoliandum isto modo Proximum. Hoc enim Deus jussit, qui noverat quid quemque pati oporteret : nec Israëlitæ furtum fecerunt, sed Deo jubenti ministerium præbuerunt. Quemadmodum cum minister Judicis occidit eum quem Judex jussit occidi, profectò si id sponte faciat, homicida est, etiamsi eum occidat, quem scit occidi à Judice debuisse.* Quin & Libro XXII. Contra *Faustum*, Cap. LXXII. Moysen & Israëlitas furti reos futuros asserit, si compensationis nomine vasa aurea, & argentea Ægyptiorum abstulissent, Dei Mandato Sententiáque non interveniente. *Quid absurdum est,* (inquit) *si Ægyptii ab Hebræis, homines iniquè dominantes ab hominibus liberis, quorum etiam mercedis pro eorum tam duris & injustè laboribus fuerant debitores, rebus terrenis, quibus etiam ritu sacrilego in injuriam Creatoris utebantur, privari meruerunt ? Quod tamen si Moyses sua sponte jussisset, aut hoc Hebræi sua sponte fecissent, profectò peccassent.*

Nec etiam damnatæ Propositioni favent verba illa *S. Augustini*, Epistola CLIII. aliàs LIV. ad Macedonium : *Non sanè quidquid ab invito sumitur, injuriosè aufertur. Nam plerique nec Medico volunt reddere honorem suum, nec operario mercedem ; nec tamen hæc qui ab invito accipiunt, per injuriam accipiunt, quæ potiùs per injuriam non darentur.* Ibi enim non loquitur *S. Augustinus* de iis qui clam surripiunt mercedem, quam sibi debitam existimant, aut aliquid invitis dominis accipiunt ultra pretium de quo convenere, sed de illis qui accipiunt à debitoribus, solventibus quidem & dantibus quod debent, non tamen lubenti animo, quia præ avaritia & cupiditate solvere & dare nollent. Hæc vocis, *sumitur* & *accipitur*, vis & potestas, cùm apud Ciceronem dicentem : *Tu qui à Navio vel sumpsisti multa, si fateris ; vel, si negas, surripuisti :* tum apud Sanctum ipsum *Augustinum* in eadem Epistola scribentem : *Cùm judicia & testimonia, quæ nec justa nec vera vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur, multò sceleratiùs utique pecunia sumitur ; quia sceleratè etiam quamvis à volentibus datur.* Hoc sensu & de Officialibus seu Apparitoribus ibidem scribit : *Ab his extorta per immoderatam improbitatem, repeti solent ; data per tolerabilem consuetudinem, non solent ; magisque reprehendimus qui talia insuetè repetiverunt, quàm qui ea de more sumpserunt.* Sumere igitur hoc loco, secundùm *S. Augustini* mentem, non est clam surripere, seu domino penitus invito accipere compensationis nomine, quod debitum sibi privato judicio Medicus aut operarius existimat : sed à debitore accipere quod revera debitum est, & ab ipso datur, quamvis libenter non detur.

REGULA V.

Furti rei sunt Operarii & Artifices, qui totam & integram mercedem exigunt ab iis, quibus ipsi justam ac debitam operam non dederunt: Item servi, rerum eorum fidei à Dominis creditarum custodes infidi.

De Furto.

HAnc Regulam iisdem verbis tradit Concilii Tridentini Catechismos: eò enim detestabiliores sunt quàm reliqui fures, qui clavibus excluduntur, quòd fotaci servu nihil dumi obsignatum aut occlusum esse potest: & adversùs operarii malam fidem vel negligentiam nulla custodia sufficit. Unde Apostulus ad *Titum* scribit Cap. II. ut servos admoneat dominis suis subditos esse, *Non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes.* Et ad *Ephesios* VI. necnon ad *Colossenses* III. præcipit eis ne serviant *Ad oculum quasi hominibus placentes*, sed *Domino* serviant, obediendo dominis suis.

REGULA VI.

Furti rei sunt, qui fictis simulatisve verbis, fallacive mendicitate pecuniam extorquent.

EOrúmque peccatum eò gravius est (inquit Concilii Tridentini Catechismos) quòd furtum mendacio cumulant.

REGULA VII.

Furti rei sunt, qui cùm ad privatum aliquod vel publicum Officium conducti sunt vel electi, Munus negligunt, mercede tantùm ac pretio fruuntur.

HAnc Regolam tradit Concilii Tridentini Catechismus. Naturalique æquitate, ac Regula Juris nititur; *Qui sentit onus, sentire debet commodum, & è contra.* Et Cod. Tit. LI. *De caducis tollendis*, L. *Et nomen* §. 4. dicitur: *Neque enim ferendus est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit.*

REGULA VIII.

Furti rei sunt, qui res inventas, quarum dominus post diligentem inquisitionem reperiri potest, retinent; vel gratis restituere nolunt.

DEi verbo hæc Regula nititur, *Deuteronomii* XXII. Vers. 1. 2. 3. *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem & præteribis: sed reduces fratri tuo, etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum. Duces in domum tuam, & erunt apud te quandiu quærat ea frater tuus, & recipiat. Similiter facies de asino, & de vestimento, & de omni re fratris tui quæ perierit: si inveneris eam, ne negligas quasi alienam.* Et *Levitici* VI. Cap. *Anima quæ peccaverit, & rem perditam invenerit, & inficians insuper pejeraverit, convicta delicti reddet omnia quæ per fraudem voluit obtinere, integra, & quintam insuper partem domino cui damnum intulerat.*

Eamdem Regulam confirmat *S. Augustinus*, Sermone CLXXVIII. aliàs XIX. *De Verbis Apostoli*, Cap. VI. VII. & VIII. *Deus dixit in Lege sua, inventionem esse reddendam. Deus in Lege sua dixit, quam primo Populo dedit, pro quibus Christus nondum erat mortuus, inventionem tanquam alienum esse reddendam; si quisquam verbi gratiâ, in via invenerat sacculum solidorum, debere reddere. Sed nescit cui? Non se excusat ignorantia, si non dominetur avaritia. Dicam vestræ Caritati, quoniam dona Dei sunt; & sunt in Populo Dei qui non frustra audiunt verbum Dei: dicam quod fecerit pauperrimus homo, nobis apud Mediolanum constitutis, tam pauper ut Proscholus esset Grammatici: sed planè Christianus, quamvis ille esset Paganus Grammaticus; melior ad velum, quàm in Cathedra. Invenit sacculum, nisi fortè me numerus fallit, cum solidis fermè ducentis: memor legis, proposuit pittacium publicè. Reddendum enim sciebat, sed cui redderet, ignorabat. Proposuit pittacium publicè: Qui solidos perdidit, veniat ad locum illum, & quærat hominem illum. Ille qui plangens circumquaque vagabatur, invento & lecto pittacio venit ad hominem. Et ne fortè quæreret alienum, quæsivit signa, interrogavit sacculi qualitatem, sigillum, solidorum etiam numerum. Et cùm omnia ille fideliter respondisset, reddidit quod invenerat. Ille autem repletus gaudio, & quærens vicem rependere, tanquam decimas obtulit illi solidos viginti: qui noluit accipere. Obtulit decem: noluit accipere. Saltem rogavit vel quinque acciperet: noluit ille. Stomachabundus homo projecit sacculum: Nihil perdidi, ait; si non vis aliquid à me accipere, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen, Fratres mei? Theatrum Mundus, Spectator Deus. Victus tandem ille quod offerebatur accepit; continuò totum pauperibus erogavit, unum solidum in domo sua non dimisit. Quid est? Si aliquid egi in cordibus vestris? si verbum Dei insedit in vobis, si requiem invenit apud vos, facite hoc, Fratres mei: nolite putare damnum vos pati, si feceritis; magnum lucrum est, si feceritis quod dico. Perdidi viginti solidos, perdidi ducentos, quingentos. Quid perdidisti? De domo tua perierant: alter perdiderat, non tu. Terra communis est, in una domo estis, in hoc mundo ambo viatores, hujus vitæ unum stabulum intrastis. Posuit ille, obligatus est ille, cecidit ab illo, tu invenisti alibi. Quis invenisti? Christianus. Quis invenisti? Qui legem audisti. Quis invenisti? Qui cùm audires multa laudasti, tu invenisti. Si ergo veraciter laudasti, redde quod invenisti. Si ergo non reddidisti quod invenisti; quando laudasti, testimonium contra te dixisti. Estote fideles inventores, & tunc in quos vituperate raptores. Nam quod invenisti & non reddidisti, rapuisti. Quantùm potuisti, fecisti: quia plus non potuisti, ideo non plus fecisti. Qui alienum negat, si possit, & tollit. Quod non tollit, timor prohibet: Non bonum facis, sed malum metuis.*

De Furto.

Idem confirmat *S. Thomas*, Seconda Secundæ, Quæstione LXVI. Articulo V. in Responsione ad secundum: *Circa res inventas, inquit, est distinguendum. Quædam enim sunt, quæ nunquam fuerunt in bonis alicujus, sicut lapilli & gemmæ, quæ inveniuntur in littore maris: & talia occupanti conceduntur. Et eadem ratio est de thesauris antiquo tempore sub terra occultatis, quorum non extat aliquis possessor: nisi quòd secundùm Leges Civiles tenetur inventor dare mediam partem domino agri, si in alieno agro invenerit. Propter quod in Parabola Evangelica dicitur Matth. XIII. de inventore thesauri absconditi in agro; quòd emit agrum, quasi ut haberet jus possidendi totum thesaurum. Quædam verò res inventæ fuerunt de propinquo in alicujus bonis: & tunc si quis eas accipiat, non animo retinendi, sed animo restituendi domino, qui eas pro derelictis non habet, non committit furtum. Et similiter si pro derelictis habentur, & hoc credat inventor*

Res inventæ duplicis generis.

Ad quid illarum tenetur inventor.

De Furto.

ventor, licèt sibi eas retineat, non committit furtum. Aliàs autem committitur peccatum furti. Unde S. Augustinus dicit in quadam Homilia, & habetur XIV. *Quæstione* V. SI QUID INVENISTI, ET NON REDDIDISTI, RAPUISTI.

Ceterùm, licèt quod ait *S. Thomas*, Ea quæ nullius umquam fuerunt, fieri occupantis, spectato solo naturæ jure, vel etiam jure communi positivo, sit verum, ut ex L. *Digest.* Tit. *De rerum divisione*, §. *Item lapilli*, compertum est, eadémque sit ratio rerum, quæ olim fuerunt alicujus, sed nunc quando inveniuntur in nullius bonis sunt, quales sunt thesauri, prout *Thesaurus* definitur Libro XLI. *Digest.* Tit. I. L. 31. *Vetus quadam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat*: secundùm praxim tamen usúmque, in hujusmodi rerum occupatione ac possessione Leges Principum aut Rerumpublicarum sequendæ sunt. Cùm enim ejusmodi bona nullius sint; rationi & æquitati consentaneum est, ut Respublica vel Princeps ea sibi vindicet propter bonum publicum. Unde & illa sibi reservare potest, & certis personis privilegium concedere, ut certis in locis illa quærant, eruant, aut piscentur.

Obligatio eorum qui thesauros inveniunt.

Addit *S. Thomas*: Idem esse judicium de thesauris antiquo tempore sub terra absconditis, quorum non extat memoria, ea scilicet fieri occupantis: quia si quis recenti memoriâ suas opes, pecunias scilicet, vasa argentea aut aurea, gemmas, aliáque id genus, bellorum aut prædonum metu, aut custodiæ causâ infoderit, res illæ haberi non possunt pro thesauro, qui cedat inventori, siquidem dominum suum habent. Unde qui eas occupaturus effoderet, furti reus esset; ut habetur in *Digestis* Libro XLI. Tit. *De acquirendo rerum dominio*, L. *Nunquam nuda*, §. 1. cujus hæc sunt verba: *Alioquin si quis aliquid vel lucri causâ, vel metûs, vel custodiæ condiderit sub terra, non est thesaurus: cujus etiam furtum fit.* Idque confirmat Lex *Peregrè*, 44. Tit. *De acquirenda rerum possessione*, cujus hæc sunt verba: *Peregrè profecturus, pecuniam in terra custodiæ causâ condiderat. Cùm reversus locum thesauri memoriâ non repeteret, an desiisset pecuniam possidere: vel si postea recognovisset locum, an confestim possidere inciperet, quæsitum est. Dixi, Quoniam custodiæ causâ pecunia condita proponeretur, jus possessionis ei, qui condidisset non videri peremptum: nec infirmitatem memoriæ damnum afferre possessionis.*

Addit Angelicus Doctor, Inventorem thesauri teneri secundùm Leges Civiles, mediam partem dare domino prædii, si in alieno prædio invenerit: quod tamen intelligendum, si fortuitò, non datâ operâ inventus est; ut declarat Justinianus Libro II. *Institut.* Tit. I. §. 39. *Thesauros*, inquit, *quos quis in loco suo invenerit, Divus Hadrianus naturalem æquitatem secutus, ei concessit, qui eos invenerit..... At si quis in alieno loco, non datâ ad hoc operâ, sed fortuitò invenerit, dimidium domino soli concessit, & dimidium inventori. Et convenienter, si quis in Cæsaris loco invenerit, dimidium inventoris, & dimidium esse Cæsaris statuit. Cui conveniens est, ut si quis in fiscali loco, vel publico, vel civitatis invenerit, dimidium ipsius esse debeat, & dimidium fisci vel civitatis.* Si verò non casu, sed studio quærendi adhibito, & datâ operâ thesaurum aliquis invenit in fundo alieno, si dominus fundi vel soli consenserat, totum erit inventoris, nisi aliter inter ipsos convenerit: si autem non consenserat, totus erit domini, solutâ dumtaxat inventori mercede laboris; ut colligitur ex L. *Nemo*, C. Tit. XV. De

Thesauris. *In alienis verò terrulis*, inquit, *nemo audeat invitis, immo nec volentibus, vel ignorantibus dominis opes abditas suo nomine perscrutari. Quòd si Nobis super hoc aliquis crediderit supplicandum, aut præter hujus Legis tenorem in alieno loco thesaurum scrutatus invenerit, totum hoc locorum domino reddere compellatur, & velut temerator Legis saluberrimæ puniatur. Quòd si fortè, vel arando, vel aliàs terram alienam colendo, vel quocumque casu, non studio perscrutandi, in alienis locis thesaurum invenerit: id quod repertum fuerit, dimidiâ retentâ, alterâ dimidiâ datâ, cum locorum domino partiatur. Ita enim eveniet ut unusquisque suis fruatur, & non inhiet alienis.*

De Furto.

Ceterùm si magicis ac nefariis artibus thesaurus inventus est, totum quod alioquin habuisset inventor, fisco cedit. Pars autem media pertinet ad soli dominum, si in alieno prædio fuerit inventus, ut ex eadem Lege constat. Alienum porrò solum, alienúsque fundus est, cujus directum dominium alteri competit, quamvis utile fortè dominium habeas. Unde si creditor in domo oppignerata, & conductor in agro vel domo locata thesaurum invenerit, mediam partem illius dare debet domino directo sive proprietario domûs vel agri.

Quamquam verò Jure Civili veterum Hebræorum, thesaurum acquireret, qui sciens infossum in eo thesaurum delitescere, agrum emebat à domino id ignorante, ut colligitur ex Evangelica Parabola, *Matth.* XIII. aliter tamen secundùm Jus Gallicum Moréfque nostros judicatur, quia dolo & fraude inventum & effossum præsumunt Gallicani Jurisconsulti & Magistratus, adeóque civili quadam æquitate, convenientíque ratione adjudicandum loci domino, cui ignorantia jus possessionis perimere non potest, ut nec illi perimere poterat, qui thesaurum in agro suo custodiæ causâ condiderat, quamvis non recordaretur. Igitur secundùm Mores nostros furti reus judicabitur, qui prædium vel domum emerit, in quâ thesaurum absconditum novit, ut thesaurum illum sibi vindicet, illúmque restituere tenetur venditori, aut ejus heredibus. Vide *Jus Gallicum*, Tit. *De Feudis.*

REGULA IX.

Pauperes Rustici, qui ligna cædunt, vel cæsa auferunt ex Sylvis Regiis, aut privatorum Dominorum, sive sicca & mortua, sive virentia, rei sunt furti, nisi extremâ necessitate urgeantur.

REm enim alienam auferunt invitis dominis. Exigua tamen ligna, & arida, quæ domini à pauperibus auferri ad usum proprii foci non ægrè ferunt, cædere, ac auferre possunt absque furti labe: non autem ut ea vendant; nisi evidens (ut dixi) necessitas urgeat, cui aliter subveniri non potest. Hic enim unicus titulus est à furto excusans eum qui rem alienam accipit invito domino, ut docet *S. Thomas*: quia in illa pauperum necessitate invitus non debet esse dominus; alioqui præceptum de dilectione proximi violaret. Idem esto de illis judicium, qui in alienis pascuis pecora pascunt. Vide Legem *Si furtim*; & alias, *Digest.* Libro XLVII. Tit. VII. *Arborum furtim cæsarum.*

REGULA X.

Furti rei sunt Venatores, qui per se, vel per famulos suos, equos aut canes, alienis bestiis, segetibus, aut pratiis damnum inferunt, nec illatum damnum resarcire curant: item qui in alieno stagno seu vivorio piscantur: item qui columbas habent, nec illis prabent alimenta necessaria, cùm tamen agros non habeant in quibus illa pascantur: item qui columbas occidunt in alieno columbario, vel intra spatium in quo Leges Mancipoles illas occidi vetant: qui denique in locis aut columbariis suis certa spargunt semina, aut aliis artibus utuntur ut columbas ex alienis columbariis illuc attrahant, & retineant.

De Furto. QUicumque enim proximo in rebus suis sive bonis temporalibus damnum infert, furti reus est, & mortalis quidem, si grave damnum inferat. Si tamen columbæ alienæ non à te attractæ, sed sponte columbis tuis se sociaverint, & ad proprium columbarium redire desierint, tuæ fiunt, easque retinere potes absque furti labe, secundùm Regulam Jure Civili firmatam Libro II. *Institutionum*, Tit. I. De acquirendo rerum dominio. *In iis autem animalibus*, inquit, *quæ ex consuetudine abire & redire solent, talis Regula comprobata est, ut eò usque tua esse intelligantur, donec animum revertendi habeant. Nam si animum revertendi habere desierint, etiam tua esse desinunt, & fiunt occupantium. Revertendi autem animum videntur desinere habere tum, cùm revertendi consuetudinem deseruerint.* Hæc autem Regula in iis solum animalibus aut volucribus locum habet, quatum fera natura est, quales sunt columbæ, apes, &c. non autem in iis quæ naturâ mansuetæ sunt, ut gallinæ, & anseres, &c. ut ibidem declaratur §. 16. *Gallinarum autem & anserum non est fera natura. Idque ex eo possumus intelligere, quod aliæ sunt gallinæ quas feras vocamus: item alii sunt anseres quos feros appellamus. Ideoque si anseres tui, aut gallinæ tuæ, aliquo modo turbati turbatave evolaverint; licèt conspectum tuum effugerint, quocumque tamen loco sint, tui tuæ-ve esse intelliguntur: qui lucrandi animo ea animalia detinet, furtum committere intelligitur.*

REGULA XI.

Qui jumenta sibi commodata longiùs duxerint, alienáve re invito domino usi fuerint, furti rei sunt.

ID constat ex L. *Qui jumenta*, Tit. *De furtis*, Libro XLVII. *Digestorum*. Furti pariter reus est creditor, qui pignore utitur: & generatim omnis qui, quod utendum accepit, alteri commodaverit, ut habetur L. *Si pignore*, sub eodem Titulo. Nec excusari potest, quasi nihil lucri sui gratiâ faciat: *Species enim lucri est ex alieno largiri, & beneficii debitorem sibi adquirere*, (inquit eadem Lex.)

REGULA XII.

Qui eâ mente alienum quid contrectavit, ut lucrifaceret; tametsi mutato consilio id domino postea reddidit, fur est.

NEmo enim tali peccato pœnitentiâ suâ nocens esse desiit; ut dicitur L. *Qui ea mente*, ff. Tit. *De Furtis*. Idque cùm in foro civili verum sit, moltò De Furto.
magis in foro conscientiæ; siquidem Deus non ma-
B num dumtaxat, sed cor interrogat.

REGULA XIII.

Furti rei sunt, quicumque jussu, suasione & consilio, consensu, conniventiâ, silentio, patrocinio, approbatione, & adulatione furto cooperantur, & qui furti sunt participes.

NAm *Digni sunt morte, non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*; ut ait Apostolus ad Romanos I. Præterea, furti reus est, *quicumque injustæ acceptionis rei alienæ causa*
C *est*. Quod quidem contingit dupliciter, *directè* scilicet & *indirectè*: Directè quidem, *cùm alium inducit ad accipiendum*; quod fit tripliciter: Primò, *Ex parte acceptionis movendo ad ipsam acceptionem; quod quidem fit, præcipiendo, consulendo, consentiendo expressè, & laudando aliquem quasi strenuum de hoc quòd aliena accepit*. Secundò, *Ex parte ipsius accipientis, quia scilicet eum receptat, vel qualitercumque ei auxilium fert*. Tertiò, *Ex parte rei acceptæ, quia particeps est furti vel rapinæ, quasi socius maleficii*. Indirectè verò, *Quando aliquis non impedit, cùm possit & debeat impedire; vel quia subtrahit præceptum sive consilium impediens*
D *furtum & rapinam; vel quia subtrahit suum auxilium, quo posset obsistere, vel quia occultat post factum*. quæ omnia hoc Disticho exprimuntur:

> *Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,*
> *Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

Ita *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXII. Articulo VII.

Inter eos qui furti conscii sunt ac rei, post fures ipsos primo loco recensentur qui furtum imperant, sive expressa, sive tacita sit jussio: sic
E pater filio, dominus servo, Toparcha vassallo jubentes ut aliqui damnum in rebus suis inferat, aut significantes id se cupere, idque, si fiat, sibi gratum fore, damni illati non solùm sunt autores, furtorumque socii, *sed etiam in illo furum genere deterrimi*; (inquit Concilii Tridentini Catechismus.)

In eodem furum grado ponendi sunt, qui cùm jubere non possint, *suasores sunt atque impulsores furtorum*; (inquit idem Catechismus.) Quo nomine illi omnes significantur, qui hortantur, instruunt, promissionibus alliciunt, rationes ob ocu-
F los ponunt, quibus aliquis ad nocendum proximo incitatur & adducitur.

Tertio loco ponuntur, qui cum furibus consentiunt, de quibus ait David Psal. XLIX. 18. *Si videbas furem, currebas cum eo*. Quo nomine intelliguntur omnes fautores, approbatores, suffragatores, à quorum consensu, approbatione, vel suffragio pendebat ut injusta actio fieret, vel non fieret. Sic damni dati causæ furtique rei sunt Senatores, quorum suffragio aliquis justâ causâ cadit.

Quarto loco numerantur, qui participes furtorum, inde lucrum ipsi etiam faciunt: de qui-

De furto & rapina.

bus Proverb. XXIV. 24. *Qui cum fure participat, odit animam suam: Adjurantem audit, & non indicat.* Quanquam non illi solùm furti participes sunt, qui cum furibus prædam dividunt, sed quicunque socii sunt furti, sive maleficii quo proximi rebus damnum infertur, illi nimirum qui simul furantur seu damnum inferunt, qui scalam admovent vel sustinent ascendente fure, qui excubias agunt dum alii furantur, qui instromenta soppeditant.

Quinto loco recensentur palpones, sive adulatores, illi nimirum quorum adulatio causa est damni illati, sive furti subsecuti.

Sexto loco, receptores qui *Recursùs* nomine in Disticho exprimuntur, qui scilicet securitatem vel refugium præbent furi, sive ipsum, sive res injustè ablatas recipiendo & celando. De quibus *Digestorum* Lib. XLVII. Tit. XVI. *De receptoribus.* L. 1. *Pessimum genus est receptatorum, sine quibus nemo latere diu potest. Et precipitur ut perinde puniantur atque latrones. In pari causa habendi sunt: quia cùm apprehendere latrones possent, pecuniâ acceptâ, vel subreptorum parte, dimiserant.*

Septimo loco, qui tacent, cùm consilio, adhortatione, præcepto, correptione prohibere & impedire teneantur & possint ne quis alteri damnum inferat, ut maritus uxorem, pater filios, domini servos, ne alteri noceant. Atque hoc in casu locum habet Regula Juris: *Qui tacet, consentire videtur.* In eodem gradu ponendi sunt qui furtis non occurrunt nec obsistunt, cùm justitiam tueri, latrocinia coërcere, latrones punire, vel eorum punitionem secundùm leges procurare teneantur ex officio, ut Principes, Toparchæ Jurisdictiones Toparchiis suis annexas habentes, & Magistratus.

Octavò, qui cùm & furtum factum, & ubi factum sit, certò sciant, non indicant crimen, aut ejus autorem, sed se scire dissimulant. Idque confirmatur ex cap. *Qui cum fure*, Extra, *De Furtis*, cujus hæc sunt verba: *Non fur solùm, sed ille reus tenetur, qui furti conscius, quærente possessore non indicat.*

REGULA XIV.

Rapinæ rei sunt, qui debitam operariis mercedem non persolvunt, aut eam dare in longum tempus differunt.

CRimen istud Deus in Scriptura sæpe detestatur, hominésque ab illo ut ab immani scelere & in cælum clamante avertit. Levitici XIX. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.* Deuteron. XXIV. *Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, sive advenæ qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est: sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.* Tobiæ IV. *Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarii apud te omnino non remaneat.* Malachiæ III. *Accedam ad vos in judicio, & ero testis velox maleficis, adulteris, & perjuris, & qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus Exercituum.* Et Jacobi V. *Agite nunc divites, plorate, ululantes in miseriis quæ advenient vobis.* Cujus Pœnitentiæ causam subjungit: *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat; & clamor eorum*

A *in aures Domini Sabaoth introivit. Epulati estis super terram, & in deliciis enutristis corda vestra.* Hinc S. *Ambrosius* Libro *De Tobia*, cap. ultimo: *Redde* (inquit) *mercenario mercedem suam, nec eum laboris sui mercede defraudes; quia & tu mercenarius Christi es, & te conduxit ad vineam suam, & tibi merces reposita est cœlestis. Non ergo lædas servum operantem in veritate, neque mercenarium dantem animam suam: non despicias inopem, qui vitam suam exercet labore manuum suarum. Hoc est enim interficere hominem, vita sua ei debita subsidia denegare. Et tu mercenarius es* B *in hac terra: da mercedem mercenario, ut tu possis dicere Domino cùm precaris: DA mercedem Domine sustinentibus te:* ut scriptum est Ecclesiastici XXXVI. 18.

REGULA XV.

Rapinæ rei sunt, qui, quæ Ecclesiæ Præsidibus & Principibus debentur vectigalia, tributa, decimas, & reliqua hujus generis non solvunt, vel intervertunt, & ad se transferunt.

C IIsdem verbis hanc Regulam tradit Concilii Tridentini Catechismus. Et quidem quod Decimas spectat, confirmatur ex Canone *Decimæ*, Causa XVI. Quæst. 1. *Decimæ* (inquit) *ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, res alienas invasit.* Multò magis rapinæ rei sunt Matricularii, seu Æditui, aliique bonorum temporalium Ecclesiæ Administratores, qui pecunias & obventiones, sive oblationes Fabricæ & ornamentis Templorum, divinique cultus & officii decori destinatas intervertunt, aut ad alios usus Ecclesiæ minimè necessarios vel utiles insumunt, D aut ipsi invadunt & usurpant. Quorum scelus Canone *In Legibus*, Causa XII. Quæst. II. damnatur: *Si quis* (inquit) *Ecclesiasticas Oblationes, & quod Deo consecratum est, rapuerit, vel consenserit facientibus, ut sacrilegus judicetur, & damnum in quadruplum restituat, & Canonicè pœniteat.* Et Canone *Qui abstulerit*, eâdem Causa & Quæstione: *Qui Christi pecunias & Ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida est.*

Vectigalia & tributa fraudare, vel intervertere, rapina est.

Quod verò spectat vectigalia & tributa, aliàque Principibus debita, cùm jubeat Christus *Reddi Cæsari quæ sunt Cæsaris:* cùm didrachma E solverit, ut hominibus hujus etiam erga Principes officii præberet exemplum: cùm Apostolus tributa & vectigalia deberi Principibus agnoscat, solvique præcipiat; Ad Romanos XIII. *Ideo* (inquit) *necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis: Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal:* evidens est rapinæ reos esse qui hæc non solvunt, & intervertunt, & ad suos usus transferunt; & lethale peccatum committere, (nisi F materiæ levitas excuset,) sive defraudatoribus pœna seu mulcta sit imposita, sive non. Lex enim de tributis & vectigalibus solvendis, non est merè pœnalis, sed verè propriéque præcipiens ut justum necessariúmque subsidium Principi aut Rebuspublicis debitum solvatur; quod naturalis juris est, quamvis materiæ, quantitatísque vectigalium, modíque illa exigendi determinatio sit ex Constitutionibus Principum. Adjectio autem pœnæ, sicut non tollit obligationem juris naturalis; ita non infert immunitatem à culpâ: immo quò gravior pœna est, eò major legis obligatio censenda est. Justa autem vectigalia ne-

Lex de tributis & vectigalibus solvendis, non est merè pœnalis.

cessariò solvenda sunt, sive petantur, sive non petantur: non enim ideo sunt debita quia exiguntur, sed potius ideo exiguntur, quia debita sunt. Justa autem dicimus vectigalia, quæ à Principe ob bonum publicum imponuntur. Leges enim & Edicta Principum examinare non debent subditi; sed parere tenentur: & in dubio, judicandum est in favorem Principis.

Leges Principum examinare non debent subditi, sed parere tenentur, nisi legi divinæ repugnent.

Hanc Regulam confirmat *S. Augustinus*, Epistola XCVI. alias CXXIV. ad *Olympium* Magistrum Officiorum. *Sancti Fratris* (inquit) *& Coëpiscopi mei Bonifacii petit onem tua rursus Caritati commendo, ne fortè nunc fieri possit, quod antè non potuit. Cùm enim posset sine ulla forsitan quæstione quod Præcessor ejus, quamvis sub alieno nomine, comparaverat, & sub Ecclesiæ nomine possidere jam cœperat, consequenter etiam ipse retinere, noluimus tamen, quoniam Fisci debitor fuit, hunc scrupulum habere in conscientia. Neque enim fraus ista, quoniam Fisco fiebat, ideo non fiebat. Et ille quidem Paulus, postquam Episcopus factus est, renuntiaturus suis omnibus rebus propter immensum cumulum fiscalium debitorum, exactâ quapiam cautione, in qua certum ei ponderis debebatur argenti, hos exiguos agellos unde victum sustentaret, tanquam Ecclesiæ comparavit, sub nomine tunc potentissimæ Domûs, ut etiam ex ipsis morem suum sequens cùm Fisco non solveret, nullas executorum molestias pateretur. Iste autem qui eidem Ecclesiæ illo defuncto est ordinatus, timuit hos agros suscipere: & cùm posset pro solis fiscalibus debitis, quæ de memoratis possessiunculis ille contraxerat, imperiale beneficium postulare, totum maluit confiteri, quòd eas Paulus de argento proprio, cùm esset Fisco obnoxius, de hastario emerat, ut eas Ecclesia, si fieri potest, non occultâ Episcopi iniquitate, sed manifestâ Christiani Imperatoris liberalitate possideat. Quod si fieri non potest, maluit inopia laborem servi Dei tolerant, quàm ut necessariorum facultatem cum conscientia fraudis obtineant.*

Ex his patet hanc Propositionem, *Subditi possunt justa tributa non solvere*, à Clero Gallicano anno 1700. meritò damnatam esse ut *seditiosam, Apostolicæ doctrinæ ac dictis Dominicis apertè contradicentem.*

REGULA XVI.

Rapinæ rei sunt fraudatores creditorum, & qui fraudulenter bonis & foro cedunt, aut subtrahunt aliquid & obscondunt è bonis suis, cùm à creditoribus ex Judicum Sententiâ injectâ manu sequestranda proximè sunt; aut cùm ipsi cessionem apud se decreverunt; aut qui solum vertentes, pecunias, aliáve bona mobilia, seu Contractus & nomina auferunt.

HÆc Regula ejusdem Catechismi verbis explicatur. *Fraudatores* (inquit) *creditorum, & inficiatores, quique sumpto temporis spatio ad solvendum, suâ, vel alienâ fide merces emunt, neque fidem liberant, damnabuntur eodem crimine rapinarum: quorum etiam delictum gravius est, quòd mercatores illorum destitutionis ac fraudationis occasione, magno detrimento civitatis vendant omnia cariùs: in quos illa Davidis Sententia videtur convenire:* MUTUABITUR PECCATOR, ET NON SOLVET.

Contra hujusmodi homines præclarè *S. Ambrosius* Lib. *De Tobia*, cap. XXI. *Quàm deforme est* (inquit) *ut pro beneficio ei qui se adjuvit, rependas molestiam! .... Debere, verecundum est; non reddere, inverecundum. Postulabis dilationem, cùm expertis conveniri in tempore præscripto solutionis, pro pecunia afferes tædia, causaberis de tempore, excusationes strues; & cum totum promiseris, ne in universum fraudare videaris, vix dimidium restitues. De amico inimicum facies, pro honore referes contumeliam, pro benedictione maledictum. Quàm hac opinionem lædant, considera: quàm ò viro bono discrepent, recognosce.*

Rapinæ etiam rei sunt, qui prodigalitate, luxuriâ, comessationibus, ludis, luxu, creditoribus suis decoquunt: & qui debita contrahunt, cùm sciant se non esse solvendo. Quos verò casus repentini, vis major, incursus latronum, naufragia, debitorum cessiones, ad bonorum cessionem impellunt, rapinæ rei non sunt, modò debita fateantur, & bona omnia usque ad quadrantem indicent, & indicata relinquant: nam *Subtrahens quidpiam ex bonis, similis est neganti.* Omnes verò qui fraude cedunt bonis, raptores judicantur, etiam secundùm Leges Civiles quæ à cessionis beneficio illos meritò excludunt; quia *Fraus & dolus nemini patrocinantur.* Hinc Regum Christianissimorum Constitutionibus, scilicet *Francisci I.* anno millesimo quingentesimo trigesimo-sexto, Articulo IV. *Caroli Noni*, anno millesimo quingentesimo sexagesimo, Articulo 143. *Henrici III.* anno millesimo quingentesimo septuagesimo-nono Articulo 250. pœnis corporalibus plectuntur, qui bonis cedunt in fraudem creditorum.

Cæterùm diligenter observandum est, eos qui cessionis beneficio à Legibus concesso absque fraude utuntur, non propterea debitis, & obligatione solvendi liberari, si ad pinguiorem fortunam pervenerint. L. *Qui bonis*, C. Tit. XXXI. *Qui bonis cedere possunt*, cujus hæc sunt verba: *Qui bonis cesserint, nisi solidum creditor receperit, non sunt liberati. In eo enim tantummodo hoc beneficium eis prodest, ne judicati detrahantur in carcerem.* Unde & *Gregorius IX.* Cap. *Odoardus* Extra, *De Solutionibus*, Clericum, qui debita solvere non valet propter rerum inopiam, excommunicari non debuisse significat, absolvique jubet ab Excommunicatione inconsultò in ipsum hanc ob causam latâ, *Receptâ priùs ab eo idonea cautione, ut si ad pinguiorem fortunam devenerit, debita prædicta persolvat.* Verùm cùm is qui cedit bonis nulla bona habeat, quæ pignori dare possit, & proinde neque fidejussores ulli ei ob inopiam apertam velint accedere, idonea cautio hîc intelligenda est ea quam præstare potest, ut caveat quantùm possit, videlicet juret & præstet cautionem juratoriam, se dissoluturum æs alienum, si ad pinguiorem fortunam venerit, ut explicat Glossa ejusdem Capitis. Bona itaque omnia post cessionem quæsita obnoxia sunt creditoribus, subducto tamen eo quod sustentationi debitoris necessarium est. Unde *Justinianus* Lib. IV. *Institutionum*, Tit. VI. *De Actionibus*, §. ultimo ait: *Cum eo qui creditoribus suis bonis cessit, si postea aliquid acquisierit quod idoneum emolumentum habeat, ex integro in id quod facere potest Judices experiuntur: inhumanum enim erat spoliatum fortunis suis in solidum damnari.*

Rapinæ pariter rei sunt, qui dolo impetrant à creditoribus remissionem partis debitorum, dicendo se non habere unde solvant integra, & partem se soluturos, si partem remittant; cùm tamen toti æri alieno dissolvendo satis sint. Vis enim infertur creditori, quia sponte aliud creditor esset facturus, nec remissurus. Unde in foro conscientiæ ad integri debiti solutionem tenen-

De Furto & rapina.

tur; immò & in foro civili cogi possunt ut solvant in solidum, exceptione pacti cum creditoribus initi non juvante, ut Jurisconsulti docent. Sic enim plecti hujusmodi hominum fraudem æquum est, ut *Boërius*, Decis. 115. & *Gregorius Tolosanus* in Syntagmate Juris Universi Lib. XXII. docent. At si creditores miserti debitorum, partem debiti accipiendo, reliquum sponte dimiserint, nec in foro civili, nec in foro conscientiæ debitores prædicti ad residuum solvendum tenentur, ut constat ex L. *Intra illum diem*, D. 31. Tit. XIV. *De Pactis*, cujus hæc sunt verba: *Intra illum diem debiti partem mihi si solveris, acceptum tibi residuum feram, & te liberabo; licet actionem non habet, pacti tamen acceptionem competere debitori constitit.*

REGULA XVII.

Rapinæ rei sunt non solum homines privati, sed etiam Principes & Dinastæ, qui contra jus aliquid auferunt à subditis, sive clientibus, aut etiam ab extraneis.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXVI. Articulo VIII. *Rapina* (inquit) *quamdam violentiam & coactionem importat, per quam contra justitiam alicui aufertur quod suum est. In societate autem hominum nullus habet coactionem nisi per publicam Potestatem: & ideo quicunque per violentiam aliquid alteri aufert, si sit privata persona, non utens publicâ Potestate, illicitè agit, & rapinam committit: sicut patet in latronibus*, sive prædonibus publicis & viarum obsessoribus. *Principibus verò potestas publica committitur ad hoc quòd sint justitiæ custodes. Et ideo non licet eis violentia & coactione uti, nisi secundùm justitiæ tenorem: & hoc, vel contra hostes pugnando; vel contra cives malefactores puniendo. Et quod per talem violentiam aufertur, non habet rationem rapinæ, cùm non sit contra justitiam. Si verò contra justitiam aliqui per publicam potestatem violenter abstulerint res aliorum, illicitè agunt, & rapinam committunt, & ad restitutionem tenentur.*

Et in Responsione ad tertiam Objectionem: *Si Principes* (inquit) *à subditis exigant quod eis secundùm justitiam debetur, propter bonum commune conservandum, etiamsi violentia adhibeatur, non est rapina. Si verò aliquid Principes indebitè extorqueant per violentiam, rapina est, sicut & latrocinium.* Unde *S. Augustinus* Lib. IV. *De Civitate Dei*, cap. IV. ait: *Remotâ justitiâ, quid sunt Regna, nisi magna latrocinia? Quia & latrocinia quid sunt nisi parva regna?* Et Ezechielis XXII. dicitur: *Principes ejus in medio ejus quasi lupi rapientes prædam.* Unde & *Ad restitutionem tenentur, sicut & latrones. Et tantò gravius peccant quàm latrones, quantò periculosiùs & communiùs contra publicam justitiam agunt, cujus custodes sunt positi.*

REGULA XVIII.

Præda ex hostibus parta in bello injusto, rapina est; non verò in bello justo.

ITa docet *S. Thomas*, ibidem in Responsione ad primum. *Si illi* (inquit) *qui deprædantur hostes, habeant bellum justum, ea quæ per violentiam in bello acquirunt, eorum efficiuntur, & hoc non habet rationem rapinæ: unde nec ad restitutionem tenentur. Quamvis possint in acceptione prædæ justum bellum habentes, peccare per cupiditatem ex prava intentione: si non propter justitiam, sed propter prædam principaliter pugnent.... Si verò illi qui prædam accipiunt, habent bellum injustum, rapinam committunt, & ad restitutionem tenentur.*

REGULA XIX.

Rapinæ rei sunt Milites, qui, in bello etiam justo, prædas agunt, domos incendunt, agros populantur absque jussu Principis sive Ducis.

ALioquin privatâ auctoritate bellum gererent, & hostiles actus exercerent. Multò magis rapinæ rei sunt Rustici, qui hæc attentant, cùm ipsi Militiæ non sint inscripti. Si tamen Rustici hostilium partium nostros Rusticos hostilem in modum persequantur & spolient, licitum videtur nostris, qui aliter satisfactionem obtinere non possunt excurrere in agros hostiles, eorúmque incolas spoliare, usque ad damnorum & injuriarum compensationem. Bello namque fervente, pars utraque consensum sui Principis habere præsumitur, ad sic repetendum sua, quæ aliter vendicari & recuperari non possunt. Quamobrem Jus Repræsaliarum introductum est, quæ tunc solùm justæ ac licitæ sunt, cùm auctoritate Principis ob causam justam, rectaque intentione exercentur, ut colligitur ex Canone *Dominus*, Causa XXIII. Quæst. II. Causa autem justa est, *Cùm gens aut civitas vindicare neglexerit quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per injuriam ablatum est;* ut loquitur *S. Augustinus* bellum justum definiens, Quæstione X. in *Josue*. Sed & aliæ conditiones concurrant necesse est ad Repræsaliarum justitiam, ut scilicet in personas innocentum non sæviatur, quia æquitati naturali contrarium est alium pro alio in persona prægravari. Deinde, ne ad Clericos & personas quascunque Ecclesiasticas, vel eorum bona extendantur. Id enim sub pœna Excommunicationis prohibetur cap. *Et si pignorationis*, Tit. *De Injuriis & Damno dato*, in Sexto: quod *Gregorii X.* Decretum est in Concilio Generali Lugdunensi. Repræsalias duntaxat his conditionibus destitutas prohibet Authentica, *Ut non fiant*, Collatione V. illas duntaxat improbat Gregorius X. *Tanquam graves legibus, & æquitati naturali contrarias, Civilique Constitutione prohibitas.*

A Rapinæ verò labe immunes sunt Milites, qui in bello justo, Principis aut Ducis mandato spoliant & innocentes hostilis Reipublicæ eis rebus, quibus hostes uterentur adversùs eos qui justum bellum gerunt, verbi gratiâ, armis, navibus, equis, eorúmque pabulo, commeatu; & ideo pagos, oppida, domos incendunt, agros populantur.

REGULA XX.

Rapinæ rei sunt Milites, qui Rusticos aut Cives apud quos diversantur, sive in itinere sive in hyemalibus Stationibus, aut Præsidiis, hostilem in modum vexant, spoliant, pecuniásve aut alia ab ipsis auferunt vel extorquent, præter id quod ipsis constitutum est.

PEr vim enim auferunt vel exigunt quod ipsis indebitum est, violántque Divinum Præceptum à S. Joanne Baptista Militibus signifi-

De Furto & rapina.

catum, (ut refertur Lucæ III.) *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendiis vestris.* Ejusdem peccati rei sunt Duces, qui hæc dissimulant, & ad Restitutionem etiam tenentur.

Regula XXI.

Legionum Cohortiúmque Duces Rapinæ Rei sunt, cùm Milites, Rusticos, Cives, Principem aut Rempublicam defraudant.

RApinæ (inquam) rei sunt, qui stipendia Militibus non solvunt, & restitutioni omnium damnorum inde consequentium sunt obnoxii, sive Militibus ipsis, sive Rusticis aut Civibus, qui à milite stipendiis defraudato spoliantur & opprimuntur. Rapinæ rei sunt & illi, qui completas legiones vel cohortes non habent, & tamen pro numero militum quo constare debent, stipendia exigunt. Hi non solùm restituere tenentur stipendia quæ injustè acceperunt, sed & damna Principi & Reipublicæ ex imminutione legionum vel cohortium provenientia resarcire. Rapinæ itaque reos esse minimè dubium est, qui dum legiones recensentur, aliquos ad supplendum numerum in habitu militari exhibent, qui reverà non sunt conscripti. Rapinæ etiam rei sunt, nec à restitutionis onere immunes, qui à certis pagis vel oppidis pecunias accipiunt, ut milites mittant vel ducant in alia loca hospitii gratiâ. Duces enim militum ea solùm victualia percipere possunt, quæ ex consuetudine, vel Mandato Principis sive Ministrorum ejus indicuntur, idque in eo tantùm loco ubi excipiuntur hospitio: nec jus habent aliquid exigendi ab iis, apud quos non diversantur: nec unum oppidum vel pagum præ aliis gravare ipsis licet; sed habere debent rationem itineris sibi præscripti, & in locis designatis diversari.

Regula XXII.

Rapinæ rei sunt, quicunque res Naufragorum diripiunt.

ILlos Anathemate percellit Concilium Romanum sub *Gregorio VII.* anno Pontificatus illius v. Eos *Ut raptores, & fratrum necatores* ab Ecclesiæ liminibus excludit *Paschalis II.* Eamdem in illos pœnam statuit Concilium Lateranense III. *sub Alexandro III.* cap. XXIV. *Illi* (inquit) *qui Christianos naufragium facientes, quibus secundùm Regulam fidei auxilio esse tenentur, damnanda cupiditate, rebus suis spoliare præsumunt, nisi ablata reddiderint, Excommunicationi se noverint subjacere.* Refertur cap. *Excommunicationi*, Extra, *De Raptoribus.* Concilium Nannetense anno MCXXVII. ab *Hildeberto* Turonensi Archiepiscopo congregatum, Britanniæ Comitem pravam consuetudinem abrogare, seu dimittere, ac rescindere compulit, quâ naufragorum bona, etiam in Portu inventa usurpabat: Conciliique Decretum confirmavit *Honorius Secundus* Pontifex Maximus, Epistolâ ad Episcopos Provinciæ Turonensis datâ: *Pravas illas consuetudines,* (inquit) *à Comite Britanniæ Clarissimo in manu præfati Archiepiscopi refutatas, quarum una fuit quod maritis vel uxoribus decedentibus, bona eorum mobilia à Potestate seculari diripiebantur, altera quâ illis qui naufragium evaserant, etiam quæ in Portu*

A *postmodum inventa erant auferebantur, damnamus, & ne quis eas futuris temporibus renovare præsumat, Autoritate Apostolica interdicimus. In quantum enim censemus esse, ut quem Divina Clementia magnitudo à sævientis Pelagi voracitate eruit, hominum sæva rapacitas audeat spoliare. Piorum namque Imperatorum emanavit Autoritas, ut etiam earum rerum, quæ in tempestate Maris, levandæ navis causâ ejiciuntur, non amittatur dominium. Non enim eas aliquis eo animo abjicit, quòd habere nolit, sed quò periculum effugere possit. Et qui res*
B *ipsas lucrandi animo abstulerit, furtum committit.*

Concilii istius Decretum renovavit Concilium Turonense, anno millesimo quingentesimo octogesimo-tertio celebratum: *Si ventorum vi* (inquit) *vel tempestate agitata navis, variis onusta mercibus, scopulis illisa, naufragio frangatur, ex Concilio Nannetis pridem, sedente Honoria Secundo, habito: naufragii reliquias, neminem sive Nobilem, sive alium, multò minùs Ecclesiasticum, præter Naufragum, tutâ conscientiâ sibi arrogare posse declaramus. Adversatur enim non modò Christianæ Pietati, sed etiam Legi Naturæ & Civili,*
C *cum aliena jactura locupletari.*

Constitutio *Friderici II.* Imperatoris, §. *Navigia*, Tit. *De Statutis & Consuetudinibus*, Collat. XI. in *Authenticis*, & L. *Navigia*, C. Libro VI. Tit. *De furtis & servo corrupto*, statuit, Navigantium bona, quæ navi vel ruptâ fluctibus, vel expugnatâ, in portum vel alias ripas pervenerint, integra dominis reservari, sublatâ penitus omnium locorum contrariâ consuetudine: nisi navigia illa pyraticam exercerent pravitatem, vel inimica Christiano essent Nomini. Atque transgressores sanxit bonorum publicatione mulctari, aliàque pœnâ extraordinaria puniri. Et L.
D *Si quando*, C. Lib. XI. Tit, V. *De Naufragiis*, Imperator prohibet Fisco ne in aliena calamitate de re tam luctuosa compendium sectetur, & res dominis restitui jubet.

ARTICULUS VI.

Regulæ Morales, de Restitutione, cujus lege tenentur fures, Raptores, Usurarii.

E

Regula I.

Fures, Raptores, Usurarii, Restitutionis lege ita tenentur, ut sacramentaliter absolvi, & salutem consequi non possint, nisi restituant quod injustè abstulerunt & acceperunt; si tamen restituere possint.

HAnc Regulam, quam docet ipsa naturæ lex, confirmat *S. Augustinus*, Epistola CLIII. alias LIV. ad *Macedonium* data. *Pessimum,* (inquit) *hominum genus commemorat, cui pœnitendi medicina omnino non prodest. Si enim res aliena, propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non*
F *redditur, non agitur Pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum; sed, ut dixi, cùm restitui potest. Plerumque enim qui aufert, amittit, sive alias patiendo malos, sive ipse malè vivendo, nec aliud habet unde restituat. Huic certè non possumus dicere, Redde quod abstulisti, nisi cùm eum habere credimus, & negare.* Et infra: *Illud verò fidentissimè dixerim, Eum qui pro homine ad hoc intervenit, ne malè ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantùm honestè potest, ad restituendum non compellit, socium esse*

DE DECALOGO.

De Restitutione.

esse fraudis & criminis. Nam misericordiùs opem nostram talibus subtrahimus, quàm impendimus. Non enim opem fert qui ad peccandum adjuvat, ac non potiùs subvertit atque opprimit?... Agimus quantùm Episcopalis facultas datur, & humanum quidem nonnunquam, sed maximè ac semper divinum judicium comminantes. Nolentes autem reddere, quos novimus & malè abstulisse, & unde reddant habere, arguimus, increpamus, & detestamur, quosdam clam, quosdam palam, sicut diversitas personarum diversam videtur posse recipere medicinam, nec in aliorum perniciem ad majorem insaniam concitari. Aliquando etiam, si res magis curanda non impedit, Sancti Altaris Communione privamus.

Et infrà: *Quid dicam de Usuris, quas etiam ipsæ Leges & Judices reddi jubent? An crudelior est, qui subtrahit aliquid vel eripit diviti, quàm qui trucidat pauperem fœnore? Hoc atque hujusmodi malè utique possidentur, & vellem restituerentur; sed non est quo Judice repetantur.* Hinc Regula Juris in Sexto, IV. *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.* Quod & divino priùs Jure sancitum est Ezechielis XXXIII. ubi de impio dicitur, *Vitâ vivet, si egerit Pœnitentiam, & pignus restituerit, rapinámque reddiderit.* Idem confirmatur ex Cap. *Super eo*, Tit. *De Raptoribus*, quod *Eugenii* III. Responsum est, quo raptori cuicumque *Pœnitentiæ beneficium, penitus denegari* jubet, *nisi priùs ablata restituat, si poterit, vel emendandi firmam & plenam securitatem fecerit.* Et Cap. *Quamquam*, Tit. *De Usuris*, in Sexto, quod *Gregorii X.* in Concilio Lugdunensi decretum est: *Nullus*, inquit, *manifestorum Usurariorum testamentis intersit; aut eos ad Confessionem admittat, sive ipsos absolvat, nisi de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum, præstent idoneam cautionem.* Quin & ipsa naturæ lex fures, raptores, usurarios, omnes qui damnum aliquod proximo intulerunt, ad restitutionem obligat, ut diximus, cùm justitiam conservare jubeat. *Restitutio enim est actus justitiæ commutativæ, quæ in quadam æqualitate consistit: & ideo restituere importat redditionem illius rei quæ injustè ablata est. Sic enim per iteratam ejus exhibitionem æqualitas reparatur. Si verò injustè ablatum sit, æqualitas erit: & ideo non necessarium erit ut ei restituatur, quia justitia in æqualitate consistit. Cùm ergo conservare justitiam sit de necessitate salutis; consequens est quòd restituere id quod injustè ablatum est alicui, sit de necessitate salutis.* (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXII. Articulo II.) Rei autem injustè ablatæ nomine, non solùm res ipsa, sive pretium ejus, si fortè vendita fuisset, sed & fructus ex illa percepti intelligi debent, totumque lucrum quò ratione illius factus est ditior, qui illam injustè accepit vel detinuit: necnon damna omnia emergentia, & lucra intercepta ratione injustæ acceptionis, vel detentionis.

REGULA II.

Fur, Raptor, Usurarius, & quicumque alteri damnum intulit in rebus ejus, id tantùm restituere tenetur quod accepit, vel ejus æquivalens: plus restituere non tenetur ante Sententiam Judicis.

Reparatur enim æqualitas, cùm tantumdem restituitur proximo, quantum ipsi ablatum est. Quòd verò insuper imponit decernitque Judex, rationem habet mulctæ ac pœnæ. Et ideo fur, raptor, usurarius, *Antequam sit condemnatus per Judicem, non tenetur restituire plus quàm recepit: sed postquam condemnatus est, tenetur pœnam solvere;* (inquit *S. Thomas* Articulo III. Quæstionis modò indicatæ.) Verbi gratiâ, si Princeps aut Magistratus sub pœna decem aureorum prohibuerit, ne frumentum pluris vendatur quàm sex nummis, is qui justum pretium fuerit supergressus, id statim restituere tenetur, quod ultra pretium constitutum accepit, alioquin absolvi non debet: decem verò aureos mulctæ nomine impositos solvere antè non tenetur, quàm fuerit ad illorum solutionem à Judice condemnatus.

REGULA III.

Quicumque injustè rem alienam accepit, quam actu habebat, ad æquale restituendum tenetur. Si verò damnum intulit impediendo consecutionem ejus quod in spe erat & potentiâ, sive quod probabiliter alius erat acquisiturus & possessurus, tenetur ad compensationem pro ratione lucri intercepti faciendam, spectatis rerum & personarum circumstantiis, ad arbitrium peritorum proborúmque virorum.

Hanc Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXII. Articulo IV. *Homo*, inquit, *tenetur ad restitutionem ejus in quo aliquem damnificavit. Sed aliquis damnificatur dupliciter. Uno modo, quia aufertur ei id quod actu habebat: & tale damnum est semper restituendum secundùm recompensationem æqualem; puta, si aliquis damnificet aliquem diruens domum ejus, tenetur ad tantùm quantùm valet domus. Alio modo, si damnificet aliquem impediendo ne adipiscatur quod erat in via habendi: & tale damnum non oportet compensare ex æquo, quia minùs est habere aliquid in virtute, quàm habere actu: qui autem est in via adipiscendi aliquid, habet illud solùm secundùm virtutem vel potestatem: & ideo si redderetur ei ut haberet hoc in actu, restitueretur ei quod est ablatum, non simplum, sed multiplicatum; quod non est de necessitate restitutionis. Tenetur tamen aliquam recompensationem facere secundùm conditionem personarum & negotiorum.* Quanta igitur erat spes rem illam consequendi, quanta propinquitas potentiæ seu dispositio causarum, ex quibus utilitas vel lucrum probabiliter sperabatur, tantum restituendum est, habitâ tamen ratione periculorum, quibus ejus consecutio verisimiliter poterat impediri, æstimatis etiam & deductis expensis, quæ faciendæ fuissent, ut bonum quod in spe tantum erat, reipsa haberetur & possideretur. Unde venatores, & alii qui segetes conculcant, aliove modo perdunt, non debent quidem tantùm restituere quanti valerent messis tempore, vel cùm in horreum collectæ sunt, nec tamen solùm quanti secundùm se valent gramina frugésque immaturæ, quando conculcantur; sed quanti æstimantur omnibus circumstantiis spectatis, ac deductis expensis ad messem necessariis. Pari ratione, restituendum lucrum est, quod fecisset aliquis ex locatione rei furto sublatæ. Et si fur pecuniam diripuerit negotiationi expositam vel destinatam, vel etiam ad censum dandam, aut ad emptionem fundi alicujus fructuosi; non tantùm restituere tenetur pecuniam, quam abstulit, sed etiam lucrum omne quod intercepit. Denique omnis malæ fidei possessor tenetur restituere non modò rem alienam, quam habet, sed & fructus illius omnes, integrósque, quos vel percepit ipse, vel quos dominus percepisset, si rem suam habuisset, deductis tamen

De Restitutione.

expensis necessariis: Fructus (inquam) rei, non fructus industriæ. Unde si quis domum vel agrum usurpet, non solùm res ipsas, sed & earum fructus restituere tenetur domino. Res enim quælibet fructuosa domino suo fructum parit. Si quis verò pecuniam furto sublatam in negotiationem exponat, ex eáque multum lucretur, caput quidem ipsum seu pecuniam furto sublatam restituere tenetur, non tamen quæstum ex ea factum, qui fructus est industriæ suæ. Debet autem restituere fructus rei non solùm à se perceptos, sed quos dominus percepisset, si rem suam habuisset, ut respondet *Celestinus III.* Cap. *Gravis*, Extra, *De Restitutione spoliatorum*, cujus B hæc sunt verba: *Mandamus quatenus prædictum Archidiaconum, oblata prænominati Monasterii Fratribus cum integritate restituere, damna plenariè resarcire, & de illatis injuriis competenter satisfacere compellatis, provisuri ut non tantùm fructus à novo & violento possessore perceptos, sed quos (si eis possidere fuisset licitum) possessores veteres percepissent, reddi faciatis eisdem.*

REGULA IV.

Qui damnum intulit alteri absque omni prorsus culpa, ad Restitutionem non tenetur.

CUlpæ nomen inpræsentiarum usurpamus, non solùm prout veri nominis peccatum significat, quomodo à Theologis accipitur, sed prout usurpatur à Jurisperitis, quatenus omissio est alicujus diligentiæ, sive per ignorantiam, sive per incuriam, aut inconsiderationem. Culpam sic acceptam dividunt in latam, levem, & levissimam. *Lata* est omissio diligentiæ, vel considerationis, quam homines ejusdem conditionis adhibere solent in simili negotio: ut negligentia D ejus, qui vas aureum, aut quidpiam aliud sibi commodatum foris in loco publico reliquit. *Levis culpa*, est omissio diligentiæ, quam homines ejusdem conditionis diligentiores in similibus negotiis adhibere solent: qualis est ejus qui craterem aureum aut librum in suo quidem cubiculo reliquit, sed ostio aperto. *Culpa levissima*, est omissio diligentiæ quam adhibere solent homines diligentissimi, qualis est ejus, qui monile aliquod pretiosum sibi commodatum, aut pecuniam apud se depositam in cubiculo vel arca posuit, reclusitque, sed manu non tentavit an cubiculum & arca bene E clausa essent.

His prænotatis, Regula nostra firmatur Cap. *Si culpa*, Extra, *De injuriis & damno dato*, quod *Gregorii Noni* Responsum est. *Si culpâ tuâ* (inquit) *datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem fortè tulisti, aut hæc imperitiâ tuâ vel negligentiâ evenerunt, jure super his satisfacere te oportet: nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam.* Et infrà: *Sanè licèt qui occasionem damni dat, damnum videatur dedisse: secus est tamen in illo dicendum, qui ut non accideret,* F *de contingentibus nihil omisit.* Si quis ergo dederit occasionem incendio, furto, homicidio, nihil tamen ut non contingeret, de contingentibus omiserit, quæ a viris prudentibus observari & caveri solent, ad restitutionem non tenetur; secus si negligentiæ & inconsiderationis reus sit. Unde Exodi xxii. 6. dicitur: *Si egressus ignis invenerit spinas, & comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit.*

Præterea, nemo ad restitutionem tenetur, nisi ratione rei alienæ quam apud se habet, injustéque detinet, vel ratione injustæ acceptionis, & injuriosæ actionis, ut docet *S. Thomas* Secunda Secundæ, Quæstione LXII. Articulo sexto. Qui autem damnum dedit absque omni prorsus culpa, nec rem alienam detinet, nec injustè accepit, nec in suam utilitatem convertit, nec injuriosam aliquam actionem commisit. Itaque Restitutionis lege non tenetur. Si verò non cavit prout debebat, & prout diligentiores quique cavere solent, ne damnum accideret, omisitque aliquid de contingentibus, damnum datum resarcire tenetur. Qui ergo ex culpa latâ, immo & levi damnum alteri intulit, Restitutionis lege tenetur.

De Restitutione.

REGULA V.

Ratione contractûs qui fit in solius accipientis utilitatem, lege Restitutionis ipse tenetur ex culpâ etiam levissimâ.

SIc qui commodatum accepit, si res sibi commodata pereat suâ culpa, & negligentia, tametsi levi, illam restituere tenetur commodanti. C Postulat enim æquitas, ut in custodia rei alienæ, cujus usum ad certum tempus gratis accepimus, diligentiam adhibeamus maximam ne domino pereat, & quanta in rerum propriarum custodia solet à viris prudentissimis & diligentissimis adhiberi.

REGULA VI.

Ratione contractûs qui fit in solam accipientis utilitatem, verbi gratiâ commodati, obligatio restituendi ex casu fortuito non oritur, nisi culpâ ipsius contigerit, vel intervenerit pactum, vel in mora fuerit.

CUm enim unaquæque res domino suo pereat, si nulla culpa ejus cui tradita est intercesserit, nulla pactio præcesserit, & res commodata maneat in dominio commodantis, ipsi, non verò commodatario perit, si casu fortuito pereat. Lege tamen restitutionis tenetur commodatarius, si quæ illius culpa præcessit, tametsi fortuitò res commodata perierit. Si quis, verbi E gratiâ, equum commodatò acceperit Lugdunum usque, & cum eo longiùs profectus sit, ubi à latronibus comprehensus & abductus est: vel si craterem aureum commodatò acceperit, quo domi uteretur, & foras extulit, ubi furto sublatus est, restituere debet. Rebus enim commodatis uti aliter non licet quàm dominus concesserit. Tenetur etiam commodatarius restitutionis lege ex casibus fortuitis, si pactum intercesserit ut si res commodata fortuito casu periret, ipsi commodatario periret, damnúmque compensare teneretur commodanti. Cùm denique mora præ- F cessit, interimque res commodata perit, vel deterior facta est, quod verisimiliter non contigisset, nisi commodatarius in mora fuisset: Verbi gratiâ, si librum commodatò acceperit ad mensem, retinuerit autem diutiùs, & interea furto sublatus fuerit, vel incendio perierit, tenetur ille ad restitutionem.

Hanc & superiorem Regulam confirmat *Gregorius IX.* Cap. *Cum gratiâ*, Extra, *De Commodato*, cujus hæc sunt verba: *Cum gratiâ sui tantùm quis commodatum accepit, de levissima etiam*

culpâ

De Restitutione.

culpâ tenetur : licèt casus fortuitus, nisi acciderit culpâ suâ, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset, sibi non debeat imputari.

Est autem *Commodatum, rei alicujus ad certum usum gratuitò facta concessio.* Dicitur concessio, non translatio, quia is qui commodat, rei commodatæ dominium ac possessionem retinet. Et dicitur commodatum, quasi utentis commodo datum. Additur, *gratuitò*, quia si interveniat merces, in locationem degenerat, vel in contractum innominatum, Do ut des, facio ut facias. Dicitur ad certum usum, quò differt à precario, quod sine præfinitione certi usûs conceditur, & propterea revocari potest, quotiescumque concedenti libuerit. Non ita commodatum, ut constat ex Cap. *Cùm gratia*, mox citato: *Contra eum quoque* (inquit) *rectè commodati non agitur, nisi post usum expletum, cujus gratiâ res fuerat commodata : cùm non decipi beneficio nos oporteat, sed juvari.*

REGULA VII.

In Contractu qui fit in solius dantis utilitatem, quale est Depositum, accipiens Restitutionis lege tenetur, si ejus dolo vel latâ culpâ res pereat; non aliter.

CUm enim nulla ipsi gratia fiat, nullúmque commodum inde percipiat, non postulat æquitas ut majorem isti rei custodiendæ diligentiam adhibeat, quam homines suis propriis rebus servandis vulgò adhibere solent. Quamobrem si res accepta pereat ejus dolo, vel culpâ latâ, restituere illam tenetur; non autem si pereat absque ipsius culpâ, vel culpâ dumtaxat levi aut levissimâ. Hinc *Justinianus* Libro III. *Institutionum*, Tit. XV. §. 3. *Is*, inquit, *apud quem res aliqua deponitur, re obligatur, tenetúrque actione depositi : quia & ipse de ea re quam accepit, restituenda tenetur. Sed is ex eo solo tenetur, si quid dolo commiserit : culpæ autem nomine, id est, desidia vel negligentia non tenetur. Itaque securus est, qui parum diligenter custoditam rem furto amiserit : quia qui negligenti amico rem custodiendam tradit, non ei, sed suæ facilitati id imputare debet.* Doli nomine culpa lata etiam intelligitur, quæ dolo proxima est; desidiæ negligentiæque nomine, culpa levis, ut constat ex L. *Mulier* 22. Digestorum Libro XXVI. Tit. I. *Ad Senatusconsultum Trebellianum* §. 3. Depositarius tamen qui se ipsum obtulit, restitutionis lege tenetur etiam ex culpa levi, si res deposita pereat, quia causa fuit cur dominus apud diligentiorem non deposuerit. Idem esto judicium de illo qui mercedem pro custodia recepit. Doli autem reus esse præsumitur, qui rebus suis salvis, res apud se depositas amittit: denique Restitutionis lege tenetur depositarius, si pacto, culpâ gravi, vel morâ præcedentibus res deposita pereat. Ista constant ex Cap. *Bona fides*. Extra *De Deposito*, quod est *Gregorii Noni* Responsum. *Bona fides*, inquit, *abesse præsumitur, si rebus tuis salvis existentibus, depositas amisisti. De culpa quoque teneris, si te ipsum deposito obtulisti : vel si aliquid pro custodia recepisses. Pacto verò, culpâ, vel morâ præcedentibus, casus etiam fortuitus imputatur.*

Hanc Regulam confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXII. Articulo VI. *Tertio modo* (inquit) *aliquis accipit rem alterius absque injuriâ, non pro sua utilitate, sicut patet in depositis : & ideo ille qui sic accipit, in nullo tenetur ratione acceptionis, quin imò accipiendo impendit obsequium; tenetur autem ratione rei : & propter hoc si ei subtrahatur res absque sua culpa, non tenetur ad restitutionem : secus autem esset, si cum magnâ suâ culpa rem depositam amitteret.*

REGULA VIII.

In contractu qui fit ad utilitatem utriusque partis, quale est locatum, utraque tenetur ad Restitutionem ex culpa lata & levi, non tamen ex levissima, neque ex fortuitis casibus.

CUm enim in locatarii utilitatem res locata concedatur, æquitatis ratio postulat ut diligentem illius curam habeat, non tamen necesse est ut diligentissimam, quia non ob solam illius utilitatem, sed etiam ob domini commodum conceditur. Eadem ratio est de pignore, de quo *Justinianus* Libro III. *Institutionum*, Tit. XV. §. 4. ait : *Creditor qui pignus accepit, re obligatur : quia & ipse de ea re quam accepit, restituenda tenetur actione pignoratitia. Sed quia pignus utriusque gratiâ datur, & debitoris, quo magis pecunia ei credatur; & creditoris, quo magis ei in tuto sit creditum : placuit sufficere si ad eam custodiendam exactam diligentiam adhibeat : quam si præstiterit, & aliquo fortuito casu rem amiserit, securum esse, nec impediri creditum petere.* De contractu venditionis & emptionis idem esto judicium, cùm in gratiam & commodum utriusque contrahentium celebretur. Si post mutuam conventionem res pereat vel deterior fiat penes venditorem, sine ipsius culpa, damnum ad emptorem pertinet, secundùm Leges, Tit. *De contrahenda Emptione*, in Digestis & in Codice, & Tit. *De periculis & commodo rei venditæ.* Celebrato enim venditionis contractu, res vendita jam est emptoris : nisi venditio conditionalis sit, nondúmque sit impleta conditio : res autem unaquæque domino suo perit, nisi pereat ejus culpâ qui illam custodire tenetur, vel aliter pactis conventis firmatum sit.

REGULA IX.

Qui ad rem fragilem admodum transvehendam operas suas locat, ad damnum resarciendum tenetur ex culpa etiam levissimâ.

ID colligitur ex Lege, *Si merces*, Libro XIX. *Digestorum*, Tit. II. *Locati conducti*, §. 7. cujus hæc sunt verba : *Qui columnam transportandam conduxit, si ea dum tollitur, aut portatur, aut reponitur, fracta sit, ita id periculum præstat, si qua ipsius eorúmque quorum operâ uteretur, culpâ acciderit : culpa autem abest, si omnia facta sunt quæ diligentissimus quisque observaturus fuisset. Idem scilicet intelligemus, & si dolia vel tignum transportandum aliquis conduxerit. Idemque etiam ad ceteras res transferri potest.*

REGULA X.

In quasi Contractu seu negotiorum alienorum gestione, tenetur quis ad Restitutionem ex dolo dumtaxat aut culpâ latâ, nisi se obtulerit, cùm alter diligentior adhibendus esset vel quærendus: si enim alius diligentior negotia illa administraturus esset, ipséque se ingesserit, Restitutionis lege tenetur etiam ex culpa levi.

De Restitutione.

HÆc Regula Legibus nititor, scilicet L. *Ait prætor*, Libro III. Digestorum, Tit. *De Negotiis gestis*, §. nooo: *Interdum* (inqoit) *in negotiorum gestorum actione Labeo scribit dolum solummodò versari. Nam si affectione coactus, ne bona mea distrahantur, negotiis te meis obtuleris: æquissimum esse dolum dumtaxat te præstare. Quæ sententia habet æquitatem.*

Et L. *Tutori*, C. eodem Tit. *Tutori vel curatori similis non habetur, qui citra Mandatum negotium alienum sponte gerit: quippe superioribus quidem necessitas muneris administrationis finem: huic autem propria voluntas facit. Secundùm quæ superbit quidem quia nec tutor nec curator constitutus ultro quis administravit, cùm non tantùm dolum & latam culpam, sed & levem præstare necesse habeat, à te conveniri potest, & ea quæ tibi ab eo deberi patuerit, cum usuris compelletur reddere.* Item L. *In re mandata*, Lib. IV. *Cod.* Tit. *Mandati vel contra*, dicitor: *Aliena negotia exacto officio geruntur: nec quidquam in eorum administratione neglectum ac declinatum culpâ vacuum est.*

Et Libro III. *Institutionum*, Tit. XXVIII. *De obligationibus quæ quasi ex contractu nascuntur*, §. primo, *Justinianus* ait, ita nasci istas actiones. *Si sine Mandato quisque alienis negotiis gerendis se obtulerit. Ex qua causa ii, quorum negotia gesta fuerint, etiam ignorantes obligantur. Idque utilitatis causâ receptum est: ne absentium, qui subitâ festinatione coacti, nulli demandatâ negotiorum suorum administratione peregrè profecti essent, desererentur negotia; quæ sanè nemo curaturus esset, si de eo quod quis impendisset, nullam habiturus esset actionem. Sicut autem is qui utiliter gessit negotia, dominum habet obligatum negotiorum gestorum: ita & contra ille quoque tenetur, ut administrationis reddat rationem. Quo casu ad exactissimam quisque diligentiam compellitur reddere rationem: nec sufficit talem diligentiam adhibere, qualem suis rebus adhibere solet: si modò alius diligentior eo commodiùs administraturus esset negotia.*

REGULA XI.

Qui aliena gerit negotia, ad Restitutionem aliquando tenetur ob casus fortuitos, si absque Mandato illa gesserit.

SEx casus Jorisperiti recensent, in qoibos ad Restitotionem hujusmodi negotiorum Procorator tenetur, ot habet Glossa Legis, *Si negotia*, in *Digestis*, Tit. *De Negotiis gestis*, ad verbum, *Si solitus*. Nota (inquit) sex casus, in quibus gestor negotiorum tenetur de casu. Primò, *si gessit negotia pupilli*, ut L. *Pupilli*, eodem Tit. in principio. Secundò, *si accessit animo deprædandi*, eadem 6. *Sed & si quis*. Tertio, *si ad nova negotia*, eadem Lege, *Si negotia*. Quartò, *si casum in se specialiter recipit*, ut L. *Negotium* C. *De negotiis gestis*. Quintò, *si culpa præcesserit casum*, L. *Sive*, eodem Tit. Sextò, *si fuit in mora*, L. *Cum res*, D. Tit. *De legatis*.

REGULA XII.

Ratione tutelæ, dotis dationis, & societatis sive communionis rerum, tenetur aliquis ad Restitutionem ex culpa lata, & levi, nisi aliter conventum sit.

HÆc Regula colligitor ex Lege *Contractus*, Tit. D. *De Regulis Juris*, cujus hæc sunt verba: *Dotis datio, tutela, negotia gesta, societas & rerum communio, & dolum & culpam recipit: sed hæc ita, nisi si quid nominatim convenit, vel plus vel minius in singulis contractibus: nam hoc servabitur, quod initio convenit, legem enim contractus dedit.* De Restitutione.

REGULA XIII.

Judices qui iniquam Sententiam, sive dolo, sive ex imprudentia, aut ignorantiâ tulerunt, ad resarcienda damna omnia inde consequentia parti læsæ tenentur.

HAnc Regulam non aliis quàm *S. Raymundi* verbis explicabo, Lib. II. Tit. *De Præscriptionibus*, §. 35. *Judices*, inquit, *ferunt aliquando iniquam Sententiam dolo malo, aliquando per imprudentiam: in primo casu, sive timore, sive cupiditate, sive odio, sive amore, sive aliâ aliquâ causâ iniquam tulerint Sententiam, tenentur præcisè ad omne interesse illi, qui ex tali Sententia læsus est, nisi fortè possent inducere illum, pro quo tulerunt Sententiam, ad plenariam restitutionem faciendam ei, qui fuit læsus.* C. De Pœna Judicis qui malè judicavit, L. oltimâ, Causa XI. Quæstione III. Canone Qoarto. *Debet etiam præter restitutionem imponi Pœnitentia tanquam pro gravissimo crimine. In secundo casu, scilicet cùm per imprudentiam, tenetur secundùm Leges læso, in quantum bonum & æquum videbitur religioni judicantis.* ff. De extraord. Cogn. L. oltimâ. *In Judicio tamen Animæ, credo idem quod in primo casu, scilicet quod tenetur ad restitutionem: in culpa enim fuit, cùm scivit vel scire debuit se insufficientem, & tamen judicare talem causam præsumpsit. Et idem, si erat sufficiens quoad scientiam, si voluisset libros revolvere, & studere: sed quia fuit negligens, & noluit studere, quem debuit condemnare, absolvit, & è converso. Mitiùs tamen est agendum cum isto, quàm cum illo, qui dolo fecit.*

REGULA XIV.

Judex qui Pecuniam accepit ut Sententiam qualemcumque ferret, Restitutionis lege tenetur.

ITa docet ibidem *S. Raymundus*, §. 26. *Quid si* (inqoit) *Judex accepit pecuniam ut ferret sententiam? Distinguo: aut recepit pecuniam ut judicaret iniquè, aut ut judicaret bene, aut simpliciter ut judicaret. In primo casu, si tulit sententiam iniquè, tenetur, ut dictum est supra, in illo, qui dolo malo: sed pecuniam malè acceptam, sive tulerit sententiam iniquam, sive justam, sive nullam, tenetur indistinctè restituere; non ei qui dedit, cùm turpiter dederit, sed ei in cujus injuriam recepit... In aliis duobus casibus similiter tenetur restituere, quia cùm ex officio suo teneretur judicare, & benè & gratis, turpiter accepit, & crimen concussionis commisit. Et idem dico, si acceperit pecuniam ut judicaret, cùm non deberet judicare, vel ut malè judicaret.* Nam ot ait *S. Augustinus* relatus Causa XI. Quæstione III. *Non licet Judici vendere justum judicium. Sed cui*

De Restitutione.

restituet? Licèt quidam aliter dixerint, dico quòd illi qui dedit, si bona intentione dedit, scilicet ut jus & quietem sibi conservaret. Si dedit ut animum Judicis sibi sub specie recti inclinaret, & ita indirectè ac tacitè intendebat ipsum corrumpere, non illi, sed pauperibus, & illi in cujus injuriam data fuit, juxta arbitrium Ecclesiæ restituenda est pecunia. Item si nullo modo voluit ferre Sententiam Judex, & propter hoc pauper aliquis vel alius amisit jus suum: dico quod tenetur Judex, & facit litem suam, id est, debet restituere æstimationem litis ei, qui propter ejus negligentiam læsus est XXIII. Quæst. II. *Dominus*, & Quæst. V. *Administratores*. Authent. *Ut differentes Judices*. §. penult.

REGULA XV.

Quicunque ex Officio aliquid faciunt in utilitatem alterius, mercede tamen conducti, ut Advocati, Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, Artifices, non solùm ex dolo & latâ culpâ, sed etiam ex culpa levi ad Restitutionem tenentur.

CUm enim opus quod faciunt in eorum etiam utilitatem cedat, majorem adhibere debent diligentiam, quàm si nullum inde commodum perciperent. Præterea, eorum opera nemo uteretur, nisi illos crederet artis suæ peritos, industrios, diligentes. Ad restitutionem ergo tenentur si eorum culpâ, tametsi levi, damnum datum est, ut confirmat cap. *Si culpa*, Extra, *De Injuriis & Damno dato*, cujus hæc sunt verba: *Si culpâ tuâ, damnum est datum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc imperitiâ tuâ sive negligentiâ evenerunt: Jure super his satisfacere te oportet; nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam.*

Quod spectat Restitutionem ab Advocatis infidelibus, imperitis, negligentibus, aut rapacibus faciendam, de his audiendi sunt *S. Augustinus*, *S. Thomas*, *S. Raymundus*, & *S. Antoninus*.

S. Augustinus Epistolâ CLIII. aliàs LIV. ad *Macedonium*, ubi ait; *Dicitur Advocato, Redde quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati adfuisti, Judicem fefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti.* Et paulò post: *Quis tandem Advocatus, aut ex Advocato ita vir optimus facilè reperitur, qui suscepto suo dicat, Recipe quod mihi, cùm tibi malè adessem, dedisti, & redde adversario tuo, quod me agente iniquè abstulisti? Et tamen quem prioris non rectæ vitæ rectissimè pœnitet, etiam hoc facere debet, ut si ille qui iniquè litigavit, non vult admonitus corrigere iniquitatem, ejus tamen iniquitatis nolit iste habere mercedem. Nisi fortè restituendum est alienum quod per furtum clanculo aufertur, & restituendum non est alienum, quod in ipso foro, ubi peccata puniuntur, decepto Judice, & circumventis Legibus obtinetur.*

S. Thomas, Secunda Secundæ, Quæstione LXXI. Articulo III. *Illicitum est* (inquit) *alicui cooperari ad malum faciendum, sive consulendo, sive adjuvando, sive qualitercunque consentiendo; quia consilians & coadjuvans quodammodo est faciens. Et Apostolus dicit ad Romanos* I. *quod* Digni sunt morte non solùm qui faciunt *peccatum*, sed etiam qui consentiunt facientibus: *Unde & suprà dictum est, quòd omnes tales ad restitutionem tenentur. Manifestum est autem, quòd Advocatus & auxilium & consilium præstat, ei cujus causa patrocinatur. Unde si scienter injustam causam defendit, absque dubio graviter peccat, & ad restitutionem tenetur ejus damni, quod contra justitiam per ejus auxilium altera pars incurrit. Si autem ignoranter injustam causam defendit, putans esse justam, excusatur secundùm modum quo ignorantia excusari potest.*

Et in Responsione ad secundum: *Advocatus, si in principio credidit causam justam esse, & postea in processu appareat eam esse injustam, non debet eam prodere, ut scilicet aliam partem juvet, vel secreta suæ causæ alteri parti revelet. Potest tamen & debet causam deserere, vel eum, cujus causam agit, ad cedendum inducere, sive ad componendum sine adversarii damno.*

S. Raymundus, Lib. II. Tit. *De Raptoribus*, §. 39. *Circa Advocatos* (inquit) *in judicio animæ quatuor sunt principaliter attendenda, scilicet persona, causa, modus advocandi, & salarium.... Ne assumat causam injustam, & si accepit ab initio ignoranter, & in processu judicii cognoscit eam talem, debet eam relinquere.... Modus, ut non producat falsa instrumenta, nec testes falsos, vel corruptos, nec mentiatur, nec Leges falsas, vel alias juris vel facti probationes inducat, nec dilationes non necessarias in gravamen partium quærat. Item quòd fideliter causam sui clientuli, in quantum justitia permittit, foveat, nihil de contingentibus omittendo.... Item non procaciter, vel dicendo convitia, vel vociferando advocet, quia per hoc impeditur processus justitiæ..... Salarium, scilicet ut moderatum petat. Attenditur autem hoc moderamen salarii circa quatuor. Primum, quantitas causæ: Secundum, labor advocationis: Tertium, scientia, facundia, & honestas advocantis: Quartum, consuetudo regionis: juxta istorum quatuor considerationem majus vel minus potest & debet taxari...... Caveat ante omnia Advocatus, ne petat emolumentum vel salarium cum gravi damno litigatoris*, 3. Q. 7. §. Tcneatur. *Item ex quo causa est incœpta, nullum faciat pactum cum litigatore, quem in propriam recepit fidem, quia posset esse occasio magni periculi.* 3. Q. 7. §. Propterea non licet...... *Tenetur autem Advocatus ad Restitutionem omnium, quæ illi, contra quos præstabat patrocinium, propter ipsius pertinaciam injustè amiserunt: & tenetur etiam illis, quibus præstitit patrocinium, si propter suam infidelitatem vel negligentiam, vel imprudentiam amiserunt causam. Tenetur etiam, si extorsit salarium, unde non debuit extorquere; vel si ultra quàm debuit habere, extorsit: aliàs si absque fraude & dolo ipsius aliqua essent sponte oblata à suo clientulo, si accipiat, non dico eum teneri ad restitutionem.*

S. Antoninus III. P. Tit. VI. cap. II. §. V. *De defectibus* (inquit) *& vitiis Advocatorum ponit Alvarus in Libro De Planctu Ecclesiæ; peccant enim multipliciter. Et primò, cùm fovent subdolè causas prodendo, id est, decipiendo clientulum, dum scilicet adjuvant occultè adversarium: & tales qui dicuntur prævaricatores, sunt infames.* Can. Euphemium 2. Q. 3. §. Notandum. *Et tenentur ultra peccatum injustitiæ & proditionis, ad omne damnum & interesse læso. Secundò, quia causas desperatas fovent contra conscientiam, & in hoc gloriantur, quasi magis subtiles Advocati, contra illud*, Can. Qui consentit, II. Q. 3. *Et talis etiam tenetur parti adversæ, quæ justitiam habet de omni damno & interesse, & etiam suo clientulo de expensis, si suadet sibi jus habere ut litiget. Tertiò, cùm dilationes superfluas nituntur obtinere, ad hoc tantùm ut fugiant Sententiam, vel magis prolongetur litigium, unde plus lucrarentur: vel scienter sine causa rationabili faciunt clientulum appellare; & etiam tenentur de damnis propter hoc.* Can. Infamis, 3. Q. 7. §. Tria. *Quartò, in re-*

De Restitutione.

cipiendo nimis magnum salarium, vel paciscendo de certa parte litis cum gravi damno litigatoris; quod prohibetur Can. Infames, §. Accentur. 3. Q. 7. *Quintò, quia ignorantes jura cùm nesciant quid dicant, contumeliis & opprobriis certant.... Sextò, cùm informant falsos testes, & quærunt seu faciunt positiones cavillosas, vel inducunt clientulum ad dejerandum imponendo & respondendo: & ideo ut homicida animarum tenentur, & infamiâ perpetuâ notantur.* Can. Ille qui hominem 22. Q. 5. *Septimò, qui recepto salario non curant de causis, nec vigilant circa eas, & sic propter negligentiam* B *clientulus admittit justam causam: & tunc ultra peccatum, obligantur ad satisfactionem argumento* cap. Ad aures, De ætate, qualitate, & ordine præficiendorum. *Octavò, quia cùm sciunt aliqui vel scire debeant se ignorantes & insufficientes, nihilominus salarium recipiunt; & propter insufficientiam suam, causam justam amittunt: unde in culpa sunt, & ad Restitutionem tenentur. Nonò, quia ubi sufficientes sunt, ipsi qui assumunt officium advocationis, aliis insufficientibus vices suas committunt: unde & ipsi de læsione clientuli tenentur; nisi fortè clientulus sciens & prudens contentus fuisset;* C *quia eo invito non potest alteri committi hoc; quia differentia est inter artifices: & si eo inscio hoc fecit, debuit hoc ipsum æstimare non permissurum si sciret. Decimò, falsam Legem allegando, unde crimen falsi incurrunt; vel falso Legem inducendo, & ejus intellectum pervertendo mentientes & à veritate recedentes, & ad sensum suum pro parte sua legem interpretantes, contra illud* Can. Relatum, Dist. 37. *Possunt tamen Advocati jura variis modis exponere, dummodo secundùm conscientiam procedant. Nam contra conscientiam exponentes & inducentes ædificant ad gehennam. Et si causam desperatam suscipiant, id est, quæ non possit justè* D *obtineri vel foveri, omnino debent salarium restituere. Et breviter tenentur, qualitercunque amittant causam suam vitio suo: secus si ex qualitate causæ, vel ob defectum probationis, quia tunc vitium est materiæ, non artificis.* Ob easdem causas, propter quas Advocati tenentur ad Restitutionem, tenentur & Procuratores.

REGULA XVI.

Principes & Magistratus, qui Leges iniquas, vel Statuta injusta tulerunt, ad Restitutionem tenentur ratione omnium damnorum inde consequentium. Idem esto judicium de illis qui auctores ipsis fuerunt hujusmodi Legum condendarum. E

ITa docet *S. Raymundus*, loco mox indicato, §. 43. *Si aliqui* (inquit) *damnificati sunt occasione talis Legis vel Statuti, tenentur conditores & eorum heredes ad Restitutionem. Tenentur etiam in solidum qui induxerunt Principem ad condendum Leges tales. Item omnes observatores peccaverunt mortaliter, & tenentur ad Restitutionem eorum, quæ* F *talium Legum occasione lucrati sunt.*

REGULA XVII.

Testis tenetur ad restitutionem pecuniæ quam pro testimonio ferendo accepit: multò magis tenetur falsus testis.

ITa docet *S. Raymundus* ibidem, §. 40. *Tenetur testis* (inquit) *ad restitutionem omnium, quæ per suum falsum testimonium proximus ejus amisit. Si verò accepit testis pecuniam pro testimonio* A *ferendo, turpiter accepit: & credo eum teneri ad restitutionem. Si quæras cui debet fieri restitutio; distingue, sicut distinxi in Judice.* In confirmat ex Canone *Non sanè*, Causa XIV. Q. 5. cujus verba ex *S. Augustino* sumpta sunt: *Cum* (inquit) *judicia & testimonia, quæ nec justa, nec vera vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur, multò sceleratiùs utique pecunia sumitur; quia sceleratè etiam quamvis à volentibus datur.*

De Restitutione.

REGULA XVIII.

B

Accusator, qui ut alium criminis accusaret, vel ut ab accusatione desisteret, pecuniam accepit, Restitutionis lege tenetur.

HAnc Regulam ibidem tradit *S. Raymundus*, §. 41. *Si aliquis accusator accepit pecuniam ob accusandum, vel non accusandum, crimen concussionis commisit: & tenetur ad Restitutionem faciendam ei qui dedit, si non turpiter dedit: aliàs ei in cujus injuriam data fuit.* Causa 1. Quæst. 1. C Can. *Jubemus.*

REGULA XIX.

Qui ex officio consilium dedit, ad Restitutionem tenetur ex culpâ latâ. Si mercede sit conductus, tenetur etiam ex culpa levi. Extra hos verò casus, solum tenetur ex dolo.

QUi enim debitam in officio suo fungendo diligentiam non adhibet, vel scientiâ & prudentiâ, cæterisque dotibus ad illud rectè gerendum necessariis destitutus est, causa est damnorum inde consequentium. D Unde Episcopus, Parochus, Confessarius, Concionator, Theologus, Jurisconsultus, & quicunque pro idoneo consiliario se gerit, si noxium consilium dederit, tenetur ad resarciendum omnia damna, quæ inde secuta sunt. Si verò mercede ac stipendio conductus consilium dederit, tenetur ex culpa levi: Majorem enim diligentiam adhibere debet, quàm si nullum ex consilii datione commodum consequeretur. At si neque ex officio consilium dederit, neque mercedem ad id præstandam acceperit, ad Restitutionem non tenetur E nisi ex dolo, secundùm Regulam Juris LXII. in Sexto: *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.* Quæ Regula de consilio in contractibus, & quasi contractibus, non autem de consilio in maleficiis & quasi maleficiis sive delictis intelligenda est, ut monet Glossa. Unde qui dolosè mihi consilium dedit, & fortè lucri sui causâ, ut pecuniam mutuo darem debitori non idoneo, tenetur mihi actione de dolo, ut colligitur ex lege, *Quod si cùm scires*, Tit. *De Dolo malo*, in Digestis. Qui verò consilium dedit de maleficio sive delicto, damna resarcire tenetur, F non tamen illi cui, sed illi contra quem consilium dedit: nec tunc propriè tenetur actione de dolo, sed ejus maleficii nomine. Nam si autor fuit alicui ut alterum occideret, homicida est. L. Dist. Can. *Si quis viduam*, Ext. *De Homicidio*, cap. *Sicut dignum.* Si autor fuit servo ut fugeret, vel furtum faceret, tenetur furti, vel servi corrupti. *Dig.* Tit. *De Servo corrupto*, L. 1. §. *Persuadere.* Si autor fuit Titio ut mihi injuriam faceret, tenetur mihi actione injuriarum, Dist. 1. *De Pœnitentia*, Can. *Non solum.* L. *Non solum.* Tit. *De Injuriis*, in Digestis. Ipsi autem cui dedit consilium, non tenetur:

De Restitutione.

tum quia scire ille debebat id sibi non expedire: tum quia ex improbitate sua nullus consequitur actionem, ut dicitur *L. Itaque fullo*, Tit. *De Furtis*, Lib. XLVII. *Digestorum*.

Regula XX.

Quamvis res furto sublata casu fortuito perierit, ad illius tamen Restitutionem fur tenetur.

Hanc Regulam tradit & explicat *S. Raymundus*, Lib. II. Tit. *De Furtis*, §. sexto. *Quid* (inquit) *si res furtiva pereat casu fortuito, nunquid tenebitur ad Restitutionem postea fur? Utique, quia fuit in mora restituendi. Item non liberatur fur, rem deteriorem reddendo. Item tenetur restituere rem cum omnibus fructibus: & si melioravit eam, pascendo forte equum, vel porcum furtivum, vel simile, non potest petere vel retinere expensas. Item cùm redditur existimatio rei, non tantùm est considerandum tempus in quo res fuit subrepta, & tempus in quo periit, sed etiam totum tempus medium; & fiet æstimatio secundùm illud tempus, in quo plurimi valoris fuit res; & hoc eadem intelligo in re rapta. Probantur hæc*, Ext. De Restitutione spoliatorum, *cap.* Gravis, *ubi dicitur, quòd debet reddi res cum fructibus perceptis, & quos percepissent spoliati, si ipsi possedissent. Sunt etiam hæc expressa*, ff. De condictione furtiva, L. In re furtiva, §. 1. *Generalius loquitur alia Lex, quòd tenetur talis ad omnia damna & lucra percepta & percipienda*, ff. De rei vindicatione, L. Si Navis, §. Generaliter. *Est tamen casus in quo non tenetur fur de casu fortuito, si obtulit rem domino loco & tempore congruo, & dominus noluit accipere; jam enim purgavit moram. Item cùm furtum est commissum in usu rei tantùm, & non in ipsa re, tenetur etiam post restitutionem rei ad æstimationem illius usus, aliter enim non esset purgatum furtum.* (XIV. Q. VI. Can. *Si res.*)

Regula XXI.

Qui rem alienam emit malâ fide, tenetur eam restituere vero domino, etiam cum damno proprio; necnon fructus omnes perceptos, & qui intermedio tempore percipi potuerunt. Emptor verò & possessor bonæ fidei fructus consumptos reddere non tenetur, nisi ex illis factus sit ditior.

Sicut malæ fidei possessor est qui rem aliquam possidet, sciens aut putans non esse suam, vel etiam dubitans an sua sit, & non inquirens, ita malæ fidei emptor est, qui emit rem, quam novit esse furto sublatam, aut certè dubitat an furto sublata sit, nec tamen inquirit. Is porrò cùm rem alienam habeat, eámque usurpaverit invito domino, restituere illi tenetur non modò rem ipsam, sed omnes fructus illius, cùm res quælibet domino fructificet. Unde *Justinianus*, Libro II. *Institutionum*, Tit. I. *De rerum divisione*, §. 35. ait: *Si quis à non domino, quem dominum esse crediderit, bona fide fundum emerit, vel ex donatione, aliâve qualibet justâ causâ æquè bona fide acceperit; naturali ratione placuit fructus, quos percepit, ejus esse pro cultura & cura. Et ideo si postea dominus supervenerit, & fundum vindicet, de fructibus ab eo consumptis agere non potest. Ei verò qui alienum fundum sciens possederit, non idem concessum est: itaque cum fundo etiam fructus, licèt consumpti sint, cogitur restituere.*

Et L. 1. *Cod.* Tit. *De Petitione Hereditatis*, §. 1. dicitur: *Fructus bonæ fidei possessores reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores extiterint.* Idem docet *Ulpianus* eodem Tit. Digestorum, L. *Virum autem.* Idem confirmat Lex, *Item veniunt*, eodem Tit. *Item eos qui bona invasissent, cùm scirent ad se non pertinere, etiamsi ante litem contestatam fecerint, quo minus possiderent, perinde condemnandos quasi possiderent, eos autem qui justas causas habuissent, quare bona ad se pertinere existimassent, usque eò duntaxat quo locupletiores ex ea re facti essent.* Idem confirmat Lex *Jure natura*, Tit. *De Regulis Juris*, in Digestis: *Jure naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento & injuriâ fieri locupletiorem.* Et Regula Juris XLIX. in Sexto: *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuriâ vel jacturâ.*

Cæterùm emptor bonæ fidei jus habet repetendi pretii à suo venditore, ut colligitur ex L. 1. Tit. *De evictione*, in Digestis. Verùm si bonæ fidei possessor sit in mora culpabili restituendi, ex quo novit rem esse alienam, quam possidet, jam incipit malâ fide possidere, ideòque restituere tenetur fructus exinde perceptos, tametsi consumptos, & percipiendos à domino, necnon damna emergentia, & lucra intercepta ex eo quòd re sua careat. Nam *Tandiu quisque bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quandiu se possidere ignorat alienum: cùm verò scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei possessor perhibetur, tunc justè injustus possessor vocabitur*, ut habet Canon *Si virgo*, Causa XXXIV. Quæst. II. ex *S. Augustino* Lib. *De Fide & Operibus*, cap. VII. transcriptus. Quandiu verò sinceram habet restituendi voluntatem, nec suâ culpâ in mora est, si casu fortuito res apud ipsum pereat, nihil aliud restituere tenebitur, nisi id quo factus fuerit locupletior.

Eamdem Regulam confirmat *S. Raymundus*, Lib. II. Tit. *De Raptoribus*, §. XXI. *Quando* (inquit) *mala fide emit, tenetur indistinctè ad Restitutionem, nec liberatur vendendo, vel aliàs alienando rem alteri, vel etiamsi res pereat morte, vel alio casu, vel si sibi violenter auferatur, vel furtivè subtrahatur, vel alio simili modo; & est ratio, quia furtum committit contrectando rem alienam invito domino; & fur semper est in mora restituendi: unde nec pretium, quod dedit, poterit repetere ab illo, cujus res est, nec expensas quas ibi fecit; & omnem utilitatem, quam ex illa habuit, tenetur restituere. Si restituat rem etiam deteriorem, quàm ad ipsum pervenit, non liberatur: sed si aliquo tempore medio melior fuerit res, quàm tempore emptionis, sive cùm postea vendidit alteri, ejus quod plus fuerit, erit æstimatio facienda.* ff. De Furtis, L. *Qui jumenta* ff. De condictione furti, L. *In re furtiva.* ff. Commodati, L. *Si ut certo*, §. *Sed interdum*, C. De rei venditione, L. *Certum.* Quod dixi de primo emptore (addit *S. Raymundus*.) « intelligo de secundo & millesimo, si per tot ma« nus transiret res talis cum mala fide. *Si verò* « *emit aliquis bona fide à raptore vel ab alio rem de rapina vel furto, bonâ scilicet intentione, non ut sibi lucraretur, sed ut spoliato restitueret, potest à spoliato repetere illud, quod dedit pro ipsa re bona fide, & etiam quicquid expendit postea ad conservationem illius rei, nisi fortè cum re illa lucrabatur aliqua, unde potest facere dictas expensas; & breviter quicquid sibi adest ex illa re, ut pensio, merces, fructus, vel simile tenetur restituere: quicquid sibi abest, ut pretium, & moderatas expensas, potest repetere, vel cum eo, quod ex ipsa re sibi advenit, usque ad concurrentem compensare quantitatem. Ratio autem quare ista potest repetere, est quia gessit utiliter negotium absentis spoliati.*

De Restitutione.

Et Tit. *De Furtis*, §. Septimo : *Circa bona fidei possessorem, dico, quòd poterit repetere pretium à venditore*, ut colligitur ex Canone *Valterana*, Causa XII. Quæstione II. *Item potest retinere expensas, quas existens bonæ fidei ratione fecit circa rem conservandam, vel meliorandam : & non tenetur de » fructibus perceptis durante bona fide.* (Ext. De Re» stitutione in integrum, cap. Requisivit. Ext. » De rebus Ecclesiæ alienandis vel non, cap. » Ad nostram. ff Tit. De acquirendo rerum do» minio, L. Bonæ fidei emptor.) *Item si durante bona fide ipsius perüt res, non tenetur. Idem credo, si alienavit durante similiter bona fide. In utroque casu propter bonam fidem, in primo etiam, quia non erat in mora; in secundo, quia non desiit dolo possidere, & quia pretium ex re furtiva redactum, non est furtivum*, ut dicitur L. *Qui vas*, Tit. *De Furtis*, §. *Cùm fur*, in Digestis. *In summa ergo nota, quòd malæ fidei possessor, re perditâ, vel in alium translata, tenetur ad rerum pretium cum circumstantiis supradictis. Bonæ fidei verò possessor tenetur restituere rem, si habet, sin autem, de lucro tenetur tantùm, in quantum locupletior factus est.* (ff. De Petitione Hereditatis, L. *Si possessor*, §. *Restituere*, & L. *Si rem*, & L. *Utrum*.)

Libellus Synodicus Ecclesiæ Nemausensis anno 1284. editus hanc Regulam de malæ fidei emptoribus & possessoribus confirmat, Tit. De Pœnitentia. *Tenentur etiam ad Restitutionem*, (inquit) *omnes illi qui scienter rem raptam vel alienam emerunt cum mala fide, scilicet animo sibi retinendi eam domino suo : nec taliter ementes possunt recuperare, seu repetere pretium quod dederunt pro ipsa, nec possunt recuperare seu retinere expensas, si quas fecerunt ipsam rem custodiendo vel meliorando, & hoc propter malam fidem quam habuerunt emendo. Debet etiam restitui res aliena sive rapta, non deteriorata : sed si deteriorata fuerit, vel casu fortuito perierit, vel restitui non possit, restituatur integrè quantùm valeat cum omni utilitate quam consecuti sunt ex ipsa re, si cum mala fide pervenerit ad eosdem.*

REGULA XXII.

Restitutionis lege tenetur, quisquis alterius damno efficaciter cooperatus est aliquo ex modis superiùs recensitis :

SCilicet mandato, consilio, consensu, participatione, receptione, auxilio, favore, dissimulatione, &c. *Ad restitutionem semper obligat jussio*, nisi fuerit revocata, & revocatio significata fuerit ei cui datum erat injustum mandatum. *Ille* enim *qui jubet, est principaliter movens : unde ipse principaliter tenetur ad restituendum.* Secundò, *Consensus, in eo scilicet sine quo rapina*, vel furtum, *fieri non potest.* Tertiò, *Recursus, quando scilicet aliquis est receptator latronum, & eis patrocinium præstat.* Quartò, *Participatio, quando scilicet aliquis participat in crimine latrocinii, & in præda.* Quintò, *Tenetur ille qui non obstat, cùm obstare teneatur : sicut Principes, qui tenentur justitiam custodire in terra, si per eorum defectum latrones increscant, ad restitutionem tenentur : quia reditus quos habent, sunt quasi stipendia ad hoc instituta, ut justitiam conservent in terra. In aliis autem casibus enumeratis non semper obligatur aliquis ad restituendum. Non enim semper consilium vel adulatio, vel aliquid hujusmodi, est efficax causa rapinæ. Unde tunc solùm tenetur consiliator, aut adulator ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest quòd ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsecuta :* (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXII. Articulo VII.)

De Restitutione.

Addit Angelicus Doctor in Responsione ad primam & secundam Objectionem, illum imprimis ad restitutionem teneri, cujus præcipuæ in illatione damni partes fuerunt : *Principaliter quidem præcipientem; secundariò verò exequentem; & consequenter alios per ordinem.* Si tamen unus restituerit illi cui damnum datum est, alios non teneri ad restituendum eidem : sed præcipuos autores facti, & ad quos res pervenit, obligati ad restituendum aliis, qui in eorum defectum jam restitutione functi sunt. *Quando autem aliquis præcipit injustam acceptionem, quæ non subsequitur, non est restitutio facienda : cùm restitutio principaliter ordinetur ad redintegrandam rem ejus, qui injustè est damnificatus.* Respondet etiam quòd *Non semper ille, qui non manifestat latronem, tenetur ad Restitutionem, aut qui non obstat, vel qui non reprehendit : sed solùm quando incumbit alicui ex officio, sicut Principibus terræ, quibus ex hoc non multum imminet periculum. Propter hoc enim Potestate publica potiuntur, ut sint Justitia custodes.*

Cæterùm cùm plures communi conspiratione & quasi una manu ad damnum inferendum concurrunt, in solidum tenentur ad damnum resarciendum & ad Restitutionem, ut declaratur in Digestis, Tit. *De Furtis*, L. *Vulgaris*, §. *Si duo*, cujus hæc sunt verba : *Si duo pluresque unum tignum furati sunt, quod singuli tollere non potuerint : dicendum omnes eos furti in solidum teneri, quamvis id contrectare, nec tollere solus potuit : & ita utimur. Neque enim dici potest, pro parte furtum fecisse singulos, sed totius rei universos : sic fiet singulos furti teneri.*

Idem confirmat *S. Raymundus*, Libro II. Tit. *De Raptoribus*, §. XXI. ubi casum sic proponit; *Quid si plures fuerunt raptores quasi pares, quia nullus induxit alium ad eundum, nec erat aliquis dominus alterius, sed quilibet per se ivit?* Et Respondet : *Ad hoc credo dicendum, quòd si vadunt insimul, quasi sint unus exercitus, quilibet teneatur in solidum, quia in tali casu quilibet juvat alios, & facit eos fortiores. Isti enim possunt dici squammæ sese prementes, de quibus loquitur Job* XLI. Cor» pus illius quasi scuta fusilia, compactum squam» mis se prementibus. *Facit ad hoc* Ext. De Ho» micidio, *cap.* Sicut dignum : *& omnes sunt coo» peratores; quare quilibet tenetur in solidum. Aliàs si non iverunt simul, sed quilibet per se separatim faciebat damnum, quilibet tenetur pro eo quod fecit. Vel fortè in utroque casu posset tolerari, quòd quilibet satisfaceret de his quæ habuit, & induceret alios pro posse ad satisfaciendum; sed primum dictum est tutius. Illi autem qui nec adjuvant, nec in aliquo consentiunt, sed datur eis aliquid & accipiunt, vel comedunt inde, & induunt, vel in alios usus ponunt, tenentur restituere, sed diversimodè: nam qui dono accipiunt, præcipuè tenentur ad restitutionem : qui verò comedunt vel bibunt, vel in usus necessarios expendunt, ut uxor, vel cæteri familiares, tenentur de omnibus quæ sic expendunt : nisi in casu, cùm agunt causam spoliatorum, monendo & inducendo pro posse ipsum raptorem ad restitutionem faciendam; tunc enim non tenentur, nam qui alterius negotium gerit utiliter, etiam ignorantis & absentis, licitè recipit expensas; & hoc sive fuerit secuta utilitas, sive non.*

Quid ergo faciet uxor, vel familia, si nec habetur spes de correctione raptoris, vel videt virum vergere ad inopiam, & quasi sit non solvendo? Ad hoc dico, Quòd si ibi sunt aliqua de justo, de illis separatim potest expendere : si verò non sunt aliqua ibi nisi de rapina, nullo modo comedat, sed aliunde

sibi

sibi victum quærat; vel ab amicis & consanguineis suis; vel laborando manibus suis, vel alio quocumque modo, honesto tamen. Idem dico, si ibi sunt aliqua de justo, sed ita mixta sunt, quod non possunt discerni; vel, licèt possint discerni, maritus iniquitate plenus non permittit eam comedere nisi de rebus raptis. Quid ergo faciet, si nihil invenit? Numquid morietur fame? Non, sed subest ei triplex auxilium. Unum, si potest habere de dote vel sponsalitio. Secundum, ut denuntiet talibus qui possint prodesse, & non obesse; & si necesse est, & probari potest, etiam Episcopo, ut ipse compellat eum eam pascere de justo; vel tradat ei sponsalitium vel partem; vel committat alicui personæ honestæ, quæ de honesto lucro provideat ei. Tertium, si esset in arcto posita, quod nec inveniret quid comederet, nec eleemosynas, nec posset ulteriùs sine periculo sustinere necessitatem famis: tunc enim si aliud non posset, & de rapina, & de aliis undecumque posset vivere, quia necessitas non habet legem. Quicquid tamen expenderit, doleat in animo, & proponat firmiter, quàm citò poterit, quicquid inde expendit restituere.

De Restitutione.

Propositiones damnatæ.

Ex his patet quàm meritò damnata sit ab *Innocentio XI.* Pontifice Maximo hæc Propositio: *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.* Quàm meritò etiam confixa sit olim à Vicariis Generalibus Eminentissimi Cardinalis de Rets Archiepiscopi Parisiensis ista Propositio: *Etiamsi donatario perspectum sit bona sibi donata à quopiam, ea mente ut creditores frustrentur, non tenetur restituere, nisi eam donationem suaserit, vel ad eam induxerit.* Quàm meritò Clerus Gallicanus in generalibus Comitiis anno 1700. utramque Propositionem hac Censurâ notaverit: *Hæ Propositiones falsæ sunt, temerariæ, fraudibus & dolis patrocinantur, & justitiæ regulis repugnant.*

REGULA XXIII.

Restitutio facienda est ei à quo aliquid injustè est acceptum, si dominus illius erat, sive justus possessor, vel administrator, aut custos.

NAm per Restitutionem fit reductio ad æqualitatem commutativæ justitiæ, ut loquitur *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXII. Articulo V. Hujusmodi autem adæquatio fieri non posset, nisi ei qui minùs habet quàm quod suum est, suppleretur quod deest. Et ad hoc supplementum *Necesse est ut ei fiat restitutio, à quo acceptum est.* Si verò dubium sit, an is à quo res ablata est sive injustè accepta, sit verus ejus dominus, aut possessor, seu custos, aut administrator legitimus, nihilominus illi facienda est restitutio, quia in dubiis potior est conditio possidentis. Quamobrem si quid ablatum est ab eo qui fur esse putatur, debet ei restitui, nisi certum & exploratum sit furem esse, ut colligitur ex Cap. *In litteris*, Extra *De Restitutione spoliatorum*, cujus hæc sunt verba: *Prædo etiam est secundùm rigorem juris restituendus in petitorio scilicet judicio*, ubi nondum probatum est ipsum esse prædonem, sed res in quæstione versatur.

REGULA XXIV.

Res aliena non est restituenda ei à quo injustè ablata est, si restitutio illi vel alteri sit vehementer nocitura.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, loco mox laudato in Responsione ad primam objectionem. *Quando*, inquit, *res restituenda apparet esse graviter nociva ei, cui restitutio facienda est vel alteri, non ei debet tunc restitui: quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus cui restituitur... nec tamen debet ille qui detinet rem alienam sibi appropriare, sed vel reservare, ut congruo tempore restituat; vel etiam alii tradere tutiùs conservandam.*

De Restitutione.

REGULA XXV.

Quod injustè acceptum est ab eo qui contra legem dedit, illi restitui non debet, sed in pios usus erogari.

ITa docet *S. Thomas*, ibidem in Responsione ad secundum: *Aliquis*, inquit, *dupliciter aliquid illicitè dat. Uno modo, quia ipsa datio est illicita, & contra legem, sicut patet in eo qui simoniacè aliquid dedit: & talis meretur amittere quod dedit; unde non debet ei restitutio fieri de his: & quia etiam ille qui accepit, contra legem accepit, non debet sibi retinere, sed in pios usus convertere. Alio modo aliquis illicitè dat, quia propter rem illicitam dat, licèt ipsa datio non sit illicita; sicut cùm quis dat meretrici propter fornicationem. Unde & mulier potest sibi retinere quod ei datum est. Sed si superfluè aliquid per fraudem vel dolum extorsisset, teneretur eidem restituere.* Sic judex, accusator, testis, qui contra legum prohibitionem aliquid ad judicium vel testimonium ferendum, aut accusationem faciendam receperunt, id restituere tenentur, non illis qui dederunt ut justitia, veritas, & caritas violarentur, sed pauperibus, ut superiùs diximus.... Si autem receperit judex ut justam sententiam ferret; testis ut verum testimonium diceret; accusator ut secundùm ordinem juris officium suum impleret, restituere tenentur ei à quo acceperunt. Unde *S. Augustinus* Epistola ad *Macedonium* superiùs laudata ait: *Ille solet tanquam malè sibi ablatam pecuniam repetere, qui justum judicium emit, quoniam venale esse non debuit.* Quamvis autem meretrix contra legem se prostituat, non tamen contra Legem accipit pretium prostitutionis suæ, ut ait Ulpianus L. *Idem*, Tit. *De conditione ob turpem causam*, in Digestis §. 3. *Quod meretrici datur*, inquit, *repeti non potest, ut Labeo & Marcellus scribunt: illam enim turpiter facere, quòd sit meretrix; non turpiter accipere, cùm sit meretrix.*

Eamdem Regulam rursus confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XXXII. Articulo VII. *Tripliciter*, inquit, *potest aliquid esse illicitè acquisitum. Uno enim modo id illicitè ab aliquo acquiritur, quod debetur ei à quo est acquisitum, nec potest ab eo retineri qui acquisivit; sicut contingit in rapina, & furto, & usuris. Et de talibus cùm homo teneatur ad restitutionem, eleemosyna fieri non potest. Alio verò modo est aliquid illicitè acquisitum, quia quidem ille qui acquisivit, retinere non potest, nec tamen debetur ei à quo acquisivit; quia scilicet contra justitiam dedit: sicut contingit in simonia, in qua dans & accipiens contra justitiam legis divinæ agit. Unde non debet fieri restitutio ei qui dedit, sed debet in eleemosynas erogari.*

De Restitutione.

Et eadem ratio est in similibus, in quibus scilicet & datio & acceptio est contra legem. Tertio modo est aliquid illicitè acquisitum, non quidem quia ipsa acquisitio sit illicita, sed quia id ex quo acquiritur est illicitum, sicut patet de eo quod mulier acquirit per meretricium. Et hoc propriè vocatur turpe lucrum. Quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei: sed in eo quod accipit, non injustè agit nec contra legem. Unde quod sic illicitè acquisitum est, retineri potest.

REGULA XXVI.

Defuncto rei injustè acceptæ domino, Restitutio fieri debet ejus heredibus; si nulli compareant heredes legitimi post diligentem inquisitionem, in pios usus, maximèque ad pauperum necessitatem sublevandam converti debet. Bonorum etiam, quorum incertus est vel ignotus dominus, Restitutio facienda est pauperibus.

ITa docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXII. Articulo v. in Responsione ad tertiam Objectionem. *Si ille (inquit) cui debet fieri Restitutio, sit omnino ignotus, debet homo restituere secundùm quòd potest, scilicet dando in eleemosynas pro salute ipsius, sive sit mortuus, sive vivus: præmissa tamen diligenti inquisitione de persona ejus cui est Restitutio facienda. Si verò sit mortuus ille, cui est Restitutio facienda, debet restitui heredi ejus, qui computatur quasi una persona cum ipso.* Si quis aliena bona penes se habeat, quorum incertus est vel ignotus dominus, diligenter inquirere debet cujus sint, pro rei magnitudine vel qualitate: si post inquisitionem diligentem, prudentùmque judicio sufficientem, ignoretur ad quem pertineant, pauperibus eroganda sunt, vel in alios pios usus convertenda. Si nullà aut minimè sufficienti inquisitione facta in pios usus illa converterit is penes quem sunt, vel qui illa injustè accepit, Restitutionis onere non est liberatus, sed postea cognito domino illa nihilominus in integrum restituere tenetur, ut colligitur ex Cap. *Sicut dignum*, Extra, *De Homicidio*, §. *Eos insuper*, ubi *Alexander III.* de illis loquens qui bona *S. Thomæ* Cantuariensis Archiepiscopi post ejus Martyrium occupaverant, ait: *Quæ occuparunt, eis quorum fuerant, tenentur in integrum restituere, si habent in facultatibus unde possint ea reddere: quia licèt quædam ex his quæ occupaverunt, fateantur se pauperibus erogasse, non tamen aliena, cùm ipsa potuissent eis, quorum fuerint, restituere, debuerunt pauperibus erogare.*

Id confirmat Liber Synodicus Ecclesiæ Nemausensis anno 1284. editus, Tit. De Pœnitentia. *Facienda est (inquit) domino restitutio, vel ejus heredibus, si poterunt inveniri: sed si diligenter inquisiti & exspectati non inveniuntur, vel ignorantur, tunc cum consilio Sacerdotis Pœnitentialis res illa distribuatur in pias causas, & maximè in pauperum sustentationem, pro anima illius cujus fuerit res illa. Verùm si persona scitur cui est solutio vel restitutio facienda: sed si tamen est in remotis partibus, nec speratur quòd debeat redire: mittatur ei si commodè fieri possit & securè, alioquin pro anima ejus cum consilio Ecclesiæ pauperibus erogetur, & hoc fiat si res sit modica, quæ restitui debet in expensis: si res est magni valoris, mitti debet in expensis detentoris ad illum absentem cui est restitutio facienda.*

Dupliciter autem contingit bonorum aliquorum dominum esse ignotum, vel in particulari dumtaxat, quia scilicet ignoratur cujus sint determinatè; sed tamen scitur esse alicujus aut aliquorum ex tali communitate, vel oppido, vel pago; vel ignotus est dominus etiam in universali, ut Casuum Arbitri loquuntur, ita ut ne disjunctivè quidem cognosci possit, utrum ad hos vel illos pertineant. In primo quidem casu bonorum hujusmodi distributio facienda est illis, quibus probabile est damnum esse illatum. Sic Milites qui oppidum aliquod injustè deprædati sunt, aut plurimos ex oppidanis, apud quos hospitio sunt excepti, concusserunt, nec sciunt aut meminerunt de quibus prædam fecerint, tenentur ad restitutionem illis oppidanis faciendam adhibito Episcopi vel Parochi consilio, ut his quibus majus damnum illatum fuisse videbitur, major etiam compensatio fiat. Si Mercator minutatim vendens merces emptores fraudaverit, restituere debet illis qui ad ejus officinam confluere solebant, prout quisque plus vel minùs emere solitus fuerit. In secundo verò casu, sive bona illa ex delicto, sive ex contractu habeantur, aut habita sint, pauperibus distribuenda sunt, vel in alios pios usus eroganda, ut colligitur ex Cap. *Cùm tu*, Extra, *De Usuris*, quod *Alexandri III.* Responsum est, de manifestis Usurariis Salernitano Archiepiscopo datum. *Sive ante*, inquit, *sive post interdictum nostrum Usuras extorserint, cogendi sunt per pœnam, quam statuimus in Concilio, eas his, à quibus extorserunt, vel eorum heredibus restituere; vel his non superstitibus, pauperibus erogare, dummodo in facultatibus habeant, unde ipsis possint eas restituere: cùm juxta verbum Beati Augustini, Non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Si constat ex qua civitate sit aut fuerit dominus jam ignotus, conveniens erit ut restitutio fiat pauperibus illius civitatis; quod etiam præstandum est ab illis qui Civitatem aliquam aut Provinciam deprædati sunt, concusserunt, aut aliquo damno affecerunt, autore *S. Thoma* in IV. *Sententiarum*, Distinctione XV. Quæstione I. Articulo v. Quæstiuncula III. in Responsione ad tertiam Objectionem. *Qui illo modo accipit (inquit) debet pauperibus illius villæ restituere: vel in utiles usus communitatis illius civitatis expendere, secundùm arbitrium Episcopi, vel illorum ad quos pertinet cura illius civitatis.* Idem confirmat Doctor Angelicus Opusculo *De Regimine Judæorum*, ad Ducissam Brabantiæ: *Cùm (inquit) ea quæ Judæi per usuras ab aliis extorserunt, non possint licitè retinere, consequens est ut si etiam vos hoc acceperitis ab eis, non possitis licitè retinere, nisi forsan essent talia, quæ à Vobis vel Antecessoribus vestris hactenus extorsissent. Si quæ verò habent quæ extorserunt ab aliis, hæc ab illis exacta illis debetis restituere, quibus Judæi restituere tenebantur. Unde si inveniuntur certæ personæ à quibus extorserunt usuras, debet eis restitui: alioqui debet in pios usus, secundùm consilium Diœcesani Episcopi, & aliorum proborum: vel etiam in communem terræ utilitatem, si necessitas immineat, vel exposcat communis utilitas, erogari.* Et *S. Raymundus* Libro II. Tit. *De Raptoribus*, §. 44. *Si non inveniuntur spoliati (inquit) vel etiam ignorantur, tunc cum consilio & auctoritate sui Ecclesiæ, sive Pœnitentialis, distribuat in pias causas, & maximè in alimentum pauperum vel redemptionem captivorum: & hoc in villa, vel si villa nescitur, saltem in illa Diœcesi ubi rapina facta est, de consilio Episcopi illius Diœcesis, vel Capellani villæ, si discretus est.*

Casum

De Restitutione.

Casum restitutionis rerum incertarum sibi reservare potest Episcopus.

Casum Restitutionis rerum incertarum reservare sibi potest Episcopus, prout reservatos est in Provincia Mediolanensi ex Decreto Concilii Mediolanensis IV. sub *S. Carolo Borromeo*, Tit. *De Sacramento Pœnitentiæ*, ut scilicet ejus consilio & mandato Restitutio fiat. Quod quidem Decretum de rerum incertarum Restitutione *S. Carolus* in Synodo Diœcesana XI. ita explicat, *Ut quod ad judicium faciendum attinet, locum etiam habeat in restitutione rerum, quæ casu inventa, nec furto subtractæ, aliòve dolo sublata, aut alio modo*
» *malè parta restituenda sunt.* Ad cujus Decreti
» faciliorem executionem statuit ut in Basilica
» Metropolitana, & in unaquaque Ecclesia Diœ-
» cesis Plebana, certo loco conspicuo & distin-
» cto capsa perpetuò constituatur, quæ litteris
» grandiusculis à fronte inscribatur, CAPSA
» INCERTORUM. Ea capsa clavibus duabus in-
» ter se diverso opere fabrili distinctis claudatur;
» quarum una apud Cancellarium Archiepiscopa-
» lem, altera apud Depositarium Archiepiscopi
» auctoritate constitutum asservetur. Certis præ-
» terea signis eadem capsa ita ab aliis distingua-
» tur, ut ab omnibus etiam rudibus facilè dignos-
» ci possit: collocetur autem ita commodo lo-
» co, ut eò tam mares quàm feminæ facilè acce-
» dant. Quæ verò in capsam conjici non pos-
» sunt, apud depositarium custodiantur. Res ve-
» rò inventæ, quæ pecuniâ non constant, ne in
» capsa ante reponantur, quàm diligenter inve-
» stigatum sit de domino earum rerum. Cùm quod
» inventum est, verè restituitur: vel si qui in-
» venit, præ paupertate aliâve causâ restituere
» non potest, idonea sponsione caveat, se men-
» sium saltem sex spatio restiturum: tunc Pa-
» rocho, aliique Confessario, quibus scripta fa-
» cultas data erit, ab hujusmodi casu Pœniten-
» tem absolvere licebit. Ob paupertatem, vel ob
» aliam causam, quæ Confessario videbitur, fa-
» cultatem dat *S. Carolus* ut Archiepiscopi aucto-
» ritate remittere possit debitam restitutionem rei
» inventæ, quæ pluris non valeat viginti solidis.
» Statuit insuper ut Depositarius rei inventæ &
» conditionem, & venditionem, & restitutio-
» nem (si quæ vero umquam domino fiet) &
» erogationem in usum pium describat diligen-
» ter, & præterea si quid jussu Archiepiscopi de-
» prometur ad usum item pium. Liber præterea
» rerum incertarum, quæ inventæ sunt, in Can-
» cellaria Archiepiscopali conficiatur, & asser-
» vetur: in quo notatis perpetuo ordine diebus
» mensibúsque, & res inventæ in capsam conje-
» ctæ describantur, & quæ item inde depromptæ
» in usum pium erogatæ sunt. Cui libro adjunctus
» sit index Alphabeti ordine in singulas plebes di-
» stinctus. Hujus capsæ institutum, & locus ubi
» illa constituta est, bis in singulos annos, semel
» initio Adventûs, iterum Quadragesimæ princi-
» pio, in unaquaque Parochiali Ecclesia à Paro-
» cho denuncietur.

Statuta Synodalia Trecensis Ecclesiæ à *L. Bochello* relata, Libro II. *Decretorum Ecclef. Gallic.* pag. 231. Bonorum incertorum restitutionem de consilio Episcopi fieri jubent, si res sit magni valoris; si autem sit parvi valoris, in eleemosynas expendi de consilio providi Confessarii. *Si sit magni valoris, tunc Episcopus vel suam potestatem habens, consulatur. Quia circa restitutiones faciendas pericula multa latent.* Idem statuit Concilium Senonense anno millesimo quingentesimo vigesimo-quarto: *De consilio*, inquit, *providi Confessoris, si res ipsa sit parvi valoris, scilicet infra summam sexaginta solidorum Turonensium, in pios usus exponatur: in cæteris verò ad Nos, aut Vicarios nostros, seu Pœnitentiarios remittantur.*

REGULA XXVII.

Restitutionis lege tenentur, qui ludo lucrantur aliquid ab illis qui res proprias non habent, aut liberam rerum suarum administrationem secundum Leges: item qui alios ad ludendum compellunt & trahunt: qui denique fraude lucrati sunt.

De Restitutione.

Hanc Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XXXII. Articulo VII. in Responsione ad secundam Objectionem. *Circa illa* (inquit) *quæ per aleas acquiruntur, videtur esse aliquid illicitum ex divino jure, scilicet quòd aliquid lucretur ab his, qui rem suam alienare non possunt; sicut sunt minores, & furiosi, & hujusmodi; & quòd aliquis trahat alium, ex cupiditate lucrandi, ad ludum: & quòd fraudulenter lucretur; & in his casibus tenetur ad Restitutionem. Aliquid autem videtur esse alterius illicitum ex Jure positivo Civili, quod prohibet universaliter tale lucrum. Sed quia Jus Civile non obligat omnes, sed eos solos qui sunt his Legibus subjecti, & iterum per dissuetudinem abrogari potest: ideo apud illos qui sunt hujusmodi Legibus obstricti, tenentur universaliter ad Restitutionem, qui lucrantur, nisi fortè contraria consuetudo prævaleat; aut nisi aliquis lucratus sit ab eo qui traxit eum ad ludum. In quo casu non tenetur restituere, quia ille, qui amisit, non est dignus recipere. Nec potest licitè retinere tali jure positivo durante. Unde debet de hoc eleemosynam facere in hoc casu.*

Synodalis Liber Nemausensis Ecclesiæ anno 1284. editus Restitutionem in Pœnitentiali Judicio illi injungendam esse docet, *Qui voluntariè, & causâ cupiditatis lucratus fuerit aliqua in ludo.*

Non solùm in foro conscientiæ, sed etiam in foro civili Restitutioni obnoxii sunt, qui à filiisfamiliâs & minoribus aliquid aleæ ludo lucrantur, ut constat ex L. *Quod in convivio*, Tit. *De Aleatoribus*, in Digestis, *Si servus* (inquit) *vel filius familiâs victus fuerit, patri vel domino competit repetitio*, Carolus IX. Rex Christianissimus in Constitutione Molinensi anni millesimi quingentesimi sexagesimi sexti pecunias & bona ludis aleatoriis à minoribus perdita, ab iisdem, vel ab eorum parentibus, tutoribus, & curatoribus repeti posse statuit. Idem sanxit *Ludovicus XIII.* Constitutione editâ anno millesimo sexcentesimo vigesimonono.

In eos qui ad ludum aleæ alios cogerent, sive ab initio, sive victi, Romano Jure veteri animadvertebatur, & actio dabatur. L. *Prætor.* Tit. *De Aleatoribus*, in Digestis: *Prætor ait, In eum, qui alea ludendæ causâ vim intulerit, uti quæque res erit, animadvertam.* In collusores qui fraudem fecerint, velut in raptores actio concessa. *Si rapinas fecerint inter se collusores, vi bonorum raptorum non denegabitur actio.*

Justinianus Imperator sanxit, *Victum in alea lusu, non posse conveniri: & si solverit, habere repetitionem, tam ipsum, quàm heredes ejus, adversùs victores & ejus heredes, idque perpetuò & etiam post triginta annos. Quod si vel ipse, vel ejus heredes repetere neglexerint: liceat cuicumque volenti, & præcipuè civitatis, in qua id factum est, Primati vel Defensori repetere, & in opera civitatis id expendere. Data autem super alea lusu cautio sit irrita, & condici posse.* Verba sunt Legis, *Victum*, C. Tit. *De Aleatoribus*. Et L. *Alearum*, ibidem. *Hac generali Lege decernimus, ut nulli liceat in publicis*

De Restitutione.

vel privatis domibus vel locis ludere, neque in genere, neque in specie: & si contra factum fuerit, nulla sequatur condemnatio, sed solutum reddatur, & competentibus actionibus repetatur ab his qui dederint, vel eorum heredibus, aut his negligentibus, à Patre aut Defensoribus illius civitatis, non obstante nisi quinquaginta annorum præscriptione. Episcopis verò locorum hoc providentibus, & Præsidum auxilio utentibus.

Qui à Monachis lucratus aliquid aleâ aut ludo quocumque fuerit, restituere tenetur Conventui, cujus membra sunt. Proprium enim Monachus seu quicumque voto paupertatis obstrictus Vir Religiosus non habet, nec habere potest: & si quid ipsi à Superioribus conceditur, in usus religiosos dumtaxat, non ad ludum permittitur.

Restitutioni pariter obnoxius est, qui à Beneficiario lucratur aliquid aleæ ludo: siquidem Beneficiarius dispensator est dumtaxat, non dominus bonorum Ecclesiæ, quæ sunt *Oblationes fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum.* Debet autem restitui pecunia ex hujusmodi ludo proveniens, non ipsi Beneficiario, qui ludo illicito & Clericis speciatim per sacros Canones prohibito illam amisit, sed pauperibus. Obnoxii sunt etiam Restitutioni, qui à muliere conjugata, sine mariti sui licentia ludente summam notabilem lucrantur. Cùm enim uxor absque mariti sui licentiâ ex bonis familiæ, quorum dominium & administratio penes maritum est, eleemosynam erogare non possit, ut *S. Augustinus* docet, Epistolâ ad *Ecdicium*; multò minùs illa in ludos impendere potest.

Hanc Regulam confirmat *S. Antoninus*, P. II. Tit. II. Cap. IV. §. 17. *Qui decipit in ludo* (inquit) *ut per falsos taxillos, per falsas chartas, aut dicendo mendacium, si vincit, tenetur restituere decepto. 2. Quando vincit eos qui alienare non possunt, ut sunt servi, filii-familias, præcipuè pupilli, uxores, Religiosi, & hujusmodi, hæc oportet restituere his qui habent curam illorum. 3. Quando vincis eum, quem induxit vel traxit ad ludendum multâ importunitate, cùm non vellet ludere, vel volentem à ludo recedere invitum detinet, tenetur restituere.*

REGULA XXVIII.

Qui Restitutioni obnoxius est ratione delicti, furti scilicet, rapinæ, usuræ, &c. Rem alienam restituere debet eo loco ex quo injustè ablata est, & ubi degit ille cui damnum est illatum, idque propriis sumptibus, etiamsi illi excedant rei ablatæ valorem.

ÆQuitas enim postulat ut qui læsus est servetur indemnis, & restituatur in integrum; contra, qui damnum fecit, gravetur, sibique imputet & sumptus, quos ad restituendum facere debet, secundùm Regulam Juris LXXXVI. in Sexto: *Damnum quod quis culpâ sua sentit sibi debet, non aliis imputare.* Hanc Regulam confirmat Canon *Redintegranda*, Causa III. Quæstione I. Quod *Joannis* Pontificis Maximi Responsum est: *Redintegranda sunt omnia exspoliatis..... & in eo loco, unde abscesserant, funditus revocanda.*

REGULA XXIX.

Qui ratione solius rei acceptæ obnoxius est Restitutioni, qui videlicet rem alienam invenit, collegitque ne domino periret, aut bonâ fide emit, vel possedit, & postea cognovit esse alienam, tenetur restituere in eo dumtaxat loco ubi res illa extat.

CUm enim nullius damni causa fuerit, nullamque fecerit injuriam, æquum non est ut graveur. Dominum itaque moneat ut significet quid de re suâ fieri velit, aut ad eum transmittat, sed ejus sumptibus. *Si verò ille sit multùm distans, debet sibi transmitti quod ei debetur, & præcipuè si sit res magni valoris, & possit commodè transmitti: alioquin debet in aliquo loco tuto deponi, ut pro eo conservetur, & domino significari*; (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXII. Articulo V. in Responsione ad tertiam objectionem.) — De Restitutione.

REGULA XXX.

Qui Restitutioni obnoxius est ratione contractûs, restituere debet in loco de quo conventum est, aut in quo voluisse dominum ut sibi restitueretur est verisimile.

UT enim habet Regula Juris LXXXV in Sexto, *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.* In contractibus commodati & depositi, ubi res eadem numero restituenda est, res aliena reddi debet in loco ubi est accepta, & quidem sumptibus commodatarii in commodato, sumptibus autem deponentis in deposito. Jus enim postulat ut is in cujus utilitatem res accipitur, onus ferat sumptuum, qui sunt ad ejus restitutionem necessarii. Commodatum porrò est in utilitatem commodatarii, depositum accipitur in utilitatem deponentis. Qui ergo librum vel equum acceperit commodato, debet eum suis sumptibus remittere domino ad locum ubi accepit, non tamen in locum longè distantem, quo fortè dominus transmigraverit, nisi aliter fuerit conventum. Qui verò depositum gratis custodiendum accepit, sumptibus deponentis illud restituat, ubi deponens ipse voluerit: non enim æquum est ut ferat expensas, qui nihil commodi ex deposito accipit. Mutuum verò ibi solvendum est, ubi fuit acceptum; & similiter pretium rei emptæ, ubi empta est, nisi aliter conventum fuerit. Quæ quidem conventio ut justa sit, compensandum est onus si quod alteri parti imponitur. Non licet enim obstringere creditorem ut quod mutuo accepit Parisiis, solvat Lugduni suis sumptibus, quia sic creditor lucrum perciperet ex mutuo, adeóque usuram committeret. Si ergo istud onus imponatur debitori alio contractu, illud compensari postulat æquitas.

REGULA XXXI.

Qui per internuntium restituit, Restitutionis onere non semper liberatur, cum res aliena perit, antequam in manu domini reposita fuerit.

SI enim ratione injustæ acceptionis sive retentionis, damnive illati aliquis restitutionis lege teneatur, ac rem injustè acceptam vel detentam restituere velit legitimo domino; ad id porrò internuntii operâ utatur, verbi gratiâ Parochi, Viri Religiosi, Concionatoris, Con-

De Restitutione.

fessarii, aut alterius cujuspiam internuntii, qui probus & fidelis habetur; interim verò res pereat in ejusdem internuntii manibus, sive illius dolo, sive fortuito casu: nullatenus liberatur debitor ab onere restitutionis. Ubi enim culpa vel mora debitoris præcessit, casus etiam fortuitus illi imputatur, ut respondet *Gregorius IX.* cap. *Bona fides*, Extra, *De Deposito.* Idque confirmat *S. Antoninus*, P. II. Tit. II. cap. IV. §. 1. *Si vitium* (inquit) *usuræ, vel furti, vel alterius damni est occultum, & restitutio occulto modo per se vel per alium facienda est, ut non detegatur persona, caveat etiam diligenter quòd, cùm per alium facit, ita faciat cautè, quod is recipiat cui debet, & non ille sibi retineat; quia non esset propter hoc liberatus, nec confidat de Prædicatoribus, & Confessoribus, & Quæstuariis, qui quærunt pecunias, non animarum salutem.*

Si quis obnoxius sit Restitutioni ratione rei acceptæ, vel contractûs, non ratione delicti, & res eadem numero restitui debeat, ut commodatum, locatum, depositum; ejus porrò restitutionem internuntio qui fidelis habeatur demandaverit; qui tamen non restituat sive ex dolo, sive fortuito casu: tunc debitor culpâ vacans à restitutionis onere liberabitur. Quoties enim absque debitoris culpa res aliena perit, domino suo perit, ut ex Legibus compertum est, scilicet L. *Ad eas*, Tit. *Commodati vel contra*, in Digestis: *Ad eos* (inquit) *qui servandum aliquid conducunt, aut utendum accipiunt, damnum injuriâ ab alio datum non pertinere, procul dubio est. Quâ enim curâ aut diligentiâ consequi possumus, ne aliquis nobis damnum injuriâ det?* Et L. *Argentum*, ibidem: *Argentum commodatum si tam idoneo servo meo tradidissem ad te perferendum, ut non debuerit quis æstimare futurum ut à quibusdam malis hominibus deciperetur, tuum, non meum, detrimentum erit, si id mali homines intercepissent.* Et L. *Si mei causa*, Ulpianus ait: *Commodatam rem missus qui repeteret, cùm recepisset aufugit. Si Dominus ei dari jusserat, domino perit: si commonendi causâ miserat, ut referretur res commodata, ei cui commodata est.* Denique si restitutionis internuntius electus est à commendatorio, nec à commodante probatus, res commodatario perit; si electus ac missus est à commodante, ipsimet perit res sua, ut constat ex L. *Eum*, ibidem, §. 1. *Sed etsi, dum refertur, perit, siquidem ego mandaveram per quem remitteret, periculum meum erit: si verò ipse, cui voluit, commisit, æquè culpam mihi præstabit, si sui causâ accepit.*

Si verò res non debetur eadem numero, id est, non secundùm individuam ac determinatam seu singularem substantiam, sed eadem secundùm genus duntaxat, & secundùm pondus, numerum aut mensuram, ut nummi, triticum, vinum, oleum, &c. restituenda est periculo debitoris: adeóque debitor, quantumvis culpæ expers, qui rem hujusmodi internuntio etiam fidelissimo restituendam commisit, restitutionis onere non est liberatus, si is fortè in itinere spolietur. Casus enim fortuiti debitorem non absolvunt, ut constat ex L. *Incendium*, Tit. *Si certum petatur*, Codicis Lib. IV. cujus hæc sunt verba: *incendium ære alieno non exuit debitorem.* Si tamen res illa, quæ eadem numero restituenda est, debeatur ex culpa, vel in ea restituenda intercesserit mora noxia domino, debitor eam suo periculo restituere tenebitur; ejúsque damno peribit, si perire contingat antequam reddatur domino, seu cui dominus voluerit.

REGULA XXXII.

Prælatus, qui res Ecclesiæ usurpavit, eas Ecclesiæ restituere, vel iis quibus ab Ecclesia concessus illarum ususfructus est, relinquere tenetur.

De Restitutione.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione LXII. Articulo V. *Prælatus* (inquit) *potest rem Ecclesiæ surripere tripliciter. Uno modo, si rem Ecclesiæ, non sibi, sed alteri deputatam usurparet, putà, si Episcopus usurparet sibi rem Capituli: & tunc planum est quod debet restituere ponendo in manus eorum, ad quos de jure pertinet. Alio modo, si rem Ecclesiæ suæ custodiæ deputatam in alterius dominium transferat, putà, consanguinei vel amici. Et tunc debet restituere Ecclesiæ, & sub sua cura habere ut ad Successorem perveniat. Tertio modo, potest Prælatus rem Ecclesiæ surripere solo animo; dum scilicet incipit habere animum possidendi eam ut suam, & non nomine Ecclesiæ, & tunc debet restituere, talem animum deponendo.*

REGULA XXXIII.

Non solùm ex injusta rei alienæ acceptione, vel detentione, sed etiam ex injusta boni alteri obventuri interceptione & impeditione, restituendi oritur obligatio.

DAmnum enim infert proximo, qui bonum illi obventurum intercipit, vel impedit. Tres autem debent concurrere conditiones, ut alterius bonum impediens restituere teneatur. Prima, ut sic impeditus potuisset rem obtinere tali impedimento non posito. Secunda, ut rem justè consequi potuisset. Si enim justè rem obtinere non poterat, restituere non tenetur is qui impedivit, cùm jus alterius non violaverit: ut si vir indignus & incapax consecutione beneficii vel Officii prohibitus fuerit, tametsi, qui impedivit, impulsus ad id fuerit ex odio, aut alio pravo affectu. Tertia conditio est, ut impediverit dolo, fraude, aut mendacio, aliave qualibet actione justitiæ oppositâ, qualis est calumnia, detractio, detentio personæ ne compareat; literarum illius interceptio, ne rem speratam prosequi possit; vis illata, aut minæ intentatæ ei qui bonum illud erat collaturus. Solæ verò preces, blanditiæ, promissa non injusta, minimè sufficiunt ut quis restituere teneatur, cùm non sint causæ efficaces damni. Unde restitutionis onus non incumbit illi, qui precibus, blandisque officiis, ac frequenti adhortatione, citra vim ac mendacium, alicujus animum avertit ab instituendo illum heredem, quem priùs instituere decreverat, aut à relinquendo legato, vel donatione facienda, vel à Beneficii Ecclesiastici collatione.

Quicunque verò alterum impedit injustè ne rem consequatur vel possideat, in qua vel ad quam jus habebat per justam promissionem, stipulationem, aliumve contractum, aut per electionem, præsentationem aliumve titulum legitimum, quo datur actio ad rem petendam, restitutionis lege tenetur, quamvis solas preces aut suasiones, non vim aut fraudem adhibuerit: Peccavit enim contra justitiam, cùm jus alteri quæsitum sine legitima causa frustraverit.

De Restitutione.

Hinc colligitur, lege restitutionis illum non teneri, qui sine vi vel fraude autor fuit alteri ut testamentum revocaret, & alium heredem institueret; quia heredes & legatarii jus non habent ad successionem quandiu testator vivit, cùm liberam habeat testamenti sui revocandi potestatem. Sicut ergo testator poterat testamentum suom, sine cujusquam injuriâ revocare, ita potuit alius persuadere modis non illicitis ut illud revocaret. Verùm si vi, minis, aut calumniis testamenti aut legati alicujus revocationem extorserit: aut volentem condere testamentum, vel codicillum, per vim vel fraudem impediverit, impediendo, verbi gratiâ, Notarii aut testium accessum, restitutionis lege tenetur; cùm justitiam violaverit.

Regula XXXIV.

Obligatio restituendi rem alienam, ad heredes furum, raptorum, usurariorum, ac caeterorum qui vel ratione injustæ acceptionis, vel rei acceptæ, vel contractûs, Restitutioni obnoxii sunt, ita transit, ut restituere singuli teneantur, pro rata saltem hereditatis portione quæ ad illos pervenerit. Idem onus legatariis & donatariis incumbit in supplementum.

Heres enim & defunctus censentur in Jure una eademque persona; & sicut heres succedit in jura, ita & in onera realia defuncti, secundùm Legem, *Heres in omne*, Tit. *De acquirenda hereditate*, in Digestis. Eâque ratione persolvere tenetur realia debita defuncti, quantùm ferre possunt vires hereditatis, ubi accuratum Inventarium bonorum omnium ad hereditatem pertinentium confecerit, ut sancitum est *L. Scimus*, C. Tit. *De jure deliberandi, & de adeunda vel acquirenda hereditate.* Quod & Regula Juris 149. in Digestis confirmat: *Ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet.* Et Lex, *Litigator*, Cod. Tit. *De fructibus & litium expensis*, cujus hæc sunt verba: *Heredis quoque succedentis in vitium par fortuna habenda est.* Heres in vitium succedere dicitur, qui tametsi furtum, rapinam, usuras, fraudes non approbaverit, nec illorum criminum particeps fuerit, & conscius, aut bona malè parta esse ignoraverit, cùm adit hereditatem, illa tamen hereditatis jure possidet: Restitutionis (inquam) lege tenetur, sicut ille cujus ad ipsum pervenit hereditas, ut explicat Glossa Legis mox prolatæ. *Si heres* (inquit) *succedat in bonis defuncti, sive heres idem crimen committat, sive non, semper tenetur restituere usuras quas defunctus extorsit in quantum se extendit illius hereditas.* Idque optimè colligit ex L. *Cùm heres*, Tit. *De diversis temporalibus præscriptionibus*, Lib. XLIV. Digestorum, cujus hæc sunt verba: *Cùm heres in jus omne defuncti succedit, ignoratione suâ defuncti vitia non excludit.*

Idem confirmat cap. *Tua nos*, Extra, *De Usuris*, quod est *Alexandri III.* Responsum, cujus hæc sunt verba: *Tua nos duxit Fraternitas consulendos, quid sit de usurariorum filiis observandum, qui eis in crimine usurarum defunctis succedunt; aut extraneis, ad quos bona usurariorum asseris devoluta. Tuæ igitur Quæstioni respondemus, Quod filii ad restituendas usuras ea sunt districtione cogendi, quâ parentes sui, si viverent, cogerentur. Idipsum etiam contra heredes extraneos credimus exercendum.*

Et Cap. *In Litteris*, Extra, *De Raptoribus*, idem Pontifex interrogatus an incendiarius, ab Excommunicatione ante obitum absolutus, Ecclesiasticâ Sepulturâ donari debeat, respondet: *Si ita res se habet, mandamus, ut corpus ejusdem, appellatione cessante, facias in Cœmeterio sepeliri: & heredes ejus moneas & compellas, ut his, quibus ille per incendium, vel alio modo damna contra justitiam irrogaverat, juxta facultates suam condignè satisfaciant; ut sic à peccato valeat liberari*; id est, à pœnis pro peccato in Purgatorio luendis.

Idem confirmat *Gregorius IX.* Quæstioni simili respondens, cap. *Parochiano*, Extra, *De Sepulturis*, cujus hæc sunt verba: *Sed ejus heredes, & propinqui, ad quos bona pervenerunt ipsius, ut pro eodem satisfaciant, Censurâ sunt Ecclesiasticâ compellendi.*

Si heredum unus solvendo non sit, tenentur alii, non quidem in solidum, sed in illud totum quod singulis obvenit de hereditate, ubi ex bonis malè partis tota constat hereditas. Si autem hereditatis bona non sufficiunt, legatarii & donatarii ad integram restitutionem supplendam tenentur ex eo quod ad ipsos pervenit donatione vel testamento ejus, cujus bona restitutioni erant obnoxia, sive ex delicto, sive ex contractu, sive ex rei alienæ possessione. Non enim eis licet cum alterius damno & jacturâ locupletari: neque testator aut donator plus juris in illos transferre potuit, quàm ipse habebat. Sed etsi bona hereditatis ad debita diluenda sufficiant, legatarius restituere tenetur rem alienam, quæ ipsi in propria specie legata est. Quin & dos data filiæ obnoxia est restitutioni rapinarum & usurarum patris, defectu aliorum bonorum, maximè si constet patrem omne patrimonium ex furtis, rapinis, fraudibus, vel usuris conflasse. Dos enim & legitima filiorum constituuntur & assignantur, habitâ ratione bonorum patris, & deducto omni ære alieno, ut colligitur ex *L. Papinianus* Tit. *De inofficioso Testamento*, in Digestis. Et in computatione hereditatis facienda, deduci primùm debent debita Testatoris, ut colligitur ex L. *Scimus*, §. 9. Cod. Tit. *De Jure liberandi & de adeunda vel acquirenda hereditate.* Et ex L. *Si universa*, Cod. Tit. *De legatis.* Neque verò grave filiis videri debet, si tantùm perveniat acceptis à Patre, ut animam patris liberent satisfactione, restituentes quæ damnis non fuerunt: cùm alioqui, si probi filii sint, nihil prætermittere debeant, quo putent Animam patris juvandam, à quo vitam acceperunt. Sic etiam pium gratúmque animum in parentes ostendent, & seipsos a maledictione, quâ participes usurarum irretiuntur, liberabunt.

Eamdem Regulam confirmat *S. Raymundus*, Lib. II. Tit. *De Raptoribus*, §. 24. *De heredibus autem Raptorum* (inquit) *licèt secundùm Leges aliter distinguatur, dico Jure Canonico eos teneri ad omnia debita defunctorum, in quorum locum succedunt, persolvenda, sive fuerint ex contractu, vel quasi; sive ex maleficio, vel quasi: sive pervenit res illa, pro qua debitum fuit contractum, ad eum, sive non: sive lis fuerit contestata cum defuncto, sive non.* XVI. Q. VI. Si Episcopum. *Ext. De Pignoribus*, Ex præsentium, *& De Solutionibus*, cap. 5. Et *De Usuris*, Tua nos, *Et de Raptoribus*, In litteris, *& De Sepulturis*, cap. ultimo. *Hanc opinionem tenuerunt omnes Doctores mei.... Quid si non sufficit hereditas ad debita persolvenda? Videtur quòd si non fecit Inventarium, nihilominus tenetur ad omnia: si verò fecit, tunc non teneatur, nisi in quantum hereditas sufficit.* C. De Jure deliberan-

De Restitutione.

di, &c. SCIMUS. *Ego credo quod in judicio Anima non tenetur, nisi in quantum sufficit hereditas. Distinguo tamen inter debita, & legata & relicta: Quia debita tenetur solvere absque detractione legitima, nisi necesse est quantum potest sufficere hereditas: de legatis autem potest detrahere suam legitimam, si tot sunt, quod illis solutis non remaneret sibi legitima. Nam in legitima pater filium gravare non potuit.* Et §. 26. *Quid si plures sunt heredes? Nunquid quilibet tenetur in solidum creditoribus, an pro hereditaria portione, respondeo: Regulariter tenetur quilibet heres pro parte hereditaria.* C. De hereditariis actionibus, *L.* 1. & 2. Et certè si heredes tenerentur in solidum restituere ac solvere debita defuncti ex delicto provenientia, nempe ex furto, rapina, usuris, & lucris quibusvis illicitis, bona defuncti essent hypothecata creditoribus, quibus damnum intulit seu furtis, seu rapinis, sive usuris, concussionibus, aut aliis delictis. Obligationis enim in solidum fundamentum est hypotheca, quâ bona debitoris creditori pro debito manent obligata ex mutua conventione. Bona porrò defuncti obligata non manent debitoribus pro debitis provenientibus ex delicto, cùm nulla conventio ea de re intercesserit, ex qua duntaxat hypotheca expressa acquiritur: nec ulla Lex Civilis, nullum Juris Municipalis sive consuetudinarii caput, nulla Constitutio Regia hypothecam debitoribus concedat in bona creditorum pro debitis provenientibus ex delicto; immò nec ullo Canone aut Juris Pontificii Decreto tacita hujusmodi constituitur hypotheca. Ad restituendum igitur aut solvendum hujus generis debita in solidum non tenentur heredes, sed solùm pro rata parte hereditatis quæ ad illos pervenit.

REGULA XXXV.

Restituere tenetur Usurarius quicquid lucratus est per usuram ex rebus, quarum usus non est ipsarum consumptio, non verò quod lucratus est ex rebus quæ ipso usu consumuntur.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXXVIII. Articulo III. *Res quædam sunt* (inquit) *quarum usus est ipsa earum rerum consumptio, quæ non habent usumfructum, secundum Jura: & ideo si talia fuerint per usuram extorta, putà denarii, triticum, vinum, aut aliquid hujusmodi, non tenetur homo ad restituendum nisi id quod accepit: quia id quod de tali re est acquisitum, non est fructus hujusmodi rei, sed humanæ industriæ: nisi forte per detentionem talis rei alter sit damnificatus amittendo aliquid de bonis suis; tunc enim tenetur ad compensationem nocumenti. Quædam verò res sunt, quarum usus non est earum consumptio: & talia habent usumfructum, sicut domus, ager, & alia hujusmodi. Et ideo si quis domum alterius vel agrum per usuram extorsisset, non solùm teneretur restituere domum vel agrum, sed etiam fructus inde perceptos: quia sunt fructus rerum quarum alter est Dominus, & ideo ei debentur.*

Dominium quidem rei ex usuris comparatæ transit ad Usurarium ementem, neque usuraria res illa est, sicut *Neque nummus ex re furtiva redactus furtivus est*, ut dicitur L. *Qui vas*, Tit. *De Furtis*, in Digestis: sed tamen obligata manet iis à quibus usuræ sunt acceptæ. Succedit enim hæc res loco pretii; sicut contra pretium succedit loco rei. Unde *Alexander III.* Cap. *Cùm tu*, Extra, *De Usuris*, respondet: *Possessiones verò quæ de Usuris comparatæ sunt, debent vendi, & ipsarum pretia his, à quibus Usuræ sunt extorsæ, restitui: ut sic non solùm à pœna, sed etiam à peccato possint, quod per usurarum extorsionem incurrerant, liberari.*

Id confirmat *S. Thomas* ibidem in Responsione ad secundam Objectionem: *Possessiones* (inquit) *quæ de Usuris sunt comparatæ, non sunt eorum quorum sunt usuræ, sed illorum qui eas emerunt: sunt tamen obligatæ illis à quibus fuerunt usuræ acceptæ, sicut & alia bona Usurarii. Et ideo non præcipitur, quòd assignentur illæ possessiones his à quibus fuerunt acceptæ usuræ, quia fortè plus valent quàm usuræ quas dederunt: sed præcipitur quòd vendantur possessiones, & earum pretia restituantur, scilicet secundùm quantitatem usuræ acceptæ.*

REGULA XXXVI.

Quicunque Usurarum exactioni cooperati sunt, ad Restitutionem tenentur, in subsidium illorum qui usuras acceperunt, si illi non restituerint.

QUicunque enim damni causa est, Restitutionis lege tenetur; principaliter quidem qui damni præcipuus autor fuit; alii verò in subsidium, si ille damnum illatum non resarciat. Quamobrem Notarii & Tabelliones, qui Instrumenta conficiunt ad palliandas usuras, tenentur ad restitutionem usurarum acceptarum, ratione instrumenti ab illis confecti, maximè si usurarii ob inopiam restituere non possint. Idem esto judicium de Advocatis & Procuratoribus, qui contractus fœneratitios defendunt: Item de Principibus & Magistratibus, qui Legibus suis, Statutis, vel Sententiis usuras approbant, & fœneratoribus eas exigendi, vel non restituendi, dant auctoritatem, earúmque repetitionem prohibent: Item de Confessariis, qui manifestum usurarium ad Confessionem receperint, & absolverint, contra formam Capitis *Quamquam*, Tit. *De Usuris*, in Sexto. Item de Conscientiarum Moderatoribus, & Doctoribus, qui de casibus Usurarum interrogati, respondent Usurarios Contractus non esse, qui secundùm probabiliorem Theologorum Sententiam, legique magis quàm cupiditati faventem, Usurarii sunt & censentur; & Restitutioni obnoxios non esse, qui contractus illos inierunt.

Ad restitutionem tenentur & fidejussores Usurariorum, qui pro ipsis in usurarum restitutionem fidejusserunt. Et quidem si ante cessionem bonorum ab illis factam pro illis se obligaverunt, in omnem eventum fidejussisse censebuntur: & quamvis Usurarius destituatur facultatibus, desinat esse solvendo, vel cedat bonis, nihilominus fidejussor tenebitur ex facultatibus suis solvere. Nam, ut ait *Justinianus* Libro IV. *Institutionum*, Tit. XIV. Quædam exceptiones, quæ debitoribus dari solent, fidejussoribus non dantur. *Ecce enim debitor si bonis suis cesserit, & cum eo creditor experiatur, defenditur per exceptionem, si bonis cesserit: sed hæc exceptio fidejussoribus non datur: ideo scilicet, quod qui alios pro debitore obligat, hoc maximè prospicit, ut cùm facultatibus lapsus fuerit debitor, possit ab iis, quos pro eo obligavit, consequi.* Quod si non simpliciter fidejussit aliquis pro usurario, sed pro restituendis usuris mortui, qui sine illa cautione sepeliri non poterat; tenetur solùm restituere in quantum vires hereditatis usurarii tempore fidejussionis valebant.

De Restitutione.

Tenentur etiam ad Restitutionem proxenetæ seu mediatores usurarum acceptarum, si pro creditore operas præbuerint, ut quærerent, cui mutuum cum usuris daret. Illi enim sceleris participes ac fautores sunt, ac proinde tenentur ad restitutionem in subsidium Usurarii, si is non restituerit, ut colligitur ex *L. Si sciente*, Ad Legem Pompeiam *De Parricidiis*, Libro XLVIII. Digestorum; cujus quidem Legis Glossa ad verbum *caverint*, sic habet: *Nota argumentum contra proxenetas, ut teneantur reddere Usuras, secundùm Ecclesiam, ac si ipsi accepissent.* At verò si proxeneta seu mediator ex parte tantùm mutuum accipientis intervenit ad inveniendum creditorem, qui pecuniam mutuo daret, restitutionis lege non tenetur, etiamsi duxerit ad eum, qui solitus non erat nisi cum usuris mutuum dare, modò nullam habeat cum usurario societatem, nullúmque munus aut lucrum ab eo percipiat ut ducat ad ipsum eos qui mutuâ pecuniâ indigent, & ad usuram accipere parati sunt.

Ad Restitutionem pariter tenentur negotiorum Usurarii gestores, qui pro eo dant mutuum ad usuram, eamque recipiunt, aut contractus usurarios ejus nomine ineunt: aut usurario serviunt ad usuras exigendas vel recipiendas, vel præsunt mensæ fenebri, vel mutuum ferunt quod ad usuram dari non ignorant, vel pignora accipiunt ad usurarum usque solutionem custodienda, non in debitorum utilitatem, sed in commodum & gratiam fœneratorum. Item qui domos suas publicis usurariis locant. Hi enim omnes usurarum exactioni cooperari censentur.

Ad Restitutionem etiam tenentur tutores & curatores, qui usuras exigunt & recipiunt nomine pupillorum, si solvendo non sunt illi quorum nomine illas acceperunt. Quamobrem Canone *Sicut non suo*, Distinctione XLVI. qui ex *S. Leone* ad Episcopos Campaniæ scribente sumptus est, non minùs damnatur fœnus quod alieno nomine Clerici exercent, quam quod suo. *Indecens est enim* (inquit) *crimen suum commodis alienis impendere.* Ubi Glossa observat, hinc argumentum sumi. *Quòd si aliquis quasi Procurator vel Tutor quandoque recipit usuras, non potest petere ut sibi reddantur usuræ. Unde si aliquis Tutor à me recipis usuras nomine pupilli, finito officio possum petere usuras à Tutore: quia pro eo peccare non debuit: secus in aliis contractibus, quia finito officio non convenitur tutor vel curator*; ut colligitur ex L. *Si non subscripsisti*, Cod. Tit. *De Administratione Tutorum*, & L. I. Cod. Tit. *Quando tutores & curatores esse desinant*? Id confirmat *S. Raymundus*, Libro II. Tit. *De Usuris*, §. 18. *Sicut* (inquit) *prohibetur aliquis recipere usuras nomine suo, ita & alieno. Et si accipit alieno nomine, sive sit tutor, sive sit curator, vel quicunque alius, tenetur ad restitutionem, si ille cujus nomine accepit, vel non est solvendo, vel non vult restituere. Nam facientes & consentientes par pœna constringit*, Causa II. Quæstione I. Canone *Notum*. Idem docet *S. Antoninus* P. II. Tit. II. cap. IV. § 3.

A

REGULA XXXVII.

Creditoris condonatio à Restitutionis obligatione liberat debitorem.

De Restitutione.

Tres conditiones necessariæ ut condonatio creditoris debitorem in foro conscientiæ liberet ab obligatione solvendi vel restituendi.

JUstis enim bonorum suorum quisque dominus est, & condonatione debiti factâ non detinetur ampliùs res aliena invito domino. Sed ut condonatio creditoris debitorem in foro conscientiæ liberet ab obligatione solvendi aut restituendi, tres conditiones concurrant necesse est. Prima est, ut condonatio facta sit ab eo qui condonare poterat: cujus conditionis defectu invalida est condonatio quam faciunt filii-familiâs, peculium castrense, aut quasi castrense non habentes, pupilli, minores, Religiosi Professi, stulti, furiosi, prodigi Magistratûs Sententiâ declarati, & à bonorum suorum administratione exclusi, & alii qui donandi, atque adeo condonandi potestatem legitimam non habent. Quamobrem si Vir Religiosus aut Sanctimonialis alicui ex consanguineis suis vel amicis condonaverint debitum ex pensionis vitalitiæ, donationis, aut fundationis contractu proveniens, aut ex eo quod mutuum inconsulto fortè Superiore ipsis dederint, non liberantur illi ab obligatione solvendi Conventui: quia Monachus nihil proprium habet, adeóque nihil donare potest. Unde Canone *Abbati*, Distinctione LIV. ex *S. Isidoro Hispalensi*, dicitur: *Abbati vel Monacho Monasterii servum non licebit facere liberum. Qui enim nihil proprium habet, libertatem rei alienæ dare non potest. Nam sicut etiam seculi Leges sanxerunt, non potest possessio alienari nisi à proprio domino.* Sed neque Clericus, nulla aliena bona habens præter bona Ecclesiastica, remittere potest consanguineo suo, vel alteri, qui solvendo sit, debita ex illis bonis provenientia, aut restitutionem condonare: quia bonorum hujusmodi dominium non habet, sed solam dispensationem, ut colligitur ex Canone *Episcopi*, Causa XII. Quæstione I. qui est Concilii Agathensis Canon XLVIII. & ex Canone *Placuit*, eadem Causa, Quæstione III. qui est Concilii Carthaginensis III. XLIX. Ex cap. *Investigandum*, & aliis, Extra, *De Peculio Clericorum*, & cap. *Relatum est*, 2. Extra, *De Testamentis*, quod est *Alexandri III.* Responsum. Quod quidem & de bonis ipsis ex portione Clerico singulatim assignata & addictâ reservatis & residuis intelligendum esse censent *Innocentius IV.* in cap. *Cùm in Officiis*, *De Testamentis*, *Panormitanus* in cap. *Cùm esses*, sub eodem Titulo. *Joannes Andreas* in Canone *Res Ecclesiæ*, Causa II. Quæstione I. Glossa in eundem Canonem, & *Gratianus* in eadem Causa & Quæstione. ubi & ad hujus confirmationem Sententiæ illud *S. Augustini* profert ex illius Epistola ad *Bonifacium* Comitem, aliàs L. nunc CLXXXV. *Si privatim, quæ nobis sufficiant possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.*

Secunda conditio ad condonationem legitimam necessaria est, ut spontanea sit, non dolo, non fraude, non vi, non minis extorta. Unde si quis, ad condonationem debitorum, aut restitutionis obtinendam, paupertatem simulet, seque solvendo non esse mentiatur, aut multò graviora damna passum, quàm revera passus sit; aut creditores totum debitum amissuros minetur, nisi partem condonent, non est liber à

restitutionis

DE DECALOOO.

De Restitutione.

restitutionis onere. *Fraus enim & dolus nemini debent patrocinari.* Casum istum elucidat *S. Antoninus* P. II. Tit. II. Cap. IV. §. I. *Ubi* (inquit) *certum est & clarum debitum & ratio usurarum, vel ulterius usurpationis, nisi creditor liberaliter remittat illud quod remittit: etiamsi de mille decem tantùm remitteret, si hoc facit quia putat se aliter non posse residuum habere, nil valet illa remissio facta ex publico pacto quoad animam. Unde cùm Mercator infortunia passus fallit, & occultans multa de bonis suis mobilibus, ut non perveniant ad manus creditorum, quærit compositionem cum eis de minori qualitate quam debeat; putà, promittit respondere singulis creditoribus ad rationem quindecim solidorum pro libra, cùm tamen posset totum dare, vel cedere bonis, cui compositioni assentiunt creditores, & ita recipientes liberant eum de residuo: certum est quia quoad Deum adhuc tenetur de residuo; cum illi non sponte, sed coactè fecerint illam remissionem, volentes potiùs illa parte carere quàm toto. Quinimò & si cederet bonis totaliter, nil sibi reservando, & non sufficiunt bona illa ad satisfaciendum, si postea pervenerit ad pinguiorem fortunam, tenetur de residuo.* Extra, *De Solutionibus*, Cap. *Odoardus.*

Tertia conditio requisita ut condonatio ab obligatione restituendi in foro conscientiæ liberet, est, ne Jure vetita sit, sive ne debitor positiva Lege declaratus sit incapax condonationis. Hinc Visitatur Ecclesiarum, si ab eis quos visitat, vel quorum vice Sacram Visitationem obit, aliquid accipiat præter sumptus necessarios, duplum restituere tenetur, etiam ante Sententiam Judicis, *Nulla ei in hoc damnum remissione, liberalitate, seu gratiâ valiturâ*, ut habetur Cap. *Exigit*, Tit. *De Censibus*, in Sexto. Similiter Judex Delegatus, si quid à partibus acceperit, nisi fortè esculentum aut poculentum merâ liberalitate oblatum, quod paucis diebus possit consumi; vel si propter causam sibi commissam extra domicilium profectus acceperit aliquid præter expensas moderatas; vel à partibus pauperibus aliquid expensarum etiam nomine exegerit, ad Restitutionem integam tenetur, *Nullâ eorum, quibus Restitutio facienda fuerit, remissione ullatenus profutura eidem*, ut habetur Cap. *Statutum*, Tit. *De Rescriptis*, in Sexto. Item si Inquisitores Officii sui ratione pecuniam extorserint, restituere jubentur iis à quibus acceperunt, *Nullis privilegiis, pactis, aut remissionibus super hoc valituris*; ut habetur in Clementinis Cap. *Nolentes*, Tit. *De Hæreticis.* Denique Canonici qui Divinis Officiis non intersunt, restituere tenentur distributiones, etiamsi illi, quibus accrescunt, eas condonent, ut statuit Concilium Tridentinum Sessione XXIV. *De Reformatione*, Cap. XII. *Distributiones verò* (inquit) *qui statis Horis interfuerint, recipiant: reliqui quavis collusione aut remissione exclusi his careant.*

REGULA XXXVIII.

Præscriptio restituendi obligationem perimit.

HÆc Regula ut intelligatur, supponendum est quid sit Præscriptio, & quot ad illam conditiones requirantur.

Præscriptio est acquisitio dominii utilis vel directi per continuationem possessionis temporis Lege definiti.

Ad legitimam Præscriptionem quinque simul conditiones concurrant necesse est.

DE DECALOGO.

Prima est continuata possessio. Nam *Sine possessione præscriptio non procedit*; ut habet Regula Juris III. in Sexto.

De Restitutione.

Conditiones ad præscriptionem requisitæ.

Secunda est, rei capacitas ut præscribi possit; qualem non habent res Sacræ, & publicæ, Juráque Ecclesiastica. Unde Laici præscribere non possunt jus cognoscendi ac judicandi causas Ecclesiæ, jura decimarum, primitiarum, aliaque bona spiritualia; ut constat ex Cap. *Causam*, Extra, *De Præscriptionibus.*

Tertia est, bona fides. Ut enim dicitur Cap. *Vigilanti*, sub eodem Titulo, *Nulla antiqua dierum possessio juvat aliquem malæ fidei possessorem, nisi resipuerit, postquam se noverit aliena possidere: cùm bonæ fidei possessor dici non possit.* Tametsi enim Jure Civili possessor malæ fidei tutus sit præscriptione triginta annorum (L. *Sicut*, Cod. *De Præscriptione 30. vel 40. annorum*) non tamen tutus est Jure Divino, ut colligitur ex eodem Cap. *Vigilanti*, quod est *Alexandri III.* Responsum: *Ephesinum*, inquit, *Legislator solùm propter vitandam miserorum segnitiem, & longi temporis errorem & confusionem, primus tricennali vel quadragenali præscriptionis vigorem legis imposuit. Nobis autem tam in rebus cognitis, quam latentibus, placuit non habere vigorem.* Id est, neque in rebus quas dominus ab aliis possideri cognoscit, nec in rebus quas verus dominus ad se pertinere nescit, ut explicat Glossa. Idem confirmat Cap. *Quoniam omne*, sub eodem Titulo, quod est *Innocentii III.* Decretum in Concilio Lateranensi IV. *Quoniam*, inquit, *omne quod non est ex fide peccatum est, Synodali Judicio diffinimus, ut nulla valeat absque bona fide Præscriptio tam Canonica quàm Civilis: cùm generaliter sit omni Constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari. Unde oportet, ut qui præscribit, in nullâ temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.* Hinc Regula Juris II. in Sexto: *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.*

Quarta conditio legitimæ præscriptionis, est titulus probabiliter præsumptus; nam si certus esset, transferret certè dominium non exspectatâ præscriptione. Id constat ex Cap. *Si diligenti* Extra, *De Præscriptionibus*, cujus hæc sunt verba: *Cùm in præscriptione Rerum Ecclesiasticarum bona fides & justus titulus exigantur.* Nunquam porrò justus est titulus, si res sit vitiosa, id est furtiva, vel vi possessa; ideòque non solùm fur vel raptor, sed nec ullus alius, quamvis ab eis emerit, vel alias bona fide acceperit, præscribere vel usucapere potest, ut habetur in Institutionibus Justiniani, Tit. *De Usucapion.* §. *Et furtiva*, & §. *Quod autem.*

Quinta denique conditio præscriptionis legitimæ est tempus lege definitum, quod est triennium in usucapione mobilium: in præscriptione autem bonorum immobilium privatorum cum titulo anni decem inter præsentes, & viginti inter absentes: sed sine titulo anni triginta, modò non constet rem fuisse malâ fide acquisitam. Ad præscribendas res Ecclesiæ immobiles anni requiruntur quadraginta, tam Jure Civili, Authent. *Quas actiones* Cod. *De Sacrosanctis Ecclesiis*, quàm Jure Canonico, Cap. *De quarta*, Cap. *Ad aures*, Cap. *Illud*, Cap. *Quia judicante*, & Cap. *Accedentibus*, Extra, *De Præscriptionibus.* Soli Romanæ Ecclesiæ competit Privilegium ne adversùs eam nisi centum annis præscribatur.

Tempus autem ad præscriptionem requisitum fuerit pacificum necesse est, neque ullâ litis contestatione interruptum, ut respondet *Alexander*

De Præscriptionibus.

III. Cap. *Illud*, Extra, *De Præscriptionibus*, cujus hæc sunt verba: *Si de præscriptione & interruptione inter partes fuerit mota quæstio, ab utraque parte testes recipi debent: & si probata fuerit interruptio, præscriptio non tenebit.* Civili tamen Gallorum Jure contestatio litis triennii lapsu interrupta ita perimitur, ut vim non habeat prorogandi actionem, & præscriptionem impediendi, ut constat ex Constitutionis Ruscinonensis Articulo XV. modò contestatio litis bonam fidem possessoris non concusserit. Sed præscriptionem dumtaxat bonorum privatorum, Constitutio illa spectat, non bonorum Ecclesiæ, quæ solo Jure Canonico judicatur.

His positis, evidens est obligationem restituendi præscriptione perimi, si quidem præscriptione legitimâ verè transfertur dominium, quod ita statuerunt Leges, tum ne rerum dominia in incerto essent; tum ut aliquis litium finis esset, & privatarum familiarum quieti consuleretur, quæ justæ possessionis titulos & instrumenta, probationesque ac defensiones Actorum petitionibus oppositas, privatis aut publicis calamitatibus quandoque amiserunt; tum denique ut negligentia domini rei suæ possessionem non curantis puniatur. Præscriptione igitur consummatâ dominium transfertur in præscribentem; adeòque rem præscriptam priori domino restituere ille non tenetur; sed illam velut suam retinere potest, quamvis post lapsum temporis ad præscriptionem constituti certò intelligat rem non fuisse suam. Id utroque Jure sancitum, confirmat *S. Thomas*, Quodlibeto XII. Quæstione XVI. Articulo II. Quærit, *Utrum ille qui mala fide præscripsit, teneatur ad Restitutionem?* Respondet circa hoc dissensionem esse inter Jus Civile & Jus Canonicum: *Quia secundùm Jus Civile talis præscriptio tenet: secundùm Jus Canonicum talis præscribere non potest: & ratio hujus contrarietatis est, quia alius est finis quem intendit Civilis Legislator, scilicet pacem servari & stare inter cives: quæ impediretur si præscriptio non curreret, quicunque enim vellet, posset venire & dicere, Istud fuit meum, quocunque tempore: finis autem Juris Canonici tendit ad quietem Ecclesiæ, & ad salutem Animarum: nullus autem in peccato salvari potest, nec pœnitere de damno, vel de alieno, nisi recompenset. Et ideo dictatum est, quòd si quis præscribat bona fide possidendo, non tenetur ad Restitutionem; etiamsi sciat alienum fuisse post præscriptionem; quia Lex potest aliquem pro peccato & negligentia punire in re sua, & illam alteri dare & concedere: sed qui malâ fide præscribit, tenetur emendare, & satisfacere, reddendo damnum quod intulit.*

Idem confirmat *S. Raymundus*, Libro II. Tit. *De Præscriptionibus*, §. 33. Quærit, Quando præscriptio completa est cum bona fide continua, & justo titulo, & aliis circumstantiis, & postea incipit possessor habere conscientiam rei alienæ utrum ad Restitutionem teneatur? Quæstionem disceptat in utramque partem. Affirmans niti videtur præcepto Domini, Exodi XX. dicentis: *Non concupisces rem proximi tui.* Item his *S. Augustini* verbis, Libro *De Fide & Operibus*, Cap. VII. *Bona fidei possessor rectissimè dicitur, quandiu se possidere ignorat alienum; cùm verò scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei possessor perhibetur, tunc justè injustus vocabitur.* Idem probari posse ait ex Cap. *Vigilanti*, Extra, *De Præscriptionibus*. Negantem verò sententiam, scilicet quòd restituere non teneatur, niti ait utroque Jure. *Possidet ergo iste auctoritate Juris* (inquit) *Ergo non alienum, sed suum possidet, ergo non peccat.* Unde *S. Augustinus* Epistola ad *Macedonium* ait: *Hoc certè alienum non est quod jure possidetur. Hoc autem quod jure, justè, & hoc quod justè, bene.* Item, *Jure humano dicitur, Hæc villa mea est: tolle Jura Imperatorum, & quis audet dicere, Hæc villa mea, meus est iste servus, mea est hæc domus?* Distinctione VIII. *Quo jure.* Item, *Cum Papa & Imperator, quibus commissum est à Deo Regimen & dispositio Mundi statuerint hoc ex causa utili & honesta; & propter publicam utilitatem, quis audet contradicere? Causa enim fuit triplex; una, bona fidei possidentis; secunda, odium negligentis petere rem suam: tertia, ne dominia rerum essent incerta & confusa, & inde postea possent sequi multa mala.* Quæstione sic in utramque partem disceptatâ, subdit *S. Raymundus*, Varias esse circa illam repugnantésque sententias. Theologos fere omnes affirmantem propugnare, quòd scilicet restituere teneantur; Jurisperitos contrariam asserere, nempe quòd restituere minimè teneantur. Ipse verò mediam sententiam eligit. *Mihi videtur*, inquit, *salvo meliori judicio, aliter distinguendum: quia aut iste possessor post completam præscriptionem habet conscientiam remordentem, aut non. In primo casu, dicam ei præcisè quòd restituat rem; quia qui facit contra conscientiam etiam erroneam, ædificat ad gehennam.* XI. Quæstione 3. Cui est illata. Extra De Simonia. Per tuas. 2. *In secundo casu, si dicat quòd credit justè possidere Juris auctoritate, nec habet conscientiam super hoc remordentem; vel etiam si habuit aliquo tempore post completam præscriptionem, consilio Peritorum deposuit omnem scrupulositatem conscientiæ, tunc consulerem ei ut restitueret, saltem propter ambiguum duplicitatis; & quia vix poterunt concurrere omnia, quæ exiguntur ad præscriptionem. Si nollet acquiescere, non audeo sibi dare securitatem quod sit in statu salvandorum, propter Jura pro prima parte inducta: non audeo etiam præcisè definire eum teneri, vel esse propter hoc in statu damnandorum, propter Jura pro secunda parte inducta, præsertim cum sic videatur servare per universum orbem quocumque se diffundit Ecclesia.* Sententia Ecclesiæ est, teste *S. Raymundo*, Eum qui bona fide præscripsit, ad Restitutionem non teneri, quamvis completâ præscriptione tandem cognoscat rem, quam possidet, non fuisse suam.

REGULA XXXIX.

Qui probabiliter persuasus rem esse suam, ejus possessionem cepit, & medio tempore dubitavit an sua esset vel aliena, restituere illam non tenetur completâ Præscriptione.

DUbitatio namque superveniens bonam fidem semel habitam non perimit, adeóque nec bonæ fidei possessionem interrumpit. Unde quamvis malæ fidei possessor sit, qui dubitans utrum res sua esset vel aliena, ejus possessionem adiit: malæ tamen fidei possessor non est habendus, qui probabiliter persuasus rem esse suam, non crassâ deceptus ignorantiâ, non avaritiâ excæcatus aut impulsus, possessionem ejus cepit, postea nihilominus dubitavit an sua res vel aliena esset. Unde postquam *Innocentius III.* Cap. *Quoniam*, Extra, *De Præscriptionibus*, declaravit quòd *Nulla valet absque bona fide præscriptio tam Canonica quàm Civilis*; Subdit: *Unde oportet ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.* Ex quibus evidenter colligitur, solam conscientiam quòd res sit aliena, tollere

De Restitutione.

lere bonam fidem, non verò dubitationem. Idem confirmat Canon *Si virgo*, Causâ XXXIV. Quæstione I. *In jure prædiorum*, inquit, *tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum.* At qui dubitat, is certè ignorat se possidere alienum, nec rei alienæ conscientiam habet: manet itaque bonæ fidei possessor. Idem confirmat Cap. *Dominus*, Extra, *De secundis Nuptiis*, quo *Lucius III.* decernit ut mulier, *si de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei qui sibi nupsit debitum non deneget postulanti.* Cùm igitur debitum conjugale reddi non possit nisi bona fide, sequitur bonam fidem dubitatione non tolli. Denique si is qui bona fide possessionem inivit, natâ postmodum dubitatione non præscriberet, sed restituere teneretur, falsa esset Juris Regula: *In dubiis potior est conditio possidentis.*

REGULA XL.

Restitutio statim & absque mora facienda est, si fieri possit. Certis tamen casibus differri potest, si nimirum id postulet grave periculum imminens vitæ, famæ, innocentiæ ac saluti debitoris, aut familiæ ipsius; vel etiam rerum legitimè partarum, statusque justè acquisiti notabile detrimentum ex subita Restitutione emergens: nec simile damnum immineat creditori.

HAnc Regulam firmâ ratione probat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LXII. Articulo VIII. *Sicut*, inquit, *accipere rem alienam est peccatum contra justitiam, ita etiam detinere eam: quia per hoc quòd aliquis retinet rem alienam invito domino, impedit eum ab usu rei suæ, & sic ei facit injuriam. Manifestum est autem quòd nec per modicum tempus licet in peccato morari, sed quilibet tenetur peccatum statim deserere, secundum illud Eccli. XXI. Quasi à facie colubri fuge peccatum: & ideo quilibet tenetur statim restituere, si potest; vel petere dilationem ab eo qui potest usum rei concedere.*

Et in Responsione ad primam objectionem, ait, quòd *Præceptum de restitutione facienda, quamvis secundùm formam sit affirmativum*, seu affirmatè exprimatur, *implicat tamen*, & involvit *in se negativum præceptum, quo prohibemur rem alterius detinere.* Præceptum autem negativum obligat semper, nullóque tempore prætermitti ejus observatio potest, nullam moram patitur ejus executio.

Addit in Responsione ad secundam objectionem: *Quando aliquis non potest statim restituere, ipsa impotentia absolvit eum ab instanti Restitutione facienda: sicut etiam totaliter à Restitutione absolvitur, si omnino sit impotens. Debet tamen remissionem vel dilationem petere ab eo cui debet, aut per se, aut per alium.*

Ex his patet, Restitutionem statim faciendam esse, si fieri possit: posse tamen differri, cùm necessitas & præsens impotentia restituendi moram postulat: unde *Inanis actio creditoris* à Jurisconsultis dicitur, *quam inopia debitoris excludit.* Et Gregorius IX. Cap. *Odoardus*, Extra, *De Solutionibus*, de Clerico propter quædam debita, quæ solvere omnino non poterat, excommunicato sic respondet: *Si constiterit quòd vel in totum, vel pro parte solvere non possit debita supradicta, Sententiam ipsam sine difficultate qualibet relaxetis; receptâ priùs ab ipso idonea cautione, ut si ad pinguiorem fortunam devenerit, debita prædicta persolvat.* Præsens igitur impotentia restituendi excusat à Restitutione statim facienda. Impotentiam dico, non solùm physicam, ut Theologi loquuntur, quando scilicet nihil omnino habet debitor unde restituat; sed etiam moralem, cùm nempe restituere absque gravi sui vel suorum nocumento non potest; verbi gratiâ, si debitor extremâ aut valde gravi necessitate prematur, cui aliunde succurrere non possit quàm ex re aliena injustè possessâ. Item si absque gravi periculo vitæ, famæ, innocentiæ ac salutis suæ vel suorum restituere non valeat. Item qui sine magno detrimento rerum suarum justè partarum, aut status justè acquisiti, statim restituere non potest, is solutionem absque peccato differt; modò tamen creditor simile damnum non patiatur. Nam & Civili Jure sancitum est ut induciæ debitoribus indulgeantur, qui solvendo statim non sunt absque suâ culpâ, aut qui ad egestatem redigerentur, si creditores immisericordes ipsos nimiùm urgerent. Hinc Regula Juris CLXXIII. in Digestis: *In condemnatione* (inquit) *personarum, quæ in id, quod facere possunt, damnantur, non totum quod habent extorquendum est, sed & ipsarum ratio habenda est, ne egeant.*

Præterea, *Impossibilium nulla est obligatio*: Impossibile porrò censetur, moraliter loquendo, homini ut statim restituat, si restituere non possit absque gravi detrimento rerum suarum justè partarum, aut absque ruina sui status justè acquisiti; verbi gratiâ, si is qui debet centum aureos, statim eos solvere non possit, nisi domum suam, vel prædium multò minoris vendat, quàm valeat: si vir Nobilis restituere statim non possit, nisi ad statum plebeium & mechanicum redigatur. Statum tamen suum imminuere tenetur, quantùm salvâ externâ honestate & decentiâ, famâque sua potest, & expensas domûs suæ ac familiæ moderari, ut solvat debita, & res alienas quamprimùm restituat. Si verò simile detrimentum immineat creditori ex mora solutionis vel restitutionis, debitor statim restituere tenetur, etiam cum gravi damno rerum vel statûs sui; quia extra casum necessitatis extremæ, aut velut extremæ, in pari causa damni potior esse debet conditio creditoris. Verùm grave damnum, quod à restitutione statim facienda excuset, nequaquam censendum est, cùm magna pecuniæ summa seu res quævis aliena magnæ quantitatis & valoris restituenda est, adeóque magna imminutio facienda rei familiaris cui immixta erat, & (ut ita loquar) incorporata; aut cùm grande lucrum subita restitutio interceptura est: id enim non est amittere suum, sed alienum relinquere, seu alieno non uti, secundùm Regulam Juris LXXXIII. in Digestis: *Non videntur rem amittere, quibus propria non fuit.*

Hinc sequitur, illum cujus bona injustè parta sunt, vel status injustè acquisitus, à Restitutione statim facienda non excusari, etiamsi statim restituere non possit absque gravi rerum suarum detrimento, aut statûs eversione: nec etiam excusari illum qui ludis, compotationibus, meretriciis amoribus, aliisve sumptibus iniquis, ac superfluis, bona sua decoquendo, ad eas angustias redactus est, ut absque gravi suo damno restituere statim non possit. Hic (inquam) restituere nihilominus tenetur, si absolutè potest, nisi a creditoribus suis inducias obtineat, quas non meretur.

Hanc Regulam *S. Antoninus* confirmat, P. II. Tit. II. Cap. VIII. *Quidam* (inquit) *circa materiam istam dicunt, & meo judicio satis rationabiliter, quòd in certis casibus non tenetur quis ad statim restituendum actualiter, etiamsi habeat modum aliquem ad restituendum, & ab eo cui tenetur, invenire non pos-*

De Restitutione.

sic nec remissionem, nec dilationem, sed subitam vellet sibi fieri Restitutionem: quando videlicet statim inde sequeretur vel probabile damnum spirituale, vel temporale damnum notabile ipsius restituentis, vel aliorum, quod præponderaret damno ejus qui debet habere, ex carentia illius rei. Potest autem tale damnum esse triplex, scilicet periculum mortis, infamia gravis, seu scandalum notabile, vel damnum & periculum probabile mortalis culpæ. Ratio hujus est, scilicet quòd talis Restitutio possit differri, quia creditor magis debet velle in hujusmodi casibus, ut maximum incommodum seu damnum ejus, qui habet restituere, evitetur modicâ restitutionis dilatione, quàm suum incommodum modicum vel damnum ex carentia ad tempus suæ rei.... Est ergo unus casus, cùm imminet ex hujusmodi Restitutione subitâ periculum damni incomparabiliter prævalentis damno quod inde habet creditor ex carentia rei suæ: putà, cùm ipse creditor habendo illam rem seu pecuniam, quam quis de suo retinet, magis posset repugnare & prævalere contra bonum commune. Nam tunc non tenetur restituere illi, sed fideliter reservare ut restituat sibi vel heredibus suis, quando hoc fieri poterit sine præjudicio boni communis. Idem videtur dicendum, cùm quis malè uteretur re sua, putà, gladio ad occidendum se vel alium. Idem videtur dicendum, cùm ex subitâ Restitutione ille qui restitueret rem ablatam per furtum, vel aliud vitium, detegeretur, & infamaretur; cùm fama sit quid nobilius quàm substantia temporalis. Cùm ergo quilibet debeat providere conservationi famæ suæ, potest talis differre Restitutionem usque ad tempus quo non deprehendatur in crimine & diffametur, si aliter provideri non potest. Idem dicendum, quando mulier habuit filium per adulterium, nesciente viro, vel supposuit sibi alienum partum, qui nutritur de bonis viri, vel heres etiam admittitur ut filius proprius: cùm teneatur mater talis de omnibus quæ percipit filius ille putatitii patris, non tamen debet revelare factum, quando ex hoc sequeretur seu sequi probabiliter posset mors sua, vel prolis talis, vel etiam notabilis infamia, vel alia gravia scandala, secundùm Raymundum & Joannem De Neapoli in Quodlibetis.

Alius casus est, quando ex hujusmodi Restitutione subitâ sequi posset mors spiritualis, seu peccatum mortale probabiliter in restituente vel familia ejus: putà, restituendo quæ habet aliena, ad tantam venit paupertatem vel miseriam, quòd non potest vivere, vel providere filiis de victu & vestitu; & cùm sint nobilis conditionis, mendicare nimis erubescant; ab amicis suis ad sufficientiam non inveniant; laborare nesciunt vel non possunt, quia parvuli vel infirmi: & sic restituendo exponitur periculo ipse cum familia sua furandi, vel prostituendi filias, vel desperationis; ubi retinendo alienum, cum ipso ex industria sua providet & parcit sibi & familiæ, & disponitur ad satisfaciendum paulatim. Idem videtur dicendum, cùm quis habet instrumenta artis suæ, unde ex labore suo gubernat se & suos, & vendendo vel tradendo ea ut restituat suis creditoribus, non poterit laborare, & inde lucrari. Laborando autem cum prædictis, ultra sustentationem suam, poterit paulatim satisfacere. Nec credo esse contra hoc quod dicit B. Thomas, Quòd statim restituendum est alienum simpliciter. Non enim ita amarè verba accipienda sunt, ut dicit Lex, sed civiliter: & in Sacra Scriptura dicitur statim fieri, quod fit prolixo « tempore, ut patet Malachiæ III. Statim venit ad « Templum sanctum suum, &c. *& præcipuè cùm ex causâ ita urgenti differunt. Potest etiam multipliciter accipi in Jure, & non solùm pro potentia facti, sed & juris, & commoditatis. Hæc non sunt prædicanda, ne paretur via detentioni alienorum, ad quod nimis persona sunt inclinatæ: sed cum magna discretione in Confessione, & Consiliis tractanda, & cum multis circumstantiis consideranda, quæ honestius factum.*

Quærit subinde *S. Antoninus*, Utrum illi, qui statim restituere potest malè oblata, sufficiat ad salutem relinquere Testamento quod heredes restituant? Respondet cum *Joanne De Neapoli*, Id non sufficere nisi in duobus dumtaxat casibus: Primus est, quando habens malè ablata credit ve- « rè & pro certo quòd talis retentio non sit con- « tra voluntatem domini. Talis siquidem reten- « tio non est injuriosa seu injusta. Nullus enim « patitur injustitiam volens. Secundus casus est, « quando talis retentio rei alienæ est contra volun- « tatem domini, sed inordinatam, putà, cùm non « redditur gladius furioso, hoc enim justè fit. « *Et similiter hoc est quando aliquis vult rem suam statim habere, quam retinens non potest dare sine notabili damno suo, & econtra ille cujus est potest sine damno suo & incommodo carere ad tempus. Extra istos casus non sufficit ad salutem nisi statim restituat. Ratio est, quia de necessitate salutis est vitare peccatum mortale: sed non solùm auferre alienum; sed etiam retinere extra prædictos casus, peccatum mortale, quia contra justitiam, cùm faciat injuriam proximo; & hoc cùm potest restituere: unde non sufficit ad salutem tali relinquere per testamentum, quod heredes restituant: sed de necessitate salutis est statim restituere, si potest. Sed si ille cujus est res, non potest illâ carere sine incommodo suo, etiam ad tempus, tunc oportet quòd restituat, etiam cum magno incommodo suo, nec sufficeret dimittere per testamentum. Tertius casus excusans à restitutione subita est, cùm ex hoc immineret periculum mortis corporalis.*

Et post multa, colligit, illos quibus Restitutionis onus incumbit, *Et si retineant sibi quodammodo necessaria pro sustentatione sui, & familiæ, ad vitandum multa pericula animæ & corporis, quæ verisimiliter sequi possent bonis suis cedendo, & omnibus se spoliando pro restitutione facienda, (quod fortè tutius esset, scilicet restituere, & in Deo confidere, etiamsi oporteret mendicare, secundùm Raymundum) Ad hoc tamen non teneri de necessitate salutis,* Non teneri (inquam) ad cessionem omnium bonorum, & ad spoliandum se omnibus, retentâ sibi dumtaxat veste & baculo. *Tamen* (inquit S. Antoninus) *Non debent tales ità lautè vivere & pompesè vestiri cum familiis suis, & filias suas cum magnis dotibus nuptui tradere, sicut si non essent obligati ad Restitutionem, sed parcè vivere, & parvas dotes tradere; & si non possunt Nobili vel Mercatori nuptui dare, artifici & plebeio debent tradere; & alia superflua resecare. Cum multa ergo prudentia hoc negotium agendum est: cùm efficaciter videntur facere quod possunt ad restituendum, & in aliis se bene habere, & cum timore Dei, credo possunt absolvi & communicari. Qui autem & de eo quod possunt semper procrastinant, & annuatim reperiuntur promittere Confessori restituere, & postea non faciant, non videntur absolvendi, nisi priùs faciant vel disponant efficaciter negotium, ut habeat executionem.*

REGULA XLI.

In Restitutione facienda necessariò servandus est ordo Legibus Civilibus, & Jure etiam Municipali præscriptus; cujus quidem ordinis violatio grave peccatum est injustitiæ, debitorémque obligat ad resarciendum damnum creditoribus hinc emergens.

Certa priùs restituenda sunt, quàm incerta.

I. ET quidem certa priùs restituenda sunt quàm incerta, quorum creditores ignorantur, ut docet *S. Antoninus*, P. II. Tit. II. cap. VII. Cùm sciuntur (inquit) bona illius qui restitutioni est obnoxius, non sufficere ad certorum incertorúmque restitutionem, vel dubitatur an sufficiant ad utrumque, *Tunc restituenda sunt plenè priùs & integraliter certa.* Rationem ordinis istius affert sanctus Archipræsul: *Non enim succedit in pauperibus ipse Christus, nisi quando non reperiuntur personæ certæ, quibus restitui debent certa, ut quasi per substitutionem succedere videatur; ac si diceret testator, Dimitto meos heredes tales & tales quibus debeo, vel etiamsi non debeo, sed si eos non reperiri contingat, substituo mihi Christum cum pauperibus.* Accedit, quòd *Pauperibus non tenentur heredes dare pro restitutione incertorum, nisi unica ratione, scilicet in foro Dei: sed creditoribus certis tenentur duplici ratione, scilicet in foro Dei, & in foro Mundi; quia heredes possunt à creditoribus in judicio conveniri.*

Ordo in restitutione certorum debitorum servandus.

II. In Restitutione verò certorum priùs restituenda sunt quæ per violentiam ablata sunt, furto scilicet ac rapina, quàm usuræ & alia debita: quia furto & rapina gravior injuria illata est, cùm illam passus sit proximus repugnante omnino voluntate: Usuram verò solvit volens, voluntate saltem conditionatâ, & *propterea minorem injuriam* sapit in proximum. Alia verò debita mutuâ voluntate contrahuntur, nempe quod ratione emptionis, aut mutui liciti, locationis & conductionis, aut similibus nominibus debetur. *Et ideo rapina & furtum priùs restitui debent quàm ipsa usura, & alia debita licito modo contracta: eadem ratione priùs rapina, quia gravior in ea violentia & injuria quàm in furto.* Cùm tamen debitori bona sunt legitimè parta, & debitis honestè justéque contractis obnoxia, priùs debita illa solvenda sunt, quàm quæ ratione delicti debentur, si restitui utrumque non possit. *Sicut enim injustè acciperetur ab aliquo divite ut daretur eleemosyna pauperi*, ut dicitur XIV. *Quæst.* V. *Can.* Forte: *Ita & injustum videtur de eo quod justè debetur alteri, putà honesti mutui, vel emptionis, vel alicujus liciti contractûs, restituere alienum: & non facienda mala, ut eveniant bona.* Sic etiam quamvis usuræ priùs restituendæ videantur, quàm solvenda debita honestè contracta, si ad utrumque bona debitoris sufficiant, priùs tamen solvenda sunt illa quàm usuræ, si non sufficiant facultates debitoris: *Quia indecens videtur usuram restitui de re justè alteri obligatâ. Nam per hoc non tollitur injuria facta proximo & Deo, sed additur nova, quia alienum aufertur: nec enim tenetur Deo & proximo ratione usura perpetrata, vel alterius malè ablati, nisi in quantum potest de jure. Nemo enim ad impossibile obligatur. Si igitur non potest restituere usuram, nisi subtrahendo jus alterius, pro tunc excusatur à restitutione.* Itaque *Usurarius restituat usuram, cùm poterit de suo*, & non de alieno; quia *Non debet aliquis locupletari cum alterius injuriâ & jacturâ*; ut habet Regula Juris in Sexto. Si tamen Jus commune & Municipale aliter decernant, omnia *servanda sunt. Nam Jure humano possessiones & alia ut propria possidentur*, (inquit S. Antoninus.)

Priùs restitui debent certa debita, quàm quæcunque ad pias causas relicta.

III. Priùs restitui debent quæcunque certa debita, quàm quæcunque ad pias causas relicta atque donata. Ratio est, *Quia donatio ad pias causas & largitio sunt ex supererogationis consilio, vel sunt fortè bona incerta; restitutio autem malè ablatorum, seu aliorum debitorum certorum est ex obligatione & præcepto*; (inquit idem Sanctus Archipræsul.)

Debita onerosa præferenda gratuitis.

IV. Debita onerosa, ut ex emptione, locatione, permutatione, debitis gratuitis, ut ex gratuita promissione, præferenda sunt, priósque solvenda.

Debita realia, præferenda personalibus sive chirographariis.

V. Priùs solvenda sunt debita realia, pro quibus res debitoris pignori & hypothecæ obligata est, debitis personalibus sive chirographariis, pro quibus nullum pignus datum, vel hypotheca constituta. L. *Eos. Cod.* Tit. *Qui potiores in pignore vel hypotheca habeantur*; cujus hæc sunt verba: *Eos qui acceperunt pignora, cùm in rem actionem habeant, privilegiis omnibus, quæ personalibus actionibus competunt, præferri constat.* Ubi verò una eademque res pluribus est oppignerata, præferendi sunt creditores anteriores in hypotheca non privilegiata, secundùm Regulam Juris LIV. in Sexto: *Qui prior est tempore, potior est jure.* Et L. *Si fundum*, Cod. Tit. *Qui potiores in pignore habeantur*, dicitur: *Si fundum pignori accepisti, antequàm Reipublicæ obligaretur, sicut prior es tempore, ita potior es jure.* In hypothecis verò quibus Privilegium à Jure concessum est, hæc Regula suas exceptiones habet.

Ordo & privilegia hypothecarum.

VI. Prima verò est inter hujusmodi hypothecas illa quam jus concedit ei qui suam credidit pecuniam ad ædificandam vel reparandam domum, vel navim alterius, aut aliquid simile. Hic enim creditor singularem habet potiorémque à Jure indultam hypothecam, quâ res illa ita ipsi obligatur, ut cæteris creditoribus etiam hypothecariis præferatur, sive generalem, sive etiam singularem habeant in re illa hypothecam. Ratio est, quia sine tali mutuo res non extitisset, vel certè periisset; atque ita prior creditor vel nihil vel parum commodi ex ea re habuisset. Id confirmant L. *Interdum*, & L. *Hujus*, D. Tit. *Qui potiores in pignore vel hypotheca habeantur*, quarum hæc sunt verba: *Interdum posterior potior est priori; ut putà si in rem istam conservandam impensum est, quod sequens credidit, veluti si navis fuit obligata, & ad armandam eam vel reficiendam ego credidero.... Hujus enim pecunia salvam fecit totius pignoris causam: quod poterit quis admittere & si in cibaria nautarum fuerit creditum, sine quibus navis salva pervenire non poterat.* Pari ratione, *Si quis in merces sibi obligatas crediderit, vel ut salvæ fiant, vel ut naulum exsolvatur, potentior erit, licèt posterior sit: nam & ipsum naulum potentius est. Tantumdem dicitur & si merces horreorum, vel area, vel vectura jumentorum debetur: nam & hic potentior erit.* Et L. *Qui in navem*, Tit. *De rebus auctoritate Judicis possidendis*, in Digestis: *Qui in navem extruendam vel instruendam credidit, vel etiam emendam: Privilegium habet.*

VII. Secundo loco privilegium habet hypotheca ejus, qui pecuniam mutuo dedit ut alter rem aliquam emeret: æquum enim est ut in eam rem hypothecæ jus habeat supra anteriores creditores hypothecarios; quia absque tali mutuo rem illam debitor non haberet. L. *Licet.* Cod. *Qui potiores in pignore habeantur*, cujus hæc sunt verba: *Licèt iisdem pignoribus multis creditoribus diversis tem-*

poribus datis priores habeantur potiores: tamen eum cujus pecuniâ prædium comparatum probatur, quod ei pignori esse specialiter obligatum statim convenit, omnibus antferri Juris auctoritate declaratur.

VIII. Tertio loco, illi qui pro mercium vectura domino earum mutuum dedit, & ei qui domum locavit in quam merces aut supellex à conductore comportatæ sunt, in illis mercibus & supellectili à Jure tribuitur hypotheca, cujus ratione creditoribus reliquis generalem vel specialem hypothecam habentibus anteferetur L. *Hujus*, D. Tit. *Qui potiores in pignore vel hypotheca habeantur.* §. *Si quis*.

IX. Quartum locum obtinet hypotheca pro dote, quâ bona omnia viri sic tacitè afficiuntur & obligantur, ut in dotis restitutione uxor, ejusque heredes, reliquis creditoribus generalem hypothecam anteriorem habentibus præferantur, L. *Assiduis*. *Cod.* Qui potiores in pignore habeantur: *Sancimus ex stipulatu actionem, quam mulieribus jam pro dote instituendam dedimus, cuique etiam tacitam donavimus inesse hypothecam, potiora jura contra omnes habere mariti creditores, licèt anterioris sint temporis privilegio vallati.* Creditoribus tamen anteriorem hypothecam expressam habentibus non præfertur posterior hypotheca dotalis. Iniquum enim esset si omnes anteriores creditores per nuptias debitoris supervenientes exciderent jure suo, quod expressè pacti fuerant. Verùm si dubitetur an cæteræ hypothecæ priores sint dotali, Restitutio dotis priùs facienda est quàm reliquis creditoribus, quamvis expressam hypothecam habentibus satisfiat, secundùm Regulam Juris LXXXV. in Digestis: *In ambiguis pro dotibus respondere melius est.*

X. Quintum locum obtinet hypotheca constituta in favorem Fisci, cujus debitor omnia bona sua Fisco obligatâ habet. L. secunda, *Cod.* Tit. *De Privilegio Fisci.*

Debita privilegiata.

XI. Pensio alimentaria pupillorum, aut adultorum etiam filiorum honestæ conditionis, sed corpore vel mente impotentium, ex bonis paternis aut etiam maternis solvenda, præferenda est aliis creditoribus quibuscunque præcedentibus: quia nimirum *Alimenta necessaria dilationem non sustinent.* Idem esto judicium de Medicorum, Chirurgorum, Pharmacopolarum expensis in ultima ægritudine factis. L. *In restituenda*, Cod. Tit. *De petitione hereditatis*, cujus hæc sunt verba: *In restituenda hereditate compensatio ejus habebitur, quod te in mortui infirmitatem, in jam sumptum funeris bona fide ex proprio tuo patrimonio erogasse probaveris.* Ad quam Legem *Baldus* Jurisconsultus ait: *Impensa facta in infirmum præfertur cuique creditorum, post tamen funeris impensam*, de qua variæ Leges exstant Tit. Digestorum *De Religiosis, & sumptibus funerum.*

XII. In debitis realibus sive hypothecariis creditor anterior aliis ejusdem ordinis creditoribus posterioribus ita præferendus est, ut ei debitum in solidum solvendum sit, quamvis bona non suppeterent quæ reliquis creditoribus hypothecariis solvendis satis essent. Illi enim quorum posterior est hypotheca, bonorum defectu sæpè coguntur propriis juribus in totum excidere, ne creditores quorum anterior est hypotheca, ex parte fraudentur. Quamobrem paupertas posterioris creditoris non est legitimus titulus cur priorem hypothecam habenti præferatur, nisi necessitas illius extrema sit vel gravis, quo casu præferendus est, eâ duntaxat ratione ut ejus necessitas sublevetur. Ordo igitur justitiæ in Restitutione servandus est, quæ nec personam pauperis, nec vultum divitis respicit: in Beneficia verò servandus est ordo Caritatis, ut ei priùs subveniatur, cæteris paribus, qui magis indiget. Non licet igitur debitori, qui omnibus solvendo non est, sponte sua gratificari alicui creditori in præjudicium anteriorum aut habentium potiorem hypothecam. Alioqui, nisi ipsum Juris & facti ignorantia excuset, tenebitur de damno & expensis creditoris potius jus habentis, ut colligitur ex L. *Scimus*, Cod. Tit. *De Jure deliberandi*, &c.

XIII. Quod spectat personalia debita, nullus in eorum solutione ex necessitate justitiæ servandus est ordo; nullum alteri præferri, si jura eorum & nomina æqualia sint, justitia & leges jubent; neque ulla in partitione bonorum debitoris servanda est inter eos inæqualitas, si ad singulorum solutionem non sufficiant, ubi creditoribus hypothecariis fuerit satisfactum. Quod enim reliquum erit facultatum debitoris, inter chirographarios creditores, & illos etiam quorum jura & nomina certa erunt, sive debitoris ipsius, sive testium fide dignorum assertione; dividetur sine ullo discrimine anteriorum aut posteriorum obligationum; ita ut singuli pro rata & partem lucri sortiantur, & partem jacturæ subeant. Verbi gratiâ, si postquam satisfactum est hypothecariis creditoribus, supersint ex bonorum discussione mille aurei, restentque decem chirographarii creditores, quibus singulis ducenti aurei debeantur, singulis assignabitur portio centum aureorum. Si autem eorum nomina & jura inæqualia sint, servabitur in divisione pro rata proportio inæqualitatis. Observandum tamen creditorem personalem suâ in petendo diligentiâ jus consequi prælationis in debiti solutione præ aliis creditoribus ejusdem ordinis, etiam tempore prioribus, ut Jure Civili sancitum est, L. *Pupillus*, 24. Tit. *Quæ in fraudem creditorum facta sunt*, Lib. XLIII Digestorum: & L. *Si non expedierit*, Tit. *De bonis auctoritate Judicis possidendis*, Lib. XLII. Ipse verò debitor ab hujusmodi creditorum uno, aliis silentibus, sive in judicio, sive extra judicium interpellatus, illi tutâ conscientiâ satisfacere potest, quamvis cæteris posteriori.

Ordo servandus in debitis personalibus.

XIV. Regulam in cujus explicatione versamur, confirmat *S. Antoninus*, P. II. Tit. II. cap. VII. *Cæteris paribus* (inquit) *servanda est Regula*, Qui prior est tempore, potior est jure. « *Ubi autem sunt privilegia paria, scilicet personarum & actionum, insimul æqualiter satisfaciendum est, nisi de aliquo illorum probetur quòd alteri præferendus sit, secundùm legem pacti, vel scripti, seu usus approbati. Cùm ergo mercator, vel alius frangit, (vel ut vulgò dicitur,) fallit, non sufficiens satisfacere creditoribus ex integro, convenientibus cunctis ut sibi satisfiat, hic ordo servatur: Primò debet satisfieri dominis rerum, verbi gratiâ deponentibus, si deposita erant sibi facta. Secundò, satisfit mercium venditori, si exstant merces, hoc est, ipsæ merces restituuntur tanquam singulariter pro pretio obligatæ. Si autem plus valereat, illud plus redditur ad commodum creditorum. Si autem ipsæ merces non extant, sed venditæ sunt, & loco earum aliæ subrogatæ, tales subrogatæ non redduntur loco earum, quia non sunt pro pretio obligatæ. Tertiò, cæteris paribus præfertur uxor, quia hypothecam censetur habere: & ideo præfertur nedum prætendentibus personalem obligationem, sed etiam prætendentibus tacitam hypothecam: non tamen præfertur creditoribus habentibus anteriores hypothecas & expressas. Fiscus quoque simile habet privilegium cum*

muliere. Quartò, post hypothecas veniunt deponentes, si non extat depositum. Tali privilegio non gaudent, qui mutuant ad usuras. Hypotheca autem potior est, quia pertinet ad rem ipsam. Quintò, veniunt simplices privilegiati, id est, habentes privilegio personalia, non realia. Sextò & ultimò veniunt chirographarii pro rata, non attenta prioritate contractuum, quia licitum est debitori pro cumulo creditorum facere deteriorem causam creditorum priorum, non dominium, nec hypothecam, nec privilegium habentium. Et ista est ratio quare in chirographariis creditoribus non attenditur tempus. Hæc *S. Antoninus* ex *Baldo* Jurisconsulto ad Legem Cod. *Pro debito*, Tit. *De bonis auctoritate judicis possidendis*: ubi has Regulas de Restitutionis & solutionis debitorum ordine, Legibus confirmat. Addit Sanctus Archipræsul: *Verum ubi Lex Municipalis, seu Statutum Civitatis aliter disponeret, illi est standum, etiam in foro conscientiæ, si non sit expressè contra Deum. Unde in aliquibus civitatibus ut Florentiæ, fallente Mercatore, per Syndicos institutos à Communitate, ubi non sufficiunt bona Mercatoris fallentis ad plenè restituendum omnibus, satisfit unicuique pro rata, secundum facultatem bonorum illius, & non prius uni quàm alteri, nisi aliquibus personis privilegiatis in hoc, ut mulieribus pro dotibus.*

CAPUT X.

DE OCTAVO DECALOGI PRÆCEPTO.

CUm justitia postulet non solùm ut nulla fiat injuria proximo, verùm etiam ut pro illatâ injuriâ satisfiat, ad eam satisfactionem imperandam & exigendam Tribunalia erecta sunt, Judicésque constituti. Verùm cùm malitiâ hominum publica etiam Judicia perverti contingat, octavo Decalogi Præcepto sanxit Deus Optimus Maximus ne quis publici Judicii perversioni cooperaretur. Quamvis enim quilibet homo Judex esse non possit, ideoque omnibus non dicatur, Ne injustè judices (quod publica quidem judicia spectat) potest tamen quilibet perversioni judicii cooperari, falsum testimonium dicendo: quamobrem omnibus hoc Præceptum datur: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

ARTICULUS I.

Quis sit hujus Præcepti sensus? Id est, quid prohibeat, vel jubeat?

I. HOc Præcepto duas leges contineri, docet Concilii Tridentini Catechismus: unam prohibentem ne falsum dicatur testimonium: alteram jubentem ut simulatione fallaciísque sublatis, dicta & facta nostra simplici veritate metiamur: Cujus officii Apostolus Ephesios admonuit cap. IV. Epistolæ ad illos datæ: *Veritatem* (inquit) *facientes in caritate, crescamus in illo per omnia.... Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra.* De falso testimonio & mendacio.

II. Quamvis porrò falsi testimonii nomine significetur quicquid in bonam vel in malam partem de altero constanter dicatur, sive in judicio, sive extra judicium, præcipuè tamen prohibetur illud testimonium, quod in judicio falsò dicitur à jurato, quia periculosius est. Juratos enim testes, nisi exceptionibus legitimis excludantur, aut eorum sit aperta improbitas atque perversitas, ne Judex quidem ipse potest rejicere, siquidem *In ore duorum vel trium stat omne verbum.* Deuteron. 19. Matth. 18. Nomine proximi, in quem falsum testimonium dicere non licet, intelligitur omnis qui eget operâ nostrâ, sive ille propinquus sit, sive alienus, sive civis, sive advena, sive amicus, sive inimicus. Unde & in hostes falsum testimonium dicere nefas est, quos diligere Christus Deus & Dominus noster jubet. Nec etiam in se ipsum falsum testimonium dicere licet: quod qui committunt, sibi ipsis notam inurunt ignominiæ ac turpitudinis, & se ipsos, Ecclesiamque lædunt, cujus sunt membra.

III. Ut verò testium vanitas, mendacia & perjuria hoc Præcepto prohibentur, sic & Accusatorum, & Reorum, & Patronorum, Cognitorum, & Procuratorum, Advocatorum, & omnium qui judicia constituunt, (inquit Concilii Tridentini Catechismus.)

IV. Prohibetur etiam hoc Præcepto mendacium omne, etiam extra judicium, id maximè quod alteri incommodum aut detrimentum possit afferre: de quo & Levitici XIX. dictum est: *Non facietis furtum, non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum.* Et Psalmo V. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et Apocalypsis XXI. *Timidis autem & incredulis, & homicidis, & fornicatoribus, ... & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.*

V. Hoc etiam Præcepto prohibetur obtrectatio, contumelia, calumnia, susurratio, de quibus diximus Libro II. cùm de Invidiæ, & Iræ filiabus ageremus: item hypocrisis, & jactantia, de quibus etiam sermonem fecimus, agendo de filiabus inanis gloriæ; item irrisio, ac adulatio.

V. Prohibetur denique hoc Præcepto judicium temerarium, & opinio quævis vel suspicio prava de proximo ex levibus indiciis. Nam & cogitatio quædam locutio est, secundùm illud Psalmi XIV. *Qui loquitur veritatem in corde suo.* Octavo Decalogi Præcepto prohibetur nobis loqui falsum testimonium adversùs proximum ore cordis pariter ac corporis.

ARTICULUS II.

Mendacium omne Lege Divina prohibitum, perseque illicitum ac malum est.

MEndacium triplex vulgò distinguitur, scilicet *officiosum*, *jocosum*, & *perniciosum*. Officiosum est, quod sine alterius injuria fit pro salute vel commodo alicujus. Jocosum, quod solâ placendi seu delectandi voluntate. Perniciosum, quod grave detrimentum infert proximo, cujusmodi sunt mendacia calumniatorum & obtrectatorum, & quæ in contractibus, pactis, forensi judicio, doctrinâ, eâ maximè quæ ad Religionem pertinet, committuntur. De triplici isto mendacii genere *S. Augustinus* in Psalmum v. legendus: *Ideo* (inquit) *perdes omnes qui loquuntur mendacium, quia recedentes ab eo quod est, ad id quod non est declinantur*. Et infrà: *Duo sunt omnino genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa, cùm aut jocamur, aut ut prosimus, mentimur. Illud primum in jocando, ideo non est perniciosissimum quia non fallit. Novit enim ille cui dicitur, joci causâ esse dictum. Secundum autem ideo mitius est, quia retinet nonnullam benevolentiam*. Tale fuit obstetricum Ægyptiarum mendacium, quæ Pharaoni falsum renuntiaverunt, ut infantes filiorum Israël ab internecione servarent. *Sed ista non re, sed indole laudantur* (inquit S. Augustinus) *quoniam qui tantùm hoc modo mentiuntur, merebuntur aliquando ab omni mendacio liberari. Nam in iis qui perfecti sunt, nec ista mendacia inveniuntur. Quibus dictum est,* SIT *in ore vestro, Est, est; Non, non: Quidquid amplius est, à malo est*.

Mendacia officiosa & jocosa, peccata sunt, tametsi venialia.

Exod. 1. 19. Matth. 5.

Vel ex hâc unâ Christi Domini nostri Sententiâ compertum est, omne mendacii genus illicitum esse. Idemque ex illo Ecclesiastici VII. constat: *Noli velle mentiri omne mendacium.*

Idem confirmat *S. Augustinus*, Libris duobus, *De Mendacio*, & *contra Mendacium*, & *Enchiridii* cap. XXII. ubi hæc habet: *Omne mendacium ideo dicendum est esse peccatum, quia homo non solùm quando scit ipse quod verum sit, sed etiam si quando errat & fallitur sicut homo, hoc debet loqui quod animo gerit, sive illud verum sit, sive putetur & non sit. Omnis autem qui mentitur, contra id quod animo sentit loquitur voluntate fallendi. Et utique verba propterea sunt instituta, non per quæ se homines invicem fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis ergo uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est. Nec ideo ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo. Possumus enim & furando, si pauper cui palam datur sentit commodum, & dives cui clam tollitur, non sentit incommodum: nec ideo tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum. Possumus & adulterando, si aliqua, nisi ad hoc ei consentiatur, appareat amando moritura, & si vixerit, pœnitendo purganda: nec ideo peccatum negabitur tale adulterium. Si autem meritò nobis placet castitas, quid offendit veritas, ut propter alienam utilitatem illa non violetur adulterando, & violetur ista mentiendo? Plurimùm quidem ad bonum profecisse homines, qui nonnisi pro salute hominis mentiuntur, non est negandum: sed in eorum tali profectu meritò laudatur, vel etiam temporaliter remuneratur benevolentia, non fallacia, quæ ut ignoscatur sat est, non ut etiam prædicetur, maximè in heredibus Testamenti Novi, quibus dicitur:* Sit in ore vestro, Est, est; Non, non: Quod enim amplius est, à malo est. *Propter quod malum quia subrepere in hac mortalitate non desinit, etiam ipsi coheredes Christi dicunt:* DIMITTE *nobis debita nostra*. Ex hoc *S. Augustini* locò patet, Mendacium quodvis etiam officiosum, per se & naturâ suâ esse peccatum, sicut furtum & adulterium; ita ut mentiri non liceat pro salute alterius, sicut pro alterius salute furari, vel adulterium committere non licet. Secundò, si qui laudari, vel temporaliter remunerari leguntur in Scripturis, à quibus mendacium officiosum prolatum esse constet, in iis laudari *Benignitatem mentis, non iniquitatem mentientis*, remunerari *Benevolentiam*, non *fallaciam*; quæ propter bonitatem indolis excusatur, non prædicatur, vel approbatur. Sic Ægyptiis obstetricibus ob affectum benevolentiæ in Judæos, Deique reverentiam ac timorem, Deus benefecit, ac domos ædificavit (*Exod.* 1. 20) Duo ergo in causa obstetricum sunt consideranda, *Factum misericorditer*, & *factum fallaciter*; primum, quod bonum erat, remuneravit Deus; & propter hoc bonum, alterum quod malum erat, ignovit. Idem de *Rahab* meretrice dicendum, quæ mentiri maluit, quàm Israëlitas Exploratores prodere, (*Josue* 6.) Ita *S. Augustinus* respondet Libro *Contra Mendacium*, cap. XV Idem de *Judith*, quæ Holoferni mentita est. (*Judith.* XV.) non enim propter mendacium laudatur, sed propter affectum ad salutem Populi Dei, pro qua periculis se exposuit. Tertiò, constat Mendacium quidem perniciosum esse peccatum mortale, secundùm illud Psalmi v. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, & illud Sapientiæ 1. *Os quod mentitur, occidit animam*. Sed mendacium officiosum esse duntaxat peccatum veniale, & similiter mendacium jocosum: nullum autem omnino mendacium non esse peccatum. *Multùm* quidem *fatendum est propinquare justitiæ, & quamvis reipsa nondum, jam tamen spe atque indole animum esse laudandum, qui nunquam nisi hac intentione mentitur, quâ vult prodesse alicui, nocere autem nemini. Sed nos cum quærimus, Sitne boni hominis aliquando mentiri, non de homine quærimus adhuc ad Ægyptum, vel ad Jerichum, vel ad Babyloniam pertinente, vel adhuc ad ipsam Jerusalem terrenam, quæ servit cum filiis suis, sed de cive illius Civitatis, quæ sursum est libera Mater nostra æterna in cælis. Et respondetur quærentibus nobis:* Omne mendacium non est ex veritate. *Filii autem illius civitatis, filii sunt veritatis. Ejus civitatis filii sunt de quibus scriptum est,* In ore eorum non est inventum mendacium.... *Hi filii supernæ Jerusalem & Sanctæ Civitatis æternæ si quando ut hominibus obrepit qualecunque mendacium, poscunt humiliter veniam, non inde quærunt insuper gloriam*; (inquit, *S. Augustinus*, Libro *Contra Mendacium*, cap. XVI.)

Matth. 5. Matth. 6.

1 Joan. 2.

Apoc. 14.

Fœdè porrò errarunt, qui mendacii patrocinium ex Scripturis Sacris suscipere non dubitarunt, *Abraham* & *Isaac* Patriarchas esse mentitos contendentes, cùm ille Saram, iste Rebeccam uxorem suam, sororem suam esse dixit; *Jacob*, cùm Isaac Patri ait: *Ego sum primogenitus tuus Esau*; Joseph cùm dixit fratribus: *Exploratores estis*; & scyphum sibi ablatum esse ait, in quo augurari solitus esset. Proferuntur & alia

Genes. 12. & 26. & 27. & 42. & 44.

ex

De Mendacio.

Errarunt qui mendacii patrocinium ex Scripturis Sanctis susceperunt. Non minus errant, qui mentalem restrictionem attribuunt Patriarchis, Prophetis, Angelis, ipsique Christo Domino tribuunt.

es Scripturis Sacris testimonia, quibus probari videatur, mendacium omne non esse peccatum. Quæ quoniam singillatim examinare prolixioris esset operæ, cum *S. Augustino* respondere sufficiat, Nonnulla quæ putantur in Scripturis Sacris esse mendacia, non esse quod putantur, si rectè intelliguntur; deinde, si qua ibi mendacia manifesta sunt, imitanda non esse; quia referuntur duntaxat historicè, non laudantur, non approbantur, uti nec alia quæ in iisdem Scripturis narrantur peccata. Abrahami responsio dicentis Saram esse sororem suam, mendacium non est. Tacuit quidem quòd uxor esset; verè dixit quòd soror esset, ut & vitæ suæ & illius pudicitiæ consuleret. Erat enim illius neptis ex fratre Aram. Quis autem nescit, fratres sive sorores generali nomine consanguineos appellari solere in Scripturis Sacris? Eo etiam sensu Isaac Rebeccam consanguineam suam sororem vocavit.

De facto, dictóque Jacob, variæ sententiæ sunt Patrum & Theologorum Catholicorum. Quidam textui Scripturæ Sacræ magis inhærentes, mentitum fuisse Jacob asserunt; alii ipsum à mendacio excusant, præsertim *SS. Augustinus & Thomas*; secundùm quam opinionem dicendum, fraudem fuisse mendaciúmque specie tenus, revera autem Mysterium. *Nam si non est mendacium, quando ad intelligentiam veritatis aliud ex alio significantia referuntur, profectò non solùm id quod fecit aut dixit Jacob Patri ut benediceretur; sed neque illud quod Joseph velut illudendis locutus est fratribus, neque quod David simulavit insaniam, nec cætera hujusmodi mendacia judicanda sunt; sed locutiones actionésque Propheticæ, ad ea quæ vera sunt intelligenda referenda. Quæ propterea figuratis velut amictibus obteguntur, ut sensum piè quærentis exerceant, & ne nuda ac prompta vilescant. Tamen vera non falsa dicuntur, quoniam vera non falsa significantur, seu verbo, seu facto: quæ significantur enim utique ipsa dicuntur. Putantur autem mendacia, quoniam non ea quæ vera significantur, dicta intelliguntur, sed ea quæ falsa sunt dicta esse creduntur*; (inquit *S. Augustinus* Libro *Contra Mendacium*, Cap. x.) Subditque: *Id ut exemplo fiat planius, idipsum quod Jacob fecit attende. Hædinis pellibus membra contexit: si caussam proximam requiramus, mentitum putabimus; hoc enim fecit ut putaretur esse qui non erat. Si autem hoc factum ad illud propter quod significandum revera factum est referatur, per hædinas pelles peccata, per eum verò qui eis se operuit, ille significatus est qui non sua sed aliena peccata portavit. Verax ergo significatio nullo modo mendacium rectè dici potest. Ut autem in facto, ita & in verbo. Nam cùm ei Pater dixisset*, Qui es tu fili? *Ille respondit*: Ego sum Esaü primogenitus tuus. *Hoc si referatur ad duos illos geminos, mendacium videbitur. Si autem ad illud propter quod significandum ista gesta dictáque conscripta sunt, ille hîc est intelligendus in corpore suo, quod est ejus Ecclesia, qui de hac re loquens, ait*:

Luc. 13. 28. » Cùm videritis Abraham, Isaac, & Jacob, & » omnes Prophetas in Regno Dei, vos autem expelli foras. Et venient ab Oriente & Occidente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in » Regno: & ecce sunt novissimi qui erant primi, » & sunt primi qui erant novissimi. *Sic enim quodammodo minor majoris primatum frater abstulit, atque in se transtulit fratris. Cùm igitur tam vera, tamque significentur veraciter, quid hîc debet putari factum dictúmque mendaciter?*

Itaque non est mentitus Jacob, cùm se *Primogenitum Esaü* asseruit, primogenitus enim erat, si jus spectetur; non autem si persona. Sic verè Christus Matth. xi. 14. de Joanne Baptista dixit, *Ipse est Elias qui venturus est*: quia in spiritu Elias erat, quamvis in persona Elias non esset, ut explicat *S. Augustinus*.

De Mendacio.

Quæ verò dixit, fecitque Joseph, ad tentandum probandúmque fratres fecit, non ad fallendum, proindéque non est mentitus.

Raphaëlem Archangelum, à Deo veritatis missum ad Tobiam, mentitum esse, aut restrictione mentali, vel æquivocatione usum, cùm dixit, *Ego sum Azarias magni Ananiæ Filius*, (Tob. v. 18.) insipiens est qui dixerit. Nam Angelus Azariæ formam & effigiem fortè induerat, ejúsque personam repræsentabat; & hac ratione se Azariam figurata locutione verè dicere potuit, sicut imaginem S. Petri sine mendacio, aut æquivocatione S. Petrum vocamus, simulacrum Regis Regem appellamus figurata locutione. Sic Angelus verè ait Jacob Genes. 31. 13. *Ego sum Deus Bethel*, & Exodi 20. *Ego sum Dominus Deus tuus*, quia Dei personam gerebat, & ejus vice ac mandato Legem dabat, ut ejus Legatus. Addiderim, hæc nomina figuratam habere significationem, sed tamen verissimam. *Azarias* enim significat *Auxilium Dei*, & *Ananias*, sive *Hananeel*, significat *Gratiam & donum Dei*. Figurata itaque responsione Tobiæ significavit *S. Raphaël*, se à Deo missum esse ut illum adjuvaret, plurimáque Dei dona illi procuraret. Angelorum enim nominibus significatur etiam in operatione quid valeant, ut loquitur *S. Gregorius*. Hoc itaque Tobiæ loco abutuntur, qui ex eo colligunt Sanctos Angelos æquivocationibus sive amphibologiis, & restrictionibus mentalibus usos esse.

Tandem mendacii Patroni nulla de Testamento Novo mentiendi exempla protulerunt, sed solùm de Veteris Testamenti libris, in quibus non solùm dicta, verùm etiam facta multa figurata conscripta sunt, quia & figuratè gesta sunt. Sed *cùm* ea sive dicta, sive facta *referuntur ad eas res propter quas significandas ita facta vel dicta sunt, reperiuntur significationes esse veraces, ac per hoc nullo modo esse mendacia. Mendacium est quippe falsa significatio cum voluntate fallendi. Non est autem falsa significatio, ubi etsi aliud ex alio significatur, verum est tamen quod significatur, si rectè intelligatur*; (inquit *S. Augustinus*, Libro *Contra Mendacium*, Cap. xii.) Subdit Cap. sequenti: Esse etiam quædam hujusmodi Salvatoris in Evangelio, quia & ipse Dominus Prophetarum Propheta esse dignatus est. Talia sunt illa, ubi de muliere quæ fluxum sanguinis patiebatur, ait: *Quis me tetigit?* Luc. 8. Et de Lazaro, *Ubi posuistis eum?* Sic Joan. 11. quippe interrogavit quasi nesciens quod utique sciebat: *Ac per hoc nescire se finxit, ut aliquid aliud illâ velut ignorantiâ suâ significaret: quæ significatio quoniam verax erat, mendacium profectò non erat*. Sic etiam Dominus cum duobus Discipulis post Resurrectionem suam ambulans, cùm appropinquarent Castello Emmaüs, prophetice & figuratè *Finxit se longiùs ire*. Quisquis autem vult Luc. 24. intelligere quid præfiguraverit id fingendo, attendat quid agendo præfecerit. *Longiùs namque postea profectus super omnes cælos, non tamen deseruit Discipulos suos. Propter hoc significandum futurum divinitus factum, ad præsens illud est humanitus fictum. Et ideo significatio verax in illa est significatione præmissa, quia in hac profectione illius est significationis veritas subsecuta. Ille igitur contendat Christum mentitum esse fingendo, qui negat eum quod significavit implevisse faciendo*; (inquit *S. Augustinus*.) Sive, *Finxit se longiùs ire*, ad significandum quod ipse ab eorum fide longè erat. Quam-

De Mendacio.

obrem Discipuli illi apertis oculis mentis tamdem cognoverunt, Christum non ad fallendum, sed ad erudiendum illos ita finxisse, id est, estetnam longiùs ire volentis speciem præ se tulisse.

Nec etiam Mendacio, aut Æquivocationibus, sive Restrictionibus mentalibus ullatenus favet, quod Christus ait, Marci XIII. *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater*: aut quod ait, Joannis VII. *Ego non ascendo ad diem festum istum.* Primo enim loco veritas præcisè & absque ullis ambagibus, æquivocatione, aut mentali restrictione enunciatur; siquidem Christus diem judicii nesciebat ut homo, sive humanâ scientiâ, quamvis scientiâ infusâ seu divinâ revelatione sciret. Nescire se præterea dixit figuratâ locutione, quia Discipulos nescientes faciebat, diem illum & horam ipsis utiliter occultando: & Patrem solum scire ait, quia Filium scire faceret, non autem homines, non Angelos in cœlo. Similibus enim locutionibus figuratis, sed tamen veris humana consuetudo abundat, cùm dicimus lætum diem qui nos lætos facit, &c. Et Scripturis etiam sacris familiaris est mos iste loquendi, ut *Genes.* XXII. ubi Deus ait Abrahamo: *Nunc cognovi quod timeas Deum tuum*; id est, nunc palam feci ostendique quantâ reverentia ac religione me colas. Et Joannis XV. Christus Discipulis ait: *Jam non dicam vos servos, sed amicos, quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Et tamen omnia absolute & absque exceptione illis non indicaverat, siquidem Cap. XVI. ait: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.* Dixerat igitur illis omnia quæcumque audiverat à Patre ut illis ante Passionem suam revelaret. Denique diem illum se nescire, non in personâ suâ, sed in persona corporis sui, id est, Ecclesiæ, membrorúmque suorum, verè dicebat. Multa enim quæ de Christo dicuntur, intelligi de corpore & membris ejus, non de Capite, norunt quicumque in Scripturis Sacris sunt exercitati. Et hæc ergo figurata, non mendax, aut amphibologica locutio est, vel æquivocatio, aut restrictio mentalis. Quælibet harum explicationum Patres autores habet.

S. Gregorius Nazian. Orat. 4. Cyrillus Lib. 9. Thesauri, Ambrosius Anastasius, Chrysostomus & Hieronymus in Cap. 24. Matth. Ambrosius in Cap. 17. Lucæ, & Lib. 5. de Fide Cap. 8. August. quoque Lib. 1. de Trinitate Cap. 12. & Lib. 1. de Gen. contra Manichæos, Cap. 22. S. Gregorius Lib. 4. Epist. 42. ad Eulogium.

Locus alter præciso etiam sensu quem verba præ se ferunt verus est. Ego non ascendo modò vobiscum, palam, ad diem festum; licèt opportuno tempore, absque propinquorum comitatu, *non manifestè, sed quasi in occulto ascensurus* esset. Unde non ait, *Non ascendam*, sed, *Non ascendo.*

Ex his perspicuum est, nullum ex Scripturis Sacris patrocinium mendacio quæri posse, cùm ad justitiam homines erudiant, de justo autem scriptum sit Proverb. XIII. *Verbum mendax justus detestabitur.* Et Cap. XII. *Abominatio est Domino labia mendacia: qui autem fideliter agunt, placent ei*: & inter sex quæ odit Dominus, *linguam mendacem* Sapiens enumeret: & Spiritus Veritatis, qui in Scripturis Sacris loquitur, docere non possit esse aliquando mentiendum: siquidem *Omne mendacium non est ex veritate*, ut dicitur 1. Joannis II. Contra verò, mendacii magister & pater Diabolus est, ut dicitur Joannis VIII. *Vos ex patre Diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia mendax est, & pater ejus.* Quæ verba *S. Augustinus* expendens Tractatu XLII. in Joannem, ait: *Non omnis qui mentitur, pater mendacii sui est. Si enim ab alio mendacium accepisti, & dixisti; tu quidem mentitus es*

Diabolus mendacii pater ac magister.

proferendo mendacium: sed pater mendacii ipsius non es, quia ab altero accepisti mendacium. Diabolus autem à seipso mendax fuit: mendacium suum ipse genuit, à nemine audivit. Quomodo Deus Pater genuit Filium Veritatem: sic diabolus lapsus genuit quasi filium mendacium. Hinc *Eusebius* L. VI. *Præparationis Evangelicæ* Cap. VI. Numinum quæ Gentiles colebant falsitatem demonstrat, ex eo quòd mentirentur, fatente *Porphyrio*; cùm homines probi à mendacio ita abhorreant, ut malint mori quàm mentiri. *Qui fieri possit* (inquit) *ut vel Numen quod naturâ suâ ab omni vanitate sejunctum est, siquidem ejusmodi Numen per se se est, aliquando mentiatur; vel bonus Genius mendaciis in fraudem eos à quibus consulatur, inducat? Nam homo quidem mortalis licèt, qui modò virtutis aliquid studio tribuat, nullâ vi ad mentiendum adduci unquam poterit, quòd semel veritatem omni conditione potiorem habere statuerit. Nec jam fati necessitatem, astrorumve motuum vanitati prætexet sua; at ignem licèt corpori ferrumve admoveris, stabit ille contra, & liberâ constantique voce exclamabit: Occurrat ignis, gladio occurrat, seca, exure corpus, sanguine ardentem sitim restingue nostro. Sidera in terram prius labentur: ante siderum tellus plagam invadet, ore quàm tibi nostro excidat vox ulla mendax.*

Numinum, quæ Gentiles colebant, falsitas inde demonstrata, quod mendacia eorum essent oracula.

Præclarè *Lactantius* Libro VI. Cap. XVIII. Christiani hominis officia explicans: *Cætera* (inquit) *quæ observare cultor Dei debet, facilia sunt, illis virtutibus comprehensis; ut non mentiatur unquam decipiendi aut nocendi causâ. Est enim nefas, eum qui veritati studeat, in aliqua re esse fallacem; atque ab ipsa quam sequitur veritate discedere. In hac justitiæ virtutúmque omnium via nullus mendacio locus est. Itaque viator ille verus ac justus non dicet apud Lucilianum: Homini amico, familiari, non est mentiri meum: sed etiam inimico atque ignoto existimat non esse mentiri suum; nec aliquando committet, ut lingua interpres animi à sensu & cogitatione discordet.*

Concludamus igitur cum *S. Augustino* Nullum mendacii genus unquam licitum esse. Octo ille mendaciorum genera enumerat Libro *De Mendacio*, Cap. XIV. *Primum est capitale mendacium, longéque fugiendum, quod fit in Doctrina Religionis, ad quod mendacium nulla conditione debet quisquam adduci. Secundum autem ut aliquem lædat injustè, quod & tale est ut nulli prosit, & obsit alicui. Tertium quod ita prodest alteri, ut obsit alteri, quamvis non ad immunditiam obsit corporalem. Quartum quod fit sola mentiendi fallendique libidine, quod merum mendacium est. Quintum quod fit placendi cupiditate de suaviloquio. Sextum quod & nulli obest, & prodest alicui: veluti si quispiam pecuniam alicujus injustè tollendam, sciens ubi sit, nescire se mentiatur quocumque interrogante. Septimum quod & nulli obest, & prodest alicui; excepto si judex interrogat; velut si nolens hominem ad mortem quæsitum prodere mentiatur; non solùm justum atque innocentem, sed & reum. Octavum est genus mendacii, quod & nulli obest, & ad hoc prodest ut ab immunditia corporali aliquem tueatur.* Et Cap. XXI. sic colligit: *Non est igitur mentiendum in doctrina pietatis: magnum enim scelus est, & primum genus detestabilis mendacii. Non est mentiendum secundo genere; quia nulli facienda est injuria. Non est mentiendum tertio genere; quia nulli cum alterius injuria consulendum est. Non est mentiendum quarto genere, propter mendacii libidinem, quæ per seipsam vitiosa est. Non est mentiendum quinto genere; quia nec ipsa veritas fine placendi hominibus enuntianda est: quantò minùs mendacium, quod per seipsum, quia mendacium est, utique turpe*

Nullum mendacii genus unquam licitum est.

Octo mendacii genera.

pe est? Non est mentiendum sexto genere: neque enim rectè etiam testimonii veritas pro cujusquam temporali commodo ac salute corrumpitur. Ad sempiternam verò salutem nullus ducendus est opitulante mendacio. Neque septimo genere mentiendum est: non enim cujusquam commoditas aut salus temporalis perficienda fidei præferenda est. Nec si quisquam in rectè factis nostris tam malè movetur, ut fiat etiam animo deterior, longéque à pietate remotior, propterea rectè facta deferenda sunt; cùm id nobis præcipuè tenendum sit, quò vocare atque invitare debemus, quos sicut nosmetipsos diligimus. Nec octavo genere mentiendum est, quia & in bonis castitas animi, pudicitiâ corporis; & in malis id quod ipsi facimus, eo quod fieri sinimus majus est. In his autem octo generibus tantò quisque minùs peccat cùm mentitur, quantò emergit ad octavum; tantò ampliùs, quantò devergit ad primum. Quisquis autem esse aliquod genus mendacii quod peccatum non sit putaverit, decipiet seipsum turpiter, cùm honestum se deceptorem arbitratur aliorum. Aut ergo cavenda sunt mendacia rectè agendo, aut confitenda sunt pœnitendo; non autem cùm abundent infeliciter vivendo, augenda sunt & docendo.

His adde locum insignem *S. Gregorii*, Libro XVIII. *Moralium* Cap. IV. illa verba Job, *Donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium*; explicantis: *Quod prius iniquitatem*, inquit, *hoc postmodum repetens, mendacium dicit: nam omne mendacium iniquitas est. Sed inter hoc quod ait, loqui, & postmodum subdit, meditari, magna distantia est. Nonnunquam enim pejus est mendacium meditari quàm loqui. Nam loqui plerumque præcipitationis est, meditari verò studiosa pravitatis. Et quis ignoret in quanta distantia culpa distinguitur, utrùm præcipitatione aliquis an studio mentiatur? Sed vir sanctus ut perfectè adhæreat veritati, nec studio se perhibet, nec præcipitatione mentiri.*

Propositio damnata.

Ex his patet falsitas hujus propositionis; *Patriarcha & Propheta, Angeli, ipse Christus, nedum viri justi & sancti, æquivocationibus, sive amphibologiis & restrictionibus mentalibus usi sunt.* De qua Clerus Gallicanus ita judicavit anno 1700. *Hæc Propositio scandalosa est, temeraria, mysticè, propheticè, parabolicè, sive œconomicè ad insinuandam altius veritatem dicta vel tacita cum vulgaribus gestis confundit, Sanctorum Patrum acta ludibrio vertit, ipsis etiam Angelis injuriosa, erga Christum contumeliosa & impia.*

ARTICULUS III.

Regula Moralis Christiana circa falsum Testimonium & Mendacium.

REGULA I.

Falsum Testimonium lethale peccatum est, & quidem gravissimum.

De falso testimonio.

HÆc Regula verbo Dei nititur, Proverb. VI. *Sex sunt quæ odit Dominus..... Proferentem mendacia, testem fallacem.* Et Cap. XIX. *Testis falsus non erit impunitus: & qui mendacia loquitur, non effugiet.* Cap. XXI. *Testis mendax peribit.* Et Cap. XXV. *Jaculum & gladius & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum falsum testimonium.* Et Cap. XXVIII. *Testis iniquus deridet judicium, & os impiorum devorat iniquitatem.* Injuriam igitur Deo irrogat falsus testis, si quidem cooperatur ad perversionem judicii, quod à Deo institutum est, ipsúmque mendacii gravissimi testem appellat pejerando. Justitiam quoque & caritatem proximo debitam violare non veretur.

Eadem Regula confirmatur Cap. *Falsidicus*, Extra, *De Crimine falsi*, quod ex *S. Isidoro* Libro III. *De Summo Bono*, Cap. LIX. sumptum est. *Falsidicus testis*, inquit, *tribus personis est obnoxius: primùm Deo, cujus præsentiam contemnit: deinde judici, quem mentiendo fallit: postremò innocenti, quem falso testimonio lædit. Porro uterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat.*

Item ex *Theodulfo* Aurelianensi Episcopo in Capitulari, Cap. XXVII. *Dicendum est eis*, inquit, *ut à falso etiam testimonio abstineant, scientes & hoc gravissimum scelus esse, & ab ipso Domino in Monte Sinai prohibitum, dicente eodem Domino:* « Non falsum testimonium dixeris: *sive*, Testis falsus non « erit impunitus. *Sciat se etiam quisquis hoc perpetraverit, aut tali pœnitentiâ purgandum, ut suprà dictum est de perjurio, aut tali damnatione & excommunicatione damnandum, sicut superiùs insertum est. Dicendúmque illis est, quod summa non dicam stultitia, sed nequitia est, pro cupiditate argenti & auri, aut vestimentorum, aut cujuslibet rei, aut quod creberrimè contingere solet, propter ebrietatem in tam grande scelus corruere, ut aut septem annis in arcta ærumna sit, aut ab Ecclesia sit repulsus, dicente Domino:* QUID prodest homini si lucretur totum « Mundum, & Animæ suæ detrimentum faciat? « *Quippe cùm aliis videatur pius existere, sibimet crudelis existat.*

Sed luculentiora sunt *sancti Augustini* verba, cujus Sententiam *Theodulfus* expressit, quàm ut eo loco prætermittatur. Sic habet in Psalmo LXXIX. *Omnia peccata*, inquit, *duæ res faciunt in homine; cupiditas & timor..... Corrumpere te vult aliquis ut dicas, verbi gratiâ, falsum testimonium. Attendisti in Deum, & dixisti in animo tuo,* « Quis prodest homini, si totum mundum lucretur, ani- « mæ verò suæ detrimentum patiatur? *Non adducor præmio, ut perdam animam meam pro lucro pecuniæ. Convertit ille se ad incutiendum metum; qui præmio corrumpere non valuit, incipit minari damnum, expulsionem, cædes fortassis & mortem. Ibi jam si cupiditas non valuit, forsè timor valebit ut pecces.... Quicumque te vult occidere, usque ad corpus ei licet, usque ad animam non licet. Anima tua non moritur, nisi eam volueris occidere. Perimat aliena iniquitas carnem tuam, dum serves veritas animam suam. Si autem à veritate resilieris, quid tibi amplius facturus est inimicus, quàm tu tibi ipse facis? Inimicus sæviens carnem potest occidere: tu autem dicendo falsum testimonium animam occidis. Audi Scripturam: Os quod mentitur, occidit animam.*

Matth. 16.

Et Sermone XVI. aliàs 5. ex Homiliis quinquaginta: *Si hanc vitam*, ait, *in qua nunc sumus, intellexerimus in eo quod dictum est*, « Quis est homo « qui vult vitam? *& propter hanc habendam quæ* « *connectuntur præcepta faciamus; quid acturi sumus cùm aliquis in militia potens mortem nobis fuerit comminatus, nisi falsum testimonium dixerimus? Profectò enim si fecerimus quod hîc jubetur*, « Cohibe « linguam tuam à malo, *ut propter hoc præceptum testimonii fallaciam recusemus, quasi decepti videbimur: quia propter habendæ vitæ cupiditatem præceptum servare suscepimus, & eam magis præceptum servando perdidimus. Porrò si vitam intellexerimus in æternum beatam, quam post istam dabit Deus obedientibus sibi..... Tunc verò interrogati*, Quis

De falso testimonio.

» est homo qui vult vitam? *Respondemus nos velle vitam, & si etiam sub ipso percussore ictu veritatem servabimus in testimonio, mortem contemnimus in mundo, vitam consequimur in cælo.*

Falsi testimonii pœnæ canonicæ.

Excommunicationis pœna in falsos testes antiquis Canonibus lata, pœna Exauctorationis in Clericos istius criminis reos decreta est. De falsis testibus ita decernit Concilii Illiberritani Canon LXXIV. *Falsus testis, prout crimen est, abstinebitur. Si tamen non fuerit mortis quod objecit: & probaverit quòd diu tacuerit, biennii tempore abstinebitur. Si autem non probaverit in Conventu Clericorum, placuit per quinquennium abstinere.*

Concilium Arelatense I. Canone XIV. *De iis*, inquit, *qui falsò accusant fratres suos, placuit eos usque ad exitum non communicare; sed falsum testem juxta Scripturam impunitum non licere esse.*

Concilium Arelatense II. Canone XXV. *Nisi digna satisfactione pœnituerint, qui falsa fratribus capitalia objecisse convicti fuerint, usque ad exitum non communicent, sicut Magna Synodus antè constituit.* Refertur Canone *Eos*, Causâ III. Quæstione X. Et in Librum VI. Capitularium transcriptus est, Capite 314.

Concilium Agathense Canone XXXVII. decernit *Homicidas & falsos testes à Communione Ecclesiastica submovendos, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina diluerint.* Refertur Canone *Itaque*, Causâ XXIV. Quæstione III.

Idem Concilium Canone L. *Si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam falsaverit: aut testimonium falsum dixerit, ab Officii honore depositus in Monasterium retrudatur, & ibi quamdiu vixerit, Laïcam tantummodo Communionem accipiat.*

Concilium Epaonense Canone XIII. *Si quis Clericus in falso testimonio convictus fuerit, reus capitalis criminis censeatur.*

Concilium Aurelianense II. Canone VIII. *Si quis Clericus furtum aut falsitatem admiserit, quia capitalia etiam ipsa sunt crimina, Communione concessâ ab Ordine degradetur.*

Concilium Matisconense I. Canone XVII. *Si quis convictus fuerit alios ad falsum testimonium vel perjurium attraxisse, aut quacumque corruptione sollicitasse: ipse quidem usque ad exitum non communicet; hi verò qui ei in perjurio consensisse probantur, post ab omni sunt testimonio prohibendi, & secundùm Legem infamiâ notabuntur.* Refertur Canone, *Si quis convictus*, Causâ XXII. Quæst. V.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione LXX. Articulo IV. *Falsum testimonium*, inquit, *habet triplicem deformitatem. Uno modo ex perjurio, quia testes non admittuntur nisi jurati; & ex hoc semper est peccatum mortale. Alio modo ex violatione justitiæ: & hoc modo est peccatum mortale in suo genere, sicut & qualibet injustitia. Et ideo in Præcepto Decalogi sub hac forma in» terdicitur falsum testimonium*, Exodi XX. Non lo» queris contra proximum tuum falsum testimonium. *Non enim contra aliquem facit, qui eum ab injuria facienda impedit, sed solùm qui ei suam justitiam tollit. Tertio modo ex ipsa falsitate, secundùm quòd omne mendacium est peccatum: & ex hoc non habet falsum testimonium quòd semper sit peccatum mortale.*

Lege divinâ à Moyse promulgatâ falsos testes eâ pœnâ afficiendos esse decernitur, quam passuri essent illi quibus imposuerunt calumniam, si verum fuisset testimonium. Apud Romanos Tarpeio Monte dejici, *Aulus Gellius* est autor Libro XX. *Noctium Atticarum*, Cap. I. Apud Gallos capitali supplicio plectuntur, secundùm Constitutionem *Francisci I.* Regis Christianissimi editam anno millesimo quingentesimo trigesimo-primo, mense Martio.

De falso testimonio.

Pari pœnâ plectuntur ut paris criminis rei, qui falsa instrumenta fabricantur, aut vera adulterant, iisve sic fabricatis aut adulteratis utuntur ad pervertendum judicium, causámque obtinendam. Et qui vi falsorum instrumentorum causam vicerint, tenentur ad omnia damna parti adversæ resarcienda, siquidem nulla Sententia fuit, nec executioni debuit mandari, ut declaratur Cap. *Super eo*, Extra, *De crimine falsi.* Hinc Libro VII. Capitularium Cap. CCCVI. statutum est, *Ut qui falsa Principum Rescripta detulerint, ut falsarii puniantur. Qui falsum nesciens allegavit, pœnâ falsi non teneatur.* Et Cap CCLIV. *Statutum est ut scripturam prolator adfirmet. Nam si is qui scripturam protulit, ejus non adstruxerit veritatem, ut falsitatis reum esse detinendum.*

Crimen litigantium, Procuratorum, vel Advocatorum, qui instrumenta supprimunt vel abscondunt, adversæ parti profutura.

Ejusdem criminis rei sunt, parique pœnæ obnoxii litigatores, nec non Procuratores & Advocati, vel quilibet alii, qui instrumenta supprimunt vel abscondunt, adversæ parti profutura: & ad restitutionem ejus quod interest ratione omnium damnorum & expensarum tenentur. Id colligitur ex Cap. *Pervenit*, Extra, *De cogendis testibus*, quod est *Alexandri III.* Responsum: *Nos igitur*, inquit, *attendentes, quòd nemo debet adversario instrumenta (quorum appellatione testes continentur) subtrahere: & quòd tam ille qui subripit instrumenta, quàm qui Adversario parem advocationis copiam subtrahit, iniquam ostendit à se litem foveri, & experiri debet in se Judicis auctoritatem elusam: Respondemus, Ad detegendum tantæ fraudis & calliditatis commentum ipsum testem meritò compellendum.* Id confirmat Glossa ejusdem Capitis ad verbum *Instrumenta*, dicens: *Quod qui fecit, tenetur ad interesse*, XII. Quæstione 2. Canone *Si quis de Clericis.* Cujus quidem Canonis ex Agathensi Concilio prolati hæc verba sunt: *Si quis de Clericis documenta, quibus Ecclesia possessio firmatur, aut supprimere, aut negare, aut adversariis fortasse tradere, damnabili & punienda obstinatione præsumpserit, quicquid per absentiam documentorum damni Ecclesiæ illatum est, de propriis facultatibus reddat, & Communione privetur.*

REGULA II.

Falsi testimonii reus est, qui pro certo asserit coram Judice id quod certò non novit, sed probabiliter dumtaxat, vel ex aliorum relatione.

SUmmæ enim irreverentiæ est Deum testem appellare facti alicujus quod fortè falsum sit: summæ imprudentiæ exponere se periculo jurandi falsum, violandi justitiam & caritatem. Hinc *sanctus Thomas*, Quæstione & Articulo superiùs indicatis, in Responsione ad primum, ait: *In testimonio ferendo non debet homo pro certo asserere, quasi sciens id de quo certus non est. Sed dubium debet sub dubio proferre, & id de quo certus est, pro certo asserere. Sed quia contingit ex labilitate humanæ memoriæ, quòd reputat se homo quandoque certum esse de eo quod falsum est: si aliquis cum debita sollicitudine recogitans, æstimet se certum esse de eo quod falsum est, non peccat mortaliter hoc asserens, quia non dicit falsum testimonium per se & ex intentione, sed per accidens contra id quod intendit.*

REGULA III.

Reus secundùm ordinem Juris interrogatus veritatem confiteri debet; alioqui peccati lethalis reus est.

De falso testimonio.

ITa docet *S. Thomas*, Secundâ Secundæ Quæstione LXIX. Articulo I. *Quicumque* (inquit) *facit contra debitum justitiæ, mortaliter peccat. Pertinet autem ad debitum justitiæ, quod aliquis obediat suo Superiori in his ad quæ jus prælationis se extendit. Judex autem Superior est respectu ejus qui judicatur. Et ideo ex debito tenetur accusatus Judici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam Juris exigit. Et ideo si confiteri noluerit veritatem quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat. Si verò Judex hoc exquirat, quod non potest secundùm ordinem juris, non tenetur ei accusatus respondere; sed potest vel per Appellationem, vel aliter licitè subterfugere: Mendacium tamen dicere non licet.*

Idem confirmat Concilii Tridentini Catechismus: *De reis autem* (inquit) *& sontibus, vult eos Deus verum confiteri, cùm ex judicii formula interrogantur: est enim testimonium, ac prædicatio quædam illa confessio laudis & gloriæ Dei ex ipsius Josue sententia, qui Achan ad veri confessionem adhortatus inquit:* Fili mi, da gloriam Domino Deo Israël (*Josue* VII.)

Interrogatus autem reus ex formula Judicii, cùm de crimine præcessit infamia, vel expressa indicia, vel semiplena probatio. Infamia quæstionem censetur præcessisse, cùm in suspicionem criminis vocatur à multis qui viri probi habentur & graves, non malevoli, non maledici, non leves; vel cùm totius populi voce aut publico rumore talis criminis reus ille conclamatur: quam Jus *clamosam insinuationem* vocat. Indicia sunt circumstantiæ & signa, ex quibus prudenter & consideratissimâ ratione de actionibus aliorum judicium ferri potest. Semiplena probatio est assertio unius testis omni exceptione majoris. Si horum ex his tribus quæstionem præcesserit sive interrogationem, reus à legitimo Judice interrogatus veritatem confiteri simpliciter & absque ambagibus tenetur, quamvis eâ confessione se morte damnatum iri certò sciat. Neque verò ipse se prodit, sed ab alio proditur, dum ei necessitas respondendi imponitur per eum cui obedire tenetur (inquit *S. Thomas* in Responsione ad primum.) Nec etiam mendacium istud merè officiosum dici posset, quo Reus ex Juris formula interrogatus veritatem negaret. *Mentiri enim ad liberandum aliquem à morte cum injuria alterius, non est mendacium simpliciter officiosum, sed habet aliquid de pernicioso admixtum. Cùm autem aliquis mentitur in Judicio ad excusationem sui, injuriam facit ei cui obedire tenetur, dum sibi denegat quod ei debet, scilicet confessionem veritatis.* Sic respondet *S. Thomas* ad secundum.

Et ad tertium: *Ille*, inquit, *qui mentitur in Judicio, se excusando, facit & contra dilectionem proximi; tum ex parte Judicis cui debitum negat, tum ex parte Accusatoris, qui punitur si in probatione deficiat.* Unde & Psalmo CXL. dicitur: *Ne declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.* Et *S. Gregorius Magnus*, Lib. XXII. *Moralium*, exponens illud Job. XXXI. *Si abscondi quasi homo peccatum meum*, ait: *Usitatum humani generis vitium est, & latendo peccatum committere, & commissum negando abscondere, & convictum defendendo multiplicare.*

Eandem Regulam confirmat rursus *S. Thomas*, *Tom. II.*

De falso testimonio.

Articulo II. *Aliud est*, inquit, *veritatem tacere, aliud est falsitatem proponere. Quorum primum in aliquo casu licet: non enim aliquis tenetur omnem veritatem confiteri; sed illam solùm quam ab eo potest & debet requirere Judex secundùm ordinem Juris: putà, cùm præcessit infamia super aliquo crimine, vel aliqua expressa indicia apparuerunt, vel etiam cùm præcessit probatio semiplena. Falsitatem tamen proponere in nullo casu licet alicui. Ad id autem quod licitum est, potest aliquis procedere vel per vias licitas & fini intento accommodas, quod pertinet ad prudentiam; vel per aliquas vias illicitas & proposito fini incongruas, quod pertinet ad astutiam, quæ exercetur per fraudem & dolum. Quorum primum est laudabile, secundum verò vitiosum. Sic ergo reo qui accusatur, licet se defendere, veritatem occultando, quam confiteri non tenetur, per aliquos convenientes modos, putà, si non respondeat ad quæ respondere non tenetur: hoc autem non est calumniosè se defendere, sed magis prudenter evadere. Non autem licet ei vel falsitatem dicere, vel veritatem tacere quam confiteri tenetur: neque etiam aliquam fraudem vel dolum adhibere, quia fraus & dolus vim mendacii habent.*

Et Quodlibeto V. Quæstione VIII. Articulo XV. ubi quærit, *Utrum mulier accusata de adulterio occulto teneatur suum peccatum Judici confiteri?* Respondet: *Si adulterium sit omnino occultum, non debet peccatum suum in Judicio confiteri, nec debet ab ea exigi juramentum de veritate dicenda: quia occulta soli divino judicio reservantur, secundùm illud* I. *ad Corinthios* IV. Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum. *Sed quando ex adulterio procedit infamia, vel aliqua signa evidentia apparent, quæ vehementem suspicionem facere possunt, vel quando est semiplenè probatum, tunc debet ab ea exigi juramentum de veritate dicenda; & ipsa tenetur confiteri veritatem.*

Complices sui criminis reus juridicè interrogatus revelare tenetur.

Complices etiam sui criminis revelare tenetur Reus ex formula Juris interrogatus, (alioqui lethale peccatum committit) si aliqua laborent infamiâ, vel indiciis vehementibus, aut unius testimonio jam proditi sint. Si verò sint penitus occulti, eos etiam indicare tenetur sub pœna lethalis peccati, in casibus Jure expressis, scilicet hæresis, sortilegii, læsæ Majestatis, conjurationis, ac proditionis Principis, aut patriæ; falsæ monetæ, veneficii, publici latrocinii; &c. Cùm autem occulti sunt complices, Judex nominatim interrogare non debet an sint hi vel illi, nisi præcesserit infamia criminis de quo quæstio habetur, ut constat ex Can. *Nemini*, Causa XV. Quæst. III. ex Cap. *Cùm Monasticum*, Extrà, *De Confessis*; & Cap. *Veniens*, Ext. *De Testibus*: sed generatim interrogandus est reus an sint aliqui complices. Ubi verò aliquos indicaverit, tunc de illis jam infamiâ criminis notatis speciatim est interrogandus, & urgenda quæstio.

REGULA IV.

Qui veram apocham, schedulam obligatoriam, aut quodvis aliud instrumentum amisit, cujus defectu lite gravissimi momenti evincendus est, falsum fabricare ac supponere non potest absque gravi peccato.

De Mendacio.

QUamvis enim eo casu injuria proximo non fiat, mendacium tamen committitor, quo fit injuria veritati. Porrò *Mendacium non solùm habet rationem peccati ex damno quod infertur proximo, sed suâ inordinatione* (inquit *sanctus Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione ex. Articulo III. ad quartum.) *Non licet autem aliquâ illicitâ inordinatione uti ad impediendum nocumenta & defectus aliorum: sicut non licet furari ad hoc quòd homo eleemosynam faciat. Et ideo non est licitum mendacium dicere ad hoc quòd aliquis alium à quocumque periculo liberet.* Pari ratione falsam apocham, schedolamve similem illi quam amisit, fabricare, ac supponere non licet, nec aliud quodvis instrumentum, etsi litis amittendæ periculum, aut bonorum jactura, fortunæqoe eversio immineat.

Ob eamdem rationem non licet Clerico, qui testimoniales vel dimissorias Episcopi sui litteras, aut Parochi de Baptismo fidem facientes, amisit, alias fabricare ac supponere ut ad Ordines admittatur: alioquin falsi reus est, gravisque peccati. Idem esto judicium de Viro Regulari, qoi amissis Soperioris sui obedientialibus litteris, alias similes fabricator.

Doctrina damnata.

Denique Sacra Facultas Parisiensis anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, die tertiâ Februarii, doctrinam contrariam Regulæ quam explicamos, *falsam esse, scandalosam, & Reipublicæ perniciosam* judicavit.

REGULA V.

Mendacium omne quod Deo injuriosum, aut proxime graviter noxium est, mortale peccatum est.

CUm enim mendacium lethale peccatom aliquando esse constet ex Scriptura sacra, Psalmo V. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*: Et Sapientiæ I. *Os quod mentitur occidit animam*: Et Apocalypsis XXI. *Timidis & incredulis, & homicidis & fornicatoribus, ... & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda*: illa mendacia quæ Deo injoriosa sunt, qualia sunt quæ in doctrina Religionis & pietatis proferuntur, mortalia esse certissimum est. *Non est mentiendum in doctrina pietatis: magnum enim scelus est, & primum genus detestabilis mendacii* (inquit *S. Augustinus*, Libro *De Mendacio*, Cap. XXI.) Certom etiam est mendacia omnia, quæ graviter nocent proximo, esse peccata mortalia; siquidem eo mendaciorum genere non modò veritas, sed etiam justitia & caritas violantor.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione CX. Articulo IV. *Peccatum mortale*, inquit, *propriè est quod repugnat caritati, per quam anima vivit Deo conjuncta. Potest autem mendacium contrariari caritati tripliciter. Uno modo secundùm se: alio modo secundùm finem intentum: tertio modo per accidens. Secundùm se quidem caritati contrariatur ex ipsa falsa significatione. Quæ quidem si sit circa res divinas, contrariatur caritati Dei, cujus veritatem aliquis tali mendacio occultat vel corrumpit. Unde hujusmodi mendacium non solùm opponitur virtuti veritatis, sed etiam virtuti fidei & religionis. Et ideo hoc mendacium est gravissimum & mortale. Si verò falsa significatio sit circa aliquid, cujus cognitio pertineat ad hominis bonum, putà, quæ pertineat ad perfectionem scientiæ & informationem morum, tale mendacium in quantum infert damnum falsæ opinionis proximo, contrariatur caritati quantùm ad dilectionem proximi: unde est peccatum mortale. Si verò falsa opinio ex mendacio generata sit circa aliquid de quo non refert utrùm sic vel aliter cognoscatur, tunc ex tali mendacio non damnificatur proximus; sicut si quis fallatur in aliquibus particularibus contingentibus ad se non pertinentibus. Unde tale mendacium secundùm se non est peccatum mortale. Ratione verò finis intenti aliquod mendacium contrariatur caritati; putà, quod dicitur in injuriam Dei, quod semper est peccatum mortale, utpote Religioni contrarium, aut in nocumentum proximi, quantùm ad personam, divitias, vel famam. Et hoc etiam est peccatum mortale: ex sola autem intentione peccati mortalis, aliquis mortaliter peccat. Si vero finis intentus non sit contrarius caritati, nec mendacium secundùm hanc rationem erit peccatum mortale: sicut apparet in mendacio jocoso, in quo intenditur aliqua levis delectatio, & in mendacio officioso, in quo etiam intenditur utilitas proximi. Per accidens autem potest contrariari caritati ratione scandali, vel cujuscumque damni consequentis: & sic erit etiam peccatum mortale, dum scilicet aliquis non veretur propter scandalum, publicè mentiri.*

De Mendacio.

REGULA VI.

Pro vita alterius temporali vel sua servanda mentiri non licet.

HAnc Regulam tradit *S. Augustinus*, Libro *Contra Mendacium*, Cap. XVIII. *Ecce* (inquit) *gravi morbo periclitatur ægrotus, cujus jam vires ferre non possint, si ei mortuus unicus & carissimus filius nuntietur: à te quærit an vivat, quem vitam finisse tu nosti, quid respondebis, quando quicquid aliud dixeris præter unum de tribus, aut mortuus est, aut vivit, aut nescio, nihil aliud credit ille quàm mortuum; quod te intelligit timere dicere, & nolle mentiri? Tantumdem valet, etiamsi omni modo tacueris. Ex his autem tribus duo falsa sunt, Vivit, & nescio; nec abs te dici possunt, nisi mentiendo. Illud autem unum verum, id est, mortuum esse, si dixeris, & perturbati hominis mors fuerit subsecuta, abs te occisus clamabitur. Et quis ferat homines exaggerantes quantum sit malum salubre mendacium devitari, & homicidam diligi veritatem? Moveor his oppositis vehementer, sed mirum si etiam sapienter. Cùm enim proposuero ante qualescumque oculos cordis mei intelligibilem illius pulcritudinem, de cujus ore falsi nihil procedit; quamvis ubi radiante magis magisque clarescit veritas, ibi palpitans mea reverberatur infirmitas: tamen sic amore tanti decoris accendor, ut cuncta quæ inde me revocant humana contemnam..... Nec me movet contemplantem luminosum bonum, in quo mendacii tenebræ nullæ sunt, quòd nobis mentiri nolentibus, & hominibus vera audita morientibus homicida dicitur veritas. Numquid enim si stuprum expetat impudica, & te non consentiente, sævo amore perturbata moriatur, homicida erit & castitas? . . . . Huc accedit, ubi miserabilius ejulandum est, quòd si con-*

De Mendacio. *tesserimus pro salute illius ægri de vita filii ejus fuisse mentiendum, ita paulatim minutatimque succrescit hoc malum, & brevibus accessibus ad tantum acervum mendaciorum sceleratorum sensim subintrando perducitur, ut nunquam possit penitus inveniri ubi tanta pesti per minima additamenta in immensum convalescenti possit obsisti. Unde providentissimè* Eccli. 19. « *scriptum est*, Qui modica spernit, paulatim de- » cidit. *Quid quod vita hujus tales amatores ut eam non dubitent præponere veritati, ne homo moriatur, imò ut homo quandoque moriturus aliquantò serius moriatur, non tantùm mentiri, sed etiam pejerare nos volunt, ut videlicet ne aliquantò citius transeat vana salus hominis, nomen Domini Dei nostri accipiamus in vanum. Et sunt in eis docti, qui etiam regulas figant finésque constituant, quando debeat, quando non debeat pejerari. O ubi estis fontes lacrymarum? Et quid faciemus? Quò ibimus? Ubi nos occultabimus ab ira Veritatis, si non solum negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria?*

Et Cap. XIX. *Sed agie partes suas infirmitas, & caussam invincibilem faventibus turbis se habere proclamat. Ubi contradicit, & dicit, Quomodo apud homines periclitantibus subvenitur hominibus, si nos humanus ad mentiendum non inclinat affectus? Si patienter me audiat turba mortalitatis, turba infirmitatis, respondebo aliquid pro negotio veritatis. Certè pia, vera, sancta castitas nonnisi ex veritate est: & quisquis adversùs eam facit, profectò adversùs veritatem facit. Cur ergo & si non possit aliter periclitantibus subveniri, non committo stuprum, quod ideo est contrarium veritati, quia contrarium est castitati; & ut periclitantibus subveniatur, loquor mendacium, quod ipsi apertissimè est contrarium veritati? Quid nos tantùm promeruit castitas, & offendit veritas; cùm omnis ex veritate sit castitas, & si non corporis, sed mentis castitas veritas, atque in mente habitet etiam corporis sanctitas? .... Quisquis mihi pro persuadendo & defendendo ullo mendacio contradicit, quid dicit, si verum non dicit? Si autem propterea est audiendus quoniam verum dicit, quomodo me vult facere verum dicendo mendacem? Quomodo mendacium patronam sibi adhibet veritatem? An adversario suo vincit, ut à seipsa vincatur? Quis hanc absurditatem ferat? Nullo ergo modo dixerimus, eos qui afferunt aliquando esse mentiendum, id asserendo esse veraces, ne, quod est absurdissimum & stultissimum credere, veritas nos doceat esse mendaces. Quale est enim ut esse adulterandum nemo discat à castitate, Deum offendendum nemo discat à pietate, cuiquam nocendum nemo discat à benignitate, & esse mentiendum discamus à veritate? Porro si hoc non docet veritas, non est verum: si non est verum, non est discendum: si non est discendum, nunquam est igitur mentiendum.*

Præterea, Mendacium omne iniquitas est, & vel mortem infert animæ, vel spiritale certè detrimentum admortem disponens & perditionem: proindéque non est admittendum pro cujusquam salute temporali. *Quomodo* (inquit *S. Augustinus*, Libro *De Mendacio*, Cap. VI.) *non perversissimè dicitur, ut alter corporaliter vivat, debere alterum spiritaliter mori? Nam & ipsa dilectio proximi ex sua* » *cujusque terminum accepit.* Diliges, *inquit*, pro- Lev. 19. Matth. 22. » ximum tuum tanquam te ipsum. *Quomodo ergo quisque diligit tanquam se ipsum, cui ut præstet vitam temporalem, ipse amittit æternam? Quandoquidem si pro illius temporali vita suam ipsam temporalem perdat, non est jam diligere sicut se ipsum, sed plus quàm se ipsum, quod sana doctrina regulam excedit. Multo minùs igitur æternam suam pro alterius temporali mentiendo amissurus est ..... Cùm igitur mentiendo vita æterna amittatur, nunquam pro cujusquam temporali vita mentiendum est ..... Proinde non est in* De Mendacio. *ista quæstione attendendum, nisi utrùm iniquitas sit mendacium. Quod cùm supra commemoratis documentis asseratur, videndum est ita quæri utrùm pro alterius salute mentiri aliquis debeat, ac si quæreretur utrùm pro alterius salute iniquus esse aliquis debeat. Quod si respuit animæ salus, quæ non potest nisi æquitate servari, & se ut præponamus non solùm alterius, sed etiam nostræ saluti temporali jubet; quid restat quo dubitare debeamus nunquam omnino esse mentiendum? Non enim dici potest esse aliquid in temporalibus commodis salute ac vitâ corporali majus aut carius. Unde si nec ipsa præponenda est veritati, quid objici potest propter quod mentiendum esse contendant, qui aliquando putant oportere mentiri?*

Idem confirmat Enarratione II. in Psalmum XXX. *Quis*, inquit, *observat vanitatem? Qui timendo mori, moritur. Timendo enim mori mentitur, & moritur antequam moriatur, qui ideo mentiebatur ut viveret. Mentiri vis, ne moriaris: & mentiris, & moreris: & cùm vitas unam mortem, quam differre poteris, auferre non poteris: incidis in duas, ut priùs in anima, postea in corpore moriaris.*

Idem confirmat *S. Isidorus*, Libro II. *De Summo Bono*, Cap. XXX. *Summopere*, inquit, *cavendum est omne mendacium, quamvis nonnunquam sit aliquid mendacii genus culpæ levioris, si quisquam pro salute hominum mentiatur. Sed quia scriptum est*, Os quod mentitur, occidit animam; & Perdes omnes qui loquuntur mendacium, *hoc quoque mendacii genus perfecti viri summopere fugiunt, ut nec vita cujuslibet per eorum fallaciam defendatur: ne suæ animæ noceant, dum præstare vitam alienæ carni nituntur.* Denique *Alexander III.* Cap. *Super eo*, Extrà, *De Usuris*, ait: *Scriptura sacra prohibet pro alterius vita mentiri.*

Faciat ergo homo etiam pro temporali hominum salute quod potest: cùm autem ad hunc articulum ventum fuerit, ut tali saluti consulere nisi peccando non possit, jam se existimet non habere quid faciat, quando id reliquum esse perspexerit quod non rectè faciat (inquit *S. Augustinus* Libro *Contra Mendacium*, Cap. XVII.)

REGULA VII.

Mentiri non licet, ne prodatur innocens ab iniquo Judice quæsitus ad mortem.

NOn solùm enim falsum testimonium, non solùm proditionem, sed & omne mendacium divina Lex prohibet. Si quis igitur à Judice injusto interrogetur ubi lateat innocens quem quærit occidere, sciatque ubi sit, respondere debet: *Nec prodam, nec mentiar.* Fecit hoc Episcopus « quondam Thagastensis Ecclesiæ *Firmus* nomine, « firmior voluntate. Nam cùm ab eo quæreretur « homo jussu Imperatoris per apparitores ab eo « missos, quem ad se confugientem diligentiâ « quantâ poterat occultabat; respondit quærenti- « bus, *Nec mentiri se posse, nec hominem prodere*, « passúsque tam multa tormenta corporis, (non- « dum enim erant Imperatores Christiani) perman- « sit in sententia. Deinde ad Imperatorem ductus « usque adeo mirabilis apparuit, ut ipsi homini « quem servabat, indulgentiam sine ulla diffi- « cultate impetraret. Ita refert *S. Augustinus*, qui « hanc Regulam tradit Libro *De Mendacio*, Cap. XIII.

REGULA VIII.

Pro servanda pudicitia corporis mentiri non licet.

De Mendacio. ITa docet *S. Augustinus*, Libro *De Mendacio*, Cap. VII. *Pudicitia quippe corporis, quia multa honorabilis persona videtur occurrere, & pro se flagitare mendacium, ut si stuprator irruat qui possit mendacio devitari, sine dubitatione mentiendum sit, facilè responderi potest, Nullam esse pudicitiam corporis, nisi ab integritate animi pendeat; quâ disruptâ cadat necesse est, etiamsi intacta videatur;* B *& ideo non in rebus temporalibus esse numerandam, quasi quæ invitis possit auferri. Nullo modo igitur animus se mentiendo corrumpit pro corpore suo, quod scit manere incorruptum, si ab ipso animo incorruptio non recedat. Quod enim violenter non præcedente libidine patitur corpus, vexatio potiùs quàm corruptio nominanda est. Aut si omnis vexatio corruptio est, non omnis corruptio turpis est; sed quam libido procuraverit, aut cui libido consenserit. Quantò autem præstantior est animus corpore, tantò sceleratiùs corrumpitur. Ibi ergo servari potest pudicitia, ubi nulla nisi* C *voluntaria potest esse corruptio. . . . . Quapropter quoniam nemo dubitat meliorem esse animum corpore, integritati corporis integritas animi præponenda est, quæ in æternum servari potest. Quis autem dixerit integrum esse animum mentientis? Etenim libido quoque ipsa rectè definitur, Appetitus animi quo æternis bonis qualibet temporalia præponuntur. Nemo itaque potest convenire aliquando esse mentiendum, nisi qui potuerit ostendere æternum aliquod bonum obtineri posse mendacio. Sed cùm tantò quisque ab æternitate discedat, quantò à veritate discedit; absurdissimum est dicere, discedendo inde posse ad boni aliquid aliquem pervenire. Aut si est aliquod bonum æternum quod* D *non complectatur veritas, non erit verum: & ideo nec bonum erit, quia falsum erit. Ut autem animus corpori, ita etiam veritas ipsi animo præponenda est; ut eam non solùm magis quàm corpus, sed etiam magis quàm se ipsum appetat animus. Ita quippe erit integrior & castior, cùm ejus potiùs immutabilitate, quàm suâ mutabilitate perfruetur.*

REGULA IX.

Nec pro æterna alicujus salute procuranda mentiri licet.

SAncti *Augustini* verbis Libro *Contra Mendacium*, Cap. xx. hæc Regula stabilitur: *Aliquando nobis ipsius quoque salutis æternæ periculum opponitur, quod nostro mendacio, si aliter non potest, depellendum esse clamatur: velut si quisquam baptizandus in potestate sit impiorum atque infidelium constitutus, ad quem perveniri non possit ut Lavacro regenerationis abluatur, nisi deceptis mentiendo custodibus. Ab hoc invidiosissimo clamore, quo cogimur non pro cujusquam opibus vel honoribus in hoc sæculo transcurrentibus, non pro ipsa hujus temporis vita, sed pro æterna hominis salute mentiri, quò confugiam, nisi ad te, veritas? Et mihi abs te proponitur castitas. Cur enim si custodes isti, ut nos ad baptizandum hominem admittant, stupro illici possunt, non facimus contraria castitati, & si mendacio decipi possunt, facimus contraria veritati? Cum procul dubio nulli esset fideliter amabilis castitas, si non eam præciperet veritas. Proinde ut perveniatur ad hominem baptizandum, fallantur mentiendo custodes, si hoc jubet veritas. Sed quomodo jubeat veritas, ut homo baptizetur esse mentiendum, si non jubet castitas, ut homo* A *baptizetur esse mœchandum? Cur autem hoc non jubet castitas, nisi quia hoc non docet veritas? Si ergo, nisi quod veritas docet, facere non debemus; cùm veritas doceat nec propter hominem baptizandum facere quod contrarium est castitati, quomodo nos docebit facere propter baptizandum hominem quod ipsi est contrarium veritati?* De Mendacio.

Et paulò post: *Ille filius qui verbum suscipiens à perditione longe aberit, & nihil falsi ex ejus ore procedit, tam sibi clausum deputat, si ad subveniendum homini per mendacium, quàm si per stuprum transire cogatur. Et Pater exaudit orantem, ut valeat sine* B *mendacio subvenire, cui vult Pater ipse, cujus inscrutabilia sunt judicia, subveniri.* Proverb. 29.

REGULA X.

Ad detegendos Hæreticos sese verbo tenus Hæreticum mentiri, lethale peccatum est.

MEndacium enim est in materia Religionis, quo Fides Catholica ore negatur; ac proinde talis peccati reum Christus coram Patre suo negabit. Hanc Regulam multis adstruit *sanctus Augustinus*, Libro *Contra Mendacium*, Cap. VII. Matth. 10. 32. C *Multis quidem modis*, inquit, *possunt latentes Hæretici vestigari, nec Catholicâ Fide vituperatâ, nec hæreticâ impietate laudatâ: sed si aliter omnino non posset educi de cavernis suis hæretica impietas, nisi à tramite veritatis lingua Catholica deviaret; tolerabiliùs illa occultarentur, quàm ista præcipitaretur; tolerabiliùs in suis foveis delitescerent vulpes, quàm propter illas capiendas in blasphemiæ foveam caderent venatores. . . . . Nam si propterea justa sunt, non qualiacumque, sed blasphema mendacia, quia hoc animo fiunt, ut occulti Hæretici detegantur; poterunt isto modo, si eodem animo fiant, casta esse adulteria. Quid enim si ex numero Priscillianistarum impudico-* D *rum aliqua femina injiciat oculum in Catholicum Joseph, eique promittat prodituram se latebras eorum, si ab illo impetraverit stuprum, certùmque sit eam, si ei consensum fuerit, quod pollicita est impleturam: faciendúmne censebimus, an intelligemus nequaquam tali pretio merces ejusmodi comparandas? Cur ergo non ruimus capiendos Hæreticos carne in adulterium defluente, & eruendos putamus ore in blasphemia fornicante? aut enim licebit utrumque pari ratione defendere, ut ideo hæc non esse dicantur injusta, quia ea facta sunt intentione quâ deprehenderentur injusti: aut si sana doctrina nec propter inveniendos Hæreticos vult nos cum feminis impudicis saltem corpore non* E *mente misceri, profectò nec propter inveniendos Hæreticos vult à nobis saltem voce non mente, aut immundam Hæresim prædicari, aut castam Catholicam blasphemari. Quia & ipsum mentis imperium, cui debet omnis inferior motus hominis obedire, digno non carebit opprobrio, quando fit quod fieri non oportet, seu membro, seu verbo. . . . Interest quidem plurimùm, quâ caussâ, quo fine, quâ intentione quid fiat: sed ea quæ constat esse peccata, nullo bonæ caussæ obtentu, nullo quasi bono fine, nullâ velut bonâ intentione facienda sunt.* F

REGULA XI.

Æquivocationum & Restrictionum mentalium usus per se malus est, & quavis in occasione rerúmque circumstantiis quibuslibet illicitus.

ÆQuivocationes enim & Restrictiones mentales sunt verè mendacia, proindéque naturali ac divinâ lege omnino prohibentur. *Ille enim mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis vel quibuslibet significationibus enuntiat. Unde etiam duplex cor dicitur esse mentientis, id est, duplex cogitatio: una rei ejus quam veram esse vel scit vel putat, & non profert: altera ejus rei quam pro ista profert, sciens falsam esse vel putans*: (inquit *S. Augustinus*, Libro *De Mendacio*, Cap. III.

Id confirmat *S. Thomas*, Quodlibeto VIII. Quæstione VI. Articulo IV. *Ad hoc*, inquit, *inventa sunt verba vel voces ut sint signa intellectuum: & ideo quando aliquis voce enuntiat, quod non habet in mente, quod importatur in nomine mendacii, est ibi inordinatio per abusum vocis: & ideo concedimus quòd mendacium semper est peccatum.*

Æquivocationum & restrictionum mentalium artem damnat Spiritus Sanctus. Hanc æquivocationum & restrictionum mentalium artem prohibet damnátque Spiritus Sanctus per Davidem loquens, Psalmo XXXIII. *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum: diverte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam.* Quid enim est mentalis restrictio & æquivocatio ad fallendum proximum usurpata, nisi dolus? Unde *S. Augustinus* locum istum expendens Sermone XVI. aliàs Homiliâ primâ ex quinquaginta, Cap III. ait: *Si propter istos dies, quasi propter dies bonos, susceperimus præceptum, ut labia nostra non loquantur dolum, plerumque tales dies cogunt amatores suos loqui dolum, & tales dies negantur eis qui non loquuntur dolum. Quid enim aliud est, loqui dolum, nisi aliud labiis promere, cùm aliud claudatur in pectore? .... Alii sunt igitur dies boni, de quibus admonemur, ut si eos videre diligimus, cohibeamus à malo linguam, nec dolum loquamur. Non sunt de isto sæculo dies illi: non eos habet cælum quod transibit, sed quod permanebit: non eos novit terra morientium, sed terra viventium. Hos quisquis intellexerit & dilexerit, linguam cohibet à malo: & si eum terror mortis cogit ad malum, labia ejus non loquuntur dolum: & si diebus fallaciter bonis invitetur ad dolum, declinat à malo etiam inter bona: facit bonum etiam inter mala: quærit pacem quæ non est super terram, & sequitur eam in illo qui fecit cælum & terram* Ex quo S. *Augustini* loco liquet, nec terrore mortis, sive ad illius periculum imminens vitandum, licere Christiano æquivocationum aut restrictionum mentalium usum.

Idem confirmatur Psal. LI. *Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa: propterea Deus destruet te in finem.* Quem locum *sanctus Augustinus* expendens in Enarrat. in hunc Psalmum: *Quid est*, inquit, *lingua dolosa? Ministra fallacia est lingua dolosa, aliud in corde gestantium, aliud ore promentium.*

Et Tractato VII. in Johannem, expendens illud Christi Domini de Nathanaële perhonorificum testimonium, *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est*, ait: *Dolus est, cùm aliud agitur & aliud fingitur. Dolus fraus est, simulatio est. Quando aliquis aliquid in corde tegit, & aliud loquitur, dolus est, & tanquam duo corda habet: unum quasi sinum cordis habet, ubi videt veritatem: & alterum sinum ubi concipit mendacium. Et ut noveritis hunc esse dolum, dictum est in Psalmis, labia dolosa. Quid est labia dolosa? Sequitur, In corde & corde locuti sunt* *Psalm. 11. 3.* *mala. Quid est, In corde & corde; nisi, duplici corde?*

Et Sermone CXXXIII. aliàs VIII. inter editos ex MSS. Carthusiæ Majoris. *Fallitur*, inquit, *qui cùm sit falsum, verum putat esse quod dicit; mentitur autem, qui falsum esse aliquid putat, & pro vero dicit, sive illud verum sit, sive falsum. Intuemini quid addiderim, sive illud verum sit, sive falsum, tamen qui falsum putat, & verum asserit, mentitur: fallere affectat. Quid enim ei prodest, quia verum est? Interim ipse hoc falsum putat, & dicit tanquam verum sit. Verum est in se illud quod dicit; apud illum falsum est, non hoc habet conscientia ejus quod loquitur; aliud in se cogitat verum esse, aliud foras profert pro veritate. Duplex cor est, non simplex: non quod ibi habet, hoc profert. Duplex cor olim reprobatum.* Labia dolosa in corde & corde locuti sunt mala. *Eccli. 1. 34. Psalm. 11. 3.* *Sufficeret ut diceret, in corde loquuti sunt mala: ubi est, labia dolosa: Quid est dolus? cùm aliud agitur, aliud ostenditur. Labia dolosa non simplex cor, & quia non simplex cor, ideo in corde & corde; ideo bis corde, quia duplex cor.*

Ars Restrictionũ mentalium & æquivocationum, in Priscillianistis olim damnata. Ars mentalium Restrictionum & Æquivocationum in Priscillianistis Hæreticis olim damnata est, teste *S. Augustino* Libro *Contra Mendacium*, Cap. II. *Nec in eo malo*, inquit, *debemus Priscillianistarum esse participes, in quo ceteris Hæreticis convincuntur esse pejores. Ipsi enim soli, vel certè maximè ipsi reperiuntur, ad occultandam suam, quam putant veritatem, dogmatizare mendacium: atque hoc tam magnum malum ideo justum existimare, quia dicunt in corde retinendum esse quod verum est: ore autem ad alienos proferre falsum, nullam esse peccatum; & hoc esse scriptum:* Qui loquitur veritatem in corde suo; *Psalm. 14.* *tanquam hoc satis sit ad justitiam, etiamsi loquatur quisque in ore mendacium, quando non proximus, sed alienus hoc audit.*

Sapientia Sanctorum sine simulatione. Sapientiam Sanctorum origine cælestem, *sine simulatione* S. Jacobus esse docet, Epistolæ suæ Cap. III. Huic opponit sapientiam carnalem: de qua præmiserat: *Nolite gloriari & mendaces esse adversus veritatem: non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.* Quæ tamen, proh dolor! urbanitatis, ingeniosæque artis nomine à filiis hujus sæculi insignitur. Qua de re *sanctus Gregorius Magnus*, Libro X. *Moralium*, Cap. XXIX. explicans hæc verba Job XII. *Deridetur justi simplicitas*, ait: *Hujus Mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare; quæ falsa sunt vera ostendere; quæ vera sunt fallacia demonstrare. Hæc nimirum prudentia usu à juvenibus scitur; hæc à pueris pretio discitur: hanc qui sciunt, ceteros despiciendo superbiunt; hanc qui nesciunt, subjecti & timidi in aliis mirantur: quia ab eis hæc eadem duplicitas iniquitatis, nomine palliata diligitur, dum mentis perversitas urbanitas vocatur. ..... At contrà sapientia Justorum est, nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire; vera ut sunt diligere, falsa devitare ... pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc Justorum simplicitas deridetur: quia ab hujus mundi sapientibus puritatis virtus, fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab eis proculdubio stultum putatur: & quicquid in opere veritas approbat, carnali sapientia fatuum sonat.*

Mentalium Restrictionũ & æquivocationum usus, institutioni vocum adversatur. Denique Mentalium Restrictionum & Æquivocationum usus institutioni vocum penitus adversatur. Nam *Verba propterea sunt instituta, non per quæ invicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est*, (inquit *sanctus Augustinus* in

Enchiridio, Cap. XXII. Ex quo patet, Restrictionum mentalium osum societati homanæ adversari, ipsique adeo oaturæ bumanæ, quæ societatem illam appetit. Unde *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione CIX. Articulo III. ad primum, ait: *Quia homo est animal sociale, naturaliter unus homo alteri debet id sine quo societas humana servari non posset. Non autem possent homines ad invicem convivere, nisi sibi invicem crederent, tanquam sibi invicem veritatem manifestantibus.* Hinc Ecclesiastici XXXVII. dicitur: *Qui sophisticè loquitur, odibilis est.* Ut enim ait *S. Augustinus*, io *Enchiridio*, Cap. XVII. *Usque adeo rationalis natura refugit falsitatem, & quantum potest devitat errorem, ut falli nolint, etiam quicumque amant fallere.* Quamobrem, qui æquivocationibus & restrictionibus mentalibus utuntur, peccant in primom illud legis naturæ præceptom: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Coi respondes illud Christi, Matth. VII. *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis:* nemo enim æquivocationibus & restrictionibus meotalibus se decipi vellet.

Propositio damnata.

Meritò igitur ab *Innocentio XI.* Pontifice Maximo inter alias pravi dogmatis Propositiones anno millesimo sexcentesimo septuagesimo-nono, die quartâ Martii, & ista damnata est ordine 27. *Causa justa utendi his Amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.*

Hanc Propositionem Cleros Gallicanus anno 1700. judicavit *Erroneam, temerariam, scandalosam, perniciosam, illusoriam; mendaciis, fraudibus & perjuriis viam aperientem, & Sacris Scripturis adversari.*

REGULA XII.

Licet aliquando veritatem occultare.

NOn enim *hoc est occultare veritatem, quod est proferre mendacium:* (inqoit *sanctus Augustinus*, Libro *Contra Mendacium*, Cap. X. *Quamvis enim omnis qui mentitur velit celare quod verum est, non tamen omnis qui vult quod verum est celare, mentitur. Plerumque enim vera non mentiendo occultamus, sed tacendo. Neque enim mentitus est Dominus ubi ait:* Multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modò. *Vera tacuit, non falsa locutus est, quibus veris audiendis eos minùs idoneos judicavit....... Non est ergo mendacium cùm silendo absconditur verum, sed cùm in loquendo promitur falsum.*

Idem confirmat *S. Gregorius Magnus*, Pastoralis P. III. Cap. XII. *Laudandi sunt simplices*, inqoit, *quòd studeant nunquam falsa dicere, sed admonendi sunt ut noverint nonnunquam vera reticere. Sicut enim semper dicentem falsitas lædit, ita nonnunquam quibusdam audita vera nocuerunt. Admonendi sunt igitur simplices, ut sicut fallaciam semper utiliter vitant, ita veritatem semper utiliter proferant. Admonendi sunt ut simplicitatis bonæ prudentiam adjungant, &c.*

REGULA XIII.

Omnis simulatio propriè dicta, peccatum est.

De Simulatione.

SImulatio propriè dicta, fictio quædam est, quâ quispiam certis factis aut rebus significat coотrarium ejus quod io animo habet; qui tristis est, verbi gratiâ, simulat se gaudentem, qui iratus placatum, qui inimicus amicom. Hanc simolationem semper esse peccatum, docet *sanctus Thomas*, Secundâ Secundæ, Qoæstione CXI. Articulo I. *Ad virtutem*, inquit, *veritatis pertinet, ut quis talem se exhibeat exteriùs per signa exteriora, qualis est. Signa autem exteriora non solum sunt verba, sed etiam facta. Sicut ergo veritati opponitur quod aliquis per verba exteriora aliud significet quàm quod habet apud se, quod ad mendacium pertinet; ita etiam opponitur veritati, quòd aliquis per aliqua signa factorum, vel rerum, aliquid significet contrarium ejus quod in eo est: quod propriè simulatio dicitur. Unde simulatio propriè est mendacium quoddam in exteriorum signis factorum consistens. Non refert autem utrùm aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto. Unde cùm omne mendacium sit peccatum, consequens est etiam quòd omnis simulatio est peccatum.*

Simulatio impropriè dicta est fictio sive ad aliquid significandum, sive ad occoltandum verum, quod aperire minimè necesse est: & hæc noo est peccatum. De priori fingendi modo *sanctus Augustinus* Libro II. Quæstionum Evangelicarum, Quæstione LI. *Non omne*, inquit, *quod fingimus mendacium est: sed quando id fingimus quod nihil significat* (nihil scilicet veri) *tunc est mendacium. Cùm autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. Alioquin omnia quæ à sapientibus & sanctis viris, vel etiam ab ipso Domino figuratè dicta sunt, mendacia deputabuntur, quia secundùm usitatum intellectum non subsistit veritas talibus dictis. Non enim homo qui habuit duos filios, quorum junior acceptâ parte patrimonii sui profectus est in regionem longinquam, & cetera quæ in illa narratione contexuntur, ita dicuntur tanquam fuerit quisquam homo qui hoc in filiis suis duobus aut passus sit, aut fecerit. Ficta sunt ergo ista ad rem quamdam significandam tam longè latèque majorem & tam incomparabiliter differentem, ut per illum fictum hominem Deus verus intelligatur. Sicut autem dicta, ita etiam facta finguntur sine mendacio ad aliquam rem significandam; unde est etiam illud ejusdem Domini, quod in fici arbore quæsivit fructum eo tempore, quo illa poma nondum essent. Non enim dubium est illam inquisitionem non fuisse veram: quivis enim hominum sciret si non divinitate, vel tempore, poma illam arborem non habere. Fictio igitur quæ ad aliquam veritatem refertur, figura est: quæ non refertur, mendacium est.* Ad veritatem aliam significandam Christus *finxit se longiùs ire*: Hospitalitatis se licet officio ad « suam cognitionem pervenire posse homines æ- « timavit; ut cùm longiùs abscesserit super omnes « cælos, ita tamen cùm eis sit qui hæc exhibent « servis ejus, ut cùm dicere cœperint, *Domine* « *quando te vidimus hospitem & adduximus te?* tam- « quam eum qui longè abscesserat, respondeat « ille, *Cùm uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* « Ita *S. Augustinus.*

Luc. 24. Matth. 25.

De posteriori fingendi modo, scilicet occultando verum, quod aperire minimè necesse est, *S. Thomas* Secundâ Secundæ, Quæstione CXI. Articulo I. ad quartum respondet: *Sicut aliquis*

verbo

De Simulatione.

verbo mentitur quando significat quod non est; non autem quando tacet quod est, quod aliquando licet: ita etiam simulatio est, quando aliquis per exteriora signa factorum vel rerum, significat aliquid quod non est; non autem si aliquis prætermittat significare quod est. Unde aliquis potest peccatum suum occultare absque simulatione, ne scilicet exinde aliis scandalum generetur. Ita finxit Josuë positis insidiis juxta urbem Haï, & impropriè simulavit metum, fugiens cum exercitu: non enim falsitatem hoc facto significavit, sed recedendo sicut recedere solent qui metuunt & fugiunt, consilium suum occultavit justâ de causâ, absque simulationis peccato. Ab hoc proinde vitio immunes sunt, qui insidiis in bello justo utuntur, & vestes vel signa militaria hostium assumunt, ut se, vel consilia sua occultent. *Dupliciter aliquis potest falli ex facto vel dicto alterius,* (inquit Sanctus *Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione XL. Articulo III.) *Uno modo, ex eo quòd ei dicitur falsum, vel non servatur promissum: & istud semper est illicitum. Et hoc modo nullus debet hostes fallere: sunt enim quædam jura bellorum & fœdera etiam inter ipsos hostes servanda. Alio modo aliquis potest falli ex dicto vel facto nostro, quia ei propositum aut intellectum non aperimus. Hoc autem semper facere non tenemur; quia etiam in doctrina sacra multa sunt occultanda, maximè infidelibus, ne irrideant, secundùm illud Matth.* VII. » Nolite Sanctum dare canibus. *Unde multò magis ea quæ ad impugnandum inimicos paramus, sunt eis occultanda. Unde inter cetera documenta rei militaris hoc præcipuè ponitur de occultandis consiliis ne ad hostes perveniant. Et talis occultatio pertinet ad rationem insidiarum, quibus licitum est uti in bellis justis.*

A simulationis peccato immunis pariter fuit *David*, cùm ut personam suam occultaret *Achis* Regi Geth, coram eo os suum immutavit, & inter manus servorum ejus collabebatur, & impingebat in ostia portæ, salivámque suam in barbam defluere sinens, speciem hominis insani exhibebat. Præter quàm quòd factum illud David Propheticum fuit, Christique humilitatem in Incarnatione, & mysticam vultûs ejus immutationem in Novo Sacrificio Corporis & Sanguinis illius significabat, ut explicat *S. Augustinus*, Enarratione I. in Psalmum XXXIII.

Galat. 2. 14. *Simulatio* verò *Petri & Barnabæ quâ gentes judaizare cogebant, meritò reprehensa atque correcta est* à Paulo, *& ne tunc noceret, & ne posteris ad imitandum valeret;* (inquit *S. Augustinus*, Libro *Contra Mendacium*, Cap. XII.) Erant scilicet, qui putabant atque prædicabant, quamvis jam recepto Christi Evangelio, Legis Veteris Sacramenta & Ceremonias observari necessariò debere ad salutem, & eis simulatè consenserant Petrus & Barnabas, idcóque cogebant Gentes judaizare. Id enim erat cogere, sic ea necessaria prædicare, tanquam & recepto Evangelio nulla sine illis salus esset in Christo. *Hoc error quorumdam putabat, hoc timor Petri simulabat, hoc libertas Pauli redarguebat.* Quod ergo ait *ipse Paulus*,

1. Cor. 9. 22. » Omnibus omnia factus sum, ut omnes lu» crifacerem: *compatiendo id fecit, non mentiendo. Fit enim quisque tanquam ille cui vult subvenire, quando tantâ misericordiâ subvenit, quantâ sibi subveniri vellet, si esset ipse in eadem miseria constitutus. Itaque fit tanquam ille, non quia fallit illum, sed quia se cogitat sicut illum.*

Nonnulla Sanctorum quorumdam hominum facta vix à simulationis vitio possunt excusari. *S. Eusebius* Vercellensis Episcopus & Martyr, pa-

tatum se ad subscribendum Arianæ perfidiæ simulavit, ut *Dionysii* Mediolanensis Episcopi subscriptionem ab Arianis dolo obtentam deleret, ut refert Auctor Sermonis LXIX. inter Ambrosianos. *S. Ambrosius* ad Mediolanensem Episcopatum electus, se crudelem simulavit, reis contra consuetudinem suam tormenta jubens adhiberi; immò & impudicum, meretrices ad se ingredi curans, ut illis visis populi ipsum Episcopum postulantis intentio revocaretur, ut refert *Paulinus* in ejus Vita. *S. Joannes Eleemosynarius*, & *S. Apollinaris* Patriarcha Alexandrinus Ecclesiam homini cuidam debitricem esse librarum auri quinquaginta simularunt, falso contractu supposito, ut filio ejus patre orbato, bonisque omnibus destituto subvenirent; ut testantur *Leontius* Neapolitanus in Cypro Episcopus in Vita S. Joannis Eleemosynarii, & *Joannes Moschus* in Prato Spirituali, Cap. CXCIII. *S. Ephrem* Syrus, cùm Episcopus electus esset, eúmque comprehendere conarentur, qui Decretum Ordinationis attulerant, tanquam ad Ordinationem ducturi, statim in forum cucurrit, & indecorè incedens ac vestem trahens, & in publico comedens, se pro insano spectandum exhibuit. Ubi verò qui illum comprehensuri venerant, hominem mente captum esse arbitrati, appetere eum ulteriùs ac persequi destiterunt, ille opportunitatem nactus aufugit, & eò usque delituit, donec alius ordinatus fuisset. Refert *Sozomenus* Libro III. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. XVI. Palæstinæ quidam Monachi sanctitate celebres, postquam assiduâ virtutis exercitatione, vacui ab animi perturbationibus evasissent, ad sæculum redibant, & in media hominum multitudine insanos se esse simulantes, inanem gloriam conculcabant, ut refert *Evagrius* Libro I. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. XXI. *Simeones* Emissenus Monachus stultitiam propter Christum pariter simulavit, ut idem Auctor refert Libro IV. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. XXIV. *S. Flavius* Antiochenus Episcopus Messalianorum sive Euchitarum Hæresim simulatione detexit, teste *Theodoreto* Lib. IV. Historiæ Ecclesiasticæ, Cap. X. Plura alia exempla congeri possunt.

Verùm hujusmodi simulationes peccata fuisse minimè negandum est, quæ tamen caritas eximia & ardentissima Sanctorum illorum hominum operuerit atque deleverit. *Non omnia quæ à Sanctis vel justis Viris legimus facta, transferre debemus in mores; sed hinc discere quàm latè pateat, & ad quæ usque perveniat quod Apostolus ait,* Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in ali- » Galat. 6.
quo delicto, vos qui spirituales estis, instruite »
hujusmodi in spiritu lenitatis, intendens te ipsum »
ne & tu tenteris. *Præoccupationes enim sane istæ » in quibus delinquitur, tum quid faciendum sit aut ad horam non videtur, aut & qui viderit vincitur; ut scilicet fiat peccatum, tùm vel latet veritas, vel compellit infirmitas;* (inquit *S. Augustinus*, Libro *Contra Mendacium*, Cap. IX.) Hæc igitur facta etsi suspicienda sint, non tamen imitanda, *ne violemus præcepta, dum passim sectamur exempla;* (inquit *S. August. ant.*)

Hujus explicationem Regulæ à *S. Thoma* cœptam, ex eodem absolvamus Quodlibeto VI. Quæstione IX. Articulo III. *Peccatum mendacii* (inquit) *principaliter consistit in intentione fallendi...... Unde cùm eadem intentio fallendi sit in eo qui mentitur verbo, & in eo qui mentitur facto, uterque æqualiter peccat. Verbum enim & factum assumuntur ut instrumenta fallendi: unde non refert quantùm ad peccatum mendacii, utrum aliquis verbo, vel scripto, vel nutu, vel quocumque facto*

De Mendacio.

mentiatur ; sicut non refert quantum ad peccatum homicidii, utrum quis gladio vel securi interficiat hominem.

Simulatio in materia Religionis, gravissimum peccatum.

Gravissimum autem peccatum est simulatio in materiâ Religionis : qualis fuit illa *Jehu*, qui se Idolum Baal colere velle, ipsique Sacrificium offerre simulavit, IV. *Regum*, X. Neque verò ob illam simulationem laudatur, sed quòd voluntatem Dei sit executus, delendo domum Achab, & interficiendo Sacerdotes Baal : *Dixit Dominus ad Jehu : Quia studiosè egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filii tui usque ad quartum generationem sedebunt super thronum*

4. Reg. 10.30.

Israel. Unde *S. Augustinus*, Libro *Contra Mendacium*, Cap. II. simulationem illam Jehu *Mendacium impium* vocat. *Cùm verò scriptum sit, eum rectum cor non habuisse cum Deo, quid ei profuit quòd pro nonnulla obedientiâ, quam de domo Achab omnino delenda pro cupiditate suæ dominationis exhibuit, aliquantam mercedem transitoriam Regni temporalis accepit ?* Hac in re *S. Augustino* assentiendum potiùs, quàm *S. Hieronymo* in Cap. II. ad Galatas dicenti : *Utilem simulationem, & in tempore assumendam, Jehu Regis Israel nos doceat exemplum, qui finxit se velle idolum colere*, ut interficeret Sacerdotes Baal. Assentiendum (inquam) *S. Augustino*, quia ejus sententia Legi Dei omnino consona est ; in eamque descendit tandem *S. Hieronymus*, qui & ab omni mendacio abhorrendum docuit, cùm Moralis Christianæ Regulas tradidit, ut Epistolâ ad *Latam* de Institutione filiæ : *Nutriatur in Monasterio, sit inter Virginum choros, jurare non discat, mentiri sacrilegium putet.* Et Epistola ad *Celantiam* ait : *Mentiri atque jurare lingua tua prorsus ignoret ; tantúsque in te sit veri amor, ut quicquid dixeris, juratum putes.*

REGULA XIV.

Lethalis peccati reus est, qui vi tormentorum, vel ad ea vitanda, se reum criminis fatetur, cùm sit innocens.

FAlsi enim testimonii, & calomniæ in se ipsum reus est. Id confirmat *S. Hieronymus* in Epistola *De Muliere septies icta*, quæ scilicet accusata adulterii à marito, & cum juvene, qui consors criminis dicebatur, Judici tradita, illo confitente, quamvis insons esset, capitéque plexo, invictæ fortitudinis exemplum præbuit. Cujus constantiam, & odium peccati atque mendacii muneravit Deus, Miraculo servans incolumem, cùm gladio septies a carnifice icta esset. *At verò* (inquit) *Mulier sexu fortior suo, cùm equuleus corpus extenderet, & sordidas fœtore carceris manus post tergum vincula cohiberent ; oculis quos tantùm tortor alligare non poterat, suspexit ad cælum, & volutis per ora lachrymis ; Tu* (inquit) *testis es Domine Jesu, cui occultum nihil est, qui es scrutator renis & cordis, non ideo me negare velle ne peream ; sed ideo mentiri nolle, ne peccem. At tu miser homo, si interire festinas, cur duos interimis innocentes ? Equidem & ipsa cupio mori, cupio invisum hoc corpus exuere, sed non quasi adultera. Præsto jugulum, micantem intrepida exceptio mucronem, innocentiam tamen mecum feram. Non moritur quisquis victurus occiditur.*

Suspicienda igitur & imitanda caritas *S. Hiemerammi* Ratisponensis Episcopi, non imitandum quod dedit assingendi sibi stupri consilium, quod ejus Martyrio dedit occasionem. Rem ita refert Vitæ ejus Autor apud *Surium*, ad diem XXII. Septembris. *Theodonis Ducis filia Ota vel Uta, libidine & Diaboli incitamentis victa, à Sigibaldo cujusdam Ducis filio prolem concepit. Ambo verò magno animi dolore ob facinus perpetratum affecti, cum jam res diutius celari non posset, Sanctissimi Heimerammi Episcopi pedibus advolvuntur. Vir Sanctus acriter reprehendit eos, indictâque eis satisfactione, nolens eis humanitatis & pietatis negare subsidia, secretò eis mandat, ut in ipsum illud crimen conferant, quò sic faciliùs possint evadere pœnas. Noverat enim venerandus Pontifex, si crimen publicatum esset, nullo pacto à patre puellæ se illis veniam impetraturum. Itaque crimen alienum sibi imputari voluit, ut pœnam, quam reformidabant, ab illis averteret.* Cæterùm antequam Martyrium subiret, insontem se esse contestatus est, & causam suam ad Romani Pontificis tribunal deferri postulavit, cur suam innocentiam probaret.

De Mendacio.

REGULA XV.

Specie Humilitatis mentiri, peccatum est.

HAnc Regulam tradit *S. Augustinus*, Sermone CLXXXI aliàs XXIX. *De Verbis Apostoli*, Cap. IV. *Cùm*, inquit, *humilitatis causâ mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo effeceris quod evitaveras. Veritas in te non est, nisi te ita dixeris peccatorem, ut etiam esse cognoscas. Veritas autem ipsa est, ut quod es dicas. Nam quomodo est humilitas, ubi regnat falsitas ?* Et Tractato XLI. in Joannem : *Arrogantia* (inquit) *non ita caveatur, ut veritas relinquatur.* Refert *Gratianus* Causa XXII. Quæst. II. Can. IX. & X.

Eamdem Regulam confirmat *S. Gregorius Magnus*, Libro XXVI. *Moralium* Cap. III. *Incauti sunt humiles* (inquit) *qui se mendacio illaqueant, dum arrogantiam vitant, immò mentiendo superbiunt, quia contra veritatem se erigunt, quam relinquunt. Qui enim necessitate cogente, vera de se bona loquitur, tantò magis humilitati jungitur, quantò & veritati sociatur. An Paulus humilis non fuit, quando æmulatione veritatis contra falsos Apostolos tot de se Discipulis fortia gesta narravit ? Qui nimirum veritati inimicus existeret, si abscondendo virtutes proprias, Prædicatores errorum prævalere permisisset.* Refert *Gratianus* ibidem, Canone XI.

Idem confirmat Valentino *Synodus*, anno ter centesimo septuagesimo-quarto celebrata, Canone quarto, quo à Sacris Ordinationibus excludit eos, qui mortale crimen de se ipsis dixerint, quamvis id fortè falsum sit, & humilitatis specie mentiantur. *Nec illud, Fratres, scribere alienum ab Ecclesiæ utilitate censuimus, ut sciretis, quicumque se sub Ordinatione vel Diaconatûs, vel Presbyterii, vel Episcopatûs, mortali crimine dixerint esse pollutos, à supradictis Ordinationibus submovendos ; reos scilicet vel veri confessione, vel mendacii falsitatis. Neque enim absolvi in his potest, quod dictum in alios punitur : cùm omnis qui sibi fuerit mortis causa, major homicida sit.*

Id denique confirmat Sanctus Anachoreta *Joannes*, quem cùm inviserent Juvenes pietate conspicui, quorum unus Diaconus erat, sed Ordinis sui insignia nulla præ se ferebat, ne quis ipsi honor exhiberetur, *Digito ostendens eum ; Hic* (inquit) *Diaconus est. Et cùm adhuc negare tentaret, apprehendens eum manu suâ osculatur, & dixit : Noli fili, negare gratiam Dei, ne incurras pro bono malum, pro humilitate mendacium. Cavendum namque est omnimodis mendacium, sive pro malo, sive etiam pro bono proferri videatur : quia omne men-*

dacium non est à Deo, sed sicut Salvator dicit, A malo est. Refert *Ruffinus* Libro 1. *De Vitis Patrum.*

REGULA XVI.

Adulatio semper peccatum est.

QUi enim falsis laudibus alicui blanditur, aut veris etiam laudibus ipsum delectare studet, sed modum tamen excedit, veritati facit injuriam, & coram Deo loquens mentitur: immò & illi quem laudat injuriam infert. Nam & Deum ita laudare, falsum testimonium adversùs Deum esset, ut docet Apostolus 1. ad Corinthios xv. *Si Christus* (inquit) *non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra.. ... invenimur autem & falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum.* Hinc *S. Hieronymus*, Libro 1. *Contra Pelagianos* ait: *Semper insidiosa, callida, blanda est adulatia, pulchréque apud Philosophos definitur blandus inimicus.* Et Epistola ad *Celantiam*, quam S. Paulino Nolano Episcopo alii adscribunt; *Adulatorum quoque assentationes, & noxia blandimenta fallacia, velut quasdam pestes animæ fuge. Nihil est quod tam facilè corrumpat mentes hominum; nihil quod tam dulci & molli vulnere animum feriat. Unde & quidam sapiens ait*, Verba adulatorum mollia, feriunt autem interiora ventris. *Et Dominus loquitur per Prophetam:* Popule meus, qui beatificant vos, seducunt vos, & semitas pedum vestrorum. *In multis isto maximè tempore, regnat hoc vitium, quodque est gravissimum, humilitatis ac benevolentiæ loco ducitur. Eo fit, ut qui adulari nescit, aut invidus aut superbus putetur. Est sanè grande & subtile artificium, laudare alterum in commendationem sui, & decipiendo animum sibi obligare decepti, quodque hoc maximè vitio agi solet, fictas laudes certo pretio vendere.*

> Adulatio, pestis animæ.
> Isai. 5.

Hinc *S. Augustinus*, Enarratione in Psalmum LXIX. ad illum versum, *Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge, euge*, ait: *Duo sunt genera persecutorum, vituperantium & adulantium. Plus persequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris.* Et in Psalmum CXL. ad illa verba: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, ait: *Falsa laus adulatoris, hoc est oleum peccatoris.... Oleum gloria est, fulget, nitet in superficie. Sed bona debet esse gloria, vera gloria, ut sit intus in vasis suis. Audi quid est in vasis:* Probet autem se ipsum homo: & tunc in semetipso, habebit gloriam, & non in altero. *Audi ipsum Apostolum:* Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.... *Sed quid facio, dicis mihi? Patior adulatores, non cessant perstrepere, laudant in me quæ nolo, quæ ego parvipendo laudant in me, quod ego carum habeo reprehendunt in me, adulatores, fallaces, deceptores. Magnus vir ille, doctus, sapiens, sed quare Christianus? Nam magna doctrina, & magna litera, & magna sapientia. Si magna sapientia, approba quod Christianus est. Si magna doctrina, doctè elegit. Postremò quod tu vituperas, hoc ei placet quem laudas. Sed quid? Laudatio illa non indulcat, oleum peccatoris est. Sed non cessat dicere. Non inde impinguet caput tuum; id est, noli gaudere ad talia, noli annuere, noli consentire, noli inde gratulari: & si ille adtulit oleum adulationis, sed caput tuum integrum mansit, non inflatum est, non tumuit. Si enim inflatum fuerit & tumuerit, facit pondus & præcipitat te.* OLEUM *autem peccatoris non impinguet caput meum.*

> Laus adulatoris, oleum peccatoris.
> Galat. 6.
> 2. Cor. 10.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CXV. Articulo 1. in Responsione ad primam objectionem. *Laudare aliquem* (inquit) *contingit & bene & malè; prout scilicet debita circumstantia, vel servantur, vel prætermittuntur. Si enim aliquis aliquem velit delectare laudando, ut ex hoc eum consoletur, ne in tribulationibus deficiat, vel etiam ut in bono proficere studeat, aliis debitis circumstantiis observatis, pertinebit hoc ad virtutem amicitiæ. Pertinet autem ad adulationem, si quis velit aliquem laudare in quibus non est laudandus: quia fortè mala sunt, secundùm illud Psalmi* IX. Laudatur peccator in desideriis animæ suæ: *vel quia non sunt certa, secundùm illud Ecclesiastici* XXVII. Ante sermonem non laudes virum. *Et iterum Ecclesiastici* XI. Non laudes virum in specie sua: *vel etiam si timeri possit ne humana laude ad inanem gloriam provocetur. Unde dicitur Ecclesiastici* XI. Ante mortem ne laudes hominem. *Similiter etiam velle placere hominibus propter caritatem nutriendam, ut in eo homo spiritualiter proficere possit, laudabile est. Quòd autem aliquis velit placere hominibus propter inanem gloriam, vel propter lucrum, vel etiam in malo, hoc esset peccatum, secundùm illud Psalmi* LII. Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent. *Et Apostolus dicit ad Galatas* 1. Si adhuc hominibus placerem, servus Christi non essem.

Adde & illud ejusdem Apostoli 1. ad Thessalonicenses II. *Ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neque in occasione avaritiæ: Deus testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.* Nec repugnat quod ait 1. ad Corinthios X. *Sicut & ego per omnia omnibus placeo:* Non enim adulando placebat, sed omnium utilitates spiritales & salutem procurando: *Non quærens* (inquit) *quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* Unde *S. Augustinus* Libro II. *De Sermone Domini in Monte*, cap. 1. *Non ideo* (inquit) *rectè faciebat ut placeret hominibus, sed ut Deo, ad cujus amorem corda hominum volebat convertere, eo ipso, quo placebat hominibus. Itaque & non se placere hominibus rectè dicebat, quia in eo ipso ut Deo placeret intuebatur & placendum esse hominibus rectè præcipiebat, non ut hoc appeteretur tanquam merces rectè factorum, sed quia Deo placere non posset, qui non se iis, quos salvos fieri vellet, præberet imitandum: Imitari autem illum qui sibi non placuerit, nullo pacto quisquam potest.*

REGULA XVII.

Proximo adulari vel ejus laudando peccata, vel animo decipiendi ac nocendi, vel præbendo ipsi ruinæ occasionem, lethale peccatum est.

HAnc Regulam explicat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CXVI. Articulo II. *Peccatum mortale est* (inquit) *quod caritati contrariatur. Adulatio autem quandoque quidem caritati contrariatur, quandoque non. Contrariatur siquidem caritati tripliciter. Uno modo ratione ipsius materiæ: putà, cùm aliquis laudat alicujus peccatum. Hoc enim contrariatur dilectioni Dei, contra cujus justitiam homo loquitur: & contra dilectionem proximi, quem in peccato fovet. Unde est peccatum mortale, secundùm illud Isaiæ* V. *VÆ qui dicitis malum*

> Adulatio triplici modo adversatur caritati.

bonum, Quò pertinet etiam illud Psalmi IX. *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ; & iniquus benedicitur*. In quem locum *S. Augustinus* ait: *Adulantium linguæ alligant animas in peccatis. Delectat enim ea facere, in quibus non solùm non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur*. Quam Sententiam exprimit *S. Prosper* Epigrammate LXXXVI.

Lingua assentatrix vitium peccantis acervat.
Et delectatum crimine, laude ligat.
Nulla fit ut lapso reparandæ cura salutis,
Blanditur sonti dum malè suasus honor.
Libera fit potius vox correctoris amici,
Serpere nec fibris cæca venena sinat.
Nec credens Medici verbis fallacibus æger,
Noxia laudata vulnera pestis amet.

Eodem pertinet illud Ezechielis oraculum *cap.* XIII. *Hæc dicit Dominus Deus: Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* Quem locum *S. Gregorius Magnus* expendens Libro XVIII. *Moralium*, cap. IV. *Sunt* (inquit) *nonnulli, qui dum malefacta hominum laudibus efferunt augent quæ increpare debuerunt. Hinc enim per Prophetam dicitur:* Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis. *Ad hoc quippe pulvillus ponitur, ut mollius quiescatur. Quisquis ergo malè agentibus adulatur, pulvillum sub capite vel cubito jacentis ponit: ut qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat. Hinc rursum scriptum est:* Ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum. (Ezech. 13.) *Parietis quippe nomine peccati duritia designatur. Ædificare ergo parietem, est contra se quempiam obstacula peccati construere. Sed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur: ut quod illi perversè agentes ædificant, ipsi adulantes quasi nitidum reddant.* Hinc Salomon ait Proverbiorum XVII. *Qui justificat impium, & qui condemnat justum, uterque abominabilis est ante Deum.* Et Job. XXVII. *Absit à me* (inquit) *ut justos vos esse judicem: donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.* Ab innocentia quippe recederet, si bona de malis æstimaret, (inquit ibidem *S. Gregorius*)

Et Libro IV. cap. XXV. Ubi tres mortuos à Domino suscitatos tria peccantium genera significare dixit, continuò subdit: *Quartum verò mortuum Redemptor noster nunciante discipulo agnoscit, nec tamen suscitat: quia valde difficile est, ut is quem post usum malæ consuetudinis etiam ad ultimum adulantium linguæ excipiunt, à mentis suæ morte revocetur. Deque & bene dicitur:* Sine mortuos sepelire mortuos suos. (Luc. 8.) *Mortui enim mortuos sepeliunt, cùm peccatores peccatorum favoribus premunt. Quid est enim aliud peccare, quàm occumbere; & sepelire, quàm abscondere? Sed qui peccantem laudibus prosequuntur, extinctum sub verborum suorum aggere abscondunt.* Et Libro XXXIV. cap. XII. explicans hæc verba Job. XLI. de Leviathan, id est, Diabolo, dicta, *Sub ipso erunt radii Solis*, ait: *Solis radii sub ipso sunt, cùm nonnulli etiam docti viri sapientiæ suæ acumina non liberè agendo sublevant, sed ad vestigia Leviathan istius & perversitate operis, & blandimento adulationis inclinant: ut intelligentia quæ illis sicut Sol desuper fuit ex cœlesti munere, antiqui hostis pedibus substernatur ex terrena cupiditate. Unde & nunc cùm quisque Sapientium atque Doctorum pro commodo vel gloria vitæ temporalis per adulationis lapsum terrenis se Potestatibus pravè agentibus subjicit, quasi sub vestigiis venientis Antichristi Solis se radius sternit.*

Pessimi illi adulatores *comedere peccata Populi* dicuntur *Oseæ* IV. interprete S. Hieronymo: *Peccata* (inquit) *Populi devorant, consentientes sceleribus delinquentium: quia cùm eos peccare perspexerint, non solùm non arguunt, sed laudant atque sustollunt, & beatos prædicant. De quibus & Isaias loquitur: Populus meus, qui beatos vos dicunt, seducunt vos, & semitas pedum vestrorum supplantant.* (Isai. 3.) *De his & per Psalmistam clamat: Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.* (Psalm. 9.) Hi vitia virtutum nominibus cohonestant, temeritatem fortitudinis, ignaviam modeB rationis, avaritiam parsimoniæ, prodigalitatem liberalitatis, scurrilitatem & turpiloquium urbanitatis ac leporis vocabulis adornant. *Aliquis diffluit, lætus vocatur. Avarus est; & dicitur de eo quia servat rem suam. Vindicat se de inimico, cùm dictum sit, Dimitte ut dimittatur tibi; & fortis vocatur.* (Luc. 6.) *Sic considera cætera quemadmodum adulatores habeant verba fallacia, habeant nomina laudis: ipsa est unctio peccatoris.* Verba sunt *S. Cæsarii* Arelatensis Episcopi Sermone XVI. in Augustiniana Appendice, nunc CCLIII. aliàs XII. ex Homiliis quinquaginta. Hi canibus ulcera Lazari lingentibus, sed non sanantibus assimilantur; onde *S.* C *Gregorius Magnus* Homilia XL. in Evangelia, ait: *Potest per linctionem canum lata adulantium lingua signari. Adulantibus etenim vulnera nostra lingere est, quòd plerumque solent etiam ipsa mala quæ in nobis reprehendimus, improbo favore laudare.*

Secundò, caritati repugnat adulatio (inquit S. Thomas) *ratione intentionis, putà, cùm quis alicui adulatur ad hoc quòd fraudulenter ei noceat, vel corporaliter, vel spiritualiter, & hoc etiam est peccatum mortale; & de hoc habetur* Proverbiorum XXVII. 6. *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* Quo de genere D adulationis Concilium Carthaginense IV. Canone LVI. ita decernit: *Clericus qui adulationibus & proditionibus vacare deprehenditur, ab officio degradetur.* Quem Canonem explicat *S. Thomas* de eo *Qui proditoriè alteri adulatur, ut eum decipiat.* Tales sunt qui mulieribus ingenuis adulantur ut eas ad peccatum pertrahant: tales perfidi illi Aulici, qui blandiuntor Optimo Principi, ut ipsius consilia hostibus revelent, ut illum prodant, è solio deturbent, Usurpatoris ac Tyranni res promoveant, auxilia Magni Regis ad ipsius Usurpatoris depulsionem & legitiE mi Principis restitutionem ac tuitionem destinata disturbent, intervertant.

De primo & secundo illo adulationis genere Concilii Tridentini Catechismus ita docet: *Peccant in hanc partem blandi homines & assentatores, qui blanditiis, & simulatis laudibus insinuant in aures & in animos eorum, quorum gratiam, pecuniam, & honores aucupantur, dicentes, ut est apud Prophetam*, Malum bonum & bonum malum: (Isai. 5.) *Quos ut arceamus & pellamus à consuetudine nostra, monuit nos David illa oratione:* Corripiet me Justus in misericordia, & increpabit me: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. (Psalm. 140.) F *Quanquam enim isti proximo minimè maledicunt, tamen ei maximè nocent, qui vel laudandis ejus peccatis afferunt ipsi causam perseverandi in vitiis, quandiu vixerit.*

Et quidem in hoc genere illa est assentatio deterior, quæ ad proximi calamitatem & perniciem adhibetur. Sic Saul, cùm Davidem furori & ferro Philistæorum objicere cuperet, ut occideretur, illi blandiebatur his verbis: Ecce filia mea major Merob, ipsam dabo tibi uxorem. Tantummodo esto vir fortis, & prælia bella Domini: *Se* (1 Reg. 18.)

Judæi insidiosa oratione Christum Dominum sunt » affati : Magister, scimus quia verax es, & viam » Dei in veritate doces.

Longè autem perniciosior oratio est amicorum, affinium, & cognatorum, quâ ad eum interdum utuntur assentatoriè, qui mortifero morbo affectus, jam fit extremo spiritu : dum affirmant nullum esse tum ei à morte periculum, dum latum & hilarem esse jubent, eumque à peccatorum Confessione, tanquam à tristissima cogitatione deterrent ; dum denique ejus animum avertunt ab omni cura & meditatione extremorum periculorum, in quibus maximè versatur.

Tertiò, caritati repugnat adulatio, (inquit S. Thomas) *per occasionem : sicut cùm laut adulatoris fit alteri occasio peccandi, etiam præter adulatoris intentionem. Et in hoc considerare oportet utrum fit occasio data vel accepta, & qualis ruina subsequatur ; sicut potest patere ex his quæ suprà de scandalo dicta sunt.* De hoc adulatorum genere *Cassiodorus* in Psalmum CXL. Versum illum explicans, *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*, ait : *Oleum peccatoris est dilectio simulata verborum, quæ adulationibus & blandimentis nostrat meates velut olei pinguedo leniter ingrediens, rigorem veritatis emollit, & ad noxias cogitationes amoris ficti ostentatione perducit.* Ad eundémque sensum refert quod Psalmo LIV. scriptum est ; *Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula.* Et Proverbiorum XVIII. Vers. 8. *Verba bilinguis quasi simplicia*, (vel ot ipse Cassiodorus legit juxta Versionem LXX. Interpretum) *Verba adulatorum mollia, & ipsa perveniunt usque ad interiora ventris.* Hoc adulatorum genus locustis comparat *S. Gregorius Magnus* Libro XXXI. *Moralium*, cap. XII. *Locusta vocabulo*, inquit, *lingua adulantis exprimitur : quod exhibita aalitne Ægyptia plaga testantur, quæ exigentibus meritis corporaliter semel illata sunt ; sed quæ mala pravas mentes quotidie feriant, spiritaliter signaverunt. Scriptum namque est :* Ventus

Exod. 10.

» urens levabat locustas, quæ ascenderunt super » universam terram Ægypti : operuerúntque » universam faciem terræ, vastantes omnia. De» vorata est igitur herba terræ, & quicquid po» morum in arboribus fuit. *Quid autem per significationem locustæ portendunt, quæ plusquàm cætera minima quæque animantia humanis frugibus nocent, nisi linguæ adulantium, quæ terrenorum hominum mentes, si quando bona aliqua proferre conspiciunt, hæc immoderatiùs laudando corrumpunt? Fructus quippe Ægyptiorum est operatio cenodoxorum ; quam locusta exterminans, dum adulantes lingua ad appetendas laudes transitorias cor operantis inclinant. Herbam verò locustæ comedunt, quando adulatores quique verba loquentium favoribus extollunt. Poma quoque arborum devorant, quando vanis laudibus quorumdam jam quasi fortium & opera enervant.*

Id est, eorum qui vana gloriæ studio operantur.

De his *Agapetus* Diaconus in Capitulis Parænetricis ad *Justinianum* Imperatorem, Tom. IX. Bibliothecæ Patrum Lugdun. editis, cap. XII. *Adversare* (inquit) *Adulatorum pellaces sermones ut corvorum rapaces mores. Illi namque corporis effodiunt oculos, isti autem animæ hebetant cogitatus, cùm non permittant perspicere rerum veritatem. Vel enim commendant nonnunquam quæ reprehensione digna sunt, vel plerumque reprehendunt quæ omni laude sunt majora, ut de duobus alterum ab ipsis committatur, aut pravorum laus, vel contumeliosus bonorum contemptus.*

Denique *S. Bernardus*, Sermone LXIII. in Cantica, *Vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas* spirituales, id est animas justorum, quibus virtus vitis, botrus bonum opus, vinum testimonium conscientiæ, lingua torcular expressionis, adulatores non minùs quàm detractores interpretatur. *Pessima vulpes* (inquit) *occultus detractor, sed non minùs nequam adulator blandus. Cavebit Sapiens ab his.*

Si quis autem ex sola aviditate alios delectandi, vel etiam ad evitandum aliquod malum, vel consequendum aliquid in necessitate, alicui fuerit adulatus, non est contra caritatem. Unde non est mortale peccatum, sed veniale ; (inquit *S. Thomas.*)

REGULA XVIII.

Judicium temerarium, praváque opinio, ac suspicio deliberata de proximo in re gravi, lethalia peccata sunt.

De judicio temerario.

PEccatum enim quo charitas & justitia violantur, mortale est ; judiciis porrò temerariis, ac suspicionibus deliberatis de malitia proximi in re gravi, justitia & caritas violantur. Justitia quidem, quia jus habet unusquisque ut de ipso rectè sentiant alii, quandiu ejus malitia gravibus ac sufficientibus argumentis sive indiciis non probatur : Caritas verò, quia ex odio vel contemptu proximi judicia illa temeraria suspicionésque deliberatæ in materia gravi utplurimùm oriuntur. Judicium itaque temerarium, seu definita firmaque sententia de malo proximi, in re gravi, ex levibus indiciis, in interiori mentis tribunali prolata, necnon & dubitatio seu suspicio ex similibus indiciis concepta, legi naturæ adversantur : *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Nemo enim se malum inconsideratè & absque ratione judicari : nemo probitatem suam absque causa legitima & sufficiente in dubium vocari velit. Adversantur, & Præcepto divino de proximi dilectione, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Cùm igitur in mente tua oritur cogitatio & opinio repentina vel suspicio de malitia proximi ; in re gravi, & ex levibus quidem indiciis, absque deliberatione ; veniale peccatum est & ad humanam tentationem pertinens, cùm assensus non sit omnino ac plenè voluntarius. At verò si animadvertas, vel animadvertere possis grave malum esse proximi, de quo judicare, dubitare, vel suspicari cœpisti, leviaque esse indicia, signa, argumenta, seu fundamenta pravi illius judicii, sive dubitationis, suspicionísve tuæ ; neque tamen illa retractes & coërceas, sed ipsis assentiri pergas & pertinaciter adhærere, mortalis peccati reus es.

Materia gravis censetur non solùm peccatum mortale, sed etiam veniale, statu & qualitate personæ consideratis ; ut si Sacerdotem vel Religiosum Virum ex consuetudine mentiri, Sacros Ritos, aut Regulares Observantias negligere, Canonici Officii pensum quotidianum perfunctoriè persolvere, ludo magis quàm sacris studiis indulgere ; Sanctimonialem munditiam vestis ad inanem gloriam affectare, vanos in locutorio cum secularibus miscere sermones, libros nugis, fabulis, vanitate refertos, aut curiosos duntaxat, non pios legere ; orationi mentali non vacare judices, opineris, vel suspiceris. Imò & illud quod nullum peccatum est, potest esse materia gravis, si nimirum vergat in grave detrimentum proximi, quoad famam, honorem, bona fortunæ, spectatâ personæ qualitate, verbi

[De judicio temerario.] gratiâ, si virum Catholicis, & honestis parentibus natum temerè judices aut suspiceris esse nothum ac spurium, vel ex Judæis aut Hæreticis progenitum, ob idque ipsum contemnas; aut honoribus vel Officiis indignum existimes, aut illum fatuum judices, qui nulla amentiæ signa dedit, aut certè levia, & ad fundandum judicium minimè sufficientia, ipsúmque propterea contemnas, mortalis peccati reus es.

Quod spectat indicia quibus movetur aliquis ad judicium, dubitationem, aut suspicionem de malitiâ proximi, levia illa censentur, quæ spectata facti & personæ qualitate, aliisque circumstantiis, non sufficiant ad movendum virum prudentem & probum, ut de proximo sic judicet, dubitet, vel suspicetur. Gravia verò, quæ his omnibus consideratis, virum prudentem ac probum movere possunt ad hujusmodi judicia, opiniones, ac suspiciones. Atque præter circumstantiam facti, consideranda est circumstantia personæ, tum illius de qua judicatur, tum illius quæ delictum alterius narrat. Indicium enim quod in uno grave est, in altero est leve: nam si persona de qua judicatur, consuetudine illius peccati devincta est, cujus ipsam ream putas, vel suspicaris, minora signa & indicia sufficient ad fundandum judicium vel suspicionem de illô, quàm de altero: si, verbi gratiâ, videas juvenem petulantem & luxuriosum secretò cum meretrice colloquentem, grave argumentum est, quo judicetur illum de libidine cogitare: si virum gravem, & vitæ famæque integerrimæ, ita loquentem videas, leve ac insufficiens indicium est, cùm potiùs judicare debeas ipsum cum muliere loqui de re seria & bona, & fortè de ipsius conversione. Similiter si persona quæ alterius peccatum narrat, si gravis & proba, nec aliis detrahere, aut falsos rumores spargere solita, nec ipsi subinfensa, aut adversùs illum commota, grave indicium est quo judices alterum tale peccatum commisisse, præsertim si homo vulgaris est aut nullius nominis, de quo probabile sit similia commissurum. Si verò alter ille de quo delictum narratur sit etiam persona probitatis opinione, & vitæ integritate commendata, non est fundamentum sufficiens judicii vel opinionis; sed ad summum dubitationis extremas inter opiniones suspensæ: fortè fecit, quia alioquin talis non assereret: fortè non fecit, quia vir probus est, & qui refert decipi potest. Considerari etiam debet circumstantia temporis. Nam si videas hominem ædes alienas perfodientem, per fenestras ascendentem, aut scalas eis admoventem, idque noctu, clam & furtim, sufficiens indicium est ut judices eum vel furandi, vel alterius flagitii perpetrandi causâ id agere; si autem videas aliquem interdiu, palam, & sub omnium oculis id facientem, non est sufficiens argumentum ut mali aliquid suspiceris. Consideranda est & circumstantia loci. Si enim in oppido, ubi cædes plurimæ fiunt, videas aliquos noctu armatos huc illac circumcursare, quibus tamen non incumbit excubias agere, custodire civitatem, aut observare malefactores, non leve indicium est, quod facinorosos homines esse judices, ad aliquem occidendum aut percutiendum comparatos. Si videas adolescentem & adolescentulam concubia nocte, clam, & in obscuro loco colloquentes & petulanter colludentes, mutuisque amplexibus & osculis indulgentes, quos tamen conjuges non esse certò nosti, non temerè judicaveris aliquid mali subesse. Secùs si solum quidem cum sola videris colloquentem, sed honestè, modestè, ac loco patente.

Cæterùm aliud est judicium de opere, aliud judicium de persona. *[De judicio temerario.]* Si quis videat aliquem operi illicito vacantem, aut verba scurrilia proferentem audiat, credátque opus aut sermonem hujusmodi esse peccata mortalia, adeóque illum esse mortalis peccati reum, non profert judicium temerarium, quia non fallitur in judicio de personis, sed de rebus. Si verò in operibus dubiis aut venialibus illum ex prava intentione mortaliter peccare existimet vel deliberatè suspicetur, in judicium temerarium incurret. Gravius porrò peccatum erit, & detractionis malitiâ cumulatum, si judicium temerarium vel pravam suspicionem mente conceptam aliis aperuerit.

[Judicium temerarium vel suspicio temeraria, plenè deliberata, in re gravi, lethalia peccata sunt.] Judicium temerarium suspicionémve temerariam plenè deliberatam, in re gravi, esse gravia peccata & mortalia, colligitur ex verbis Christi, Matth. VII. *Nolite judicare ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Et Lucæ VI. *Nolite judicare, & non judicabimini: Nolite condemnare, & non condemnabimini.* Et Joannis VII. *Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate.* Divino itaque judicio condemnabuntur, qui temerè de proximo judicaverint. Apostolus etiam in temerè judicantes graviter invehitur, ad Romanos XIV. *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit.* Et I. ad Corinthios IV. *Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Et S. Jacobus Epistolæ Catholicæ cap. IV. *Qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem. Tu autem quis es, qui judicas proximum?* Christus & Apostoli damnant illa de proximo judicia, in quæ frequenter incidunt homines, & ex quibus detractiones utplurimùm oriuntur. Hæc autem sunt non solùm certæ firmæque sententiæ de malo proximi, sed etiam opiniones & suspiciones deliberatæ. Præterea paris sceleris est judicare fratrem, & judicare legem. At mortale peccatum nemo esse negaverit, non tantùm certâ firmâque sententiâ existimare legem esse malam, sed etiam id deliberatè opinari aut suspicari, seu dubitare de bonitate & justitia legis: itaque peccatum mortale est pari ratione, non tantùm apud se certâ firmâque sententiâ judicare ac damnare fratrem tanquam improbum, sed etiam opinione vel suspicione deliberatâ de illius probitate dubitare ex levibus indiciis. Hinc I. *ad Timotheum* VI. inter peccata mortalia *Suspiciones malæ* recensentur. Hinc inter notas caritatis I. ad Corinthios XIII. habetur quod *Non cogitat malum*, id est, ut *S. Joannes Chrysostomus* explicat Homilia XXXIII. in eum locum, *Non modò nihil mali comparat contra illum qui diligitur, sed ne suspicatur quidem.* Hinc etiam *Non irritari* dicitur. *Quomodo enim* (inquit idem Pater) *fuerit irritatus, qui nec tolerat malam suscipere suspicionem, ex qua est fons iræ?*

Eamdem Regulam confirmat *S. Augustinus*, Libro II. *De Sermone Domini in Monte*, cap. XVIII. explicans illa Christi Domini verba, *Nolite judicare, ne judicetur de vobis.* Hoc loco (inquit) *Nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est,* Ex fructibus eorum cognoscetis eos, *de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri, sicut sunt stupra, vel blasphemiæ, vel furta, vel ebriositas, & si qua sunt talia, de quibus nobis judicare*

» *judicare permittitur, dicente Apostolo.* Quid enim » mihi est de iis qui foris sunt judicare? Nonne » de iis qui intus sunt vos judicatis? *De genere autem ciborum, quia possunt bono animo & simplici corde sine vitio concupiscentiæ quicumque humani cibi indifferenter sumi, prohibet idem Apostolus judicari eos qui carnibus vescebantur, & vinum bibebant, ab eis qui se ab hujusmodi alimentis temperabant.* » Qui manducat (*inquit*) non manducantem non » spernat; & qui non manducat, manducantem » non judicet. *Ibi etiam ait*, Tu quis es, qui ju» dices alienum servum? Domino suo stat aut » cadit. *De talibus enim rebus quæ possunt bono & simplici & magno animo fieri, quamvis possint etiam non bono, volebant illi cùm homines essent, in occulta cordis ferre sententiam, de quibus solus Deus judicat. Ad hoc pertinet etiam illud quod alio loco di» cit*, Nolite ante tempus quidquam judicare, » quoadusque veniat Dominus.... *Sunt ergo quædam facta media, quæ ignoramus quo animo fiant, quia & bono & malo fieri possunt, de quibus temerarium est judicare, maximè ut condemnemus. Horum autem veniet tempus ut judicentur, cùm Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis. Item alio loco dicit idem » Apostolus*; Quorumdam hominum peccata ma» nifesta sunt præcedentia ad judicium, quædam » autem & subsequuntur. *Manifesta ea dicit, de quibus clarum est quo animo fiant: hæc præcedunt ad judicium, id est, quia si fuerit ista subsecutum judicium, non est temerarium. Subsequuntur autem illa quæ occulta sunt; quia nec ipsa latebunt tempore suo.... De Manifestis ergo judicemus, de occultis verò Deo judicium relinquamus....*

Duo sunt autem in quibus temerarium judicium cavere debemus, cùm incertum est quo animo quidque factum sit, vel cùm incertum est qualis futurus sit qui nunc vel bonus vel malus apparet. Si ergo quispiam, verbi gratiâ, conquestus de stomacho, jejunare noluit, & tu id non credens edacitatis id vitio tribueris, temerè judicabis. Item si manifestam edacitatem ebriositatémque cognoveris, & ita reprehenderis quasi nunquam ille possit corrigi atque mutari, nihilominùs temerè judicabis. Non ergo reprehendamus ea quæ nescimus quo animo fiant; neque ita reprehendamus quæ manifesta sunt, ut desperemus sanitatem, & vitabimus judicium de quo nunc dicitur: Nolite judicare, ne judicetur de vobis. Et paulò infra: *Temerarium judicium plerumque nihil nocet ei de quo temerè judicatur: ei autem qui temerè judicat, ipsa temeritas necesse est ut noceat.*

Idem Tractatu xc. in Joannem; *Pertinet ad nos*, (inquit) *ne perniciosa opinione fallamur, ut quia non possumus hominum indagare conscientiam, de ipsis rebus habeamus veram certámque sententiam. Hoc est, ut si ille vel ille homo utrum sit impudicus pudicúsve nescimus, oderimus tamen impudicitiam, & pudicitiam diligamus: & si illum vel illum injustum esse justúmve nescimus, amemus tamen justitiam, & injustitiam detestemur; non quas nobis ipsi errando confingimus, sed quas fideliter, hanc appetendum, illámque vitandam in Dei veritate conspicimus: ut cùm de ipsis rebus quod appetendum est appetimus, quod devitandum est devitamus, ignoscatur nobis quod de occultis hominum aliquando, immò assiduè non vera sentimus. Hoc enim ad humanam tentationem pertinere arbitror, sine qua duci » ista non potest vita, ita ut Apostolus diceret*, Ten» tatio vos non apprehendat nisi humana. *Quid enim tam humanum, quàm non posse inspicere cor humanum; & ideo non ejus latebras perscrutari, sed plerumque aliud quàm quod ibi agitur suspicari? Quamquam & in his rerum tenebris humanarum,*

hoc est, cogitationum alienarum, etsi suspiciones intelligere non possumus, quia homines sumus; judicia tamen, id est, definitas firmásque sententias continere debemus, nec ante tempus quidquam judicare, donec veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis; & tunc laus erit unicuique à Deo. Quando ergo non erratur in rebus, ut recta sit improbatio vitiorum virtutúmque probatio: profectò si erratur in hominibus, venialis est humana tentatio. Ad humanam tentationem, eámque venialem, pertinere *S. Augustinus* docet, pravas suspiciones de occultis hominum; sed loquitur de suspicionibus indeliberatis, quæ nobis non attendentibus irrepunt, & mentem nostram præoccupant: quod significant hæc verba, *Etsi suspiciones intelligere non possumus*; id est, maturâ consideratione ac deliberatione ad eas attendere, quia mentis attentionem & motum voluntatis præveniunt. Sic enim idem Sanctus Doctor interpretatur quod Psalmo xviii. scriptum est, *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me:* Hoc est, *Rogo te, quoniam* Delicta quis intelli» git? *Ne mihi ut homini quædam surrepant, & quibusdam ut homo præoccuper*, Ab *occultis meis munda me.* Nomine igitur tentationis humanæ, ad quam pertinere dixit suspiciones illas, quibus *de occultis hominum assiduè non vera sentimus*, eam *S. Augustinus* intellexit, quâ quis ut homo ita præoccupatur, ut non plenè advertenti suspiciones illæ surrepant. Quæ propterea veniales sunt, sicut & aliarum perturbationum primi subitique motus. At si consideratâ ratione illis suspicionibus adhæreat, vel ad earum levitatem & pravitatem non attendat cùm potest, eásque comprimere negligat, non erit tantùm humana tentatio, sed diabolica; si quidem suspiciones illæ ob pertinacem suspicientis hominis adhæsionem, erunt quasi *definita firmaque sententia.*

Quàm gravia mala ex pravis suspicionibus oriantur, idem S. Doctor exponit Sermone cccvi. aliàs *De Diversis* cxii. Cap. ix. *Pleraque* (inquit) *mala generis humani non aliunde oriuntur, nisi de suspicionibus falsis. Credis de homine quòd oderit te, qui fortè amat te; & per pravam suspicionem fit inimicissimus amicissimo. Quid faciat, cui non credis, & cor suum tibi demonstrare non valet? Loquitur tibi dicens, Amo te. Sed quia posset tibi hoc dicere & mentiens, (Ea sunt enim verba mentientis, quæ veraci dicentis,) non credendo adhuc odisti. Ideo securum eo facere voluit ab eo peccato, qui sibi dixit*, Diligite *inimicos vestros.* Et tamen *Omnes, aut penè omnes homines amamus nostras suspiciones vel vocare vel existimare cognitiones, quando credibilibus rerum signis movemur, cùm credibilia nonnulla sint falsa, sicut incredibilia nonnulla sunt vera*; (inquit *S. Augustinus* Epistola cliii. aliàs liv. ad *Macedonium.*)

Et Concione xii. in Psalmum cxviii. temerè judicantes similes esse Diabolo asserit, cùm hæc verba, *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum*, explicat: *Suum dixit opprobrium*, inquit, *quod de aliis est suspicatus. Hoc opprobrium ergo à se postulabat auferri, ut non esset similis diabolo, qui de occultis Job suspicatus est quòd non gratis coleret Deum.*

Idem Sanctus Doctor de *Bonifacio* Presbytero, à quo Monachus quidam *Spes* nomine accusatus crimen in ipsum rejecerat, scribit, causâ eorum sub divino examine pendente, & adhuc obscurâ ac incertâ, jubere se non posse ut *Bonifacii* nomen de Presbyterorum albo expungatur: *Quis ego sum*, inquit, *ut audeam Dei prævenire sententiam in delendo vel supprimendo ejus nomine,*

Margin notes: De judicio temerario. — 1. Cor. 5. — Rom. 14. — 1. Cor. 4. — 1. Tim. 5. — 1. Cor. 10. — Quàm gravia mala ex pravis suspicionibus oriantur? — Matth. 5.

De judicio temerario.

de quo nec suspicari temerè mali aliquid Episcopus debui, nec dilucidè judicare homo de occultis hominum potui, cùm in ipsis causis sæcularibus, quando ad majorem Potestatem refertur arbitrium judicandi, manent hæc sicuti erant omnibus rebus, exspectetur illa sententia, unde jam non liceat provocari, ne superiori Cognitori fiat injuria, si ejus pendente judicio aliquid fuerit commutatum? Et utique multum interest inter divinam & humanam quamlibet excelsissimam Potestatem. Hæc ille Epistola xxxvii. alias cxxxvi.

Et Epistola sequenti, Clero, Senioribus, & universæ Plebi Ecclesiæ Hipponensis inscriptâ: *Mementote* (inquit) *quod ait* Apostolus Petrus, 1. Pet. 5.
B *Quoniam adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circumit quærens quem devoret.* QUEM *non potest devorare seductum ad nequitiam, famam ipsius inquinare conatur, ut si fieri potest opprobriis hominum & malarum linguarum detractione deficiat, & sic in fauces ejus ruat. Si autem nec famam innocentis maculare potuerit, hoc et persuadere tentat, ut per malevolas suspiciones de fratre suo judicet, & sic ab illo implicatus absorbeatur.* Et paulò post: *Ne malevolo animo de servis Dei falsa suspicando peccatis, illud Apostolicum recordamini:* NOLITE 1. Cor. 4.
ante tempus judicare quidquam, donec veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis.
C
Eamdem Moralis Christianæ Regulam confirmat *S. Cæsarius* Arelatensis Episcopus Sermone xxvi. in Augustiniana Appendice lxvi. alias *De Tempore* ccii. *De istis rebus* (inquit) *quæ sunt Deo nota, & nobis incognita, periculosè nostros proximos judicamus. De ipsis enim Dominus dixit,* Matth. 7.
Nolite judicare, ut non judicemini. *De illis verò quæ aperta sunt & publica mala, judicare & redarguere, cum caritate tamen & amore, possumus & debemus; odio habentes non hominem, sed peccatum, non vitiosum, sed vitium, detestantes*
D *morbum potiùs quàm ægrotum.* Et infrà: *In his ergo rebus periculosè alios judicamus, quæ dubium est utrum bono an malo animo fiant, id est, jejunare, vigilare, eleemosynas facere, à vino & à carnibus vel abstinere, vel non abstinere, & reliqua his similia, quæ pro Deo & pro humana gloria fieri possunt. Et quia ignoramus quo animo fiant, judicare penitus non debemus. Propterea dixit Dominus: Nolite judicare, ut non judicemini. Hæc si observare volumus, non de parvo peccato cum Dei adjutorio liberamur. Maxima enim pars generis humani indiscreto judicio ad reprehendendum prompta & parata*
E *esse probatur; cùm tamen non ita se velit ab aliis judicari, quomodo vult alios judicare. Propterea Scriptura Divina admonet dicens,* PRIUS *quàm interroges, ne vituperes quemquam; & cùm interrogaveris, corripe justè.* Eccli. 11. 7.

Idem confirmat *S. Prosper*, Sententia xxi. *De occultis* (inquit) *alieni cordis temerè judicare, peccatum est: & eum cujus non videntur opera nisi bona, iniquum est ex suspicione reprehendere; cùm eorum quæ homini sunt incognita, solus Deus judex sit justus, qui & inspector est verus.*

Et Epigrammate xxi.

Culpare in quoquam quæ non sunt nota, malignum est:
Præsertim quæ non cognita, si bona sunt.
Non pateant faciles sævis rumoribus aures:
Quæ nescire juvat, credere non libeat.
Linquantur secreta Deo: qui, si quid opertum est,
Inspicit, & nullis indiget indiciis.

F
Idem confirmat *S. Gregorius*, Libro ii. *Moralium*, Cap. v. & temerè judicantes proximum Diaboli imitatores esse docet. *Antiquus* (inquit) *Adversarius cùm quæ accuset mala non invenit, ipsa ad malum inflectere bona quærit. Cùmque de operibus vincitur, ad accusandum verba nostra perscrutatur. Cùm nec in verbis accusationem reperit, intentionem cordis fuscare contendit, tanquam bona facta bono animo non fiant, & idcirco perpendi à Judice bona non debeant. Quia enim fructus arboris esse & in æstu virides conspicit; quasi vermen ponere ad radicem quærit.* De judicio temerario.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas* Secunda Secundæ, Quæstione lx. Articulo ii. ubi tria necessaria esse docet ut judicium sit actus justitiæ. *Primò quidem, ut procedat ex inclinatione justitiæ: Secundò quòd procedat ex auctoritate præsidentis: Tertiò, quòd proferatur secundùm rectam rationem prudentiæ.* Quodcumque autem horum defuerit, judicium erit vitiosum & illicitum: uno quidem modo quando *est contra rectitudinem justitiæ: & sic dicitur judicium perversum vel injustum. Alio modo, quando homo judicat de his in quibus non habet auctoritatem: & sic dicitur judicium usurpatum. Tertio modo, quando deest certitudo rationis, putà, cùm aliquis de his judicat quæ sunt dubia vel occulta, propter aliquas leves conjecturas: & sic dicitur judicium suspiciosum, vel temerarium.* Tres autem istæ deformitates in judicio temerario involvuntur: est enim contra rectitudinem justitiæ ut alterius existimatio lædatur, aut illius probitas revocetur in dubium absque legitimâ causâ: & nemo ita secum agi vellet. Nullus etiam habet auctoritatem judicandi de his quæ occulta sunt, incerta, dubia & obscura; sed judicium de hujusmodi rebus Deo servatur, cujus proinde jura usurpat homo temerè judicans. Deest tandem certitudo rationis, cùm definita firmáque sententia de his profertur ex levibus conjecturis & indiciis. Tria necessaria ut judicium rectum justumque sit.

Et Articulo iii. triplicem pravarum suspicionum fontem indigitat. Primus est malitia suspicantis: *Ex hoc enim quod aliquis in se ipso malus est, & quasi conscius suæ malitiæ, facilè de aliis malum opinatur,* secundùm illud Ecclesiastis x. *In via stultus ambulans, cùm ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat.* Secundus est prava animi erga alterum affectio: *Cùm enim aliquis contemnit vel odit aliquem, vel irascitur aut invidet ei, ex levibus signis opinatur mala de ipso; quia unusquisque facilè credit quod appetit.* Unde *S. Augustinus* Libro ii. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. xviii. *Maximè* (inquit) *hi temerè judicant de incertis, & facilè reprehendunt, qui magis amant vituperare & damnare, quam emendare atque corrigere. Quod vitium vel superbia est, vel invidentia.* Tertius est longa experientia. Et duæ quidem priores suspicionis causæ manifestè pertinent ad perversitatem affectus: tertia verò suspicionis vitium tolerabilius facit & aliquo modo excusat. Fons triplex pravarum suspicionum.

Est autem triplex gradus suspicionis (inquit S. Thomas) *Primus gradus est, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat; & hoc est veniale & leve peccatum: pertinet enim ad tentationem humanam, sine qua vita ista non ducitur. Secundus gradus est, cùm aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus indiciis: & hoc si sit de aliquo gravi, est peccatum mortale, in quantum non est sine contemptu proximi. Tertius gradus est, cùm aliquis Judex ex suspicione procedit ad aliquem condemnandum: & hoc directè ad injustitiam pertinet; unde est peccatum mortale.* In primo gradu indeliberatas duntaxat & repentinas suspiciones *S. Thomas* collocat, quæ sunt velut primi motus

De judicio temerario.

motus, non autem plenè deliberatas & pertinaces. Suspiciones enim primi gradûs ita describit; *Ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat.* Non ait, *quando dubitat*, sed, *cùm incipit dubitare*, ut venialem non esse suspicionem illam significaret, quæ omnino deliberata est & perfecta; sed eam quæ imperfecta est, indeliberata & repentina: hâc enim præoccupatus homo *dubitare incipit.* Alterâ verò, scilicet deliberatâ suspicione laborantem, nemo dixerit *incipere dubitare*: siquidem postquam advertit temerariam in mente sua suspicionem de alio exortam, illam approbat, eâ delectatur, illi pertinaciter adhæret, vultque de proximi probitate sponte dubitare, vel pravè opinari; quod certè non humanæ, sed diabolicæ tentationis est; non fragilitatis, sed malitiæ. Unde S. *Thomas* ibidem in Responsione ad secundam Objectionem, ait: *Ex hoc ipso quòd aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti, indebitè contemnit ipsum, & ideo injuriatur ei*; sive injuriam ei facit. Contemptum autem proximi esse *peccatum mortale* præmiserat. Et in Responsione ad tertiam Objectionem *Tunc* (inquit) *judicium suspiciosum directè ad injustitiam pertinet, quando ad actum exteriorem procedit; & tunc est peccatum mortale: judicium autem interius pertinet ad injustitiam secundùm quod comparatur ad exterius judicium, ut actus interior ad exteriorem, sicut concupiscentia ad fornicationem, & ira ad homicidium.* Actum porrò directè oppositum justitiæ in materia gravi, cùm plenè deliberatus est, esse lethale peccatum nemo negaverit.

Suspicio imperfecta, indeliberata, & repentina, non est mortale peccatum.

Cùm itaque suspicionem mortale peccatum esse negat S. *Thomas* Quodlibeto XII. Quæstione XXII. Articulo II. loquitur de suspicione imperfectâ, indeliberata, & repentina, ut patet ex Articuli contextu. *In illis* (inquit) *quæ sunt mortalia peccata ex genere, motus imperfecti non sunt peccata mortalia, sed venialia...... Judicium autem est duplex; scilicet de rebus, & de personis: judicium de rebus, semper est mortale peccatum; putà, dicere quod dare eleemosynam sit malum: judicium autem de personis, licèt quandoque sit falsum, non tamen semper est peccatum; nisi quando est omnino temerarium. Sed quando ex levi re judicium procedit firmum in corde, aliquando est peccatum mortale; quia est cum contemptu proximi: suspicio autem est quid imperfectum in genere judicii: & ideo est imperfectus motus: & ideo non est mortale ex genere: quamvis si fiat ex odio, erit aliquando mortale.*

REGULA XX.

Dubia indicia de malitia proximi in meliorem partem interpretari tenemur.

HÆc Regula colligitur ex Christi verbis, *Nolite judicare, ut non judicemini*; quibus *Nihil aliud nobis præcipi* S. Augustinus Libro II. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. XVIII. existimat, *nisi ut ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* Id confirmat Apostolus ad Romanos XIV. *Qui manducat*, (inquit) *non manducantem non spernat.*

Hujus rei exemplum *Deuteronomii* Cap. XXII. colligitur, ubi legimus quòd si puellam desponsatam vir in agro seorsim repererit, & cum ea commixtus fuerit, ipse morietur solus, puella verò nihil patietur mali, nec erit rea mortis: quia *Sola erat in agro, clamavit, & nullus adfuit qui liberaret eam.* Unde verò constat an clamaverit, aut vis ejus pudori illata sit? Nempe lex factum in meliorem partem interpretatur. Et certè cùm unum & idem opus non eadem intentione à diversis fiat, sine periculo erroris, & violandi fraternam caritatem ac justitiam, in deteriorem partem judicari non potest. Risit Abraham cùm filius ei promitteretur (*Genes.* XVII.) Risit & Sara (*Genes.* XVIII.) Ille non est reprehensus, quòd riserit, quia risus admirationis fuit ac lætitiæ: reprehensa est illa, quia risus dubitationis fuit, *& ab illa* tantùm *hoc dijudicari potuit, qui corda hominum novit*, (inquit S. *Augustinus* Quæst. XXXVI. in Genesim.)

De judicio temerario.

B Regulam, cujus in explicatione versamur, confirmat cursus S. *Augustinus* Enarratione in Psalmum CXLVII. *Quid agit pax* (inquit) *in hujus adhuc regionis incertis, in ista peregrinatione mortalitatis nostræ; cùm adhuc nemo est alteri conspicuus, nemo videt cor alterius? Quid agit pax? De incertis non judicat, incognita non confirmat: proclivior est ad bene credendum de homine, quàm ad malè suspicandum. Non se multùm dolet errare, cùm benè credit etiam de malo: perniciosè autem, cùm malè sentit fortè de bono. Nescio qualis sit: quid perdo, si credo quia bonus est? Si incertum est, licet ut caveas, ne fortè verum sit; non tamen damnes tanquam verum sit. Hoc pax jubet.*

C Eandem Regulam tradit S. *Bernardus*, Sermone XL. in Cantica: *Cave* (inquit) *alienæ conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius judex. Etiam si perperam actum quid deprehendas, nec sic judices proximum, magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes; puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quòd si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, & dicito apud temetipsum: Vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem?*

Eidem Regulæ Juris principia robur addunt: inprimis illud Juris Naturæ, *Quod tibi non vis*
D *fieri, alteri ne feceris.* Nemo autem homo actiones suas, quarum non evidens malitia est deteriorem in partem ab aliis accipi vellet. Tum illud *Innocentii III.* Cap. *Ex parte*, Extra, *De Scrutinio in Ordine faciendo*, respondentis, *Illum quem indignum esse non nosti, dignum debes æstimare.* Re igitur dubiâ, cùm proximum malum esse non certò nosti, bonum illum æstimare ac judicare debes. Item, *Cùm jura partium sunt obscura, reo favendum est potiùs quàm actori*; ut habet Regula Juris XI. in Sexto. Sed dubia indicia & argumenta sunt instar actoris, proximus est tanquam reus: in men-
E tis ergo nostræ tribunali favendum est proximo, factaque ipsius in meliorem partem benignè interpretari tenemur. Denique *In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis.* Proximus porrò sui honoris ac famæ possessor est: quamdiu ergo res est dubia, in ejus favorem judicare tenemur, nec possumus absque injustitia gravi ipsum è possessione deturbare, seu male de ipso judicare, opinari, vel suspicari.

Dubium igitur ex levibus indiciis conceptum de proximi probitate, deponere justitia & caritas jubent: si autem gravis sit dubitandi ratio, judicium saltem suspendere, quamdiu res incerta &
F obscura est.

Eamdem Regulam confirmat S. *Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione LX. Articulo IV. *Ex hoc ipso* (inquit) *quòd aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa, injuriatur ei, & contemnit ipsum. Nullus autem debet alium contemnere, vel nocumentum quodcumque inferre absque causa cogente. Et ideo ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium*

De judicio temerario.

A est. Contingere quidem potest ut benignus alienarum actionum interpres frequenter fallatur: *Sed melius est quòd aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quàm quod rarius fallatur habens malam opinionem de aliquo homine bono: quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primo;* (inquit *S. Thomas.*)

Regula XXI.

Dubia in deteriorem partem interpretari, seu id quod deterius est supponere ac timere, ubi de damno vitando, aut prohibendis malis agitur, cautionis est ac prudentiæ. Sed nec tunc quidem ex levibus indiciis judicare vel suspicari licet proximum esse malum.

B Hanc Regulam tradit *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum CXLVII. *Si incertum est*, inquit, *licet ut caveat, ne fortè verum sit; non tamen damnes, tanquam verum sit.* Confirmat *S. Thomas*, Articulo superiùs indicato, in Responsione ad tertiam Objectionem. *Interpretari*, inquit, *aliquid in deteriorem vel meliorem partem contingit dupliciter. Uno modo per quamdam suppositionem: & sic cùm debemus aliquibus malis adhibere remedium, sive nostris, sive alienis, expedit ad hoc ut securius remedium apponatur, quòd supponatur id quod est deterius; quia remedium quod est efficax contra majus malum, multò magis est efficax contra minus malum. Alio modo, interpretamur aliquid ad bonum vel malum, definiendo sive determinando: & sic in rerum judicio debet aliquis niti ad hoc ut interpretetur unumquodque secundùm quòd est: in judicio autem personarum ut interpretetur in melius.* Itaque si videas hominem quem agendi modus, habitus, gestus indicant esse furem, levia tamen indicia sunt, & quæ judicium vel suspicionem fundare non possint; non licet tibi existimare vel suspicari esse furem; licet tamen rem tuam diligentiùs custodire, & cavere ab illo perinde ac si judicares esse furem, ideòque non admittere illum in domum, non sinere ut irrepat, non credere illi servandam pecuniam, ostia majori solicitudine obserare. Si quis conjugatus videat juvenem cum filia sua vel uxore colloqui amanter, solum cum solâ, judicare vel suspicari non potest petulantem esse ac impudicum; sed tamen cavere potest, & periculosa colloquia prohibere. Sic Sanctus Job quamvis de suis filiis nihil mali judicaret vel suspicaretur, pro singulis tamen offerebat sacrificia, dicens; *Ne fortè peccaverint filii mei.* Hoc suppositionis genere parentes erga liberos, domini erga servos, Superiores erga subditos uti possunt; ob dubia quædam indicia eós admonere, increpare, verisimilitudinem quòd malum aliquod perpetraverint objicere, quædam eis prohibere vel jubere, & variis modis remedia adhibere, cùm malum aliquod timetur: id enim prudentiæ, cautionis, & vigilantiæ est. Sed tamen rectum de illis judicium, bonámque opinionem mente retinere debent, quamdiu indicia sive argumenta non sunt ad suspicionem vel dubitationem cogentia. Eâ etiam prudentiâ suorum mala cavere debent, ne fortè nimiâ cautione ipsos infament, aut ad iracundiam provocent.

CAPUT XI.

DE DUOBUS POTREMIS DECALOGI PRÆCEPTIS.

Cum superioribus Decalogi Præceptis nos quibusdam quasi præsidiis Deus Optimus Maximus munivisset, ne quis nos ipsos aut nostra violaret (inquit Concilii Tridentini Catechismus) hoc duplici adjuncto Præcepto id maximè providere voluit, ne appetitionibus nostris nos ipsi læderemus: quod facilè futurum fuit, si

C omnia cupere atque optare liberum nobis atque integrum esset. Hâc igitur non concupiscendi lege præscriptâ, illud à Deo provisum est, ut cupiditatum aculei, quibus ad perniciosa quæque incitari solemus, hujus legis vi quodammodo excussi, nos minùs urgeant; majúsque propterea temporis spatium nos molestâ illâ cupiditatum solicitudine liberati, ad ea præstanda pietatis & religionis officia habeamus, quæ ipsi Deo multa maximáque debemus. His autem verbis postrema duo Præcepta exprimuntur: *Non concupisces domum proximi tui: Nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancil-*

D *lam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.*

Articulus I.

Utriusque Præcepti discrimen, & necessitas explicatur.

De distinctione illorum præceptorum.

Concupiscentia duplex his Præceptis prohibetur, nono scilicet, alienæ uxoris concupis-

E centia; decimo, concupiscentia rerum alienarum. Prima spectat libidines & voluptates; altera quod utile est ac fructuosum. Si quis igitur fundum aut domum concupiscit, is lucrum potiùs, & quod utile est, consectatur, quam voluptatem: si verò alienam uxorem appetit, non utilitatis, sed voluptatis cupiditate flagrat. Prima concupiscentia ad libidinem sive impudicitiam; altera ad avaritiam pertinet. Quare sicut distincta præcepta sunt, quibus opera ipsa prohibentur, *Non mœchaberis*, & *Non furaberis*, ita & distincta præcepta sunt, quibus prohibentur cupiditates operibus illis respondentes. Quæ quidem præcepta quamvis in-

F voluta videantur Exodi Cap. XX. distinctiùs tamen & explicatiùs repetuntur Deuteronomii Cap. V. *Non concupisces uxorem proximi tui: Non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa quæ illius sunt.* Quin & Hebraica Veritas Exodi XX. hæc præcepta distinguit: sic enim ad verbum reddi potest; *Non concupisces uxorem proximi tui: & non desiderabis domum proximi tui, non agrum, non servum, &c.* Versio etiam LXX. Interpretum hæc velut distincta præcepta exprimit; *Non concupisces uxorem proximi tui. Non concupisces domum proximi tui, neque agrum ejus, &c.*

DE DECALOGO.

Prima ratio necessitatis horum præceptorum.

Quanquam verò hæc duo postrema præcepta sub sexto & septimo, *Non mœchaberis*, *Non furtum facies*, comprehendi potuerint, cùm dubium non sit, sed quodam naturæ lumine intelligatur eum, qui pravum facinus prohibet, simul etiam malam prohibere voluntatem: adeóque alienæ uxoris potiundæ cupiditatem prohiberi vetito adulterio, quia si concupiscere liceret, fas etiam esset potiri: Hæc tamen duo postrema præcepta distinctè & explicatè tradi conveniens fuit, primò ob Populi Judaici rudem indolem duramque cervicem. Plerique enim ex Judæis peccato obcæcati in eam opinionem adduci non poterant ut crederent id à Deo prohibitum esse, quod apud homines impunitum est. Immò verò latâ & cognitâ hâc Dei lege, multi qui se Legis interpretes esse profitebantur, in eo versati sunt errore, ut nullius peccati reos esse censerent, qui solum peccandi desiderium & voluntatem habuissent. Quem errorem Christus refellit Matt. v. *Audistis* (inquit) *quia dictum est Antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: Quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Id scilicet discriminis inter divinam humanásque leges intercedit, quod hæ opera duntaxat externa per se postulent & exigant: illa verò quoniam animum Deus intuetur, ipsius animi puram sincerámque castitatem atque integritatem requirat. Christus cor mundum postulat, & solos eos, qui mundo sunt corde beatos pronunciat. Mundum autem est cor, cùm ab omnibus pravis desideriis defæcatum ac purum est. Est igitur divina Lex velut speculum quoddam in quo naturæ vitia intuemur. Hinc Apostolus ait: *Concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret, Non concupisces.*

Rom. 7.

Ratio altera necessitatis horum præceptorum.

Secunda ratio necessitatis horum præceptorum est, quòd aliqua distinctè explicatéque vetent, quæ sexto & septimo præcepto explicatè non prohibebantur: nam sexto quidem præcepto vetitum est uxorem proximi concupiscere animo cum ea mœchandi; sed nono præcepto explicatiùs id prohibetur, & insuper desiderium alienæ uxoris etiam post mariti mortem, aut post divortium Mosaica Lege permissum potiundæ. Quod peccatum apud Judæos, quibus repudium concedebatur, frequentius & evidentius erat. Nam permissione legis abusi, alii aliorum uxores solicitabant, ut vel morositate, vel aliâ quavis ratione divortii causam marito præstarent, ut soluto matrimonio illis potirentur. Septimo præcepto prohibuit Deus ne quis injustè concupiscat aliena, aut eripere conetur: decimum autem vetat, ne ullo modo quis concupiscat, etsi jure legéque id assequi possit, ex cujus adeptione damnum proximo importari videat. Qui enim sic affectus est, proximum tanquam se ipsum non diligit. Cor enim illius à Christiana caritate in sui amorem deflexum, quod caput omnium peccatorum est, longè abest à via mandatorum Dei; cùm solâ dilectione proximi lex impleatur, secundùm illud Apostoli ad Romanos XIII. *Qui diligit proximum, legem implevit: Nam, Non adulterabis: Non occides, Non furaberis: Non falsum testimonium dices: Non concupisces: & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.... Caritas non quærit quæ sua sunt, non cogitat malum*; (inquit idem Apostolus I. *Corinthios* XIII.) Hanc amore proprio profligato in cordibus nostris regnare vult Deum, in eúmque finem hæc duo postrema præcepta dedit.

DE DECALOGO.

Cur in his præceptis quæ furtum & adulterium vetant, non in aliis, explicatè prohibita sit concupiscentia.

Quæres: cur in Præceptis perjurium, homicidium, aut falsum testimonium vetantibus non sit explicitè prohibita concupiscentia, quemadmodum in his quæ furtum & adulterium vetant.

Respondetur, Libidinis & habendi affectum naturæ corruptæ penitus insitum esse; non perjurii, homicidii, aut falsi testimonii, à quibus homines suopte ingenio abhorrent: cùm tamen ad corporis voluptates, ac terrenas divitias statim ab adolescentia proni & proclives sint. Quamobrem conveniens erat ut in his ad quæ velut bona quædam corporia inclinamur & quasi rapimur, non tantùm factum, sed & affectus ac desideria prava prohiberentur, & radicitus exscinderentur: cùm in aliis nemo sanæ mentis non facilè intelligeret, prohibito facto prohiberi quoque pravam faciendi voluntatem.

ARTICULUS II.

Quæ Concupiscentia his Præceptis vetita sint?

De duobus postremis præceptis.

CONcupiscentia generatim sumpta est commotio quædam ac vis animi, quâ impulsi homines res jucundas appetunt, quas non habent.

Quemadmodum autem reliqui animi nostri motus non perpetuò mali sunt, ita hæc concupiscendi vis non semper in vitio est ponenda. Neque enim peccamus, si cibum aut potum necessarium expetimus; aut fatigati desiderio quietis & somni afficimur, & id genus alia. Hæc igitur concupiscendi vis nobis à natura insita est, auctore Deo; sed primorum parentum peccato depravata est, adeo ut naturæ fines prætergressa, ad ea concupiscenda sæpiùs incitetur, quæ spiritui ac rationi repugnant.

Concupiscentia seu desiderium duplex.

Concupiscentia igitur alia recta est, alia mala. Bona est illa quæ moderata est, & suis finibus continetur. Nihil enim aliud est quàm appetendi vis a Deo insita; quæ bona quidem jucunda, sed sub rationis moderamine prosequitur. Plurimas illius utilitates Concilii Tridentini Catechismus percenset. Primò namque efficit ut assiduis precibus Deum oremus, supplicésque ab eo petamus quæ cupimus. Oratio enim cupiditatis nostræ ac desiderii est interpres. Unde Propheta ait: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Et Psalm. 10. 17.
alio loco: *Domine, ante te omne desiderium meum,* Psalm. 37. 10.
& gemitus meus à te non est absconditus. Et Apostolus: *Spiritus Sanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, quoniam secundùm Deum postulat pro sanctis*, id est desiderare & postulare nos facit. Rom. 8. 16. Secundò, hæc concupiscendi vis efficit ut chariora sint nobis Dei munera: quo enim vehementiori alicujus rei cupiditate flagramus, eò charior illa nobis res est, atque jucundior, cùm eam adepti sumus. Tertiò, delectatio ipsa quàm ex re concupita sentimus, facit ut majore pietate gratias Deo agamus.

Naturalis igitur illa vis cupiditatis, quam ratio intra fines suos coërcet, non vetatur postremis duobus Decalogi Præceptis, multóque minùs spiritualis illa rectæ mentis cupiditas, quâ ad eorum appetitionem incitamur, quæ carni repugnant. Hanc enim Sacræ Litteræ approbant, & ad eam adhortantur. Sap. VI. *Concupiscite sermones meos.* Eccli. XXIV. *Transite ad me omnes qui*

concupiscitis me. Psalm. LXXXIII. *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Cùm Apostolus fideles admonet ad *Coloss.* III. ut mortificent *concupiscentiam malam*, innuit aliquam esse concupiscentiam quæ per se mala non sit, alioquin superfluum illud epitheton esset. Non enim superbiam malam, injustitiam malam, idololatriam malam aliquis rectè dixerit, quia nulla superbia, injustitia, idololatria bona est. Sed & bonam malamque concupiscentiam, & utriusque discrimen clariùs indigitat ad *Gal.* v. scribens; *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversùs carnem.* Nam concupiscentia spiritûs adversùs carnem ex se sempérque bona est: Concupiscentia verò carnis adversùs spiritum ex se sempérque mala. Ad spiritualem illam rectæ mentis cupiditatem pertinet quod *S. Augustinus* ait Tractatu IV. in Epistolam I. S. Joannis: *Tota vita Christiani sanctum desiderium est. Quod autem desideras, nondum vides: sed desiderando capax efficeris, ut cùm veneris quod videas, implearis. Sicut enim si velis implere aliquem sinum, & nosti quàm magnum est quod dabitur, extendis sinum: nosti quantùm missurus es, & vides quia angustus est sinus; extendendo facis capaciorem: sic Deus differendo extendit desiderium, desiderando extendit animum, extendendo facit capaciorem. Desideremus ergo, Fratres, quia implendi sumus.*

Sola concupiscentia mala his præceptis prohibita. Sola igitur concupiscentia mala, quæ peccati fomes, desiderium peccati, improba voluntas, & simpliciter cupiditas & concupiscentia vocatur ab Ecclesiasticis Tractatoribus, absque addito quod vocabuli determinetur significatio, his præceptis prohibetur; illi scilicet concupiscendi motus, qui nullum rationis modum habent, neque finibus a Deo constitutis continentur. Hæc autem prohibetur cupiditas, vel quia malum appetit: Unde Apostolus I. ad Corinth. x. *Non simus* (inquit) *concupiscentes malorum, quemadmodum & illi concupierunt*: vel quia etsi res naturâ suâ malæ non sunt, à Deo tamen aut ab Ecclesia sunt prohibitæ; non enim ea nobis appetere licet, quibus frui non licet: vel quia quæ appetuntur, aliena sunt, ut domus, servus, ancilla, ager, uxor, bos, asinus, &c. Igitur hujusmodi rerum cupiditas nefaria est, gravissimùmque peccatum, cùm illis concupiscendis animi præbetur assensus. Nam tunc demum peccatum paritur, cùm post malarum cupiditatum impulsum animus pravis motibus illicitisve rebus delectatur, atque his vel assentitur, vel certè non repugnat, ut docet *S. Jacobus* Epistolæ Catholicæ cap. I. peccati originem & progressum ostendens: *Unusquisque* (inquit) *tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus, deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit generat mortem.* Concipit autem concupiscentia suggestione & delectatione, parit assensu.

Lex prohibet ne pravis concupiscentiæ motibus consentiamus. Lex ergo non prohibet ne ullos concupiscentiæ motus in nobis ipsis sentiamus, cùm ait: *Non concupisces*, sed ne pravis illis motibus consentiamus, quod paucis verbis Sapiens complexus est Ecclesiastici XVIII. *Post concupiscentias tuas non eas.* Abit enim post concupiscentiam, qui suggestioni non repugnat, qui nascentem delectationem non præfocat. Fieri enim non potest ut diuturnionem delectationem consensus in peccatum non sequatur. Prohibet lex ne peccatum in nostro mortali corpore regnare sinamus, *Ut obediamus concupiscentiis ejus: ne desideria carnis perficiamus:* Jubet ut *Abstineamus à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.* (Rom. 6. 12.) Triplicem illam concupiscentiam prohibet, de qua S. Joannes Epistola I. cap. II. ait: *Omne quod est in Mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: quæ non ex Patre, sed ex Mundo est.* (Gal. 5. 16. 1. Petr. 2. [illegible]) Concupiscentia carnis prohibetur nono præcepto, *Non concupisces uxorem proximi tui.* Concupiscentia verò oculorum, & superbia vitæ, vetantur decimo præcepto, *Non concupisces domum proximi tui, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & omnia quæ illius sunt.* Domûs porrò vocabulo non locus modò quem incolimus, sed hereditas universa significatur, ut ex Sacrorum Scriptorum usu cognoscitur. Scriptum est *Exod* I. Obstetricibus Ægyptiis à Domino domos esse ædificatas, id est, illarum facultates ab eo auctas atque amplificatas esse. Hoc igitur præcepto nobis vetitum est ne divitias avidè expetamus, neque alienis opibus, potentiæ, nobilitati invideamus; sed statu nostro, qualis ille sit, contenti simus. Alienæ etiam gloriæ appetitio prohibetur: nam hoc item ad domum pertinet. Alienarum rerum cupiditatis sitim immensam atque infinitam extinguere Lex jubet, de qua scriptum est Ecclesiastis v. *Avarus non implebitur pecunia.* Et Isaiæ v. *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci: numquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Additur in divino præcepto, *Non bovem, non asinum:* quo declaratur, non solùm quæ magna sunt, ut domus, ager, nobilitas, gloria, cùm aliena sint, concupiscere nobis non licere; sed etiam parva, qualiacunque illa sint, animata, sive inanimata, minima etiam concupiscere lex prohibet, ne paulatim ad majora fiat gradus. Additur, *Neque servum*, quod tam de captivis, quàm de reliquo servorum genere intelligendum est: quos, ut nec cætera alterius bona, concupiscere non debemus. Quòd autem in præcepto mentio sit proximi, id eo pertinet, ut hominum vitium demonstretur, qui vicinos agros, aut proximas domos, aut aliam rem ejusmodi, quæ secum continens sit, appetere solent, sicut Rex *Achab* concupivit vineam *Naboth*, ut faceret sibi hortum olerum, quia vicina erat, & prope domum ejus; (IV. Regum XXI. *Vicinitas enim quæ in parte amicitiæ ponitur, ab amore ad odium cupiditatis vitio traducitur*; (inquit Concilii Tridentini Catechismus.)

ARTICULUS III.

Regula Morum circa duo postrema Præcepta.

REGULA I.

Lethalis peccati reus est, quisquis prava turpique concupiscentiæ carnis præbet assensum, vel ejus motibus non repugnat.

Divinum enim violat Præceptum ab Apostolo promulgatum, *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus.* (Rom. 6. 12.) Non enim ait, *Ad habenda desideria ejus*; sed *ad obediendum desideriis ejus: ut quoniam sunt in aliis majora, in aliis minora, prout quisque in*

DE DECALOGO.

De duobus postremis præceptis.

hominis interioris novitate profecerit, in hoc agonem justitiæ pudicitiæque servemus, ne illis obediamus: ut tamen nec ipsa sint desideria, velle debemus: etiamsi in corpore mortis hujus id obtinere non possumus. Hinc Apostolus ait: Rom. 7. *Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio*, id est, concupisco: *Quia & hoc nollet facere, ut esset omni ex parte perfectus. Si autem quod nolo, inquit, hoc facio, consentio legi, quoniam bona est, quia hoc & illa non vult, quod & ego nolo. Non vult enim ut concupiscam, quæ dicit, Non concupisces: & ego nolo concupiscere: in hoc itaque consentiunt voluntas legis & mea. Verùm quia concupiscere nolebat, & tamen concupiscebat: sed eidem concupiscentiæ nequaquam consentiendo serviebat, adjunxit: Nunc autem jam non ego operor illud, sed id quod inhabitat in me peccatum.* Ita *S. Augustinus* Libro I. *De Nuptiis & Concupiscentia*, cap. XXVII.

Et Libro *De Spiritu & Littera*, cap. XXVI. ubi præmisit, aliud esse totam nondum assequi caritatem, aliud nullam sequi cupiditatem: ideóque debere hominem, quamvis longè minùs amet Deum, quàm eum potest amare conspectum, nihil tamen appetere illicitum, subdit: *His constitutis, peccatum erit hominis ex fide viventis, aliquando alicui delectationi illicita consentire: non tantùm in illis horrendis facinoribus & flagitiis perpetrandis, verùm etiam in levioribus; ut vel aurem alicui voci quæ audienda non esset, vel linguam alicui quæ dicenda non esset, accommodet; vel in ipso corde aliquid ita cogitet, ut mallet licitum quod malè delectat, & per præceptum scitur illicitum: etiam ista quippe consensio est ad peccatum, quæ utique fieret, nisi pœna terreret.*

Et Libro III. *Ad Bonifacium*, cap. VII. *Hic præceptum est, ut desideriis peccati non obediamus: ibi præmium, ut desideria peccati non habeamus.*

REGULA II.

Uxorem alterius concupiscere lethale peccatum est, quamvis non concupiscatur ut adulterio polluenda, sed ut Matrimonio legitimo intercedente fruenda.

QUi enim sic alienam uxorem desiderat, prioris Matrimonii dissolutionem cupit, adeóque mariti mortem: siquidem Matrimonium Christianorum solâ morte dissolvi potest, propter sanctitatem Sacramenti: quod cùm illicitum sit & inhumanum, nefas est alterius uxorem concupiscere vel eo fine ut cum ipsa Matrimonium contrahatur post obitum mariti, nefas est id ipsi declarare, sive seriò sive joco. Id enim absque carnali concupiscentia & amore fieri non potest, quo jam ipsi adhærere incipit, eámque usurpare. *Abigail* uxorem *Nabal*, eo de- 1. Reg. 25. functo, uxorem quærere & accipere *David* jure potuit; sed si vivente *Nabal* ipsam concupivisset, eámque in matrimonium ducendi voluntatem habuisset, cùm ad ipsum adiit interpellatura pro salute viri, nonum Decalogi præceptum violasset, non minùs quàm cùm *Bethsabée* uxo- 2. Reg. 11. rem *Uriæ* uxorem accipere decrevit ac adulterium cum illa perpetratum absconderet. Et sicut carnalis illa concupiscentia ipsum incitavit ad necem Uriæ procurandam, ita & ista ad mortem Nabal optandam ipsum impulisset; adeóque homicida tunc fuisset animo, sicut postea homicida reipsa fuit, cùm *Uriæ* necem procuravit, ipsum ferventi prælio exponi jubens. Hanc Regu-

lam confirmat Concilii Tridentini Catechismus. *Nunc verò* (inquit) *gravius est peccatum, cum mulierem, etiamsi à viro repudiata sit, alteri in Matrimonium ducere non liceat, nisi marito mortuo. Itaque qui alterius uxorem concupiscit, facilè ex una in aliam incidet cupiditatem. Aut enim illius virum mori, aut adulterium admittere cupiet.*

De duobus postremis præceptis.

» Si quis verò mulierem quæ nupta est, cùm » eam innuptam esse opinetur, uxorem sibi da» ri concupiscit, neque si in Matrimonium alii » collocatam intelligeret, eam nuptam sibi dari » cuperet, (id quod *Pharaoni* & *Abimelech* con» tigisse legimus, qui *Saram* in Matrimonio » habere concupierunt, cùm eam minimè nup» tam, Abrahæque sororem, non uxorem ar» bitrarentur, (*Genes.* XII. & XX.) Ille certè qui » eo animo est, ejusmodi Præcepti legem vio» lare non videtur (inquit Concilii Tridentini » Catechismus.)

REGULA III.

Ejusdem, imò gravioris peccati rea est mulier quæ alienum virum concupiscit.

LIcuit enim aliquando viris plures habere uxores, adeóque plures diligere: verùm nusquam licuit feminis plures habere viros, aut alium ab unico suo marito diligere amore conjugali. Quæ igitur alienum virum concupisceret, non solum adversùs fidem Matrimonii & contra justitiam peccaret, sed etiam contra legem naturæ, quæ plures maritos à muliere haberi, aut desiderari sic vetat, ut nullo unquam casu nullâ dispensatione id licere possit. Et si viri cupiditas alienam conjugem desiderantis ipsum ad optandam & procurandam mariti illius mortem frequenter impellit: quantò periculosior mulieris insano amore captæ, alienumque virum concupiscentis libido? Sui certè mariti mortem optabit & fortè procurabit occasione datâ, vel quæsitâ, necnon & mortem uxoris alienæ, ut novo, quem deperit conjuge potiatur. *Notúmque furens quid femina possit.*

REGULA IV.

Lethalis peccati in nonum Præceptum rei sunt, qui mulieres aliis desponsatas concupiscunt, abstrahunt, abalienant.

QUi enim hæc pacta rescindere student, violant sanctissimum fidei fœdus (inquit Catechismus Concilii hanc Regulam tradens.) Nec illos juris prætextus excusat, quo declaratur, Matrimonium per verba de præsenti contractum Sponsalia dirimere.

REGULA V.

Lethalis peccati reus est, qui feminam ad Dei cultum Religionémque consecratam, vel Religiosæ Vestis Velique susceptione Christo destinatam, séque Agni nuptiis præparantem, in conjugem expetit.

ID enim sine Sponsi immortalis injuria, cui conjuncta, vel destinata est & designata, fieri non potest; nec sine crimine sacrilegii. *Et quemadmodum* (inquit Concilii Catechismus) *quæ alteri nupta est, eam concupiscere omnino nefas est: sic quæ ad Dei cultum Religionémque est consecrata, nullo pacto licet illam uxorem ap-*

petere. Lethali etiam peccati reus est, qui mulieris, quam simplici castitatis Voto scit obstrictam, Nuptias expetit, eamque de conjugio minimè cogitantem sollicitat, impellitque ut remissionem Voti à Summo Pontifice, nullâ existente causâ legitimâ obtineat, eâ ut conjuge potiatur.

Regula VI.

In decimum Decalogi Præceptum graviter peccat, non solùm qui rem alienam injustè, sed etiam qui permissis apud homines rationibus, atque (ut dici solet) sub Juris colore consequi appetunt ac possidere cum incommodo vel damno proximi, & qui proprii quæstus & lucri causâ calamitates vel incommoda aliorum appetunt.

De ultimo Decalogi Præcepto.

Illos caritate, quæ *Non quærit quæ sua sunt*, planè destitutos esse manifestum est, & Apostolici Præcepti immemores esse: *Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum.* (Philipp. 2.) Tales sunt, qui ad juris rigorem omnia omnino exigunt, nullâ æquitatis habitâ ratione, idque sui duntaxat commodi gratiâ, non curantes quàm malè consultum sit proximo, quàm grave damnum patiatur, nec damni etiam occasionem dare metuunt. Qui res alienas his modis aut aliis mox explicandis concupiscit, in eodem peccatorum ordine quo fures & homicidæ, *a S. Petro* recensetur: *Nemo vestrûm* (inquit) *patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.* (1. Petr. 4.) Hinc S. Paulus 1. ad Thessalon. iv. Fideles Christianæ vitæ præceptis informans: *Nullius*, inquit, *aliquid desideretis.* Et 1. ad Timoth. vi. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Ad eumdem modum peccant emptores & venditores, nec non permutatores, qui se mutuò in contrahendo decipiunt, etsi intra dimidium justi pretii, quamvis Lex Civilis ob id contractum non rescindat. Nam alia lex est fori, alia poli, quæ præcipit ut *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Quamobrem tam vendentes quàm ementes omnem dolum fugere ac proximum de rei æstimatione justóque pretio admonere debent, nec abuti in suum commodum ejus vel ætate, vel simplicitate, & ignorantiâ, vel incuriâ, vel necessitate. Graviùs peccant tutores & curatores, & cæteri quibus personæ vel res aliorum sunt commissæ, cùm sinunt eos, quorum tutelam gerunt, genio indulgere, ut ipsi tandem eorum bona ad se pertrahant, aut qui negligentiùs in rebus eorum quam in suis agunt. Hoc item præceptum violant, qui ludis prohibitis delectantur; aut etiam ludis licitis » immoderatè abutuntur lucri gratiâ. Peccant » etiam graviter in hoc præceptum mercatores, » qui rerum penuriam, annonæque caritatem ex» optant, atque id ægrè ferunt, ut alii præter » ipsos sint qui vendant aut emant, quò cariùs » vendere aut viliùs emere possint. Item qui alios » egere cupiunt, ut aut vendendo aut emendo » ipsi lucrentur. Lethaliter etiam peccant Milites, » qui bellum expetunt ut furari ipsis liceat. Me» dici item qui morbos desiderant. Jureconsulti, » Judices, Advocati, Procuratores, Actuarii » sive Scribæ, qui causarum litiúmque vim & » copiam concupiscunt. Tum Artifices, qui quæ» stûs avidi, omniúmque ad victum cultúm» que pertinent, penuriam exoptant, ut inde plu» rimùm lucri faciant. In hoc præterea genere gravitet ii peccant, qui alienæ laudis gloriæque « avidi atque appetentes sunt, non sine aliqua fa « mæ alterius obtrectatione; (inquit Concilii » Tridentini Catechismus.) In hoc tandem præ « ceptum peccant, qui servos, aut ancillas, seu mercenarios, seu quosvis homines aliorum obsequiis amoris observantiæque impulsu addictos, verbis, spe, pollicitationibus, præmiis corrumpunt aut sollicitant ut eos deserant, quibus se ipsi sponte addixerunt. Immò verò si ante id tempus, quo se in illorum famulatu fore promiserant, ab illis recesserint, hujus Præcepti auctoritate admonendi sunt ut ad eos ipsos omnino revertantur; (inquit Concilii Catechismus.) *Radix* horum & *omnium malorum cupiditas*, ut docet Apostolus 1. ad *Timotheum* vi.

Regula VII.

Postremum Decalogi Præceptum omni ex parte non implemus, nisi ardenti studio optemus id potissimum effici, non quod nos concupiscimus, sed quod Deus vult.

De postremo Decalogi Præcepto.

Cum enim hoc Præceptum id commune habeat cum cæteris ut partim aliquid vetet, partim jubeat, quod jubet illud est, ut Dei voluntatem magis quàm desideria nostra impleri velimus. Voluntas autem Dei in eo maximè est ut sancti esse studeamus, animúmque nostrum ab omni cupiditatis terrenorúmque affectuum labe purum integrúmque servemus, secundùm illud Apostoli 1. Thessal. iv. «*Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra*; ut exerceamus nos in iis mentis, ac spiritus officiis, quæ corporis repugnant sensibus horúmque edomitis appetitionibus & carnalibus desideriis, quæ militant adversùs animam, non ratione solùm, sed Spiritu Sancto duce, rectum Christianæ vitæ cursum teneamus: *Ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc seculo, exspectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi.* (Ad Tit. 2.) Mortificemus ergo membra nostra quæ sunt super terram: carnem crucifigamus cum vitiis & concupiscentiis. Christo passo in carne, & nos eadem cogitatione armemur, *Quia qui* (1. Petr. 4.) *passus est in carne, desiit à peccatis: ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis.* Sensus nostros diligenter custodiamus, per quos veluti per fenestras peccatum & mors spiritualis in animam ingrediuntur, eamque deprædantur, ac illicitis desideriis occidunt, ut ait Salomon Proverb. xxi. *Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus ejus operari: Tota die concupiscit & desiderat: qui autem justus est, tribuet, & non cessabit.* Simus semper ad omne opus bonum parati & accincti, monente Christo: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur à Nuptiis.* (Luc. 12.)

Incumbamus jugiter orationi, gratiámque Deo imploremus, ad pravas cupiditates comprimendas necessariam: quia solius Medici cœlestis gratiâ sanari possumus a morbis desideriorum noxiorum. Orémus ne tradat nos Deus in desideria cordis nostri, quod malum damnationi proximum est, de quo Apostolus ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* Oremus cum Sapiente, *Domine Deus, & Pater vitæ meæ, extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi,* (Eccl. 23.)

DE DECALOGO. DE DECALOGO.

De postremo Decalogi Præcepto.

mihi, & omne desiderium averte à me. Aufer à me ventris concupiscentias, & concubitûs concupiscentia ne apprehendant me, & animæ irreverenti & infrunitæ ne tradas me. Desideriorum objectum mutemus, Deum nostrum dumtaxat desideremus, cum Prophetâ dicentes: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Æternam vitam desideremus; & propter illam contemnamus cuncta superflua; illi adipiscendæ temporalem istam velut famulam expeditiorem servire faciamus, depositis sarcinis curarum noxiarum terrenorúmque & inutilium desideriorum. Audiamus Dominum, qui nobis illam vitam summo ardore desiderandam fidelissimè pollicetur, velut in totius mundi concione clamantem: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde; & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* (Matth. xi. 28.) *Hæc disciplina piæ humilitatis* (inquit Sanctus *Augustinus* Epistola CXXVII. aliàs XLV.) *ventosam & turbidam cupiditatem, avidam rerum extra nostram potestatem constitutarum pellit ex animo, & quodammodo exspirat. Ibi enim labor, ubi multa quæruntur & diliguntur, quibus adipiscendis atque retinendis voluntas non satis est, quia consequentem non habet facultatem. Justa verò vita, cùm volumus, adest, quia eam ipsam plenè velle, justitia est: nec plus aliquid perficienda justitia, quàm perfectam voluntatem requirit. Vide si labor est, ubi velle satis est. Unde divinitus dictum est,* Pax in terra hominibus bonæ voluntatis. *Ubi pax, ibi requies: Ubi requies, ibi finis appetendi, & nulla caussa laborandi. Sed hæc voluntas ut plena sit, oportet ut sana sit. Erit autem sana, si Medicum non refugiat, cujus solius gratiâ sanari potest à morbo desideriorum noxiorum. Ipse est ergo Medicus qui clamat,* Venite ad me omnes qui laboratis, *jugum suum lene, & onus leve dicens: quia diffusâ per Spiritum Sanctum caritate in cordibus nostris, profectò amabitur quod jubetur, & non erit asperum, nec onerosum, si sub hoc uno jugo quantò minùs saucîâ, tantò magis liberâ cervice serviatur. Et hæc est una sarcina quâ ejus bajulus non premitur, sed levatur. Divitiæ si diliguntur, ibi serventur, ubi perire non possunt. Honor si diligitur, illic habeatur, ubi nemo indignus honoratur. Salus si diligitur, ibi adipiscenda desideretur, ubi adeptâ nihil timetur. Vita si diligitur, ibi acquiratur, ubi nulla morte finitur.*

Psalm. 41.

Luc. 2.

Sanctimoniam & pacem, sine qua nemo videbit Deum, sectari non possumus, nisi concupiscentias nostras comprimamus, bellorum & litium matres, ex Sancti Jacobi Sententiâ, Epistolæ Catholicæ Cap. IV. *Unde bella & lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Concupiscitis, & non habetis: occiditis, & zelatis: & non potestis adipisci: litigatis & belligeratis, & non habetis, propter quod non postulatis. Petitis, & non accipitis: eò quod malè petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.* Suscipere non possumus cum mansuetudine Dei verbum, quod salvare potest animas nostras, nisi pravarum cupiditatum spinas ex animis nostris evellere & eradicare continuò satagamus, quoniam verbum illud cæleste à magno illo agricola Deo animis nostris insitum concupiscentiarum sentibus suffocatur, ne fructum afferat, ut docet Christus Marci IV. *Et alii sunt,* inquit, *qui in spinis seminantur, hi sunt qui verbum audiunt, & ærumnæ sæculi, & deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, & sine fructu efficitur.*

De postremo Decalogi Præcepto.

Ad purissimam lucem veritatis, æternæque legis, quæ Deus est, cæcutimos, igne malo cupiditatum inflammati. Psal. LVII. 9. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Vicit illos concupiscentia carnis. Et ista concupiscentia unde venit? Attendite. *De traduce natus es cum eo quod vincas: noli tibi hostes addere, vince cum quo natus es. Ad stadium vitæ hujus cum illo venisti, congredere cum eo qui tecum processit. Ipso non victo, quare provocas catervas concupiscentiarum? Delectatio enim carnalis cum homine nascitur. Sed qui benè eruditur citò videt hostem suum, & aggreditur, & luctatur, & citò vincit: idoneus est enim nondum crescentibus hostibus. Qui autem illam concupiscentiam cum qua de peccati propagine natus est, contemnit vincere, & multas adhuc excitat exseritque libidines; difficulter eas superat, & adversùs se ipse divisus, igne proprio concrematur.* Verba sunt Sancti *Augustini* Enarratione in Psalmum LVII. Ignem malum ac noxium cupiditatis exterminet divinus ignis charitatis, improbam voluntatem bona voluntas, desiderium peccati sanctum desiderium Dei & eorum quæ Deo grata sunt & accepta. Nam *Quantò magis Regnum cupiditatis minuitur, tantò Regnum caritatis augetur,* (inquit Sanctus *Augustinus* Libro III. *De Doctrina Christiana*, Cap. X.) Quamobrem *Non præcipit Scriptura nisi caritatem, nec culpat nisi cupiditatem; & eo modo informat mores hominum.* Eò collineant generalia duo illa Præcepta, *Non concupisces,* & *Diliges,* ut Sanctus *Augustinus* docet Libro *De Perfectione Justitiæ*, Cap. IV. *Generalis prohibitio est,* Non concupisces; *& generalis jussio,* Diliges. *Unde breviter & Apostolus Paulus quodam loco utrumque complexus est. Prohibitio enim est,* Nolite conformari huic sæculo: *Jussio autem,* Sed reformamini in novitate mentis vestræ. *Illud pertinet ad non concupiscere, hoc ad diligere; illud ad continentiam, hoc ad justitiam; illud ad declinandum à malo, hoc ad faciendum bonum. Non concupiscendo enim vetustate expoliamur, & novitate induimur diligendo.* Quâ novitate induti, sanctis desideriis exerceamur. *Hæc est enim vita nostra, ut desiderando exerceamur. Tantùm autem nos exercet sanctum desiderium, quantùm desideria nostra amputaverimus ab amore sæculi;* (inquit Sanctus *Augustinus* Tractatu IV. in Epistolam Sancti Joannis.) Aliquando exinaniri oportet quod implendum est. *Bono implendus es, funde malum.* In hoc laborare sine intermissione debemus, donec Deus nos perducat ad illum finem qui sufficiat nobis, ubi satietur in bonis desiderium nostrum. *Tunc enim aliquid desiderio non deerit, quando omnia in omnibus Deus erit. Talis finis non habet finem. Nemo ibi moritur, quò nemo pervenit nisi huic sæculo moriatur, non morte omnium, quâ corpus ab anima deseritur; sed morte electorum, quâ etiam cùm in carne mortali adhuc manetur, cor sursum ponitur. De quali morte dicebat Apostolus,* Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. *Hinc fortasse dictum est,* Valida est sicut mors dilectio. *Hac enim dilectione fit, ut in isto adhuc corruptibili corpore constituti, moriamur huic sæculo, & vita nostra abscondatur cum Christo in Deo: immo ipsa dilectio est mors nostra sæculo, & vita cum Deo. Si enim mors est quando de corpore anima exit, quomodo non est mors quando de Mundo amor noster exit? Valida est ergo ut mors dilectio. Quid eâ validius, quâ vincitur Mundus?*

Exod. 20. Deut. 5. Rom. 12.

Coloss. 3.

Cant. 8.

» Daus universitatis conditor, infinita bonitas, vera & summa vita, à quo averti, cadere: in qoem converti, resurgere: in quo manere, consistere est. Deus qoem nemo amittit, nisi deceptus; qoem nemo quærit, nisi admonitus: quem nemo invenit, nisi porgatus. Deus quem relinquere, hoc est quod perire: quem attendere, hoc est, quod amare: quem videre, hoc est qood habere. Deus cui nos fides excitat, spes erigit, caritas jungit. Jam te solum amo, te solom seqoor: te solum quæro, tibi soli servire paratus sum; quia tu solus justè dominaris, tui joris esse cupio. Domine, da quod jobes, & jobe quod vis. Ad te mihi redeundum esse sentio: pateat mihi pulsanti janua tua: quomodo ad te perveniator, doce me. Nihil aliud habeo quàm voluntatem: nihil aliud scio, nisi floxa & caduca spernenda esse, certa & æterna requirenda. Unde ad te perveniatur, tu mihi suggere, tu ostende, to viaticom præbe. Aoge in me fidem, aoge spem, aoge caritatem. Fac me, B Pater, quærere te, vindica me ab errore: quærenti te nihil aliud pro te occurrat. Si oihil aliud desidero quàm te, inveniam te jam quæso, Pater. Si autem est in me superfloi alicojos appetitio, tu ipse me munda, & fac idoneum ad videndum te. AMEN.

FINIS LIBRI QUARTI.

THEO-

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ ET MORALIS

LIBER QVINTVS.

DE ORATIONE.

CATECHISMI Concilii Tridentini ordinem secuti, postremum Theologiæ nostræ Librum Dominicæ Orationis explicationi dicamus, quam Theologiæ totius compendium non immeritò dixerim. Vera namque Theologia, Evangelium est: Oratio verò Dominica totius Evangelii Breviarium. *Neque enim* (inquit Tertullianus) *propria tantùm orationis officia complexa est, venerationem Dei, aut hominis petitionem; sed omnem pene sermonem Domini, omnem commemorationem disciplinæ, ut re verâ in Oratione Breviarium totius Evangelii comprehendatur..... Compendiis paucorum verborum, quot attinguntur edicta Prophetarum, Evangeliorum, Apostolorum, sermones Domini, parabolæ, præcepta: quot simul expunguntur officia? Dei honor in Patre, fidei testimonium in nomine, oblatio obsequii in voluntate, commemoratio spei in Regno, petitio veniæ in pane, exomologesis debitorum in deprecatione, sollicitudo temporalium in postulatione tutela.* Verùm priùs quàm Dominicæ Orationis explicationem aggrediamur, pauca de Oratione in genere prælibanda sunt.

CAPUT I.

DE ORATIONE IN GENERE.

ARTICULUS I.

Quid? Et quotuplex sit Oratio?

ORATIO definitur à *S. Joanne Damasceno*, Libro III. *De Fide*, Cap. XXIV. *Petitio decentium à Deo*: Sive, *Mentis ad Deum ascensus.* Consonæ sunt definitiones illæ notioni Orationis à *S. Basilio* traditæ, Homilia in Martyrem Julittam: *Oratio* (inquit) *est boni cujuspiam petitio, quæ ad Deum à Piis effunditur.* Et à *S. Augustino*, sive alio Auctore Sermonis LXXIII. in Appendice, aliàs inter Augustinianos *De Tempore* CCXXX. *Quid est oratio, nisi ascensio animæ de terrestribus ad cælestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium? Oratio est conjunctio Spiritui-Sancto.* Ex *S. Augustino* Enarratione in Psalmum XXXVII. Oratio definiri potest, *Cordis desiderium*

Quid sit Oratio.

VVuuu

& gemitus ad Deum directus. Unde Propheta ait: *Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* Sit desiderium tuum ante illum: & Pater qui videt in occulto, reddet tibi. *Ipsum enim desiderium tuum, oratio tua est:* Sed desiderium rerum æternarum, vel ad salutem æternam conducentium. Ab eodem Patre, definitur Oratio, *Locutio ad Deum.*

Psalm. 37.

S. August. Enarrat. in Psalm. 37. & 85.

Quotuplex oratio?

II. Duplex est Oratio, interior una, sive *Mentalis*, exterior altera, seu *Vocalis.* Ad mentalem pertinet illud Psalmi xxvi. *Tibi dixit cor meum Exquisivit te facies mea.* Psalm. xviii. *Et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Psal. xxxviii. *Et in meditatione mea exardescet ignis.* Et 1. *Regum* Cap. 1. *Anna loquebatur in corde suo, tantùmque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur.* Hæc neque in suspensione omnis actûs, neque in solâ receptione, aut statu quodam passivo, neque in speculatione sola, nec in solo amore: sed in actibus intellectus & voluntatis, ad Dei cultum & honorem relatis, Meditatione scilicet sive consideratione rerum divinarum, & nihili nostri atque indigentiæ; & Dei amore, rerúmque æternarum desiderio, aliísque piis affectibus posita est. Supremus illius orationis gradus est Contemplatio, quâ Anima supra terrena phantasmata evecta, absque inquisitione rationis, & vago variarum cogitationum discursu, Deum résque divinas liberè considerat, in eísque defixâ penitus mentis acie, casto ardentique amore Deo conjungitur, ipsum complectitur, in eóque unicè delectatur. Definitur à *S. Augustino* Libro xii. *Contra Faustum*, Cap. xlii. *Sancta quodam ebrietas alienata mentis ab infrà labentibus temporalibus æternam lucem Sapientiæ contuentis.* Ad hunc orationis gradum non perveniunt nisi purgatæ Animæ, quæ diuturnâ Pœnitentiâ, & mortificatione, perturbationes & pravas cupiditates naturæ corruptæ subegerunt, propriæque voluntatis studiis & affectibus sese exuerunt. Ad illum autem sensim per varios divinarum illustrationum gradus perducuntur. Vulgaris itaque divinorum Mandatorum observantia non sufficit ut quis ad summum illum orationis gradum perveniat, sed variis laboribus, insigniúmque virtutum operibus; in quibus Evangelicas Beatitudines Christus constituit, exercitatum esse necesse est. Id *Liæ & Rachelis* duarum Jacob uxorum typo significatum, *S. Augustinus* explicat Libro xxii. *Contra Faustum*, Cap. lii. Liam interpretatur *Laborantem*; Rachelem verò *Visum principium*, sive *Verbum ex quo videtur principium.* « Actio ergo humanæ mortalísque vitæ, in qua vivimus ex fide, multa laboriosa opera facientes, incerti quo exitu proveniant ad utilitatem eorum quibus consulere volumus, ipsa est *Lia* prior uxor Jacob: ac per hoc & infirmis oculis fuisse commemoratur. *Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ.* Spes verò æternæ contemplationis Dei, habens certam & delectabilem intelligentiam veritatis, ipsa est *Rachel*: unde etiam dicitur pulcra specie. Hanc enim amat omnis piè studiosus, & propter hanc servit gratiæ Dei, quâ peccata nostra etsi fuerint sicut coccinum, tanquam nix dealbabuntur. *Laban* quippe interpretantur *Dealbationem*, cui servivit Jacob propter Rachel. Neque enim se quisquam convertit sub gratia remissionis peccatorum servire justitiæ, nisi ut quietè vivat in Verbo, ex quo videtur principium, quod est Deus: ergo propter Rachel, non propter Liam. Nam quis tandem amaverit in operibus justitiæ laborem actionum atque passionum? Quis eam vitam propter se ipsam expetiverit? Sicut nec Jacob Liam: sed tamen sibi nocte suppositam in usum generandi, amplexus, & fœcunditatem ejus expertus est: Dominus enim eam, quia per se ipsam diligi non poterat, primò ut ad Rachel perveniretur, tolerari fecit, deinde propter filios commendavit. *Ita verò unusquisque utilis Dei servus, sub dealbationis peccatorum suorum gratia constitutus, quid aliud in sua conversione meditatus est, quid aliud corde gestavit, quid aliud adamavit, nisi doctrinam Sapientiæ? Quam plerique se adepturos & percepturos putant, statim ut se in septem Præceptis Legis exercuerint, quæ sunt de dilectione proximi, id est, Honora patrem & matrem, Non mœchaberis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces uxorem proximi, Non concupisces rem proximi: quibus quantùm potuerit observatis, postea quàm homini pro concupita & sperata pulcherrima delectatione doctrina, per tentationes varias, quasi per hujus sæculi noctem, tolerantia laboris adhæserit, velut pro Rachel Lia inopinata conjuncta sit; & hanc sustinet ut ad illam perveniat, si perseveranter amat, acceptis aliis septem Præceptis: ac si dicatur ei, Servi alios septem annos pro Rachel, ut sit pauper spiritu, mitis, lugens, esuriens sitiénsque justitiam, misericors, mundicors, pacificus. Vellet enim homo, si fieri posset, sine ulla tolerantia laboris, qua in agendo patiendóque amplectenda est, statim ad pulcra atque perfectæ Sapientiæ delicias pervenire: sed hoc non potest in terra morientium.* Hoc enim videtur significare quod dictum est ad Jacob: *Non est in loco nostro consuetudinis, ut minorem ante tradamus ad Nuptias.* Quia non absurdè major appellatur, quæ tempore prior est. *Prior est autem in recta hominis eruditione labor operandi quæ justa sunt, quàm voluptas intelligendi quæ vera sunt.* »

Contemplatio, supremus illius orationis gradus.

Ad hunc orationis gradum non subitò, sed sensim per varios gradus pervenitur.

Genes. 29.

Sap. 9.

Genes. 29.

Ad summum illum orationis gradum, non scientiâ, sed fide, caritate, & humilitate pervenitur, atque cognitione infirmitatis suæ, de qua *S. Augustinus* Libro iv. *De Trinitate*, Cap. 1. scribit: *Scientiam terrestrium cælestiúmque rerum magni æstimare solet genus humanum: in quo profectò meliores sunt qui huic scientiæ præponunt nosse semetipsos: laudabiliórque est Animus, cui nota est vel infirmitas sua, quàm qui eâ non respectâ, vias siderum scrutatur etiam cogniturus: aut qui jam cognitas tenet, ignorans ipse quà ingrediatur ad salutem ac firmitatem suam. Qui verò jam evigilavit in Deum, Spiritus-Sancti calore excitatus, atque in ejus amore coram se viluit, ad eúmque intrare volens nec valens, eóque sibi lucente, attendit in se, invenítque se, suámque ægritudinem illius munditiæ contemperari non posse cognovit; flere dulce habet, eúmque deprecari, ut etiam atque etiam misereatur, donec exuat totam miseriam, & precari cum fiducia, jam accepto gratuito pignore salutis, per ejus Unicum Salvatorem hominis & Illuminatorem: hunc ita agentem & dolentem scientia non inflat, quia caritas ædificat: præposuit enim scientiam scientiæ: præposuit scire infirmitatem suam, magis quàm scire Mundi mœnia, fundamenta terrarum, & fastigia cælorum: & hanc apponendo scientiam, apposuit dolorem; dolorem peregrinationis suæ ex desiderio Patriæ suæ, & Conditoris ejus beati Dei sui.*

Ad summum illum orationis gradum, non scientiâ, sed fide, caritate, & humilitate pervenitur.

Qui autem ad illum Contemplationis apicem pervenerunt, tantùm abest ut à Virtutum Christianarum actibus cessare debeant; eas majori studio ac fervore debent exercere. *Cùm perventum fuerit, sicut habebitur in hoc sæculo, non solùm speciosa intelligentia, sed etiam laboriosa justitia. Quamlibet enim acutè sinceritérque cernatur, à mortalibus incommutabile bonum, adhuc corpus quod*

Qui ad Contemplationis apicem pervenerunt, virtutes majori studio ac fervore exercent.

corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Ad unum ergo tendendum, sed propter hoc multa ferenda sunt, inquit S. *Augustinus*, Libro XXIe. *Contra Faustum*, Cap. IV. Sed nec in ipso sanctæ Contemplationis otio ab omni actione suspensa est Anima; cùm absque cognitione & amore Dei contemplatio illa quæ futuræ beatitatis pignus & prægostatio est, omnino esse non possit; nec absque religionis, adorationis, atque humilitatis actibus frequentissimis valeat subsistere. Qui ad hunc orationis gradum donante & illuminante Deo pervenerunt, requiescunt non solùm ab operibus malis, sed à cogitationibus supervacuis: verùm ab actibus fidei, spei, caritatis, humilitatis non quiescunt, quibus Animo in Deo, & vicissim in Animo Deus quiescit. Sic in illis impletur Propheticum illud: *Vacate, & videte quoniam ego sum Deus*.... Et, *Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus*. Ceterùm, quod repetere non piget, illùc pervenitur. *Potius intimâ compunctione, quàm profundâ investigatione; suspiriis, quàm argumentis; crebris lamentationibus, quàm copiosis argumentationibus; lacrymis, quàm sententiis; oratione, quàm lectione; gratiâ lacrymarum, quàm scientiâ litterarum*, (inquit Autor Libri *De Interiori Domo*, inter Opera S. *Bernardi* editi.) Hæc principia opponere lubuit occasione datâ, damnatis Quietistarum principiis.

Nec in ipso sanctæ Contemplationis otio ab omni actu suspensa est anima.

Vocalis oratio. — *Hebr. 13.* — *Osee 14.*

3. Vocalis orationis exempla frequentia sunt in Scripturis, ad illámque pertinet illud Apostoli: *Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus*. Quod Osee Prophetæ Sententiam exprimit.: *Tollite vobiscum verba, & convertimini ad Dominum, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum: & reddemus vitulos labiorum nostrorum*. Sed & Christus nos verbis docuit orare: non quòd verba necessaria sint ut indigentiam nostram Deo aperiamos, qui novit omnia antequam fiant, & novit quid nobis necessarium, antequam petimus ab eo; sed ut verbis velut signis ad recordationem rerum, quas significant, ad easque postulandas à Deo, ex-« citemur. Non verbis igitur agere debemus apud « Deum, ut impetremus quod volumus, *Sed rebus quas animo gerimus, & intentione cogitationis, cum dilectione pura & simplici affectu*: sed res ipsas « verbis nos docuit Dominus noster, quibus me-« moriæ mandatis eas ad tempus orandi recor-« demur, inquit. S. *Augustinus*.

4. Duplex rursus oratio est, communis sive publica, & singularis sive privata. Prima est quæ per Ministros Ecclesiæ in persona totius populi fidelis Deo offertur. Altera est, quæ ab aliquo privato offertur, sive pro se, sive pro aliis orante. Ad publicam orationem spectat quod *Tertullianus* scribit, *Apologetici* Cap. XXXIX. *Coimus ad Deum quasi manu facta precationis ambiamus. Hæc vis Deo grata est.*

Ratio triplex ob quam vocaliter profertur oratio.

5. Oratio communis & publica vocalis esse debet. Cùm enim totius populi fidelis nomine Deo offeratur, Christianæ Plebi, pro qua offertur, necesse est ut innotescat. Quamobrem rectè institutum est ut Ecclesiæ Ministri publicas orationes altâ voce pronuntient, ut ad notitiam omnium pervenire possint. Privatas autem orationes vocales esse minimè necesse est. Voce tamen profertur oratio ob triplicem rationem:

Primò ad excitandum interiorem devotionem, quia per exteriora signa interior affectus permovetur, hisque permota mens ad Deum ascendit. Unde S. *Augustinus*, Epistolâ CXXX. aliàs CXXI. ait: *In ipsa fide & spe & charitate continuato desiderio semper oramus. Sed ideo per certa intervalla horarum & temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus, quantumque in hoc desiderio profecerimus, nobismetipsis innotescamus, & ad hoc agendum nos ipsos acrius excitemus. Dignior enim sequitur effectus, quem ferventior præcedit affectus*. Ideoque privatim orantibus, voce, aliisve signis tantùm orandum est, quantùm utile est ad mentis affectum excitandum. Ab illis verò abstinendum est, si mens per illa distrahatur, vel quovis modo impediatur. Quod in iis præcipuè usuvenit, quorum mens sine hujusmodi signis ad devotionem satis parata est & propensa.

Secundò, vocalis oratio adhibetur *quasi ad redditionem debiti*, ut loquitur S. *Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione LXXXIII. Articulo XII. *Ut scilicet homo Deo serviat secundùm illud totum quod ex Deo habet, id est, non solùm mente, sed etiam corpore*. Quod præcipuè convenit orationi quatenus est satisfactoria. Unde *Osee* ultimo dicitur: *Omnem aufer iniquitatem; & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.*

Tertiò vocalis oratio usurpatur, quia vehemens affectio Animi quodammodo redundat in corpus, secundùm illud Psalmi XV. *Lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea.*

Orationis partes præcipuæ.

6. Orationis præcipuæ partes sunt *Obsecrationes, Orationes, Postulationes, & Gratiarum actiones*, ut docet Apostolus I. ad *Timotheum* II. quarum explicationem S. *Hilarius* in Psal. CXL. S. *Augustinus* Epistolâ CXLIX. aliàs LIX. ad *Paulinum*, & S. *Thomas* Secundâ Secundæ, Quæstione LXXXIII. Articulo XVII. tradunt. *Precationes* intellige, quas fa-« cimus in celebratione Sacramentorum, ante-« quam illud quod est in Domini Mensa incipiat « benedici, id est, ante panis & vini consecra-« tionem, *Orationes* cùm benedicitur & sanctifi-« catur, & ad distribuendum comminuitur: id est, « Canon Missæ, à Consecratione ad Communio-« nem. *Quam totam petitionem*, inquit S. Augustinus, *ferè omnis Ecclesia Dominicâ Oratione concludit*. POSTULATIONES *verò fiunt cùm Populus benedicitur. Tunc enim Antistites velut Advocati, susceptos suos per manûs impositionem misericordissimæ offerunt Potestati*. Quibus peractis, & participato tanto « Sacramento, *Gratiarum actio* cuncta concludit. « Has verò partes quoniam in cæteris orationibus discernere subtilioris est considerationis, duas in qualibet oratione præcipuas partes Concilii Tridentini Catechismus observandas esse docet, *Postulationem* scilicet, ac *Gratiarum actionem*. Nam ad Deum accedimus, ut cultum ei ac venerationem exhibentes, vel ab ejus bonitate aliquid impetremus, vel ipsi de beneficiis, quibus assiduè ab illius immensa benignitate cumulamur, gratias agamus; quod verè dignum & justum est, æquum & salutare; ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, beneficia potiora sumamus; quemadmodum canit Ecclesia. Utramque hanc maximè necessariam orationis partem Deus ipse pronuntiat ore Davidis: *Invoca me*, inquit, *in die tribulationis; eruam te, & honorificabis me.* *Psalm. 49.*

ARTICULUS II.

De necessitate Orationis,

Orationis necessitas in Dei præcepto fundata.

ORandi necessitatem probat Præceptum à Christo traditum, hisque conceptum verbis, Lucæ XVIII. *Oportet semper orare, & non deficere.* Idem probat illa Dominicæ Orationis solemnis Præfatio ab Ecclesia usurpata: *Præceptis salutaribus moniti, & divinâ institutione formati, audemus dicere*, &c. Ideo Christus a Discipulis rogatus ut eos doceret orare, præscripsit eis orandi formam, (*Luc. 11.*) Quid mirum? *Deus solus docere potuit, ut se vellet orari*, inquit *Tertullianus* Libro *De Oratione*, Cap. IX. *Ab ipso igitur ordinata religio orationis, & de Spiritu ipsius, jam tunc cùm ex ore divino ferretur, animata, suo privilegio ascendit in cœlum, commendans Patri, quæ Filius docuit.* Attolit etiam spem impetrationis eorum quæ postularent, cùm ait: (*Matth. 7.*) *Petite, & accipietis.* Et, *Amen, amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modò non petistis quidquam in nomine meo: Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* (*Joann. 16.*) Nec præcepto tantùm, sed exemplo nos orare docuit Salvator noster, non solùm assiduè orans, sed etiam *in oratione pernoctans.* (*Luce 6.*) Ejusdem officii præcepta, iis qui Christo nomen dedissent, Apostoli tradiderunt. Ad Philippenses III. *In omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* I. Ad Thessalonicenses V. *Sine intermissione orate.* I. Ad Timotheum II. *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus, sine ira & disceptatione. Similiter & mulieres, &c.*

Concil. Catech. *Orationis necessitas in indigentia nostra fundata.*

Præterea, tam multis indigemus bonis & commodis ad animum & corpus tuendum necessariis, ut ad orationem confugere oporteat, tanquam ad unam omnium optimam, & indigentiæ nostræ interpretem, & conciliatricem eorum quibus egemus. Nam cùm nihil cuique debeat Deus, reliquum est, ut quæ nobis opus sunt ab eo precibus expetamus, tanquam ejus mendici. (*Psal. 69.*) » *Ego verò egenus & pauper sum*, inquiebat Rex » David, *Deus, adjuva me.* Ego tanquam pu- » pillus, Anima mea tanquam vidua destituta & » desolata; Auxilium quæro, semper infirmita- » tem meam confiteor. *Ego verò egenus & pau-* » *per.* Donata sunt mihi peccata, jam cœpi sequi » Præcepta Dei: adhuc tamen egenus & pauper. (*Rom. 7.*) » Unde egenus & pauper? Quia *Video aliam le-* » *gem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* (*Matth. 5.*) » Unde egenus & pauper? Quia *Beati qui esu-* » *riunt & sitiunt justitiam.* Adhuc esurio, adhuc » sitio: Saturitas mea dilata est, non ablata. *Ego* » *verò egenus & pauper sum, Deus adjuva me.* Rectissimè & Lazarus *adjutus* interpretari dicitur: ille egenus & pauper, qui ablatus est in sinum Abrahæ: (*Luc. 16.*) *Et gerit typum Ecclesiæ Dei, quæ semper confiteri debet adjutorio sibi opus esse. Hoc est verum, hoc est pium. Dixi Domino, Deus meus es tu.....* (*Psalm. 15.*) Quare? *Quia bonorum meorum non eges.* » Ille non eget nostri, nos egemus ipsius: ideo » verus Dominus. Nam tu non valde verus Do- » minus servi tui: ambo homines, ambo egen- » tes Deo. Si autem putas egere tui servum tuum, » ut des panem; eges & tu servi tui, ut adjuvet » labores tuos. Uterque vestrûm altero vestrûm indiget. Itaque nullus vestrûm verè Dominus, « & nullus vestrûm verè servus. Audi verum Do- « minum, cujus verus es servus: *Dixi Domino,* « *Deus meus es tu.* Quare tu Dominus? *Quoniam* « *bonorum meorum non eges.* Quid autem tu? *Ego* » *verò egenus & pauper.* Ecce egenus & pauper: » Pascat Deus, sublevet Deus, adjuvet Deus: » *Deus*, inquit, *adjuva me.* Sic disserit *S. Augu-* » *stinus*, Enarratione in Psalmum LXIX.

Oramus ut Dei voluntatem, quantum in nobis est, impleamus.

Oramus porro, non ut divinæ providentiæ consilia & æterna Decreta immutemus, quod fieri non potest: sed ut æternam, immutabilem, & semper adorandam Dei voluntatem, quantùm in nobis cum gratia ipsius est, impleamus, id impetrando, quod piè postulantibus dare decrevit. *Obtineri quidem non possunt, quæ prædestinata non fuerint; sed ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt ut precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis Regni Prædestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant: quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare.* Verba sunt *sancti Gregorii Magni*, Libro I. *Dialogorum*, Cap. VIII. Quamobrem etsi Deum, qui abundantiâ pietatis suæ & merita supplicum excedit & vota, nosque prævenit in misericordia & miserationibus, multa dare non petentibus certum omnino sit, nempe fidem, pœnitentiam, ipsam orandi gratiam, & alia; quia tamen plurima sunt, quæ donare non vult nisi rogatus, eum rogare necesse est. Quamvis *Elias* Propheta Dei nomine pluviam promisisset, sciretque falsum esse non posse quod Deus promisit, pluviam tamen a Deo ferventer postulavit, (*3. Reg. 18.*) quam tamen orationi concedendam noverat. *Rursum oravit, & cælum dedit pluviam.* (*Jacob. 5.*) Dæmonum quoddam genus Christus esse docet, quod *non ejicitur nisi per orationem & jejunium.* (*Matth. 17.*) Quare magnam sibi adimunt facultatem singularium donorum, qui hanc consuetudinem, exercitationémque non adhibent piè ac diligenter orandi.

Multa bona Deus dare non decrevit nisi orantibus.

Unde sanctus Jacobus Apostolus ait: *Non habetis, propter quod non postulatis.* Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum » non haberet, inquit *sanctus Augustinus*. Constat « Deum alia danda etiam non orantibus, sicut « initium fidei. alia nonnisi orantibus præpa- « rasse, sicut usque in finem perseverantiam, in- » quit idem sanctus Doctor Libro *de Dono Perseverantiæ*, Cap. XVI. Novit planè Deus quid nobis necessarium sit: sed tamen oratione opus est, *Quia ipsa orationis intentio cor nostrum serenat & purgat, capaciúsque efficit ad excipienda divina munera, quæ spiritualiter nobis infunduntur. Non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui semper paratus est dare lucem suam nobis, non visibilem, sed intelligibilem & spiritalem: sed non semper parati sumus accipere, cùm inclinamur in alia, & rerum temporalium cupiditate tenebramur. Fit ergo in oratione conversio cordis ad eum, qui semper dare paratus est si nos capiamus quod dederit: & in ipsa conversione purgatio interioris oculi, cùm excluduntur ea quæ temporaliter cupiebantur, ut acies cordis simplicis ferre possit simplicem lucem, divinitus sine ullo occasu aut immutatione fulgentem: nec solum ferre, sed etiam manere in illa; non tantùm sine molestia, sed etiam cum ineffabili gaudio, quo verè ac sinceriter beata vita perficitur.* Verba sunt *sancti Augustini*, Libro II. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. III.

Et Epistolâ CXXX. aliàs CXXI. *Intelligamus*, inquit, *quòd Dominus & Deus noster non voluntatem nostram sibi velit innotescere, quam non potest ignorare: sed exerceri in orationibus desiderium no-*

strum, quo possimus capere quod praeparat dare. Illud enim valde magnum est, sed nos ad capiendum parvi & angusti sumus. Ideo nobis dicitur, Dilatamini & vos. *Tantò quippe illud quod valde magnum est, quod nec oculus vidit, quia non est color; nec auris audivit, quia non est sonus; nec in cor hominis ascendit: quia cor hominis illuc debet ascendere, sumemus capaciùs, quantò id & fideliùs credimus, & speramus firmiùs, & desideramus ardentiùs.* (2. Cor. 6.)

(Oratio est necessaria ut gratiam à Deo impetremus.) Necessaria est oratio ut Gratiam impetremus à Deo, sive ad tentationes vincendas, quae undique frequentes ingruunt; sive ad implenda divina Mandata, quae non impleremus nisi sanatâ infirmitate voluntatis nostrae per gratiam medicinalem Salvatoris; sive ad perseverandum, cùm donum perseverantiae orationi assiduae ac ferventi detur. Ipsa oratio clarissima est gratiae testificatio. *Agenda sunt gratiae, quia data est potestas, & orandum ut succumbat infirmitas*, inquit *sanctus Augustinus*, Tractatu LIII. in *Joannem*. Et Enarratione in Psalmum CXX. *Potestatem accepisti ut possis filius Dei fieri: unde accepisti hanc potestatem? Credentibus, inquit, in nomine ejus. Si ergo credis, ipsa tibi potestas data est ut sis inter filios Dei: sed quid valet ipsa potestas quam accipit homo, nisi Dominus protegat? Ecce credidit, jam ambulat in fide, infirmus est, inter tentationes agitur, inter molestias, inter carnales corruptiones, inter suggestiones, inter cupiditates, inter versutias & laqueos inimici. Quid ergo valet quia habet potestatem, & credidit in Christum ut sit inter filios Dei? Vae homini illi, nisi & ipsum filium Dominus protegat; id est, ut non permittat tentari supra quàm potest ferre.* (Luc. 10. 30.) Homo qui descendens ab Jerusalem in Jericho, incidit in latrones, qui semivivum reliquerunt, *gravibus saucius, confossusque vulneribus, non ita potest ad justitiae culmen ascendere, sicut potuit inde descendere: quia etiamsi jam in stabulo est, adhuc curatur. Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis. Jam nunc videamus unde possit, unde non possit. . . . . Medicinâ poterit, quod vitio non potest*; (inquit S. *Augustinus*, Libro *De Natura & Gratia*, Cap. XLIII.) Ad Medicum ergo confugiendum est, ejúsque implorandum auxilium, sine quo nihil facere possumus. Et Cap. LXVIII. *Illinc gratias agant, cùm instituerint benè vivere, quòd aliquid sine difficultate fecerint, & ubi difficultatem aliquam sentiunt, fidelissimis & perseverantissimis precibus, & Misericordiae promptis operibus facilitatem à Domino impetrare persistant.*

Et Libro *De Gratia & Libero Arbitrio*, Cap. XVI. *Certum est nos Mandata servare si volumus; sed quia praeparatur voluntas à Domino, ab ipso petendum est ut tantùm velimus, quantùm sufficit ut volendo faciamus.*

Idem confirmat *S. Fulgentius*, Libro II. *De Veritate Praedestinationis*, Cap. III. *Cognitione*, inquit, *Mandati liberum hominis arbitrium convincitur. . . . ut per Mandati notitiam infirmitatis suae sibi conscius fiat, & adjutorium gratiae medicinalis exposcat: quâ perceptâ potest diligere quod jubetur, & facere & agnoscere vel quid possit, vel quid non possit; & ut possit exposcere, & sibi suae infirmitatis imputare miseriam, & sanitatis assignare beneficiis medicinalibus gratiam.*

Ad obtinendum perseverantiae donum ita necessaria oratio est, ut *Ipsius sancti Petri ardentissima fides in tentationibus defecisset, nisi pro eo Dominus supplicasset*: Ego *autem rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* (S. Prosper. in Epist. ad Rufin. — Joan. 22. 32.)

ARTICULUS III.

De Utilitate Orationis.

I. MUltiplices Orationis fructus in Concilii Tridentini Catechismo recensentur. Primus est, quod orantes honorem Deo exhibemus: (Primus orationis fructus.) siquidem oratio Religionis actus & argumentum est. Quamobrem in sacris Litteris thymiamati comparatur. *Dirigatur oratio mea*, inquit Propheta, *sicut incensum in conspectu tuo.* (Psalm. 140.) Hinc *Clemens Alexandrinus*, Libro VII. Stromatum ait: *Deum precibus honoramus, & hoc est optimum ac sanctissimum Sacrificium.* Et *S. Augustinus*, Enarratione in Psalmum CXL. *Oratio*, inquit, *purè directa de corde fideli tanquam de Ara sancta surgit incensum.* Non extra nos quaerenda est victima: *Apud me oratio vitae meae.* Intus habeo victimam quam immolem, thus quod imponam, sacrificium quo flectam Deum meum. *Dicam Deo: Susceptor meus es.* (Psal. 41.) Hac ratione Deo subjectos nos esse profitemur, quem bonorum omnium auctorem agnoscimus & praedicamus. Hac professione maximè Deus honoratur. *Invoca me*, inquit, *in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* (Psalm. 49.)

II. Fructus alter orationis est eorum quae à Deo postulamus impetratio. (Orationis fructus alter.) Oratio clavis est caeli, ascendit oratio, & descendit miseratio. Accipimus autem fidei, spei, & caritatis augmentum, necessarium ad vincendas tentationes auxilium, vires ad victoriam de salutis nostrae hostibus, mundo, carne, diabolo reportandam, remissionem peccatorum, liberationem à poenis, omnis benedictionis spiritualis in Christo Jesu copiam, gaudii singularis plenitudinem. *Petite*, inquit Christus, *& accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* (Joannis 16.) Praesto est Dominus ut exaudiat clamantes ad se. *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet illos.* (Psalm. 144.) Hinc idem Propheta ait: *Quoniam tu Domine suavis & mitis, & multae misericordiae omnibus invocantibus te.* (Psalm. 85.) Et Isaiae: *Tunc invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, Ecce adsum, si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest.* (Isai. 58.) Et alibi: *Eritque antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam.* (Isai. 65.) Prophetae concinit Apostolus: *Idem*, inquit, *Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* (Rom. 10.) Non expectat preces nostras, illas tribuendi celeritate antevertit. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, praeparationem cordis eorum audivit auris tua.* (Psalm. 10.) Quin etiam bene petentibus saepè multò plus tribuit quàm postulaverint, *Qui potens est omnia facere superabundanter quàm petimus, aut intelligimus, secundùm virtutem, quae operatur in nobis.* (Ephes. 3.) Id filii prodigi similitudine declaratur, qui à patre id unum postulabat ut loco mercenarii illum haberet: verumtamen pius & misericors pater *accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum*, jussitque ipsi restitui *stolam primam*, & *annulum*, conviviúmque instrui, & tibicines vocari, suam de illius reditu & incolumitate laetitiam ut significaret. (Luc. 15.) Servus qui (Matth. 18.)

decem millia talenta domino suo debebat, inducias dumtaxat postulabat, & totius debiti remissionem optimus Dominus ei concessit. Latro pœnitens id unum Christum rogabat, ejus ut meminisset, postquam venisset in Regnum suum: & Paradisi possessionem ipsâ die consequendam statim illi promisit. *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Luc. 23.

Cur interdum à Deo non impetramus quæ petimus.

Fit quidem interdum, ut quæ petimus à Deo, non impetremus: sed id contingit, vel quia remissè ac negligenter oramus, vel quia Deus nobis majora & ampliora impertitur; vel quia B petimus quod saluti nostræ conducibile non est. *Petitis*, inquit sanctus Jacobus, *& non accipitis, eò quòd malè petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.* CLAMABO *per diem*, inquit Propheta, *& non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi.* Id est, hoc ipsum quod non exaudies, non ad insipientiam mihi, sed ad intellectum. *Me non exaudies ad temporalia, ut intelligam a te desideranda sempiterna. Non ergo relinquit Deus, & cùm videtur relinquere, tollit quod malè desideraști, & docet quid debeas bene C desiderare*, inquit *sanctus Augustinus*, Enarratione in Psalmum XLIII. Citò exauditur, qui terrena non petit, sed spiritualia: *In quacunque die invocavero te, exaudi me, multiplicabis in anima mea virtutem.* Qui virtutum incrementa petit, citò exauditur. Discamus sic petere, ut mereamur accipere. Oremus cum Davide: *Salvum fac dexterâ tuâ, & exaudi me.* Non salutem temporalem peto, de hac fiat voluntas tua, Ad tempus quid nobis prosit, penitus ignoramus: quid enim oremus sicut oportet, nescimus: Sed *salvum me fac dexterâ tuâ*, ut etsi in tempore isto tribulationes aliquas patiar, transactâ nocte omnium tribulationum ad dexteram inveniar inter oves, non ad sinistram inter hœdos. *Intelligat ergo Caritas vestra*, inquit *S. Augustinus* D Enarratione in Psalmum LIX. *omnem fidelem habentem in corde verbum Dei cum timore, timentem Judicium futurum; viventem probabiliter, ne de illo blasphemetur nomen sanctum Domini ejus, multa deprecari secundùm sæculum, & non exaudiri; ad vitam autem æternam semper exaudiri. Quis enim sanitatem non petat, cùm ægrotat? Et tamen forte adhuc ægrotare ei utile est. Potest fieri ut hinc non exaudiaris: non tamen exaudiaris ad voluntatem, ut exaudiaris ad utilitatem. At verò cùm illud petis ut det tibi vitam æternam Deus, securus esto, accipies, si modò non accipis: non enim jam venit tempus ut accipias. Exaudiris, & nescis: quod petis agitur, etsi nescis in quo agitur. In radice est, nondum in fructu.* Qui rogat Deum ut à tribulationibus liberetur, & non exauditur, *Intelligat Medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento positus ureris, secaris, clamas: non audit Medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem. Ad utilitatem non est exauditus Paulus, ad damnationem exauditus est Diabolus,* Petiit
» Job ad tentandum, & concessum est: Dæmo-
» nes petierunt ut irent in porcos, & exaudi- F
» ti sunt. Dæmones exaudiuntur, Apostolus non
» exauditur: sed illi exaudiuntur ad damnatio-
» nem, Apostolus non exauditur ad salutem, inquit *sanctus Augustinus* in Psalmum XXI. Enarratione II.

Jacobi 4.

Psalm. 21.

Psalm. 137.

Psalm. 59

Et Enarratione in Psalmum CXLIV. ad illum Versum, *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno*, ait: *Prorsus tanquam reficiens ægrotum in opportunitate, quando debet accipere, tunc das; & quod debet,* A *hoc das. Itaque aliquando desideratur ab illo, & non dat: novit horam dandi, qui curat. . . . . Quando non dat, ideo non dat, ne obsit quod dat.* Non
petebat aliquid injustum Apostolus, quando ro- «
gabat ut auferretur ab eo stimulus carnis, An- «
gelus Satanæ, à quo colaphizabatur: & tamen «
rogavit, & non accepit; quia tempus adhuc erat «
exercendæ infirmitatis, non escæ opportunitatis. «
Sufficit, inquit, *tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* 2. Cor. 12.

Et Sermone CCCLIV. aliàs LIII. *De Verbis Do-* B *mini*, Cap. VII. *Non habeatis*, inquit, *pro magno exaudiri ad voluntatem; habete pro magno exaudiri ad utilitatem. . . . . Ad voluntatem Israelitæ exauditi sunt, & cum adhuc cibus esset in ore ipsorum, occisi qua consecuti sunt. . . . . . Aliquando Deus iratus dat quod petis, & Deus propitius negat quod petis. Cum verò ea quæ Deus laudat, quæ Deus præcipit, quæ Deus in futuro sæculo promittit, ab illo petitis; securi petite, & incumbite, quantùm potestis, orationibus, ut sumatis. Illa enim propitio Deo conceduntur: illa ejus non irâ, sed miseri-* C *cordiâ largiuntur. Quando enim petitis temporalia, cum modo petite, cum timore petite; illi committite, ut si prosint det; si scit obesse, non det. Quid autem obsit, quid prosit, Medicus novit, non ægrotus.*

III. Tertius orationis fructus est exercitatio & incrementum virtutum, maximè verò fidei Qui enim ritè orat, institutionem mandatumque Dei, quo nos orare se docuit, ac rogantes exauditurum promisit, præ oculis habens, fide roboratus dat gloriam Deo, *Plenissimè sciens, quia quæcumque promisit Deus, potens est & facere.* Fide ad Deum accedit, ejúsque Majestatem infinitam, omnipotentiam, providentiam, bonitatem, misericordiam, suámque infirmitatem & indigentiam apprehendit Sic postulat *In fide nihil* D *hæsitans*. Et quò studiosiùs ac ferventiùs orat, eò magis fides augetur. *Si fides deficit, oratio perit, Quis enim orat quod non credit? Unde & Apostolus, cùm ad orandum exhortaretur, ait*, Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. *Et ut ostenderet fidem fontem esse orationis, nec posse ire rivum ubi caput aquæ siccatur, adjunxit atque ait, Quomodo autem invocabunt in quem non crediderant? Ergo ut oremus credamus; & ut ipsa non deficiat fides quâ oramus, oremus. Fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetret firmitatem. Etenim ne in tentationibus deficeret fides, propterea Dominus* E *ait*: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem *Quid est in tentationem intrare, nisi à fide exire? In tantum enim tentatio proficit, in quantum fides deficit, & in tantum tentatio deficit, in quantum fides proficit.* Unde idem Christus ait: *Ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua*, Rogat qui tutus, & non rogat qui periclitatur? inquit *S. Augustinus*, Sermone CXV. aliàs XXXVI. *De Verbis Domini.*

Tertius orationis fructus.

Oratio utilis ad incrementum fidei.

Rom. 4.

Rom. 10.

Luc. 22.

IV. Spes etiam Christiana per orationem exercetur & augetur. Qui enim rectè orat, maximâ F cum fiducia quod credit exspectat, divinis promissis animatus, Ait enim Christus: *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis.* Et, *Ego dico vobis, Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis; omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulsanti aperietur.* Atque ut spem nostram corroboraret, ista similitudine utitur: *Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petie-*

Oratio utilis ad exercitationem & incrementum spei.

Marc. 11.

Luc. 11.

rit ovum: numquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester de cælo dabit Spiritum bonum petentibus se? Tam piis promissis fretus Christianus homo, anchoram spei suæ in Christo figit, & per ipsum orationem suam offert Patri, ipsique secundùm formam Dei, & Spiritui-Sancto, cujus afflatu dicimus cum Da-

> Psalm. 24.

vide: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Spes autem orantis non solùm firma, sed etiam patiens sit necesse est. Propterea neque tempus, neque modus Deo statuendus est, qui novit quando & quomodo preces nostras exaudiat. Hanc Domino Deo nostro devotionem debemus, ut non ideo nos ab eo negligi existimemus, si non statim ea dederit, quæ petimus; aut abstulerit, quæ amamus: sed potiùs piâ patientiâ malorum, bona speremus ampliora. Et si quid, contra quod oramus, acciderit, patienter ferendo, & in omnibus gratias agendo, voluntatem Dei potiùs quàm nostram impleri debuisse credamus, atque impletam fuisse gaudeamus. Hunc orantis affectum exprimit David Psalmo XXVI. *Exspecta Dominum*, (inquit) *viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Et Psalmo XXXIX. *Exspectans exspectavi Dominum, & intendit mihi. Et exaudivit preces meas, & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis.* Insigne patientissimæ spei præbuit exemplum Sancta illa Testamenti Veteris Heroina Judith: quæ cùm intellexisset Oziam promisisse deditionem Bethaliæ civitatis quinto die, si interea non veniret adjutorium à Domino, graviter

> Judith. 8.

Oziam, & Presbyteros objurgavit, dicens: *Qui estis vos, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo qui misericordiam provocet, sed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei... Humiliemus illi animas nostras & in spiritu constituti humiliato, servientes illi, dicamus flentes Domino, ut secundùm voluntatem suam sic faciat nobiscum Misericordiam suam.... Exspectemus humiles consolationem ejus.*

> Utilitas orationis ad caritatis incrementum.

V. Sed & caritatis incrementum per orationem habetur, Deum enim agnoscentes omnium bonorum nostrorum auctorem, quantâ eum possumus maximâ caritate amplectimur, ipsúmque desideramus. Unde *S. Augustinus*, Epistola CXXX.

> 1. Thess. 5.

» ad *Probam*, scribit: *Quod ait Apostolus*, Sine » intermissione orate, *quid est aliud quàm beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderate? Semper ergo hanc à Domino Deo desideremus, & oramus semper. Sed ideo ab aliis curis atque negotiis, quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit, certis horis ad negotium orandi mentem revocamus, verbis orationis nos ipsos admonentes in id, quod desideramus, intendere, ne quod tepescere cœperat, omnino frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebriùs inflammetur.* Accedit, quòd ut amantes colloquio & congressu magis ad amorem incenduntur, sic pii homines, quo sæpiùs Deo preces facientes, & ejus implorantes bonitatem, quasi cum ipso colloquuntur, ad eum amandum, & colendum incitantur ardentiùs. Propterea etiam Deus siccitates & desolationes interiores Justis interdum immittit, quibus penè deficiunt, ut ipsum ferventiùs rogent, illiúsque benignitatem & auxilium experti, ejus amore magis inardescant. *Esurientes*

> Psalm. 106.

& sitientes, Anima eorum in ipsis defecit. Sed quare defecit? Cui bono? *Non enim crudelis est Deus, sed se commendat, quod expedit nobis, ut nobis deficientibus rogetur, & ut subveniens ametur*: (inquit *S. Augustinus*, Enarratione in Psalmum CVI.) Ideo subdit Propheta: *Et clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum eripuit eos.* Ideo etiam Orationes Sanctorum Deus statim non exaudit, ut eorum amor ac fervor dilatione beneficii magis in oratione accendatur. *Oratio Sanctorum quasi dilatione repellitur, ut tanquam ignis flatu repercussus, inflammetur ardentiùs.* Verba sunt *S. Augustini*, Enarratione in Psal. LXXXVII.

> Utilitas orationis ad humilitatem fovendam & augendam.

VI. Valet etiam oratio ad fovendam augendámque humilitatem, ut intelligamus, nostrâ operâ nihil nos consequi posse, nihil mereri, nihil boni agere, dicere, cogitare, si gratiæ cœlestis auxilio destituamur: atque propterea toto animo ad orandum incumbamus. Unde *S. Augustinus*, Libro *De Dono Perseverantiæ*, Cap. VII. *Si ergo* (inquit) *alia documenta non essent, hæc Dominica Oratio nobis ad causam Gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret: quia nihil nobis reliquit in quo tanquam in nostro gloriemur: siquidem & ut non discedamus à Deo, non ostendit dandum esse nisi à Deo, cùm poscendum ostendit à Deo.* Et infrà: *Posci à se voluit ne inferamur in tentationem, quia si non inferamur, nullâ ab eo ratione discedimus, quod poterat nobis etiam non orantibus dare, sed oratione nostrâ nos voluit admoneri à quo accipiamus hæc beneficia. A quo enim nisi ab illo accipimus, à quo jussum est ut petamus? Prorsus hac in re non operosas disputationes exspectet Ecclesia, sed attendat quotidianas orationes suas. Orat ut increduli credant: Deus ergo convertit eos ad fidem. Orat ut credentes perseverent: Deus ergo donat perseverantiam usque in finem.* Ipsa etiam orandi facultas a Deo est, idque cognoscit & humiliter confitetur, qui rectè orat. *Quis enim* (inquit *S. Augustinus* Cap. XXIII. ejusdem Libri) *veraciter gemat desiderans accipere quod orat a Domino, si hoc à se ipso se sumere existimet, non ab illo, præsertim quoniam Quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus* (ait *Apostolus*) *interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus..... Ubi intelligimus & hoc ipsum esse donum Dei, ut veraci corde & spiritaliter clamemus*

> Rom. 8.

ad Deum. Attendant ergo quomodo falluntur qui putant esse à nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulsemus, & hoc esse dicunt quòd Gratia præceditur merito nostro, ut sequatur illa cùm accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperitúrque pulsantibus: nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse ut oremus, hoc est, petamus, quæramus, atque pulsemus. Accepimus enim Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.

Et Epistola CXCIV. aliàs CV. ad *Sixtum* Cap. V. *Si dixerimus meritum præcedere orationis, ut donum gratiæ consequatur: impetrando quidem oratio quidquid impetrat, evidenter donum Dei esse ostendit, ne homo existimet à se ipso sibi esse quod si in potestate haberetur, non utique peteretur: verumtamen ne saltem orationis putarentur præcedere merita, quibus non gratuita daretur gratia, sed jam nec gratia esset, quia debitum redderetur, etiam ipsa oratio inter gratiæ munera deputatur..... Sicut ergo nemo rectè sapit, rectè intelligit, rectè consilio ac fortitudine prævalet, nemo scienter pius est, vel piè sciens, nemo timore casto Deum timet, nisi acceperit Spiritum sapientiæ & intellectus, consilii & fortitudinis, scientiæ & pietatis & timoris Dei: nec habet quisquam virtutem veram, caritatem sinceram, continentiam religiosam, nisi per Spiritum virtutis & caritatis & continentiæ: ita sine spiritu fidei non est rectè quispiam crediturus, nec sine spiritu orationis salubriter oraturus. Non quia tot sunt spiritus, sed omnia hæc operatur unus atque idem Spiritus dividens propria unicuique prout vult.* Ideo

petere. Lethali etiam peccati reus eſt, qui mulieris, quam ſimplici caſtitatis Voto ſcit obſtrictam, Nuptias expetit, eamque de conjugio minimè cogitantem ſollicitat, impellitque ut remiſſionem Voti à Summo Pontifice, nullâ exiſtente causâ legitimâ obtineat, eâ ut conjuge potiatur.

REGULA VI.

In decimum Decalogi Præceptum graviter peccat, non ſolum qui rem alienam injuſtè, ſed etiam qui permiſſis apud homines rationibus, atque (ut dici ſolet) ſub Juris colore conſequi appetunt ac poſſidere cum incommodo vel damno proximi, & qui proprii quæſtus & lucri causâ calamitates vel incommoda aliorum appetunt.

De ultimo Decalogi Præcepto.

ILlos caritate, quæ *Non quærit quæ ſua ſunt*, planè deſtitutos eſſe manifeſtum eſt, & Apoſtolici Præcepti immemores eſſe: *Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum.* Tales ſunt, qui ad juris rigorem omnia omnino exigunt, nullâ æquitatis habitâ ratione, idque ſui duntaxat commodi gratiâ, non curantes quam malè conſultum ſit proximo, quam grave damnum patiatur, nec damni etiam occaſionem dare metuont. Qui res alienas his modis aut aliis mox explicandis concupiſcit, in eodem peccatorum ordine quo fures & homicidæ, *à S. Petro* recenſetur: *Nemo veſtrûm* (inquit) *patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.* Hinc S. Paulus 1. ad Theſſalon. IV. Fideles Chriſtianæ vitæ præceptis informans: *Nullius*, inquit, *aliquid deſideretis.* Et 1. ad Timoth. VI. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Ad eundem modum peccant emptores & venditores, nec non permutatores, qui ſe mutuò in contrahendo decipiunt, etſi intra dimidium juſti pretii, quamvis Lex Civilis ob id contractum non reſcindat. Nam alia lex eſt fori, alia poli, quæ præcipit ut *Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris.* Quamobrem tam vendentes quàm ementes omnem dolum fugere ac proximum de rei æſtimatione juſtóque pretio admonere debent, nec abuti in ſuum commodum ejus vel ætate, vel ſimplicitate, & ignorantiâ, vel incuriâ, vel neceſſitate. Graviùs peccant tutores & curatores, & cæteri quibus perſonæ vel res aliorum ſunt commiſſæ, cùm ſinunt eos, quorum tutelam gerunt, genio indulgere, ut ipſi tandem eorum bona ad ſe pertrahant, aut qui negligentiùs in rebus eorum quam in ſuis agunt. Hoc item præceptum violant, qui ludis prohibitis delectantur; aut etiam ludis licitis »immoderatè abutuntur lucri gratiâ. Peccant »etiam graviter in hoc præceptum mercatores, »qui rerum penuriam, annonæque caritatem ex»petunt, atque id ægrè ferunt, ut alii præter »ipſos ſint qui vendant aut emant, quò cariùs »vendere aut viliùs emere poſſint. Item qui alios »egere cupiunt, ut aut vendendo aut emendo »ipſi lucrentur. Lethaliter etiam peccant Milites, »qui bellum expetunt ut furari ipſis liceat. Me»dici item qui morbos deſiderant. Jureconſulti, »Judices, Advocati, Procuratores, Actuarii »ſive Scribæ, qui cauſarum litiúmque vim & »copiam concupiſcunt. Tum Artifices, qui quæ»ſtûs avidi, omniúmque ad victum cultúm»que pertinent, penuriam exoptant, ut inde plu»rimùm lucri faciant. In hoc præterea genere graviter ii peccant, qui alienæ laudis gloriæque« avidi atque appetentes ſunt, non ſine aliqua fa« mæ alterius obtrectatione; (inquit Concilii« Tridentini Catechiſmus.) In hoc tandem præ« ceptum peccant, qui ſervos, aut ancillas, ſeu mercenarios, ſeu quoſvis homines aliorum obſequiis amoris obſervantiæque impulſu addictos, verbis, ſpe, pollicitationibus, præmiis corrumpunt aut ſollicitant ut eos deſerant, quibus ſe ipſi ſponte addixerunt. Imò verò ſi ante id tempus, quo ſe in illorum famulatu fore promiſerant, ab illis receſſerint, hujus Præcepti auctoritate admonendi ſunt ut ad eos ipſos omnino revertantur; (inquit Concilii Catechiſmus.) *Radix* horum & *omnium malorum cupiditas*, ut docet Apoſtolus 1. ad *Timotheum* VI.

Philipp. 2.

1. Petr. 4.

REGULA VII.

Poſtremum Decalogi Præceptum omni ex parte non implemus, niſi ardenti ſtudio optemus id potiſſimum effici, non quod nos concupiſcimus, ſed quod Deus vult.

De poſtremo Decalogi Præcepto.

CUm enim hoc Præceptum id commune habeat cum cæteris ut partim aliquid vetet, partim jubeat, quod jubet illud eſt, ut Dei voluntatem magis quàm deſideria noſtra impleri velimus. Voluntas autem Dei in eo maximè eſt ut ſancti eſſe ſtudeamus, animúmque noſtrum ab omni cupiditatis terrenorúmque affectuum labe purum integrúmque ſervemus, ſecundùm illud Apoſtoſtoli 1. Theſſal. IV. *Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra*: ut exerceamus nos in iis mentis, ac ſpiritus officiis, quæ corporis repugnant ſenſibus, horúmque edomitis appetitionibus & carnalibus deſideriis, quæ militant adversùs animam, non ratione ſolùm, ſed Spiritu Sancto duce, rectum Chriſtianæ vitæ curſum teneamus: *Ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſeculo, exſpectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.* Mortificemus ergo membra noſtra quæ ſunt ſuper terram: carnem crucifigamus cum vitiis & concupiſcentiis. Chriſto paſſo in carne, & nos eadem cogitatione armemur, *Quia qui paſſus eſt in carne, deſiit à peccatis: ut jam non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt in carne vivat temporis.* Senſus noſtros diligenter cuſtodiamus, per quos veluti per feneſtras peccatum & mors ſpiritualis in animam ingrediuntur, eamque deprædantur, ac illicitis deſideriis occidunt, ut ait Salomon Proverb. XXI. *Deſideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus ejus operari: Tota die concupiſcit & deſiderat: qui autem juſtus eſt, tribuet, & non ceſſabit.* Simus ſemper ad omne opus bonum parati & accincti, monente Chriſto: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando revertatur à Nuptiis.*

Ad Tit. 2.

1. Petr. 4.

Luc. 12.

Incumbamus jugiter orationi, gratiamque Deo imploremus, ad pravas cupiditates comprimendas neceſſariam: quia ſolius Medici cœleſtis gratiâ ſanari poſſumus à morbis deſideriorum noxiorum. Oremus ne tradat nos Deus in deſideria cordis noſtri, quod malum damnationi proximum eſt, de quo Apoſtolus ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum.* Oremus cum Sapiente, *Domine Deus, & Pater vitæ meæ, extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi,*

Eccl. 23.

De postremo Decalogi Præcepto.

mihi, & omne desiderium averte à me. Aufer à me ventris concupiscentias, & concubitûs concupiscentiæ ne apprehendant me, & animæ irreverenti & infrunitæ ne tradas me. Desideriorum objectum mutemus, Deum nostrum duntaxat desideremus, cum Propheta dicentes: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Æternam vitam desideremus; & propter illam contemnamos cuncta superflua: illi adipiscendæ temporalem istam velut famulam expeditiorem servire faciamus, depositis sarcinis curarum noxiarum terrenorumque & inutilium desideriorum. Audiamus Dominum, qui nobis illam vitam summo ardore desiderandam fidelissimè pollicetur, velut in totius mundi concione clamantem: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde; & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* (Matth. XI. 28.) *Hæc disciplina piæ humilitatis* (inquit Sanctus Augustinus Epistola CXXVII. aliàs XLV.) *ventosam & turbidam cupiditatem, avidam rerum extra nostram potestatem constitutarum pellit ex animo, & quodammodo exspirat. Ibi enim labor, ubi multa quæruntur & diliguntur, quibus adipiscendis atque retinendis voluntas non satis est, quia consequentem non habet facultatem. Justa verò vita, cùm volumus, adest, quia eam ipsam plenè velle, justitia est; nec plus aliquid perficienda justitia, quàm perfectam voluntatem requirit. Vide si labor est, ubi velle satis est. Unde divinitus dictum est,* Pax in terra hominibus bonæ voluntatis. *Ubi pax, ibi requies: Ubi requies, ibi finis appetendi, & nulla caussa laborandi. Sed hæc voluntas ut plena sit, oportet ut sana sit. Erit autem sana, si Medicum non refugiat, cujus solius gratiâ sanari potest à morbo desideriorum noxiorum. Ipse est ergo Medicus qui clamat,* Venite ad me omnes qui laboratis, *jugum suum lene, & onus leve dicens: quia diffusâ per Spiritum Sanctum caritate in cordibus nostris, profectò amabitur quod jubetur, & non erit asperum, nec onerosum, si sub hoc uno jugo quantò minùs camilâ, tantò magis liberâ cervice serviatur. Et hæc est una sarcina quâ ejus bajulus non premitur, sed levatur. Divitiæ si diliguntur, ibi serventur, ubi perire non possint. Honor si diligitur, illic habeatur, ubi nemo indignus honoratur. Salus si diligitur, ibi adipiscenda desideretur, ubi adepta nihil timetur. Vita si diligitur, ibi acquiratur, ubi nulla morte finitur.*

Psalm. 41.

Luc. 2.

Sanctimoniam & pacem, sine qua nemo videbit Deum, sectari non possumus, nisi concupiscentias nostras comprimamus, bellorum & litium matres, ex Sancti Jacobi Sententiâ, Epistolæ Catholicæ Cap. IV. *Unde bella & lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Concupiscitis, & non habetis: occiditis, & zelatis: & non potestis adipisci: litigatis & belligeratis, & non habetis, propter quod non postulatis. Petitis, & non accipitis: eò quod malè petitis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.* Suscipere non possumus cum mansuetudine Dei verbum, quod salvare potest animas nostras, nisi pravarum cupiditatum spinas ex animis nostris evellere & eradicare continuò satagamus, quoniam verbum illud cæleste à magno illo agricola Deo animis nostris insitum concupiscentiarum sentibus suffocatur, ne fructum afferat, ut docet Christus Marci IV. *Et alii sunt, inquit, qui in spinis seminantur, hi sunt qui verbum audiunt, & ærumnæ sæculi, & deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, & sine fructu efficiuntur.*

De postremo Decalogi Præcepto.

Ad purissimam lucem veritatis, æternæque legis, quæ Deus est, cæcutimus, igne malo cupiditatum inflammati. Psal. LVII. 9. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Vicit illos concupiscentia carnis. Et ista concupiscentia unde venit? Attendite. *De traduce natus es cum eo quod vincas: noli tibi hostes addere, vince cum quo natus es. Ad stadium vitæ hujus cum illo venisti, congredere cum eo qui tecum processit. Ipso* B *non victo, quare provocas catervas concupiscentiarum? Delectatio enim carnalis cum homine nascitur. Sed qui benè eruditur citò videt hostem suum, & aggreditur, & luctatur, & citò vincit: idoneus est enim nondum crescentibus hostibus. Qui autem illam concupiscentiam cum qua de peccati propagine natus est, contemnit vincere, & multas adhuc excitat exseritque libidines; difficulter eas superat, & adversùs se ipse divisus, igne proprio concrematur.* Verba sunt Sancti Augustini Enarratione in Psalmum LVII. Ignem malum ac noxium cupiditatis exterminet divinus ignis charitatis, improbam voluntatem bona voluntas, deside- C rium peccati sanctum desiderium Dei & eorum quæ Deo grata sunt & accepta. Nam *Quantò magis Regnum cupiditatis minuitur, tantò Regnum caritatis augetur,* (inquit Sanctus Augustinus Libro III. *De Doctrina Christiana*, Cap. X.) Quamobrem *Non præcipit Scriptura nisi caritatem, nec culpat nisi cupiditatem; & eo modo informat mores hominum.* Eò collineant generalia duo illa Præcepta, *Non concupisces*, & *Diliges*, ut Sanctus Augustinus docet Libro *De Perfectione Justitiæ*, Cap. IV. *Generalis prohibitio est,* D Non concupisces; *& generalis jussio,* Diliges. *Unde breviter & Apostolus Paulus quodam loco utrumque complexus est. Prohibitio enim est,* Nolite conformari huic sæculo: *Jussio autem,* Sed reformamini in novitate mentis vestræ. *Illud pertinet ad non concupiscere, hoc ad diligere; illud ad continentiam, hoc ad justitiam; illud ad declinandum à malo, hoc ad faciendum bonum. Non concupiscendo enim vetustate expoliamur, & novitate induimur diligendo.* Qua novitate induti, sanctis desideriis exercemur. *Hæc est enim vita nostra, ut desiderando exerceamur. Tantùm autem nos exercet sanctum desiderium, quantùm desideria nostra amputaverimus ab amore sæculi;* E (inquit Sanctus Augustinus Tractatu IV. in Epistolam Sancti Joannis.) Aliquando exinaniri oportet quod implendum est, *Bono implendus es, funde malum.* In hoc laborare sine intermissione debemus, donec Deus nos perducat ad illum finem qui sufficiat nobis, ubi satietur in bonis desiderium nostrum. *Tunc enim aliquid desiderio non deerit, quando omnia in omnibus Deus erit. Talis finis non habet finem. Nemo ibi moritur, quò nemo pervenit nisi huic sæculo moriatur, non morte omnium, quâ corpus ab anima deseritur; sed morte electorum, quâ etiam cùm in carne mortali adhuc* F *manetur, cor sursum ponitur. De quali morte dicebat Apostolus,* Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. *Hinc fortasse dictum est,* Valida est sicut mors dilectio. *Hac enim dilectione fit, ut in isto adhuc corruptibili corpore constituti, moriamur huic sæculo, & vita nostra abscondatur cum Christo in Deo: immo ipsa dilectio est mors nostra sæculo, & vita cum Deo. Si enim mors est quando de corpore anima exit, quomodo non est mors quando de Mundo amor noster exit? Valida est ergo ut mors dilectio. Quid tàm validius, quâ vincitur Mundus?*

Exod. 20. Deuter. 5. Rom. 12.

Coloss. 3.

Cant. 8.

» Deus universitatis conditor, infinita bonitas, vera & summa vita, à quo averti, cadere; in qoem converti, resorgere; in qoo manere, consistere est. Deus quem nemo amittit, nisi deceptus; quem nemo quærit, nisi admonitus: quem nemo invenit, nisi purgatus. Deus quem relinquere, hoc est quod perire: quem attendere, hoc est, quod amare: quem videre, hoc est quod habere. Deus cui nos fides excitat, spes erigit, caritas jungit. Jam te solum amo, te solum sequor: te solum quæro, tibi soli servire paratus sum; quia tu solus justè dominaris, tui juris esse cupio. Domine, da quod jubes, & jube quod vis. Ad te mihi redeundum esse sentio: pateat mihi pulsanti janua tua: quomodo ad te perveniatur, doce me. Nihil aliud habeo quàm voluntatem: nihil aliud scio, nisi fluxa & caduca spernenda esse, certa & æterna requirenda. Unde ad te perveniatur, tu mihi suggere, tu ostende, tu viaticum præbe. Auge in me fidem, auge spem, auge caritatem. Fac me, B Pater, quærere te, vindica me ab errore: quærenti te nihil aliud pro te occurrat. Si nihil aliud desidero quàm te, inveniam te jam quæso, Pater. Si autem est in me superflui alicujus appetitio, tu ipse me munda, & fac idoneum ad videndum te. Amen.

FINIS LIBRI QUARTI.

THEO-

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ ET MORALIS

LIBER QUINTUS.

DE ORATIONE.

CATECHISMI Concilii Tridentini ordinem secuti, postremum Theologiæ nostræ Librum Dominicæ Orationis explicationi dicamus, quam Theologiæ totius compendium non immeritò dixerim. Vera namque Theologia, Evangelium est : Oratio verò Dominica totius Evangelii Breviarium. *Neque enim* (inquit Tertullianus) *propria tantùm orationis officia complexa est, venerationem Dei, aut hominis petitionem; sed omnem pene sermonem Domini, omnem commemorationem disciplinæ, ut re verâ in Oratione Breviarium totius Evangelii comprehendatur..... Compendiis paucorum verborum, quot attinguntur edicta Prophetarum, Evangeliorum, Apostolorum, sermones Domini, parabolæ, præcepta : quot simul expunguntur officia? Dei honor in Patre, fidei testimonium in nomine, oblatio obsequii in voluntate, commemoratio spei in Regno, petitio veniæ in pane, exomologesis debitorum in deprecatione, sollicitudo temporalium in postulatione tutelæ.* Verùm priùs quàm Dominicæ Orationis explicationem aggrediamur, pauca de Oratione in genere prælibanda sunt.

CAPUT I.

DE ORATIONE IN GENERE.

ARTICULUS I.

Quid? Et quotuplex sit Oratio?

ORATIO definitur à *S. Joanne Damasceno*, Libro III. *De Fide*, Cap. XXIV. *Petitio decentium à Deo* : Sive, *Mentis ad Deum ascensus*. Consonæ sunt definitiones illæ notioni Orationis à *S. Basilio* traditæ, Homilia in Martyrem Julittam : *Oratio* (inquit) *est boni cujuspiam petitio, quæ ad Deum à Piis effunditur.* Et à *S. Augustino*, sive alio Auctore Sermonis LXXXII. in Appendice, aliàs inter Augustinianos *De Tempore* CCXXX. *Quid est oratio, nisi ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium? Oratio est conjunctio Spiritui-Sancto.* Ex *S. Augustino* Enarratione in Psalmum XXXVII. Oratio definiri potest, *Cordis desiderium*

Quid sit Oratio.

A

& gemitus ad Deum directus. Unde Propheta ait: *Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* Sit desiderium tuum ante illum: & Pater qui videt in occulto, reddet tibi. *Ipsum enim desiderium tuum, oratio tua est:* Sed desiderium rerum æternarum, vel ad salutem æternam conducentium. Ab eodem Patre, definitur Oratio, *Locutio ad Deum.*

Psalm. 37.

S. August. Enarrat. in Psalm. 37. & 85.

Quotuplex oratio?

II. Duplex est Oratio, interior una, sive *Mentalis*, exterior altera, seu *Vocalis.* Ad mentalem pertinet illud Psalmi XXVI. *Tibi dixit cor meum Exquisivit te facies mea.* Psalm. XVIII. *Et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Psal. XXXVIII. *Et in meditatione mea exardescet ignis.* Et 1. *Regum* Cap. 1. *Anna loquebatur in corde suo, tantùmque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur.* Hæc neque in suspensione omnis actûs, neque in solâ receptione, aut statu quodam passivo, neque in speculatione sola, nec in solo amore: sed in actibus intellectus & voluntatis, ad Dei cultum & honorem relatis, Meditatione scilicet sive consideratione rerum divinarum, & nihili nostri atque indigentiæ; & Dei amore, rerúmque æternarum desiderio, aliísque piis affectibus posita est.

Oratio mentalis.

Contemplatio, supremus illius orationis gradus.

C Supremus illius orationis gradus est Contemplatio, quâ Anima supra terrena phantasmata evecta, absque inquisitione rationis, & vago variarum cogitationum discursu, Deum résque divinas liberè considerat, in eísque defixâ penitus mentis acie, casto ardentique amore Deo conjungitur, ipsum complectitur, in eóque unicè delectatur. Definitur à *S. Augustino* Libro XII. *Contra Faustum*, Cap. XLII. *Sancta quadam ebrietas alienata mentis ab infrà labentibus temporalibus æternam lucem Sapientia contuentis.* Ad hunc orationis gradum non perveniunt nisi purgatæ Animæ, quæ diuturnâ Pœnitentiâ, & mortificatione, perturbationes & pravas cupiditates naturæ corruptæ subegerunt, propriæque voluntatis studiis & affectibus sese exuerunt.

Ad hunc orationis gradum non subitò, sed sensim per varios gradus pervenitur.

D Ad illum autem sensim per varios divinarum illustrationum gradus perducuntur. Vulgaris itaque divinorum Mandatorum observantia non sufficit ut quis ad summum illum orationis gradum perveniat, sed variis laboribus, insigniúmque virtutum operibus; in quibus Evangelicas Beatitudines Christus constituit, exercitatum esse necesse est. Id *Liæ & Rachelis* duarum Jacob uxorum typo significatum, *S. Augustinus* explicat Libro XXII. *Contra Faustum*, Cap. LII. Liam interpretantur *Laborantem*;

E Rachelem verò *Visum principium*, sive *Verbum ex quo videtur principium.* Actio ergo humanæ mortalísque vitæ, in qua vivimus ex fide, multa laboriosa opera facientes, incerti quo exitu proveniant ad utilitatem eorum quibus consulere volumus, ipsa est *Lia* prior uxor Jacob: ac per hoc & infirmis oculis fuisse commemoratur. *Cogitationes enim mortalium timida, & incerta providentia nostra.* Spes verò æternæ contemplationis Dei, habens certam & delectabilem intelligentiam veritatis, ipsa est *Rachel*: unde etiam dicitur pulcra specie.

Genes. 29.

Sap. 9.

F Hanc enim amat omnis piè studiosus, & propter hanc servit gratiæ Dei, quâ peccata nostra etsi fuerint sicut coccinum, tanquam nix dealbabuntur. *Laban* quippe interpretantur *Dealbationem*, cui servivit Jacob propter Rachel. Neque enim se quisquam convertit sub gratia remissionis peccatorum servire justitiæ, nisi ut quietè vivat in Verbo, ex quo videtur principium, quod est Deus: ergo propter Rachel, non propter Liam. Nam quis tandem amaverit in operibus justitiæ laborem actionum atque passionum? Quis eam

A vitam propter se ipsam expetiverit? Sicut nec Jacob Liam: sed tamen sibi nocte suppositam in usum generandi, amplexus, & fœcunditatem ejus expertus est: Dominus enim eam, quia per se ipsam diligi non poterat, primò ut ad Rachel perveniretur, tolerari fecit, deinde propter filios commendavit. *Ita verò unusquisque utilis Dei servus, sub dealbationis peccatorum suorum gratia constitutus, quid aliud in sua conversione meditatus est, quid aliud corde gestavit, quid aliud adamavit, nisi doctrinam Sapientia? Quam*

B *plerique se adepturos & percepturos putant, statim ut se in septem Præceptis Legis exercuerint, qua sunt de dilectione proximi, id est, Honora patrem & matrem, Non mœchaberis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces uxorem proximi, Non concupisces rem proximi: quibus quantum potuerit observatis, postea quàm homini pro concupita & sperata pulcherrima delectatione doctrina, per tentationes varias, quasi per hujus sæculi noctem, tolerantiâ laboris adhæserit, velut pro Rachel Lia inopinata conjuncta sit; & hanc sustinet ut ad illam perveniat, si perseveranter amat, acceptis aliis septem Præceptis: ac si dicatur*

C *ei, Servi alios septem annos pro Rachel, ut sit pauper spiritu, mitis, lugens, esuriens sitiensque justitiam, misericors, mundicors, pacificus. Vellet enim homo, si fieri posset, sine ulla tolerantia laboris, qua in agendo patiendóque amplectenda est, statim ad pulcra atque perfecta Sapientia delicias pervenire: sed hoc non potest in terra morientium.* Hoc enim videtur significare quod dictum est ad Jacob: *Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradamus ad Nuptias.* Quia non absurdè major appellatur, quæ tempore prior est. *Prior est autem in recta hominis eruditione labor operandi qua justa sunt, quàm voluptas intelligendi qua vera sunt.*

Genes. 29.

D Ad summum illum orationis gradum, non scientiâ, sed fide, caritate, & humilitate pervenitur, atque cognitione infirmitatis suæ, de qua *S. Augustinus* Libro IV. *De Trinitate*, Cap 1. scribit: *Scientiam terrestrium cælestiúmque rerum magni æstimare solet genus humanum: in quo profectò meliores sunt qui huic scientia præponunt nosse semetipsos; laudabiliórque est Animus, cui nota est vel infirmitas sua, quàm qui eâ non respectâ, vias siderum scrutatur etiam cogniturus: aut qui jam cognitas tenet, ignorans ipse quà ingrediatur ad salutem ac firmitatem suam. Qui verò jam evigilavit*

Ad summum illum orationis gradum, fide, caritate, & [illegible] pervenitur.

E *in Deum, Spiritus Sancti calore excitatus, atque in ejus amore coram se viluit, ad eúmque intrare volens nec valens, eóque sibi lucente, attendit in se, invenitque se, suámque ægritudinem illius munditia contemperari non posse cognovit; flere dulce habet, eúmque deprecari, ut etiam atque etiam misereatur, donec exuat totam miseriam, & precari cum fiducia, jam accepto gratuito pignore salutis, per ejus Unicum Salvatorem hominis & Illuminatorem: hunc ita agentem & dolentem scientia non inflat, quia caritas ædificat: præposuit enim scientiam scientia: præposuit scire infirmitatem suam, magis quàm scire Mundi mœnia, fundamenta terrarum, & fastigia*

F *cælorum: & hanc apponendo scientiam, apposuit dolorem: dolorem peregrinationis sua ex desiderio Patria sua, & Conditoris ejus beati Dei sui.*

Qui autem ad illam Contemplationis apicem pervenerunt, tantùm abest ut à Virtutum Christianarum actibus cessare debeant: eas majori studio ac fervore debent exercere. *Cùm perventum fuerit, simul habebitur in hoc sæculo, non solùm speciosa intelligentia, sed etiam laboriosa justitia. Quamlibet enim acutè sincerissimèque cernatur à mortalibus incommutabile bonum, adhuc corpus quod*

Qui ad Contemplationis apicem pervenerunt, virtutes majori studio ac fervore exercere d[illegible]

DE ORATIONE.

corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Ad unum ergo tendendum, sed propter hoc multa ferenda sunt, inquit *S. Augustinus*, Libro XXII. *Contra Faustum*, Cap. IV. Sed nec in ipso sanctæ Contemplationis otio ab omni actione suspensa est Anima; cùm absque cognitione & amore Dei contemplatio illa quæ futuræ beatitatis pignus & prægustatio est, omnino esse non possit; nec absque religionis, adorationis, atque humilitatis actibus frequentissimis valeat subsistere. Qui ad hunc orationis gradum donante & illuminante Deo pervenerunt, requiescunt non solùm ab operibus malis, sed à cogitationibus supervacuis: verùm ab actibus fidei, spei, caritatis, humilitatis non quiescunt, quibus Anima in Deo, & vicissim in Anima Deus quiescit. Sic in illis impletur Propheticum illud: *Vacate, & videte quoniam ego sum Deus.... Et, Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus*. Ceterùm, quod repetere non piget, illùc pervenitur, *Pot às intimâ compunctione, quàm profundâ investigatione; suspiriis, quàm argumentis; crebris lamentationibus, quàm copiosis argumentationibus; lacrymis, quàm sententiis; oratione, quàm lectione; gratiâ lacrymarum, quàm scientiâ litterarum*, (loquit Autor Libri *De Interiori Domo*, inter Opera S. *Bernardi* editi.) Hæc principia opponere lubuit occasione datâ, damnatis Quietistarum principiis.

Nec in ipso sanctæ Contemplationis otio ab omni actu suspensa est anima.

Vocalis oratio. 3. Vocalis orationis exempla frequentia sunt in Scripturis, ad illámque pertinet illud Apostoli: *Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus*. Quod

Hebr. 13.

Osee 14. Osee Prophetæ Sententiam exprimit: *Tollite vobiscum verba, & convertimini ad Dominum, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum: & reddemus vitulos labiorum nostrorum*. Sed & Christus nos verbis docuit orare: non quòd verba necessaria sint ut indigentiam nostram Deo aperiamos, qui novit omnia antequam fiant, & novit quid nobis necessarium, antequam petamus ab eo; sed ut verbis velut signis ad recordationem rerum, quas significant, ad easque postulandas à Deo, excitemur. Non verbis igitur agere debemus apud Deum, ut impetremus quod volumus, *Sed rebus quas animo gerimus, & intentione cogitationis, cum dilectione pura & simplici affectu*: sed res ipsas verbis nos docuit Dominus noster, quibus memoriæ mandatis eas ad tempus orandi recordemur, inquit *S. Augustinus*.

4. Duplex rursus oratio est, communis sive publica, & singularis sive privata. Prima est quæ per Ministros Ecclesiæ in persona totius populi fidelis Deo offertur. Altera est, quæ ab aliquo privato offertur, sive pro se, sive pro aliis orante. Ad publicam orationem spectat quod *Tertullianus* scribit, *Apologetici* Cap. XXXIX. *Coimus ad Deum quasi manu facta precationis ambiamus. Hæc vis Deo grata est.*

Ratio triplex ob quam voce profertur oratio. 5. Oratio communis & publica vocalis esse debet. Cùm enim totius populi fidelis nomine Deo offeratur, Christianæ Plebi, pro qua offertur, necesse est ut innotescat. Quamobrem rectè institutum est ut Ecclesiæ Ministri publicas orationes altâ voce pronuntient, ut ad notitiam omnium pervenire possint. Privatas autem orationes vocales esse minimè necesse est. Voce tamen profertur oratio ob triplicem rationem:

Primò ad excitandum interiorem devotionem, quia per exteriora signa interior affectus permovetur, hisque permota mens ad Deum ascendit. Unde *S. Augustinus*, Epistolâ CXXX. aliàs CXXI. ait: *In ipsa fide & spe & charitate continuato desideria semper oramus. Sed ideo per certa intervalla horarum & temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus, quantumque in hoc desiderio profecerimus, nobismetipsis innotescamus, & ad hoc agendum nos ipsos acrius excitemus. Dignior enim sequitur effectus, quem ferventior præcedit affectus.* Ideoque privatim orantibus, voce, aliisve signis tantùm orandum est, quantùm utile est ad mentis affectum excitandum. Ab illis verò abstinendum est, si mens per illa distrahatur, vel quovis modo impediatur. Quod in iis præcipuè usuvenit, quorum mens sine hujusmodi signis ad devotionem satis parata est & propensa.

Secundò, vocalis oratio adhibetur *quasi ad redditionem debiti*, ut loquitur *S. Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione LXXXIII. Articulo XII. *Ut scilicet homo Deo serviat secundùm illud totum quod ex Deo habet, id est, non solùm mente, sed etiam corpore.* Quod præcipuè competit orationi quatenus est satisfactoria. Unde *Osee* ultimo dicitur: *Omnem aufer iniquitatem: & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.*

Tertiò vocalis oratio usurpatur, quia vehemens affectio Animi quodammodo redundat in corpus, secundùm illud Psalmi XV. *Lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea.*

6. Orationis præcipuæ partes sunt *Obsecrationes, Orationes, Postulationes, & Gratiarum actiones*, ut Orationis partes præcipuæ. docet Apostolus I. ad *Timotheum* II. quarum explicationem *S. Hilarius* in Psal CXL. *S. Augustinus* Epistolâ CXLIX. aliàs LIX. ad *Paulinum*, & *S. Thomas* Secundâ Secundæ, Quæstione LXXXIII. Articulo XVII. tradunt. *Precationes* intellige, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud quod est in Domini Mensa incipiat benedici, id est, ante panis & vini consecrationem. *Orationes*, cùm benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur: id est, Canon Missæ, à Consecratione ad Communionem. *Quam totam petitionem*, inquit S. Augustinus, *ferè omnis Ecclesia Dominicâ Oratione concludit.* POSTULATIONES *verò fiunt cùm Populus benedicitur. Tunc enim Antistites velut Advocati, susceptos suos per manûs impositionem misericordissimæ offerunt. Potestati*. Quibus peractis, & participato tanto Sacramento, *Gratiarum actio* cuncta concludit. Has verò partes quoniam in cæteris orationibus discernere subtilioris est considerationis, duas in qualibet oratione præcipuas partes Concilii Tridentini Catechismus observandas esse docet, *Postulationem* scilicet, ac *Gratiarum actionem*. Nam ad Deum accedimus, ut cultum ei ac venerationem exhibentes, vel ab ejus bonitate aliquid impetremus, vel ipsi de beneficiis, quibus assiduè ab illius immensa benignitate cumulamur, gratias agamus; quod verè dignum & justum est, æquum & salutare: ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, beneficia potiora sumamus; quemadmodum canit Ecclesia. Utramque hanc maximè necessariam orationis partem Deus ipse pronuntiat ore Davidis: *Invoca me*, inquit, *in die tribulationis; eruam te, & honorificabis me.* Psalm 49.

ARTICULUS II.

De necessitate Orationis.

Orationis necessitas in Dei præcepto fundata.

ORandi necessitatem probat Præceptum à Christo traditum, hísque conceptum verbis, Lucæ XVIII. *Oportet semper orare, & non deficere.* Idem probat illa Dominicæ Orationis solemnis Præfatio ab Ecclesia usurpata: *Præceptis salutaribus moniti, & divinâ institutione formati, audemus dicere*, &c. Ideo Christus à Discipulis rogatus ut eos doceret orare, præscripsit eis orandi formam. Quid mirum? *Deus solus docere potuit, ut se vellet orari*, inquit *Tertullianus* Libro *De Oratione*, Cap. IX. *Ab ipso igitur ordinata religio orationis, & de Spiritu ipsius, jam tunc cùm ex ore divino ferretur, animata, suo privilegio ascendit in cælum, commendans Patri, quæ Filius docuit.* Attulit etiam spem impetrationis eorum quæ postularent, cùm ait: *Petite, & accipietis.* Et, *Amen, amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modò non petiistis quidquam in nomine meo: Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Nec præcepto tantùm, sed exemplo nos orare docuit Salvator noster, non solùm assiduè orans, sed etiam *in oratione pernoctans.* Ejusdem officii præcepta, iis qui Christo nomen dedissent, Apostoli tradiderunt. Ad Philippenses IV. *In omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* I. Ad Thessalonicenses V. *Sine intermissione orate.* I. Ad Timotheum II. *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus, sine ira & disceptatione. Similiter & mulieres, &c.*

Luc. 11. *Matth. 7.* *Joann. 16.* *Luc. 6.*

Concil. Carth. *Orationis necessitas in indigentia nostrâ fundata.*

Præterea, tam multis indigemus bonis & commodis ad animum & corpus tuendum necessariis, ut ad orationem confugere oporteat, tanquam ad unam omnium optimam, & indigentiæ nostræ interpretem, & conciliatricem eorum quibus egemus. Nam cùm nihil cuique debeat Deus, reliquum est, ut quæ nobis opus sunt ab eo precibus expetamus, tanquam ejus mendici. « *Ego verò egenus & pauper sum*, inquiebat Rex David, *Deus, adjuva me.* Ego tanquam pupillus, Anima mea tanquam vidua destituta & desolata; Auxilium quæro, semper infirmitatem meam confiteor. *Ego verò egenus & pauper.* Donata sunt mihi peccata, jam cœpi sequi Præcepta Dei: adhuc tamen egenus & pauper. Unde egenus & pauper? Quia *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Unde egenus & pauper? Quia *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.* Adhuc esurio, adhuc sitio: Saturitas mea dilata est, non ablata. *Ego verò egenus & pauper sum, Deus adjuva me.* Rectissimè & Lazarus *adjutus* interpretari dicitur: ille egenus & pauper, qui ablatus est in sinum Abrahæ: *Et gerit typum Ecclesiæ Dei, quæ semper confiteri debet adjutorio sibi opus esse. Hoc est verum, hoc est pium. Dixi Domino, Deus meus es tu*.... Quare? *Quia bonorum meorum non eges.* Ille non eget nostri, nos egemus ipsius: ideo verus Dominus. Nam tu non valde verus Dominus servi tui; ambo homines, ambo egentes Deo. Si autem putas egere tui servum tuum, ut des panem; eges & tu servi tui, ut adjuvet labores tuos. Uterque vestrûm altero vestrûm indiget. Itaque nullus vestrûm verè Dominus, & nullus vestrûm verè servus. Audi verum Dominum, cujus verus es servus: *Dixi Domino, Deus meus es tu.* Quare tu Dominus? *Quoniam bonorum meorum non eges.* Quid autem tu? *Ego verò egenus & pauper.* Ecce egenus & pauper: Pascat Deus, sublevet Deus, adjuvet Deus: *Deus*, inquit, *adjuva me.* Sic disserit S. *Augustinus*, Enarratione in Psalmum LXIX.

Psal. 69. *Rom. 7.* *Matth. 5.* *Luc. 16.* *Psalm. 15.*

Oramus ut Dei voluntatem, quantum in nobis est, impleamus.

Oramus porrò, non ut divinæ providentiæ consilia & æterna Decreta immutemus, quod fieri non potest: sed ut æternam, immutabilem, & semper adorandam Dei voluntatem, quantùm in nobis cum gratia ipsius est, impleamus, id impetrando, quod piè postulantibus dare decrevit. *Obtineri* quidem *non possunt, quæ prædestinata non fuerint; sed ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt ut precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis Regni Prædestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant: quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare.* Verba sunt *sancti Gregorii Magni*, Libro I. *Dialogorum*, Cap. VIII. Quamobrem etsi Deum, qui abundantiâ pietatis suæ & merita supplicum excedit & vota, nosque prævenit in misericordia & miserationibus, multa dare non petentibus certum omnino sit, nempe fidem, pœnitentiam, ipsam orandi gratiam, & alia; quia tamen plurima sunt, quæ donare non vult nisi rogatus, eum rogare necesse est. Quamvis *Elias* Propheta Dei nomine pluviam promisisset, certéque falsum esse non posse quod Deus promisit, pluviam tamen à Deo ferventer postulavit, quam cum oratione concedendam noverat. *Rursum oravit, & cælum dedit pluviam.* Dæmonum quoddam genus Christus esse docet, quod *non ejicitur nisi per orationem & jejunium.* Quare magnam sibi adimunt facultatem singularium donorum, qui hanc consuetudinem, exercitationémque non adhibent piè ac diligenter orandi. Unde sanctus Jacobus Apostolus ait: *Non habetis, propter quod non postulatis.* Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet, inquit *sanctus Augustinus.* Constat Deum alia danda etiam non orantibus, sicut initium fidei; alia nonnisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam, inquit idem sanctus Doctor Libro *de Dono Perseverantiæ*, Cap. XVI. Novit planè Deus quid nobis necessarium sit: sed tamen oratione opus est, *Quia ipsa orationis intentio cor nostrum serenat & purgat, capaciúsque efficit ad excipienda divina munera, quæ spiritualiter nobis infunduntur. Non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui semper paratus est dare lucem suam nobis, non visibilem, sed intelligibilem & spiritalem: sed non semper parati sumus accipere, cùm inclinamur in alia, & rerum temporalium cupiditate tenebramur. Fit ergo in oratione conversio cordis ad eum, qui semper dare paratus est si nos capiamus quod dederit: & in ipsa conversione purgatio interioris oculi, cùm excluduntur ea quæ temporaliter cupiebantur, ut acies cordis simplicis ferre possit simplicem lucem, divinitus sine ullo occasu aut immutatione fulgentem: nec solùm ferre, sed etiam manere in illa; non tantùm sine molestia, sed etiam cum ineffabili gaudio, quo verè ac sinceriter beata vita perficitur.* Verba sunt *sancti Augustini*, Libro II. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. III.

3. Reg. 18. *Jacob. 5.* *Matth. 17.* *Multa bona Deus non dat nisi orantibus.*

Ex Epistolâ CXXX. aliàs CXXI. *Intelligamus*, inquit, *quòd Dominus & Deus noster non voluntatem nostram sibi velit innotescere, quam non potest ignorare: sed exerceri in orationibus desiderium no-*

strum, quo possimus capere quod praeparat dare. Illud enim valde magnum est, sed nos ad capiendum parvi & angusti sumus. Ideo nobis dicitur, Dilatamini & vos. *Tantò quippe illud quod valde magnum est, quod nec oculus vidit, quia non est color; nec auris audivit, quia non est sonus; nec in cor hominis ascendit; quia cor hominis illuc debet ascendere, sumemus capaciùs, quantò id & fideliùs credimus, & speramus firmiùs, & desideramus ardentiùs.*

2. Cor. 6.

Oratio est necessaria ut Gratiam à Deo impetremus.

Necessaria est oratio ut Gratiam impetremus à Deo, sive ad tentationes vincendas, quae undique frequentes ingruunt; sive ad implenda divina Mandata, quae non impleremus nisi sanatâ infirmitate voluntatis nostrae per gratiam medicinalem Salvatoris; sive ad perseverandum, cùm donum perseverantiae orationi assiduae ac ferventi detur. Ipsa oratio clarissima est gratiae testificatio. *Agenda sunt gratiae, quia data est potestas, & orandum ne succumbat infirmitas*, inquit *sanctus Augustinus*, Tractatu LIII. *in Johannem*. Et Enarratione in Psalmum CXX. *Potestatem accepisti ut possis filius Dei fieri: unde accepisti hanc potestatem? Credentibus, inquit, in nomine ejus. Si ergo credis, ipsa tibi potestas data est ut sis inter filios Dei: sed quid valet ipsa potestas quam accepit homo, nisi Dominus protegat? Ecce credidit, jam ambulat in fide, infirmus est, inter tentationes agitur, inter molestias, inter carnales corruptiones, inter suggestiones, inter cupiditates, inter versutias & laqueos Inimici. Quid ergo valet quis habet potestatem, & credidit in Christum ut sit inter filios Dei? Vae homini illi, nisi & ipsius fidem Dominus protegat; id est, ut non permittat tentari supra quàm potest ferre.* Homo qui descendens ab Jerusalem in Jericho, incidit in latrones, qui semivivum reliquerunt, *gravibus saucius, confossúsque vulneribus, non ita potest ad justitiae culmen ascendere, sicut potuit inde descendere: quia etiamsi jam in stabulo est, adhuc curatur. Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis. Jam nunc videamus unde possit, unde non possit. . . . . Medicinâ poterit, quod vitio non potest*; (inquit *S. Augustinus*, Libro *De Natura & Gratia*, Cap. XLIII.) Ad Medicum ergo confugiendum est, ejúsque implorandum auxilium, sine quo nihil facere possumus. Et Cap. LXVIII. *Illi ne gratias agant, cùm institutrix bene vivere, quòd aliquid sine difficultate fecerint, & ubi difficultatem aliquam sentiunt, fidelissimis & perseverantissimis precibus, & Misericordiae promptis operibus facilitatem à Domino impetrare persistant.*

Luc. 10. 30.

Et Libro *De Gratia & Libero Arbitrio*, Cap. XVI. *Certum est nos Mandata servare si volumus; sed quia praeparatur voluntas à Domino, ab ipso petendum est ut tantùm velimus, quantùm sufficit ut volendo faciamus.*

Idem confirmat *S. Fulgentius*, Libro II. *De Veritate Praedestinationis*, Cap. III. *Cognitione*, inquit, *Mandati liberum hominis arbitrium convenitur. . . . , ut per Mandati notitiam infirmitatis suae sibi conscius fiat, & adjutorium gratiae medicinalis exposcat: quâ perceptâ potest diligere quod jubetur, & facere & agnoscere vel quid possit, vel quid non possit; & ut possit exposcere, & sibi sua infirmitatis imputare miseriam, & sanitatis assignare beneficiis medicinalibus gratiam.*

Ad obtinendum perseverantiae donum ita necessaria oratio est, ut *Ipsius sancti Petri ardentissima fides in tentationibus defecisset, nisi pro eo Dominus supplicasset*: Ego *autem rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.*

S. Prosper. in Epist. ad Ruffin.
Johan. 22. 32.

ARTICULUS III.

De Utilitate Orationis.

I. MUltiplices Orationis fructus in Concilii Tridentini Catechismo recensentur. Primus est, quòd orantes honorem Deo exhibemus: siquidem oratio Religionis actus & argumentum est. Quamobrem in sacris Litteris thymiamati comparatur. *Dirigatur oratio mea*, inquit Propheta, *sicut incensum in conspectu tuo.* Hinc *Clemens Alexandrinus*, Libro VII. Stromatum ait: *Deum precibus honoramus, & hoc est optimum ac sanctissimum Sacrificium.* Et *S. Augustinus*, Enarratione in Psalmum CXL. *Oratio*, inquit, *purè directa de corde fidelis tanquam de Ara sancta surgit incensum.* Non extra nos quaerenda est victima; *Apud me oratio vitae meae.* Intus habeo victimam quam immolem, thus quod imponam, sacrificium quo flectam Deum meum. *Dicam Deo: Susceptor meus es.* Hac ratione Deo subjectos nos esse profitemur, quem bonorum omnium auctorem agnoscimus & praedicamus. Hac professione maximè Deus honoratur. *Invoca me*, inquit, *in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.*

Primus orationis fructus. *Psalm. 140.* *Psal. 41.* *Psalm. 49.*

II. Fructus alter orationis est eorum quae à Deo postulamus impetratio. Oratio clavis est caeli, ascendit oratio, & descendit miseratio. Accipimus autem fidei, spei, & caritatis augmentum, necessarium ad vincendas tentationes auxilium, vires ad victoriam de salutis nostrae hostibus, mundo, carne, diabolo reportandam, remissionem peccatorum, liberationem à poenis, omnis benedictionis spiritualis in Christo Jesu copiam, gaudii singularis plenitudinem. *Petite*, inquit Christus, *& accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Praesto est Dominus ut exaudiat clamantes ad se. *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet illos.* Hinc idem Propheta ait: *Quoniam tu Domine suavis & mitis, & multae misericordiae omnibus invocantibus te.* Et Isaias: *Tunc invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, Ecce adsum, si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest.* Et alibi: *Eritque antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Prophetae concinit Apostolus: *Idem*, inquit, *Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Non expectat preces nostras, illas tribuendi celeritate antevertit. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, praeparationem cordis eorum audivit auris tua.* Quin etiam bene petentibus saepè multò plus tribuit quàm postulaverint, *Qui potens est omnia facere superabundanter quàm petimus, aut intelligimus, secundùm virtutem, quae operatur in nobis.* Id filii prodigi similitudine declaratur, qui à patre id unum postulabat ut loco mercenarii illum haberet: verumtamen pius & misericors pater *accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum*, jussitque ipsi restitui *stolam primam, & annulum*, convivíumque instrui, & tibicines vocari, suam de illius reditu & incolumitate laetitiam ut significaret. Servos qui

Orationis fructus alter. *Joannis 16.* *Psalm. 144.* *Psalm. 85.* *Isai. 58.* *Isai. 65.* *Rom. 10.* *Psalm. 9.* *Ephes. 3.* *Luc. 15.* *Matth. 18.*

DE ORATIONE.

decem millia talenta domino suo debebat, inducias duntaxat postulabat, & totius debiti remissionem optimus Dominus ei concessit. Latro pœnitens id unum Christum rogabat, ejus ut meminisset, postquam venisset in Regnum suum: & Paradisi possessionem ipsâ die consequendam statim illi promisit. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Luc. 23.

Cur interdum à Deo non impetremus quæ petimus. Fit quidem interdum, ut quæ petimus à Deo, non impetremus: sed id contingit, vel quia remissè ac negligenter oramus, vel quia Deus nobis majora & ampliora impertitur; vel quia B petimus quod saluti nostræ conducibile non est. Jacobi 4. *Petitis*, inquit sanctus Jacobus, *& non accipitis, eò quòd malè petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.* Psalm. 21. CLAMABO *per diem*, inquit Propheta, *& non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi.* Id est, hoc ipsum quod non exaudies, non ad insipientiam mihi, sed ad intellectum. *Me non exaudies ad temporalia, ut intelligam à te desideranda sempiterna. Non ergo relinquit Deus, & cùm videtur relinquere, tollit quod malè desiderasti, & docet quid debeas bene* C *desiderare*, inquit *sanctus Augustinus*, Enarratione in Psalmum XLIII. Citò exauditur, qui Psalm. 137. terrena non petit, sed spiritualia: *In quacumque die invocavero te, exaudi me, multiplicabis in anima mea virtutem.* Qui virtutum incrementum petit, citò exauditur. Discamus sic petere, ut mereamur accipere. Oremus cum Davide: *Sal-* Psalm. 59 *vum fac dexterâ tuâ, & exaudi me.* Non salutem temporalem peto, de hac fiat voluntas tua, Ad tempus quid nobis prosit, penitus ignoramus: quid enim oremus sicut oportet, nescimus: Sed *salvum me fac dexterâ tuâ*, ut etsi in tempore isto tribulationes aliquas patiar, transactâ nocte omnium tribulationum ad dexteram inveniar inter oves, non ad sinistram inter hœdos. *Intelligat ergo Caritas vestra*, inquit *S. Augustinus* D Enarratione in Psalmum LIX. *omnem fidelem habentem in corde verbum Dei cum timore, timentem Judicium futurum; viventem probabiliter, ne de illo blasphemetur nomen sanctum Domini ejus, multa deprecari secundùm sæculum, & non exaudiri; ad vitam autem æternam semper exaudiri. Quis enim sanitatem non petat, cùm ægrotat? Et tamen fortè adhuc ægrotare ei utile est. Potest fieri ut hinc non exaudiaris: non tamen exaudiaris ad voluntatem, ut exaudiaris ad utilitatem. At verò cùm illud petis ut det tibi vitam æternam Deus, securus esto, accipies, si modò non accipis: non enim jam venit tempus ut accipias. Exaudiris, & nescis: quod petis agitur, etsi nescis in quo agitur. In radice est, nondum in fructu.* Qui rogat Deum ut à tribulationibus liberetur, & non exauditur, *Intelligat Medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento positus ureris, secaris, clamas: non audit Medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem. Ad utilitatem non est exauditus Paulus, ad damnationem exauditus est Diabolus.* Petiit » Job ad tentandum, & concessum est: Dæmo-F » nes petierunt ut irent in porcos, & exaudi-» ti sunt. Dæmones exaudiuntur, Apostolus non » exauditur: sed illi exaudiuntur ad damnatio-» nem, Apostolus non exauditur ad salutem, inquit *sanctus Augustinus* in Psalmum XXI. Enarratione II.

Et Enarratione in Psalmum CXLIV. ad illum Versum, *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno*, ait: *Prorsus tanquam reficiens ægrotum in opportunitate, quando debet accipere, tunc das; & quod debet,*

A DE ORATIONE.

hoc das. Itaque aliquando desideratur ab illo, & non dat: novit horam dandi, qui curat..... Quando non dat, ideo non dat, ne obsit quod dat. Non petebat aliquid injustum Apostolus, quando ro-« gabat ut auferretur ab eo stimulus carnis, An-« gelus Satanæ, à quo colaphizabatur: & tamen « rogavit, & non accepit; quia tempus adhuc erat « exercendæ infirmitatis, non eicæ opportunitatis « *Sufficit*, inquit, *tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* 2. Cor. 12.

Et Sermone CCCLIV. alias LIII. *De Verbis Do-* B *mini*, Cap. VII. *Non habeatis*, inquit, *pro magno exaudiri ad voluntatem: habete pro magno exaudiri ad utilitatem..... Ad voluntatem Israëlitæ exauditi sunt, & cùm adhuc cibus esset in ore ipsorum, hostis quæ consequuti sunt...... Aliquando Deus iratus dat quod petis. & Deus propitius negat quod petis. Cùm verò ea quæ Deus laudat, quæ Deus præcipit, quæ Deus in futuro sæculo promittit, ab illo petitis; securi petite, & incumbite, quantùm potestis, orationibus, ut sumatis. Illa enim propitio Deo conceduntur; illa ejus non irâ, sed mise-* C *ricordiâ largiuntur. Quando enim petitis temporalia, cum modo petite, cum timore petite; illi committite, ut si prosint det: si scit obesse, non det. Quid autem obsit, quid prosit, Medicus novit, non ægrotus.*

III. Tertius orationis fructus est exercitatio & incrementum virtutum, maximè verò fidei Qui enim ritè orat, institutionem mandatumque Dei, quo nos orare se docuit, ac rogantes exauditurum promisit, præ oculis habens, fide roboratus dat gloriam Deo, *Plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere.* Fide ad Deum accedit, ejúsque Majestatem infinitam, omnipotentiam, providentiam, bonitatem, misericordiam, suámque infirmitatem & indigentiam apprehendit. Sic postulat *In fide nihil* D *hæsitans*: Et quò studiosiùs ac ferventiùs orat, eò magis fides augetur. *Si fides deficit, oratio perit. Quis enim orat quod non credit? Unde & Apostolus, cùm ad orandum exhortaretur, ait*, Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. *Et ut ostenderet fidem fontem esse orationis, nec posse ire rivum ubi caput aquæ siccatur, adjunxit atque ait, Quomodo autem invocabunt in quem non crediderunt? Ergo ut oremus credamus; & ut ipsa non deficiat fides quâ oramus, oremus. Fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem. Etenim ne in tentationibus deficeret fides, propterea Dominus* E *ait*: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem *Quid est in tentationem intrare, nisi à fide exire? In tantum enim tentatio proficit, in quantum fides deficit, & in tantum tentatio deficit, in quantum fides proficit.* Unde idem Christus ait: *Ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Rogat qui tuetur, & non rogat qui periclitatur? inquit *S. Augustinus*, Sermone CXV. alias XXXVI. *De Verbis Domini.*

Tertius orationis fructus. Oratio est utilitas ad incrementum fidei. Rom. 4. Rom. 10. Luc. 22.

IV. Spes etiam Christiana per orationem exercetur & augetur. Qui enim rectè orat, maximâ F cum fiducia quod credit exspectat, divinis promissis animatus. Ait enim Christus: *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis.* Et, *Ego dico vobis, Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis: omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulsanti aperietur.* Atque ut spem nostram corroboraret, ista similitudine utitur: *Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petie-*

Orationis utilitas ad exercitium & incrementum spei. Marc. 11. Luc. 11.

rit ovum: numquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quantò magis Pater vester de cælo dabit Spiritum bonum petentibus se? Tam piis promissis fretus Christianus homo, anchoram spei suæ in Christo figit, & per ipsum orationem suam offert Patri, ipsique secundùm formam Dei, & Spiritui-Sancto, cujus afflatu dicimus cum Da-

Psalm. 24. vide: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Spes autem orantis non solùm firma, sed etiam patiens sit necesse est. Propterea neque tempus, neque modus Deo statuendus est, qui novit quando & quomodo preces nostras exaudiat. Hanc Domino Deo nostro devotionem debemus, ut non ideo nos ab eo negligi existimemus, si non statim ea dederit, quæ petimus: aut abstulerit, quæ amamus: sed potiùs pià patientià malorum, bona speremus ampliora. Et si quid, contra quod oramus, acciderit, patienter ferendo, & in omnibus gratias agendo, voluntatem Dei potiùs quàm nostram impleri debuisse credamus, atque impletam fuisse gaudeamus. Hunc orantis affectum exprimit David Psalmo XXVI. *Exspecta Dominum*, (inquit) *viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Et Psalmo XXXIX. *Exspectans exspectavi Dominum, & intendit mihi. Et exaudivit preces meas, & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis.* Insigne patientissimæ spei præbuit exemplum Sancta illa Testamenti Veteris Heroina *Judith*: quæ cùm intellexisset *Oziam* promisisse deditionem Bethuliæ civitatis quinto die, si interea non veniret adjutorium à Domino, graviter

Judith. 8. *Oziam*, & Presbyteros objurgavit, dicens: *Qui estis vos, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo qui misericordiam provocet, sed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei.... Humiliemus illi animas nostras & in spiritu constituti humiliato, servientes illi, dicamus flentes Domino, ut secundùm voluntatem suam sic faciat nobiscum Misericordiam suam.... Exspectemus humiles consolationem ejus.*

Utilitas orationis ad caritatis incrementum. V. Sed & caritatis incrementum per orationem habetur, Deum enim agnoscentes omnium bonorum nostrorum auctorem, quantà eum possumus maximà caritate amplectimur, ipsúmque desideramus. Unde *S. Augustinus*, Epistola CXXX.

1. Thess. 5. » ad *Probam*, scribit: *Quod ait Apostolus*, Sine » intermissione orate, *quid est aliud quàm beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderare? Semper ergo hanc à Domino Deo desideremus, & oramus semper. Sed ideo ab aliis curis atque negotiis, quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit, certis horis ad negotium orandi mentem revocamus, verbis orationis nos ipsos admonentes in id, quod desideramus, intendere, ne quod tepescere cœperat, omnino frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebriùs inflammetur.* Accedit, quòd ut amantes colloquio & congressu magis ad amorem incenduntur, sic pii homines, quo sæpiùs Deo preces facientes, & ejus implorantes bonitatem, quasi cum ipso colloquuntur, ad eum amandum, & colendum incitantur ardentiùs. Propterea etiam Deus siccitates & desolationes interiores Justis interdum immittit, quibus penè deficiunt, ut ipsum ferventiùs cogent, illiúsque benignitatem & auxilium experti, ejus amore magis inardescant. *Esurientes*

Psalm. 106. *& sitientes, Anima eorum in ipsis defecit.* Sed quare defecit? Cui bono? *Non enim crudelis est Deus, sed se commendat, quod expedit nobis, ut nobis deficientibus rogetur, & ut subveniens ametur*; (inquit *S. Augustinus*, Enarratione in Psalmum CVI.) Ideo subdit Propheta: *Et clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum eripuit eos.* Ideo etiam Orationes Sanctorum Deus statim non exaudit, ut eorum amor ac fervor dilatione beneficii magis in oratione accendatur. *Oratio Sanctorum quasi dilatione repellitur, ut tanquam ignis flatu repercussus, inflammetur ardentiùs.* Verba sunt *S. Augustini*, Enarratione in Psal. LXXXVII.

VI. Valet etiam oratio ad fovendam augendámque humilitatem, ut intelligamus, nostrâ operâ nihil nos consequi posse, nihil mereri, nihil boni agere, dicere, cogitare, si gratiæ cœlestis auxilio destituamur: utque propterea toto animo ad orandum incumbamus. Unde *S. Augustinus*, Libro *De Dono Perseverantiæ*, Cap. VII. Utilitas orationis ad humilitatem fovendam & augendam.

Si ergo (inquit) *alia documenta non essent, hæc Dominica Oratio nobis ad causam Gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret: quia nihil nobis reliquit in quo tanquam in nostro gloriemur, siquidem & ut non discedamus à Deo, non ostendit dandum esse nisi à Deo, cùm poscendum ostendit à Deo.* Et infra: *Posci à se voluit ne inferamur in tentationem, quia si non inferamur, nullà ab eo ratione discedimus, quod poterat nobis etiam non orantibus dari, sed orationе nostrâ nos voluit admoneri à quo accipiamus hæc beneficia. A quo enim nisi ab illo accipimus, à quo jussum est ut petamus? Prorsus hac in re non operosas disputationes exspectet Ecclesia, sed attendat quotidianas orationes suas. Orat ut increduli credant: Deus ergo convertit eos ad fidem. Orat ut credentes perseverent: Deus ergo donat perseverantiam usque in finem.* Ipsa etiam orandi facultas à Deo est, idque cognoscit & humiliter confitetur, qui rectè orat. *Quis enim* (inquit *S. Augustinus* Cap. XXIII. ejusdem Libri) *veraciter gemat desiderans accipere quod orat à Domino, si hoc à se ipso se sumere existimet, non ab illo, præsertim quoniam Quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus* (ait *Apostolus*) *interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus..... Ubi intelligimus & hoc ipsum esse donum Dei, ut veraci corde & spiritualiter clamemus* Rom. 8.
ad Deum. Attendant ergo quomodo falluntur qui putant esse à nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulsemus, & hoc esse dicunt quòd Gratia præceditur merito nostro, ut sequatur illa cùm accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperitúrque pulsantibus; nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse ut oremus, hoc est, petamus, quæramus, atque pulsemus. Accepimus enim Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.

Et Epistola CXCIV. aliàs CV. ad *Sixtum* Cap. V. *Si dixerimus meritum præcedere orationis, ut donum gratiæ consequatur; impetrando quidem oratio quicquid impetrat, evidenter donum Dei esse ostendit, ne homo existimet à se ipso sibi esse quod si in potestate haberetur, non utique peteretur: verumtamen ne saltem orationis putarentur præcedere merita, quibus non gratuita daretur gratia, sed jam nec gratia esset, quia debita redderetur, etiam ipsa oratio inter gratiæ munera deputatur. ... Sicut ergo nemo rectè sapit, rectè intelligit, rectè consilio ac fortitudine prævalet, nemo scienter pius est, vel piè sciens, nemo timore casto Deum timet, nisi acceperit Spiritum sapientiæ & intellectus, consilii & fortitudinis, scientiæ & pietatis & timoris Dei: nec habet quisquam virtutem veram, caritatem sinceram, continentiam religiosam, nisi per Spiritum virtutis & caritatis & continentiæ: ita sine spiritu fidei non est rectè quispiam crediturus, nec sine spiritu orationis salubriter oraturus. Non quia tot sunt spiritus, sed omnia hæc operatur unus atque idem Spiritus dividens propria unicuique prout vult.* Ideo

Psal. 65. Propheta ait: *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam & misericordiam suam à me.* Quæ verba S. *Augustinus* explicans, ait: *Ergo non deficiamus in oratione. Ille quod concessurus est, etsi differt, non aufert: securi de pollicitatione ipsius non deficiamus orando, & hoc ex beneficio ipsius est.... Cùm videris non à te amotam deprecationem tuam, securus esto; quia non est à te amota Misericordia ejus.*

In oratione arma invenimus contra salutis hostes.

VII. In oratione præterea contra salutis nostræ hostes arma invenimus. Unde Christus nos ad prælium contra Dæmones instruens: *Vigilate,* inquit, *& orate, ne non intretis in tentationem.* (*Matth. 26.*) Diabolo terribilis est Christianus orans, piaque in Deum fiduciâ animatus, dicere potest: (*Psalm. 26.*) *Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum. Si exsurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo.* Inermes potissimùm aggreditur & solitarios Hostis ille vaferrimus. Opus nobis est fidei scuto, & assiduis precibus, ut illum vincamus ac debellemus. Dicamus ergo cum Davide: (*Psalm. 63.*) *Exaudi Deus orationem meam cùm deprecor, à timore inimici eripe* » *animam meam.* Metus est enim (inquit S. Hilarius) ne infirmam per naturam & consortium carnis Animam undique subrepentium illecebrarum æstus absorbeat. Adsunt namque quotidie & pugnant blandimentis fallacibus, quasdam machinas excidii admoventes. Itaque ad doctrinam cœlestis eruditionis pervigilem curam fidei impendere admonemur, timere insidiantem semper hostem, ne incautam securitatem nostram ipse in speculis positus incursset. Vigilandum ergo in oratione Dei est, & semper orandum: ut cùm fatigari Anima & affligi subrepentium illecebrarum aculeis cœperit, Deus semper oratus exaudiat, nosque ab his, quæ timemus, eripiat; (inquit *S. Hilarius.*) Christianorum orantium chori, castra sunt pugnantium adversùs Diabolum. Unde *Canticorum* VII. scriptum est: *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Scilicet, *Adversùs Diabolum armáque ejus, orationum nostrarum sonitu certandum est, & belli nostri victoria exultationis voce monstranda est:* (ait *S. Hilarius* Enarratione in Psalmum LXV.) Orantibus Christianis simile quid contingit Miraculo, quod impetratum est à Melitina Legione, quæ Christianæ Religionis professione magis quàm bellicâ fortitudine illustris sub Imperio *M. Aurelii* fuit. » Cùm Imperator adversùs Germanos & Sarmatas pugnaturus aciem instrueret, & exercitus ipsius siti premeretur, Milites Legionis Meletinæ, dum acies adversùs hostes ordinaretur, flexis in terra genibus, ut nostris orantibus mos est, preces ad Deum fudisse perhibentur. Cujus spectaculi novitate hostibus stupefactis, aliud quiddam majori dignum admiratione accidisse narrant: hinc quidem fulminum jactus, quibus hostium copiæ in fugam versæ atque extinctæ sint: illinc verò imbrium vim, quibus exercitus eorum, qui Deum precati fuerant, jam jam siti perituros, præter spem recreatus est. Miraculum agnovit *M. Aurelius*, & in gratiam Legionis, quæ *Fulminea* idcirco appellata est, pœnam capitis comminatus est accusatoribus Christianorum. Refert *Eusebius* Libro v. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. v. Christiani in gravissimarum tentationum æstu adversùs Diabolum certantes, aridi, gratiæ divinæ salutarem sitiunt aquam, ne deficiant. Oculos manúsque supplices ad Deum extollunt, humilésque preces fundunt ut eorum siti spirituali subveniat, virésque contra hostes tribuat. (*Psalm. 142.*) *Anima mea* (inquiunt) *sicut terra sine aqua tibi: velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.... Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus: & fugiant qui oderunt eum à facie ejus.* (*Psalm. 67.*) Protinus omnipotentis Dei virtute fulgurante & tonante dæmones terrentur, conturbantur, dissipantur. *Et intonuit de cœlo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam.* (*Psalm. 17.*) *Et misit sagittas suas, & dissipavit eos: fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.* Hinc verò pluviam voluntariam segregat Deus hereditati suæ: cœlestem gratiarum imbrem immittit, quo Milites ejus recreati, victoriâ per Jesum Christum fruuntur. *Et apparuerunt fontes aquarum.... Fulgura in pluviam fecit.* (*Psalm. 134.*)

Iræ divinæ resistit oratio.

VIII. Iræ denique divinæ resistit oratio, fulmina de manibus illius (si ita loqui fas est) extorquet, illúmque peccatoribus propitium reddit. Unde Dominus ait ad Moysen: *Dimitte me, ut irascatur furor meus.... Moyses autem orabat Dominum Deum suum.... Placatúsque est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat adversùs populum suum.* (*Exod. 32.*) Quod à Propheta commemoratur Psalmo CV. *Et dixit ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus, ut averteret iram ejus.* Deo precibus suis veluti vim faciebat Moyses, sed vim omnino gratam, ne omnem iram suam in populum effunderet. Se gerebat scilicet Deus ut patrem æquissimum simul & amantissimum, qui ad vindicandum injuriam sibi à filiis irrogatam ita propensus est zelo justitiæ, ut tamen amicos iræ suæ intercedere, gratiamque illis suam reconciliare ex animo velit. » Quamobrem in his verbis, *Dimitte me*, significat Deus plurimùm apud se prodesse illi populo, quia sic ab illo viro diligebatur, quem Dominus diligebat: *Ut eo modo admoneremur, cùm merita nostra nos gravant, ut diligamur à Deo, relevari nos apud eum illorum meritis posse, quos Deus diligit.* Verba sunt Sancti *Augustini*, Quæst. CXLIX. in *Exodum.*

ARTICULUS IV.

Quis orandus?

DUas res, qui invocat, cavere debet (inquit S. Augustinus:) *Ne petat quod non debet, & ne ab illo petat à quo non debet.* (*Serm. 56. de Diversis 46.*) A diabolo, » ab idolis, à dæmonibus non est petendum aliquid: à Domino Deo nostro Jesu-Christo, Deo Patre Prophetarum, Apostolorum, & Martyrum, à Patre Domini nostri Jesu-Christi, à Deo qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, ab illo petendum est, si quid petendum est. «

Solus Deus invocandus ut auctor & fons omnium bonorum nostrorum.

Solius Dei nomen invocamus, tanquam auctoris & fontis omnium bonorum nostrorum: ipsum unum oramus, & orare debemus, tanquam eum qui nobis præstare potest omnia quæ petimus, gratiam præsertim & gloriam: *Gratiam & gloriam dabit Dominus:* & qui nos à malis omnibus eripere potest. (*S. Thomas 2. 2. q. 83. art. 4.*) A Sanctis autem qui in maximâ gratiâ sunt apud Deum, petimus ut nostri patrocinium suscipiant, ut pro nobis & nobiscum orent, nobísque a Deo impetrent ea quorum indigemus. Hinc duas adhibemus precandi formulas, modo differentes.

Sanctos invocamus, ut nostros apud Deum præsentem nos.

Deum enim invocantes, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, Trinitatem Sanctam unum Deum, propriè dicimus, *Miserere nobis, Exaudi nos:* Cùm autem Sanctos invocamus, dicimus, *Ora pro nobis, intercede pro nobis.* Quamquam licet etiam aliâ quadam ratione petere a Sanctis ipsis ut nostri mise-

 A

misereantur: sunt enim maximè misericordes. Itaque precari possumus eos, ut conditionis nostræ miseriâ permoti, suâ nos apud Deum gratiâ ac deprecatione juvent, ut explicat Concilii Tridentini Catechismus. Hoc sensu, & singulari etiam quadam ratione Ecclesia Deiparam Virginem hunc in modum precatur: *Peccatorum miserere*: quatenus scilicet *Misericordiæ Mater* est propter Christi partum; non autem dicitur misereri eo sensu quo Sancta Trinitas, quasi summam auctoritatem habens, & ut fons misericordiæ. Quamobrem cùm Fidelis ad Imaginem Sancti alicujus Dominicam Orationem pronuntiat, ad ipsum Sanctam Orationem primariò non dirigit, sed ab illo petit ut secum oret, sibique postulet ea quæ Dominicæ Orationis formulâ continentur, ut sui denique sit interpres & deprecator ad Deum. Hoc enim officio illos fungi *S. Johannes* testatur, Apocalypsis VIII. *Et ascendit*, inquit, *fumus incensorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo*. Vide quæ diximus de invocatione Sanctorum, cùm primum Decalogi præceptum explicuimos.

Neque verò signum est diffidentiæ de Deo, quòd Sanctos oramus, sed nostræ potiùs humilitatis, summissique animi argumentum, quia nos indignos censemus, qui coram Divina Majestate soli compareamus, vel ab ea impetremus quæ nobis necessaria sunt. Vult autem Deus ut Sanctos apud ipsum adhibeamus intercessores, tum ut illis hunc honorem procuret, ac ostendat quantâ sint apud illum gratiâ; tum quia quædam nonnisi eorum precibus concedere disposuit. *Sancti ergo impetrant illud quod Deus vult fieri per orationem eorum. Et hoc petunt quod æstimant suis orationibus implendum per Dei voluntatem*. (inquit *sanctus Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæst. LXXXIII. Articulo XI.)

ARTICULUS V.

De variis orandi gradibus seu modis.

Optimus & summus orandi gradus est Justorum. I. OPtimus & summus orandi genus sive modus, ille est, in quem Sancti per multos ascensionum gradus, in corde purissimo, sive in animo à terrenis rebus, mundique illecebris penitus expedito, à Spiritu-Sancto dispositos, singulari gratiâ evehuntur: in quo scilicet infinitam Dei potentiam, immensam benignitatem ac sapientiam contemplari possunt, illuminatis per fidem vivam cordis oculis: ubi etiam in spem certissimam veniunt, se quicquid piè ac perseveranter à Deo petierint, ad ejus honorem, salutémque suam pertinens, impetraturos esse. Hi quasi filii amantissimo Patri, quid ipsi necesse sit, exponunt, suique animi affectus, desideria, interiores miserias, spiritalem inopiam, effusis veluti cordibus, & in sinum illius conjectis pandunt nihil horum ignoranti; cùm omnium corda noverit. Eorum nomine ait Propheta: *Effundo in conspectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio*. *Psalm. 141.* Et rursus: *Effundite coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in æternum*. *Psalm. 61.* Hunc precationis gradum *S. Augustinus* designat, *Enchiridii* Cap. VII. cùm ait: *Fides credit, spes & caritas orant. Sed sine fide esse non possunt: ac per hoc & fides orat*. In Justis orat Spiritus Sanctus inhabitans. In his orantes Christus orat, qui manent in Christo: orat, & dat quod orat, ut loquitur *sanctus Augustinus*. De his scriptum est: *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum; omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos*. *Serm. 117.* *Psalm. 144.* Illi Deum invocant in veritate, qui nihil ab eo quærunt præter Ipsum, aut certè illum rebus omnibus creatis præponunt. Nam multi invocant non in veritate, inquit *sanctus Augustinus*, Enarratione in Psalmum CXLIV. *Aliud ab illo quærunt, & ipsum non quærunt*. Quare amas Deum? Quia mihi dedit sanitatem. Illud manifestum est, ipse dedit. Non enim ab B ullo alia salus, nisi ab illo. Quia dedit mihi (inquis) uxorem divitem. Et hoc ipse dedit, verum dicis. Dedit filios, & multos, & bonos, dedit familiam, dedit omnia bona. Ideo amas? Ideo nihil ampliùs quæris? Esto esuriens, adhuc pulsa ad januam Patris-familiâs, habet adhuc quod det. In mendicitate es cum omnibus his quæ accepisti, & nescis. Pannosam carnem mortalitatis adhuc portas, stolam illam gloriæ immortalitatis numquid accepisti, & quasi jam satiatus non rogas? *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. *Matth. 5.* Ergo si bonus est Deus quia ista tibi dedit: C quantò beatior eris, cùm seipsum tibi dederit? Desiderasti tanta ab illo, desidera & ipsum. Neque enim verè dulciora sunt ista, quam ille, aut ex aliqua parte comparanda sunt illi. *Ergo qui Deum ipsum, à quo accepit de quibus gaudet, proponit his omnibus rebus quas accepit, ipse invocat Deum in veritate*. Nam ut noveritis, si talibus hominibus proponatur, & dicatur, Quid si ista omnia, de quibus gaudes, velit tibi auferre Deus? Jam non amabitur: non erit qui dicat, *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum*. *Job. 1.* Sed fortè cui abstulit, quid dicit? Deus, quid D tibi feci? Quare mihi abstulisti, & illis dedisti? Iniquis das, & tuis tollis. Accusas Deum quasi injustum, & te laudas quasi justum. Convertere, accusa te, lauda illum. *Tunc eris rectus, cùm in omnibus bonis quæ facit, Deus tibi placet; in omnibus malis quæ pateris, Deus tibi non displicet. Hoc est invocare Deum in veritate*. Qui sic invocant Dominum, exaudit eos: *Propè est*, id est, nondum dedit quod vis, ibi est tamen. Quomodo Medicus si forte imponat aliquid vel oculo, vel visceribus, quod urendo sanet, si roget æger ut tollatur illi, Medicus expectat tempus, non facit quod rogat æger; non tamen recedit. Et propè est, & non E facit: & ideo magis non facit, quia propè est. Curando enim imposuit quod imposuit, & curando non facit quod rogatur. *Non te exaudit ad præsentem voluntatem, exaudiendo ad futuram sanitatem; & hoc utique ad voluntatem. Nam utique sanus esse vult, etiam qui uri non vult*. .... Si ideo times Deum, ut tu facias ipsius voluntatem, ecce & ipse quodam modo ministrat tibi, facit voluntatem tuam. Et si non faciat ad horam, faciet tamen. *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet illos*. Vides ad hoc exaudire Medicum, ut salvos faciat. Quando hoc? Audi Apostolum dicentem: *Spe enim* *Rom. 8.* F *salvi facti sumus: spes autem quæ videtur, non est spes: si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus*. Salutem scilicet, quam dicit Petrus *paratam revelari in tempore novissimo*. *1. Petri 1.*

Justi gratiæ incrementum ac vitam æternam oratione sua merentur. Gratiæ incrementum, ac vitam æternam oratione suâ merentur Justi, quamvis ea non semper aut statim impetrent, quæ pro se vel pro aliis postulant. Unde *Tertullianus* Apologetici Cap. XXX. *Hæc*, inquit, *ab alio orare non possum, quàm*

à quo scio me consecuturum, quoniam & ipse est qui solus præstat, & ego sum cui impetrare debetur; famulus ejus, qui eum solus observo, qui propter disciplinam ejus occidor, qui ei offero opimam & majorem hostiam, quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto profectam. Semper autem aut statim non impetrant Justi quod supplices à Deo postulant, vel quia ipsis non expedit; vel quia, *Ut congruo dentur tempore, differuntur*, inquit *S. Augustinus*, vel quia impedimentum est ex parte illorum quibus gratiam ac salutem æternam adprecantur. Unde idem sanctus Doctor subdit ibidem, scilicèt Tractatu CII. in *Johannem*, ita intelligendum esse quod ait Christus, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*: ut ea beneficia significata sciantur his verbis, quæ ad eos qui petunt propriè pertinent. *Exaudiuntur quippe omnes Sancti pro se ipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis: quia non utcumque dictum est*, Dabit; *sed*, Dabit vobis.

Joan. 16.

Secundus orationis gradus est peccatorum ex fide & compunctione orantium.

II. Orationis gradus alter est eorum, qui mortiferis peccatis oppressi, fide tamen eâ, quæ mortua dicitur & informis sese erigere nituntur, & ad Deum ascendere: sed propter intermortuas vires, summamque fidei imbecillitatem, se altiùs à terra tollere non possunt. Veruntamen peccata sua cognoscentes, eorúmque conscientiâ & dolore compuncti, ac pœnitentes, humiliter ac demissè veniam & pacem à Deo implorant. Horum orationes exaudiuntur, non quidem ex justitia, quia id non merentur; sed ex mera misericordia: modò tamen *pro se* petant *necessaria ad salutem, piè & perseveranter* (inquit *sanctus Thomas*, Secundâ Secundæ, Quæstione LXXXIII. Articulo XVI.) Illos misericors Deus, qui non venit vocare justos, sed peccatores, amantissimè invitat: *Venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ex horum numero fuit Publicanus ille, qui oculos ad cœlum tollere non ausus, in remotiori Templi parte orabat dicens: *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Descendit autem in domum suam justificatus magis quàm Pharisæus. Publicanus de longinquo stabat: & Deo tamen ipse propinquabat. Cordis conscientia removebat, pietas applicabat. De longinquo stabat, sed Dominus eum de propinquo attendebat. *Excelsus enim Dominus, & humilia respicit: Excelsos* autem, qualis erat Pharisæus, *à longè cognoscit.* Oculos suos ad cœlum tollere non audebat Publicanus pœnitens, ibi cor habebat: ut aspiceretur, non aspiciebat: premebat conscientia, spes sublevabat. Percutiebat pectus suum. Pœnas de seipso exigebat: propterea Dominus confitenti parcebat. *Domine*, inquit, *propitius esto mihi peccatori.* Deus ignoscit, quia ipse se agnoscit. Verba sunt *sancti Augustini*, Sermone CXV. aliàs XXXVI. *De Verbis Domini*, & Sermone CCXC. aliàs XLIV. inter Homilias L.

Matth. 11.

Lucæ 18.

Psalm. 137.

Quod autem dicitur Johannis IX. *Scimus quia peccatores Deus non audit*, verbum est Cæci nondum illuminati, ut *S. Augustinus* ait Tractatu XLIV. in Johannem. Quamquam peccatores Deus non audit, quatenus peccatores sunt, & in affectu peccati perseverant; vel cùm eorum postulatio interpres est concupiscentiæ, non pœnitentiæ. Unde *S. Jacobus* ait: *Petitis, & non accipitis, eò quod malè petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.* Si quis, verbi gratiâ, inimico suo iratus, facultatem & opportunitatem ultionis à Deo postulet, non exauditur; aut si exauditur, pœna peccati est justo Dei judicio irrogata, ut in nova peccata ruere permittatur.

Tertius orationis gradus est infidelium Dei ac veræ Religionis cognitionem desiderantium & quærentium.

Tertius orationis gradus est eorum, qui nondum fidei lucem acceperunt; sed tamen gratiâ Dei illuminantis omnem hominem venientem in hunc Mundum ipsos uberiùs præveniente & vehementiùs excitante, ad studium veritatis accenduntur: quam ut cognoscant & doceantur, assiduis ferventibúsque precibus à Deo petunt. Horum oratio est à Spiritu-Sancto, nondum quidem inhabitante, sed movente: nec eam repellit Deus, qui misericordiæ suæ fontes nemini ex animo illuminationem tenebrarum suarum petenti occludit. Testis est Cornelius Centurio, cujus orationes eleemosynis suffultas audivit Deus, à quo monitus est per Angelum ut Petrum Apostolum vocaret, qui ipsum in Christiana Religione instituit & baptizavit. Quod orabat, inchoatio quædam erat fidei, conceptioni similis, ex gratiæ prævenientis dono procedens: veruntamen non solùm concipi, sed nasci opus est ad salutem: ideo missus est Petrus, qui *Cornelium* in Christo parturiret.

Act. 10.

Postremus orationis gradus est peccatorum in suis peccatis perseverantium.

IV. Postremus orationis gradus est eorum, qui cùm in peccatis non solùm perseverent, sed novis in dies flagitiis mensuram suam cumulent, & bibant sicut aquam iniquitatem, veniam tamen peccatorum sæpè à Deo postulare audent. Horum oratio à Deo non auditur. Sic enim de Antiocho scriptum est: *Orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Et Isaïæ I. *Cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Animo scilicet non orant, sed labiis dumtaxat, ut verè de illis intelligatur Salvatoris Sententia: *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me.* Unde tantùm abest ut oratione veniam impetrent peccati; etiam ipsa oratio fit illis in peccatum. Quamobrem Christus Johannis XV. ait: *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.* Et I. Johannis III. *Quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam Mandata ejus custodimus.* Hinc *Tertullianus*, Libro *De Oratione*, Cap. X. Orationi jungendam esse ait memoriam sive observantiam divinorum præceptorum. *Ne quantùm à præceptis, tantùm ab auribus Dei longè simus. Memoria præceptorum viam orationibus sternit ad cœlum, quorum præcipuum est, ut priùs ascendamus ad Dei altare, quàm, si quid discordiæ vel offensæ cum fratribus contraxerimus, resolvamus. Quid est enim ad pacem Dei accedere sine pace? ad remissionem debitorum cum retentione? Quomodo placabit patrem iratus in fratrem? ... Quàm autem temerarium est aut diem sine oratione transigere, dum cessas fratri satisfacere, aut orationem perseverante iracundiâ perdere? Nec ab ira solummodo, sed omni omnino confusione animi libera debet esse orationis intentio, de tali spiritu emissa, qualis est Spiritus ad quem mittitur. Neque enim agnosci poterit à Spiritu Sancto spiritus inquinatus, aut tristis à læto, aut impeditus à libero. Nemo adversarium recipit, nemo nisi comparem suum admittit. Cæterùm quæ ratio est, manibus quidem ablutis, spiritu verò sordente orationem obire? Quando & ipsis manibus spiritales munditiæ sint necessariæ, ut à falso, à cæde, à sævitia, à veneficiis, ab idololatria, cæterisque maculis, quæ spiritu conceptæ manuum operâ transiguntur, puræ allewentur.* Quò spectat illa Apostoli sententia: *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira & disceptatione.*

1. Machab. 9.

Horum non exauditur oratio.

Matth. 15.

1. Tim. 2.

V. Quamobrem præparandus est ad orationem animus, inprimisque affectus peccati deponen-

Affectus peccati ante orationem deponendus.

dus est. *Ante orationem* (inquit Sapiens) *præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Hujus aotem præparationis caput est dolor de peccatis. Unde Propheta ait : *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Et Job Cap. xi. dicitur : *Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris à te, & non manserit in tabernaculo tuo injustitia : tum levare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis, & non* » *timebis.* Iniquitas in manu, est culpa io opere. » Injustitia in tabernaculo, iniquitas in mente. » Quæ doo si perfectè tergimus, ad Deum statim » sine macola faciem elevamus. Interna quippe » facies hominis, mens est; in qua recognosci» mor, ut ab Auctore oostru diligamor. *Quam scilicet faciem levare, est in Deo animum per studium orationis u collere. Sed elevatam faciem macula inquinat, si intendentem mentem reatus sui conscientia accusat : quia ab spei fiducia protinus frangitur, si [illegible]menta precibus necdum devicta culpa memorià mordetur. Diffidit namque accipere se posse quod appetit, quæ prosilit reminiscitur nolle so adhuc facere, quod divinitus audivit. Hinc per Johan*» *nem dicitur :* Si cor nostrum non reprehenderit » nos, fidociam habemos apud Deum, & quic» quid petierimus ab eo accipiemus. *Hinc Salomon* » *ait :* Qui avertit aurem soam, ne audiat legem, » oratio ejus erit execrabilis. *Cur quippe nos in petitione reprehendit, cùm resistere se præceptis ejus, quem postulat meminit; & oratio fit execrabilis, cùm à censura avertitur legis : quia dignum profectò est, ut ab ejus beneficiis sit quisque extraneus, cujus jussionibus non vult esso subjectus. Qua in re hoc est salubre remedium, ut cùm se mens ex memoria culpæ reprehendit, hoc prius in oratione defleat, quod erravit : quatenus cùm erroris macula fletibus tergitur, in petitione sua cordis facies ab Auctore munda videatur. Sed curandum est, ne ad hoc rursus proruat, quod se mundasse fletibus exsultat : ne dum deplorata iterum culpa committitur, in conspectu justi Judicis ipsa etiam lamenta levigentur. Solerter quippe debemus meminisse quod dicitur :* » Ne itereo verbum in oratione tua. *Quo dicto Vir Sapiens nequaquam nos prohibet sæpè veniam petere, sed culpas iterare. Ac si apertè dicat : Cum malè gesta defleveris, nequaquam rursus facias, quod in precibus iterum plangas. Ut ergo ad precem facies sine macula levetur, ante orationis semper tempora debet sollicitè conspici quicquid potest in oratione reprobari : talemque se mens & cùm ab oratione cessat, exhibere festinet, qualis apparere Judici in ipso orationis tempore exoptat.... Sed quid hâc doloris maculâ reperiri deterius potest, quæ in conspectu Judicis caritatem non inquinat, sed necat? Vitam quippe animæ qualibet culpa polluit, servatus verò contra proximum dolor occidit. Menti namque ut gladius figitur, & mucrone illius ipsa viscerum occulta perforantur. Qui scilicet à transfixo corde si priùs non educitur, nihil in precibus divinæ opis obtinetur.* » *Hinc Veritas dicit :* Nisi remiseritis hominibus » peccata eorum, nec Pater vester qui in cœlis » est, remittet vobis peccata vestra. *Hinc admo*» *net dicens :* Cùm stabitis ad orandum, dimit» tite si quid habetis adversùm alterum. *Hinc* » *rursum ait :* Date, & dabitur vobis. Dimittite, » & dimittetur vobis. *Hinc contra institutionem po*» *stulationis, conditionem posuit pietatis, dicens :* » Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos di» mittimus debitoribus nostris ; *Ut bonum quod à Deo compuncti petimus, hoc primum cum proximo conversi faciamus. Tunc igitur verè sine macula faciem levamus, cùm nec nos prohibita mala committimus, nec ea quæ in nos à proximis commissa sunt,*

Eccli. 18.
Psalm. 65.
S. Greg. M. Lib. x. Moral. Cap. 11.
1. Joannis 3.
Proverb. 28.
Eccli. 7.
Matth. 6.
Luc. 6.
Matth. 6.

ex proprio Zelo retinemus. Hæc S. *Gregorius* Libro x. *Moralium*, Cap. xi.

Absque Divini Amoris inchoati saltem affectu inanis est oratio. *Nam Amore petitur, amore quæritur, amore pulsatur, amore revelatur, amore denique in eo quod revelatum fuerit permanetur* (inquit S. *Augustinus*, Lib. *De Moribus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. xvii.

ARTICULUS VI.

Quæ in Oratione à Deo petenda sunt.

I. QUicquid justum & honestum est, à Deo petere licet. *Quodcumque volueritis*, inquit Christus, *petite, & fiet vobis.* Omnia se concessurum pollicetur, quæ quidem nobis accipere conveniens fuerit. Verùm hic ordo in bonis quæ petere debemus aut possumus, servandus est, ut ea bona primùm petamus, quibus nemo malè uti potest, & quæ malum eventum habere non possunt, scilicet Deum summum bonum nostrum, ejúsque fruitionem, quâ unâ beati esse possumus : *Fons enim nostræ beatitudinis, ipse est omnis appetitionis finis*; adeóque & orationis : tum gratiam & virtutes, omniáque dona spiritualia, quibus beatitudinem meremur, & ad ipsam perducimur. Quæ quidem absolutè petere possumus ac debemus, secundùm illud Psalmi LXXIX. *Ostende faciem tuam, & salvi erimus* : & Psalm. CXVIII. *Deduc me Domine in semitam Mandatorum tuorum.* Quantumvis autem homo per se nesciat quid sit à Deo postulandum, tamen Spiritus-Sanctus adjuvat infirmitatem nostram, nobísque inspirando sancta desideria rectè postulare nos facit. Cùm autem orando petimus ea quæ ad salutem nostram pertinent, voluntatem nostram divinæ voluntati accommodamus, siquidem *Vult Deus omnes homines salvos fieri* : &, *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.*

Joann. 15.
Deum ut summum bonum nostrũ, ejusque fruitionem, primariò precibus in oratione debemus.
S. August.
Gratia & virtutes à Deo absolutè petenda.
1. ad Tim. 2. 1. Thess. 4.

Temporalia autem & externa bona petere quidem licet, non tamen primariò ac præcipuè, ut in eis finem constituamus, neque in eis requiescamus, sed ut adminicula quædam, quibus juvamur ut ad beatitudinem tendamus, quatenus scilicet per ea vita corporis sustentatur, nobísque instrumentum sint ad actus virtutum exercendos. Unde Salomon sic Deum precabatur : *Tribue tantùm victui meo necessaria.* Et Apostolus præcipit divitibus hujus sæculi, *Non sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum) bene agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Hinc S. *Augustinus*, Epistolâ CXXX. aliàs CXXI. Cap. VI. & VII. explicans hæc verba Apostoli, *Est quæstus magnus pietas cum sufficientia*, &c. ait : *Hanc ergo sufficientiam non indecenter vult, quisquis vult, nec amplius vult : alioquin non ipsam vult, nec ideo decenter vult. Hanc optabat & pro hac orabat, qui dicebat : Divitias & paupertatem ne dederis mihi : Constitue autem mihi quæ necessaria sunt sufficienter, &c. Vides certè istam sufficientiam non appeti propter se ipsam, sed propter salutem corporis, & congruentem habitum personæ hominis, quo habitu non sit inconveniens eis cum quibus honestè officiosèque vivendum est. In his itaque omnibus incolumitas hominis & amicitia propter se ipsa appetuntur : sufficientia verò rerum necessariarum ut*

Temporalia bona non primariò ac præcipuè petenda.
Proverb. 30.
1. Tim. 6.
Ibid.
Prov. 30.

propter seipsam, sed propter duo superiora quæri solet, cùm decenter quæritur. . . . Ista cùm habentur, ut teneantur; cùm autem non habentur, ut habeantur orandum est. Hoccine totum, & hæc sunt omnia quibus beata summa vita colligitur, an aliquid aliud Veritas docet quod his omnibus præferatur? Nam & illa sufficientia, & ipsa incolumitas vel propria vel amicorum, quandiu temporalis est, pro æterna vita adeptione abjicienda est: quanquam fortasse corpus, Animus verè nullo modo sanus existimandus est, qui non temporalibus æterna præponit. Neque enim in tempore utiliter vivitur, nisi ad comparandum meritum quo in æternitate vivatur. Ad illam ergo unam vitam quæ cum Deo & de Deo vivitur, cætera quæ utiliter & decenter optantur, sine dubio referenda sunt. In eo quippe nosmetipsos diligimus, si Deum diligimus: & ex alio præcepto proximos nostros sicut nosmetipsos ita verè diligimus, si eos ad Dei similem dilectionem, quantum in nobis est, perducamus. Deum igitur diligimus propter seipsum, & nos ac proximum propter ipsum: nec cùm ita vivimus, jam nos in ipsa beata vita constitutos existimemus, quasi nihil sit amplius quod oremus. Quomodo enim jam beatè vivimus, cùm illud adhuc desit, propter quod unum bene vivimus? Ut quid ergo per multa dispergimur, & quærimus quid oremus, ac non potiùs cum Psalmista dicimus:

Psalm. 26. 4.

« Unam petii à Domino, hanc requiram, ut habitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ, « ut contempler delectationem Dei, & visitem « templum ejus. *Ibi namque omnes dies non veniendo & transeundo fiunt omnes, nec initium alterius est finis alterius, omnes simul sine fine simul sunt, ubi nec ipsa vita habet finem, cujus illi dies sunt. Propter hanc adipiscendam vitam beatam ipsa vera Vita beata nos orare docuit.*

Propter adipiscendam vitam beatam, Christus nos orare docuit.

Primò igitur optandum, quærendum, orandum est ut obtineamus Regnum Dei & justitiam ejus: temporale verò quodcumque bonum posteriùs quærendum est & petendum: *Illud tanquam bonum nostrum; hoc tanquam necessarium nostrum*, ut loquitur *sanctus Augustinus* Libro II. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. XVI. Necessarium nostrum appellat propter statum hujus vitæ mortalis: alioqui necessarium nostrum verè ac simpliciter salus æterna est, secundùm illud oraculum Salvatoris nostri, *Unum est necessarium.* Quod idem sanctus Doctor explicans Sermone CIII. alias XXVI. *De Verbis Domini*, ait: *Unum est necessarium, unum illud supremum, unum ubi Pater & Filius & Spiritus-Sanctus sunt unum. Ad hoc unum non nos perducit, nisi multi habeamus cor unum.*

Regnum Dei quærendum & petendum est tanquam bonum nostrum.

Luc. 10.

Externa denique & corporis bona, quin etiam & ingenii bona atque ornamenta, petenda non sunt nisi hâc adjunctâ conditione; si nobis ad Dei gloriam, & ad æternam salutem profutura sint; ne illo responso à Domino repellamus: *Nescitis quid petatis.* In nomine Christi petere debemus, quicquid petimus. *Quicquid*, inquit, *petieritis à Patre meo, dabit vobis*. Porro, inquit *sanctus Augustinus* Tractatu LXXIII. in Johannem, *Quodcumque petimus adversus utilitatem salutis, non petimus in nomine Salvatoris. Et tamen ipse Salvator est, non solùm quando facit quod petimus, verùm etiam quando non facit: quoniam quod videt peti contra salutem, non faciendo potiùs se exhibet Salvatorem. Novit enim Medicus quid pro sua, quid contra suam salutem poscat ægrotus; & ideo contraria poscentis non facit voluntatem, ut faciat sanitatem.* Et infra: *Petamus, quando bene petimus, ut non faciat quod non bene petimus. Quia & ad hoc pertinet quod in Oratione Dominica dicitur*. Ne nos inferas in tentationem. « *Neque enim parva est tentatio, si contra tuam sit causam tua postulatio.* Huc etiam pertinet quod ait Christus, Johannis XVI. *Usque modò non petistis quidquam in nomine meo. Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Hoc quod di- « cit gaudium plenum, profectò non carnale, « sed spiritale gaudium est: & quando tantum « erit, ut aliquid ei jam non sit addendum, pro « culdubio tunc erit plenum. *Quicquid ergo pe-* « *titur quod pertineat ad hoc gaudium consequendum, hoc est in nomine Christi petendum, si divinam intelligimus gratiam, si verè beatam poscimus vitam. Quicquid autem aliud petitur, nihil petitur: non quia nulla omnino res est, sed quia in tanta rei comparatione quicquid aliud concupiscitur, nihil est.*

Externa & temporalia bona sub conditione petenda.

Marth. 20.

Joannis 16.

Christus se exhibet salvatorem, non dando quod petitur contra salutem.

Qui Deum quærit, desiderat ejus fruitionem, & quicquid nos cum ipso conjungit, atque ad ipsum perducit, in oratione postulat, ab illo exauditur. *Quoniam tu Domine suavis & mitis, & multa misericordia omnibus invocantibus te:* (inquit Propheta.) Quid est itaque quod alibi ait Deus: *Invocabunt, & non exaudiam eos?* Nisi quia quidam invocatores non ipsum invocant, de quibus dicitur, *Deum non invocaverunt.* Invocant, sed non Deum, inquit *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum LXXXV. *Invocas quicquid amas: invocas quicquid in te vocas, invocas quidquid vis ut veniat ad te. Porro si Deum propterea invocas ut veniat ad te pecunia, ut veniat ad te hæreditas, ut veniat ad te sæcularis dignitas, illa invocas quæ vis ut veniant ad te; sed Deum tibi adjutorem ponis cupiditatum, non exauditorem desideriorum. Deus bonus, si det quod vis. Quid si malè vis, nonne erit magis non dando misericors?* Porro si non dederit, jam nihil tibi Deus est, « & dicis; Quantum rogavi, quàm sæpè rogavi, « & non sum exauditus? Quid enim petebas? « Fortè mortem inimici tui. Quid si & ille petebat tuam? Qui te creavit, ipse & illum; homo es, homo est & ille: Deus autem Judex « est; audit ambos, & non exaudit ambos. Tristis es, quia non es exauditus contra illum; « gaude quia non est exauditus contra te. Ego, « inquis, non hoc petebam; non inimici mei petebam mortem, sed vitam petebam filii mei. « Quid mali petebam? Nihil mali petebas, sicut « tu sentiebas. Quid si ille raptus est, ne malitia « mutaret intellectum illius? Sed peccator, inquis erat, & volebam eum vivere ut corrigeretur. Quid si Deus noverat, si viveret, pejorem futurum? Unde ergo nosti quid illi prodesset, mori an vivere? Si ergo non nosti, redi ad « cor tuum, dimitte Deo consilium tuum. Quid « ergo, inquis, faciam? quid orem? Quid ores? « Quod te docuit Dominus. *Invoca Deum tanquam Deum, ama Deum tanquam Deum: illo melius nihil est: ipsum desidera, ipsum concupisce. . . . Si invocas Deum tanquam Deum, securus esto, exaudieris.*

A Deo exauditur, qui in oratione petit quicquid nos cum ipso conjungit & ad Deum perducit.

Psalm. 85.

Proverb. 1.

Psalm. 52.

Deum invocare, est ipsum unum ut finem suum ultimum desiderare.

Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui: (inquit idem Propheta.) *Discerne petitiones cordis tui à petitionibus carnis*, (inquit *S. Augustinus* Enarratione in hunc Psalmum, Sermone I.) Non frustra dictum est in alio Psalmo, *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Aliquis cæcus est corpore, rogat ut « illuminetur. Ista roget, quia & ista Deus facit, & ista Deus præstat: sed rogant hæc etiam « mali. Petitio hæc carnis. Infirmatur. Rogat se « salvum fieri: salvus fit moriturus. Et ista pe- « titio carnis est, & si qua sunt talia. Petitio «

Psalm. 36.

Psalm. 72.

« cordis quæ est? Sicut petitio carnis est velle » sibi reparari oculos, utique ad videndam illam « lucem quæ talibus oculis videri potest: ita pe- » titio cordis ad aliam lucem pertinet. *Beati o-* *mnes mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Matth. 4.

Ad Dominum igitur clamemus, sed propter ip- sum, si exaudiri volumus. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, & intendis* » *mihi.* Multi clamant ad Dominum pro divitiis » acquirendis damnisque devitandis, pro suo- » rum salute, pro stabilitate domûs suæ, pro fe- » licitate temporali, pro dignitate sæculi; po- » stremò pro ipsa etiam salute corporis, quæ pa- » trimonium est pauperis. *Pro his atque pro hujusmodi rebus, multi clamant ad Dominum; vix quisquam propter ipsum Dominum. Facile quippe homini est quodlibet desiderare à Domino, & ipsum Dominum non desiderare: quasi verò suavius esse possit quod dat, quàm ipse qui dat.* Voce mea ad Deum, & intendit mihi. *Verè tunc tibi attendit, quando ipsum quæris, non quando per ipsum aliud quæris.* Dictum est de quibusdam: *Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret, ad Dominum, nec exaudivit eos.* Quare? *Quia vox eorum non ad Dominum.* De his alio loco dicitur: *Dominum non invocaverunt.* Id est, *Dominum in se non vocaverunt? Ad cor suum Dominum non invitaverunt, à Domino se habitari noluerunt.* Et ideo quid eis contigit? *Ibi trepidaverunt timore ubi non erat timor. Ideo de rerum præsentium amissione tremuerunt, quoniam non erant pleni illo quem non invocaverunt. Non gratis amaverunt, ut omissis temporalibus rebus possint dicere, SICUT Domine placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Sic disserit *S. Augustinus*, Enarratione in Psalmum LXXVI. *In his ergo temporalibus, Fratres, non petatis aliquid quasi fixum, sed quod vobis Deus expedire scit. Quid enim vobis expediat, omnino nescitis. Aliquando quod putatis prodesse, obest; & quod putatis obesse, hoc prodest. Ægri enim estis, nolite Medico dictare, qua vobis medicamenta ve-* » *lit apponere.* Si Doctor Gentium Apostolus Pau- » lus dicit, *Quid enim oremus sicut oportet, nesci-* » *mus:* quantò magis nos? Qui tamen cùm sibi » videretur ipse prudenter orare, ut ab eo auferretur stimulus carnis, angelus satanæ qui eum » colaphizabat, ne in magnitudine revelationum » extolleretur, quid audivit à Domino? Num- » quid factum est quod volebat? Non, ut fieret » quod expediebat. Quid ergo audivit à Domi- » no? *Ter*, inquit, *rogavi Dominum, ne auferret* » *eum à me, & dixit mihi; Sufficit tibi gratia* » *mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Ego » medicamentum ad vulnus posui: quando po- » suerim novi, quando auferendum sit novi. *Non recedat ægrotus à manibus Medici, non det consilium Medico. Ita sunt ista omnia temporalia. Tribulationes sunt, si bene colis Deum, noveris quia novit quid cuique expediat: Prosperitates sunt; magis cave ne ipsa corrumpant Animum tuum, ut ab eo qui hæc dedit recedat.* Verba sunt *S. Augustini*, Enarratione in Psalmum LIII.

Psalm. 76.

Psal. 17.

Psal. 13.

In temporalibus id tantum petendum, quod nobis Dominus expedire novit.

Rom. 8.

2. Cor. 12.

Nihil à Deo petendo in oratione, præter ipsum, & quæ nos cum ipso conjungunt, & ad illum perducunt, probamus nos ipsum gratis amare, ut debemus, dicendo cum Propheta: *Voluntariè sacrificabo tibi.* Quod porro Sacrificium offeremus, nisi quod ait: *Sacrificium laudis honorificabit me?* » Quare ergo voluntariè? Quia gratis amo quod » laudo. Deus noster laudetur voluntate, ametur » caritate, gratuitum sit quod amatur, & quod » laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se, » non propter aliud. *Si enim laudas Deum ut det tibi aliquid aliud, jam non gratis amas Deum. Erubesceres, si te uxor tua propter divitias amaret; & fortè si tibi paupertas accederet, de adulterio cogitaret. Cùm ergo te à conjuge gratis amari velis, tu Deum propter aliud amabis?* Quod præmium ac- » cepturus es à Deo, ô avare? Non tibi terram, » sed seipsum servat, qui fecit cælum & terram. » *Voluntariè sacrificabo tibi:* Noli ex necessitate. Si » enim propter aliud laudas Deum, ex necessita- » te laudas. Si adesset tibi quod amas, non lau- » dares Deum. . . . Contemne omnia, ipsum atten- » de. Et hæc quæ dedit, propter dantem bona sunt. » Nam dat prorsus, dat ista temporalia, & qui- » busdam bono eorum, quibusdam malo eorum, » secundùm altitudinem & profunditatem judicio- » rum suorum. Novit quando det, cui det; quan- » do auferat, & cui auferat. *Pete tu in hoc tem-* » *pore quod tibi prosit in posterum, pete quod te adjuves in æternum. Ipsum autem gratis dilige: quia melius ab eo non invenis quod det quàm se ipsum* (inquit *S. Augustinus*, Enarratione in Psalmum LIII.) Illa igitur dumtaxat petenda sunt à Deo, quæ illius voluntati probata & accepta sunt. *Quodcumque petierimus secundùm voluntatem ejus*, inquit S. Johannes, *audit nos: Hæc est autem voluntas Dei, sanctificatio nostra.*

Castus & purus amor nihil à Deo absolutè petit, præter ipsum, & quæ nos cum ipso conjungunt, & ad illum perducunt.

ARTICULUS VII.

Pro quibus orandum sit?

1. ORationes *Pro omnibus hominibus* Deo offerendas Apostolus docet, quia *Hoc bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Orandum igitur est pro omnibus, sine ulla exceptione vel inimicitiarum, vel gentis vel religionis: nam sive hostis sit, sive alienus, sive infidelis, tamen proximus est, quem Dei jussu amare debemus. *Amicitia*, inquit S. Augustinus, *non angustis finibus terminanda est; omnes enim quibus amor & dilectio debetur, amplectitur, quamvis in alios propensiùs, in alios suspensiùs inclinetur: pervenit autem usque ad inimicos, pro quibus etiam orare præcipimur. Ita nemo est in genere humano, cui non dilectio, etsi non pro mutua caritate, pro ipsa tamen communis naturæ societate debeatur.* Hujus autem amoris officium est oratio, quâ omnibus hominibus animæ primùm salutem, deinde corporis, à Deo debemus adprecari.

1. Tim. 2.

Pro omnibus hominibus orandum.

Ep. 8. 130. alias 121. c. 7.

II. Hoc autem caritatis officium debemus imprimis Pastoribus, qui pervigilant quasi rationem pro animabus nostris reddituri; & qui quantò in loco superiori, tantò in periculo majori versantur. Unde S. Paulus Colossensium orationibus se commendat. *Orationi*, inquit, *instate, vigilantes in ea in gratiarum actione: orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum Mysterium Christi.* Cùm etiam S. Petrus in carcerem Herodis jussu conjectus esset, *Oratio fiebat ab Ecclesia sine intermissione pro eo.* Unde S. Augustinus, Epistolâ cxxx ad *Probam* scribit: *Sanè meminentis & pro nobis non negligenter orare. Nolumus enim sit nobis honorem quem periculosum gerimus deferatis, ut adjutorium, quod necessarium novimus, auferatis. A familia Christi oratum est pro Petro, oratum est pro Paulo; & vos in ejus familia esse gaudemus, & incomparabiliter plus quàm Petrus & Paulus orationum fraternarum auxiliis indigemus.*

Orandum imprimis pro Pastoribus.

Coloss. 4.

Act. 12.

1. Tim. 2. Orandum pro Principibus.

III. Secundo loco fundendæ sunt ad Deum preces *Pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate.* Unde Judæi apud Babylonios captivi ad eos qui Hierosolymis remanserant, hunc in modum scripsere: *Orate pro vita Nabuchodonosor Regis Babylonis, & pro vita Baltassar filii ejus, ut sint dies eorum sicut dies cæli super terram: & ut det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos nostros, ut vivamus sub umbra Nabuchodonosor Regis Babylonis, & sub umbra Baltassar filii ejus, & serviamus eis multis diebus, & inveniamus gratiam in conspectu eorum.* (*Baruch. 1.*) Hinc *Tertullianus* Apologetici Cap. XXX. *Io cælum,* inquit, *suspicientes, manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia de pectore, oramus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, Imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis & Cæsaris vota sunt.* Et Libro *Ad Scapulam*, Cap. II. *Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris; quem sciens à Deo suo constitui, necesse est ut & ipsum diligat, & revereatur, & honoret, & salvum velit, cum toto Romano Imperio, quousque sæculum stabit, tamdiu enim stabit... Itaque & sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius, sed quomodo præcepit Deus, pura prece.*

Orandum pro piis quibusque hominibus.

IV. Tertiò pro piis quibusque hominibus orandum est, ut illis gratiarum virtutúmque incrementum, & donum perseverantiæ Deus tribuat. Qui enim thesaurum gratiæ *in vasis fictilibus* habent, & in via lubrica, undique ab hostibus obsessi ambulant, hi maximè precibus indigent aliorum: & quamvis nobiliora sint Ecclesiæ membra, reliquis tamen dicere non possunt: *Opera tua non indigeo.* (*1. Cor. 12.*) Quod quidem divinitus factum est ad expugnandam superbiam, quæ etiam in rectè factis cavenda est: dum intelligunt sibi inferiorum suffragiis opus esse ad impetrandum gratiæ conservationem, & nova auxilia identidem necessaria ne pereant de via justa.

Pro inimicis etiam nostris orandum.

V. Pro inimicis etiam nostris orandum est ex Christi præcepto: *Orate*, inquit, *pro persequentibus vos.* (*Matth. 5.*) Unde *Tertullianus*, in *Apologetico*, Cap. XXXI. *Scitote*, inquit, *præceptum esse nobis, ad redundantiam benignitatis, etiam pro inimicis Deum orare, » & persecutoribus nostris bona precari.* Bonum est, » & orare debemus ut nos Deus eruat de mani» bus inimicorum nostrorum. Sed intelligendi sunt » inimici pro quibus orandum sit, & contra quos » orandum sit. Inimici homines, qualescumque » fuerint, non sunt odio habendi, ne cùm odit » malus quem patitur malum, sint duo mali. Di» ligat bonus & quem patitur malum, ut vel unus » sit malus. Illi inimici sunt contra quos oran» dum est, Diabolus & Angeli ejus, inquit *sanctus Augustinus*, Enarratione IV. in Psalmum XXX.

Orandum pro infidelibus.

VI. Pro ipsis etiam Infidelibus, Paganis, Judæis, Hæreticis, Schismaticis orandum est: pro Infidelibus, ut fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Dei: pro Hæreticis, ut redeant ad sanitatem Catholicæ doctrinæ: pro Schismaticis, ut in Ecclesiæ matris gremium & communionem revertantur, eique caritatis vinculo copulentur. Ex consuetudine Ecclesiastica orandi pro his hominum generibus gratiæ necessitatem non solùm ad opera bona, sed etiam ad initium fidei probat *sanctus Augustinus* variis in locis, præsertim verò Epistolâ CCXVII. aliàs CVII. ad *Vitalem* Carthaginensem.

Pro peccatoribus omnibus orandum.

VII. Pro peccatoribus omnibus orandum est, ut ad Deum per veram ac sinceram pœnitentiam convertantur. Fusæ tamen pro omnibus peccatoribus preces non exaudiuntur, sed pro quibusdam. Quod spectat enim æternam salutem, exaudiuntur pro prædestinatis ad Regnum cælorum, non pro reprobis ad mortem æternam præscitis: sicut etiam correptio fraterna prædestinatis, non reprobis prodest ad salutem, quia *Nemo potest corrigere quem Deus despexerit.* (*Eccles. 7.*) Ideo sanctus Joannes Apostolus ait: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.* (*1. Joann. 5.*) In iis scilicet qui peccare dicuntur ad mortem, id est, qui veniam ipsi implorare nolunt, sed in peccatis manent obdurati, vix quidquam precibus votisque proficitur, inquit Concilii Tridentini Catechismus. Et illorum conversio non quibuscumque orationibus, sed Justorum tantùm singularis meriti & eximiæ sanctitatis hominum, Ecclesiæque gemitibus à Deo quandoque conceditur, ut docet *S. Ambrosius*, Libro I. *De Pœnitentia*, Cap. VIII. Verumtamen Christianæ Caritatis est, & precari pro illis, & lacrymis contendere, ut eis placare Deum possimus.

Orandum pro Defunctis.

VIII. Pro mortuis denique preces fundendæ sunt, quia *Sancta & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, ut à peccatis solvantur*; (*2. Machab. 12.*) id est, à Purgatorii pœnis liberentur. De quo fidei dogmate actum est Libro II. in Tractatu De Eucharistia. Eo autem majori caritatis affectu pro illis orare debemus, quo jam pro se ipsis satisfacere & mereri non possunt, cùm extra statum viæ sint constituti, sive extra statum vitæ præsentis & peregrinationis, in qua meritum omne comparatur. Secundò, majori miserationis sensu affici debemus ad Animas illas precibus nostris sublevandas, quò graviores sunt incomparabiliter illarum pœnæ quibuscumque istius vitæ cruciatibus & tormentis, aggravatâ super illas Dei manu, qui mirabiliter illas cruciat, tum suæ visionis ac fruitionis beatificæ morâ, tum pœnâ ignis, qui divinæ justitiæ & omnipotentiæ vi ad illas miris modis torquendas evehitur & applicatur.

Animæ quæ movere nos debent ut pro illis oremus.

Eò gravior illis est beatitudinis mora, quò magis Deum amant. *Quidquid enim amamus, & non habemus, necesse est ut doleamus. Nam ille amat & non dolet, qui habet quod amat. Qui autem amat, & nondum habet quod amat, necesse est ut in dolore gemat.* (*S. August. Enarrat. in Psal. 37.*) Tormenta gravissima cogita, quæ perpessi sunt Martyres, longè gravior est Purgatorii pœna. Hic *in ira* sua Justos ob leviora peccata, vel etiam ob graviora, quæ commiserant olim, arguit Deus; in Purgatorio illos velut *in furore* suo corripit. Hîc Justos emendat ut pater: illic ipsos *emendatorio igne* purgat, & plectit ut Judex, qui quidem *ignis gravior erit, quam quicquid potest homo pati in hac vita.* Hîc illis ipsis quos emendat, exoratus & placatus, amovet sæpè ab eis plagas suas: illic ab iis quos plectit, placari non potest, quamvis ipsum ament, & ab ejus amore separari nusquam possint, illósque vicissim caritate perpetuâ diligat; sed eos in carcere durissimo detinet & cruciat, donec solverint novissimum quadrantem. Placari solùm illis potest Ecclesiæ, & Justorum in hoc Mundo adhuc peregrinantium precibus & satisfactoriis operibus. Id præterea movere nos maximè debet ad succurrendum Animabus illis, quòd aliquibus, ut parentum, magistrorum, familiarium, amicorum, sociorum, quibuscum hoc in Mundo viximus, præbuerimus sæpè occasionem peccatorum, propter quæ gravissimas in

Purgatorio pœnas luunt. Illos igitur de profundis ad nos clamantes audiamus: *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* (Job. 19.) Non solùm caritas quam illis debemus, ad orandum pro ipsis impellere nos debet; sed amor Dei præsertim cujus amici sunt; caritas Christi, cujus membra sunt, qui se pro illis rogari vult, & placari: tum etiam Angelorum, & Sanctorum hominum jam Deo fruentium amor. Eorum enim felicitati & gaudio cumulus quidam accedet; cùm Animæ justæ, piacularibus pœnis solutæ, illorum beatæ societati adjungentur. Omnium enim nostrûm qui Christiano nomine censemur & gloriamur, permagni interest, Justis illis Animabus succurrere, siquidem cum illis unum corpus sub Christo Capite sumus: & *Si patitur unum membrum, compatiuntur cætera membra.* Denique caritatis erga illos nostræ memores, cùm Deo fruentur, causam nostram apud Divinam Majestatem agent; nosque ad salutem æternam consequendam suis precibus adjuvabunt.

ARTICULUS VIII.

Pro quibus Deo agenda sint Gratiæ?

Gratiæ Deo agendæ pro ejus beneficiis.

I. IN altera parte precationis, maximas Deo gratias agimus pro divinis ejus immortalibusque beneficiis, quibus & semper affecit, & quotidie afficit humanum genus; pro beneficiis creationis, conservationis, redemptionis, sanctificationis; singulatímque pro donis ab ejus bonitate & misericordia collatis. Hic præcipuus Dei cultus est, ut docet *S. Augustinus* Libro *De Spiritu & Littera*, Cap. XI. *Cultus Dei*, inquit, *in hoc maximè constitutus est, ut Anima ei non sit ingrata. Unde & in ipso verissimo & singulari Sacrificio Domino Deo nostro gratias agere admonemur.* Sic Deum agnoscimus & profitemur omnium bonorum nostrorum Auctorem; sic illi acceptum referimus quicquid boni habemus, operamur, volumus, aut cogitamus. Unde *S. Augustinus*, Libro *De Dono Perseverantiæ*, Cap. XIII. *Quod ergo*, inquit, *in Sacramentis fidelium dicitur, ut sursum cor habeamus ad Dominum, munus est Domini: de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere, à Sacerdote post hanc vocem quibus hoc dicitur admonentur, & dignum ac justum esse respondent. Cùm enim non sit in nostra potestate cor nostrum, sed divino sublevetur auxilio, ut ascendat, & quæ sursum sunt sapiat, ubi Christus est in dextera Dei sedens, non quæ super terram: cui de hoc tanta re agendæ sunt gratiæ, nisi hoc facienti Domino Deo nostro, qui nos per tale beneficium liberando de profundo hujus Mundi, elegit & prædestinavit ante constitutionem Mundi?* Gratias Deo agere licet, referre non licet. Quid enim Domino retribuere possumus, pro omnibus quæ retribuit nobis? Nihil de nostro habemus, nisi mendacium & peccatum: nihil divinæ Majestati offerre possumus, nisi de ipsius donis ac datis. Ipsa gratiarum actio donum illius est. Nobis tamen auxilium ejus non deest, quo gratias immensæ illius benignitati agere possimus.

Ipsa gratiarum actio donum Dei est.

Vitium nostrum est, quòd non agamus. Multos, heu! videmus satis importunè petentes quod sibi deesse cognoverint: sed paucos admodum novimus qui dignas de receptis beneficiis gratias agere videantur. Nec reprehensibile est quòd instanter petimus; *Sed planè petitioni negat effectum, quod invenimur ingrati. Et fortè hoc etiam clementia esse videtur, ingratis negare quod postulant, ne contingat nobis, ut tantò graviùs de ingratitudine judicemur, quantò magis accumulatis beneficiis ingrati probabimur extitisse. Ergo misericordia res est in hac parte subtrahere misericordiam, quemadmodum ira & indignationis, misericordiam exhibere, eam sanè de qua per Prophetam ipse Pater Misericordiarum loquitur dicens,* Misereamur impio, & non discet facere justitiam. (Isaiæ 26.) ..... *Felix Samaritanus ille, qui cognovit se nihil habere, quod non accepisset, & idcirco servavit depositum, & cum gratiarum actione ad Dominum est reversus.* (Luc. 17.) *Felix qui ad singula dona gratiæ redit ad eum in quo est plenitudo omnium gratiarum, cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, ut majora adhuc accipere mereamur. Omnino enim sola nos à profectu conversationis impedit ingratitudo nostra, dum quodammodo amissum reputans Dator, quod ingratus accepit, cavet sibi de cætero, ne tantò plura amitteret, quantò plura conferret ingrato. Felix proinde, qui se alienigenam reputans, etiam pro minimis quibusque beneficiis non minimas refert grates, gratuitum esse non dubitans atque dissimulans, quod alieno impenditur & ignoto.*

Locum in nobis facimus ampliori gratiæ, si acceptæ non simus ingrati.

Multi importunè petunt quod sibi deest, pauci gratias agunt.

Verba sunt *sancti Bernardi*, Sermone XXVII. *De Diversis*. Sed & ante ipsum *S. Augustinus*, Sermone CCLXXXIII. alias *De Diversis* XLII. *Melior est*, inquit, *incomparabiliter Deo gratias agere de parvo, quam se extollens de magno. Illum enim qui de parvo gratias agit, ad magnum Deus admittit: qui autem de magnis gratias non agit, & quod habet amittit.* Qui enim habet, dabitur ei: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. (Matth. 25.) *Quomodo autem non habet, & si habet? Non habens habet, quia nescit unde habeat. Tollitur enim à Deo res sua, & remanet illi iniquitas sua.*

Qui de magnis gratias non agit, & quod habet amittit.

II. Maximè autem fungi debemus hoc munere gratiarum actionis Sanctorum omnium causâ, Deum laudantes de illorum victoriis & triumphis. Sanctorum laudes in Deum refunduntur, quem in Sanctis ejus laudamus, cui ob dona illis collata gratias agimus. Unde *S. Augustinus*, Sermone CCCXIII. alias *De Diversis* CXIV. in Natali *sancti Cypriani* Martyris V. ait: *Quid nisi Dei sunt laudes, tanti Martyris laudes? aut cujus honor est Cyprianus ad Deum toto corde conversus, nisi ejus cui dictum est,* Deus virtutum converte nos? (Psalm. 79.) *Cujus opus est Cyprianus Doctor, nisi ejus cui dictum est,* Doce me justificationes tuas? (Psalm. 118.) *Cujus opus est Cyprianus Pastor, nisi ejus qui dixit,* Dabo vobis Pastores secundùm cor meum, & pascent vos cum disciplina? (Jerem. 3.) *Cujus opus est Cyprianus Confessor, nisi ejus qui dixit,* Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere inimici vestri? (Luc. 21.) *Cujus opus est Cyprianus tanta illius persecutionis pro veritate perpessor, nisi ejus cui dictum est,* Patientia Israël, Domine: (Jerem. 17.) *& de quo dictum est,* Quoniam ab ipso est patientia mea? (Psalm. 61.) *Postremò cujus opus est Cyprianus in omnibus victor, nisi ejus de quo dictum est,* In omnibus supervincimus per eum qui dilexit nos? (Rom. 8.) *Non ergo recedimus à laudibus Dei, quando laudamus opera Dei in Milite Dei.*

Gratiæ Deo agendæ ob dona Sanctis ab illo collata.

III. Ad gratiarum actionem pertinet prima pars Angelicæ Salutationis, cùm eâ ad precandum utimur: AVE MARIA, *gratiâ plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus, &c.* Nam Deum summis laudibus celebramus, ipsíque gratias agimus, quòd cælestium bonorum affluentiâ Sanctissimam Virginem ornaverit & cumulaverit; eidémque Beatissimæ Virgini singularem illam felicitatem gratulamur.

Angelica Salutatio cui precatio.

Deo gratias agimus ob singularia & eximia dona B. Virgini collata; quæ eidem Virgini insuper gratulamur.

AVE, Tibi gratulamur, Virgo Sanctissima, quòd humilitate tuâ & obedientia primæ matris Evæ superbiam & inobedientiam expunxeris, pariendo Redemptorem; *Ave gratiâ plena, virtutibus multis exornata, Arca gloriæ spiritalis, urna aurea continens Manna cæleste; Mare spiritale, gemmam cælestem Christum habens; splendidum cælum, quæ incomprehensum in cælis continet Deum, Porta cælorum*, de qua Propheta dixit: *Ecce porta clausa, & nullus ingredietur per eam...... Ave castitatis florentissime Paradise, in quo lignum vitæ plantatum, fructus salutis universis producit: ex quo Evangeliorum quaterno initio fons, miserationum flumina credentibus deducis. Ave Dei & hominum Mediatrix...... Ave fons lucis omnem hominem illuminantis, vitæ thesaurus; radix omnium bonorum, puteus aquæ semper vivæ, Rubus igne spiritali ardens, quæ tamen nunquam comburaris: Mons ex quo Lapis angularis sine manibus abscissus...... Ave magnificum divinæ gloriæ templum. Ave thalame, in quo Christus humanam sibi naturam desponsavit. Ave Deo electa antequam nascereris. Ave divina cum hominibus reconciliatio. Ave cælum cælo altius. Ave Dei qui nusquam capi possit, ut possit in te sola, bene capax locus. Ave indefectibilis gaudii parens. Ave Seraphica forceps carbonis Mystici. Ave dioptra perspectiva, quâ ii, qui in tristi peccatorum umbrâ tenebris obsiti essent, venientem de cælo cum gloria exortum Justitiæ Solem suspicientes, mirabiliter illustrati sunt. Ave Prophetarum ornatum, Patriarcharumque gloriatio...... Ave divinum ac vivum simulacrum, ad quod opifex Deus inventus est: Christianorum spes, firma salutis archa, Angelorum Domina, rerum omnium conditarum hera.... Ave Regina Mundi, Fenestra Cæli, Janua Paradisi, Tabernaculum Dei, Stella maris, Scala cælestis, per quam supremus Rex ad ima descendit, & homo qui prostratus jacebat, ad superna exaltatus ascendit.* Legimus in Actibus Apostolorum & Stephanum plenum gratiâ, & Apostolos fuisse repletos Spiritu-Sancto, sed longè similiter à Maria. *Nec enim in illis habitavit plenitudo Divinitatis corporaliter, quemadmodum in Maria; nec illi conceperunt de Spiritu-Sancto, quomodo Maria.* Quæ fonti gratiæ, scilicet Christo, præ cæteris Sanctis proxima fuit; & ad munus atque dignitatem longè majorem electa, uberiori certè gratiâ donata est. *Cæteris electis ex parte gratia datur; huic Virgini tota se infudit gratiæ plenitudo.* In Christo plenitudo fuit redundantiæ: *Plenus* scilicet *gratiâ & veritate* est, & *De ejus plenitudine omnes accepimus.* In Apostolis & Stephano Protomartyre, aliisque Sanctis, plenitudo fuit sufficientiæ: tantam scilicet gratiam acceperunt, quantâ opus erat ad Ministerium Apostolatûs obeundum, ad patiendum pro Christo, ad ea dignè exequenda ad quæ vocati erant. In Sanctissima Virgine plenitudo fuit abundantiæ; quia gratiæ concepit auctorem. *Invenisti gratiam apud Deum*, inquit Angelus. Gra- » tiam non habuisti, ut Deus; non rapuisti ut » Angelus, non amisisti ut primus parens, non » emisti ut Simon Magus; non abscondisti ut servus » nequam; sed invenisti, Dei conferentis bonitate, salvantis miseratione, hominis necessitate.

S. Epiphanius Orat. de Laudibus Deiparæ.

Summa laudum sanctissimæ Virginis Mariæ.

S. Basil. Seleuc. Orat. in Annunt.

Chrysostomus in Serm. De Laudib. B. Virgin.

S. Andreas Hierosol. in Serm. De Salut. Angel.

S. Johan. Damascenus [illegible] de [illegible] & Domin. Dei & lib. 4. De Fide Orthod. cap. 15.

S. Bernard. Homil. 2. in Evangelium Missus est.

S. Hildefonsus Serm. 4. De Assumpt. S. Mariæ.

Johan. 1.

B. Albertus Magnus in Evang. Missus est.

DOMINUS TECUM. Qui ubique æqualiter totus est per suam simplicem substantiam, qui in rationalibus creaturis est per cognitionem, in solis bonis per amorem; & ita in ipsis, ut sit etiam cum ipsis propter concordiam voluntatis; singulari & excellentiori quadam ratione est in Ma- » ria: Cum qua utique tanta ei consensio fuit, » ut illius non solùm voluntatem, sed etiam car- » nem sibi conjungeret, ac de sua, Virginisque » substantia unum Christum efficeret, vel potiùs » unus Christus fieret: qui etsi nec totus de Deo, » nec totus de Virgine, totus tamen Dei, & » totus Virginis esset, nec duo filii, sed unus utriusque filius. DOMINUS TECUM: *Nec tantùm Dominus Filius tecum, quem carne tuâ induis; sed Dominus Spiritus-Sanctus, de quo concipis: & Dominus Pater, qui genuit quem concipis. Pater tecum, qui Filium suum facit & tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile Sacramentum miro modo & sibi reserat genitale secretum, & tibi servat virginale signaculum. Spiritus-Sanctus tecum, qui cum Patre & Filio tuum sanctificat uterum.*

S. Bernard. Homil. 3. in Evang. Missus est.

BENEDICTA TU IN MULIERIBUS; quæ ge- » neralem illam maledictionem evasisti, quâ di- » ctum est: *In dolore paries filios*; & nihilominus » illam, *Maledicta sterilis in Israël*: ac singularem » consecuta es benedictionem, ut nec sterilis ma- » neas, nec cum dolore parturias. *Paries Filium*, » *& vocabis nomen ejus Jesum.* Altissimi Filius erit, & tuus. Ea est dignitas tua, quâ major sub Deo intelligi non potest. *Sic & quod natum est ex ipso Patre erit tuus, & quod nascetur ex te, erit ejus; ut tamen non sint duo filii, sed unus. Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Utitur obumbrandi verbo, quia res in Sacra- » mento erat. *Et quod sola per se Trinitas in sola, &* » *cum sola Virgine voluit operari, soli datum est nosse, cui soli datum est experiri.* Benedicta tu inter mulieres, quæ benedictum præ filiis hominum castis visceribus concepisti, & immaculato partu edidisti cum gaudio. *Beatus venter* tuus, qui portavit eum, qui portat omnia verbo virtutis suæ. *Beata ubera*, quæ suxit Ille qui omnibus dat escam in tempore opportuno. *Benedicta tu præ Sara, Rebecca, Rachele, Anna* Samuëlis matre, & *Elizabeth* cognatâ tuâ, quæ sterilitatis opprobrio liberatæ filios conceperunt peccatores, quamvis Dei misericordiâ Sanctos futuros: quod verò ex te natum est, Virgine perpetuâ, *Sanctum* vocatum est *Filius Dei*, & *Sanctus Sanctorum*. Benedicta tu præ *Maria* sorore Moysi, quæ populum de Ægypto cum fratribus suis eduxit per Mare rubrum; præ *Debbora* Prophetide, & *Jahele*, uxore Haber, quæ Populum occiso *Sisarâ* liberaverunt; præ sapiente Muliere *de Abela*, quæ seditioso *Seba* obtruncato, Civitatem ab excidio servavit; præ pulcherrima *Hester*, quæ Judæam gentem à generali internecione eripuit, superbo & crudeli *Amon* furcâ damnato; præ generosa *Judith*, quæ abscisso capite Holofernis, insignem victoriam populo suo, diúque duraturam pacem peperit. Tu enim Virgo Sanctissima, Serpentis antiqui caput per Filium tuum contrivisti, neque uni dumtaxat Genti, sed omni generi humano peperisti Salvatorem ac Mediatorem, qui à Diaboli servitute nos omnes eriperet, nósque Deo reconciliaret. Benedicta tu præ *Abigail* prudentissima illa muliere, quæ iram *Davidis* Regis placavit, ne stulti *Nabal* domum deleret; præ muliere *Thecuite*, quæ industriâ suâ figurâque sermonis *Absalom* in Jerusalem reduxit: Deum enim nobis placasti, & placare non cessas: nos exules filios Evæ ad cælestem Jerosalem prece potentissimâ reducis. Benedicta tu præ mulieribus omnibus conjugatis, quæ Virgo in partu & post partum permansisti; præ Virginibus, quæ matris gaudium cum honore virginitatis habuisti, & sanctæ virginitatis vexillum extulisti, verè Virginum Regina. Benedicta ob fidem quâ Archangeli Gabrielis verbis credidisti: Benedicta ob caritatem, quâ

Genes. 3.

Exod. 23.

Deuter. 7.

S. Bernard. Homil. 4. in Evang. Missus est.

Exod. 15.

Judic. 4.

2. Reg. 20.

Esther. 8.

Judith. 13.

1. Reg. 25.

2. Reg. 14.

quâ Deum dilexisti, quâ proximum prosecuta es, iter difficile per Montana Judææ suscipiens, ut officium & ministerium Elizabethæ cognatæ tuæ impenderes, ut Joannis Baptistæ sanctificationem in utero per Christum in tuis visceribus inclusum procurares. Benedicta ob humilitatem, quâ Mater Dei electa & ab Angelo salutata, *Ancillam Domini* te professa es. Benedicta ob invictam animi fortitudinem, quâ paupertatis incommoda, itinerum difficultates, Simeonis animam tuam doloris gladio transfixum iri prænuntiantis triste Vaticinium, Filii dilectissimi Passionem, tormenta, vulnera, mortem, lateris confossionem, Judæorum insultus corde compatiente pertulisti, stans juxta Crucem ejus. Benedicta tu ob innocentiam, quæ ab omnis omnino peccati labe pura servata es; ut verius dicere possis quàm Judith: *Non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati revocavit me vobis, gaudentem in victoria sua, in evasione mea, & in liberatione vestra. Confitemini illi omnes, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Desideriis tuis paremus, Virgo sanctissima, confitemur Domino, ipsum adoramus, gratias illi agimus, quòd tot gratiæ suæ donis te cumulaverit, quòd te in Matrem Dei Filius elegerit, & ex te nasci pro nobis dignatus sit; quòd nobis etiam te Matrem dederit ut Joanni, caritate, miseratione; quòd te nostræ salutis hostibus terribilem fecerit ut castrorum aciem ordinatam. *Benedicta tu à Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram. Benedictus Dominus, qui te direxit in vulnera capitis Principis inimicorum nostrorum: quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum..... Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia Populi nostri....., Manus Domini confortavit te, & ideo eris benedicta in æternum. Fiat, fiat.*

Judith. 13.

Judith. 13.

S. Bern. Hom. 3. in Evang. Missus est.

Addimus cum sancta Elisabeth: ET BENEDICTUS FRUCTUS VENTRIS TUI. Non quia " tu benedicta, ideo benedictus fructus ventris " tui: sed quia ille te prævenit in benedictionibus dulcedinis, ideo tu benedicta. Verè etenim benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ sunt omnes gentes: de cujus plenitudine tu quoque accepisti cum ceteris, etsi differentiùs à ceteris. Ac propterea benedicta tu, sed " in mulieribus; ille verò benedictus non in hominibus, non inter Angelos, sed *Qui est*, ut ait Apostolus, *super omnia Deus benedictus in sæcula.*

Rom. 9.

Benedicti illius fructûs proprium nomen sanctæ Elisabethæ verbis addidit Ecclesia, JESUS, ut illum benedictionum omnium sive gratiarum sanctissimæ Virginis Mariæ auctorem esse significaret, qui non solùm ejus Filius, sed & ipsius, omniúmque hominum Salvator est, in quo Pater Æternus *Benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus*

Ephes. 1.

Nec mirum, inquit S. Ambrosius, *Si Dominus redempturus Mundum, operationem suam inchoavit à Maria; ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.* Mariæ redemptor Christus, quia prohibuit ne peccatum incurreret, vel committeret.

S. Ambr. lib. 2. in Lucam

Gratiarum actioni pro optimo addit Ecclesia preces, & invocationem ejusdem Virginis Deiparæ.

IV. Jure autem optimo Ecclesia huic gratiarum actioni preces etiam & implorationem sanctissimæ Dei Matris adjunxit, quâ piè atque suppliciter ad eam confugeremus, ut nobis peccatoribus suâ intercessione Deum conciliaret, auxiliaque tum ad hanc, tum ad æternam vitam, nunc & in hora mortis nostræ, nobis impetraret. Matrem igitur Misericordiæ, Refugium peccatorum, Mediatricem & Advocatam nostram Ecclesiæ verbis oremus: nec dubitemus nos faciliùs impetraturos, quod per illam à Deo petierimus, apud quem plus omnibus Sanctis potest. Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam veneremur, imploremus: *Quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.* In omnibus siquidem & per " omnia providens miseris, trepidationem nostram " solatur, fidem excitat, spem roborat. Ad Pa- " trem verebaris accedere, solo auditu territus, " ad folia fugiebas: JESUM tibi dedit Mediato- " rem. Exaudietur utique pro reverentia sua. An " verò trepidas & ad ipsum? Frater tuus est & " caro tua, tentatus per omnia absque peccato, " ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria " dedit. Sed forsitan & in ipso majestatem vereare " divinam. Advocatum habere vis & ad ipsum? " Ad Mariam recurre. Nec dubius dixerim, exau- " dietur & ipsa pro sua reverentia. Exaudiet uti- " que Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. " *Hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim, potest-ne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam; non audire, aut non audiri Filius potest?* Filius ostendit Patri latus & vulnera; Mater ostendit Filio pectus & ubera: quid tam potens Mediatrix non obtineat, cui dictum est ab Angelo, *Invenisti gratiam apud Deum?* Semper hæc invenit gratiam, & sola est gra- " tia quâ egemus. Prudens virgo non sapientiam, " sicut Salomon, non divitias, non honores, non " potentiam, sed gratiam requirebat. Nimirum " sola est gratia, quâ salvamur. Quid nos alia con- " cupiscimus? Quæramus gratiam, & per Ma- " riam quæramus, quia quod quærit invenit, & " frustrari non potest. Quæramus gratiam, sed " gratiam apud Deum: nam apud homines gratia " fallax. Sit pietatis tuæ, Virgo benedicta, ipsam " quam apud Deum gratiam invenisti, notam " facere Mundo; reis veniam, medelam ægris, " pusillis corde robur, afflictis consolationem, " periclitantibus adjutorium & liberationem san- " ctis tuis precibus obtinendo. *Memento servorum tuorum Christianorum, cunctorum commenda preces, universorum statue spes, fidem confirma, Ecclesias ad unitatem coge, imperium trophæis auge, Exercitui auxiliare, Mundum pace compone, cunctos à periculis & tentationibus liberans, unicuique à damnationis reatu solutam præstari extra retributionis diem. Ad quem enim alium ibimus? Verba vitæ æternæ habet, tua nimirum ad Deum pro nobis commendationis vota. Tu enim es quæ feceris semper, nec unquam cesses facere nobiscum magnalia. Et sanctum est nomen tuum, quod ab Angelis & hominibus, in omnes generationes generationum beatum prædicatur.*

S. Bern. Serm. in Nativit. B. Mariæ.

Idem Serm. 2. in Assumpt. B. Virginis.

S. Germanus Constantinop. Episc.

ARTICULUS IX.

Qua ratione sit orandum? Sive quæ conditiones Orationis?

Orandum in spiritu & veritate.

I. CUm ea quæ à Deo in oratione petimus, sæpè non assequamur, eò quòd malè petimus, operæ pretium est explicare paucis quæ sit optima ratio orandi. Est igitur orandum in spiritu & veritate, quia *Deus spiritus est, & veros adoratores in spiritu & veritate adorare oportet*; id est, ex intimo & ferventi animi studio, ex flagranti Dei desiderio, quo fides, spes, & caritas semper orant, (ut loquitur *S. Augustinus* Epistolâ cxxx.) Hæc orandi ratio propria

Joan. 4.

est Christianorum hominum, quibus Christus illam præscripsit, Patrem tales quærere docens qui adorent eum. In veritate, hoc est, absque omni fuco orare oportet: in spiritu, id est, non voce solùm, sed interiori præsertim animi affectu. *Cum*

Matth. 6.

oratis, inquit Christus, *non eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: Amen dico vobis, Receperunt mercedem suam. Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito: & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Orantes autem nolite multùm loqui, sicut Ethnici. Putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis. Scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.* Quæ sunt ista cubicula, in quæ Christus nos intrare jubet oraturos, nisi ipsa corda, de quibus Psalmo IV. dicitur: *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compun-» gimini?* Parum est intrare in cubicula, si ostium » pateat importunis, per quod ostium ea quæ fo-» ris sunt, improbè se ingerunt, & interiora no-» stra appetunt. *Foris autem sunt omnia temporalia & visibilia, quæ per ostium, id est, per carnalem sensum in cogitationes nostras penetrant, & turbâ variorum phantasmatum orantibus obstrepunt. Claudendum est ergo ostium, id est, carnali sensui resistendum est, ut oratio spiritalis dirigatur ad Patrem, quæ fit in intimis cordis, ubi oratur Pater in abscondito.* Et ut Christus nobis hanc orandi rationem magis explicet, duos pravos affectos pari censurâ damnat: alterum qui Judæorum est, alterum Ethnicorum. Judæi, præsertimque inter illos Pharisæi hypocritæ, spectandos se præbebant in oratione, & hunc potissimum fructum orationis quærebant, hominibus placere. Ethnici exercendæ linguæ potiùs quàm mundando animo dant operam: & hoc nugatorii studii genus etiam ad Deum prece flectendum transferre conantur, existimantes Deum perinde ac hominem Judicem, multis verbis, & oratione studiosè compositâ adduci posse in quam voluerimus sententiam. *Nolite ergo assimilari eis*, inquit Disciplinæ cælestis Magister. Si enim verba multa ad id proferuntur ut doceatur ignarus, quid illis opus est ad eum orandum qui corda novit? Non ergo ambitione precum nos exaudit Deus, non verba, sed cor attendit. Quamobrem non verborum apparatu agere debemus apud Deum ut impetremus quod volumus, *Sed rebus quas animo gerimus, & intentione cogitationis, cum dilectione pura & simplici affectu.* Sic explicat *S. Augustinus*, Libro II. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. III. Itaque cùm Christus multiloquium in oratione damnat, multum sermonem absque interiori animi affectu & devotione profusum inanem esse apud Deum significat, non autem diuturnas preces piè & ex intimo animi affectu factas. *Cùm diu orare vacat, id est, cùm alia bonarum & necessariarum actionum non impediuntur officia*, tantùm abest ne inutile sit, ut sit etiam saluberrimum; neque enim hoc est orare in multiloquio, si diutiùs oretur. *Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam & de ipso Domino scriptum est, quòd pernoctaverit in orando, & quòd prolixiùs oraverit: ubi quid aliud quàm nobis præbebat exemplum, in tempore precator opportunus, cum Patre exauditor æternus? .... Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseverat intentio. Nam multùm loqui, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis. Multùm autem precari, est ad eum, quem precamur, diuturna & pia cordis exercitatione pulsare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quàm sermonibus agitur, plus fletu quàm affatu. Ponit autem lacrymas nostras in conspectu suo, & gemitus noster non est absconditus ab eo, qui omnia per Verbum condidit, & humana verba non quærit*, inquit *Sanctus Augustinus*, Epistolâ CXXX. aliàs CXXI. Cap. X.

Humilitas orationis.

II. Altera conditio ad rectè orandum necessaria, est humilitas supplicantis, quâ non solùm Dei magnitudinem adoret, séque coram ejus divina Majestate deprimat & abjiciat, dicens: *Lo-*

Genes. 18.

quar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis: Sed quâ se reliquis hominibus longè indigniorem peccatorem existimet. Unde *Isaiæ* LXVI. Dominus ait: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Et Ecclesiastici XXXV. scriptum est: *Oratio humiliantis se, nubes penetrabit.* Odit Deus pauperem superbum. *Omnes porro quando oramus, mendici Dei sumus. Ante januam magni Patrisfamilias stamus, immò etiam prosternimur, supplices ingemiscimus, aliquid volentes accipere: & ipsum aliquid, ipse Deus est. Quid à te petit mendicus? Panem. Et tu quid petis à Deo, nisi Christum, qui dicit*, EGO *sum panis vivus, qui de cœlo descendi?* Verba sunt *S. Augustini*, Sermone LXXXIII. aliàs XV. *De Verbis Domini.* Qui se coram Deo, spiritualibus præsertim bonis divitem putat, is omnium hominum miserrimus & indigentissimus est. *Hæc dicit, Amen testis fidelis &*

Apoc. 3.

verus, qui est principium creaturæ Dei. .... Dicis, Quòd dives sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Ad Deum igitur supplices clamemus: *Ego verò egenus & pauper sum:*

Psalm. 69.

Deus adjuva me. Nec solùm egeni & pauperes sumus, sed & infirmi, & vulnerati, medicinali Salvatoris auxilio indigentes; quod in oratione imploramus. Anima nostra non est sana sine caritate: nam *Sanitas mentis est caritas*, quæ in nobis non est ex nobis, sed ex Deo, qui diffundit illam in cordibus nostris per Spiritum Sanctum. Sed & cùm sana mens est per gratiam & caritatem, remanet semper infirmitas secundùm carnem, in qua *aliam legem* sentimus *repugnantem legi mentis*

Rom. 7.

nostræ, & *captivantem nos in lege peccati. Quis nos* infelices homines *liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum.* Humiliemus igitur animas nostras, ut in spiritu humilitatis, & in animo contrito orantes à Deo suscipiamur, à summo Animarum nostrarum Medico sanemur. Semper humiles simus, quia sumus infirmi, quandiu hic vivimus, nec perfecta erit sanitas, nisi quando plena erit immortalitas. Oremus in humilitate dicentes: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.*

Psalm. 6.

Sana me Domine. .... Ad te Domine clamabo, &

Psalm. 29.

ad Deum meum deprecabor. In Paradiso non clamabas, sed laudabas, inquit *S. Augustinus*; non

S. August. Enarrat. in Psal. 29.

gemebas, sed fruebaris: foris positus geme, & clama. Propinquat tribulanti, qui deserit superbientem. *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Attentio in oratione necessaria.

III. Attentio insuper necessaria est ut Deo grata sit oratio. Si enim mentem aliò sponte distrahamus, mente non oramus, atque de nobis Dominus dicere potest: *Populus hic labiis*

Matth. 15. 8.

me honorat, cor autem eorum longè est à me. Claudatur ergo contra adversarium pectus, & so- » li Deo pateat, cùm ad orationem stamus. Co- » gitatio omnis carnalis & sæcularis abscedat, nec » quicquam tunc animus quàm id solùm cogitet » quod precatur, quam quod Deo loquitur; » (inquit Sanctus *Cyprianus*, Libro de Ora- »

tione Dominica.) *Quomodo te audiri postulas à Deo, cùm te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui, cùm rogas; quando tu ipse memor tui non sis? Hoc est, ab hoste in totum non cavere; hoc est, quando oras Deum, Majestatem Dei negligentiâ orationis offendere; hoc est, vigilare oculis & corde dormire; cùm debeat Christianus, & cùm dormit oculis, corde vigilare.... Sit orantibus sermo & precatio cum disciplina, quietem continens & pudorem. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare: placendum est divinis oculis & habitu corporis, & modo vocis.* Nobis saltem displiceant tot mentis evagationes, quæ in oratione nobis irrepuot. Ante orationem præparemus animam nostram, & ne simus sicut homines tentantes Deum. Magna certè Dei misericordia, qui orationes nostras tam diversis, tam variis, sæpè & tam noxiis cogitationibus interruptas tolerat. Orationis initio, cordis intentio ad Deum dirigenda est, dicendúmque eum Propheta: [*Psalm. 85.*] *Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi totâ die: lætifica animam servi tui, quoniam ad te animam meam levavi.* [*S. August. Enarrat. in hunc Psalm.*] In terra erat, & in terra amaritudinem sentiebat: ne in amaritudine contabesceret, ne omnem tuæ gratiæ suavitatem amitteret, levavi eam ad te, lætifica eam apud te. Solus enim tu es jucunditas. Amaritodine plenus est Mundus. Admonet Christus membra sua ut sursum cor habeant. Audiant ergo & faciant. Non putrescit cor si levatur ad Deum. Frumentum si haberes in inferioribus, levares ad superiora, ne putresceret: & cor permittis in terra putrescere? Leva in cælum. *Gradus, affectus sunt; iter tuum voluntas tua est. Amando ascendis, negligendo descendis. Stans in terra, in cælo es, si diligas Deum. Non enim sic levatur cor, quomodo levatur corpus. Corpus ut levetur, locum mutat: Cor ut levetur, voluntatem mutat.* Toto autem orationis tempore pia illa cordis affectio & intentio virture saltem perseveret, & de mentis evagationibus passim subrepentibus ingemiscat. Nemo sibi blandiatur. Attendat quisque & videat quanta aguntur in corde humano, quemadmodum ipsæ plerumque orationes impediantur vanis cogitationibus, ita ut vix stet cor ad Deum suum: & vult se tenere ut stet, & quodam modo fugit à se, nec invenit cancellos quibus se includat, aut obices quosdam quibus retineat evolationes suas, & vagos quosdam motus, & stet jucundari à Deo suo. Vix est ut occurrat talis oratio inter multas orationes. Diceret unusquisque sibi contingere, & alteri non contingere, nisi inveniremus in Scripturis David orantem & dicentem: [*2. Reg. 7.*] *Quoniam inveni Domine cor meum ut orarem ad te.* Invenire se dixit cor suum, quasi soleret ab eo fugere, & ille sequi quasi fugitivum, & non posse comprehendere, & clamare ad Deum: [*Psalm. 39.*] *Quoniam cor meum dereliquit me.* Cùm igitur ait: *Lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi, quoniam tu suavis & mitis*, laudat benignitatem & misericordiam Dei, qui nostrarum evagationes mentium in oratione patitur; & exspectat tamen à nobis orationem, ut perficiat nos: & quando illi eam dederimus, accipit gratè, & exaudit; nec meminit tantas quas inconditè fundimus, & accipit unam quam vix invenimus: *Quis enim est homo, cum quo si cœperis amicus ejus colloqui, & voluerit ille respondere collocutioni tuæ, & viderit eum averti à se, & aliud loqui ad alium, qui hoc ferat? Aut si fortè interpelles Judicem, & constituas cum loco ut te audiat, & subitò cùm ad eum loqueris, dimittas eum, & incipias fabulari cum amico tuo, quando te tolerat? Et tolerat Deus tot corda precantium, & diversas res cogitantium. Omitto dicere & noxias, omitto dicere aliquando perversas & inimicas Deo: ipsas superfluas cogitare, injuria est ejus cum quo loqui cœperas. Oratio tua locutio est ad Deum. Quando legis, Deus tibi loquitur: quando oras, Deo loqueris.* Sed quid? Desperandúmne est de genere humano, & dicendum ad damnationem pertinere omnem hominem, cui subrepserit aliqua cogitatio oranti, & interruperit orationem ipsius? Nequaquam. Magna est misericordia Domini. Dicamus ergo, *Lætifica animam servi tui, quoniam ad te animam meam levavi.* Et quomodo eam levavi? Quomodo potui, quomodo tu vires dedisti, quomodo eam fugientem apprehendere valui. *Quoniam tu Domine suavis & mitis.* Mitis es, tolerans me. Ex ægritudine defluo: cura, & stabo: confirma, & firmus ero. Donec autem facias, toleras me: *Quia tu suavis & mitis, & multa misericordia omnibus invocantibus te.* Ita disserit *Sanctus Augustinus* Enarratione in Psalmum LXXXV. Toto corde clamandum est cùm oramus, si velimus exaudiri. *Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine.* Clamot enim ad Dominum, qui fit ab orantibus, si sonitu corporalis vocis fiat, non intento in Deum corde, quis dubitet inaniter fieri? Si autem fiat corde, etiam silente corporis voce, alium quemlibet hominem potest latêre, non Deum. Sive ergo cum voce carnis, quando id opus est, sive cum silentio, ad Deum, cùm oramus, corde clamandum est. *Est autem clamor cordis, magna cogitationis intentio: quæ cùm est in oratione, magnum exprimit desiderantis & petentis affectum, ut non desperet effectum. Tunc porro in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur* (inquit *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum CXVIII. Sermone XXIX.) O rem profluvio lacrymarum deplorandam? Oratio nostra aliquando sic tepida est, vel potiùs frigida, & pene nulla, immò omnium interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus. Nam *Si vel hoc dolemus, jam oramus*; (ait *S. Augustinus*, Libro I. *ad Simplicianum*, Quæstione II.

IV. Oratio assidua & perseverans esse debet. [*Perseverantia in oratione.*] Assiduitas enim & perseverantia orationis sæpè imperrat, quod meritum impetrare non valet. Unde Christus ait: *Oportet semper orare, & non deficere.* [*Luc. 18.*] Quantam autem vim habeat apud Deum assidua & perseverans oratio, duabus Parabolis explicuit Salvator noster. Prima est de Judice iniquo, qui nec Deum timebat, nec homines reverebatur: quem cùm vidua sedulò interpellaret ut illam vindicaret ab adversario suo, atque ille jus ipsi dicere diu recusasset, tandem tamen mulieris importunitate victus, ejus postulationi concessit. Quantò magis *Deus faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte?* [*Luc. 11.*] Altera Parabola est de homine, qui mediâ nocte ad amicum accedens, tres ab illo panes commodatò petit; qui etsi non impetret propter importunitatem, si perseveraverit ad januam ejus pulsans, impertabit quotquot ipsi necessarii sunt: *Quantò magis Pater cælestis de cælo dabit Spiritum bonum* [*1. Thess. 5.*] perseverantet orantibus? Huc spectaot Apostolicæ Sententiæ, quæ orationis assiduitatem commendant. *Sine intermissione orate*; (inquit sanctus Paulus) *in omnibus gratias agite; Hæc est enim voluntas Dei.* Id confirmat sanctus Jacobus Cap. V. Epistolæ suæ: *Multùm*, inquit, *valet deprecatio justi assidua. Elias homo erat similis nobis passibilis:* [*3. Reg. 17.*] *& oratione oravit ut non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex. Et rursum oravit, & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum.*

S. August. Epist. 57.

Quâ ratione orare sine intermissione possumus & debemus?

Sic autem intelligendum est divinum de assiduitate & perpetuitate orationis Præceptum, ut nullo die intermittantur certa orandi tempora, sicut de Miphiboseth dicitur II°. *Regum* IX. *De mensa Regis jugiter vescebatur*, id est quotidie statutis horis.

Continuum Dei & beatæ vitæ desiderium in omnibus operibus bonis virtute perseverans.

2. Ut continuum Dei & beatæ vitæ, quæ in illius fruitione posita est desiderium habere jubeamur, quod quidem desiderium in omnibus operibus ea caritate factis perseverans, orationis vim habet. Unde *S. Augustinus* Epistolâ CXXX. *In ipsa*, inquit, *fide, & spe, & caritate continuato desiderio semper oramus. Sed idea per certa intervalla horarum & temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus, quantùmque in hoc desiderio profecerimus, nobis ipsis innotescamus, & ad hoc augendum nos ipsos acriùs excitemus. Dignior enim sequitur effectus, quem ferventior præcedit affectus. Ac per hoc & quod ait Apostolus,* Sine intermissione orate, *quid est aliud quàm beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderare? Semper ergo hanc à Domino Deo desideremus, & oramus semper.*

Et Enarratione in Psalmum XXXVII. explicans hæc Prophetæ verba, *Domine ante te omne desiderium meum*, ait: *Ipsum desiderium tuum oratio tua est: & si continuum desiderium, continua oratio... Quicquid aliud agas, si desideras illud Sabbatum, non intermittis orare. Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. Continuum desiderium tuum, continua vox tua est. Tacebis, si amare destiteris. Qui tacuerunt? De quibus dictum est*, Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum. *Frigus caritatis, silentium cordis: flagrantia caritatis, clamor cordis est. Si semper manet caritas, semper clamas; si semper clamas, semper desideras; si desideras, requiem recordaris.*

Matth. 24.

Perpetuus Dei præsentis per fidem intuitus.

3. Assiduè orari potest Deus, si eum præsentem semper habentes, in omnibus negotiis & operibus nostris breves identidem preces toto cordis affectu ad ipsum fundamus. Istud orationis genus priscis Monachis usitatum fuisse narrat *sanctus Augustinus*, Epistolâ CXXX. *Dicuntur Fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas, & raptim quodam modo jaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimùm necessaria est, per productiores moras evanescat atque hebetetur intentio.* Et *Cassianus* Libro II. *De Institutis Cœnobiorum*, Cap. X. *Utilius censent breves quidem sed creberrimas orationes fieri: illud quidem ut frequentiùs Dominum deprecantes jugiter eidem cohærere possimus: hoc verò ut insidiantis diaboli jacula succinctâ brevitate vitemus.* Jaculatorias hujusmodi orationes Psalmorum & Prophetarum Libri cuique suppeditabunt. Hujus generis sunt: *Converte nos Domine, & convertemur... Miserere mei Domine secundùm magnam misericordiam tuam.... ..... Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele......... Cor mundum crea in me Deus.... Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.... Tuus sum ego, salvum me fac.... Erravi sicut ovis quæ periit, quære servum tuum Domine. ... Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam..... Adhæsit anima mea post te.... Deus adjuva me.... Deus ne derelinquas me.... Deus meus, misericordia mea..... Fac cum servo tuo secundùm misericordiam tuam.... Deus, ne elongeris à me, Deus meus in auxilium meum respice..... Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum..... Laudabo te Domine, & glorificabo nomen tuum in æternum, quia misericordia tua Domine magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori..... Nisi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitasset in inferno anima mea.... Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus..... Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* Item illa ex Evangelio: *Deus propitius esto mihi peccatori. Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Jesu Præceptor miserere nostri.... Domine, ut videam.... Domine, si vis, potes me mundare. Domine, salva nos, perimus...... Domine, tu scis quia amo te*, &c.

Deum continuò laudat, qui omnia opera sua ex Dei amore, & propter illum facit.

4. Continuò Deum laudat, qui omnia opera sua ex Dei amore, & propter illius gloriam facit. *Vis psallere?* (inquit *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum CXLVI.) *Non solùm vox tua sonet laudes Dei, sed opera tua concordent cum voce tua. Cùm ergo voce cantaveris, silebis aliquando: vitâ sic canta, ut nunquam sileas. Negotium agis, & fraudes cogitas: siluisti à laude Dei: & quod gravius est, non solùm à laude siluisti, sed in blasphemiam perrexisti. Cùm enim Deus laudatur de bono opere tuo, opere tuo laudas Deum; & cùm blasphematur Deus de mala opere tuo, opere tuo blasphemas Deum. Itaque ad aurium excitationem canta voce, corde ne sileas, vitâ ne taceas. Non cogitas in negotio fraudem, psallis Deo. Cùm manducas & bibis, psalle; non intermiscendo sonorum suavitates ad aures aptas, sed modestè & frugaliter & temperanter manducando & bibendo. Quia hoc dicit Apostolus:* Sive manducatis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. *Si ergo bene agis, quod & manducas, & bibis, & ad refectionem corporis sumis, reparationémque membrorum, gratias agens ei qui tibi præbuit mortali & fragili ista supplementorum solatia; & cibus tuus, & potus tuus laudat Deum: si verò modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, & vinolentiâ te ingurgites; quantaslibet laudes Dei lingua tua sonet, vita blasphemat. Post cibum & potum requiescis ut dormias; nec in lecto aliquid turpiter agas, nec excedas ultra concessam licentiam in Lege Dei: Sit castus cum conjuge thorus, & si est cura propagandi liberos, non sit effrenata luxuries libidinum: defer in lecto tuo conjugi tuæ: quia membra Christi estis ambo, ambo ab illo conditi, ambo sanguine ipsius reparati; hæc agens laudas Deum, nec omnino silebis laudatione tua. Quid cùm somnus advenerit? & cùm dormis, non te excitet à quiete mala conscientia tua, & innocentia somni tui laudet Deum.* Laudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus: « Deo nostro jucunda sit decoráque laudatio. *Quo-* « *modo erit Deo nostro jucunda laus? Si bene vivendo laudatur.* Hinc *S. Fulgentius* Epistolâ I. *Oratio est*, inquit, *in conspectu Dei omne bonum, quo delectatur nullo indigens Deus.*

1. Cor. 10.

Misericordia Dei non impetrabimus, nisi in oratione perseveremus.

Misericordiam Dei quâ semper indigemus, non impetrabimus, nisi in oratione perseveremus. *Benedictus Deus*, inquit Propheta, *qui non amovit orationem meam & miserationem suam à me.* Quandiu hîc sumus, inquit S. Augustinus, hoc ro- « gemus Deum, ut non à nobis amoveat depre- « cationem nostram, & misericordiam suam, id « est, ut perseveranter oremus, & perseveranter « misereatur. Multi enim languescunt in orando, « & in novitate suæ conversionis ferventer orant, « posteà languidè, posteà frigidè, posteà negli- « genter: quasi securi fiunt. Vigilat hostis; dor- « mis tu... *Ergo non deficiamus in oratione. Ille quod concessurus est, etsi differt, non aufert... Cùm videris non à te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est à te amota misericordia ejus.*

Psal. 65.

S. Aug. in Enarrat. in hunc Psal.

DE ORATIONE.

Tract. De Orat. Dom.

Orationi adjungi debent oratio & eleemosyna.

V. Orationi verò adjungi debent eleemosyna & jejunium, quibus apud Deum maximè commendatur. *Orantes autem* (inquit S. Cyprianus) *non infructuosi, nec nudis precibus ad Deum veniant. Inefficax petitio est, cùm precatur Deum sterilis oratio. Nam cùm omnis arbor non faciens fructum excidatur, & in ignem mittatur: utique & sermo non habens fructum, promereri Deum non potest, qui nullâ est operatione fecundus. Et ideo Scriptura divina instruit dicens: Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna. Nam qui in die judicii præmium pro operibus & eleemosynis redditurus est; hodie quoque ad orationem cum operatione venienti benignus auditor est.* Quod Tobiæ, & Cornelii Centurionis exemplis confirmat.

Et *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum XLII. *Quàm celeriter* (inquit) *accipiantur orationes bene operantium: & hæc justitia hominis in hac vita, jejunium, eleemosyna, oratio. Vis orationem tuam volare ad Deum? Fac illi duas alas, jejunium & eleemosynam.*

Locus orationis Reverentia Templis debita.

VI. Quamvis autem in omni loco Deus orari possit, ac debeat, qui ubique præsens est, quemdam tamen speciatim ad id destinatum consecratúmque locum sibi Dominus elegit, ad quem Fideles conveniant, illius Majestati supplicaturi: non quasi ipse loco indigeat, sed ut nos per corporalem domum, quæ *Domus orationis*, & domus ipsius singulari quadam ratione dicitur, & in qua omnia ad pietatem provocant, ad ferventiùs orandum excitet. Quòd si Templum Salomonis Deus sanctificavit, ibique oculos suos & cor suum futurum promisit, ut populi sui preces exaudiret: si Apostoli, accepto etiam Spiritu-Sancto, Templum illud orationis gratiâ frequentabant; multò magis Templis nostris benedicit, in quibus Christi Corpus offertur, consecratur, sumitur, asservatur. Si *Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine* Christi, ipse in *medio eorum* est: multò magis cum tota ad eum laudandum & orandum convenit Ecclesia, illic medius aderit. Major certè vis est orationis, quæ à multis offertur Deo in domo ejus, quæ verè *Domus orationis est cunctis Gentibus.* Unde Propheta ait: *In Templo ejus omnes dicent gloriam.* Et, *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.*

3. Reg. 8. & 9. — *Act. 2. & 3.* — *Psalm. 28.* — *Psalm. 5.*

Quantâ porro veneratione, reverentiâ, modestiâ in domo Dei adesse debeamus, Christi factum ostendit, qui facto ex funiculis flagello ejecit è Templo Salomonis vendentes oves & boves & columbas, & mensas nummulariorum evertit, dicens: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Non ut aliàs Angeli ministerio Adamum è Paradiso voluptatis ejecit, aut ad puniendos peccatores cælestium illorum Spirituum, aut etiam hominum operâ usus est; aut elementa, vel bruta animantia ad sceleris ultionem Deus adhibuit: sed Filii sui Incarnati manus adorandas ad puniendum sacrilegos Templi sui violatores armari voluit. Adversùs alia crimina verbo duntaxat suo, vique doctrinæ usus est Christus: adversùs eos qui Templi sanctitatem violarent, brachium omnipotens adhibet, flagellis etiam utitur mansuetissimus Salvator. Quod criminis illius majestatem demonstrat. *Plerique*) inquit *sanctus Hieronymus* in Cap. XXI. Matthæi) *arbitrantur maximum esse signum, quòd & Lazarus suscitatus est, quòd cæcus ex utero lumen acceperit, quòd ad Jordanem vox audita sit Patris, quòd transfiguratus in Monte gloriam ostendit triumphantis. Mihi inter omnia signa, quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse, quòd unus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis ut postea crucifigeretur: Scribis & Pharisæis contra se sævientibus, & videntibus lucra sua destrui, potuerit ad illius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, mensásque subvertere, & cathedras confringere, & alia facere quæ infinitus non fecisset Exercitus. Igneum enim quiddam atque sydereum radiabat ex oculis ejus, & Divinitatis Majestas lucebat in facie.* Templum illud typicum erat, figura erat novissimæ domûs, cujus gloria major est quàm primæ, scilicet Ecclesiæ Christianæ: non intra Templum, sed in Porticu Salomonis, in Atrio Gentium negotiatores illi sedebant: ea duntaxat vendebant, quæ in Templo debebant offerri: expulit tamen eos Christus, & passus non est domum orationis fieri domum negotiationis. Quantò majori pœnâ digni sunt, qui in Christianis Templis, ubi Christus quotidie immolatur, & corporaliter residet, ubi Sacramenta vetustioribus longè nobiliora conficiuntur & administrantur, ubi Angelorum frequentia divini Sacrificii tempore Deum supplex & tremens adorat, *abominationes majores* committunt? Quâ severitate punientur sacrilegi, qui domum Orationis faciunt domum scortationis; mulieres, quæ ibi scandala usque ad cælum jaculantur; non peccata sua, sed Adonidem plorantes; viri qui nutibus oculorum, colloquiis ac lenociniis libidinem pascunt & accendunt? utriusque sexûs homines, qui ibi non Dei vivi majestatem, sed *reptilium & animalium* similitudines, id est, cupiditates suas adorant? Ubi plerique Ecclesiæ Ministri, *Dorsa habentes contra Templum Domini, & facies ad Orientem, adorant ad ortum Solis*: id est, sæcularem gloriam, commodáque temporalia, rerum sacrarum studio, ministerii sui sanctitati, vocationis suæ officiis, Dei gloriæ, ac zelo domûs ejus, Ecclesiæ denique utilitatibus anteponunt? *Ergo* (inquit Dominus) *& ego faciam in furore: non parcet oculus meus, nec miserebor: & cùm clamaverint ad aures meas voce magnâ, non exaudiam eos.*

Matth. 21. Johan. 2. Luc. 19. — *Ezech. 8.*

Illam in Templis Christianorum irreverentiam gravissimis verbis perstringit *Salvianus*, Libro III. De Gubernatione Dei. *Ecclesias*, inquit, *vel potius Templa atque Altaria Dei, minori reverentia quidam habent, quàm cujuslibet minimi ac municipalis Judicis domum. Siquidem intra januas non modò illustrium Potestatum, sed etiam Præsidum aut Præpositorum, non omnes passim intrare præsumunt; nisi quos aut Judex vocaverit, aut negotium traxerit, aut ipsa honoris proprii dignitas introire permiserit: ita ut si quispiam fuerit insolenter ingressus, aut cædatur, aut propellatur, aut aliquâ verecundiâ atque existimationis suæ labe mulctetur. In Templa autem, vel potiùs Altaria atque in Sacraria Dei, passim omnes sordidi ac flagitiosi sine ulla penitus reverentia sacri honoris irrumpunt: non quia non omnes ad exorandum Deum currere debeant; sed quia qui ingreditur ad placandum, non debet egredi ad exacerbandum. Neque enim ejusdem officii est, indulgentiam poscere, & iracundiam provocare. Novum siquidem monstri genus est: eadem pene omnes jugiter faciunt, quæ fecisse se plangunt. Et qui intrant Ecclesiasticam Domum ut mala antiqua defleant, exeunt: & quid dico, exeunt? In ipsis pene hæc orationibus suis ac supplicationibus moliuntur. Aliud quippe ora hominum, aliud corda agunt: & dum verbis præterita mala plangunt, sensu futura meditantur: ac si oratio eorum auctrix est magis criminum quàm exoratrix: ut vera illa in eis Scripturæ maledictio compleatur; ut de oratione ipsa exeant condemnati, & oratio eorum fiat in peccatum. Denique si vult quispiam scire quid in Templo hujusmodi homines cogitaverunt, videat quid sequatur: si-*

quidem consummatis Solemnitatibus sacris, statim ad consuetudinaria omnes studia discurrunt: alii scilicet ut furentur, alii ut inebrientur, alii ut fornicentur: ut evidenter appareat hoc eos esse meditatos, dum intra Templum sunt, quod postquam egressi fuerint, exsequuntur.

Maximum reverentiæ, pietatisque sensum, dum in Templo versamur, excitare debet hæc cogitatio, quod locus in quo stamus, terra sancta est, Regia Dei, ubi Angelorum illi adsistentium, & ministrantium frequentia, ubi non urna, & manna, & tabulæ lapideæ, & virga Aaron, sed Christi Corpus & Sanguis reipsa præsentia sunt, & Spiritus-Sanctus pro littera Legis, ubi peccata condonantur, gratiæ dispensantur, Dei verbum prædicatur, Christus in Sacrificium offertur, Deus laudatur & oratur, ceu in loco ad eum finem consecrato. Legatur isto de argumento *sanctus Joannes Chrysostomus*, Homiliâ I. de verbis Isaiæ, *Vidi Dominum*, Homiliâ XXXIV. in Matthæum, Homiliâ XXXVI. in primam Epistolam ad Corinthios, & Homiliâ XXV. in Epistolam ad Hebræos. De veneratione Templis debita præclarus est *Stephani* Sexti Pontificis Maximi Sermo, apud *Anastasium Bibliothecarium* in ejus Vita. *Filiationem vestram*, inquit, *commonemus ut convenientes ad sacratissimum Dei Templum, id diligenter pertractare studeatis, ad quod venistis. Si enim veraciter Templum Dei esse creditis illud ad quod convenitis, id procul dubio inibi operari debetis, quod ei placeat, cujus templum est ad quod convenitis. Cùm enim ubique Deus sit, in suo tamen Templo specialiter debet requiri, & quandiu ipse inspirare dignatus fuerit, inibi quod ei placeat, debet exposci. Est igitur misericors Deus, ita tamen suam misericordiam unicuique disponit impertiri, ut rogantibus eam tribuat, non ingratis, & tantò largiori illam tribuat unicuique pietate, quantò majoribus gemitibus, & ardentiori animo fuerit à quolibet deprecatus, sicut ipse dicit*, Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm. *Est namque Templum Domini locus orationis, sicut ipse alicubi dicit*, Domus mea domus orationis est cunctis Gentibus. *Et Psalmista*, Domum tuam decent Sancta Domine. *Quippe si Orationis domus est, id ibi oportet agere quod vocatur, id est, orare, psallere, peccata confiteri amaris oculorum lacrymis, & nimiis gemitibus delicta abluere, & fiducialiter veniam de commissis culpis implorare. Est quippe ibi specialiter respectus divinus. Assistunt ibi Angelici Ordines pro Populo deprecantes, qui preces nostras ad aures perferunt Domini Sabaoth. Qua rogo fronte in sacratissimo Dei Templo assistis, qui inanibus fabulis & otiositatibus insistis? Nam si de omni verbo otioso in die Judicii ratio est reddenda, de his maximè reddetur ratio, & exigetur vindicta, quæ in conspectu tantorum Sanctorum proferuntur contumaciter in loco Deo dicato. Qua, inquam, spe veniam consequi de præteritis arbitratur delictis, qui non solùm peccata sua negligit abluere, sed potiùs contendit augere? Pavescite illum, qui facto flagello de funiculis ejecit vendentes & ementes de Templo. Remissius scilicet est, utiliter negotiari, quàm inaniter & otiosè confabulari. Cùm convenitis ad locum orationis, cum silentio state, interno corde Deum deprecamini, ut orantis pro vobis Sacerdotis vota suscipiat, preces exaudiat, habentes præ oculis monentem Dominum & dicentem:* Cùm statis ad orationem, *dimittite si quid habetis adversùs alterum, ut & Pater vester cœlestis dimittat vobis peccata vestra.*

Stephani Sexti Pontif. Maximi Sermo de veneratione Templis debita.

Luc. 7. Isai. 57.

Matth. 17. Psalm. 92.

VII. Extra sacrarium sive Chorum orare debent Laici, præsertim verò mulieres, & extra cancellos Altaris, dum Sacrum aut divina Officia celebrantur. Notus sancti Joannis Chrysostomi erga hujus disciplinæ observantium zelus, qui Theodosium Imperatorem intra Sacrarium consistere passus non est: nota *Theodosii* pietas & obedientia. Canones antiquos ea de re editos referre minimè opus est. Unum Concilii Rotomagensis anno 1581. celebrati Decretum describo, ex quo istud disciplinæ caput negligendum non esse compertum est. *Cùm*, inquit, *nihil magis ornet Ecclesiam, quàm rerum omnium in ea ordo, Sacrarium seu Chorus, Presbyteris Sacra facientibus semper fuit assignatus. Eo tamen progreditur quorumdam Laicorum arrogantia, ut vix relinquant Altare Sacerdotibus. Hos monemus in Domino, ut potiùs Publicanum imitentur in imo loco Templi pro peccatis supplicem, & per humilitatem justificatum, quàm Pharisæum pro superbiâ ad inferos usque dejectum. Pro sua verò dignitate, statu & gradu locum sibi unusquisque in Ecclesia capiat, sed Sacrarium ad obeunda Sacra sciat esse Sacerdotibus destinatum. Quisquis in hac re Ecclesiam per suos Ministros monentem & rogantem non audierit, per hanc Synodum excommunicetur.*

Extra Sacrarium & chorum, & extra cancellos Altaris orare debent Laici, præsertim mulieres.

VIII. Honesto semper ac modesto corporis situ orandum est, & qui interiorem animi devotionem ac humilitatem significet. *Nam & orantes de membris sui corporis faciunt quod supplicantibus congruit, cùm genua figunt, cùm extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud visibiliter faciunt: quamvis eorum invisibilis voluntas, & cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat his indiciis, ut humanus ei pandatur animus: sed hinc magis seipsum excitat homo ad orandum gemendúmque humiliùs atque ferventiùs. Et nescio quomodo, cùm hi motus corporis fieri nisi motu animi præcedente non possint, eisdem rursus exteriùs visibiliter factis, ille interior invisibilis qui eos fecit augetur: ac per hoc cordis affectus, qui ut fierent ista præcessit, quia facta sunt crescit. Veruntamen si eo modo quisque teneatur vel ligetur, ut hæc de suis membris facere nequeat, non ideo non orat interior homo, & ante oculos Dei in secretissimo cubili, ubi compungitur, sternitur.* Verba sunt *sancti Augustini*, Libro *De Cura gerenda pro Mortuis*, Cap. V. Itaque *Non est præscriptum quomodo corpus constituatur ad orandum, dum animus Deo præsens peragat intentionem suam. Nam & stantes oramus, sicut scriptum est*, Publicanus autem de longinquo stabat: *& fixis genibus, sicut in Actibus Apostolorum legimus: & sedentes, sicut ecce David & Elias. Nisi autem etiam jacentes oraremus, non scriptum esset in Psalmis*, Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. *Cùm enim quisque orationem quærit, collocat membra sicut ei occurrerit accommodata pro tempore positio corporis ad movendum animum. Cùm autem non quæritur, sed infertur appetitus orandi, hoc est, cùm aliquid repentè venit in mentem, quo supplicandi moveatur affectus gemitibus inenarrabilibus, quocumque modo invenerit hominem, non est utique differenda oratio, ut quæramus quò recedamus, aut ubi stemus, aut prosternamur. Gignit enim sibi mentis intentio solitudinem, & sæpe etiam obliviscitur vel ad quam cœli partem, vel in qua positione corporis membra illud tempus invenerit:* (inquit *sanctus Augustinus*, Libro II. ad *Simplicianum*, Quæstione IV.

Honesto, modestoque corporis situ orandum.

Luc. 18. Act. 7. & 20.

Psalm. 6.

CAPUT II.

DE ORATIONE DOMINICA.

ARTICULUS I.

De Excellentia Orationis Dominicæ.

DOMINICA Oratio omnibus aliis orationibus antecellit, quia à Christo Domino nobis tradita paucis verbis ordinatè dispositis omnia continet, quæ sanctè à Deo petenda sunt, & quo petenda sunt ordine. Excellit, inquam, 1. Christi docentis auctoritate. *Sic ergo vos orabitis*, inquit cælestis Magister, *Pater noster*, *&c.* *Et cùm oratis*, *dicite: Pater noster*, &c. Filius Dei Jesus Christus Dominus & Salvator noster, *Qui inter cætera salutaria sua monita & præcepta divina, quibus Populo suo consuluit ad salutem, etiam orandi ipse formam dedit; ipse quid precaremur, monuit & instruxit. Qui fecit vivere, docuit & orare, benignitate eâ scilicet, quâ & cætera dare & conferre dignatus est, ut dum prece & oratione quam Filius docuit, apud Patrem loquimur, faciliùs audiamur. Jam prædixerat horam venire, quando veri adoratores adorarent Patrem in spiritu & veritate, & implevit quod antè promisit: ut qui Spiritum & Veritatem de ejus sanctificatione percepimus, de traditione quoque ejus verè & spiritaliter adoremus. Quæ enim potest esse magis spiritalis oratio, quàm quæ verè à Christo nobis data est, à quo nobis & Spiritus Sanctus missus est? Quæ vera magis apud Patrem precatio, quàm quæ à Filio, qui est Veritas, de ejus ore prolata est? Ut aliter orare quàm docuit, non ignorantia sola sit, sed & » culpa; quando ipse posuerit & dixerit:* Rejici» tis Mandatum Dei, ut traditionem vestram sta» tuatis. *Oremus itaque, Fratres dilectissimi, sicut Magister Deus docuit. Amica & familiaris oratio est Deum de suo rogare; ad aures ejus ascendere Christi orationem. Agnoscat Pater Filii sui verba, cùm precem facimus: qui habitat intus in pectore, ipse sit & in voce. Et cùm ipsum habeamus apud Patrem Advocatum pro peccatis nostris; quando peccatores pro delictis nostris petimus, Advocati nostri verba promamus. Nam cum dicat: Quia quodcumque petierimus a Patre in nomine ejus, dabit nobis: quantò efficaciùs impetramus quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione?* Verba sunt *S. Cypriani*, in Tractatu de Oratione Dominica.

Matth. 10.
Lucæ 11.

Dominica Oratio cæteris excellentior ob Christi docentis auctoritatem.

Oratio Dominica (inquit *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum CXLII.) est *Regula postulandi fidelibus à cælesti Jurisperito data.*

II. Brevitate suâ commendatur, propter quam ab omni ætate & sexu, a rudibus & imperitis, non minùs quam ingenio & doctrina præstantibus viris memoriæ commendari facilè potest. Catechumenis tradebatur post Symbolum ex Ecclesiæ Disciplina, & post octo dies à Competentibus reddebatur, id est, recitabatur, ut ante Baptismi susceptionem nossent non solùm quid credere, sed quem, & quomodo invocare deberent, ut constat ex *S. Augustino* Sermonibus LVI. LVII. LVIII. & LIX. postremæ Editionis. Hanc Orationem *Ignorare nulli Christiano licet* (inquit Concilium Remense II. anno 813. celebratum, Canone 12.) Quamobrem Regum nostrorum Capitularibus sancitum est, Libro V. Cap. CLXI. ut *Symbolum, quod est signaculum fidei, & Orationem Dominicam discere semper admoneant Sacerdotes Populum Christianum: & ut disciplinam condignam habeant qui hæc discere negligunt, sive in jejunio, sive in alia castigatione.* Et Cap. CLXX. *Quod Presbyteris providendum sit, ut omnes qui Christiano nomine censentur, Orationem Dominicam & Symbolum memoriter teneant & intelligant.* Inter Leges Ecclesiasticas in Anglia regnante *Edgaro* editas XXII. statuit, *Ut quisque discat* PATER NOSTER, *&* CREDO, *priùs quàm in consecrato sepeliatur cœmeterio, vel idoneus censeatur Eucharistiæ percipiendæ: propterea quòd Christiani non est dignus nomine, qui hæc noluerit ediscere: nec in Baptismo alios valeat à sacro Fonte levare, nec in Confirmatione à manibus Episcopi suscipere, si hæc priùs non calluerit.* Divinam istam Orationem cælestis doctrinæ compendium *S. Cyprianus* vocat. *Qualia autem sunt*, inquit, *Orationis Dominicæ Sacramenta, quàm multa, quàm magna, breviter in sermone collecta, sed virtute spiritaliter copiosa: ut nihil omnino prætermissum sit, quod non in precibus atque orationibus nostris cælestis doctrinæ compendio comprehendatur.*

Orationem Dominicam ignorare nemini Christiano licet.

Oratio Dominica cælestis doctrinæ compendium.

III. Itaque & plenitudine suâ cæteris orationibus antecellit Dominica Oratio, quia nihil in illa prætermittitur eorum quæ à Deo postulare fideles possunt ac debent. Unde *S. Augustinus*, Sermone LVI. aliàs *De Diversis* XLVIII. ait: *Verba quæ Dominus noster Jesus Christus in Oratione docuit, forma est desideriorum. Non tibi licet petere aliud, quàm quod ibi scriptum est.* Et Libro *De Perfectione Justitiæ*, Cap. VIII. Orationem istam complecti ait, *Omnes regulas sancti desiderii.* Et certè *Qualibet alia verba dicamus, quæ affectus orantis vel præcedendo format ut clareat, vel consequendo attendit ut crescat, nihil aliud dicimus quàm quod in ista Dominica Oratione positum est, si rectè & congruenter oramus. Quisquis autem id dicit quod ad istam Evangelicam Precem pertinere non possit, etiamsi non illicitè orat, carnaliter orat: quod nescio quemadmodum non dicatur illicitè: quandoquidem Spiritu renatos nonnisi spiritaliter decet orare.* Qui enim dicit, verbi gratiâ, *Clarificare in om- » nibus Gentibus, sicut clarificatus es in nobis:* & ; » *Prophetæ tui fideles inveniantur:* quid aliud dicit, » quàm, *Sanctificetur nomen tuum?* Qui dicit: » *Deus virtutum converte nos, & ostende faciem* » *tuam, & salvi erimus:* quid aliud dicit quàm » *Adveniat Regnum tuum?* Qui dicit: *Itinera mea* » *dirige secundùm verbum tuum, & ne dominetur* » *mei omnis iniquitas:* quid aliud dicit quàm, *Fiat* » *voluntas tua sicut in cælo & in terra?* Qui dicit, » *Paupertatem & divitias ne dederis mihi:* quid » aliud dicit quàm, *Panem nostrum quotidianum* » *da nobis hodie?* Qui dicit: *Memento Domine,* » *David, & omnis mansuetudinis ejus.* Aut, *Domi-* » *ne, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis,* » *si reddidi retribuentibus mihi mala:* quid aliud di- » cit quàm, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?* Qui dicit, » *Aufer à me concupiscentias ventris, & desiderium* » *concubitûs ne apprehendat me:* quid aliud dicit » quam, *Ne nos inferas in tentationem?* Qui dicit, » *Erue me ab inimicis Deus, & ab insurgentibus* » *super me, libera me:* quid aliud dicit quam » *Libera nos à malo?* Ersi per omnia precationum » *sanctarum verba discurras, quantùm existimo nihil invenies quod in illa Dominica non contineatur & concludatur Oratione. Unde liberum est alius atque*

Orationis Dominicæ plenitudo.

Omnes regulas sancti desiderii complectitur.

Eccli. 36.
Psalm. 79.
Psalm. 118.
Psalm. 131.
Psalm. 7.
Eccli. 23.
Psalm. 58.

aliis verbis, eadem tamen in orando dicere, sed non debet esse liberum alia dicere. Hac & pro nobis, & pro nostris, & pro alienis, atque pro ipsis inimicis sine ulla dubinatione oranda sunt, quamvis alius pro isto, alius pro illo, sicut se habent propinquitates vel longinquitates necessitudinum in corde orantis oriatur aut excellat affectus. Qui autem dicit in oratione, verbi gratiâ, Domine multiplica divitias meas, aut da mihi tantas quantas illi vel illi dedisti, aut honores meos auge; fac me in hoc sæculo præpotentem atque clarentem, vel si quid hujusmodi est, & hæc dicit eorum habens concupiscentiam, non id attendens, ut ex his secundùm Deum prosit hominibus: puto eum non invenire in Oratione Dominica, quò possit hæc vota coaptare. Verba sunt *S. Augustini*, Epistolâ CXXX. aliàs CXXI. Cap. XII.

Oratio Dominica quotidiana fidelium medicina.

IV. Oratio Dominica quotidiana est fidelium Medicina, ut docent SS. Patres, & inter alios *S. Augustinus*, Sermone XVII. aliàs XXVIII. ex Homiliis L. *Propter ipsa peccata humana & tolerabilia*, inquit, *& tanto crebriora, quantò minora, constituit Deus in Ecclesia tempore misericordiæ prærogandæ quotidianam medicinam, ut dicamus*, DIMITTE nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: *Ut his verbis lotâ facie ad altare accedamus, & his verbis lotâ facie Corpore Christi & Sanguine communicemus.* Et Sermone CLXXXI. aliàs XXIX. De verbis Apostoli: *Mortifera peccata*, inquit, *non facit bona fidei & bona spei Christianus, sed illa sola quæ quotidiano orationis penicillo terguntur.*

Matth. 6.

Et Sermone CCXIII. aliàs De Tempore CXIX. *Quoniam victuri sumus in isto sæculo, ubi quis non vivit sine peccato, ideo remissio peccatorum non est in sola ablutione sacri Baptismatis, sed etiam in Oratione Dominica & quotidiana. In illa invenietis quasi quotidianum Baptismum vestrum.*

Et Enchiridii Cap. LXXI. *De quotidianis autem brevibus levibúsque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum est enim dicere*, PATER noster qui es in cælis, *qui jam Patri tali regenerati sunt ex aqua & Spiritu. Delet omnino hæc Oratio minima & quotidiana peccata. Delet & illa, à quibus vita Fidelium etiam sceleratè gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit, si quemadmodum veraciter dicitur*, Dimitte nobis debita nostra, *quoniam non desunt quæ dimittantur; ita veraciter dicatur*, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, *id est, si fiat quod dicitur.*

ARTICULUS II.

Quot petitiones Oratio Dominica complectatur.

S. Aug. Enchir. cap. 114.

EX Fidei confessione, quæ breviter Symbolo continetur, nascitur spes bona Fidelium, cui Caritas sancta comitatur. Sed de iis omnibus quæ fideliter sunt credenda, ea tantùm ad spem pertinent, quæ Oratione Dominicâ continentur. *Maledictus* enim *omnis*, sicut divina Eloquia testantur, *qui spem ponit in homine:* Quo maledicti vinculo & ille innectitur, qui spem ponit in seipso. Ideo nonnisi à Domino Deo petere debemus, quidquid speramus nos vel bene operaturos, vel pro bonis operibus adepturos. Comes autem fidei & spei caritas adjungatur necesse est. Nam qui rectè amat, procul dubio rectè credit & sperat. *Qui verò non amat, inaniter credit, etiamsi sint vera quæ credit: inaniter sperat, etiamsi ad veram felicitatem doceatur pertinere quæ sperat: nisi & hoc credat ac speret, quod sibi petenti donari possit ut amet.* Quamvis enim sperare sine amore non possit, fieri tamen potest ut id non amet, sine quo ad id quod sperat non potest pervenire. Tanquam si speret vitam æternam, (quam quis non amat?) & non amet justitiam, sine qua nemo ad illam pervenit. *Ipsa est autem fides Christi, quam commendat Apostolus, quæ per dilectionem operatur, & quod in dilectione nondum habet, petit ut accipiat, quærit ut inveniat, pulsat ut aperiatur ei. Fides namque impetrat, quod lex imperat.* Porro *Fides, spes, & caritas ad Deum perducunt orantem, hoc est, credentem, sperantem, desiderantem, & quæ petat à Domino in Dominica Oratione considerantem.*

Jeremiæ 17.

Galat. 5.

S. August. Epist. 130.

Septem Petitiones ab his tribus virtutibus formatas Dominica continet Oratio apud S. Matthæum Evangelistam. Quarum tribus æterna poscuntur, reliquis quatuor, temporalia, quæ tamen propter æterna consequenda sunt necessaria. Nam quod dicimus, *Sanctificetur nomen tuum, Adveniat Regnum tuum, Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, (quod non absurdè quidam intellexerunt, In spiritu & corpore,) omnino sine fine retinenda sunt: & hic inchoata quantumcumque proficimus augentur in nobis; perfecta verò, quod in alia vita sperandum est, semper possidebuntur. Quod verò dicimus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo*, quis non videat ad præsentis vitæ indigentiam pertinere? In illa itaque vitâ æternâ ubi nos semper speramus futuros, & Nominis Dei sanctificatio, & Regnum ejus, & voluntas ejus in nostro spiritu & corpore perfectè atque immortaliter permanebunt. Panis verò quotidianus ideo dictus est, quia hîc est necessarius, quantus animæ carníque tribuendus sive spiritaliter, sive carnaliter, sive utroque intelligatur modo. Hîc est etiam quam poscimus remissio, ubi est commissio peccatorum: hîc tentationes quæ nos ad peccandum vel alliciunt, vel impellunt; hîc denique malum unde cupimus liberari: illic autem nihil istorum est. Evangelista verò S. Lucas in Oratione Dominica Petitiones non septem, sed quinque complexus est: nec ab isto utique discrepavit, sed quomodo istæ septem sint intelligendæ, ipsâ suâ brevitate commonuit. Nomen quippe Dei sanctificatur in spiritu, Dei autem Regnum in carnis resurrectione venturum est. Ostendens ergo Lucas tertiam Petitionem duarum superiorum esse quodam modo repetitionem, magis eam prætermittendo facit intelligi. Deinde tres alias adjungit, de pane quotidiano, de remissione peccatorum, de tentatione vitanda. At verò quod ille in ultimo posuit, *Sed libera nos à malo*; iste non posuit, ut intelligeremus ad illud superius quod de tentatione dictum est, pertinere. Ideo quippe ait, *Sed libera*, non ait, *Et libera*, tanquam unam petitionem demonstrans: ut sciat unusquisque in eo se liberari à malo, quod non infertur in tentationem. Sic utrumque Evangelistam conciliat *S. Augustinus* in *Enchiridio*, Cap. CXV. & CXVI.

Matth. 6.

Septem petitiones à fide, spe, & caritate formatas oratio dominica complectitur.

Luc. 11.

Et Libro II. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. X. Septem Petitionum distinctionem ita rursus explicat: *Cùm vita nostra temporaliter nunc agatur, atque speretur æterna, & cùm æterna priora sint dignitate, quamvis temporalibus priùs actis ad*

Septem petitionum explicatur distinctio.

illa transfatur: triam primarum petitionum impetrationes, quanquam in hac vita qua in isto sæcula agitur, exordium capiant: (Nam & sanctificatia Nominis Dei ab ipso humilitatis Domini adventu agi cœpit; & adventus Regni ejus quo in claritate venturus est, non jam finito sæculo, sed in fine sæculi manifestabitur; & perfectio voluntatis ejus, sicut in cœlo & in terra, sive justos & peccatores cœlum & terram intelligas, sive spiritum & carnem, sive Dominum & Ecclesiam, sive omnia simul, ipsa perfectione nostra beatitudinis, & ideo sæculi terminatione complebitur.) Tamen omnia tria in æternum manebunt. Nam & sanctificatio Nominis Dei sempiterna erit, & Regni ejus nullus est finis, & perfecta nostra beatitudini æterna vita promittitur. Permanebunt ergo ista tria consummata atque cumulata in illa vita qua nobis promittitur.

Reliqua verò quatuor quæ petimus, ad temporalem istam vitam pertinere mihi videntur. Quorum pri- » *mum est*, Panem nostrum quotidianum da no- » bis hodie. *Hoc ipso enim quòd dictus est quotidianus panis, sive spiritalis significetur, sive in Sacramento aut victu isto visibilis, ad hoc tempus pertinet, quod appellavit hodie: non quia spiritalis cibus non est sempiternus, sed quia iste qui quotidianus dictus est in Scripturis, sive in strepitu sermonis, sive quibusque temporalibus signis exhibetur animæ: quæ omnia tunc utique non erunt, cùm omnes erunt docibiles Deo, & ipsam ineffabilem lucem veritatis non motu corporum significantes, sed puritate mentis haurientes. . . . . . Et peccata nunc nobis dimittuntur, & nunc dimittimus, quæ harum quatuor reliquarum secunda petitio est: tunc autem nulla erit venia peccatorum, quia nulla peccata. Et tentationes temporalem istam vitam infestant: non autem* » *erunt, cùm perfectum erit quod dictum est*, Ab- » scondes eos in abscondito vultûs tui. *Et malum à quo liberari optamus, & ipsa liberatio à malo ad hanc utique vitam pertinet, quam & justitiâ Dei mortalem meruimus, & unde ipsius misericordiâ liberamur.* (Psalm. 30.)

Septenarius ille Petitionum numerus Beatitudinibus Evangelicis & septem Donis Spiritûs-Sancti respondet. *Si enim timor Dei est, quo beati sunt pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cælorum: petamus ut sanctificetur in hominibus Nomen Dei, timore casto permanente in sæcula sæculorum. Si pietas est, quâ beati sunt mites, quoniam ipsi hereditate possidebunt terram: petamus ut veniat Regnum ejus, sive in nos ipsos, ut mitescamus, nec ei resistamus; sive de cœlo in terras in claritate adventus Domini, quo nos gaudebimus, &* » *laudabimur, dicente illo:* Venite benedicti Patris » mei, accipite Regnum, quod vobis paratum » est ab origine Mundi. In Domino enim, (*in-* » *quit Propheta*) laudabitur anima mea: audiant » mites & jucundentur. *Si scientia est, quâ beati sunt qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: oremus ut fiat voluntas ejus sicut in cœlo & in terra; quia cùm corpus tanquam terra, spiritui tanquam cœlo, summâ & totâ pace consenserit, non lugebimus: nam nullus alius hujus temporis luctus est, nisi cùm adversum se ista confligunt, & cogunt nos dicere:* » Video aliam legem in membris meis repugnan- » tem legi mentis meæ: *& luctum nostrum lacry-* » *mosâ voce testari*, Miser ego homo, quis me li- » berabit de corpore mortis hujus? *Si fortitudo est, quâ beati sunt qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur: oremus ut panis noster quotidianus detur nobis hodie, quo fulti atque sustentati, ad plenissimam illam saturitatem venire possimus. Si consilium est, quo beati sunt misericordes, quoniam ipsorum miserebitur: dimittamus debita debitoribus nostris, & oremus ut nobis nostra dimittantur. Si intellectus est, quo beati sunt mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: oremus non induci in tentationem, ne habeamus duplex cor, non appetendo simplex bonum, quò referamus omnia quæ operamur, sed simul temporalia & terrena sectando. Tentationes enim de his rebus quæ graves & calamitosæ videntur hominibus, non in nos valent, si non valeant illa, quæ blanditiis earum rerum accidunt, quas homines bonas & lætandas putant. Si sapientia est, quâ beati sunt pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur: oremus ut liberemur à malo: ipsa enim liberatio liberos nos facit, id est, filios Dei, ut Spiritu adoptionis clamemus, Abba, Pater.* Hæc S. Augustinus, Libro 1. De Sermone Domini in Monte, Cap. 11.

(Margin: Matth. 5. — Septem Orationis Dominicæ petitiones 7 Beatitudinibus Evangelicis, & Spiritûs-Sancti donis respondent. — Matth. 25. — Psalm. 33. — Rom. 7. — Rom. 8.)

ARTICULUS III.

Orationis Dominicæ proœmium explicatur.

PATER NOSTER QUI ES IN CÆLIS.

1. CUm in omni deprecatione benevolen- » tia concilianda sit ejus, quem deprecamur, » deinde dicendum quid deprecemur; laude » illius ad quem oratio dirigitur, solet benevolen- » tia conciliari, & hoc in orationis principio poni » solet: in quo Dominus noster nihil aliud nos di- » cere jussit, nisi *Pater noster qui es in cælis.* Cùm » enim multa in Scripturis sanctis dicta sint in lau- » dem Dei: nusquam tamen invenitur præceptum » Populo Israel ut diceret, *Pater noster*, aut ut » oraret *Patrem Deum*; sed Dominus eis insinuatus » est, *tanquam servientibus, id est, secundùm carnem* » *adhuc viventibus.* Hoc autem dico, cùm Man- » data Legis acciperent, quæ observare jubeban- » tur: nam Prophetæ sæpè ostendunt Dominum » nostrum etiam Patrem eorum esse potuisse, si ab » ejus mandatis non aberrarent: sicuti est illud: » *Filios genui & exaltavi, ipsi autem spreverunt me:* & illud, *Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes:* & illud, *Si Dominus sum, ubi est timor meus? & si pater sum, ubi est honor meus?* & alia permulta, ubi arguuntur Judæi, quia filii esse peccando noluerunt. Leguntur & alia Oracula Scripturarum divinarum veteris Testamenti, quibus Deus hominum Pater appellatur vel significatur, sed ea propheticè dicta sunt de futuro Populo Christiano, qui Patrem Deum erat habiturus, secundùm illud Evangelicum, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Patrem si quando vocaverunt Deum veteris Testamenti homines, nomen Domini adjungebant, ut ratione creationis, conservationis, providentiæ, supremæque dominationis Patrem à se vocari significarent. Isaiæ LXIV. *Et nunc Domine, Pater noster es tu, nos verò lutum, Et fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* Et Sapientiæ XIV. *Tua autem, Pater, providentia gubernat.* Christianorum proprium est, Deum Patrem suum appellare, eique orando dicere, *Pater noster*, ineffabili scilicet caritate hanc nobis gratiam dedit, ut per baptismum regenerati *filii Dei nominemur & simus.* Ad Christianos enim pertinent illa Apostoli verba: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei.* Quamobrem Oratio Domini-

(Margin: S. August. Lib. 2. de Serm. Dom. in Monte, cap. 4. — Isaiæ 1. — Psalm 81. — Malach. 1. — Joan. 1. Patrem Deum appellare, Christianorum proprium est. — 1. Johan 13. — Rom. 8.)

ca à *S. Augustino, Enchiridii* Cap. LXXI. *Quotidiana Fidelium oratio* vocatur. Et Libro II. *Contra Julianum*, Cap. III. ait: *Quòd ad baptizatum pertineat Oratio Dominica, quis Christianus ignoret?*

Caritas excitatur, cùm Deum Patrem nostrum appellamus.

II. Quoniam verò quòd vocamur ad æternam hereditatem, ut simus Christi coheredes, & in adoptionem filiorum veniamus, non est meritorum nostrorum, sed gratiæ Dei; eamdem ipsam gratiam in orationis principio commemoramus, cùm dicimus, PATER NOSTER. *Quo nomine & caritas excitatur; quid enim carius filiis debet esse quàm pater? & supplex affectus, cùm homines dicunt Deo*, Pater noster, *& quædam impetrandi præsumptio quæ petituri sumus? cùm priùs quàm aliquid peteremus, tam magnum donum accepimus ut sinamur dicere*, Pater noster, *Deo. Quid enim jam non det filiis petentibus, cùm hoc ipsum antè dederit, ut filii essent? Postremò quanta cura animum tangit, ut qui dicit*, Pater noster, *tanto Patre non sit indignus? Si enim quisquam plebeius Senatorem grandioris ætatis ab ipso patrem vocare permittatur, sine dubio trepidabit, nec facilè audebit, cogitans humilitatem generis sui, & opum indigentiam, & plebeiæ personæ vilitatem: quantò ergo magis trepidandum est appellare Patrem Deum, si tanta est labes, tantæque sordes in moribus, ut multò justiùs eas à sua conjunctione Deus expellat, quàm ille Senator cujusvis mendici egestatem? Quandoquidem hoc ille contemnit in mendico, quò & ipse potest rerum humanarum fragilitate devenire: Deus autem in sordidos mores numquam cadit. Et gratias misericordiæ ipsius, qui hoc à nobis exigit ut Pater noster sit: quod nullo sumptu, sed sola bona voluntate comparari potest.* Verba sunt *S. Augustini*, Libro II. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. IV.

Tract. de Orat. Dom.

Sed & *S. Cyprianus* longè antè docuerat, Dominicam Orationem ad Christianos solos pertinere. *Homo novus*, inquit, *renatus, & Deo suo per ejus gratiam restitutus, primo in loco dicit*, Pater noster qui es in cælis, *quia filius esse jam cœpit*. In sua (*inquit*) propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem eum receperunt, dedit illis potestatem, ut filii Dei fierent, his qui credunt in nomine ejus. *Qui ergo crediderit in nomine ejus, & factus est Dei filius, hinc debet incipere, ut & gratias agat, & profiteatur se Dei filium, dum nominat Patrem sibi esse in cælis Deum; contestetur quoque inter prima statim nativitatis suæ verba renuntiasse se terreno & carnali patri, & Patrem solum nosse se & habere cœpisse, qui sit in cælis, sicut scriptum est*: Qui dicunt patri & matri, Non novi te, & filios suos non agnoverunt, hi custodierunt præcepta tua, & testamentum tuum servaverunt. *Item Dominus in Evangelio suo præcepit, Ne vocemus nobis patrem in terra, quòd sit scilicet nobis* unus Pater qui est in cælis. *Et Discipulo qui mentionem defuncti patris fecerat, respondit*: Sine, mortui mortuos suos sepeliant; *Dixerat enim patrem suum mortuum, cùm sit credentium pater unus. ..... Dicimus*, Pater noster, *id est, eorum qui credunt, eorum qui per eum sanctificati, & gratiæ spiritalis nativitate reparati, filii Dei esse cœperunt. Quæ vox Judæos etiam perstringit & percutit, qui Christum sibi per Prophetas annuntiatum, & ad se priùs missum, non tantùm infideliter spreverunt, sed & crudeliter necaverunt. Qui jam non possunt Patrem Deum vocare, cùm Dominus eos confundat & redarguat dicens*: Vos de Diabolo patre nati estis, & concupiscentias patris vestri facere vultis, &c. *Et per Isaiam Prophetam Deus clamat indignans*, Filios generavi & exaltavi, ipsi autem me spreverunt, &c. Væ genti peccatrici, populo pleno

Joan. 1.

Dominica Oratio ad solos Christianos pertinet.

Deuter. 33. 9.

Luc. 9. 60.

Joan. 8. 44.

Isai. 1. 2.

peccatis. Semen nequam, filii scelesti. *In quorum exprobrationem, Christiani quando oramus*, Pater noster, *dicimus; quia noster esse cœpit, & Judæorum qui eum reliquerunt, esse desiit: nec peccator Populus potest esse filius, sed quibus remissa peccatorum datur, eis filiorum nomen adscribitur, eis & æternitas repromittitur, Domino ipso dicente*: Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Servus autem non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. *Quanta autem Domini indulgentia, quanta circa nos dignationis ejus & bonitatis ubertas; qui sic nos voluit orationem celebrare in conspectu Dei, ut Deum Patrem vocemus, ut est Christus Dei Filius, sic & nos Dei filios nuncupemus? Quod nomen nemo nostrûm in oratione auderet attingere, nisi ipse nobis sic permisisset orare. Meminisse itaque, fratres dilectissimi, & scire debemus, quia quando Patrem Deum dicimus, quasi filii Dei agere debemus, ut quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, sic sibi placeat & ille de nobis. Conversemur quasi Dei templa, ut Deum in nobis constet habitare. Nec sit degener actus noster à spiritu, ut qui cælestes & spiritales esse cœpimus, non nisi spiritalia & cælestia cogitemus & agamus.* Hæc sanctus Cyprianus.

Joan. 8. 34.

Paterno Dei in nos amori grato animo reddamus mutui amoris vicem. Nostri nusquam obliviscitur Deus. *Numquid*, inquit, *oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, Ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te.* Nec nos igitur Dei capiat unquam oblivio. Nullâ hominum injuriâ Dei in homines amor exhauritur; neque *Continet in ira sua misericordias suas*: sed cùm *iratus fuerit, misericordiæ recordatur*. Ea nos ratio vehementer excitare debet ad amorem Dei ceu optimi ac beneficentissimi Patris, ad ejus misericordiam quærendam & amplectendam, cavendùmque ne redundantiam bonitatis ejus novis injuriis offendamus. Patrem se probat amantissimum, sive cùm nos prosperis rebus consolatur, sive cùm adversis exercet. Percutiendo sanat, vulnerando medetur; hîc urit, hîc secat, ut nos ab interitu sempiterno redimat. Visitat *in virga iniquitates* nostras, *& in verberibus peccata* nostra: *Misericordiam* tamen suam à nobis non aufert. In utroque igitur statu filios Dei nos exhibere & probare debemus, eique humiliter adhærere & fideliter obsequi, ut nec tribulatio, nec angustia, nec egestas, nec persecutio, nec divitiæ, nec honores, nec deliciæ ab ejus caritate nos separent. Res prosperas ut solatia itineris nostri à Patre immisso; calamitates ut disciplinam, quam amantissimus Pater ad emendationem nostram adhibet, ab illo suscipiamus. In adversis rebus divinam illam sententiam usurpemus: *Castigasti me, & eruditus sum, quasi juvenculus indomitus: converte me, & convertar: quia tu Dominus Deus meus.* Sancti viri *Tobiæ* sectemur exemplum, qui cùm in illa plaga excitaris paternam Dei manum cædentem sensisset, exclamavit: *Benedico te Domine Deus Israël, quia tu castigasti me, & tu salvasti me.* Vox illa Patris nostri qui in cælis est nos consoletur: *Ego quos amo, arguo & castigo.* In illa Apostoli cohortatione conquiescamus: *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina perseverate. Tanquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius quem non corripit pater? Quòd si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes: ergo adulteri, & non filii estis. Deinde patres quidem carnis nostræ, eruditores habuimus, &*

Paterno Dei in nos amori grati animi vicem reddere debemus.

Isai. 49.

Psalm. 76.

Psal. 19.

Psalm. 88.

Jerem. 31.

Tob. 11.

Apocal. 3.

Hebr. 12.

reverebamur eos: non multò magis obtemperabimus Patri Spirituum, & vivemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundum voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus.

III. Deum non modò Patrem appellamus orantes, sed nostrum. Non dicimus *Pater meus*, sed PATER NOSTER. Quamquam enim aliàs Deo supplicare possit Christianus dicendo, *Pater meus*, non minùs quàm dicendo, *Deus Deus meus*: quia singulorum, non minùs quàm omnium Pater est: nefas tamen est Orationis Dominicæ formulam immutare sive interpolare, in eáque non aliter dicendum, quàm *Pater noster*, quia his verbis orare Christus nos docuit. Ideo autem docuit cœlestis Præceptor ut nostrum vocaremus, quia Deo gratior est oratio quam fraterna caritas commendat, & quam non pro se uno Christianus fundit, sed pro toto Ecclesiæ corpore, cujus ipse membrum est. *Ante omnia pacis Doctor atque unitatis Magister singulatim noluit & privatim precem fieri, ut quis cùm precatur, pro se tantùm precetur. Non » enim dicimus, Pater meus qui es in cælis; nec, » Panem meum da mihi hodie; nec dimitti sibi tantùm unusquisque debitum postulat, aut ut in tentationem non inducatur, atque à malo liberetur, pro se solo rogat. Publica est nobis & communis oratio: & quando oramus, non pro uno, sed pro toto populo oramus; quia totus populus unum sumus. Deus pacis & concordiæ Magister qui docuit unitatem, sic orare unum pro omnibus voluit, quo modo in uno omnes ipse portavit.* Verba sunt S. Cypriani.

Deo gratior oratio, quam fraterna caritas commendat.

IV. Hæc verba Dominicæ Orationis aptissima sunt ad confirmandos in Christiana pietate & excitandos inopum & abjectorum hominum animos, nec non ad coërcendam atque deprimendam Divitum ac Potentium arrogantiam. His enim verbis, *Pater noster*, docemur unum esse Deum, & Patrem, & Dominum omnium, divitem in omnes qui invocant illum, apud quem non est acceptio personarum; unam esse Christianorum omnium ex spirituali regeneratione nobilitatem; unum splendorem generis, parem dignitatem, cùm omnes ex eodem Spiritu, ex eodem fidei Sacramento nati simus filii Dei, ejusdémque Regni cælestis cohæredes. Fratres sumus omnes: *Membra sumus corporis Christi, de carne ejus & de ossibus ejus*, inquit Apostolus. *Omnes enim*, ait, *filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus, neque femina. Omnes enim unum vos estis in Christo Jesu. Unus est Pater vester qui in cælis est*; (inquit Christus.) *Omnes autem vos fratres estis.* Fratres sunt omnes homines jure naturæ matris unius: *At quantò dignius fratres & dicuntur, & habentur, qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejusdem ad unam lucem expaverunt veritatis*; inquit *Tertullianus*, Cap. XXXVIII. *Apologetici*. Fraternæ itaque necessitudinis istius memores Christiani, fraternè & comiter se gerant invicem; nec se aliis super alios efferant insolentiùs. His enim salutaris Orationis verbis, *Pater noster*, quæ proferunt, *Admonentur etiam divites vel genere nobiles secundùm sæculum, cùm Christiani facti fuerint, non superbire adversùs pauperes & ignobiles; quoniam simul dicunt Deo*, PATER NOSTER; *quod non possunt verè ac piè dicere, nisi se fratres esse cognoscant.* (Verba sunt S. Augustini, Libro II. *De Sermone Domini in Monte*.)

Omnes Christiani fratres sunt.

Ephes. 5. Galat. 3.

Matth. 23.

V. His etiam verbis, quibus Dominica inchoatur Oratio, admonemur nos ad Deum oraturos adire debere tanquam filios ad patrem, summa cum reverentia, pietate & fiducia; non in timore servili, sed in dilectione. Danda nobis est opera, ut tales nos præbeamus, quales esse decet Dei filios: id est, ut orationes & preces nostræ non indignæ sint divino genere, quo nos nobilitare dignatus est beneficentissimus Deus. *Dei enim & genus sumus.* Quamobrem implere debemus, ad quod nos Apostolus hortatur, officium: *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi.* Verè namque ac piè dicere non potest, *Pater noster*, qui Dei inimicus est, qui in affectu peccati perseverat; ille Deum non orat, sed potiùs Deo insultat. Necesse est ut qui Patrem appellat Deum, filius Dei sit, sin minùs perfectà reconciliatione & remissione peccatorum, bonâ saltem voluntate, odio & detestatione peccati, spe veniæ, sancto desiderio, amore inchoato: quemadmodum filius prodigus *in se reversus*, dixit, *Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cælum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.* Utatur ego voce Novi Testamenti Popu- « lus novus, ad æternam hereditatem vocatus, & dicat, *Pater noster qui es in cælis.*

Ad Deum oraturi adire debemus tanquam filii ad patrem.

Act. 17.

Ephes. 5.

Luc. 15.

S. Aug. Lib. II. De Serm. Domini in Monte.

VI. Deum, quem invocamus, spatio locorum non contineri, sed ubique præsentem esse credimus. Ipsum intelligimus sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia Creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, (ut loquitur *S. Augustinus* Libro V. *De Trinitate*, Cap. I.) Illi tamen dicimus, PATER NOSTER QUI ES IN CÆLIS; tum quia in cælis magnificentiam gloriæ suæ maximè ostendit; tum qui ibi præsertim regnat in Sanctis suis. Sic explicat *sanctus Augustinus* Epistolâ CXX. aliàs CCXXII. *Deo dicimus*, Pater noster qui es in cælis, *non quia ibi est, & hic non est, qui præsentiâ incorporeâ ubique est totus, sed quia in eis habitare dicitur, quorum pietati adest, & hi maximè in cælis sunt: ubi etiam nostra conversatio est, si nos os nostrum veraciter sursum cor habere respondeat.* Sanè quemadmodum terra appellatus est peccator, cùm ei dictum est, *Terra es, & in terram ibis*: sic cælum justus è contrario dici potest: Justis enim dicitur, *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Quapropter si in templo suo habitat Deus, & Sancti templum ejus sunt; rectè dicitur, *Qui es in cælis*, id est, in *Sanctis & Justis*, (ut explicat *S. Augustinus*, Libro II. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. V.) *Et accommodatissima ista similitudo est, ut spiritaliter tantùm interesse videatur inter justos & peccatores, quantùm corporaliter inter cælum & terram. Cujus rei significandæ gratiâ, cùm ad orationem stamus, ad Orientem convertimur, unde cælum surgit: non tanquam ibi habitet & Deus, quasi ceteras Mundi partes deseruerit, qui ubique præsens est, non locorum spatiis, sed Majestatis potentiâ: sed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem se convertere, id est, ad Deum, cùm ipsum corpus ejus quod est terrenum, ad corpus excellentius, id est, ad corpus cæleste convertitur. Convenit etiam gradibus Religionis, & plurimùm expedit, ut omnium sensibus & parvulorum & magnorum benè sentiatur de Deo. Et ideo qui visibilibus adhuc pulcritudinibus dediti sunt, nec possunt aliquid incorporeum cogitare; quoniam necesse est cælum præferant terræ; tolerabilior est opinio eorum, si Deum quem adhuc corporaliter cogitant, in cælo potiùs credant esse quàm in terra: ut cùm aliquando cognoverint dignitatem Animæ cælestis etiam corpus excedere, magis Eum*

Deum, quem invocamus, ubique præsentem esse credimus.

Genes. 3.

1. Cor. 3.

quærunt in Anima, quàm in corpore etiam cælesti; & cùm cognoverint quantùm distet inter peccatorum Animas & justorum, sicut non audebant, cùm adhuc carnaliter saperent, Eum in terra collocare; sed in cælo, sic postea meliori fide vel intelligentiâ magis Eum in animis Justorum quàm in peccatorum requirant. Rectè ergo intelligitur quod dictum est, PATER NOSTER QUI ES IN CÆLIS, *in cordibus Justorum esse dictum tanquam in templo sancto suo. Simul etiam ut qui orat, in se quoque ipso velit habitare quem invocat: & cùm affectat, teneat justitiam; quo munere invitatur ad inhabitandum Animum Deus.*

Vide quæ Libro primo hujus Operis diximus, ad primum Symboli Apostolici Articulum, de divinis perfectionibus, atque inter alias de illius immensitate agentes: & cùm Deum ubique præsentem, & non spatiis distantibus, quasi aliqua mole vel distentione diffusum, sed ubique totum cogitas, averte mentem ab omnibus imaginibus corporum, quas humana cogitatio volvere consuevit. Non enim sic Sapientia, non Justitia, non sic denique Caritas cogitatur, de qua scriptum est, *Deus caritas est.* Cùm verò habitationem ejus cogitas, *Unitatem cogita congregationémque Sanctorum, maximè in cælis: ubi propterea præcipuè dicitur habitare, quia ibi fit voluntas ejus, perfectâ eorum, in quibus habitat, obedientiâ: deinde in terra, ubi ædificans habitat domum suam, in fine sæculi dedicandam.*

ARTICULUS IV.

Orationis Dominicæ Petitio prima explicatur.

SANCTIFICETUR NOMEN TUUM.

I. NOmen Dei dicitur, non hoc solùm, *Deus*, quo eum appellamus, sed hominum de illius Divina Majestate & perfectionibus adorandis existimatio, & quicquid ad illud quovis modo pertinet, quod tunc ab hominibus sanctificari dicitur, cùm ab illis timetur, amatur, colitur, cùm ejus gloria apud homines augetur, cùm bonitas, sanctitas, majestas celebratur. Sanctificare scilicet, Scripturæ sacræ phrasi, idem est ac celebrare, ut Ezechielis Cap. XLIV. *Sabbata mea sanctificabunt.* Et Joëlis I. *Sanctificate jejunium.* Paterni ergo honoris, tanquam boni filii, curam gerentes, imprimis petimus, ut Deus qui semper Sanctus est, apud omnes homines sanctus habeatur, id est, non contemnatur, sed ab omnibus & singulis cognoscatur, & colatur fide, spe, caritate; ab omnibus verbo & opere laudetur & celebretur; quod non Deo, sed hominibus prodest. Ita primam istam petitionem *sanctus Augustinus* explicat Libro II. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. V. *Primum omnium quæ petuntur*, inquit, *hoc est*, Sanctificetur nomen tuum. *Quod non sic petitur, quasi non sit sanctum nomen Dei, sed ut sanctum habeatur ab hominibus: id est, ita illis innotescat Deus, ut non existiment aliquid sanctius, quod magis offendere timeant. Neque enim quia dictum est*, Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus. *sic intelligendum est quasi alibi minor sit Deus, alibi major: sed ibi magnum est nomen ejus, ubi pro sua Majestatis magnitudine nominatur. Ita ibi dicitur sanctum nomen ejus, ubi cum veneratione & offensionis timore nominatur. Et hoc est quod nunc agitur, dum Evangelium adhuc usque per diversas Gentes innotescendo, commendat unius Dei nomen per administrationem Filii ejus.* Petimus ut ad cælestium civium imitationem homines universi Deum in terra colant, diligant, laudent & celebrent. Verba enim illa quæ tertiæ petitioni adjuncta sunt, *Sicut in cælo & in terra*, ad quamlibet primarum trium petitionum referri posse docet Concilii Tridentini Catechismus, ut sic intelligamus: *Sanctificetur nomen tuum sicut in cælo & in terra. Adveniat Regnum tuum sicut in cælo & in terra. Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.*

Quid sit nominis divini, quam petimus, sanctificatio?

Psal. 75.

II. Petimus ut infideles divino lumine illustrati verum Deum agnoscant, & in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs-Sancti veram sanctitatem per Baptismum consequantur. Nihil magis in votis habuerunt, nihil ferventiùs desiderarunt Sancti omnes, quotquot ab origine Mundi in terris vixerunt, quàm ut divini nominis gloria apud omnes gentes inclaresceret, ac ubique, ut par erat, colerent. In hanc sententiam orabat Siracides Ecclesiastici XXXVI. *Immitte timorem tuum super Gentes quæ non exquisierunt te, ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, & enarrent magnalia tua. Alleva manum tuam super Gentes alienas, ut videant potentiam tuam. Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in eis, ut cognoscant te, sicut & nos cognovimus, quoniam non est Deus præter te, Domine.* Sic orantes, Christi doctrinam & exemplum sectamur, qui nihil ardentioribus votis optavit, quàm ut Paterni gloria nominis propagaretur ac celebraretur. *Hoc est*, inquit, *vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum. Ego te clarificavi super terram: Opus consummavi, quod dedisti mihi..... Manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de Mundo..... Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.... Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: ut dilectio, quâ dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.*

Joan. 17.

III. Petimus insuper his verbis, *Sanctificetur nomen tuum*, ut omnes hæreses destruantur & eradicentur, ut omnes agnoscant & venerentur sanctissimam Christi Sponsam & matrem nostram Catholicam, Apostolicam, & Romanam Ecclesiam, extra cujus unitatem & communionem nemini datur Spiritus sanctus totius sanctificationis auctor. Petimus ut magicæ artes, incantationes, sortilegia, superstitiones omnes, quibus divini nominis imminuitur & violatur honor, penitus aboleantur: ut Evangelii Ministri in *simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei* conversentur in hoc mundo; nec *in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis* Evangelium prædicent, *sed in ostensione spiritûs & virtutis, ut non evacuetur Crux Christi.* Ut Pastores & Prædicatores divini verbi non quærant *quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi.*

2. Cor. 1.

1. Cor. 1. & 2.

IV. Oramus etiam his verbis ut qui puram Baptismi integritatem & innocentiæ stolam amiserunt, ac mortalibus peccatis contaminati sunt, ad Deum sincerè convertantur, & pristinam sanctitatem Pœnitentiæ Sacramento redimant.

Concil. Trid. Catech.

V. Precamur iisdem verbis, ut omnes homines agnoscant, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum esse, descendens à Patre luminum.* Virtutem omnem, omnia animi, corporis, externa, vitalia, & salutaria bona illi accepta referri debere, à quo bona cuncta procedunt: ut intelligamus semper nihil boni in nobis esse ex nobis, sed totum ex Dei gratia & munere: ut omnia quæcumque facimus, *In nomine Domini*

Jacob. 1.

& ad ejus gloriam faciamos, dicentes cum Propheta: *Non nobis, Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.* (Psalm. 113.)

VI. Postulamos rursus & nos ipsos his verbis admonemus, *Sanctificetur nomen tuum*, ut non solùm verbis, sed etiam castis & inculpatis moribus, Dei quem colimus, & Religionis quam profitemur sanctitatem comprobemus & demonstremus; ne culpâ nostrâ nomen Dei blasphemetur inter Gentes; (Rom. 2.) sed morum integritate & virtutum operibus, omnine quod gerimus filiorum Dei omnino dignis, omnes homines ad laudem divini nominis excitemos, secundùm illud Christi Domini B Præceptum: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in calis est.* (Matth. 5.) Cui congruit Monitum illud Principis Apostolorum: *Conversationem vestram inter Gentes habentes bonam: ut ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.* (1. Petri 2.)

VII. Quia denique Deus dixit, *Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum*: (Levit. 19.) hac primâ Dominicæ Orationis petitione *Id petimus & rogamus, ut qui in Baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseveremus, & hoc quotidie deprecamur. Opus* C *est enim nobis quotidiana sanctificatione, ut quia quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assiduâ repurgemus. Qua autem sit sanctificatio qua nobis de Dei dignatione confertur, Apostolus pradicat,* (Prima Dominicæ orationis petitione donum perseverantiæ à Deo postulamus.)
» *dicens*: Neque fornicarii, neque idolis servien- (1. Cor. 6.)
» tes, neque adulteri, neque molles, neque mas-
» culorum appetitores, neque fures, neque frau-
» datores, neque ebriosi, neque maledici, neque
» raptores regnum Dei consequentur. Et hæc qui-
» dam fuistis, sed abluti estis, sed justificati estis,
» sed sanctificati estis in nomine Domini Jesu
» Christi, & in Spiritu Dei nostri. *Hac sanctificatio ut in nobis permaneat, oramus: & quia Dominus & Judex noster sanato à se & justificato comminatur jam non delinquere, ut quid ei deterius fiat,* (Joan. 5.) D *hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus ac noctibus postulamus, ut sanctificatio & vivificatio qua de Dei gratia sumitur, ipsius protectione servetur.* Verba sunt *S. Cypriani*, Tractatu *De Oratione Dominica.* Ex quo loco *S. Augustinus*, Libro *De Correptione & Gratia*, Cap. VI. probat perseverantiam esse donum Dei. *Ecce (inquit) gloriosissimus Martyr hoc sentit, quod in his verbis quotidie fideles Christi petunt, ut perseverent in eo quod esse cœperunt. Nullo autem dubitante, quisquis à Domino ut in bono perseveret precatur, donum ejus esse talem* E *perseverantiam confitetur.* Et Libro *De Dono Perseverantia* Cap. III. *In sanctificatione igitur perseverantiam, hoc est, ut in sanctificatione perseveremus, nos ab eo petere iste Doctor intelligit, cum sanctificati dicimus,* Sanctificetur nomen tuum. *Quid est enim aliud petere quod accepimus, nisi ut id quoque nobis prastetur, ne habere desinamus? Sicut ergo sanctus, cùm Deum rogat ut sanctus sit, id utique rogat ut sanctus esse permaneat: ita utique & castus, tum rogat ut castus sit; continens, ut continens sit, justus, ut justus; pius, ut pius: & cetera, qua contra Pelagianos dona Dei esse defendimus, hoc sine dubio petunt,* F *ut in eis perseverent bonis, qua se accepisse noverunt. Quod si accipiunt, profectò & ipsam perseverantiam magnum Dei donum, quo cetera dona ejus conservantur, accipiunt.*

ARTICULUS V.

Orationis Dominica Petitio altera explicatur.

ADVENIAT REGNUM TUUM.

I. UNus Evangelii scopus est, ut ad Regnum Dei nos dirigat, ut observat Concilii Tridentini Catechismus: nam & inde sanctus Joannes Baptista Ministerium suum, & Christus Prædicationem suam exorsus est. (Hominum ad Regnum Dei directio, Evangelii scopus.) *Pœnitentiam agite, (inquit sanctus Præcursor) appropinquavit enim Regnum cælorum.... Exinde cœpit Jesus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum cælorum.* (Matth. 3.) Inde admirabilem illorum Sermonem in Monte inchoavit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cælorum.* (Matth. 4.) Quin etiam turbis ipsum requirentibus & detinentibus ne discederet ab eis, ait: *Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare Regnum Dei: quia ideo missus sum.* (Luc. 4.) C Et duodecim Apostolos ad prædicandum Evangelium mittens: *Euntes (inquit) pradicate, dicentes: Quia appropinquavit Regnum cælorum.* (Matth. 10.) Et homini qui se ad sepeliendum patrem suum ire velle dixerat, ait: *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuntia Regnum Dei.* (Luc. 9.) Post Resurrectionem denique suam per dies quadraginta multoties conspicuum se præbuit Apostolis, *Loquens de Regno Dei* (Act. 1.) Id ut summo studio quæramus Christus jubet: *Quarite primùm Regnum Dei, & justitiam ejus, (inquit) & hac omnia adjicientur vobis.* (Matth. 6.) Quod autem ardentissimis studiis præ ceteris omnibus rebus optare & quærere jubemur, id D Oratione Dominicâ petimus, dicentes: *Adveniat Regnum tuum.*

II. Multiplex est Regni Dei in Scripturis sacris significatio: dicitur enim Regnum Dei potestas ejus & imperium in omne hominum genus, rerúmque creatarum universitatem; necnon providentia quâ cuncta moderatur & regit. (Multiplex Regni Dei significatio.) De quibus *Esther* XIII. dicitur: *Domine Deus Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tua resistere voluntati. Dominus omnium es; nec est qui resistat Majestati tua.* Item Dei Regno significatur præcipua illa ac singularis Providentiæ ratio, quâ Deus pios & sanctos homines E tuetur, eorumque utilitatibus consulit: de qua dictum est à Davide: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*: (Psal. 22.) & ab Isaia: *Dominus Rex noster, ipse salvabit nos.* (Isai. 33.) Regnum istud ut adveniat nos petimos, cùm ab initio mundi fuerit; nisi *adveniat* pro eodem accipiamus, ac, Manifestetur hominibus.

III. Dicitur & Regnum Dei Ecclesia, in qua *Regnant cum illo, qui eo modo sunt in Regno ejus, ut sint etiam ipsi regnum ejus. Hoc Regnum est* (Libro de Civit. Dei. Cap. 9.) *Militia in quo adhuc cum hoste confligitur, & aliquando repugnatur repugnantibus vitiis, aliquando* F *cedentibus imperatur, donec veniatur ad illud pacatissimum Regnum, ubi sine hoste regnabitur,* (inquit *sanctus Augustinus.*) Hoc Regnum Dei dicitur, quia Deus cujus *Regnum est justitia, & pax, & gaudium in Spiritu-Sancto*, (Rom. 14.) regnat in Justis per fidem, spem, & caritatem. Id regnum *Justitia* dicitur, quia Christi Domini justitiâ constitutum est. Atque de hoc Regno Dominus ait: *Regnum Dei intra vos est.* (Luc. 17.) Nam etsi per fidem regnet in omnibus qui sanctæ Ecclesiæ gremio continentur, præcipuo tamen modo regit eos, qui

Petimus ut Regnum gratiæ & perseverantiæ in ea nobis adveniat.

præstanti fide, spe, & caritate præditi, se tanquam pura & viva membra Christi præbuerunt, quos & Reges facit, quia gratiæ suæ dono & virtute præstat ut pravis cupiditatibus dominentur, Deoque fideliter serviant in sanctitate & justitia; cui servire, regnare est. Regnum istud gratiæ, & perseverantiæ in ea, ut nobis adveniat, precamur, cùm dicimus: *Adveniat Regnum tuum.* Hinc *sanctus Ambrosius*, Libro V. *De Sacramentis*, Cap. IV. *Tunc venit Regnum Dei* (inquit) *quando ejus estis gratiam consecuti. Ipse enim ait, Regnum Dei intra vos est.* Et *Cassianus* Collatione IX. Cap. XIX. *Secunda Petitio mentis purissima*, inquit, *advenire jam jamque Regnum sui Patris exoptat, vel illud scilicet quo quotidie Christus regnat in Sanctis, quod ita fit cùm Diaboli imperio per extinctionem fœtentium vitiorum de nostris cordibus pulso, Deus in nobis per virtutum bonum fragrantiam cœperit dominari, & devictâ fornicatione castitas, superato furore tranquillitas, calcatâ superbiâ humilitas in nostra mente regnaverit: vel certè illud, quod præstituto tempore omnibus est perfectis, ac Dei filiis generaliter repromissum.*

IV. Tertiò, Regnum Dei est gloria & felicitas æterna, in cujus possessionem Christus Electos suos mittens in die Judicii, dicet: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione Mundi.* Hoc Regnum Latro pœnitens expetebat, sic Dominum in cruce pendentem rogans: Domine, *Memento mei cùm veneris in Regnum tuum.* De hoc Regno intelligenda est ista Salvatoris Sententia: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in Regnum Dei.* De eodem Regno loquitur *S. Paulus* ad Ephesios scribens, Cap. V. *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, (quod est idolorum servitus,) non habet hæreditatem in Regno Christi & Dei.* In eo itaque quod dicimus, ADVENIAT REGNUM TUUM, *quod seu velimus, seu nolimus, utique veniet, desiderium nostrum ad illud Regnum excitamus, ut nobis veniat, atque in eo regnare mereamur;* (inquit *sanctus Augustinus* Epistolâ CXXX. alias CXXI.

Matth. 25.

Luc. 23.

Joan. 3.

Desiderium nostrum ad æternam gloriam & ejus fruitionem excitamus.

Et Sermone LVII. alias XLII. inter Homilias quinquaginta: *Optare*, inquit, *& orare ut veniat Regnum ejus, nihil est aliud quàm optare ab illo, ut dignos nos faciat Regno suo, ne forte, quod absit, veniat, & non nobis veniat. Multis enim non est venturum, quod tamen venturum est. Eis enim venturum est, quibus dicetur,* « Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum quod vobis paratum est a constitutione Mundi. *Illis non veniet, quibus dicetur,* Discedite a me maligni in ignem æternum. *Cum ergo dicimus,* Veniat Regnum tuum, *oramus ut nobis veniat. Quid est, ut nobis veniat? Ut bonos nos inveniat. Hoc ergo oramus, ut bonos nos faciat: tunc enim nobis veniet Regnum ejus.*

Matth. 25.

Item Sermone LVII. alias IX. *De Diversis*, Cap. V. *Non sic dicimus*, Veniat Regnum tuum, *quasi optantes ut regnet Deus. Regnum ipsius nos erimus, si in illum credentes in eo profecerimus. Omnes fideles redempti sanguine Unici ipsius, erunt Regnum ipsius. Venturum est autem ipsum Regnum, cùm facta fuerit resurrectio mortuorum: tunc enim veniet ipse..... Hoc est quod optamus & rogamus, ut nobis veniat. Nam si nos reprobi fuerimus, illud Regnum aliis venturum est, non nobis. Si autem in eo numero fuerimus, qui pertinent ad membra unigeniti Filii ejus, nobis veniet Regnum ejus.* Et Sermone LVI. alias *De Diversis* XLVIII. Cap. IV. *Hoc desideras, hoc cupis orando, ut sic vivas, quomodo ad Regnum Dei, quod est omnibus Sanctis dandum, pertineas. Ergo ut bene vivas, tibi oras, cùm dicis,* Veniat Regnum tuum. *Pertineamus ad Regnum tuum: veniat & nobis quod venturum est Sanctis & justis tuis.*

Et Libro *De Dono Perseverantiæ*, Cap. III. *Cùm dicimus*, Veniat Regnum tuum: *num aliud poscimus, nisi ut veniat & nobis, quod esse venturum non dubitamus omnibus Sanctis? Ergo & hic qui jam Sancti sunt, quid orant, nisi ut in ea sanctitate quæ illis data est perseverent? Neque enim aliter eis veniet Regnum Dei, quod non aliis, sed his qui perseverant usque in finem, certum est esse venturum.*

Oramus, ut non tantum nobis, sed omnibus hominibus Regnum gratiæ & gloriæ Dei adveniat.

Neque verò nobis duntaxat, sed omnibus hominibus Regnum gratiæ & gloriæ ut adveniat B precamur. Itaque postulamus à Deo ut Ecclesiam suam propagare, adunare, & custodire dignetur toto orbe terrarum. Ut ad veri Dei & Christi qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, fidem & cultum Infideles & Judæi adducantur; ut Hæretici & Schismatici ejuratis erroribus ad sanæ & Catholicæ Doctrinæ professionem, & ad Ecclesiæ Communionem redeant, ut compleatur & ad exitum perducatur quod ab *Isaia* Propheta de Ecclesia prænuntiatum est: *Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende: ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clavos tuos consolida. Ad dexteram enim & ad lævam penetrabis,* C *& semen tuum Gentes hæreditabit, & civitates desertas inhabitabit.* Et alibi: *Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: Filii tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent.* Petimus etiam ut his qui verbis confitentur Deum, factis autem negant, divinæ lucis radiis illustrati, & peccatorum pœnitentiâ compuncti, restituantur in pristinam filiorum Dei dignitatem; atque ita nec illis, nec nobis dominetur omnis iniquitas, non regnet peccatum in mortali nostro corpore, sed solus in illis, nobisque vivat & regnet Deus.

Isai. 54.

Secundum Christi adventum optamus, & in eo æternum opiamus.

D V. Postremò, Regnum Dei vocatur illud, quo Deus, positis omnibus inimicis suis in scabellum pedum suorum, ubique regnaturus est, destructo prorsus corpore & regno peccati, absorptaque morte in victoria Christi Domini. Nam etsi nunc ubique regnat Deus, tamen quia non pacificè, & sine hoste ac bello regnat, & quia multi quasi rebelles ejus imperio ac mandatis resistunt, factis, sin minus verbis dicentes, *Nolumus hunc regnare super nos*, regnare perfectissimè non dicitur. Tunc autem subjugatis hostibus, & amicis liberatis, inimicis damnatis, plenè regnare dicetur. De quo Regno Apostolus I. ad Corinthios E XV. scribit: *Deinde finis; cum tradiderit Regnum Deo & Patri, cùm evacuaverit omnem Principatum & Potestatem, & Virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors: omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cùm autem dicat: Omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subjecit illi omnia. Cùm autem subjecta fuerint illi omnia: tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus in omnibus omnibus.* Eo igitur affectu dicimus, *Adveniat Regnum tuum*, quo fidi Patri Regi pacificum Regnum & victoriam contra hostes precantur. Quod F quia non perficietur donec Jesus Christus Dominus noster veniat ad judicandum vivos & mortuos: ideo cùm petimus ut adveniat Regnum Dei, secundum Christi adventum, & illud quibusdam formidandum, quibusdam vero valde desiderandum Judicium vehementer optamus, utque citò adveniat rogamus, *Exspectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi.* GRANDIS audacia est, cùm

1. Cor. 15. [illegible]

DE ORATIONE.

[*In Cap. 6. S. Matth.*] quit S. Hieronymus.) *& pura conscientia, Regnum Dei postulare, & Judicium non timere.* Sint ergo lumbi nostri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus nostris: & similes simus hominibus [*Luc. 12.*] exspectantibus dominum suum quando revertatur à nuptiis: ut cùm venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei. *Venit Dominus, cùm ad judicium properat. Pulsat verò cùm jam per ægritudinis molestias, mortem vicinam esse designat. Cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus.* Verba sunt *S. Gregorii Magni*, Homiliâ XIII. in Evangelia. Adventum Domini diligamus & desideremus, ut perfectâ caritate dicamus, *Adveniat Regnum tuum.* Nam, ut ait S. Johannes: [*I. Joannis 4.*] *In hoc perfecta est caritas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die Judicii.* Quid est fiduciam habere in die Judicii? *Non timere ut veniat dies Judicii*, inquit *S. Augustinus*, Tractatu IX. in *Johannem*. [*Castus & purus amor adventum Christi & diem Judicii desiderat.*] Qui non credunt futurum diem Judicii, nec timent, nec desiderant quod non credunt. Cœpit aliquis credere diem Judicii: si cœpit credere, cœpit & timere. Sed quia timet adhuc, nondum habet fiduciam in die Judicii, nondum est in illo perfecta caritas. Numquid tamen desperandum est? In quo vides initium, cur desperas finem? Quod initium video? inquis, ipsum timorem. [*Eccli. 1.*] *Initium sapientiæ timor Domini*, inquit Scriptura. *Cœpit ergo timere diem Judicii: timendo corrigat se; vigilet adversùs hostes suos, id est, adversùs peccata sua; incipiat reviviscere interiùs, & mortificare membra sua quæ sunt super terram, sicut Apostolus dicit*, [*Coloss. 3.*] Mortificate membra vestra quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, quæ est simulacrorum servitus. *Quantùm autem mortificat iste qui timere cœpit diem Judicii, membra sua super terram, tantùm surgunt & corroborantur membra cælestia. Membra autem cælestia, omnia opera bona. Surgentibus cælestibus membris, incipit desiderare quod timebat. Timebat enim ne veniret Christus & inveniret impium quem damnaret: desiderat ut veniat, quia inventurus est pium, quem coronet. Jam cùm cœperit desiderare venientem Christum casta Anima, quæ desiderat amplexus Sponsi, renuntiat adulterio, fit virgo interiùs ipsâ fide, spe, & caritate. Habet jam fiduciam in die Judicii. Non contra se pugnat quando orat, & dicit*, Adveniat Regnum tuum. *Qui enim timet ne veniat Regnum Dei, timet ne exaudiatur. Quomodo orat, qui timet ne exaudiatur? Qui autem orat cum fiducia caritatis, optat jam ut veniat.* Hoc desiderio inflammatus David aiebat: [*Psalm. 6.*] *Et tu Domine usquequo? Convertere Domine & eripe animam meam. Gemebat se differri.* Sic & nos ingemiscamus, cum eodem Propheta dicentes: [*Psalm. 119.*] *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!..... Sitivit anima mea ad Deum* [*Psalm. 41.*] *fortem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Et cum Apostolo: *Infelix ego homo,* [*Rom. 7.*] *quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei* [*Philipp. 1.*] *per Jesum Christum..... Cupio dissolvi & esse cum* [*Rom. 8.*] *Christo.... Nos ipsi primitias Spiritûs habentes ingemiscamus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri.....* Mortem ne timeamus, sed desideremus peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum: ideoque studiis omnibus contendamus placere illi. *Sunt homines*, inquit *S. Augustinus*, Tractatu IX. in Johannem, [*Perfecti patienter vivunt, delectabiliter moriuntur.*] *qui cum patientia moriuntur: sunt autem quidam perfecti qui cum patientia vivunt. Qui adhuc desiderat istam vitam, quando illi venerit dies mortis, patienter tolerat mortem: luctatur adversùm se, ut sequatur voluntatem Dei; & hoc potiùs agit animo, quod eligit Deus, non quod eligit voluntas humana: & ex desiderio vitæ præsentis fit lucta cum morte, & adhibet patientiam & fortitudinem ut æquo animo moriatur: iste patienter moritur. Qui autem desiderat, sicut dicit Apostolus, dissolvi & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter vivit, delectabiliter moritur. Vide Apostolum patienter viventem, id est, cum patientia hic non amare vitam, sed tolerare. Dissolvi, inquit, & esse cum Christo,* [*Philipp. 1.*] *multò magis optimum: manere autem in carne, necessarium propter vos. Ergo Fratres, date operam, intus agite vobiscum ut desideretis diem Judicii. Aliter non probatur perfecta Caritas, nisi cùm cœperit ille dies desiderari. Ille autem eum desiderat, qui fiduciam habet in illo: ille autem fiduciam habet in illo, cujus conscientia non trepidat in Caritate perfecta atque sincera.*

VI. [*Mors Justis expetenda potiùs, quàm timenda.*] Mors justis expetenda potiùs quàm timenda est, quâ finis peccato in illis imponitur, concupiscentia destruitur, ad vitam æternam perennéque Regnum transitur. *Quid tantopere vitam istam desideramus*, inquit sanctus Ambrosius, *in qua quantò diutiùs quis fuerit, tantò majore oneratur sarcinâ peccatorum? Ipse Dominus ait*, [*Matth. 6.*] Sufficit diei malitia sua. *Et Jacob dixit*: [*Genes. 47.*] Dies annorum vitæ meæ quos habeo, centum triginta minimi & mali: *non quia dies mali, sed quia nobis accessu dierum malitia incrementa cumulantur. Nullus enim dies sine nostro peccato præterit. Unde egregiè Apostolus ait*: [*Philipp. 1.*] Mihi enim vivere Christus est, & mori lucrum; *aliud ad necessitatem vitæ referens, aliud ad mortis utilitatem...... Christus enim Rex noster est; & ideo quod Rex jubet, deserere non possumus & contemnere. Quantos Imperator terræ hujus in peregrinis locis aut honoris specie, aut muneris alicujus causâ jubet degere; numquid hi inconsulto Imperatore discedunt? Et quantò amplius est divinis placere quàm humanis? Vivere ergo Sanctis Christus est, & mori lucrum. Unde Apostolus quasi servus, non enim refugit vitæ obsequium, & quasi sapiens lucrum mortis amplectitur. Lucrum est enim evasisse incrementa peccati, lucrum fugisse deteriora, & ad meliora transisse. Et addit*: Dissolvi enim & cum Christo esse, multò meliùs: permanere autem in carne magis necessarium propter vos. [*Mors Justorum, perfectum Sacrificium.*] *Aliud meliùs, aliud necessarium. Necessarium propter fructum operis, meliùs propter gratiam & copulam Christi.* Verba sunt *sancti Ambrosii*, Libro *De Bono Mortis*, Cap. II. Mors justorum sacrificium est: unde David postquam pretiosam in conspectu Domini mortem Sanctorum ejus esse dixit, [*Psalm. 115.*] *Dirupisti*, inquit, *vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis*: significans *Illud perfectum esse Sacrificium, quando unusquisque Domino corporis hujus vinculis absolutus adsisteret, & offerret se hostiam laudis*, inquit *sanctus Ambrosius*, Cap. III. ejusdem libri. Frustra igitur homines mortem timent quasi finem naturæ. Nam si recolamus quòd Deus mortem non fecerit: sed postquam lapsus homo in flagitium est prævaricationis & fraudis, Sententia eum comprehenderit, ut in terram suam terra remearet, [*Mors finis peccati.*] *Inveniemus mortem finem esse peccati; ne quò vita esset diuturnior, eò fieret culpa numerosior. Passus est igitur Dominus subintrare mortem, ut culpa cessaret. Sed ne iterum naturæ finis esset in morte, data est resurrectio mortuorum, ut per mortem culpa deficeret, per resurrectionem autem perpetuaretur natura.* Ideoque mors hæc transitus universorum est. Opus est ut constanter transeas. Transitus autem à corruptione in incorruptionem, à mortalitate ad immortalitatem, à perturbatione ad tranquillitatem. Non igitur nomen te mortis offendat,

Peccatori se numquam emendaturo, mors aliquo sensu magis optanda, quàm vita.

» sed boni transitûs beneficia delectent. *Quid est enim mors, nisi sepultura vitiorum, virtutum suscitatio?* Verba sunt *sancti Ambrosii*, Cap. IV. ejusdem Libri. Vita morte amarior, etiam impio. *Gravius est enim ad peccatum vivere, quàm in peccato mori; quia impius quandiu vivit, peccatum auget: si moriatur, peccare desinit. Plerique criminum suorum absolutione lætantur. Si emendaturi sunt, rectè: si perseveraturi in eis, stultè: quia longè illis plus damnatio profuisset, ut incrementa facerent peccatorum* (inquit *sanctus Ambrosius*, Cap. VII. ejusdem Libri.) Quòd si vel ipsis peccatoribus mors optanda magis quàm vita est, potiori longè ratione Sanctis & Justis est expetenda, ut cum Christo regnent, utque in illis Deus regnet in æternum.

Precibus frequenter iteratis rogamus ut acceleret dies regni, & Dei fruitio.

Quid ergo oramus & petimus ut adveniat Regnum cœlorum, si captivitas terrena delectet? Quid precibus frequenter iteratis rogamus & poscimus, ut acceleret dies Regni, si majora desideria, & vota potiora sunt servire istic Diabolo, quàm regnare cum Christo? (inquit *S. Cyprianus*, Libro *De Mortalitate.*) *Ejus est mortem timere, qui ad Christum nolit ire: ejus est ad Christum nolle ire, qui non credat cum Christo incipere regnare. Scriptum est enim, Justum ex fide vivere.* (Rom. I. 17.) *Si justus es, & fide vivis, si verè in Deum credis; cur non cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris, amplecteris; & quod diabolo careas, gratularis! NUNC dimitte servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace;* (inquit S. Simeon) *probans scilicet atque contestans tunc esse servis Dei pacem, tunc tranquillam quietem, quando de istis Mundi turbinibus extracti, sedem & securitatis æternæ portum petimus, quando expunctâ hac morte ad immortalitatem venimus. Illa est enim nostra pax, illa fida tranquillitas, illa stabilis & firma & perpetua securitas. Ceterùm quid aliud in mundo, quàm pugna adversùs diabolum quotidie geritur; quàm adversùs jacula ejus & tela conflictationibus assiduis dimicatur? Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est; cum carnalibus vitiis, cum illecebris sæcularibus assidua & molesta luctatio est. Obsessa mens hominis & undique diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si avaritia prostrata est, exurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio: si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit. Cogeris maledicere, quod divina Lex prohibet: compelleris jurare, quod non licet. Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus urgetur, & delectat hîc inter diaboli gladios diu stare; cùm magis concupiscendum sit & optandum ad Christum subveniente velociùs morte properare, ipso instruente nos & dicente:* Amen, amen » dico vobis, quoniam vos plorabitis & plange» tis, sæculum autem gaudebit: vos tristes eri» tis, sed tristitia vestra in lætitiam veniet. (Joan. c. 16.) *Quis non tristitiâ carere optet? Quis non ad lætitiam venire festinet? Quando autem in lætitiam veniat nostra tristitia, Dominus denuo ipse declarat dicens:* » Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, » & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. *Cùm ergo Christum videre, gaudere sit, nec possit esse gaudium nostrum, nisi cùm viderimus Christum; quæ cæcitas animi, quæve dementia est amare pressuras & pœnas, & lacrymas mundi, & non festinare potiùs ad gaudium quod nunquam possit auferri? Hoc autem fit, Fratres dilectissimi, quia fides deest; quia nemo credit vera esse quæ promisit Deus qui verax est, cujus sermo credentibus æternus & firmus est.... Si in Christum credimus, fidem verbis & promissis ejus habeamus; & non morituri in æternum, ad Christum, cum quo & victuri & regnaturi semper sumus, lætâ securitate veniamus. Quod interim morimur, ad immortalitatem morte transgredimur: nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit exire: non est exitus iste, sed transitus, & temporali itinere decurso ad æterna transgressus. Quis non ad meliora festinet?..... Ejus est in Mundum diu velle manere, quem Mundus oblectat, quem sæculum blandiens atque decipiens illecebris terrenæ voluptatis invitat. Porrò cùm Mundus oderit Christianum; quid amas eum qui te odit, & non magis sequeris Christum qui te redemit & diligit?* Hæc *S. Cyprianus*, Libro *De Mortalitate.*

Avaritia vitanda.

Cavere ab omni avaritia Christus jubet. *Parum est avaritia pecuniæ, cave avaritiam vitæ. Horrenda avaritia, metuenda avaritia!* (inquit *S. Augustinus* Sermone CVII. aliàs *De Tempore* CXCVI. & *De Diversis* XXVIII.) Ab amore igitur vitæ præsentis, ab amore sæculi expeditum esse oportet Christianum hominem, ut, quo par est animo, dicat in Dominica Oratione, *Adveniat Regnum tuum.* Sæculi finem, Judicii diem votis ardentissimis optet necesse est. *Votum Christianorum, confusio Nationum, exultatio Angelorum, propter quod oramus*, inquit Tertullianus.

Continuò orandum, ne à regno cælesti excidamus.

VII. Continuâ autem oratione & prece opus » est, ne excidamus à Regno cælesti, sicut Judæi, » quibus hoc priùs promissum fuerat, exciderunt, » Domino manifestante & probante: *Multi*, inquit, » *venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac & Jacob in Regno cælorum. Filii autem Regni ejicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & stridor dentium.* (Luc. 13. 29.) Ostendit quia antè fi- » lii Regni Judæi erant, quando & filii Dei esse » perseverabant; postquam cessavit circa illos » numen paternum, cessavit & Regnum. *Et ideo* » *Christiani, qui in Oratione appellare Patrem Deum cœpimus, nos & ut Regnum Dei nobis veniat oramus.* (inquit *S. Cyprianus*, in Tractatu *De Oratione Dominica.*)

ARTICULUS II.

Orationis Dominicæ Petitio tertia explicatur.

FIAT VOLUNTAS TUA SICUT IN CÆLO ET IN TERRA.

I. CUm Nomen Dei à nobis, ut par est, sanctificari non possit, nisi fiat in nobis & à nobis voluntas ejus, quæ est sanctificatio nostra: cúmque ad Regnum cæleste pervenire non possimus, nisi Dei voluntatem faciamus, hoc est, nisi mandata ejus servemus, secundùm illa Christi Domini oracula: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:* (Matth. 19. 17.) &, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in Regnum cælorum:* (Matth. 7. 21.) primis duabus Orationis Dominicæ Petitionibus, tertia hæc ordine congruo subjungitur: FIAT VOLUNTAS TUA SICUT IN CÆLO ET IN TERRA.

Hujus petitionis ratio.

II. Hujus autem Petitionis ratio est hominis lapsi miseria & infirmitas. Quamvis enim per baptismum deleatur ac remittatur peccatum originale, manent tamen ignorantia & concupiscentia, manet proclivitas ad malum, voluntas carnis, lex membrorum legi mentis repugnans, quâ fit ut non quæcumque volueriмus, eadem etiam faciamus.

DE ORATIONE.

[Postulandum à Deo ne voluntati nostræ nos permittat.] faciamus. Quamobrem à Deo suppliciter postulandum est, ne voluntati nostræ nos permittat, quæ ad peccandum tantùm valet, nisi ab ipso adjuvetur: siquidem *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* [Genes. 8.] Postulandum à Deo est, ne corrupto judicio nostro nos relinquat, quo sæpe dicimus *Malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* [Isai. 5.] Ægrotis enim similes sumus, qui vero gustandi sensu amisso, à salubri victu alieni sunt: & nisi pulso morbo sanè gustandi vim non recipiunt, nec bonorum & integrorum hominum officia possunt obire. [Concil. Trid. Catech.] Sic nos, etsi justi simus, adeóque sani secundùm mentem, quod nobis Gratiâ suâ medicinali præstitit Christus, infirmi tamen semper remanemus secundùm carnem, per quam servimus legi peccati; quâ fit ut animalis homo non percipiat quæ Dei sunt, nec gustare possit quàm suavis est Dominus, nisi divinâ gratiâ adjuvetur. Pueris similes sumus, qui suo relicti arbitrio, temerè moventur ad omnia, ludicris sermonibus & actionibus dediti sunt, & ea quæ noxia sunt imprudenter amplectuntur. Unde Sapientia his verbis nos commonet: *Usquequo parvuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia capiant?* [Proverb. 1.] Et Apostolus: *Nolite*, inquit, *pueri effici sensibus.* [1. Cor. 14.] Prudentiam quidem carnis, prudentiam hujus sæculi ex nobis habemus, sed prudentiam Spiritûs, quæ ad salutem necessaria est, habere non possumus, nisi auctore & adjutore Deo. Petendum igitur à Deo est, ut voluntas nostra & abstrahatur à noxiis, & ad salutaria dirigatur: ut post concupiscentias nostras nos ire non permittat, nec tradat nos desideriis cordis nostri, atque in adinventionibus nostris ire sinat; sed quod cœpit in nobis ipse perficiat, hoc est, carnalis concupiscentiæ vim in nobis coërceat, compescat, mortificet, carnem repugnantem spiritui subjiciat, suámque voluntatem in nobis impleat, & a nobis perfici tribuat, ut carne & spiritu Deo servire, & verè dicere possimus: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* [Psal. 83.] Sic pro Colossensibus orabat Epaphras, Apostolo teste: [Coloss. 4.] *Semper*, inquit, *sollicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei.* Sic Apostolus ipse pro Thessalonicensibus: [2. Thessal. 1.] *In quo etiam oramus semper pro vobis, ut dignetur vos vocatione sua Deus noster, & impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute.* Et pro Hebræis: [Hebr. 13.] *Deus autem pacis aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum.* A Satanæ tyrannide per Christi gratiam erepti, & in Dei regnum translati sumus: necesse est igitur ut ad istius regni leges vitam omnésque actiones nostras componere modis omnibus studeamus, nostrámque voluntatem ad voluntatem Dei velut ad supremam & indeficientem Regulam dirigamus, quod ut assequi possimus, suppliciter illud à Deo petimus his verbis, *Fiat voluntas tua.*

[Quid nomine voluntatis Dei, quam fieri petimus, intelligatur?] III. Nomine igitur voluntatis Dei hîc intelliguntur universa, quæ nobis ad cælestem beatitudinem comparandam proponuntur, sive illa ad Fidem, sive ad Mores pertineant: omnia denique quæcunque nos Christus Dominus per se vel per Ecclesiam suam facere jussit aut prohibuit. De qua voluntate scribit Apostolus: [Ephes. 5.] *Nolite fieri imprudentes: sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.* [Concil. Trid. Catech.] Cùm igitur Deum oramus dicentes, *Fiat voluntas tua*: petimus à Deo ut nos faciat suis obedire mandatis, ut qui sine illo esse non possumus, secundùm illum vivere valeamus: ut ad nutum & voluntatem ejus omnia faciamus; in omnibus quæ a nobis agenda sunt semper attendentes *Quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta*: [Rom. 12.] ut ea colamus officia, de quibus in sacris Litteris admonemur, quarum adorandis verbis, velut Epistolâ quadam ad creaturam suam missâ, voluntatem suam nobis explicat Deus Optimus Maximus Rex & Legislator noster. Oramus, ut ipso duce & auctore illa omnia præstemus, quæ eos decent, *Qui non ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt*, [Joann. 1.] ad exemplum Christi Domini, qui dicit: *Non veni ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*: [Joann. 6.] & *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*; [Philipp. 2.] Ac dulcissimarum necessitudinum vinculis sibi conjunctos esse significavit, qui cælestis Patris mandatis obtemperarent: *Quicumque*, inquit, *fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater & soror, & mater est.* [Matth. 12.] Voluntati Dei obediendo secundus Adam se discrevit à Primo. « Iste non facit voluntatem suam, sed ejus à quo missus est, « cùm ille fecerit suam, non ejus à quo creatus est; « (inquit *S. Augustinus* Libro 2. *Contra Maximinum Arianum*, Cap. xx.) Ejus exemplum imitari cupientes, oramus ut nulla nos tentatio, nullæ blandientis mundi illecebræ, nulla temporalium bonorum vel adipiscendorum spes, vel amittendorum timor, non prosperæ, non adversæ res, nulla tandem creatura nos abducat unquam à voluntate Dei perficienda. Hoc affectu orabat David Spiritu Dei edoctus & impulsus: *Utinam*, [Psalm. 118.] inquit, *dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.... Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.... Da mihi intellectum ut discam mandata tua.... Justitias tuas doce me.... Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum: & non dominetur mei omnis injustitia..... Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* [Psalm. 142.] [S. August. in Psalm. 30. Serm. 3.] Justus semper facit voluntatem Dei, semper secundùm ejus voluntatem vivit. *Voluntas Dei de corde ejus non recedit: quia voluntas Dei ipsa est lex Dei. Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* [Psalm. 1.] Id ut in nobis fiat precamur, cùm dicimus, *Fiat voluntas tua.* [Bonam voluntatem à Deo petimus, id est, caritatem.] Bonam voluntatem à Deo supplices petimus, id est, Caritatem, quam nisi illo donante habere non possumus. *Nisi amor ejus detur inde nobis, non est unde esse possit in nobis. Ac per hoc voluntas bona quâ diligitur Deus, in homine non potest esse, nisi in quo Deus operatur & velle. Hæc igitur voluntas bona, id est, Deo fideliter subdita, volantas sanctitate superni Amoris accensa, voluntas quæ diligit Deum, & proximum propter Deum, non diffunditur in cordibus nostris, nisi per Spiritum qui datus est nobis*; (inquit *S. Augustinus*, Libro *De Patientia*, Cap. xxv.) Bonam illam voluntatem à Deo nobis dari petimus, dicentes: *Fiat voluntas tua.*

IV. Petimus insuper ne faciamus *Opera carnis*, quæ Apostolus enumerat ad Galatas scribens, ne *secundùm carnem* vivamus, Ne *desideria carnis* perficiamus; [Galat. 5.] [Rom. 8.] quia (ut ipse ait) *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Petimus ne sinat Deus ea nos perficere quæ sensus, quæ cupiditas, quæ imbecillitas nostra suaserit, sed ut Spiritu-Sancto suo nos ducat, regat & agat; *Quoniam qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Petimus ut propriam nostram voluntatem, amorémque nostri perversum, qui fons est omnium vitiorum, extinguat & destruat, suáque voluntate nos moderetur. [Voluntati propriæ contraria caritas.] Voluntati propriæ contraria est rectà fronte caritas quæ Deus est. *Quid enim odit aut punit Deus præter propriam voluntatem? Cesset voluntas*

propria, & infernus non erit; (inquit *S. Bernardus*, Sermone 1. pro tempore Paschali.) *Porrò voluntas propria quo furore Dominum Majestatis impugnet, audiant & timeant servi propriæ voluntatis. Primò namque se ipsam & subtrahit & subducit ejus dominatui, cui tanquam Auctori servire jure debuerat, dum efficitur sua. Sed nunquid contenta erit hac injuriâ? Nequaquam: addit adhuc & quod in se est, omnia quoque quæ Dei sunt tollit & diripit. Quem enim modum sibi ponit humana cupiditas? Nonne qui per usuram acquirit pecuniam modicum, similiter mundum lucrari conaretur universum, si non deesset possibilitas, si suppeteret voluntati facultas? Dico fiducialiter, Nemini qui sit in propria voluntate, posset universus mundus sufficere. Sed utinam vel rebus istis esset contenta, ne in ipsum (horribile dictu!) desæviret Auctorem. Nunc autem & ipsum (quantùm in ipsa est) Deum perimit voluntas propria. Omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quæ, quantùm in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut injustum esse, aut insipientem. Crudelis planè & omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, justitiam, sapientiam, perire desiderat.* Crudelem hanc C bestiam, feram pessimam, Dei inimicam expugnari, vinci, subjici precamur Dei voluntati, ut non noster sensus in nobis, sed jugiter Ejus prævaleat affectus

Concil. Trid. Catech.

Petimus ne concedatur nobis à Deo quod interdum, suadente Diabolo, tanquam bonum postulamus.

V. Non solùm petimus ne concedatur nobis à Deo quod temerè & libidinis impulsu cupimus, privatóque studio quod depravatum est: sed ne id etiam detur quod suasore & impulsore Dæmone, qui se in Angelum lucis transfigurat, tanquam bonum interdum postulamus. Rectissimum illud Principis Apostolorum studium videbatur, pietatémque spirans, quo Dominum à profe- D ctione Jerosolymam, ubi Passionem & Mortem se proximè subiturum Discipulis prænuntiabat, avocare nitebatur: & tamen eum Dominus acriter objurgavit, quòd humanis sensibus, non divinâ ratione duceretur.

Matth. 16.

Vade post me Satana, inquit, *scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* Eaque occasione Christus Discipulis suis præclarum hoc abnegandæ propriæ voluntatis documentum dedit, quod totius vitæ spiritualis fundamentum est: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Ardentissimi in Christum E amoris argumentum videbatur, quod Sancti Apostoli Jacobus & Joannes petierunt, ut juberet ignem è cælo descendere, quo Samaritanorum illorum impia inhospitalitas plecteretur, qui eum in civitatem suam recipere noluerunt. Verùm à Christo Domino reprehensi sunt his verbis: *Nescitis cujus Spiritûs estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.*

Luc. 9.

Cùm ergo plerúmque Diabolus, cui mille nocendi artes, nos ad aliqua suscipienda, vel agenda impellat, quæ tametsi per se mala non sint, spectatis tamen rerum circumstantiis mala sunt, nostræque vel proximi saluti noxia, nihil quod alicujus sit momenti suscipiendum vel agendum est, nisi à spiritalibus viris, conscientiæque nostræ peritis Moderatoribus consilium exquisierimus, Deúmque ferventissimis precibus rogaverimus ut suam nobis voluntatem aperiat, illique totum commiserimus humili & obedienti animo dicentes, *Fiat voluntas tua.* F

VI. Maximè verò in adversis rebus, in rerum temporalium jactura, in charorum nostrorum amissione, in morbis & infirmitatibus gravissimis, in egestate, ignominia, oppressione, si A quam à Potentioribus patimur, in ipso mortis discrimine, ex animo precari debemus, ut Dei voluntas in nobis ac de nobis impleatur, exemplo Christi, qui cùm naturaliter insito cruciatuum & mortis acerbissimæ timore commoveretur, suam tamen ad Dei Patris retulit, penitúsque conformavit voluntatem. *Non mea*, inquit, *voluntas, sed tua fiat.* Nusquam adversùs Dei voluntatem & providentiam obmurmurandum; mentis æquabilitas, & cor rectum cum eo tam in prosperis, quàm in adversis servare debemus, sive nos vivere, sive mori velit, sive affligi, ut emendemur; sive sublevari, ut ejus benignitati gratias agamus.

Quo præsertim tempore postulare debemus ut Dei voluntas in nobis, ac de nobis impleatur.

Luc. 22.

B Injurias, vim, calamitates ab hominibus nobis immissas patienter ferre debemus, immò cum gaudio, quòd hæc ita Deus administret, ut nostra voluntas impediatur, quo magis adoranda illius voluntas nobis dominetur. Nec in homines, qui sunt flagella iræ Dei, aut vindictæ ejus instrumenta excandescere debemus ultionis libidine, canum instar, qui cùm hominem verberantem mordere non possint, baculum aut lapidem morsibus appetunt. Si quis igitur, quod frequenter usu venit, contra voluntatem nostram C aliquid faciat vel omittat, loquatur, aut sileat; ne ea re ad impatientiam aut iram commoveamur, ne queramur, vociferemur, judicemus, condemnemus, aut verbis durioribus & contumeliosis proscindamus; immò Deo gratias agamus, quod Dei voluntatem contra nostram promoverint. Hanc gratiam petimus his verbis: *Fiat voluntas tua.*

VII. Cùm item Dei voluntas sit ut *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*, hoc est, ut sortem suam æquo animo ferat: hac petitione Dominicæ Orationis admonemur, ne D statum nostrum temerè mutare contendamus, nisi aliqua detur opportunitas melioris conditionis citra ullam rerum perturbationem amplectendæ, quæ Dei providentiâ oblata potiùs, quàm nostra cupiditate quæsita videatur: sed magis ut sua cuique sors à Deo contingit, in ea quieto ac tranquillo animo Divinæ Majestati serviat: *Alligatus es uxori? Noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem:* (inquit Apostolus.) *Servus vocatus es? Non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis utere.*

1. Cor. 7.

Animi moderationem postulamus, ut in statu nostro Deo feliciter ac tranquillè serviamus.

1. Cor. 7. 17.

Sed cum illa animi moderatio absque Dei gratia non habeatur, hanc à Deo E postulamus his verbis, *Fiat voluntas tua.* Rectus corde est, qui ex animo sic orat. *Prætende misericordiam tuam scientibus te, & justitiam tuam his qui recto sunt corde*, (orabat David) *Quàm bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde.* Illi recto sunt corde, qui sequuntur in hac vita voluntatem Dei; (inquit *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum XXXV.) *Voluntas Dei est aliquando ut sanus sis, aliquando ut ægrotes: si quando sanus es, dulcis est voluntas Dei, & quando ægrotus amara est voluntas Dei; non recto corde es? Quare? Quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, sed Dei vis curvare ad tuam: illa recta est, sed tu curvus: voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curvanda est ad te, & rectum habebis cor. Bene est in hoc sæculo, benedicatur Deus qui consolatur: laboratur in hoc sæculo, benedicatur Deus qui emendat & probat: & eris recto corde dicens: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.*

Psalm. 35.

Recti corde voluntatem Dei sequuntur.

Psalm. 72.

F Et Enarratione in Psalmum LXIII. illum Versum explicans, *Laudabuntur omnes recti corde*, ait: *Qui sunt recti corde? Qui omnia quæcumque in hac vita patiuntur, non ea tribuunt insipientiæ, sed consilio Dei ad medicinam suam; nec præsu-*

mum de justitia sua, ut putent se injustè pati quod patiuntur, aut ideo esse Deum injustum, quia non plura patitur qui plus peccat. Aliquid sensit, sive secundum corpus, sive secundum dispendium rei familiaris, sive per orbitatem aliquam carissimorum tuorum: noli respicere eos quos nosti iniquiores te, & florere in istis, & non flagellari, ac displiceat sibi consilium Dei, & dicas, Ecce puta peccator sum, & propterea flagellor, quare ille non flagellatur, cujus novi tanta flagitia? Quantumcunque mali fecerim ego, numquid ego tantum feci quantùm ille? Distortum est cor tuum. Quàm bonus Israël Deus; sed rectis corde! Tui autem labuntur pedes, quia zelas in peccatores, pacem peccatorum intuens. Sine curare: novit quid agat, qui vulnus novit. Non secatur alius? Quid si desperatur? Quid si propterea tu secaris, quia non desperaris? Patere ergo quidquid pateris recto corde: novit Deus quid tibi donet, quid tibi subtrahat. Quod tibi donat, ad consolationem valeat, non ad corruptionem: & quod tibi subtrahit, ad tolerantiam valeat, non ad blasphemiam. Si autem blasphemas, & displicet tibi Deus, & tu tibi places; perverso corde & distorto es: & hoc pejus, quia cor Dei vis corrigere ad cor tuum, ut hoc ille faciat quod tu vis, cùm tu debeas facere quod ille vult. Quid ergo? Vis detorquere cor Dei, quod semper rectum est, ad pravitatem cordis tui? Quantò meliùs ad rectitudinem Dei corrigis cor tuum? Nonne hoc te docuit Dominus tuus? Nonne infirmitatem tuam portavit, quando dixit, Tristis est anima mea usque ad mortem? Nonne teipsum in se figurabat, cùm dicebat: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste? Non enim duo corda & diversa Patris & Filii: sed in forma servi portavit cor tuum, ut doceret illud exemplo suo. Jam ecce quasi aliud cor tuum invenit tribulatio, volens transire quod imminebat: sed noluit Deus. Non consentit Deus cordi tuo; consenti tu cordi Dei. Audi vocem ipsius: VERUM non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater.

Matth. 26.

Et Enarratione II. in Psalmum XXXII. explicans hæc verba, Rectos decet collaudatio, ait: Qui sunt recti? Qui dirigunt cor secundùm voluntatem Dei; & si eos perturbat humana fragilitas, divina consolatur æquitas: Quamvis enim corde mortali privatim aliquid velint, quod suæ interim caussæ vel negotio, vel præsenti necessitati conveniat; ubi intellexerint vel cognoverint aliud Deum velle, præponunt voluntatem Melioris voluntati suæ, & voluntatem Omnipotentis voluntati infirmi, & voluntatem Dei voluntati hominis. Quantùm enim Deus distat ab homine, tantùm voluntas Dei à voluntate hominis. Unde gerens hominem Christus, & regulam nobis proponens, docens nos vivere, & præstans nobis vivere, ostendit hominis quamdam privatam voluntatem, in qua suam figuravit & nostram, quia caput nostrum est, & ad eum tanquam membra pertinemus. Pater, inquit, si fieri potest, transeat à me calix iste. Hæc humana voluntas erat, proprium aliquid & tanquam privatum volens. Sed quia rectum corde voluit esse hominem, ut quicquid in illo aliquantum curvum esset, ad illum dirigeret, qui semper est rectus; Verùm non quod ego volo, inquit, sed quod tu, Pater. Sed quid posset mali velle Christus? Quid aliud posset velle quàm Pater? Quorum una est Divinitas, non potest esse dispar voluntas.... Ostendit quamdam hominis propriam voluntatem, ostendit te, & correxit te. Ecce vide, inquit, te in me; quia potes aliquid proprium velle, ut aliud Deus velit, conceditur hoc humanæ fragilitati, conceditur humanæ infirmitati. Aliquid proprium velle difficile est ut non tibi contingat: sed statim cogita qui sit supra te. Illum supra te, te infra illum; illum Creatorem, te creaturam; illum Dominum, te servum; illum omnipotentem, te infirmum: & corrigens te, subjungénsque voluntati ejus, ac dicens, Verùm non quod ego volo, sed quod tu vis Pater. Quomodo disjunctus es à Deo qui jam hoc vis quod Deus? Eris ergo rectus; & te decebit laudatio, quoniam RECTOS decet laudatio.

VIII. Sed quia ita depravatum est cor nostrum, ut cùm vim etiam intulerimus nostræ cupiditati, eámque divinæ voluntati subjecerimus, tamen sine auxilio Dei, quo à malo protegimur, & in bonum dirigimur, peccata vitare non possimus, & in justitia perseverare, petendum à Deo est, ut qui in nobis salutis opus incœpit, ipse perficiat. Petunt ergo perseverantiam justi homines qui faciunt voluntatem Dei, cùm dicunt in oratione, Fiat voluntas tua. Cum enim jam facta sit in eis, cur ut fiat adhuc petunt, nisi ut perseverent in eo quod esse cœperunt? inquit sanctus Augustinus Libro De Dono Perseverantiæ, Cap. III. Oramus ut voluntas Dei non solùm fiat in nobis, sed à nobis. Fiat voluntas tua: id est, Fiat in me ut non resistam voluntati tuæ. Ergo & hic pro te oras, & non pro Deo. Fiet enim voluntas Dei in te, etsi non fit à te. Nam & quibus dicturus est: Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum quod vobis paratum est ab origine mundi, fiet in illis voluntas Dei, ut Justi & Sancti accipiant Regnum: & quibus dicturus est, Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus, fiet in illis voluntas Dei, ut mali damnentur in ignem sempiternum. Aliud est ut fiat à te. Ut ergo fiat in te, non sine caussa oras, nisi ut bene sit tibi. Sive ergo bene sit tibi, sive malè sit tibi, fiet in te: sed fiat & à te. Quare ergo dico: Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra: & non dico, Fiat voluntas tua à cælo & à terra? Quia quod fit à te, Ipse facit in te. Numquam fit à te, quod non ipse facit in te. Sed aliquando facit in te, quod non fit à te: numquam autem aliquid fit à te, si non facit in te. Verba sunt sancti Augustini, Sermone LVI. aliàs De Diversis XLVIII.

Perseverantiam petimus, cum oramus ut voluntas Dei fiat.

Matth. 25.

Oramus, inquit sanctus Cyprianus, non ut Deus faciat quod vult, sed ut nos faciamus quod Deus vult; nam Deo quis obsistit, quò minùs quod velit faciat? Sed quia nobis à Diabolo obsistitur, quò minùs per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, oramus & petimus ut fiat in nobis voluntas Dei, quæ ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est, ope ejus & protectione: quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentiâ & misericordiâ tutus est. Ad faciendam Dei voluntatem S. Johannes hortatur, dicens: Nolite diligere Mundum, neque ea quæ in Mundo sunt. Si quis dilexerit Mundum, non est caritas Patris in illo. Quia omne quod in Mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi, quæ non est à Patre, sed ex concupiscentia Mundi. Et Mundus transibit, & concupiscentia ejus. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quomodo & Deus manet in æternum. Qui in æternum manere volumus, Dei, qui æternus est, voluntatem facere debemus. Voluntas autem Dei est, quam Christus & fecit & docuit: humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, injuriam facere non nosse, & factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod Pater est, timere quod Deus est, Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis quidquam ille præposuit: Ca-

Tract. De Orat. Dom.

Oramus ut faciamus quod Deus vult.

1. Joann. 2.

Voluntas Dei est, quam Christus fecit & docuit.

ritati ejus inseparabiliter adhærere, Cruci ejus fortiter ac fidenter adsistere: quando de ejus nomine & honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, quâ confitemur; in quæstione fiduciam, quâ congredimur; in morte patientiam, quâ coronamur: hoc est coheredem Christi esse velle, hoc est præceptum Dei facere, hoc est voluntatem Patris adimplere. Hæc sanctus Cyprianus.

Oramus, ut sicut ab Angelis, ita ab hominibus voluntas Dei adimpleatur.

IX. Petimus autem ut fiat voluntas Dei *sicut in cælo & in terra*, id est, ut quemadmodum perfectè adimpletur ab Angelis & cælestibus Civibus, qui Deo unanimes serviunt, & in omnibus summo studio, summa facilitate, summa caritate, summa delectatione obsequuntur: sic ab hominibus qui in terra sunt, & de terra secundùm corpus facti sunt, adimpleatur integerrimè, concordissimè, tranquillè, delectabiliter. Ut non solùm spiritu, sed & carne Deo serviamus; & sicut in renovatis per Dei gratiam hominibus spiritus non resistit Deo, sed illi adhæret ac voluntati ejus obsequitur; ita & corpus non resistat spiritui, sed illi subdatur & pareat, quod tandem perfectè fiet, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. Tunc enim nulla erit cupiditas, quæ hic tantùm minuitur in Sanctis, quantùm crescit caritas. Oramus denique, ut quemadmodum in Justis, qui cælorum nomine interdùm in Scripturis significantur, sic etiam in peccatoribus, quos terræ nomine quandoque Scriptura secundùm allegoriam designat, Dei voluntas fiat: ut Deum pariter agnoscant, colant, ejúsque mandatis obediant. Hoc triplici sensu vim istius comparationis Patres explicant; quamquam primus litteræ magis congruat.

Ut sicut in justis, sic in peccatoribus voluntas Dei fiat.

Ita *S. Cyprianus*, Tractatu De Oratione Dominica: *Fieri autem petimus voluntatem Dei ut in cælo & in terra, quod utrumque ad consummationem nostræ incolumitatis pertinet & salutis. Nam cùm corpus è terra, & spiritum possideamus è cælo, ipsi terra & cælum sumus, & in utroque, id est, & corpore & spiritu, ut Dei voluntas fiat, oramus. Est enim inter carnem & spiritum colluctatio, & discordantibus adversùs se invicem quotidiana congressio; ut non quæ volumus ipsa faciamus; dum spiritus cælestia & divina quærit, caro terrena & sæcularia concupiscit: & ideo petimus impensè inter duo ista, ope & auxilio Dei concordiam fieri: ut dum & in spiritu & in carne voluntas Dei geritur, quæ per eum renata est, Anima servetur. Quod apertè atque manifestè Apostolus Paulus sua voce declarat:* » Caro, *inquit*, concupiscit adversùs spiritum, & » spiritus adversùs carnem. Hæc enim invicem ad» versantur sibi, ut non quæ vultis ipsa faciatis. *Et ideirco quotidianis, immo continuis orationibus hoc precamur, & in cælo & in terra voluntatem circa nos Dei fieri: quia hæc est voluntas Dei ut terrena cælestibus cedant, spiritalia & divina prævaleant. Potest & sic intelligi, ut quoniam mandat & monet Dominus etiam inimicos diligere, & pro iis quoque qui nos persequuntur orare; petamus & pro illis qui adhuc terra sunt, & necdum cælestes esse cœperunt, ut & circa illos voluntas Dei fiat, quam Christus hominem conservando & redintegrando perfecit. Nam cùm Discipuli ab eo non jam terra appellentur, sed sal terræ: & Apostolus primum hominem vocet de terræ limo, secundum verò de cælo: meritò & nos qui esse debemus Patri Deo similes, (qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos,) sic Christo monente oramus & petimus, ut precem pro omnium salute faciamus: ut quomodo in cælo, id est, in nobis per fidem nostram voluntas Dei facta est, ut essemus è cælo; ita & in terra, hoc est, in illis non credentibus fiat voluntas Dei, ut qui adhuc sunt prima nativitate terreni, incipiant esse cælestes, ex aqua & Spiritu renati.*

Galat. 5.

Ita *S. Augustinus*, Libro II. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. VI. FIAT VOLUNTAS TUA SICUT IN CÆLO ET IN TERRA, *id est, sicut est in Angelis, qui sunt in cælo, voluntas tua, ut omni modo tibi adhæreant téque perfruantur, nullo errore obnubilante sapientiam eorum, nullâ miseriâ impediente beatitudinem eorum, ita fiat in Sanctis tuis, qui in terra sunt & de terra, quod ad corpus attinet, facti sunt; & quamvis in cælestem habitationem atque immutationem, tamen de terra assumendi sunt. Ad hoc respicit etiam illa Angelorum prædicatio,* Gloria in excelsis Deo, & in » terra pax hominibus bonæ voluntatis: *ut cùm » præcesserit bona voluntas nostra, quæ vocantem sequitur, perficiatur in nobis voluntas Dei, sicuti est in cælestibus Angelis; ut nulla adversitas resistat nostræ beatitudini, quod est pax. Item,* Fiat voluntas tua, *rectè intelligitur, Obediatur præceptis tuis:* sicut in cælo & in terra, *id est; sicut ab Angelis, ita ab hominibus. Est etiam ille intellectus,* Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra: *Sicut in Sanctis & Justis, ita etiam in peccatoribus. Quod adhuc duobus modis accipi potest; sive ut oremus etiam pro inimicis nostris: (Quid enim sunt aliud habendi, contra quorum voluntatem Christianum & Catholicum nomen augetur?) ut ita dictum sit,* Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra, » *tanquam si diceretur, Faciant voluntatem tuam sicut Justi, ita etiam peccatores, ut ad te convertantur. Sive ita,* Fiat voluntas tua sicut in cælo » & in terra, *ut sua cuique tribuantur, quod fiet » extremo judicio, ut Justis præmium, peccatoribus damnatio retribuatur, cùm agni ab hœdis separabuntur. Ille etiam non absurdus, immo & fidei & spei nostræ convenientissimus intellectus est, ut cælum & terram accipiamus spiritum & carnem. Et quoniam dicit Apostolus,* Mente servio legi Dei, » carne autem legi peccati; *videmus factam volun» tatem Dei in mente, id est, in spiritu: cùm autem absorpta fuerit mors in victoriam, & mortale hoc induerit immortalitatem, quod fiet carnis resurrectione, atque illa immutatione quæ promittitur Justis: fiat voluntas Dei & in terra, sicut in cælo; id est, ut quemadmodum spiritus non resistit Deo, » sequens & faciens voluntatem ejus: ita & corpus non resistat spiritui vel animæ, quæ nunc corporis infirmitate vexatur, & in carnalem consuetudinem prona est: quod erit summa pacis in vita æterna, ut non solùm velle adjaceat nobis, sed etiam perficere bonum.* Nunc *enim* Velle, *inquit*, adjacet » mihi: perficere autem bonum, non: *quia non» dum in terra sicut in cælo, id est, nondum in carne sicut in spiritu, facta est voluntas Dei. Nam & in miseria nostra fit voluntas Dei, cùm ea patimur per carnem, quæ nobis mortalitatis jure debentur, quam peccando meruit nostra natura: sed id orandum est, ut sicut in cælo; ita & in terra fiat voluntas Dei; id est, ut quemadmodum corde condelectamur legi secundùm interiorem hominem, ita etiam corporis immutatione factâ, huic nostræ delectationi nulla pars nostra terrenis doloribus seu voluptatibus adversetur.*

Luc. 2.

Oramus ut spiritu & carne Deo serviamus.

Rom. 7.

1. Cor. 15.

Rom. 7.

Legatur & Sermone LVI. alias XLVIII. *De Diversis*, item Sermone LVII alias *De Diversis* IX. Sermone LVIII. aliàs XLII. inter Homilias quinquaginta, & Libro *De Dono Perseverantiæ*, Cap. III.

Interpretationi priori, quæ magis litteralis est, adhæsit *sanctus Hilarius* in Psalmum CXXXIV. hujus petitionis sensum esse dicens: *Fac ut sicuti volun-*

tati tuæ in cælis ab indefessis & cælestibus Virtutibus paretur, ita & à nobis in terra pareatur, ne corporalis nos infirmitas ab exequenda tua voluntate deflectat. In cælis enim indefessis quotidie vocibus dicitur: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth; pleni sunt cæli & terra gloriâ tuâ. Fac ut nobis quoque nihil aliud in opere sit, nisi per quod sanctificetur Nomen tuum: Nihil aliud in spe: nisi per quod etiam in nos tuum Regnum speramus: nihil aliud in voluntate, nisi per quod tibi Deo nostro æterna à nobis laudes sunt deferendæ. A B

ARTICULUS VII.

Orationis Dominicæ Petitio quarta explicatur.

PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE.

TRes priores Petitiones ad vitam æternam pertinent. Quatuor sequentes ad vitam istam peregrinationis nostræ. Quamvis enim Angelis æquales aliquando nos futuros ex Dei misericordia speremus: quia tamen carnales interim ac mortales sumus, multis corporis animíque subsidiis egentes, donec mortale hoc induerit immortalitatem; ideo cælestis disciplinæ Magister Christus Jesus jubet ut omnia tam spiritualia, quàm temporalia bona ad hanc vitam traducendam necessaria supplices à Deo bonorum omnium auctore postulemus: mala item omnia, quæ nos à Regni cælestis tramite per Christum ipsum præmonstrato avertere possunt, humiliter deprecemur. D

S. August. Serm. 57. aliàs De Diversis 3. Oramus igitur in hunc modum: *Panem no-» strum quotidianum da nobis hodie.* Da æterna, » da temporalia. Promisisti Regnum, noli nega-» re subsidium. Dabis apud te sempiternum orna-» mentum, da in terra temporale alimentum. Duo-» bus autem modis intelligenda est ista petitio de » pane quotidiano, sive pro necessitate carnalis » victûs, sive etiam pro necessitate spiritualis ali-» moniæ.

Panis nomine intelligitur quicquid ad præsentis vitæ subsidium necessarium est. I. Primùm ergo *Panis* nomine hic intelligitur quicquid ad præsentis vitæ subsidium necessarium est, nempe cibus, potus, indumentum, ceteraque omnia sine quibus commodè vivere non possumus. Panis enim nomine cetera quæ ad corporalem sustentationem pertinent, in Scripturis sacris sæpè significatur. Genes. XXVIII. *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reversúsque fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, &c.* Genes. XLIII. *Audierant quòd ibi comesturi essent panem.* IV. Regum VI. *Pone panem & aquam coram eis, ut comedant & bibant, & vadant ad dominum suum, Appositáque est eis ciborum magna præparatio, &c.* Lucæ XIV. *Cùm intraret Jesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, &c.* Nec tamen primaria intentio animi nostri ad hæc temporalia ferri debet, quibus à Christo dictum est, *Matth. 6.* *Quærite primùm Regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis:* cùm enim dixit: *Primùm*, significavit quòd hoc *posteriùs* quærendum sit, *non tempore, sed dignitate*: ut loquitur S. Augustinus, Libro II. *De Sermone Domini in Monte,* E F

Cap. XVI. Quamvis porro laborandum sit ut necessaria temporalis vitæ subsidia nobis procuremus, panem tamen à Deo postulare in dies singulos jubemur, ut agnoscamus illum de manu Dei; id est, ejus providentiâ & paternâ benignitate nos recipere, qui filios suos non relinquit, cùm malis etiam provideat, & brutis etiam animantibus det escam opportuno tempore. Unde Propheta ait: *Junior fui, etenim senui, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* *Psalm. 36.* Improbi qui Deum non timent, nec ex fide vivunt, laboribus suis, industriæ, sollicitudini tribuunt comparata vitæ temporalis subsidia: Justi verò, tametsi labori parcendum non esse sciant, quia ex justa Dei Sententia in sudore vultûs nostri parare nobis panem debemus, Deo tamen acceptum referunt quotidianum victum, & quicquid ad vitæ sustentationem opus est. *Genes. 3.* Firmissimè enim credunt, ut par est, inanes fore labores nostros, nisi Deus illis benedixerit: quod & experientiâ comprobatur, siquidem Deo sæpè ob scelera nostra irato fruges in deteriorem segetem degenerant, vel succrescente agrestium herbarum asperitate opprimuntur, vel nimbis, vento, grandine, uredine, rubigine perculsæ & prostratæ intereunt; aut salubri nutriendi roborandíque corpora nostra virtute quodam modo sunt destitutæ. Quò pertinet illud Isaiæ III. *Auferet Dominus à Jerusalem & à Juda omne robur panis, & omne robur aquæ.* Itaque, *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, *1. Cor. 3.* à quo & *Imbrem matutinum & serotinum*, *Joël. 2.* opportunasque frugum nostrarum incrementis & maturitati tempestates, & solis aliorúmque siderum influxus immitti atque dispensari fides docet. Laborandum igitur, sed sine sollicitudine quam prohibet Christus, dicens, *Nolite solliciti esse dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quò operiemur? Hæc enim omnia Gentes inquirunt.* Labores nostri Dei benedictioni sunt commendandi, qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione. Qui sic in timore Dei laborant, labores manuum suorum, cum gaudio cordis & gratiarum actione manducant, quicumque sunt illorum fructus ut dona Dei percipientes: cùm interim impiis, quorum laboribus Deus non benedicit, vanum sit ante lucem surgere, & quamvis locupletissimi videantur, non manducant sæpè nisi panem doloris.

Docet nos autem Christus *Panem* simpliciter postulare, ut quidquid est superfluæ voluptatis, magis quàm necessariæ frugalitatis resecet, intelligamúsque nos necessaria dumtaxat, non superflua; non exquisitam ciborum copiam, non vestium pompam, non variæ pretiosæque supellectilis apparatum & ornamenta quærere debere; ut *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* *1. Tim. 6.* In quem modum Salomon orabat, dicens: *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria: ne fortè satiatus illicìar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? Aut egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei mei.* *Proverb. 30.*

Ad necessitatem dumtaxat sublevandam, non ad luxuriam, bona temporalia optare & petere à Deo debemus. II. *Panem nostrum* à Deo postulamus, ut admoneamur nos ad necessitatem dumtaxat mortalis hujus vitæ sublevandam, non ad luxuriam bona illa temporalia optare & petere à Deo debere; illáque nobis à Deo dari ut alamur & commodè sustentemur, quantum vitæ præsentis necessitas, decorúmque status nostri exigunt, seu *congruens habitus personæ hominis, quo habitu non sit inconveniens eis, cum quibus honestè*

Cur panem nostrum vocitamus? officiosèque vivendam est; (ut loquitur *sanctus Augustinus*, Epistolâ cxxx. aliàs cxxi. Cap. vii.) *Nostrum* etiam appellamus, quod jure à nobis acquirendus sit, non injuriâ, fraude, furto, aut quibusvis malis artibus parandus. Quæ enim sic parta sunt, non nostra sunt, sed aliena; ac proinde restitutioni obnoxia, adeo ut nec eleemosynam ex illis erogare liceat. *Non enim habet gratiam liberalitas, si injuria perseverat; quia non spolia, sed dona quæruntur*, inquit *sanctus Ambrosius*. S. Ambr. Lib. 8. in Luc. *Nostrum* igitur panem dicimus, quem labore nostro & industriâ peperimus, adjuvante Dei benignitate: petimus autem à Deo bonam mentem, quâ B rectè partis sobriè, justè ac piè uti possimus. *Nostrum* denique panem appellamus, quia illum cum pauperibus dividendum accepimus, quâ de re legendus *S. Joannes Chrysostomus*, Concione ii. De Lazaro. *Panem nostrum* dicimus, & tamen ut detur oramus: *Noster quippe fit cum accipitur, qui tamen Dei est, quia ab illo datur. Sic justitia nostra dicitur, non quæ ex nobis nostra est, sed quæ divin[illegible]gitate fit nostra*, ait *S. Gregorius*, Libro xxiv. *Moralium*, Cap. vii.

Cur, Quotidianum? III. PANEM QUOTIDIANUM petimus, qua voce frugalis victus, & parabilis intelligitur, Cupiditas & anxia solicitudo damnantur. C non exquisitus, non delicatus; qui naturæ sufficiat, non qui gulæ serviat, deliciásque subministret. Unde hac voce temperantia & sobrietas commendantur. Damnatur etiam cupiditas eorum, qui domum ad domum conjungunt, & agrum agro copulant usque ad terminum loci, qui divinâ maledictione apud Isaiam percelluntur. Isaiæ 5. Studium thesaurizandi in terra, divitiasque congregandi, istâ voce, *quotidianum*, Christus damnavit, jubens quod Apostolus prædicavit, ut *Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus*. Hebr. 13. 1. Tim. 6. Nam *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix* D *enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Tollitur præterea solicitudo & cura crastini, cùm *panem quotidianum* à Deo petere Christus docet, qui & paulò post hanc legem præscribit: Matth. 6. *Nolite ergo soliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua.* Labor exercendus, anxia solicitudo deponenda. Jactanda cura super Dominum, & ipse nos enutriet, quo manum aperiente implentur omnia bonitate. Ubi Dominus ait, *Nolite solliciti esse in crastinum*, ad id pertinet, ut temporalia non amemus, neque timeamus ne nobis desint E necessaria, & propter ipsa conquirenda vel Deo vel hominibus serviamus; (inquit *S. Augustinus* Libro *Contra Adimantum*, Cap. xxiv.) Cum fiducia panem nostrum *quotidianum* à Patre nostro cælesti ut postulemus, necesse est ut quotidie in ejus cultu & amore perseverare firmo proposito statuamus. Sic enim implebitur in nobis Propheticum Psalm. 33. illud Oraculum, *Timete Dominum omnes sancti ejus: quoniam non est inopia timentibus eum, Divites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Quamvis enim sæpè pauperes sint justi, cùm tamen victum vel in diem habent, & suâ sorte sunt contenti, divitibus feliciores sunt. *Pereat avaritia, & dives est natura*, inquit *S. Augustinus*.

A Dei benignitate præsentis vitæ subsidia expectare profitemur. IV. Quotidianum panem à Deo nobis dari supplicamus, *da nobis*, ab ejus benignitate duntaxat nos præsentis vitæ subsidia exspectare professi. His verbis monentur divites *Non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum*. Nam & ipsi Mendici Dei sunt. *Profiteris te Mendicum Dei*, inquit *S. Augustinus*, Sermone lvi. aliàs 1. Tim. 6. *De Diversis* xlviii. *Sed noli erubescere. Quantumlibet quis sit dives in terra, mendicus Dei est. Stat mendicus ante domum divitis: sed & ipse dives stat ante domum magni Divitis. Petitur ab illo, & petit. Si non egeret, aures Dei non pulsaret. Et quid eget dives? Audeo dicere, ipso pane quotidiano eget dives. Quare enim abundant illi omnia? Unde, nisi quia Deus dedit? Quid habebit, si Deus subtrahat manum suam? Nonne multi dormierunt divites, & surrexerunt pauperes? Et quod illi non deest, Misericordia Dei est, non potentia ipsius.*

B V. Hunc panem dari nobis *Hodie* rogamus, Hac voce Hodie, paupertatem evangelicam docemur. id est, eo ipso die quo petimus; vel toto vitæ hujus mortalis decursu. Nullus præterit dies, nulla hora, nullum momentum temporis, quo non indigeamus temporali aliquo subsidio, quod, qualecumque sit, nomine panis quotidiani significatum est. Hac voce, *Hodie*, Paupertatem Evangelicam edocemur, quam spiritu & animo amplecti, affectum à terrenis opibus & temporalibus bonis abstrahendo, Christianus quisque tenetur. Unde *sanctus Cyprianus*, Tractatu de Oratione Dominica: *Potest verò & sic intelligi*, inquit, C *ut qui sæculo renuntiavimus, & divitias ejus & pompas fide gratiæ spiritalis abjecimus; cibum nobis tantum petamus & victum: quando instruat Dominus & dicat:* Qui non renuntiat omnibus quæ sunt ejus, non potest meus discipulus esse. Luc. 14. 33. *Qui autem Christi cœpit esse discipulus, secundùm Magistri sui vocem renuntians omnibus, diurnum habet cibum petere, nec in longum desideria petitionis extendere...... Meritò Christi discipulus victum sibi in diem postulat, qui de crastino cogitare prohibetur: quia & contrarium sibi fit & repugnant ut quæramus in sæculo diu vivere, qui petimus Regnum Dei velociter advenire.* Et S. *Augustinus*, Sermone lvi. D aliàs *De Diversis* xlviii. Cap. vi. *Impudentia est*, inquit, *ut à Deo petas divitias: non est impudentia ut petas panem quotidianum. Aliud est unde superbias, aliud unde vivas.* Hodie petimus, id est, *hoc tempore*, inquit idem Doctor Sermone lvii. *Cùm transierit vita ista, numquid petemus panem quotidianum? Tunc enim non vocabitur* Quotidie; *sed* Hodie. *Nunc vocatur* Quotidie, *quando transit dies, & venit alius dies. Numquid vocabitur* Quotidie, *quando erit æternus unus dies?*

VI. Quem *panem quotidianum* dicimus, ut apud S. Lucam legitur, *S. Hieronymus* vertit *supersubstantialem*: Quid sit Panis super substantialis. Quam vocem in S. Matthæi E Latina Versione servavit Ecclesia: Hujus tamen vocis eadem vis est ac istius, *quotidianæ*. Dicitur *supersubstantialis*, Græcè ἐπιούσιος; id est, substantiæ superadditus, vel super substantiam adjectus ad illam roborandam, conservandam, augendam. Hebraicam vocem hoc verbo expressam, Septuaginta Interpretes, ubicumque in Veteri Testamento occurrit, reddunt περιούσιον; [illegible], id est, *præcipuum* vel *egregium*, ut transtulit *Symmachus*. [illegible] 6. Quando ergo petimus ut peculiarem vel præcipuum nobis Deus tribuat panem, [illegible]nem spiritualem petimus, illum scilicet qui dicit: *Ego sum Panis vivus qui de cœlo descendi.* In Evangelio, F quod secundùm Hebræos appellabatur, pro supersubstantiali Pane, *crastinum* significari secundùm vim Hebraicæ vocis, *Machar*, S. Hieronymus observat, ut sit sensus: *Panem nostrum crastinum, id est, futurum, da nobis hodie.* Secundùm hanc interpretationem *crastinum* est omne id spatium vitæ quod nobis emetiendum superest, incognitum quidem nobis, Deo autem cognitum. [illegible] id quod ei spatio sufficit. Homines plurimi, incerti, quandiu

A quandiu victuri sunt, senectutis exspectationem avaritiæ prætendunt: & sæpè quò minùs est viæ, eo plus quæritur viatici. Volt Christus nos Deo hanc curam committere, ut quantum vitæ superest, tantum nobis suppeditet subsidiorum temporalium. Neque ita tamen ut poscamus id omne nobis repræsentari. Est enim valde illiberalis animi non credere Deo nisi sub pignore. Quemadmodum igitur filii & servi, qui sunt in potestate Patris-familiâs & boni, & sapientis, & divitis, non postulant ut alimenta in multos annos sibi recondere liceat, sed contenti sunt alimento B diurno: ita & Christus abesse volens à precibus nostris tum diffidentiam, tum aviditatem, panem dumtaxat in diem postulare nos docuit. Atque hunc sensum confirmant Versiones Orientales. Versio Syriaca: *Da nobis Panem indigentiæ nostræ hodie.* Æthiopica: *Cibum nostrum cujusque diei nostri da nobis hodie.* Persica: *Panem nobis da qui diei necessarius est.*

Panis vitæ Christus, & corpus Christi.

VII. *Possumus supersubstantialem Panem & aliter intelligere, qui super omnes substantias sit, & universas superet creaturas*; (inquit S. Hieronymus in Cap. VI. S. Matthæi.) *Nam Panis vitæ Christus est*, ait S. Cyprianus, *& Panis hic omnium non est, sed noster est: & quomodò dicimus*, Pater noster; *quia intelligentium & credentium Pater est; sic & Panem nostrum vocamus: quia Christus, noster (qui Corpus ejus contingimus) Panis est. Hunc autem Panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti & non communicantes à cælesti Pane prohibemur, à Christi Corpore separemur; ipso prædicante & monente:* Ego sum » Panis vitæ qui de cælo descendi. Si quis ederit de meo Pane, vivet in æternum. Panis autem » quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vi» ta. *Quando ergo dicit in æternum vivere, si quis ederit de ejus Pane; ut manifestum est eos vivere qui Corpus ejus attingunt, & Eucharistiam jure communicationis accipiunt: ita contra timendum est & orandum, ne dum quis abstentus separatur à Christi Corpore, procul remaneat à salute: comminan» te ipso & dicente:* Nisi ederitis Carnem Filii ho» minis, & biberitis Sanguinem ejus, non ha» bebitis vitam in vobis. *Et ideo Panem nostrum, id est, Christum dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus & vivimus, à sanctificatione » ejus & corpore non recedamus.* Quæ verba Sancti » Hominis Dei, *Perseverantiam prorsus à Domino Sanctos indicant poscere, quando hac intentione di» cunt*, Panem nostrum quotidianum da nobis ho» die; *ne à Christi Corpore separentur, sed in ea sanctitate permaneant, quâ nullum quo inde separari mereantur, crimen admittant*; (inquit S. Augustinus, Libro *De Dono Perseverantiæ*, Cap. IV.

Eucharistia panis noster quotidianus.

Joan. 6.

Et Sermone LVIII. aliàs XLII. inter Homilias quinquaginta: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, Eucharistiam tuam, quotidianum cibum. Norunt enim fideles quid accipiant, & bonum est eis accipere panem quotidianum huic tempori necessarium. Pro se rogant ut boni fiant, ut in bonitate & fide, & vita bona perseverent. Hoc optant, hoc orant: quia si non perseveraverint in vita bona, separabuntur ab illo Pane. Ergo* Panem nostrum quotidia» num da nobis hodie, *quid est? Sic vivamus, ut ab Altari tuo non separemur.*

Panis noster quotidianus est & Dei verbum.

VIII. Panis quotidianus, quem à Deo poscimus, verbum etiam Dei Patres interpretantur. *S. Augustinum* audiamus Sermone LVI. aliàs *De Diversis* XLVIII. *Quia*, inquit, *iste panis visibilis & tractabilis datur & bonis & malis; est panis quotidianus quem petunt filii. Ipse est sermo Dei, qui nobis quotidie erogatur. Panis noster quotidianus est: unde vivunt non ventres, sed mentes. Necessarius est nobis etiam nunc operariis in vinea, cibus est, non merces. Operario enim duas res debet, qui illum conducit ad vineam, cibum, ne deficiat; & mercedem, unde gaudeat. Cibus noster quotidianus in hac terra sermo Dei est, qui semper erogatur Ecclesiis: merces nostra post laborem vita æterna nominatur.* Et Sermone LVII. aliàs *De Diversis* IX. *Et quod vobis tracto*, inquit, *Panis quotidianus est: & quòd in Ecclesia B lectiones quotidie auditis, panis quotidianus est, & quòd hymnos auditis & dicitis, panis quotidianus est. Hæc enim sunt necessaria peregrinationi nostræ. Numquid illuc quando venerimus, codicem sumus audituri? Ipsum Verbum visuri, ipsum Verbum audituri, ipsum manducaturi, ipsum bibituri quomodo Angeli modò. Numquid Angelis codices sunt necessarii, aut disputatores, aut lectores? Absit. Videndo legunt: vident enim ipsam Veritatem, & illo fonte satiantur, unde nos irroramur.*

Quantâ reverentiâ audiendum sit Christi verbum, docet *S. Cæsarius*, Sermone XCV. in Ap- C pendice Augustiniana CCC. *Quid vobis plus esse videtur*, inquit, *verbum Dei, an Corpus Christi? Si verum vultis respondere, hoc utique dicere debetis, Quòd non sit minus verbum Dei, quàm Corpus Christi. Et ideo quanta sollicitudine observamus, quando nobis Corpus Christi ministratur, ut nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat; tantâ sollicitudine observemus, ne verbum Dei quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus aut loquimur, de corde nostro depereat: quia non minus reus erit qui verbum Dei negligenter audierit, quàm ille qui Corpus Christi in terram cadere negligentiâ suâ permi- D serit.*

Dei verbum quanta reverentia audiendum?

Panis noster quotidianus, quem assiduè desiderare, & petere à Deo debemus, justitia est, *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.* Justitia porrò Christus est, *Qui factus est nobis justitia & sapientia.* Cibus est qui reficit, nec deficit; qui sumitur, & non consumitur; qui esurientes satiat, & integer manet. Hunc cibum manducant, qui piè Dei verbum audiunt. Sed *Bene manducat, & malè digerit, qui audit verbum Dei, & non facit: non enim ducit utilem succum, sed crudum ructat indigestione fastidium*; (inquit *S. Augu-* E *stinus* Sermone XXVIII. aliàs VII. editorum ex Carthusiæ MSS.) In cælis *Non erit aliquis Magister verbi, sed Magistrum Verbum.* In terris autem etsi alius sit Prædicator verbi, alii auditores: *Intus tamen ubi nemo videt, omnes auditores sumus; & omnes & foris & intus in conspectu Dei factores esse debemus. Unde intus factores?* Quia qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. *Et potest esse mœchus nullo homine vidente, sed Deo puniente. Quis est ergo intus factor? Qui non ad concupiscendum videt. Quis est foris factor?* Frange panem tuum esurienti. *Hoc enim cum fit, videt & proxi-* F *mus: sed quo animo fit, non videt nisi Deus.* Estote ergo factores verbi, & non auditores tantùm, » fallentes vosmetipsos: *Non Deum, non eum qui » prædicat. Ego enim vel quisquis vobis prædicat verbum, cor vestrum non videt: quid agatis intus in cogitationibus vestris, judicare non potest. Quia homo non potest, inspector Deus, cui cor humanum non potest occultari. Ipse videt quo studio audis, quid cogites, quid teneas, quid proficias de supplementis suis, quàm instanter ores, quemadmodum depreceris Deum ex eo quod non habes, quomodo gratias agas ex eo quod habes: ille novit qui exacturus est.* Verba sunt *S. Augustini*, Sermone CLXXIX. aliàs *De Diversis*

Matth. 5.

1. Cor. 1.

Verbum Dei audiendum & faciendum.

Matth. 5.

Isa. 58.

XXVII. Pane illo cælesti pasci debent, eóque pariter indigent & illi qui erogant. Nam, (ut ibidem ait S. Augustinus) *Verbi Dei inanis est forinsecus Prædicator, qui non est intus auditor.*

Panis quotidiani nomine omnia subsidia spiritualia intelliguntur.

IX. Panis denique quotidiani nomine, quem à Deo postulamus, intelliguntur omnia subsidia spiritualia, quæ Animæ nostræ necessaria sunt in dies, sive *Gratia quotidiana*, ut vocat *Innocentius I.*

ARTICULUS VIII.

Orationis Dominicæ Petitio quinta explicatur.

ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICUT ET NOS DIMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS.

Cur peccata nostra dicantur debita.

I. PEccata nostra *debita* vocantur, quòd illis tanquam ære alieno obstricti Divinæ Justitiæ teneamur. Unde *Lucæ* Cap. XI. eadem Petitio his verbis enuntiatur: *Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem & ipsi dimittimus omni debenti nobis.* Cùm enimverò peccando abstulerit homo debitum honorem & obedientiam Deo, ejus legem violaverit, Divinæque Majestati irrogaverit injuriam, ipsi satisfacere debet per Pœnitentiam, aut pœnas invitus dare. *A Deo quippe accipit natura peccatrix ut sit misera, si non rectum fecerit; & beata, si fecerit. Quia enim nemo superat Leges Omnipotentis Creatoris, non sinitur Anima non reddere debitum. Aut enim reddit bene utendo, quod accipit; aut reddit amittendo quo bene uti noluit. Itaque si non reddit faciendo justitiam, reddet patiendo miseriam, quia in utroque verbum illud debiti sonat. Hoc enim etiam modo dici potuit quod dictum est, si non reddidit faciendo quod debet, reddet patiendo quod debet. Nullo autem temporis intervallo ista dividuntur, ut quasi alio tempore non faciat quod debet, & alio patiatur quod debet, ne vel puncto temporis universalis pulcritudo turpetur, ut sit in ea peccati dedecus sine decore vindictæ. Sicut enim qui non vigilat, dormit: sic quisquis non facit quod debet, sine intervallo patitur quod debet; quoniam tanta est beatitudo justitiæ, ut nemo ab ea nisi ad miseriam possit abscedere;* inquit *S. Augustinus.*

S. August. Lib. 3. De Lib. Arbit. Cap. 15.

Igitur statim atque peccavit homo, pœnæ obnoxius est, & satisfactioni, statim divinæ justitiæ debitor est. Omne peccatum est iniquitas, pro qua justitiæ lege satisfieri debet, aut pœnæ dari. Quocirca peccata debita nuncupantur, & debitis assimilantur *Matthæi* XVIII. propositâ parabolâ servi qui Domino suo debebat decem millia talenta, quod debitum dominus liberaliter dimisit; & alterius, cui conservus debebat centum denarios, quos ille immisericorditer exegit. Et Christus de hominibus illis decem & octo, super quos cecidit turris in Siloë ait, Lucæ XIII. *Putatis quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jerusalem? Non, dico vobis: sed si Pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Hinc *S. Cæsarius* Arelatensis Episcopus Viduam ære alieno obstrictam, cujus oleum Miraculo auxit Elisæus, ut debita solveret, Ecclesiæ per Christum à debitis peccatorum liberatæ figuram fuisse ait, Sermone XXIII. in Augustiniana Appendice XLII alias De Tempore CCVI. *Vidua ista*, inquit, *debitum grave contraxerat, non solidorum, sed peccatorum. Debitum habebat, & creditorem crudelissimum sustinebat: quia se diabolo multis peccatis obnoxiam fecerat. Sic enim & Propheta prædixit*, In peccatis vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. *Vidua ergo illa pro tam grandi debito captiva quodammodo tenebatur. Captiva erat, quia Redemptor nondum venerat. Sed postquam Viduam istam verus Redemptor Christus Dominus visitavit, ab omnibus debitis liberam fecit. Unde enim illa Vidua liberata sit, videamus. Unde, nisi de augmento olei? In oleo Misericordia intelligitur. Ergo Vidua illi ideo debitum creverat, quia oleum misericordiæ peccando perdiderat. Defecit oleum, & debitum crevit; crevit oleum, & periit debitum: creverat cupiditas, & periit caritas; redit caritas & perit iniquitas. Veniente vero Elisæo Christo Domino, Vidua, hoc est, Ecclesia, per augmentum olei, id est, donum gratiæ & misericordiæ, vel caritatis pinguedine, de peccatorum debito liberatur.*

Isa. 50.

De isto debito Christus Dominus ore Prophetæ locutus est. *Quæ non rapui*, inquit, *tunc exsolvebam.* Ex qua Salvatoris Sententia intelligitur, non solùm nos debitores esse, sed etiam non esse solvendo; cùm peccator per se satisfacere nullo modo possit. Quare confugiendum nobis est ad Dei Misericordiam, & ad virtutem ac meritum Passionis Jesu-Christi, à qua omnis satisfaciendi vis & ratio tanquam ex fonte profluxit, & sine qua nemo unquam veniam peccatorum impetravit. Pretium igitur illud incomparabile à Christo Domino in cruce persolutum, ubi Sanguine suo delevit chirographum quod erat contrarium nobis, applicari nobis à Dei Misericordia rogamus his verbis: *Dimitte nobis debita nostra.* Ad Deum tanquam ad Patrem, non quasi ad Judicem confugimus; à quo ut non ex Justitiâ nobiscum agat, sed ex Misericordiâ, postulamus. Si enim iniquitates observaverit, quis sustinebit? Sed apud ipsum misericordia est, & copiosa redemptio. Oramus, inquam, ut non intret in judicium cum servis suis, sed ineffabilem misericordiam suam clementer ostendat, quâ simul nos & à peccatis omnibus exuat, & à pœnis quas pro his meremur, eripiat; ut alias etiam orat Ecclesia.

Confiteri debemus nos omnes reos esse Deo peccatorum plurimorum.

II. Ut autem petitionis istius fructum consequamur, agnoscere & confiteri debemus imprimis nos omnes reos esse Deo peccatorum plurimorum in quæ quotidie labimur. Neminem enim, Christo & Deipara Virgine exceptis, aliquando fuisse, esse, aut futurum esse ita perfectè justum, ut sine peccato fuerit, sit, vel futurus sit in hac vita, quæ tentatio est super terram, Dogma Fidei est, verbo Dei firmatum. III. Regum VIII. *Non est homo qui non peccet.* Psalm. CXLII. *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Psal. XIII. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Ecclesiastis VII. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Proverb. XX. *Quis potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Et Cap. XXIV. *Septies enim cadit Justus, & resurget.* Jeremiæ II. *Dixisti, Absque peccato & innocens ego sum: & propterea avertatur furor tuus à me. Ecce ego judicio contendam tecum, eò quod dixeris, Non peccavi.* Jacobi III. *In multis offendimus omnes.* I. Joann. I. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Nemo homo Christo & Deipara Virgine exceptis, est, vel erit, ita perfectè justus, ut fuerit, sit, vel futurus sit sine peccato.

Hoc fidei dogma confirmant Patres, inter alios *S. Hieronymus* in Epistola ad *Ctesiphontem*, & *S. Augustinus* Libro II. *De Peccatorum Meritis & Remissione*, Cap. X. & sequentibus usque ad XVII.

Libro

Libro *De Natura & Gratia*, Capp. XXXIV. XXXVI. LX. Libro *De Gratia Christi*, Capp. XLVIII. & XLIX. Libro IV. Contra duas Epistolas Pelagianorum, Cap. X. & toto Libro *De Perfectione Justitia hominis.* Sic habet Libro *De Natura & Gratia*, Cap. XXXVI. *Exceptâ itaque Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, haberi volo quæstionem..... si omnes alios Sanctos & Sanctas, cùm hic viverent, congregare possemus, & interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus, utrum hoc quod iste dicit* (scilicet Pelagius) *an quod Joannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentiâ sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne una voce clamassent*, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est? *An illud humilius fortasse responderent, quàm veriùs? Sed huic jam placet, & rectè placet*, LAUDEM HUMILITATIS in PARTE non PONERE FALSITATIS. *Itaque hoc si verum dicerent, haberent peccatum; quod humiliter quia faterentur, veritas in eis esset: si autem hoc mentirentur, nihilominus haberent peccatum, quia veritas in eis non esset.*

III. Objiciebant Pelagiani multa Scripturæ testimonia, quibus Deus homines ad sanctimoniam & perfectionem adhortatur, & illud Davidis: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in Monte Sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam.*

Psalm. 14. Pelagianorum argumentis responditur.

Respondet *S. Augustinus*, Libro *De Perfectione Justitiæ*, Cap. IX. Horum testimoniorum aliqua currentes exhortari, ut perfectè currant, aliqua ipsum finem commemorare, quo currendo pertendant. *Ingredi autem sine macula non absurdè etiam ille dicitur, non qui jam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis. Ingressum quippe, hoc est, iter nostrum, quo tendimus ad perfectionem, munda mundat oratio. Munda est autem oratio ubi veraciter dicitur*, Dimitte nobis sicut & nos dimittimus: *Ut dum non reprehenditur, quod non imputatur, sine reprehensione, hoc est, sine macula, noster ad perfectionem cursus habeatur: in qua perfectione, cùm ad eam venerimus, jam non sit omnino quod ignoscendo mundetur.*

IV. Objiciebant verba illa, quæ de *Zacharia* patre Joannis Baptistæ, & uxore ejus *Elisabeth* scripta sunt Lucæ 1. *Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela:* quibus significari videtur, utrumque sine peccato vixisse.

Respondet *S. Augustinus*, Libro II. *De Peccatorum Meritis*, Cap. XIII. & Libro *De Perfectione Justitiæ*, Cap. XVII. Zachariam & Elisabeth justos dici, quia eminentis erant pietatis, & quicquid eis inerat justitiæ, non erat ad homines simulatum, ideo dictum est, *Ante Deum.* Hinc tamen rectè non colligi, sine ullo peccato perfectam illos habuisse justitiam. Solus Christus *Pontifex* est *sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus: qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro Populi.* In hoc Sacerdotum numero Zacharias, in hoc Phinees, in hoc ipse Aaron, a quo iste ordo exorsus est, fuit, & quicumque alii in illo Sacerdotio laudabiliter justeque vixerunt; qui tamen habebant necessitatem Sacrificium primitus pro suis offerre peccatis, solo Christo existente, cujus venturi figuram gestabant, qui hanc necessitatem Sacerdos incontaminabilis non haberet.

Hebr. 7.

Itaque omnes quicomque in hac vita Divinarum Scripturarum testimoniis in bona voluntate atque actibus justitiæ prædicati sunt, & quicomque tales vel post eos fuerunt, quamvis non eisdem testimoniis prædicati atque laudati, vel nunc usque etiam sunt, vel postea quoque futuri sunt, omnes magni, omnes justi, omnes veraciter laudabiles sunt, sed sine peccato aliquo non sunt: quoniam Scripturarum testimoniis, quibus de illorum laudibus credimus, hoc etiam credimus, *Non justificari in conspectu Dei omnem viventem; ideo rogari ne intret in judicium cum servis suis: & non tantum universaliter fidelibus omnibus, verum etiam singulis esse Orationem Dominicam necessariam, quam tradidit Discipulis suis.* Denique aliud est esse *sine peccato*, quod de solo in hac vita Unigenito dictum est, aliud esse *sine querela*, quod de multis justis etiam in hac vita dici potuit, quoniam est quidam modus bonæ vitæ de quo etiam in ista humana conversatione, justa querela esse non possit. Quis enim justè queritur de homine, qui nemini malè vult, & quibus potest fideliter consulit, nec contra cujusquam injurias tenet libidinem vindicandi, ut veraciter dicat, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?* Et tamen eo ipso quo verum dicit, *Dimitte, sicut & nos dimittimus*, sine peccato se non esse declarat.

S. August. lib. 1. De Peccat. Merit. Cap. 14.

Idem lib. De Perfect. Justit. c. 11.

Matth. 6.

V. Neque favent Pelagianis verba illa Job. XXIII. *Vias ejus custodivi, & non declinavi à mandatis ejus, neque discedam.* Ut enim respondet *S. Augustinus*, Libro *De Perfectione Justitiæ*, Cap. XI. *Custodit vias Dei, qui non sic exorbitat, ut eas relinquat, sed in eis currendo proficit; etsi aliquando ut infirmus offendit aut titubat: proficit autem minuendo peccata, donec perveniat ubi sine peccato sit. Non enim aliter potest eo modo proficere, nisi custodiendo vias ejus. Declinat autem à mandatis Domini atque discedit Apostata; non ille qui, etiamsi habeat peccatum, confligendi tamen cum eo perseverantiam non relinquit, donec eò perveniat ubi nulla cum morte contentio remanebit.*

VI. Non favent etiam Pelagianis verba illa Job XXVII. *Non enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Ut enim ibidem observat S. Augustinus, *Tunc nos in ista vitâ, in qua ex fide vivimus, non reprehendit cor nostrum, si eadem fides, qua corde creditur ad justitiam, non negligit reprehendere peccatum nostrum. Unde dicit Apostolus*, Non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum hoc ago. *Bonum est enim non concupiscere, & hoc bonum vult justus qui ex fide vivit: & tamen facit quod odit, quia concupiscit; quamvis post concupiscentias suas non eat...... Ideo non eum reprehendit cor ejus in omni vita ejus, hoc est in fide ejus, quia Justus ex fide vivit: & ideo fides ejus est vita ejus. Scit enim quia non habitat in carne ejus bonum, ubi habitat peccatum: sed non ei consentiendo vivit ex fide, quâ invocat Deum ut adjuvetur pugnans contra peccatum: quod ut omnino ibi non sit, adjacet ei velle, sed perficere bonum non adjacet. Non facere bonum non adjacet, sed perficere. Nam in eo quòd non consentit, bonum facit; & in eo quòd odit concupiscentiam suam, bonum facit; & in eo quòd eleemosynas facere non cessat, bonum facit; & in eo quòd illi qui in eum peccat ignoscit, bonum facit; & in eo quòd petit sibi dimitti debita sua, & veraciter dicit quòd dimittit etiam ipse debitoribus suis, & orat ut ne inferatur in tentationem, sed liberetur à malo, bonum facit. Et tamen perficere bonum non adjacet, quod tunc erit, quando illa concupiscentia, quæ habitat in membris ejus, nulla erit. Non ergo eum reprehendit cor ejus, quando*

Rom. 7.

reprehendit peccatum quod habitat in membris ejus, & non habet quam reprehendat infidelitatem ejus. Ita nec in vita sua, id est, in fide sua, in corde suo reprehenditur, & sine peccato non esse convincitur. Quod & ipse Job de se confitetur, ubi dicit: *Nihil te latuit peccatorum meorum. Signasti iniquitates meas in sacculo, & annotasti si quid invitus transgressus sum.* (Job. 14.)

(Tob. 4.) VII Objiciebant Pelagiani verba illa Tobiæ: *Noli timere fili, pauperem vitam gerimus; sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bona.* B

Respondet *S. Augustinus*, Libro *De Perfectione Justitia*, Cap. XIII. In hac mortali vita dici non posse, quòd hominum aliquis recesserit ab omni peccato, sed solùm in altera. Hic justi proficiunt, illic perfecti erunt, & in illa perfectione bonorum omnium cumulo perfruuntur. *Verissimè*, inquit, *tunc erunt bona illi multa bona, cùm recesserit ab omni peccato. Nunc enim ei nulla erunt mala, ut opus habeat dicere*, Libera nos à malo. *Quamvis & nunc omnis qui proficit, recta intentione proficiens, recedit ab omni peccato, & tanto inde fit longinquior, quanto plenitudini justitiæ perfectionique propinquior: quia & ipsa concupiscentia, quod est peccatum habitans in carne nostra, etsi manet adhuc in membris mortalibus, minui tamen non desinit in proficientibus. Aliud est ergo, recedere ab omni peccato, quod nunc in opere est; aliud, recessisse ab omni peccato, quod in illa perfectione tunc erit.* C

VIII. Objiciebant Pelagiani illud 1. Joannis III. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.*

Respondet *S. Augustinus*, Eum qui ex Deo natus est eâ ratione nullum prorsus peccatum sive mortale, sive veniale admittere, quamvis in peccata venialia interdum labatur, quatenus ex carne & sanguine natus est. *Secundùm id*, inquit, *quod ex Deo nati sumus, in eo qui apparuit ut peccata tolleret, id est, in Christo manemus, & non peccamus; hoc est autem, quòd homo interior renovatur de die in diem: secundùm autem quod de homine illo nati sumus, per quem peccatum intravit in Mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, sine peccato non sumus: quia sine illius infirmitate nondum sumus, donec illa renovatione, quæ fit de die in diem, quoniam secundùm ipsam ex Deo nati sumus, infirmitas tota sanetur, in qua ex primo homine nati sumus, & in qua sine peccato non sumus: cujus reliquiis in homine interiore manentibus, quamvis de die in diem minuantur in proficientibus*, SI DIXERIMUS *quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Quamobrem in quantum Deo nostro fide, spe, & caritate connectimur, & eum in quantum possumus imitamur, non peccamus: sed filii Dei sumus. In quantum autem ex occasione carnalis infirmitatis, quia nondum morte resoluta, nondum Resurrectione mutata est, motus reprehensibiles improbique subrepunt, peccamus. Quod utique fateri nos convenit, ne dum ei non languoris nostri sanitatem, sed damnationem superbia mereamur. Unde* "utrumque verissimè scriptum est, & Qui natus "est ex Deo, non peccat: & Si dixerimus quia "peccatum non habemus, nosmetipsos decipi"mus, & veritas in nobis non est. *Illud enim ex primitiis novi hominis, hoc ex reliquiis veteris dictum est; utrumque enim agimus in hac vita. Paulatim autem novitas accedit, & paulatim vetustate cedente succedit. Cùm verò utrumque agitur, in stadio sumus; nec solùm percutimus Adversarium bonis operibus, sed etiam peccata incurrentes vitando percutimur.* Verba sunt *S. Augustini*, Sermone CCCLI. alias L. inter Homilias L. D

Nec venialia tantùm seu levia, sed gravia mortaliáque peccata committere potest, qui ex Deo natus est; illa quidem manendo in statu justitiæ, ista verò excidendo à felici illo statu & gratiâ adoptionis filiorum Dei. Hæc explicatio doctrinæ Patrum consentanea est. *Tertullianus* enim Libro *De Pudicitia*, Cap. XIX. ubi duo distinxit genera delictorum, quædam quotidianæ incursionis, quibus omnes sumus obnoxii; alia graviora & exitialia, qualia sunt idololatria, negatio, blasphemia, homicidium, fraus, mœchia, & si qua alia violatio Legis Dei, subdit: *Hæc non admittet omnino qui natus ex Deo est; non futurus Dei filius, si admiserit.* Et *S. Augustinus* Libro I. Contra *Gaudentium* Donatistam, Cap. XXX. ait: *Quod non potest justè, non potest justus: quoniam hoc quidem decernendo prius amittit justitiam, ut quod non potest justus, possit injustus.* Et Libro LXXXIII. Quæstionum, Quæstione LXVI. exponens illa verba Apostoli, *Prudentia carnis Legi Dei non est subjecta; nec enim potest*: ait hæc verba idem significare ac si diceretur: Nix non calefacit, nec enim potest. Quandiu scilicet nix est, non calefacit; sed resolvi potest & fervere ut calefaciat: sed cùm hoc facit, jam nix non est. Sic anima Deo subjecta esse non potest, quandiu pro magnis & spiritualibus bonis temporalia bona concupiscit, quæ prudentia carnis est: sed Deo subjecta erit, cùm spiritualia bona desiderare cœperit, & temporalia contemnere, quæ prudentia est spiritûs. Ita qui ex Deo natus est, non peccat, sed nec peccare potest lethaliter, quatenus ex Deo natus: cùm autem peccabit eo genere peccati quod caritatem extinguit, filius Dei esse desinet. Et hæc quidem expositio gemina est illi, quâ similes Scripturæ Sacræ Sententiæ necessario exponendæ sunt, & vulgò a Sacris Interpretibus exponuntur; ut illa Christi Domini Sententia, Matth. VII. *Non potest arbor mala bonos fructus facere*, cujus sensus est, Non posse bonam voluntatem, quatenus bona est, & in sua integritate permanet, mala opera edere: quamvis ab illo statu mutari possit, & malos fructus, sive mala opera producere, cùm depravata fuerit, & in arborem malam degeneraverit. Sic exponitur & illa Sententia Apostoli 1. ad Corinthios II. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritûs Dei: Stultitia enim est illi, & non potest intelligere.* Sensus est, non posse intelligere, quandiu animalis manet, & sensibus atque cupiditatibus additus est: quamvis facilè intelligat, si in virum spiritualem evaserit. E

IX. Objiciebant Pelagiani omnia Scripturæ testimonia, quibus probatur esse præceptum homini ut sine peccato sit: non esset porrò præceptum, si esset impossibile.

Respondet *Sanctus Augustinus*, Libro *De Perfectione Justitiæ*, Cap. VIII. Id esse revera præceptum hominibus, nec tamen sequi quòd impleri possit in corpore mortis hujus ubi caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem. *Quandiu ergo peregrinantes à Domino, per fidem ambulamus, non per speciem, unde dictum est*, Justus ex fide vivit; *hæc est nostra in ipsa peregrinatione justitia, ut ad illam perfectionem plenitudinémque justitiæ, ubi in specie decoris ejus jam plena & perfecta caritas erit, nunc ipsius cursus rectitudine & perfectione tendamus, castigando corpus nostrum & servituti subjiciendo, & eleemosynas in dandis beneficiis, & dimittendis* (Habac. 2.) F

quæ in nos sunt commissa peccatis, hilariter & ex corde faciendo, & orationibus indesinenter instando; & hæc faciendo in doctrina sana, quâ ædificatur fides recta, spes firma, caritas pura. Hæc est nunc nostra justitia, quâ currimus esurientes & sitientes ad perfectionem plenitudinémque justitiæ, ut eâ postea saturemur. Sed quia in his ipsis operibus justitiæ quædam lobeculæ subrepunt tantò magis, quantò minùs quisque, & tantò minùs quantò magis profecerit, *Meritò in oratione dicimus*, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Si tamen quod dicimus, & faciamus, ut vel ipsi etiam diligantur inimici: vel si quisquam adhuc in Christo parvulus hoc nondum facit; pœnitenti tamen quod in eum quisque peccavit, & veniam petenti, ex intimo cordis ignoscat, si vult ut ejus orationem Pater cœlestis exaudiat. In qua oratione, si contentiosi esse nolumus, satis nobis propositum speculum est, ubi inspiciatur vita Justorum, qui ex fide vivunt, & perfectè currunt, quamvis sine peccato non sint. Unde dicunt*, Dimitte nobis, *quia nondum quò curritur pervenerunt.* Præceptum certè dilectionis Dei nonnisi in futura vita perfectissimè implebitur, cùm nulla lex erit in membris repugnans legi mentis. Tunc prorsus toto corde, toto animo, tota mente Justus diliget Deum, quod est primum summúmque Præceptum. *Cur ergo non præciperetur homini ista perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? Non enim rectè curritur, si quò currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis Præceptis ostenderetur?*

X. Verùm (inquies) Deus vult hominem esse sine peccato: itaque sine peccato esse potest. Deinde, nisi Justi vitare possent omnia peccata venialia, liberè non peccarent. Tandem sequeretur, peccandi necessitatem quamdam hominibus etiam justis inesse.

Respondetur, Velle quidem Deum Optimum Maximum, ut homo sit sine peccato, & inde sequi quòd sine peccato esse possit, partim in hac vita, partim in altera; in hac quidem sine peccato quovis damnabili & mortali, & sine plurimis venialibus; non tamen sine omni prorsus peccato veniali. Interior enim homo noster renovatur de die in diem divinæ gratiæ beneficio sanantis infirmitates nostras: sed tamen perfectam sanitatem hîc non consequimur, *Tunc ergo erit perfecta justitia, quando plena sanitas: tunc plena sanitas, quando plena caritas; Plenitudo enim legis caritas: tunc autem plena caritas, quando videbimus eum sicuti est. Neque enim erit quod addatur ad dilectionem, cùm fides pervenerit ad visionem:* (inquit *S. Augustinus*, Libro *De Perfectione Justitiæ*, cap. III.)

Possunt autem Justi vitare singula peccata venialia, quod sufficit ut liberrimè peccent, quamvis omnia vitare non valeant, ut docet Theologorum Princeps. *Non potest*, inquit, *homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis: cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest; non autem omnes. Qui dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit: & etiam quia ratio non potest semper esse pervigil ad hujusmodi motus vitandos.* (S. Thomas, Prima Secundæ, Q. 109. A. 8.)

Cuidam revera peccandi venialiter necessitati hypotheticæ & morali justos esse obnoxios, quamdiu in corpore mortis hujus versantur, non diffitendum est: quæ tamen necessitas cum humana libertate facilè cohæret, ut explicat *S. Augustinus*, Libro *De Perfectione Justitiæ*, cap. IV. *Respondetur*, inquit, *per arbitrii libertatem factum, ut esset homo cum peccato; ut jam pœnalis vitiositas subsecuta, ex libertate fecit necessitatem. Unde ad Deum fides clamat*, De necessitatibus meis educ me. (Psalm. 24.) *Sub quibus positi, vel non possumus quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus, volumus, nec valemus implere. Nam & ipsa libertas credentibus à Liberatore promittitur.* Si vos (*inquit*) Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis. (Joan. 8.) *Victa enim vitio in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura. Hinc alia Scriptura dicit*, A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est. (2. Petri 2.) *Sicut ergo non est opus sanis Medicus, sed malè habentibus: ita non est opus liberis Liberator, sed servis, ut ei dicat gratulatio libertatis*, Solvam fecisti de necessitatibus animam meam. (Matth. 9. Psalm. 30.) *Ipsa enim sanitas est vera libertas, quæ non perisset, si bona permansisset voluntas. Quia verò peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas, donec tota sanetur infirmitas, & accipiatur tanta libertas, in qua sicut necesse est permaneat beatè vivendi voluntas, ita ut sit etiam bene vivendi & nunquam peccandi voluntaria felixque necessitas.*

XI. Objiciebant Pelagiani, Deum justè non imputare peccata, si vitari omnia non possint.

Respondet *S. Augustinus*, Libro *De Perfectione Justitiæ*, cap. VI. Deum non imputare peccata his, qui fideliter ei dicunt, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* (Matth. 7.) Et justè non imputat, quia justum est quod ait, *In qua mensura mensi fueritis, in eadem remetietur vobis.* Peccatum est autem, *cùm vel non est caritas quæ esse debet, vel minor est quàm debet; sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit: quia si potest, præsens voluntas hoc facit: si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit; & tamen vitari potest, non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adjuvatur.*

XII. Pelagianorum errorem, quo contendebant, esse in hac vita vel fuisse justos nullum omnino habentes peccatum, refellit rursus *S. Augustinus*, Libro IV. ad *Bonifacium*, cap. X. testimoniis luculentissimis *SS. Cypriani & Ambrosii*. Illud *S. Cypriani* prætermittere non possum in Tractatu De Oratione Dominica: *Post subsidium cibi* (inquit) *petitur & venia delicti, ut qui à Deo pascitur, in Deo vivat: nec tantùm præsenti & temporali vitæ, sed & æternæ consulatur ad quam veniri potest, si delicta donentur: quæ debita Dominus appellat, sicut in Evangelio suo dicit:* Dimisi tibi omne debitum, quia me rogasti. *Quàm necessariè autem, quàm providenter & salutariter admonemur, quòd peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur, ut dum indulgentia de Deo petitur, conscientia sua animus recordetur. Ne quis sibi quasi innocens placeat, cùm innocens nemo sit, & se extollendo plus pereat: instruitur & docetur peccare se quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare. Sic denique & Joannes in Epistola sua monet dicens;* Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis & justus est Dominus, qui nobis peccata dimittat. *In Epistola sua utrumque complexus est, quod & rogare pro peccatis debeamus, & impetremus indulgentiam cùm rogamus. Ideo & fidelem dixit Dominum ad dimittenda peccata, fidem pollicitationis suæ reservantem. Quia qui orare nos pro peccatis & debitis docuit, paternam misericordiam promisit & veniam secuturam.*

XIII. Africana denique Synodus à Sede Apostolica confirmata, Pelagianorum errorem, Catholicæ, quam exposuimus, Veritati contra-

rium damnavit Canonibus VI. VII. & VIII. ex iis qui Synodi Milevitanæ nomine inscribuntur. Octavus his verbis conceptus est: *Quicumque verba Dominicæ Orationis, ubi dicimus,* DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, *ita volunt à Sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur; Anathema sit. Quis enim ferat orantem, & non hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, & corde dicit, Quæ dimittantur, se debita non habere?*

Idem dogma firmavit Sacra Synodus Tridentina, Sessione VI. Canone XXIII. cujus hæc sunt verba: *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque adeo eum qui labitur & peccat, nunquam verè fuisse justificatum: aut contra, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia; Anathema sit.*

Non solùm nobis, sed proximis nostris, peccata sua condonari supplicamus.

XIV. His itaque Orationis Dominicæ verbis, *Dimitte nobis debita nostra*, nos peccatores, non solùm humiliter, sed etiam veraciter confitemur. Quod autem rogamus, *Dimitte nobis*, admonemur in hoc fraternæ caritatis, ut non minore mentis fervore ac devotione petamus proximis nostris delicta sua ignosci, quàm nobis nostra condonari supplicamus. Quin & majori ac ferventiori caritate veniam aliis rogasse Sancti videntur, quàm sibi, suæque salutis pene fuisse immemores ut aliorum salutem procurarent atque à Deo precibus impetrarent. Hoc Spiritu caritatis accensus S. Paulus pro Israëlitarum salute

Rom. 9.

orabat: *Veritatem* (inquit) *dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientiâ meâ in Spiritu Sancto: quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem, qui sunt Israëlitæ.* Eodem Spiritu Moses orabat pro Populo idolo-

Exod. 32.

latriæ reo: *Obsecro* (inquit) *peccavit Populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi Deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Dicimus autem DEBITA NOSTRA, longè aliter ac diximus antea, *Panem nostrum*: Noster enim ille est panis, quia nobis Dei munere tribuitur; sed nostra

Peccatum ex nobis.

sunt peccata quia in nobis sunt ex nobis ipsis, & non à Deo, quo auctore nemo fit deterior.

S. August. Sermone 58. alias 42. inter Homilias 50. Luc. 18.

Dimitte nobis debita nostra, dicimus, & dica» mus; quia verum dicimus. Quis enim hîc vi» vit in carne, & non habet debita? Quis est » homo sic vivens, ut ei non sit ista oratio ne» cessaria? Inflare se potest, justificare non po» test. Bonum est illi ut imitetur Publicanum, » nec tumescat sicut Pharisæus, qui ascendit in » Templum, & jactavit merita sua, texit vulne» ra sua. Ille autem scivit quare ascenderit, qui » dicebat: *Domine, Propitius esto mihi peccatori.* » Hoc Dominus Jesus orare docuit Discipulos » suos, illos magnos primos Apostolos suos, a» rietes nostros. *Si ergo pro peccatis suis dimittendis arietes orant, agni quid debent facere, de quibus dictum est,* Afferte Domino filios arietum?

Psalm. 28. Quotidiana remissio peccatorum.

... *Remissio peccatorum una est, quæ semel datur; alia quæ quotidie datur. Remissio peccatorum una est, quæ semel datur in sancto Baptismate; alia, quæ quandiu vivimus hîc, datur in Dominica Oratione*; propter quod dicimus, *Dimitte nobis de*» *bita nostra.* Et baptizati sumus, & debitores » sumus, non quia aliquid remansit quod no» bis in baptismo non dimissum fuerit: sed quia » vivendo contrahimus quod quotidie dimittatur. *Qui baptizantur, & exeunt, sine debito ascendunt; sine debito pergunt. Qui autem baptizantur, & tenentur in hac vita, de fragilitate mortali contrahunt aliquid, unde etsi non naufragatur, tamen oportet ut sentinetur. Quia si non sentinatur, paulatim ingreditur unde tota navis mergatur. Et hoc orare, sentinare est. Non tantùm autem debemus orare, sed & eleemosynam facere: quia quando sentinatur, ne navis mergatur, & vocibus agitur &* » *manibus. Vocibus agimus, cùm dicimus,* Dimitte » nobis, sicut & nos dimittimus debitoribus no» stris. *Manibus autem agimus, cùm facimus,* Fran» ge esurienti panem tuum, & egenum sine te» cto induc in domum tuam. Include eleemosy» nam in corde pauperis, & ipsa pro te exora» bit ad Dominum. *Dimissis ergo peccatis omnibus* » *per Lavacrum Regenerationis, in magnas angustias contrusi fuerimus, si non nobis daretur quotidiana mundatio sanctæ orationis.* Verba sunt *S. Augustini*, Sermone LVI. aliàs *De Diversis*, XLVIII.

Isaiæ 58.

Eccli. 29.

XV. Peccata ergo quotidiana & levia Dominica Oratione mundantur, si omnino displiceant, eorumque deponatur affectus, nec ore duntaxat, sed animo verè pœnitenti dicamus Deo, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus.* Unde *S. Augustinus*, in *Enchiridio*, cap. LXXI. ait: *De quotidianis brevibus levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum enim est dicere,* Pater noster qui es in cælis, *qui jam* » *Patri tali regenerati sunt ex aqua & Spiritu. Delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata.* Gravia verò mortiferáque peccata, quæ ab Apostolo, & à Patribus crimina vocantur, *Quæ non admittit bonæ fidei & spei Christianæ,* (ut *S. Augustinus* loquitur) solâ Oratione Dominica non purgantur, sed uberioribus fletibus graviorisque ac diuturnioris satisfactionis labore opus est, atque imprimis Pœnitentiæ Sacramento, re vel certè desiderio, suscepto. Conducit tamen Dominica Oratio ad impetrandum etiam lethalium peccatorum veniam, tùm peccator deposito hujusmodi criminum affectu, sinceróque dolore compunctus quòd Deum Optimum amantissimumque Patrem offenderit, ipsum ut filius diligere incipiens, ad eumque instar Prodigi reversus, & deinceps illum colere, super omnia diligere, eique in omnibus obsequi apud se statuens ait: *Pater, peccavi in cælum, & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus.* Hinc *S. Augustinus* in *Enchiridio*, post verba mox citata subdit, *Delet & illa, à quibus vita fidelium etiam sceleratè gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit: si quemadmodum veraciter dicitur,* Dimitte nobis debita nostra, *quoniam non desunt quæ dimittantur; ita veraciter dicatur,* sicut & » nos dimittimus debitoribus nostris: *Id est, si* » *fiat quod dicitur; quia & ipsa eleemosyna est, veniam petenti homini ignoscere.*

Peccata quotidiana & levia Dominica oratione mundantur.

Et Libro XXI. *De Civitate Dei*, cap. XXVII. *Oratio quotidiana, quam docuit ipse Dominus, unde & Dominica nominatur, delet quidem quotidiana peccata, cùm quotidie dicitur,* Dimitte » nobis debita nostra: *atque id quod sequitur, non* » *solum dicitur, sed etiam fit,* sicut & nos dimit» timus debitoribus nostris: *Sed quia fiunt pecca* » *ta, ideo dicitur; non ut ideo fiant, quia dicitur. Per hanc enim nobis voluit Salvator ostendere, quantumlibet justè in hujus vitæ caligine atque infirmitate vivamus, non nobis deesse peccata pro quibus dimittendis debeamus orare, & eis qui in nos peccant, ut & nobis ignoscatur, ignoscere. Non itaque propterea Dominus ait:* Si dimiseritis peccata » hominibus, dimittet vobis & Pater vester »

DE ORATIONE.

Matth. 6.

peccata vestra, ut de hac oratione confisi, securi quotidiana sceleru faceremus, vel potentiâ quâ non timeremus hominum leges, vel astu: à quâ homines falleremus: sed ut per illam disceremus, non putare nos esse sine peccatis, etiamsi à criminibus essemus immunes: sicut etiam Legis Veteris Sacerdotes hoc ipsum Deus de Sacrificiis admonuit, qua jussit eos primùm pro suis, deinde pro Populi offerre peccatis. Nam & ipsa verba tanti Magistri & Domini nostri vigilanter intuenda sunt. Non enim ait, Si dimiseritis peccata hominibus, & Pater vester dimittet vobis qualiacunque peccata: sed ait, Peccata vestra. Quotidianam quippe orationem docebus, & justificatis utique Discipulis loquebatur. Quid est ergo, Peccata vestra, nisi peccata sine quibus nec vos eritis, qui justificati & sanctificati estis? Ubi ergo illi qui per hanc orationem occasionem perpetrandorum quotidie scelerum quaerunt, dicunt Dominum significasse etiam magna peccata, quoniam non dixit, Dimittet vobis parva, sed, Peccata vestra: Ibi nos considerantes qualibus loquebatur, & audientes dictum, Peccata vestra, nihil aliud debemus existimare, quàm parva, quoniam talium jam non erant magna. Verumtamen nec ipsa magna, à quibus omnino mutatis in melius moribus recedendum est, dimittuntur orantibus, nisi fiat quod ibi dicitur, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si enim minima peccata, sine quibus non est etiam vita justorum, aliter non remittuntur: quantò magis multis & magnis criminibus involuti, etiamsi perpetrare ea non desinant, nullam indulgentiam consequuntur, si ad remittendum aliis quod in eos quisque peccaverit, inexorabiles fuerint, cùm dicat Dominus: Si autem non dimiseritis hominibus, neque Pater vester dimittet vobis.

Et Libro I. ad Bonifacium Contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. XIV. Quicquid (inquit) parit nunc ista concupiscentia, si non sint illi partus, qui non solùm peccata, verùm etiam crimina nuncupantur, pacto illo quotidianae orationis ubi dicimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut dimittimus, & eleemosynarum sinceritate mundantur. Neque enim quisquam sic desipit, ut dicat ad baptizatos dominicum illud non pertinere praeceptum, Dimitte, & dimittetur vobis; date, & dabitur vobis. Nullus autem in Ecclesia rectè posset ordinari Minister, si dixisset Apostolus: Si quis sine peccato, ubi ait, Si quis sine crimine est. Aut si dixisset, Nullum Peccatum habentes, ubi ait, Nullum crimen habentes. Multi quippe baptizati fideles sunt sine crimine, sine peccato autem in hac vita neminem dixerim, quantalibet Pelagiani, quia haec dicimus, adversùm nos inflentur & dirumpantur insaniâ: non quia aliquid peccati remanet, quod in Baptismate non remittatur, sed quia à nobis in hujus vitae infirmitate manentibus, quotidie fieri non quiescunt quae fideliter orantibus & misericorditer operantibus quotidie remittantur. Haec est Fidei Catholicae sanitas, quam Sanctus ubique seminat Spiritus, non pravitatis haereticae vanitas & praesumptio spiritûs.

Luc. 6.

Tit. 1.
1. Tim. 3.

Injuriarum condonatio conditio est adjecta postulationi veniae.

XVI. Postulationi veniae conditionem adjicimus ex institutione Christi: Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Igitur si volumus Deum nobis veniam concedere delictorum, parcamus illis necesse est, a quibus injuriam accepimus. Ad inimicorum oblivionem & condonationem, ad injuriarum dilectionem & Lex Christi jubentis, & exemplum, & proposita merces, nempe dignitas filiorum Dei, & pacti necessaria observantia, ut dimittamus, si dimitti nobis à Deo volumus, nos obstringunt & invitant. Adjunxit Christus & addidit legem, Certa nos conditione & sponsione constringens, ut sic nobis dimitti debita postulemus, secundùm quod & ipsi debitoribus nostris dimittimus, sciens impetrari non posse, quod pro peccatis petimus, nisi & ipsi circa debitores nostros paria fecerimus. Idcirco & alio in loco dicit: In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis. Et qui servus post dimissum sibi à Domino omne debitum conservo suo noluit ipse dimittere, in carcerem relegatur. Quia indulgere conservo suo noluit, quod sibi à Domino indultum fuerat, amisit. Quae adhuc fortiùs Christus in praeceptis suis majore censura sua vigore proponit. Cùm steteritis (inquit) ad orationem, remittite si quid habetis adversùs aliquem, ut & Pater vester qui in caelis est remittat peccata vestra vobis: si autem vos non remiseritis, neque Pater vester qui in caelis est, remittet vobis peccata vestra. Excusatio tibi nulla in die Judicis superest, cùm secundùm sententiam tuam judiceris: & quod feceris, hoc & ipse patiaris. Pacificos enim & concordes atque unanimes esse in domo sua Deus praecipit: & quales nos fecit secunda nativitate, tales vult renatos perseverare; ut qui filii Dei esse coepimus, in Dei pace maneamus, & quibus Spiritus unus est, unus sit & animus & sensus. Sic nec Sacrificium Deus recepit dissidentis, & ab Altari revertentem prius fratri reconciliari jubet, ut pacificis precibus & Deus possit esse pacatus. Sacrificium Deo majus est pax nostra, & fraterna concordia, & de unitate Patris & Filii & Spiritus Sancti plebs adunata. Neque enim in Sacrificiis quae Abel & Cain primi obtulerunt, munera eorum Deus, sed corda intuebatur; ut ille placeret in munere, qui placebat in corde. Abel pacificus & justus dum Deo sacrificat innocenter, docuit & caeteros quando ad Altare munus offerunt, sic venire cum Dei timore, cum simplici corde, cum lege justitiae, cum concordiae pace. Meritò ille dum in Sacrificio Dei talis est ipse, postmodum Sacrificium Deo factus est; ut Martyrium primus ostendens, initiaret sanguinis sui gloriâ Dominicam Passionem, qui & justitiam Domini habuerat & pacem. Tales à Domino coronantur, tales in die judicii cum Domino vindicabuntur. Caeterùm discordans & dissidens, & pacem cum fratribus non habens, secundùm quòd Beatus Apostolus & Scriptura Sancta testatur, nec si pro nomine Christi occisus fuerit, crimen dissensionis fraternae poterit evadere; quia, sicut scriptum est, Qui fratrem suum odit, homicida. Non potest esse cum Christo, qui imitator Judae maluit esse, quàm Christi. Quale delictum est, quod nec Baptismo sanguinis potest ablui? Quale crimen est, quod Martyrio non potest expiari? Verba sunt S. Cypriani.

Matth. 7. 2.

Marc. 11.

S. Cyprian. Lib. de Orat. Dom.

1. Joan. 3.

Pactum cum Deo in nostra in oratione.

Quotidie ergo dicamus, & corde vero dicamus, & quod dicimus faciamus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Sponsionem facimus cum Deo, pactum & placitum. Hoc tibi dicit Dominus tuus: Dimitte, & dimitto: non dimisisti, tu contra te tenes, non ego. Habetis inimicos? Diligite illos. Nullo modo tibi potest nocere saeviens inimicus, quantùm tibi noces si non diligis inimicum. Ille enim nocere potest aut villae tuae, aut pecori tuo, aut servo tuo, aut filio tuo, aut conjugi tuae, aut ut multùm, si illa data fuerit potestas, carni tuae? Nunquid, quomodo tu, animae tuae? Diligite inimicos vestros. Primò credite posse fieri: & orate ut fiat in vobis voluntas Dei. Quid enim tibi prodest malum inimici tui? Si malum nullum haberet,

nec inimicus tuus esset. *Bonum illi opta, finiat mala, & non erit tibi inimicus. Non enim inimica est tibi in illo natura humana, sed culpa. Omittamus originem primam. Deus Pater, Ecclesia Mater: ergo nos fratres.* Sed inimicus meus Paganus est, Judæus est, Hæreticus est. Saolus ioimicus erat Ecclesiæ; oratum est pro illo, factus est amicus. Noo solùm destitit esse persecutor, sed laboravit ut esset adjutor. Oratum est eootra illum: sed contra ejus malitiam, non naturam. *Ora [illegible] contra malitiam inimici tui, illa moriatur, & ille vivat. Si enim mortuus fuerit inimicus tuus, quasi inimico caruisti, sed nec amicum invenisti. Si autem mortua fuerit malitia ejus: & inimicum amisisti, & amicum invenisti.* Dimittite, & dimittetur vobis: quod si non feceritis, peribitis. *Quid trahit semper cor in terra? Audi*, Sursum cor, *extende, dilige inimicos. Si non potes diligere sævientem, dilige vel petentem. Dilige hominem qui tibi dicit, Frater, peccavi, ignosce mihi. Tunc si non ignoveris, non dico; deles orationem de corde tuo; sed deleberis de libro Dei.* Verba sunt *S. Augustini*, Sermone LVI. aliàs *De Diversis* LXVIII.

XVII. Verùm (inqoies) si veniam delictorum eâ conditione à Deo postulamus, ut ipsi dimittamus injurias iis qui nos offenderunt, & inimicos nostros diligamus, si injuriarum immemores esse oportet; quis poterit Dominicam Orationem dicere, cùm maxima pars Christianorum, etiam Deum timentium, injurias voluntariâ oblivione conterere non possit & omnem vindictæ appetitionem extinguere?

Orandum ut inimicos diligamus.

Respondetur, Etsi caro concupiscat adversùs spiritum, & carnalis appetitus sit ad ultionem proclivis; si tamen spiritus adversùs carnem concupiscat, si ratio & voluntas Dei præcepto subdita, & inchoatâ saltem caritate instructa, corruptæ naturæ appetitionibus reluctetur, & injuriarum oblivisci sincerè velit, atque dimittendi proximo puriorem affectum, seu majorem caritatem à Deo sibi dari desideret, humiliterque postulare velit; posse qui ita est affectus Orationem Dominicam recitare, ac dicere, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Nam præter quam quod totius Ecclesiæ nomine hæc dicuntur, in qua plures sunt pietate & caritate insignes, qui sævientibus etiam inimicis injurias ex animo remittunt: id à Deo petentes, rogamus quicquid ad illud impetrandum necessarium est, scilicet veræ Pœnitentiæ & Caritatis dona, adeòque & bonam voluntatem erga eos qui nos quovis modo læserunt. Si soli debent dicere, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, qui diligunt inimicos, nescio quid faciam, nescio quid dicam; (inquit *S. Augustinus*.) Dictorus enim vobis sum, Si non diligitis inimicos vestros, nolite orare? Non audeo: *immo ut diligatis, orate.* Sed numquid vobis dicturus sum, Si non diligitis inimicos vestros, nolite in Oratione Dominica dicere, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?* Putas quia dico, Nolite dicere? *Si non dixeritis, non dimittuntur: si dixeritis, & non feceritis, non dimittuntur. Ergo dicendum est & faciendum, ut dimittantur.* Maximum hoc eleemosynæ genus est, inimicis parcere, ut ostendit *S. Augustinus* in *Enchiridio*, capp. LXXII. LXXIII. & LXXIV. Ad omnia sanè quæ utili misericordiâ fiunt, valet quod Dominus ait: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Non solùm ergo qui dat

S. August. Serm. 5. alias De Diversis 48.

Inimicis parcere, maximum eleemosynæ genus.

Luc. 11.

esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægroto vel incluso visitationem, captivo redemptionem, debili subvectionem, cæco deductionem, tristi consolationem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium, & quod cuique necessarium est indigenti, verùm etiam qui dat veniam peccanti eleemosynam dat; & qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coërcet aliquâ disciplinâ, & tamen peccatum ejus quo ab illo læsus aut offensus est, dimittit ex corde, vel orat ut ei dimittatur, non solùm in eo quod dimittit atque orat, verùm etiam in eo quod corripit, & aliquâ emendatoriâ pœnâ plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat. Multa enim bona præstantur invitis, quando eorum consulitur utilitati, non voluntati; quia ipsi sibi inveniuntur esse inimici, amici verò eorum potiùs illi quos inimicos putant; & reddunt errando mala pro bonis, cùm reddere mala Christianus non debeat nec pro malis. *Multa itaque genera sunt eleemosynarum, quæ cùm facimus, adjuvamur ut dimittantur nostra peccata: sed eâ nihil est majus, quâ ex corde dimittimus quod in nos quisque peccavit. Minus enim magnum est erga eum esse benevolum, sive etiam beneficum, qui tibi nihil mali fecerit: illud multò grandius & magnificentissimæ bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas, & ei qui tibi malum vult, & si potest facit, tu bonum semper velis, faciasque cùm possis, audiens dicentem Deum*, Diligite inimicos vestros, benefacite eis qui vos oderunt, & orate pro eis qui vos persequuntur. *Sed quoniam perfectorum sunt ista filiorum Dei, quò quidem se debet omnis fidelis extendere, & humanum animum ad hunc affectum, orando Deum, secùmque agendo luctandòque perducere: tamen quia hoc tam magnum bonum tantæ multitudinis non est, quantam credimus exaudiri cùm in oratione dicitur*, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; *procul dubio verba sponsionis hujus implentur, si homo qui nondum ita profecit ut jam diligat inimicum, tamen quando rogatur ab homine qui peccavit in eum ut ei dimittat, dimittit ex corde: quia etiam sibi roganti utique vult dimitti, cùm orat & dicit*, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: *Id est, Sic dimitte debita nostra rogantibus nobis, sicut & nos dimittimus rogantibus debitoribus nostris. Jam verò qui eum in quem peccavit, hominem rogat, si peccato suo movetur ut roget, non est adhuc deputandus inimicus, ut eum diligere sit difficile, sicut difficile erat quando inimicitias exercebat. Quisquis autem roganti & peccati sui pœnitenti non ex corde dimittit, nullo modo existimet à Domino sua peccata dimitti, quoniam mentiri veritas non potest. Quem verò lateat Evangelii auditorem sive lectorem, quis dixerit*, Ego sum Veritas? *Qui cùm docuisset orationem, hanc in ea positam Sententiam vehementer commendavit, dicens*, Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis peccata vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet peccata vestra. *Ad tam magnum tonitruum qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est: & tamen potens est ille etiam mortuos suscitare.*

Matth. 5.

Joannis 14.

Matth. 6.

XVIII. Magna tentatio est, horrenda, tremenda, omnibus viribus, omni virtute vitanda, velle vindicari. Unde enim accepturus veniam fueras pro cæteris delictis, hoc perdis. Si quid aliis sensibus, aliis cupiditatibus peccaverat, hinc

Velle vindicari, tremenda tentatio.

DE ORATIONE.

hinc erat sanandum, quia dicturus eras, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Qui te instigat ut vindiceris, perdet tibi quod dicturus eras, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Illo perdito, cuncta tenebuntur: omnino nihil dimittitur. Hinc Dominus traditâ Orationis formulâ, quod hanc petitionem spectat, maximè inculcavit, ceteris petitionibus prætermissis: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum*, &c. Non multùm foerant illa commendata in quibus si peccator est, unde curetur agnoscat: *Commendandum in quo si peccaveris, cetera non est unde sanari.* Hoc enim debes dicere, *Dimitte nobis debita nostra.* Quæ debita? non deest: homines sumus. Pauló plus locutus sum quàm debui, dixi aliquid quod non debui, risi plusquàm debui, bibi ampliùs quàm debui, audivi libenter quod non debui, vidi libenter quod non debui, cogitavi libenter quod non debui: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Peristi, si hoc perdidisti. *Pugnate cum corde vestro, quantùm potestis. Et si videtis iram vestram stare adversùs vos, rogate contra illam Deum: faciat te Deus victorem tui, faciat te Deus victorem non inimici forinsecùs tui, sed intrinsecùs animi tui.*

S. August. Serm. 17. alias De diversis 9.

Matth. 6.

ARTICULUS IX.

Orationis Dominicæ Petitio sexta explicatur,

ET NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM.

Gratiæ quotidianum adjutorium ad tentationes vincendas necessarium.

I. PRopter præterita peccata dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Propter illa in quæ possumus incidere, dicimus, *Et ne nos inducas in tentationem.* Ad non peccandum enim arbitrii potestas non sufficit, nisi adjovetur infirmitas. Non peccare, sanctificationis est, hoc est divini muneris per Spiritum Sanctum. Dogma fidei est, *Neminem etiam baptismatis gratiâ renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum Adjutorium Dei*, (ut habetur in Capitulis Sedis Apostolicæ, adnexis Epistolæ *Celestini I.* ad Episcopos Galliæ.) *Necesse est enim ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur*; (inquit *Innocentius I.* in Epistola ad Concilii Carthaginensis Patres.) Hinc *S. Augustinus* Libro *De Natura & Gratia*, Cap. LXVII. *Potest*, inquit, *peccatum caveri, sed opitulante illo, qui non potest falli. Nam & hoc ipsum ad cavendum peccatum pertinet, si veraciter dicimus*, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Duobus enim modis etiam in corpore cavetur morbi malum, & ut non accidat, & ut si acciderit, citò sanetur: ut non accidat, caveamus dicendo*, Ne nos inferas in tentationem: *ut citò sanetur, caveamus dicendo*, Dimitte nobis debita nostra. *Jam verò cùm dicunt Sancti*, Ne nos inferas in tentationem: *quid aliud quàm ut in sanctitate perseverent, precantur? Nam profectò cùm sibi isto Dei dono, quod esse Dei donum cùm ab illo poscitur, satis apertéque monstratur: isto ergo concesso sibi dono Dei, ne inferantur in tentationem, nemo Sanctorum non tenet usque in finem perseverantiam sanctitatis. Neque enim quisquam in proposito Christiano perseverare desistit: nisi in tentationem primitus inferatur. Si ergo concedatur ei quod orat, ut non inferatur; utique in sanctificatione quam Deo donante percepit, Deo donante persistit.* Verba sunt *S. Augustini*, Libro *De Dono Perseverantiæ*, Cap. V. Et Cap. VI. *Imperavit Deus, ut ei Sancti ejus dicant orantes*, Ne nos inferas in tentationem. *Quisquis igitur exauditur hoc poscens, non infertur in contumaciæ tentationem, quâ possit vel dignus sit perseverantiam sanctitatis amittere. At enim, voluntate sua quisque deserit Deum ut meritò deseratur à Deo. Quis hoc negaverit? Sed ideo petimus ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat: & si exaudimur, utique non fit; quia Deus non permittit ut fiat. Potens ergo est & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas convertere ac dirigere in sibi placitum gressum.... Cui non frustra dicitur*, Ne nos inferas in tentationem. *Nam quisquis in tentationem non infertur, profectò nec in tentationem suæ malæ voluntatis infertur: & qui in tentationem suæ malæ voluntatis non infertur, in nullam prorsus infertur.*

Multiplex acceptio vocis istius, Tentatio.

II. Ut autem petitionis istius sensus magis explicetur, vis istius verbi, *Tentare*, imprimis exponenda est. Tentare, est periculum de aliquo facere. Sed quia variis modis de aliquo periculum fieri sive experimentum sumi potest, varia quoque acceptio est vocis istius, *Tentatio*. Quemadmodum enim aliter tentat discipulum Præceptor, aliter Sophista; ille ut erudiat, iste ut decipiat; ille ad exercitationem, iste ad illusionem: ita Deus homines tentare dicitur, quorum virtutem probat seu explorat, non quasi nescios intimorum animi sensuum, propensionum, & affectionum: sed ut aliis illorum virtutem perspectam & notam faciat ad exemplum; utque omnes ob idipsum Deum laudent, ejúsque Majestati gratias agant. Sunt enim plurimi, qui multùm in Christiana perfectione se provectos putant, seque Deo firmiter adhærere, eúmque diligere confidunt, priùs quàm sui periculum fecerint. At cùm adversitatis procellæ à Deo immissæ fuerint, vel permissa diaboli tentatio, tum demum discunt experimento suo quàm longè absint à perfectione justitiæ. Tentantur ergo ut sibi ipsis cogniti fiant, utque erudiantur ac probentur. *Qui non est tentatus, quid scit?* inquit Sapiens. *Eccli. 34.*) Hanc tentandi rationem bonam esse, & solam Deo convenire certum est. Unde Deuteronomii XIII. dicitur: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum.* Sic legimus Abraham esse tentatum ut filium immolaret. *Tentavit Deus Abraham*: obedientiâ suâ, *Genes. 22.* religione, fide gloriam immortalem apud Deum & apud homines promeritus est. Sic Job tentatus à Deo est ut virtus ejus elucesceret, fieréque exemplum patientiæ singulare ad memoriam hominum sempiternam. Ita se tentari David rogabat: *Proba me, Domine, & scito cor meum, interroga me & cognosce semitas meas.... Proba me, Domine, & tenta me.* Eodem sensu de Tobia dictum est: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* Sic tentare dicitur suos Deus, cùm inopia, morbo, & aliis calamitatum generibus premit, quod probandæ eorum patientiæ causâ facit, & ut aliis sint exemplum Christiani officii. Hinc *Jacobi* I. scriptum est: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.... Omne gaudium existimate, fratres, cùm in tentationes varias incideritis, scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti & integri in nullo deficientes.* De isto tentationis genere

Psalm. 138. Psalm. 25. Tob. 12.

S. Augustinus, Enarratione in Psalmum XXXVI. Sermone 1: *Fortasse*, inquit, *ipse Abraham nondum noverat quas vires haberet fides ejus: (unusquisque enim se tentatione tanquam interrogatus agnoscit:) sicut Petrus quas vires haberet fides ejus utique nesciebat, quando dixit Domino*, Tecum sum usque ad mortem. *Dominus autem qui noverat eum prædixit ubi deficeret, prænuntians illi infirmitatem ejus, tanquam tactâ venâ cordis ejus. Proinde Petrus qui ante tentationem præsumpsit de se, in tentatione didicit se. Sic ergo non absurdè sentimus & Patrem nostrum Abraham cognovisse vires fidei suæ, ubi jussus immolare unicum filium suum, non dubitavit nec trepidavit ei offerre qui dederat; quia quemadmodum nescivit unde daturus erat nondum natum, sic credidit posse reparare immolatum. Dixit ergo Deus*, Nunc cognovi; quod *intelligimus*, *Nunc cognoscere te feci*. Alia est igitur *Tentatio deceptionis*, *alia Tentatio probationis: secundùm illam non intelligitur qui tentat nisi Diabolus, secundùm hanc verò tentat Deus*. Hinc Diabolus *Tentator* in Evangelio nuncupatur: & Apostolus de eodem scribit: *Ne fortè tentaverit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noster*. Tentat igitur Diabolus non ut instruat sed ut destruat; non ut erudiat, sed ut despiciat; non ut prosit, sed ut perdat, hominésque secum pertrahat in sempiternum interitum. Hæc tentandi ratio Deo convenire non potest. *Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur*: (inquit S. Jacobus:) *Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat*.

Luc. 22.

S. August. Epist. olim 146.

Matth. 4.

1. Thessal. 3.

Jacobi. 1.

Quo sensu Deo supplicamus ne nos inducat in tentationem.

III. Neminem Deus in tentationem inducit impellendo ad peccatum, aut illud suggerendo, quia odio habet omnes operantes iniquitatem: sed nos in tentationem inducere dicitur quatenus permittit ut Diaboli tentationibus superemur, occulto judicio, sed tamen justo, gratiam suam nobis subtrahens ob peccata nostra. *In illâ tentatione* (inquit S. Augustinus) *quâ quisque decipitur & seducitur, neminem tentat Deus: sed planè judicio suo alto & occulto quosdam deserit. Cum ille deseruerit, invenit quid faciat Tentator. Non enim invenit adversùs se luctatorem, sed continuò illi se exhibet possessorem, si deserat Deus. Ne deserat ergo nos, ideo dicimus*, Ne nos inferas in tentationem. » Unusquisque enim tentatur, *ait Apostolus Jacobus*, » à concupiscentia sua abstractus & illectus: deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum; peccatum autem cùm consummatum fuerit, » generat mortem. *Quid nos docuit? Ut pugnemus contra concupiscentias nostras. Nullus hostis metuatur extrinsecus: te vince, & victus est Mundus. Quid tibi facturus est tentator extraneus, sive Diabolus, sive minister Diaboli? Quicumque homo proponit lucrum, ut seducat, avaritiam in te non inveniat: quid facit propositor lucri? Si autem avaritia in te inventa fuerit, viso lucro inardescis, vitiosa esca caperis laqueo. Si autem non in te invenerit avaritiam, remansit frustra extenta muscipula. Proponit tibi Tentator pulcherrimam feminam: adsit intus castitas, victa est foris iniquitas. Ut ergo non te capiat proposita pulchritudine mulieris alienæ, cum tua libidine intus pugna. Non sentis hostem tuum, sed sentis concupiscentiam tuam. Diabolum non vides, sed quid te delectet, vides. Vince intus quod tu sentis. Pugna, pugna: quia qui te regeneravit, judex est: proposuit luctam, parat coronam. Sed quia sine dubio victus eris, si illum Adjutorem non habueris, si te deseruerit; ideo ponis in oratione*, Ne nos inferas » in tentationem. *Ira Judicis donavit quosdam concupiscentiis suis*, Tradidit illos Deus in concupiscentiam cordis illorum. *Quomodo tradidit? Non cogendo, sed deserendo*. Præterea, nos in tentationem Deus inducere dicitur, cùm ejus beneficiis, quæ nobis ad salutem dedit, abutimur ad perniciem, & Patris substantiam ut prodigus ille filius dissipamus, vivendo luxuriosè, nostris cupiditatibus morem gerentes. Tunc enim temporalia illa beneficia, ingenii dotes, scientiæ claritas, opes, honores, dignitates, &c. quæ ad justitiam & gratiarum actionem, Deo adjuvante, nos provocant; eo deserente nobis occasiones peccati fiunt vitio concupiscentiæ nostræ. Quamobrem de hujusmodi beneficiis divinis dicere possumus, quod de Lege Apostolus dixit: *Inventum est mihi Mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem*.

Sermone 17. alias de Diversis 9.

Jacobi. 1.

Pessimus nè Deus gratiam suam nobis subtrahat.

Nullus hostis metuendus extrinsecus, si nos ipsos intus vincamus.

Rom. 1.

Rom. 7.

B

IV. Deum igitur oramus *Ne nos inducat in tentationem*, id est, Ne nos tentatione vinci permittat sive patiatur. In eumdem sensum Discipulos vigilare & orare monuit Christus, *Ne intretis*, inquit, *in tentationem*. Intrare namque in tentationem, est tentationi cedere: quod tunc fit cum peccatorum nostrorum meritis caremus aut luce, quâ peccatum, tentationisve fallaciam & Diaboli artes locis Angelum simulantis, malúmque sub specie boni sæpè proponentis dignoscamus, aut justitiæ Amore, quo carnis & mundi illecebris, amoribus & terroribus resistamus. Unde *S. Cyprianus* hanc Petitionem sic enuntiat: *Et ne nos patiaris induci in tentationem*. Quod & *Sanctus Augustinus*, Libro *De Dono Perseverantiæ*, Cap. VI. observavit. *Quod dicimus Deo*, inquit, *Ne nos inferas in tentationem, quid dicimus nisi, Ne nos inferri sinas? Unde sic orant nonnulli, & legitur in codicibus pluribus: & hoc sic posuit beatus Cyprianus*, Ne patiaris nos induci in tentationem. *In Evangelio tamen Græco nusquam inveni, nisi*, Ne nos inferas in tentationem. Quibus verbis ostenditur, Nihil contra nos Adversarium posse, id est, Diabolum, qui *Tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret*, nisi Deus antè permiserit; ut omnis timor noster & devotio atque » observatio ad Deum convertatur, quando in tentationibus nostris nihil Malo liceat, nisi potestas inde tribuatur. Datur autem potestas adversùs nos Malo secundùm nostra peccata, sicut » scriptum est: *Quis dedit in direptionem Jacob & Israel iis qui prædantur illum? Nonne Deus cui peccaverunt, & nolebant in viis ejus ambulare, neque audire Legem ejus, & superduxit super eos iram animationis suæ?* Potestas verò dupliciter adversùs nos datur, vel ad pœnam cùm » delinquimus, vel ad gloriam cùm probamur: sicuti de Job factum videmus, manifestante Deo » & dicente: *Ecce omnia quæcumque habet, in manus tuas do: sed ipsum cave ne tangas*. Quando » autem rogamus ne in tentationem veniamus, » *Admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbè atque arroganter aliquid assumat, ne quis aut confessionis aut passionis gloriam suam ducat, cùm Dominus ipse humilitatem docens dixerit*: Vigilate, & orate ne veniatis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: *Ut dum præcedit humilis & summissa confessio, & datur totum Deo; quicquid suppliciter cum timore & honore Dei petitur, ipsius pietate præstetur*. Verba sunt S. Cypriani, Tractatu, *De Oratione Dominica*.

Matth. 26.

Deum oramus ne tentatione vinci nos patiatur.

C

D

S. Cyprian.

Isai. 42.

E

Job. 1.

Matth. 26.

F

V. Quàm assiduè verò ac ferventer frequentanda sit hæc precandi ratio, exploratum erit considerantibus humanam ignorantiam, imbecillitatem, fragilitatem. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. Adamus in Paradiso cecidit, in tantâ non peccandi facilitate, cum tantâ gra-

Ad hanc precationem frequentandam humana fragilitas nos invitat.

Matth. 26. 41.

tiæ

 A

tiæ ac donorum Creatoris ubertate, cum tantis liberi arbitrii sani prorsus & integri viribus. Apostolorum Princeps lapsus est in tanta professione singularis fortitudinis, eximiique in Christum Dominum amoris, cùm paulò antè bene sibi fi-
Matth. 26. 35. dens dixisset Salvatori ac Magistro: *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Unius mulierculæ voce perterritus, Dominum negavit: auræ levissimæ flatu concussa Ecclesiæ columna est. Alii viri sancti humanæ naturæ fragilitate graviter peccaverunt Diabolo tentante: quid non igitur nobis timendum est, qui tantis in periculis assiduè B constituti sumus, ab hostibus domesticis, carne scilicet, concupiscentiaque nostrâ; ab extraneis, Mundo scilicet ac Diabolo undique oppugnati?
Jacobi 1. *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Eva nostra interior caro nostra est,
Diabolus cupiditatibus nostris utitur ut cor expugnet. Dalila est quam Philistæus confœderatam habet & in exitium nostrum conjuratam: cupiditatibus nostris utitur ut cor expugnet, ut animam occupet. *Circuit ille nos singulos, & tanquam hostis clausos obsidens, muros explorat, & tentat an sit pars aliqua membrorum minus stabilis, & minùs fida, cujus aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices & faciles voluptates, ut visu destruat* C *castitatem. Aures per canoram Musicam tentat ut soni dulcioris auditu solvat & molliat Christianum vigorem. Linguam convitiis provocat; manum injuriis lacessentibus ad petulantiam cædis instigat: ut fraudatorem faciat, lucra proponit injusta; ut animam pecuniâ capiat, ingerit perniciosa compendia: honores terrenos promittit, ut cælestes adimat: ostentat falsa, ut vera subripiat: & cùm latenter non potest fallere, exertè atque apertè minatur, terrorem turbidæ persecutionis intentans, ad debellandos Dei servos inquietus semper, & semper infestus: in pace subdolus, in persecutione violentus.* Verba sunt *S.* D *Cypriani*, Tractatu *De Zelo & Livore*. Job XVIII. scriptum est, *Abscondita est in terra pedica ejus, & decipula illius super semitam.* Sæpe enim (inquit *S. Gregorius* Libro XIV. *Moralium*, Cap. VII.) *Proponuntur animo cum culpa honores, divitiæ, salus & vita temporalis; quæ mens infirma dum quasi escam videt, & decipulam non videt, per escam quam videns appetit, in culpa constringitur, quam non videtur. Existunt enim qualitates Morum, quæ certis vitiis sunt vicina. Nam Mores asperi aut crudelitati aut superbiæ solent esse conjuncti. Mores autem blandi, & quàm decet paulò ampliùs læti-* E *res, nonnunquam luxuriæ & dissolutioni. Intuetur ergo inimicus generis humani uniuscujusque Mores cui vitio sint propinqui, & illa opponit ante faciem, ad quæ faciliùs cognoscit inclinari mentem: ut blandis lætisque Moribus sæpe luxuriam, nonnunquam vanam gloriam; asperis verò mentibus iram, superbiam, vel crudelitatem proponat. Ibi ergo decipulam ponit, ubi esse semitam mentis conspicit: quia illic periculum deceptionis inserit, ubi viam esse invenerit propinquæ cogitationis.*

VI. Mundo præterea confœderatus est diabolus ut nos in peccatum & damnationem æternam F
1. Joan. 2. pertrahat. *Omne quod est in Mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non ex Patre, sed ex Mundo est.*
Triplex Tentatio. Triplex ista concupiscentia, triplex est diabolicæ tentationis instrumentum. Concupiscentia carnis, voluptatis infimæ amatores significat: concupiscentia oculorum, curiosos: ambitio seculi, superbos, ut explicat *S. Augustinus* Libro *De Vera Religione*, Cap. XXXVIII. Triplicem istam tentationem Christus, qui per omnia tentatus est absque peccato, ut nobis vincendi vires, vincendi formam tribueret, in deserto sustinuit. *Dic*

(inquit Tentator) *ut lapides isti panes fiant.* At Matth. 4.
ille unus & solus Magister, *Non*, inquit, *in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Ita enim domitam docuit esse „ oportere cupiditatem voluptatis, ut nec fami „ cedendum sit. Sed fortè dominationis tempo- „ ralis fasto decipi poterat, qui carnis voluptate „ non potuit: omnia ergo mundi regna monstra- „ ta sunt, & dictum est: *Omnia tibi dabo, si ca-* „ *dens adoraveris me.* Cui responsum est, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Ita calcata est superbia. Subjecta est autem extre- „ ma etiam curiositatis illecebra: non enim ut se „ de fastigio Templi præcipitaret urgebat, nisi „ causâ tantùm aliquid experiendi. Sed neque „ hîc victus est, & ideo sic respondit, ut intelli- „ geremus non opus esse ad cognoscendum Deum „ tentationibus visibiliter divina explorare mo- „ lientibus: *Non tentabis*, inquit, *Dominum Deum tuum.* Quamobrem *Quisquis intus verbo Dei pasci-* „ *tur, non quærit in ista eremo voluptatem. Qui uni Deo tantùm subjectus est, non quærit in Monte, id est, in terrena elatione jactantiam. Quisquis æterno spectaculo incommutabilis veritatis adhærescit, non* C *per fastigium hujus corporis, id est, per hos oculos præcipitatur ut temporalia & inferiora cognoscat.* Verùm divinâ gratiâ opus est ut in corpore mortali, & in hoc Mundo viventes Mundi concupiscentiis non cedamus. Totus Mundus in maligno positus est. Auram pestilentissimam veloci respirare, & pestifera lue non affici, quam difficile! Voluptatis blanditiis non illici, opum fulgore non percelli, cupiditate non corrumpi, visco non implicari, non inquinari; honorum & laudum humanarum flantibus ventis à Christianæ Humilitatis sensu non dimoveri, quàm rarum! Ad Deum itaque confugiendum est, gratiæ ejus ad tam periculosas tentationes vincendas necessarium omnino implorandum est auxilium, dicendo: *Et ne nos inducas in tentationem.*

Cùm ista triplici tentatione Dominus tentatus fuisset, recessit Diabolus. *Et consummata om-* Luc. 4.
ni tentatione (inquit S. Lucas) *Diabolus recessit ab illo, usque ad tempus.* His tribus suggestionibus omnem tentationem consummatam ait, ad illecebram utique pertinentem. Duo sunt enim quæ in peccata homines illiciunt, aut impellunt, voluptas aut dolor: *Voluptas illicit, dolor impellit. Contra voluptates, necessaria est continentia; contra dolores, patientia. Hoc enim modo suggeritur humanæ menti ut peccet: aliquando dicitur, Fac & hoc habebis; aliquando autem, Fac, ne hoc patiaris. Voluptatem prævalit promissio, dolorem comminatio. Ut ergo habeant homines voluptatem, vel non patiantur dolorem, peccant...... Extenta est parata muscipula Inimici. Posuit in muscipula errorem & terrorem: errorem, quo illiciat; terrorem, quo frangat & rapiat. Tu claude januam cupiditatis contra errorem, tu claude januam timoris contra terrorem, & educeris de muscipula. Hujusmodi pugnæ exemplum ipse tibi Imperator tuus, qui propter te etiam tentari dignatus est, in se demonstravit. Et primò tentatus est illecebris: quia tentata est in illa janua cupiditatis, quando illum tentavit Diabolus dicens,*
Dic lapidibus istis ut panes fiant. Adora me, „ Matth. 4.
& dabo tibi Regna ista. Mitte te deorsum, quia „ scriptum est, Angelis suis mandavit de te, & „ in manibus tollent te, ne quando offendas ad „ lapidem pedem tuum. *Omnis hæc illecebra cupi-* „ *ditatem tentat. At ubi clausam januam inveniss* „ *cupiditatis in Eo qui tentabatur pro nobis, convertit se ad tentandam januam timoris, & præparavit illi Passionem. Denique hoc dicit Evangelista,*

Duo sunt quæ homines in peccata illiciunt, voluptas & dolor.

S. August. Serm. XIII. alias 61. De Divers.

Idem Tract. in Joan. 30.

Luc. 4.

Et consummatâ tentatione, Diabolus recessit ab eo ad tempus. *Quid est ad Tempus? Tanquam rediturus & tentaturus januam timoris, quia clausam invenit januam cupiditatis.* Sic totum corpus Christi teotatur usque in finem. *Ideo Deus contra ista duo, quorum est unum in blanda promissione, alterum in terribili comminatione, & promittere dignatus est, & terrere: promittere Regnum cælorum, terrere de suppliciis inferorum. Dulcis est voluptas, sed dulcior est Deus: malus est dolor temporalis, sed pejor est ignis æternus. Habes quod ames pro Mundi amoribus, immo pro immundis amoribus: habes quod timeas pro Mundi terroribus.....*

S. August. Serm. 185.

S. August. Serm. 184.

Promittit Mundus carnalem voluptatem: responde illi, Delectabilior est Deus. Promittit Mundus honores & sublimitates sæculares: responde illi, Altius est omnibus Regnum Dei. Promittit Mundus supervacuas vel damnabiles curiositates; responde illi, Sola non errat veritas Dei. Delectationem unam veram & falsæ delectationi oppone, & dolori. Quænam illa est? *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: ut videam voluptatem Domini.* Delectatio illa contra utromque pugnabit, & contra sævientem Mundum, & contra blandientem. Vincendi formam Christus ostendit: *Sed parum est moneri, nisi impetres adjuvari.* Dicas ergo, *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Respice in me & miserere mei, quoniam unicus & pauper sum ego.*

Psalm. 26.

S. August. Serm. 161. Psalm. 24.

Hostis nostri, seu diaboli tentatoris nequitia.

VII. Carnis, Mundique adminiculis fretus Diabolus, nos & apertè, & per cuniculos aggreditur. Hostis naturam & qualitates scire desideras? Spiritus est, viribus potens, Fortis armatus, astutiâ insignis, leo impetu, insidiis draco, cui mille nocendi artes, malitia incomparabilis, odio, invidiâ, furore adversùs homines percitus. *Induite vos armaturam Dei* (inquit Apostolus) *ut possitis stare adversus insidias Diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem; sed adversus Principes & Potestates, adversus Mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Eo maximè spectat illorum nequitia ut cælesti nos privent hereditate, damnationisque suæ consortes efficiant. Nihil non audet hostis teterrimus, nihil non aggreditur, qui & primos homines in Paradiso est aggressus, & Apostolos appetivit, *Ut cribraret eos sicut triticum*, nec ipsum Christi Domini os erubuit, qui denique *Tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret.* Pios maximè impugnat, hisque in singula temporis momenta struit insidias. Quamobrem Sapiens monet: *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* De Behemoth Diaboli figurâ, Job XL. scriptum est: *Fænum quasi bos comedet.* Fœni nomine, carnalium vita significatur, secundùm illud Prophetæ, *Omnis caro fænum.* Cur verò in comestione fœni non equo, sed bovi comparatur? Respondet *S. Gregorius*, Libro XXXII. *Moralium*, Cap. X. *Equi fænum quamlibet sordidum comedunt, aquam verò nonnisi mundam bibunt. Boves autem aquam quamlibet sordidam bibunt, sed fæno nonnisi mundo vescuntur. Quid est ergò quòd bovi, qui mundo pabulo pascitur, Behemoth iste comparatur, nisi hoc quod de isto antiquo Hoste per Prophetam alium dicitur:* Esca ejus electa? *Neque enim se eos gaudet rapere, quos pravis ac sordidis actionibus implicatos, in imis secum respicit voluntariè jacere. Fænum ergo comedere sicut bos appetit; quia suggestionis suæ dente conterere mundam vitam Spiritualium quærit.* Quòd malos non ita tentet, non infestet Diabolus, haud mirum est: membra enim ejus sunt. Ita unum corpus sunt Diabolus & omnes iniqui, ut plerumque nomine capitis censeatur corpus, & nomine coporis appelletur caput. Nam capitis nomine censetur corpus, cùm de perverso homine dicitur, *Ex vobis unus Diabolus est.* Et rursum nomine corporis appellatur caput, cùm de ipso Apostata Angelo dicitur, *Inimicus homo hoc fecit.* Iste igitur Princeps omnium perversorum alios socios habet, alios filios. Qui namque sunt ejus socii, nisi apostatæ Angeli, qui cum eo de cælestis Patriæ sede ceciderunt? Vel quos alios filios habet, nisi perversos homines, qui de ejus prava persuasione in malitiæ operatione generantur? Quibus dictum est, *Vos ex Patre Diabolo estis.* Sicut ergo Redemptor noster una persona est cum congregatione bonorum: ipse namque caput est corporis, & nos hujus capitis corpus: ita antiquus hostis una persona est cum cuncta collectione reproborum, quia ipse eis ad iniquitatem quasi caput præeminet: illi autem dum ad persuasa deserviunt, velut subjunctum capiti corpus inhærent (inquit *S. Gregorius*, Libro XIII. *Moralium*, Cap. XXXI. & Libro IV. Cap. XIV.) Tantùm igitur abest ne ipsos tentet ac persequatur, ut potiùs ipsis utatur velut Ministris ad tentationem & persecutionem piorum. Sed hæc aperta tentatio est.

Habacuc. 1.

Ephes. 6.

1. Petr. 5.

Eccli. 2.

Isai. 40.

Cur diabolus malos non ita tentat ac pios.

Joann. 6. 71.

Matth. 13. 28.

Joan. 8. 44.

VIII. Longè verò periculosiores sunt tentationes, quibus occultè & per cuniculos corda piorum pulsat. Has describit *S. Bernardus*, Sermone VI. in Psalmum XC. & Sermone XXXIII. in *Cantica*, seu potiùs exponit descriptas his Prophetæ verbis: *Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano.* Primordia, inquit, nostræ conversionis primus exagitat *Timor, quem statim horror vitæ ingerit arctioris, & insueta austeritas disciplinæ.* Atque is *Timor nocturnus* dicitur, vel quia nox in Scripturis significare solet adversa, vel quoniam propter quod adversa pati aggredimur, id nondum revelatum est. Si enim dies ille luceret, in cujus lumine pariter & labores & præmia videremus, timor omnino quorumvis laborum nullus esset præ desiderio præmiorum, dum clara luce appareret, *Quoniam non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Nunc verò quoniam abscondita sunt ab oculis nostris, & nox est interim in hac parte, tentamur à timore nocturno, & pro bonis quæ non videmus, formidamus quæ impræsentiarum sunt adversa tolerare. *Sagitta volans in die*, est *Inanis gloria.* Fama siquidem volat: & ideo in die, quia ex operibus lucis. Si hæc exsufflatur tanquam inanis aura, restat ut solidius aliquid affectetur de divitiis & honoribus sæculi, si fortè qui non curat laudes, appetat dignitates. *Negotium perambulans in tenebris*, est *Hypocrisis.* Etenim ista de ambitione descendit, & in tenebris habitatio ejus: quippe abscondit quod est, & quod non est mentitur. Negotiatur autem omni tempore, formam retinens pietatis ad sese occultandum, virtutem autem ejus vendicans, & emens honores. *Dæmonium meridianum*, quod solet maximè insidiari perfectis, quos videt diligere justitiam & odisse iniquitatem, est propositio mali sub specie boni & virtutis. *Quos enim perfecti boni noverit amatores, malum est sub specie boni non mediocris, sed perfecti persuadere conatur*; (inquit San-

Perfectiorum tentationes, quibus diabolus occultè & per cuniculos corda piorum pulsat.

Rom. 8.

ctus Bernardus) *Ut citò consentiat qui magnopere diligit bonum, & facilè qui currit, incurrat.* Vigilandum igitur & orandum est, *Ut non circumveniamur à Satana: non enim ignoramus cogitationes ejus*, qui sæpè *transfigurat se in Angelum lucis.*

[Margin: 2. Cor. 2.]

[Margin: Diabolus minus perfectos de levioribus peccatis tentat, ut sensim ad graviora pertrahat.]

Sicut autem malum sub specie boni ac virtutis proponit viris perfectis, viris virtutum, qui omnia superaverint, virtutes, favores, honores: ita probos quidem, sed minùs perfectos de minimis primùm peccatis tentat, ut eos sensim ad graviora pertrahat. Qua de re præclarè disserit *S. Johannes Chrysostomus*, Homiliâ LXXXVII. in Matthæum. *Veterator*, inquit, *malorum Diabolus cùm sit, magnâ malitiâ, multâ operâ, ingenti studio, condescensioneque nonnullâ ad perditionem hominum utitur. A minimis enim plerumque incipit, quod intueri hoc modo licet. Studebat in Pythonissa nugas ac deliramenta Saul Regem detrudere. Sed id si ab initio suasisset, mentem ille non adhibuisset: quando enim id fecisset, qui Pythonissas expellebat? Propterea sensim & paulatim ipsum inducit. Nam quoniam Samueli non obtemperavit, & holocausta ipso absente offerri properavit, accusatus ait. Necessitas hostium facta est major. Cùmque flere oportuisset, quasi nihil mali fecisset lætabatur. Jussit rursum nonnulla de Amalecitibus Deus, ea quoque transgressus fuit. Hinc adversus David insanivit: ac sic paulatim lapsus, in perditionis barathrum se immisit. Similiter etiam de Cain factum esse videmus. Non enim confestim cædem fratris illi suggessit, ne magnitudine rei commotus, tam scelestum facinus abominaretur: sed prius persuasit deteriora offerre, nullum esse id dicens peccatum: deinde invidia veneno succendit, nihil etiam hinc mali secuturum persuadendo. Ita sensim in eum illapsus, ad cædem fratris, & ad negationem sceleris impulit. Repellenda igitur malorum initia sunt. Nam etiamsi ad majora prima non progrederentur peccata, non esset tamen negligendum: nunc verò per istam incuriam gradatim semper ascendunt; quapropter omni studio atque operâ funditus principia peccatorum sunt evertenda. Non enim vim delicti solam consideres, nec quia parvum sit cogites: sed illud præcipuè tene, quia si radicem non evulseris, magnum inde peccatum succrescet. Mirabile quiddam atque inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnunquam non tanto studio magna videri peccata esse vitanda, quàm parva: illa enim ut aversemur, ipsa peccati natura efficit: hæc autem eo ipso quo parva sunt, desides reddunt: & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere. Unde citò ex parvis maxima fiunt negligentiâ nostrâ. Hoc ipsum corporibus quoque accidere videbis. Sic in Juda maximum proditionis malum exortum est: nisi enim parvum esse putasset pecuniam inopum surripere, in tantam impietatem non advenisset. Judæi quoque nisi putassent inanis gloriæ delictum minimum esse, usque ad cædem Christi lapsi non fuissent. Hâc viâ omnia scelera fieri videbis. Nemo enim repente ad extremam improbitatem insilit. Habet quippe insitum quemdam animo pudorem atque innatum, quem subitò calcare atque projicere non potest: sed sensim atque paulatim ex negligentia perit. Hoc pacto etiam idolorum cultus ad tum invenit, cùm ultra quàm oportet vivi ac defuncti nonnulli honorarentur: hoc pacto simulacra & statuæ adorata sunt: hoc pacto denique fornicatio & cetera vitia dominantur. Consideremus autem si nimium quidam ac importunè risit, reprehensus à quopiam est: respondet alius, Nihil id esse mali. Quid enim est risus, aut quid unquam ex risu malè sequetur? Orta tamen ex immoderato risu paulatim scurrilitas, à scurrilitate turpiloquium, à turpiloquio operatio turpis profecta est. Cùm alius proximo malediceret ac convitia diceret, reprehensusque esset, contempsit, dicens, Nihil esse mali hujusmodi verbis uti: sed hinc dissidia & odia nata sunt, inde inimicitiæ capitales, hinc contumeliæ, à contumeliis porro pulsatio, ac inde cædes plerumque secuta est. Sic à minimis ad maxima gradatim Diabolus ducit.*

[Margin: 1. Reg. 13.]

[Margin: 1. Reg. 15.]

[Margin: Genes. 4.]

Cùm igitur tam multiplices tamque periculosæ sint vaferrimi Hostis tentationes & insidiæ, *Oportet semper orare, & nunquam deficere*, Ut ille qui insidiatur vel certat extrinsecùs, nullâ irrumpat ex parte, nullâ nos fraude, nullâ nos possit virtute superare. *Quantaslibet autem adversùm nos erigat machinas, quando non tenet locum cordis, ubi fides habitat, ejectus est foras.* Quid aliud verò petimus, cùm dicimus, *Et ne nos inducas in tentationem?* inquit *sanctus Augustinus*, Tractatu LII. in *Johannem*.

[Margin: Optare licet ac orare, ut nulla tentatione pulsemur.]

IX. Oramus autem, non simpliciter & absolutè, ut Deus tentationes à nobis avertat, sed ne nos tentationibus succumbere patiatur. Optare tamen licet ac orare, ut nullâ tentatione pulsemur quâ ad peccatum solicitamur, ad id præsertim peccati genus ad quod sumus procliviores. Periculosa enim saluti per se tentatio est, ideoque humilitas Christiana illam declinare suadet, non illam optare, non quærere, non se illi exponere, sed de suis viribus diffidendo, illam humiliter deprecari. Eas quidem, cùm, permittente Deo, nobis immittuntur, tolerare debemus, non amare. *Numquid* (inquit *sanctus Augustinus*, Libro X. *Confessionum*, Cap. XXVIII.) *non tentatio est vita hominis super terram? Quis velit molestias & difficultates? Tolerari jubes ea, non amari. Nemo quod tolerat amat, etsi tolerare amat.* Cùm autem petimus ut omnino non tentemur, non semper exaudimur, quia Deus utiles excitandæ vigilantiæ nostræ ac fidei, præsertìmque domandæ superbiæ tentationes esse novit. Unde Apostolus II. ad Corinthios XII. scribit: *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet à me: & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Hinc *S. Gregorius*, Libro XXIII. *Moralium*, Cap. XVI. ait: *Cùm sicut cupimus, ad Deum proficimus, si profectum nostrum tentatio nulla pulsaret, alicujus nos fortitudinis esse crederemus. Sed quia nobiscum supernâ dispensatione agitur, ut infirmitati nostræ quia proficientes obliviscimur, tentati recolamus; & in profectu nostro quid de divino munere, & in tentatione cognoscamus quid de propriis viribus sumus. Quæ nos profectò tentatio ad plenum raperet nisi protectio superna servaret. Sed pulsat, nec frangit: impellit, nec movet; quatit, nec dejicit: ut de nostra infirmitate sentiamus esse quòd quatimur, & de divino munere esse quod stamus.*

[Margin: Tolerandæ, non amandæ tentatio.]

[Margin: Tentationes utiles excitandæ vigilantiæ, domandæ superbiæ.]

[Margin: Tentationibus resistendum.]

Cùm itaque in potestate nostra non sit omnino non tentari, parati esse debemus ad tolerandas animo Christiano & fideli tentationes; & ad resistendum Diabolo, *Scutum fidei sumentes, in omnibus, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere. Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias Diaboli.* Divinâ protectione freti, cum beato Job dicamus: *Libera me Domine, & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.* Et cum Davide, *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Vigilemus, oremus,

[Margin: Ephes. 6.]

[Margin: Job 17.]

[Margin: Psalm. 22.]

humiliemus nosmetipsos, jejunio & eleemosynâ Diabolum à nobis expellamus: resistamus Satanæ, & fugiet à nobis. Sobrii simus, ipsi resistamus *fortes in fide*. Assumamus gladium *spiritûs quod est verbum Dei*, induamur *loricam justitiæ*, *galeam salutis* assumamus, *succincti lumbos in veritate, orantes omni tempore in spiritu: & in ipso vigilantes in omni instantia*: ut Christianæ Militiæ armis muniti, possimus *resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare*. Mundum ne diligamus Diabolo confœderatum ad perniciem nostram, neque ea quæ in mundo sunt: *Si quis enim diligit Mundum, non est caritas Patris in eo.* Christus Mundum, Diabolúmque vicit, nobisque vicit; confidamus, & in adjutorio Altissimi speremus, in ejúsque protectione commoremur. Dicamus Domino, *Susceptor meus, & refugium meum es tu, Deus meus, sperabo in eum: quoniam ipse evellet me de laqueo venantium*: & scuto circumdabit nos veritas ejus, ut undequaque munitum cor nostrum, nullis Adversarii incursibus pateat. *Fidelis enim Deus est*, inquit Apostolus, *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*. Christus Diabolum alligavit spiritualibus vinculis, ejus potestatem cohibuit ac frenavit, ne vim ac fraudem omnem exerceat ad seducendos ac dejiciendos fideles Dei cultores. *Alligatus est Diabolus ne faciat quantùm potest, ne faciat quantùm vult: tamen tantùm tentare sinitur, quantùm expedit proficientibus.... Diabolus potestas quædam est, plerumque tamen vult nocere, & non potest, quia potestas ista sub potestate est. Nam si posset tantùm nocere Diabolus quantùm vult, non aliquis justorum remaneret, aut aliquis fidelium esset in terra. Qui dat potestatem Tentatori, ipse tentato præbet misericordiam. Ad mensuram enim permittitur tentare Diabolus. Noli ergo timere permissum aliquid facere Tentatorem: habes enim misericordissimum Salvatorem. Tantùm permittitur ille tentare, quantùm tibi prodest ut exercearis, ut proberis, ut qui te nesciebas, à te ipso invenīaris.* Apud Deum non est iniquitas: tu tantùm ad eum pertine, in ipso spem pone; ipse sit adjutor tuus, Salutare tuum, in illo sit locus munitus, turris fortitudinis, refugium tuum ipse sit, & non te sinet tentari supra quàm potes ferre, sed faciet etiam cum tentatione exitum ut possis sustinere: ut quod te sinit pati tentationem, potestas ejus sit; quod non sinet ultrà in te fieri quàm potes ferre, misericordia ejus sit: *Quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* Cor nostrum Diabolus obsidet, oppugnat; non expugnabit, non vincet, nisi voluerimus. *Si Diabolus aliquid suggerit, consentientem tenet, non cogit invitum*, inquit sanctus Augustinus. *Non enim seducit ille aut trahit aliquem, nisi quem invenerit ex aliqua parte jam similem sibi. Invenit enim eum aliquid cupientem: & cupiditas aperit januam intranti suggestioni Diaboli. Invenit illum aliquid timentem, monet ut fugiat, quod illum invenit timere: monet ut adipiscatur, quod illum invenit cupere: & per has duas januas cupiditatis & timoris intrat. Claude illas, & implet illud Apostoli*, Non detis locum Diabolo. *Ibi enim voluit ostendere Apostolus, quia quamvis intret & possideat Diabolus, homo illi tamen locum dedit, ut posset intrare.*

Verùm, dicet aliquis, Si alligatus est Satanas, quare adhuc tantùm prævalet? Verum est, Fratres, multùm prævalet; sed tepidis & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est enim tanquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum qui se ad illum ultrò mortiferâ securitate conjunxerit. Jam videte quàm stultus homo ille est, quem canis in catena positus mordet. *Tu te ad illum per voluptates & cupiditates sæculi noli conjungere, & ille ad te non præsumet accedere. Latrare potest, solicitare potest; mordere non potest nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet: nec extorquet à nobis consensum, sed petit.* Verba sunt *sancti Cæsarii* Arelatensis Episcopi, Sermone XXVIII. aliàs inter Augustinianos *De Tempore* CXCVII. nunc in Appendice XXXVI. Quamobrem si fortè tentationi consenseris, Diabolum ne accuses, sed te ipsum. *Satanas fecit*, inquis, *ipse mihi persuasit: quasi Satanas habeat potestatem cogendi. Astutiam suadendi habet. Sed si Satanas loqueretur, & taceret Deus, haberet unde te excusaret: modò aures tuæ positæ sunt inter monentem Deum, & suggerentem Serpentem. Quare huc flectuntur, hinc avertuntur? Non cessat Satanas suadere malum: sed nec Deus cessat admonere bonum. Satanas autem non cogit invitum: in tua potestate est consentire aut non consentire. Si aliquid persuadente Satana mali feceris; dimitte Satanam, accusa te, ut accusatione tuâ Dei misericordiam merearis. Expetis illum accusare qui non habet veniam? Te accusa, & accipis indulgentiam*, inquit *sanctus Augustinus*, Enarratione in Psalmum XCI.

XI. Per cupiditatem autem temporalium regnat in homine Diabolus, & cor ejus tenet. Tales sunt omnes qui diligunt istum Mundum. Mittitur autem Diabolus foras, quando ex toto corde renuntiamus huic Mundo. Sic enim renuntiatur Diabolo, qui Princeps est hujus Mundi, cùm renuntiatur corruptelis, & pompis, & Angelis ejus. Ideóque ipse Dominus jam triumphantem naturam hominis portans, *Confidite*, inquit, *ego vici Mundum*. Multi autem dicunt, Quomodo possumus vincere Diabolum, quem non videmus? Sed habemus Magistrum, qui nobis monstrare dignatus est, quomodo invisibiles hostes vincantur. De illo enim dicit Apostolus, *Exspolians Principatus & Potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* IBI ERGO *vincuntur inimicæ nobis invisibiles Potestates, ubi vincuntur invisibiles cupiditates: & ideo quia in nobis ipsis vincimus temporalium rerum cupiditates, necesse est ut in nobis ipsis vincamus & illum, qui per ipsas cupiditates regnat in homine. Quando enim dictum est Diabolo*, Terram manducabis, *dictum est peccatori*, Terra es, & in terram ibis. *Datus est ergo in cibum Diabolo peccator. Non simus terra, si nolimus manducari à Serpente. Sicut enim quod manducamus, in nostrum corpus convertimus, ut cibus ipse secundùm corpus hoc efficiatur quod nos sumus: sic malis moribus per nequitiam & superbiam & impietatem hoc efficitur quisque quod Diabolus, id est, similis ejus; & subjicitur ei, sicut subjectum est nobis corpus nostrum. Et hoc est quod dicitur, Manducari à Serpente. Quisquis itaque timet illum ignem, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus, det operam triumphare de illo in semetipso. Eos enim qui foris nunc oppugnant, intus vincimus, vincendo concupiscentias per quas nobis dominantur.* Verba sunt *sancti Augustini*, Libro *De Agone Christiano*, Cap. 15. Id ut Pater cælestis gratiâ suâ nobis præstet, suppliciter postulamus his verbis: *Ne nos inducas in tentationem.* Petimus auxilium quo carnalem libidinem & cupiditates omnes domemus. Petimus ne ulla nos creatura suâ fucatâ venustate ac dulcedine ad peccatum provocet, atque à Christi caritate separet.

Margin notes: Epist. 4. (Jacob. 4.) — 1. Joannis 2. — Psalm. 90. — 1. Cor. 10. — Christus Diabolum nobis vicit. — S. Aug. in Psal. 61. — Idem in Psal. 61. — Diabolus cor nostrum non expugnat, nisi volucrimus. — Serm. 11. aliàs 10. De Divers. & 41. ex Homiliis 50. — Ephes. 4. — Joan. 16. — Coloss. 2. — Genes. 3.

Petimus ne Mundi malitia, persecutiones, calumniæ, vexationes ad impatientiam, vindictam, aliaque vitia nos impellant; sed ut constantes ad mortem usque, fidem, spem, & dilectionem in Deum firmam teneamus. Petimus ut cùm Deus nos pro peccatis nostris in hoc Mundo variis flagellis castigat, hujus tentationis ac probationis felicem faciat exitum, ut hîc ita emendemur, ne cum hoc Mundo damnemur. Petimus denique, ne nos Diaboli tentatio obruat, cujuscumque generis illa sit. Rogamus autem non pro nobis solis, sed pro Christianis omnibus, ut Deus, cujus beneficio arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sint robore, doceat manus nostras ad prælium, det nobis protectionem salutis, & sub umbra alarum suarum nos protegat adversùs hostes Animarum nostrarum, ut partâ aliquando ex Mundo, carne, Diabolóque victoriâ, simul agamus immortales in sempiternum *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum*: simúlque exultantes in gloria, festivis Angelorum plausibus gratulatorias voces misceamus, dicentes: *Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus: quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Et ipsi vicerunt eum propter Sanguinem Agni, & propter verbum testimonii sui, & non dilexerunt animas suas usque ad mortem. Propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis.*

1. Cor. 15. Apoc. 12.

ARTICULUS X.

Orationis Dominicæ Petitio septima explicatur.

SED LIBERA NOS A MALO.

I. Quod suis Electis adprecatus est à Patre Christus è vita migraturus, *Rogo ut serves eos à malo*, id fideles suos precari docuit, eâmque voluit esse divinæ hujus Orationis clausulam, quæ vim & rationem Petitionum complectitur cæterarum. His enim verbis, *Sed libera nos à malo*, inquit *S. Cyprianus*, comprehendimus *Adversa cuncta, quæ contra nos in hoc Mundo molitur Inimicus, à quibus potest esse fida & firma tutela, si nos Deus liberet; si deprecantibus atque implorantibus opem suam præstet. Quando autem dicimus*, Libera nos à malo, *nihil remanet quod ultra adhuc debeat postulari, quando semel protectionem Dei adversùs malum petamus, quâ impetratâ, contra omnia quæ Diabolus & Mundus operantur, securi stamus & tuti. Quis enim ei de sæculo metus est, cui in sæcula Deus tutor est?*

Joannis 17.

II. Rectè quidem *Mali* nomine Diabolum intellexerunt *Tertullianus, sanctus Joannes Chrysostomus*, & alii. Ille enim sine addito *Malus* dicitur, quòd in extremo malitiæ gradu constitutus sit, à quo revocari nequeat. Deinde, quòd ejus invidiâ, & suggestione homines ad peccatum incitentur, sitque omnium malorum caput. Tertiò, quòd eo velut suæ justitiæ Ministro Deus utatur in pœnis repetendis à facinorosis & sceleratis hominibus. Quartò, quòd nobis perpetuum bellum inferat, quamvis nihil ipsum læserimus, nósque odio capitali insectetur: & si nos fide armatos, & secundùm Christi præceptum vigilantes ac orantes in peccatum impellere non possit, externis tamen malis nos quacumque potest ratione divexat, ut vel hinc periculum faciat eversionis nostræ, ut sancti Job, & aliorum piorum exempla probant. Quamobrem Dei auxilium imploramus, ut nos *A malo*, id est, à Diabolo liberare dignetur. Dicimus autem, Christo docente, *Libera nos à malo*, non à malis: quia mala omnia, quæ nobis à proximis inferuntur, ad Satanam tanquam impulsorem & incentorem referenda sunt, omnéque odium & iracundiam nostram in ipsum convertere debemus, non in homines qui illius suggestione & impulsu nobis injuriam inferunt. Quamobrem si nos læserit Proximus, Deum orare debemus, ut non solùm nos, sed & Proximum nobis injuriam inferentem, à Malo, id est, ex Diaboli manu & laqueis liberet. Magis enim sors persecutorum nostrorum dolenda est quàm nostra; sicut magis dolenda est sors phrenetici, quàm amicorum aut famulorum ipsi ministrantium, in quos sævit, nisi ligetur. Non enim qui patitur, sed qui facit injuriam, miser est.

Mali nomine Diabolus intelligitur.

Cardinalis Gropperus in Enchiridio Christ. Instit. & Conc. Trid. Catech.

III. Non negandum tamen est, quin hîc mali nomine intelligendum etiam sit, quicquid periculorum est, incommodorum, adversarúmque rerum, quæ corporis & animæ, fortunis & famæ, vel acciderunt, vel jam imminent, vel accidere possunt. Hoc autem petitionis hujus à priori discrimen est; quòd illâ Deum oremus, ut nos à malo culpæ, ut vocant, sive à peccato immaculatos servet; istâ, ut à malo pœnæ præsentis & futuræ liberet: illâ, ne tentationibus nos succumbere patiatur; istâ, ne præsentibus calamitatibus aut futuris nos opprimi vel everti permittat. Petimus igitur à Deo, ut nos paternâ suâ bonitate servet ab aqua & igne, à fulgure & tempestate, ut grandinem frugibus noxiam, annonæ caritatem, seditiones, bella, morbos, pestem, vastitatem arceat; ut vincula, carcerem, exilium, proditiones, insidias, cæteráque id genus mala prohibeat; omnes denique flagitiorum & facinorum caussas avertat. Oramus etiam ne temporalia bona, scilicet divitiæ, honores, valetudo, robur corporis, hæc ipsa vita, nobis ad malum, & ad Animæ nostræ exitium convertantur. Oramus etiam Deum, ne repentinâ & improvisâ morte intercipiamur & opprimamur, ne in nos iram Dei concitemus, ne in damnationem æternam incurramus. Hanc petitionem & in Missa, & in Litaniis sic interpretatur Ecclesia, Deo supplicans ut liberet nos *Ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, & futuris, ut ope Misericordiæ ejus adjuti, & à peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi.* Temporalia verò mala & flagella sic deprecari debemus, ut primo loco, & ardentibus votis, sanctificationem Divini Nominis, Regnum Dei, voluntatis ejus adimpletionem in terra sicut in cælo, quotidianæ gratiæ auxilium, Panemque verbi Dei, & Sacramentorum subsidia Animæ nostræ sustentandæ necessaria, remissionem peccatorum nostrorum, & victoriam tentationum optemus & postulemus; liberationem verò ab incommodis, calamitatibus, damnis rerum temporalium, morbis, persecutionibus eâ solùm ratione deprecemur, quâ nobis impedimento esse possunt ad Dei obsequium, & ad æternam salutem; totúmque divinæ voluntati committamus. Media quidem humana & legitima minimè negligenda sunt, ut morbos, ut mortem, ut improborum hominum injurias declinemus, aut propulsemus: sed spes omnis in Deo collocanda est, qui justos ad se clamantes in adversis rebus exaudit, ut Abraham, Jacob, Joseph, Job, Davidis, Tobiæ, Judith, Esther, Su-

Mali nomine intelliguntur etiam omnia pericula, incommoda, & res adversæ.

Petitionis hujus à superiori discrimen.

Psalm. 33.

sannæ exempla in veteri, aliáque insignia in Novo Testamento demonstrant. *Clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.*

Variis modis servos suos Deus à malis liberat.

IV. Variis autem modis benignissimus Deus servos suos à malis liberat: Primò cùm imminentes calamitates prohibet. Sic Jacob eripuit ab inimicis quos in illum concitaverat Sichimitarum cædes à filiis ejus patrata. *Terror* enim *Dei invasit omnes per circuitum civitates, & non sunt ausi persequi recedentes.* Præterea, homines à malis liberat Deus, cùm illos in summum discrimen adductos, integros & incolumes servat, quemadmodum tres pueros in ardentem fornacem conjectos, & Danielem in lacum leonum detrusum servavit. Tertiò, nos liberat à malis, quatenus vitæ præsentis incommoda & calamitates viribus nostris attemperat, ut eas tolerare possimus. *Cibabis nos pane lacrymarum,* inquit Propheta, *& potum dabis nobis in lacrymis in mensura.* Quid est, *in mensura?* Apostolum audi: *Fidelis est Deus, qui non vos permittit tentari supra quàm potestis ferre.* IPSA *est mensura, ut erudiaris, non ut opprimaris,* inquit *S. Augustinus* Enarratione in Psalmum LXXIX. Quartò, Justos à malis Deus liberat, multa interdùm dans illis solatia quibus subleventur. Quò pertinet illud Prophetæ: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Multi dolores, sed multæ consolationes: amara vulnera, sed suavia medicamenta. Hinc Apostolus II. ad Corinthios VII. *Repletus sum,* inquit, *consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Nam & cùm venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnæ, intus timores. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus.* Et cap. I. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: ut possimus & ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem quâ exhortamur & ipsi à Deo. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Fieri certè non potest, quin magno solatio afficiantur, qui persuasum habent, se Deo volente calamitates, incommoda, persecutiones pati; Deum servis suis in tribulationibus singulari quadam ratione adesse: *Cum ipso sum,* inquit, *in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum:* Qui se Christo pro nobis omnibus passo conformari & similitudinem mortis ejus in seipsis exprimi gaudent: qui rerum adversariarum perpessionem viam esse ad Regnum cælorum certò credunt: quoniam & *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam:* & sic oportet pati Christianum, *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum.* Nam *Si commortui sumus, & convivemus: si sustinebimus, & conregnabimus.* Consolatur nos Deus propositâ brevitate laborum, & magnitudine atque æternitate præmiorum. Venale est quod habeo, dicit tibi Deus, eme illud. Requiem venalem habeo, eme illam de labore. *Quodammodo proposuit Deus venale Regnum cælorum: pretium ipsius labor est.* Quantus labor est? Ostendit Deus quanta sit illa requies, tu judica quanto labore emenda sit. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Quanto labore digna est requies quæ non habet finem? Æterna requies æterno labore rectè emitur: sed noli timere, misericors est Deus. *Si enim haberes æternum laborem, nunquam pervenires ad æternam quietem. Ergo ut aliquando pervenias ad id quod emis, non in æternum laborandum est: non quia non valet tanti, sed ut possideatur quod emitur. Digna est quidem omni labore perpetuo: sed necesse est ut labore temporali ematur..... Paucos annos laboras, & in ipsis paucis annis non deest consolatio, non desunt gaudia quotidiana. Sed noli gaudere in sæculo, gaude in Christo, gaude in verbo ejus, gaude in lege ejus. Quanta sunt ista consolationes in tantis laboribus?* Verum est ergo quod scribit Apostolus: *Id quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Ecce quantum pretium damus, quodammodo unam siliquam ad comparandum thesauros sempiternos, siliquam laboris ad requiem, felicitatem, & delectationem incredibilem & nunquam finiendam; ad bonum quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, ad fruitionem Dei, ad gaudium Domini, cujus non erit finis, ad bona quæ præparavit in terra viventium his qui diligunt illum. *Gaudes ad tempus, noli ibi fidere: tristis es ad tempus, noli desperare. Non te corrumpat felicitas, & non frangat adversitas. Recedat spes sæculi, & accedat spes Dei.* Clama cum Propheta, *Et factus est mihi Dominus in refugium, & Deus meus in auxilium spei meæ.* Modò enim Dominus spes. Quandiu enim hîc sumus, in spe sumus, nondum in re. *Sed ne in spe deficiamus, adest Promissor erigens nos, & temperans mala quæ patimur..... Sic mittit in fornacem tribulationis, ut coquatur vas, non ut frangatur:* Vas, inquam misericordiæ, *Quod præparavit in gloriam.* Quintò justos à malis liberat Deus occulto & invisibili modo, semperque verum est quod *Salus justorum à Domino, & protector eorum est in tempore tribulationis.* Non minùs protector fuit Machabæorum Martyrum, qui igne sunt consumpti, quam trium puerorum, quos ab ignis vi liberavit. *Utrisque affuit: illis in aperto, istis in occulto. Illos visibiliter liberabat, istos invisibiliter coronabat. Illi quidem de morte liberati sunt: sed in hujus vitæ tentatione manserunt: ab igne liberati, ad pericula reservati: uno tyranno victo, adhuc certaturi cum Diabolo. Machabæi meliùs & tutiùs liberati sunt. Ab illis tribus viris, cæteris remanentibus, illa una tentatio superata est: ab istis ista vita finita, quæ tota tentatio est.* Verba sunt *sancti Augustini*, Sermone CCCI. alias *De Diversis* CX. Cap. III.

Psal. 79. 6.

1. Cor. 10. 13.

Psalm. 93.

S. August. in hunc Psal.

Psalm. 90. 15.

Act. 14.

Luc 24.

2. Tim. 2.

S. August. Enarrat. in Psalm. 93.

Psalm. 83.

2. Cor. 4.

S. August. ibidem.

Psalm. 83.

Psalm. 36.

Quando in nobis perficietur, quod petimus, ut ab omni malo liberemur.

V. Denique quod hac petitione rogamus, *Libera nos à malo*, omni ex parte in nobis perficietur, cùm hujus mortalitatis onere deposito, ab ignorantiæ, concupiscentiæ, corruptionisque malo planè liberi erimus, absorptâ morte in victoria. Tribus igitur postremis Dominicæ Orationis Petitionibus precamur, 1. Remissionem peccatorum quæ commisimus. 2. Gratiam quâ peccata deinceps caveamus & vitemus. 3. Ut à concupiscentiæ malo penitus liberemur. *Manet enim malum in carne nostra, non naturâ in qua divinitus creatus est homo, sed vitio quo voluntate prolapsus est, ubi amissis viribus, non eâ qua vulneratus est, voluntatis facilitate sanatur. De hoc malo dicit Apostolus,* Scio quoniam non habitat in carne mea bonum. *Cui malo non obedire præcipit, cùm dicit:* Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus. *Si ergo his desideriis concupiscentia carnis illicitâ voluntatis inclinatione consensimus, ad hoc sanandum dicimus,* Dimitte nobis debita nostra: *adhibentes remedium in opere misericordiæ, in eo quod addimus,* sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Ut autem non ei consentiamus, deprecamur adjutorium, dicentes:*

Rom. 7.

Rom. 6.

Et

» Et ne nos inducas in tentationem. *Non quòd ipse Deus tali tentatione aliquem tentet : sed ut si fortè tentari cœperimus à concupiscentia nostra, adjutorio ejus non destituamur, ut in eo possimus vincere, ne abstrahamur illecti. Deinde addimus quod perficietur in fine, cùm absorbebitur mortale à vita :* » Sed libera nos à malo. *Tunc enim nulla erit talis concupiscentia, cum qua certare, & cui non consentire jubeamur. Sic ergo totum hoc in tribus beneficiis positum breviter peti potest : Ignosce nobis ea in quibus sumus abstracti à concupiscentia : Adjuva ne abstrahamur à concupiscentia : Aufer à nobis concupiscentiam.* Sic explicat *S. Augustinus*, Libro II. *De Peccatorum Meritis & Remissione*, Cap. IV.

S. August. L. 2. De Serm. Dom. in Monte Cap. 9.

» Oramus itaque ut non solùm non inducamur » in malum, quo caremus ; quod sexto loco pe» titur : sed ab illo etiam liberemur, quo jam in» ducti sumus. Quod cùm factum fuerit, nihil » remanebit formidolosum, nec omnino metuen» da erit ulla tentatio. Quod tamen in hac vita » quandiu illam mortalitatem circumferimus, in » quam serpentinâ persuasione inducti sumus, » non sperandum est posse fieri ; sed aliquando » futurum sperandum est. Sed tamen Sapientia, » quæ in hac quoque vita concessa est, fidelibus » servis Dei non est desperanda. Ea est autem, » ut id quod Domino revelante fugiendum esse » intellexerimus, cautissimâ vigilantiâ fugiamus ; » & id quod Domino revelante appetendum in» tellexerimus, flagrantissima caritate appetamus. » Ita enim reliquo mortalitatis hujus onere ipsâ » morte deposito, ex omni hominis parte perfi» cietur beatitudo, quæ in hâc vita inchoata est, » & cui capessendæ atque obtinendæ nunc omnis » conatus impenditur.

ARTICULUS XI.

Explicatur ultima vox Orationis Dominicæ :

AMEN.

I. GRæci Dominicam Orationem his verbis absolvunt, *Quoniam tuum est Regnum, & potentia, & gloria in secula seculorum, Amen.* Ita nunc Græci Codices habent, necnon Syriaca & Arabica Versio, *S. Joannes Chrysostomus*, Auctor Operis Imperfecti in Matthæum, *Euthymius*, & *Theophylactus*. Sed in vetustissimis Exemplaribus Græcis hanc non extitisse clausulam, non *Tertulliani* tantùm, & *Origenis*, & *S. Cypriani* qui eam non legerunt, sed maximè *S. Hieronymi* auctoritas probat, qui cùm Novum Testamentum jussu *S. Damasi* Romani Pontificis Græcæ fidei reddiderit, hæc tamen verba nec vertit, nec in Commentariis exponit. Unde nec illa ceu Dominicæ partem Orationis agnoscit Ecclesia Latina : sed divinam illam Orationem concludit hac voce, *Amen*, quam *S. Hieronymus* vocat *Signaculum Dominicæ Orationis.*

II. AMEN, Hebræum verbum est, cujus, sicut & quorumdam aliorum, *Propter sanctiorem auctoritatem servata est antiquitas* in Latina Scripturæ Sacræ Editione, & in Ecclesiasticis Precibus, ut loquitur *S. Augustinus*, Libro II. *De Doctrina Christiana*, Cap. XI. tum maximè ob Christi Domini reverentiam, cujus in ore sacratissimo frequens fuit. Multiplex est vocis hujus interpretatio. Primò, vim habet affirmandi : *Amen*, id est ; *Verè*, seu *Verum est.* Atque eo

Vocis Amen, vis multiplex

A sensu hanc vocem usurpavit Christus, *Amen, amen dico vobis.* Eodem sensu hanc adhibuit Apostolus II. ad Corinthios I. *Dei Filius Jesus-Christus*, inquit, *qui in vobis per nos prædicatus est, non fuit EST & NON, sed EST in illo fuit. Quotquot enim promissiones sunt, in illo EST : ideo & per ipsum AMEN Deo ad gloriam nostram.* Id est, omnes Dei promissiones per Christum obligatæ & confirmatæ, veræ sunt, ratæ, ac immutabiles. Unde cùm illas legimus vel audimus, dicendum est, AMEN *Deo*. Et I. ad Corinthios XIV. *Cæterum si benedixeris spiritu : qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedi-*
B *ctionem ? Quoniam quid dicas, nescit.* Secundò, verbum istud vim habet exprimendi consensum aut desiderium ejus qui dicit, AMEN, id est, *Fiat.* Hoc sensu sæpe usurpatur à S. Paulo, aliisque Apostolis. Rom. I. *Ipsi gloria in sæcula. Amen.* Rom. XIV. *Deus pacis sit cum omnibus vobis. Amen.* I Cor. XVI. *Charitas mea cum omnibus vobis in Christo Jesu. Amen.* II. Cor. XIII. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & Charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.* Ephes III. *Ipsi gloria in Ecclesia, & in Christo Jesu, in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen.* Et Cap. VI. *Gratia cum omnibus, qui di-*
C *ligunt Dominum nostrum Jesum-Christum in incorruptione. Amen.* I. Tim. I. *Regi sæculorum, immortali, invisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Cap. VI. *Gratia tecum. Amen.* II. Tim. IV. *Liberavit me Dominus ab omni opere malo : & salvum faciet in Regnum suum cæleste, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen. . . . . Dominus Jesus cum Spiritu tuo. Gratia vobiscum. Amen.* Apoc. XX. *Dicit qui testimonium perhibet istorum : Etiam venio. Amen. Veni Domine Jesu. Gratia Domini nostri Jesu-Christi cum omnibus vobis. Amen.* Hac maximè significatione Dominicam Oratio-
D nem obsignat *Amen.* Attentionem scilicet nostram recolligentes, & fiduciam in Deum magis ac magis excitantes, hâc voce petimus ut omnia fiant quæ antea precati sumus. Deum rogamus, ut promissionem suam implere dignetur à Christo Salvatore nostro obsignatam, cùm Discipulis suis, fidelium omnium sui Nominis cultorum personam gerentibus ait : *Amen dico vobis, Si quid petieritis Patrem in Nomine meo, dabit vobis.*

Joan. 16.

III. Verùm & aliam hujus vocis mysticam significationem, cùm à Sacerdote Missam cele-
E brante, & Dominicam Orationem recitante profertur, Concilii Tridentini Catechismus apposité observat. In aliis scilicet precibus publicis, AMEN a Ministris, sive a Populo respondetur, consensumque seu desiderium significat. Unde S. Justinus Martyr, *Apolog.* II. scribit : *Absolutis precibus & gratiarum actione, quisquis de Populo qui adest, faustis vocibus acclamat, Amen.* S. Dionysius Alexandrinus, in Epistola ad Sixtum Romanum Pontificem, apud *Eusebium* Libro VII. Historiæ, Cap. IX. *Qui gratiarum actionem frequenter audierit, & cum cæteris responderit, Amen.* S. Hie-
F ronymus, Præfat. Libri II. Commentar. in Epistolam ad Galatas. *Usque hodie Romanæ plebis laudatur fides. Ubi alibi tanto studio & frequentiâ ad Ecclesias & ad Martyrum sepulcra concurritur ? Ubi sic ad similitudinem cælestis tonitrui* AMEN *reboat ?* S. Augustinus, Libro II. *Contra Epistolam Parmeniani*, Cap. VII. *Cùm Episcopus solus intus est, populus orat cum illo, & quasi subscribens ad ejus verba respondet*, AMEN. Et in Fragmento Sermonis contra Pelagianos : *Amen vestrum subscriptio vestra est, consensio vestra est, adstipulatio*

Cum in fine [illegible] cùm in Missa dicitur, non populus, sed Sacerdos respondet, Amen.

vestra est. S. Ambrosius Libro De iis qui Mysteriis initiantur : *Ante Consecrationem aliud dicitur : post Consecrationem Sanguis nuncupatur. Et tu dicis*, AMEN, *hoc est*, *Verum est.* Et Florus Magister in Expositione Missæ : AMEN *autem quod ab omni Ecclesia respondetur, interpretatur, Verum, non ubicunque & quomodocunque, sed mystica religione. Hoc ergo ad tanti Mysterii consecrationem, sicut & in omni legitima oratione respondent fideles, & respondendo subscribunt.* Theodoretus, in Epistulæ II. ad Corinthios Cap. I. *Non solus*, inquit, *Sacerdos orans offert hymnum, sed etiam qui* AMEN *adjungit, est oblatæ glorificationis particeps.* At in Sancto Missæ Sacrificio, cùm pronuntiatur Oratio Dominica, rei sacræ Ministri, & Populus, dicunt, *Sed libera nos à malo*; non dicunt *Amen*; id Sacerdoti ex perpetua Ecclesiæ consuetudine servatur. Cujus quidem consuetudinis hanc rationem affert Concilii Tridentini Catechismus, quòd Sacerdos ad Altare Mediator sit Deum inter & Populum Christianum, Deique & hominum sit interpres. Deo Populi vota, preces, oblationes offert : Populo Dei voluntatem ac verbum explicat. Omnium Fidelium nomine offert Deo Corpus & Sanguinem Christi, cujus incruentum Sacrificium Oratione Dominica prosequitur. Hæc omnium qui Sacrificio intersunt, communis oratio est, quia complectitur quicquid à Deo legitimè, justè, ac sanctè peti potest. Quamobrem Populus respondet, *Sed libera nos à malo*, velut significans, circumstantes fideles, pro quibus offertur, vel qui offerunt cum Sacerdote hoc Sacrificium laudis, ejusdem Sacerdotis ore Dominicam Orationem fundere, & quicquid propter æternam, aut temporalem istam vitam ipsis necessarium est, à Deo in Christi Filii ejus nomine petere. Tum verò Sacerdos Dei nomine loquens, respondet, *Amen*; significans ac veluti denuntians, Deum preces nomine Filii sui oblatas, Corporisque & Sanguinis ipsius Sacrificio ac virtute fultas, exaudivisse, & quod fideliter petitum est, concessisse. Sicut olim Christus Chananææ Mulieri respondit, *Fiat tibi sicut vis.* Matth. 15.

IV. Quoties verò in Oratione Dominica, aliisque sacris precibus *Amen* dicimus, cælestem patriam cogitare, & ad æternam beatitudinem flagranti caritate suspirare debemus, in quâ *Tota actio nostra* AMEN, & HALLELUYA *erit. Non sonis transeuntibus, dicemus* Amen & Halleloya, *sed affectu animi. Quid est enim Amen? Quid Halleluya?* Amen, *Est verum :* Halleluya, *Laudate Deum. Quia ergo Deus veritas est incommutabilis, sine defectu, sine provectu, sine detrimento, sine argumento, sine alicujus falsitatis inclinatione perpetua & stabilis, & semper incorruptibilis manens; hæc autem quæ agimus in creatura & in ista vita, velut figura sunt rerum per significationes corporum, & quadam in quibus ambulamus per fidem : cum viderimus facie ad faciem quod nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc longè alio & ineffabiliter alio affectu dicemus. Verum est : & cùm hoc dicemus, Amen utique dicemus, sed insatiabili satietate. Quia enim non deerit aliquid, ideo satietas : quia verò illud quod non deerit semper delectabit, ideo quadam, si dici potest, insatiabilis satietas erit. Quàm ergo insatiabiliter satiaberis Veritate, tam insatiabili veritate dices, Amen. Jam quale est quis potest dicere*, Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit? *Quia itaque sine aliquo fastidio & cum perpetua delectatione videbimus verum, & certissimâ evidentiâ contuebimur, amore ipsius Veritatis accensi & inhærentes & dulci & casto amplexu eodemque incorporeo, tali etiam voce laudabimus eum, & dicemus, Halleluia. Exultantes enim se ad parilem laudem flagrantissima caritate invicem & in Deum, omnes cives illius civitatis dicent, Halleluya : quia dicent*, AMEN.

Quoties in oratione *Amen* dicimus, ad æternam beatitudinem suspirare debemus.

S. August. Serm. 362. alias De Diversis 111. Cap. 28.

1. Cor. 2.

FINIS.

APPENDIX I.

APPENDIX I.

VARIÆ DE REBUS MORALIBUS EPISTOLÆ.

EPISTOLA XLVII.

De Probabilitate.

CLARISSIMO VIRO***

DOCTORI SORBONICO.

PERSUADERE tibi vix poteras hanc Regulam quam Libro III. Theologiæ nostræ Dogmaticæ & Moralis Cap. 4. Art. unico ordine decimam-quartam posui : *Extrinseca probabilitas ex unius vel plurium Scriptorum auctoritate petita opinioni morali securitatem conciliare non potest* : à Catholico Theologo impugnari posse : cùm in Traditione fundata sit : Sanctorum Basilii, Augustini, Felicis III. Pontificis Maximi, aliorúmque Patrum testimoniis firmata : contrariáque opinio à celeberrimis Academiis Parisiensi & Lovaniensi, ab Episcopis Galliæ, & ab Innocentio Undecimo beatæ memoriæ Pontifice Maximo damnata sit, scilicet : *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Verumtamen traditam à me Regulam impugnat Auctor Anonymus, errorémque a Sede Apostolica proscriptum suscitare ac tueri non veretur hac ratiuncula fretus : Ignari, rudes, scrupulosi in consilio Pastoris sui, seu conscientiæ suæ Moderatoris tutâ conscientiâ acquiescunt : extrinseca ergo probabilitas sufficit ad securitatem opinioni morali conciliandam.

Ignaros quidem, rudes & scrupulosos homines Pastoris sui aut conscientiæ Moderatoris consilium tutâ conscientiâ sequi posse fateor illis in rebus, quæ legis naturalis in omnium hominum cordibus exaratæ lumine cognoscere non possunt, & quas absque ulla sua culpâ ignorant, in via mandatorum Dei cum timore ambulantes, & de sua salute solliciti. Si decipiantur, tuta nihilominus est eorum conscientia, non propter extrinsecam opinionis probabilitatem, sed ob ignorantiam invisibilem, quæ illos excusat coram divino tribunali, secundùm firmissimum illud Sancti Thomæ principium : *Error Conscientiæ habet quandoque vim absolvendi, sive excusandi; quando scilicet procedit ex ignorantia ejus quod quis scire non potest, vel non tenetur. Quandoque error conscientiæ non habet vim absolvendi & excusandi, quando scilicet ipse error peccatum est; ut cùm procedit ex ignorantia ejus quod quis scire tenetur.* Sed hic non est quæstionis status. Hic est controversiæ cardo, utrum Pastor, conscientiæ Moderator, vel Doctor opinionem in praxi minùs probabilem, relictâ probabiliori, tutâ conscientiâ sequi possint : & utrum ex duabus opinionibus, quarum altera favet cupiditati & corruptæ libertati contra legem, altera stat à lege contra cupiditatem, simul concurrentibus, Christianus homo tutâ conscientiâ illam amplecti & sequi possit quæ blanditur cupiditati & libertati favet, illâ posthabitâ quam scit vel scire tenetur consonam esse legi. Id non posse meritò asserui, constantérque propugno : & probabilitatem extrinsecam, imò & intrinsecam, sed minorem, quæ omnem oppositi formidinem, seu omnimodam hæsitationem in illa hypothesi non excludit, securitatem hujusmodi opinioni minùs probabili in concursu probabilioris conciliare non posse, nec tutam præstare illorum conscientiam, qui secundùm illam agunt. Sanè vir ille Dei ad Jeroboam missus ut Altaris Bethel subversionem, & Josiæ Regis nativitatem vaticinaretur, immunis à culpa & ultione divina non fuit, quamvis deceptus fuerit à seniore Prophetâ visum sibi Angelum mentiente, qui præceptum à Deo priori illi Prophetæ datum benignâ interpretatione emolliret. (III. *Regum* Cap. XIII.) *Et exclamavit ad virum Dei, qui venerat de Juda, dicens : Hæc dicit Dominus : Quia non obediens fuisti ori Domini, & non custodisti mandatum quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, & reversus es, & comedisti panem, & bibisti aquam in loco in quo præcepit tibi ne comederes panem neque biberes aquam, non inferetur cadaver tuum in sepulcrum patrum tuorum... Qui cùm abiisset, invenit eum leo in via, & occidit, & erat cadaver ejus projectum in itinere : asinus autem stabat juxta illum, & leo stabat juxta cadaver.* Hoc documentum esto, legi mandatísque divinis immobiliter adhærendum, non hominum opinionibus adversùs illam pugnantibus, quamvis aliquam probabilitatis speciem præ se ferant; nec à culpa excusari & à pœna eximi, qui unum aut plures Auctores vel Casuum Arbitros secutus fuerit, si, quod illi dederint consilium, divinæ legi re ipsa adversetur.

Traditam Regulam diserto Sancti Thomæ testimonio roboravi, cui & illud addo Seraphici Doctoris Sancti Bonaventuræ in Opusculo *De Processu Religionis*, Processu 5. Cap. 3. *Dubia*, inquit, *interpretatio præcepti est periculosa, sicut pons semiputridus aquæ præcipitis & profundæ, de quo dubium est an sub transeunte corruat, an subsistat. Velut si is qui pro Christo majora certamina subire decrevit, & omnia reliquit in sæculo, se periculo velit committere pro modico motu propriæ voluntatis, vel pro parvo commodo in incerta opinione sua vel alterius. Ut si Deus approbet illam opinionem, evadat sine lucro meriti; si autem reprobet eam, damnetur; maximè cùm tales opiniones quandoque periculosiores sint quàm apertæ transgressiones : quia ubi scit homo se delinquere, inde facilè corrigitur; ubi autem nescit se peccare, & insuper credit sibi licere, inde nec in morte purè convertitur propter falsam spem quòd fortè licuerit, vel minùs in eo peccaverit, baculo arundineo*

Quodlibet 8. Art. 27.

& confracto imminens. Voluntas bona & plana viâ regiâ & securâ debet incedere, & relictis dubietatum diverticulis, quasi suspectis latronum semitis, apertas & tutos Justorum calles ambulare, ne velut pœnitens boni incoaati, quærat diverticula declinandi de via perfectionis, in qua venerat ambulare. Quid enim est unde omnes in damnationem incidimus, nisi talis dubia interpretatio præcepti Dei de ligno vetita, ubi callidus serpens persuasit mulieri non ita strictè & simpliciter intelligendum illud præceptum esse: imò quod ejus observatio nociva foret, ne fierent sicut Dii, scientes bonum & malum; & cujus transgressione, quamquam Deus sic comminatus fuerat, nedum mortem corporis, sed animæ mereretur? Credidit igitur insipiens mulier falso interpreti, & consensit suadenti, cui nequaquam consensisset, si consilium ejus fallax & inutile credidisset.

Quam denique propugno doctrinam defenderunt Romanæ Ecclesiæ doctissimi Theologi & Juris Periti, Prosper Fagnanus sacrarum Congregationum olim Secretarius; Abbas Gradi, Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus; Cardinales de Laurea & de Agoirra, & P. Thyrsus Gonzales Societatis Jesu Præpositus Generalis, ut eorum Opera testantur. Vale VIR CLARISSIME, meique in quotidiano Pretii nostri Sacrificio memineris.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XLVIII.

De Pertinacia & Probabilitate.

RELIGIOSO VIRO***

DOCTORI SORBONICO.

QUamvis in opinionibus meis tuendis pertinax esse nolim, ubi me à veritate aberrasse, (quod humanum est) vel Ecclesia judicabit, vel Eruditi demonstrabunt: non me pœnitet Regulæ de Pertinacia superbiæ filia traditæ Libro III. Theologiæ nostræ Dogmaticæ & Moralis Cap. 5. Art. 18. pag. 496. *Lethalis pertinacia reus est, quisquis opinionem erroneam, aut minùs probabilem in materia morum veræ & probabiliori anteponit, & secundùm illam agit.* Hanc Regulam Auctor Anonymi Libelli impugnat. Si de sola Probabilitate ageretur, inquit, nihil novi diceret Alexander: at secundùm ipsum non sufficit ut probabiliori sententiæ adhæreamus, nisi veritatem attingamus.

De probabilitate quæstio est: ex duabus opinionibus, quarum una stat à lege contra libertatem, altera favet cupiditati & libertati contra legem, prima, quæ probabilior, sola vera est: hanc igitur sequi, & secundùm illam agere oportet. *Ne moveat hominum judicia* (inquit S. Basilius *Epistola* 81.) *sed per Evangelica præcepta absolutè instituar, quæ neque cum temporibus: neque humanarum rerum circumstantiis mutantur, sed eadem permanent, ita perdurantia ut à veraci ac beato ore prolata sunt. Homines verò similes sunt nubeculis pro ventorum immutatione ad aliam atque aliam aëris partem jactatis.* Cùm necesse esse propugno ad actionis moralis bonitatem, ut veras Regulas sequamur, quantùm assequi veritatem potest humana mens, Sanctum etiam Bernardum auctorem habeo Libro *De Præcepto & Dispensatione*. Cap. 14. *Ut interior oculus verè sit simplex* (inquit) *duo illi esse arbitror necessaria, caritatem in intentione, & in electione veritatem. Nam si bonum quidem diligat, sed verum non eligat, habet quidem zelum Dei, sed non secundùm scientiam. Et nescio quemadmodum judicia veritatis vera esse possit cum falsitate simplicitas.* Nihil novi dixi: neque enim esse velim singularitate famosus. Vale, VIR CLARISSIME, Deoque ad ejus Altare me commenda.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XLIX.

De Probabilium Opinionum delectu.

CLARISSIMO VIRO***

DOCTORI SORBONICO.

SUos semper adversarios habet Moralis Doctrina Jesu-Christi. Damnatos effrenis Probabilitatis errores tueri non cessant, ex quibus cætera malesanarum opinionum venena in animarum perniciem & Ecclesiæ scandalum prodierunt. Illud & errorum & flagitiorum seminarium excidere conatus sum Libro III. Theologiæ nostræ Dogmaticæ & Moralis. Quamobrem mirari non debes quod in eam insurrexerit Anonymus Auctor. Hanc propositionem ferre non potest Cap. 4. Articulo unico in explicatione Regulæ XIII. p. 161. prioris editionis exaratam: *Quisquis falso & æternæ legi contrario dogmati, quamlibet probabili ratione permotus assentitur, tamen fallitur: eaque judicii imprudentia ex alia morum imprudentia semper existit, minùs diligenter quæsitæ veritatis, minus studiosè expurgati cordis.* Sensum meum immeritò detorquet Auctor Anonymus, verbaque mea interpolare non veretur. Affingit mihi quod dixerim, peccati mortalis reum esse qui sequitur opinionem probabiliorem, si fortè probabilior opinio vera non sit. Immo verò de illo agitur qui minùs probabilem sequitur & cupiditati faventem, in concursu probabilioris quæ stat pro lege. Illum, inquam, qui minùs probabilem & veritati ac æternæ legi contrariam amplectitur & in praxi sequitur, falli semper assero, atque imprudenter agere; illam porro judicii imprudentiam voluntariam esse in caussa sua. Nonne enimvero fallitur, qui falsa pro veris approbat? Nonne moralis imprudentiæ reus est, qui in rebus ad salutem animæ pertinentibus certis incerta præponit? Nonne hæc imprudentia ex pravitate cordis oritur? Num hæc cæcitas excusari potest? Nonne peccatorum nostrorum justissima pœna est, novique caussa peccati? *Cæcitas cordis*, inquit S. Augustinus, *& peccatum est quo in Deum non creditur: & pœna peccati, cùm cor superbum digna animadversione punitur; & caussa peccati cùm aliquod malum cæci cordis errore committitur.* Non excusatur qui veritates ad salutem æternam pertinentes, & Christianæ vitæ officia non cognoscit, cùm cognoscere potest, culpâque suâ ignorat: cùm ad legem Dei non attendit: cùm doceri non curat; cùm cupiditatum suarum propensionem, ipsisque faventes opiniones sequi mavult, quàm saniora Moralis Christianæ principia. *Pluit enim Deus super peccatores laqueos: & lege infatigabili spargit pœnales cæcitates super illicitas cupiditates.*

Lib. 7. contra Faust. [illegible]

Psalm. 10. Lib. 1. [illegible] cap. 18.

Mihi verò iniquè improperat Auctor Anonymus quòd hanc Propositionem propugnem ab Alexandro VIII. Pontifice Maximo damnatam: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Non solùm illam sequi licet, sed

uportet: noo arbitrii, sed officii res est. Sed quæ favet copiditati contra legem non solùm proba-bilissima oon est, imò nec verè probabilis. Illam qui sequitur, cæcus esse amat. *Noluit intelligere ut bene ageret. Iniquitatem meditatus est in cubili suo: astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.* Tota justitia Christiana in eo posita est ut Dei voluntati obsequamur: hæc autem verbo Dei scripto & tradito, non hominum placitis continetur. Hinc Lactantius Libro III. Divinarum Institutionum, Cap. XIII. *Sciant*, inquit, *errare se, qui Philosophiam putant esse sapientiam: non trahantur auctoritate cujusquam, sed veritati potiùs faveant & accedant. Nullus hic temeritati locus est; in æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit. Homo autem qualiscumque est, si sibi credit, hoc est, si homini credit (ut non dicam stultus, qui suum non videat errorem) certè arrogans est, qui sibi audeat vendicare quod humana conditio non recipit.* Et Cap. XXVII. quorumcumque hominum, etiam Sapientium & Doctorum nomen adepti sint, opinionibus acquiescere stultissimum esse docet, cùm nihil certi proferunt, & nullâ auctoritate, quâ homines sunt, aliis præcellant, ut fidem in rerum ad salutem pertinentium expositione mereantur. *Sed nihil ponderis habent illa præcepta*, inquit, *quia sunt humana, & auctoritate majori, id est, divinâ illâ carent. Nemo igitur credit, quia tam se hominem putat esse qui audit, quàm est ille qui præcipit. Præterea, nihil apud eos certi est, nihil quod à scientia veniat: sed cùm omnia conjecturis agantur, multa etiam diversa & varia proferantur: stultissimi est hominis præceptis illorum velle parere, quæ utrùm vera sint an falsa dubitabitur.* Vale, VIR CLARISSIME, Deúmque pro me ad ejus Altare precare, ut sicut mihi dedit suam nosse veritatem, sic det eam dignis moribus assequi.

[Psalm. 35. 4.]

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA L.

Cùm invocantur Sancti, spes & fiducia in solo Deo collocanda est. Quo sensu beata Virgo Maria SPES NOSTRA *salutetur?*

CLARISSIMO VIRO***

DOCTORI SORBONICO.

QUam libro quarto Theologiæ nostræ Dogmaticæ & Moralis Cap. 3. Art. 7. primam Regulam posui; *Cùm invocantur Sancti, spes fiduciáque omnis in solo Deo collocanda est*: hac leviori objectione pulsat Anonymus Declamator, quæ tamen illi videtur gravissima. Id, inquit, cum Ecclesiæ sententia & fide è regione pugnat, quæ beatam Mariam Virginem hunc in modum quotidie salutat: *Spes nostra, salve.*

Fidelibus exponere hujus salutationis, similiúmque precandi formularum sensum, operæ pretium est, ne in errorem inducantur, & ne vera devotio in superstitionem degeneret. Figuratâ locutione beatam Virginem *Spem nostram*, quemadmodum & *Vitam nostram* appellamus, quòd Christum Deum, Dominum ac Salvatorem nostrum pepererit, in quem speramus, & qui vitæ & omnium bonorum nobis auctor est. Sanctissimam Virginem spem nostram appellamus, quòd ejus intercessione gratias & beneficia à Deo nos impetraturos speremus & confidamus. Horum

scilicet omnis ille auctor est ac supremus dispensator. *Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Deus gratiarum omnium ac bonorum fons est, beata Virgo aquæductus. Nihil illa potest per seipsam: sed plus cæteris Sanctis potest per Christi merita, ex quibus vim omnem suam ejus intercessio derivat. Omnes suas gratias, privilegia, auctoritatem, Dei misericordiæ debet, qui ipsam ab æterno prædestinavit, ut Filii sui unigeniti Mater esset. Respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ, & fecit illi magna qui potens est. Cælestis illa sponsa est, quæ ascendit per desertum deliciis affluens, *innixa super Dilectum suum.* Mediatrix nostra est, & quidem potentissima, apud Christum summum nostrum Mediatorem. Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum, qui propitiatio est pro peccatis nostris. Advocatam habemus apud Christum beatam Virginem ejus Matrem, quæ maternâ pietate & caritate pro nobis intercedit. Non enim solius Christi Mater est, sed & nostra. *Illa una femina, non solùm spiritu, verùm etiam corpore & Mater est & Virgo. Et Mater quidem spiritu non Capitis nostri, quod est ipse Salvator, ex quo magis illa spiritaliter nata est; quia omnes qui in eum crediderint, in quibus & ipsa est, rectè filii Sponsi appellantur: sed planè Mater membrorum ejus, quod nos sumus; quia cooperata est caritate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, quæ illius Capitis membra sunt;* ut ait sanctus Augustinus Libro *De Sancta Virginitate*, Cap. VI.

[Jacobi 1. 17.] [Cant. 8. 5.]

Utilissimum igitur nobis est, Sanctissimam Virginem Mariam in omnibus necessitatibus nostris ac periculis invocare. Illam cultu singulari, eximio & supereminente præ Sanctis omnibus colere debemus propter incomparabilem ejus excellentiam, & Matris Dei dignitatem: sed illi Sacrificium offerre nec debemus nec possumus; quamvis memoriam ipsius inprimis veneremur in Sacrificio Pretii nostri. *Communicantes & memoriam venerantes inprimis gloriosæ semper Virginis Mariæ, Genitricis Dei & Domini nostri Jesu Christi.* Illud S. Epiphanii contra Collyridianos Hæreticus docemus & usurpamus: *Maria in honore sit, Dominus adoretur.* Quemadmodum verò ipsam adorare non possumus ea adoratione quæ latria vocatur ecclesiastico loquendi more, quæ est soli Deo debita servitus: ita nec in eam sperare. Credimus beatam Mariam Virginem esse gratiâ plenam; sacrarium innocentiæ, thesaurum sanctitatis; ne venialiter quidem ipsam unquam peccasse; contrivisse caput antiqui Serpentis per Jesum Christum filium suum Dominum nostrum; Matrem esse Dei; Virginem perpetuam, ante partum, in partu & post partum; apud Deum pro nobis intercedere; ejus invocationem præ omnium invocatione Sanctorum utilem nobis esse ac salutarem; sed in beatam Virginem Mariam non credimus. Ita nec in ea spem nostram collocare debemus, sed in solo Deo & Filio ejus unico Jesu-Christo Salvatore nostro, qui vult ut omnia bona ab ipso exspectemus potentissimâ Virginis Matris intercessione, cùm eam, ut par est, invocamus, impetranda. *Sic est voluntas ejus qui totum nos habere voluit per Mariam.* Christus Jesus advocatus noster est apud Patrem, Virgo Maria advocata nostra est apud Filium. *Exaudiet Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. Hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ;* (inquit sanctus Bernardus.) Cùm Virginem Sanctissimam invocamus, spem nostram Deum inter & excellentissimam illam

[S. Bernard. Serm. in Nativ. B. Virginis.]

creaturam, quam dignam fecit quæ Filii sui Mater esset, non dividimus, quasi partim à Deo, partim à Maria salutis nostræ bona exspectemus: sed Mariæ Virginis Deiparæ intercessio scala est & gradus quo spes nostræ ad Deum evehuntur. Eo sensu beata Virgo Maria *Spes nostra* ab Ecclesia appellatur & salutatur.

Nihil novi ex Epistola méa disces, VIR CLARISSIME; neque eo animo ad te scribo; sed ut noveris quid Anonymus Declamator adversùs Theologiam nostram Dogmaticam & Moralem objiciat, si fortè libellus ejus in manus tuas non pervenerit. Vale, & à Deo per Deiparæ Virginis intercessionem potentissimam, Veritatis & sanæ Moralis Jesu-Christi, constanti animo propugnandæ gratiam nobis ad Altare sanctum adprecare.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LI,

Divini Amoris Actus, quàm frequentissimos possumus, exercere debemus.

CLARISSIMO VIRO***

DOCTORI SORBONICO.

GRassari pergit in dies prava doctrina, quæ primum & maximum Christianæ Legis de diligendo Deo Mandatum extenuare & ad nihil pene redigere conatur. Hujus fuligine intinctum se prodidit Anonymus Scriptor, qui malè conceptas Difficultates adversùs Theologiam nostram Dogmaticam & Moralem Illustrissimo Archiepiscopo Rothomagensi edito libello proposuit. Hanc scilicet Regulam impugnat à me positam Libro 4. Theologiæ nostræ Dogmaticæ & Moralis, in explicatione primi præcepti Decalogi, pag. 268 editionis primæ: *Divini Amoris actum non semel tantùm in vita, neque tunc solùm cùm debet justificari, sed sæpiùs, immò quàm frequentissimè potest, homo exercere tenetur.* Hinc sequi objicit Anonymus ille, præceptum amoris Dei obligare semper & pro semper: sicque Christianum hominem, qui unius horæ spatio viginti actus amoris divini producere potest, mortalis peccati reum esse, si novemdecim tantùm eliciat.

Verùm id mihi perperam objicit. Neque enim Mandatum dilectionis Dei obligare semper & pro semper, ut Scholastici loquuntur, asserui vel scripsi; neque lethalis peccati reos esse homines quotiescumque divini amoris actum omittunt cùm elicere possint, sed iis solùm quibus tenentur determinatis temporibus. Si cui homini plurimùm obstricti simus, eique amorem nostrum & obsequia devoverimus; omnem illi quam possumus assiduitatem, omnia quæ valemus officia exhibere debemus occasione datâ: id observantia & grati animi virtus exigunt: nec tamen illum graviter offendimus, quoties illi hæc officia exhibere negligimus, etiamsi possimus, nisi in magni momenti rebus, & præcipuis occasionibus, in quibus amicitia probanda, & grati animi sensus non verbis tantùm, sed opere significandus est. Amicum tamen & benefactorem hominem minùs diligimus quàm debemus, nisi observantiæ & amicitiæ gratique animi testimonia frequentissima ipsi pro viribus exhibeamus. Deo totum quod sumus debemus, ut Creatori, Conservatori, Redemptori, benefactori perpetuo, Patri ac Domino nostro, Remuneratori (ut speramus) ac beatifico Bono, si verè illum *ex toto corde nostro, ex tota anima & ex omnibus viribus* diligamus. An verò Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus diligit, qui in ejus amore se non exercet quam frequentissimè potest? Ad istius quidem amoris perfectionem pervenire in hac vita mortali non possumus. Maximum illud Mandatum perfectè non impletur nisi in Cœlo, ubi Sancti à lege peccati in membris mortalibus manente, animam aggravante, & amoris Domini fervorem imminuente liberati, sine cessatione Deum amant. Sed tamen amor ille perfectus nobis præcipitur, ut sanctus Augustinus docet Libro *De Perfectione justitiæ*, Cap. 8. *Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus*, inquit; *id est, quotquot perfectè currimus, hoc sapiamus, quod nondum perfecti sumus, ut illic perficiamur, quò perfectè adhuc currimus: ut cùm venerit quod perfectum est, quod ex parte est destruatur; id est, non jam ex parte sit, sed ex toto, quia fidei & spei jam res ipsa, non quæ credatur & speretur, sed quæ videatur teneaturque, succedet: Caritas autem quæ in his tribus major est, non auferetur, sed augebitur & implebitur, contemplata quod credebat, & quod sperabat indepta. In qua plenitudine Caritatis præceptum illud implebitur*, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. *Nam cùm est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frenetur, non omni modo ex tota anima diligitur Deus. Non enim caro sine anima concupiscit, quamvis caro concupiscere dicatur, quia carnaliter anima concupiscit. Tunc erit justus sine ullo omnino peccato, quando nulla lex erit in membris ejus repugnans legi mentis ejus, sed prorsus toto corde, totâ animâ, totâ mente diliget Deum, quod est primum summumque præceptum. Cur ergo non præciperetur homini ista perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? Non enim rectè curritur, si quò currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? Sic ergo curramus, ut comprehendamus. Omnes enim* (1. Cor. 9. 24.) *qui rectè currunt, comprehendent: non sicut in agone theatrico, omnes quidem currunt, sed unus accipit palmam. Curramus credendo, sperando, desiderando. curramus corpus castigando, & eleemosynas in bonis dandis malisque ignoscendis, hilariter & ex corde faciendo, & currentium vires ut adjuventur orando, & sic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem caritatis.* Quis sine temeritate dixerit, hanc doctrinam ad desperationem adigere? Quis dixerit, ad praxim redigi non posse? Quis nimiùm severam esse justè queratur? Quid facilius quam Deum diligere, cujus infinitæ bonitatis & pulcritudinis illecebræ; qui gratias ad se diligendum necessarias nobis affatim subministrat? Quid suavius quàm amare Deum supra modum amabilem, qui delicias incredibiles in animos ipsum diligentium diffundit? Jugum ejus suave est, & onus ejus leve. *Non sarcina onerari*, inquit sanctus Augustinus, *sed alæ volare.* Si nihil amantibus difficile est, amor Dei difficilis videri non potest nisi illis hominibus qui felici experimento non didicerunt quid sit Deum diligere. Si divini amoris actus, quam frequentissimos possumus, non elicimus, ingemiscere debemus quòd Deum nostrum ut par est non amemus. Ingredi oportet in Cor sacrum Jesu Christi, ut cor nostrum igne illo divino accendatur, quem venit mittere in terram, & quo nos ardere vult ac jubet. Ita fiet ut in amore Dei proficiamus. *Proinde* (inquit S. Augustinus Libro de Spiritu & Littera, Cap. 36.) *hoc primum præceptum justitiæ, quo jubemur dili-*

gere Deum ex toto corde, & ex tota anima, A *& ex tota mente, in illa vita implebimus, cùm videbimus facie ad faciem. Sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum est, ut admoneremur quid fide exposcere, quò spem præmittere, & obliviscendo quæ retro sunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus. Ac per hoc, quantùm mihi videtur, in ea quæ perficienda est justitia multùm in hac vita ille profecit, qui quàm longè sit à perfectione justitiæ proficiendo cognovit.* Vale, VIR CLARISSIME, Deique amorem mihi ad Altare sanctum à Deo adprecare.

Lutetiæ Parisiorum B

EPISTOLA LII.

Beneficia curam Animarum annexam habentia ambire ac pro se postulare non licet.

CLARISSIMO VIRO***

REctè prudentérque judicasti libellum Anonymum contra Theologiam nostram Dogmaticam & Moralem parum esse hominis ad Moralis Evangelicæ regulas parùm advertentis, cùm C ambitionem è numero mortalium peccatorum expungat. Regulam scilicet impugnat à me positam Libro III. Cap. v. Articulo XXIV. *Lethalis ambitionis reus est, qui Episcopatum, aut aliud quodvis Beneficium Ecclesiasticum curam animarum habens, aut Monasticam Præfecturam pro se postulat:* necnon illam: *Lethalis ambitionis rei sunt Concionatores, qui majorum & nobiliorum Ecclesiarum pulpita suis aut amicorum precibus obtinere nituntur, aut reverà obtinent eo fine ut nominis claritatem consequantur, atque ad Episcopatum, aliave Ecclesiastica Beneficia promoveantur.* Has Moralis Christianæ Regulas verbo Dei, Sanctorum D Patrum doctrinâ, sancti Thomæ auctoritate, Legibus Imperatorum firmatas, irrito conatu impugnat; frustraque objicit Apostolicam illam sententiam: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Is etenim sensus, juxta quem ille verba hæc exponit, expressè repugnat sensui quem tenet, ac ab initio semper tenuit sancta Mater Ecclesia, cujus est de vero Scripturarum sacrarum sensu judicare; & contra unanimem consensum Sanctorum Patrum. Non dignitatem, non honorem, non divitias, sed laborem pro Dei gloria & Ecclesiæ utilitate, persecutiones, cruces, Martyrium, sancti desiderii objectum esse posse Sancti E Patres interpretantur, quorum testimonia protuli; Joannes Chrysostomus Libro 3. *De Sacerdotio*, Cap. 10. Hieronymus Epistolâ 83. & Commentario in Cap. 3. Sophoniæ; Augustinus Libro 19. *De Civitate Dei*, Cap. 19. Gregorius Magnus p. 1. *Pastoralis*, Cap. 8. S. Thomas in Commentario Epistolæ I. ad Timotheum, & Secundâ Secundæ Quæst. 87. Art. 1.

Verùm quamvis Episcopatûs desiderium innocens & sanctum esse possit, eo modo quo loquitur Apostolus & Patres exponunt (cùm tamen ita desiderare & rarius & difficilius sit quàm fugere) F Episcopatum pro se postulare non licet. Illum enim electorum suffragiis, aut regia nominatione, Summi verò Pontificis confirmatione obtineri nemo nescit. Electores porro, vel Reges, quibus hominum corda non patent, uni Deo perspecta, discernere non possent quinam sanctè & ex pietate, quinam ex ambitione aut avaritia sacram Dignitatem desiderarent: ideóque ne foveant ambitionem, ac indignos promoveant, omnes pro se postulantes repellere pariter tenentur. *Nec quisquam sibi sumit honorem* (inquit Apostolus) *sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Divina porro vocatio innotescere nobis non potest nisi electione, nominatione, institutione legitimâ, canonicâ, & nullatenus quæsitâ. *Qui rogat pro se, jam judicatus est, nec interest per se an per alium quis roget* (inquit S. Bernardus) *indignus est Sacerdotio, qui non fuerit ordinatus invitus* (ut habet Lex Imperatorum Leonis & Anthemii ab Ecclesia probata.) *Si aliquis pro se rogat ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus* (inquit S. Thomas.) Quid plura congerere opus est, cùm nihil Anonymus objiciat quod alicujus momenti videri possit? Morem objicit: quasi verò ex pravis moribus hominum de Christianæ vitæ officiis ferendum sit judicium, & non potiùs ex Dei verbo, Patrum doctrina, & Canonibus Spiritu Dei conditis: quasi Christus dixerit, Ego sum consuetudo, & non potiùs: *Ego sum via, veritas, & vita*: quasi secundùm consuetudinem, & non potiùs secundùm verbum suum Christus nos judicaturus sit. *Sermo quem locutus sum* (inquit) *ille judicabit eum in novissimo die.* Scimus plurimos Ordinis Ecclesiastici Viros Episcopatus aut alias Dignitates Ecclesiasticas sive Beneficia curam animarum annexam habentia postulare & obtinere; sed mos ille ab Ecclesia improbatur, à Deo damnatur. *Consuescere jura peccare, & cupit licitum esse quod publicum est.* Sed quæ jura, non divinum, non canonicum, non civile; sed pravæ consuetudinis, quæ veriùs corruptela & lex mortis dicenda est. *Cùm tantò graviora sint peccata, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam.*

[Lib. 4. de Consideratione, c. 4.] [L. Si quemquam. C. De Episc. & Cler.] [Secunda Secundæ q. 100. Art. 5. ad 2.] [Joan. 12. 48.] [S. Cyprian. Epist. ...] [Cap. Cum tanto. Ext. De Consuet.]

A Traditionis doctrina quàm aliena sit Anonymi & recentiorum quorumdam Casuistarum opinio, confirmat S. Isidorus Pelusiota, Epistolâ 229. Libri 4. ad Palladium Diaconum datâ. *Quoniam* (inquit) *non perspexisti mentem Apostolicam, quæ scriptis velut cortice occultatur, sed ipsum duntaxat scriptum contemplatus, sursum atque deorsum jactas & volutas:* « Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus concupiscit: » *Proinde quasi oporteat tale imperium adamare, tametsi non desint argumenta quibus ostendam non sic locutum esse Apostolum quomodo tu accipis: tamen concedam ita esse, idque evertam. Si enim ita, dixerit ille ejusmodi aliquid. Tu verò quam ob causam ignorans tuas vires, & ne teipsum quidem regere valens, talem adamas Principatum, qui Regno quoque ipso non solum est sublimior, sed etiam laboriosior? Et quare existimas potestatem hanc esse rationibus nullis reddendis obnoxiam, ac non potiùs rationibus obnoxiam Ministerii functionem? Sed quamvis tu omnem transcendas audacia furorem, ego quoque insanirem, si non eum me ostenderem qui tantum malum curare conetur. Mihi enim est admodum formidabile illud dictum.* « Si quis Episcopatum desiderat, » *& funditus ipsam quoque concutit animam.* « *Magnitudinem namque hujus sacri Principatûs indicat. Quod si dixeris, Quomodo? respondebo, Quia non ausus est præcipere; ac ne quidem cohortari atque suadere ut quis Episcopatum appetat. Neque enim dixit: Unusquisque Episcopatum desideret; rectè facit. Tunc enim fortassis aliqui eodem amore ejus rei, quo tu, capti fuissent. Sed in medio relinquens suspensum Sacerdotii desiderium, neque instigat ad id quemquam, ne indignos excitet ad capessendam rem perdifficilem, quæque omnem superat Reipublicæ administrationem & dignitatem: neque ab eo arcet quemquam, ne id quod omni Regno majus est, fugiendum esse proponat. Verum in suspenso* (ut dixi) *relinquens ex-*

hortationem, & unamquamque sui ingenii æstimatorem ac judicem constituens, ipse neque expetere, neque fugere præcipit. Tantùm non clamans & oculis & superciliis, & toto vultu ad gravitatem composito timoris salutaris stimulos audientium animis injiciens; equidem ego rem à divino dependentem calculo, atque arbitrio electionis, hominum cupiditatibus non expono. Moneo autem atque obtestor, quicumque hanc rem expetit, ut noverit se rem minimè vulgarem aut levem desiderare. Ministerii enim, non autem remissionis ac desidiæ significationem habet Episcopatûs ipsum vocabulum. Quòd si fidem dictis hisce non habes, sequentia legens mentem nostram probè assequêris. Oportet enim Episcopum omnibus ornatum esse virtutibus, & alienas calamitates proprias ac suas existimare. Non enim sibi ipsi, sed subditis vivit, & à sexcentis oculis ac linguis vita ejus examinatur.

De aliis ab Episcopatu beneficiis, quibus animarum cura annexa est, idem censet Antoninus quod de ipso Episcopatu, illicitum esse illa quærere ac pro se postulare: *Quia*, inquit, *ubi est eadem ratio, ibi & idem jus. Nam de similibus idem est judicium.* (Dist. 7. ad ejus) *Sed ratio quare est illicitus & mortalis appetitus Episcopatûs, est propter curam quam habet annexam; quia præsumptuosum nimis est ut quis se reputet idoneum ad regendum animas aliarum: sed eadem ratio est in quolibet prædictarum* (scilicet Decanatu, Præpositura, Archidiaconatu, vel Ecclesia Parochiali;) *quia omnibus cura est annexa, nec differunt ab Episcopatu nisi secundùm majus & minus, quia Episcopus habet curam universalem suæ Diœcesis, sed in prædictis Officiis constituti habent curam partialem. Talia autem non diversificant speciem, sed quantitatem peccati. Sicut appetere furari unum florenum, est ejusdem speciei cum appetitu furandi mille, licèt secundum sit gravius peccatum propter majus nocumentum intentum. Sic in proposito major utique præsumptio & ambitio tantò est, quantò major cura & major gradus est annexus Dignitati vel beneficio quod appetitur: tamen utrobique appetitus mortalis. Præterea, si aliquid prædictorum petere est mortale, & illud appetere erit mortale. Nam secundùm Thomam, Raymundum, Hostiensem, petere pro se aliquid eorum, etiamsi aliàs sit dignus, inducit Simoniam, quia sunt preces pro indigno ratione præsumptionis: ergo & appetere erit mortale, cùm Simonia sit mortale.* Id confirmat Sanctorum Patrum testimoniis, scilicet sancti Joannis Chrysostomi, quo nomine insignis Auctorem Operis imperfecti in Matthæum Homilia XLIII. ex quo desumptus est Canon, *Multi*, Dist. 40. *Quicumque desideraverit primatum in terra, inveniet confusionem in cælo, nec inter servos Christi computabitur, qui de primatu tractaverit.* Nullus autem invenit confusionem in cælo, aut separatur à consortio Sanctorum, nisi propter mortale. Sancti Leonis Magni, cujus verba referuntur Canone, *Principatus*, Causa 1. Quæst. 1. *Principatus quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupavit, etiamsi moribus atque actibus non offendit, ipsius tamen initii sui est perniciosus exemplo. Et difficile est ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.* Sed non dicitur perniciosum nisi mortale: S. Gregorii Magni Libro 7. Epist. 110. ex quo refertur Canone, *Sicut*, Causa 1. Quæst. 6. *Sicut is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est Altaribus admovendus: sic qui ultro ambit, vel importunè se ingerit, est procul dubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit nisi ut crescendo decrescat, & ascendendo exterius, interius ad profunda descendat?* Sed nullus est removendus à promotione nisi propter mortale: ergo, &c. Item *Cura animarum non potest exerceri licitè & absque mortali sine gratia, scilicet in celebrando & administrando Sacramenta: nullus autem potest esse certus se habere gratiam. Cùm ergo frequenter & quasi continuè habeant ista facere, videtur sponte se periculo peccati mortalis exponere. Hanc rationem videtur tangere beatus Thomas in Quodlibeto.* Hanc quidem S. Thomæ & aliorum opinionem ab aliquibus non teneri S. Antoninus observat, scilicet quòd non liceat petere Beneficium curatum absque vitio Simoniæ. *Hanc opinionem*, inquit, quòd scilicet hujusmodi Beneficia pro se petere liceat, *sequi videntur Curiales; sed quia Doctores qui contrarium dicunt, sanctitate & scientiâ Theologiæ & Juris sunt longè præstantiores, ideo non videtur tuta prædicta opinio, nec sequenda.*

P. 2. Tit. 1. cap. 5. §. 4.

Vana certè Auctoris Anonymi objectio ex Concilio Tridentino Sessione XXIV. *De Reformatione*, Cap. XVIII. petita, quo de promovendis ad Parochialium Ecclesiarum regimen per concursum sive publicum examen Sacerdotibus lata lex est. « Quid enim aliud est, inquit, examini se sistere, quam animarum curam pro se postulare? Damnat ergo Alexander quod Ecclesia probat, nec probat solùm, sed præcipit. Utri potiùs credendum? »

Absit ut damnem quod approbat Ecclesia. Sanctissima est illa de concursu ad parochialia Beneficia Disciplina, quamvis in omnibus Orbis Christiani Provinciis usu recepta non sit. Sed Ecclesias non favet ambitioni aut præsumptioni, quas damnat Christus ejus sponsus. Qui examini, ab Episcopo vocatus, se sistit, Beneficium pro se non postulat, sed Præsulis sui judicio se subjicit; ut si dignus, imò dignior ab illo censeatur, Parochialem curam ejus provisione ac mandato suscipiat. Examini sistere se potest pius Sacerdos, sive nominatim cum aliis vocatus, sive per Edictum publicum, obedientiæ zelique impulsu: æquo animo suscepturus sive collationem Beneficii, sive repulsam, prout judicaverit Episcopus vice Christi, qui Ministros idoneos Ecclesiæ suæ eligit ac præficit. *Peracto examine*, inquit sacra Synodus, *renuntientur quotcumque ab his judicati fuerint idonei, ætate, moribus, doctrinâ, prudentiâ, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit; atque illi & non alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. Si verò Jurispatronatus Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum & non alium pertinet, is quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit, Episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituatur. Cùm verò institutio ab alio quàm ab Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præsentet ad quem institutio spectabit. Quòd si Jurispatronatûs laicorum fuerit, ab eisdem Deputatis, ut suprà, examinari, & non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti.*

Sanctus Carolus Borromæus examen Sacerdotum, Parochialibus Ecclesiis vacantibus, secundùm formam à Concilio Tridentino præscriptam statâ die indicebat; « sed nemo nisi ab illo vocatus se sistebat examini, ab ejúsque providentia & arbitrio pendebant universi, certi sibi conferenda beneficia secundùm uniuscujusque virtutem & merita; nec se erraturos, cùm Archipræsulis sui sic à Deo illuminati judicio ac mandato illa susciperent. *Et verè indignus Beneficia habi-*

tus fuisset, qui illud quæsivisset, aut sibi procurasset: ut Giossano testatur in ejus Vita, Libro viii. Cap. xxx.

Nec difficilior est objectio quæ ex Graduatorum jure peti potest. Graduati enim, sive Nominati, sive simplices, qui beneficia ratione Graduum Academicorum postulant, se ipsos non ingerunt; sed jure ab Ecclesia sibi concesso utuntur, & ab Universitatibus quæ doctrinam illorum ac virtutem probaverunt, nominantur sive præsentantur: & Episcopi judicio se subjiciunt, qui illos examinare, & beneficia illis negare potest, si indignos judicaverit, ut declarat Concilium Burdigalense a Francisco Cardinali de Surdiaco Archiepiscopo celebratum an. Christi 1624. Cap. ii. N. 14. *Ac ne Graduati tantùm* (inquit) *sed docti ad beneficia assumantur Ecclesiastica: quibuscumque studiis in Universitatibus generalibus nostræ Provinciæ prohibemus, ne ulli cujuscumque scientiæ Gradûs literas concedant, quin prius ipse publicè rigoroso examine probatus, omnium Doctorum, debito modo ad id vocatorum, votis & calculis utatur: hincque ne fraus aliqua in hujusmodi Graduatorum literis delitescat, posse Ordinarium quosvis Graduatos, etiam Nominatos pro beneficiis obtinendis, examinare, & repellere indoctos, declaramus.* Idem sancitum ac declaratum est Regiis Constitutionibus & Edictis, Molinensi anno 1566. Articulo lxxv. Henrici Magni anno 1596. Articulo iii. Ludovici XIII. 1629. Articulo x. Si qui verò abusus in Graduatorum petitiones irrepserunt, si quæ labes ambitionis, cupiditatis, ac litium improbarum, vitia sunt hominum, ab Ecclesia, ut à Deo, damnata. Vale, méque Domino ad sanctum Altare commenda.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LIII.

Graviter peccant, qui cum peccati lethalis affectu Missam audiunt Dominicis Festisque diebus.

CLARISSIMO VIRO***

GRaviter peccare Christianos, qui cum peccati lethalis affectu Missæ Sacrificio Dominicis & Festis diebus intersunt, luculenter probavi Libro iv. Theologiæ nostræ Dogmaticæ & Moralis, Cap. v. Art. vi. Regulâ nonâ, pag. 819. Edit. Paris. Adversùs hanc Regulam inutiliter declamat Anonymus Auctor scrupulorum Illustrissimo Archiepiscopo Rothomagensi propositorum. Quærit inprimis, cur fideles qui Sacrificio Missæ cum peccati lethalis affectu profestis diebus intersunt, novum peccatum non committant: siquidem non minùs offerunt Sacrificium cum Sacerdote illis diebus, nec minùs pro ipsis offertur, quàm diebus Dominicis & Festis.

Peccant proculdubio, qui Missam audiunt cum peccati lethalis affectu quavis die, sed graviùs peccant qui Dominicis & Festis diebus, ratione præcepti quo sacros illos dies, seque ipsos in illis sanctificare tenentur, & in Deo quiescere; quod illi certe non præstant, qui peccati mortalis affectum non deponunt. Deum sine attentione orare, peccatum est. Quamobrem & laicus qui Breviarum ex laudabili consuetudine recitat, coram Deo reus est, si sit voluntariè distractus; non tamen lethalis peccati reus est, quia non obligatur ad recitationem Breviarii. Sed Clericus in majoribus Ordinibus constitutus, vel Beneficiatus, lethaliter peccat, si partem notabilem Officii divini sine attentione recitet, quia ad ejus recitationem Ecclesiæ præcepto adstrictus est. Idem ferendum est judicium de auditione Missæ cum peccati lethalis affectu. Peccant qui cum dispositione tam prava Missam audiunt & profestis diebus; sed graviùs peccant qui sic illam audiunt diebus Dominicis & Festis, quibus auditio Sacri ab Ecclesia præcepta est.

Si res ita se habet (inquit Anonymus) ab auditione Missæ diebus Dominicis & Festis prohibendi sunt quicumque in peccati mortalis affectu perseverant: immo die Paschatis ejiciendi sunt ab Ecclesia quicumque Absolutione & Communione indigni judicantur à Sacerdote, apud quem peccata sua deposuerunt.

Inepta illatio! Immò adhortari eos oportet ut peccati deponant affectum, & Missam rectè ac piè audiant; ingemiscant coram Deo, peccatum ex animo detestentur, vitæ emendationem sincerà voluntate spondeant, amore pœnitentiæ ad Deum convertantur; ejus misericordiam per Jesum Christum Filium ejus in Cruce & in Altari pro salute sua immolatum implorent, cum Publicano pœnitente clamantes, *Deus, propitius esto mihi peccatori*. Se indignos existiment, non solùm qui ad sacram Mensam accedant, sed qui divinorum celebrationi Mysteriorum intersint. Ita fiet ut *Sacrificium propitiatorium* Corporis & Sanguinis Jesu-Christi illis applicetur, *cujus oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ illis concedet, & peccata etiam ingentia dimittet*; ut loquitur Sacra Synodus Tridentina.

Graviter peccare non dixi, qui cum lethalis peccati affectu Missam audit Dominicis Festisque diebus, propterea quòd Missam audiat; sed quòd non audiat *ut oportet*; quòd Religionis actum præcipuum irreligiosè exerceat; quòd oculos habens plenos adulterii & incessabilis delicti, vel animum irâ, odio, ultionisve libidine adversùs proximum flagrantem, ambitionis, avaritiæ, vel invidiæ fluctibus æstuantem; criminosis cogitationibus, desideriis, & mediis explendi pravas cupiditates suas totos occupetur; quòd Sacrificium offerre se cum Sacerdote in speciem profiteatur exteriùs, quamvis animo sit alienus à Deo, cujus Sacrificium in corde suo esse debet, secundùm præclarum illud & inconcussum S. Augustini principium: *Non alteri visibile Sacrificium offerendum esse noverimus, quàm illi cujus in cordibus nostris invisibile Sacrificium nos ipsi esse debemus.* (Lib. 10 De Civit. Dei, cap. 5 & 19.) Deus & Ecclesia non exteriorem dumtaxat Religionis actum præcipiunt, sed illum sanctè & piè exerceri jubent. Deum exteriùs colere & adorare non sufficit, sed illum in spiritu & veritate adorare oportet. Communio Paschalis ab Ecclesia præcepta est: cui præcepto ut satisfiat, non sufficit Eucharistiam ore tenus sumere: sed dignè manducandum Christi corpus est. Ita Missæ auditio Dominicis & Festis diebus præcepta est; sed corporalem præsentiam sacrorum Mysteriorum celebrationi exhibere non sufficit: Sacro-sancto Sacrificio attento & pœnitenti animo interesse necesse est. Nec tamen præceptum non impleri ab eo dixerim, qui cum peccati mortalis affectu Dominicis ac Festis diebus Missam audit. Impletur exteriùs & secundùm literam; non impletur secundùm spiritum; non impletur *ut oportet*; ut Deus & Ecclesia volunt; ut opus est ad fructum spiritualem ex Sacrificio propitiatorio percipiendum: Deus enim veniam impœnitentibus non tribuit.

Inaniter verò objicit Anonymus, Ex propositione nostra sequi tot novorum peccatorum esse

reos homines qui in peccati mortalis affectu perseverant, quot Missæ toto orbe Christiano celebrantur; quia nulla est ad quam relationem non habeant offerentium pro modo suo, atque victimarum: sive vigilent, sive dormiant, & quicquid agant, etiamsi actu crimina perpetrent morte digna, Regnumque Dei eludentia.

Error quippe damnandus est, asserere quod Anonymus ille propugnat; Christianos omnes, quocumque sint in statu, quicquid agant, sive Deum laudent, sive mortaliter peccent, sive vigilent, sive dormiant, etiam cum meretricibus & concubinis, sacrosanctum Missæ Sacrificium cum Sacerdotibus omnibus ubique celebrantibus offerre, idemque pro illis ubique offerri, ita ut illius verè fiant participes. Illud nempe figmentum sacra Synodus Tridentina refellit Sessione xxii. Cap. 2. docens: *Sacrificium illud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri ut si cum vero corde & recta fide, cum m[illegible] & reverentiâ, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus enim oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.*

Doctrina nostra circa hoc Moralis Christianæ caput perperam accusatur novitatis, cùm in Scriptura sacra fundata sit, & à Viris Eruditis ante nos propugnata, scilicet à Reverendissimo & Religiosissimo D. Joanne Castoriensi Episcopo in *Amore Pœnitente*; ab Auctore eximii Operis quod inscribitur, *Morale Christiana in Orationem Dominicam*, ab Episcopis quinque, & septem sacræ Facultatis Parisiensis Doctoribus approbati, atque ab erudito & pio Cardinali Joanne Bona commendati. Hæc Rupellensis Ecclesiæ doctrina est in Collationibus Diœcesanis tradita & firmata. Hanc plurimi Præsules & Doctores ut saniorem & tutiorem propugnant, ac in suis Diœcesibus doceri jubent ac prædicari. Non minor certè dispositio ac animi puritas necessaria est ad Missam rectè audiendam, quàm ad Orationis Dominicæ recitationem: at novi peccati fit reus qui Dominicam Orationem recitat in peccati mortalis affectu, judice Bellarmino Cardinali: multò magis ergo novi peccati reus evadit, qui in peccati lethalis affectu Missam audit. Docti piique Cardinalis verba subjicio Lib. 1. *De bonis Operibus*, Cap. 6. *An qui ex animo remittit injurias, & tamen in aliquo alio peccato voluntariè perseverat, possit hac ratione aliquid impetrare?* Respondet: *Si non cupit gratiam conversionis, nec ex animo illam petit, sed vel orat solis labiis & consuetudine; vel, quod gravius est, ut videatur ab hominibus, non solùm nihil impetrat, sed etiam ejus oratio fiet in peccatum, cùm in singulis ferè petitionibus mentiatur. Quomodo enim potest dicere,* PATER NOSTER, *qui non vult esse filius? Et,* SANCTIFICETUR NOMEN TUUM, *per quem nomen Dei assiduè blasphematur? Et,* ADVENIAT REGNUM TUUM, *qui nihil magis quàm adventum Domini timet? Et,* FIAT VOLUNTAS TUA, *qui suam, non Dei voluntatem semper facit?* Quòd si hæc Bellarmini doctrina incusari novitatis jure non potest, quia ex Scriptura sacra & SS Patribus illam hausit; nec nostra de dispositione ad Missam rectè audiendam necessariâ jure potest velut nova reprehendi, cùm ex iisdem fontibus sit derivata. *Si offers munus ad Altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum* (inquit Christus) *& vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Si Sacrificium exigit ut priùs quàm offerri possit, læsam redintegremus caritatem, quam fratri debemus: nonne multò magis necessarium est ad Deo sacrificandum, ut priùs quam cum Sacerdote pro modo nostro Christum Jesum & nos per illum Deo in Missa offeramus, ipsum Deum offensum placare studeamus, reddentes quem ei debemus honorem, vel certè eum reddere conati?

Amor Pœnitens, lib. 1. c. 11. §. 6.
Morale Chrétienne sur le Pater, liv. Sect. 2. Ar. 4.
Conférences de la Rochelle, ch. 11. & suivans.
Matth. 5. 23.

Quòd hanc Doctrinam Jansenianam vocet Anonymus Auror, Decreta Sanctissimi Pontificis Innocentii XII. non veritus, non miror. Istud scilicet ei commune est cum importunis illis ac malevolis hominibus, quos Illustrissimus Clerus Gallicanus anno 1700. initio Censuræ suæ ait, Viris bonis doctisque, & Ecclesiasticæ rei studiosis, vagam & invidiosam Jansenismi accusationem inferre, eo quoque nomine, quòd Morum corruptelas acriter insectentur. Quamvis ergo quinque Jansenii Yprensis Episcopi famosas Propositiones à Sede Apostolica damnatas, necnon Michaëlis Baii confixos etiam ab eadem Sancta Sede Articulos in Theologia nostra Dogmatica & Morali passim refellamus ac damnemus; quamvis Formulæ ab Alexandro VII. hac in causa præscriptæ humili ac obediente animo subscripserimus: quamvis lethalis pertinaciæ reos pronuntiare non dubitemus, qui huic Formulæ subscribere renuunt, ut Dogmatibus fidem, factis reverentiam simpliciter & absolutè profiteantur: volentes nolentes Janseniani erimus, si Anonymo ejusque Symmistis placuerit, quia purioris ac severioris Moralis sectatores sumus ac vindices. Sed confusos illos inimicorum veritatis & sanioris doctrinæ Morum clamores & strepitus non curamus. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Sic Sabellianum Athanasium Ariani; Apollinaristam Cyrillum Alexandrinum Nestoriani; Manichæum Augustinum Pelagiani; eumdem Sanctissimum Doctorem in controversiis de Gratia & Prædestinatione aberrasse Semipelagiani conclamabant. Feliciorem hoc in mundo sortem nostram fore frustra speraremus, quandiu victricem & per se efficacem Christi Gratiam, sanamque Moralem propugnabimus, quod Eo adjuvante semper præstabimus. Vale, mihique celeste lumen & animum ad veritatem constanter defendendam à Deo adprecare.

Lutetiæ Parisiorum,

EPISTOLA LIV.

Christianis inter Paganos degentibus nullo prætextu licet eorum Sacrificiis aut aliis Ritibus superstitiosis ministrare vel interesse, etiam fictè, & aversa ab illis intentione.

RELIGIOSO VIRO******

MISSIONARIO APOSTOLICO***

QUæstioni à te propositæ planè respondeo, Non licere Christianis inter Paganos degentibus interesse sacrificiis in honorem Idoli, aut etiam Philosophi, quem Gens ut Magistrum veneratur, vel Progenitorum pariter ethnicorum oblatis, quolibet obtentu; aut genua flectere coram Altari in quo offeruntur; aut coram tabellis, quæ *Sedes Animæ* vel *spiritûs Philosophi*, aut *Progenitorum defunctorum* inscribuntur: aut superstitiosis quibusvis Ritibus eorum, etiam occasione funerum, ministerium aliquod vel solam præsentiam

sentiam exhibere, quamvis fictè intersint, animô que sint ab illis superstitionibus prorsus alieno: aut genuflexiones, intentionémque dirigant ad crucem quam occultè geront, vel in templo inter flores absconderunt.

Hæc scilicet prorsus illicita esse respondit sacra Congregatio de Propaganda Fide decreto edito anno 1645. die 12. Septembris, approbante Innocentio X. Summo Pontifice; & per aliud Decretum Congregationis Sancti Officii confirmato die 13. Novembris 1669. approbante Clemente Nono Pontifice Maximo. Et certè qui hæc licere Christianis cootendereot, in hæresim Elcesaitarum incurrisse convincerentur, quos Elxai pseudopropheta *simulatores esse docuit, cùm ullum negaret esse crimen, si quis persecutionis tempore idola veneretur, dummodo minimè id ex animo faciat: aut si quid ore teneat, non item animo profiteatur*; ut refert S. Epiphanius Libro 1. Hæresi XIX.

Illis qui hæc licere contendont, & perniciosam adeo simulationem ab idololatriæ labe vindicare conantur, opponendus est præclarus ille Tertulliani locus, *Apologetici* Cap. 25. *Igitur provocati ad sacrificandum, obstruimus gradum pro fide conscientia nostra, quâ certi sumus ad quos ista perveniant officia, sub imaginum prostitutione & humanorum nominum consecratione. Sed quidam dementiam existimant, quòd cùm possimus & sacrificare in præsenti, & illæsi abire, manente apud animum proposito, obstinationem saluti præferamus. Datis scilicet consilium quo vobis abutamur, sed agnoscimus unde talia suggerantur. Ille scilicet Spiritus dæmoniaca & angelica paratura, qui noster ob divortium æmulus, & ob Dei gratiam invidus, de mentibus vestris adversùs nos præliatur.* Quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli com infideli? Quis autem consensus templi Dei com idolis? Vos enim estis templum Dei vivi. *Fugite Idololatriam, omnem utique & totam* (ait alibi idem Tertullianus.) *Recogita sylvam, & quanta latitant spina. Nihil dandum idolo, sed nec sumendum ab idolo. Si in idolio recumbere alienum est à fide, quid in idoli habitu videri? Quæ communio Christo & Beliæ? Et ideo fugite. Longum enim divortium mandat ab idololatria, in nullo proximè agendum. Draco etiam terrenos de longinquo homines spiritu absorbet. Aitiùs Johannes:* Filioli, (*inquit*) custodite vos ab idolis. *Non jam ab idololatria quasi ab officio, sed ab idolis, id est ab ipsa effigie eorum. . . . Nusquam Christianus aliud est. Unum Evangelium, & unus Jesus, negaturus omnem negatorem, & confessurus omnem confessorem Dei, & salvam facturus animam pro nomine ejus amissam, perditurus autem de contrario adversùs nomen ejus lucri habitam. . . . . Non admittit status fidei necessitatem. Nulla est necessitas delinquendi, quibus una est necessitas non delinquendi. Nam & ad sacrificandum & directe negandum necessitate quis premitur tormentorum sive pœnarum: tamen nec illi necessitati disciplina connivet; quia potior est necessitas timendæ negationis & obeundi Martyrii, quàm evadendæ passionis & implendi officii. Cæterùm subvertit totam substantiam sacramenti causatio ejusmodi, ut etiam voluntariis delictis fibulam laxet. Nam & voluntas poterit necessitas contendi, habens scilicet unde cogatur.*

2. Cor. 6. Tertull. lib. De Corona, c. 11.

Frustra verò respondent Neoterici, Ritus illos prout ab Ethnicis fiunt, superstitiosos & idololatricos esse; at ceremonias sive observantias esse merè civiles, prout à Christianis usurpantur. Eâdem enim cavillatione Philosophi Pagani, qui Deos inanes & falsos esse existimabant, & omnes Gêotilium sacrorum ceremonias quasi civiles cultus, non quasi religiosos osurpare se ac frequentare dicebant, cùm procul à plebe philosopharentor, ab idololatria excusari possent. Sic enim de ceremoniis illis Seneca apud S. Augustinum Libro VI. *De Civitate Dei*, Cap. X. *Quæ omnia sapiens servabit tanquam legibus jussa, non quasi Diis grata. Omnem istam Deorum turbam, quam longo ævo longa superstitio congessit, sic adorabimus, ut meminerimus cultum ejus magis ad morem, quàm ad rem pertinere.* Sanè Ritus in honorem Philosophi & Progenitorum, qui animalium immolatione, oblatione carnium, libatione vini, invocatione spiritûs, suffitibos, cereorum accensione, prostrationibus coram tabella quæ inscribitur *Sedes Animæ*, bonorum à Paganis defunctis expectatione constant; Ritus (inquam) illi ad idololatriam pertinent, *cujus afflatum vice pestis, etiam è longinquo devitari* Apostoli & Apostolici Viri voluerunt, *non in idolorum tantummodo cultu, sed & in universa serie humana superstitionis, sive Diis suis, sive Defunctis, sive Regibus mancipata, vel eosdem spiritus immundos pertinentis, modò per sacrificia & sacerdotia, modò per festos dies, & alia id genus* (ut loquitur Tertullianus Lib. *De Idololatria*, Cap. XIII.)

Nec refert quòd Philosophum & Progenitores suos homines fuisse Pagani illi agnoscant. Nam & Deos suos olim homines fuisse veteres Idololatræ Græci & Romani agnoscebant & ultro fatebantur. *Recogitemus*, (inquit Tertullianus ibidem Cap. XV.) *omnem Idololatriam in homines esse culturam, cùm & ipsos Deos Nationum homines retro fuisse, etiam apud suos constet. Itaque nihil interest, superioris an hujus sæculi viris superstitio ista præstetur. Idololatria non propter personas quæ apponuntur, sed propter officia ista damnata est, quæ ad dæmonas pertinent.*

Cultus quem Pagani illi Progeoitoribos suis exhibent in oblationibus, suffitibos, nidoribus, libationibus, genuflexionibus, prostrationibus, precationibus, consolationibus seu interrogationibos coram eorum imaginibus positus, nihil differt à cultu quo Ethnici, Græci & Romani Defunctos olim suos prosequebantur. *Sed* (inquit Tertullianus Libro *De Spectaculis*, Cap. VI.) *de Idololatria nihil differt apud nos sub quo nomine & titulo, dum ad eosdem spiritus perveniat, quibus renuntiamus, licèt mortuis. Licebit Diis suis faciant, proinde mortuis suis faciunt. Una conditio utriusque est, una Idololatria; una renuntiatio nostra adversùs Idololatriam.*

Et Cap. XII. *Et Idololatria parentationis est species. Tam hæc quàm illa Mortuis ministrat. In Mortuorum autem Idolis dæmonia consistunt, ut & titulos consideremus.*

Et Cap. XIII. *Propterea igitur, quoniam utraque species Idolorum conditionis unius est, dum Mortui & Dii unum sunt, utrâque Idololatriâ abstinemus: nec minùs Templa quàm Monumenta despuimus, neutram Aram novimus, neutram effigiem adoramus: non sacrificamus, non parentamus, sed neque de sacrificato & parentato edimus: quia non possumus cœnam Dei edere, & cœnam dæmoniorum.* His igitur Ritibus ministrare, aot interesse Christiani noo possunt, quin Idololatriæ participes fiant.

Nec illos excusat alienus (ut aiunt) ab Idololatria animus. *Nam cùm exterior cultus sit signum interioris cultûs: sicut est perniciosum mendacium si quis verbis asserat contrarium ejus quod per veram fidem tenet in corde; ita etiam est perniciosa falsitas, si quis exteriorem cultum exhibeat alicui contra id quod sentit in mente.* Unde S. Augusti-

S. Thomas Secunda Secundæ Quæst. 94. Art. 2.

S. Aug. lib. 6 De Civitate Dei, c. 10.

nus dicit contra Senecam quòd *Eò damnabilius ista qua mendaciter agebat, sic ageret, ut eum populus veraciter agere existimaret.* Hinc rursus S. Thomas Art. III. in Responsione ad tertium: *Idololatria*, inquit, *præsupponit interiorem infidelitatem, & adjicit exterius indebitum cultum. Si verò sit exterior tantùm Idololatria absque interiori infidelitate, additur culpa falsitatis.*

Neophytorum nemo difficultatem obtendat ab his abstinendi propter consanguineorum offensiones, odia acerbissima, exclusionem à publicis Muneribus & Gradibus, persecutiones, mulctas, reique familiaris detrimenta, honoris, famæ, vitæ pericula. Undique scopuli, fatent: sed *Inter hos scopulos & sinus, inter hæc vada & freta Idololatriæ velificata spiritu Dei fides navigat, tuta si cauta, secura si attonita.... Nihil esse facilius potest quàm cautio Idololatriæ, si timor ejus in capite sit. Quæcumque necessitas minor est, periculo tanto comparata. Propterea Spiritus Sanctus consultantibus tunc Apostolis vinculum & jugum nobis relaxavit, ut Idololatriæ devitandæ vacaremus. Hæc erit lex nostra; quò expedita, hòc plenius administranda, propria Christianorum, per quam ab Ethnicis agnoscimur & examinamur. Hæc accedentibus ad Fidem proponenda, & ingredientibus in Fidem inculcanda est, ut accedentes deliberent, observantes renuntiæ sibi.* Hæc sufficere videntur inpræsentiarum ad respondendum propositæ Quæstioni. Vale, meique ad Altare Domini in Sacrificio Pretii nostri memineris.

Tertull. lib. De Idol. cap. 24.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LV.

Simonia peccatum nullo intercedente pacto committitur.

CLARISSIMO VIRO***

FIrmiores ac puriores Moralis Christianæ Regulas nostris temporibus impugnari, valde lugendum est. Gravissima hæc est in Ecclesia Dei tentatio, qua diabolus & in errorem, & in omne genus vitiorum homines inducit. Ecclesiam malignantium sibi constituit Christi æmulos & adversarios; & Ecclesiasticos plerosque Viros Simoniæ, ambitionis, avaritiæ laqueis implicatos, in eam pertrahit, cujus ipse caput est, malorum societatem; quod ut faciliùs assequatur, licitum esse persuadet quod Divinis & Ecclesiasticis Legibus vetitum est. Antiqui illius Dei & hominum hostis artibus fuisse delusum Anonymum summopere dolendum est, qui inter alias Theologiæ nostræ Dogmaticæ & Moralis Regulas hanc impugnat Libro II. Cap. VII. pag. 206. Editionis 1. Parisiensis traditam: *Simoniæ reus est, qui pro indigno ad obtinendum illi Ecclesiasticum beneficium preces interpositas exaudit; vel qui preces pro digno quidem factas, sed tamen favoris humani, non meritorum rationem habet; vel qui pro se rogat ut obtineat curam animarum.* Hanc Regulam quoad singulas partes tradidit S. Thomas, cujus Doctrinam tutissimam & inconcussam Sedes Apostolica non semel pronuntiavit, Secundâ Secundæ, Quæstione centesimâ, Articulo V. in Responsione ad tertiam objectionem, & in Quartum Sententiarum, Dist. XXV. Quæst. III. Art. III. in Responsione ad quartum argumentum. Eamdem confirmat S. Raymundus in Summa Lib. I. Tit. I. *De Simonia*, Cap. VII. Doctoris

A Angelici & Sancti Pœnitentiarii testimonia & rationes protuli loco indicato.

His adde Silvestrum Prieratem in Summa, verbo *Simonia*, Quæst. XVI. *Si quis* (inquit) *preces porrigit pro se obtinendo beneficio, vel Ecclesiâ aut dignitate habente curam animarum, Simonia est secundùm Hugonem, Raymundum, Hostiensem, Directorium Juris & S. Thomam, etiamsi aliàs esset dignus: quia se ingerendo præsumptuosus & ambitiosus videtur, & consequenter indignus: quia secundùm S. Thomam in Quodlibetis, sine gratia Dei, quam nullus scit se habere, non potest quis exercere curam animarum dignè; cum*

B *peccet mortaliter, indignè faciendo ea quæ pertinent ad curam.* Et infra: *Ratio S. Thomæ quoad curam animarum, non est solubilis, quia scilicet talis est præsumptuosus vel superbus, si omnibus, quibus vult præferri, se credit meliorem; aut injustus, si hoc non credit. Et fundatur in Scriptura ad Hebræos 5.* Nemo assumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.... *Hæc opinio non est dura humilibus & paratis & amatoribus sapientiæ, sed ambitiosis, & deliciosis, & non habentibus interiores virtutum delectationes...*

S. Thom. Quodlibet. Art. 2.

C *Nec tolerantia Papæ excusat in his quæ sunt prohibita quia mala. Nec inconvenit majorem partem Cleri Beneficiati esse in malo statu, si vacat ambitioni, pompis & lasciviis..... Preces pro alio, si sit indignus, factum est Simoniacum: si verò sit dignus, ipsum factum non est simoniacum; licet possit esse simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad humanum favorem.*

At, inquit Anonymus Auctor, opulenta Abbatia cupiditatem ac ambitionem movet multò magis quàm Parochiale Beneficium cujus reditus

D centum fere nummos non excedit. Quâ igitur ratione simoniæ reus asseritur, qui Parochialem Curam pro se petit, à Simoniæ verò labe purgatur qui pro se postulat Beneficium simplex, etiam Abbatiam, cujus reditus annuus ad centum millia librarum ascendat?

Absit ut cupiditatis vel ambitionis artes, precésque ad Ecclesiastica Beneficia aucupanda ullatenus approbem, cujuscumque generis illa sint, sive curam animarum habentia, sive simplicia. Verumtamen cùm illa quibus animarum cura annexa est, singularem à Deo vocationem exi-

E gant in iis qui illa suscipiunt, & dignioribus conferenda sint secundùm Canones, Sanctorumque Patrum & S. Thomæ ac celebriorum Theologorum sententiam; longè graviùs (cæteris paribus) peccatum est in illa irrepere ac se ingerere pro se rogando, quàm in Beneficia simplicia. Horrenda enim præsumptio est, cæteris existimare se digniorem, virtutis præsertim & charitatis ratione. Gravis injustitia est, se dignioribus velle præponi. Quamobrem qui pro se rogat, pro indigno rogat, vocatus à Deo non est: *Non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, tanquam fur & latro.* Simplicis verò Beneficii pro

Joan. 10. 1.

F se postulationem pauperibus dumtaxat Clericis permittunt SS. Thomas & Raymundus, secundùm quos hanc Regulam statui Libro III. Theologiæ Dogmaticæ & Moralis, Cap. V. Art. XXIV. numero septimam: *Qui pro se Beneficium Ecclesiasticum sine cura animarum petit ad inopiam suam sublevandam, non est reus ambitûs.* Id enim spectatur velut supplementum Tituli, qui ad congruam & honestam Cleri sustentationem non sufficit.

Frustra verò Anonymus objicit, Simoniam rei spiritualis emptionem esse pro temporali, ideóque nullam esse Simoniam, ubi simplices preces

intercedunt; aut ubì propter solam amici commeodationem, nullo intercedenre pacto vel formali vel tacito, beneficiom confertur.

Triplex enim genus muneris, quo fit ut rei spiritualis collatio non sit merè gratuita, S. Thomas & omnes cum eo Theologi, & Juris Canonici Periti vulgò distinguunt, scilicet *Munus à manu, munus à lingua, munus ab obsequio.* Munus à manu, pecuniam & quæconque pecuniâ æstimari possunt; munus à linguâ, laudem humanam, adulationes, preces, commendationes; munos ab obsequio, genus omoe obsequii & officii complectitur. Nec arbittaria hæc divisio est, sed à Patribus & Conciliis tradita, scilicet à S. Gregorio Magno Homiliâ 4. in Evangelia, ex qoo refertur Canone, *Sunt nonnulli*, Caosâ 1. Quæst. 1. quam & mulrò antè S. Hieronymus innuerat in cap. 1. Epistolæ ad Titom; ab Urbano II. ex quo refertur Canone *Salvator*, Causa 1. Quæst. III. à Concilio Aquisgranensi sub Ludovico Pio Canone XXVIII. à Gregorio VII. Libro sexto Regesti Epistolâ XXXIV. & à Beato Petro Damiani Epistolâ II. Libri secundi. Qui ergo preces pro indigno ad obtinendum illi Beneficiom Ecclesiasticum exaodit; aut qui pro digno quidem, sed nullâ meritorum habitâ ratione, is cootra Christi Domini mandatum peccat: *Gratis accepistis, gratis date:* siquidem *munus à lingua* offert, ut sibi vel alteri beoeficium, quæ res spiritualis est, coofeiatur. Nec refert quòd nullum pactum intercedat. Si enim absque pacto interveniente nulla committeretur simonia, è numero peccatorum expungenda esset simonia mentalis. Et eò quidem collimeare videtur Auctoris Anonymi conatus ut nulla agnoscatur, nisi fortè in illis qui ita rudes ac stolidi fuerint, ut artem dirigendi intentiooem nesciaot. Nec attendit, *Ea quæ constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nullâ velut bonâ intentione facienda;* ut docet S. Augustinus Libro *Contra Mendacium*, cap. VII.

Matth. 10. 8.

Nec sequitur quod infert Anonymus ille Auctor, eos qui beneficia Ecclesiastica pro se postularunt, & humanis rationibus, nullâ meritorum habitâ ratione, obtinuerunt vel contulerunt, in Censuras Ecclesiasticas, aliásque pœnas canonicas incurrisse, aut beneficia sic impetrata Devolutis esse obnoxia. Cùm enim ad simoniæ mentalis genus crimen istud pertineat, Ecclesiasticis pœnis in simoniacos latis non subjacet, quæ ne conveotionalis quidem, sed realis duntaxat simoniæ reos afficiunt: cùm scilicet ita de pecunia seu re pretio æstimabili pro spirituali danda expressè vel tacitè conventum est, ut ex una saltem parte conditio impleta sit. Quod Libro II. *Theologiæ Moralis*, in Tract. De Ordine, cap. VII. Regula XLII. probatum à me & explicatom est. Verùm quamvis in foro exteriori cogi non possit ad beoeficium ejurandum, aut eo privari per sententiam Ecclesiastici Judicis, sive jure devoluto ab eo excidere, qui aliquo munere, seu à manu, seu à lingua, seu ab obsequio in illud irrepsit nullo intercedente pacto, nullâ conveotione; secundùm fori tamen interioris leges tenetur ad resignandum sive dimittendum beneficium in manu Collatoris, si animo proposuerit rem temporalem pro spirituali dare. Id Regula seqoenti probavi: quæ quidem & si severa cupiditati videatur, nec nova tameo, nec singularis est, cùm sententia sit Henrici Gandavensis, Qoodlibeto sexto, Adriani Sexti Quodlibeto nono, Dominici Soto Libro 9. De Justitia & Jure Quæst. 8. Art. 1. Bartholomæi Medinæ in Summa Lib. 1. cap. 14. §. 2. Joannis Medinæ Quæst. *De Acquisitis per usuram*, Esthii in quattuor sententiarum, Dist. XV. §. 18. & Silvii in Secundam Secundæ, Quæst. 99. Art. 6. Dubio 1. Esthii verba describo.

Ex jam dicta ratione (inquit) *videtur & illud consequens, mentalem quam vocant simoniam cum opere subsecuto restitutioni obnoxiam esse, verbi gratiâ: Si quis non expressè paciscatur de pretio, sed munus quasi liberaliter offerat, mente tamen simoniacâ qua intendat munere tanquam pretio beneficium sibi comparare, is obnoxius sit restitutioni, quia tali modo beneficii possessor fieri non potest, nihilo magis quàm si expressa pactio intercederet. Idque confirmari potest ex simili. Nam qui ea mente dat mutuum ut aliquid speret ultra sortem, usuram mente committit, & ad restitutionem tenetur ejus quod tali intentione acceperit, etiamsi expressa conventio non antecesserit: quemadmodum ex Urbano III. decretum habemus*, Extra, *De Usuris*, cap. *Consuluit: quare idem omnino de mentali simonia sentiendum videtur. Atque ita sentiunt Adrianus VI. & Dominicus, reclamantibus licèt plerisque Canonum Doctoribus.*

Neque obstat huic sententiæ Rescriptum Gregorii Noni, quod habetur, Extra, De Simonia, cap. Mandato, *quod ita sonat, quasi fateatur Pontifex eos ad resignationem spiritualium vel temporalium non teneri, qui nullo pacto, sed solo affectu animi præcedente, ea acquisiverint; sufficere enim ut per solam pœnitentiam suo satisfaciant Creatori. Nam eo loco non aliud docet Pontifex, quàm pœnas Canonibus expressas & solo jure positivo constitutas, non extendi ad eos qui solâ mentis intentione simoniam commiserunt; quia de occultis Ecclesia non judicat: & Pontifex canonicè loquitur, id est, de pœnis canonicis. Nam & nos dicimus non eos teneri ad restitutionem lege Ecclesiastica, sed divina ac naturali: quâ utraque docemur non dimitti peccatum, nisi restituatur ablatum, ac generaliter injustè acquisitum. Itaque restitutio in ea includitur pœnitentia, per quam vult Pontifex, ut qui dicto modo mentalem simoniam commiserunt, suo satisfaciant Creatori. Eadem ratione Innocentius III. ejus tituli cap.* Tua, *tales apud districtum judicem Deum culpabiles judicari pronunciat, neque ipse aliam pœnam addit:* Quia (*inquit*) no« bis datum est de manifestis tantummodò judicare. « *Gregorius autem primus, à cujus sententia non est verisimile Gregorium nonum voluisse recedere, apud Gratianum I. Quæst. 1. cap.* Si quis, *apertè dicit eum qui fraudulento munusculo Dignitatem aliquam Ecclesiasticam acceperit, eumque insperata mors pœnitentem non invenerit, proculdubio in æternum periturum. Quo loco fraudulentum munusculum intelligitur, quod sine pacto expresso quasi liberaliter datum est; Quemadmodum illud rectè Glossa interpretatur. Vult ergo Gregorius mentalem simoniam cum opere subsecuto, sub pœna æternæ damnationis esse restitutioni obnoxiam. Nec planè apparet sanctum Thomam in diversa esse sententia Articulo sexto ad sextum. Quamvis enim Cajetanus sic eum intellexerit, Dominicus tamen locutum eum interpretatur de simoniaco mentali, qui intendit quidem dare aut accipere aliquid, non tamen dedit aut accepit.*

Non sequitur etiam quod infert rursus Anonymus, Simoniæ reum esse collatorem, qui ex duobus Ecclesiastici Beneficii candidatis æqualium meritorum, illi beneficiom confert qui ab amico commendatur: siquidem ratio principalis cur beneficium isti conferat, non est commendatio aut propositum amico gratificandi. Ubi enim paria merita sunt, unus alteri sine injustitia & sine peccato acceptionis personarum, præponi potest; & verò necesse est ut uni præ alio beneficium confe-

ratur, quod sine divisione & diminutione conferendum sacri Canones statuunt. Vale, meique ad Altare Domini in Sacrificio Pretii nostri memineris.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LVI.

Virga divinatoriâ uti lethale peccatum est, & divinationis per virgas professoribus Absolutio est deneganda, nisi arti superstitiosæ renuntiaverint: & pœnitentiam egerint.

CLARISSIMO DOCTISSIMOQUE VIRO***

DE Virgæ divinatoriæ virtute quæstionem in Urbe moveri scribis, meamque rogas de hoc argumento sententiam. Nihil fortè novi meis ex litteris disces, respondebo tamen, ut soleo, quoties mihi Morales Quæstiones proponuntur, breviter ac nitidè.

Virga, quam divinam vocant, baculus curvus est ex corylo, salice, aut alia arbore decisus, cui virtutem vulgò tribuunt revelandi & indicandi abstrusa suo motu, præsertim verò abditos aquarum latices venásque, defossa in terra metalla, aurum, argentum, æs, &c. transpositos item limites, res furto ablatas, homicidia, illorúmque auctores & conscios: quod postremum haud sine magna ejus qui virgam tenet, in cujus & manibus movetur, commotione fieri jactant. Multa de hujusmodi virgæ mirabilibus effectis vulgata sunt & scriptis etiam prodita, quibus haud leviter adhibenda fides. Notum est Jacobum Aymarum Lugdunensis agri rusticum, tractandæ virgæ divinatoriæ arte celebrem, convictum imposturæ fuisse Parisiis à Serenissimo Principe Condæo, & Prætorii Parisiensis Regio Cognitore, præsentibus pluribus nobilitatis primariæ & integritatis spectatæ viris. Defossæ erant in horto Principis crumenæ auri, argenti, ærisque plenæ, & saccus lapidibus refertus. Aymarus introductus in hortum Celsitudinis, ejus mandato semitas omnes incessit virgam divinatoriam tenens. Pertransiit, calcavitque non semel loca ubi metalla defossa erant; virga in manibus ejus immota stetit, nec aurum, nec argentum, nec æs quidem indicavit; sed motu suo super locum in quo saccus lapidibus plenus absconditus erat, falso revelavit Aymaro aurum ibi vel argentum latere. Cædes patrata erat Parisiis viâ Sandionysianâ: post horas aliquot eò perductus est Aymarus intempestâ nocte, lucernis extinctis, virgam divinatricem gestans, quæ pariter stetit immota, nec ullam pulsûs commotionem aut cordis palpitationem insolitam ille persensit, qualem ipsi contigisse Lugduni ferunt, in loco ubi vir & mulier fuerant contrucidati. Ductus est & in viam quà transierat, & prope domum in quam fugerat homicida, quem nec ipsi virga revelavit. His aliisque experimentis probavit Serenissimus Princeps Condæus Aymarum fraudulentum circulatorem ac impostorem esse, idque testatum voluit publicis litteris, quæ in Gallico Eruditorum Diario Parisiis editæ sunt. Idem Aymarus Vorioni in Sabaudia homicidii publici ignotum auctorem quærens virgæ divinatricis ope, juvenem indicavit, super quem virga illa mota est: quem tamen insontem esse juridicis documentis & instructâ lite Judices compertum habuerunt, itaque sententiâ declaraverunt. Censeo igitur virgæ bifurcatæ seu recurvæ motum in locis ubi sunt latices aquarum absconditi, vel abditi terræ thesauri, latens aurum, argentum, aliudve metalli genus; ubi constituti sunt vel esse debent agrorum limites, malitiâ hominum transpositi; ubi res sunt furto raptæ; ubi homicidium perpetratum est, quà transierunt, fugerunt, se receperunt, vel in quibus degunt aut detinentur homicidæ, fures, eorúmve conscii: censeo, (inquit) hujusmodi motum contingere vel fraude illorum, quorum manibus virgula tractatur, aut phantasiæ vi, manum in motum concitantis, aut casu; aut denique occulto dæmonis, quicum pactum saltem implicitum est, impulsu, non virtute naturali.

Sanè si naturales essent hi effectus, virga non minùs super aquas erumpentes & super terram fluentes, quàm in terra latentes moveretur: siquidem vis sympathetica, in quam nonnulli Physici id refundunt, sese magis exerceret. Non minùs etiam indicaret motu suo reclusam in crumena vel in arca pecuniam, quàm terrâ defossam. Deinde eundem operaretur effectum virga, cujusvis tractaretur manibus, sicut magnes & succinum in omnium æquè manibus ferrum vel paleam attrahunt. At certum & exploratum est virgam divinam in omnium manibus non moveri.

Præterea tametsi ingenita & occulta virgæ ex corylo, vel salice aut arbore quâvis alia decerptæ sympathia latices aquarum abditos indicare posset, non tamen quàm altè sint demersi, quàm uberes, & alias hujusmodi circumstantias, quas se virgæ divinæ motu perspectas habere nonnulli jactant. De metallorum venia idem dicendum.

Tertiò, ex intentione ejus qui virgam tenet, motum ejus pendere constat, ex eo quòd versùs aurum vel argentum non moveatur, nec illa indicet, quamvis per loca ubi defossa sunt transeat, si quærat aliud, verbi gratiâ, latices aquarum. Id porrò naturali virtute non operatur, cujus operatio non pendet ex intentione hominis.

Quartò, duorum hominum pacta, quibus conventum est ut lapis ad terminandos agri fines certo loco ponatur, nec in lapidem, nec in virgam influunt: adeóque impossibile est ut virga conventionem secuta sit immobilis, manente inviolatóque pacto, eodem infracto moveatur locum versùs ubi lapis transpositus reponendus est, ibique tandem hæreat immota. Ens quippe morale Physicam influere virtutem non potest.

Quintò, ad furem vel homicidam detegendum virga divinatoria naturali virtute nihil potest. Fur enim & homicida sunt iidem physicè commisso furto, vel patratâ cæde, qui antea erant: furtum & homicidium moralem duntaxat mutationem in illis effecère: unde nulla vis inde in virgam derivari potest.

Sextò, pluribus experimentis compertum est virgam illam, quæ in aliquorum, ipsam ad divinationem rerum prædictarum adhibentium, manibus movebatur, immotam deinceps stetisse, omnique vi divinatoriâ destitutam, postquam omni pacto cum Dæmone renuntiarunt.

Ex his ergo colligitur, usum virgæ divinatoriæ superstitiosum esse, & qui illam tractant & adhibent ad usus supradictos, reos esse peccati lethalis contra primum Decalogi præceptum, & superstitionis a Deo damnatæ à Propheta his verbis: *Populus meus in ligno suo interrogavit, & baculus ejus annuntiavit ei.* [Osee 4. 12.] Quem locum S. Cyrillus Alexandrinus in Commentariis sic interpretatur: *Est hic alter fallaciæ modus, divinatio per virgas, inventum, ni fallor, Chaldaicæ curiositatis. Sic enim contra Jerusalem divinabat Nabuchodonosor,* [Ezech. 21.] *sicut & divinus Propheta Ezechiel testatur. Duas enim virgas statuebat, deinde arcanis quibusdam*

verbis eas incantantes, ut agentes diabolo procederent, A *& cadentes rursum observabant utrum prorsum an retrorsum, in dextrum an in sinistrum ferrentur. Sic deinceps quod illis placebat accedentibus nuntiabant.* Et Theodoretus in eundem locum vocat *Virgas fraudis adjutrices.*

S. Augustinus lib. De Doctrina Christi. cap. 20. 21. & 24.

Virgæ divinatoriæ usus motúsque ad imaginaria illa signa pertinet, *Quæ tantum valent, quantum præsumptione, quasi communi quadam linguâ cum dæmonibus fœderata sunt. Quæ omnia plena sunt pestiferæ curiositatis, cruciantis sollicitudinis, mortiferæ servitutis; non enim quia valebant animadversa sunt,* B *sed animadvertendo atque signando factum est ut valerent. Et ideo diversis diversa proveniunt secundùm cogitationes & præsumptiones suas. Illi enim spiritus qui decipere volunt, talia procurant cuique, qualibus eum irretitum per suspiciones & consensiones ejus viderint.* Atque hæc signa à plerisque *mitiore nomine Physica* vocari & ut talia vindicari satagunt, *ut quasi non superstitione implicare, sed naturâ prodesse videantur.... Quibus illusionibus & deceptionibus evenit, ut istis superstitiosis divinationum generibus multa præterita & futura dicantur, nec aliter accidant quam dicuntur, multáque observantibus* C *secundùm observationes suas eveniant, quibus implicati curiosiores fiunt; & sese magis magísque inserant laqueis perniciosissimis erroris. Omnes igitur artes hujusmodi nugatoriæ vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacta quædam infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudianda & fugienda Christiano.* Ad Sacramentorum igitur participationem admitti & Sacramentaliter absolvi non debent quicunque virgam divinatoriam adhibent ad rerum supra dictarum revelationem aut detectionem, sive inquisitionem, nisi D superstitiosæ ejusmodi arti renuntiaverint, nec illi qui ipsorum operâ usi sunt ad prædicta exploranda, nisi sinceram agant pœnitentiam. Vale, mei tuis in Sacrificiis memor.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LVII.

Præcepto de Missa audienda satisfacit, qui Horas canonicas, quarum ad recitationem tenetur, Sacri tempore persolvit, non verò qui peccata Sacerdoti confitetur. E

VIRO RELIGIOSO ***

QUæstionibus tuis de attentione ad Sacrum audiendum necessaria, paucis respondeo. Eâ carere non censeo, qui Missam audiendo Dominicis Festisque diebus divinum Officium recitat, vel injunctas à Confessario in Pœnitentiam preces persolvit; corpore namque & animo sacrosancto sacrificio præsens est, mentémque ad Deum devotis precibus erigit. F Aliud esto judicium de illo qui peccata sua confitetur quo tempore Missa celebratur, si confessio sit prolixa. Quamvis enim confessio sacramentalis sit actus religiosus, aliam tamen attentionem exigit, quàm quæ in Missæ auditione desideratur. Hæc enim per modum orationis esse debet; illa verò in peccatis, eorúmque circumstantiis explicandis versatur, & in dialogis inter pœnitentem & confessarium hunc in finem intervenientibus. Quamobrem rustici qui majoris Missæ tempore die Paschatis, aut Dominicâ in Albis, aliâve Dominicâ aut Festo die, in pagis ubi Missæ plures non celebrantur, ad Confessionem veniunt, interrogandi sunt imprimis utrum Missam eâ die audierint. Si non audierint, remittendi sunt ut audiant, & satisfaciant Ecclesiæ præcepto; eorúmque Confessio & Communio in altum diem differenda est: si tempus illam excipiendi & istam administrandi post majus sacrum non supersit: monendíque sunt ut vespertinis horis vel ante Missam ad Confessionem veniant, ut utrique Ecclesiæ præcepto satisfacere possint. Quamquam verò præcepto de Missa audienda satisfaciant Clerici, qui tempore Sacri Horas canonicas recitant; convenientius tamen est alio tempore sacrum Breviarii pensum persolvere, ut tota animi attentio ad Sacrificium Pretii nostri, & ad omnes Missæ partes ac ritus sacros, eorúmque Mysteria feratur, & oblationem actionémque Sacerdotis prosequatur fidelis auditor ejusdem Sacrificii sui oblatione, piísque fidei, spei & caritatis actibus. Vale, mei tuis in orationibus memor.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LVIII.

Utrum mulier, quæ pro marito vel alio fidejussit, solvere teneatur? An res suas abscondere, vel solum vertere tutâ conscientiâ possit?

CLARISSIMO VIRO ***
VIGILANTISSIMO PAROCHO.

QUæstionem per litteras nuper ad me datas proposuisti, quàm Patronus Curiæ faciliùs forte solveret quam Vir Theologus, utrum mulier quæ pro marito vel pro alio fidejussit, solvere teneatur; an res suas abscondere vel solùm vertere tutâ conscientiâ possit? Cum Velleiano Senatusconsulto juvari videatur, quod mulieres pro aliis fidejubere ac intercedere vetat. *L. Velleiano*, & *L. Et primò*, D. *Ad Senatusconsultum Velleianum.* Tuæ tamen interrogationi respondebo, siquidem & Theologum harum rerum peritum esse decet, quantùm ad consilia conscientiæ danda opus est.

Augustus & Claudius Imperatores Edictis olim sanxerunt, *Ne feminæ pro viris suis intercederent.* Postea ad Marci Silani & Vellei Tutoris consultationem Senatus edixit, ne pro ullo feminæ *intercederent.* Ratio legis est, quia *sicut moribus civilia officia adempta sunt feminis, & pleraque ipso jure non valent: ita multò magis adimendum eis fuit id officium, in quo non sola opera, nudúmque ministerium earum versaretur, sed etiam periculum rei familiaris.*

Verùm exceptionem multiplicem pati Velleianum Senatusconsultum, ita ut eo non obstante mulier, quæ pro alio intercessit, rea teneatur & obligata maneat, Jurisconsulti observant.

Primò in favorem dotis, non tantùm propriæ filiæ, pro qua mulier se obligat genero, sed generatim pro quacunque dote, etiam extraneæ. L. *Si dotare*, C. *Ad Senatusc. Velleianum*; & L. *Generaliter* eodem Titulo.

Secundò, si Velleiani Senatusconsulti privilegio mulier sciens prudens & a Magistratu vel Notario admonita in quo privilegium illud juris positum sit, deliberato consilio renuntiaverit, eo non juvatur. L. *Si mulier*, §. 4. sub eodem Digestorum Titulo. Juri enim suum in favorem condito renuntiare quilibet potest, secundùm hanc Juris regulam: *Invito beneficium non datur.*

Tertiò, si mulier pretium acceperit pro intercessione, facta est rea, & ad solvendum obligatur. L. *Antiqua*, C. sub eodem Titulo.

Quartò, si mulier sponte ac mentiendo deceperit. L. *Si mulier in jure*. D. sub eodem Titulo, & L. *Si decipiendi*, cujus hæc sont verba: *Si decipiendi animo, vel cùm sciret se non teneri, mulier pro aliquo intercesserit, exceptio ei Senatusconsulti non datur: actionem enim quæ in dolum mulieris competit, amplissimus ordo non exclusit.* Id confirmat Lex, *Et primò*, Ibidem §. 3. *Sed ita demum eis subvenit S. C. si non callidè sunt versata, hoc enim Divus Pius & Severus rescripserunt. Nam deceptis, non decipientibus opitulatur. Infirmitas enim feminarum, non calliditas auxilium meruit.* Quamobrem si vir sciente & connivente uxore, rem uxoris creditori suo quasi propriam obligaverit, rea fiet uxor, & ad solvendum obligata. Si tamen ab initio noverat creditor esse rem uxoris, petitione summoveri poterit à muliere privilegio Velleiani Senatusconsulti fultâ. L. *Si sine*, C. *Ad Velleianum Senatusc.* cujus hæc sunt verba: *Si sine voluntate tua res tua à marito pignori data sunt, non tenentur. Quòd si consensisti obligationi, sciente creditrice, auxilio Senatusconsulti uti potes. Quòd si patientiam præstitisti, ut quasi suas res maritus obligaret, decipere voluisti mutuam pecuniam dantem; & ideo tibi non succurretur Senatusconsulto, quo infirmitati, non calliditati mulierum consultum est.*

Quintò, si mulier post intercessionem vel cautionem intra biennium pro eadem causa secundò fidejubeat, vel novo pignore, vel novo sponsionis sive obligationis instrumento tradito, nullum quidem pristinæ fidejussioni, secundùm leges invalidæ, robur addit; sed si post biennium id præstiterit, rea & obligata censebitur. L. *Si mulier perfectæ ætatis*, C. *Ad Senatusc. Velleianum*, cujus hæc sunt verba: *Siquidem intra biennale juge tempus post priorem cautionem numerandum, pro eadem causa fecerit cautionem, vel pignus aut intercessorem dederit, nihil sibi præjudicare, quòd adhuc ex consequentia suæ fragilitatis in secundam jacturam inciderit. Sin autem post biennium hæc fecerit, sibi imputet, & quod sæpiùs cogitare poterat & evitare, non fecit, sed ultra firmavit: videtur enim ex hujusmodi temporis prolixitate non pro aliena obligatione se illigare, sed pro sua causa aliquid agere, & tàm ex secunda sese obnoxiam facere, in quantum hoc fecit, quàm pignus aut intercessorem utiliter dare.*

Sextò, si mulieris fidejussio in ipsius utilitatem compendiùmque vertatur, obnoxia manet solutioni. L. *Sed si eum*, D. sub eodem Titulo. Unde *si mater, cùm filiorum suorum patrimonium gereret, tutoribus eorum securitatem promiserit, & fidejussorem præstiterit, vel pignora dederit: quoniam quodammodo suum negotium gessisse videtur, Senatusconsulti auxilio neque ipsa, neque fidejussor ab ea præstitus, neque res ejus pignerata adjuvantur*, ut habetur L. *Si mater*, C. sub eodem Titulo. Simili ratione si mulier pro creditore suo alii se obligaverit, vel ab eo se vel debitorem suum delegari passa est, Velleiani Senatusconsulti auxilium non habet. L. *Frustra*, ibidem. Et L. *Si pro aliquo*, D. sub eodem Titulo: *Si pro aliquo mulier intercesserit, sed in rem ejus, quod acceptum est, versaretur, exceptio Senatusconsulti locum non habet, quia non sit pauperior. Item, si quid liberaliter fecerit, veluti ne judicatus pater ejus propter solutionem vexetur, non erit tuta Senatusconsulto. Oneribus enim earum Senatus succurrit.* Hac autem in specie nullo onere gravatur, nullum damnum patitur.

Septimo, Gallicano Jure ac moribus mulier obligatur, si pro liberando ex carcere marito fidejusserit. Et nostri quidem mores hac in specie negotii pietati congruunt. Si enim Velleiani Senatusconsulti favor cessabat olim, cùm pro manomissione servi mulier spoponderat L. *Veterum*, C. *Ad Senatusc. Velleianum*: si cessat pariter privilegium istud, cùm mulier pro dote non solùm propriæ filiæ, sed extraneæ spopondit, ob causæ pietatem: multò magis obligata manet cùm pro marito carcere liberando intercessit: siquidem in ea specie major est obligatio pietatis. Certè si minor obligatur propriorum bonorum distractione captivi patris redemptioni, L. *Si captivi*, C *De Episcopis & Clericis*: æquum est ut uxor, quæ pro viro in carcere detento satisdedit ut eum in libertatem asserat, obligata maneat, Velleiano Senatusconsulto nequicquam juvante.

Octavò, si mulier pro alio, cùm obligata non esset, pecuniam exsolverit, nullus est repetitioni locus, ut sancitum est L. *Mulieribus*, C. *Ad Senatusc. Velleianum*.

Ista de Quæstione si plura cupis, Jurisperitos adi, me interim existimes velim ex animo tuum.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LIX.

An filius-familiâs, vel ejus pater, aut heredes, aut fidejussor, pecuniam mutuo ab ipso acceptam, dum esset sub paterna potestate, restituere teneantur?

CLARISSIMO VIRO ***

PAROCHO ***

De filio familiâs proposuisti Quæstionem, an ille, vel ejus pater, aut heredes, aut fidejussor, pecuniam mutuò acceptam, dum existeret sub paterna potestate, restituere creditori teneantur.

Respondeo, Non semper teneri: quia Senatusconsulto Macedoniano sancitum est, ne ulla ex mutuo filiis-familiâs sub patria potestate aut cura tutoris existentibus dato obligatio contraheretur, R. 1. D. *De Senatusconsulto Macedoniano*. Nulla igitur actio creditori hac in specie permittitur, nisi filius familiâs castrense peculium habeat. Tunc enim usque ad quantitatem castrensis peculii ex mutuo accepto obligatur: *Cùm filii-familiâs in castrensi peculio vice patrum-familiarum fungantur*, ut ait Jurisconsultus.

Senatusconsultum Macedonianum dictum est à feneratore quodam Macedone, cujus occasione editum fuit, qui mutuum filiis familiâs pecuniam numerabat cum magno fœnore post mortem patris reddendam.

2. Si patris mandato aut permissu creditor filio mutuam pecuniam numeraverit, Macedoniano Senatusconsulto se tueri non potest quò minùs solvat; ut sancitum est L. *Si permittente*, C. *Ad Senatusconsultum Macedonianum*.

3. Nec etiam filium familiâs ea lex juvabit, si mutuum illi datum fuerit mercaturam exercenti patris nomine vel suo, si pater illum commercio suo præposuit, aut peculiare commercium exercere passus est: *Quoniam patris voluntate contractum videretur. Nam si scit eum negotiari, etiam hoc permisisse videtur, si non nominatim prohibuit mercet accipere.*

4. Item si acceperit pecuniam, & in rem patris vertit, quamvis ab initio non eo consilio acceperit, Macedonianum Senatusconsultum ipsi non suffragatur. *Patri enim, non sibi accipit.* Quamobrem ad restitutionem sive solutionem tenetur

pater, ipsque filius, cùm in paterna bona successerit, aut emancipatus fuerit, si pater non solvat; & heredes. Id colligitur ex L. *Item si filius-familiâs*, D. *Ad Senatusc. Macedon.*

5. Exceptio Macedoniani Senatusconsulti admittitur in mutuo dumtaxat pecuniario, non verò in rerum aliarum mutuo, frumenti, vini, olei, pannorum. Quamobrem pater, vel filius, cùm emancipatus fuerit, vel heredes, illarum pretium solvere tenentur; *Nisi fraus Senatusconsulto adhibita sit à creditore, putà frumento, vel vino, vel oleo mutuo dato, ut his distractis fructibus, uteretur pecuniâ.* Tunc enim subveniendum esse filio-familiâs Jurisconsultus docet, eadem Lege, §. 3. *Mutui dationem.*

6. Nec etiam patri aut filio-familiâs Senatusconsultum Macedonianum suffragatur, quo minùs teneatur solvere quod ipsi filio, præsertim longè agenti à patre, & in necessitate constituto mutuo datum est, quod ipse pater subministrare solebat, vel tenebatur, ut respondet Ulpianus eâdem lege; §. 13. *Quod dicitur, in eo qui studiorum causâ absens mutuum acceperat, cessare Senatusconsultum, ita locum habet, si probabilem modum in mutuo non excessit: certè eam quantitatem, quam pater solebat subministrare.* Et L. *Macedoniani*, sub eodem Digestorum Titulo: *Macedoniani Senatusconsulti auctoritas petitionem ejus pecuniæ non impedit, quæ filio-familias studiorum, vel legationis causâ alibi degenti, ad necessarios sumptus, quos patris pietas non recusaret, credita est.*

7. Non summoveretur ab actione in filium-familiâs, aut in ejus patrem vel heredes creditor, qui patrem familiâs-illum esse credidit, qui revera sub patris erat potestate; si id crediderit *non vanâ simplicitate deceptus, nec juris ignorantiâ, sed quia publicè pater-familiâs plerisque videbatur, sic contrahebat, sic muneribus fungebatur*, ut habetur L. *Si quis*, 3. *ad Senatusc. Macedon.* Item L. *Si filius*, C. sub eodem Titulo: *Si filius-familiâs, cùm in potestate patris esset, mutuam à te pecuniam accepit, cùm se patrem-familiâs diceret, ejusque affirmationi credidisse te justâ ratione edocere potes: exceptio ei denegabitur.*

8. Denique si illi qui juvari poterant Macedoniano Senatusconsulto, sponte solverint sive filius, sive pater, sive heres, sive fidejussor, non eis licebit solutum repetere. L. *Sed si pater-familiâs*, D. §. 4. *Hi demum solutum non repetunt, qui ob pœnam creditorum actione liberantur, quoniam exonerare eos lex voluit. Quamquam autem solvendo non repetant, quia naturalis obligatio manet*, &c. Et L. *Si non sortem*, D. *De conditione indebiti*, §. 9. *Filius-familiâs contra Macedonianum mutuatus si solverit, & patri suo heres effectus, velit vindicare nummos, exceptione summovebitur à vindicatione nummorum.* Et L. *Qui exceptionem*, 40. sub eodem Tit. Digest. *Qui exceptionem perpetuam habet, solutum per errorem repetere non potest. Sed hoc non est perpetuum. Nam si quidem ejus causâ exceptio datur cum quo agitur, solutum repetere potest; ut accidit in Senatusconsulto de intercessionibus. Ubi verò in odium ejus cui debetur, exceptio datur, perperam solutum non repetitur; veluti si filius-familiâs contra Macedonianum mutuam pecuniam acceperit, & pater familiâs factus solverit, non repetit.*

9. Idem esto judicium, si filius-familiâs post emancipationem fidem suam obligaverit de solvendâ pecuniâ mutuo acceptâ cùm minor esset, vel alio quovis modo debitum agnoverit, ut habetur L. *Zenodorus*, C. *Ad Senatusc. Macedon.* cujus hæc sont verba: *Zenodorus si, cùm sui juris esse publicè videretur, aut patris voluntate contraxit, aut in eam rem pecuniam accepit, quæ oneribus incumberet, vel sua potestatis constitutus novatione factâ fidem suam obligavit, vel aliàs agnovit debitum, non esse locum Decreto amplissimi Ordinis, rationis est.* In ea igitur specie ad solvendum tenetur tum jure naturali, tum civili.

10. Idem censendum si filius-familiâs miles sit, quamvis minor, ut habetur L. *Si filius-familiâs*, sub eodem Tit. Cod. *Sin autem Miles filius-familiâs pecuniam creditam acceperit, sive sine mandato, sive consensu vel voluntate vel ratihabitione patris, stare oportet contractum: nullâ differentiâ introducendâ ob quam causam pecunia credita, vel ubi consumpta sint. In pluribus enim juris articulis filii-familiâs milites non absimiles videntur hominibus qui sui juris sunt: & ex præsumptione omnis miles non creditur in aliud quicquam pecuniam accipere & expendere, nisi in causas castrenses.*

11. Ut uno verbo absolvam, si bonâ fide mutuum dederit creditor filio familiâs sub patris potestate constituto, tenentur pater vel filius emancipatus, aut heres, solvere debitum, cujus obligatio naturali jure contracta est. Si verò bona fides defuerit creditori, ad solvendam aut restituendam pecuniam minori mutuo datam non tenentur; quia lex in pœnam creditorum condita nullam ex hujusmodi mutuo contrahi obligationem voluit, ut parentibus, familiis, communique bono consuleret. Vale, meique ad sanctum Altare memineris.

Lutetia Parisiorum.

EPISTOLA LX.

Explicatur qua ratione bona aut mala fidei possessor ad restitutionem fructuum teneatur.

RELIGIOSO VIRO ***

Rogasti nuper ut breviter explicarem qua ratione alienæ rei possessor malæ aut bonæ fidei, ad restitutionem fructuum tenentur. Annuo lubenter votis tuis: quamquam id à me postulare opus non fuerit, quod præstare ipse facillimè possis.

1. Malæ fidei possessor dupliciter dicitur: 1. verè 2. juris præsumptione. Malæ fidei possessor is verè dicitur, qui rem possidet quam certò scit esse alienam, vel scire debuit. Malæ fidei possessor juris præsumptione dicitur, cum quo super re seu dominio rei lis fuit contestata. Hac distinctione positâ.

2. Respondeo, Malæ fidei possessorem, cùm rem ipsam, tum fructus omnes, etiam industriæ, sive perceptos, sive percipiendos, sive extantes, sive consumptos restituere teneri, ut constat ex L. *Fructus*, & L. *Si navis*, Digest. vi. Tit. *De rei vindicatione*, & L. *Domum*, C. sub eodem Titulo, cujus hæc sunt verba: *Domum quam ex matris successione ad te pertinere, & ab adversa parte injuriâ occupatam esse ostendis; Præses Provinciæ cum pensionibus quas percepit aut percipere poterat, & omni causa damni dati restitui jubebit. Ejus autem quod impendit, rationem haberi non posse, meritò receptum est; cùm malæ fidei possessores ejus quod in rem alienam impendunt, non eorum negotium gerentes quorum res est, nullam habeant repetitionem, nisi necessarios sumptus fecerint. Sin autem utiles, licentia eis permittitur sine læsione prioris status rei, eos auferre.* Si tamen malæ fidei possessor cum titulo, non per vim pos-

sederit, tenetur dumtaxat ad restitutionem fructuum perceptorum, non percipiendorum, nisi titulus sit à jure reprobatus. Hæc Jurisperitorum communis sententia.

3. Bonæ autem fidei possessor fructus consumptos restituere non tenetur, nisi quatenus ex illis factus est locupletior, ut constat ex L. *Si rem & pretium*, L. *Virum autem*, L. *Sed etsi lege*, IV. Digest. *De hereditatis petitione*; & L. *Item veniunt*, §. *Præter hæc*, ibidem: *Eos autem qui justas causas habuissent, quare bona ad se pertinere existimassent, usque eò dumtaxat quo locupletiores ea de re facti essent*, condemnandos. Locupletior autem quis factus dicitur, quando occasione rei sic consumptæ patrimonium ejus aliquo modo auctum est, cùm, verbi gratiâ, sumptus non fecit quos ex suo patrimonio facturus fuisset, vel aliquid illius rei occasione lucratus est: secus si propterea paulò lautiùs aut splendidiùs vixit quàm aliàs victurus esset. (L. *Sed etsi lege*, §. *Quod autem quis*, Lib. V Digest. Tit. *De hereditatis petitione*; & L. *Idem servandum*, D. *De legatis & fidei-commissis* 2.) *Non enim absumitur* (inquit) *quod in corpore patrimonii retinetur.*

4. Bonæ fidei possessor tenetur ad restitutionem fructuum à die contestationis litis, quia tunc malæ fidei possessor esse cœpit, ideòque fructus suos non fecit: sed qui ab initio malam fidem habuit, restituere tenetur fructus perceptos à die occupationis sive intrusionis, ut colligitur ex Canone *Si virgo*, Causâ XXXIV. Quæst. I. & II. *Tamdiu quisque bonæ fidei possessor dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienam. Cùm verò sciverit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei possessor perhibetur.* Et L. *Certum*, C. *De rei vindicatione*, dicitur: *Certum est, malæ fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re præstare: bonæ fidei verò, extantes; post autem litis contestationem, universos.* Et L. *Sed etsi lege*, §. *Si ante litem contestatam*, Digest. V. Tit. *De petitione hereditatis*, dicitur: *Post litem contestatam, omnes incipiunt malæ fidei possessores esse: quin immo post controversiam motam. Quamquam enim litis contestatæ mentio fiat in Senatusconsulto, tamen & post motam controversiam omnes possessores pares fiunt, & quasi prædones tenentur. Et hoc jure hodie utimur. Cœpit enim scire rem ad se non pertinentem possidere is qui interpellatur.*

Et L. *Nemo ambigit*, D. *De acquirenda possessione*, sic habetur: *Interpellatione verò & controversiâ progressâ, non posse eum intelligi possessorem, qui licèt possessionem corpore teneat, tamen ex interposita contestatione, & causâ in judicium deductâ, super jure possessionis vacillet ac dubitet.*

Et L. *Litigator*, C. *De fructibus & litium expensis*, dicitur: *Litigator victus, qui post conventionem rei incumbit alienæ, non in sola rei redhibitione teneatur; nec tantum fructuum præstationem eorum, quos ipse percepit, agnoscat, sed etiam eos quos percipere potuisset, non quos eum redegisse constat, exsolvat, ex eo tempore, ex quo re in judicium deductâ, scientiam malæ fidei possessionis accepit.*

5. Rogas, quid de illo censendum, qui à principio malæ fidei fuit, postea verò bonæ fidei possessor factus est?

Respondeo: Aut supervenit bona fides cum personarum mutatione, aut sine mutatione personarum. In prima specie, aut personæ hujusmodi in universum jus succedunt, & personam cui succedunt repræsentant, prout contingit quando defunctus fuit possessor malæ fidei, & ei successit heres qui rei alienæ scientiam non habuit, sed credidit defunctum fuisse legitimum Dominum: & tunc bona fides non prodest heredi ad fructuum acquisitionem. Cùm enim succedat in jus omne defuncti, ejusque personam in omnibus repræsentet, consequens est ut in vitium quoque & malam fidem illius succedat, quæ propterea ipsi etiam heredi nocet. Unde Lex *Litigator*, C. *De fructibus & litis expensis*, ubi statuit possessorem, post contestationem litis teneri ad restitutionem fructuum perceptorum & percipiendorum, subdit: *Heredis quoque succedentis in vitium par habenda fortuna est.* Et L. *Cùm heres*, Digest. 44. *De diversis temporalibus præscriptionibus*, Papinianus ait: *Cùm heres in jus omne defuncti succedit, ignoratione suâ defuncti vitia non excludit...... Neque enim rectè defenditur, cùm exordium rei bonæ fidei ratio non tueatur.* Si verò personæ quæ in jus alterius succedunt, non repræsentant in omnibus personam à qua jus habuerunt, nec ab ea causam habent universalem, sed singularem (ut Jurisperiti loquuntur) ut si quis a malæ fidei possessore emerit aut dono acceperit non bonâ fide: tunc bona fides in successore superveniens prodest ipsi ad fructuum acquisitionem, nullâ habitâ ratione personæ a qua causam habuit, quia in illius vitium non succedit, ut colligitur ex L. *Si ego*, §. *Partus*, Digest. VI. Tit. *De Publiciana in rem actione.*

In secunda specie, quando scilicet bona fides supervenit sine mutatione personarum; aut supervenit ex justa & legitima causa existimandi se bonæ fidei possessorem, & tunc possessor fructus suos facit, justéque retinere potest à tempore quo bonâ fide possidere cœpit, aut nulla supervenit justa causa, sed possessor solâ cogitatione aut cupiditate rectum judicium obnubilante, sibi visus est esse bonæ fidei: & tunc possessor non facit fructus suos, nec rem ipsam meliori jure possidet quàm antea; quia sine justa & legitima causa superveniente nemo potest sibi mutare causam possessionis, ut habetur L. *Non solùm*, D. *De usurpationibus & usucapionibus*.

Aliud impræsentiarum non occurrit quod ad te de isto argumento scribam. Hoc responso utere, & vale, mei tuis in Sacrificiis memor.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LXI.

Quâ prudentiâ gerere se debeat Prælatus Regularis in Reformatione Monasteriorum sibi subditorum?

RELIGIOSISSIMO VIRO

ABBATI***

TUum de Regularis Disciplinæ instauratione in Cœnobiis curæ tuæ ac regimini subditis consilium non solùm probo, sed laudo vehementer, Deóque gratias ago, qui hanc tibi voluntatem dedit: ipsum precor ut det tibi sancti operis exequendi & perficiendi facilitatem.

Prælatum arctioris, ut par est, Disciplinæ studiosum, in eâ subditis imponendâ, singulari prudentiâ, mansuetudine & patientiâ uti debere, Tibi perspectum & exploratum est. Hanc Regulam tradebat S. Bernardus Simoni Abbati S. Nicolai de Salru in Diœcesi Laudunensi, Epistolâ LXXXIII. *Omnes*, inquit, *qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur: ita ut cùm eis nunquam desit piè velle, non semper tamen adsit & perficere*

pra

pro bona voluntate. Sicut enim impiorum est piis A
bonorum propositis assiduè reluctari, sic contra pietatem non est, propter multitudinem adversantium, quamvis justa & sancta desideria paucorum plerumque non perfici. Exod. 32. *Sic Aaron sceleratis tumultuantis populi contra voluntatem suam clamoribus cessit.* 1. Reg. 10. *Sic Samuel eidem populo inordinatè Regem petenti invitus Saulem inunxit.* 2. Reg. 7. *Sic David, cùm vellet construere Templum, propter insistantium tamen bella inimicorum, quia vir bellicosus erat, prohibitus est facere quod sanctè proposuit. Simili formâ Tibi, Pater Venerande, consulimus, ut tamen sapientiorum consilio non præjudicemus, quatenus ad tempus propositi tui,* B
tibique consentientium rigorem sic temperes, ut infirmorum salutem non negligas. Invitandi quippe sunt ad arctiorem vitam, non cogendi, quibus utique semel in Ordine illo Cluniacensi præesse consensisti. Illis autem qui arctiùs vivere desiderant, aut condescendere imbecillioribus ex caritate (quantùm sine peccato possunt) suadendum est; aut ibidem tenere quod cupiunt permittendum, si absque utrarùmque partium scandalo fieri potest; aut certè de Congregatione liberos dimitti, Fratribúsque aliis secundum eorum propositum viventibus sociari oportet.

Idem confirmat Concilium Rotomagense anno C
MOLXXXI. Tit. *De Monasteriis* Cap. XI. *In his* (inquit) *exequendis & reformandis prudentiâ & mansuetudine opus est, ne frangamus potiùs quàm corrigamus quæ in pravum longa consuetudine induruerunt.*

Eadem est Venerabilis Gersonii, Ecclesiæ & Academiæ Parisiensis Cancellarii sententia, Libro *De vita spirituali Animæ*, Lectione VI. *Esus carnium* (inquit) *& usus pelliciorum, & aliorum hujusmodi, quibus Regularis Institutionis superficies adversari videtur, eidem consonat in casu caritatis & necessitatis. Unde S. Bernardus in libello* D
» *de Præcepto & Dispensatione ait : quòd* Ubique
» regulariter vivitur, ubi consuetudines laudabiles
» pro tempore & loco observantur. *Ex his concludendum, quòd aliquando Monachus abstinens à carnibus, dum scrupulosus observator Regulæ videri vult, erit ejusdem violator, & hoc sitanquam singularis ferus turpet alios, & quasi reos sua abstinentia putativâ sanctitate condemnet, quos magistra caritas, aut caritatis comes necessitas, aut consuetudo laudabilis per Superiores tolerata vel imposita excusat, absolvitque. Sed heu! rarus valde casus talis. Utinam crebrior non esset transgressio per excessum, quàm* E
per diminutum! Propterea non diximus ea quæ diximus ad laxandum fræna luxuriæ, gulæ, & inobedientiæ; non ad dissolvendum rigorem Regularis Disciplinæ; non ad habendum velamen malitiæ libertatem: sursum à nobis hoc sacrilegium: sed quod interim quærimus investigare quousque & quantùm obligatio regularis extenditur, ne vitare cupientes Scyllam nimiæ laxationis, præcipitemus nos & alios in charybdim falsæ & austeræ obligationis: quoniam Displicet Deo infidelis & stulta promissio; infidelis, si non impletur; Eccl. 5. 3. *stulta, si discretione non fulcitur.*

Cùm itaque prudentiâ & mansuetudine singulari F
præditus sis, VIR RELIGIOSISSIME, nullus dubito quin susceptum Monasticæ Reformationis opus feliciter exequaris. Vale, méque tuis sanctis Sacrificiis, & Religiosæ Congregationis orationibus habeto commendatum.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LXII.

Episcopus non potest jubere ut Novitia, quæ in Monasterio illius jurisdictioni subdito secretis suffragiis à majori parte Capituli rejecta est, ad Professionem admittatur.

ILLUSTISSIMO PRÆSULI***

SEntentiam jubes ut dicam de Quæstione quam proponit Amplitudo tua: morem Illi gero. In Monasterio (inquis) tuo regimini subdito Virgo nobilis ad habitum regularem ad tuam commendationem recepta est. Labente probationis anno, quem accuratè ac religiosè peragebat, Monialibus plerisque displicuit, quarum voluntas sic à Novitia abalienata est, ut quamvis ipsam ad Professionem admitti velles ac juberes, re tamen in Capitulo Sororum propositâ, in quo duodecim vocales erant, sex suffragiis rejecta sit. Abbatissa & Sanctimoniales quinque coram Amplitudine tua protestantur à se receptam, dignámque ex probatione judicatam quæ ad Professionem admittatur. Consilio tuo rem proposuisti: à pluribus in eam sententiam itum est, Te jubere posse ut nobilis Virginis vota recipiantur ab Abbatissa: eique Professionis velum imponatur: si verò Abbatissa renuat, Amplitudinem tuam ipsius vota recipere posse, negligentiam ejus supplendo, ut colligere sibi videntur ex Cap. *Sicut*, Extra, *De supplenda negligentia Prælatorum.* Nec veritatem tibi vis dissimulari, P. I. nec ego dissimulare possum. Ob hoc enim Doctores sumus, ut citra fucum adulationis veritatem dicamus ac propugnemus.

Nulla in eâ specie negligentia esse videtur Abbatissæ & Conventûs, quam supplere possit Amplitudo tua Religiosissima. Monialium receptio, etiam in Monasteriis non exemptis, jure communi spectat ad Abbatissam & Conventum, ut colligitur ex Cap. *Si ad solum*, Tit. *De Regularibus*, in Sexto: & si major pars Capituli Postulantem aut Novitiam rejiciat, Abbatissa non potest illam recipere ad habitum vel ad Professionem: quia *Omni appellatione remotâ prævalere semper & suum consequi debet effectum, quod à majori & saniori parte Capituli fuerit constitutum*, ut decernit Innocentius III. Cap. *Cùm in cunctis*, Extra, *De his quæ fiunt à majori parte Capituli.* Jubere igitur non potest Amplitudo tua ut Abbatissa nobilis Novitiæ vota recipiat, nec eâ renuente recipere potes, cùm auctoritas Episcoporum præscriptis à Jure Canonico finibus circumscribatur: & sacra Synodus Tridentina decreverit ut *Omnia & singula quæ ante Professionem, vel in ipsa Professione fieri oportet, serventur non solùm in Monasteriis subjectis Episcopo, sed & in aliis quibuscumque.* Sess. 25. de Regular. & Monial.
Unum autem ex iis quæ ante Professionem fieri oportet, est receptio Novitiæ, post annum probationis, à majori parte Capituli, per suffragia secreta. In ipsa autem Professione vota solemni ritu recipiuntur ab Abbatissâ, sive Præfectâ Monasterii. Hac in re nihil immutare potest Episcopus, nisi aliquo privilegio vel præscriptâ consuetudine munitus: nec præcipere potest Monialibus ut certam personam recipiant, cùm electio debeat esse libera, ut constat ex Cap. *Cùm terra*, Extra, *De Electione.* Hæc pro summa prudentia tua & æquitate cùm expenderis, nullus dubito quin istud negotium urgere desinas, Monialésque suæ relin-

quas libertati. Vale, méque tuæ Amplitudinis observantissimum dilige.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LXIII.

Solutio casuum quorumdam circa Juramentum & Perjurium, ac Restrictiones Mentales.

PIISSIMO SACERDOTI. D.....N.

TUis de Juramento interrogationibus strictim respondeo, Juramentum omne quo mendacinm officiosum vel jocosum confirmatur, perjurium esse, adeóque lethale peccatum, cujus malitiam nec metus mortis excusat. Unde Canone Si quis, Causa xxii. Quæst. 9. dicitur : *Si quis coactus pro vita redimenda, vel pro qualibet causa vel necessitate perjurat; quia plus corpus quàm animam dilexit, tres Quadragesimas pœniteat.* Atrocissima sanè divinæ Veritati fit injuria, cùm Deus mendacii testis appellatur. Nulla autem restrictio mentalis vel subauditio prohibet quin verba mendacia sint, quæ significant contrarium ejus quod mente geritur, cum intentione fallendi; non impediunt quin juramentum ad eorum confirmationem adhibitum sit perjurium, adeòque peccatum lethale. Juramentum enim in foro animæ intelligendum est secundùm intentionem ejus cui juratur, si dolus interveniat ex parte jurantis. Unde Canon *Quacumque arte*, ex S. Isidori Hispalensis verbis conflatus Causâ & Quæstione laudatis : *Quacumque*, inquit, *arte verborum quisque juret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit, quia & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit.* Plura eo de argomento ut congeram non est opus, de quo legere potes Theologiam nostram Dogmaticam & Moralem Lib. 4. Cap. 4. Art. 3. Regulâ xi. Atque ex his principiis facilè intelliges Quæstionum à te propositarum solutionem, scilicet :

1. Hominem de re quapiam interrogatum, quam sub arcani fide accepit sive didicit, non posse absque mortali peccato jurare se nescire, subaudiendo intra se, Nescio ut revelem. Sed tamen mors potiùs oppetenda est, quàm sacrum reveletur arcanum, aut secretum Regis vel Reipublicæ, vel cujusvis privati in grave ejus damnum, cùm absque publicæ rei detrimento, fides privato data servari potest. Si quis casus contingat ex quo se difficilè extricare possit ille cui Reipublicæ vel Regis, seu Principis ac Domini sui arcanum commissum est, nisi aut juret se rem nescire de qua interrogatur & jurare compellitur, aut mortem subeat; nec arcanum Principis revelare, nec jurare cum restrictione mentali & verbis æquivocis potest, quamvis morte sit afficiendus. In his igitur angustiis dicendum; *Nec prodam, nec mentiar.* Imitanda Firmi Thagastensis in Africa Ecclesiæ quondam Episcopi constantia, quam S. Augustinus Lib. De Mendacio, Cap. xiii. commen- » dat. Cùm ab eo quæreretur homo jussu Impera- » toris per apparitores ab eo missos, quem ad se » confugientem diligentiâ quantâ poterat occulta- » bat : respondit quærentibus, nec mentiri se posse, » nec hominem prodere, passúsque tam multa tor- » menta corporis (nondum enim erant Imperato- » res Christiani) permansit in sententia. Deinde » ad Imperatorem ductus, usque adeo mirabilis ap- » patuit, ut ipsi homini quem servabat, indulgen- » tiam sine ulla difficultate impetraret. »

2. Illum, cui per injuriam extorquetur jurata promissio de solvenda pecuniæ summa, jurare non posse absque peccato mortali, se soluturum (quamvis non solvendi propositum habeat) subaudiendo hanc conditionem in mente retentam, Si debuero.

3. Eum qui cogitur aliquam ducere uxorem, quam tutâ conscientiâ ducere non potest, jurare non posse sine mortali peccato, se illam accepturum, intelligendo intra se, Si tutâ conscientiâ possim : vel cùm eam ducere licet : jurare non posse illam se ducturum, intelligendo, si mihi placuerit.

4. Mulierem excommunicatam eò quòd viro non cohabitet propter occultum impedimentum dirimens, sine peccati mortalis labe jurare non posse illi se cohabitaturam, subaudiendo in mente, Si id mihi licebit.

5. Uxorem interrogatam à viro de adulterio, cujus in suspicionem venit, non posse absque lethali peccato jurare, se non commisisse, subaudiendo tacitè, Tali die, vel tali loco.

6. Rogatum ab amico, ut det ei mutuo pecuniam, non posse absque lethalis peccati reatu jurare, se non habere, quamvis reverà habeat, subintelligendo, Se non habere ut det mutuo.

7. Clericum interrogatum ab Exactoribus vectigalium, an deferat merces aliquas, sine peccato mortali jurare non posse, nihil se deferre, (si revera deferat) addendo intra se, Ex quo debeatur vectigal.

8. Reum à judice non legitimè interrogatum de crimine quod reverà commisit, jurare non posse absque peccato mortali, se illud non commisisse, subintelligendo, Eo modo quo judex interrogat, vel, ut illi judicio subest. Non posse pariter testem, qui contra juris ordinem interrogatur de aliquo delicto, jurare se nescire, intelligendo, Ut tibi revelare tenear, quamvis reverà sciat. Qui occidit hominem ad necessariam sui defensionem, vel ex errore & ignorantia, putans esse feram; aut qui rem alienam surripuit in debiti compensationem, his de factis in judicio interrogatum, negare non posse sine peccato mortali, subintelligendo, Se criminosè non fecisse. Quamvis enim recentiores quosdam Casuistas laudes, qui juramenta his reticentiis seu restrictionibus mentalibus, & amphibologiis à perjurio ac lethali crimine excusari docent, præ illis colenda & diligenda summa Veritas est, nec audiendi qui divinam illius lucem opinionum suarum tenebris obnubilare nituntur : quibus conveniunt illa S. Augustini verba Lib. contra Mendacium, Cap. xviii. *Et sunt in eis docti, qui etiam regulas figant, finésque constituant, quando debeat, quando non debeat pejerari. O ubi estis fontes lacrymarum? Et quid faciemus? Quò ibimus? Ubi nos occultabimus ab ira Veritatis, si non solùm negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria?*

Quod spectat Nobilium, præsertim mulierum, consuetudinem, quæ famulis præcipiunt ut respondeant ipsas adeuntibus ex officio vel urbanitate, vel honestâ quâpiam ex causâ, illas domo exivisse, subintelligendo quòd manè vel hesternâ die exiverint, quamvis domi revera sint cùm postulantur : vel illas esse in civitate, quia ædes illarum reverâ in civitate sunt : respondere aliud non possum, nisi pravam illam consuetudinem omnino improbandam esse ac damnandam, cùm mentiri nunquam liceat, nec proximum æquivocationibus fallere, etiamsi ad mortem alicujus impe-

diendam necessaria videatur æquivocatio aliqua vel restrictio mentalis, ut S. Augustinus docet Lib. contra Mendacium, cap. XVIII. *Unus enim homo ex honestate debet alteri veritatis manifestationem.* Ideóque veritas est virtus annexa justitiæ. Et *quia homo est animal sociale, naturaliter debet alteri id sine quo societas servari non posset. Non autem possent homines ad invicem convivere, nisi sibi invicem crederent, tanquam sibi invicem veritatem manifestantibus* (inquit S. Thomas Secunda Secundæ, Quæstione CIX. Art. III.) Nobiles mulieres, quæ pietatem profitentur, & ad sacram Eucharistiam frequenter accedunt, ac nihilominus cogunt domesticos, ut his vel similibus occasionibus mentiantur, à frequenti Communione prohibendas censeo à Sacerdotibus qui earum conscientias moderantur, nisi pravæ illius consuetudinis vitium, quo tenentur, emendare voluerint ac studuerint. Tot enim mendaciorum auctores sunt & consciæ, quot à suis domesticis proferuntur. Sed, (inquiunt) adversa quandoque valetudo, interdum negotia & occupationes seriæ, justa impedimenta sunt recipiendi personas quæ nos adeunt honestæ salutationis seu colloquii, recreationisve causâ, aut ob negotia minùs urgentia, interdum ob importunas petitiones. Inanis hæc excusatio est. Si enim revera sunt impeditæ, aut non rectè valeant, id significari curent adeuntibus. Si non sint legitimè impeditæ, visitationes quæ sunt oneri ac fastidio potiùs admittant, quàm mentiantur, aut famulis mendacium imperent. Honestatis & societatis *morale debitum* est ut veritas proximo dicatur, (inquit S. Thomas.) Renuntiant igitur aliquo modo honestati & societati, qui æquivocationum artem exercent, vel docent ac propugnant. Hanc Moralis Christianæ Regulam si difficilem in praxi dixerint, falluntur; non enim difficilis est Veritatem, quæ Deus est, diligentibus: immò difficilius est mentiri quam dicere simpliciter veritatem, S. Gregorio teste, P. III. Pastoralis, cap. XII. *Nil autem est ad defendendum puritate tutius, nil ad dicendum veritate facilius. Nam dum fallaciam suam tueri conantur, duro labore fatigantur. Hinc*

Psalm. 139.
» *namque scriptum est:* Labor labiorum ipsorum » operiet eos. *Qui enim nunc implet, tunc operiet: quia cujus nunc animum per blandam inquietudinem exerit, tunc per asperam retributionem pre-* » *mit. Hinc per Jeremiam dicitur:* Docuerunt lin-

Jeremiæ 9.
» guam suam loqui mendacium; ut iniquè agerent, » laboraverunt: *ac si apertè diceretur; Qui amici esse veritatis sine labore poterant, ut peccent laborant: cùmque vivere simpliciter renuunt, laboribus exigunt ut moriantur. Nam plerumque in culpa deprehensi, dum quales sint cognosci refugiunt, sese sub fallaciæ velamen abscondunt.* Gregorio Magno hac in assertione præiverat S. Augustinus Enarratione in Psalmum 139. *Laborant homines* (inquit) *loqui mendacium, nam veritatem totâ facilitate loquerentur. Ille enim laborat, qui fingit quod dicit. Nam qui verum vult dicere, non laborat. Ipsa enim veritas sine labore loquitur. De homine ergo hoc dixit Deo: Me proteget umbraculum tuum, ipsos teget mendacium ipsorum. Sed ipsum mendacium ipsorum, labor est labiorum*

Psalm. 7. 15.
» *ipsorum.* Ecce parturivit injustitiam, concepit do- » lorem, & peperit iniquitatem. *In omni enim opere malo labor est, & omne opus malum cogitatum mendacium ducem habet; non enim est veritas nisi in opere bono. Et propterea qui omnes laborant in*

Matth. 11. 28.
» *mendacio, Veritas quid clamavit?* Venite ad me » omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego refi- » ciam vos. *Ipsa est vox clamans ad laborantes, in*

Psal. 4. 3.
» *alio Psalmo:* Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis » mendacium? *Aperte autem alio loco labor est in » mendacio: DOCUERUNT linguas suas loqui men-* (Jerem. 9. 5.) *dacium, ut iniquè agerent laboraverunt.* Vale, meque Salvatori nostro, qui via, veritas, & vita est, in vero Sacrificio Corporis & Sanguinis ejus ad sanctum Altare commenda.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LXIV.

Qui Professionem expressam emisit, quæ revera nulla fuit, quamvis ipse legitimam crederet, & exinde habitum Religiosum per annum integrum gestavit, actibúsque Professorum propriis se ingessit, tacitæ Professionis vinculo coram Deo obstrictus est.

RELIGIOSO VIRO *** ORDINIS

C........ PRIORI.

CONscientiæ Casum his expositum verbis litteræ ad me tuæ humanitatis plenæ includebant: Frater Nicolaus Clericus Cœnobii N. in quo Religionis habitum susceperat anno 1683. die primâ Martii, & Professionem emiserat anno sequenti bissextili 1684. die 29. Februarii, post menses aliquot votorum pœnitens, sæpiùs in has voces coram Sodalibus erupit: Si Professionem in isto Ordine non emisissem, nunquam illam emitterem. Perseveravit nihilominus in Cœnobio per annum integrum Monasticâ cucullâ indutus, actibúsque Monachorum Professorum propriis ultro se ingerens. Accidit ut post Pascha anni 1685. ad Abbatiam N. studiorum causâ se conferret, ac iter agens cum Jurisperito quodam de die & anno quo habitum Religiosum acceperat & professionem emiserat, fortè collocutus, ab eo disceret professionem suam nullam esse, quippe qui anno probationis non completo vota sua nuncupasset contra dispositionem sacrorum Canonum, & Decretum Concilii Tridentini Sessione XXV. *De Regularibus*, cap. XV. Qua de re certior factus, declaravit Abbati *** se non esse professum, ob eam, quam mox dixi, rationem, ideóque velle se dimittere habitum, & ad seculum reverti. Respondit Abbas, Rem esse supremi momenti, in qua de salutis æternæ periculo ageretur: ne quid ageret præcipiti animi motu, Theologorum ac Jurisperitorum consilium maturius exquireret; cogitaret se tacitâ saltem Professione Ordini C. obstrictum, ex quo per annum integrum regularem habitum gestaverat absque protestatione, & exinde professorum actibus se lubens ingesserat. Reposuit ille: & protestatum fuisse ac reclamasse non semel; siquidem coram Sodalibus sæpiùs se dixisse probat: *Si professionem in isto Ordine non emisissem, illam nunquam emitterem.* Meam porro de hac difficultate sententiam rogas.

I. Professionem expressam Fratris Nicolai nullam fuisse censeo, utpote factam contra Tridentini Concilii Decretum, cujus hæc sunt verba: *In quacunque Religione tam virorum quàm mulierum, professio non fiat ante decimum-sextum annum expletum; nec qui minori tempore quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullámque inducat obligationem ad alicujus Regulæ vel Religionis vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscunque effectus.* Annus certè bissextilis ex additione diei non dici-

tur majus temporis spatium quàm anni, etiam ad effectum de quo agitur, ut colligitur ex L. *Cùm bissextum*, D. *De verborum significatione*, cujus hæc sunt verba: *Cùm bissextum Kalendis est, nihil refert utrum priore an posteriore die quis natus sit, & deinceps sextum Kalendas ejus natalis dies est: nam id biduum pro uno die habetur.* Cùm igitur habitum Religiosum Nicolaus suscepisset, annúmque probationis inchoasset die prima Martii anni 1683. anous probationis completus oon erat ante Kalendas Martias anni 1684. quamvis bissextilis annus esset, adeóque Februarius mensis uno die major. Expressam igitur professionem emisit, cùm minori tempore quàm per annum post susceptum habitum in probatione stetisset: quamobrem nulla est ejus Professio.

II. Censeo nihilominus F. Nicolaum Ordini C. tacitæ professionis vinculo adstrictum esse: siquidem post Professionem expressam, quæ reverà nulla erat, quamvis ipse legitimam crederet, per annum integrum habitum religiosum gestavit, actibúsque professorum propriis se ingessit. In hanc Sententiam respondet Innocentius Quartus cap. *Is qui*, Tit. *De Regularibus*, in Sexto: *Quòd si per totum sequentem annum in Monasterio permanserit, ubi Novitiorum & Professorum sunt habitus indistincti, professionem in hoc fecisse, vel si quam priùs fecerat, ratam habuisse videtur.*

III. Censeo denique F. Nicolaum his verbis, in quæ sæpius coram Sodalibus se erupisse probat, non juvari quò minùs tacitâ professione sit obstrictos. Primò enim solemnis protestatio & expressa reclamatio non fuit, qualem ad excludendum professionem tacitam Juris Canonici Periti exigunt, freti cap. *Cùm virum*, & cap. *Consulti*, Extra, *De Regularibus*. Sæpe enim contingere potest ut juniores Monachi durioribus vel prudentiæ modum excedentibus pœnitentiis lacessiti, vel præceptis frequentioribus & acrioribus fatigati, aut austerioris vitæ tædio affecti, seu ob aliam hujusmodi causam, in similia verba erumpant, quæ potiùs indicant velleitatem quamdam & momentaneam animi indignationem seu displicentiam, quàm firmum propositum excutiendi jugum Vitæ Monasticæ, & ad seculum redeundi.

Secundò, quamvis expressa protestatio & formalis animi declaratio præcessisset, ab ea tamen recessisse F. Nicolaus censeretur per posteriorem perseverantiam in Ordine anno solido, & actus subsecutos, quibus ratihabitio inducta est, ut colligitur ex cap. *Cùm virum* mox laudato, cujus hæc sunt verba: *Non enim videtur illa monasticæ Professionis à se posse jugum excutere, cùm eam non constet evidenter contradixisse, cùm benedictionem acceptt, quam nonnisi in ætate discretionis accipiunt quæ velantur; præsertim si ratihabitione sequutâ (etsi eam quandoque contradixisse constiterit) quod ante gestum fuerat, roboratur.*

Tertiò, quamvis protestatio in iis quæ pendeot à potestate protestantis valeat, & actum vitiet; in iis tameo quæ pendeot à consensu duorum, non valet, si fiat alterâ parte ignorante, ut docent Juris Canonici Periti. Unde Glossa in cap. *Tuæ nos*, Extra, *De Sponsalibus*, verbo *Mulier*, hac propositâ specie: Si aliquis protestetur coram pluribus, quòd omnia quæ dicet vel faciet, non faciet animo contrahendi matrimonium; & postea publicè dicat, *Consentio in te*, utrum sit matrimonium, nec-ne? Affirmatè respondet, Esse matrimonium. Idem asserunt Joannes Andreas, Innocentius IV. Ancharanus, Abbas Hostiensis, aliique Canonici Juris Interpretes, & meritò: aliàs enim daretur occasio omnibus matrimonium contrahentibus sic protestandi, ut postea dimittere possent conjuges, si displicerent. At Professio Monastica non pendet ex voluntate solius profitentis, verùm etiam ex consensu Ordinis sive Conventûs recipientis, cùm sit contractus ultrò citróque obligatorius, ut constat ex cap. *Porrectum*, & cap. *Ad Apostolicam*, Extra, *De Regularibus*. Quamvis igitur verba Fratris Nicolai formalis & expressæ protestationis vim habuissent, cùm tamen prolata fuerint absentibus & ignorantibus Superioribus, nihil operari deberent, & per subsequentes actos contrarios revocata intelligerentur, ut colligitur ex cap. *Solicitudinem*, Extra, *De Appellationibus*. Vale, mei ad Altare Domini memor, qui sum ex intimis præcordiis tuus uti frater.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LXV.

Utrum Regularis ad austeriorem Ordinem, rogatâ, licèt non impetratâ Superioris sui licentiâ, transire possit?

RELIGIOSO VIRO***

Litteras accepi humanitatis tuæ, pietatísque eximiæ testes, ex quibus consilium tuum intellexi ex Ordine S. Francisci ad Cœnobium nostræ Dominæ de Trapa Cisterciensis Ordinis transeundi. Quæris à me, id-ne tibi liceat rogatâ, ne tamen impetratâ Superiorum tuorum licentiâ. Migrationes enim hujusmodi (inquis) seu translationes Ordinum Mendicantium Religiosis Sodalibus vetat Martinus Quartus Pontifex Maximus sub pœna Excommunicationis, quam tam recipientes quàm recepti ipso facto incurrant, ut habetur in Constitutione quæ incipit, *Viam ambitiosæ*, Lib. III. Extravag. commun. Tit. *De Regularibus*.

Verumtamen, si cui Congregationi Religiosæ post Martini Quarti tempora Indultum Apostolicum concessum sit cum clausula derogante, ut Mendicantium Ordinum professores recipiat, eo ut licet. Simili Privilegio fretum religiosissimum Abbatem nostræ Dominæ de Trapa C. O. Viros Religiosos ex quovis Ordine, etiam FF. Mendicantium, ob frugem melioris vitæ seu arctioris observantiæ ad Cœnobium suum convolantes recipere, ferunt. Quanquam Carthusiensium exceptio à Martino Quarto facta ipsi etiam suffragari videatur, cùm Monachorum de Trapa vitam austeriorem esse Carthusiensium instituto, ut nunc temperatum est, certò constet, ac proinde privilegio ad quoscunque Monachos seu Regulares viros, Carthusiensibus exceptis, recipiendos indigere minimè videatur, jure communi fultus, quo declaratur regularem virum, rogatâ Superioris sui licentiâ, quamvis non impetratâ, ad arctiorem & austeriorem Ordinem transire posse. Id colligitur ex cap. *Sanè*, Extra, *De Regularibus*, quod Alexandri III. Responsum est Ambianensi Episcopo datum. *De Canonico* (inquit) *qui in Ecclesia Aromatensi Professionem fecerat, & fugerat ab eadem, in Monachum à quodam Abbate recepto, id tuæ Fraternitati significamus: quòd si locus ubi nunc permanet, majoris religionis quàm Ecclesia Aromatensis exsistat, ipsum in eodem loco cum pura conscientia remanere permittas: alioquin eum ad priorem Ecclesiam redire compellas.*

Nec obstat Privilegium quibusdam Monachis ab Apostolica Seda concessum, ne postquam ali-

quis apud illos professus fuerit, ad aliom Ordinem aliudve Monasterium, ipsis invitis transire possit, arctioris etiam vitæ desiderio, ut constat ex cap. *Licèt*, Extra, *De Regularibus*, quod Innocentii III. Responsum est. *Quia tamen* (inquit) *ubi Spiritus Dei est, ibi libertas; & qui Spiritu Dei aguntur, non sunt sub lege, quia lex non est posita justo; ea ratione hoc illis videtur fuisse concessum, ne quis ex temeritate vel levitate in jacturam vel injuriam sui Ordinis, prætextu majoris Religionis, ad alium Ordinem transvolaret, sicut frequenter à multis constat esse præsumptum: non quidem ut ei transeundi licentia denegetur, qui eam cum humilitate & puritate duxerit postulandam, ut non fictè, sed verè ad frugem melioris vitæ valeat transmigrare. Talis ergo postquam à Prælato suo transeundi licentiam postulaverit, ex lege privata quæ publicæ legi præjudicat, absolutus, liberè potest sanctioris vitæ propositum adimplere: non obstante protervâ indiscreti contradictione Prælati: quia Privilegium meretur amittere, qui concessâ sibi abutitur potestate: cùm etiam Romanus Pontifex, qui supremam in Ecclesia obtinet potestatem, Archiepiscopis & Episcopis cedendi licentiam ex justa causa sine difficultate concedat. Quocirca noverint universi quibus hujusmodi privilegium est concessum, se ad concedendum licentiam transeundi taliter postulantibus de jure teneri; quia sicut subditus à Prælato cum humilitate & puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur; sic profectò Prælatus subdito sine difficultate & pravitate qualibet, debet transeundi licentiam indulgere, ne videatur propositum impedire divinitus inspiratum. Si verò probabiliter dubitetur utrum quis velit ad Ordinem arctiorem aut laxiorem ex caritate an ex temeritate transire, Superioris est judicium requirendum, ne fortè Angelus satanæ in lucis Angelum se transformet..... Cùm ergo R. Monachus vester ad Fratres Cisterciensis Ordinis transmigraverit, non ne Ordini vestro aliquatenus derogaret, sed ut apud eos vitam duceret arctiorem, mandamus quatenus super eo quod de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta fecisse dignoscitur, eum nullatenus molestetis: Quia caritas est fons proprius, cui non communicat alienus.*

Perfectioris & austerioris vitæ studio licitum esse ad alium Ordinem transitum, S. Bernardus confirmat Epistolâ I. Ad Robertum Nepotem suum, qui à Cisterciensibus ad Cluniacenses migraverat. *Attende* (inquit) *cor tuum, discute intentionem, consule veritatem; tua tibi conscientia respondeat cur abieris, cur Ordinem tuum, cur Fratres, cur locum deserueris.... Si ut arctiùs, ut rectiùs, ut perfectiùs viveres, securus esto, quia non retro aspexisti.... sin aliàs, noli altum sapere, sed time, &c.* Et Epistolâ VII. se excusans quòd ex aliis Monasteriis ad suum transeuntes recipiat: *Hac ergo ratione* (inquit) *illos suscipimus, quoniam non putamus esse malum, si vota labiorum suorum, quæ in suis locis potuerunt quidem promittere, sed nequaquam persolvere, Deo qui ubique est, ubicunque poterunt, reddant; & solius ruptæ stabilitatis damna reliquorum regularium præceptorum observatione compensent.*

Idem confirmat S. Thomas Secundâ Secundæ, Quæst. CLXXXIX. Articulo VIII. *Transire* (inquit) *de Religione ad Religionem, nisi propter magnam utilitatem vel necessitatem, non est laudabile: tum quia ex hoc plerumque scandalizantur illi qui relinquuntur: tum etiam quia faciliùs proficit aliquis in Religione quam consuevit, quàm in illa quam non consuevit, cæteris paribus.* Unde in Collationibus Patrum Collatione XIV. Abbas Nesteros ait: *Unicuique utile est, ut secundùm propositum quod elegit, summo studio ac diligentiâ ad operis arrepti perfectionem venire festinet, & nequaquam à sua, quam elegit semel, perfectione discedat. Impossibile namque est unum & eundem hominem universis fulgere virtutibus. Quas si quis voluerit pariter affectare, in id eum incidere necesse est, ut dum omnes sequitur, nullam integrè consequatur.* Diversi nimirum Ordines præeminent secundùm diversa virtutum opera. *Potest tamen aliquis* (inquit S. Thomas) *laudabiliter de unâ Religione transire ad aliam triplici ex causâ: primò quidem zelo perfectioris Religionis. Secundò, propter declinationem Religionis à debita perfectione, putà, si in aliqua Religione arctiori incipiant Religiosi remissiùs vivere, laudabiliter transit aliquis ad Religionem minorem* (sive mitiorem) *si meliùs observetur.* Unde in Collationibus Patrum, Collatione XIX. cap. V. Abbas Joannes dicit, se à vitâ solitariâ, quam professus fuerat, ad cœnobiticam transisse, quia *cùm major numerus Fratrum habitationem illius solitudinis expetere cœpisset, ac Eremi coangustatâ libertate, non modò ignem illum divinæ contemplationis frigescere fecisset, sed multimodis etiam carnalium rerum vinculis impediret;* satius esse & ad salutem animæ suæ conducibilius existimavit, cœnobiticæ disciplinæ *utcunque implere propositum, quàm in illa professione tam sublimi carnalium necessitatum provisione torpere: ut id quod sibi de theorica illa sublimitate subtrahitur, obedientiæ subjectione compensetur.* Quippe (inquit) *miserum est cujuslibet studii disciplinam quempiam profiteri, & ad perfectionem ejus minimè pervenire.* Tertiò potest aliquis ad mitiorem Ordinem transire *propter infirmitatem vel debilitatem, ex qua interdum provenit quòd non potest aliquis arctioris Religionis statuta servare, posset autem servare statuta Religionis laxioris: sed in primo casu debet quidem propter humilitatem licentiam petere, quæ tamen ei negari non potest, dummodo constet illam Religionem esse arctiorem. Si verò probabiliter de hoc dubitetur, est in hoc Superioris judicium requirendum*, ut habetur *Ext. De Regularibus*, cap. *Licet.* Similiter *requiritur Superioris judicium in secundo casu. In tertio verò casu est etiam necessaria dispensatio.*

Quanquam verò perfectio unius Ordinis Religiosi præ alio dijudicanda sit præsertim ex fine, & ex mediis per quæ tendit ad finem, amore scilicet Dei & proximi; atque eo nomine ille Ordo cæteris perfectior censendus sit, qui ad animarum salutem procurandam institutus est, secundùm Theologorum principia: in foro tamen Ecclesiastico, ubi agitur de transitu ad alterum Ordinem, perfectior ille censetur, cujus austerior est disciplina, præsertim circa silentium & solitudinem. Majórque illa austeritas non ex primævo duntaxat Ordinis instituto, sed ex præsenti observantiâ dijudicatur.

Ut igitur canonicè transeat Regularis ad aliom Ordinem, necesse est ut Ordo ille sit austerior, sive ut in præsenti strictior disciplina in eo servetur. Secundò, ut licentia petita sit à Superiore immediato, vel etiam à Superioribus majoribus, si id Statuta Ordinis vel consuetudo præscribant. Tertiò, ut Ordo quem deserit singulare non habeat privilegium quod non sufficiat licentia petita, sed impetrata requiratur, sicut habere dicuntur Cistercienses & Patres Societatis Jesu, ne ad alium Ordinem, præter quàm Carthusiensium, absque Superiorum licentiâ petitâ & obtentâ migrare possint. Quartò, ut ex caritate seu zelo sanctioris vitæ, non ex levitate vel temeritate fiat ille

transitus. Si autem res sit dubia, ad Superiorem recurrendum. Erit autem dubia, si rationem probabilem afferat Superior immediatus cur licentiam deneget. Quintò, ut gravem injuriam vel infamiam ex hujusmodi migratione non patiatur Ordo qui deseritur. Sextò, necesse est ut petatur licentia antequam fiat transitus, & re integrâ: & ut Vir Religiosus petitâ licentiâ & causâ expositâ non statim discedat, sed exspectet responsum à Superiore. Septimò, ut Prælato Regulari constet alterum Ordinem paratum esse ad illum recipiendum, qui licentiam petit: & rectà transeat ad Monasterium illius Ordinis, ne divagationis & apostasiæ illi detur occasio; ut Decretis sacræ Congregationis Concilii Tridentini sancitum Fagnanus observat. In hoc denique casu S. Bernardi consilium quisque Monachus prudenter sequetur Libro *De Præcepto & Dispensatione*, cap. xvi. *Sanè*, inquit, *de Religiosis ac bene ordinatis Monasteriis nullus Professorum meo consilio, ne arctioris quidem vitæ desiderio, sine licentia sui Senioris egredietur..... Fortè vult aliquis de Cluniacensibus institutis ad Cisterciensium se restringere paupertatem, el gens pro illis nimirum Consuetudinibus magis Regulæ puritatem. Si me consulit, non consulo, si non sanè id Abbatis sui usurparit assensu. Quamobrem? Primò propter scandalum ipsorum quos deserit. Deinde, quia certa pro dubiis relinquere tutum non est: forsitan enim hoc tenere potest, illud non poterit. Tertiò, suspectam habeo levitatem, quâ id sæpe quod facilè volumus antequam probemus, experti jam nolumus; uno quippe momento idipsum & cupientes, & respuentes tam leviter quàm irrationabiliter.* Qui tamen petitâ, nec obtentâ Superioris sui licentiâ ad arctiorem Ordinem transierit, *meo consilio non regreditur ad inferius bonum, quod reliquerat & contempserat pro meliori.*

Has Regolas expende, & secundùm illas age, nihilque in tanti momenti negotio præcipiti consilio facias: priùs autem rem ferventissimis precibus Deo commenda. Vale, mei in sancto Altaris Sacrificio memor.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LXVI.

Utrum liceat Monialibus ad arctiorem Ordinem transire? & quâ ratione?

RELIGIOSO VIRO ***

PARTHENONIS *** VISITATORI.

QUærebas à me per litteras, quas ad me scripsisti nudiustertius, utrum Monialibus ad arctiorem Ordinem transire liceat, petitâ & non obtentâ Superiorum licentiâ, quemadmodum id licere Monachis olim me respondisse meministi. De proposita Quæstione sic sentio.

Id quondam licebat Monialibus jure communi, ut constat ex Can. *Virgines*, Causa xx. Quæst. ii. sed facultas illa sublata ipsis est Constitutione Pii V. quæ incipit, *Decori*, de clausura Monialium. Et ita sæpius declaravit Sacra Congregatio, tam Concilii Tridentini, quam Episcoporum & Regularium: quæ etiam transeundi licentiam non concedit, nisi adjectis conditionibus infra scriptis, videlicet: dummodo Superiorum primi Monasterii & Monialium transferendarum accedat assensus: & non antea ab eodem Monasterio
A Moniales egrediantur, quàm constet alterum Monasterium ad receptionem illarum paratum esse,
& in eo capitulariter ac per secreta suffragia sint
receptæ: ut dotem à cæteris Monialibus præstari
solitam persolvant, ipsáque translatio fiat, consanguineis gravibúsque matronis, & his deficientibus, aliis piis honestisque personis comitantibus: atque ab uno ad aliud Monasterium absque
diverticulo, rhedâ clausâ, vel saltem earumdem
Monialium velato vultu, & eâ modestiâ quæ
sponsas Christi decet, rectà procedatur, nullibique pernoctetur nisi hospitii causâ apud honestas
B personas, vel ubi Monasteria Monialium repererint, apud easdem Moniales: quas, accedente
Ordinarii loci licentiâ, benevolas invenerint receptrices: ac demum omnis eis spes ad primum
Monasterium redeundi penitus ablata censeatur.
Ita sæpius Romæ judicatum refert vir Canonici
Juris consultissimus Prosper Fagnanus, ad cap.
Recolentes, Ext. *De Statu Monachorum*. Vale,
mei tuis in Sacrificiis memor.

Lutetiæ Parisiorum.

C ---

EPISTOLA LXVII.

Novitius qui probationis anno integrè expleto in paternas ædes cum Superiorum licentiâ se contulit, ibique per annum moratus est donec ex morbo difficili & diuturno convalesceret, ad Professionem admittendus est absque Probationis prorogatione.

RELIGIOSO VIRO ***

D
DE tua ad Provinciæ Monasticæ Præfecturam
electione gratulor ob virtutem, observantiæ regularis studium ac prudentiam, quæ te Fratrum regimini parem faciunt. De Fratre Anselmo, qui peracto integrè Probationis anno, gravi morbo correptus, non emissâ professione, nec
habitu religioso dimisso rediit in paternam domum, ubi cùm per annum alterum mansisset, recuperatâ valetudine ad Conventum *** reversus est, ac supplicavit ut ad Professionem admitteretur: censeo non debere ab illo exigi ut no-
E vum probationis annum incipiat & peragat, sed
statim professionem emittere posse, *nisi conditio Religionis aut persona sit immutata.* Sic in similibus casibus respondit sacra Congregatio Concilii die 27. Februarii 1567. 12. Februarii 1598. ut
refert Fagnanus in cap. *Presbyterum*, Ext. *De Pœnitentiis & Remissionibus.* Anno solido mores
Fratris Anselmi expertus est Ordo, ipséque Ordinis austeritates pariter est expertus, ac Regulam
Constitutionésque ad amussim observavit in Domo regularis observantiæ Novitiorum institutioni destinatâ secundùm Clementis VIII. & Urbani VIII. Decreta. Nova igitur probatione, aut
probationis prorogatione non est opus, nec Or-
F dini, nec ipsi Novitio: siquidem, ut habet Regula
Juris in Sexto, *Eum qui certus est, certiorari ulteriùs non oportet.* Ubi Glossa: *Est hoc regula*
(inquit) *in argumentum & quæstionem, quæ quæritur, an is qui ingressus Religionem in fine anni
exivit, si iterum eamdem Religionem ingrediatur,
an debeat habere annum, & satis videtur quòd
non per hanc Regulam, nisi conditio personæ vel
Religionis mutata esset. Et hoc tenet Barthol.
Brix. in Quæstionibus suis, in Quæstione quæ incipit*, Aliquis intravit in Monasterium. *Et idem*

Guillelmus in Speculo, de Statu Monachorum. vers. 38. Vale, mei ad Altare Domini memor.

Lutetia Parisiorum.

EPISTOLA LXVIII.

An & quatenus liceat transitus ab austeriori Ordine ad mitiorem.

RELIGIOSO VIRO***

QUod à me rogas consilium, utrum à nostro FF. Prædicatorum Ordine ad Cluniacenses non reformatos transire possis Pontificiâ dispensatione fretus, fraternâ date caritate non moror. In qua vocatione vocatus es, in ea mane. Vereor ne propositum illud transitûs tui ad Ordinem mitiorem à Spiritu Dei non sit, quo dirigente sacra Synodus Tridentina Sessione xxv. Cap. xix. *De Reformatione Regularium*, decrevit ut *Nemo Regularis cujuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem.* Quamquam verò summi Pontificis dispensatione fiat hujusmodi translatio, illâ uti non potest Regularis tutâ conscientiâ, nisi justam causam ejus Sanctitati exposuerit. Se enim ut molliùs vivat, vel ut Dignitates & Beneficia consequatur, vel ob similem rationem cupiditati carnisque desideriis faventem, ad Ordinem remissioris ac mollioris disciplinæ transfeat, gravis peccati reus est, nec illi Pontificia dispensatio ad vitandas futuræ vitæ pœnas suffragatur. Nec infirmitas ac debilitas corporis, quæ strictioris vitæ jugo ferendo imparem facit, omnino sufficiens ratio videtur translationis, si in Ordine strictiori fraternâ caritate procurentur infirmi ac debiles, ut fit in Ordine S. Dominici. Nec verò decet Religiosum Virum, qui strictioris disciplinæ institutum professus est ut carnem suam crucifigeret, infirmitatis ac debilitatis specie ad laxiorem Ordinem transire: immo saluti animæ ejus expedit valetudinis sacrificium offerre Deo, & gloriari in infirmitatibus suis, ut inhabitet in illo virtus Christi.

Verumtamen si quis in eo professus Ordine est, in quo infirmi non procurantur ut oportet, nec ipsis infirmitatibus provideri facilè potest, tutâ conscientiâ transibit ad Ordinem mitiorem, secundùm S. Thomam Secundâ Secundæ Quæst. clxxxix. Art viii. *Potest*, inquit, *aliquis laudabiliter de una Religione transire ad aliam triplici ex causa *** Tertiò propter infirmitatem vel debilitatem, ex qua interdum provenit quòd non potest aliquis arctioris Religionis statuta servare, posset autem servare statuta Religionis laxioris.* Sed hæc in specie obtinenda est facultas à Superiore Generali Ordinis a quo fit transitus, infirmitate vel debilitate, quæ austerius illud vitæ genus ferre non possit, duorum Medicorum testimonio comprobatâ. Obtinendus etiam consensus Superioris Generalis Ordinis ad quem fit transitus, qui benevolam receptionem in aliquo Cœnobiorum suorum promittat. Secundùm hæc, postulanda est dispensatio & Breve translationis à Summo Pontifice. Denique transeundum est immediatè ab uno Ordine & Monasterio, ad alium, sine divagatione, & infra tempus Brevi Apostolico præscriptum. Addiderim, necessariò requiri ut Ordo, seu Congregatio & Monasterium ad quæ migrat vir Religiosus, relaxata non sint in iis quæ spectant accuratam votorum observantiam, quæ cùm statui Religioso sint essentialia, dispensatio-

A nem non recipiunt: quantumvis Observantiæ Regulares abstinentiarum, jejuniorum, vigiliarum & similes, Ecclesiæ indulgentiâ remitti possint. Vale, mei tuis in Sacrificiis memor.

Lutetia Parisiorum.

EPISTOLA LXIX.

B *Utrum Religiosi viventes in Monasteriis in quibus relaxata est observantia regularis, transire teneantur ad alios conventus strictioris observantiæ, aut observantias regulares abstinentiæ ac jejuniorum seorsim implere?*

RELIGIOSO VIRO******

DE Quæstione Morali, quam nuper proposuisti per literas, hæc mea sententia est: Religiosi viventes in Monasteriis, in quibus remissa & relaxata est Disciplina regularis, ad alios Conventus, in quibus viget strictior observantia, migrare, aut abstinentiam & jejunia Monastica, & alia quæ victum exteriorem, vestitum, & communem conservationem spectant, seorsim implere non tenentur; sed satis est ut paratum habeant animum ad Reformationem suscipiendam, si Superiores disciplinam regularem instauraverint; interimque vota fideliter observent. Quamvis enim consuetudo obligationem ex Religiosa Professione ortam non solvat, suspendit tamen quodam modo quoad eas observantias, quæ ad votorum substantiam non pertinent: præsertim si absque notâ singularitatis, absque perturbatione fratrum, absque scandalo & tumultu non possint observari, & aliunde earum transgressio reatum culpæ non induat, sed pœnæ dumtaxat faciat obnoxios, quam Superiorum conniventia remittere censetur. Sic fere Monachos in Monasteriis solutæ disciplinæ viventes excusat S. Bernardus in Apologia ad Guillelmum Abbatem, Cap. vii. *Sub hac tamen abusione* (inquit) *jam fere ubique sic pro ordine tenentur, fere jam ita ab omnibus sine querela atque irreprehensibiliter observantur, quamquam dissimiliter. Nonnulli quippe his omnibus tanquam non utentes utuntur, & ideo aut cum nulla offensâ, aut cum minimâ. Aliquanti quippe hoc agunt ex simplicitate, aliquanti ex caritate, aliquanti ex necessitate. Quidam namque simpliciter ista tenent quoniam sic eis præcipitur, parati aliter agere, si aliter præciperetur. Quidam autem ne discorditer vivant ab eis cum quibus habitant: sectantes in his non suam libidinem, sed aliorum pacem. Alii verò quia resistere non valent multitudini contradicentium, qui hæc utique tanquam pro ordine liberâ voce defendunt; & quoties isti aliqua (prout ratio docet) restringere vel mutare incipiunt, illi mox totâ auctoritate resistunt.*

Et Epistolâ vii. ad Adam Monachum: *Quid me vis* (inquit) *odiosum facere multis millibus sanctorum, qui sub nostra professione non nostro conversantes more, tamen aut sanctè vivunt, aut beatè defuncti sunt? Non ignoro quòd reliquerit sibi Deus septem millia virorum, qui non curvaverunt genua sua ante Baal. Audi ergo, æmule calumniator, ausculta. Dixi tar de aliis Monasteriis ad nostra venientes recipiendos censuerim. Numquid non venientes damnavi? Excuso illos, non istos accuso. Soli sunt invidi, quos excusare nec volo, nec valeo: quibus exceptis, si quis ceterorum ad Regula capiat transire puritatem, sed propter*

scandalum non audeat, aut certè etiam ob certam corporis infirmitatem; puto quia non peccat, dum tamen in suo studeat loco sobriè, & justè, & piè conversari. Nam si qua ex more Monasterii minus fortè districtè quàm Regula constituisse videtur, observare compellitur, excusabit hoc forsitan aut illa caritas quâ cunctatur migrare ad melius, propter scandalum, juxta illud : Caritas operit multitudinem peccatorum; *aut illa humilitas quâ conscius propriæ infirmitatis, se reputat imperfectum; siquidem & de ipsa conscriptum est : Deus humilibus dat gratiam.* Tutus ambulabit, qui S. Bernardi consilium sequetur. Vale, mei ad Altare memor.

1. Pet. 4. 8.

Jacob. 4. 6.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LXX.

Solutio quorumdam Casuum circa Usuras.

CLARISSIMO VIRO***

OPinioni de me tuæ ac humanitati singulari plurimùm debeo : Dubiis circa usuras à te propositis respondeo, ut tibi morem geram.

Quæris primò, An qui bonâ fide certum iniit contractum, quem credebat esse justum, quia impunè & absque scrupulo fieri videt in provinciâ & urbe in qua degit : qui tamen contractus revera usurarius est ex sententia Doctorum sacræ Facultatis Parisiensis ea de re nuper interrogatorum, mortaliter peccaverit : & ad restituendas usuras illo contractu quæsitas in foro conscientiæ sit compellendus ?

Quæris secundò, An mercator qui nobili viro pecuniam mutuo dederat reddendam certâ die, quâ non solvit, ab illo exigere potuerit ut se per instrumentum obligaret ad solvendum aliâ die, addito quod ipsius mercatoris interesset ratione ejus quod verisimiliter intra spatium illud lucratus fuisset.

Quæris tertiò, An operarius Lugdunensis, qui solebat stameo sericum valoris centum aureorum, trium mensium spatio redigere in fila valoris centum & quatuor, possit justè vendere alteri, solutionem differre volenti ad annum, pretio centum & duodecim.

Ad primum respondeo, Lethaliter non peccasse, qui bonâ fide contractum illum iniit, si usurarium esse invincibiliter ignoravit, nec de illius injustitiâ dubitavit. Ignorantia enim invincibilis à peccato excusat : & quamvis usuram esse peccatum nemo ita ignorare possit, cùm ipsâ naturæ lege cordibus hominum inscriptâ, & signato super nos vultûs Dei lumine deformitas ejus & malitia facilè dignosci possit ab iis qui ad hanc legem, illúdque lumen attendunt, nec tenebris cupiditatis suæ obscuratum habent intellectum : tamen ignorari invincibiliter potest an hic vel ille contractus sit usurarius. Verùm si contrahentis ignorantia insuperabilis non fuerit, sed affectata, vel ex ipsius negligentiâ ortum ducens; ut si Pastores & Concionatores identidem adversùs hujusmodi contractus & pravam consuetudinem invehebantur, & Christianam plebem de illius iniquitate admonebant, & usurarios esse docebant; si dubium aliquod vel scrupulum circa hoc passus est; si viros probos ab hujusmodi contractibus abhorrere vidit, & doctrinam Christianam conciónesque audire neglexit : dubia scrupulósque insuper habuit, conscientiæ stimulos repressit, peritorum ac piorum Sacerdotum seu Pastoris sui consilium non rogavit; sed cupiditatem dumtaxat suam sequens, & ad solam consuetudinem attendens, contractum iniit supradictum, lethalis peccati reus censendus est, quia *Noluit intelligere ut bene ageret, astitit viæ non bonæ, malitiam non odivit, & non est timor Dei ante oculos ejus.* Nec illum excusat consuetudo provinciæ & urbis in qua degit, cùm abusiva sit, & veriùs dicenda sit *corruptela*, per quam naturali juri, cujus transgressio periculum salutis inducit, nullatenus derogari potest : cùm nec juri positivo præjudicium generare debeat consuetudo, *nisi sit rationabilis & legitimè præscripta*, ut dicitur Cap. *Ex parte*, & Cap. *Cum tanto*, Ext. *De consuetudine.*

Psalm. 35.

Quod spectat partem Quæstionis alteram; Quamvis bonâ fide contractum quis inierit, qui tamen usurarius est, ad restitutionem tenetur. Qui enim capit indebitum, bona fide putans sibi esse debitum ab eo qui errore se debere credebat, non peccat accipiendo, & tamen restituere tenetur statim atque noverit fuisse indebitum, ut constat ex legibus sub titulo *De condictione indebiti.* Igitur & qui accepit aliquid ultra sortem per contractum, quem bonâ fide justum esse credebat, cùm tamen verè usurarius esset, tenetur ad restituendum illud tanquam indebitum. Fructus tamen bonâ fide perceptos & consumptos, & ex quibus non est factus locupletior, restituere non tenetur, sed solùm extantes à cessatione bonæ fidei. Si verò malâ fide, aut non bonâ fide contraxit, fructúsque percepit, fructus omnes restituere tenetur, secundùm legem, *Certum*; Cap. *De rei vindicatione*, Glossam Cap. *Gravis*, Ext. *De Restitut. spoliatorum*, & Gloss. Legis, *Possideri*, D. *De acquirenda vel amittenda possessione*, §. 22. ad hæc verba, *Ut possideatur aut bonâ fide, aut non bonâ fide. Non bonâ fide*, inquit, *plus importat, quam si diceret, malâ : nam etiam dubitantem sit sua vel aliena res, continet, qui nec bonam nec malam fidem habet.* Addiderim, non bonâ fide contractum illum inivisse & illum qui de illius justitiâ dubitare meritò debuit. Denique si ex fructibus, etiam bonâ fide perceptis locupletior evasit, quia vel ex eorum accessione patrimonium illius auctum est, vel minores impensas fecit quàm aliàs esset facturus si dictos fructus non percepisset, ad eorum restitutionem tenetur, quamvis bonâ fide percepti sint & consumpti. *Jure* enim *naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem*, ut habet Regula Juris.

Ad secundum respondeo, Dictum mercatorem exigere potuisse à mutuatario, qui condictâ die non solverat, ut se obligaret per chirographum & instrumentum ad solvendum aliâ die, addito quod ipsius mercatoris mutuum dantis interesat ratione lucri verisimiliter cessantis, quod cum damno emergente coincidit. Aliæ tamen conditiones concurrant necesse est : ut scilicet pactio & stipulatio de compensando damno emergente & lucro cessante in casum moræ concipiatur & referatur : nam citra casum moræ adjecta, in fraudem legum adjecta præsumitur, adeóque usuraria secundùm Jus Canonicum & Regias Constitutiones. Requiritur etiam ut creditor de lucro intercepto moneatur, cùm initur mutui contractus, ac eo ipso tempore de eo resarciendo pactio fiat. Desideratur insuper ut pecunia mutuo data negotiationi exposita sit, aut proximè ad negotiationem destinata, vero, sincero & efficaci animi proposito : ut ad debitoris preces ac voluntatem, non ad arbitrium creditoris extrahatur à negotiatione

&

& in mutuum convertatur: ut nulla alia pecunia supersit apud creditorem, quæ commodè ac sine damno aut gravi onere in locum ejus, quæ mutuo data est, substitui possit: ut creditor ex humanitate aut caritate moveatur ad mutuum dandum, non ex cupiditate. Denique requiritur ut quod interest, ratione lucri cessantis non ante percipiatur, quam lucrum ex ipsa negotiatione interceptâ, deductis periculis, laboribus & impensis percipiendum fuisset. Unde S. Thomas Secundâ Secundæ, Quæst. LXXVIII. Art. II. ad primum; *Ille*, inquit, *qui mutuum dat, potest absque peccato in pactum deducere cum eo qui mutuum accipit, recompensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid quod debet habere. Hoc enim non est vendere usum pecuniæ, sed damnum vitare. Recompensationem verò damni quod consideratur in hoc quod de pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere; quia non debet vendere id quod nondum habet, & potest impediri multipliciter ab habendo.* Lucrum igitur cessans non est legitimus titulus accipiendi aliquid ultra sortem, nisi quatenus cum damno emergente coincidit, aliæque conditiones concurrunt mox indicatæ, & expositæ Libro III. *Theologiæ* nostræ *Dogmaticæ & Moralis*, Cap. VII. Art. II. Regula I. Si conditiones illæ defuerunt, non potuit mercator à mutuatario exigere ut se per chirographum sive per instrumentum obligaret ad solvendum quod dicti mercatoris intererat ratione lucri verisimiliter cessantis.

Ad tertium respondeo, Operarium illum vendere non posse sericum emptori solutionem differri volenti pretio centum & duodecim, cui præsentem pecuniam numeranti mercem eamdem dedisset pretio centum & quatuor. Usura enim palliata est, vendere aliquid pluris justo pretio supremo propter dilationem ad solvendum datam. Hæc siquidem dilatio æquivalenter mutuum est: unde propter eam exigere aliquid ultra sortem, est exigere aliquid ratione mutui, adeóque usuraria hæc pactio est, ut expressè declaratur Cap. *In civitate*, & Cap. *Consuluit*, Ext. *De Usuris*, & ut docet S. Thomas Secunda Secundæ, Quæst. LXXVIII. Art. II. in responsione ad septimum. *Si aliquis* (inquit) *cariùs velit vendere res suas quàm sit justum pretium, ut de pecunia solvenda emptorem exspectet, manifestè usura committitur, quia hujusmodi exspectatio pretii solvendi habet rationem mutui. Unde quicquid ultra justum pretium pro hujusmodi exspectatione exigitur, est quasi pretium mutui, quod pertinet ad rationem usuræ.* Mercator quidem res suas periculo exponit, cùm solutionis tempus prorogat, sed tale periculum est mutuo intrinsecum, propter quod nihil ultra sortem exigi possit, aut merces majori pretio vendi. Metuit ne mutuatarius solvendo non sit propter paupertatem, vel debitum fraudet: verùm metus ille non est legitima ratio pretium mercium augendi. Mercator certè non vendit invitus: si ergo timet ne suæ merces tutò non distrahantur, non vendat credito, vel aliam accipiat cautionem. Metum sibi imputet, in quem sponte se immergit. Non tenetur emptor illum tali metu aliter liberare, quàm solvendo justum mercis pretium: ideóque solvendo satisfacit. Vale.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LXXI.

Superior Regularium subditis suis utriuslibet sexûs permittere non potest ut peculium habeant.

RELIGIOSISSIMO VIRO ***

ACceptis à te litteris & propositæ Quæstioni respondere quòd dies aliquod moratus sim, infirma valetudo fecit. Moram hodierna die compensabo, tuisque votis cumulatè satisfaciam. Quærebas utrum Superior Regularis permittere subditis possit aliquod peculii genus, vel in Monasteriis tam virorum quam mulierum, curæ suæ ac regimini commissis, tolerare.

Superiorem quemcumque Regularium, sive immediatum, sive majorem, sibi subditis Regularibus utriuslibet sexûs, permittere non posse censeo ut proprium habeant. Proprii verò nomine peculium intelligo, quod sit in dominio & potestate habentis, de quo vel de cujus fructibus possit pro arbitrio disponere independenter à Superioris consensu. Id Prælatum Regularibus sibi subditis permittere aut tolerare non posse, ex eo constat quòd essentiæ voti, religiosæ scilicet paupertatis adversetur, adeò que in lethalis peccati & damnationis statu sint Monachi sive Religiosi quicumque viri aut Sanctimoniales, qui proprium habent, ut ex SS. Patrum doctrina, sacris Canonibus, & Regulis omnibus Monasticis compertum est. Tibi satis erit impræsentiarum Cap. *Cùm ad Monasterium*, Ext. *De statu Monachorum*, quod Innocentii III. responsum est. *Prohibemus quoque districtè in virtute obedientiæ, sub obtestatione divini judicii, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat: sed si quis aliquid habeat proprii, totum incontinenti resignet. Si verò post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari monitione præmissa de Monasterio expellatur, nec recipiatur ulteriùs, nisi pœniteat secundùm Monasticam disciplinam. Quòd si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur, secundùm quòd beatus Gregorius narrat in Dialogo se fecisse. Unde si quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori, vel Cellerario assignetur..... Nec æstimet Abbas quòd super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

Et Cap. *Monachi*, sub eodem Titulo quod ex Concilio Lateranensi generali sub Alexandro III. depromptum est; *Qui verò peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum, à Communione removeatur Altaris: & qui in extremis cum peculio inventus fuerit & dignè non pœnituerit, nec Oblatio pro eo fiat, nec inter Fratres accipiat sepulturam: quod etiam de universis Religiosis præcipimus observari. Abbas autem qui diligenter ista non caverit, Officii sui jacturam se noverit incursurum.*

Idem confirmat sacra Synodus Tridentina Cap. II. Sessionis XXV. *De Regularibus & Monialibus*, cujus hæc sunt verba: *Nemini Regularium tam virorum quàm mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam Conventûs nomine possidere aut tenere;*

sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem vel commendam. Mobilium verò usum ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur.

Idem confirmant & executioni mandari jubent Concilia Provincialia Tridentinum secuta. Cameracense anno 1565. Tit. 18. *De Monasteriis Virorum & Mulierum*, Cap. 9. *Cùm sacrosancta Synodus Tridentina & œcumenica preceperit ea quæ ad communem vitam, victum & vestitum conservanda pertinent, fideliter observari; mandat hæc Synodus omnibus Monachis & Monialibus Religiosisque, ut diligentissimè paupertatis votum, tanquam ineffabilis cujusdam & dulcissimæ quietis consam custodiant, neque proprietatis vitio violent. Caveant igitur ne quid pecuniæ aut alterius rei sibi ita retineant, vel retinere desiderent, ut Communitati nolint esse commune, utve ad peculiares usus eo utantur sine Superioris consensu.*

Cap. 10. *Ut autem huic pestifero vitio obviàm eatur, mandat sancta Synodus omnibus omnium Ordinum Superioribus, ne subditis pecuniam pro quocumque cibo vel potu, sive vestimentis quibuscumque necessariis administrent: sed victus omnis, potus ac vestitus, & quicquid necessarium fuerit, decenter & prout ratio postulat, eis porrigatur... Omnis illa pecunia vel res, quam Monachus vel Monialis acquirere sive labore, sive industriâ, sive amicorum liberalitate, seu denique quolibet alia occasione possit, Superiori mox tradatur, ita ut ad nutum ejus tanquam res communis expendatur.*

Cap. 11. *Et quò hæc omnia faciliùs, diligentiùs, necnon absque tædio queant observari, præcipit sancta Synodus cunctis cunctorum Monasteriorum sexûs utriusque Superioribus, quatenus secundùm Regulam ac Majorum instituta benignè nec non placidè subministrent omnia in universum, quæ suis subditis necessaria fuerint & convenientia, ne inferioribus ansam præbeant detrimenti voto paupertatis valde gravidi, nonnihil congerendi & apud se retinendi: in qua quidem re si negligentiores extiterint, admoniti à suo Superiore omnino compellantur.*

Concilium Mediolanense I. sub S. Carolo Borromæo 1565. Constitut. P. 3. Cap. VIII. statuit ut in omnibus Monasteriis Moniales communiter vivant, ut a sacro Tridentino Concilio decretum est. *Neque quidquam inter eas differat, aut alia aliis præferatur aut posthabeatur, quemadmodum votum paupertatis postulat, ut tuum & meum, atque omnis privata rerum possessio & re & verbo tollatur, omnis etiam supervacaneus & inanis rerum usus... Neque ulla sit quæ quidquam possideat aut adhibeat ut proprium, etiamsi ad necessitatem concessum sit.*

Omnes itaque Monasterii proventus, cujuscumque generis sint, eleemosynæ etiam & quæstus ex laboribus, libelli præterea, legata, & bona mobilia & immobilia, quæ testamento relicta vel aliâ quavis causâ obvenerint, à singulis Monialibus ad communem Monasterii utilitatem conferantur. Præfecta verò pro sua prudentia & humanitate ex illis ipsis ejus necessitati potissimùm consulat, ad quam pertinerent, nisi obstaret paupertatis votum.

Concilium Mechliniense anno 1570. Tit. *De Regularibus & Monialibus*, Cap. 1. ea auferri præcipit ex omnibus Cœnobiis tam virorum quàm mulierum, *quæ proprietati, totius Religionis perniciosæ pesti, occasionem & fomenta subministrant... Ut victus, vestitus, cæteráque vitæ subsidia singulis ex communi pro necessitate indigentiæ, & Monasterii facultatibus subministrentur, non in pecuniis, sed in specie rerum. Pensiones autem vitales, aut reditus perpetuos nulli permittantur recipere, neque liceat eis ratione officiorum vel ministeriorum pecuniam corradere aut conservare, etiamsi in pios usus convertere velint: sed omnia in communem usum convertantur.*

Tridentini Concilii Decretum de Regularium paupertate renovarunt & executioni mandari decreverunt Concilium Rotomagense 1581. Tit. *De Monasteriis*, N. XI. Remense 1583. Tit. *De Regularibus & eorum Monasteriis*, N. X. Burdigalense 1583. Cap. XXV. *De Monasteriis*, §. *Nulli*; Bituricense 1584. Tit. XXXVII. Canone XVI. Aquense 1585. Tit. *De Monasteriis*, §. *Religiosi* & §. *Constituta*; Aquileiense 1596. Cap. 19. *In Monasteriis, in quibus proprietas exulat & omnis affectio corrupta, servetur illa rerum omnium communis, quæ nihil habet & cui nihil deest, quæ in egestate rerum copiam habet. Si quid enim est, hoc habet usu, non affectu, quæ quidem dives inopia in omnium Monialium domos & vitam Pastoralis prudentiâ & vigilantiâ invehenda est.*

His adde Clementis VIII. Pontificis Maximi Decreta, in executionem sacrorum Canonum, & imprimis Tridentini Concilii, præcipientis, *Ne ullus ex Fratribus, etiamsi Superior sit, bona mobilia vel immobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex concionibus, sive ex lectionibus, aut pro Missis tam in propria Ecclesia quàm ubique celebrandis, aliòve illorum justo labore & causâ, & quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam Conventûs nomine possidere possit; sed ea omnia statim Superiori tradantur, Conventuique incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, reditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quò communis inde victus ac vestitus omnibus suppeditari possit. Neque Superioribus, quicumque illi sint, ullo pacto liceat eisdem Fratribus, aut eorum alicui, bona stabilia, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem aut commendam, etiam depositi aut custodiæ nomine concedere.* Et infra: *Nulla quorumque Superiorum dispensatio, nulla licentia quantùm ad bona immobilia vel mobilia, Fratres excusare possit, quo minus culpa & pœna ab eisdem Concilii Decretis imposita, & ipso facto incurrenda obnoxii sint; etiamsi Superiores asseverent hujusmodi dispensationes aut licentias concedere posse; quibus in ea re fidem adhiberi minimè volumus.*

Quia verò Navarrus in Commentario Canonis, *Non dicatis*, Causâ XII. Quæst. 1. N. XLV. & Consilio XIII. XIV. & XVII. Sanchez in Summa Tom. II. Lib. VII. Cap. XXII. N. XI. Diana Resolutionum Moralium Tractatu VI. Resolut. 32. aliique recentiores Casuum Arbitri fibulas hac in materia nimis laxasse videntur, exponam quid eâ de re sentiat S. Antoninus, quem tutò sequi possumus, III. P. Tit. XVI. Cap. I. § XI. Proprium (inquit) dicitur quicquid celatur Abbati seu alii suo Prælato, vel tenetur contra voluntatem Prælati. Si autem Abbas quædam Monacho concedit, ut eis uti possit ad libitum, non videtur dici proprietas, quando de quantitate & qualitate nihil celat Abbati, nec sine ipsius scientia aliquid recipit vel expendit, paratus totum reddere & dimittere ad jussum Abbatis... Cùm ergo Religiosus & Religiosa, (quia idem juris omnino est in Mo-

» nialibus) aliquid recipit, multùm vel parum, mobile vel immobile contra voluntatem Superioris; vel receptum de licentia Prælati non est paratus totum ponere in manibus ejus ad placitum & requisitionem ipsius Prælati; vel ei aliquid celat ne ab eo accipiat, ut proprietarius peccat mortaliter. Et similiter si sibi concessa ad usum contra voluntatem Superioris, vel sine licentia vendit, vel donat ut dominus rei, nisi poneret spem in ratihabitatione Prælati. Nec Prælatus potest dispensare cum Religioso ut habeat proprium, ut scilicet aliquid habeat simpliciter in suo dominio, ut facere possit quicquid velit sine voluntate Superioris propriâ auctoritate. Immo, ut dicit Innocentius III. Cap. *Cùm ad Monasterium*, nec summus Pontifex in hoc valet indulgere, id est, dispensare. *Unde si Prælatus dispensat cum Religioso, in proprio, ut scilicet aliquid habeat, & ad placitum illud distrahat, dissipet, & disperdat ut sibi videtur, etiam in damnum Monasterii, non videtur posse excusari à peccato gravi & mortali, cùm exponat ovem suam morti, & damnificet Monasterium, & usurpet potestatem quam non habet.*

» Addit S. Antoninus, Religiosum concessorum sibi per Prælatum ita habere usum, ut non habeat usumfructum. Ususfructus dicitur jus utendi & fruendi rebus alienis salvâ illarum substantiâ. Usus, jus utendi, non fruendi rebus alienis, &c. Unde de re cujus quis habet usum, accipere debet præcipuè suam necessitatem, nec aliquid dare potest. Sed in usufructu ultra suam necessitatem potest residuum illius usufructûs donare ut vult, quia ejus dominus est. *Religiosus de concessis ad usum nihil potest donare, etiam eleemosynaliter, nec de eo quod acquirit per industriam, nec de bonis paternis, quando sibi committerentur ad usum vel fieret procurator, quia omnia sunt Monasterii, ut habetur Causâ XII. Quæst.* 1. *Can.* Non dicatis, *nisi habeat licentiam dandi; & tunc bene utatur, aliàs dissipatio erit, non dispensatio, & concedens & utens peccabit, & recipiens sine causa rationabili, ut colligitur ex Can.* Gloria, *Causâ XII. Quæst. II. & tenetur restituere Monasterio recipiens ex turpi causa, etiamsi habuisset dans licentiam dandi. Dono etiam accipiens, si dans non habebat licentiam, & multò magis si non habet indulgentiam.*

Addit ex Humberto Ordinis FF. Prædicatorum sanctæ memoriæ Generali Magistro, qui Commentarium scripsit in Regulam sancti Augustini quam profitentur, quòd *Circa certum usum, qui scilicet non potest auferri, dispensari non potest. Semper enim voluntas Religiosi debet esse subdita Prælato, ut resignet quando voluerit. Sed circa usum incertum, qui est in voluntate alterius, ut auferat cùm ei placuerit, ex causa rationabili dispensari potest. Causa rationabilis dispensationis est duplex, scilicet necessitas & utilitas, ut colligitur ex Can.* Nisi rigor, *Causa I Quæst. V. Necessitas est duplex, privata & communis. Privata, ut cùm in Monasterio paupere, in quo non possunt habere de communi victualia Moniales; conceditur Moniali ut aliquid habeat ad usum necessitatis suæ, cum proposito tamen semper totum resignandi cùm voluerit Superior. Necessitas communis est, cùm conceditur alicui Officiali, Procuratori, Cellerario, ad expendendum in usus communes. Et quamvis hujusmodi necessitates, vel utilitates sint sufficiens causa dispensandi, non tamen omnes, sed solùm quæ sunt valdè rationabiles & evidentes, ut in necessitatibus quotidianis, victûs, ut in utilitatibus circa pertinentia ad salutem animæ. Et est valdè cavendum ne in hujusmodi facilè dispensetur, tum propter sequelam exempli, tum propter speciem mali, ut colligitur ex* Cap. *Cùm ab omni*, Ext. *De vita & honestate Clericorum.*

Observat insuper S. Antoninus, Religiosos degentes *in Monasteriis & Conventibus ubi non vivitur in communi, si Prælati sunt, & non faciunt quantùm eis est possibile sine notabili scandalo, ut vivatur in communi, eos non esse in statu tuto, quia favent rei destructivæ Religionis.* Idque confirmat ex Can. *ERROR*, Dist. LXXXIII. cujus hæc sunt verba: *Error cui non resistitur, approbatur: & veritas cùm minimè defensatur, opprimitur. Negligere quippe, cùm possis deturbare perversos, nihil aliud est quàm fovere, nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.* Idemque sequentes Canones confirmant. *Si sunt subditi, & resistunt huic bono cùm attentatur, non quia non possent sufficienter vivere, sed quia volunt abundare, & de suis suo modo facere, videntur esse in malo statu, cùm sæculariter vivant, & velint in malo perseverare. Prohibetur autem Religiosis vivere sæculariter.* Ext. *De Regularibus*, Cap. *Relatum.*

Ex his intelliges, Vir Religiosissime, quid permittere, quid indulgere subditis suis, quid tolerare Superiores Regularium possint in materia peculii. Eniti studiis omnibus ac viribus debent, ut vitium detestabile proprietatis eradicent, quo non modò labefactatur, sed evertitur penitus Vita Religiosa. Perfectam, si fieri potest, rerum omnium communionem stabilire vel instaurare debent in Religiosis Ordinibus, Congregationibus, Conventibus & Monasteriis, sive Domibus regimini suo commissis. Sin minùs id obtinere statim possint, efficere saltem ut pensiones seu pecuniæ Monachis aut Monialibus donatæ, ut quâvis legitimâ ratione obvenientes, seu laboribus & propriâ industriâ partæ, in commune depositum inferantur, in eoque fideliter asserventur sub clavi obedientiæ, ab Officialibus Monasterii impendendæ primùm in necessarios & religiosos usus Fratrum vel Sororum, quibus seu quorum vel quarum intuitu donatæ sunt, vel quorum quarumve labore & industriâ partæ, ex licentia & mandato Superioris vel Præpositæ, ubi & quomodo judicaverit; ita ut, si quid fuerit residuum, in communes usus convertatur.

Declarationibus sacræ Congregationis Concilii Tridentini interpretis hæc consona dispositio est. Nam in Causa Panormitana, cùm Sanctimonialis quædam præter dotem Monasterio tributam sibi reservasset scuta quinquaginta reditûs annui ad necessarios usus, licentiam rogavit illis utendi. Sacra Congregatio respondit. Reditum hunc annuum, nonobstante reservatione, jam quæsitum esse Monasterio: ideòque rectà deferendum ad manus Abbatissæ, quæ primùm prospiciat necessitatibus Monialis oratricis: & quod reliquum fuerit, in usus totius Monasterii convertat.

Præterea in Causa Neapolitana dubium sacræ Congregationi propositum est, his ferè verbis conceptum: In aliquibus Monasteriis nonnullæ Moniales census & annuos quosdam reditus & proventus seu fructus percipiunt sub diversis contractuum speciebus. Nam aliquæ proprio nomine certos reditus emerunt à laicis: aliquæ ab aliis Monialibus: aliæ ab ipsis Monasteriis: nonnullæ verò dederunt pecuniam Monasterio, ut ex earum pecuniis fieret emptio nomine Monasterii ad rationem septem vel octo pro centenario; & Abbatissæ Monialibus dabant reditus ex illis emptionibus annuatim provenientes. Aliquæ Monasteriis seu eorum Superioribus certas pecuniarum summas manualiter dederunt ad subveniendum urgentibus necessitatibus Monasterii, pacto ad-

jecto vel etiam tacitâ conventione adhibitâ, ut Monasterium seu Abbatissa certos reditus ad rationem tot pro centenario, quandiu vixerint, annuatim illis concedat. Quæritur, an Moniales illæ in hujusmodi casibus incurrant in pœnas per Concilium Tridentinum Sessione xxv. *De Regularibus*, Cap. II in proprietarios decretas, etiamsi de licentia Abbatissæ & ad ejus nutum, vel Conventûs seu Monasterii nomine illos percipiant?

Sacra Congregatio censuit, In nullo supradictorum casuum licere Monialibus dictos fructus seu reditus percipere; & si perceperint, incidere in pœnas Capitis secundi Sessionis xxv. *De Regularibus*, neque ab hujusmodi pœnis excusari ob licentiam Abbatissæ, quæ eam quidem concedere prohibetur Concilii Decreto: sed debet Monialium necessitatibus ex reditibus Monasterii, vel eleemosynis in dies subvenire.

Quamobrem & hunc esse abusum pravámque consuetudinem omnino exstirpandam certò habe, ut Monachis vel Monialibus in quibusdam Conventibus seu Monasteriis annua provisio tot nummorum vel florenorum detur pro vestitu & aliis personalibus necessitatibus. In panno enim vel speciebus aliis quibus opus habent, non in pecunia, vestitus illi dari debet, ut sicut pascuntur ex uno cellario, sic induantur ex uno vestiario; ut S. Augustinus in Regula præscribit.

Abusum quoque & pravam consuetudinem penitus excidendam esse ne dubites, quòd Religiosi Viri vel Moniales pecunias habeant in propriis scriniolis intra communem arcam, cujus clavis sit penes Superiorem, sive Abbatissam vel Priorissam. Unde cùm Archiepiscopus Urbini retulisset Sacræ Congregationi, Se non potuisse adducere Moniales cujusdam Monasterii ad suscipiendam vitam perfectè communem, ideóque illas proposuisse ut fieret communis arca, cujus elavis penes Abbatissam consisteret, ac intus aptarentur tot scriniola quot essent Moniales, ita ut unaquæque claviculam haberet scrinioli sui, & in eo asservaretur pecunia ex operis suis vel aliunde parta, quæ in ipsius tantùm & non alterius necessitates deberet expendi arbitrio Abbatissæ: Sacra Congregatio hoc temperamentum Iudicium existimavit ac repugnans laudato Concilii Tridentini Decreto, quod jubet ut omnia Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Ideoque eadem Congregatio Concilii interpres jussit Archiepiscopo, ut quandiu Moniales communem vitam non susciperent, receptione puellarum ad religiosum habitum & professionem illis interdiceret.

Congregatio quidem Regularium die secundâ Julii 168?, in Decretis edidit pro reformatione Monialium Neapolitanarum & Salernitanarum, fragilitati sexûs indulsit ut in Monasteriis, in quibus in eam usque diem retinebantur provisiones, & non omnia conferebantur in commune, concederetur licentia accipiendi aliquam subventionem, pro religiosis necessitatibus, Depositariæ seu Abbatissæ, atque ad illius nutum: & quæ superessent, Abbatissa in communes usus Monasterii erogare teneretur: Ordinarii verò sive Superiores quotannis exigerent rationem à Depositaria & Abbatissa de hujusmodi provisionibus, & in eas transgredientes graviter animadverterent. Nihilominus relatione postea factâ Clementi VIII. die sexta Maii anni millesimi sexcentesimi, Sanctitas sua Decreto Congregationis addidit, Ut Moniales omnes tenerentur provisiones omnes ipsis assignatas Superioribus fideliter significare, & consignare in certo libro notandas, & per communes Officiales Monasterii, in totum vel pro parte, ut opus esset, quotannis erogarentur. Refert Fagnanus in Cap. *Monachi*, Est. *De Statu Monachorum & Monialium*.

Ultra hos fines progredi non posse videtur Superiorum indulgentia. Cavere tandem debent, ne tolerando peculium Monachorum & Monialium, aut nimiùm indulgendo vel dispensando contra Regulas mox positas & explicatas, æternam sibi, subditisque suis damnationem arcessant. Vale, Vir Religiosissime, mei ad Altare Domini memor.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LXXII.

De largitione munerum Regularibus utriusque sexûs vetitâ.

RELIGIOSO VIRO***

De largitione munerum personis Regularibus utriusque sexûs interdicta sententiam meam rogas; hanc paucis accipe. Monachis & Sanctimonialibus, & omnibus generatim religiosæ paupertatis voto obstrictis, munera largiri vel accipere non licet absque Superiorum permissu. Dans aliàs vel accipiens, infracti voti & lethalis peccati reus est, nisi materiæ levitas excuset. Id luculenter confirmant Constitutiones Pontificiæ Clementis VIII. & Urbani VIII. munerum largitionem Religiosis utriusque sexûs sub pœnis gravissimis prohibentes.

Clementis VIII. Constitutio XXVIII. quæ incipit, *Religiosa*, Bullarii Romani Tom. 115. edita, universis & singulis cujuscumque Ordinis Mendicantium vel non Mendicantium, seu cujusvis Congregationis, Societatis & Instituti Regularibus personis utriuslibet sexûs, Abbatibus etiam & Abbatissis, Prioribus & Priorissis, aut alio quovis titulo præsidentibus, *Omnem & quamcumque largitionem & missionem munerum penitus interdicit. Adeo ut nemo umquam eorum vel earum, directè vel indirectè, palam vel occultè, tam communi quàm particulari nomine, etiam sub quovis Statuti, vel consuetudinis, seu corruptela, aut alio prætextu, vel quacumque causâ, nisi in generali Capitulo, aut alia Congregatione re maturè discussâ, unanimi consensu omnium, Superiorúmque permissu causa approbata fuerit, quicquam tale attentare valeat.* Id autem ita absolutè & generatim vetitum declarat summus Pontifex, ut neque ex fructibus, reditibus, proventibus, collectis, vel contributionibus aut oblationibus, sive eleemosynis, subsidiis certis vel incertis, ordinariis seu extraordinariis mensæ seu massæ communis; neque etiam ex pecuniis, quæ à singulis quovis modo acquisitæ in commune conferendæ sunt, munera largiri liceat; nec sic per viam voluntariæ contributionis in commune congerantur: nec si forsitan privatim aut nominatim cuilibet Religioso à suis Superioribus, vel à propriis affinibus, propinquis, familiaribus, amicis aut benevolis, vel à piis Christi fidelibus, etiam eleemosynæ aut charitatis, & illius propriæ personæ intuitu attributæ, seu quoquo modo per quemlibet Religiosum suo Monasterio, domui aut loco acquisitæ, eique ut ad libitum de eis disponat, per Superiores concessæ fuerint: *Præterquam leviora esculenta aut poculenta, seu ad devotionem vel religionem pertinentia munuscula, communi tantùm, numquam verò particulari nomine.* Missionem autem & largitionem hujusmodi mune-

tum, non solùm per se, verùm etiam per alios, tam directè quàm indirectè, prohibitas declarat, cuicumque personæ, laïcæ vel Ecclesiasticæ mittantur. *Ita ut inter ipsos etiam Religiosos (ne pravâ ambitione impulsi pro consequendis in sua Religione Gradibus & Dignitatibus alter alterius gratiam aut benevolentiam aucupatur, quæcumque largitio aut donatio munerum (nisi rerum minimarum, de licentia expressa & in scriptis Superiorum) sit penitus interdicta.* Munera recipientes à Religiosis personis, sive Laïcos, sive Clericos, Sæculares vel Regulares, ad restitutionem in utroque foro teneri Pontifex declarat: *Adeo ut restitutione realiter non factâ, neque etiam in foro conscientiæ absolvi possint.* Hanc autem restitutionem fieri statuit, *non privatim ei Religioso qui donavit, sed ei Monasterio, domui vel alteri loco, de cujus bonis facta est largitio; vel si non de eis bonis donatum est, in quo idem Religiosus donans professionem emisit.* Nec eos, quibus facienda restitutio est, illam condonare posse. Regulares contra hanc prohibitionem dantes munera, omnibus & singulis dignitatibus, gradibus, muneribus & officiis eo ipso privatos, & ad alia in futurum obtinenda inhabiles perpetuò & incapaces declarat, infames, voce activâ & passivâ ipso facto privatos pœnis furti & simoniæ obnoxios.

Clementis VIII. Constitutionem confirmavit Urbanus VIII. cum declarationibus nonnullis seu interpretationibus à Congregatione selectorum Prælatorum ad id singolariter deputatâ editis, Diplomate quod incipit, *Nuper*, inter illos Constitutiones XLVIII. declarante, *Munera à Religiosis utriusque sexûs tribui posse ex causis gratitudinis, conciliationis, benevolentiæ, ejusque conservationis erga ipsam Religionem vel Conventum, aliisve causis ex sui natura actum virtutis & meriti continentibus, modestè tamen & discretè, & dummodo id non fiat nisi de Superiorum localium licentia: ac etiam cum consensu majoris partis Conventûs, si talis consuetudo de jure, vel ex constitutionibus seu consuetudinibus cujusque Religionis respective, in hujusmodi casibus requiratur. Consensum verò Conventûs in §. secundo ejusdem Constitutionis ad leviora esculenta & poculenta, sive ad devotionem & religiositatem pertinentia, largienda, &c. requisitum, intelligi debere de consensu aliàs de jure requisito, & ubi concurrit ambitionis suspicio: qua cessante, nec in hoc requiri licentiam Superiorum in scriptis, sed sufficere licentiam ore tenus iisdem concessam*, declarat. Jubet autem Clementis VIII. Constitutionem in reliquis ejus partibus omnino observari, *quemcumque prætensum non usum, aut prætensum usum, seu prætensam consuetudinem damnando & irritando.* Facultatem Clementis VIII. Constitutionem declarandi vel interpretandi contra præsentis Decreti tenorem, penitus interdicit. Eamdem Constitutionem, Decretumque suum singulis annis mense Januario in aliqua publica Congregatione, vel saltem in publica mensa perlegi mandat, & Superioribus localibus cujuscumque Monasterii, Conventûs, Domûs & Collegii Regularis præcipit ut hanc lectionem in perpetuum fieri curent, sub pœnis privationis officii, vocisque activæ & passivæ ipso facto incurrendis.

Tom 4. Bullar. Rom.

Ex his colligitur 1. Lethalis peccati reos esse utriusque sexûs Regulares, qui munera notabilia largiuntur aut recipiunt, sive per se, sive per alium; sive indirectè, sive directè; sive palam, sive occultè; sive communi, sive particolari aut proprio nomine, nisi in generali Capitolo, aut aliâ generali Congregatione, re maturè discussâ, unanimi consensu omnium, Superiorumque permissu causa approbata fuerit (ut habet Clementis VIII. Constitutio.)

2. Lethalis peccati, & quidem gravioris esse reos, qui munera largiuntur ut viam sibi parent ad dignitates, officia & gradus; sive Superioribus, sive æqualibus, sive inferioribus, Clericis, vel Laïcis, sive Sæcularibus, sive Regularibus donent.

3. Qui munera largiuntur absque Superiorum licentia.

4. Qui accepta non restituunt Conventibus seu Monasteriis, ad quos data seu missa de jure pertinent.

5. Consuetudinem quamvis hac in re neminem à peccato excusare.

6. Gravis peccati reos esse Superiores, qui Constitutiones illas Pontificias in Monasteriis sibi subditis observari non curant.

7. Lethalis peccati reos esse Regulares, qui commodant vel mutuo dant aliquid notabile alteri, animo illud ampliùs non repetendi.

8. Qui consanguineis, aliisve condonant solutionem legati, pensionis, alteriusve debiti.

9. Qui rem notabilem ab alio sibi donatam, & expressè vel tacitè acceptam, alteri tradi jubent aut rogant.

10. Qui residuum pensionis vitalitiæ, aut aliorum bonorum, aut redituum suis usibus permissorum, cùm fortè extra Domum Religiosam commorantur, donare non dubitant. Hæc enim omnia Clementis VIII. Constitutione sub gravissimis pœnis prohibentur.

11. Non peccare, qui leviora esculenta & poculenta, & munuscula ad religionem & devotionem pertinentia cum licentia Superiorum largiuntur, modò id *modestè & discretè* fiat, ut explicat Urbanus VIII.

12. Ex causis gratitudinis, conciliationis & conservationis benevolentiæ in Ordinem & Conventum seu Congregationem Religiosam: item causâ pietatis, charitatis, hospitalitatis, aliisve causis ex sui natura actum virtutis & meriti continentibus, discretam & modestam munerum largitionem, aut pecuniarum aliquarum erogationem, cum Superiorum majorum aut localium licentiâ legitimè fieri posse à Viris Religiosis & Monialibus, ex Urbani VIII. Constitutione. Remunerationis etiam & grati animi vice munerum largitionem modestam & discretam cum Superiorum licentia probat idem Pontifex. Hæc enim non est donatio simpliciter, sed donatio ob causam, quam Jurisconsulti antidotalem vocant.

13. Religiosos Ordinum Militarium Pontificiis illis Constitutionibus de largitione munerum non teneri, quia illos excipit Clemens VIII. Nec Episcopos ex Religiosis Ordinibus assumptos; nec Regulares Beneficia ecclesiastica habentes, quia munera non largiuntur ex bonis Monasterii, sed ex reditibus, quorum liberam administrationem habent.

Optandum tandem est, ut quod à sacra Congregatione Regularium decretum est pro Monasteriis Sanctimonialium civitatum Neapolitanæ & Salernitanæ die 2. Junii 1589. & 12. Junii 1592. in aliis pariter Monasteriis stabiliatur & observetur: ut scilicet *Confessariis Monialium vicissitudo munerum, quantùmvis exigui valoris, quæ sibi cum Monialibus possit intercedere, omnino interdicta sit, sub pœna perpetuæ suspensionis ab audiendis tam illarum, quam quarumvis aliorum Confessionibus.*

Ut nulla Monialis vel Conversa, dona vel munera, vel pecuniam, aut aliud quidpiam, etiam charitatis aut pietatis vel eleemosynæ nomine sive intuitu, cuicumque personæ tribuat, donet aut lar-

giatur: sed si ex aliqua justa vel rationabili causa A *aliquid dandum vel tribuendum visum fuerit, id à Præfecta seu Superiore Monasterii, & ex re communi fiat.*

Præsertim verò caveatur, ne qua Monialis vel Conversa quicquam ex boni Monasterii donet, nec ex eis quidem quæ in usum suum assignantur, nisi de licentia Abbatissæ.

Neque ullius generis bellaria, edulia, esculenta, jentaculo, offellas, confectiones & sirupata, vel alia similia quæcumque conficiant, aut coquant, ut illa vendirent, donent vel largiantur, nisi de licentia Abbatissæ, & de rebus modica impensa, & in consanguineos tantùm. B

Vale, Vir Religiose, nostrique tuis in Sacrificiis memineris, & sacrarum Virginum, quarum conscientias moderaris, orationibus nos commenda.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LXXIII.

Abbatissa lethali morbo decumbens residuos pensionis suæ vitalitia fructus, etiam ad pias causas, legare non potest: nec vasa argentea, gemmas, C *variam supellectilem, libros nepti suæ ejusdem Monasterii Moniali donare.*

RELIGIOSO VIRO ***.

QUam pro amicitiæ ergà me tuæ jure vehementer urges responsionem ad Quæstiones à te propositas, paucis expedio. Rogas utrum Abbatissa lethali morbo decumbens, quæ tria millia nummûm ex vitalitia pensione sua, parentúmque donis residua habet, conferre possit Monasterio suo fundationis titulo ad piam causam, ut scilicet lampas coram Sanctissimo Sacramento in Ecclesia D exteriori, sive Sanctuario jugiter accensa maneat, præter eam quæ huc usque in Choro Sanctimonialium ardere consuevit.

Secundò, Utrum constituere possit numerum Missarum pro animæ suæ requie post obitum suum celebrandarum?

Tertiò, Utrum certo pauperum numero indumenta legare possit?

Quartò, Utrum libros nepti suæ in eodem Monasterio Sanctimoniali professæ donare possit quorum illi jam permisit usum: cùm hæc in Abbatia E consuetudo vigeat ut Sanctimoniales consanguineæ vel amicæ libris hujusmodi cum Abbatissæ licentia comparatis communiter utantur, inscriptis sororum duarum, vel amitæ ac neptis aut duarum amicarum nominibus; utque alterutrà obeunte, remaneant alteri?

Quintò, Utrum eadem Abbatissa discos aut crateres argenteos, horologium affabrè factum atque pretiosum, telæ subtilioris centum ulnas, variámque supellectilem sibi superfluam (quæ omnia non ex Monasterii reditibus, sed ex vitalitiæ pensionis suæ, quam habet à familia nobili & præ- F dívite, aut ex parentum donis comparavit,) nepti suæ Sanctimoniali donare possit?

His Quæstionibus facilè respondere posses, cùm Moralis Theologiæ peritus sis, & in Sanctimonialium conscientiis dirigendis exercitatus: verùm cùm sententiam meam exquiras cámque Abbatissa ipsa, ut scribis, scire velit ac sequi; ad singulas interrogationes ordine respondeo.

I. Gravis peccati rea est Abbatissa, quòd pecuniæ summam ingentem ex vitalitia pensione sua servaverit, & in commune Monasterii ærarium A seu massam communem non contulerit, cùm præsertim superflua esset eidem Dominæ, quæ omnia religiosis suis usibus necessaria ex pensione illa vitalitia delibaverat. Si proprium aliquid dicere vel habere Monachus aut Monialis sine crimine non potest, quantò minus thesaurizare? Si Christianos omnes spectat quod Apostolus præcipit, *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*; quantò magis Monachos & Sanctimoniales? De violato igitur paupertatis voto pœnitentiam ut agat hortare, nec antè absolvas & sacrâ Eucharistiæ Communione dones infirmam, quàm residuam illam ex pensionibus suis & parentum donis B pecuniam in commune Monasterii ærarium sive depositum intulerit, cum cæteris Abbatiæ bonis confundendam. *Quidquid* enim *Monachus vel Sanctimonialis acquirunt*, sive ex pensionibus vitalitiis, sive ex donis parentum, consanguineorum, amicorum, sive ex proprio labore & industria proveniat, *acquirunt Monasterio*. Inconcussa regula est, in sacris Canonibus, & in ipsa voti paupertatis substantia fundata.

1. Tim. 6. 8.

II. Abbatissa gravi lethalique morbo decumbens residuam illam pecuniæ summam conferre non potest Monasterio suo, eâ adjectâ conditione, ut lampas altera coram Sanctissimo Sacra- C mento perpetuò ardeat, vel ut pro animæ suæ requie certus Missarum numerus post obitum suum celebretur, aut pauperes aliquot vestiantur. Cùm enim ea pecunia sit Monasterio jure debita, conferri debet communitati sine onere. Præterea non potest Abbatissa contractum fundationis, ut loquimur, inire cum Monasterio suo: siquidem peculium habere jure non potest, voto paupertatis repugnante: nec persona moraliter distincta censetur à Communitate cui præest, ut cum illa contrahere possit, sed præcipuum ejus membrum.

Accedit, quòd condendi testamenti aut aliquid D supremâ voluntate legandi, vel etiam inter vivos donandi facultas Monachis & Monialibus, etiam Abbatibus & Abbatissis interdicta sit, & repugnet *abdicationi proprietatis, quæ ita est annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex dispensare valeat.* Bona donare vel legare nemo potest, quorum non est dominus; sive testamento sive qualibet aliâ ratione, etiam ob causas pias: Monachus porro & Sanctimonialis sunt incapaces dominii, adeóque & Abbates & Abbatissæ iisdem votis obstrictæ. Impia igitur essent & sacrilega legata (tametsi piæ illius causæ obtende- E rentur) utpote voto paupertatis repugnantia. Quomodo verò constituere aliquid possunt propriâ voluntate, qui propriam voluntatem non habent? Denique id sacris Canonibus & Legibus disertè vetitum est. Ita Gregorius Magnus Epistolâ VII. Libri VII. Januario Calaritano Episcopo respondet: *Quia ingredientibus Monasterium convertendi gratiâ, ulteriùs nulla sit testandi licentia, sed res eorum ejusdem Monasterii juris fiant, apertâ legis definitione decretum est. Quod cùm pene omnibus notum sit, in magnam nos Gravinia Abba-* F *tissa Monasterii sanctorum Gravini atque Luxorii insinuatio admirationem perduxit; quo Siricam Monasterii sui Abbatissam, postquam regendi suscepit officium, condito testamento legata quibusdam asseruit reliquisse...... Necessarium visum est nobis, tam cum Consiliariis nostris, quàm cum aliis hujus civitatis doctis viris, quid esset agendum de lege tractare. Qui tractantes responderunt: Postquam solemni more Abbatissa ab Episcopa ordinata est, & in Monasterii regimine per annos plurimos usque ad vitæ suæ transitum præfuit...... non potuisse Monasterio præjudicium irrogare, sed*

Cap. Cum ad Monasterium, ext. De statu Monachorum.

Cap. Quia ingredientibus, Ext. De Testament.

res ipsius eidem loco, ex quo illuc ingressa & Abbatissa constituta est, manifesto jure competere. Et ideo quia ex dimissis illicitè rebus Xenodochium possessionem asserit indebitè detinere: hic vos hortamur affatibus, ut quia & Monasterium & Xenodochium ipsum in vestra est civitate positum, omni curâ ac studio providere debeatis: quatenus si possessio ipsa ex nullo præcedenti contractu, sed ex memorata Sirica legato descendit, antedicto Monasterio, postposito strepitu vel executione, reddatur. Alia igitur omnia, quæ ex testamento prænominata Sirica detinentur, quippe quod nullum esse legali sanctione permittitur, necesse est ut juri Monasterii, Fraternitatis vestræ solicitudine, sacerdotali per omnia studio reparentur: quia Imperiali Constitutione apertè sancitum est, ut ea quæ contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint.

Potest tamen Abbatissa vivens, & nunc lethali decumbens ægritudine, decernere Sororum suarum suffragio & assensu, ut lampas altera in choro exteriori coram Sanctissimo Sacramento jugiter ardeat; in idque pium opus impendantur pecuniæ ex pensionibus suis residuæ, atque in eum finem serventur in communi deposito Monasterii. Communitas enim Religiosa, cujus Abbatissa caput est, jus habet dispensandi bona sua, & in quos visum fuerit pios ac religiosos usus insumendi, Regulâ Constitutionibúsque servatis. Quin etiam mihi videtur Abbatissam, cui jus plenæ & liberæ administrationis bonorum temporalium Monasterii creditum est, posse, dum vivit, pauperes aliquos induere, & eleëmosynas seu honoraria ad Missarum celebrationem, suo Monasteriique nomine conferre certis Ecclesiis & Sacerdotibus, modò pia illa opera non retrotrahantur quasi post ejus obitum ea ejus implenda mandato: quod testamentariam dispositionem sapit. Resignatis demum Communitati prædictis pensionis suæ vitalitiæ fructibus, aut pecuniis ex gratuita parentum suorum largitione provenientibus (quæ resignatio integra, simplex & absoluta esse debet) rogare potest Sorores suas, ut pro levamine & remedio animæ suæ, cùm diem ultimum obierit, Sacra piacularia Deo frequenter offerri curent, & eleemosynas erogari: in idque (si videbitur) fructus illos pensionum ipsius impendi, si necessarii non sint Religiosæ Familiæ ad alendas & vestiendas Sorores, ad æs alienum expungendum, ad ædificia instauranda. Verumtamen id Communitatis suffragiis & dispositioni relinquere debet, & cum omnimodâ & perfectâ periculi ac propriæ voluntatis abdicatione in Domino mori, Christúmque in summa paupertate pro nobis omnibus mortuum imitari.

III. Nepti suæ ejusdem Monasterii Sanctimoniali donare non potest Abbatissa libros pios, quos sibi magno numero comparavit, & quorum usum illi permisit. Spectatâ tamen consuetudine Monasterii, librorum illorum usum retinere poterit Religiosa neptis post amitæ obitum, cum Abbatissæ futuræ licentia: sed eorum dominium sibi vindicare non poterit, quod nec habere potuit amita Abbatissa. Illos itaque alienare, vendere, donare, aut in aliud Monasterium asferre jure non poterit, si transferatur ipsa vel causâ regiminis ac Præfecturæ, vel ob aliam rationem.

IV. Religiosæ Nepti donare non potest Abbatissa, sive optimè valeat, sive periculosè (ut ex ponis) decumbat; discos vel crateres argenteos, annullos ex auro vel gemmis, horologium pretiosum, aliáque id genus, telæ vel panni plures ulnas, variamque supellectilem; sed disci, crateres & similia utensilia vel instrumenta & vasa argentea conflari debent in usum Sacrarii; annuli, gemmæ, & horologium pretiosum vendi, Altarisque decori & ornamento pretium ex his proventurum applicari, nisi in alios usus magis necessarios ipsum converti justitia vel charitas postulent. Supellectilem necessariam & religioso statui suo convenientem si neptis non habeat, illi ex superflua supellectili sua providere potest Abbatissa quamdiu vivit: si habeat necessariam & sufficientem, relinquere debet distribuendam, vel ipsa distribuere Sororibus quibus fortè deest. Si nulli desit, in communem usum vel emolumentum Monasterii convertendam tradat Sororibus quæ officia & ministeria regularia gerunt & obeunt. Necessariam supellectilem dixi, non curiosam, non pretiosam, quæ Monachos & Sanctimoniales non decet, nec salvo paupertatis voto ab illis retineri, vel ipsis indulgeri potest.

Monasterii consuetudinem responsis hisce meis contrariam si objiciant Sanctimoniales vel Domina Abbatissa: consuetudinem sacris Canonibus, Regulis Monasticis, & Votis Religiosis contrariam, *corruptelam* censendam esse doce, ac *legem mortis* coram Deo non excusantem, cùm Christus non dixerit, Ego sum consuetudo; sed, *Ego sum via, veritas & vita.* Vale, mei in sancto Altaris Sacrificio memor.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LXXIV.

Sanctimonialis ex fructibus vitalitiæ pensionis suæ, cum Abbatissæ licentia reservatis, creare sibi pensionem non potest interposito fratris nomine.

RELIGIOSO VIRO***

DOleo plurimùm quòd in Monasteriis quibusdam Religiosi Viri vel Sanctimoniales ritualibus quidem observantiis, humanisque legibus scrupulosâ pietate adhæreant: in multis verò quæ vota spectant, Vitæque Monasticæ substantiam ac fundamentum, nullum sæpe scrupulum patiantur, colantes culicem, camelum autem glutientes. Id probat Quæstio de qua sententiam meam consiliúmque rogas.

Abbatissa quædam (inquis) Sanctimonialis Monasterii sui suppeditans abundè necessaria multorum annorum spatio, quibus Domui Religiosæ præfuit ad obitum usque suum: illi permisit ut vitalitiæ pensionis quinquaginta nummûm argenti monetæ Gallicæ fructus annos servaret atque congereret, post obitum ejusdem Abbatissæ sibi profuturos. Postquam verò è vivis excessit Abbatissa, vult eadem Sanctimonialis conflatam ex prædictis fructibus summam quatuor millium librarum, interposito fratris sui nomine donare seu conferre Monasterio, alienato capitali & in Monasterii jus ac dominium penitus translato: ea conditione ut Monasterium eidem Sanctimoniali, quoad vixerit, solvat pensionem annuam centum quinquaginta librarum, ad incrementum pensionis pristinæ, in religiosos ejus usus expendendam. Quærit à Doctoribus an id liceat, quod licere sibi vellet. & quod ipsi licere quidam Regulares Casuistæ responderunt. De proposita Quæstione ita censeo.

Non potuit Abbatissa permittere Sanctimoniali prædictæ, ut fructus vitalitiæ pensionis suæ servaret, ex iisque summam ingentem pecuniæ conflaret in posterum sibi profuturam. Nec sa[illegible]cen-

tia Sanctimonialem à vitio proprietatis immonem diæstitit, ut constat ex Cap. *Cum ad Monasterium*, Ext. *De statu Monachorum*. Sanctimoniali prædictæ alimenta & vestimenta, omniáque necessaria ad vitam commodè traosigendam abundè subministrabantur habitâ ratione Religiosi status : nee præsumi poterat ipsi aliquid defuturom post obitum Abbatissæ : cùm Monasterium dives sit, in eóque disciplina regularis, quoad hoc etiam caput, accuratè servetur : ut Sororibus, cum sanis tum infirmis necessaria procurentur ac subministrentur. Sequi igitur debuit ac debet Apostoli
1. Tim. 6. regulam : *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* Christi præceptum sequi de-
Matth. 6. 34. buit : *Nolite solliciti esse in crastinum.* Soade igitur ut pœnitentiam agat de præterito ; summam verò quatuor millium librarum ex fructibus vitaliriæ pensionis suæ conflatam, Monasterio suo conferat seu potiùs restituat : ipsius enim Monasterii bonorum portio est. Quamobrem fructus annuos seu reditum centum quinquaginta librarum, interposito fratris sui velut donantis nomine, à Monasterio exigere aut recipere non potest ad incrementum antiquæ pensionis suæ, sine cupiditate, quæ radix malorum omnium est ; sine vitio proprietatis ; sine furti sacrilegi labe ; sine mendacio & fraude damnabili. Nec proinde frater ejusdem Sanctimonialis hac in re nomen operámque suam ipsi commodare potest sine mortali peccato & onere restituendi Monasterio fructus annuos, quos soror sua ex prædictâ summâ, ejus nomine, ad velamen malitiæ, Monasterio veluti collatâ & collocatâ perciperet. Vale, mei tuis in Sacrificiis memor.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LXXV.

Qui dubitat utrum res quæ præcipitur, licita sit, non tenetur obedire manente dubio ; sed tenetur illud deponere, judiciúmque suum Superioris judicio summittere.

RELIGIOSO VIRO***

SIquidem ad me non scribis nisi ut Quæstionem proponas aliquam, vellem occasiones hujusmodi sæpe occurrere, litteras ut à te acciperem ; ut quo mihi daretur opportunitas frequens bene de te merendi. Quæstioni interim quam postremis litteris tuis proponebas, hunc in modum respondeo :

Qui dubitat utrom res quæ præcipitur licita sit, non tenetur obedire manente dubio, sed dubium deponere debet, judiciúmque suom Superioris judicio summittere & conformare. Dubio (inquam) perseverante parere non tenetur, quia se peccati periculo exponens, peccaret. Dubium verò deponere debet, quia Superior est in possessione juris præcipiendi, quo minimè spoliandus est per inferiorum dubitationes & scrupulos ; siquidem in ejus arbitrium propriam libertatem abdicarunt. Præterea viri prudentis est, in ambiguis Superiorum sequi judicium, qui Dei vice præsunt & jubent : ad quos legum pertinet interpretatio : & quos Deum in subditorum regimine gratiæ suæ lumine illustrare ac dirigere, par est ut credamus. Tandem si quis obedire renuat levi fundamento nixus, nec dubium in pravi deponere teneatur, inde nascentur scandalorum & pravorum exemplorum synitz zizania.

Hæc responsio confirmatur ex Cap. *Inquisitioni*, Extra, *De Sententia Excommunicationis*, quod Innocentii III. responsum est. Docet enim conjugem, cui certò compertum est impedimentum conjugii, propter quod sine mortali peccato non valet consummare matrimonium quod nullum est, quamvis illud impedimentum in foro Ecclesiastico probare non possit, debere potiùs excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quàm reddendo debitum mortale peccatum committere. Si verò credulitate probabili & prudenti, quamvis non evidenti & manifestâ conscientiam habeat impedimenti, gravique ea de re dubitatione pulsetur, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet seu exigere : *Ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.* At si habeat conscientiam hujusmodi ex credulitate levi & temeraria, ad sui Pastoris consilium conscientiâ levis & temerariæ credulitatis explosâ, licitè potest non solùm reddere, sed exigere debitum conjugale. Pari jure, ille cui certò compertum est rem quæ præcipitur illicitam esse, parere non debet præcepto. Si verò probabiliter dubitet ân licita sit, parere non debet manente dubio. Sed, nisi gravis sit ac prudens dubitandi ratio, dubium deponere debet, ac in Superioris judicio & arbitrio acquiescere. Vale, mei in sacrosancto Pretii nostri Sacrificio memor.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LXXVI.

In dubio utrum qui præcipit sit legitimus Superior, illi parere debet Regularis, si faveat præcipienti communis aut majoris sive sanioris partis Regularium opinio.

RELIGIOSO VIRO***

STudia mea fraternæ caritatis gratiâ interpellari nusquam mihi molestum, quin immò jucundissimum semper erit, cùm ad finem ipsum charitatis tendere debeant. Non est ergo quòd excuses interrogationis tuæ libertatem. Honori duco de Moralis Christianæ Quæstionibus interrogari ; officio, respondere. Propositæ portò à te Quæstioni sic respondeo :

Cùm dubitat Regularis, utrum qui præcipit sit legitimus Superior, illi parere debet, si faveat præcipienti communis, aut majoris sive sanioris partis Regularium opinio, quamvis aliqui de illius auctoritate dubitent. Communis enim opinio in hujusmodi dubiis jus facit, ut colligitur ex L. *Barbarius*, D. Tit. *De Officio Prætoris*. Quæ tamen in re non partium judicium, sed sapientum & ab omni præjudicatæ mentis affectu alienorum sequi tenetur, & in Superiorum majorum judicio acquiescere : & quamdiu de auctoritate controversia movetur, illi obedire pendente lite, qui in possessione est, quia *In dubiis melior est conditio possidentis*, ut habet Regula Juris. Si verò communis aut majoris sive sanioris partis Regularium opinio nullam in hujusmodi viro auctoritatem agnoscat, & ne coloratum quidem titolum Superioris, non tenetur dubitans illi obedire : cùm in dubio melior sit conditio libertatem suam possidentis. Vale, meique ad Altare Domini memineris.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA

A

EPISTOLA LXXVII.

Monialibus, quæ Reformationem salutarem suscipere nolunt, præsertim quoad votum paupertatis, communémque vitam & clausuram, Superiores prohibere possunt ne recipiant Novitias, donec Monasterium ad Regularem Observantiam reductum fuerit.

REVERENDISSIMO VIRO***

Reverendissimæ Dignitatis tuæ consilium in causa Monialium illi subditarum, quæ salutarem reformationem, in iis præsertim quæ spectant votum paupertatis, communemque vitam, regularem habitum, & clausuram, suscipere nolunt post admonitiones adhortationésque tuas, prudens ac pium mihi videtur: ut scilicet prohibeas ne recipiant Novitias, donec Monasterium ad regularem observantiam omnino reductum fuerit, & hanc ipsis licentiam concesseris. Simile erat Clementis VIII. consilium, qui Decretis ad Regularium reformationem editis prohibuit ne quis deinceps ad habitum vel professionem reciperetur, nisi in Conventibus Regularis Observantiæ, designatis vel designandis, sub pœna nullitatis receptionis & professionis inde secutæ: voluitque ut sic recepti in iisdem Conventibus annum probationis agerent, & post Professionem per annos aliquot permanerent.

Consilium quoque tuum Cardinalis Cajetani doctrinæ congruit, in Secundam Secundæ S. Thomæ, ad Quæstionis centesimæ octogesimæ-nonæ Articulum quintum. *In illis* (inquit) *locis expedit pueros in Religione dare, in quibus optandum est ut similes fiant illis quorum consortio dantur. Ubi autem personæ quarum consortio dantur, reprobæ sunt aut deviæ à Regularibus Institutis, magna dementia est dare illis pueros aut puellas nutriendas. Et hic error hodie in multis viget locis, dum dantur pueri & puellæ Monasteriis Religiosorum seu Religiosarum vita communis, qui vulgò Conventuales seu Claustrales appellantur. Quo fit ut reformandi nunquam reformari possint, dum transgressores Vitæ Regularis continuò nutriuntur ac augentur. Unde sanciri deberet ut nullus puer, nulla puella possit Religioni tradi, nisi ubi vitrò vivitur regulariter. Sic enim aut extinguerentur irregulariter viventes, aut reformarentur, vexatione dante eis intellectum.* Cæterùm non minori suavitate quàm fortitudine agendum probè nosti hoc in negotio, pro sexûs teneritudine, sacratissimque puellarum infirmitati, quantùm salvo officio fieri potest, indulgendum; multa toleranda, modò contra votorum substantiam non pugnent, ut fragor vitetur, & perturbatio conscientiarum, sensimque ad perfectam Observantiam perducantur. Vale; méque tui observantissimum Deo ad ejus Altare commenda.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LXXVIII.

Summa octo millium librarum à Novitio donata Conventui mense probationis decimo, restituenda est ejus heredibus, si ante Professionem obierit.

RELIGIOSO VIRO***

Consilium rogas meum de subjecta Quæstione, quam solvere facillimè posses. Guillel-
B mus secundùm leges major, bonorúmque dominus, quorum nuper ex asse heres à patruo institutus fuerat, Canonicorum Regularium habitum in Abbatia *** suscepit. Mense religiosi tyrocinii seu probationis decimo, octo millia librarum Monasterio donavit, eáque apud trapezitam priùs quàm habitum regularem susciperet, deposita religiosæ Domûs Procuratori tradi jussit. Die Professioni designatâ, summo mane repentino morbo correptus obiit, donatione minimè revocatâ. Quæris, teneatur ne Monasterium summam illam octo millium librarum Fratris Guillelmi heredibus restituere ante sententiam judicis, an verò tutâ conscientiâ possit illam retinere, cùm donata sit
C ab eo qui bonorum suorum liberum dominium ac dispositionem secundùm leges habebat, servatáque sit forma Tridentini Concilii Decreto præscripta, Sessione XXV *De Regularibus*, Cap. XVI.

Summam octo millium librarum sine cunctatione & mora restituendam esse censeo defuncti F. Guillelmi heredibus, ante sententiam judicis, ante contestationem litis, ante interpellationem secundùm juris formulas factam: quia caduca est & irrita donatio; cùm similes donationes, ex Concilio Tridentino, non alias effectum suum sortiantur *nisi secutâ Professione.* Atque ita in similibus causis sensisse sacram Congregationem Con-
D cilii interpretem refert *Fagnanus*, Cap *Statuimus*. Extra, *De Regularibus.* Sanè donatio facta fuisse censetur Monasterio à F. Guillelmo intuitu Professionis; cùm igitur Professio secuta non fuerit, summa data restituenda est Novitii defuncti heredibus, sicut ipsi restituenda esset, si superstes non emisisset Professionem, sed habitu regulari dimisso rediisset ad sæculum. Quod enim ob causam donatum est, causâ non secutâ jure à donatore vel ab ejus heredibus repetitur, ut constat ex L. *Non omnis* D. *De rebus creditis, si certum pe-*
E *tatur*, & L. *Si pecuniam*, D. *De condictione causa datâ, causâ non secutâ.* Vale mei ad Altare Domini memor.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LXXIX.

Summa pecunia Monasterio à Laurentio donata ante susceptionem habitûs Religiosi, repeti ab ejus heredibus non potest.

F

CLARISSIMO VIRO***

Germanum tuum impetratâ missione ab exercitu in quo decem annos meruerat; sanctiori militiæ nomen dedisse, plurimùm gaudeo: sed lætitiam minuit lis exorta inter Monasterium *** in quo Professionem emisit, & te ipsum, ratione donationis trium millium librarum eidem Monasterio factæ antequam probationis habitum susci-

petet Summam traditam Monachis contestatâ lite repetis, causæ (ut ais) æquitati confideos; de qua meam nihilominus rogas sententiam, num Concilii Tridentini Decreto Sessione xxv. *De Regularibus*, Cap. xvi. similes donationes irritæ non sint?

Vellem consilium meum rogasses ante litis contestationem, tibi certè actionem dissuasissem. Concilii namque Tridentini mox laudatum decretum donationes seu renunciationes ante ingressum Monasterii & habitûs religiosi susceptionem factas minimè respicit, sed solùm renunciationes & donationes factas à Novitiis. Novitii autem non censentur qui Religionis habitum suscipere decreverunt, sed qui revera induerunt. Censet quidem Navarrus Consilio lxxxi. & lxxxii. *De Regularibus*, Tridentinæ Synodi decretum locum etiam habere in donationibus seu renunciationibus factis ante Monasterii ingressum & susceptionem habitus regularis: verùm contra Navarrum non semel censuit sacra Congregatio Concilii Interpres, ut refert Fagnanus in Cap. *Statuimus*, Extra, *De Regularibus*. Quamobrem si alias facta sit donatio servatâ juris communis formâ, liti, mihi crede, renuntias. Vale.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LXXX.

Qui Beneficium simplex habet per se ad honestam sustentationem insufficiens, illud dimittere non tenetur, cùm pinguius Beneficium ac per se sufficiens adeptus fuerit.

CLARISSIMO VIRO *** INSIGNIS ECCLESIÆ *** CANONICO.

INtentionis tuæ puritatem, conscientiæque teneritudinem plurimùm laudo, quæ te impulit ut subjectam Quæstionem mihi proponeres, consiliúmque de illa rogares meum. Beneficium Ecclesiasticum simplex antehac habebas, ad vitam quidem honestè sustentandam insufficiens, valoris scilicet ducentarum duntaxat libellarum annui reditûs. Collatus nuper tibi est ab Illustrissimo Episcopo *** opimus Canonicatus, qui ad honestam vitæ statûsque tui sustentationem solus ac per se sufficiat. Quæris utrum primum Beneficium simplex ejurare ac dimittere tenearis? Sacerdotem Regularem conscientiæ Moderatorem tuæ eâ de re tibi scrupulum movisse scribis, quòd ea mens sacræ Synodi Tridentinæ fuisse videatur, ut Clericus ex fructibus unius vel alterius Beneficii Ecclesiastici non habeat nisi honestam sustentationem. Quemadmodum ergo non permittit ut qui unum sufficiens habet, obtinere ac possidere possit alterum, etiam per se insufficiens: ita (inquit) permisisse non censetur ut qui alterum habet sufficiens, primum quod per se insufficiens erat, retinere possit.

Quamvis inconcussas esse velim, quas contra Beneficiorum pluralitatem tradidi Regulas Libro xi. Theologiæ nostræ Dogmaticæ & Moralis in Appendice ad Tractatum *De Ordine*, Cap. 6. p. 18. 19. 20. 21. tamen in specie quam proponis severior mihi videtur pii Confessarii opinio: nec ea mens est Tridentini Concilii, quod statuit *Ut inposterum unum tantùm Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem, si ad vitam ejus cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dum-* [Sess. 24. De Refor. cap. 17.]

A *modo utrumque residentiam non requirat, eidem conferri.* Nec valet optimi Sacerdotis ratiocinium à paritate rationis (ut illi quidem videtur) informatum. Ratio enim discriminis inter utramque speciem hæc est, quòd primi Beneficii ad honestam substentationem per se sufficientis possessor, ad alterius impetrationem ex avaritia vel ambitione impelli videatur; quæ præcipuæ rationes sunt cur prohibita sit Beneficiorum pluralitas, Cap. *Cum jamdudum*, Extra, *De Prebendis & Dignitatibus*. At verò unius Beneficii ad vitam suam honestè sustentandam nullimodè sufficientis possessor justè B appetit alterum ad honestam sui sustentationem. Et quamvis accidat ut secundum per se sufficiat, illud tamen impetrando non peccat, cùm auctoritate Concilii generalis juvetur: nec privatione primi, quod insufficiens erat, mulctandus est, cùm Ecclesiæ lex id permittat, & quod legitimè factum est nullam pœnam mereatur. Primum itaque Beneficium per se insufficiens, nec personalem exigens residentiam, tutâ conscientiâ retinere potes cum Canonicatu. Sic respondet vir juris Canonici consultissimus, & laxiorum opinionum impugnator acerrimus Prosper Fagnanus, in Cap. *Cùm jamdudum*, Extra, *De Prabendis & Digni-* C *tatibus*, Quæst. 4. N. 55. Favet etiam Barbosa in Collectan. Doct. in Concil. Trident Sess. 24. De Reform. C. 17. N. 4. Vale, & utriusque Beneficii fructibus ita utere ut fidelem dispensatorem decet, superflua in pios usus erogans. Mei verò ad Altare Domini memineris.

Lutetiæ Parisiorum.

D

EPISTOLA LXXXI.

Resignatio Beneficii à Novitio facta sex ante Religiosam Professionem mensibus, nullius est roboris.

CLARISSIMO VIRO***

URgentibus licèt studiis distentus, litteris tuis singulari humanitate conditis, ac propositæ Quæstioni respondere non moror. Julianus Ecclesiæ N. Canonicus, cùm Ordinem Religiosum ingressus esset, Beneficium suum Jacobo sex ante Professionem mensibus resignavit. Vota solemni E ritu cùm emisisset, Jacobus Beneficii possessionem adire voluit. Episcopus ad quem Canonicatûs collatio pertinebat, viso resignationis instrumento, Beneficium Petro contulit. Jacobus incertæ liti se implicare nolens, meam (ut scribis) rogat sententiam, num ad Canonicatum illum jus habeat vi resignationis à Juliano Religiosi Ordinis Novitio factæ?

Censeo Resignationem illam nullius esse roboris, ut pote factam contra formam à Concilio Tridentino præscriptam Sessione xxv. *De Regularibus*, Cap. xvi. cujus hæc sunt verba: *Nulla quoque renunciatio aut obligatio antea facta, etiam cum ju-* F *ramento, vel in favorem cujuscùmque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi vel ejus Vicarii fiat, intra duos menses proximos ante professionem; ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secutâ professione: aliter verò facta, etiam cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita & nullius effectûs.* Hoc porrò decreto resignationem Beneficii etiam comprehendi declaravit sacra Congregatio Concilii, ut refert Fagnanus in Cap. *Statuimus*, Extra, *De Regularibus*.

Hoc Tridentini Concilii decreto Caput *Benefi-*

cium, Tit. *De Regularibus*, in Sexto, emendatum A est, quo Bonifacius VIII. decreverat, *Beneficium illius qui Religionem ingreditur, non esse intra probationis annum alicui conferendum, nisi ad id ipsius accedat consensus*, &c.

Nullum ergo jus habet Jacobus ad Canonicatum, qui tunc demum vacavit cùm Joannes expressam Professionem emisit: adeóque Petro legitimè, canonicè, validè ab Episcopo collatus est. Illi ergo cedat Jacobus, ob animi moderationem, quâ lites, Beneficiorum præsertim aucupandorum gratiâ, suscipere detrectat, plurimùm laudandus. B Vale, mei tuis in Sacrificiis memor.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LXXXII.

Dignitas Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatæ, quæ nullos fructus habet & cui nulla cura incumbit, Residentiam nihilominus postulat.

CLARISSIMO VIRO ***

CUm Dignitates, Canonicatus & Præbendæ Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum, mansionem sive personalem residentiam Clericorum, qui hujusmodi possident Beneficia, secundùm Canones exigant, in dubium revocari scribis à quibusdam, num Dignitas Ecclesiæ N. quæ nullos fructus habet, & cui nulla cura incumbit, residentiæ legi obnoxia sit; rogasque ut scribam ad te quid ea de re sentiam.

Tuam de hoc Moralis capite sententiam audire & sequi mallem, quàm meam dicere, nisi tibi pariter ac mihi visum iri minimè dubitarem planè adhærendum esse Responsis sacræ Congregationis Concilii. Cosentinæ Thesaurarius Ecclesiæ, quæ Dignitas nec fructus aliquos habebat, nec annexam animarum curam, licèt post Pontificalem in illa Ecclesia major esset, dubitabat an mansionis seu residentiæ lege teneretur, stante consuetudine non residendi cùm Ecclesia vel Dignitas nullos reditus habet; quam consuetudinem legitimam censet Abbas in cap. *Extirpanda*, Ext. *De Præbendis*, §. *Qui verò*. Dubio ad sacram Congregationem Concilii relato, Eminentissimi Patres ac Domini responderunt: Thesaurarium, licèt nullos fructus haberet, teneri ex Concilio ad residentiam; quia consuetudo non residendi cùm nulli sunt fructus, aliàs jure communi probata, sublata est à Concilio Tridentino in Canonicatibus & Parochialibus Beneficiis. Similiter cùm Cardinalis N. Episcopus Auximanus quæsivisset an duæ Dignitates suæ Cathedralis, videlicet Archidiaconus & Archipresbyter, qui nullos reditus habent, sed solum stallum in Choro, ad residentiam teneantur? Sacra Congregatio Concilii die 18. Januarii anno 1614. respondit, Dignitates illas, etsi reditibus omnino destitutas, residentiæ lege teneri, juxta formam à Sacra Synodo Tridentina præscriptam Sessione XXIV. cap. XII. Ita refert *Fagnanus* in cap. *Cùm omnes*, Ext. *De Constitutionibus*. Vale, méque addictissimum semper habeto.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LXXXIII.

Episcopus statuere potest ut Parochi ne per hebdomadam quidem à Parochiis suis absint absque sua licentia.

CLARISSIMO VIRO ***

AB Illustrissimo & Religiosissimo Episcopo N. statutum scribis, ut Parochorum Diœcesis illius nemini liceat, vel per hebdomadam à Parochia sibi commissa abesse sine ejusdem Episcopi licentia in scriptis, sub pœna Suspensionis. Durum statutum vocas: quæris an Concilio Tridentino non repugnet, ea quæ de Residentia Episcoporum constituta sunt Sessione XXIII. cap. I. ad Curatos extendenti. Episcopi autem (inquis) duos aut tres menses abesse possunt ab Ecclesiis suis absque licentia Metropolitani, & absque probatione causæ, cujus æquitatem eorum conscientiæ permittit, judicióque Dei relinquit sacra Synodus. Quamobrem eodem jure Curatos uti posse tibi videtur. C Addis, casus repentinos occurrere posse, in quibus temporis angustiæ non permittant ad Episcopum scribere ac responsum exspectare, & rogas utrum in illis casibus incurrat in suspensionem qui sine licentia per hebdomadam abfuerit?

Mea de proposita Quæstione Sententia est, Episcopum id statuere potuisse; Decretum ejus durum videri non debere, sed prudens, salubre, suave, Ecclesiasticæ Disciplinæ & Concilii Tridentini Decretis prorsus congruum: quod etsi parem non residentium Parochorum conditionem esse sanciverit & declaraverit, *etiam quoad culpam,* D *amissionem fructuum & pœnas*: continenter addidit: *Ita tamen ut quandocunque eos causâ priùs per Episcopum cognitâ & probatâ, abesse contigerit, Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant.* Abesse igitur non possunt Parochi à suis Ecclesiis quandocunque, nisi cum licentia Episcopi in scriptis. 2. Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum relinquere debent. 3. Hæc licentia ultra bimestre tem- E pus concedi non debet, nisi ex gravi causa.

Hinc Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres declaravit, Parochos non posse, etiam per duos menses, immò nec per hebdomadam abesse absque licentia Episcopi, quæ causâ cognitâ & in scriptis concedatur. Et alias rogata, an valeat constitutio Episcopi, vetans ne Parochi absint ultra duos dies sine sua licentia, respondit, *Valere*. Quin etiam cùm Episcopus Brixiensis editurus esset constitutionem prohibentem ne ullus Curatus à sua Parochia abesset vel unicum diem sine ejus licentia, sub mulcta pecuniaria, & Parochi illius F Diœcesis dubitassent utrum id liceret Episcopo, cùm ex Concilio cap. I. Sessionis XXIII. qui paulisper abest à sua Diœcesi non videatur abesse; sacra Congregatio censuit, Statutum illud non fore contra Concilium, quod videtur velle ne possit Rector paululum abesse absque licentia Episcopi, etiam per unum diem. Si tamen hujusmodi constitutio absque aliquo temperamento edatur, sacram Congregationem effecturam ut Episcopus det potestatem alicui ex Vicariis suis foraneis ut hujusmodi licentiam rogantibus concedat. Si quis autem ex gravi causa, repentinâ, & ita urgente ut non potuerit petere licentiam, à sua Parochia

A abfuerit, quantocius redire debet ad Residentiam: & cùm primùm potuerit, Episcopum de absentia sua & absentiæ causis certiorem facere; cujus est judicare num absentiæ causa legitima, an impotentia vel difficultas petendi licentiam vera an simulata fuerit. Si enim causa necessaria & urgentissima non fuerit; aut necessaria quidem & legitima, propter quam Episcopus facultatem discedendi concessurus fuisset; sed tamen non fuerit petita & exspectata, cùm peti & exspectari facilè potuisset, Parochum qui sine licentia sua discessit, suspendere, vel aliâ pœnâ canonicâ mul- B ctare poterit Episcopus. Vale, mei tuis in Sacrificiis memor.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LXXXIV.

Episcopus jure negat Parocho facultatem studiùm Theologicum, seu Licentiam in aliqua Universitate decurrendi.

CLARISSIMO VIRO ***

GRatulandum est Illustrissimo & Religiosissimo Episcopo N. de zelo quo Dominus cor illius accendit, præsertim verò de constanti animo in promovenda sacrorum Canonum de residentia Parochorum observantia. Jure negat ejus Amplitudo Parocho Ecclesiæ N. facultatem stadium Theologicum seu Licentiam decurrendi in Academia, cujus inter Baccalaureos cooptatus erat antequam illi Parochiale Beneficium conferret. Quamvis enim similes dispensationes concedendi potestas olim Episcopis conveniret ex cap. D *Cum ex eo*, Tit. *De electione* in Sexto; Concilii tamen Tridentini Decreto videtur sublata, quo forma examinis per concursum in collatione Parochialium Ecclesiarum præscribitur, jubetúrque ut illi conferatur Beneficium, qui magis idoneus fuerit judicatus. Et quamvis ubique Disciplina illa non vigeat, supponit tamen sacra Synodus sufficiente scientiâ instructum esse debere, cui Parochialis Ecclesiæ cura committitur. Aliunde statuit ut iis omnibus qui Beneficium aliquod Ecclesiasticum obtinent, Episcopi *discedendi licentiam in scriptis gratisque, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non concedant.* Eam verò dispen- E sationem ultra annum extendendi non posse Sacra Congregatio Concilii censuit, etiam causâ inimicitiarum vel infirmitatis, quæ graviores certè causæ sunt quàm studii, aut Licentiæ in aliqua Universitate decurrendæ. Denique proposito Sacræ Congregationi dubio infrascripto; an Ordinarius possit concedere licentiam Parocho ut in publica Universitate studiis Sacræ Theologiæ vel Canonum vacare possit, sacra Congregatio & Summus Pontifex responderunt *Non posse*; jussitque Sanctissimus, *Episcopum ab ejusmodi licentia concessione abstinere.* Refert Fagnanus in cap. *Super* F *specula*, Ext. *De Magistris.* Vale.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LXXXV.

Clericus Canonicatum & Capellam in eadem Ecclesia obtinere & servare potest sine Sedis Apostolicæ dispensatione, si alterutrum ad honestam sustentationem non sufficiat.

CLARISSIMO VIRO ***

B REdituum Ecclesiasticorum incrementum per novi Beneficii accessionem tibi non gratularer, si Capella quam priùs possidebas ad honestam tui sustentationem satis fuisset. Verùm cùm tenuioris esset reditûs, gaudeo plurimùm quòd Canonicatu in eadem Ecclesia donatus sis. Quæris utrum absque Sedis Apostolicæ dispensatione Beneficium utrumque retinere possis. Non te latet duplicis generis Beneficia in eadem Ecclesia à Juris Canonici peritis vulgò distingui: quædam sunt conformia sive ejusdem generis, ut duo Canonicatus vel duæ Præbendæ: quædam difformia, ut C Dignitas cum Canonicatu vel Præbenda, aut Canonicatus & Capella. Circa Beneficiorum conformium possessionem sola Sedes Apostolica dispensare potest: circa possessionem difformium dispensare potest Episcopus, ut censet Joannes Andreas, & tota Juris Canonici Peritorum schola, fulta cap. 1. *De consuetudine*, in Sexto, cujus hæc sunt verba: *Statuentes ut, cùm unum officium vix dignè valeat aliquis adimplere, nulli liceat de cætero nisi unicum Personatum, vel Dignitatem, aut Præposituram, sive administrationem vel Officium perpetuum, quocunque nomine censeatur, cum Præbenda insimul absque dispensatione dictæ Sedis in eadem Ecclesia obtinere, vel* D *jam obtenta tenere. Quòd si à quoquam secus præsumptum fuerit, irritum sit omnino.* Canonicatum autem & Capellam difformia Beneficia esse, seu diversi generis, evidens est. Utrumque igitur possidere licet ac retinere cum dispensatione Episcopi: sed necessaria est expressa dispensatio; nisi Ecclesiæ in qua mereris, statutum vel consuetudo possessioni diversi generis Beneficiorum sub eodem tecto auctoritatem præstet. Quæ autem ab Episcopo concedi potest hac in specie dispensatio, ex magna & evidenti Ecclesiæ utilitate, aut E urgente necessitate, aut certè ob insignia personæ merita concedi debet. Hanc addunt exceptionem eruditi Canonici Juris Interpretes, ut Episcopus dispensare non possit circa diversi generis sub eodem tecto Beneficiorum possessionem, si ex privilegio, statuto vel consuetudine personalem utrumque residentiam exigit. Ita censent Fredericus de Senis Consilio 205. & 206. & Prosper Fagnanus in cap. *Litteras*, Ext. *De Concessione Præbendæ.* Cùm igitur Capella & Canonicatus in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata Beneficia sint F residentiam exigentia, secundùm hanc sententiam tutiùs ages, si Provisionis literas ab Apostolica Sede obtineas.

Sic in pari causa censuit sacra Congregatio Concilii Interpres. Cùm enim Episcopus Maceratensis contulisset Canonicatum & Capellam in Ecclesia sua vacantem Amedæo Clerico, & quæsitum esset an tutâ conscientiâ posset ille Capellam cum Canonicatu retinere absque dispensatione Summi Pontificis: sacra Congregatio declaravit Amedæum absque Provisione Sedis Apostolicæ hæc duo, difformia licèt, sub eodem tecto Beneficia obtinere non posse, nisi id statutum vel

Ecclesiæ Maorianensis consuetudo permittant, vel cum eo expresse dispensaverit Episcopus; cùm utrumque conferendo non intelligatur tacitè dispensasse, ut colligitur ex cap. *Fraternitati*, Ext. *De Schismaticis*, & ex Glossa ejusdem capitis. Cúmque generatim dubitatum fuisset an pro tutiore conscientia obtinentium duo Beneficia difformia sub eodem tecto, personalem residentiam postulantia, ipsis ab Ordinario collata, debeat nova Provisio peti a Summo Pontifice, sacra Congregatio respondit, Peti debere: quia licet Episcopus ex causa dispensare possit circa possessionem duorum Beneficiorum difformium sub eodem tecto, tamen periculum est ne causa non subsit ea quam Canones requirunt: ideo tutius est adire Sanctissimum. Refert Fagnanus in cap. *Litterae*, Ext. *De Concessione Prabenda*. Fac ut valeas, meique in sancto Sacrificio memineris.

Lutetia Parisiorum.

EPISTOLA LXXXVI.

Quando obtinens Capellam Sacerdos esse teneatur, Divinorúmque celebrationi per seipsum satisfacere?

HONORANDO VIRO ***

INSIGNIS ECCLESIÆ ***

CAPELLANO.

ROgasti per litteras nudiustertiùs ad me datas ut explicarem quando Clericus obtinens Capellam Sacerdos esse teneatur, ac divinorum ce- D lebrationi per se ipsum satisfacere. Propositæ Quæstioni breviter respondeo.

Aut Capellæ annexus est Ordo Presbyteratûs, quia videlicet in illius fundationis tabulis cautum & expressum est ut Capellanus sit Sacerdos, aut non est annexus. Si sit annexus, & Capella sit in Cathedrali vel Collegiata Ecclesia constituta, Clericus illam obtinens tenetur esse Sacerdos, & Missas ac divina Officia in fundationis tabulis injuncta per se ipsum celebrare, & onera adimplere per seipsum. Eâ in specie lex fundationis ad amussim servanda est, ut statuit Concilium Tridentinum Sessione xxv. *De Reformatione*, cap. v. E Si verò Capella non habet Ordinem Presbyteratûs annexum, & fundationis tabulis cautum sit duntaxat ut Capellanus Missas celebrare debeat, & divinis inservire seu interesse, aut divina Officia celebrare, in ea specie non tenebitur ad suscipiendum Presbyteratûs Ordinem, nec ad Missas celebrandas per seipsum; sed tamen divina Officia per seipsum celebrare, seu illis personaliter interesse tenebitur, non per substitutum, si Cathedralis aut Collegiata sit Ecclesia, non aliàs, ut ex Concilii Tridentini Decretis mox laudatis, & Declarationibus sacræ Congregationis ejusdem Interpretis compertum est, a Fagnano relatis in cap. *Ut Abbates*, Ext. *De ætate & qualitatibus Ordinandorum*. His porrò verbis conceptum est F Tridentini Concilii Decretum, cap. iv. Sessionis xxii. *Quicunque in Cathedrali vel Collegiata, Seculari vel Regulari Ecclesia divinis mancipatus Officiis, in Subdiaconatus Ordine saltem constitutus non sit, vocem in hujusmodi Ecclesiis in Capitulo non habebit...... Ii verò qui Dignitates, Personatus, Officia, Prabendas, Portiones, aut qualibet alia Beneficia in dictis Ecclesiis obtinent aut inposterum obtinebunt, quibus onera varia sunt* A *annexa, videlicet ut alii Missas, alii Evangelium, alii Epistolas dicant seu cantent, quocunque ii privilegio, exemptione, prarogativa, generis nobilitate sint insigniti, teneantur, justo impedimento cessante, infra annum Ordines suscipere requisitos: alioquin pœnas incurrant juxta Constitutionem Concilii Viennensis, qua incipit,* Ut *ii. quam prasenti Decreto innovat; cogántque Episcopi eos diebus statutis dictos Ordines per se ipsos exercere.*

Et cap xii. Sessionis xxiv. De Reformatione; B *Omnes verò divina Officia per se & non per substitutos compellantur obire; & Episcopo celebranti aut alia Pontificalia exercenti adsistere & inservire, atque in choro ad psallendum instituto hymnis & canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devotéque laudare.*

Et cap. v. Sessionis xxv. De Reformatione, *Quandocunque igitur ex Beneficiorum quorumcunque erectione seu fundatione, aut aliis Constitutionibus qualitates aliqua requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta: in Beneficiorum collatione, aut in quacunque alia dispositione eis non de-* C *rogetur. Idem in Prabendis Theologalibus, Magistralibus, Doctoralibus aut Presbyteralibus, Diaconalibus ac Subdiaconalibus, quandocunque ita constituta fuerint, observetur, ut eorum qualitatibus vel Ordinibus nihil in ulla provisione detrahatur: & aliter facta provisio subreptitia censeatur.* Vale, mei tuis in orationibus memor.

Lutetia Parisiorum.

EPISTOLA LXXXVII.

D *Solutio variorum Casuum circa Simoniam.*

CLARISSIMO VIRO ***

SACERDOTI.

NOnnollas circa Simoniam difficultates mihi per litteras proponis, earúmque solutionem rogas & urges vehementer. Tibi satisfacio cursim, quamvis materiæ gravitas intervallum temporis paulò longius forsan postularet.

DIFFICULTAS I. Petrus rogavit Patronum ut illum præsentaret ad Dignitatem in E Ecclesia Collegiata vacantem: & quò faciliùs eam obtineret, promisit se Beneficio simplici, scilicet Capellæ quam in Ecclesia Cathedrali possidebat, renunciaturum in manibus Ordinarii, qui primam Capellam vacantem promiserat Præceptori filiorum supra dicti Patroni. Petrus ad Dignitatem præsentatus est, & possessionem adeptus, Capellæ, prout conventum erat, renunciavit. Quæritur an Simoniam realem admiserit & Dignitatem dimittere teneatur.

DIFFICULTAS II. Joannes Beneficium suum in manibus Ordinarii purè, simpliciter & liberè dimisit, certâ tamen spe conceptâ quòd Patronus Laicus ad illud nepotem dicti renunciantis præsentaret. Quæritur an Simoniacæ con- F fidentiæ reus sit, an in pœnas incurrerit S. Pii V. Constitutione contra confidentiarios latas?

DIFFICULTAS III. Martinus de suo Canonicatu resignando cogitans, dixit Nicolao se illi resignare velle. Post aliquot menses Martinus in eadem perseverans voluntate ab illo petiit mutuum centum nummorum aureorum. Pecuniam statim numeravit Nicolaus, ne chirographum quidem exigens. Martinus accepto mutuo statim illi Canonicatum resignavit. Ille verò Provisionis

litteris impetratis possessionem iniit. Quæritur, utrum Simoniæ reus sit, ac Beneficium ejurare teneatur.

DIFFICULTAS IV. Philippus resignavit Jacobo Beneficium annui reditus duarum millium librarum, cum onere pensionis annuæ mille librarum: ut verò resignatio cum hujusmodi pensione rata haberetur in Romana Curia, convenerunt ut in supplicatione exprimeretur valorem fructuum Beneficii esse trium millium librarum; quod nisi expressum fuisset, Summus Pontifex resignationem cum tali pensione non admisisset. Quæritur, utrum resignans vel resignatarius Simoniæ rei sint, & resignatio nulla sit ipso jure?

DIFFICULTAS V. Andreas Carolo amico suo ac Procuratori speciale mandatum dedit ut Beneficium quoddam litigiosum & controversum Laurentio resignaret, ea conditione, ut evictâ lite Laurentius certæ pensionis creationi consentiret, illamque Andreæ resignanti solvere teneretur. Consensit, pensionem tamen nondum solvit. Quæritur, quid juris?

DIFFICULTAS VI. Mævius auctoritate & commendatione suâ Beneficium Ecclesiasticum impetravit Titio inhabili & indigno, hâc adjectâ pactione, ut ipse Titius illud post triennium resignaret cuidam ipsius Mævii nepoti. Hac in specie quid facto opus?

DIFFICULTAS VII. Gymnasiarcha quinquaginta nummorum argenteorum sive scutorum munus accepit a quibusdam, ut eorum filio locum inter sui Collegii alumnos, stipendiúmque scholasticum, vulgò Bursam procuraret. Quæritur, utrum ille Gymnasiarcha Simoniæ reus sit, quas in pœnas incurrerit, & utrum restitutioni sit obnoxius?

DIFFICULTAS VIII. Quæritur utrum Episcopus, cujus reditus sunt modici, possit mille aureos à Notario suo quotannis exigere?

Ad primam difficultatem respondeo, Petrum simoniacè Dignitatem in Ecclesia Collegiata fuisse adeptum: siquidem ipsum inter & Patronum conventum est ut ad Dignitatem præsentaretur eâ conditione, ut cederet ille Beneficio simplici: omnes porrò hujusmodi pactiones Simoniacæ sunt, etiamsi nihil merè temporale detur, ut constat ex cap. *Pactiones*, Ext. *De Pactis*, cujus hæc sunt verba: *Pactiones factæ à vobis pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cùm in hujusmodi omnis pactio omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius sunt omnino momenti.* Idem probat Caput, *Tua nos*, Ext. *De Symonia*; eàque S. Raymundi, Sylvestri Prieratis, & Angeli de Clavasio sententia est. Certè in specie proposita jus spirituale promissum est cum onere, ut fieret aliquid quasi pro pretio juris illius, seu causâ principali illud habendi. Simoniaca igitur conventio fuit. Et cùm ab utraque parte pacta conventa impleta fuerint, simoniæ realis rei sunt Petrus & Patronus. Quamobrem in excommunicationem incurrerunt; & præsentatio Petri ad Dignitatem nulla fuit & invalida, adeóque & institutio ob eam facta ab Episcopo, fructúsque malè percepti. Petrus itaque Dignitatem dimittere tenetur, & fructus malè perceptos restituere.

Ad secundam difficultatem respondetur, Joannem simoniacæ confidentiæ reum non esse: siquidem Beneficium suum in manibus Ordinarii purè ac simpliciter dimisit; nulla pactio expressa aut virtualis intercessit Joannem inter & Patronum, aut Ordinarium, ut ad illud Beneficium renunciantis nepos præsentaretur, vel illi conferretur. Sola spes ea de re concepta est, quod nullo jure prohibetur. Unde S. Antoninus P. II. Tit. I. cap. V. §. 2. ait: *Si quis renunciat Beneficio eâ intentione ut detur nepoti vel alteri, nullâ tamen de hoc factâ pactione vel conventione, nullam incurrit Simoniam. Renunciare autem Beneficio ut detur alteri, est simoniacum, quia prohibitum, scilicet jure positivo. Sed non est hoc prohibitum simpliciter, sed secundùm istum modum, cùm videlicet hoc ducitur in pactum.* (I. Quæst. 2. Quam pio.) Non incidit igitur Joannes in pœnas Constitutione S. Pii V. latas. Neque contrarium colligi potest ex illis verbis: *Etiamsi solâ dimittentis intentione receperit*; sive ex illis, *conscientiâ tantùm unius partis.* Id enim unum significant: Ubi prava dimittentis aut conferentis intentio perspecta & explorata fuerit, præsumendum esse, in foro exteriori de pravo suscipientis vel impetrantis affectu: sed in foro interiori præsumptione agendum & judicandum non est, sed secundùm confessionem pœnitentis. Quiescat igitur Joannes: & tutâ conscientiâ sacris Ministeriis fungatur.

Ad tertiam difficultatem respondetur, Nec Martinum, nec Nicolaum simoniæ reos esse, cùm Nicolaus non emerit, nec ullo contractu oneroso quæsierit à Martino resignationem Beneficii, sed Martinus illud sponte resignare voluerit in ejus favorem; nulláque inter ipsos intervenerit conventio ut ille mutuum daret, iste Beneficio in ejus gratiam renuntiaret. Post oblationem spontaneam & merè gratuitam Beneficii, mutuum iste petiit ad necessitatem suam sublevandam, dedit ille ob amicitiam & grati animi significationem: nullum hîc pactum apparet dandi rem spiritualem aut spirituali annexam pro temporali. Quod si fortè prava intentio in alterutro fuerit, & Nicolaus mutuum dedit Martino metuens ne voluntatem resignandi ipsi Beneficium mutaret, alias non daturus, simoniæ tantùm mentalis reus censeri debet, siquidem prava illa intentio in pactum non est deducta, nec ullo signo exteriori expressa.

Ad quartam difficultatem respondeo: Resignantem & resignatarium reos esse Simoniæ. Nihil enim refert quid de æquipollentibus fiat, ut aiunt Jurisconsulti. At si duo ita convenirent, ut unus renunciaret Beneficio duarum millium librarum annui reditus in favorem alterius, & alter promitteret ei solvere mille libras annuæ pensionis sine Summi Pontificis consensu, uterque Simoniæ reus esset, ut compertum est. Qui porro conveniunt ut valor Beneficii duarum millium librarum in supplicatione Summo Pontifici offerendâ enuncietur esse trium millium librarum, ad hoc ut pensio mille librarum super eo constituatur seu rata habeatur, æquipollenter conveniunt ac duo supra dicti, cùm propositum habeant ut resignatio fiat, pensioque malè & invalidè imposita sine Summi Pontificis consensu solvatur. Cùm igitur ita se habeat conventio Philippi cum Jacobo; uterque perniciosi mendacii & fraudis Summo Pontifici factæ, sed & Simoniæ reus est. Præterea, omne pactum expressum vel tacitum dandi spirituale pro temporali vel contra, simoniacum est, ut constat ex cap. *Quàm pio*, Causa I. Quæst. 2. & cap. *Pactiones*, Ext. *De Pactis*. At conventio inter Philippum resignantem & Jacobum resignatarium facta ut major valor Beneficii enuncietur in supplicatione Summo Pontifici porrigendâ, ut majoris pensionis constitutio impetretur, quàm aliàs constitueretur, est pactum conventum dandi aliquid spirituale, scilicet Beneficium pro re temporali, scilicet pensione malè & invalidè collocatâ, sine consensu nempe Summi Pontificis, qui de rei veritate seu vero valore Beneficii certior factus pensionem ratam

non haberet, neque constitueret. Quamobrem provisio non solom oulla est & subreptitia ob dolosam expressionem falsi; sed & resignatio ipso jure nolla & invalida ob Simoniam, non solùm conventionalem, sed realem; siquidem simoniaca conventio ab una saltem parte impleta est, cùm Philippus Beneficium suum Jacobo resignaverit. Uterque igitur excommunicationem, aliasque pœnas incurrit, & Jacobus Beneficium dimittere tenetur, omnésque fructus, quos percepit, restituere.

Ad quintam difficultatem respondetur, Andream & Laurentium simoniæ reos esse, quæ licèt à principio conventionalis duntaxat fuisset, postea tamen evictâ lite, & consensu præstito reservationi pensionis, realis evasit. In censuras proinde incurrerunt resignans, resignatarius, & simoniacæ resignationis mediator, ut constat ex Pauli II. Constitutione quæ incipit, *Cùm detestabile*. Laurentius verò Beneficio renuntiare tenetur, & quos percepit fructus restituere, ut constat ex Cap. *De Regularibus*, & Cap. *Ex insinuatione*, Extra, *De Simonia*.

Ad Sextam difficultatem respondetur, Collationem Titio factam nullam & invalidam esse, tum ob canonicam incapacitatem & impedimentum, tum ob simoniacam confidentiam, quæ ipsum inter & Mævium intercessit. In Censuras proinde incurrerunt ac pœnas Pii IV. & Pii V. Constitutionibus in Confidentiarios latas. Titius Beneficio renunciare tenetur in manibus Collatoris, & fructus malè partos restituere. Quod nisi præstiterit, Mævios ad restitutionem tenebitur. Qui enim damni dati caosa est, participatione, mandato, consilio, consensu, sine quibus damnum datum non esset, restituere tenetur in supplementum principalis auctoris, secondùm S. Thomam & omnes Theologos Mævius plus quàm consilium & consensum, scilicet auctoritatem & mediationem suam interposuit ut Beneficium inhabili & indigno conferretur, & pactionem adjecit simoniacæ confidentiæ peste infectam; causa itaque fuit sine qua Titius froctus indebitos non percepisset: illos igitur restituere tenetur Ecclesiæ, vel pauperibus, nisi in Ecclesiæ ipsius vel pauperum utilitatem a Titio fortè impensi & consumpti foissent. Sicut enim Magistratus malum tutorem nominans restituere tenetur damna per illum illata pupillo, si tutor non restituat, ut legibus sancitum est: ita conferens Beneficium inhabili vel indigno, vel procurans ut conferatur, non solùm peccat lethaliter, sed etiam tenetur in subsidium ad restitorionem fructuum.

A septimam difficultatem respondeo, Gymnasiarcham illum gravis quidem peccati & turpis lucri, non tamen simoniæ reum esse, cùm scholastica illa stipendia seu jura sodalitii in Collegiis, nec spiritualia sint, nec spiritualibus annexa. Navarro quidem aliter visom est Consilio LXXX. *De Simonia*, sed nullâ probatione suam opinionem fulcit. *Admittunt* (inquit) *simoniam, quoniam loca illa sive sodalitia, licèt non sint spiritualia, videntur tamen eis annexa, sicut Jus-Patronatus Ecclesiasticum.* Verùm de jure patronatus dispositionem Canonici juris habemus, illud vendi non posse declarantis, utpote rei spirituali annexum. (Cap. *De jure*, Extra, *De Judiciis*.) At sodalitia illa & stipendia scholastica spiritualibus annexa esse jus non declarat; & merè temporalia esse, nullam ad aliquem actum spiritualem relationem habentia, evidens est. Nullas igitur pœnas canonicas incurrit Gymnasiarcha, qui nummorum quinquaginta munus ab adolescentis parentibus

A accepit, ut eorum filio locum inter alumnos Collegii sui, stipendiúmque scholasticum procuraret. Nec ullis subjacet censuris, quamvis aliquam simoniæ labem hac in specie cum Navarro admitteremus; quia sola simonia in Ordine vel Beneficio excommunicationem infert, secundùm Extravag. *Detestabile*, Tit. *De Simonia*. Acceptum verò munus, quia turpiter datum & turpiter acceptum est, auctor sum ut pauperibus eroget, vel ipsis Scholastici parentibus restituat, si tenuis fortunæ homines sint.

Ad octavam difficultatem respondeo, Episcopum non posse a Notario suo certam pecuniæ summam quotannis exigere, sive Notariatum locare,
B aut ad firmam tradere (ut vulgò loquuntur) Si enim Vicedominatus, Oeconomatus, Castellionatus, vel alia quæcumque rerum Ecclesiasticarum procuratio vendi non potest absque simoniæ labe, ex Concilio Chalcedonensi Canone secundo, Urbano II. cujus verba referuntur Canone *Salvator*, Causâ 1. Quæst. III. Alexandro III. Cap. *Consulere*, Extra, *De Simonia*; nonne simili ratione illicitum est Episcopis jus sigilli Notario pecuniâ committere, quod magis spirituale est quàm redituum Ecclesiasticorum, prædiorum vel aliorum administratio? Si Canones eos tanquam simoniæ reos plectunt, qui vicés suas, jurisdictio-
C nem suam, Ecclesiarum visitationem, vel quippiam simile sub annuo censu committunt (Cap. *Præterea*, & Cap. *Quoniam*. Extra; *Ne Prælati vices suas sub annuo censu committant.*) poteruntne Episcopi vices suas in litteris pro ordinatione, pro Beneficiorum collatione vel provisione, pro dispensationibus Episcopali nomine scriptis, sigillo muniendis, sub annuo censu collocare? Docet S. Thomas Secundâ Secundæ, Quæstione centesimâ, Art. III. ad tertium, quòd *Ille cui committitur spiritualis potestas, ex officio obligatur ad usum potestatis sibi commissæ in spiritualium dis-*
D *pensatione. & etiam pro sustentatione statuta stipendia habet ex reditibus Ecclesiæ: & ideo si aliquid acciperet pro usu spiritualis potestatis, non intelligeretur locare operas suas, quas ex suscepto debiti officii deberet impendere, sed intelligeretur vendere ipsum spiritualis gratiæ usum.* Cùm igitur Episcopus ad testimonium ferendum de Ordinibus & Beneficiis à se collatis teneatur ex officio suo pastorali; cùm pro officio suo gerendo reditus ei ab Ecclesia ministrentur; si quid pro illo testimonio prætextu sigilli accipiat, spiritualem officii sui partem vendere videtur. Quamobrem sacra Sy-
E nodus Tridentina ita Notariorum Episcoporum stipendia moderatur, ut Episcopo ex Notarii commodis nullum emolumentum directè vel indirectè provenire possit. An verò id observant, qui sigillum suum collocant sub annuo censu? Verba Concilii subjicio Sessione XXI. *De Reformatione*, Cap. I. *Quoniam ab Ecclesiastico Ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis Tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec aliâ quâcumque de causâ, etiam gratis oblatum, Episcopi & alii Ordinum Collatores, aut*
F *eorum Ministri, quovis prætextu, accipiant. Notarii verò in iis tantùm locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis aut testimonialibus decimam tantùm unius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo. nec Episcopo ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinum collationibus directè vel indirectè provenire possit. Tunc enim gratis operam suam eis omnino præstare teneri decernit, contrarias taxas ac statuta & consue-*

tudines etiam immemorabiles quorumcumque locorum, quæ potiùs abusus & corruptela simoniacæ pravitati faventes nuncupari possunt, pœnitus cassando & interdicendo: & qui secus fecerint, tam dantes quàm accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas à jure inflictas ipso facto incurrant.

Hoc Decretum observandum statuit Concilium Remense sub Cardinali à Guisia celebratum anno 1583. *Episcopus* (inquit) *qui pro conferendis Ordinibus sacris, vel Minoribus, vel etiam Tonsurâ Clericali aliquid acceperit quod pretio æstimari queat, vel qui aliquid postulaverit pro litteris dimissoriis, earúmque Sigillo, notam simoniæ vel avaritiæ incurrit. Secretarius tamen illius decimam aurei partem accipere queat, juxta Concilium Tridentinum.*

Concilium Mediolanense I. Præside S. Carolo Borromæo, p. II. Tit. *De Notariis & Scribis*, eâ de re ita statuit: *Notarii in litteris dimissoriis seu testimonialibus, sacri concilii Tridentini decretum servent, in aliis quæ merè spiritales sunt, etiamsi nullum stipendium eis constitutum sit, nihil omnino accipiant præter scripturæ mercedem ab Ordinario statuendam...... Cancellarias Episcoporum deinceps vendi, locari, vel earum nomine vel occasione, quovis prætextu cujusvis personæ, quidquam solvi prohibemus.*

Concilium Bituricense Præside Francisco Tornonio Archiepiscopo celebratum anno 1528 Cap. 14. decernit, *Ut emendæ imposterum non dentur ad firmam, nec etiam ut jus sigilli Dominorum Prælatorum.*

Concilium Rothomagense anno 1581. Tit. *De Jurisdictione Ecclesiastica*, § 8. *Non liceat Episcopis sigillum suum ad certum pretium locare, sed illud probo viro, nec indocto, tamen Ecclesiastico committant.*

Hanc responsionem absolvo verbis doctissimi Theologi Francisci Hallerii Professoris Sorbonici, in Libro *De Sacris Electionibus & Ordinationibus*, quem Gallicano Clero Lutetiæ Parisiorum congregato dicavit, Sectione VII. Cap. I. Art VI. § 3. n. 16. *Quis*, inquit, *tot auctoritatibus rationibúsque convictus, tam turpem de cætero quæstum valeat approbare? Si consuetudo opponitur, consuetudinem Tridentina Synodus explosit. Si Tridentinæ Synodi decreta accepta negantur: pudeat ad fovendam avaritiam magnæ Synodi auctoritatem infringere. Sed si quem pudor iste non retinet, cogitet consuetudinem hoc tantùm posse efficere, ut honesto titulo pecunia in Ordinatione accipi possit, verbi gratiâ, titulo honorarii cathedratici vel doni gratuiti, ut nempe munera ex reverentia subjectione, gratitudine, vel aliquâ aliâ honestâ de causâ offerantur. At titulus iste, ut pro sigillo aliquid exigatur, honestus esse non potest. Cum enim ex officio litteras testimoniales Episcopus debeat Ordinato, eo titulo nihil ab eo accipere potest. Nam,* « *ut rectè ait Gregorius*, Vendentes in Templo sunt, « qui hoc quod quibusdam jure competit, ad præ« mium largiuntur. *Nec magis fieri potest ut honestum sit pro sigillo pecuniam accipere, quàm pro ipsa Ordinatione. Simoniacus ergo est, meo quidem judicio, Episcopus, quicumque, non obstante quavis consuetudine, hoc titulo, hocque prætextu pecunias aliquas ab Ordinatis exegerit aut exigi curaverit. Neque tamen talis certò mihi pronunciandus videtur simoniacus, quem nec Tridentini Concilii, nec aliorum Conciliorum Patres simoniacum declarare voluerunt: præsertim quia qui sigilli nomen prætexit, aliâ fortassis ratione consuetudinem receptam fovet. Damno itaque prætextum, damno exactionem hoc prætextu factam: Sanctissimos Antistites, si qui vetitis istis lucris inhiant, ad Concilii observationem, quantùm possum revoco, & ut ab illa turpi nundinatione, tanquam à simoniaca pravitate fugiant, quantoperè possum contendo: eosdem tamen, si qui sunt, auctoris hujus exactionis, quamdiu eos Ecclesia non damnaverit, nec ego damno. Nec blandiri lubet, nec Religionis nostræ Principibus impunè lubet irasci: ne fovere iniquitatem, vel contemnere Ecclesiæ Principes, si iniqui fuerint, videamur.* Vale, Vir Clarissime, meique ad Altare Domini memineris.

Homil. 39. in Evang.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LXXXVIII.

Pensio Ecclesiastica solutionibus anticipatis redimi non potest sine licentia & auctoritate Romani Pontificis.

CLARISSIMO VIRO***

Varias in Diœcesi N. opiniones esse scribis de redemptione Pensionum Ecclesiasticarum quæ fit anticipatis solutionibus: quosdam asserere illas redimi posse sine licentia Summi Pontificis; quorum sententia doctissimos Cardinales Cajetanum & Toletum fautores habet, alios negare. Sententiam hac de re meam rogas. Dicam ingenuè quod sentio. Pensionem Ecclesiasticam redimi non posse solutionibus anticipatis sine licentia & auctoritate Romani Pontificis existimo, nec probabilem esse consuetudinem contrariam. Navarri sententia est, Consilio LXV. *De Simonia*, contra Cardinales Cajetanum & Toletum, qui pensionem numeratâ pecuniâ redimi posse privatâ auctoritate & arbitrio senserunt, quòd jus esse merè temporale falsò existimarent. Verùm Pensionem Ecclesiasticam non esse quid profanum, sed annexum spirituali, certum est, cùm nonnisi Clericis in habitu & Tonsura Clericali incedentibus reservari possit, secundùm Constitutionem *Sixti V.* quæ incipit, *Cùm sacrosanctum*; & *Pii V.* Constitutione quæ incipit, *Ex proximo*, Pensionarii ad parvum Officium beatæ Virginis recitandum teneantur. Et hanc quidem sententiam Rota amplexa est in causa Pharensis Pensionis die 24. Januarii 1578. coram Clemente VIII. Pensionem scilicet Ecclesiasticam solutionibus anticipatis extingui non posse sine auctoritate Romani Pontificis. Ita post Gigantem, Garciam, Navarrum, aliósque Juris Canonici Peritos, censent Prosper Fagnanus in Cap. *Ad audientiam*, Extra, *De Rescriptis*, & Petrus Corradus in Praxi Beneficiaria, Libro V. Cap. 4. Ideo autem Summo Pontifici reservata est auctoritas concedendi licentiam ut extinguatur Pensio anticipatis aliquot resolutionibus; quia redemptiones hujusmodi aliquam simoniæ speciem habere videntur, quæ coram Pontifice Maximo purganda est. Qui loquendi modus non eò pertinet ut Summus Pontifex abstergere possit simoniæ labem à conventione seu pacto verè simoniaco; sed quòd re diligenter examinatâ in Curia, tunc tantùm supplicationi annuat sua Sanctitas, cum arbitratur nullum intervenisse pactum de Pensione certis anticipatis solutionibus redimenda; quod quidem pactum sacrilega esset Beneficii nundinatio. Vale, méque Deo ad ejus Altare commenda, qui sum ex animo tuus.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA

EPISTOLA LXXXIX.

Lethalis peccati rei sunt qui defuncti Beneficiarii corpus celant, vel celari procurant, ut ejus obtineant Beneficium, illis ab infirmo, qui infra viginti dies à resignatione obiit, resignatum; vel ut alterum juvent ad illud obtinendum contra jus Collatoris, aut aliorum.

CLARISSIMO VIRO***

SEntentiam tibi apetire meam de Moralis Christianæ capite nuper à te mihi proposito non morot. Lethalis peccati reos esse oullus dubito, qui defuncti Beneficiarii corpus celant vel celari procurant, ut ejus obtineant Beneficium, illis ab infirmo, qui infra viginti dies à resignatione obiit, resignatum; vel ut alterum juvent ad illud obtinendum contra jus Collatoris, aut aliorum legitimè provisorum. Gravem enim committunt injustitiam, Beneficium absque legitimo titulo invadunt, aut alteri auxilium & favorem præstant ut illud sic malâ arte obtineat; peccant adversùs Regulas Ecclesiæ, & Constitutiones Principum. Quamobrem illi ad Beneficii hoc modo impetrati abdicationem in manibus Collatoris, restitutionémque fructuum perceptorum & percipiendorum, extantiom & consumptorum: isti ad illati aliis damni compensationem, in Beneficiarii intrusi supplementum tenentor. Regula Cancellariæ Apostolicæ, in Gallis etiam recepta, *De infirmis resignantibus*, hæc habet: *Si quis in infirmitate constitutus resignaverit aliquod Beneficium, dimiserit, aut illius Commenda cesserit, seu ipsius Beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signata: postea infra viginti dies, à die per ipsum Resignantem præstiti consensus computandos de ipsa infirmitate decesserit, ac ipsum Beneficium quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi nulla sit, ipsúmque Beneficium censeatur nihilominus per obitum vacare.*

Edixit autem Rex Christianissimus Franciscus I. Constitutione anno 1539. editâ Articulis 50. & 51. in Ecclesiarum Necrologiis conscribi diem sepolturæ Beneficiarii defuncti, ipsius Parochi sive Rectoris aut Superioris manu, adjunctâ Notarii publici subscriptione, ne fraudi sit locus. Præterea jubet Articulo 54. Beneficiarii defuncti domesticis, sub pœna corporali, ut illius obitûs diem dictis Ecclesiis sincerè denuntient. In laicos qoi defuncti corpus celaverint, pœnam capitis decernit: in Clericos verò exclusionem omnimodam à Beneficiis defuncti, gravésque prætetea mulctas infligendas arbitrio Judicis, Articulo 55. Porrò & Constitutionibus Principum, quæ Divinæ aut Ecclesiasticæ Legi non adversantur, parendum esse, *non tantùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*, Apostolus docet. Vale.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XC.

Non licet Judici Reum inebriare, ut ab eo confessionem criminis eliciat.

CLARISSIMO VIRO*** PRÆTORI INTEGERRIMO.

QUòd Operum meorum lectione delecteris, eáque lectio te ad mei amorem, & ad meam sententiam (ut ais) confidentiùs rogandam impulerit, & mihi ipsi gratulor, & humanitati tuæ gratias ago. Quæris porrò an liceat Judici reum inebriare, ut ab eo eliciat confessionem criminis, cujus reus gravissimis indiciis præsumitur, sed convinci non potest defectu testium; & quod se patrasse adeo pertinaciter negat, ut quâlibet torturâ veritatem ab illo elicere desperes. Conjurationis fortè crimen est, inquis, fortè veneficii; agitur de publica salute; arcani revelatio, consciorúmque, maximi ad Rempublicam momenti est. Si licet Medico ægrotum inebriare ad curandam corporis infirmitatem, ut censet Cardinalis Cajetanus in Secundam Secundæ, Quæst. ci. Articulo iii. in Responsione ad iii. quia in illo casu non est ebrietas formaliter, sed materialiter (ut loquitur.) Cur, inquis, non liceat Judici inebriare reum, ut arcani revelationem, consciorúmque, ab illo extorqueat, cùm publicæ securitatis & salutis intersit? Addis; si aquæ potatione reos torquere licet, ut ab eis veritas eruatur, cur non & potatione vini usque ad ebrietatem? Nam & hæc tortura est, tametsi lenior, ut canit Poeta:

Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro; tu Sapientium
Curas, & arcanum jocoso
Consilium retegis Lyæo.

Horat. lib. 3. Ode 21.

Et rursùs:

Arcanum neque tu scrutaberis ullius unquam:
Commissúmque teges, & vino tortus & irâ.

Horat. lib. 1. Epist. 18. ad Lollium.

De Quæstione ingeniosè proposita censeo, Non licere Judici reum inebriare, ut ab eo confessionem criminis, aut revelationem consciorum extorqueat. Ebrietas enim per se malum & peccatum mortale est, quia homo volens & sciens privat se usu rationis, quo secundùm virtutem operatur, & peccata declinat; (inquit S. Thomas Secundâ Secundæ, Quæst. c 1. Art. 11.) Peccati ergo lethalis pariter reus est, qui sciens volens inebriat alterum. Quamobrem sicut se ipsum inebriare non licet ob salutem publicam, quia *Non sunt facienda mala ut eveniant bona*: ita nec alterum inebriare licet ad extorquendam revelationem arcani, cujus notitia reipublicæ maximè interest.

Nec audiendus Cajetanus, qui Medico licere scripsit inebriare ægrotum ad ejus infirmitatem curandam. Cùm enim ebrietatem inter *opera carnis, quæ qui agunt, regnum Dei non consequentur*, S. Paulus enumeret, non secus ac fornicationem, immunditiam, impudicitiam, luxuriam: sicut aliquem ad luxuriam incitare, sive ad fornicationem aut immunditiam provocare non licet vel nescientem præ ebrietate, ut illius sanitas vel publica salus procuretur: ita nec illum inebriare. Quod enim subtilis Cajetanus ait hunc non inebriari *formaliter*, sed *materialiter*, non magis probandum mihi videtur quàm illa Germani cujusdam distinctiuncula: Ille dumtaxat peccati mor-

Gal. 5. 20.

» talis reus est nimiùm bibendo, qui formaliter, » non qui materialiter ebrius est. Ille materialiter » ebrius censetur, qui videns lagenam, existimat » esse lucernam : qui verò de errore monitus, per» tinaciter contendit, & magnâ voce dejerat lage» nam esse lucernam, is formaliter ebrius est. Nec magis probanda Cajetani sententia, quia illam amplexi sunt Marianus Socinus in Cap. *Si confiteris*, Extra, *De accusationibus*, (ubi refert Hugonem Bentium insignem Medicum Florentinum frequenti ebrietate filium Bernardi de Uzano à periculoso morbo liberasse :) Silvester Prieras, verbo *Ebrietas*, in Summa : Toletus Libro VIII. *De Instructione Sacerdotum*, Cap. LXI. & Fagnanus in Cap. *A crapula*, Extra, *De vita & honestate Clericorum*, num. 33. Verbo enim Dei & veræ rationi repugnat hæc sententia, quæ proinde nullo Auctorum numero vel dignitate prævalere alteri potest, quam tuentur alii cum Angelo de Clavasio in Summa, verbo, Ebrietas. *Ille*, inquit, *qui procurat ut quis inebrietur, communiter mortaliter peccat, sive sequatur ebrietas, sive non : sive sit peccatum mortale in eo qui inebriatur, sive non : quia consentit in damnum notabile proximi, ... Utrum propter sanitatem liceat inebriari? Respondeo, Quod non sine peccato mortali, tam in operante, quàm in patiente scienter. Verum est, quòd secundùm S. Thomam Secundâ Secundæ, Quæst. CL. cibus vel potus qui esset superfluus sano, non erit superfluus infirmo : puta, quia datur ei causâ medicinæ ad provocandum vomitum, & sine peccato, quando talis infirmitas id requirit : sed non usque ad ebrietatem.*

Præterea, ad veritatem à reo extorquendam non licet uti mediis à jure improbatis, ut colligitur ex Canone *Consuluisti*, Causâ secundâ, *Quæst.* V. ubi Stephanus Papa reprobans judicium purgationis vulgaris, hæc habet : *Ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri à quolibet, sacri non censent Canones : & quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum. Spontaneâ enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini nostro judicare. Occulta verò & incognita illi sunt relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum.* Cùm igitur ebrietas lege divinâ prohibita sit, eam procurare non licet ad extorquendam à Reo veritatem, boni etiam publici causâ.

Tertiò, vel contra Reum extant legitima gravissimáque indicia & semiplena probatio criminis, vel non extant. Si legitimis indiciis præsumitur reus, & semiplena probatio est, ad exquirendam veritatem & criminis confessionem, consciorúmque revelationem ab illo extorquendam, adhibenda sunt media à Jure præscripta, scilicet tortura consueta & usitata, non inusitata & animam occidens tortura ebrietatis. Si nulla extent indicia, nulla vel semiplena (ut vocant) probatio, non torquendus, sed absolvendus Reus est.

Quartò, criminis vel consciorum revelatio ab ebrio facta, juridica non esset, ut colligitur ex Cap. *Sanè*, & Cap. I. *Inebriaverunt*, Causâ XV. Quæst. I. quod ut vitetur, sancitum est ut nemo testimonium dicat nisi jejunus, Cap. I. Extra, *De testibus*: Quod etsi omnino necessarium non sit, nec servari semper consueverit, nihilominus ostendit ebrietatem repugnare functioni testis, qui jurisjurandi religione compellendus inprimis est ad dicendam veritatem.

Denique, fieri posset ut homo emoræ per ebrietatem mentis aliquos uti conscios criminis nominaret qui tamen conscii non essent, sed prorsus insontes: igitur confessio & revelatio ebrietate extorta non solùm inutilis, sed multis fortè immeritis noxia esset. Hæc ad Quæstionem, quam mihi animi gratiâ te proposuisse nullus dubito, respondisse satis sit. Vale, méque tibi addictissimum dilige.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XCI.

In Galliis, non verò in Italia, Moniales è Monasteriis suis exire possunt cum Superiorum suorum & Episcopi licentia, ut aliis Monasteriis præsint.

CLARISSIMO VIRO***

NUllum movere debes scrupulum Sanctimoniali Ordinis N. in Priorissam alterius Monasterii ejusdem Ordinis electæ & confirmatæ circa migrationem, positis conditionibus requisitis. Nullum enim dubium est quin è Monasteriis suis exire possint Moniales secundùm mores Ecclesiæ Gallicanæ, ut aliis Monasteriis præsint, cum Superiorum suorum & Episcopi licentiâ. Hic casus cum dispositione capitis VII. Sessionis XXV. Concilii Tridentini *De Regularibus* convenit, quo permittitur ut si Monialis dotibus requisitis prædita & legitimæ ætatis non reperiatur in eodem Monasterio, quæ in Abbatissam vel Priorissam eligi valeat, *ex alio ejusdem Ordinis eligi possit.*

Cæterùm alia viget in Italia disciplina. Hanc enim dispositionem immutatam Pii V. Constitutione, quæ incipit, *Decori*, declaravit Gregorius XIII. cujus declaratio illis in regionibus usu recepta est ; ita ut sine speciali Summi Pontificis licentia, in hujusmodi casu, Moniali è suo Monasterio exire non liceat. Cùm enim Ordinis Eremitarum S. Augustini Generalis Archimandrita dubitaret utrum post Constitutionem Pii V. liceat de uno ad aliud Monasterium transferre Monialem ut illi præsit tanquam Abbatissa ; Sacra Congregatio censuit, Quæstionem referendam esse Sanctissimo. Respondit porrò Summus Pontifex, Concilii Tridentini decreto supradicto derogatum fuisse Constitutione Pii V. ideóque vi illius decreti non licere ampliùs educere Moniales è suo Monasterio, ut in alio Abbatissæ vel Priorissæ seu Præpositæ instituantur, nisi petitâ & impetratâ licentiâ à Summo Pontifice.

Idem confirmat Decretum Pauli V. à Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium promulgatum die 22. Decembris anni 1617. ac Procuratoribus Generalibus Ordinum significatum, quo declaratum est, Non posse Moniales quacumque occasione transferri de Monasterio ad Monasterium, sine speciali Sedis Apostolicæ licentiâ, toties quoties impetrandâ, etiam ratione Prioratûs vel alterius Officii, quibuscúmque in contrarium non obstantibus. Ita referunt *Castellinus* in Tractatu *De Electione*, Cap. 27. n. 5. & Fagnanus in Cap. *Recolentes*, Extra, *De statu Monachorum*, n. 51. Vale, méque ad sanctum Altare Deo commenda.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XCII.

Refellitur Casuistarum quorumdam recentiorum error, Deum verbis æquivocis uti posse, & aliquando usum esse, asserentium.

CLARISSIMO VIRO ***

REcentiorum quorumdam Casuistarum deploranda cæcitas, damnanda temeritas, qui restrictionibus mentalibus & æquivocationibus ita patrocinantur, ut Deum verbis æquivocis uti posse, his aliquando usum, easque à Christo consecratas asserere non erubescant. Hanc assertionem blasphemam appellare non dubito, Dei quippe veracitati & fidelitati injuriosam; ad divini verbi, præceptorum, promissionúmque divinarum veritatem in dubium revocandam, viam aperientem.

Scripturæ sacræ apertè repugnat hæc assertio. Joannis III. 31. 32. 33. *Qui de cælo venit, super omnes est. Et quod vidit & audivit, hoc testatur: & testimonium ejus nemo accipit. Qui accepit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est,* Joannis VIII 26. *Qui me misit, verax est, & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo.* Ad Romanos III. 4. *Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax.* Apocalypsis XIX. 11 13. *Vocabatur Fidelis & Verax, & cum justitia judicat & pugnat.... & vocatur nomen ejus Verbum Dei.*

Hunc errorem S. Augustinus refellit Libro Quæstionum octoginta trium, Quæstione LIII. *Summa* (inquit) *& perfecta virtus est, neminem decipere, atque illud exhibere quod dictum est,* Matth. 5. 37. SIT IN ORE VESTRO, EST, EST, NON, NON.... *Quapropter Deus quidem per se ipsum neminem decipit: est enim Pater Veritatis, & Veritas, & Spiritus veritatis: dignis tamen digna distribuens, utitur animis pro meritis & dignitatibus, quæ sunt in gradibus earum, ut si quisquam dignus est decipi, non solum per seipsum eum non decipiat, sed neque per talem hominem qui jam congruenter diligit, & custodire persistit,* SIT IN ORE VESTRO: EST, EST, NON, NON: *neque per Angelum, cui non convenit persona fallaciæ: sed aut per talem hominem, qui nondum se hujusmodi cupiditatibus exuit; aut per talem Angelum, qui pro suæ voluntatis perversitate vel ad vindictam peccatorum, vel ad exercitationem purgationémque eorum qui secundùm Deum renascuntur, in infimis naturæ gradibus ordinatus est. Non itaque Deus deceptor est, quod credere nefarium & impium esse quis non intelligat?*

Certè si Deus æqoivocationibus uti posset, locutiones æquivocas jurando per semetipsum posset confirmare. Cùm itaque Deum imitari perfectio sit hominis, posset homo justam ob causam uti verbis æquivocis, amphibologiis & restrictionibus mentalibus, & eas juramento confirmare: qui errores sunt ab Innocentio Undecimo Pontifice Maximo damnati Decreto edito die 2. Martii 1679. Hîc exclamare liceat cum S. Augustino Libro *Contra Mendacium*, cap. XVIII. *O ubi estis fontes lachrymarum, & quid faciemus, quò ibimus? ubi nos occultabimus ab ira Veritatis, si non solùm negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria?* Æquivocationum porrò studiosum usum, artem esse mentiendi probat invictè hæc S. Augustini sententia Libro *De Mendacio*, cap. III. *Qui aliud habet in animo, aliud verbis aut quibuslibet significationibus enuntiat, mentitur.*

Porrò tantùm abest ut ars æquivocationom è cœlo descenderit, Deúmque habeat auctorem; ut contrà parentem diabolum agnoscat, qui eâ primùm usus est ut primos homines deciperet, ac perderet humanum genus, ut observat Rupertus Libro III. in Genesim, cap. VII. explicans hæc Tentatoris verba, *Nequaquam morte moriemini*, &c. Nam cùm duæ mortes sint, altera animæ & « altera corporis, quâdam morte non statim erant « morituri, scilicet ea quæ animam à corpore divi « dit. Non enim quia comederunt, idcirco eadem « die corporaliter mortui sunt: sed quia comeden- « do mortem animi sibimet eadem die constitue- « runt, idcirco misericordiâ Dei corpore & morta- « les facti sunt, ne, sicut ipse diabolus, irrecupera « biles essent, malè & miserè vivendo in æternum. « *Igitur quemadmodum Apollo Delphicus fertur solitus fuisse incertis ludere ambagibus, sic jam nunc ludebat idem Dei & hominum inimicus, & æquivocatione mortis nequiter abusus, odibilium sophistarum maximus.* Qui enim sophisticè loquitur, « Eccli. 37. 23. odibilis est. *Nihilominus & cætera quæ sequuntur « æquivocando cuncta confundit ac perturbat, alio sensu loquens, & alio sua dicta intelligi volens.* Scit enim Deus (*inquit*) quia in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, &c. *Hoc utique volebat intelligi, quod claritatem omnis sapientiæ, divinitatem quoque & omnium scientiam Deus invidens homini, tale illi lignum interdixit. Hoc, inquam, intelligi volebat in suo sermone, cùm sentiret ipse aliter eventurum esse.* Aperientur (*inquit*) oculi vestri, *videlicet in agnitionem vestræ confusionis.... Item cùm diceret:* Eritis sicut Dii, *falsis utique Diis, id est, sibi sequacibúsque Angelis apostatis, similes illos facere intendebat; cùm aliud intelligi vellet in hac promissione sua, cui nimirum suaviter sonanti, quasi vino venenum mortis commiscuerat. Nihilominus & addendo,* scientes bonum & malum, *hoc moliebatur ut eos habere faceret & boni perditi memoriam, & mali inventi experientiam, cùm hoc aliud vellet intelligi, quòd omnem per illum cibum consecuturi essent scientiam, & nihil eos lateret: quæ profectò scientia solius Dei est.* Vides, Vir clarissime, unde prodierit ars æquivocationum, & quem hac in re magistrum habeant illarum Patroni: & nihilominus discipuli Veritatis videri volunt, & filii lucis, non filii noctis & tenebrarum. Vale, meíque ad sanctum Altare memineris.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XCIII.

Parentes qui secundò nupserunt, sortem filiorum ex secundo thoro susceptorum meliorem facere tutâ conscientiâ non possunt, quàm genitorum ex priore Matrimonio.

DILECTISSIMO IN CHRISTO FRATRI ***

GRaviter peccare parentes, qui ob secundarum nuptiarum societatem, filiorum ex primo thoro susceptorum educationem negligunt, probatum habes Libro quarto Theologiæ nostræ Dogmaticæ & Moralis cap. sexto, Articulo III. Regula XI. His quæ ibi scripsi hæc addi velim:

Secundùm Juris Civilis præscripta, nec pater

nec mater, qui vel quæ liberos habens ex priore conjugio, ad secundas nuptias convolaverit, ullo modo potest in gratiam filiorum, qui nati sunt ex posteriore matrimonio, quidquam ampliùs elargiri, sive per donationem, aut aliam inter vivos dispositionem; sive testamento, codicillo, aut quavis ultimæ voluntatis dispositione ampliùs dare vel relinquere, quàm datum vel relictum ab illo fuerit uni ex prioris conjugii liberis, cui quàm minimum præ reliquis fratribus datum fuerit aut relictum. Ita sancitum est L. *Hac edictali, C, De secundis nuptiis.* Quæ tamen lex cum hac exceptione intelligenda est, modò jura legitimarum integra serventur posterioris conjugii liberis, si fortè minimum anterioris matrimonii filio relictum debitam secundi thori filio legitimam non adæquaret. Parentibus enim liberum arbitrium de bonis suis inter liberos dividendis eatenus servatur, dum legitima singulis integra relinquatur. (L. *Parentibus*, Cod. *De inofficioso testamento.*) Idem in Gallia edixit Franciscus II. editâ Constitutione anno millesimo quingentesimo sexagesimo, ut scilicet viduæ ad secundas nuptias transgressæ nullatenus possint de bonis ex prioris mariti liberalitate acquisitis disponere, nisi in gratiam filiorum ex priore matrimonio superstitum. De reliquis porrò & aliunde quæsitis bonis ne largiùs disponere eis liceat in favorem sive ultimi mariti, sive liberorum ex ultimis nuptiis, quàm relictum fuerit uni liberorum ex priore Matrimonio genitorum, cui minimum attributum fuerit. Quòd si major pars liberis posterioris Matrimonii obtigerit, quod superest dividatur ad præscriptum Romanarum & Gallicanarum Legum. Vale, dilectissime in Christo Frater, meique tuis in orationibus memineris.

Lib. 5. Cod. Justin. Tit. 9.

Lib. 5. Cod. Justin. Tit. 28.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XCIV.

Non licet in mutuo recipere aliquid ultra sortem, ratione solius periculi quod mutuo intrinsecum sit, ab eoque indivulsum. De sensu capitis NAVIGANTI, & de fœnore nautico.

DILECTISSIMO IN CHRISTO FRATRI ***

QUòd Usura sit aliquid ultra sortem exigere vel accipere ob solum periculum facti, cui rem suam creditor exponit dando mutuum, probatum habes Libro III. Theologiæ nostræ Dogmaticæ & Moralis; cap. VII. Art. II. Regula III. quam confirmat Auctor Tractatûs de Usuris, qui inter S. Thomæ Opuscula LXXIII. est in editis, cap VI. *Ratio* (inquit) *periculi, etiam circa sortem, non tollit rationem usuræ in mutuo, ut probatur ex* cap. *Naviganti.* Et certè si liceret exigere aliquid ultra sortem propter solum periculum, verum licet ac morale, ipsius sortis vel amittendæ, vel difficilè recuperandæ, quod mutuo intrinsecum est, nec aliunde oritur; exigi posset aliquid ultra sortem non modò à divitibus, sed etiam a pauperibus, & omnibus quorum fortunæ sunt eversæ, vel in periculo constitutæ; immò ab his eo meliore titulo & potiori jure exigi posset, quò verius periculum est: & nemo homo esset qui mutuum dando pauperibus non posset ab iis exigere aliquid ultra sortem absque Usura, modò subtilem illam distinctiunculam usurparet, Se id exigere ratione periculi, non ratione mutui. Id verò quid aliud est, quàm ars cavillandi cum Deo?

Præterea, si quid ratione periculi mutuo intrinseci, ab eoque inseparabilis, exigere ultra sortem liceret, sequeretur Dei legem aut superfluam esse, aut injustam. Superflua esset, siquidem homo dans mutuum, & aliquid ultra sortem recipiens ratione hujusmodi periculi, numquam observaret legem quæ vetat omne lucrum & incrementum ex mutuo. Injusta esset, quia mutuum danti tolleret quod suum esset, & ad quod jus haberet ratione periculi, cui sors ejus, seu capitale exponitur. Blasphemum autem, impium & hæreticum fuerit, legem Dei vel superfluam censere, vel injustam.

Tertiò, tantùm abest ut aliquid ultra sortem ratione periculi exigere licitum existimaverit S. Ambrosius, ut econtra mutuum dandum esse doceat & propugnet etiam absque spe recuperandæ sortis, si fortè contingat illum, cui mutuum datum est, ad eum statum redigi, ut solvendo non sit; sive pauper sit quo tempore mutuum accipit, sive postmodum eversâ fortunâ, & malè cedentibus rebus, ad paupertatem redigatur. Atque hunc esse dominici præcepti sensum asserit S. Ambrosius Libro de Tobia, cap. XVI. *Dominus* (inquit) *in Evangelio talibus magis existimat fœnerandum, à quibus redhibitio non speretur; sic enim ait:* Et « si mutuum dederitis his, à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. Verumtamen diligite inimicos vestros: benefacite & mutuum date, nihil inde sperantes: & erit merces vestra multa: & eritis filii Altissimi.... » *Date mutuum iis à quibus non speratis vos quod datum fuerit, recepturos. Nullum hic damnum est, sed compendium. Minimum datis, multùm recipietis, in terra datis, & id vobis solvetur in cœlo: fœnus amittitis, mercedem magnam habebitis: fœneratores esse desinitis, filii eritis Altissimi: eritis misericordes, quo vos Patris æterni probetis heredes.* Et Prologo in Evangel. S. Lucæ, inter alia præcepta quibus mores in eo informati observat, illud recenset; *Mutuum dare cum desperatione recuperationis, aut remunerationis & mercedis. Merces enim faciliùs sequitur non expectantem.*

Luc. 6.

Meritò itaque à sacra facultate Parisiensi die tertia Februarii 1665. hæc inter alias Propositio Amedæi Guimenii damnata est: *Usura est recipere aliquid ratione mutui, non autem ratione periculi recuperandæ sortis: neque ullus potest ita esse securus, quin possit aliquod incurrere periculum, aut saltem aliqua difficultas in re habenda.* Damnata (inquam) hæc Propositio est ut *falsa, scandalosa, inducens ad Usuras committendas, variásque aperiens artes eas palliandi, & justitiam ac caritatem violandi.* Cui Censuræ pondus maximum accedit ex Innocentii XI. Decreto, quo idem Amedæi Guimenii Liber damnatus est anno 1680.

Contrariæ porro Propositioni nullatenus favet responsum sacræ Congregationis de Propaganda Fide sub Innocentio X. Missionariis Imperii Sinarum datum anno 1645. *Sicut non esse inquietandus, si aliquid accipiant ultra sortem ratione periculi probabiliter emergentis:* Loquuntur enim Consultores Theologi & Eminentissimi Patres de periculo extrinseco probabiliter emergente, non de periculo facti intrinseco, quod à mutuo inseparabile est. Cujus periculi ratione tam non posse aliquid exigi ultra sortem, quàm exigi non potest ratione mutui, veritas est à Gregorio Nono Pontifice Maximo declarata cap. *Naviganti:*

quod à Sacra Congregatione & Innocentio X. concessum nemo dixerit. Eodem animo Alexander VII. die 18. Martii 1666. declaravit, *Licitam non esse mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

Verùmtamen, si periculum juris & mutuo extrinsecum spectetur, illius periculi ratione aliquid ultra sortem recipi potest ut pretium periculi, consuetudine legitima & à Principe, vel Magistratibus probata definitum, non ut pretium mutui. Quæ communis est Theologorum sententia, S. Antonini II. P. Tit. I. cap. VII. cujus verba loco mox indicato Theologiæ nostræ exhibuimus, Silvestri Prieratis in Summa, verbo *Usura* I. Joannis Majoris in IV. Sententiarum, Dist. XV. Quæst. XXXI. Cajetani in Summa, verbo *Usura exterior*, §. *Duodecimus Casus.* Joannem de Neapoli, & Joannem Calderinum ejusdem Sententiæ Patronos citat S. Antoninus. His addere liceat Adrianum in IV. Sententiarum, in Tractatu De Usuris, §. *Concurrunt ad primum*, ubi Caput *Naviganti* ita intelligit, ut locum habeat cùm deficit probabile dubium & periculum, cujus causâ justè aliquid recipiatur; imò cùm vani periculi susceptio prætexitur, ut hoc colore quæsito, creditor, qui nullum justum damni metum habet, nec periculum aliquod juris & mutuo extrinsecum verè subit, certus sit de pacto convento ultra sortem lucro. Addit Adrianus, justum pretium suscepti periculi non excludi per Decretalem *Naviganti*, sed injustum. Id confirmat *Lex periculi*, Digest. XXII. Tit. *De Nautico Fœnore.* Quin & Covarruvias Segobiensis Episcopus Jurisconsultus celeber, *Variarum Resolutionum* Libro III. cap. II. Nauticum fœnus ea ratione licitum esse docet secundùm Jus Cæsareum, ut aliquid ultra sortem accipiatur, *Non ratione mutui, nec propter usum pecuniæ, nec propter nudum interesse interusurii temporis, sed propter aliam justissimam causam, nempe periculi contra naturam mutui spectantis ad creditorem.* Ejusque opinionis suffragatorem laudat Baldum primarii subsellii Jurisconsultum, Conradum Tractatu II. *De Contractibus*, Quæst. XXXIX. Conclusione II. & alios, additque: *Leges civiles Nauticam Fœnus ea ratione permittentes non esse Pontificiâ lege sublatas, imò & hodie vim & potestatem Legum habere, justásque censendas fore.*

Prosper Fagnani ad cap. *Naviganti*, Extra, *De Usuris*, Num XXIV. *In Foro Animæ*, inquit, *vera videtur Theologorum distinctio: nam si mutuans recipiat aliquid ultra sortem ratione mutui, seu ea intentione ut lucretur ex mutuo, quamvis periculum in se suscipiat, absque dubio est usura quæ sola voluntate committitur: sed si verè non intendat lucrari ex mutuo, sed tantummodo accipere mercedem seu pretium periculi, juxta textum Legis* Periculi, ff. de Nautico fœnore, *in foro interiori & quantùm ad Deum non est usurarius.... In dubio autem cùm non distinguit an lucrum recipiat ratione mutui vel ratione periculi, censetur recipere ratione mutui, & ideo usura est: & sic arbitror conciliari posse dissidentes opiniones.*

Denique Capite *Naviganti* prohibitus non videtur contractus quo quis pecuniam suam naviganti Mercatori committit merces in longinquam regionem deferenti, pactis coram Notario ex patriæ consuetudine initis, ut si navis perierit, pecunia pereat danti, nec ullum repetendæ sortis jus habeat: si verò navis ad portum salva redierit, seu mercibus onusta, seu vacua, non solùm sors illi salva sit, sed certum ac definitum consuetudine pretium recipiat. Hic enimverò contractus non est mutui, de quo cap. *Naviganti*, sed contractus innominatus alterius omnino generis, quo quis non alienato pecuniæ suæ in navi collocatæ dominio, certum pretium cum sorte principali se recepturum paciscitur propter periculum sortis, quod bona fide suscipis, ut in maritimis quibusdam regionibus mos est. Quo ex contractu & commercii bonum, & mutua contrahentium utilitas existit absque divinæ Legis injuriâ.

Id confirmat Navarrus Consilio XXIII. Lib. V. *De Usuris*, respondens non admisisse usuram « eum qui dedit centum volenti ducere navem « mercibus onustam in Syriam, eâ lege ut perde- « ret illa si navis periret; & si rediret salva, red- « deretur ei centum & viginti quinque. Si qui « verò objicerent illum contrarium sentire in Manuali cap. 17. N. 283. respondet, Objectionem institui à contractu mutui, qui debet esse omni- « no gratuitus, ad contractum innominatum, per « quem datur aliquid alteri ob periculum subeun- « dum. Non est autem par utriusque ratio. Dans « igitur aliquid alteri, & accipiens aliquid ultra id quod dat, ob periculum subeundum, non contrahit usuram, ut post alios respondit Decius in Consil. 123. quem secutus est & ipse Navarrus in Commentario *De Usuris*, N. 128. Q. 45. ad Extravag. S. Pii. V. de Censibus, hac nixus ratione, Quòd nihil accipit is vi mutui expressi, vel taciti, sed vi alterius contractûs innominati, donantis sub modo, vel recipientis aliquid ob periculum subeundum: quòd licitè potest capi, ut constat ex L. 1. & 2. Cod. *De Nautico Fœnere.* Vale, dilectissime Frater, meique tuis in orationibus memineris.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XCV.

Aliquid exigere ultra sortem, ratione trium Contractuum cum eadem persona simul vel successivè initorum, usura est.

DILECTO FRATRI ***

EOs qui pecuniam conferunt in societatem, non posse per eundem socium assecurari & de sorte & de lucro, quamvis præter contractum societatis, alii duo vel simul, vel successivè intercedant, scilicet assecurationis sortis, & venditionis lucri sperati & incerti pro certo lucro minore; sicque contrahentes reos esse usuræ, probatum habes Libro III. Theologiæ nostræ Dogmaticæ & Moralis, cap. VII. Articulo II. Regula XXIII. Cùm enim in hoc casu non servetur æqualitas, & lucrum accipiat qui nulli periculo se exponit, societatis contractus in contractum mutui degenerat. Datur pecunia eâdem specie recipienda, transit in dominium mercatoris, qui ipsâ, prout libuerit, uti potest. Nihil enim refert quòd eam ad negotiandum acceperit: quia eo ipso quo suo periculo suscipit cum onere & obligatione eam restituendi, absque ullius injuria illa uti pro arbitrio suo potest. Neque verò curat is qui pecuniam credit, in quem usum illa impendatur: siquidem alium obligavit ad eam cum accessione certi lucri refundendam, quocunque modo pereat.

Hanc Moralis Christianæ Regulam confirmat Theodori Balsamonis Commentarius in Canonem

XVII. Concilii Niceni. *Quidam Sacerdotum* (inquit) *Canonem intelligentes & ipsum circumscribentes, eique fraudem facientes, verba quidem servant, mentem autem negligunt. Dant autem nonnullis pecuniam, & tantam ex lucro partem se capturos paciscuntur, periculum autem agituros qui eam accipiunt: & cùm sint revera feneratores, verbo tamen societatem prætexunt.* Sunt revera fœneratores, siquidem absque legitimo titulo damni emergentis aut lucri cessantis plus exigunt ac recipiunt, quam mutuo dederint, contra Dei Legem Levitici XXV. *Ne accipias ampliùs quàm dedisti...... superabundantiam non exiges.* Et hîc igitur dicendum cum S. Ambrosio Libro *De Toba*, cap. XIV. *Quodcunque sorti accedit, usura est: quod velis ei nomen imponas, usura est. Si licitum est, cur vocabulum refugis? cur velamen obtexis? si illicitum est, cur incrementum requiris?* Quale voluerint nomen hujusmodi contractibus tribuant laxiores Casuistæ, dicam cum Innocentio III. ad Cantuariensem Archiepiscopum scribente, Illos usuram sub honesto nomine palliare, *Quasi mutato nomine culpa transferatur & pœna, & vox possit abolere reatum.* Siccine divinæ Legi illuditur?

Trium contractuum praxim probare frustra nituntur ex Innocentio III. cap. *Per vestras*, Ext. *De Donatione inter virum & uxorem*, jubente ut marito ad inopiam vergente dos apud aliquem mercatorem deponatur, ut ex parte lucri honesti onera matrimonii sustentet. Neque enim de tribus contractibus, qui tunc in usu non erant, videtur cogitasse Pontifex; nec censendus est voluisse ut dos assecuraretur, sed ut committeretur mercatori ad negotiationem, apud quem periculis quidem, sed incrementis etiam exposita, securior esset, quam in manibus mariti dilapidatoris, aut res suas malè agentis.

Denique recentiores quidam & laxiores Casuistæ, qui opinionem trium contractuum vindicem propugnant probabilem esse contra Constitutionem Sixti V. ex adverso stantibus S. Antonino, Cardinali Cajetano, Francisco Victoria, Dominico Soto, Bannez, Conrado, Ledesma, Silvio, Joanne a S. Thoma, sacra Facultate Parisiensi, &c. illam nihilominus periculi plenam esse significant. *Ex hujusmodi pacto* (inquit Azorius) *pecunia in societatem data mutui vim & usura speciem & imaginem habere videtur, quamvis revera in mutuum non transeat: ac proinde lucrum est specie & imagine fœneratitium.* Idem fatetur Lessius, quod scilicet *videatur præsumptio fraudis usuraria.* Valentia concludit, *propter periculum nemini illud esse suadendum, quamquam si aliquis alioqui obstinato animo usuram commissurus sit, expediret sine dubio explicare illi aliquem lucrandi modum tolerabilem ex prædictis, ut illum potiùs quàm usuram exerceat; quandoquidem id etiam quod per se est intolerabile & malum (modo minus malum sit) censent Doctores posse proponi & explicari alicui, ut illud potiùs faciat quàm aliud majus malum, quod obstinato alioqui animo destinaverit.* Qui sic loquuntur, nonne de opinionis suæ veritate diffidunt? An eos sequi tutum est, posthabito Sapientis, immo Dei Præcepto? *Quasi à facie colubri fuge peccata. & si accesseris ad illa suscipient te. Dentes leonis dentes ejus, interficientes animas hominum:* & Apostoli dicentis: *Ab omni specie mala abstinete vos.* Vale, meique in orationibus tuis memor esto.

Lutetiæ Parisiorum.

I. P. Instit. Moral. lib. 9. cap. 4.

De Justitia & Jure, cap. 25. Dub. 3.

Tom 3. Disp. 13. punct. 5.

Eccli. 21. 2.

1. Thess. 5. 22.

EPISTOLA XCVI

Fornicatio simplex naturæ lege prohibita.

AMANTISSIMO FRATRI ***

LUgendum quòd inter Christianos Theologos quidam inveniantur sic à veritate auditum avertentes, ad fabulas conversi, prurientes auribus, ut simplicem fornicationem naturæ lege non esse prohibitam non solùm censeant, sed apertè doceant, & publicis Thesibus propugnare non erubescant. Hunc errorem confutatum habes Libro XII. Theologiæ nostræ Dogmaticæ & Moralis, cap. VIII. Art. III. Regula III. Nemo homo est qui non noverit, vel nosse non possit, (modò ad lumen Dei super se signatum, & ad conscientiam suam attendat) fornicationem ideo prohibitam esse, quia per se mala est; non ideo solùm malam esse, quia prohibita. His quæ scripsi loco citato nihil addam impræsentiarum præter egregium ac luculentum S. Joannis Chrysostomi locum, hanc veritatem confirmantis Homiliâ XII. ad Populum Antiochenum. *Ab initio* (inquit) *Deus hominem formans, legem ipsi naturalem indidit. Et quid tandem est lex naturalis? Conscientiam nobis expressit, & à naturâ inditam esse voluit bonorum & contrariorum scientiam. Non enim opus habemus discere quòd malum est fornicari, & bonum continentia, sed ab initio hoc scimus. Et ut discas quòd ab initio hoc scimus, Legislator leges postea ferens & dicens,* Non occides: *non intulit, Malum enim cædes: sed simpliciter,* Non occides (inquit) *prohibuit enim peccatum duntaxat, non docuit. Quare igitur qui dixit,* Non occides, *non addidit quòd malum cædes? Quoniam præveniens conscientia nos hoc docuit, & tanquam scientibus & intelligentibus ita loquitur. Cùm igitur de alio loquitur mandato non nobis noto per conscientiam facto, non tantùm prohibet, sed & causam apponit. De Sabbato itaque legem ferens & dicens:* Septima die non facies opus; *subjunxit causam quoque cessationis: quod in die septima requievit Deus ab omnibus operibus suis quæ cœperat facere. Et rursum: Quoniam servus fuisti in terra Ægypti. Quare igitur in Sabbato quidem causam adjecit, in cæde verò nihil tale fecit? Quoniam hoc quidem mandatum non de antegressis erat, nec per conscientiam nobis exquisitum, sed particulare quoddam & temporaneum: propterea post hæc solutum est: necessaria verò & vitam nostram continentia illa sunt:* Non occides, non furaberis, non mœchaberis. *Et ideo nullatenus hîc causam ponit, nec rationem adducit, sed solà opus esse putat prohibitione.*

Tom. 1. nov. edit.

Præsidium fortè quærent damnandæ Propositioni ex S. Ambrosio Libro 1. *De Abraham*, cap. IV. commercium Patriarchæ cum Ancilla Agar inde excusante, quòd *Abraham ante Legem Moysi, & ante Evangelium fuit, cùm nondum interdictum adulterium videbatur. Pœna criminis ex tempore Legis est, quæ crimina inhibuit, nec ante Legem ulla rei damnatio est. Non ergo in Legem commisit Abraham, sed Legem prævenit. Deus in paradiso licèt conjugium laudaverit, non adulterium damnavit.* Quòd si adulterium ante Legem interdictum non fuit, inquient, multò minùs fornicatio simplex.

Verùm hoc S. Ambrosii loco non est cur abutantur. Constanter enim docuit, ut cæteri Patres, adulterium Lege naturali fuisse prohibitum,

eámque legem à nemine umquam invincibiliter ignorari potuisse. Id quidem tum ex aliis ejus Operibus, tum ex hoc ipso libro perspicuum est. Etenim ubi narrat quemadmodum Pharao Saram, quam in Palatium abductam uxorem ducere cogitabat, postquam conjugatam esse cognovit, Abtahamo restituit, ita loquitur: *Etsi naturâ ferus ac barbarus, tamen significat..... & adulterii crimen sibi esse cavendam. Qui prætendit ignorantiam, condemnat intemperantiam. Nec mirum si Barbarus jus novit natura. Ita major lex natura, quàm legum præscriptio est.* Ideo itaque scripsit, adulterium ante latam Moysis legem non visum fuisse interdictum, ut significaret illis temporibus eam circa adulterium ignorantiam in quibusdam hominibus extitisse, quæ etsi non omnino culpam tolleret, illam tamen aliquo modo minueret, hoc est, vincibilem ignorantiam, quæ sin minùs à toto, saltem, à tanto excusat (ut loquuntur Theologi.) Et hoc sufficiebat cùm ad excusandum Abrahamum apud eos quos alloquebatur S. Ambrosius; qui eadem ante suam ad fidem conversionem perpetraverant; tum ad eosdem ab hujusmodi crimine in posterum revocandos, quibus nulla de ignorantia excusatio jam suppeteret. Hæc responsio ex eo confirmatur, quòd S. Ambrosius eodem Capite Num. 27. hanc Patriarchæ actionem Deo minùs probatam fuisse asserat, & Libro de Paradiso Cap. 13. Num. 65. atque alibi de eadem tanquam de vero peccato loquatur. Verumtamen SS. Joannes Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Abrahami cum Agar commercium neque adulterium, neque fornicationem, sed legitimum Matrimonium fuisse docent, ab omni turpitudinis suspicione liberum: siquidem Abraham illam in uxorem acceperat, polygamiâ tunc temporis in populo Dei permissâ. Unde Moyses Genes. xvi. ait de Sara: *Tulit Agar Ægyptiam ancillam suam...... & dedit eam viro suo uxorem.* Secundùm SS. Patrum & Ecclesiæ doctrinam S. Thomas in Quartum Sententiarum Dist. xxxiii. Quæst. i. Art. iii. Quæstiunc. iii. Rabbi Moysis errorem refellit, asserentis fornicationem ante tempus Legis non fuisse peccatum, docétque: *Cùm habere concubinam non Matrimonio junctam sit contra legem natura, id nullo tempore secundùm se licitum fuisse, nec etiam ex dispensatione. Concubitus* enim *cum ea qua non est Matrimonio juncta, non est conveniens actio ad bonum prolis, quod est principalis finis Matrimonii: & ideo est contra prima præcepta legis natura, qua dispensationem non recipiunt.* Vale, Frater amantissime, Deique misericordiam tuis in orationibus pro me implora.

Lutetia Parisiorum.

EPISTOLA XCVII.

Mendacio suam vel alterius vitam servare ac tueri, Christiano non licet.

AMANTISSIMO FRATRI ***

Sic aversum à mendacio, ita studiosum veritatis esse debere hominem Christianum, ut neç pro suâ, nec pro alterius vitâ tuendâ mentiatur umquam, aut æquivocationibus & restrictionibus mentalibus, quæ propriè dicta mendacia sunt, utatur, probatum habes lib. iv. *Theologia* nostræ *Dogmatica & Moralis*, Cap. x. Art. iii. Regulâ sextâ. Id necessarii esse officii ac præcepti, non consilii dumtaxat & perfectionis, confirmare potes S. Justiniani Martyris præclaro testimonio, Apologiâ secundâ. *Putate* (inquit) *hac propter vestram utilitatem dici, quandoquidem nobis in promptu est negare dum examinamur; sed nolumus tueri vitam mendacio. Cùm enim aterna puraque vita desiderio teneamur, damus operam ut cum Deo cunctorum patre ac opifice degamus; & confitemur libenter, certò persuasi fore voti compotes, qui factis declararint se Dei sequaces, & cupere cum Deo degere illic, ubi nulla sentitur peccati rebellio.... Ita factum est ut qui priùs* (scilicet ante Christi adventum) *in nos grassabamur mutuis cadibus, nunc emori malimus propter Christi confessionem, quàm aut mentiri, aut inquisitores fallere: alioquin in promptu erat usurpare illud vulgatum: Jurata lingua est, animus injuratus est.*

Adde egregium S. Clementis Alexandrini locum Libro vii. *Stromatum* de viro in Christiana Religione rectè instituto, & secundùm Dei legem vivente, quem Gnosticum vocat. *Cùm ergo* (inquit) *sit ei semper persuasum Deum esse ubique, & erubescat non verum dicere, & falsum dicere cognoscat se esse indignum: divinâ & sui ipsius contentus est conscientiâ: ideo non mentitur, neque prater pacta conventa facit aliquid; neque jurat, nisi exigatur: neque umquam negat ne falsum dicat, etiamsi moriatur in tormentis.... Is est ejusmodi, ut à timore non redigatur in servitutem; verus in sermone, tolerans in labore, nec in ea qua profertur oratione volens umquam mentiens, & in ea se semper ita gerens ut non peccet: quandoquidem ipsum mendacium, ut quod cum aliquo dolo dictum sit, non est sermo otiosus, sed exercetur ad vitium.... Undique ergo veritati testimonium fertis solus qui est cognitione praditus, & facto & oratione: semper enim in omnibus se rectè gerit, & in sermone, & in actione, & in ipsa cogitatione. Hac est Christiani pietas & religio.* Videant æquivocationum & restrictionum mentalium Patroni quâ ratione eorum opinio cum antiqua illa Traditione convenire possit. Vale, Frater amantissime, Deumque Veritatis pro me orare, ne, quæso, prætermittas.

Lutetia Parisiorum.

EPISTOLA XCVIII.

Temerarii juramenti rei sine, qui passim & sine causa per fidem suam jurant.

AMANTISSIMO FRATRI ***

Temerarii juramenti reum esse quisquis per fidem suam passim & sine causa jurat, vel non necessariâ, probatum habes Libro iv. *Theologia* nostræ *Dogmatica & Moralis*, Cap. iv. Art. iii. Regula xxx. Id confirmare potes præclaro testimonio Ferrandi Carthaginensis Diaconi in Parænetico ad Reginum Comitem scribentis: *Nolite, ait in Evangelio, jurare neque per calum* Matth. 5. 34.
neque per terram: sit autem sermo vester, Est, est; Non, non. Qua utique quisquis operatur, imitator existit ipsius Filii Dei, de quo beatus ita loquitur Paulus: Non est in illo Est & non; sed, Est in illo fuit semper. Immutabilis quippe est, sicut verus Deus, & cum Patre & Spiritu Sancto naturaliter unus Deus. Cujus nomen inquirens fidelissimus Moyses, voce sibi cælitus redditâ tremebundus audivit: Ego sum qui sum. Et, dices filiis Exod. 3. 14.
Israël, Qui est misit me ad vos. Profectò magna est gloria in eo manere qui est, eum sequi qui est, & quia nos mutabiles facit infirma natura, nec possumus immutabili Deo per aqualem potentiam comparari, ut sicut semper in nobis est, ita & nos in

illo valeamus esse, sit saltem sermo noster, Est, est, A
Non, non, sive juramento intercedente, sive cessante, nitamur in veritate certissimè permanere. Divina namque est veritas, unde multum veraciter Dei Filius
Joann. 14. 6. *dixit: Ego sum veritas. Et sicut de charitate recor-*
1. Joann. 4. 16. *damur Joannem dixisse, Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo manet; ita similiter si velimus dicere, non mentimur: Qui manet in veritate, in Deo manet & Deus in illo manet. Preponamus igitur veritatem cunctis utilitatibus temporalibus, & tunc rite inveniemur humanis divina praponere.* Vale, dilecte Frater, meique tuis in orationibus memor esto. B

Lutetia Parisiorum.

EPISTOLA XCIX.

Qui juravit aliquid iratus, quo Deus possit offendi, juramentum servare non tenetur.

AMANTISSIMO FRATRI***

SErvanda non esse juramenta quæ vergont in pejorem exitum, abundè probatum habes Libro C
IV. *Theologia* nostræ *Dogmatica & Moralis*, Cap. IV. Art. III. Regula VIII. ad cujus confirmationem addere potes Ferrandi Carthaginensis Diaconi testimonium ad Reginum Comitem scribentis: *Una planè causa solvenda jurationis existit, si aliquid iratus juraveris, unde possit Deum, per quem juras, offendere. Verbi gratiâ, si pro delinquentibus nunquam posse satisfieri sibi terribiliter jures: si interitum civitati vel populo jurans mineris; si penitus in Ecclesia non orandum, vel alia qua divinus timor prohibet, humanæ tentationis ad præsens victus infirmitate, juraveris exequenda; tunc planè non est perficienda juratio: quia non ibi divinis humana praponis: sed divina potiùs contemplaris: ut magis sic te jurasse pœniteat, dum complere, quod juraveris, pudet.* Vale, téque diligentem dilige, & Deo tuis in orationibus commenda. D

Lutetia Parisiorum.

EPISTOLA C.

Lethalis peccati reus est Christianus, qui de fide sua à Potestate publica interrogatus tacet. E

AMANTISSIMO FRATRI***

INter alios recentiorom quorumdam Casuistarom errores meritò damnatam ab Innocentio XI. sanctæ memoriæ Pontifice Maximo hanc Propositionem, *Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo & Fidei gloriosum consulo: tacere ut peccaminosum per se non damno:* probatom habes *Theologia* nostræ *Moralis* Lib. IV. F
Cap. III. Art. VIII. Regula XV. Adde ad istius Regulæ firmamentum præclaram Tertulliani sententiam, Apologetici Cap. XXI. *Nec fas est ulli* (inquit) *de sua Religione mentiri. Et enim quòd aliud à se coli dicit quàm colit, negat quod colit, & culturam in alterum transfert, & transferendo jam non colit quod negavit. Dicimus, & palam dicimus, & vobis torquentibus, lacerati & cruenti vociferamur: Deum colimus per Christum.* Vale, divinámque pro me misericordiam implora.

Lutetia Parisiorum.

EPISTOLA CI.

Legibus Principum de solvendis tributis & vectigalibus, subditi parêre tenentur propter conscientiam.

AMANTISSIMO FRATRI***

NOn minùs exitialem esse conscientiis, quàm Rebuspublicis, illam Amedæi Guimenii Propositionem à sacra Facultate Parisiensi damnatam: *Subditi possunt justa tributa non solvere*, satis intelligitur ex Art. III. Cap. I. Libri quarti *Theologia* nostræ *Dogmatica & Moralis*, Regula I. cujus ad confirmationem veterum Patrum testimonia addere potes, scilicet

S. Justini in Apologia ad Imperatores: *Vectigalia sanè* (inquit) *& collationes eis qui à vobis sunt ordinati, Exactoribus præ omnibus ubique inferre contendimus; quemadmodum ab Eo * sumus instituti.* * Christo.
Illo namque tempore accedentes quidam percontati sunt ex illo an vectigalia Cæsari pendere oporteat: qui responsum hoc ab eo retulere: Dicite, inquit, mihi, Matth. 22.
cujus imaginem nummus habet? cui ubi dixissent, Cæsaris: Reddite ergo quæ Cæsaris sunt Cæsari, & quæ Dei Deo. Proinde nos solum Deum adoramus, & vobis in rebus aliis læti inservimus.

S. Irenæi Episcopi & Martyris Lib. V. Cap. 24. *Ut timentes* (inquit) *regnum humanum, non se alterutrum homines vice piscium consumant, sed per legum positiones repercutiant multiplicem Gentilium injustitiam: & secundùm hoc ministri Dei sunt qui tributa exigunt à nobis, in hoc ipsum servientes. Quæ sunt Potestates, à Deo ordinatæ sunt.... Cujus enim jussu homines nascuntur, hujus jussu & Reges constituuntur, apti his qui illo tempore ab ipsis reguntur.* Rom. 13.

S. Augustini in Expositione quarumdam Propositionum Epistolæ ad Romanos: *Si quis putat* (inquit) *quoniam Christianus est, non sibi esse vectigal reddendum aut tributum, aut non esse exhibendum honorem debitum illis quæ hoc curant Potestatibus, in magno errore versatur.*

Antiquos illos & sanctos Christianorum Magistros si audirent novi Casuistæ, tot pravarum opinionom monstra non parerent. Hinc colligitor, simulatas & dolosas donationes in favorem Ecclesiasticorum Virorum, aut Religiosarum familiarom factas ut vectigalia publica defraudentur, illicitas esse; & lethali peccato atque restitutioni obnoxios facere earum auctores & complices. Unde Synodus Provincialis Beneventana XIII. Præside Eminentissimo Cardinali Vincentio Maria Ursino, Ordinis Prædicatorum, Archiepiscopo Beneventano, celebrata anno 1693. Tit. VI. Cap. VI.
Mandat Laicis, & omnibus aliis cujuscúmque gra-
dûs & conditionis, excommunicationis pœnâ proposi- Synodicon Beneventan. p. 413.
tâ, ne ad simulatas & dolosas donationes pro publicis vectigalibus defraudandis, in favorem Ecclesiasticorum deveniant. Scriptum est enim: REDDITE *omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Vale, Frater amantissime, divinámque misericordiam pro me implora.

Lutetia Parisiorum.

EPISTOLA CII.

Consuetudines inutiles & superflua, immò etiam prava & vitiosa, quo modo sint abolenda?

AMANTISSIMO FRATRI***

Consuetudines inutiles & superfluas, multò magis pravas & vitiosas, resecandas esse, ubi facultas tribuitur, ex S. Augustino docui Libro IV. *Theologia* nostræ *Dogmatica & Moralis*, Cap. I. Articulo III. Regulâ XXXVI. cujus ad majorem explicationem addendum est: Hujusmodi consuetudines adhortatione potiùs quàm imperio, monitionibus potiùs quàm minis abolendas videri. Prudentiâ & mansuetudine singulari tractandi sunt plebis animi: captandæ sunt occasiones quibus utilis esse possit admonitio & correptio: integræ denique vitæ & eminentis virtutis esse debet, qui opus illud aggreditur. Hanc agendi rationem præscribit S. Augustinus Epistolâ XXII. aliàs LXIV. ad Aurelium Carthaginensem Episcopum, de comessationibus in Memoriis Martyrum per Africam specie religionis freqüentari solitis. *Non asperè* (inquit) *quantùm existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur: magis docendo quàm jubendo, magis monendo quàm minando. Sic enim agendum est cum multitudine: severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futuram, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur. Ita priùs movebuntur spiritales vel spiritualibus proximiores, quorum auctoritate & lenissimis quidem, sed instantissimis admonitionibus cætera multitudo frangatur.* Ita se gessit Sanctus ipse Augustinus, ut constat ex Epistula illius vigesima-nona ad Alypium Thagastensem Episcopum, quam Ascetæ Benedictini Congregationis Sancti Mauri antea ineditam publici juris fecerunt in postrema Editione Parisiensi Augustinianorum Operum.

Idem Doctor Sanctissimus Libro III. *Contra Epistolam Parmeniani*, Cap. secundo docet quomodo & quando corripienda sit multitudo vitiis & pravis consuetudinibus implicita. *Turba autem iniquorum* (inquit) *cùm facultas est in populis promendi sermonem, generali objurgatione ferienda est, & maximè si occasionem atque opportunitatem præbuerit aliquod Domini flagellum desuper, quo eos appareat pro suis meritis vapulare. Tunc enim aures humiles præbet emendatorio sermoni calamitas auditorum, faciliùsque in gemitum confitendi, quàm in murmura resistendi afflicta corda compellit.... Quamquam etsi nulla calamitas tribulationis premat, cùm facultas datur, utiliter corripitur in multitudine multitudo: nam sicut separata sævire, sic in ipsa congregatione objurgata gemere consuevit.*

Hæ Christianæ Pastoralisque prudentiæ leges, iis qui Ecclesiæ præsunt animásque regunt, observandæ. Vale, téque diligentem diligas & Dei misericordiæ commendes.

Lutetia Parisiorum.

EPISTOLA CIII.

Nullum est sine duplicitate cordis Mendacium.

PIO SACERDOTI***

Quæstio quam de mendacio proponis, ne umbram quidem difficultatis habet. Nullum esse sine duplicitate cordis mendacium, certò teneas. Unde qui falsum pro vero, incertum pro certo enunciant & affirmant, quod tamen verum & certum esse putant, rei non sunt mendacii: neque etiam illi qui promissa non implent, si verè animum habuerint illa implendi cùm promiserunt, quippe qui duplicitatem cordis non habuerint; quamvis aliunde rei sint violatæ fidei, si absque justa causa propositum mutaverunt. Doctrina est S. Augustini Enarratione in Psalmum V.

Illud verò (inquit) *quod non habet duplex cor, nec mendacium quidem dicendum est. Tanquam, verbi gratiâ, si cui gladius commendetur, & promittat se redditurum, cùm ille qui commendavit, poposcerit. Si fortè gladium suum repetat furens, manifestum est tunc non esse reddendum, ne vel occidat se, vel alios, donec ei sanitas restituatur. Hic ideo non habet duplex cor, quia ille cui commendatus est gladius, cùm promittebat se redditurum poscendi, non cogitabat furentem posse repetere.*

Id confirmat S. Bernardus Epistolâ LXXXVIII. *Nec tam simplex sum* (inquit) *ut simplicem oris prolationem sine cordis duplicitate mendacium putem.*

Et Sermone XVII. in Cantica: *Aliud est* (inquit) *dubitare de veritate, quod pati necesse est, cùm Spiritus minimè spirat: & aliud sapere falsitatem, quod facilè caves, si eamdem tuam ignorantiam non ignoras, quatenus dicas & tu:* Et si quid ignoravi, ignorantia mea mecum est. *Sancti Job sententia est.* Job 19. 4. *Agnoscite, pessima matris, ignorantia, pessima itidem filia dua sunt, falsitas & dubietas. Illa miserior, ista miserabilior: perniciosior illa, ista molestior. Cùm loquitur Spiritus, cedit utraque, & est non solùm veritas, sed & certa veritas. Est quippe veritatis ille Spiritus, cui contraria falsitas est: Est & Sapientia, qua cùm sit candor vitæ æternæ, & ubique attingat propter munditiam suam, obscurum ambigui non admittit. Cavenda sanè cùm Spiritus iste non loquitur, etsi non molesta dubietas, certè falsitas execranda. Aliud est enim sub incerto, hoc vel illud opinando sentire: aliud temerè affirmare quod nescias. Aut ergo loquatur semper Spiritus, quod nostri quidem minimè arbitrii est; aut quando silere placet, hoc ipsum indicet, & loquatur saltem suum silentium: ne ipsum nobis falsò praire putantes, nostrum pro ipso malè securi sequamur errorem. Et si suspenderit ambiguo, non relinquat mendacio. Est qui dubiè profert mendacium, nec mentitur: & est qui veritatem quam nescit affirmat, & mentitur. Nam & ille quidem quod non est esse, sed se quod credit credere dicit, & verum dicit, etiamsi hoc verum non sit quod credit: & is cùm se certum, unde non est certus, dicit, verum non dicit, etiamsi verum sit de quo asserit.*

Id denique confirmat S. Thomas Secundâ Secundæ, Quæst. CX. Art. III. ad 5. *Ille* (inquit) *qui aliquid promittit, si habebat animum faciendi quod promittit, non mentitur, quia non loquitur contra id quod gerit in mente. Si verò non faciat quod promisit, tunc videtur infideliter agere per hoc quòd animum mutat. Potest tamen excusari ex*

duobus ; uno modo, si promisit id quod manifestè est illicitum : quia promittendo peccavit, mutando autem propositum bene facit : alio modo, si sunt mutatæ conditiones personarum & negotiorum. Abunde præstiti quod rogabas. Vale, méque Deo in Sancto Altaris Sacrificio commenda.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA CIV.

Ingenua puella, quæ vim passa à juvene subintroducto, non clamavit, nec totis viribus restitit, stupri rea censenda est.

VENERABILI VIRO ***

INgenuam ac nobilem puellam, quæ immisso clanculùm à corrupta ancilla in cubiculum suum juvene, ejusdem virginis amasio, per vim ab illo stuprata est, ream esse stupri ne dubites, quamvis animo se non consensisse dicat : siquidem nec clamavit, nec totis viribus restitit. Districto in pectus ejus pugione minas mortis illi intentasse scribis stupratorem, si clamaret. Rea nihilominus est mortalis peccati, quamvis minùs rea quàm si nullo hujusmodi intentato metu stuprum passa esset absque ullo clamore & resistentia. Dixerit Philo Judæus Libro *De specialibus Judæorum legibus*, Posse mulierem & in urbe vim pati, occluso ore, vel incusso metu mortis prohiberi ne clamet; id voluerit ut in foro exteriori absolveretur, & à lapidatione immunis esset, si circumstantiam illam probasset : in foro tamen conscientiæ nusquam fuit, nec erit umquam innocens mulier, quæ modis omnibus sibi possibilibus & legitimis pudicitiæ suæ bonum non defendit, nec restitit stupratori clamando : si qua fortè spes auxilii, vimque vi repellendo, quantùm potest : mori potiùs eligens quàm fœdari, ut castissima Susanna. *Angustiæ mihi sunt undique* (inquit) *Si enim hoc egero, mors mihi est. Si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. Et exclamavit voce magna Susanna.* Mulier igitur in similibus angustiis castitatem suam totis viribus defendere debet, vitam suam divinæ Providentiæ commendare, ac devovere pro conservatione castitatis : consentit enim aliquo modo, quæ non resistit quantùm potest, quæ non clamat, cùm potest. Et hæc resistentia usque ad sanguinis effusionem & mortem esse debet, Apostolo dicente : *Nondum enim usque ad sanguinem restitistis adversùs peccatum repugnantes.*

Daniel. 13.

Hebr. 12. 4.

Moralem hanc Regulam confirmat S. Ambrosius Libro *De lapsu Virginis consecratæ*, Cap. 3. ejus excusationem refellens *Sed dices : Nolui hoc malum, violentiam passa sum : Respondebit tibi fortissima illa Susanna, cujus tu nomen fallaciter bajulas : Ego inter duos Presbyteros posita, inter duos utique judices populi, sola inter silvas paradisi constituta, vinci non potui, quia nec volui. Tu ab ineptissimo adolescente, & in media civitate quomodo vim potuisti perferre, nisi quia ultrò vitare noluisti? Quis denique tuas voces audivit? Quis ejulationes sensit?* Legere potes quæ eo de argumento scripsi Libro III. Theologiæ Dogmaticæ & Moralis, Cap 4. Regula 83. pag. 344. & 345. Edit. 1. Paris. *Non sufficit tamen* (inquiebam) *ad perfectam violentiam, quæ involuntariam facit, & à peccato penitus excusat, ut mens repugnet facinori : sed necesse est ut homo etiam opere externo renitatur quantùm potest. Unde si virgo per vim opprimitur, animo quidem repugnans facinori, sed vel clamore, vel totis etiam viribus non resistens stupratori, perfectam violentiam passa non censetur, nec à peccato est immunis*, &c. Lege & Caput 8. ejusdem Libri, ejusdémque Tractatus, Art. 3. Regula 12. p. 195. ejusdem Editionis, quæ his verbis concepta est : *Puella consensûs in stuprum convincitur, si non clamaverit cùm posset, domesticorum aut vicinorum auxilium contra pudicitiæ suæ aggressorem violentum imploratura.* Quam Regulam Scripturæ Sacræ auctoritate confirmo, *Deuteronomii* 22. Vers. 23. & 24. Et post hæc non miraberis me ab iis qui contrariam huic tam sanæ & castæ Moralis regulæ doctrinam tueri adhuc non verentur, in proscriptam illorum sententiam trahi repugnantem? Sed magis doleo quòd tenebriones quidam in Clerum Gallicanum, à quo recentioris Autoris de Susanna Propositio jure merito damnata est ut *Temeraria, scandalosa, castarum aurium offensiva, erronea, & legi Dei contraria*, famosis libellis petulanter insurgant & debacchentur. Vale, Deúmque ora ut ad viam veritatis & justitiæ redeant.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA CV.

An bonorum temporalium invasorem & raptorem occidere liceat?

ILLUSTRISSIMO ABBATI ***

RIsum, ut opinor, vix potuisti continere, cùm ab Anonymo, qui adversùs Censuram & Declarationem Cleri Gallicani famosum libellum emisit in lucem, me trahi vidisti in patrocinium damnatæ Propositionis trigesimæ sextæ de homicidio. Citat ille Librum 4. Theologiæ meæ Dogmaticæ & Moralis Cap. 7. Art. 1. Propositione sexta, Tom. 10. pag. 159. Edit. 1. Paris. « Propositio (inquit) a Clero Gallicano damnata, est ipsius « Alexandri, asserentis magni momenti bona tem- « poralia defendi posse occisione invasoris seu furis, « aut raptoris. Non dubito, Abbas Illustrissime, « quin discrimen Propositionis damnatæ a Propositione mea primo statim intuitu animadverteris. Bona temporalia, *quorum jactura esset damnum gravissimum, licitum esse defensione occisiva defendere*, aiunt damnatæ Propositionis Auctores; non definiunt quantum sit damnum illud, aut quantum esse debeat, ut *gravissimum* censeatur. *Unius aurei* jacturam gravissimam esse, pro unius aurei conservatione regulariter occidi posse furem, censent neoterici illi Christianæ Moralis Corruptores. Ego verò quæ magni momenti bona censeri debeant, explico, ea scilicet *ex quibus vita statûsque conservatio & sustentatio pendet.* 5. Damnatæ Propositionis Auctores nullam conditionem exigunt ut bona temporalia defendi possint *defensione occisiva* (ut loquuntur.) Ego verò duplicem conditionem esse necessariam propugno. 1. Ut hujusmodi bona *aliter defendi vel recuperari non possint.* 2. Ut *servato moderamine inculpatæ tutelæ*, raptor vel aggressor occidatur. De quo moderamine ne ullum quidem verbum habet Propositio damnata. Ibi porrò explico in quo posita sit moderatio inculpatæ tutelæ necessariò servanda, scilicet *Ut mors furis aut raptoris non intendatur, quod fieret ultionis libidine; sed rerum, quæ magni sunt momenti, necessaria tuitio, atque defensio, & furis compulsio in fugam, vel certè*

debilitatio, aut mutilatio, non ex odio, aut cupiditatis æstu, aut desideria vindictæ, sed ut reddatur impotens ad rapinam & furtum, Id ex S. Hieronymo, & ex Cap. *Interfecisti*, Ext. *De Homicidio*, me probare meministi. Te etiam observasse non dubito, quod ibidem addo: *Si quis verò furem occidere intendat, ut bona sua servet aut recuperet, immò ut se ipsum à morte liberet, homicidii reus est, ut respondet sanctus Thomas, Secundâ Secundæ, Quæst.* LXIV. *Art.* VII. *ad primum, sancti Augustini testimonio fretus, Libro* I. *De Libero Arbitrio, Cap.* V. Descriptis denique sancti Augustini verbis, ita concludo: *Quamvis igitur secundùm leges humanas homicidii pœnis non subjaceat, qui furem bona sua rapientem, aut sicarium in se irruentem, vel stupratorem pudicitiæ suæ vim inferre volentem occidere intendit, aut qui justæ defensionis metas excedit, coram Deo tamen homicidii reus est.*

S. August. Quomodo apud divinam Providentiam sint illi peccato liberi, qui pro iis rebus quas contemni oportet, humanâ cæde polluti sunt.

Ex his probè intellexisti, Abbas illustrissime, Propositionem meam à Propositione damnata ut lucem à tenebris differre. Quod ut aliis quibuscum hanc fortè communicabis Epistolam, primo statim intuitu innotescat, utramque subjicio.

RECENTIUM QUORUMDAM

CASUISTARUM PROPOSITIO DAMNATA.

Non solùm vitam, sed etiam bona temporalia, quorum jactura esset damnum gravissimum, licitum est defensione occisiva defendere...... Fatemur rariùs licitum esse Ecclesiasticis.... Si tamen aliquando fatarum contingat tale malum (id est gravissimum damnum) etiam ipsis licitum erit bona ista cum occisione furis defendere.

Hæc Propositio à Clero Gallicano jure meritòque damnata est, *Ut Legi Dei, & ordini caritatis divinitus instituto contraria, perniciosa, & erronea.*

SANA PROPOSITIO F. N. ALEXANDRI.

Homicidii reus non est, qui SERVATO MODERAMINE INCULPATÆ TUTELÆ, *interficit aggressorem illum mutilare volentem, aut magni momenti bona temporalia*, QUÆ ALITER DEFENDI VEL RECUPERARI NON POSSUNT, ET EX QUIBUS VITÆ STATUS VEL CONSERVATIO ET SUSTENTATIO PENDET, *illata vi rapientem.*

Hanc Propositionem docet Alexander cum sancto Antonino III. P. Tit. IV. Cap. III. Silvestro Prierate in Summa, verbo, *Homicidium*, Dominico Soto Lib. V. de Justitia & Jure, Quæst. I. Art. VIII. Cajetano, Bannez, Martino Navarro, Cap. XV. N. 4. Silvio in Secundam Secundæ, Quæst. LXIV. Art. VII. Quæsito VIII. & omni Theologorum Natione. Hanc doctrinam nullo modo tetigit Clerus Gallicanus.

Vides, Abbas Illustrissime, Anonymum libelli famosi in Censuram Cleri Gallicani Auctorem, calumniam mihi impingere, cùm in patrocinium damnatæ Propositionis me vocat. Id nemo mirabitur, qui illum famosis libellis Eminentissimum Cardinalem Archiepiscopum Parisiensem, Illustrissimos ac Reverendissimos Archiepiscopos & Episcopos, sacram Facultatem Parisiensem, & Doctores meritissimos omnique veneratione dignos, consputare, proscindere, dilacerare noverit. Verùm Deum Optimum Maximum pro illo, ac illius similibus precemur ut à perniciosis & immanibus erroribus resipiscant. Nec enim illorum inimicus sum, nec ullius hominis, quicquid effutiant: sed *Nemo potest veraciter amicus esse hominis, nisi fuerit ipsius primitus Veritatis.* Vale.

S. August. Epist. CLV. alias 52.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA CVI.

Qua ratione agere debeat Confessarius cum Canonico pœnitente, qui illis tantùm Horis & Officiis divinis interest quibus pinguiores distributiones sunt annexæ; cæteris verò nusquam, quibus nullæ aut exiguæ constitutæ sunt, tametsi immediatè sequantur?

VENERABILI VIRO***

SACERDOTI.

Optandum est ut nullæ sint Horæ Canonicæ, nulla officia in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, quibus quotidianæ distributiones non sint adscriptæ, nec eæ sint adeo tenues ut earum privatione mulctari non metuant Canonici negligentes. Id in Synodo Mediolanensi quarta, Parte secunda, Cap. XII. constitutum, secundùm Tridentini Concilii mentem, *ne qua in parte divinus cultus minuatur*, in omnibus Ecclesiis pariter statuendum & executioni mandandum sperare licet ab Illustrissimorum & Reverendissimorum Episcoporum pietate, vigilantiâ & zelo pro Disciplinæ Ecclesiasticæ restauratione. Quod verò spectat Canonicum qui illis tantùm Horis & Officiis interest quibus pinguiores distributiones sunt annexæ; illis verò nusquam, quibus nullæ aut exiguæ constitutæ sunt: auctor tibi sum ut in sacro Pœnitentiæ Tribunali ipsi peccati gravitatem ostendas, Horarum & Officiorum, quibus nullæ aut exiguæ distributiones sunt annexæ frequentationem per certum tempus in pœnitentiam illi injungas, prout expedire Prudentia tua judicaverit, ut illis assiduè ac devotè adesse assuescat cessante legitimo impedimento: eleemosynas etiam convenientes illi imperes in satisfactionem. Caveat ne simoniæ mentalis reus sit, qui divinis Officiis principaliter interesse videatur intuitu commodi temporalis. *Turpis* certè *lucri cupidus* est, quod grave est, in Sacerdote præsertim, vitium: Sacrificium laudis voluntariè Deo non offert, nec sincerè ac veraciter Deo dicere potest: *Voluntariè sacrificabo tibi.* Nam, ut præclarè ait S. Augustinus, *Si adesset tibi quod amas* (Domine Canonice) *non laudares Deum. Vide quid dicam: Laudas Deum ut det tibi amplam pecuniam* (ut pingues distributiones lucreris;) *si aliunde haberes amplam pecuniam, non à Deo, numquid laudares Deum? Si ergo propter pecuniam laudas Deum, non voluntariè sacrificas Deo, sed ex necessitate sacrificas, quia præter illum nescio quid aliud amas.*

1. Tim. 3. Tit. 1. 7.

Enarrat. in Psal. 53. n. 10.

Canonicos similiter affectos ut tuus ille, utinam verè pœnitens! Concilium Coloniense anno 1536. celebratum Parte III. Cap. XII. his verbis adhortatur & commonet: *Utinam optanda à Deo Optimo Maximo consequi possemus, ne quisquam lucri causâ Divinis interesset, aliqui non accessurus sacra, veluti quem nummi magis quàm Dei amor in Templum trahit, quæstum pietatem esse putans: qui, non dubium, ex eorum numero est, de quibus Isaias dixit:* Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. *Nec multùm is abest (ut plerisque doctissimis viris placuit) ab horrenda crimine Giezi, qui existimavit divinum munus pecuniâ redimendum. Quare viderint Clerici nostri ut eorum*

Isai. 1.

4. Reg. 5.

mens & intentio tota in Deum referatur, ut cum A *Davide confiteantur Deo in directione cordis, ac in labiis suis pronuntient omnia judicia oris ejus: in via etiam testimoniorum Domini delectentur sicut in omnibus divitiis. Optandum ut Psalmus ille centesimus decimus-octavus, qui toties non sine causa in Ecclesiis explicatur, ore simul & correspondente singulis verbis mente decantetur: & cum eodem*

Psalm. 118. » *Psalte ex animo dicatur:* Voluntariè sacrifica» bo tibi, & confitebor nomini tuo. *Non adimit Christus, sed decernit operanti suam mercedem.* Di-

1. Cor. 9. » gnus est enim operarius mercede suâ. *Et Qui*

1. Tim. 5. » altario deservit, de altario & vivet. *Sed interim* B *cogitare debet Clericus se vivere non ut edat, sed edere ut Christo vivat; haberéque semper mente re-*

Matth. 6. » *conditum Christi verbum: Primùm quærite re» gnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adji» cientur vobis.*

Hujusmodi Canonicis (inquit Venerabilis Cantor Parisiensis Petrus in *Verbo abbreviato*, Cap. xxvi.) *Pecunia disciplina est, nummus Decanus, & etiam Deus. Qui idololatra sunt, nummum potiùs adorantes quàm Deum, non aliàs Deo cantaturi nisi propter nummum.* .... Hinc scandalum Laicorum non leve. *Quid vilius* (inquit idem Auctor) *quàm duas Horas in Ecclesia quadam (quia ad illas de-* C *cantandas non est constituta certa pecunia) à Laicis dici Horas Domini, cæteras denarii, immo diaboli? Immo ad has Horas decantandas, & Horas etiam beatæ Virginis non adsunt Clerici, sed præsentes in aliis ab his fugiunt, ut nullum opus in Ecclesia sibi vendicet Spiritus-Sanctus, cùm nihil gratis in ea fiat, sed omne sibi vendicet nummus.* Hæc mala salutaribus correptionum medicamentis, quantùm fieri potest, sananda, precibúsque & gemitibus exorandus Deus ut iis gratiâ suâ medeatur. Vale, meique in Sacrosancto Altaris Sacrificio me- D mineris.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA CVII.

Adversùs Æmulorum susurrationes.

RELIGIOSO VIRO***

Rumorem Gratianopoli ab Æmulis nostris dis- E seminatum mones, quòd Propositiones nonnullæ ex Theologia mea Dogmatica & Morali excerptæ, in Cleri Gallicani Comitiis in S. Germani Castro congregatis examinentur, & prope diem damnandæ sint. Humanitati & amicitiæ tuæ plurimùm debeo, quod ea de re me certiorem facere volueris. Factum non miror, qui hominum illorum ingenia novi, artésque perspectas habeo & exploratas. Sic illorum similes Tolosæ, cùm beatæ memoriæ Innocentius Undecimus Pontifex Maximus laxiorum Casuistarum Propositiones se- F xaginta-quinque damnasset anno millesimo sexcentesimo septuagesimo-nono, Dominicanum Ordinem, devotarum, quas dirigebant, feminarum precibus commendabant; ut Auctorum nostrorum Moralem (inquiebant) famosis illis Propositionibus comprehensam, damnari æquo animo ferremus. Id à viris fide dignis accepi, qui Tolosæ tunc temporis versabantur.

Non dissimulo hominem parum quietum inter Propositiones quas ex variis Libris Doctorum quorumdam sacræ Facultatis Parisiensis, & Academicis Baccalaureorum Thesibus excerptas Illu- A strissimis & Reverendissimis Episcopis examinandas obtulit (an privato, an Symmistarum etiam nomine, non inquiro) duas ex Theologia Dogmatica & Morali P. Natalis Alexandri descripsisse: unam ex Libro iii. Cap. v. Art. xxiv. Regula vi. his verbis conceptam: *Lethalis ambitionis reus est,* Ibid. p. 10. *qui Episcopatum, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum curam Animarum habens pro se postulat.* Alteram ex Libro iv. Cap. v. Art. vi. Regula ix. his verbis conceptam: *Graviter peccant qui cum peccati lethalis affectu Missæ Sacrificio Dominicis & Festis diebus intersunt.*

B Verùm sacer Conventus Ecclesiam Gallicanam legitimè repræsentans, nullâ habitâ ratione Delatorum, *qui dicunt malum bonum & bonum malum: ponentes tenebras lucem & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce & dulce in amarum,* centum & viginti-septem Propositiones in materia Fidei & Morum, post maturum examen, consideratissimâ ratione damnavit, & specialibus notis confixit. Censuræ & Declarationis inter præclara Ecclesiæ Monumenta conservandæ exemplar huic adnexum Epistolæ ad te mitto. Cum eo conferas velim Theologiam meam Dogmaticam & Moralem, & perspicies an ullæ ex Assertioni- C bus meis Regulisque Moralibus affinitatem aliquam habeant cum Propositionibus à Clero Gallicano damnatis: an econtra eos confutaverim errores, quos beatæ memoriæ Pontifices Alexander VII. Innocentius XI. Alexander VIII. Innocentius XII. & novissimè generalis Cleri Gallicani Conventus, confixerunt & damnaverunt. Quibus ex Libris, Scriptis & Thesibus excerptæ sunt Propositiones illæ, apprimè nosti. Nomina ut adscribam non est opus; adscribes ipse ad marginem, si volueris. Æternùm *diligamus homi-* S. Aug. lib. 1. cont. Litt. Petil. c. 29. *nes, quorum interficimus errores: sine superbia de* D *veritate præsumamus, sine sævitia pro veritate certemus,* exemplo religiosissimorum Episcoporum nostrorum: *oremus pro eis quos redarguimus atque convincimus.* Vale, meique ad Altare Domini memineris.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA CVIII.

De restitutione raptorum. Utrum sufficiat eis ad Absolutionem & veniam impetrandam, tantumdem reddere, quantùm rapuerint?

VENERABILI COMPRESBYTERO***.

De modo restitutionis furtorum dubium proponis, utrùm satisfaciant restituendo æquale rerum quas rapuerunt? Ampliùs restituendum tibi videtur, non ratione quidem damni dati, quod æquali restitutione reparatur & compensatur; sed ratione violentiæ, contumeliæ & injoriæ singularis, quæ rapinæ adjuncta est; & ratione Evangelicæ Legis, ad quam Dei misericordiâ vocati sumus, quæ hac in parte plus à suis professoribus exigit quàm Lex Mosaica, quæ Judæos ad quadrupli restitutionem obligabat. Auctorem laudas S. Joannem Chrysostomum Homiliâ LIII. in Matthæum, cujus hæc sunt verba: *Nolite mihi dicere, Si abstuli ab alio, huic tantumdem contuli. Hoc certè pessimum est.* .... *Nec credas esse possibile eadem dando mensurâ, quâ rapuisti, vulnus illud curare, quod per avaritiam abs te illatum est. Nam qui unam rapuit, non erit illi satis ad remedium hujus ulceris, si pœnitentiâ pulsus*

unam misericorditer dederit, sed talento indigebit: propterea furti condemnatus quadruplum reddit. Cùm igitur fure multò pejor rapax sit, cùmque ille quadruplum reddat; decuplum, imò verò multò plus restituere iste debet: atque utinam etiam sic rapinæ sordes omnino detergamus! Non enim puto hanc illam esse misericordiam, cui magnus meritorum cumulus » reservetur. Quocirca Zacchæus dicebat: Si quid » aliquem defraudavi, quadruplum dabo, & me- » diam mearum rerum partem inopibus offeram. *Quòd si quadruplum tempore Legis traditur, quantò magis sub Gratia? Et si furem tantùm restituere oportet, quantùm rapacem? Nam præter damnum, contumeliosa res est rapacitas. Quare si centuplum etiam dabis, vix totum reddidisti. Non temerè igitur diximus talentum esse offerendum, si unam rapueris.*

Luc. 19.

Duo in rapina spectari posse probè nosti, rei scilicet alienæ ablationem, & contumeliosum auferendi modum, quatenus alteri res sua per apertam violentiam aufertur. Quod spectat rei alienæ ablationem, satis est ad restitutionem ut reparetur æqualitas, tantum restituendo quantum ablatum est: quod verò contumeliam spectat, hæc pœna graviore expianda est, cujus inflictio pertinet ad Judicem. Hujus ante sententiam raptor plus restituere non tenetur quàm accepit. Sed etsi nomine restitutionis propriè & strictè sumptæ plus restituere non teneantur quàm acceperunt rerum alienarum raptores; nomine tamen satisfactionis plus solvere tenentur, & pauperibus erogare, ad Deum placandum & promerendum, & ad crimen expiandum. Quin & illatam ablatione violentâ contumeliam compensare tenentur collatâ iis qui passi sunt ampliori pecuniâ ad arbitrium prudentis conscientiæ Moderatoris, nisi pro illata contumelia aliter satisfaciant, aut injuria, ab eo cujus interest, condonetur. Nec ex S. Joannis Chrysostomi Oratoria exaggeratione aliud colligendum est. Unde præcisè ac strictè magis loquens subdit: *Si hunc ordinem perverteris, & integras aliorum hereditates rapueris, pauca verò ex multis, & ea non illis, quibus injuriam intulisti, reddideris; quæ tibi satisfactio, quæ indulgentia, quæ salutis spes remaneret? Vis videre quàm magnum ex hujusmodi misericordia facinus committas? Audi Scripturam: SICUT qui filium coram patre suo interfecit, ita qui offert sacrificium ex pecuniis pauperum.* Eò itaque collineare videtur tota S. Joannis Chrysostomi oratio, ut rerum alienarum raptores criminis veniam non consequi doceat pauca restituendo ex multis quæ rapuerunt, & aliquas eleemosynas ex rebus direptis & malè partis erogando; sed quæcumque rapuerunt bona ex integro restituere teneri illis quibus rapta sunt, & insuper uberes eleemosynas ex propriis bonis largiri. Vale, meíque in sacrosancto Sacrificio memineris.

S. Thomas, Secunda secundæ, Quæst. 62. Art. 4.

Eccli. 34.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA CIX.

Mulctarum publicarum, sive juris super damnis datis Conductores convenire non possunt & pacisci, absque letali peccato, cum pecudum, jumentorumque possessoribus, ut certâ semel solutâ pecuniâ, deinceps ob quævis illata damna à pœna sint immunes: illisque Sacramentalis Absolutio deneganda est, nisi hujusmodi contractui, pactioni, & lucro renuntient, ac pro damno dato satisfaciant.

VENERABILI SACERDOTI,

PAROCHIALIS ECCLESIÆ***

RECTORI.

MOrem in oppido, cujus plebem regis Parochiali jure, vigere scribis, ut mulctarum publicarum sive juris super damnis datis Conductores cum pecudum jumentorumque possessoribus conveniant & paciscantur, ut certâ semel solutâ pecuniâ, deinceps ob quævis damna seu frugibus, seu vineis, aut pascuis alienis illata, sint à pœnis & mulctis immunes. Rogas quid de hujusmodi conventione censeam, quam nonnulli Casuum Arbitri, quorum nominibus prudenter & ex charitate parcis, licitam esse Parochianis tuis responderunt. Iniquam esse conventionem censeo, in publicum, ac privatum oppidanorum damnum vergentem, divino & humano juri contrariam; occasionem & auctoritatem præbere pecudum & jumentorum possessoribus, ut agros, vineas, pascua aliorum impunè depopulentur; ac proinde sine lethalis peccati reatu conventionem hujusmodi facere non posse mulctarum conductores: negandam ipsis Absolutionem, nisi illam rescindant, & damni dati auctores ad mulctam pro rata damni dati solvendam, pœnásque dandas cogant; ipsique satisfaciant & restituant pro damni illati quantitate, in principalium autorum supplementum. Responsionem hancce meam auctoritate Synodi Provincialis Beneventanæ XIII. anno 1693. celebratæ, Præside Eminentissimo Cardinali Vincentio Maria Ursino Archiepiscopo, & à Sacra Eminentiss. DD. Cardinalium S. Concilii Tridentini Interpretum Congregatione recognitæ & approbatæ, roboratam lubentiùs accipies, & laxioris doctrinæ consultoribus oppones. Sanctæ hujus Synodi, cujus condendis Decretis quatuordecim Episcopi per seipsos, quatuor verò per Procuratores, unà cum Eminentissimo Cardinali Archiepiscopo Præside adfuerunt, Definitionem, exhibeo Tit. LII. *De injuriis & damno dato*, Cap. 1. *Divino Jure* (inquit) *Decretum accipimus:* Si læserit quispiam agrum vel « vineam, & dimiserit jumentum suum ut depas- « catur aliena: quidquid optimum habuerit in a- « gro suo vel in vinea, pro damni æstimatione « restituet. *Idcirco divino, nedum humano juri re-* « *belles sunt, qui jus supra damnis datis in depopulatione agrorum conducentes, quatenus & conducti pretium & lucrum faciant cum iis qui animalia cujuscumque generis habent, conveniunt, ut, certâ solutâ pecuniâ, per annum ob quævis damna, quæ eorum animalia cujusvis, sive Ecclesiasticæ, sive laicalis personæ, agris, vineis, aliisque bonis dederint, ab omni pœna sint immunes: cujus impiæ conventionis causâ contingit, ut neque Ecclesiastici, quod contra immunitatem; neque Laici, quod contra justitiam est, à susceptis damnis releventur. Hæc ita-*

Exod. 22. 5. synodicon Beneventi p. 637. col. 2.

Cap. Sil. ferit, Ext. de injuriis & damno dato.

quæ iniquas conventiones sancta Synodus detestans, A *mandat, ut si deinceps in tantum malum inciderint, (Quoniam qui causam damni dat, damnum dedisse videtur) tamdiu Sacramentalis Absolutionis beneficio priventur, quandiu damnum, eorum causâ illatum, refecerint. Si quis verò Confessarius neglexerit, ipsum Episcopi ad damnum reficiendum compellant, & per annum ab audiendis Confessionibus reddant abstentum.* Divini luminis & gratiæ juge auxilium, rectæque & pro cælo flagrantis voluntatis confirmationem ad dirigendum Animas Curæ tuæ Pastorali commissas per viam tutiorem, tibi à Deo adprecor, téque etiam atque etiam oro, ut mei ad sanctum Altare memineris. Vale.

Lutetiæ Parisiorum.

APPENDIX II. MONUMENTORUM, SANAM MORUM DOCTRINAM AC DISCIPLINAM CONFIRMANTIUM.

XIII.

DECRETUM ALEXANDRI VII. PONTIFICIS MAXIMI,

Quo Propositiones XXVIII. contra sanam Moralem & Ecclesiasticam Disciplinam vulgatæ damnantur.

Feria v. die XIV. Septembris 1665.

IN Congregatione generali sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino nostro D. Alexandro divina Providentia Papa VII. ac Eminentissimis & Reverendissimis Dominis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in tota Republica Christiana adversùs hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ Disciplinæ relaxativas, & Animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire: & summam illam luxoriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modos opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorúmque Patrum doctrinâ: & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in Animarum perniciem dilatari, seu veriùs perverti contingeret, idem Sanctissimus Dominus noster ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa latáque, per quam itur ad perditionem, via, pro Pastorali solicitudine in rectam semitam evocaret, earumdem opinionum examen pluribus in sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus seriò commisit: qui tantum negotium strenuè aggressi, eíque sedulò incumbentes, & maturè discussis usque ad hanc diem infra scriptis Propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ sigillatim exposuerunt.

Propositio prima. *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & caritatis* A *ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

2\. *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

3\. *Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa & tolerata est.*

B 4\. *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.*

5\. *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.*

6\. *Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur solicitasse in Confessione; ac proinde non est denuntiandus.*

7\. *Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere* C *denunciandi.*

8\. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem specialissimam fructûs ipsimet Celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.*

9\. *Post Decretum Urbani, potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.*

10\. *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrifi-* D *ciis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

11\. *Peccata in Confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.*

12\. *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.*

13\. *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo in-* E *justè reprobato.*

14\. *Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.*

15\. *Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.*

16\. *Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

17. *Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.*

18. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum evitare.*

19. *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.*

20. *Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eò quod sit pœna.*

21. *Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.*

22. *Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

23. *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.*

24. *Mollities, sodomia, & bestialitas sunt ejusdem speciei infimæ, ideòque sufficit dicere in Confessione, Se procurasse pollutionem.*

25. *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*

26. *Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.*

27. *Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.*

28. *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.*

Quibus peractis, dum similium Propositionum examini cura & studium impenditur, interea idem Sanctissimus re maturè considerata statuit & decernit, prædictas Propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimùm tanquam scandalosas, esse damnatas, & prohibendas, sicut eas damnat & prohibet: ita ut quicumque illas aut conjunctim aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis ac statûs, etiam speciali & specialissima notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

JOANNES LUPUS sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis Notarius.

Anno à Nativitate Domini nostri Jesu-Christi 1665. Indictione tertia, die verò secunda mensis Octobris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri D. Alexandri divinâ Providentiâ Papæ VII. anno undecimo, supradictum Decretum affixum & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis & consuetis Urbis per me Carolum Melanum ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

XIV.

ALEXANDRI VII. SUMMI PONTIFICIS DECRETUM ALTERUM,

Quo Propositiones XVII, in materia Morum damnantur.

Feria v. die 18. Martii 1666.

IN Congregatione generali Sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo D. N. D. Alexandro divina Providentia Papa VII, ac Eminentissimis & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversùs hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER post latum Decretum die 24. Septembris proximè elapsi, quo viginti-octo Propositiones damnatæ fuerunt, examinatis sedulò & accuratè usque ad hanc diem infra scriptis aliis quadragesimumquintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magistros, ac per Eminentissimos & Reverendissimos DD. Cardinales adversùs hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, eorum suffragia singillatim super unaquaque ipsarum audivit.

Propositio 29. *In die jejunii qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

30. *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare an labor sit compatibilis cum jejunio.*

31. *Excusantur absolutè à præcepto jejunii, omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.*

32. *Non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadragesima obliget.*

33. *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerit.*

34. *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.*

35. *Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti & crastino.*

36. *Regulares possunt in foro conscientiæ uti Privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum.*

37. *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.*

38. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate, cum peccato mortali confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum.*

39. *Illa particula,* quamprimùm, *intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.*

40. *Est*

49. *Est probabilis opinio, qua dicit, esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, qua ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris & pollutionis.*

41. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendum concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgò regalo, dum deficiente illo nimis agrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.*

42. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

43. *Annuum legatum pro Anima relictum, non durat plus quàm per decem annos.*

44. *Quoad forum conscientiæ, Reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.*

45. *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.*

Quibus maturè pensatis, idem Sanctissimus statuit ac decrevit, prædictas Propositiones & unamquamque ipsarum, ut minimùm, tanquàm scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat & prohibet; ita ut quicunque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacunque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscunque conditionis, dignitatis ac status, etiam speciali & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

JOANNES LUPUS sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis Notarius.

Loco † sigilli.

Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi 1666. Indictione quarta, die verò 23. mensis Martii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Alexandri divinâ Providentiâ Papæ VII. anno undecimo, supradictum Decretum affixum & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis & consuetis Urbis, per me Carolum Melanum ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

XV.

DECRETUM INNOCENTII XI. PONTIFICIS MAXIMI,

Quo Moralis corruptæ Propositiones LXV. damnantur.

Feria v. secunda Martii MDCLXXIX.

IN generali Congregatione sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Vaticano coram Sanctissimo D. N. D.

Innocentio divina Providentia Papa Undecimo, ac Eminentissimis & Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SANCTISSIMUS D. N. INNOCENTIUS PAPA XI. prædictus, ovium sibi à Deo creditarum saluti sedulò incumbens, & salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis à felicis recordationis Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas Propositiones partim ex diversis vel Libris, vel Thesibus, seu Scriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentissimis & Reverendissimis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus subjecit.

Quibus Propositionibus sedulò & accuratè sæpius discussis, eorùmque Eminentissimorum Cardinalium & Theologorum votis per Sanctitatem suam auditis: idem Sanctissimus D. N. re postea maturè considerata, statuit & decrevit pro nunc sequentes Propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimùm tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas, esse damnandas & prohibendas, sicut eas damnat & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas sua per hoc Decretum alias Propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati suæ quomodolibet & ex quacunque parte exhibitas vel exhibendas, ullatenus approbare.

I. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

II. *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.*

III. *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

IV. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.*

V. *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.*

VI. *Probabile est ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum caritatis erga Deum.*

VII. *Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari possumus.*

VIII. *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

IX. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.*

X. *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.*

XI. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

XII. *Vix in Secularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.*

XIII. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.*

XIV. *Licitum est absolute desiderio expetere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas.*

XV. *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.*

XVI. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale & secundùm se.*

XVII. *Satis est actum fidei semel in vita elicere.*

XVIII. *Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo & fidei gloriosum consulo, tacere ut peccaminosum per se non damno.*

XIX. *Voluntas non potest efficere ut assensus fidei in seipso sit magis firmus quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.*

XX. *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum quem habebat, supernaturalem.*

XXI. *Assensus fidei supernaturalis & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis; imò cum formidine quâ quis formidet ne non sit locutus Deus.*

XXII. *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.*

XXIII. *Fides latè dicta testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit.*

XXIV. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia propter quam velit aut possit damnare hominem.*

XXV. *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

XXVI. *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causâ, sive quocunque alio fine juret se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quidvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.*

XXVII. *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, & res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.*

XXVIII. *Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

XXIX. *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.*

XXX. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, & post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.*

XXXI. *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.*

XXXII. *Non solùm licitum est defendere defensione occisiva quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.*

XXXIII. *Licitum est tam heredi, quàm legatario, contra injustè impedientem ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram vel Prabendam contra eorum possessionem injustè impedientem.*

XXXIV. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.*

XXXV. *Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere cùm paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.*

XXXVI. *Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.*

XXXVII. *Famuli & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.*

XXXVIII. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.*

XXXIX. *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

XL. *Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævio inito, cum intentione lucri.*

XLI. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

XLII. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tanquam ex justitia debitum.*

XLIII. *Quidni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam, sibi noxiam, falso crimine elidere?*

XLIV. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.*

XLV. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.*

XLVI. *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut pluris æstimetur quàm res spiritualis.*

XLVII. *Cùm dixit Concilium Tridentinum, Eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, non quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primò videtur per hoc,* digniores, *non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundò, locutione minus propria ponit* digniores, *ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò, quando fit concursus.*

XLVIII. *Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

XLIX. *Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.*

L. *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, ideòque sufficit in Confessione dicere; Se esse fornicatum.*

LI. *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, putà ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.*

LII. *Praceptum celebrandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.* A

LIII. *Satisfacit pracepto Ecclesia de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor, à diversis Celebrantibus audit.*

LIV. *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.*

LV. *Pracepto Communioni annua satisfit per sacrilegam Corporis Domini manducationem.*

LVI. *Frequens Confessio & Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota pradestinationis.*

LVII. *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam.* B

LVIII. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

LIX. *Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessum ratione magni concursùs Pœnitentium, qualis verbi gratiâ potest contingere in die magna alicujus Festivitatis aut Indulgentia.*

LX. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Natura, vel Ecclesia, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda Absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.*

LXI. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest & non vult dimittere, quin imò directè & ex proposito quarit, aut ei se ingerit.* C

LXII. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua aut utilis aut honesta non fugiendi occurrit.*

LXIII. *Licitum est quarere directè occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali vel temporali nostro, vel proximi.*

LXIV. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantiâ Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium sanctissima Trinitatis & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.* D

LXV. *Sufficit illa Mysteria semel credidisse.*

Quicumque autem cujusvis conditionis; statûs, & dignitatis, illas vel illarum aliquam, conjunctim vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputaverit, publicè aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ Sententiæ, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè & in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi Fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis & statûs, etiam speciali & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones aut aliquam ipsarum ad praxim deducant. E

Tandem ut ab injuriosis contentionibus Doctores & Scholastici, aut alii quicumque imposterum se abstineant, ut & paci & caritati consulant, idem Sanctissimus in virtute sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in Libris imprimendis ac Manuscriptis, quàm in Thesibus, disputationibus ac prædicationibus caveant ab omni censura & nota, necnon à quibuscumque convitiis, contra eas Propositiones, quæ adhuc contra Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à Sancta Sede, re cognitâ, super iisdem Propositionibus judicium proferatur. F

Franciscus Richardus,
Sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis Notarius. Loco ✝ Sigilli.

Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi MDCLXXIX. Indictione secundâ, die verò quartâ mensis Martii, Pontificatûs autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Innocentii divinâ Providentiâ Papa XI. anno tertio, supradictum Decretum affixum & publicatum fuit ad valvas Basilica Principis Apostolorum, Cancellaria Apostolica, ac in acie Campi Flora, ac in aliis locis solitis & consuetis Urbis per me Franciscum Perrinum ejusdem Sanctissimi D. N. Papa, & Sanctissima Inquisitionis Cursorem.

XVI.

CONSTITUTIO INNOCENTII UNDECIMI BEATÆ MEMORIÆ PONTIFICIS MAXIMI,

Contra Errores Michaelis de Molinos, Spem Christianam, Dominicam Orationem, curam omnem salutis, omnium studia & exercitationes virtutum evertentes,

Horrendaque Morum propudia sub Novæ Spiritualitatis, seu Vitæ Internæ, & Orationis Quietis obtentu invehentes.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei,
Ad perpetuam rei memoriam.

CÆlestis Pastor Christus Dominus, ut jacentem in tenebris mundum, variisque erroribus involutum, à potestate diaboli, sub qua miserè post lapsum primi nostri parentis tenebatur, D suâ ineffabili miseratione liberaret, carnem sumere, & in ligno Crucis chirographo redemptionis nostræ affixo, in testimonium suæ in nos caritatis, sese hostiam viventem Deo pro nobis offerre dignatus est. Mox rediturus in cælum Ecclesiam Catholicam Sponsam suam, tanquam novam civitatem sanctam Jerusalem, descendentem de cælo, non habentem rugam neque maculam, unam sanctámque in terris relinquens, armis suæ potentiæ contra portas inferi circumvallatam, Petro Apostolorum Principi, & Successoribus ejus regendam tradidit, ut doctrinam ab E ipsius ore haustam, sartam tectamque custodirent, ne oves pretioso Sanguine suo redemptæ pravarum opinionum pabulo in antiquos errores reciderent, quod præcipuè beato Petro mandasse nos sacræ Litteræ docent. Cui enim Apostolorum nisi Petro dixit: *Pasce oves meas*; & rursus: *Ego rogavi pro te, ut non deficeat fides tua: & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos?* Quare Nobis, qui non nostris meritis, sed inscrutabili Dei omnipotentis consilio in ejusdem Petri Cathedra pari potestate sedemus, semper fixum in animo fuit, ut Populus Christianus eam sectaretur F fidem, quæ à Christo Domino per Apostolos suos perpetua & nunquam interrupta traditione prædicata fuit, quámque ipse usque ad consummationem sæculi permansuram esse promisit.

Cùm igitur ad Apostolatum nostrum relatum fuisset, quemdam Michaelem de Molinos prava dogmata tum verbo, tum scripto docuisse, & in praxim deduxisse, quæ prætextu Orationis Quietis contra doctrinam & usum à Sanctis Patribus ab

ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis receptum fideles a vera Religione, & à Christianæ pietatis puritate in maximos errores, & turpissima quæque inducebant: Nos, cui cordi semper fuit ut fidelium animæ nobis ex alto commissæ, purgatis pravarum opinionum erroribus, ad optatum salutis portum tutò pervenire possint, legitimis præcedentibus indiciis, prædictum Michaelem de Molinos carceribus mancipari mandavimus. Deinde coram Nobis & Venerabilibus Fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus, Apostolicâ auctoritate specialiter deputatis, auditis pluribus in sacra Theologia Magistris, eorúmque suffragiis tum voce, tum scripto susceptis, maturéque perpensis, imploratâ etiam Sancti Spiritûs assistentiâ, cum prædictorum Fratrum nostrorum unanimi voto, ad damnationem infra scriptarum Propositionum ejusdem Michaelis de Molinos, à quo fuerunt pro suis recognitæ, & de quibus Propositionibus tanquam à se dictatis, scriptis, communicatis & creditis, ipse convictus & respectivè confessus fuerat, ut latiùs in Processu & Decreto de Mandato nostro lato die vigesima octava Augusti anni præsentis millesimi sexcentesimi octogesimi septimi devenire, ut infra, decrevimus.

PROPOSITIONES.

1. *Oportet hominem suas potentias annihilare: & hoc est via æterna.*

2. *Velle operari activè, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens: & ideo opus est seipsum in Deo totum & totaliter derelinquere, & postea permanere velut corpus exanime.*

3. *Vota de aliquo faciendo, sunt perfectionis impedimenta.*

4. *Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem, quia Deus vult operari in nobis sine nobis.*

5. *Nihil operando Anima se annihilat, & ad suum principium redit, & ad suam originem, quæ est essentia Dei, in qua transformata remanet ac divinisata: & Deus tunc in se ipso remanet, quia tunc non sunt ampliùs duæ res unitæ, sed una tantùm; & hac ratione vivit Deus & regnat in nobis, & anima se ipsam annihilat in esse operativo.*

6. *Via interna est illa, in qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio, & non oportet Deum cognoscere, & hoc modo rectè proceditur.*

7. *Non debet Anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate.*

8. *Non debet velle scire an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat, nec-ne: nec opus est ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil; sed debet ut corpus exanime manere.*

9. *Non debet Anima reminisci, nec sui, nec Dei, nec cujuscumque rei, & in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones, & ad proprios defectus.*

10. *Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi: & ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.*

11. *Ad dubia quæ occurrunt, an rectè procedatur nec-ne, non opus est reflectere.*

12. *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nullo re debet curam habere, nec de inferno, nec de paradiso: nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem purgare debet.*

13. *Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio & cura de omni re nostra; & relinquere ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.*

14. *Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit ut à Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio, cùm sit actus propriæ voluntatis & electionis; & est velle quòd divina voluntas nostræ conformetur: & illud Evangelii,* Petite & accipietis, *non est dictum à Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem: immo hujusmodi animæ eò perveniunt, ut non possint à Deo rem aliquam petere.*

15. *Sicut non debet à Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debet, quia utrumque est actus propriæ voluntatis.*

16. *Non convenit Indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita, quia melius est divinæ justitiæ satisfacere, quàm divinam misericordiam quærere: quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & istud ab amore nostri interessato, nec est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle crucem fugere.*

17. *Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relictâ cura & cogitatione Animæ nostræ, non est ampliùs habenda ratio tentationum, nec eis resistentia fieri debet nisi negativa, nullâ adhibitâ industriâ: & si natura commovetur, oportet sinere, quia est natura.*

18. *Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu & veritate.*

19. *Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.*

20. *Asserere quòd in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus Animam non alloquitur, ignorantia est. Deus nunquam loquitur, ejus locutio est operatio, & semper in Anima operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit.*

21. *In oratione opus est manere in fide obscura & universali, cum quiete & oblivione cujuscumque cogitationis particularis ac distinctionis attributorum Dei ac Trinitatis; & sic in Dei præsentia manere ad illum adorandum & amandum, eique inserviendum; sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet.*

22. *Cognitio hæc per fidem non est actus à creatura productus, sed est cognitio à Deo creaturæ tradita, quam creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit illam se habuisse; & idem dicitur de amore.*

23. *Mystici, cum sancto Bernardo in Scala Claustralium, distinguunt quatuor gradus: lectionem, meditationem, orationem, & contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, nunquam ad secundum pertransit: qui semper in secundo persistit, nunquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus animam non trahat, (absque eo quòd ipsa id exspectet) ad contemplationem infusam: & hac cessante, Anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipso permanere, absque eo quòd ampliùs redeat ad secundum aut primum.*

24. *Qualescumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem & Sacramenta, si voluntariè non nutriantur, sed cùm indifferentia & resignatione to-*

lerentur, non impediunt orationem fidei, immò eam perfectiorem efficiunt, quia Anima tunc magis divinæ voluntati resignata remanet.

25. Etiamsi superveniat somnus, & dormiatur, nihilominus fit oratio & contemplatio actualis, quia oratio & resignatio, resignatio & oratio idem sunt: & dum resignatio perdurat, perdurat & oratio.

26. Tres illæ Viæ, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva, sunt absurdum maximum quod dictum fuerit in Mystica, cùm non sit nisi unica Via, scilicet Via interna.

27. Qui desiderat & amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat nec quærit Deum, sed se ipsum; & malè agit cùm ipsam desiderat & eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris, quàm in diebus solemnibus.

28. Tædium bonorum spiritualium bonum est, siquidem purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna fastidit discursus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in se ipsa sentiens fervorem, bonum signum est.

30. Totum sensibile quod experimur in vita spirituali, est abominabile, spurium & immundum.

31. Nullus Meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent à sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.

32. Nec ante, nec post Communionem alia requiritur præparatio aut gratiarum actio pro istis Animabus internis, quàm permanentia in solita resignatione passiva; quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui fieri possunt & fiunt in via ordinaria: & si hac occasione insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur eos esse ex impulsu speciali Dei: aliàs sunt impulsus naturæ nondum mortuæ.

33. Malè agit Anima quæ procedit per hanc viam internam, & in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum: quoniam Animæ internæ omnes dies sunt æquales, omnes festivi; & idem dicitur de locis sacris, quia hujusmodi Animabus omnia loca æqualia sunt.

34. Verbis & linguâ Deo gratias agere, non est pro Animabus internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum opponendo, quod operetur in illis: & quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse Orationem Dominicam, seu PATER NOSTER, recitare.

35. Non convenit Animabus hujus vitæ internæ quòd faciant operationes etiam virtuosas ex propria electione & activitate; aliàs non essent mortuæ: nec debent elicere actus amoris erga beatam Virginem, Sanctos, aut humanitatem Christi, quia cùm ista sensibilia sint objecta, talis est amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec beata Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro corde; quia solus Deus vult illud occupare & possidere.

37. In occasione tentationum etiam furiosarum non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supra dicto amore & resignatione manere.

38. Crux voluntaria mortificationum pondus grave est & infructuosum, ideóque dimitte da.

39. Sanctiora opera & pœnitentiæ quas peragunt Sancti, non sufficiunt ad removendum ab anima vel unicam adhæsionem.

40. Beata Virgo nullum unquam opus exterius peregit, & tamen fuit Sanctis omnibus sanctior: igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.

41. Deus permittit & vult ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quòd in aliquibus Animabus perfectis, etiam non arreptitiis, dæmon violentiam inferat earum corporibus, eásque actus carnales committere faciat etiam in vigilia, & sine mentis offuscatione, movendo physicè illis manus & alia membra contra earum voluntatem: & idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos, in quo casu non sunt peccata, quia in his non adest consensus.

42. Potest dari casus quo hujusmodi violentiæ ad actus carnales contingunt eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris & feminæ, & ex parte utriusque sequatur actus.

43. Deus præteritis temporibus Sanctos efficiebat tyrannorum ministerio, nunc verò eos efficit sanctos ministerio dæmonum, qui causando in eis prædictas violentias, facit ut illi seipsos magis despiciant, annihilent, & se Deo resignent.

44. Job blasphemavit, & tamen non peccavit labiis suis, quia fuit ex dæmonis violentia.

45. Sanctus Paulus hujusmodi dæmonis violentias in suo corpore passus est: unde scripsit, Non quod volo bonum hoc ago; sed quod nolo malum, hoc facio.

46. Hujusmodi violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandum animam, & ad eam ad veram transformationem & unionem perducendam, nec alia superest via, & hæc est via facilior & tutior.

47. Cùm hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullúmque proprium conatum; sed permanere debet homo in suo nihilo: & etiamsi sequantur pollutiones, & actus obscœni propriis manibus, & etiam pejora, non est opus se ipsum inquietare, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, & timores; quia Anima fit magis illuminata, magis roborata, magísque candida, & acquiritur sancta libertas: & præ omnibus non opus est hæc confiteri, & sanctissimè fit non confitendo, quia hoc pacto superatur dæmon, & acquiritur thesaurus pacis.

48. Satanas qui hujusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse delicta, ut Anima se inquietet, ne in via interna ulteriùs progrediatur: unde ad ejus vires enervandas, melius est ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

49. Job ex violentia dæmonis se propriis manibus polluebat, eodem tempore quo mundas habebat ad Deum preces: sic interpretando locum ex Cap. Job. 16.

50. David, Jeremias, & multi ex sanctis Prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos, ut illud de Samsone, qui per violentiam se ipsum occidit cum Philisthæis, conjugium iniit cum alienigena, & cum Dalila meretrice fornicatus est, quæ aliàs erant prohibita, & quæ aliàs peccata fuissent: de Juditha, quæ Holopherni mentita fuit: de Eliseo, qui pueris maledixit: de Elia, qui combussit duces cum turmis Regis Achab: an verò fuerit violentia immediatè à Deo peracta, vel ministerio dæmonum, ut aliis Animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cùm hujusmodi violentiæ, etiam impuræ, absque mentis offuscatione accidunt, tunc Anima Deo potest uniri, & de facto semper unitur.

53. Ad cognoscendum in praxi an aliqua operatio in aliis personis fuerit violentia, regula quam de hoc habeo nedum sunt protestationes Animarum aliarum quæ protestantur, se dictis violentiis non

consensisse, aut jurare non posse quòd non his, consenserint, & videre quòd sunt animæ quæ proficiunt in via interna: sed regulam sumere à lumine quodam actuali, cognitione humanâ & Theologicâ superiore, quod certò cognoscere facit cum interna certitudine, quòd talis operatio est violentia: & certus sum quòd hoc lumen à Deo procedit, quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine quòd à Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium: eo modo quo interdum contingit quòd Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit quòd ipse sit qui revelet, & anima in contrarium non potest dubitare.

54. *Spirituales, via ordinaria, in hora mortis se delusos invenient & confusos, cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.*

55. *Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas & extinguendas omnes passiones, ita quòd nihil amplius sentitur, nihil, nihil: nec ultrà sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit.*

56. *Duæ leges & duæ cupiditates, Animæ una, & amoris proprii altera, tandiu perdurant, quandiu perdurat amor proprius: unde quando purgatus est & mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt ampliùs duæ illæ leges & duæ cupiditates, nec ulteriùs lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur ampliùs, ne quidem veniale peccatum.*

57. *Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi ampliùs peccata, nec mortalia, nec venialia.*

58. *Ad hujusmodi statum pervenitur non reflectendo ampliùs ad proprias operationes, quia defectus ex reflexione oriuntur.*

59. *Via interna sejuncta est à Confessione, à Confessariis, à Casibus conscientiæ, à Theologia, & à Philosophia.*

60. *Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eò etiam perveniunt ut sint mortuæ, Deus Confessionem aliquando efficit impossibilem, & supplet ipse tanta gratia præservante quantam in Sacramento reciperent; & ideo Animabus hujusmodi non est bonum in tali casu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia id est illis impossibile.*

61. *Anima cùm ad mortem mysticam pervenit, non potest ampliùs aliud velle quàm quòd Deus vult, quia non habet ampliùs voluntatem, & Deus eam illi abstulit.*

62. *Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum; quin immo signum quòd quis in statu nihilitatis maneat, id est mortis mysticæ, est, si sensus exteriores non repræsentent ampliùs res sensibiles, ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum quòd intellectus ad eas applicet.*

63. *Per viam internam pervenitur ad statum continuum immobilem in pace imperturbabili.*

64. *Theologus minorem dispositionem habet quàm homo rudis ad statum contemplationis: 1. Quia non habet fidem adeo puram: 2. Quia non est adeo humilis: 3. Quia non adeo curat propriam salutem: 4. Quia caput habet refertum phantasmatibus, speciebus, opinionibus, speculationibus, & non potest in illum ingredi verum lumen.*

65. *Præpositis obediendum est in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodo ad exterius pertingit: in interiore verò res aliter se habet, quò solus Deus & Director intrant.*

66. *Risu digna est nova quædam doctrina in Ecclesia Dei, quòd Anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo: quòd si Episcopus non sit capax, Anima ipsum cum suo Directore adeat. Novam dico doctrinam, quia nec sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores eam unquam tradiderunt, nec tradere possunt, quia Ecclesia non judicat de occultis, & anima ejus habet eligendi quemcumque sibi bene visum.*

67. *Dicere quòd internum manifestandum est exteriori tribunali Præpositorum, & quòd peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio: quia Ecclesia non judicat de occultis, & propriis animabus præjudicant his deceptionibus, & simulationibus.*

68. *In mundo non est facultas nec jurisdictio ad præcipiendum ut manifestentur Epistolæ Directoris quoad internum Animæ: & ideo bonum est animadvertere quòd hoc est insultus Satanæ.*

Quas quidem Propositiones tanquam hæreticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianæ disciplinæ relaxativas & eversivas, & seditiosas, respectivè, ac quæcumque super iis verbo, scripto, vel typis emissa, pariter cum voto eorumdem Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium & Inquisitorum Generalium, damnavimus, circumscripsimus, & abolevimus, déque eisdem & similibus omnibus, & singulis posthac quoquo modo loquendi, scribendi, disputandi, easque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim reducendi facultatem quibuscumque interdiximus, & contra facientes omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis & officiis ipso facto privavimus, & inhabiles ad quæcumque decrevimus, vinculóque anathematis eo ipso innodavimus, à quo nisi à Nobis & à Romanis Pontificibus Successoribus nostris non valeant absolvi.

Præterea eodem nostro Decreto prohibuimus & damnavimus omnes Libros, omniáque Opera, quocumque loco & idiomate impressa, necnon omnia Manoscripta ejusdem Michaëlis de Molinos, vetuimúsque ne quis cujuscumque gradûs, conditionis vel statûs, etiam speciali nota dignus, audeat sub quovis prætextu, quolibet pariter idiomate, sive sub eisdem verbis, sive sub æqualibus aut æquipollentibus, sive absque nomine, seu ficto aut alieno nomine ea imprimere, vel imprimi facere, neque impressa seu manuscripta legere, vel apud se retinere, sed Ordinariis locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquisitoribus statim tradere & consignare teneantur sub eisdem pœnis superiùs indictis: qui Ordinarii & Inquisitores statim ea igni comburant, vel comburi faciant. Tandem ut prædictus Michaël de Molinos ob hæreses, errores, & turpia facta prædicta debitis pœnis in aliorum exemplum, & ipsius emendationem plecteretur, lecto in eadem nostra Congregatione toto processu, & auditis dilectis filiis Consultoribus nostris Sanctæ Inquisitionis Officii, in Sacra Theologia & in Jure Pontificio Magistris, cum eorumdem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium unanimi voto, dictum Michaëlem de Molinos, tanquam reum convictum & confessum respectivè, & tanquam hæreticum formalem, licèt pœnitentem, in pœnam arcti & perpetui carceris, & ad peragendas alias pœnitentias salutares, præviâ tamen abjuratione de formali per ipsum emittenda, servato juris ordine damnavimus: Mandantes ut die & horâ præsignandis, in Ecclesia sanctæ Mariæ supra Minervam hujus almæ Urbis, præsentibus omnibus Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, & Romanæ Curiæ nostræ Prælatis, universóque populo ad id

etiam per concessionem Indulgentiarum convocando ex alto tenor Processûs, stante in suggesto eodem Michaele de Molinos, unà cum Sententia inde secuta legeretur: & postquam idem De Molinos habitu pœnitentiæ indutus prædictos errores, & hæreses publicè abjurasset, facultatem dedimus dilecto filio nostri Sancti Officii Commissario, ut eum à Censuris, quibus innodatus erat, in forma Ecclesiæ consueta absolveret; quæ omnia in executionem dictæ nostræ Ordinationis die tertia Septembris labentis anni solemniter adimpleta sunt.

Et licèt supra narratum Decretum de mandato nostro latum, ad Majorem fidelium cautelam typis editum, publicis locis affixum, & divulgatum fuerit, nihilominus, ne hujus Apostolicæ damnationis memoria futuris temporibus deleri possit, utque Populus Christianus Catholica veritate instructior per viam salutis incedere valeat, prædecessorum nostrorum Summorum Pontificum vestigiis inhærentes; hac nostra perpetuò valiturâ Constitutione supra dictum Decretum denuo approbamus, confirmamus, & debitæ executioni tradi mandamus, iterum supra dictas Propositiones definitivè damnantes & reprobantes, librósque & manuscripta ejusdem Michaëlis de Molinos prohibentes & interdicentes sub eisdem pœnis & censuris contra transgressores latis & inflictis.

Decernimus insuper præsentes Litteras semper & perpetuò validas & efficaces existere & fore, suósque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere: sicque per quoscunque Ordinarios & Delegatos quavis auctoritate fungentes & functuros ubique judicari & definiri debere, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ac irritum & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ut præsentibus transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus Litteris adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnium hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, damnationis, reprobationis, Punitionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo octuagesimo-septimo, duodecimo Kalendas Decembris. Pontificatus nostri anno duodecimo. F. DATARIUS.

J. F. ALBANUS. Registrata in Secretaria Brevium.

Visa de Curia S. de Pilastris.
D. Ciampinus.

Loco † plumbi.

Anno à Nativitate Domini nostri Jesu-Christi millesimo sexcentesimo octuagesimo-octavo, Indictione undecima, die verò 19. Februarii, Pontificatûs autem Sanctissimi in Christo Patris D. N. D. INNOCENTII divinâ Providentiâ Papæ Undecimi anno duodecimo, præsentes Litteræ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas

A Ecclesiæ Sancti Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, & aliis locis solitis & consuetis Urbis, per me Franciscum Perrinum SS. D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

XVII.

B

DECRETUM
ALEXANDRI VIII.
SUMMI PONTIFICIS,

Quo Errores duo capitales damnantur:

Primus contra Mandatum de Deo diligendo.
Alter de Peccati Philosophici commento.

C *Feria v. die 24. Augusti 1690.*

IN Congregatione generali Sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo D. N. D. ALEXANDRO divina Providentia Papa VIII. ac Eminentissimis ac Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversùs hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SANCTISSIMUS D. N. ALEXANDER PAPA VIII. non sine magno animi sui mœrore audivit
D duas Theses seu Propositiones, unam denuo & in majorem Fidelium perniciem suscitari, alteram de novo erumpere, & cùm sui Pastoralis Officii munus sit, oves sibi creditas à noxiis pascuis avertere; & ad salutaria semper dirigere, dictarum Thesium sive Propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus sedulò commisit, qui pluries & maturè discussis infra scriptis Thesibus seu Propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ singillatim exposuerunt.

E I. *Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis verò in conformitate actus cum Regula Morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè.* ***HUNC HOMO NON TENETUR AMARE, NEQUE IN PRINCIPIO, NEQUE IN DECURSU VITÆ SUÆ MORALIS.***

II. ***PECCATUM PHILOSOPHICUM,*** *seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali & rectæ rationi. Theologicum verò & mortale est transgressio libera divinæ legis.* ***PHILOSOPHICUM QUANTUMVIS GRAVE IN ILLO QUI DEUM VEL IGNORAT, VEL DE DEO ACTU NON COGITAT,***
F ***EST GRAVE PECCATUM, SED NON EST OFFENSA DEI, NEQUE PECCATUM MORTALE DISSOLVENS AMICITIAM DEI, NEQUE ÆTERNA POENA DIGNUM.***

Quibus peractis, Sanctissimus omnibus plenè & maturè consideratis, primam Thesim seu Propositionem declaravit Hæreticam, & uti talem damnandam & prohibendam esse, sicuti damnat & prohibet sub censuris & pœnis contra Hæreti-

cos & eorum fautores in Jure expressis: secundam Thesim seu Propositionem declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam, & uti talem damnandam & prohibendam esse, sicuti damnat & prohibet; ita ut quicunqoe illam defenderit, ediderit, aut de ea etism disputaverit, publicè seu privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacunque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi. Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sob interminatione divini judicii prohibet omnibus CHRITI Fidelibus cujuscunque conditionis, dignitatis, ac statûs, etiam speciali & specialissima nota dignis, ne prædictam Thesim seo Propositionem ad praxim deducant.

Loco † sigilli.

ALEXANDER SPERONUS
Romanæ & universalis Inquisitionis Notarius.

Die 24. Augusti 1690. supradictum Decretum affixum & publicatum fuit ad valvas Basilica Principis Apostolorum, Cancellaria Apostolica, & in acie Campi Flora, ac in aliis locis solitis & consuetis Urbis, per me Franciscum Pertinum *D. N. Papa & Sanctissima Inquisitionis Cursorem.*

XVIII.

CONSTITUTIO INNOCENTII XII.

BEATÆ MEMORIÆ PONTIFICIS MAXIMI,

Damnans Librum inscriptum, *Explication des Maximes des Saints sur la Vie interieure*, & XXIII. Propositiones ex eo exceptas, damnatis ab Ecclesia Catholica Quietistarum erroribus affines.

INNOCENTIUS PAPA XII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Cum aliàs ad Apostolatûs nostri notitiam pervenerit in lucem prodiisse Librum quemdam Gallico idiomate editum, cui titulus: *Explication des Maximes des Saints sur la Vie interieure, par Messire François de Salignac Fenelon, Archevêque Duc de Cambray, Precepteur de Messeigneurs les Ducs de Bourgogne, d'Anjou, & de Berry. A Paris, chez Pierre Aubouin, Pierre Emery, Charles Clousier 1697.* ingens verò subinde de non sana Libri hujusmodi doctrina excitatus in Galliis rumor adeo percrebuerit, ut opportunam pastoralis vigilantiæ nostræ opem efflagitaverit: Nos eundem Librum nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, aliisque in sacra Theologia Magistris, maturè ut rei gravitas postulare videbatur, examinandum commisimus. Porro hi mandatis nostris obsequentes, postquam in quamplurimis Congregationibus varias Propositiones ex eodem Libro excerptas diuturno, accuratóque examine discussetaot, quid super earum singulis sibi videretur, tam voce quam scripto oobis exposuerint. Audi-
A tis igitur in pluribus iisdem eorum coram nobis desuper actis Congregationibus memoratorum Cardinalium, & in sacra Theologia Magistrorum sententiis, Dominici gregis Nobis ab æterno Pastore crediti periculis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, Librum prædictum ubicumque, & quocumque alio idiomate, seu quavis Editione aut Versione huc usque impressum, aut in Posterum imprimendum, quippe ex cujus lectione & usu fideles sen-
B sim in errores ab Ecclesia Catholica jam damnatos induci possent; ac insuper tanquam continentem Propositiones, sive in obvio earum verborum sensu, sive attenta sententiarum connexione temerarias, scandalosas, malè sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas, respectivè, tenore præsentium damnamus & reprobamus; ipsiúsque Libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem & usum omnibus & singulis Christi fidelibus, etiam specifica & individua mentione & expressione dignis, sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso factos, absque alia declaratione, in-
C currenda, interdicimus & prohibemus. Volentes & Apostolica Auctoritate mandantes, ut quicumque supradictum Librum penes se habuerint, illum statimatque præsentes literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere ac consignare omnino teneantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Cæterum Propositiones in dicto Libro contentæ, quas Apostolici censurâ judicii, (sicut præmittitur) configendas duximus, ex Gallico idiomate in Latinum versæ, sunt tenoris qui sequitur, videlicet:

D I. *Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, & sine ulla admixione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur ampliùs Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter fœlicitatem in eo amando inveniendam.*

II. *In statu vita contemplativa, sive unitiva, amittitur omne motivum interessatum timoris & spei.*

III. *Id quod est essentiale in directione Anima est non aliud facere quàm sequi pedetentim gra-*
E *tiam cum infinita patientia, pracautione & subtilitate. Oportet se intra hos limites continère, ut sinatur Deus agere, & nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est Animabus adhuc sibimet affixis, & adeo potest illas scandalizare, aut in perturbationem conjicere.*

IV. *In statu sancta indifferentia Anima non habet amplius desideria voluntaria & deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus sesi sua gratia fideliter non cooperatur.*

F V. *In eodem statu sancta indifferentia nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus ut simus perfecti & beati propter interesse proprium, sed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus in quantum Deo placet efficere ut velimus res istas impressione sua gratia.*

V. *In hoc sancta indifferentia statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem aternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum: sed eam volumus voluntate plena ut gloriam & beneplacitum Dei, ut rem quam ipse vult, & quam nos vult velle propter ipsum.*

VII·

VII. *Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius* A *renuntiatio quam Jesus-Christus à nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est nisi quoad interesse proprium .... Extrema probationes, in quibus hac abnegatio seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam æternum.*

VIII. *Omnia sacrificia, quæ fieri solent ab Animabus quàm maximè desinteressatis circa earum æternam beatitudinem, sunt conditionalia... Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario.* B *In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum.*

IX. *In extremis probationibus potest Anima invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, & quæ non est intimus conscientiæ fundus, se justè reprobatam esse à Deo.*

X. *Tunc Anima divisa à semetipsa exspirat cum Christo in Cruce dicens: Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? In hac involuntaria impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem.*

XI. *In hoc statu Anima amittit omnem spem sui* C *proprii interesse, sed nunquam amittit in parte superiori, id est, in suis actibus directis & intimis, spem perfectam, quæ est desiderium desinteressatum promissionum.*

XII. *Director tunc potest huic Animæ permittere ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse, & justæ condemnationi, quam sibi à Deo indictam credit.*

XIII. *Inferior Christi pars in Cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.*

XIV. *In extremis probationibus pro purificatione* D *amoris fit quædam separatio partis superioris Animæ ab inferiori.... In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca & involuntaria perturbatione: nam totum quod est voluntarium & intellectuale, est partis superioris.*

XV. *Meditatio constat discursivis actibus, qui à se invicem facilè distinguuntur.... Ista compositio actuum discursivorum & reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.*

XVI. *Datur status contemplationis adeo sublimis, adeòque perfecta, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contempla-* E *tiva, non discursiva. Tunc non ampliùs indiget redire ad meditationem, ejúsque actus methodicos.*

XVII. *Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili, & reflexo Jesu-Christi duobus temporibus diversis: primò, in fervore nascente earum contemplationis: secundò, Anima amittit intuitum Jesu-Christi in extremis probationibus.*

XVIII. *In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctæ, non cogitando quòd sint virtutes. In* F *quolibet momento aliud non cogitatur, quàm facere quod Deus vult: & amor zelotypus simul efficit ne quis ampliùs sibi virtutem velit, nec unquam sit adeo virtute præditus, quàm cùm virtuti ampliùs affixus non est.*

XIX. *Potest dici in hoc sensu, quòd Anima passiva & desinteressata nec ipsum amorem vult ampliùs, quatenus est sua perfectio & sua felicitas, sed solùm quatenus est id quod Deus à nobis vult.*

XX. *In confitendo debent Animæ transformatæ sua peccata detestari, & condemnare se, & desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem & liberationem, sed ut rem quam Deus vult, & vult nos velle propter suam gloriam.*

XXI. *Sancti Mystici excluserunt à statu Animarum transformatarum omnes exercitationes virtutum.*

XXII. *Quamvis hæc doctrina* (de puro amore) *esset pura & simplex perfectio Evangelica in universa Traditione designata, antiqui Pastores non proponebant passim multitudini justorum nisi exercitia amoris interessati eorum gratiæ proportionata.*

XXIII. *Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati & meritorii sunt.*

Non intendimus tamen per expressam Propositionum hujusmodi reprobationem, alia in eodem Libro contenta ullatenus approbare. Ut autem eædem præsentes Litteræ omnibus faciliùs innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter & auctoritate præfata decernimus, ut illæ ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon Curiæ generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarúmque exempla ibidem affixa relinquantur; ita ut sic publicatæ omnes & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ & intimatæ fuissent. Utque ipsarum Litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. DATUM Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris die XII. Martii MDCXCIX. Pontificatus nostri anno octavo.

J. F. Card. ALBANUS.

Anno à Nativitate D. N. J. C. 1699. Indictione septima, die verò 13. mensis Martii; Pontificatûs autem Sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. Innocentii divina Providentia Papæ XII. anno ejus octavo, supradictum Breve affixum & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, magnæ Curiæ Innocentianæ, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis & consuetis Urbis per me Franciscum Perrinum ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem.

SEBASTIANUS VASELLUS,
Mag. Curs.

Damnandos illos errores cùm Illustrissimi & Religiosissimi Præsules DD. Ludovicus Antonius De Noailles Archiepiscopus Parisiensis, exinde ob eminentia merita S. R. E. Cardinalis, Jacobus Benignus Bossuet Episcopus Meldensis, Paulus Godet Des-Marets Episcopus Carnotensis, Pastoralibus Institutionibus, aliisque palmaribus Scriptis expugnassent: Summi Pontificis Constitutionem, quâ demum causa finita est, omnes Gallicanæ Ecclesiæ Episcopi per singulas Metropoles sacra Jussione Christianissimi Regis congregati, summa veneratione ac devotione receperunt, & in singulis Diœcesum suarum Ecclesiis promulgari & executioni mandari decreverunt, prout Rex Magnus edixerat Declaratione datâ Versaliis die 4. Augusti 1699. & in Tabulas supremi Senatus relatâ ex solemni Senatusconsulto die 14. Au-

gosti ejusdem anni. Ipséque Reverendissimus ac Religiosissimus D. Archiepiscopus Dux Cameracensis, Comprovincialibus suis Episcopis adunatus, Pontificiam Constitutionem summisso animo recepit, promolgavit; Librum suum prohibuit, & Propositiones ex eo excerptas, secundùm tenorem ejusdem Constitutionis damnavit, Mandato Archiepiscopali ea de re in Diœcesi sua publicato.

XIX.

MANDATUM

ILLUSTRISSIMI

AC REVERENDISSIMI D. D.

FRANCISCI DE SALIGNAC

FENELON

ARCHIEPISCOPI DUCIS

CAMERACENSIS.

Latinè redditur ex Gallico summa fide.

FRANCISCUS Dei misericordiâ & sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ Archiepiscopus Dux Cameracensis, sancti Imperii Princeps, &c. Clero Seculari & Regulari nostræ Diœcesis, salutem & benedictionem in Domino.

Nos ipsos vobis totos debemus, FRATRES CHARISSIMI, siquidem non sumus ampliùs nostri, sed gregis qui nobis creditus est: *Nos autem servos vestros per Jesum.* Eo urgemur affectu ut cor nostrum vobis pandamus, communicantes vobiscum quæ Nos spectant in causa Libri cui titulus est, *Explication des Maximes des Saints.* Tandem Sanctissimus D. N. Papa hunc Librum damnavit cum Propositionibus viginti tribus ex eo excerptis, Brevi Apostolico dato die XII. Martii MDCXCIX. quod jam ubique vulgatum, vobisque notum est.

Huic Brevi, CHARISSIMI FRATRES, tum quòd Libri textum attinet, tum quòd Propositiones viginti-tres spectat, simpliciter, absolutè, & absque umbra restrictionis adhæremus. Quamobrem tam Librum ipsum, quàm viginti-tres Propositiones, præcisè, sub eadem forma, & cum iisdem qualificationibus, simpliciter, absolutè, & sine ulla restrictione damnamus. Sub iisdem etiam pœnis Fidelibus hujus Diœcesis inhibemus, ne hunc Librum legant, aut retineant.

Humiliationem nostram consolabimur, DILECTISSIMI FRATRES, modò ministerium verbi, quod ad vestram sanctificationem à Domino accepimus, inde non infirmetur, nec obstet humiliato Pastori quin grex in Gratia Dei crescat.

Vos igitur toto animo ad sinceram obedientiam, absolutamque docilitatem adhortamur, ne sensim contabescat simplicitas obedientiæ Sanctæ Sedi debitæ, cujus exemplum, per Dei gratiam, ad extremum usque spiritum vobis præbere volumus.

Absit ut in ore hominum simus ad eorum offensionem, faxit Deus ut meminerint Pastori fuisse persuasum se magis docilem esse debere, quàm postremam gregis oviculam; nullúmque summissioni suæ & obedientiæ modum ac finem posuisse. Opto ac precor, FRATRES CHARISSIMI, ut Gratia Domini nostri JESU-CHRISTI, Charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus maneat cum omnibus vobis. AMEN.

† FRANCISCUS Archiepiscopus Dux Cameracensis.

De Mandato Illustrissimi Domini Archiepiscopi, DES ANGES à Secretis.

Datum Cameraci 9. Aprilis 1699.

XX.

EPISTOLA

PASTORALIS

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. D.

D. ARCHIEPISCOPI ROTHOMAGENSIS,

NORMANNIÆ PRIMATIS,

JACOBI NICOLAI COLBERT,

Occasione Libelli in ejus Diœcesi disseminati, cui titulus: DIFFICULTEZ PROPOSE'ES, &c.
Id est, *Difficultates propositæ, &c.*

Hanc Epistolam Latinè reddimus ex Gallico summa fide.

JACOBUS NICOLAUS COLBERT, permissione divina Rothomagensis Archiepiscopus, Normanniæ Primas, Venerabilibus Fratribus nostris Decano, Canonicis & Capitulo Cathedralis Ecclesiæ nostræ: Decanis, Canonicis & Capitulis Ecclesiarum Collegiatarum, Rectoribus Parochiarum, aliisque Ecclesiasticis Viris Diœcesis nostræ, salutem & benedictionem.

Præcipuas inter Pastoralis Officii nostri partes, gravissima semper visa nobis est obligatio, Morum doctrinam omni modo puram servare, uniformémque in Diœcesi nostra stabilire Disciplinam. Hoc animo assiduitatem in Collationibus Ecclesiasticis vobis commendavimus, ut de Regulis Disciplinæ, ac de Moralis Christianæ principiis communiter instituti, idem sentiretis, unamque commissas vobis Animas dirigendi rationem teneretis; atque ita sana Doctrina auctoritatem obtineret, magisque indocilia ingenia illi se subjicere compellerentur. Verùm justæ nobis fuere timendi rationes, ne Viri quamplures Ecclesiastici, recentiorum Autorum, qui de Moralibus rebus scripserunt, lectioni sine delectu se dantes, aberrarent, malos duces secuti, aliique principia cum aliorum principiis è regione pugnantia amplecterentur. Hæc ut avertamus pericula, conveniens judicavimus in argumentis Collationum anno proximè elapso propositis, libros vobis præscribere, quos ad vestras decisiones responsáque formanda consulere debetis. Librorum Theologiæ Moralis ab Episcopis doctrinâ pariter ac pietate celebratissimis editorum lectionem vobis commendavimus, Operáque Doctorum, quorum spectata eruditio; quæ solida firmaque principia, & Decisiones seu Responsa in Libris Sacris & Traditione SS. Patrum fundata continent: puris fontibus, ex quibus veras Regulas Morum haurire debetis.

Delectus ille Auctorum adeo necessarius, *Ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu & in ea-* 1 Cor. 1. 10.

[Philipp. 3. 16.] *dem sententia..... & in eadem permaneatis regula*, occasionem dedit Anonymo Libello, in nostra Diœcesi dissemionato, cui titulus est: DIFFICULTEZ PROPOSÉES A MONSEIGNEUR L'ARCHEVESQUE *sur divers endroits des Livres, dont il recommande la lecture à ses Curez.* Id est, *Difficultates propositæ Domino Archiepiscopo, circa varios locos Librorum, quorum lectionem Curatis suis commendat.*

Hujus Autor Libelli, damnandâ adversùs Episcopalem Autoritatem contumaciâ, doctrinam Archiepiscopi sui, & illorum quorum utitur ministerio, Diœcesanis ejus suspectam efficere conatur. Nihil quippe in locis omnibus Autorum à nobis indicatis inveniens quod reprehendere posset; omnium quæ de aliis quæstionibus scripserunt, de quibus locuti non fuimus, Nos vadimonium vult exhibere: & circa has ipsas quæstiones, quæ Nos minimè spectant, certiores Moralis Christianæ veritates, & firmiores Status Ecclesiastici Regulas impugnat.

Quascunque latebras obscuritatis affectet, oe damnatos Gallicanorum Episcoporum Censuris & Summorum Pontificum Decretis errores apertè renovare videatur, perspectum satis est ex iis, quas proponit, objectionibus, hune ejus esse scopum illos ut renovet; eòque tendit temeritas quâ in ordine Propositionom veri fines, justæque severitatis modum excedentium describit certissima receptissimaque dogmata, damnatis illis erroribus contraria. [P. 10 Indict, p. 16. Diffic.] Sic doctrina Probabilitatis tot Censuris confixa, pernicioso isto Libello insinuatur; Peccati Philosophici principia pariter adstruuntur.

[P. 11. 12. & seq. Diffic.] De Beneficiorum Curam Animarum annexam habentium ingressu eo modo loquitur, qui & scandalum moveat, & ad eversionem tendat omnium, quæ Sacris Canonibus constituta sunt ad Clericorum ambitionem comprimendam.

Nihil verò publicam indignationem concitare justiùs potest, quàm extrema istius Autoris audacia, quâ asserere non dubitat, Eos omnes qui Amorem Dei, saltem inchoatum, ad justificationem in Pœnitentiæ Sacramento necessarium propugnant, puram putam Lutheri doctrinam à Concilio Tridentino damnatam sustinere.

[Breve Innocen. XII. datum die 6 Febr. 1694.] Quo denique tempore Summus Pontifex, à Deo Ecclesiæ datos ad pacem in ea firmandam, injungit Episcopis ne ulla ratione quempiam vaga illa accusatione & invidioso nomine Jansenismi traduci & infamari sinant, nisi priùs convictus fuerit aliquam ex quinque Propositionibus damnatis tenuisse, ille pacis æquè ac veritatis inimicus, hâc insuperhabitâ contemptâque Regula, quam præscribit æquitas, & quam in Diœcesi nostra accuratissimè observari volumus, [Diffic. p. 19. & 20.] Jansenianos vocare audet, qui errores ejus non sequuntur de attentione ad malitiam & pravitatem actionis, quam ille quidem ad peccandum necessariam esse [Diffic. p. 33.] propugnat; aut qui circa alia Moralis Christianæ capita doctrinam prorsus Catholicam docent.

Offensio publica, quam in nostra Diœcesi Libellus iste excitavit, ad inquirendum in Autores aut disseminatores Scripti tam seditiosi Nos impulit, compertumque habuimus P. BUFFIERUM Societatis Jesu Professorem, unum ex iis esse, qui illud studiosè in vulgus disseminabant. Tam nefandæ temeritatis licentiam impunitam inultamque ferri non debere judicavimus; quamobrem illum sacro mulctavimus Interdicto, ejúsque Superiores vocavimus, ut Propositiones contrarias Libelli supradicti erroribus ab illo subscribi, eósque errores ab illo ejurari seu improbari de Mandato nostro curarent; quâ satisfactione injuria Episcopali Auctoritati illata expiaretur.

Et Superiorum quidem humilem erga Episcopatum reverentiam probavimus, & laudavimus. Omnem enim autoritatem suam adhibuere, ut P. Buffierum ad plenam satisfactionem adducerent. Verùm eorum jussioni ac Archiepiscopi sui mandatis parere vir ille rebellis recusavit; & contumaciam ejus qua par erat severitate puniverunt.

Opportunum porrò Nobis visum est pro Veritatis, & Sacri nostri Caracteris juribus ac honore servandis; quin etiam & Jesuitarum honori consulamus, hic inserere litteras quas Pater Ayraut Vice-Provincialis ad nos dedit, necnon Propositiones, quarum subscriptionem P. Buffiero imperavit, ut nobis comprobaret Societatis Præpositos & pravam Libelli doctrinam, & seditiosam P. Buffieri agendi rationem damnare.

EPISTOLA PATRIS AYRAUT

Vice Provincialis Societatis JESU in Provincia Franciæ,

Ad Illustrissimum ac Reverendissimum D. D. Archiepiscopum Rothomagensem,

De Libello à Patre BUFFIER disseminato.

ILLUSTRISSIME ARCHIPRÆSUL,

DE obedientia Patris Buffieri speraveram, iteratis Mandatis me ab ipso impetraturum, ut quam optaverat Amplitudo tua satisfactionem illi exhiberet, improbando & ejurando Libellum & Propositionibus infra scriptis, prout jussit Amplitudo tua; subscribendo. Id mihi spoponderat ac de ipsius bona fide non dubitans, meam Tibi obstrinxeram. Verùm cùm ille Pater exinde obedire pertinaciter recusaverit, nihil aliud facere possum, Illustrissime Domine, quàm severè in ipsum animadvertere ob culpas graves in tota istius negotii serie ab ipso commissas, quibus indignationem in se tuam arcessivit. Propterea ipsum relego Corisopitum, ubi in Collegio nostro reclusus maneat, illique omnibus Societatis functionibus, omnique extra commercio sit interdictum, donec Amplitudini tuæ placuerit pœnam ejus finire, quâ certè majorem illi infligere, mea non est potestatis.

Spero fore ut Amplitudinis tuæ dignitas me liberet ab anxietate quam patior, & molestum istud tandem negotium finiat, certiorem me faciendo quòd meam hac in re probatam habeat agendi rationem, qui sum maxima cum reverentia,

ILLUSTRISSIME ARCHIPRÆSUL,

Amplitudinis tuæ,

Humillimus & obsequentissimus servus,
GUILLELMUS AYRAUT,
Vice Provincialis Societatis Jesu in Provincia Franciæ.

Lutetiæ Parisiorum; Domo Professa, die 2. Februarii 1697.

PROPOSITIONES

AB ILLUSTRISSIMO D. D. ARCHIEPISCOPO ROTHOMAGENSI DETERMINATÆ,

Ac de ejus Mandato à Patre BUFFIER subscribendæ.

IMposito mihi à R. P. Guillelmo Ayraut Vice-Provinciali Societatis Jesu in Provincia Franciæ Præcepto, ut Illustrissimo D. D. Archiepiscopo Rothomagensi faciam satis ratione Libelli, cui titulus est, Difficultates Propositæ, &c. *atque subscribam Propositionibus ejus nomine mihi designandis; cùm summissa erga tantum Archipræsulem reverentia & obedientia, & grati animi erga potentissimum Societatis nostræ Protectorem publica nimis testimonia edere non possim; agnosco & declaro Autorem Libelli, qualiscunque sit, à reverentia eidem Archipræsuli debita cum scandalo defecisse, Opus edendo, quo pax Diœcesis perturbari potest, avertendo Clerum ab observantia Mandatorum ejusdem D. Archiepiscopi, & quod sententiis quampluribus refertum est, rectitudini ac puritati Moralis Christianæ contrariis. Ut autem omnibus innotescat quantùm improbem hujus opiniones Autoris, quæ nec mea sunt, nec Societatis nostræ, sequentibus Propositionibus subscripsi:*

I. *Circa doctrinam Probabilitatis, damnare me profiteor quicquid Innocentii XI. Pontificis Maximi Decreto die 2. Martii 1679. damnatum est.*

II. *Quod spectat peccatum Philosophicum, damno quod ab Alexandro Octavo Summo Pontifice damnatum est Decreto edito die 24. Augusti 1690. privatimque agnosco & profiteor, quod & Societatis nostræ Patres in suis circa peccatum Philosophicum Declarationibus agnoverunt & professi sunt, falsum esse quod necessaria sit actualis attentio ad malitiam actionis, ut in peccatum imputetur.*

III. *Peccatores excæcati & obdurati, qui homicidia, adulteria, & alia crimina sine conscientiæ stimulo committunt, non animadvertentes quòd illa perpetrando Deum offendant, & quòd illa contraria sint legi naturali, pœnarum inferni nihilominus rei sunt: eum excusari propterea non possunt à peccato mortali, quod actu ad actionis malitiam non attendant.*

IV. *Obligatio amandi Deum, primum & præcipuum est hominis officium, & nulla vitæ pars eo amore, saltem habituali, vacare debet.*

V. *Omne opus, ut verè Christianum ac meritorium sit, ex amore Dei, saltem habituali, ceu ex principio oriri, ad ipsumque eca ad finem ultimum referri debet.*

VI. *Quicunque asserit, Amorem Dei inchoatum necessarium esse ad excindendum affectum peccati, à doctrina Lutheri alienissimus est.*

VII. *Agnosco & profiteor, nullam esse veram conversionem sine aliquo Dei amore; nec peccatorem sufficienter dispositum esse posse ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ consequendam, nisi Deum ut omnis justitiæ fontem diligere incipiat.*

VIII. *Ambitionis reus est, generatim loquendo, quicunque pro se ipso Episcopatum, Curam Parochialem, aut quodvis aliud Beneficium Curam Animarum annexam habens postulat; indignumque reddit vel ipsa postulatio.*

IX. *Apostoli verbis abutitur, quicunque dixerit, Nisi liceret Episcopatum postulare, nos seduxisset Apostolus, scribendo:* « Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. »

X. *Qui majorum & nobiliorum Ecclesiarum suggesta seu pulpita ambiunt & postulant, ut nominis claritatem consequantur, sicque viam sibi parent ad Episcopatum, prædicatione abutuntur, & ministerium Evangelii profanant.*

Quàmvis porro sapientia & zelo Superiorum Societatis Jesu sublatum scandalum hac in occasione judicemus; quia tamen Anonymus iste Libellus per omnem Diœcesim nostram studiosè disseminatus est; officii nostri esse ducimus præjudicia delere, quæ in minùs peritorum animis fortè peperit, circa Probabilitatem, Amorem Dei, Peccatum Philosophicum, & Ambitionem. Et ut præstemus quod debemus Veritati, hac Instructione Pastorali sanam doctrinam vobis explicabimus, quam in omni Diœcesi nostra doceri volumus circa hæc Moralis Christianæ fundamentalia capita, ab Autore Libelli eversa: expressè declarantes, Nos omnem à Deo nobis commissam autoritatem adhibituros ut profanas destruamus novitates, quas falsi nominis scientia documentis nostris posset opponere, & ut impediamus ne simplices Animæ à falsis Doctoribus seducantur, qui doctrinam traderent instructionibus nostris contrariam.

Jesuitas Diœcesis nostræ id non commissuros spopondit nobis Pater Ayraut, ipsisque expressè mandavit, ut principia mox à Nobis proponenda ad amussim sequerentur.

Cùm abusus Probabilitatis non privatus modò sit error, sed radix & origo laxitatum omnium, quas recentiores Casuistæ in Morum Disciplinam invexerunt, necessarium duximus pauló fusiùs vobis explicare principia quibus adhærere debetis, circa istud, quod maximi certè momenti est, Moralis Christianæ caput. *Probabilitas.*

Quisquis ad certiora doctrinæ Morum principia vel minimùm attenderit, facilè convincetur nos semper teneri, sub pœna peccati, præponere opinionem quæ nobis probabilior simul & tutior videtur, ei quæ minùs tuta, & minùs probabilis est.

Hæc regula adeo consentanea est rationi, ut ab ea nunquam discedant homines, cùm de temporalibus illorum commodis agitur: unde non sine dolore videmus novos probabilitatis Doctores ita temerarios esse, ut contrariam prorsus regulam in conscientiæ rebus proponant; & Christianos de salute sua tam parum esse sollicitos, ut eam sequantur.

Cùm inter plurimas rationes, auctoritatésque fluctuamus, quarum aliæ nobis persuadent aliquid contrarium esse Legi Dei, aliæ non esse dissentaneum, mens certè nostra dubia manet, nec pronuntiare potest qua ex parte stet veritas. Tunc tenemur sequi regulam in Jure Canonico toties repetitam, & quam ipsi Ethnici ceu legem indispensabilem spectarunt, *In dubio viam eligendam esse tutiorem.* Ab hac regula qui aberrat, hoc ipso peccat, S. Augustino judice, quòd in negotio salutis suæ certis incerta præponit.

At verò cùm rationes & autoritates, quæ actionem aliquam divina Lege vetitam esse ostendunt, probabiliores & validiores nobis videntur iis, quæ proferuntur ut probetur esse licitam; multo evidentius est teneri nos absolutè sequi opinionem tutiorem ac probabiliorem.

Deferere quod nobis verum videtur, ut sequamur quod falsum esse probabiliùs judicavimus,

amor veritatis non permittit. Fidelitas quam Legi Dei debemus, nos determinat ad amplectendum quod illi magis consentaneum agnoscimus; & conscientia majori lumine mentis formata, tam clarè dictat nobis tenendum esse quod tutius & probabilius est, ut partem oppositam amplecti, nisi ipsa repugnante & reclamante, non possimus. Quod quidem ex omnium Theologorum sententia, excusari à peccato nullatenus potest, etiamsi conscientia erronea sit, ut docet S. Paulus a de illis agens, qui certorum ciborum usum prohibitum esse credebant. His enim vesci absque peccato non poterant, Apostolo judice, quamvis contrariæ sententiæ probabilitas certò constaret.

Sola ergo cupiditas efficere potest ut minùs probabilem, minùsque tutam opinionem probabiliori simul ac tutiori præponamus; & quod illam adstruit principium, certissimas duas nostrarum actionum regulas, Legem Dei scilicet, ac conscientiam evertit.

Duas istas Regulas perfectè explicat celeber S. Thomæ locus, qui Scripturæ Sacræ & Patrum principia circa id caput paucis complectitur, & ad falsam probabilitatis doctrinam penitus destruendam sufficit. (*Dicendum*, inquit Sanctus ille Doctor) *quòd duobus modis aliquis ad peccatum obligatur; uno modo faciendo contra Legem, ut cùm aliquis fornicatur; alio modo contra conscientiam, etiamsi non sit contra legem, ut si conscientia dictat alicui quòd levare festucam de terra sit peccatum mortale. Ex conscientia autem aliquis obligatur ad peccatum, sive habeat certam fidem de contrario ejus quod agit, sive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione. Illud autem quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundùm conscientiam; & similiter quod est contra conscientiam est malum, quamvis non sit contra legem.*

Immutabilibus illis duabus actionum nostrarum regulis, novi Theologi probabilitatem, verisimilibus rationibus fundatam, aut Doctorum quorumdam auctoritate nixam substituerunt; quarum conditionum alterutra, secundùm illos, semper sufficiens est ut opinio in praxi tuta censeatur. Addunt quidem interdum, ad probabilitatem opinionis requiri ut nec Scripturæ Sacræ, nec Traditioni contraria sit, gravibúsque rationibus muniatur, adversùs quas nullum argumentum convincens proferatur: sed speciosa duntaxat verba sunt, ad abscondendum doctrinæ venenum ad inventa. Gravium enim rationum nomine verè solidas firmasque rationes non intelligunt; cùm tales inveniri non possint ad probationem ac munimen falsarum opinionum, quales sunt maxima ex parte quæ ab ipsis ut probabiles propugnantur, sed id volunt unum, ut qui opinionem aliquam amplectitur, bonis eam rationibus fultam censeat: quod certè omnis generis erroribus & sophismatis convenire potest.

Quod autem aiunt, probabiles opiniones Scripturæ vel Traditioni contrarias esse non debere, non ita intelligunt ut tam Sacris Regulis re ipsa non repugnent; id volunt unum, ut istarum opinionum Sectatores, illas Scripturæ & Traditioni evidenter contrarias non judicent. Tandem secundum illorum principia, nulla convictio est adversùs opinionem quam graves tuentur Autores, quia præsumendum est illos solutiones nobis incognitas excogitasse & invenisse.

Verùm omnis ille modificationum fucus, quem probabilistæ Autores adhibent ut eorum opinio minùs invidiosa videatur, non impedit quin eos in errores impingant, quibus fundamentalia Moralis Christianæ principia evertuntur.

A Primus est: Ex quo opinio, quæ blanditur cupiditati, certò probabilis est, tutò nos illam amplecti, & in praxi sequi posse, relictâ opinione contraria, quæ & probabilior videtur & tutior.

Alter: Probabilitatem extrinsecam, Doctorum quorumdam autoritate fultam, semper sufficere ut opinio tuta in praxi censeatur: eamque conscientiæ luminibus, & sententiæ, quæ proprio judicio verior videtur, licitè præponi.

Inde Christianis in instituenda vitæ ratione, verum an falsum sequantur, perinde est, ut rectè observat Eminentissimus Cardinalis de Aguirra, a ob eruditionem æquè ac pietatem reverendus,
B faterùrque, studium olim suum, dum Probabilismum, quem nunc totis viribus impugnat, sectaretur, situm fuisse in examinando potiùs an aliquid esset probabile, quàm in investigando an esset verum. Contradictoriæ opiniones velut probabiles proponuntur, eo nomine, quòd à diversis Autoribus propugnatæ sint; easque seu æquè tutas in praxi amplecti possunt illi ipsi, quibus speculativo judicio falsæ videntur, ut recentioribus Casuistis placet. Secundùm nova hæc principia, cognitam deserere veritatem quisque sine prævaricatione potest. Vanis illis distinctiunculis
C certitudinis practicæ & certitudinis speculativæ, se justiores conscientiæ stimulos retundere ac sedare posse novi Doctores gloriantur. Doctrinâ denique probabilitatis, humana ratio quantumvis peccato depravata, actionum Christiani hominis regula evadit: *Via quæ videtur homini recta*, nunquam *ducit ad mortem*. Doctores etiam cùm errant, Duces sunt quos sequi tutum est; nec ullum est periculum *cadendi in foveam*, sequendo *duces cæcos*, si gravium Autorum nomen habeant. Hinc consequens erit, Judæos falsas Magistrorum suorum traditiones tutò sequi potuisse;
D quin & Jesu Christi damnationem à Doctoribus suis conclamatam ut probabilem spectare, illamque sine labe criminis approbare.

Si necessaria illa probabilitatis consectaria vobis horrorem incutiunt; si vel sola istius doctrinæ novitas, sine qua Orbis Christianus fuit ad postremum usque seculum, quo prodire cœpit, vos ad eam rejiciendam obligat, ex ejus usu intelligeris quam necessarium sit longiùs serpentem cohibere.

Turba recentiorum Casuistarum, qui Scripturam Sacram & Patres deseruerunt, ut propria
E commenta, privatúmque sensum, ut nuperorum quorumdam Doctorum auctoritatem sequerentur, inanium ratiocinationum levitate abrepti erraverunt. Tam stupenda fuit eorum cæcitas, ut opiniones omnibus naturæ luminibus contrarias propugnaverint, quas ipsi Ethnicismi Sapientes non sine horrore audivissent: & perniciosas adeo sententias quasi tutas, secundùm probabilitatis principia, proposuerunt.

Prosper Fagnani, Canonici Juris scientiâ in Romana Curia spectatissimus, in Commentario ad
F Caput, *Ne innitaris*, ubi falsam probabilitatis doctrinam egregiè refellit, errorum monstra recenset, quæ probabilium opinionum effrenata licentia peperit.

Ecclesiæ Gallicanæ Episcopi harum sententiarum enormitate perculsi, totque Propositiones scandalosas in suis Apologiæ Casuistarum Censuris damnantes, eversæ penè Morum disciplinæ causam indigitarunt, licentiam sequendi opinionem minùs probabilem & minùs tutam, & attributum extrinsecæ probabilitati securitatis privilegium.

Hanc doctrinam adeo perniciosam judicavit pius & eruditus P. Thirsus Gonzalez Societatis

---

a Ignorantia agere quod dubites utrum ... sit an non.
Æquitas enim hoc ipsa per se, dubitatio cogitationum significat hujus ...
S. Aug. lib. 1. De Baptism. cont. Donat. c. 3. Si dubium haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem pertinentibus vel eo solo quòd certis incerta præponeret.
Et cap. 5. Accipere in parte Donati, si incertum est esse peccatum, quis dubitaverit esse peccatum, non ubi potius accipere, ubi certum est non esse peccatum?
a Rom. 14. 22. 23.
S. Thomas Quodlibeto 8. Art. 13.

a Præfat. ad Tom. Concil. Hispaniæ.
Prov. c. 14. Est via quæ videtur homini recta, novissima autem illius deducunt ad mortem.
Matth. 15. 14. Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.
a Ann. [illegible]

Jesu Præpositus Generalis, ut injuriam Societati factam proclamet, quòd illi fuerit imputata, & in egregio Opere quod edidit in lucem *De recto probabilium opinionum usu*, prolixa Præfatione ostendit Jesuitas non esse primos hujus opinionis Autores, immò plures ejus impugnatores ex Societate prodiisse, inter alios Comitolum, cujus Responsiones Morales à Novorum Casuistarum dissolutis opinionibus longè alienæ sunt, quia doctrinam, ex qua prodierunt, luculenter impugnavit.

De tanti momenti argumento dicendi finem facimus, duas Propositiones in directione Animarum detestandas vobis indicantes, quas probabilitatis defensores docuere.

Prima est: *Conscientiæ Moderator cujus Sententia de Casibus conscientiæ rogatur, respondere potest secundùm opinionem probabilem, quam falsam judicat.*

Ne tam erroneo principio, & agendi ratione tam perversa Animas perdatis, attendite vos à Fidelibus consuli & interrogari ut Magistros veraces & sinceros, qui viam Dei in veritate docere

Num. 22. debetis: Vos illis respondere debere, quod Dominus annuntiare præcipit: Deum rationem à vobis exacturum pro Animabus, quas falsis opinionibus seduxeritis; violare vos sanctitatem & fidem Ministerii vestri, si palpetis carnalium hominum cupiditatem, qui veniunt ad vos cum eo

Isaiæ 30. affectu, quem Judæis exprobrabat Deus: *Dicunt videntibus, Nolite videre: & aspicientibus, Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores.*

Altera Propositio est: *Cùm Pœnitens opinionem sequitur ab aliquibus Doctoribus assertam, Confessarius debet illum absolvere, quamvis opinionem illam falsam judicet.*

S. Cyprian. *Serm. de laps.* pax, &c. Ne adeo falsam pacem detis, quæ nihil prodesset recipientibus, vobis etiam dantibus perniciosa esset. Meminetitis vos in Sacro Tribunali personam Christi gerere, ut eos solos in terra solvatis, quos merito creditis ab illo solvi in cœlo: ipsósque Probabilistas (quamvis olim aliter senserint) hodie damnare Judicem, qui in causa rei temporalis sententiam ferret secundùm opinionem minùs verisimilem; & Medicum, qui remedia infirmi curationi minùs convenientia minúsque salutaria adhiberet.

Falsis illis Regulis præclarum & inconcussum Felicis Papæ III. principium opponite, quod præ oculis semper vos habere volumus in directione

Epist. 7. Animarum: *Quod se decipit ipse qui fallit, nibilque per nostrum facilitatem, Tribunali excelsi Judicis derogari, cui illa sunt rata, quæ pia, quæ vera, quæ justa sunt.*

AMOR DEI.

Novis illis Theologis satis non fuit doctrinâ probabilitatis ad Regulas Morum evertendas abuti; animam insuper ac principium reliquarum virtutum Christianarum destruxerunt editis circa divinum Amorem erroribus.

Solum naturæ lumen docet hominem, Amorem cultum esse perpetuum, gratique animi officium Deo debitum, propter quem conditus est, & à quo accepit omnia. Beatitudinis desiderio, quod omnium motuum ejus principium est, semper incitatur ad amandum solum bonum, quo repleri possit ejus animus: lexque immutabilis, à qua deficere sine injustitia non potest, jubet ut omnibus actionibus suis ad Deum ut ad finem suum ultimum tendat. Tota denique series Scripturarum non præcipit nisi Dei amorem. Hoc Mandatum Legem complectitur & Prophetas; vehementissima ad illud implendum incitamenta; media sive auxilia efficacissima, in Christo Jesu invenimus.

Vix credi potuisset officium adeo justum, adeo amabile, apud Christianos in dubium revocari potuisse. Novi nihilominus Doctores inventi sunt, quibus Deum semper amandi necessitas grave jugum visa est, à quo totam pene hominis vitam immunem ac liberam esse voluerunt. Probabilem velut opinionem proposuere, singulis tantummodo quinquenniis præceptum amoris Dei obligare, ejúsque observationem ad horam mortis, & ad occasiones aliquas admodum raras restringentes, asserere non erubuerunt, Reliquo vitæ tempore Deum, redundantiâ quadam bonitatis, non tam nobis præcipere ut ipsum diligamus, quàm ne odio habeamus. *Vide Proposit. damnatas ab Innocentio XI. Art. 5. 6. 7. 8.*

Ut porro damnetur quicquid in Libello Anonymo tendit ad renovandum tam enormes errores, inter Propositiones, quibus P. Bussierum subscribere Superiores Societatis jusserunt, hanc designavimus: *Nullam vitæ partem ab amore Dei immunem esse debere.* Hæc ratio nos ad omnes actus nostros movere debet; nullus siquidem est, cujus Deus regula, finísque esse non debeas, secundùm expressa S. Pauli verba: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*; quæ verba S. Thomas & doctiores Scripturæ Sacræ Interpretes, præceptum continere senserunt, quod sine aliquo genere peccati non possit omitti. *Propos. 1.* *1. Cor. 10. 31.* *1. Cor. 16. 14. Omnia vestra in charitate fiant.* *Coloss. 3. 17. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.*

Quàm latè pateat hoc officium, vobis meliùs explicare non possumus, quàm S. Augustini verbis Lib. 1. De Doctrina Christiana: *Hæc regula dilectionis constituta est* (inquit) *Diliges proximum tuum sicut te ipsum; Deum verò ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum, in eum conferas, à quo habes ea ipsa quæ confers. Cùm autem ait: Toto corde, totâ animâ, totâ mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare ut alia re velit frui; sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit.* *S. August. lib. 1. De Doctrina Christ. c. 22.*

Verùm ut æquivocationes omnes tollantur, quibus tanti momenti materiam novissimis hisce temporibus intricarunt & obscurarunt, continua illa nostrorum operum ad Deum relatio, qua præceptum amoris impletur, minimè sita est in conceptione aut recitatione certarum formularum, quæ in manualibus precum Libris, *Actus Amoris Dei* inscribuntur. Cogitare possumus nos Deum amare, idque illi dicere, quamvis illum reipsa non amemus. Contra verò, sæpe in imo corde latet amor Dei, nec distinctis reflexionibus percipitur, aut verbis exprimitur. Qui nobis præceptus est amor, propensio est voluntatis nostræ, motúsque cordis à Spiritu Sancto productus, quo ad Deum ut ad finem suum ultimum tendit amor, nec re movetur altera ut agat, quàm desiderio illi placendi, humano amori in eo similis, quo ad gratificandum & serviendum amico ferimur, & ad ejus affectus ac studia observanda, ut illi placeamus, illúmque magis promereamur; quamvis sæpe non cogitemus nos ipsum amare, neque id ipsi verbis significemur & profiteamur.

Quæ tamen non ita intelligi volumus, ut non sit utilis cogitatio quæ interdum animum subit, quod diligat Deum, & propter gloriam ejus agat. Quæ id exprimunt verba, in justorum animis testimonia sunt amoris quo Deum prosequuntur & colunt, simul & media sunt, quibus ardentior fiat & efficacior. Peccatoribus verò utiles sunt cogitationes illæ, piæque Deum precandi formulæ, ut illorum affectum in Deum excitent, aut

certè duritiam cordis illis exprobrent, illorúmque mentibus pietatis sensus proponant, quibus affici deberent. Amor ille, quem omnium actionum nostrarum motivum esse oportet, quamvis distinctè semper non percipiatur, quarta Propositione designavimus. Amoris saltem habitualis nomine, quo nullam vitæ nostræ partem vacare debere diximus, significatum est nos semper teneri ad agendum propter Deum, utque illi placeamus, quamvis continua & actualis mentis attentio neque possibilis sit, neque necessaria.

Verumtamen amor ille habitualis cum caritate sanctificante minimè confundendus est. Absit enim ut eos, qui justificati non sunt, in omnibus operibus suis peccare sentiamus vel dicamus. Immo certissima veritas est, eos, in quibus cupiditas adhuc dominatur, amoris actualis & transeuntis impulsu interdum agere, quo hæc illorum actio fit bona, illósque ad justificationem disponit. Neque etiam charitas habitualis ad sanctificandum universas Justorum actiones sufficit; quorum aliquæ ex cupiditate velut ex principio oriuntur. Nulla itaque in ipsis etiam Justis opera vere Christiana sunt, præter ea quæ fiunt ex impulsu vel motivo divini amoris, quem Deus intimo in corde videt, quamvis ipsi semper hunc animi sui affectum non percipiant. Verus hic sensus est 4. & 5. Articulorum superiùs præscriptorum.

Iidem illi Theologi, qui justi hominis vitam ad æternam officiorum perfunctionem, æquè laboriosam ac sterilem, secluso ab ejus operibus divini amoris motivo, restrinxerunt, peccatores etiam absolverunt ab obligatione diligendi Deum, ut cum ipso reconcilientur & in gratiam redeant; docendo solum metum pœnarum inferni ad ipsorum justificationem, cum Pœnitentiæ Sacramento sufficere.

Facilitas illa ad Deum redeundi sine ejus amore, quam non habuere qui sub veteris Legis jugo vivebant, novis illis Theologis gratia singularis visa est Novo Testamento concessa, fructúsque utilissimus Sanguinis Christi pro nobis effusi, & in Sacramento nobis applicati.

Suarez de Pœnit. Disp. 21. Sect. 1. Dubium de Contritione habenda.

Absona illa doctrina in Ecclesia incognita ante postremum sæculum, quo primùm ut probabilis opinio proponi cœpit; quam Suarez ipse (quò maximè autore propagata est) hoc sæculo ineunte fassus est *nec certam esse, nec communem, nec valde antiquam*, neminémque hanc in hora mortis tutò sequi posse non dubitanter asseruit: Hæc, inquam, doctrina, per summam, & quæ vix capi possit, cæcitatem, ab Autore Libelli proponitur ut sola, quam vir Catholicus tenere valeat, sententia. Si enim Autor ille Anonymus audiatur, *Quicumque exigit amorem Dei saltem inchoatum, ut affectus peccati ex hominis animo excludatur, puram putam Lutheri doctrinam docet: & si metus pœnarum affectum peccati non tolleret, eo fieret homo magis peccator & hypocrita, contra doctrinam expressam Tridentini Concilii*.

Sic velut fidei articulum obtrudit errorem contrarium veritati ex Scriptura & traditione certissimæ, & per se ipsam evidentissimæ: quâ asseritur hominem peccati mortalis reum Sacramento Pœnitentiæ justificari non posse, nisi ejus animus, ad eum, à quo defecerit, ultimi finis ordinem, amore Dei revocetur.

Timor quidem pœnarum inferni utilissimus est ut peccatorem ad seipsum revocet; malam continet voluntatem ne foris prodeat; & salutari amaritudine conspergens noxias voluptates, viam parat ad justitiam. Donum Dei est, & impulsus Spiritus Sancti, quo debilitatur cupiditas: tantùm abest ut hominem reddat magis peccatorem &

A hypocritam, quemadmodum Lutherus docebat. Verùm quandiu metus pœnarum æternarum sola ratio[*] est peccatorem continens, non est immutatus ejus animus, quamvis manus ejus à pravo opere cohibeatur; peccatum non odit, quod sponte committeret, si sperare posset impunitatem. Tantúmque à justitia alienus est, adeo *justitiæ inimicus*, ut eam, si posset, auferret, peritororum, quæ semper diligit, bonorum fruitionem tam severè prohibentem atque punientem. Nisi ergo à timore illo servili ad amorem transeat justitiæ; nisi Deo restituat in corde suo locum, quem de-

B derat creaturæ, illam præeligendo & prædiligendo, (cùm prædilectio creaturæ crimen ejus fuerit) ordini semper contrarius; Dei semper inimicus est, ac proinde incapax virtutem ac fructum Sanguinis Jesu-Christi in Pœnitentiæ Sacramento recipiendi. Id perspicuè satis docet sancta Synodus Tridentina[*], exigens ceu dispositionem necessariam ad gratiam justificationis, etiam in Baptismo, consequendam, ut peccator Deum *tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat*. Falsus alienúsque sensus, quem Tridentino Concilio affingere conati sunt attritionis servilis defensores, toties tamque luculentè confutatus est, ut etiam-

C num sine ignorantia vel malitia renovari non possit.

Pravam illam doctrinam ab omnibus melioris notæ Theologis reprobatam summa cum lætitia videmus. Superiores Jesuitarum conqueruntur quòd spectetur ut doctrina Societatis. Coram nobis affirmarunt se illam absolutè damnare, séque illam omni ex parte sententiam amplecti de Dei amore, quam exprimunt superiùs descriptæ Propositiones, quibus continetur doctrina quam in Diœcesi nostra

D teneri volumus & jubemus.

Nihil ampliùs circa hoc caput nobis dicendum superest; Vos tantùm adhortamur ut sancta hæc & saluberrima veritas de amoris Dei necessitate ad gratiam justificationis in Sacramento Pœnitentiæ consequendam, vobis in ejus administratione regula sit, quibus plenè persuasum est, quòd omnis [a] *Qui non diligit, manet in morte*; nec Deum remittere peccata nisi illis, quorum animus mutatus est ac sincerè conversus. Sinceram illam conversionem ex mutatione vitæ, dignisque Pœnitentiæ fructibus exploratam & probatam habeant; nec [b] *Pro salutaribus dilationum remediis exitiosa præcipitata Communionis venena* illis

E detis, in quibus hæc veræ conversionis signa non videritis, quæ sola sunt ab omnium temporum Sanctis agnita & recepta.

Pravum dogma, quod Libelli Autor insinuat de attentione ad malitiam actionis, quam vult esse necessariam ut peccatum imputetur, nos impellit ut perniciosas omnes falsi hujus principii consecutiones vobis aperiamus.

Error est a quibusdam novissimorum temporum Theologis propugnatus, ut actio satis libera censeatur ad constituendum reum hominem, non sufficere ut cognoscat quod sibi proponit agendum; sed necessarium esse insuper ut cognoscat se

F malè agere, idque cogitet agendo, & animadvertat. Exempli gratiâ, qui ultionis libidine impulsus interficit inimicum, cædem se committere satis novit; sed ut illi cædes in peccatum imputetur, necesse est, secundùm novos illos Theologos, ut cognoscat ultionem esse divina lege prohibitam, ad idque attendat cædem illam perpetrando.

Perniciosa illa doctrina à P. Bauny propugnata, à pluribus Galliæ Ecclesiis damnata est ut error manifestus, secundùm quem nulla essent ampliùs ignorantiæ & concupiscentiæ peccata, contra de-

[*] S. August. epist. 144. ... *in ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri, sed ideo non facit, quia impune non potest fieri. Nam quantum in ipso est, mallet non esse justitiam peccata prohibentem atque punientem. ...*

Concil. Trid. sess. 6. c. 2.

Art. 6.

Art. 7

[a] 1. Joan. 3.

[b] Epist. Cleri Romani ad S. Cyprian.

finitionem Conciliorum, & expressa Scripturæ A Sacræ ac Patrum testimonia. Hanc etiam doctrinam Theologicæ Facultates * Parisiensis & Lovaniensis *, ceu opinionem communibus Theologiæ Christianæ principiis contrariam, & innumera gravissimáque peccata excusantem, Censuris suis confixerunt.

(* An. 1691. * An. 1657.)

Et certè Judæi, qui persecuti sunt Apostolos, *arbitrati obsequium se præstare Deo*; & qui Christum Jesum morti tradiderunt *per ignorantiam*, teste S. Petro, Auctorem vitæ sine peccato interfecissent, secundùm nova illa principia; quamvis S. Paulus asserat illos peccatorum suorum mensuram B hoc crimine cumulasse, & iram Dei, qua in finem usque oppressi sunt, provocasse.

(Joan. 16. 2. Act. 3. 15. 1. Thessal. 2. 15. 16. Qui Dominum occiderunt [illegible] ut impleant peccata sua semper; pervenit enim ira Dei super illos usque in finem.)

Quæ non tam ut crimina execramur, quàm ut monstra, quarumdam Gentium moribus invaluerunt & probata sunt, integrorum populorum religione fuere consecrata. Qui majori sapientiæ famâ apud Ethnicos floruere, detestabiliorum flagitiorum licentiam, ceu præmium egregiis in Rempublicam meritis esse permittenda censuerunt. Si peccata excuset juris naturalis ignorantia, dicendum est Gentes illas infideles, & earum Philosophos, potuisse sine peccato turpissima quæque & detestabilia perpetrare, quæ innocua, immò laudabilia existimabant.

(Plato De Republica.)

Secundùm hæc principia non jam timendæ essent ignorantia & cæcitas, utpote media tutissima quibus homines ab omni peccato immunes esse possent. Verùm si novi illi Theologi audiantur, præter mali cognitionem, necessaria etiam est actualis attentio ad malitiam actionis, ut vitio detur legis transgressori. Cùm itaque peccator firmo & intrepido gressu currit ad mortem, ut S. Bernardi verbis utar, habitus inveteratus criminis, qui ad officium, ad legem, ad malitiam operis ipsum actu attendere non finit, ipsum à peccato immunem præstabit: & eorum dispositio, qui *Tenebris obscuratum habentes intellectum; alienati à vita Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum: desperantes tradiderunt semetipsos impudicitiæ, ad operationem immunditiæ omnis, in avaritiam*; Dispositio (inquam) tam horrenda, quam S. Paulus velut consummatæ iniquitatis fructum indigitat, omnem iniquitatem abolebit.

(Ephes. 4. 18. 19.)

Pestiferum, quod mox vobis exposuimus principium, Peccati Philosophici doctrinam peperit, cujus sola expositio horrore percellit animus. Iidem scilicet Theologi, qui peccata rectæ rationi contraria non imputari censent, si qui illa committit, malitiam illorum ignoret, aut ad illam non attendat, consequenter ad sua principia ratiocinati, pariter docuerunt, ut peccator Deum offendisse censeatur legem ejus sponte violando, necesse esse ut noverit actionem suam lege divina esse vetitam; atque ad hanc prohibitionem attendens, nihilominus illam commiserit.

Hinc borteodum illud paradoxum, quod nemo homo, quantumvis depravatus, sine indignatione audivit: *Peccatum Philosophicum seu morale, (id est actus humanus disconveniens naturæ rationali & rectæ rationi) quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœnâ dignum.*

Secundùm execrandam illam doctrinam, cùm impius suæ rationis prorsus oblitus eò devenit amentiæ ut dicat in corde suo, *Non est Deus*; quantumvis abominandus sit, *homicida, fornicator, veneficus, pars illius non erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.* Utque de Atheismo impræsentiarum sileamus, illi de quibus Scriptura dicit, Non esse Deum in conspectu eorum, ejúsque judicia ab eorum facie auferri, non solùm ignem æternum pro omnibus illis criminibus in omnimoda Dei oblivione commissis non merentur; sed nec eorum cum Deo fœdus frangitur, amici ejus adhuc permanent; &, contra verbum Spiritus Sancti, lux & tenebræ, Christus & Belial convenire & conjungi possunt.

(Apocal. 21. 7. 8. Psalm. 9.)

Contra doctrinam tam insanam ac perniciosam Ecclesia insurrexit universa, & cum gaudio excepit justam ejus damnationem ab Alexandro VIII. Pontifice Maximo pronuntiatam, velut doctrinæ *scandalosæ, temerariæ, piarum aurium offensivæ, & erroneæ.*

(Decret. die 24. August. 1690.)

Ut errores tam enormes caveantur, huic adhærendum est principio: *Necessariam non esse attentionem ad malitiam actionis vetitæ, ut nobis peccatum imputetur.* Tam certum constánsque principium Libelli Anonymi Autor inter Moralis plus justo (ut illi quidem videtur) severæ Propositiones, quas suscepit impugnandas, temerè numeravit.

C Totum istud argumentum implicat, ignorantiam facti cum ignorantia peccati; juris positivi, cum juris naturalis ignorantia confundens: neque aliud ex ejus verbis colligi potest, nisi illum communiores Theologiæ notiones non habere, aut errores in Morali perniciosissimos renovare velle.

(Dissert. 19. & 20.)

Verùm cognita receptáque ab omnibus principia vobis repetere satius est, quàm ut ullum circa tanti momenti dogma dubium supersit.

Omnis Theologorum cœtus ignorantiam facti distinguit ab ignorantia peccati. Inter illos convenit, eum qui hominem interficit, putans se occidere D feram, homicidium liberè non commisisse, & ignorantiam illum à peccato excusare: sed ab eo errore longè alieni sunt, ut sentiant eum qui sciens volens hominem occideret, vel homicidium licitum esse existimaret, aut qui ad cædis malitiam non attenderet, peccati non esse reum, *Quia voluit fecit* (ait S. Augustinus) *etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit: ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati; quod tamen factum peccatum fuit. Hoc enim factum est quod fieri non debuit.*

(1. Retract. c. 15.)

E Theologi pariter omnes consentiunt, Leges positivas invincibiliter ignorari posse, earúmque violationem hac in hypothesi reum non facere transgressorem. Verùm nemo illorum qui secundùm Scripturam Sacram & Traditionem sentiunt, non propugnat ut veritatem inconcussam, Principia communia juris naturalis invincibiliter ignorari non posse: nec illum qui homicidium, adulterium, aut quodvis aliud istius generis crimen commiserit, excusari umquam posse, eo nomine quòd hæc flagitia legi naturali contraria esse ignoraverit, vel ad id non attenderit. Sola cordis depravatione & corruptione factum est ut nesciverit F vel non attenderit ad veritates quas naturæ lumen omnes & singulos homines edocet, quales sunt quæ Decalogo continentur. Quòd vobis exempli gratiâ proferimus, ut à Quæstionibus graves inter Theologos controversis abstineamus. Quòd si damnanda prævaricatio est agnitæ veritati resistere, hujus cognitione privari mores tantùm inquinatissimi vitáque comprimis flagitiosa, merentur.

Omnes, inquit S. Thomas, *tenetur scire universalia juris præcepta; singuli autem ea quæ ad eorum statum vel officium pertinent..... Si sit eorum*

(Prima Sec. Quæst. [illegible] & 1.)

rum quæ scire tenetur & potest.... talis ignorantia non totaliter excusat à peccato. A

Sib. c. r. 1. De invincib. ignorantia. Sancti illius Doctoris principium, quod vobis proponimus ceu unum ex fundamentis Doctrinæ Morum, à Patribus traditum, & ab antiquis Scholasticis positum est, quorum testimonia & rationes in Responsis Moralibus Consiroli Societatis Jesu Theologi collectas invenietis. Et hoc unum principium sufficit ad evertendum errores omnes, quos vobis jam exposuimus, & quicquid ad eorum renovationem in Libello Anonymo tendit.

Quamvis autem perniciosis principiis scateat hic Libellus, nihil tamen Morali Jesu-Christi, rectisque Regulis capitaliùs adversatur eo, quod de Ambitione scribit. (Ambitio. Diss. p. 12. 13. 14.) Autor ille ignorat vel contemnit quicquid nos docet Ecclesia de necessitate vocationis ad Beneficia, quibus Animarum cura adnexa est, & omnia Sanctorum pronuntiata, eorum exemplis confirmata, de fuga Dignitatum Ecclesiasticarum. Stupor illorum, qui tam formidandorum onerum periculis non terrentur, & aliorum præsumptio, qui se sacris illis functionibus pares semper existimant, non videntur illi dispositiones quæ indignum reddant postulantem.

D.ssc. p. 11. S. Pauli verbis cum scandalo abutitur ut ambitiosas Parochialis Curæ, vel Episcopatûs postulationes & aucupia licita esse persuadeat.

p. 11. In pulpitis insignioribus ad famam concionari, ut ad Episcopatum perveniatur, una ipsi videtur legitima ad summam illam dignitatem via. Sic Ecclesiæ Munera eminentiorem postulantia sanctimoniam, ambitiosis & Evangelicum Ministerium profanantibus, ut ad ea ascendant, debita sunt, si temeratius Libelli Scriptor audiatur.

Sed & Episcopis injuriam facit, cùm supponit illos sacrarum Ecclesiæ Regularum adeo esse immemores, ut Beneficia curam Animarum adnexam habentia domesticis Clericis vulgò conferant, qui in eorum familia & ministerio non manent nisi ut illa obtineant. Et ex ejus quidem verbis consequens est, illum collationes hujusmodi simoniacas approbare.

Denique quicquid hoc de argumento edisserit, propriè lectio publica est quâ docentur avaritia & ambitio, quâ omnes regulæ humilitatis, & contemptus rerum temporalium, quas in Schola Christi Jesu didicistis, penitus evertuntur; & spernitur quicquid sacris Canonibus præscriptum est de aditu Beneficiorum, quibus Animarum cura adnexa est.

Vera principia falsis Libelli Propositionibus de petitione hujusmodi Beneficiorum opposita Articulis 8. 9. & 10, supra positis tenete, & istius Autoris opiniones hac in materia rejicite ceu errores scandalosos, quibus & omnes Ecclesiæ Regulæ, & Sanctorum documenta destruuntur.

CONCLUSIO.

Ex his quæ de prava Libelli doctrina retulimus, procul dubio judicabitis, Nos silere hac in occasione minimè potuisse, nisi præcipuæ Pastoralis Officii nostri parti deesse vellemus. Nobis quippe pretiosum Doctrinæ depositum concreditum est, nec tolerare possumus errores, quibus Moralis Christianæ Sanctitas, aut Dogmatum puritas corrumpitur, nisi depositi fidem violemus. F

Quò magis errores illi Doctrinæ Evangelicæ integritatem oppugnant, eò magis ipsis obsistendum est dissolutis hisce temporibus, quibus Apostoli ad Timotheum suum scribentis verba conveniunt: *Erit tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus.* (2. Tim. 4.)

Vos verò Doctrinæ, quam vobis tradidimus, firmiter adhærete, ut possitis *exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.* (Ad Tit. 1. 9.) Cùm dubia vobis occurrent, quæ jure naturali, vel jure divino positivo, solvi possunt, Sacras Scripturas, & SS. Patres earum Interpretes consulite: nec de illis Quæstionibus novos Casuistas audiatis, nisi quatenus eorum opiniones Scripturâ Sacra & Traditione nituntur: illorum auctoritatem ac testimonia nihil facientes, cùm sua dumtaxat commenta, visionésque cordis sui proferent.

B Plùs illis tribuere potestis, cùm iis de Quæstionibus agitur, quæ positivis Legibus dirimuntur, quales sunt Censuræ, & similis generis argumenta. Quæ in postremis Legibus Canonicis obscura sunt, in eorum Operibus exposita invenietis: ab illisque discetis præsentem Ecclesiæ usum circa Casus, quos Leges prævidere non potuere.

Verùm ne *Doctrinis peregrinis* abducamini, (Hebr. 13.) summam reverentiam erga sanctam Antiquitatem semper conservare; illi pro viribus studere, ut ex sacris ejus Monumentis status vestri officia discatis. Cùm Sacrosancta Synodus Tridentina C Canones antiquos de Vita Clericorum renovaverit, id certè incitamento vobis esse debet ut Canones illos *Spiritu Dei conditos, & totius Mundi reverentiâ consecratos* (S. Leo Ep. ad Anast.) memoriæ commendetis, ut eorum semper Spiritum sequamini, etiam cùm illos ad Litteram observare non valetis.

Ad vitandum denique perniciosas laxitates, novissimis hisce temporibus adinventas & à novellis Theologis propugnatas, altè animis vestris insideat Regula illa Vincentii Lirinensis, quæ Morum, non minùs quàm Mysteriorum Fidei doctrinam spectat: *Annuntiare aliquid Christianis Catholicis* (Commonit. c. 14.) D *præter id quod acceperunt, nunquam licuit, nusquam licet, nunquam licebit: & anathematizare eos, qui annuntiant aliquid præter id quod semel acceptum est, nunquam non oportuit, nusquam non oportet, nunquam non oportebit.*

Datum Rothomagi in Palatio nostro Archiepiscopali, die 28. Martii 1697.

JACOBUS NICOLAUS COLBERT,
Archiepiscopus Rothomagensis.

E De Mandato Illustrissimi Domini Archiepiscopi.
GREBAUVAL.

Tandem aliquando rediens ad officium P. Bussiet, Libellum damnatum saniore consilio reprobavit, ejuravit, præscriptisque ab Illustrissimo & Religiosissimo Archiepiscopo Propositionibus, secundùm Formulam ab ejus Amplitudine traditam, cum reverentiâ subscripsit, Præpositorum suorum Mandatis obsecutus.

XXII.

CENSURA ET DECLARATIO CONVENTUS GENERALIS CLERI GALLICANI, CONGREGATI IN PALATIO REGIO SAN-GERMANO

Anno M. DCC.

In Materia Fidei et Morum.

Religionem Christianam Fide & Moribus constare; dogmatum autem tum fidei, tum morum eumdem esse fontem; ac benè vivendi regulam ad ipsum fidei caput pertinere, Ecclesia Catholica semper intellexit. Nec minùs certum est, illud omninò esse depositum, quod à Christo & Apostolis Episcopi horum successores ad finem usque sæculi custodiendum receperunt. Cùm igitur hisce temporibus, fides dogmatum, & regula morum vitæque Christianæ, variis erroribus impetatur, ac resecta licèt mala subindè C repullulent: Nos Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi, permissione Regiâ, in Palatio San-Germano congregati, assistentibus aliis Ecclesiasticis Viris nobiscum Deputatis, loci nostri memores, atque Antecessorum nostrorum, in Comitiis quoque generalibus, monitis & exemplis permoti, his Ecclesiæ laborantis incommodis occurrere, quantùm Dominus ex alto concesserit, omni ope decrevimus; atque unanimitatem nostram tot tantisque dissidiis opponendam duximus, in spiritu caritatis, nulli personæ graves, nullis, quoad ratio temporis finet, erroribus parcituri.

Augustinianæ Ecclesiæ Romanæ ... & Celonie, 1700

Sanè recentissimè, quippè hoc ipso anno M. DCC. prodiit huic Cœtui dedicatus, & à Censore legitimo approbatus liber, quo, Tractatui, cui titulus, *Nodus Prædestinationis dissolutus*, graves notæ inuruntur, Semipelagianismo quoque sæpius imputato. Sed cùm interim in Præfatione libri (nobis dedicati) quædam occurrerent, quæ Constitutionum Apostolicarum de quinque famosis Propositionibus infirmarent auctoritatem, hæc & alia ejusmodi variis libellis sparsa & ad nos delata, coërcenda decrevimus: nec probatis reliquis quæ in iisdem occurrunt, neque patimur, ut spes ulla cuiquam superesse possit, nostri Cœtûs pertrahendi in ullas veritati contrarias partes.

Neque propterea tolerari volumus importunos ac malevolos homines, qui viris bonis doctisque & Ecclesiasticæ rei studiosis, vagam & invidiosam Jansenismi accusationem inferunt, eo quoque nomine, quòd morum corruptelas acriter insectentur; cùm nos pro candore, & æquitate Episcopalis Ordinis, neminem pro suspecto habituri simus, nisi eum qui aut Constitutionibus Apostolicis detrahat, aut aliquam ex damnatis Propositionibus tueatur: quod etiam ab Antecessoribus nostris sæpè sancitum, & Regiâ Auctoritate firmatum, ab optimo maximóque Pontifice Innocentio XII. applaudente totâ Ecclesiâ, constitutum est.

Arrêts du Conseil d'Etat des 24. Avril 1661. & Octobre 166.. Breve 6. Febr. 1694. Breve 24 Novemb. 1696

De Cardinali verò Cœlestino Sfondrato *Nodi dissoluti* auctore, quid est quod solliciti simus? cùm ad Sedem Apostolicam atque ad optimum veréque sanctissimum Pontificem ejus causa delata sit, quam & Pontifex pro Apostolicæ potestatis officio judicandam susceperit, & id ipse perscripserit ad quinque è nostris, dato Brevi die 6. Maii,

1697.

A sui Pontificatus anno sexto; quo nihil erat optatius: quare & à libro examinando nos abstinere par est; nec interim oblivisci doctrinæ adversùs Semipelagianos a S. Augustino traditæ, quam & Ecclesia Romana suam fecit, & Ecclesiæ Gallicanæ jam inde ab initio commendavit.

Nunc, ut ad aliud fidei caput veniamus, ad Moralem scilicet Theologiam, his postremis temporibus prava ingeniorum licentiâ ac subtilitate corruptam, præmittenda putamus verba felicis memoriæ Alexandri VII. quibus *magno animi sui dolore* testatur, *complures opiniones Christianæ Disciplinæ relaxativas, atque animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscita*B*ri, partim noviter prodire: & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omninò ab Evangelicâ simplicitate, sanctorumque Patrum doctrinâ, & quem si pro rectâ regulâ fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela.* Quâ sententiâ non modò errores increvisse queritur: verùm etiam, quod caput est, adnotari voluit ipsam rei tractandæ rationem eam introductam esse, unde videremus corruptelam morum non modò secuturam, verùm etiam facto veloci impetu irrupturam, quam vix C cohibere possimus.

Decret. Alex. VII. 24. Sept. ann. 1665. & 1666.

Neque verò satis fuit Sanctissimo Pontifici novam hanc methodum fucificandæ conscientiæ & involvendæ veritatis, hoc est ipsum mali detexisse fontem; sed exitiabilis doctrinæ rivulos insectatus, complures Propositiones, *ut minimùm tanquam scandalosas*, (non probatis aliis quæ occurrere possent,) *sub interminatione divini judicii, atque excommunicationis pœnâ, à quâ nemo posset, præterquam in articulo mortis, nisi à Romano Pontifice absolvi, damnavit & prohibuit.* Quod salubre opus Innocentius XI. pro suâ pietate prose-D quutus, plures alias parique doctrinæ ac diligentiæ laude selectas (nec probatis ceteris) sub iisdem pœnis damnavit & prohibuit: easque omnes, *ut minimùm tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas, damnandas statuit & decrevit,* non tantùm à libris ac prædicatione, sed ab omni etiam vitâ Christianâ procul amandandas judicavit.

Decret. Alex. VII. 24. Sept. ann. 1665. & 18. Mart. 1666. in fin.

Decret. Innoc. XI. 2. Mart. 1679.

Atque utinam Sanctissimi Pontifices Decretorum formulis antiquo ac nostro usu receptis, quæque ad universas Ecclesias pertinent, infandam doctrinam proscripsissent! Sed dum expectamus, E fore ut tantum opus more majorum & canonico ordine perficiant: Nos interim Cardinales, Archiepiscopi & Episcopi in unum congregati, ne dirum virus serperet, has Propositiones a prædictis Pontificibus, uti memoravimus, applaudente toto orbe Christiano condemnatas, earum præcipuis expresse adnotatis, primùm ut magis in promptu essent, ad certa capita redigendas; tùm censoriè notandas, & ad ampliorem Cleri & Christianæ plebis informationem, suis quasque censuris configendas esse duximus.

Sed enim incredibile dictu est, ex pessimis prin-F cipiis, totâ licet Ecclesiâ reluctante, quanta malorum incrementa provenerint; subtilioribus ingeniis in id unum intentis, ut eò quisque se vel maximè Theologum videri velit, quò plura ejusmodi inventa in probabilitatis auctoritatem adduxerit. Verùm hæc constabilire, aut per eam speciem mentes infirmorum in falsam & noxiam securitatem inducere, nihil est aliud quàm animas perdere, ac *doctrinas & mandata hominum*, vanasque traditiones, exemplo Pharisæorum, divini mandati loco obtrudere. Quare tot errorum ex-

Matth. 15. 9.

periculoso victi, necesse habuimus ipsam malorum radicem exscindere, eam scilicet opinandi rationem, quæ ignota SS. Patribus, tanta de rebus maximis dissidia peperit, ut iisdem in Parochiis, iisdem in Templis passim cerneremus ab aliis teneri & ligari, quæ ab aliis solverentur, ac plebem Christianam in varia atque incerta discerpi, nec scire quibus credat; magno dedecore Ecclesiasticæ Auctoritatis, magnâque apertâ januâ ad salutis incuriam & indifferentiam, quam vincere non Episcopi singulares, sed sola Episcopalis unanimitas & auctoritas possit, dicente Apostolo: *Obsecro vos, fratres . . . . ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Sequuntur autem damnatæ Propositiones, nec probatis aliis Propositionibus aut erroribus, quos pro angustiâ temporis prætermisimus.

1. Cor. 1. 10.

CENSURA PROPOSITIONUM

I.

DE OBSERVANDIS INNOCENTII X. ET ALEXANDRI VII. CONSTITUTIONIBUS CIRCA QUINQUE PROPOSITIONES DAMNATAS.

Præfat. libri cui titulus: Augustinianæ Ecclesiæ Romanæ doctrina, &c.

1. JAM tandem Ecclesiæ & Regnorum Principes ex hoc clarissimo argumento agnoscant, phantasma Jansenismi quæsitum ubique, sed nusquam repertum, præterquam in laborante quorumdam phantasia.

2. Constitutione Innocentii X. nihil aliud actum, quam ut renovarentur, atque exacerbarentur disputationes. . . . . In eamdem viam pertractus est Alexander VII. ut homo ab hominibus facilè impellendus in eas res, quæ parum ejus officio convenirent. . . . Innocentius quoque XII. cùm ex officio teneretur claram proferre sententiam, generalibus æquivocisque verbis adhibitis, dat locum existimandi, se non ausum esse clariùs loqui, tanquam errare metuentem. . . . . Atque illud, *in sensu obvio*, ejusdem Pontificis, magis adhuc generale est & vagum, quàm verba Alexandri VII. *in sensu à Jansenio intento.* . . . . Episcopi denique Gallicani Libertates Ecclesiæ Gallicanæ sub earum asserendarum specie labefactarunt, super recipienda Constitutione Innocentii X. contra Jansenium.

3. Aliquam huic malo medicinam attulisse videbatur Innocentius XII. in Brevi suo 6. Feb. 1694. . . . Verùm mitigationem illam præsumptam non parum extenuavit Brevi 24. Novemb. 1696. ubi Pontifex disertè negat, Constitutionem aut Formularium Alexandri VII. Brevi suo alterata aut reformata . . . . in aliqua minima ejus parte. . . . Nec placet eorum opinio, quæ ex ipso primo Brevi 6. Febr. 1694. edito, aliquid mitigationis circa factum tentavit exculpere. . . . . Sed & nihilo majorem in quæstione juris progressum factum esse, jam quoque convenit ostendere.

4. Circa condemnationem *Augustini* Jansenii, opus esset collatione regulari habitâ, vel coram Judicibus à Romano Pontifice, vel a Rege datis . . Nondum omnes interierunt, qui sciunt deliberationes (de Janseniano negotio) quas nunc Episcopi ut regulas suarum hodiernarum deliberationum (circa novum Quietismum) sumunt, Cleri Gallicani æternùm fore propudia.

CENSURA.

Hæ quatuor Propositiones, quibus inquieti homines Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutiones, Innocentii quoque XII. Brevia æquissima, & ab omnibus approbata apertè contemnunt, Episcopos Gallicanos rebus judicatis adhærentes incessunt maledictis, & causam hanc de integro retractari postulant, tanquam tot Constitutionibus Apostolicis, etiam accedente Ecclesiarum consensione, causa nondum finita fuerit: falsæ sunt, temerariæ, scandalosæ, contumeliosæ in Clerum Gallicanum, Summos Pontifices, & in universam Ecclesiam, schismaticæ, & erroribus condemnatis faventes.

II.

DE GRATIA.

5. AXioma illud Theologicum, *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*, non solùm verissimum est, atque doctrinæ Scripturæ, Conciliorum & Patrum maximè consentaneum, verùm etiam per illud significatur obligatio, quam Deus habet dandi gratiam facienti quod in se est, nec solùm facienti quod est ex se viribus gratiæ, sed etiam illi, qui cùm non habeat [illegible], FACIT QUOD EST IN SE VIRIBUS NATURÆ.

6. Quia tamen opera viribus solius naturæ elicita omnino sterilia sunt, atque incapacia merendi dona intrinsecè & theologicè supernaturalia: ideo dicimus obligationem, quam Deus habet conferendi gratiam facienti quod est in se viribus naturæ, seu viribus gratiæ purè naturalis, sive non theologicè supernaturalis, non oriri ex bonitate talium operum, aut ex ullo merito sive condigno, sive congruo, quod insit in illis operibus in ordine ad gratiam: sed EX PACTO inter Christum fidejussorem nostrum & Patrem inito, ad gratiam hominibus conferendam propter Christi merita; respiciendo ea naturalia opera ut purum terminum, non ut meritum ullum aut rigorosam conditionem.

CENSURA.

Hæ duæ Propositiones, quâ parte causam discernendi inter justos & non justos, in opera merè naturalia referunt, Semipelagianismum instaurant, mutatis tantùm vocibus. Pactum autem quod inter Deum & Christum asseritur, commentum est temerarium, erroneum, nec solum tacente, sed etiam adversante Scripturâ & Sanctorum Patrum Traditione prolatum.

III.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

DE FIDE.

7. HOmo nullo umquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei & Caritatis, ex vi Præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. *1. Alex. VII.*

8. Satis est actum Fidei semel in vita elicere. *17. Innoc. XI.*

CENSURA.

Hæ duæ Propositiones sunt scandalosæ, in praxi perniciosæ, erroneæ, Fidei & Evangelii oblivionem inducunt.

9. Assensus fidei supernaturalis & utilis ad sa- *21. Innoc.*

lutem, sive cum notitia solùm probabili revela- A tionis, imò cùm formidine, quâ quis formidet, ne non sit locutus Deus.

CENSURA.

Hebr. 11. 6. *Hæc Propositio scandalosa est, perniciosa, & Apostolicam fidei definitionem evertit.*

DE FIDEI PROFESSIONE.

18. Innoc. 10. Si à Potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se, B non damno.

CENSURA.

Hæc Propositio scandalosa est, Præceptis Evangelicis & Apostolicis apertè contraria, & hæretica.

DE MOTIVIS CREDIBILITATIS.

11. Religio Christiana est evidenter credibilis; nam evidens est prudentem esse, quisquis eam amplexatur: non evidenter vera; nam aut obscurè docet, aut quæ docet obscura sunt. Imò qui C aiunt Religionem Christianam esse evidenter veram, fateantur necesse est falsam evidenter esse. Infer hinc evidens non esse: 1. Quòd existat nunc in terris aliqua vera Religio: unde enim habes: non *omnem carnem corrupisse viam suam?* 2. Quòd omnium quæ in terris existunt veræ simillima sit Christiana: an enim terras omnes aut peragrasti, aut peragratas ab aliis esse nosti? 3. Quòd & Apostolis & dæmonibus manifesta fuerit divinitas Christi; id enim si doces, docere te oportet Christum manifestè Deum esse. 4. Quòd afflante Deo fusa sint Prophetarum oracula; quid enim mihi D opponas, si vel negem illa fuisse vera vaticinia, vel affirmem fuisse conjectoras? 5. Quòd vera fuerint, quæ à Christo edita fuisse commemorantur miracula, quanquam negare hæc nemo prudenter potest.

CENSURA.

Doctrina hac Propositione contenta, impia est, blasphema, erronea, & inimicis Christianæ Religionis favet.

12. Evidens non est evidentiâ morali, propriè dictâ, & physicâ, Religionem Catholicam esse E veram.

CENSURA.

Hæc Propositio doctrinam superiori Propositioni consentaneam continens, temeraria est, & in errorem inducens.

DE REBUS EXPLICITA FIDE CREDENDIS.

22. Innoc. 13. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris. F

23. Innoc. 14. Fides latè dicta ex testimonio creaturarum simili-ve motivo, ad justificationem sufficit.

64. Innoc. Cens. Lovan. 1655. Prop. 17. 15. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantiâ Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.

CENSURA.

Hebr. 11. 6. *Hæ tres Propositiones in Deum Remuneratorem, & A in Christi Mediatoris nomen contumeliosa sunt, erronea & hæretica.* Act. 4. 12.

IV.

DE DEI DILECTIONE.

16. Sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè: hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis. Decretum Alex. VIII. 24. Aug. 1690.

CENSURA.

Hæc Propositio est hæretica.

17. An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus. 5. Innoc.

18. Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis, per se obligare præceptum caritatis erga Deum. 6. Innoc.

19. Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari possimus. 7. Innoc.

20. Præceptum amoris Dei per se tantùm obligat in articulo mortis. Censura Gallicanæ Edit. Parisiis pag. 6.

21. Præceptum affirmativum amoris Dei & proximi non est speciale, sed generale, cui per aliorum præceptorum adimpletionem satisfit. Ibidem.

CENSURA.

Hæ Propositiones sunt scandalosæ, perniciosæ, piarum aurium offensivæ, erroneæ, impiæ, primum & summum Mandatum irritum faciunt, atque Evangelicæ Legis spiritum extinguunt.

V.

DE PROXIMI DILECTIONE.

22. Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.... Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. Innoc. 10. & 11.

23. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali, de vita alicujus tristari, & de ejus morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum. 13. Innoc.

24. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas. 14. Innoc.

25. Injuriarum condonatio commendatur nobis ut quid perfectius, sicut commendatur virginitas præ conjugio.

CENSURA.

Harum Propositionum doctrina scandalosa & perniciosa est, piarum aurium offensiva, & secundo caritatis præcepto contraria, respectivè hæretica, & omnem vel in ipsis parentibus & liberis humanitatis sensum extinguens.

VI.

DE FESTIS.

26. Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, sepofito scandalo, si absit contemptus. 52. Innoc. Cens. Lovan. 1653. Prop. 8

CENSURA.

Hæc Propositio est scandalosa, ad violandas Leges, tum Civiles, tum Ecclesiasticas, vel etiam Apo-

stolicas viam aperit, ac proinde Superiorum auctoritate prohibenda. A

VII.

DE HOMICIDIO.

23. Innoc. 27. Licitum est filiis gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

CENSURA.

Hæc Propositio est falsa, scandalosa, execranda, pietati erga parentes contraria, viam crudelitati & avaritiæ aperiens.

17. Alex. Cens. Lov. 1653. Prop. 7. 28. Est licitum Religioso vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de se vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni, publicè & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Alex. Cens. Lovan. 1657. Prop. 29. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum evitare.

CENSURA.

Hæ duæ Propositiones sunt scandalosæ, erroneæ, Decalogo apertè repugnant, cædibus patrocinantur, & Magistratibus, ipsique humanæ societati perniciem intentant.

19. Alex. 30. Non peccat maritus occidens propriâ auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

CENSURA.

Hæc Propositio est erronea, crudelitatem, privatamque vindictam approbat.

30. Innoc. Cens. Lovan. 1657. Prop. 4. 31. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vetari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.

CENSURA.

Hæc Propositio est scandalosa, erronea, mundano honori servit, ultionem & homicidia excusat.

34. Innoc. Cens. Lovan. 1653. Prop. 9. 32. Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Innoc. Cens. Lovan. 1657. Prop. 6. 33. Videtur probabile omnem fœtum, quandiu in utero est, carere animâ rationali, & tunc primùm incipere eandem habere cùm paritur; ac consequenter dicendum, in nullo abortu homicidium committi.

CENSURA.

Hæ Propositiones sunt scandalosæ, erroneæ, infandis homicidiis & parricidiis procurandis aptæ: Homicidii *enim* festinatio est prohibere nasci: nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. (Tertull. Apolog. c. 9.)

31. Innoc. 34. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

33. Innoc. Cens. Lovan. 1653. Prop. 13. 35. Licitum est tam hæredi quàm legatario, contra injustè impedientem ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se totaliter defendere, (defensione occisivâ;) sicut & jus habenti in Cathedram vel Præbendam, contra eorum possessionem injustè impedientem.

36. Non solùm vitam, sed etiam bona temporalia, quorum jactura esset damnum gravissimum, licitum est defensione occisivâ defendere .... fatemur rarius licitum esse Ecclesiasticis. .... si tamen aliquando futurum contingat tale malum, (id est gravissimum damnum,) etiam ipsis licitum erit, bona ista cum occisione furis defendere.

CENSURA.

Hæ Propositiones Legi Dei & ordini caritatis divinitùs instituto contraria sunt, perniciosæ & erroneæ. Exod. 22. 2. 3.

B 37. Quando quis decrevit te occidere, & hoc alicui manifestavit, sed nondum cœpit id exequi, potes eum prævenire (occidendo) si aliter non potes effugere: ut si maritus pugionem habeat sub cervicali ad occidendam noctu conjugem; si quis venenum tibi propinandum paraverit; si Rex unus adversùs alium classem adornatit.

38. Si arma quidem necdum paravit, sed habet tantùm decretum firmum & efficax te occidendi, quoad tibi vel revelatione divinâ, vel manifestatione confidenter amicis factâ innotescat, potes prævenire; quia per istud decretum etsi purè internum, sufficienter censetur esse aggressor.

C

CENSURA.

Doctrina his duabus Propositionibus contenta, Juri naturali, divino, positivo, & gentium contraria est, nefandis cædibus & fanatismo viam sternens, societatis humanæ perturbativa, Regibus quoque præsentissimum periculum creat.

39. Ubi est scripta expressa permissio à Deo, ut Reges & Respublicæ possint interficere reos? an est in Scriptura, an in Traditione? Est ne fidei articulus? Si solo lumine naturali eò ducimur patere
D ut ex eodem lumine naturali judicemus, quid cuique privato liceat in occidendo aggressore non solum vitæ, verùm etiam honoris & rei.

CENSURA.

Doctrina hâc Propositione contenta & illata, scandalosa est, erronea & hæretica, Regibus & Rebuspublicis injuriosa, vanis ratiociniis & regulis vitam hominum & Alorum decreta subjiciens.

VIII.

DE DUELLO.

E 40. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. 2. Alex. Cens. Lovan. 1657. Prop. 5. Cens. ... pag. 5.

41. Potest etiam duellum offerre, si non aliter honori consulere possit.

CENSURA.

Doctrina his Propositionibus contenta, falsa est, scandalosa, contraria Juri divino & humano, tam Ecclesiastico quàm Civili, imò & naturali.

IX.

F

CIRCA CASTITATEM.

42. Tam clarum videtur fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur. 48. Innoc.

43. Copula cum conjugata, consentiente marito non est adulterium; adeòque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum. 50. Innoc. Cens. Lovan. 1653. Prop. 3.

CENSURA.

Doctrina his Propositionibus contenta, scandalosa est, perniciosa, castarum aurium offensiva, & erronea.

44. In hac vi & metu infamiæ mortisque, poterat Susanna dicere; Non consentio actui, sed patiar & taceo, ne me infametis, & adigatis ad mortem. . . . . Fortè Susanna id vel non sciebat, vel non cogitabat: sic enim honestæ castæque virgines putant se esse reas, séque consensisse lenonibus, si non clamore, manibus, totisque viribus resistant. . . . Potuisset Susanna in tanto periculo infamiæ & mortis negativè se habere, ac permittere in se eorum libidinem, modò interno actu in eam non consensisset, sed eam detestata & execrata fuisset; quia majus bonum est vita & fama, quam pudicitia; unde hanc pro illa exponere licet.

CENSURA.

Deut. 22. 23. 24. 25. 26. 27. *Hæc Propositio temeraria est, scandalosa, castarum aurium offensiva, erronea, & Legi Dei contraria.*

X.

DE FURTO, TURPI LUCRO, ET JUDICUM CORRUPTELIS.

45. PErmissum est furari non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

36. Innoc. Cens. Lovan. 1657. Prop 8. Cens. Gamach. p. 19.

CENSURA.

Hæc Propositio quatenus furtum permittit in gravi necessitate, falsa est, temeraria, & Reipublicæ perniciosa.

D

46. Famuli & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem dijudicant salario, quod recipiunt.

37. Innoc. Cens. Lovan. 1657. Prop. 9

CENSURA.

Hæc Propositio falsa est, furtis viam aperit, & famulorum fidem labefactat.

47. Potest uxor viro surripere pecuniam, etiam ad ludendum, si mulier talis sit conditionis, ut ludus honestus pari loco cum alimentis ac victu habeatur.

Vic. Gen. Parif. Cens. Apol. p. 18.

E

CENSURA.

Hæc Propositio temeraria est, scandalosa, & familiarum pacem perturbat. Quod autem de ludo alimentis æquiparando additur, furti iniquitati pessimas fallendi artes adjungit; & in vitam humanam necessitates inducit à Christiana simplicitate & honestate abhorrentes.

48. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

38. Innoc. Cens. Lovan. 1653. Prop. 10.

F

CENURA.

Hæc Propositio est falsa, perniciosa, & furta etiam gravia approbat.

49. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

39. Innoc. Cens. Lovan. 1657. Prop 12.

50. Etiamsi donatario perspectum sit bona sibi donata à quopiam, eâ mente ut creditores fru-

Vic. Gen. Parif. Cens. p. 26.

A strentur, non tenetur restituere, nisi eam donationem suaserit, vel ad eam induxerit.

CENSURA.

Hæ Propositiones falsæ sunt, temerariæ, fraudibus & dolis patrocinantur, & justitiæ regulis repugnant.

51. Incantatores, aliique ejusmodi deceptores (Magi, Astrologiæ judiciariæ professores, Arioli, Conjectores) ex pessimis quibusque artibus captantes lucrum, licitè servare possunt bona his mediis acquisita.

B

CENSURA.

Hæc Propositio intellecta de prædictis falsis ac deceptoriis artibus, falsa est, temeraria, fovendis fallaciis etiam diabolicis idonea.

52. Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

26. Alex. Cens. Lovan. 1657. Prop. 11.

53. Possunt Judices accipere munera à litigantibus, nec tenentur restituere quæ acceperint ad pronuntiandam sententiam injustam.

C

Vic. Parif. Cens. pag 11. Summ. p. 16. num. 10 & 11.

CENSURA.

Hæ Propositiones falsæ sunt, temerariæ, verbo Dei contrariæ, & Judicum corruptelas inducunt.

XI.

DE USURA.*

54. COntractus Mohatra (*id est, ille contractus quo à mercatore res majore pretio ad certum tempus solvendo distrahuntur, ac statim ab eodem, stante eo contractu, minore pretio, præsente pecunia redimuntur*) licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis præviè inito, cum intentione lucri.

40. Innoc. Cens. Lovan. 1657. Prop. 14. Cens. Vic. Gen. Parif. pag. 13. 14. & seq. Cens. Apol. Fac. Parif. 1658. pag. 15. Cens. Gamach. pag. 8.

55. Cùm numerata pecunia pretiosior sit numerandâ, & nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

41. Innoc. Cens. prædict.

56. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum; sed solùm si exigatur tanquam ex justitia debitum.

42. Innoc. prædict. Cens. Lovan. 1657. Prop. 15.

57. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Alex. prædict. Cens.

58. Tam licet ex alienatione per aliquot annos censum annuum exigere, quam licet exigere censum perpetuum ex alienatione perpetua.

Præd. Cens. & Duaci 1659. art. 7.

CENSURA.

Hæ Propositiones, in quibus mutato tantùm mutui & usuræ nomine, licèt res eòdem recidat, per falsas venditiones & alienationes, simulatásque societates, aliasque ejusmodi artes & fraudes, vis divinæ Legis eluditur: doctrinam continent falsam, scandalosam, cavillatoriam, in praxi perniciosam, palliativam usurarum, verbo Dei scripto ac non scripto contrariam, jam à Clero Gallicano reprobatam, Conciliorum ac Pontificum decretis sæpè damnatam.

Procès verbal du Clergé en 1657. p. 1168.

59. Usura etsi esset prohibita Judæis, non tamen Christianis, Lege veteri in judicialibus præceptis abolitâ per Christum.

CENSURA.

Hæc Propositio verbo Dei contraria est, non

legit perfectionem, & gentium omnium in Christo adunatarum fraternitatem tollit. A

X I I.

DE FALSO TESTIMONIO, MENDACIO, ET PERJURIO.

25. Innoc. 60. CUm causâ licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive sit gravis.

61. Qui jurandi intentionem non habet, licèt falsò juret, non pejerat, etsi alio crimine tenetur, purà mendacii alicujus. B

62. Qui jurat cum intentione non se obligandi, non obligatur ex vi juramenti.

CENSURA.

26. Innoc. Cons. Lovan. 1653. Prop. 3. *Hæ Propositiones sunt temerariæ, scandalosæ, perniciosæ, bonæ fidei illudentes, & Decalogo contrariæ.*

63. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod reverâ fecit intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab eâ, C in quâ fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverâ non mentitur, nec est perjurus.

27. Innoc. 64. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens ac studiosa.

CENSURA.

Hæ Propositiones temerariæ sunt, scandalosæ, perniciosæ, illusoriæ, erroneæ; mendaciis, fraudibus, & perjuriis viam aperiunt, & sacris Scripturis adversantur. D

22. Innoc. Cens. Lovan. 1657. Prop. 19. 65. Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magistratum vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.

CENSURA.

Hæc Propositio scandalosa est, perniciosa, patrocinatur humanæ ambitioni, perjuria excusat, publicæ Potestati contra Dei mandatum adversatur. E

66. Patriarchæ & Prophetæ, Angeli, ipse Christus, nedum viri justi & sancti, æquivocationibus, sive amphibologiis, & restrictionibus mentalibus usi sunt.

CENSURA.

Hæc Propositio scandalosa est, temeraria: mysticè, parabolicè, sive œconomicè ad insinuandam altiùs veritatem dicta, vel tacita, cum vulgaribus gestis confundit: SS. Patrum acta ludibrio vertit, ipsis etiam Angelis injuriosa, erga Christum contumeliosa, & impia.

X I I I.

DE CALUMNIA.

44. Innoc. Cens. præd. Apol. Lovan. 1657. Prop. 1. 67. PRobabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat, &c. si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologiâ.

CENSURA.

Hujus Propositionis doctrina falsa est, temeraria, scandalosa, erronea, spatiosam calumniatoribus & impostoribus portam aperit; & clarè detegit, quàm nefaria placita probabilitatis nomine inducantur.

X V I.

DE ADJUVANTIBUS AD FLAGITIA.

68. FAmulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, purà ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. 51. Innoc. Cens. Vicar. Gener. Paris. Lovan. Apol. pag. 15.

CENSURA.

Hæc Propositio scandalosa est, perniciosa, verbis Dominicis & Apostolicis apertè contraria, & hæretica; Quam *enim* dabit homo commutationem pro animâ suâ? *&* Digni sunt morte, non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Matth. 16. 26. Rom. 1. 32.

X V.

DE SIMONIA, ET BENEFICIIS CONFERENDIS.

69. NOn est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. 23. Alex. Cens. præd. Apol. Gand. pag. 7.

70. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contrario. 45. Innoc. Cens. Lovan. 1657. Prop. 15.

71. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis. 46. Innoc. & præd. Censura.

CENSURA.

Hæ Propositiones temerariæ sunt, scandalosæ, perniciosæ, erroneæ; hæresim simoniacam, sacrâ Scripturâ, Canonibus, & Pontificiis Constitutionibus reprobatam, mutato tantùm nomine, per fallacem mentis sive intentionis directionem inducunt.

72. Cùm dixit Concilium Tridentinum, Eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui non, quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent: F Concilium, vel primò videtur per hoc, digniores, non aliud significare velle nisi dignitatem eligendorum, sumto comparativo pro positivo: vel secundò, locutione minùs propriâ, ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos: vel tantùm loquitur tertiò, quando fit concursus. 47. Innoc. Conc. Trid. Sess. 24. De Ref.

CENSURA.

Hæc Propositio Concilio Tridentino contraria est, Ecclesiæ utilitati, ac saluti animarum, quæ à Pastorum delectu præcipuè pendet, adversatur.

XVI.

DE MISSÆ SACRIFICIO, AT SACRA COMMUNIONE.

58. Innoc. Conf. Lovan. 1657. Prop. 17. & Sens. pag. 19.

73. SAtisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor, simul à diversis celebrantibus audit.

CENSURA.

Hæc Propositio absurda est, scandalosa, illusoria, communique Christianorum sensui repugnat.

Conf. Vic. Gen. Paris. pag. 18. & 19.

74. Eidem præcepto satisfit per reverentiam exteriorem tantùm, animo licèt voluntariè in aliena, imò & prava, cogitatione defixo.

55. Innoc.

75. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Corporis Domini manducationem.

CENSURA.

Doctrina his duabus Propositionibus contenta, temeraria est, scandalosa, erronea, impietati & sacrilegio favet, & præceptis Ecclesiæ illudit.

56. Innoc.

76. Frequens Confessio & Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

CENSURA.

Hæc Propositio temeraria est, scandalosa, erronea, impia, & sacris Litteris contraria.

XVII.

DE MISSA PAROCHIALI.

Prop. 4. inter [illegible] Gallicanum an. 1656 p. 411. du Procès verbal. Prop. 5. ex [illegible] pag. 412. du même Procès verbal.

77. NUllus in foro conscientiæ Parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam Confessionem, neç ad Missas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morúmque doctrinam, quæ ibi in Catechesibus annuntiantur, & docentur.

78. Talem legem in hâc materiâ, nec Episcopi, nec Concilia Provinciarum nec Nationum sancire; nec delinquentes aliquibus pœnis, aut Ecclesiasticis Censuris mulctare possunt.

79. Plebs virtute Concilii Tridentini cogi non potest Censuris & pœnis Ecclesiasticis, ut eat ad suam Parochiam diebus Dominicis ad audiendam Missam (Parochialem scilicet.)

CENSURA.

Concil. Trid. Sess. 22. [illegible] Sess. 24. cap. 4. 7. Heb. 10. 25.

Harum Propositionum doctrina falsa est, temeraria, scandalosa, jam à Clero Gallicano graviter condemnata, sacris Canonibus, Concilio Tridentino, & Apostolicæ Traditioni contraria, dicente Apostolo: » Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam.

XVIII.

CIRCA CONFESSIONEM SACRAMENTALEM.

11. Alex.

80. PEccata in Confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

CENSURA.

Hæc Propositio est temeraria, erronea, & Confessionis integritati derogat.

14. Alex.

81. Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

A

CENSURA.

Hæc Propositio temeraria est, erronea, sacrilegio favet, & præceptis Ecclesiæ illudit.

82. Mandatum Concilii Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum. .... Illa particula, *quamprimùm*, intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur. Alex. 38. [illegible] Sess. 13. cap. 7.

CENSURA.

B *Hæc Propositio est falsa, perniciosa, apertum Concilii Tridentini Decretum intervertit.*

83. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem. 58. Innoc.

84. Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos, ratione magni concursûs Pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis, aut Indulgentiæ. 59. Innoc. Conf. Lovan. 1658 Prop. 4.

CENSURA.

C *Doctrina his duabus Propositionibus contenta, falsa est, temeraria, in errorem inducit, sacrilegiis favet, Christianæ simplicitati, Ministrorum Christi judiciariæ potestati, Confessionis integritati, atque ipsius Sacramenti institutioni ac fini derogat.*

XIX.

CIRCA DISPOSITIONES ET ABSOLUTIONEM POENITENTIS.

CIRCA OCCASIONES PROXIMAS.

D 85. PRobabile est, sufficere Attritionem naturalem, modò honestam. 57. Innoc.

CENSURA.

Hæc Propositio est hæretica.

86. Attritio ex metu gehennæ sufficit, sine ullâ dilectione Dei, sive sine ullo ad Deum offensum respectu; quia talis honesta & supernaturalis est.

CENSURA.

E *Hæc Propositio, quâ à dispositionibus necessariis ad Absolutionem excluditur quilibet ad Deum offensum respectus, temeraria est, scandalosa, perniciosa, & in hæresim inducit.*

87. Concilium Tridentinum adeò expressè definivit, Attritionem quæ non vivificet animam, quæque supponatur sine amore Dei esse, sufficere ad Absolutionem, ut anathema pronuntiet adversùs negantes. [illegible] 1696.

CENSURA.

F *Hæc Propositio falsa est, temeraria, Concilio Tridentino contraria, & in errorem inducit.*

88. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est deneganda, nec differenda Absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem. 60. Innoc. Conf. Lovan. 1655. [illegible]

CENSURA.

Hæc Propositio est erronea, & ad finalem impœnitentiam ducit.

89. Potest aliquando absolvi, qui in proximâ occasione peccandi versatur, quam potest & non vult: 61. Innoc. [illegible]

vult omittere: quin imò directè & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

81. Innoc. Prad. Conf. 41. Alex. Conf. Lovan. 1657. Prop. 2. 90. Proximâ occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit: unde non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam: si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, dum deficiente illâ nimis ægrè vitam ageret, & aliæ epulæ concubinarium tædio magno afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.

63. Innoc. Prad. Conf. & Lovan. 1657. Prop. 1 91. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali, vel temporali, nostro vel proximi.

B

CENSURA.

Hæ Propositiones scandalosæ sunt, perniciosæ, hæreticæ, apertè repugnantes præcepto * *Christi jubentis, manum, pedem, oculum quoque dextrum scandalizantem abscindere & projicere.*

* Matth. v. 29. 30. 18. 8. 9

XX.

DE JEJUNIO.

23. Alex. 92. FRangens jejunium Ecclesiæ ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientiâ hoc faciat; putà quia non vult se subjicere præcepto.

29. Alex. Cens. Gand. pag. 11. 93. In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Alex. Cens. Lovan. 1657. Prop. 23. 94. Omnes Officiales qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Alex. 95. Excusantur absolutè à præcepto jejunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcunque iter D agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

CENSURA.

Doctrina his quatuor Propositionibus contenta, falsa est, temeraria, scandalosa, perniciosa, Ecclesiasticorum mandatorum incuriam inducit, jejunii leges pravis artibus eludit.

XXI.

DE INTEMPERANTIA.

8. Innoc. Cens. Vic. Gen. Paris. pag. 17. 96. COmedere & bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum modò non obsit valetudini; quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

CENSURA.

Hæc Propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, erronea, & ad Epicuri scholam ablegand.

XXII.

DE HORIS CANONICIS.

20. Alex. 97. REstitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientiâ ante sententiam declaratoriam judicis, eò quod sit pœna.

34. Innoc. 98. Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.

CENSURA.

Hæ Propositiones falsæ sunt, temerariæ, cavillatoriæ, ac præceptis Ecclesiasticis illudunt.

99. Præcepto satisfacit, qui voluntariè labiis A tantùm, non autem mente orat.... Respondeo, me totâ hebdomadâ, toto mense, toto anno legisse (Horas) sine culpa veniali; & me non peccavisse venialiter tam certo scire, ut possim juramento firmare... Homo sum.... distractiones non evito, involuntarias millies, interdum etiam voluntarias; & nihilominus nullo crucior scrupulo, nullo dubio angor; quia prudenter suppono, me ad attentionem internam non teneri; eam habere bonum esse, & eâ carere ne quidem levem esse culpam, me ad lectionem tantùm & attentionem externam obligari.

CENSURA.

Hæc Propositio est absona, verbo Dei contraria, hypocrisim inducit à Prophetis, & à Christo damnatam his verbis: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Matth. 15. v. 8.

XXIII.

DE JURISDICTIONE,

ET REGULARIBUS.

C 100. QUi Beneficium Curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario. 6. Alex.

CENSURA.

Hæc Propositio est falsa, temeraria, Concilio Tridentino contraria. Sess. 23. de Reform. c. 15.

101. Mendicantes possunt absolvere à Casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate. 12. Alex. & in causa Andeg. Prop. 1.

102. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato. 13. Alex.

103. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum. 36. Alex.

104. Non possunt Episcopi restringere vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad Confessiones audiendas: neque illas ex causâ revocare: quin imò Ordinum Mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur: & si ab Episcopis Religiosi non E probentur, rejectio illa tantùm valet ac si approbatio concessa fuisset. Alex. VII. Decret. 30. Jan. 1659. Prop. 2. in causa Andeg. apud Fagn. de Probab. pag. 1[illegible]. Edit. 3. an. 1667. Cler. Gallic. in Com. gen. an 1656. pag. 412. du Procès Verbal Imprimé. Paris. an. 1645. art. 11.

CENSURA.

Doctrina his Propositionibus contenta, falsa est, temeraria, scandalosa, erronea, in hæresim & schisma inducens, Concilio Tridentino contraria, Ecclesiasticæ Hierarchiæ destructiva, invalidis Confessionibus viam aperit, jam olim à Summis Pontificibus, & à Clero Gallicano damnata.

105. In Ministerio Pœnitentiæ requiritur etiam approbatio Ordinarii, quæ potest limitari, sed E non revocari sine causa.

106. Minister Pœnitentiæ approbatus in una Diœcesi, etiamsi non habeat suam Jurisdictionem immediatè à Papa, potest tamen in altera, sine Diœcesani Episcopi approbatione, audire Pœnitentes, saltem in loco unde abest Diœcesanus Episcopus.

CENSURA.

Doctrina his Propositionibus contenta, quatenus negat approbationem revocari posse sine causa tamque esse necessariam in loco unde abest Diœcesanus Episcopus, falsa est, temeraria, & Episcoporum jura labefactat.

107. Vi Concilii Tridentini, approbatio noius Episcopi sufficit pro universa Ecclesia, id est, approbatus ab uno Episcopo potest obique absolvere, modò Jurisdictionem habeat: & ad eam accipiendam sufficit, vi Concilii Tridentini, unius Episcopi approbatio.

108. Religiosæ exemptæ possunt absolvi à Sacerdote non approbato ab Episcopo, sive Sacerdos ille sit Secularis, sive Regularis.

CENSURA.

Hæ Propositiones falsæ sunt, temerariæ, à Concilii Tridentini mente aliena, Jurisdictioni Episcoporum & Ecclesiasticæ Disciplinæ contrariæ.

XXIV.

DE LEGIBUS PRINCIPUM, EORUMQUE POTESTATE.

63. Alex. 109. POpulus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Conf. Guienn. pag. 10. 110. Subditi possunt justa tributa non solvere.

CENSURA.

Hæ Propositiones seditiosæ sunt, Apostolicæ Doctrinæ, ac dictis Dominicis apertè contradicunt.

XXV.

DE ELEEMOSYNA.

12. Innoc. Conf. Lovan. 1657. Prop. 30. 111. VIx in secularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui: & ita vix aliquis tenetur ad Eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statûs.

CENSURA.

Hæc Propositio est temeraria, scandalosa, perniciosa, erronea, Evangelicum de Eleemosyna præceptum pessundat.

XXVI.

DE OBDURATIS.

Conf. Senon. pag. 11. 112. SI peccatores consummatæ malitiæ, cùm blasphemant & flagitiis se immergunt, non habent conscientiæ stimulos, nec mali quod agunt notitiam, cum omnibus Theologis propugno eos hisce actionibus non peccare.

CENSURA.

Cler. Gall. in Conv. gen. an. 1641. 12. Aprilis. *Hæc Propositio falsa est, temeraria, perniciosa, bonos mores corrumpit, blasphemias, aliáque peccata excusat, & ut talis à Clero Gallicano jam damnata est.*

XXVII.

DE PECCATO PHILOSOPHICO.

Alex. VIII. Decret. 24. Augusti 1690. 113. PEccatum Philosophicum seu mortale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali & rectæ rationi. Theologicum verò & mortale, est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque pœnâ æterna dignum.

CENSURA.

Hæc Propositio scandalosa est, temeraria, piarum aurium offensiva, & erronea.

XXVIII.

DE PECCATO MORTALI.

114. PLeráque peccata, de quibus ait Apostolus, quòd qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt, & quæ expresse adversantur præceptis Decalogi, mortalia dici possunt.......... quoniam...... horum facinorum rei aut amisere omnem caritatis sensum, aut exiguum retinent, ità ut ipsis omninò dominetur cupiditas.

115. Id tamen intelligi posset, adhibito eo temperamento, ut qui planè repugnantes ac velut inviti ista perpetrassent, aut gravis mali impendentis metu, aut æstu libidinis abrepti, ita ut ab istis angustiis liberati acri dolore tangerentur ob commissum peccatum; tam certò affirmari non potest, excidisse illos gratiâ, aut incurrisse pœnam damnationis; quanquam enim hoc momento dominata sit cupiditas, brevis & transitoria potuit esse ejusmodi dominatio, quâ voluntatis intima dispositio non mutatur.... Hoc temperamentum naturaliter consequitur ex doctrina S. Augustini.

CENSURA.

Hæ Propositiones, quæ divinæ caritatis habitum docent, aut significant posse consistere cum peccatis adversus Decalogum, ac de quibus ait Apostolus, quod qui talia agunt regnum Dei non possidebunt, falsæ sunt, perniciosæ, erroneæ, verbo Dei contrariæ: Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate.... aut quæ conventio Christi ad Belial? *Ad excusanda & imminuenda cujusvis generis peccata viam aperiunt, & imponunt S. Augustino.* *2. Corinth. 6. 14. & 15.*

XXIX.

DE COGITATIONIBUS SIVE DELECTATIONIBUS MOROSIS.

116. HOc inferre debemus, eum consensum qui præbetur suggestionibus pravis, cùm tendit ad delectationem cogitandi tantùm de re illicitâ, putà de ulciscendâ injuriâ; secundùm S. Augostinum, non esse aliud quam veniale peccatum, licèt ipse ultionis actus, cujus cogitatione animus delectatur, sit pessimus, & certissimum mortale peccatum.

CENSURA.

Hæc Propositio quaslibet cogitationes & delectationes, quas morosas vocant, regulariter imputans peccato veniali tantum, falsa est, temeraria, scandalosa, in praxi perniciosa, concupiscentiam fovet, in tentationem, & in gravius peccatum inducit, contraria & injuriosa à S. Augustino. *Lib. 12. de Trin. cap. 12. n. 18.*

XXX.

DE REGULA MORUM, ET PROBABILITATE.

117. PUto omnia esse hodie meliùs examinata, & hanc ob rem in omni materia & præcipuè in morali libentiùs juniores, quam antiquiores lego & sequor.... Doctrina fidei a veteribus: doctrina morum magis à junioribus petenda. *Conf. Guienn. pag. ...*

CENSURA.

*Hæc Propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, erronea, SS. Patribus & antiquis Doctoribus contumeliosa: spreta in moribus Christianorum componendis necessariâ Scripturarum ac Traditionis auctoritate & interpretatione, Moralem Theologiam arbitrariam facit, viámque parat ad

INDEX
CAPITUM, ARTICULORUM
ET RERUM
QUÆ HOC IN TOMO SECUNDO TRACTANTUR.

APPENDIX AD TRACTATUM DE ORDINE.

TRACTATUS
DE SACRAMENTO
MATRIMONII.

INDEX RERUM.

INDEX RERUM.

LIBER TERTIUS

DE PECCATIS ET VIRTUTIBUS.

TRACTATUS I.

tur

*****

Regula

******

TRACTATUS

TRACTATUS

DE VIRTUTIBUS.

LIBER QUARTUS,

DE DECALOGO.

Regula XVI.

Art. II.

LIBER QUINTUS
DE ORATIONE.

APPENDIX I
VARIÆ DE REBUS MORALIBUS
EPISTOLÆ.

APPENDIX II.

MONUMENTORUM SANAM MORUM DOCTRINAM. AC DISCIPLINAM CONFIRMANTIUM.

INDEX RERUM:

INDEX CONCIONATORIUS.

INDEX CONCIONATORIUS,

IN DOMINICAS ET FESTA TOTIUS ANNI,

Secundùm Ordinem Evangeliorum Catechismi Concilii Tridentini, in gratiam, majoremque utilitatem Concionatorum, Parochorum, atque Catechistarum appositus, atque ita dispositus, ut omnes Conceptus morales Concionibus servientes, in Theologia hac Dogmatica & Morali contenti, per exordia compendiata denotentur.

DOM. I. ADVENTUS.

Erunt signa in Sole, & Luna. Lucæ XXI.

JUdicium Dei quamvis multiplex, ut ex sacris patet Litteris; verùm hic Christus futurum extremum annuntiat Judicii diem. De quo signa hæc indicat præcedentia, ut homines ad futuri Judicis reverentiam adducantur; bene vivendo conscientiam semper mundam servando, futurum Judicem & timendo & amando, non enim solum timendum Judicium ejus, sed & amandum tradit D. Augustinus Enarr. in Ps. XXXVI. & Apostolus ad Titum II. *Simus exspectantes beatam Spem & adventum gloriæ Magni Dei.* Vide Tom. I. pag. 134. Item de Judicii generalis caussis 135. & seq.

Tunc videbunt Filium Hominis. Judicandi potestas, etsi omnibus SS. Trinitatis Personis communis sit, præcipuè tamen eam Dei Filio tribuimus, cui etiam Sapientiam convenire dicimus, quamvis hæc tribus etiam Personis communis sit. Judicabit tamen Christus non solum ut Deus, sed etiam ut homo, juxta illud Joannis V. *Potestatem dedit ei Judicium facere quia Filius hominis est.* Ante hunc autem Judicem non sine confusione omnia & singula peccata statuentur. *Arguam te* (inquit Dominus per Regium Psaltem Psal. XLIX.) *& statuam contra te faciem tuam*, id est peccata, ut explanat ibidem D. August. Vide Tom. I pag. 137.

Tunc videbunt Filium hominis. Ostendit hoc Sermone Salvator noster omnes in die illa resurrecturos, quod & omnes Catholici propria fide confitentur. In proprio corpore resurgemus, omnesque visuri tremendum hunc Judicem; verùm non omnium resurgentium par erit conditio. Unde Daniel Propheta Cap. XII. an. *Ex iis qui dormiunt in terra pulvere, evigilabunt alii in vitam æternam, & alii in opprobrium ut videant semper.* Vide Tom. I. pag. 166. usque ad 170.

DOM. II. ADVENTUS.

Joannes in vinculis, Matth. XI.

MIramini! Joannes Propheta, & plusquam Propheta spiritu, vita Angelus & Exemplar sanctitatis, Justitiæ norma, speculum pœnitentiæ, forma Justitiæ, duram & asperam ducens vitam, carceri mancipatur, catenis ferreis ligatus, lictorem exspectans. Herodes verò impius deliciatur in Aula; adulteratur cum Herodiade, omnia circa ipsum aguntur prospera: econtra circa justissimum, (& quo nemo sanctior) Joannem, omnia adversa, & contraria. Noli tamen mirari, divina enim providentia suas novit rationes, quare justos rebus adversis plerumque jactari patitur: & reprobos econtra deliciis frui, ut apertè tradit D. August lib. I. de Civit. Cap. VIII. *Placuit*, inquit, *Divinæ Providentiæ præparare imposterum bona Justis, quibus non fruentur injusti; & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni*, &c. Vide Tom. I. pag. 53.

Joannes in vinculis. Non sufficiebat Herodi impio Fratris uxorem rapuisse, nec in continuo ac manifesto adulterio vivere, insuper eùm arguitur à Joanne, carceribus, vinculis, imò morti justum & sanctum hunc adjudicat. Sic ab uno in aliud cecidit peccatum, divina utique id permittente Justitiâ, quâ sæpe peccatum peccati pœna redditur. Vide Tom. II. pag. 220.

Quid existis in desertum videre, arundinem? Præcursorem suum laudat Dominus, quòd non fuerit arundo, id est, adulator. Unde respondet Eusebius Emiss. *Non est arundo Joannes, columna est, non movetur vento.... non flectitur adulatione*, &c. Constanter enim arguit Herodis adulterium, unde meruit à Domino laudari; diligit enim Dominus hujusmodi constantes, contra vitia fortiter dimicantes: execratur autem econtra adulatores vitia palliantes, quare hi peccati mortalis reus se reddunt, in vitiis & pravis moribus adulantes. Vide Tom. II. pag. 875.

DOM. III. ADVENTUS.

Tu quis es? Joan. I.

INterroget homo semetipsum sæpe: *Tu quis es?* Est enim ad imaginem Dei conditus; non solùm etiam tenetur frequentes gratias pro creationis beneficio reddere, sed & sedulam curam gerere, ne imago Dei per pravos mores dehonestetur, ipsi soli servire, solum amare tenetur, cùm omnia ab eo pro ipso, ac pro ejus necessitate & utilitate creata sint. Unde D. August. in Psal. XXXIX. ait: *Quid amas ut Deum non ames? ama si potes,*

aliquid, quod Deus non fecit. Circumspice universam creaturam, vide utrum alicubi cupiditatis visco tentaris, & à diligendo Creatore impediaris, nisi ea re quam creavit ipse, quem diligit. Vide de Creatione hominis, Tom. I. pag. 47. & seq.

Ego baptizo in aqua. Etiam Baptismus Joannis magnam habuit virtutem, non tamen tantam, qualem à Christo Domino institutus, ut Dogma Fidei perhibet. Quare de Joannis Baptismo Tertullianus lib. de Baptismo. Cap. x. ait: *Nihil cæleste præstabat, sed cælestibus præministrabat, pænitentiæ scilicet præpositus, quæ est in hominis (utique divinitus adjuti) potestate*, &c. Vide Tom. I. pag. 240. 241. & seq.

Trans Jordanem ubi erat Joannes baptizans. Solam verámque aquam Baptismi legitimam materiam esse Dogma fidei est; onde in Jordanis aqua Baptisma nostrum præmonstratum est, Spiritu Sancto præfigurante, cùm Nayman Syrus in eo flumine septies lotus à lepra sua mundatus est: gentes omnes à peccatorum maculis ac fœditate, per septiformem ejusdem nominis gratiam & operationem in Baptismo curandas & purgandas. Qua de re D. Ambros. L. iv. in Luc. *Disce* (inquit) *Baptismi gratiam Salvatoris: qui leprosus me ferat, fidelis emersit*, &c. Vide Tom. I. pag. 229. & seq.

DOM. IV. ADVENTUS.

Procurante Pontio Pilato. Luc. III.

INfelix illa respublica impios habens superiores, Principes & Magistratos; nam eorum exemplo depravatur populus. Quare Principes ac Magistratus, cæterique superiores omninò studere debent pietati, legi Dei se conformare, Ecclesiam non sine zelo administrare. Vide Tom. II. pag. 755. & seq.

Et venit in omnem regionem prædicans Baptismum. Quanto cum fervore & ardore prædicaverit Joannes Baptismum, multum extollit sacer noster Evangelista Cap. 1. Hoc ergo exemplo discant animarum Curatores Sancti Concilii Tridentini monitu Baptismi necessitatem atque utilitatem frequenter inculcare populo, cùm Sacramentorum omnium extat primum, si non dignitatis, tamen necessitatis. Unde S. Cyprianus Epistola LXXIII. ait: *A Baptismo incipit omnis Fidei origo, & ad spem vitæ æternæ salutaris ingressio, & purificandis Dei servis divina dignatio.* De hoc Sacramento, Vide Tom. I. pag. 217. & seq.

Prædicans Baptismum pænitentiæ in remissionem peccatorum. Cùm Sacramentum Pœnitentiæ absolutè quidem minùs ad salutem necessarium, tamen post Baptismum in lethale peccatum lapsis, sive exterior, sive interior, iterari potest, ut Sacrosanctum sancivit Concilium Tridentinum Can. 1. Sess. XIV. Unde etiam ait Tertullianus lib. de Pœnit. Cap. VII. *Verùm non statim succidendus, & subruendus est animus desperatione, si secunda Pænitentiæ quis debitor fuerit. Pigeat sanè peccare rursus, sed rursus pænitere non pigeat.* Vide Tom. I. pag. 506. & 508.

Prædicans Baptismum Pænitentiæ. Baptismi Sacramentum, non solùm necessitate præcepti, sed vel maximè omninò necessitate medii necessarium esse, Fides docet Catholica; Confirmationis autem, si non necessitate medii, tamen præcepti, unde graviter & lethaliter peccant hoc spernentes ac contemnentes. Hinc Jonas Aurelianensis Lib. I. de Instit. Laicali. Cap. VII. ait: *Nequaquam à fidelibus tanti doni perceptio negligenter differenda, sed potius remoto tempore negligentia, cum magna animi aviditate, & devotione petenda, & percipienda.* Vide Tom. I. pag. 323.

DOMINICA INFRA OCTAV. Nativitatis Domini.

Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor. Luc. II.

VEré exemplar viduitatis extitit piissima hæc Anna, vidua, & Prophetissa, quæ marito mortuo, non solùm recusavit secundas adire nuptias, insuper totum viduitatis tempus in Dei impendit obsequiis. Hinc discant viduæ non tam facilè secondas adire nuptias, hoc etiamsi minùs prohibeatur, contrarium tamen frequenter consulitur à SS. Patribus: quare hanc pro speculo omnibus exhibet D. Ambros. Cap. 4. *Vides*, inquit, *qualis vidua prædicetur! cui diversorium in templo, colloquium in prece, vita in jejunio*, &c. Vide Tom. II. pag. 187. 188.

Quæ non discedebat de templo. Continuò post mariti obitum mansit in templo vidua hæc devotissima, ibi Deo frequenter sacrificabatur, illa non minus spirituale offerebat sacrificium bonorum operum: *cum jejuniis & obsecrationibus, serviebat die ac nocte.* Hanc imitare Christiane, ne desistas etiam Deo hujusmodi sacrificium bonorum operum semper offerre, ut Deo semper reddaris magis & magis gratus. De quo sacrificio vide plura Tom. II. pag. 568.

Et obsecrationibus vacans. Non solùm vidua hæc sacrificium bonorum operum obtulit, sed insuper sacrificium piæ ac devotæ orationis, quod Deo tam acceptum fuit, ut incarnatum Dei Filium videre meruerit; patet hinc orationem non solùm necessariam, sed & summè fructuosam, & utilem. *Deum precibus honoramus, & hoc est optimum, & sanctissimum sacrificium.* Verba sunt Clementis Alexandrini Lib. VII. Strom. Vide de Orat. Tom. II. pag. 893.

DOM. INFRA OCTAVAM Circumcisionis.

Surge & accipe puerum & matrem ejus. Matth. II.

CHristus Jesu in utero divæ Virginis à Spiritu Sancto conceptus, eodem momento Deus & homo fuit, quem D. Virgo novem mensibus in utero sanctissimo gestavit, impleto pariendi tempore peperit, Deum ac hominem genuit. Id ab Angelo ei prædictum fuit D. Luca cap. 1. teste. *Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis Nomen ejus Jesum; Hic erit magnus & Altissimi filius vocabitur, idéoque quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Unde B. V. Maria verè Mater Dei, & credenda, & profitenda est. Vide Tom. I. pag. 84. & 85.

DOM. I. POST EPIPHAN.

Secundùm consuetudinem diei Festi. Luc. II.

CHristus Dominus ipse legislator nulla lege aut præcepto ligatus, diem observat Festivum & solemnem cum parentibus suis sanctissimis. Multò magis debent fideles Dominicis & Festivis diebus cum attentione & sedula pietate visitare Ecclesias, Missæ Sacrificio, divino verbo, ejusque prædicationi, aliisque piis, ac sanctis interesse ac adesse exercitiis; ad quæ (præcipuè auscultationem Sacri ac Concionis) obligat ac ligat præceptum Ecclesiæ, ut statuit Sa-

crum Concilium Trident. *Sess.* xxii. & SS. xxiv. de reformat. Cap. iv. Vide Tom. I. pag. 431. de Sacrificio Missæ, ejusque Mysteriis eodem Tom. pag. 453. 457. 488. Item de hoc Præcepto, Tom. II. pag. 715. & seq.

Cùm JESUS *factus esset annorum duodecim.* Exemplum parentibus hîc exhibetur, Filios, Filiasque à teneris annis ad divinum frequenter ducere cultum, ad quod etiam in conscientia obligantur: sed prô dolor! hodiedum non tam solliciti sunt pro suis filiis, ut bonis imbuantur moribus, virtutibus reddantur divites; sed potius omnem curam & sollicitudinem impendunt, ut reddantur divites, auro, & argento, multas post se illis valeant relinquere divitias, quæ sollicitudo illos sæpe peccati lethalis reos facit. Ut docent SS. PP. præcipuè D. Cyprianus & D. August. quos videre licet Tom. II. pag. 324.

DOM. II. POST EPIPHAN.

Nuptiæ factæ sunt. Joann. II.

MAtrimonium verè legis novæ esse Sacramentum, sicut alia Sacramenta conferre gratiam, dogma fidei est. Ita definivit Concil. Trident. Sess. xxiv. & in doctrina de Sacramento, ubi inter alia hæc commemorat: *Cùm igitur Matrimonium in lege Evangelica, veteribus connubiis per Christum gratiâ præstet; meritò inter nova legis Sacramenta numerandum, Sancti Patres nostri, Concilia & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt.* Vide Tom. II. pag 78. & seq Quæ bona Matrimonii. Vide pag. 95.

Vocatus est autem JESUS. Matrimonium ad quod nemo obligatur, tum lege positiva, tum lege naturæ, contrahere quidem licet; graviter tamen peccant qui ad id contrahendum aliis moventur finibus, ac rationibus, præter eos, ob quas institutum à Deo est; unde tale nec fructuosum, nec pacificum esse poterit. Quare Angelus Raphaël juniorem ita monuit Tobiam Tob. vi. inquiens: *Ostendam tibi qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium. Hi namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se, & à sua mente excludant, ut suæ libidini ita vacent, habet potestatem dæmonium super eos.* Vide Tom. I. pag. 77.

Et cùm inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est. Hic est primus effectus ebrietatis, quod scilicet hominem ratione privet, bene enim potus, ac inebriatus homo nescit, quid, vel quæ circa ipsum agantur; unde deterius tam bene sapit vinum, quàm in sobrietate prius sapiebat bonum, & optimum. Unde apertè patet gravitas hujus peccati, cùm adversetur essentiali hominis, id est, rationi, & hominem quasi non hominem reddat. Unde D. Petrus Chrysol. serm. xxvi. ait: *Ebrietas est cadis mater, parens litium, furoris genitrix, petulantiæ deformiter est magistra. Hanc qui habet, se non habet, homo non est. Hanc qui habet, non facit peccatum, sed est ipsum peccatum.* Vide Tom. II. 476. & seq.

DOM. III. POST EPIPHAN.

Vade & ostende te sacerdoti. Matth. VIII.

LEprosus feliciter, piè & confidenter accessit ad fontem medicinalem, sanitatem optatam à Christo obtinuit: nihilominus ut leprosum remisit Dominus eum ad Sacerdotem, illi ut se quoque sisteret. Ex hoc mysterio quid aliud colligendum, quàm quod etiamsi Christianus per divinæ gratiæ infusionem ac per contritionem à purgatorum lepra purgatur, equidem se debeat sistere sacerdoti, per humilem & Sacramentalem confessionem. Unde hac de re inter alia D. August. in Psal. LXVI. hæc tradit.... *Tu cognosce medicinam, confitere, exeat in confessione, & defluat omnis sanies; jam lætare, quod reliquum est facile sanabitur.* Vide de Necessitate Confessionis, Tom. I. pag. 548. & seq.

Et offer munus tuum. Non solùm leproso mandatur sacerdoti se sistere, sed insuper etiam offerre munus præceptum à Moyse. Sic quoque non satis est, ut peccator se sistat sacerdoti Confessario per Sacramentalem confessionem, ubi etiam absolutionem obtinet: insuper etiam obligatur ad satisfactionem, ad placandum Deum, quæ necessitas, non humano instituto, sed divino præcepto imposita est: hinc Sanctus Augustinus Serm. xx. *Impunitum* (inquit) *non potest esse peccatum, impunitum esse non decet, non oportet, non est justum: Ergo quia impunitum non debet esse peccatum, puniatur à te, ne puniaris pro illo.* Vide Tom. I. pag. 615. 616 & seq.

Et accessit centurio ad eum rogans eum. Piè pius hic Centurio supplicando accedit, piissimum ac clementissimum Dominum, non pro se, sed pro puero, sive famulo suo salutem deprecatur; unde fidelem ac sincerum servi Dominum se ostendit. Sunt enim officia Dominorum erga servos, & subditos: Benevolentia sincera, & charitas, sicut & cura illorum in necessitatibus tum corporis, tum animæ, &c. de quibus officiis sacra Scriptura varia tradit Præcepta. Unde etiam ait Ecclesiasticus Cap. 7. vers 23. *Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.* Vide Tom. II. pag. 757. 758.

DOM. IV. POST EPIPHAN.

Ecce motus magnus factus est. Matth. VIII.

COelestis Magister cum discipulis in mari navigans suavem capiebat somnum; tempestas autem, divinâ utique permissa Providentiâ, coangustabat discipulos. Christus *verò dormiebat:* sed quare dormiebat, & maris tumultuationem dissimulatione dissimulabat? Docere voluit timoris non tam necessitatem, quàm utilitatem: ut notat D. Thomas in Præsens, Unde ait: *Erat autem hæc turbatio typus futurarum tentationum. Ut ergo daret locum formidini, ipse dormiebat.* Vide de Timore Domini, Tom. I. pag. 318.

Et accesserunt discipuli ejus. Summa hac in angustia, proximum naufragii periculum notantes discipuli ad Domini auxilium confugiunt: *Domine, salva nos, perimus.* O quot naufragii periculis non circumdamur quotidie! quot non premunt animæ angustiæ! quid nobis ergo superest, quàm ut cum discipulis Domini, in mundi hujus mari fluctuantes, frequenter ac piè recurramus ad Dominum auxilium humiliter deprecantes, ac septimum articulum Orationis Dominicæ iterum atque iterum repetentes. *Sed libera nos à malo.* Id quo modo ac qualiter fieri debeat, Vide Tom. II. pag. 941.

Quid timidi estis modicæ fidei? Arguit discipulos Dominus, quòd tam parum fidei, sicut etiam spei haberent; si enim credidissent Dominum cœli, terræ & maris esse in navi, utique sperassent auxilium ejus infallibile. Sit ergo illorum reprehensio nostra instructio, semper præsentiam Domini credentes, in auxilium ejus sperantes

minus ob peccatorum multitudinem desperata, ac consideratione magnitudinis gloriæ supernæ pusillanimes reddi, sed in cælum, in Deum omnem spei anchoram emittera. *Contra tentationes hujus peregrinationis nostra, spes nostra fundata in illa Civitate Jerusalem, facit nos abripi in saxa.* Verba sunt D. August. in Psal. LXIV. Vide Tom. II. pag. 590. & seq.

DOM. V. POST EPIPHAN.

Vis imus & colligimus ea? Matth. XIII.

IN hac Evangelica Parabola non exigua ostenditur servorum erga patremfamilias reverentia, sicut & solicitudo circa bona ejus. Reverentia, cùm nisi ejus consensu evellere cogitant zizania, morant Dominum suum, ut evellantur, antequam bonum semen, sive triticum suffocet, ac infructuosum reddat. Inde discant servi omnem honorem, obedientiam & reverentiam exhibere Dominis suis, ad quod obligat illos tam bene Decalogus, ac filios respectu parentum, unda etiam Apost. ad Ephes. VI. ait: *Servi obedite Dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, &c.* Vide Tom. II. pag. 745.

Sinite utraque crescere. Non obstante, quod Christi Ecclesia sancta, Catholica, Apostolica, & sanctificans dicitur, nihilominus & bonos & malos complectitur; sicut in agro hodierni Evangelii cum tritico zizania. Sic etiamsi in Ecclesia viri sint sancti, ac justi, boni, bonumque operantes, non tamen desunt mali; malos tamen licet Ecclesia continet ac tolerat, nec tamen illorum criminibus violatur, à quibus abhorret, & propter quæ gemit. Unda S. August. Tract. LXI. in Joannem, hæc tradit: *Injusti secundùm communionem Sacramentorum sunt ex nobis, secundùm suorum proprietatem criminum non sunt ex nobis.* Vide Tom. I. pag. 151.

DOM. VI. POST EPIPHAN.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis. Matth. XIII.

MInimo ex seminibus quale est granum sinapis, comparans Dominus regnum cœlorum insinuat, Deum minima frequenter respicere, id est humillima; unde qui se humilem ac parvum in corde semper ostendit, à Deo respicitur: nam ait Psaltes Regius Psal. CXXXVII. *Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit in cœlo & in terra.* Est enim Deus amans humilitatis, detestatur autem omninò superbiam. Unde per Jeremiam Cap. L. superbum ita alloquitur: *Ecce ego ad te superbe, dicit Dominus Deus exercituum, quia venit dies tua, tempus visitationis tua, & cadet superbus, & corruet; & non erit qui suscitet eum.* Vide de Superbia, Tom. II. pag. 272.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis. Non obstante quod Christus Dominus tam periè conatur inculcare humilitatem, non desunt tamen, qui superbia inflati, pro defensione honoris etiam in minimo sæpe læsi mortis cogitent vindictam. Nec se honoratos autumant viros, si non minimum etiam verbulum, per duellum, sive publicum, sive privatum vindiceot, vel morte, vel sanguine; sed sciant omnes homicidii formalis reos esse, ac gravissimas contra se suscitare Canonum Censuras. Vida Tom. II. pag. 784

Erutabo abscondita cordis. Omnes Catholico-Christiani, ac fideles agnoscunt, peccati mortalis reos ad confessionem obligari Sacramentalem. Nec tamen latere debent conditiones confessionis hujusmodi: quarum prima integritas ast secundùm circunstantias, & numerum. Quara caveant ne quidquam calent confessario, quem quidem decipere possunt, minùs verò omniscium Deum. *Erutabo* enim, ait, *abscondita cordis à constitutione mundi.* Hinc benè D. Bernard. Serm. XL. de divers. ait: *Quid prodest partem peccatorum dicere, & partem celare?.... Omnia nuda sunt & aperta oculis Dei, & tu illi aliquid abscondis, qui Dei locum obtinet in tanto Sacramento? Ostende, denuda, quæcunque cor tuum dilacerant: detege vulnus ut sentias operam medicantis.* Vide de integ. Confess. Tom. I. pag. 561. & seq.

DOM. SEPTUAGESIMÆ.

Vidit alios stantes in foro otiosos. Matth. XX.

NOtanter hic dicitur Patremfamilias in foro otiosos reperisse, non in ædibus: proprium ac commune hoc est otiosis, quod in ædibus non habentes requiem, forum communiter adeant ut fabulentur, quid novi percunctentur, vanis occupentur aliorum colloquiis, res, actionesque alienas inquirant: nullis negotiis occupati, aliis negotia facessunt, turbant familias, vel rempublicam, vel Ecclesiam, inquieti animi desultoria levitate. Hujus tamen mali complices sunt hodiedum molieres, *Quæ* (ut scribit Apost. I. ad Timoth. V.) *otiosa discunt circuire domos: non solum otiosa, sed & verbosa, loquentes quæ non oportet.* Vide Tom. II. pag. 511. da Otio & remediis contra Acediam.

Murmurabant adversus Patremfamilias. Exiverat hic Paterfamilias summo mane, ubi conduxit operarios in vineam suam pro denario; similiter etiam conduxit circa tertiam, circa sextam, & undecimam: cùm autem sero factum convocatis operariis tantum dedit circa undecimam missis in vineam, ac etiam summo mane conductis; nulli fecit tamen injuriam, primis enim nisi denarium promiserat, & de denario cum eis convenerat: equidem murmurant hi de bono & gratuito novissimorum contristati. Hæc est natura invidiæ, *Quâ quis contristatur de bono alterius, perinde ac si malum nostrum esset*, ut definiunt Theologi; rectè hic Gregor. Lib. V. Moral. XXXI. *Invidere enim non possumus* (inquit) *nisi eis, quos meliores nobis in aliquo putamus.* Vide Tom. II. pag. 446. & seq.

DOM. SEXAGESIMÆ.

Quod autem inter spinas cecidit. Lucæ VIII.

SEmen inter spinas cadens fructum ferre nequit, cùm ab eis suffocatur. *Semen* hoc (ipsa incarnata Sapientia testa) est *verbum Dei*, spinæ autem illud suffocantes sunt divitiæ, quas cùm homo avarus nimia sollicitudina quærit, verbum Dei fructuosè audire nequit. Hinc bene D. Chrysost. Homil. XXIX. in Matth. *Quid enim* (inquit) *miserius avaro? nam etsi quotidie Christum audit prædicantem: non potestis Deo servire, & mammona; etsi terror gehennæ incutitur, ac inferni pœna imminere dicuntur, non credit tamen Christi verbo.* Unda meritò peccati lethalis rei sunt in divitiis spem omnem collocantes. Vide Tom. II. pag. 314. 318. & seq.

Inter spinas cecidit. Spinis non incongruè divitiæ assimilantur; hæ enim frequenter, & acriter pungunt: sic etiam divitiæ cum propter eas non

taio

tarù gravissimæ excitentur rixæ, ac lites judiciales. Sciant tamen Christiani quotquot propter res temporales lites quærunt, avaritiæ vel lethalis, vel venialis, si dici possit, reos esse. Vide Tum. II. pag. 327.

A sollicitudinibus & divitiis. Solent modò Clerici multa bona ex Beneficiu Ecclesiastico congregare, ut augeatur patrimonium & ditentur familiæ. Quare se etiam à Deo alienos, ac lethalis avaritiæ reus reddunt. Vide Tom. II. p. 325.

DOM. QUINQUAGESIMÆ.

Ecce ascendimus Jerosolymam. Lucæ xx.

CUm hisce diebus mundani humines deliciis & voluptatibus se dant totos; Pia Mater Ecclesia, in memoriam addocit amarissimam Christi Domini Passionem, qui cœlestem deserens voluptatem, fragilem nustram assumens carnem, acerbissima pro nobis pati voluit, nun sulùm in carne, verùm & in anima, ut viam cæli nubis patefaceret, quæ non voluptatibus, sed Passionibus teritur. Unde D. Petrus Apostolus Epist. 1. cap. 2. *Christus* (inquit) *Passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Vide de acerbitate Passionis Tom. 1. pag. 92. & seq. vel de imitatione Christi pag. 285. & quomodo exemplum virtutum omnium in Passione enituit, Pag. 101.

Illudetur & flagellabitur. Non minus Bachanaliorum temporibus dominatur etiam inter Christianos, prô dolor! gula, contra quam fructuosissimum remedium est commemoratiu Passionis Christi. Unde Joannes Climacus Scalæ suæ Mysticæ gradu XIV. cunsulens temperantiam comparandam ex meditatiune Passionis: *Si Christo* (inquit) *te per angustam & asperam salutis viam ambulaturum esse pullicitus es, appetitum tuum temperantia compesce.... attende diligentiùs ad verba ex ipsius ore prefecta:* Lata & spaciosa via est, *genialium scil cet epularum*, quæ ad interitum *luxuria* deducit: *ex adverso*, qoàm angusta & arcta via est *abstinentia*, quæ ducit ad vitam *castitatis*, & pauci sunt qui intrant per eam.... Quare paulù post inter alia hæc subjungit.... *Ubi poculum acceperis bibiturus, memineris acetum & fel* JESU CHRISO *oblatum; atque ita sobrietatis limites non transilies*, &c. Vide de gula Tum. II. pag. 471. De remediis contra eam pag. 465. Item de compotatiunibus & conviviis, pag. 484. Item quàm periculusæ Comœdiarum spectationes, spectaculorum frequentationes, sicut & Choreæ & saltationes, pag. 819. 822. vel de Temperantia, pag. 531.

DOM. I. QUADRAGESIMÆ.

Cùm jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Matth. IV.

CUm omnes præceptu Ecclesiæ ligamur, atque adstringimur ad jejunium Quadragesimale, Christus, tanquam dux & exemplar nobis proponitur: non enim pru se, sed pru nobis jejunavit, & non una die, sed quadraginta diebus. Trahat ergu nus ad imitationem non tam Præceptum Ecclesiæ, quàm pius affectus: multum enim boni lucramur per jejunium ac macerationem carnis. Unde D. Ambrosius mirificè extollit atque deprædicat excellentiam atque utilitatem jejunii, Lib. *De Elia, & Jejunio.* Ubi hæc inter alia habet cap. 1. & 2. *Magna virtus est Jejunii. Tam speciosa ejus militia est, ut jejunare* Tom. II. *delectaret & Christum: Tam valida, ut ad cœlum homines erigeret*, &c. Vide de Jejunio Tum. II. pag. 703. & seq. & pag. 722.

Et accedens tentator. In umnibus verum exemplar humilitatis se ostendit Christus Dominus; unde etiam non dedignatus fuit pessimi dæmonis admittere accessum ac tentationem, nullam tamen victuriam. Quomodo autem superbiæ princeps, contra humilitatis magistrum argumentatus sit, subtiliter exponit D. Gregur. Lib. XXXIV. *Moralium* cap. XVIII. de quo vide Tum. II. pag. 282.

Et accedens tentator. Omne quod est in mundo (ait D. Joan. Epist. 1. cap. II.) *aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* In his summâ malitiâ ductus protoparentes nostros tentavit, & superavit tentator pessimus: eudem modo etiam aggredi Salvatorem nostrum non erubuit, ut hodiernum attestatur Evangelium. Cuncupiscentia enim carnis, cùm aiebat: *Dic ut lapides isti panes fiant*; primitus aggressus est. Dein concupiscentiâ oculorum; cùm regna umnia ostendit mundi: superbiâ vitæ, statuens super pinnaculum templi, & dixit ei: *Si filius Dei es, mitte te deursum: scriptum est enim, Angelis suis mandavit de te.* Sed Christus Dominus fortiter ac constanter resistens semper retudit. *Vade Satana.* Sic sequaris Christi exemplum, si nou convictus ac superatus, æternùm perire vis. Vide Tum. II. pag. 207. 208.

Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies Etiamsi Christus Duminus verus Filius æterni Patris, Patri suo obediens extitit usque ad mortem: non tamen servus nuncupandus, sed Duminus. Etsi Propheta servum nominat: *Non tamen conditiune servientis, sed ex humilitatis obedientia, quâ Patri factus obediens usque ad mortem*, ait Synodos Francofordiensis, quâ obedientiâ nos à servitute Diaboli liberavit, & sibi in servua cumparavit: quare meritò ei soli servire tenemur; quod & libenter faciamus, non ut servi sub lege, sed ut liberi sub gratia simus suli Dei, ipsi soli serviamus, non ex timore, sed caritate. Unde ait Orig. 10 cap. 1. ad Ruman. *Quilibet vocatus est, servus Christi; quid est autem servum esse Christi? Sapientia, Justitia, Veritatis & omnium omninò virtutum* &c. Vide Tom. 1. pag. 76. & 77.

Vade Satana. Insidiatur hodiedum adbuc frequenter Satanas Christianis, ut infructuosum reddat jejunium, & in hoc pro efficaci mediu utitur cogitatione vindictæ, quam suggerit Christianis; sed bonus Christianus dicit, *vade Satana:* non quærit, sed abjicit omnem vindictam, cum qua infructuosum redditur jejunium. Vide Tom. II. pag. 739.

DOM. II. QUADRAGESIMÆ.

Hic est Filius meus dilectus. Matth. XVII.

VOx hudierna oriqoe Patris intonans testimunium perhibet Christum verum Filium Dei Patris, non adoptivum, sed connaturalem; nus verò per ipsum redditi sumus adoptivi, ut ipsum audientes reddamur regni cœlestis comparticipes. De primo disertè perurat S. Leo Papa Serm. XCIV. Sive Homil. de Transfiguratione. *Hic est Filius* (inquit) *non adoptivus, sed proprius, & nun aliunde creatus, & ex me genitus.* De secundo verò D. August. Tract. II. in Joannem: *Unicus natus est* (inquit) *& noluit manere unus*, &c. reliqua vide Tum. I. pag. 74. & 75.

Nemini dixeritis visionem hanc. His in verbis piissimus Salvator apertè docet, quomodo vana

gloria in omnibus fugienda, non solùm id docuit verbis, sed & factis. Nam non solùm & hanc visionem mirabilem, sed & alia sæpe celari voluit miracula. Unde Matth. 8. Leproso à se mundato dixit, *Vide nemini dixeris*; & Matth. ix. cæco & muto: *præcepit ne cui dicerent.* Sic quoque transfigurationem discipulos silentio asservare jubet, usque ad diem resurrectionis. Hoc ergo exemplo discat Christiana anima vanam hominum laudem abhorrere, vanam fugere gloriam, ut veram fæliciter adipisci queat. Vide de vana gloria & quomodo expugnanda, Tom II. pag. 284. & 287.

DOM. III. QUADRAGESIMÆ.

In Beelzebub Principe Dæmoniorum ejicit dæmonium. Lucæ xi.

HAnc dictionem gravissimam & in re fuisse blasphemiam in Christum, utpote verum Deum divina potestate ejicientem dæmonium, manifestè patet. Siquidem, *blasphemia* (ut definiunt Theologi) *est maledicentia quâ divinæ bonitati, vel excellentia ex malo voluntatis affectu derogatur.* Quicunque ergo aliquid negat Deo quod ei convenit, vel imponit quod non convenit, blasphemat, peccatque contra secundum Decalogi præceptum: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* De quo vide Tom. II. pag. 674. & seq. Item pag 695. & sequent.

Locutus est mutus. Cùm omnes Christi fideles præcepto confessionis semel ad minus in anno sint adstricti, optat vehementer pia mater Ecclesia, ut fideles in initio quadragesimæ Sacramentalem edant Confessionem: ut qui per totum annum fuerunt muti, nunc discant loqui, id est, peccata sua confiteri, & ad instans magnum Festum Paschale se præparare. Id declaravit Concil. Trid. Sess. xiv. cap. v. *Jam in universa* (inquit) *Ecclesia cum ingenti animarum fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo & maximè acceptabili tempore quadragesima. Quem morem hæc sancta Synodus.... tanquam pium & meritò retinendum amplectitur.* Vide Tom. I. pag. 558.

Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Quàm grave malum sit frequens nimis in peccatum lapsus, quàm infelix ex consuetudine peccantium status, hoc in Evangelio æternus Salvator noster exponit. Hinc etiam Paralytico à triginta & octo annis membrorum usu destituto, ac decumbenti, figuram gerenti peccatoris consuetudinarii, postquam sanitatem optatam restituisset, dixit Joan. v. *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Inde ergo nisi sapere velint, neganda est absolutio, si semper se sine efficaci spe emendationis de iisdem accusant repetitis peccatis. Vide Tom. I. pag. 656. Item de consuetud. peccandi, Tom. II. pag. 552.

Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Cùm peccavimus, & de hoc pœnitentiam egimus, per humilem confessionem, veniam & gratiam obtinuimus, non quiescit diabolus ad peccatum nos iterarò inducere, verùm cùm nos nostra infirmitas ab hujusmodi machinationibus, insidiis, atque tentationibus resistendum non sufficientes reddit, ne per relapsum res nostra reddatur pejor, certum subsidium, atque auxilium inquirendum est; & hoc quomodo quærendum apud Dominum Deum sine quo nihil sumus, nihil valemus, suggessit nobis piissimus, ac cœlestis magister apud D. Matth. cap. vi. in oratione Dominica ultimo Articulo. *Et ne nos inducas in tentationem:* de quo vide Tom. II. pag. 935.

DOM. IV. QUADRAGESIMÆ.

Abiit JESUS. Joannis vi.

OMni studio cavere debet Christianus, ne de se dicatur, abiit JESUS. Est enim ipse via, & veritas; non tamen recedet à nobis nisi lethaliter peccaverimus, tunc enim à nobis recedit, consequenter vita, via, veritas animæ: Nam ut ait Divus Petrus Chrysolog. Serm. xix. *Quod est anima corpori, hoc est Christus animæ; sine anima corpus non vivit, non vivit anima sine Christo.* Tantum itaque operatur & efficit in nobis peccatum, hic fructus, hic effectus sat lamentabilis. Vide Tom. II. pag. 214.

Unde ememus panes ut manducent hi? Triduo sese sequentem populum cibo indigum esse respiciens statim notavit Christus Dominus. Certum est cibo, utpote ad sustentationem summè necessario, diu carere neminem posse. Sicut hic cibus corporalis ad alendum corpus valde summéque est necessarius; sic cibus animæ panis Eucharisticus est necessarius ad sustentandam animam: unde hic non minori aviditate exoptandus & quærendus, ac etiam alius: quare ad frequentem susceptionem Sacramenti Eucharistiæ urget ac commonet sancta mater Ecclesia, maximè festivis Dominicis, sacrisque tam Adventus quàm Quadragesimæ temporibus, cujus exemplum habemus in primitivæ Ecclesiæ fidelibus, de quibus referunt Acta Apostolorum cap. xi. Quod *erant... perseverantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis & orationibus.* De quo vide Tom. I. pag. 415. Item frequens communio quibus permittenda Morales regulas, vide pag. 419. & seq.

Fugit. Postquam vidisset agnovissetque liberalissimus Dominus quod cogitarent, viso tanto miraculo, illum in Regem constituere, ac præponere, *Fugit.* Nobis utique in hoc relinquens exemplum temnendi honores, & dignitates, aversandique periculosam ambitionem. Unde optimè ait Tertullianus ad hunc locum alludens, Lib. de Idololatria cap. xviii. *Ille Dominus si potestatis jus, nullum ne quidem in suos exercuit, quibus sordido ministerio functus est; si Regem fieri conscius sui Regni refugit, plenissimè dedit formam suis,* &c. Vide de motivis abhorrentibus ab Ambitione, Tom. II. pag. 308.

DOMINICA PASSIONIS.

Quis...... arguet me de peccato? Joannis viii.

VErè & palam id dicere valebat Christus Dominus, erat enim non solùm verus homo, sed & verus Deus, Deus autem nec potest facere, nec facit peccatum, nec peccati extat autor, ut dogma tradit fidei, abundéque probari valet ex sacra Scriptura. Deuteronom. enim xxxii. ait *Moyses: Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ ejus judicia. Deus fidelis & absque ulla iniquitate, justus & rectus.* Item Psalm. v. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Vide Tom. II. pag. 198.

Ego Dæmonium non habeo. Humili hoc ac suavi Responso mitissimus Salvator magnam ostendit benignitatem; verùm vel maximè patientiam: cùm contra hæc gravissima convitia nec quidquam indignationis, multò minus reconvitii reposuit, sed humiliter innocentiam illatámque injuriam aperuit. Nos utique docere volens adversa, etiam convitia patienter ferre, minùs con-

vitia conviciis reddere, etiamsi ab altero ad hoc provocamur; hoc enim minùs à peccato lethali excusat. Juxta illud Proverb. vi. *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne ei similis efficiaris*; Et Lucæ vi. *Benedicite maledicentibus vobis*. Vide Tom. II. pag. 496. Item quomodo patientia optimum remedium contra Iram, pag. 498. & pag. 529.

Abraham Pater vester exultavit ut videret diem meum. Ad hunc textum notat Divus Ambrosius Lib. 2. de Abraham, cap. iii. Abraham reputatum esse ad Justitiam, quia rationem Incarnationis Christi Domini non quæsivit, sed promptissima fide credidit; & hoc est quod Christus hodierno in Evangelio singulariter commendat. Unde docemur nos in credendo promptos ostendere, nec temerè rationes semper velle requirere *Bonum est ut rationem præveniat fides* (verba sunt D. Ambrosii) *ne tanquam ab homine, ita à Domino Deo videamur rationem exigere*, &c. Vide Tom. I. pag. 16.

DOMINICA IN RAMIS, seu palmarum.

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Matth. xxi.

SEdens super asinam mansuetus Rex cœlestis ac divinus, magister omnium virtutum in triumphali hodierno suo ingressu in Jerusalem duas præcipuè ostendit virtutes imitandas, mansuetudinem, scilicet, & humilitatem; quæ non solùm superioribus sunt necessariæ, sed & omnibus & singulis. Unde Dominus venit mansuetus, venit humilis; mansuetus, ut mansuetudinem; humilis ut humilitatem sectari disceremus. Juxta illud Matth. xi. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Et vel maximè ideò, quia ut hîc ait D. Thomas, Deus superbos non respicit, sed despicit, rejicit, ac spernit, juxta illud Cantici D. Virginis. *Deposuit potentes de sede & exaltavit humiles.* Humilitas autem est omnium virtutum doctrix; hanc qui possederit, cætera reliquarum virtutum membra facilè possidebit, ait D. Chrysostomus homil. xlviii. Et Arnoldus Bonæ Vallis Abbas Serm. de Nativit. Domini. *Humilitas* (inquit) *est primus Religionis introitus, sicut in mundum primus Christi ingressus: ut quicunque vult piè vivere, humiliter de se sentiat.* Vide de Humilitate, Tom. II. pag. 477. & seq.

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Solemnem hodiernum Christi Domini introitum si accuratiùs perlustramus, non solùm humilem & mansuetum fuisse notamus, sed insuper omnis generis virtutum normam, ac forma exhibita est; non enim solùm venit humilis, venit mansuetus: verùm etiam venit modestus, venit clemens, venit benignus. Unde non incongruè Christum tanquam exemplar & speculum harum virtutum proponere licet, simulque ad imitationem adhortari, quæ ut meliùs, sive meliori modo efficax fiat, explanandæ sunt singulæ virtutes, quæ aliàs sub virtute temperantiæ continentur, ut videndum Tom. II. pag. 533.

FERIA VI. IN PARASCEVE.

PRo hac die materiam copiosam, Vide Tom. I. pag. 91. & seq.

DOM. RESURRECTIONIS.

Surrexit, non est hîc. Marci xvi.

GLoriosa ac triumphali hodierna die summa omnipotentis Dei elucescit potestas pariter & authoritas. Nemo enim hominum virtute propria seipsum ad vitam revocare valet; soli divinæ potestati proprium esse apparet hodie. Cùm autem eadem cum Patre in Christo fuerit divinitas, consequenter potestas, atque authoritas; si ergo Pater resuscitavit (ut dicitur) Filium, necesse quoque fuit Filio seipsum resuscitare. Qua de re præclarè disserit Sanctus Augustinus Serm. lxii. de Verbo Dom. *Nullus* (inquit) *mortuus est sui ipsius suscitator; ille potuit se suscitare, qui mortua carne mortuus est.... Non enim Pater solus Filium suscitavit, de quo dictum est, Ab Apostolo Philipp. II. Propter quod & Deus exaltavit eum: sed Dominus etiam se ipsum, id est, Corpus suum suscitavit.* Vide Tom. I. pag. 121. & seq.

Nolite expavescere. Ait Angelus ad sepulchrum apparens mulieribus, nolite timere, nolite mirari, quia Dominus, quem vos quæritis, *resurrexit*; quod omninò necessarium fuit, ob ostensionem Justitiæ divinæ, ad confirmandam fidem nostram, ad spei nostræ sustentationem; unde Sanctus Augustinus Serm. ccxcii. de Temp. ait: *Christus in Passione docuit quid toleremus, in Resurrectione ostendit quid speremus. Hîc opus, ibi merces: opus in Passione, merces in Resurrectione.* Vide Tom. I. pag. 122.

Surrexit, non est hic. In Christi Jesu Salvatoris, ac Domini nostri Resurrectione, non solùm eum esse mortis & Diaboli victorem immortalem, plenum gloriâ, Filium Dei unigenitum cognoscimus; sed etiam maximas ex hoc mysterio consequimur utilitates, resurrectionem scilicet corporum & animarum, cùm per pœnitentiam anima resuscitatur è tumulo peccatorum, hæc enim in eodem tumulo ampliùs non debet inveniri, sed continuò intonari, *Surrexit, non est hic.* Audi Sanctum Augustinum sermone ccxxxi. aliàs de tempore cxli. *Modò ergo*, inquit, *cùm in ista corruptibili carne vivimus, morum mutatione cum Christo moriamur, amore Justitiæ cum Christo vivamus*, &c. Vide Tom. I. pag. 126. & seq.

FERIA II. PASCHÆ.

Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? Lucæ xxiv.

IN die illa una sabbatorum duo Discipuli Christi Domini per agrum ambulabant tristes, lamentabiles, moventes discursus, quomodo Magister eorum dulcissimus à Juda proditore Judæis impiis traditus, per plateam ab uno Pontifice ad alium raptus, ac tractus, tandem Pontio Pilato traditus, ejus jussu, ac mandato flagellatus, ab insolentibus ministris illusus, spinea corona coronatus, & tandem innocenter ad mortem, mortem quidem ignominiosissimam, scilicet crucis, condemnatus fuit; mortem hanc quis non lugeret, quis non defleret? En adest ipsis Christus, causam tristitiæ percunctatur; *Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ambulantes & estis tristes?* Illis annuntiantibus causam esse mortem Domini, respondit arguitivè: *Nonne hæc oportuit CHRISTUM pati?* ac si diceret quid estis tristes, mors enim CHRISTI non est causa tristitiæ, sed lætitiæ, quia ex illa ingentia commoda & bona, quasi ex sacro fonte emanarunt, verbi gratiâ, liberatio à peccato, liberatio à diaboli tyrannide &c. Vide Tom. I. pag. 98.

Nonne hæc oportuit Christum pati? Oportebat quidem Christum pati, atque pro nobis mori, ut ejus morte, nos à morte liberaremur; oportebat pati,

ut nos à pœna æterna essemus liberi; verùm non solùm immensum hoc ex Passione elucescit ac apparet beneficium; sed insuper etiam clarissimum virtutum exhibetur exemplum, charitatis scilicet, patientiæ, humilitatis, obedientiæ, & constantiæ. Unde etiam post cœnam ante mortem ad Discipulos dixit, ut refert Divus Joannes cap. XIII. *Vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim.... Exemplum dedi vobis*, &c. Vide Tom. I. pag. 101.

Et ipse finxit se longius ire. Vel maximè notatu dignum, sanctum Evangelistam non dixisse Christum simulasse, sed finxisse: non enim omnis fictio est simulatio nisi impropriè dicta, quæ si fit ad aliquid significandum, sive ad occultandum verum quod minimè necesse, non est peccatum. Econtra verò simulatio propriè dicta quæcunque est peccatum; de qua vide Tom. II. pag. 871.

FERIA III. PASCHÆ

Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum. Lucæ XXIV.

BEata Christi anima tertia die post separationem suam à corpore, illud iterum resumpsit gloriosum; & non solùm gloriosum, sed & verum, cujus veritatem abundè probant figuræ vulnerum, vestigia cicatricum, quæ discipuli omnes congregati, ac præsentes viderunt, Thomas autem palpavit: ad videndum enim atque palpandum hodie liberalissimè Dominus exhibuit: unde maxima etiam Christi ex resurrectione apparet gloria. Quare ait Divus Joannes in sua Epistola 1. cap. 1. *Quod vidimus & audivimus, & manus nostra contrectaverunt de verbo vitæ annuntiamus vobis.* Vide Tom. I. pag. 124.

Sic oportebat.... prædicari pœnitentiam. Catholicæ Fidei Dogma est, Concilii Tridentini definitione contra Calvini Hæresim firmatum Sess. VII. cap. II. Sacramenta novæ Legis, à Sacramentis veteris Legis, non solâ externorum rituum diversitate differre, sed etiam quia hæc ex virtute Passionis gratiam præfiguratam conferunt. Ut explicat Eugenius hujus nominis quartus summus Pontifex in Decreto ad Armenos. *Quòd illa non causabant gratiam, sed eam solùm per Passionem dandam præfigurabant. Hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferant.* Unde completâ Passione postquam Christus resurrexit, hanc oportere prædicare gratiam gentibus dictitat, atque Discipulis mandat. Vide Tom. I. pag. 189. & seq.

DOMINICA IN ALBIS.

Insufflavit & dixit eis, Accipite Spiritum Sanctum. Joannis XX.

SPiritum Sanctum bis dedit Christus Dominus Apostolis suis, post resurrectionem scilicet suam & post Ascensionem. *Unum* autem dedit, & unus dedit, unitati dedit & tamen bis dedit. Bis autem dedit Spiritum Sanctum, ut duo Præcepta charitatis commendaret, Charitatis nempe Dei & proximi. Unde eleganter discurrit Div. Augustinus Lib. VIII. de Trinitate cap. VIII. *Una charitas*, inquit, *& duo præcepta, unus Spiritus, & duo data. Non enim alius datus est priùs, & alius datus est postea: quia non alia charitas diligit proximum, quàm illa quæ diligit Deum, sed quia aliud est Deus, una charitate diliguntur, non sunt tamen unum quæ diliguntur: quia ergo magna est primitas commendanda dilectio Dei, secundò dilectio proximi, à secunda autem incipitur, ut ad primam perveniatur.* Vide Tom. I. pag. 142. 143. & seq.

Quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Christus Dominus omnem habens potestatem, potestatem non minimam communicavit hominibus, nempe potestatem remittendi peccata, non tamen hæc potestas data est nisi pro iis qui de peccatis pœnitentiam agunt, emendationis firmum habent propositum, cor & animum a terrenis avertunt; peccatum detestantur: sine enim pœnitentia hujusmodi absolutio vix erit efficax; unde potius neganda, vel differenda à Confessariis donec spes emendationis appareat. Audi Richardum à Sancto Victore: in Tractatu de ligandi & solvendi potestate cap. VI. *Multi* (inquit) *confitentium absolutionem quærunt, qui tamen crimina sua ex toto corde deserere nolunt. Ejusmodi omnes, eo quod verè non pœnitent, procul dubio absolvi non debent. Hoc est enim verè pœnitere, de præterita prævaricatione dolere cum firmo proposito confitendi, satisfaciendi, & cum omni cautela in posterum cavendi. In hunc modum pœnitentes meritò debent absolvi; alioqui sine absolutione remitti.* Vide Tom. I. pag. 647.

Quorum remiseritis peccata. Hisce verbis instituit Christus Dominus Sacramentum Pœnitentiæ, cùm discipulis ligandi, atque solvendi tradidit potestatem. Unde patet Pœnitentiæ Sacramentum post Resurrectionem à Christo institutum, verè novæ legis, à Baptismo distinctum esse Sacramentum, interque septem Sacramenta connumerandum, quod dogma fidei esse demonstrat Sacrum Concilium Tridentinum Sess. XIV. cap. I. & III. *Si quis dixerit verba illa Salvatoris; Accipite Spiritum Sanctum, non esse intelligenda de potestate remittendi, & detinendi peccata, in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem contra hujus Sacramenti institutionem ad autoritatem prædicandi Evangelium; Anathema sit.* Vide Tom. I. pag. 503.

Quia JESUS est Christus Filius Dei. Notanter hîc præter nomen *JESUS*, *Christus* apponit Sacer Evangelista, & non sine Mysterio: Christus enim unctum significat, quod & officii, & honoris nomen est. Ungebantur namque olim Prophetæ, Sacerdotes, ac Reges. Cùm ergo Salvator noster in mundum venit, Prophetæ ac Doctoris, Sacerdotis ac Regis partes in se suscepit, idcircò *Christus* dictus est: unctis scilicet ad illorum munerum functiones, non quidem alicujus mortalis operâ, sed cælestis Patris virtute, de quo vaticinatus est olim Vates Regius Psalm. XLIV. his verbis: *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem: Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Vide Tom. I. pag. 66.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego cognosco eas. Joannis X.

TAm perfectè cognoscit Oves suas, id est fideles, ut sciat qui sunt ejus, quos sibi elegerit, & ex illis quos dedit illi Pater, non perdit quempiam, nec oves ejus quisquam de manu ejus rapiet. Quia *cognoscit eas; vitam*, inquit, *æternam do eis*, non peribunt in æternum. Verùm etsi ita Deus noscit numerum prædestinatorum, nemo ob hoc debet vel desperare, vel temerè præsumere. Hinc Apostolus Philipp. 2. 12. ait,

ait: *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Et sanctus Augustinus Lib. de Corrept. & Gratia, Capp. VII. & IX. *Ne fortè* (inquit) *quis extollatur, sed etiam omnes qui bene currunt timeant, dum occultum est, qui perveniunt.* Vide Tom. pag. 57. & 60.

Et fiet unum Ovile, & unus Pastor. Cùm cælestis Magister hoc in Evangelio ovile unum sub uno Pastore futurum prædicit, absque dubio unam sanctam, puta Catholicam in Sanguine suo sanctificatam, & per hunc nos sanctificantem Ecclesiam: Hæc enim sola Catholica, Apostolica, una, unius capitis esse prædicatur, a cujus communione Hæretici, Schismatici excluduntur. Exclusi autem ab hac una, uniusque Capitis Ecclesia nequaquam salvantur. Unde sanctus Optatus Milevitanus Lib. XIII. *Domus Dei* (inquit) *una est, qui foras exeuntes partem facere voluerunt, parietem fecerunt non domum, quia non est alter Deus, qui alteram domum inhabitet, &c.* Vide Tom. 1. pag. 155. &c.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Quid est hoc quod dicit nobis modicum? Joannis XVI.

STupebant olim discipuli modicum ab incarnata Sapientia, toties nempe septies reperi audientes, mysterium capere non valentes: onde alter ad alterum aiebat: *Quid est hoc quod dicit nobis modicum? nescimus quid loquitur.* Noli tamen Christiane hos sequi, multùmque mirari cùm dicitur tibi *Modicum* doloris, tribulationis, amoris Dei & proximi æternam tibi procurare fœlicitatem. Noli mirari diu, sed piè crede, & amplectendo firmiter spera; modicum voluptatis hujusmodi spernas, *modicum* verò tibi supernæ patriæ procurans possessionem amplectere. Si olim Romani sprevere temporalia, imò vitam pro conservatione patriæ temporalis, multò magis debet Christianus modicum terrenum, ac terrena spernere, pro illa fœlici ac æterna patria. *Quid magnum est* (inquit sanctus Augustinus Lib. 5. de Civitate Dei Cap. XVIII. *pro illa æterna patria cuncta hujus sæculi quamlibet jucunda blandimenta contemnere.* Vide Tom. 1. pag. 180. 181. 182.

Quid est hoc quod dicit nobis modicum? Modicum tempus habet homo, & quidem incertum, incertum, inquam, cùm nec de momento certus, omni momento in manu Domini, in periculo mortis. O quot hoc experti sunt, nequidem somniantes mortem, omnino sani, & robusti in puncto & in momento ceciderunt in terram inque fauces mortis. Et quanta temeritas, quod nonnulli nonobstante hac temporis incertitudine, pœnitentiam procrastinant, à peccando desistere, vitam in melius emendare de die in diem differunt: corvina voce cras cras emendabo aiont, & sæpè hujusmodi hodie moriuntur. Aiunt quidem Dominum misericordem esse, ad remittendum semper promptum Si pœnitentiam egero, remissionem obtinebo; verùm hujusmodi temerarios ita confundit Divus Augustinus Serm. XVI. ubi inquit: *Fortè dices mihi, promisit mihi Deus indulgentiam quando me correxero; verum dicis, ego consentio .... sed crastinum diem quis tibi promisit? ubi legis indulgentiam te consecuturum, si te correxeris, legisne quantum victurus sis?* Unde patet quod totaliter confidere in misericordia Dei, non tam confidentiam quàm præsumptionem sapit, quæ est contra Spei Christianæ præceptum, & est præceptum lethale. Vide Tom. 2. pag. 592.

Cognovit ergo JESUS quia volebant eum interrogare. Nondum interrogabant Christum discipuli, sed solùm cogitabant, atque interrogare volebant; equidem Dominus respondet, ac si interrogatus esset, & sic prævenit interrogationem. Utique in hoc insinuare voluit apud Dominum sæpè voluntatem reputari pro actu, etiamsi effectus non sequatur, tam in bono, quàm in malo; unde sibi proponens, efficaciterque volens peccatum, licèt hic & nunc effectus impediatur, tamen peccati reus erit apud Dominum. Unde ait ipse Dominus Matth. V. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Vide Tom. 2. pag. 246.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Expedit vobis ut ego vadam. Joan. XVI.

E*Xpedit*, inquit Dominus, ac si dicat consolatoriè, (erant enim tristes discipuli ob ejus discessum) nolite me retinere, nec ob discessum meum contristari; qui enim pro salute vestra descendi de cælo, etiam pro salute vestra ascendo, & vado in cælum, non ut relinquamini hîc in mundo, sed brevì me sequamini. Ita enim allocutus ante fuerat piissimus Dominus discipulos suos Joan. XIV. *Vado vobis*, inquiebat, *parare locum..... Et si abiero, & præparavero vobis locum, iterum veniam ad vos, & accipiam vos ad me ipsum.* Unde innotescit singularis cura Christi Domini erga suos, ut omnes consoletur, & salvet: unde pietate singulari ductus, amore divino accensus D. August. Tract. LXXVII. in Joannem ita discurrit & perorat: *Eat ergo Dominus & paret locum, eat ne videatur, eat ut credatur; tunc enim locus paratur, si ex fide vivatur.* Vide de providentia Dei erga electos, Tom. 1. pag. 54. & seq.

Et cùm venerit ille arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio. In sacris litteris diversa nomina Spiritui sancto attribuuntur, & hoc non est mirum, cùm & etiam ei sint diversæ operationes & effectus, variaque ab eo ad homines diffluant dona. Ab operationibus suis vocatur Spiritus sapientiæ, intellectûs, consilii, scientiæ, fortitudinis, pietatis, & timoris Dei, quia hæc dona in hominibus operatur. Unde præclarè S. Augustinus Lib XV. de Trinitate, Cap XIX. ait: Quod Prophetæ & Apostoli de Spiritu sancto *dona* dixerunt data hominibus, hoc ideo dixerunt: *Quia per donum quod est Spiritus sanctus, in commune omnibus membris Christi, multa dona, quæ sunt quibuscunque propria, dividuntur.* Vide de nominibus & attributis Spiritûs sancti, Tom. 1. pag 142.

Arguet mundum de peccato, de justitia & de judicio. Nomen Domini in vanum sumere secundo Decalogi præcepto severissimè prohibetur, & eodem præcepto falsò, frustra, & temerè judicare, vel jurare inhibetur. Cùm per falsum juramentum non solùm Deus, Deique nomen in vanum sumitur, sed etiam gravissimè læditur. Ut ergo rectum sanctùmque sit juramentum, tres comites necessariò habere debet, veritatem scilicet, judicium, & justitiam, ut tradit Div. Hieronymus in illud Jeremiæ IV. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, in judicio, & in justitia.* Quicumque ergo aliter jurat, arguetur a Spiritu sancto tanquam prævaricator secundi præcepti Decalogi: *Non assumes nomen Domini in vanum.* Vide Tom. 2. pag. 677. & seq.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joannis XVI.

CLementissimus Salvator nimiam suam in nos hodie ostendit pietatem, cùm petendi aperit viam, ac in petendo suggerit necessariam fiduciam: confidunt namque filii in auxilium, atque adjutorium parentum & dum paterna pulsant viscera, pro voto impetrant. Ita ad Patrem cælestem in nomine suo recurrere ac confugere monet ac docet nos Salvator pissimus in omni necessitate, sicut filii ad patrem: non enim solùm omnium creaturarum, sed etiam potissimùm omnium Fidelium Pater est. Deus est, & Pater est. Deus potestate, Pater bonitate. *Quàm felices sumus qui Dominum nostrum Patrem invenimus*, ait S. Augustinus, Serm. CCXIII. Vide Tom. I. pag. 30. 31.

Petite & accipietis. Absolutè & simpliciter ait *petite*, ac si diceret, confidenter accedite, in omnibus necessitatibus vestris, nihil in fide aut spe hæsitantes; est enim Deus omnipotens, omnia valet, & facit: Deus est, non solùm omnipotens, sed etiam summè bonus, summè misericors, nulli negat gratiam, nulli auxilium, nulli solatium, sed quodcumque petimus, si constanter petimus, pro voto impetramus. *Si quid petieritis Patrem, dabit vobis.* Vide de Bonitate & Misericordia Dei Tom. I. pag. 23. 54. Et Omnipotentia, pag 43.

Petite & accipietis. Cùm non lateat Christo Domino nostra egestas, nobisque plurima novit valde necessaria, ad frequentem ac piam adhortatur, ac commonet orationem, quæ teste Divo Damasceno, *est petitio decentium à Deo.* Multa nos decent, multa desunt, quidni pissimum ac clementissimum Christi sequeremur monitum oratione piâ pulsando divinas aures, cùm de impetratione asseveraverit nos Christus ipse. *Petite & accipietis*; hinc etiam aliter ait Salomon Ecclesiasticus Cap XXXV. *Qui orat Deum, in delectatione suscipietur, & deprecatio ipsius usque ad nubes propinquabit.* Unde etiam nos monet Apostolus Epist. I. ad Thess. V. *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo JESU, in omnibus vobis.* Vide de Oratione, Tom. II. pag. 889. 893. 896. Quæ petenda, & pro quibus orandum, 899. & 901. Item de Processionibus, Tom. I. pag. 483.

Petite & accipietis. Ad sedulam orationem nos commonens Salvator, simul & fructum, sive efficaciam insinuat. *Petite & accipietis*, ac si diceret, in oratione nolite diffidere, nec pusillanimes fieri, certi quodcumque orantes petieritis, dabitur vobis, omnia pro voto impetrabitis; ast tamen debitis nisi servatis conditionibus: variæ autem hæ conditiones. Nempe ut oratio sit fructuosa, sit efficax, debet fieri, *in spiritu & veritate*, debet esse humilis, attenta, assidua, perseverans ac constans, &c. Unde ait Ecclesiasticus Cap. XXXV. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet non consolabitur, & non discedet donec Altissimus aspiciat.* Huc enim non minùs eleganter D. Petrus Chrysologus Serm. XXXIX. *Omnis (inquit) qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur. Sed dices, est quod petere possum, pulsare quomodo potero celeste secretum? Quemadmodum? iterando preces, & exspectando judicium largitoris, moras datas patientissimè sustinendo; quia quicumque cùm semel pulsaverit, indignatur mox si non fuerit auditus, iste non est petitor simplex, sed impetuosus exactor. Audi Prophetam dicentem* (Psal. XXVI.) *Exspecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum. Et iterum distulerit in futurum, in Dominum tuum patienter exspecta.* Vide Tom. II. pag. 910. & cur dicamus *Pater noster*, pag. 913.

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

Assumptus est in cælum. Marci XVI.

COnsummato per Passionem & Resurrectionem suam redemptionis nostræ mysterio Christus ut homo in cœlum corpore & animâ assumptus est quadragesimâ die à Resurrectione sua; sic ascendit in cœlum varias ob causas, & inter alias non minùs præcipuas, ut nos illuc reveheret, ac Deo Patri naturæ nostræ offerret primitias. Ascendit iter ut nobis pararet, sedem ac locum præpararet superum. Unde ipse ad suos mœstos aliquando aiebat discipulos Divo Joanne teste Cap. XIV. *Vado vobis parare locum.* Ubi doctissimus Hugo Cardinalis in illud ejusdem D. Joannis Cap. XVI. *Vado ad eum qui misit me*, loquit. *Vadit mentes nostras ad superna elevaturus.* Vide Tom. I. pag. 128. & seq.

Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Quamvis præcipua ac propria causa fidei, sit interior Dei afflatus, quo ad assentiendum rebus ab eo relatis impellimur, accedunt tamen externa quædam adminicula, quibus vel fidei sternitur via, vel fides jam parta roboratur. Ut sunt miracula mirabiliaque opera, quæ Dominus per prædicatores fidei operatur: ut hodierno in Evangelio suis valedicens promisit Dominus. *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur*, &c. Id expertos fuisse à Domino Sacer hodiernus non minùs attestatur Evangelista in adjecto Themate. *Illi autem*, &c. quæ Testimonia multùm extollit Regius Vates Psal. XCII. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Vide ampliora Tom. I. pag. 51.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

Cùm venerit Paraclitus. Joannis XV.

QUinam veri, falsive Prophetæ essent, ut discernere possent discipuli Domini, ad arbores comparationem adduxit Dominus, quæ ex fructibus discernuntur. Matth. VII. *Omnis*, inquiebat, *arbor bona bonos fructus facit.... Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Multi hodiedum consurgunt, Spiritum à Christo missum se habere autumantes, vel gloriantes; ast *arbor bona bonos fructus facit*, bonum habens Spiritum bona operatur. Ut ergo agnoscamus ad quos Spiritus pervenit bonus, attendendum ad fructus, quorum duodecim sunt, ut numerat Apostolus in Epist. ad Galatas Cap. V. Vide Tom. I. pag. 350. & seq.

Quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis. Dignior, atque dignissimus hospes non minùs dignius, ac dignissimum requirit hospitium. Dignissimum nobis hodie promittit hospitem Christus Dominus, Spiritum Sanctum scilicet Patri & Filio coæqualem, ut nos recreet, ut nos visitet, ut nos doceat, & illuminet; quare non minùs nostri officii erit tanto, ac tali hospiti dignissimo decens præparare, ac disponere hospitium, ut veniens nihil reperiat Majestatis suæ oculos aversare faciens, ac displicens de immundo hospitio transire cogatur. Quæ autem hæ dispositiones, Vide Tom. I. pag. 146.

Spiritum veritatis. Spiritus Sanctus spiritus dicitur veritatis, spiritus inquam veritatis: omnino enim, & summè amans est veritatis. Quare certum est spiritum mendacii & mendaces huic sanctissimo adversari Numini, consequenter, & omni legi: onde etiam patet omne mendacium illicitum, malum & peccatum esse. Vide Tom. II. pag. 862. &c.

Qui à Patre procedit. Alium Paraclitum consolatorem cùm suis promisisset iterum atque iterum hinc discessurus Dominus, quis qualisve esset ot innotesceret discipulis, non defuit hunc describere; unde ait illum Consolatorem atque Doctorem, virtutum omnium amatorem esse, nec minoris potestatis, ac Pater & Filius; unde hîc subjungit: *qui à Patre procedit* Mysterium hoc maximum aperiens, Sanctissimæ Trinitatis nempe, quod Spiritus Sanctus utpote verus Deus, non factus, nec creatus, nec genitus, ut ait D. Athanasius in symbolo, sed *procedens à Patre*, Patri Filioque sit coæqualis. De quo ineffabili mysterio, vide Tom. I. pag. 240.

DOM. PENTECOSTES.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Joannis XIV.

CHristi Domini hæc promissio ac locutio magnam nobis affert consolationem, magnum gaudium, magnam lætitiam: quid majus, magisque honorificum excogitari potest, quàm sanctissimæ Trinitatis Christus habitaculum, & tale eligit sibi Deus in cordibus nostris, *ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*? Sed notandum, atque bene observandum, Deus ter optimus maximus, etsi sit ubique, non tamen in omnibus habitat, nec habitare affectat, sed tantùm in iis qui igne ferventi charitatis Dei ardent, ac accensi sunt, viam virtutis, atque observantiæ mandatorum ejus ambulant; unde antequam piissimus Dominus promittit adventum suum in corde hominis unà cum Patre & Spiritu Sancto, ait: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus*, &c. In nobis habitare vult, sed nisi diligamus; in nobis manere cupit, sed nisi sermones ejus servemus. Vide Tom I pag. 26.

Et ad eum veniemus. Veniemus, ait Christus Dominus, nempe ego & Pater, & Spiritus Sanctus; Spiritus autem sanctus aliis Personis cordis nostri templum paravit, atque adornavit, ut simul cum illis in templo suo quoque inhabitet, ac maneat, non solùm per gratiæ, charitatis, virtutum, atque donorum cæterorum infusionem, sed intimam, substantivam, & personalem sui Numinis inhabitationem, quâ etiam nos sanctificat. Hinc apud hodiernum Evangelistam Cap. XIV. vers. XVI. aiebat Christus: *Alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum,...... apud vos manebit, & in vobis erit.* Vide Tom. I. 143. 144. & de septem Donis, pag. 310.

Pacem meam do vobis. Ante discessum suum, atque ascensum in cœlum clementissimus Dominus sanctum se missurum promisit Spiritum: quis, qualisque esset postquam declaravit, atque exposuit, subjungit. *Pacem meam do vobis. pacem relinquo vobis.* Hoc sermone quid aliud intimare ac significare voluit, quàm per pacem, atque unitatem nos digna reddi Spiritûs Sancti habitacula, indigna autem per discordiam; est enim Christus Princeps pacis; Spiritus Sanctus pax. Unde verè contradicunt Christo, & Spiritui Sancto resistunt discordiarum seminatores. Vide Tom. II. pag. 301. 302.

FERIA II. PENTECOSTES.

Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret. Joannis III.

EX hoc loco apparet tanto amore nobis datum esse Salvatorem, ut huoc iræ Dei, tanquam reconciliatorem nostrum opponamus; diffidentes nostris meritis, atque viribus salutarem infiniti pretii victimam præsentemus; Christus enim in Eucharistia non solùm est sacrificium laudis & gratiarum actionis, sed propitiatorium & impetratorium. Unde bene D. Greg. Homil. XXXVII. in Evangelia inter alia hæc profert: *Quoties Deo hostiam suæ Passionis offerimus, toties ad absolutionem nostram Passionem illius reparamus.* Vide Tom. I. pag. 436.

Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum. Dogma Fidei est Christum pro omnibus & singulis hominibus mortuum esse, contra Calvinianam & Jansenianam hæresim, quæ Catholica fides à SS. Patribus, Conciliis, variorum Pontificum decretis confirmatur atque roboratur. Unde inter cæteros S. Augustini ad præsens Tract. XII. ita discurrit, ... *Ergo quantum in medico est, sanare venit ægrotum: ipse se interimit, qui præceptam medici observare non vult. Venit Salvator in mundum; quare venit, nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum? salvari non vis ab ipso? ex te judicaberis.* Vide Tom. I. pag. 106.

Dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Justitiam frequenter Solem appellare consuevit Philosophorum Princeps Aristoteles. Sed heu Sol hic à muneribus obnubilatur, ut vix in judicio perspiciatur semita recta, justa sive executio; sed tenebrosa, obscura, cæca & injusta. Unde bene, & prô dolor! hodie dicitur de Judicibus, justitiæ ministris: *Dilexerunt magis tenebras*; id est aurum & argentum, *quàm lucem*, quam solem, Justitiæ claram & apertam sententiam. Væ autem hujusmodi Judicibus, & amatoribus tenebrarum, atque munerum, per hæc Solem Justitiæ offuscantibus. Hinc Job Cap. XV. ait: *Congregatio hypocritæ sterilis, & ignis devorabit tabernacula eorum qui munera accipiunt.* Vide Tom. II. pag 333.

FERIA III. PENTECOSTES.

Ante eas vadit, & oves illum sequuntur, Joannis X.

JESUS Christus verus ac divinus Pastor boni Pastoris officium, verè ac fideliter exercuit, cùm per bona opera *ante oves*, id est fideles ivit, easque post se vocavit. *Venite post me.* Matth. IV. Sic ergo Christianus ovis Christi imitetur, sequaturque Pastorem in sanctitate vitæ, ut te ducat ad cælestia ac felicia pascua. Ecce adest auribus pio monitu Apostolus ad Ephes. V. *Estote imitatores Dei sicut filii carissimi, & ambulate in dilectione*, non in miraculis, mirabilibus operationibus, sed bonis operationibus. *In dilectione ambulate, sicut & Christus dilexit nos.* Sic monstrabit se veram ovem Christi, sicut ille bonum, ac verum exhibuit Pastorem, de quo vide Tom. I. pag. 285.

Ante eas vadit: Pastorum ovium est oves pascere: Pastor autem ovium pascens eas, *ante*

tus vadit; & oves sequuntur eum. Si ergo quis bonum Pastorem agere velit, omnem curam impendere debet, ut bono exemplo, exemplatique vitâ, ante eas vadat, & caveat bene, ne scandalo seducat, & perdat oves. Unde ait D. Cyrillus Alexand. Lib. 7. in Evangel. Joann. Cap. 12. *Bonus Pastor divinâ electione, & canonicâ institutione ad gregem Domini pascendum delectus, ante oves suas vadit, quando ipsis proponit bonæ vitæ exemplum quod imitentur, & per bonorum operum gressus iter illis ostendit quo debeant incedere? Quemadmodum B. Paulus admonuit Timotheum, ita scribens: (1. Timot. IV.) Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. &c.* Vide Tom. 2. p. 751.

Ego sum ostium. Quòd si olim, ab Assuero Persarum Rege constitutum legibus Esther. 14. Ut quicumque Regis atrium non vocatus, sine virga, sineque expressa licentia, introiret, absque indulgentiæ spe interficeretur: quantis putamus damnandum pœnis, absque cælestis vocatione Ecclesiasticam professionem intrantem, & invadentem, ac non per singularem Dei vocationem sacris Ordinibus initiari petentem? Siquidem ipse Apostolus ad Hebr. v. ait: *Nec Christus semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu.* De quo vide Tom. 1. pag. 779.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

Euntes docete omnes gentes. Matth. XXVIII.

EX hoc loco sacri Evangelii apparet communis traditio & assertio sanctæ ac Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, quod sola sanctificans, sola Catholica (id est) universalis dicitur. Primò, quia per totum terrarum orbem diffusa, deinde prædicatio Evangelii jussu ac mandato Christi omnibus gentibus destinata. Unde Apocalypticus Evangelista Apocal. Cap. v. ait: *Redemisti nos Deus in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo regnum.* De qua & dudum vaticinatus est Vates regius, Psal. XVIII. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Vide Tom. 1. pag. 153.

Euntes docete omnes gentes. Priusquam Christus Dominus hominibus jubet discipulos tribuere Sacramenta (quæ ad salutem necessaria, vel simpliciter, vel necessitate medii, & præcepti, vel solâ necessitate præcepti, non tamen omnibus & singulis) gentes instruere ac docere mandat. Utique ut fideles suscipientes Sacramenta sciant & agnoscant quid recipiant, quomodo qualive reverentiâ, sanctâ avid tate suscipere, retinere, quomodo curare, & secundùm illa sanctam vitam ducere debeant. Unde meritò solliciti esse debent Sacramentorum administratores, Parochi, Concionatores, animarumque Curatores, ut in his bene erudiantur ac instruantur; hujusmodi autem materiam instruendi ac erudiendi. Vide Tom. 2. pag. 183. 184. & seq.

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti. Per hæc sacri Evangelii ore divino prolata verba, forma Baptismatis declaratur: *Pater, & Filius, & Spiritus-Sanctus*, expressè exprimitur; in horum enim nomine, & non nominibus baptizandi sunt fideles. Unde baptizatio in nomine Patris, vel Filii, vel Spiritûs-Sancti solius irrita & nulla est. Baptizationis namque essentia in nomine trium Personarum expressionem requirit. Insuper in hoc significatur unitas essentiæ, quam fides Catholica confitetur. Quod apertè docet S. Joannes Epist. 1. Cap. v. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus-Sanctus, & hi tres unum sunt.* Vide Tom. 1. pag. 27. & 29. quomodo imago Trinitatis renovanda in nobis. Et de forma Baptismi, Tom. 1. pag. 235. 236.

Baptizantes eos. Baptismi Sacramentum multa nobis confert bona, magnamque gratiam, & quidem gratiam ad vitam promerendam æternam. Verùm hoc potissimum observandum, quòd nempe Baptismus omnes & singulos Christianos ad Christi imitationem, consequenter ad bona obliget opera, nec à præceptis Ecclesiæ liberat. Quare non solùm præcepit Dominus nos baptizare, sed etiam apposuit docere: *Docentes eos servare omnia quæ mandavi vobis.* Unde Baptismus frequenter revocandus erit in memoriam hominum, ut studeant vota servare in Baptismo facta. Vide Tom. 1. pag. 285. 286.

DOM. I. POST PENTECOSTEN.

Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est. Lucæ VI.

HOc præcepto singulariter non solùm recommendat Dominus misericordiam, sed eam præcipit, nosque vult in proximum esse misericordes, sicut in nos Deus, summè bonus, summè clemens, benignus atque misericors est, ut abundè testatur sacra Pagina. Psal. XXIV. *Omnes viæ Domini misericordia & veritas.* Item Psalm. XXXI. *Misericordiâ Domini plena est terra.* Discant ergo Christiani perfectioni si studere velint, divina Tributa, Deique perfectiones frequenter contemplari, ac ad imitandum conari; cùm enim homo ad imaginem Dei sit formatus, meritò conari debet Dei in se efformare similitudinem. Vide de attributis & perfectionibus divinis. Tom. 1. pag. 20. & seq. pag. 25. 26.

Nolite judicare, & non judicabimini. Quam grave, imò gravissimum peccatum est temerarium judicium, & contra charitatem proximi, contràque omnem justitiam, & divinam & humanam, coram Deo detestabile, coram homine intolerabile atque execrandum, ex sæpè repetita Salvatoris patet prohibitione. Hinc etiam apud D. Matthæum Cap. VII. ait: *Nolite judicare, ut non judicemini; in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* De hoc ergo detestabili peccato, vide Tom. 1. pag. 877.

Date, & dabitur vobis. Quid apertius dicere potuit Dominus cùm dicit, *Date, & dabitur?* ac si dicat; vultis quidquam vobis dari à Domino? date ipsi priùs quidquam; quomodo autem ipsi quid dare possitis, scire si affectatis: si dare vultis quidquam Deo, scitis id dare deberi proximo, misero & egenti; nam ait apud Matth. Cap. XXV. *Quamdiu fecistis uni de fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Si ergo his minimis nihil dederitis in vita vestra, nihil dabitur vobis in altera, sed dicetur: *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare; sitivi, & non dedistis mihi potum, &c.* Hinc patet quàm graviter peccent ii qui in necessitate extrema constitutis, de superfluis subvenire, ac necessaria largire recusant. Vide Tom. 1. pag. 359. 361.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Caro mea verè est cibus. Joan. VI.

IN sacratissimo Eucharistiæ Sacramento verum Christi Corpus præsens esse, sicut & verum

Sanguinem

Sanguinem non tantùm præsentia virtutis, atque efficaciæ, sed sobstantiæ realis, Dogma non solùm fidei est, sed & abunde, tum ex sacris litteris, tum ex sanctorum Patrum traditionibus comprobari potest. Vide Tom. 1. pag. 361. & seq.

Caro mea verè est cibus. Cùm Laicis non sit communio sub utraque specie à Christo præcepta; nec ad salutem, atque percipiendam gratiam necessaria; etiam Ecclesia justis ex causis, ac motivis calicis usum Laicis subtrahere potuit, atque certis ac rectis rationibus subtraxit. Ut Concilium Trident. sess. xxi. Cap. 1. declarat. Idque probarunt ac probant plurimi sancti Patres ac Doctores Ecclesiæ, tum ex sacra pagina, tum ex antiquis traditionibus. Vide Tom. 1. pag. 414. 427. & seq.

Qui manducat me, ipse vivet propter me. Christum Dominum in Eucharistiæ Sacramento verè, ac realiter contineri, vera ac Catholica tenet fides; Hoc ergo Sacramentum pro cibo animæ reliquit, ac tribuit nobis, ut sicut à cibo corporaliter alimur, sic ab hoc ineffabili Sacramento spiritualiter aleremur. Quare sicut in mundum visibiliter veniens, vitam gratiæ hominibus clementer contulit; secundùm illud Joan. 1. *Gratia & veritas per Jesum Christum facta est*: ita in hominem invisibiliter, ac sacramentaliter veniens, vitam gratiæ operatur in nobis, atque vim confert ad æternam comparandam gloriam. Unde D. Cyrillus l. 4. in Joannem ait: *Quoniam vivifica facta est caro Salvatoris, utpote vita secundùm naturam: verbo nimirum Divino unita, cùm illam degustabimus, tunc vitam habebimus in nobis.* Vide Tom. 1. pag. 384. 387.

Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Maximos & non minus summæ consolationis hinc elucescit effectus, atque sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti fructus, cùm ipsâ Sapientiâ teste, non solùm cibus, ac alimentum est animæ tempore vitæ hujus; sed & vita spiritualis, atque ita conservat, ac roborat, ut mors in æternum dominari nequeat, sed & vita redditur perpetua, fœlix atque æterna. Unde ait Dominus: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Quare meritò Christi fideles omnino solliciti esse debent, ut non solùm persæpe in vita hoc cibo saluberrimo reficiantur, verùm vel maximè ut hinc ad aliam migratori, maturè tanquam persalutari viatico provideantur., sicque temporalem vitam deserentes, æternam, ac beatam acquirant; ut varia tradidere sacra Concilia, Vide Tom. 1. pag 355.

DOM. II. POST PENTECOSTEN.

. *Homo quidam fecit Cœnam magnam.* Luc. xiv.

HAnc Cœnam magnam Evangelica hac parabola traditam, qui fecit, quis fuit alius quàm hominum, omniumque creaturarum conditor Deus? Cœnam magnam præparavit in cœlo, magnam in terra. Hæc autem ducit ad primam. Cœna magna præparata est in cœlis, æternæ namque gloriæ, deliciæ: Cœna præparata in terris, de qua canit S. Mater Ecclesia: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur!* Et hanc Cœnam nobis quotidie præparat, ac offert Deus, dum sacratissimum Eucharistiæ tribuit Sacramentum, cui Cœnæ quidquam comparari nequit. Est namque Cœnæ sive Sacramenti hujus mirabilis atque ineffabilis dignitas, atque excellentia, uno verbo cùm minùs exprimenda satis, ac demonstranda, sacri Scriptores pluribus nominibus expressere. Vide Tom. 1. pag. 318. 319.

Uxorem duxi, ideo non possum venire. Luxuriæ execrandæ hinc elucescit vis ac malitia, cùm hîc ad Cœnam magnam, ac splendidam non solùm vocatus, sed iterum invitatus, per uxorem quam allegat jam ductam, non tam se purgat atque excusat, quam omninò renuit venire. Humanissimè alii se excusant, excusatosque haberi flagitant, atque supplicant; hic autem omnis humanitatis, ac urbanitatis oblitus, absolutè, & simpliciter ait: *Non possum venire.* Justissimè indignus hic præ cæteris judicatus æternas gustare epulas, præparatamque Cœnam. Nec unquam erunt digni, neque admittentur ad fœlicem æternæ gloriæ præparatam Cœnam, luxuriæ incumbentes, hocque se intolerabili scelere commaculantes, atque inquinantes. Hinc Apostolus ad Galatas Cap. v. ait: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, pudicitia, luxuria, &c. quæ prædico vobis, sicut prædixi. Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Vide Tom. 2 pag. 409.

Pauperes, ac debiles & cæcos, & claudos introduc huc. Varii commemorantur ad Cœnam magnam vocati, introductique pauperes, debiles, cœci, claudi, prout in plateis obvii dati comparuêre, introductique sunt ad mensam, ad Cœnam magnam, ac splendidam. Talis Cœna magna est Eucharistiæ Sacramentum; ad hanc magnificam Cœnam varii accedunt, diverso modo comparent, scilicet malevoli, dolosi, præsumptuosi; accedunt boni, accedunt mali, digni & indigni, mundi & immundi; sed væ indignè accedentibus. Vide Tom. 1. pag. 397. 398. & de præparatione ad dignè accedendum, pag. 407. 411.

DOM. III. POST PENTECOSTEN.

Erant appropinquantes ad Jesum publicani, & peccatores. Lucæ xv.

VEnit Christus Dominus in mundum, non solùm ut nos perditos salvaret, ac redimeret diaboli captivos, sed etiam ut formam ostenderet perfectionum: sunt enim in Deo maximæ perfectiones: Est namque Deus simplex, immortalis, immutabilis, immensus, scientiæ infinitæ, misericordiæ interminatæ. Cùm ergo homo ab eo, ac ad imaginem ejus conditus, meritò etiam conari tenetur Divinas imitari perfectiones, & præcipuè charitatem, & misericordiam in proximum, quarum exemplum hodierno in Evangelio perhibetur; cùm Christus summam misericordiam, clementiam ac benignitatem, sicut & charitatem ostendit erga sibi appropinquantes peccatores: ita ut etiam invidia, ac indignatione inflati Scribæ & Pharisæi iniquè desuper murmurarint. Vide de perfectionibus Divinis imitandis Tom. 1. pag. 20. & seq. & pag. 25.

Erant appropinquantes. Indubiè hi publicani atque peccatores dum appropinquarunt ad Jesum, firma fide, veniæ, & gratiæ accesserunt. Sic nos cùm Deum accedimus, vel supplicando, vel deprecando, ac orando, fidem firmam ac sanctam conferre debemus; omnino atque firmiter credere, Deum omnium bonorum esse authorem, ac largitorem, apud ipsum veniam & remissionem peccatorum, gratiam, auxilium, fœlicitatem, & temporalem, & æternam. Unde continuo Symbolum Apostolorum, symbolum fidei ab aureo illo exordimur verbo *Credo.* Quanta autem hujus verbi vis, ac potentia, Vide Tom. 1. pag. 16.

Et murmurabant Pharisæi & Scribæ. Invidiosa hæc nec minus injustissima, ac iniqua murmuratio, tantò major fuit, quantò majores erant murmuratores. *Pharisæi* quippe & *Scribæ*, legis erant magistri, & tanquam justi habebantur, & tamen contra rem piam & justam *murmurabant.* Hinc D. Thomas in Catena aurea, verè criminosos appellat, eo quod cùm justi, ac legis periti haberentur, ac reputarentur, non erubescerent rem agere injustam, contraque pietatis, ac misericordiæ opus murmurare: sic quoque iniqua actio, sive peccatum hodiedum majus esse apparet, quò major, & dignior persona peccatum committens. Unde peccatum Sacerdotis, imò cujuslibet Christiani gravius est, quàm Paganorum, Turcarum, atque Judæorum Hinc Richardus à S. Victore, *lib.* de potestate ligandi, atque solvendi Cap. xxii. ait: *Quidquid ab infideli committitur, inter peccatum ignorantiæ reputatur,.... Criminosus autem Christianus quoniam per infidelitatis ignorantiam, nullatenus de suis criminibus excusatur, in propria carne punitur; & quasi voluntariè peccanti post acceptam veritatis notitiam voluntaria satisfactio injungitur.* Vide Tom. 1. pag. 255.

Peccatores recipit. En sacer Evangelista commemorat testimonium ab inimicis, Christum Dominum gratiosum, benignum, benevolum, atque misericordem ad se confugientibus exhibuisse peccatoribus. Sic Deus semper est paratus, ac promptus ad impertiendam gratiam, imò omnibus & singulis peccatoribus, etiam infidelibus largitur gratiam sufficientem. Quare homini nulla superest causa conquerendi contra Deum si pereat. Vide Tom. 1. pag. 114.

DOM. IV. POST PENTECOSTEN.

Ascendens autem in unam navim. Lucæ v.

STans secus stagnum Genesareth æternus Salvator, duas quidem vidit naves in mari, unam tamen solùm intravit, scilicet Simonis Petri: Ast quid per naviculam Petri nisi Ecclesia intelligitur? id apertè tradit Venerabilis Beda Lib. II. Cap. xv. in Lucam. *Navis*, inquit, *Simonis est Ecclesia primitiva, de qua Paulus*, ad Gal. II. ait: *Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes.* Vidisse Dominum hanc navim testatur Evangelista. est namque navis hæc, nempe Ecclesia aperta, & visibilis, & non invisibilis, ut fingunt hæretici. De hac enim ait Psaltes Ps. xviii. *In Sole posuit tabernaculum suum*, id est, Ecclesiam manifestavit, ut explicat hunc Textum S. August. in Enarrat. in hunc Psal. *In manifestatione Ecclesiam suam, non quæ lateat, non velut opertam, ne fortè fiat operta super greges hæreticorum.* Vide Tom. 1. pag. 150.

In unam navim quæ erat Simonis. In unam solùm navim nempe Petri, ascendit Christus, ubi Beda subjungit: *Benè una dicta, quia multitudinis credentium erat cor unum & anima una.* Est enim Ecclesia, per navim hanc Petri figurata, una, & in ea una societas, unaque communio, in qua hæretici, & schismatici excluduntur. Vide Tom. 1. p. 155. & de communione Sanctorum, p. 160. 161.

Ut venirent & adjuvarent eos. Postquam mandavit Dominus discipulis ad piscandum laxare retia, hoc mandatum mox ut executioni tradiderint, concluserunt piscium multitudinem copiosam; quare charitativum ab aliis sociis postulare debuerunt auxilium, ut retia ex obedientia missa in mare adjutorio charitativo & fraterno extrahere possent. Hinc quid elucescit majoris dulcedinis ac solatii, quam per charitatem mutuam & fraternam, præceptum adimpleri Divinum? Ait enim ipsa ineffabilis Veritas incarnataque Sapientia, in caritate Dei, ac proximi omnem Præcepti ac Legis contineri adimpletionem. Juxta illud Matth. xxii. *In his duobus mandatis*, (scilicet *diliges Deum & proximum*) *universa lex pendet, & Prophetæ.* Vide Tom. 2. pag. 565.

DOM. V. POST PENTECOSTEN.

Dictum est antiquis: Non occides. Matth. v.

VIx satis exprimi, ac describi potest, quantum omnipotenti Deo crimen homicidii contradicis, cùm omnium rerum Author, ac Conservator sit, omnes creaturas tam benigniter conservat, in vita fovet, ac alit; homo homini audet insidias struere, vitam malevolè surripere, quam Deus sæpe conservare, & prolongare cogitat, utpote Author naturæ. Verùm hoc homicidii crimen non solùm violenta manu, ferro, vel acinace, veneno, similibusque rebus committitur: sed etiam odio, persecutione, insecutione, afflictione, & diffamatione, quibus homo contristatus, perturbatus ita in se alteratur, ut in morbum incidat, ac pereat. & quis hujus mortis causa nisi tales malevoli, ac iracundi proximorum insecutores, & persecutores? Unde bene ait Dominus in hoc Evangelio; *Audistis quia dictum est antiquis, Non occides.... Ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Vide Tom. 2. pag. 767. & seq.

Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Divino hoc oraculo ostenditur non solùm lethale crimen homicidium esse, quo utpote voluntario reus homo redditur Divino judicio; etiam insinuatur iram persæpe peccatum esse lethale, cùm per illam quoque homo reus redditur judicio. Unde ab ira maximè alienos esse discipulos suos voluit Christus Dominus, quos exemplo suo ad mansuetudinem, ac patientiam reflectere paternè monuit; *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*; & Lucæ xi. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Apostolus vero Magistri sui præcepta Christianis inculcare volens, ac ab ira avertere studens ad Ephesios iv. ait: *Obsecro vos... ut dignè ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate, mansuetudine..... Sol non occidat super iracundiam vestram.... omnis amaritudo, & ira & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis.* Vide Tom. 2. pag. 485.

Qui dixerit fratri suo, fatue: reus erit gehennæ ignis. Etiamsi aliquando contumelia, vel convitium in proximum possit esse peccatum veniale, si tamen animo dedecorandi proximum, honoremque ejus violandi profertur, omninò lethale peccatum erit; cùm juxta hujus Evangelii, ac Christi Domini sermonem, ignem gehennæ meretur, sive æternam damnationem, quæ per peccatum veniale non meretur. Unde etiam Apostolus ad Rom. 1. inter crimina quibus Ethnici, & à Deo deserti abundant, ubique & morte digni, contumeliam numerat: *contumeliosos & superbos.* Vide Tom. 2. pag. 495.

Vade prius reconciliari fratri tuo. In libro Genesis duos primò sacrificantes legimus. Abel scilicet & Cain. Abelis sacrificium acceptum fuit Deo, minùs autem Caini, cùm hoc despectum, ac rejectum ab oculis Domini fuit. Sed cur hoc? causam ac rationem notat D. Augustinus, in Epist. 1. Joannis Cap. II. Tract. vi. Quod scilicet, cùm

saerificio Abelis fuerit eharitas, cum Caioi verò invidia, atque odium freternum; hinc charitatis sacrificium semper Deo gratum est: ingratum autem eom odio ec invidia fraterna. *Non intendit Deus ad monus* (Verba sunt Sancti Patris) *sed in cordo vidit, & quem vidit cum charitate offerre, ipsius sacr ficium respexit; quem vidit eum invidia offerre, ab ipsius sacrificio oculos avertit. Opera ergo bona Abel non dicit nisi charitatem; opera mala Cain non dicit nisi odium fraternum.* Unde satis apparet indignos ad sacramentalem absolutionem obtinendam, sacramque Eucharistiam suscipiendam, odium fraternum in corde reservantes. Vide Tom. 2. pag 451.

DOM. VI. POST PENTECOSTEN.

Misereor super turbam. Merci vii.

COelestis Magister potens in opere, & sermone inter alia præcipuè opus docuit misericordiæ frequenter exercere, id non solùm verbo, sed & opere tradit, ut non solùm sequeremur verba, sed opera ejus. Magnum verè hodie exercoit opus misericordiæ, & spirituale & corporale; cùm populum se sequentem postquam cibavic spirituali cibo, salutari nempe doctrina, tandem perspiciens eorporalem adesse egestatem, cibum deficere temporelem. *Misereor* subjungit, *super turbam*, sicque commisererione tactus miraculosè omnes corporaliter cibevit, ac refecit. Monentur hioe Christieni opera misericordiæ in proximom frequenter exercere, præcipuè verò io extremè egentes, ad quod etiam sub lethali culpa ligantur. Hinc S. Basil. serm. 11. in divites ite effatur operum misericordiæ contemptorem: *Quid respondebit*, inquit, *Judici, tu qui parietes vestis, hominem nudum sinis? qui equum ornas, fratrem in turpi amictu contemnis; qui frumentum putrescere sinis, esurientes non nutris? qui non operuisti domum, repu liaberis à regno: non dedisti panem, non accipies vitam æternam.* Hinc quoque subjungit D. Greg. Nazian. Orat. xv. de pauperibus amandis. *Misericordia timiditatem, Dei metus mollitiem vincat. Ne fratrem despicias.* Vide Tom. 2. pag. 370.

Nec habent quod manducent. Misericordiæ cùm aperuit oculos Dominus, panem necessarium ed sustentandum deesse notavit; unde hec in necessitate subvenire cogitabat, sine enim pane populus diutius subsistere non velebat. *Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via.* Nec minùs nos pane qootidiano, tam spirituali, quàm eorporeli carere diu valemus; onde & ad cœlestem lergissimumque dispensatorem frequenter recurrere debemus, siquidem illi qoi hodie quatuor millia hominum miraculosè ac superabundanter cibavit, de pane quot diano supplicare ee orare docuit. Meth. vi *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* De quo vide Tom. 2. pag. 925.

Et manducarunt, & saturati sunt. En quantom meruerunt apud Christum Dominum, qui Divina ejus oracula tam avidè auscultarunt, mandatorum Dei prædicationem perceperunt, unde meruerunt à Divino Legislatore tam stupendo miraculo seturari. Hinc ergo discant Christiani, non solùm eudire præcepta, sed & ea diligenter observare, cùm fructus uberes, ec sueves ex observantie Mandatorum, ac Legis Dei percipiuntur. Et quidem ampliores quàm in veteri, siqoidem antiqoa lex temporelia promittebat, nova verò Christi cœlestia, & æterna confert. Unde Psaltes Reg. Ps. xxxv. canit: *Inebriabuntur ab ubertate domus tua, & torrente voluptatis potabis eos; quoniam apud te est fons vita, & in lumine tuo videbimus lumen.* Vide Tom. 2. pag. 542. & 565.

DOM. VII. POST PENTECOSTEN.

Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Matth 7.

MIoos ad hunc textum prætereundum, sed vel maximè observandum quod notavit Concilium Aquisgranense, sub Ludovico Pio anno 816. celebratum; nempe qoosdam simplices eruditis sese admonentibus bona operari reposuisse: Religiosos, Monachos, & hujusmodi Regulercs solùm ad opera teneri bona, ac præceptorom Dei observationem; qoare Concilium contra hos redarguendo varia sacræ Scripturæ loca adducit omnes, & singulos ad bona opera teneri, si regnom Dei lucrari velint; unde etiam non ait Christus, une aut altera arbor, v. g. fici, vel olivæ, *sed omnis arbor quæ non facit fructum bonum, &c.* Ac si diceret, omnis homo minus ferens fructum bonum bonorum operum excidetur, rejicietur in ignem æternum. Vide Tom. 1. p. 179.

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. Cùm Deus vitem æternam, ac beatam omnibus diligentibus se præparavit, omnibus viribus, ac stodiis contendere debemus, ut ipsam securè assequamor; nec tamen voce solùm consequi velemus, sed in super bona opere sunt necessaria; non solùm debemus Dominum verbo invocare, sed & opere facere voluntatem ejus: media sunt eligenda, quæ nobis Christus ipse præscripsit, viam sequi quem ipsa monstravit, Mandare Dei servare. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; ait ipsa Domious apud D. Matth. Cap. xix. Et S. Athanasius in symbolo: *Qui bona egerunt*, inquit, *ibunt in vitam æternam.* Vide Tom. 1. pag. 179.

Sed qui facit voluntatem Patris mei. Mundanum axiome verum quidem est, *Cælum non exspectat ouseres.* Nec tamen etiam quoscunque Christianos, sed solùm illos qui faciunt voluntatem Patris; unde etiam in Oratione Dominica, postquam orevimus, *adveniat regnum tuum*, super eddere docuit Salvator piissimus: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra*; & qui efficaciter orat, id est in omnibus edimpleri exoptet, ee efficaciter cogitet, Divinem voluntatem, *intrabit in regnum cælorum*, ei edveniet regnum Dei. Vide Tom. 2. pag. 920.

DOM. VIII. POST PENTECOSTEN.

Hic diffamatus est apud illum. Lucæ xvi.

MUltum mali causat lingua, nec membrum est in homine tam crudele, ac lingua: siquidem aliis exterius homo lædi potest, per linguam etiam cor & enima vulneretur; lingua enim per sermones detractorios proximi femam lædit, injuria efficit honorem, etque bonum nomen extennat. Unde S. Hieron. to I sal. cxix. ait: *Grande vitium est detrahere fratri, grande scelus manifestare peccatum fratris.* Vide Tom. II. peg. 455.

Quid faciam? Diffamatum se percipiens villicus depositiooem à villicatione pertimescebat; unde de se qoid futurum præmeditabator, diu postquam apud se deliberasset ad opus misericordiæ se inclinevit, ut depositus reciproca gaudere posset. Hinc discere debemus enem tremendo Judice diffematos timere, bonum eousilium conjungere

misericordiæ, ut si nullum restet refugium, misericordiæ adsit asylum. Audiamus pulchrè hac de re disserentem D. August. lib. I. de serm. Dom. in monte Cap. IV. *Consilium*, inquit, *congruit misericordibus. Hoc enim unum remedium est de tantis malis evadendi.... ut adjuvemus in quo possumus alios, sicut nos, in quo possumus cupimus adjuvari.* Vide Tom. I. pag. 312.

Quid faciam? Si quis cum Evangelico villico, vel sibi malè conscius, vel de opere dubius hæret, pro conscientiæ sublevamine majorique tutamine, ac securitate hanc servare conetur in dubiis regulam, ut in dubiis etiam æqualiter probabilibus tutiorem conetur eligere partem. Nam ut ait Eccles. Cap. III. *Qui amat periculum peribit in illo.* Vide Tom. II. pag. 232.

Quia prudenter fecisset. Sapientiam hujus mundani villici aliquo modo extollit Dominus, per hoc multos confundens Christianos hujus mundi sapientiam diligentes, veram hanc supernam negligentes, cùm prima teste Apostolo I. Cor. 1. *Stultitia est hujus mundi sapientia apud Deum.* Quæ autem vera & Christiana, vide Tom. I. pag. 310.

DOM. IX. POST PENTECOSTEN.

Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi. Lucæ XIX.

INter alias conditiones ad confessionem salutiferam requisitas, non desunt ponentes quod debeat esse accelerata; hæc quidem etiamsi non omninò necessaria, nihilominus procrastinatio valde periculosa est, & usque ad mortis horam dilatio quadam sapit impœnitentiam. Unde discant æternam fœlicitatem sperantes, diem ad pacem, atque ad reconciliationem datam observare, ne subitanea infirmitate, vel etiam morte præventi, ac correpti sive puniti, pœnitere, ac confiteri nequeant. Hinc S. Cæsarius serm. LX. in Append. August. CCLIX. ait: *O homo! quare differs de die in diem? & non magis times, ne fortè hodie habeas ultimum diem?* Vide Tom. I. pag. 567. Item quomodo peccatum ex consuetudine gravius, Tom. II. pag. 266. vel de Pertinacia, pag. 299.

Eo quod non cognoveris tempus visitationis. Quam excusationem, ac purgationem afferent coram tremendo Judice peccatores converti nolentes? Væ illis in mortis hora, cùm excusationem habebunt nullam; siquidem omnibus Christianis, etiam peccatoribus, imò ipsis infidelibus, neque minus desperatis sufficiens à Deo offertur gratia, & bonum operandi, pœnitendi, ad fidem veram salvificamque convertendi, veniam sicut, & ulteriorem gratiam impetrandi Hinc S. August. serm. 61. in Psal. LVIII. ait; *Si nolis curari vulnus suum admonet ut curreris, & aversum revocat, & fugientem quodammodo ad se redire compellit, & attrahit; in omnibus implet, quod dictum est, Misericordia ejus præveniet me.* Vide Tom. I. pag. 114. & seq. ad 119.

Cœpit ejicere ementes & vendentes. Jesus Christus æternus piissimusque Salvator civitatem postquam deploravit, templumque ingressus, ementes perspexit, ac vendentes indignatus super illos expulit, tempus locumque orationis, & non mercationis esse asserebat: *Scriptum est*, Isa. LVI. inquiebat, *quia Domus mea domus orationis est.* Ast prô dolor meritò deploranda nimis introducta est consuetudo apud Christianos, ut non solùm diebus Dominicis, ac festivis mercaturam agant, sed etiam ante Ecclesias mercaturæ opus exerceant; etiamsi præcepto Divino, ac Ecclesiæ ab omni opere servili abstinere ac continere se obligantur. Ut sancivit Concilium Arelatense sextum, Anno 813. Can. XVI. Vide Tom. II. pag. 708.

Cœpit ejicere ementes & vendentes. Si zelo sancto accensus Dominus in templo atque loco sacro emptores atque repertos expulit, ac ejecit venditores, quidni repellet aliquando simoniacos sacrarum rerum, Beneficiorumque emptores, ac venditores? Etiamsi hîc non semper ex templo expellantur, templum tamen æternæ gloriæ in æternum non intrabunt. Vide Tom. II. pag. 31.

DOM. X. POST PENTECOSTEN.

Quia non sum sicut cæteri hominum. Lucæ XVIII.

PHarisæi hujus oratio (si dicenda oratio) Deo accepta esse quomodo potuit? non enim orabat ille, sed se laudabat. & non solùm laudabat, sed omnino aliis meliorem æstimabat, atque prædicabat, & de bonis operibus jactando iniquè gloriabatur. Apertiùs in sacris litteris nunquam notatur, quàm hîc, Deo, hominibusque abominabile vitium jactantiæ; quod definit D. Thomas 2. 2. q. CXII. art. 1. *Jactantia*, inquit, *est peccatum quo homo verbis se extollit supra id, quod in se est, secundùm aliorum opinionem.* Vide Tom. II. pag. 290.

Et publicanus à longè stans nolebat nec oculos ad cœlum levare. Agnoscebat delictum suum Publicanus hic; unde in confessione ejus se tantùm coram Deo humiliabat, ut ne quidem præ profunda humilitate in cœlum auderet oculos elevare: quare præ altero de sua justitia jactante justus, justificatusque regressus est in domum suam. Hinc discant peccatores in confessione humilitatem exercere, fugereque Pharisæi superbiam, ut cum hodierno publicano justi mereantur redire domum. Ita monet omnes mellifluus Abbas D. Bernard. Serm. XVI. in Cant. *Omne*, inquit, *quod remordet conscientiam, confitere humiliter.... quomodo enim humilem contemneret confessionem humilitatis magister, cui humilibus dare gratiam certò ingenitum est?* Vide Tom. I. pag. 564.

Sed percutiebat pectus suum. Omnibus quidem & singulis Deus paratus est dare veniam peccatorum, sed tamen nisi contritis ac compunctis corde. Pharisæus ille non pœnitebat, nec compungebatur, sed potiùs de sua iniquè jactabatur justitia; alter verò publicanus suam injustitiam agnoscens, coram Deo se humilians, oculos in cœlum minùs elevans, summum bonum offendisse, ac desuper dolere contestabatur pectus suum percutiendo; quare ab altero justificatus regressus est. Ubi apertè patet quàm ad pœnitentiam pro remissione peccatorum contritio, dolorque intrinsecus propter Deum summum bonum per peccatum offensum est necessarius. Hinc Isaias clamat Cap. V. *Derelinquat impius viam suam, & iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus.* Vide Tom. I. *de Contritione* pag. 518.

DOM. XI. POST PENTECOSTEN.

Et præcepit eis ne cui dicerent. Marci VII.

OPus istud utpote Divinum etiamsi summè laudandum, nec satis prædicandum, equidem occultari voluit Christus Dominus, utique ut disceremus vanam vitare gloriam, sicut & laudem

dem hominum, quæ nobis valdè damnosa, ac periculosa est; si quidem si accedat etiam bonis ac virtuosis operibus, omnem eorum fructum aufert, non solùm infructuosa bona, reddit opera, sed potiùs damnosa. Hinc piè ac clementer monuit nos Salvator, dum apud D. Matthæum cap. vi. aiebat: *Attendite ut justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est.* Vide Tom. II. pag. 284. & seq.

Bene omnia fecit. Christus Dominus non solùm in mundum nos redimere venit; sed etiam vitæ sanctæ exemplar exhibere: non venit solùm salvare hominem, sed ut homo, quod imitaretur haberet exemplum; ut non solùm ex sacris plurimum patet litteris, verùm etiam ex sanctorum PP. traditionibus. Inter quos D. Gregorius super cap. xxxiii. Jobi, in illa verba: *Si fuerit pro eo Angelus*; hac de re ita discurrit: *Vitiosus* (inquit) *homo, corrigi non poterat, nisi per Deum, videri autem debebat qui corrigebat, ut præbendo imitationis formam ante acta malis amutaret vitam.* Cùm itaque Philosophi, ac Theologi tradant omne opus deliberatum quatenus exercetur, vel bonum vel malum esse; meritò Christiani conari ac studere debent omne opus solum in Deum dirigere, ut de illis tanquam veris Christi imitatoribus dici valeat, *Bene omnia fecit:* unde illud Psalmi xxxiv. *Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam*; decere quemlibet Christianum, docet ibidem D. Augustinus, ubi & hæc apponit: *quidquid egeris, benè age: & laudasti Deum.* Vide Tom. II. pag. 251.

DOM. XII. POST PENTECOSTEN.

In lege quid scriptum est? Lucæ x.

Dolosæ ac hypocritali percunctationi divinè obviatur Salvator æternus. Legisperitus enim quærit ad vitam æternam possidendam pervenire quomodo queat? Respondet Dominus: *In lege quid scriptum est?* ad legem remittit, quid in lege scriptum utrum sciat, ac si diceret: Vis ad vitam ingredi æternam? disce legem, disce præcepta, non solùm recitare, sed & observare. Non ergo diu quærant Christiani, quid faciendo vitam æternam possidebo? sed videant in lege, in sacris litteris, in sanctis Evangeliis quid scriptum, nempe Matth. xix. *Serva mandata, si ad vitam vis ingredi:* Si cœlorum gaudiis aliquando frui desideras, *serva mandata*, serva præcepta Ecclesiæ, serva præcepta Decalogi, ad quæ servanda omnes & singuli obligantur Christiani, ut sacra docet Tridentina Synodus, Seff. vi. Canone xix. contra hujus temporis hæreses: *Si quis*, inquit, *dixerit, Nihil præceptum esse in Evangelio, præter fidem, cætera esse indifferentia.... aut decem Præcepta nihil pertinere ad Christianos: Anathema sit.* Vide Tom. II. pag. 559 506.

Accidit autem ut Sacerdos quidam descenderet eadem via: & viso illo præteriit. Notat hìc magnam immisericordiam Sacerdotis etiam afflictum, ac percussum videntis, nihilominus prætereuntis; sine solatio, ac ulla subventione charitativa. Caveant hinc Pastores, Confessarii, animarumque Curatores, ne cum hoc afflictos peccatores transeant, & animâ & corpore ægrotantes negligant subditos; sed quoad fieri potest viscera misericordiæ aperiant, quotidie ac frequenter visitent, consolentur, piis adhortationibus commoneant, ut maturè saluti consulant, deque

Tom. II.

extremis provideri curent, ut Dominus vitæ & mortis veniens paratos inveniat. Vide Tom. I. pag. 714.

DOM. XIII. POST PENTECOSTEN.

Levaverunt vocem suam, Lucæ xvii.

Attritio ex solo pœnarum metu concepta, nullumque Dei amorem includens, an in Sacramento ad obtinendam veniam, & dignam absolutionem sufficiat, quæstio quidem est, summam tamen fidei Catholicæ minùs spectans: Probabilius tamen judicatur, sine amore Dei saltem inchoato in Sacramento non sufficere; unde sacra, ac prophetica oracula: *Convertimini ad me in toto corde vestro. Quæretis me & invenietis, cùm quæsieritis in toto corde vestro.* Nec minùs decem hodierni Evangelii leprosi docent, ac normam pœnitendi tradunt; siquidem affectantes mundari, ac à lepra liberari, ex intimo cordis affectu ad Dominum Jesum accesserunt: *Levaverunt vocem suam;* ubi subdit Dionysius Carthus. *Ex vehementi corporalis sanationis affectu, quos nos spirituali lepra infecti, vitiorum scilicet varietate, contaminati, sectari debemus dicendo ex ardentissimo cordis optatu, quod illi dixerunt:* unde etiam dixit Christus mulieri peccatrici Lucæ vii. *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Vide Tom. I. pag. 516. & 541. Quomodo sacrilegii reus sacramentalem absolutionem suscipiens, Deum minùs super omnia diligens.

Ite ostendite vos Sacerdotibus. Notatur multùm hìc Sacerdotum dignitas, cùm absque illis hi decem leprosi sanari, ac mundari possent, nihilominus voluit Dominus Sacerdotibus ut se ostenderent, debitamque iis exhiberent reverentiam, & sic sanarentur. Hinc discant ac notent Christiani Sacerdotes omni tempore honorare, ac venerari, siquidem illorum dignitas & excellentia omnem omninò excedit dignitatem secularem. Quare illos appellat Apostolus 1. Cor iv. *Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Et ad Timoth. v. *Qui bene*, inquit, *præsunt Presbyteri duplici honore digni habeantur; maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Vide Tom. I. pag. 753. & Tom. II. pag. 742.

Cecidit in faciem ante pedes ejus. Gratus hujus leprosi apparet animus, qui videns magnum sibi præstitum beneficium in corporis redditione sanitatis, reversus ad Dominum, coram illo se abjiciens, beneficii memorem contestatur, se coram ipso humiliat, beneficii authorem sic protestans, ac venerando gratias agit. O quot nobis quotidie supremum Numen præstat beneficia, aures Divinas dum per orationem pulsamus, sinum misericordiæ aperit, plusquam flagitamus largitur. Meritò ergo cum hodierno leproso gratiosè humiliter sæpe Deum accedere, gratiásque possibiles reddere oportet: siquidem hic Dei præcipuus exstat cultus. Ut docet D. August. lib. de spiritu & litt. cap. xi. Vide Tom. II. pag. 903.

DOM. XIV. POST PENTECOSTEN.

Ne solliciti sitis animæ vestræ. Matth. vi.

Superfluam omninò spernendam esse sollicitudinem temporalem hìc in Evangelio manifestare voluit Dominus: siquidem Deus omnium rerum conditor, rector ac director, quæ omnipotentia sua fecit, infinita qua pollet provi-

E

Qui se exaltat humillabitur. Quàm damnosa ac periculosa superbia ex his paucis satis apparet minitativis verbis; nam cùm exosa sit Deo superbia, continuò eam expugnat. Hinc D. Jacobus in Epistola sua Catholica cap. IV. ait: *Deus superbis resistit.* Et Div. Hieron. in Epist. XLV. *Vide* (inquit) *frater quàm malum sit illud peccatum superbia, quod adversarium habet Deum.* Discat inde Christianus altiora minus velle sapere, superba agere, sublimia meditari; quo enim alior est ascensus, eò profundior ruina. Sic superbia vitium omnium aliorum est periculosissimum. Unde etiam D. Augustinus Epistola CXVIII. ait: *Vitia quippe cætera in peccatis, superbia verò in rectè factis timenda est. Ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.* Vide Tom. II. pag. 274.

DOM. XVII. POST PENTECOSTEN.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Matth. XXII.

COntra hoc *mandatum magnum* maximè pugnant acediosi. *Deum* enim *ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente* non diligit, qui in omnibus ad salutem consequendam necessariis vel frigescit, vel tepescit. Quem teporem Deus ita abhorret, ut acedioso, se evomiturum, id est, deserturum, ac gratiæ suæ auxiliis privaturum comminetur. Apocal. III. *Scio* (inquit) *opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus; sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te emovere ex ore meo.* Vide Tom. II. pag. 502.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente. Mirabitur sanè aliquis super hanc Divini amoris extensionem, cur dicatur, vel potiùs mandetur Deum diligere *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente?* Explicat nobis hujus mandati mysterium D. Aug. in Enchiridii cap. III nempe quod Deus colendus *Fide, Spe, & Caritate.* Et hoc est diligere *ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente.* Vide Tom. II. pag. 566.

Diliges proximum tuum sicut teipsum. Magnæ observationis digna verba hæc. Proximum tuum mandat diligere *sicut teipsum.* Te ipsum ergò si quæramus quomodo diligis! te utique ita diligis, ut nihil tibi mali velis, non vis lædi; ita diligis, ut nec quidquam mali pati cupias, aurum, divitias, omnemque substantiam, sicut & honorem, famam, bonumque nomen perdere abhorreas. Secundùm illud pium Ecclesiastici monitum cap. XLI. *Curam habe de bono nomine. Hoc enim permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi, & magni.* Sic ergo nullus sibi vult malum, nullus lædi in corpore, in honore, in fama, in bono nomine: quàm graviter ergò peccant contra hoc mandatum Domini? quanta illorum non est malitia, quantumque malum, qui per libellos vel litteras aliorum crimina seu falsa, seu occulta edunt, ac divulgant: litteras vel chartulas in publicum tradunt, ad valvas Ecclesiarum, platearumque affigunt, unde irrevocabiliter honor, ac fama proximi læditur, & infamia fit publica, ac vix ampliùs delebilis? Quare non immeritò contra hujusmodi compositores, sive publicatores, ac divulgatores, sive etiam lectores non lacerantes, ac quamprimum occultantes, hoc fulmen edidit Concilium Illiberitanum. Et refertur Can. *Si qui*, c. 5. q. 1. *Si qui inventi fuerint libellos famosos in Ecclesia ponere, anathematizentur.* Vide Tom II. pag. 462.

Hoc est maximum mandatum. Præceptum amoris Dei, primum & maximum mandatum est, & a cæteris distinctum, specialem actum sive affectum imperat, cùm ex amore omnium morum bonitas dignoscitur. *Nam mores nostri non ex eo quod quisquis novit, sed ex eo quod diligit, judicari solent. Nec faciunt bonos, vel malos mores, nisi boni vel mali amores.* Verba sunt D. Aug. epist. CLV. ad Maced. Vide Tom. II. pag. 593.

DOM. XVIII. POST PENTECOSTEN.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. IX.

PIè ac sanctè etiamsi credendum per absolutionem sacramentalem nobis remitti peccata, nosque recipi iterum in gratiam DEI; Propterea nondum certi sumus de numero esse prædestinatorum. Unde de salute æterna semper timendum; juxta illud Ecclesiastici, cap. V. monitum. *De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum supra peccatum.* Vide Tom. I. pag. 5. & 6.

Videns autem fidem illorum. Ex sacris Scripturis, perspicuum, atque exploratum est, Deum intuitu alienæ fidei, orationis, aliorumque meritorum, seu bonorum operum, aliis peccata dimittere, pœnasque condonare, ut observat Div. Ambros. super cap. VI. Lucæ. Sic etiam Christus Salvator noster qui Ecclesiæ ligandi, atque solvendi dedit potestatem, juxta illud D. Matt. XVI. & XVIII. *Quæcunque alligaveritis, &c.* Sic non minùs Ecclesiæ potestatem largitus est, visis pietatis operibus, orationibus non solùm culpam, sed & pœnas per indulgentias remittere. Unde patet potestatem concedendi Indulgentias à Christo traditam esse. Vide Tom. I. pag. 697.

Ut sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata. Miserum afflictumque Paralyticum, ut vidit Dominus, non solùm curare cogitabat, sed & confundendo perversas cogitationes Judæorum, potestatem suam ostendere voluit. Jacebat miser ille infirmus corpore & animâ, etiamsi cœlestis medicus utrumque agnosceret morbum, animæ priùs decrevit tollere, animam scilicet liberare à peccatorum gravamine, quàm corpus ab infirmitate paralytica. Sic comprobavit ac ostentavit se non solùm habere potestatem ac imperare super morbum corporis; sed etiam super animæ gravissimas peccatorum ægritudines: Et hæc remissio peccatorum, quæ soli Deo propria est per Christum communicata est hominibus, cùm Joan. XX. dixit Apostolis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quare etiam piè ac confidenter in symbolo fidei oramus ac dicimus articulo X. *Credo... in remissionem peccatorum.* Vide Tom. I. pag. 163.

DOM. XIX. POST PENTECOSTEN.

Et vidit ibi hominem non habentem vestem nuptialem. Matth. XXII.

VArii ac diversi accedunt ad spirituales nuptias; mensæ namque Domini, boni & mali appropinquant ad sumptionem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, ut canit alta voce Ecclesia in Sequentia: *Sumunt boni, sumunt mali.* Accedunt bona conscientia aliqui, aliqui verò mala; sed væ accedentibus sine veste nuptiali, id est, impura, ac immunda conscientia. *Quicunque enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit*, ait D. Apostolus Paulus I.

DOM. XX. POST PENTECOSTEN.

Incipiebat enim mori. Joan. IV.

DOM. XXI. POST PENTECOSTEN.

Patientiam habe in me. Matth. XVIII.

Dominus

Dominus apud divum Matthæum cap. vi. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater cœlestis delicta vestra ; si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Vide Tom. 2. pag. 489.

DOM. XXII. POST PENTECOSTEN.

Quid me tentatis hypocritæ? Matth. xxii.

HErodianos à Pharisæis missos *Jesum ut caperent in sermone*, hypocritas ille compellavit, tanquam illorum dolo ac fraudulentia non mediocriter offensus. Apparebant quippe coram Christo tanquam boni, tanquam simplices, ac ignari erud tionem exoptantes : intus autem erant pleni dolo & malitia, boni extrinsecus, intrinsecus erant mali, quod proprium hypocritarum est : nam, ut ait S. Isidorus Hispal. lib. x. orig. Tit. xi. *Hypocrita ille est, qui cùm intus malus sit, ut bonum se palam ostendit.* Quare caveant Christiani, ne hoc in se vitium sedem ac requiem sumere tolerent ; nec enim hîc, nec in die Judicii accepti erunt Domino, sed repulsam patientur ubique. Hinc S. August. lib. 11. de sermone Dom. in monte, cap. 11. ait : *Rectissimè his* (nempe hypocritis) *dicetur : Recedite à me operarii dolosi ; Nomen meum habuistis, sed opera mea non fecistis.* Vide Tom. 2. pag. 293.

Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari ; & quæ sunt Dei, Deo. Tradit Ælianus lib. vii. cap. xiii. Furem quempiam intempesta nocte templum Æsculapii Athenis effregisse, indéque pretiosissima asportasse. Quem notavit canis quidam, qui & tamdiu latrando furem insecutus, quoad scelus propalam fassus, pœnasque dedisset meritas. Talis canis post quemlibet hominem latrans est ipsa conscientia, quæ non solùm latrat, sed & continuò mordet, usquedum reddat Cæsari quæ sunt Cæsaris, id est, proximo, quod debet proximo, & Deo honorem & amorem, quem per peccatum veluti abstulit. Hinc S. Isidor. lib. 11. Soliloq. ait : *omnia potest homo fugere, præter cor suum : quocumque vadit, conscientia sua eum non derelinquit. Nulla pœna gravior mala conscientia, quoniam nunquam securus est reus animus ; mens enim mala conscientia propriis agitatur stimulis.* Vide Tom. 2. pag. 219.

Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari : & quæ sunt Dei, Deo. Cùm juxta vulgare adagium : *Omne promissum cadit in debitum*, debitores se Dei reddunt Deo per votum se obligantes, Deo per vota multa promittentes : frequenter ergo sint Deo devoti, ac voto conjuncti memores hujus Salvatoris dicti : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei, Deo.* Vide de Voto Tom. 2. pag. 569.

Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari. Perversi ac seditiosi Pharisæi tentantes Dominum consulunt, ex justitia num censum debeant Cæsari, necne : Etiamsi tamen Christus eorum agnosceret perversam mentem ac malitiam, sanctum, & non nimis sapiens reddit responsum : Quod nempe ex justitia debitum reddant Cæsari non solùm, sed & Deo. Non enim virtus justitiæ sterilis ac simplex est, habet enim adjunctas alias virtutes, religionem scilicet, pietatem & obedientiam, quæ omnium virtutum moralium maxima est. Ut docet S. Th. de Aq. 2. 2. q. 104. a. 1. Vide Tom. 2. pag. 522. Item de Reverentia erga Principes & Magistratus, pag. 744.

Quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Mirandum hoc in Judæis perversis : lege humana ligati recusabant, & divinam adimplere nolebant vel negligebant : sicque effrænati incedebant, sine lege, sine subjectione vitam liberam ducere cogitabant. Quare hisce utramque sequendam declarat palam Dominus ; Non enim sola lex divina ligat conscientias, sed etiam humana, tum Ecclesiastica, tum civilis sive politica. Hinc ad Hebr. xiii. ait Apost. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis.* Meritò itaque Facultas Parisiensis damnavit Amedæi Guimenii propositionem : *Subditi possunt justa tributa non solvere.* Vide Tom. 2. 545.

DOM. XXIII. POST PENTECOSTEN.

Domine, filia mea modò defuncta est. Matth ix.

MAgnum Princeps hic amorem ostentat erga filiam suam, ut pro salute ejus Dominum anxius accedat ac deprecetur. Officium pii verè parentis exercuit ; Tenentur enim filii ex mandato, ex præcepto divino parentes honorare, colere ac venerari ; ita non minùs tenentur parentes filios amare, illorum curam semper habere, tam quoad corpus, quàm quoad animam. Sic curam senior Tobias habuit sui charissimi filii quem proinde in extremis ita monuit ac docuit : Tob: iv. *Omnibus diebus*, inquiebat, *vitæ tuæ in mente habeto Deum : & cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei tui.* Vide Tom. 2. pag. 747. & seq.

Et cùm vidisset tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat : Recedite. Rogatus Christus Dominus à Principe Evangelico subvenire filiæ ejus, dignatus fuit ejus in domum descendere ; & cùm descendisset filiam reperit mortuam, quam tamen mox resuscitare decrevit. Antequam autem bonum hoc opus effectui traderet, visos priùs abscedere jubet tibicines turbámque tumultuantem. Quid per tibicines nisi adulatores? Siquidem Rabanus & Hugo Card. *Tibicines*, inquiunt, *sunt adulatores.* Et quid per turbam tumultuantem, nisi tumultuosi susurrones, integras familias, & communitates turbantes & inquietantes? His ergo oportet frequenter dicere : *Recedite* ; cùm omne bonum opus perdunt, destruunt, corrumpunt ac infructuosum reddunt. Vide de his Tom. 2. pag. 453 & 875.

DOM. XXIV. POST PENTECOSTEN.

Cùm videritis abominationem desolationis. Matth: xxiv.

REfert div. Lucas cap. xi. discipulos Domini suum quadam vice accessisse cœlestem magistrum supplicantes doceri orare : *Domine doce nos orare, sicut docuit & Joannes discipulos suos*, inquiebat unus ex discipulis in persona omnium. Acquievit quamprimum eorum desiderio piissimus magister, ac pro voto cœpit docere eos orare. *Cùm oratis dicite*, inquiebat : *Pater noster, sanctificetur nomen tuum, &c.* Patrem ergo orare voluit, mandavitque desiderare sanctificari in nobis nomen Domini. Sanctificatur autem sæpissimè, imò semper cùm timetur, ut notat & observat D. Aug. lib. 11. de sermone Domini in monte. Quare etiam pia mater Ecclesia terribilem atque extremum Judicii diem in memoriam revocare frequenter nititur ac cogitat, ut inde erigamur ad Deum diligendum, timendum, nomen ejus terque quaterque benedictum sanctificandum. Idcirco quotidiana oratione Dominica repetimus : *Pater noster, sanctificetur nomen tuum*, non tam in se quam in nobis. Vide Tom. 2. pag. 916.

Et mittet Angelos cum tuba.... & congregabunt electos. In illo tremendo Judicio miſſurum ſe Angelos prædicit ſupremus futurus Judex, non ad congregandum univerſos, ſed ſolùm electos: hos enim colligent Angeli pacis, reprobos autem diſperdent Angeli orci, ſcilicet dæmones, qui eos ſecum ducent ad infernum, ad æternas æternùm duraturas pœnas: hic eſt namque reatus pœnæ lethalis peccati, irreparabiliter pervertentis hominis ordinem ad Deum, ut ultimum finem, extinguentis quoque caritatem, per quam aliàs Deo inhæret. Unde ſubdit Evangeliſta ſacer, tremendum Judicem dicturum iis: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum....* & pergit: *Ibunt hi in ſupplicium æternum.* Vide de Pœnis inferni, Tom. 2. pag. 216.

IN ANNIVERSARIO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Ecce vir, nomine Zachæus: Et hic Princeps Publicanorum. Lucæ. XIX.

IN ſacris litteris ne vel verbum, imò ne vel litteram ſine myſterio eſſe comprobatur ex illo Gen. XVII. Ubi dixit Deus Patriarchæ Abraham: *Non vocaberis ultra Abram, ſed Abraham.* Et Sarai uxori dixit: *Non vocaberis Sarai, ſed Sara*; unde etiam D. Chryſoſt. Homil. XXXII. ait: *Vide ſacræ Scripturæ diligentiam, quomodo ne ſyllabam inutilem contineat.* Certè ergo Evangeliſta noſter non ſine myſterio hujus Evangelicæ hiſtoriæ ly *Ecce* præfixit: Ly *Ecce* hoc meritò ſerviet malevolis ac deſperatia in ſe ipſos ſævientibus hominibus, *Ecce* vir, *Ecce publicanus Zachæus*: *Ecce* non ſolùm Publicanus, ſed & Dux & *Princeps Publicanorum* Dominum ad ſe ſuſcepit, & Dominus ipſum ſuſcepit, gratiam, miſericordiam, veniam ac remiſſionem contulit peccatorum. Si hic obtinuit veniam, qua de cauſa audent hodiedum aliqui deſperare, & quandoque ſibi vitam & temporalem & æternam auferre? Maledictum opus hoc in æternum. Vide Tom. 2. pag. 778.

Hodie ſalus domui huic facta eſt. Publicani & peccatoris ædes dum ingreſſus eſt æternus Salvator, poſt brevem ſermonem habitum; *Hodie ſalus*, inquit, *domui huic facta eſt*; ac ſi diceret: Hodie domus hæc mutata eſt in domum ſalutis. Hinc hodiedum in anniverſaria Dedicatione templa domos nominamus ſalutis; ſiquidem in ea Dominus præſens, & in ea, atque ab eo, per pias & frequentes orationes, hymnos & cantica ſalus obtinetur. Ibi enim proprius locus orationis, juxta illud infallibilis veritatis veriſſimum dictum; *Domus mea, domus orationis vocabitur, & in ea omnis qui petit accipit.* Vide Tom. 2. pag. 909.

INDEX CONCIONATORIUS, IN PRÆCIPUA ET FESTA TOTIUS ANNI.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

Venite post me. Matth. iv.

JUxta mare cùm ambularet Salvator, duos vidit fratres piscantes, Petrum namque, & Andream, quos ut vidit post se vocavit; vocavit autem eos verbo, vocavit gratiâ, ut sequerentur ipsum. Vocavit autem gratia, quia sine hac bonum opus exerceri nequit; bonum autem opus erat sequi Christum; sed nemo sequitur, nisi vocatus per gratiam ad sequelam fructuosam necessariam. Unde ait apud Joan. Cap. vi. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et Joan. xiv. *Ego*, inquit, *sum via, veritas & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me.* Vide de necess. gratiæ Tom. 1. pag. 38. 39.

At illi continuò relictis retibus, secuti sunt eum. Si magnum apud Romanos fuit olim pro terreoa servanda patria, ac conservanda civitate cuncta bona, & mundi prospera deserere, imò vitam ipsam spernere; sanè magnum fuit quod S. Andreas à Domino vocatos ad æternam adipiscendam in cœlis fœlicem patriam cuncta reliquit. Non enim solùm *relictis retibus*, sed omnibus nudus ac pauper, pauperem secutus est Christum; usque etiam ad crucem. Sciant hinc Christiani taliter sequentes Christum jus obtinere ad regnum supernum. Vide Tom. 1. pag. 179. 180. & seq.

IN FESTO S. THOMÆ APOST.

Dominus meus & Deus meus. Joan. xx.

ECce Thomas cùm gratiam sentit Salvatoris, quid videat, quid sentiat, & quid in corde credat, palam ac apertâ voce contestatur, quia antea nisi videret, credere nolebat. Unde etiam elucescit quam necessaria nobis gratia Divina, sine qua cùm aberravimus, redire omnino nequimus. Hinc S. Fulgentius lib. de Incarnat. & Gratia Cap. xxii ita in hanc rem discurrit. *Nunquam*, ait, *redire potest ovis errans, nisi fuerit boni Pastoris inquisitione preventa, & humeris reportata &c.* Quomodo ergo ad pœnitendum gratia necessaria, atque à Deo petenda, vide Tom. 1. pag. 18. & seq.

Quia vidisti, credidisti. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Increpatur Thomas quod credere recusavit nisi videret, cùm vera fides non consistit in visu, sed auditu, unde non videntes, & credentes beati prædicantur. Hinc etiam vulgatum illud D. Greg. Homil. xxvi. *Quæ apparent fidem jam non habent, sed agnitionem.... Nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Vide Tom. 1. pag. 2.

IN SOLEMNISS. FESTO NATIVITATIS DOMINI.

Et Verbum caro factum est. Joan. 1.

HOdie Filius Dei homo factus est, non carnem à Deo creatam assumpsit, aut ex quavis substantia formatam, sed in utero Virginis Matris ex purissimo illius sanguine compactam cooperante Spiritu Sancto, ut tertius Apostolici Symboli attestatur Articulus: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.* Unde etiam Apost. ad Gal. iv. ait: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege;* De quo ineffabili mysterio, Vide Tom. 1. pag. 78. qui autem fructus ex hujus consideratione colligendi, vide pag. 88. 89. & 90.

IN FESTO S. STEPHANI MARTYRIS.

Ex illis occidetis. Matth. xxiii.

OQuot non fuerunt in antiqua lege à Deo missi voluntatem Domini annuntiantes, ab impiis tamen Judæis persecuti, ac occisi sunt: Misit novissimè Christus Dominus suos discipulos ad gratiam per Evangelium prædicandam; hos non minùs, imò ampliùs persecuti Judæi sunt, flagellarunt, crucifixerunt, & occiderunt: inter quos primus fuit S. Stephanus, qui lapidibus impiorum inter se dissecantium dentibus obrutus atque occisus fuit. Injustissima hac persecutione minimè impatiens redditus S. Stephanus fuit, qui nec inimicis suis maledixit, nec ira vel odio restitit, sed ut fortis pugil Christi lapides hilari animo suscepit, ac exemplo magistri sui pro inimicis, ac injustè persequentibus oravit dicens, Act. vi. *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Ab hoc ergo sanctissimo Martyre discamus non solùm proximos, amicos, verùm etiam inimicos diligere: quia præceptum Domini est Matth. v. *Ego autem dico vobis* (sunt verba Salvatoris nostri) *diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus... ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.* Vide Tom. 2. pag. 607. & seq.

Quoties volui congregare filios tuos. Dei voluntas in se efficacissima est, semperque infallibiliter impletur, si absolutè, nullaque conditione suspendi velit. Ait autem Apostolus I. ad Timoth. ii. *Deus vult omnes homines salvos fieri:* Ubi notandum voluntatem hanc minùs fore absolutam, cùm salutis effectum suspendi velit in adultis ex eorum voluntate, id est, vult eos salutem consequi si velint mandata sequi, bene operari, voluntatem ejus facere. Hinc S. Aug. in Enchiridii

Cap. xciv. ait : *Nec utique Deus injustè noluit salvos fieri, cùm possint salvi esse, si vellent.* Vide Tom. 1. pag. 33. 60. Item de gratia sufficienti, cui peccatores sæpe resistunt 37.

IN FESTO S. JOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ

Quem diligebat JESUS. Joannis xxi.

A JESU diligebatur valde Joannes, & ipse valde diligebat JESUM. Quare verum divini amoris exemplar verè prædicandus, qui etiam nihil sæpiùs, nihil frequentiùs prædicavit, ac docuit, quàm amare JESUM, maximus, ac vehementissimus, sicut non minùs purissimus etiamsi in eo fuit amor Dei, per hunc tamen à bono opere, præceptorum Dei observatione, minùs se exemptum reputavit : sed sedulò ac indefensè in Ecclesia Dei laboravit, Evangelium altiùs aliis scriptum prædicavit, Epistolas salutares, eruditorias, atque consolatorias suis frequenter communicavit : tempore persecutionis in insula Pathmos arcana Dei vidit, visa accuratissimè notavit, tam diu in Ecclesia laboravit, ac sudavit, usque dum fœliciter & suaviter expiravit. Non itaque sufficit purus amor Dei : nec hic ab observantia præceptorum, bonorúmque operum exercitatione eximit ; ut Molinos sectæ Quietistarum Author & fautor seminavit in Italia, quem damnavit Innocentius xi. Pontifex Maximus, & Ecclesia execratur universa, nec sine fundamento & ratione. Amor quippe Dei verus non est, nec esse potest, qui mandata non servat. Unde etiam Christus Dom. Joan. xv. ait : *Siquis diligit me, sermonem meum servabit.* Vide Tom. 2. pag. 600.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI.

Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer. Lucæ ii.

DOgma fidei est omnibus tam adultis, quàm infantibus Baptismi Sacramentum esse summè necessarium ; quare omnes qui non baptizantur & per Baptismi gratiam non renascuntur, in sempiternam miseriam procreantur : unde etiam parvulis ante adultam ætatem non negatur. Nam Circumcisio, quæ figura olim erat Baptismi, infantibus octavo administrabatur die. Si ergo circumcisio proderat ad salutem infantibus, non minùs proderit iisdem Baptismus. Vide Tom. 1. pag. 246. & seq.

Et vocatum est nomen ejus JESUS. Proprium mediatoris Dei, & hominum, nomen est JESUS, quod Salvatorem significat. Nec hoc nomen fortuito, aut hominum judicio, ac voluntate, sed Dei consilio, & præcepto impositum est. Angelus enim Gabriel B. V. Mariæ Matri ejus ineffabile Incarnationis Mysterium annuntians aiebat : Lucæ 1. *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus JESUM.* De hoc Sanctissimo Nomine, Vide Tom. 1. pag. 63 & seq.

IN FESTO EPIPHANIÆ DOMINI.

Et ecce stella quam viderant in oriente antecedebat eos. Matth. ii.

QUamdiu Magi in aula hærebant Herodis, ejus, & totius aulæ spectabant consilium, stella non apparuit eis amplius, nec dux fuit eorum : postquam autem humanum & vanum dereliquerunt consilium, apparuit iterum stella, & adduxit eos ad salutem, sive salutis authorem, Christum JESUM. Talis stella est S. Scriptura, ejusque traditio per sacros expositores ; hanc sequi tenemur, & non solas hominum quorumcunque opiniones ac traditiones ; unde bene Apostolus vas electionis Dei, ii. ad Timoth. iii. ait : *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Et ad Hebr. iii. *Doctrinis*, inquit, *variis & peregrinis nolite abduci.* Insuper doctrina morum à veteribus, & sanctis magis quàm à recentioribus authoribus petenda est. Unde Job. cap. xii. ait : *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Vide Tom. 2. pag. 229. 230.

IN FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

Jugum meum suave est, & onus meum leve. Matth. ii.

MAndata Dei (quæ per jugum intelliguntur) impossibilia, ac importabilia esse, nemo nisi Hæreticus dicere potest : nec ulla blasphemia, tam apertè cum verbo Dei pugnat : cùm Christus ait, *Jugum meum suave, &c.* Imò olim palam prædicari voluit Deus per Moysen fidelem oratorem suum, Deuter. xxx. ubi inquit : *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm ut possis dicere, Quis nostrûm valet ad cœlum ascendere ut deferat illud ad nos, ut audiamus & compleamus ?* & D. Joan. hac de re non minùs divinè loquitur in Epistola 1. Cap. v. *Hæc est enim*, inquit, *charitas Dei ut mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt.* Vide Tom. 2. pag. 561.

Jugum meum suave est. Cùm plurimum in corpore nostro regnet concupiscentia, tum carnis, tum oculorum, tum superbiæ, duobus ultimis Præceptis Decalogi vetita ; ab ea nos abstrahere voluit Dominus, Sancti esse ut studeremus, animam nostram ab omni voluptatis, terrenorumque affectuum labe puram servaremus. Quare etiam ad erigendum animum & desiderium ad ipsum in cœlum suaviter invitat benignissimus Salvator dum inquit : *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos.* Hoc enim suave, hoc dulce. Vide Tom. 2. pag. 886.

IN FESTO SS. PHILIPPI ET JACOBI.

Creditis in Deum ? Joan. xiv.

DIvina inter alia monita Salvatoris nostri Dei, hodierni Evangelii minimum minimè exstat. *Creditis* enim, inquit, *in Deum* ; quid aliud monere voluit, quam ante omnia nos credere teneri in Deum? Unde Apost. ad Hebr. xi. ait : *Accedentem ad Deum, oportet credere, quia est.* Unde etiam Symbolum Apostolorum hoc modo exordimur, *Credo in unum Deum.* Insuper *in Deum* dicitur ; quia ut ait D. August. *Credere in eum, est credendo amare, credendo in eum ire, & ejus membris incorporari.* Vide Tom. 1. pag 5. & 16.

Et in me credite. Non solùm ad salutem necessaria fides, qua credimus Deum esse ; sed etiam necessarium est credere in JESUM Christum filium ejus, qui est tertius Articulus Symboli Apostolorum. Unde etiam Dominus non solùm in hoc

Evangelio

Evangelio ait: *Et in me credite.* Sed etiam sanctus Matth. Cap. xvi. confirmat ac roborat hoc abunde his verbis: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti JESUM Christum.* Vide Tom. 1, pag. 61.

Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? Magnum hîc exponitur Mysterium à Salvatore nostro, nempe quòd ipse non solùm sit verus homo, sed etiam verus Deus, unus in natura & essentia cum Patre & Spiritu Sancto. Unde etiam nos coæqualem his esse, profitemur, simul & esse protestamur unius essentiæ, sapientiæ, voluntatis & potestatis, atque etiam agnoscimus consubstantialem & coæternum, ut Concilii Niceni Patres in suo symbolo explicatiùs tradiderunt contra hæresim Arii Presbyteri Alexandrini, de quo vide Tom. 1. pag. 68. 69.

Ego in Patre, & Pater in me est. Patrem esse in Filio, Filium in Patre, unitatem indicat essentiæ in adoranda Trinitate, in qua Pater, Filius, & Spiritus Sanctus unum sunt unitate substantiæ. Ubi observandum; sicut tres Personæ in Sanctissima Trinitate unum sunt, sic Christiani inter se unum esse debent, non unitate substantiæ, sed unitate affectûs, & animorum concordiâ, quæ unitas perficitur per charitatem. Unde etiam piissimus Salvator post ultimam cœnam Deum Patrem hunc in modum deprecatus est, Joann. xvii. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos.* Vide Tom. I. pag. 73.

IN FESTO INVENTION. S. CRUCIS.

Nisi quis renatus fuerit denuo. Joann. iii.

HOc Sermone insinuat Christus Dominus Sacramentorum novæ Legis efficaciam, sine quibus nulla datur gratia: quam autem significant, illam causant, omnibusque eam semper non ponentibus obicem conferunt. Unde sanctus Aug. in Psal. lxvii. ait: *Sacramenta novi Testamenti dant salutem, Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem.* Vide Tom. I. pag. 200.

Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto. Serpens ille æneus à Moyse in eremo erectus, magnam habuit virtutem, siquidem omnes quotquot intuebantur eum, à languoribus suis curabantur. Sicut serpens iste erectus fuit pro salute Hebræorum, sic Christus Jesus in Cruce ab impiis Judæis in monte Calvariæ elevatus est pro salute totius humani generis. Unde Salvatori immensa elucescit gloria, nobis autem piè intuentibus, ac meditantibus copiosa salus, & corporis & animæ. Quare etiam in frontibus fidelium Crux tanquam salutis infigitur signum. Hinc S. Aug. in Tract. iii. in Joan. ait: *Noluit Dominus stellam in fronte fidelium signum suum, sed crucem. Unde humiliatus, in le glorificatus.* Vide Tom. I. pag. 103. & seq.

IN FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa. Lucæ i.

PRæcepto Decalogi primo etiamsi jubeamur Deum solum adorare, nec ullum alium præter ipsum habere: *Ego sum*, inquit, *Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos.* Exodi xx. Et Deuteron. v. Huic tamen præcepto cultus Sanctorum, eorumque imaginum & reliquiarum minimè repugnat. Siquidem ipse Dominus magni

semper fecit electos suos sibique fideles. Nec minuitur inde honor Dei, cùm per hoc non solùm in se, sed in Sanctis mirabilis prædicetur. Cujus exemplar habemus in Nativitate S. Joan. Baptistæ, quem ipsemet Dominus magnum & pluíquam Prophetam, inter natos mulierum non surrexisse sanctiorem, ac Angelum ante faciem suam missum, prædicavit ac promulgavit. Sic ergo Deum velle Sanctos à nobis venerari ex sacris litteris, Salvatoris oraculis compertum est. Unde & Joan. xii. ait Christus: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Et alibi: *Qui vos spernit, me spernit.* Vide Tom. II. pag. 571. Et circa venerationem sanctarum Reliquiarum Catholicas regulas, pag. 577.

IN FESTO APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Beatus es Simon Bar-Jona. Matth. xvi.

CUm venit Salvator in partes Cæsareæ Philippi, altam satis proposuit discipulis suis quæstionem: quem nempe putent homines Filium esse hominis. Audito responso singulorum, quid ipsi de suo sentirent Magistro, subjunxit. Ubi Petrus primus omnium ita respondebat: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Propter hoc dictum mox meruit à Domino multùm extolli, ac magnus prædicari; non tamen prædicatus magnus fuit ob fidem solam in divinitatem Christi; sed vel maximè ob spem & charitatem adjunctam. Hinc disertè S. Aug. Serm. xcviii. de Verbis Apostoli: *Quid magnum est*, inquit, *si dicis Christum Filium Dei? Hoc dixit Petrus, & audivit; Beatus es Bar-Jona: Hoc dixerunt dæmones, & audierunt, Obmutescite; Dæmones hoc dixerunt timendo, Petrus amando.* Patet inde fidem perfectam cum charitate. Vide Tom. I. pag. 10.

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Stabilitas ac fortitudo hîc prædicatur Petri, qui tamen debilis ancillæ verbo turbatus fuit, & in gravissimum negationis iniquæ lapsum cecidit; sequi Dominum, quocunque iret, præ aliis promisit, etiam cum eo in mortem ire se paratum jactavit; tertiò tamen Magistrum ac Dominum suum, & quidem juramento negavit. Ubi observandum occurrit, Petrum quidem gratiam sufficientem ad sequendum, Dominumque audacter confitendum habuisse, in pœnam tamen præsumptionis subtractam fuisse, quod dogma fidei est. Vide Tom. 1. pag. 113.

Tibi dabo claves regni Cœlorum. Clavis in sacra Scriptura magnam designat authoritatem, potestatem, atque gubernationem domesticam. Summâ hujus atque æternâ authoritate administrationis Christus Dominus à Patre acceptâ fruebatur, quemadmodum ipse aiebat Matth. ult. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Eandem & authoritatem hinc discedens in terris Apostolis, & illorum successoribus in Ecclesia reliquit, juxta illud Joann. xx. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Quam potestatem clavium adhuc Ecclesia agnoscit & profitetur. Vide Tom. 1. pag. 556.

IN FESTO S. JACOBI APOSTOLI.

Nescitis quid petatis. Matth. xx.

BInos hos discipulos supplicatione quodammodo ambitiosa per matrem accedentes corripit ac reprehendit Christus Dominus; cùm enim præ aliis primum in regno cœlorum concupis-

cerent locum, ambitionem quandam sapere videbantur: mater qoidem supplicat, sed filii de desiderio non sat prudenti redarguuntur. Unde etiam cum horum duorum ambitiosa petitio indignationem in aliis discipulis excitare videbator, Christus Dominus ad eos conversus dixit: *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Haoc Christi piam doctrinam pii notent Christiani, & damnabilem fugiant ambitionem. Vide Tom. 2. pag. 305.

Potestis calicem bibere? Reperiuntur nonnulli cum filiis Zebedæi; altioris dignitatis cupidi, otpote elericalis; sed minùs attendant & reflectunt ad calicem laborum, num scientia sufficienti imbuti, Ecclesiæ in sacris Ordinibus servire possint: nec curant quandoque libros, nec sacram doctrinam, sed solùm dignitatem contemplantor clericalem, ad quam indigni, sine sufficienti doctrina & scieotia, quæ statum Ecclesiasticum omnino decet, & necessaria illi est. Quare Sacrosanctum Concil. Trident. Sess. XXIII. Cap. 14. de Reformat. ita ordinavit: Ordinandi *ad populum docendum ea qua scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda Sacramenta diligenti examine pracedenti idonei comprobentur.* Ubi nec omittendum, etiam eos peccare mortaliter, qui indigniores præ dignioribus & eruditioribus promovent. Vide 1. pag 783. & Tom. 2. pag. 2. & 52.

IN FESTO S. LAURENTII MARTYRIS.

Qui amat animam suam, perdet eam. Joannis XII.

HOc sermone commendatur donum fortitudinis, quo animati ac veluti informati per aspera & durissima ambulare non formidant, non timent labores, non abhorrent dolores, non expavescunt tyrannorum sævientium furores, corporum non curant afflictiones, nec vitæ privationes. Cujus habemus exemplum in invicto Martyre ae Levita D. Laurentio, qui crudelitatem tyranni irridens super prunas veluti super rosas recumbebat; prunæ ardebant, amor internus fervescebat; corpus humiliabatur atque premebatur, beata anima in cœlum levabatur. Hoc semper eonsiderant viri sancti, ae veri discipuli Domini, qui adversa non timent, sed potiùs in eis exultant. Juxta illud Actorum V. *Ibant gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Vide de fortitudine Tom. I. pag. 313. & Tom. 2. p. 527.

Qui amat animam suam perdet eam. Cùm vita æterna ac superna, dulcis valde & secura; præsens verò amara miseriis, atque replera amaritudine, mors justis meritò expetenda potiùs quàm timenda, quia finis peccato illis imponitur, concupiscentia destruitur, ad vitam æternam, perenneque regnum transitor. *Quid tantopere vitam istam desideramus* (exclamat S. Ambrosius) *in qua quantò diutius quis fuerit, tantò majori oneratur sarcina peccatorum.* Vide Tom. 2. pag. 918. 919.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Exiit Jesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione, Lucæ VI.

ECce *exit* Salvator *orare*, ait Evangelista sacer, pissimam vadit Deo Patri offerre orationem. Sed quid est Oratio? Respondet D. Joannes Damasc. Lib. 2. de Fide Cap. XXIV. *Est petitio decentium à Deo. Exit orare* Dominus; ergo petiit aliquid à Deo? quid ergo à Deo? egenusne erat aut pauper? Non sanè, nec pro se, sed pro nobis orabat; nihil ipsi deest, nobis autem desunt multa nimis. Discamos ergo à Salvatore nostro diligenter, nec minùs perseveranter orare; siquidem erat pernoctans ille io oratione: discamus decentia frequenter à Deo petere: Est enim oratio summè nobis necessaria. Unde Christus Luc. XVIII. ait: *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Vide Tom. 2. pag. 892. & 906.

Et elegit duodecim ex ipsis, quos Apostolos nominavit. Noo omnes prælegit Christus Dominus Apostolos, nec etiam omnes Sacramentorum instituit ac denominavit ministros, nec omnes instituí voluit Sacramentorum administratores, ut contra Lotheri errorem sancta Mater Ecclesia in Concilio Tridentino congregata præscripsit, ae decrevit Sess. VII. Cap. X. Hi ergo soli dicuntur ministri, qui ab Ecclesia selecti & instituti; hi suam retinent potestatem etiam in impietate, dummodò materiam & formam adhibeant essentialem. Vide Tom. 1. pag. 209. 210. 218.

IN FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI & EVANGELISTÆ.

Et surgens secutus est eum. Matth. IX.

MAtthæus à Christo Domino cùm vocaretur, in telonio periculoso sedebat loco; cùm autem vocatus sit, locum hunc reliquit, & secutos est Christum, nec sequi potuisset, nisi telonium deseruisset: quare etiam post resurrectionem Domini aliis revertentibus ad piscationem, ipse nequaquam reversus est ad telonium, quia ibi semper occasio & periculum peccandi, quæ non in piscatione. Sic peccatores semel se convertentes, omnes occasiones ampliùs peccandi amovere & removere tenentur, seque ab illis alienare: si secus fiat, illis absolutio neganda est, ut sanxeront varia Concilia. Unde etiam ad præsens optimè differit D. Greg. homil XXIV. in Evang. *Sunt enim*, ait, *pleraque negotia, quæ sine peccatis exhiberi, aut vix, aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est, ut post conversionem non recurrat animus.* Vide Tom. 1 pag. 654.

Et surgens secutus est eum. Vocatus à Christo Matthæus, ut verus discipulus Christi, ae servus Dei fieri posset, surrexit è telonio, pecunias reliquit, pauperem veluti secutus pauper, ut dives fieret in cœlo. Dignum namque erat surgere, divitias relinquere; non enim potest dives & avarus servire Deo & pecuniæ, sed debet vel divitias, vel Deum deserere. Juxta illud Matth. VI. *Nemo potest duobus Dominis servire...... Non potestis Deo servire & mammonæ.* Ubi eleganter subdit D. Hieronymus Lib. I. Commentat. in Matth. Cap. VI. *Audiat hoc avarus; audiat qui censetur vocabulo Christiano, non posse se simul divitiis Christoque servi-*

re. Vide Tom. 2. pag. 514. Et de Usura, pag. 575. & seq.

IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Væ homini per quem scandalum venerit. Matth. XVIII.

SCandalum activum per se lethale peccatum esse patet; siquidem homicidium, sive occisio corporalis præcepto Decalogi repugnat; quidni peccatum mortale erit peccatum scandali, quo occiditur anima? Cujus sæpè & communiter reæ sunt mulieres superfluè & immoderatè se ornantes, focis vultum adulterantes, aut capillos tingentes, aliosve capillos pro ornatu adhibentes. Vide Tom. 2. pag. 794. & seq.

Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te. Oculorum custodia valde necessaria est, maximè pro cavenda luxuria, ait quidem Christus: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Non semper eruendus oculus, sed avertendus à vanitatibus, & à carnalibus delectationibus, & ad eas moventibus objectis visus frequenter coërcendus est. Et hoc inter alia remedia contra luxuriam præcipuum exstat. Oculi enim sunt fenestræ, per quas mors intrat in animam, ut olim prophetavit Jeremias Propheta, Cap. IX. *Ingressa est mors per fenestras, ingressa est domos nostras.* Vide de remed. contra luxuriam, Tom. 2. pag. 443.

Videte ne contemnatis unum ex his. Concertantibus discipulis Domini de majoritate; apprehendens Salvator ac Magister cælestis parvulum, statuit eum in medio, hunc ut respicerent, ac contemplarentur monuit, ne dum majores venerantur, parvulos despicerent ac contemnerent. Si ergo Dominus Jesus infinita scientia & sapientia Patris, prohibet innocentes ac pusillos contemnere, quia adest illis Angelus Dei, multò minùs contemnendus erit Angelus eorum, qui semper videt faciem Patris, omnia nostra opera ponit ante faciem Dei. Juxta illud Psal. XC. *Quoniam Angelis suis mandavit de te.* Hæc sumat homo cordi, & meditetur sæpiùs quantùm verbum hoc debeat commovere ad reverentiam, excitare ad devotionem, inducere ad fiduciam; ut abunde differit D. Bernardus Serm. XI. & XII. in Psal. *Qui habitat.* Vide Tom. I. pag. 44. & seq.

Angeli eorum semper vident faciem Patris. Angelos Dei hominibus in terra adesse ex hoc patet Evangelio, sicut & ex Psal. XC. Et non obstante quòd adsint hominibus, eos custodiant, regant, protegant & defendant: tamen sibi Deum præsentem retinent. Quis itaque dubitabit Deum, præsentem intueri, & velut ante faciem suam omnia opera sua facere, Deum omni in loco præsentem cogitare, vereri, colere, ac honorare, Angelicæ vitæ esse imitationem? Cùm etiam Angeli nobis adstantes ac collaborantes vident faciem Patris. Sic vixit & de se dixit Psaltes Regius, Psal. XV. *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear.* Vide de utilitate præsentiæ Dei meditatæ, Tom. I. pag. 26.

IN FESTO APOSTOLORUM SIMONIS ET JUDÆ.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Joan. XV.

CHristus Dominus, qui ex nimia charitate erga genus humanum descendit de cœlis, charitatis præceptum sæpè sæpiùs suis prædicavit discipulis. Unde suprà Joan. XIII. dixit, *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.* Nos autem quomodo dilexit? Non sanè nos dilexit, mundi ut procuraret delicias, opes acquireret caducas, ad magnas & vanas perduceret ac elevaret dignitates: non sanè sic dilexit nos; sed dilexit nos, ab his damnosis ut averteret, & cælestes & interminabiles lucraremur delicias, Deo Patri placentes, ac justos efficeret: mandatum ergo novum dedit nobis ut diligamus invicem, sicut dilexit nos. Debemus ergo ita exemplo ejus nos invicem diligere, proximum amare, ut possimus eum ad Deum adducere, studere ipsi bona æterna lucrari, varia auxilia afferre, ut ad Deum perveniat, cælestis gaudii particeps fiat. Unde in textum nostrum ait sanctus Augustinus Tract. LXV. *Mandatum novum ut diligatis invicem. Non sicut se diligunt qui corrumpunt; nec sicut se diligunt homines, quoniam homines sunt; sed sicut se diligunt, quoniam Dii sunt, & filii Altissimi omnes, ut sint Filio ejus unico fratres, eâ dilectione invicem diligentes, qua ipse dilexit eos, perducturus eos ad illum finem, qui sufficiat eis, ubi satietur in bonis desiderium eorum.* Vide Tom. 2. pag. 603.

Ut diligatis invicem. Mutua & fraterna mandatur ac præcipitur dilectio; hæc autem completur à nobis cùm proximorum onera juvamus portare. Hinc Apostolus ad Galatas VI. ait: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Idem & clarissimis tradit verbis D. August. Lib. de diversis Quæstionibus, q. LXXI. *Hujus*, inquit, *autem dilectionis officium est invicem onera nostra portare.* Vide Tom. 2. p. 605. & quasdam ibid. Regulas morales de Charitate proximi.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Matth. V.

CUm hodiernum Evangelium de superna beatitudine repletum sit, beatitudinis proprietates & essentiam inquirere licebit. Duplex est ergo beatitudo, alia accidentalis, ut sunt gaudium, gloria, honor, pax, immortalitas, charitas, &c. hæc omnia accessoria esse gravissimi tradunt Autores. Essentialis verò beatitudo, ut loquuntur Theologi, in Dei visione & possessione sita est. Unde Joan. XVII. ait Christus Dominus: *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Et licèt Deus ab homine oculis corporeis videri nequit, in altera tamen vita videri potest. Ibi autem multò excellentiores erunt oculi Beatorum, qui admirabiles Dei effectus in corporibus innovatis & gloriosis videbunt, ex quibus mens Deum in se ipso videns ita videt, ut ipsum etiam videat in aliis, videat in cœlo novo & in terra nova, atque in omni quæ tunc fuerit creatura. Ut doctissimus Ecclesiæ Doctor D. Augustinus tradit ac docet Libro XXII. de

FINIS.